

Del P. G. Baltasar de la Penz, D. Fr. Luis = Jesus, Maria, Josep Corto 50 h.


N. 12239

DIVI IOANNIS
CHRYSOSTOMI
ARCHIEPISCOPI
CONSTANTINOPOLITANI
OPERV M
TOMVS QVARTVS:


CONTINENS OMNIVM DIVI PAVLI
*Epistolarum enarrationem, magna ex parte nunc per catholicos doctissimos-
que viros conuersam, & ad vetera exemplaria hac postrema
editione accuratissimè recognitam.*

Harum catalogum sequens pagina indicabit.

DE LA LIBRERIA
DEL REAL COLEGIO MAYOR
Reunido de Santa Cruz, y
Santa Catalina.
E. C. N.



PARISIIS.
M. D. LXXXVIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.



0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37

Del P. Fr. Baltasar de la Peña, D. Fr. Luis = Jesus, Maria, Joseph Corto 30 l.


N. 12239

DIVI IOANNIS
CHRYSOSTOMI
ARCHIEPISCOPI
CONSTANTINOPOLITANI
OPERM *D. Fr. Luis*
TOMVS QVARTVS:


*CONTINENS OMNIUM DIVI PAULI
Epistolarum enarrationem, magna ex parte nunc per catholicos doctissimos,
que viros conuersam, & ad vetera exemplaria hac postrema
editione accuratissime recognitam.*

Harum catalogum sequens pagina indicabit.

DE LA LIBRERIA
DEL REAL COLEGIO MAYOR
Reunido de Santa Cruz, y
Santa Catalina.
E. C. N.



PARISIIS.
M. D. LXXXVIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.



[Handwritten scribble]

3
 De, y dond este thomo de San Juan Chrysostomo *Vtudo el Juego a sum-
 fime Collegio de Santa Carbalina de Granada el M. Senor D. Baltazar
 de la Pena, y Auilo Obispo de Auila en veinte y tres de Marzo de mil
 seiscientos, y quatro años* —

ELENCHVS OPERVM QVARTI TOMI.

IN epistolam ad Romanos, homilia xxxii. 1.A	In epistolam Pauli ad Galatas enarratio. 843.D
In locum Pauli ad Romanos, cap. xvi. Salute Prisca & Aquilam, & de colendis sacerdotibus. 270.A	In epistolam ad Ephesios, homilia xxxiiii. 902.A
In epistolam Pauli ad Corinthios priorem, homilia xliiii. 279.A	In epistolam ad Philipenses, homilia xv. 1035.A
De libello repudij, in dictum Pauli, i. Cor. vii. Mulier alligata est legi, quanto tempore vixerit vir suus: si autem, &c. 589.C	Notationes quedam in Commentarios in epistolam ad Philipenses. 1131.B
In dictum Pauli, i. Cor. x. Nolo vos ignorare fratres, quod patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare transferunt. 595.C	De profectu euangelij homilia, in dictum Apostoli ad Philipenses, i. Siue occasione, siue veritate Christus annuntiatur. 1133.C
Homilia in dictu Pauli, i. Cor. xi. Oportet hereses esse. 603.C	In epistolam ad Colossenses, homilia xii. 1141.B
Ex Apostolo, i. ad Cor. cap. xiii. De fide, spe, & charitate, sermo. 609.C	In epistolam ad Thessalonicenses priorem, homilia xli. 1214.B
In illud Apostoli, i. Cor. xv. Cum autem subiecta, &c. homilia. 612.B	In epistolam ad Thessalonicenses posteriorem, homilia v. 1276.A
De eleemosyna, & collatione in sanctos, sermo ex priore Pauli ad Corinthios epistola, cap. xvi. 620.A	In dictum D. Pauli, De dormientibus, Nolo vos ignorare, &c. 1301.B
In epistolam Pauli ad Corinthios posteriorem, homilia xxx. 631.A	In epistolam ad Timotheum priorem, homilia xvi. 1309.D
In dictum Pauli, ii. Cor. xi. Utinam tolerassetis paululum quiddam insipientie mee, homilia. 835.C	In epistolam ad Timotheum secundam, homilia x. 1399.D.
	In epistolam ad Titum, homilia vi. 1456.A
	In epistolam ad Philemonem, homilia iiii. 1461.B
	In epistolam ad Hebraeos, homilia xxxiiii. 1505.C
	In illud Apostoli ad Hebraeos, x. Sponte peccantibus, &c. homilia. 1684.A

DIVI

videtur ostendens. Phil. i.

Matt. 7.

BEATI Pauli epistolarum A lectionem assidue dum aufulto, perque hebdomadas singulas bis, sapè & ter, & quater, peragenda sanctorum martyrum memoria celebratione, gaudio exulto: interim tuba illa spiritali perfrens, exurgo quidem, & desiderio incalesco, vocem mihi amicam agnoscent: quin & tantum non presentem ipsum imaginatus, discretem audire videor. Idem tamen ego prae dolore discrucior hoc ipso, quod virum hunc non omnes, sic, vt par est, intelligunt: verum ita illum nonnulli ignorant, vt ne epistolarum quidem eius numerum planè norint. Hoc verò non ignorantia facit: sed quod nolint beati huius viri scripta assidue in manibus habere. Neque enim nos quæ scimus (si qua scimus) ab ingenij bonitate atque acumine scimus: sed quòd illi nos viro impensè affecti ab illius lectione nunquam discidimus: siquidem qui amant, ij ante omnes eorum facta norunt, quos amant, vt qui de iis ipsis sint solliciti: id quod beatus hic† veluti plaufum captans, j ad Philipenses ait: sicut est mihi iustum, vt hoc de vobis omnibus sentiam, eò quòd habeam vos in corde & in vinculis meis, & in defensione & confirmatione euangelij. Quapropter si & vos quoque in animum induxeritis huius lectioni studiosam ac diligentem operam nauare, nihil sanè erit, quod aliud requirendum vobis sit. verax est enim Christi sermo dicentis. Querite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Ceterum quandoquidem complures ex iis, qui huc nobiscum conuenere, & liberorum educatione, & vxoris cura, & familie prouidentiam susceperè, ob idq; totos sese huic labori dare non sustineant: attamen ipsi vos excitantes comparate ad ea demum capienda, quæ alij collegerint, studij tantundè iis, quæ dicta fuerint, auscultandis, quantum pecuniis collegendis impertientes. tametsi enim turpe est à vobis nihilo amplius postulare, tamè vel hoc ipso contenti erimus. tantundem ergo date. Siquidem hinc infinita exorta sunt mala, ab ipsa videlicet sacrarum scripturarum ignoratione: hinc multa hæreseos lues pululauit, hinc vitæ in multis neglectus, hinc inutiles ac lucro carentes labores. Nam quemadmodum qui luminis huius vsura sunt priuati, nequaquam recta ingredi possint: ita qui ad diuinarum scripturarum radios, oculos non intendunt, necessariò in multa frequentes errata incurrunt, perinde ac si in tenebris periculosis ambulant: id quod vt ne eueniat, oculos ad ipsum a-

5
 Ina deel M. J. Obispo de Auila, y lo dono a su collegio de S. Carbalina de Granada.



DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI
 ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,

IN EPISTOLÆ AD ROMANOS INTERPRETATIONEM PROOEMIUM:

Germano Brixio Altissiodorensi interprete.

postolicorum verborum fulgorem adaperiamus. Etenim huius lingua supra ipsum etiam Solem illuxit, cæteros omnes verbi doctrina exuperas. Nam quòd plurquam ceteri laborauit, magnam etiam spiritus sibi conciliauit gratiam. Id quod non ex illius epistolis tantum, sed ex actis ipsis ita esse contenderim, sicubi enim concionandi locus se offerret, ei passim concedebant omnes, quo nomine & Mercurius esse credebatur ab iis, qui in Christi verba nondum iurassent, quòd videlicet orationis, eloquentiæque præses esset. Proinde quum ad hanc nobis epistolam descendendum sit, necesse est & tempus, quo scripta ea fuit, commonstrare. Neque enim, vt multorum fert opinio, cæteras omnes tempore præcessit. Eas quidem omnes, quæ Roma scriptæ fuere, anteit: cæteras alias, quanuis non omnes, subsecuta est. Nam quæ ad Corinthios scriptæ sunt ambæ, ante hanc scriptæ fuere, argumento sunt verba ea, quæ ad huius epistolæ finem adscripsit, ita loquens: Nunc autem proficiscor Hierosolymam ministrans sanctis: visum est enim Macedoniae & Achaie communicationem aliquam faceres in pauperes sanctos, qui sunt Hierosolymis. Corinthiis autem scribens, ait: Quòd si fuerit operaprecium, vt ipse proficiscar, mecum proficiscentur: de iis loquens qui eò pecunias deportadas colligebant. Vnde liquet, dum Corinthiis scripsit, incertam fuisse talem ipsius peregrinatione: dum autem Romanis, constitutum iam illi fuisse de profectio. Quo confesso, & illud constat, hanc epistolam post illas scriptam fuisse. Quin & ad Thessalonicenses epistola videtur mihi præcessisse epistolam ad Corinthios. Nam illis prius cum scripsisset, deque eleemosyna apud illos sermonem mouisset (his verbis: Ceterum de fraterna charitate nõ necesse habetis, vt scribam vobis: ipsi enim vos à Deo didicistis, vt diligatis vos inuicem: etenim hoc facitis erga cunctos fratres) tum demum ad Corinthios scripsit. id quod illius verba hæc declarant. Noui enim proutudinè animi vestri, quam de vobis iacto apud Macedones, quòd Achaia parata est ab anno superiore, & vestrum exemplum prouocauit complures. Quibus ex verbis declarauit se cum illis prius hac de re differuisse: His igitur epistolis hæc ad Romanos scripta posterior est, eas tamen præcedit quæ Roma missæ sunt. Nõdum enim Romam aduenerat, quo tempore hanc scripsit epistolam. id quod his verbis indicat: Desidero enim videre vos, vt aliquod vobis impertiar donum spirituale. Roma autem ad Philipenses scripsit. ideo ait, Salutât vos omnes sancti, maxime verò qui sunt ex Cesaris familia. Quo ex loco & ad Hebraeos quoque scripsit. ob quod ait, eos omnes salutari ab iis qui in Italia essent. Iam ad Timotheum epistolam & ipsam de vin-

7
 1. Tim. 4. **7** culis scriptam Roma misit, quæ quidem iudicio meo
 2. ad Philomnem. **8** epistolarum omnium est postrema. id quod eius finis arguit: Ego enim, ait, iam immolor, & tempus resolutionis meæ instat. quod autem inibi è viuis decesserit, vnde quaq; liquet. Sed ad Philemonem epistola inter postremas est & ipsa, eaque sub extremam ipsius senectam scripta. Itaque ait, nempe Paulus senex, nunc autem etiam vincens Iesu Christi: eadem tamen præcessit epistolam ad Colossenses. Id quod ab epistolæ sine manifestum est. Colossensibus enim scribens, ait: De omnibus rebus meis certiores vos faciet Tychicus, quem misi vna cum Onesimo fido & dilecto fratre. hic autem Onesimus is erat, pro quo epistolam ad Philemonem composuit. ac quod non alius esset illi cognominis, patet ab Archippo, quem enim in epistola ad Philemonem socium accepit exhortationis pro Onesimo susceptæ, huc & ad Colossenses scribens excitat, his verbis: dicite Archippo, vide ministerium quod accepisti, ut illud impleas. Videtur porro mihi epistola ad Galatas præcessisse epistolam ad Romanos. quod si in bibliis alium obtinent ordinem, mirum esse non debet. Siquidem & duodecim prophetæ cum se inter se deinceps non subsequantur, si tempora inspicias: sed multum inter se ipsi tempore quum distent, si ipsam tamē bibliorum seriem inspexeris, inter se ordine sunt collocati. Siquidem & Aggæus, & Zacharias, & alij aliquot post Ezechielem & Danielem prophetias ediderunt, & multi item post Ionam, & Sophoniam; cæterosque omnes: sed tamen cum illis omnibus coniuncti sunt, à quibus tanto temporis intervallo distant. Proinde hunc laborem nemo extra rem, néve hanc indagacionem superuacaneæ curiositatis esse putet. Confert enim nobis non parum ad quæstiones explicandas ipsum epistolarum tempus. Nam cum video Romanis ac Colossensibus Paulum iisdem de rebus scribentem: non eodem tamen modo iisdem de rebus, sed illis quidem magna cum indulgentia, quum ait: Porro cum qui infirmatur fide, adsumite, non ad diiudicationes disceptationum: alius quidem credit, vescendum esse quibuslibet, alius autem, qui infirmus est, oleribus vescitur. Colossensibus autem, non perinde iisdem de rebus, sed maiore cum libertate ac fiducia Itaque si mortui, inquit, estis cum Christo ab elementis mundi, quid tanquam viuentes in mundo decretis tenemini? ne tetigeris, ne gustaueris, neque contrectaueris, quæ omnia ipso pereunt abusu, non per honorem aliquem ad expletionem carnis: huius differentia nullam aliam inuenio causam, quam ipsum epistolarum tempus. In initio enim indulgendum erat, postea autem non item. Atque hoc identidem inuenias ipsum multis aliis locis factitantem. Hunc morem videre est & medicum & magistrum obseruare. neque enim medicus cum iis qui in morbi adhuc sint initio, & iis qui ad valetudinis finem iam declinarint: neque magister cum discipulis ab initio pueris, & cum iis qui perfectioris doctrinæ indigeant, eadem ratione agit. Igitur aliis alia quadam causa & argumento adductus, scribebat Paulus. Hoc ipsum declarat, cum Co-

A rinthiis scribens, De iis autem quæ ad me scripsistis, rum Galatis statim ex proœmio & epistola tota hoc manifestans. Romanis verò quo nomine, & quamobrem? Etenim testificari apud ipsos videtur, quod sine pleni bonitatis, pleni omnis scientiæ, qui & possint alios admonere. Romanis, inquam, quamobrem epistolam misit? Propter gratiam, inquit, mihi à Deo concessam, ut sim in posterum minister Iesu Christi. ob quod & in epistolæ exordio dixit: Debitor sum, ita quantum in me est, paratus sum vobis quoque qui Romæ estis, euangelizare. Nam quæ modò diximus, videlicet quod possint & alios comonefacere, & quæ id genus sunt, laudationis potius fuerint, & exhortationis. Ac necessaria etiam & his erat per epistolas correctio. Nam quoniam nondum ad eos venerat, duplici ratione eos ad honestæ vitæ normam informat, & epistolarum utilitate, & aduētus sui expectatione. Talis enim erat diuina illa anima, vniuersum terræ orbem circumplexa erat, & in seipso circumferebat omnes cognationem eam maximam arbitratus, quæ iuxta Deum esset, atque adeo omnes amabat sic, ut si genuisset: quin potius maiorem præ se fereret charitatem, quam quiuis pater. Talis est enim gratia spiritus, vincit carnis partus, & feruentius desiderium exhibet. Id in primis videre licet in Pauli anima, qui quidem veluti volatilis præ charitate effectus, omnes assidue circuibat nusquam manēs, nusquam stās. Posteaquam enim audiuit Christū dicentem, Petre si amas me, pasce oues meas: atque hunc maximum charitatis terminum pronuntiantem, dici non potest quam eximie hunc præ se tulerit. Hunc igitur & nos æmulati, si minus orbē vniuersum, si minus ciuitates totas, ac gentes: at certè suam quisque familiam, vxorem, liberos, amicos, vicinos, ad bonos compositosque mores informemus. neque verò mihi quisquam dicat, Rudis sum, & imperitus. Petro nihil indoctius, Paulo nihil imperitius: & hoc ille profitebatur, nec eum hoc fatentem pudebat: Etsi imperitus sum sermone, non tamē scientia. Sed tamen hic imperitus, & ille indoctus sexcentos philosophos superarunt, sexcentis rhetoribus os obturarunt, suo ipsorum studio, propensaque voluntate & Dei gratia omnia peragentes. Quamnam ergo vsurpabimus defensionem, qui ne viginti quidem nominibus capitibusque sufficimus? ac ne iis quidem, quibuscum habitamus, vtiles nos præstamus? Causatio hæc & excusatio. neque enim inscitia & imperitia dicendi minus prohibet, sed segnitias, ac somnolentia. Hac igitur somnolentia excussa, cum omni studio membra domestica curanda suscipiamus enixèque amplectamur: vt cum hac in vita magnam tranquillitatem assequamur, pro nostro erga Deum timore necessarios nostros ad morum rectitudinem componentes, tum in futura infinitorum bonorū participes efficiamur, gratia, & summa erga nos benignitate domini nostri Iesu Christi, per quæm, & cum quo, patri gloria, vna cum sancto spiritu nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

PROOEMII FINIS.

DIVI

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI IN EPISTOLA AD ROMANOS, HOMILIA PRIMA: Germano Brixio Altijsiodorensi, Canonico Parisiensi, interprete.



AVLVS seruus Iesu Christi vocatus Apostolus, segregatus in euangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis. Moses libris quinque à se scriptis, nusquam nomen suum addidit, neque qui illum subsequenti, quæ post illum gesta sunt, scripsit: sed neque Matthæus, neque Ioannes, non Marcus, non Lucas. At beatus Paulus vbique epistolarum suarum nomen suum præponit. Quid ita? quod illi quidem præsentibus scribebant, ac superuacanea illis erat præsentia suæ declaratio. Hic autem è longinquo literas mittebat, & sub epistolari figura: idcirco necessaria erat nominis additio. Quod si in ea quam ad Hebræos scripsit, epistola, secus facit: id suo quodam proprio consilio facit. Nam quod inimico essent Hebræi erga illum animo, vt ne è proœmiis, audito eius nomine, sermoni aditum occluderent, illorum audientiam occultanda nominis sui declaratione artificiosè captauit. Quod si propheta nomina sua apposuere, & Salomon: id verò vobis inuestigandum relinquo, qua de causa alij quidē apposuere, alij autem non apposuere. Neque enim vos oportet à nobis omnia discere, sed & ipsos vos elaborare, & exquirere, vt ne segniores efficiamini. Paulus seruus Christi. Cur eius nomen immutauit Deus, & Saulus qui esset, Paulum vocauit? vt ne hac quidem parte reliquis apostolis inferior esset: sed quod selectū, eximiūque habuit discipulorum antesignanus, hoc & ipse indidisceretur, & maioris necessitudinis argumentum obtineret. Christi porro seruum se ipse non temerè dixit. etenim seruitutis modi sunt plures. Alius per creationem, atque opificium: vnde ait, Seruiū tibi omnia: & item illud, Seruus meus Nabuchodonosor. ipsum enim opus authori suo seruum est. Alius à fide, de qua ait, Gratia autem Deo, quod serui peccati eratis, obediistis autem ex corde in eam doctrinæ formam in quam traditi estis: liberi autem à peccato, iustitia seruiistis. Alius à vita, ac moribus] iuxta quem dictum est, Moses seruus meus obiit. quæquam & Iudæi omnes serui erant, sed præcipue Moses] vita ac moribus] elucescens. Paulus itaque quod seruitutis modis omnibus seruus esset, ideo maximæ dignitatis loco ponit verbū hoc, Seruus Iesu Christi: Ac dispensationis nomina obtēdit, ab inferioribus ad superiora conscendēs. Etenim Iesu nomen angelus ferens venit è caelis, tum cum è virgine natus est. Christus autem quod vnctus sit, dicitur: quod & carnis erat. dices, quo tandem vnctus est oleo? oleo certè minimè est vnctus, sed spiritu. consuevit autem & hos sacra scriptura Christos vocare. quod enim in ipsa vnctione principem locum obtinet, spiritus est,] & vnguentum ob id assumitur.] vbinam verò oleo minimè vnctos Christos appellat? vbi ait, Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis ne peruersè quid agatis. tum enim ne reperta quidem erat facti olei confectio. Vocatus Apostolus. Vbique vocatum se appellat, suam ostendens modestiam, & quod non ipse quærendo inueniret, sed vocatus, præstō fuerit, & obediuerit. quin & eos qui in Christi fidem sunt recepti sic appellat, vocatos sanctos. Illi quidem ad fidem vs-

que vocati sunt: ipsi autem aliud quiddam conceditum est, nimirum apostoli munus, res bonis infinitis exundans, gratis omnibus maius, ac dona omnia complectens. Quid enim amplius dixerimus, quam id? videlicet Christum quod nobiscum dum versaretur fecisset, hoc ipsum illis commisisse, ac sic demum à nobis abiisse? Id quod Paulus exclamans, apostolorumque dignitatem extollens, ait, pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, hoc est, Christi vice. Segregatus in euangelium Dei. Quemadmodum enim in familia aliqua ad diuersa quisque opera segregatus est, sic & in ecclesia diuersæ sunt administrationum distributiones. mihi porro videtur hic non sortitionem modò significare, sed quod iam pridem atque è supernis ad hoc ordinatus esset. Quod & Hieremias ait de se Deum dixisse: Antequam ex vulua egredereris, sanctificauit te: prophetam in gentes te constitui. Nam quod Paulus ad arrogantem ciuitatem scriberet, eandemque vnde quædam fastu turgidam, modis omnibus ostendit Dei decretum hoc esse. etenim ipse est, qui vocauit, ipse est qui segregauit. Hoc autem facit, vt fide dignam & plausibilem reddat epistolam. In euangelium Dei. Non igitur Matthæus euangelista solus, neque Marcus, quæadmodum neque hic solus apostolus, sed & illi. quamquam per excellentiam, hic quidem Apostolus, illi verò euangelistæ dicuntur. Ipsum autem euangelium non propter bona ea tantum, quæ iam extitissent vocat, sed propter ea quæ futura essent. Caterum quo pacto Deum Paulus ait per ipsum euangelizari? ait enim, segregatus in euangelium Dei, quum pater ante ipsa etiam euangelia cognitus esset. verum quauis cognitus esset, Iudæis solis cognitus erat: ac ne his quidem omnibus, vt decebat. neque enim patrem ipsum esse nouerant, atque adeo multa tum de eo imaginabantur cum illius dignitate minimè conuenientia. vnde & dicebat Christus: Venient veri adoratores. & rursus, Pater tales quærit, qui ipsum adorent. post autem & ipse, vna cum Iesu filio vniuerso terrarum orbi declaratus est. Quod denuncians Christus dicebat, Vt te solum vestrum esse Deum cognoscant: & , quem misisti Iesum Christum. Dei porro euangelium vocat, ab ipsis statim exordiis erigens auditorem. neque enim venit triste quiddam renuncians, veluti prophetæ, accusationes, crimina, increpationes, sed euangelia, & euangelia Dei, firmorum & immutabilium bonorum thesauros infinitos. Quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis. Dominus enim, ait scriptura, verbum dabit euangelizantibus virtute multa: & rursus, Quam pulchri pedes pacem euangelizantium. Vides & præscriptè ipsum quoque euangelij nomen, & modum in veteri etiam testamento appositum. non enim per verba tantum ipsum annunciamus, inquit, sed per res. neque enim euangelium id humanum erat, sed diuinum, & arcanum, & omnem transcens naturam. postea vero, quam nouitatem rei incularent, ostendit tum ipsum gentilibus antiquius esse, tum in prophetis antè scriptum. Quod si id ipsum non ab initio dedit, in causa sunt, qui id noluerunt admittere. Nam quibus voluntas affuit, audiuerunt: Abraham pater vester gestiebat, vt videret diem meum, vt vidit, & gauisus est. Quomodo igitur ait, Multi prophetæ ac iusti desiderauerunt videre quæ vos videtis, nec viderunt? ita sane intelligito verba hæc, vt vos videtis & auditis, ipsam videlicet carnem, & ipsa signa: quæ quidem & in hominum conspectu facta esse constat. Mihi verò contemplotor, quot multis antè temporibus prædicta hæc fuerint. Etenim quoties Deus magna quædā moliturus est, ea multo ante tempore denunciat, hominum au-

1. Cor. 7. **8** tus, scribebat Paulus. Hoc ipsum declarat, cum Co-

Psal. 118. Hier. 25. Rom. 6.

1. Tim. 4. Deut. 34.

1. Tim. 4. id est, administratione sine muneris functione.

Basil.

1. Tim. 4. 1. Tim. 4. 1. Tim. 4.

1. Cor. 2.

Hier. 2.

Ioan. 4. Ibidem.

Ibidem.

Psal. 67. Rom. 10.

Ioan. 8.

Matt. 23.

res preparans, ad ea quæ aduenerint accipienda. *In scripturis sanctis.* Non enim dixerunt prophetæ tantum, sed & scripserunt quæ dixerunt: non scripserunt autem solum, sed & per res figurarunt: Veluti Abraham quum Isaac adducit, & Moses quum serpentem exultat, quum manus ad Amalec extendit, quum agnum paschale immolat. *De filio suo, qui genitus fuit ex semine David secundum carnem.* Quid tibi nunc vis o Paule? Animos nostros posteaquam in sublimem raptos subuexisti, iidemque magna quædã & arcana intra se ut conciperet, perfecisti, tum autem euangelium ubi nominasti, & quidem Dei euangelium, ubi item prophetarum chorum in medium adduxisti, omnemque ostendisti futura multis ante annis prædixisse: quorum rursus nos ad David reuocas? de homine verba facis, quoniam dicitur quæso, ac patrem illi das Iesse filium? qui obsecro, possunt hæc digna esse iis, quæ a te dicta sunt? Nempe de nudo homine, ait, nobis haudquaquam est sermo: propterea hoc ipsum addidi, Secundum carnem, subindicans, & secundum spiritum eiusdem esse generationem, & quamobrem hinc orsus est, & non illinc à sublimioribus: quoniam & Matthæus hinc, & Lucas, & Marcus. Eum enim qui ad cælum deducturus sit, ab inferioribus ad superiora deducere necesse est: hac enim demum ratione ipsum negotium æconomiam accepit. Primum igitur nouerunt illum hominem in terra, ac tum cogitauerunt Deum. Quæ igitur doctrinam ipse instituerat, hac & discipulus ipsius uiam inquit illuc ferentem, primum itaque tangit generationem eam, quæ secundum carnem est, non quod prima sit, sed quod ab hac ad illam auditorum deducebat. *Qui declaratus fuit filius Dei cum potentia secundum spiritum sanctificationis, ex eo quod resurrexit à mortuis Iesus Christus dominus noster.* Obscurum est quod dicit, ob dictum inuolucrum: ob quod necessaria est illius distinctio. Quid igitur est quod ait? prædicamus, inquit, eum qui ex David natus est, sed hoc quidem apertum. Vnde autem & filius Dei est idem hic in carne conflat? Primum à prophetis: ob quod ait, Quod autem promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis, non parua autem demonstrationis hic tropus. Deinde & ex ipso generationis modo, quod & ipse declarauit, quum dixit, *Ex semine David secundum carnem:* ipsam enim naturam legem soluit. Tertium à miraculis, quæ edidit, magnæ potentiam argumentum præbens. hoc enim est, *Cum potentia.* Quartum ab ipso spiritu, quem quidem dedit credentibus in se, & per quem omnes, sanctos reddidit, vnde ait, *Secundum spiritum sanctificationis.* Dei enim solius erat, id genus donum largiri. Quintum à resurrectione domini, primus enim hic & solus seipsum excitauit: quod & ipse ait signum maximum omnium idoneum esse, & quod impudentibus os obstruere posset. Soluite enim, inquit, templum hoc, & post tres dies excitabo ipsum. & Quum exaltaueritis me à terra, tum cognoscetis, quod ego sim. & rursus: Signum quærit generatio hæc, & signum non dabitur ei, nisi signum Ione. quid igitur est, declaratus? nempe ostensus, demonstratus, iudicatus, confessus, ab omni sententia & calculo, à prophetis, à nec opinata natiuitate, natiuitate in qua secundum carnem: à potentia ea, quæ in signis esset: à spiritu per quem sanctificationem dedit: à resurrectione, per quam mortis tyrannidem sustulit, *Per quem accepimus gratiam ac muneri Apostolici functionem, ut obediatur fidei.* Vide famuli modestum gratumque; animum, nihil suum ipsum esse vult, sed omnia domino accepta refert, atqui spiritus, id quod diximus, donum est. vnde dixit, Multa habeo, quæ vobis dicturus sum, sed iis ferendis impares nunc estis: quum autem ille venerit, nempe spiritus veritatis, dux vobis erit ad omnem veritatem. Et rursus, Segregate mihi Paulum ac Barnabam. & in epist. ad Corinth. ait: Huic quidem per spiritum datur sermo sapientiam, alij autem sermo

scientiam. Et illud, Omnia ille diuidit, quatenus vult, & Milefius item dum concionetur, ait: In quo posuit vos spiritus sanctus pastores & episcopos. Vides, quod quæ spiritus sunt, ea filij: & quæ filij sunt, eadem spiritus esse ait: *Gratiam & Apostolici muneris functionem.* Hoc est, non nos hoc virtute nostra præstitimus, quod Apostoli simus, neque enim nostris multis sudoribus ac laboribus hæc dignitatem sortiti sumus, sed gratiam inuenimus, & superni doni beneficium id fuit. *Ut obediatur fidei.* Non igitur Apostoli fuere, qui egregia illa facinora præstitere, sed gratia illos præueniens. Illorum enim erat circunuagari, ac præconium facere: persuadere autem, Dei erat in illis vim exerentis. Vnde & Lucas ait, Aperuit cor ipsorum. & rursus, Quibus datum erat auscultare verbum Dei. *Ut obediatur.* Non dixit, ut in questione aut vociferationem trahatur: sed, ut obediatur, neque enim missi sumus, inquit, ut argumenta, ut syllogismos afferamus: sed ut reddamus quod nobis concreditum est, quum enim dominus aliquid pronunciauerit, audientes minimè oportet curiosè scrutari, sciscitariue, super iis quæ dicta fuerint, sed excipere tantum. Etenim Apostoli propterea missi sunt, ut quæ audiuisent, ea dicerent, non ut de suo aliquid adderent, & nos quoque ut credamus, quid ut credamus? *Super ipsius nomine.* Non quidem, ut eius essentiam ac naturam curiosè perscrutemur, sed ut in nomine credamus. Illud enim erat, quod signa edebat. In nomine enim Iesu Christi, ait, surge & ambula. hoc ipsum porro fidei indiget, neque fieri villo modo potest, ut harum rerum quicquam animi cogitatione comprehendas. *Inter omnes gentes, quorum de numero estis & vos vocati Iesu Christi.* Quid igitur? omnibusne gentibus Paulus prædicauit? Certè quod ab Hierosolymis usque ad Illyricum percurrit atque illinc rursus ad ipsas terræ extremitates, ex iis liquet, quæ scripsit, quod si ad omnes non accessit, ne sic quidem, quod dicit, mendacium fuerit. neque enim de se ipse tantum loquitur, sed & de duodecim Apostolis, deque omnibus iis, qui post illos verbum annunciarunt. alioqui autem ne de ipso quidem Paulo si intellexeris, dictum ipsum coarguere possis, si modò illius propensum studium consideres, & quod post obitum etiam non cessat ubique terrarum prædicare. Considera porro quoniam modo ipsum donum attollit, ostenditque tum magnum esse, tum priori longè excellentius. Siquidem quæ prisca fuere, ad vnam duntaxat gentem pertinuerunt. hoc autem donum & terram & mare ad se illexit. Mihi autem illud considerato, ut adulatione omni vacet Pauli anima. Cùm Romanis enim verba faciens, veluti in vniuersam terram fastigio quodam constitutis, nihilo tamen amplius illis tribuit, quam reliquis gentibus: neque verò, quoniam tum dominaretur ac regnaret, in spiritualibus illos amplius reliquis habere ait. Sed quemadmodum, ait, gentibus omnibus prædicamus, ita & vobis: cum Scythias ac Thracibus eos recensens, quandoquidem nisi hoc significare voluisset, superuacaneum erat hoc dicere, *Quorum de numero estis & vos.* Hæc autem facit, illorum fastum deiiciens, inanem mentis turgiditate euacuans, eoque docens equalitatem erga alios seruare. Vnde hoc adiunxit, *Quorum de numero estis & vos vocati Iesu Christi.* Ac si dicat, eum quibus estis & vos, neque sanè dixit, alios vobiscum: sed, vos vnà cum aliis vocauit. si enim in Christo Iesu non est neque seruus, neque liber multò magis neque rex, neque priuatus, etenim & vos vocati estis, non per vos ipsi aduenistis. *Omnibus qui Romæ estis dilectis Dei vocatis sanctis gratia vobis & pax à Deo patre nostro & domino Iesu Christo.* Vide ut assidue nomen vocati vsurpet, vocatus Apostolus, inquit, quorum de numero estis & vos vocati, omnibus qui Romæ estis, vocatis, hoc autem non superuacaneo sermone facit, sed quod eos velit beneficii commonefacere, quando-

Gen. 22.
Num. 21.
Exod. 17.

Ioan. 2.

Ibid. 8.
Matt. 21.

Ioan. 16.

Act. 13.
1. Cor. 12.

1. Cor. 12.
& Rom. 12.
& Eph. 4.
Act. 20.

Act. 16.

† proba-
tionem.

Ibid. 3.

Matt. 10.

Inf. 15.

quandoquidem enim verisimile erat inter eos, qui iam in Christum crederent, aliquos esse & consules, & magnates, & prouinciæ præfides, & pauperes item & priuatos, abiiciens, ac repudiens dignitatum inæqualitatem, omnes vna appellatione ac salutatione dignatur: quod si in iis quæ magis necessaria sunt, quæque ad spiritum pertinent, communia omnia tum seruis, tum liberis proposita sunt: quod genus sunt, charitas in eos qui illuminantur, vocatio à Deo, euangelium, adoptio in Dei filios, gratia, pax, sanctificatio, cætera omnia: quæ postrema non fuerit demerita, quos Deus copulauerit, æquales in maioribus effectos, hos à terrenis negotiis distingere? Eapropter ab ipso protinus procemio periculofum hunc illorum morbum expellens diuus hic, ad bonorum omnium materiam animi humilitate ipsos subuehit, hoc ipsum & seruos meliores efficiebat, dum edoceret, quod è seruitute detrimenti nihil acciperet, ut qui libertatem eam, quæ vera sit, adepti essent. hoc ipsum & dominos ad modestiam componerebat, dum discerent, quod nihil emolumenti ab ipsa libertate habituri essent, nisi quæ ad fidem spectant, præcessissent. Atque ut intelligas Paulum dum hoc facit, confusione non uti, neque omnia miscere, sed optimam diuisionem nouisse, non simpliciter scripsit: *Omnibus qui Romæ estis, Sed cum definitione, Dilectis Dei.* Hæc enim optima discretio, & declarat vnde sanctificatio. Vnde igitur sanctificatio? à dilectione. quum enim dixisset, dilectis: addidit & illud, vocatis sanctis: ostendens quod hinc nobis bonorum fons omnium: sanctos autem vocat, fideles omnes. *Gratia vobis & pax.* O salutationem bonorum infinitatem adferentem. Hoc & Christus Apostolis in domo ingredientibus primum enunciare verbum mandauit, propter hoc & Paulus hinc vbique exorditur à gratia, & pace. neque enim paruum bellum Christus confecit, sed varium & omnifarum, & diuturnum: & hoc non è nostris laboribus, sed per suam ipsius gratiam. Quoniam igitur dilectio gratiam, gratia autem pacem largita est, salutationis loco hæc ubi posuit, adprecat, continua & immota ea ut maneat: ut ne rursus aliud bellum redintegretur, & obsecrat eum qui dedit solida hæc asseruare, sic inquit: *Gratia vobis & pax à Deo patre nostro & domino Iesu Christo.* Ecce hoc loco præposito hæc, & id est, à, communis est tam patri quam filio: quod perinde est, ac si dixisset, & pax, id est, ex quo. non enim dixit, gratia vobis & pax à Deo patre, per dominum nostrum Iesum Christum: sed, à Deo patre nostro & domino Iesu Christo. Papæ, quæ potens est Dei charitas: inimici & repudiati, sancti & filij repente effecti sunt, quum enim patrem vocauit, filios ostendit: quum autem filios dicit, vniuersum bonorum thesaurum detexit.

MORALE.

Perseueremus igitur vitam quæque suam dignam tanto dono præstare: tum autem pacem & sanctificationem seruare. Ceteræ quidem dignitates temporaneæ sunt, atque vnà cum hac vita depereunt, quæ & pecuniis sunt venales, quæque haudquaquam quis dignitates dixerit, sed dignitatum nomina duntaxat, in vestium ornatu, & in satellitum adulatione potestate obtinentia. hoc autem, tanquam à Deo datum donum sanctificationis, itemque & adoptionis ne morte quidem intercidit, sed hac in vita splendescens ubi effecit, ad futuram usque nobiscum peregrinatur. Qui enim adoptionem asseruat, tum autem sanctificationem accuratè custodit: splendidiore multò est, & feliciore eo, qui diademate indutus, ac purpura ornatus est, per hanc vitam magna tum tranquillitate tum pace exundans, vnà cum spe bona educatus, ac nullum tumultus, turbationisque argumetum habens, sed voluptate perpetua perfruens. Animi enim

tranquillitate, & lætitiâ non principatus magnitudo, non pecuniarum copia, non potentiam tumor, non corporis fortitudo, non mensæ sumptus, non vestium ornatus, non aliud quicquid rerum humanarum adferre confuevit, præterquam rectè factum solum spirituale, ac conscientia bona: quæ certè qui puram habet, ut pannofus sit, ut cum fame luctetur, tamen tranquillior beatorque est iis, qui inter delicias magnopere degunt. Quemadmodum & qui sibi malè conscius est, ut omnium bona possideat, omnium est miserimus. Quapropter Paulus in assidua fame ac nuditate victitans, tum autem & quotidie flagris cæsus gaudebat, ac deliciabatur supra eos omnes, qui tum regnabant. Achab autem, rex quum esset, ac deliciis sumptuosius perfrueretur, commisso peccato illo gemebat, animum despondens, eratque illius facies collabens, & post peccatum & ante peccatum. Igitur si voluptate frui volumus, ante omnia alia fugiemus vitium, virtutemque sectemur: aliter enim nobis non licet voluptatis participibus fieri, ut ad ipsum etiã regium solum cõscenderimus. Quo nomine & Paulus dicebat: Spiritus autem fructus est dilectio, lætitia, pax: Hunc fructum apud nos enutriamus, ut & lætitia seculari huius perfruamur, & futurum, regnum assequamur, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, per quem & cum quo, patri gloria vnà cum sancto spiritu nunc, & semper, in secula seculorum. Amen.

Reg. 21.

Gal. 5.

1. Thot. 1.

HOMILIA II.



PRIMUM quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum super omnibus vobis, quod fides vestra annuncietur in toto mundo. Conueniens beatæ illi animæ procemium, ac quod satis sit, ad omnes erudiendos, tum operum, tum sermonum bonorum [decimas] Deo esse offerendas, neque solùm pro propriis, sed & pro alienis successibus, ac rectè factis gratias agendas. quod quidem animam ipsam ab inuidentiæ ac malignitatis morbo liberat, ac Deum magis allicit ad eos amandos, quos grato erga se animo esse cognouerit. quapropter & alibi ait, Benedictus Deus, & pater domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nobis in omni benedictione spirituali, gratias porro agere conuenit non diuites modò, sed & paupertate oppressos: non sanos, sed & ægrotantes: non eos quibus prospera omnia, sed & eos, quibus aduersa contingunt. Deo enim tum gratias agere, quum secundo cursu res feruntur, nihil mirum fuerit, at verò quum ingenti suborta tempestate, iactata vndiq; nauis periculum incurrerit, tum demum magna existit patientiæ, equanimitatisque probatio. Quo certè nomine & Iob hinc coronâ reportauit, & diaboli impudens os obturauit: planum faciens, se, quum felix esset, non ob pecuniis, sed ob multam erga Deum charitatem, gratias agere. Dispicito autem tum, quæ ea sint, ob quæ Paulus gratias agit, non ob terrena, ac pereuntia: nempe ob principatum, auctoritatem, gloriã, hæc enim nihili estimanda sunt, sed ob ea quæ verè bona sunt, fidem, libertatem, ac fiduciam: tum autem quæto cum affectu gratias agit, non enim dixit, Deo: sed, Deo meo, quod ipsum & prophetæ faciunt, quod cõmune est, sibi priuatim vendicantes. & quid mirum si propheta? hoc enim Deus ipse in seruis quoque; facere identidem videtur, Deum Abraham & Isaac, & Iacob, tanquam peculiaris illorum tantum esset. *Quod fides vestra annuncietur in toto mundo.* Quid? omnibusne terra Romanorum fidem exaudiuit? omnis ex illo, fac nihil non verisimile, neque enim obscura, & ignobilis vrbs erat, verum tanquam in fastigio quodam sita, vnde quaqueq; illustris. Mihi ipse porro considera prædicationis euangelicæ vim, ut breui tempore publicanorum ac piscatorum opera in ipsum vrbum caput inuaserit, ut homines Syri Ro-

† primi-
rias] sic &
hom. xx.
manuū,
pedum, &
oris pri-
mitias di-
cit
Eph. 1.

† d. in Bas.

manis præceptores, atque institutores extiterint. Duo igitur merita ipsis testificatur, & quod crediderunt, & quod cum fiducia crediderunt: & quidem tanta, ut quæ de illis fama circumferretur, omnem terrarum orbem occuparet. *Vestra enim, inquit, fides annūciatur in toto mundo.* Fides, inquam, non verborum conflictus, neque mutæ disputationes, neque syllogismi. quāquam multa inibi erant, quæ ob stare poterant, ne euangelij doctrina reciperetur. Etenim nuper orbis principatum adepti fastu multo turgebant, in diuitiis ac deliciis vitam agētes. euangelium autem ipsum piscatores Iudæi ferebant, & quidem ex Iudæis, gente quam omnes oderant, atque abominantur. quin & crucifixum adorari iubebant, eumque in Iudæa eductum. Iam & vnā cum ipso dogmate duram vitā agentem præscribent magistri hominibus, quibus semper curæ fuerāt delicia, quique rerum vitæ præsentis admiratione attoniti essent. Adde, quod qui hæc nunciabāt, pauperes erāt & priuati, ignobiles, & ex parentibus ignobilibus orti. sed tamē nihil horum sermonis euāgelici cursum impediuit: tanta erat crucifixi potentia, ut ipsum verbū quoquo versum circumageret. *Annūciatur enim, inquit, in vniuerso mundo.* Nec dixit, manifestatur: sed, annūciatur: perinde quasi in omnium ore versaretur. Thessalonicensibus quidem hoc quum testificatur, & aliud quiddam adiungit, nam quod dixisset, *A vobis peritonuit sermo domini: addidit, ut nō sit nobis necesse loqui quicquā. qui enim discipuli fuerant, ij in doctorum gradu consistebant, per suam ipsorum fiduciam omnes instituentes, ad scēq; illicites, nusquam enim euangelij prædicatio constiterat, sed igne vehementius in omnem terrarū orbem inuaserat.* Hoc autem loco hoc solum ait, quod videlicet annūciatur. ac rectē inquit, annūciatur: planum faciens, quod dictis nihil quicquā neque addendum, neq; demendum esset. † Angeli enim opus hoc est, quæ dicuntur, ea sola deferre. ob quod & sacerdos angelus vocatur, quod non sua ipsius, sed ea tantū nunciat, quæ ab eo acceperit, à quo delegatur. quāquā Petrus inibi etiā prædicauit. sed illius facta, sua esse ducit. vsque adeo, quod antè diximus, inuidētia omni supra modum vocabat. *Testis est enim mihi Deus: quæ colo spiritu meo in euāgelio filij ipsius.* Verba hæc ex Apostolicis visceribus expressa, paternum nobis animū verè representant. Quid autē est quod ait? & quānam de causā Deum testē citat? Agebatur de animi affectu, ac quandoquidem nondū Romanos viderat Paulus, ob id neminem hominem, sed eum potius, cuius est humana corda perferuari, testatur. Nā quod dixit, *Amo vos* (cuius rei argumētum hoc ostendit, quod semper in precibus orat, ac velit ad eos accedere) id ipsum quum non innotesceret, confugiendū sibi putauit ad testimonium fide dignum. Num poterit quisquā nostrū gloriari quod & ipse in priuatis precibus vniuersi ecclesiæ suæ corporis faciat, & c. faciat mentionem? non arbitror, quum tamē Paulus non pro ciuitate vna, sed pro vniuerso orbe cum Deo ageret. Idque non semel, non iterum, non tertium, sed continēt. Ut autem continenter aliquē in memoria circumferamus, fieri non potest, nisi à magno quodam amore ac charitate: assidue porro in precibus habere, & indefinenter habere, considera quantū ea res affectum amoris requirat: quum autē dicit, *Quem colo spiritu meo in euāgelio filij ipsius.* Simul quidē Dei gratiā, simul autē suam nobis modestiam spectatā facit, Dei gratiā quod tā arduum negotiū commisit: suam modestiā, quod non suo proprio studio, sed spiritus auxilio rem totam acceptā refert. euangelij porro additio, speciem indicat administrationis. Multi enim ac diuersi sunt administrationis modi, & latitiæ itidem. Quemadmodum enim apud

1. Thess. 1.

† ἀγγέλων, id est, angelus vel nuncijs. Malac. 2.

Hic inf.

iplos reges, omnes quidem vnus regnantis imperium agnoscunt, subseruiūt autem non omnes iisdem in rebus: sed illius munus est, exercitibus imperare, huius verbes regere, ac dispensare: illius rursus, pecunias eas afferuare quæ in thesauros recōditæ sunt: Ita & in rebus spiritualibus, hic quidem suam in Deum seruitutē ac cultum ostendit in fide ipsa, in recta vitæ propriæ dispensatione: Ille autem suscipiēda hospitium cura, alius pertractanda indigentium præfecturā. quemadmodum & inter ipsos Apostolos, Stephani munus erat, viduarum præfidiū, ac patrociniū, atq; hæc quidem in parte Deo interuiebat. alius porro euangelici sermonis doctrinam susceperat, cuiusmodi erat Paulus, seruiens in euāgelio prædicādo, & erat talis seruitutis ipsius modus, ea enim prouincia defungebatur. Qua de causā non ipsum modō, Deum testem citat, sed & curam sibi creditā allegat: declarans se se, cui tantum munus concreditū esset, eum in falsarum rerum testem nunquā fuisse vocaturum, qui munus ipsum credidisset. Adde quod & illud item ostendere vult, charitatem ac sollicitudinē pro eis necessariō se suscepisse. nam ut ne dicerent Romani, Tu quisnam, & vnde ciuitatis tam magnæ tamque regiæ curam suscipere te profiteris? ostendit huiuscemodi curam sibi esse necessariam, si quidem seruitutis modus hic, nempe euangelij annūciatio, ipsi erat cōmissus. cui enim huiusmodi functio delegata fuerit, huic necessariū est perpetua eos cogitatione circumferre, qui verbū ipsum expecturi fuerint. Ostendit autem & aliud item per hæc verba, spiritu meo, quod videlicet cultus hic & gentili & Iudaico multō est præstantior. gentilis enim & erroneus, & carnalis est. Iudaicus autem, verus quidem, sed tamen & ipse carnalis. At ecclesiæ cultus Gentili quidē aduersatur, Iudaico autem multis modis sublimior est. neque enim per oues ac vitulos, per fumū, ac nidorem latitiæ nostræ modus fit, sed per ipsum animum ac spiritum. quod & Christus declarans ait, Spiritus est Deus: *Ioan. 4.* atque eos, qui illum adorant, in spiritu & veritate adorare oportet. *In euāgelio filij ipsius.* Superius dixit euangelium patris esse, hic filio attribuit: hæc ratione indifferenter & patris & filij esse ait. didicit enim ab illa voce sancta, quod quæ patris sunt, ea & filij sunt: quæ rursus filij, ea & patris. Omnia enim, inquit, mea, tua sunt, & tua mea. *Quod indefinenter mentionē vestri faciam in precibus meis.* Hoc ad germanam charitatem spectat. Porro vnum quiddā dicere videtur, quatuor autem hic ponit: & quod memor sit, & quod indefinenter, & quod in precibus, & quod magnis de rebus: *Orans, si quo modo aliquando prosperū iter contingat, volente Deo, ut veniā ad vos.* Vides & summo affectu desiderantem eos videre, nec sustinentē tamen id facere præter Dei placitum: sed habentem desiderii suum cum Dei timore coniunctū. Amabat quidem illos, ad quos & sollicitē festinabat; sed tamen etiāli amaret, præter Dei voluntatem videre eos nolebat, quæ ipsa demum germana est charitas. cum tamen nos longē secus afficiamus, ut qui vtrinq; ab ipsis charitatis legibus excidamus. Vel enim neminē prorsus amamus, vel cum fortē amamus, præter Dei voluntatem amare consueuimus: vtrinq; contra diuinam legem factitantes. quod si cui inuidiosum videbitur, quod dixi, factum certē ipsum inuidiosus fuerit. Quomodo cōtra Dei voluntatē amamus, dixerit aliquis? cū Christum inopia tabescentem despiciamus, liberis autē, amicis, & cognatis supra quā necesse sit, elargimur. Quum. Sed quid attinet oratione longius progredi? nam si suā quisque conscientiam examinauerit, pluribus certē in rebus hoc à nobis fieri inuenerit. At verō non talis erat beatus Paulus, qui & nouerat amare, ut oportet, utque cōueniēs est: tum autē omnes in amore cū exuperaret, ipsum

AA. 6.

Ioan. 4.

Ioan. 17.

Apostolus.

ipsum tamen charitatis modū haudquaquam transgredebatur. Vide ergo vtrinque eximie in eo abundare: hinc Dei timorem, hinc Romanorū desiderium. Nam quod indefinenter precaretur, quodque voti etiam sui minimē compos, à precibus tamen haudquaquam desisteret: id verō à summa charitate manabat. quod autem amore incensus, sic tamen maneret, Dei voluntati cedēs, atque obsecūdans: id ab intensa religione, ac circumspectione nascebatur. Alibi quidem ter Dominum aduocans non solum non accepit, sed & contrā, cum non accepisset, magni beneficii loco duxit, quod non esset exauditus. sic ille sese ad Deum omnibus in rebus conuertebat. hoc loco accepit quidem, non cum petiuit, sed serō, ac ne sic quidem molestē tulit. Hæc autem dico, ut ne agrē feramus cum non exaudimur, vel cum serō exaudimur. neque enim sumus Paulo meliores, qui ob vtrinque gratias agit. & id quidem oppidō quā conuenienter. Se enim semel totum manui res omnes vnde quaque gubernanti cum dedidisset, ac cum tanta obedientia submisisset, cū quanta lutum figuli pedibus se supponit, sequebatur quacunque Deus duceret. cum ergo dixisset precari se, ut eos videret, addit & desiderij causam. Causa autē quænam est? *Ut aliquid vobis impertiar gratiæ spiritualis, ut confirmemini.* Non enim temerē, nec ut multi nunc superuacaneas ac stultas peregrinationes suscipiunt, ita ille suscipiebat: sed pro necessariis, ac valdē vrgētibus rebus, neq; verō apertē suam aperit voluntatē, sed obscurē. non enim dixit, ut doceam vos, ut voce erudiam, ut quod deceat, expleam: sed, ut aliquid impertiar, ostēdens se non sua ipsius dare, sed quæ accepit communicare. Atque hinc rursus orationē temperat, quum ait, ut aliquid. Pusillū aliquid, inquit, & iuxta modulum meum. & quodnā hoc est pusillum, quod nobis es impertiturus? hoc autem est, inquit, ut confirmemini. igitur & hoc gratiæ est, nō quassari, non vacillare, sed firmiter cōsistere. Porro autem gratiæ nomine audito, caue putes exclusam esse mercedem eam, quam ob propositum voluntatēque accipimus. Nam gratiam dixit, non vt reprobat, ac contēptui habeat laborem eum, quem quisque sibi voluntariū proponere debet ad bene agendum, sed vt succidat, atque adimat fastum eum, ac iuperbiā, quam insolentia atque arrogancia afferre solet. Vide igitur ne animo concidas, quod Paulus gratiam dixerit. Consuevit enim, quæ magna illius est gratitudo, & modestia, rectē facta ac merita, gratias ac dona vocare, propterea quod & in his multō indigeamus superni auxiliij adminiculo. Quod enim dixit, *Ut confirmemini*, clam indicauit, eos magna correptione indigere. quod enim vult dicere, hoc est: A multo iam tempore desideravi, & in votis habui, vos videre, ob nihil certē aliud, quā vt constāter vos firmem, atque in Dei timore consolidem, ut ne assidue vacilletis. Verū sic non dixit: perstrinxisset enim illorum animos, sed aliter, idq; remisse, ipsum hoc significauit. Cum enim dicit, ut confirmemini, hoc declarat. Deinde cum & hoc valdē molestum videri posset, vide quomodo orationē mitigat per ea quæ addidit. Nam vt ne dicerent, quid vacillamusne? circumagimur, aut linguæ tuæ auxilio indigemus vt firmiter ipsi consistamus? ob id anteuerēs, tollit huiusmodi obiectionē, sic inquit: *Hoc est, ut cōmunem capiam consolationem in vobis per mutuam fidem vestram simul ac meam.* ac si dicat: Ne suspicemini quod hoc dixerim vos incusans, ac redarguens. non hac mente sum locutus: sed quodnam illud est, quod volo dicere? Multas passi estis afflictiones, iactati ab iis qui vos sunt persecuti: desidero igitur videre vos, ut aliquā consolationem afferam, seu potius vt non consolationē tantū vobis afferam, sed vt & ipse à vobis accipiā. Hic tu ex-

2. Cor. 12.

pende magistri sapientiā. dixerat, ut cōfirmemini: vidit id dictum graue & inuidiosum discipulis esse: addidit consolationis verbum. sed & hoc rursus graue, nō perinde tamen, ut quod prius dixerat, sed tamen graue & ipsum. Eius igitur grauitatē, asperitatēque succidens refecat, orationē vndique edulcans, acceptabilemque reddēs. Non enim simpliciter dixit, consolationē: sed, mutuā consolationē. ac ne sic quidem satisfactum sibi putauit, sed & aliam, & quidem maiorem delinitionem adhibuit, quum dixit: *Per mutuam fidem vestram simul ac meam.* Papæ, quanta hæc est animi humilitas! ostēdit & se quoque illis indigere: nō illos solum ipso. ac discipulos ipsos in magistrorū numero habuit, nihil sibi præstantiæ relinquens, sed æqualitatem magnā ostentans. Cōmune est, inquit, lucrū, & ego vestra egeo cōsolatione, & vos item mea. qui verō id fit? per mutuā fidem vestram simul & meam. Quemadmodū enim ignis naturam talem esse videmus: ut si quis multas in vnū lampadas coegerit, splendendam reddat, & incendat lucem: sic & in ipsis fidelibus ac credulis vsū venit. Cum enim à nobis mutuo auulsi sumus, fit nescio quo pacto, ut mæstiores reddamur: cum autem mutuo nos conspicientes membrum domesticis hinc inde impliciti, fit vt magnam consolationem accipiamus. Mihi enim hic tempus præsens ne examinaueris, per quod Dei gratia, multi fidelium ordines, & per vicos, & per vrbes, & in ipsa eremo inhabitant: verū memoria tuæ obuerteretur tempus illud, quantū inde bonum existeret, cum discipuli magistrōs contuerentur, & à fratribus fratres ex alia ciuitate profecti cōspicerentur. Atque vt rē ipsam planius eloquamur, exemplo vtetur. Nam si fortē contingeret ac fieret, quod tamen omen Deus auertat, abductos nos in Persarum, vel Scytharum, vel cæterorū Barbarorū regionem binos, ternosve, in illarū gētium vrbibus à nobis mutuo auelli, deinde repentē quempia ex hac vrbe aduenientem videre: cōsidera quantā caperemus ex ea te consolationem? Nōne videtis eos qui in carcere vitam degunt, si quem familiarium suorum viderint, exurgere, ac præ voluptate exilire: Quod si captiuitati, ac vinculis tempora illa confero, mirū esse nō debet: illi enim multo his grauiora passi sunt, dispersi, ac profligati, in paupertate ac bellis victitantes, quotidianū interitū rimentes, amicos, domesticos, consanguineos suspectos habētes, in ipso terrarum orbe tanquā in terra hospita, atque, ex terra habitates: seu vt verius dicam, grauiora longē tolerantes, quā tolerare solent, qui in aliena terra degunt. Quapropter ait, *Ut cōfirmemini, & mutuā capiam consolationem per mutuā fidem.* Hoc autē dixit, non quod illorū auxilio indigeret: absit hoc, quo enim pacto qui ecclesiæ columna esset, quisque idē & ferro & petra firmior, idē spiritualis ille adamas, idē infinitis ciuitatibus sufficiens, alieni auxiliij indigens esse posset? sed vt ne orationē molestā, increpationēmq; acré reddat, fatetur & ipse se illorū indigere consolatione. Quod si quis hic consolationē, latitiā eam interpretetur, quam fidei illorū incrementum afferebat, ea certē Paulum indigere si dixerit, minimē aberrauerit. Dices: Si igitur desideras Paule, ac precaris, si & consolationem cōmunicaturus es, quid illud tandē est, quod aduentum tuum prohibet? hanc igitur diluens suspicionem, adiicit. *Nolo autem vos ignorare fratres, quod sepe proposuerā venire ad vos, licet præpeditus fuerim ad hunc vsque diem.* Vide seruilis obediētiam modum, & simul animi admodum grati argumentum. Quod fuerit, prohibitus, dicit: quamobrem autem, non item: neq; enim examinat domini mandatū, sed parētātum, quanquā par erat hæstare, quānam de causā vrbe tam splendidam, tam magnā, & ad quā sese totius orbis oculi cōuerterēt, prohiberet Deus, quo minis ta-

lem magistrum, tanto iam tempore assequeretur. Siquidem quisquis imperantem, dominantemque urbem vicerit, is & subditos paruo negotio adoriatur. At quisquis regaliore vrbe missa, submissis subigendis incubit, idem caput se negligere ostendit. Sed tamen nihil horum Paulus curiosè indagat, quin potius incòprehensibili providentiæ cedit: partim animi sui moderationem spectatam faciens, partim nos omneis erudiens, à Deo nunquam exigendam esse coru quæ facit rationem, etiam si ea multorum animos turbare videantur. Domini enim solius est iubere, famulorum autem parère. Atque hac quidem de causa, quòd prohibitus sit, dicit: non etiam quare sit prohibitus. Neq; enim ego id scio, inquit: ne me igitur interrogetis, quænam sit Dei voluntas, aut sententia. Nam neque signum opifici dicit, quid me sic finxisti? qua igitur, obsecro, de causa id & tu scire elaboras? nescis illum omnium curam habere? illum sapientem esse? illum nihil frustra, nihil temerè agere? illum te magis amare, quam proprii parentes ament? illum vehementissimè ac longo quidem intervallo, & patris pietatem & matris curam superare? itaque nihil amplius pertestigia, nè ve ulterius progreditor. Etenim ad consolationem hæc tibi sufficiunt. Siquidem & tum Romanorum imperium sapienter regebatur: quòd si modum ignotas, nolito agreferre. hoc enim maximè fidem arguit, administrationis modum ignorantem, providentiæ ratione admittente. Cum igitur ex animi sententia ea confecisset Paulus que studiosè cupiebat (quid autè id erat? nempe ut testatù faceret, se quòd adhuc ad eos non accessisset, non id fecisse quòd illos cõtemneret, sed quòd vel maximè desideras, prohiberetur) tum autem segniciei crimen cum à se remouisset, illi q; persuasisset, se nihilo minore desiderio illorù videndorù teneri, quam illimet ipsi teneretur: rursus & aliis quidè rationibus charitatem suam ostendit. Neque enim quoniã prohibitus sum, inquit, destiti ab incepto semel conatu: sed semper quidè rem attentavi, semper autem prohibitus fui, neq; tamen vnquam destiti: volutati quidè divinæ non resistens, charitatem autem conseruans, quòd enim Paulus in proposito perseveraret, ac minimè ab eo desisteret, amoris vim probabat. quòd autè prohiberetur ac minimè resisteret, omnimodã erga Deu charitatè ostendebat. *Quò fructum oliquem habeam inter vos quoque.* Quamquam & superius desiderij sui causam aperuit, eamq; si bi ipsi conuenire ostendit: tamen & hic quoque eam at-
nimirum ut diligenter illorù suspitione tollat.)
 texit. † illorum factum atque insolentiam etiam atq; etiam contudens.] Quoniã enim Roma sola vbique conspicua, atq; illustris siue terra, siue mari, ciuitas esset, cuius peruidèdã desiderium solùm multos eo impellebat: ut ne quid tale & de Paulo quoq; Romani opinaretur, nè ve suspicarentur, quòd venditans sese ille solùm de ipsorum familiaritate ac coniunctione, desideraret illuc aduenire, assiduè ponit desiderij argumentu & causam. Ac supra quidem ait, ut aliquid vobis impertiar gratia spiritualis: hic autè apertius, ut fructu aliquem habeam inter vos quoque. *Quemadmodum & inter reliquos gētes.* Principes in subditorum numerum cogens, post infinitos triumphos, ac victorias, ipsamq; adeo consulù claritatem, cum barbaris ipsis cõmittit. & id certè admodu decenter. Nam si ad fidei nobilitatè spectes, nullus ciuis, sed in vnum idemque dignitatù fastigium cõscendunt omnes. Vide porro, ut hic quoque Paulus modestè se habeat: neque enim dixit, ut doceã, ut instituum: sed quid? ut fructum habeam, neque simpliciter fructu, sed fructum aliquem: rursus corripies partes suas, quemadmodum superius dixit, ut aliquid impertiar: deinde & ipsos, quemadmodu iam dixi, compescens: *Quemadmodu & inter reliquas gētes.* Neque enim hoc nomine quòd

Infr. 9.

nimirum ut diligenter illorù suspitione tollat.)

Hic sup.

diuites, quòd cæteris præstatioreis estis, minus studij erga reliquos præstamus: cum non ipsos diuites, sed eos tantum, qui fidem suam Christo addixerunt, quæramus. Vbi, obsecro, nunc sunt quos Græcia sapientes habuit, iidem barbaram submittentes, ex omidas amici, magnopere intumescentes ac turgidi? En tabernaculorum texendoru artifex non ipsam tantum Græciam, sed & barbaram terrã omnem cõuertit: cum qui apud illos quã ageretur, quã circumageretur Plato, ter in Siciliam profectus, cum verborum illorum fastu ac fumo, cum magna illa, quã de eo conceperat, opinione, ne vnus quidem tyranni compos euaserit, quin potius ab illo tam infeliciter se explicuerit, ut & ipse libertatè amitteret suã. At tabernaculorù texendorum artifex hic, non Siciliam modò atq; Italiam, verum vniversum terrarum orbem verbum Dei prædicans, peragravit. cum interim artem non intermitteret, sed vel tum quoque pelles cõsueret, officinæque suæ præflect. neque verò ea res patriociis, ac magnates offendebat, idque iure optimo. Non enim artes ac studia, sed mendaciũ, & cõficta dogmata despiciabiles reddere solent præceptores. Propterea illu quidem Athenæ irridet: huic autem assiduam operam dant, & barbari, & rudes, & idiotæ. Nam euangelij prædicatio cõmunis omnibus proposita est, quæ quidem nec dignitatis differentiam, nec generis excellentiam, nec aliud quicquam id genus nouit. sola enim fide opus est, nõ syllogismis. Quapropter admiratione digna esse in primis debet, nõ solùm quòd & utilis, & salutaris, sed quòd & facilis, & procliuis, & omnibus susceptu facilis. id quòd Dei maximè providentiã arguit sua omnibus cõmunia proponentis. Quod enim in Sole ac Luna, in terra, ac mari, cæterisque Deus fecit, non diuitibus quidè ac sapientibus plus parties, maioremq; copiã faciens, sed æqualè omnibus vsum fructum proponens: id & in ipsa, quam dico, euangelij prædicatione fecit. idque tãto etiam magis, quantò ea rebus illis magis est necessaria. C Quapropter & Paulus assiduè ait, omnibus gentibus. Deinde declarans se nihil illis largiri, sed mandatũ domini implere, tum autè illos relegans † ad Dei vniversalem œconomia, ait:] *Debitor sum.* Quod & ad Corinth. scribès ait. hoc autem dicit, ut omnia Deo ipsi tribuat. *Ita quantum in me est, paratus sum vobis quoque, qui Romæ estis, euangelizare.* O animã generosam, hominis rē tot, tantisque periculis obnoxiam suscipietis! peregrinationem maritimã, tentationes, insidias, defectiones. Par enim erat eũ qui disputaturus esset cum tãta ciuitate, & ea impietatis tyrãnide oppressa, tentationu agmen, ac veluti gradinem perferre: itaque & inibi mortuus est, imperatoris iussu capite trũcatus. Sed tamen cum pericula tãta expectaret, nihilo pigrior reddebatur, sed festinabat, ac parturiētis more appetebat, & prõptus erat. propterea ait, *Quantu in me est, paratus sum vobis quoque, qui Romæ estis euangelizare, non enim me pudeat euangelij Christi.* Quid ais, o Paule? Cum conueniret ut diceres, glorior, ac me ipsum iactito: non hoc, sed quòd hoc minus est, dicis, quòd videlicet te minimè pudeat. quã locutione in rebus nõ admodu insignibus vsurpare cõsueuimus. Quid igitur est quòd ait, & quã ob rem sic loquitur? cum præsertim alioqui ob id magis Euangelium, quam vel ob ipsum cœlũ gloriatur. Siquidè ad Galatas scribès, Mihi autè, ait, ablit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. Cur igitur hic nõ ait, glorior, potius quam, non me pudeat? Romani admodu stupecebãt ad res mundi huius, ob diuitias, ob principatũ, ob victorias, quin & suos iidẽ imperatores diis pares existimabãt. quos certè etiã eo nomine dignabãtur. vnde & tẽplis, & aris, & sacrificiis illos colebãt. Cum ergo sic illi turgeret, essetque Paulus Iesum prædicaturus, Iesum, inquam, fabri filium

ad reddendum Deo de omnibus gratiarũ adiunctione, dicit Græcis simul & barbaris, eundem pariter ac rudibus.)

Galat. 6.

21 filium existimatum, eundemq; in Iudæa educu, idque in tenuis mulieris domo, satellitibus nullis stipatu, non opibus abundantè, sed vt reum condemnatu, interque latrones mortuũ, tum autè cum, qui alias multas ignominias pertulisset: ac verisimile quidè esset, fore, vt Romani pudore suffunderetur, vt qui nihil dum reru arcanarum ac magnaru caperent, propterea ait, non me pudeat, illos interim erudiēs nõ erubescere: nouerat enim, quòd si id illi essent assecuti, statim progressi vterius eoufque peruenirent, vt & gloriarentur. Ad eundè modũ, si & tu quoq; quempia audieris dicentè, cruce suffixum adoras? ne te pudeat, neu ad terram oculos deiicias: sed gloriare, ac tibi ipse placeas, liberisque oculis, & facie erecta confessione admittito. qui si rursus dixerit, Crucifixu adoras? & tu rursus ad illum, adoro quidè, sed non adulterũ, non parricidam, non liberorũ prioru cõsorem (tales enim apud illos Dei omnes) verum eum qui per crucè dæmonibus os obstruit, corumq; infinitas incantationes imposturãsq; sustulit. Etenim crux propter nanctas, ineffabilis humanitatis opus, eadem magnæ curæ symbolum. Præter hæc autem quæ dixi, quãdoquidem & dicèdo valdè sibi placeret Romani, ac peregrina ornatu sapientiã turgidi essent, vestris istis omnibus, inquit Paulus, syllogismis multã salutem dicēs, ad vos accedo, crucem prædicans: nec me propterea pudeat. *Potentia siquidè est Dei ad salutē.* Ad salutem dicit, eo quòd & Dei potentia & ad pœnã quoque existit. etenim cum Egyptios puniret, Hæc inea, inquit, magna est potentia, & potètia etiam ad exitiũ. Timete, inquit, eum qui & animam & corpus gehenna potest perdere. Propterea ait Paulus, non hæc ad vos adueniēs affero, nõ que ad pœnam, ac supplicium, sed quæ ad salutē faciunt, quid igitur? nõne & hæc nunciabat euangeliu? de gehena sermo nõ de exterioribus tenebris? de verme pestifero? ex nullo enim alio loco, quàm ex euangelio hæc cognoscimus, qui igitur potentia Dei ad salutem? sed audi & que sequuntur. *Omni credenti Iudæo primũ & Græco.* Non enim simpliciter omnibus, sed suscipientibus, quanuis enim gentilis fueris, quanuis per omne vitiorum genus volutatus, quanuis Scythia ac barbarus, quanuis mera bellua, quãuis omnis rationis expers, & peccatoru sarcinis sexcentis onustus, simulatque de cruce sermonem excepisti, & baptizatus es, sit certè, vt illa omnia deleas. Quare autè hic ait, Iudæo primũ, & Græco? quid hæc sibi vult differentia? atqui persepe dixit, quòd neque circuncisio, neque preputium quicquã faciunt, quomodo igitur hic distinguit, Iudæum Græco anteponeus? quid tãdem esse potest? neque enim quòd primus sit, idcirco maiorem accipit gratiã: idem enim donũ & huic & illi datum est. Verum ordinis duntaxat honos est verbu id primũ. neque enim superiores partes in hoc obtinet, quòd maiore iustitiam acceperit: sed in hoc solùm honoratur, quòd primus eam acceperit. quãdoquidem & in eorum qui illuminatur numero (nostis quid dicã, qui mystæ estis) omnes quidè ad baptisma accurrunt, non omnes autem eadem hora: sed hic primus, ille secundus. non tamen primus plus accipit, quàm secundus: neque hic plus eo, qui post eum accedit: verum eadem omnes assequuntur. Igitur hoc loco, primũ, verbi honos est, nõ gratiæ abundantia, deinde cum dixit, ad salutē, rursus auget ipsum donum, ostendens non ad tempus tantum præfens pertinere, sed & vterius progredi. hoc enim declarauit cum dixit, *Iustitia enim Dei per illud patet.* Qui igitur iustus effectus est, is non per præfens tantum seculum, sed & per futurũ viuēt. Neque verò hoc solùm, sed & aliud quiddã subindicat: nè pe splendorem, ac claritatem eiuscemodi vitæ. quãdoquidem enim licet & cum dedecore seruari (quòd in multis nonnunquã vsu veni-

Matt. 10.

Matt. 8. Marc. 9.

Galat. 5.

re videmus, qui benignitate regia debitã pœnã euadentes seruantur) vt ne quis tale aliquid suspicetur, audito salutis nomine, addidit & iustitiã: iustitiã non tuam, sed Dei, abundantia ipsius ac facilitatem subindicans. Non enim ex sudoribus ac laboribus ipsam assequeris, sed à superno dono accipis, vnum duntaxat ex te afferens, fidem. Deinde quãdoquidem quòd dixerat, suasibile minime videbatur, si adulter, mollis sepulchrorum cõpilator, incãtator, cõfestim non modò à pœna liberatur, sed & iustus efficitur, & iustus quidem iustitia superna, à veteri testamento sermoni fidè aluit: ac primũ quidem breui verbo vastum historiarum mare vniciue intueri valenti adaperit. quòd enim dixit, ex fide in fidem, relegauit auditorè ad Dei ordinationes eas, quas in veteri instrumento factas legimus, quas ipsas ad Hebræos scribens magna cũ sapientia edisserit, & iustos, & peccatores etiã tum sic iustificatos ostendit. propterea & Raab, & Abrahæ mentione fecit. postea autem, (cum hic solum illud subindicasset, currebat enim ac festinabat ad aliã quandã contemplationem) à prophetis rursus sermoni fidem conciliat, Abacuc in medium adducens, clamatẽ ac dicentẽ, quòd nõ licet aliter viuere, ei quidem certè qui victurus est, nisi per fidem. Iustus enim, inquit, ex fide viuēt, de futura vita loquens. Quandoquidem enim quæ Deus largitur, ea omnia humanæ cogitationis captũ superant, meritò fide nobis opus est. Qui enim plus æquo sibi tribuens præ fastu, atque arrogatiã, reliquos cõtemnit: is certè nihil quicquam proficiet. Audiãt miseri hæretici spiritualem vocem. Talis est enim cogitationum natura. Labyrintho cuiuspiã ac gryphis similis est, nullum vsquã finem habens, neq; cõcedens cogitationem stare supra petrã, originem ab arrogatiã, ac nimia sui opinione assumens. Cum enim quosdã pudeat ad fidei susceptionem accedere, vt ne videatur † cœlestia ignorare, ipsi sese in cogitationum veluti quisquilias ac minutias coniciunt. Itane verò miser & infelix, atque infinitis prosequende lacrymis, si quis te roget, quomodo cœlum sit cõfectum, quomodo terra: & quid dico cœlũ ac terram? quomodo tute formatus? quomodo enutritus, & auctus, te tuã minimè pudeat ignoratiã: sin verò de vnigenito sermo existit, præ pudore te ipse in exitij barathrum cõicies? quòd te videlicet indignum existimes: cui non omnia cognita sint. Atqui indignitas potius ea cẽfenda est, quoties cõtendis, quoties intempestiuè ac curiosè nimis, quòd tute ignoras, perscrutaris. Sed quid hic de dogmatib? loquor? A malitia enim nobis per hanc vitã contracta nõ aliunde liberamur, quàm per ipsam fidem. Sic & veteres illi omnes claruere, sic Abrahã, sic Isaac, sic Iacob, sic meretrix salutem inuenit & in veteri, & in nouo instrumento. Fide enim, ait, Raab meretrix speculatoribus ab ea exceptis; non interit vnã cum incredulis. neq; secum ipsa dixit, Qui poterit hi, cum sint captiui, fugitiui, exules, vitamque errorum agant, ipsos non vrbs, mœnium, ac turriu dominos sub suam victos potestatem cogere? quãdoquidem si hæc secum elocuta fuisset, & se ipsa, & illos vnã perdidisset: quòd ipsum & fecerunt maiores illorum, qui tum seruati sunt. Illi enim, quãdoquidem cõspectis viris magnis, ac prægradibus, victoriæ modum disquisiere, omnes nullo bello, nulla instructa acie perierunt. Vides quãta incredulitatis pernicies, quantus item fidei murus sit? Illa enim multa millia pessundedit: hæc autè vel meretricem mulierem non seruauit modò, sed & tam magni item populi præfidem effecit.

Hebr. 11.

Abac. 2.

humana.

Hebr. 10.

Num. 14.

MORALE.

Hæc ipsa igitur, itẽmque & his longè plura cum ita se habere cognoscamus, à Deo, eorum quæ agun-

tur rationem nunquam exigamus. Verum quicquid ordinauerit, id omne admittamus: nihil anxie indagantes, nihil curiosè perscrutantes, vt etiã in humani animi ratione non cadat, quod ille mādauerit. Quid enim, quæso, absurdius fuerit, quàm parentem, iugulare vnigenitum suum filium, eundemq; legitimum: sed tamē iustus ille id facere iustus, non curiosè de mandato sciscitatus est, sed iubentis dignitate perpenſa mandatū duntaxat admittit. Et alius item iustus à Deo prophetā percutere, quandoquidem quod illi res absurda esse videretur, curiosius de ea perscrutatus est, ac simpliciter non paruit, pœnas extremas dedit: percussor autē probatus est. Et Saul item, hominē cum præter Dei placitum seruasset, regno priuatus est, incuranda mala perpeſsus. Iam & alia præter hæc permulta exempla inuenias, per quæ omnia edocemur, & quidem magnoperè, diuinorū mandatorum rationem nunquam esse exigendam, sed cedendum tantum ac parēdum. Quod si periculosum est quæ ille mandauerit, de iis curiosius indagare, extremūque supplicium curiosis propositum est: quānam tandem defensionem habituri sint, qui ea curiosè perscrutantur, quæ sunt his multò & secretiora & horribiliora? Verbi gratia, quomodo Deus filium generauit, & quānam ratione? quænam porrò in Deo substantia? His igitur perpensis bonorum omnium parentem fidem, magna cum beneuolentia suscipiamus, vt tãquam in tranquillo portu vela explicantes, tum quæ recta sunt dogmata obseruemus, tum vitam nostram cum securitate dirigentes, æterna tandem bona assequamur, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri gloria, & vnã cū sancto Spiritu in secula seculorū. Amen.

HOMILIA III.



PALAM fit enim ira Dei de cælo, aduersus omnem impietatem, & iniustitiam hominum, qui veritatem in iniustitia detinent. Vide Pauli prudentiã, vt ab iis quæ mitiora sunt exhortatus, ad ea quæ formidini in cutiunt sermonem vertat. Nam cum dixisset euāgelium salutis ac vitæ causam esse, tum autem & Dei nobis potentia ac iustitiam representare: enarrat & quæ terrere quidem possunt eos, qui illud respuerint. Quandoquidem enim perpense euenire videmus, vt bona hominum pars non perinde bonorū promissione, atq; minarum terrore ad virtutē pertrahatur, vtrinq; ipsos allicit. Propterea & Deus ipse non solum cælorum regnū promittit, sed & gehennam cōminatus est: & prophetæ item cum Iudæis hac ratione agebāt, mala bonis assidue tēperantes. Quapropter & Paulus sic orationē vertebat, haud tamē simpliciter, verum, quæ lata ac mitia sunt, ea proponit, deinde & quæ molesta: ostendens quod illa quidem à Dei antegressa & primaria sententia obueniunt, hæc autem à negligentiū malitia. Sic & propheta primo loco bona obtendit, cum ait: Si volueritis, ac me exaudieritis, terræ bona comedetis: sin nolueritis, ac dicto meo parētes nō fueritis, machæra vos absumet. hæc ratione & hic Paulus sermonē promouet. Considera autem: venit, inquit, dominus afferens remissionem, iustitiã, vitam. nec hæc simpliciter, sed per crucem. quod autem maximum & mirabile, non quod talia largitus sit solum, sed quod & talia passus. Si igitur iniuri fueritis in ipsa dona, tū manēt vos quæ molesta sunt. Vide porrò, quemadmodum orationem attollat: *Palam fit enim ira Dei de cælo*. Vnde hoc liquet? hoc si fidelis quilibet dixerit, Christi apophthegmata, ac sententiã allegabimus: sin autē infidelis, & ethnicus, ei Paulus os obstruit, per ea quæ sequuntur, nēpe per ea argumenta, quæ Dei iudicium arguunt: ab iis, quæ per illos fiunt, irrefutabile argumentum in medium

A adducēs: quod ipsum maximè est ab inexpectato, cum videlicet eos, qui veritati aduersantur, per ea quæ quotidie & faciūt ipsi, & dicunt, declarant, veritatis dogmata cōmendare ac probare. Sed hæc quidem in subsequentiis. Interim autem propositum sequamur. *Palam fit enim ira Dei de cælo*. Atqui & hac quoque in vita id perpense vñ venit: videlicet dum pestis, dum fames, dum bellum ingruunt: etenim priuatim singuli & cōmuniter vniuersi puniuntur. Quidnã igitur noui tum crit? Nempe quod supplicium & maius, & cōmune, & præterea non earundem rerum causa. nunc enim quæ fiunt, ad correctionē fiunt: tum autem ad pœnam. Id quod Paulus declarans, dixit: Erudimur nunc, vt ne cum mundo cōdemnemur. Ac nunc quidem multi sunt, quibus aduersa permulta accidere videtur, non à superna ira, sed ab hominum vi atque iniuria, tum autem palam fiet supplicium à Deo immittum: cum videlicet sedens iudex pro terribili tribunali, alios quidem iubebit in caminos trahi, alios verò in tenebras exteriores, alios ad alia, & ea inuitabilia, & minimè ferenda supplicia. Et quamobrem non sic apertè enunciauit, videlicet, quod filius Dei vëturus est cum infinitis angelis, & ab vnoquoque factorum rationē exacturus: potius quàm, palam fit ira Dei? Auditores etiam dum ex neophytorū numero erāt, ob quod ipsos primū allecat, iis quæ apud illos valde in confesso erant: præter hæc autem quæ dicta sunt, & aduersum gentiles inuehi mihi videtur: quapropter hinc exorditur. Postea autem & de Christi iudicio sermonē inducit. *Aduersus omnem impietatem & iniustitiam hominū, qui veritatem in iniustitia detinent*. Hic ostendit multas esse impietatis vias, sed veritatis vnã tantum. Etenim varia, multiformis, & cōfusa quædam res est impostura. Veritas autem, vna. Posteaquàm verò de dogmatibus dixit, dicit & de vita, iniustitiam hominum allegās. Iniustitiæ enim, multæ. Alia siquidē circa pecunias fit: nēpe cum quis in iis proximo fraudi est, alia ad rem vxoriam spectat: cum quis coniugij fidem fallens, vxore relicta, alterius nuptias dirimit. Etenim & hoc, fraudem Paulus vocat, his verbis: Ne quis opprimat ac fraudet in negotio fratrem. Alij rursus vxoris ac pecuniarum loco, proximi gloriã labefactant, ac denigrant, & hoc porrò iniustitia est, etenim melius nomē bonum, quàm diuitiã multæ. Nonnullis autē placet & hoc à Paulo de dogmatibus fuisse dictū, sed tamen nihil prohibet quin de vtroque dictum intelligas. Quid autem illud est? *Qui veritatem in iniustitia detinent*. Per subsequentiã discito: *Propterea quod id quod de Deo cognosci potest, manifestum est in illis, Deus enim illis patefecit*. Verum huiusmodi gloriã lignis circūposuerunt, & lapidibus. Quemadmodū igitur cui regale pecuniæ creditū fuerit, mādaturmq; acceperit, vt eas in regis honorē ac decus infumat: is si in prædones, scorta, magos, eas insumpserit, hósque regiis pecuniis splendidos reddiderit, tanquam qui maximè regem offenderit, pœnas pendit: ita & hi, cum accepissent notitiã de Deo, deque eius gloria, deinde idolis illã circūposuissent, in iniustitia veritatem detinuerunt, ac quod in ipsis quidem fuit, cognitionem iniuria affecerunt, cum ea ipsa, quatenus decens fuit, vñ nequaquam fuerint. Apertumne vobis est quod diximus? an apertius denuò dicendum illud est? quidnam igitur illud est, quod dicimus? cognitionē sui Deus hominibus iam inde ab initio indidit. Verum hanc cognitionem ethnicis lignis ac lapidibus circumponentes, veritatem, quod in ipsis fuit, iniuria affecerunt. Illa enim immutabilis manet, vt quæ habeat propriam gloriã immortam. At vñdenam liquet, quod ipsis indidit Deus sui cognitionē? ô Paule? propterea quod, inquit, quod de eo cognosci potest, manifestum est in illis. Hoc ipsum verò sententia est,

est, non demonstratio. Tu porrò mihi adstruio, probato, ac declarato, quod cognitio de Deo illis manifesta fuerit, & quod ipse sua illam prætermiserint, vñdenam igitur manifesta erat? vocē è supernis immisit illis De? nequaquam. sed quod illos voce validius illicere poterat, id fecit: mundi creatione in medium proposita, vt possit sapiens, rudis, Scythia, barbarus, ex ipso aspectu, eorum quæ oculis subiecta sunt, pulchritudinem edoctus, ad Deum conscendere. *Si quidem quæ sunt inuisibilia illius, ex creatione mundi dum per opera intelliguntur, peruidetur*. Quemadmodum & Propheta, inquit, Cæli enarrat gloriã Dei. Quid enim eo die dicet gentiles? te ignorauimus? Itane verò non exaudiistis cœlum, vocem ab aspectu emittentem? non exaudiistis cōpositam rerū omnium harmoniam tuba illustrius clamātem? noctis ac diei leges non perspexit perpetuò stas, atque immobiles? hyemis, veris, ceterorūque anni temporū cōpositum ordinem, firmū & immotū? maris clemētiam, idque in tanta fluctuum cōturbatione? denique omnia ordinem seruatiã, eadēmq; tum à pulchritudine, tum à magnitudine ipsum opificē veluti præconio annūciantia? Hæc enim omnia & his etiã plura contrahens Paulus, dixit: *Siquidem quæ sunt inuisibilia illius, ex creatione mundi dum per opera intelliguntur, peruidetur, ipsaque æterna eius potētia ac diuinitas in hoc vt sint inexcusabiles*. Quāquam nō hoc nomine ea fecit Deus, & si hoc vñ venit. Nō enim vt ipsos defensione priuaret, doctrinã tantam in medium proposuit, verum vt ipsum cognosceret. Ingrati autem effecti, se ipsi defensione priuarunt. Deinde ostēdens quomodo defensione sint priuati, ait: *Propterea quod quum Deum cognouerint, nō vt Deum glorificauerūt, neque grati fuerunt*. Vnum hoc crimen maximum. Alterum post illud, quod etiã idola coluerint: quod & Hieremias increpās, ait: Duo mala patrauit populus iste, me dereliquerunt fontem aquæ viuentis, & foderūt sibi cisternas dissipatas. Deinde quod Dei notitiã habuerint, neque tamen notitiã, vt decuit, vñ fuerint, adducit hoc ipsum, nempe quod Deum cognouerint. ob quod adiecit: Propterea quod cum Deum cognouerint, non vt Deum glorificauerūt, & causam quidē addit, ob quam in tantam amentiam dilapsi sunt. Quænam igitur ea? cogitationibus rem totã cōmiserunt, verum non sic dixit, sed quod multò erat terribilius: *Frustrati sunt enim per cogitationes suas, & obtinebratū est insciens cor eorū*. Quemadmodum enim in nocte illuni, si quis peregrina via ingredi conetur, aut mare nauigare, non solum nō perueniet ad finē destinatū, sed peribit protinus: sic & isti iter ad cœlum ferēs aggressi, à se lucem cum ademerint, ac pro ea cogitationū tenebris se inuoluerint, in corpore incorporatū, in figura infiguratum exquirentes, naufragium infestissimum fecerunt. Cum iis autem quæ dicta sunt, & aliam erroris illorū causam ponit, cum ait: *Cum se crederent esse sapientes, stulti facti sunt*. Magnū enim quiddam de se imaginātes, nec sustinētes ea via ingredi, qua Deus eos ingredi iussit, amētia cogitationibus immerfi sunt. Deinde ostēdens, atque ob oculos ponens ingentem illorum fluctuationē, vt videlicet infesta, & venia omnis expertus esset, addidit: *Et mutauerūt gloriã immortalis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrū, & quadrupedū, & reptilium*. Primum crimē, quod Deum non inuenerūt, secundum, quod causas magnas & apertas haberēt, tertium, quod dicerēt se esse sapientes, quartum, quod non solum non inuenerūt, sed quod venerationem illam in dæmonas, in saxa, ac ligna destexerunt. Deicit quidem in epistola ad Corinthios illorū fastum, sed non perinde illic, vt & hic. Illic enim ipsis ex cruce plagam infert, dicens: *Quod stultitia Dei, sapientior est, quàm homines*. hic verò citra etiam cōpa-

A rationem, ipsorum sapientiã per se taxat, ostēdens stultitiam esse, & arrogantiã duntaxat ostentationē. Deinde vt intelligas quod cum haberent de Deo notitiã, sic eã prodiderunt, hoc verbo, mutauerūt, vsus est. Qui autem mutat, tanquã aliud habens mutat. voluerūt enim amplius quidã inuenire, finibus sibi datis non contenti. quapropter & ab iis exciderūt, vt qui nouitatem appetuerint. Etenim huiusmodi omnia Græcorum fuere, ob quod aduersum semet ipsi mutuò steterunt. Et Aristoteles quidē aduersus Platonem insurrexit. Stoici autem in hunc infremuerūt, & alius aliis hostis extitit: vt non tã illos conueniat ob sapientiã admirari, quàm auerſari, & odisse, quoniã quidem ob hoc ipsum & stulti fuere. Nisi enim tē se ipsi cogitationibus, syllogismis, ac sophismatis cōmiserunt, illis nō accidisset, quod accidit. Deinde accusationē in illos intēdens, taxat omnē illorum idololatriã. Mutatio certè qualiscunq; in primis ridicula, eiusmodi autē mutatio, in tam absurda extra omnem est accusationem. In quæ igitur mutauerunt, & quibus tandē rebus gloriã circūposuerunt? Cōsidera. Cogitare de illo oportebat, quod Deus, quod omnium dominus, quod cum minimè esset nos fecerit, quod prouidet, quod nostri curã habet. hæc enim Dei gloria. Quibus igitur hæc acceptã tulerunt? ne hominibus quidē, verum similitudini imaginis corruptibilis hominis: ac ne hic quidē conſtitere, sed & ad bruta vsq; animantia deuenire: imò verò & ad horū imagines. Mihi porrò Pauli sapientiã cōtemplare, quemadmodū duo summa posuerit: Deum, supernè: & reptilia, infernè, seu potius, ne reptilia quidem, verum horum similitudines, vt illorum luculentã insaniã apertè ostendat. Quam enim notitiã habere decebat de eo, qui citra cōparationem, omnium excellentissimus est, hanc omnium sine cōtentione vilissimo applicarunt. Dices, quid hæc ad philosophos? Ad hos maximè omnium quæ dicta sunt, pertinent. Etenim illi rerum harū inuētores Ægyptios præceptores habēt. Et Plato, qui ceteris tamen grauior esse videtur, hisce gloriatur: quin & huius præceptor hæc ipsa admiratus, ad ea obstupescit. hic enim est, qui gallum iubet Æsculapio sacrificari. hinc brutorum horū animantia, & reptiliū imagines, atq; ad eò cum his reptilibus & Apollinem & Liberū coli videas. Nōnulli autem philosophi & in cœlū quoque subuexerūt Tauros, Scorpios, Dracones, reliquãq; omnis nugas. Vbique enim diabolus operã nauauit, homines ad reptiliū similitudines submittere, & animantibus minus rationis inter cetera habentibus, eum supponere, quæ Deus supra ipsum cœlum sublatum esse voluit. Neque verò hinc tantum, sed & aliunde videas eorundem antesignanū iis, quæ diximus, obnoxii esse. Nam cum poetas in vnum cogit, illisque fidem esse habendã affirmat, in iis quidē, quæ de diis sentiunt, tanquam exactè callentibus, nihil aliud, quàm nugamentorum cōgeriem accumulatur, & horum multū risum, quia oportere ait verū esse vt existimem? *Quamobrē tradidit eos Deus per cupiditates cordiū suorum in immunditiã, vt ignominia afficiat corpora sua inter se mutuò*. Declarat hinc ipsam impietate in causa fuisse cur leges deprauata ac violata fuerint, tradidit autem hoc loco, significat, permisit. Quemadmodū enim si quis exercitus præfectus prælio ingrauescente retrocedens abscerſerit, hostibus milites tradidit, haudquaquam ipsos impellens, verum suo ipsius auxilio nudas: sic & Deus eos dimisit, qui admittere ipsius præcepta noluerūt, sed statim inter primos ab eo defecerunt, cum ipse partes suas omnes expleuisset. Contemplare porrò, pro doctrina mundū in medium proposuit: dedit mentem & cogitationē quæ posset, quod cōueniens erat, intelligere: nullare eiusmodi ad salutem vñ sunt, qui id tēporis vixerunt

Gen. 22.

3. Reg. 20.

1. Reg. 15.

imperii, honor & adoratio cum sancto Spiritu.

Esa. 1.

1. Cor. 11.

Psal. 18.

Hier. 2. Iudei Deum defecerunt, & cum idolis fornicati sūt.

Sed frustrati sūt.

1. Cor. 1.

homines: quin potius, quod acceperunt, id detorquentes, in contrarium inuerterunt. Quid igitur faciendum erat? ad necessitatem, ac vim veniendum? At non hoc licet fortibus ac virtute præditis: ceterum reliquum erat, missos facere: id quod & fecit, vt vel sic periculo factò, fugerēt mortales cupiditatum suarū turpitudinem. Et enim si quis rege natus, patre ignominia affecto, versari malit cum prædonibus, sicariis, ac sacrilegis, illorumque conuictui paternam domum postponat: hunc dimittit pater, sic vt tandem experimento probet propriæ dementiæ magnitudinē. Quamobrem porro nullius alterius peccati meminit? videlicet cædis, auaritiæ, ceterorum id genus, sed intemperantiæ: videtur mihi subindicare eos, qui tum audirent, epistolamque acciperent. *In immunditiam, vt ignominia afficiant corpora sua inter se mutuo.* Vide emphasim maximè perstringentem. Ait enim illos aliis haudquaquam indigere, à quibus contumelia afficiuntur: verum eadem aduersum se ipsos patrare: ad quæ ab inimicis inuitari ac cõponi possent. Postea causam resumens, rursus ait. *Qui ipsi commutauerunt veritatem Dei mædacio: & venerati sunt, colueruntque ea, quæ condita sunt, supra eum qui condidit.* Quæ valde erant ac magnopere ridicula, per speciem ponit: quæ autē videntur aliis esse grauiora, generaliter atque omnibus modis demonstrat, earum rerum quæ conditæ sunt, cultum ad Gentiles pertinere. Vide porro quemadmodum orationem apertam reddat, non enim dixit simpliciter, coluerunt ea, quæ condita sunt: sed, supra eum qui condidit, vbiq; hac ratione crimen attollens, atque adeò ipsa cõtentione illos omni venia priuans. *Qui est laudandus in secula.* Amen. Ceterum non propterea, inquit, ipse detrimentum accepit: manet enim laudandus ac benedictus in secula. Hoc loco demonstrat, quòd Deus illos dimisit, non vt sibi ipse auxilio foret, quandoquidem illi nihil incommodi accidit. Nam quanquam illi iniuriam fecerunt, tamen ipse non accepit, neque sanè eius gloria aliqua ex parte laccera, ac mutila facta est, sed manet ipse omnino laudandus. Si enim sæpe fit, vt qui philosophatur, nihil incommodi ab iis patiatur, à quibus in contumeliam trahitur: multo magis de Deo id sentiendum nobis est, cuius natura neque lædi, neque verti; cuius gloria neque immutari, neque moueri potest. Etenim homines hac potissimum in re similes Deo efficiuntur, quoties mali nihil patiuntur ab iis, qui ipsis incommodare volunt: quoties nihil læduntur ab iis, qui lædunt: nihil vapulant ab iis qui verberant: nihil irridentur ab aliis ipsos irridentibus. Dices, Id verò qui fieri potest? fieri, fieri admodum potest: quum ille videlicet factis non indoluerit. Qui verò fit, inquis, vt ille minimè indoleat. qui? datur quidem & non indolere. Etenim, quæro ego ex te: Si te infantulus tuus contumelia afficeret, equequid contumeliam existimares: quid autem? doleret tibi? nequaquam: sin autē doleret, tum esses risu dignus.

MORALE.

Ad eundem modum erga proximos afficiamur, sic fiet vt molesti nihil patiamur. Nā qui nos iniuria afficiunt, sunt infantulis dementiores: neque tamen queramus, vt iniuria afficiamur, verū vt iniuria affecti, forti ac generoso animo feramus. Hic enim demum est solidus honor, quid ita? quoniam hoc, nempe iniuriā fortiter ferre, in manu tua positum est: illud, nempe iniuriam inferre, in alterius. Nonne vides adamantem, dum feritur, percutere? At natura huius, inquis, ita habet. & tibi quoque ab ipsa voluntate accidere illud idem potest, quod à natura illa accidit. Quid autē? nonne vides, infantiles in fornace minimè vri? & Danielē in lacu nihil mali pati: Id ipsum & nunc quoque existere potest. Ad-

A sunt & nobis leones, ira, & cupiditas, perniciosi dentibus armati hostes, discerpentes quisquis in illos incidit. Daniele igitur imitare, minimè concedens, vt affectus eiusmodi, dentes animæ tuæ insigant. At ille gratiam suppetias sibi afferentem habuit. rectè, quadoquidem hanc gratiam volūtas ipsa præuenit. Quamobrem si voluerimus & ipsi, tales nos præstare, præstò erit & nunc gratia: atque vt etiam fera illæ esuriat, latus tuum haudquaquam cõtingent. Si enim corpus seruire conspectum reueritæ sunt, membris Christi cõspectis (hoc enim sumus, qui fideles sumus) qui fiet, vt minus conquelescant: quòd si non conquelescant, in causa erūt, qui feris illis obiecti fuerint. Etenim hūc leonibus multi impensam subministrant, scorta nutrientes, alienas nuptias perfringentes, inimicos vlciscentes: quo fit vt antequam ad ipsum solum accedant, discerpantur. At hoc in Daniele non accidit, neque in nobis si voluerimus, id vsu veniet: sed & amplius quiddam reportabimus, iis quæ tum euenerunt. Illum enim non læserunt leones. Nobis verò si sapiemus, & vsui erūt, quòd nos iniuria afficiunt. Sic certè Paulus inclaruit, nempe ab iis, qui ei incommodum molirentur, insidiæque struerent. Sic Iob, à non paucis plagis illis. Sic Hieremias, à lacu cœni. Sic Noë, à diluuiò. Sic Abel, ab insidiis. Sic Moyses, à Iudaorum inuidia. Sic Helisæus. Sic vnusquisque magnorum illorum virorum, non à requie, nō à deliciis, verum ab afflictione, à tẽtationibus insignes coronas reportarunt. Quapropter & Christus quū intelligeret, hoc demum esse argumentum, per quod quis Deo commendari posset, discipulos sic appellabat: In mūdo afflictionem habetis, sed tamen bono animo estote. Ego vici mundum, dices, Quid? nonne multi eiecti sunt, malis, quibus premerentur, fracti? Nequaquam sanè per tẽtationum naturam, sed per suam ipsorum locordiam. Ceterum qui vnā cum tentatione præstat etiam modum, quo sustinere, atque à malis eluctari possis, ille idem manu porrecta, omnibus nobis aderit, vt magna gloria tantquam præconis voce victores declarati, æternas coronas assequamur, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi: per quem, & cum quo, Patri gloria, vnā cum sancto Spiritu, in secula seculorum. Amen.

HOMILIA IIII.

VAMOBREM tradidit eos Deus in affectus ignominiosos. Nam & femina illorum mutauerunt naturalem usum, in eum, qui est præter naturam: similiterque & masculi, relicto naturali vsu femine, exarserunt per concupiscẽtiam sui, alius in alium. Animi morbi quidem omnes ignominiosi, sed maximè in masculos iniania. Etenim ab ipsis delictis anima magis patitur, dedecoraturque quam ab ægritudinibus corpus. Contemplantur porro, vt & hic quoque ipsos venia priuet, quemadmodū & quum de dogmatibus verba faceret, de fœminis quidē sic locutus: Mutauerunt naturalem usum, in eum, qui est præter naturam. Neque enim, inquit, dicere possit quisquam, quòd à naturali coitione prohibita, ad hoc morbi confugerint: neque quod dum nō haberent, vnde cupiditatem suam complerent, ad hanc absurdā impegerint rabiem. Verbum enim hoc, mutare, eorum est, qui habent: quo etiam vsus est quum de dogmatibus ageret. Veritatem

De mædacio mutauerunt: aliter autem & ipsum hoc declarauit, de masculis loquens: Relicto, inquit, femine vsu naturali. Ac iuxta tum illas, tum hos ab omni defensione excludit, increpans ipsos nō solum quòd fruitiōnem haberent, eaque, quam haberent, relicta ad aliam se contulerint, sed quòd naturali vsu per eos reprobato, ad eum qui est præter naturā adcurrerint. Difficiliora autem,

Autem, atque insuauiora ea sunt, quæ præter naturam fiunt: quapropter ne voluptatem quidem se capere, dicere possint. Vera enim ac germana voluptas ea demū est, quæ secundum naturam est. At quum Deus destituerit, tum omnia sursum, ac deorsum feruntur. Quamobrem non ipsum modò dogma illis satanicum erat, sed & vita diabolica. Proinde de dogmatibus quū loqueretur, mundum ipsum in medium adduxit, & cogitationem item humanā, dicens, quòd intellectu dato à Deo, per ea, quæ viderentur, poterant ad ipsum opificem, veluti manu præcunte perducere: quod quum in animum sibi inducere noluisset, manserunt indigni, qui veniam assequerentur. Hoc loco pro mundo, voluptatem eam substituit, quæ est secundum naturam, qua quidem poterat ipsi maiorem cum libertate ac licentia frui, & pleniori lætitia suscepta, à dedecore ac turpitudine se eximere: id quod tamen noluerūt, vnde & veniam haudquaquam sunt assecuti: quin & ab ea omnino sunt exclusi in ipsam naturam iniurij: ac quod in his ignominiosum quidem est, ipsas etiam mulieres ostendit, id genus coitiones venari, quas tamen viris oportebat esse verecundiores. Pauli porro prudẽtia meritò hūc nobis admirabilis est, vt qui quum in duas res sibi inuicem aduersantes incidisset, vtraque exactè absoluerit. Volebat enim grauitate, ac reuerẽtia seruata loqui, & auditorem tamen interim mordens percellere. at hæc ambo non dabantur, sed alterum alteri impedimento erat. Nam si quid reuenter dicas, haudquaquam possis auditorem perstringere: quod si rursus vehementer perstringere volueris, necesse tibi est aperta ac nuda oratione rem designare. At prudens ac beata Pauli anima vtrunque exactè præstitit, ipso naturæ nomine & increpationem augens, & hac tanquam parapetamine ad enarrationis verecundiam vsus. Deinde mulieribus prius perstrictis, ad viros progreditur, dicens: Similiter & masculi relicto naturali vsu femine. Quod ipsum est extremæ perditionis indicium, quum scilicet vtrunque genus corruptū est, quumque tum qui mulieri præceptor est ordinatus, tum quæ viro auxiliatrix iussa est esse, hostiū inter se officijs funguntur. Considera autē quanta cum emphasi dictiones vsurpet. Nō enim dixit illos amasse, ac desiderasse inter se mutuò, sed exarxisse mutuò per appetẽtiam sui. Vides auditate omne malum exortum? quum ipsum desiderium videlicet non sustineat intra proprios terminos consistere. Quicquid enim terminos à Deo statos transgreditur, id absurdarum, ac minimè legitimarum rerum appetens est. Quemadmodum enim fieri sæpe videmus, vt qui ciborum appetitionem amiserint, terram, ac lapillos comedat: qui que impotenti siti correpti fuerint, ij & cœnum quoque nonnunquam ad bibendum appetant: ita & illi ad huiusmodi amorem illegitimum effuerunt. Quòd si dixeris, & vnde desiderij huius intentione? à Dei destitutione: Dei autē destitutio vnde? ab eorum improbitate, qui illum reliquerūt, Masculi in masculos turpitudinem peragentes. Ne enim posteaquam audieris, ait, quòd exarserūt, desiderij solius morbum esse putes. Etenim bona mali huius pars ab eorum manat locordia, quæ desiderium ipsum incedit: quapropter non dixit, pertracti, aut occupati, quod quidē alibi ait. quid ergo? Peragentes. Opus cõstituerunt peccatum, nec simpliciter opus, sed & studio absolutum: neque dixit, desiderium: sed, turpitudinem, & quidem propriè, etenim & ipsam naturam dedecorarunt, & leges calcarunt. Vides porro magnam confusionem vtraque ex parte natam, Neque enim caput solum infernè, sed & pedes supernè erant positi. & hostes ipsi inter se extirere, perniciosam quandam & quouis bello intestino iniquiorè pugnam, eandemque variam introducentes. Etenim in quatuor

A ipsam speciem nouas, & illegitimas diuiserunt. neque enim duplex, aut triplex, sed & quadruplex bellum hoc existerat. Considera porro, oportebat duos vnum esse, mulierem & virum dico: erunt enim, inquit, duo in carne vna: præstabat autem hoc cõsuetudinis desiderium, & copulabat genera ipsa inter se. Hoc desiderium diabolus tollens, & in alium deriuans modum, sic ipsa eadem à se genera diremit, vt quod vnum erat, duas partes faceret, contrā quam lex diuina instituisset: ea enim ait, duo erunt in carne vna, hic autem vnam in duo distulit: ecce bellum vnum. Rursum ipsas has duas partes, & contra se, & inter se ipsas infensas reddidit: ipsæ enim fœminæ fœminas contumelia afficiebant rursus, non viros solum: & viri item contra se ipsi steterant, & contra fœmineum genus, perinde vt si in pugna aliqua nocturna versarentur. Vides secundum, & tertium bellum, & quartum & quintum? est & aliud. Nam vnā cum iis, quæ diximus, & ipsam quoque naturā legem violarunt. Posteaquam enim vidit diabolus desiderio genera eadem maximè coniungi, studuit vinculum discindere, sic vt genus dissoluerit, non ex eo solum, quòd iuxta legis ordinẽ semen non proferret, sed ex eo quòd inter sese iidem illi infensi mutua seditione conflictarentur. Et mercedem quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes. Vide quomodo rursus ad mali fontem se confert, impietatem à dogmatibus natam, & mercedē esse ipsam ait iniquitatis illius: posteaquam enim non visum est illi, impiis, & iis, qui sic vitam instituerent malum, supplicij ac gehennæ fidem facere nunc posse, sed risui se potius fore, ostendit in ipsamet demum voluptate hoc supplicium residere. Quod si minimè persequantur, sed delectantur, ne mirum tibi sit. Etenim qui infantiunt, ac phrenesim patiuntur, ij certè multas, & eas miserandas in semet iniurias dum inferunt, ob quæ facta aliis lacrymas cient, ob ea rident quidem ipsi, & insolescunt, nec tamen illos propterea dixerimus supplicio liberatos, sed hoc nomine pœna grauiori affligi, quod ne ipsi quidem norint, quibus, quantisque in malis versentur miserari. Neque enim ab ægrorum, sed à sanorum calculo sententiam ferre nos oportet: quandoquidem antiquitus & lex esse res ea videbatur, ac legislator quidā apud illos sanxit, vt serui neque in sicco sese vngerent, neque puerorum amoribus vacarent, hanc scilicet prærogatiuam ingenuis solis cõcedens, seu vt verius dicam, hanc turpitudinem: quum tamen ne turpitudinem quidem factum eiusmodi esse crederent, sed veluti veneradum, honestum, ac maius quam quod seruorum personis cõueniret, liberis ipsis permiserint. Et istud quidem admiserunt sapientissimus Atheniensium populus, & qui magnus apud illos habitus est Solò: cum eo quoque quod & multos philosophorū libros hocce morbo refertos inuenias. Nec tamen hinc rem legitimam esse, quin eos potius, qui legem huiusmodi admiserunt, miserabiles, multisque lacrymis persequendos dicimus. Quæ enim dedecora admittunt mulieres eæ, quæ corpora prostituunt sua, eadem atque adeò iis miserabiliora & hi quoque patiuntur. Nam illis si minimè legitimus, at certè naturalis est coitus: hic autem & illegitimus & præter naturam. Vt enim nec gehennam, nec supplicium comminatus esset Deus, certè id quouis supplicio deterius fuerit: quòd si delectantur, pœnæ certè additamentum mihi narras: neque enim si quem videro nudum, currentem, cœno corpus totum, vt colore, fordidantem, tum autem sese minimè præ pudore obtegentem, quin potius sibi hoc nomine placentem, huic sanè de eo factò gratulabor, quin eum potius deplorabo, quòd ne se quidem indecorè agere persequat. Vt autem & contumeliam ipsam manifestius declarem, patiamini

Romani olim intemperantiæ multo obnoxii.

hæc dicitio Dei, hoc loco non habetur, nec infra: Theophylactum eam habet.

Hic sup.

loquit.

*Dei hæc dicitio in vet. non habetur.

Dan. 3. Ibid. 6. & 14.

si placet, & me aliud exemplum vsurpare. Si enim virgine hac pœna mulctares, vt sola in cubiculo versans cum brutis animantibus rem haberet, postea autem eadē illa huiusmodi coitione delectaretur: nōne, obsecro, fieret, vt, vel hoc potissimum nomine, lacrymabilis foret, quod morbo liberari ea nequiret, nō ob aliud nisi quod morbu ipsa suum ne sentiret quidē? omnino ita liquet. Quod si illud graue, ne hoc quidem minus illo: etenim contumelia à domesticis accepta, ea sanè miserabilior est, quam externi adferunt. Hos equidem t̄ iis etiam, qui sibi ipsi mortē consciscunt, deteriorēs esse affirmo: presterit enim mori, quā tanta contumelia accepta viuere. nam t̄ qui se ipse interimit, is animam à corpore dissociat: at hic animā vnā cum corpore perdit. Quodcūque porro delictum nominaueris, nullum huic peccato par dixeris: qui si facta sua sentirent, qui patiuntur, sexcentas vtiq; mortes obierint, vt ne hoc paterentur: neq; enim est, neque inquā est hac iniuria alia vlla nec grauior, nec rationis minus habens. Nam si de scortatione Paulus differens dixit, peccatum omne, quodcunq; cōmiserit homo, extra corpus esse, qui autem scortatur, cum in propriū corpus delinquere: quid de infania hac dixerimus, quæ ipsa tanto est scortatione deterior, quā tum ne verbis quidem exprimere licet? Neq; enim hoc solum dico, quod fœmina effectus sis, sed quod perdidisti ipsum hoc, nimirum virum esse, & quod neque in hanc transferis naturam, neq; quam haberes asseruaueris, sed communis vtriusq; effectus sis proditor, dignus quem tum viri tum fœminæ lapidibus à se exigant, tanquam qui vtrunque genus iniuria affeceris. Atq; vt intelligas, quantū hoc demum sit, si quis ad te adiens promitteret fore, vt te ex viro canem efficeret: nōne ab eo tanquam exitioso declinares? Tu verò dispicito, te ipse non ex viro canem effecisti, sed animal hocce animatē infamius: id enim ad vsum accommodum: at catamitus nullibi vsui esse possit. Quid autem: quæso. Si quis profiteatur præstaturum se, vt viri pariāt, & à partu in lecto decumbant: nōne fieret, vt ira atque excandescencia completeretur? At verò vide nunc, certē qui sic rabiunt, perfecerunt ipsi, vt deteriorē conditione essent. Neque enim par, idēmq; fuerit, in muliebrem naturam migrare, & vir interim dum manes, fœminam fieri, quin potius neque hoc, neq; illud fuerit. Quod si & aliunde mali enormitatem pernoscere vis, interrogato, quamobrem, qui se ipsi eunuchos faciunt, eos legislatores pœna afficiant: & intelliges, id non ob aliud esse, nisi quod naturam mutant: quāquam non eousque illi iniuriæ sunt: sunt enim vel post mutilationem, multis quidem locis vsui, qui execti fuerint. At quisquis scortū se facit, hoc nihil esse queat inutilius: neq; enim anima solū, verum & corpus eius, qui hæc patrat, infame est, ac certē dignum quod vnde quaque exterminetur. Quot tandem, obsecro, gehennæ his plectēdis suffecerint? Quod si audito gehennæ nomine, irrides, ac fidem nō habes: illum ignem recordare Sodomorum. Vidimus enim, vidimus & in præsentī quoque vita gehennæ effigiem. Quandoquidem enim multi futuri erant, qui iis fidem minimè habituri essent, quæ post resurrectionē futura sunt, nūc quum iidem audiant esse ignem inextinguibilem, à rebus præsentibus illos Deus erudiuit. tale est igitur Sodomorum incendium, & vastatio illa: id quod sciunt ij, qui ad ea loca profecti, plagam illam diuinam, ac cœlestium fulminū opus oculis subicere. Cogitato quā graue illud sit peccatum, vt quod ipsam gehennam etiam ante tempus existere coegerit. Nam postea quā permulti verba despicerent, illis Deus per ipsa demum opera, gehennæ effigiem ostendit noua quadam ratione: erat enim præter omnium opinionem pluuia illa,

2. popo- vov. homicidis.

* homicida.

1. Cor. 6.

quoniam quidem & præter naturam ipsa coitio: atque ea quidem pluuia terram t̄ exussit, quoniam & illorum animos desiderium: ob quod pluuia eadem ferebatur cōtrā quā solita ista ac quotidiana ferri soleat: neque enim non exiebat modò terræ vterum ad fructuum generationem, sed & ad feminum susceptionem inutilem efficiebat. Talis enim erat ipsa Sodomitarum coitio, eiuscemodi corpus inutilius reddens. Quid enim viro corpus suum meretricio more prostituentē abominabilius? quid autem scelerestius? o infaniam, o stupiditatem! vnde, malum, hæc debacchata est concupiscentia, humanam naturam hostium incommodis, atque adeo tanto grauioribus afficiens, quanto anima corpore præstātor est? o vos & brutis insipientiores, & canibus impudentiores: nusquam enim huiusmodi congressus apud illos, sed agnoscit proprios terminos natura. Vos autem genus nostrum infamius brutorum genere effecistis, & in his quæ dico iniuriæ, & per vos inuicem iniuriæ. Vnde igitur mala hæc enata sunt? à deliciis, à Dei ignoratione. quum enim excusserit quis Dei timorem, protinus bona omnia pessum eunt.

MORALE.

VT ne igitur hoc eueniat, Dei exactum timorē ante oculos habeamus. Nihil enim ita hominē perdit, quam si illū contingat ab hac anchora excidere: quem admodum nihil cōtrā ita illum seruat, quā assiduus in illum aspectus. Nam si hominem quum præsentem contuemur, tum ad peccandum tardiores reddimur, sæpe autem & seruos modestiores subueriti, absurdi nihil admittimus: considerato quantam adepturi simus securitatem, si nos contigerit, Deum assiduē in oculis ferre. Nusquam enim diabolus nos sic cōpositos adoriatur, tanquam frustra laboraturus: qui si aberrantes, ac sine fræno palantes viderit, sumpto à nobis exordio poterit vbiq; vt scabiosas oues à grege summotos depellere. Et quod ignauis famulis viu venire in foro solet, vt ministeriis necessariis posthabitis, ad quæ peragenda à dominis suis dimittuntur, inconsulto ac temerè sibi occurrentibus affixi, ocium illic absumant: hoc ipsum sanè & nobis quoque accidat necesse est, quoties à Dei mandatis aberramus. Stamus enim admirari diuitias, corporis pulchritudinem, & alia item ad nos nihil pertinentia, illorum famulorum exemplo qui mendicis, morionibus, ac præstigijs quasdam miracula representantibus intenti, sero domum vbi dixerint, extremis plagis caduntur: multi autem & propositum iter prætereunt, secuti alios turpiter & inhonestè in huiusmodi facinoribus sese gerentes. Nos verò caueamus, ne similia patremus. etenim dimissi quidem fumus ad multa, & ea vrgentia, peragenda: qui si omissis illis steterimus oscitantes ad hæc infructuosa, tempore omni nobis frustra & incassum absumpto, extremum luitari fumus supplicium. Etenim si te ipse exercere vis, habes quæ admirari: & circa quæ totum tempus ore hianti esse debes, quæ quidem non risu, sed admiratione, multisque laudibus digna sunt: idque eò magis, quod qui ridicularum rerum admirator est, & ipse quoque sæpe talis euadit, atque adeo illo deterior qui risum aliis excitat. Quod vt ne tibi accidat, pedem inde quamprimū referto. Cur enim quæso, stas ad diuitias hians, ac veluti attonito similis? quidnam obsecro, mirandum spectas, ac tale, quod oculos tuos morari debeat? equos auro stratos, famulos illos quidem barbaros, illos autem eunuchos, & sumptuosas item vestes, & molliciei deditum in iis animum, & t̄ contractum illorum supercilium, & circuitiones, & tumultus: hæc ipsa obsecro, quorsum admiratione

clatum

miratione digna fuerint? Hi autem quid à medicis differunt in foro tripudiantibus, ac fistula canentibus? Si quidem & ij magna virtutis fame correpti chorcam agunt quā illi magis ridiculam acti & circumacti, nūc quidem ad lautas extructasque mensas, nūc ad meretricium fornicem, nūc ad adulatorum gregem, & parasitorum turbam. Qui si auro splendescunt, hoc potissimum nomine miserabiles sunt, vt quibus præcipuo studio ea sint, quæ ad ipsos nihil spectant. Mihi enim ne vestes ipsas intucare, verum ipsorum animam denudato ac despicio, num ea vulneribus innumeris abudet: nūc pānos induta, desolata sit, & à nemine tecta. Quid igitur externa infania opus est? etenim longè melius fuerit, pauperem esse cum virtute victitantem, quā regē cū malitia, pauper enim apud se animi deliciis perfruitur, exteriorem nō sentiens paupertatem, ob diuitias interiores. At rex deliciatus in iis quæ ad ipsum nihil spectant, in iis sanè quæ ad ipsum in primis pertinent plectitur, nimirum in anima, in conscientia, in cogitationibus illum vel mortuum comitantibus. His igitur intellectis aureas quidem vestes exuamus, virtutem autē complexi induamus, tum voluptatem ex ea nascentem: sic enim & hac in vita, & in futura multis deliciis perfruemur, ac bona promissa assequemur, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi: per quem & cū quo patri gloria, vnā cum spiritu sancto, in sæcula sæculorū. Amen.

HOMILIA QUINTA.



quemadmodum non probauerunt vt Deum agnoscerent, ita tradidit eos Deus in reprobam mentem, vt facerent quæ non conueniebat. Vt ne videatur ipsos subindicare, dū nimius est in lasciuio puerorū amore vituperado, transit deinceps ad alias peccati species: quapropter & sub aliis personis orationem totam prosequitur. Ac sicuti cum fidelibus de peccatis verba faciens, & ea volēs ostendere fugienda esse, gentes in medium adducit, quum ait: nō cum affectu cōcupiscentiæ, veluti reliquæ gentes, quæ Deum non nouere: ac rursus, Ne doleatis quemadmodum & ceteri nō habentes spem: sic & hoc loco ostendit peccata ad illos pertinere, cōsdēque omni venia priuat. Non enim ea facinora ab ignorantia, sed à meditatione, ac studio orta affirmat. Quapropter non dixit, & quemadmodum nō cognouerunt, sed nō probauerunt, vt Deum agnoscerent: peccatum id tale esse significans, vt ad id iudicio corrupto, ac peruicacia potius prolapsi, quā vi peracti fuerint: vnde & ostendere vult, peccata non carnis esse, sicuti heretici quidā dicunt, sed cogitationis, ac malæ concupiscentiæ, atque illinc malorum fontem scaturire. Mens enim reproba quum semel facta fuerit, necessariò fit, vt omnia distrahantur, ac subuertantur, nimirum auriga iam corrupto. Repleti omni iniustitia, t̄ scortatione, auaritia. Vide omnia cum intentione dicta. etenim repletos esse ait omni iniustitia. Ipsam porro vitiositatem generaliter vbi exulit, & huius quoque partes eximie persequitur: dicens, pleni inuidia, cæde: hoc enim ex illo ortum est, quemadmodum de Abel, ac Ioseph ostensum est. Deinde vbi eos dixit contentione, dolo, malis præditos moribus, susurrone, obtretractores, Dei ofores, contumeliosos, & quæ multis indifferentia esse peccata videtur, ea criminum loco vbi posuit, ipsam rursus accusationem auget, in ipsam malorum arcem conscendens, quum ait elatos, ac gloriosos: grauius enim peccatum admittit, qui de peccato admissio sese effert, gloriaturque, quā qui simpliciter peccat. Ob quod & Corinthiis id ipsum vitio vertit, quum ait: & vos inflati estis.

1. Thef. 4.

Ibidem.

propterea malitia, legem videtur, propter velle, virtutem que habetur in vulgari editio ne, qua vtitur ecclesia.

1. Cor. 5.

Chrysof. tom. 4.

Nam si qui ob meritum aliquod suum inflatus est, illius fructum omnem amittit: quam, obsecro, pœnam non mercatur, qui ob peccatum à se admissum gloria tur: neque enim qui talis est, pœnitentia vnquam compungitur. postea ait: Excogitatores malorum. Hic ostendit eos haudquaquam peccatis iam natis fuisse contentos, sed & alia quædam adinuenisse. Quod rursus eorum est, qui meditantur, ac student, non autem qui vi rapiuntur, ac pertrahuntur. Quum autem vitiositatem per partes explicasset, ostendisset quod & contra naturam rursus steterint (ait enim parentibus immorigeri) deinceps ad huiusmodi pestis radicem progreditur, eos dicitans à charitatis affectu alienos, ac fœderis minimè obseruantes. Hanc enim & Christus malitiæ causam esse ait, dicens, quum repleta fuerit iniquitas, tunc frigescet charitas. Hoc igitur & hic Paulus ait, appellans peccatorum haudquaquam tenaces, alienos à charitatis affectu, nescios fœderis, immisericordes, & ostendens quod naturæ donum prodiderint: ita enim comparatum est vt habeamus genuinam ac naturalem quandam inter nos necessitudinem, quā & feræ quoque bestię inter se obseruant. Vnumquodque enim animal, ait ille, sui simile amat: & homo item proximum suum. At hi illis extiterunt efferatiores. Eum igitur morbum, qui à malis dogmatibus in terrarum orbem inuasit, per hæc nobis representauit, ac planum fecit, laborantium ignauiam ac desidiam vtriusque ægritudinis authorem esse. Ostendit præterea, quod & dum de dogmatibus ageret, fecit, & hic quoque illos ipsos venia esse priuatos. propterea ait: Qui cum Dei iustitiam nouerint, nempe quod ij qui talia faciunt, digni sunt morte non solum ea faciunt, verum etiam iis assentiuntur qui faciunt. Obiectionibus duabus hic positis, vtrisque præcipue sustulit. Quidnam enim, ait, allegare possis? quod nescias quæ agenda sint? tu verò vt id maximè ignores in causa sanè es, vtpote qui Deum id tibi indicantem deserueris. Nunc autem & multis quidem rationibus ostendimus, te id nec ignorare, & vtrò tamen peccare. At ab ipso traheris affectu? quid igitur & adiuuas, & laudas? non enim solum ea faciunt, inquit, sed & assentiuntur iis qui faciunt. Difficiliore igitur obiectione, & ea quæ nullam planè veniam meretur, prius posita, vt aduersarium euincat (est enim peccante multo deterior qui peccatum commedatione prosequitur) sed hoc ipsum prius quum dixisset, per id quod vehementius est, rursus in subsequenti eundem aduersarium mancipat, ita dicens: Quapropter inexcusabilis es, o homo quisquis es, qui iudicas. Nam hoc ipso quod iudicas alterum, te ipsum condemnas. Hæc in ipsos principes inuehens, dixit. Nam ea quidem vrbs tum totius orbis principatum tenebat. Anteuertens igitur: ait, tuam tibi defensionem eripis heus tu, quisquis es. Quoties enim adulterum condemnas, interim autem ipse es adulter, vt te nullus homo iudicet, quod ad rei damnandi iudicium pertinet, contra te sententiam tulisti. Scimus autem quod iudicium Dei est secundum veritatem aduersus eos qui talia agunt. Vt ne quis enim diceret, interim quidem elapsus sum: teritans ait, non perinde esse apud Deum, vt & hic. Hic enim alius quidem peccati sui pœnas luit: alius autem illo eodem peccato admissio supplicium euadit, ad illic non perinde se res habet. Iam quod ipse iudex nouerit, quod iustū est, addidit Paulus, nō etiam vnde nouerit, superuacaneum enim erat. Suprà de impietate dum ageret, vtrunque certè ostendit, & quod Deum qui cognouisset, impius tamen esset, & vnde cognouisset: nempe à mundi fabrica, quandoquidem enim omnibus nō innotesceret, causam addidit. Hoc verò loco quod omnibus veluti cōfessum est, præterit. Porro vbi ait, Quis-

Mat. 24.

Eceli. 13.

CAP. II.

B

quis es, qui iudicas: non solum cum principibus, sed & cum priuatis ac subditis verba facit. Siquidem omnes homines vt thronum non conscendant, vt carnifices, vt fiduciales, ac comedes minimè habcant: attamen & ipsi quoque eos quos peccare intelligunt, iudicant in colloquiis, in communibus cœtibus, in conscientia calculo, ac pronunciare quidem nullus audeat, quòd ad alter supplicium non mereatur: sed alios, ait, iudicant, non se ipsos: hanc enim ob causam in eos acriter insurgit, dicens: *Cogitas autem hoc o homo qui iudicas eos qui talia faciunt, & facis eadem, quòd tu suffugies iudicium Dei?* Posteaquam enim multiplex esse ostendit orbis terrarum peccatum, ab ipsis dogmatibus, ab ipsis rebus, & quòd sapientes essent, quòd ipsam creaturam haberent, à qua veluti porrecta manu ductarentur, quòd non ob id solum quòd Deum reliquissent, sed quòd reptilium similitudines elegerint, quòd virtutē respiciunt, quòd obluant ante natura ad vitium transfugissent: vitium, inquam, quòd præter naturam esset: progreditur deinceps, vt ostendat, quòd & qui talia faciunt, pœnas luunt. Porro autem ipsam pœnam iam declarauit, quum actionem ipsam dixit. Præmium enim, inquit, quòd oportuit, erroris sui in se recipiunt. Sed tamen quoniam hanc ipsi pœnam non perferunt, exprimit & aliam quam maximè reformidant, quam & ipsam iam demonstrauit. Quum enim dixit, quòd Dei iudicium est secundum veritatem, aliud nihil quàm id, quòd dico, exprimit: verumtamen & hoc idem aliis pluribus probat rursus, sic inquit: *Cogitas autem o homo qui iudicas eos, qui talia faciunt, & facis eadem, quòd tu suffugies iudicium Dei? iudicium ipse tuum non effugisti, & Dei iudicium effugies? quis tandem hoc ita esse dixerit? quam tute te ipsum iudicasti. Sed posteaquam tãta fuit iudicij exuberantia, vt ne tibi quidem ipse parcere poteris: nõne Deus qui peccandi nescius, supra quàm dici potest, iustus est, id ipsum multò magis effecturus est? Te ipsum tutemet condemnasti, Deus autem admittet, probabit, ac laudabit? quid id, obsecro, rationi consentaneum est? quamquam quòd ille abs te cõdemnatur, hoc maiorem tute pœnam mereris. Neque enim perinde est si simpliciter pecces, atque si alterum, qui peccauerit, quum punieris, in eadem cum illo peccata rursus prolaberis. Vides quo pacto crimen auxit? Etenim si tu, inquit, de eo pœnas sumis qui in leuioribus deliquerit, præsertim quum futurum sit, vt tibi interim ignominia notam sis allaturus: nõne Deus præsertim nullam sibi inde dedecoris notam in futurum, te, te inquam à propriis cogitationibus iam damnatum, grauius condemnaturus est? Qui si dixeris non nescire te supplicio dignum esse, sed contemnere, propter illius lenitatem, atque inde fiduciam tibi sumis, quòd in presentia pœnas non das: certè hoc ipso nomine conueniens fuerit vt formides, ac contremiskas. Neque enim ille differt ob hoc, vt ne ipse pœnas des, sed vt grauior des: si modò incorrigibilis perseueras: quòd tibi nõquam vsu veniat. Quapropter addit: *Aut diuitias bonitatis illius, aut tolerantia lenitatisque contemnis, ignorans quòd bonitas Dei ad penitentiam te inuitat?* Dei vbi lenitatem laudauit, ac declarauit illam maximum asserre lucrum iis qui attentis fuerint (hoc ipsum autem erat peccantium ad penitentiam illecebra) timorem auget. Nam quemadmodum iis qui ea lenitate rectè vsi fuerint, salutis argumentum est: sic iis qui eam contempserint, grauioris supplicij causa esse solet. Hoc enim quòd vulgò circumfertur, nempe quòd bonus ac lenis Deus quum sit, pœnas minimè reposcit: sed tritum hoc verbum quum dicis, inquit, aliud sanè nihil dicis, quàm supplicij ipsius intentionem: mansuetudinem enim præfert*

A Deus, vt à peccatis te eximas, non etiã vt peccata peccatis accumulatis: qui nisi id feceris, terribilius certè iudicium te manet. Quamobrem quandoquidem lenis est ille, danda est in primis opera, vt ne peccemus, nõve illius beneficentiam, improbitatis ingratitudeque argumentum efficiamus. Vt enim lenis ille sit, punit tamen prorsus. Vnde hoc nobis liquet: ab iis quæ subsequuntur. Nam si vitium maximè regnat, nec mali tamen pœnas dedere, prorsus necesse est aliquando vt dent. Si enim hæc haud negligunt homines, qui Deus neglecturus est? Quare & iudicij sermonem induxit. Nam quòd ostenderit multos pœnæ esse obnoxios nisi eos pœnituerit, deinde illos eisdem pœnas non dedisse, hic iudicium prorsus futurum colligit, idque cum intentione, quapropter ait: *Sed iuxta duritiam tuã & cor penitere nescium colligis tibi ipsi iram.* Quum enim neque mansuetudine molliatur, neque terrore fleatur, hoc quid magis induratum esse queat? posteaquam enim Dei benignitas quanta sit ostendit Paulus, tum demum terribilis est ei, qui ne sic quidè ad penitentiam redierit. Vide porro quàm propriè dictionibus vtatur. Colligis enim, inquit, tibi ipsi iram: manifestans quòd prorsus reconditum est, ac demonstrans non eum qui iudicat, sed eum qui iudicatur, huius rei authorem esse. Tibi enim ipsi, ait, colligis. non tibi Deus: etenim ille omnia præstitit, quæ oportebat. Perfecit enim vt cognosceres tum quæ bona essent, tum quæ mala, præterea & lenitatem exhibuit suam, ad penitentiam te vocauit, diem comminatus est terribilem, modis omnibus ad penitentiam te illiciens. Qui si inflexus manes, *Tibi ipsi colligis iram in die ire & reuelationis, & iusti iudicij Dei.* Vt ne enim audito ire nomine, affectum, animique morbum esse putes, addidit, iusti iudicij Dei. Rectè autem reuelationis verbum vsurpauit: tum enim hoc reuelatur, quum pro sua quisque dignitate recipit. Nam hac in vita multi sæpe, contra quàm æquum iustumque est, aliis incommodant, atque insidiantur, at non sic in futura. *Qui redditurus est unicuique iuxta facta sua, iis quidem qui perseuerantes in bene agendo.* Postquam se terribilem ac grauem ostendit in ferenda iudicij ac futuri supplicij mentione, continuò supplicium ipsum ad id quòd auditores expectabant non coniecit, sed orationem ad suauius quiddam vertit, nempe bonorum operum retributionem, sic inquit, *Iis quidem qui perseuerantes in benefaciendo gloriam & honorem & incorruptionem querunt, vitam eternam.* Hoc loco eos qui animum perferendis tentationibus desponderint, erigit: ostenditque non oportere fiduciam omninò suam in ipsa fide sola habere. Nam illud prætorium & facta itè examinat. Vide porro vt, quum de futuris bonis loquitur, manifestè ac liquido bona ipsa, qualia sint, explicare nequeat, sed & gloria & honoris nominibus abutatur. Nam quandoquidem ea bona humanis omnibus bonis superiora sunt, non habet vnde rerum earum imaginè proferat: sed ea nobis, ab iis quæ apud nos splendida, & illustria esse videntur, vt cunq̄ue representat, à gloria, ab honore, à vita. Hæc enim ab hominibus maiorem in modum expetuntur. Illa autem non eiusmodi sunt, sed his eò etiam præstantiora, quòd & incorruptibilia & immortalia sunt. Vides vt & nobis corporum resurrectionis valuas adaperuit, incorruptionis verbo vsus. nã incorruptio de corpore eo, quòd corruptioni obnoxium est, dicitur: Postea quandoquidem ne hoc quidem factis erat, addidit, gloriam & honorem. Omnes enim incorrupti resurgemus: sed non omnes ad gloriam, verum hi quidem ad pœnam, illi verò ad gloriam. *Iis verò qui sunt contentiosi.* Rursus enim venia eos priuat, qui in vitiositate viuunt: ostenditque à conten-

Iudicium
diuinum
non fide
solum, sed
facta etiã
expendit.

37 tione atque ignauia in malitiam illos prolabi. *Et qui veritati quidem non obtemperant, sed parent iniustitie.* Ecce & aliam rursus inculpationem: quàmnam enim excusationem habeat, qui luce relicta tenebras sequi mauult? nec dixit illos à vi aliqua ac tyrannide cogi, sed iniustitie parere: vt intelligas voluntatis lapsum esse, nõ necessitatis crimè. *Afflictio & anxietas aduersus omnem animam hominis perpetratis malis.* Hoc est, vt diues, vt cõsul, vt imperator sis, neminem veretur iudicij ratio: nullus enim hic locus ipsis dignitatibus relictus est. Postquam igitur declarauit morbi enormitatem, causamque addidit, videlicet quòd morbus is ab agrotantium ignauia ortus sit, denique quod perditio illos exceptura est, tum autem vbi correctionis facilitatem ostendit, rursus Iudæum in ipso supplicio grauat. Nam qui maiorem assecutus est doctrinam, is legem transgrediens maiori supplicio dignus fuerit. Quapropter quò prudentiores fuerimus, aut potentiores, eò punimur magis quum delinquimus: etenim si diues es, plures ipse pecunias exigeris, quàm qui pauper est: si prudentior, maiorem obedientiam: si principatu ornatus, illustriora facinora: breuiter in omnibus aliis eadem ratione, pro virili, proque modulo conferes. *Gloria verò & honor, & pax omni operanti boni, Iudæo primum & gentili.* Quænam Iudæum hoc loco dicit? aut de quibus tandem gentilibus verba facit? nempe de iis qui ante Christi aduentum vixere: nondum enim ad gratia euaangelicæ tempora peruenit authoris sermo. sed adhuc immoratur in superioribus temporibus, Iudæi & gentilis differentiam è longinquo tollens, ac perimens, vt quum hoc idem in gratia temporibus fecerit, ne quid nouum atque inuidiosum enunciare videatur. Nam si priscis illis temporibus, quum nondum tanta effulgeret gratia, quum apud omnes Iudæorum conditio illustri, celebris, venerandaque esset, differentia tamè nulla extitisse censenda est: quam demum rationem afferre potuerunt, post tantam gratia exhibitionem? quam obrem huius rei argumentum accuratissimè ponit. Etenim auditor edoctus, id superioribus temporibus ita valuisse, melius multò fide iam recepta idem ipsum admittit: gentiles autem hic appellat, non eos qui idololatrae essent, sed eos qui Deum colerent, qui naturæ legi parentes, exceptis Iudæicis ceremoniis, ea omnia quæ ad pietatem conferrent, obseruarent, qualis erat Melchisedec cum suis omnibus, qualis erat Iob, quales erant Niniuita, qualis erat Cornelius. Iam hinc igitur circumcisionis ac præputij discrimen præfodit, atque è longinquo eiusmodi differentiam anteuertens destruit, vt postea quum de ea re ager, & hoc quidem facere sine suspitione, & alia quadam necessitate impulsus videatur: quòd quidem proprium semper est prudentia Apostolica institutum. Nam si id ita se habere gratia temporibus ostendisset, eius certè oratio magna suspitione non caruisset: quum verò enarraret vitiositatem ac malitiam orbem occupauisse, atque ab ea demum consequentia eò deuenisset, vt de rebus hisce verba faceret, id verò minimè suspectam eius doctrinam reddebat. Quòd autem hanc sibi voluntatem præsumpserit Paulus, ac propterea sic epistolæ locum hunc cõpofuerit, hinc liquet. Nam nisi in animum sibi induxisset, hoc quòd dico, asstruere, ac probare, satis superque erat illum dixisse, Iuxta duritiam tuam, & cor penitere nescium, colligis tibi iram. Quo dicto, ab hoc argumento abstinere poterat: absoluta enim erat oratio. Sed quoniam non hoc querebat ipse, nempe vt de iudicio futuro tantum loqueretur, ostendere enim præterea volebat, Iudæum nulla re gentilem eiusmodi, cuiusmodi diximus præcellere, vt ne videlicet Iudæus cristas tol-

Chrysoft. tom. 4.

leret, ad vltiora progreditur, ordinem seruans. Rem porro considera. Auditorem terruit, effecit vt illius aures extremi iudicij tinnitu personarent, dixit quantum malum sit vitam in malitia transigere, ostendit neminem ignoratione peccare, neminem impunè abiturum, sed vt pœnas nunc minimè det, daturum tamen omninò. Hinc autem vult deinceps asstruere, quòd legis doctrina non esset rerum admodum vrgentium: siquidem in ipsis operibus sita est pœna & honos, nõ in circuncisione & præputio. Postquam igitur dixit, quòd omninò punietur gentilis, hocque ipsum confessum ac minimè controuersum habuit: tum autem ab hoc argumentatus est, quòd & ille idem honorabitur, deinceps legem superuacaneam esse ostendit, ac circuncisionem: maximè enim hic cum Iudæis depugnat. Nam quoniam illi contentiosiores essent, primum quidem præ fastu, indignos se esse iudicantes, qui cum iis censebantur, qui à gentibus ortum ducerent: deinde quòd iriderent, nec iis fidem haberent, qui dicerent per fidem peccata omnia deleri: propterea prius gentiles accusauit, pro quibus verba facit, vt citra omnem suspitionem liberè Iudæos carpat: deinde ad supplicij examen quum deuenisset, ostendit Iudæum non solum ab ipsa lege nihil subleuari, sed & aggravari, & hoc à superioribus adstruit. Nã si gentilis ipse hoc nomine inexcusabilis est, quòd quum & ipsa creatura, & cogitationes illum inducerent, melior tamen inde non euasit: maiori certè ratione Iudæus inexcusabilis futurus est, qui quidè vnà cum his & legis item doctrinam accepit. Illum igitur iam persuasum, facile in aliorum peccatis admittendã esse hanc rationem, cogit deinceps vel nolentem, hoc ipsum in suis propriis factitare: atq; vt plausibilior fiat sermo, & in iis quæ leniora sunt ipsum prosequitur, ita loquens: *Gloria verò, & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primum & gentili.* Etenim hac in vita quæcunque bona habemus, ea non absque bello habemus, atque vt diues, vt princeps, vt rex fuerit quis, is si minis cū altero, certè secum ipse per sepe diffidet: nec paruum in animi sui cogitationibus bellum sentit: quum in futura vita eiusmodi nihil quicquam, sed omnia tranquilla, omnia à turbatione libera, omnia germana pace profuerint. Igitur vbi ex iis quæ supra dixit, id perfecit, vt ostenderet quòd qui etiam lege carent, ij eadem tamen assequuntur, adicit & rationem sic loquens. *Non enim est personarum respectus apud Deum.* Etenim quum dicit tam Iudæum, quàm gentilem peccati sui pœnas luere, tum illi id rationibus firmare non opus est: quum autem ostendere vult, ne gentili quidem honorem suum deesse, tum sanè id illum probare oportet. Siquidem mirum videbatur, atq; à communi hominum opinione abhorrens, si qui neque legem neque prophetas audierit, honorem tamen assequitur, vitam in bonis operibus transigens. Quapropter, quòd & superius dixi, illorum quidè aures in iis exercet temporibus, quæ gratiam euangelicã præcesserunt, vt minore negotio vnà cū ipsa fide, & in his quoq; assensionem introducat. Hic enim suspectus minimè est, vt qui id adstruit, quòd ad ipsum minimè spectat. Igitur quum dixisset, gloria, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primū ac gentili: addidit, non enim est personarum respectus apud Deum. Papæ, quanta cum exuberantia vicit: ostendit enim, oratione ad absurditatem adducta, non esse etiã in Deo, vt ne id ita sese habeat: etenim res ea personarum alioqui respectus fuerit. Deus autem talis minimè est: nec dixit, quòd si id nequaquam fiet, personarum respiciens est Deus: sed grauius, neque enim personarum respectus est apud Deum: hoc est, Deus non personarum qualitatem, sed rerum expendit differen-

B ij

tiam: quo dicto ostendit Iudæum à gentili non re, sed A persona discrepare. Quibus verbis cōsequatur ut adderet. Non enim quandoquidem hic Iudæus, ille autē gentilis, hoc certē nomine hic quidem honore, ille autem contumelia afficitur: sed ab ipsis rebus vtrunque efficitur. Verūm non sic dixit. Iudæi enim stomachum excitasset. sed tamē aliud quiddam, & quidem amplius ponit: inferius illorum spiritus deturbans, ac deiiciens, vt illud exciperent. Quidnam porrò illud est? nempe quod deinceps subsequitur. *Quicumque enim sine lege peccauerunt, sine lege & peribunt: & quicumque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.* Hic enim, vt antē diximus, non solum inter Iudæum ac gentilem æqualitatem indicat: sed & ipsum etiam Iudæum à lege data multum esse grauatum demonstrat. Gentilis enim sine lege iudicatur. Hic autem verbum hoc ἀνόμως, id est, sine lege, non seuerius iudicium, sed remissius denotat: hoc est, non habet ille legem accusantem. Ipsum enim ἀνόμως, hoc est sine illius damnatione, ab ipsis naturæ cogitationibus solum condemnatur. Iudæus autem in lege, hoc est, vnā cum ipsa natura & legem quoque acculantem habiturus est. quantò enim maiori cura à Deo dignatus est, tantò maiores pœnas dabit. Vides vt maiorem Iudæis necessitatem ad gratiam accurrendi indixerit. Quandoquidem enim dicebant se gratia non indigere, quòd à sola lege iustificarentur: ostendit illos magis quàm Græcos indigere: siquidem magis puniēdi sunt. Deinde rursus adicit & aliam rationem, quæ iam dixit adiuuans ac confirmans: *Non enim qui audiunt legem, iusti sunt apud Deum.* Rectē addidit apud Deum: etenim apud homines fortasse probi, ac graues, & magnoperè se iactitantes videri possint: apud Deum autē longè fecus. *Qui legem factis expriment, iusti habebuntur.* Vides quanta exuberantia vtitur, orationem suam in contrarium conuertens. Si enim propter legem, inquit, censens seruatum te iri, tum te præcedet gentilis, vt qui visus fuerit ea exequi quæ scripta sunt: dices, qui verò fieri potest, vt qui legem minimè audierit, eam factis exprimat? fieri quidem potest. Paulus ait, non hoc solum, sed & hoc ipso amplius multò neque enim solum absque auditione possis legem factis exprimere, sed & vnā cum auditione factis ipsis discedere. Id quod postea apertius ponit, ac maiore cum exuberantia. Qui doces alium, te ipsum non doces. Hic autem interim quod supra dixit probat. *Nam quum gentes, ait, quæ legem non habent, natura quæ legis sunt fecerint, eam legem non habentes sibi ipsis sunt lex.* Non excludo, inquit, legem, sed & hinc gentes iustifico. Vides vt suffodiens, ac clam subruens Iudaismi gloriam, nullam prorsus aduersum se ansam largiatur, quòd legem vilipendat. sed contra, vt ipse eam attollens, ac magnificam ostendens, totū argumentum probè adstruat. Per naturæ autem verbum, naturales intelligit cogitationes, ac ratiocinationes, ostenditque alios illis esse probiores: & quod maius est, hoc ipso probiores, quòd legem minimè acceperint, D neque id habeant, per quod videntur Iudæi ipsos præstare. Propterea enim, inquit, admiratione digni sunt, quòd nec lege illis opus fuit, & omnia quæ legis erant præstiterunt, suis ipsorum mentibus, opera non literas insculpentes, hoc enim ait: *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis simul attestante ipsorum conscientia & cogitationibus inter se accusantibus, aut etiam excusantibus, in eo die, quum iudicabit dominus occulta hominum iuxta euangelium meum per Iesum Christum.* Vides vt rursus representauerit diem illum, ac propius admouerit, illorum mentem concutiens? ostendens illos [solum] honore dignos, qui citra legem, quæ legis essent, factis exprimere curauerint: quod autem in prudentia Aposto-

lica in primis admirari possis, meritò hic dicendum à nobis est. Nam quum ab ipsa argumentatione ostēditset gentilem Iudæo esse probiorem: hic in ipsa collectione ac conclusionem rationum, illud idem non ponit, vt ne Iudæum exasperet. Vt autem apertius quod dixi, reddam, ipsa Apostolica verba referam: postea quàm enim dixit, Non enim qui audiunt legem, sed qui factis eam expriment, iusti sunt apud Deum: consequēs erat vt diceret, Nam quum gentes quæ legem non habent, natura quæ legis sunt fecerint, iis multò probiores sunt quos lex edocuit. Verūm non hoc ait, sed intra gentiliū laudationem consistit, nec orationem interim per comparationem prosequitur, vt vel sic Iudæus, dicta ipsa admittat: quapropter non sic dixit, vt dixi: qui verò? Quum enim gentes quæ legem non habent, naturā, quæ legis sunt fecerint, eam legem non habentes sibi ipsis lex sunt, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, simul attestante ipsorum conscientia. Sufficit enim loco legis conscientia, & cogitatio. Per hæc rursus ostēdit Deum sic hominem finxisse vt possit per se virtutem eligere ac vitium declinare: ac ne tibi mirum videatur, si semel, bis, ac sæpius hoc astruit: hoc enim caput valdè erat necessarium propter eos qui dicerent. Quam tandem ob rem nunc Christus aduenit? & vbiānam priscis illis tēporibus ipsa prouidentia erat? Aduersus quos nunc obiter depugnans, ostendit, quòd vel superioribus illis temporibus, antequàm etiam lex lata esset, hominū natura omnimodam prouidentiam affecuta fuerit. Etenim quod de Deo cognosci potest, illis manifestum erat: tum autem quid bonum, quid rursus malum esset per ea nouerant, per quæ alios iudicabant, id quod ipsis exprobrans, dixit. Hoc ipso quòd alterum iudicas, te ipsum condemnas. Iā quod ad Iudæos spectat, vnā cū his quæ dicta sunt, & lex quoque inerat nō cogitatio solum nec conscientia: quam obrem igitur apponit verba hæc, accusantibus aut excusantibus. Nā si legem habent scriptam & opus exhibent: quid tandē est, quod accusare habeat cogitatio? Verūm nō iam de illis solū ait, quum verbo hoc vtitur, accusantibus, sed de vniuersa natura. Tunc enim nostræ cogitationes erectæ sunt, aliæ quidem accusantes, aliæ autē excusantes, nec indiget homo accusatore alio, illo quidem in iudicio. Postea terrorē augens, hominū peccata nō expressit, posteaquàm enim dixit, Cogitas o homo, qui cos iudicas, qui talia faciūt, & facis eadē, quòd tu effugies iudiciū Dei, vt ne talē recipias sententiā qualē & ipse fers? sed intelligas Dei sententiā tua lōgè esse exactiorē: addidit occulta hominū: & adiecit secundū euangelium meum per Iesum Christum. Homines enim rerum manifestarum tantum iudices sedent. Atqui supra de patre tantum loquutus est: quum autem ipsos terrore molliuit, & de Christo item mentionem intulit: nec id tamē simpliciter, sed & hic quoque patris mentione facta, ita demum Christum introduxit: quin & euangelicæ prædicationis dignitatem per eos attollit. Hæc enim ait, prædicatione ea denunciat, quæ anteueritens natura demonstrat. Vides vt prudenter tum euangelio, tum Christo ipso admouens illigauerit, tum autem declarauerit, quòd nostra hominum facta intra humani iudicij cancellos non consistunt, sed vltius progrediuntur: quod & supra argumentatus est, quum dixit, Colligis tibi ipsi irā in die iræ: & hic rursus, Iudicabit Deus occulta hominum.

MORALE.

Vnusquisque igitur in suam ipse conscientiam descendens, peccatis suis diligenter expensis, exactam vitam antea actæ rationem sibi repositat: vt ne tum ipsi damnemur, quum orbis vniuersi iudicium fiet. Nam illud quidem

quidem iudicium terrificum, horrendum tribunal, timoris plenæ eiusdem quæstiones ac disquisitiones. Igneum flumen rapitur, frater non redimit, redimet homo? Eorum enim te meminisse velim, quæ in euangelio dicuntur, angelorum circuncursantium, cōclaus clausi, lampadum extinctarum, potestatum in fornaces trahentium: & præterea illud perpendito: Si nostrum cuiusquam occultum crimen aliquod hoc ipso die in medium delatum, huic modò cōcessui innotesceret: nōne fieret vt ille interire, ac terram sibi potius dehiscere, quàm tam multos peccati sui testes habere mallet? quid igitur tum nobis fiet miseris, quum omnia orbi vniuerso palam facta, in tam aperto, tamque illustri theatro denudata, hominum nobis partim cognitorum, partim incognitorum oculis subiiciuntur? Enimuerò prohi dolor, vndēnam ipse territare vos cogor? Nempe ab hominum opinione: quum id facere conuenientiū fuerit ab ipsis Dei tum terrore tum condemnatione.] Qui enim, obsecro te, tum futuri sumus, quum vincit frudentibus in exteriores tenebras dentibus abducemur? seu potius quid facturi sumus (quod ipsum omnium terribilissimum est) quum Deum offendemus, illique occuremus? Nam si quis est, qui sensu ac mente præditus sit, is certè gehennæ pœnam tolerare malit, quàm aduerso Deo stare, hoc verò quum nobis graue non sit, propterea igne ille nobis comminatus est æternum. Etenim oportebat tum demum nos dolore affici, non quum supplicio afficimur, sed quum delinquimus. Audi igitur Paulum ingemiscens, ac conquerentem vel pro peccatis iis, ob quæ tamen pœnas daturus nō erat. Non sum, inquit, idoneus qui apostoli nomine censear, hoc ipso, quòd Dei ecclesiam fuerim persecutus. Audi & ipsum David à supplicio quidem iam exemptum: posteaquàm tamen censeret Deum se offendisse, supplicium aduersum semet inuocantem, ac dicentem: *Domine veritatem, obsecro, manus tua in me, & in domum patris mei.* Nam Dei offensio nullo non supplicio grauior est. At nunc tam miserè animati, affectique sumus, vt nisi gehennæ timor esset, ne propositum quidē nobis sit, bono aliquo opere defungi. Quapropter si nullam aliam ob causam, certè ob hanc vnā gehenna digni sumus, quòd videlicet plus gehennam, quàm ipsum Christum timemus. At non sic beatus Paulus, quin potius obuerso, oppositòque modo. Nos autem ob id, quòd diuersum affectum gerimus, gehennæ supplicio damnamur, qui si Christum sic amaremus, vt amare certè oportet, iudicaremus vtique amati offensionem gehenna esse grauiorem, quandoquidem autē amore nullo capimur, certè supplicij huius magnitudo quanta sit nescimus. Atque hoc ipsum quidē est, quòd maximè omnium lamentor, ac deploro: quanquā quid tandem est, quod Deus non fecerit, vt à nobis ipse amaretur? quid autem non est commentus? quid autē omisit? illum iniuria affecimus, nihil sanè commeritum, sed acceptis ab illo infinitis, iisque arcanis beneficiis. Auersati sumus vocantem, & vnde quaque ille cōstantem, ac ne sic quidem de nobis ille pœnas sumpsit, sed adcurrit ipse, ac restitantes fugitantesque inhibuit, ipsi tamen ab illius manibus excussi, ad diabolium transfugimus: ac ne sic quidem destitit ille, sed & sexcentos rursus, qui nos hortarentur, misit prophetas, angelos, patriarchas. At nos legationem non solum non admisimus, sed & legatos nobiscum agentes, iniuria affecimus. Ille autem ne per hæc quidem nos respuit, sed quod facere ij solēt, qui vel vehementissimè quum amant, negliguntur tamē, circumiens ad omnes adiit, tum in cælo, tū in terra sese manifestans, congressusque nunc cū Hieremia, nunc cū Michea, non vt grauaret, sed vt de-

A fensione vteretur, vel super iis, quæ in ipsum à nobis commissæ fuerant: quin & vnā cum prophetis ad illos accessit, qui ipsum auersarentur, paratus etiam, ac postulans ad rationis reddendæ calculos descendere: tum autem ad omnia furdos ac colloquium secum trahens. Popule mi, inquit, quid feci tibi, aut quid te attristauit? responde mihi. Secundum hæc omnia, interfecimus prophetas, lapidauimusque, & præterea infinita mala cōmisimus. Quid igitur ille horum omnium loco? nō iam prophetas, non iam angelos, non iam patriarchas, sed suum ipsius legauit filium, & hic vbi accessit, de medio est sublatus. Ac ne sic quidem amorē extinxit, sed eò etiam magis incendit, quin etiam vel filio proprio interempto perseuerat exhortans, obsecrans, rogans, omnem denique lapidem mouens, vt ad se conuertatur. Præter hæc & Paulus quoque his verbis acclamat, Pro Christo igitur legatione fungimur, tanquam Deo per nos exhortate, obsecramus Christi nomine conciliate vos Deo. Sed tamen nihil horum nos illi conciliauit: ac ne sic quidem nos ille destituit, sed persistit, quæ gehennam minitans, quæ cælorum regnum promittens, vt vel hac demum ratione ad sese nos illectet: nos autem adhuc veluti stupidi facti nullum erga illum affectum exhibemus. Quid hac feritate deterius? nam si hæc ab homine aliquo in nos merita collata fuissent, nōne illi sæpissimè seruitutem addixissemus nostram? Deum autem sic nobiscum agentē auersamur. O Deus immortalis, miram nostram tum ignauiam, tum ingratitudinem! assidue quidem peccamus, nunquam non in peccatis viuimus, qui si quando vel tantillum boni officij præstiterimus ingratorum seruorū more, id certè accurata, ac veluti institoria cum supputatione examinamus, curiosè de ipsa remuneratione solliciti, ecquam mercedem res à nobis gesta habere debeat. Atqui maior tibi merces, si modò citra mercedis spem feceris. hæc enim dicitare, & curiosè indagare, mercenarij potius verba sunt, quàm grati serui: sunt enim omnia propter Christum agenda, non propter mercedem. ob hoc & gehennam comminatus est, & cælorum regnū promisit, vt à nobis ametur. Amemus igitur illum, vt amare quidem par est: hoc enim magna certè merces, hoc cælorum regnum, & voluptas, & delicia, & gloria, & honor, hoc lumen, hoc beatitudo infinita, quam ipsam nec oratio repræsentauerit, nec mens comprehendit. Sed nescio quo pacto in huiusmodi sermonem abductus sum, qui iubeam homines neque principatus, neque gloriæ præsentis contemptores, propter ipsum Christum regnum cælorum contemnere. quanquam magni illi ac generosi viri vel ad hunc charitatis modum peruenerunt. Audi igitur vt Petrus illius amore vstus ardeat, & animæ & vitæ & omnibus rebus illum anteponens: quem dum abnegasset, non ad supplicium luxit, sed quòd, quem amabat, cum abnegasse se videret, id quod nullo non supplicio amari illi erat. Et quidem hæc omnia spiritus gratia nondum accepta præ se tulit, assidue quidem instans, ac dicens: Quò vadis? & antea. Ad quem nos recipiemus? ac rursus, Sequar te quocumque profecturus fueris. Omnia enim ipse illis erat, ac neque cælum, neque cælorum regnū amato præferebant: tu enim mihi illa omnia, inquit. Enimuerò quid miraris, si Petrus ita esset erga Deum animatus? etenim audi quid propheta dicat, Quid enim mihi est in cælo? Et illud, A te quid volui in terra? ac si dixisset: nullius prorsus alterius rei, nec cælestis, nec terrestris, sed tuo vnus desiderio teneor, Hoc sanè amor est, hoc amicitia: hoc modo si amaerimus, nec præsentia bona, nec futura quicquam esse præ amore eò arrabimur, atque hinc cælestis regni

μαλλον id est, magis, habet editio Ve-

Mich. 6.

2. Cor. 5.

Ioan. 13. Ibid. 6. Nat. 8.

Ps. 72. Ibidem.

fructum decerpemus, copiosa atq; abundantia Dei charitate affluentes. Dices: At quo id esse queat pacto? Si cōsiderauerimus, quā sēpe in illum iniuriū sumus, vel post multa ab eo beneficētia, & quidem eo interim nihilo sēcius nos exhortante: si cōsiderauerimus quoties illum pratereamus, ipse autem nos nō negligat, sed adcurrat, attrahat, ad se alliciat. Nam si hęc & his similia reputauerimus, poterimus hunc, quem dico, amorem incendere. Si enim qui sic quidem amat, vilis quispiam, qui autem sic adamatur, rex esset: nōne ab amoris magnitudine erubesceret? erubesceret quidem admodum, nisi fallor. nunc verō vbi prorsus res ē contrariō se habet, estque eius, qui nos amat, tanta tamque excellens pulchritudo, gloria, opulētia: nostra autem tenuitas, vilitasque tam ingens: nōne infinitis supplicij digni sumus? vtpote qui sic tenues & abiecti, à tanto, tam magno, tamque admirabili, supra omnem quū adamemur modum, delicias tamen facientes, illius erga nos amoris sic illudamus? Ille quidem nullius rei nostrę indigens est, ac ne sic quidem amare nos desinit. Nos verō illius admodum egemus, ac ne sic quidem illius amoris adherescimus. Verū tum fortunę bona, tum hominū amicitias, tum corporis ocium, tum principatum, tum gloriam illi pręferimus, qui nobis tamen nihil quicquam antepōndum sibi putat? Vnum enim quum haberet filium vnigenitum, ac legitimum, ne huic quidem propter nos pepercit: nos autem quā multa sunt quę illi pręponimus? Nōne igitur meritō gehēnam nobis ac supplicium comminatur? quod supplicium si vel duplicatum, vel triplicatū, si vel dedecies millies grauius foret. essetne quamobrem meritō conqueri possemus, quum diabolica mādāta Christi legibus antepōnamus, quum vel salutem propriam proiciamus, vt malitię opera illi pręferamus, qui nihil non causa nostra perpeffus est? Quam tandem hęc veniam merētur? quā defensionē? nimirum nullam prorsus. Stemus igitur in futurū, ac ne per pręcipitiā feramur: quā potius respiciamus, omniāque hęc nobiscū reputantes, gloriā illi per ipsa opera reddamus. neque enim fatis est per ipsa verba. Vt & nos quoque glorię ab illo emanātis fructū capiamus, quā gloriā vtinā omnes assequi possumus, gratia domini & Dei, & seruatoris nostri Iesu Christi, per quem & cū quo gloria patri, vnā cum sancto spiritu, nūc & semper in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA SEXTA.



Ecce tu Iudæus cognominaris, & acquiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem, ac probas eximia institutus ex lege. Quum ostēdisset, gentili ad salutem nihil deesse, si legem factis expresserit, illa admirabili contentione adhibita, ponit deinceps Iudæorum honestamenta, ob quę aduersus gentiles efferebantur. ac primum quidē ipsorum nomen admodū venerabile erat, quemadmodum nunc Christianismus. Etenim ab ipsa appellatione magna erat etiam tum differētia: vnde & hinc auspiciatur. Ac vide, vt ipsum hoc nomen eleuat ac deiicit, neque enim dixit, Tu Iudæus es: sed, cognominaris, & gloriaris in Deo: hoc est tanquā ab eo adamatus, atque ante alios homines honori habitus. Hic autē mihi tacite videtur illorum insolentiam & insanū glorię amorem vellicare, quod hoc dono non vt salutis sue prospicerent, sed vt in alios insurgerent eosque despicere, abuterentur. Et nosti voluntatem, & probas eximia. Atqui & hoc sine opere, inferioris est meriti, sed tamen videbatur esse superioris. Quapropter & exactē verbo vtitur: non enim dixit, facis: sed, nosti: & probas: non, exqueris, aut agis. *Confiditque teipsum ducem esse cæcorū.*

Neque hic item dixit: Tu dux es cæcorum: sed cōfidis: vsque ad eō, ait, gloriaris inturgescisque. Magna enim erat Iudæorū insolētia, ac fastus. ob quod illa ipsa propemodū verba enunciat, quę illi iactitantes se se, vsurpabant. Vide igitur in ipsis euangeliis quid dicant: Totus in peccatis genitus es, & tu nos doces? atque aduersum omnes magnoperē elati, cristas tollebant. Id quod Paulus arguens præcidit, aliās quidē eos attollens, aliās autem eleuans, vt hac demum ratione magis ipsos perstringat, grauiorēque efficiat criminationē. Propterea progreditur augens id ipsum, ac diuersā appellatione enunciationēque multiplicans: *Confido enim te ipsum ducem esse cæcorum, lumen in tenebris versantium, eruditorem insipientium, doctorem imperitorum, habentem formam cognitionis, ac veritatis in lege.* Neque item dixit, in conscientia, & in operibus, & in meritis: sed in lege. Porro quod de gentilibus quum ageret, dixit, id & hic quoque ait, nam quemadmodum inibi dixit: Hoc ipso quod iudicas alterum, temet condemnas, sic & hic ait: *Qui igitur alium doces, teipsum non doces?* Verū illic quidem rigidius, hic autem mollius loquitur, neque enim dixit: atqui hoc nomine grauiori dignus es supplicio, quod quum tibi tot ac tanta à Deo sint concedita, tamē horum nihil quicquam in decentem vsū vertis, sed per interrogationem orationem promouet, illos pudore suffundens, ac dicens: *Qui igitur alium doces, teipsum non doces?* Mihi autem & aliunde Pauli prudentiā cōsidera. Iudæorum enim prærogatiuas præstantiāsque eas enumerat, non quas illi suo studio parassent, sed quę superno illis dono obuēnissent, ostenditque eas nō solum superuacaneas iis esse, qui neglexerint, sed & supplicij additamentum afferre. Neque enim quod Iudæi vocarentur, ipsorū erat benefactum, neque quod legē accepissent, neque quod cætera ea haberēt, quę modō enumerauit, sed à superna gratia ea obuenerāt. Ac principio quidē dixit, legis auditionem nihil quicquam iuuare, nisi opus adfuerit: nō enim qui audiunt legem, ait, iusti sunt apud Deū, sed qui legē factis exprimunt. Nūc autem multō amplius ostendit, quod videlicet non solum auditio, sed quod auditione maius erat, doctrina, ne ipsa quidem docentem tueri poterit, non ea agentē quę docet: quę certē doctrina non modō nō tucbitur, sed & plenius puniet. Rectē autem dictionibus vsus est, neque enim dixit, legem accepisti: sed, in lege acquiescis, neque enim laborauit Iudæus hac illac circumiens & conquirens quę agenda essent, sed nullo negotio legem adeptus est, quę viam ostenderet ad virtutem ferentem. Nam vt gentes ipsę habeant naturę rationem, vnde ipsos superant Iudæos, quum citra auditionem omnia faciant, tamen ibi maior erat facilitas, qui si ais, te non audire solum, sed & docere, certē vel hoc supplicij corollarium est: nam quod hac re magnoperē sibi placerent, hinc maximē illos ridiculos esse ostendit. Cum autem dicit, doctorem cæcorum, eruditorem insipientium, doctorem imperitorum, illorum fastum exprimit, magnoperē enim profelytis abutebantur, ipsosque hisce nominibus vocabant. Propterea & Paulus eximie abundat iis omnibus, quę illorum enormia esse viderentur, vt qui intelligeret dicta hęc maioris accusationis argumentum esse. *Habentem formam cognitionis, ac veritatis in lege.* Haud aliter quā si quis regiam apud se effigiem quum habeat, nihil tamen ad illius exemplar effigiare conetur. ¶ qui verō illi non confidant,] vel sine ipso archetypo eam tamen exactē expriment. Proinde quum ea dixisset, in quibus potiores aliis essent quę ipsi à Deo accepissent, ea item dicit, in quibus ceteris essent inferiores, ea in medium afferens, quę prophetę inaccessabant.

alij verō quibus effigies illa non fuerit cōcredia.

Qui igitur doces alium, te ipsum non doces? qui predicas non furandum, furaris? qui dicit non adulterandum, adulterium committis? qui execraris simulacra, sacrilegium admittis? Etenim apud eos in primis interdictum erat, ne quis eas contingeret res, quę idolorum cultui dicatę essent: idque propter execrationem pecunię tyrannis, ait, vobis persuasit, legem hanc conculcare. Postea, quod grauius multō, attexit dicens: *Qui de lege gloriaris, per legis transgressionem Deum debonestas?* Duo hic posuit crimina atque ad eō tria, quod videlicet dehonestant, tum quod iis rebus dehonestant, quibus honestati ipsi fuere, tum quod eū ipsum dehonestant, qui honestauit, quę summa illorum erat improbitas atque ingratitude. Qui ne ex se ipse increpare illos videatur, prophetam citat illorum accusatorem ¶ aliquoties] paucis, ac compendiosē, & tanquam summam: post autē per partes, ac nunc ostendit in eos coniectas redargutiones. Nam quod nō ego, inquit, vos conuiciis incessens hęc proferam, audi quid dicat Elaias. *Nomen Dei propter vos malē audit inter gentes.* Ecce & duplicem rursus accusationem aliam, neque enim ipsi solum, ait, contumeliosi sunt, sed & alios ad id præparant. Quis igitur doctrinę vsus, quum vosmetipsos non doceatis? Verū superius quidem hoc solum dixit, hic autem in contrarium detorsit, neque enim solum vos ipsos, sed ne alios quidem docetis, quę agenda sint: & quod longē grauius est, non solum non docetis ea quę legis sunt, sed iis pugnantia docetis: nēpe conuiciis Deum afficere: quod quidem legi aduersatur. At magnum quiddam est, inquis, circuncisio. Fateor & ipse, sed tum, quum intus circuncisionē habuerit. Considera porro prudentiam, quā oportuno loco de ea mentionem intulerit: neque enim statim ab ea exorsus est, quoniam magna de ea opinio vigeat. Sed vbi ostendit illos à maiori re offendisse, authorēsque esse coniecti in Deum cōuicij, tum demum auditorem nactus illos iam condemnantem, eisdēque præfidentiam vbi ademit, in medium affert de circuncisione sermonem, confidens neminem fore, qui illi suffragetur, atque ait: *Nam circuncisio quidem prodest, si legem seruaueris.* Atqui licebat aliter ipsam excludere, ac dicere: quid enim est circuncisio? num illius est meritum qui eam habuerit: num rectę voluntatis demonstratio? etenim in ætate ¶ exoleta] sit. Et qui in cremo vixerunt, multos annos incircuncisi manserunt, & aliunde multis argumentis videre possis, illam non admodum necessariam esse, sed tamen non hinc ipsam excludit, sed vnde maximē oportebat, ab ipso Abraham. Nam ea demū est victorię excellentia, perficere vt ostendas, hinc illam despiciabilem esse, vnde ipsi venerabilis erat. quanquā dicere poterat, quod & prophetę incircuncisi Iudæos appellat. Verū non id est circuncisionem eleuare, sed eos potius, qui ea malē vtuntur. Pauli porro scopus is est, vt ostendat, ne in optima quidem vita illam robur habere, quod deinceps adstruit. Et hic quidem patriarcham non adducit: sed prius alia ex parte ipsam deiiciens, postea illum obseruat, quum videlicet de fide verba facit, ita loquens: Quomodo igitur imputata est fides Abraham, quum esset in circuncisione, an quum esset in præputio? Donec enim hęc aduersus gentilem & præputiatum declarat, nihil horum enunciare vult, vt ne nimis molestus sit. At quum ea aduersus fidem depugnat, tum demum aduersus illam accingitur. Adhuc quidem aduersus præputium pugna existit: quapropter remissē loquitur, & ait: *Circuncisio quidem prodest, si legem seruaueris. quod si transgressor legis fueris, circuncisio tua in præputium versa est.* Duas enim hic ait circuncisiones, ac duo item præputia, quemadmodum &

iam quidem. quando. Eia. 52.

id est immatura.

Infr. 4.

Chrysol. tom. 4.

leges duas. Est enim lex naturalis, & est lex scripta, sed & harum media, quę per opera fit. Ac vide vt tres has leges ostendat, & in medium adducat. *Quum enim gentes, quę legem non habent, inquit, quānam obsecro legē? nempe scriptam. Natura quę legis sunt, fecerunt.* Cuiusnam? eius quę operibus constat. *Hi legem non habentes.* Quānam? scriptam. *Sibi ipsi lex sunt.* Quo pacto? naturali vsu. *Qui ostendunt opus legis.* Cuius? illius quę ab operibus est. Lex enim ea quę litteris constat, exterior est, hęc autem interior, videlicet naturalis, quę autem operibus constat, medium tenet, & illam quidem litterę dicit, alteram autem natura, tertiam ipsū opus. Quā sanē tertia opus nobis est, per quam ipsam duę illę, tum quę à natura, tum quę à littera, quę quidem nisi adfuerit, illarum nullus vsus, sed nocumentum maximum. Quod ipsum ostendit Paulus, quum de naturali quidem agit, sic dicens: Hoc ipso quod iudicas alterum, teipsum cōdemnas. Quum autem de scripta, qui prædicat non furandum, furaris? Sic & præputia duo, alterum quidē à natura, alterū autem à voluntate, & circūcisio vna quidem in carne, altera à voluntate. Verbi gratia: Circūcisio est quis octauo quo natus est die, hęc carnalis circūcisio expressit quis, factis quę legis sunt omnia, hęc voluntatis circūcisio, quā maximē Paulus quærīt, immo verō & ipsa lex. Vide igitur, vt verbo eam cōcedens, re sustulerit. Non enim dixit, superuacanea res est circūcisio, stulta, inutilis: sed quid? Circūcisio quidē prodest, si legem seruaueris. Admisit interim ipsam dicens, fateor, nec contradico, quod bona quidem circūcisio: sed quando? quum & legem custodieris: qui si legis transgressor fueris, circūcisio tua præputium facta est. Non dixit, amplius non prodest, vt ne eam contumelia afficere videatur: sed Iudæum ea vbi denudauit, tum demum illum perstringit, quod non iam circūcisionis est contumelia, sed eius qui ipsam ignauia sua amiserit. Quod igitur facere solent iudices ij, qui quos in dignitate constitutos, grauioris alicuius criminis conuictos habent, eos prius honoris sui ornamentis spoliāt, quā supplicio multatos abdicāt: hoc ipsum & hic quoque Paulus fecit. Quum enim dixit, qui si legis transgressor fueris, adiecit, circūcisio tua præputiū facta est, atque incircuncisum vbi ostendit, eum iam intrepidē condemnat. *Quum igitur præputium iustificaciones legis seruauerit, nōne præputium illius ¶ pro circūcisione imputabitur?* Vide quid facit, non dicit circūcisionem à præputio vinci (hoc enim graue, inuidiosumque valde auditoribus illis futurum erat) sed quod ¶ circūcisio præputiū facta est. Ac quærīt deinceps, quid sit circūcisio, quid item præputium: aitque circūcisionē, bonum quoddam esse opus, præputium autem malum opus: ac prius in circūcisionem transmutans præputiatum bonis operibus præditum, & circūcisum corruptē viuētē in præputium intrudēs, ita demum præputiato victoriam tribuit. Nec dicit præputiato, sed ad ipsam rem transit, sic inquit: *Nōne præputium illius ¶ pro circūcisione imputabitur?* Nec dixit, conuertetur: sed, imputabitur: quod quidem significantius erat, quē admodū nec superius dixit, circūcisio tua præputium reputabitur: sed, facta est. *Et iudicabit quod est ex natura præputium.* Vides, vt duo præputia statuāt, alterum quidem à natura, alterum autem à voluntate? Hoc quidem loco de naturę præputio loquitur, sed tamen intra hoc non consistit, sed addit: *Si legem seruauerit, te qui per litteram & circūcisionem transgressor es legis.* Vide subtilissimam eius prudentiam. Non dixit, quod naturę præputium circūcisionem iudicabit. Verū vbi victoria quidem sita erat, huc præputium introducit. Vbi autem rem cōtrā cessuram videt, hic non iam circūcisionem victā esse ostendit.

Hic sup.

in circūcisionem conuertetur.

præputiū circūcisio factum est.

Germanicus codex hic multū discrepat ab editōne Veronenis: quę sic habet, in circūcisionem vertetur. Nec dixit imputabitur, sed, vertetur.

Intra 4.

dit, sed Iudæum, qui illam ipsam habet, veritus per ipsa verba auditorem percellere, nec dixit, te qui habes legem, ac circumcissionem: sed manifestius, te, qui per litteram, & circumcissionem transgressor es legis. hoc est, & circumcissionem tutatur huiusmodi præputium. Læsa est enim, & legi opem affert, incommodum enim passa est. vnde illustre statuit trophæum. Nam victoria tum demum insignis est, quum non à Iudæo Iudæus, sed à præputiato iudicatur. Quemadmodum quum ait: Viri Niniuitæ exurgent, ac generationem hanc condemnabunt. Igitur non ipsam legem reprobatur (illam enim magno opere veneratur) sed eum qui in legem iniurius est. Deinde quum hæc liquidò adstruxit, magna tum fiducia definit, quidnam sit Iudæus: ostenditque quòd nec eum qui Iudæus sit, nec ipsam circumcissionem, sed eum, qui minimè Iudæus, ac minimè circumciscus sit excludit. Ac videtur quidem illam defendit, subuertit autem illius opinionem & existimationem ab ipso rei uentum suffragia reportans. Ostendit enim non solum nullum esse discrimen inter Iudæum & præputiatum, sed & præputiatum superiorem esse, si modò sibi attende- rit, eundemque verè Iudæum esse, ob quod ait: *Non enim qui in manifesto Iudæus sit, ille Iudæus est.* Hoc loco ipsos ferit, ut qui ad ostentationem nihil non factitent. Sed qui in occulto Iudæus fuerit, is Iudæus est. & circumciscio cordis, circumciscio est, quæ spiritu constat, non littera. Hoc dicto exclusit corporalia omnia. Etenim circumciscio propalam fiebat, & sabbata, & sacrificia, & purgationes, quæ omnia vnicò verbo subindicauit, quum videlicet dixit: Neque enim qui in manifesto Iudæus fuerit, is Iudæus est. Verum quandoquidem circumciscio in ore hominum multa erat, vbi & sabbatum item illi cedebat, meritò plura alia ad ipsam extenduntur. Per verbum autem spiritus, viam sternit ecclesiæ politiæ, ipsamque fidem introducit. Etenim illa corde ac spiritu quum constat, laudem à Deo obtinet. proinde quid causæ est, cur non ostenderit, quòd gentilis vitam rectè instituens, Iudæo, & eo vitam rectè agente, non sit inferior, sed quòd gentilis rectè viuens Iudæo legem transgrediente potior sit: ut indubitata reddat victoriam. Hoc enim confessio, sit necessariò, ut circumciscio à carne excludatur, atque ostendit vitæ integræ vsum necessarium vbique esse. quum enim gentilis citra ea adminicula saluus efficitur, Iudæus autem vnà cum his supplicio afficitur, ipse Iudaismus ignauus atq; iners manet. Gentilem autem rursus appellat, non eum qui idola colat, sed qui Deum reueratur, ac qui virtute præditus à legalibus obseruationibus ac ceremoniis liber sit. *Quid igitur habet in quo præcellat Iudæus?* Posteaquam omnia explofit, auditionem, doctrinam, Iudæi titulum, circumcissionem, cetera omnia, per id videlicet quod dixit, Quòd qui in manifesto Iudæus sit, Iudæus non est, sed qui in occulto. Videt deinceps obiectionem existere, aduersus quam se firmat. Quam porrò obiectionem ea est? dicet aliquis. Si quæ dixit, ea nihil iuuant: quam obrem, quæso, vocata est Iudæorum gens: quam obrem circumciscio data? Quo igitur pacto scite Paulus explicans, ipsam obiectionem soluit: per ea sanè, per quæ & superius. Nam quemadmodum illic, non illorum laudes commemorauit, sed Dei beneficia, non illorum merita (Iudæum enim vocari, voluntatem Dei nosse, probare eximia, haudquaquam ab illorum rectefactis, sed à Dei gratia obuenerat) Id quod & illis exprobrans propheta dixit, Non sic fecit omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. & Moses rursus: Interrogate, si tale quidpiam accidit, si audiuit gens vocem Dei viuientis è medio ignis, ac vixit. Sic & hoc ipsum hoc loco facit. Quemadmodum enim quòd de circumciscione loqueretur, non

Mat. 12.
& Luc. 12.
d.

CAP. III.

Psal. 147.
b.
Deut. 5.

dixit quòd circumciscio sine vita nihil proffit, sed quòd proffit vnà cum vita, idem certè significans, sed tamen blandius loquens. Ac rursus vbi dixit, Sin verò transgressor legis fueris: non addidit, nihil proficis tu qui circumciscus es: sed, circumciscio tua præputium facta est. Ac postea, iudicabit, inquit, præputium, non circumcissionem, sed te qui transgressor es legis, legalibus quidè parcens, homines autem perstringens. Sic & hic item facit. Obiiciens enim illi hoc, ac dicens: *Quid igitur habet in quo præcellat Iudæus?* non respondit nihil illum habere, sed sermone ipso assensus est, ac per ea quæ sequuntur, rursus ipsum hoc sustulit, ostenditque vel ob ciuicemodi præstantiam illos supplicio affici. Et quo pacto ego dico, ipsa obiectione in mediū adducta. *Quid enim est, in quo præcellat Iudæus, inquit, aut quæ utilitas circumciscionis? Multum per omnem modum. nam primum quidem illud, quòd illis commissum sunt oracula Dei.* Vides quòd prius dixi, ut nusquam illorum rectè facta, sed Dei beneficentias connumeret. Quid autem id verbi sibi uult, commissum sunt? nempe quòd ipsis concredita lex est, quòd tanti illos fecerit Deus, ut illis oracula è supernis delata crediderit. Nec me certè præterit, quòd quidam esse qui verbum id, commissum sunt, non de Iudæis, sed de sanctis interpretentur: hoc est, quòd commissum lex est. Verum quòd sequitur: non patitur ut ita sentias. Primum enim hæc dicit, illos increpans, ostendensque eosdem magna à Deo beneficia accepisse, sed magnam tamen præ se ingratitudinem tulisse: deinde quæ sequuntur, hoc ipsum declarant: adiecit enim, *Quid enim si quidam fuerint increduli?* Sin autem increduli fuerint, quo pacto nonnulli dicunt, quòd illis credita sunt oracula? quid igitur ait, Quòd Deus ipsis ea credidit, non quòd ipsi oraculis crediderunt, quandoquidem quamnam rationem habeat quòd sequitur? Etenim addidit, *Quid si quidam fuerint increduli?* hoc etià declarat id quòd sequitur. Adiecit enim rursus dicens: *Num incredulitas illorum fidem Dei faciet irritam?* absit. Hoc igitur quòd credita illis sint oracula, ipsius Dei donum prædicat. Mihi porrò & hic quoque Pauli prudentiam considera. Accusationem enim eam, quam in illos detorquet, rursus non ipse à se introducit, sed veluti ex obiectione, tanquam si dixisset: Sed fortasse dicturus es: & quamnam circumciscionis huius utilitas? neque enim vbi ea sunt, ut conueniebat. Illis enim credita lex est, & tamen illi non credidère. Atque interim accusator non est admodum vehemens, sed tanquam Deum criminationibus liberans, sic totam accusationem in illos tandè detorquet. Quid enim, inquit, vitio vertis, quòd non crediderint? & quid ipsum hoc ad Deum? num illius beneficentiam subuertit illorum ingratitudo, de quibus bene ille est meritis? aut honorem concessum mutat, efficitque quòd minus ille honos sit? hoc enim verba hæc sonant: *Num illorum incredulitas fidem Dei irritam faciet?* absit. Tanquam si quis dixerit: Ego quendam honestaui, ille autem si honorem à me ad se delatum recusauit, hoc nomine inculpandus non sum, neque ea sanè honoris deprecatio benignitatem erga illum meam labefactat, sed illius stupiditatem arguit: Paulus autem non hoc solum ait, sed & multò etiam amplius, quòd videlicet illorum incredulitas Deo non solum crimen non inurit, sed maiorem etiam illius honorem, maiorem benignitatem declarat, quum eum honestare visus fuerit, qui ipsum tamen deonestaturus sit. Vides quo pacto illos criminum eorum reos facit, quibus sibi ipsi placeant? Siquidem Deus tanto illos honore dignatus est, ut ne prouidens quidem quòd futurum erat, à beneuolentia erga illos abstinerit, quum illi tamen honestantem ipsos Deum, vel per eamet ipsa per quæ honestati sunt, contumelia

Suppl. d.

fortè iuste
legendum

Infr. 5. d.

49 tumelia affecerint. Deinde vbi dixit, *Quid enim si quidam fuerint increduli?* apparet autem omnes fuisse incredulos. Ut ne rursus iuxta historiam loquens videatur acer esse accusator tanquam hostis, loco rationis ac syllogismi id quòd verè factum fuit ponit ita dicens: *Imò sit Deus verax, omnis autem homo mendax.* Quod autè ait, hoc est: Non dico, inquit, fuisse quosdam, qui non crediderint: sed si ita placet, fac omnes fuisse incredulos: quòd verè factum est, per assensionem concedens: ut minimè tum molestus, tum suspectus esse videatur. Etenim sic magis iustificatur, inquit, Deus. *Quid porrò est, iustificatur?* Si æstimanda ea sint, atque examinanda, tum quæ Iudæis vltro beneficia contulit Deus, tum quæ Iudæorum in Deum facta extiterè, ipsa certè victoria à Deo stabit, ut qui iura omnia secum habeat. Atque id manifestè declarans ex iis quæ supra dixit, tū & prophetam in medium attulit his suffragantem, ac dicentem: *Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas quum iudicaris.* Ipse enim omnia ex se fecit. Illi autem ne sic quidem meliores euasere. Deinde ex hoc rursus obiectionem exurgentem in mediū adducit, & ait: *Quòd si iniustitia nostra Dei iustitiam commendat, quid dicemus? Num iniustus Deus qui inducat iram? Humano more loquor.* Absit. Absurditatem absurditate soluit. Hoc autè quoniam obscurum, necesse est ipsum apertius reddere. Hoc porrò est quòd ait: Iudæos Deus ornauit, ipsum illi contumelia affecerunt. Ea res præstat, ut Deus vincat, magnamque illius benignitatem arguit, quòd vel tales quum essent, honoribus dignatus sit. Igitur quandoquidem quòd nos in illum iniqui, ac contumeliosi extiterimus, hoc ipso Deus victoriam reportauit, illiusque iustitia illustris reddita est: quorsum, inquires, supplicio afficio, qui ipse author extiti, cur ille vicerit, per ea etià per quæ iniurius fui? Hoc igitur quo modo soluit? nempe alia quadam, quòd dixi, absurditate: hæc si tu, inquit, author extitisti victoriae illius, & post hæc cœnas pendis, res ipsa iniusta quidem, sin autem iniuste tū plecteris, non iam illi author victoriae extitisti. Ac vide circumspeditionem apostolicam, quum enim dixisset, Num iniustus Deus, qui inducat iram? adiecit: Humano more loquor: tanquam si quis, ait, humana ratione rem perpendens, loquatur. Dei enim iustitia vel ea quæ hic apud nos iusta esse videntur, longè exuperat, habetque arcana qualdā, & eas à nostris diuersas rationes. Quàdoquidem autem obscurum erat quòd dixerat, id ipsum rursus repetit: *Si enim veritas Dei per meum mendacium excelluit, in gloriam ipsius: quid post hæc & ego veluti peccator iudicor?* Si enim Deus, inquit, benignus, iustus, ac bonus visus est ob ea ipsa, in quibus minimè illi obtemperasti, non solum non debes plecti, sed & beneficium reportare. quòd si hoc, inuenietur absurdum illud & quòd à multis circumfertur, quòd videlicet ex malis bona, & quòd mala bonorum causa existant. Ex duobus autem alterum necessariò subsequitur, aut Deum dum plectit, iniustum existere: aut dum non punit, à malis peccatisque nostris victoriam reportare, quæ vtraque supra modò absurda. Id quòd declarans & ipse, huiusmodi dogmatum parentes gentiles in medium adduxit, satis esse arbitratus, ad ea quæ dicta sunt inculpanda, personarum ea proferentium qualitatem. ita enim nos illi taxantes dicebant, Faciamus mala, ut bona veniant. Propterea hoc ipsum apertè posuit, sic inquires: *Ac non potius (quæ admodum de nobis malè loquuntur, & sicut quidem aiunt nos dicere) faciamus mala, ut veniant bona, quorum damnatio iusta est.* Quandoquidem enim dixerat Paulus, Vbi abundauit peccatū, superabundauit gratia: taxantes ipsum, ac longè diuersa sententia dictum detorquentes, dicebant, oportet vitio adhærescere, ut bonis fruamur. Paulus verò non sic dixerat. Corrigens igitur illud ait, quid igitur in peccato perseuerabimus, ut gratia abundet? Absit. locuti enim sumus de tempore elapso, non ut hoc ad meditationem, exercitationemque trahamus. Ab hac igitur suspitione illos abducens, dixit, illud ipsum impossibile esse. Qui enim, inquit, peccato mortui sumus, quomodo adhuc in eo viuemus? Proinde gentiles facile strauit. Illorum enim vita admodum corrupta vitiatæque erat: Iudæorum autem vita tametsi & ea neglecta esse videretur, tamen illorum velamenta magna erant, lex, & circumciscio, tum autem & quòd Deus cum illis versaretur, & quòd omnium essent doctores: quam ob rem & hisce illos denudauit, & eos magis ob ea plecti demonstraui. in quòd & hic orationem ipsam conclusit. Si enim minimè puniuntur, inquit, qui talia committunt, necesse est blasphemum illud prouerbiū circumferri: Faciamus mala ut veniant bona. Sin verò impium illud est, & qui illud proferunt, pœnas dabunt, hoc enim significauit quum dixit, Quorum damnatio iusta est: liquet planè quòd plectuntur. Si enim supplicio quidem digni sunt qui id dicunt, multò magis qui faciunt: qui si supplicio digni, digni quidem, tanquam qui peccauerint, neque enim homo est qui supplicium infert, ut ne quis calculum suspectum habeat, sed ipse Deus: qui quidem nihil non iuste facit, quòd si iuste plectuntur, iniuste ea dixerunt, qui nos cauillantur. Nam Deus nihil non tum fecit, tum facit, quòd nostra hominum vita eluceat, & vndique recta existat.

MORALE.

Itaque omnem operam nauare ipsi debemus, ut ne socordia torpescamus. Hac enim demum ratione & ipsos quoque gentiles ab errore submouere poterimus. At verò quoties verbis tantum philosophi, ipsis in operibus decorum minimè seruauerimus: quibus tandem oculis illos contuebitur? quo denique ore de dogmatibus disputabimus? Nam qui apud illos rebus in leuioribus deliquerit, ad vnumquemque nostrum dicit, Heus tu, quo tandem modo censes me à te super grauioribus edocendum, qui nondum didiceris, auaritiam, malum esse? qui sit quæso, ut talis quum sis, de cœlestibus rebus tractandum, ac disputandum tibi sumas? At auaritiam, malum esse nosti? Igitur & ipsum crimen grauius quidem est, quòd sciens delinquis. Et quid de gentili verba facio? neque enim leges eæ, quibus vtimur, nobis permittunt, hanc in dicendo libertatem vsurpare, quoties vita nostra vitiatæ, ac minimè sincera fuerit. Scriptum est enim, Peccatori dixit Deus, ut quid iusticias meas enarras? Iudæi olim captiui abducti quum fuissent, Persis instantibus, postulantiibusque ut sibi diuinis illos cantus canerent, responderunt: *Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena? quòd si in terra barbara domini oracula canere fas non erat, quantò minus id animæ barbaræ? Barbara est enim anima, quæ crudelis, immittitque est.* Nam si eos qui captiui sunt, quisque extera in regione peccati agunt, lex silere iubet: quantò magis eos, qui & peccati serui sunt, & exteram vitam viuunt, obserato, mutòque ore esse conuenit? Atqui & organa habuere tum illi. In salicibus enim, in medio ipsorum suspendimus organa nostra. Veruntamen ne sic quidem canere illis licebat, igitur ne nobis quidem (etiam si os habeamus, etià si linguam, quæ ipsa sunt sermonis organa) in dicendo libertatem vsurpare fas erit, donec peccato barbaris omnibus crudeliori tyranno seruiamus. Etenim quidnam, obsecro, gentili dicturus es, rapacitati interim atque auaritiæ operam dans? Ab idolorum cultu recedito? Deum agnoscito? ne argento, ne auro adhærescas? Hæc

Ibid. 6. a

Infr. 6. a

Psal. 49. c

Ibi. 13. a

Ibidem.

si
 si dixeris, nonne ex illo ridente audies? Tibi ipse hæc prius disputato. Neque enim perinde est gentilem aliquem idolorum cultui addictum, & Christianum hominem eidem peccato obnoxium esse. Qui enim valebimus alios ab ea idololatria submouere, quum nos ipsi ab ea non recedamus? Nos enim nobis ipsis propinquiores, quam proximo sumus. Quum igitur nobis ipsi non persuademus, aliis qui persuadebimus? Nam si qui suam domum minus rectè administrat, is ne ecclesie quidem curam habiturus est: qui fiet, ut qui ne suam quidem ipsius animam tuctur, alios corrigere possit? Mihi porrò ne hoc dixeris, te aureum idolum non adorare: quin potius illud mihi probato, te ea non facere, quæ ipsum aurum facienda iubet. Varij enim sunt idololatriæ modi. & hic quidem Mammonam sibi dominum, alius autem ventrem sibi Deum facit, alius aliam concupiscentiam perniciosiorem. At non ipsis sacrificas boues, quemadmodum gentiles? sed quod multò pestilentius est, tuam ipsius animam pro victima offers. At genua non flectis, nec adoras? sed magis audiens dicitur es si quid præceperint & venter, & aurum, & concupiscentiæ id genus alterius tyrannis: quando & gentiles hoc nomine execrabiles sunt, quòd hominum affectus, deos effecerunt: concupiscentiã, Venerem: iram, Martem: ebrietatem, Bacchum appellantes. At nò idola sculpis illorum exemplo? verum maiore cum animi studio te ipse iisdem illis animi morbis submittis: quæ Christi membra sunt, ea meretricis membra efficiens, cæterisque sceleribus te coinquinans. Ob quod obsecro absurditatis huius magnitudine pensata, idolorum cultum ut deitemus (sic enim Paulus auaritiã appellat, nec pecuniarum tantum cupiditatem immoderatam, sed & appetentiã omnem malam, tum in vestitum, tum in mensæ apparatus, denique rebus in cæteris) si quidem grauiore certè, quam reliqui pœnas luituri sumus, nisi domini legibus obtèperauerimus. Scriptum est enim: Seruus voluntatem domini intelligens, neque illi parens, verberibus multis vapulabit. Ut igitur pœnam hanc effugiamus, ac tum aliis, tum nobis ipsis vsui simus, vitio omni ab anima expulso, virtutem sequendã nobis proponamus. Ita fiet, ut & futura quoque bona assequamur: quæ vtinam omnibus nobis cõtingant, gratia domini nostri Iesu Christi, cum quo patri gloria, vnã cum sancto spiritu, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA SEPTIMA.

VID igitur præcellimus eos? Nullo modo. Antè enim causis redditis ostendimus tum Iudæos tum gentiles omnes peccato esse obnoxios, sicut scriptum est: Non est iustus, ne vnus quidem: non est qui intelligat, non est qui exquirat Deum, omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui exerceat bonitatem, non est vsque ad vnum. Sepulchrum apertum guttur eorum: linguis suis ad dolum vsi sunt, venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os execratione & amarulèria plenum est: veloces pedes illorum ad effundendum sanguinem: contritio & calamitas in viis eorum, & viã pacis non cognouerunt. *Non est timor Dei coram oculis eorum.* Insimulauit gentiles, insimulauit Iudæos, sermonis tenor postulabat, ut deinceps iustitiam eam exprimeret, quam fides parit. Nam si neque naturæ lex adiumento fuit, neque quæ scripto constat, quicquam profecit, sed vtraque eos grauauit, qui illis non sunt rectè ac conuenienter vsi, atque adeò vt grauius supplicium illi mererentur, præstitit: restat, vt necessaria sit per gratiam salus. Igitur hanc tu nobis ô Paule exprimito, ac

demonstrato. Sed quòd Iudæorum petulantiam suspectam habeat, id nondum audet, immò rursus oratione Iudæis inculandis continuat. Prius autem introducit accusatorem Dauid, ea multis recensentem, quæ omnia per compendium dixit Esaias, durum apparans illis fratrum: vt ne auditorum quisquam restitet, neu ab iis sermonibus resiliat, qui de fide ab eo preparantur, occupatus videlicet, quantum satis est, à prophetarum incusationibus. tria enim summa ponit propheta, & quod omnes simul mala fecerint, dicens, & quòd bona malis non miscuerint, sed vitium duntaxat exercuerint, & quòd id omni cum intentione. Deinde vt ne dicerent, quid igitur, si aduersus alios hæc dicta sint? addidit, *Scimus autem quòd quæcumque lex dicit, iis qui in lege sunt, dicit.* Quapropter post Esaiam sine vlla controuersia in illos inuehentem, introduxit Dauid, vt ostendat & hæc quoque eiusdem esse consequenti. Quid enim, ait, necesse, vt qui ad vos corrigendos missus est propheta, is alios incusans reprehendat? neque enim lex aliis data est, sed vobis. Quam obrem porrò non dixit, scimus quòd quæcumque propheta dicit: sed quæcumque lex dicit? nempe quoniam vetus omne instrumentum, legem appellare solet Paulus. Etenim alibi ait: Legem non auditis, quòd Abraham duos filios habuit? & hic item ipsos psalmos legis nomine appellauit, quum ait: Scimus quòd quæcumque lex dicit, iis qui in lege sunt, dicit. Deinde ostendit nec simpliciter hæc dicit reprehensionis causa, sed vt lex rursus ipsi fidei viam præsternat, tanta sanè est cognatio ac concordia veteris testamenti ad nouum. Atque hoc certè nomine reprehensiones ac redargutiones extiterunt, vt relucens fidei valua apud auditores adaperiatur: quando vel hoc ipsum in primis ipsos Iudæos perdidit, quòd sibi plus æquo placerent. Quod igitur progrediens dixit, nimirum quòd Dei iustitiam minimè quum agnosceret Iudæi, ac propriam iustitiam statuere vellent, Dei iustitiã non se submiscent, anteuertens tum lex, tum propheta, ipsorum altos spiritus deieccere, fastumque ac turgiditatem cohibuere, vt sua ipsi edocti agnoscerentque peccata, fastu omni exinanito, suoque periculo, & eo quidem extremo cognito, magna cum alacritate ac propensione ad eum festinabundi accurrant, qui ipsis peccata remittit, gratiamque eam admittant, quam fides affert. Hoc ipsum sanè & hic Paulus subindicans, dixit: *Scimus quòd quæcumque lex dicit, iis qui in lege sunt, dicit: vt omnes os obturetur, & Deo omnis mundus obnoxius fiat.* Hoc enim loco ostendit ipsos ea quidem fiducia ac libertate nudatos esse, quam opera parere solent, verborum autem fastum tantum, & impudentiam habere: quapropter & dictione propriè vsus est, vt omne os obturetur: illorum impudentem, & retineri contumacem iactantiam declarans, tum autem & illorum linguam planè obstructam. In morem enim rapidi ac violenti fluminis ea ferebatur. verum illam propheta obstructit. Porrò quum Paulus ait, Vt omne os obturetur: non hoc inquit, illos videlicet hoc nomine peccauisse, vt ipsorum os obturaretur: sed ea de causa fuisse conuictos, vt ne hoc ignorarent, se videlicet peccasse. *Et obnoxius fiat vniversus mundus Deo.* Non dixit Iudæus: sed vniversa natura. Hoc enim, nempe, vt omne os obturetur, illos subindicat: quamquam non apertè illud positum est, idque, vt nemo asperior sit. Illud autem, nempe, vt obnoxius fiat Deo vniversus orbis, simul tum de Iudæis, tum de gentilibus dictum est: non parum autem hoc facit ad cohibendam illorum contumaciam atque arrogantiam, quum videlicet hic meliore non sint conditione quam ipsi gentiles, sed æquè conuicti ac cõfutati per salutis verbum. Nam *quòd dicitur, hoc est reus, obnoxiusque, ille proprie dicitur,*

dicitur, qui sibi ipse ad defensionem minimè sufficere quum possit, alterius patrocinij indiget, sicuti nostra erat conditio, qui remedia ea omnia amiseramus, quæ ad salutem pertinerent. *Per legem enim peccati agnitio.* Rursus legi insultauit, parcè quidem: neque enim quod dictum est, ipsius legis est increpatio, sed Iudæorum ignauiã: verum tamen hic studuit, quandoquidem de fide sermonem introducturus est, ipsam legem admodum infirmam ostendere. Si enim, ait, de lege gloriaris, ea te magis pudefacit, ea peccata tua traducit. Verum non asperè locutus est, sed molliter rursus, per legem enim agnitio peccati. Igitur & supplicium maius, sed ab ipsis Iudæis. Etenim ipsa quidem lex perfecit, vt peccatum tibi patefieret, tuum iam erat vt fugeres. Non fugiens igitur, maius tibi accersuisti supplicium, ac legis beneficium maioris supplicij tibi causa extitit. Postquã itaque terrorem auxit, tum demum ipsam gratiam adducit, Iudæos eò constituens, vt peccatorum suorum remissionem magnoperè desiderarent: atque ait, *Nunc autem absque lege, iustitia Dei manifestata est.* Magnū quiddã hic prolocutus est, ac tale, vt id magno argumentationis probationisque fundamento indigeat. Nam si qui in lege vixere, supplicium non aufugerunt, quin potius eò magis grauati sunt: qui fieri potest, vt sine lege non solum supplicium effugias, sed iustificeris? duo enim summa hoc loco posuit, & quòd iustificaris, & quòd citra legem bona hæc assequeris. Propterea non simpliciter dixit, Iustitia: sed, Dei iustitia, à personæ dignitate maius esse ipsum donum declarans, ac promissionem factu facilem, omnia enim ille potest. Nec dixit, iustitia data est: sed manifestata est, ipsum nouitatis crimen amouens. Nam quod manifestatum est, vt vetus & occultum manifestatur: nec hoc solum, sed quæ sequuntur ostendunt hoc non esse nouum. quippe vbi dixit, manifestata est, attexit, dum comprobatur testimonio legis ac prophetarum. Caue enim, inquit, hoc ipso quòd nunc data est, tumultueris: caue turberis, quasi si res ipsa temporaria sit, noua, ac peregrina. Eam enim tum lex tum prophetæ iam inde ab initio prædixerunt. Ac partem quidem adstructionis probationisque huius iam ostendit, partem autem ostensurus est. In superioribus quidem in medium adduxit Abacum dicentem, Iustus ex fide viuet. In subsequentijs autem Abraham, ac Dauid, & ipsos item de hisce nobiscum verba facientes. Magna enim erat harum personarum apud illos ratio, atque authoritas. Alter enim patriarcha erat, & propheta: alter rex, & propheta. tum autem & promissiones his de rebus factæ, ad horum vtrunque factæ fuerant. Ob quod & Matthæus euangelium dum auspiciatur, vtriusque huius primum meminit, ac tum per consequentiam in medium maiores ipsos adducit. Nã quum dixisset, Liber generationis Iesu Christi, non tū substitit, quum post Abraham & Isaac & Iacob dixisset, sed vnã cum Abraham & ipsius Dauid meminit: ac quod mirum est, & ipsum eundem Dauid ante Abraham posuit, quum ait, filij Dauid, filij Abraham: ac tum demum recensere cepit Isaac ac Iacob, cæterosque deinceps omnes. Ob quod & hoc loco Apostolus ipsos assidue circumuerset, atque ait: *Iustitia autem Dei testimonio approbatur legis ac prophetarum.* Porrò vt ne quis didiceret: & qui fieri potest, vt qui nihil ad id, quod propositum nobis est, contribuimus, salui simus? ostendit & nos ad id ipsum non parum conferre: nempe fidem, quum igitur dixisset, Iustitia Dei, addidit: *Per fidem in omnes & super omnes eos qui credunt.* Hic rursus tumultuatur Iudæus, nihil selectum, nihil eximium præter alios habes, vt qui vel cum vniverso orbe cõscatur. Vt ne igitur hoc illi accidat, terrore rursus illum reprimat, addens: *Non*

enim est distinctio, omnes enim peccauerunt. Neque enim mihi allegaueris, illum esse Græcum, illum Scytham, alium Thracem. omnes enim eadem conditione sunt. Nam si legem accepisti, vnum modò didicisti, nimirum ipsius peccati agnitioem, non illius fugam. Deinde, vt ne dicerent Iudæi: Peccauimus quidem & ipsi, sed nò perinde atque illi, attexit: *Et desistuntur gloria Dei.* ita vt, quamuis non eadem cum illis peccata admiseris, gloria tamè Dei æquè priueris. es enim ex iis vnus, qui offenderunt, qui porrò offendit, is non inter eos, qui glorificantur, sed inter eos, qui pudefiunt, recensetur. At tu ne terrearis: ob hoc enim hæc à me dicta sunt, nò vt te in desperationem coniciam, sed vt ostendam domini benignitatem. Ob quod adiecit: *Iustificantur autem gratis per illius gratiam, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus reconciliatorem per fidem, interueniente ipsius sanguine ad ostensionem iustitiæ suæ.* Vide quot modis id probet quod dixit. Primum à personæ dignitate: neque enim homo est qui hæc facit, vt ne illum non posse dicas: sed Deus ipse, qui nihil non potest. Dei enim, ait, est iustitia. Deinde, à lege ac prophetis. Testimonio enim, ait, approbatur legis ac prophetarum. Ne enim quòd verbum id, absque lege, audieris, terreare. hoc enim ipsi legi ita videtur. Tertio à victimis, quæ in veteri testamento fierent: ob hoc enim, ait, interueniente ipsius sanguine, memoriam illis refricans ouium illarum, ac vitulorum. Si enim pecudum, ait, maculationes peccata abluebant, multò magis sanguis hic. Nec simpliciter dixit, emptionem: sed, redemptionem, vt ipsi amplius ad eandem rursus seruitutem ne redeamus. Quo nomine & ipsum vocat † reconciliatorem, declarans, quòd si typus tantum robur habuit, multò magis veritas ipsum hoc præstabit. Ac rursus ostendens, non hoc esse recens ac nouum, vsus est hoc verbo, proposuit: & proposuit Deus, ac patris hoc extitisse beneficiū ostendens, illud idem & filij quoque extitisse declarat. Pater enim proposuit, Christus autem interueniente suo ipsius sanguine rem totam confecit. *Ad ostensionem iustitiæ ipsius.* Quid hoc sibi vult, ad ostensionem iustitiæ ipsius? quemadmodum diuitiarum ostensio facit, vt nò solum ipse diues sit, sed & alios diuites reddat: & vitæ ostensio, vt non ipse solum viuens sit, sed & mortuos viuificet: & potentia, vt non ipse solum potens sit, sed & infirmos confirmet: sic & iustitiæ ostensio facit, vt nò ipse modò sit iustus, sed & alios in peccatum collapsos derepentè iustos efficiat. Hoc igitur & ipse interpretas, addidit, quid sit ostensio. *Vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu.* Ne igitur dubites: non enim ex operibus, sed à fide: neu Dei iustitiam declines, duplex enim illius bonum, quòd videlicet tum leue est, tum omnibus propositum: neu pudore atque erubescencia tenearis, si enim ipse, dum hoc facit, ostentat sese, vt sic dicam, & gloriatur, & sibi placet: qui sit vt tute ob id erubescas & pudeas, ob quod dominus tuus glorificatur? Quum igitur erexit auditorem, hoc ipso quod dixit, † Dei iustitiam esse,] quæ facta sunt: rursus detrectantem, & accedere pigrescentem terrore impellit, sic dicens: *Propter remissionem præteritorum peccatorum.* Vides vt assidue illis memoriam renouet peccatorum, superius quidem dicens, Per legem enim agnitio peccati: postea autem, Quòd omnes peccauerint: hic autem acrius. Neque enim dixit, per peccata: sed, per remissionem, hoc est mortificationem. non iã enim salutis spes erat, sed sicuti corpus paralyticum cœlestis manus indigebat, sic & anima mortificata. & quòd grauius est, tanquam criminis loco ponens, ostendit maiorem esse accusationem. Quid autem illud est? In Dei tolerantia remissionem extitisse. Neque enim vobis, ait, dicere li-

non ad.
 τρωαν sed
 ἀπολύτρω
 σι.
 ἰλαστήριον,
 neutri ge-
 neris esse
 potest, i.
 propitiã-
 torum si-
 ue reconcilia-
 tionẽ,
 vt ad Iu-
 dæorum
 propitiã-
 torum re-
 spectat.
 quod etiã
 Origeni &
 Theophy.
 placet.

ostensio-
 nem iusti-
 tiæ Dei
 esse.
 Hic supra.

Luc. 12.

Gal. 13.

Esa. 59.

Supr. 1. &
Abac. 2.

Mat. 1.

ceat quod multam tolerantiam ac facilitatem nacti non sitis. Verbum autem id, *In presenti tempore*, eius est qui magnam tolerantiam ac clementiam exhibet. quum enim in desperationem, inquit, essemus adducti, ac sententiam tempus adesset, tum autem adauerta essent mala, ac peccata ad complementum usque peruenissent, tum Deus suam ipsius potentiam ostendit, ut intelligas quanta sit apud eum iustitiæ exundantia. neque enim hoc à principio factum si fuisset, sic admirandum atque incredibile visum fuisset, ut nunc, quum medicinarum modus omnis refutatus deploratusque est. *Vbi igitur gloriaris? exclusa est:* inquit, *per quam legem? operum? nequaquam: sed per legem fidei.* Magnopere elaborat Paulus ut ostendat, fidem tantum valuisse, quantum ne ipsa quidem lex imaginatione conciperet potuerit, quando quidem enim dixit, quod à fide Deus hominem iustificat, legem rursus attingit: nec dicit, vbi igitur sunt Iudeorum merita? vbi iustorum operum præstatio? sed, vbi gloriatio? vbi que ostendens illorum nudam iactantiam, tanquam ij essent, qui ceteros præcellerent, sed nullum tamen virtutis opus ederent. Porro quum dixisset, vbi gloriatio? non addidit, extincta prorsus est ac perit, sed, exclusa est, quod verbi de re iam exoleta dicitur: neque enim ea gloriatio amplius tempus habet. Nam quemadmodum iudicij tempus quum instat, non iam tempus habent, quos poenitentia caput voluntas: sic & sententia quum lata fuerit, sint que omnes iam iam perituri, atque iis præsto fuerit, qui mala ea sua gratia eluat, non iam tempus habent correctionem eam obtinendi, quam à lege sumere possent. nam si illis adminiculis nitendum erat, ante illius aduentum id faciendum erat: eo autem iam præsentem, cuius est per fidem seruare, sublatum est in futurum ipsum certaminum tempus. Is enim sic fide salutem affert, quasi illa omnia refutata iam ac conuicta forent. Quapropter nunc ille aduenit, ut ne, si à principio aduenisset, dicerent, fieri quidem potuisse, ut quis per ipsam legem seruaretur, & laboribus propriis & meritis. Hanc igitur illorum obserans impudentiam, magnam ille temporis moram interposuit antequam adueniret, ut omnibus iam refutatis, quum illi sufficere sibi non iam possent, tum demum ipse per gratiam eos seruaret. Quapropter & superius quum diceret, Ad ostensionem iustitiæ, addidit: In presenti tempore, quod si nonnulli contradixerint, perinde illi facturi sunt, ut si quis magnis à se delictis admissis, quibus in iudicio defendendis par minimè sit, iudicis sententia damnatus aliud nihil quam supplicium expectet: post autem liberalitate ac gratia regia, supplicio eo liberatus quum fuerit, ita demum impudens sit, ut dimissus gloriatur, ac se nihil commeruissè, nihil peccati admisissè profiteatur: gratia enim nondum accepta innocentiam probare oportebat, qua adepta iactantia locus relictus non fuerit, quod quidem & Iudæis vsu venit. Quandoquidem enim ex se ipsi conuicti essent, ob hoc aduenit ille, suo aduentu illorum iactantiam tollens. Qui enim se infantium præceptorem esse profiteatur, legisque nomine gloriatur, tum autem insipientium institutorem se dicitur, æquè atque illi præceptore interim ac seruatore indigens, is sanè non iam gloriandi causam habuerit. Si enim antea circumcisio præputium facta est, multo magis nunc: nam ea ab utrisque temporibus eiecta, explorataque est, quum autem exclusam dixit, ostendit & quo pacto. Qui igitur exclusa est? per quam legem? operum? haudquaquam: sed per legem fidei. ecce & fidem quoque legem vocauit, libenter in ipsis verbis perseuerans, ut nouitatem, quæ esse quidem putabatur, leniat. Quæ porro fidei lex est? per gratiam seruari. Hoc loco Dei potentiam ostendit, quod videlicet non seruari so-

lum, sed & iustificauerit, & in gloriationem duxerit, operum quidem nihil indigens, sed fidem tantum exigens. Hæc autem, ait, tum Iudæum eum, qui iam crediderit, ad modestiam præparans, tum eum, qui nondum crediderit, competens, ut eum ad se illiciat, nam qui salutem iam fuerit adeptus, si sibi hoc nomine placeat, quod legi intentus sit, auditurus est, quod ea quidem lex ipsius os obturauit, ea ipsum reprehendit, ea ipsius salutem interdixit, ac gloriationem exclusit: qui verò nondum crediderit, rursus per hæc eadem animos remittens, poterit ad fidem accedere. Vides quanta fidei exundantia? ut submoueat à superioribus factis, ne ob ea quidem gloriari sinens? *Arbitramur igitur fide iustificari hominem absque operibus legis.* Vbi ostendit eos ab ipsa lege Iudæis esse superiores: tum demum magna cum fiducia & de ipsa verba facit, ei rei medelam rursus afferens: quæ res hoc quidem loco turbationem afferre videbatur. nam duo hæc erant quæ Iudæorum animos turbabant. Vnum quidem, si qui ab operibus seruati minimè essent, eos sine operibus seruari possibile esset: alterum autem si præputiatos æquum esset eadem illa assequi, quæ assequerentur ij qui tantum temporis in ipsa lege enutriti permansissent. quod posterius priori illo ipsos magis perterrefaciebat. Propterea illud vbi astruxit, ad hoc deinceps se confert, quod Iudæos sic turbabat, ut & ipsum Petrum, fide iam accepta, hæc de causa increparent, ob Cornelium, eaque facta, quæ de illo euenisse narrant. Quid igitur ait? *Arbitramur igitur fide iustificari hominem absque operibus legis.* Non dixit Iudæum, aut eum qui sub lege esset, sed orationem in campum latiore educens, ac salutis valuas vniuerso terrarum orbi pandens, ait, hominem, commune naturæ nomen adhibens: deinde ex eo anam capiens, non positam obiectionem soluit. Quandoquidem enim verisimile erat fore, ut Iudæi vbi audissent quod fides quemuis hominem iustificat, egrè ferrent, atque offenderentur, addidit: *Num Iudæorum Deus tantum? Ac si dixisset, Quamobrem enim hoc absurdum esse videtur? quod videlicet quiuis homo seruatur, num Deus singularium Deus est? hoc ipso declarans, quod qui gentibus incommodare, illisque iniuriam inferre volunt, Dei potius gloriam labefactant: siquidem minimè illum concedant omnium esse Deum, qui si omnium Deus est, & omnibus certè consulit: si autem omnibus consulit, omnes per fidem æquè seruat. ob quod ait: *Iudæorum ne tantum? an non & Gentium? certè & Gentium.* Neque enim singulorum est, quales ij sunt quos Græcorum nobis narrat fabulæ: sed omnium communis, & vnus: ob quod & atexit: *Quandoquidem vnus Deus.* Hoc est, Idem & horum & illorum dominus. sin verò vetera mihi allegas, & tum quoque ipsa prouidentia communis erat. quamuis diuerso modo, tibi enim lex scripta data est, & illis lex naturalis. qua quidem in parte nihilo illi inferiores fuere, si modò voluerit: quin & superiores facti, victoriam reportare potuerunt. Quapropter & adiecit, hoc ipsum innuens, *Qui iustificabit circumcisionem ex fide, & præputium.* Ea suggerēs, quæ supra de præputio & circumcisioe dicta sunt, per quæ ipsa nullum planè esse in iis discrimen declarauit. quod si tū ita se haberet res, multo magis & nunc, quod quidem & apertius nunc adstruens, ostendit vtrunque pariter fidei indigere. *Legem igitur irritam facimus per fidem? absit. Imò legem stabilimus.* Vides prudentiam variam & immensam. Per hoc enim verbum, stabilimus, ostendit non stantem, sed dissolutam. ac vide Pauli prudentiæ excellentiam, quanta cum abundantia, quæ vult, astruit. hæc enim ostendit fidem non solum non labefactare legem, sed illi esse auxilio, sicuti & ipsam legem, fidei viam aperientem. Quemadmodum enim lex ante-*

Hic sup.
uertens,

Ibidem.

uertēs, fidei testimonium attulit: comprobatur enim, ait, testimonio legis ac prophetarum: sic & hæc fides ipsam legem inualidam stabiluit. Et quo pacto stabiluit iniquies? quod nā, obsecro, erat legis opus? & in quo tandem illi erant omnia? nempe vt iustum faceret hominē. verum illa quidem hoc præstare non valuit. Omnes enim ait, peccauerunt, fides autem superueniens id præstitit. simul enim vt quis credidit, iustificatus est. Igitur legis voluntatem firmavit: atque ipsum illud ad finem deduxit, cuius gratia omnia lex eadē faciebat. non igitur legem fides irritam, sed ratam, absolutamque fecit. Tria igitur hinc demonstrat: & quod sine lege fieri potest vt iustificeris: & quod hoc non potuit ipsa lex: & quod fides cum eadem lege non pugnat. Nam quandoquidem hoc Iudæorum animos maximè turbabat, quod videlicet videretur fides legi esse contraria: ostendit plus etiam, quam vellet Iudæus, non solum non esse contrariam, sed valde sociam, auxiliariam & cooperariam: Id quod maximè cupiebant audire.

MORALE.

Enimvero quandoquidem post gratiam hanc per quam iustificati sumus, & rectæ quoque vitæ instituto opus est, age studium tanto dono dignū exhibeamus. Exhibebimus porro, si bonorum matrem charitatē studiosè accuratèque seruauerimus. Est autē charitas, non nuda verba, non salutationes simpliciter præstitæ, sed præsidium ac patrocinium, operibusque ipsis coniuncta voluntatis demonstratio. verbi gratia: Si quem paupertatis vinculis soluis, si quibus morbo afflictis opularis, si quem à periculo in quibus versatur, asseris, si quibus afflictione ac necessitate pressis ades, si fletum tuum cum alterius fletu, si gaudium cum gaudio coniungis (nā & hoc quoque charitas est) atqui pusillum quidem hoc videtur esse, videlicet si quis vnā cum gaudētibz gaudeat: sed tamen id permagnum sanè est, ac tale, vt & animum philosophicum postulet: permultoque inuenias, qui molestius illud officium quum præsent, leuiori tamen hoc fungi non possint. Nam multi vnā cum fletibus fient quidem & ipsi, iidem tamen non etiam vnā cum gaudentibus gaudent: quin potius aliis gaudio exilientibus, illachrymantur. quod ipsum sanè est inuidia, ac malignitas. Itaque non tenue ego, sed altero illo præstantius meritum arbitror, quorū quis fratre gaudente gaudet: fortasse autem nec illo altero solum præstantius, quum quis videlicet vnā cum fletibus flet & ipse, sed & illo, quum quis in periculo versanti proximo adest: quippe multi aliis in periculum adductis, & se quoque vnā in idem periculum coniciunt. Iidem tamen aliis laudatæ vitæ instituto sese commendantibus, ac vulgò bene audientibus, se ipsi mordent, atque excruciant: tanta est inuidiæ ipsius tyrannis: quanquam hoc quidem non nisi à laboribus sudoribusque, illud autem ab ipsa solum voluntate atque animi sententia proficiscitur: nihilo tamen fecius quod molestius est permulti quum ferant, quod procliuus haudquaquam perficiunt: quinimò macerantur, dispercuntque, quoties alios vita commendabili sese hominibus probare viderint, quoties Dei ecclesiā vel verbo, vel alio quouis modo auctam adiutamque intellexerint, qua re quid exitiosius esse queat? neque enim qui hæc committit, cum fratre tantum, sed & cū Dei voluntate depugnat. Hoc ergo considerans, morbum huiusmodi sedato, & si minus proximum, at certè te ipsum à malis infinitis eximito. Quid bellum cogitationibus tuis inferis? quid animam perturbatione complex? quid tempestatem cies? quid cælum terris, mare cælo misces? qui sic affectus poteris peccatorum veniā

postulare? Nam si qui aduersum se admissa, aliis non remittunt, iis Deus peccata non condonat: quam tandem peccatorum condonationē iis largiturus est, qui in eos iniuriæ sunt, à quibus nulla ipsi tentati sunt iniuria? summæ enim malitiæ argumentum hoc est, ac certè id genus homines vnā cum diabolo ecclesiæ bellum inferunt, fortasse etiam & multo pestilentius. Nā diabolum cuitare sanè possis: at hi sumpta amicitia persona clam ignem succendunt, se prius ipsos in caminum conicientes, ac morbo laborantes non solum misericordia indigno, sed & admodum ridiculo. Quid enim, quæso te, impallefcis? quid tremis? quid formidolosus es? quid tandem mali accidit? quod clarus, quod splendidus, quod benè audiens frater est? Igitur coronari oportet, ac lætitia exilire, Deumque glorificare: quod videlicet membrum tuum relucens, & illustre. At tibi dolet quod Deus glorificatur? Vides quod bellum ipsum pertineat? Dices: At non mihi molesta Dei gloria, sed fratris, verum per hunc fratrem gloria ad Deum conscendit: igitur & bellum itidem à te exortum. At non hoc, inquis, mihi dolet, sed velim Deum per me glorificari. Igitur fratre bene audiente gaude, ac tum per te etiam iterum Deus glorificabitur: dicentque omnes, benedictus Deus, qui tales famulos habet, ab omni inuidia liberos, de alienis bonis inter se congratulantes. Sed enim quid hinc de fratre verba facio? Nam vt hostis is sit, atque inimicus, per quem Deus glorificatur, hoc certè nomine conuenit vt tu illum tibi amicū reddas. At tu qui iam amicus est, cum tibi inimicū reddis, posteaquam Deus per illius vitam inculpatam glorificatur. Itane verò qui corpus tuum affectum curauerit, inimicus tibi antea quum esset, hunc protinus amicum tibi in posterum censēs: eum autem qui Christi corpus, hoc est ecclesiam exornat, amicus antea quum esset, hunc tu inimicum ducis? quānam alia melius ratione bellum te aduersum Deum suscipere ostendas? Ob hoc certè vt signa quis edat, vt virgo permaneat, vt sobrius sit, vt humi etiam decubet, atque eiusmodi virtutibus vel ad ipsos angelos accedat, omnium tamen sceleratissimus fuerit: hoc vitio si laborauerit, & adulter, & scortatore, & prædone, & sacrilego iniquior. Ac ne quis me quod sermonis modum minimè seruem insimulet, illud libens vos interrogauerim. Si quem videremus ignem manibus, ac ligonem gestantem, hanc ædem vnā cum altari demoliri, euertere, incendere: nonne fieret, vt ab omnibus iis qui rem fortè spectarent lapidibus obrueretur, tanquam impius, & exlex? quid igitur? si quis flammam gestet, hoc, quo vtitur, igne edacior, inuidiam dico, non lapidum ædificia demolientem, neque aureum altare excertentem, sed, quod longè & lapidibus & altari preciosius est, præceptorū ædificium subuertentem, ac deuantem: hic qua tandem venia dignus esse queat? Absit enim vt mihi hic rei exitum excuses, dicāsque vsu sæpè euenisse, vt rem quis aggressus sit, nec perfecerit tamen. rei enim cuiusque iudicium, pro authoris animo pensatur: quandoquidem & Saul, Dauidem interfecit, vel voti sui cōpos minimè effectus. An non, obsecro, animo versas, te Christi ouibus infidias struere, quoties cum pastore depugnas? pro quibus ouibus & sanguinem ille effudit, & nihil non nos tum facere, tum pati iussit? non te ipse comonefacit, quod dominus tuam quidem gloriam, non etiam suam exquisiuit, quum tu tamen non domini, sed tuam vnus gloriam persequeris? quāquam se illius gloriam sequeris, tum demum & tuam quoque assequeris. Vbi illius gloria posthabita, tuam dum quæris, ne hanc quidem vnquam assecuturus es. Quānam ergo morbi huius medela inueniri queat? Coniunctum

furore agitata, aut a dæmone oblectata.

Mat. 5.

Cain invidia motus fratrem occidit.

Gen. 4. ad te conuersio eius. Ita etiam habentur, quos hic sequitur.

Ibid.

omnes, preces fundamus, vnam eandemque pro ipsis vocem tanquam pro energumenis edentes. Hi enim hoc infelicitati sanè conditione sunt, quàm illi, quòd furor hic nō nisi à certo animi proposito ortum habet. prece itaque ac supplicatione permulta morbus hic indiget. Nam si qui fratrem non amat, vt etiam pecuniarum impensæ non parcat, ac martyrio illustretur, is nihilo inde magis proficit: considera, quanto is sit supplicio dignus, qui illi aduersatur, à quo nulla vnquam iniuria est affectus: Certè hic ipse gentilibus deterior est. Si enim mutuus inter nos amor, nihilo nos illis meliores, superiorèscque efficit: quem tandem, obsecro, gradū obtinebit, qui amorem sibi præstitum inuidentia remuneratur? etenim bello quidem perniciosior est inuidentia, nam qui bellum gerit sublata belli causa inimicitias definit. At inuidentiæ morbo qui laborat, amicitiam nunquam inierit, & præterea aperto ille Marte ré agit, hic autem adumbrato. Ille honesta quadam ratione bellum excusare potest: hic autem aliud nihil quàm insanit, animo præditus satanico. Cuiusnam igitur huiusmodi animum contuleris: cui vipera, cui serpenti, cui lumbrico, cui cantharo? hoc certè animo neque deterius, neque sceleratius quicquam: hoc enim malum, hoc, inquam, malum Christianorum conuentus subuertit, hoc hæreses peperit, hoc fraternam manum armauit, perfecitque vt iusto sanguine dextra madesceret: hoc naturæ leges à suis compagibus motas reuellit, hoc morti valvas adaperit, & execrationem illam ad opus deduxit, ac neque parturiginum, neque parentum, neque alterius cuiusvis rei memorem esse miserum illi permittit: verum tali furoris, atque insanie cæstro extimulauit, vel Deo exhortante, ac dicente, † Sub te erit appetitus eius,] & tu dominaberis illius: ne sic quidem animum emolliret. atqui & crimine cum absoluit, ac fratrem etiam illi submisit: sed tamen morbus ita erat immedicabilis, vt vel sexcentis pharmacis adhibitis pus scaturiret. Quamobrem igitur omnium miserrime doles? an ne quòd honoratus sit Deus? hoc ipsum verò mentis est prorsus satanicæ. an potius, quòd frater à vitæ morumque integritate vulgo melius te audit? tibi verò rursus licet illum exuperare. Quamobrem si vincere vis, ne iugules, neu interficias: sed finito illum, vt luctæ subsistat argumentum, ac viuientem vincito. Sic enim futurum est, vt honorificam lauream reports: nunc autem illum quum sustuleris, mereris sanè vt omnibus etiam calculis victus pronuncieris. Sed scilicet nihil quicquam eorum quæ dixi, inuidentia respicit. Quamnam autem de causa & gloriæ appetens es, tali in solitudine? Ipsi enim tum soli terram inhabitabant. verum ne hoc quidem illum cohibuit: quin omnibus ab animo excussis, à diabolo stans, in acie sese collocabat, animo ad configendum parato. Etenim diabolus idè tum vna cum Cain belli ducem agebat, nam quando quidem illi non satis fuit, quòd homo mortalis iam effectus fuisset, ipso etiam mortis genere tragœdiâ ipsam amplificare enixus est, sic vt illi persuaserit, fratris paricida vt fieret. vrgebat enim ac desiderabat Dei sententiam in opus editam videre, qui ipse nostris mortaliū malis nullo vnquam tempore satiatur. Nā quemadmodum si quis aduersarium in neruo ac cōpedibus habens, & quidem mortis in cum sententia iam lata, antequam vrbe egrediatur, festinet, ac tēpore congruo minimè expectato, illum vel intra urbem trucidatū videre percipiat: sic & tū diabolus fecit. Is enim tametsi audiisset fore, vt homo in terram reuerteretur, concupiuit amplius quiddam videre: filium videlicet morientem ante patrem, & fratrem à fratre intereuntem, & in tempestiuam & violentam necem. Vides quàm multas

ad res subseruierit inuidentia? vt insatiabilem diaboli animum implerit, eidemque mensam tantam appo- fuerit, quantam videre ille expetiuerat. Igitur morbum hunc fugiamus: non enim licet: non, inquam, licet præparatū illum diabolo ignem effugere iis qui hoc morbo liberati non fuerint. liberati porro erimus, si cogitauerimus quemnam in modum nos tum amaauerit, tum inter nos amare iusserit Christus. Quo igitur modo nos amaui? sanguinem illum preciosum dedit pro nobis, qui & inimici, & quàm grauissimis criminibus affines obnoxiique eramus: hoc pacto & te ipse erga fratrem gere. Propterea enim, inquit, nouum mandatum vobis do: sic inter vos amate, vt & ego dilexi vos. Immo verò non intra hos terminos amoris inter nos mutui modus consistit. Ille enim id, quod dixi, inimicorū causa præstitit. At tu reculas tuum sanguinem pro fratre dare? quid igitur illius sanguinem effundis, præcepto ex diametro repugnans? quanquam quod ille fecit, id nullo debito fecit: tu autem quum id facis, mandatum implet, quando & ille cui † talenta mille condonata fuerat, decem] tamen denarios exigens, non ob hoc solum condemnari meruit, quòd exigeret, sed quòd ne ob beneficentiam quidem sibi factam, melior euasisset, nec domini exemplum secutus, debitum exoluisset: etenim debitum quoque erat, quod ab illo seruo erga conseruum suum, præstitum fuisset, si modo præstitum fuisset. Quæcunque enim facimus, ea debitum im- plentes facimus, propterea & ipse ait: Omnia quum feceritis, dicite, inutiles serui sumus: quæ enim facere debebamus, ea fecimus. Charitatem igitur quum exhibuerimus, indigentibus pecunias quum largiti fuerimus, debitum implemus: non solum quòd ille prior beneficus in nos fuerit, sed quòd quæ illius sunt distribuimus, si quando damus. Quid te igitur iis priuas, quorū ille dominum esse te voluit: ob hoc enim iussit, vt tu eas pecunias alteri dares, vt tu eas haberes. quamdiu enim tu solus eas retines, ne ipse quidem tenes: quum autem & alteri das, tumet ipse eas capis. Num quicquam est, quod amorem hunc exæquare queat? Ipse sanguinem pro inimicis effudit, nos autem ne pecunias quidè pro eo qui de nobis benè meritus est: ipse sanguinem suum, nos autem ne pecunias quidem ad nos minimè spectantes damus: ipse ante nos, nos autem ne post ipsum quidem: ipse pro nostra salute, nos autem ne pro nostro quidem commodo. Nihil enim quicquam illi accedit ex nostra benignitate, verum lucrum ipsum totum ad nos ad postremum reuertitur: propterea enim iubemur pecunias dare, vt ne iis excutiamur. Quemadmodum enim quum argentum puerulo quis donat, iubet diligenter vt vel asseruet, vel famulo asseruandum credat, vt ne possit quisquis voluerit, illud eripere: sic sanè & Deus facit. Da enim, inquit, indigenti, vt ne quis abs te auferat, aut calūniator, aut diabolus, aut fur, aut post hos omnes mors: donec enim ipse eas retines, tutò non retines, quòd si mihi per pauperes dederis, tibi ego omnia accuratè asseruo, atque eas tibi in tempore debito magno cum scœnore rependam. non enim vt auferam capio, sed vt plures quàm sint efficiam, vt accuratius custodiam, vt tibi ad illud vsque tempus asseruem, quū nullus erit qui mutuo det, nullus qui misericordiā moueatur. Quid igitur nobis est immanius, qui ne post tot promissiones quidem sustinemus ipsi mutuo dare? propterea enim solitarij, nudi, ac pauperes ad eum discedimus, pecuniis iis amissis, quæ nobis concreditæ fuerat, quòd eas non deponimus apud eum qui accuratissimè omnium asseruare potest: quo nomine extremas pecunias luituri sumus. Quid enim in iudicium tracti dicere ipsi poterimus pro illarum amissione? quam causam, quam

quam defensionem prætereendere? quamobrem enim nō dedisti? diffidis te rursus eas accepturum? qui verò id ratione constet? nam qui ei dedit, abs quo non acceperat, nōne multò magis, quum acceperit, daturus est? At te delectat aspectus? ob hoc igitur multò etiam magis dato, & pecunias spargito, vt illic plenius delecteris, quum nullus eas interuersurus est: quando quidem si nunc retinueris, mala lues infinita. Diabolus enim diuitibus insilit canis exemplo offusam aut placētam de pueruli manibus auferre volētis. Patri ergo eas demus, quod quum à nobis factum diabolus viderit, recedet: is vbi recesserit, tum tibi omnes pater cum securitate redditurus est, quum tibi obstrepere ille nō poterit, futuro scilicet sæculo. Vsq̄que adeò in præsentia diuites nulla re differunt à puerulis iis quibus canes infesti esse solent: quousque lacerant ac trahunt non homines solum, sed & illiberales affectus, gula, ebrietas, adulatio, intemperantia omnis. Iam si quid mutuo dare velimus disquirimus à quibus multum carpere possimus: eosq̄; circumspicimus, quos gratos futuros sperauerimus. Hic autem secus facimus. Deum relinquimus, qui sic gratus esse solet, vt vel centuplum præbeat: interim eos disquirentes, qui ne ipsam quidem fortem reddunt. Quid enim nobis venter redditurus est, multa quum absumpserit? sterus, ac corruptionem, quid autem inanis gloria? inuidentiam ac malignitatem, quid autem parisonaria? curam ac sollicitudinem. quid autem intemperantia? gehennam, ac vermè venenatum. Hi enim sunt diuitum debitores, ab ipsa summa ac forte vsuras id genus pendentes, nimirum hic incommoda, tum autem & quæ expectantur mala. His ergo, obsecro, debitoribus tantum supplicij vsuræ loco afferentibus, pecunias nostras mutuas dabimus, ac non potius ipsas Christo credemus, cœlum, vitam immortalem, arcana bona offerenti? quàmnam verò defensionem vsurpabimus? Nam quamobrem non das ei qui daturus, ac qui etiam omnino plura daturus est? fortasse ob id quod multo pòst tempore dat, atqui & hac quoque in vita dat. Verus est enim sermo ille: Regnum cœlorum quærite, & hæc omnia addentur vobis. Vides liberalitatis ac munificentia magnitudinem? Illa tibi, inquit, asseruata sunt, nec minuuntur, quum interim sæculi huius bona tanquam additamenti ac corollarij loco largior. Adde his quod redditum longo pòst tempore debitum, opes tibi tuas auget: nam scœnus quidem maius fit. Etenim in scœneratijs pecuniis id vsu venire videmus, vt scœneratores libentius his expensum ferant, qui quod mutuo acceperint, multo pòst tempore soluturi sint. Nam qui protinus resoluit, is scœnoris cursum interrumpit, qui autem in soluendo seruus est, is quæstum maiorem efficit. Itane verò obærandis hominibus moram nō ægrè ferimus, sed & modis omnibus maior illa vt fiat excogitamus: obærandò autem Deo sic nos pusillanimes gerimus, vt hoc nomine cunctemur ac tergiuersemur? quanquam ille, quod iam dixi, vel hic dat, atque vna cum ea quam dixi causa, & aliud: quiddam maius dispensans in cœlis totum recòdit. nam rerum earū quas ille largitur magnitudo, donique illius pulchritudo, vitæ præsentis vilitatem transcendit, neque enim fieri potest vt in corpore mortali ac marcido illas immortales coronas capias, neque in vita hac tumultus acurbationis plena, tum autem multis mutationibus obnoxia, stabilem illam & immotam quietem recipias. Iam verò si fortè aliena in terra egeres, nullos inibi famulos habens, † neque te domum tuam recipere valens,] tibi qui aurum deberet, polliceretur id se tibi numeraturum multis vtique precibus ab eo contenderes, vt tibi illud

domi potiùs, quàm in externa ea regione perfolucretiæ verò spiritalia illa & arcana bona hic tibi numerari postulas, quantæ, quæso, id dementia fuerit? Nā si hic accipis, mortalia prorsus accipis: qui si tempus illud expectaueris, immortalia tibi & integra reddet. si hic accipis, plumbum accipis: sin verò illic, aurum permultū purum putum, veruntamè ne præsentibus quidem bonis te priuat. nam & vnà cum illa pollicitatione & aliâ adiecit, ita inquit: Quisquis rerum cœlestium amore capietur, centuplum accipiet in hoc sæculo, & vitæ æternæ hæreditatem assequetur. Quòd si centuplum minimè accipimus, in causa sumus ipsi, qui mutuum non damus ei qui tantundem dare potest. Hi enim omnes qui dederunt, tantundem ipsi receperunt, vt etiã pauca dederint. Quid enim, obsecro magni Petrus dedit? nōne rete contractum, & calamum, & hamum solū? sed tamen terræ illi vniuersæ domos aperuit, & terram & mare expandit: ac nemo non illum in suas ædes vocauit, atque adeò omnes bona sua à se diuendita ad illius pedes deferebant: neque enim in manus cōiiciebant, vt qui non id sibi audentia sumebant: tantū illi honorem vnà cum munificentia tribuebant. Dices: At ille Petrus erat. quid tum o bone? neque enim vni Petro hæc Deus promisit, neque dixit: Tu verò o Petre centuplum accipies solus: sed, quisquis reliquerit domum aut fratres, centuplum accipiet: neque enim personarum differentiam ille nouit, sed rerum merita. At me, inquis, liberorum chorus circumfistit, atque ego illos diuites relinquere aueo, quorum igitur illos pauperes efficitur: nam illis omnia si reliqueris, rursus incertæ custodia tua omnia committis: qui si illis Deum relinquis cohæredem ac curatorem, infinitos thesauros relinquis. Quemadmodum enim cum de nobismetipsis vltionem sumimus, nobis tum Deus non opitulatur, cum autem illius arbitratui rem permittimus, tum expectationem nostram rei exitus superat: sic & in pecuniarum ratione vsu venit, si nostram in eis cogitationem fixerimus, definit ille de illis curam habere: sin illi negocium totum commiserimus, fiet, vt & illas, & liberos item, in omni securitate collocet. Porro quid admiraris si in ipso Deo hoc vsu venit? etenim & id ipsum quoque in ipsis hominibus euenire videmus, nam si moriens propinquorum neminem ad liberorū tuorū curam suscipiendam vocaueris, pudore ac verecundia suffunditur persæpe, vel qui admodum tutelæ suscipiendæ cupiens est, quo minus vltro ad eam accurrat: qui si in illum curam hanc reieceris, is vt cui honor hic à te habitus fuerit, voluntati tuæ magnopere satisfacere curabit. Itaque si liberis tuis magnas opes relinquere vis, Dei prouidentiam relinquito. Nam qui nullum tuum opus cum extaret, † tibi] & animā dedit, & corpus formauit, & vitam item largitus est: is vbi te tale tantūque studium præstare, tum autem liberorum tuorum facultates vnà cum ipsis liberis sibi impertiri viderit, nōne illis diuitias omnes adaperiet? Etenim si Elias tenui farina nutritus, posteaquam vidit mulierulam illam se sic excipere, sic amplecti, vt vel propriis liberis anteponeret, tantam in viduæ domo bonorum abundantiam exhibuit, vt inibi & area tritico, & torcular vino exundaret: cogitato quantam Eliæ dominus benignitatem exhibiturus est. Absit igitur vt hoc consideremus, quæ admodum liberos relicti sumus diuites, sed quemadmodum virtute præditos. Nam si opibus confisi fuerint, nullius rei alterius curam suscepturi sunt, vt qui habituri sint vnde morum prauitatem adumbrare possint: nempe à facultatum abundantia. qui si viderint sese illo solatio, atque auxilio destitutos, omnem operam nauabunt, vt virtute ipsa magnum paupertati so-

illa de liberis enim intelligendum Budeus annotauit. 3. Reg. 17.

neque in domum transferre valens.

latium acquirant. Ne igitur opes illis relinquant, ut vitam relinquant, nam summa quidem est amentia, illis dum viuimus facultatum omnium nostrarum dominum non permittere, ab obitu vero nostro magnam iuuentutis leuitati licentiam relinquere, quanquam dum uiuimus ipsi, possumus quidem eos ad rationis calculos vocare, facultatibus non recte utentes emendare, ac cohibere: vita uero functi, si una cum orbitate ac iuuentute, & opum quoque licentiam addiderimus: fiet profectò, ut in infinita precipitia miseros illos ac calamitosos impellamus, ignem igni adiacentes, & oleum foco instillantes. Quapropter si illos citra periculum vis diuites relinquere, relinquo eis Deum debitorem, ipsique Deo has testamentarias tabulas porrigito, nam pecunie tue si ad liberos tuos deuenierint, ne hi quidem scient cuius largituri eas sint, quin potius in scyphantarum & quidem ingratorum manus incident, qui si anteuertens illas Deo mutuas dederis, incolumis in posterum thesaurus manebit, ac nullo certe negotio subsequetur mutui redditio. Nam gratiam habet Deus & quum nobis debet, & quum dependit: libentiusque feceratores suos contuetur, quam eos à quibus nihil mutuo accepit: ac quibus maxime ille debet, hos & maxime amat. Quamobrem si perpetuam cum illo amicitiam inire vis, perficito multum tibi ille ut debeat: neque enim perinde delectatur suis debitoribus creditor, ut Deus suis creditoribus, ac quibus nihil debet, eos auersatur: quibus autem debet, ad eos occurrit. Omnem igitur operam nauemus, ut illum in ære nostro habeamus, hoc enim tempus fœnerationibus maxime accommodum est, ut quod indigentibus constet. Si igitur in præsentia Deo nihil dederis, tui sanè non egebit, postquam hinc alio fueris profectus, hic enim sitit, hic esurit, sitit autem quando tuam salutem sitit: ob hoc & mendicat, ob hoc nudus errat, omni ope tibi æternam vitam conquirens. Ne igitur illum despicias, neque enim nutritum iam sese esse uult, sed nutriti: non indutum, sed indui: & tibi aureum illud uestimentum præparare, stolamque regiam. Nonne uides medicos eos, qui curiosiores quidem sunt, cum ægroti lauantur, & ipsos quoque lauare, ut etiam lorione non egeant: haud aliter & Deus ipse propter te laborantem, nihil non facit. Propterea à te nulla cum uolentia postulat, ut tibi copiosius retribuat: ut intelligas, quod nulla quidem indigentia pressus postulat, sed salutem tuam nutantem, lapsabundamque erigens, ob hoc ad te ille uili in habitu accedit, dextram porrigens: cui si obolum modò dederis, haud auersatur, quem si contempseris, non abscedit, sed rursus ad te adit, amat enim, amat ualdè nostram salutem. Pecunias igitur contemnamus, ut & pecunias affequamur, nam si hæc eas asseruauerimus, eas omnino tunc hæc tum illic amittemus: quod si liberaliter eas disperstemur, magna nimirum opulentia in utraque uita perfuemur. Qui ergo diues fieri uult, fiat pauper ut diues fiat, infumat ut colligat, spargat ut congreget, quæ ipsa si tibi noua ac parum credibilia uidentur, cum contemplantor, qui sementem facit: ac considera, ne illum quidè plura cogere aliter posse, nisi bona sua spargat, nisi quæ parata habet, effundat. Sementem igitur & nos faciamus, cœlumque tanquam agrum colamus, uti & multa cum abundantia metamus, & perennia bona affequamur: gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo patri gloria, una cum sancto spiritu in sæcula sæculorum. Amen.

nutriti uult, sed nutriti: non indui, sed induere.

HOMILIA OCTAUA.



Vid igitur dicemus inuenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? *Nisi Abraham ex operibus iustificatus fuit, habet quod gloriatur, sed non apud Deum.* Vbi dixit, quod mundus Deo obnoxius factus est, quod omnes peccauerunt, quod gloriatio exclusa, quod aliunde salutem assequi non licet, nisi à fide: deinceps ostendere studet, quod ne dedecori quidem est hæc salus, sed relucentis gloriæ causa, ac maioris quam quæ operibus constat. Nam quod & salus ea, quæ cum dedecore paratur, tristitia quadam coniuncta est, & hanc quoque suspensionem tollit: quanquam & ipsum hoc iam inuenit, cum non salutem modò sed iustitiam appellauit. Iustitia enim Dei, ait, in ipso reuelatur. Qui enim sic saluus fit, ut iustus, cum fiducia saluus fit: nec iustitiam solum appellauit, sed Dei ostensionem Deus porro rebus in gloriosis, splendidis, ac magnis se ipse venditat. Veruntamen & ex iis quæ proposita sunt, ipsum hoc adstruit per interrogationem ipsum sermonem profequens: quod quidem solemne illi semper est, tum ut perspicuitatem, tum ut fiduciam dictis suis asserat. Etenim & superius ita fecit, cum diceret: *Quid igitur habet in quo præcellat Iudæus? & Quid igitur, præcellimus eos? Nullo modo, ac rursus: Vbi gloriatio? exclusa est, & hic quoque. Quid igitur dicemus Abraham patrem nostrum? Quando quidem enim hunc Iudæi sursum ac deorsum uersabant, quod uidelicet patriarcha cum esset, tum autem Deo amicus, circuncisionem primus omnium accepisset: ostendere uult quod & ipse quoque ex fide iustificatus sit: quod quidem magnæ uictoriæ exuberantia erat. Nam absque operibus unum aliquem ex ipsa fide saluum fieri, nihil sanè inconueniens fuerit. Eum uero qui meritis ac rectè factis emineat, non quidem hinc, sed à fide iustum effici: id uero mirabile erat, ac tale, quod fidei vim ac robur maxime declararet. Quapropter aliis omnibus prætermisissis, ad hunc orationem reuocat. Ipsum porro patrem secundum carnem nominauit, hæc ratione cum depellens ab ea germana cognatione, quæ illi cum eis intercederet, Jacgentibus quasi uia strata indicans propinquitatem, quam cum illo haberent. deinde ait: *Si enim Abraham ex operibus iustificatus fuit, habet quod gloriatur, sed non apud Deum.* Quum igitur dixisset, quod Deus circuncisionem ex fide iustificat, & præputium item per fidem, atque hoc satis superque adstruxisset iis quæ supra posuit: & per ipsum quoque Abraham plenius ipsum idè demonstrat quam promiserit, committitque ipsam fidem cum operibus, quandam ueluti pugnam proponens, totumque certamen circa ipsum iustum firmat: nec id simpliciter. Vnde & grauitatem ualde asseruat, patrem illum uocans, eosque ad necessitatem cogens illi in omnibus parendi: Ne enim mihi, ait, Iudæum alleges, neu uel hunc uel illum in medium adducas. Ego enim ad ipsum demum fastigium, atque uide ipsa circuncisio initium cepit, conscendo. Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, ait, habet quod gloriatur, sed non apud Deum. Obscurum quidem dictum hoc: igitur necessarium est manifestius ipsum reddere. Sūt enim gloriatioes duæ, altera ab operibus, altera à fide. cum igitur diceret, si ex operibus iustificatus est, gloriationem habet, sed non apud Deum: ostendit quod & à fide posset gloriationem, & quidem longè maiorem, habere. Magna enim Pauli uis in hoc maxime declaratur, quod in contrarium detorsit quod proposuerat: & quod ipsa operum salus habebat, in quo & gloriaretur, & confideret, hoc ipsum multò magis à fide existere ostendit. Nam*

CAP. IIII.

Sup. 3.

Sup. 1.

Ibid. 4. Ibid. Ibid.

excludit eos à uera ipsius cognatione, sic Enim.

hæc de sunt in Veronensi.

desunt hæc in Veronensi.

Nam

Nam qui ob ipsa opera gloriatur, labores proprios habet quos obtendat: at qui ob hoc effertur, & sibi placet quod Deo fidem addiderit suam, multò maiorem gloriandi occasionem ostendat, ut qui dominum glorificet, ac magnificet. Quæ enim natura minimè dictauit (de iis loquor, quæ oculis nostris subiecta sunt) hæc à fide erga illum præstita admittit, tum germanam charitatem aduersus illum præ se fert, tum illius potentiam illustri præconio celebrat. Hoc ipsum porro generosissimi est animi, & philosophica sententiæ, & sublimis cogitationis. Etenim nec furem esse, nec parricidam, uel cuiuslibet esse possit: ac credere quod impossibilia possit Deus, hoc uero magni admodum animi indiget, & magnopere erga illum affecti, etenim germanæ charitatis hoc signum est, Si quidem & Deum quoque honorat, quisquis illius mandata implet: multo uero melius hic, qui fide philosophatur. Ille enim ei obedit: hic autem conuenientem de eo opinionem accipit, eumque glorificat atque admiratur uehementius ipsa operum demonstratione. Illa ergo gloriatio eius est, qui rectè aliquod factum præstiterit. Hæc autè Deum ipsum glorificat, ac quanta est, tota ipsius est. Gloriatur enim ob hoc quod magna quædam de eo cõcipiat, quæ quidem in illius gloriam redundant. Vnde ait erga Deum habere ipsam gloriationem, non ob hoc autem solum, sed ob aliud: gloriatur enim rursus fidelis, non quod Deum amat solum germanè, sed & quod ab illo magnum honorem assecutus est, magnam item dilectionem. Quemadmodum enim ipse illum adamat, magna quædam de illo imaginatus, hoc enim dilectionis argumentum: sic & Deus illum diligit sexcentorum criminum reum, non tantum supplicio liberans, sed & iustum efficiens. Habet igitur quamobrem gloriatur, se magna admodum charitate dignum habitum fuisse. *Ei uero qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Igitur hoc maius, inquit, nequaquam, etenim credenti imputatur: nūquam autem imputaretur, nisi & ipse quidpiam attulisset. Quapropter & hic debitorem habet Deum, nec uulgarium rerum debitorem, sed magnarum ac sublimium. Illius porro animi sublimitatem ubi ostendit, & spiritualem cogitationem, non simpliciter dixit, *Credenti: sed, credenti in eum qui iustificat impium*, Cogita enim quantum hoc sit, nempe credere, ac certam persuasionem concipere: quod possit Deus, eum qui in impietate uitam transegerit, derepentè non modò merito supplicio liberare, sed & iustum efficere, tum autem immortalibus illum honoribus dignari. Ne igitur existimes hunc imminui, quod illi non secundum gratiam imputatur. ipsum enim hoc maxime facit, ut fidelis eluceat, quod uidelicet tantam assecutus sit gratiam, tantamque exhibuerit fidem, ac uide & retributionem maiorem: illi enim merces datur, huic autem iustitia, longè autem præstat mercede iustitia. Est enim multiplicem mercedem comprehendens remuneratio, ipsa iustitia. Id ergo Abraham exemplo cū declarauit, & ipsum quoque Dauid adducit iis quæ dicta sunt suffragantem. Quid igitur ait Dauid? & quem tandem beatum dicit? eum qui operibus turget, an eum qui gratiam assecutus est: nempe qui remissionem ac donum obtinuit, an eum qui fidem ac beatitudinem? Beatitudinem porro cum dico, bonorum omnium fastigium dico, sicuti enim iustitia amplius quiddam est ipsa mercede, ita beatificatio maius quiddam est ipsa iustitia. Cum igitur ostendit iustitiam potiore esse, non ob hoc solum, quod eam Abraham accepit, sed ab ipsis etiam cogitationibus (habet enim, ait, quod gloriatur, sed non apud Deum) & alio rursus modo ipsam angustiorem, ac magis uerendam ostendit, adducens

A Dauid illi suffragantem. etenim hic (ait) eum beatum facit, qui ita fuerit iustificatus, cum dicit: *Beati quorum remissa sunt iniquitates.* Videtur porro non conueniens testimonium adducere, neque enim dixit, beati quorum fides ad iustitiam imputata est. Id quod prudens quidè facit, non etiam ignorans, ut maiorem ostendat hyperbolem. Nam si beatus est hic, qui à gratia remissionem accipit: multò magis qui iustificatus est, qui quæ fidem præ se fert: porro ubi beatificatio, ibi certè dedecore omni sublato magna gloria existit, est enim ipsa beatificatio mercedis cuiuslibet intentio, incrementum, & gloria. Quapropter in quo ille præstat, id non scripto expressum ponit, dicens: *Ei uero qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam.* In quo autem fidelis præcellit, id per testimonium scripto expressum adstruit, dicens, *Sicuti dixit Dauid, Beati quorum remissa sunt iniquitates.* Quid enim dicit, inquit, quod non secundum debitum, sed secundum gratiam accipit remissionem: sed ecce, hic est qui beatur, quem utique minimè bearet, nisi eundem magnam obtinere gloriam intelligeret. Nec ait, remissio igitur hæc in circuncisione: sed quid? *Beatificatio hæc (quod amplius quidem erat) in circuncisione, an in præputio?* Quæstionis est enim, bonum hoc & magnum cum utro consistat, cum circuncisione, an cum præputio: ac uide hyperbolem, ostendit enim illud non solum non præputium auersari, sed libenter cum ea uersari, uel ante circuncisionem. Quandoquidè enim qui sic beat, & ipse circuncisus erat, Dauid, & circuncisos alloquebatur: uide, ut studuerit Paulus, quod dictum est ad præputiatum appellere. Connectens enim iustitiæ beatificationem, ostendensque utrunque unum esse, quærit quo pacto iustificatus fuerit Abraham. Videamus quo pacto iustificatus est, præputiatus quum esset, an circuncisus? præputiatus inquit: *Dicimus enim quod imputata fuit Abraham fides ad iustitiam.* Superius scripturam cum citauisset, *Quid enim (ait) scriptura dicit? Credidit autem Abraham Deo, & imputatum est illi ad iustitiam.* Hic & loquentium quoque sententiam assumit, ostenditque in præputio iustitiam extitisse: deinde ab his obiectionem aliam exurgentem soluit. *Si enim qui præputiatus erat, inquit, iustificatus est, qua tandem causa circuncisio introgressa est? Signum accepit, inquit, & signaculum iustitiæ fidei, quæ inerat illi in præputio.* Vides, ut ostenderit Iudæos ueluti assecularum comitumque loco esse: uel ipsos præputiatos illis adiectos adiunctosque fuisse: Si enim iustificatus quidem est tum, cum præputiatus esset, ac coronatus est, postea autem circuncisionem accepit, certè posteriores introgressi sunt Iudæi: Igitur præputiatorum prius * est pater Abraham, eorum, inquam, qui illi per fidem fuerint consanguinei, & tunc qui in circuncisione, duplex enim est pater. Vides fidem splendescere? quousque enim ea accederet, non iustificatus est patriarcha. Vides præputium impedimentum nullum afferre? etenim præputiatus erat, nec prohibitus est iustificari, fide igitur posterior est circuncisio. Et quid miraris si fide circuncisio posterior est, quando & præputio quoque non solum autem fide posterior, sed & ipsa etiã longè inferior: ac tãtò certè inferior, quanto signum re ipsa cuius est signum inferius est. Verbi gratia; Quantò militis insigne milite ipso inferius est. Dices, & quãobrem signaculo egebat? non ipse egebat, quamobrem ergo illud accepit? *Ut esset ipse pater communis & credentium per præputium, & eorum qui in circuncisione essent.* Sed non simpliciter eorum qui in circuncisione, idcirco adicit: *Is qui non solum genus ducerent à circuncisione.* Si enim præputiatorum ille pater, non quod præputiatus est, quãquã in præputio iustificatus, sed quod ipsius fidem sunt æmulati: multò minus circuncisorum erit pater, propter

Gal. 3.

quatenus & istos præputiatos illis adiectos fuisse ostendit hoc è Budæi codice matratum. al. pri. mum.

Chryso. tom. 4.

præputia
ti circum-
cisos ex-
pellant.

circumcisionem, si fides abfuerit. Circumcisionem enim accepit, ut vtrique, ait, ipsum habeamus patrem, nec qui circumcisi fuerint, præputiatos expellant. Vides ut præputiati ipsum priores patrem habuerint? Quod si venerandum quiddam est circumcisio, quod iustitiam videlicet prædicet, non parvam & præputium præstantiam obtinet, ut quod iustitiam eam ante circumcisionem accepit. Tum ergo tibi licebit patrem illum habere, cum ingressus fueris vestigiis fidei, nec contemderis, nec tumultuatus fueris, legem introducens. Quamnam, obsecro fidem mihi narras? nempe eam quæ fuit in præputio. Rursus Iudaicam turgiditatem ac fastum compescit, iustitiæ tempus in memoriam redigens. & rectè dicit, *Vestigiiis*: ut tu æquè atque ille in corporum mortuorum resurrectione credas. etenim ille circa hoc ipsum fidem exhibuit. Quare si præputium explodis, apertè discito, ne ipsam quidem circumcisionem tibi prodesse: nisi enim fidei vestigiis institeris, ut sexcenties circumcisos fueris, non eris Abraham filius, quando & circumcisionem hoc nomine accepit, ut ne qui in præputio esset, te fastidiret ac reiiceret. Caue itaque ab illo id exigas: factum enim eiusmodi tibi, non illi auxilio fuit. At illud & iustitiæ signum ait, & hoc propter te: quando nunc ne hoc quidem est, tum enim tu corporum signorum egebas: nunc autem his minimè opus. Dicit aliquis: Num à fide licebat animæ ipsius virtutem perdiscere? licebat quidem. Verùm & hoc item additamento indigebas, quandoquidè enim animæ virtutem nequaquam es amulatus, neque videre potuisti, data tibi est sensibilis circumcisio: ut posteaquam te hac in re corporali exercueris, sensum deducaris & ad animi contemplationem: ac studiosè ipsam complexus, tãquam dignitatem maximam, imitari ac reuereri patrem edocearis, atque hoc non in circumcisioe modo Deus instituit, sed & in aliis item omnibus: nimirum in sacrificiis, in sabbatis, in festis. Nam quod causa ille tua circumcisionem accepit, audi quæ sequuntur. Cum enim dixisset, quod signum accepit, & signaculum, causam apponit, dicens: *Vt ipse esset pater circumcissionis*, iis qui & mentalem assumunt: nam si hanc solum habueris, nihil tibi amplius accedit. Signum enim & hoc est, cum ipsa res penes te extiterit, hoc est ipsa fides: quandoquidem si hac carueris, ne ipsum quidè signum, signū esse potest. Cuius enim signū erit? cuius signaculū? cum non sit qui ob signetur, haud aliter quàm si nobis balteū ostenderis, signaculum habes, nulla te intus reposita: quapropter ridicula circumcisio fuerit, nisi fides intus adfuerit. Nam si ea iustitiæ quidem signū est, iustitia autem carueris, fit, ut ne signum quidem habeas. hac enim de causa signum accepisti, ut rem exquireres cuius signum habes: quandoquidem si ipsam citra hoc exquirere esset, huius non indigeres. Non hoc autem prædicat solum circumcisio, iustitiam videlicet, sed iniustitiam, quæ in præputio esset. Aliud igitur nihil circumcisio prædicat, nisi quod circumcisioe minimè opus. *Etenim si ij qui ad legem pertinent, heredes sunt, inanis facta est fides, & irrita facta est promissio.* Declaravit, quod necessaria esset fides, quod circumcisioe vetustior, quod lege fortior, quod legè cõmendat. Nã si omnes peccauere, necessaria: si qui præputiatus esset, is iustificatus est, si per legem agnitio peccati, absque autè lege manifestata est, fortior: si legis testimonio probatur, & legem firmat, non aduersaria, sed amica & sociata: declarat rursus aliunde fieri non potuisse ut per legem hereditatem assequeris, quam fidem cum comparasset circumcisioe, victoriãque reportasset, eandem rursus legi opponit, sic inquit: *Si enim qui ad legem pertinent, heredes sunt, inanis facta est fides.* Ut ne quis enim

diceret fieri posse, ut fidem habeas legemque serues: ostendit id esse impossibile. Nam qui ipsam legem amplectitur, tanquam quæ salutem afferat, is fidei vim improbat: ob quod ait, Inanis facta est fides: hoc est, non opus est salute ea, quæ per gratiam fit: neque enim ea potest suum ipsius robur declarare. Etenim Iudæus fortasse dixerit, Quid enim mihi fide opus? Igitur si hoc verum, vnà cum fide promissio pessum iit. Vide ut in omnibus, ab ipso patriarcha à summo rei totius initio cū ipsis depugnet: nam cum ostendit illinc iustitiam vnà cum fide hereditariam factam, ostendit & promissionem similiter. Ut ne enim diceret Iudæus, Quid mihi curæ est, si per fidem iustificatus est Abraham? dicit Paulus, Ne id quidem quod ad te maximè pertinet, nempe possessionis promissio, potest sine illa ad opus deduci: quod maximè illos territat. Quamnam porrò promissionem ait? ut mundi hæres sit, & in eo omnes benedicantur, & quo tandem pacto irrita facta est hæc promissio? dixerit aliquis. *Nam lex iram operatur. Cuius enim lex non est, huius nec transgressio.* Quod si iram operatur, & transgressioni obnoxios facit: liquet planè quod & execrationi quoque. porrò qui execrationi supplicio ac transgressioni obnoxij sunt, ij ne digni quidem sint, qui hereditatem cernant, immo & pœnas dare, & expelli merentur. Quid igitur? Accedit fides gratiam illiciens, ut promissio ad opus deducatur. vbi enim gratia, ibi venia: vbi venia, ibi nullum supplicium: supplicio porrò sublato, ac iustitia à fide accedente nihil prohibet hæredes nos fieri promissionis eius, quæ à fide datur. *Idcirco igitur ex fide, ait, datur hereditas, ut secundum gratiam firma sit promissio vniuerso semini, non ei quod est ex lege tantum, verum etiam ei quod est ex fide Abraham, qui est pater omnium nostrum.* Vides quod non solum legem stabilit fides, sed & ipsam hanc Dei promissionem perire non patitur. Lex autem è diuerso & fidem irritam facit, præter tempus obseruata, & promissionem impedit. propterea ostendit non solum non superuacaneã esse fidem, sed & sic necessariam, ut sine ea ne seruari eam transgressi sunt, hæc autem iram prorsus coalescere non patitur. *Cuius enim non est lex, ait, huius neque transgressio.* Vides ut non solum peccatum exortum delectat, sed ne ipsum quidem exoriri sinat. propterea ait: *Per gratiam.* Quamobrem tandem? non quidem ut pudeamus. Sed *ut firma sit promissio vniuerso semini.* Duo bona hic ponit: quod videlicet & firma ea sint, quæ dantur: & quod vniuerso semini ea parata sint, eos qui à gentibus oriundi sunt cogens, Iudæosque ostendens exclusos esse, si ad fidei auditum nomen contentionem mouerint. Hoc enim firmius illo, neque enim te fides damno afficit, ne contentionem cieas, sed te à lege in periculum adductum seruat. deinde posteaquam dixit, vniuerso semini, diffinit, qualinam semini. *Quod est ex fide, inquit, Cõnectens cognationem quæ ad gentes pertinet, ostendensque non posse eos ob ipsum Abraham sibi placere, qui non perinde crediderint, atque ille.* Ecce & aliud quiddam tertium fides operata est, nam cognationem eam, quæ ad iustum pertinet, accuratorem fecit, tum autem plurium liberorum patrem declaravit. Vnde non simpliciter dixit Abraham, sed nostri credetium patris, deinde testimonio dictum ob signas: *Sicut scriptum est, inquit, patrè multarum gentiū constituit te.* Vides hæc iam inde ab initio ordinata? Quid igitur, dixerit aliquis, si de Ismaëlitis, aut Amalecitis, aut Agarenis hæc dicit? Hoc certè vterius progressus manifestius ostendit, non de illis prolatum fuisse. sed interim ad aliud festinat, per quod & ipsum hoc declarat, propinquitatis huius modum definiens, ac magno

Gen. 15.
Gen. 7.
multa d
magnum
centia.
cum

Nulla res
fit quæ,
aut pro
qui, leges,
quod.

cum consilio hoc adstruens. Quid enim ait? *Ad exemplum Dei cui credidit.* Quod porrò ait, hoc est: Quemadmodum Deus non est singularium Deus, sed omnium pater: sic & ipse, & rursus, sicuti Deus pater est non secundum naturalem cognationem, sed secundum fidei necessitudinem: ita & ipse. Obedientia enim patrem facit, ac genitorem omnium nostrum. quandoquidè enim hæc cognatione nihili faciebant, crassiorumque illã retinebant, ostendit hanc esse magis ratam, orationem ad Deum deducens, ac vnà cū his & illud demonstrans, quod videlicet fidei retributionem hanc accepit: quare nisi hoc adfuerit, omniumque extiterit pater terram inhabitantium, verbum id, ad exemplum, locum non habet, sed mancum factum est Dei donum. ad exemplum enim sonat, perinde. *Qui enim mirum fuerit, obsecro te, patrem illum esse suorum, & se genitorum?* hoc enim quivis homo assequitur, quod enim nec opinatum est, illud quidem est: quod videlicet, quos à natura non habuit, eos ut Dei dono acciperet. Quare si credere vis, patriarcham fuisse honorem assecutum, credito & illum eundem omnium esse patrem. Vbi autem dixit, ad exemplum Dei, cui credidit, non intra ea verba constitit, sed & addidit: *Qui vitam restituit mortuos, ac vocat ea, que non sunt, tanquam sint.* Iam hinc veluti iactis fundamentis, de resurrectione sermonem præparans, ut qui ei ad rem propositam accommodus esset. Si enim possibile illi mortuos vitam restituere, & ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt producere: possibile eidem & eos, qui ab ipso nati non fuerint, ipsius filios efficere, ob quod non dixit, qui producit ea quæ non sunt: sed, qui vocat, maiorem facilitatem ostendens. Quemadmodum enim nobis facile est vocare ea quæ sunt: ita ei facile, ac multò facilius, ea quæ non sunt, in rerum naturã producere. Porrò cum Dei donum magnum esse dixisset, & immentum, deque illius potestate differuisset, ostendit & Abraham fidem dono ipso dignam esse, ut ne putes eum temerè honestatum fuisse: excitatoque auditore, ut ne Iudæus obturbet, obstrepat, aut animi pèdeat, ac dicat: quid fieri potest, ut qui filij minimè sunt, filij tamen fiant? traducit orationem ad patriarcham atque ait, *Qui præter spem sub spe credidit, se fore patrem multarum gentium, iuxta id quod dictum est, sic erit semen tuum.* Quo pacto præter spem sub spe credidit? præter spem humanam, sub spe Dei. Ostendit enim & rei magnitudinem, nec finit tamen fidem dicto abrogari, quæ inter se pugnantia sunt, fide ipsa temperante. Quod si de illis loqueretur qui ab Ismaële ortum habuerunt, superuacanea hæc esset oratio, illi enim non secundum fidem, sed secundum naturam geniti sunt. Sed & Isaac in medium adducit: non enim pro illis gentibus credidit, sed pro eo qui ab vxore sterili edendus esset. Si igitur merces est, patrem multarum gentium fieri: de illis gētibus intellige, pro quibus credidit videlicet. Nam ut scias de his illum loqui, audi quæ sequuntur: *Ac non infirmatus fide, haud considerauit suum ipsius corpus iam emortuum.* Vides ut impedimenta ipsa ponat, & altum iusti animum omnia transcendentem, præter spem, inquit, quod promissum erat: primum hoc impedimentum, neque enim ipse alterum Abraham habuit, quem videret sic suscepisse filium, nam qui ab illo extiteret, ad illum respexere ille autem ad nullum, sed ad Deum solum, quapropter, præter spem, dixit. Deinde, corpus emortuum: hoc secundum, & mortificatio vuluæ Sarra: hoc & tertium & quartum. *Verum ad promissionem Dei non hesitavit ob incredulitatem.* Neque enim demonstrationem dedit, neque signum fecit Deus, sed verba erant nuda solum, promittentia ea quæ natura non pollicebatur, sed tamen non hesitavit, inquit. Non dixit illum non in-

Chrysof. 1077. 4.

credulum fuisse: sed, non hesitauisse, hoc est ne animo quidem suspensio, ancipiti, ac dubio fuisse. Porrò autem quod tot ei impedimenta existerent, inde edocemur, ut innumera etiam, quæ impossibilia quidem videantur, promittat Deus, nec ea admittat qui audierit, eam imbecillitatem non ab ipsarum rerum nasci ingenio, sed ab eius stultitia, qui non admittit. *Sed robustus factus est fide.* Vide Pauli philosophiam: nam quandoquidem agebatur tum de iis, qui opera præstant, tum de iis qui credit, fidemque exhibent suam, ostendit eum qui credit, maius opus illo præstare: tum autem maiori fortitudine, maiori robore indigere, nec contemptibilem ac vulgarem laborè sustinere: etenim eleuabant Iudæi, attenuabantque fidem, tãquam quæ laborem non haberet. Igitur aduersus id sese obfirmans, ostendit non eum solum, qui temperantiam, aut aliud id genus meritum præstat, sed & eum quoque qui fidem credulitatemque affert, magna admodum virtute ac potentia indigere. Quemadmodum enim roboris ille eget ad propellendos à se adorientis intemperantiæ insultus, ita & huic quoque valido ac potenti animo opus est, ad defendendas, explodendãque incredulitatis cogitationes. *Qui igitur fortis extitit? Fidei, inquit, non cogitationibus rem ipsam commisit, alioqui futurum erat, ut laboretur, animumque desponderet.* Qui porrò fidem præstitit? *Tribuens gloriam Deo, inquit, certa persuasione concepta quod is qui promiserat, idem potens*] *esset & præstare.* Igitur ipsum hoc, nõ curiosè indagare scilicet, est Deum glorificare, sicut curiosè indagare, est peccare. Quod si quoties inferiora hæc curiosè nimis perscrutamur, inquirimusque, Deum minimè glorificamus: multò magis quoties domini ortū superuacanea curiositate inquirimus, tanquã qui iniuriã inferamus, extrema patiemur. Si enim resurrectionis typum exquirere minimè oportet, multò minus arcana illa, & horroris ac reuerentiã plena. Nec dixit, credens, simpliciter: sed, certa persuasione concepta: nam tale quiddã fides est, nimirum apertior, manifestiorque demonstratione ea, quæ perpendentis animi ratio cinatio parit, atque adeo maiorem in suadendo vim obtinet. neque enim fluctuat, si qua fortè alia cogitatio in eam introgressa fuerit. Etenim qui perpendentis hinc inde animi ratiocinationibus paret, is certè & sententiã mutare possit: at qui fide se obfirmat, auditionem suam cogitationibus iis quæ nocere possunt, veluti vallo munitam occludit. Quum igitur dixisset, quod à fide iustificatus esset, declarat quod & Deum a fide glorificauerit: quod ipsum vitam maximè proprium est. Luceat enim lumen vestrum coram hominibus, ut videant bona opera vestra, & glorificent patrè vestrum qui in cœlis est. ecce hoc fidei esse apparuit. Rursus autem ut opera indigent roboris, ita & fides. In ipsis quidem operibus præstandis vsu sape venit, ut sudorem corpus patiat: in ipsa autem fide, animã simplicis ac nuda meritū existit. Quã obrem maior est labor, cum ea videlicet certaminum socium, participemque non habeat. Vides ut omnia, quæ operis erant, ostendit maiori cum exuberantia ipsi fidei inesse. Verbi gratia, Gloriarì erga Deum, fortitudinis ac laboris egere, Deum rursus glorificare. Per hæc porrò verba *Qui promiserat, idem] potens esset & facere,* videtur mihi & de futuris aliquid prædicere: neque enim præsentia solum promittit, sed & futura: hæc enim illorum typus erant. Est igitur incredulitas mentis infirmæ, pusillæ ac miseræ. Quamobrem quoties nobis nonnulli credulitatem vitio vertent, illis contra vitio vertamus incredulitatem, ut miseris, pusillanimibus, insipientibus, infirmis & asinis nihilo melius habentibus. Quemadmodum enim creduli-

id quod
promissio-
rar potes.

Mat. 5.

Quod pro
miserat.

C ij

tas, animi est magni ac sublimis, ita incredulitas animi A
est exilis, ratione maximè carentis, & ad pecudum a-
mentiam depressi. Itaque illis omittis ipsum patriarcha
æmulemur, ac Deum glorificemus, quemadmodum &
ille gloriam illi dedit. Quid porro illud est, gloriam illi
dedit? illius iustitiam, illius immensam potentiam cõ-
sideravit, tum autem conuenientem de eo cogitationẽ
sibi sumpsit, atque ita demum plenam ac certam pro-
missorum persuasionem induit.

MORALE.

Lac. 12.

Igitur & nos quoque illum glorificemus, tum per ip-
sam fidem, tum per ipsa opera, ut mercedem hanc ac-
cipiamus, ab illo scilicet ut glorificemur. Eos enim qui
me glorificant, ait, glorificabo. quanquam si nulla etiã
proposita esset merces, vel hoc ipsum gloria fuerit, ne-
pe quod digni habiti fuerimus, qui Deum glorificemus.
Nam si qui regum laudes decantant, celebrantque, ij
ob hoc tantummodo magnopere sibi placent, ut nul-
lus inde alius fructus existat: considera quantæ demum
gloriæ fuerit, si dominus noster per nos glorificetur?
quemadmodum & quanti supplicij, si authores ipsi fue-
rimus, ut per nos ille blasphemetur, ac malè audiat: quã-
quam hoc ipsum, nempe glorificari, causa ille nostrã
feri vult, ipse enim re ipsa minimè indiget. Quantum
enim esse putas Deum inter, & homines discrimen? an
quantum inter homines & lumbricos? sed nullum prorsus
dixi discrimen vel tanto à me posito. neque enim
id quantum sit verbis exprimere queas. Igitur num vel-
les ipse à lumbricis gloriam capere magnam ac splen-
didam? nequaquam. ergo si tute gloriæ sitiẽs, hoc nol-
les: qui hoc affectu vacat, atque ab eo intantum est re-
motus, is quo tandem pacto gloriæ à te manantis indi-
guerit? Sed tamen vel minimè egens cum sit, ait se illã
cupere propter te. Si enim sustinuit, ut propter te ser-
uus fieret, quid demiraris, si hac eadem de causa, & alia
quoque suscipit, amplectiturque? nihil enim se esse in-
dignum existimat, quod quidem salutis nostræ conducat.
Hæc ipsa igitur cum ita se habere nouerimus, peccatum
id omne effugiamus, per quod Deus blasphemia afficiatur.
Ait enim scriptura, tanquam ab aspectu serpentis, fuge à peccato:
nam si ad illud accesseris, mors mordebit te. non enim illud ad nos
accedit, verum ipsi ad illud transfugimus. Siquidem & huic quoque
rei Deus ita prouidit, ut ne videlicet diabolus sua tyrannide
superior nobis esset. alioqui enim nullus inueniretur
contra illius robur stare valens, propterea habitare illum
voluit, tanquam latronem quempiam, ac tyrannum, qui nisi
quem apprehenderit inermem ac solitariũ, in suas speluncas
descendentem, accedere sanè nõ sustinet: nisi nos per desertum
iter facientes viderit, appropinquare non audet. desertus autem
diaboli locus aliud nihil est, quam ipsum peccatũ. Opus est
ergo nobis fidei scuto, salutis galea, spiritus gladio, non quidẽ
ut ne malum aliquod patiamur tantum, sed ut illius caput,
irruere volentis, obruncemus: opus est item & assiduis
precibus, ut ille sub pedibus nostris conteratur. Impudens
est enim & impurus, & quidem ab inferiori loco depugnans:
sed tamen vel sic victor euadit. Cuius rei causa ea est, quod
studium nullum adhibemus, quo ipsi illius plagis altiores nos
collocemus: neque enim ille potis est sese admodum sursum
attollere, sed deorsum trahitur, & serpentis formam gerens,
quod si initio sic ordinauit illum Deus, multo magis & nunc, qui si
ignoras, quid tandem sit ab inferiori loco depugnare, tibi
hic ego enitar pugnæ huius modum declarare. Quid igitur
est ab inferiori loco depugnare? nempe à rebus quæ infra nos
sunt, digladiari, à voluptate & di-

Eccl. 17.

Deserat, i.
m ordebit,
alij legunt
Deserat,
id est, sus-
cipiet, si-
ue exci-
piet.

atque hu-
ius serpẽs
typus erat.
Gen. 3.

uitiis, denique à secularibus quibuscumque rebus. Quapropter
si quem ille viderit volatu ad cœlum ferri, primum saltu
cousque contingere haudquaquam potest. deinde id aggressus,
celeriter concidet: neque enim pedes habet, ne formides, non alas,
ne terrere: super terram trahitur, iis quæ in terra sunt adhaerens.
Igitur nihil quicquam fit tibi cum terra commune, ac labore nullo
egebis: neque enim pugnam eam nouit, quæ aduerso vtrinque
cornu geritur, sed veluti serpens spinis occultatur, intra
diuitiarum imposturam assidue latitans, qui si spinas incideris,
facile aufugiet, timidus redditus, si & in illum diuinas
incantationes canere noueris, statim vulnerabitur. Sunt enim
nobis, sunt inquam nobis incantationes spirituales, ipsum
nomen domini nostri Iesu Christi, tum ipsius crucis potentia.
Huiusmodi incantatio non solum draconem à spelæis abigit,
atque in ignem coniicit, sed & vulneribus quoque medetur:
quod si multi extiterẽ, qui dictis illis carminibus sanati
minimè fuerint, accusent illi modicam suam fidem, nõ dicti
infirmitatem: quando & ipsum Iesum multi quidem pellebant,
ac premebant, ac nihil tamen inde lucrari reportabant.
At quæ sanguinis profluuio laborabat mulier, ne tacto
quidem corpore, sed ipso tantum vestis limbo, diuturnos
sanguinis fontes stirit. Hoc nomen & demonibus terribile,
& perturbationibus, & agritudinibus: hoc igitur ornemur
ipsi, hoc tanquam muro nos muniamus. sic & Paulus factus
est magnus, quanquam & ille eadem nobiscum natura constans.
sed illum ipsum fides sibi immutatum alium pro alio effecerat,
quin & tanta erat in illo fidei abundantia, ut vel eius vestes
magna pollerent potestate. Quo igitur pacto nos ipsi excu-
tabimus? si illius quidem & vmbra & vestes mortem exegere,
ipsos autem affectus nostræ quidem preces compelescant:
quid tandem causa est? nempe ingens animi discrepantia: nam quod ad
naturam spectat, ea æqualis quidem est, & communis. Ille
enim perinde atque nos natus est & educatus, tum autem
terram habitauit, & aërem respirauit: at cætera nobis
longè maior ac melior, zelum, fidem, charitatem. Ipsum igitur
imitemur, præstantes ut per nos Christus loquatur: hoc ille
cupidius auet, quam ipsi nos, atque ob id organum hoc
apparuit, quod quidem non vult infructuosum atque iners
manere, sed assidue id in manibus habere. Quin igitur
illud artificis manus accommodum apparatus: non etiam
remittit chordas, iis que mollioribus per delicias effectis,
citharam totam illi inutilem reddis: cum eam oporteat
constringere, & intendere cantus, & sale spirituali
constipare. Nam si eam hac ratione aptatam viderit,
per nostram etiam animam resonabit Christus: quod certè
cum à nobis factum fuerit, & angelos videbis exultantes,
& archangelos, & Cherubim. Digni igitur inculpati
illis manibus efficiamur, ipsum exhortemur, ut & nostrum
quoque cor pulset: imò verò ne exhortationis quidem
ille eget, dumtaxat eo tactu cor idem dignum comparato.
Sic fiet, ut ille ad te prior accurrat. Nam si imparatis
vltrò etiã accurrat (Paulo enim tali nondum effectu
encomij telam orditur) is cum te paratum viderit,
quid tandem facturus non est? quod si Christus resonauerit: tum certè & spiritus omnino præstò aderit, erimisque
cœlo meliores, non solem habentes ac lunam corpori
impresam, sed solis & lunæ & angelorum dominum
inhabitantem, & inambulantem in nobis. Hæc autè dico
nõ quod mortuos suscitemus, neque quod leproso-
rum expurgemus: sed ut horum omnium signum
charitatẽ exhibeamus. Vbicunque enim bonũ id
affuerit, statim filius præstò est, vnã cum patre,
inibi etiã & spiritus gratia frequenter. Vbicunque
enim fuerint (ait) duo vel tres cõgregati

Mat. 18.

73

in nomine meo, ibi sum in medio ipsorum, quod quidẽ
magni est affectus, pertinetque ad eos qui valde amant,
amatos scilicet vtrinque habere. Dices, ecquis autè ita
miser est, ut nolit Christum ipsum mediũ habere? Cer-
tè ipsi nos illi sumus, qui mutuis inter nos seditionibus
conflictamur. Ac fortasse me ridebit quispiam, dicetque:
Quid ais? vides omnes nos intra eodem parietes esse,
intra vnũ idẽmque ecclesiæ claustrum, sub eadem
mandram vnanimitè coactos, neminem depugnãtem,
sub vno eodemque pastore communiter acclamantes,
communiter quæ dicta fuerint exaudientes, communi-
ter preces fundentes, & tu hic tamen pugna ac seditionis
mentionem infers. Pugna quidem mentionẽ infero
neque insanio, aut mente alienata sum. Video enim,
quæ video, nec me latet nos sub vnũ stabulum coactos,
vnũ pastorem habere: propterea autem mirum in
modum lamentor, quòd cum nos tot res copulauerint,
seditionem tamen agitemur. Et quãnam, inquis,
seditionem hic vides? hic seditionem quidem nullam.
Verum concione hac soluta, hunc ille accusat, alius ap-
pertè iniuriam affert: alius inuidet, auaritiæ & rapacitati
studens: alius vim affert, alius perditẽ amat, alius sex-
centos confuit dolos: quòd si nostras animas detegere
daretur, tum demum hæc, quæ dico, omnia exactè perspicere-
tur, cognoscereturque me hac in parte non desirare.
An non videtis in exercitiis id vni euenire, ut milites
pacis tempore armis positos nudi & inermes alteri
ad alteros committunt? verum ubi armis sese illi
manuunt, ubi & custodia, & præsidia, & insomnes noctes,
ubi & assidui item ignes incenduntur, iam nox pax,
factum eiuusmodi, sed bellum. Hoc ipsum & in nobis quoque
videre est. Etenim à nobis ipsi inuicem cauentes inter nos
timemus, & ad aures proximo vnusquisque verba facimus:
ac si alium accedentem viderimus, silemus, cõque sermone
medio omnia contrahimus: quod quidem nequam confidentium
est, sed hominum sibi admodum cautium. At hæc, inquis,
à nobis sunt, non quòd iniuriam faciamus, sed ut ne patiamur.
ob hoc ipse lugeo, quòd eum inter fratres viuimus, ut ne
tamen iniuria afficiamur, custodiã egemus, tot ignes
incendimus, tot custodias ac præsidia adhibemus. Cuius rei
causa quidem est mendacis fraudisque copia, tum autem
ingens charitatis extincta penuria, vno verbo, bellum
irreconciliabile. Ob quod non paucos inuenias gentilibus
plus fidentes, quam Christianis. Atqui quam hæc indigna,
quam inuerecunda, quam lacrymanda, quam deploranda
sunt? Dices, quid facias? hic difficultibus atque
incommodis moribus præditus est. & ubi philosophiam
istam didicisti? ubi sunt leges Apostolicæ, quæ ipsæ iubent,
ut onera inter nos nostra feramus? nam si fratris
consuetudine vti nescis, quando vnquã poteris
externi hominis vsũ rectè ferre? si membrum nescis
contrectare tuum, quando vnquam alienum illicere,
& tibi ipse cooptare poteris? Enimvero quid iam
faciam? ad lacrymas effundendas naturã propensius
minimè sum, quandoquidẽ abundantes ex oculis fontes
emitterem iuxta prophetam illum, hoc ipso quòd hoc in
campo bella conspiciam infinita, illis perniciofiora.
Ille quidem barbaros irruentes intuitus, dicebat, Vterus
mihi, vterus mihi dolet: ego verò sub vno imperatore
instructos eum videam, deinde contra se mutuò stantes,
mordentes, ac sua inuicem membra concidentem, hos
quidem pecuniarum, illos gloriolæ nomine, alios temerè,
ac nulla causa subsannantes, atque irridentes, ac
vulnera inter se multa infligentes, & mortuos ite-
iis, qui in bello pereunt, grauiter enectos, denique fratrum
nomen nudum duntaxat relictum esse, tum demum ne
me habere quidem sentio quãnam deplorationem

Gal. 6.

Hier. 4.

Chrysost. tom. 4.

hac tragœdia dignam extogitem. Verò amini igitur, ve-
reamini mensam eam, cuius omnes participes sumus,
Christum propter nos trucidatum, sacrificium eidem
mensæ superpositum. Prædones scilicet eundem simul
comedentes, prædones esse desinunt, duntaxat aduer-
sus eos quorum conuictu vsi fuerint, mensa, cõsque
illorum mores immutante, ut qui feris immaniores es-
sent, eos ouibus mansuetiores reddat. Ipsi autem ei-
usmodi mensæ ac cibi participes aduersum nos mutuò
armamur, eum hoc ipsum aduersum diabolum hostem
communem facere conueniat. hoc quod nos quidem
infirmiores efficit, ille autem fortior in dies singulos eu-
uadit. neque enim coniunctis viribus aduersum illum
munimur, sed nobis inuicem contrarij stamus, atque co-
duce ad eijsmodi acies conflictusque vtimur: cum con-
ueniat aduersum illum solum depugnare, sed quo tamẽ
relictò, aduersum fratres sagittas dirigimus. Quãnam,
inquis, sagittas? eas inquam, quæ à lingua, atque ore ex-
eunt: neque enim ipsa solum iacula, ac tela, sed & verba
quoque telis ipsis multo letaliora vulnera inferunt. At
qui poterimus, inquis, bellum hoc conficere? Si cogi-
taueris quòd fratri tuo dum obrectas, cœnum ab ore
tuo profundis. Si cogitaueris, quòd Christi membrum
calumnias, quòd carnem propriam deuoras: quòd iudi-
cium tibi seuerius reddis, iudicium inquam illud ter-
ribile & incorruptum: quòd telum non eum, qui ictus
est, sed te qui ciaculatus es, occidit. At me, inquis,
iniuria quadam affecit, ac mihi damno fuit? Suspira,
ne maledixeris. Lachrymare non ob tuam iniuriam, sed
ob illius exitium. quemadmodum & tuus dominus
Iudas lachrymatus est, non quandoquidem ipse cruci-
figebatur, sed quandoquidem ille prodebat. Iniuria
te, & conuicio affecit? Deum obsecra ut statim
propicius illi fiat. Frater tuus est, membrum est tuum,
idem tecum nascendi initium cepit, ad eandem tecum
mensam vocatus est, sed cõ magis, inquis, mihi ille in-
sultat. Igitur hac quidem ratione, maior tibi merces:
hac ratione potissimum par est, ut iram ponas, quoniam
quidem letalem accepit plagam, quoniam quidem ip-
sum vulneravit diabolus. Ne igitur & tu præterea fe-
rias, neve ipsum vnã cum illo deicias: nam tantisper
dum supercedes, potes ipse & illum seruare: qui si ini-
uriam iniuria retulians, te ipse quoque deieceris, quis
tandem vos humi iacentes tollet? ille vulneratus? certè
haudquaquam poterit, humi prostratus: an tu qui vnã
cum illo collapsus es? itane verò qui tibi ipse manum
porrigere nequiuisti, alteri poteris? Stas igitur generoso
pectore, ac scuto opposito, vel mortuum illum è pu-
gna (frater tuus est) per lenitatem trahito. Vulnerauit
illum ira: ne vulneraueris & tu, sed prior iaculum abiici-
cito. Nam si ita inter nos vixerimus, è vestigio sani om-
nes erimus: sin autem arma in nosmet inuicẽ sumple-
rimus, ne diabolo quidem opus erit ad nostri interne-
cionem: nam cum omne bellum perniciosum, tum in
primis intestinum. Hoc porro bellum vel intestino tantò
est perniciosius, quãto maiora nobis sunt vitæ eius quã
viuimus, seu potius cognationis ipsius iura. Quondam
frater interfecit Abel cognato sanguine effuso. Verum-
tamen hæc cædes tantò illa est iniquior, quanto & pro-
pinqunitatis maior, & mortis grauior conditio. Etenim
ille corpus vulnerauit, tu autem aduersum ipsam ani-
mam ensẽ acuisi. At tu iniuriam prior passus es? Ve-
rum non quòd passus fueris, sed quòd feceris, hoc ip-
sum est iniuriam passum esse. Cõsidera porro: trucidauit
Cain, trucidatus est Abel. Vter igitur mortuus erat?
Is qui post mortem clamabat, (Vox enim, inquit, san-
guinis Abel fratris tui clamat post me.) an qui dum vi-
ueret, timidus, trepidusque erat? hic enim, hic quouis

is. xxi.
id est, stas.

Gen. 4.

C iij

75 mortuo miserabilior erat. Vidisti vt melius præfatius- que sit iniuria affici, etiam si ad eadem vsque quis processerit: disce vt iniuria afficere deterius sit, etiam si ad sanguinem vsque hic peruenierit. Percussit ille ac deiecit fratrem: verum hic coronabatur, ille contra puniebatur. sublatus trucidatusque est præter ius Abel, sed tamen hic quidē moriens accusabat, damnabat, ac mactabat. Ille autem vel viuens obmutescerebat, & pudore suffundebatur, & reus peragebatur, re ipsa illi contra animi sententiam cedente. Interficebat enim, quandoquidem dilectum videbat, expectans à dilectione illum exturbare. Extendit autē dilectionē magis ac magis, & ipsum sanē mortuum Deus magis inuestigabat cum diceret, Vbi est Abel frater tuus? non enim inuidencia amorem extinxisti, quin potius incendisti magis: honorem cæde non imminuisti, sed eo intendisti magis. Antea enim illum tibi subdiderat Deus, posteaquam verò illū interemisti, vel mortuus te vlciscetur, tanta est mea erga illum dilectio. Vter igitur est reus peractus, qui supplicium affert, an qui supplicium patitur? qui tantum à Deo honorem assequitur, an qui nouo cuidam & insperato supplicio addicitur? Illum, inquit, viuentem non timuisti, igitur mortuum timeto: non territis es gladiū impacturus, tremore assiduo corripieris, vel sanguine iā effuso. Viuens tibi seruiebat, neque tulisti, ob hoc mortuus tibi factus est territis dominus. Hæc igitur considerantes dilecti, inuidenciam fugiamus, extinguamus vitiositatem, charitatem mutuo retribuentes, vt illius fructus tum in hac, tum in futura quoque vita decerpamus: gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi: per quem, & cum quo patri gloria, vnā cum Sancto spiritu, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA NONA.



NON scriptum est autem propter illum tantum, imputatum fuisse illi ad iustitiam, sed etiā propter nos, quibus imputabitur credentibus in eū, qui excitauit Iesum dominum nostrum à mortuis. Posteaquam multa magnificè de Abraham locutus est, tum autem & de illius fide, de iustitia, de honore eo, quem est ille à Deo assecutus, vt ne auditor diceret: Id verò quid nostra refert? ille enim est qui iustificatus fuit, ipsos nos rursus propter patriarchā collocat: ea est spiritaliū verborū vis. Eum enim qui à gētibus ortus fuerit, quique nuper ad fidē se cōtulerit, vel nullis operibus ab eo præstitis, non solum ait nihilo minus reportare, quā Iudæus fidelis, sed quā ipse etiā patriarcha reportauerit, atque adeo, si quid admiratione dignū proferendum sit, multo etiā amplius. Tanta est enim nostra nobilitas, vt illius fides nostræ fidei typus existat: nec dixit, sin autem illi imputatum est, verisimile est fore, vt & nobis quoque imputetur, idque vt ne dictum ipsum ad syllogismum trahat. Ex diuinarū autem legum autoritate loquitur: perficiens vt ipsum hoc totum, sacræ scripturæ sententia sit. Quānam enim, inquit, ob rem scriptum est? nempe vt pernoscamus, quod & nos quoque eadem ratione iustificamur? eidem enim Deo iisdem de rebus credimus: quāquam non iisdem in personis. Nostræ porro fidei vbi mentionem fecit, & Dei item immensam erga humanum genus benignitatem enumerat, quam nunquam non circumfert, crucem in medium afferens, quod & nunc declarauit, inquit: *Qui traditus fuit propter nostra peccata, & excitatus est propter iustificationem nostri.* Vide vt dicta mortis causa, eandem & resurrectionis probationē faciat. Cur enim, ait, cruci suffixus fuit? non ob proprium delictum, id quod ex resurrectione liquet: si enim peccator erat, quomodo resurrexit? qui si resurrexit, planū

est illum peccatorem non fuisse. Peccator porro si minus erat, qui crucifixus fuit? aliorum causa. quod si aliorum causa, omninō resurrexit. Nam vt ne diceres, quo tandem pacto tot tantisque peccatis affines, obnoxiique cum simus, iustificari possumus? ostendit illum peccata omnia deleuisse: vt tum ex fide Abraham, per quam iustificatus est, tum ex seruatoris morte, per quā peccatis liberati fuimus, sermonem confirmet. Illius autem mortem vbi dixit, dicit & resurrectionem. neque enim hoc nomine mortuus ille est, vt nos sibi reos factos damnaret, puniretque nocentes reptos, sed vt de nobis benè mereretur, propterea enim & mortuus est, & resurrexit, vt iustos nos efficeret. *Iustificati igitur ex fide, pacem habeamus erga Deum per dominum nostrum Iesum Christum.* Quid hoc sibi vult, pacem habeamus? quidā aiunt Paulum id sentire, vt ne amplius seditionibus inter nos agitemur, contententes videlicet ipsam legem introducere. Mihi autem videtur de vitæ nostræ ratione iā disputare: nam cum multis verbis de fide differuisset, eandemque vel iustitiæ ab operibus præstitæ antepoluisset, vt ne quis existimaret illius verba veluti concordia atque ignauia argumentum esse, ait, pacem habeamus: hoc est ne amplius peccemus, neque ad pristina facta nostra reuertamur, hoc enim est bellum gerere aduersus Deum. Dices: qui verò fieri potest, vt ne amplius in peccatum prolabamur? qui, obsecro, prius illud fieri potuit? Etenim si tot, tantisque peccatis obnoxii cum essemus, omnibus tamen per Christū liberati fuimus, quantō magis illius opera fiet, vt in quo sumus statu, perseueremus? neque enim perinde fuerit, pacem quæ minimè sit, accipere, atque datam retinere. Est enim ipsum acquirere, quā tueri difficilius: sed tamen quod difficilius quidem erat, id factū per facile fuit, atque in opus exiit. Igitur quod facilius quidem est, nullo negotio à nobis præstari poterit, si modò illi assidue adhaerimus, qui nobis illa perficit. Porro autem hoc loco non mihi modò tacitè significare videtur, quod facilitatis, sed & quod rationis est. Nam si ille infensos nos conciliauit, par est, vt in ipsa conciliatione persistamus, hāsque illi vices reddamus, vt ne videlicet videatur ille rudes, imperitos, improbos, & ingratos patri conciliauisset. *Per ipsum enim, ait, & nobis contigit, vt fide perduceremur.* Nam si nobis procul distantibus accessum præbuit, multo magis propinquos iam factos retinebit. Mihi porro considera, vt vbi que duo ponat, tum illius videlicet facta, tum nostra: sed illius quidem varia, multa, ac diuersa. Etenim causa ille nostra mortuus est: tum autem nos conciliauit, nobis accessum dedit, nobis gratiam immensam largitus est: nos autem fidem tantummodò attulimus, quapropter ait, *Fide in gratiam hanc.* Quānam, obsecro, gratiam mihi narras? nempe quod digni habiti simus, qui Deum cognosceremus: quod errore liberati, veritatem eandem agnouerimus: quod bona ea omnia obtinuerimus, quæ per baptismū obtineri solēt. Hoc enim ille nomine nobis aditum accessumque præbuit, vt hæc dona assequeremur: neque enim simpliciter vt peccata nobis nostra condonarentur, vt reconciliaremur tantum, sed vt infinitis bonis, ac dignitatibus potiremur, nec intra hæc ipsa cōstitit, quin & alia pollicitus est: Illa videlicet arcana bona, & mentem, & orationem excedentia: qua de causa vtrunque attexuit: nam cum dixit, gratiam: præsentia, quæ accipimus, bona indicauit, cum autē dixit: *Et gloriamur sub spe glorie Dei,* futura omnia detexit: ac rectè dixit, in qua stamus. Talis enim ipsa Dei gratia finem nullum habet, terminum non nouit, sed & ad maiora semper propagatur, atque progreditur. Id quod nō ita in hominibus vsu venit, verbi gratia: Assecutus est quis magistratum, gloriam,

77 gloriam, principatum, tum in eo perpetuus non manet, sed confestim ab eo excutitur: nam vt honorem illum humana manus non eripiat, certè superueniens mors omninō ereptura est. At quæ Deus bona largitur, haudquaquam talia sunt, à quibus videlicet non homo, non tempus, non rerum aduersarum vis, non ipse diabolus, non mors ingruēs deturbare nos poterit, quin vel mortui cum sumus, tum demum firmius ea possidemus, atque adeo quod progredimur magis, eò pluribus semper, maioribusque illis effectibus fruimur: quapropter si futuris fidem non habes, saltem præsentia, & quæ iam es assecutus, de illis tibi fidem faciant. Idcirco enim ait, *Gloriamur sub spe glorie Dei,* vt intelligas quali animo præditum eum esse oportet, qui fidem suam Deo obstrinxit, neque enim illi solum plenam factā esse persuasionem oportet, de iis quæ data sunt, sed de futuris, tanquam iā datis: gloriatur enim quis super iis, quæ iam in manu habet. Quoniam igitur rerum futurarum spes sic firma est, atque euidens, vt & iam datarum, æquè, inquit, & super illis gloriamur: quapropter & gloriæ nomine illas designauit. si enim ad Dei gloriam conferunt, omninō euenient: si minus propter nos, attamen propter ipsum. Et quid dico, inquit, futura bona idonea esse ob quæ gloriamur? certè ipsa etiam præsentia mala satis queant, ad nos sic honestandos, sic ornandos, vt nobis illorum nomine placere debeamus. quapropter & addidit: *Nec id solum, verum etiam gloriamur super afflictionibus.* Cogitatio igitur quanta ca sint, quæ nos futura expectamus: cum vel in iis, quæ molesta esse videntur, animo attollamur. Tale est Dei donum, cuius quidem particula nulla insuaui. Aliis quidem in rebus certamina laboriosa esse solent, pariuntque tum dolorem, tum afflictionem: corollæ autem ac præmia voluptatem adferunt. At hic non ad eandem rationem se res habet, quin potius luctæ, atque certamina iucunditatis haud paulo plus habent, quā vel ipsa præmia. Quandoquidem enim multæ quidem tentationes id temperis essent, colorum autem regnum in spe situm, & aduersa in manibus, suauia in expectatione, ea autē res infirmiores frangeret: idcirco vel ante corollas illis præmia largitur, inquit, oportere etiam in afflictionibus gloriari, nec dixit, oportet vos gloriari: sed, gloriamur nos, sub propria persona admonitionem introducens. Postea quandoquidem nouum, inopinatumque id esse videbatur, quod dixerat, quod videlicet gloriari illum oporteret, ac sibi placere, qui cum fame coluclatus, in catenis atque afflictionibus versaretur, tum autem & contumelias & opprobria pateretur, ipsum hoc deinceps confirmat: ac quod maius est, nō illa quidem digna esse ait gloriatione, ob ea tantum, quæ futura expectamus, sed ob ipsa etiam præsentia. etenim vel ipsæ per se afflictiones bona quædam res est: quomobrem? nempe quod ad patientiam accingunt, atque exercent. Quapropter cum dixisset, gloriamur in afflictionibus, & causam dein addidit, inquit: *Scientes quod afflictio parit.* Vide rursus Pauli sollicitum studium, vt in contrarium circumagat orationem, quandoquidem enim afflictiones potissimum animum illi despondebant, in futurorum præmiorum desperationem adacti, ait, ob illas ipsas maximè bono firmoque animo esse oportere, nec futura desperanda. *Afflictio enim, inquit, patientiam efficit, patientia verò probationem, probatio autem spem, spes porro non pudefacit.* Afflictiones enim spem ipsam non modò non tollunt, sed & præparant: habet enim afflictio, vel ante ea quæ futura expectantur, maximum fructum, patientiam, cum eo quoque quod probatum illum efficit, qui tentationes sustinet. Confert autem aliquid & ad futura: spem enim in nobis vigere facit: cum nihil sit, quod sic nos

Chrysof. tom. 4.

ad bonorū spem comparet, quā bona conscientia. Itaque illorum nullus, qui vitam rectè atque sanctè exegere, de futuris diffidit: quemadmodum & plerisque inuenias ex eorum numero, qui vita negligenter acta mala conscientia stimulis fodiuntur, qui in animū inducunt suum, nullum esse nec iudicium, nec retributionem. Quid igitur in spe nobis bona? in spe certè, sed nō humana, quæ quidem intercidit, atque identidè pudefacit sperantem, eo abs quo præfidiū expectabatur, vel mortuo, vel adhuc viuente à voluntate deducto. At nō talis est rerum nostrarum conditio: imò firma atque immobilis spes, nam qui spondit, is semper viuut: nos autem ad quos promissorum fruitio pertinet, & moriendum nobis sit, tamen iterum resurgemus: ac nihil profus est, quod possit nos pudefacere, tanquam temerè, tanquam frustra, tanquam spe sublato fragili. Ab eorū igitur animis vbi satis superque omnem dubitationem per hæc verba sustulit, orationem non intra præsentia sistit, sed & ad futura rursus adducit: quod intelligeret eos qui imbecilliores essent, cū quæ præsentis vitæ sunt, querere, tum verò non esse his contentos. Fidem porro illis conciliat ab iis, quæ iam data sunt. Vt ne enim quis dicat: Quid igitur fiet, si nobis Deus nolit gratificari? nā quod ille potest, quod manet, quod viuut, omnes quidē scimus: quod autem & volet, id verò vnde scimus? nepe ab iis quæ facta iam sunt, ab ea, quam iam erga nos præ se tulit, dilectione. Dices: quid ille iam fecit? spiritum sanctum dedit. Itaque quum dixisset, spes non pudefacit, addidit & demonstrationem, inquit: *Quod dilectio Dei effusa est in cordibus nostris.* Nec dixit, data est, sed, effusa est in cordibus nostris: largitatem ostendens, quod enim maximum erat donum, hoc dedit: non cælum, non terram, non mare, sed quod his omnibus antiquius, preciosiusque erat, & angelos ex hominibus, & Dei filios, & Christi fratres effecit. Quid autem hoc est? spiritum sanctum, quod si nollet magnis nos coronis post labores donare, nunquam ante ipsos labores tot tantaque donasset bona: nunc verò dilectionis suæ feruorem hinc declarat, quod non sensim, ac pederentim nos honestauit, sed cumulatè ac plena manu bonorum fontē effudit, idque ante ipsa certamina. Quomobrem vt etiā non sis admodum dignus, ne desperes, quum magnum in causa patronum habeas, iudicis dilectionem. Idcirco enim & ipse per hæc verba, Spes non pudefacit: non ad nostra merita, sed ad Dei dilectionem, charitatemque erga nos, totius negocij laudem retulit. Spiritū autem vbi datum dixit, transit deinceps ad crucem, ita inquit: *Christus enim quum adhuc essemus infirmi iuxta temporis rationem, pro impiis mortuus est, nam vix pro iusto quisquam morietur: siquidem pro bono forsitan aliquis etiam mori sustinet.* Commendat autem suam charitatem erga nos Deus. Quod autem ait, hunc habet sensum: Si pro viro probato ac virtute prædito non statim emori quis velit, considera domini charitatem, vt quem non pro virtute præditis, sed pro peccatoribus & inimicis cruci suffixū fuisse cōstat. Id quod & postea ait: *Quod quum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus fuit: multo igitur magis iustificati nūc sanguine eius seruabimur per eum ab ira. nam si inimici cū essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filij eius: multo magis reconciliati seruabimur per vitam ipsius.* Quod dictum est, eorundem sermonum iteratio esse videtur: diuersus tamen illius sensus est, si quis accurate attendat. Considera porro, vult illos in futurorū fide confirmare: ac primū quidem à iusti sententia illos pudefacit, quum ait illum plenam persuasionem concessisse, quod is qui promiserat, idē potens esset & præstare, tum à gratia data, deinde ab afflictione, quod idonea quidem sit nos ad spem deducere: præterea à spi-

id quod promiserat Deus.

C iij

nostrum fulcire volunt, ex eo, quod Iudæi obiciebant, ipsum aiunt hoc posuisse, dicentem, quod si peccatum non est sine lege, quo pacto mors omnes eos absumpsit qui ante legem fuere? mihi verò videtur quod dicturi sumus, rationi magis consentaneum esse, & Apostolice menti conuenire. Quid porro illud est? quò dicit, quòd vsque ad legem peccatum erat in mundo: vtique hoc mihi videtur dicere, videlicet quòd lege lata, peccatū dominabatur: peccatum, inquam, quod ex transgressione ortum est: ac tantisper dominabatur donec lex esset, neque enim, ait, consistere potest peccatum, quum non est lex. si igitur hoc peccatum, inquis, ex legis transgressione mortem peperit, quo pacto qui ante legem fuere, omnes interièrent? Si enim ex peccato mors radicem egit, lex autem quum non est, peccatum nō imputatur: quomodo mors dominabatur? vnde liquet, quòd non ipsum peccatum, quod à legis transgressione ortum est, sed illud, quod ab Adam inobedientia: ipsum illud, inquam, peccatum erat, quod omnia perdebat. & quanā rei huius probatio fuerit: nempe quòd omnes ante legem interièrent. *Regnavit enim mors, ait, ab Adam vsque ad Moysen, in eos quoque qui non peccauerant.* Quomodo regnavit: *Ad similitudinem transgressionis Adam, qui typum gerit illius futuri.* Propterea enim & typus est Iesu Christi Adam. Quomodo typus, dixerit aliquis? quoniam quemadmodum ille omnibus à se (etiam si de ligno non comedissent) author mortis extitit, eius, quæ ob cibum illum introducta est: sic & Christus omnibus à se, quāvis iuste non agentibus, iustitiæ tamen conciliator extitit, eius, quam omnibus nobis per crucem largitus est. Ob id sursum ac deorsum voci huius vnus, insistens, ea assidue in medium affert, quum dicit: *Quemadmodum vnus hominis causa peccatum in mundum introiit: & si vnus peccato multi mortui sunt: & non sicut per vnum qui peccauerat venerat mors, ita donum: & iudicium ex vnus delicto ad condemnationem, & rursus, si enim per vnus delictum mors regnavit per vnum: & itaque sicut per vnus delictum: & rursus, quemadmodum enim per inobedientiam vnus hominis peccatores effecti sunt multi: nec desistit: vt quum tibi Iudæus dixerit, Quo pacto vno recte agente Christo vniuersus orbis saluus factus est? possis illi respondere, Quo pacto vno non obediente Adam, vniuersus orbis condemnatus est? quanquā nihil simile inter se habent peccatum, & gratia: mors, & vita: diabolus, & Deus: sed horum discrimen infinitum. Ergo quum & à rei natura, & ab agentis, exercentisque, potestate, & ab ipso decreto (Deo enim longè decentius, seruare, quàm supplicio afficere) quum igitur in his excellentia, ac victoria, qua tandem, quæso, ratione incredulitatem tueri tuam possis? Certè quòd ratione nitatur id quod factum est, demonstrat, quum dicit: *At non vt peccatum, ita & donum. Nam si vnus delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei & donum per gratiam, quæ fuit vnus hominis Iesu Christi, in multos exuberavit.* Quod enim ait, sensum hūc habet: Si tantum valuit peccatum, & hominis vnus peccatum: gratia, & ea Dei gratia, nec patris solum, sed & filij, quomodo non superabit magis? Hoc enim multo rationabilius: alterum enim alterius peccato puniri nō admodum æquum atque conueniens esse videtur: at alterum propter alterum seruari: & decentius multo, & rationi magis consentaneum. Igitur si illud factum fuit, multo magis hoc. Proinde quòd hoc verisimile, tum autem rationi conforme, ex his ostēdit, etenim illo probato, relinquerebatur, vt & hoc admissibile fieret: quod autem & necessarium, ex iis quæ sequuntur, adstruit. *Non sicut per vnum qui peccauerat, ita & donum, ait. Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem: donum autem ex multis delictis ad iustificationem.* Quid tandem hoc di-*

ctum sibi vult? Nempe quòd & mortem, & condemnationem vnum quidem peccatum afferre potuit: gratia autem non illud modò peccatum sustulit, sed & quæ post illud superuenere. Nam vt ne voces hæc, sicut & ita, posita, æqualem inducant mensuram bonorum ad mala: neque putes, dum Adā nominari audis, illud solum peccatum sublatum esse, quod ille introduxit, dicit multorum delictorum interitum factum esse. Vnde hoc liquet? quoniam post infinita peccata, quæ peccatum illud in paradiso perpetratum subsecuta sunt, res ipsa denique in iustificationem exiit. Vbi autem iustitia, necessariò & vita omninò consequitur, tum autem bona infinita: quemadmodum & vbi peccatum, mors. Nam iustitia plus est quàm vita: quandoquidem & vitæ radix est. Proinde quod plura sint aduēta bona, nec sublatum tantummodo peccatū illud, sed & cetera omnia, his verbis ostendit: *Donum autem ex multis delictis ad iustificationem.* Vnde necessariò simul & illud ostensum est, mortem videlicet radicem conuulsam. Superest autem vt necessariò & hoc quoque adstruat, quandoquidem maius esse dixit secundum factum priore illo. Antè enim dixit: Si vnus peccatum peremit omnes, multo certè magis vnus gratia seruare poterit, postea ostēdit non illud modò peccatum per gratiam extinctum, sed & reliqua omnia: nec ipsa tantum peccata esse extincta, sed & iustitiam datam: atque adeò Christum nō modò tantum iuuisse, quantum læserat Adam, sed & multo magis ac multo plenius. Postquam igitur tot ac tanta pronunciauit, opus habet & hic rursus argumento, fundamentoque maiore. Quo igitur modo id adstruit? *Nam si per vnus delictum, inquit, regnavit mors, multo magis ij, qui exuberantiam gratiæ, & doni iustitiæ accipiunt, in vita regnaturi sunt per vnum Iesum Christum.* Quod autem ait, hoc tandem est: Si hominem vnum de ligno solum comedisse, mortem per vniuersum terrarum orbem armauit, si mors tantum robur accepit ab vnus delicto, quando inuenti sunt quidam multo maiore peccato illo gratiam & iustitiam accepisse: quo tandem pacto poterunt posthac morti obnoxij esse? propterea nō hic dixit, gratiam: sed, gratiæ exuberantiam, non enim quantum indigebamus ad peccati interitum, tantum accepimus modò ex ipsa gratia, sed & multo amplius: nam & supplicio liberati sumus, & vitiositatem omnem deposuimus, & de integro regenerati sumus, & resurreximus sepulto veteri homine, & redempti sumus & sanctificati, & in adoptionem adducti, & præterea iustificati, & fratres effecti vnigeniti, & cohæredes, & in eandem corporis vnitatem redacti, & in ipsius carnem censemur, atque vt corpus capiti, sic illi vniti sumus. Hæc igitur omnia gratiæ exuberantiam appellauit Paulus, interim declarans nos non medicam vulneri par accepisse solum, sed & sanitatem, & pulchritudinem, & honorem, & gloriam, & dignitatem longè naturam nostram superantem, atque horum vnumquodque per se ad mortem soluendam suffecerit, quum autem omnia in vnum simul concurrere apparuerit, relinquitur, vt ne vestigium quidem vllum, aut umbra illius prorsus delictæ apparere vsquam possit. Quemadmodum enim si quis eum, qui obolos decem sibi debeat, in carcerem coniciat, nec eum tamen solum, sed eius causa tum vxorem, tum liberos, tum famulos, atque hinc superueniens vnus aliquis, decem quos dixi obolos non numeret modò, sed cum infinita item auri talenta largiatur, tum verò in aulas regias vinctum illum introducat, in principatus altissimi thronum imponat, cum eo summum honorem, reliquumque principalem splendorem communicet, non possint vtique postea oboli illi decem illius memoriæ obuersari, qui eos numerauerit, mutaueritque

Hicq.

vt ne in corpore immortalitate peccem? Nam deo videri habet Veronem, & vtrūq; verò Germ.

ueritq; sic & in nobis euenit. Multo enim plura iis quæ debebamus dependit Christus, atque adeò tantò plura, quanto mare immensum ad pusillam guttam collatum, maius esse possit. Nolito ergo ambigere homo, quum tantam bonorum opulentiam videas: neque interrogato, qui id fieri potuerit, vt illa mortis ac peccati scintilla, tanto donorum veluti mari restincta, soluta sit. Hoc enim & Paulus clam significauit, quum dixit, exuberantiam gratiæ & iustitiæ qui acceperint, in vita regnaturi sunt, atque vbi id liquidò demonstrat, rursus primo vtitur syllogismo, colligans illum ac constringens repetitione ac dicens: quòd si propter illius peccatum in omnes animaduertum fuit, possint vtique vel hinc iustificari, propterea ait: *Igitur sicut per vnus delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnus iustitiam in omnes homines ad iustitiam vitæ.* Et patrocinatur rursus sibi, in eodemque persistit argumento, ita dicens: *Sicut enim per inobedientiam vnus hominis peccatores multi effecti sunt, sic per vnus obedientiam multi efficiuntur iusti.* Ac videtur quidem quæstionem nō pusillam habere quod dictum est, sed si quis accuratè attenderit, & hoc quoque perfacile soluetur. Quenam igitur quæstio fuerit? dicere videlicet, multos ob vnus inobedientiam peccatores extitisse. Illo enim peccante ac mortali effecto, & qui ex eo orti sint, eos tales esse, nihil absurdum, at ex illius inobedientia alterum peccatorem extitisse, id verò quam (obsecro) congruentiam consequentiamque habeat? Inuenietur enim sic nec pœnas quidē debere, qui talis fuerit, siquidem non ex se ipse peccator extiterit. Quid igitur hoc loco verbum hoc, peccatores significat: mihi videtur tantundem significare, quantum illud, supplicio obnoxij ac mortis rei. Quòd porro Adā mortuo, omnes simus mortales effecti, aperte ac multis demonstrat. Quod autem in quæstionem cadit, est, qua id de causa factum est? sed nondum hoc addit. neque enim ipsi ad præsens conducit, nam aduersum Iudæum constituta pugna est, ambigentem, ac deridentem quem per vnum iustitiam factam esse vult. Idcirco quò ostēdit & supplicium ex vno in omnes deriuatum fuisse, qua id de causa acciderit, nondum addidit, neque enim superuacaneus est, sed ea tantum persequitur, quæ necessaria sunt. Hoc enim iam non ipsum magis, quàm Iudæum cogebat certaminum lex dicere: quapropter insolentem relinquit. Quod si quis vestrum querat dicere, id dicemus. Quòd non solum nihil nocuementi accepimus à morte huiusmodi & condemnatione, si sapuerimus, sed mortales effecti lucrum etiam fecimus: primum hoc videlicet, vt mortali in corpore non peccemus,] deinde vt infinita habeamus philosophiæ argumenta. Nam & modum vt seruemus, & temperantes, compositi, ac sedati simus, itemque vitiositate omni liberati, & præsentanea & expectata mors suadet. Cum hisce autem seu potius ante hæc ipsa, & plura alia attulit bona. Hinc enim tum martyrum coronæ, tum Apostolorum præmia. Ita Abel iustificatus est, ita Abraham maectato filio, ita Ioannes propter Christum interemptus, ita pueri tres, ita Daniel. Si enim voluerimus, non mors modò, sed ne ipse quidem diabolus nocuemento esse nobis potuerit. Extra hæc autem & illud item dicendum est, quòd & immortalitas nos excipiet, atque ad modicum admoniti tempus, cum securitate, ac libertate futuris bonis potiemur, tanquam in schola aliqua vita præsentis per morbum, per afflictionem, per tentationes, per paupertatem, per cetera item, quæ mala esse videntur, eruditi, vt apti efficiamur ad futurorum bonorum perceptionem. *Lex autem obiter subiit, vt abundaret delictum.* Posteaquam enim ostendit ab ipso quidem Adam vniuersum terrarum orbem condemnatum, ab

ipso autem Christo saluum effectum, & à condemnatione liberatum: opportunè & de ipsa deinceps lege quærit rursus, opinionem eam, quam de ipsa haberent, succidens atque adimens, neque enim solum, ait, ea iuuat, auxiliatiæque est nihil: sed, & ea obiter quum subiisset, recruduit, auctusque est morbus. Hic autē vox hæc, vt, non causam dicit, sed rei euentum denotat, neque enim lata lex est, vt abundaret, sed lata quidem, vt minueret, & tolleret peccatum: euenit autem secus, non à legis natura, sed ab eorum ignauia ac socordia qui legem accepere. Quam ob rem porro non dixit: lex autem data est, potius, quam lex autem obiter subiit? Temporarium illius vsus fuisse ostendit, non autem ipsam magistratam, aut principalem. Quod quidem & in ea, quam ad Galatas scripsit, epistola, ait, aliter hoc idem declarans: Antequam enim accederet fides, † sub legem, inquit, inclusi custodiebamur.] Quare non alteri, sed sibi fidem seruabat. Quoniam enim mechanici quidā erant Iudæi & dissoluti & ad ipsa dona supini, idcirco lex data est, vt illos videlicet vehementius coargueret, aperteque doceret, quo in statu essent, atque accusationem augens, ipsos magis constringeret. Tu verò ne terreare, non enim vt maius existeret supplicium, id factum est, sed vt maior appareret gratia. Quapropter adiecit: *Vbi autem exuberavit delictum, ibi magis exuberavit gratia.* Non dixit, exuberavit: sed, magis exuberavit. non enim supplicio liberavit solum, sed & peccatorum condonationem, ac vitam largita est, & alia item quæ sapenmerò diximus. Haud secus ac si quis febrientem non morbo solum liberet, sed & formosum & fortem & honoratū efficiat: aut esurientem non aliat solum, sed efficiat multarum possessionum dominum, denique & ad maximū promoueat principatum. Et quo pacto, inquis, abundauit delictum? Infinita mandata lex dedit. Posteaquam igitur omnia prætergressi sunt, tum abundauit peccatum. Intelligis quātum interfit inter gratiam & legem? hæc enim & additamentum condemnationis facta est: illa autem doni abundantia, porro vbi dixit, quàm immensum fuerit Dei erga nos studium, exquirat rursus initium ac radicem mortis atque vitæ. Quæ igitur mortis radix? peccatum, propterea ait, *Vt sicut regnaverat peccatum in morte, ita & gratia regnaret per iustitiam ad vitam æternam per Iesum Christum dominum nostrum.* Hæc autē dixit, ostendens peccatum quidem loco regis fuisse, mortem autem loco militis sub peccato in acie statem, & ab illo armatam. Ergo si peccatum idem mortem armauit, perspicuum quidem est, quòd iustitia per gratiā aduēta, quæ ipsa peccatū idem tollit, non modò mortem armis spoliat, sed & illam de medio tollit, illiusque regnum omne dissoluit, quatenus eadem iustitia regno hoc maior præstantiorque est, non illa quidem per homines ac diabolum, sed per Deum & gratiam inducta, & ad melius vitam traducens nostram, atque adeò ad bonum infinitum: nondum enim ipseus erit finis. Vt & hinc discas quod amplius est, Illud quidem à præsentis vita eiecit, gratia autem vbi aduenit, non præsentem tantum, sed immortalē ac sempiternam nobis largita est vitam. Horum autem omnium conciliator nobis Christus. Ne igitur de vita dubita, quum iustitiam habeas. Etenim iustitia melior est vita, quandoquidem & illius parens est. *Quid ergo? manebimus in peccato, vt gratia abundet? Absit.* Rursus ad moralem sermonem digreditur, nō præcipuo loco illum inducens, vt ne grauis ac molestus multis esse videatur, sed ex dogmatum congruentia ac consequentia, si enim vel sic varians orationem, cauebat, ne fortè ægrè ferrent illi, ob ea quæ diceret, vnde & alicubi dixit, Audacius autē scripsi vobis à parte: multo magis nisi fecisset, asperior illis visus esset. Igitur post-

Galat. 4. sub lege, inquit, custodiebamur, conclusi in eā fidem quæ erat reuelanda.

ἐπιπέσειν οὖν, ὡς ἔπειτα, πλοῦστον.

CAP. VI.

Inf. 13.

quam ostendit ingentem esse gratiam, hoc ipso quod **A** ingentia sanasset vulnera, ex eo autem videbatur dictū hoc insipientibus esse inuitamentum ad peccatum: si enim, aiebant, ob id maior apparuit gratia, quod magna peccauimus, peccare ne desinamus, vt amplior gratia ostendatur: vt ne igitur talia dicerent, cogitarēnt vt, vide vt obiectionem subuertat. Primum quidem interdictione, dicens, Absit, quod quidem facere ipse cōsuevit iis in rebus, quæ sine vlla controuersia valde essent absurda. Deinde & ratiocinationem adiicit irrefragabilem. Quamnam autem eam? *Qui mortui*, inquit, *peccato sumus, quomodo posthac viuemus in illo?* Quid hoc est, mortui sumus? an quod, quantum quidem ad illud spectat, sententiam accepimus omnes? an quod mortui sumus illi, fide accepta, & illuminatione? quod quidē potius dicendum est. Hoc enim & quod deinceps positum est, declarat. Quod autem est, mortuos illi esse? nepe nulla re posthac illius dicto partem esse. Hoc enim semel baptisma effecit. Conuenit itaque vt omni nostro conatu ac studio hoc rectē factum assiduē præstemus, sic vt, licet millies imperauerit, ne amplius illi pareas, sed immotē mortui in morem permaneras. At qui alibi ait, quod ipsum peccatum mortuum est. Verūm illic ostendere volens virtutem quæstu facilem, hoc potuit. Hic verò quoniam excitare auditorem accelerat, ad ipsum transfert mortem, postea quando obscurum erat quod dictum est, id rursus interpretatur eo sermone vtrens, qui acriter feriat. Ait enim, *An ignoratis fratres, quod quicumque baptizati sumus in Christum, in mortem ipsius baptizati sumus? sepulti igitur sumus vnā cum ipso per baptismum in mortem.* Quid ea sibi verba volunt, in mortem ipsius baptizati sumus? ad hoc vt & ipsi moriamur, sicut ille: Crux enim est baptisma. Quod igitur Christi crux & sepulchrum, hoc nobis baptisma fuit, quantum non iisdem in rebus. Ille enim carni & mortuus & sepultus est, nos autem peccato vtrunque. Quapropter non dixit, insititij facti sumus morti: sed, similitudini mortis. mors etenim & hoc & illud, sed non eiudem subiecti. Illa enim carnis, Christi videlicet: hæc autem peccati, nostra scilicet: vt igitur vera illa, sic & hæc. Verūm t̄ quamuis] vera, oportet & partes quoque nostras simul ad eam adferri. *Vt quemadmodum Christus excitatus est à mortuis per patris gloriam, sic & nos in vitæ nouitate ambulemus.* Hoc loco vnā cum vitæ cura, & resurrectionis quoque meminisse clam videtur. quo pacto? Credidisti, inquit, quod Christus & mortuus fuerit, & resurrexerit? Igitur & quod ad te pertinet, credito. Hoc enim illi ad simile: nam & ad te quoque spectat tum crux tum sepulchrum. Si enim communionē es adeptus in morte atque sepultura, multo certē magis in resurrectione, atque vitæ: nam quum id quod maius est, nimirum peccatum, solutum sit: iam non oportet de eo, quod minus est, dubitare, nimirum de mortis exitio.

MORALE.

Verūm hæc Paulus ad præsens auditorum cōscientiæ consideranda relinquit. Ipse autem resurrectione, quæ de nobis futura est, proposita, aliam à nobis resurrectionem postulat: nempe nouum vitæ præsentis genus, atque institutum, à morum immutatione factum. Nam vbi scortator sit castus: vbi auarus, misericors: vbi asper, mansuetus: & hic quoque existit resurrectio, quæ tanquam illius alterius proccium est. Et quo pacto resurrectio? peccato quidem mortificato, iustitia autem urgente: ac vita quidem pristina deleta, noua autem hac & angelica regnante. Porro autem quum audis nouam vitam, magnam varietatem, magnam mutationē quare. Enimuerò iam mihi in mentem venit, vt illa-

A chrymer, ac magnoperē ingemiscam, cogitanti, quam magnam à nobis moderationem atque constantiam Paulus exigit, quam magnam autem nos ignauia dederimus, à baptismo ad priorem senectutem reuersi, atque in Ægyptum resedentes, & alia post ipsum manna memoria recolentes: decem enim & viginti diebus ab ipso statim baptismo immutati, pristina de integro studia aggredimur. At verò Paulus non ad præscriptum dierum numerum, sed ad omnem nostram vitam huiusmodi politiam requirit. Nos autem ad priorem vomitum redimus, post iuuentutem à gratia acceptam, senectutem à peccatis exorientem excitantes. Siquidem pecuniarum amor, absurdarum appetitionum seruitus, denique quoduis peccatum senem efficere eum solet, qui illud commiserit: quod autem inueterascit iam ac consensescit, interitui proximum est. neque enim sic ipsum corpus tempore dissoluitur, vt anima per peccatorum multitudinem marcescat, flaccescat, ac de gradu deiciatur. Etenim ad summam iam ea educitur nugationem, verba nihil significantia enuncians, vt facere solent, qui senectute confecti delirant: eadem mucro ac pituita referta, stupida interim atque obliuiosa, lippitudinem in oculis gestans, hominibus abominabilis, ac talis, vt eam diabolus non ita magno negotio capere queat. Sunt enim tales peccatoribus animæ: è diuerso autem iustorum animæ iuuenescunt, vigent, in ipso ætatis flore semper consistunt, ad quamuis pugnam ac luctam nullo non tempore comparata, quum interim peccatrices animæ vel ad paruam irruētis aciei impressionē statim prosternuntur, ac pereunt: id quod propheta declarans, ait, quasi puluis à vento eiaculatus à terræ facie, ira sunt increduli & infideles. Adde quod qui in peccatis vitam degunt, infidiis obiecti, contumeliæ obnoxij sunt, neque enim sano aspectu, neque syncero auditu, neque loquela distincta valent, sed multo singultu abundant, ingentem ab ore profluentem spumam circumferentes, atque vtinam spumam tantummodo, nihil enim absurdū effert: nunc autem quouis cœno putidiora verba euomunt, ac quod grauius est, ne verborum quidem eiusmodi sputum expuere queunt, sed manu excipientes magna cum excreatione de integro ipsum atterunt, crassum quidem illud, ac non facile scitile. Fortasse nauſeatis ad narrationem hanc, magis ergo ad ipsam actionem hoc facturi sitis: nam si corpori quum insunt, insuauia quidem sunt, quātō magis, quum ipsi animæ? Talis erat filius ille, qui sua omnia bona abliguerat, ad summam nequitiam perductus, quouis nugante, aut agrotante deterius habens: qui tamen vt voluit, statim nouus factus est totus, ab ipsa solū animi animaduersione, ac mutatione. Postea quum enim dixit, Reuertar ad patrem meum: verbum hoc, illi bona omnia attulit: seu potius non verbum simpliciter, sed opus verbo additum. Vbi primum enim dixit, Reuertar, reuersus quidem est, & totum illud iter rediens confecit. Sic & ipsi nos faciamus, ac si vel extra ipsos patriæ fines abducti fuerimus, ad paternam tamen domum reuertamur, neque nos longioris viæ pigeat: nam volentibus nobis facilis ac celerrimus reditus fit, hospitam modò & alienam terram deseramus: hoc enim ipsum est peccatum, procul nos à domo paterna abducens. Illud ergo relinquamus, quòd mox domum paternam reuertamur. Est enim pater propenso erga nos affectu, qui si nos de sententia priore deductos esse senserit, nihilo certē minoris, sed & pluris æstimabit, quam qui perpetua vita integri, inculpatique vixere. Nam & illum, cuius paulò antè meminimus, tum pater pluris fecit, recuperato enim quem amiserat filio, magis gauisus est. Et quo, inquit, reuertar modo? Rem tantum aggreditor, &

& totum compleueris. Sis fito, ac peccare desinito, vltorius non progressus: ac tibi iam in manu res tota aderit. Nam quemadmodum vsu venire videmus in iis, qui morbo laborant, vt quum morbus non ingrauescit, tū sanitatis initium fiat: sic & in ipsa vitioſitate vltorius ne processeris, & tibi malitia finem habuerit. qui si id duos dies feceris, tertio facilius abstinueris, ac si post dies decem addideris, fiet, vt viginti deinceps addas, ac deinceps centum, tum autem vitam totam. Quātō enim magis progressus fueris, eò magis facilem viam offendes. ad postremum in ipso constitutus fastigio bonorum multorum fructum simul decerpes. quando & tum, quum prodigus ille reuertit, & citharæ, & chori, & liberalitates, & publici conuentus exitire: ac qui pro perdita impensa, pro tam longa peregrinatione à filio pœnas reposcere debebat, vsque ad eò nihil horum fecit, vt & illum tãquam vita proba, tanquam fama esset incolumi, conspexerit, ac ne verbo quidem quicquam illi exprobrauerit, atque ad eò ne leuiter quidem res illi præteritas in memoriam redigere sustinuerit: sed & illum complexus atque ex osculatus, vitulum t̄ sacrificauerit, j̄t̄olam induerit, multo ornato cōposuerit. Id genus igitur exempla nobis proponentes bono animo simus, nihil prorsus desperantes: neque enim sic illæ lætatur, quum dominus, vt quum pater, audit: neque quū seruum, vt quum filium habet, atque ad eò hoc mauult quàm illud. Propterea omnia ille fecit, quæ fecit, ac ne vnigenito quidem filio pepercit, vt ad optionem reciperemus, vt non tanquam dominum solū, sed tanquā patrem se amemus. quod quum à nobis affecutus est, ita sibi placet, vt qui glorificatur, idq; apud omnes præfert, qui tamen nullius rei nostræ indigens est. Hoc igitur in ipso Abraham, hoc in Isaac, hoc in Iacob fecit: vbi que dicens, Ego Deus Abraham, & Isaac & Iacob. Atque seruos oportebat in hoc sibi placere: nunc verò, vt apparet, dominum habemus hoc factitantem. Idcirco & Petro ait, Amas me plus quàm omnes hi? ostendens se id à nobis primo loco querere. Itaque & Abraham vt filium sacrificaret iussit, vt omnibus palam faceret, quòd à patriarcha magnoperē amaretur. Velle autē magnoperē amari ex eo nascitur, quòd & magnoperē amet. Propterea & Apostolis dicebat, Qui patrem matremve plus quam me amat, non est me dignus: quo nomine animam ipsam, rem nobis ante omnia propriā, iubet vt charitati erga se nostræ postponamus, nam ille maiorem in modum vult à nobis amari. Etenim & nos quoque quum non admodum erga aliquem afficimur, illius amore non magnoperē indigemus, vt præpotens ille atque illustris sit. Sin verò feruido aliquem, ac vero amore prosequimur, vt tenuis atque humilis ille sit, qui à nobis amatur, illius erga nos amore magna gloria loco ponimus. qua de causa & ipse non solū à nobis amari, sed & pro nobis probrosa illa perpeti, gloriam vocabat. Illa porro ob charitatem tantum gloria erant. Quæ autem nos pro ipso passi fuerimus, ea non propter charitatem tantum, sed & propter amati magnitudinē ac dignitatem, gloria meritò tum vocētur, tum fuerint. Tanquam igitur ad magnas coronas accurramus, sic pericula illius nomine obeamus: ac neque paupertatē, neque morbum, neque vexationem, neque calumniā, neque ipsam etiam mortem molestam, grauēque existimemus, quoties ea nobis pro eo toleranda fuerint. Nam si sapuerimus, summum ab iis, quæ dixi, omnibus lucrum faciemus: quemadmodum nisi sapuerimus, à rebus contrariis boni nihil decerpemus. Agē itaque ré ita considera. Incommodat tibi aliquis, atque aduersatur: author tibi ille est, vt experrecto animo sis, ac tibi occasionem affert, vnde Deo similis existas. nam si illū

A tibi vel insidias struentem amaueris, illius similis fueris, quo author sol super bonos iuxta ac malos exoritur. Alius pecunias tuas interuertit, id si generoso animo pertuleris, mercedem eandem ferēs cum iis qui omnia sua pauperibus erogant: t̄ Etenim facultatum rapinam nobis præcepit Deus cum lætitia excipiendam, meliorem in cœlis substantiam, eamque permanentem habiturus.] Maledicta in te ac probra alius coniecit: sint ea vel vera, vel falsa, ingentem tibi lauream ille contexit, si conuicium æquo animo tuleris. nam quisquis in nos sycophantem agit, is mercedem non paruam nobis conciliat. Gaudete enim, ait, & exultate quum malum verbum dixerint aduersum vos mentientes, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Rursus qui, quod verum est, nobis exprobrat, is magno vsui est: si modò æquo animo tulerimus, quæ in nos dicta fuerint. Etenim Pharisæus quæ vera essent, proferebat tum quum Publicano malediceret: sed tamen pro Publicano iustum effecit. Quid porro me attinet singularim de omnibus loqui? Licet enim nobis Iob certamina percensentibus, omnia hæc accuratē perdiscere. Propterea & Paulus dicebat: Si Deus pro nobis, quis cōtra nos? Quemadmodum igitur si studium adhibuerimus, lucrum etiam ab iis reportabimus qui nobis molesti fuerint: ita societati dediti, ne ab iis quidem qui nobis præsidio fuerint, meliores euademus. Quid enim obsecro, Christi consuetudo Iudæ profuit? quid autem Iudæis lex? quid autem Adamo paradisi? quid autem iis qui in eremo erant Moyses? Quamobrē prætermissem omnibus vnū nobis tantum videndum est, nimirum quemadmodum rerum ad eos pertinentium statū rectē administramus. Hoc enim si præstiterimus, ne ipse quidem diabolus vnquā nobis superior euadet, quin & magno etiam vsui erit, ad vigilantiam, ad sobrietatem, ad castimoniā nos præparans. Sic sanè & Ephesios Paulus excitauit, illius feritate enarranda. Sed nos nimirum altum dormientes stertimus, quum tamen hostem vsque ad eò improbum habeamus. Atqui, si serpentem ad lectum nostrum latitare sciremus, hic magno admodum studio ad illū perimendum ferremur: diabo autem in nostris ipsorum animis latitante, nihil aduersi nos pati arbitramur, sed supini, ac desides, animi que concidentes, malis nostris indormimus. Cuius rei causam hæc esse arbitror, quòd illum corporeis oculis non contuemur, quanquam hoc potissimum nomine vigilantes nos ac sobrios esse oportebat. Nam sensibilem quidem hostem facile declines: at inuisibilem, nisi vndique armati fuerimus, difficile euitare possumus: & quidem ob id potissimum, quòd rectā ille depugnare non nouit (alioqui enim euestigio à nobis victus caperetur) verum amicitia identidem specie, crudelitatis venenum ei aculat. Ita sanè Iob vxorem induxit induta pietatis persona perniciosum consilium adferre: sic & cum Adam verba faciens, orationem simulat, qua ostendat se illorum curam ac patrocinium suscipere: quum dixerit, adaperientur oculi vestri quacūque die de ligno comederitis. Sic & Iephte pietatis ac religionis specie persuasit, filium vt immolaret, illegitimumque sacrificium offerret. Vides insidiosas illius vias? vides bellum multiforme? Caueto igitur, te vndique spiritalibus armis sepiciens, illius commenta atque artes exactē perdiscito, vt cum te ille capere nequeat, tum verò non magno illum negotio capias, quādo & hac quidem ratione Paulus illo superior euasit, hæcce diligenter perdiscens. Quamobrē & dicebat, Neque enim illius cogitationes ignoramus. Itaque & nos quoque illius insidias tum sentire, tum declinare studeamus, vt reportata nobis de illo victoria, & in hac vita & in futuro seculo victores prædicemus, immorta-

Mat. 5.

Etenim rapinam bonorum vestrorum, inquit, cū gaudio accipitis scientes portionem vos habere substantiam in cœlis ac manentē] hic dormitasse videtur interpres in euan-gelio esse putat quod est apud Paulū ad Hebræos ca. 10. Mat. 5. Luc. 18. Rom. 8.

Eph. 6.

Gen. 4.

Iud. 11.

1. Cor. 4.

liaque bona affequamur, gratia ac clementia domini nostri Iesu Christi, per quem & cum quo patri vnà cum sancto spiritu gloria, imperium, honor, nunc & semper, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VNDECIMA.



I enim complantati sumus similitudini mortis eius, nimirum & resurrectionis erimus. Quod prius diximus, id nunc quoque dicemus: quod videlicet in morale orationem affidue digreditur, non sicut aliis in epistolis, quas quidem in duo diuidit: ac priorem illarum partem dogmatibus, posteriorem morum curæ partitur. quam tamen hic rationem non sequitur, sed per totam ipsam epistolam mixtim hoc facit, vt plausibilis, acceptabilisque sit oratio. Duas igitur hic ait mortificationes, & mortes item duas: alteram quidem à Christo factam in baptismo, alteram autem à nobis fieri debere per subsequens studium: Etenim quod priora quidem peccata sepulta fuerint, illius dono tribuendum est: quod autem à baptismo mortui peccato maneamus, studij nostri opus existat oportet. quamquam videmus Deum & hic quoque multas ad res vel maximè nobis præsidio esse. neque enim istud baptisma valet tantum ad priora peccata delenda, sed & aduersum futura confirmat. Itaque quemadmodum in illis fidem contulisti tuam, vt ea deleteretur: sic & in subsequētibus studij mutatione exhibe, vt ne te ipse rursus sordides. Hæc enim & his similia consulens ait, Si enim complantati sumus similitudini mortis eius, nimirum & resurrectionis erimus. Vides vt audirem erexerit, ad suum statim dominum illum subuehens, ac multam ostendere conatus similitudinem? Propterea non dixit morti, vt ne contradicas: sed, similitudini mortis. neq; enim hæc substantia mortua est, sed homo is, quem peccata genuerant, hoc est vitiositas. nec dixit, Si enim participes facti sumus similitudinis mortis: sed quid? Si complantati sumus. Plantæ quidem nomine, & fructum ex ea nascentem nobis clam significans. Nam quemadmodum illius corpus sepultum in terra, fructum vniuersi orbis salutem tulit: ita & nostrum sepultum in baptismo, fructum tulit, iustitiam, sanctificationem, adoptionem, bona infinita, feret autem & resurrectionis postea donum. Quandoquidem igitur nos quidem in aqua, ille autem in terra, nos per peccati rationem, ille per corporis, sepultus est: ob id non dixit, complantati morti: sed, similitudini mortis. mors siquidem tam hoc quam illud, sed non eiusdem suppositi. Si igitur, ait, in morte sumus complantati, & resurrectionis erimus: de ea resurrectione hic agens, quæ futura est. Nam superius quum de morte disputauisset, dixissetque: An ignoratis fratres, quod quicumque baptizati in Christum sumus, in ipsius mortem baptizati sumus? nihil de resurrectione apertè egit, sed de eo vitæ genere, quod baptismum sequitur, iubens in vitæ nouitate ambulare. Propterea hoc loci eundem resumens sermonem, illam demum resurrectionem denunciat. atque vt intelligas non cum sentire de ea resurrectione, quæ à baptismo existit, sed de illa futura, aduertito. Nam quum dixisset, Si complantati sumus similitudini mortis eius: non dixit, quod & similitudini resurrectionis erimus: sed, & resurrectionis, non addito similitudinis verbo. vt ne enim diceret: Quomodo, nisi sic mortui fuerimus, vt mortuus ille est, resurgemus, vt resurrexerit? Mortis quidem mentionem vbi fecit, non dixit, complantati morti: sed, similitudini mortis. quum autem resurrectionis, non iam dixit, similitudini resurrectionis: sed, ipsius resurrectionis erimus. nec

Hic sup.

Colo.

alieu.

Sup. Hic sup.

Hebr.

dixit, iam sumus: sed, erimus. & hoc rursus verbo indicans, eam resurrectionem quæ nondum facta est, sed eam quæ futura est. Postea volens sermoni fidem conciliare, ostendit alteram resurrectionem hic factam ante illam, vt à presenti resurrectione ei fidem habeas, quæ futura est, quum enim dixisset, complantati erimus resurrectioni, addidit: Hoc cognoscentes, quod vetus homo noster simul crucifixus est, vt aboleretur corpus peccati. Coniunctim & causam, & probationem futuræ resurrectionis ponens. nec dixit, crucifixus est: sed, simul crucifixus est, proximè admouens baptismi cruci: ob quod & superius dixit, Complantati similitudini mortis eius sumus, vt deleatur corpus peccati: non corpus hoc sic vocans: sed malitiam omnem, quemadmodum & veterem hominem appellat totam viciositatem: ac quod non id coniectamus, ab ipso Paulo hoc ipsum per ea quæ deinceps sequuntur interpretante, audi. nam quum dixisset, ut deleatur corpus peccati, tum addidit: Vt ne amplius peccato seruiamus. Huic enim ipsum volo esse mortuum, non quidem vt deleatur & moriatur, sed vt ne peccet. Ac progressus, manifestius adhuc illud reddidit: Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. De quolibet homine hoc ait. Quod quemadmodum qui è vita decessit, in posterum peccato liberatur, mortuus quum iaceat: sic & is, qui à baptismo descendit, quandoquidem enim illic semel mortuus est, peccato omnino mortuus maneat oportet. Si igitur in baptismo mortuus es, mane mortuus: etenim vniuersique mortuus quum est, amplius peccare nequeat. qui si peccas, labefactas Dei donum. Tantam ergo à nobis philosophiam vbi exegit, & coronam statim adiecit, dicens: Si autem mortui sumus cum Christo. Atqui & hoc ante coronam: magna quidè corona, communionem habere cum domino. Veruntamen & aliud tibi præmium, ait, largior. quodnam id vitam æternam. Credimus enim, ait, fore vt cum illo viuamus. Et vnde id liquet? Quod Christus qui à mortuis resurrexit, non amplius moritur. Ac rursus ipsius contemplare contentionem, vt quæ à rebus inter se pugnantibus illud adstruat. Quandoquidem enim verisimile erat non nullo turbati audito & crucis & mortis nomine, ostendit ob hoc ipsum potissimum posthac oportere nos bono animo esse. Caue enim, inquit, putes, quod semel mortuus sit, illum mortalem esse: nam hac ipsa de causa immortalis manet, nam mors mortis, eius mors extitit, ac quoniam mortuus est, ob id non moritur. etenim illam mortem peccato mortuus est. Quid est, peccato? hoc est, ne illi quidem morti obnoxius erat, sed propter peccatum nostrum. nam vt illud tolleret, ipsiusque neruos, ac vim omnem rescinderet, ob id mortuus est. Vides quo pacto terruerit. Si enim non iterum moritur, nec iterum lauacrum est. quod si lauacrum non est iterum, caue & tu ad peccatum inclines. Hæc enim omnia dicit contra illud stans seque obfirmas, videlicet, faciamus mala, vt veniant bona: & item contra illud, maneamus in peccato, vt gratia abundet, huiusmodi igitur suspicionem radicitus tollens, omnia hæc ponit. Quod autem viuit, viuit Deo: Hoc est, in dissolubiliter, vt nullum amplius in id dominatum mors habeat. Si enim mortem priorem, obnoxius quum non esset, mortuus est, sed propter nostrum peccatum: multo magis nunc non morietur, quum illud pessunderit. Quod & ad Hebræos ait: Semel in consummatione sæculorum ad abrogationem peccati per hostiam suam apparuit. Et quatenus statutum est hominibus semel mori, sic & Christus semel oblati est ad multorum exhaurienda peccata: secundò sine peccato apparebit omnibus expectantibus ipsum in salutem. Ostendit autem & vitæ secundum Deum actæ vim, & peccati item potentiam. Vitæ quidè

secundum Deum actæ, quod non vltra morietur: peccati autem, quod, si hoc ad mortem obeundam illum præparauit, qui maximè peccauerat, quomodo non eos perimet, qui obnoxij sunt? deinde quoniam de ipsius vita verba fecit, vt ne quis diceret: quid ad nos dictum hoc addidit: Ita & ipsi existimate vos mortuos quidè esse peccato, viuentes autem Deo. Rectè dixit, existimate, quandoquidem aspectu ipso representare quod dictum est nunc non licet. & quid existimabimus, inquit, mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo, in Christo Iesu domino nostro, nã qui ita viuit, omnem complectetur virtutem, ipsum Iesum habens. hoc enim est, in Christo. Si enim qui mortui essent, eos excitauit, multo magis viuos retinere poterit. Ne igitur regnet peccatum in mortali vestro corpore, vt illi obediat per cupiditates eius. Non dixit, ne igitur viuat caro, neque operetur: sed, peccatum ne regnet, neque enim venit, vt naturam destrueret, sed vt voluntatem corrigeret. Postea ostendens non vi ac necessitate, sed voluntate nos nostra à malitia possideri, non dixit, ne tyrannidem agat, quod ipsum necessitatis est: sed, ne regnet. Etenim absurdum planè, atque indecens, ad cælorum regnum vocatos, pro regina peccatum habere: vocatos vt cum Christo regnent, peccati captiuos esse malle, perinde ac si quis diademate à capite abiecto, intemperis actæ mulieris, mendicæ ac pannosæ seruitutem seruire velit. Porro quandoquidem graue quidem illud ac difficile, nempe peccatum superare, vide vt id leue esse ostendat, vt quæ laborem ipsum molliat atque leniat, per hæc verba, In mortali vestro corpore. Hoc enim declarat certamina ipsa temporaria quidem esse, statimque finem habere: simul autem & priora nobis mala in memoriam reducit, atque adeo ipsius mortis radicem. Hinc enim vel ab ipso initio mortale illud effectum est: sed tamen fieri etiam potest, vt qui mortale corpus habet, non peccet. Vides Christi gratiæ abundantiam? Adam enim corpus nondum mortale quum haberet, lapsus est: tu autè morti obnoxium quum acceperis, coronam ferre poteris. Et quomodo regnat peccatum, inquires? non à propria virtute, sed à tua socordia atque ignauia. Itaque quum dixisset, Ne regnet: & modum quoque regni huiusce ostendit, addens, ac dicens, Vt illi per eius cupiditates parentes dicto sitis, non enim honos fuerit corpori licentiosè omnia gratificari, atque indulgere, sed summa plenè seruitus, & ignominia intentio. quum enim quæ vult facit, tum demum omni libertate orbatu est: quum autem distinctur, prohibeturque, tum vel maximè propriam dignitatem tucur. Ne autem exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed arma iustitie. Consequitur ergo vt corpus medium sit, vitium inter & virtutem, quemadmodum & ipsa arma. Vtracunque autem opera fiant, ea ad eos referuntur, qui eisdem armis vtuntur: vt si tam miles pro patria decertans, quam ficarius contra domesticos armatus, eisdem armis muniatur, neque enim armatura crimen id sustinebit, sed ij potius, qui illam in malum conuertunt vsum. quod & in ipsa carne dicere possumus, vel hoc, vel illud effecta pro ipsius animi sententia, non pro propria natura. Etenim si alienam pulchritudinem curiosius perscrutatus fueris, hic arma iniquitatis effectus est oculus, non à propria efficientia: oculi enim est videre, non impudicè videre, sed à iubentis cogitationis malitia. qui si illi continueris atque refrænaueris, tum iustitiæ arma effectus est. eadem ratione & in lingua, in manibus, in reliquis aliis. Rectè autem peccatum iniquitatis nomine designauit: vel enim semet quis vel proximum, peccans, iniuria afficit: seu potius seipsum prius quam proximum. Abducens igitur à malitia, ad virtutem ducit, dicens:

Sed exhibete vos ipsos Deo, tanquam qui à mortuis viuatis. Vide vt à nudis nominibus exhortetur. Illic quidem peccati verbo vsus, hic autè Dei, ostendens enim quæto inter se interuallo ipsi regnantes diffideant, omnia vniua militem eum priuauit, qui Dei desertor, sub peccati regno nomen dare, mereri, atque in acie stare concupierit. non hac autem solum ratione, sed & per subsequentia hoc adstruit, dicens: Tanquam qui ex mortuis viuatis: per hæc enim tum peccati eiusdem perniciem, tum doni Dei magnitudinem ostendit. Cogitote enim, inquit, cum qui essetis, tum quid facti fueritis: nullam ergo eratis? mortui, & perditionem perditum nulliude emendabilem (neque enim quisquam erit qui opem ferre possit) & qui tandem ex mortuis illis redditi estis? viuentes vitam immortalem: & per quem? per eum qui potest omnia, Deum. Ergo sub hoc ipso par est militare, & quidem tanta cum alacritate, cum quanta conuenit eos qui ex mortuis viui sunt effecti. Et membra vestra arma iustitie. Igitur non malum est per se corpus: siquidem fieri etiam potest, vt arma iustitiæ effici illud queat: Armorum autem verbo vsus, ostendit & bellum quoque grate immenere: qua de causa armatura nobis forti opus est, generoso item animo, quicquæ belli eiusdem naturam probè callcat: tum verò ante omnia duce. Ac dux quidem præsidio est, ad ferendas suppetias semper paratus. Idem inexpugnabilis manens, fortibus ab eo armis nobis apparatis, superest autem, vt ea voluntate præditi simus, quæ decenter atque ex vsu arma pertrahet, sic vt ducis dicto parens, arma pro patria sumat. Nos igitur vbi ad tam magna hortatus est, in memoriamque reuocauit & arma, & pugnam & bella: vide vt rursus militi animos addat, vt inungat ac præparet alacritatem, dicens: Peccatum enim vobis non amplius dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratia. Si igitur non amplius nobis dominaturum est peccatum, qua tandem causa tot tantaque præcipit atque interdicit, dicens, Ne regnet peccatum in mortali vestro corpore: & Ne exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato. Quid igitur dictum hoc sibi vult? orationis cuiusdam seminariæ fundamenta hic iacit, quam postea explicaturus est, ac diligenter adstruatur. Quamnam igitur est ista oratio? Corpus nostrum ante Christi aduentum facile expugnabatur: vnà enim cum morte magnum etiam effectum veluti examen introierat. Itaque corpus idem non valde agile erat ad eum cursum, qui ad virtutem ferret, neque enim spiritus aderat, qui opem afferret: neque baptisma, quod mortificare posset. Sed effranis equi ritu currebat quidem, aberrabat autem identidè, lege tum quæ agenda, tum quæ vitanda essent, dictitate quidem, nihil tamen amplius extra verborum admonitionem iis qui dimicarent, adferente. At posteaquam Christi aduentum, faciliora certamina sunt effecta. Propterea maiores & nobis certaminum capi, maiora theatra proposita sunt, tanquam maioris auxilij participibus effectis. vnde & Christus dicebat: Nisi abundauerit iustitia vestra supra Scribarum ac Phariseorum iustitiam, non intrabitis in cælorum regnum. Sed hoc ipsum quidem in subsequentibus apertius dicit. Interim autem hic breuibus illud clam indicat, ostendens peccatum, nisi magnoperè succubuerimus, neuti quam nobis superius casualurum. neque enim lex adest, quæ tantum iubet, sed gratia: ea inquam gratia, quæ quum priora condonat, tum verò ad futura nos munit ac confirmat. Etenim illa post susceptos labores, coronas pollicebatur: Hæc autem prius coronauit, ac tum demum ad certamina traxit. Mihi potro videtur Paulus non omnem hominis fidelis vitam hic significare, sed comparisonem facere baptismatis ac legis. Id quod & ali-

Matt. j.

corruptumque suffragium. Consideremus Deum hæc A omnia videre, nec tamen fulmina in nos è cælo vibrare (etiã si non fulmen modò id genus facta mercantur, sed neque hoc facit tamen ille: non mare in nos immitit, non terram mediam perumpit, non Solem extinguit, non cælum vnà cum astris eiacularur, denique non omnia è medio tollit) verum in suo ordine esse, nobisque subseruire creaturam vniuersam permittit. Hæc igitur expendentes, clementiæ eius magnitudinem exhorrescamus, ad propriam nobilitatem reuersi: quãdoquidem vt animatos nos video, certè nihilo meliore sed deteriore conditione sumus, quàm quæ ratione carent animalia. Illis enim consanguineorum amore captis naturæ communitio fati est ad mutuum inter se affectum atque amorem. Tu verò vnà cum naturæ vinculo, infinitas causas quum habeas, te mèbris cum propriis constringentes, atque cõnectentes, rationem, qua ornatus præditusq; es, pietatis ac religionis cõsortium, infinitorum bonorum communionem: nihilominus tamen brutis eisdè inhumanior es effectus, vt qui cum erga ea, † quæ sensu omninò carè] studium impensum præ te feras, tum verò Dei templa fame ac nuditate perire negligas, illa eadem persæpe mala in infinita obtrudens. Qui si ea facis gloriæ amore captus, fratris certè tui multò maiorem curam te habere conueniebat quàm equi, quò enim melioris fuerit, qui liberalitatem sentit tuam: hoc tibi splèdidior ab illius cura ac studio laurea textitur: Neque sanè intelligere te puto in cõtraria te incurere, sexcentosque aduersum te accusatores comparare. Quis enim nõ de te oblocutus sit? quis te non insimulet summæ crudelitatis, atque inhumanitatis, quum videat humanum te genus vilipendere, bruta autem hominibus antepone, atque vnà cum brutis domestica vasa ac suppellectilem maiore à te in precio quàm homines ipsos haberi? An nõ audiisti, Apostolis dicentibus, eos qui primi verbum excepere, & domos & prædia diuendidiisse, quo fratres enutrent? Tu verò tum domos diripis, tum prædia interuertis, vt e- quum, vt ligna, vt pelles, vt parietes, vt pauimenta exornes, & quod grauius quidem est, hæc adèò infaniam non viri tantum, sed & scemina quoque infaniunt: quæ sanè maritos suos ad stultum huc, infrugiferumque laborem componentes, illos vbique potius, quàm vbi opus est, sumptum facere cogunt: quas tamen si quis fortè hoc nomine improbauerit, ac reprehenderit, meditatam ac cogitatum audiet defensionem, criminatio- nis plenam. Et hæc enim, aiunt, & illa item fiunt. Quid ais, te non pudet hæc proloqui? te non pudet vnà cum equis, mulis, lectis, scabellis esurientem Christum annumerare, seu verius dicam, ne cum his quidem illum, sed maiorem partem hisce, illi autem vix modicam impertiri? an verò nescis tum tui, tum tuarum fortunarum, rerumque omnium dominium penes illum vnum esse? an nescis illum corpus tuum finxisse, animam tibi gratuitò contulisse, mundum vniuersum fuisse largitum? quum tu interim ne pusillam quidem horum remunerationem rependis. Iam si paruam domunculam certa pensione locaueris, pensionem ipsam seuerus rigidusque exigis, creaturæ autem illius fructum percipiens, orbem tam latum inhabitans, ne tantillum quidem mercedulæ pensitare sustines: sed inani gloriæ tum te ipsum, tum tua omnia dedis. Illinc enim omnia hæc veluti appensa sunt. nam neque equus melior, quãtum ad ipsius virtutem, euaserit, huiusmodi ornatu ac phaleris superbus, neque illius item sessor: qui & hoc nomine nonnunquam vilior, contemptibiliorque redditur. Multi enim sessore præterito, ad vnus equi phaleras oculos traducunt suos, tum autem ad famulos hinc

insequentes, hinc antecedentes, eosdèque subnixis alis ingredientes, atque obuios quosque cubito propulantes: cum verò qui huiusmodi satellitio cinctus incedit, & oderunt, & tanquam publicum auersantur hostem. At verò animum quum exornas, non hoc euenire solet. tum enim & homines, & angeli, & angelorum dominus, denique omnes laurcam tibi intexunt. Quapropter si gloriæ sitis es, faceffe ab iis quæ tibi in manibus sunt, animumque, nõ domum exornato, quò splèdidus sis & illustris. Nam vt nunc quidem animatum te video, nihil quicquam te vilius esse queat, qui animam desolatam quum habeas, aliud nihil quàm domus tuæ pulchritudinem ostentes. Qui si quæ hinc à me dicta sunt, ferre non potes, audi quid olim peregrinus quidam ac prophanus homo fecisse dicatur: pudeatque tandem te vel exteræ philosophiæ. Ferunt quendam ex eorum, quem dixi, numero hominum, in domum quampiam splèdidam, multo quidem auro radiantem, magna adèò lapillorum ac columnarum pulchritudine fulgurantem ingressum fuisse: quum autem domus eiusdem solum variis tapetibus ac peristomatibus stratum vidisset, in domini os conspuisse: deinde ob hoc increpitum, hoc colore se excusasse, quod tota in domo nihil videret ad excipiendum oris recrementum opportunius, ob idque coactum se illius os ea contumelia afficere. Vides vt ridiculus omnibusque despiciabilis sit, iis quidem certè qui mentis cõpotes sunt, quisquis externo sese ornatu venditat. & quidem iure optimo, neq; enim si quis vxore tua posthabita, in pannis, in vili ac lacero habitu relicta, illius ancillas sumptuosas vestibus induat, factum hoc equanimiter feras, verum & excadescas, & inexpiabilem tibi iniuriam factam interpereris. Hoc ipsum igitur in animæ causa expendit. Nam quoties parietes, ipsamque domus tuæ supellectilem exornas, elemosynã autem abundantem non præbes, neque te reliqua colenda philosophia excres: profecto aliud nihil, quàm id, quod dixi, quòdque eotiam pestilèntius est, facis. Nam seruam inter ac dominam discrimen nullum: at animam inter & carnem ingens differentia. Quod si ita est: multò certè magis animam inter & domum, animam inter & lectum, & scamnum. Quãnam igitur defensionem, quæ idonea quidem sit, obtendere possis? qui hæc omnia argento contingas, includasque: illã autem pannosam, squalentem, esurientem, vulneribus refertam, infinitorum canum dentibus diuelli negligas, tum autem censas magnam ab hocce rerum externarum ornatu gloriam tibi esse conquistam. Id quod sanè summæ amentie est: ab iis videlicet rebus tibi placere, vnde & ludibrium, & probum, & dedecus, & infamiam, vnòq; verbo extremum tibi accersas supplicium. Quamobrè exhortor, omnibus iis perpensis vel serò tandem vt respiscamus, nõsque nobis ipsis asseramus: tum rerum externarum ornatum hunc ad animã deriuemus. Hoc pacto & incolumis ornatus idem manebit, & nos angelis pares efficiet, & immortalia item bona cõciliabit, quæ vtinã assequi omnes possimus, gratia & clemètia domini nostri Iesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XII.

HUMANVM quiddam dico, propter infirmitatem carnis vestra. Sicut enim præbuissemus membra vestra serua immundicia & iniquitati ad iniquitatem, ita & nunc præbete membra vestra serua iustitia ad sanctificationem. Postquam quàm magnam vitæ curam, diligentiamque postulauit, iubens mundo ac malitiæ mortui vt simus, atque ad peccatorum opus immobiles maneamus: visusque est magnum quiddam atq; onerosum dixisse, ac tale, quod humanum

101

humanum transcenderet ingenium, ostendere volens, nullum se postulare onus, quod humeris nostris impar sit, neque quantum oporteat eum ferre, qui tantum à Deo donum sit cõsecutus, sed ad modum moderatum & leue id ipsum à contrariis argumentatus adstruit: itaque inquit, Humanum quiddam dico, ac si diceret ab humanis cogitationibus, ab iis quæ in cõsuetudinem cadunt: nã modum nobis, moderationemque verbi huius, humanum, appellatione denotat. Etenim & alibi quoq; ait, Tentatio in vos non inuasit, nisi humana: hoc est, moderata & pusilla. Sicut enim præbuissemus membra vestra serua immundicia & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc præbete membra vestra serua iustitia ad sanctificationem. Quancum magno inter se domini ipsi interuallo disident, tamen parem, inquit, seruitutis modum flagito. Oportebat quidem multò etiam amplius adferre, ac tantò etiam amplius, quantò ipsa hæc seruitus dominatu illo tum maior tum melior est: sed tamen nihil ego amplius deposco, propter infirmitatem. Nec dixit infirmitatè vestra vel voluntatis, vel propensionis atque alacritatis, sed carnis, orationem minus inuidiosam ita reddens, atqui illud quidem immundicia, hoc autem sanctificatio: illud iniquitas, hoc autem iustitia. Dices, Quis tandem eousque miser, eousque infelici sydere iatus esse queat, vt ne studij quidem tantundem, Christi, quantum peccati ac diaboli seruituti impendat? Igitur audi quæ sequuntur, atque apertè intelliges, ne istud quidem pusillum nos impendere. quandoquidem enim prolatum hoc sic simpliciter nec credibile esse, nec acceptabile videbatur, nec audire quisquam sustinisset, se Christo tantundem non deseruire, quantùm diabolo deseruisset, per ea quæ insequuntur ipsum hoc adstruit, ac credibile facit illam seruitutem in medium afferens, ac dicens quo pacto illi seruire. Quum enim essetis, inquit, serui peccati, liberi eratis iustitie. Quod autem ait, hunc habet sensum: Dum in malitia viueretis, in iniustitia, in summis malis, tanta cum obedientia viuebatis, vt prorsus boni nihil ageretis. Hoc enim significant verba hæc, liberi eratis iustitie: hoc est, non eratis illi subditi, sed alienati ab ea prorsus: neque enim seruitutis modum distribuebatis partim iustitie, partim peccato, sed ipsos vos totos debebatis malitiæ. Igitur & nunc quoque posteaquam ad iustitiæ cultum vos traduxistis, ipsos vos totos ad virtutem date, nullum prorsus vitio locum relinquentes, vt in eo vel æqualem saltem modum seruire vos ostendatis: quanquam non ipsius dominij solum, sed & seruitutis quoque magnum adèò sit discrimen. Id quod liquidò admodum explicat, demonstrans quibus in rebus tum seruiret, quibus autem nunc seruiant: necdum tamen exprimit damnum è re nascens, sed erubescèntiam interim. Quem enim, inquit, fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Talis enim erat seruitus, vt illorum etiam recordatio pudorem vel nunc pariat. Quòd si recordatio sola pudore afficit, quantò magis ipsa actio? quamobrem duplici nomine nunc lucrificastis: tum erubescèntia liberati, tum edocti, quibus in foribus versaremini, quemadmodum id temporis quoq; dupliciter se debebamini, tum ea perpetrantes quæ erubescèntiam mererentur, tum ne erubescere quidem scientes, quod priore maius erat: sed tamen vel sic in seruitute perseuerabatis. Quum igitur plus satis ostèdit, quale fuerit facinorum tum perpetratorum no cumentum, ab ipsa videlicet erubescèntia exortum, ad ipsam rem progreditur. Res verò quæ tandem erat? Nam finis illorum mors est. Quandoquidem enim erubescèntia, non admodum graue malum esse videbatur, ad id quod valdè terrificum est, accedit, mortè dico: quamuis & quod prius dictum fuerat, sufficeret. Cogita enim, quousque

Chrysof. tom. 4.

A vitiositas ipsa progressa esset, quum vel supplicio liberati, erubescèntia liberari nequirent. cequã igitur mercedem, ait, ab actione expectas, quum præsertim supplicio liberatus, vel ab ipsa sola memoria erubescis, ac pudore suffunderis? quamuis in tanta etiam gratia confistas. At non perinde se habent quæ Dei sunt. Nunc verò manumissi à peccato, serui autem facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem autem vitam æternam. Illorū enim operum erubescèntia vel post manumissionem, horum autem fructus sanctificatio. Vbi autem sanctificatio, ibi fiducia ingès. Illorum finis, mors: horum autem, vita æterna. Vides vt horum partim iam data esse ostèdat, partim in spe reposita: atq; ab iis quæ iam data sunt illa confirmat, à sanctificatione vitam æternam. Vt ne enim dicas omnia in spe esse posita, ostendit & te iam fructum percepisse, primum quòd malitia liberatus sis, malisq; huiusmodi, quorum vel recordatio in animum influens, pudorem parit: deinde quòd sis iustitiæ seruus effectus, tum quòd sanctificationem sis assecutus, tum quòd vitam adeptus sis, & quidem nõ temporariã, sed æternam. Quæ ipsa omnia quum sic se habeant: tamen vel ex quo, inquit, seruite. Tametsi enim ipse dominus valdè præcellens est, èstque seruitutis & præmiorū pro quibus vos in seruitutem datis, ingens discrimen, tamè amplius nihil hinc postulo. Deinde quoniam armorum ac regis mentionem fecit, in metaphora perseuerat, dicens: Stipendia enim peccati, mors: gratia autem Dei, vita æterna in Christo Iesu domino nostro. Peccati stipendia quum nominasset, de bonis verba faciens, non eundem seruaui ordinem. neque enim dixit, merces rectè factorum vestrorum: sed, gratia autè Dei, ostendens illos suo marite liberatos nõ esse, neq; quod debitum esset accepisse, nec id quod datum illis est, esse aut retributionem, aut remunerationem laborum, sed omnia gratia obuuisse. Quapropter & hinc excellentia existit: nõ quòd Deus liberauerit, neque quòd ad meliora illos traduxerit, sed quòd ne laborantes quidem aut sudantes, nõ liberauerit solum, sed & multò maiora illis dedit, & ea item per filium dedit. Hæc porrò interfert omnia, quoniam quidem & de gratia verba fecerat, & legem iam deiecerat. Vt ne enim hæc verbaque signiores illos redderent, media interposuit, quæ ad exactam vitæ rationem pertinent, auditorem ad virtutis summam curam vbique excitat. Quum autè peccati stipendia mortem appellat, terret rursus, & aduersum futura confirmat, nam per quæ illis priorum memoriam refricat, per ea eosdè preparat ad gratias Deo agendas, simul cõfirmationes ad omnia quæ imminere possent reddit. Hoc igitur loco institutum de moribus sermonè absolues, ad dogmata rursus transit, ita in quibus: An ignoratis fratres, sciētibus enim legem loquor. Posteaquam enim dixit, quòd mortui peccato sumus, ostèdit hoc loco quòd nõ solum illis peccatum non dominatur, sed ne lex quidè: quòd si lex non dominatur, multò minus peccatum. Orationem porrò condulcās, leniensque, ab exemplo ad homines pertinēte hoc ipsum apertum facit. Ac videtur quidem vnum dicere, duo autem ponit propositi argumenta ac fundamenta. Alterum quidem quòd mortuo viro, non subdita est mulier legi viri: nec est qui eam prohibeat, quò minus alterius fiat vxor. Alterum, quòd hinc non solum vir mortuus est, sed & mulier, sic vt duplicem naçta sit libertatem. Si enim mortuo viro liberata est ea mariti imperio, quum & illam mortuam constiterit, multò magis liberata est, nam si res vna illam mariti potestate liberat, multò magis duæ cõcurrentes: Descēsurus igitur ad harum rerum probationem, cum auditorum laude incipit, dicens: An ignoratis fratres, sciētibus enim legem loquor: hoc est,

D ij

hominem
sic mox vi-
ro, & mu-
lieri, sine
p[ro]p[ri]o-
tione in.

quod admodum ab omnibus cōfessum est, & apertum profero: & eos alloquor, quibus hæc omnia accuratè nota sunt. *Quod lex tantisper in homine dominetur, quoad vixerit.* Non dixit in viro, neq; in muliere: sed in homine, quod ipsum commune animat̃is vtriusque nomen est. Qui enim mortuus est, inquit, iustificatur à peccato. Igitur viuis lex lata est: mortuis autem non item. Vides vt duplicem libertatem aperuit, deinde in p[ro]c[er]miis hoc clàm significas in muliere, in ipso argumento & fundamēto p[ro]sequitur orationem, sic dicens: *Nam que sub viro est mulier, viuenti viro alligata est per legem. Si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri. Proinde viuente viro iudicabitur adultera, si se iunxerit alteri viro. Sin autem mortuus fuerit vir, liberata est à iure viri, vt non sit adultera, si iuncta fuerit alteri viro.* Assiduè hoc ipsum versat, in orèque habet, & id magna, exactaq; cum cura: quoniam admodum confidit argumentationi, probationeque quam adstruit, ac ponit quidem in viri ordine ac loco ipsam legem: in mulieris autem loco eos omnes, qui credidèrunt. Deinde conclusionè adducit nō iuxta p[ro]positionem, conseq[ue]batur enim vt diceret: Itaque fratres mei, non dominabitur vobis lex: mortua enim est, sed non sic dixit, sed in ipsa quidè p[ro]positione hoc clàm significauit. In ipsa autè inductione, vt ne videlicet Iudæos oratio offenderet, mulierem inducit mortuam dicēs: *Itaq; fratres & vos mortui estis legi.* Posteaquam enim & hoc & illud factum eadē afferret libertatem, quid prohibebat quo minus legi hac in parte gratificaretur re ipsa incolumi manente? *Nam que obnoxia viro est mulier, viuenti viro alligata est, lege.* Vbi nūc sunt, qui legem calumniat̃es suggillant? Audiant illi, vt Paulus vel in necessarium incidens locum, illius dignitatem non deiciat, sed magnificè etiam de illius potestate loquatur, siquidè ea superstitè, vincit̃us est Iudæus, & adulteri audiunt, qui illam p[re]tergrediuntur, ac viuentem relinquunt. Sin autem mortuam dimiserunt, nihil id mirum fuerit, nā in ipsis hominibus, calumniæ obnoxius minimè est, qui id facit. *Quod si mortuus fuerit vir, liberata est à lege viri.* Vides vt in ipso exemplo legē ostendat mortuam? sed hoc nō facit in inductione. *Proinde viuente viro iudicabitur adultera.* Vide vt immoretur in illorum accusationibus, qui legem viuentem transgrediuntur. Quum autem antiquauit illā atq; abrogauit, tum demum omni cum securitate illud fidei gratificatur, nihil inde læsionis afferēs. *Viuente enim viro, ait, adultera iudicatur mulier, si fuerit cum altero viro.* Itaque fratres mei & vos, conseq[ue]ns erat dicere, lege mortua adulterij nō damnamini, si cum altero viro fueritis. Verum non sic dixit, sed quo pacto? mortificati estis legi. Si ergo mortui estis, iam non estis sub lege: nam si mortuo viro non est obnoxia mulier, multò magis hæc eadem mortua vbi est, eo liberata est. Vides Pauli sapientiam, vt legem ostenderit hoc etiā velle, vt à se deficiat, & cum altero viro sis? neq; enim prohibet, inquit, quo minus eū altero viro te cōiungas mortuo priore, quidni enim? quum etiam à viuo marito permittat diuortij libellum capere: Verum & hoc nō addit, quod quidem mulierū crimen potius erat: tametsi enim id cōcederet, tamen à crimine nō vacabat. Quum enim Paulus à necessariis iisdemque probatis rebus victoriam ferat, non querit quæ superuacanea sunt: neq; enim est exactor petax. Quod igitur admirari debemus, illud est, quod ipsa etiā lex criminibus nos liberat, à se deficientes: vt voluntatis eius sit, quod nos Christi efficiamur: etenim & ipsa mortua est: & nos item mortui sumus, & duplici nomine potestas sublata. Hic autem ne his quidè solis contentus est, sed & ipsum authorè addit. neq; enim simpliciter mortem posuit, sed crucem quæ hæc

audiunt,
ponit p[ro]
dicuntur,
sive iudi-
cantur.

A effecerit, introduxit, illi nos obnoxios faciēs: nō enim simpliciter, inquit, liberati estis, sed per mortē domini. *Mortificati enim, inquit, estis legi, per corpus Christi.* Neque verò hinc tantum adhortatur, sed & à secundi viri excellentia. Ideò addidit, *Vt sitis vos alterius, qui ex mortuis, resurrexit.* Deinde vt ne diceret, Quid igitur nobis fiet, nisi alterius viri cōsuetudine vti velimus? lex enim quæ vidua sit, hanc adulterā esse nō vult nuptiis iteratis: nō tamen illam iterare cogit. Vt ne igitur hoc illi dicant, ostēdit vel ab iis beneficiis, quæ priores ipsi accepimus, oportere ita nos velle: quapropter & alibi rem apertius ponit, inquit: Non estis iuris vestri, & precio empti estis, & ne hominū serui efficiamini, & rursum, Vnus pro omnibus mortuus est, vt qui viuunt, amplius sibi non viuāt, sed ei qui pro ipsis mortuus est. Hoc igitur & hic clàm significauit, quū dixit, per corpus. Deinde & per bonam spem cohortatur, dicens: *Vt fructificemus Deo: tunc enim fructificabatis morti, inquit, nunc autem Deo.* *Quū enim essemus in carne, affectiones peccatorū, quæ per legē vigeant in membris nostris ad fructificandū morti.* Vides prioris viri lucrum, nec dixit, quū essemus in lege, vbiq; cauens hæreticis ansam p[re]bere: sed, quum essemus in carne: hoc est, in malis actionibus, in vita carnali. neq; enim hoc ait, illos antea quidem in carne fuisse, nunc autem in corporeos effectos circumire. Hoc porro quū dicit, neque legem peccatorum causam existere dicit, neque illam tamē inuidia liberatamari enim accusatoris locum obtinebat, peccata denudans. Nā qui plura ei iniungit, qui nusquā parere velit, is delicta multiplicat. Ideò nō dixit, affectiones peccatorū, quæ sub lege fierent: sed affectiones quæ per legē, nec addidit, fierent, sed simpliciter, quæ per legem, hoc est, quæ per legem apparerent, aut dinoscerentur. Deinde vt ne carnem accusaret, nō dixit, quas membra facerēt, sed quæ in mēbris nostris vigeant, ostendens aliunde malitiæ initium existere, à cogitationibus videlicet opus suum edentibus, nō à membris p[er]agentibus.] anima enim artificis locum obtinebat, citharæ autè, carnis natura, ita resonās, vt citharista cogeret: igitur nō huic absontio, sed illi potius imputanda est. *Nunc autem liberati sumus à lege.* Vides vt rursum & hic quoque carni parcat, ac legi: neque enim dicit, legem esse p[er] liberatam? neque carnem: sed, nos ipsos liberatos esse, & quoniam ipsi pacto sumus liberati? detento à peccato homine vetere mortuo, eodēque sepulto. hoc enim his declarauit verbis, *Mortui ei, in qua detinebamur.* Ac si diceret, Vinculum id per quod detinebamur, mortuum est atq; dissolutum: sic vt quod detineret, iam nihil detineat, hoc est, peccatum. Sed tu ne animo concidas, neu segnior efficiāre liberatus enim es, vt rursum seruias, non perinde tamē, sed per nouitatem spiritus. Quid autem est quod ait? Necessè enim nobis est id ipsum iam detegere, vt quum in locum inciderimus, ne perturbemur, quum enim ait, peccauit Adam, tum & illius corpus mortale effectum est, ac patibile, receptis naturæ vitiiis permul-tis, equo p[re]terea grauiore atq; effreni reddito: at Christus vbi adueuit, per baptismum nobis illum leuiorem fecit, alis spiritus eundem excitans. Hanc sanè ob causam nobis non eadem cum p[re]scis hominibus stadia sunt constituta: quando quidem ne tum quidem vsque adeò facilis erat cursus. Idcirco & ille nō postulat tantum, vt à cæde mundi simus, quomodo & ab antiquis postulabat, sed & ab ira: neque adulterio solum, sed impudico aspectu abstinere nos iubet: neq; à periurio tantum, sed à iureiurādo alienos esse: adde quod vnā cum amicis & inimicis quoq; diligēdos p[re]cipit: deniq; omnibus aliis in reb[us] lōgiora nobis stadia esse voluit qui nisi paruerimus, & gehēnam minitatus est: ostēdens lupradicta

Math. 5.

Sup. 6.

Ibidem.
Ibid. 4.
Ibid. 5.
Ibid. 4.

Exod. 20.
& Deut. 5.

Matth. 23.
& seq.

prædicta non à decertatium liberalitate nasci, sicut virginitas & inopia, sed omninò perfici illa oportere, vt quæ ex eorum sint numero, quæ vrgentia ac necessaria sunt: estq; extremas illæ p[œ]nas luiturus, qui ea nō p[re]stitit. Propterea dicebat: Nisi abundauerit iustitia vestra supra Phariseorum & Scribarum iustitiam, nō intrabitis in regnum cœlorum. Quisquis porrò cœlorum regnum non videt, is omninò in gehēnam collabatur: quamobrem & Paulus dixit: Peccatum enim vobis nō dominabitur: nō enim estis sub lege, sed sub gratia, neque enim est littera quæ condemnet, hoc est lex illa vetus, sed ipse spiritus qui opem auxiliūque adfert. Quo nomine sicubi quis p[re]scis illo sæculo visus esset virginitatem colere, vehemētè admiratione digna ea res erat: nunc autem vbiq; terrarum disseminata eadem res est, ac mortem id temporis homines vix pauci contemnebant: nunc autem & in vicis, & in vrbibus martyrum populi innumeris, non ex viris tantum, sed ex mulieribus constati. Deinde posteaquā hæc dixit, obiectionem rursus emergentem soluit, in ipsa solutione id adstruens, quod vult: quamobrem solutionem principaliter non inducit, sed ex contradictione, vt à solutionis necessitate occasionem capiat ea dicendi quæ vult, minusque inuidiosam reddat accusationem. Nam vbi dixit, per nouitatem spiritus, & non per vetustatem litteræ, attexit: *Quid ergo dicemus? lex peccatum est? absit.* Etenim prius dixerat, quod affectiones peccatorū quæ per legem vigeant in membris nostris, & peccatū vobis non dominabitur: non enim estis sub lege, sed sub gratia, & vbi enim non est lex, ibi neque transgressio. & lex obiter subiit, vt abūdaret peccatum. & lex iram efficit postquam igitur hæc omnia videretur legi calumniam adferre, itaquā corrigens suspicionem eam quæ ab his nasceretur, adfert & oppositionem, atq; ait: *Quid igitur? lex peccatum est? absit.* Antequā dictum astruat, prohibitionem atque interdictionem vltus est, hac ratione auditorem sibi consiliat, offensumque delinens. Nam quū iam audiisset, & de illius affectu plenissimè certior redditus esset, interrogat vnā cum eo id, quod dubium esse videtur, nec suspectum habet dicentem. Quare & obiectionē illam anteuertēs, posuit: neque enim dixit, quid igitur dicam ego? sed, quid dicemus nos? quasi consilium ac sententia proponeretur, essetque communis ecclesia in vnum coacta, nec ab ipso, sed à legum cōsequentiā, rerumque veritate ipsa obiectione existeret. Nā quod litera occidit, nemo, inquit, cōtradicturus est: & quod spiritus viuificat, & hoc quoque liquet, ac nemo contenderit. Si igitur hæc confessæ sunt, quid dixerimus de ipsa lege? quod peccatū sit? absit. Solue igitur dubitationem. Vides vt secū aduersarium statuit, & docētis dignitate in se recepta, ad solutionem pergit, quā nā igitur solutio? Peccatum certè non est, inquit: *Sed peccatum nō cognouissim, nisi per legem.* Vide sapientiæ intentionem. Quod enim non est lex, id ex obiectione posuit: vt hoc sublato, & hac quidem in parte gratificatus Iudæo, persuadeat illi quod minus est admittere, quod videlicet peccatum nō cognouissim, nisi per legem. *Et concupiscentiam, inquit, nesciissim nisi lex dixisset, Non concupisces.* Vides vt paulatim non solum ipsam legem ostēdit peccati esse accusatricem, sed & sensum apparatricem? haud tamen ab ipsius culpa, sed à Iudæis ingratis demonstrat istud euenire. Etenim Manichæorum ora conatus est obserare legem accusantium, quum enim dixisset, peccatum non cognouissim, nisi per legem: & concupiscentiam nesciuissem, nisi lex dixisset, Non concupisces: subdidit, *Occasione autem accepta peccatum per p[re]ceptum genuit in me omnem concupiscentiam.* Vides vt ipsam legem criminationibus li-

Chrysof. tom. 4.

A beret. Occasione enim, inquit, accepta peccatum, non lex, auxit concupiscentiā, factūq; est cōtrā, quam lex vellet, quod infirmitatis quidem erat, non malitię: quū enim quidpiam concupisimus, deinde prohibemur, concupiscentiæ flāma magis attollitur. Verum non id per legē illa enim prohibuit, vt te ab eo abducat. Peccatum verò, hoc est, segnitie tua, & mala mēs, bono in contrariū vsa est. Verum non id medici crimen, sed ægroti, qui quod accepit medicamen, eo non rectè vsus est: non enim ob id legem dedit, vt concupiscentiam accenderet, sed vt restingeret. Secus autem euenit, at non illa infimulanda, sed nos. Neq; enim in ius ille meritò vocandus, inculandusque fuerit, qui quod febriētī alicui, & frigidam intempertuē concupiscenti, minimè potestatem fecerit, ea se potionē ad fatietatem vsque implendi, perniciosę eiusmodi voluptatis appetentiam auxisse visus est. Medici enim est monere tantum, abstinere autem eius qui æger sit. Quid enim si peccatum occasionem ab ipsa lege accepit? Perique enim ex malorum etiā numero quum sint, à bonis p[re]ceptis suam augent malitiam: quando & hac ratione diabolus Iudam perdidit, illum ad auaritiā impellēs, furēmq; rerum ad inopes pertinentiū efficiēs: neq; enim credita marsupij cura id effecit, sed animi malitia. Et Heu ait Adā nequēns vt de ligno comederet, è paradiso exclusit: neque illic tamen arbor causa fuit, quamuis per ipsam occasio extiterit. Quod si vehemētius sermone co vritur, qui ad legē pertinet, ne demeris, ad id enim quod vrget Paulus se firmat, non permittens ne iis quidem qui aliter suspicātur, dicta hæc occasione p[re]bere, studium autem permagnum adhibens rem p[re]sentem corrigere. Caue igitur nuda examines, quæ hic dicuntur, sed cā tibi suppositionē proponito, propter quam hæc vt dicat, adducitur: ac Iudæicam insaniam considera, & vehementem illorū cōtentionem, quam conuellere studebat. Videtur autem multus aduersus legē spirare, non vt illā calumniatur, sed vt horum contentionē vehementiāq; obruat ac dissoluat. Si enim in hoc legis crimen est, quod ab illa peccatū occasionem nascit̃ sit, inuenietur & in nouo instrumento hoc ita euenire, vt-pote in quo infinitæ leges, & quidem multò maioribus de rebus cōstitutæ sunt: atque idem hoc tamen videas & inibi quoq; accidere, nō in ipsa modò concupiscentia, sed in omni demū vitiositate. Si enim nō venissem, ait, & ipsis locutus nō fuissim, peccatum nō haberent, num igitur hinc peccatum & p[œ]na grauior suppositionē accepit? Ac rursus de gratia Paulus disputans ait, quāto putatis maiori dignum supplicio futurum eum, qui Dei filiū cōculcarit? num igitur & maius supplicium occasionē hinc habet, à maiori videlicet beneficentia? Et gētilis item eò ait esse inexcusabile, quod & ratione p[re]diti, atq; ornatī, & creaturę pulchritudinem perdocti atq; ab ea valētes ad ipsam opificem deduci, Dei sapientiam in vsum decentē non verterunt. Vides vbi-que iis qui mali quidè sint, occasiones maioris supplicij à bonis rebus existere? Verum non ob id certè accusabimus Dei beneficentias, quin eas potius maiori admiratione p[ro]sequemur: illorum autem consilium criminabimur, qui bonis rebus partem in contrariam vsi fuerint. Hoc igitur & in legis causa faciamus. Sed hoc quidem facile & procliuè, quod autem dubiū, illud est. Quo tandem modo, ait, concupiscentiam nesciuissem, nisi lex dixisset, non concupisces? Si enim concupiscentiam nesciuisset homo antequam legē acciperet: vnde diluuium extitit? vnde Sodoma exusta? quid igitur ait? nempe concupiscentiam intelligit auctam & intēsam, quapropter nō ait, genuit in me concupiscentiam: sed, omnem concupiscentiam, rei vehementiam hoc loco

Luc. 22.

Genes. 3.

Ioan. 15.

Hebr. 10.

significās. Dixit aliquis, quòdnam verò legis lucrum, si affectionem adauxit? nimirum nullum, quin potius fraus, detrimentumque ingens. Verum non id legis fuerit crimen, sed ignauia eorum qui illam acceperant. peccatū enim hoc ipsum effecit, sed per legem. Verum lege non ad id laborem ac studium afferente suum, sed secus agente. Peccatum igitur, inquis, vehementius atque adeò fortius extitit? sed ne hoc quidem crimen rursus legis fuerit, sed illorum improbi, ingrati que animi. *Absque lege enim peccatum mortuum erat*: hoc est, non sic notum. Cognouerant enim & qui ante legem vixerant, se peccauisse: exactius verò id didicere lege data, quo quidem nomine maiori reprehensionem se illi obnoxios reddidēre. Neque enim perinde fuerit, naturam habere quæ accuset, atque vnā cum natura legem etiam apertè omnia dicitantem. *Ego autē viuebam sine lege quondam*. Quando, obsecro? ante Mosē. Vide ut enitatur ostendere legem tum ab iis quæ fecit, tum ab iis quæ nō fecit, humanam grauarius naturam. quum enim absque lege viuerem, ait, non sic condemnabar. *Vbi autem accessit preceptum, peccatum reuixit, ego autem mortuus sum*. Hoc videtur quidem esse legis accusatio. Sin verò exactè perpendis, & illius quoque laus apparebit. non enim peccatum, quod nullum esset, in rerum naturam produxit, sed, occultum quod esset, patefecit. Id quod legis laus fuerit, siquidem ante hanc quidem nullo sensu peccabant: ea autem vbi accessit, si alium fructum nullum illi tulere, hoc ipsum certè exactè sunt edocēti, quòd videlicet peccaret: quod quidem non parum cōtulerit ad hoc, vt te à vitio eximas. quòd si à malitia se illi minimè exemere, nihil hoc ad ipsam legem, omnia hoc nomine factitantem: sed quæcunque esse possit accusatio, ea omnis in illorum consilium recidit, præter omnem spem corruptum: neque enim ratione nitēbatur quod ab illis fieret, ab iis videlicet lædi quæ iuarēt. Idcirco ait: *Et repertum est mihi mandatū, quod institutum erat ad vitam, mihi cedere ad mortem*. Non dixit, mors extitit, neque peperit mortem: sed, repertum est, hac ratione interpretās nouam atque inopinatam rei absurditatem, ac totum in illorum caput desecit. Nam si mādati scopum inspicere velis, ad vitam ducebat, inquit, ac propterea traditum est: quòd si mors hinc euenit, eorū fuerit crimen qui mandatū accepere, non mandati, quod ad vitam ducit. Apertius porrò hoc ipsum & per ea de quibus deinceps agit, declarauit. *Nam peccatū occasione accepta per preceptum decepit me, & per illud occidit*. Vides vt vbique peccati verbo adhærescat? legē omni accusatione liberans. quare & addidit: *Itaque lex quidem sancta, & preceptum sanctum, & iustū & bonum*. Sed si ita videtur, & delirantium super hisce enarrationes in medium hunc sermonem afferamus: ita enim clariora dicta à nobis erunt. Hoc enim loco nonnulli volunt, quæ dicit Paulus, ea non dicere de Moysi lege, sed alij quidē de naturali illum lege loqui, alij de mandato in paradiso tradito: atqui vbique huc respicit Paulus, vt legem hanc consopiat, abrogatque, illarum autem nullam habeat rationem, & quidem iure optimo. Hanc enim legem Iudæi extimescentes, exhorrescentesque, gratiā obstrepebant. Mandatum porrò in paradiso traditū ne legem quidem vocasse vnquam videtur neque Paulus, neque alius quisquam. Atque vt ab iis etiam quæ dicta iā sunt, hoc magis innotescat, verbis digrediamur, paulò altiùs oratione prouecti. De vitæ enim recto instituto magna adeò diligentia cum illis verba dum fecisset, addidit: An ignoratis fratres, quòd lex tantisper in homine dominatur quoad ea vixerit? Itaque vos mortificati estis legi. Igitur si de naturali lege hæc dicta sunt, inuenimur naturalem legem non habere: quòd si hoc

verum est, brutis ipsis insipientiores stupidioresque erimus. Sed non est ita, non est ita: nam de ea lege quæ in paradiso data est, ne necessarium quidem fuerit contēdere, vt ne superuacuum laborem subeamus, cōponentes, accingentesque nos ad ea quæ confessa, ac minimè cōtrouersa sunt. Quo igitur pacto, ait, peccatum non cognouissem, nisi per legem? de ea non loquitur ignorantia, qua fit nihil prorsus rerū omnium vt cognoscamus, sed exactiorem cognitionem intelligit: nam si hoc de naturali dictū sit, quomodo rationi cōsentanea esse queant, quæ insequuntur? Ego enim, inquit, viuebam absque lege quondam. Neque enim Adam, neque alius quiuis homo visus est vnquam absque lege vixisse naturali, nam simul atque illū finxit Deus, ei indidit illam legē, quam legem veluti cōstantem ac fidum conuictorem apud vnumquemque; deponit, ac cōmittit: extra hæc autem nusquam videre est, mandatū à Paulo legis naturalis nomine fuisse designatū. Hanc autem & mandatū sanctum, & iustum, & bonum vocat, & legem item spiritualem: quū naturalis nō à spiritu nobis data sit. nā & barbari & Græci, & omnes mortales hæc lege vtuntur. Vnde liquet ipsum de lege Moisaica supra & infra vbique verba facere. Idcirco & sanctam illam vocat dicens: *Itaque lex quidem sancta, & iusta, & bona*. Nam vt Iudæi impuri atque immundi fuerint etiam lege accepta, & iniusti atque auari, hoc tamen legis virtutem nequaquam facit irritam, quo modo Dei fidem non tollit, non subuertit illorum incredulitas. Quamobrem ex iis omnibus liquet de Moisaica lege hæc illum disputare. *Quod ergo bonum erat, ait, mihi factum est mors? Absit, inquit, peccatum, vt appareat peccatum*. hoc est, vt ostendatur quātum sit malum, ipsum peccatum, ignaua voluntas, & in deterius ruens impetus, & ipsa item actio, & mens corrupta. Hoc enim demum malorum omnium causa est. Auget autem id peccatum, quum declarata Christi gratiæ magnitudine, aperit ac docet quanto ille malo humanum genus liberauerit, quod quidem malum vel per [medicorum] remedia deterius euadebat, in crudescēbatque, vel per eos qui illud arcebant, atque prohibebant. Idcirco addidit: *Vt fieret maiorem in modum peccans peccatum per mandatū*. Vides vbique vt se eidem peccato complicit & connectat, ac per quæ illud accusat, per ea demum rursus legis virtutem magis ac magis ostendat, neque enim parum præstitit, vtque ostenderit quā ingens malum sit peccatum, illiusque virus omne in medium prolatum detexerit. Hoc enim declarauit per hæc verba. Vt fieret maiorem in modum peccans peccatum per mandatū: hoc est, vt appareret quantum malum, quanta perniciēs sit peccatum: hoc autem per mandatū ostensum est. Ex his & excellentiam ostendit gratiæ ad legem, non pugnam. Ne enim hoc spectes, illos videlicet qui legem accepere, deteriores euasisse: sed illud potius considera, legem non solum noluisse vitium ad intentionem, incrementumque perducere: sed studuisse etiam, operamque nauasse, vt si quod antea esset, conuelleret, rescinderetque. quòd si huic rei præstanda par non fuit coronato quidem illam ab animi sententia, adorato autem magis ac magis Christi virtutē: quòd ea tam multiforme malum, tamque expugnatum difficile deleuit, & funditus excisum reuellit. Peccati porrò nomen quum audis, caue putes potentiam aliquam esse stabilem ac firmam sed actionem malam succedentem semper ac decedentem, quæque nec antequam existat, sit, & postquam extiterit, rursus extingatur, propterea enim lex data est. Lex porrò nunquam ad naturalium interitum datur, sed ad correctionem emendationemque peruersæ secundum voluntatem actionis. Idque non nesciunt profani etiam

etiam iudices, tum vniuersa hominum natura. ea enim tantum coercēt mala, quæ ab ignauia proficiuntur: quæ naturæ cohærentia sunt, ea non profitentur se cōuellere. neque enim licet. Naturalia enim quæ sunt, ea immota manent: quod me sæpenuerò apud vos alii in disputationibus dicere memini.

M O R A L E.

Quamobrem causis exercitamentisque his prætermisissis orationem rursus mores spectatē exercemus: quin potius & hæc illorum exercitamentorum pars est. Nam si vitiositatem excluderimus, & virtutem introduxerimus, & per hæc docuerimus vitiositatem naturā non esse malum: certè eos qui quærent vnde mala eueniant, non verbis ipsis tantum, sed rebus etiam facillè conuincere poterimus, illisque os obturare, eiusdem quidem naturæ communionem cum illis habentes, ipsorum autē malitia liberati. Ne enim hoc spectemus ipsi, virtutem non nisi labore comparari: quin illud potius, virtutis opera perfici à nobis posse, eaque facilia & sub manu esse, laborare quidem, ac studere volentibus. qui si mihi inhærentem vitiositati voluptatem allegas, allegato item & illius exitum. Ea enim in mortem denique erumpit. quemadmodum cōtrā, virtus ipsa, dux nobis vitæ, & author est, quin potius, si ita videtur, horum vtrumque, vel ante exitum cuiusque suum, expendamus: ita fiet, vt percipiamus vitium quidem magno dolore, virtutem autē magna adeò voluptate constare. Quid enim, quæso, magis triste, quid minus lætum esse queat, vitæ malè actæ conscientia? Quid rursus minus mœstum magis suaue spe bona? certè nihil sic animos nostros ferire, nihil sic premere consuevit, vt mala expectatio: rursus nihil sic illos sustentare, erigere, ac veluti volatiles reddere, vt conscientia bona. Atque hoc sanè vel ab iis rebus, quæ in nostrum hominum vsum cadunt, pernoscere licet. Nam qui carcere clausi tenentur, sententiam contra se expectantes, ij vt deliciis infinitis, ac voluptatibus interim perfruantur, maiori sanè cum animi mœstitia viciant, quàm inopes ij, qui per vrbium angiportus quum mendicent, nullius tamen sceleris sibi conscij sunt. supplicij enim expectatio illos non finit præsentium voluptatum sensum capere. Et quid hic de custo diis loquor? quum videamus ipsos etiam cerdone diurno nocturnoque labore vitam sibi vel ægrè comparantes, longè meliorem esse conditione, iis qui liberi ac diuites quum sint, sceleris tamen alicuius conscientia sollicitantur. Quamobrem gladiatores miseros ducimus, vt eos etiam videas in cauponis ac popinis vino se obruere, voluptati operam dare, vntri deseruire, eisdemque omnium infelicissimos hoc nomine dicentibus, quòd voluptate illa multò vberior sit eius quem expectant, exitus calamitas. Quæ si tamen illis vita suauius esse videtur: in mētem vobis veniat, sermonis eius quem ego assidue apud vos vsurpare soleo, nihil mirum esse, si minus fugiant vitiositatis amaritudinem, mœstitiāque in vitiositate. Ecce enim, res eotusque inanimabilis, amabilis iis esse videtur, qui illam pertractant: sed non propterea tamen illos beatos esse affirmamus. Verum vel hoc ipso infelices pronunciamus, quòd nesciant ipsi, quibus, quantisque, in malis versentur miseri. Iam quid de scortatoribus dicas? qui modicam ob voluptatem tantam seruitutis turpitudinem, tantum pecuniarum sustinent sumptum, tum verò terrorem assiduum, breuiter vitam Cain viuunt, seu verius dicam, illa etiam vita multò duriorem: hinc præsentia pertimescentes, illinc futura formidantes, & amicos, & inimicos, & conscios, & minimè cōscios suspectos habentes: à qua quidem sollicitudine atque anxietate ne

Chryso. tom. 4.

fomnum quidem dum capiunt, eximuntur: somnia diuersis timoribus plena identidem illis alternante ac renouante conscientia, sicque illos territante. At non eadem est hominis castè temperatè que viuētis cōditio, vt qui ociofa in libertate, libero in ocio vitam trahit. Opponito igitur paræ illi voluptati magnos terrores huiusmodi fluctus, tum autem breui continentie labori, vitæ perpetuò duraturæ tranquillitatem: ac tum demum intelliges hanc illa esse longè suauiore. Atque vt hinc exemplum desumamus, qui rapere & alienis rebus manus iniicere instituit: huic, obsecro, nonne infiniti necessariò labores sunt perferēdi, circumcursanti, adulanti, seruis, liberos, æditus terrianti, minitanti, impudenter agenti, vigilanti, tremēti, anxio, suspecta habenti omnia? At non talis quidem est, cui pecuniæ contemptui sunt, quin hic è diuerso magna fruitur voluptate, liber idem, atque rerum omnium securus vitam agēs. Quòd si quis reliquas vitiositatis partes percēserit, magnam certè tumultuationem, plerisque scopolos animi reperiet: ac quod maius est, in virtute quæ antecedunt, laboriosa quidem sunt, quæ insequuntur, suauia: vt hac demum ratione ille labos leuetur, molliatur, leniatur. In vitiositate autem secus, post voluptatem dolores, atque supplicia, ita vt hinc prorsus si qua inest voluptas, pereat. Nam quemadmodum fit, vt qui laureā expectat, is labores eos, in quibus versatur, nullo modo sentiat: sic qui voluptate peracta supplicia sibi parata intelligit, fieri non potest, vt iusta lætitia perfruat, timore omnia conturbante, seu vt verius loquamur, si quis diligentia adhibita examinet, vel ante eam pœnam quæ voluptatem consequitur, magnos item dolores in ipsa vitij perpetracione inesse comperiet: ac si placet, eorum qui alienarum rerum rapina ditescunt, vel qui quauis ratione diuites euadunt, timoribus, periculis, terroribus, sollicitudinibus, curis, reliquisque id genus angustiis omissis, demus aliquem esse qui facillè, nulloque negotio ditescat, quique de facultatum suarum custodia animi securus viuat, quod reperire quidem haudquaquam licet, sed tamen vel ipso sermone ille nobis existat: quānam igitur voluptate hic perfruetur? quòd opibus multis abundet? sed scilicet ea res non patitur delectacione illum capi: nam tantisper dum aliarum rerum, & earum maiorum, cupiditate tenetur, intenditur cruciatus: stante enim appetitione, tum denique voluptas percipitur. Nam & siti quum laboramus, tum ipsi nos recreamus, quum quātum volumus, tantundem bibimus: quādiu autem sitimus, vt omnes etiam fontes exantlemus, maius nobis tormentum existit. Eadem ratione si res mundanas fueris affectus, nec tamen cupiditati tuæ modum imposueris: certè quòd plura gustaueris, hoc tibi maius supplicium adsciscis. Absit ergo vt existimes voluptatem tibi cōadfore, quòd multis opibus abundes, sed cō potius, quòd maiorum diuitiarum ambitione non traharis: nam si ditescendi desiderio tenebere, nunquam non cruciaberis. hic enim amor finem nullum habet, ac quòd plus sis vitæ progressus, cō remotior à fine fueris. Nonne igitur ænigma hoc est, & dementia & summa infania? Abstineamus igitur à prima quaque vitiorum libidine, seu potius nulla ex parte libidini eiusmodi hæreamus, statim ipso in exordio pedem ab ea referentes: quod quidem Prouerbiorum author admonet, de meretrice verba faciens: Abscedito, ne moram feceris, neu accedas ad ianuam domus ipsius. Hoc tibi à me & de pecuniis monitum sit: nam si sensim in huius infaniæ pelagus illapsus fueris, semel ingressus, difficile regredi poteris: ac quemadmodum vsuenerit solet in vorticibus, à quibus vel millies periculo euadendi

D iij

facto, haud facile tamen euadere possis: sic & multò i-
tem molestius in huius libidinis altitudinem demer-
sus, te ipse vnà cum rebus omnibus perditum ibis. Pro-
pterea exhortor, initiò vt caueamus, vel pusilla fugien-
tes mala. nam magna ab his nascuntur. Etenim qui in
vnoquoque peccato dicere edoctus est, non in hoc po-
situm est salutis momentum, is pedentim omnia pec-
fundabit. Hoc igitur vitiositatem ipsam attraxit, hoc
ianuas referauit prædoni, hoc vrbis mœnia deiecit ni-
mirum quoties ad vnumquodque peccatum dicit, Nò
hoc ad rem magnopere pertinet: sic & in ipsis corpori-
bus vsuuenire videmus, vt magnæ ægritudines augeân-
tur, quoties paruas negligimus. Esau nisi primogenita
prodidisset, nunquam benedictiis indignus habitus
fuisset: nisi se ipse benedictiis indignum reddisset,
non concupiuisset ad fraternam necem progredi. Cain
si primogenita non amasset, sed Dei arbitrio illa permi-
sisset, secundas non habuisset: secundas habens, si ad-
monitioni auscultasset, eadem non parturisset: rursum
cæde patrata, si, Deo ipsum vocante, ad poenitentiam
rediisset, ac non impudenter respondisset, mala ea non
tolerasset quæ postea tolerauit. Quòd si qui ante legem
vixerunt, ij per hanc pigritiam sensim ad ipsam vitiosi-
tatis radicem deuenire: considera quid nobis euenire
possit ad maiora stadia vocatis, nisi diligenter nobis at-
tenderimus, ac malorum scintillas nondum accensas
anteuertentes restinxerimus. verbi gratia: Peieras as-
siduè, ne ad hoc solum te obfirmaueris, sed & iusuran-
dum tolle, ac tibi res citra laborem succedet. multò e-
nim difficilius est iurantem non peierare, quàm prorsus
à iurando abstinere. Iniuriarum illator es, conui-
ciator, percussor: legem tibi præscribit, nec succen-
surum te, nec quouis clamaturum modo: sic fiet, vt vnà
cū radice fructus intereat. Lasciuus es, nepos, luxu per-
ditus, ¶ te ipse rursus ad iusurandum hoc adigito, ¶ vt
neque mulierem aspicias, neque in theatrum ascendas,
neque in foro formæ alienæ pulchritudinem curiosè
perferueris. Minus enim laboriosum fuerit, prorsus
abstinere à formosæ mulieris aspectu, quàm ea conspe-
cta, ac desiderio semel admisso, animi motum ab eo
desiderio proficiscentem repudiare. Sunt enim certam-
ina ipsis in exordiis leuiores: immò verò ne concer-
tationis quidem indigemus, nisi aduersario valuas ad-
aperuerimus, vitiositatisque semina admiserimus. Pro-
pterea & Christus eum supplicio multauit, qui mulie-
rem impudico aspectu fuerat contuitus, vt maiore la-
bore nos liberaret, iubens aduersarium antè domo ex-
pellendum, quàm vires capiat, quum videlicet extrudi
facile potest. Quid enim, quæso, te tibi cogit superua-
caneum negotium facessere, manusque cum aduersa-
riis conferere, in manu tua quum sit, citra omnem con-
sistum, trophæum statuere, & vel ante luctam præmi-
um ferre? non enim tantus homini labor, à formosæ
mulieris aspectu omninò abstinenti, quâtus illi esse so-
let, qui post aspectum se continet. Atque adeò prius il-
lud ne labor quidem fuerit, quin potius post ipsum a-
spectum multus sudor ac labor ingeneratur. Ergo dum
labor leuior, seu verius dicam, dum omninò ne labor
quidè, aut sudor, sed lucrum etiam maius existit: quid
causæ esse debet, vt studeamus in tam multorum malo-
rum mare præcipites ferri? nam qui mulierem ne aspi-
cit quidem, is non solum facilius, sed & purius quoque
concupiscentiam eiusmodi superat: quemadmodum
qui aspicit, is & maiore cum labore, & præterea cum
macula quadam inde se eximit, si quando fortè se exi-
mit. Nam qui pulchram speciem non est intuitus, is &
ab appetentia quoque inde enascente purus castusque
euadit: at qui videndi desiderio paruit, victa deiecit.

que prius animi ratiocinatione, eademque identidem
cōscelerata, tum demum notam à desiderio iustam e-
luit: si modò eluit. Propterea & Christus, vt ne id no-
bis vsuueniat, non eadem modò prohibet, sed & iram:
non adulterium, sed & aspectus intemperantiam: non
periuurium, sed & iusurandum omne. Neque verò intra
hunc virtutis modum consistit, sed legibus his sancitis,
vlterius etiam progreditur. Cædem enim vbi sustulit,
iussitque ab ira purum vacuūque esse, tum iubet pa-
ratus vt sis ad malum sufferendum, nec tatum quidem,
quantum qui tibi insidiatur in animum sibi induxit,
sed vt vlterius progressus, insanie illius magnitudinem,
constantia tuæ abundantia exuperes. Neque enim ait,
si quis te in genam dextram percussit, generoso fer a-
nimo & quieto: sed & alteram illi voluit esse offeren-
dam. Verte enim illi, inquit, & alteram. Nam hæc de-
mum splendida est victoria, si illi plus indulgeas, quàm
velit, atque adeò si lenitudinis patientia quæ tuæ proli-
xitate, improbi illius desiderij terminos transilieris. sic
enim simul illius insaniam sedabis, simul prioris facti
mercedem ex posteriore capies, simul iram, quam pro-
pter illum concepisti, depones. Vides in nostra omni-
nò manu esse, ne quid mali patiamur, non in eorum qui
iniuriam inferunt: atque adeò & in nobis quoque si-
tum, non modò vt ne incommodo, sed etiam vt bene-
ficio afficiamur. Et quidem id in primis admirandum
est, quòd videlicet iniuria nequaquam afficiemur si sa-
piemur, sed vel ab iis iniuriis, quas nobis intulerint alij,
beneficium feremus. Rem porrò considera. Iniuria te
quispiam affecit? potes ipse præstare, vt ea iniuria laudi
tibi cedat. si enim iniuria iniuriam remēsus fueris, pro-
brum per te accrescet: at si iniuriæ illatorem laudaueris,
tum videbis eos omnes qui aderunt, & lauream ti-
bi imponere, & præconio laudes ad cœlum tuas effe-
re. Etiamne intelligis, quemadmodum à quibus rebus
iniuria afficiemur, ab iis si sapuerimus, etiam beneficiū
accipimus? Hoc ipsum & in pecuniis, hoc & in plagis,
hoc & in reliquis item omnibus vsuuenire videmus.
Nam si contraria illis rependerimus, fiet vt duplicem
nobis lauream contexamus, alteram ab iis malis quæ
perpessi fuerimus: alteram ab iis bonis quæ malorum
loco reposuerimus. Quum igitur ad te adiciam quispiam
tibi dixerit, quidam te iniuria affecit, neque finem facit
de te apud quosuis obloquendi: tum demum laudato
obloquentem, apud eos qui tibi recitant quæ ex illo
audierint. Hac certè ratione, si illum vlciſci volueris,
poteris de eo pœnas sumere, etenim qui rem exaudiet,
vt sensu etiam maximè careant, te solum collaudabūt:
illum contra, vtpote quauis noxia fera deteriorem, o-
dio habebunt, quòd ille quidem nulla prouocatus in-
iuriā, molestus tibi fuit, tu è diuerso vel malè ab illo ha-
bitus, beneficium pro iniuria reposuisti: sic fiet, vt per-
ficias sanè, quæ in te ille maledicta cōiecerit, eo omnia
vt futilia esse videantur. Siquidem qui suggillatur,
mordeturque, is quum propterea dolet, palam facit
criminationis obiectæ conscius se esse: qui verò ridet,
is profectò risu ipso apud eos qui rei testes consciūque
sunt, seipsum omni suspitione liberat. Expendito er-
go quot, quantaque inde bona decerpis. Primum
eximis te à tumultuatione, ac commotione: deinde
(sed hoc ipsum potius primas obtineat) licet criminibus
obiectis non careas, & hæc tamen eluis, ad publi-
cani exemplum Pharisæi criminationem æquanimitè
ferentis. His adde quòd hac exercitatione philosophi-
cum tibi, ac constatè animum comparas: tum autem
mirificè à circumstantium corona collaudaris, postre-
mò omnem amoues à te criminationis suspitionem.
Qui si illum vlciſci cupis, & hoc quoque plus satis sub-
sequetur,

sequetur, partim Deo cōriminationis in te intētata pœ-
nas ab eo exigente, partim constantia tua, vel ante eas
pœnas, illi tanquam letale vulnus infligente. Nihil enim
tam eos à quibus lædir nūr, vere solet, quàm iniuriæ il-
latio risu excepta. Quemadmodum igitur per eam quā
dico constantiam, tot tantaque tibi aderunt bona: sic à
pusillanimitate contra rita omnia contingunt, nam & ip-
si nos infamamus, & obnoxij affinesque criminationi
apud eos qui audiunt, videmur, & animum tumultua-
tione implemus, & aduersarium delectamus, & Deum
ipsum irritamus, & peccatis prioribus veluti corollarium
addimus. Hæc ergo omnia perpendentes, pusillanimita-
tis barathrum euitemus, atque ad lenitudinis portū
confugiāmus, vt tum hinc animis nostris requiem inueni-
amus, sicut Christus pronunciauit, tum futura bona
assequamur: gratia & benignitate domini nostri Iesu
Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Mat. r.

HOMILIA XIII.



CIMVS enim, quòd lex spiritualis est, at ego
carnalis sum: venditus sub peccato. Quum
dixisset ingentia fuisse exorta mala, & pec-
catum vehementius impotentiusque red-
ditum mandato accepto, omniaque eue-
nisse cōtra legis voluntatem ac studium, quumque au-
ditorem in dubitationem non paruam coniecisset: ad-
fert deinceps ratiocinationem, per quam hæc eueni-
re, prius legem praua suspicione liberans, nam vt ne quū
audias, quòd peccatum occasionem per mandatum ac-
cepit, quòd eodem accedente mandato, peccatum re-
ferbuit, quòd per illud decepit, atque interfecit: vt ne
igitur legem malorum eiusmodi authorem esse putes,
prius illius defensionem & eam vberrimam adhibet, il-
lam accusatione non solum liberans, sed & maximam
illi laudem texens: idque non tanquam ipse gratifice-
tur, sed tanquam commune proferat suffragium. Sci-
mus enim, inquit, quòd lex spiritualis est: ac si diceret,
Confessum hoc est, & apertum, quòd spiritualis est: tã-
tum abest vt peccati author sit, & malorum perpetrato-
rum crimen sustinere debeat. Ac vide vt non illā mo-
dò accusatione liberet, sed & summè laudet: spirituale
enim quum appellat, magistram illam virtutis esse de-
clarat, & vitiositatis aduersarium: nam hoc demum est
spirituale esse, ab omnibus abducere peccatis, id quòd
lex factitabat, territans, commonefaciens, animaduerten-
s, corrigens, denique: omnia ea consulens, quæ ad
virtutis studium facerent. Dicit aliquis, Vnde ergo
peccatum extitit, si tam admirabilis, tamque eximius
præceptor? à discipulorum ignauia. Itaque addidit: At
ego carnalis sum, exprimens nobis hominem tam eum
qui sub lege, quàm eum qui ante legem vixerit. *Vendi-
tus sub peccato.* Vnà enim cum morte, ait, & affectuum
turba introiit, quum enim corpus mortale effectum est,
tum denique necessariò admisit & concupiscentiam, &
iracundiam, & dolorem, & cætera omnia, quæ magnæ
admodum constantia ac sapientia indigebant, vt ne
inundantis æstus vis ac tempestas rationem in nobis
obrueret, in peccati voraginem demersam. Illi enim
affectus, peccatum haudquaquam erant, sed illorum
immoderatio effrenata hoc efficiēbat. Verbi gratia, vt
exemplo vnum aliquem illorum affectuum pertracte-
mus. Concupiscentia, peccatum quidem non est: at
quum ea modum non seruat, non sustinens se intra nu-
ptiarum leges continere, sed ad alienas vxores desul-
toria se transferens, tum res ea in adulterium denique
erumpit: non ab ipsa quidem concupiscentia, sed ab il-
lius immodica cupiditate. Ac vide Pauli sapientiam,
nam legem vbi laudibus extulit, continuo accucurrit

ad tempus illud superius, vt declarata prius conditio-
ne, qua in conditione esset genus nostrum, vel quo tẽ-
pore legem accepit, tum demum ostenderet necessariā
fuisse gratiæ abundantiam: quòd ipsum vbique adstrue-
re enixus est. Nam quum dicit, Venditus sub peccato
id dicit non modò de iis qui sub lege, sed & de iis quo-
que qui ante legem, atque adeò qui iam inde ab initiò
vixere, deinde & venditionis, deditionisque modum
docet. *Quod enim ago, non intelligo.* Quid hoc verbi sibi
vult, non intelligo? Ignoro. Id verò quando fuit? nemo
enim homo vnquam præ ignoratā peccauit. Vides, ni-
si cum decenti circumspictione dictiones ipsas deligam-
us, & ad apostolici scopum mentemque attentius re-
spiciamus, fore, vt hinc absurditates infinitæ consequā-
tur. Nam si ignorantes illi peccauere, indigni quidem
erant qui pœnas darent. Itaque quemadmodum superius
dixit: Sine lege enim peccatum erat mortuum, nò
hoc indicans, qui peccassent, eos se peccauisse nesciuis-
se, sed sciuisse quidem, non tamen vsque adeo exactè.
Itaque peccati pœnas quidem luebant, sed nò tam gra-
ues, ac rursus: Concupiscentiam nesciuissem, non in
genere ignorantiam indicans, sed apertissimam cogni-
tionem significans. Dixit porrò, genuit in me omnem
concupiscentiam, non hoc professus, mandatum con-
cupiscentiam effecisse, sed concupiscentia intentionē
atque incrementum peccatum per mandatum indu-
xisse: Ita & hoc loco non rerum prorsus omnium igno-
rantiam indicat, quum ait: Quod enim ago, non intelli-
go. quo modo enim illum Dei lex delectaret secundum
internum hominem? quid igitur id verbi est, non intel-
ligo? tenebris obducor, ait, corripior, vim atque iniuriā
sustineo, nescio quo modo supplantor: qui loquēdimō-
dus nobis solennis est, quum dicimus, nescio quo pacto
talis res meas diripuit: non ignorantiam obtendentes,
sed imposturam quandam, circumuentionem, insidias
significantes. *Non enim quod volo, id facio.* Qui igitur nò
id cognoscis quod facis? Si enim bonū expetis, & ma-
lum odisti, cognitionis hoc perfectæ est. Vnde liquet, il-
lum hoc verbum, non volo, vsurpassè, non tollens libe-
rum arbitrium, neque necessitatem quandam coactam
inducens. Nam si non voluntarij, sed coacti peccamus,
rursus illa supplicia superioribus sæculis illata, ratione
non niterentur: sed quemadmodum quum dicit, non
cognoſco, non ignorantia indicauit, sed quæ diximus:
sic & quum id verbi addit, non volo, necessitatem non
denotauit, sed quòd rem non laudaret. quādoquidem
nisi hoc ita esse declarasset per hæc verba, quòd nò vo-
lo facio, quo modo non addidit, sed quòd cogor & cō-
pellor hoc facio? Hoc enim ipsum voluntati & libertati
opponitur, nunc autem non hoc dixit, sed loco hu-
ius, verbum hoc, odi, posuit: vt intelligeres illum vsur-
pando verbum hoc, non volo, non sustulisse libertatē.
Quid igitur est illud, quòd non volo? nempe quòd non
laudo, quòd non admitto, quòd non amo: ad cuius op-
positam distinctionem & quæ sequuntur addidit, di-
cens: *Sed quòd odi, hoc ago: si autem quòd non volo, hoc facio,*
consentio legi quòd bona sit. Vides interim mentem non
corruptam, sed in ipsa actione propriam seruantem no-
bilitatem? etsi enim vitiositatem pertractat, tamen illā
odio habens pertractat, quòd legis tam naturalis, quam
scriptæ maxima laus fuerit: nam quòd lex bona sit, ait;
constat ex iis, ob quæ me ipse accuso, dum legi non au-
scultans, id ipsum odi, quòd feci. Atqui si lex peccati
author foret, quoniam pacto ipsi consentiens, ¶ quòd
fieri illa iubet, odio haberet? *Consentio enim legi, quòd bo-
na sit. Nunc autem iam non ego perpetro illud, sed quòd inha-
bitat in me peccatum. Non enim carnis, quòd non inhabitat in me,
hoc est, in carne mea bonum.* Hoc loco irruunt, qui carnē
D v

Hic sup.

Ibidem.

condela-
tans.

calumniantes, illam à Dei opificio abalienant. Quid ergo dixerimus? ea scilicet quæ paulò antè de lege quæ disputaremus diximus: quòd quemadmodum illic rem totam ad peccatum refert, sic & hîc: neque enim dixit, quòd caro illud efficit, sed contrarium: quòd scilicet, non iam ego perpetro illud, sed quod inhabitat in me peccatum, quòd si dicit, quòd non inhabitet in ipsa bonum, nondum hoc carnis crimen est: non enim non in ea habitare bonum, malà ipsam esse declarat. Nos porò carnem quidem anima inferiore atque imbecilliore esse fatemur, non tamen illi aduersantem, aut eum ea depugnantem, malamve: sed eandem sic animam esse subditam, vt citharistæ citharam, vt gubernatori nauem: quæ quidem aduersaria non sunt agentibus, vt tentibusque, sed vel maximè conuenientia: haud tamè honore cum artifice adæquata. Quemadmodum igitur quisquis affirmat, nec in ipsa cithara, nec in ipsa nauis artem reside, sed in gubernatore, atque in citharædo, is instrumenta ipsa minimè calumniatur, sed declarat quantum intersit artem inter & artificem: ita & Paulus quum ait, non habitat in carne mea bonum, ipsum sanè corpus non suggillauit, sed animam excellentiam declarauit. ea enim est, cui gubernationis, atque cæsus negotiorum totum concreditum est. Quod & Paulus hîc declarat animam auctoritatem ponens: hominemque in ista duo diuidens, animam, & corpus, ait ipsam carnem magis quidem brutam esse, & prudentia nudatam, denique eas inter res annumerandam, quæ agantur, non quæ agant: ipsam verò animam sapientiore, ac valentem intelligere, quid agendum, à quibus abstinendum, non sufficientem tamen ad equum pro suo arbitratu regendum. Id quod non carnis modò, sed & animæ quoque crimè fuerit, intelligentis videlicet quæ facere oporteat, non etiam ad opus proferentis, quæ visa ipsi fuerint. Nam uelle abest mihi: at ut faciam bonum, non reperio. Hic rursus quum dixit, non reperio, ignorantiam non fatetur, neque dubitationem, sed molestiam quandam & insidias peccati, quod & apertius declarans, addit: *Non enim quod uolo facio bonum, sed quod non uolo malum, hoc ago. Porro si quod non uolo ego, hoc facio, non iam ego perpetro illud, sed inhabitans in me peccatum.* Vides vt tum animam, tum carnis naturam criminibus liberans, omnem culpam in sceleratam transfudit actionem: nam si anima à malo abhorret, liberata illa est, & si id minimè perpetrat, liberatur & corpus: ac quæcunque culpa esse potest, ea omnis voluntatis est. Neque enim vnum idemque sunt animæ natura, & corporis, & voluntatis: sed illa quidè sunt Dei opera, hoc autem ex nobis ipsis exoriens motus, quocumque deducere illum uouerimus. Voluntas enim res est à Deo insita: at huiusmodi voluntas, nostrum, & mentis nostræ opus est. *Reperio igitur per legem uolenti mihi facere bonum, quòd mihi malum adiunctum sit.* Obscurum hoc dictum, quid igitur sibi hoc uult? Laudo, inquit, legem iuxta conscientiam, & illam mihi bonum uolenti reperio patroni partes agentem, mihi que uoluntatem intendentem: nam sicuti illa me delectat, sic & illa sententiam meam laudat. Vides vt declarat rerum tum bonarum tum malarum cognitionem nobis ab initio quasi fundamentum quoddam præstructam constitutamque fuisse, Mosis autem legem laudare illam, & ab illa laudari: neque enim supra dixit, à lege erudior, sed consentio legi: neque hic dixit, erudior ab ipsa, sed ipsa me delectat. quid autem est, illa me delectat? assentior illi tanquam rectè habenti, sicut & illa mihi uolenti bonum facere. Quamobrem & id uelle quod bonum sit, & nolle quod malum, iam inde ab initio quasi fundamentum præstructum constitutumque erat. lex autem accedens, & in iis quæ mala essent, ac-

cusatrix rerum multarum extitit, & in iis quæ bona essent, plurimarum laudatrix. Vides ubique intentionem quandam & additamentum legi suo testimonio tantummodo tribuere Paulum, præterea nihil. Illa enim laudante, & me delectante, ac uolente bonum, malum adhuc adest, & illius actio sublata non est. Quare lex ei qui iam proposuerit bonum aliquod facere, ea quidè parte auxiliatrix tantum existit, quatenus & ille idem eisdem in rebus cum illa conspirat & consentit. deinde posteaquam ipsum hoc obscure posuit, progressus, id interpretatur ac manifestius reddit, declarans quo pacto malum adest, & quo pacto uolenti bonum facere, lex simul præsto adest. *Delectat enim me, inquit, lex Dei secundum internum hominem.* Noueram enim & antea, ait, bonum: illo autem reperto & in literis laudo. *Sed uideo aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ.* Legè hic rursus peccatum repugnans uocauit, non ob illius dignitatem, sed ob uehementem obedientiam eorum, qui illi parent. Quo modo igitur dominum Mammonam uocat, & Deum ventrem, non ob propriam dignitatem, sed ob magnam subditorum seruitutem: sic & hic legem uocauit peccatum, propter illos qui ita illi seruiunt, uerenturque ab eo discedere, vt uerentur qui legem accepere, legem deserere. Hoc igitur peccatum, ait, opponitur legi naturali. id enim est quod ait, legi mentis meæ: quin & aciem introducit, & pugnam, certamenque totum opponit naturali legi. Nam Mosis lex ex abundantia postea addita fuit: sed tamen & hæc & illa, hæc quidem docens, illa autem laudans honesta, nihil magni facinoris hac in pugna præstitere, talis tantaque erat peccati tyrannis, uincens uidelicet, & superior effecta. Id quod Paulus paulum faciens, ac per vim cladem factam declarans, ait: *Uideo autem aliam legem repugnantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me.* Neque enim dixit, uincentem, simpliciter: sed, captiuum reddentem me legi peccati. Non dixit, impetui carnis, neque naturæ carnis: sed, legi peccati: hoc est, tyrannidi ac potentiæ. Quo modo igitur ait, quæ est in membris meis? & quid hoc est? neque enim uerbum hoc facit, vt membra ipsa peccatum sint, quin potius uel maximè à peccato separat: diuersum est enim id quod in aliquo est, ab eo in quo aliud aliquod est. Quemadmodum igitur mandatum non est malum, postquam per ipsum occasionem accepit peccatum: sic nec carnis natura mala, etiam si per ipsam peccatum nos debellet, quandoquidem eadem ratione & anima mala fuerit, idque eò etiam magis, quòd rerum agendarum auctoritatem habet. Sed non est ita, non est ita: neque enim si admirandas aliquas ædes & regalia palatia tyrannus quispiam ac latro capiat, propterea culpandæ, & in calumniâ uocandæ sint ædes: sed omne illud crimen illorum fuerit, qui ædibus insidias huiusmodi struxerint. At uerò hoc ueritatis hostes, vna cum impietate in magnam etiam amentiam dum reuoluuntur, non sentiunt. neque enim carnem solum insimulant, sed & legem calumniantur: quanquam si caro, malum est, lex ipsa, bonum fuerit: repugnat enim & aduersatur. si autem lex, bonum non est, caro ipsa, bonum fuerit: depugnat enim iuxta illos, & cum illa bellum gerit. Qui igitur utrunque diaboli esse dicunt, inducentes quæ inter se sunt pugnantia, atque contraria? Vides quanta ista sit amentia, cum impietate etiam coniuncta? Sed non ea sunt ecclesiæ dogmata, quinimò peccatum solum damnat: & legem utranque tum naturæ, tum Mosis à Deo datam, eidem peccato aduersariam esse uolunt, nò carni neque enim carnem peccatum esse, sed Dei opus ad uirtutem uel maximè nobis accommodatum, si sapuerimus. *Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio?* Vides

legem sine præpositione, quam nec textus habet, nec Chrylsto interpretatio admittit.

the magis est, præsentiam sue aduentum.

Mar. 10.

CAP. VIII.

quanta sit peccati tyrannis, quæ uidelicet mentem uel legi congratulantem, atque in ea delectantem uincat? neque enim, ait, dicere habeo, me, qui legem oderim & auerter, à peccato mancipari. ea enim me delectat, & illi ipse assentior, & ad illam profugio: sed tamen illa ne sic quidem ad se fugientem saluum efficere potuit: at Christus uel à se fugientem saluum effecit. Vides quanta gratiæ magnitudo? Veruntamen non sic locutus est ipse apostolus, deplorans autem solum & altè lamentatus, quasi qui auxilio destitutus esset, per dubitationem ostendit Christi potentiam, atque ait: *Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio?* lex nequiuit, conscientia non sufficit, etiam si quæ bona essent laudare, nec laudare modò, sed etiam aduersantibus obliterem, depugnarè que. Quod enim dixit, rebellantem, declarauit, & se aduersa acie stantem dimicare. unde igitur erit salutis spes? *Gratias, inquit, ago Deo meo per Iesum Christum dominum nostrum.* Vide ut necessariam fuisse ostendat gratiæ & abundantiam] communiæque esse patris ac filij beneficia? nam ut patri gratias agat, huiusmodi tamen gratiarum actionis author est filius. Porro autem quum Paulum audis dicentem, *Quis me eripiet ex hoc corpore mortis?* caue putes illum carnem ipsam inculcare. neque enim dixit, corpus peccati: sed, corpus mortis, hoc est, mortale corpus: à morte scilicet mancipatum, non autem quòd mortem generauerit, quod non est malitiæ carnis, sed uolentiæ eius, quam sustinebat, signum. Quemadmodum si quis captiuus à barbaris, barbarus uocatur, non quòd barbarus sit, sed quòd ab illis detinetur: sic & corpus mortis dicitur, quod ab ea detentum sit, non quod ipsam procurauerit. Itaque non ipse à corpore eripi uult, sed à mortali corpore, significans quod sæpe dixi, corpus, ex eo quòd patibile effectum sit, à peccato etiam facile expugnari posse. Dicit aliquis: Et quamobrem si talis, tantaque peccati tyrannis ante gratiam fuit, animaduersum est in eos, qui deliquissent? Nempe quod ea erant ordinata & constituta, quæ etiam dominante peccato perficere, & exequi illi possent, neque enim ad summam illos Deus pertraxit politiam: sed & permisit pecuniis illos frui, pluribus uxoribus uti non prohibens, & iræ gratificari quoad iustum esset, & uoluptatù moderatarum usum habere. denique tanta erat indulgentia, ut scripta lex minora etiam exigeret, quam naturalis lex dicitaret. Nam naturæ lex uirum unum mulieris unius consuetudine contentum esse iussit, quod & Christus indicans, ait, Qui ab initio fecit, marem & feminam eos fecit. At Mosis lex neque hanc repudiari, neque illam repudiare in locum admitti prohibuit, neque duæ quo minus eodem haberentur tempore interdixit. Præter id autem uideas, qui ante Mosis legem uixere, sub naturali lege eruditi, eos plura præstitisse, quàm Mosis lege contenta essent. Quas ob res qui in ueteri lege uerlabantur, ij vim non patiebantur, ut quorum in remp. legislatio admodum moderata introducta esset: qui si ne sic quidem uincere potuere, illorum ignauiæ crimen esto. Idcirco & Paulus gratias agit, quòd Christus his omnibus nulla ex parte excussis, non solum ad delictorum nostrorum calculos nos non uocauit, sed aptos etiam ad maiorem cursum conficiendum reddidit. Itaque ait: *Gratias ago Deo meo per Iesum Christum, ac prætermissa salute, tanquam ab omnibus confessa, ex iis quæ iam illi adstructa fundatæque essent, ad aliud maius transit, dicens, nos non pristinis tantum periculis liberatos, sed tales effectos ut in futurum capi, ac mancipari nequeamus. Nulla enim, inquit, nunc condemnatio iis, qui sunt in Christo, qui non iuxta carnem ambulat, sed non id prius dixit, donec commonefaceret*

rursus pristini status, prius enim dixit: Igitur ego seruius legi Dei, carne autem legi peccati. deinde adiunxit, Nulla ergo nunc condemnatio iis qui in Christo sunt. postea quoniam obstitit illi, multos esse, qui uel à baptisimo peccarent, propterea ad illud uirgens properat: nec simpliciter ait, iis qui in Christo sunt: sed, iis qui non iuxta carnem ambulant: declarans quicquid id est, nostræ ignauiæ opus esse. licet enim nunc non iuxta carnem ambulare: tum autem difficile erat. Atque hoc & alia ratione adstruit, per ea quæ deinceps, sic inquit: *Lex enim spiritus uitæ liberauit me.* legem spiritus hoc loco ipsum spiritum appellans. Quemadmodum enim legem peccati, peccatum: sic legem spiritus, spiritum dicit. atqui & Mosis legem sic uocauit, scimus enim, ait, quòd lex spiritualis est. Ecquòd nam igitur discrimen? certè magnum & immensum: illa enim lex, spiritualis lex: hæc autem lex, spiritus lex. & quid hoc ab illo differt? quòd illa quidem à spiritu tantum data est: hæc autem & spiritum prolixum atque abundantè se suscipientibus suppeditabat. Itaque & ipsam uitæ legem appellauit, ut illam secerat atque distinguat à lege illa peccati, non Mosaica. quum enim ait, *Liberauit me à lege peccati & mortis.* Non hic Mosis legem intelligit, nullquam enim illam appellat peccati legem. quid enim? ut quam iustam ac sanctam sæpe nominauit, & peccatum extinguentem: sed legem illam significat, quam mentis legi aduersantem dixit. Hoc enim pestilentissimum bellum spiritus gratia sustulit, quæ & peccatum mortificauit, & certamen nobis leuius reddidit, & prius coronam imposuit, ac tum demum magno cum præsidio ad certamina uocauit. Quod autem nunquam non facit à filio ad spiritum transiens, à spiritu ad filium & patrem, ac trinitati nostra omnia imputans: hoc ipsum & hic facit. nã ubi dixit, *Quis me eripiet de hoc corpore mortis?* ostendit patrem per filium hoc facere, post autem & spiritum sanctum per filium. lex enim spiritus uitæ in Christo Iesu liberauit me, ait, deinde rursus patrem & filium. *Nam quod lex præstare minime poterat, ea parte qua imbecillis erat per carnem, hoc Deus filio proprio misso sub specie carnis peccato obnoxio præstitit, ac de peccato condemnauit peccatum per carnem.* Rursus uidetur quidem legem calumniari: sin uerò quis diligenter attendat, uel maximè illam laudat, conuenisse eam cum Christo ostendens, & res eandem cum illo uoluisse. Neque enim dixit, quod in lege malum erat, sed quod illa minimè poterat: & rursus, quatenus imbecillis erat, nò quatenus malè agebat, aut insidiabatur: nec imbecillitatem illi adscribit, sed carni, dicēs, quatenus imbecilla erat per carnem. Carnem hîc rursus non substantiam ipsam, & subiectum, sed carnaliorem sensum uocans, quibus uerbis tum corpus tum legem criminatione liberat: non per hæc autem solum, sed per subsequentia. Nam si lex contraria fuisset, qui Christus in illius auxilium aduenit? & illius iustificationem impleuit? & manum præbuit, condemnans peccatum in carne? hoc enim restabat: quoniam quidem in anima iam olim lex peccatum idem condemnabat. Quid ergo? lex quod maius quidem erat fecit, quod autem minus, id Dei uirgenitus? nequaquam, maximè enim & illud Deus fecit: ut qui cum naturalem legem dedit, tum uerò scriptam addidit, alioqui autè nihil profuisset, quod maius erat nisi id etiam fuisset propositum. quod minus erat quid enim profuerit quæ agenda sint scire, ei qui ea ad opus non perducit? Certè nihil, imò maior inde condemnatio existit. Quare qui animam seruauit, hic idem est, qui & carnem fræno parentem effecit. Siquidem docere quidem, facile: cæterum uiam monstrare, qua uia nullo negotio hæc facta sint, hoc demum mi-

Sap. 7.

hic habetur or, id est re, uti etiã Eras. restatur legere Chrylsto, sed incolamã sententia.

Ibid.

in præteritum, forte legendum, in præteritum, id est, nisi etiam adiectum fuisset.

rum est. Propterea sanè venit vnigenitus : nec prius abscissit, donec illa nos difficultate explicauerit. Quod autem maius censendum, id victoriæ modus est. neque enim aliam assumpsit carnem, sed ipsam hanc afflicta, laboribusque confectam. Quemadmodum enim si quis vilem ac circumforaneam mulierem in rerum venaliu foro vapulantem intuitus, se illius esse filium profiteretur, reuera regis filius quum esset, atque hac ratione illam è manibus eorum à quibus malè haberetur, criperet: ita & ipse fecit, factus se esse hominis filium, patrociniū auxiliūque illi afferens, ac peccatum damnans. non ergo ausus est postea illum verberare: seu potius illum quidem verberauit mortis plaga. Inde effectum est, vt non ipsa caro verberata, sed ipsum peccatum verberans damnatum sit, ac perierit: id quod omnium est maximè admirandum. Nisi enim in carne victoria parta fuisset, non tam mirandum foret, quando & lex hoc efficiebat. Mirum autem id est, quòd vnà cum carne trophæum erectum est, & quæ milles à peccato deiecta fuerat, hæc eadem splendidam contra illud victoriam tulit. Vide enim quot noua atque inopinata extiterint. Vnum quidem, quòd peccatum carnem non vicit. Alterum quòd victum est peccatum, & à carne victum. neque enim simile fuerit, non vinci, & vincere quod antea semper deiciebat. Tertium, quod non modò vicit, sed & puniuit. nam minimè peccato, non victus est: moriendo autem vicit & damnauit illud, terribilem illi carnem efficiens, quæ prius despiciabilis esset. Sic igitur & illius potentiam fregit, & mortem per illud introductam sustulit. donec enim peccatores offenderet, iure optimo obitum afferebat. posteaquam verò corpus minimè peccans reperit, illudque morti tradidit: condemnatum illud est tanquam quod iniuriam attulisset. Vides quàm diuersa victoriæ partæ sint? quòd non victa sit caro à peccato: quòd ea peccatum vicerit ac damnarit: quòd non simpliciter damnarit, sed damnarit tāquam quod peccauisset. prius enim illud coarguit iniuriam fecisse, sicque ipsum damnauit, non simpliciter fortitudine ac potestate, sed iure ac ratione. hoc enim patefecit dicens, De peccato damnauit, peccatum in carne: ac si dixisset, quod conuicit illud magno admodum de peccato, ac tum demum illud damnauit. Vides vbique peccatū damnari, nō carnem: sed hanc & coronam accipere, & sententiam contra illud reportare? Quod si in specie carnis ait misisse filiū, non propterea existimes aliam esse carnem: quoniam enim dixit, peccati, idcirco & speciei verbo vsus est, neque enim peccati carnem habuit Christus, sed similem quidem nostræ peccatrici, minimè autem peccatricem, & naturā eandem nobiscum. Quare & hinc videlicet non erat mala carnis ipsius natura, neque enim alia prioris loco accepta, neque hac ipsa mutata secundum substantiam, ipsam Christus expugnare molitus est, sed illam manere sinens in eadem natura, fecit vt coronam contra peccatum reportaret, & tunc ipsam post victoriam excitauit, & immortalem effecit. Dices, Quid hoc ad me, si hæc in illam carnem euenerit? ad te certè maximè. idcirco addidit: *Vi iustificatio legis impletur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus.* Quid est iustificatio? finis destinatio, ipsa operis perfectio. quid enim illa lex volebat? quid autem imperabat? sine peccato vt esses. hoc igitur nobis per Christum præstitum est, atque ipsum quidem obtulisse, & superauisse, illius fuit: victoriæ autem fructum cepisse, nostrum. Itaque non amplius peccabimus: non, inquam, amplius peccabimus, nisi admodum fracti animis conciderimus. Idcirco addidit, Qui non secundum carnem ambulamus. Vt ne enim, quòd audieris Christum pecca-

ti bello te liberasse, atque in te impletam esse legis iustificationem, damnato in carne peccato, apparatus omnem euertas: ob hanc causam illic, quum dixisset, Nulla igitur condemnatio, addidit, his qui nō secundum carnem ambulant: & hic item quum dicit, Vt impletur in nobis iustificatio legis, ipsum hoc attextuit, seu potius non hoc ipsum solum, sed multò amplius. Posteaquam enim dixit, Vt iustificatio legis in nobis impletur, qui non secundum carnem ambulamus, addidit, sed secundum spiritum: ostendens non oportere modò à malis abstinere, sed & in bono florescere: nam tibi coronam donasse, illius: donatam autem retinere, tuum. Etenim, quæ legis erat iustificatio non esse execrationi obnoxium, id tibi perfecit Christus. Ne igitur tantum donum prodas, sed perpetuò asseruato pulchrum hunc thesaurum: tibi enim hic commonstrat lauacrum nobis non sufficere ad salutem: nisi & lauacro accepto, vitam dono dignam exhibeamus. Itaque rursus legi patrociniatur hæc dicens, nam posteaquam in Christum crediderimus, sunt omnia faciendā ac præstanda, vt illius iustificatio, quod impleuit Christus, in nobis hæreat, non etiam corrumpatur. *Qui enim secundum carnem sunt, ait, quæ carnis sunt sapiunt: qui verò secundum spiritum, quæ sunt spiritus. Nam sensus carnis mors est: sensus autem spiritus, vita, & pax: quoniam sensus carnis inimicitia est in Deum. legi enim Dei non subditur, neque enim potest.* At ne hoc quidem carnis calumnia fuerit, donec enim suum ordinem seruat, absurdi nihil fit: at quum illi omnia concedimus, ac proprios transfiliens terminos contra animam insurgit, tum omnia perdit, ac corrumpit, non à propria natura, sed ab immoderatione ac confusione inde nata. *Qui verò secundum spiritum, quæ sunt spiritus. Nam sensus carnis, mors.* non dixit: nam carnis natura, neque, nam substantia corporis: sed, sensus, qui ipse corrigi quidem queat, ac tolli. Hoc autem ait, non ipsi carni propriam cogitationem tribuēs, absit, sed crassio rem mentis interpretationem ostentans, & à peiori illam vocans: sicuti & carnem sæpenumero totum hominem & animam habentem appellare asueuit. *Sensus autem spiritus.* & hic rursus spiritualem cogitationem dicit. Quemadmodum & progressus vlterior ait: *Qui autem scrutatur corda, nouit qui sit spiritus sensus.* Ac declarat multa ex hac spirituali cogitatione bona proficisci cum in præsentī vita, tum in futura: malis enim iis, quæ sensus carnalis affert, multò plura bona exhibet spiritualis sensus, quod palam fecit his verbis, *vita, & pax: quorum alterum oppositum est priori illo.* Nam sensus carnis, mors. alterum autem, huic quod sequitur. Pacem enim vbi dixit, subiunxit, quoniam sensus carnis inimicitia est in Deū. quod quidem morte deterius est. Deinde ostendit quemadmodum & mors & inimicitia eueniant. *Legi enim Dei non subditur, neque enim potest.* sed tu ne commouere tamē, dum id verbi audis, Neque enim potest. Hæc enim dubitatio facilem habet solutionem. Nam hoc quidem loco, carnis sensum appellat terrestrem cogitationem, crassam, secularibus rebus malisque actionibus intentam atque affixam. Hanc adeò cogitationem non posse ait Deo subditam esse. Et quæ tandem salutis spes, si fieri non potest, vt qui malus est, is bonus fiat? non hoc est quod ait: alioqui, quum Paulus talis euasit? qui latro? qui Manasses? qui Nininitæ? qui Dauid lapsus se ipsum sibi recepit? qui Petrus Christum inficiatus, seipsum collegit? qui stuprator, rursus in Christi gregem annumeratus est? qui Galatæ gratia lapsi, ad priorem redire cogitationem? Non ergo hoc dicit, fieri non posse, vt qui malus est, bonus fiat: sed fieri non posse, vt qui malus esse perseverat, Deo subdatur, facile tamen esse factu,

factu, vt si animum mutet suum, bonus euadat, ac Deo subdatur: neque enim dixit, hominem non posse Deo subdi, sed malam actionem non posse bonam esse, ac si diceret: malitia non potest esse molesta: neque scelus, virtus. Quemadmodum & in euangelio ait dominus: Nō potest arbor putris & vitiosa fructus bonos facere: non prohibens vitij mutationē in virtutē, sed dicens ipsam in vitio perseverantiam bonos fructus haudquam ferre posse: non enim dixit, non posse arborem malam bonam fieri: sed, fructus bonos illam ferre non posse tantisper dum mala esse perseverat, quandoquidem fieri posse, vt immutetur quis: id certè tum hinc, tum ex alia declarauit parabola, quum inducit zizania triticum esse facta. Itaque & extirpare illa vetat, nequando enim, inquit, vnà cum illis & frumentum reuellatis: hoc est, id frumentum, quod futurum est ex illis. Sensum igitur carnis vitium ait: & sensum spiritus, gratiam datam, opusque bona voluntate temperatum: nusquam hinc neque de hypostasi, nec de substantia loquens, sed de virtute, ac vitiositate. Quod enim nequisti in lege, ait, hoc nunc poteris, rectè scilicet ingredi, ac nulla pedum offensione, si spiritus auxilium apprehenderit. Non enim sufficit non ambulare secundum carnem, sed oportet & secundum spiritum ingredi, quandoquidem nō satis est nobis ad salutem à malo declinare, sed & bonis operibus operam dare oportet. Hoc porro erit, si spiritui animam dediderimus, tū carni persuaserimus proprium ordinem seruare, locūque agnoscere suum. Nam ita demum & illam efficiemus spiritualem: quemadmodum si nos ipsos ad societatem ignauiamque dederimus, animam etiam carnalem efficiemus. Posteaquam enim non natura necessitatem Dei donum imposuit, sed voluntatis libertatem præbuit, in te positum est & hoc fias & illud, quæ enim illius officia erant, ea omnia sunt peracta, neque enim veluti aduersa in acie stans, mentis nostræ legi peccatum repugnat, nec captiuam illam sicut antea abducit: sed cuncta illa submota & abrogata cōquiescere, suntque animi affectus ipsi repressi, timentes ac perhorrescentes spiritus gratiam. Quod tu si lumen restinguis, aurigam excutis, gubernatorem exis: tibi ipse fluctuationem tempestatemque adscribit. Nam quòd hoc quidem tempore virtus minoris negotij egeat, vnde & constantiæ, tolerantia, continentia incrementum ingēs, expendito quænam in modum quo tempore dominaretur lex, mortalium res sese haberent, quemadmodum rursus nunc se eadem illæ habeant, posteaquā gratia illuxit. Quæ enim nemo videbatur præstare posse, virginitas, & mortis contemptus, compluresque alij affectus, ea ipsa vbique iam terrarum nunc præstantur: neque apud nos solum, sed & apud Scythas, apud Thracas, apud Indos, apud Perias, reliquosque quam plurimos barbaros, & virginum chori, & martyrum populi, & monachorum sodalitates, qui omnes iā plures iis esse cœperunt, qui vxores habent. Adde huc & ieiunij & paupertatis intentum atque ingens studium. Quæ tamen ipsa extra vnum aut duos, ne in somniis quidem imaginari qui legis tempore vixerunt homines potuere. Quum igitur videas rerum veritatem tuba clarius clamitantem, ne mollem, ne dissolutum, ne remissum te geras, neu tantam gratiam prodas: neque enim licet, ne fide quidem iam accepta, pigrescentem saluum fieri, facilia enim proposita sunt certamina, vt tu media in palæstra vincas, non vt obdormias, neque vt gratiæ magnitudine ad ignauia argumentum abutāre, priori in cœno rursus volutatus. Quapropter & adiungit, *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.* Dicet aliquis, quid? Num corpus nostrum discerpe-

mus, nū è carne excedemus, Deo vt placeamus? quid? homicidæ fieri nos censet ad virtutis studium à te deductos? Vides quot absurditates enascantur, si simpliciter exceperimus quæ ab auctore dicuntur? Carnem enim hinc non corpus appellat, neque corporis substantiam, sed vitam carnalem, mundanam, voluptate & luxu diffluentem: quæ hominem ipsum, quantumcunque est, carnem esse facit. Quemadmodum enim qui spiritu erecti, ac veluti volatiles viuunt, ij & corpus quoque spirituale efficiunt: sic qui à spiritu sunt auersi, ventri autem ac voluptati seruiunt, ij & animam carnem efficiunt, non substantiam quidem immutantes, sed illius nobilitatem perdentes. Atque huiusmodi dictionis tropus identidem & in veteri quoque extat instrumento, carnis nomine significans crassam & terrestrem vitam, & eam quæ impuris atque absurdis voluptatibus implicata sit, & irriterita. Nā ad Noë ita loquitur Deus, Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt, quanquam & ipse Noë carne obductus erat. Sed hoc ipsum in crimen non vocabantur, quòd videlicet carne essent obducti: hoc enim naturæ erat, sed quòd carnalem sibi vitam delegissent. Itaque & Paulus ait, Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt, atque addidit, *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu:* rursus non simpliciter carnem dicens, sed eiusmodi, quam modò diximus carnem, quæ videlicet ab affectibus animique morbis tracta, veluti tyrannide oppressa, seruiat. Dices: Et quamobrem ad hunc modum locutus est Paulus? quamobrem differentiam hanc nō adhibuit? attollere volebat auditorem, atque ostendere, qui rectè & sanctè viuunt, hunc ne in corpore quidem esse. Nam quòd planè constaret spiritualem hominem in peccato minimè esse, iccirco hic, quod maius quidem erat, ponendum sibi dixit, quòd videlicet nō solum in peccato, sed ne in carne quidem amplius esset spiritualis homo. nimirum hinc iam angelus effectus, ad cœlum euectus, corpusque simpliciter circumferēs. Quòd si tute carnem calumniaris, quòd illius nomine carnalem vitam appellites: & mūdum item calumniaris, quòd hinc sæpenumerò malitia designetur: ita enim ad discipulos ait Christus, Vos non estis ex mūdo hoc. & rursus ad fratres idem suos, Non potest mundus vos odisse, me autem odit. Iam & anima à Deo aliena esse dicitur, quòd qui in errore viuunt, animales vocantur. Sed non est ita, non est ita. Necessè enim est non ad voces simpliciter, sed ad loquentis mentem vbique aduertamus, exactamque dictorum discretionem pernoscamus. Alia enim sunt bona, alia mala, alia media, verbi gratia. Anima & caro, ex eorum numero sunt, quæ media vocantur: possuntque & hoc & illud fieri: at spiritus ex eorum semper est numero, quæ bona sunt, nec aliud vnquam efficitur. Rursus, carnis sensus, hoc est, scelerata actio, ex eorum semper est numero quæ mala sunt, legi enim Dei non subditur. Si igitur parti ei quæ melior sit, animam & corpus tradideris, ea illius partis fient: si peiori rursus, exitij eius quod inibi est, particeps efficietis, non ab animæ & corporis natura, sed ab ipsa * mente ac sententia, quæ domina est, potestque vtrunque hoc eligere. Ac quòd hæc ita sese habent, nec sint, quæ diximus, carnis calumnia: rursus dictionem ipsam pertractantes, accuratius examinemus. *Vos autem non in carne estis, sed in spiritu,* ait. Quid? in carne illi non erant, sed incorporei obambulabant? Qui id & quanam ratione? Vides vt vitam carnalem significauerit? & quamobrem non dixit, Vos autem non estis in peccato? vt intelligas, Christum non solum extinxisse peccati incendium, ac tyrannidem oppressisse, sed & carnem leuiorem ac spiritualem reddidisse, natura

Hic inq.

impura, fornicatio sine scortatio, & impotia, est in Theophylasto. Mat. 7. Lucæ 6.

Mat. 13.

Gen. 6.

Ioan. 15. & 17. Ibid. 7.

id est consiliū, sententia, voluntas.

non mutata, sed velociore atque agiliore effecta. Nam quemadmodum ferrum ab ignis assiduo vsu, & ipsum quoque in ignem euadit, propria in natura remanens: sic fidelium, spiritumque habentium caro, in illam demum efficientiam transmutatur, tota spiritualis, vndeque cruci suffixa, atque vnà cum anima & ipsa volatilis reddita: quale quidem erat eius corpus, qui hæc ipsa profert. Qua de causa omnis ille quidem delicias voluptatēque ridebat: fame autem, flagellis, ergastulis delectabatur, nec dolebat illa dum toleraret, atque hoc declarans dicebat: * Afflictio enim præsens leuis est. Vtque adeo ille carnem educerat cum spiritu consentire atque conspirare. *Si modo spiritus Dei habitat in vobis.* Verbum id, si modò, identidem non ambigēs addit, sed vel maximè credens: & loco huius vocis, quando quidem: vt quum ait: Si modò iustum est apud Deū, reddere iis qui affligunt vos, afflictionem. rursus: Tot ac tanta passi estis frustra, si modò & frustra. *Si quis vero spiritum Christi non habet.* Non dixit, si autem vos nō habetis: sed sub aliis personis, quod molestū erat, prosequitur. *Hic non est eius,* ait. *Si autem Christus in vobis est.* rursus Christum in illis esse ait: atque quod molestum quidem erat & dictum inuidiosum, id breue, & mediū posuit: quod autem optabile, vtrinque, & multis verbis vt illud innumbraret. Hoc autem ait non spiritum Christum esse dicens, absit hoc: sed ostendēs quod qui spiritum habet, non solum Christi appellatur, sed & ipsum habet Christum, neque enim datur, spiritu præsentente non & Christum adesse. Nam vbicumque spiritus, vna triadis substantia, adfuerit, adest & ipsa trias: à se enim ipsa diuelli non potest: estque ea exactissimè sibi vnita. Et quid nobis, inquit, futurum est, si Christus in nobis fuerit? *Corpus quidem mortuum propter peccatū, spiritus vero vita propter iustitiam.* Vides quot mala ex eo quod quis sanctum spiritum non habet? Mors, inimicitia erga Deum, non posse illius legibus placere, quod Christi est, id non vt Christi esse, ipsum non habere inquilinum. Considera igitur & quot bona ex eo quod quis spiritum habeat: Christi esse, ipsum Christum habere, cum angelis de dignitate certare. hoc enim est carnem mortificauisse, vitam immortalem viuere, iam hinc resurrectionis pignora habere, facilitate magna virtutis cursum currere, neque enim dixit corpus iam à peccato retardari, sed & mortuum esse, cursuum facilitatem intendens. Nam qui talis est, is demum nulla iam molestia, nullo iam labore coronatur. Itaque & peccati verbum addidit, vt intelligas illum corporis semel malitiam, non naturam sustulisse. Hoc enim si eueniat, multa etiam ex iis quæ animæ conducere possunt, sublata fuerint. Non hoc ergo ait, sed corpus ipsum viuum ac manens mortuum esse vult. Nam hoc demum signū est, Christum nos habere, spiritumque in nobis esse, quum corpora quidem nostra ab iis corporibus nihil differunt, quæ tumulis recondita iacent, duntaxat quod ad corporis opus pertinet. Sed tu ne terreare audito mortificationis nomine, habes enim veram vitam, quā nulla mors est exceptura. Talis est enim spiritus vita: non iam morti concedit, sed illam atterit atque absumit, quod semel conceperit, illud immortale conferuans. Quapropter vbi dixit, corpus mortuum, non dixit, spiritum viuentem: sed, spiritum vitam, vt ostendat illum & aliis quoque præbere hoc posse: postea rursus constringens auditorem, & vitæ quoque causam probationemque dicit: Hæc autem est iustitia. Peccatum enim si abest, ne mors quidem comparet: morte porro non comparente, vita indissolubilis est. *Quod si spiritus eius qui excitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis: is qui excitauit Christum ex mortuis, viuificabit & mortalia corpora ve-*

stra, propter ipsius spiritum inhabitantem in vobis. Rursus Paulus sermonem ad resurrectionem pertinentem mouet: quoniam hæc potissimum spes auditorem cepit: atque illum ab iis confirmat, quæ in Christum euenerūt. Caue enim, inquit, eo terreare, quod mortuum corpus induisti: spiritum habeto: & omnino resurget. quid igitur? quæ spiritu carent corpora non resurgunt? quæ vero * omnia] oportet ad Christi suggestum repræsentari? quæ porro is verax ac fide dignus erit sermo, qui de gehenna circumfertur? Nam si qui spiritum non habet, ij nequaquam resurgunt, ne gehenna quidem existet. Quid igitur sibi vult dictum hoc? Certè omnes quidem resurgent, non omnes autem ad vitam: sed alij quidem ad pœnam, alij autem ad vitam. Itaque Paulus non est hoc verbo vsus, excitabit: sed, viuificabit, quod amplius quidem erat, quàm excitatio: quodque solis iustis datum est. Cuiusmodi honoris causam quum posuisset, addidit & hoc, propter inhabitantem in vobis spiritum: quare si viuens adhuc, spiritus gratiam exegisti, atque ea penes te minimè salua, decessisti, peribis omnino, vel si resurrexeris. Nam quemadmodum Deus tum non sustinet, supplicio te tradere, quum spiritum suum in te lucere videt: sic extinctum vbi viderit spiritum, te non recipit, nec in nuptialem thalamum introducit: quemadmodum ne illas quidem virgines.

MORALE.

Ne igitur corpus nunc viuere finas, vt tum viuat: fac, illud vt moriatur, vt ne moriatur. Nā si viuū manserit, nequaquam viuat: sin verò mortuum fuerit, tum denique viuat. Hoc ipsum & in vniuersa resurrectione fit, prius enim illud moriatur oportet ac sepeliatur, ac tum demum immortale fiet. Hoc idem & in lauacro vsu venit, prius enim crucifixum est ac sepultum, & tū demum excitatum, hoc & in corpore dominico. illud enim cruci suffixum, mortuum, sepultumque est, ac tum demum resurrexit. Itaque & hoc quoque in illius operibus facitemus, assidue illud mortificemus, non essentiam dico, absit hoc, sed impetus motusque eos, qui ad prauas actiones ferunt. Nam hoc demum vita, seu potius hoc solum vita est, nimirum nihil quicquam tolerare, quod humanum sit, nec voluptatibus addictum feruire: quibus sanè quisquis sese subdiderit, huic ne viuere quidem postea licet, idque propter iniusta ab illis probra, ac dedecora, propter eos quos afferunt terrores ac pericula, propter infinitarum turbationum agmen. Si enim mors expectata voluptuariō illi fuerit, is profectò ante ipsam etiam mortem timore emoritur, si morbum, si iniuriam, si paupertatem, si aliud quidpiā nec opinatum suspicatus fuerit, periit iam & absumptus est miser. Hac ergo vita quid tandem miserabilis esse queat? At non talis quidem est, qui spiritu viuat, quin & terrore, & dolore, & periculis & quauis mutatione superior existit: non quod nihil sit tolerandum, sed quia multò (id est, maius) ea, dum impendent, mala despiciat. Quæ verò id fieri queat? Nimirum si nūquam non spiritus in nobis habitauerit. neque enim simpliciter vult Paulus, vt spiritus idem in nobis ad breue aliquod tempus, sed vt assidue inhabitet. Idcirco nō dixit, propter spiritum qui inhabitauerit: sed, qui inhabitat, ostendens moram, mansionemque eam perpetuam esse debere. Ergo viuere is maximè dicitur, qui vita mortificatus est. Itaque dixit, spiritum vitam esse, propter iustificationem. Atque vt euidentius nobis res ipsa ante oculos versetur, homines duos exempli gratia in medium proferamus. Alterum luxui, voluptatibus, vitæ pellaciæ deditum: alterum iis, quæ dixi, mortuum: tum despiciamus, vter horum magis viuat. Horū porro

porro duorum alter prædiues, in primisque illustis, parasitos adulatorēsq; pascat, iis se oblectās. Idē totos dies in lustris ac popinis vinolentus ac comessabundus cōsumat. Alter rursus paupertatem colens, ieiunia exercens, in educatione dura, in austerā vitæ tolerantia victitans, sub vesperum, cibum, duntaxat necessariū, capiat: atque adeo, si ita vis, duos etiam trēsve dies ieiunus maneat. Ex his, obsecro, duobus vter nobis magis viuat? plerique omnes, fat scio, cum magis viuere arbitrabūtur, qui deliciis affluens, bona sua omnia gurges deuorat, profundit, ac dissipat: at nos eum, qui victus moderatione, modestiæque delectatur ac perfruitur. Itaque quando quidem in præsentia, hac de re nobis quodammodo & controuersia mota est, in vtriusque ædes introeamus: ac tum demum, quum tibi ille diues maximè viuere videtur, dico, in ipso deliciarum illius puncto. Ingressi porro despiciamus vtriusque studium, ac statum: nam ab ipsis demum operibus liquet, tum qui viuat, tum qui mortuus sit. Agē itaque, Alterum quidem inueniemus seu libris, seu precibus, seu ieiunio, seu cuiuspiam alij rei pernecessariæ operam dantem, vigilantem, sobrium, cum Deo disputantem: Alterum autem cum nimio vino madetem, obrutumque, tum verò nihilo melius habentem, quàm quiuus mortuus, qui si & ad vesperam vsque expectauerimus, licebit nobis spectare mortem eam, quam dico, in eo abundantiorē esse, atque inde rursus somnum succedere, quum interim ille alter noctem in sobrietate in somnum agat. Vtrum igitur dixerimus magis viuere? eum qui stupidus ac sensu carens quum iaceat, risum omnibus mouet: an cum potius, qui opere aliquo delectatus cum Deo verba facit? Etenim ad illum si adieris, dixerisque necessarium quidpiam, eundem sanè haud aliter loquentem auditorus es, quàm si cum homine mortuo colloquaris. At cum hoc si vel luce, vel in tenebris congregi libebit, angelum cernes potius, quam hominem, quem eundem & de rebus quoque cœlestibus disputantem audies. Vides, vt hic quidem vel supra eos omnes qui viuunt, viuat: ille autem vel mortuis miserabilior prostratus iaceat? qui si quod fortè opus in manibus habere visus fuerit, alia certè pro aliis cernit, eorum similis, quos animi furor, atque infania vexat, ac potius illis miserior. Nam illos quidē si quādo quis iniuria afficit, iniuria affectos miseramur, iniuriæ autem illatorem increpamus. At huic si quem insultare viderimus, non solum non ad misericordiā flectimur, sed & iacentem prostratumque calculo etiam nostro condemnamus. Hōccine igitur, obsecro te, vita est? ac non potius quiddam mille mortibus grauius? Eriamne vides eum qui in deliciis vitam sibi cōstituit, non solum mortuum esse, sed & mortuo deterius habentem, & intemperis acto miseriosem? illū enim homines misericordiā, hunc odio prosequuntur. Ille veniā impetrat: hic ægritudinis suæ pœnas pendit. Quod si foris sese hic sic ridiculum præbet, computrefactum sputum ac magnopere vinum redolens ore foedo eructans, eiusdem miseram animam considera, huiusmodi in corpore, quodam tãquam in sepulchro, in fossam, quem tandem in modum par sit illam se habere. Tale enim hocce spectaculum est, quale esse possit, si quis ex composito moliat, vt puellæ honoratæ, castæ, ingenuæ, nobili, pulchræ, ancilla quæpiam barbara, deformis, impura, magna adeo est licentia, iniuria pari insultet. Nam tale quiddam est ebrietas. Ecquis igitur, de iis loquor qui mentis compotes sunt, sexcenties e-mori non malit, quàm sic vel diem vnum victitare? Nā vt postridie, vbi diluxit, videatur ille ab ea comœdia experrectus, vinolentiam edormisse, atque exhalasse

suam, tamen ne tum quidem sincera temperantiæ restitutus est, nebula ab ebrietatis tempestate suffusa, ante oculos adhuc oberrante: qui si & illum dederimus synceram iam sobrietatem affectum, quid illi ea res profuerit? ea enim sobrietas in nullum illi vsum alium cedit, quàm vt eos cōtueatur, qui sibi vinolentiam obiciunt. quum enim vino madens turpe sui spectaculū exhibet, id lucri facit, vt ne eos quidem sentiat, quibus ridiculus est: die autem infrequenti exorto & solatio hoc priuatur, tum sentiens & famulos murmurantes, & vxorem erubescens, & amicos suggillantes, & inimicos irridentes. Quid tandem vita hac miserabilis? de die risui omnibus esse, vesperi in eandem turpitudinem de integro recidere? Sed quid? placetque auaros in medium proferamus? & hæc enim rursus alia est, & quidem ea quàm modò diximus, pestilentior ebrietas, quod si ebrietas, certè & mors omnino, ea etiam quàm paulò antè posuimus, multò deterior, quando & ebrietas letalior. Neque enim tam detrimētosa fuerit ebrietas, quàm pecuniarum concupiscentia. Illic enim detrimentum intra perturbationem, atque afflictionē, consistit, terminaturque sensus stupore, atque ebrii exitio: At hic damnum ipsum infinitas animas peruadit, varia vnde quaque bella succendens. Agē itaque, & hunc cū illo componentes vidcamus, quas tandem causas cum illo communes habeat, quibus porro in rebus plus illo abundet. Rursus & ebriorum inter se hodie contentionem faciamus. Nam cum illo, quem beatum esse, ac spiritu viuere diximus, ne isti quidem iam componantur, sed inter se ipsi examinentur. Itaque & hic quoque mensam rursus in medium proferamus, mensam dico cædibus mille refertam. Quarum igitur rerū inter hos communitas esse potest? & in quo tandem vterque alterius similis est? Nimirum in ipsa morbi natura, nam ægritudinis genus differens est: alterum enim à vino, alterum à pecuniis existit: at affectus ipse consimilis, vterque enim absurda ex æquo concupiscentiæ seruit. Nam & qui vino ebrius est, is quod plures vini calices hauserit, cō plures appetit: qui autem pecuniarū amori seruit, quod magis ditescendi desiderio capitur, eò maiorem concupiscentiæ flammam incendit, pestilentiorēque sibi desiderij sitim accersit. In hoc igitur vno ad similes sibi inuicem sunt. At in altero rursus avarus superiora omnia habet. Quoniam quæso hoc? nempe quod ille quidem rem eam patitur, quæ iuxta naturam est. Vinum enim natura quū sit calidum, insitāque siccitatem intendat, facit qui eo poti ebriusque sint, ij vt sitiant adhuc. Auarus verò ille vnde plura semper concupiscit: vnde? Certè quum magnopere ditescit, tū maximè pauper est: est porro morbus hic talis, vt cognitu sit difficilis, enigmati potius similis. Sed tamen illos despiciamus, si placet, vel ipsam post ebrietatem, quanquā avarū, verè vt loquamur, post ebrietatē nullo videre tempore licet: vsque adeo in ipsa semper est ille ebrietas. Quamobrem vtrunque tantisper dum ebrietate occupantur despiciamus, consideremusque: vter eorum risu dignior: quin & eos effingamus exactè rursus exprimentes. Videbimus igitur eum, qui vino nimio potus delirat, desipitque, sub vesperam oculis apertis neminem tamen videre, sed temerè huc illuc circumferri, atque ad vnumquemque sibi obuium pedibus offendere, eundemque euomere, dilacerari, indecorè denudari, ac si vel vxor adfuerit, si filia, si ancilla, si quiuus alius, maiorem in modum ludibrio haberi. Agē itaque & ipsum quoque avarum in medium proferamus, hic enim non iam ad risum res pertinet, sed ad execrationem ad ingentem excandescentiam, vnoque verbo ad infinita fulmina: risum tamen in præsentia specte-

mus. Etenim hic vt ille omneis ignorans, & amicos, & inimicos, similitur oculis quidem apertis occæcatus est: ac quomodo illius oculis omnia vnum, sic huius omnia pecuniæ sunt, & præterea vomitus ipse longè lætalius. neque enim cibum eructat: sed conuicij, sed contumeliæ, sed belli, sed mortis verba, infinita cœlitus in ipsius caput fulmina attrahētia. Ac quemadmodum ebrii corpus liuidum esse solet, ac diffuens: sic & huius anima, atque adeo ne huius quidem corpus ab hoc morbo vacat: sed magis etiam eo detinetur, cura, sollicitudine, iracundia, vigilantia totum illud sic arrodente, ac sensum absumentem, vt à vino celerius lætaliūve absumi nequeat. Adde quod qui à vinolentia possidetur, transacta nocte ad sobrietatem redire potest. Hic autem continenter ebrius est, & interdum & noctu, & euigilans & dormiens, maiori in cruciamēto constitutus, quàm cōstituitur vel qui vincus in custodia degit, vel qui ad effodienda metalla relegatus est, vel si quis est qui grauiori supplicio addictus sit. Hōcine igitur, quæso, vita, ac nō potius mors est, atque adeo quiddam quauis morte miserabilis? Siquidem mors corpus quidem consopit, illud tum ludibrio, tum indecētia, ac turpitudine, tum peccatis liberans: at ebrietates huiusmodi in ista omnia illud præceps agunt, aures obturando, oculos occæcando, menti denique ipsi multam offundendo caliginem: neque enim audire, neque prorsus eloqui aliud quicquam avarus potest, quā scœnora, quā ex scœnoribus scœnora parata, quàm lucra turpia, quā quæstus inuidiosos, quā negociationes seruiles ac minimè liberales, canis in morem ad omnes adlatrans, omnes exofus, omnes auersatus, cum omnibus bellum gerens, & quidem nulla causa. In pauperes insurgens, diuitibus inuidens, neminem benignè salutans, appellans comiter neminem. Nam vt vxorem habeat, vt liberos, vt amicos, nisi vndeque aliquid corradat, vndique lucrum aliquod faciat, hos ille omnes sibi magis hostes ducit, quā qui naturā hostes sunt. Hac igitur insania ecquidnam perniciosius esse queat? quid porrō miserius? quum tibi ipse nusquam non scopulos, nusquam non saxa latentia, nusquam non præcipitia, fossas, infinita barathra comparas? & quidē corpus vnum interim quum habeas, atque vni tantū ventri seruias, ac si te quis fortè ad reipublicæ obeūda munia adleget, fugites, sumptui parcens, tibi autem ipse affliccas sexcenta munia, omnibus illis non sumptuosiora solū, sed & molestiora, & periculosiora, Mammonæ initiatus, nec pecunias modò scelesto huic tyranno, neque corporis tui sudorem, animæ tormentum ac dolores, sed & ipsum sanguinem offerens, vt tu amplius nescio quid ex hac barbarica seruitute miser & infœlix acquiras. An non vides, qui in singulos dies ad monumenta efferuntur, ij vt nudi rebūque omnibus destituti ad ea sepulchra rapiantur, adeo nihil quicquam rerū domesticarum capere valētes, vt vel ea quibus succinguntur, ad lumbricos ipsos comportent. Hos quos dicto mortuos, quotidiana animi cogitatione lustrato, ac tibi fortasse auaritiæ morbus iste quiescet, nisi si tute, quod nolim, maiori insania corripendus es, ab eo sumptu quem immodicum in extruēdis sepulchris fieri videmus, affectus enim hic pestilēs, morbus periculosus: ob quod sanè & nos singulis cōcionibus apud vos hac de re verba facimus, assidue id auribus vestris inculcātes, vt vel ipsa assiduitate proficiā nobis aliquid queat. Vos porrō ne contendatis: neque enim in illo tantum die quem futurum expectamus, sed & ante illius aduētum multiformis morbus hic varia importat supplicia: qui si eos commemorauero, qui perpetuis in vinculis vitam degunt, si vel cum qui longæ, diurnæque ægri-

tudini affixus adhærescit, vel qui cum samē colluctatur, denique si vel alium quenuis: haud vllum sanè inuenire possum tot tantaque tolerantem supplicia, quot quantaque ij tolerant, in quorum animos pecuniæ amor inuasit. Quid enim esse pestilentius queat, quam ab omnibus passim odio haberi, quàm omnes odisse, quàm semper ringi, nemini se comen, nemini suauem præbere? quam nunquam satiari? quam nunquam non sitire? famē perpetuam, & quidem ea, qua omnes affueuere, grauiorem pati, cumque ea colluctari? angoribus quotidianis affligi? nunquam sano ac tranquillo esse animo? assidue in tumultuationibus, perturbationibusque versari? Hæc enim omnia, & his item plura auari sustinent. etenim lucrum, capturamque aliquam dum faciunt, vt omnium etiam bona habeant, nullam inde voluptatem capiunt, plura semper appetentes: iidem iacturam dum faciunt, vt vel obolum perdant, grauissimè omnium se affligi, ac vel vitam amisisse arbitrantur. Quenam ergo oratio hisce calamitatibus representandis par esse queat? Quod si quæ hīc illos pati videmus, eiusmodi sunt, expedito vitæ alterius mala quæ sint futura: regni cœlorum priuationem, à gehenna inustum dolorem, vincula perpetua, exteriores tenebras, vermem venenatum, dentium fremitum, pressuram, loci angustiam, igneos fluuios, fornaces nunquam restinguendas, atque omnia hæc simul vbi composueris pecuniarum voluptati opposita, radicitus morbū hunc extirpato, vt veras tandem opes adeptus, pestifera hac paupertate liberatus, bona tum præsentia, tum futura assequaris, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi: per quem, & cum quo, patri gloria, vñ cum sancto spiritu in sæcula sæculorum. Amen,

HOMILIA XIII.



Romani fratres debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus. Nam si secundum carnem vixeritis, moriemini: at si spiritu facta corporis mortificetis, viuētis. Vbi ostendit quantum sit vitæ spiritualis præmium, quodque ea vita præstat, vt Christum intra te inhabitantem habeas, tum quæ mortalia sunt corpora viuificat, eadem ad cœlum veluti alis additis subuehens, & simul virtutis viam faciliorem reddit, necessariò deinceps admonitionem affert, dicens: Itaque secundum carnem viuere non debemus: nec tamen sic dixit, sed acrius multò, ac fortius eos feriens, his verbis: Debitores sumus spiritui. Nam dicendo, quod non sumus debitores carni, hoc planum fecit, atque id vbi que adstruit, ostendens, quod ea quæ à Deo erga nos collata fuere beneficia, non debiti fuere, sed meræ ac nudæ gratiæ: quæ autem nostra subsecuta sunt facta, non iam ea studiose voluntatis, sed debiti. Etenim quum ait. Precio empti estis, nolite fieri serui hominum, id ipsum significat: & quum scribit, Non estis vestri ipsorum, idem illud declarat. & alibi rursus hæc eadem in memoria redigit, ita inquit: Si vnus pro omnibus mortuus est, igitur omnes mortui sunt, vt viuētes nō amplius sibi ipsis viuant. Hoc itaque & hic quoque agens, ait, debitores sumus. Deinde vbi dixit, Non sumus debitores carni: vt ne rursus illius dicta interpretetis in carnis naturam dici, non conticuit, sed attexit, Vt secundum carnem viuamus, multa enim sunt, quæ nos illi debemus. Nam illam educare, fouere, reficere, curare laborantem, induere, & infinita alia illi suppeditare debemus. Vt ne igitur existimes illum eiusmodi ministerium tollere per hæc verba, Non sumus debitores carni: illud interpretatur, dicens: Vt secundum carnem viuamus. Illud enim, inquit, studiū tollo, quod ad pec-

Infr. 13.

Phil. 1. Efa. 1. Exod. 4.

catum ducit, nam quæ ad illius curam faciūt, fieri non prohibeo: id quod & progressus declarauit. nam quum dixisset, Carnis curā ne habeatis: non in eo subticuit, sed addidit, Ad concupiscentias. quod quidem & hīc docet, dicens, illam vt curemus, debemus enim illi hoc: absit tamen vt secundum carnem viuamus, hoc est, ne ad illam deferamus vitæ nostræ dominium. illam enim necesse est sequi, non præire. neque illam oportet vitæ nostræ normam dare, immò spiritus leges accipere. Hoc ergo vbi definiuit, atque adstruxit, quod videlicet debitores sumus spiritui, tum autem vbi ostendit, quorum beneficiorum debitores simus, non ea in medium affert, quæ iam præterierē (vnde nobis admiranda est illius prudentia) sed quæ futura sunt: atqui sufficiebant & illa, sed tamen non allegat illa nunc, neque mentionem facit immensorum illorum beneficiorū iam acceptorū, sed futurorum. Neque enim sic donatum semel beneficium, vt expectatum ac futurum illicere multos solet. Atque hoc vbi proposuit, primum ab iis terret molestiis, malisque, quæ eueniunt ex ea vita quæ est secundum carnem, ita dicens: *Nam si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Illā nobis inuēs mortem inmortalem, in gehenna videlicet pœnam, ac supplicium: seu potius si quis exactè hoc examinauerit, & in hac quoque vita mortuus est ille talis, quod sanè ea quæ hanc præcessit disputatione planum vobis fecimus. *Quod si spiritu facta corporis mortificetis, viuētis.* Vides vt non de corporis natura loquatur, sed de actionibus carnalibus? neque enim dixit, quod si spiritu naturam carnis mortificetis, viuētis, sed actiones, ac ne has quidē omnes, sed prauas: atque hoc liquet in subsequētibz: si enim hoc feceritis, viuētis, inquit. & quo id fieri liceat modò? si illi de omnibus ratio habetur. Etenim & ipsum videre, & ipsum audire, & ipsum loqui, & ipsum ingredi, & quæ sunt eiusmodi, corporis actiones sunt. ac si eas mortificemus, tantum aberit vt viuamus, vt & homicidij rei pœnas daturi simus. quānam igitur actiones mortificare nos vult? nempe eas, quæ ad malitiam mouentur, eas quæ ad vitiositatem pergunt: quas ne aliter quidem mortificare licet, quàm per spiritum. Illas enim alias interficere, se ipsum est perimere, quod fas minimè fuerit: has autem per spiritū tantū. Si enim hoc adfuerit, fluctus omnes compescuntur, affectus ipsi sunt repressi, ac nihil omninò contra nos insurgit. Vides vt à futuris nos, quod prius dixi, hortetur, & ostendat debitores, non ab iis solū, quæ iam facta sunt? non enim hoc solū est, inquit, beneficiū spiritus, quod præteritis nos peccatis liberauit, sed quod & ad futura inexpugnabiles reddit, & vita dignatur immortalī. postea & aliā mercedē proponēs, addidit: *Etenim quicumque spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei.* Hęc enim rursus corona, priore multò est maior: quapropter neque simpliciter dixit, Quicumque enim spiritu Dei viuūt: sed, quicumque spiritu Dei ducuntur: ostēdens, quod sic vult illum vitæ nostræ dominum esse, vt gubernatorem nauigij, & aurigam currus equorum. nec corpus solū, sed ipsam etiam animam habentis huiusmodi subiicit, neque enim illā vult dominari, suoque quodā instituto viuere, sed & illius auctoritatem spiritus potestati supposituit vt ne enim lauacri dono confisi, vitam subsequentem negligenter, ait: Quāuis baptisma acceperis, nisi spiritu postea ducaris, dignitatē datā perdidisti, & adoptionis prerogatiuā. Propterea nō dixit, quicumque spiritū acceperunt: sed, quicumque spiritu ducuntur. Hoc est, quicumque omnem vitam ita viuūt, hi sunt filij Dei. deinde quandoquidem hęc dignitas & Iudæis quoque data erat, Ego enim dixi, inquit, dij estis, & filij altissimi omnes, ac rursus, Filios ge-

nui, & exaltaui. & Primogenitus meus Israel. quā & Paulus ait, quorum est ipsa adoptio. adstruit discernens quantum sit honorum inter illum & hunc discrimen, quanquam enim nomina eadem sunt, inquit, tamē res ipsæ non eadem, quorum quidē apertam exhibet probationem, comparatione quidem inducitur tum ab iis qui rectè agunt, tum à rebus iam datis, tum à futuris, Ac prius ostendit, quoniam ea essent quæ illis data fuissent. quoniam ergo ea erant? Spiritus seruitutis. idcirco addidit, dicens: *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum ad timorem.* Deinde prætermittens dicere id quod oppositum, contrariumque seruituti est, hoc est, spiritū libertatis, quod maius multò est, posuit, nempe adoptionis spiritum, per quem libertatis spiritus ille constabatur, sic dicens: *Sed accepistis spiritum adoptionis.* Et hic quidem spiritus quis sit, liquet. at seruitutis spiritus quānam sit, non liquet. Necesse igitur fuerit ipsum id quid sit, manifestius reddere: neque enim obicium solū, sed & valde ambiguum ancepitque dictum id. Spiritum enim nequaquam accepit Iudæorum populus. Quid igitur est quod hīc ait? certè litteras ita vocauit, quandoquidem spirituales erant, sicuti & legē spirituales, & aquam à petra emanantem, & ipsum item manna: omnes enim, inquit, eandem escam spirituales manducauerūt, & omnes poculum idem spirituale biberunt. Petram porrō sic vocat, dicens: Bibebant autē ex spiritali sequenti petra: quandoquidem enim naturam excedebant omnia ea, quæ fierent, spiritualia ipsa vocauit, non quod spiritum accepissent ij, qui rerum illarum tum participes erant. Et quomodo litteræ illæ seruitutis erant litteræ? omnem vitæ illorum formā proferto, ac tum demum id apertè intelliges: etenim supplicia illos euestigiò excipiebant, & merces statim sequebatur, mensuram suam habens, quotidiani frumenti ritu famulis admensi ac traditi, & magnus vndique timor ob oculos vigens, & circa corpora purgationes, & intra actiones continentia. apud nos vero nō ita, sed cogitatio, & conscientia expurgata. neque enim dicit Deus, ne occidas tantum, sed ne irascaris. neque, ne mœcheris, sed ne aspicias lasciuē, vt ne amplius videlicet ob præsentaneæ pœnæ timorem, sed ob ipsius amorem, tum virtutis habitus, tum reliqua officia, ac rectè facta in nobis existant. Neque promittit terram melle lactēque affluentem, sed vnigenito cohæredes efficit, à rebus nos præsentibus, modis omnibus arcens, tum illa potissimum daturum se pollicitus, quæ illos capere oportet, qui filij Dei effecti fuerint, sensibile quidem ac corporale nihil, verum spirituales omnia. Quāobrem illi quidem quamquam filij vocabantur, tamen tanquam serui, nos autem vt liberi facti, adoptionem accepimus, tum verò cœlum expectamus: adde his quod cum illis verba per alios facit, nobiscum autē per seipsum. Illi pœnæ formidine adducti omnia agebant, hi autem spiritus desiderio & amore. Et ipsum hoc argumentum est, quod iussa prætergererent illi, vt mercenarij & ingrati, nunquā nō murmurantes, hi autem quod spiritui placeāt: atque illi quidē vel beneficiis dum afficerentur, blasphemabant, nos autem vel inter ipsa pericula gratias agimus, atque adeo si de delinquentium pœna ratio ineunda est, & hīc quoque discrimen ingens: neque enim vt illi lapidati, vsti, manus, pedesque à sacerdotibus truncati, sic & nos conuertimur: sed sufficit à paterna mensa eiectos, & à conspectu, certū dierum numerū sub motos esse. Iam & apud Iudæos verbi honos erat adoptio tantum: hīc autem & res consecuta est: nempe per baptismum purgatio, & ritus datio, aliorum bonorum suppeditatio, quibus ipsis alia plura afferri possunt, ex iis quæ nostram nobilitatem, illorū

Supr. 7. Exod. 17. Ibid 16. 1. Co. 10. Ibidem.

Math. 5.

autē tenuitatem arguūt. Quæ omnia per spiritum, per timorem, per adoptionem ubi significauit, & aliud itē argumentum adfert, quò dignoscas spiritus ipsius adoptionem nos habere. Quòdnam id, obsecro? *Per quem clamamus, abba pater.* Hoc autem quale, quantumque sit, sciunt mystæ ipsi, qui ritè iubentur hoc primum in prece mystica verbum effari. Quid igitur, inquires, Deū illi etiam non vocabant patrem? Non audis Mosē dicentem, Deum qui te genuit, reliquisti? non audis Malachiam exprobrantem ac dicentem: Deus vnus est & pater omnium nostrū? sed vt hæc, & his item plura dicta sint, nusquam inuenire est, illos hoc verbo vocare Deum, aut sic preces fundere: at nos omnes & sacerdotes, & priuati, principes, & subditi, ita precari iussi sumus, & hanc primam vocem edimus, post admirabiles illas parturigines, post nouam, ac mirificam euitendi legem, alioqui vt demus illos aliquando Deū ita vocauisse, tamen id illi à propria cogitatione, quū qui in gratia viuunt, à spirituali efficientia idem agant. Quemadmodum enim sapientiæ spiritus est, per quem qui insipientes erant, ij sapientes efficiantur, & hic à doctrina manifestus sit, & spiritus item est potentia, per quem infirmi mortuos suscitauerunt, & dæmones exegerunt, & spiritus est doni medicinarum, & spiritus prophetia, & spiritus linguarum, ita sanè & spiritus est adoptionis. Ac sicuti cognoscimus prophetia spiritum ab iis rebus, vnde qui ipsum habet, futura prædicit, nō propria mente loquens, sed à gratia motus: sic sanè & spiritum adoptionis cognoscimus ab iis, vnde qui spiritum eundem accepit, patris nomine Deum appellat, ab ipso videlicet spiritu motus. Hic autem ostendere volens germanam legitimamque cognationem, & Hebræorum quoque vsus est lingua. neque enim solum dixit, pater: sed, abba pater, quæ potissimum vox est germanorum ac legitimorum ad patrem liberorum. Itaque quum differentiam eam posuisset, quæ est tum à vita, & moribus, tum à gratia data, tum à libertate, & fiducia: adducit & aliud argumētum excellentia eius, quæ per huiusmodi adoptionem existit. quòdnam id quæ? *Idem spiritus testatur vnā cum spiritu nostro.* inquit, quòd sumus filij Dei. Neque enim ab ipsa tantum voce id affirmo, ait, sed & à causa, à qua vox ipsa nata est: spiritu enim dictante atque in verba præeunte hæc dicimus. Quod quidem alibi apertius declarans dixit: *Misit Deus spiritum suum in corda nostra, clamantem, abba pater.* Quid porrò sibi vult, Spiritus vnā cum spiritu testatur? *paracletus,* inquit, cum dono nobis dato, non enim doni solum vox hæc est, sed & paraclēti, qui donum largitus est. nam hic ipse nos per donum docuit sic loqui. quum autem spiritus testatur, quæ tandē restat ambiguitas? Nam si vel homo, vel angelus, vel archangelus, vel alia huiusmodi potestas hoc polliceretur, par conueniensque esset nonnullos hæsitare: quū autem summa essentia, & ea quidem, quæ hoc largita sit donum, s̄vel ab iis, vnde preces fundere iussit, nobis testimonium afferat: quis tandem de dignitate ambiget? neque enim regē suffragio suo aliquem eligente, aut honorem alicui apud omnes præconio suo decernente, sustinebit subditorum quisquam contradicere. *Quòd si filij, igitur & hæredes.* Vides vt pedetentim donū augeat? quandoquidem enim licet & filiis esse, ac non hæredibus fieri, neque enim qui filij, ij omnes hæredes sunt: attexit & hoc, quòd videlicet & hæredes. Iudæi autem cum eo quòd adoptionem talem non habuerint, ab ipsa etiam hæreditate eiecti, abdicati que sunt, Malos enim malè perdet, & vitem tradet agricolis aliis, & ante hoc dixerat, Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham: filij autem regni

Deu. 32. Mala. 2.

Gala. 4.

etiam per eos quos.

Mat. 21.

Ibid. 8.

foras eiciuntur. neque tamen intra hos fines se ipse continuit: sed & quod hoc maius est, ponit. quòdnam id? quòd videlicet Dei hæredes, idcirco & addidit: *Hæredes Dei.* Et quod etiam amplius, quòd non simpliciter hæredes, *Sed cohæredes Christi.* Vides vt contendat nos prope dominum sistere? quoniam enim non omnes filij, hæredes, ostendit nos tum filios, tum hæredes: quoniam porrò non omnes hæredes, magnificatorum rerum hæredes sunt, ostendit nos id esse assecutos, quū Dei hæredes simus. Rursus quandoquidem hæredes quidem Dei esse contigit, non omnino autem vnigenito cohæredes, ostendit nos & hoc assecutos. Ac cōsidera sapientiam, nam quæ molesta quidem sunt corripens, in pauculaque contrahens, quum dixit, quidnam iis accidet, qui secundum carnem viuunt, nempe quòd morientur: vbi ea attingit, quæ leniora, dulcioraque sunt, orationem educit in latiore campo, illam extendens declaranda mercedis retributione, ostenditque & diuersa, & magna esse dona. Nam si filium esse immensa sit gratia, cogitato quàm magnum sit, & hæredem esse: quòd si hoc magnum, multo magis & illud, cohæredem. Deinde ostendens quòd non gratia solum donum est, simul dictis suis fidem arrogans, addidit: *Siquidem simul cum eo patimur, vt & vnā cum illo glorificemur.* Nam si rebus in molestis, ait, communionem cum eo habuimus, multo magis in iocundis id erit. qui enim tot tantisque bonis eos donauit, qui nihil boni operis fecerant, is vbi viderit nos laborem impendisse, ac tam multa esse perpeslos: quo pacto non remunerabitur magis? Quum enim ostendisset rem ipsam esse retributionem, vt fides dicto arrogetur, ac nullus hæsitet: ostendit rursus illam & gratia vim habere partim quidem vt & apud eos qui dubitant, dicta fidem faciant, & eos qui gratiam eam accipiunt non pudeat, tanquam qui dono salui sint effecti: partim autem vt intelligas Deum retributionibus labores nostros vincere. & hoc quidem tum declarauit quum dixit, *Siquidem simul cum eo patimur, vt & vnā glorificemur:* tum autem quum adiunxit & addidit, *Quòd non sunt pares afflictiones presentis temporis, ad gloriam quæ reuelabitur erga nos.* In præcedentibus quidem morum correctionem exigit ab eo, qui spiritualis sit: quum dicit, *Non debetis secundum carnem viuere, nempe vt qui talis fuerit, concupiscentiam, iram, auaritiam, vanam gloriam, inuidiam vincat.* Hic autem posteaquam illum vniuersi muneris commonescit, tum dati, tum futuri, & extulit, & exaltauit spe, & propter Christum stetit, tum verò vnigeniti cohæredem pronunciauit, bono illum animo esse iubens: educit deinceps & ad pericula. neque enim perinde fuerit, affectus, qui intra nos sunt, vincere, atque tentationes illas tolerare, flagella, famem, exilia, vincula, catenas, pellacias, & inductiones: hæc enim admodū indigent animo generosiore ac iuueniliore. Ac vide vt simul deprimat, atque attollat concertantium sensum. quum enim ostendit, maiora esse præmia laboribus, tum magis inuitat, nec sinit cristas illos tollere vtpote qui vincantur coronarum retributione. & alibi quidem ait: *Nam momentanea leuitas afflictionis nostræ, mirè supra modum æternum pondus gloriae parit nobis: ad eos enim tum illi sermo erat, qui in philosophia præcellerant. hoc autem loco leuia quidem illa non patitur esse: mitigat autem ipsa futurorum retributione, dicens: Reputo autem non esse pares afflictiones presentis temporis: nec dixit, ad futuram quietem, sed quòd maius erat, ad futuram gloriam. etenim vbi requies, ibi non omnino gloria: vbi autem gloria, ibi omnino requies. Deinde posteaquam futu-*

id est Christi propter quos

Gen. 3.

Pf. 101.

Est. 24.

Colof. 3.

futuram illam dixit, ostendit ipsam iam esse: neque enim dixit, ad gloriam, quæ futura est: sed, quæ reuelabitur, tanquam quæ nunc quidem sit, occultetur tamen adhuc, quòd & alibi manifestius ait, *Vita nostra occultata est cum Christo in Deo.* Bonum ergo animum de ipsa suscipito, præparata enim iam est, labores tuos manens. Quòd si dolet tibi rem in futuro esse positam, illud ipsum saltem te delectet: nam quòd magna quædā, atque ineffabilis sit ea gloria, & presentium rerum conditionem superet, illic recondita, repositaque est. Neque enim simpliciter posuit verba hæc, afflictiones presentis temporis, sed vt ostenderet non qualitate tantum, sed & quantitate illam superiorem esse. Siquidem afflictiones eæ, quales quales sunt, vitæ presentis cohæretes sunt. Futura autem bona ad immortalia vsque prorogantur sæcula: quæ quandoquidem sigillatim dicere non habuit, neque oratione repræsentare, ab eo, quòd apud nos maximè amabile esse videtur, nempe à gloria, ipsa nominauit, bonorum autem fastigium & caput hoc esse videtur. Attollens porrò & aliunde auditorē, & ab ipsa creatura orationem auget, duo adstruēs per ea quæ dicturus est, & presentium contemptum, & futurorum desiderium, atque vnā cum his tertium, seu potius primum: dum videlicet ostendit, quanto Deus studio humanum genus amplectatur, quantoque in honore ac precio naturam nostram habeat, adde quòd & philosophorum dogmata omnia de mundo hoc meditata, tanquam araneæ telam, & puerorum delectamēta hoc vno dogmate disturbat, ac deiicit. Sed vt nobis apertior hæc fiant, ipsam Apostolicam dictionem exaudiamus. *Etenim sollicita creaturæ expectatio,* ait, *expectat, vt palam fiant filij Dei. quippe vanitati creaturæ subiacet, non volens, sed propter illum, qui subiecit eam sub spe.* Quod enim ait, hunc habet sensum: Hæc creatura vehementer dolet, hæc, quæ modò diximus, bona expectans, nam *σπουδαία* vehemens expectatio est: vt autem oratio significantior fieret, & mundum hunc vniuersum loquentem inducit, quòd & propheta fecerant, inducentes tum fluuios manibus plaudentes, tum colles saltantes, tum montes subsultantes, non vt hæc animata esse putemus, neque vt illis cogitationem aliquam attribuamus, sed vt bonorum amplitudinem intelligamus, vt quæ vel ea etiam, quæ sensu carēt, pertingat. Hoc ipsum autem & in rebus molestis persæpe faciunt, inducentes & vitem lamentantem, & vinum, & montes, & templi laquearia ciulantia, vt & hinc rursus malorum grauitatem reputemus. Hos itaque Apostolus imitatus hoc loco veluti personam, creaturam inducit, eamque ait suspirare, ac dolere. non quòd suspirium aliquod à terra & cœlo editum audierit ipse, sed vt futurorum bonorum delectat immensitatem, & desiderium quòd habet, vt malis presentibus liberetur. *Quippe vanitati creaturæ subiacet, non volens, sed propter illum, qui subiecit illam.* Quid hoc sibi vult, Vanitati creaturæ subiacet? corruptibilis effecta est. quo nomine, & quamobrem? propter te hominem. quandoquidem enim corpus accepisti mortale, & patibile, idcirco & terra execrationem accepit, & spinas tulit, ac tribulos. Quòd porrò cœlum vnā cum terra veterascens, in melius desinens mutabitur, audi prophetam dicentem: *Initio tu domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli: ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes tanquam vestimentum veterascens, & quasi amictum conuolues ipsos, & immutabuntur.* Et Esaias item hæc plana faciens, dixit: *Inspicite in cœlum sursum, atque in terram deorsum: quòd cœlum tanquam fumus firmatum est, terra autem tanquam vestimentum veterascet, illiusque incolæ tanquam hæc peribunt.*

Chrysof. tom. 4.

Vides vt vanitati seruauit creatura? & quo pacto liberatur à corruptione? ille enim ait, quasi amictum conuolues ipsos, & immutabuntur. Esaias autem, illius incolæ tanquam hæc peribunt, non omnimodum dicēs interitum. neque enim illius incolæ, hoc est homines ipsi talem interitum patientur, sed temporalem, ac per illum ad immortalitatem transmutabuntur, quemadmodum & creatura. quæ omnia his verbis, tanquam hæc, significauit: sicuti & Paulus in progressu ait. Nunc verò de ipsius seruitute disputat, ostenditque qua causa talis effecta est. causam autem ipsos nos ponit. Quid igitur, iniuriæ illi illata est, quum ob alterum hæc passus sit? nequaquam. etenim propter me facta est. quæ igitur propter me facta est, ea quo pacto iniuria afficiatur, si hæc illam pati contingat in mei correctionem? alioqui autem quoties iusti & iniusti ratio habetur, non debet me mouere, si quis mihi obstrepat de inanimatis ac sensu carentibus. sed Paulus quandoquidem ipsam per profopopociam induxit, nulla rationum harum, quas dixi, vsus est, sed alia quadam auditorem supra modum consolari studens. quali quæso? quid ais, inquit, malè affecta propter te, & corruptibilis facta est? verum nullam illa ne sic quidem iniuriam accepit. Etenim propter eundem te, rursus immortalis futura est. Hoc enim sonat verbum id, sub spe. Quum autem dicit, non volens subiacet: id non dicit, vt illam ostendat sententiæ dominam esse, sed vt intelligas negociū totum Christi curam fuisse, non creaturæ eiusdem beneficium. Hoc verò dicito, & quānam speret? *Quoniam & ipsa creatura liberabitur.* Quid id verbi est, & ipsa non tu solum, sed & quòd te inferius est, quòdque particeps non est nec cogitationis, nec sensus, vel hoc ipsum bonorum tecum communionem habiturum est. *Liberabitur enim, ait, à seruitute corruptionis.* Hoc est, non amplius erit corruptibilis, sed corporis tui venustatem sequetur. nam quemadmodum corruptibili te effecto, & ea quoque corruptibilis est effecta: sic incorruptibili effecto te, & ipsa quoque subsequetur, comētque tibi erit. quòd declarans, addidit: *In libertatem filiorum Dei.* Hoc est, propter libertatem. Nam quemadmodum nutrix ea quæ infantem alit regium, illo ad paternum principatum euecto, & ipsa quoque bonorum fructum percipit: ita & creatura, inquit. Vides hominem nusquā non præcedere, ac propter illum omnia fieri? Vides vt leniat ac mitiget concertantem, tum autem Dei immensam ostendat benignitatem? quid enim doles, inquit, ob tentationes? tute propter temet pateris: creatura propter te. non solum autem lenit, sed & dictis fidem adstruit. Si enim creatura sperat, propter te modis omnibus facta: multo magis tu, quem propter creatura bonis illis omnibus fruitura est. Nam veluti homines ipsi, dum filius dignitate aliqua adeptus proditurus est, & seruos quoque splendoris veste ad filij gloriam exornant: ita & Deus creaturam in corruptione vestit, in libertatem gloriae filiorum. *Scimus enim quòd omnis creatura congemiscit, simulque nobiscum parturit vsque ad hoc tempus.* Vides vt auditorem pudesciat tantum non hoc proferens, ne creatura efficiare deterior, neu tu presentibus rebus acquiescas. non enim illas solum non amplecti oportet, sed ingemiscere, ob retardationem nostræ ab hoc orbe profectio-nis. si enim creatura hoc facit: multo magis conuenit te, qui ratione præditus ornatusque es, hoc ostendere. sed nondum hoc magnoperè facit, ad pudorē inurendum, idcirco addidit: *Non solum autem illa, sed & ipsi, qui primitias spiritus habemus, & nos ipsi in nobis ipsis gemimus.* Hoc est, futura qui iam gustauimus. Vt enim saxeus admodū quis sit, quæ data iam sunt, ea vel idonea fue-

alioqui autē iusti & iniusti rationem superinanimatis ac sensu carentibus ne mouere quide conuenit.

rint quæ illum excitent, & à presentibus abducant, tum autem ad futura, duplici quidē de causa, veluti alis subnixum traducant: partim quod magna ea sint, quæ data sunt, partim quod vel tot tantæque ea, primitiæ sint. Si enim primitiæ tales ac tantæ, vt per eas & peccatis fuerimus liberati, tum iustitiam, ac sanctificationem assecuti, qui autem id temporis fuere, ij & dæmones exeerint, & mortuos per vmbra, & per vestimēta suscitarent, cogitato, ipsa tota res quanta esse possit? Et si creatura mentis, rationis ac sermonis experts, rerum harum ignara gemit: multo magis nos. Deinde vt ne hæreticis aniam det, visus quæ presentis vitæ sunt, suggillare: gemimus, inquit, non presentia incessentes, sed maiora expetentes. Hoc enim declarauit quum ait: *Adoptionem expectantes.* Quid ais, obsecro? sursum ac deorsum assidue versauisti, atque acclamasti, quum diceres, Filios nos iam esse effectos, nunc verò bonum hoc in spe reponis, qui scribas adoptionem ipsam expectari oportere? Hoc igitur inductione corrigens, ait: *Redemptionem corporis nostri.* Hoc est, numeris omnibus absolutam gloriam. Nunc enim rerum nostrarum status in obscuro est collocatus, quoad extremum miserimus spiritum: nam multi ex filiis, canes effecti sunt, & captiui. Quod si bona cum spe decesserimus, tum donum ipsum immotum, & apertius, & maius, non amplius exhorrescens mutationem eam, quam mors, peccatumque afferunt: tum demum ergo firma erit gratia, quum corpus nostrum morte, & affectionibus mille, quas patimur, liberatum fuerit. Hoc enim est redemptio, non simpliciter solutio, sed vt ne amplius rursus ad priorem reuertamur captiuitatem. Nam vt ne hæsitēs, animique pendēas, dum assidue gloriæ nomen audis, interim de ea nihil, quod apertum quidem sit, intelligens, à particula subaperit, quæ futura sunt, corpus tibi immutans, & cum illo creaturam vniuersam commutans. quod & alibi apertius declarauit per hæc verba: Qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ, vt conformetur corpori gloriæ ipsius. & alibi rursus ita scribit: Quum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoriam. Porro autem quum ostenderet fore, vt vnà cum corporis interitu, & rerum item humanarum status euanescat, intereatque, scripsit rursus alio quodam loco: Præterit figura huius mundi. *Spe enim*, ait, *seruati sumus.* Nam quandoquidem in futurorum pollicitatione commemoratus est, videbatur autem id imbecilliorē auditorem molestè habere, si in spe bonorum ad optio consisteret, prius adstruens illa apertiora iis esse, quæ & presentia sunt, & oculis conspiciuntur: tum autem multa disputans de donis iam datis, atque ostendens nos bonorum eorūdem primitias accepisse, vt ne omnia hic quæramus, nobilitatemque nostram prodamus, eam videlicet, quam à fide habemus, ait: *Spe enim seruati sumus.* Quod autem ait, hunc habet sensum: Hic non omnia quærere, sed & sperare oportet. Hoc autem solū donum Deo contulimus, nempe datam illi futura promittenti fidem, hæcque vnà seruati sumus via: si igitur illam amiserimus, collationis nostræ summam totā amiserimus. Interrogo enim te, ait, non sexcentis malis obnoxius eras? non deploratus? non sententiæ subiacens? non omnes salutem tibi restituere minime valentes? quid igitur te saluum fecit? quod in Deo spem tuam solū collocaueris, illique credideris super iis quæ promisit, ac dedit, nec aliud amplius conferre habuisti. Hæc igitur fides si te saluum fecit, hanc magnoperè etiam nunc retineto. quæ enim iam tibi tot tantæque bona est largita, liquet planè eam ne de futuris quidē clementiam esse. Vbi enim mortuum, perditum,

Id est, alia ex parte. Phil. 3.

1. Cor. 15. Ofec 13.

1. Cor. 7.

captium, inimicum nacta, amicum effecit, & filium, & liberum, & iustum, & coheredem: denique vbi tot, ac tanta largita est, quot quantæque ne expectauit quidē vnquam quisquam: qui fieri queat, vt post tantam liberalitatem atque necessitudinem te in subsequenti, us non excipiat: ne igitur dicas, rursus spes, rursus expectationes, rursus fides: ita enim ab initio saluus es effectus, & hanc dotem sponso solam attulisti, retineto igitur ipsam, & asseruato. Si enim hic omnia exigis, officium meritumque omne tuum perdidisti, per quod splendidus effectus es: propterea inducit dicens: *Spes autem si videatur, non est spes, quod enim quis cernit, cur idem speret? si verò quod non videmus, speramus, id per patientiam expectamus.* Hoc est, si omnia hic quæsiturus es, quid spe opus? quid igitur est spes? de futuris fiducia? quid enim magnum à te Deus postulat, qui ex se ipse perfecta tibi largitus est dona? Vnum à te postulat solū, fide: vt habeas & tu aliquid, quod ad tuam conferas salutem, id quod significare volens, addidit: *Si verò quod videmus speramus, id per patientiam expectamus.* Nam Deus sic sperantem coronat, vt qui se ipse laboribus infinitis afficit, affligit, excruciat. Patientiæ enim nomen sudorū est, & tolerantia multæ: sed tamen largitus est & hoc speranti, vt animum laboribus exercitum consoletur: deinde declarat nos ad leue, modicumque hoc, magnum etiam assequi auxilium, dicēs, *Consimiliter autem & spiritus auxiliatur infirmitatibus nostris.* Patientiæ enim pars altera tua quidem sit, altera autem ad spiritus ipsius suppeditationem spectat, vt qui te ad spem componat, exerceatque & per eandem item spem labores tuos leuet. Postea vt intelligas, quod non in tuis solū laboribus, ac periculis hæc gratia præstō adest: sed in iis quoque quæ facillima esse videntur, opitulatur, suum vbi que conferens auxilium, addidit: *Si quidem hoc ipsum quod oraturi sumus, vt oportet, non nouimus.* Hæc autem dixit, tum ostendens, magnoperè nos spiritui curæ esse, tum illos docens, non omnino existimare debere, ea vtilia quæ, quæ humanis cogitationibus vtilia videntur. Nam quandoquidem verisimile erat, illos inter flagella, inter exilia, inter sexcenta, quæ paterentur mala, requiem quærere, existimareque sibi eam esse vtilem: tum autem hanc à Deo gratiam postulare, ait: Ne quæ vobis vtilia videntur, ea omnino esse existimetis: etenim ad id Dei auxilio egemus, vsque ad eò imbecillus est homo, ac per se nihil. itaque dixit: Siquidem hoc ipsum, quod oraturi simus, vt oportet, non nouimus. Vt ne enim amplius discipulum ignorantia pudeat suæ, palam facit & magistrōs in eadem ignorantia versari, neque enim dixit, non nouistis: sed, non nouimus, ac quod ea non dixerit modestiam præ se ferens, per alia indicauit: nam indefinenter in precibus suis Romam videre orabat, nec quum precaretur id assecutus est. Præterea & pro stimulo, sibi in carne dato: hoc est, pro periculis sæpenumerò preces fudit, ac omnino voti in compos euasit: quin & Moses in veteri lege obsecrans Palæstinam vt videret, & Hieremias pro Iudæis supplicans, & Abraham pro Sodomitis. *Verum ipse spiritus intercedit pro nobis gemitibus innarrabilibus.* Obscurum est hoc dictum, propterea quod multa ex iis miracula, quæ tum fierent, fieri nunc desierint: ea propter necesse nobis est rerum illarum statum vos docere, atque ita demum apertior erit sermo. Quis igitur tum rerum status erat? diuersa iis omnibus dona Deus largiebatur, qui baptismū susciperent, quæ quidem & spiritus vocabantur. Prophetarū enim spiritus, ait, prophetis subiecti sunt. Et hic quidem obtinebat prophetiæ donū, ac futura prædicebat: ille autē sapientiæ, ac plebem docebat: ille autem sanitarum, &

1. Cor. 12. 1. Cor.

agros

egrotantes curabat: ille autem potestatum, ac mortuos excitabat: ille autem linguarum, & variis loquebatur vocibus. Porro autē vnà cum his omnibus erat & precum donum, quod & ipsum, spiritus dicebatur: quo qui præditus erat, pro plebe vniuersa preces fundebat: quandoquidem enim permulta quum ignoremus eorum quæ nobis conducūt, quæ minimè conducūt postulamur: accessit donum precum ad vnum aliqū eorum, qui tum viuerent, qui quod communiter vniuersitati ecclesiæ conducebat, id tum ipse pro omnibus postulans staret, tum autem alios edoceret. Spiritum igitur hic vocat tum donū tale, tum animam eam, quæ donum id susciperet, quæque apud Deum intercederet, ac gemeret. Qui enim huiusmodi gratia dignus est habitus, is magna cum animi compunctione stans, multis item cum gemitibus, iis dico, qui ipsa quidem mente, Deo se prosternunt, quæ omnibus vsui sunt, postulat: cuius & nunc signum diaconus est pro populo preces Deo offerens. Hoc igitur Paulus sentiens, dixit, ipse spiritus intercedit pro nobis gemitibus innarrabilibus. *At ille qui scrutatur corda.* Vides non de paracletō verba fieri, sed de corde spirituali: quoniam nisi hoc esset, dicere oportebat: At ille qui scrutatur spiritum. Verum vt intelligas hic agi de homine spirituali, & eo qui precum donum habet, addidit: *At qui scrutatur corda, nouit qui sit sensus spiritus:* Hoc est, hominis spiritualis. *Quoniam secundum Deum intercedit pro sanctis.* Neque enim ait, ignorantem Deum docet: verum hoc fit, vt nos discamus ea precari, quæ oportet, atque à Deo postulare, quæ placita illi fuerint. hoc enim sonat verbum id, secundum Deum. Itaque & hoc fiebat consolationis eorum, & doctrinæ optimæ causa, qui accederent. Etenim paracletus is erat, qui dona largiebatur, quique infinita iam bona dederat. Hæc enim omnia ait, operatur vnus & idem spiritus. fitque hoc ipsum nostræ institutionis gratia, atque vt spiritus charitas declararetur, quod videlicet eorūque se submittat, nobiscū se accommodans: vnde & fiebat, vt qui preces fundebat, exaudiretur, hoc ipso quod secundum Deum preces ipsæ fierent.

1. Cor. 12.

Pr. 68.

Exod. 32.

MORALE.

Vides quantopere illos doceat amorem pro ipsis susceptum, tum honorem erga ipsos exhibitum? Quid enim tandem est, quod pro nobis Deus non effecerit? corruptibilem mundum propter nos, & eundem incorruptibilem fecit propter nos. Vexari propter nos & affligi prophetas permisit, misit in captiuitatem propter nos, in fornacem incidere propter nos sinit: infinitaque tolerare mala & prophetas propter nos ipsos fecit, & Apostolos propter nos: vnigenitum propter nos dedit: diabolum propter nos punit, nos in dextra sedere voluit: probri affectus est propter nos. probra enim, inquit, eorum, qui te probri afficiunt, super me deciderunt. Sed tamen post tot, tantæque nos vel à se deficientes non dimittit: sed & hortatur rursus, & alios componit, vt pro nobis obsecrent, vt nobis gratificetur, quod in Mose effectum est. Etenim illi dicit: Mitte me, & illos delebo: vt illum adducat ad suscipiendam pro illis supplicationem: & nunc idem facit. Propterea & precum donum dedit, id quod fecit non ipse obsecrationis indigens, sed vt ne ipsi dum simpliciter salui simus, deteriores reddamur. Quo sanè nomine sæpenumerò vel propter Dauid, vel propter alium quempiam, illis se conciliari ait, hoc ipsum molis rursus, vt figurā conciliationi addat: quanquam benignior multo visus ipse fuerit, si non per illum, vel per illum, sed per seipsum diceret, illis se iram dimittere. Verū non ita in

Chrysof. tom. 4.

animum ille suū induxit, vt ne conciliationis videlicet argumentū, iis qui salui fiunt, ignauis causa existat. Propterea & ad Hieremiā dixit: Ne roges pro populo hoc: nam te ipse non exaudiam, non quod illum à precibus cessare (salutem enim nostram magnopere desiderat) sed quia illos terrere vellet. quod quidē propheta quū intelligeret, à precibus non abstinuit. Atque vt intelligas illum verba ea protulisse nō vt à se illum auerteret, sed vt pudefaceret, audi quid dicat, An non vides quid illi faciunt? & ad ciuitatem quum ait, Si te nitro laueris, & agglomerata herba lanaria te absterferis, nihilominus iniquitate coram me maculata es: non id dicit vt illam in desperationem agat, sed vt ad pœnitentiā excitet. Quemadmodum enim in Niniuitis, sententia indefinitè pronuntiata, ac nulla bona spe ostensa, magis terruit, & ad pœnitentiā egit: ita & hic facit, tum illos excitās, tum prophetæ maiorem venerationem addēs, vt sic illum saltem audiant. Deinde posteaquam morbo incurabili laborarent, in eo persecutores, ac ne aliis quidem abductis, ad sanitatem redirent, primum quidem admonet ibi manere: vt verò non sustinuerit, sed in Ægyptum transfugere, hoc quidem concessit: postulat autem ab ipsis, vt ne vnà cum Ægypto & ad impietatem quoque transeant, quod vbi non sunt persuasi, prophetam vnà cum illis mittit, vt ne omnino de cætero impingant. Quandoquidem enim illi ita vocantem nō sequerentur, ipse illos sequitur, corrigens, ac prohibens vterius in vitium ferri: patris ritu, indulgenter filiū omnibus in rebus infortunatum tractantis, nusquam non illam vnà secum sequentis, aliās autem sequentis. Quo sanè nomine non in Ægyptum solū Hieremiam, sed & Babylonem Ezechiel misit: hi autem non contradixerunt: nam posteaquam dominum suum viderent illos magnoperè amare, & ipsi quoque amorem eūdem susceperunt, in eoque perseverarunt. Haud aliter quam si filium familiās inutilem probus seruus misereatur, dū patrem illius causa sese attristantem atque affligentem videt. Quid enim est quod propheta iidem propter illos non tolerauerit? exacti, probri affecti, lapidati sunt, infinita peressi mala, ac post hæc tamen omnia ad illos currebant rursus. Nam Samuel non intermisit à lugendo Saule, à quo quanquam tam malè haberetur, vt mala etiam toleraret incuranda: tamen nullius malorum eiusmodi memor fuit. Iudæorum autem populo & lamentationes scriptas Hieremias composuit, cui quū magister militiæ Persarum permitteret, omni cum securitate ac libertate vbi vellet habitare, populi molestiam, tum autem aliena in regione afflictionem, domestica mansione antiquiorem habuit. Eadem ratione & Moses regiam & quam in ea moram facere poterat contemnens, ad illorum calamitates aduolauit. Et Daniel item dies vigintifex nullo cibo sumpto mansit grauissimo ieiunio macerans, vt Deum illis conciliaret. Præterea & pueri tres in fornace, tantoque igni dum essent, supplicationem tamen pro illis Deo obtulerunt, non enim pro se illi dolebant, qui salui essent ipsi, sed quod tum maximè arbitrarentur fiduciam se apud Deum habere: propterea pro illis supplicabant, hac de causa & dicebant: In anima contrita & spiritu humilitatis suscipiamur, propter hos & Iosue vestimenta sua scidit, propter hos & Ezechiel lamentabatur, querebaturque trucidatos intuitus. Et Hieremias dicebat: Sinite me, amarè flebo. & antea quoniam apertè pro malorum condonatione obsecrare non audebat, terminum quærebat dicens: Quousque domine? est enim sanctorum genus omne beneuolum, propensumque erga alios affectu. Propterea & Paulus dicebat: Induamini igitur tanquam electi Dei, sancti, misericordiae

Hier. 17.

Hiere. 2.

Ionaz 3.

Heb. 11.

1. Reg. 15.

Exod. 2. Dani. 9.

Dan. 3.

Ibid. 106. 7. Eze 26. Hic. 12.

Colof. 3.

viscera, probitatem, animi humilitatem. Vides exactā A
verbi vsurpationem, vtque perpetuō misericordiā à
nobis deponat: neque enim simpliciter dixit, misereami-
mini: sed, induamini: videlicet vt quemadmodum vestis
vna nobiscum semper esse solet, ita sit & misericordia,
neque verò simpliciter misericordiam dixit: sed, misericordiar
viscera: nimirum vt naturalem imitemur pietatem,
atque necessitudinem. At nos secus facitamus, ac si ad nos
quis accesserit obolū vnum flagitans, iniurijs sumus,
conuiciamur, aggressorem vocamus. Nō horrefcis ò bone,
nō rubore perfunderis, ob panis fructum aggressoris
verbum vsurpare? quod si ille vrgens aggressionem facit,
hac certè de causa misericordia dignus est, vt qui sic fame
premat, vt talē coactus personam induerit, estque hoc
crudelitatis nostræ crimē. Nā quandoquidem faciles nos
illis exhibere nō sustinemus, artificia mille commentari
cogūtur, vt importunitatem inhumanitatemque nostram
decipiant, tum autem duriciem emolliant: alioqui sanè si
argentum, aurūve postulari ille, non abs re suspectus tibi
fuerit: sin autem necessarij victus causa accedit, quid
intempestiuè disputas? quid, quæ ad rem nihil faciunt,
exactius perscrutaris, inertiam, ocium, pigritiam illi
obiciens? Nam si hæc dicenda, non alijs sanè, nisi nobis
ipsis dicenda fuerint. Ad Deum igitur quum accedis,
peccatorum veniam flagitatum, hæc tibi verba in mentem
veniant, ac tum intelliges decentius, conuenientiusque
esse, vt eadem hæc tute ex Deo, quàm ex te pauper
audiat. Nihilominus tamen nunquam hæc tibi verba
Deus dixit, abscede, etenim molestus, insidiatorque es,
in ecclesiam quidem assidue ingrediens, legūque mearum
dictionem auscultans: in foro autem, & aurum, &
libidinem, & hominum auaritiam, denique cætera omnia
mandatis meis anteponeas. Et quidem nunc humili,
demissoque animo iaces, prece autem peracta confidens,
audax, crudelis & inhumanus. Faceffe igitur hinc,
neque posthac accedito: hæc enim & his item plura
audire meremur: nunquam ille tamen quicquam tale
exprobrauit. Sed lenis est, & patiens: tum autem suas
omnes partes implens: plura etiam, quàm postulemus,
largitur. Itaque hæc expendētes, mendicos paupertate
liberemus: qui si etiam negocium nobis facefent,
ne quid plus iusto indagemus: eiusmodi enim & nos
quoque salutis indigemus, videlicet quæ venia,
humanitate, misericordia magna coniuncta sit. Fieri
enim non potest, fieri inquam non potest, salui ij vt
cuadant, quorum vita summo, acrique examine fuerit
excussa: sed supplicio omnino afficiantur, ac pereant
ij necesse est. Absit igitur vt cum alijs summo iure
agamus, ac feuerissimo iudicio vtamur, vt ne & nos
quoque exactè rationem reposcamur. Peccata enim
habemus quauis uenia maiora: quapropter illos potius
miseremur, etiam si ea peccata perpetrent, quæ ueniam
non mereantur, vt & ipsi quoque talem misericordiam,
veluti per nos prius reconditam, recipiamus: quanquam
quantumcunque liberales, munifici, ac misericordes
fuerimus, certè talem conferre benignitatem nunquam
poterimus, quali ipsi nos à benigno Deo indigemus.
Qui igitur absurdum non est, tanta in indigentia cum
sumus, tanto cum examine in ratione à conferuis
exigenda versari, & aduersantia nobis omnia facere?
neque enim sic illum beneficentia tua indignum
pronuncias, vt te ipsum Dei clementia: nam qui
conserui in rebus tam exactè, tamque exquisitè
disceptat: multò magis Deum habiturus est hoc
contra se facitantiem. Ne igitur ipsi aduersum nos loquamur:
verum vt per ocium, ac pigritiam inopes ad nos
adierint, illis largiamur, etenim & nos multa quidem,

atque adeò omnia per socordiam delinquimus: nec tamen
cuestigiò pœnas exigit Deus, sed nobis pœnitentiæ
tempus indulget, nutrens per singulos dies, erudiens,
edocens, cætera omnia suppeditans, & quidem vt & nos
ipsius misericordiam hanc amulemur. Deponamus igitur
crudelitatem hanc, expellamus feritatem, tanquam nos
ipfos potius, quàm alios beneficentia afficientes. His
enim argentum quidem, panem ac vestem largimur: nobis
autem maximam reponimus, ac recondimus gloriam,
atque adeò talem, vt eam nobis oratione representare
minimè liceat. Nam corporibus nostramplius corruptibili-
bus resumptis simul regnabimus, simulque glorificabimur
cum Christo. Hoc quale quantumque sit, hinc sciemus,
imò verò nulla id quidem ratione apertè vnquam
sciuerimus: vt autem tantæ eius rei paruam saltem
cogitationem capiamus, vt cunctum potero, quod dixi
representare conabor. Quæro enim ex te, si quis tibi
fortè seni iam effecto, & in paupertate victitanti
polliceretur fore, vt te repente ad dulcentem efficeret,
atque ad ipsum ætatis florē perductum, præualidum,
supràque omnes formosum redderet, tum autem totius
orbis regnum ad annos mille largiretur, regnum inquam
altissima pace abundans: quid tandem pro hac
pollicitatione tibi non sumeres tum faciendum,
tum patiendum? En igitur Christus nō hæc, sed
his multò sanè maiora pollicetur: neque enim quale
est senectutem inter, & iuuentutem discrimen, tale
est mortalitatem inter, & immortalitatem: neque
perinde inter se discrepant futura illa gloria, &
præsens, vt regnum & paupertas, sed similitè se
habent, vt si infomnia cum veritate cōponas: imò
verò nihil quicquam adhuc expressimus, nulla enim
oratio satis esse queat ad representandam
differentiæ magnitudinem futurarum rerum ad
præsentem. Quod autem ad ipsum tempus
pertinet, ne cogitatione quidem prorsus complecti
differentiam queas. Quo enim quis modo cum
vita huius rebus, ac citò interituris, vitam sine
fine duraturam comparet? Nam pacis illius, &
præsentis discrimen tale quidem est, quale
pacis & belli: porò mortalitas ad immortalitatem
collata, qualis gleba lutea ad purum, ac lucidum
vniorem composita, imò verò qualicunque
comparatione vt valeas, rem ipsam nullo
representare modo possis. Nam vt vel Solaris
radij lumini, vel splendidissimæ coruscationi
illorum corporum pulchritudinem comparem,
nihil tamen quod ad splendoris illius
dignitatem accedat, dicturus fuero. Pro
his itaque quot opes, quot corpora exponere,
imò verò quot animas proicere dignum non
fuerit? Agè verò si te quis in regiam
deducat, perficiatque vt in conspectu
omnium tecum rex in colloquium veniat,
tum autem eadem te mensa, eodem secum
victu dignetur, te certè ipse omnium
felicissimum censes: in cœlum autem
conscensurus cum sis, inibi que propter
ipsum rerum vniuersarum regem
adscensus, tum autem splendorem
angelico splendore oppositum redditurus,
& arcana illa gloria fruiturus: dubitas
num tibi sit pecuniarum iactura
facienda? cum tamen si vel vita ipsa
deponenda foret, exultare, gloriari,
præ voluptate nimia erigi, ac veluti
voluerem fieri conueniret. Tu porò vt
magistratum adipiscaris, furto- rum tibi
occasionem daturum (neque enim id
genus commodum, lucrum ipse
appellauerim) facultates extrudis,
atque adeò ære alieno contracto, si
necesse sit, & vxorem quoque vnā
cum liberis pignori opponere non
vereris: proposito autem cœlorum
regno, principatu successorem nullum
habente, vel Deo ipso iubente, non
vt partem anguli terræ, sed totum
ipsum cœlum capias, cūctaris, ac
tergiuerfaris, & ad pecunias

ore hianti stas, nihil cogitans, si cœli huius partes ea, A
quas ad nos conuersas vides, tanta sunt tum pulchritudine,
tum delectatione: quales tandem esse possint superiores
illæ partes, quale item cœli cœlum esse debeat? Quandoquidem
autem nobis id non licet corporeis oculis nunc contueri,
cogitatione sursum ascendito, supraque hoc cœlum stans,
oculos conuertito ad cœlum illud hoc nostrum superius,
ad illam altitudinem nullo sine circumscriptione,
ad horroris plenum lumen, ad illos angelorum
populos, ad illas archangelorum nationes immensas,
ad illas alias incorporeas virtutes: ac rursum à
superioribus illis plagis cum descenderis, imaginem
eam, quæ apud nos est, contingito: videlicet depingito
regis eius ornatum, quem apud nos versari vides:
nimirum homines aureis vestibus indutos, mulorum
alborum auro ornatorum, eoque sese efferentium paria,
currus lapillis intertextis fabricatos, stratum cædidum,
laminas circum currus ventilatione sese agitates,
dracones sericis in vestibus effigatos, clypeos, aureos
habentes vmbilicos, lora ab his ad summum rotarum
gyrum multos per lapillos extensa, equos aureis stratis
ac franis conspicuos. cum autem rex sese aspectui
nostro offert, tum demum nihil eorum, quæ dixi,
contemplamur: nam ille nos ad se vnus conuertit,
tum autem & purpurea indumenta, & diadema, &
cathedra, & fibula, & soleæ, & ingens oris splendor.
His igitur omnibus exactè simul coactis, inde rursus
cogitationem ad superiora traducito, atque ad illum diem
terribilem in quo Christus aduenturus est: neque enim
tum multorum iuga videbis, neque aureos currus, neque
dracones clypeosve, sed quæ horrore multo plena
cùm sint, tantam nobis mentis percussione, emotionemque
afferūt, vt vel ipsæ in corporeæ virtutes ad ea
obstupescant. Cœlorum enim, inquit, virtutes quæ
tiantur, tum enim vniuersum cœlum aperitur, tum
cœuorum illorum valuæ relaxantur: descendit autem
vniogenitus Dei filius, non viginti, non centum
hastatis satellitibus stipatus, sed chiliadibus, myriadibus
angelorum, archangelorum, Cherubin, Seraphin,
cæterarumque virtutum, eruntque omnia & timore &
terrore plena, terra ipsa cum vehemētia ac fragore
elisa, hominibus iis omnibus, qui vnquā fuerunt,
ex quo natus est Adam vsque ad illum diem è terra
exurgentibus, & euulsis: ipso Christo tanta cum
gloria sese ostendēte, vt luna, & sol, & omne aliud
lumen occultetur à splendore illo illuminatum. Quæ
tandem oratio representabit illam beatitudinem,
claritatem, gloriam? heu me miserum. Etenim
succurrit mihi nunc, vt lachrymer, & ingemiscam
valde, dum animo lustro, quibus excidimus bonis,
à qua alienati sumus sclicitate: nam alienati
certè sumus (vicem interim narro meam) nisi si
quod magnum, admirandumque opus ediderimus.
Ne mihi igitur quisquam hinc gehennam alleget:
quauis enim gehenna grauior tantæ illius gloria
priuatio, quibus suis supplicis deterior quietis
illius alienatio. Nihilominus tamen ad præsentiam
inhiamus, nec diaboli astū intelligimus, qui per
parua magnis non priuat, qui largitur lutum, vt
aurum rapiat, atque adeò vt cœlum eripiat, qui
vmbra obiectat, vt à veritate deturbet, qui in
somnia illudit (hoc enim sunt mundi huius diuitiæ)
vt cum dies illuxerit, omnium pauperimos ostendat.
Hæc igitur animo versantes tandem aliquando, vel
terrore, dolum fugiamus, & ad futura traducamur.
neque enim hac nos ratione tueri possimus, quòd
videlicet præsentis vitæ fragilitatem ignorauerimus,
rebus ipsis in dies singulos tuba clariùs clamitantibus
præsentium rerum tenuitatem, risum, dedecus,
pericula, barathra. Quam igitur defensionem
vsurpaturi sumus, qui quæ

periculosa quidem sunt, & turpitudinis plena, toto studio
persequamur, quæ verò minis periculosa cū sint,
nobis tum gloriam tum nominis claritatem afferant,
fugitemus: denique nos ipsos totos pecuniarum tyranni
dedamus: harum enim rerum seruitus quauis tyrannide
pestilentior est. atque id certè sciunt, qui vt ea
tyrannide liberentur, digni inuenti sunt. vt igitur &
vos quoque pulchram hanc libertatem edificatis, vincula
abrumpite, à laqueo resiliite, neu vobis aurum domi
iaceat: sed quod vel immensis opibus preciosius est,
misericordia, & benignitas auri loco. Ea enim fiducia
erga Deum nobis præstat, illud autem magnam in nos
infamiam infundit, præpotentem aduersum nos red-
dens diabolus. Quid igitur hostem contra te armas,
virisque illius auges? dextram potius contra illum tuam
armato, vniuersamque domus pulchritudinem in animam
introducito, omnem porò opulentiam in cogitationem
reponito, ac tibi cœlum pro arca ac domo opes aurumque
asseruet: denique nostra omnia ipsi nos circunciecti sumus.]
muris enim multò præstantiores, ac solo honestiores
sumus. Quid igitur nobismet neglectis, in iis
studium omne nostrum reponimus, quæ tantum abest
vt hinc decedentes capiamus, vt ne hic manentes
quidem retinere possimus, cum tamē sic nobis
ditescere liceat, vt non hic solum, sed & illic quoque
opulentissimi appareamus? Nam qui agros, qui aedes,
qui aurum in animo circuncifert, is vbicumque gentium
apparuerit, cum his ipsis diuitiis apparet. Et quo id,
inquis, fieri potest modo? potest quidem, idque non
ita magno negotio: nam si cas opes per pauperum
manus in cœlum transtuleris, vniuersas in tuam
ipsum animam transtuleris, sic vt vel morte ingruente
cripere eas tibi possit nemo: verum sic hinc decedas,
vt vel illic diues sis. Id genus thesaurum habuit
Tabitha: itaque illam domus sua celebrem non
reddidit, non muri, non lapilli, non columnæ,
sed induta viduarum corpora, sed lachrymæ effusa,
sed mors fugitans, sed vita reuersa. Eiusmodi
& nos quoque nobis ipsis apothecas cōparemus,
eiusmodi aedes extruamus: sic fiet, vt & Deū
socium operis habeamus, & nos illi operis
confortes simus. Ille enim pauperes in rerum
natura cum non extarent, perfecit tamen vt
extarent, à se in medium adducti: tu autem
illos in medium adductos, non suiffi fame,
reliquaque afflictione deperire, eos curans, &
reficiens, atque vndique Dei templum excitans.
Cui rei quæ tandem alia par esse queat, si officij,
auxilijque præfuiti, si famæ, existimationisque
ratio habenda est? qui si necdum edoctus es,
quanto te Deus mundo ornauerit, dum tibi
paupertatis curam ac studium iniunxit, illud
tecum sic reputato. Si tantam tibi potestatem
faceret, vt collabens cœlum erigere, ac restituere
posses: nonne hoc facto interpretareris, honore
te eo honestatū, qui conditionem maximè
superaret tuam? Ecce igitur maiori te honore
dignatus ille est. Nam quod illi vel cœlis
ipsis honoratius est, huius tibi erigendi,
restituendique curam credidit. Deus enim, ea
inter omnia quæ videntur, homine nihil
maioris æstimat: propter quem videlicet &
cœlum & terram, & mare fecit. In quo ipso
sanè inhabitare magis gaudet, quàm in cœlo.
Nos tamen vel hæc cum intelligamus, nullam
planè curam, prouidentiamve Dei templorum
suscipimus: sed illis relictis, neglectisque,
nobis ipsis ingentes & splendidas ædes
extruimus: propterea bonis omnibus orbi
sumus, atque admodum inopibus pauperiores,
quòd aedes ornamus, quas non possumus
nobiscum hinc discēdentes asportare,
illis relictis, quas liceret aliò vna nobiscum
transferre. Nam pauperum corpora demortua
omnino resurgent, ac tum Deus qui hæc
iniunxit, illis in me-

dium productis, eos collaudabit, qui illorum curā susceperint, admirabiturque quod illos collapsuros nunc præ fame, nunc præ nuditate, & algore modis omnibus sustentarint. Sed tamen cum nobis tot, tantæque sint laudes propositæ, cunctamur adhuc, pulchram hanc curam detrectantes. Atque ipsè quidem Christus non habet quod diuersetur, sed circumit peregrinus, nudus, esuriens: tu autem suburbana, tu balnea, tu pergulas, tu ambulacra, denique tu mille cubacula extruis temerè, ac frustra, ac Christo ne paruum quidem tectū impertiris, coruis autem ac vulturibus cœnacula exornas. Quid hac amentia deterius? quid hac infania pestilentius? Nam summæ profectò infania argumenta hæc sunt. Imò verò quodcunque quis huic furori nomen indiderit, nullum sanè satis idoneum indiderit. Sed tamen si volumus, poterimus sanè morbum hunc, licet admodum pestilentem, à nobis arcere: nec poterimus solum, sed nobis faciliè, nec faciliè simpliciter, sed & multò facilius hac liberari pernicie, quam corporalibus morbis, idque eò magis, quod medicus ipsè præstator est. Eum igitur medicum adsciscamus, obsecramusque nobiscum negotium capessere, partisque ad id nostras conferamus. Voluntatem dico, alacritatem, studium: nulla enim re alia illi opus erit, verum si hæc tantum à nobis acceperit, suas ille omnes partes conferet. Nostras igitur cōferamus, vt & hinc pura sanitate fruamur, & futura item bona assequamur, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui gloria, & imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XV.



CIMVS autem quod iis qui diligunt Deum, omnia simul adiumento sunt in bonum. Videatur mihi hic omnem hunc locum ad eos mouisse, qui in periculis versantur, seu verius dicam, non hunc solum, sed & qui paulò antè explicati sunt. Nam & illud, non sunt pares afflictiones præsentis temporis ad gloriam que reuelabitur: & illud, omnis creatura gemit, & quod dixit, Spe seruati sumus: & per patientiam expectamus: & illud, quod oraturi sumus, vt oportet, non nouimus: hæc inquam omnia ad illos eosdem dicta sunt. Docet enim illos non ea omninò eligere debere quæ ipsi vtilia sibi esse existimauerint, sed que ipse spiritus suggererit. Accidit enim nonnunquam, vt quæ ipsis conducere, ac prodesse viderentur, ea detrimentum ingens importarent. Itaque laborum relaxatio, & periculorum liberatio, & vita in libertate, ac securitate acta, illis conducere videbatur. & quid mirum si illis? quando & ipsi quoque beato Paulo id ita se habere videbatur. Veruntamen postea dicit, quod quæ his sunt contraria, ea cōducibilia sunt: edocuitque boni equi ea consuluit, in eis que acquirunt. Ter itaque Christum cum obsecrasset, vt periculis defungeretur, vbi illius vocem hanc exaudiuit, Sufficit tibi gratia mea: virtus enim mea in infirmitate perficitur: exultabat persecutionem sustinens, iniuria affectus, mala incurabilia perferens, mihi enim placeo, ait, in persecutionibus, in contumeliis, in necessitatibus, quapropter dicebat: Siquidem hoc ipsum, quod oraturi sumus, vt oportet, non nouimus: & omnes admonerat, spiritui huic cōcedere: etenim ipse spiritus sanctus nostri curam admodum habet, idque deo est placitum. Modis ergo omnibus illos componens, atque exercens, inducit & quæ hodie dicta sunt, rationationem mouens, quæ idonea sit ad illos refocillandos. Scimus enim, inquit, quod iis qui diligunt Deum, omnia simul adiumento sunt in bonum: cū autè dicit, omnia, & ea item, quæ molesta esse videntur, dicit: Nā

vt afflictio, vt inopia, vt carcer, vt fames, vt mors, vt quoduis aliud ingruat: potest Deus hæc omnia in contrarium commutare, quandoquidem & hoc immensæ potentia eius est, quæ grauias esse videntur, ea nobis leuia reddere, & ad auxilium nostri conuercere. Quapropter non ait, quod iis qui Deum diligunt, nulla accedit res, quæ aduersa sit, sed quod ea adiumento est ad bonum. Hoc est, Deus malis, aduersisque rebus vitur ad eorum existimationem, probationemque, quibus infidia struuntur: quod multò maius est, quam si prohibeas, aduersa ne accedant, aut vbi accesserint, tollas. Hoc igitur & in Babylonica fornace præstitit. Neque enim prohibuit quominus in illam sancti inciderent, neque illi cum incidissent, flammam restinxit, sed ardere sinens, per hanc ipsam admirabiliores illos effecit: & in ipsis item Apostolis id genus alia miracula modis omnibus edidit. Si enim homines philosophiæ gnari, natura rerum in contrarium abuti possunt, & qui in paupertate victitant, ditescuntibus opulentiores apparere, & per obscuritatem lucere: multò magis Deus in iis, qui ipsum diligunt, & hæc & multò his maiora præstat. Vna enim solum re opus est, vt illum videlicet germano amore prosequere, & omnia alia subsequantur. Quemadmodum ergo his auxilio sunt ea etiam, quæ nocumentum afferre videntur: sic iis, qui illum non amant, vel ea nocent, quæ auxilium afferunt. Iudæis igitur damno erant & signorum ostensio, & dogmatum rectitudo, & philosophiæ doctrina, ac propter illa quidem intemperis Christum agi dicebant: propter hæc autem antithem, hoc est Deo aduersantem esse aiebant: ob signa porro edita, & extinguere illum aggressi sunt. Latro verò in crucem sublatus, clavis affixus, conuiciis affectus, mala infinita tolerans, hinc non solum nocumentum nullum accepit, sed vel lucrum maiorem in modum tulit. Vides vt iis, qui Deum diligunt, omnia auxilio sunt in bonum? Quomodo igitur magnum hoc bonum expressit, & quod valde humanam transcenderet naturam, quoniam multis incredibile esse videretur, à præteritis hinc fidem conciliat, sic dicens: *Iis qui iuxta propositum vocati sunt.* Considera enim statim ab ipsa vocatione dictum. Cur enim non ab initio omnes vocauit? neque ipsum Paulum post alios statim? cuius dilatio videbatur damnosa esse, sed tamen à rebus, operibusque declarata est vtilis fuisse. Propositum porro hic dicit, vt ne totum vocationi tribuat. Itaque enim contradicuntur erant & Græci & Iudæi. Nam si vocatione solum sufficeret, qua tandem causa non omnes salui facti sunt? Propterea ait non vocationem tantum, sed & ipsum propositum vocatorum salutem effecisse: neque enim coacta aut violenta facta est vocatione. Omnes igitur sunt vocati, at non omnes obediunt. Quonia quos præsciuerat, eosdem & præfinitis conformes imaginis filij sui. Vides honoris cumulum? Quod enim vnigenitus natura fuit, id etiã illi per gratiã sunt effecti. Nec tamen hoc contentus fuit, quod videlicet dixerit, conformes, sed & aliud addidit, *Vt ipse sit primogenitus.* Nec hic substitit, quin & vnã cum hoc rursus aliud adiungit, dicens: *Inter multos fratres,* modis omnibus manifestã ostendere volens cognationem. Hæc porro omnia dicta esse de dispensatione existimato: secundum enim diuinitatē, vnigenitus. Vides quot, quantaque nobis largitus est? ne igitur de futuris dubita. Etenim & aliunde illius curam ostendit, dicendo iam inde ab initio illa ita esse præfigurata. Homines enim à rebus sententias de ipsis concipiunt, Deo autè iam olim hæc visa sunt, & à summo initio erga nos affectus est, ait igitur: *Et quos vocauit, hos & iustificauit.* iustificauit per regenerationis lauacrum. Quos autem iustificauit, hos & glorificauit. glorificauit per dona,

dona, per adoptionem. Quid igitur dicemus ad hæc? ac si dicat: Ne igitur posthac ipsa mihi pericula alleges, & quas ab omnibus infidias patimur. Nam vt nonnulli sint qui futuris fidem non habeant, certè ad ea bona quæ iam facta sunt, adferre nihil possint: verbi gratia, ad eam amicitiam quam Deus iam inde ab initio erga te habuit, ad iustitiam, ad gloriam. Hæc enim tibi per ea quæ inamœna esse videntur, largitus est. Atque adeo que tu dedecus esse existimaueris, crucem, flagella, vincula; hæc sunt quæ orbi vniverso suum ordinem addidit. Quemadmodum ergo, quæ passus ipse est, etiam si ea auftera, atque inamœna videantur, iis ad libertatem, ad vniversæ naturæ salutem abusus est: ita & in iis, quæ tute sustines, facere assuevit, malis, afflictionibusque tuis ad tuam tum gloriam, tum existimationem abutens. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Quis enim non cōtra nos, ait? Etenim terrarum orbis contra nos, & tyranni, & populi, & cognati, & ciues, sed tamen hi cōtra nos cum stent, tantum abest vt nobis incommodent, vt vel nolentes coronarum nobis authores existant, & bonorum infinitorum procuratores, ipsa Dei sapientia illorum infidias in nostram salutem ac gloriam vertente. Vides vt nullus contra nos? Etenim Iob hoc ipsum splendendum reddidit, quod videlicet diabolus contra eum armatus esset. Nam & amicos contra illum, & uxorem contra illum, & vulnera, & seruos, & mille alias diabolus suscitauit artes, ac nihil omninò contra illum extitit, ac nodum hoc illi magnum, quanquam admodum magnum, sed quod multò erat maius, id demum erat, quod videlicet res illæ omnes exitum illi fœlicem attulere. quandoquidem enim Deus ab illo stabat, certè & quæ contra illum stare viderentur, ea omnia ab illo steterunt. Hoc & in Apostolis item vsu venit. Nam & Iudæi, & qui è gentibus essent, & falsi fratres, & principes, & populi, & mortes, & paupertates, & infinita cōtra illos erant, & nihil tamen contra illos. Hæc enim ipsa sunt, quæ illos cum maximè splendidos atque illustres, tum verò apud Deum hominèsque laudatos effecerunt. Considera igitur quale, quantumque verbum protulerit Paulus de fidelibus, & exactè crucifixis, quod ne diademate quidem ornatus qui sit assequi possit. Contra illum enim stant multi, & barbari armati, & hostes adorientes, & corporis custodes infidias struentes, & ex subditis plures identidem insurgentes, & alia id genus infinita: at contra fidelem & eum, qui diligenter Dei legibus attentus est, non homo, non dæmon, nō aliud quicquam stare poterit. Si enim pecunias ademeris mercedem ipsi procuraueris: si maledixeris; per conuicium illustriorem illum apud Deum reddideris: si ad famem adegeris, maior illi & gloria, & retributio. Præterea si quod omnium grauissimum esse videtur, morti tradideris, martyrij coronam texeris. Quid igitur cum hac vita conferri queat? cū nihil cōtra illum esse possit, sed & qui infidari videntur, ij ipsi illis non minori sint adiumento, quam qui de illis bene mereri student. Propterea ait, Si Deus pro nobis, quis contra nos? deinde non contentus iis, quæ dixerat, maximum charitatis erga nos signum, & quod assidue circūuersat, ac semper celebrat: id & hoc item loco ponit, nati eadem, non enim iustificauit solum, ait, & glorificauit, & conformes fecit imaginis illius: sed ne filio quidem pepercit, propter te. Propterea & attextit, dicens: *Qui proprio filio nō pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: qui fieri potest, vt nō cum eodem omnia nobis donet?* Ac cum hyperbole multaque feruiditate dictiones vsurpat vt illius declaret charitatem. quomodo ergo nos destituet, pro quibus proprio filio non pepercit, sed pro omnibus nobis illum tradidit? Considera enim quantæ

id fuit bonitatis, ne proprio quidem parcere filio, sed illum dedere, & pro omnibus dedere, & vilibus, & ingratis & inimicis. qui igitur fieri potest, vt nō cum eodem omnia nobis donet? Quod porro ait, sensum hunc habet: Si filium suum largitus est, nec simpliciter largitus, sed cædi tradidit: quid iam super aliis rebus addubitas, dominum cum acceperis? quid hæsitas super possessionibus, herum cum habeas? Nam qui quod maius erat, inimicis dedit: qui fiet, vt quæ minora sunt, amicis nō det? *Quis intētabit crimina aduersus electos Dei?* Hic aduersus eos qui dicunt, fidem nihil prodesse: qui que densæ ac cumulata mutationi diffidunt, ac vide vt illis repente os obstruat, ab illius dignitate, qui elegit. Nec dixit, quis intētabit crimina aduersus seruos Dei, neque aduersus fideles Dei? sed aduersus electos Dei, nam electio virtutis signum est. Si enim posteaquam equorum domitor equos elegit ad cursum idoneos, nullus est qui infimulare possit, sed ridiculum habetur quisquis vitio id verterit: multò magis cū Deus animas elegerit, maximè ridiculi ij fuerint qui electionem eã inculauerint. *Deus est qui iustificat. Quis ille qui condemnet.* Non dixit, Deus est, qui remisit peccata: sed quod maius multò, Deus est qui iustificat. quomodo enim iudicis calculus iustum aliquem pronuntiauerit, & iudicis talis, quanti æstimandus fuerit, qui accuset? igitur neque tentationes exhorrescere conuenit. est enim Deus pro nobis, idque demonstraui per ea quæ edidit, opera: neque nugas formidare Iudaicas, etenim & elegit nos & iustificauit. & quod admirandum est, vel per filij eadem iustificauit. Quis igitur nos condemnabit, cum Deus coronet? cū propter nos Christus cæsus sit? nec cæsus tantum, sed cū idem ille postea pro nobis intercedat? *Christus, inquit, qui mortuus est, imò qui & suscitatus est à mortuis, qui est ad dexteram Dei, qui et intercedit pro nobis.* Etenim in propria dignitate qui apparuit, nostri curam non deposuit, sed & pro nobis intercedit, & adhuc eadem charitatem constanter seruat: neque enim contentus est occisione solum, quod quidè maximi est amoris argumentum, officiis iis que ad ipsum pertinent, non fungi modò, sed & alium quoque obsecrare. Hoc enim solum per id verbi, intercedit, demonstrare voluit, more hominum loquens, ac nostræ sese imbecillitati attemperas, vt charitatem declaret: Nam verbum id, non pepercit, nisi cum hoc sensu acceperimus, multa absurda subsequuntur. Atque vt intelligas hoc esse quod adstruere vult, prius vbi dixit illum esse ad dexteram: tum addidit, illum pro nobis intercedere: quod æqualitatē ac paritatē declarauit, vt iam ipsa intercessio non immunitio, sed charitatis solius esse videatur. Si enim ipse vita cū sit, & fons bonorum omnium, & parem cum patre authoritatem obtineat, mortuos suscitans, ac viuificans, omniaque alia faciens: quomodo intercessionis egeat, vt nobis adiumento sit? Desperatos & cōdemnatos, propria authoritate ab illa condemnatione liberauit, & iustos & filios fecit, & ad honores supremos subuexit, & quæ nūquam sperata fuerant, ea ad opus deduxit: is quo tandem modo post omnia à se perfecta, post naturam nostram in throno regio ostensam, ac collocatam, ad ea quæ faciliora sunt, intercessionis indigeat? Vides vt vndique ostendat se alia nulla de causa verbi id, intercedit, dixisse, quam vt feruorem ac vigorem illius erga nos charitatis declaret? quando & pater item videtur homines adhortari, vt sibi cōcilientur. Pro Christo enim, ait, legati sumus, tanquã Deo exhortante per nos. Veruntamen & Deo exhortante, & hominibus pro Christo legatione apud homines fungentibus, nihil hinc animaduertimus quod dignitate illa sit indignum: sed vnū solum ex iis omni-

bus, quæ dicta sunt, colligimus, nempe dilectionis intentionem. Hoc itaq; & hic faciamus. Si igitur spiritus intercedit gemitibus inenarrabilibus, & Christus mortuus est, & pro nobis intercedit, & pater proprio filio non pepercit propter te, & elegit te, & iustificauit: quid restat quod timeas? quid exhorrescis? tantam charitatem, tantam adeptus tui curam? Quapropter ubi ostendit magnam cœlitus erga nos prouidentiam: iam cum fiducia quæ sequuntur inducit: nec dicit, debetis & vos ita illum amare, sed tanquam numine afflatus esset de immensa hac prouidentia, ait: *Quis nos separabit à dilectione Christi?* nec dixit, Dei, sic illi indifferens est, & Christum, & Deum nominare. *num afflictio? num angustia? num persecutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius?* Vide beati Pauli prudentiam, neque enim ea protulit, quibus quotidie capimur, pecuniarum amorem, gloriæ appetitionem, iræ tyrannidem: sed quæ multo sunt his truculentiora, atque impotentiora, & talia ut possint ipsi naturæ vim adferre, & cogitationis firmitudinē loco diuellere sæpenumerò, vel nobis nolentibus: hæc ponit, afflictiones videlicet & angustias. Etsi enim numero consent, quæ dicta sunt, tamen habet vnaquæque dictio infinita tentationum tanquam agmina. Nam cum dicit, afflictionem, & carcerē dicit, & vincula, & calumnias, & exilia, & alias omnes calamitates, vno verbo immensum periculorum pelagus prætercurrens: denique ea omnia, quæ hominibus aduersa cucniunt, per vnam significans dictionem: sed tamen contra hæc omnia audax insurgit. Idcirco & per interrogationem id profert, quasi tale sit, quod contradici minimè possit, quod eum qui sic amatus, quique tantam sui prouidentiam sit assecutus, nihil prorsus inueniri queat, quod separare ac dirimere possit. Deinde ut ne videantur hæc destitutionis signa esse, & prophetam inducit multo antè tempore hæc denunciantem, ac dicentem: *Propter te morti tradimur tota die. Habiti sumus velut oves destinatæ macerationi.* Hoc est, omnibus sumus obiecti, atque expositi, ut mala tolleremus: sed tamen contra tot tantæque pericula, contra nouas hæc tragœdias sufficiens consolatio, † certaminum nobis suppositio] Data est, seu verius dicam, non sufficiens solum, sed abundantior multo. neque enim propter homines, aut aliud sæculare quicquã hæc patimur, sed propter vniuersarum rerum ait dominum: nec hac solum illos, sed alia rursus, & ea varia, & multiformi, corona reuinxit. Quando quidem enim fieri minimè poterat, ut qui homines essent, ij infinitas mortes tolerarent, ostendit, ne hac quidem ratione præmia esse immunita: nam ut natura fortitid id simus, semel tantum ut moriamur, tamen voluntate id quotidie perpeti, si id in animum induxerimus, dedit Deus. Vnde liquet fore, ut cum tot hinc coronis decedamus, quot dies hic vixerimus, imò verò multo pluribus licet enim die vno, & semel, & bis, & sæpè mori qui igitur ad id comparatus fuerit, is semper mercedem absolutam recipit. Hoc igitur & propheta significans dixit: *Tota die, quapropter & illum Apostolus introduxit, illos vehementius excitans. Si enim qui in veteri lege, ait, vixerunt homines, terram laborum suorum præmium cum haberent, & alia item vnà cum presenti vita finem capientia, ij vsque ad eò præsentem vitam, tum autem tentationes ac pericula despexerunt: quam tandem nos veniam habituri sumus, si post cœlum ipsum, post regnum supernum, post arcana bona, molles adhuc, ac segnes effecti, ne ad parem quidem cum illis virtutis mensuram accedamus? ita tamen orationem non exulit: sed hoc ipsum auditorum cōscientiæ relinquens, testimonio solo contentus est: ostenditque illorum*

Psal. 43.

† bonorū nobis materia, ἀγαθῶν ὑποθέσις, habet Veronice exemplar, sed margini Briggii adscripterat ἀγαθῶν ex Germanico codice n: fallor.

corpora victimam fieri. Nec tumultuari, aut turbari oportet, cum Deus sic dispensauerit. Porro autem & aliunde eos hortatur. Ut ne enim diceret aliquis, quod hæc simpliciter philosophatur, nondum factò rerum periculo addidit: Habiti sumus tanquam oves destinatæ macerationi: quotidianas Apostolorum mortes significans. Vides fortitudinem ac comitatem? quem admodum enim illa, inquit, dum macerantur, non resistunt: ita neque nos: sed quando quidem humanæ cogitationis imbecillitas post tot, tantæque aduersa, tentationum multitudinem exhorruisset, vide ut rursus auditorem excitet, sublimemque ac superbum efficiat, inquit: *Sed in his omnibus plusquam superamus, per eum qui nos dilexit.* Quod enim mirabile est, hoc est: Quod non superamus solum, sed quod per ea ipsa superamus, per quæ insidias patimur: nec simpliciter superamus, sed plusquam superamus, hoc est, omni cum facilitate, citra sudores ac labores: nō enim molestias tolerantes, sed animū modò præparantes, sic vbiq; trophæa contra hostes statuimus, & id iusta de causa. Deus est enim, qui nobiscum decertat: ne igitur diffidas, si qui flagellamur, flagellantes superamus: si qui exigimur, persequentes vincimus: si qui morimur, viuentes † vertimus. Cum enim Dei tum virtutem, tum charitatem adhibueris, nihil erit quod prohibeat miracula hæc, & incredibilia euenire, tum autem victoriam supra omnem modum elucere: neque enim simpliciter vincebant, sed magno cum miraculo, sicque ut facilè intelligerent omnes, non esse insidiatoribus illis bellum contra homines susceptum, sed contra inexpugnabilem illam potentiam. Iudeos igitur dispice, in manu illos sua dum haberent, addubitantes tamen ac dicentes, *Quid his faciemus hominibus.* Nam quod mirum est, id demum est, quod illos dum detinerent, dum reos haberet, dum vincirēt, dum caderent, mentis consilii que in opes habitabant adhuc, per hæc ipsa manus dantes, ac victos sese agnoscentes, per quæ tamen victoriam reportaturos sperabant. Ac neque tyrannus, neque carnifices, neque dæmonum phalanges, neque ipse diabolus superare illos valebat: sed longè exuperabantur omnes, apertè intuiti, quas in illos artes intendebant, eas illis iisdem auxilio cedere. Propterea dixit, plusquam superamus, noua enim victoriæ lex hæc erat, per ipsa demum aduersantia superare, ac nunquam superari, sed illos ipsos ita ad certamina descendere, quasi exitus domini iam essent. *Nam mihi persuasum habeo neque mortem, neque vitam, neque angelos, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque altitudinem, neque profunditatem, neque vllam creaturam aliam posse nos separare à dilectione Dei, que est in Christo Iesu domino nostro.* Magna quidē sunt dicta hæc, sed nobis incognita, hoc ipso quod tantam ipsi charitatem non habemus. Veruntamen ut magna sint, volens Paulus ostendere, nihil ea esse præ ea charitate, ac dilectione, qua esset à Deo dilectus, post Dei dilectionem tum demum suam atrexit, ut de se nihil, quod magnum esset, prædicare videretur. Quod autem ait sensum hunc habet: *Quid tandem hæc præsentia, & quæ vitæ huic coherant, incommoda allegare opus est? nam ut res etiam mihi futuras alleges, ac potestates, res quidem, ut mortem ac vitam: potestates autem, ut angelos, archangelos, vniuersamque, quæ supra nos est, creaturam, certè vel ea ipsa animo quidem meo pusilla fuerint, si ad Christi charitatem conferantur. neque enim si quis mihi mortem illam perpetuam, ac nullo vnquam sine desitutam minitaretur, ut à Christo separaret: neque si promitteret fore, ut vitam nullo sine terminandam producerem, ne hanc quidem conditionem admitterem. Iam quid*

reges

149

reges mundi huius ac consules allegare conuenit? quid illum, aut illum? Nam si vel angelos mihi allegaueris, si vel cœlestes omnes potestates, si vel ea omnia, quæ in rerum naturam prodita, prodédave sunt: profectò mihi omnia perparua, tum quæ in terra, tum quæ in cœlis, tum quæ sub terram, tum quæ supra cœlos, præ eo, quæ dico amore. Deinde perinde quasi ne ea quidem satis esse possent, ad cum amorem, quo captus erat, repræsentandum: totidem alia rursus in rerum naturam producens, ait, Neque vllam creaturam aliam. Quod porro ait, eiusmodi est: Si vel aliud tale ac tantum mundi opificium existeret, quale quantumque vel hoc ipsum quod spectamus, vel quod in mentis humanæ cogitationem cadere possit: nulla tamen res esset, quæ me ab eo amore submoueret. Hæc autem dicebat Paulus, nō quod vel angeli ipsi, vel reliquæ potestates id tētare, aggredique vellent, absit hoc, sed quod quem amorē erga Christū præferret, cum omni cum excellentia ostentare vellet. Neq; enim Christum propter Christi opera, sed propter illum, illius opera amabat, atq; ad illum vnum respiciebat, vnum tantum veritus, ne ab eo amore excideret. Hoc enim vel gehēna illi terribili^o erat, quem admodum & in eo amore persistere, vel cœlorum regno desiderabilis.

MORALE.

Quanti igitur æstimandi ipsi fuerimus, cum ille ne ea quidem quæ in cœlis sunt, præ Christi amore admireretur: nobis verò quæ in cœno, ac luto sita sunt, ea Christo antiquiora sint? Et ille quidem ob Christi amorem vel in gehennam decidere libens admittit: paratūque est vel à cœlorum regno excidere, si vtrūque hoc proponatur: nos autem ne præsentem quidem vitam despiciamus. Dignine igitur sumus vel illius calceamentis, qui cōsusque distamus ab illius animi præstantia? Etenim ille ne cœlorum quidem regnum quicquã esse censet, propter Christum. Nos contra, ipsum Christum despiciamus: res autem quæ illius sunt, permagnificamus. atque vtinam illius saltem res magnificemus. Nunc verò ne id quidem est: sed vel cœlorum regnum nobis palam quum offeratur, eo à nobis relicto, vmbra ac somnia quotidie sectamur. Atqui Deus benignus quum sit, admodumque mansuetus, perinde egit, ut si pater liberorum amans, filio malè ferente asfiduam ipsius consuetudinem, alia ratione ac solertia illum sibi coniungat. Nam quando quidem nos illum, ut par est, minimè amamus: quam multa sunt, quæ nobis ille palam offert, ut nos ad sese illiciat? quum tamen sic quidem persistamus, sed ad puerilia delectamenta tranſuolemus. At non sic Paulus: quin tanquam ingenuus quispiam, ac patris amans filius, paternam consuetudinem ac congressum solum expetit, exquiratque, cæterarum rerum non perinde curam habens: seu verius dicam, hac quidem in parte & filij quoque eius, quem dixi, erga patrem affectum longè exuperas. Neque enim vnà & patrē, & res paternas æstimat. Verum quoties ad patrem respicit, res eas nihili facit, sed maluerit vel inter flagella, ac supplicia cū patre esse, quam ab eo diremptus deliciis frui. Horreamus ergo quicumque ne pecunias quidem propter Deum contemnimus: seu dicam verius, quicumque ne pecunias quidem propter nos ipsos contemnimus. Paulus enim solus erat, qui propter Christum ingenuè omnia ferret, non propter cœlorum regnum, nō propter filii precium, sed propter eam, qua erga illum afficiebatur benevolentiam: cum nos neque ipse Christus, neq; quæ Christi sunt, à rebus abducant sæcularibus: sed veluti serpēs, aut vipera, aut porci, aut hæc simul omnes bestiar, sic &

† sum ipsius honorem.

nos in limo reptamus. Quid enim, feris illis meliores nos sumus? quibus tot ac tanta cum exempla suppetant, oculos tamen in terram cœliumque deicimus, ac ne tantillum quidem illos in cœlum attollere sustinemus? Et quidem Deus filium dedit, tu verò ne panem quidem illi propter te tum dedito, tum trucidato impertiris. Illi pater, etiam si filius esset legitimus, propter te haudquaquam pepercit: tu verò vel fame tabescentem despicias, præsertim cum sumptum facturus sis ab iis quæ illius sunt, tum autem tua ipsius causa. Quid hac iniquitate deterius fuerit? propter te ille deditus est, propter te trucidatus, propter te esuriens circumcurat: da ex iis quæ ad illum spectant, ut ipse inde cōmodum adiumentumque desumas: at verò ne sic quidem erogas. Nōne vel lapidibus quibuslibet stupidiore, minusq; sensibiles ij fuerint, qui tot inter res, quibus moueri, pertrahique deberēt, in hac adhuc diabolica crudelitate sese obfirmant? Neque enim illi mors, cruxque ipsa satis fuit, quin & pauper fieri libens admisit, & hospes, & erro, & nudus. Adde his carcerem, in quem coniectus: adde ægritudinem, quam perpeffus est, ut vel hac demum ratione te ad se pertraheret. Si enim ait, mihi tanquam pro te mortuo, in amore non respondes, nec benefacta benefactis mutuis rependis: at paupertatis te miserescat, quem si vel paupertas ad misericordiam commouere non potest, certe ipsa ægritudine flectaris, ipso carcere frangaris. sin verò ne hæc quidem animum tuum emolunt, atque ad humanitatem pertrahūt, saltem ob petitionis tenuitatem annuito. Nihil enim à te, quod sumptuosum sit, postulo: sed panem, sed tectum, sed verborum consolationem: qui si vel post hæc omnia agrestem adhuc inhumanumque animum geris, certè vel propter ipsum cœlorum regnum, vel propter ea quæ pollicitus sum præmia, melior euadas. At nullo illa apud te loco ac precio sunt? Ipsius ergo naturæ vi frangaris, nudum me cum videas: ac nuditas illius in mentem tibi veniat, quam ipse propter te in cruce sustinui, quod si ne ea quidem nuditas te mouet, moueat ipsa hæc, qua per pauperes denudor. Egens fui tum propter te, quin & nūc item propter te, quod siue hinc siue illinc adductus, persuasusque, aliqua tandem misericordia capiaris: ieiunius me maceraui propter te, rursus propter te, esurio: sitiui in cruce suspensus, per pauperes item sitio, ut tum ab illis, tum ab his te ad me ipsum illiciam, neque non benignum salutis tuæ causa efficiam, qua de re mihi infinitorum benefactorum remunerationē cum debeas, non ipse tanquam à debitore reposco, sed te tanquam gratis largientem corona orno, ac cœlorum regnum pro pusillis his tibi largior, neque enim hac te ego oratione compello: paupertate me soluito, neque hac diuitias mihi largitor, quamuis te propter pauper fuerim, sed panem solum, ac pallium postulo, tenuemque famis delinitionem, qui si & in carcerem coniectus fuero, non cogo ut tu vincula soluas, eaque abiicias: verum vnum tantum requiro, ut tu propter te vincum aspicias: qua me gratia dignatus si fueris, mihi satisfeceris: tibi que hoc solo nomine cœlum largiar: te ego grauissimis vinculis exolui, mihi tamen duntaxat sufficit me vincum contueri, si tibi collibuerit. Possum e quidem & citra hæc coronam tibi imponere, sed tamē tibi debitor esse non recuso, ut tibi etiam fiduciam aliquam corona afferat. Ob hoc qui me ipse educare possum, circumuagor mendicās, pro foribus tuis dextram porrigens: à te enim educari concupisco, tui enim maiorem in modum amans sum: quo nomine & mensam tuam appeto qui amatum mos esse solet, mihi que hac quidem in re placeo, tēque in ipso totius orbis teatro

victricem pronuncio, atque ad eò cunctis exaudientibus me vendicans altorem te meum declaro. Atqui nos quoties alicuius impensa educamur, erubescimus sanè, remque adumbrantes dissimulamur. Verùm ille, qui summus est eius erga nos amor, vt taccamus ipsi, rem ipsam deprædicat, magnis cum laudibus ad cælum tollens: nec eum fateri pudet, quòd cum nudus esset, se veste induerimus: cum esuriret, se aluerimus. Hæc omnia igitur animo lustrantes, non intra ipsas tantùm laudes consistamus, sed & quæ dicta quidem sunt perficiamus. quid enim profuerint id genus plausus, ac clamores? Vnum à vobis quæro tantum, nimirum per ipsa opera probationem, per ipsas res obedientiam. Hoc ipsum laus mea, hoc ipsum lucrum vestrum, hoc ipsum diademate mihi splèdidius. Itaque vbi ab hac concione dicefferitis, hanc per pauperum manus, tum vobis, tum mihi lauream apparet: vt & per præsentem vitam bona cum spe educemur, & ad futuram cum peruenerimus, infinita assequamur bona: quæ vtinam assequi omnes possimus, gratia & clementia domini nostri Iesu Christi, per quem, & cum quo, patri gloria, vnà cum sancto spiritu, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVI.

CAP. IX.



VERITATEM dico in Christo, non mentior, attestante mihi simul conscientia mea, per spiritum sanctum. Nonne magna quædam, & quæ supra naturæ captum essent, hesternò die de Pauli erga Christum dilectione, vobis dixisse visus sum? Etenim natura ingentia, & omnem excedentia orationem fuere: At quæ hodie dicta sunt, tantam habent ad illa hyperbolen, quanta illa ad rerum nostrarum conditionem, quâquam non existimabam illa habere hyperbolen, sed tamen superuenientia ea, quæ hodie sunt lectitata, multò illis omnibus illustriora visa sunt. Id quod & ille cum intelligeret, ab ipso statim exordio palam fecit, tanquam qui ad maiora progressurus, à multis minimè credendus esset. Prius autem ea confirmat, de quibus dicturus est, quod facere multi consuevere, quoties dicturi aliquid sunt, quod multis fidem non faciat, sed quod tamen verum esse magnoperè sibi persuaferint. ait enim, veritatè dico: & non mentior: & mihi conscientia simul attestatur. *Quod dolor mihi est magnus, & assiduus cruciatus cordi meo. Optarim enim ego ipse anathema esse à Christo.* Quid ais, ô Paule, à Christo, illo inquam Christo, qui à te desideratur, à quo te nec cælorum regnum, nec gehenna separabat, neque ea quæ videri, neque ea quæ cogitari possunt, neque alia totidem, ab hoc nunc precaris anathema esse? quid accidit? num desiderium illud excussisti, ac deposuisti? Haudquaquam, inquit, ne vereare, nam & illud intendi magis. Qui igitur fit, vt preceris anathema esse, & alienationem quæras, ac diuortium tantum, post quod inueniri aliud non queat? quoniam, inquit, etiam atque etiam vehementer illum amo. Qui id, obsecro, & quonam pacto? etenim ænigmati simile hoc est. Imò verò si ita videtur, primum intelligamus, quid sit anathema, ac tum demum illum interrogemus super his: sic fiet, vt arcanam hanc & nouam dilectionem perdiscamus. Quid igitur est anathema? audi ipsum ita loquentem: Si quis non amat dominum nostrum Iesum Christum, is anathema sit: hoc est, ab omnium commercio segregetur, alienus ab omnibus sit. Nam quemadmodum anathema donumque id quod Deo oblatum dedicatur, nemo est qui temerè manibus contingere audeat, neque ad id propius accedere: sic & cum qui ab ecclesia separatur, ab omni-

1. Cor. 16. Anathema.

bus abscondens, ac tanquam longissimè abducens, hoc nomine, à contrario scilicet appellat, magno cum terrore omnibus interminatus, ab eo vt separètur, ac pedem referant. Anathemati enim honoris gratia appropinquare nemo audeat: ab eo autem qui ab ecclesia abscissus erat, ex opposita omnes sententia separabantur, quapropter separatio quidem, tum hæc, tum illa, ex quo à vulgo abalienatio erat: separationis verò modus non vnus sed illi contrarius. Ab illo enim abstinebant, tanquam Deo dicato: ab hoc autem decedebant, tanquam à Deo alienato, & ab ecclesia abscisso. Hoc ipsum igitur & Paulus sentiens dixit: Optarim anathema esse à Christo, nec simpliciter dixit, velim: sed id intendes, ait, optarim. Quòd si dicta hæc tanquam infirmiora te conturbant, rem considera, non solum quòd separatum se esse vellet, sed & causam propter quam vellet: ac tum demum, quasi ea quæ oculis cernuntur, videbis illius magnitudinem dilectionis, quâdoquidem & circumcidit, nec ipsum factum attēdimus, sed facti ipsius consilium, & causam, ac propterea ipsum magis admiramur: nec verò circumcidit modo, sed rasi, ac sacrificauit. nec sanè ob id Iudæum illum esse dicimus, sed hoc ipso nomine à Iudaismo maximè exemptum, purumque esse, tum Christi germanum, verumque cultorem. Quemadmodum igitur circumcidit illum cum vides, ac sacrificantem: non propterea condemnas tanquam Iudaizantem, sed eo id ipsum maximè coronas, vt à Iudaismo alienum: Ita quum vides desiderantem anathema esse, ne propterea turberis, sed ob hoc ipsum illum maximè prædicato, causam perdoctus, ob quam id vult. Nam nisi causas examinauerimus, & Heliam homicidam dicemus & Abraham non homicidam solum, sed filij percussorem. Itēque & Phinees, & Petrum cædis rursus accusabimus, nec de ipsis solum sanctis, sed & de ipso rerum vniuersarum Deo, quisquis regulam hanc minimè obseruauerit, multa absurda suspicabitur. Vt ne igitur hoc accidat, hisce in omnibus & causam, & consilium, & occasionem, & omnia, factorum defensione à nobis suscepta, in vnum componentes, ita demum res ipsas examinemus, quod & nunc de beata hac anima faciendum nobis est. Quenam ergo causa? rursus ipse amatus Iesus: atqui, nō ob ipsum in quies, optarim enim, ait, ab ipso anathema esse pro fratribus meis. & hoc humilitatis eius est, neque enim videri ipse vult tanquam magnum quiddam id dicere, ac Christo gratificari. Propterea dixit, pro fratribus: vt nimium affectum occultet: nam quod, quicquid id est, propter Christum vellet, audi quæ sequuntur. Cum enim dixisset, cognatis meis secundum carnem, addidit: *Quorum est adoptio, & gloria, & testamenta, & legis constitutio, & cultus, & promissiones, quorum sunt patres, & ij, ex quibus est Christus, quantum attinet ad carnem. qui est in omnibus Deus laudatus in secula. Amen.* Et quid hoc, inquis? nam si vt alij crederent, anathema fieri vellet: si autem & pro Iudæis precatur solis, declarat non propter Christum id velle, sed propter eam, qua illos contingebat, necessitudinem. Atqui si pro gentibus solis precatus fuisset, non perinde id visum fuisset, quoniam autē pro Iudæis solis, declarat purè se id propter Christi gloriam studiosè velle. Nec me sanè fugit, quæ à me dicuntur, ea vobis & noua & incredibilia videri, verum tamen, nisi obturbaueritis, ea statim enitar aperta redere, neque enim simpliciter hæc dixit, quæ dixit: sed quoniam omnes dicebāt, Deumque inculcabāt, quod qui digni habiti essēt Dei filij vocari, legem accipere, ante omnes illum nouisse, tali tantaque gloria frui, illum eundem ante vniuersum orbem colere, tum autem promissiones accipere, patresque eundem tribuum, quòdque omnium

Genes. 12.

† 203 et 204. lu, & si liceret, vt in finitui, separari, alienari, ad verbū sustinuerim, referantur.

Omniū maximum, ipseus Christi maiores esse (hoc enim est, ex quibus est Christus, quantum attinet ad carnem) cecit atque inhonorati essent: pro illis autem introducti, qui nunquam illum agnouissent homines, ij videlicet qui à gentibus ortum duxissent. Hæc igitur qui dicebat, quoniam Deum conuiciis afficeret, audiens hæc Paulus ægrefereus, ac pro Dei gloria dolens, precatus est anathema esse (si modò fieri posset) vt illi salui fierent, & conuiciū eiusmodi cessaret, nec videretur Deus illorum maiores decepsisse, quibus dona pollicitus est. Atque vt intelligas, illum ob id angere, excruciarique, ne videlicet Dei promissio intercideret videretur, qua Abraham dictum est, Tibi dabo terram hæc, & semini tuo: hæc precatus est. Nam cum hæc dixisset, addidit: *Non autem hæc loquor, quòd exciderit sermo Dei.* Declarans quòd hæc omnia propter Dei sermonem perficere sustinebat, hoc est propter promissionem ad Abraham factam. Quemadmodum enim Moses videbatur quidem pro Iudæis legatione fungi, rem verò totam pro Dei gloria agebat: (Dei enim iram sedaturus ait, vt ne dicant, propterea quod seruare eos non posset, eosdem eduxit in eremo perdendos) ita sanè & Paulus, vt ne, inquit, dicant, quòd Dei promissio excidit, & quæ promissit, falsò promissit, illiusque sermo ad opus non exiit, velim anathema fieri. Quapropter non pro gentibus ait neque enim ad illos promissum illud erat, neque illi erāt, qui ipsum coluissent, propterea neque ipsum per illos conuicio afficiebant) sed pro Iudæis qui videlicet promissionem suscepissent, quique ante alios necessitudine cum ipso coniuncti erant, hæc precabatur, vides quemadmodum, si pro gentibus precatus fuisset, non sic visus fuisset purè propter Christi gloriam hoc facitare, quandoquidem autem pro Iudæis voluit anathema fieri, tum maximè cōstitit, illum propter Christum hæc desiderare. Propterea dixit, Quorum est adoptio, & gloria, & cultus, & promissio. Etenim inde lex ait, existit: lex, inquam, de Christo loquens: inde & pacta, inquam, ea omnia, quæ ad illos pertinent. tum autem & ipse ex iis natus, & patres ij, qui promissa acceperunt, ex iisdem omnes: sed tamen contra accidit, bonisque omnibus lapsi sunt, propterea discreditor, ait: *† ac si diceret, vellem] ab eo choro separari, atque alienari, qui Christum circumdat, nō ab ipso amore absit, hoc, quandoquidem propter amorem hæc faciebat: sed & illa fruitione & gloria priuari sustinuerim, vt ne dominus meus conuicio afficiatur, malèque audiat, vt ne exaudiam eos, qui dicunt, quòd res ipsæ veluti scena factæ sunt. Aliis promissit, & aliis dedit: ex aliis genitus est, & alios saluos fecit. Iudæorum maioribus pollicitus est, illorum autem prole derelicta, eos, qui ipsum nunquam agnouerant, in illorum bona introduxit. Illi in legis meditatione, in prophetarum lectione laborarunt: & qui ab aris, & ab idolis nuperrimè redierat, ij facti sunt illis superiores. Vbi hæc prouidentia? vt ne igitur hæc, ait, de domino Deo efferantur, quanquā iniuste efferuntur, & à cælorum regno libens exciderem, & ab illa arcana gloria, tum aduersa omnia tolerarem, maximam omnium existimans consolationem mihi adfore, si amplius non audiam conuiciis eum affici, cuius amore tantoperè ardeo. Quod si nondum accipis, quod dictum est, cogitato, quòd parentes multi pro liberis hæc admiscere, non recusantes ab illis separari, vt illos magis inclarescere viderent illorum existimatione reputates cōsuetudine sua suauiorè. sed quoniam procul ab hoc amore absumus, ne animi quidem cogitatione dicta hæc cōplecti possumus. Sic enim quidam Pauli appellationem ne digni quidem sunt qui audiant, suntque ab illius vehementia tam longè, tam-*

que procul distantes, vt illum sentiant, hæc de temporaria morte dicere. quos equidem tantundem Paulum ignorare dixerim, quantum cæcos radium solarem, seu verius dicam, multò etiam plus. Qui enim per dies singulos moreretur, ac periculorum veluti grandinibus suppositis, dixisset: Quis nos separabit à dilectione [Dei?] num afflictio? num angustia? num fames? num persecutio? nec contentus sæculi huius rebus, sed supergressus cælum, & cælum cæli, & angelos & archangelos, & omnia superiora circuncurrens, tum comprehendens simul præsentia, futura, ea quæ videri, ea quæ cogitari possunt, itēque & molesta, & suauia, & quæ in vtrisque, nihilque prorsus omittens, ac ne sic quidem satiatus, sed & aliam talem ac tantum creaturam non existentem supponens, obsecro, quo tandem modo, tanquam magnum quiddam post illa omnia proferens, mortis temporariæ mentionem faceret? non est ita, non est ita, quin potius lumbricorum in fimo latitantium cuiuscemodi opinio fuerit. Nam si id diceret, quomodo anathema se ipsum à Christo esse precaretur? mors enim eiusmodi illum magis choro ei coniungebat, cooptabatque, qui Christum circumdat, tum efficiebat, vt gloria illa perfrueretur. Sed enim sunt nonnulli, qui & quæ hisce ridicula sunt magis, dicere sustinent, non enim mortem aiunt, sed donum Christi reconditum esse precabatur. & quis hoc vel hominum admodum tenuium, ac supinorum non precatus fuerit? Quomodo autem pro suis ille cognatis hoc fieret? Itaque fabulis ac nugis omissis, neque enim ad hæc contradicere dignum fuerit, quemadmodum ne ad pueros quidem balbutientes, ad ipsam rursus dictionem redeamus, oblectati pelago dilectionis illius, ac liberè vbiq; natantes, tum amoris eiusdem flammam immensam animo versantes, seu potius quodcumque quis dixerit, nihil quod idoneum quidem fuerit, dixerit, etenim omni pelago latior, omni flamma vehementior erat hæc dilectio, ac nulla illam pro dignitate dictabit oratio, sed ille solus eam nouerit, quisquis eadem exactè præditus fuerit. Age itaque rursus ipsa verba in medium adducamus. *Optarim anathema esse ipse ego.* Quid est, ipse ego? qui omnium magister sum effectus, qui officia, meritaque infinita coëgi, qui coronas infinitas expecto, qui sic illum amo, vt meus erga illum amor mihi sit rebus omnibus antiquior, qui quotidie propter illum vrro, qui omnia duco] secunda esse, præ amore] quem erga illum habeo. Neque enim curæ illi erat à Christo solum amari, sed & illum magnoperè amare, hocque in primis curabat: propter hoc enim ad hoc respiciebat solum, atque omnia faciliè ferebat. Vnum enim per omnia considerabat, nempe quomodo pulchrum hūc amorem exleret, & precatur quidem hæc. Cum verò res nō sic se habitura esset, neque futurum erat, vt anathema fieret: de reliquo tentat, & ad criminationum defensionem descendere, & quæ rumore omnium iactitata essent, ea in medium prolata subuerrere, atque antequam ad apertam horum defensionem descendat, ipsius semina ac fundamenta iam hinc iacit. Nam cum dicit, *Quorum adoptio & gloria, & legis constitutio, & cultus & promissiones:* aliud ait nihil, quam Deum voluisse illos quidem seruare, atque hoc palam fecit per ea, quæ antea fecit, per ea per quæ Christus ex illis extitit, per ea, quæ patribus promissit. illi autem à propria ingratitude, atque improbitate beneficentiam repulerunt. Itaque & illa ponit, non quæ illorum laudes sunt, sed quæ Dei donum solummodo arguunt. Etenim ipsa adoptio ab eadem gratia manauit, & gloria, & promissiones, & lex: quæ ipsa omnia dum excogitasset, secumque reputasset, quale, quantumque Deus

Sup 8. Christi habet Veronensis editio.

† posthabenda esse amici.

vnâ cum filio suo studium pro illorum salute impendisset, inelamauit magnum, ac dixit: *Qui est benedictus in secula seculorum, Amen: vnigenito Dei filio referens pro omnibus gratiarum actionem. Quid enim si & alij blasphemant, ait? cum nos qui illius arcana nouimus, & immensam sapientiam, & prouidentiam multam, apertè sciamus, illum dignum esse, non qui blasphemetur, sed qui glorificetur. Non contentus autem conscientia ipse sua Paulus, tentat & deinceps ratiocinationem adhibere, ac vehementiore vti cōtra illos oratione, nec prius in illos inuehitur, quàm illorum suspitionem circumciderit, ademeritque. Vt ne enim videatur tanquam cum hostibus verba facere, progressus ait: Fratres, voluntas quidē cordis mei, & obsecratio apud Deum pro ipsis est ad salutem. Et hic item vnâ cum aliis, quæ dixit, ita orationem præparauit, atque adstruxit, quæ contra illos dicturus erat, vt ne ea hostili animo dicere videatur. Idcirco ne cognatos quidem illos ac fratres appellare recusat. Etsi enim quæ dixit, ea propter Christum dixit, tamen illorum animum sibi conciliat, & verbis suis viam munit, seque omni suspitione liberat, propter ea quæ cōtra illos dicenda sunt: ac tum demum ad eum sermonem descendit, qui ab omnibus in quæstionem vertebatur. Etenim quærebant permulti (quemadmodum prius dixi) quamobrem qui promissionem accepissent, ij ab ea excidissent: qui autem eam nūquam audiissent, ij ante illos salui effecti essent. Hanc igitur soluens dubitationem, ante obiectionem solutionem adducit, vt ne enim quis dicat, quid? tibi maiori curæ est Dei gloria, quàm illi sua ipsius: num ille tuo subsidio indiget, vt ne ipsius sermo excidat: contra hæc stans ait: Hæc dixi, non scilicet, quod sermo Dei exciderit, sed vt ostendam amorem erga Deum. Etenim quum sic res excernerint, & dubij nobis non sunt, ait, sermones ij, qui de Deo circumferuntur, nec hæsitamus ostendere,] quod ipsa Dei promissio firma est, quo pacto igitur firma est? Dixit Deus Abraham: Tibi & semini tuo terram dabo, & in semine tuo benedicentur omnes gentes. Videamus igitur quale sit semen, ait, nō enim omnes qui ex eo sunt, ij semen ipsius sunt. Itaque ait: *Non enim omnes qui sunt ex Israël, ij sunt Israël: neque quia sunt semen Abraham, omnes filij.* Si igitur cognoueris, quōdnam sit semen Abraham, videbis datam esse promissionem semini ipsius, & cognosces, quod non exciderit sermo. Quōdnam igitur est, obsecro, semen? non ego, inquit, dico, sed ipsa lex vetus exponit, ita dicens: In Isaac vocabitur tibi semen. quid est, in Isaac? exponito, hoc est, *Non filij carnis, ij filij Dei: sed qui sunt filij promissionis, ij recensentur in semen.* Ac vide Pauli prudentiam, animique magnitudinem: nam dum exponit, non ait, & quod qui filij sunt carnis, ij filij sunt Abraham, sed qui Dei filij sunt,] vetera cum præsentī cōnectens, ostendensque quod ne Isaac quidem simpliciter Abraham filius fuerit. Quod porro ait, eiusmodi est, Quicūque secundum Isaac geniti sūt, ij filij Dei sunt, & semē Abraham, propterea enim dixit, In Isaac vocabitur tibi semen: vt intelligas quod qui hoc modo generantur, videlicet secundum quē ipse Isaac, ij maximè sunt semen Abraham. Quo igitur Isaac generatus est modò? non secundum legem naturæ, neque secundum potestatem carnis, sed secundum potestatem promissionis. Quid sibi vult, secundum potestatem promissionis? *In tempore hoc veniam ad te, & erit Sarra filius.* Hæc igitur promissio, & Dei verbum hoc, ipsum Isaac effinxit, & genuit. Quid enim si & vulua suberat, & matrix mulieris? sed ipsum promissionis robur filium peperit: sic & nos generamur per verba Dei, nam in ipso aquarum lauacro verba Dei sunt, quæ nos generant atque effin-*

† non de-
stituimur
sermoni-
bus qui-
bus pro
Deo re-
spondeamus
& o-
stendamus.
Genes. 12.

Ibid. 12.

† non qui
filij sunt
carnis, ij
filij Abra-
hæ, sed filij
Dei.

gūt. In patris enim nomen, & filij, & spiritus sancti baptizati generamur. Hæc porro non naturæ generatio, sed promissionis Dei. Quemadmodum enim Isaac generationē dum prædixit, tum ipsam expleuit: sed & nostram multis antè temporibus prædixit, per prophetas omnes, ac postea ad opus eduxit. Vides quantam rem demonstrauerit, & vt magnum quiddam dum promississet, illud ipsum omni cū facilitate adstruxerit? Quod si Iudæi dicent verba hæc, In Isaac vocabitur tibi semen, id ipsum esse, omnes videlicet qui ex Isaac generantur, ipsi Abraham imputari semen, oportebat & Iudæos, & omnes qui ab illo descēderunt, filios illius vocari. nam Esau illorū progenitor, filius fuit Isaac. Nunc verò non solum non vocantur filij, sed & valdè sunt alieni. Vides vt nō qui carnis filij sunt, ij Dei filij sunt, sed in ipsa etiam natura generatio, quæ per baptismum existit, iam inde ab initio expressa sit? quod si mihi matricem allegas, possum & ego aquam allegare. Sed quemadmodum hic res tota spiritus est, sic & illic promissionis, nam matrix vnda frigidior fuit, propter sterilitatē, ac senectutem. Exactissimè igitur perdiscamus quam nostra sit nobilitas, vitamque exhibeamus illa dignam, neque enim habet quicquam quod carnale sit, ac terrefre. Igitur ne ipsi quidem nos quicquam, quod tale sit, habeamus, neque enim somnus, neque volūtas carnis, neque complexus, neque desiderij stimulus, sed Dei benignitas rem totā peregit. Ac quemadmodum illic ætas desperata quum iam esset, sic & hic peccatorum senectus, quum ingruisset, repētē nouus rediit homo, omnesque filij Dei effecti sumus, & semen Abraham. *Non solum autem hoc, sed & Rebecca ex vno conceperat Isaac patre nostro.* Magnum quiddam erat, quod in quæstionem veniebat. Itaque & multas mouet rationes, vndique dubitationem soluere conatus. Nam si mirabile ac nouum, illos post tot tantisque promissiones excidisse: multo certè mirabilius, nos in illorum bona ingressos fuisse, qui videlicet tale expectauissemus nihil: ac similiter euenit, vt si regis alicuius filius, cui principatus successio promissa foret, in obscurorū viliūq; hominum ordinem cogeretur, atque illius loco quipiam iudicio damnatus, scelerū infinitorum sordibus refertus, è carcere exactus, principatum accipiat ad illum pertinentem. Quid enim, inquit, allegare possis? quod ille filius principatu indignus? sed & hic quoque indignus, & multo magis. igitur conueniens erat, aut simul pœna affligi, aut simul honore affici. Talis sanè res & in Gētibus & in Iudæis accidit, atque ad eodē multo etiam hac incredibilior, ac quod omnes quidem indigni, declarauit in superioribus, quum dixit: Omnes quidem peccauerunt, & priuantur gloria Dei. Quod autem nouum, id est, quod omnes indigni quum esset, Gentes solè seruatae sunt. Cum his porro & aliud rursus, inquit, dubitauerit quispiam: Si enim Deus promissiones illis suas expleturus non erat, quamobrem promittebat? Etenim homines, vt qui videlicet quid futurum sit, non norunt: errore aliquo ducti identidē vel indignis munera promittunt sua. at verò qui & presentia & futura prouidit, probèq; nouit fore, vt quibus promittit, ij sese promissionibus indignos reddent, ac propterea nihil prorsus capient eorum, quæ promissa fuerint: quam tandem ob rem iis promittit? Quo igitur modo hæc soluit Paulus? ostendendo videlicet, quisnam sit Israël cui promiserit: hoc enim ostenso, & illud item simul ostensum est, quod videlicet impleræ sint promissiones omnes. Quod sanè sentiens dixit: *Non enim omnes, qui sunt ex Israël, sunt Israël.* propterea ne Iacob quidem nomē posuit, sed Israël, quod quidem signum erat virtutis iusti, & doni cœlitus dati, tum autem Dei

coram

coram ab illo visi: quāquam ait, omnes peccauerunt, & priuantur gloria Dei. si igitur omnes peccauerunt, quo tandem pacto alij quidem seruati sunt, alij autem perdit? nempe quod non omnes accedere voluerunt, nam quod quidem ad illum spectat, salui omnes effecti sunt, etenim vocati sunt omnes. Verumtamen hoc nūc non ponit, sed ex abundanti illud soluit, atque aliis ab exemplis aliam quæstionem proponens, & quemadmodum in superioribus, maximam dubitationem per aliam soluit dubitationem. Quum enim hæc quæstio mota esset, qui sit vt Christo iusto effecto, omnes eandem illam iustitiam adepti sint? Adæ factum introduxit, dicens: Si enim vnus peccato mors regnauit, multo magis qui gratiæ exuberantiam accepere, in vita regnabunt: atque argumentum ad Adam spectans non soluit, suum autem ex illo soluit, ostenditque maiorem in se rationem habere, quod qui pro illis mortuus sit, illorum potestatem pro libito habeat. Nam quod omnes puniantur ob id, quod vnus peccauerit, multis non admodum rationi esse consentaneū videtur: quod autem vno recte faciente omnes iustificentur, id verò & rationi consentaneum fuerit, & Deo conueniens magis. Verumtamen dubium illud non soluit: nam id quantum obscurum manebat, eodē Iudæus ipse os obseruabat magis, atque huius dubitatio ad illud transibat, & apertius hoc illinc redditur. Sic itaque & hoc loco, ex aliis quæ in dubitationem veniunt, soluit quæstiones: aduersus enim Iudæos certamen illi erat. Quamobrem ea quidem exempla, quæ proposuit, non admodum soluit, neque enim iis obnoxius erat, vt in pugna aduersus Iudæos suscepta: quæ autē sua sunt, ea omnia ex illis aperta facit. Quid enim admiraris, ait, quod ex Iudæis alij seruati quidem sunt, alij autem non seruati sunt? Etenim ab initio hoc in patriarchis factum videre quis possit. Cur enim Isaac solus semen vocatur, quāquam hic & Ismaël, & aliorū plurium pater fuit? at à lerua matre fuit in quies, & quid hoc ad patrē? Verumtamen nihil contēdo ciiciatur hic propter matrē: quid dixerimus de iis, qui à Chettura geniti sunt, nū liberi, & ex libera? Quamobrē non eadē cum Isaac prærogatiuas, non eodē sunt honores sortiti? Et quid de his loquor? Rebecca enim vel sola Isaac mulier fuit, duosque filios enixa, vtrunque ex Isaac peperit: sed tamen qui vno, eodēque patre geniti fuere, ab eadem item matre nati, eadē parturigenes soluere: simul eundem patrem, simul eandem matrem sortiti, adde etiam gemelli iidem qui fuere, ij nō eadē sortem adepti sunt: quanquam hoc loco matris seruitutem inculcare non potes, vt in ipso Ismaël, neque hunc quidem ex hac, illum autem ex alia matrice natū esse, quemadmodum in Chettura, & in Sarra, quando & eandem parturigenum horam communem inter se habuere. Propterea & paulus tanquam ad manifestius egressus exemplum: nō solum autem, ait, in Isaac hoc euenit, sed in Rebecca, quæ ex vno conceperat Isaac patre nostro. *Nondum enim geniti quum essent, nullo dum ab illis vel bono, vel malo opere facto, vt iuxta electionem Dei propositio maneret, non ab operibus, sed à vocante, dictum est illi, Maior seruiet minori. quemadmodum scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Qua igitur de causa hic quidem amor, ille autem odio habitus erat? qua de causa hic seruibat, ille autem imperabat? quoniam quidem hic malus, ille autem bonus erat, quanquam illis nondum natis, alter quidem honorabatur, alter autem condemnabatur, adhuc enim nati quum non essent, dixerat Deus, maior seruiet minori. Cur igitur hoc dixit Deus? quod nō expectat, quemadmodum homo, à rerum exitu videre, quisnam bonus sit, quisnam item non talis, sed etiam

Supr. 5.

Ibidem.

Genes. 25.
Malac. 1.

antea nouit quisnam malus, & quis non talis: & hoc in Israëlitis vsu venit, maiori cum miraculo. Quid enim loquor, ait, de Esau, & de Iacob: quorum ille malus erat, hic autem bonus? Nam in Israëlitis communie erat peccatum: omnes enim vitulum adorauerunt, sed tamen alij quidem misericordiam affecuti sunt, alij non. *Miserebor enim cuiuscūque misereor, & commiserabor quem- cunque commiseror.* hoc ipsum & in iis, qui puniuntur, videas. Quid enim dixeris de Pharaone, qui punitus est, ac tantas luit pœnas? quod durus erat, & inflexus: num igitur solus ipse, alius autem nemo? quo igitur pacto tam acerbè punitus est? quidnam autem & in ipsis Iudæis, eum, qui populus non esset, vocauit populum? & rursus nō omnes eodem honore dignatus est? Si enim fuerint, inquit, vt arena maris, reliquæ saluæ erunt, & quamobrem reliquæ solū? Vides quanta dubitatione compleuit quæ proposita sunt? & id quidem iure ac merito: quum enim aduersarium in dubitationem cōiicere licet, non statim solutionem adducito. Nam si & ille visus fuerit eidem ignorantiae obnoxius, quid ipse pericula sustines superuacanea? quid illum audaciorē reddis, negocij totius molem in te attrahens? Dico enim mihi o Iudæe, qui ipse tot, tantaque addubitas, & nihil tamen eorum potes soluere: quo tandem pacto super gentium vocatione nobis negotia faceffis? at qui possum equidem iustam causam dicere, propter quam gentes iustificatae sunt, vos autem excidistis. Quænam igitur causa? Quod illi quidem à fide, vos autem tanquam ex operibus legis: & hac ratione in contentionem acti, proditi vndique estis. Ignorantes enim Dei iustitiam, & propriam iustitiam quærentes stabilire, iustitiam Dei non subditi sunt. Loci igitur totius solutio, vt summam rem totam comprehendam, sic à beata illa anima profertur. Vt autem apertiora hæc fiât, examen per singula dicta faciamus, illud edocti, beati eiusdem Pauli studium in hoc potissimum versari, vt per ea quæ dicit omnia, doceat, Deum vnum esse, qui dignos nouerit: hominum autem neminem, vt etiam valdè nosse videatur: nam sæpenumerò intercidit ac fallitur humanum iudicium: qui enim cogitationis arcana solus nouit, is apertè nouit, quānam digni sunt, qui coronas reportent, qui rursus pœnam, ac supplicium merentur. quo sanè nomine complures ille coarguit, punitque, qui hominum opinione boni esse putabantur: rursus idem ille permultos coronauit, malos ab hominibus existimatos, hac ratione declarans, illos minimè tales fuisse, non à vulgi sententia, sed ab exacto, incorruptoque iudicio calculum ferens: neque expectans à rerum ipsarum exitu dignoscere, quis bonus, quis item non talis sit. Verumtamen vt ne rursus obscuriorem reddamus orationem, ad ipsa verba Apostolica accedamus. *Non solum autem hoc, sed & Rebecca ex vno conceperat.* Poteram quidem, ait, & de Chettura filijs loqui, sed de his minimè loquor. Verum vt tanquam ex abundanti ratione victoriam reportemus, ex vno patre, ex vna item matre natos in medium produco. Etenim & Rebecca vterque natus erat, & ab Isaac legitimo filio, probato, eodēq; ante alios omnes honorato, de quo dixit: In Isaac vocabitur tibi semen, qui noster omnium pater fuit. quod si ille noster pater, & eos item, qui ab illo orti sunt, patres oportebat esse: sed non fuerunt. Vides vt non in Abraham hoc solum contingit, sed & in ipsius filio? & vbi que fides, vbi que virtus est, quæ elucet, quæ que exactam exprimit cognitionem? hinc enim cognoscimus, quod non modò ob genituræ modum, sed ob id demum, quod digni sunt virtute patris, filij vocantur illius filij. Nam si genituræ modus spectaretur tantum, conueniens erat, vt & Esau eadem illa af-

Exod. 36.

Exod. 35.

Exod. 14.

Esaie 10.

Infr. 10.

Genes. 25.

sequeretur, quæ est affectus Iacob. etenim & hic quæque à vulua effecta erat, & sterilis erat illius mater: sed non hoc solum est, quod in quæstionem venit, sed ipsa voluntas, quæ quidem non vulgariter nobis ad vitæ institutionem conducit. Nec dicit, quandoquidem hic bonus, ille autem malus, idcirco in honoribus assequendis præpositus est, ut ne illi statim hoc obsisteret. Quid? boni ij fuere, qui à gentibus potius, quam qui à circuncisione? et si enim ita habebat rei ipsius veritas, tamen nondum hoc ponit, inuidiosus enim videbatur: sed in Dei cognitionem rem totam reiecit, cum qua depugnare nullus audeat, ne si valde quidem insaniat. Nondum enim genitis illis ait, dictum est illi, Maior seruiet minori: ac declarat nobilitatem eam, quam caro affert, nihil prodesse, sed animæ virtutem querendam esse, quam vel ante ipsa opera Deus nouit: nondum enim natis pueris, ait, cum neque boni quippiam fecissent, neque mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, dictum est illi, Maior seruiet minori, hoc enim præscientia est, ab ipsorum videlicet partu electionem facere: ut appareat, inquit, Dei electio secundum præscientiam facta. à primo enim die bonum, & cum item qui talis non est, & nouit, & pronunciauit. Ne igitur mihi dixeris, legem te legisse, ac prophetas, & tam multum temporis seruiuisse: qui enim animam probare nouit, is nouit etiã, quis dignus sit saluus fieri. Cede igitur incomprehensibili electionis iudicio: etenim solus ille exactè nouit coronare. Quam multi ergo Matthæo meliores esse videbantur, ab apparenti operum argumento? Verum qui arcana nouit, quique cogitationis aptitudinem probare potest, is & in ceno margaritam iacentem nouit, ommissisque aliis, admiratus huius pulchritudinem, illum elegit, voluntatisque nobilitati suam quum adiunxisset gratiam, probatum illum esse pronunciauit. Si enim artibus his infragilibus, cæterisque omnibus in rebus, qui iudicare valent, ij non ab iis argumentis, per quæ imperiti calculum ferunt, quæ proposita sibi sunt, eligunt: sed ab iis quæ probè ipsi norunt, quodque imperiti probarunt, identidem improbant, quod improbantur, sua probant sententia. Et equorū item domitores hoc idem per sæpe in equis factitant, & qui lapidum preciosorum iudices sunt, & qui cæterarum artium opifices: multo magis benignus Deus, ipsa immensa sapientia, qui solus omnia apertè nouit, nõ sustinebit hominum opiniones, sed à propria sapientia, & ea exacta, atque incorrupta de omnibus calculum feret. propterea sanè pubicanum elegit, & latronem, & meretricem: sacerdotes autem, & senes, & magistratus improbauit & eiecit. Hoc & in martyribus vsu venire videas. Multi igitur ex iis, qui valde abiectioni erant, certaminum tempore corona sunt donati. è diuerso, qui magnorum virorum apud multos opinionem habuerunt supplantati prolapsique sunt. Ne igitur ad reddendæ rationis calculos opificem aduoces, neque dicas, Quam ob rem hic corona donatus, ille autem supplicio affectus est? nouit enim exactè hæc præstare. Itaque dixit: *Iacob dilexi, Esau verò odio habui.* Nam quod id iustè ac meritò, tu quidem ab ipso exitu nouisti, ille autem & ante exitum apertè nouerat, neque enim operum probationem quærit solum Deus, sed & voluntatis nobilitatem, ac probam gratamque mentè: quisquis enim talis fuerit, quamuis casu, circumuentūque aliquo peccauerit, actū tum ad se rediens, se sibi restituet: quamuis in vitio fortè aliquo commoratus fuerit, non negligetur, sed illum cuestigiò reuocabit, qui omnia nouit Deus. quemadmodum qui mente corrupta præditus est, ut etiam visus sit bonum aliquod facere, in ipso opere vnà cum mala sua mente peribit, quæ-

Malac. 1.

do & ipse Dauid vel cæde, adulteriòque admissio, quod videlicet ea patrasset, à casu aliquo circumuentus, non à meditatione, exercitationeq; vitiositatis correptus, confestim peccata ea absterfit. At Pharisæus nihil horum scelerum quum perpetrasset, sed aliis sese bonis venditans insolesceret, praua voluntate omnia perdidit, *Quid igitur dicemus? num iniustitia apud Deum? absit.* Igitur neque in bonis, & in Iudæis. Deinde inducit aliud hoc ipso obscurius, & quòdnam? Nam Mose dicit: *Miserebor cuiuscunque misereor, & commiserabor quemcunque commiseror.* Ac rursus auget obiectionem, illà mediam abrumpens, ac soluens, & aliam rursus dubitationem mouens. Ut autem quod dicimus apertius fiat, explanare illud necessarium est. Dixit Deus, inquit, Maior seruiet minori, ante ipsum partum. Quid igitur? num iniustus Deus? nequaquam: igitur audi & quæ deinceps sequuntur illic enim tum virtus, tum vitium, rei discrimen fecerint: hinc autem vnum erat peccatum cunctorum Iudæorum, peccatum, inquam, vituli factitij, & tamen alij quidem puniti, alij autem non puniti sunt. Itaque dixit: *Miserebor cuiuscunque misereor, & commiserabor quemcunque commiseror:* neque enim tuum est scire o Moses, qui potissimum digni sint benignitate, sed mihi hoc concedito. Quod si Mosis non erat scire, multo minus nostrum fuerit, propterea enim simpliciter non posuit, quod dictum est, sed ad quem verba faceret, meminit: ait enim, Mose dicit, ut ipsa personæ dignitate contradicentem pudefaciat. Dicta igitur dubitationum solutione, orationem mediam abrumpit, rursus aliam obiectionem introducens, ac dicens: *Itaque non volentis est, neque currentis, sed miserentis Dei. Dicit enim scriptura Pharaoni, in hoc ipsum te excitauit, ut ostendam in te potentiam meam, & ut annunciet nomen meum in vniuersa terra.* Quemadmodum enim illic ait, alij quidem salui effecti sunt, alij autem puniti: sic & hoc loco, idem hic in ipsum hoc asseruabatur, deinde rursus obiectionem inducit: *Itaque cui vult, miserebor quem autem vult, indurat. Dices ergo mihi, Quid adhuc queritur? Nam voluntati illius quis resistit?* Vides ut studuerit illud omnibus modis dubium reddere, nec statim solutionem affert, ex vsu & hoc faciens, sed sciscitanti os primùm obturat, his uerbis: *Atqui o homo, tu quis es, qui ex aduerso respondes Deo?* Hoc autem facit intemptiuam, nimiamque illius curiositatem compescens, frænòque adhibito eundem docens, scire, quid Deus, quid autem homo, ut incomprehensibilis illius sit prouidentia, ut nostram exuperas cognitionem, ut omnes parère illi oporteat, ut quum hoc adstruxerit apud auditorem, & compescuerit, mollieritque animum, tum demum magna cum facilitate solutionem afferens, illi plausibile atque acceptabile dictum suum reddat. Nec dicit, fieri non posse, ut quæ eius cemo di, soluatur, sed quid? iniquum esse eiusmodi sciscitari: parère enim Dei dictis oportet, non curiosè de illis sciscitari, ut etiam illorum rationè ignoremus. Idcirco ait, Tu quis es, qui ex aduerso respondes Deo? Vides ut attenuauerit, ut deiecerit fastum? tu quis es? particèpsne es principatus? immò verò iudex Deo affides? nam ad illum collatus ne esse quidem aliquid potes. non hoc, aut illud: sed esse quidem quicquam. quum enim dicit, quis es, te multo ostendit minus esse, quam si diceret, nihil es, & alioqui maiorem declarat indignationem ab ipsa interrogatione nec dixit: Tu quis es, qui Deo respondes? sed, qui ex aduerso respondes, hoc est, qui contradicis, qui resistis. Dicere enim, sic oportebat, & non sic oportebat, eius est, qui ex aduerso respondet. vides ut terruerit, ut perstrinxerit, ut illos eò adduxerit, ut tremarent potius, quam sciscitarentur, & curiosè indagarent?

Num. 24.
Osee 13.
ἀπορομή -
vñ, cibo indigens.
Deut. 4.

τὴν ἐν ὄψει, εὐ Βυδαο. τὴν ἀντί, legendum puto: ut sensus sit. Tunc voluntates eius idem censes dignitatis esse?

rent? Hoc ipsum optimi præceptoris officium est, discipulorum appetitionem ac desiderium non vbi que seque: sed illos ad id quod ipse vult deducere, spinasque reuellere, ac tum sementem facere, neque statim ad interrogata vbi que respondere. Num dicit figmentum ei, qui finxit, cur me finxisti ad hunc modum? An non habet potestatem figulus luti, ut ex eadem massa fingat aliud quidem vas in honorem, aliud verò in ignominiam? Hoc loco non liberum arbitrium tollens hoc dicit: verum ostendit quousque Deo parendum sit. Nam in exigenda à Deo ratione perinde affici oportet, ut ipsum lutum, neque enim solum te non oportet contradicere, aut querere, sed ne loqui quidem prorsus, aut cogitare, sed similem esse rei illi inanimi, quæ figuli manus subsequitur, quæque circumagitur quacunq; ille voluerit. Ad hoc enim solum, exemplum sumpsit, non ad vitæ probationem, sed ad subditam obedientiam, ac taciturnitatem: estq; id vbi que obseruandum, quod ipsa exèpla non omnia oporteat in vniuersum assumere, sed selecto eo, quod in illis vtile est, ac cuius gratia vsurpata ea sunt, quod reliquum fuerit, id totum missum facere nos oportet. Quemadmodum igitur quum ait, Collapsus ut leo sopitus est: quod in expugnabile ac terribile est, excerpimus, non quod ferinum, aut si quid aliud leoni conuenit: ac rursus quum ait, Occurram illis tanquam vrsis addubitans] quod ad vltionem pertinet. & quum ait, Deus noster ignis absumens: quod consumit, à supplicio videlicet manans: Ita & hic lutum, & figulū, & vasa desumere necesse est. Ac quū inducit ac dicit: An non habet potestatem figulus luti, ut ex eadem massa fingat aliud quidem vas in honorem, aliud verò in ignominiam? Caue ad opificij rationem existimes hæc à Paulo dicta fuisse, aut sententiæ necessitatem, sed ad œconomiarum potestatem, ac differentiam: nam nisi ita acceperimus, multa absurda sequentur. Etenim si de animi sententia hoc loco sermo habetur, & bonorum, & non bonorum erit ille opifex, videbiturque tum homo extra omnem culpam esse, tum Paulus ipse, qui vbi que ipsam voluntatem coronat, hac ratione secum ipse depugnare: hinc igitur aliud nihil agere vult, quam ut persuadeat auditori, ut maximoperè, ac supra quàm dici possit, Deo pareat, nullaq; de re ab eo rationem exigat. Quemadmodū enim figulus, ait, ex eadem massa, quæ vult vasa facit, ac nullus contradicit: ita & hic eodem ex hominum genere alios quidem supplicio, alios autem honore dum afficit, ne curiosus sollicitusq; sis cause peruestigator, sed hunc adorato tatum, & lutū imitare: ac quemadmodum illud figuli manus sequitur: sic & tu sententiam eius, qui hæc dispensat, nihil enim temerè, nec fortuito facit, ut etiam ignores sapientiæ arcana. Tu porò figulo permittis, ut massa ex eadem, dissimilia ac differentia vasa fingat, nec vitio vertis. A Deo autem rationem exigis tum suppliciorū, tum honorum: nec cõcedis, ut licet ipse, quis dignus, quis rursus indignus sit? sed quoniã eadem massa eiusdem substantiæ est, tunc easdem voluntates cõses dignas esse? quantam, quæso, hæc insaniam arguunt? Atqui ne in figulo quidem est ut ex eadē massa prodeat & quod honoratum, & quod ignominiosum est, sed ab eorum est vsu, qui vasa pertractant: quemadmodum & hic, à voluntate. Veruntamen quod prius dixi, in vnum hoc solum accipiendum est ipsum exemplum, quod videlicet non oportet Deo cõtradicere, quin potius incomprehensibili illius sapientiæ concedere: nam exemplum oportet maiora esse propositis, iisque, pro quibus ea in medium adducuntur, & quidem ut auditorem magis efficiant. Nam nisi maiora essent, maiorè que haberent hyperbolen, ea non quemadmodum oportet, contra-

Chrysof. tom. 4.

dicentem perstringere, ac pudefacere possent. Proinde importunã illorum contentionè ita obturauit conuenienti cum hyperbole. Adducit autem deinceps & solutionè. Quæ igitur solutio? *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potestatem suam, tulit multa animi lenitate vasa iræ apparata in interitum, & ut notas faceret diuitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam, quos & vocauit, nimirum nos, non solum ex Iudæis, verum etiam ex gentibus.* Quod autem ait, eiusmodi est: Vas iræ erat Pharaos, hoc est homo, Dei iram accedens per suam duritiam. Dei enim lenitatem ingentem nactus, melior nequaquam euadebat, sed incorrectus manebat: itaque illum non solum iræ vas vocauit, sed & ad perditionem præparatum, hoc est apparatus, à se quidem, & suo pro ingenio: neque enim Deus quicquam prætermisit eorum, quæ ad illius correctionem emendationemque facerent: neque ille quicquam omisit eorum, quæ ipsum perderet, omnique venia priuarent. Sed tamen hæc Deus quum probè nosset, tulit multa cum lenitate, volens ipsum ad pœnitentiam adducere: si enim hoc nolisset, ne lenitatem quidem tantam exhibisset: vbi autem noluit ille lenitate ad pœnitentiam vti, sed se ipse ad iram præparauit, vsus est illo Deus ad aliorum correctionem, per supplicij genus, quo illum affecit, cum alios ad virtutis studia addictiores, intentionè que reddens, tum suam ipsius potentiam hac ratione spectatam faciens. Quod enim non vult Deus sic suum robur innotescere, sed aliter, nempe per beneficentiam, liberalitatè que erga nos suam: id verò modis omnibus iam inde ab initio declarauit. Nam si Paulus non sic vult apparere potens, non enim ait, ut nos probati videamur, sed ut vos bonū faciatis: multo minus Deus. At verò posteaquàm proluxa vteretur lenitate, ut illum ad pœnitentiam adduceret, illum autem non pœniteret: tulit illum ad multū tempus, simul quidem suam declarans bonitatem, simul autem & potentiam, nisi vellet ille lucrum aliquid facere à multa hac lenitate, ac tolerantia. Ergo quemadmodum sumpto de eo qui incorrectus permanerat supplicio, potestatem ostendit suam: ita pleròq; peccatores ad pœnitentiam reuersos miseratus, benignitatè nobis suam spectatam, probatamque reddidit. nec dixit, benignitatem: sed, gloriam, ostendens videlicet, quod hoc ipsum maximè gloria Dei est, quodque ea curæ ac studio illi in primis est. quum autem ait, Quæ præparauit in gloriam, non Dei rem totam esse ait: quandoquidem si hoc esset, nihil esset, quod omnes saluos fieri prohiberet. sed rursus illius præscientiam declarat, Iudæorū que ac gètium differentiam tollit. Neque verò paruam hinc sermoni suo rursus defensionem adstruit. neque enim solum in Iudæorum gente alij quidem perière, alij autem salui sunt effecti, sed & in ipsis item gentibus id vsu venit. Itaque non dicit, omnes gentes: sed, ex gentibus. neque Iudæos omnes: sed, ex Iudæis. Quemadmodum igitur Pharaos vas iræ effectus est, à sua iniquitate: ita & hi vasa misericordiæ à sua probitate, gratò que erga Deum animo. quanquam enim quod plus est in re, ipsius Dei est: tamen & ipsi etiam paruulum quiddam attulerunt. quapropter non dixit, vasa rectè factorum, neque vasa fiducia: sed vasa misericordiæ, ostendens rem totam Dei esse, nam illum, Non volentis, neque currentis, et si in obiectionis ordine, ac loco dictum est, tamen à Paulo dictum, nullam affert dubitationem: quum enim dicit, non volentis, neque currentis, libertatem non tollit: sed ostendit rem totam non illius esse, sed superna indigere gratia: opus est enim & velle, & currere: confidere autem non propriis laboribus, sed Dei benignitati, quod & alibi ait: Non ego autem, sed

1. Cor. 13.

F

Dei gratia, quæ mecum est: ac rectè dixit, Quæ prapauerat in gloriam. Quæ quidem enim id exprobrabant, quod gratia salui essent effecti, sicque pudore illos afficere putabant, ex rationibus, quæ illi permultæ supererant, tollit suspensionem. Si enim Deo res ipsa gloriam attulit, multo magis illis, per quos Deus glorificatus est. Considera porro illius probitatem ac sapiëntiam infinitam: nam quum posset, deiis, qui supplicio adficiuntur agens, non Pharaonem, sed eos qui ex Iudæis peccauissent, proferre, atque hac ratione orationem apertiore reddere, tum ostendere, quod ubi iidem patretes, ubi eadem peccata, alij quidem perierint, alij autem misericordia donati fuerint, sicque persuadere non amplius dubitandum esse, si ex gentibus quoque nonnulli salui effecti essent, Iudæis perditis: sed id Paulus quum posset, tamen ut ne orationem inuidiosam redderet, supplicij quidem argumentum ac probationem à barbaro profert, ut ne illos videlicet iræ vasa appellare cogatur: eos autem qui misericordiam assecuti sunt, à Iudæorum populo assumit, quanquam, quod satis est, pro Deo defensione utitur, quod is videlicet quum intellexisset illum admodum seipsum præparantem vas perditionis, tamen sua officia contulerit, tolerantiam, lenitatem, nec simpliciter lenitatem, sed multam lenitatem: nec in Iudæis quidem id argumenti voluit exercere. Vnde ergo alij quidem vasa iræ, alij autem misericordiarum à propria voluntate. Deus autem admodum bonus quum sit, in vtrisque eandem ostendit bonitatem, etenim non eos modo, quos seruabat, miseratus est, sed & Pharaonem ipsum quærum quidem in ipso fuit. eandem enim lenitatem & illi & hic sunt assecuti, qui si seruatus minimè fuit, rei totius culpa ab illius animo accidit: nam Dei partes atque officia nihilo minus accepit, quam qui seruati sunt. Solutione igitur ad propositam quæstionem reddita, & quidè per res ipsas, ut & aliunde fidè sermoni magis conciliat, prophetas introducit, eadem multo antè tempore prædicetes. Etenim Osee, inquit, iam inde ab initio hæc scripsit, sic dicens: *Vocabo populum, qui meus non erat, populum meum? & eam, quæ dilecta non erat, dilectam.* Ut ne enim diceret, Imponis nobis per hæc verba Paule, Osee testem citauit, clamantem, ac dicentem, Vocabo populum, qui meus non erat, populum meum, quis enim non populus? gentes videlicet, & quæ non dilectæ? eadem rursus, sed tamen illos dixit & populum, & dilectam, & filios Dei fore. *Ibi enim vocabuntur, inquit, filij Dei uiuentis.* Quod si dixerint de Iudæis iis, qui credidè, hoc dictum fuisse, & ita quoque sermonis ratio constat. Si enim tanta in iis mutatio facta est, qui se se post tot, tantaque beneficia accepta, ingratos exhibuerunt, abalienarunt, ac populus esse amiserunt: quid impedimento fuit, quod minus ij, qui non post acceptam necessitudinem, ac familiaritatem se abalienassent, sed qui iam inde ab initio alieni, extraneique essent, vocarentur, & obedientes effecti, iisdem honoribus, ac præmiis digni haberentur? Quum igitur Osee protulisset, hoc solo contentus non est, sed & Esaiam post illum introducit consentanea huic loquentem. *Esaias enim clamat, inquit, super Israël, hoc est, cum fiducia vociferatur, nec reformidat, dissimulat. Quid igitur nos insimulatis, quum illi tuba clariùs, hæc multo antè tempore clamantes denunciant? Quid igitur illud est quod Esaias clamat? Si fuerit numerus filiorum Israël, ut arena maris, reliquæ saluæ erunt.* Vides ut ille etiam non omnes ait saluos fieri, sed eos qui salute digni sunt? Neque enim multitudinem, ait, moror, neque vereor genus sic effusum: sed illos salute dono tantum, qui se ipsi dignos præstant: nec verò temerè arenæ maris mentionem fecit, sed illos veteris

Osee 2.

Esa. 10. & Osee 1.

A promissi commonefaciens, quo quidem sese indignos reddiderant. Quid ergo tumultum cietis, tãquam promissio exciderit, quum prophete omnes declarent, non omnes saluos fieri? Deinde & salutis modum dicit. Vides diligentiam propheticam & prudentiam apostolicam, quale testimonium induxit? quàm valde aptum non enim solum nobis declarat, quod nonnulli sint, qui salui sãnt, & non omnes: sed & ut salui erũt, addit. Quo igitur pacto salui erunt? & quomodo illos Deus beneficentia dignabitur? *Sermonem perficiēs, & abbrevians cum iustitia, quoniam sermonem abbreviatum faciet dominus in terra.* Quod autem ait, hunc habet sensum: Non opus est circuitione, non laboribus, non afflictione ea, quæ ab operibus legalibus existit, sed magno cum compendio salus præsto erit. Tale enim est fides, in paucis verbis habet salutem. Si enim confessus fueris, ait in ore tuo dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quod Deus illum excitauerit è mortuis, saluus eris. Vides quid sit, sermonem abbreviatum faciet dominus in terra? & quod sanè mirum, id est, quod videlicet breuis hic sermo non salutem modo, sed & iustitiam attulit. *Et quem admodum prius dixit Esaias: Nisi dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, ut Sodoma facti fuissetis, & Gomorrhæ assimilati fuissetis.* Rursus hoc loco aliud quiddam declarat, quod videlicet ne pauci quidem illi ex se ipsi salui effecti fuerint. Etenim & hi quoque perierunt, & Sodoma casus illis accidisset, hoc est interuentionem perperissi essent (etenim illi omnes radicitus perierunt, nec ex se semen quoduis reliquerunt) & hi igitur ait, ut illi facti fuissent, nisi multa Deus bonitate vsus per fidem illos asseruasset. Hoc autem & in ea, quam senserunt, expertique sunt, captiuitate factum est: plures enim qui erant, adducti sunt ac perierunt: qui autem pauci, salui effecti sunt soli. *Quid igitur dicemus, inquit? Quod genus quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam.* Manifestissima iam hic solutio: *Iustitiam autem eam, quæ est ex fide. Contra, Israël qui sectabatur legem iustitiæ, ad legem iustitiæ non peruenit.* Posteaquam enim & ab operibus ostendit (non enim omnes qui sunt ex Israël, sunt Israël) & à maioribus Iacob, & Esau, & à Prophetis Osee, & Esaiam validissimam inducit solutionem, prius dubitatione per eum adaucta. Etenim duo sunt, quæ in quæstionem veniunt: Quod videlicet & gentes assecutæ sint, & non sectando assecuta: hoc est, studium independentes nullum: ac rursus in Iudæorum causa consimiliter dubia duo: quod videlicet Israël non est assecutus, & studium impendens non assecutus est. Itaque dictionibus ipsis significatiùs, expressiùsque vsus est. neque enim dixit, iustitiam habuerunt: sed, apprehenderunt. Quod enim maximè nouum, nec opinatumque est: id est demum est, quod qui sectabatur, non, apprehendit: qui verò minimè sectabatur, is apprehendit. Et quidem gratificari illis videtur dicendo, qui sectabatur: postea tamen letalem infert plagam, posteaquam enim fortem potest inducere solutionem, nihil reformidat grauiorem obiectionem facere. Propterea ne de fide quidem disputat, nec de ea iustitia, quæ inde manat: sed ostendit ante ipsam fidem, vel in propriis factis victos illos, atque condemnatos. Tu siquidem, o Iudæe, ait, ne eam quidem iustitiam, quæ ex lege esset, inuenisti: legem enim transgressus, & execrationi factus es obnoxius. Hi autem, qui nõ per legem, sed per aliam ingressi essent viam, maiorem hac inuenere iustitiam, eam scilicet, quæ est à fide: quod & superius dixit. Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriationem, sed non apud Deum, declaras quod hæc iustitia maior est illa. Proinde supra dicebam duo esse, quæ dubitationem afferrent, nunc autem & tres sunt effectæ quæstiones:

stiones: quod videlicet gentes & iustitiam inuenerunt, & non sectantes inuenerunt, & maiorem inuenerunt ea, quæ à lege esset, quæ sanè eadem & in Iudæorum causa è contrario rursus in dubitationem cadunt, quod videlicet Israël non inuenit, & studium impendens non inuenit, & minorem non inuenit. Coniecto igitur in dubitationem auditore, inducit deinceps breuem solutionem, causamque dicit eorum omnium, quæ dicta sunt. Quænam igitur est causa? *Nempe quod non à fide, sed tanquam ab operibus.* Hæc manifestissima loci totius solutio, quam statim in proœmiis si dixisset, non ita acceptabilis fuisset. Posteaquam autem illam post multas dubitationes, post argumenta, ac probationes posuit, infinitis prius correctionibus vsus, tum demum intelligibiliorem, ac magis plausibilem reddidit. Hanc enim ait illorum exitij causam esse, Quia non ex fide, sed tanquam ex operibus legis iustificari voluerunt. Et non dixit, ex operibus, sed tãquam ex operibus legis, ostendens quod ne hanc quidem habuerint iustitiam. *Impegerunt enim in lapidem offendiculi, quemadmodum scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offendiculi, & petram offensionis, & omnis qui credit in eum, non pudebit.* Vides rursus ut à fide existat fiducia, & vniuersum donum? neque enim de Iudæis dictum est solum, sed de vniuerso hominum genere: quisquis enim, ait, sit ille vel Iudæus, vel Græcus, vel Scythæ, vel Thrax, vel quiuis alius, qui crediderit, magna perfruetur fiducia. Quod autem in propheta mirum, quod non quod credunt solum dixit, sed quod & diffidunt: nam verbum id, impingo, diffido significat. Quemadmodum igitur superius, quum eos qui & perirent, & salui fierent declarasset, dixit: Si fuerit numerus filiorum Israël, ut arena maris, reliquæ saluæ fiēt, & Nisi dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, ut Sodoma facti fuissetis, & Gomorrhæ assimilati fuissetis, & Vocauit non solum ex Iudæis, sed & ex Gentibus. sic sanè & hic dicit, quod alij quidem credent, alij autem impingent, impingit porro quisquis non attendit, quisquis ad alias res hianti ore fertur. Quoniam igitur & hi legi attenderent, impegerunt in lapidem, offendiculi autem lapidem, & petram offensionis dicit, ab ipsa mente & ab exitu eorum, qui non crediderunt. Num vobis aperta sunt, quæ diximus? an ea maiori indigent perspicuitate? Equidem ea facile ab iis capi posse puto, qui animum attenderint: quod si nonnullos latent, licet illis priuatim mecum congressis interrogare, sicque discere: propterea enim longiore vsus sum sermonis enarratione, ut ne tenoris continuatione interrupta, dictorum claritatem obfuscare cogere. Itaque & hic orationem finiam, nihil de iis apud vos differens, quæ magis ad mores faciunt: quod alioqui consuetudinis est nostræ, ut ne rursus dictorum copia meorum, memoriæ vestræ luminibus obstruat. Tempus itaque iam fuerit in conuenientem finem definere, orationem claudentes, referenda illi gloria, qui vniuersarum rerum Deus est. Communiter ergo con-

Esa. 28.

Infr. 10.

Chrysof. tom. 4.

B R I X I V S . R E L I Q V Æ S E D E C I M
per Musculum quidem prius versæ fuerant: sed
nunc multis in locis per Philippum Montanum
auctæ sunt & emendatæ ad exemplar Veronense,
quod Brixius plerisque in locis correxerat è manu
scripto codice, quem ab Erasmo acceperat.



R A T R E S , p r o p e n s a q u i d e m v o l u n t a s c o r d i s
mei, & deprecatio quæ fit ad Deum, pro ipsis est
ad salutem. Quoniam illos iterum est re-
prehensurus, idque vehementius quam an-
tea, iterum quoque omnis inimicitia su-

spicionem tollit multaque vitur preparatione. Nõ est, inquit, quod verbis meis, & reprehensionibus simpliciter intendatis: sed obseruandum, quod ista non hostiliter dico. Neque enim eiusdem est animi, salutem illorum desiderare, immo & precari, & rursus ex odio auersari. Propensam quippe voluntatem hic vehemens desiderium vocat. Et vide quo pacto ipsa etiam precatio ab hoc animo fiat. Non enim ad hoc tatum, ut supplicium euaderent, sed ut & saluarentur, multum impendebat & studij, & precationis. Non autem hinc solum, sed & in sequentibus ostendit, quam propensa in illos voluntate fuerit. Ab illis enim, quæ Iudæis cõcedi poterant, quantum possibile erat vmbra saltè quandam defensionis & excusationis inuenire instantem & contentiosè querit quidè, verum ab ipsa reuera natura victus non valet. *Testimonium enim, inquit, illis perhibeo quod zelum Dei habent, sed non secundum scientiam.* Hæc itaque non accusatione, sed venia digna sunt. Si enim non propter hominem Christum, sed propter zelum auulsi sunt: oportebat ut misericordia illis impenderetur, magis quam ut puniretur. Sed vide quã cautè verbo quidem illis gratificetur, & tamè interea simul ostendat intemptiuam illorum esse contentionem. *Nam ignorantes, inquit, Dei iustitiam.* Rursus & hoc veniam exigere videtur: sed quod sequitur, & vehementem habet reprehensionem, & omnè tollit apologiam. *Et propriam, inquit, iustitiã statuere querentes, iustitia Dei nõ fuerit subditi.* Hoc autem dicēs, ostendit quod per contentionem & primatus ambitum, magis quam per ignorantiam errauerint, & quod neque eam iustitiam, quæ ex legalibus est obseruationibus statuerint. Quod enim dicit, querentes statuere, hoc ipsum ostendens est, licet aperte quidem illud nõ posuerit. Non enim dicit, quod ab vtraque iustitia exciderint. Hoc ipsum tamen admodum scitè, decentique sapiëntia subindicat. Nam qui illam adhuc statuere querunt, satis ostendunt se nondum statuisse: & si huic nõ fuerit subditi, patet, quod & ab ea exciderint. Propriam uerò iustitiã illam vocat, vel ob id quod lex antiquata amplius non vigeat, vel quod laborum esset ac sudorum. Hanc verò iustitiã Dei vocat, nimirum quæ ex fide est, propterea quod omnino ea ex superna gratia sit, nec laboribus, sed Dei dono iustificamur. Verum quoniam illi perpetuò spiritui sancto resistentes, per legem iustificari contendebant, ad fidem non accedebant. Ad fidem verò non accedentes, neque iustitiam quæ ex illa est, apprehedentes, deinde per legem etiam iustificari nõ valentes, vndiq; exciderunt. *Finit enim legis Christus est, ad iustitiã omni credenti.* Vide Pauli prudentiã. Quoniam enim & hic iustitiam, & illic quoque iustitiã dixerat, ne putarent ex Iudæis credentes, hanc se habere quidem, illa verò priuatos esse, atque ideo iniquitatis damnari

(credibile enim erat quòd illi non minus timuerint, utpote in fide adhuc recentes) néve Iudæi rursus illam se præstare posse putantes dicant, etiam si illam nòdum impleuimus, implebimus tamen omninò, vide quid agat. Ostendit vnam esse iustitiam, illamq; in ista consummari, & quòd qui istam acceperit, quæ per fidem est, illam quoque impleuerit: qui verò eam repudauerit, quòd is ab vtraque exciderit. Si enim legis finis est Christus: sequitur, quòd qui Christum non habet, etiam si legis iustitiam habere videatur, eam tamen non habeat: qui verò Christum habeat, etiam si legem non præstiterit, totum tamen acceperit. Etenim medicinæ finis est sanitas. Quemadmodum igitur qui sanum facere potest, etiam si medendi artē non habuerit, totum tamen habet. Qui verò curare non nouit, etiā si videatur artem exercere, prorsus tamen excidit, ita quoq; in negotio legis habet & fidei: fidem enim si quis habet, is etiam legis finē habet. Extra fidē si quis fuerit, vtriq; alienus est. Quid enim lex vult? Hominem iustum facere, sed non potest, nemo siquidem illā impleuit. Hic itaq; legis quidē erat finis, atque huc respiciebant omnia, ad hoc omnia fiebāt, siue solēnitates festiuæ, siue mandata, siue oblationes, & si qua sunt reliqua, vt homo iustus redderetur: sed hunc finem Christus magis per fidem assequutus est. Non est itaq; quòd timeas, inquit, velut legis transgressor, posteaquam ad fidem accessisti. Tunc enim legē transgredieris, quādo Christo propter illam non credis. Quòd si illi credideris, & hanc implesti, & multò plura quam ea præceperat: multò siquidem maiorem iam accepisti iustitiā. Quoniā verò ista à Iudæis negabantur, ex scripturis deinceps ea denuò firmat. *Moses, inquit, iustitiam quæ ex lege est, scribit. Quòd autem dicit, hoc est: Moses ostendit nobis eam quæ ex lege est iustitiam, qualis illa sit, & vnde cōstet: nimirū, vt quæ mādāta sunt, adimpleātur. Qui fecerit ea, inquit, viuet in illis.* Neq; enim aliās licet in lege iustificari, nisi eum qui cūcta adimpleuerit. Id verò nemini dum possibile factū est. Intercidit itaque iustitia illa, sed dic nobis o Paule alteram quoque iustitiam quæ ex gratia est. Quæ est igitur ista, & in quo cōsistit? Audi quā clarè eam describat. Posteaquam enim illā perstrinxit, deinceps & ad istā transit, dicens: *Quæ verò ex fide est iustitia, sic dicit, Ne dixeris in corde tuo, quis ascēdet in cælum? hoc est Christū deducere, aut, Quis descēdet in abyssum? hoc est Christum ex mortuis reducere. Sed quid dicit? Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo. Hoc est verbum fidei quòd predicamus. Nempè, si confessus fueris ore tuo dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quòd Deus illum excitauerit à mortuis, saluus eris.* Ne Iudæi dicant, quomodo maiorem iustitiam inuenerunt, qui minorem non repererunt? rationem adducit cui contradici nequeat, nimirū quòd hæc via illa sit leuior. Illa siquidem omnium exigit adimplerionem: nam quando cūcta feceris, tum primū viues. Quæ verò ex fide est iustitia, istud non loquitur. Sed quid? Si confessus fueris ore tuo dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quòd Deus illū excitauerit à mortuis, saluus eris. Deinde ne rursus illā cōtēptibilem reddat, ob id quòd facilē & simplicem esse demonstrat, vide quo pacto sermonem, de illa differēs, dilatat. Non enim subito huc accēdit, quemadmodū diximus. Sed quid dicit? Ea verò iustitia quæ ex fide est sic loquitur? Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cælum? hoc est Christum deducere: aut, Quis descendet in abyssum? hoc est Christum ex mortuis reducere. Quemadmodum enim virtuti, quæ per opera est, sollicitudo, laborēque remittens animi dissolutio, resistit, ita vt admodum vigilāti mēte sit opus, ne illi cedatur: ita & quādo credendum est, occurrunt rationes, multorum animos

Luc. 18.

Eze. 20.

Deut. 30.

& inturbantes, & vastātes, vt viridior animo opus sit, quatenus propulsentur. Atque idē illas etiam in medium adducit. Et quòd in Abrahamo fecit, idē & hic facit. Nam & illic, cum ostendisset illum ex fide iustificatum esse, ne quasi frustra videretur, & præter causam tantam accepisse coronam, vt apud quem per fidem referatur nihil esset operis, fidei naturam extollens, dicit: Qui præter spem in spem credidit, in hoc vt fieret pater multarum gentium. Neque infirmitas fide, considerauit suum ipsius emortuum iam corpus, & emortuum vterum Saræ: verum ad promissionem Dei non hæsitabat ob incredulitatem, dans gloriam Deo, certoque persuasus, quòd qui promiserat, idē potens esset & præstare. Atque ita ostendit quòd fortitudine sit opus animoque sublimi, ea quæ præter spem amplectente, atque in visibilibus non offendente. Hoc igitur & hic facit, ostenditque quòd philosophi mēte, animoque cœlesti quadam sublimitate excelsò ac magnifico sit opus. Et nō dicit, ne dixeris simpliciter: sed, ne dixeris in corde tuo: hoc est, neque cogites etiam vt dubites dicāque apud teipsum: Et quo pacto poterit hoc fieri? Vides quòd hoc potissimum peculiare sit fidei, vt omni infra nos relicta rationis sequela, quòd supra naturam est inquiramus, cogitationūq; infirmitate per diuinam virtutem & potētiam ciecta, promissa Dei cūcta complectamur? Quanquam non ista solum dicebant Iudæi, sed quòd impossibile sit etiam ex fide iustificari. Paulus verò istud ad aliud factum ducit, vt posteaquam ostenderit illud vsque adeò magnum esse, vt fide etiam postquam fuerit factū, opus habeat, meritò videatur credentibus coronam texere. Vt autē verbis in veteri testamento positus, perpetuò studens nouitatis inimicāq; impugnationis conuicia effugere. Quòd enim hic de fide dicit, istud & Moses illis de mandato dicit, ostendens quòd multa essent potiū Dei beneficentia. Non enim est, inquit, quòd dicas, quòd in cælum conscendere oporteat, magnūque transire pelagus, atque inde mādāta desumere, sed quæ tam magna sunt & grauiā, leuia vobis fecit Deus. Quid verò est quòd dicit, propè est tibi verbum? Hoc est facile est: in mente siquidem linguāque tua salus est. Non opus est, vt aut longo emenso itinere, aut per nauigato mari, aut superatis montibus salueris: sed si ipsum etiam limen transgredi nolueris, licet tibi domi quoque sedenti salutem consequi. In ore nanque tuo, & in corde tuo salutis est causa. Deinde vt & aliunde facilem faciat fidei sermonem, dicit, quòd Deus illum excitauerit à mortuis. Considera siquidem excitantis dignitatem, & videbis nullam amplius in hac re difficultatem esse. Quòd autem Christus sit dominus, ex resurrectione manifestum est: id quòd & cum epistolam hanc ordiretur, dixit: Qui declaratus est, inquit, filius dei ex resurrectione mortuorū. Quòd autem & ipsa resurrectio facilis sit, ex ipsa suscitantis fortitudine ostensum est, & quamuis incredulis probatum. Cum itaq; & maior sit fidei iustitia, & leuis ac susceptu facilis, sitq; impossibile aliūde iustificari: an non extremæ fuerit contentionis, relicta quæ leuia sunt, & facilia, ad impossibilia contendere? Neque enim dicere, quòd hanc rem, velut grauē & onerosam deuitauerint. Vides quomodo omni illos venia priuet? Qua namque poterunt excusatione digni haberi, qui quòd grauius est & inefficax acceptātes, id negligunt, quòd præterquam quòd leue est, saluare etiam illos poterat, eaque præstare quæ lex dare non valuit? Nihil itaq; aliud in causa est, quam contentiosus animus, Deoque seditiosè repugnans: lex enim grauis est, gratia verò facilis. Deinde lex etiā, si innumeris modis contenderint, non saluat: gratia verò &

Ioel. 32.
σὺ λῶν τῆς
πάντα ἔσθι
καὶ πίνε
καὶ πάλιν
ἔσθι.

8ap. 3.

Ivan. 5.

rò & suam, & quæ legis est, iustitiam præstat. Quis itaq; sermo hinc illos eximet, cum tam contentiosi sunt aduersus gratiam: legem verò frustra & inaniter quidem, mordicus tamen complectātur? Deinde quoniam magnum quid dixerat, id ipsum rursus ex scriptura confirmat. *Dicit enim scriptura, inquit, Omnis qui credit in illum, non pudebit. Nō enim est distinctio vel Iudæi, vel Græci. Nam idē dominus omnium, diues in omnia, & in omnes inuocantes se. Quisquis enim inuocauerit nomen domini, saluus erit.* Vides quomodo & fidei & confessionis testimonia adducat? Cum enim dicit: Omnis qui credit in illum, fidem declarat: cum verò dicit, Quisquis enim inuocauerit, confessionem manifestat. Deinde rursus cōmunionem & æqualitatem gratiæ prædicans, Iudæorumque factum constringens, quæ multis antea declarauerat, eam iam breuius admonet, iterum ostēdens nihil inter Iudæum & præputiatum esse differentiæ. Non enim est distinctio, inquit, Iudæi & Græci. Et quòd in horum probatione de patre dixerat, illud hoc loco & de Christo dicit: Quemadmodum enim in præcedentibus, cum idem ageret, dixit: Num Iudæorum Deus tātum? Nunquid & Gentium? Quoniā quidem vnus est Deus: ita & hic inquit, nam idē dominus omnium, diues in omnia & in omnes inuocantes se. Vides quomodo Deum salutis nostræ vehemēter cupidum ostendat, siquidem illam diuitias suas peculiariæ æstimat, ita vt illi iam nihil habeant caulæ, qua vel desperent, vel si respicere voluerint, nullam se reperturos veniam arbitrentur? Qui enim peculiare suas putat esse diuitias, si nos saluet, ditescere vtique non cessabit. Nam & istæ sunt diuitiæ, quòd donum suū in omnes effundit. Quoniam verò illos & hoc maximè disturbabat, quòd cum præ eminentia totius orbis essent potiti, nunc per fidem ab illis thronis dei ciebantur, ita vt nihil reliqui haberent amplius, continuo prophetas qui eam honoris æqualitatem illis præcinuerāt, inducit. Omnis enim, inquit, qui credit in illum, non pudebit. Et quisquis inuocauerit nomen domini, saluus erit. Vbiq; autem vniuersale illud, omnis, aut quisquis, posuit, ne quid haberent quòd contradicerent.

MORALE.

Sed nihil est inani gloria peius, ipsa quippe, ipsa, inquam, omnium maximè illos perdidit. Vnde & Christus illis dicebat: Quomodo potestis credere, qui gloriam à vobis inuicem captatis, & gloriā quæ à solo Deo est, non queritis? Hæc scilicet inanis gloria cum perditione multam simul & irrisionem inducit, & ante supplicium illud futurum innumeris hic quoque malis inuoluit. Itaque, si placet, vt hoc intelligas, relicta interca cœlis est quibus nos excludit, præteritāq; gehenna in quam nos deiicit, rem omnē, vt hic geritur, scrutemur. Quid igitur illa sumptuosus? Quid illa turpius? quidnā poterit esse difficilior? Quòd enim hic morbus æquo sumptuosior sit, ex iis patet, quæ theatris, quæ equorum certaminibus, aliisq; eiusmodi intēpestiuis ambitionibus frustra & inaniter iussumūtur, vt sunt eorum etiam qui splendidas & preciosas domos ædificāt, aliāque omnia quæ ad abundantiam inuolē faciūt, studiose comparant, quæ quidem singula sermone iam cōplecti propositum non est. Quòd autem oporteat eum qui adeò sumptuosus prodigūq; morbo laborat, rapacē simul & auarum esse, omnibus modis clarū est: vt enim habeat vnde venatorem alat, in aliorum substantias manus iniicit. Et quid dico substantias? Neque enim pecunias solum, sed & animas hic ignis deuorat, nō solum, præsentem, sed & futuram mortem parās. Mater enim gehennæ est inanis gloria, ignemq; illum vehementer accen-

Chrysof. tom. 4.

dit, vermēq; pestiferum confouet. Videre est illam & in mortuis vires obtinere, qua re quid poterit fieri peius? Aliæ siquidem passiones morte finiuntur: ista verò & post mortem violēter instat, naturamq; suam, etiam in emortuo iam corpore, ostendere contendit. Quom enim splēdida sepulchra omnēque ipsorum substantiam confumentia morientes sibi erigi curent, atque vt in sepultura multus antea luxus adhibeatur, affectent: quomq; viuētes quidem pauperes ipsos pro obolo & pane vno accedentes contumelia adficiant, morientes verò tam sumptuosam mensam vermibus præbeant: quam, quæso, aliam quæres in hoc morbo tyrannidis excellentiam? Ab hoc etiam malo absurdi nascuntur amores. Multos siquidem, neque faciei venustas, neque commixtionis concupiscentia, sed quòd habeant vnde gloriantur, & dicant, hanc & hanc ego decepi, in adulterium conieci: & quid opus est reliqua mala quantā hinc pullulent recensere? Elegerim potius innumerorum barbarorum seruitutem, quā semel vnus inanis gloriæ. Neque enim captiuis illis suis talia præcipiunt, qualia subditis suis ista iubēdo mandat. Omnium, inquit, seruus esto, siue fuerint te splendidiore, siue etiā viliores. Animam contemnit, virtutem negligit, libertatem ridet, salutem tuam destruit: & si bonum quid feceris, non ad hoc facito vt Deo placeas, sed vt multis ostentes, & coronam quæ beneficientes manet, perdas. Et si eleemosynam dederis, aut ieiunaueris, laborem quidem sustineto, lucrum verò perdere studeo. Quid quæso, poterit hæc præceptis crudelius fieri? Hinc & inuidia initium suum habet. Hinc quoque malorum omnium mater, pecuniæ cupido oritur. Multitudo quippe famulorum, aurigeri, barbari, parafiti, aduatores, vehicula argētō conspicua, aliāque istis vaniora, neque voluptatis, neque necessitatis cuiuspiam, sed solius vanæ gloriæ gratia fiunt. Ista profectò sic habent, inquit: verum quòd malus quidē sit hic morbus plane manifestum est, quomodo autem illum effugiamus, necesse erit vt dicatur: Maximè sanè, quòd si tibi hoc potissimum persuaseris, nempè hunc morbum esse grauem, optimum iam correctionis initium feceris. Tum enim ægrotus confessum de medico cogitat, cum ante omnia primū ægrotare se cognouerit. Quòd si & aliā viam, qua morbum hunc effugas, quæsieris, respice ad Deum continuo, & ea quam ab illo expectas gloria contentus sis. Si quando te morbus hic titillauerit incitaueritque, vt conferuis tuis quæ rectè facta gesseris gloriam narres, rursus cogitans, quòd nihil inde fructus, etiam cum dixeris, sis accepturus, absurdam hanc concupiscentiam extinguas, animæ tuæ ad hunc modum immurmurans: ecce tantum temporis parturienti laborasti, vt quæ rectè gesseras aliis inuulgares, & cum tantum temperantiæ non haberes, vt silentium seruares, omnibus ea obtrusisti: iam dic, quæso, quid utilitatis amplius inde ceperis? Nihil planè, nisi extremum damnum, nimirum quòd irrita facta sunt omnia quæ magno labore concesseras. Post hæc & illud perpēdas, quòd multorū sentētia sit corrupta, corruptūque iudiciū: nō solum corruptum, sed & quòd subito marcescat. Nam etiam si ad horā admirētur, puncto tamen temporis vix præterito, omnium obliuiscuntur. Atque ita fit, vt à Deo tibi datam coronam eripiāt, & eam quam ab ipsis expectabas, conseruare tibi nequeant. Quanquam etiam si manserit, multæ tamē miseræ fuerit, diuinam illam ista commutasse. Cum verò nec ista maneat, sed prorsus diffuat: quam habebimus excusationem, qui propter instabilem, perpetuam illam prodimus, propter paucorum præconia tanta bona perdentes? Quanquam etiam si multi fuerint lau-

Mellior les
quo habet
ἀμάρτια
ἀμαρτία,
id est, se-
pulchra
splēdida.

Præcepta
inanis gloriæ.

etiam sic
comiserat
tione di-
gnus es.
Luc. 6.

datores, † & ipsi tamen quoque digni sunt, qui velut miser non æstimentur,] idque tum magis, quum plures sunt qui hoc faciunt. Si verò mirum videtur quod dico, audi Christum ipsum idem censentem: Væ enim vobis, inquit, quando laudauerint vos omnes homines: & valdè meritò. Si enim cuius arti, non quosuis, sed ipsos opifices iudices requiris, quomodo virtutis probationem multis committis, & non præ omnibus vni illi: qui quum omnia sciat, solus etiam vel exturbare, vel coronare potest? Hoc itaque Christi verbum inscribamus & parietibus, & ianuis, & menti, dicamúsque; continuè nobisipsis: Væ nobis si quando laudauerint nos omnes homines. Nam ipsi etiam laudatores te postremò velut vanæ gloriæ, vani honoris, præconiique quod ab ipsis sit, stultè amantè vituperabunt. Deus autem non ita, sed quum viderit te eius, quæ ab ipso sit, gloriæ cupidum, tum te potissimum laudabit, celebrabit, prædicabit. homo verò aliter: nam is postquam pro libero seruum te acceperit, nudo plerumque verbulo tibi falsam laudem gratificatus veram abs te mercedem aufert, & sibi magis quam quemuis emptitium, subiicit: habent enim illos præceptis suis obedientes qui illorum dominantur, tu verò etiam sine præceptis seruis. Neque enim expectas vt quicquã præcepti ab illis audias, sed quamprimum cognoueris tantum, quo pacto gratificari queas, omnia facis, ipsis etiam nihil præcipientibus. Quanta igitur gehenna digni non erimus, qui cum flagitiosis hominibus vsque ad eò delectamur, vt etiam quum nihil præceperint, seruiamus: Deum tamen nullo non die præcipientem, & adhortantem, neque sic etiam audientes colimus? Quòd si omnino gloriæ, laudemque; factus es amator, fac laudem quæ ab hominibus est fugias, atque tunc verè innumeris laudibus & apud Deum, & apud homines fruëris. Nihil enim solent æquè admirari, atque eum qui nec celebrari, nec laudari sustinēs, omnia ista contemnit. Quod si nos ita solemus, multò magis qui omnium Deus est. Quando verò is te glorificauerit, ac laudauerit: quis quæso, te fuerit beator? Quantū enim inter gloriam, & ignominiam: tantum inter cœlestem illam gloriam, & hauc humanam est differentia. Imò multò ac infinitò plus. Si enim ista nulli collata, turpis est ac deformis: cogita quanta futura sit turpitudò, si quando eam ad alterius collatione exquisierimus. Quemadmodum enim prophana mulier in prostibulo consistens, † quibusuis] sui copiam facit: & sic & qui vanæ gloriæ dediti sunt. Imò turpius etiam quam istiusmodi mulieres. Illæ siquidem quosdam amatores suos contemnere sæpenumerò solent: tu verò te ipsum quibusuis, & fugitiuis, & latronibus, & furibus exponis. Ex illis quippe & eiusmodi theatra, vnde laudemini constituta sunt. Et quos seorsim in se ipsis, ne tãtillo quidem dignos estimas, illos collectos tuæ ipsius salutis præponis, teque ipsum omnibus istis viliorè esse decernis. Quomodo enim non es vilior qui illorū opus habes præconio, quique; tibi te ipsum sufficere nō putas, nisi gloriã aliunde capias? Non consideras, dic quæso, præter ea quæ dicta sunt, & istud, quòd cum illustis fueris, omnibusque; cōspiciuis, si peccaueris innumeros habiturus sis accusatores, ignobilis verò si fuisses, securior multò mansurus? Verum est, inquit, sed vicissim si rectè fecero, innumeros quoque habebò, qui admirentur. Atqui istud vtique graue est, quòd hic vanæ gloriæ morbus te nō solū quum peccaueris, sed & quum rectè quid gesseris, damno afficit: illic quidem † & mille ludibriis exponēs,] hinc verò omni profus virtutum mercede spoliās. Graue quidem fuerit omni que; ignominia plenū, in politicis rebus gloriam sectari. Cæterum quum in spiritalibus quoque; hoc idem

Luc. 6.

ad quæstū.

quum plurimos subuertens.

A feceris, quis veniæ locus tibi erit relictus, si ne tantum quidem honoris Deo tribuere velis, quātum ipse à domesticis habes? Seruus quippe ad oculos heri sui respicit: mercenarius operator ad operis sui dominum præmia daturum, discipulus ad præceptorem. Tu verò omninò contrarium facis, Deum qui remunerat, dominumque relinquens, ad conseruos respicis, etiam si scias quòd Deus rectè factorū tuorum etiam in futurū recorderetur, homo tamen ad præsens tantum, & quum habeas in cœlo theatrum constitutum, spectatores tamen in terra tibi colligis. Athleta quidem vbi certat ibi & probari cupit: tu quum in superioribus certes, in inferioribus coronari quæris. Et quidnam poterit haec amentia peius fieri? videamus autem, si placet, & coronas. Illa quidem ex arrogancia constat, ista verò ex inuidia que aduersus alterum est concepta, quædam ex ironia & adulatione, propter pecunias alia, nonnulla etiam ex seruili ministerio. Et quemadmodum pueri ludentes ex fœno coronas inuicem imponunt, coronatum autem sæpenumerò eius rei ignarum, post tergum irridet: ita sanè & nunc qui te in faciem prædicant, apud seipos clanculum subsannāt, atque ita quid aliud sit, quam quòd & nobis inuicem fœnum coronantes imponimus? Et vtinam nihil aliud quam fœnū. Nunc autem multo etiam nocemento plena est hæc nostra corona: nam omnia nostra rectè facta perdit, cōsiderata itaque ipsius vilitate, damnū istud effugito. Sed dic quæso, quot velis habere laudatores? centum? seu bis, seu ter, seu etiam quater totidem? imò si volueris, pone vel decies, vel vigesies totidem: quin sint duo millia, aut etiã quatuor, vel si ita placuerit, innumerum qui applaudant, nihil tamen illi omnes à graculis desuper garriētibz differēt: Imò si angelorum theatrum perpenderis, apparebunt illi vermibus etiã viliores, illorumque; præconium arancarū textura fumoque; & somniis infirmius. Audi verò quomodo Paulus ista diligenter confirmet, non solum inania hæc non querēs, sed & deprecans, quū dicit: Mihi verò absit gloriari, nisi in cruce domini. Hanc itaque gloriationem tu quoque æmulare, ne dominum exacerbes. Ista quippe faciens, non solū tibi ipsi, sed & Deo contumeliosus es. Neque enim si p̄ctor existens discipulum aliquem habuisses, qui quæ artis sunt tibi ostendere contemnens, tabellam foras simpliciter obseruantibus, & imperitè ostentandi gratia proposuisset, mansuetè tulisses. Quòd si istud in conseruus contumeliæ loco est, multò magis erga dominum. Si verò rem hanc contemnere, aliunde quoque discere voles, fac mente sublimi sis, irride quæ visibilia sunt. Auge veræ gloriæ amorem. Plenus esto grauitatis spiritalis. Dic ad animam tuam quemadmodum Paulus dixit: Ignoras quòd angelos iudicaturi sumus? atque ab hoc cœno excitatam increpato deinceps ac dicito: Angelos iudicatura es, & vis ab immundis iudicari, cumque saltatoribus, mimis, bestiariis, atque aurigis laudari? Eadem enim & illi præconia sectantur. Tu verò horum clamore sublimiores a-las tibi para, æmulareque illum solitudinis ciuem, inhabitatorem Ioannem, ac discce, quomodo ille multitudinem contempserit, adulatorisque videre nō curauerit, neque quum videret totius Palæstinæ habitatores circum se fusos, admirari stupereque, vel tantillum tamen eiusmodi fuerit inflatus honore: sed ipsis non aliter quam adulescentulo cuiquam ex aduerso institerit, cum tanto populo differens, obiurganter diceret, † Gennemata] viperarum, & quæ sequuntur. Et tamen propter illum relictis ciuitatibus, concurrebat, quatenus sacrum illud caput viderent. Veruntamen ipsum nihil horum emolliuit. Procul enim erat à gloriæ stu-

Hic sup.

Ibidem

argumen-
tum vel re-
prehensio-
nem.
Hic sup.

Esa. 52.
Naum 2.

Inci-
pimus
serpē-
gemini

173
riæ studio, & ab omni factu liber. Sic & Stephanus, quum populum videret non se honorantem, sed infanum, dentibusque frementem, ira illorum superior factus, dicebat, Dura ceruice & incircunciso corde. Ad eum modum & Helias præsentibus militum castris, regēque & populo cuncto, dicebat: Vsquequo utroque poplite claudicatis? Nos verò seruili ministerio quibusuis adulamur, quatenus honorem ab illis emamus. Atque ideò sursum ac deorsum turbantur omnia, ob eamque gratiam produntur quæcunque Christianissimi sunt, negligunturque omnia propter eam quæ à multis est, acquirendam laudem. Exterminemus itaque morbum istum, & tunc verè sciemus quæ sit animi libertas, qui portus, quæ tranquillitas. Vanæ siquidem gloriæ cupidus, similis illis est qui tempestates ferunt, semper tremens, semper timens, innumerisque dominos obseruans. Qui verò extra illam est tyrannidem, rectè comparatur iis qui in portu constituti, integra iam libertate potiuntur. Alius verò non item, sed quàm multis est cognitus, tam multos habet dominos, omnibus seruire coactus. Quomodo ergo hac dura seruitute liberabimur? Si aliã gloriã adamauerimus, nepe eam quæ vera est gloria. Quemadmodū enim eos qui corpora amant, alia splendidior facies visa à priore separat: sic & eos qui gloriã hanc depereunt, splendida illa cœlestis gloria conspecta si fuerit, ab ista abducere poterit. Videamus igitur illam, diligentèrque perdiscamus, quatenus illius admirati pulchritudinē, huius turpitudinē fugiamus, multaque voluptate freti, in illa sine intermissione deliciemur: quæ vt omnes adsequamur, gratia fiat & benignitate &c.

HOMILIA XVIII.



QVOMODO igitur inuocabunt eum, in quem non crediderunt? Quomodo autem credent in eum, de quo non audierunt? Quomodo verò audient sine prædicante? Quomodo autem prædicabunt nisi mittantur? sicut scriptum est. Rursum eos venia priuat: quoniam enim dixerat, Quia testimonium illis perhibeo quòd zelum Dei habeant, sed non secundum scientiam: & Ignorantes Dei iustitiam, iustitiæ Dei non sunt subditi: iam deinceps ostendit, quòd huius etiam ignorantia pœnas Deo debeat. Hoc autem licet apertè ad eum modum non dicat, huc tamen conatur per interrogationē sermonem instituens, argumentumque clarius facit, dum per obiectionem ac solutionem omnem hunc locū texit. Obserua verò: supra inquit, dixit propheta, quòd quisquis inuocauerit nomen domini, saluus sit futurus. Sed dicet forte quisquam, & quomodo poterunt inuocare eū in quem non crediderunt? Deinde & post hæc obiectionem sequitur ipsius interrogatio, nimirum, quare non crediderint? post hæc & alia obiectio: poterit enim omninò dici, & quomodo credent, cum non audierint? Atqui audierunt, inquit. Deinde & alia rursus obiectio: Et quomodo potuissent audire absque; prædicatōe? Cuius iterum solutio subiungitur. Atqui prædicarūt multi ad hoc missi scilicet. & vnde manifestū quòd isti sint missi illi? Tū rectè prophetā inducit, dicentem: Quam speciosi pedes annuntiantium pacem, annuntiantium bonam? Vides quomodo à prædicationis modo ipsos prædicatores declaret? Circuibant enim nihil dicentes aliud, quàm ineffabilia illa bona, pacemque que; inter Deum & homines facta erat. Itaque dum increduli persistitis, non nobis, inquit, diffiditis, sed Esaiæ qui ante multos etiam annos prædixit quòd mittendi essemus, quòd prædicaturi, & quòd illud quod diximus, dicturi. Salus

A itaque cum in eo sit vt inuocetur nomen domini, inuocatio verò fidem exigat, fides autem vt auditum sit, audire verò vt prædicetur, prædicatio vt mittatur, missi autem sint ac prædicauerint, circumcunte cum illis etiam propheta, qui de illis prædicet ac dicat: Hi sunt illi quos ante multa tempora manifestaui, quorumque pedes laudaui: manifestum relinquitur propter ipsum prædicationis apostolicæ modum, Iudæorum tantummodo culpa factum esse, quòd non crediderūt. Omnia siquidem à Deo impleta sunt. At non omnes obedierunt euangelio: Esaias enim dicit: Domine, quis credidit sermonibus nostris? Ergo fides ex auditu est, auditus autem per verbū Dei. Quoniam rursus & aliam obiectionem inducerant, dicentes: Quòd si hi sunt qui missi, atque à Deo missi sunt, oportebat vt omnes illis obedirent. Vide Pauli prudentiam, quomodo hoc ipsum quod turbas dabat, tale esse ostendat, quòd turbas illas tumultuationemque etiam prorsus tollat. Quid enim te, inquit, o Iudæ, post tale ac tantum testimonium rerumque declarationem offendit, quòd euangelio non omnes obedierūt? Hoc enim ipsum, nimirum quòd non omnes obediunt, simul cum aliis, poterat tibi eorum quæ dicuntur, fidem facere. Nam & illud iam antea propheta futurum prædixit. & vide ineffabilem sapientiam, quomodo plus probet, quàm illi expectauerint, aut contradicturos se sperauerint. Quid enim dicitis, inquit? quòd euangelio non omnes crediderunt? Quin hoc ipsum est quod Esaias olim prædixit. Imò non solum istud, sed & multò plus. Vos quidē obiicitis, quòd non omnes obediuerint: Esaias verò plus etiam quàm hoc sit. Quid autem dicit? Domine, inquit, quis credidit sermonibus nostris? Deinde postquã tumultuariam hæc obiectionem per interpositum prophetæ testimonium excussit, rursus priori sequelæ adhæret. Quoniam enim dixerat, quòd inuocare oporteat, inuocatos verò credere, credituros autē audire primum, audituros verò prædicatores opus habere, prædicatores autem mitti oportere, ostēderatque & missos esse & prædicasse, essetque rursus & aliam quãdam obiectionem inducturus, occasione primū ab alio quoque prophetæ testimonio sumpta, vnde & obiectionem que; hæc paulo antecessit, soluerat, prioribus illam connectit. Quoniã enim prophetam subinduxerat, dicentem: domine, quis credidit sermonibus nostris? opportunè illius appreheso testimonio, dicit: Ergo fides ex auditu. Hoc verò nō simpliciter posuit, sed quoniam nullo non tempore signa Iudæi, ipsūque resurrectionis aspectū querebant, & multi ad huiusmodi inhiarent, dicit: Atqui propheta pronunciauit, quòd ex auditu nos credere oporteat. Idcirco prius id adstruit, & dicit: Igitur fides ex auditu. Deinde quia hoc humiliter videbatur, vide quo pacto ipsum, vt solidius reddat, reducat. Nō enim simpliciter, inquit, auditum dixi, neque quòd humana verba audire oporteat & credere, sed sublimis est hic auditus, de quo loquor: est enim auditus per verbū dei. Neque enim quæ sua essent, sed quæ à Deo didicerunt, annunciarunt, hoc scilicet excellentius est signū. Deo siquidem tam loquenti, quàm mirabiliter operanti, æquè credere & obedire oportet, quandoquidem & opera illius & mirabilia ex verbis illius sunt. Hinc enim & cœlum, & reliqua perstant omnia. Ostenso itaque quòd oporteat prophetis, nunquam non quæ Dei sunt loquentibus, credere, nihilque præter verbi Dei auditum quærendum esse amplius, obiectionem deinceps quam dixi inducit, dicens: Sed dico, an nō audierūt? Quid enim, dicit quis, si prædicatores missi quidem sunt, missique que; in mada; acceperant prædicarunt, illi verò non audierunt? Iam scilicet cum omni deinceps

Esa. 52.
Ioan. 12.

Pfal. 18.

Deut. 32.

Ibidem.

Esaie 65.

ceps excellentia obiectionis solutionem inducit. *Atqui in omnem terram exiit sermo eorum, & in fines orbis terrarum verba eorum.* Quid dicis, inquit? Nō audierunt? Ipse terrarum orbis, ipsique terræ fines audierunt: & vos cum quibus prædicatores isti tantum temporis commemorati sunt, ex quibus & prodierunt, nō audistis? Quānam poterit istud ratione fieri? Si enim fines orbis terrarum audierunt, multo magis vos. Deinde rursus & alia obiectio. *Sed dico, Nunquid non cognouit Israël?* Quid enim si audierunt quidem, dicta tamen non perpendunt, neque intellexerunt quod hi illi à Deo missi essent? An non ob hanc ignorantiam venia digni erunt? Nequaquam. Esaias enim diligenter illos notauit, & expressit dicens. Quam speciosi pedes annunciatorum pacem, & ante hunc ipse etiam legislator, vnde & subiungit: *Primus Moses dicit: Ego ad emulationem pronocabo vos per gentem quæ non est gens, per gentem stultam ad iram commouebo vos.* Itaque & hinc oportebat prædicatores istos agnoscere, non solum ex eo quod hi non crediderunt, quod pacem illi prædicarunt, quod bona illa annunciarunt, quod vbi que terrarum verbum Dei seminatum iam esset, sed ex eo quod inferiores se nimirum eos qui ex gentibus erant, videbant in maiore honore constitutos esse. Quæ enim nunquam vel ipsi vel progenitores ipsorum audierant, illa confestim philosophabantur, id quod auctioris erat honoris Iudæos irritantis, inque zelum perducantis, ac in Mosaiicæ huius prophetiæ memoriam, dicentis, Ad emulationem pronocabo vos per gentem quæ non est gens. Neque enim honoris huius magnitudo ea erat, vt sola illos in emulationem conuicere potuisset: sed quod hæc gens quæ illo potiebatur ad eum villis esset, vt neque digna haberetur, quæ pro gente æstimaretur. Ego enim ad emulationem, inquit, pronocabo vos per gentem quæ non est gens, per gentem stultam ad iram commouebo vos. Græcis enim quid erat stultius? quid item vilius? Vide quomodo per omnes vndique notificationes temporum quoque illorum manifesta desuper signa Deus illis dederit, quatenus ipsorum illustraret cæcitate. Non istud in modico quodam angulo, sed & terra & mari atque vbi que orbis terrarum factum erat, videbantque innumeris frui bonis, quos antea penes se contempserant. Cogitare itaque debebant quod hæc esset gens illa, de qua dixerat Moses: Ad emulationem pronocabo vos per gentem quæ non est gens. Moses igitur solus hoc dixit? Nequaquam, sed & Esaias post illum. Vnde & Paulus dicit: *Primum Moses, ostendens quod & secundus testis fit accessurus, eadem manifestius ac clarius exprimens. Quemadmodum igitur supra dixit, clamat Esaias, ita & hic: Esaias autem audet ac dicit.* Quod autem dicit, tale est: Potenter institit & contendit, nihil adumbratum dicere, sed res ipsas nudas ob oculos exponere, magis eligens, ob manifestam locutionem periclitari, quam propriæ salutis respectu, vmbra vobis ac prætextum vestræ relinquere perfidiæ, quanquam prophetiæ non esset tam clarè hoc cloqui. Sed vt copiosè ora vestra obseraret, admodum clarè ac palam omnia prædicat. Quæ omnia? Et vestrum scilicet excidium, & illorum introductionem. sic autem dicit: *Inuentus sum his qui me non querebant, conspicuus factus sum his qui de me non interrogabant.* Qui sunt non quærentes? qui non interrogantes? Apertum satis quod non Iudæi, sed ex gentibus sint, qui Deum nunquam cognouerant. Quemadmodum igitur Moses illos signanter expresserit dicens, quæ non est gens, & per gentem stultam: ita & hic ex eodem singularis vehementis que ignorantie argumento illos declarat propheta. Maxima verò Iudæorum erat accusatio, quod qui non quæsierant, inuenerunt: &

qui quæsierant, perierunt. *Ad Israël autem dicit: Toto die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem.* Vide quomodo illud quod à multis dubitabatur, atque in quæstionem vocabatur, reperitur olim & in prophetis verbis positum, clarè que solutum. Quid verò illud est? Audisti Paulum aliquantò antè dicentem: Quid ergo dicemus? Quod Gentes quæ iustitiam non sectabantur, iustitiam apprehenderunt. Israël verò sectatus legem iustitiæ, ad legem iustitiæ non pertigit. Hoc & Esaias hoc loco dicit: illud enim, Inuentus sum his qui me non quærent, conspicuus factus sum his qui de me non interrogant: idem est, ac si dicat, quoniam gentes quæ iustitiam non sectabantur, iustitiam apprehenderunt. Deinde vt ostendat non solum diuinæ gratiæ opus esse hoc factum, sed & voluntatis eorum qui accesserunt, quemadmodum & quod illi exciderunt, ex contentione est immorigerorum, audi quid subiungat: *Ad Israël autem dicit: Toto die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem.* Dicim hic vniuersum vocat retrò tempus, quod iam præterierat. Illud verò quod manus suas extēdisse dicit, vocasse, attraxisse, adhortatumque esse declarat. Deinde ostendens quod vniuersa huius inobedientiæ culpa illorum fuerit, dicit: *Ad populum non credentem & contradicentem.* Vides quanta illorum sit accusatio. Ipsi quippe neque adhortanti quidem obediunt, sed & contradixerunt: idque quum non semel, non bis, non ter, sed per vniuersum tempus eadem perseueranter facientem viderent. Alteri verò qui Deum nunquam cognouerant, ipsum tamen attrahere potuerunt. Attamen non dicit, quod ipsi Deum per se attrahere potuerint, sed & eorum qui ex Gentibus credebant fastus deiciens, ostendensque quod totum hoc Dei gratia perfecterit, dicit: *Ego conspicuus factus sum, & ego inuentus sum.* Omnium ergo illi vacui sunt, dices? Nequaquam. Sed quod inuenta apprehenderunt, conspicuaque facta agnouerunt, hoc scilicet de suo attulerunt. Deinde ne iudæi dicant: Quare non & nobis quoque conspicuus est factus? plus quàm hoc fit, posuit. Nimirum, quasi dicat, non solum conspicuus illis factus sum, sed & extensis manibus vsque perstiti, & adhortans, & paternam benevolentiam, qualè que erga suam prolem mater habet curam ostendens. Vide quomodo omnium eorum quæ supra posuerat, dubiorum apertissimam solutionem adduxerit, probans perditionem illorum ab ipsorum obstinata voluntate profectam esse, ita vt omnino iam venia indigni sint. Licet enim & audierint, & quæ dicebantur intellexerint, neque sic tamen accedere voluerunt: & quod adhuc multo plus est, non solum audire illos fecit, neque intelligere solum, sed & adiecit, quod tales habebat ad erigendum excitandumque vires, vt & contentiosos & contradicentes attrahere debuisset. Quodnam hoc est? Quod eos concitabat, atque ad emulationem pronocabat. Scitis enim passionis huius tyrannidem, quantasque vires ad omnem contentionem dissoluentem, & ad erigendum languidos ac remissos habeat zelotypiæ natura. Et quid opus est de hominibus istud dicere, quando & in iis quæ ratione non admodum valent, & in puerorum ætate adhuc immatura, multà potentiam ostendat zelotypia? Fit enim sapenmero, vt puer qui ad patrem vocatus non accedebat, sed contentiosè abnuebat, quamprimum viderit alium quempiã puerum patri obsequi, vltro iam ad paternos sinus accurrat, ita vt quod sedula non potuit aduocatio, id emulatione efficiat: hoc igitur & Deus fecit. Non enim aduocauit solum, manusque expandit, sed & zelotypiæ passionem

in ipsi

177

in ipsis excitauit, dum eos, qui multo viliores erant (id quod potissimum emulationem facit) non in ipsorum bona introduxit, sed quod multo maius est, ac violentiore facit passionem hanc, in ea quæ multo sunt bonis illorum maiora necessarioraque, & quæ illi ne in somnis quidem imaginari potuissent, introduxit. Verum neque sic accesserunt. Quæ ergo venia digni essent, qui cum tanta excellentia vehementiâque contentionem vsque seruauerunt & exhibuerunt? Nulla sanè. Sed hoc quidem ipse non dicit, relinquit verò auditorum conscientiam, vt illud ex dictorum conclusione sua sponte colligant. Rursus autem idem & per ea quæ sequuntur, pro sua consueta sapientia probat. Quod enim in præcedentibus retrò fecit, obiectiones inducens quæ tam legis quàm populi accusationem, re ipsa existenti maiorem contineret: deinde & in ipsa solutione quæ obiectionem subuertit, tanta concedens quanta volebat, & eaque condonans, vnde] sermonem acceptabiliorem faceret: illud scilicet & hic facit, sic scribens: *Dico igitur, Num repulit Deus populum suum quem antè cognouerat? Absit.* Personam habitumque dubitantis assumit, tanquam ex his quæ dicta sunt, occasionè nactus: & posteaquam id addita responsione planum reddidisset, quod deinde sequitur acceptabile facit, hic quoque adstruens quod passim per superius dicta demonstrare studuit. Quodnam est hoc? Nimirum, quod etiã si pauci sunt qui saluantur, nihilominus tamen firmum sit quicquid ad diuinam illam promissionem attinet. Propterea non simpliciter dicit, num repulit Deus populum, sed addit, quem antè cognouerat. Deinde vt & probationem inducat, quod populum suum Deus nō repulerit, dicit: *Nam & ego Israëlita sum, ex semine Abraham, de tribu Benjamin.* Ego, inquit, doctor & prædicator. Quoniam igitur istud iis quæ antea dixerat, cōtrarium videbatur, nimirum: *Quis credidit auditui nostro? & Toto die expandi manus ad populum non credentem, & contradicentem: & ad emulationem pronocabo vos per gentem, quæ non est gens, non contentus abnegasse simpliciter ac dixisse, Absit: resumendo illud probat, dicens: Non repulit Deus populum suum.* Sed dices: Atqui istud nondum est probare, sed simpliciter negare. Vide ergo probationem, tam priorem, quàm posteriorem. Prior siquidem est, quod se quoque ex Israelitis esse ostendit. Neque enim si populum suum Deus repulsurus fuisset, hunc sibi ex Israelitis elegisset, cui omnem prædicationem, cui res orbis, mysteria cuncta, vniuersamque dispensationem concrederet. Hæc ergo vna est probatio: post illam est altera, quum dicit, Populum suum, quem antea cognouerat: hoc est, quem clarè cognouerat aptum fore, fidemque receptorum. Nam & tria millia, & quinque millia, alij quoque innumeri credentium ex illis erant. Etenim ne quis dicat: Num tu populus es? Num idè statim ipsa gens vocata est, quod tu vocatus es? subiungit, *Non repulit Deus populum suum quem antea cognouerat.* Quasi dicat, Habeo mecum tria millia, habeo innumeros. Quid igitur? Num in tribus illis, aut quinque millibus, aut in illis etiam innumeris, stabit semen illud, quod multitudine sua astra cœli, arenamque maris imitari debeat? An ita nos decipis, falsis que rationibus circunuenis, dum te ipsum cum paucis hisce, quos tecum habes, pro vniuerso populo ponis, dum que vanis nos spebus inflas, vt putemus impletam esse promissionem, quasi perditis omnibus in modicos illos deriuata sit salus illa? Superbiam & fastum habent ista, nos tamen huiusmodi sophismatis nequaquam cedemus. Ne ergo ista dicant, vide quomodo in sequentibus solutionem inducat. Obiectionem quidem non posuit, ante illam tamen so-

acres ipse
paterentur,
CAP. XI.
Emendata
exemplar
habet pro
φωβόσπον.

Esa. 65.
Ibid. 65.

Vide quid
Chrysostr.
Paulo tribuat.

lutionem ipsius ex veteri historia probat. Quæ ergo solutio est? *An nescitis de Helia quid dicat scriptura? Quomodo interpellat apud Deum aduersus Israël: Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua subruerunt, & ego relictus sum solus, & quærent animam meam. Sed quid dicit ei diuinum responsum? Reliqui mihi ipsi septem millia virorum, qui non inflexerunt genu ante Baal. Sic igitur & in hoc tempore reliquia secundum electionem gratiæ fuerunt.* Quod autem dicit, tale est: Non repulit Deus populum suum: si enim repulisset, neminè vtique ex illo suscepisset. Si verò quosdam suscepit, manifestum est, quod illum non repulerit. Atqui dices, si non repulit, omnes ergo suscepit? Nequaquam. Nam & tempore Helie consistebant, quæ salutis erant, in septem millibus. Iam verò negari non potest multos esse qui crediderunt. Hoc si vos ignoratis, nihil est quod admiremini, quando & propheta ille tantus ac talis vir, idem suo tempore ignorauerit. Nihilominus tamen sua opera dispensabat Deus, propheta etiam ignorante. Obserua verò Apostoli prudentiã, quomodo dum in eo est, vt propositum suum probet, Iudæorum accusationem latenter augeat. Propterea quippe & totius testimonij integrè meminit, quatenus ipsorum quodammodo perfidiam ostentui exponat, ostendatque iam ab antiquo tales esse. Quod si enim non istud, sed vnum hoc ostendere fatigisset, quod in paucis esset comprehensus populus: dixisset vtique tantummodo, quomodo & tempore Helie septem millia relicta sint, nunc verò ab initio totum testimonium recenseret. Nusquam enim non studet ostendere, nihil illos noui erga Christum & Apostolos fecisse, sed consueta & exercitata. Etenim ne dicant, Christum vt impropostore morte sustulimus, & Apostolos velut deceptores persequimur, inducit testimonium quod ita loquitur: *Domine, prophetas tuos occiderunt, & altaria tua subruerunt. Deinde ne grauem reddat sermonem, aliam ad fingit adducto testimonio causam. Neque enim principaliter ad hoc illud adduxit, vt accuset, sed velut alia quædam probare instituens, omni tamen ipsos venia etiam per ea quæ retrò sunt facta, priuat. Vide verò quàm vehemens sit illorum accusatio & à Propheta persona. Neque enim qui accusat, Paulus est, neque Petrus, neque Iacobus, aut Ioannes: sed qui apud illos potissimum præ omnibus erat in precio & admiratione, Prophetarum caput, Dei amicus, qui in illos tanto erat zelo, vt & fami traderet,] qui necdum in hodiernum vsque diem mortuus est. Quid igitur ille dicit? Domine Prophetas tuos occiderunt, & altaria tua subruerunt, & relictus sum ego solus, & quærent animam meam. Quidnam poterit hac feritate crudelius fieri? Debebant magis pro commissis iam criminibus orare. At illi etiam hunc interficere volebant, quæ quidem omnia omni illos venia priuabant. Neque enim dum adhuc obtineret omnia fames, sed reddita iã fertilitate, sublato pudore, dæmonibusque cõfisis, ac Dei ostensa potentia, rege etiam succumbente, ista ausi sunt, de cædibus in edes transeuntes, doctorisque & eos qui mentem eorum corrigere nitebantur, è medio tollentes. Quidnam hic causari poterunt? Num quod & illi seductores fuerint? Num quod & illos vnde essent, nō cognouerint? Sed tristitiam vobis intulerunt? Quin & bona simul obtulerunt, sed esto. Quid verò altaria? An & illa contristarunt? An & illa ad indignationem prouocarunt? vide quam obstinata contentio, quantæque contumeliæ signa perpetuò protulerint. Propterea & alibi Paulus Thessalonicensibus scribens, dicit: *Eadem passi estis & vos à propriis contribulibus, quemadmodum & ipsi à Iudæis, qui & dominū ac proprios suos prophetas occiderunt, qui nos etiã persecuti sunt,**

3. Re. 19.

3. Re. 17. tradetur.

1. The. 2.

& Deo non placent, omnibusque hominibus aduerfantur, id quod & hic dicit: Et altaria tua subruerunt, & prophetas occiderunt. Sed quid dicit illi diuinum responsum? Reliqui mihi ipsi septem millia virorum, qui genu ante Baal non incuruauerunt. Sed dices, quid illa ad nostrum instituta? Plurimum sane. Nam hinc probat quod perpetuo Deus, licet ad vniuersam gentem lata sit promissio, non nisi dignos tamen saluare consueuerit. Atque id etiam supra ostendit, quod dixit: Si fuerit numerus filiorum Israël velut arena maris, reliquiae saluabuntur: & nisi dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, velut Sodoma facti fuisset. Ex quo sane loco idem quoque ostendit, vnde & subiungit, dicens: Sic & in presenti isto tempore reliquiae secundum electionem gratiae factae sunt. Vide quomodo quaeque distinctio cuique suam seruet nobilitatem, nimirum & Dei gratiam, & saluatorum benevolentiam manifestas. Dicendo siquidem, secundum electionem, illorum probationem: addendo verò gratiam, donum Dei exprimit. *Quod si per gratiam, non iam ex operibus. Alioqui gratia iam non esset gratia. Si verò ex operibus, non iam est gratia. Alioquin opus iam non esset opus.* Quoniam] rursus & hic Iudaeorum contentioni, simul cum illis quae dicta sunt, obuiat, omni venia illos pariter & hinc spoliat. Non enim, inquit, potestis dicere: Prophetas quidem nos vocarunt, adhortatūque Deus est, ac res ipsae clamauerunt, ad haec & ipsa aemulationis prouocatio ad attrahendum nos satis magna fuit: verum quae praecipiebantur, erant a quo grauiora, vnde factum est vt vocati accedere non potuerimus. Operum namque exhibitionem, ac quae recte facta laboriose praestantur, exigebamur. Hoc, inquam, causari non potestis. Nam quo pacto istud a vobis exegisset Deus, quando sua ipsius gratiam eo ipso magis obsecraturus fuisset? Ista verò ideo dicit, vt ostendat quam vehementer voluerit illos saluos. Neque enim hoc pacto salus illis facile tantummodo obtigisset, sed & Deo maxima gloriae fuisset, vt pote quo suam ipsius benevolentiam demonstrasset. Quid ergo vereris accedere, quum nihil operum postulatus sis? Quid proposita gratia tumultuando contendis, legemque mihi temere & inaniter obiciis? Neque enim ex illa saluaberis, sed & hoc Dei donum inde tibi ipsi perdis. Nam si ex illa saluari contenderis, gratiam hanc Dei è medio tolles. Deinde, ne nouum & peregrinum istud esse putent, praueinendo, septem quoque millia illa per Dei gratiam saluata esse dixit. Quum enim diceret, quod & in hoc tempore nunc quoque reliquiae ad eum modum secundum electionem gratiae factae sunt, ostendit & olim septem illa millia per gratiam esse salutem adepti. Istud autem non solum hoc, sed & ex eo ostendit quod dicit, reliqui mihi ipsi. Nam & ipsum ostendens est, quod potiore partem ad salutem attulerit ipse. At dices, si ex gratia salus est, cur non omnes saluamur? Quia noluitis. Gratia siquidem, licet gratuita sit, volentes tamen tantummodo saluat, non eos qui nolunt, qui continuo auersantur, qui contradicunt. Vides quomodo omnino hoc probet, quod scilicet impossibile sit sermonem Dei excidisse, ostendens quod promissio ad eos pertigerit qui digni fuerunt, & quod illi vt pauci sint, populus tamen queant esse Dei? Quanquam ab initio epistolae maiore vehementia idem posuit dicens: Quid enim si quidam non crediderunt? Et neque haec tenentur, sed subiungens: sit verò, inquit, Deus verax, omnis autem homo mendax. Nunc autem rursus alia via idem quoque probauit, ostenditque gratiae vires, semper inculcans, hos quidem saluatos, istos verò perditos.

Sup. 9.

intra illa, habet emendatus co-dex, id est infilit.

Sup. 9.

MORALE.

Gratias itaque Deo agamus, quod de saluatis sumus, quodque quum ex operibus saluari nequiuimus, dono Dei gratis saluati sumus. Gratias verò agentes, non verbis tantum, sed & operibus, sed vera gratitudine, sed rebus ipsis grati sumus. Ea quippe diligens ac vera deum erit gratiarum actio, si ea per quae Deus glorificari poterit, fecerimus, eaque fugerimus a quibus liberati sumus. Etenim si quum regem contumelia adfecerimus, loco poenarum, quas dare debueramus, honore adfecti sumus, deinde rursus contumelia regem adfaciamus, tanquam extremae ingratitudinis rei merito extremas poenas dederimus, ac prioribus multo maiores. Neque enim nos adeo ingratos prior contumelia declarauit, quemadmodum ea que ad honorem illum & magnam medelam sequuta est. Fugiamus ergo illa, a quibus liberati sumus, & non ore tantum gratias agamus, ne & de nobis dicatur: Populus hic labiis me honorat, corde verò longè distat à me. Nam quomodo non esset absurdum, quod quum caeli gloriam Dei enarrant: tu cuius gratia caeli Deum laudantes facti sunt, talia facis, vnde blasphematur propter te qui fecit te Deus? Atque ideo non solum is qui Deum blasphematur, sed & tu ipse supplicio redderis obnoxius. Neque enim caeli Deum per vocem aliquam emissam laudant, sed per eos quos aspectu suo ad laudandum Deum permouent, & tamè ipsi narrare gloriam Dei dicuntur. Sic & qui vitam exhibent suscipiendam, etiam si taceant, Deum tamen glorificant, dum propter eos alij ipsum glorificant. Non enim tantum habent vnde admiratione digni sint caeli, quantum vita pura ac munda.] Siquando ergo cum Gentibus disseruerimus, non caelum adducamus in medium, sed homines, quos persuasit Apostolus, quum bestiis essent peiores, tales fieri qui & cum angelis vitae puritate decerent: atque per istam hominum immutationem ora illorum obstruamus. Est enim homo ipso caelo melior multo, qui & animam possidere potest pulchritudine caeli splendidiorem. Caelum namque, licet, tanto sit tempore visum, non tamen admodum permouit. Paulus verò exiguo concionatus tempore, totum orbem attraxit. Mentem quippe possidebat non minus ipso caelo quosuis attrahere valentem. Nostra quidem, terra etiam indigna est: illius vero, caelos ipsos dignitate adaequat. Caelum siquidem suum seruans terminum & canonem, eadem statione consistit: mentis verò Paulinae sublimitas omnes caelos transcendit, ipsique Christo conuersatur. Est autè eius tanta pulchritudo, vt & Deus illam deprædicet. Astra quidem quum fierent, admirabantur angeli. Hunc verò Deus ipse admiratus est, dicens: Vas electionis iste mihi est. Caelum istud saepenumero nubes obtegat: Pauli verò mentem nulla obnubilauit tenratio, sed in mediis quoque tepestibus ipsam meridiei claritudinè suo splendore superauit, non minus illustris, quam ante tetationum nubila. Sol enim iste, qui in Paulo luxit, tales radios non emittebat, qui tetationum concursu potuerint obumbrari, sed & tum potissimum illucescebant. Vnde & dicebat: Sufficiat tibi gratia mea. Nam virtus mea in infirmitate perficitur. Emulemur itaque illum, & nihil erit etiam nobis collatum caelum istud si voluerimus, neque Sol, neque vniuersus iste mundus: haec enim omnia propter nos facta sunt, nos non propter illa. Re ipsa ostendamus dignos nos esse, propter quos ista fierent. Si nanque istis apparuerimus indigni, quo pacto ipso regno digni erimus? Etenim si Solis indigni sunt aspectu, qui ad blasphemandum Deum viuunt: indigni vtique sunt blasphematores Dei, qui operibus, Deum

HOMILIA XVIII.

Deum glorificantibus fruuntur. Nam & filius patrem contumelia adficiens, indignus est, qui famulorum probatorum ministerio fruatur. Propterea opera quidem Dei multa patientur gloria, nos verò supplicium poenaeque dabimus. Quanta fuerit ergo miseria, creaturam Dei, quae propter te facta est, in libertatem gloriae filiorum Dei complantari configurarique: nos verò, qui filij Dei facti sumus, propter multam nostram socordiam in perditionem & gehennam immitti, cum creatura Dei propter nos magna illa felicitate potitura sit? Ne hoc ergo fiat, quicumque mentem possidemus puram ac mundam, talem eam diligenter custodiamus: imò splendorem ipsius intendamus etiam, auctioremque reddamus. Qui verò squalidam habemus ac sordidam, non ideo statim desperemus. Si enim, inquit, fuerint peccata vestra rubicunda velut color phoeniceus, tanquam nix albescant: & si fuerint velut coccinum, quasi lana alba erunt. Quum Deus itaque promittat, non erit quod dubites, sed ea potius facias, quibus quae promissa sunt in te quoque accersere queas. Innumera tibi sunt perpetrata mala delictaque? Quid hoc? Nōdum enim ad infernum vsque deuenisti, in quo nemo confitebitur. Nondum solum est theatrum, sed adhuc intus in ipsa stas cauea, potesque vel in extrema lucta omnes reuocare constrictus. Nondum es eò loci vbi diues ille est, vt audiendum tibi sit illud, Quoniam magnū chaos inter nos ac vos est. Nondum aduenit sponus, vt timendum sit, quis tibi de suo daturus sit oleo. Adhuc licet emas ac recondas. Neque enim dum est qui dicat, Ne non sufficiat nobis ac vobis: sed adhuc multi sunt qui vendunt, nudi scilicet, esurientes, aegroti, quique in carceribus sunt. Pisce illos, istos vestibus indue, iacentes visita: quae si feceris, adcurrat oleum vberie copia, quam soleant aquarum fontes. Nōdum aduenit dies, quo reddenda sit ratio. Temporis comoditate, vt oportet, vtere, debitaque amputando, dic ei qui centum batos olei debet, accipe cautionem tuam, & scribe quinquaginta. Idem fac & in pecuniis, & in verbis, aliisque similitur omnibus, imitatus oconomum illum euangelicum. Atque ista tibi ipsi cognatisque tuis admonendo inculca. Nam adhuc in tua potestate est vt ista dicas. Nōdum enim in ea constitutus es necessitate, vt alius tibi sit super ista constituendus, sed potestatem habes tibi ipsi, quam aliis consulendi. Quamprimū verò hinc decesseris, nihil horum, vt oportebat, facere poteris. Idque non immerito. Quum enim tantum praefiniti temporis ac spacij acceperis, & tamen in illo neque tibi ipsi, neque aliis profueris: quomodo deinceps poteris in iudicis potestate constitutus, istam consequi gratiam? His itaque collectis omnibus, incumbamus diligenter salutis nostrae, praesentisque vitae opportunitatem non prodamus: licet enim, licet, inquam, vt ad extrema vsque suspiria Deo gratias agas: licet vt & ab ipso testamento commenderis, etsi non quemadmodum, si dum viuus, bene ageres, licet tamen. Quo pacto? Si Christum in ipso cum haeredibus tuis conscriperis, partemque illi totius sortis tradideris. Non pauisti Christum dum viueres? Saltem abiturus hinc, quando iam non amplius eorum quae possidebas, vsum ac potestatem habes, tua illi contribue, non erit, quemadmodum benignus est, curiosus aut difficilis erga te. Maioris quidem amoris signum fuerit, maioreque dignum mercede, si Christum dum viuus, paueris: si verò istud non fecisti, vel quod secundo loco licet, aggredere, nimirum, relinque illum filiis tuis cohæredem. Quod si istud quoque negligenter facis, cogita quod illius cohæredem te pater effecerit, atque ita vel hac ratione inhumanitatem istam tuam abiice. Quam enim habiturus es ex-

Sup. 8.

Esa. 1.

Luc. 16.

Mat. 25.

Luc. 16.

Testam. ta.

culpationem, si neque filiorum tuorum cohæredem Christum feceris, quum is te caelorum ipsorum consortem reddiderit, imò & mortem propter te subierit? Atqui ipse quaecunque fecit, non velut debitum persolvens, sed gratiam ostendens fecit. Tu verò licet post tanta beneficia debitor etiam constitutus sis, rebus tamen sic quoque habentibus, non aliter te propter ea quae reddideris coronat, quam si gratiam quandam non debitum exactum abs te tulerit, tamen nihil, nisi quae sua ipsius sunt bona, recipere queat. Contribue ergo illi pecunias tuas tibi iam deinceps inutiles, & quarum dominus esse in posterum non poteris, dabitque is tibi regnum illud, quod perpetuo vsui tibi futurum est, quin & cum illo ea quoque quae hic sunt, simul donabit. Nā si factus fuerit filiorum tuorum cohæres, & orphaniam illorum alleuiabit, & violentias illatas dissoluet, ac infidias repellet, scophantarumque ora obturabit: & si ipsi testamento legatis praesse nequiuerint, praerit ipse, neque feret vt perturbantur. Si verò & istud fieri permiserit, adimplebit per seipsum quae scripta sunt omnia, idque multa cum liberalitate, eò quod semel abs te testamento inscriptus honoratus sit. Relinque ergo ipsum haeredem. Ad ipsum quippe abiturus es. Ipse quaecunque in hac vita commisisti, in iudicium vocabit omnia. Sed sunt quidam adeo miseri ac deplorandi, qui quum neque filios habeant, istud tamen facere non sustineant: sed parasitis potius, adulatoribusque, aut similibus sua distribuenda curent, quam Christo, qui tot illos beneficiis adfecit. Quare quæso quid poterit fieri inconsideratus? Nam etiam si asinis tales, aut lapidibus comparaueris, nihil tamen adhuc ista illorum amentia stupiditateque dignum dixeris. Neque enim similitudinem quis facile inuenerit, qua vesania ipsorum ac desipientiam repraesentare queat. Quam igitur sibi veniam parant, qui ultra id quod Christum dum viuerent, non pauerunt: neque etiam quum ad ipsum iam abiturae sunt, vel de pecuniis illis quarum ultra domini non sunt, aliquid illi vel modicum largiri volunt: sed adeo inimicè adeoque hostiliter se habent, vt nec de iis rebus quarum vsu iam destituuntur, ei contribuant? Non vides quomodo plerique hominum huiusmodi morte donati non sint, sed subitaneo raptu decesserint? Te verò Deus tuorum dominum ita fecit, vt quibus quaeque conueniant dispicias, edicasque de bonis tuis, ac quae domum tuam concernunt, disponas. Quam igitur excusationem habebis, si quando post hanc acceptam ab eo gratiam, beneficentiam istam prodideris, & velut ex diametro fidei tuae maioribus contrarius fueris? Illi quippe viuentes etiam vendiderunt omnia, atque ad pedes Apostolorum detulerunt. Tu verò nec moriens aliquam tuorum bonorum partem pauperibus tradis. Melius quidem fuerit multumque adferens fiducia, dum adhuc viuus, paupertati egentium succurrere. Si verò istud nolueris, vel moriendo generosum quid facias. Id enim licet non multum habeat dilectionis erga Christum, aliqua tamen est dilectio. Nam etiam si non habiturus sis priores partes cum agnis, non tamen parum erit, vel hoc pacto tunc Christo] esse, & neque cum hædis, neque a sinistris stare. Quod si istud quoque non feceris, qua quæso ratione poteris, ne pereas, excipi, quando te neque timor Dei, neque quod pecuniae inutiles tibi deinceps sunt, neque quod posses hoc pacto securitatem relinquere liberis tuis, nec quod multum tibi veniae res ista praecedere posset, benignum & humanum facit? Propterea maxime quidem hoc vos obsecro, vt viuentes bonorum vestrorum pauperibus potiore offeratis partem. Si verò quidam adeo sunt pusillanimes, vt hoc facere nō

Act. 4.

Mat. 23. id est, cum illo. sed co-dex emendat' habet, Mat. 23. id est, post illos.

sustineant, illi vel cogente necessitate reddentur benigni. Quando enim vita eras incolumi, non aliter, quam immortalis, ita tuis obnoxie adhærebas bonis. Nunc vero quum te mortalem esse cognoueris: nunc saltè dogma illud excute, & vt mortalis de bonis tuis statue, vel potius tanquam qui vita immortalis perpetuò frui debeas. Nam tametsi dictu graue sit quod dicturus sum, plenùmque horrois: necesse tamen est vt dicam: Numeram dominum cum seruis tuis. Liberas seruos? Libera Christum fame, necessitate, carceribus, nuditate. Horres audiendo? Atqui isto horrendum magis est, quòd nec hoc facis. Et si hinc verbo tantum obtupefactus es, quando illò abieris, multò que his grauiora audieris, viderisque tormenta immedicabilia, quid dices? Ad què confugies? quem implorabis auxiliatorem ac adiutorem? Abrahamum? Sed non audiet. Virgines illas? Sed neque ipsæ tibi de oleo suo dabunt. Patrem implorabis aut auum? Sed neque horum quisquam, etiam si vehementer sanctus fuerit, sententiam illam iudicis soluere poterit. His itaque consideratis omnibus, cum, qui solus chirographum tuum delere, flammamque illam extinguere potest, suppliciter venerare & obsecra, propitiùmque redde, iam scilicet illum continuò & pascens, & vestiens, vt & hinc bona spe abeas, & illic constitutus æternis bonis perfruaris: quæ nos liceat omnes apprehendere, gratia & benignitate & c.

HOMILIA XIX.

VID igitur? Quod querit Israël, hoc non assequutus est, sed electio assequuta est: reliqui vero excacati sunt. Dixerat Deum non repulisse populum suum, ostensioque quomodo non repulerit, ad prophetarum testimonia cõfugerat, perque illa maiorem illius partem periisse declarauerat. Sed ne videretur Iudæos ex seipso reprehendere, grauique facto sermone hostiliter ac inimicè taxare, ad Dauidis & Elaiæ testimonia confugit, dicens: *Quemadmodum scriptum est, Dedit eis Deus spiritum compunctionis.* Quin magis ex superioribus sermonibus exordia nobis ducenda sunt. Nam quum dixisset ea quæ ad Heliam pertinent, ostendissetque quidnam sit gratia, subdit: *Quid igitur? Quod querit Israël, hoc non est assequutus.* Hoc autem non magis interrogantis est quàm accusantis. Nã sibi ipsi repugnat, inquit, Iudæus: dum iustitiam, quam querit, non sustinet accipere. Deinde rursus venia illos priuans, ab acceptis perfidiam atque ingratitudinem illorum demonstrat, quum dicit: *Electio autem assequuta est.* Consequuti ergo iustitiã, non consequutos condemnant, id quod & Christus dixit: *Si autem ego, inquit, in Beelzebub eiicio dæmonia, filij vestri in quo eiiciunt? Propterea ipsi iudices vestri erunt.* Etenim ne quis culpam ipsius rei naturæ adscribat, sed potius peruersã illorum menti, quosdam adeptos esse iustitiam ostendit. Propterea significanter quoque eiusmodi dictione vtitur, qua tam supernam gratiam, quàm ipsorum studium exprimat. Neque enim idèo consequutos esse dicit, quod liberam arbitrij potestatem sublatam velit, sed vt bonorum magnitudinem declaret, & quòd potior quidem pars gratiæ sit, non tamen totum. Nã & nos subinde dicere solemus: iste consequutus est, iste inuenit, quãdo videlicet quod factum est, multum adferre lucri videtur. Non enim humanis laboribus, sed diuino dono fit potior hæc pars. *Reliqui vero excacati sunt.* Vide quando tandem ex seipso reliquorum eiectionem proferre ausus sit. Dixerat iam quidem illam, sed ita vt prophetas induceret illos accusantes: hinc vero deinceps illam & ipse definit.

Es. 6.

Luc. II.

Veruntamen neque hinc sua contentus est sententia, sed rursus prophetam Elaiam inducit: *Quum enim dixisset, reliqui vero excacati sunt, subiungit: Quemadmodum scriptum est: Dedit eis Deus spiritum compunctionis.* Et vndenam est ita excacatio? Causas illius & supra quidem dixit, totumque in eorum ipsorum caput deduxit, ostendens quòd istud ex intemptiua contentione passi sint. Idem verò & nunc dicit, quando subiungit: *Oculos, vt non videant: & aures, vt non audiant.* Nihil calumniatur aliud, quàm animum illorum nimis contentiosum. Nam quum oculos haberent, quibus videbant admiranda, aurèsque quibus mirabilem illã doctrinam audiebant: nihilo tamen horum, quemadmodum oportebat, vsi sunt. Illud verò quod dicit, dedit eis: non operationem quandam Dei, sed concessionem hoc loco significare putabis. Compunctionem autem hinc dicit habitum quendam animæ ad id quod peius est immedicabiliter & immutabiliter se habentem. Quando quidem & Dauid alibi dicit, *Vt psallat tibi gloria mea, & non compungar: hoc est, non immutabor, non desistam.* Quemadmodum enim is qui in pietate compungitur, non facillè in aliud transfertur: sic & qui in malitia compungitur, non facillè immutatur. * Compungi siquidem nihil est aliud, quàm quasi incusso clauo ad aliquid infigi solidèque compingi. Vigitur immedicabilem mentis illorum morbum immutabilemque significanter exprimeret, spiritum compunctionis posuit. Deinde vt ostenderet illos incredulitatis huius extremas pœnas duros, Prophetam rursus inducit eadem minitantem, quæ quidem euenerunt etiam, finemque ceperunt. *Fiat enim, inquit, mensa ipsorum in laqueum, & in captionem, & in offendiculum.* Hoc est, omnes illorum delicia, omniãque bona, immutentur ac perdantur, reddanturque prehensibiles quibusuis. Et vt declaret, quòd ista patientes pœnas peccatorum luat, subiungit: *Et in retributionem ipsis, obscurentur oculi eorum, ne videant, & tergum illorum semper incurua.* An ista aliquam expositionem desiderant? An non clara sunt etiam vehementer stupidis? Etiam ante nostra verba ipse rerum euentus præueniendo, de his quæ dicuntur, testimonium exhibet. Quando enim vsquæ adèo facti sunt prehensibiles? Quando captiuitati expositi? Quando tergum illorum ita incuruaui? Quando talem seruitutem tulerunt? Et quod maius est, quòd finis etiam malorum horum non erit: quod & ipsum propheta subindicauit. Non enim simpliciter dixit, Tergum illorum incurua, sed, semper incurua. Si verò de fine contenderis, ô Iudæe, disce vel ex præteritis præsentia. In Ægyptum descendisti, sed ab ista seruitute statim ducentis annis elapsis liberauit te Deus, idque impiè agentem, fornicationemque grauissimam committentem. Liberatus ab Ægypto, vitulum adorasti, filios tuos Beelphegor immolasti, templum violasti, omnem malitiæ speciem attentasti, naturam ipsam ignorasti, mōtes, saltus, colles, fontes, fluuios, hortos, nefandis hostiis implèsti, prophetas trucidasti, altaria subruisti, omnè nequitia & impietatis excessum ostendisti. Attramen quum septuaginta annos te Babyloniis tradidisset, pristina rursus libertati restituit, templum ac patriam reddidit, simulque vetus viuendi institutum, rursus & propheta, & spiritus gratia: imò in ipso quoque captiuitatis tempore derelictus non fuisti, sed illic dati sunt tibi & Daniel, & Ezechiel, & in Ægypto Hieremias, & in solitudine Moses. Post illa rursus ad priorem deuolutus malitiam, & debacchatus, & ad Gentilium conuersationem sub Antiocho impio auersus es. Sed tunc quoque tribus tantum annis & paulò amplius in manus Antiochi traditi, splendida rursus trophæa per Maccabæos statuisti.

Psal. 68.

Hic inf.

Statuistis. Nunc verò nihil horum est, sed contrarium euentum habent omnia: & quod potissimum admiratione dignum est, quæ ad malitiam pertinent, cessarunt quidem: quæ verò ad supplicium, crescunt adhuc, nec vllam immutationis spem habent. Non enim septuaginta tantummodo præterierunt anni, neque etiam centum solum, aut duplo totidem, sed trecenti iam ac multò plures: & tamen ne vmbra quidè alicuius spei adhuc inuenire datur, idque quum neque idololatriam committatis, neque alia faciatis quæ olim ausi estis. Quanam ergo huius supplicij causa est? Typum excepit veritas, legemque exclusit gratia. Hæc itaque olim prædixit propheta, quum inquit: *Et tergum ipsorum semper incurua.* Vides prophetiæ certitudinem ac diligentiam, quomodo & illorum incredulitatem prædixerit, & conditionem ostenderit, & subsequenter pœnam manifestauerit, infinitumque supplicium patefecerit? Quoniam enim multi ex crassioribus non credentes futuris, ex præsentibus volebãt futura cognoscere: vtrinque iam Christus potentia suæ specimen exhibuit, dū ex Gentibus quidem credentes supra cœlos extulit, incredulos verò ex Iudæis in extremam vastitatè deducens, insolubilibus malis tradidit. Vehementer itaque; illos quum taxasset, tum ob eorum incredulitatem, tum ob ea quæ & passi sunt, & passuri essent: rursus quæ dicta sunt, consolandi gratia mitigat, sic scribens: *Dico igitur, Num idèo impegerunt vt conciderent? Absit.* Quando ostenderat illos innumeris malis obnoxios, tunc & consolationem meditatur. Et obserua Pauli prudentiam. Accusationem quidem à prophetis sumptam induxit, consolationem verò à seipso ponit. Quòd enim magna, inquit, ab ipsis peccata sint, nemo est qui contradicat. Videamus autem, num talis illorum ruina, quæ nec sit curabilis, nec vllam habeat correctionem. Sed non est talis. Vides quomodo illos denuò reprehendat, atque in ipsa etiam consolationis expectatione confessorum delictorum reos faciat? Sed videamus quàmnam illis consolationem meditetur. Quæ est igitur illa? Quando verò plenitudo Gentium intrauerit, inquit, tunc omnis Israël saluus erit, circa tempus videlicet secundi aduentus Christi, mundi que consummationem. Sed istud non statim dicit. Postquàm verò diligenter illis per aduersum occurrendo restitisset, accusationibus accusationes subiunxisset, Prophetas super prophetas aduersum illos clamitantes induxisset, vt pote Elaiam, Heliam, Dauidem, Mosem, Oseam, idque semel, bis ac sapius, ne vehemèti hac occlusionem ac veluti segregationem & illos de regressu ad suscipiendam fidem desperandos faceret: & eos qui ex Gentibus crediderant, è regione in arrogantiam extolleret: atque ita etiam ipsi arroganti inflatione aduersus fidei sermonem noxij redderentur, rursus illos consolatur, dicens: *Sed per lapsum illorum, salus contigit gentibus.* Oportet verò, vt quæ dicuntur, non audiamus simpliciter, sed dicentis cognoscamus & mentem & scopum, quidque corrigere vel instituere conetur, cuius perpetuò vestram admoneo charitatè. Nam si tali intellectu dicta apostolica perceperitis, in nullo illorum aliquam difficultatem inesse videbitis. Conatus autem Apostoli hoc loco est, vt arrogantiam quam ex dictis sibi, qui ex Gentibus erant, concepisse poterant, demoliatur. Sic enim & ipsi prius ac manifestius in fide mansuri erant, siquidem modestiam didicissent, & iis qui ex Iudæis erant, à desperatione liberatis, ad gratiam alacrius accedendi ansa dabatur. Ad hunc itaque scopum spectantes, quicquid hoc loco dicitur, audiamus. Quid ergo dicit? Et vnde probat, quòd non incurabiliter ceciderint Iudæi, neque finaliter profusus eiectioni sint? Ex Gentibus scilicet, sic dicit: *Per lapsum*

A illorum salus contigit Gentibus, vt eos ad emulandum prouocaret. Hic autem sermo, non Apostoli tantum est, sed & in euangelij idem volūt Christi parabola. Nam & qui filio suo nuptias parauerat, quando qui vocati erant, venire nolabant: tunc videlicet eos qui in triuuii erant, vocauit. Et qui vineam plantauerat, quum heredem occidissent agricolæ, tunc vineam suam aliis elocauit. Sine parabola verò dicebat: *Nō sum missus nisi ad oues domus Israël perditas.* Syrophœnicissæ autem perseveranter instanti amplius, quid denuò dicebat nimirum, *Nō est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus.* Et Paulus in aduersum tumultuantibus Iudæis: *Vobis, inquit, primum oportuit annunciari regni Dei sermonē.* Quoniam verò illo vos ipsos iudicatis indignos, ecce conuertimur ad Gentes. Atque ita vndique patefcit, quòd iuxta rerum quidem seriem ac consequentiã oportuerit eos priores ad fidem accedere, deinde qui ex Gentibus sunt: verum quoniam increduli fuerunt, factum est, vt inuertetur hic ordo. Iudæorum itaque incredulitas atque delictum effecit, vt Gentes introductæ sint priores. Propterea dicit: *Per lapsum illorū salus contigit Gentibus, vt eos ad emulandum prouocaret.* Si verò de eo quod contingent ex consequentiã euenit, tanquam si præmeditatè factum sit loquitur, non est quod mireris. Vult enim perculosos illorum animos cõsolari. Quod autem dicit, tale est: *Venit ad eos Christus Iesus, hunc non solum non receperunt innumera mirabilia operantem, sed & crucifixerunt: quo facto atraxit ad se Gentes, vt illarum honor istorum stupiditatem mordens ac irritans, vel ex contentione aduersum alios, accedere eos persuaderet.* Oportebat quidem eos gratiam hanc completi primum, deinde tandè & nos. Vnde & dixit: *Virtus quippe Dei est ad salutem, Iudæo primum & Græco.* Quoniam verò resilierunt, qui posteriores fueramus, facti sumus primi. Vides ergo quantum honoris illis etiam hinc adscribat, primum quidè, quòd tunc demum vocatos nos dicit, quando ipsi venire noluerunt: deinde quòd propterea nos esse vocatos dicit, non vt saluemur tantummodo, sed vt & ipsi per nostrã salutem ad emulationem inducti, meliores redderentur. Quid igitur dicit? *An non nisi propter Iudæos nos vocati saluatique fuissetis? Certè ante illos nequaquam, sed conuenienti post ordine.* Atque idèo cum discipulis præciperet, non dicebat simpliciter, *Ite ad perditas oues domus Israel, sed ite potius, ostendens quòd & ad eas postea quæ ex Gentibus erant, oporteret illos abire.* Et Paulus rursus non dicebat, necessarium est annunciari vobis sermonē, sed vobis oportuit primum annunciari, significans quòd & nobis secundo loco annunciari oportuerit. Hæc autem & facta sunt & dicta, vt ne impudentè quidem haberent excusationem Iudæi, tanquam qui meritò non crederet, quòd fuissent contempti. Atque ob id Christus omnium præsciis, primum ad ipsos accessit. *Quòd si lapsus illorum diuitie sunt mundi, & diminutio illorū diuitie Gentium: quãto magis plenitudo illorū?* Ad gratiã illis hinc disserit. Nam etiam si milles illi cecidissent, saluata tamen non fuissent Gentes, nisi fidem recepissent, quemadmodum & Iudæi vtique non periissent, nisi increduli contentiosique fuissent. Sed quemadmodū dixi, consolatur illos abiectos, copiosè fatagens, vt confidentes de sua ipsorum salute faciat, siquidem immutarentur. Si enim, quando expulsi sunt, inquit, tam multi salute potiti sunt, atque ex eo quòd eiectioni sunt illi, tam multi vocati sunt, perpende quid futurū sit, quando conuersi fuerint. *Nō enim dicit, quantum magis conuersio ipsorū, aut immutatio ipsorum, aut correctio ipsorū: sed quantum magis plenitudo ipsorum, hoc est, quando vniuersi ad fidem accessuri sunt. Hoc*

Mat. 22.

Ibid. 21.

Ibid. 15.

Ibidem.

Act. 13.

Sup. r.

Mat. 23.

Mat. 23.

verò dicēs, ostendit tūc plus fore gratiæ donique Dei, ac prope totū. *Vobis autē dico Gētibus, quatenus ego quidem sum Apostolus Gentium ministerium meū illustro, si quo pacto ad emulandū prouocē carnem meā, & saluē nonnullos ex illis.* Rursus mala suspitione seipsum liberare satagit. Videtur autem eos quidē qui ex Gentibus erant, obiurgare, mentēsq; illorū humiliare: sensim tamen Iudæum vellicat. Circunquaque quidē querit, quomodo tantam illorum perditionem cōponat, ac mitiget: sed nihil inuenit, propter rerum ipsarū naturam. Nam & ex iis ipsis quæ dixit, maiore reddebantur accusatione digni, quando quæ illis apparata fuerāt, ceteri, qui longē ab illorū sorte deficiebant, receperunt. Propterea relictis Iudæis ad Gētes trāsīt, de quæ hīc medium interponit sermonem, ostendere volens, quod hæc omnia in hoc dicat, vt ad modestiam eas instruat. Nā duplici nomine, inquit, vos laudo: Primum, quod necessitas hoc exigat, vt cui vestrum cōcreditum est ministerium. Deinde vt per vos alios quoque saluos reddam. Et nō dicit, fratres meos cognatos meos, sed carnē meam. Et pōst vt persuadeam, sed vt ad emulandum prouocem, saluōsq; reddam. Et neque hīc dicit omnes, sed aliquos ex eis, adeo scilicet duri erant. In hac autem ipsa increpatione rursus splendida esse, quæ ad Gentes pertinent, ostēdit: licet enim vtrinque alteris alteri salutis causam dederint, non tamen eisdem rationibus ac mediis. Iudæi siquidem istis sua incredulitate, isti verò Iudæis fide sua bonorum facti sunt procuratores: vnde videtur, quæ Gentium sunt, adæquare, imò exuperare Iudæos. Quid ergo dices o Iudæ? Nisi nos eiecti fuissetis, vos nō adeo statim vocati fuissetis? Sed hoc quoque qui ex Gentibus est, nō minore ratione dicit: Nisi saluatus essem ego, tu sanē emulandi causam nō habuisses. Si verò voles cognoscere vnde excellamus etiam, accipe: Ego quidem te credulitate mea saluo: tu verò lapsus, priorem nobis ingressum ad salutem tradidisti. Deinde cognito quod illos denuò reprehendisset, priora resumit, dicens, *Nam si reiecti illorum, reconciliatio mundi est, quæ erit assumptio, nisi vita ex mortuis?* Sed & hoc rursus illos condemnat. Siquidem alij ex eorum peccatis lucrum tulerunt, ipsi verò neque ex aliorum benefactis adiuti sunt. Si verò illud quod ex necessitate contigit, illorum esse dicit, nō est quod mireris. Vt enim & istos, id quod sæpenumerò dixi, contrahat, & illos adhortetur, ad eum modum sermonem format. Quemadmodum enim dicebam, etiam in innumeris modis reiecti fuissent Iudæi: non tamen ideò saluata fuissent Gētes, nisi fidem suscepissent. Sed ægrotanti parti adhsitit, opitulaturque laboranti. Verum vide in quibus gratificetur verbis illos consolans. Nam si reiecti illorū, inquit, reconciliatio est mundi. Et quid hoc ad Iudæos? Quæ erit assumptio, nisi vita ex mortuis? Sed neq; hoc ad illos, nisi ipsi quoque assumpti fuerint. Quod verò dicit, tale est: Si Iudæis iratus, tanta largitus est Gentibus: quando illis reconciliatus aliquando fuerit, quid non largietur? Sed quemadmodū resurrectio mortuorum non est propter illorum assumptionem, ita neque salus nostra propter illos est. Eiecti sunt quidē propter eorum dementiam, nos verò per nostram fidem cœlestemque gratiam saluati sumus. Horum verò nihil illis prodesse poterit, nisi & ipsi conuenientem fidem ostēderint. Veruntamen pro sua consuetudine faciens, in aliud encomium sermonem inducit, tale tamen, quod encomium re vera non sit, sed esse tātummodo videatur, imitatus in hoc medicorum optimos, qui tantum largiuntur ægrotis, quantum ipsa infirmitatis natura concesserit aut exegerit. Quid autem dicit? *Quod si pri-*

mitia sanctæ, sancta est & conspersio. Et si radix sancta, sancti sunt & rami. Primitias hīc atque radicem vocat Abraham, Isaac, & Jacob, prophetas ac patriarchas, cōsequē omnes qui in veteri testamento celebres habitū sunt: ramos verò, qui ex illis sunt credentes. Deinde quoniam occurubat, multos non credidisse, vide quo pacto illud rursus abscindat, dicens. *Si verò quidam ex ramis defraeti sunt.* Atqui suprā dicebas plures esse perditos, paucos verò saluatos: quomodo igitur hīc de perditis ponis illud, quidam, qua dictione vti que nō multitudo, sed paucitas significatur? Non contrarius, inquit, mihi ipsi sum, sed laborantes curare recuperareq; studeo. Vides quomodo per omnem hunc locum vnū hoc satagat, vt illos consoletur? Hoc si detraxeris, multa sequentur contraria. Tu verò mihi velim sapientiam ipsius consideres, quomodo cum videatur pro ipsis dicere consolationemque meditari, occultē interea illos feriat, omnique exultatione priuatos ostendat, idque ab ipsa radice, ab ipsis suis ipsorum primitiis. Perpende siquidem in hoc ramorū malitiam, quod cum radicem habeant dulcem, ipsam tamen nullo pacto imitetur: & conspersiois malitiam, quod neque ab ipsis primitiis immutetur. Si verò quidam ex ramis defraeti sunt. Atqui potior illorum pars defraeta est. Sed quemadmodum dicebam, vult illos consolari. Atque ideò sermonem non de seipso, sed de ipsis inducit, in eo etiā ipso clanculum illos taxans, ostendensque quod ex Abrahæ cognatione exciderint. Hoc enim erat quod dicere studebat, nimirum quod nihil commune haberent cū illo. Licet enim sancta sit radix, ipsi tamen non sancti, atque ideò procul à radice sunt. Deinde cum visus esset Iudæum consolatus esse, rursus eos qui ex Gentibus erant, per reprehensionem percutit. Cum enim dixisset, si verò quidam ex ramis defraeti sunt, subiunxit: *Tu verò cum esses oleaster, insitus fuisti illis.* Quāto enim vilior est Gentilis, tanto magis dolet Iudæus videns illum in iis quæ se concernunt, deliciantem. Gentili verò tantū non est ex sua vilitate pudoris, quātum ex immutatione honoris: & vide sapientiam. Non dicit, insertus es, sed arboris in medium insitus es, hoc ipso iterum Iudæum mordens, ostendensque Gentilem in ipsius arbore stantem, cum interim ipse humi iaceat. Propterea neque hīc pedem figit etiam cum dixisset, insitus fuisti illis: non tamen vel sic illum dimittit, quāquam totam rem hoc dicto declarauerit, sed fœlicitati huius immoratur, celebritatēque eius dilatat, dicens: *Et confors radicis ac pinguedinis oleæ factus.* Videtur quidem Gentilem in ordinem secundariæ cuiusdam additionis & appendicis posuisse: ostendit verò nihil istud illi nocere, sed habere eum quicquid habuerit ramus ipse de radice ascendens. Etenim ne cum audis, tu verò insitus fuisti illis, naturali illū ramo conferens, putes imminutum inferiorēque esse: vide quomodo eum illi adæquet dicens, & confors radicis ac pinguedinis oleæ factus: hoc est, in eandem positus es nobilitatem, in eandem naturam. Deinde increpans ac dicens: *Ne gloriaris aduersus ramos.* Videtur quidem consolari Iudæum, sed ostendit magis multam illius vilitatem & ignominiam. Propterea non dicit, ne gloriaris, sed ne gloriaris aduersus ramos: hoc est, ne gloriaris aduersum Iudæos, quasi abrupti sint. Nam in illis stas quæ eorum sunt, illis que frueris. Vides quomodo videatur quidem increpare Gentiles, mordcat autem Iudæos. *Quod si gloriaris, inquit, non tu radicem portas, sed radix te.* Quid hoc ad ramos illos, qui excisi sunt? Nihil. Quemadmodum enim dicebam, vmbra quandam consolationis modicam ac tenuem meditari quidem videtur: in eo tamen ipso quod aduersus Gentilem inuehitur, tempestiuā Iudæis plagam

αυτην ερε.

προσθεμενωσ.

εναρτυριον.

κατασβεσασον.

προσθησασωσ.

αποτομωσ.

plagam incutit. Cum enim dicit, ne gloriaris aduersum ramos: & quod si gloriaris, non tu radicem portas, satis ostendit Iudæo digna esse quæ Gentibus obtigerunt vnde gloriari: licet non oporteat eas aduersum Iudæos gloriari: atque ita ad fidem illum incitat, seque conicit in locum patroni, ostendens illi quid damni sustinerit, ac quomodo quæ ipsius sunt, obtineant alij. *Dices igitur, defraeti sunt rami vt ego miserer?* Rursus per modū abiectionis instituit quod priori contrarium est, ostendens quod quæ paulò antè dixerat, nō principaliter, sed ad hoc dixerit, vt Iudæos attraheret. Non enim delicto illorū salus cōstat Gentium: neque delictum illorū diuitiæ sunt mūdi: nec ideò saluati sumus, quod illi ceciderūt, sed potius contrariū est. Ostendit autem & eam quæ de Gentibus est prouidentiam principalem esse, licet quæ dicta sunt, aliter finxerit. Totū etiā locum per obiectionem texit, vt se ab inimicitie suspitione liberans, acceptabilem reddat sermonem. Bene. Laudat obiectum. Deinde rursus territat, dicens: *Per incredulitatem defraeti sunt, tu verò fide insitus es.* Ecce rursus aliud creditum ex Gentibus encomiū, simul & Iudæorum accusatio. Sed iterum ipsorum fastum contrahit, subiungēs ac dicēs: *Ne efferaris animo, sed timeas.* Non enim naturæ negocium est istud, sed fidei & incredulitatis. Videtur autē rursus eius qui ex Gētibus est os obstruere, sed potius Iudæum docet quod non oporteat naturali attendere cognationi. Vnde & subdit, ne efferaris animo: & non dicit, humiliare, sed, time. Arrogantia siquidem contemptum ac fœcordiam parit. Deinde deploraturus ipsorum calamitatem, vt tolerabiliorem faciat sermonem, per modum increpandi illum qui ex Gentibus est illud facit, sic dicens: *Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit.* Non dicit, neque tibi parcat: sed, *Vide ne qua fiat, vt nec tibi parcat.* Abscindens quod grauitate sua poterat offendere, credentēque sollicitū ac vigilantem faciens, & illos attrahit, & istos astringit. *Vide igitur bonitatem ac seueritatem Dei, in eos quidē qui ceciderūt, seueritate: in te verò bonitate, si permanseris in virtute, alioquin & tu excideris.* Non dicit, vide igitur virtutem tuā, sicut labores tuos, sed Dei bonitatem: ostēdens quod vniuersum ex superna sit gratia factū, instituēsq; credentē, vt tremat. Abusus quippe gratiæ Dei, tremere facit. Nā ob ipsum, inquit, quod bonus factus est erga te dominus, timendum tibi iuerit. Non enim immota tibi bona manebūt, si torpescere volueris, quemadmodum nec illis mala, siquidem immutati fuerint. Nam & tu, inquit, nisi in fide perstiteris, excideris. *Illi autē si nō permanserint in incredulitate, inserentur.* Nō enim illos amputauit Deus, sed per seipso defraeti exciderunt. Et bene dicit, defraeti sunt. Nunquā enim ad eum modum illos cecit, tametsi multa sæpenumerò peccarint. Vides quantū sit liberi propositi dominiū? quanta mentis potestas? Nihil enim hīc siue illorum malum, siue tuū bonum, fixū est aut immobile. Vides quomodo Iudæum propē desperantem restituerit, eū verò qui ex Gentibus est, æquo confidentiorē contraxerit? Sed neque tu Iudæe cum amputationem audis, desperes: neque tu qui ex Gentibus es, cū bonitate Dei audis, æquo confidentior reddaris. Propterea quippe truncatum te Iudæe abscidit, vt reuertī desideres. Erga te verò, qui ex Gentibus es, ideò bonitatem suam ostendit, vt in illa mancas. Et non dicit, si permanseris in fide: sed, si permanseris in bonitate: hoc est, si feceris quæ diuinæ bonitati dignē respondeant. Non enim sola fide opus est. Vides quomodo neque illos humi iacere permittat, neque istos nimium sibi arrogare, imò & ad æmulationem illos prouocet? Rursus per ea quæ dixit, Iudæo tribuit in huius stare loco, quemadmodū & iste

locū illius præoccupauerat. Et eum quidē qui ex Gentibus est, per Iudæos, perq; ea quæ Iudæis contigerunt terret, ne aduersum illos infletur: Iudæū verò, per ea quæ Græco cōcessa sunt & exhibita, confidentē facere conatur. Nā & tu, inquit, si obtorpueris, excideris. Iudæus etenim licet sit amputatus, denuò tamen inseretur, si quidē diligentem operā impenderit. Etenim & tu infertus es. Valdē verò prudenter omnem sermonem hīc ad eū vertit, qui ex gentibus est: id quod perpetuò cōsuevit, dū per firmiorum increpationem, imbecilles restituere laborat. Hoc & in fine epistolæ facit, vbi de ciborū obseruantia differt. Deinde non solū ex futuris, sed & ex præteritis illud probat: id quod auditorem maxime persuasit. Obseruaturus verò inuincibilem rationum consequentiam, primum à paciētia Dei probationem ponit. Nam etiam si amputati sunt & abiecti, alii que quæ illorū sunt præoccuparūt, neq; sic tamē desperes. *Potest enim, inquit, Deus denuò illos inserere.* Qui & quæ sperari non poterant, facit. Si verò rerum quoque ordinē ac seriem queris, rationūq; consequentiam: subidium huius apud te ipsum maiore copia habes. *Etenim si tu, inquit, ex naturali excētus es oleastro, ac præter naturam insitus es in veram oliuā: quāto magis hi, qui naturales sunt, inserentur propriæ oliuæ?* Si enim quod præter naturā est potuit fides: multò magis poterit quod naturale est. Si enim iste qui iuxta naturam patrum ipsius excētus est, præter naturam ad Abrahamum venit, multò magis tu quod cognatū tibi ac proprium est recipere poteris. Ipsi quippe Gentilis malum iuxta naturam est. Oleaster etenim iuxta naturā erat, bonum verò illius præter naturā est. Præter naturam siquidē Abrahā insitus est. Contrario verò modo bonum tuū secundum naturam est. Non enim in alienā radicem, quemadmodum Ethnicus, sed in propriam ac domesticā, si redire volueris, iniereris. Itaq; qua venia dignus eris, quod cum Ethnicus quod præter illius est naturā, poterit, tu quod iuxta naturam tuam est, non potes, imò & prodis? Deinde quoniam dixerat, præter naturā, & insitus es, ne putes amplius quid habere Iudæum, rursus hoc ipsum corrigit, dicens & ipsum inseri. Quāto magis, inquit, & ipsi inserentur propriæ oliuæ? Potens est enim Deus denuò inserere illos. Et ante hoc dixerat, quod nisi in incredulitate permanserint, inserentur. Quod verò cōtinuò dicentem audis illa præter naturā, & iuxta naturam: non putabis immobile quiddā illum dicere, naturam hanc esse, sed decens quid & consequens, ac rursus indecēs, nominibus istis manifestare velle. Non enim naturæ sunt, quæ bona vel mala sunt: sed mentis tantummodo ac propositi. Obserua verò quom odium & inuidiā vitet. Cū enim dixisset, & tu amputaberis, nisi in fide māseris, & illi inserentur, si in incredulitate nō perstiterint: relicto quod tristius erat, quod iucūdus est ponit. Ad hæc & in eo ipso finē huius loci facit, magnificas spes, si ita voluissent, Iudæis texens. Vnde & subiūgit, dicēs: *Non enim volo vos ignorare fratres mysteriū hoc, ne sitis penes vosmetipsos arrogantes.* Mysteriū hīc dicit, quod inco-

παροση.

φρονησ.

1. Cor. 15.

2. Cor. 2.

Hic sup.

fucro expletus: ita & hic dicit idē quod & suprā: Num repulit Deus populū suum, quem antē cognouerit? Et iterum, Quid igitur? Num impegerunt vt conciderent? Absit. Hoc sanē & hīc dicit, nimirum quod nō tota sit in vniuersum Iudæorum gens euulsa, sed quōd & nunc multi crediderint, multique rursus credituri sint. Deinde quoniam magnum quid promiserat, prophetam eius rei testē sic dicentem inducit: quōd quidē cæcitas illis obrigerit, nullo testimonio probat: Manifestum enim illud erat omnibus. Quōd verō credituri saluandique sint, Esaiam prophetam inducit rursus clamantem ac dicentem: *Adueniet ex Sion qui liberat, & auertet impietates à Iacob.* Deinde insigne quoque salutis huius ponens, ne quis hoc dictum prophetæ ad anteriora tempora trahat, præteritūque adaptet dicit: *Et istud erit illis à me testamētum, quando peccata illorū abstulero.* Nō quando circuncisi fuerint, non quādo obtulerint, nō quando alia legalia fecerint, sed quādo peccatorum remissione potiti fuerint. Cum ergo istud promissum sit quidem, illis verō nondū obrigerit, neque per baptismum peccatorum remissionem adepti sint, omnino necesse est vt adhuc futurum sit. Vnde & subdit: *Nam dona quidem & vocatio Dei talia sunt, vt corū illū pœnitere non possit.* Et neque isto solū illos consolatur, sed & eo quod iam contigerat: quōdque ex consequentia contigerat, illud quasi principale ponit, cum dicit: *Secundum euangelium quidem inimici propter vos, secundum electionem autē dilecti propter patres.* Ne qui ex Gentibus est infletur, dicens, Ego sto, ne mihi dicas, quidnam fieri possit, sed quid factum sit, & hinc quoque illum contrahit dicens, secundum euangeliū quidem inimici propter vos. Nam posteaquā vocati estis vos, contentiosiores facti sunt illi. Veruntamen neque sic vestram vocationem abscedit Deus, sed expectat, donec quotquot ex Gentibus credituri sunt, ingressi fuerint, atque tunc demū & illi venient. Deinde & aliam quandam gratiam illis largitur, dicens: *Secundum electionem autem dilecti propter patres.* Et quid hoc? Nā vbi inimici sunt, ipsorum est supplicium: vbi verō dilecti, nihil ad eos progenitorum virtus attinet, nisi crediderint. Veruntamen, quemadmodum dicebam, non cessat illos verbis consolari, vt attrahat: Atque idē aliunde etiam quod antea dictū est adstruens dicit: *Quemadmodum enim & vos quondā increduli fuistis Deo, nunc autem per illorū incredulitatem misericordiam adepti estis: sic & isti nunc increduli facti sunt, ob id quod vos misericordiam consecuti estis, vt & ipsi misericordiam consequantur.* Concluserunt enim Deus omnes sub incredulitatem, vt omnium miseretur. Ostēdit hīc primū eos qui ex Gentibus sunt, vocatos fuisse, deinde quoniā noluerunt credere, Iudæos electos esse, id quod & ipsum post ista vicissim istis quoque contigerit. Posteaquam enim Iudæi credere noluerunt, rursus adductæ cōciliatæque sunt Gentes. Sed gradum hic nō figit, neque totū in illorū electionem vertit: sed magis huc, quōd rursus & ipsi immisericordiā sint adepturi. Vide quantū dat illis qui sunt ex Gentibus, nimirū quantum antea dederat Iudæis. Posteaquam enim vos, inquit, qui ex Gentibus estis, aliquando non credidissetis, accesserunt Iudæi. Rursus postquam & illi non crediderunt, accessistis vos. Non enim in finem vsque pereunt. Nam sub incredulitatem Deus omnes conclusit: hoc est, arguit, ac demonstrat incredulos esse, non vt increduli persistere, sed vt per aliorum contentionem saluaret alios, istos per illorū, illos per istorum. Obserua verō: Increduli fuistis vos, & saluati sunt illi: rursus increduli facti sunt illi, & saluati estis vos. Non quidem ita saluati estis, vt denuo, quemadmodū Iudæi, exire debeatis: sed vt illos manēdo per amulationē attrahatis. *O profunditatem*

Ea. 59.

tatem diuitiarum & sapientie & cognitionis Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius! Ad priora tempora hoc loco reuersus, prouidentemque Dei dispensationem ab initio quo mundus ipse factus est, ad hęc vsque tempora contemplatus, perpensō videlicet quā prudentem ac variē cūta instituerit Deus, obstupuit & exclamauit, vt certos faceret auditores, omnino quę dixerat, ita fore. Nā non exclamasset vtiq; neq; obstupescere factus fuisset, nisi istud omnino futurū esset. Quōd quidē hac in re profunditas sit cognouit: quanta verō sit, non item. Admirantis quippe est hic sermo, non omnia scientis. In admirationem verō stuporēque propter hęc Dei bonitatem raptus, quantum licuit, duobus nominibus excellentiam habentibus illam depredicauit, nimirum diuitiarum & profunditatis. Atque ob hoc potissimum obstupuit, quōd ista Deus & voluerit & potuerit, quōd contraria per contraria curauerit, ac perfecit, ita vt sint illius iudicia inscrutabilia. Non enim incomprehensibilia rātummodo sunt, sed & inscrutabilia. *Et imperuestigabiles via illius.* Hoc est dispensationes. Nam & ipsæ non solū cognosci nequeunt, sed nec quæri. Neque enim ego, inquit, omnia inueni, sed modicam tantummodo partem, non totum. Ipse quippe solus instituta sua clarē cognouit. Vnde & subiungit: *Quis enim nouit mentem domini? aut quis illi fuit à consiliis? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Quod autē dicit, tale est: Quōd adeō sapiens est, nō hoc ab alio quopiam habet, sed ipse per se fons est bonorum. Et quōd tāta perfecit, nobisque contribuit, non ab alio mutuatus est, sed de suo copiosē effudit. Neque aliquid retributionis cuiquam debet, quasi quid ab illo acceperit, sed ipse perpetuō in beneficiis prior est. Nam illa veræ demū sunt diuitiæ, in omnibus exuberare, neq; alterius cuiusquam opera indigere, Vnde & subdit: *Quoniam ex illo, & per illum, & in illum omnia.* Ipse fecit, ipse conseruat. Nam & diues est, non opus habēs vt à quoquam accipiat: & sapiens, nullius indigens consilio. Quid dico consilio? Neque cognoscere quæ illius sunt opera quis poterit, nisi ipse qui solus est & diues & sapiens. Multarum siquidem diuitiarum est, quōd eos qui ex Gentibus sunt, adeō diuites: & multæ sapientiæ, quōd eos qui Iudæis erant inferiores, Iudæorū magistrōs fecit. Posteaquam itaque obstupuisset, laudem quoque ac gratiarū actionem Deo refert, dicens: *Ipsi gloria in sæcula. Amen.* Quādocunque tale quid magnum atque ineffabile dicit in gloriam Dei admirando sermonem terminat: id quod & de filio loquens facit. Nam & illic in admirationem raptus, idem ipsum quod hic subiunxit, dicens: *Ex quibus est Christus secundū carnem, qui in omnibus est Deus laudandus in sæcula. Amen.*

MORALE.

Hunc itaque imitemur, & nos vbique Deum per vitam diligenter ac piē institutam glorificantes, neque progenitorum virtutibus confidamus, Iudæorum exemplum scientes. Non enim nobis eadem est, non est, inquam, cognatio, nisi ea quę iuxta spiritum est. Sic autem & Scytha fit Abraham filius, & illius filius rursus quouis Scytha ab hac cognatione alienior cōstituitur. Non fidamus ergo patrum virtutibus, sed etiam si celebrem habeas parentem, ne putes illud tibi ad salutem sufficere, aut ad honorem & gloriam, nisi & moribus illi cognatus sis. Quemadmodum & si vilem habueris non putandum quōd ex eo vel condemnandus sis, vel dedecore addiciendus, siquidē quæ ad te attinēt probē institueris. Quid enim Gētibus ignominiosus? Attamen per fidē subito facti sunt sanctorū cognati. Rursus quid Iudæis erat Deo familiaris? Et tamē per incredulitatem

† Emend. codex, id est, à virtute.

Act. 16.

Matth. 5.

Ibidem.

Ephes. 5.


Iust. 12.

abalienati sunt. Illa quippe cognatio, naturæ est, & necessaria, iuxta quam cognati sumus omnes. Ab Adam enim sumus omnes. Neque enim alius alio plus cognationis hīc habet, siue eam quæ attinet ad Adamum, siue quę ad Noah, seu quæ attinet ad terram cōmunem omnium matrem, rationem spectes. Ea verō cognatio quæ præmiis digna est, à malis nos separat. Non enim possunt omnes hīc esse cognati, nisi qui moribus sunt eisdem. Neque fratres hīc vocamus, qui ex eodem nobiscum vtero prodierūt, sed qui eundem zelum ostendunt. Sic & filios Dei vocat Christus, sic quoque ex contrario filios diabolici: ita & filij dicuntur incredulitatis, ita gehennæ, ita perditionis. Ad eum modum & Timotheus Pauli † ab initio filius erat, genuinusque illi filius vocabatur. Filij verō sororis illius ne nomen quidem scimus. Quāquam etiam si iuxta naturam illi propinquus vel affinis fuisset, nihil tamen lucri tulisset. Iam verō qui & natura & loco nihil habebat cum illo propinquitatis, (erat enim ex Lystris ciuis) omnium nihilominus factus est proximus. Simus itaque & nos sanctorum filij, imō & Dei filij. Quōd enim liceat & Dei filios fieri, audi quid dicat: *Estote igitur perfecti, inquit, sicut pater vester qui in cœlis est.* Propterea illum & orantes patrem vocamus, non solū factam nobis rememorantes gratiam, sed & nos ipsos ad virtutem admonentes, ne quid tali cognatione indignum committamus. Et quomodo poterit quis, inquit, filius Dei fieri? Si omnibus fuerit affectuum passionibus liberatus, si mansuetudinem erga conuiciatores atque iniuriam faciētes ostenderit. Nam & pater tuus talis est erga blasphematores suos: atque idē licet multa sæpenumero dixerit, nunquam tamen dixit, *Vt fitis similes patri vestro, sed quando dicebat: Orate pro calumniantibus vos, benefacite iis qui vos oderunt: tunc istud etiam præmij subiungebat.* Nihil enim adeō vicinum Deo cōformemque facit, quemadmodum ista virtus. Propterea & Paulus cum dicit, *Imitatores estote Dei,* ad hoc dicit, vt isti studeatur virtuti. Nā omnibus quidem virtutibus opus habemus, maximē tamen benignitate, & mansuetudine, quandoquidem & nos benignitate, quæ nobis contingat, indigemus: multa siquidem singulis diebus delinquimus. Vnde & multa nobis opus est misericordia. Multum verō aut minutum, non datorum mensura, sed iuxta facultatem contribuentium pōderatur. Itaque neque qui diues est, infletur: neque pauper, tanquam qui modica det, deiiciatur. fit enim sæpenumero vt plus diuite det pauper. Nō oportet ergo vos ipsos propter paupertatem miseros æstimare. faciliorem enim vobis elemosynam illa facit. Nam qui multa possidet, maiore detinetur vel arrogātia vel cupidine, quā ea sint quæ habet. Qui verō parum habet, ab vtraque ista tyrannide liber est: vnde & plures inuenit benefaciēdi occasiones. Is enim & in carcerem ad captiuos facillē ingreditur, & ægrotos visitat, & potum aquæ frigidæ præstat. Diues verō nihil horum amplectitur diuitiis suis inflatus. Non ergo despondeas animum propter paupertatem. Cœli quippe opulētiam faciliōrē tibi facit paupertas. Quōd si nihil etiam habeas, habeas autem animum condolentem, opponetur tibi merces vel huius quoque gratia. Atque ob eam rem & Paulus præcepit flere cum flentibus, & erga viētos esse tanquā ipsi quoque viēti simus. Non enim solis flentibus consolationem quandam adfert, si plerique fuerint qui condoleant, adfert & his qui aliis premuntur afflictionibus. Fit enim subinde vt compatiētis sermo iacentem & afflictum non minus refocillet, quā data pecuniæ. Propter hoc enim & pecunias egenis dare iussit Deus, non solū vt illorum succurra-

Chrysof. tom. 4.

tur paupertati, sed vt & nos doceat condolere proximi malis. Atque idē avarus non solū ob id odibilis est, quōd eos qui in paupertate sunt, contemnit: sed quōd & ipse ad crudelitatem, multamque inhumanitatem instituitur. Quemadmodum & is qui pauperum gratia pecunias contemnit, propterea amabilis est, quōd miseris est & humanus. Et Christus quādo beatos vocat misericordes, non eos solos intelligit, qui datis pecuniis misericordiam exhibent: sed & eos beatificat & laudat, qui animi proposito id faciunt. Hanc itaque commoditatem animique habitum ad misericordiam præstandam exhibeamus, & omnia bona sequentur. Qui namque animum habet benignum ac misericordem, si pecunias habuerit, proferet: & si in calamitatibus quempiam viderit, flebit & lamentabitur: & si incidit in aliquem cui facta sit iniuria, patrociniabitur: & si calumniis pressum conspicatus fuerit, manum porriget. Thesaurum enim bonorum habens, animum scilicet benignum ac misericordē, omnia ex eo scaturiginis instar pro fratribus effundet, vnde & omnibus fruetur præmiis à Deo deputatis. Vt itaque & nos illis potiamur, ante omnia mentem procuremus nobis mansuetam ac benignam. Ita enim innumera, dum hīc sumus, operabimur bona, & futuris coronis fruemur: quas contingat, oro, nos omnes apprehendere gratia & benignitate, &c.

HOMILIA XX.



B SECRO igitur vos fratres, per miserationes Dei, vt præbeatis corpora vestra hostiam viuētem, sanctam, acceptam Deo, rationalem cultum vestrum. posteaquam Apostolus

multa iam de benignitate Dei disseruisset, ineffabilēque illius curam pro nobis ac prouidentiam simul & bonitatem, quam nemo scrutari queat, ostendisset: eandem deinceps ipsam proponit ad hoc, vt iis quibus tanta contigerunt beneficia, persuadeat cōuersationem etiam vitę diuino dono dignam ostendere. Et cum tantus sit ac talis, nihil tamen dubitat eos obsecrare. Idque non earum rerum gratia quibus ipse frueretur aliquando, sed quarum ipsi potius fructum ac lucrum haberent. Quid autem miraris, quōd obsecrare non dubitat, quando & miserationes Dei proponit? Cum sint enim, inquit, innumera vobis per miserationes Dei in hac etiam vita collata bona, vel illas reucreamini, vel illa sint quæ moueant. Nam & illa suppliciter obsecrant, ne quid se indignum designentis. Per illas igitur ipsas, inquit, obsecro, per quas saluati estis. Quemadmodum si quis eum cui magna sint præstita beneficia, pudore suffundi volens, benefactorem ipsum supplicem inducat. Et quid obsecras, dic quæso vt præbeatis corpora vestra hostiam viuētem, sanctam, acceptam Deo, rationalem cultum vestrum. Cum enim hostiam dixisset, ne quis putet quōd præcipiat macerari corpora, statim subiunxit, viuētem. Deinde hostiam hanc à Iudaica discernens, sanctam dicit, acceptam Deo, rationalem cultum vestrum. Corporalis enim est Iudaica illa, & non admodum accepta. Quis enim, inquit, quæsiuit ista è manibus vestris? Et aliās sæpenumero illas repellere deprehenditur, istam verō nequaquam, sed cum daretur Iudaica, hanc nostram quærebat. Vnde & dicebat. Hostia laudis glorificabit me. Et iterum, Laudabo nomen Dei cum cantico, & placebit Deo plus quā vitulus nouellus, cornua producens & vngulas. Et alibi quoque illam reiiciens ac dicens: Num manduco carnem tauro-rum, aut sanguinem hircorum bibo? subdit, *Sacrifica Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. Ita*

Esaie 1.

Ibid. 68.

Ibid. 49.

Ibid. 49.

G

& Paulus hinc iubet: Præbete corpora vestra hostiam viuentem. Et quomodo corpus, inquit, hostia fiet? Nihil mali respiciat oculus, & factus est hostia. Nihil turpe loquatur lingua, & facta est oblatio. Nihil iniqui committat manus, & facta est holocaustoma. Imò non sufficiunt ista, sed vt bona etiam faciamus opus est: nimirum vt eleemosynam faciat manus, calumnias inferentibus benedicat os, auditus diuinis continuo sermonibus vacet. Nihil enim habet immundi hæc hostia. Aliorum primitias complectitur hæc hostia. Et nos igitur tam manuum quam pedum, tam oris quam omnium aliorum primitias Deo reddamus. Talis hostia Deo placet, cum interea Iudæorum immunda etiam fuerit. Sacrificia enim eorum, inquit, panis sunt luctus ipsi: sed nostra hostia non item. Illa quod consecratum est & oblatum, mortuum: ista verò viuum facit. Quando enim membra nostra mortificauerimus, tunc demum viuere poterimus. Noua siquidē ista huius sacrificij nostri lex est. Atque idē mirabile etiam est hoc ignis genus. Neque enim lignis opus habet, aut alia eiusmodi materia subiecta: sed in seipso noster ignis uiuit, nec vitimam comburit, sed magis viuificat. Hanc scilicet vitimam iam olim Deus quærebat. Vnde & propheta dicebat, Sacrificium Deo spiritus cōtritum. Hanc ipsam tres etiam pueri illi offerebant, dicentes: Non est princeps, neque propheta, neque locus quo misericordiam liceat acquirere & inuenire, sed in animo contrito & spiritu humilitatis suscipiamur. Obserua verò quomodo singulis dictionibus vestra hostiam, sed præbete, ac si diceret: Nihil deinceps commune vobis sit cum ipsis, alij siquidem ea elocastis. Nā & illi qui equos bellicosos alijs elocant, nihil deinceps commune in illis habent. Et tu igitur membra tua ad bellum, quod contra diabolum est, præliumque illud terribile exhibuisti, non erit vt ad proprias operas illa tibi retrahas. Et aliud quoque ex hoc nobis ostēdit, nimirum quod oporteat illa probata facere, siquidē ea exhibitori fuerimus. Nō enim illa cuiusdam terrestriū hominū, sed ipsi omnium Deo exhibitori sumus: nō vt in illis prælietur tantummodò, sed vt & ipsum regem sefforem habeant. Neque enim detrectat insidere membris nostris, sed & vehementer vult hoc ipsum. Et quod rex qui conseruus est noster non vult, hoc elegit etiam ille qui dominus est angelorum. Quoniam igitur membra tua Deo sunt sistenda, quoniam hostia sunt, omnem ab illis maculam auferto. Nam si maculam habuerint, hostia iam vtique non erunt. Neque enim offerri poterit oculus scortationi seruiens, neque manus rapiens ac defraudans, nec pedes claudicantes, theatraq; visitantes, nec venter delictis seruiens, voluptatūque desideria inflāmans, nec cor iram aut amorem fornicarium fouēs, neque lingua turpia loquens. Opus fuerit propterea corpus nostrum diligenter à mēdis eiusmodi curandū cōsiderare. Nam si qui veteres hostias offerebāt, iubebātur omnia prius cōsiderare, nec quod auribus esset incisus, aut cauda mutilata, aut scabiosum, aut impetiginem habēs permittebatur offerre: multo magis nos, qui non irracionales oues, sed nos ipsos offerimus, maiorem oportebit impendere diligentiam, atque ex omni parte mundos esse, vt & nos cum Paulo dicere queamus: Ego enim iam immolar, & tempus resolutionis meæ imminet. Erat enim quavis hostia purior, vnde & libamen seipsum vocauit. Erit autem hoc, si veterem hominem sustulerimus, si membra nostra quæ sunt super terram mortificauerimus, si mundum nobis ipsis crucifixerimus. Ita neque machara deinceps, neque altari, neq; igne opus habebimus. Imò istis omnibus opus habebimus, verū-

Psal. 50. Dan. 3.

1. Tim. 4.

4. Tim. 4.

tamen non manufactis, sed desursum nobis omnia dantur. Desursum est ignis, desursum machara, altare nostrum erit ipsa cæli latitudo. Si enim Helix sensibilis ac corporalem hostiam offerenti delata desuper flamma omnia consumpsit, & aquam, & ligna, & lapides: multo magis hoc in tua oblatione erit. Et si habueris fluxum quid ac temporale, obtuleris autem hostiam tuam mente recta: adueniēs spiritus sancti ignis & temporale illud consumet, & oblationem omnem perficiet. Quid verò est rationalis cultus? Spiritus seruus, conuersatio vitæ iuxta Christum instituta. Quemadmodum igitur qui in domo Dei seruit, & sacris additus est, qualiscunq; is fuerit, contrahitur, ac seuerus magis castiorque redditur: ita & nos oportet omnem vitam dispositam habere quemadmodū cultores Dei ac sacerdotes. Erit autem hoc, si pecunias tuas illi singulis diebus obtuleris, si proprij corporis sacerdos fueris, cuiusque quæ iuxta mentem est virtutis, vt pote quæ do modestiam, quando eleemosynam, quando mansuetudinem ac patientiam obtuleris. Hæc enim faciens, rationalem cultum offers: hoc est, nihil habet corporei, nihil crassi, nihil quod sit sensibile. Quum itaque auditorem ipso cultus nomine excitasset atque declarasset vnumquemque per suam ipsius carnem, vitæque conuersationem sacerdotem esse: nō dum etiam dicit per quem omnia ista institui poterunt. Quis autē ille? Ne conformemini, inquit, huic sæculo, sed transformemini per renouationem mentis vestre. Est enim huius sæculi figura humi depressa, vilis, temporalis, nihil habet sublime, nihil stabile, nihil recti, sed omnia peruerfa. Itaque si recta incedere voles, ne adaptes te ipsum ad præsentis vitæ figuram. Nihil enim in illa est quod maneat, firmumque sit. Vnde & figuram appellat. Et alibi rursus: Præterit enim figura huius mundi. Nihil enim habet quod duret, aut quod fixum sit: sed omnia illius temporalia sunt. Vnde & dicit, huic sæculo. Per hoc siquidem marcidum esse: per figuram verò, nullam habere subsistentiam declarat. Nam etiam si diuitias obieceris, si gloriam, si delicias, siue aliquid quodcunque ex iis quæ magna esse videntur, figura tantummodò sunt, non ipsius quæ in rebus est, veritatis demonstratio: persona quædam scenica, non consistens rerū substantia. Sed tu vide ne illi configureris, quin magis transformeris, inquit, per renouationem mentis. Non dicit transfigureris: sed transformeris, ostendens, quæ mundi sunt, figuram: quæ verò virtutis, non figura, sed veram quandam esse formam, naturalem pulchritudinem habentem, quæ non habeat opus externis illis cultibus ac figuris, quæ simul atque comparuerint, intereunt. Omnia enim illa, antequam appareant etiam, dissoluuntur. Figuram itaque si proieceris, confestim ad formam venies. Nihil enim malitia infirmus est. Nihil adeo facile inueterascit. Deinde quoniam homines cum essent, consequens simul erat, vt & quotidie peccarent, consolatur auditorem, dicens: quotidie te ipsum quoque renoua. Quemadmodum in adibus facimus, inueteratas perpetuo restituentes: ita & in teipso facias. Peccasti hodie? inueterasti mentem tuam? Ne desperes, neque decidas, sed renoua ipsam respicientia, lacrymis, confessione, bonorumque operum studio. Hoc autem facere nunquam intermittas. Et quomodo poterimus istud facere? Probetis vos quæ sint potiora, quæ sit voluntas Dei bona, accepta & perfecta. Aut hoc dicit, renouemini, vt discatis quæ sint vtilia, & quæ sit voluntas Dei: aut, sic poteritis renouari, si quæ vtilia sunt, didiceritis, quidq; Deus velit, Nam si hoc cognoueris, rerumque naturas cognoscere didiceris, omnem iam ad virtutē viam apprehē-

Hic sup.

1. Tim. 4.

Math. 5.

disti. Et quis, inquit, quæ vtilia, quæque voluntas Dei fit, non agnoscit? Qui præsentibus rebus afficiuntur, qui diuitias beatas existimant, qui paupertatē vilipendunt, qui potentatus sectantur, qui ad externam gloriam anhelant, qui seipos magnificiunt, si quando splendidas domos ædificauerint, sepulchra preciosa comparauerint, mæcipiorum greges habuerint, multamque eunuchorum copiam circumtulerint. Illi scilicet ignorant & quæ sibi vtilia, & quæ Dei sit voluntas. Sūt autem vtraque ista vnum quiddam. Nam quæ vtilia nobis sunt, illa vult Deus: & quæ Deus vult, illa demum & vtilia nobis sunt. Quæ sunt ergo quæ Deus vult? vt in paupertate viuamus, in humilitate, in contemptu gloriæ: in temperantia, non in deliciis: in tribulatione non in quiete: in luctu, non in cachinno ac risu, inque alijs quæ singulis decreuit. Sed multi sunt qui ista tanquam malum omen auerfantur: tantum abest vt putent esse & vtilia, & Dei voluntatem. Atque ob eam rationem nunquam probè poterunt ad eos qui virtutis gratia obeundi sunt labores accedere. Illi enim, qui ne sustinēt quidem vnam in virtutem attendere, quidnam sit, sed pro illa malitiam admirantes, pro casta coniuge meretricem sibi ipsis includunt, quo pacto à præsentī sæculo abstincere poterunt? Propterea ante omnia rerum firmum & rectū oportet nobis esse iudicium, vt etiam si virtutem non exerceamus, laudemus tamen: & si malitiam non fugiamus, improbemus saltem, calculosque interea seruemus incorruptos. Nam si ita viam hanc procedendo teneremus, possemus ipsa quoque opera aliquando apprehendere. Propterea & ipse Paulus iubet renouari, vt probetis quæ sit voluntas Dei. Videtur autem mihi hoc loco & Iudæos legi adhærentes taxare. Erat enim, & voluntas Dei, vetus illa cōuersationis institutio, verum non principalis, sed propter infirmitatem illorum concessa. Perfecta verò & accepta Dei voluntas, est noua illa vitæ conuersatio. Cum enim rationalem cultum dicit, vt illum distinguat ac separet ab illorum cultu, hoc nomine vtitur. Dico enim per gratiam quæ data est mihi, cuilibet versanti inter vos, ne quis arroganter de se sentiat, præterquam oporteat de se sentire: sed ita sentiat, vt modestus sit: quemadmodum unicuique partitus est Deus mensuram fidei. Suprà dixerat, Per miserationes Dei obsecro vos: hoc loco rursus dicit, Dico enim per gratiam. Vide doctoris humilitatem, vide animū depressum. Nusquam seipsum dignum dicit cui ad eiusmodi adhortationem ac consilium credatur: sed nunc quidem miserationes Dei, nunc autem gratiam Dei secum adsumit. Nō enim meum, inquit, sermonē vobis adfero, sed Dei. Et non dicit: Dico enim vobis per sapientiam Dei, dico enim vobis per legis diuinæ positionē: sed per gratiam, continuo illos beneficiorum Dei admonēs, vt illos eò reddat feliciores, ostendatque vel ob eaisa dictorū obedientiæ & admonitioni obnoxios esse. Cuilibet versanti inter vos. Non illi vel isti tantummodò, sed & primati & subdito, seruo & libero, idiota ac sapienti, mulieri ac viro, iuueni ac seni. Communis enim hæc lex est, quandoquidem dominica est. Facit autem hoc pacto tolerabiliorem sermonem, quod doctrinam hanc omnibus proponit, illis etiam qui rei non sunt, vt qui rei sunt, increpationem hanc & correctionem eò facilius amplectantur. Et quid, quæso, dicitis? Ne quis arroganter de se sentiat, præterquam oporteat de se sentire. Matrem hinc bonorū inducit, humilitatē videlicet, præceptorem suum imitatus. Quemadmodum enim ille consensu monte morale illum sermonem contexturus, hinc primum ordiebatur, eademque fundamenta iaciebat, dicens: Beati pauperes spiritu: ita & ipse Paulus hic à dogmatis ad moralem magis sermonem digressus, summatim

Chrysof. tom. 4.

quidem vniuersalem illam virtutem docuit, cum admirabilem illam hostiam à nobis exegit: descripturus autem illam per partes, velut ab ipso capite, ab humilitate orditur, ac dicit: ne quis arroganter de se sentiat, præterquam oporteat de se sentire. Est enim istud voluntas Dei. Sed ita sentiat vt modestus sit. Non vt ad arrogantiā oporteat de se sentire, sed ad modestiam. Et non dicit, vt humilis sit, sed vt modestus sit: modestiam hinc dicens, non eam virtutem quæ petulantia ac lasciuia contraria est, neque ab intemperantia liberum esse, sed sobrium mentēque sanam: σωφροσύνη siquidem dicitur, & τὸ σῶμα τῆς φρονίας ἔχειν, hoc est, ab eo quod mentes habeantur sanæ. Ostendens igitur quod is qui modestus non est, neque mente valere queat, hoc est firmum consistere, ac sanum esse, sed desipiat exorbitarique qui eiusmodi est, quouisq; demēte furiosior sit, modestiam vocat humilitatem. Quemadmodum unicuique mensuram fidei partitus est Deus. Donorum enim largitio ad arrogantiā multos & apud istos & apud Corinthios extulerat. Vide quomodo morbi illius causam claram faciat, & propè submoueat. Cum enim dixisset, quod ad modestiam sapere oporteat, subiungit: quemadmodum unicuique Deus mensuram fidei partitus est, fidem hinc donum vocans. Dicens verò partitus est Deus, & eum qui minis acceperat, consolatur: & eum qui pluribus potiebatur, contrahit. Si enim partitus est Deus, & quod habes, non ex tua virtute est, quid superbis? Quod si quis fidem hinc, non donum vocari dixerit, & hoc ipsum rursus magis ostendit Apostolum superbos humiliantem. Si enim doni causa est fides, iuxta quam miracula fiunt, atque ea ipsa à Deo est, vnde superbis? Nam nisi venisset, incarnatusque fuisset: vtique quæ fidei sunt, non concessisset. Itaque quicquid vspiam est bonorum, hinc suum habet initium. Si verò ipse partitus est, non ignorauit certè quo pacto partiretur. Omnes quippe ipse fecit, omnesque pariter curat. Et quemadmodum quod tribuit, per illius factum est benignitatem: ita & quod tantum vel tantum tribuit. Nam qui in eo quod summarium est, bonitatem suam demonstrat, dona videlicet largiendo: tēne in distribuendo proditurus est? Etenim si ignominia adficere voluisset, τὸν ἄρχοντα vtique non dedisset. Si verò seruare honorarēq; studuit, (propterea enim & venit & tanta partitus est bona) quid tumultuaris ac turbaris, atque ad stultitiam sapiētia abuteris, maiori quam qui naturalis est dedecore te ipsum afficiēs? Naturā siquidē stultum esse nihil habet criminis: magnificè verò de se sentit cōdo stultū fieri, venia caret, & maius adfert supplicium.

Quod autem dicit, tale est: sensum accepimus non vt eo ad arrogantiam abutamur.

Hocum non habuissent.

Id est, per animi elationem, siue prudentiam. Esaiæ 33.

Ibid. 14. Ibid. 10.

Exod. 5.

MORALE DE ARROGANTIA.

Tales sunt, qui in sapientia superbiunt, inque extremam incidunt arrogantiam. Nihil enim adeo stultum facit, quemadmodum arrogantia. Vnde & propheta Barbarum ita vocabat, dicens: Stultus stulta loquetur. Vt autē & ab ipsis verbis stultitiā illius discas, audi quid dicat: Supra astra cæli, inquit, ponam thronum meum, erōq; similis altissimo. Apprehēdam manu mea orbem sicut auiculæ pullum, & sicut oua relicta tollam illum. His itaque verbis quidnam poterit fieri stultius? vnicuique verò iactantiæ facili incumbit hoc probrum. Et si singula arrogantium verba in medium adduxero, cognosci non poterit, verbane sint arrogantis, an stulti: ita vnum est atque idem in vtroque vitium. Nam & alius iterum barbarus dicit, Ego sum, & nō homo. Rursus & alius: Nō poterit Deus eripere ex manibus meis. Et Ægyptius ille: Dominum, inquit, non noui, & Israhēlem nō dimittā. Et stultus ille apud prophetam talis est, dicēs in corde suo, non est Deus. Cain etiam, Nunquid

custos ego sum, inquit, fratris mei? Non potest ergo dignosci, vtrum hæc verba arrogantium sint, an stultorum. Arrogantia siquidem, quæ extra modestiam decidit, atque à mente fit, (nam & idè *ὑπεροχὴ* dicitur) & stultus facit & superbos. Et si principium sapientiæ est timor domini, principium ergo stultitiæ erit, nō cognoscere dominum. Extrema igitur stultitia est superbia. Talis erat & Nabal, tamen non erga Deū, sed erga hominem ex arrogantia stultus factus sit: postremò tamen præ timore mortuus est. Quando enim extra mēsuram prudentiæ quis decidit: & timidus simul redditur ac temerarius, animo iam infirmo factus. Quemadmodum enim corpus cōmensurata complexione amissa, intemperatumq; factū, quibusvis passionibus est obnoxium: ita & animus posteaquam prudentiam, humilitatēq; perdidit, habitū quēdam nactus diuersum, infirmus, timidus, temerarius ac stultus redditur, seque ipsum deinceps ignorabit: qui autem seipsum ignorat: quomodo quæ supra se sunt, cognoscat? Quemadmodum enim qui phrenesi laborat, cum seipsum nō agnoscat: neque quæ ante pedes sunt, nouit, & oculus cum ipse cæcus est, omnia reliqua membra in tenebris sunt: ita & cum arrogantia se habet. Vnde & infans, iusque qui natura stulti sunt, inferiores sunt arrogantes. Æque siquidem cum his risum mouent, atque æqua cum illis molestia laborant: & exorbitant quidem nō aliter quàm illi, eorum tamen nemo miseretur, quemadmodum illorum. Desipiunt autem similiter vt hi, veniam tamen quemadmodum hi non merentur, sed solum exosi sunt. Et cum vtrorumque vitia habeant, venia tamen vtrorumque priuantur, non solum propter verba, sed & ipsam corporis figuram ridiculi. Quid enim dic quæso, ceruicem in altum extendis? Quid summis pedum articulis incedis? Quid supercilia extollis? Quid pectus inflas? Capillum capitis tui non potes vel album vel nigrum facere, & non aliter quàm si dominus esses omnium, elatus quasi in aëre incedis. Forfan optares tibi & pēnas innasci, ne super terram incederes: forsan & prodigium esse desideras. Iam verò num prodigium ac monstrum ex teipso fecisti, qui cum homo sis, volare conaris? imò & ab intus volas, & vndique accēsus furis? Quid te vocabo? Quomodo arrogantiam tuā deiiciam? Si cinerem te dixerō, & puluerem, & fumum, & cœnum, vilitatem quidem dixerō: nō dum tamen satis exactè similitudinem eam quam volebam, cōsecutus fuero. Nam & inflammationem ipsam, omnemque simul ipsorum vanitatem representare volo. Quam ergo similitudinem reperiemus, quæ conueniat illis? Mihi videntur accensæ stupæ similes esse. Nam & illa post incēdium tumidum quid esse, & in nescio quid præcipui immutata videtur: modicum verò passā contactum totum amisit, omni cinere vilior apparēs. Tales sunt & illorum animi. Nam & illorum inanem inflationem si facilis quidam cōtactus apprehenderit, humiliare deiicereque poterit. Oportet enim omninò vt infirmus sit, qui arrogans est. Altitudo si quidem valida non est: sed quemadmodum aquaticæ ampullæ facillè rumpuntur, ita & illi facillè percunt. Quod si dubitas, da mihi temerarium quēdam & arrogantem, & videbis illum quouis clāguo timidiorem factum, idque qualicumq; apprehensum incommodo. Quemadmodum enim flāma illa quæ in stupis aridis sursum fertur, simul atque cōtacta fuerit, in cinerem vertitur: solidorum verò lignorum ca natura est, vt neque facillè incendantur, neque cum accensa fuerint, ardentem flāmam facillè dimittant: ita & illi quidem animi, qui solidi sunt ac firmi, neq; facillè incenduntur, neque facillè extinguuntur, isti verò vtraque illa vnico temporis momēto patiuntur. Hæc itaque scientes: hu-

militem exercereamus. Nihil enim illa potentius, sed & petra est fortior, & adamante solidior, & in maiore nos securitatem collocat, quàm queat vel turres, vel vrbes, vel muri: omnibusque diaboli machinamentis sublimior facta, contingere volentibus insuperabiles facit: quemadmodum vicissim arrogātia etiam quibuslibet capti faciles reddat, ampulla quauis, vt dixi, facillè rumpitur, araneorum textura citius scinditur, fumo leuius dissoluitur. Vt igitur in solida sumus petra firmati, relicta arrogantia humilitatem eligamus. Ita siquidem & in præsentī vita quietem inueniemus, & futuris seculis omnibus fruemur bonis, gratia & benignitate, &c.

HOMILIA XXI.



QUEMADMODUM enim in vno corpore membra habemus multa, omnia verò membra non eandem habent actum: sic multi vnum corpus sumus in Christo, singulatim autem alij aliorum membra. Eodem rursus vtitur exemplo,

quo & ad Corinthios vsus fuerat, cum eundem quoque morbum & apud illos sedaret. Multum quippe potentie habet hoc pharmacum, multaq; est huius exempli virtus ad corrigendum arrogātiæ morbum. Cuiusnam, inquit, gratia superbis? Aut quam obrē alius quippiam seipsum extenuat? Nūquid omnes vnum corpus sumus, siue magni, siue parui? Quando ergo iuxta caput nostrum vnum sumus, atque inuicem membra: cur à concordia teipsum abscondis? Quid erubescis de fratre? Quemadmodum enim ille membrum tuum est, ita & tu vicissim illius. Est autem & ob hæc rem multa honoris æqualitas. Duo siquidem posuit, quæ ad deiiciendam illorum arrogantiam sufficiunt: nimirum quod alij aliorum membra sumus, non quod qui minor est, maioris tantummodò, sed quod & is qui maior est, minoris quoq; sit membrum, & quod omnes vnum corpus sumus, imò & tria posuit. Nam & donum quod datum est, vnum esse ostendit. Ne igitur superbas. A Deo quippe tibi datum est, si quid habes, per teipsum non es adeptus, neque tu opte ingenio illud inuenisti. Propterea & donorum mentionem faciens, nō dicit quod hic quidem plus, iste verò minus, sed discretum quid acciperit. Habentes enim, inquit, dona: non addit, maiora, vel minora, sed varia. Quid enim quod non eadem tibi commissa sunt, dummodo corpus idem sit? Incipiens verò à donis, in rectè factis terminat. Cum enim posuisset prophetiam, ministerium, & quicquid cuiusmodi est: ad eleemosynam, diligentiam, & subsidium sermone delatus desinit. Quoniam enim ita contingebat, vt quidam essent virtute quidem præditi, prophetiæ verò donum non haberent: ostendit quod & illis donum Dei isto etiam multò maius datum sit (quemadmodū illud & in epistola ad Corinthios ostendit) tantòque maius, quod huic destinata sit merces, prophetiæ verò dono non item. Illud enim in vniuersum nihil est, nisi donū & gratia. Vnde & dicit: *Habentes verò dona iuxta gratiam nobis datam varia, siue prophetiam, iuxta portionem fidei.* Quoniam iam sufficienter illos consolatus est, vult eos deinceps permouere, vt incitationes diligentioresque sint, ostendens quod ipsi potissimum sint, qui causas præstent vel plus vel minus donorum Dei accipiendi. Dicit quidem ipsum & à Deo dari, vt cum inquit, *Quemadmodum vniciuique partitus est mensuram fidei: & iterum, iuxta datam nobis gratiam, vt hoc pacto contrahat arrogantes.* Et tamen & ab ipsis principia fieri dicit, vt pigros excitet: id quod & in ea quæ ad Corinthios est, facit, vtraque ista mouēs. Cum enim dicit, *Emulamini dona,* ostendit ipsos in causa esse eius quæ in datis donis erat differentia: Di-

cens verò, *Omnia ista operatur vnus & idem spiritus, diuidens vniciuique sicut vult: huc tendit, vt qui dona acceperunt, nihil effera stur, vndique morbum illorum curas.* Hoc sanè & hic facit, deinde rursus languidos ac remissos erigens dicit, siue prophetiam, iuxta portionem fidei. Tamen si enim gratia sit & ipsa, nō tamè simpliciter effunditur, sed mensuram à recipientibus se accipiens, tantum influit, quātum inuenierit oblatum sibi fidei vasculum. *Siue ministerium in administratione.* Rem hic generalem ponit. Nam & Apostolatus ministerium dicitur, & quoduis spirituale bonumque opus, ministerium est. Est quidem & priuata œconomia hoc nomen, hic verò generaliter dicitur. *Siue qui docet in doctrina.* Vide quomodo ista indifferenter ponat, quod minutum est primo: quod magnū, posteriore loco: iterum idem docens, vt neque insentiat, neque superbiant. *Siue qui exhortatur in exhortatione.* Est & hoc doctrinæ quoddam genus. Si enim in vobis est, inquit, exhortationis sermo ad populum, dicite. Deinde vt ostendat nō multum fructus ex virtute prodire, nisi cum competente lege ac ratione fiat, subiungit: *Qui impertit, in simplicitate.* Nō enim sufficit dare, sed oportet & largiter istud facere. Simplicitatem enim istud esse nouit vbicumque fiat, quando quidem & virgines illæ oleum quidem habebant, quoniam verò quod sufficeret non habebant, in vniuersum exciderant. *Qui præst in diligentia.* Non enim satis est præesse. *Qui miseretur in hilaritate.* Neque enim sufficit misereri, sed oportet id & largiter & animo non tristi facere: imò non solum non tristi, sed & alacri & læto. Non enim par est, non tristari, & gaudere. Hoc autem ipsum & ad Corinthios scribens, multa diligentia agit. Ad largitatem enim excitans dicit: *Qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus, in benedictionibus & metet.* Animum verò dirigens, addit, non ex tristitia, aut ex necessitate. Nam vtrumque oportet miserturo adesse, & quod abundè & quod cum voluptate det. Quānam gratia cum eleemosynam das, ploras? Quid doles, omnem boni operis fructum prodens? Si namque doles, non misereris vtique, sed crudelis es & inhumanus. Quomodo enim eū qui in tristitia est refocillabis, si tu doles? Satis enim fuerit si ille mali nihil suspicetur, etiam si cum gaudio dederis. Nam quoniam nihil ad eū videtur hominibus turpe, atque ab aliis accipere, nisi excellenti hilaritate suspicionem illam sustuleris, ostēderis quod magis accipias quàm des, magis deiicies accipientem, quàm refocillabis. Propterea dicit, qui miseretur in hilaritate. Quis enim regnum accipiens mæstus est? Quis peccatorum remissionem recipiens, in mœrore manet? Noli itaque pecuniarum respicere sumptum, sed magis cum qui ex illo sumptu est prouentum. Si enim qui seminat, gaudet, tamen si in incertum seminat: multò magis qui cœlum quasi agrum colit. Nam sic etiam si modica dederis, multa tamen dedisti: quemadmodum & si cum mæstitia dederis, licet multa dederis, ex multis tamen pauca fecisti. Sic & vidua illa multa talenta duobus obolis superauit: larga siquidem mēte dedit. Et quomodo poterit illud, inquit, promptè facere, qui in extrema paupertate omnibus bonis carens viuuit? Interroga viduam, & audies modum ac rationem, sciēsque mētis angustiam non ex paupertate, sed ex voluntate & illam & quicquid illi contrarium est fieri. Potest enim quis & in paupertate magni, & in diuitiis pusilli animi esse. Propterea & in dando simplicitatem, & in misericordia hilaritatem, & in præsentia diligentiam requirit. Neque enim pecuniis tantummodo, sed & verbis & rebus, & corpore, & aliis omnibus vult nos iuuare egenos. Commemorata verò præcipua præsentia, ea quæ

per doctrinam est, atque ea quæ per adhortationem (tantò enim illa necessarius est, quātò animi cibus corporeo præstat) ad eam deinceps transit, quæ per pecunias atque res alias fit. Deinde vt ostendat quo pacto illa dispensari debeant, matrem ipsorum dilectionem inducit. *Dilectio enim, inquit, sine simulatione sit.* Hanc si habueris, neque pecuniarum senties sumptum, neque corporis laborem, neque molestiam verborum, neque ministerij sudorem, sed omnia generosè ferēs, siue corpore, siue pecuniis, seu sermone, seu quouis alio proximo succurrendum sit. Quemadmodum igitur non solum largitionem exigit, sed eam quæ fit in simplicitate, neque solum præsentiam, sed simul & diligentiam, neque solum misericordiam, sed & adiunctam hilaritatem: ita & dilectionem non simpliciter exigit, sed eam quæ fit sine simulatione: nam ea demum vera dilectio est. Quod si sic fuerit, omnia sequentur. Nam qui miseretur, hilariter miseretur: sibi enim ipse dabit. Et qui præerit, diligenter præerit: sibi enim ipsi præerit. Et qui dabit, largiter ac copiosè dabit: sic ei enim ipsi dabit. Deinde quoniam & dilectio quædam in malis rebus est, qualis est lasciuorū, eorumq; qui in pecuniis & rapinis eiusdem sunt animi, corū etiam qui ebrieta-ti ac symposiis student, ab illa hanc, de qua loquitur, auellens, dicit: *Sitis odio prosequentes quod malum est.* Non dicit, abstinētes à malo: sed, odio quod malum est prosequentes. Neque simpliciter odientes, sed vehementer odientes. Intentionem habet passim apud Apostolum illud *ἔσθ*: vt quando dicit, *ἢ γὰρ ἀποχαρακτηρία τῆς κτίσεως,* hoc est, etenim sollicita creaturæ expectatio: &, *ἡγορησάτω ἀποδεχόμενοι,* hoc est, adoptionem cupidè expectantes, *τῶ ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος ἡμῶν,* hoc est, exactam corporis nostri redemptionem. Quoniam enim multi sunt, qui licet mala opere ipso non faciant, malorum tamen interea concupiscentiam habent: propterea dicit, odio prosequentes quod malum est. Mentem quoque nostram purgatam vult, multamque nos aduersum malitiam habere inimicitiam, multū odij multum belli. Non enim putandum, inquit, cum iubeo vt inuicem diligatis, quod velim vos & in malis mutuam alterum alteri operam exhibere. Nam omninò contrarium præcipio, nimirum vt non solum ab opere, sed & ab affectu qui ad malitiam sit, alieni sitis: & non solum ab effectu, sed vt & vehementer illam auersemini, odióque prosequamini. Et non contentus hoc solo, virtutis etiam studium ac lucrum inducit, dicens: *Adherentes ei quod bonum est.* Non dicit, facientes solum, sed & animo erga bonum appositi. Hoc enim declarat, quod adherere bono iubet. Ita & Deus mulierem virum coniungens dicit: *Adhærebit enim vxori suæ.* Deinde & causas dicit, propter quas debeamus alium alium diligere. *Per fraternam dilectionem alius in alium propensi.* Fratres, inquit, estis, eisdem partus doloris soluestis. Igitur & propterea, si siquidem iusti fueritis, diligetis vos inuicem. Hoc & Moses alicantibus in Ægypto dicebat, *Fratres estis, vt quid alter alteri iniuriam facitis? Quando de externis quidem dicit, Si fieri potest, inquit, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habetote. Quando verò de domesticis differit, Per fraternam, inquit, dilectionem alius in alium propensi. Illic quidem exigit vt non impugnemus, non odiamus, non auersemur: hic verò vt & diligamus, neque simpliciter diligamus, sed & deamemus. Non enim dilectionem tantummodo sine simulatione esse oportet, inquit, sed & auctam & feruentem & ignitam. Quæ nanque fuerit vtilitas, si præter dolorem quidem dilexeris, non dilexeris autem feruenter? Vnde & dicit: *alius in alium dilectione propensi hoc est, & feruenter**

Pfal. 13.
Genes. 4.
Prouer. 9.
1. Re. 25.
Matth. 5.
Marc. 12.
& Lucæ 21.

Act. 13.
Matt. 25.
2. Cor. 9.

Sup. 8.

Genes. 2.

Exod. 2.

Hic inf.

1. Reg. 17.

dilige. Noli in hoc consistere, ut diligaris ab alio, sed tu potius erga alium prior diligendo profici. Ita quippe & eius qua ipse te diligit dilectionis mercedē recipies. Posita itaque causa qua debeamus nos inuicem diligere, subiungit etiam quo modo fiat ut immotē persistat nostra dilectio: unde & subdit, *Honore alius alium præcedentes.* Hac quippe ratione & nascitur dilectio, & nata perdurat. Nihil enim ita facit amicos, ut studium illud proximum honorando vincendi. Non autem dilectio solum hinc nascitur, sed & maior honor. Nam ex dilectione quidem, quæ supra dicta sunt, oriuntur: ipsa verò dilectio ex honoris exhibitione, quemadmodum & honorandi studium vicissim ex dilectione est. Deinde ne solum honoremus fratres, aliud quoque maius quiddam requirit, dicens: *Studio non pigri.* Nam & istud dilectionem parit, quando adiuncto honore prædicationis beneficium exhibuerimus. Nihil enim ita diligi facit, ut iuncta honorandi studio prouidentia. Neque enim satis est ut diligas, sed oportet ut & prouidentia studio ferueas: immò & ipsum ex dilectione nascitur, quemadmodum & dilectio ab illo accenditur: atque idèò vtraque inuicem vtrinque astruuntur. Sunt enim multi, qui licet mente diligant: manus tamen adiutrices non porrigunt. Propterea dilectionem vndique instituit. Et quo pacto fieri poterit, ut studio non reddamur pigri? *Spiritu feruentes.* Vide quomodo vbi que vehementiam requirat. Non enim dicit, date tantummodò, sed date largiter: neque præstitis solum, sed cum sollicitudine: neque simpliciter miseremini, sed cum hilaritate: neque tantum honorate, sed præcedite ac præuenite: neque diligite tantummodò, sed sine simulatione: neque simpliciter abstinete à malo, sed odio prosequamini: neque adhærete solum bonis, sed conglutinemini illis: neque tantum diligite, sed propensè amico affectu diligite: neque studete tantummodò, sed non pigri: Ita & hic non simpliciter dicit spiritum habetote: sed feruentem exigit spiritum: hoc est, ut sitis feruentes ac concitati. Nam si, quæ dicta sunt, habueris, spiritum attrahes. Si enim hic penes te fuerit, faciet ad prædicta diligentem, reddeturque per illum & per dilectionem omnia facilia, si quidem vtrinque fueris incensus. Non vides quo modo tauri illi flammam in tergo ferentes, omnibus sint intolerabiles? Non aliter tu quoque diabolo eris intolerabilis, si vtramque hanc flammam adeptus fueris. *Domino seruientes.* Per ista siquidem omnia Deo seruire potes. Quicquid enim in fratrem feceris, in dominum tuum pertingit: & quasi beneficium abs te accepisset, ita tibi & mercedem rependet. Vides quo modo constantiam animi ista operantis refocillari? Deinde ut ostendam quo modo flamma illa spiritus accendatur, dicit: *Spe gaudentes, in afflictione patientes, precectioni instantes.* Omnia siquidem ista ignis huius incitamenta sunt. Quoniam enim & pecuniarum exegit sumptum, & corporum laborem, & prædicationem prouidentem, & diligentiam, & doctrinam, & reliqua laboriosa: athletam Christi rursus inungit dilectione, spiritu, & spe. Nihil enim mentem hominis ad eum virilem facit, & ad omnia audentem, ut spes bona: deinde & ante illa bona quæ sperantur, aliud iterum præmium dat. Quoniam enim spes futurorum erat, dicit, in afflictione patientes. Et ante futura quippe bona in præfenti etiam vita magnum bonum, inquit, ex afflictione capies, nimirum quòd toleras ac probatus redderis. Pater hoc & aliud quoque auxilium præbet, dicens: precectioni instantes. Cum ergo & dilectio facilitatem præstet, & spiritus adiuuet, & spes alleuet, & afflictio probatum reddat, & ad cuncta generosè ferenda aptum & idoneum: habeasque præter hæc & aliam armaturam, nimirum præ-

simile.

Exclamatio.

Matt. 26.

204
 cationem, & quod per precectionem venit, auxilium: quidnam erit in præceptis istis quod sit laboriosum? Nihil. Vides quo modo athletam Christi vndique firmum reddat, & quæ iubentur, plurimum facilia esse ostendat? Obserua rursus quomodo elemosynæ inhæreat, immò non simpliciter elemosynæ, sed ei elemosynæ, quæ fit in sanctos. Suprà quidem cum dixit, in hilaritate, erga omnes aperiendam esse manum docuit: hic verò de credentibus loquitur. Unde & subiungens dicit: *Necessitatibus sanctorum communicantes.* Non dicit, Necessitatibus illorum subuenite, sed, necessitatibus illorum communicantes: ostendens quòd plus accipiat, quam præstent: & quòd res ista negotiatio sit: communicatio siquidem est. Tu pecuniam adfers? Illi fiduciam tibi erga Deum adferunt. *Hospitalitatem sectantes.* Non dicit facientes, sed, sectantes: instruens nos, ut non expectemus egenos donec ad nos veniant, sed ad ipsos curramus & sectemur. Sic Loth fecit, sic Abraham. Totum namque diem in hoc consumebat, bonam expectans venationem: & si quando quempiam videbat, insiliebat, occurrebat, ad terram supplicando prodebat, dicens: Si gratiam inueni in conspectu tuo, ne trahas seruum tuum. Non quemadmodum nos, qui cum peregrinum aut pauperem viderimus, supercilia attollimus, neque dignos æstimamus quos alloquamur. Et si quando innumeris supplicationibus vix tandem moliti, modicum argenti per famulos dari iusserimus: vniuersum quod ad beneficentiam attineat, probè nos præstitisse putamus. Abraham verò non ita, sed sumptam famuli personam induit, tametsi ignoraret quòdnam suscepturus esset. Nos autem licet manifestè sciamus, quòd in pauperibus Christum suscipiamus, neque sic tamen mansueti reddimur: sed cum ille contrario & obsecret & supplicet, & procidat, nos nihilominus accedentes conuiciis obruimus. Et Abraham quidem omnia per seipsum & uxorem adimplebat obsequia, nos verò neque per famulos. Si verò & mensam cognoscere voles, quam ille peregrinis parabat: multam & illic liberalitatem videbis, non quam exhibebat ipsa cibarium copia, sed potius abundans animi promptitudo.

MORALE DE HOSPITALITATE.

Quam multi tum temporis diuites erant in Israël: & tamen nemo illorum Eliam hospitio suscepit. Quam multi diuites erant temporibus prophetæ Elisei, & tamen sola Sunamitis hospitalitatis fructum vindemiauit. Quemadmodum & Abraham suo tempore largiter ac promptè fecit. Et profectò potissimè est quod quis admiretur, quòd ista fecerit cum ignoraret qui essent qui aduenerant peregrini. Itaque neque tu pauperes curiosè inquiras. Propter Christum enim illos suscipis. Quòd si perpetuò curiosè scrutaturus es pauperes, fiet, ut sæpenuerò probatum coram Deo virum prætergrediare, mercedemque quam ex eo habiturus eras, perdas. Atqui etiam is qui reprobum recipit, sine culpa est, immò & mercedem habebit. Prophetam enim in nomine prophetæ recipiens, mercedem prophetæ accipiet. Qui verò intempestiua sua curiositate præcipuum quenquā neglexerit, pœnas etiam dabit. Ne scruteris: igitur curiosè pauperum vitam atque negotia: nam extremè illud insolentia est, pro vno pane totam hominis miseri vitam curiosè inquirere. Nam etiam si homicida, si latro, aut aliud huiusmodi fuerit: an non videtur tibi vel pane, vel modico argento dignus? Et tamen dominus tuus Solem suum illi producit: tu verò quotidiano cibo indignum iudicas? Ego verò quod adhuc maius est, pono: nimirum, quòd etiam si manifestè cognoueris,

Lucæ 9.

Ibid. 23.

Exclamatio.

Lucæ 12.

Exclamatio.

Matt. 26.

gnoueris, innumeris illum refertum esse malis: neque sic tamen excusationem habeas, si quotidiano cibo illum priuaueris. Seruus enim illius es, qui dicit: Nescitis cuius spiritus sitis? famulus es illius qui lapidantes se curare laborabat, immò qui & crucifixus est pro eis. Non est quod mihi dicas, quòd alium interfecerit. Nam etiam si te ipsum interempturus esset, neque sic tamen fame laborantem contemnere deberes. Discipulus enim illius es, qui crucifigentium se salutem cupiebat, quique in ipsa cruce dicebat: Pater remitte illis, nesciunt enim quid faciunt. Illius es seruus, qui percutientem se curauit, qui latronem in ipsa cruce coronauit. Cui, quæso, quid poterit adæquari? Nam & vtrique Christum à paradysum aperuit, interfecturos se deplorauit. Super conspicato proditore suo turbatus est & contristatus, non idèò quòd crucifigendus ipse, sed quòd ille perierat. Turbatur itaque, quòd præsciret illius & strangulationem, & post strangulationem supplicium. Et licet non ignoraret illius malitiam, ad extremam tamen vsque horam illum tulit, non repellens, sed &, tametsi proditorem, diligens. Dominus tuus diligit, labiisque osculando excipit eum, qui statim sanguinem illum suum preciosum suscipere erat: tu verò pauperem neque pane dignaris, neque legem quam Christus dedit reuereris? Per hæc enim, quæ recensui, satis ostendit, quòd non solum pauperes, sed & eos qui nos ad mortem vsque impellunt, auerfari non oporteat. Ne dicas igitur mihi, quòd vel hoc vel illud operatus sit mali, sed perpende quid Christus fecerit, qui ad crucem vsque proditorem suum osculo, quo tradendus erat, emendare studebat. Et vide quam modestè & ad verecundiam mouendam appositè, Iuda siquidem, inquit, osculo filium hominis tradis? Quem non delinuisset, quem non flexisset ipsa vox? Quam bestiam? Quæ adamanta? Infelicè tamen illum non flexit. Ne dicas igitur, quoniam illum vel illum interfecit, atque idèò ipsum auerfor. Nam etiam si te ipsum ense impetiturus, dexteramque suam in tuum ipsius guttur immerfurus esset, nihilominus tamen ipsam eadem dexteram osculare: quoniam & Christus os illud quod mortem operatum erat, osculatus est. Et tu itaque insidiantem tibi non odio, sed lachrymis ac misericordia prosequere. Dignus enim est huiusmodi cuius miseremur, quemque deploramus. Sumus enim illius famuli qui proditorum suum exosculatus est (neque enim cessabo quin factum illud continuo versum) quique teneriora etiam verba, quam osculum sit, erga illum loquutus est. Neq; enim dicebat, o scelestè, o perditè, o proditor, hanc nobis pro tanto beneficio gratiam rependis? Sed quo modo? Iuda, inquit, proprium illius nomen ponens: id quod magis erat miserantis & reuocatis quam indignatis. Neque dixit, præceptorem tuum, dominum tuum, benefactorem tuum, sed filium hominis: quasi dicat, etiam si non esset præceptor tuus, non esset dominus tuus: cum tamen, qui tam mansuetè, tam candidè erga te affectus est, ut & in ipso conditionis articulo te osculetur, idque cum conditionis ipsius symbolum sit osculum, tradere potes? Benedictus sis domine, quantæ humilitatis, quantæque nobis patientiæ exemplum tradidisti? Sed ad istum quidem ita se habuit, ad eos verò qui cum fustibus ac lampadibus irruerant, non ita. Et quid, quæso, mansuetius verbis illis quæ ad eos loquutus est? Cum enim simul omnes perdere posset, nihil quidem horum fecit, sed modestè illos alloquutus: quid, inquit, existis, tanquam ad latronem, cum gladiis & fustibus? Et cum illos ad terram supinos proiecisset, & tamen vel sic nihil permoti essent: voluntariè seipsum illis tradidit, sustinuitque videre vin-

Chrysof. tom. 4.

cula sanctis manibus iniicientes, cum tamen posset omnia rumpere ac proiicere. Sed tu post ista omnia ferocis erga pauperem. Atqui si innumeris etiam malis esset obnoxius, ipsa tamen indulgentia, ipsaque fames sufficerent ad animum, nisi vehementer sit obduratus, emolliendū. Tu verò efferatus, leonumque imitatus furorè, persistas. Quanquā illi mortuorum corpora nunquam degustant. Tu, licet videas tantis attenuatum malis, iacenti tamen insultas, corpusque illius conuiciis laceras, atque afflictionem afflictioni, velut tempestatem tempestatem superaddis: fugientemque ad portum, in scopulum incidere, ac naufragium marino grauius patifacis. Et quo modo ad Deum dicis, miserere mei? Quo modo peccatorum tuorum veniam petis, qui cum conuiciaris, qui tibi nihil peccauit, pœnamque pro fame tantæque necessitate exigis, quasvis bestias crudelitate exuperans? Illa siquidem cogente ventre deputatum sibi cibum attingunt: tu verò nemine impellente, nemine cogente, fratrem tuum deuoras, mordes, laceras, licet non dentibus, verbis tamen morsibus quibusvis grauioribus. Quo modo ergo sacram oblationem sumes, qui linguam humano sanguine rubeficisti? Quo modo pacem das, ore bellis adeo referto? Quo modo sensibili etiam cibo fruëris, cum tantam rubiginem tibi concilies? Non succurtis paupertati? Quid & conteris? Non erigis iacentem? ut quid & deicis? Non tollis pauperis tristitiam? quid & auges? non das pecuniam? cur verbis etiam conuiciaris? Non audisti quantum daturi sint pœnam, qui pauperes non pascunt? Quibus suppliciiis condemnandi sint? Ite, inquit, in ignem præparatum diabolo, & angelis illius. Si ergo non pascites ita condemnabuntur, quam putas pœnam dabunt, qui non solum non pascunt, sed & conuiciantur? Quantum patientur supplicium? quantum gehennam? Ne itaque tanta mala erga nos ipsos incendamus, donec facultas est, malum hinc morbum corrigamus, linguæque frænum imponamus, non solum non conuiciantes, sed & consolantes tam verbis quam factis; quatenus multa nobis recõdita in futurum misericordia promissa bona apprehendamus, quorum omnes nos participes fore cõtingat gratia & benignitate, &c.

Exclamatio.

Exclamatio.

Matt. 26.

HOMILIA XXII.

BENE loquamini de iis qui vos insectantur. Bene loquamini, inquam, & ne malè precemini. Tradito iam quo modo inuicem alius erga alium effecti esse debeant, membrisque mutuò diligenter adglutinatis, educit eos deinceps ad externi prælij aciem, quam & hinc faciliorem facit. Quemadmodum enim, qui quæ ad domesticos suos pertinent, non probè instituit, difficilior quæ ad alienos spectat dispensabit: ita qui se in his quæ dicta sunt benè exercet, externa quoque cõfacilior exuperabit. Propterea & Paulus viam quasi præstruens, post illud ista ponit, dicens: Bene loquamini de iis qui vos insectantur. Non dicit, iniuriarum ne reminiscimini, neque vlciscamini. Sed quod his multò plus est, exigit. Illa siquidem philosophici viri, istud verò angeli est. Et cum dixisset: Bene loquamini, subiungit: & ne malè precemini, ut ne & hoc & illud, sed illud solum faciamus. Præmiorum quippe procuratores nobis sunt, qui nos insectantur. Si verò sobrius fueris, aliam etiam præter istam tibi ipsi mercedem comparabis. Persequutor siquidem mercedem tibi quæ propter toleratam persequutionem dabitur, procurabit. Tu verò illam, quæ ex eo est quòd de illo benè loqueris, referes, magnum videlicet signum dilectionis eius quæ in Christum est. Quemadmodum enim qui persequutori malè

Exclamatio.

precatur, hoc ipso declarat quam non vehemēter gaudeat quod pro Christo ita patitur: ita qui benè loquitur, multū erga Christū amorem demonstrat. Ne vituperes ergo insectantem te, vt & tu maiorem recipias mercedem, & illum doceas, quod alacritatis negotium istud tibi sit, non coactionis: festiue iucunditatis, non calamitatis aut tristitię. Propterea & Christum dicebat: **Matth. 5.** Gaudete si quando dixerint omne malum verbum aduersum vos mentientes. Propterea & Apostoli gaudentes ad suos reuertebantur, nō solum quod malè audissent, sed quod & flagellati essēt. Præter ista & aliud nō modicum lucrum acquires, nimirum quod aduersarios stupefacies, atque re ipsa docebis, quod ad aliam vitam tendas. Cū enim viderit te aduersarius in eo ipso quod malè afficeris, gaudentem atque alacrem: rebus ipsis apertè cognoscat, quod spes habeas alias præsentibus maiores. Quod si istud non feceris, sed & fleueris, & lamentatus fueris: vnde poterit ille discere, quod aliam vitam expectes? Et cum hoc & aliud lucraberis. Nam si te viderit nihil propter cōiuria sua dolere, sed magis benè loqui etiam, ab insectando cessabit. Vide ergo quod hinc bona nascantur. Tibi maior merces, & minor sit tentatio. Ille à persequutione abstinebit, Deus glorificabitur, delinquenti doctrina philosophiæque pietatis præstatur. Propterea non solum conuiciatibus, sed & insectantibus, rebūque ipsis nocentibus contraria rependere iussit. Et nunc quidem benè de illis loqui præcepit: progrediens verò, ipsis etiam operibus benefacere adhortatur. *Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus.* Quoniam fieri potest vt & benè quis loquatur, & non malè precetur, cū tamen vtrumque ex dilectione non faciat, vult vt & dilectione ardeamus. Propterea & illud subiunxit, vt non solum benè loquamur, sed & condoleamus, & compatiamur, si quando calamitate pressos illos viderimus. Sed benè est, inquit, quod lamentantibus condoleamus, meritò præcepit: aliud verò, cum nihil magni sit, vt quid iussit? Atqui illud ipsum maiore philosophia opus habet, nimirum gaudere cum gaudentibus, quàm quod flendum dicit cum flentibus, Illud enim & ipsa natura vltro facit. Nemo siquidem adeò lapideus est, vt cum qui in calamitatibus est non desinat. Illud verò valde generosam mentem requirit, vt non solum non inuideat ei qui clarus est ac celebris, sed & cōgaudeat. Vnde & priore loco illud posuit. Nihil enim ita dilectione conciliat, quàm quod & in gaudio & in tristitia alterutrum communicamus. Noli ergo si quando procul es ab aduersis, propterea extra compassionem quoque consistere. Nam proximo tuo malè adfecto, communem tibi calamitatem illius facere debes. Communica ergo plorantibus, vt tristitiam illorum alleues: communica gaudentibus, vt & lætitiā illorum radices, & dilectionem consolides, & ante illos te ipsum iues. Lachrymando siquidem misericordem te facis: congratulando verò, liore & inuidia te ipsum liberas. Vide verò, quàm non sit molestum & odiosum quod tradit Paulus. Non enim dicit, solue proximi calamitatem, ne sæpenumerò dicas, impossibile est: sed quod facilius est præcipit, & quod facere potes. Nam si quod proximum vrit, tollere non potes: produca lachrymas, & maiorem partem sustulisti. Et si prosperitatem illius augere non vales, congaude, & multum augmenti attulisti. Propterea non solum hortatur vt non inuideas: sed quod multò plus est, congaudeas etiam. Longè enim maius est illud, quàm si non inuideas. *Eodem animo alij in alios affecti, non arroganter de vobis ipsis sentientes, sed humilibus vos accommodantes.* Multam rursus de humilitate inculcanda diligentiam impendit, vnde & ser-

monem incepterat. Consequens enim est, plenos arrogantia fastūque illos fuisse, cū propter urbem, tum multis aliis causis. Propterea & sine intermissione morbum illum submouet, & tumorem constringit. Nihil enim adeò corpus ecclesię incidit, atque superbia. Quid verò est quod dicit, idem inuicem sentientes? Aduenit tibi pauper in ades tuas, fac vt affectu te illi accommodes, nō maiorem propter diuitias tuas animi tumorem concipias. In Christo neque diues, neque pauper est. Ne ergo pudore afficiaris propter externam amicitiam vilitatem, sed suscipe propter internam fidem. Neque si lugentem videris, indignum putes quem consoletis. Nec si prosperè habentem conspicatus fueris, gaudio ipsius cōmunicare congratularique pudeat: sed quem admodum erga te ipsum affectus es, ita sis & erga illum. Eodem enim, inquit, animo alius in alium affecti: vt, magnum te putas esse igitur & illum. Humilem & exilem illum suspicaris? itaque & de te ipso illud decerne, & omnem inæqualitatem abiice. Quo modo verò fiet istud? Si arrogantiam reieceris. Vnde & subiunxit, Nō arroganter de vobis ipsis sentientes, sed humilibus vos accommodantes, hoc est, in illorum vilitatem descende, simul huc illud congregere: nec animo tantum humiliare: sed & adiua, & manum porrige, nō per alium, sed per te ipsum, quemadmodum pater solet filio prouidus, quemadmodum caput corpori, id quod & alibi dicit: Erga vincetos tanquā & ipsi vinceti. Humiles verò hic non simpliciter eos qui humili sunt affectu, sed humili sorte & contemptibiles dicit: *Ne sitis arrogantes apud vosmetipsos.* Hoc est, ne putetis vos sufficere vobis ipsis. Nam & alibi dicit scriptura: *Vt prudentibus apud semetipsos, & in oculis suis sapientibus.* Et propterea rursus arrogantiam & fastum amolitur, tumoremque istum constringit. Nihil enim ita à reliquis auellit & abscindit, quemadmodum si quis se sufficere sibi ipsi putauerit. Vnde & ita nos Deus constituit, vt alter alterius opera indigeat. Vt enim prudens sis, altero tamen opus habes. Quod si te nullius opera indigere putaueris, omnibus factus es stultior & imbecillior. Talis enim nudum se omni auxilio reddit, & in delictis suis neque correctionem neque veniam recipiet, sed & Deum arrogantia sua irritabit, & omnino multum peccabit. Fit enim sæpenumerò, fit inquam, vt prudens, quod oportebat, non videat, & stultior aliquid eorum quæ conueniunt, inueniat: id quod in Moise & socero suo factum est, in Saule & puero suo, in Isaac & Rebecca. Ne putes ergo ideò te deprimi, quod alio indigeas. Nam hoc ipsum est, quod te exultat magis, quod validum facit, quod splendidiorem, quod securiorem reddit. *Nemini malum pro malo reddentes.* Si enim alium qui tibi insidiatur, vituperas: quid te ipsum accusationi reddis obnoxium? Si malè is fecit, cur æmulationem non fugis? Et vide quo modo hic nihil discreuerit, sed communem legem posuerit. Non enim dicit, fidei malum non reddas, sed nemini, etiam si Græcus, si sceleratus, aut quisquis alius fuerit. *Prouidè parantes bonam omnibus hominibus: si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus in pace viuentes.* Hoc est, Luceat lux vestra coram hominibus, non vt ad vanæ gloriæ studium viuamus, sed ne demus ansam iis qui cuperēt, aduersum nos ipsos. Vnde & alibi dicit: Inoffensi estote & Iudæis & Græcis, & ecclesię Dei. Benè verò consequenter quid velit declarat, dicens: si fieri potest, quantum in vobis est. Contingit enim subinde, vt possibile, non sit. Nimirum, quando de pietate sermo est, quando certatur de iniuria adfectis. Et quid miraris si inter alienos homines hoc non vbique fieri possit, quandoquidem etiam inter virum & vxorem necessitatem

Ibid. 7.
Quomodo sit seruanda concordia.

Deut. 31.
& Ezech. 9.

Matth. 23.

Matth. 23.

tatem illam & vinculum pacis dissoluat, cū dicit: Si verò infidelis abscedit, abscedat? Quod autem dicit, tale est: Quæ tui sunt officij, præsta, nemini dās ansam seu belli, seu dissidij, siue Iudæo siue Græco. Si verò alicubi pietatem labefactari videris, ne proponas concordiam veritatis, sed generosè persistas ad mortem vsque. Et tamen neque sic animo eris erga aduersarium hostili, neque mente illum auerfaberis, sed in rebus tatummodò pugnabis. Hoc enim est quod dicit, quantum in vobis est, cū omnibus hominibus in pace viuētes. Quod si ille pacem nō seruauerit, tu vide ne animum tuū inimicitia quasi tēpestare oppleas, sed voluntate sis amicus: ita tamen, quemadmodò dixi, vt veritatis non prodas. *Neque vos ipsos vlciscentes dilecti: quin potius date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vltio, ego rependam, dicit dominus.* Cui iræ? Dei. Quandoquidē enim hoc potissimum, qui iniuriis adfectus est, videre cupit, vt vltione fruatur, hoc ipsum Deus copiosè & abundè dabit. Nam si te ipsum nō fueris vltus, Deus erit qui te iuuando vlciscetur. Permite itaque, inquit, illi, vt aduersarium tuum in ius vocet. Hoc enim est quod dicit, date locum iræ. Deinde vt plus consolaretur, & testimonium induxit, quo cū auditorem non nihil refocillasset, maiorem rursus philosophiam ab eo exegit dicens: *Si igitur es vltus inimicus tuus, pasce illum, si sitit, potum da illi. Hoc enim si feceris carbones ignis coaceruabis in caput illius. Ne vincaris à malo, sed vince in bono malum.* Quid enim dico, inquit, quod in pace sit viuendum? Nam & benefaciendum inimico præcipio. Pasce enim illum, & potum da, inquit. Deinde quoniā valde laboriosam re præceperat & magnam, subiungit: Hoc enim si feceris, carbones ignis coaceruabis in caput illius. Hæc autem dicens, & timore illum contrahit, & istum spe retributionis promptiorem facit. Nam qui iniuriam passus est, si quando debilitatus fuerit, non ita propriis suis bonis afficietur, vt supplicio eius per quem contristatus fuerat. Nihil enim adeò iucundum est, atque de inimico sumptum videre supplicium. Quod igitur cupit, id ipsi primum largitur. Deinde postquam venenum illud abstulit, tum deinceps ad altiora hortatur, dicens: Ne vincaris à malo. Sciebat enim, etiam si bestia sit inimicus, inimicum tamen, si passus sit non mansurum. Et si sæpenumerò qui iniuriis est adfectus, pusillanimis fuerit: inimicum & pacens & potans, neque tamen ipse supplicium illius deinceps concupiscet. Atque ideò concepta fiducia de rei ipsius exitu, non simpliciter interminatus est; sed affatim supplicio indulget. Non enim, inquit, vindictam sumes, sed carbones ignis congeres super caput illius. Deinde & declarans illi quid velit, dicit, ne vincaris à malo, sed vince in bono malum. Atque ita sensim subindicat, quo modo non oporteat illud tali animo facere. Iniuriæ siquidem memoriam adhuc retinere, à malo vinci est. Sed istud primo loco non dicit. Neque enim dum tempus erat. Postquam verò iram illius euacuauit, tum subiungit, dicens: Sed vince in bono malum. Quandoquidem & istud vincere est. Pugnans enim tum potissimum vincit, nō quando suum ipsum corpus pugne exponit, vt plagas excipiat: sed quando seipsum eructis, efficit vt omnem suam potentiam aduersarius in aëra frustra & inaniter effundat. Sic enim nec ipse plagas excipit, & omnes aduersarij vires dissoluit: id quod & in conuiciis fit. Nam quando vicissim conuicia regeris, vinceris non ab homine, sed quod turpius est, ab illibero illo iræ affectu permotus exuperaris. Si verò tacueris: & vincis, & trophæum figis, & innumeros acquiris qui te coronēt, quique conuicium ipsum, mendacij condemnent. Qui enim cōtradicit, vt qui conuicij morsum senserit, con-

trà luctari videtur. Morsum verò sentiens suspicionem de se præbet, dictorum se conscium esse. Si verò deriserit, risu statim sententiam & iudicium quod qui audierat, contra te laturi erant, exoluisti. Et si volueris apertum dictorum argumentum accipere, ipsum tuum inimicum interroga, quando magis doleat, an cū prorsus accensus vicissim conuiciaris, an cū conuiciantem derides? Atque hoc postremum magis audies. Neque enim tantum iuuat conuiciis nō impeti, quantum mordet, quod te ad iram permouere & accendere nequit. Non vides ira percitorum ingenium, quo modo plagarum suarum non adeò multam rationem habentes, magnò impetu irruant, proximique vulnera peius quàm soleant agrestes fues, quarant, & ad hoc vnum respiciant, inque eò magis sint quàm vt quid patientur obseruent? Quando ergo eum qui huiusmodi est, ea potissimum re priuas, quam ipse potissimum concupiscit: omni iam illum proposito euacuasti, spoliasti, cōtemptibilemque puerum magis quàm virum, ostendisti. Et tu quidem interea philosophi calculum adeptus es, illud verò malæ bestię diffamia & opinione induisti. Illud & cum verberamur, faciamus, & quādo verberare voluerimus, non reuerberemus. Sed letalem plagam infligere velles. Obuerte illi & alteram maxillam, & hoc ipso innumeris ipsum vulneribus conficisti. Facilius quippe qui se lapidarent, ferret, quàm eos qui patientiam tuam plaudentes admirantur. Ante illos etiam conscientia ipsum condemnabit, & maximas ab eo pœnas exiget, ac veluti extrema passus, sic pudore offusus abscedet. Si verò & gloriam apud multos quæris, eandem quoque hac via magis acquires. Nam & aliàs quidem compassionem quādam erga eos qui malè adficiuntur, habemus. Quando verò viderimus eos non solum non reuerberare, sed & seipfos improborum iniuriæ patientes exponere, non tantum miseremur, sed admiramur.

MORALE.

Propterea mihi iam suspiria suboriuntur, quod cū possemus & habere præsentia, si leges Christi quemadmodum oportebat audissemus, & acquirere futura: ab vtrisque excidimus, dum quæ dicta sunt, negligentes in vanis ac superfluis philosophamur. Nam & vtiliter ille præcepit omnia, & ostendit, quid nos vel celebres faciat vel dedecoret. Quod si istud discipulos suos ridiculos facturum fuisset, vtique non præcepisset. Verum quoniam illustriores facis omnibus, quod cum malè audiant, vicissim non maledicunt: quod cū malè adficiantur, vicissim non malefaciunt: propterea ista illis tradidit. Quod si hoc est, multò magis gloriosum erit, si cū malè audieris, bene vicissim dixeris: si conuiciis impetitus, encomium rependeris: si insidias passus, e contra benefeceris. Vnde & ista quoque decreuit. Partit enim discipulis suis, optimè sciens, quid paruum faciat quid magnum. Si ergo illis rerum non ignarus partit: quid, quæso, illi reniteris, aliam viam ingredi volens? Ex diabolicis quippe legibus est, malefaciendo vincere. Propterea & in Olympiacis certaminibus diabolo consecratis, ad eum modum vincunt, quotquot illic decertant. In stadio verò Christi, non est ea certandi lex, sed omninò contraria. Hic enim non eum qui percutit, sed qui percutitur, coronari decretum est. Tale siquidem illius est stadium, vt contrario modo habeant quæcunque hic ordinata statutaque sunt: ita vt non solum ipsa victoria, sed ipso etiam victoriæ modo fiat, quod maius habeat miraculum. Quando enim, quæ alibi fragilia, deuictaque vidētur, talia redduntur, vt ea ipsa victoriam parare deprehendantur, illud de-

num diuinæ virtutis, illud cœleste stadium, angelo- rum illud theatrum fuerit. Scio vos nunc accensos, ce- rāque quavis molliores esse factos: verum discedentes, omnia effunditis. Atque ideo doleo, quod quæ dicun- tur, opere non ostendimus: cum tamen maximos inde fructus collecturi essemus. Nam si mansuetudinem o- fterderemus, in superabiles essemus omnibus, neque ef- set quispiam hominum esse paruus siue magnus, qui vel tantillum nocere posset. Siue enim quis maledice- ret, te nullo, seipsum verò maximo damno afficeret: siue iniuriam inferret, incommodum in illius sinum re- dundaret, qui iniuriam fecisset. Non vides quo modo in foro qui iniuriam passi sunt, splendidi appareant, mul- tāque fiducia liberè loquantur: qui verò iniuriam in- tulerunt, cum pudore ac timore demisso sint capite? Et quid de accusatione & iniuria dico? Etiam si gladium aduersus te acuerit inimicus, dexteramque suam in gut- tur tuum immerferit: te quidem neque sic aliquid læsit, seipsum verò occidit. Atque huic sermoni testimonium feret, qui primus fraterna dextera interfectus est. Nam ipse quidem ad tranquillæ sedis portum, immortalē adeptus gloriā, concessit: alter verò vitam quavis mor- te miseriosem vixit, suspirans ac tremens, inque suo ipsius corpore facti reprehensionem circumferens. Non itaque istud, sed illud persequamur. Qui enim malè ad- ficitur, non habet stabile domi suæ malum. Non enim ipse malum peperit, sed aliunde acceptum, in bonum patientia sua mutauit: malum verò faciens, in seipso malitiæ plagam habet. An non in carcere erat Ioseph, quæ verò insidias illi retenderat, adultera illa, in ædibus splendidis & illustris? Vtrius ergo loco haberi vel- les? Nequedum volo retributionem mihi vtriusque dicas: sed ipsa vtrinque facta per se perpendas. Nam & sic millies carcerem cum Iosopho, ædibus illis in quibus mœcha erat, præferes. Etenim si vtrorumque animū inspexeris, videbis istum in summa latitudine, multa fretum fiducia: Ægyptiacæ verò, in angustia, pudore, mœrore, turbatione, multaque tristitia. Tamen enim videretur illa vicisse, non tamen erat vera victoria. His itaque cognitis, ad mali patientiam nos ipsos præpare- mus, vt & a malis liberemur, & futura bona apprehen- damus, quæ vt omnes acquiramus, gratia fiat & beni- gnitate, &c.

HOMILIA XXIII.

CAPVT XIII.



OMNIS anima potestatibus supereminentibus subdita sit. Huius rei plurimum & in aliis epistolis meminit, quemadmodum famu- los heris suis, ita & subditos principibus subiiciens. Facit autem hoc ideo, vt osten- dat Christum leges suas non ad hoc induxisse, vt poli- tias euerrat: sed vt ad melius instituat, & vt pariter doceat, superflua & inutilia bella non esse suscipienda. Sufficiunt enim insidiæ quæ veritatis gratia nobis inten- duntur, vt non sit opus, vanas & inutiles tentationes superaddere. Considera verò quo modo non simplici- ter, sed opportunè de his rebus sermonem instituat. Postquam enim magnam illam philosophiam exegit, instituitque vt & amicis & inimicis commodi: & iis qui prosperè & iis qui infeliciter habent, egenis si- mul atque simpliciter omnibus vtilēs essent: politiam- que talem plantauit, quæ & angelos deceret, iræ affe- ctum euacuauit, arrogantiā sedauit, omninoque men- tem eorum explanauit: tunc scilicet & de his rebus ad- hortationem inducit. Si enim eos qui iniuriam faciunt, contrario modo benignè suscipere oportet: multò ma- gis illis qui benefaciunt obaudire conuenit. Sed istud in fine adhortationis ponit. Interea verò eas rationes

quas commemorauit, non mouet: sed eas quæ potesta- tibus ex debito obedire iubent, ostendens quod ista imperentur omnibus, & sacerdotibus & monachis, nō solum secularibus: id quod statim in ipso exordio de- clarat, cum dicit: omnis anima potestatibus superemi- nentibus subdita sit, etiam si Apostolus sis, si Euangeli- sta, si Propheta, siue quisquis tandem fueris. Neque enim pietatem subuertit ista subiectio. Et non simplici- ter dicit, obediatur, sed subdita sit. Est autem prima con- stitutionis huius iustitia, quæ & fidelibus cogitationi- bus ac mētibus satis & decora est & honesta, nimirum quod à Deo ordinata sint ista. *Non enim est potestas, nisi à Deo* Quid dicitis? Omnis ergo princeps à Deo consti- tutus est? Istud, inquit, non dico. Neque enim de quo- uis principum sermo mihi nūc est, sed de ipsa re. Quod enim principatus sunt, quod hi quidem imperant, isti verò subiecti sunt, quodque non simpliciter ac temere cuncta feruntur, nec fluctuum instar populi huc atque illuc circumaguntur, diuinæ sapientiæ opus esse dico. Propterea nō dicit: Non enim princeps est, nisi à Deo, sed de re ipsa dislerit, dicens: non enim potestas est, nisi à Deo. *Quæ verò sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt.* Ita cum sapientum quis dicit, quod à Deo conglutinetur mulier viro: non aliud dicit, quàm Deum instituisse nuptias: non quod quisquis mulieri vt cunque coha- bitat, à Deo illi sit coniunctus. (Videmus enim multos in malo, non iuxta nuptiarum leges, simul commoran- tes: quod tamen Deo vtique non imputamus.) Sed quod Christus ipse dixit, qui hominem ab initio fecit, masculum & fœminam fecit eos: propterea relinquet homo patrem suum & matrem, & adglutinabitur vxori suæ. Idem & Sapiens ille dixit: Quoniam enim ho- noris ac conditionis æqualitas pugnas ac diffidia ple- runque inducit, multos fecit principatus, multasque subiectiones: vt pote viri & vxoris suæ, filij & patris, le- nis & adolescentis, serui & liberi, principis & subditi, præceptorisque ac discipuli. Et quid miraris quod in hominibus istud fecit, quando idem & in corpore no- stro fecerit? Neque enim hic paris honoris omnia fecit, sed hoc quidem minus, istud verò melius: & hæc qui- dem reliquis membris imperantia, ista verò subdita. Idem & in bestiis videre est, vt in apibus, in gruibus, in gregibus ouium agrestium. Quin & mare ab ista di- sciplina destitutum non est, sed illic quoque multa pi- fcium genera sub vno reguntur ac militant, longasque ita peregrinationes exequentur. Libertas enim illa dis- soluta ac moderamine carens, vbique mala, confusio- nisque causa est. Postquam itaque dixit, vnde sint prin- cipatus, subiungit: *Itaque quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Vide quò rem deduxerit, vnde terrue- rit, & quo modo istud iuxta debitum factum esse osten- derit. Etenim ne dicerent fideles, attenuas nos cōtem- ptibilesque facis, qui cœlorum regno potituri sumus, dum principibus subdis: ostendit quod hoc faciens, non principibus illos, sed Deo subiiciat. Illi siquidem obedit, qui principatibus subditus est. Sed ita non lo- quitur, nimirum quod Deo obediatur, qui principibus morem gerit, sed per contrarium terret, atque idem di- ligentiùs probat, & exactiùs, dicens: quod qui potesta- ti obediens nō fuerit, Deo aduersetur, qui ista ita con- stituerit. Atque hoc vbique probare satagit, nimirum, quod non gratiam illis, sed debitum obediendo præ- stemus. Qui enim ita se habuerit, is & incredulos ma- gistratus magis ad pietatem attrahet, & fideles ad obe- dientiam. Plurima quippe tum temporis circumfere- batur fama, traducens Apostolos veluti seditiosos, re- rùmque nouatores, qui omnia ad euertendum leges communes & facerent & dicerent. Cum itaque osten-

dit com-

213

dit communem nostrum dominum istud suis omnibus A præcipientem, & eorum qui Christianos innouationis crimine traducebant, obstruit ora, & maiore fiducia cum veritate sua dogmata tradit. Noli itaque talem, inquit, subiectionem turpem tibi putare. Deus enim istud constituit, qui & vehemens ista contemnentium vltor est. Neque enim vulgares pœnas tempescet, si non obediens, sed quàm maximas. Nec quicquam erit quod contradicentem eximat, quo minus & ab homi- nibus grauissimum feras supplicium. Et nemo siqui- dem turabitur, & Deum ipsum magis irritabis. Quæ quidem omnia subindicans, dicit: *Qui autem resisterint, sibiipsis iudicium accipient.* Deinde vt & posteaquam ter- ruit, rei quoque vtilitatem ostēdat, rationibus illos in- struit, cum dicit: *Principes enim bene agentibus terrori non sunt sed malè.* Postquam enim profundam plagam in- flixerat, atque perterruerat, rursus illos refocillat, quem- admodum sapiens medicus, blanda imponens phar- maca, consolansque ac dicens: Quid times? Quid hor- res? Nunquid de bene agente pœnas sumit magistratus? Nunquid timendus est virtutis studioso? Vnde & subdit: *Vis autem non timere potestatem? Quod bonum est facito, & feres laudem ab ea.* Vides quo modo ipsum ma- gistratui familiarem & amicum faciat, dum ostendit eum illius etiam laudatorem, si bene egerit, constitu- tum? Vides quo modo fastum euacuauerit? *Dei enim minister est tibi in bonum.* Tantum abest quod terrori ti- bi sit, vt & laudet. Tantum abest, quod in bono te re- moretur, vt & magis adiuuet. Cum igitur magistratum habeas & laudatorem & adiutorem, cur non subdere- ris? Nam & aliàs faciliorem tibi virtutem facit, quod & malos quidem punit, & bonos verò beneficiis afficit & honore, voluntati que Dei cooperatur: vnde & mini- strum Dei illum vocat. Obserua verò: Ego, inquit, vt modesti sitis confulo: aque is eadem legibus suis dicit: Adhortor ne quis alium circumueniat, ne quis rapiat, atque is super ista iudex sedet. Cooperarius itaque nos- ter est & adiutor, atque à Deo ad hoc missus. Est ergo vtroque nomine suspiciendus: cum quod à Deo missus, tum quod ad tale ministeriū missus est. *Quod si malum feceris, time.* Timorem enim non facit princeps, sed ve- stra malitia. *Non enim frustra gladium portat.* Vides quò modo ora illius obstruat, dum magistratum velut mili- tem armatum, delinquentibus terribilem præficit. *Nam Dei minister est, vltor ei qui malefacit.* Ne rursus pœnam, supplicium, & gladium audiens resillas, iterum memo- rat principem legem Dei implere. Quid enim si istud etiam ignorauerit princeps? Sed Deus ita formauit at- que instituit. Si ergo, siue punit, siue honore adficiat, minister Dei est, virtutem vindicās, malitiam abigens, id quod Deus ita vult: qua ratione illi tanta bona ad- ferenti, rebùsque tuis præeunti, ac vitam paranti, con- tendendo repugnas? Multi siquidem sunt, qui cum virtutem primùm respectu magistratus exercuerint, postea etiam illam propter Dei timorē amplectuntur. Crassiores enim non adeò futura tangunt atque præ- sentia. Qui itaque multorum animos & timore & ho- nore præparat, vt doctriinæ sermoni reddantur accom- modatioris, is meritò minister Dei vocatur. *Quapro- pter oportet esse subditos, non solum propter iram: verum etiam propter conscientiam.* Quid est, non solum propter iram? Non solum, inquit, quod Deo non subditus ad- uersaris, neque quod maxima tibi ipsi mala & à Deo & ab hominibus concitas: sed quod & in maximis tibi benefacit magistratus, dum & pacem, & administra- tionem politicam procurat. Nam innumera bona ciui- tatibus per magistratus proueniunt, quæ si sustuleris, om- nia simul pessum ibunt: ita vt neque vrbes, neque a-

gri, neque domus, neque forum, aut aliquid aliud, con- sistere queant, sed omnia simul subuertantur, potentio- ribus imbecilliores impunè deuorantibus. Itaque etiam- si in inobediētē nulla ira consequeretur, sic quoque; ta- men subiici te oportebat, ne conscientia carere videreris, atque erga beneficium ingratus. *Propter hoc enim & vectigalia soluitis: Siquidem ministri Dei sunt, in hoc ipsum incumbentes.* Omnis quæ singulatim recensere poterat beneficiis per magistratum vrbibus exhibitis, vt pote ordinata disciplina, pacifico conuictu, reliquisque mi- nisteriis, vt sunt militum, corumque; qui communia quæ ad rempublicam pertinent, administrant, ex hoc vno probat vniuersum: quasi dicat, quod bene tibi magi- stratus faciat, tu ipse testaris, mercedem illi persoluens. Vide sapientiam ac prudentiam beati Pauli: Quod in vectigalium repetitionibus graue videbatur & onero- sum, signum istud facit prouidentia ipsorum. Cur enim, inquit, vectigalia regi damus? Nunquid tanquam pro- spicienti? Nunquid tanquam præsentem curæ tuitio- nisque mercedem soluentes? Atqui nihil illi soluisse- mus, nisi ab initio vtilem nobis talem fuisse præfectu- ram cognouissemus. Verum propterea ab antiquis tē- poribus communi omnium sententia principes à no- bis sustentari debere visum est, ob id quod sua ipsorum negligentes, communes res curant: vniuersumque suum ocium ad ea impendunt, quibus non solum ipsi, sed & quæ nostra sunt, saluantur. Connumeratis itaque quæ ad externa pertinent, sermonem denuò ad priora re- ducit. Nam fidelem hoc pacto attrahere magis potuit. Rursus autem ostendit, quod istud Deo ita probetur, qua in re consilium etiam suum concludit, dicens: *Si- quidem ministri Dei sunt.* Deinde vt laborem miseriam- que magistratum ostendat, subdit: *In hoc ipsum incum- bentes.* Hæc enim illis est vita, hoc studiū, vt tu quoque modo pace fruaris. Propterea & in alia epistola non solum exigit vt illis subdamur, sed & vt oremus pro il- lis, communem hæc quoque & illic vtilitatem osten- dens ac dicens, vt placidam & quietam vitam dega- mus. Neque enim parum nobis ad præsentis vitæ sta- tum conducunt, munimenta ponentes, hostes propel- lentes, seditiosos in vrbibus cohentes, quasvis vbi- que calamitates dissoluentes. Nolo siquidem mihi obi- cias, quod subinde quis potestate hac abutitur: sed constitutionis ipsius decorum inspicere, & multam eius qui ista ab initio instituit sapientiam videbis. *Reddite igitur omnibus quod debetur, cui tributum, tributum: cui ve- ctigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, hono- rem.* Nemini quicquam debetis, nisi hoc, vt inuicem diliga- tis. Eisdem adhuc inhæret, non solum pecunias magi- stratibus pendere iubens, sed & honorem & timorem. Et quomodo, cum supra dixerit, Vis non timere pote- statem? fac quod bonū est: hic dicit, reddite timorem: Imperialem honorem dicit, non cum timorem qui ex mala conscientia est, quem supra significauerat. Et non dicit, date, sed, reddite: & adiecit, quod debetur. Nihil enim gratuitò dat, qui hoc fecerit. Debitum siquidem est res ista. Quod si non feceris, perferdi pœnas dabis. Neque sanè putes Christianæ philosophiæ dignitatem extenuari ac lædi, si præsentem principē honoris gratia exurrexeris, siue caput detexeris. Si enim ista Paulus tum cum Gentiles adhuc essent principes, præcepit: multò magis oportet ea fidelibus exhibere. Quod si maiora tibi concredita esse dixeris, disce non nunc ho- noris tui tempus esse. Peregrinus enim hic es, & adue- na. Tempus erit quo omnibus apparebis illustrior. Nunc verò vita tua abscondita est cum Christo in Deo. Quando Christus comparuerit, tunc & vos compare- bitis in gloria. Ne quæras ergo in præsentem hac fragili

Abel.

Cain.

2v. eum.

1. Tim. 4.

codex e- mend. ut sit fen- sus: Vides quo in statu prin- cipis ex- hibuerit, dum i- psium ve- lut mili- tem ar- mauit, & delin- quenti- bus terri- bilem præfere- rit?

vel, ab antiquo.

1. Tim. 2.

1. Tim. 2.

† d. q. d. a. te. i. de- betis, aut debetis, siue de- beat. Hic sup. est vt pa- m. i. l. u. m. i. d. u. m. n. i. v. e. a. r. o.

Coloss.

vita retributionem. Sed etiam si cum timore vt te prin-
cipi fistas opus sit, non putes ex eo cognationem tuam
dehonestari. Deus enim ita exigit, vt creatus ab eo
princeps vires suas habeat. Quod si enim qui nihil ma-
li sibi conscius est, cum timore apud iudicem com-
paret, multo magis qui malè facit, ab eo terrebitur: tu ve-
rò eò eris illustrior. Neque enim extenuatio ex eo est,
quod principi honorem suum reddis, sed magis ex eo,
quod illum negligendo contemnis. Et ipse princeps eo
te magis suscipiet: dominumque tuum, etiam si incre-
dulus fuerit, hoc nomine glorificabit. *Nemini quicquid
debetis, nisi vt inuicem diligatis.* Rursus ad bonorum ma-
trem, magistrum eorum quæ dicta sunt, omnisque vir-
tutis effectricem, confugit, eamque ipsam dicit esse de-
bitum, non quidem tale quale est tributum, quale ve-
tigal, sed quod còtinuò sine intermissione sit præstan-
dum. Nunquam enim illam reddi vult. Imò semper
quidem reddi vult, non tamen impleri, sed semper de-
beri. Tale quippe debitum est, vt reddatur, & semper
debeatur. Cùm ergo dixisset quo modo diligere oporteat,
illius etiam vtilitatem manifestat, dicens: *Nam qui
diligit alterum, legem impleuit.* Neque enim istud gratiam
esse putes. Nam & ipsum verè debitum est. Debes enim
fratri dilectionem, propter cognationem spiritualem.
Neque verò solum hac ratione, sed & ob id; quod mem-
bra sumus inuicem. Et si dilectio ista nos destituerit, om-
nia discerpta sunt. Dilige ergo fratrem. Si enim ex
dilectione ipsius tãta lucraris, vt totam legem impleas:
debes illi eam dilectionem, vt qui tali beneficio ab eo af-
fectus es. *Si quid illa: Non adulterabis, non occides, nõ fur-
beris, non falsum testimonium dices, & si quod aliud præceptum in
hoc sermone summam comprehenditur, nempe, Diliges proximum
tuum sicut teipsum.* Nò dicit simpliciter, impletur,
sed summam comprehenditur: hoc est, concisè ac
breuiter vniuersam præceptorum opus perficitur. Vir-
tutis enim principium ac finis est dilectio. Hanc habet
radicem, hanc materiam, hunc verticem. Si itaque illa
& principium est & plenitudo, quid illi poterit adæquari?
Sed non simplicem dilectionem requirit, verum etiam
vehementem. Non enim simpliciter dicit: Diliges pro-
ximum tuum, sed addit, sicut teipsum. Propterea &
Christus legem ac Prophetas ab hac dilectione pende-
dere dixit. Et vide, cùm duo posuerit dilectionis gene-
ra, istam tamen quò euexerit. Cùm enim dixisset: Pri-
mum præceptum est, diliges dominum Deum tuum,
(neque enim obtinuit, sed addidit) simile est huic, &
proximum tuum sicut teipsum. Quidnam poterit huic
benignitati conferri? Quid huic mansuetudini? Cùm
infinitis modis ab illo distemus, eã tamen dilectionem
qua vicissim nos diligimus, iuxta eam constituit, quæ in
ipsum tendit, similemque eam illi esse dicit: atque ideò
& mensuram vtrique propè eãdem ponens, de illa qui-
dem dicit, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua: de
ista verò qua proximus diligitur, sicut teipsum, inquit,
Paulus verò, si ista non fuerit, non multum vtilitatis ab
illa fore dicit. Quemadmodum enim & nos si quando
quempiam dilexerimus, dicere solemus, si hunc diligis,
me ipsum diligis: ita & Christus hoc ipsum declarans
dicit, secundum simile est huic. Et ad Petrum, si diligis
me, pasce oves meas. *Dilectio proximi malum non opera-
tur. Consummatio itaque legis est dilectio.* Vides quomodo
vtramque virtutem habeat dilectio? nimirum ex vno
latere abstinentiam à malo. Malum enim, inquit, non
operatur, ex alio, bonorum efficacem operationem:
consummatio enim, inquit, legis est dilectio, nõ solum
faciendorum nobis doctrinam breuiter inducens, sed
& ipsorum exhibitionem facilem faciens. Non enim
solum hoc studiosè fatigamus quomodo quæ præstare

rom. 13.

Exo. 20. & Deu. 5.

ἀνευλα-
λίας.

Matt. 22.

Ioan. 21.
ἀληθινὰ
ἀδύναμις
ἀδύναμις
ἀδύναμις

ἀδύναμις
ἀδύναμις
ἀδύναμις

debemus, addiscamus, id quod legis est opus: sed & vt
illa præstemus etiam, multam nobis opem adfert dile-
ctio, non aliquam tantummodò mandatorum partem,
sed omnem in nobis virtutem perficiens.

M O R A L E.

Diligamus itaque nos inuicem, tanquam & eadem
dilectione diligentem nos Deum dilecturi. Apud ho-
mines quidem si cum quem aliquis alius diligit, dilexe-
ris, repugnabit illius amator: hic verò dignatur te Deus
amoris sui communionem, ac non communicantem of-
dit. Humanus quidem amor zelo & inuidia plenus est,
diuinus verò ab omni huiusmodi affectus morbo liber
est. Propterea & quarit qui secum in amore commu-
nicent. Dilige siquidem, inquit, mecum, atque tum po-
tissimum te magis diligam & ego. Vides verba vehe-
mentis amoris? Si dilectos meos dilexeris, arbitrabor
& me ipsum plurimum abs te diligi. Vehementer quip-
pe salutem nostram desiderat, atque hoc ab initio de-
clarauit. Cùm enim hominem formaturus esset, audi-
quid dixerit: Faciamus hominem, inquit, ad imaginem Gen. 1.
nostram. Et iterum, Faciamus ei adiutorium: neque enim
bonum est eum esse solum. Deinde cùm transgres-
sum increparet, vide quàm mansuetè. Non enim illi
dicebat: Scelestè, cùm tanta beneficia per me recep-
eris, post illa omnia fidem habuisti diabolo, benefacto-
remque tuum relinquens, attendisti malo demoni? Sed
quid dicebat? Quis tibi dixit quò nudus sis, nisi quod
de ligno, de quo solo ne comederes tibi præceperam,
comedisti? Quemadmodum si pater cum filio loquatur
ne macharam contingeret præcepisset, deinde cùm non obe-
diuisset, vulneratusque iam esset, diceret, vnde vulne-
ratus es? Hinc scilicet, quod me non audisti. Agnoscis
verba plus amici quàm domini, amici, inquam, con-
tempti quidem: neque sic tamen ab amore cessantis?
Imitemur ergo illum & nos, & si quando delinquentem
increpauerimus, eandem seruemus mansuetudinem.
Nam & mulierem eadem mansuetudine increpauit.
Imò ne increpatio quidem erant quæ dicebat, sed ma-
gis admonitio, & correctio atque ad futurum præmu-
nitio. Propterea sanè ad serpentem nihil dicebat. Erat
enim is malorum istorum fabricator: neque habebat
cui facti causam imputaret, vnde & vehementer illum
puniuit. Et neque hic metam fixit, sed & terram de
maledicto communicare fecit. Quòd verò paradiso il-
lo eiecit, laborique adiudicauit, eo magis illum ado-
rare & admirari oportet. Quoniam enim ad istam fo-
cordiam delicia illos deduxerant, abscissa lætitia tristi-
tiam veluti murum foecordiae propulsandæ præstruxit,
quatenus ad dilectionem suam reuerteretur. Quid ve-
rò erga Cain? Nunquid & erga illum eodem vsus man-
suetudinis modo? Nam cùm esset contumelia ab illo
affectus, contumeliam non retulit, sed obsecrans dixit,
Vt quid concidit vultus tuus? Atqui factum illud nullam
habet veniam, ostendit hoc & frater iunior, sed neque
sic increpat. Verum quid dicit? Peccasti, inquit, quic-
sce, nihil amplius addas. Ad te conuersio ipsius erit, &
tu dominaberis ipsius, fratrem intelligens. Si enim ti-
mes ne quado propter fratris hostiam immolatam pri-
mogenituræ dignitatem tibi auferam, bono sis animo.
Omnem siquidem principatum in illum, in manus tuas
pono. Tantummodò sis melior, & eum qui tibi nihil
malè fecit, diligas. Nam vtrosque curo. Neque quic-
quam libentius videro, quàm nihil inter vos esse diffi-
dij. Et quemadmodum mater filiorum amans: ita ni-
hil non facit Deus, nihil non molitur, ne quo pacto al-
ter ab altero diuellatur. Vt autem per exemplum mani-
festius quod dico cognoscas, Rebeccam mihi perpen-
das,

Gen. 27. Ibid. 4.

Ibid.

cod. em. e. ἀπιστῶν. i. defisit. Gen. 4.

2. Reg. 1.

2. Cor. 2.

Gen. 39.

Exo. 10.

217
das, quomodo turbata nusquam non circuncurset, A
in Ezechiele ad dilectam quidem, sed contemptricem
dum erga iuniorum filium inimicitias senior conceperat.
Licet enim Iacobum diligeret, Esau tamen non auer-
satur. Propterea dicebat etiam, ne quo pacto duobus
filiis orber vno die. Atque ita & tunc dicebat Deus,
peccasti, quiesce, ad te erit conuersio illius, vt vel
sic eadem præueniendo cohiberet, atque vtrinque
pacem institueret. Posteaquam verò fratrem occidisset
Cain, neque sic tamen prouidentia sua illos destituit,
sed rursus mansuetè ad fratricidam respondens, vbi
est, inquit, Abel frater tuus? vt vel hoc pacto factum
confiteretur. Is verò prioribus plura & grauiora con-
tendendo impudenter loquebatur. Neque sic tamen
indignitate rei percitus incandescit Deus, sed rursus
contumelias & contemptu affecti amatoris verba lo-
quitur, dicens: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me.
Atque iterum simul cum occisore terram ipsam per-
stringens, aduersusque illam indignationem suam ef-
fundens, dicit: Maledicta terra, quæ hiauit ad suscipien-
dum sanguinem fratris tui, imitatus eos qui suorum casus
& calamitates deplorant: id quod & Dauid ad casum
Saulis faciebat. Nam & ille malum imprecabatur
montibus, qui occisionem illius susceperant dicēs:
Montes Gelboë, nec ros nec pluuia cadat super vos,
quoniam in vobis proiecta sunt scuta fortium. Ita &
Deus luctum quandam agens dicebat, Vox sanguinis
fratris tui clamat ad me: & nunc maledictus eris a ter-
ra, quæ hiauit ad suscipiendum sanguinem fratris tui.
Hæc verò dicebat, vt viuam adhuc illius iram sedaret,
persuaderetque ad diligendum fratrem etiam iam
morte sublatum. vitam, inquit, fratris extinxisti, vt
quid non inimicitiam quoque iam deinceps extinguis?
Quid ergo faciet hic Deus? Vtrinque diligit: nam
vtrinque plasmauerat. Quid ergo? Impunitumne in-
teremptorem relinquet? Atqui hoc pacto peior eua-
det. Punit ergo? Sed benignior est quouis pater. Vi-
de itaque quomodo & puniat, & in eo tamen ipso di-
lectionem suam exprimat. Imò ne puniat quidem, sed
magis corrigat. Neque enim occidit illum, sed tremore
constringit ad exuendum culpam, vt vel sic ad il-
lius amorem reuersus, ad amandum etiã sublatum fra-
trè induceretur. Neque enim volebat illum mortuo fra-
tri adhuc inimicū ex hoc seculo migrare. Tale quippe
amantium est ingenium, vt quado benefacientes non
diliguntur, cogantur vehementes fieri, & minari, non
quidem volentes, sed amoris violentia ad hoc impulsī,
vt vel sic contemptores suos ad se pertrahant. Tametsi
enim talis dilectio coactionem habeat, attamen ipsos
etiam per hoc solatur, quòd vehementer amet, adeò vt
& supplicium ex amore progrediatur. Nam qui nõ dolent
quòd odio habeantur, illi neque punire cupiunt. Obserua
verò quomodo & Paulus ista dicat ad Corinthios: Quis
enim est, inquit, qui me exhilararet, nisi qui tristatur
ex me? Quando itaque fortius supplicium intēdit qui
diligit, tum potissimum amorem suum ostendit. Sic &
Ægyptia ex eo quòd vehementer amabat, vehementer etiã
Iosephum adflegebat, sed illa in malo quidē: lasciuus enim
amor erat, Deus verò bono illud amore facit. Nam castam
hanc esse dilectionem ex ipso diligente cognoscitur. Pro-
pterea non detrectat etiã ad crassiora verba descendere,
humanorumque affectuum sermonibus vtī, atque amulato-
rem seipsum vocare. Deus enim, inquit, amulator ego sum,
quatenus dilectionis vehementiam addiscas. Diligamus
ergo ipsum quemadmodum desiderat. Pro magno siquidem
habet, si diligatur à nobis. Quòd si auersamur, manet
obsecrans: & si conuerti noluerimus punit, quia diligit,
non simpliciter vt pœnas sumat. Vide ergo quid

in Ezechiele ad dilectam quidem, sed contemptricem
vrbem dicat: Agam post te amatores tuos, tradamque
te in manus illorum, illi lapidabunt te & occident, at-
que ita liberabitur de te æmulatio mea, requiescamque,
& non ero sollicitus pro te amplius. Quid potuit maius
dicere vehemens amator ab amata contemptus? Et tamen
post ista omnia rursus amore illius accenditur. Omnia
quippe facit Deus, vt à nobis diligatur. Propterea neque
filius suo pepercit. Nos verò immites sumus & crudeles.
Reddamur vel tandem aliquando mansueti, diligamisque
Deum, quemadmodum oportet, vt cum voluptate virtute
fruamur. Si enim qui mulierem habet dilectam, nihil
sentit eorum quæ quotidie contristant, qui diuinum illum
ac mundum amorem amaucrit, perpende quanta voluptate
fruatur. Istud quippe, istud, inquam, regnum cœlorum est,
istud bonorum fructus, istud vera voluptas, vera lætitia,
verum gaudium, istud demum ipsa beatitudo est: imò vt
magna dixero, nihil tamen adferre potuero, quo amoris huius
dignitatem repræsentem, sed sola experientia quantum
hoc bonum sit, docere poterit. Vnde & Propheta dixit:
Delectare in domino: & Gustate & videte, quoniam
suavis est dominus. Persuadeamur ergo, deliciamurque
in illius dilectione. Sic enim regnum exinde videbi-
mus, angelicamque vitam viuemus: & licet in terra
commoremur, nihil tamen minùs habebimus ab illis
qui cœlos inhabitant, atque post eam peregrinationem
quam ex hoc seculo faciemus, omnibus illustriore tribu-
nali Christi repræsentabimur, ineffabilique gloria
fruemur: cuius nos omnes fore participes, gratia fiat &
benignitate &c.

Eze. 13.

Psal. 36. & 33.

HOMILIA XXIIII.

RÆSERTIM cum sciamus tempus, quòd
tempus sit nos iam à somno expergisci.
Posteaquam omnia, quæ necessaria fue-
rant, præcepit: rursus illos ad bonorum o-
perum exhibitionem, ab eo quod vrget
impellit. Præ foribus enim, inquit, iudicij tēpus adstat.
Quemadmodum & Corinthiis scripsit, quòd tempus
deinceps contractum sit. Et rursus ad Hebræos, Adhuc
peruillum temporis, qui venturus est veniet, & non
tardabit. Sed illic quidem ista dicens laborantes erigit,
còsque qui cateruatim alternis tentationibus ad obruti
sudabant, consolatur: hic verò dormientes excitat.
Est enim nobis sermo ad vtraque vtilis. Quid autem
est quod dicit, hora est vt à somno iam expergiscamur?
Hoc est, propè est resurrectio: propè est terribile iudi-
cium: propè est dies illa velut clibanus accensa. Opor-
tet ergo vt deinceps pigritia nostra liberemur. *Nunc
enim propius adest nobis salus, quàm tum cùm credebamus.*
Vides quomodo resurrectionem illis iam sistat & ad-
plicet? Tempore quippe procedente præsentis quidem
vitæ momenta, inquit, consumuntur: futuri verò seculi
propius accedunt. Itaque si paratus iam fueris, quæque
præcepi diligenter præstiteris, salutem tibi adferet dies
ille. Si verò contrarium feceris, omnino illam non ex-
pectabis amplius. Verum non tristibus, sed iucundis
interea adhortatur, vt hac ratione præsentium rerum
compassione fruantur. Deinde quoniam possibile erat,
vt in ipsis principiis quidem diligentiores essent, vt po-
te vigente adhuc illorum desiderio, verum longiore
tempore tractu fatigatis omne studium marcidum
redderetur & elanguidum, ostendit quòd contrarium
feri oporteat: nimirum, quòd temporum tractu, non
solum non dissolui, sed viuaciores ac fortiores magis
fieri debeant. Quantò siquidem propius regis imminet
aduentus, tantò paratiores esse oportet. Quatò ad bra-

1. Cor. 7. Heb. 10.

1. Cor. 7. Heb. 10.

bium propius pertigeris, tantò ad certandum fortius excitari conuenit. Nam & cursores id faciunt, cum ad cursus finē, brabique captationem in propinquo iam sitam deuenerunt, nimirum tum magis excitatur. Propterea dicit: Nūc enim propius adest nobis salus, quàm tum cum credebamus. *Nox progressa est, dies autem appropinquauit.* Illa igitur finitur, ista uero aduenit. Exerceamus quæ huius, non quæ illius sunt. Nam & in temporalibus istud fit. Quādo enim noctem ad diluculum vsque properare videmus, garrientemque hirundinem audimus, proximum sibi quisque excitamus: & licet nondū profus nocturnæ solutæ sint tenebræ, quoniam tamen quod reliquum est transit, sollicitando alius ad alium diem factum esse dicimus: & quicquid diurni est temporis induti, à somniis liberati, excusso probris sopore, facimus, ne nō paratos orta dies inueniat. Atque ita nondū Solis exortio iubare exurgere, & ad faciendam contendere incipimus. Quod igitur in temporalibus, vt commemoratum est, facimus: istud & hīc faciamus. Exuamus phātasias, liberemur ab huius vitæ somniis, excutiamus profundum mentis soporem, induamurque loco vestimenti virtutem. Hęc enim omnia significans Apostolus, dicit: *Abiiciamus igitur opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Ad aciem quippe nos dies, & ad pugnam vocat. Pugnam uero audiens & arma, non est quod timeas. Insensibili quidem armatura durum est & exosum armari: hīc uero iucundum, & dignum quod expetatur etiam. Lucis quippe sunt arma, vnde radiis solaribus illustriorem te faciunt, multum emittentia fulgorem, atque in tuto etiam optimè munitū constituūt: arma siquidē sunt, deinde & splendidū faciunt: sunt enim arma lucis. Quid igitur? an non est necesse vt prælieris? necesse quidē vt prælieris, non tamē vt fatigeris, aut laboris molestiam iubeas: neque enim bellum hoc est, sed chorea & panegyris. Talis est videlicet armorum istorū natura, talis ducis huius potestas. Et quemadmodum ē thalamo suo spōsus gloriabūdus progreditur: ita & is, qui armis istis munitus est. Simul enim & sponsus est & miles. Diem uero appropinquasse dicens, non in propinquo illam esse permittit, sed planē iam iam illuxisse facit. Dicit enim: *Tantumquam in die cum decoro ambulemus.* Iā enim adest dies. Et obserua, quomodo illos iis rebus attrahat, quibus potissimum plerique permouentur, nimirū decoro & honesto. Multam quippe gloriæ, quæ à plurimis est, rationem habebant. Et nō dicit, ambulate: sed, ambulemus, vt & exhortationem inuidia liberet, & increpationem eò tolerabiliorem reddat. *Non comeffationibus & ebrietatibus.* Bibere non prohibet, sed præter mensuram bibere: neque uino simpliciter uti, sed cum ebrietate uti uetat. Quemadmodum & quod sequitur, eadem ratione mensuratum ponit, dicens: *Non cubilibus ac lasciuiss.* Neque enim hīc mulieribus commisceri prohibet, sed scortari. *Non contentione & emulatione.* Passionum enim occasiones extinguit, cōcupiscētiā videlicet & iram: propterea non illas solum, sed & illarum fontes aufert. Nihil enim adeo & concupiscētiā & irā inflammat, atque ebrietas & vinolētia. Atque ideo cū primū dixisset, non comeffationibus & ebrietatibus: tunc subiunxit, non cubilibus ac lasciuiss, non contentione & æmulatione. Et neq; hīc gradū fixit, sed malis vestibus exuens, audi quo deinceps ornatu nos uestiat, dicens: *Sed induamini dominū nostrū Iesum Christū.* Nihil adhuc de operibus dixit, sed magis illos excitauit. Quando de malitia quidem dixit, operum meminit. Quando uero de virtute, non iam opera, sed arma commemorat, ostendens virtute, eum qui illā habeat, in omni securitate omnique splendore munitū & clarum cōstitui. Et

A neque hīc cōstitit, sed ad maiora sublatō sermone, dominū ipsum nobis, ipsum regē, quod sanē multò horribilius est, vestimēti loco tradit. Hunc enim indutus, omnē simul in vniuersum virtutē habet. Quando uero dicit, induamini, vndique nos illo circumdari iubet. Quemadmodum & alibi dicit: Si uero Christus in nobis: & iterū, In interiore nostro homine habitare Christum. Vult enim animam nostram illi domum esse, illōque non veluti vestimento circumdari, vt is omnia nobis sit siue interna siue externa respicias. Est enim plenitudo omnia in omnibus adimplentis, est via, est vir, est sponsus. Desponsus enim, inquit, vos vni viro, virginem castam, est radix, potus, cibus & vita. Viuo enim, inquit, non iam ego: sed uiuit in me Christus. Est Apostolus, summus sacerdos, præceptor, pater, frater, coheres, & sepultura nobiscum & cruce communicas. Consepulti siquidem, inquit, illi simus, & in sititij facti simul cum illo per similitudinem mortiseius. Est etiam simplex nobis factus: Pro Christo enim legatione, inquit, fungimur tanquam Deo vos obsecrante per nos, rogamus pro Christo, reconciliemini Deo. Et ad patrem aduocatus noster est: etenim interpellat, inquit, pro nobis. Domus etiam simul & hospes. Ille enim, inquit, in me manet, & ego in illo. Et amicus: Vos siquidem, inquit, amici mei estis. Et fundamentum est & lapis angularis, & nos ipsi sumus & membra, & agricultura, & ædificatio, & palmites, & cooperarij. Quid enim nobis esse non uult, omnibus modis nos sibi conglutinans & coniungens? id quod vehementer amatis est. Obtempera igitur, atque ē somno exurgēs, ipsum induere, indutūque morigerā illi carnē exhibe. Hoc enim subindicat dicens: *Et carnis curam ne agatis ad concupiscētiās.* Quemadmodum enim non bibere, sed inebriari, non nubere, sed lasciuire, ita neque carnis curam agere simpliciter prohibuit, sed ad concupiscētiās addidit, quale est, dum necessarius vsus exciditur. Alio qui quod curam illius agere præcipiat etiam, audi quid Timotheo scribat: Modico uino utere, inquit, propter stomachum tuum, & crebras infirmitates tuas. Ita & hīc curam illius habet quidem, sed ad sanitatem, nō ad lasciuiam. Neque enim ea uera demū fuerit carnis cura, siquando flammam accēderis, caminum grauem & intolerabilem feceris. Quatenus uero & clariū perdiscatis, quidnam sit carnis curam ad concupiscētiā agere, & eam quæ talis est, fugiatis, ebrios, uentricolas, delicatulos, eos videlicet, qui vitam uiuunt mollem & laxam, considerate, & intelligetis quid sit quod dicitur. Illi siquidem nihil non faciunt, non vt sani sint, sed vt lasciuiant, vt concupiscētiā inflamment. Christum uero indutus, vniuersis istis amputatis, vnum hoc tantummodò querit, vt sana sit carne: cō videlicet vsque curam illius habet, vltra uero nequaquā, sed reliquam omnem diligentiam ad spiritualia curanda infumit. Hoc quippe pacto somno illo poteris exurgere, nihil variis istis concupiscētiis grauatus. Somnus enim est præfens vita, nihilque ab infomniis differunt quæ in illa geruntur. Et quemadmodum qui dormiunt, & delirant sæpenumero, & nihil sani vident: ita & nos. Imò uero multò etiam peius. Nam qui turpe quid in somno vel fecit vel dixit, quàm primum à somno liberatur, protinus & ab ipsa turpitudine liber, nullas dat pœnas: hīc uero non ita, sed & turpitudine & supplicium perpetuò durant. Rursus qui somniado diuites sunt, orto die, frustra diuites se factos apparuisse sibi deprehendunt: hīc uero & ante diem sæpe deprehensio illa incidit, & antequam hinc abeat, vana huiusmodi somnia iam auolant.

MORALE.

Excutiamus itaque malum hunc somnum. Si enim dormientes nos dies ille deprehenderit, mors simul excipiet immortalis. Et ante diem illum, omnibus erimus hac occasione expositi inimicis, & hominibus & dæmonibus, qui etiam si occidere uoluerint, nemo erit qui prohibeat. Quod si enim multi nobis essent vigiles, tantum non esset periculi: nunc uero cum vnus & alter alicubi accēso lychno, nō aliter quàm profundissima nocte reliquis obdormientibus, vigiliam teneat, propterea multa nobis opus fuerit uigilantia, multa que tutela, ne patiamur quod curari rursus nequeat. An non splendidus uidetur nunc esse dies? Nunquid omnes vigilantes nos & sobrios esse putamus? uerumtamen fortē ridebitis quod dicturus sum, dicam tamen. Profunda nocte dormientibus ac stertentibus similes sumus omnes. Quod si incorporalem nostram substantiam videre liceret, ostēderem utique quomodo interea dum hi quidem stertunt, diabolus & parietes subfodiāt, & iacētēs iugulet, quæque intus sunt surripiat, omnia non aliter, quàm in profundis tenebris intrepidè perpetrans: uerumtamen licet oculis istud uideri nequeat, describam tamen sermone, consideremusque quot illorum sint, qui malis concupiscētiis grauati, quot eorum qui graui lasciuia petulantiaque infania, quasi quadam ebrietate detenti, spiritus sancti lumen extinguant, atq; ideo aliud pro alio audiant, nihilque eorum quæ hīc dicuntur, obseruent. Si uero istud dicens mentior, & tu uigil perstas: dic, quæso, quid hīc hodie sit factum, si non tanquam somnia quæ dicta sunt audisti? Scio enim quosdam esse qui dicere queant. Neque enim ista aduersus quosuis dico. Tu uero qui horum reus, frustra huc ingressus es, respōde, quis hodie Propheta, quis Apostolus nobis, de quibus rebus lectus sit. Sed non potes. Multa siquidem hic ueracium rerum de quibus disserui, uelut somno pressus nō audisti. Ita uero mihi & ad mulieres dicta sunt. nam & in illis plurimus est somnus, atque utinam somnus esset. dormiens etenim, neque malum quid neque bonum loquitur: qui uero ad eum modum uigilat, quo vos: multa uerba in malum sui ipsius capitis profundit, vsuras numerans, mutuique rationes componens, impudentis cauponæ memor densē spinas in suam ipsius animam infigens, neque permittens vt iniectum semen modicum quid uel per transennam aliquando aspici queat. Expergiscere itaque, spinasque illas radicitus euelle, ebrietatemque hanc ex cute. Hinc enim ille somnus est. Ebrietatem uero non uini tantummodò dico, sed & temporalium curarum, dein & eam quæ à somno est. Horum uero non solum diuites, sed & pauperes admoneo, & maximè eos qui symposia socialia celebrant. Neque enim istud uerè deliciari est, neque quiescere, sed magis pœna ac supplicio adfici. Deliciae quippe sunt, non turpiter quid loqui, sed quod honestum, pro natura captu fatiari, non dirumpi. Si uero uoluptatem istud esse putaueris, ostende mihi uoluptatem illam uesperis: sed utique non poteris. Atqui nondum quid inde damni sequatur commemoro, sed de uoluptate interea disputo, quæ facillè adeo marcescit. Nam simul atque dissolutum est conuiuium, omnis etiam latitia confestim auolauit. Quod si & ebrietatē dixero, & capitis ex uolentia grauamen, atque alios innumeros morbos, mentisque captiuitatem: quid, quæso, ad ista dices? Nunquid ideo quod pauperes sumus, turpiter etiam agere debemus? Hęc autem dicens, non prohibeo conuentus quosuis, neque conuiuia quæ in communi sunt: sed ne præter decorem quid agatur, delicias uolens uerè delicias esse, non pœnam, non supplicium,

A nō ebrietatem, neque immodestam comeffationem. Discant Græci Christianos maximè esse, qui deliciari sciunt, ordinēque & cum decoro deliciari. Exultate, inquit, domino cum tremore. Quomodo uero exultandum est? Si hymnos dixeritis, preces & uota feceritis, psalmos pro illiberalibus illis canticis induxeritis. Ita & Christus mensæ uestræ aderit, benedictionēque sua totum conuiuium adimplebit, quando oraueris, quando spiritualia cecineris, quando pauperes ad eorum quæ apposita sunt cōmunionem uocaueris, quando multam symposio disciplinam & modestiam procuraueris. Hoc pacto ex eo etiam loco ecclesiam facies, pro importunis clamoribus libidinibusque, omnium dominum collaudas. Neque mihi dicas, quod consuetudo diuersum, uelut lex obtinuit, sed quæ male habeat corrigi. Siue comederitis, inquit, siue biberitis, siue quid feceritis, omnia in gloriam Dei facite. Etenim à malis istis conuiuiss mala uobis sunt libidines, hinc lasciuia, hinc vxores quidem contemptæ, scorta uero apud uos in precio: hinc domorum euerfiones, innumeræque mala sunt, hinc sursum ac deorsum uolūtū omnia. Puro siquidem ac liquido relicto fonte ad impundi cœni cloacam curritis. Cœnum namque scorti corpus esse neminem alium in testem aduoco, quàm te ipsum, qui uolutatus in cœno illo es: pro qua re, quæso, an non penes te ipsum crubescas, an nō impurum te post perpetratum peccatum existimes? Obscuro itaque fugite fornicationem, matrēque ipsius ebrietatem. Quid feminas, quod merere nō licet: imò si messueris, multum tibi dedecoris ipse fructus adferet? Nam si puerum pepererit, & tibi dedecus attulit, & puero magnam iniuriam, qui propter te nothus & ignobilis natus est. Cui etiam si innumeras pecunias reliqueris, hoc tamen adhærebit, vt ignominiosus sit in domo, ignominiosus in urbe, ignominiosus in foro, siue ex scorto sit, siue ex ancilla. Quin & tu quoque ignominiosus eris, non solum in uita, sed & post mortem. Nam etiam si hinc abscefferis, manent tamen post te turpitudinis tuæ monumenta. Quid igitur omnia dedecore afficis? Quid feminas, ubi aruum ipsum fructum eorumpere studet, ubi multa sunt sterilitatem & caustantia, ubi ante generationem cædes? Scortum enim non permittis vt scortum tantummodò maneat, sed & homicidium patrare facis. Vides quomodo ex ebrietate sit scortatio, ex scortatione adulterium, ex adulterio cædes, imò cæde etiam peius quid? Neque enim habeo quo flagitium istud enorme exprimam. Nam non solum quod natum est, occidit: sed & ne nascatur, prohibet. Quid ergo & donum Dei ignominia adficiis? Quid ipsius legibus repugnas, & quod execrandum est uelut laudabile persequeris, generationisque promptuarium, promptuarium facis occisionis, & mulierem quæ ad puerorum generationem data est, ad necis artificium instruis? ut enim & amatoribus perpetuò sit accommoda & amabilis, & plus interea pecuniæ corradat, neq; hoc, ut ut facinorosum contabatur facere, multum ignis inde in tuum ipsius caput accumulās. Licet enim res ista muliebri agatur audacia, causa tamen tibi imputabitur. Hinc sunt & idololatriæ. Multa siquidem ad hoc ut amentur, & incantationes, & libamina, & philtora, innumeræque alia machinantur: & tamen post tantam turpitudinem, post cædes, post idololatrias, multis res ista indifferens esse uidetur: multis, inquam, vxores quoque habētibus. Vbi etiam plurimum malorū cumulus est. Nam hīc & uenena parantur, idque non fornicatio uero sed vxori iniuriam passæ, & innumeræ insidiæ, & dæmonum inuocationes, & mortuorum incantamenta, & bella quotidiana, & irreconciliabiles pugne & af-

Græcum pro Echni co passim accipit. Psalm. 2.

ὁτι ἐκράθησθε νόμος. 1. Co. 10.

† δόκιμα

φίληρα, pocula sunt amatoria.

αὶ τικρομαντία. Rom. 13.

Quæritur.

fuere contentiones. Vnde & Paulus cum dixisset, non cubilibus ac lasciuibus, subiunxit: non contentione & amulatione: non ignarus quæ hinc nascantur bella, quæ domorum subuersiones, quæ pueris genuinis iniuria, innumeræque mala. Vt itaque omnia ista fugiamus, Christum induamur, cumque illo perpetuo simus, quandoquidem istud demum est indutum esse, nunquam ab ipso deseri, ipsumque vndique in nobis per nostram sanctimoniam mansuetudinemque conspicuum esse. Ad eum modum & de amicis dicimus. Is illum prorsus indutus est, multam dilectionem irremissumque conuictum significantes. Indutus siquidem id esse videtur quod indutus est. Appareat itaque in nobis vndique Christus: & quomodo apparebit? Si quæ illius sunt, feceris. Quid verò ille fecit? Filius, inquit, hominis non habet ubi caput suum reclinet. Istud tu quoque amulare. Si quando cibus sumendus fuit, hordeaceis panibus usus est. Si peregrinandum illi fuit, nusquam equi, nusquam iumenta, sed tantum itineris pedestris conficit, vt fatigaretur etiam. Dormiendum si quando fuit, super puluinari in prora nauigij iacuit. Accumbendum fuit, in fœno prosterni iussit, vestimenta verò erant tenuia. Sæpenumero & solus conuersatus est, neminem secum ducens. Deinde & quantum ad crucem, quantumque ad conuicia pertinet, & omnia illius in summa perdiscens, æmulare. Ita scilicet Christum indutus es, si carnis curam ad concupiscentias non feceris. Neque enim volupratem habet res ista, ipsæ quippe concupiscentiæ alias rursus grauiore pariunt, Atque ita nunquam illarum satietatem capies, sed magnum tibi ipsi tormentum comparabis. Quemadmodum enim qui cõtinuus in hoc est, vt sitiatur, etiam si innumeros fontes ad manum habeat: nihil tamen inde iuuatur, eò quòd morbum hunc insatiabilem extinguere nequeat: ita habet & qui perpetuo in concupiscentiis viuunt. Si verò necessarium vsum seruaueris, nunquam hanc febrem patieris, sed omnia illa, & ebrietates & lasciuia simul abibunt. Tantum itaque comede, quantum ad tollendam famem faciet: ita induere, vt nihil queras quam tegumentum. Non est vestibus ornanda caro, ne ornatu illam perdas. Nam & molliorem inde facies, & bonam ipsius valetudinem corrumpes, dum nimia illam mollicie dissoluis. Vt itaque illam, loco boni vehiculi spiritus habeas, vt gubernator securus nauigij clauos teneas, vt miles arma bellica facile tractes, fac omnia ista instituas vt oportuna sint & accommoda. Non enim qui multa habet, sed qui modicis eget, inexpugnabilis est. Ille quippe etiam si nihil patitur iniuriæ, timet tamen: iste verò etiam quum læditur, melius tamen habet, maioræque animi iucunditate est, quam quibus nihil incommodatum est. Ne quæramus igitur, vt nemo sit qui calumniam inferat, sed vt nocere non possit, etiam si quammaximè quis velit. Istud verò nequaquam aliunde erit, quam si necessarium rerum vsum tantummodo sequamur, nihil vltra concupiscentes. Ita videlicet & hic deliciarum poterimus, & futura bona comparabimus, gratia & benignitate, &c.

HOMILIA XXV.

CAPVT XIII.



INFIRMVM autem in fide suscipite, non ad diuinationes disceptationum. Alius quidem credit vescendum esse quibuslibet: alius autem qui infirmus est, oleribus vescitur. Non ignoro quam multis intellectu difficile sit, quod hic dicitur. Propterea opus fuerit primum totius huius loci argumentum exponere, ostenderetque quid corrigere volens ista iacebat apostolus. Quid igitur emendare vult? Erant quam plurimi credentium Iudæorum,

qui cum legis conscientia, etiam posteaquam crediderant detinerentur, ciborum adhuc custodiebant obseruantiam, nondum planè in vniuersum legis audentes excutere iugum. Illi ne à reliquis Christianis veluti reprehensibiles notarentur, vt qui à suilla carne abstinerent, omnem omnino carnis esum vitantes, oleribus tantummodo vescerantur, vt quod faciebant, non legalis obseruatio, sed ieiunium magis videretur. Rursus alij quidam erant, qui quum perfectiores essent, ne vnam quidem legis obseruatiunculam custodientes, infirmis istis legis obseruantibus, vituperando, accusando, inque socordiam cõiciendo, molesti erant & graues. Veritus itaque apostolus, ne perfectiores illi, quod minutum erat, emendare volentes, totum subuerterent: & dum infirmos in ciborum indifferentiam subducere conarentur, efficerent vt prorsus ex fide deciderent. dumque ante conuenientis temporis maturitatem omnia in vniuersum quæ temporaria concernunt corrigere studerent, damnum inferrent: nimirum quòd continua illa increpatione obtusi à Christi confessione resisterent, atque ita vtrique in emendati persisterent: vide quæ vltus sit prudentia, & quo pacto consueta sua sapientia vtrisque medeatur partibus. Neque enim legalem obseruantiam carpentibus, audebat dicere quòd malefacerent, ne in legis obseruatione obfirmaret infirmos: neque rursus quòd beneficeret, ne vehementiores illos in accusando redderet: commensuratam itaque increpationem instituit. Et videtur quidem fortiores increpare, verum quicquid in illos dicit, eo sermone quo infirmos alloquitur, rursus euacuat. Ea siquidem tolerabilior potissimum est correctio, qua ad alium verso sermone, alius percellitur. Neque enim permittitur, vt qui corruptus est, ex candescat: & tamen interea correctionis pharmacum latenter insinuando admittitur. Vide igitur quam prudenter, & quam opportunè, quod dico faciat. Cum enim dixisset, & carnis curam ne agatis ad concupiscentias, tunc in eum sermonem qui de his rebus esset, egressus est, ne videlicet pro illis dicere videretur, qui infirmos increpabant, indifferentesque quibusvis vesci iubebant. Infirma quippe pars maiore perpetuo cura opus habet: vnde & ad valentem & fortem cõuersus dicit, Infirmum autem in fide. Vides confessam plagam vnam datam? quum enim dicit, infirmum, ostendit illi quam sit infirmus. Deinde & secundam addit dicens, assumite. Rursus enim hoc ipso significat, quam multa cura opus habeat, id quod extremæ infirmitatis signum est. Non ad diuinationes disceptationum, ecce & tertiam plagam subiungit: hinc enim manifestat tale ipsius esse delictum, vt & qui eadem cum ipso non delinquant, amicitia verò simul comunicat, curatioque ipsius obfistunt, diiudicentur. Vides quomodo ad firmiores quidem differere videatur, occultè verò & tolerabiliter infirmos increpet? Deinde vtrosque inuicem conferendo, hunc quidem cum encomiis, istum verò cum accusatione ponit. Subiungit enim dicens. Hic quidem credit vescendum esse quibuslibet, fide illum commendans. Qui verò infirmus est, oleribus vescitur, ab infirmitate istum improbens. Posteaquam autem tempestiuam plagam inflixit, rursus subinde solatur, dicens: Qui vescitur, non vescentem ne despiciat. Non dicit, ne accuset, non dicit, ne corrigat: sed, ne vituperet, ne auerteret, ostendens quòd qui talis est, rem committat multo risu dignam: de vescente verò non ita præcipit. Sed quomodo? Et qui non vescitur, vescentem ne iudicet. Quemadmodum enim perfectiores, infirmos, velut qui modicæ fidei, supputridi degeneresque essent, & adhuc Iudaismum saperet, contemnendo attenuabatur: ita & illos isti vicissim, veluti legis violatores,

λαίμαρτιν.

λαίμαρτιν.

aut qui toti voracitati essent dediti, iudicabatur & contemnabatur, quorum verisimile est multos fuisse ex Gentibus, vnde & subiicit: Deus enim illum assumpsit. De non vescente istud non dicit: atqui despici quidem vescentis erat tanquam helluonis: iudicari verò non vescentis, tanquam qui modicæ erat fidei: sed permutauit ista, ostendens quòd qui vesceratur, non solum contemni non deberet, sed & contemnere posset. An & ego illum contemno, inquit? nequaquam. Propterea & subdit, Deus enim illum assumpsit. Quid ergo de lege illi, velut transgressori differis? Deus enim illum assumpsit, hoc est, ineffabilem suam gratiam erga illum ostendit, atque ab omni crimine liberauit. Deinde rursus ad sanum & robustum conuersus subdit: Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Hinc clarum est, quòd non solum despexerit infirmum, sed & iudicari. Proprio domino stat aut cadit. Ecce aliam rursus plagam, & videtur quidem indignari aduersus sanum, verum infirmum interea reprehendit, quum dicit: Imò fulciatur vt stet. Ostendit illum adhuc esse fluctuantem, multaque attentione opus habere, tantaque cura, vt & Deus ipse sit implorandus, qui medeatur. Potens enim est Deus efficere, vt stet. Ita de illis qui vehementer desperati sunt dicimus: deinde ne desperet, seruum vocat infirmum, dicens: Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Hic verò rursus illum occultè taxat. Non enim ideò, inquit, nolo illum iudicari, quòd talia committat quæ iudicari non debeant: sed quia alienus est seruus, hoc est, non tuus, sed Dei. Deinde rursus illum consolans, non dicit, proprio domino cadit: sed quid? Stat aut cadit. Siue autem illud, siue istud fuerit: dominum concernet vtrunque. Ad illum quippe tendit cadentis damnum quemadmodum & stans lucrum. Ista verò nisi rursus scopum Pauli, quem ille petit, obseruauerimus, nimirum, quòd infirmos ante iustam temporis maturitatem vehementer increpare non vult, indigna erunt ea cura, quæ Christianos deceat. Verum, quemadmodum perpetuo inculco, oportet inquirere, qua sententia quæque dicantur, de qua materia seu argumento agatur, quidque corrigere instituat qui loquitur. Nò mediocriter autè rubore illum sustulit, cū istud dicit: Si enim Deus, inquit, cū damnum ferat, nihil interea facit: quomodo nò importunus, præterque modum curiosus es, qui infirmum & stragulas, & improbè turbas? Videtur autem mihi hoc loco sensim, & de ieiunio non nihil claculum notare. Siquidè verisimile erat quòd essent ex ieiunantibus quidam, qui non ieiunantes continuo iudicarent: quemadmodum & in obseruationibus quidam statos dies abstinebant, proque statis & ordinatis habebatur: vnde & dicit, Vnicuique mēs sua satisfaciat. Hoc enim pacto & obseruantium timorem fregit, rem esse indifferentem dicens: & eorum qui vehementer illos adoriebantur, contentionem sustulit, ostendens rem hanc tanti momenti non esse, quæ digna sit tam acri cõtinuoque certamine, quo infirmi turbari debeant. Tanti verò non esse momenti, non ideò dicit quòd natura sua sit leuicula, sed propter temporis immaturitatem, & quòd Romani recetes adhuc & nuperi essent in fide. Ad Colossenses scribens magno studio obseruationem huiusmodi prohibet, quum dicit: Videte ne quis sit qui vos deprædetur per philosophiam & inanem deceptionem, iuxta constitutionem hominum, iuxta elementa mundi, & nò iuxta Christum. Et iterum: Ne quis igitur vos iudicet in cibo aut potu. Et ne quis vobis brabium intercipiat. Et ad Galatas scribens multa diligentia repetit ab eis in his rebus & philosophiam & perfectionem. Hic verò nò vtitur contentionis vigore, quòd nouella esset adhuc Romanorum fides. Nò erit igitur ad quæuis rapiendum, quod dicit: Vnicuiquemēs

ὡς ἔτυχε.

καὶ ὁ ἄλλος ἐχρησίνες.

ἀπογορεύει. Colof. 2.

sua satisfaciat. Quando enim de dogmatis illi sermo est, audi quid dicat: Si quis vobis euangelizauerit, præterquam quod accepistis, etiam si angelus fuerit, anathema esto. Et iterum: Metuo verò ne quemadmodum serpens Euam seduxit, ita corrumpantur sensus vestri. Et Philippensibus scribens dicit: Cauete malos operarios, caute concisionem. Quoniam verò apud Romanos talia corrigendi tempus nondum erat, vnicuique, inquit, mens sua satisfaciat. Nam de ieiunio sermo illi est, & illorum itaque arrogantiam deprimēs, & horum timorem dissoluens, ista dicit: Qui curat diem, domino curat: & qui non curat diem, domino non curat: & qui vescitur, domino vescitur: gratias enim agit Deo: & qui non vescitur, domino non vescitur, & gratias agit Deo. Adhuc eisdem inhaeret. Quod autem dicit, tale est: Res ista non versatur circa necessariò agenda. Hoc enim quaritur, An propter Deum & hic & ille quod facit faciat, an vtrique in gratiarum actionem desinant. Agunt autem & hic & ille Deo gratias. Itaque si vtrique gratias agunt, nò multum erit inter illos differentia. Tu verò mihi confideres, quomodo & hic occultè feriat Iudaizantem. Si enim hoc est quod quaritur, vt gratiæ videlicet agatur: manifestum vtrique erit, non eum, qui non vescitur agere gratias, sed eum qui vescitur. Quomodo enim ageret, quum legi adhuc adhaereat? Quod quidem & ad Galatas dicit: Qui in lege iustificamini, à gratia excidistis. Verum istud hic quidem non tam apertè declarat, subobscurè tamen notat. Nondum enim tempus erat, atque ideò interea patienter illos tolerat, & in sequentibus hoc ipsum magis hortando agit, dicit enim: Nullus enim nostrum sibi ipsi viuunt, & nullus sibi ipsi moritur: nam siue viuimus, domino viuimus: siue morimur, domino morimur. Et per ista clarius facit quod dixi. Nam qui legi viuunt, quomodo poterit Christus viuere? Non autè hoc solum hic agit, sed & ad horum correctionem anhelantem ac properantem cohibet, longanimitatemque sua det, ostendens quòd impossibile sit quòd Deus illos correcturus sit. Quid igitur? Nemo nostrum sibi ipsi viuunt, liberi non sumus: dominum habemus qui nos & viuere vult, & mori non vult, & quem vtraque ista magis concernunt quam nos. Per hæc enim demõstrat, quòd maiorem nostri curam habeat Deus, quam nos ipsi: & quòd vitam nostram diuitias suas, & mortem damnum æstimet. Non enim nobis ipsis tantummodo morimur, sed & si morimur, domino morimur. Mortem verò hic eam quæ ex fide est, vocat. Suffecerit quidem & istud ad persuadendum, quòd curam nostri habeat, quòd illi videlicet & viuimus & morimur. Verum tamen non contentus isto, aliud quoque adducit. Cum enim dixisset, siue viuimus, siue morimur, domini sumus, & ab illa fidei morte ad naturalem transmigrasset, ne videretur a superiore facere sermonem, aliud diuinæ prouidentia signum, idque maximum subiungit. Quòdnam illud est? In hoc enim Christus & mortuus est, & resurrexit, & reuixit, vt & mortuis simul & viuentibus dominetur. Itaque & istud fidem tibi faciat, quòd nunquam non & salutis & correctionis nostræ curam habeat. Nisi enim tantam erga nos prouidentiam impendisset, quæ fuisset dispensationis istius necessitas? Itaque qui tantam sedulitatè quòd nos sibi acquireret impenderit, vt & serui formam acceperit, & mortuus sit, iste nos, posteaquam ipsius facti sumus, contemnet? Nò est istud, non est inquam: neque enim facile tantum negocij prodere voluisset. In hoc enim, inquit, & mortuus est: quasi quis dicat, Ille vel ille seruum suum contemnere non sustinebit, domesticam quippe crumenam curat. Nos enim nò ita pecuniã amamus, quemadmodum sa-

Gal. 1.

2. Cor. 11. Phil. 3.

ὁ πρὸς τὸ πρῶτον ἐστὶν.

Gal. 5.

ἀναπαύει.

litem nostram Christus: atque idè non pecunias, sed suum ipsius sanguinem pro nobis dedit. Non feret igitur, vt eos perdat pro quibus tantum precij deposuit. Vide autem & ipsius potètiã, quomodo ineffabilem esse ostendat: in hoc enim mortuus est, inquit, vt & mortuis & viuentibus dominetur. Et suprã: Siue enim viuimus, siue morimur, ipsius sumus. Vides autè dominium? vides inexpugnabilem fortitudinem? vides diligenter institutam prouidentiam? Non est enim, inquit, quòd mihi de viuentibus dicas: & mortuis qui hinc decesserunt, prospicit. Si mortuis, manifestum est quòd & viuentibus: nihil enim omisit quod ad istud dominium attineat, maiorè sibi ipsi iurisdictionè, quàm quòd in homines tantum sit, cõparans, in hoc vt seorsim à reliquis omnibus nostri curam habeat. Homo quippe argentum quidem soluit, atque ob id in proprium suum seruum vehemens vsurpat dominium: Christus verò & mortem, & quem tanto precio redemit, in quem sibi dominium tanto studio negociòque acquisiuit, huius salutem nihili faciet? Ista verò quum dicit, Iudaizantem pudefacit, persuadetque vt beneficii magnitudinem recolat, quòd quum mortuus esset, reuixit, quòdque nihil emolumenti ex lege cepit, & quòd extremæ sit ingratitude, relicto eo qui tanta in sui gratiam designauit, ad legem recurrere. Sufficiens itaq; taxatum rursus remittit dicens: *Tu verò, cur indicas fratrem tuum? aut etiam tu, cur despicias fratrem tuum?* Videtur autem ista quidem velut vtrinque adæquata ponere, verum ex dictis ostendit non parum inter se discrepare. Primum appellatione fratris contentionem dirimit, deinde & terribilis illius dici commemoratione. Cum enim dixisset, cur despicias fratrem tuum, subiungit: *Omnes enim statuemur apud tribunal Christi.* Et videtur quidè rursus perfectiorè increpando ista dicere, verum Iudaizantis animu concutit, nõ solum pudore illum suffundens propter acceptum beneficium, sed & territã per futurum supplicium. Omnes enim assistemus tribunali Christi. *Scriptum est enim: Vno ego, dicit dominus: Mihi sese flectet omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Igitur vnusquisq; nostrum de seipso rationè reddet Deo.* Vides quomodo rursus Iudaizantis animu concutiat, tamen alteru percellere videatur? Tale siquidem est quod subindicat, quasi dicat: *Quid tibi curæ est? Nihil enim huius gratia passurus es, sed ad hunc modum nõ loquitur: Subindicat tamen mansuetius ipsum ponens ac dicès: Omnes enim statuemur apud tribunal Christi: Igitur vnusquisq; nostrum pro seipso rationem reddet Deo. Et prophetam inducit, omnium ipsi testificandam subiectionem, non subiectionem simpliciter, sed amplã & eorum hominũ qui in veteri testamèto fuerunt, & in summa omnium. Non enim simpliciter dicit, adorabit illu vnusquisque, sed & cõfitebitur; hoc est, pœnas factoru dabit.] Esto itaque firmus ac cõstans, communè dominum pro tribunali sedentè vidès, & ecclesiam ne scindas, neq; diuidas, reiecta gratia ad legem recurrès: nam & lex ipsius est. Et quid de lege dico? & qui in lege, & qui ante legem fuerunt, ipsius sunt. Lex etiã abs te pœnas non exiget. Exiget autè Christus, non solũ abs te, sed & vniuersa humana natura. Vides quomodo legis metũ illi exemerit? Deinde ne videatur velut data opera territandi gratia ista dicere, sed tanquam ex proposito consequentia eò deuenisse: eodem rursus argumento immoratur, dicès: *Ne posthac igitur alius aliũ indicemus: verũ illud indicate magis, ne offendiculũ ponatur fratri, aut lapsus occasio.* Ista verò nõ minus ad illu quã istum pertinet. Propterea vtrinque adaptari possunt: perfectiori, eò quòd scandalũ pateretur ex ciborum abstinentia: imperfecto, quòd is nimia reprehensione offenderetur.*

Sup. 8.

Et. 45.

factorum rationem reddet. Et. 45.

Tu verò mihi perpèdas quas pœnas daturi simus simpliciter scandalizantes. Si enim hinc perfectiorum factum velut iniquum propter intempestiuam reprehensionè fieri prohibet, ne frater accepto scandalo offendatur: qua pœna digni non erimus, qui etiam nihil corrigendo scandalũ præbemus? Si enim non saluare fratrem culpam habet, id quod & euangelici talenti defossor indicat: quid non faciet datum etiam scãdalum? sed inquires, *Quid si suo pte vitio scandalizatur infirmus? Propter hoc ipsum æquum fuerit, vt illum feras. Nam si fortis esset, tali cura opus non haberet: Nunc verò quia imbecillior est, multa etiam curandi diligentia opus habet.*

MORALE.

Præstemus itaque eam, vbique illum portantes: neque enim propriorum tantummodo malorum rationem dabimus, sed & eorum quibus aliis scandalũ præbemus. Quòd si etiam per seipsum graues sunt nostrorum delictorum pœnæ, vbi & istæ accedent, quando saluabimur? Non enim putemus nos excusationè habituros, si quãdo delictorum socios inuenerimus: nam istud supplicium magis augebit. Quandoquidem & serpens magis punitus est quàm mulier, quæ admodum & mulier plusquam vir, & Iezabel maiores pœnas dedit quàm Achab vineæ raptor. Ipsa quippe vniuersum istud negocium texerat, regique lapsus occasionem dederat. Igitur & tu quoque si reliquis perditionis causa fueris, grauiora patieris, quàm qui per te subuersi sunt. Neque enim peccare, tantum in se perditionis habet, quantum quòd reliqui ad peccandum inducuntur. Propterea dicit: Non solum ipsi faciunt, sed & facientibus assentiuntur. Itaque si quando peccantes viderimus, non solum non impellamus, sed & extrahamus ex ipso malitiæ barathro, ne & alienæ perditionis pœnas demus. Recordemur quoque perpetuò terribilis illius tribunalis, fluminis ignei, vinculorum insolubiliũ, profundarum tenebrarum, stridorum dentium, venenosique vermis. Sed dicis, benignus est Deus. Ergo hæc omnia verba sunt, & neque punitur diues ille Lazari contemptor, neque fatuæ virgines à sponso reiiciuntur? Ergo qui Christum non paucorum, sed in ignem diabolo præparatum non abibunt? Ergo qui fordidis est vestibus, non peribit manus ac pedes vincit? Qui centum denarios à consuero suo exegit, non tradetur tortoribus? Quod de mœchis dictũ est, nimirum, quòd vermis eorum nõ morietur, & ignis eorum non exstinguetur, verum non erit? sed minatur ista tantummodo Deus? vtique inquires. Et vnde, dic quæso, tantam rem audes publicè loqui, atque ex te ipso ferre sententiã? Ego quippe & ex iis quæ dixit Deus, & ex iis quæ fecit, contrariũ probare potero. Quòd si enim propter futura nõ credis, vel saltè propter ea quæ iam facta sunt, crede. Non enim certè minæ sunt, & verba tantummodo quæ facta sunt, & in opus ipsum exierunt.

Quis igitur totũ orbem indulto diluuiò stagnauit, ac graue illud naufragium omnimodamq; generis nostri perditionem effecit? Quis deinde fulmina illa relãque flammantia super terrã Sodomoru demisit? Quis vniuersum Ægypti exercitũ in mari demersit? Quis sexcenta Israëlitarũ millia in eremo consumpsit? Quis synagogam Abiron cõbussit? Quis subter eos qui Core & Datham adhæserunt, telluris os aperuit, deuorareq; iussit? Quis septuaginta illa millia, propter Davidis peccatũ, vno temporis momèto, peste occidit? Comemorabõne & eos qui priuatim puniti sunt? An Cain illum continuo traditum supplicio? An lapidatum cum omni suo genere Charmè? An eũ qui propterea quòd sabbato ligna collegisset, idem passus est? An quadraginta

Num. 15. 4 Reg. 2.

Luc. 19.

Ibid. 21. Mat. 24.

Ag. 5.

nunc verò propter hæc nostra verba, multos etiam hinc punit Deo.

Luc. 13.

Ioan. 5.

Mar. 9.

ginta illos pueros à bestiis consumptos, quibus neque propter ætatem parcitum est? Si verò etiã post gratiam eadem videre volueris, perpende quanta Iudæi passi sint. Quomodo liberos suos comederunt mulieres, illæ quidem affantes, istæ verò aliàs consumentes? Quomodo extremæ fami, bellisque variis & grauibus traditi omnes superiores tragœdias calamitatum suaru abundantia superauerint? Quòd autem ista Christus illis inulit, audi quomodo per parabolas ea prædicat, vt quãdo dicit: Eos verò qui noluerunt regnare me, adducite huc & interficite. Idem dicit per parabolam vineæ, & nuptiarum: manifestè verò quando minatur quòd casuri sint in ore gladij, quòdque captiuũ abducendi sint inter Gentes: & quòd anxietas in terra gentium desperatis rebus futura sit, resonante mari ac fluctibus, arefcetibus hominibus præ timore: & quòd futura sit tribulatio talis, qualis neque fuerit, neque futura sit vnquam. Et Ananias & Sapphira quantas ob modici argenti furtum dederint pœnas, omnes scitis. Quotidianas autem calamitates non vides? An neque ista factæ sunt? Non vides & hodie qui & fame pereant, vel elephantiasi, vel alio corporis nocumento corripiantur, qui in continua paupertate viuunt, qui innumera mala, eaque incurabilia patiuntur? Iam quomodo fuerit æquum, illos quidem puniri, istos verò minimè? Si enim iniustus Deus non est, quemadmodum & iniustus non est: oportet vt omnino tu quoque peccatorum daturus sis pœnas. Si verò idè nõ punit quòd benignus est, oportebat neque istos puniri: tunc verò hæc nostra verba sunt. Multos & hinc punit Deus,] vt quum minarum verbis non creditur, vel supplicij rebus creditis. Et quoniam vetera nos non vsque adeò territãt, per ea quæ cuique generationi accidunt, tunc pro tempore socordes corrigit. Et cuius gratia, dicis, non omnes hinc punit? Vt aliis pœnitentiæ spaciũ tribuat. Et cur non omnes illic supplicio adfcit? Ne plerisque causa detur illius negandi prouidentiam. Quòd latrones hi quidem hinc capti damnantur, isti verò impunè ex hoc sæculo migrant: vbi est ergo diuina bonitas? Meum siquidem fuerit iam vicissim te quoque interrogare: nam si nemo prorsus supplicio fuisse affectus, habuisses eò refugium. Quum verò illi quidè pœnas dent: isti autem licet peius deliquerint, non dent: quãnam equitatis poterit ratione fieri, vt qui eadem pariter peccarunt, eadem pœnas non luant? Quomodo non videbuntur iniuria adfcit qui puniuntur? Qua itaque ratione non omnes hinc plectuntur? Audi Christum ipsum de his rebus tibi respondentem. De eo siquidem inquirentibus, quòd ex ruina prolapsæ turris quidam interierant, respõdebat dicens: Puratis quòd illi vltra reliquos omnes peccatores fuerint? Non, dico vobis: imò nisi resipueritis, peribitis & vos omnes similiter. atque ita nos admonet, ne fidentiores propterea simus, si quando punitis cæteris nullas nos, licet multa deliquerimus, pœnas dederimus: nisi enim immutati fuerimus, omnino dabimus. Et quomodo, inquires, æternũ puniemur, quum hinc breui tãtum tempore delinquamus? Quo pacto qui breui temporis momento vnicam eadem tantummodo committit, continuè ac perpetuè metallorũ condemnationi adiudicatur? At Deus ista, inquires, nõ facit. Dic ergo quomodo paralyticum illum triginta & octo annos in tanto supplicio detinuerit? Quòd enim illum propter peccata punierit, audi quid dicat: Ecce, inquit, sanus iã factus es, ne pecces amplius. Atqui solutionem tandem adeptus est, inquis: illic verò res ad eũ modum non habebunt. Quòd enim illic nullum vnquam sint habitura finem supplicia, audi rursus Christum ipsum: Vermis, inquit, eorum non morietur, & ignis eorũ non

Chrysof. tom. 4.

extinguetur. & ibunt illi in vitam æternam, & isti in supplicium æternum. Itaque si vita æterna est, æternum est & supplicium. Non vides quanta minatus sit Iudæis? Nunquid illa euenerunt? aut inanis sermo fuit, quòd dicebat: Non manebit lapis super lapidem? Num mansit? Quid verò quãdo dicebat, Erit tribulatio, qualis nunquam fuit? An non facta est? Lege historiam Iosephi, & scio respirare non poteris, audiens tantummodo quæ ob hanc causam passi sunt Iudæi. Ista dico, non vt mœrore adfcia, sed vt cautos vos facia & muniam, & ne vanis ac superfluis vos demulcens, grauioribus pœnis obnoxios reddam. Dic itaque quãnam ratione quum pecces supplicio dignus non sis? An non omnia tibi prædixit? Nonne minatus est? non terruit? non innumera salutis tuæ gratia fecit? Nonne largitus est regenerationis lauacrum, & priora omnia condonauit? Nonne post remissionem illam & lauacrum, rursus quòd ex pœnitentia est auxilium, tibi peccanti dedit? Nonne etiam postea vt peccatorum veniam cõsequaris, facilem tibi viam reddidit? Audi itaque qualia sint quæ præcepit: Si dimiseris, inquit, proximo, dimitto tibi & ego. Quam quæso difficultatem habet res ista? Iudicate orphano, & iustificate viduam: & venite, inquit, & iudicium exploremus. Quòd si fuerint peccata vestra phœnicio rubore, velut nix alba erunt. Quid hinc laboris est? Dic tu peccata tua, vt iustificeris. Quid hinc difficultatis? Peccata tua elemosynis redime. Quid hinc sudoris? Dixerat Publicanus, Propicius esto mihi peccatori, & descendit iustificatus. Quanto labore fuerit opus publicanum hunc imitari: sed neque post tot & tanta pœnã ac supplicium esse credis? Igitur neque diabolum puniri hoc sanè pacto facillè dixeris: Ite siquidem, inquit, in ignem præparatum diabolo: nam si gehenna non est, neque ille punitur. Si verò punitur, manifestum quòd & nos: nam & nos inobedientes fuimus, etiam si non in eisdem, quibus ille. Quomodo itaque tibi non times tam audacia loquendo? Quando enim dicis, non punit Deus, quia benignus est: si punierit reperietur iuxta vos nequaquam esse benignus. Vides in quæ verba vos ducat diabolus. Quid ergo monachi, qui occupatis montibus maximum pietatis studium exercent? Num sine coronis abibunt? nam si mali non puniuntur, neque vllius est retributio: eadem ratione dixerit alius quispiam, neque bonos coronari. Etiam, inquires: nam Deo istud decorum, vt regnum illius tantummodo sit, gehenna non sit. Scortator itaque & adulter, quique innumera mala operatus est, iisdem potietur, quibus qui modestiam & sanctimoniam vitæ conseruauit, stabitque cum Nerone Paulus: Imò & diabolus ipse iuxta Paulum consistet. Nam si gehenna non est, omnium autem futura est resurrectio: quid aliud relinquitur, quam vt mali eadem consequantur cum bonis? Quis istud dicet, licet vehementer insanus? Imò quis dæmonum hoc asseret? Nam & illi gehennam consistentur: vnde & clamabant dicentes: Venisti huc ante tempus torquere nos? Qui fit ergo vt non timeas ac tremas, quum neges quòd dæmones etiam consistentur? Quomodo non intelligis quæ sit malorum horum dogmatum magister? Qui enim primum hominem decepit, & meliorum sperandarum rerum propositione, etiam quæ in manu erant bona excussit, is ipse est qui & nunc ista quoque & sentire & loqui suggerit. Et propterea facit vt gehennam non suspicentur quidam, quatenus in gehennam coniciat. Quemadmodũ è regione Deus gehennam & minatur & parauit, vt ita viuere discas, ne in illam incidas. Atqui si existente gehenna, diabolus ista tibi persuadet: quomodo non existentem confessi sunt

Mat. 25.

Luc. 21.

Mat. 14.

1 Cor. 13.

Mat. 6.

Et. 1.

Ibid. 4.

Mat. 23.

Mat. 23.

Dan. 4.

Luc. 18.

Mat. 25.

Ibid. 9.

dæmones, à quibus summo studio agitur ne tale quicquam suspicemur, quatenus praua securitate magis atque magis socordes facti ac negligentes, simul cū ipsis in ignem illum incidamus? Sed dices: Quomodo ergo gehennam tunc confitebantur? Angustiam scilicet illam & necessitatem, quæ incumbat, non ferebant. Consideratis itaque his omnibus, cessent qui ista dicunt, & seipos & alios fallere: quandoquidem & ipsorum verborum pœnas luent, & quod terribilia illa amolientes, multos frangunt: qui aliàs manentibus illis vel aliquo pietatis studio tenerentur, qua in re neque barbaros imitantur. Nam illi quidem, quanquam omnium horum essent ignari, audito tamē quod euerenda esset ciuitas: non solum increduli non fuerunt, sed & ingemiscientes plorarunt, saccoque induti confusi sunt, neque antea destiterunt, quam tentatis omnibus iram Dei soluissent. Tu verò quum tantam nactus sis & verborum & rerum experientiam, quæ dicuntur contemnis? Iraque contraria tibi contingit. Quemadmodum enim illi ad verba trementes, supplicium quod re ipsa incredulis obtigisset, passi non sunt: ita & tu contemptis verborum minis pœnam quæ re ipsa aderit, persolues. Et si quæ dicuntur, fabulæ iam instar haberi videntur, aliud tamen erunt, quando res ipsæ fidem tibi, nolis velis, facient. Non vides quid & hic fecerit Christus? Quomodo duos adeptus latrones, non eisdem dignatus sit vtrunque, sed hūc quidem in regnum induxerit, illum vero in gehennam demiserit? Et quid latronem & homicidam dico? Neque apostolo pepercit, postquam esset proditor factus. Sed licet videret & ad laqueum impetuose proruentem, & angustiatum, & medium disruptum. (nam medius crepuit, effulq; sunt omnia illius viscera) istaque omnia præuideret: ista nihilominus omnia pati permisit, vt à præsentibus tibi futurorum etiam omnium fidem faceret. Ne itaque vobis ipsis imponatis diabolo morem gerentes: illius enim hæc omnia consilia sunt. Nam si & iudices, & domini, & præceptores, etiam si barbari sint, bonos quidē honorant, malos verò puniunt: qua ratione putas à Deo contraria debere fieri, eisdemque afficiēdos & bonum simul & malum? Quando verò & malitiæ futura est liberatio? Si enim qui supplicium nunc expectantes, iuterque tantos timores & iudicium & legū versantes, nunquam tamen à malitia desistunt: quum eò abierint, & timorē illum deposuerint: vt non solum in gehennam non incidant, sed & regnum assequantur, quando male agere desissent? An hoc benignitatis sit, dic oro, malitiam scalpendo alere, nequitia præmium ponere, eadem vtrunq; mercede æstimare modestū & lascium, fidelem & impium, Paulum & diabolum? Sed quousque & nos nugamur? Hortor itaque vt ab ista liberati insania vobisque ipsis redditi, timorem ac tremorē animabus vestris perluadeatis, quatenus & à futura gehenna liberi, & modestè præsentem vitam viuentes, futura bona apprehendatis gratia & benignitate, &c.

HOMILIA XXVI.



Noui & persuasum habeo in domino Iesu, nihil esse commune per se: nisi ei qui existimat aliquid commune esse, illi commune est. Postquam cum qui fratrem suum iudicabat, corripuit, atque hunc ab increpandi vehementia dehortatus est: consequenter deinceps & de ipso dogmate decernit, atque infirmiore placidè instruit, non modicā hic quoque mansuetudinem ostendens. Nō enim dicit, quod daturus sit pœnas aut aliud quicquā eiusmodi: sed illius conscientiam à vano tan-

tummodo eius rei metu liberat, vt eò facilius dictis suis credat, atq; adeo dicit: Noui & persuasum habeo. Deinde ne incredulorum quispiam dicat, & quid ad nos, quod tu persuasus es? Neque enim ita fide dignus es, vt contra tantam Dei legem, atque oracula diuinitus allata tibi credatur, subiungit, in domino: hoc est, ab illo doctus sum, ab illo certus factus sum. Nō est igitur humanæ cogitationis ista sententia. Quid ergo persuasus es & quid nosti. Quod nihil per se commune sit. Natura, inquit, nihil est immundum: sed ex voluntate ventis immundum redditur. Illi ergo soli immundum est: non omnibus: nā ei, inquit, qui existimat aliquid commune esse, illi commune est. Quid igitur non corrigis fratrem, ne putet aliquid immundum esse? vt quid non illum ab ista consuetudine ac suspitione omnibus viribus abducis, ne quid commune sibi faciat? Vereor, inquit, ne mœrore illum adficiā, vnde & subdit: *Verum si propter cibū frater tuus contristatur, non iam secundū charitatem ambulat.* Vides quomodo familiarem interea sibi faciat infirmum auditorem, ostendens tantam illius rationem habere se, vt ne mœstum reddat, etiam que vehementer erant necessaria, præcipere nō audeat, sed indulgentia illum magis ac dilectione attrahat: Neque enim posteaquam vanum exemerat metum, potenter illum trahit aut cogit, sed suipsius dominum esse permittit. Nam non conueniebat, vt ita abduceretur à ciborum abstinence, vt mœrore circumdaretur. Vides quantum diligentia dilectioni impēdat: Sciebat enim quod illa omnia corrigere posset. Vnde & maius quid ab eis hūc exigit. Nam non solū, inquit, ut oportet illos tanquā ad rem necessariā violenter adducere: sed & si opus sit, vt cōdescendat illis, neque istud detrectare. Propterea & subiungit dicens: *Ne cibo tuo illum perdas, pro quo Christus est mortuus.* An ne tanti quidem æstimas fratrem tuum, vt salutem illius neq; ciborum abstinence redimēdam ducas? Et Christus quidem neq; seruitutem neque mortē illius gratia recusauit: tu verò nec cibos contempseris, ad hoc vt illum conserues? Atqui Christus tamē nō esset lucraturus omnes, nihilominus tamen pro omnibus mortuus est, quod suum erat adimplens: tu verò quum scias quod propter cibum illum subuertas in potioribus, adhuc tamen contendes, & cum qui Christo tanti est, tu adeo contemptibilem putabis? Et Christus non solum pro infirmo, sed & pro inimico mortuus est: tu verò neque pro infirmo vel cibo abstinence? Ipse quidē quod maximū erat, fecit: tu verò neque quod minutulum est. Atq; hoc cum sit ipse dominus, tu uerò frater. Sufficiunt autem ista ad perstringendum illum: ostendunt enim ipsum pusillanimum esse, & quum magna nactus sit à Deo, modica tamen non rependere. *Ne vestrum igitur bonum blasphemetur: non est enim regnum Dei esca & potus.* Bonum hūc aut fidem dicit, aut futuram præmiorū spem, aut perfectam pietatem. Non solum enim, inquit, fratrem non iuuas, sed & ipsam doctrinā & gratiam ac donum Dei blasphemari facis. Quando enim litigas, quādo contēdis, quando contristas, quando ecclesiam scindis, quando fratrē cōiucis impetis, próque inimico habes: facis, vt qui foris sunt, blasphemēt: atque ita non solum nihil inde corrigitur, sed contrarium omnino contingit. Bonum enim vestrum est dilectio, fraterna charitas, vnitas, colligatio, cum pace & mansuetudine viuere. Deinde rursus & illius metum, & huius contentione contrahens: Non enim est, inquit, regnum Dei esca & potus: nam ex illis Deo non probabimur, id quod & alibi dicit: Neque si comederimus, abundabimus, neq; si non comederimus, destituemur. Probatione verò hūc non est opus, sed sententiam suam dixisse satis habet. Quod

Quod autē dicit, tale est: Non enim si comederis, in regnū cœlorū istud te inducet. Atque ideò vt illos tanquā ea in re magnificē de se sentiētes carpat & deiiciat, non cibū solum dicit, sed & potū. Quæ sunt ergo in regnū cœlorum introducentia? Iustitia, pax, gaudiū, vita virtutis studio cōmendata, & pacificus cū fratre cōiuctus, cui cōtraria est contentio: & gaudiū illud ex concordia, quod ipsa affert increpatio. Ista verò non alterturo, sed vtriusq; dicit: Habet enim iā vtroq; alloquendi opportunitatē. Deinde quoniā dixerat pacē & gaudiū, pax verò & gaudium etiam in malis rebus est, subiūgit: *In spiritu sancto.* Itaque qui fratrem perdit, & pacem is & gaudiū euerit, maioremque intulit iniuriā, quam qui pecuniā rapuit: & hoc sanè peius, quoniam quod alius seruauerit, ipse iniuria afficit ac perdit. Quū itaque cibibus, & quæ videtur esse perfectio, in regnum cœlorum non inducant, inducant autem quæ istis subuertuntur: quomodo non modica illa contemnere oporteat, vt quæ magna sunt firmentur? Deinde quoniam studium illud increpandi ex vana gloria tacitè suboritur, subiungit dicens: *Nam qui per ista seruit Christo, acceptus est Deo, & probatus est hominibus.* Nō enim ita tu perfectionis gratia, quemadmodum pacis & concordia omnibus admirandus eris. Nam hoc bono fruenter omnes, illo verò ne vnus quidem. *Itaque quæ pacis adificationisque mutua sunt, scētemur.* Aliud ad illū infirmū pertinet, vt pacificus sit: aliud ad hunc, ne fratrem suū destruat. Veruntamen rursus vtraque illa communia facit, dum adificationis mutua meminit, ostenditque simul, quod sine pace difficile sit adificare mutuum. *Ne tibi causa destruas opus Dei.* Salutem fratris ita vocans, timorem auget, atque ostendit quod contrarium facere studeat. Nam non solum nō adificas, inquit, quod putabas, sed & destruis: idque nō humanum sed diuinum adificium, atque ad hoc non eximia cuiuspiam, sed exilis rei gratia: nam cibi gratia, inquit. Deinde ne infirmum in mala ista opinione tot indulgentiæ confirmet, rursus dogmatizat, dicens: *Omnia quidem munda, sed malum homini est per offendiculum vescenti.* Qui mala scilicet conscientia vescitur: itaque etiam si cōgeris vt is vescatur, nulla tamen suberit vtilitas. Non enim immundū cibis facit, sed animus quo quis vescitur. Hunc itaque nisi correxeris, omnia frustra feceris, quin magis nocueris. Nam non parum differt, immundum putare cibum, & cum qui ita putat immundum, nihilominus degustare. Igitur dupliciter hūc peccas, primū, quod falsam opinionem contentione tua auges: alterū, quod gustare facis, quod immundum putat. Itaq; donec periuaseris, non cogas. *Bonū est non vesci carnibus, neque bibere vinū, neque quicquā per quod frater tuus impingit, aut offenditur, aut infirmatur.* Rursus plus exigit, nimirum, vt non solum non cogat, sed & illi cōdescendat. Istud nanque & ipse sæpenumero fecit, vt quando circuncidit, quando tonsus est, quando Iudaicam illam oblationem obtulit. Et nō dicit illi quod hoc faciat, sed per modum generalis sententiæ loquitur, ne infirmo illum rursus socordem magis reddat. Et quid dicit? Bonum est non vesci carnibus. Et quid dico de carnibus & vino: etiam si aliud quidpiā tale sit quod scandalum præbeat, abstineto. nihil enim tanti est, quod saluti fratris adæquari debeat: atque hoc Christus ipse manifestat e cœlis adueniens, & omnia quæcunque passus est, propter nos ferens. Obserua verò mihi quomodo & istum tangat, quum dicit: Per quod frater impingit, aut offenditur, aut infirmatur. Nam non erit, inquit, vt mihi dicas, quod præter rationem facit: sed quod corrigere iucas. Sufficientem etenim iustitiam habet, quæ poterit infirmitati illius succurri, atque interim tibi ni-

Ag. 16. 18. & 21.

Chryso. tom. 4.

hil accedit damni: neque enim hypocritis est res ista, sed adificatio & dispensatio. Nam si cōgeris illum, quasi definito bello aduersabitur tibi, condemnabitque, & adificabitur magis ad hoc vt non comedat: si verò cōdescenderis, tandem te diliget, neque pro eo habebit, qui suspiciosè doceas, & potestatemque deinceps accipies sensim in illo recta seminare dogmata. Quod si semel illi exosus fueris, omnē simul accessum futuro sermone obsepisti. Itaque ne cogas illum, sed & tu ipse abstineas propter illum, non tanquam ab immundo abstinens: sed quoniam ille si comederes, scandalum pateretur, & eò magis te diliget. ita & ipse Paulus fieri præcipit, quum dicit: Bonum est non vesci carnibus, non quod immundū sint, sed quoniam ex eo frater offenditur & infirmatur. *Tu fidem habes: apud te metipsum habe.* Videtur mihi hoc loco & vanæ gloriæ tacitè arguere perfectiorem. Quod verò dicit, tale est: Vis mihi ostendere quā sis perfectus & consummatus? Non mihi ostentes, sed tua ipsius conscientia contentus esto. fidem verò hūc non eam dicit, quæ ad dogmata pertinet, sed quæ propositi est argumenti. De illa siquidem dicit: Ore verò cōfessio fit ad salutem: & qui negauerit me coram hominibus, negabo ipsum & ego. Nam illa tum subuertit, quando confessā nō fuerit, ista verò quando intempestiuè. *Beatus qui seipsum in eo quod probat, non indicat.* Infirmiorem rursus percutit, istique conscientia sufficere coronam ostendit: nam etsi homo non viderit, tu tamen tibi ipsi satis eris ad hoc vt beatus sis. Postquam enim dixerat, Apud te metipsum habero, ne modicum & exile tibi videatur istud propriæ conscientia forum, dicit illud tibi ipso orbe melius esse. Et si te accusauerint omnes, tu verò teipsum non condemnaueris, neque ipsa conscientia reprehenderit, beatus es. Verum non simpliciter de omnibus loquens hoc posuit. Sunt enim multi qui seipos non iudicant, tametsi vehementer delinquāt, qui omnes eò sunt miseriore. Sed proposito interea argumento inheret. *At qui diiudicat, si ederit, condemnatus est.* Rursus ad parcendum infirmiori adhortans, hoc dicit: Quid enim vtilitatis fuerit, si seipsum iudicans & condemnans ederit? Ego quippe illum probo qui & vescitur, & cum nulla hesitatione vescitur. Vide quomodo illum inducat non solum vt edat, sed & munda conscientia edat. Deinde & causam ponit, propter quam condemnatus sit, subdens ac dicens: *Quoniam nō ex fide.* Non quod immundus sit cibus, sed quod non ex fide: non enim mundum esse credidit, sed tanquam immundum attigit. Per ista verò ostendit quantum damni dent, qui non persuasos attingere cogunt quæ ipsis immunda videntur, quatenus vel hoc pacto moti desinat oburgare infirmos. *Quicquid verò ex fide non est, peccatum est.* Cū enim quod edit, mundum esse nec confidat nec credat, quomodo non peccasse credetur? Hęc autem omnia de proposito tantum argumento à Paulo dicuntur, non de quibusuis. Et obserua quantam curā habeat vitandi scandali. Nam & supra dixerat: Si verò propter cibū frater tuus contristatur, non iam secundum charitatem ambulat. Quod si contristandus non est, multò minus scandalizandus. Et rursus, Ne cibi causa destruas opus Dei. Si enim ecclesiam suffodere graue est & scelestū, multò magis si hoc templo spiritali fiat. Augustior quippe est homo magisque venerandus, quā ecclesia. Nō enim propter parietes mortuus est Christus, sed propter ista spiritus sancti exempla.

MORALE.

Circumspectis itaque singulis, quæ ad nos pertinent, videamus ne cuiquam vel modicā mali ansam præste-

H iij

Niniuitæ.

Luc. 23.

Ab. 1.

καταλύ-
ται εν,

Sup. 10.
Luc. 9.
κατασπί-
θη, habet
emendatus
codex.

Hic sup.

Ibidem.

mus. Stadium quippe præfens hæc vita est, & innumeros oculos quos circūquaque dirigamus habere oportet, neque putandum ad apologiam sufficere ignorantiam: erit enim, erit inquam, quando & ignorantia pœnas dabimus, quando scilicet & ipsa ignorantia veniam non habebit. Nam & Iudæi ignorarunt, sed ea ignorarunt, quorum ignorantia veniam non meretur: & Græci ignorarunt, sed excusationem non habent. Quod si ea ignoraueris, quæ sciri non possunt, præter culpam erit: si verò quæ scitu & possibilis sunt & facilia, extremas pœnas meritò dabis. Nisi enim vehementer pigri negligentisque fuerimus, sed quæcunque ad nos pertinent, simul attulerimus, & in his quæ ignoramus, manum porriget Deus: id quod & Philippensibus scribit Paulus: Et si quid aliter, inquit, sentitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit. Si verò nihil eorum quæ nostræ sunt potestatis, expedire voluerimus, neque illius potiemur auxilio. Idem & Iudæis vsu venit: nam in parabolis, inquit, illis propterea loquor, quod videntes non vident. Quomodo videntes non videbant? videntes expelli dæmones, dicebant, dæmonium habet: mortuos excitari conspicientes non adorabant, sed interficere ipsum tentabāt. Sed Cornelius nō ita: atque idē quoniam diligenter quicquid poterat, faciebat: quod reliquū adhuc deerat, adiecit Deus. Ne dicas itaque, quomodo hunc vel illum simplicem & bonum contempserit Deus, eò quod Græcus sit? Nam primū quidem quis simplex sit ab hominibus cognosci nequit, sed ab eo solo qui singula corda formauit. Deinde & hoc dici potest, quod plerunque qui talis videtur, veritatis nullam habeat vel curam vel diligentiam. Sed dicis: & quomodo poterit, quum sit homo vehementer simplex & idiota? Simplicem itaque hunc & idiotam in rebus terrenis mihi cōsideres, ac discas videasque quā multam illic ostendat diligentiam, quā si & spiritalibus impendere voluisset, contemptus utique non fuisset. Sole quippe clariora sunt quæ veritatis sunt, & vbiunque quis intenderit, facile suam ipsius salutem apprehendet: siquidē aduertere voluerit, illamque non velut obiter quærendam putauerit. An in Palæstina occlusa sunt salutis negotia? An in modico orbis angulo? Non audisti prophetam dicentem: Quoniam omnes cognoscent me à paruo vsque ad magnum? Non vides rem ipsam loqui? Quomodo ergo veniam habebunt isti, cum veritatis doctrinam expositā videant, & manifestam: & tamen nec satagunt, nec curant, quod illam discant? Et ista, inquit, ab eo exigit qui agrum incolit, & à barbaro? Non solum ab agricola & barbaro, sed & si quis barbaris istis, qui nunc sunt, barbarior fuerit. Quānam ratione, dic quæso, in rebus secularibus qui talis est, & contradicere nouit iniuria adfectus, & resistere violentiam passus, omniaque facere ac moliri, vt neque calumniam aliquando ferat, cum in rebus spiritalibus eadem prudentia non vtatur? Et quando lapidem adorat, Deum ratus, festiuitatēque celebrans pecunias insumit, multamque religionem ostendit, per simplicitatem focos ac negligens nō redditur: quando verò qui verè est, quærendus est Christus, tum mihi simplicitatem & stupiditatem memoras? Nihil est itaque quod dicis, nihil est inquam, sed solius negligentia & cordiæque culpa perit. Nam quos simpliciores agrestioresque putas, an qui temporibus Abraham, an qui nunc viuunt? Manifestū, quod qui temporibus Abraham vixerunt. Quādo verò facilius fuit veram inuenire pietatē, an nunc, an Abraham temporibus? manifestum quod nūc. Nam nunc quidem & Dei nomen inuocatum est ab omnibus, & prophetæ præconizando prædixerunt, & res in effectū abiit, & Gentium nugæ con-

Phil. 3.

Mat. 13.

Ibid. 12. Ioan. 8.

Græcum passim pro Gen. tili sine Ethnico ponit.

Baruct.

ἀρετῶν.

κατὰ τὸν ἑβραϊκόν.

uictæ sunt. Tunc verò rudes adhuc erant plerique, peccatūmque regnabat. Adhæc neque lex erat quæ instrueret, neque propheta, neque miracula, nec doctrina, nec multitudo Deū agnoscentium, nec aliud tale quippiā: sed velut tenebris profundis nocteq; densa & hyemali adoperta erant omnia. Veruntamen admirabilis hic & generosus vir, licet tot essent impedimenta, nihilominus & Deum agnouit, & virtutē exercuit, alioquin multos in eundem zelum induxit: idque tamen neque externæ sapientiæ aliquid haberet neque experientia. Quomodo enim habuisset, quū nusquam inuentæ essent litteræ? verū quoniam quod suum erat, ad hanc rē contulit, contulit simul & Deus quod & reliquū & sui muneris erat. Neque enim dicere potes, quod pietatem suam ex patribus acceperit Abraham. Idololatra quippe erat pater. Nihilominus, licet talibus esset progenitoribus, homo barbarus in medio barbarorum educatus, nullū habes pietatis præceptorem: & Deū tamen agnouit, & nepotibus suis vniuersis, quibus & lege frui datum est & prophetis, adeo factus est clarior, vt exprimi nequeat: vnde quæso? Quod in temporalibus quidem non admodum sollicitus fuit, in spiritalibus verò sese totum intēdit. Quid verò Melchisedeck? Nūquid & ipse eisdem temporibus vixit, tantūmque emicuit, vt & sacerdos Dei appellaretur? Etenim impossibile, vehementer, inquam, impossibile fuerit, eū qui aduigilauerit, aliquando contēptum iui. Ne verò nos istud turbet, sed sciētes quod vbiq; mentis præualet dominiū, quæ nostra ipsorum sunt consideremus, si quo pacto meliores reddamur. Ne vocemus Deum in iudiciū, neque scrutemur, cur hunc reliquerit, istū vocauerit. Hoc etenim nihil aliud fuerit, quā si feruus in opte vitio reiectus curiosè excutiat heri æconomiam. Miser ac ærumnose, quum te rationum tuarum te sollicitū esse oporteret, & quomodo dominum tibi conciliares, à domino rationem exigis tanquam rationem nō redditurus? eaque prætercurris quorum pœnas vt tu luas necesse est? Quid igitur ad Græcum, inquis, dicam? Hæc ipsa scilicet. vide autem ne solum dicas ad Græcum, sed & quomodo ipsum emendes. Quando vitam tuam exquirens scandalum ab illa patitur, hinc cura quid dicas. Pro illo siquidem etiā si scandalizetur, rationem non dabis: verū si ex vita tua nocuumenti quicquam acceperit, extremum subibis periculum. Quando de regno Dei philosophatē te viderit, & tamen interim præsentia admirantem & gehennam metuentē, & ad ea mala quæ hic sunt trementem, tunc quid dicas vide. Quando scilicet ista vidēs reprehendet ac dicet: Si regnum Dei amas, qua ratione præsentia non despicias? Si tribunal quoddam terribile expectas, quid præsentis molestias non cōteinnis? Si immortalitatē speras, cur mortem non floccipendis? cum ista, inquam, dixerit: tum cura quo pacto te excuses. Si quando te pecuniarum iacturam formidare vident qui cœlos expectas, proque vnico obolo impendio gaudere, ac rursus modici argēti gratia quasi venalem exponere animam, tūc sollicitus esto. Ista quippe sunt: ista sunt, inquam, vnde Græci scandalizātur. Itaque si tuæ ipsius salutis curam habes, pro istis responde, verūm nō verbis, sed factis. Nam propter illam quidem quæstionem, Deum nemo blasphemauit vnquam, propter malam verò vitā innumeræ sunt vbiq; blasphemia. Hoc igitur corrige: alioqui rursus dicet tibi Græcus, vnde discam, quod possibilis præceperit Deus? Nam ecce, tu quum ex ipsis progenitoribus Christianus atque in bona ista religione enutritus sis: nihil tamen quod huc pertineat, facis. Quid dicis? Omnino respondebis, ostēdam tibi alios qui faciunt, nimirum monachos eremum

κατὰ τὸν ἑβραϊκόν. sed cod. emend. habet κατὰ τὸν ἑβραϊκόν.

Hanc eorundem vulgata editio ad sine adiecit epistolæ.

num incolentes. Non erubescas, quod cum Christianum te fatearis, ad alios mittas, vt qui quæ Christianorum sunt, designasse te demonstrare non valeas? Ille siquidem confestim dicit: Quam ergo mihi necessitatē facis eundi ad montes, solitudinesque persequendi? Si enim possibile non est huic incubere philosophiæ: cum qui in mediis versatur vrbibus, magna vtiq; fuerit conuersationis vestra reprehensio, siquidem relictis vrbibus ad solitudines currendum sit. Sed ostende mihi hominem, qui & vxorem habens & pueros simul ac domum philosophetur. Quid igitur ad ista dicemus? An non necessariò decidemus & confundemur? Neque enim Christus ita præcepit. Sed quomodo? Luceat lux vestra, inquit, coram hominibus, non coram montibus, neque coram solitudine, aut recessibus auis. Atque hæc dicens, non illis detraho, qui montes occupat: sed habitatores vrbium deploro, eo quod ex illis virtutem exegerint. Hortor itaque, vt philosophiā ex montibus in vrbes reducamus, vt ciuitates sint verè ciuitates. Ista sunt quæ Græcum emendare, ista quæ ab innumeris scandalis liberare nos possunt. Itaque si voles & illum à scandalo liberare, tibi que innumera nancisci præmia, tuam ipsius corrige vitam, vndique illam illustrem reddens, vt videant homines bona opera tua, glorificentque patrem qui in cœlis est. Ad hunc quippe modum nos ineffabili illa magnificaque gloria potiemur, & nunc & semper & in infinita sæculorum sæcula. Amen.

HOMILIA XXVII.

Et autem qui potens est confirmare vos secundum euangelium meum, & secundum predicationem Iesu Christi, iuxta reuelationem mysterij temporibus æternis taciti, manifestati vero nunc per scripturas propheticas iuxta præceptum æterni Dei, ad obedientiam fidei in omnes gentes patefacti, soli sapienti Deo, per Iesum Christum, cui gloria in sæcula. Amen. Isthæc perpetua Pauli cōsuetudo est, precatōne & glorificatione adhortationem claudere. Sciebat enim rem hanc nō leuis esse momenti. Conseruauerat autem istud ex magno amoris (nimirū paterno) affectu simul, ac pietate facere. Ad præceptorem quippe, qui & puerorum & Dei sit amans, pertinet, non tantūm sermone instrueret, sed & precatōnibus diuinum auxilliū instruetis impetrare, id quod sanè & hoc loco facit. Lectōnis verò & sensus hæc est consequentia: Ei autem qui potens est confirmare vos, sit gloria in sæcula. Amen. Rursus etenim infirmis illis immoratur, sermonemque ad eos dirigit. Cum enim increparet, communi vtcebatur increpatione. Nunc verò facta precatōne, supplicationem pro istis ponit. Postquam autem dixerat, Qui potēs est confirmare vos, adiecit etiam iuxta quem modum: Secundum euangelium meum. Hoc verò dicens, ostēdit illos nondum fuisse confirmatos. Nam dixerant quidem, verūm rursus fluctuabāt. Deinde vt fide dignum faciat sermonē, subiungit, & secundum predicationem Iesu Christi: hoc est, quā ipse prædicauit. Si verò Christus ista prædicauit, iam non nostra sunt dogmata: sed illius leges. Subinde & de illa Christi prædicatione philosophas donū istud & magni esse beneficii simul & magni honoris ostendit. Et primū quidem ab ipso prædicante probat, deinde & ab ipsis prædicatis: euangelia siquidē erant: præterea & ab eo quod nihil horū ante nos cognoscebatur: id quod significat cum dicit: Iuxta reuelationem mysterij, quod quidem maximæ philosophiæ signū est, quod mysteriorum participes illos facit. Temporibus æternis taciti, manifestati verò nunc. Olim quidem præfinitū erat, nūc autē apparuit. Quo-

modo apparuit? per scripturas propheticas. Rursus & hic infirmi timorem exoluit. Quid enim times, inquit? Ne deficias à lege? Atqui hoc ipsum exigit lex, hoc ipsum iam antea prædixit. Si verò quaesieris, qua ratione nunc tandem apparuerit, periculosam rem facis, mysteria Dei curiosè examinās, rationemque illorum exigens. Neque enim talia curiosè inquirenda, sed diligenda sunt & amplectēnda. Vnde & ad obstruēdam huiusmodi animi sententiam, subinfert: Iuxta præceptum æterni Dei, ad obedientiam fidei. Obedientiam quippe fides exigit, non curiositatem: & quando Deus præcipit, morem oportet gerere, non curiosè inquirere: deinde & aliunde cōfidētiores illos facit, cum dicit, In omnes gentes patefacti. Non enim solus, inquit, ita credis, sed tecum vniuersus etiam orbis: non hominem, sed Deum ipsum adeptus doctorem, vnde & subiungit: Per Iesum Christum. Non est autem mysterium hoc patefactum solum, sed & confirmatum. Vtrumque verò ipsius est opus. Propterea & ita legendum est: Ei autem qui potens est confirmare vos per Iesum Christum, vtrunq; siquidem illi, quemadmodum dixi, acceptum fert. Imò nō solum vtrunque, sed & gloriā illam quæ patrem concernit illi adscribit. Propter quod & subdit: Cui gloria in sæcula. Amen. Glorificat autem illum ad incomprehensibilia illa mysteria denuo stupefactus. Neque enim etiam nunc posteaquam apparuerunt, cogitationibus illa quisquam comprehendere potest, sed oportet vt fide agnoscantur. Aliter autem non licet. Bene verò dixit, Soli sapienti Deo. Quando enim perpenderis, quomodo gentes adduxerit, illisque qui iam olim rectè vixerunt, commiscuerit, quomodo deploratos saluauerit, quomodo tellure indignos ad cœlos euexerit, & eos qui ex præsentia hac vita exciderant in immortalem illam & ineffabilem induxerit, & à dæmonibus peccundatos angelis pares fecerit, paradisi que aperuerit, ac vetera mala in vniuersum sustulerit, idque breui tempore, viaque & facillima & compendiosissima: hæc, inquam, si perpēderis, tunc cognosces illius sapientiam, quando videlicet videris, quod neque angeli neque archangeli viderunt, id confestim eos qui ex Gentibus sunt, per Iesum Christum edoctos esse. Oportebat itaque illius admirari sapiētiam, ipsūm adhuc glorificare. Tu verò circa modica versatus vmbrae ad huc immoraris, id quod nō est valde Christum glorificantis. Qui enim illi non fidit, neque fide persuasus est: factorum illius magnificentia testimonium non præbet. Verūm pro illis gloriam Christo refert Paulus, vt & eos ad amulandum prouocet. Cum verò audis dicentem apostolum, Soli sapienti Deo, ne putes ad improbationem filij dici. Si enim omnia ista, vnde ipsius sapientia demonstratur, per Christum facta sunt, sinēque illo factum est illorum ne vnum quidem, facile liquet, quod & quæ sapientiam cōcernunt, vtrinque paria sunt. Quamobrem igitur, soli, dixit? Ad discretionem scilicet vniuersæ creaturæ. Reddita itaque glorificatione, rursus à precatōne in adhortationem desinit, veròque ad firmiores sermone subsequenter dicit: Debemus autem nos qui potentes sumus. Debemus, non donamus. Quid debemus? Infirmiuitates impotentium portare. Vides quomodo illos encomiis extulerit, non solum quod potentes vocauit, sed & quod in suum ipsius ordinem illos secum collocauit? Neque hoc solum, sed & vtilitatis argumento vitatāque omnium inuidia rursus illos attrahit. Nam tu quidem, inquit, potens es: & si condescenderis, nihil damni feres: ille verò extrema periclitatur, nisi portatus fuerit. Et non dicit infirmos, sed infirmiuitates impotentium, vt ipsorum misereantur attrahens & inuitans, quemadmodum & alibi dicit:

CAP. XV.

Galat. 5. Vos qui spiritales estis, instauratione eum qui huiusmodi est. Potens factus es? Repende Deo mercedem qui talem te fecit. Tum autem rependes, quando infirmitate ægroti correxeris. Erasmus enim & nos infirmi, gratia verò Dei potentes facti sumus. Istud autem non solum hinc oportet facere, sed & circa eos qui alio infirmitatis genere laborant: utpote si iracundus quis aut conuiciator fuerit, aut aliud quippiam vitij habuerit, portato: quomodo verò fiet istud? Audi sequentia. Cum enim dixisset, portare debemus, subiunxit: *Ac non placeat nobis ipsis. Vnusquisque vestrum proximo placeat in bonum, ad ædificationem.* Quod verò dicit, tale est: Potens es? Experimentum potentie tue sumat infirmus: ille robur tuum discat: illi placeas, sed in bonum: & neque simpliciter in bonum, ne dicat perfectus, ecce ad bonum illum traho, sed adiicit, ad ædificationem. Itaque siue diues fueris siue potens, non tibi ipsi, sed pauperi & egeno placeas. Hoc pacto siquidem & vera poteris gloria, & multum feres fructus & emolumentum. Temporalium quippe rerum gloria confestim auolat, spiritualium verò manet, siquidem ad ædificationem hoc feceris. Propterea ab omnibus istud exigit. Non enim ille vel ille, sed vnusquisque, inquit, vestrum. Deinde quoniam magnum quid præceperat, propriamque demittere perfectionem ad alterius instaurationem infirmitatem iusserat, Christum rursus in medium adducit, dicens: *Nam & Christus sibi ipsi non placuit.* Quod quidem & semper facit. Nam quum & de elemosyna loqueretur, ipsum adducebat dicens: Cognoscite gratiam domini, quoniam cum diues esset, propter vos pauper factus est: & cum ad dilectionem adhortaretur, hinc quoque adhortabatur dicens: Quemadmodum & Christus dilexit nos. De ferenda etiam confusione & periculis consulens, ad eundem confugit, dicens: Qui pro gaudio sibi proposito, crucem sustinuit, confusione contempta. Ita & hic Christum quoque idem fecisse ostendit, Prophetamque qui hoc iam olim prædixit, inducit. Vnde & subdit: *Quemadmodum scriptum est, Opprobria opprobantium tibi, ceciderunt super me.* Quid est autem, non placuit sibi ipsi? Poterat nulla ferre opprobria, poterat quæ passus est non pati, siquidem quæ sua erant spectare voluisset. Verum noluit, sed quod nostrum erat respiciens, quod suum neglexit. Et cuius gratia non dixit, seipsum euacuauit? Quoniam non solum ostendere voluit, quod homo factus est, sed quod & conuiciis impetitus est, & malam à multis adeptus est opinionem, ob id quod infirmus putaretur. Dicebant enim, Si filius Dei es, descende de cruce: & alios saluauit, seipsum saluare non potest? Rem ideo commemorat talem, quæ ad præsentem argumenti propositum faceret, multoque plus ostendit ac probat, quam promiserat. Non enim Christum tantummodo opprobriis adfectum ostendit, sed & patrem: opprobria siquidem, inquit, opprobantium tibi inciderunt in me. Quod verò dicit, tale est: Nihil contigit noui, nihil peregrini. Qui enim in veteri testamento studio opprobriandi Deo laborarunt, iidem & aduersus filium insanierunt. Hæc autem ideo scripta sunt, ne & nos illos hinc imitemur. Deinde & ad tentationum tolerantiam munit. *Nam quæcunque præscripta sunt, ad nostram doctrinam, inquit, præscripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Hoc est, ne excidamus. Multi siquidem sunt agones à foris & ab intus, ut & corroborati per scripturas & consolati tolerantiam ostendamus, inque tolerantia viuentes, in spe maneamus. Nam vicissim hæc duæ alteram parit altera, tolerantia spem, spes tolerantiam: vtraque verò ex scripturis nascitur. Deinde rursus ad precepcionem verso sermone dicit: *Deus autem tolerantia & consolationis det vobis ut eodem a-*

1. Cor. 8.

Eph. 5.

Heb. 12.

Psal. 68.

Mat. 27. Ibidem.

lius in alium sitis affectu secundum Christum Iesum. Nam dilectionis hoc proprium est, ut quod pro se quisque curat, idem faciat & pro altero. Deinde ut ostendat quod non simpliciter dilectionem querat, subiungit, secundum Christum Iesum: id quod vbi que facit, eò quod & alia quædam dilectio est. Et quænam est concordia huius utilitas? *Ut vnanimiter, inquit, vno ore glorificetis Deum & patrem domini nostri Iesu Christi.* Non dicit simpliciter, vno ore, sed & vna anima fieri hoc præcipit. Vides quomodo totum corpus coadunauerit? Quomodo sermonem rursus in glorificationem concluderit? Vnde & potissimum ad consensum & concordiam hortatur & allicit. Deinde rursus hinc eidem adhortationi immoratur dicens: *Propterea assumite vos mutuo, quemadmodum & Christus assumpsit vos ad gloriam Dei.* Rursus exemplum è supernis, & lucrum simul ineffabile. Nam ex hoc potissima gloria Deo accedit, quod in vnum complicamur & concludimur. Itaque si quando tui gratia non nihil dolens à fratre dissentis, animo perpendes quod iram dimittens dominum tuum hoc pacto glorificas: etsi non propter fratrem, propter hoc tamen ipsum reconciliare, imò verò propter hoc præcipue. Nam & Christus hoc sursum ac deorsum versans, & ad patrem differens, dicebat: In hoc cognoscet omnes quod tu me miseris, si vnum fuerint.

MORALE.

Perfuademur itaque, coaptemus nos ipsos inuicem. Nam hoc loco non iam solos infirmos, sed simul omnes excitat. Quod si quis abs te seipsum auellere cupiat, tu vide ne quantum in te est auellaris ab ipso. Neque frigidum istud & imbecilli animi verbum proferas, Si me dilexerit, diligam. Si me dexter quoque non dilexerit oculus, effodiam illum. Satanica sunt ista, publicanorumque & Græcorum pusillanimitati conuenientia. Tu verò quum sis ad potiorum ciuitatem & conuersationem vocatus, inque ipsum cælum inscriptus, maioribus quoque legibus obnoxius es. Ne dicas itaque talia, sed si quando amare te noluerit, tum maiorem etiam dilectionem ostendito, quatenus ipsum attrahas. Membrum siquidem est. Membrum verò si necessitate quapiam à reliquo fuerit corpore abscedendum, nihil nõ molimur, quò illud vniamus iterum, ita ut nunquam maiorem curam impendamus: ita tibi quoque faciendum. Nam tum demum maior expectanda tibi merces est, quando diligere recusantem attraxeris. Si enim eos potissimum ad prandium vocare iubet, qui vicem rependere nequeunt, quò aucta nos maneat retributio: multò magis circa dilectionem hoc facere oportet. Qui enim dilectus diligit, mercedem tibi eo ipso iam reddidit. Qui verò dilectus nõ diligit, Deum pro seipso debitorem tibi constituit. Præterea si te dilexerit, non multa cura opus habebit: si verò non dilexerit, tum potissimum tua cura & adiutorio iuuandus erit. Causam itaque curæ ac diligentia, ne causam facias socordia ac negligentia: neque dicas, Quoniam morbo laborat, ideo ipsum negligam. Morbus siquidem est ista dilectionis frigiditas. Tu verò, quod frigidum est, calefacito. Quid autem si calefieri non sustinet, inquires? Perdura, quod tuum est faciens. Quid si eo magis peruerteretur? Rursus maiorem tibi retributionem procurabit. Eoque te magis imitator esse Christi declarabis. Si enim dilectio mutua discipulorum insigne est (in hoc enim cognoscent omnes, inquit, quod discipuli mei estis, si vos inuicem dilexeritis) perpende quantum sit, odio prosequentem diligere. Nam & dominus tuus ofores suos dilexit & prouocauit. Et quantum erant infirmiores, eo maiorem curam impedit, clamauit.

Mat. 9.

1. Cor. 13.

Mat. 5.

Ab exemplo turpis amoris.

Exo. 12.

Ibidem.

mauitque dicens: Non opus habent medico qui sani sunt, sed qui male habent. Mensa quoque sua & publicanos & peccatores dignatus est. Et quanta à Iudæis afficiebatur ignominia, tantum vicissim erga illos & honoris ostendit & curæ, imò multò plus etiam: hunc æmulaberis & tu. Neque enim modici momenti virtutem habet hoc factum. Tale siquidem est, ut sine eo martyr etiam Deo placere nequeat, quemadmodum Paulus dicit. Ne dicas itaque, quoniam odio habeor, propterea non diligam: propter hoc enim ipsum potissimum diligere debes. Alioqui non facile fit ut qui diligit, odio habeatur. Nam etiam si bestia quis sit, diligentes tamen diligit: hoc enim, inquit, & Ethnici faciunt & publicani. Si verò diligentes se quisque diligit, quis non eos diligit, qui tamen odio habeantur, nihilominus diligit? Hoc itaque declara, neque cesses quin perpetuo dicas, quoniam quantumuis exosus tibi sim, non quiescam tamen, quo minus te diligam. Hoc si feceris, nullam non contentionem sedabis, nullam non animam emollies. Morbus enim iste aut ex inflammatione fit, aut ex frigiditate. Verum vtrique dilectionis virtus suo calore mederi consuevit. Non vides turpes illos amatores, alapas, sputa, opprobria, innumeramque alia incommoda, quæ fornicaria ille mulieres insigunt, patienter ferre? Quid igitur amore hunc eximet? Illata conuicia? Nequaquam. Imò magis inde accenditur. Et quanquam ista facientes muliercula præterquam quod fornicatur, obscuro etiam ac vili genere sint, qui verò talia ab illis patiuntur, illustres sæpenumero progenitores connumerare, multamque maiorum possent præterdere celebritatem: neque hoc tamen illos liberat, aut ab amata cohibet. An non erubescimus quod tantam erga Deum dilectionem, quantam habet potentiam diabolicus ille ac dæmoniacus amor, ostendere nequimus? Non cõsideras quod aduersus diabolum maximum sit hoc munimentum? Non intelligis, quod malus ille dæmon instet, quatenus exosum ad se trahat membrum tuum circumuenire satagens? Tu verò neglecto illo transis, pugnaque præmium prodis. Nam veluti præmium in medium ponitur frater: quod si viceris, coronam adeptus es. Si verò neglexeris, sine corona discedes. Cessa itaque à satanico illo verbo: Quoniam si odit me frater meus, ne visu quidem illum dignabor. Nihil enim turpius dici poterit, tamen generosa mentis indicium multi hoc esse velint. Sed nihil illis est ignobilius, nihil stultius, nihil crudelius. Propterea quoque potissimum lugeo, quod quæ malitia sunt, virtutis esse multi putant, & fratrem contemnere & despiciere splendidum videtur & honestum: quod quidem fortissimum est diaboli laqueus, nimirum quod & bona opinione malitia circumdatur, vnde & difficile adeò vel tollitur vel relinquitur. Ego quidem multos audiui hoc ipsum gloriantes, quod auersos à se non accefferint: at qui dominus tuus in eo gloriatur etiam. Quoties illum conspuerunt homines: quoties auersati sunt? Ipse verò non quiescit, quin adcurrat. Ne dicas igitur quoniam odientes me non possum accedere: sed dic, quoniam auersantes me auersari nequeo. Hoc demum fuerit discipuli Christi verbum, quemadmodum & alterum diaboli. Hoc illustres fecit & celebres, alterum verò turpes ac ridiculos. Admiramur ob id Moysen, quod quæ diceret illi Deus, Dimitte me, & ira percitus contemteram & delebo illos, auersari non potuit eos, qui iam toties illum auersati fuerant: sed dixit, Si quidem peccatum hoc illis dimittis, dimitte, sin minus, me quoque cum illis dele. Erat enim & amicus & imitator Dei. Ne gloriemur itaque in eo, quod magis occultare oportebat. Neque dicamus quæ forensium sunt & dissolutio-

rum hominum, nimirum, Innumeros auersari scio: sed etiam si alius quispiam hoc dixerit, irideamus illum potius, atque os illius obstruamus, gloriantis illic, vnde magis confundi oportebat. Quid quæso dicis? Auersaris hominem fidelem, quem Christus, cum infidelis adhuc esset, non est auersatus? Quid dico, non est auersatus? Ita quippe illum adhuc inimicum ac turpem dilexit, ut mortuus etiam pro illo sit. Deinde ipse quidem illum adeò fortiter, ac talem dilexit: tu verò formosum iam & admiratione dignum, membrumque Christi, imò dominicum corpus factum, dic quæso contemnis atque auersaris? Non obseruas quid dicas? Non sentis quid temerè audeas? Caput habet ipsum Christum, & mensam, & vestimentum, & vitam, & lumen & sponsum. Nam omnia illi Christus est, & audes dicere, auersor illum? Et non solum illum, sed & cum illo innumeros alios? Compece ac cohibe insaniam istam: agnosce fratrem: disce verba ista stultitia esse atque insaniam, dic contraria. Etiam si me millies fueris auersatus, non tamen deficiam. Atque hoc pacto & fratrem lucraberis, & ad gloriam Dei coges, bonaque futura adipisceris gratia & benignitate, &c.

HOMILIA XXVIII.

ICO autem Christum Iesum ministrum circumcisionis fuisse pro veritate Dei, ad cõfirmandas promissiones patrum. Rursus de Christi pro nobis cura & solitudine differit, eadem adhuc capiti inhærens, ac ostendens, quanta pro nobis fecerit, & quomodo sibi ipsi non placuerit. Adhæc simul & illud probat, quod Gentes videlicet maiorum ac plurium debitores Deo sint. Si maiorum debitores sunt, tenentur vtique patiêre ferre eos qui ex Iudæis infirmi sunt. Nam posteaquã illos vehementer reprehenderat, ne isti sibi ex eo plus æquo placerent, rursus eorū contrahit arrogantiam. Iudæis quidem bona illa ex promissione patribus facta, data esse ostendit, Gentibus verò ex sola misericordia & benignitate. Vnde & dicit: Gentes verò pro misericordia glorificent Deum. Vt autem clarius fiat quod dicit, audi ipsa denuo verba, ut dicas quid sit Christum pro veritate Dei ministrum circumcisionis fuisse, in hoc, ut confirmetur promissiones patrū. Quid igitur est quod dicit? Abrahæ facta erat promissio, ita sonans: Tibi dabo terram & semini tuo, & in semine tuo benedicentur omnes Gentes. Verum post istam promissionem supplicio facti erant obnoxij, quotquot erant de semine Abrahæ. Lex enim quam transgressi fuerant, iram illis operata erat, promissionemque illa patrum consequenter priuauerat. Adueniens verò filius apud patrem egit, ut promissiones illæ vera præstarentur, & in effectum abirent. Omni siquidem lege adimpleta, simulque cum lege & circumcissione, deinde & per crucem maledictione quæ legis transgressionem concernebat, sublata, promissionem hanc intercidere non est passus. Cum itaque Christum ministrum circumcisionis fuisse scribit, hoc dicit, nimirum quod aduenit, quod totam legem adimpleuerit, quod circumcisus, seménque Abrahæ factus, & maledictionem soluerit, & iram Dei sedauerit, aptosque deinceps eos qui futuri erant, ad suscipiendam promissionem fecerit, semel ab eo, quod Deum offenderant, absolutos. Itaque ne ob legis obseruantiam reprehensi Iudæi dicant: Et quomodo Christus circumcisus est, totamque legem custodiuit? in contrarium istud inuertit. Non enim legem, inquit, ideo seruauit Christus, ut maneret, sed ut illam solueret, teque ab imminente maledictione liberaret, & ab omni

Hic in 2.

Gen. 12.

consistit, sed quid dicit? *Veluti submonefaciens* † vos. Non dicit, veluti docens vos, neque veluti admonens vos? sed, veluti submonefaciens vos, hoc est modicum quid admonens. Vides quomodo finis epistolæ proœmio conueniat? Quemadmodum enim dixerat: Quoniam fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo, ita & in fine epistolæ. Nam fides, inquit, vestra ad omnes peruenit. Et quemadmodum exorsus scripserat, Desidero enim videre vos, vt aliquam vobis spiritalem gratiam impertiar, ad confirmandos vos, hoc est, vt communem capiam consolationem: ita & hinc veluti submonefaciens vos, inquit. De throno quippe præceptorio & hinc & illic descendens, tanquã fratibus, amicis, & æqualibus differit, id quod vtiq̃ue potissimum doctoris est, nimirum sermonē iuxta auditorum captum & commodum variè subinde tractare. Vide itaq; quomodo cum dixisset, audaciùs verò scripsi vobis, & ex parte, & veluti submonefaciens vos: neque istis contentus sit, sed vt humiliorem adhuc faciat sermonem, subiunxit: *Propter gratiam quæ data est mihi à Deo. Quod & in principio dixit: Debitor sum. Quasi dicat: Honorem hunc † ab illo] non rapui, neque prior in illam prorupi, sed Deus hoc ita mandauit, idque iuxta gratiam, non tanquam dignum ad hoc decernens. Nolite igitur exasperari. Non enim ego in vos exurgo. Deus est, qui hoc præcepit. Et quemadmodum illic, cui seruiò, inquit, in euangelio filij ipsius: ita & hinc cum dixisset: Propter gratiam quæ data est mihi à Deo, subiungit: *In hoc vt sim minister Iesu Christi in gentes, sanctè administrans euangelium Dei.* Post multam enim dictorum probationem, ad id quod grauius est sermonem ducit: non simpliciter latiam, id est, seruitutē ponens, quemadmodum initio fecit. Sed *λειτερῶσαν & ιερῶσαν*, hoc est, sacrorum administrationem. Ipsum enim mihi sacerdotium est, prædicare, & euangelizare. Hanc offero hostiam, sacerdoti verò nemo vitio vertit, quòd immaculatam hostiam offerre satagit. Hæc autem dicens, † & simul illorum mentes erigit, quòd hostia sint ostendens,] & quæ ad se pertinent defendit, eò quòd ista in mandatis diuinitus habeat. Machæra siquidem mea, inquit, euangelium est, prædicationis videlicet sermo. Causa verò non est, vt ego glorificer, vt ego illustris appaream, sed: *Vt fiat oblatio Gentium acceptabilis sanctificata per spiritū sanctum.* Hoc est, vt animæ illorum quos instruo, acceptentur. Non enim huc me Deus adduxit tam honoris mei quàm salutis vestræ gratia. Et quomodo sit acceptabilis Gentium hostia? Per spiritum sanctum. Non sola siquidem fide opus est, sed & conuersatione spiritali, vt semel datum spiritum contineamus. Neque enim lignis, neque igne, neque altari, neque gladio opus est, sed spiritalia sunt apud nos omnia. Propterea omnia facio, ne ignis iste extinguatur. Hoc etenim & in mandatis habeo. Quid igitur illis loqueris, quibus non est opus? Propter hoc ipsum, inquit, non docco, sed submonefacio. Quemadmodum sacerdos, vt ignem accendat, instat: ita & ego, vestram oblationem excitans. Et vide, non dicit, vt fiat vestra oblatio: sed, vt fiat oblatio Gétium acceptabilis. Quum autem Gentium dicit, ipsum orbem, terrã, & mare, in vniuersum intelligit, cōtrahens illorum animos, ne videlicet dedignetur eum habere doctorem, cuius doctrina ad fines vsque totius orbis extenditur, id quod & principio dixit, Quemadmodum & in reliquis Gentibus, Græcis, & Barbaris, sapientibus, & insipientibus debitor sum. *Habeo igitur quod glorier per Christum Iesum in his quæ ad Deum pertinet.* Quoniam quidem seipsum vehementer deiecerat, rursus sermonem erigit, atque id illorum gratia faciens, ne contemptibilis videatur esse*

Deus. Erigendo verò sermonem, moris sui non obliuiscitur, cum dicit: Habeo igitur quod glorier. Glorior, inquit, non in meipso, neque in nostra diligentia, sed in gratia Dei. *Non enim ausim quicquam loqui eorum, quæ Christus per me in obedientiam Gentium non effecit, verbo & facto, per potentiam signorum ac prodigiorum, per potentiam spiritus Dei.* Neque enim poterit quisquam dicere quòd factus meus sint ista verba. Nam sacerdotij mei symbola, electionisque multa possum ostendere signa, non tunicas talares, & tintinnabula, quemadmodum habebant veteres: neque mitram, & cidarim, sed illis multò horribiliora, † signa & miracula. Neque enim dici potest, quòd ordinatus quidem sim, mandatum verò † munus non præstiterim: imò neque ego feci, sed Christus, vnde & in ipso glorior, non pro rebus fortuitis, sed pro spiritalibus. Hoc enim est, quod dixit, in his quæ ad Deum pertinent. Quòd enim ea quorum gratia missus sum perfecim, verbaque mea non sint factus, declarant miracula & Gentium obedientia. Non enim ausim quicquam loqui eorum quæ Christus per me, in obedientiam Gentium, non effecit, verbo & facto per potentiam signorum ac prodigiorum, per potentiam spiritus Dei. Vide quomodo instet: vt omnia Dei esse ostendat, nihil sui ipsius: siue enim loquutus quid fuero, inquit, siue fecero, siue miraculum perpetraro: omnia ipse, omnia spiritus sanctus. Hæc verò dicens, auctoritatem ostēdit spiritus sancti. Vides quomodo veterum ista sint insignis mirabilia, & horribiliora, siue hostiam, siue oblationem, siue symbola inspicias? Cum enim dicit, in sermone & facto, per potentiam signorum & prodigiorū, hoc dicit: doctrinam, scilicet, regni Dei philosophiam operum ac ipsius conuersationis ostensionem, excitationem mortuos, dæmonas expulsos, curatos cæcos, salientes claudos, aliãq; id genus prodigia: quæ quidem omnia in nobis spiritus sanctus effecit. Deinde istorum probationem, quoniam hæc nudam quandam habebant interea sententiam, adiungit, nimirum discipulorum multitudinem. Propterea subdit: *Vt ab Hierusalem, & in circumiacentibus regionibus ad Illyricum vsque impleuerim euangelium Christi.* Numera itaque & vrbes, & regiones, & gentes, & populos, & non solum qui sub Romanis, sed & qui sub Barbaris sunt. Non enim mihi per solam Phœniciam, & Syriam, & Ciliciam, & Cappadociam ibis: sed & quæ retro illas sunt, colliges omnia, & Sarracenos, & Persas, & Armenios, reliquosque Barbaros. Propter hoc enim dixit, & in circumiacentibus regionibus, ne rectã viam solum publicam, sed & omnem etiam Australem Asiam mente percurras. Et quemadmodum acervos miraculorum vno sermone percurrens dixit, per potentiam signorum & prodigiorum, ita & infinitas vrbes, & gentes, & populos, & regiones vno rursus complectitur verbo, cum dicit, *τὸ κτλω*, id est, per circuitum, siue in circumiacētibus regionibus. Procul enim erat ab omni fastu, atque ista propter ipsos loquitur, ne magna videlicet de seipsis sentiant. Et exorsus quidem dixit: Vt aliquem fructum & in vobis habeam, quemadmodum & in reliquis Gentibus: hinc verò sacerdotij administrandi necessitatem ponit. Nam quoniam asperius aliquatò loquutus erat, potestatem quoque suam eò clariùs ostendit. Propterea illic quidem simpliciter quemadmodum & in reliquis Gentibus inquit, hinc verò omnem quoque laborem suum adducit, vt illorum vndique fastum succidat. Et non simpliciter dicit, prædicauerim euangelium, sed impleuerim euangelium Christi. *Ita verò certans euangelizare, vbi non est nominatus Christus.* Vide rursus aliam hyperbolen, quòd non solum tot populis euangelium

gelium prædicauit ac persuasit: sed quòd neque ad eos abiit, qui priùs fuerant edocti, vsque adeò scilicet abstinuit, quò minus alienis se discipulis ingereret, gloriæque gratia quod faciebat faceret, vt & studio voluerit eos maximè docere, qui nõdum audierant de Christo. Non enim dicit, vbi nondum crederant: sed, vbi nondum nominatus est Christus, id quod plus est. Et quamobrem hoc ita certauit? *Ne super alienum fundamentum edificarem,* inquit. Hæc verò dicens, ostendit se quàm alienissimum esse ab inanis gloriæ studio, illòsque instruit, quòd non gloriæ desiderio, aut honoris ab ipsis acquirendi studio, scribere ad eos proposuerit: sed vt ministerium suum impleat, sacerdotiumque suum perficiat, tanquam qui salutem illorum amet. Alienum autem Apostolorum fundamentum dicit, non iuxta personæ qualitatem, neque iuxta prædicationis naturam, sed secundum mercedis rationem. Alioqui prædicationes ipsæ alienæ non erant, nisi quantum ad mercedem pertinebat. Merces enim laborum qui ab aliis desudati sunt, aliena erat Paulo. Deinde ostendit & prophetiam hoc pacto adimpleri, cum dicit: *Quemadmodum scriptum est, Quibus non est annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierant, intelligent.* Vides illud adcurrentem vbi plus erat laboris, vbi plus sudoris? *Quapropter & prædicitus sum sape, quò minus venirem ad vos.* Vide rursus quomodo finem proœmio conformem texat. Nam & principio epistolæ dixit: Quoniam sæpenumero proposueram venire ad vos, verum prohibitus sum ad hunc vsque diem. Hinc verò & causam ponit propter quam sit prohibitus: idque nõ semel, sed & secundò, & sæpenumero. Quemadmodum illic dicit, Sæpenumero proposueram venire ad vos: ita & hinc, Prædicitus sum sape, quò minus venirem ad vos. Quòd quidem & desiderium illius potissimū exprimit, quòd videlicet sæpenumero tentauerit. *Nunc verò quum non habeam amplius locū in his regionibus.* Vide, ostendit quòd non gloriæ, quam ex ipsis haberet, desiderio ad eos & scribebat & accedebat. *Desiderium autem habeam veniendi ad vos multis iam annis, quandocunque in Hispaniam perrexero, spero fore, vt in itinere videam vos, & à vobis producar illuc, si vestra consuetudine priùs satiatus ex parte fuero.* Ne siquidem non multi illos facere videatur, quasi dicat: Quoniã nihil habeo quod agam, propterea venio ad vos, rursus dilectionis rationem mouet, dicens: *Desiderium veniendi ad vos multis iam annis habeo.* Non ideo venire cupiui, quòd ocium agam, sed vt desiderium quod iam olim parturio, tandem pariam. Deinde ne & istud eos rursus inflaret, obserua quomodo illos obstringat, dicens: quandocunque in Hispaniam perrexero, spero fore, vt in itinere videam vos. Propterea siquidem istud posuit, ne sibi nimium placeant. Simul enim & dilectionem suam ostendere vult, & prohibere ne nimium gloriantur. Propter quod & cōtinuò idem ponit, & subinde ea quibus vtraque confirmantur & probantur conciliat. Vnde & rursus, ne dicant, ergo itineris sui parergon nos facit, subiungit, vt à vobis producar illuc: hoc est, vt vos ipsi mihi testes sitis, quòd non propter vestri cōtemptum, sed ipsa necessitate tractus, transcurram. Quoniam verò etiam hoc non nihil adhuc videbatur illos contristare, plenius medetur, dicens: *Si vestra consuetudine priùs satiatus ex parte fuero.* Eo enim quod dicit, vt in itinere vos videam, ostendit quàm gloriam ab illis nullam querat. Quòd verò dicit, si priùs vestra consuetudine satiatus fuero: ostendit quàm amet illorum dilectionem, & non simpliciter amet, sed vehementer: vnde non simpliciter dicit, satiatus fuero, sed ex parte. Nullo quippe tempore impleri poterò, aut conuictus vestri fatietate adfici. Vides quo-

modo dilectionem ostendat: quando ab illis ad perficiendum iter suum, licet plurimum festinet, non tamen exurrecturum se scribit, donec fuerit expletus? Est autem hoc magni amoris paternique affectus signum, quòd verbis adeò feruentibus vitur. Neque enim solum dicit, donec vos videro, sed & donec expletus vestra consuetudine fuero, parentum verba imitans. & initio quidem dicebat: vt fructum aliquem habeam, hinc autem, vt explear, quæ quidem vtraque attrahentis sunt. Maximum enim erat illorum encomium, siquidem fructum illi ex obedientia daturi erant. Istud autem genuinum erat amicitia illius indicium. Et Corinthiis scribens, ita dixit, Vt vos me deducatis, quocunque proficiscar: vbiq̃ue dilectionem ostendens, quam erga discipulos habebat, cui nihil adæquari poterit. Propterea & epistolas exordians, perpetuò illinc proœmia ducit: & finiens, in hoc ipsum definit. Quemadmodum enim liberorum amans pater, vni genitum & genuinum filium diligit: ita hic fideles omnes. Vnde & dixit: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?

MORALE.

Oportet autem, vt ante reliqua omnia hoc in se habeat doctor. Vnde & Petro dicebat Christus: Si diligis me, pasce oves meas. Christum enim diligens, & gregem illius vtiq̃ue diligit. Et Moysen tum primùm super populum Iudæorum posuit, quando qua esset in illum beneuolentia, re ipsa iam declarauerat. Dauid quoque simili modo regno inauguratus, est posteaquam apparuerat quàm amico esset in populum affectu. Ita quippe iuuenis adhuc, populi causa doluit ac zelauit, vt & animam suam exponeret, quum videlicet Barbarum illum è medio tollebat. Quod verò dicebat: Quid dabitur ei, qui alienigenam hunc interfecerit? non ideo dicebat, quòd mercedem exigeret, sed quòd sibi crederetur, & in pugnam cum illo committeretur. Nam quum adepta iam victoria ad regem esset ingressus, nihil de mercede meminit. Et Samuel quoque benignus erat, & amator populi. Vnde & dicebat: Absit autem hoc à me peccatum, vt cessem pro vobis orare dominum. Ita & Paulus, imò non ita, sed multò plus omnibus ardebat erga subditos, vnde & discipulos ita erga se animauit, vt diceret: Si possibile fuisset, oculos vestros eruissetis, mihiq̃ue dedissetis. Propterea & Iudæorum doctoribus istud ante omnia exprobat Deus, cum dicit: O pastores Israël. Num pascent pastores seipsos? Nunquid oves pascent? Isti verò contrarium fecerunt. Lac enim, inquit, comeditis, & lana vos tegitis, & quod pingue mactastis, oves verò non pauistis. Et Christus optimi pastoris canonem ferēs dixit: Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus. Hoc Dauid sæpenumero multis quidem alibi locis fecit, tum verò maximè quãdo aduersus omnem populum terribilis illa ira diuinitus demissa sæuiebat. Vniuersis enim iam propè occisis dicebat: Ego qui pastor sum, peccaui: ego qui pastor sum, malignè egi: illi verò qui grex sunt, quid fecerunt? Propterea & in optione suppliciorum illorum, non famem elegit, non hostilem persequutionē, sed immisam à domino mortem, per quam sperabat alios quidem bene fore securos, se verò ante reliquos omnes è medio tollendum. Hoc verò quum non fieret, lamentando dicebat, in me sit manus tua. Si verò ad expiandum facinus non sufficio, sit & aduersum domum patris mei. Ego enim, inquit, qui pastor sum, peccaui: quasi diceret, Etiam si illi peccassent, ego tamen qui illos non correxi, supplicij reus essem. Quãdo verò meum est hoc peccatum, ego vtiq̃ue

hinc, cō-

Supr. 1.

Ibid.

ἐμνησθη, id est, mihi in p̃s. cod. emend. Sup. 1.

ἐμνησθη.

Cod. emendatus habet περιεργασθῶν, i. s. mul & illorum animos contrahit, & quòd hostia sint ostendit.

Supr. 1.

1. Cor. 10.

2. Cor. 11.

Ioan. 21.

1. Reg. 17.

Ibid. 12.

Gal. 4.

Eze. 34. Ibidem.

Ioan. 10.

2. Reg. 24.

dignus sum qui poenas luam. Amplificare siquidem crimen suum volens, pastoris posuit nomen. Ita igitur iram Dei sistit: ita sententiam diuinam reuocauit. Tantum scilicet valet confessio: Iustus enim primum accusator est sui ipsius. Tantum valet cura & compassio optimi pastoris: vellicabantur quippe viscera ipsius cadentibus illis, tanquam si genuini necarentur filij. Propterea & precabatur, vt in se verteretur ira Dei. Et in occasione ipsius principio, idem vtique fecisset, nisi sperasset illam via sua gradientem ad se quoque venturam. Cum verò videret istud non fieri, istos verò iam depastos, calamitatem illam non tulit amplius, sed magis accessus est, quàm super Ammon primogenito suo: tum etenim mortem sibi non precabatur, nunc autem orat, vt præ aliis cadat. Talem oportet esse principem, & ob aliorum magis quam ob proprias dolere calamitates. Tale etiam quid super puero patiebatur, vt discas illum puerum nō plus dilexisse quàm subditos. Tamen si enim & scelestus fuerit adolescens & parricida, nihilominus tamen dicebat. Quis dabit mihi vt moriar pro te? Quid dicis o beate, omniumque hominum mitissime? Occidere te iam studiose conatus est, innumerisque malis circumdedit, & quando sublatu est è medio, trophæumque iam erectum est, tum tu tibi mortem optas: Certè, inquit, mihi quippe victoriam non est consequutus exercitus, sed adhuc impugnor vehementius quàm antea, & viscera mihi dirumpuntur nunc multò amplius. Isti itaque de quibus iam dixi, eos quidem qui sibi commissi fuerant, curarunt: beatus verò Abraham, multam rationem etiam eorum habuit, qui sibi concrediti non erant, tantam videlicet vt & grauibus sese periculis inuolueret. Quòd enim non fratris tantum gratia quod faciebat fecerit, sed & Sodomitaram: in hoc apparet, quòd non destitit ab insequutione Persarum illorum, donec Sodomitas omnes ab illis liberasset. Alioqui licebat erepto fratre comedere: verum nolēbat. Nam omnium pariter cura tenebatur: id quod & per ea quæ post ista fecit, clarum reddidit. Quum enim non iam futurum esset, vt Barbarorum illos obsideret exercitus, sed diuinitus impulsā vindicta vrbes illorum funditus subuerteret, atque non esset amplius vel armorum, vel pugnae, vel aciei, sed supplicationis tempus: tantum diligentiae pro liberandis illis impendit, quantum si ipse interiturus fuisset. Propterea & semel atque iterum, & tertio, imò & sæpius ad Deum accedit, & ad ipsam naturam confugit dicens: Ego autem terra sum & cinis, & quoniam non ignorabat illos per se iræ Dei traditos, ac proditos, propter alios saluari orat, vnde & Deus dicebat: Non abscondam à seruo meo Abraham. vt discamus, quàm hominum sit amans iustus, quamque ab obsecrando vtique non destiterit, nisi Deus prior destitisset. Et videtur quidem pro iustis orare, verum omnia pro reliquis iniustis facit. Sunt enim sanctorum animæ vehemēter mites, & hominum amātes, non solum erga domesticos, sed & alienos, ita vt hanc suam mansuetudinem etiam ad animātia bruta extendant. Propterea & sapiens quispiam dixit: Iustus miseretur animarum iumentorum suorum: si iumentorum, multò magis hominum. Verum quoniam pecorum memini, perpendamus & ouium pastores illos qui in Cappadocum regione sunt, qualia & quanta pro pecorum suorum custodia patiantur. Illi sæpenumero vniuersum triduum niue adobrutū perdurant. Dicuntur autem & qui in Lybia sunt, non minora mala ferre, dum integros menses difficilem illam solitudinem, pessimarumque bestiarum plenam vagando circumuehant. Si tantum erga pecora diligentie impendunt pastores illi, quam quæso, excusationem habebimus,

Prou. 18.

Abfolomum intelligit. 2. Reg. 18.

Gen. 18.

Prou. 11.

De pastoribus Cappadociae & Libyæ.

quibus rationales animæ concreditæ sunt, quòd profundum hunc somnum dormimus? Respirare enim omnino oportebat: quiescere autem omnino, & non circumquaque percurrere, innumerisque etiam mortibus seiplos pro ouibus istis exponere, id demum non est boni pastoris. An ignoras gregis huius dignitatem? An illius gratia dominus tuus innumera non fecit? An non postremò & sanguinem suum fudit? Tu verò requiem quaris? Et quid poterit peius esse pastoribus istis? An non perpendis quòd oues istas circumstant lupi multò amaricatiores ac feruiores? An apud te ipsum non reputas, qua mente sit opus ei, qui talem præfecturam sit administraturus? Et homines quidem qui populis præsunt, si quando de rebus fortuitis consulturi sunt, diebus non contenti, noctes etiam vigilando adhibent: nos verò qui pro ipso cælo certamen habemus, ipso quoque die dormimus? Quis, quæso, ab eo nos supplicio eripiet, quod istis debetur? Si enim corpus trucidandum exponere, si innumeras mortes ferre oportebat: nunquid ad hoc munus tanquam ad nundinas currendum erat? Hæc autem non solum pastores, sed & oues audiant, vt alacriores faciant pastores, aliud quidem nihil, verum omnem obedientiam animūque, cui persuaderi queat, exhibentes. Ita & Paulus præcepit dicens: Obedite ducibus vestris, & subditi estote: nam ipsi vigilat pro animabus vestris, tanquam rationem daturi. Quando verò dicit, nam ipsi vigilat, innumeros labores, curas & pericula complectitur. Bonus enim pastor & talis qualem Christus vult, cum innumeris componi potest martyribus. si quidem martyr semel propter ipsum moritur: hic verò millies propter gregem, si modo talis sit pastor, qualem esse oportet. Talis enim pastor singulis diebus mori potest. Propterea & vos cognitos isto labore, & precibus, & diligentia, & animi alacritate, & dilectione nos iuuate: vt & nos vestra, & vos vicissim nostra gloriatio sitis. Nam ideo Christus istud apostolorum coryphæo, & plus ipsum quàm reliqui diligenti, commendans & iniungens primum rogabat, an ab ipso diligeretur, vt discas, quòd istud sit ante omnia reliqua dilectionis in Christum positum signum. Strenuo siquidem animo hic opus est. Hæc verò mihi de optimis pastoribus dicuntur, non de meipso & mei similibus: sed si quis talis sit, qualis erat Paulus, qualis Petrus, qualis Moses. Istos itaque imitemur, & superiores, & subditi. Licet enim & subdito pro parte pastorem agere: nempe, domus suæ, amicorum, domesticorum, vxoris, liberorum. Et si ita quæ nos concernunt bene disposuerimus, omnia bona lucrabimur: quæ nos omnes acquirere contingat, gratia & benignitate, &c.

Etenim si in carnalibus ministrare illis.

2. Cor. 8.

Ibid. 9.

1. Cor. 16.

Ibid. 14. Cant. 8. 1. Cor. 14. Ibid. 4.

Colof. 2.

Ioan. 4.

HOMILIA XXX.

VNC autem proficiscor Hierosolymam ministrans sanctis. Placuit enim Macedonia & Achaia communicationē aliquam facere in pauperes sanctorū, qui sunt Hierosolymis: nam ita visum est ipsis, & debitores illorum sunt. Quoniam dixerat, locum in his regionibus amplius nō habeo: & desiderium iam multos annos habeo veniendi ad vos: esset autem adhuc aliquantulum tardaturus, ne putaretur velut irridere eos, causam etiā adiungit, propter quam aduentum suum differat, & dicit: Nunc autem proficiscor Hierosolymā. Et videtur quidem cunctationis suæ causam dicere, verum per ista & aliud quiddam agit: nimirum, incitat & illos ad faciendam eleemosynam, diligentiorisque in ea re facit. Nam nisi hoc disponere voluisset: suffecisset vtique dicere, Nunc autem

autem proficiscor Hierosolymam: iam verò & peregrinationis huius causā adiicit. Proficiscor enim, inquit, ministrans sanctis: deinde & sermoni huic immoratus, cogitationes etiam mouet dicens: & debitores illorum sunt. Etenim si spiritualia sua comunicauerunt Gentibus, debent & hæc in carnalibus ministrare illis. Vt discat Romanus amulari istos. Propterea & sapientiam Pauli potissimum admirari oportet, quòd hunc consulendi persuadendi que modum excogitauit. Hoc siquidē pacto plus effecit, quàm si per adhortationis modum dixisset. Putassent enim contumeliosè fieri, si ad sui incitationem Corinthios & Macedonas in medium adduxisset. Propterea sanè illos quidem ita illic hortatur, dicens: Certiores autem vos facio fratres de gratia Dei, quæ data est ecclesiis Macedoniae. Rursus & Macedonas per istos stimulat: Zelus enim, inquit, qui ex vobis est, plures excitauit. Per Galatas quoque similiter hoc facit, cum dicit: Quemadmodum præcepi ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite. Cum Romanis verò non ita, sed dissimulanter magis ac verecundiùs. Facit autem hoc & in causa prædicationis, vt cū dicit: An ex vobis egressus est sermo Dei, siue in solos vos deuenit? Nihil enim tā est forte, quemadmodū zelus. Propterea multis in locis hoc ponit: nam & alibi dicit: Quemadmodum in omnibus ecclesiis ordino. Et iterum: Quemadmodum vbique in omni ecclesia doceo. Ad Colossenses verò dixit: Quoniam frugiferum factum est, & augmentatum euangelium Dei in vniuerso mūdo. Hoc sanè & hic circa eleemosynā facit: & vide quàm magnificè dictionibus vtatur: Non enim dicit: Proficiscor eleemosynā deferens, sed ministrans. Si verò Paulus ministrat, cogitandum sit quod sit, nimirū, quòd doctor orbis deferendum recipit, & quòd ad Romanos peregrinaturus, quòdque illos vsque ad eò videre desiderans, hoc tamen illi præfert. Placuit enim Macedoniae & Achaia, hoc est, probari & desiderari communicationem quandā facere. Rursus nō dicit, eleemosynam, sed communicationem. Illud autem aliquam aut quandā, non simpliciter ponit, sed ne videatur illis impropere. Et non simpliciter dicit in pauperes, sed in pauperes sanctorum, duplicem faciens commendationem: vnam à virtute, à paupertate alterā. Et neque isto contentus, adiicit: & debitores illorum sunt. deinde ostēdit quomodo sint debitores. Etenim, inquit, si spiritualia sua comunicauerunt Gentibus, debent & hæc in carnalibus ministrare illis. Quod autem dicit, hoc est, propter Iudeos venit Christus. Illis qui ex Iudæis sunt, omnia erant promissa, ex ipsis est Christus, vnde & dixit: Ex Iudæis est salus. Ex illis sunt Apostoli, ex illis prophetae, ex illis omnia bona de quibus omnibus participauit orbis. Itaque si de maioribus participastis, inquit, cœnamque quæ illis erit instructa accedentes, propositis eduliis iuxta euangelij parabolam freti estis: debetis & carnalia comunicare, traderēque illis. Et non dixit comunicare, sed ministrare, in locum ministrorum illos ponens, eorumque qui regibus tributa persoluant. Neque dixit, in carnalibus vestris, quemadmodum de spiritualibus illorum. Spiritualia quippe illorum sunt, carnalia verò non horum solum, sed communia omnium. Pecunias enim omnium esse iussit, non solum possidentiu. Hoc igitur vbi profecero, & obsequauero illis fructum hunc. Hoc est, velut in regia promptuaria detulero, tanquam in asyllum, locumque securum. Et non dicit, eleemosynā, sed rursus fructum, vt ostendat lucrum acquirere contributores. Reuertar per vos in Hispaniam. Hispaniæ rursus meminit, vt ostendat quàm impiger, quàmque feruidus sit erga illos. Scio nāque quòd vbi venero ad vos, cum plenitudine benedictionis euangelij Christi venturus sim. Quid est, in ple-

nitudine benedictionis? De pecuniis videlicet dicit, aut de omnibus simpliciter virtutibus. Benedictionem siquidem vt plurimum eleemosynam cōstituit dicere, vt cūm dicit, tanquam benedictionem, non velut auaritiā. Erat autem mos vetus rem hāc ita vocare: quoniam verò hīc adiecit, euangelij, propterea dicimus, non de pecuniis solum hīc dici, sed & de omnibus, quasi dicat: Scio autem quòd vbi venero, videbo vos in omnibus probatos bonisq; frugibus fecundos, & innumeris laudibus dignos iuxta euangelium. Est autem hoc admirandi consilij genus, quòd encomiis eos præoccupat. Quando siquidem per modum adhortationis hoc facere detrectat, ad hunc correctionis modum confugit. *Obsecro autem vos per dominum nostrum Iesum Christum, & per dilectionem spiritus.* Iterum hīc Christum & spiritum proponit, patris autem nequaquam meminit. Hæc verò in hoc dico, vt quando videris ipsum patrem & filiū, aut patrem solum sine filio, sineque spiritu commemorare, nihil mouearis. Et nō dixit spiritum, sed, dilectionem spiritus. Quemadmodum enim mundum dilexit Christus, & pater, ita & spiritus. Quid verò est quod obsecras? dic quæso. *Vt me laborantem adiuetis precationibus pro me ad Deum, vt liberer ab incredulis in Iudæa.* Magnum illi certamen propositum erat, vnde & illorum preces implorat: non dicit autem vt ad conflictum committat, sed vt liberer, quemadmodum Christus iussit: *Orate, ne intretis in tentationem.* Hæc verò dicens, significat malos quosdam esse lupos molestos sibi & infidiantes, magisque feras rabidas, quàm homines. Ex hoc verò & aliud struit, nimirū vt ostendat, quàm iustè ministerium hoc sanctis præstandum susceperit, siquidem tot adhuc & tanti erant in Iudæa increduli, vt pro se orari vellet, quò ab illis liberetur. Igitur qui in medio tantorum hostium viuebant, quid aliud erant quam fame perituri, nisi aliunde iuuarentur? Necessario igitur aliunde illis adferebatur. *Vt ministerium hoc meum acceptum sit sanctis.* Hoc est, vt grata sit victima mea, vt cum alacritate quæ data sunt, suscipiantur. Vides quomodo rursus dignitatem suscipientium extollat, siquidem tantis precibus agendum, vt quæ mittuntur suscipiant? Ex hoc verò & aliud quiddam ostendit, nempe, quòd non sufficiat eleemosynam dedisse, ad hoc vt accepta sit. Quando enim ex necessitate quis & coactè, quando ex iniustitia, quādo ex vanæ gloriæ studio eleemosynam tribuit, perit omnis fructus. *Vt cum gaudio veniam ad vos per voluntatem Dei.* Quemadmodum & in ipso principio dixit: Si quomodo tandem aliquando prosperum iter contingat in voluntate Dei, vt veniam ad vos: ita & hīc ad eādem voluntatem confugit, & dicit: Quoniam ad hoc festinus, & inde liberari opto, vt cōfestim vos videam, videamque cum voluptate, ne vnam quidem inde mœstitiam contrahens. *Vnāque vobiscum refociller.* Vide quomodo rursus modestiam ostendat. Non enim dicit, vt vos doceam & instruam, sed, vt vnā vobiscum refociller. Iam cū talis fuerit certator ille, ac pugnator: quomodo dicit, vt vnā vobiscum refociller? Gratificatur eis etiam hoc pacto, alacriorēque reddit, dum præmiorum participes facit, ostendens eos quoque certare & laborare. Deinde quod nunquam non facit, & precationem parænesi subiungit, dicens: *Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen. Commendo autem vobis Phæben sororem, quæ ministra est ecclesiæ Cenchyrensis.* Vide quantum illam honoret: nam illam & ante reliquos omnes commemorat, & sororem vocat. Non est autem modici momenti, Pauli sororem vocati. Dignitatem quoque adiecit, ministram illam vocans. *Vt illam suscipiatis in domino, ita vt deceat sanctos.* Hoc est, propter dominum, vt

2. Cor. 9.

Matt. 26.

Supr. 13

2. Cor. 9.

CAP. XVI.

honore potitur apud vos. Nam qui propter dominum suscipit, etiam si non magnum quæpiam suscipiat, diligenter tamen suscipit. Cum autem illa sancta etiam esset, perpende quanta fuerit habenda sollicitudine & cura. Propterea & adicit, ita ut decet sanctos, ut decet eos qui tales sunt suscipi, nam duplici nomine à vobis curari debet, primò quòd Christi est, ut Christus in ea suscipiatur: deinde quòd & sancta est. *Et aditis ei, quacunq; in re opera vestra egerit.* Vides quàm caueat, ne odiosum quid loquatur? Non enim dicit, ut liberetis illam, sed ut quod poteritis illi adferatis, manúq; porrigatis, vbicunq; vobis opus habuerit: non in quibuscunq; illa sit, sed in quibus opera vestra egerit. Egebit autem illic, vbi vos domini estis. Deinde laudem rursus ineffabilem adiungit: *Ipsa siquidem multis adfuit, & mihi ipsi.* Vides prudentiam? Primùm quidem encomia, deinde mediam immiscet quam exigit consolationem: post rursus encomia ponit, vtrinque necessitatem beatæ illius mulieris laudibus ornans. Quomodo enim beata non esset, quæ tantis potitur à Paulo testimoniis, quæ etiam illi auxilio potuit esse, qui ipsum orbem instruebat & corrigebat? Hoc enim colophonis vice est bonorum illius, unde & postremo loco ab Apostolo ponitur, cum dicit, & mihi ipsi. Quid est autem illud, & mihi ipsi? Orbis prædicatori tanta patienti, innumeros adiuuanti. Imitemur igitur sanctam istam & viri, & mulieres, & eam quoque quæ cum viro suo, post istam ponitur. Qui sunt illi? *Salutate Priscillam, & Aquilam coadiutores meos in Christo Iesu.* Horum virtuti & Lucas testimonium dedit, nimirum quando dixit, & mansit apud eos Paulus. Erant enim artis scenofactoriæ. Ad hæc quando ostendit quomodo Apollo discipulum mulier ad se susceperit, viamque domini instruxerit. Magna quidè & ista sunt, verum multò maiora sunt quæ Paulus dicit. Quid dicit? Primùm cooperarios suos vocat, ostendens illos in laboribus illis & periculis ineffabilibus communicare secum: deinde dicit, *Quonia pro anima mea suam ipsorum ceruicè supposuerunt.* Vides consummatos martyres? Verisimile siquidè est quòd innumera fuerint sub Nerone pericula, quando & præcipiebatur, ut omnes Iudæi vrbe Roma pellerentur. *Quibus non ego solus gratias ago, sed & omnes ecclesie Gentium.* Hospitalitatem hic, pecuniarumque ministerium significat: celebrans eos quòd & sanguinem suum effuderint, & omnem suam substantiam communè proposuerint. Vides generosas mulieres, quas in virtutis cursu nihil impediuit naturæ imbecillitas? Et valdè meritò: In Christo Iesu siquidem non est masculus, non est fœmina. Et quod de priore dixit, hoc & de ista ponit: nam & de illa dixerat: ipsa quippe multis adfuit, & mihi ipsi: & de ista rursus, Quonia non ego solus gratias ago, sed & omnes ecclesie Gentium: nam ne videatur adulado ista dicere, alios quoque testes mulieribus istis multò plures, adducit, dicès: *Item, quæ in domo illorum est ecclesiam.* Ita quippe probati erant, ut & domum suam ecclesiam facerent, tum quia quosuis fideles facerent, tum quia peregrinis ipsam quibusuis aperirent. Neque enim simpliciter domos consuevit vocare ecclesias, nisi multa pietas, multusq; timor Dei in illis radicans esset. Propterea & Corinthiis dicebat: *Salutate Aquilam, & Priscillam cum ecclesia, quæ est in illorum domo.* Et de Onesimo scribens dicit: *Paulus Philemoni, & Amphie dilectæ, & quæ est in domo tua ecclesie.* Licet enim & ei qui in matrimonio est celebrem esse & generosum: ecce & illi in matrimonio erant, & vehementer illuxerunt, tamen exercitium ipsorum splendidum non esset: Erant enim ipsi scenofactoriæ artis, verum omnia illa virtus obscurauit, supràq; Solem illustres effecit, ut ne-

que artificium obscurum, neque coniugium aliquo esset damno: verum dilectionem quam Christus exquisiuit, præstiterunt. Maiorem enim dilectionem nemo habet, inquit, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis: & quod signum est discipuli Christi, hoc habuerunt: acceperunt enim crucem, & secuti sunt Christum. Si enim pro Paulo ista fecerunt, multò magis pro Christo eam ostenderunt fortitudinem.

MORALE.

Ista audiant & diuites, & pauperes. Si enim qui manibus suis victum quærebant, officinæq; præerant, tantam ostenderunt largitatem, ut multis ecclesiis essent vtilis: quam veniam habebant diuites, & pauperes despicientes? Nam illi quidem neque sanguini suo pepercerunt, ut Deo placeret: tu vero modicis pecuniis parces, tuam ipsius animam sæpenumero contemnès? Verùm erga doctorem quidem tales illi fortè fuerunt, erga discipulos verò non item? sed non est quòd hoc dicatur. Nam & ecclesie Gentium, inquit, illis gratias agunt: tametsi enim essent ex Iudæis, ita tamen synecrè credebant: ut & Gentibus ad fidem cõuersis omni alacritate ministrarent. Tales oportet esse mulieres non in tortis crinibus, aut auro, aut vestimèto sumptuoso: sed talibus factis adornatas & conspicuas. Quænam dic, quæso, regina adeò splenduit, quænam ita veneranda fuit, quemadmodum ipsa tabernaculorum textoris vxor? Illa in ore est omnium, non decè, non viginti annos, sed vsque ad Christi aduentum. Et hanc in talibus prædicat omnes, quæ illi plus adferunt ornamenti quàm diadema regium possit. Quid enim maius, quid par esse poterit, quòd mulier illa Paulo fuerit adiumentum? Quòd propriis periculis doctorem orbis conseruauit? Obserua itaque quot & quantæ reginæ in obscuro sint silentio, dum interea tabernaculorum textoris vxor vbique cum suo tabernaculorum textore circumfertur, mulierisq; illius gloria quatenus terram Sol iste cõruetur, eatenus discurret. Totus siquidem orbis, & Persæ, & Scythæ, & Thraces, & qui in extremis habitant, mulieris huius philosophiæ venerantur, beatamq; dicunt. Quantas diuitias, quot diademata, quot vestes purpureas cum gaudio non proiiceres, quatenus tale testimonium acquireret? Neque enim est quòd quis dicat: in periculis quidem illi fuerunt & in pecuniis largi, prædicationem verò neglexerunt: nam propterea cooperatores & coadiutores suos illos vocat. Nec veretur vas illud benedictionis, mulierè coadiutricem suam vocare, sed & gloriatur in eo. Naturæ quippe fœminei sexus non aspiciat, sed voluntatem coronat. Quid splendori huic adæquat poterit? vbi nunc vestræ sunt diuitiæ, quas vbique diffunditis? Vbi nunc facierum ornatus? Vbi vana gloriæ? Discite mulieris huius ornatum, non corpori circumdatum, sed animam ornantem, nunquam depositum, non in arca, sed in ipso cœlo reconditum. Vide illorū circa prædicationem laborem, in martyrio coronam, in habitibus honestatis studium, dilectionem erga Paulum, erga Christum amorem. Cõfer nunc istis tua, studium pecuniarum, certamen scortorum, contentionem pro vili gramine: & tunc videbis quoniam illi, quis verò tu sis: imò nõ solum confer, sed & æmulare mulierem, depositoque vilis sceni onere, (hoc enim est vestimentorum sumptus) ornatum accipe cœlestem, & discite unde tales facti sint, qui circa Priscillam erant. Unde facti sunt?] Biennium Paulum habuerunt hospitio. Quid biennium illud in animis illorum non fecisset? Quid ergo itaque faciam, quòd Paulum non habeo? Si volueris, plenius illū habebis, quàm illi. Neq; enim aspectus Pauli tales illos fecit, sed verba. Itaq; si volueris, & Paulum,

Stamitti dem Latini dicere solent, ficuti & hic prius fecit homi. xxi.

Sarrha.

Gen. 18.

Matt. 25. Ibid. 18.

Iothon apud Sepraginta qui nobis Iethro, vocer Moysi. Exod. 2. & 3.

lum, & Petrum, & Ioanem, & prophetarum omnium chorum cum Apostolis continuo tibi loquentem, tecumque conuersantem habebis: Accipe beatorum illorum libros, scriptaque eorum continuo interpella: illa quippe efficere poterunt, ut sis instar vxoris scenofactoris. Et quid dico Paulum? Siquidem volueris, habebis & ipsum Pauli dominum. Per Pauli quippe linguam & ipse tibi loquetur. Rursus illum & aliter suscipere poteris, nempe quando eorum curam habueris, qui in illum credunt: ita poteris abeuntibus illis multa habere pietatis monumenta. Poterit enim & mensa in qua comedit sanctus, & cathedra in qua sedit, & lectus in quo iacuit, etiam digressio illo susceptorem illius compungere. Quomodo putas? Somanitum illud compungi, in conclauè illud superius, vbi manserat Elizabetha, ingressam; mensamque & lectum, in quo sanctus ille iacuerat, videntem? Quantam inde pietatem concipit? Neque enim nisi hoc fuisset, puerum proiecisset mortuum, si nõ multum vitilitatis inde tulisset. Si enim nos post tantum temporis illic ingressi, vbi Paulus mansit aliquando, vbi victus fuit, vbi consedit & disferuit, alacres quodammodo reddimur, & ad memoriam dei ab ipsis locis mittimur: quid non patientur rebus adhuc recentibus, qui cum pietate sanctos hospitio suscipiunt? His itaque cognitis suscipiamus sanctos, ut splendeat domus, ut liberetur à spinis, ut portus fiat domicilium. Et suscipiamus itaque & pedes illorum lauemus. Non es Sarrha melior, neque generosior, aut ditior, etiam si regina fueris. T recentos illa & decem & octo vernaculos habebat, quando & duos pueros habere, diuitiæ erant. Et quid dico trecentos ac decem & octo famulos? Vniuersum orbem in semine & diuinis promissionibus possidebat, amicum Dei habebat virum, Deum ipsum tutorem, id quod omni regno maius erat. Verumtamen licet in tanto esset splendore tantæque gloria: ipsa tamen & farinam miscibat, & reliqua administrabat omnia, vescentibusq; rursus instar famulæ seruitura adstabat. Tu quoque non es generosior ipso Abraham, qui post trophæa illa, post victorias, post honorem quem illi derulerat rex Ægypti, post insequutionem regum Persarum, postque illustria illa erecta trophæa, quæ famulorum erant faciebat. Neque respicias, quàm viles appareant sancti illi, & pauperes, & pannoni, qui sæpenumero ad te deferuntur, sed vocis istius memento, quæ dicit: *Quandiu fecistis vni ex minimis istis, mihi fecistis.* & Ne contemnatis vnum ex pusillis istis, quoniam angeli illorum semper vident faciem patris nostri qui in cœlis est. Suscipe ergo illos cum alacritate, qui innumera tibi bona per salutationes pacis adferunt. Cum Sarrha etiam Rebeccam, quæ & adquaui, & potum dedit, & hospitem intrò vocauit omni calcato fastu: propterea & magna est hospitalitatis adepta præmia. Tu verò si volueris, maiora etiam accipies nõ enim campi fructum tantummodo dabit Deus, sed & ipsum cœlum, & quæ illic bona sunt, & gehennæ liberationem, & peccatorum veniam. Magnus est enim, vehementer magnus hospitalitatis fructus: sic & Iothon, tametsi Barbarus esset, generum adeptus est tanta potestate mari imperantem. Bonam enim hanc venationem filiarum illius reti suo ceperant. His itaque perpensis, mulierumque istarum considerata & virilitate, & philosophia, præsentem fastum supprime, vestimentorum ornatum, deauratorum vasorum sumptum, odoramentorum vnctionem, infractionem illam & delicatorem modularumque gressum relinque, omnemque eam curam ad animam transfer, accenso in mente tua cœlorum desiderio. Nam si te cœli ceperit amor, videbis &

Chrysof. tom. 4.

cœnū esse & lutum hæc omnia, ridebisque quæ nunc admiraris. Nequit enim mulier spiritualibus adornata virtutibus, ridiculum istum ornatum querere. Proiectis igitur his omnibus, quæ & forensium mulieres, & saltatrices, & tibicinæ, multa ambitione sectantur: philosophiæ ambi, hospitalitatem, & continuas preces. Meliora sunt ista vestibus deauratis, lapidibus preciosis, inauribusque honestiora. Hæc & apud homines probatum faciunt, & à Deo magnam tibi adferunt mercedem. Hic est ecclesie ornatus, ille theatrorum: hic cœlis dignus, ille equis & mulis. Ille & mortuorum corporibus circumdatur, hic verò in sola splendet anima, in qua Christus habitat. Hanc itaque mundiciem possideamus, ut vbique venerandi simus & nos, & Christo placeamus in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXI.



Alutate Epenetum dilectum meum, qui est primitia Achaie in Christo. Multos putamus etiam eorum qui de vehemèter diligentibus esse videntur, hanc epistolæ partem tanquam superfluum, nihilque magni momenti habentem, prætercurrere: atque hoc ipsum in genealogia quæ in euangelio continetur, ipsis euenire arbitror. Quoniam enim nominum quorundam est catalogus, nihil arbitrantur se magni ex hoc loco lucrifacuros. Et aurifusorum quidem pueri, minuta etiam fragmenta curiosè conquirunt, isti verò tantas auri massas negligunt. Ne hoc itaque patiatur, sufficiunt quidem quæ dicta sunt ab ista locordia illos abducere. Quòd enim etiam hinc nõ parum sit lucri, ostendimus & ex iis quæ iam dicta sunt, quibus alloquutionibus scilicet animas vestras excitauimus. Tentabimus autem & hodie eundem hunc ipsum locum diligenter scrutando rimari. Est enim & in nudis hisce nominibus magnum inuenire thesaurum: nam si didiceris qua ratione Abraham ita vocatus sit, qua ratione Sarrha, qua ratione Israhel, qua Samuel, multarum rerum historias & hinc inuenies. Poteris autem & à temporibus, & à locis hoc ipsum congerere. Diligens quippe lector & hinc discet, remissus verò ac negligens etiam à vehementer manifestis nihil lucri capiet. Nam Adæ nomen non modica philosophia nos imbuet: idè faciet & filij ipsius, & vxoris, & aliorum plurium. Multarum siquidem rerum monumenta sunt nomina, & diuinā beneficentiam, & mulierum constantiam ostendentia. Nam quæ ex dono Dei conceperant, ipsæ & pueris natis nomina imponebāt. Sed quid nunc de nominibus philosophamus tantis rebus cogitandis neglectis, multis etiam ne librorum quidem nomina tenentibus? Veruntamè neque sic intermittenda nobis fuerit talium diligentia. Debebas enim, inquit, argentum deposuisse ad numularios. Quapropter etiam si nemo sit qui recipiat, quod nostrum est faciamus, ostendentes nihil in scripturis superfluum, nihil frustra prolatum esse. Nam siquidem nihil haberet ista quod prodesset, epistola utiq; non esset adiecta, neq; Paulus ea scripsisset, quæ quidem scripsit: sed sunt quidam ita rudes mechanici & dissoluti, cœlisque indigni, ut nõ solum nomina, sed & integros libros superfluos esse ducant, ut Leuiticum, ut Iesum, & reliquos plures. Ita & vetera testamentum multi rudium reiecerunt, & ab hac praua consuetudine ulterius progressi, multa etiam ex nouo absciderunt. Verum horum tanquam ebriosorum & carni viuientium, nõ multa nobis erit ratio. Si verò quis philosophiæ amator, spiritalisque ascultationis amicus, audiat, quàm non sint frustra & inaniter posita quæ in scripturis videntur esse minuta, quàmque & vetera multū frugis adferant. Omnia enim

Evrovia, vel iuro-riav. i. facundiam.

Matt. 25.

Supr. 15.

Armenyis

A. G. S.

Galat. 3.

1. Cor. vi. Ad Philemonem.

1.Tim. 4.

illa typi sunt, & ad nostram admonitionem, inquit, cōscripta. Propterea & ad Timotheum scripsit: Attende lectioni, adhortationi, in omnium librorū lectionem iniiciens hominem, tantum habentem spiritus, vt & demonia expulerit, & mortuos excitauerit. Persequamur itaque propōita. Salutate Epanetum dilectum meum. Licet ex hoc loco videre, quā discretim suas vnicuique laudes admetiatur. Neq; enim modica est laus ista, sed & vehementer magna, & multa virtutis declaratiua, quod Paulum habet dilectum, qui nō remerario gratiæ affectu, sed iudicio diligere nouit. Deinde & aliud encomium adiungens, qui est, inquit, primitiæ Achaïæ. Aut enim hoc idē dicit, quod si reliquos omnes credendo prouenerit, ac veluti præfiliat: id quod non modicæ laudis fuerit: aut quod plus pietatis ostenderit, quā reliqui omnes. Propterea cum dixisset, qui est primitiæ Achaïæ, non quieuit: sed ne mundanam suspiceris gloriam, adiecit: in Christo. Si enim in ciuilibus negociis priores obrinēs magnus esse videtur & illustris: multo magis in istis. Itaq; quoniam verisimile erat ipsum humili esse genere: veram ponit nobilitatem & præminentiam, hinc istum ornans. Et non solum Corinthiorum, sed & vniuersæ gentis eum primitias esse dicit, tanquam qui porta sit & introitus aliorum factus. Talium autem merces non est modica: nam & ex aliorum benefactis multam retributionem capiet qui eiusmodi est, utpote qui & ipsi suo principio multum cōtulerit. *Salutate Mariā, quæ multum laborauit erga vos.* Quid hoc? Rursus coronatur mulier & prædicatur. Rursus confundimur viri, imò non solum confundimur, sed & honestamur. Honestamur siquidem quod tales apud nos sunt mulieres: confundimur autem quod adē longē ab illis post terga relinquitur viri: verum si didicerimus vnde illæ ornentur, mox & nos illas assequemur. Vnde itaque ornantur? Audiant & viri & mulieres, non ab armillis, nec à monilibus, neque ab eunuchis & ancillis, nec à vestibus auro intertextis: sed à perpeffis pro veritate sudoribus. nā dicit, *Quæ multum laborauit erga vos.* Non erga seipsam solum, neque erga propriam virtutem: id quod multæ mulieres nunc quoque faciunt, & ieiunantes, & humi iacentes, sed & erga alios, Apostolorum & Evangelistarum suscepto cursu. Quomodo ergo alibi dicit: Mulieri verò docere non permitto: præfidentiam quæ sit in medio ecclesiæ illi prohibet, sed eum in pulpito, non doctrinæ verbum. Nisi enim hoc esset, quomodo virum infidelem habenti diceret: *Qui enim nosti mulier, num virum saluatora sis?* Quomodo commisisset vt pueros admoneret, dicens: *Saluabitur autem per liberorum generationem, si manserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum castitate.* Quomodo Apollo Priscilla instruxit? Non itaque eam disputationem doctrinæ quæ ad priuatum vsū pertinet amputando hoc dicit, sed eam quæ in medio fit & in communi theatro, quæ ipsis congruit doctoribus. Et rursus si vir fidelis fuerit, ac valde abfolutus, qui docere vxorem possit, si ipsa sapientior fuerit, docere & corrigere non prohibet. Et non dicit, quæ multa docuit, sed quæ multum laborauit: ostendens quod cum sermone & alia quæ exiguntur, ministrauerit, nimirum quæ attinent ad pericula, pecunias, peregrinationes. Erant enim mulieres illæ leonibus feruentiores, participantes & cum Apostolis in laboribus prædicationis gratia subeundis. Vnde & simul peregrinabantur cum illis, & reliqua ministrabant: & Christum quoque sequebantur mulieres, quæ ex sua substantia ministrabant, adiumentoque erant præceptorum. *Salutate Andronicum & Iuniam cognatos meos.* Vi-

1.Tim. 2.

1.Cor. 7.

1.Tim. 2.

Ad. 18.

detur quidem & hoc encomij vice dici, verum quod sequitur maius est. Quod est autem illud? *Et cōcaptiuus meos.* Hoc demum magnificentissima corona, hoc magna deprædicatio est. & vbi captus fuit Paulus, vt hîc dicat, cōcaptiuus meos? Captiuus quidē non fuit, captiuus tamen multo grauiora passus est: non solum abalienatus à patria & domo, sed & cum fame, continua morte, innumerisque aliis decertans. Nam istud in captiuo solum est graue: quod à domesticis abalienatus pro libero sæpenuerò fit seruus. Nemo autem verbis consequi valeat syluas illas tentationū quas sustinuit beatus iste, iactatus & circumactus, flagellatus, ligatus, lapidatus, submersus, innumeros habens insidiatores. Et captiuus quidem posteaquam abductus fuit, neminem amplius hostem habet: sed & subinde multa curatione potiuntur ab eisipis à quibus capti sunt. Hic verò in mediis hostibus continuo circumquaque versatus, vbique iacula, hastas acutas, acies & pugnas vidit. Quoniam igitur verisimile est & istos in multis illi periculis communicasse, cōcaptiuos suos eos vocat. Quemadmodum & alibi dicit: *Aristarchus cōcaptiuus meus.* Deinde & alia laus: *Qui sunt insignes inter Apostolos.* Atqui & Apostolos esse, hoc ipsum magnum est: Inter illos verò & insignes esse, perpende quantum sit encomium. Ab operibus autem & rebus bene gestis insignes erant. Papæ, quanta fuit mulieris huius philosophia, vt & Apostolica appellatione digna sit habita: & neque hîc consistit, sed & aliud rursus encomium adiicit, dicens: *Qui etiam ante me fuerunt in Christo.* Nam & hæc maxima est commendatio, præfiliat, & ante alios venisse. Contemplare verò mihi sanctam hanc animam, quā pura sit ab omni vanæ gloriæ desiderio. Post tantam enim ac talē gloriā, alios sibi præponit: non dissimulans quod post illos venerit, neque erubescens hoc aperte coniteri. Et quid miraris quod in hoc non confunditur, quando & priorem vitam tuam manifestare & diffamare non detrectat, blasphemum ac persecutorem seipsam vocas? Quoniam igitur non habebat quibus aliis illos hinc præponeret, quæ siuit qui post alios venisset, nimirum seipsum, & reperit etiam quam hinc eis laudem contexeret, dicens: *Qui etiam ante me fuerunt in Christo.* *Salutate Ampliam dilectum meum.* Rursus & istum à dilectione commendat. Erat enim dilectio Pauli propter Deum, innumera habens bona. Si enim magnum est à rege diligi, à Paulo diligi quantinam est encomij: neque enim nisi multam virtutem possidisset, in amorem sui ipsum attraxisset. Sciebat enim in malitia & iniquitatibus viuentes, nō solum non diligere, sed & anathematizare, vt quādo dicit: *Si quis non diligit dominum Iesum Christum, anathema esto.* Et si quis vobis euangelizauerit præterquam quod accepistis, anathema esto. *Et Urbanū cooperariū meum in Christo.* Maius est illo istud encomiū: nam & præcedens in se complectitur. *Et Stachyn dilectū meum.* Rursus & hunc ab eisdē coronat. *Salutate Appellam probatum in Christo.* Huius laudi nihil par est, nimirum irrepreschibilem esse, nihilq; prorsus in rebus ad Deum pertinentibus damni dare. Cum enim dicit, probatū in Christo, omnem virtutem receisset. Et cuius gratia nusquam dicit, herum meum, hunc vel illum, & dominū meum? Quoniā ea encomia quæ ponit, illis maiora sunt. Illa siquidem honoris tantummodò sunt, hæc verò virtutis. Deinde & hoc ipso illos honorauit, quod non quasi cōtingenter aut obiter posuit, quemadmodū multos inferiorū cum sublimibus & magnis salutauit. Salutādo siquidem, & cum aliis salutando, idq; in eadē epistola, omnes similiter honorauit. Quod verò quæ cuiusq; separatim sunt, ponit, cuique

B

C

D

261

iufque nobis virtutem separatim etiam ob oculos exhibet: ne videlicet & inuidiam pareret, si illos quidem honoraret, istos autem non item: neve sordiam & confusionem generaret, si omnes eodem honore, non eodē dignos afficeret. Vide ergo quomodo rursus ad celebres mulieres conuertatur. quum enim dixisset: *Salutate eos qui sunt ex Aristobuli familiaribus, & Herodionem cognatum meum, & qui sunt ex Narcissi familiaribus.* Quos fortē verisimile est, non tales fuisse, quales priores. Propterea neq; omnium nomina commemorat, competens illis encomium præbens, nimirum quod fideles sint. Hoc enim est quod adiungit: *Qui sunt in domino.* Rursus ad mulieres cōuersa salutatione, dicit: *Salutate Tryphenam & Tryphosam, quæ laborant in domino.* De illa quidem dixerat, quæ multum laborauit erga vos: de istis autem, quod adhuc laborent. Non est autem modicum hoc encomium, nempe in operibus copiosè versari: & non solum operari, sed & laborare. Persidem verò dilectam quoque vocat, ostendens istis maiorem esse. *Salutate,* inquit, *Persidem dilectam.* Dēque multo labore testimonium illi fert, cum addit: *Quæ multum laborauit in domino.* Ita nouit vnumquemq; pro dignitate compellare, istos alacriores reddens, quod eos nihilo eorum quæ habent, priuat, sed & minutissimam etiam excellentiam deprædicat: alios verò diligentiores faciens, atque hîc istorū encomiis in eundem zelum inducens. *Salutate Rufum, electum in domino, & matrem illius ac meam.* Item & hîc vniuersa bona, quando & filius talis est, & mater talis, & domus plena benedictione, ac radix fructuum conueniens. Neque enim simpliciter dicit, matrem illius: sed, & meam. An nō multæ virtutis testimonium mulieri huic exhibet? *Salutate Asyncritum, Phlegontem, Herman, Patrobam, Mercurium, & qui cum his sunt fratres.* Hîc nō respicias, quod istos sine encomiis ponit, sed quod eos qui omnibus sunt inferiores, salutatione sua non dedignatur. Imò neque istud modicæ laudis est, quod & fratres eos vocat: quemadmodum & qui istos sequuntur, sanctos appellat. *Salutate enim, inquit, Philologum, & Iuliam, & Nereum, & sororem eius, & Olympam, & qui cum his sunt omnes sanctos.* Quod quidē maximæ dignitatis est, honorisque ineffabilem magnificentiam habens. Deinde ne proprus quicquam contentions pareret, quod istos quidem hoc, illos autem isto pacto appellat: & hos quidem nominatim, istos verò præter omnem definitionē: ad hæc illos quidem cum maioribus encomiis, hos verò cum minoribus, per dilectionis æqualem honorem, sanctumque osculum rursus eos commiscet & coniungit, dicens: *Salutate vos inuicem cum osculo sancto.* Per hanc pacem omnem cogitationem qua possent turbari, omnemque pusillanimitatis occasionem reicit, ne vel magnus contemnat minorem, nec minor inuideat maiori: sed pellantur, & contemptus, & inuidia, osculo isto omnia mitigante & adæquante. Propterea non solum salutare illos ad hunc modum iubet, sed & omnium ecclesiarum salutem illis mittit. *Salutant enim, inquit, vos.* Non amplius illum vel illum seorsum, sed in communi omnes *Ecclesia Christi.* Vides quomodo nō modicum fructum & ex salutationibus istis tulerimus? Vides quantos thesauros neglecturi fuisset, nisi & hanc epistolæ huius partem, quārum pro viribus nostris licuit, scrutati essemus? Quod si sapiens quispiam & spiritualis fuerit inuentus, is & profundius introspicier, & plures margaritas videbit. Verum quoniam sæpenuerò quæsitum est à nonnullis, quānam ratione Apostolus tot fideles in hac epistola salutauerit, quod tamen in nulla epistolarum alia fecerit, hoc vtique dicemus: nimirum idē factum esse,

quod Romanos nequaquam dum viderat. Atqui dices: neque Colossenses cognouerat, & tamen nihil tale erga illos fecit. Verum: sed Romani celebriores erant aliis, & ex aliis ciuitatibus plurimi illuc sese transtulerant, tanquam in tutiorem quandam & regalio-rem vrbe. Illos igitur quoniam inter aduenas degebant, multaque tutione opus habebant, ac quidam illorum Paulo cogniti erāt: nonnulli verò multa & magna, cum præsentibus essent, pro ipso ministrauerāt, non immeritò ipsos per literas commendat. Pauli quippe tum temporis non modica erat gloria, sed tāta, vt qui epistolas ipsius adepti essent, per solas literas multum haberent prærogatiuæ. Neque enim illum agnoscebant solum, sed & reuerbantur: nisi enim istud fuisset vtique non dixisset: Ipsa quippe multis adfuit, & mihi ipsi. Et rursus: Optabam ego ipse anathema esse. Et Philemoni scribens dixit: Cum talis sim, nempe Paulus senex, nunc verò & vincus in Christo Iesu. Et ad Galatas: Ecce ego Paulus dico vobis. & Tanquam Christū Iesum suscepistis me. Corinthiis autem scribens dixit: Tanquam non sim venturus ad vos, inflati sunt quidam. Et iterum: Hæc autem transfigurauit in meipsum & Apollo, vt in nobis discatis, nihil de vobis ipsis sentire vltra quā scriptum sit, Ex quibus omnibus manifestum est quod magnam gloriam ex illius commendatione habuerint, quotquot ab illo cōmendabantur. Volens igitur eos in securitate esse & honore, salutauit vnumquemque iuxta quod conueniebat, ornans illos, hunc vocans dilectum, istum cognatum, alium verò vtrunque: deinde illum cōcaptiuum, istum cooperarium, hunc probatum, alium electū, & hanc quidem à sua dignitate. Neque enim simpliciter dicit, quæ ministravit, licet hoc fecerit. Et eas quæ circa Tryphenam & Persidem positæ sunt, ita sanè appellauit: sed hanc quidem munus & vocationem habentem diaconi, istam verò cooperariam, & in sacris ministrat: illam matrem, aliam verò à laboribus quos sustinuit. Et hos quidem à domo, istos verò à nomine fratrum, alios autem ab appellatione sanctorum: & illos hoc ipso honorat quod salutat, hos verò quod & nominatim salutat. Istos quidem primitias appellans, illos autem à temporis senio cōmendans. Verum plus omnibus Priscillam & Aquilā. Licet enim omnes fuerint fideles, pares tamen non fuerunt, sed præmiis diuersi. Propterea sanè vt ad maiora excitaret vniuersos, nullius obscurauit encomia: si enim qui plura præfiterentur, plus mercedis accepturi non essent, multi redderentur segniores. Vnde neque in regno par honor, neque in discipulis pares omnes, sed præstantiores reliquis tres erant, & in ipsis tribus multum rursus differentia reperitū est. Multa quippe diligentia apud Deum est etiam vsque ad extremos: nam & astrum ab astro differt, inquit, in gloria. Quamquam omnes fuerint Apostoli, omnes super sedes duodecim sessuri sint, omnes sua reliquerint, omnes simul cum ipso versati fuerint: tamē tres ex illis accepit. Rursus & horum trium quosdam eminere & excellere dixit. Sedere enim, inquit, à dextris & à sinistris, non est meum dare, nisi quibus paratum est. Petrum verò reliquis præponens, dicit: Diligis me plus his? Et Ioannes plus est dilectus ab ipso, quā reliqui: erit enim diligens omniū inquisitio, & si modicè superaueris proximum, minimum etiam & vtrunque, neque hoc tamen negligit Deus. Et istud antiquitus etiam apud veteres videre est: nam & Loth iustus quidem erat, verum non ita quemadmodum Abraham: rursus & Ezechias, at non sicut Dauid, & prophetæ omnes, sed non vt Ioannes.

venerabantur solum, sed etiam metuebant. Hic sup. ad Phile. Gala. 5. Ibid. 4.

1. Cor. 4. Ibid.

Quod præclare de ipso sentient omnes.

Quoniam si id fuisset, Tryphenam etiam & Persidem ita nominasset.

1. Cor. 15.

Mar. 10. Ioan. 21. Ibid. 19.

Vbi sunt igitur, qui post tam exactam diligentiam gehennam esse nolunt? Si enim non eisdem poterit iusti omnes, sicubi vel modice alij alios excelluerint: differt enim stella à stella, inquit, in gloria: quomodo cum iustis eadem gloria fruuntur peccatores? Hac etenim confusionem ne homo quidem quisquam faciet, multo minus Deus. Si vero volueritis, & in his qui peccaverunt, & quæ iam facta sunt, istam vobis differentiam, exactamque iuris executionem ostendam. obserua autem: Peccauit Adam, peccauit & Heua, transgressi sunt utriusque: verum ex æquo non peccarunt. Igitur neque puniti sunt æqualiter. Tantum enim hic differentia est, ut Paulus dixerit: Quoniam Adam non est deceptus, mulier vero seducta, transgressionem facta est obnoxia. atqui seductio vna erat. Verum diligens inquisitio Dei tantum differentia ostendit, ut Paulus hoc dixerit. Rursus Cain quidem punitus est: Lamech vero post illum occidens, nihil tale passus est, tamen & illic cædes fuerit & isthic, grauior etiam multo quam illic, eo quod iste neque ex precedenti exemplo factus sit melior. Verum quoniam hic quidem neque fratrem post admonitionem occidit, neque accusatore opus habuit, neque interroganti Deo impudenter respondit: sed nemine arguente seipsum & reprehedit, & condemnauit, veniam adeptus est. Ille vero quoniam contraria commisit, supplicio affectus est. Vide quanta diligentia Deus utriusque facta inquisitio. Propterea & eos qui in diluuium fuerunt, & qui in Sodomis, aliter atque aliter puniuit. Rursus aliter Israelitas, aliter qui in Babylone, aliter qui sub Antiocho fuerunt, ostendens quod multam habeat actorum nostrorum rationem. Et illi quidem septuaginta seruierunt annos, isti vero quadringentos: illi & liberos suos comederunt, & innumeras alias grauiore perpeffi sunt calamitates: & neque sic tamen liberati sunt siue illi, siue adhuc viuentes, Sodomitis etiam miseriore. Tolerabilius enim, inquit, terræ Sodomorum erit & Gomorrhæorum, quam ciuitati isti. Nam si nulla illi cura est, siue peccemus, siue probe agamus: merito poterit quispiam dicere non esse supplicium. Si vero tantum impedit studij, quod minus peccemus, & tanta molitur quod recte viuamus: manifestum quod & peccantes puniat, & recte agentes coronet. Tu vero mihi multorum iniquitatem perpende. Nam hic quidem vitio vertit Deo, quod longanimitate plerumque expectat, multosque scelestos, lasciuos, violentos ita negligit, ut non statim penas de illis sumat. Illic vero rursus si quando supplicium ipsis minatur, acerbi sunt, molesti, ac queruli. Atqui si hoc tristitiam adfert, recipiendum erat alterum & celebrandum. Sed o de mentiam! o stultam & asininam sententiam! o mentem peccatorum amatricem, & ad malitiam respicientem! Nā hinc omnia illa dogmata nascuntur, ita ut si virtuti vellent inhære qui ista dicunt, mox & de gehenna persuaderentur, omnique dubitatione leuaretur. Et ubi, inquit, & in quo loco erit ipsa gehenna? ut quid istud curas? Quæstio siquidem est, ut ostendatur quod sit, non ubi recondita sit, & in quo loco. Nonnulli quidem fabulantes dicunt quod in valle Iosaphat, quod de bello quodam præterito dictum est, ad gehennam trabentes: scriptura vero hoc non dicit. Sed in quo loco, inquit, erit? Alicubi quantum ego puto extra omnem hunc mundum. Quemadmodum enim regum carceres & metalla porro distant: ita alicubi extra hunc orbem erit gehenna. Ne queramus igitur ubi sit, sed quomodo illam sanè fugiamus: neque propterea de futuris fidem Deus non seruabit, quod hic non omnes punit. Benignus e-

1. Cor. 15.

1. Tim. 2.

Mat. 10.

Anim est, & longanimitate agit. Propterea minatur, & non statim in gehennam conicit. Nolo enim, inquit, mortem peccatoris. Quod si mors peccatorum non est, superfluum est quod dicit illam se nolle. Et noui quidem quod his sermonibus nihil vobis molestius sit, mihi vero nihil iucundius. Et utinam in prandis & coenis, & balneis, imò & ubique de gehenna disputatum esset. Neque enim mœrore affecti essemus in vitæ huius malis, nec in bonis illius delicia latatque fuisset. Quid enim mihi poteris obicere incommodi? Paupertatem? morbos? captiuitatem? cacitatem corporis? Sed hæc omnia cōparatione supplicij futuri ridicula sunt, siue obicias omnimoda fame tortos, siue à prima ætate cæcos, cibumque emendicantes: ridicula, inquam, ista ad futura mala sunt. Continuos itaque sermones de illis versemus: non enim sinet in gehennam incidere, gehennam meminisse. Non audis Paulum dicentem: Qui quidem penam sustinebunt perpetuam à facie domini? Nō audis qualis factus sit Nero, quem & Mysterium Antichristi vocat Paulus? Mysterium enim iniquitatis, inquit, iam inoperatur. Quid igitur? Nihil patietur Nero? Nihil Antichristus? Nihil diabolus? Semper igitur Antichristus erit. Sæpe diabolus. Neque enim nisi puniti fuerint, à malitia sua desistent. Vt quid dices: sed quod gehenna quidem sit, vndique manifestum est, soli vero infideles patientur. Quamobrem, dic quæso? Quoniam fideles dominum suum agnouerunt. Et quid istud? Quando enim vita illorum immunda fuerit, maiores etiā penas propterea dabunt quam infideles. Quicumque enim sine lege peccauerunt, sine lege quoque peribunt: & quotquot in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. & Seruus sciens voluntatem domini sui, & non faciens, vapulabit multis. Si vero nulla vitæ danda erit ratio, sed inaniter ista dicuntur, neque diabolus punietur. Etenim Deum agnouit, magis etiam multis hominibus & dæmones vniuersi & sciunt illum & horrent, & iudicem confitentur. C Itaque si nō erit reddenda vitæ ratio, neque malorum actionum, euadent etiam isti. Non sunt ista, non sunt in quæ, ne decipiamus nos ipsos dilecti. Si enim gehenna non est, quomodo iudicabunt Apostoli duodecim tribus Israël? Quomodo dicit Paulus: An ignoratis quod angelos iudicaturi sumus, multo magis secularia? Quomodo Christus dixit: Viri Niniuitæ exurgent, & iudicabunt generationem istam: & tolerabilius erit terræ Sodomorum in die iudicij? Quid igitur ludis in rebus non ludicris? Quid te ipsum seducis ac decipis? Quid benignitatem Dei expugnas? Propter hoc ipsum quippe illam & parauit, & minatus est, ne in illam incidamus, timore illius meliores facti. Itaque qui sermonem de istis è medio tollit, nihil aliud facit, quam quod hac deceptione in eam ipsam gehennam impellit & conicit. Ne dissoluas itaque manus illorum, qui pro virtute laborant: neque socordiam illorum qui obdormiunt adaugeas. Si enim multi crediderint gehennam non esse, quando malitiam relinquent: ubi vero iustitia apparebit? Non dico de peccatoribus & iustis, sed de peccatoribus & peccatoribus. Quamobrem alius quidem hic punitus est: alius vero, licet eadē aut certe maiora quoque deliquerit, punitus non est. Si enim gehenna non est, nihil poterit ista reprehendentibus responderi. Horror igitur ut ab istis ridiculis cessantes, obturemus ora illorum qui nobis in huiusmodi contradicunt. Erit enim tam in peccatis quam in recte factis, etiam minutissimorum exacta inquisitio. Oculorum quoque impudicorum penas dabimus, & verbosociosi, & simplicis conuicij, ebrietatis quoque supplicia patiemur, atque poculi aqua frigidæ mercedem accipiemus.

Mar. 8.

Hic inf. Ibidem.

Evangelij.

2. The. 3.

1. Ti. 4.

Phil. 3.

Tit. 1.

Mat. 23. Deu. 32.

piemus, imò & solius gemitus. Pone siquidem, inquit, A signum in faciebus gementium & lugentium. Quomodo igitur audes dicere quod simpliciter & frustra gehennam minatus sit, qui nostras actiones tanta diligentia exquirat? Noli, obsecro, noli & te ipsum, & eos qui tibi credunt vanis spebus perdere. Si nostris sermonibus diffidis, inquire Iudæos, Græcos, hæreticos omnes. Omnes veluti vno ore respondebunt, & iudicium, & retributionem fore. Sed non sufficient homines: interroga vel dæmonas ipsos, & audies clamantes: Quid venisti huc ante tempus torquere nos? Collectis his omnibus mentem tuam persuade, ne vanè nugeatur, ne per experientiam discas esse gehennam, sed hinc & respicere valeas, & tormenta illa effugere, bonaque futura acquirere, gratia & benignitate, &c.

HOMILIA XXXII.



Secro autem vos fratres, ut obseruetis eos qui B dissidia & offendicula contra doctrinam, quam vos didicistis, gignunt, & declinetis ab illis. Nam qui tales sunt, domino nostro Iesu Christo non seruiunt, sed suo ventri, & per blandiloquentiam decipiunt corda innocentum. Parænesis iterum, & post parænesim precatio. Cum enim dixisset, ut eos qui dissidia gignunt, obseruetis, illisque non obtemperet, adiicit: Deus autem pacis conteret satanam sub pedes vestros: & Gratia domini sit vobiscum. Obserua vero quam placide adhortetur: non in persona consiliarij, sed in persona domestici istud, multoque honore faciens. Nam & fratres illos vocat, & supplicat: Obsecro quippe vos, inquit, fratres. Deinde ut & cautos eos & sollicitos faciat, calumniantium dolum ostendit: tanquam enim ex seipsis manifesti non sint, dicit: Obsecro autem vos ut obseruetis: hoc est, diligenter satagate, ut cognoscatis & perscrutemini. quosnam, dic, quæso? eos qui dissidia & offendicula contra doctrinam quam vos didicistis, gignunt. Ista siquidem potissimum est ecclesiæ subuersio, in partes scilicet diuisam esse. Hæc diaboli sunt arma, hoc pacto omnia sursum ac deorsum voluuntur. Donec enim vnitum fuerit ecclesiæ corpus, nullum valet habere introitum satanas: verum à dissidiis nascitur offendiculum. Vnde autem dissidia? Ab eo quod vètri, alii que affectibus seruiunt: nam qui tales sunt, inquit, Deo nō seruiunt, sed suo ventri. Itaque non erunt offendicula, non erunt dissidia, nisi dogma quoddam excogitatum fuerit quod sit contra Apostolicam doctrinam: id quod & hic manifestas dicit, contra doctrinam. Et non dicit, quam docuimus: sed, quam vos didicistis, anticipans illos, & ostendens persuasos utique esse, audisseque & suscepisse. Et quid faciemus illis qui ista deprauant? Non dixit, aggredimini, & manus cōserentes pugnis decertate, sed declinate ab illis. Si enim ex stulticia quidem aut errore hoc facerent, oportebat corrigere. Quoniam vero scientes peccant, resillite aliò: & alibi hoc dicit: Subducite vos, inquiens, ab omni fratre qui inordinate se gerit. Et Timotheo de fabro ærario differens, talia adhortatur, dicens: Quem & tu obserua. Deinde & talia audentes obiurgans ac mordens, causam dicit, ex qua dissidium istud excogitauerint. Tales enim, inquit, domino nostro Iesu Christo non seruiunt, sed suo ventri. Hoc & Philippenfis scribens, dixit: Quorum Deus venter est. Videretur autem mihi eos hic notare, qui ex Iudæis erant, quos potissimum perpetuo solet velut gulofos notare: nam & ad Titum scribens de illis, dixit: Mala bestiarum, ventres pigri. Et Christus eisdem criminando dixit: Comeditis domos viduarum. Et propheta quoque eadem in illis reprehenderunt: Impin-

Chryso. tom. 4.

guatus est enim, inquit, incrassatus & recalcitrauit dilectus. Propterea & Moses hortatur, dicens: Cum comederis ac biberis, impletusque fueris, recordaberis domini Dei tui. Et in Euangelij Christo dicentes, Quod signum ostendis nobis, aliaque omnia prætercurrētes, ac negligentes, manna commemorat. Hoc pacto ubique huic passioni dediti apparent. Quomodo itaque te non pudebit si seruos vètris pro doctoribus habeas, qui frater es Christi? Et seductionis quidem causa hæc est: insidiarum verò modus alii rursus morbum haber, nimirum adulationem: per blandiloquentiam enim, inquit, seducunt corda innocentum. Rectè autè dicit per blandiloquentiam: obsequiū quippe illorum in verbis hæret, mens verò talis nō est, sed dolo referta. Et non dicit, vos decipiunt: sed, corda innocentum. Et neque hoc cōtentus est, sed ne grauius reddatur quod dicit, subiungit: Nā obedientia vestra ad omnes permanuit. Hoc verò faciens, nō patitur illos impudentes fieri, sed encomiis præoccupat, testiūque multitudine continet. Neque enim ego solus, inquit, testimoniū de vobis fero, sed & vniuersus orbis. Et non dicit prudentia vestra, sed, obedientia vestra: hoc est, fidelis persuasio, id quod illis est multæ mansuetudinis testimoniū dantis. Gaudeo igitur de vobis. Non modicum & istud est encomium, deinde & post laudem admonitio: nā ne pigriores eos occulte faciat, dum à culpis liberat, rursus illis insinuat: dicens: Sed volo vos sapientes esse ad bonum, sinceros ad malum. Vides quomodo illos rursus tangat, licet occulte? Est enim illud obscure significatis, quod nonnulli iam ex illis decepti & seducti fuerint. Deus verò pacis conteret satanam sub pedes vestros, breui. Quoniam enim dixerat, eos qui dissidia & offendicula gignunt, obseruate: dicit iam Deum pacis, ut confidant se liberandos aliquando ab illis. Qui enim pacem amat, utique dissoluet quæ illam lædunt. Et nō dicit, subdet: sed quod maius est, conteret, & nō solum deceptores illos, sed & qui ad ista ducem illis agit, nempe satanam. Et non solum conteret, sed sub pedes vestros, ut & ipsi victoriam auferrent, & adepto trophæo illustres redderentur. Deinde rursus & ab ipso tempore consolatio, subiungit enim: Breui. Hoc verò. simul erat & precatio, & prophetia. Gratia domini nostri Iesu Christi sit vobiscum. Tutissima arma, murus infractus, turris in quassata: admonet enim illos gratia, ut alacriores reddat. Si enim à multo grauioribus liberati, solaque gratia liberati essetis: multo magis liberabimini & à minoribus: siquidem & amici facti estis, & quod vestrum erat, simul attulistis. Vide quomodo neque precatorem sine operibus ponat, nec opera sine precatore. Dato enim illis obedientia testimoniū, precatus est, ostendens utriusque nobis opus esse, & quæ diuinitus dantur, & quæ à nobis sunt, siquidem diligenter & exacte saluandi fuerimus, idque nō solum antea, sed & nūc quoque etiam si magni celebrésque fuerimus, diuina gratia opus habemus. Salutat vos Timotheus cooperarius meus, vides rursus consueta encomia? Et Lucius, & Iason, & Sosipater cognati mei. Iasonis huius & Lucas meminit, fortitudinemque illius nobis commendat, dicens: & duxerunt illum ad magistratus vrbs clamantes. Et alios quoque credibile est de insignibus fuisse. non enim simpliciter cognatos commemoraret, nisi iuxta pietatem similes illi fuissent. Saluto vos ego Tertius qui scripsi epistolam. Non modicum & istud encomiū, scribam esse Pauli. Verum hoc nō ideò dicit, ut seipsum laudet, sed ut seruentem apud illos dilectionem ministerij gratia attrahat. Salutat vos Gaius hospes meus & totius ecclesiæ. Vides qualem illi coronam toxat, de tanta illius hospitalitate testificans, integramque ecclesiā in domum illius congregans? Hospitem enim

Ibid. 6.

Ioan. 2.

illos occulte taxat.

Ag. 17.

hinc, pro hospitio suscipiente dicit. Audiens verò quòd Pauli fuerit hospes, nò solum liberalitatis gratia ipsum celebrabis, sed & eius diligentia, qua vitã piẽ instituit. Nisi enim dignus virtute Pauli fuisset, apud eum utiq; ille minimè hospitatus fuisset. Qui enim multa præceptorum Christi transcendere etiã studuit, utique hanc illius legem transgressus non est, qua iussi sunt apostoli exquirere hospites dignos ad quos diuenterent. *Salutat vos Erasius, questor ærarius ciuitatis, & Quartus frater.* Non simpliciter adiecit, questor ærarius ciuitatis, sed quemadmodum Philippensibus scripsit: Salutant vos qui sunt ex Cæsaris familia, vt ostendat euangelij prædicationem magnos etiam tetigisse: ita & hic dignitatis huius meminit, idem quod illic agens, & ostendens, neque diuitias ei qui attenderit, neque principatus curas, neque aliud horum quicquam impedimẽto esse. *Gratia domini nostri Iesu Christi sit vobiscum. Amen.* Vides vnde exordienda, & quo terminanda sint omnia: nam & hinc fundamentum iccit epistolæ, & hinc quoque fastigium illi imposuit, simul illis matrem bonorũ omnium imprecans, atque omnis beneficentiæ diuinitus acceptæ admones. Istud quippe potissimum est generosi doctoris: non solum sermone quos imbuat, ac docet, sed & precibus iuuare, vnde & dicebat ille: Nos verò precationi & ministerio verbi adhaerebimus.

MORALE.

Quis igitur & nobis bene precabitur, posteaquã Paulus hinc migravit? Emulatores illi Pauli, tantummodo dignos nos tali patrocinio exhibeamus, ne hic solum vocem Pauli audiamus, sed & illic postquam discesserimus, athletam hunc Christi videre mereamur. Imò si hic audiuerimus, & illic ipsum omnino videbimus, licet non è propinquo stantes: videbimus tamen prorsus propè apud regalem thronum splendentes. Vbi Cherubin Deum glorificant, vbi Seraphin volant, illic Paulum videbimus cum Petro in sanctorum choro coryphæum existentem & prædentem, genuinãque illic dilectione fruemur. Si enim cum hic esset, vsq; adeò dilexit homines, vt cū dissolui ex animi proposito, & cum Christo esse cuperet, elegerit hic esse: multò magis illic feruentiorem amorem ostendet. Ego & Romam propterea diligo, tametsi & aliunde queam illam laudare, nempe à magnificentia, ab antiquitate, à pulchritudine, à multitudine, à potentatu, à diuitiis, & à rebus in bello fortiter gestis: Sed relictis istis omnibus, ob id illam beatã deprædico, quòd erga illos Paulus dum viuere, adeò fuit beneuolus, adeò illos amauit, coram discessit, & postremò vitam apud eos finiuit. Vnde & ciuitas ista hinc facta est insignis plus quàm à reliquis omnibus. Et quemadmodum corpus magnũ ac validũ, duos habet oculos illustres, sanctorum videlicet illorum corpora: Non ita cælum splendescit, quãdo radios suos Sol ex sese dimittit, quemadmodum Romanorum vrbs duas illas lâpades vbique terrarũ effundens. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Considerate & horrete, quale spectaculũ visura sit Roma. Paulum videlicet repente ex theca illa cum Petro resurgentem in occursum domini sursum ferri. Quales rosam Christo mittit Roma? qualibus coronis duabus ornatur vrbs ista? Qualibus catenis aureis cineta est? Quales habet fontes? Propterea celeberrimã hanc vrbe, nò propter copiam auri, non propter columnas, neque propter aliam phantasiã: sed propter colũnas illas ecclesiæ. Quis mihi nunc dabit circumfundĩ corpori Pauli, affigi sepulchro, videre puluerem corporis illius, quæ adhuc in Christo deerat adimpleris, stigmata illius gestatis, prædicationẽ euangelij vbique seminan-

Phil. 4.

Act. 6.

Paulus in chorofanctorum coryphæus. Phil. 1.

Ians vrbis Romæ.

268
tis: puluerem, in quã, oris illius, per quod Christus locutus est, per quod lux emicuit quouis fulgore clarior, & vox exiit demonibus quouis tonitruo terribilior, & quod beatum illud verbum locutus est: Optabam anathema esse pro fratribus meis, per quod locutus est eorum regibus, & non est confusus, per quod Paulum didicimus, per quod Pauli dominum. Tonitruo ita terribile nobis nò est, quẽadmodũ vox illa demonibus. Si enim vestimẽta ipsius horruerunt, multò magis vocem: Ipsa vincos illos & captiuos egit, hæc orbẽ terrarum expurgauit, hæc morbos dissoluit, vitium expulit, veritatem superinduxit, Christum habuit inhabitatorem. Is vbique; cū illo profectus est: & quod erant Cherubin, hoc erat & vox Pauli. Quemadmodũ in potentatibus illis sedit Deus: ita & in lingua Pauli. Digna quippe facta est quæ Christum receperit, ea tantummodo loquẽs, quæ Christo grata erant, & ad ineffabilem vsq; volans altitudinẽ, quemadmodum Seraphin. Quid enim sublimius voce illa qua dicebat: Persuasus sum quòd neque angeli, neque principatus, neque potẽtates, neque instãtia, neq; futura, neq; sublimitas, neq; profundum, neq; alia creatura poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu? Quot videtur tibi alas, quot oculos habere vox ista? Propterea dixit: Nò enim ignoro cogitationes ipsius. Hinc fugiunt demones, nò solum loquentẽ audientes, sed & vestimentũ procul constituti videntes. Oris huius puluerem videre vellẽ, per quod Christus magna & ineffabilia locutus est, & maiora etiam quàm per seipsum: (Quemadmodum enim maiora per discipulos suos operatus est, ita & maiora locutus est) per quod admiranda illa oracula orbi protulit spiritus sanctus. Quid enim os illud sanctum nõ effecit? Dæmonas expulit, peccata absoluit, tyrãnos cõpescuit, philosophorũ linguas obserauit, orbẽ Deo adduxit, Barbaros ad philosophiam persuasit, omnia cooptauit, quæ in terra: & quæ in cælis, ad quem modum voluit disposuit, ligans illic & soluens iuxta datam sibi potentiam, quos volebat. Non solum autem oris, sed & cordis illius puluerem videre vellẽ: quòd si quis totius orbis cor dixerit, innumerorũq; bonorũ fontem, & principium, & elementum primarium nostræ salutis, certè non errauerit. Hinc enim spiritus vitæ in omnia suppeditatus est, mẽbrisque Christi datus, non per arterias emissus, sed per bonorum voluntatem ac propositũ. Cor istud adeò fuit latũ, vt in se suscepisset integras vrbes, & populos, & gentes. Cor enim meum, inquit, dilatatum est: veruntamen vt latum fuerit, tamẽ sapenunero occupauit & pressit illud, quæ ipsum dilatabat dilectio. Ex multa quippe tribulatione, inquit, & anxietate cordis scripsi vobis. Et dissolutum etiam vellẽ videre cor istud, erga vnũquenque pereun- tiũ accensum, & ignitũ secundò parturiens filiorum abortus, Deũ videns, (mundi enim corde Deum videbunt, inquit) hostiam factum. (Hostia siquidẽ Deo est, inquit, spiritus contritus) cælis ipsis sublimius, orbẽ latius, radiis solaribus exhilaratius, igne feruentius, adamãte solidius, fluuios emittens (fluuij siquidem fluent ex vtre eius, inquit, aqua viua) vbi erat fons exiliens, & rigãs, non terræ superficiem, sed animas hominum: vnde nõ solum fluuij, sed & fontes lachrymarũ noctes atque dies emanarunt, Cor, in quã, quod nouã vitam, non hanc nostram vixit. Viuo enim, inquit, iam non ego, viuit verò in me Christus. Cor itaq; Christi erat, cor Pauli, tabulãque spiritus sancti, atque charitatis volumen. Cor illud quod propter aliena quidem peccata tremebat. (metuo siquidẽ, inquit, ne quo pacto frustra laborauerim in vobis. &, Ne quomodo Heuam seduxit serpens: &, Ne cùm venero, non quales volo inueniam

Galat. 6. 2. The. 3. Act. 13.

Galat. 7.

1. Cor. 1. 1. Tim. 1.

Eph. 6.

1. Cor. 6.

Ibid. 4.

269
inueniam vos.) Super seipso verò & timebat, & confidebat. Metuo, inquit, ne quo pacto aliis prædicans, ipse reprobus efficiar: &, Persuasus sum quòd neq; angeli, neque principatus poterunt nos separare: cor illud quod Christum adeò diligere meruit, vt illum nemo alius ita dilexerit, quod mortem & gehennã contempserit, quod ex lachrymis illis fraternis conterebatur. Quid enim facitis, inquit, flentes & adfligetes cor meum? quod licet fuerit tolerantissimum, ferre tamen non potuit præcognitum tempus, quo defecturi erant Thesalonicenses. Videre rursus vellem puluerem manuum illius quæ in vinculis fuerunt, per quarum impositionem spiritus sanctus suppeditabatur, per quas hæc literæ scriptæ sunt. Ecce, inquit, qualibus literis scripserim vobis mea manu. Et iterũ: Salutatio mea, Pauli manu. Manuũ, inquam, illarũ, quas cum vidisset vipera, in rogam ardentem decidit. Puluerem videre vellẽ oculorum bene exæcatorum primò, deinde verò ad orbis salutem respicientium, qui & Christum in corpore videre meruerunt, qui terrena viderunt, & non viderunt: qui, quæ non videntur, viderunt: qui somnum ignorarunt, qui mediis noctibus vigilarunt: qui, quæ solent ferre oculi inuidorum, passi non sunt. Vellẽ & pedum illorum videre puluerem, qui per orbẽ currentes non laborarunt, qui ligati erant in ligno quãdo noctu conquatiebatur carcer, qui orbẽ inhabitabilem etiam circumierunt, qui sapenunero fuerunt in itinere. Et quid opus est singula recensere? Vellem videre sepulchrũ, quo recondita sunt arma illa iustitiæ, arma lucis, mẽbra nunc viuentia, tum verò cum in hac vita essent emortua, in quibus omnibus viuebat Christus, quæ mundo fuerunt crucifixa mẽbra Christi, quæ Christũ in duerant, quæ tẽplum spiritus sancti, sanctãq; fuerunt ædificatio, quæ ligata erant spiritu, cõfixa timore Dei, habentia stigmata Christi. Hoc corpus vrbẽ hanc munit, quod quauis turri, innumerisque mœnibus ac vallis est tutius, & cum isto corpus etiã Petri. Nã & viuentẽ honorauit: Ascendi enim, inquit, videre Petrum. Propterea & hinc emigrantem istum contubernalem sibi dignata est facere illius charitas: vellem videre leonem illum spiritualem. Quemadmodum enim leo ignem in vulpium greges demisit, ita iste in demonum & philosophorum globum & exercitum irruit, & velut fulminis solet impetus: ita in diaboli phalanges delatus est. Neque enim is iusta acie Paulo restitit, sed illum ita est veritus, ita ante illũ tremuit, vt & vel illius vmbra videns, vel vocem audiens procul fugerit. Ita & cum qui fornicatus fuerat, Satanã, etiam longè distitit, tradidit, ac rursus ex illius manibus eripuit. Ita & alios, vt discerent non blasphemare. Vide verò, quomodo eos quos ordinauerat, stimulet excitans & muniens. Etiã quidẽ Ephesiis dicit: Non est nobis colluctatio aduersus sanguinẽ & carnem, sed aduersus principatus & potestates. Deinde & præmiũ certaminis ponit in cælestibus, dicens: Nò enim nobis certamẽ, inquit, circa terrenas res, sed circa cælos, & quæ in cælis sunt. Iam verò aliis: An ignoratis, inquit, quòd angelos iudicabimus: multò magis secularia: His itaque consideratis omnibus, stemus generosè ac fortiter: nam & Paulus homo fuit ex eadem nobiscum natura participas, aliãque communia nobiscum habens. Verum quoniã multum dilectionis erga Christum ostendit, cælos ipsos transcendit cum angelis cõstitutus. Itaque si voluerimus & nos vel modicum excitari, ignemque illum in nobis accendere, æmulari poterimus hunc sanctum. Neque enim si impossibile hoc esset, clamasset, dicens: Imitatores mei estote, quemadmodum ego Christi. Non solum ergo

Chrysostr. tom. 4.

A admitemur ipsum, neque tantummodo stupeamus, sed & imitemur: vt mereamur hinc migrantes, & ipsum videre, & ineffabilis ipsius gloriæ participes esse: id quod nos omnes assequi contingat gratia & benigntate, &c.

Finis commentariorum D. Ioannis Chrysostr. in epistolam ad Romanos.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI IN LOCVM PAULI, SALVTATE PRISCAM & AQUILAM, & de colendis sacerdotibus.

Rom. 16. 1. Co. 16. & Act. 18.



Onne docti estis, nihil in sacris literis inter superuacanea habendũ? Nonne didicistis & inscriptiones, & nomina, & cognomina diligenter in arcanis scripturis excutenda? Ego sanè studiosos arbitror ne laturos quidem, vt verbum ali-

quod in sacris libris contemptum prætereatur, etiam si tantum nomina recenscantur, vel tempus numeretur, vel breuis cuiusdam cognominatio contingat. Attamen vt adhuc certior hæc sententia fiat: agẽ, hodie ad ea quæ nuper in salutatione Priscillæ & Aquilæ relicta sunt, accedamus: tametsi non parum profuerint & præcedentia. Docuit enim nos, quantum bonum sit, operari, & quantum malum, ignauitã deditum esse. Et qualis anima Pauli? Quam vigil, quam sollicita? Non tantum ciuitatum & populorum, & gẽtium, sed & singulorum fidelium magnam curam gerit. Ostenditque quomodo hospitalitas nec inopia præpediatur. Et quod virtute ac pia voluntate vbique opus sit, non item diuitiis & facultatibus? Et quòd clarissimi omnium sunt, qui Dei timorem habent, etiam si in extrema paupertate degant. Vnde Priscilla & Aquila opifices, nempe pelliones, pauperem & honestam agentes vitam, præ omnibus beati prædicatur. Et cum alij dignitatibus & potentia inflati, silentio prætereunt, pellio ille vnã cum vxore toto orbe decantatur. Quòd si tanta eorum in præfenti vita est gloria, cogita quanti eorum futuri sunt fructus post illum diem, quando tempus erit coronarum & retributionum, qui ante illum diem non paruam voluptatem, vtilitatem, & gloriam acceperunt, quibus tantilli temporis consuetudo cum Paulo fuit? Enimverò sicut prius dicebam, neque nunc dicere desinam, quòd non solum doctrina, & admonitio, & consilium, sed & sanctorum aspectus, atque vestium amictus, & calceorum mos, multum habet vtilitatis ac voluptatis. Et inde non exigua vitæ nostræ commoditas accedit, cùm discimus quatenus hi necessariis vsi fuerint. Non enim solum vtendi modum non sunt transgressi, sed & vsui fermè necessario nonnunquam renunciarunt: quin & in fame, & in siti, & nuditate verfati sunt. Et Paulus quidem imperabat discipulis, dicens: Habentes autem alimenta & tegumenta, his contenti simus. Et clarum est quòd de seipso dicit: Vsq; in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi agimus, & colaphis cadimur. Operæ precium hinc fuerit in medium aliquid afferre, de quo frequens est quaestio. Et quidnam hoc? Dicebam, morem apostolicorum calceorum nonnihil nobis conferre vtilitatis.

1. Tim. 5.

1. Cor. 4.

Sed cum hoc dico, incidit mihi lex quam Christus A
posait, dicens: Non possidete aurum, neque argentum,
neque aliud quid in zonis vestris, neque calceos, neque vir-
gam in via. Manifestum autem est, Petrum habuisse
sandalia. Vnde cum Angelus eum dormientem excita-
ret, & e carcere educeret, ait: Calcea te sandaliibus
tuis, & circunda vestimentum tuum, & sequere me. Et
Paulus Timotheo scribit: Penulam quam reliqui Troa-
de apud Carpum, cum venies, affer, & libros, praesertim
membranas. Quid dicis Paule? Christus iubet non ha-
bere calceos, tu autem penulam habes, & alius sandalia?
Quod si hi tenues quidam essent, magistro non per
omnia obtulerant, nulla erat hic facienda quaestio:
sed cum ipsi praecipui sint, ac primates Apostolorum,
& animas suas impenderunt, Christoque per omnia
obedierunt, & Paulus non solum imperata fecit, sed
& supra septa totus saltavit: cumque praeciperet ex Eu-
angelio viuendum, victum ipse manibus suis quaesuit,
plus, quam imperatum erat, faciens: idcirco dignum B
est, ut quaeramus, quare qui in omnibus Christo pare-
bant, legem eius videntur transgredi? Nam re ipsa trans-
grediuntur. Hic sermo non in hoc solum utilis erit, ut
excusentur sancti illi, sed ut & Gentilium obstruantur
ora. Quandoquidem multi, viduarum domos subuer-
tentes, orphanos nudantes, ipsique omnibus abundan-
tes, & lupis nihil meliores, ex alienaque miseria viu-
tes, cum vident interdum fidelium aliquos pluribus
vestiri amiculis, continuo eis legem Christi obiciunt,
& dicunt: nonne praecipit vobis Christus, ne habeatis
duas tunicas, vel calceamenta? quomodo ergo vos le-
gem illam praeruaricamini? Et post haec, cum abunde
fratrem riserint, & probris affecerint, discedunt. Igitur
ne talia fiant, age & illorum obturemus impudenciam.
Et possemus quidem ab eis facile liberari, si hoc vnum
eis diceremus. Quale hoc? Si Christum ut fide dignum
probas, Ethnice merito haec obicis, & a nobis quaeris:
si ei non credis, quare legem eius opponis? Aut qua-
do accusare nos vis, dignus tibi videtur fide Christus?
quando autem cum admirari oportet & adorare, nul-
lius est apud te momenti, totius orbis dominus? Ve-
rum ne haec inopia defensionis dicere nos putent, ad
solutionem eius quod quaerebatur, veniamus. Quanam
ergo solutio? Videndum est in huiusmodi, quibus, &
quando ea Christus imperauerit. Non enim obiter, &
nude inquirenda sunt haec: sed operae precium fuerit
simul & personam, & tempus, & omnia haec diligenter
perscrutari. Itaque quum haec diligenter considera-
mus, inuenimus quod ipsa non sint omnibus impera-
ta, sed solis Apostolis: & neque illis in omne, sed ad
praescriptum & determinatum tempus. Et vnde hoc
manifestum? Ex dictis ipsis: dicit enim, Vocatis duo-
decim discipulis, dixit eis: In viam Gentium ne abie-
ritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. Ite
potius ad oues domus Israel quae perierunt: infirmos
curate, daemones eiicite: gratis accepistis, gratis date:
ne possideatis aurum vel argentum, vel aes in zonis
vestris. Attende quanta magistri sapientia. Quomodo
leue hoc praecceptum fuerit. Nam cum prius dixisset:
Infirmos curate, leprosos mundate, daemones eiicite,
magnamque eis gratiam liberaliter dedisset, tunc tan-
dem haec imperauit, nimirum paupertatem, signorum
potestate leuem & facilem reddens: neque ex his so-
lum, sed ex multis aliis manifestum est, solis discipulis
esse imperatum. Nam & virgines quia oleum in lam-
padibus suis non habebant, puniuit: & alios quoque
arguit & increpat, quia esurientem ipsum viderunt,
& non pauerunt, & sitientem non potarunt. Porro is
cui non est aes neque calceamentum, sed vna tantum

vestis, quomodo absque his alium pascere, quomodo
nudum vestire, quomodo alium in domum inducere
poterit? Sed & aliunde clarum esse poterat. Nam ac-
cedente, & dicente quodam: Quid faciendo vitae
ternae hereditatem assequar? Cum recensita essent
omnia, quae in lege praecpta, & ille curiosius percon-
taretur, & diceret: Haec omnia seruaui ab adolescen-
tia mea, quid adhuc mihi deest? dicit ad ipsum, Si vis
perfectus esse, vade, vende facultates tuas, & da pau-
peribus, & veni sequere me. Hic si praecipere voluisset,
oportebat hoc principio dicere, & legem in ordine
praecptorum ponere, & non tanquam consilium &
exhortationem narrare. Enimvero cum dicit, Non
possidete aurum, vel argentum: imperando dicit. Cum
vero dicit, Si vis perfectus esse: consulendo & admo-
nendo dicit. Non est autem idem, consulere, & legem
ponere. Nam qui legem statuit, modis omnibus fieri
vult quod praecipit. Qui vero consulit & adhortatur,
sententiae & arbitrio auditoris permittit, ut ex dictis
quod voluerit eligat, sicque faciedorum dominus au-
ditor relinquitur. Propterea non simpliciter dixit, Va-
de, vende facultates tuas: sed ut discas quod in arbitrio
audientium res sitae sint. Vnde manifestum, Apostolis
solis haec fuisse praecpta. Verum quaestio nondum so-
luta est. Nam si praecpta sunt haec solis Apostolis, quid
in causa est, quod licet praecptum fuerit ne haberent
calceos, vel geminas vestes, inuenti sunt eos possiden-
tes: nam alius possedit penulam, alius vero sandalia?
Quid igitur ad haec dicemus? Christus neque Aposto-
los semper huius legis necessitate obstringi voluit, sed
eos absoluit ab hac lege, cum iam ad salutaris crucem
iturus esset. Et vnde hoc liquet? Ex saluatoris sermo-
nibus. Nam passionem aggressurus, vocatis illis dixit,
Cum vos mitterem sine marsupio & pera, aliquidne
deerat? At hi respondentes dixerunt: Nihil. Ipse autem
dicebat eis: Sed nunc qui habet marsupium, tollat &
peram: & qui non habet, vendat vestem suam, & mer-
cetur gladium. Iam forte dicit aliquis, Apostolos qui-
dem his dictis a crimine absolutos. Sed ultra quaeritur:
Quare Christus contraria praecperit? nam interdum
dicit, Ne possideatis peram: interdum autem, qui non
habet marsupium, tollat & peram. Quare hoc fecit?
Sanctae admodum dignae fecit, pro sua sapientia: cu-
raque, quam pro discipulis gerebat. Ab initio enim
vocationis hoc faciebat, ut discipuli periculum virtu-
tis suae facerent: & posthac in orbem terrarum exi-
ri, hoc exemplo animati, se magis fiderent. Verum, v-
bi iam potentiam suam agnoscere coeperunt, voluit ut
& ipsi domi virtutis speciem aliquod praebent, per-
mitteretque ipsosmet suas ferre tentationes, ne scilicet
perpetuo ociosi residerent, & ad finem usque in om-
nibus quasi pueri gestarentur. Et quemadmodum qui
artem natandi docent, principio multa diligentia dis-
cipulos gestant: post vnum autem & alterum & tertium
diem subtracta dextera illis praecipiant, ut se ipsos iu-
uent, & nonnunquam illos parumper mergi sinunt,
ita ut & multum saluginis forbeant: Ita sanctae cum
discipulis suis Christus faciebat. Nam initio nihil eos
pati sinebat vel paruum vel magnum, sed vbique ad-
erat muniens, & circumuallans eos, faciensque ut om-
nia vberrim eis affluerent: cum vero tempus esset,
ut virilitatem suam ipsi declararent, subtraxit aliquan-
diu beneficium, praecipiens eis, ut etiam per se ipsos
multa perficerent. Atque hanc ob causam, cum non
habebant calceos, vel zonam, vel baculum, vel aes, ni-
hil eis deerat. Dicit enim, Num aliquid vobis deerat?
Et respondentes dixerunt: Nihil. Caeterum quo tem-
pore permisit eis, ut marsupium haberent & peram, &
calceos,

calceos, inueniebantur & esurietes, & sitientes, & nu-
di incedentes. Vnde liquidum, cur passim eos periculi-
tari & affligi sinit: nempe, ut mercedem aliquam ha-
beant. Et quemadmodum aues pullos suos fouentes,
tandiu in nido sedent, donec illorum plumae incre-
cant: quas dum increuisse viderint, eos primum circa
nidum volitare docent, dein adminiculo suo totos
desistunt: Ita faciebat & Christus. In Palaestina enim,
quasi in nido nutrabat discipulos, & exin eos volare
docuit praesens, & gestans: tandem permisit eos vola-
re in totum orbem, dato eis mandato, ne sibiipsis de-
fessent. Et quod ideo omnino eos nudos, & vna tantum
veste amictos misit, & absque calceis ambulare iussit,
ut suam virtutem & potenciam cognoscerent: sciemus
verum esse, si & aliud dictum audiamus. Non enim
simpliciter dixit eis, Tollite marsupium & peram: sed
priorum memoriam reficando sic dicebat, Cum mitterem
vos sine marsupio & pera, aliquidne deerat? hoc est,
nonne omnia vberrim vobis affluebant, multa-
que largitate fruebamini? sed nunc volo vos & pau-
peratatem experiri, & capropter ad legem prioris ob-
strictos nolo, neque a vobis idem quod antea exigo, ut
ne quasi per inanima organa per vos operari existi-
mer. Adhibete & vos vestram diligentiam & indu-
striam. Quod si adhuc dicis: An non maius fuisset be-
neficium, si semper ita secute verari eos voluisset? Ve-
rum non ita probati fuissent, si nullam vel afflictionem,
vel persecutionem, vel inopiam, vel angustiam degu-
stassent: sed mansissent ignaui & pigri, Caeterum o-
portebat relucere, non solum beneficium & gratiam Chri-
sti, sed & subditorum probationem, ut ne sint postea,
qui dicere possint: Apostolos nihil a seipsis attulisse,
sed facta omnia opere Christi. Non enim difficile erat
Deo, usque ad finem in eo successu custodire: sed no-
luit ob varias, necessariasque causas, quas saepe chari-
tati vestrae diximus. Vna quidem haec quam diximus.
Alia autem hac non minor, nempe ut modestiae af-
fucierent. Tertia vero, ut ne maior illis, quam homi-
nibus debetur, honor exhiberetur. Itaque propter haec,
& his multo plura, cum permissurus esset eis multa in-
expectata accidere, noluit priorem legem tam arctam
manere, sed eius seueritatem non nihil relaxauit. Ut
& ita non esset eis grauis & intolerabilis vita, si vbique
derelinquerentur, & simul duram hanc legem serua-
re cogerebantur. Quoniam autem oportebat obscure
propositum clarius docere, idcirco postquam dixit, Qui
habet marsupium, tollat & peram: subiicit, Et qui non
habet, vendat vestem suam, & emat gladium. Quid-
nam hoc? Armate discipulos qui dicit: Si quis te per-
cusserit in dexteram maxillam, obuerte ei & alteram?
Qui praecipit, ut benedicamus his, qui nos conuiciis
laccunt, seramus inuadentes, oremus pro perseque-
tibus, nunc armat? armatque vno tantum gladio? Et
quomodo haec rationi consona sunt? Nam si omnino
armis opus erat, non solo gladio, sed & scuto, & galea,
& cruralibus armare oportebat. Et profecto si huma-
no more haec dispensare, & agere voluisset, ridiculum
erat hoc praecceptum. Quandoquidem licet sexcenta
id genus arma possiderent, aduersus insidias, & impe-
tus populorum, tyrannorum, ciuitatum, gentium, quo-
modo potentiores habitui fuissent vndecim? Non po-
tuissent praetimore spectare faciem exercituum, & au-
dire vocem hinnientium equorum, viri non nisi in sta-
gnis & fluminibus & lembis versati. Quare ergo hoc
dicit: Iudaeorum insidias indicare volebat, idque mani-
feste, & non per aenigmata, ne iterum secum confun-
derentur. Itaque sicut cum audis Christum dicentem:
Quod audistis in aure, praedicate super tecta: & quod

A audistis in tenebris, dicite in luce. Non intelligitis, qua-
si praecipiat relictis foris & triuiis, eos super tecta de-
bere praedicare: sed cum dicit, Super tecta, & in luce:
fiduciam & libertatem publice praedicandi insinuat.
Cum vero dicit, In aurem & in tenebris: significat, ut
vbique terrarum narrent, quod in parua mundi parte,
& in vno Palaestina loco audierant. Neque enim in
tenebris & in aurem eis dicta erant, sed saepe in altis
montibus, in conuentibus & synagogis. Ita & hic in-
tellige. Nam sicut ibi audimus tecta, ita & hic arma.
Non igitur sentimus, quod talibus verbis iusserit ha-
beri gladios: sed quod per gladios insinuarit immine-
re insidias, & passurum se a ludaeis quae & passus est: at-
que hoc ex sequentibus manifestum est. Nam ut dixit
emendum gladium, mox adiecit: quia oportet ad-
impleri ea quae de me sunt scripta, Quod cum iniquis
reputatus sum. Discipulis autem dicentibus, Hic sunt
duo gladii: & non intelligentibus dictum, ait, Satis est.
Tamen si non suffecissent vel duo, vel tres, vel centum,
si humano auxilio eos uti voluisset. Quod si noluit eos
humano praesidio uti, sunt utique & hi duo superflui.
Proinde hic doctrinam suam non exposuit, id quod v-
bique facere videtur, ut quoties dicta minus intelligunt
discipuli, euentui rerum dictorum intelligentiam ex-
planandam relinquens praeretur. Ita & alibi facit. De
resurrectione enim differens, sic alibi dicebat: Sol-
uite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud:
& non intelligebant discipuli quid diceret, sicut & eu-
angelista testatur, dicens: Quando autem surrexit Ie-
sus, crediderunt verbo eius, & scripturae. Et iterum ali-
bi: Nondum enim scierant scripturam, quod oportebat
ipsum e mortuis resurgere. Sed quaestio satis solu-
ta est. Nos nunc ad reliquam salutationis partem ser-
monem flectamus. Quidnam ergo est, quod dicendum?
& vnde digressi sumus? Priscillam & Aquilam beatos
diximus, quod Paulo cohabitarunt, diligenter addif-
centes morem habitus & calceamentorum atque om-
nium, quae agebat. Hinc nobis enata est quaestio, &
quaesitum: cuius gratia Christo prohibere aliquid praer-
ter vnam vestem haberi, nisi sunt hi habere sandalia, &
penulam? & sermone demonstratum est, quod Apo-
stoli his vtendo legem non transgressi sunt, sed diligen-
ter obseruauerunt. Haec autem dicimus, non ut vos ad
coacervandas diuitias exhortemur, & prouocemus,
ut plus quam necessitas postulat, possideatis: sed ut in
promptu sint, quae infidelibus nostra carpentibus, re-
sponderi debent. Etenim Christus superiorem legem
soluens, non propterea iussit nos habere domos, ser-
uos, lectos, vasa argentea, vel quippiam horum: sed li-
berauit nos, ne prius dictorum necessitate vrgeremur.
Vnde & Paulus sic admonet, dicens: Habentes victum
& tegumenta, his contenti simus. Tribuendum enim
egentibus, si quid vsui nostro superest. Id quod Priscil-
la & Aquilas perquam studiosae faciebant. Et idcirco
eos laudat & admiratur Apostolus, in signe illorum praer-
conium apponens. Nam ut dixit, Salutate Priscillam &
Aquilam cooperarios meos in domino: etiam causam
ponit tantae charitatis. Qualem? Qui pro mea, ait, ani-
ma ceruicem suam supposuere. Igitur, dicit fortasse
aliquis, hac de causa eos diligis & amas: Maximè. Quia
& si id vnum egissent, ingenti laude digni erant. Qui
enim duces exercitus saluum fecit, & milites fecit sal-
uos: qui medicum liberauit periculis, & laborantes mor-
bis ad sanitatem reduxit: qui gubernatorem fluctibus
eripuit, nauem totam ex vndis liberauit: sic utique
qui magistrum orbis saluarunt, & pro eo illiusque sa-
lute sanguinem suum effuderunt, orbis quoque totius
fuerunt benefactores, ut pote sua erga praecptorem be-

nevolentia discipulos omnes seruantes. Vt autem discas, quod non solum in magistrum fuerint tales, sed & fratribus eandem curam impenderunt, audi sequentia. Nam cum dixit, quod pro anima mea ceruicem supposuerunt, adiecit dicens: Quibus non ego solus gratias ago, sed & omnes ecclesiarum gentium. Iam quid tantum duo illi tantis prodesse potuerunt ecclesiis? Qua opum abundantia, qua potentia magnitudine, quo erga principes fauore claruerunt? Opum quidem abundantia, & potentia, & gratia apud potentes nihil valuerunt neque talia habebant: sed erat eis, qui his omnibus maior est, animus ad pericula promptus & alacer, magnamque benefaciendi studium. Hinc est quod de multis bene meruerunt, multosque saluarunt. Neque enim ecclesiis tam prodesse valent diuites illi pompatici, vt pauperes magnanimi. Nemo dictum hoc miretur: nam multae sunt diuitis molestiae & negotia. Timet pro domo, pro famulis, pro agris, pro opibus ne quis aliquid ex his auferat. Et qui multorum est dominus, idem multorum seruus esse cogitur. Pauper autem nummis parum valens, & curis his omnibus carens, leo est, ignem spirat, generoso & forti animo aduersus omnes insurgit, facile omnia agit, quae prodesse possunt ecclesiis, siue opus sit vt arguantur aliqui, siue vt increpentur, siue vt Christi nomine ferantur pericula & inimicitiae. Quoniam qui semel vitam despexit praesentem, magna facilitate conficit omnia. Quid enim timeret, dic obsecro? Num ne opes eius auferantur? Hoc nemo dicere poterit. Num ne quis imminuat ei ministeria & delicias? sed in omnibus illis gaudere se dicit. Caeli municeps est, & ad futuram festinat vitam. Non deprecabitur item si anima impendenda sit, & effundendus sanguis. Hinc est, quod talis etiam & tyrannis, & regibus, & populis, & omnibus potentior est ac ditior. Et vt discas, quod verè haec, & non adulariter sint dicta: & quod qui nihil possidet, hic omnium liberrimus est, & maxime liberè loqui audeat. Quot diuites erant tempore Herodis, quot potentes? & quis in medium prorupit? quis tyrannum increpauit? quis contempnas leges Dei vltus est? Diuitum quidem nullus, sed pauper ille & inops, qui neque lectum, neque mensam, neque tectum habebat: ille, inquam, solitudinis inquilinus Ioannes, ille solus & primus omnium libertate tyrannum arguit, & adulterinas nuptias detexit, & praesentibus omnibus ac audientibus pronuntiata sententia eum condempnauit. Et ante hunc magnus quoque Helias, qui nihil praeter melotem possidebat, impium & prauaricatorè illum Achab, solus viriliter corripuit. Nihil enim, nihil omnino sic liberè loqui, & in rerum discrimine fiduciam habere, & contra captiuitatem satis munitum & fortem facit, vt nihil possidere, & nullis saecularibus adobui negotiis. Atque adeo, si quis virtutum, libertatisque multum possidere cupit, paupertatem amplectetur, praesentem vitam despiciat, nihil esse putet mortem. Hic non solum plusquam diuites & principes, sed & plusquam reges ipsi ecclesiis prodesse poterit. Nam regnantes illi & abundantantes, quaecunque faciunt ex opibus faciunt: hic autem magna plerumque operatur è periculis & mortibus. Quam autem auro omni preciosior est sanguis, tantò paupertas quam abundantia melior. Tales quidam erant illi Pauli hospites Priscilla & Aquila, qui opum carebant abundantia, & omnibus diuitibus locupletiore animo possidebant, expectantes quotidie vt morerentur: testificantisque omni tempore caedebantur, & sanguinem effundebant. Sic discipuli magistris, & magistri discipulis colligati erant. Nam Paulus hoc non solum de his, sed & de multis aliis te-

Mat. 14. & Mar. 6.

3. Re. 21.

1. Co. 16.

statur. Nam Hebraeis, & Thessalonicensibus, & Galatis scribens, asserit omnes multis tentationibus afflictos. Et indicat, quare scripserit, nempe quod patria excidebant, substantias perdebant, ad sanguinem usque periclitabantur, tota eorum vita in grauius certaminibus erat, & praecidi membrorum summa pro praecceptoribus non detrectabant. Vnde Galatis scribens, dicit: Testor enim, quod si possibile, oculos vestros effoscos mihi dedissetis. Et Epaphram in Colofis iterum accepit suum. Nam vt dixit, quod aegrotarit vsque ad mortem, & Deus eius misertus fuerit, subdit, non solum autem eius, sed & mei, vt ne tristitiam super tristitiam haberem. Vbi clarè demonstrat se habiturum fuisse dolorem in mortem discipuli. Cuius virtutem alicubi omnibus iterum detegit dicens, quod appropiauit vsque ad mortem, neglecta animae salute, vt impleat, quod in vobis erga me deerat ministerium. Quid illis fuerit beatius, quid autem nobis miserius? Quando quidem illi sanguinem, & animam pro praecceptoribus praemittebat, nos autem neque breue verbum pro communibus patribus emittere audeamus, cum audiamus eis maledici, & conuiciis eos profcindi, & blasphemari, & a suis, & ab alienis. Nam maledicentes neque compescimus, neque reprehendimus, neque prohibemus. Vtinam ne ipsi primi accusatorum simus. Sanè non tanta ab infidelibus conuicia & probra, quanta in principes ab his, qui nobis iusti religione videntur, fidelibus, iaci videbit aliquis. Vltra hinc quaerimus, vnde haec ignauia, & vnde hic pietatis contemptus euenit, quod sic hostiliter erga patres nostros sumus affecti: Nihil est quod ecclesiam Dei ita destruere, & dissoluere potest: vt quando discipuli magistris, & patribus filij, & principibus subditi, non magno studio coharent. Diuina voce, si quis fratrum cuiuspiam maledicit, a sacrarum scripturarum lectione excluditur. Vt quid enim accipis, ait, testamèntum meum per os tuum? & causa posita dicit: Sedens contra fratrem tuum, obloqueris. Patrem accusans dignum te putas, qui diuina vestibula accedas? Quomodo hoc congruet? Nam si maledicentes patri vel matri, morte moriuntur iuxta legem: quali iudicio dignus eris, qui maledicere audes ei, qui parentibus illis magis necessarius est, & melior? An non times, ne aperiat se terra, & totum te absorbeat, vel fulmen supernè in te adigatur, & maledicam illam linguam comburat? Non audisti, quid passa sit Moyses foror, principi maledicens? Quomodo facta sit immunda, incidit in lepra, ipsum matrem sustinuerit ignominiam, fratre Deum orate veniam non obtinuerit: tamen illa ipsa esset, quae sanctum illum olim exposuerat, & pro eius educatione multa excogitauerat, vt eius mater in alumna & nutricem assumeretur, & ne puellus in barbarico sinu nutrire, & ab initio tanta fecerat, vt femininarum dux fieret, sicut Moyses virorum, vt pote omnes antecellens, verè soror Moyses existens. Verum tamen cum maledixit, nihil ei profuerunt haec omnia ad effugendam iram Dei: sed nec Moyses, qui tantum populum, post recentem illam impietatem, precibus obtinuerat, pro forore supplicans, & veniam petens, placare Deum potuit, sed ab eo valde increpatur: quo discamus & nos, quantum malum sit, principibus maledicere, & aliorum iudicare vitam. Etenim in die illo magno, non solum de his quae nos peccauimus, sed & de his ob quae in alios sententiam tulimus, omnino iudicabit nos Deus. Et quod saepe naturam leue peccatum est, hoc graue & incondonabile fit, dum peccans alium iudicat. Fortè non satis claret, quod diximus, igitur clarius dicemus. Peccauit aliquis & alium idem com-

mittentem

277

Luc. 18.

Mat. 7.

Num. 12.

Mat. 23.

Ag. 23.

Ibidem.

1. Re. 24.

1. Re. 6.

mittentem peccatum condempnauit: is in die illo valde amaro non eam poenam luet, quam peccati natura exposcit, sed maiorem quam duplicem, & triplicem: non propter id quod ipse peccauit, sed quod alium iudicauit. Et ideo in eum sententiam feret Deus. Et quod hoc verum sit, ex his quae iam facta sunt, & contigerunt, demonstrabo. Nam pharisaeus, quamuis ipse nihil peccauerat, sed & iuste vixerat, & multa de se praedicare poterat: quia tamen publicanum vt raptorem, auarum, & iniquissimum condempnauit, iustificatus non est, & ad maiorem quam ille poenam, seruatus. Quod si is, qui nihil peccauit, & peccantem alium (qui manifestatus erat omnibus) verbo breui condempnauit, tantum iactura fecit, & intantum est punitus: qui multum quotidie peccat, aliorumque vitam condempnant, etiam ignotorum, cogita quantam sustinebunt poenam, quomodo omni venia excidet: In quo enim iudicio iudicatis, inquit, & vos iudicabimini. Propter haec utique & supplico, & precor, & exhortor, vt ab hac mala consuetudine desistatis. Nihil enim nocebimus sacerdotibus, quibus maledicimus, siue mentita, siue vera sint, quae de eis dicimus. Quoniam & pharisaeus publicano nihil nocuit, sed & profuit, licet vera de eo diceret. Ceterum nobis ipsis mala extrema ipsi accersimus, sicut & pharisaeus in seipsum gladium intravit, & accepta plaga abiit. Vt igitur ne & nos idem patiamur, imperemus indomitae lingua. Nam si is, qui publicano maledixit, poenam non effugit, nos qui patribus maledicere solemus, qua nos apologia tuebimur? Si Maria, quae fratre blasphemauit semel, tamen dedit poenam: cuius nobis salutis spes, cum nos quotidie principes infinitis conuiciis, vt aiunt, abluimus? An mihi hoc quis dicet, Ille Moyses erat? Potero & ego dicere, Illa Maria erat. Ceterum, vt & alia ratione hoc manifestè cognoscas, quod nec si criminum rei sint, illorum tibi vitam iudicare fas sit, audi quid dicat de principibus Iudaeorum Christus: Super cathedram Moyses sederunt scribae & pharisaei: omnia igitur quaecunque dixerint vobis, vt faciatis, facite: iuxta opera autem eorum ne faciatis. Iam, quid illis erat peius, quorum zelus futuros discipulos corripuit? At tamen neque sic eos deposuit à dignitate, neque subditis contemptibiles fecit. Quod si semel hanc potestatem arripuerint subditi, statim hi qui alios ordinant, à gradu & dignitate deturbari videbuntur. Eapropter Paulus cum principem Iudaeorum notasset, ac dixisset: Percutiet te Deus paries dealbate: & tu iudicās me, sedes? Postquam autem alios audiuit sibi resistentem, & dicentes: Pontificem Dei conuiciis incessis: monstrare volens, quantum oportet sacerdotibus Dei exhibere honorem, & reuerentiam: Nesciebam, inquit, quod pontifex esset. Propterea & Dauid, cum Saulem apprehendisset prauaricatorè, & spirantem homicidium, & multis poenis dignum: non solum eius vitam pepercit, sed neque vt verbum asperum in eum iaceretur, sustinuit, causamque ponens, dicit: Christus domini est. Neque hinc solum, sed & aliunde videre licet copiose, quomodo subditum procul à sacerdotum correptione abesse oportet. Nam cum aliquando arca reduceretur, & subditorum aliqui ad lapsum declinantem videntes erigerent, eo ipso in loco poenam dederunt, & à domino percussi, mortui manserunt, tamen nihil agerent absurdum. Non enim subuertebant, sed lapsuram erigebant. Et vt adhuc copiosioribus testimoniis sacerdotum dignitate discas, & quomodo non sit fas subditum, & in ordine laicorum existètem talia erigere: (nam illos in media multitudine occidit, ceteros omnes hoc prodigio terrens, & persuadens, ne adyta sacerdotum accedant.) Enimvero, si quoties indignè aliqua à sacerdotibus fiunt, sin-

guli ad corrigendum proflant: ad hoc vt sacerdotum dignitas honestetur, nunquam deerit corrigendi occasio, & confusio inter se omnibus, inter principem & subditum non discernemus. Nemo haec me dicere opinetur, quasi à sacerdotibus sim subornatus. Scitis ipsi quam sint mansueti per gratiam Dei, & neminem vnquam, vt scitis offenderunt. Quod si & malos haberetis patres, & molestos magistros, neque sic eis maledicere, vobis securum, & abique graui periculo. De corporalibus enim parentibus dicit: Si sensu deficiant, veniam da. Quid enim illis dabis, quale ipsi tibi? Multo magis in spiritualibus haec lex obseruanda. Praeterea vniuscuiusque officium est, vt suam ipsius vitam tam diligenter consideret, ne videlicet audiamus in die illo: Hypocrita, quid vides festucam in oculo fratris tui, in tuo autem oculo trabem non consideras? Etenim hypocritarum opus est, publicè quidem & omnibus videntibus, osculari manus sacerdotum, genua tangere, supplicare vt pro se orent, & baptizandos ad illorum ianuas deducere: domi autem & in conuentibus, tantorum bonorum auctores & ministros multis abluere probris, vel opprobriatores illorum ferre. Quod si verè malus est pater, quomodo fidelem putas tam terribilium sacramentorum ministrum? Si autem fidelis tibi minister esse videtur, quare fers alios ei maledicentes, & non concludis eorum ora, neque stomacharis, neque aegrefers, vt & mercedem accipias à Deo, & laudem ab illis? Nam licet valde illudant, omnes tamen te laudabunt, & amplexabuntur ob egregiam in parentibus curam: sicut si hoc non facitis, omnes vos condempnabunt, etiam illi ipsi qui maledicunt. Ad haec omnia accedit illud multo grauius, quod graue illic dabimus poenam. Quia nihil, nihil planè sic offendit ecclesias atque morbus ille, & sicut corpus neruorum debita habitudine carens, multas gignit aegritudines, & vitam facit non diurnam: ita ecclesia non circumdata forti, & vehementer vrgente catena, plurima parturit bella, ira Dei auget, & multarum tentationum est occasio. Ne igitur haec contingant, neve Deum exacerbedemus, nostraque augeamus mala, & poenam certam indeclinabilemque comparemus, vitam hanc multis implentes doloribus: nostram ad bene loquendum linguam assuesciamus: nostram ipsorum vitam singulis diebus diligenter scrutemur: aliorum autem vitam ei, qui etiam incognita nouit, iudicandam relinquamus, ipsi nostra peccata interim iudicantes. Ita nobis gehennalem ignem licebit effugere. Na sicut, qui in alienis curiosius explorandis occupati sunt, suorum peccatorum nullam habent rationem: ita qui ab aliena vita discutienda abhorrent, magnam suorum delictorum habebunt curam: & quia sua considerant mala, illaque quotidie iudicant, à seipsis exposcentes poenas, mitem habituri sunt iudicem. Id quod Paulus declarans, dicebat: Nam si nos ipsos iudicamus, non utique iudicabimur. Vt autem hanc sententiam effugiamus, relictis omnibus aliis, magno studio & conscientia nostra exquirenda, puniendae cogitationes ad peccandum irritates, subinde de factis nostris reddenda ratio. Sic poterimus facile à peccatorum exonerari sarcina, multa venia frui, praesentemque simul vitam cum voluptate transmittere, & assequi bona futura: gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, cui cum patre simul & spiritu sancto sit gloria, & honor, & imperium in saeculum saeculi. Amen.

Ecl. 3.

Mat. 7. & Luc. 6.

1. Cor. 13.

FINIS.

SANCTI PATRIS NOSTRI

IOANNIS CHRYSOSTOMI, ARCHI-

EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,

argumentum Epistolæ ad Corinthios.

Gentiano Herueto Aurelio, Rhemenſi Canonico, interprete.

Thucydes 1. lib. Corinthus ubi sita, & quam apta mercaturis. Periæder. Paulus Corinthi multa est passus. Act. 18. Act. 19. Diabolus ad inducendam seditionem Corinthi. Matr. 12. I. Cor. 3.

Fornicator Corinthus. Ibidem.

Philosophia externa mater malorum. Cap. 16.

I. Cor. 9.

Ibidem.



CORINTHVS est nunc quidem ciuitas prima Græciæ, multis autem ad vitam degendam olim abundabat commodis, copiisque & opibus ante omnes alias. Et ideo quidam ex externis scriptoribus locum appellauit a. *Quædæ, id est, iuberem & copiosum. Sita est enim in Isthmo Peloponnesi: mercaturæ autem amplam habebat materiam. Erat etiam ciuitas oratoribus plena & philosophis. Et ex septem qui dicuntur sapientes quidam erat ex hac ciuitate. Hæc autem à nobis dicta sunt, non ad eam honorandam & magnificè extollendam, nec ad eius ostentandam magnam eruditionem: Quid enim opus est hæc scire? sed ad epistolæ argumentum nobis conferunt. Porro autem ipse quoque Paulus in hac ciuitate multa est passus. Quinetiam cum ipse Christus in ea apparuisset, dixit: Non taceas, sed loquere, quoniam multus est mihi populus in hac ciuitate, & mansit illic duos annos. In ea demon quoque exiit, quem adiurantes Iudæi, ab eo grauius passi sunt. In ea quoque prestigiosorum congestos libros combusserunt qui ducti fuerant penitentia. Visa sunt autem librorum quinquaginta millia. In ea etiam Gallione Proconsule, cum esset in tribunali, verberatus est Paulus. Videns ergo diabolus ciuitatem magnam & populo frequentem: apprehendisse veritatem, & propter diuitias & sapientiam haberi in admiratione, & esse caput Græciæ (miserè enim se habebant res Lacedæmoniorum & Atheniensium, cum eorum antiquum corruisset imperium) cum aspexisset etiam eos prompto & alacri animo suscepisse verbum Dei, quid facit? Homines diuidit. Sciebat enim etiam omnium potentissimum regnum in se diuisum non esse staturum, ad struendas autem insidias accepit occasionem ex diuitiis, & sapientia habitantium? Hinc quidam per se & à seipſis electi, in classes & sectas diuisi, præfuerunt plebi, & alij quidem his, alij vero illis se disperserunt: illis quidem tanquam diuitibus, his vero tanquam sapientibus, & qui plus possent docere. Qui etiam eis acceptis, contendebant & gloriabantur se plura dicere quam Apostolus. Quod quidem tacite quoque innuens dicebat: Non potui vobis loqui tanquam spiritualibus: non propter suam scilicet egestatem, sed propter illorum multa audiendi imbecillitatem, & hoc indicat illud: Sine nobis diuites facti estis. Neque vero erat hoc paruus, sed omnium perniciosissimum, diuulsam esse ecclesiam. Porro autem præter hæc ibi quoque magnam admissum erat peccatum, quod quidam qui coierat cum nouerca, non solum non terretur, sed etiam cætus cogeret, & ut qui cum ipſo erant magnos spiritus conciperent, & de se magnificè sentirent, efficeret. Et ideo dicit, Et vos inflati estis, & non magis luxistis? Et rurſus postea quidam ex iis qui erant perfectiores, & ob ingluuiem ex iis quæ idolis erant immolata gustantes, & in templis accumbentes, perdebant omnia. Alij rurſus pugnas & contentiones habentes pro pecuniis, hæc sua omnia externis permittebant iudiciis. Porro autem multi quoque inter eos circumibant & vagabatur comati, quos etiam iubet tonderi. Erat etiam aliud quoque non paruus delictum, quod per se comederent in ecclesiis, neque impertirent egentibus. Præter hæc autem in alio quoque delinquebant, ut qui de charismatibus seu donis gratuitis sibi valde placerent ac sefferrent, & ex eo inter se haberent amulationem. Quod ipsum maximè quoque diuellect ecclesiam. Apud eos quoque claudicabat id quod dicitur de resurrectione. Nonnulli enim ex iis, non valde credebant esse corporum resurrectionem, ut qui animo Græcam cogitarent stultitiam. Hæc enim nascabantur omnia ex externa philosophiæ amentia, eaque erat mater malorum. Hinc etiam diuisi fuerant, ut qui hoc ipsum quoque didicissent à philosophis. Nam & illi sibi inter se aduersabantur, propter imperandi desiderium, & inanis gloria studium, contraria inter se tuentes dogmata, & studentes inuenire aliquid præter priores. Hæc autem eis accidebant, quoniam sua permittebant ratiocinationibus. Atque ad ipsum quidem scripserunt, Fortunato & Stephano & Achaico datis literis, quibus ipse quoque suas ad eos dedit. Et hoc significauit in fine epistolæ: non tamen de omnibus, sed de matrimonio, & virginitate. Quamobrem dicebat etiam, De quibus autem ad me scripsistis. Ipse autem scribit in epistola, & de quibus scripserunt, & de quibus non scripserunt, ut qui quæ eis deerant exactè didicisset. Cum literis autem mittit etiam Timotheum, ut qui sciret magnam quidem vim habere literas, non paruam autem allaturam esse accessionem discipuli quoque presentiam. Quoniam vero qui ecclesiam diuiserant, verentes ne hoc viderentur fecisse propter ambitionem & honoris appetitionem, vitij sui pretextum excogitarant, quod perfectiora docerent, & aliis essent sapientiores: huic morbo primùm resistit Paulus, radicem malorum reprimens, & quæ inde exorta erat dissensionem, & magna vitur loquendi libertate: erant enim isti vel maximè eius discipuli. Et ideo dicit: Si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum. Nam signaculum Apostolatus mei vos estis, & aliis erant imbecilliores. Quamobrem dicit, Non enim locutus sum tanquam spiritualibus, nondum enim poteratis, sed nec nunc potestis. Hoc autem dicit, ne putarent eum hoc dicere de tempore præterito. Sed nec erat verisimile omnes fuisse corruptos, sed quosdam in eis esse etiam valde sanctos & hoc etiam significauit in medio epistolæ dicens: Mibi autem pro minimo est ut à vobis diiudicer: & subiungens, Hæc autem transfurauit in me ipsum & Apollo. Quoniam ergo omnia mala nascabantur ex recordia & arrogantia, & ex eo quod existimarent se aliquid scire amplius, cam ante alia expurgat, & dicit incipiens.*

ORATIO PRIMA

IN PRIMVM CAPVT.



Nostri, nō ad locum refertur, sed ad Dominū.

PAULVS vocatus Apostolus Christi Iesu per voluntatem Dei, & Sosthenes frater, ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu vocatis sanctis, cum omnibus inuocantibus nomē domini nostri Iesu Christi, in omni loco, & ipsorum & nostrorum, Gratia vobis & pax à Deo patre nostro & Domino Iesu Christo. Vide quemadmodū statim à proœmio deiecit arrogantiam, & humili strauit eo-

rum omnem de se existimationem & persuasionem, seipsum dicens vocatum. Non enim ipse, inquit, inueni quod didici, neque mea comprehendere sapientia: sed cum ecclesiam persequeretur & depopularer, vocatus sum. Hic eius quidem qui vocat est vniuersum: eius autem qui vocatus fuit, nihil est, ut semel dicam, nisi solum quod obedierit. Christi Iesu. Magister noster est Christus: & vos doctrinæ præfectos homines inscribitis. Per voluntatem Dei, Deus enim hoc voluit ut sic vos salui essetis. Nos enim nihil rectè egimus, sed per voluntatem Dei salutem inuenimus, & quoniam ei visum est, vocati fuimus: non quoniam digni eramus.

Et Sosthenes frater. Rurſus se modeste gerit, eum secum A coniungens qui erat minor. Nam inter Paulum & Sosthenem multum intererat. Si autem hic ubi tantum intercedebat intervallum, secum coniunxit eum qui erat inferior, quid dixerint, qui eos despiciunt, qui honore sunt pares? Ecclesiæ Dei. Nō huius & illius, sed Dei. Quæ est Corinthi. Vides quomodo in singulis dictionibus depressit eorum tumorem, per omnia mentem cælo affuefaciens. Ecclesiam Dei vocat, ostendens eam oportere esse vnitam. Nomen enim ecclesiæ non est nomen separationis, sed vniōis & concordia & consensus. Sanctificatis in Christo Iesu. Rurſus ponit nomen Iesu, nequaquam autem nomen hominum. Quid est autem sanctificatio? Lauacrum, purgatio. In memoriam enim reuocat ipsam eorum immunditiam, à qua eos liberavit: & suadet ne nimis superbo & elato sint animo: non enim iis quæ rectè gesserunt, sed Dei benignitate & clementia sunt seruati. Vocatis sanctis. Etenim hoc ipsum dicit, fide fuisse saluos. Non enim accessistis primi, sed vocati estis. Quamobrem ne hoc quidem paruus totum est vestrum. Quamquam etiā accessistis, cum malis innumerabilibus essetis obnoxij, ne sic quidem vobis, sed Deo est gratia. Propterea ad Ephesios quoque scribens dicebat; Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, neque fides vestra est integra. Neque enim vos prius credidistis, sed vocati obediistis. Cum omnibus inuocantibus nomen domini nostri Iesu Christi. Non huius aut illius, sed nomen domini. In omni loco, & ipsorum, & nostri. Nam etſi ex literæ solum scriptæ sint ad Corinthios, meminit tamen omnium fidelium, qui sunt in terra, ostendens quod, quæ est in toto orbe terrarum, ecclesiam oportet esse vnam, licet multis locis separatam: & multo magis eam quæ est Corinthi. Si autem locus separat, sed dominus eos coniugit, cum sit communis. Quamobrem eos quoque vniēs, subiungit: Et nostri & ipsorum. est autem hoc illo magis proprium. Quomodo enim qui in vno loco habitant, cum multis dominos habeant contrarios, sunt diuulsi, neque ad concordia quidquam prodest eis locus, cum domini diuersa iubeant, & ad se trahant. Nō potestis enim, inquit, Deo seruire & mammonæ. Ita qui sunt in diuersis locis, si non habeant dominos sed vnum solum, eis loca nihil obsunt ad concordia, cum dominus, qui est vnus, eos coniungat. Non dico, inquit, quod cum Corinthiis solum, cum Corinthi sitis, vos concordēs esse oporteat, sed etiam cum omnibus qui sunt in toto orbe terrarum, cum communem habeatis dominum. Et ideo secundo loco addidit, Nostri. Nam quoniam dixit nomen domini nostri Iesu Christi, ne videretur separare apud insipientes, rurſus subiungit, domini & nostri & ipsorum. Et ut fiat clarius quod dico, sic legam ut est sensus, Paulus & Sosthenes ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, & omnibus qui inuocant nomē domini & nostri & ipsorum, in omni loco & Romæ, & vbicunque sint, Gratia vobis & pax à Deo patre nostro & domino Iesu Christo. Aut sic rurſus, quod & verius existimo. Paulus & Sosthenes sanctificatis Corinthi, vocatis sanctis cum omnibus inuocantibus nomen domini nostri Iesu Christi, in omni loco, & ipsorum & nostri, hoc est, Gratia vobis & pax vobis, qui Corinthi sanctificati, & vocati fuistis. non solis, sed cum omnibus qui in omni loco inuocant nomen domini nostri Iesu Christi & ipsorum. Si autem pax est ex gratia, cur superbo & elato es animo? cur adeo intumescis, cum salutem sis affecutus gratia? Si autem pacem habes apud Deum, cur te aliis adscribis? hoc enim est diffidere & agitari seditione. Quid enim si cum hoc & illo pacem agitis,

Paulus ubi coniunxit inferiorem per modestiam.

Ecclesiæ nomen est vniōis, & concordia & consensus.

Vocatio nomen sequitur fides.

Ephes. 1.

Ecclesia est vna, licet locis separata.

Matt. 1.

& gratiam habetis? Ego autem peto ut vtraque hæc à Deo vobis fiant, & ab ipſo, & apud ipsum. Neque enim firma & stabilia manserint, si non accesserint à superis: neque quidquam nobis proderunt, si non sint apud ipsum. Neque enim nos iuuat si cum omnibus pacem agamus, aduersus Deum autem belligeremur. Sicut nec nos lædit si bello appetamur ab omnibus, cum Deo autem pacem agamus. Et rurſus nihil nos iuuat si ab omnibus approbemur & commendemur, dominum autem offendamus. Quomodo nullum est periculum si nos omnes auersentur & oderint, Deo autem accepti simus & chari. Nam quæ verè est gratia, & quæ verè est pax, à Deo est. Nam qui eorum quidem quæ à Deo procedunt habet gratiam, neminem timet, etiam si mala patiat innumerabilia. non dico hominem, sed nec ipsum diabolum. Qui autem eum offenderit, omnes habet suspectos, etiam si videatur esse in tuto. est enim instabile genus hominum: & nec amici solum & fratres, sed iam etiam patres mutati sæpe paruam ob causam, cum quem genuerunt, quem suo semine procreauerunt, magis quam omnes hostes eiecerunt, & filij patres expulerunt. Considera autem. Dauid apud Deum habebat gratiam: Absalon habuit gratiam apud homines. Quemnam autem habuit alter finem, & quis fuerit magis probatus, scitis. Habuit Abraham gratiam apud Deum, Pharaon autem apud homines: ei enim gratificantes, iusti vxorem prodiderunt. Quis autem fuerit præclarior, & quis beatus, est cuius perspicuum. Et quid loquor de iustis? Habebant Israëlita gratiam apud Deum, odio autem habebantur ab omnibus Ægyptiis: eos tamen qui ipsos odio habebant superauerunt, & cum insigni quam scitis gloria vicerunt. In hoc ergo omnes studium ponamus: & si quispiam sit seruus, hoc precetur dominum, ut apud Deum gratiam inueniat. Et si sit mulier, priusquam mariti à seruatore Dei petat gratiam. Et si sit miles, priusquam Regis & principis, supernam querat beneuolentiam. Sic enim eris etiam amabilis apud homines. Quomodo autem inuenieris gratiam apud Deum? Quana alia ratione quam humilitate? Deus enim, inquit, superbis resistit: humilibus autem dat gratiam: & sacrificium Deo spiritus contritus: & cor humiliatum Deus non despiciet. Si enim apud homines res adeo desiderabilis est humilitas, multo magis apud Deum. Sic & gratiam inueniunt qui erant ex gentibus. Ita etiam Iudæi exciderunt à gratia. Iustitiæ enim Dei non fuerunt subiecti. Humilis, is est & gratosus & iucundus omnibus, & cum pace perpetua alitur, & belli nullam habet materiam & occasionem. Nam etſi cum contumelia affeceris, & maledictis appetieris, & quodlibet dixeris, tacebit, & leniter feret. Et tantam & apud omnes ager pacem quanta ne dici quidem potest, & etiam apud Deum. Sunt enim Dei madata pacem agere apud homines: & sic tota vita apud nos rectè agitur, si inter nos pacem agamus. Non enim quisquam Deum iniuria afficere poterit. In illam enim naturam non cadit interitus, & est superior quauis affectione. Nihil Christianum facit tam admirandum quam humilitas. Audi itaque Abrahamū dicentem. Ego autem sum terra & cinis. & Deum rurſus de Moyſe. Erat omnium hominum mitissimus. Illo enim nihil fuit humilior, qui cum tantum duceret populū, regemque & exercitū Ægyptiorum tanquā muscas mari obruisset, & tam multa fecisset in Ægypto, & tā multa in mari rubro & in deserto, & tam pulchrū affecutus esset testimoniū, perinde erat affectus atque vnus ex plebe, eratque focero gener humilior, & quod ei dedit accepit consilium:

Pax cum Deo est agenda.

Homini genus est instabile.

Ve gratiam habeamus apud Deum priusquam studium est.

Iac. 4.

Psal. 50.

Si pacem agamus inter nos, tota vita rectè agitur. Gen. 18. Exod. 12. Moyſis humilitas.

& neque ægrè tulit, neque tale quid dixit: Post tot & tanta rectè & præclare à me gesta venis mihi consilium daturus? quod quidem multis accidit, qui, si quis vel optimum dederit consilium, despiciunt propter personam humilitatem. Sed non sic ille, imò verò per humilitatem omnia rectè agebat. Hinc & aulas despexit regias, quoniam verè erat humilis: mentem enim sanam & excelsum facit humilitas. Quantæ enim existimas esse magnificentiæ, magnique & excelsi animi virtutis, & domum & mensam despiciat esse regiam? Reges enim tanquam Dij honorantur apud Ægyptios, diuitiisque & thesauris fruuntur innumerabilibus. Sed tamen his omnibus dimissis, & Ægypti abiectis sceptris, ad captiuos, qui & in luto affligebantur, & in lateribus faciendis consumebantur, quos eius serui abominabantur (eos enim, inquit, abominabantur Ægyptij) ad eos accurrat, & eos dominis præposuit. Vnde est perspicuum quòd hic humilis est excelsus, & magni animi virtute præditus. arrogantia enim & insolentia existit ex vili & abiecta mente, & ex animo ignauo & illiberali. modestia autem ex magno & excelso animo. Vtrunque autem si vultis examine-mus in exemplis. Dic enim mihi, Quid Abrahamo fuit excelsus? Atqui ille erat qui dicebat, Ego sum terra & cinis. Ille erat qui dicebat, Ne sit pugna inter me & te. Sed hic qui erat adèò humilis, Persica contempsit spolia, & trophæa despexit barbarica. Hoc autem faciebat ex magna excelsi animi virtute, sublimique & alta mente. Ille enim est excelsus, qui est verè & germanè humilis: non qui est assentator & dissimulatur. Aliud est enim magni & excelsi animi virtus, & aliud arrogantia & insolentia. Hoc autem inde existit manifestum. Si quis enim lutum existimat esse lutum, & despicit: alius autem lutum admiretur tanquam aurum, & magni faciat, quis est magni & excelsi animi? An non is qui lutum nò admiratur? Quis est autem vilis, humilisque & abiectus? An non is qui ipsum admiratur & magni facit? Ita etiam hinc reputa, quòd qui terram quidem & cinerem seipsum dicit, sit magnus & excelsus, quanquam hoc dicit ex humilitate. Qui autem non terram & cinerem se existimat, sed se colit & obseruat, seque magnificè iactat & gloriatur, is quidem erit vilis & abiectus, vt qui quæ sunt parua magni faciat. Vnde est perspicuum quòd ex magna mentis altitudine illud verbum effatus est ille Patriarcha, Ego autem sum terra & cinis. Ex altitudine, non ex arrogantia & insolentia. Quomodo enim in corporibus, aliud est ea esse bonæ habitudinis vegetaque & succulenta: aliud autem pituita inflata ac turgentia. Atqui vtraque sunt carnis altæ & eminentis: sed hoc quidem sanæ, illud verò corruptæ. Ita etiam hinc quoque aliud est mente esse elatum, quod est esse inflatum & turgidum: & aliud altum ac excelsum, quod quidem est esse bonæ habitudinis. Et rursus est quispiam altus statura corporis: alius autem cum sit brevis, acceptis calceis fit altior. Quémnam ergo vocamus altum & magnum, dic mihi? An non eum qui ex se habet altitudinem. ille enim hoc habet alienum, & iis quæ sunt parua ascensis, sic fit altus. quod multis accidit hominibus, qui pecuniis & gloria se effecerunt, quod quidem non est altitudo: est enim altus qui nullis eorum indiget, sed omnia despicit, & à se ipso habet magnitudinem. Simus ergo humiles, vt efficiamur alti. Nam qui seipsum humiliat, exaltabitur. Sed non est eiusmodi qui est insolens & elato animo: sed est omnium vilissimus & abiectissimus. Inflata est enim bulla, sed non est tumor sanus. Ideo eos quoque vocamus inflatos. Nam cuius sunt modesti spiritus ac

Reges apud Ægyptios honorantur tanquam Dij.

Gen. 18.

Magni animi virtus, & arrogantia differunt.

Gen. 18.

Altus ex se & altus alio adiuuando differunt.

Humilitas altus efficit.

cogitationes, ei ne magna quidem magnos faciunt spiritus, vt qui suam norit humilitatem. Qui est autem vilis & abiectus, etiam in paruis magnum visione apprehendit. Adipiscamur ergo eam quæ per humilitatem paratur magnitudinem. inspicimus rerum humanarum naturam: vt futurorum incendamur desiderio: non potest enim aliter fieri humilis, nisi per diuinarum rerum desiderium, & præsentium rerum despicientiam. Quomodo enim si quis regnum sit assecutus, deinde pro illa purpura ei priuatum aliquis quempiam exhibuerit honorem, cum nihili faciet. Ita nos quoque omnia irridebimus præsentia, si honorem illum concupierimus. Non videtis pueros, quando ludentes struxerint aciem, & ordinarint milites, & eos præcedunt præcones & lictores, & puer incedit in medio, loco Imperatoris, quàm sint ea quæ fiunt puerilia? Tales sunt res humanæ, iisque viliores & abiectiores, vt quæ sint hodie, cras non sint. Simus ergo hinc altiores, neque eas solùm nò concupiscamus, sed etiam pudore afficiamur, si quis eas nobis offerat & exhibeat. Ita enim earum expulso amore, diuinum illum amorem habebimus, & gloria fruemur immortalis. Quam nobis detur consequi Dei gratia & benignitate, &c.

ORATIO II.



Gratias ago Deo meo semper pro vobis, de gratia Dei que data est vobis in Christo Iesu, qui in omnibus diuites facti estis in illo. Quod hortatur alios vt faciant, dicens, In gratiarum actione petitiones vestrae innotescant apud Deum, hoc ipse quoque faciebat, docens nos semper incipere ab huiusmodi verbis, & ante omnia Deo agere gratias. Nihil est enim equè Deo gratum atque grati esse animi, & gratias agere tam proficquam pro aliis. Et idèò in omni ferè epistola hoc præponit: hinc autè hoc etià magis necessariò facit quam in aliis. Nà qui agit gratias, & tanquam beneficio affectus agit gratias, & propter gratiam gratias agit. Gratia autè non est debitu, nec merces, nec remuneratio. Quod vbiq; quidem dicere necesse est, multò autè magis apud Corinthios, qui ad eos qui ecclesiam diuiserant hiantes & admirantes stabant. Deo meo. Ex magna affectione rapit quod est commune, & facit proprium: quod etiam semper dicere mos est Prophetis, Deus Deus meus, & ad adhortationem eos deducit, vt ipsi quoque hoc dicant. Qui enim sic dicit, recedit ab omnibus rebus humanis, & ad illum procedit què cum magna vocat affectione. Hoc enim potest verè & germanè dicere, qui ab iis quæ ad victum pertinent, a rebus, inquam, secularibus semper ad Deum ascendit, & eum semper præponit omnibus, & perpetuò agit gratias, non solùm pro gratia iam data, sed ei si quid boni postea accessit, pro eo quoq; bonis verbis & laudibus eum prosequitur. Propterea non solùm dixit, Gratias ago, sed semper pro vobis, eos erudiens, vt & semper gratias habeant, & nulli alij nisi Deo soli. De gratia Dei. Vides quemadmodum vbiq; eos corrigit. Vbi enim est gratia, non sunt opera: vbi sunt opera, non amplius est gratia. Si est ergo gratia, cur efferimini, & de vobis magnificè sentitis? vendenam inflati estis? Que data est vobis. Et per què data est? Num per me, aut per alium Apostolum? Nequaquam, sed per Iesum Christum, hoc enim est illud, In Christo Iesu. Vide quemadmodum in, sæpe est pro per. Nò est ergo hoc minus quam per. Quòd in omnibus diuites facti estis. Rursus per quem, in ipso inquit. Et non solùm diuites facti estis, sed etiam in

Est scientia absque verbo, & scientia cum verbo.

Infrà 3.

Eriam carnales habent charismata. Infrà 14. Ibidem.

2. Cor. 12. Ibidem.

Infrà 16.

Remissio peccatorum & iustificatio est super-næ donationis.

in omnibus. Cum ergo sint & diuitiæ, & Dei diuitiæ, & in omnibus, & per vnigenitum, cogita thesaurum ineffabilem. In omni verbo & omni scientia. Verbo non externo, sed verbo Dei. est enim scientia absque verbo, & est scientia cum verbo. Sunt enim multi qui scientiam quidem habent, verbum autem non habent. Vt idiotæ, & qui non possunt apertè exprimere quæ habent in mente. Sed vos, inquit, non estis huiusmodi, sed & ad intelligendum & dicendum estis idonei. Sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis. In laudum ordine, & gratiarum actionis eos valde tangit. Non per externam, inquit, philosophiam, neque per externam eruditionem, sed per Dei gratiam, diuitiasque & scientiam, & verbum ab eo datum, potuistis discernere decreta veritatis, & confirmari ad testimonium Christi. Hoc est ad prædicationem. Si ergo confirmati estis per signa & gratiam, quam ob causam vacillatis? Hæc autem sunt verba & tangentis & eos præuenientis. Ita vt nihil vobis desit in vlla gratia. Res magna hinc quæritur. Nempe qui in omni verbo diuites facti fuerant, adèò vt nihil eis deesset in omni gratia, quomodo sunt isti carnales. Nam si tales fuerunt in principio, multò magis nunc. Quomodo ergo eos vocat carnales? Non potui, inquit, vobis loqui tanquam spiritualibus, sed tanquam carnalibus. Num ergo dici potest, quòd cum ab initio credidissent, & charismata seu gratuita dona essent assecuti, (amulabantur enim & zelo erant incensi) euaserunt postea negligetiores. Aut si hoc non ita habet, dicendum est quod non omnibus neque hæc, neque illa dicuntur: sed illa quidem iis qui erant obnoxij criminationibus, hæc autem iis qui erant laudibus insignes. Nam quòd adhuc haberent charismata, Psalmum, inquit, habet aliquis, reuelationem habet, linguam habet, interpretationem habet. Omnia ad ædificationem fiant. Prophetæ autem duo aut tres loquantur. Potest etiam dici aliquid aliud, nempe quòd sicut mos est nobis quod est plus totum dicere, ita etiam hinc dixit. Cum iis autem opinor cum quoque seipsum tacitè significare, nempe se quoque signa ostendisse. Sicut etiam dicit in secunda ad eos epistola. Signa quidem Apostoli facta sunt in vobis in omni patientia. Et rursus, Quid est quod minus habuistis quam cetera ecclesiæ? Aut quod dixi, & ea quæ à se facta reuocat in memoriam, aut ea dicit iis qui adhuc sunt probi. erant enim illic multi sancti, qui ad ministerium pauperum se constituerat, & fuerant primitiæ Achææ, sicut ostendit in fine. Alioqui etiam laudes non sint valde affines veritati, certo tamen consilio insertæ sunt, vt quæ viam muniant ad ea quæ sunt dicenda. Qui enim statim à proœmio grauiæ & importuna loquitur, imbecilliores excludit ab auditione. Nam & si honore pares sunt qui audiunt, indignantur: & si longè inferiores, dolore afficiuntur. Ne ergo hoc fiat, ab iis quæ videbantur esse encomia incipit. Neque enim hoc erat eorum encomiū, sed Dei gratiæ. Nam quòd remissa eis essent peccata, & essent iustificati, hoc supernæ erat donationis. Propterea in iis etiam immoratur quæ Dei ostendunt benignitatem & clementiam, vt morbum eorum magis expurger. Expectantibus reuelationem domini nostri Iesu Christi. Quid tumultuamini, inquit, quid conturbamini, quoniam non adest Christus? Adest quidem certè, & dies eius iam est pro foribus. Considera autem sapietiam, quemadmodum cum eos abduxisset à rebus humanis, terruerit, in memoriam reuocans terribile tribunal, & ostendens quòd non solùm bonis opus sit proœmiis, sed etiam sine. Nam cum his charismatibus & donis, & alia virtute, in memoriam reuocare oportet

illum diem, & multis opus est laboribus, vt perueniri possit ad finem. Reuelationem autem dicit, ostendens quòd etsi non videatur, est tamen, & adest & nunc, & tunc apparebit. Tolerantia ergo opus est. Ideo enim accepistis miracula, vt firmi maneatis & stabiles. Qui & confirmabit vos vsque in finem sine crimine. Hinc videtur quidem eos demulcere: est tamen quod dicitur liberum ab omni adulatione. Scit enim eos tangere, vt quando dicit: Tanquam non venturus sim ad vos, inflati sunt quidam. Et rursus, in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis? & An experimentum quæritis in me loquentis Christi? Latenter autem eos accusat. Dicere enim, Confirmabit, & sine crimine, ostendit eos & adhuc labare, & crimini esse obnoxios. Vide autem quomodo nomini Christi eos semper affigat: & nullius quidem hominis, neque Apostoli, neque magistri, perpetuò autem meminit eius qui desideratur, procurans vt quadam crapula grauati ad se redirent. Nusquam enim in altera epistola tam frequenter situm est nomen Christi: hinc autem in paucis versibus. Sæpè autem per hoc ferè totum contextit proœmium. Considera autem superius. Paulus vocatus Apostolus Iesu Christi. Sanctificatis in Christo Iesu. Qui inuocat nomen domini nostri Iesu Christi. Gratia vobis & pax à Deo patre & Domino Iesu Christo. Gratias ago Deo meo de gratia quæ data est vobis in Christo Iesu. Sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis. Expectantibus reuelationem domini nostri Iesu Christi. Qui & confirmabit vos sine crimine. In die domini nostri Iesu Christi. Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem filij sui Iesu Christi domini nostri. Obsecro autem vos per nomen domini nostri Iesu Christi. Vides frequentiam nominis Christi. Vnde vel insipientibus est perspicuum, quòd non temerè neque inconsideratè hoc facit, sed frequentia pulchri huius vocabuli eorum tumorem exhauriens, & morbi expurgans putredinem. Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem filij sui. Pax quantam hinc dixit, quantam ostendit donationis magnitudinem! In vnigeniti vocati estis societatem. & vos hominibus addicitis. Quid est peius hac miseria? Et quomodo vocati estis? Per patrem. Nam quoniam per ipsum & in ipso frequenter dicit de filio, ne existimarent quòd tanquam minoris eius meminerit, id patri attribuit. Non enim per hunc & illum, inquit, sed per patrem vocati estis: per ipsum etiam diuites facti estis. Rursus, vocati estis, non ipsi accessistis. Quid est autem, in societatem filij sui? audi eum alibi hoc dicentem apertius. Si sustinemus, & correpti sumus: Si commorimur, & simul viuemus. Deinde quoniam rem magnam dixit, addidit etiam rationem que habet probationem aduersus quam non potest contradici. Fidelis enim, inquit, est Deus, hoc est verus. Si autem est verus, ea etiam faciet quæ promisit. Promisit autem se facturum nos socios filij vnigeniti. Nam ad hoc quoque nos vocauit. Sunt enim eius dona huiusmodi & Dei vocatio, vt in ea non cadat penitentia. Hoc consilio autem hoc prius dicit, ne post vehementem criminum accusationem ipsi incidant in desperationem. Omnino enim videbuntur quæ à Deo sunt promissa: nisi nos valde fuerimus effrenati, sicut Iudæi vocati bona noluerunt accipere. Hoc autem non erat vtiq; vocantis, sed ingrati eorum animi. Nam ipse quidem volebat dare: illi autem cum nolent accipere, seipso expulerunt. Nam si ad rem quidem vocasset difficilem & laboriosam, ne sic quidem recusantes fuissent digni venia. Ceterum potuissent hoc ipsum dicere. Si autem ad purgationem & iustitiam, & sanctificationem & redemptionem &

Miracula cur accepta sint.

Infrà 4. Ibidem.

Christi nominis frequens repetitio in exordio huius epistolæ.

Vocatio attribuitur etiam patri, ne minor censetur filius. 2. Tim. 2.

Iudæi vocantem repulerunt.

Infrà 2.

gratiam, & donationem, & ad bona parata quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, & Deus est qui vocat, & per se vocat, quânam fuerint venia digni qui non accurrunt? Nemo ergo in Deum culpam cõferat: nam quòd non crediderint non fit ex eo qui vocat, sed ex iis qui resiliunt. At oportebat, inquit, vel inuitos reducere. Absit. Nõ enim vim affert, nec cogit. Quis enim ad honores, & coronas, & conuiuia, & dierum festorum cõetus vocat inuitos, & trahit vinctos? Nemo est. Hoc enim est eius qui facit iniuriam. In gehennâ mittit inuitos: ad regnum autem vocat volentes & lubentes. Ad ignem vinctos ducit & eiulantes. Ad bona autem innumerabilia, non ita. Nam hoc ipsa quoque bona vocat in inuidiam, & facit vt malè audiant, si talis non sit eorum natura vt etiam sua sponte accurrant, lubentésque & magnam habétes gratiam. Qui fit autem, inquit, vt non omnes ea eligat? propter suam imbecillitatem. Cur autem imbecillitatem, inquit, eorum non excindit? Dic mihi quomodo & quânam ratione eam oportebat excindere? An non fecit creaturam, quæ docet eius omnem benignitatem & potentiam. Cæli, inquit, enarrant gloriam Dei. An nõ misit etiam Prophetas? An non etiam vocauit & honorauit? Nõne fecit miracula? Nõne dedit legem & scriptam & naturalem? Nõne misit filium & amandauit Apostolos? Non signa fecit? Non minatus est gehennam? Non regnum promisit? Non quotidie solem suum facit oriri? Nõ quæ præcepit sunt adeò facilia, vt multi propter philosophiæ abundantiam eius præcepta superent. Quid vineæ oportuit facere, & non fecit? Et cur non fecit, inquit, nobis scientiam naturalem & virtutem? Quis hæc dicit, Græcus, an Christianus? Ambo quidem, sed non de iisdem, sed ille quidem de sciētia, hic verò de vita contēdit. Primum ergo dicemus nostro: non enim externorum tanta à me habetur ratio, quanta propriorum membrorum. Quid ergo dicit Christianus? Oportebat nobis indi ipsam virtutis sciētiam. Indidit. Nam si nõ indidit, vndenam scimus quæ sunt agenda, & non agēda? Vndenam leges & iudicia? Sed non scientiam, verum ipsam actionem. Et cuiusnam effes accepturus mercedem, si totum erat Dei futurum? Nam dic mihi, te ne & ethnicum peccantes similiter punit Deus? Minimè. Habes enim interim eam quæ ex cognitione existit fiduciam. Quid verò si quis diceret, quòd pro cognitione & tu & ethnicus eadē consequemini, an non agrè ferres? Arbitror fanè. Diceres enim quòd ethnicus, cum domi posset inuenire cognitionem, noluerit. Si ergo ille quoque dicat, quòd oporteret Deum nobis naturaliter indere cognitionem, an non irridebis, & ei dices, cur non quæsiuisti? cur non studuisti sicut ego? & cum magna stabis fiducia & dices. Extremæ est amentia Deum insimulare, quòd cognitionem naturam non indiderit. Hæc autem dicis, quoniam si vt tibi rectè se habet cognitio, ita etiam vitam rectè gessisses, nõ hæc quæsiuisses: sed quoniam ad virtutem assequendam es piger & socors, propterea hæc stulta verba profers. Quomodo autem oporteret etiam bonum fieri necessitate? Bruta quidem certè nobiscum contenderent de virtute, vt pote quòd eorum nonnulla sint nobis modestiora. Sed mallet, inquit, necessariò esse bonus, & omni mercede priuari, quàm libero arbitrio esse malus, & castigari, & puniri. Sed non est vnquam necesse esse bonum. Atque si ignoras quidem quod sit agendum, ostende: & tunc dicemus quod oportet dicere. Si scis autem malà esse libidinem, cur quòd malum est non fugis? Non possum, inquis. Sed alij qui maiora rectè gesserunt, te accusabunt, & ex magna abundantia os tibi obturabunt.

Nemo cogendus ad fidem & bona.

Psal. 18.

Matt. 6. Præcepta Dei multi superant. Eia. 5.

Merces nulla est, si totum Dei esset.

Bona non oportet fieri necessitate.

A Nam tu quidem fortasse, etsi sis cum vxore, non es castus ac temperans. Alius autem, etsi absque vxore, sinceram & integram conseruat castitatem. Quamnam ergo habes excusationem si modum non serues, cum alius septa transfiliat? At non est, inquis, mea eiusmodi corporis natura. Quia vis, non quia non potes: etenim ostēdo omnes esse aptos ad virtutem. Nam quod non potest quispiam facere, ne vrgente quidē necessitate facere poterit. Si autem vrgente facit necessitate, qui non facit, non facit, præter liberum arbitrium. Vt exempli causa dico. Vt sursum volet & ad cælum tollatur qui corpus habet graue, omnino fieri non potest. Quid ergo si rex iusserit hoc facere, & mortem minatus sit dicens: Homines qui non volent iubeo excindi, & vri, aut aliquid pati eiusmodi, obedierit ne aliquis? Nequaquam. Non enim hoc capit natura. Sin autem hoc ipsum fiat in temperantia, & iussa ediderit, vt qui libidatur castigetur, vratur, flagris cõdatur, innumerabilibus tormentis afficiatur, an non multi edicto paruerint? Non, inquit. Nam nunc quoque est lex que iubet non mœchari: nec parent omnes. Non quoniam debilis est metus: sed quoniam multi sperant fore vt lateant. Quòd si libidinem impleturis adesset legislator & iudex, posset metus expellere libidinem. Nam & si aliam hac minorem imposuero necessitatem, & vincam inclusero, poterit ferre, & nihil graue pati. Ne ergo dixeris, Ille est naturam bonus, & ille est naturam malus. Nam si est naturam bonus, nunquam poterit fieri malus. Et si naturam malus, nunquam fiet bonus. Nunc autem videmus celeres mutationes, & ab his in aliam mutari, & ab illis in hæc transire. Et hæc licet videre non solum in scripturis, vt exempli causa, publicanos factos esse Apostolos, & discipulos proditores, & meretrices castas mulieres, & viros probos euasisse latrones, & adorasse Magos, & ad pietatem conuersos esse impios, tam in noua quam in veteri, sed etiam singulis diebus multa eiusmodi videris euenire. Si essent autem naturalia, nõ essent mutata. Etenim cum naturam simus patibiles, nullo studio & diligētia fieri poterimus impatibiles. Nam quod naturam est aliquid, non exciderit ab eo quod est secundum naturam. Nullus quidem certè ita transmutari potuerit vt non dormiat. Nullus ab interitu ita mutari poterit vt ab eo sit liber. Nullus ab esurie conuertatur ad id vt non esuriat. Et ideò non sunt hæc crimina: neque nobis ea exprobramus. Neque aliquem reprehensurus quispiam dixit, O interitui obnoxie, & patibilis. sed vel adulterium, vel stuprum, vel aliquid eiusmodi reis semper obicimus, & ad iudices adducimus qui criminantur & puniant, & propter ea quæ sunt his contraria honore afficiunt. Quando ergo & ex iis quæ inter nos facimus, & ex iis quæ patimur in iudicio contententes, & ex eo quòd leges scriptimus, & ex eo quòd nos condemnamus, etsi nullus accuset & extollat, & si pigri quidem simus & ignaui, deteriores: si timeamus autem, meliores reddimur: & ex eo quòd videmus alios se rectè gerere, & ad summam venire philosophiam, est perspicuum quòd in nostra potestate situm est rectè & ex virtute nos gerere, cur temerè nos magna ex parte frigidis fallimus pretextibus, & excusationibus, quæ non solum nullam veniam, sed intolerandum etiam afferunt supplicium: cum oporteat diem illum terribilem habentes ante oculos, virtutis curam gerere, & cum parum laborauerimus, quæ non marcescunt coronas accipere? Nihil enim nos tuebuntur hæc verba, sed conserui & qui cõtraria rectè gesserint, condemnabunt omnes qui peccant: crudeli misericors: impro-

Græcè est γυμνῶν, id est sententia.

Peccatum facit impudentes.

Schisma efficit vt de toto pars pereat, & non sit totum.

Fide vnitus potest esse, non vnitus charitate.

Est bene, vt inuicem referat, vt inuicem referat.

289
improbum probus: audacem modestus: inuidum benignus ac beneuolus: eum qui inanem sectatur opinionem philosophus: ignauium gnauus & industrius: impudicum pudicus. Sic feret Deus nobis iudicium, & vtrosque statuet ordines, illos quidem laudans, hos verò puniens. Sed absit vt vllus ex iis qui adsunt, sit ex iis qui puniuntur & ignominia afficiuntur, sed ex iis qui coronantur, & regnum Dei assequuntur. Quod detur nobis assequi gratia & benignitate vnigeniti Domini nostri Iesu Christi, cum quo patri gloria, cum sancto spiritu in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO III.

B SECRO autem vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idem dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, suis autem perfecti in eadem mente & eadem scientia. Quod semper dicebam, sensim & paulatim debere fieri increpationes, hoc quoque hic facit Paulus. Rem enim ingressurus magnis plenam periculis, & quæ fatis erat ad Ecclesiam funditus conuellendam, mitius vsus est oratione. Dicit enim se eos obsecrare, obsecrare autem per Christum, vt qui nec ipse solus sufficeret ad adhibendam supplicationem, & ad persuadendum. Quid est autem, Obsecro per Christum? Christum assumo socium, & eius nomen ad auxilium, quod nomen iniuria affectum fuit & contumelia. Ad pudorem incutendum admodum apposuit, ne eos non puderet: impudentes enim facit peccatum. Propterea si statim quidem vehementer increpaueris, immitem effeceris, & impudentem. Sin autem pudore affeceris, genu flexeris, loquendi nimiam detraxeris licentiam, deorsum aspicere feceris. Quod quidem Paulus quoque parans, interim obsecrat per nomen Christi. Et quidnam est quod obsecrat? *Vt idem dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* Schismatis emphasis, & ipsum nomen accusationis sufficiunt ad eos valde tangendos. Non enim fuerunt multæ partes integræ, sed etiam vna perijt. Nam si ecclesiæ quidem essent integræ, multi essent cõctus. Sin autem schismata, id est scissuræ, vnum quoque periisset. Nam integrum quando fuerit in multa diuisum, non solum non multa fiunt, sed etiam vnum perit. Talis est natura schismatum. Deinde quoniam eos acriter tetigerat appellatione schismatis, rursus eos lenit & mitigat, dicens. *Sitis autem perfecti in eadem mente & eadem sententia.* Nam quoniam dixit, vt idem dicatis, Ne existimetis, inquit, quod dixerim ad verba vsque esse consensum, & concordiam: consensum, inquit, requiro qui est mente ac cogitatione. Sed quoniam fieri potest vt idem dicant mente ac cogitatione, sed non in rebus omnibus, ideò hoc quoque adiecit, *Sitis autem perfecti.* Nam qui in aliquo est vnitus, in aliquo autem dissidet, non est vtique perfectus, neque consummatus ad consensum ac concordiam. Fieri autem potest vt intelligentia & cogitatio consonet, nequaquam autem sententia: vt quando eandem habentes fidem, non sumus vniti charitate. Nam sic in intelligentia quidem & cogitatis sumus vniti, sententia autem nequaquam. Quod tunc quoque fuit, cum ille quidem isum, hic verò illum eligeret. Propterea dicit oportere & mente & sententia consentire. Non enim erant schismata ex eo quòd in fide dissiderent, sed ex eo quòd humana contentione diuisa esset sententia. sed quoniam qui accusatur, quando non habet testes, minimè pudore suffunditur, vide quemadmodum non concedens vt eant inficias, testes adduxit. *Significatum enim est mihi de vobis fratres ab iis qui sunt Chloës.* Neque hoc statim dixit, sed prius

Chrysof. tom. 4.

A crimen posuit. quod quidem erat eius qui credidit iis qui significarunt. Nam si hoc non esset, non accusasset. Non enim Paulus temerè & inconsideratè credidisset. Neque ergo statim dixit fuisse significatum, ne videretur tanquam ab illis inductus accusare: neque siluit, ne videretur à se hoc dicere. Et rursus eos fratres nominat. Nam & si manifestum sit peccatum, nihil vetat eos adhuc vocare fratres. Considera autem sapientiam, quemadmodum separatam non posuerit personam, sed totam familiam: ne aduersus eum qui dixisset, ipsi bellum gererent: nam neque illum contexit, & accusationem securè aperuit. Non enim solum vidit quid illis, sed & quid his esset conducibile. Et ideò non dixit, significatum mihi fuit ab aliquibus, sed manifestam quoque fecit familiam, ne existimaretur fingere. Quidnam autem fuit significatum? *Quod sint in vobis.* Quando ergo eos reprehendit, dicit, Ne sint in vobis schismata. Quando autem quæ sunt aliorum renunciat, mitius renunciat, dicens, Significatum est mihi quòd contentiones sunt in vobis, ne offenderet eos qui dixerant. Deinde dicit etiam genus contentionis. *Quod vnusquisque vestrum dicit, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephe.* Contentiones enim dicit, non quæ sunt de rebus priuatis, sed quæ sunt grauiore. Quòd vnusquisque vestrum dicit. Non enim partem sed ecclesiæ vniuersitatem depascere lues. Atqui nec de seipso, nec de Petro, nec de Apollo dicebat: sed ostendit quòd si his non sit innitendum, multò magis aliis. Nam quòd neque de his diceret, progrediens dicit, Hæc autem transfigurauit in me & Apollo, vt in nobis discatis non plusquam scriptum est offerri spiritu. Nam si Pauli & Apollo & Cephe non oportebat sibi nomina ad laudem tribuere, multò magis aliorum. Si magistrum & primum Apostolorum, & qui tantum populum catechesi imbuerat, non oportebat inscribere, multò magis eos qui nihil sunt. Cum ergo cum exuperatione eos à morbo abduxisset, consultò hæc ponit nomina. Alioqui autem minus molestam & grauem reddit orationem, non nominatim eorum qui diuidunt ecclesiam faciens mentionem, sed tanquam quibusdam eos Apostolorum occultans appellationibus. Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephe. Non se Petro præferens, illum posuit vltimum, imò verò Petrum multum sibi præponens. Nam per amplificationem produxit orationem, ne existimaretur hoc facere per inuidiam, & per amulationem eis auferre honorem, propterea seipsum quoque primum posuit. Nam qui se primum reicit ac reprobat, non hoc facit eo quòd amet honorem, sed eo quòd valde despicietur huiusmodi gloriam. Ipse ergo totam suscipit irruptionem, & tunc ponit Apollo, & tunc Cephan. Non ergo seipsum extollens hoc facit, sed in iis quæ fieri non oportebat, per propriam personam primum facit correctionem. Quando autem ij qui huic & illi se addicentes peccabant, perspicuum est quòd illos pulchrè reprehendit, dicens. Non rectè facitis dicentes, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephe. Quânam autem de causa addidit, *Ego verò Christi?* Nam si ij peccabant qui se hominibus addicebant, non tamen ij qui se Christo dedicabant. Sed non hoc reprehendebat quòd ad laudem se Christo adscriberent, sed solum quòd non omnes. Existimo autem ipsum ex se hoc addidisse, cum vellet grauiorem reddere accusationem, & sic ostendere Christum quoque datum esse in vna parte, etiamsi illi non hoc sic facerent. Nam quòd hoc tacitè innuerit, per ea quæ sequuntur ostendit dicens, *Dimisus est Christus?* Hoc est autè quod dicit,

Testis persona cur quandoque non nominanda.

Infra 4.

Paulus Petrum sibi præferbat.

Christi nomen ad laudem additur in baptismo.

Christum confcidistis, & eius corpus diuifistis. Vides animum, vides increpationem, vides orationem plenam indignatione. Quando enim non confirmat, sed solum interrogat, hoc facit tanquam constet id esse absurdum. Quidam autem dicunt ipsum quoque tacite aliud significare, per hoc quod dicit, Diuisus est Christus. Dispertit apud homines, & diuisit ecclesiam: & partem quidem ipse accepit, partem autem illis dedit. Deinde absurdum tollit, dicens. *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Vides mentem Christi amantem, quemadmodum deinceps vniuersum adducat in suo nomine, ex abundantia ostendens hunc honorem nulli conuenire. & ne videatur motus inuidia hac dicere, propterea se assidue versat. Vide autem prudentiam. Non dixit, Nunquid Paulus mundum fecit? Nunquid homines vt essent ex nihilo produxit? sed quæ fidelium erant eximia, & magnæ caræ ac prouidentia, ea ponit, nempe crucem & baptisma, & quæ ex iis existunt bona. Nam Dei benignitatem & in homines amorem ostendit etiam mundi fabrica: maximè autem ad crucem demissio & deiectio. Non dixit autem, Nunquid Paulus mortuus est pro vobis? sed nunquid Paulus est crucifixus, ponens quoque genus mortis. *Aut in nomine Pauli baptizati estis?* Nec dixit, Nunquid Paulus vos baptizauit. Baptizauit enim multos. Sed non erat id quod quærebatur, à quonam baptizati essent, sed in cuius nomine essent baptizati. Nam quoniam hæc quoque erat causa schismatis quod vocarentur ab iis qui baptizarant, hoc quoque corrigit dicens, Nunquid in nomine Pauli baptizati estis? Ne dixeris enim, inquit, Quis baptizauit, sed in cuius nomine? Non enim quæritur qui baptizauit, sed qui inuocatur ad baptisma. Is enim remittit peccata. Et cum huc vsque stitisset orationem, non amplius persequitur ea quæ deinceps sequuntur. Non enim dicit, Nunquid Paulus promissit vobis bona futura? Nunquid Paulus regnum cælorum vobis esse pollicitus? Cur ergo non hæc quoque addidit? Quoniam non par est regnum promississe, & in crucem esse adactum. Illud enim neque habebat periculum, neque probum afferebat & ignominiam: hoc autem hæc omnia. Alioqui autem illa quoque ex his confirmat. Nam cum dixisset, Qui proprio filio non pepercit, subiunxit, quomodo non etiam cum eo omnia nobis largietur? Et rursus. Si enim cum inimici essemus Deo, reconciliati sumus per mortem filij sui: multo magis reconciliati salui erimus. Ea de causa illa non subiunxit. & quod illa quidem nondum habebant, horum autem iam habuerant experientiam: & illa quidem erant in promissionibus, hæc autem iam facta fuerant. *Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizauit nisi Crispum & Caium.* Cur vos magnopere iactatis, & vobis valde placetis, quod baptizaueritis: cum ego gratias agam quod hoc non fecerim? Hoc autem dicens prudenti consilio tollit qui ex eo existeret tumorem, non autem virtutem baptismatis. absit, sed eorum fastum & arrogantiam qui elato erant animo, propterea quod baptizauerant. Primum quidem ostendendo quod non sit eorum donum. Secundò autem, agendo gratias: propterea magnum quid quidem est baptisma: sed magnum ipsum facit non qui baptizat, sed qui inuocatur ad baptisma. Nam baptizasse quidem nihil est, quod ad humanum attinet laborem: sed multo est minus quam euangelizasse. Nam magna quidem res est, rursus dico, baptisma, & sine baptismate non possumus regnum assequi: sed potest hoc facere etiam vir non admodum præclarus. Euangelizare autem multo eget labore. Dicit et-

Christo diuiso, diuisa est ecclesia.

Ioan. I.

Rom. 8.

Rom. 5.

Euangelizare multo eget labore.

A iam causam cur gratias agat quod neminem baptizauerit. Quænam est autem? *Ne quis dicat quod in nomine meo baptizati estis.* De illis hoc dicebat? Minime. Sed timeo, inquit, ne eò morbus deueniat. Nam si cum viles & abiecti, & qui nullius sunt existimationis homines baptizent, orta est hæresis: si ego qui annuntiaui baptismum, multos baptizassem, verisimile esset futurum fuisse vt conuenientes non solum in meo nomine vocarentur, sed mihi quoque baptisma tribuerent. Nam si ex iis quæ sunt minora tantum ortum est malum, fortasse etiam à maioribus euasisset multo grauius & difficilius. Cum hac ergo ratione eos qui corrupti fuerant pudore suffudisset, & dixisset, *Baptizati autem & Stephanæ domum,* eorum fastum rursus detrahit, dicens, Caterum nescio an aliquem alium baptizauerim. Hinc enim ostendit se non studere & ambire vt vulgo ex eo honorem consequatur, neque propter gloriam eò venisse. Nò solum autem his, sed iis etiam que sequuntur, eorum arrogantiam & tumorem comprimit, dicens. *Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare.* Quod enim erat laboriosius, & multa indignans perpeffione & toleratia, & ferreo animo, & quod omnia continebat, hoc erat. Et ideo id tractabat Paulus. Et quamnam ob causam non misit ad baptizandum baptizabat? Non pugnans aduersus eum qui miserat: sed hoc faciens ex abundantia. Non enim dixit se esse prohibitum, sed ad hoc non esse missum, verum ad rem maximè necessariam. Non euangelizare quidem est vnius & alterius: baptizare autem est cuiuslibet qui est præditus sacerdotio. Acceptum enim hominem catechumenum & persuasum, cuiusvis est baptizare, non cuiuspiam: eius enim qui accedit libera electio de cætero efficit vniuersum, & Dei gratia. Quod autem catechesi sunt imbuendi & instituendi infideles, multo labore & multa opus est sapientia, tunc autem & subeundum erat periculum: in illo enim constitit vniuersum: & si persuasus fuit qui est inuitandus, non est res magna persuasum baptizare. Hic autem magnus est labor, vt contrarium libero persuadere arbitrio, mutèque sententiam, & errorem conuella, & veritatem inferas. Sed hæc non sic dicit, neque confirmat, & dicit nullum esse laborem baptizare, sed euangelizare. Scit enim semper modum tenere, sed in externæ sapientia comparatione valde contendit, vbi vehementiori vti poterat oratione. Non ergo ei qui misit aduersus baptizabat: sed quomodo in viduis cum dixissent Apostoli, Non expedit nos relicto Dei verbo ministrare mensis, non illis repugnans, sed id faciens ex abundantia: ita hic quoque. Nam nunc quoque simplicioribus presbyteris hoc munus mādamus, verbum autem ad docendum pertinens, sapientioribus: illic enim est labor & sudor. Quamobrem ipse quoque dicit, Qui bene præfunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina. Quomodo enim docere eos qui luctantur, est pædōtriba strenui & sapientis: victori autem coronam imponere, est etiam eius qui non potest luctari, quamquam corona facit eum qui vicit splendidior. Ita etiam in baptismate, fieri quidem non potest vt absque eo salui sumus: nihil autem magnum facit is qui baptizat, si paratum acceperit institutum, & liberum animi arbitrium. *Non in sapientia verbi, vt non euacuetur crux Christi.* Cum depressisset eorum tumorem, qui propterea quod baptizant se magnificè esserunt & magnos sumunt spiritus, de cætero transit ad eos qui propter externam gloriantur sapientiam, & aduersus eos armatur vehementius. Iis enim qui eo quod baptizarent inflati erant dicebat, Gratias ago quod nullum baptiza-

Apostoli cur non fuerint sapientes externa sapientia.

Petrus & Paulus idiotæ & rudes.

Luc. 22.

Christiani cum Græco disputatio qualis esse debeat.

uerim: & Non misit me Christus baptizare: & neque vehementi nec ad confirmandum apta vsus est oratione: sed cum paucis quæ volebat tacite significasset, prætermisit. Hic autem à proœmio grauem infligit plagam, dicens, Vt non euacuetur crux Christi. Quid ergo tibi places, & te valde effers ob id, ob quod te pudore suffundi & vultum operire oporteret? Nam si cum cruce bellum gerit, & cum Euangelis pugnat hæc sapientia, non ea gloriari, sed propter eam pudore affici oportet. Hæc enim fuit causa quod non fuerint Apostoli sapientes, non imbecillitas charismatis: sed ne læderetur prædicatio. Non illi ergo erant qui verbum commendabant. Hoc fastum fregit: hoc tumorem compressit: hoc persuasit vt se modestè gererent. Sed si non in sapientia verbi, cur Apollo miserunt virum doctum & eloquentem. Non in vi dicendi, inquit, confidentes, sed quod potens erat in scripturis, & resellebat Iudæos. Alioqui autem erat id quod quærebatur, vt qui primas tenebant, & cœperant seminare verbum, non essent docti & eloquentes. Isti enim erant quibus magna virtute opus erat, vt à principio expellerent errorem: & tunc in ipso ingressu magnis opus erat viribus. Qui ergo eruditus non opus habuit ab initio, si postea accepit disertos, non fecit tanquam indigens, sed tanquam non discernens, nec vllam ponens differentiam. Quomodo enim non egebat sophistis ad ea rectè gerenda quæ volebat, ita nec postea inuentos propterea expulit. Tu autem illud mihi ostende, an doctus & eloquens esset Petrus & Paulus; sed non potes: erant enim idiotæ & rudes, & illiterati. Quomodo ergo Christus quando in orbem terrarum mittebat discipulos, cum eis suam ostendisset potestatem primum in Palæstina, & dixisset, Quando misit vos sine crumena, & pera, & calceis, nunquid vobis aliquid defuit? tunc de cætero permisit vt haberent & peram & crumenam. Ita hic quoque fecit. Quod quærebatur enim erat, vt susciperetur Christi virtus: non vt per externam sapientiam à fide eiicerentur qui accedebant. Quando ergo Græci accusauerint discipulos tanquam literarum ignaros & imperitos, nos plusquam illi ipsos accusamus. Neque dicat quispiam quod sapiens & doctus erat Paulus: sed eos qui apud illos sunt magni & in admiratione habiti extollentes propter sapientiam, eos qui sunt apud nos dicamus fuisse rudes & imperitos. Non parum enim in hac quoque parte eos deiiciemus: ita enim erit præclara de eis victoria. Hæc autem dixi, quoniam audiui quendam Christianum cum Græco ridiculè differentem: & vtrunque in ea quæ inter ipsos extitit concertatione, sua infirmantem ac conuellentem. Quæ enim oportebat dicere Christianum, ea dicebat Græcus: & quæ Græcum erat dicere consentaneum, ea asserbat Christianus. Nam cum esset quæstio de Paulo & Platone, Græcus quidem conabatur ostendere Paulum esse rudem & imperitum: Christianus autem ob simplicitatem studebat probare Paulum esse Platone doctiorem & disertiorum. Ita autem Græcus esset victoriam consecutus, si hæc vinceret oratio. Nam si Platone doctior & eloquentior esset Paulus, consentaneum esset multos contradicere, quod non gratia superasset, sed eloquentia. Quamobrem faciebat pro Græco quod dicebatur à Christiano. Faciebat autem pro Christiano quod dicebatur à Græco. Nam si imperitus erat Paulus, vicit autem Platonem, præclara, sicut dixi, fuit victoria. Acceptis enim omnibus illius discipulis persuasit, & eos ad se adduxit. Vnde fuit perspicuum quod non humana sapientia fuerit prædicatio, sed Dei gratia. Ne hæc ergo nobis accidant, & irideamur cum Græcis disputantes, quando

Chrysof. tom. 4.

nobis cum illis fuerit certandum, tanquam indoctos accusemus Apostolos. Ipsa enim accusatio est encomium. Et quando dixerint agresse fuisse Apostolos, nos addamus, & dicamus eos fuisse imperitos & illiteratos & pauperes vilèque & abiectos & insipientes & obscuros. Non sunt hæc in Apostolos maledicta, sed eorum gloria, quod cum essent huiusmodi, toto orbe terrarum fuerint clariores. Isti enim rudes, & agrestes, & imperiti expugnarunt sapientes, & potentes, & tyrannos, & qui gloriabantur diuitiis, & gloria, & omnibus externis, perinde ac si non essent viri. Vnde est perspicuum quod sit magna crucis potentia, & quod humanis viribus hæc non fierent: non enim humanam habent naturam quæ fiunt, sed erant supra naturam quæ gerebantur. Quando autem factum fuerit aliquid supra naturam, & longè supra naturam, ita vt cum eo adsit quod decet & quod est vtile, est perspicuum quod hæc fiant diuina quadam virtute & ope. Considera autem piscator, tabernaculorum contextor, publicanus, imperitus, illiteratus, cum venissent ex regione Palæstina procul sita, philosophis, oratoribus, & iis qui magna dicendi facultate erant præditi, expulsi omnibus, eos paruo temporis spatio vicerunt, cum multis periculis, populis & regibus resistentibus, ipsa pugnante natura, temporis antiquitate, & longa acriter aduersante consuetudine, dæmonibus armatis, & diabolo stante in acie, & nihil non mouente. Vicerunt, inquam, Reges, principes, populos, gentes, barbaros, Græcos, philosophos, oratores, Sophistas, & qui soluta scribunt oratione, leges, iudicia, varia supplicia, innumerabile & omne genus mortis. Sed tamen hæc omnia resellebantur & cedebant loquentibus piscatoribus, non secus atque pulvis tenuis qui vehementium vectorum ferre non potest impetum. Sic ergo discamus differere cum Græcis, ne simus tanquam bestia & pecora, sed simus parati reddere rationem de ea quæ est in nobis spe: & interim meditemur hoc caput quod non est paruum, & eis dicamus: Quomodo fortes vicerunt imbecilli, duodecim vniuersi orbem terræ: non ij solum armis vtentes, sed nudi pugnantes aduersus bene armatos. Dic enim, Si viri duodecim rei militaris ignari, non solum inermes, sed etiam corpore debiles, impetu facto in innumerabilem & armatam militum aciem, ab illis quidem nihil mali passi essent, neque innumerabilibus telis appetiti essent fauciat, in nudo autem corpore iacula habentes infixæ, omnes strauissent, non armis vtentes, sed manu ferientes. Deinde alios quidem interemissent, alios autem captiuos abduxissent, ipsi nullis acceptis vulneribus, dicerent aliquis esse humanum quod gestum est? At qui Apostolorum trophæum est illo longè admirabilius. Nam quod imperitus & illiteratus & piscator superarit tantam dicendi vehementiam, & neque à paupertate, neque à paupertate, neque à periculis, neque ab ea quæ præoccupat consuetudine, neque à tantarum quas iubebant acerbitate, neque à quotidianis cadibus, neque ab eorum qui deceperat fuerant multitudinem, neque ab eorum qui deceperat auctoritate fuerit prohibitus, est longè admirabilius & magis præter opinionem quam nudum non esse fauciatum. Sic ergo eos prosternamus, & aduersus illos pugnemus, & ante verba per vitam eos peterramus. Hæc est enim magna pugna, hæc est ratiocinatio aduersus quam contradici non potest, quæ fit per facta. Nam etsi per verba millies philosophemur, non exhibeamus autem vitam illis meliorem, nullum est lucrum. Non enim attendunt ea quæ dicuntur, sed examinant ea quæ gerimus, & dicunt: Tu prior pare tuis verbis,

Crucis magna potentia, quæ eloquentes vicit & potentes.

Apostolorum trophæum.

& tunc hortare alios. Si autem dicis in futuro quidem esse bona innumerabilia, tanquam autem non sint sic videaris affixus presentibus, facta tua sunt verbis mihi credibilia. Quando enim videro te aliena rapere, eos qui excefferint supra modum lugere, & in multis aliis peccare, quemadmodum tibi credam quod sit resurrectio? Nam etsi hæc non dicant, ea tamen cogitant, & versant in mente: & hoc est quod prohibet ne infideles fiant Christiani. Eos ergo erigamus & inducamus per nostram vitam. Pauci ique illiterati ita perteruerunt mætem philosophorum, ut qui & factorum ostenderint philosophiam, & per rectam vitæ institutionem ac philosophiam emiserint vocem tuba clariorem: ea enim est lingua fortior. Quando autem dixerō non oportere acceptæ meminisse iniuriæ, deinde Græco fecero mala innumerabilia: quemadmodum potero eum verbis inducere, cum factis expellam? Eos ergo venemur per rectam vitæ institutionem, & per eorum animas ædificemus ecclesiam: & has congeramus diuitias. Nullius rei pretium est cum anima conferendum, ne totus quidem mundus. Quamobrem etiam si diuitias innumerabiles dederis pauperibus, nihil tale efficias quale is qui conuertit animam. Qui enim pretiosum e ducit ex vili, is inquit, erit tãquam os meum. Nam magnum quidem est bonum misereri egenorum: sed nihil est tale quale liberare ab errore. Qui enim hoc facit, fit sicut Petrus & Paulus: licet enim illorum suscipere prædicationem, non ut periculum adreamus sicut illi, famemque & pestem sustineamus, præsens enim tempus est pacis: sed ut ostendamus studium, quod existit ex alacritate animi, licet enim domi sedentibus eam exercere piscationem. Si quis habet amicum & cognatum & familiarem, hæc faciat, hæc dicat: & erit sicut Petrus & Paulus: & quid dico Petrus? erit os Christi. Qui enim pretiosum eduxit à vili, erit, inquit, tanquam os meum: & si non persuaseris hodie, cras persuadebis: & si nunquam persuaseris, tu integram & perfectam habebis mercedem: & si non persuaseris omnibus, paucis ex multis persuadere poteris. Nam Apostoli quoque non omnibus persuaserunt hominibus qui erant, locuti sunt tamen cum omnibus, & quæ propter omnes debetur habent mercedem. Non enim ex exitu eorum quæ rectè sunt, sed ex mente eorum qui rectè faciunt, solet Deus coronas definire: & si duos immiseris oboles, accipit. & quod fecit in vidua, hoc etiam faciet in docentibus. Ne ergo quoniam orbem terrarum non potes seruare, etiam paucos despice. Neque propter magnorum desiderium, te à paruis subtrahas. Et si non possis centum, decem curam geras: & si non possis decem, ne quinque quidem despicias: & si quinque non possis, vnum noli despiciari. Et si ne vnum quidem possis, noli despondere animum, neque quæ potes præstare, prohibere. Non vides quod etiam in contractibus, non solum ex auro, sed etiam ex argento exercent mercaturam qui in iis versantur. Nam si ne parua quidem despiciamus, magna etiam apprehendemus. Si autem parua despexerimus, ne illa quidem facillè accipiemus. Sic fit vnusquisque diues, & parua & magna colligens. Ita nos quoque faciamus: ut cum in omnibus facti fuerimus diuites, regnum cœlorum assequamur, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, per quem & cum quo Patri & spiritui sancto gloria, honor, imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Facta sunt verbis credibilia.

Hier. 15.

Ab errore liberare magnum est bonum.

Hier. 15.

Marc. 12. & Luc. 21.

Ne vnum quidem est despiciendus, quem potes liberare ab errore.

ORATIO IIII.



VERBUM enim crucis, pereuntibus quidem stultitia est, iis autem qui salui sunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim, Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium reprobo. Vbi sapiens? ubi scribar? ubi inquisitor huius sæculi? Laborantibus & deliquium animi patientibus etiam salubres cibi sunt insuaues, amicitieque & necessarii molesti & graues. Sæpe autem ne cognoscuntur quidem, & videntur afferre molestiam: ita etiam solet euenire iis qui perdunt animas: ignorant enim qui ferunt ad salutem, & eos qui ipsorum curam gerunt putant sibi esse molestos. Hoc autem fit non propter rei naturam, sed propter illorum morbum: & quod faciunt qui sunt emotæ mentis, insensu iis qui eos curant, contumeliosque & maledictis eos appetentes. Hoc etiam faciunt infideles: sed quomodo in illis, qui afficiuntur contumelijs tunc maxime eorum miserentur & lacrymantur, ut qui incensæ ægritudinis hoc extremum ducant indicium, quando ignorant amicissimos. Ita nos etiam faciamus in Græcis, nempe ethnicis, & magis quàm propter mulieres propter eos euilemus, quod commune est salutem. Non enim oportet maritum adeo amare uxorem, ut nos omnes homines, & attrahere ad salutem, seu sit Græcus, seu quis alius. Eos ergo despectamus quod verbum crucis eis sit stultitia, cum ipsa sit sapientia & virtus. Nam verbum crucis pereuntibus, inquit, est stultitia. Nam quoniam erat verisimile, cum crux subannaretur à Græcis, illos ei quæ apud ipsos erat sapientiæ resistere, & cum ea depugnare turbatos iis quæ dicuntur à Græcis, eos consolans dicit Paulus. Ne existimetis esse alienum & mirandum, rem hanc habere naturam, ut ab iis qui percutunt non cognoscatur eius virtus. Sunt enim emotæ mentis & delipiunt, & ideo maledictis insectantur, & ægreferunt medicamenta salutaria. Quid autem dicis, o homo? Christus propter te factus est seruus, seruis forma accepta, & in crucem actus est, & resurrexit: & cum eum qui resurrexit propterea oporteret adorare, admirarique eius benignitatem & clementiam, quod quæ neque pater, neque amicus, neque filius profecerit, ea omnia dominus tuus pro te fecit, seruo, & qui offenderas. Cum ergo oporteret eum propter hoc admirari, tu stultitiam vocas rem plenam tantæ sapientiæ: sed non est mirandum: est enim pereuntium non agnoscere ea quæ ferunt ad salutem. Ne ergo perturbemini. Non est enim alienum quod sit, neque præter expectationem, ut quæ sunt magna subannentur ab iis qui sunt emotæ mentis. Iis autem qui sic sunt affecti non licet per humanam persuadere sapientiam: sed etsi sic volueris persuadere, facies contrarium. Nam quæ exuperant rationem, sola fide indigent. Nam si velimus persuadere rationibus quomodo Deus factus sit homo, & ingressus sit vterum virginis, & non rem fidei permiserimus, illi magis irridebunt. Qui ergo quærunt rationibus, ij sunt qui pereunt. Et quid dico de Deo? Nam si in rebus quoque creatis hoc fecerimus, multus sequetur risus. Sit enim homo qui vult omnia discere rationibus, & tentet tua persuaderi ratione quemadmodum lucem aspiciamus: tu autem ei tenta persuadere ratione: sed non poteris. Nam si dixeris quod sufficit apertis oculis aspiciere, non modum, sed id quod sit dixisti. Cur enim, inquit, non videmus auribus, & oculis audimus? Cur enim non nallo audimus, & auribus non odoramus? Si ergo eo de his dubitante, non possimus de his reddere rationem, ille est risurus, non nos magis irridebimur? Nam si

Res magnas nulla ratio potest ostendere.

Matt. 27. Crux est supra rationem.

Dan. 3.

Ion. 2.

Esa. 29.

Esa. 29. & 33. & Abd. 1. & 33.

Dei sapientia, quæ apparet per opera.

Psal. 101.

utraque habent principium ex vno cerebro, & utraque membra sunt inter se vicina, quomodo non possunt eadem facere? sed non poterimus dicere causam: neque modum ineffabilis & variæ operationis. Quamobrem hoc Dei virtuti & infinitæ relinquentes sapientie, silebimus. Ita ergo si res Dei velimus externa ostendere sapientia, multus sequetur risus, non propter rerum imbecillitatem, sed propter hominum amentiam. Res enim magnas ratio nulla potest ostendere. Considera autem. Quando dixerō, fuit crucifixus, Græcus seu ethnicus dicit, Et quomodo est hoc rationi consentaneum? sibi crucifixo opem non tulit, & qui tentabatur tempore crucis. Et quomodo postea resurrexit, & aliis opem tulit? nam si poterat, oportebat ante mortem. Nam hoc quoque dicebant Iudæi. Qui autem sibi opem non tulit, quomodo tulit aliis? Non est, inquit, rationi consentaneum. Est enim crux supra rationem, & virtutis ineffabilis. Nam qui in malis fuit, malis fuisse superiorem, & cum iis commissa pugna vicisse, est infinitæ potentia. Quomodo enim in tribus perieris, fuit admirabilis ingressus conculcasse flammam, quàm non ingressos esse fornacem: & in Iona multò erat maius à bellua nihil esse passum cum in eam incidisset, quàm omnino non incidisse in cetem. Ita etiam in Christo fuit admirabilis mortuum perfregisse mortem quàm non esse mortuum. Ne dicas ergo, Cur sibi opem non tulit in cruce? Nam cum ipsa morte volebat pugnam committere. Non descendit de cruce, non quod non posset, sed quod noluerit. Nam quem mortis tyrannis non detinuit, quomodo potuissent detinere clauis crucis? sed hæc sunt nobis nota, infidelibus autem non ita. Propterea dicebat, Verbum crucis pereuntibus quidem est stultitia, iis autem qui salui sunt, id est nobis, virtus Dei est. Scriptum est enim, Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium reprobo. Nihil graue & molestum ex se affert, sed prius ad scripturæ venit testimonium: & tunc accepta loquendi libertate, vehementiori vtitur oratione. *Nōne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes.* Cum dixisset scriptum esse, Perdam sapientiam sapientum, ex re subiunxit demonstrationem, dicens. Vbi sapiens, vbi scriba? simul & Græcos & Iudæos insectans. Quis enim Philosophus, quis ex iis qui sunt versati in syllogismis, quis ex scientibus Iudæis, salutem dedit, & notam fecit veritatem? Nemo est. Sed fuit totum piscatorum. Cum propositum sic concludisset, & eorum fastum depressisset, & dixisset, *Nōne infatuauit Deus sapientiam huius mundi: dicit etiam causam propter quam hæc sic facta sunt, Nam quia, inquit, in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum, crux apparuit.* Quid est autem, In Dei sapientia? quæ apparet per opera, per quæ voluit cognosci. Propterea enim & ea & quæ sunt huiusmodi construxit, ut conuenienter ex iis quæ cernuntur, in admiratione haberetur effectus. Magnum est cœlum & immensa terra: admirare ergo eum qui fecit. Magnum enim hoc cœlum, non solum ab eo, sed etiam facillè factum est: & ipsa producta est tanquam nihil. Propterea de illo quidem dicit, Opera digitorum tuorum sunt cœli. De terra autem, Qui terram fecisti tanquam nihil. Quoniam ergo per hanc sapientiam noluit Deum cognoscere, persuasit per stultitiam quæ esse videtur prædicationis: non per rationes, sed per fidem. De cetero vbi est Dei sapientia, non est opus humana. Antea enim dicere, quod qui tantum & sic mundum creauit, magnum sit Deus, & quod magnam & ineffabilem potentiam eum habere

Chrysof. tom. 4.

fit consentaneum, est humanæ sapientiæ ratiocinari, & per hæc ipsum comprehendere. Nunc non est amplius opus rationibus, sed sola fide. In eum enim qui fuit crucifixus & sepultus credere, & persuasum habere quod ipse & resurrexit, & sedet apud superiores, hoc non eget sapientia, neque rationibus, sed fide. Apostoli enim non sapientia processerunt sed fide, & externis sapientibus fuerunt sapientiores: & eo magis, quod quæ Dei sunt fide suscipere, maius est quam mouere rationes. Hoc enim humanam superat cogitationem. Quomodo autem perdidit sapientiam? Per Paulum & eos qui tales sunt nobis cognitus, ostendit eum esse insipientem. Nam ad suscipiendam Euangelij prædicationem, neque à sapientia quicquam adiuuatur, neque imperitus aliquid læditur ab incitia. Sed & si quid dicere oportet admirabile & præter opinionem, imperitia est aptior & promptior ad suscipiendum quàm sapientia. Pastor enim & rusticus eam citius suscipiet, omnino compressis rationibus, & se tradens domino. Sic ergo perdidit sapientiam. Nam quoniam prior seipsum deiecit, de cetero ad nihil est utilis. Nam quando oportebat eum sua induere, & per opera dominum videre, noluit: & ideo etiam si velit seipsum nunc introducere, non potest. Non enim res sunt eiusmodi, Dei enim cognitionis via est longè maior. Propterea fide & simplicitate est opus: & eam oportet semper quærere, & externæ præferre sapientiæ. Stultam enim, inquit, fecit Deus sapientiam. Quid est autem stultam fecit? stultam ostendit ad fidem comprehendendam. Quoniam enim ob eam se valde efferebant & sibi placebant, eam citò refellit. Quænam est enim sapientia, cum bonorum caput non inueniat? Fecit ergo eam apparere stultam, quoniam illa seipsam prior redarguit. Si enim quando rationibus licebat inuenire, nihil ostendit: nunc quando res afferuntur maiores, quomodo aliquid poterit efficere, quando sola opus est fide, & non facundia? Stultam ergo eam ostendit Deus. Placuit autem per stultitiam prædicationis saluos facere: stultitiam autem non quæ est, sed quæ esse videtur. Quod autem est maius, est hoc, quod non alia eiusmodi sapientia allata illa maiore, sed ea quæ videtur stultitia, sic euasit superior. Platonem enim expulit, non per alium philosophum sapienterem, sed per piscatorem imperitum. Sic enim & maius est acceptum dum vincuntur detrimentum, & clarior fuit victoria. Deinde crucis ostendens virtutem, dicit. *Quoniam & Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis, Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.* Magna est eorum quæ dicta sunt prudètia. Vult enim dicere quemadmodum Deus vicit per contraria, & quemadmodum non sit humana prædicatio. Quod autem dicit est eiusmodi. Quando dixerimus Iudæis, Credite, dicunt. Mortuos excitare, demones eiicite, signa nobis ostendite. Nos autè pro iis quid dicimus? In crucem actus est & mortuus qui prædicatur. Hoc autem satis est non solum ad eos qui nolunt, non attrahendos, sed & ad eos qui volunt, repellendos: & tamen non expellunt, sed attrahunt, & vincunt, & superant. Rursum Græci à nobis exigunt vim dicendi & sophismatum argutias. Nos autem eis quoque crucem prædicamus, & quod in Iudæis videtur esse imbecillitatis, hoc est in Græcis stultitia. Cum ergo non solum quæ petunt non præbecamus, sed etiam eorum quæ petunt contraria: crux enim non solum videtur esse signum, si ratione examinatur, sed etiam signi peremptio: & non solum non videtur esse offensio virtutis ac potentia, sed etiam probatio imbecillitatis:

ἀπιστίας lege, νόνη ἀπιστίας.

Deus quomodo vicit per contraria.

Toan. 9.

4. Reg. 6.

Crux portat orbem terræ, ut aqua terram.

Plato docendo frustra laborauit.

Stulti qui videbantur sapientes stultos ostenderunt.

& non solum videtur non esse ostensio sapientia, sed etiam opinio stultitia. Cum ergo signa querentes & sapientiam non solum accipiant quæ petunt, sed etiam contraria audiant eorum quæ cupiunt, & deinde persuadentur per contraria, quemadmodum non est virtus infinita eius quod prædicatur? Ut si cui eorum qui iactantur fluctibus & portum desiderant, non portum ostenso, sed alia maris parte sauiore, possit efficere ut lubenter sequatur: aut medicus eum qui est vulneratus & cupit medicamenta, si non per medicamenta, sed vrendo profiteatur se sanum redditurum, ad se attrahat. Hoc est enim magnæ virtutis. Ita etiam Apostoli non solum per signum, sed etiam per rem quæ videtur signis est contraria, superarunt. Quod quidem etiam in cæco fecit Christus. Volens enim ei mederi, per rem cæcitatem augentem, cæcitatem sustulit: lutum enim imposuit. Quomodo ergo per lutum cæcum curauit, ita etiam orbem terræ per crucem adduxit: quod quidem erat additio scandalii, non scandalii ablatio. Ita etiam fecit in creatione, per contraria confirmans & stabilens contraria. Arena quidem certè mare muniit, infirma validum & forte frenans. Aquæ terram imposuit, efficiens ut grauis & densa ueheretur à molli & fluida. Per Prophetas rursus paruo ligno ut ferrum in altum emergeret & enataret affecit. Ita etiam cruce quoque orbem terrarum attraxit. Quomodo enim aqua portat terram, ita etiam crux portat orbem terræ. Magnæ ergo virtutis & sapientia est argumentum persuadere per contraria: Crux enim videtur esse res scandalii, & tamen non solum non offendit & affert scandalum, sed etiam attrahit. Cum ergo hæc omnia cogitasset Paulus, & obstupuisse, dicebat, *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Illud stultum & infirmum dicens de cruce, non quod est, sed quod videtur. Respondet enim ad illorum opinionem. Nam quod per syllogismos non potuerunt efficere philoſophi, hoc rectè fecit quæ videbatur esse stultitia. Quis est ergo sapientior, isne qui multis persuadet, an qui paucis, aut potius nulli? Qui de maximis persuadet, an is qui de iis quæ non oportet? Quantum laborauit Plato & eius asseclæ, de linea, & angulo, & puncto, & numeris paribus & imparibus, & inter se æqualibus & inæqualibus, & de iis quæ sunt huiusmodi differens, quæ nobis sunt araneorum telæ: ea enim non magis quam illæ telæ vitæ profunt: & cum inde nec paruam nec magnam attulisset utilitatem, vitam finiit. Quantum laborauit conans ostendere quod anima sit immortalis, & cum euident nihil dixisset, & nulli auditori persuasisset, sic excessit. Crux autem persuasit per homines imperitos, & persuasit toti orbi terrarum: nec de rebus quibuslibet, sed de Deo differens, & vera pietate ac religione, & de euangelica vitæ institutione, & futuro iudicio: & rusticos & indoctos omnes fecit philosophos. Vides quemadmodum quod Dei est stultum, est sapientius hominibus, & quod est imbecillum, fortius. Quomodo fortius? Quod persuasit vniuersum orbem terræ, & vi cepit omnes homines, & cum innumerabiles crucifixi nomen conarentur extinguere, euenit contrarium: nempe crux quidem floruit, & maiorem in modum creuit: illi autem perierunt & exitio affecti sunt: & viucentes aduersus mortuum bellum gerentes, nihil potuerunt. Quamobrem quando me stultum quidem dixerit Græcus, se ipsum supra modum stultum ostendit: quando ego qui apud eum existimor esse stultus, sapiente cernor sapientior. Quando me vocauerit imbecillum, tunc se ostendit imbecillioem. Quæ enim, Dei gratia, rectè gerere potuerunt publicani & piscatores, ea philosophi, & ora-

tores, & tyranni, & ut semel dicam, vniuersus orbis terrarum innumerabilia persequens & percurrans, ne visione quidem potuit apprehendere. Quid autem crux non adduxit? Quid dicendum sit & sentiendum de immortalitate animæ, de corporum resurrectione, de presentium rerum despicientia, de futurorum desiderio: & homines fecit Angelos: & omnes vbiq; philosophatur, & ostendunt omnem magni fortisque animi virtutem. Sed apud eos quoque, inquit, fuerunt multi mortem contemnentes. Quinam quæso? Num is qui bibit cicutam? Sed si velis, ex ecclesia tales exhibebo innumerabiles. Si enim liceret cum ingrueat persecutio, pota cicuta excedere, essent omnes illo clariores. Quamquam ille quidem bibit, cum non esset in sua potestate bibere aut non bibere, sed vellet nollet hoc eum oportebat pati, quod iam non erat magni animi virtutis, sed necessitatis. Nam & latrones & sicarij ac parricidæ sententiam subeuntes, grauiora passi sunt quam isti. Apud nos autem contrarium omnino accidit. Non enim martyres passi sunt inuiti, sed lubentes, & cum esset in eorum potestate non pati, quouis adamante firmiter ac fortioem ostenderunt magni animi virtutem. Non est ergo hoc mirandum si ille bibit cicutam, cum in eius potestate non esset non bibere, & ad extremam prouectus esset ætatem. Dicebat enim se esse septuaginta annos natum quando vitam contempsit, si hoc est contemnere: ego enim non dixerim, imò verò nullus alius. Sed ostende mihi quempiam qui pro pietate ac vera religione tormenta fortiter sit perpassus, quomodo ego innumerabiles vbiq; per totum orbem terræ. Quis cum ei effoderentur vngues, forti & generoso animo tulit? Quis cum eruerentur articuli? Quis cum particulatim corpus discerperetur & separaretur à capite? Quis cum ossa extraherentur? Quis in sartagine frequenter positus? Quis in lebetem iniectus? Hæc mihi ostende. Cicuta enim mortem obiisse, periinde est atque permanuisse dormientem: dicitur enim ea mors esse somno suauior. Quod si qui etiam tormenta pertulerunt, verumtamen eorū quoque laus perit: nā pro turpi causa perierunt. Alij quidē, ut qui arcana enunciant: alij autem ut qui tyrannidem affectarint. Alij autem ut qui sint deprehensi in rebus turpissimis. Alij autem, ut qui temere & inconsideratè, cum nulla esset causa, se detulerint. Sed non sic apud nos. Propterea quæ ab illis quidem facta sunt, mandata sunt silentio: quæ ab his autem, florent, & crescunt quotidie. Quod quidem cogitans Paulus, quod Dei est infirmum, dicit esse fortius hominibus. Nam quod diuina sit prædicatio hinc quoque est perspicuum. Vndēnam enim venit in mentem duodecim hominibus, iisque imperitis, res tãtas aggredi, qui versabatur in lacubus, fluuijs & solitudinibus, & nunquam fortasse in ciuitatem, neque in forum ingreſsi fuerant? Vndēnam eis venit in mentem, ut in vniuersum orbem terrarum strueret aciem? Nam quod essent timidi & pusilli animi, ostendit qui de iis scripsit, & neque obseruauit, neque tulit ut eorū tegeter vitia. Quod quidem est etiam ipsum maximum argumentum veritatis. Quid ergo de iis dicit? Quod Christo cõprehensio, post miracula innumerabilia, alij quidem fugerunt qui autem mansit, cum esset aliorū Coryphæus & princeps, negauit. Vndēnam ergo qui viuente Christo Iudaicum impetum non tulerunt, cum esset mortuus, & sepultus, & non resurrexisset, ut dicitis, & nec eos esset allocutus, nec eis animum addidisset, aduersus totum orbem terræ direxerunt aciem? Non dixissent apud se, Quid hoc est? Scipsū non potuit seruare, & nos proteget? Sibi opem non tulit viuus & nobis manū præbebit mortuus? Ipse viuus nullā subegit gētē, & nos toti orbi terrarum persuadebimus,

Nonam reipubl. institutionem inducentes sunt omnibus odio.

Protagoras, Diagoras, & Diodorus.

Socrates.

Apostolorum prædicationem duplex erat in nouatione.

persuadebimus, dicentes illius nomen? Et quomodo fuerit consentaneum, hæc non solum facere, sed tãtum cogitare? Vnde est perspicuum, quod nisi vidissent resurrexisse, & eius potetia maximum habuissent argumentum, non ita iecissent aleam. Nam etiam si amicos habuissent innumerabiles, non protinus omnes habuissent inimicos, dum antiquos mores mouerent, & patrios ritus tollerent? Nunc autem omnes habuerunt hostes, & proprios & alienos. Nam & iam si propter omnia externis fuissent reueredi, non omnes eos abhorruissent, ut qui inducerent noiam reipubl. institutionem. Nunc autem & deserti erant ab omnibus, & consentaneum erat eos inde esse omnibus odio & contemptui. Quos enim vis dicere? Iudæos? Sed quod verbis exprimi non potest, in eos habebant odium ex iis quæ facta fuerant aduersus magistrum. At Græcos? Verum isti quoque eos non minus quam illi auerſati sunt. Hæc autem maximè sciunt Græci. Plato enim qui voluit noiam instituire rempublicam, vel potius partem reipublicæ, & non leges deorum transmutans, sed planè alias pro alijs inducens actiones, venit in periculum ne Sicilia eiectus morte afficeretur. Quoniam autem non hoc factum est, ipsam amisit libertatem: & nisi quidam barbarus fuisset Sicilia tyranno clemētior, nihil obstitisset quominus philosophus in regione aliena perpetuò seruiret. Atqui non sunt paria ea quæ ad regnum pertinent innouare, & quæ ad religionem: hoc enim maximè conturbat & tumultu replet homines. Dicere enim, Ille & iste hanc & istam vxorem ducant: & custodes hoc modo sint custodes, non admodum sufficit ad perturbandum, & maximè quando hæc in libro sita fuerint, nec magnum studium ponat legislator ut quæ dicuntur in opus exeant. Ceterum dicere quod non sunt Dij qui coluntur, sed dæmones: quod qui in crucem actus fuit est Deus, scitis quantam accenderit iram, quantum fecerit luere supplicium, quantum excitarit bellum. Et enim apud eos Protagoras, quoniam ausus est dicere, Non noui Deos, idque ausus est dicere, non solum orbem terræ non obiens & in eo prædicans, sed in vna ciuitate, in extremum venit periculum: & Diagoras, & Diodorus qui dicitur *atheos*, id est Deo carens, quamuis amicos haberent, & dicendi facultate essent præditi, & haberentur in admiratione propter philosophiam, nihil tamen eorum ipsos iuuat. Magnus quoque Socrates, & qui omnes qui apud ipsos erant vincebat philosophia, propterea bibit cicutam, quod in iis quæ dicebat de Dijs, venerat in suspicionem quod aliquid transmoueret. Si autem sola quam de iis conceperant opinio in nouationis tãtum attulit periculum philosophis, & sapientibus: & qui ab innumerabilibus fuerant culti & obseruati, non solum non potuerunt efficere quæ volebant, sed ipsi & vitam & patriam amiserunt: quemadmodum non miraris & obstupescis, cum videas piscatorem in orbe terrarum tanta fecisse, & ea in quibus studium posuit præclare gessisse, & superasse omnes barbaros & Græcos? At isti, inquit, Deos non inducebant alienos sicut illi. Verum hoc quidem ipsum dicis maximè mirandum, quoniam duplex est in nouatio, nempe & eos qui erant tollere, & crucifixum annunciare. Vnde enim eis venit in mentem ea prædicare? Vndēnam de suo fine audenti & confidenti esse animo? Quosnam ex iis qui præcesserunt, cuiusmodi aliquæ gessisse potuerunt videre? Non omnes adorabant dæmones? Non omnes elementa in Deos referebant? Non erat diuersus ac varius modus impietatis & falsæ religionis? Sed tamen omnia sunt aggressi, & omnia fregerunt, & breui tempore omnem orbem terræ tanquam alati percurrerunt: non pericula reputantes, non

Chrysof. tom. 4.

mortem, non rei difficultatem, non suam paucitatem, non multitudinem aduersariorum, non eorum qui bellum gerebant potestatem, vires, & sapientiam. His enim omnibus habebant maiores copias auxiliares, eius qui in crucem actus fuerat & resurrexerat potentiam. Non esset ad eò mirandum si cum orbe terrarum suscepissent gerendum bellum sensile, sicut quod nunc factum est. Lege enim belli liceret stare ex aduerso hostium, & contraria occupata regione dirigere aciem contra aduersarios, & accipere occasionem inuadendi & manus conferendi. Hic autem non sic. Non enim propria habebant castra, sed mixti erant cum ipsis hostibus, & sic eos vincebāt, & cum versarentur in medio inimicorum, elabebantur ex eorum manibus, superabantque & præclaram conſequebantur victoriam, impletent prophetiam quæ dicit, Et dominaberis in medio inimicorum tuorum. Hoc enim erat magno stupore & admiratione plenum, quod qui eos tenebāt inimici, & coniciebant in carcerem & vincula, non solum eos non superabant, sed ipsi quoque eis postea se submittebant, flagellantes flagellatis, vincientes victis, persequentes iis qui exigebantur. Hæc autem omnia dicimus Græcis, imò verò his plura: est enim magna veritatis abundantia. Si enim rei argumentum conſequamini, vos docebo vniuersam quæ est nobis cum eis decertationem. Interim ei duo conseruamus capita. Quomodo imbecilli fortes vicerunt: & quomodo eis cum tales essent, venisset in mentem, de iis conſultare, nisi diuino freti essent auxilio? Et nostra quidem sic se habent. Nos autem exhibeamus rectas vitæ gerendæ actiones, virtutisque ignem copiosum accendamus. Estis enim, inquit, luminaria in medio mundo lucentia. Maiorem vnicuique nostrum Deus tradidit vsum quam soli, maiorem quam cælo & terræ & mari, & eò maiorem quò præstât spiritalia sensilibus. Quando ergo orbem solis aspexerimus, & aſtri pulchritudinem, corpisque & decorem ac alacritatem admirati fuerimus, rursus consideremus esse maiorem quæ est in nobis lucem, sicut etiam grauiore & molestiores tenebras nisi attendamus: nam nox profunda occupat vniuersum orbem terræ. Nox est non solum in hæreticis & Græcis seu ethnicis, sed etiam in multis apud nos, & propter dogmata & propter vitam. Multi enim resurrectioni non satis credunt: multi Genethliacis, multum tribuentes iis quæ de suo ortu dicunt, nituntur: multi obseruationes quasdam obseruant, fortibusque & augurijs, signisque & ominibus, alij etiam vtuntur amuletis & incantationibus. Sed cum iis quoque postea agemus, cum quæ ad Græcos pertinet perfecimus. Interim autem tenete quæ dicta sunt, & nobis ad pugnam opem ferte, per vitam eos ad nos trahentes & transmouentes. Nam quod semper dico, eum qui docet philosophiam, oportet hoc in se primum docere, & auditoribus esse desiderabilis. Simus ergo desiderabiles, & beneuolo animo simus in nos & Græcos. Hoc autem erit, si simus parati, non solum benefacere, sed etiam pati. Non videmus infantes, quado à parētibus portati eius qui portat genis plagas manu incusserint, quam lubenter concedit pater filio ut iram expleat, & quando eum viderit bilem inaniſſe, lætatur? Ita nos quoque faciamus, & cum Græcis loquamur tanquam patres cum infantibus. Infantes enim, & pueri sunt omnes Græci: id quod dixerunt quidam apud eos, illos semper esse pueros, neque vllum Græcum esse senem. Non ferunt enim pueri ut de vlla re vtili curam gerant. Ita etiam Græci semper volunt ludere, humique semper iacent, & humi serpunt ac reptant, & quæ humi sunt, nempe terrena, affectant. Pueri autem sæpe, cum nos loquamur de

Psal. 109.

Philipp. 2.

Lux nostra maior est quam solis.

Omne genus diuinationis sectantes damnantur.

Græci omnes infantes & pueri.

rebus necessariis, eorum quae dicuntur, nihil sentiunt, sed semper rident. Ita etiam Graeci, quando de regno loquimur, rident: & quomodo ex ore pueri multa manum salua, saepe cibum & potum inquinat: ita etiam ex ore Graecorum verba fluentia vana & immunda, etiam si necessarium dederis alimentum maledictis semper vexant eos qui praebent, & ut auferantur rogant. Pueri rursus quando latronem viderint egredientem, & quae sunt intus auferentem, non solum non prohibent, sed etiam arrident infidiatori. Sin autem calathulum aut fistra abstuleris, aut aliquod aliud ludicrum, indignantur & aegerferunt, se dilacerant, & solum pulsan: Ita etiam Graeci videtes diabolum paterna omnia sibi auferentem, & quibus sua vita continetur, rident, ad eum tanquam ad amicum accurrentes, si quisquam autem aut possessionem, aut diuitias aut puerile aliquid abstulerit, se discerpunt, & tanquam pueri nudantur, nec sentiunt, nec erubescunt. Ita etiam Graeci cum meretricibus & adulteris volutati, naturae leges nudantes, & nefarios concubitus inducentes, non curant. Plausistis valde, & laudastis, sed cum plausu providete ne de nobis quoque haec dicantur? Quamobrem rogo vos & hortor ut viri sitis. Nam cum pueri simus, quomodo illos docebimus esse viros? Quomodo a puerili amentia illos arcebimus? Simus ergo viri, ut perueniamus ad mensuram aetatis definitae a Iesu Christo, & bona futura adipiscamur gratia & benignitate, &c.

ORATIO V.



VIDETE enim vocationem vestram fratres, quod non multi sapientes secundum carnem: non multi potentes, non multi nobiles: sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes. Cum dixisset id quod est stultum Dei, esse sapientius hominibus, ostendit esse etiam hominum sapientiam, & ex testimonio scripturarum, & ex rerum euentu. Et testimonio quidem, dicens, Perdam sapientiam sapientum. Ex euentu autem, per interrogationem prolata oratione, & dicens, Vbi sapiens, vbi scriba? rursus simul ostendit rem non esse noquam, sed antiquam, ut quae sit ab alto praefigurata & praedicta. Scriptum est enim, inquit, Perdam sapientiam sapientum: cum his ostendit quod & vtiliter & rationi consentaneum haec sic facta sint. Quoniam enim in sapientia Dei, inquit, non cognouit Deus mundum, placuit Deo per stultitiam praedicationis saluos facere credentes. Et quod crux sit ostensio ineffabilis potentiae & sapientiae: & quod id quod est stultum Dei, est longem maius humana sapientia, hoc quoque rursus ostendit, non per magistros, sed per ipsos discipulos. Videte enim, inquit, vocationem vestram. Non solum enim magistros indoctos & imperitos, sed & tales elegit discipulos. Non multi enim, inquit, sapientes secundum carnem. Sic hoc ostenditur & validius & sapientius, cum & multis persuaserit, & persuaserit insipientibus. Indocto enim persuadere est difficillimum, maxime quando agitur de rebus necessariis & magnis: persuaserunt tamen, & ipsos huius citat testes. Videte enim, inquit, vocationem vestram fratres, Considerate, perscrutamini. Nam quod dogmata adde sapientia, & omnibus sapientiora susceperint indocti, hoc fert testimonium de maxima magistri sapientia. Quid est autem, secundum carnem? Si spectetur quod apparet, & vita praesens, & externa eruditio. Deinde ne videretur sibi ipsi aduersari: persuasit enim Proconsuli, & Areopagite, & Apollo, & alios quoque vidimus accessisse ad praedicationem, non dixit, Nullus sapiens, sed, non multi sapientes. Non enim forte vocabat indoctos & im-

Ep. 2.9. & 11. & Abd. 1.

Indocto persuade-ri est difficillimum.

Ad. 13. & 17.

peritos, & dimittebat doctos & sapientes: sed hos quoque admittebat, illos autem longe plures. Quamobrem? Quod qui est sapiens secundum carnem, is est plenus multa amentia: & is est maxime stultus, quando corruptam doctrinam noluerit eiicere: & quomodo si quis medicus voluerit aliquos artem docere, ij quidem qui pauca sciunt, & contra atque ars postulat ea tenere contendunt, non sustinuerint ut facile discant. Qui autem nihil sciunt, quae dicuntur maxime admiserint. Ita etiam hic vsuuenit. Indocti enim & imperiti magis sunt persuasi. Summam enim non habebant arrogantiam, nempe ut se putarent esse sapientes. Qui enim sunt valde stulti, ij sunt qui maxime permittunt rationibus quae non licet inuenire, nisi per fidem. Quomodo enim si cum faber ararius candens ferrum e fornace extrahit, iste manu contendat hoc facere, cum extremae damna- bimus amentia: ita etiam philosophi qui haec per se inuenire contenderint, fidem probro affecerunt. Propterea nihil eorum quae quaeruntur inueniunt. Non multi potentes, non multi nobiles. Nam ij quoque sunt fastu pleni: & ad perfectam autem & accuratam Dei cognitionem nihil est aequum inutile atque arrogantia, & altissimum esse diuitiis: efficiunt enim ut in admiratione habeant praesentia, & futurorum nullam habeant rationem, & aures obstruat propter curarum multitudinem. Sed quae stulta sunt huius mundi elegit Deus. Quod quidem est maximum victoriae indicium, quando vincit per indoctos & imperitos. Non enim tanto pudore afficiuntur Graeci, quando victi fuerint per sapientes: sed praepudore tunc vultum operiunt, quando viderint sordidum opificem, & qui in foro versatur, plus quam ipsi, philosophari. Quamobrem dicebat, *Ut pudore afficiat sapientes.* Nec hic solum hoc fecit, sed etiam in aliis vitae commodis. *Et infirma mundi elegit Deus, ut pudore afficiat fortia.* Non solum enim indoctos & imperitos, sed & pauperes, & eos qui habentur contemptui, abiectioneque & ignobiles vocauit, ut eos qui sunt potentes & principatus obtinent, reddat humiles. *Et ignobilia mundi & contemptibilia, & ea quae non sunt, et ea quae sunt destruet.* Et quamnam vocat quae non sunt? Eos qui nihil esse reputant, propterea quod in nullo sint pretio. Ita magnam ostendit potentiam, ut qui per eos qui nihil esse videbantur, magnos deiecerit: Quod alibi quoque dicit, *Virtus mea in infirmitate perficitur.* Est enim magna virtus ac potentia, abiectioneque & qui nullam vnquam attingerant disciplinam, eos repente docere philosophari quae sunt supra homines. Nam & medicum, & oratorem, & alios omnes tunc maxime admiramur, quando iis qui sunt valde indocti persuaserint, & eos erudierint. Si magnum est autem miraculum artis rationes indero indocto & imperito, multo magis rationes tantae philosophiae. Non solum autem hoc fecit propter miraculum, neque ut suam ostenderet potentiam, sed etiam ut reprimeret insolentes. Quamobrem prius quoque dicebat, *Ut pudore afficiat sapientes, ut ea quae sunt destruat: & hic rursus, Ut non gloriatur omnis caro in conspectu Dei.* Omnia enim propter hoc facit Deus, ut nihil nobis imputemus, ut omnia Deo ascribamus. Vos autem qui huic & illi vos ipsos addicitis, quamnam veniam consequemini? Deus enim ostendit fieri non posse ut per nos solos salutem assequamur: & hoc fecit in initio. Non enim licebat tunc per se esse saluos: sed oportebat obeuntes caeli pulchritudinem, & terrae magnitudinem, & alius rei creatae corpus, ita deduci ad rerum opificem. Hoc autem fecit, prius reprimens quae in inani opinione futura erat, sapientiam. Quomodo si quis magister cum docuisset discipulum sequi quod duceret, vidisset autem praevnisse & velle omnia ex se discere,

Peccatum vnde existat.

Genes. 1. & 3. Rom. 1.

Cur Deus noluerit homines sibi sufficere.

Christiani habent Christum ipsam sapientiam.

finens cum aberrare, & ostendens quod sibi non sufficit ad discendum, tunc quod suum est affert. Ita etiam Deus ab initio iussit sequi per rerum creatarum illuminationem. Postquam autem noluerunt, ostendens per experientiam quod sibi ipsis non sufficiant, tunc eos ad se aliter adducit. Pro tabula dedit mundum: neque tamen in iis meditati sunt philosophi: neque ei parere voluerunt: neque ad ipsum ea venire via qua ipse iussit. Aliam itaque induxit viam priori manifestiorem, persuadentem quod ipse homo sibi solus non sufficit. Nam tunc quidem licebat & mouere rationes, & externa vti sapientia ductis per res creatas. Nunc autem nisi quicquam factus fuerit stultus, hoc est nisi omnem rationem, & omnem exinanierit sapientiam, & se fidei tradiderit, nulla ratione fieri potest ut sit saluus. Non parum est autem quod cum eo quod viam fecit facilem, hinc morbum quoque euellit, nempe efficiens non gloriari, neque offerri animis & sibi non placere. *Ut non gloriatur omnis caro.* Ex his enim existit peccatum, quod Dei legibus contenderunt esse sapientiores, ut qui nolent ita discere ut ipse constituit. Propterea neque sic omnino didicerunt. Ita etiam factum est ab initio. Dixit enim Adamo. Hoc fac, & illud ne feceris: ille, ut qui existimaret se amplius aliquid inuenire, non obediit, & quod habebat perdidit. Dixit iis qui deinceps successerunt, Nolite perpetuo manere in re creata, sed per eam contemplantini opificem. Illi autem tanquam iis quae dicta fuerant sapientius aliquid inuenientes, innumerabiles mouerunt labyrinthos. Et ideo & secum & inter se inuicem conflixerunt, & neque Deum inueniunt, neque de rebus creatis aliquid euident inueniunt: neque conuenientem & veram de iis habuerunt opinionem. Propterea rursus ex magna abundantia sui inanem detrahens opinionem, primos introduxit indoctos & imperitos, ostendens quod omnes superna egent sapientia. Non solum autem in ratione cognitionis, sed & in aliis omnibus, & homines, & alias res omnes creatas magnopere ea opus habere constituit: ut hac ratione maximam habeant occasionem & subiectionis & cum eo coniunctionis & necessitudinis: propterea non eos ita dimisit ut sibi sufficerent. Nam si nunc etiam cum opus habeant, multi despiciunt: nisi hoc esset, quod non venissent contemptus & despicientiae? Quamobrem sic gloriari, non eis inuidens, sustulit, sed abstrahens ab exitio quod inde proficiscitur. *Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.* Hoc autem, Ex ipso, existimo cum dicere, non de productione ad essentiam, sed de fide: hoc est factos esse filios Dei, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis. Ne igitur existimetis, quod vos creptos a gloriacione ita dimiserit: aliam enim maiorem dedit gloriacionem. Nam in conspectu eius non oportet gloriari. Filij eius estis, hoc facti per Christum. Et postquam dixit, Stulta mundi elegit & ignobilia, ostendit eos esse omnium nobilissimos, ut qui Deum habeant patrem. Huius autem nobilitatis, non hic aut ille, sed Christus nobis est auctor, qui nos fecit filios, iustos, & sanctos. Hoc enim est, *Factus est nobis sapientia.* Quis est ergo vobis sapientior, qui non habetis sapientiam Platonis, sed ipsum Christum, cum Deus hoc voluerit? Quid est autem a Deo? Cum magna dixisset de vnigenito, tunc addit patrem, ne existimetis filium esse ingentium. Quando ergo dixit cum tanta potuisse, totum tribuit filio, dicens ipsum nobis factum esse sapientiam, & iustitiam, & sanctificationem, & redemptionem: per filium rursus vniversum attribuens patri, dixit, a Deo. Quare autem non dixit, Fecit nos sapientes, sed, factus est nobis sapientia? Doni ostendens abundantiam.

Perinde ac si diceret, Seipsum nobis dedit. Vide autem quemadmodum certa via & methodo procedit. Prius enim nos fecit sapientes, liberatos ab errore, & tunc iustos, & sanctos, largitus spiritum: & sic ab omnibus malis nos liberauit, adeo ut simus eius, & eius essentiae & fidei. Atque alibi quidem dicit nos factos esse iustitiam in ipso, dicens. Eum qui non nouit peccatum, peccatum pro nobis fecit, ut nos fieremus iustitia Dei in ipso. Nunc autem dicit ipsum nobis factum esse iustitiam. Quamobrem licet ei qui velit, abunde eius esse particeps. Non enim hic & ille fecit sapientes, sed Christus. Qui ergo gloriatur, in ipso gloriatur: non in hoc aut in illo. A Christo facta sunt omnia. Et ideo cum dixisset, Qui factus est nobis sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, subiunxit. *Ut quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in domino gloriatur.* Propterea etiam valde inuectus est in sapientiam Graecorum: ut hoc ipsum persuaderet hominibus, sicut etiam iustum est, in Deo gloriari. Quando enim a nobis ipsis quae supra nos sunt quaesierimus, nihil est nobis stultius, nihil imbecillius. Nam ut linguam quidem habeamus acutam, fieri potest: ut valida autem dogmata, nullo modo potest fieri, sed arancarum telis sunt similes quae per se sunt rationes. Nam eo insaniam processerunt quidam, ut eorum quae sunt, nihil verum esse dicerent, sed omnia affirmarent esse contraria eorum quae apparent. Tuum ergo nihil esse dixeris, sed in omnibus in Deo gloriaris. Nulli vnquam homini aliquid acceptum feras. Si enim Paulo nihil est acceptum ferendum, multo magis aliis. *Ego enim, inquit, plantaui, Apollo rigauit: sed Deus incrementum dedit.* Qui didicerit in Domino gloriari, nunquam extolletur: sed semper erit modestus & in omnibus erit gratus. Res autem Graecorum non ita se habent: sed sibi omnia tribuunt. Quamobrem homines quoque in Deos referunt: adeo praecipites eos egit amentia & arrogantia. De cetero tempus est ut aduersus eos prodeamus ad certamen. Vbi ergo heri nostram reliquimus orationem? Dicebamus fieri non posse ut humana consequentia piscatores superarent philosophos. Sed tamen fieri potuit. Vnde est perspicuum quod id factum sit gratia. Dicebamus fieri non posse ut tam multa recte & praclare gesta eis venirent in mentem: & ostendimus non solum ea cogitasse, sed etiam cum magna facilitate ad finem perduxisse. In hoc ipso orationis capite hodie quoque nos exerceamus, vnde nam eis venerit in mentem ut expectarent se vniversum orbem terrae posse vincere, si non vidissent Christum resurrexisse? Num erant adeo emotae mentis, ut inconsiderate & temere tale quid cogitarent? Omnem enim superat insaniam, abique Dei gratia expectare, ut tantam rem conficerent. Quomodo hoc effecerunt insanientes & emotae mentis? Sin autem erant sanae mentis, sicut res ipsae indicauerunt, quomodo non acceptis e caelo fide dignis pignoribus, & supernum non adepti auxilium, sustinuisent exire ad tanta bella suscipienda, & ad audacter dimicandum in terra & in mari, & ad mutandos totius orbis terrae mores tanto tempore stabilitos & confirmatos? Duodecim homines se parare, & plane fortiter stare: & quod est maius, ad caelum vocates & supernas habitationes, vnde nam expectabant fore ut ea persuaderent auditoribus? Et si fuissent quidem educati in gloria, opibus, potentia, & eruditione, ne sic quidem maxime verisimile esset eos fuisse excitandos ad tantam rerum molem: ceterum aliquam rationem habuisset expectatio. Nunc autem alij quidem versati fuerant in lacubus: alij verum in pellibus: alij autem in teloneis. Nihil est autem his studiis inutilius ad philosophiam, & ad persuaden-

1. Cor. 5.

In Christo gloriam dum non in alio.

Hiere. 9. & 2. Cor. 10.

Pyrrho: niji.

Gentiles omnia sibi tribuunt.

Gratia, non humana consequentia aggregata sunt. Apostoli facere quae fecerunt.

Res no-
uas multi
aggredi
sunt ex-
tincti.

Act. 5.

Si Apo-
stoli Chri-
stum non
vidissent
resurre-
xisse, quæ
fecerunt
non essent
aggredi.
Mat. 8. 27Mat. 27.
& 28.

dum vt res magnas visione, apprehendant & cogitent: & maximè quando quispiam non habeat exemplum? Imò verò non solum habebant exempla quòd essent superaturi, sed etiam habebant quòd superaturi non essent. Nam multi res nouas aggressi sunt extincti: non dico apud Græcos (nam illa ne erant quidem) sed apud Iudæos ipsos in ipso tempore, nò cum viris duodecim, sed cum magnis copiis res inuadentes. Nam Theudas & Iudas magnam hominum manum coactam habentes, perierunt cum discipulis: & qui ex illis extiterat metus, satis erat ad eos erudiendos ac corrigendos, nisi eis valde esset persuasum, quòd sine diuina virtute fieri non posset vt superarent. Quòd si etiam expectabant fore vt vinceret, quàm spe tanta adibant pericula, nisi ad futura aspiceret? Ponamus autem eos sperasse fore vt vinceret, quid se expectabat lucrum esse facturos ex eo quod omnes adduceret ad eum qui non resurrexit sicut dicitis? Nam si nunc homines qui crediderunt de regno cælorum & bonis innumerabilibus, difficiliter pericula subeunt, quomodo illi tot & tanta temere essent perpeffi: imò verò illorum malo? Nam si non facta essent quæ facta fuerunt, neque Christus in cælum ascendisset, planè hæc fingere contententes, & aliis persuadere, Deum erant offensuri, & à superis innumerabilia fulmina expectaturi. Quòd si etiam viuo Christo habuissent tantam animi alacritatem, eo mortuo eam extinxissent. Nam si nò resurrexisset, visus eis esset impostor quispiam & simulator. An nescitis quòd castra viuo quidem imperatore & rege, etiam si sint imbecilla, consistunt? Sin autem illi exceperint, etiam si sint valida, diffiunt & dissoluuntur. Quibusnam ergo probabilibus vsi sunt rationibus aggressuri prædicationem, & exituri in vniuersum orbem terræ? Quibusnam autem obstaculis & prohibitionibus non erant retinendi? Nam si fuissent insani (hoc enim non cessabo dicere) nihil penitus rectè gessissent: nemo enim paret insanis. Si autem rectè gesserunt, sicut gesserunt, exitus ostendit quòd essent omnium sapientissimi. Si autem fuerunt omnium sapientissimi, est perspicuum quòd non inconsideratè venerunt ad prædicationem. Nam si non vidissent ipsum resurrexisse, quid satis fuisset ad eos ad tantum bellum educendos? Quid verò eos non auertisset? Dixit eis se post tres dies resurrecturum, & de regno cælorum annunciauit. Dixit eos orbem terræ esse victuros accepto spiritu sancto, & alia præter hæc innumerabilia, quæ vniuersam excedunt naturam. Quamobrem si nihil eorum factum esset, etiam si viuo credebant, eo mortuo non credidissent, nisi vidissent resurrexisse. Dicerent enim, Dixit, Post tres dies resurgam, & non resurrexit. Pollicitus est se daturum spiritum, & non misit. Quomodo ergo de futuris ei credemus, cum falsi conuicta sint præsentia? Quàm autem de causa, cum non surrexisset, prædicabant eum resurrexisse? Quoniam ipsum amabant, inquit. Atqui consentaneum erat eum de cætero odisse, cum eos deceperit, & prodiderit, & quòd cum eos spe infinita suspensos tenuisset, à domibus, & parentibus, & ab omnibus fecerit discedere: & cum totam Iudæorum gentem eis reddidisset infestam, postea prodiderit. Et si esset quidem imbecillitatis quod factum est, ignouissent: nunc autem existimaretur esse improbitatis & sceleris. Oportebat enim verum dicere: & non cælum polliceri cum esset homo mortalis, vt dicitis. Quamobrem esset consentaneum eos facere contrarium, nempe prædicare fraudem, & dicere eum simulatorem & præstigiatores. Sic enim & liberati fuissent à periculis, & sic bello finem impouissent. Si enim militibus pecuniam dederunt Iudæi, vt dicerent ipsos suffuratos esse corpus: si accedentes discipuli dixissent,

328
suffurati sumus, nec resurrexit, quem honorem non essent assecuti? Eis itaque licebat honorari & coronari. Cur ergo contumeliis affici & in periculum vocari iis commutarunt, si non erat virtus diuina quæ eis persuadebat, quæ quidem est his omnibus potentior? Sin autem nondum persuademus, illud quoque considera, quòd etiam si valde parati essent, ipsum non prædicassent, sed eum essent auersati? Scitis enim quòd ne nomina quidem volumus audire eorum qui sic decipiunt. Quàm autem de causa prædicabant eius nomen, expectantes fore vt per ipsum vinceret? Atqui oportebat eos expectare contrarium, nempe quòd etiam si essent victoria potituri, periissent, deceptoris nomen in medium afferentes. Sin autem volebant occultare & obscurare priora, oportebat tacere. Nam decertare magis excitasset & bellum & risum. Vnde ergo venit eis in mentem hæc confingere? etenim ea quæ audierant exciderant. Si autem cum nullus eos vrgeret metus, multorum obliuiscabantur, & quædam ne cogitabant quidem, vt dicit Euangelista: cum eos tantum inuasisset periculum, quomodo non omnia ab eis euolassent? Et quid dico verba? cum etiam magistri sui desiderium, metu futurorum sensim marcesceret: quod quidem ipsis quoque exprobrauit. Nam cum antea quidem ab eo pendent, assidue interrogarent. Quò vadis, postea autem cum longa vsus est oratione, narrans mala quæ in ipsa cruce eos essent inuasura, & deinde metu dehinc hiantes mansissent, audi quemadmodum eis hoc obicit dicens, Nullus ex vobis interrogat me, Quò vadis: sed quoniam hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Si ergo expectantes eum moriturum, & resurrecturum, ita dolebant: si non vidissent ipsum resurrexisse, quomodo nò periissent, & ipsam terram subire studuissent, & fraudis dolore, & metu futuro obfessi? Vndènam autem & sublimia eis dogmata? Dixit enim eis, fore vt postea audirét altiora. Multa enim, inquit, habeo vobis dicenda, sed non potestis portare modò. Ea itaque quæ non dicebantur erant altiora. Vnus autem ex discipulis ne in Iudæam quidem volebat cum eo abire, postquam audiit pericula, sed dicebat, Abeamus & nos vt moriamur cum illo, ægreferens, quoniam expectabat se moriturum. Si autem cum esset cum eo, expectauit se moriturum, & ideò renuebat, absque eo & cæteris discipulis quid non sperasset? & magnum erat hoc argumentum impudètia. Quid verò, etiam exeuntes habebant quid dicerent? Nam passionem quidem sciebat vniuersus orbis terræ: nam in alta trabe fuerat suspensus, & meridie, & in metropoli, & in maximo die festo, & in quo maximè non licebat cuiquam abesse. Resurrectionem autem nullus sciebat exterorum: quòd quidem non paruum erat eis impedimētum ad peritandum. Et quòd esset quidem sepultus omnes passim dicebant: & quòd eius corpus suffurati essent discipuli, dicebant milites cum omnibus Iudæis. Quòd autem resurrexisset, exterorum, vt dixi, sciebat nullus. Vndènam ergo expectassent fore vt persuaderent toti orbi terrarum? Si enim cum fierent miracula, persuasi fuerunt milites vt testarentur contraria, vndènam expectassent isti prædicare absque miraculis, & qui ne obolum quidem habebant, persuadere terræ & mari de resurrectione? Si autem hoc fecissent gloriam appetentes, multò magis vnusquisque dogmata sibi attribuisset, non ei qui exceperat. At non credidissent eis homines. Et de quoniam magis credidissent audientes? De illone qui comprehensus fuerat & in cruce actus, an de ipsis qui manus Iudæicas effugiebant? Quàm autem de causa, dic rogo, hoc erant facturi? Non statim Iudæam dimittentes, venerunt in externas ciuitates, sed intus versabantur.

Num. 16.
Hier. 18.
3. Reg. 19.

Ioan. 19.

Act. 18.

Ibid. 12.

309
versabantur. Quomodo autem persuadebant, si non magna faciebant? Nam si faciebant quidem (faciebant autem) diuina virtus erat id quod fiebat. Si autem non faciebant, & vincebāt, longè admirabilius erat quod accidit. Non nouerant dic quæso Iudæos, & improbam eorum mentem, & animam plenam inuidia? Nam Mosem lapidibus impetierunt post mare quod ingressi sunt pedibus, post victoriam, & trophæum illud admirabile, quod sine sanguine per manus illius erexerunt de Ægyptiis qui illos redegerant in seruitutem: post mæna, post petras & fluuiorum fontes qui inde eruperunt, post mille miracula in Ægypto & rubro mari & in solitudine: Hieremiam in cisternam proiecerunt, & multos Prophetas interfecerunt. Audi quidnam dicit Elias, post famem illam terribilem, & pluuiam admirabilem, & lampadem quam fecit descendere è cælis, & quòd præter opinionem factum est holocaustum, procul ab eorum regione eiectus: Domine Prophetas tuos occiderunt: altaria tua diruerunt, & ego relictus sum solus: & quærun animam meam. Atqui ij leges non mouebant nec immutabant. Vndènam ergo iis quæso debebant animum adhibere? etenim erant illis omnibus viliores. Atqui ea ipsa innouabant, propter quæ magistrum crucifixerant. Quamquam non videretur adeò esse graue eadem Christum & illos dicere. Nam illum quidem fortasse existimarent ea facere sibi parantem gloriam: illos autem etiam magis odissent, vt qui cum ipsis pro alio bellum gererent. At eis opem ferebant leges Romanorum: imò verò ab eis impediabantur. Dicebant enim, Omnis qui facit seipsum regem, non est amicus Cæsaris. Quamobrem hoc vel solum satis erat ad eos impediendos, quòd & discipuli essent eius qui existimatus fuit tyrannus, & vellent ei vires addere. Quid ergo eos omnino incitabat vt in tanta irruerent pericula? Quid autem de eo dicentes videbantur esse fide digni? Quòd cruci fuit affixus? quòd è muliere Iudæa paupe sit natus, quæ desponsa fuerat Iudæo fabro? Quòd erat ex gente quæ erat odio toti orbi terrarum? Sed hæc omnia non solum satis erant ad persuadendos & attrahendos auditores, sed etiam satis erant ad omnes auertendos: & maximè quæ dicebantur à tabernaculorum contextore & à piscatore. Non ergo hæc omnia venissent in mentem discipulis? Timidæ enim naturæ plura his possunt confingere: tales autem erant naturæ illorum. Vndènam ergo sperassent se rem rectè gesturos, vel potius non desperassent, si Christus non resurrexisset? An non vel stultissimis est perspicuum, quòd nisi vberem & magnam gratiam essent cõsecuti, & accepissent pignus resurrectionis, non solum hæc non potuissent gerere & aggredi, sed ne cogitare quidem? Si ergo cum tot essent impedimenta, non dico ad rectè gerendum, sed ad consultandum, & consularunt, & ad effectum deduxerunt, & quæ omni spe maiora erant fecerunt, est cuius perspicuum, quòd non humana potentia, sed diuina gratia fiebat omnia. In iis ergo orationibus nos exerceamus, non solum aduersus ipsos, sed etiam inter nos. Sic autem nobis facilius euadet cæterorum inuentio. Neque quoniam es manu operans opifex, existimes hoc esse studium alienum. Nam Paulus erat contextor tabernaculorum, sed tunc etiam repletus fuit multa gratia: & inde eloquebatur omnia. Sed & ante gratiam, erat ad pedes Gamalielis. Porro autè propterea accepit gratiam, quoniam ostendit mentem dignam gratia: & postea rursus exercebat artem. Nemo ergo erubescat ex iis qui sunt artifices: sed ij qui nihil agentes aluntur, & sunt otiosi, qui multis vtuntur ministris, & plus quàm dici potest curantur, coluntur, & obseruantur. Perpetuò enim opus facientem alii, est genus philosophiæ. Eorum sunt

A animæ puriores: eorum sunt mentes robustiores ac firmiores. Nam qui est otiosus, multa magis temere loquitur: & multa agit temere, & toto die nihil operatur, multo veterno & torpore repletus. Qui autem versatur in operatione, nihil citò admittet superuacaneum, neque in factis, neque in verbis, neque in cogitationibus: tota enim anima perpetuò est extensa ad vitam laboriosam. Ne ergo eos contemnamus qui aluntur manibus, imò verò propterea eos beemus. Quàm enim quæso est tibi gratia, quando à patre accepta hæreditate, perpetuò nihil agis? sed omnia illa temere consumis? An nescis non omnes eandem reddituros esse rationem: sed eos quidè qui securius & in pluribus delitiis vitam egerunt, grauiorem: eos autem qui laboribus, aut paupertate, aut aliquo alio eiusmodi fuerunt afflicti, mitiorem? Sunt autem hæc euidencia ex Lazaro & diuite. Tu autem qui ad rem nullam otio es abusus, iure accusaris. Pauper autem qui cum labore & diligètia quod superfluit temporis in iis quæ oportebat consumpsit, magnas assequetur coronas. At tu mihi affers militiam, & quòd in eo negotio sis occupatus allegas. Sed à ratione aliena est hæc excusatio. Cornelius enim erat Centurio: perfectum autem vitæ institutum nihil læsit militare cingulum. Tu autem quando vacas saltatoribus & mimis, & in scena vitam perpetuò consumis, nequaquam affers militiæ necessitatem, neque metum principum & magistratum. Quàdo autem te vocamus ad ecclesiam, tunc innumerabilia affers impedimenta. Quid autem dices in illo die, quando videris flammam, & fluuios ignis, & vincula insolubilia, & dentes audieris stridentes? Quis te in illo die defendet, quando videris opifitem quidem & qui rectè vixit, omnem gloriam assecutum: te autem qui nunc es indutus sericeis vestibus, olésque & spiras vnguenta, pati grauissima: quid tibi proderunt diuitiæ & rerum omnium copia? Quid verò opifici detrimenti affert paupertas? Ne ergo tunc patiamur, timeamus quæ nunc dicuntur, & omnem nostrum laborem, negotium & industriam consumamus in occupatione rerum necessariorum. Ita enim Deo placato pro peccatis præteritis, & additis bonis actionibus, poterimus assequi regnum cælorum gratia & benignitate, &c.

ORATIO SEXTA.



ET ego fratres, cum venissem ad vos, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientia, annuncians vobis testimonium Christi. Non enim iudicari me scire aliquid inter vos nisi Christum, & hunc crucifixum. Nihil est ad decertandum

Pauli anima acrius, vel potius non illius anima: neque enim ipse hæc inueniebat: sed nihil est par in eo operanti gratiæ quæ omnia vincit. Nam sufficiunt quidem ea quæ prius dicta sunt, ad deiiciendam eorum arrogantiam & fastum qui se extollebant ob sapientiam, imò verò vel pars eorum quæ dicta sunt. Vt sit autem præclarior victoria, iis etiam quæ dicta sunt decertabit, prostratis insultans aduersariis. Considera autem. Adduxit prophetiam quæ dicit, Perdam sapientiam sapientum. Ostendit Dei sapientiam, quòd per stultitiam quæ esse videbatur, aboleuit & cessare fecit externam sapientiam. Ostendit quòd id quod est stultum Dei, est sapientius hominibus. Ostendit quòd non solum docuit per indoctos & imperitos, sed etiam indoctos & imperitos vocauit. Nunc ostendit quòd & ipsum quod prædicabatur, & modus prædicationis, satis erant ad conturbandum, sed non conturbantur. Non solum enim, inquit, Discipuli erant indocti & imperiti, sed ego quoque qui prædicabam. Propterea, inquit, *Et ego fratres.*

Otiosus
multa lo-
quitur &
agit temere.Militia nò
impedit
quomodo
bona
fiat ope-
ra.

CAP. II.

ὁ μαγρό-
τις ἦν ὁ θεός,
τὸ ἑστὶν
τὸ μαγρό-
τις ὁ θεός.Sup. r.
Eia. 29.
& 33.

Rursus fratrum ponit nomen, orationis leniens asperitatem. *Veni non in sublimitate sermonis annuncians vobis testimonium Dei.* Quid, dic quæso, si voluisses venire in sublimitate, potuisses ne? Ego quidem si voluissem, non potuissem. Christus autem si voluisset, potuisset, sed noluit: ut fieret trophæum præclarior. Et ideo superius quoque ostendens, quod fuerit eius opus, & esset eius voluntas ut adeo indocti & imperiti prædicaretur verbum, dicebat. Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare. In sapientia sermonis. Est autem maius, & infinitis partibus maius, quod voluerit Christus, quam quod voluerit Paulus. Non ergo linguæ, inquit, ostentans facundiam, neque externis armatus rationibus, annuntio Dei testimonium. quod ipsum quoque satis erat ad auertendum: mortem enim circuibat annuntians. Et propterea subiunxit, *Non enim iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, eumque crucifixum.* Hoc ergo dicebat, quod externæ sapientiæ penitus esset expertus. Sicut ergo superius quoque dixit, *Veni non in sublimitate sermonis.* Nam quod ipse quoque hoc posset habere est perspicuum. Nā cuius vestes mortuum suscitabant, & umbræ morbos abigebant, multo magis linguæ facundia potuisset eius anima suscipere. Nam hoc quidē est discipuli: illud autē artem omnem exuperat. Qui ergo scit ea quæ sunt arte maiora, multo magis poterit quæ sunt longè minora: sed non finit Christus. Nō enim aliquid scire. Merito ergo dicit, *Non enim iudicavi me aliquid scire.* Ego enim hoc volo quod Christum. Mihi autem videtur cum ipsis loqui humiliter quā cum aliis, factum eorum deprimēs. Illud ergo, *Iudicavi me nihil scire,* dictū est ut distinguatur ab externa sapientia & ei opponatur. Non enim veni connectens syllogismos, nec sophismata, neque aliquid aliud dicens quā Christum esse crucifixum. Nam illi quidem dicunt innumerabilia, & de innumerabilibus, verborum longa conuoluentes stadia, conficientes syllogismos & ratiocinationes, & innumerabilia componentes sophismata. *Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos.* Hoc est rursus aliud caput. Non solum enim qui credebant indocti & imperiti, neque solum qui dicebant indocti & imperiti, neque solum modus doctrinæ plenus imperitia, neque solum ipsa prædicatio satis erat ad conturbandum, crux enim erat & mors id quod prædicabatur: sed cum iis alia quoque erant impedimenta: Pericula, & insidiæ, & quotidianus metus, & quod eos persequerentur. Nam & multis in locis infirmitatem dicit persecutiones, sicut etiam alibi, *Infirmitatem quæ est in carne mea non aspernati estis.* Et rursus. *Si gloriari oportet, in infirmitate mea gloriabor.* Quānam? Præpositus gentis Aretæ regis præsidio tenebat Damascenorum ciuitatem, me volens comprehendere. Et rursus. *Quamobrem mihi placeo in infirmitatibus.* Deinde dicens, quibusnam, subiunxit: *In contumeliis, in necessitatibus, in angustiis.* Et nunc id ipsum dicit. Nam cum dixisset inferius, *in infirmitate, subiunxit, in contumeliis, in necessitatibus, in angustiis.* Et rursus subiunxit, *Et in metu, & tremore multo fui apud vos.* Quid dicit? Paulus quoque timebat pericula? Timebat, & valde formidabat. Nam etsi erat Paulus, erat tamen etiam homo. Hoc autem non erat crimen Pauli, sed naturæ quidem infirmitas, instituti autem & electionis encomium, quod cum mortem timuisset & plagas, propter eum metum nihil fecit indignum. Qui autem dicunt eum non timuisse plagas, non solum eum non extollunt, sed etiam multum detrahunt de eius laudibus. Nam si nō timebat, quænam erat animi fortitudo? aut quænam philosophia ferre pericula? Ego enim propterea cum ad-

Paulus externæ sapientiæ expertus penitus.

Philosophi externi syllogismos componunt & sophismata.

Gal. 4. 2. Cor. 11. Ibid. 12.

Amiror, quod timens, & non solum timens, sed etiam pericula exhorrescens, perpetuò cucurrit coronatus, & in nullo cessit periculo, orbem terræ expurgans, & vbiq; terrarum & in toto mari seminans prædicationem. *Et sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humane sapientiæ verbis.* Hoc est, non habens externam sapientiam. Si ergo & prædicatio nihil habebat sapienter & artificiosè excogitatum, & qui vocabantur erant indocti & imperiti, & qui prædicabat erat eiusmodi, aderatque persecutio, & tremor, & metus, quomodo quæso vicerit? Per diuinam virtutē. *Quamobrem cum dixisset, Sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus sapientiæ verbis, subiunxit, sed in offensione spiritus & virtutis.* Vidistis quemadmodum quod stultum est Dei, est sapientius hominibus? & infirmum fortius? Indocti quidem hæc prædicantes, vincti & pulsi superarunt eos qui persequebantur: *Vndēnam? An non ex eo quod fidem fecerint per spiritum?* est enim hoc certa demonstratio. Quis enim quæso videns excitari mortuos, & fugari demones, non admitterit? Sed quoniam sunt etiam fallaces virtutes, cuiusmodi sunt præstigatorum, hanc quoque sustulit suspicionem. Non enim dixit virtutis solum, sed prius spiritus, & tunc virtutis, ostendens ea quæ fiebant esse spiritalia. Quod ergo non per sapientiam annunciata sit prædicatio, non est imminutio, sed maximum ornamentum. Hoc quidem certè maximè ostendit eam esse diuinam, & supernè à cælis agere radices. *Quamobrem subiunxit, Et fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Vides quemadmodum aperte per omnia ostenderit magnum lucrum imperitiæ, & magnum damnum sapientiæ. Nam illa quidem illius crucem, hæc verò prædicabat Dei virtutem. Hæc effecit ut & nihil inuenirent eorum quæ oportet, & in seipsis gloriantur. Hæc, ut & susciperēt veritatem, & in Deo suum haberent decus & ornamentum. Rursus multis persuadebat sapiētia ut dogma suspicarentur esse humanum: illa aperte ostendebat esse diuinum, & descendisse à cælis. Quando ergo in sapientia verborum fuerit demonstratio, saepe etiam meliores superantur à peioribus, ut qui maiore vi dicendi sint præditi, & mendacium præteruchitur, & à tergo relinquit veritatem. Hic autem non sic. Neque enim immundam animam ingreditur spiritus, & ingressus nunquam potest superari, etiam si eum inuadat omnis vis dicendi. Nam quæ per opera & signa fit demonstratio, est multo apertior ea quæ fit per verba. At illorum dixerit fortè quispiam, si oportet prædicationē vincere, & eloquentia opus non habet, ne crux exinaniatur, quānam de causa nunc sunt signa prohibita? Quānam de causa? Nō credens hæc dicit, nec admittens ea fuisse facta temporibus Apostolorum, an re vera cupiens discere? Nam si non credens, in eo primūm immorabor. Si enim tunc non facta sunt signa, quomodo cum pellerentur, & fugarentur, & tremere, & vincti, & totius orbis terræ inimici, & omnibus expositi essent ut graue aliquid paterentur, & ex se nihil haberent quod alliceret, non eloquentiam, non splendorem, non diuitias, non genus, non gentem, non vitæ exercitium, nō gloriam, nec eiusmodi aliquid, sed omnia contraria, imperitiā, vilitatē & abiectionem, paupertatem, odium & inimicitias, & integris populis resistentes, & talia annunciantes persuadebant? Etenim admodum laboriosa erant præcepta, & dogmata periculosa, & qui audiebant & erant persuadeēdi, in deliciis, temulentia, & multis vitiis erant educati. *Vndēnam ergo quæso persuaserunt? Vndēnam fuerunt fide digni? Nam sicut antea dixi, Si ubique signis persuaserunt, videtur longè maius miraculum.* Quod ergo nunc non

Nō signis solis & miraculis persuadebat Apostoli, sed etiam differendo.

1. Cor. 15.

Per fidem non amplius cognoscitur Christus post indicium.

fiant miracula, ne putes esse argumētum quod tunc nō facta sint. Nam & tunc fiebant vtiliter, & nunc vtiliter non fiunt. Non infert autem necessariò solo persuaderi verbo, quod prædicatio nunc sit in sapientia. Nam qui verbum seminarunt ab initio, erant indocti & imperiti, & ex se nihil dicebant, sed quæ à Deo acceperant, ea toti orbi dederunt: & nos ipsi nunc non quæ à nobis ipsis habuimus disseminamus, sed quæ ab illis accepimus, ea dicimus omnibus: & neque nunc syllogismis persuademus, sed diuinis scripturis, & signis quæ tunc fuerunt, fidem facimus eorum quæ dicimus. Neque verò ij solis signis tunc persuadebāt, sed etiam differendo. Ut autem verba essent potentiora, efficiebant signa, & ex veteri scriptura citata testimonia, non autem vis ac vehementia eorum quæ dicebantur. Quomodo autem tunc quidem signa fuerunt res vtilis, nunc autem minimè? Ponamus per hypothēsim. Est enim nobis certamen cum Græco seu ethnico. Propterea dico per hypothēsim, id quod est omnino futurum. Ponamus ergo per hypothēsim: & pariat in infidelis vel ex amborum consensu credere ea quæ dicuntur, utpote Christum esse venturum. Quando ergo Christus venerit, & omnes Angeli cum eo, & ostensus fuerit Christus, & omnia ei subiecta, non credet etiam Græcus seu ethnicus? Est perspicuum, fore ut & adoret, & Deum dicat, etiam si sit eiusmodi ut nullo modo credat. Quis enim videns cælos apertos, & ipsum venientem in nubibus, & vniuersum populum supernarum potestatum ei circumfusum, & fluuios ignis venientes, & omnes adstantes & trementes, non adorabit, & Deum existimabit? Num ergo dic quæso, illius Græci adorationis & cognitionis habebitur ratio? Mimimè. Quare? Quoniam hoc non est fides. Hoc enim fecit necessitas, & eorum quæ videntur euidentia & perspicuitas. Nec ea res est instituti & liberi arbitrij, sed tractus est animus à magnitudine eorum quæ visa sunt. Quod ergo sunt manifestiora, & magis necessaria quæ sunt, tantò magis minuitur fides. Propterea signa nunc non fiunt. Et quod hoc ita sit, vide quid dicat Thomæ. Beati qui non viderunt & crediderunt. Quod ergo fuerit signum manifestius ostensum, eò magis fidei merces minuitur. Quamobrem si etiam nunc signa fierent, id ipsum fieret. Quod enim tunc per fidem amplius eum non cognoscimus, significauit Paulus, dicens: *Nunc enim per fidem ambulamus, nō per speciem.* Sic tunc tibi credenti, eius rei non habebitur ratio, propterea quod ea sit euidens ac perspicua. Ita nunc quoque, si fierent eiusmodi signa quæ prius. Quando enim ea admiserimus, quæ nullo modo possunt inueniri rationibus, tunc est fides. Propterea gehennæ quidem minæ sunt intentatæ, sed ea non apparet. Nam si appareret, id ipsum rursus eueneret. Alioqui autem si signa quæras, nunc quoque videtis signa, etiam si non eiusmodi: innumerabiles prædictiones & de rebus innumerabilibus: orbis terræ conuersionem: barbarorū philosophiam: agrestium morum transformationem, pietatis incrementum. Et quānam, inquit, prædictiones? Nam post omnia scripta sunt omnia quæ prædicta sunt. Vbi, & quando, & à quo dic quæso, & ante quot annos? Vis ante quinquaginta, aut cētum? Ante centum ergo annos nihil habebant scriptum penitus. Quomodo ergo dogma tenuit orbis terræ, & alia omnia, cum non sufficeret memoria? Vnde autem scierunt Petrum esse palo affixum? Vndēnam autem ius venit in mentem prædicare posteris, utpote quod Euangelium esset prædicandum vbiq; terrarum: quod cessaturæ essent res Iudæorum, nec amplius reuersuræ. Qui autem animas suas proderunt pro prædicatione, quomodo tulissent Euangelium quod erat confictum & adultera-

tum? Quomodo autem creditum esset iis qui scribebāt, cum cessassent signa? Quomodo autem quæ scripta fuerāt, venissent in barbarorum & Indorum regionem, & vsque ad fines Oceani, si ij qui dicebant, non essent fide digni? Quānam autē erāt qui scribebāt, & quādo? Quam ob causam etiam scribebant? Num gloriam sic volentes acquirere? Quomodo ergo libros aliis inscripserunt? At hoc fecerunt dogma volentes commēdare. Vtrum tanquam verum, an tanquam falsum? Nam si tāquam falso animam adhibebāt, ne accessuros quidē fuisse est consentaneum. Sin autem tanquam vero, non opus fuisset figmentis, sicut dicitis. Alioqui autem tales quoque sunt prædictiones, ut ad præsens vsque tempus iis quæ dicta sunt vis nō possit afferri. Nam quod diruta fuerint Hierosolyma, factum est ante multos annos. Sūt autem innumerabiles quoque prædictiones, quæ ab illo tempore ad eius vsque aduentum protēduntur, quæ ut vis examina: ut, *Semper vobiscum sum vsque ad consummationē sæculi:* & *Supra petra edificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam:* & *Prædicabitur Euangelium hoc in omnibus gentibus, & quod fecit hæc mulier meretrix, & alia plures.* Vndēnam ergo veritas huius prædictionis, si erat figmētum? Quomodo non præualuerūt portæ inferorum aduersus ecclesiam? Quomodo nō semper vobiscum est Christus? Nam si vobiscum non esset, non vicisset ecclesia. Quomodo nō vbiq; terrarū propagatum est euangelium? Sufficiunt autem & qui contra nos scripserūt ad testandam librorum nostrorum antiquitatem, nempe *Celsus, & Bataneotes* qui fuit post illum. Non enim cōtradicebant aduersus ea quæ post illos fuerant composita. Et alioqui totus quoque orbis terræ, qui communi consensu id suscepit. Si non fuisset autem gratia spiritus, non fuisset tantus consensus à finibus ad fines terræ, sed citò deprehensi fuissent qui fingebant: nec tam multæ res rectè ac præclare gestæ cōstitissent ex figmētis & mendacio. An non vides vniuersum orbem terræ accessisse, errorem dissipatum esse, monarchorum philosophiam plusquam Solem resplēdere, choros virginum, quæ est in barbaris pietatem ac religionem, omnes sub vno iugo seruire? Non enim hæc à nobis solum sunt prædicta, sed etiam multis retrò sæculis à Prophetis. Nō enim illas quoque reprehendes prædictiones: libri enim sunt apud inimicos, & à Græcis qui studium in eo posuerūt, sunt in linguam Græcam conuersi. Multa autem ipsi quoque de his prædicant, ostendentes Deum fuisse qui erat vterus. Quomodo ergo non credūt nunc omnes? Quoniam res in peius processerunt, & nos eorum causa sumus: restat enim ut ad nos quoque cōuertatur oratio. Non enim signis solum tunc quoque credebant: sed etiam multi eorum qui accedebant, à vita inducebantur. *Luceat enim lux vestra, inquit, coram hominibus, ut videant bona vestra opera, & glorificent patrem vestrum qui est in cælis.* Et erat omnium cor, & anima vna, & nullus quidquam eorum quæ habebant dicebat esse proprium: sed habebāt omnia communia, & distribuabatur vnicuique, prout quispiā opus habebat, & vitam agebant angelicam. Nunc quoque si hoc factum fuerit, conuertemus vniuersum orbem terræ, etiam absque signis. Interim autem qui volent esse salui, attendant scripturis: illic enim & hæc, & his plura inuenient rectè & ex virtute gesta. Etenim ipsi magistri ea quæ sunt illarum exuperabant, in fame & siti & nuditate degentes. Nos autem multis frui volumus deliciis, ocioque & licentia. Sed non illi: imò verò clamabāt. *Ad hanc vsque horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, colaphis cædimur, & incertis vagamur sedibus, & alij quidem currebant ab Hierusalem vsque in Illyricum, alius au-*

Prædictiones re ipsa euenerūt.

Mat. 28. Ibid. 16.

Celsus & Bataneotes scripturæ aduersus Christum not.

Vita, non solis signis inducitur fides. Mat. 5.

AR. 4.

1. Cor. 4. Apolo-lorum la-boriosa vita.

tem vsque in Indiam, alius vero vsque in Mauritaniam, alius autem ad alias partes orbis terræ. Nos autem ne è patria quidem au demus egredi, sed delicias quarimus, & ædes splendidas, & omnem aliam abundantiam. Quis enim nostrum esuriit propter verbum Dei? Quis fuit in solitudine? Quis longam confecit peregrinationem? Quis ex doctoribus viuens ex suis manibus, aliis opem tulit? Quis mortem sustinuit quotidianam? Hinc etiam qui sunt nobiscum fiunt socordiores. Etenim si quispiam viderit & milites & duces exercitus luctari cum fame & siti & morte, & malis omnibus, ferræque & frigus & pericula, & tanquam leones omnia forti & magno animo rectè gerere, deinde illa abducta philosophia, & fieri molliores, & amare pecuniam, & negotiationibus ac cauponationibus esse deditos, & vinciti ab hostibus, extremæ esset amentia eorum causam querere. Hoc autem reputemus in nobis & in nostris maioribus: effecti enim sumus omnibus imbecilliores, & vitæ præsentis affixi sumus. Quòd si etiam inuentus fuerit quispiam habens vestigium aliquod veteris sapientia, is vrbibus & foro relictis, & inter homines cessans versari, montes occupat. Et si quis sciscitetur causam secessus, inuenit prætextum cui non est ignoscendum: Ne, inquit, peream, & ne sim hebetior & obtusior ad virtutem, resilio. Quantò autem est melius te obtusior fieri & hebetiorem, & alios lucrari, quam in alto manentem fratres despiciere pereuntes? Quando ergo alij quidem nullam virtutis curam gerunt: qui autem gerunt, recedunt procul ab acie, quoniam modo expugnabimus & capiemus inimicos? Nam etsi nunc essent signa, quisnam persuaderetur, aut quis ex externis nobis animum adhiberet, cum ita extet & superemineat vitium. etenim recta nostra vita multis videtur esse magis fide digna. Nam signa quidem apud impudentes & scelestos homines etiam in malam venient suspicionem. Vita autem pura vel ipsum os diaboli abundè obstruere poterit. Hæc dico & iis qui imperant, & iis qui aliorum parent imperio, & præ cæteris mihi ipsi, vt vitam ostendamus admirandam: & cum nosipfos composuerimus & in ordinem redegerimus, præsentia omnia despiciamus, contemnamus pecuniam, & non contemnamus gehennam: despiciamus gloriam, & non despiciamus salutem. Subeamus hic laborem & dolorem, ne illic incidamus in pœnam & supplicium. Ita bellum geramus cum gentibus: ita eos redigamus in captiuitatem, captiuitatem, inquam, libertate meliorem. Sed hæc quidem dicuntur à nobis assiduè & sæpe, rarò autem fiunt. Sed siue hæc fiant, siue non fiant, æquum est vos per ea assiduè admonere. Si enim bonis verbis quidem decipiunt, multò magis æquum est eos qui deducunt ad veritatem, non defatigari in dicendo ea quæ sunt vtilia. Nam si qui decipiunt tam multis vtuntur machinis: nam & pecunias impendunt, & verba adhibent, & pericula sustinent, & præfecturas & auctoritatem ostentant: multò magis nos qui abducimus à deceptione, oportet & pericula & mortem & omnia sufferre: vt cum & nos & alios lucrifecerimus, & ab aduersariis fuerimus inexpugnabiles, bona promissa assequamur, gratia & benignitate, &c.

ORATIO SEPTIMA.



SAPIENTIAM autem loquimur inter perfectos. Sapientiam vero non huius sæculi, neque principum huius sæculi qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram. Tenebræ videtur esse luce aptio-

Vita recta magis fide digna quæ signa.

Quid mirari possit, quæ destruitur vel aboletur.

res iis qui laborant oculis, & idè magis confugiunt ad adumbratam domunculam. Hoc etiam vsu venit in spiritali sapientia. Dei quidem sapientia externis videbatur esse stultitia. Ipforum autem sapientia, cum reuera sit stultitia, esse sapientia fuit existimata. Et perinde contingit vt si quis artem gubernandi exercens, profiteretur se infinitum pelagus transmissurum, absque nauæ & velis: deinde tentaret probare rationibus hoc fieri posse: aliquis autem alius omnium imperitus, cum se & nauæ & gubernatori & nautis tradidisset, tutò nauigaret: huius enim quæ videtur esse imperitia, est sapientior illius sapientia. Nam bona quidem est ars gubernandi: sed cum maiora quam par sit profiteatur, est quædam stultitia. Et hoc etiam fuerit ars quæuis suis non contenta terminis. Ita etiam externa sapientia, si vsa esset spiritu. Quoniam verò sibi quiduis permisit, & existimauit se nihil egere illo auxilio, facta est stultitia, etiam si videretur esse sapientia. Quamobrem cum prius eam rebus ipsis redarguisset, tunc eam vocauit stultitiam. & cum prius Dei sapientiam vocasset stultitiam, vt erat illorum sententia, tunc ostendit eam esse sapientiam. Nam post probationes ac demonstrationes pudore maximo possunt affici contradicentes. Dicit autem, Sapientiam loquimur inter perfectos. Quando enim ego qui stultus existimor, & stulta prædicare, sapientem superauero, non per stultitiam superauit sapientiam, sed per sapientiam & perfectiorem, & tantam, & adeo maiorè, vt illa videatur stultitia. Propterea cum prius eam appellasset vt illi tunc nominabant, & ex rebus ipsis ostendisset victoriam, & illos valde stultos pronunciasset, de cætero ei conueniens nomen reddidit, dicens, Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Sapientiam autem dicit prædicationem, & modum salutis, nempe saluum esse per crucem: perfectos autè eos qui crediderunt. Illi enim sunt perfecti, qui cum noverint res humanas esse valde imbecillas, & eas despexerint, persuasum habent eas nihil conferre, cuiusmodi sunt fideles. Sapientiam autem non huius sæculi. Vbi enim est vtilis externa sapientia, quæ hic quidem euerit, & vltimus non procedit, & ne hic quidem prodesse potest iis qui illa sunt præditi? Principes autem sæculi hic cum dicunt, non intelligit aliquos demones, vt suspicantur aliqui, sed eos quorum magna est auctoritas, qui gerunt magistratus, & principatus obtinent, qui rem existimant præclaram, & pro qua sit suscipiendum certamen, philosophos, & oratores, & orationum scriptores, ipsi enim dominatum obtinebant, & sæpe fiebant ductores populi. Huius autem sæculi vocauit Principes, quoniam ultra præsens sæculum non procedit eorum imperium. Quamobrem subiunxit etiam, Qui destruuntur, & ex re ipsa eam insimulans, & ex iis qui ea vtuntur. Nam cum ostendisset quòd sit falsa, quòd stulta, quòd nihil possit inuenire, quòd imbecilla, ostendit etiam quòd paruo duret tempore. Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio. Quoniam mysterio? Atqui dicit Christus, Quod in aure audiuitis, prædicate super tecta. Quomodo ergo eam uocat mysterium? Quoniam neque Angelus, neque Archangelus, neque vlla alia potestas creata id nouerat priusquam factum esset. Et idè dicit. Vt innotesceret principatibus & potestatibus in cælestibus per ecclesiam multiformis sapientia Dei. Hoc autem fecit Deus nos honorans, vt nobiscum audirent mysteria. Nam nos quoque eis quos fecerimus amicos, hoc dicimus esse indicium nostræ erga eos amicitia, quòd nemini prius quam ipsis dicamus arcana. Audiant ergo qui traducunt prædicationem, & omnibus temere & indiscriminatim enunciant, margaritas & dogma, & sancta canibus & porcis iacentes, & superfluis rationibus,

In baptismo aliud videtur, aliud creditur & efficitur.

Corpus Christi aliter intelligit fidelis, aliter infidelis.

Infideles licet mysteria audiant, non videntur audire, fideles vident vim ac potestatem eorum quæ sunt recondita.

Infr. 15.

Mate. 10.

Ibidem.

Mysteriis appellari potest arcanum.

Infr. 13.

tionibus. Mysterium enim non eget confirmatione, sed quod est solum annunciat. Nam non est mysterium diuinum & integrum, quando à teipso aliquid addideris. Quamquam vocatur etiam mysterium, quoniam non quæ videmus aspiciamus, sed alia videmus, alia credimus. Est enim etiam huiusmodi natura nostrorum mysteriorum. Aliter enim ego, & aliter infidelis de iisdem afficimur. Audio enim quòd Christus fuerit crucifixus, & statim admiror eius benignitatè & in homines charitatem: audit ille, & existimat imbecillitatem. Audio factum fuisse seruum, & quam nostri curam gerit admiror. Audit ille, & reputat infamiã. Audio esse mortuum, & stupeo virtutem ac potentiam, quòd cum à morte teneretur, non fuerit victus, sed mortem etiam fregerit. Audit ille, & suspicatur imbecillitatem. Audiens ille resurrectionem, dicit esse fabulam. Ego autem suscipiens ipsas quæ per res fiunt demonstrationes, adoro Dei consilium & dispensationem. Audiens ille lauacrum, aquam solum esse existimat. Ego autem non aspicio solum id quod videtur, sed etiam mundationem animæ quæ fit per spiritum. Ille existimat solum mihi lotum esse corpus: ego verò credo animam quoque factam esse mundam & sanctam: & reputo sepulturam, resurrectionem, sanctificationem, iustitiam, redemptionem, filiorum adoptionem, regnum cælorum, suppeditationem spiritus. Non enim visu iudico ea quæ apparent, sed mentis oculis. Audio corpus Christi, aliter ego intelligo quod dictum est, aliter infidelis. & quomodo pueli videntes libros, non norunt vim literarum, neque norunt quæ vident: imò verò & si quis sit imperitus literarum, hoc ipsum ei accideret: peritus verò inueniet magnam virtutem in literis reconditam, integras aliquorum vitæ conscriptiones & historias. Et si epistolam quidem acceperit imperitus, putabit esse chartam & atramentum. Peritus autem & vocem audiet, & cum absente differet, & quod voluerit rursus dicet per litteras. Ita etiam fit in mysterio. Infideles quidem licet audiant, non videntur audire. Fideles autem habentes peritiam quæ fit per spiritum, vident vim ac potestatem eorum quæ sunt recondita. Hoc ipsum ergo Paulus significans, dicebat, quòd nunc quoque sit absconditum quod prædicatur. Pereuntibus enim, inquit, est absconditum. Alioqui autem ostendit etiam prædicationis admirabilitatem. Ita autem solet scriptura appellare quæ sunt præter spem & supra humanam cogitationem. Et idè alibi quoque dicit. Mysterium meum mihi & meis. Et rursus Paulus. Ecce mysterium vobis dico: omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur. Si autem vbique prædicatur, sic quoque est mysterium. Etenim sicut iussi sumus ea quæ in aure audiuimus, dicere supra tecta, ita etiam nobis est præceptum non dare sancta canibus, neque proiicere margaritas ante porcos. Nam alij quidem sunt animales, & non intelligunt: alij autem velamen habent impositum cordi eorum, & non aspiciunt. Est ergo vel maxime hoc mysterium, quod vbique quidem prædicatur, non cognoscitur autem ab iis qui rectam non habent mentem: reuelatur autem non à sapientia, sed à sancto spiritu, quantum sumus eius capaces. Quamobrem non aberrauerit, si quisquam, etiam hoc ipso, mysterium appellari arcanum. Neque enim nobis fidelibus tradita fuit omnis euidentia & perfectio. Et idè Paulus quoque dicebat, Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Aspiciamus enim modò per speculum tanquam in ænigmate, tum autem facie ad faciem. Propterea dicit, Loquimur sapientiam inter perfectos, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram. Absconditam, hoc est, nullus ex supernis

potestatibus ante nos didicit, neque multi nunc norunt. Quam prædestinavit in gloriam nostram. Atqui dicit alibi, in gloriam suam. Suam enim existimat gloriam, nostram salutem. quo modo etiam suas vocat diuitias, etiam si ipse sit diuitiarum bonorum, & nullo indigeat ad hoc vt sit diues. Prædestinavit autem dixit, suam nostri curam indicans. Illi enim nos maxime honorare & amare existimantur, qui longo antè tempore parati sunt nobis benefacere, quod quidem faciunt parentes filiis. Etenim si postea dant pecunias, longo retrò acto tempore & ab initio hoc facere instituerunt. Hoc Paulus quoque nunc studet ostendere, quòd Deus semper nos amabat, & longo retrò acto tempore, etiam nondum natos. Non enim, si non amasset, diuitias nobis prædestinasset. Ne ergo cogites eas quæ intercesserunt inimicitias: erat enim antiquior amicitia. Illud autem, Ante sæcula, dicit æternum. Nam alicubi sic dicit, Qui est ante sæcula. Inuenietur ergo filius quoque sic esse æternus. Nam de ipso quoque dicit, quòd per ipsum fecerit sæcula, quod quidem esse ante sæcula. est enim perspicuum, quòd qui fecit, fuit ante opus quod factum est. Quam nemo principum huius sæculi cognouit. Si enim cognouissent, nunquam dominum glorie crucifixissent. Atqui cognouerant. Quomodo enim dicebat, Et me scitis, & scitis vnde sum? De Pilato enim dicit scriptura quòd nõ nouerat. verisimile est autem nec Herodem cognouisse. Eos dixerit quispiam vocari principes huius sæculi. Si autem de Iudeis & sacerdotibus dixerit quispiam hoc dici, is non aberrauerit. Illis enim dicit, Neque me nouistis, neque patrem meum. Quomodo ergo dicit superius, Et me nostis, & nostis vnde sum? sed quisnam sit modus huius lectionis, & quis illius, iam dictum est in euangelis, & ne idem assiduè versemus, illuc mittimus lectores. Quid ergo, remissum est, inquit, quòd propter crucem est ab eis admissum peccatum? Dixit enim, dimitte eis. Si eos pœnituit, fuit remissum. Nam qui innumerabilibus manibus Stephanum impetiit, & ecclesiam persecutus est Paulus, factus est patronus ecclesie. Ita ergo illis quoque esset remissum, si voluissent agere pœnitentiam. Quod quidem Paulus quoque clamans dicebat. Dico ergo, Nunquid offenderunt vt caderent? Absit. Dico ergo, Nunquid Deus repulit populum suum quem præsciuit? Absit. Deinde ostendens quòd non sit exclusa eorum pœnitentia, adducit argumentum suam conuersionem dicens, Nam & ego Israëlita sum. Illud autem, Non cognouerunt, mihi videtur non hic dictum esse de Christo, sed de ipsa rei dispensatione: nempe, Nesciebant quid sibi vellet mors & crux. Nam illic quoque non dixit, Me non nouerunt, sed, Nesciunt quid faciunt, hoc est, quæ peragitur, dispensationem, & mysterium ignorant. Neque enim sciebant futurum vt ita splenderet Christus, vt totius orbis terrarum esset salus, & Dei cum hominibus reconciliatio, neque vt ciuitas eorum caperetur, & extrema mala subirent. Sapientiam autem & Christum vocat, & crucem, & prædicationem. Opportunè autem appellauit dominum glorie. Nam quoniam crux videtur esse probri & ignominia, ostendit crucem esse magnam gloriam: sed magna opus erat sapientia, non solum ad Deum cognoscendum, sed etiam ad discendum hanc Dei dispensationem: externa autem sapientia non priori tantum, sed huic quoque erat impedimento. Sed sicut scriptum est, Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt ipsum. Et vbinam sunt hæc scripta? Dicitur enim scriptum esse, quando non verbis, sed rebus ipsis sita fuerint in historiis: aut quando ipse quidem sensus fuerit positus, sed non ipsis verbis, sicut hic,

Ephes. 1.

Honora re & amare quoniam maxime existimatur.

1. Tim. 1. Heb. 11.

Principes huius sæculi quoniam sunt.

Ioan. 16.

Luc. 13.

Act. 7. Paulus factus est patronus ecclesie. Rom. 11.

Ibidem.

Ibidem.

Luc. 13.

Græcè est, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, nec in cor hominis ascendit, nec in cor hominis ascendit.

Esa. 14. Esa. 52.

Libri per multi perierunt & incaptiuitate, & ante captiuitatem. A. 5. Paulus scit omnia exacte.

Pro. 20.

2. Cor. 2. Hic sup.

Sapientia externa tanquam ancilla nō est permiffa ingredi ad mysteria domini.

Scrutari in Deo significat exactam cognitionem.

Illud enim, Quibus non annunciatum est de ipso, viderunt, & qui non audierunt, intelligēt, idem est quod, Quæ oculus non vidit, & auris non audiuit. Aut hoc ergo dicit: aut est verisimile hoc quoque scriptum fuisse in libris, & libros esse abolitos. Multi enim libri perierunt, & pauci sunt conseruati, etiam in priori captiuitate: & hoc est perspicuum in iis qui restant. Dicit enim Apostolus à Samuele, & iis qui deinceps fuerunt prophetis, omnes de ipso dixerunt: non habentur autem hæc omnia. Paulum autem, vt qui legem didicisset, & loqueretur spiritu, est consentaneum omnia accurate & exacte sciuiffe. Et quid dico de captiuitate? Etenim ante captiuitatem multi libri erant aboliti, cum Iudæi impigissent in extremam impietatem. Id autem est manifestum ex quarto libro Regum. Nam Deuteronomium vix fuit inuentum in fossam in sterquilinio. Alioqui autem sunt etiam multis in locis duplices prophetiæ, quæ facillè possunt comprehendi ab intelligentioribus, ex quibus inuenire licet multa minus aperta. Quid ergo, non vidit oculus quæ preparauit Deus? Nequaquam. Quis enim homo vidit quæ sunt dispensanda futura? Num ergo neque auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt? & quomodo? Nam si propheta dixerunt, quomodo dicit, Auris non audiuit, neque in cor hominis ascenderunt? Non ascenderunt. Non enim de ipsis solis dicit, sed de vniuersa humana natura. Quid ergo, Propheta non audierunt? Audierunt quidem, sed non erat auris hominis, auris prophetica. Non enim audierunt tanquam homines, sed tanquam propheta. Dicit itaque, Adiecit mihi aurem audiendi, adiectionem dicēs quæ est à spiritu. Vnde est perspicuum quod priusquam audiuisset, nec in cor quidem hominis ascenderunt. Nam post dationem spiritus, non erat cor hominis, sed cor spirituale cor prophetarum. sicut ipse quoque dicit, Mentem Christi habemus. Hoc est autem quod dicit, Priusquam accepisset spiritum, & didicisset arcana, nec ex nobis, nec ex Prophetis vllus ea intellexit. Quomodo enim, cum nec Angeli quidem ipsa nossent? Quid enim, inquit, dicendum est de principibus huius sæculi, cum nullus homo ea sciret, neque supernæ potestates? Quænam autem sunt ea? Quod per prædicationis, quæ esse videbatur, stultitiam vitæ effectus orbem terræ, & gentes essent inducendæ, & Dei cum hominibus futura esset reconciliatio, totque & tanta nobis ventura essent bona. Quomodo ergo cognouimus? *Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum.* Non per externam sapientiam. Ipsi enim tanquam contemptæ ancillæ non fuit permiffum ingredi, & ad mysteria domini aspicere. Vides quantum intersit inter hanc & illam sapientiam? Quæ Angeli non nouerunt, ea nos hæc erudit: externa autem fecit contrarium. Non solum non erudit, sed etiam prohibuit, & arcuit, & postquam facta erant, ea quæ facta fuerant adumbravit & obscuravit, crucem exinanias. Non ergo didicisse ostendit nobis habitum honorem, neque didicisse cum Angelis, sed didicisse per ipsum spiritum. Deinde ostēdens magnitudinem, dicit, quod nisi spiritus qui scit arcana Dei reuelasset, non didiciffemus. Res Deo erat tanto studio & tantæ curæ, & vt ea esset in arcanis. Quamobrem illo quoque opus habuimus doctore qui ea apertè sciret. *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit que sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ita & que Dei sunt nemo cognouit nisi spiritus Dei. Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est: vt sciamus que à Deo donata sunt nobis.* Non enim scrutari hîc indicat ignoracionem, sed exactam & accuratam cognitionem. hac quidem certè dictione etiam in Deo

320
 vsus est, dicens, Qui autem scrutatur corda, nouit quis sit sensus spiritus. Deinde cum exactè & accurate dixisset de cognitione spiritus, nēpe eā ita exæquari cognitioni Dei, sicut ipsa hominis cognitio sibi ipsi: & ostendisset quod omnia inde didicimus, & inde necessario, subiunxit, *Que etiā loquimur non in doctis humane sapientie verbis: sed in doctrina Spiritus sancti, spiritualia spiritualibus comparantes.* Vides quod nos deduxerit ab auctoritate magistris. Tatum enim sumus nos illis sapientiores, quantum inter Platōnem & spiritum sanctum. Illi enim externos oratores habet magistros: nos autem spiritum sanctum. Quid est autem, spiritualia spiritualibus comparantes? Quando spirituale fuerit & dubium, ex spiritualibus ducimus testimonia. vt exempli causa, dico Christum resurrexisset: natum esse ex virgine. Adduco testimonia, typos ac figuras & demonstrationes. Iona in ceto moram, & quæ postea extitit liberationem. Sterilium partus, Sara & Rebecca, & carcerarum. Arabum in paradiso germinationem, non deiectis seminibus, non demissis imbribus, non sulco proficiso. Futura enim effingebantur & describebantur tanquam in vmbra prioribus, vt ea crederentur cum aduenissent: & rursus ostendo quomodo homo è terra, & quomodo ex solo viro mulier, & nusquam coitus. Quomodo ipsa terra prodiit ex nihilo, vbique ad omnia sufficiente opificis potentia. Ita spiritualibus spiritualia comparo, & nusquam externa ego sapientia, neque rationibus, nec confirmationibus. Illa enim mentem imbecillam labefaciunt & conturbant, nec eorum quæ dicunt possunt quidquam apertè demonstrare, imò verò faciunt contrarium: magis enim perturbant, implentque caliginem & multa dubitatione. Quamobrem dicit, spiritualibus spiritualia comparantes. Vides vt ostendat eam superuacaneam? non solum autem superuacaneam, sed etiam contrariam & noxiam? Nam quod nunc dixit, Et non euacuetur crux Christi, & vt non sit in sapientia hominum fides nostra, hoc significauit. Hic autem ostendit, quod fieri non potest vt qui ei confidunt, & vniuersum ei permittunt, discant aliquid vtile. *Animalis enim homo non percipit que sunt spiritus.* Oportet ergo eam prius deponere. Cur vero, inquit, in odium vocata est & vitio data externa sapientia? Atqui est opus Dei. Vnde id constat? Non enim ipse eam fecit, sed tu adinuenisti. Sapientiam enim hic dicit curiosam questionem, & superuacaneam linguæ faciendam. Si quis autem dixerit eum dicere humanam prudentiam ac solertiam, sic quoque tibi dandum est vitio. Tu enim eam vocas in odium & inuidiam, qui ea malè vteris, qui ad Dei damnam & offensionem ab ea exigis que non habuit. Quoniam ergo ea gloriaris, & cum Deo bellum geris, arguit eam imbecillitatis. Nam res quoque bona est robar corporis: sed quoniam eo non vt oportuit vsus est Cain, ei paralytum immisit Deus, & fecit eum tremere. Vinum quoque res est bona, sed quoniam immodicè eo vsi sunt Iudæi, Deus sacerdotibus omnino prohibuit vsus eius fructus. Quoniam ergo tu quoque sapientia vsus es ad Deum permanendum & abolendum, & eam exegisti maiorem quam pro tuis viribus, ab humana spe te abducens, ostendit eius imbecillitatem. Animalis enim est, qui dat vniuersum animæ rationibus, nec existimat se villo superno egere auxilio, quod quidem est amenitas. eam enim dedit Deus vt discat, & id quod ab ipso est accipiat, non vt ipsam sibi sufficere existimet. Etenim oculi quidem sunt pulchri & vtilis: sed si velint videre absque luce, nihil eos iuuat pulchritudo, neque virtus propria, imò etiam lædit. Ita etiam anima si velit videre absque spiritu, sibi infidiatur. Quomodo ergo

que spiritus, que ma la oritur.

Græci in absurdis inter se conueniant, in vtilibus dissident.

Anima cur sit facta non sibi sufficiens.

Gen. 3.

Virtutem cur Deus fecerit laboriosam.

Ezec. 20.

Oculi sunt fallaces.

Fide, non rationibus comprehenduntur diuina.

antea, inquit, ex se videbat omnia? Nequaquam ex se, sed habuit rem creatam pro libro propositam. Postquæ autem dimissa via qua iussit ingredi, & cognitione opificis, per pulchritudinē eorum quæ videtur, sceptris sciētiæ ac cognitionis datus rationibus, impietatis pelagus imbecilli effecti intrarunt, protinus abyssum malorum inuexerunt: dicentes ex iis quæ non sunt nihil fieri, sed ex materia ingenita. Vnde etiam hæreses pepererunt innumerabiles. Et in iis quidem quæ fuerunt valde absurda, conuenerunt: in iis autem in quibus videbantur veri & sani aliquid tanquam vmbri somniare, inter se conflixerunt, vt vtrinque irriderentur. Nam quod ex iis quidem quæ non sunt nihil fiat, omnes ferè simul dixerunt & scripserunt, idque magno studio. Atque in absurdis quidem sic eos egit diabolus. In vtilibus autem, in quibus visi sunt tanquam in ænigmatibus aliquid inuenire ex iis quæ quærebantur, in iis inter se bellum gesserunt: vt quod anima sit immortalis: & quod virtus nulla re externa indigeat, & quod non sit necessitatis nec fati bonos esse aut secus. Vidisti diaboli malitiam? Sicubi eos vidit dixisse aliquid prauum ac corruptum, effecit vt omnes consentirent. Sicubi vero aliquid veri & sani esse locutos, alios in ipsos concitauit: vt neque exciderent absurda consensu confirmata, & distulerent vtilia variè intellecta. Vides quemadmodum anima sit vbique imbecilla, neq; sibi ipsi sufficiat. Id autem meritò factum est. Si enim cum facta sit talis, contendit se nullo egere, & se à Deo abducit: si non facta esset eiusmodi, quod nō delapsa esset infantiæ? si mortali accepto corpore, à falsa diaboli promissione maiora expectauit, Eritis enim, inquit, sicut Dij, si hoc etiam ab initio accepisset immortale, quod non esset delapsa? Nam etiam post illud seipsam dixit ingenitam, & esse ex Dei essentia, per putridum os Manichæorum: & ex hoc morbo hypothesis effluxit Deos, qui sunt apud gentes. Propterea mihi etiam videtur Deus fecisse laboriosam virtutem, eam insecētēs & deducens ad moderationem. Vt autem discas hoc esse verum, vt si quis ex paruis magnum coniciat, ipsum discamus ex Israëlitis. Si ergo cum vitam agerent non laboriosam, sed otiosè degerent, res secundas non ferentes, delapsi sunt in impietatem. Quid ergo Deus? Postea multas tulit leges, prohibens ne securè & sine metu degerent. Et vt discas quod hæ leges non conferrent ad virtutem, sed eis data essent pro freno quodam, vt quæ negotij & occupationis præberent occasionem, audi quidnam de ipsis dicat propheta: Dedi eis præcepta non bona. Quid est autem, Non bona? Quæ non multum conferunt ad virtutem. Et idè subiunxit: iustificationes, in quibus non viuunt in ipsis. *Animalis autem homo non percipit que sunt spiritus.* Quomodo enim in his oculis nemo didicerit quæ sunt in cælis, ita nec anima sola quæ sunt spiritus. Et quid dico, quæ sunt in cælis? Ne omnia quidem quæ sunt in terra. Nam, procul videntes turrim quadratam, putamus eam esse rotundam. est autem ea opinio deceptio oculorum. Ita etiam quando res à nobis procul remotas per solam cogitationem examinarit quispiam, multus consequetur risus. Non solum enim ea qualia sunt non videbit, sed etiam eorum quæ sunt existimabit contraria. Quamobrem subiunxit, *Stultitia enim est illi.* Hoc autem est non rei naturæ, sed imbecillitatis eius qui nō potest eorum assequi magnitudinem per oculos animæ. Deinde etiam eius causam ex aduerso ponit, dicens. *Quoniam non nouit quod spiritualiter examinatur.* Hoc est, fide indigent quæ dicuntur, & rationibus non licet ea comprehendere. Nam eorum magnitudo longo intervallo superat humilitatem nostræ intelligentiæ. Et idè dicit,

Spiritualis autē iudicat omnia: ipse autē à nemine iudicatur. Nam qui aspicit, omnia quidem ipse videt, etiam ea quæ sunt eius qui non aspicit: quæ sunt autem illius, nemo eorum qui non aspicit. Ita etiam nunc nostra quidem, & quæ sunt infidelium, omnia scimus nos: nostra autem illi neutiquam. Etenim scimus quidem quænam sit rerum præsentium natura, quænam futurorum dignitas cognoscet mundus postea. Quidnam autem patietur peccatores, & quoniam fruuntur iusti, & quod nullius pretij sint res præsentēs, & scimus, & carum vilitatem arguimus. Iudicare enim seu diiudicare est arguere. Et quod futura sint immortalia & immobilia. Hæc omnia nouit spiritualis: & quid patietur animalis cum illuc abierit: & quoniam fruatur fidelis cum hinc excesserit, quorum nihil scit animalis. Quamobrem eorum quæ dicta sunt manifestam subiungens demonstrationem, dicebat. *Quis enim cognouit sensum domini, aut quis instruxit eum? Nos autem sensum Christi habemus.* Hoc est, nos ea scimus quæ sunt in mente Christi. Et quæ ipse vult ea etiam reuelauit. Nam quoniam dixit spiritum reuelasse, ne quis filium repellat, subiungit, Christum quoque ea nobis ostendisse, non dicens nos scire quæcunque nouit, sed quæcunque scimus, non esse humana, vt sint suspecta, sed illius mentis, & spiritualia. Quam enim de iis habemus intelligentiam, totam habemus Christi. hoc est, cognitionem quam habemus de iis quæ sunt ex fide, habemus spiritualement. Quamobrem meritò à nullo diiudicatur. Neque enim fieri potest vt diuina norit homo animalis. Quare dicebat, Quis nouit mentem domini: nostram de iis intelligentiam, intelligentiam illius esse dicens. Et illud, Qui instruet ipsum, non leuiter & inconsideratè adiecit, sed aspiciens ad eum quem iam dixit, Spiritualement nemo diiudicat. Nam si mentem Dei nullus potest scire, multò magis nec docere nec corrigere. Hoc enim est illud, qui instruet ipsum. Vides quemadmodum vndique insecētetur externam sapientiam, & eum qui plura nouit, & spiritualement indicet esse maiorem. Nam quoniam illa causæ, nempe, Vt non gloriatur omnis caro, & quod propterea quæ sunt stulta elegit Deus, vt pudore afficiat sapientes, & ne euacuetur crux Christi, non admodum fide dignæ videbatur esse infidelibus, neque inducentes, neque necessariæ, nec vtilis: deinceps adducit causam facillè principem, quod hoc maximè modo possumus videre, ex quo & alta, & arcana, & quæ sunt supra nos scire poterimus. Nam exinaniebatur & euanescebat ratio, quod ea quæ sunt supra nos non possemus externa comprehendere sapientia. Vides quod etiam sic magis conferebat discere à spiritu? est enim doctrina facillima & manifestissima. Nos autem habemus mentem Christi, hoc est, spiritualement, diuinam, quæ nihil habet humanum. Non enim Platonis, nec Pythagoræ, sed menti nostræ sua indidit Christus. Huius ergo nos pudeat, o dilecti, & vitam optimam ostendamus. Nam ipse quoque hoc statuit magnæ argumentum amicitia, quod nobis aperiat arcana, dicēs: Nō amplius vos dico seruos, sed amicos. omnes enim vos amici mei estis. quoniam omnia quæ audiui à patre meo annunciaui vobis, hoc est, credidi ac cōmisi vobis. Si autē hoc solum est amicitia argumentum, credidisse, cum pateat cum non solum per verba credidisse mysteria, sed etiam ea ipsa nobis gratis donasse per opera, cogita quantæ sit id quod fit charitatis. Huius ergo nos pudeat, etsi nulla à nobis habeatur tanta gehennæ ratio, & gehenna sit terribilius, in tantum amicum & tam bene de nobis meritum esse accepti beneficij immemores & ingratos. Neque tanquam serui mercenarij, sed tanquam filij & liberi

Sensum vñ melius mentem.

Animalis homo nō potest nosse se diuina.

Supr. 1. Ibidem.

Aperire arcana, est arguere magnæ amicitia. Ioan. 15.

omnia agamus propter amicitiam patris: & cessemus omnes mundo esse affixi, vt etiam gētes pudore afficiamus. Nam nunc quoque cum velim aduersus eos dimicare, renuo ac dubito, ne eos vincētes rationibus & veritate dogmatū, ex vitæ comparatione nobis risum inferamus, quando illi quidem operam dantes errori, & quibus nihil est persuasum huiusmodi, affectantur philosophiam. Nos autem planè contrarium. Sed tamen dicam. Fortè enim aduersus eos meditates pugnare, contendemus ipsis fieri meliores etiam in vita. Nuper quidem dicebam, quòd non venisset in mentem Apostolis prædicare quæ prædicarunt, nisi diuinam gratiam essent adepti: & quòd nò solum nihil tale gessissent, sed ne de ea quidem cepissent consilium. Agè verò hodie quoque hoc ipsum persequamur oratione, & ostendam fieri non potuisse vt id instituerent & cogitarent, nisi Christum secum habuissent: non quoniam imbecilli aduersus fortes, nec quoniam pauci aduersus multos: non quoniam pauperes aduersus diuites, nec rudes & ignari aduersus sapientes struebant aciem: sed quoniam magna quoque vis est præoccupatæ opinionis. Scitis enim apud homines nihil esse æquè validum atque tyrannidem veteris consuetudinis. Quamobrem si non fuissent duodecim solum, neque ad eò viles abiectiq; & tales, sed etiam alius orbis terræ, & ei respondentem secum instructam habuissent multitudinem, aut etiam longè plures, sic quoque fuisset quod fiebat difficile. Nam illis quidem opem ferebat consuetudo, his autem aduersabatur nouitas. Nihil enim adeò conturbat animum, etiam si id fiat ob aliquid vtile, vt innouare & peregrinum ac externum aliquid facere, & maximè quando hoc factum fuerit de Dei cultu religionèque & opinione. Quanta autem sit vis eius rei, iam planum faciam, si prius illud dixero, aliam quoque adfuisse difficultatem apud Iudæos. In gentibus enim, & Deos & omnia eorum infringebant ac rescindebant dogmata. Cum Iudæis autem non sic agebant, sed ex dogmatibus multa quidem abolebant, Deum autem qui legem tulit iubebant adorare, & dicentes colendum esse legis latorem, dicebant, Ne pareas in omnibus legi quæ ab ipso lata fuit, vtpote in custodièdo sabbato, aut seruanda circuncisione, aut offerendis sacrificiis, aut aliquo alio eiusmodi faciendo. Quamobrem non solum sacrificium erat impedimento, sed & quòd cum Deum iuberent adorare, illius iubebant multas leges rescindere. In Græcis autem ac gentibus magna erat tyrannis consuetudinis. Etenim si cum soli decem anni, nedum tantum tempus, & si cum pauci homines, nedum vniuersus orbis terræ præoccupati essent à consuetudine, isti accessissent, sic quoque difficilis fuisset transmutatio. Nunc autem & sophistæ, & oratores, & patres, & aui, & proau, & multi eiusmodi multis retrò sæculis errore erant præoccupati: & terra, & mare, & montes, & syluæ, & omnia barbarorum genera, & cun cti Græcorum populi, & sapientes, & indocti, principes & qui eorum parebant imperio, & mulieres, & viri, & iuuenes & senes, & domini & serui, & agricolæ & opifices, & qui vrbes & qui pagos habitabant omnes: & verisimile erat dicere Catechumēnos, nempe instituendos qui audiebant sonum eorum quæ ipsi dicebant: Quidnam hoc est? Omnes qui terram habitant sunt decepti? & sophistæ, & oratores, & philosophi, & scriptores, & qui nunc sunt & qui fuerunt antea, & Pythagoras, & Plato, & Imperatores, & Consules, & Reges, & vrbium qui fuerunt ab initio ciues & habitatores, & Barbari, & Græci: & xij. piscatores, & tabernaculorum contextores, & publicani illis omnibus fuerunt sapientiores, & ideo omnes vice-

Vita nostra cum gentibus collata non pudore afficit.

Consuetudinis veteris tyrannidem nihil est fortius.

In nouare religionē conturbat maximè.

Catechumeni quid dicent, Apostolis eos instituētib.

runt? Et quis hæc tulisset? Sed tamen non hæc dixerunt nec cogitarunt, sed sustinuerūt. Et vt discas quanta sit vis consuetudinis, ea sæpè vicit iussa Dei. Et quid dico iussa? Ipsa quidem certè Dei vicit beneficia. Iudæi enim manna habentes, quærebant allia, & fruentes libertate, meminerant seruitutis, & assidue quærebant Ægyptum propter consuetudinem: adeo tyrannica res est consuetudo. Si vis autem etiam ex externis ipsam discere. Dicitur Plato, etiam si rectè sciret res deorum esse errorem, ad celebrandos tamen eorum dies festos, & ad alia omnia se demississe, vt qui non posset repugnare consuetudini, & re vera hoc à magistro didicisset. Nam cum ipse venisset in suspitionem de eiusmodi nouitate, tantum abest vt efficeret quod voluit, vt etiam vitam amiserit, idque cum se apologetica defendisset oratione. Quam multos autem nunc quoque videmus homines detineri in impietate ab anticipata opinione: & nihil quidem posse dicere rationi consentaneum cum acculantur quod sequantur errorem gentium, pro prætextu autem proferte patres, auos, & proauos. Propterea quidam etiam ex externis consuetudinem vocarūt alteram naturā. Quando autem etiam in dogmatibus fuerit consuetudo, ea efficitur firmior & stabilior. Facilius enim omnia mutauerit quispiam quam quæ pertinent ad religionem. Porro autem cum consuetudine quoque pudore afficiatis erat ad impediendum, & in extrema senectute videri dediscere etiam à minis intelligentibus. Et quid miraris si hæc in anima accidunt, cum etiam in corpore magnam vim habeat consuetudo? In Apostolis autem & aliis validius erat hoc impedimentum, quòd non solum sic antiquam mutarent consuetudinem, sed etiam cum periculis facerent transmutationem. Non solum enim trahebant à consuetudine in consuetudinem: sed à consuetudine ab omni metu libera, ducebant ad res quæ minabantur pericula. Oportebat enim cum qui credebant, statim publicari, expelli, à patria exulare, extrema mala perpeti, ab omnibus odio haberi, communem esse hostem & suis & alienis. Quamobrem etiam si vocarent à nouitate ad consuetudinem, sic quoque res esset difficilis. Cum autem à consuetudine vocarent ad nouitatem, & hæc adessent mala, cogita quantum esset impedimentum. Porro autem rursus iis quoque quæ dicta sunt non leuius aliud ipsis proponebatur, difficile reddens transmutationem. Nam cum consuetudine & periculis, hæc quoque præcepta erant grauiora: ea verò à quibus abducebant, facilia. A stupris enim ac fornicatione vocabant ad temperantiam, à vitæ amore ad mortem, ab ebrietate ad sobrietatem, à risu ad lacrymas & compunctionem, ab auaritia & pura habendi cupiditate ad paupertatem & suarum facultatum abdicationem, à securitate & metus priuatione ad pericula, & per omnia extremam exigebant vitæ perfectionem. Turpitudine enim, inquit, & stultiloquium, & scurrilitas non exeat ex ore vestro. Et hæc dicebant iis qui nihil aliud sciebant quam inebriari, & ventri indulgere, iis qui dies festos celebrabant, non ex aliis constantes quam ex turpitudine & risu & vniuersa planè comœdia. Quamobrem quæ dicebatur, non solum erant grauiora quòd essent philosophica, sed quòd & dicerentur hominibus qui erant educati in omni licetia, & turpitudine, & stultiloquio, & risu, & ludis ac comestationibus. Quis enim ex iis qui in illis vitam transegerunt, audiens, Qui non tollit crucem suam & sequitur me, non est me dignus: & Non veni pacem mittere, sed gladium: & separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, non obtrouertit?

Luc. 14.

Matt. 12.

Ibid. s. Ibidem.

Dogma ipsum erat impedimēto Apostolis.

Quis autem audiens, Qui non renunciauerit domui, & patriæ, & pecuniis, non dubitabit, & non animum desponderit? Sed tamè non solum non obtrouerunt, neque respuerunt hæc audientes, sed accurrebant, & ad aspera & grauiora profilliebāt, & ea quæ eis præcipiebantur arripiebant. Audite autem illud, Quòd de quouis verbo otioso reddituri sumus ratione, & quòd omnis qui aspexerit mulierem ad concupiscendam eam, cum ea quam vidit admisit adulteriū: & Qui temerè iratus fuerit, mittetur in gehennam, quem non abegerit eorum qui tunc erant? Sed tamen omnes accurrebant, & multi etiam septa trāsilliebant. Quid ergo eos induxit? An non est perspicuum quòd virtus eius qui prædicabatur? Nam si hoc non esset, esset autem contrarium, & illi quidem isti, isti verò fuissent illi: fuissetne facile, habere & trahere repugnates? Dici non potest. Quamobrem per omnia ostenditur diuinam fuisse virtutem quæ rem præclarè gessit. Nam vndenam, dic mihi quæso, mollibus & luxu diffluentibus persuasissent, ducentes ad vitam duram & asperam? Sed præcepta quidem erant eiusmodi. Videmus autem num dogma vim haberet illiciendi. Atqui vel hoc ipsum sufficiebat ad abigendos infideles. Quid enim dicebāt qui prædicabāt? Quòd adorare oporteat crucifixum, & cum existimari Deum qui natus esset ex muliere Iudæa. Et quis eis persuasisset, nisi virtus diuina præcessisset? Nam quòd in crucem quidem esset actus & sepultus, sciebāt omnes. Quòd autem resurrexisset & rediisset, præter Apostolos nemo viderat. At promissis, inquit, eos excitatur, & verborum strepitu deceperunt. Hoc ipsum verò ostendit in rebus nostris nihil esse fraudis. Nam quæ erant quidem aspera ac difficilia, ea hinc eueniebant omnia: bona autem post resurrectionem polliceri oportebat. Hoc ipsum autem, iterum dicam, ostendit, etiam præter omnia quæ dicta sunt, diuinam esse nostram prædicationem. Cur enim eorum qui credebant nullus dixit, Non accedo, neque patior: aspera & difficilia hinc mihi minaris, & bona polliceris post resurrectionem. Vndenam enim constat quòd sit futura resurrectio? Quis venit ex iis qui exceperunt? Quis ex iis qui iacent, resurrexit? Quis eorum dixit quid sit futurum post nostrum hinc excessum? sed nihil eorum cogitarunt. Quinetiam pro crucifixo animas reddiderunt. Quamobrem hoc ipsum est vel maximæ potentia, vt qui nihil vnquam tale audiuissent, de rebus adeo magnis tam repente persuaderent, & efficerent vt aspera quidem & difficilia ipsa subirent experientia, bona autem in spe haberent? Si autem deceperunt, fecissent contrarium: bona quidem hinc essent polliciti, terribilia autem silentio præterierunt, tam præsentia quam futura, ita enim faciunt qui decipiunt & asentantur. Nihil asperum, nec molestum, nec graue proponunt, sed totum contrarium: hoc est enim fraudis ac deceptionis. At vulgi, inquit, stultitia effecit vt persuaderentur iis quæ dicebantur. Quid dicis? Quando erant sub Græcis seu gentibus non erant stulti: sed quando ad nos transferunt, tunc stulti sunt redditi. Quanquam non aliis hominibus, nec ex alio orbe terrarum acceptis persuaserunt Apostoli. Atqui gentium quidem res & instituta absque discrimine tenuerunt: nostra autem susceperunt cum periculis. Quamobrem si cum maiori ratione ea tenuissent, cum in eis tanto tempore essent educati, non ab eis defecissent, & maximè cum nec sine periculo liceret ab eis defecere. Postquam autem ex ipsa rerum natura cognouerunt, illa esse ridicula & errore plena, propterea etiam morte minis intentata, à consuetis quidem resiliunt, ad noua autem confugerunt: vtpote quòd hoc qui-

dem dogma esset secundum naturā, illud verò præter. At qui persuasi sunt, inquit, erant famuli, & mulieres, & nutrices, & obstetrices, & eunuchi. Maximè quidem non ex his solum nobis constitit ecclesia: idque est omnibus perspicuum. Sin autem ex his, hoc est quod vel maximè admirabilem reddit prædicationem: quòd eiusmodi dogmata, cuiusmodi nec Plato, nec eius affecta potuerunt excogitare, repente potuerunt piscatores genus omnium indoctissimū, persuadere vt acciperent. Neque enim si prudentibus solum persuasissent, adeo admirandum fuisset quòd factum est. Cum autem famulos, & nutrices, & eunuchos ad tantam deduxerint philosophiā, vt facerent pares Angelis, diuinā inspirationis maximam exhibuerunt demonstrationem. Nam si vilia quædam & abiecta præcepissent, esset fortè rationi consentaneum eorum proferre vim persuadendi ad probandā eorum quæ dicebantur vilitatem. Si autem magna philosophabantur, & excelsa, & quæ propemodum humanam exuperant naturam, & sublimi opus habent intelligentia, quò magis stultos ostenderis eos qui sunt persuasi, eò magis ostendes sapiētes, & diuina repletos gratia eos qui persuaserūt. At ingenti, inquit, promissorum magnitudine persuaserūt. Hoc autè ipsum, dic mihi quæso, non mireris, quoniam modo post mortem persuaserunt expectare præmia & remunerationes? Nā ego hoc ipsum obstupesco. At hoc quoque, inquit, persuasi sunt ob stultitiam. Cuiusnam, dic quæso, sunt, hæc stultitiæ? Quòd anima sit immortalis, sincerumque & incorruptum nos post hæc vitam excipiet iudicium, verborumque & actionum & cogitationum rationem reddemus Deo qui nouit arcana, & malos quidem videbimus puniri, bonos autem coronari. Hæc verò non stultitiæ, sed magnæ sunt philosophiæ. Hoc ipsum ergo, dic quæso, despiciere præsentia, virtutem magnificere, non hinc præmia quærere, sed vlteriùs spe procedere, animoque esse adeo constanti ac in fide firmo ac stabili, vt nihil eorum quæ adfunt grauiora & aspera, à spe impediatur proposita, quantæ est philosophiæ? At vis & ipsarum promissionū, & prædictionum scire virtutem, & veritatem eorum quæ præcesserunt, & eorum quæ postea futura sunt. Contèplare mihi auream catenam variè ab initio contextam. Dixit eis quædam de seipso, & de ecclesiis, & de rebus futuris: & dicens faciebat miracula. Ex euentu ergo eorum quæ dicta sunt, perspicua sunt scilicet & miracula, & futura, & promissa. Vt sit autem quod dicitur manifestus, id in rebus ipsis reddam euidentis. Suscitauit Lazarum solo verbo, & viuum ostendit. Rursus dixit, Portæ inferi non præualebunt aduersum ecclesiam, & Qui reliquerit patrem vel matrem, centuplum accipiet in hoc sæculo, & vitam æternam possidebit. Ergo miraculum quidem est vnum, nempe Lazari: prædictiones autem duæ. Vna quidem quæ hinc ostenditur, altera verò quæ in futuro. Considera ergo quemadmodum omnia vnum per alterum inter se confirmantur. Nam si dubitet quispiam quòd Lazarus resurrexerit, ex prædictione quæ de ecclesia dicta est, credat miraculo. Quòd enim tot antè annis dictum est, tunc euenit, & finem accepit. Portæ enim inferi non præualuerunt aduersum ecclesiam. Qui ergo verum dixit in prædictione, est perspicuum quòd etiam fecit miraculum. Qui autem fecit miraculum, & quæ dixit deduxit ad effectum, est perspicuum quòd sit etiam verus in prædictione futurorum, dicens quòd centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit qui præsentia despexerit. Ea enim quæ iam facta sunt & dicta, dedit maxima pignora eorum quæ sunt euentura. Hæc ergo omnia, & his similia, ex Euangelis collecta eis dicamus, & os

Apostoli quòd rudi vulgo persuaserunt, valde admirandam reddidit prædicationem.

Ex euentu eorum quæ dicta sunt euaserunt perspicua & miracula & promissa. Ioan. 11. Matt. 16. Ibid. 19.

Chrysof. tom. 4.

Errorgen-
tium cur
nondum
omnino
extinctus.

Baptismus
promittit
remissio-
nem pec-
catorum,
& de eis
nullam ef-
se reddem-
dam ratio-
nem.
Coloss. 3.

cis obstruamus. Si quis autem dicat. Quomodo ergo non fuit error penitus extinctus? illud dixerimus, Vos eius estis causa, qui aduersus vestram salutem agitis seditionem. Nam Deus quidem res ita dispensauit & administrauit, vt ne reliquæ quidem restent impietatis. Ea ergo quæ dicta sunt paucis repetamus. Quænam est rerum natura, num vt imbecilli superentur à potentibus, an contra? Qui dicunt facilia, an qui difficiliora? Qui trahunt cum periculis, an ij qui securè & absque vlllo metu? ij qui innouant, an ij qui confirmant consuetudinem? ij qui ad viam asperam, an qui ducunt ad facilem? ij qui à patriis institutis abducunt, an ij qui non peregrina & aliena lege decernunt? ij qui postquam hinc excesserimus omnia bona pollicentur, an qui in vita præsentis assentantur? multi à paucis, an pauci à multis? At vos quoque, inquit, hic promissistis. Quid verò hic promissum? peccatorum remissionem, & lacuum regenerationis. Maximè quidem baptisma quoque plus habet commodi in futuris: Et Paulus clamatur dicens, Mortui enim estis, & vita vestra absconsa est cum Christo in Deo. Quando vita vestra apparuerit, tunc quoque vos cum eo apparebitis in gloria. Si autem hic quoque habet bona, sicut certè habet, hoc quoque est magni miraculi, quòd potuerint persuadere iis qui mala fecerant innumerabilia, & quot nullus alius, fore vt omnia abluerentur, & nullius eorum quæ admisisse reddidit essent rationem. Quamobrem propter hoc ipsum quoque vel maximè admirari oportebat, quòd persuasissent hominibus barbaris vt talem fidem susciperent, & de futuris magnam spem conciperent, & excusso priori onere peccatorum, magna animi alacritate pro virtute labores susciperent, & nullo quidem sensu inhiarent, rebus autem omnibus corporeis effecti superiores, dona acciperent quæ versantur in intelligentia. & Persa, & Sarmata, & Maurus, & Indus scirent animæ expiationem, & Dei potentiam, & benignitatem ineffabilem, & fidei philosophiam, & aduentum sancti spiritus, & corporum resurrectionem, & dogmata vitæ immortalis. Hæc enim omnia, & his plura, barbarorum gentes inuitantes piscinarios in baptismo, fecerunt philosophari. His ergo omnibus exactè & accuratè seruatis, illa eis dicamus, & quæ ex vita fit, demonstrationem rursus eis exhibeamus, vt nos vtrinque salui simus, & illos ad Dei gloriam attrahamus. Quoniam ipsi est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO VIII.

CAP. III.



Et ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis, sed ne nunc quidè potestis, adhuc enim carnales estis. Cum externam euerteret sapientiam, & omnem eius fastum deiecisset, accedit ad aliud argumentum. Erat enim verisimile illos dicere: Si Platonis quidem, aut Pythagoræ, aut alicuius alterius philosophi placita annuntiarem, meritò in nos tam proluxa vsus es oratione. Si quæ sunt autem spiritus annuntiamus, quænam de causa externam suscipere deique veras sapientiam? Audi autem quomodo ad hoc respòdeat. Et ego fratres, non potui vobis loqui tanquam spiritualibus. Nam maximè quidem etiãsi essetis perfecti, & in spiritualibus, ne sic quidem vos animis efferrì oporteret. Neq; enim vestra annuntiaueris, neque quæ ipsi ex vobis inuenissetis. Nunc autem neq; ea fecistis, vt scire oportet: sed estis discipuli, & omnium vltimi. Quamobrem si externa quidè sapientia magnos vobis facit spiritus, probatum est eam

nihil esse, & in spiritualibus nobis esse contrariam. Sin autem etiam spiritualia, in iis quoq; minorem partem habetis, & statis inter vltimos. Dicit itaque, non potui vobis loqui tanquam spiritualibus. Non dixit, non sum locutus ne videretur res inuidiosa, sed bifariam eorum euerteret insolentiam. Vno quidem modo, quòd quæ sunt perfecta, nesciunt. Secundo autem, quòd in eos est causa conferenda quòd nesciant. Ad hæc autem accedit tertia, quòd ostendat eos ne nunc quidem posse. Nam quòd ab initio quidem non potuerint, erat fortasse rei naturæ. Quamquam ne hæc quidem eis relinquunt excusationem. Non enim dicit eos non potuisse suscipere, propterea quòd nò possent alta capere, sed propterea quòd essent carnales. Verumenimvero in principio quidem non erat ad eò reprehendum. Quod autem ne tanto quidem elapso tempore nondum peruenerint ad perfectiora, hoc erat extrema hebetudinis. De eo autem Hebræos quoque insinuat, sed non cum tanta vehementia. Nam illos quidem dicit esse tales propter afflictionem: hos autem propter desiderium improbitatis. Non sunt autè illa inter se paria, & ostendit quòd illis quidem, eos volens increpare, his autem, ipsos magis excitās, dicebat ea, verum dicens. Nam his quidem dicit, Sed neque nunc potestis: illis autè, Quia propter intermittentes inchoationis Christi sermones, ad perfectionem feramur. Et rursus, Cōfidimus autem de vobis meliora, & propria salutem, tametsi ita loquamur. Et quomodo tātum spiritū consecutos vocat carnales? & quos ab initio tantis laudibus est profecutus? Nam illi quoque erāt carnales, quibus dicit dominus. Discedite à me: non noui vos qui operamini iniquitatem. Atqui & demones eiecerunt, & mortuos excitauerunt, & futura prædixerunt. Quamobrem fieri potest vt & qui signa fecit sit carnalis. Nā & in Balaam Deus est operatus: & Pharaoni Deus reuelauit futura & Nabuchodonozori: & Caiphas prophetauit nesciens quæ diceret. Porro autem alij quoque eiecerūt demonia eius nomine, cum non essent cum ipso. Nam non propter eos qui hoc agunt hæc fiunt, sed propter alios. Sæpe autem etiam propter indignos hæc facta sunt. Et quid miraris si in viris indignis propter alios hæc fiunt, cum etiam propter sanctos? Paulus enim dicit, Omnia sunt vestra, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue vita, siue mors. Et rursus, ipse dedit alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios autè pastores & doctores ad perfectionem aliorum, in opus ministerij. Nam nisi ita esset, nihil obstaret quo minùs omnes perirent. Nam cōtingit quidem principes esse malos & sceleratos, eos autem qui illorum parent imperio, bonos & moderatos: & laicos quidem in pietate vitam agere, sacerdotes autem in improbitate ac nequitia: & neq; futurum esset baptisma, nec corpus Christi, nec oblatio per illos, si vbiq; dignitatem ac merita requireret gratia. Nunc autè etiam per indignos Deus solet operari, neque baptismatis gratia quidquam læditur à vita sacerdotis. Nā qui accipit, minus esset habiturus. Quamobrem etiam si hæc rarò fiunt, fiunt tamen. Hæc autem dico, ne quisquam ex iis qui adstant, de vita sacerdotis curiosè inquirens offendatur in mysterijs quæ peraguntur. Nihil enim affert sacerdos ad ea quæ sunt proposita, sed vniuersum est opus Dei virtutis: & ille est qui nobis exhibet mysteria. Et ego fratres, non potui vobis loqui tanquam spiritualibus, sed tanquam carnalibus: lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis. Ne videretur propter honoris cupiditatem ea dixisse quæ dixit: nempe, Spiritualis diiudicatur ea, & à nullo diiudicatur: &, Mètem Christi habemus, eorum fastum comprimens & insolentiam, vide quid

de quid dicat. Non propterea, inquit, tacui, vt qui nihil possem dicere, sed quoniam estis carnales. Sed neque nunc potestis. Cur non dixit, Non vultis, sed non potestis? Quoniam hoc pro illo posuit. Nam non posse, id est ex eo quòd nolint: quòd ipsis quidem affert reprehensionem, magistro autem veniam. Nam si ob naturam quidem non possent, ignouisset fortè quispiam. Sed quoniam id ex libero profectum est arbitrio, non habent quo se excusent. Deinde dicit etiam rem quæ ipsos facit carnales, *Cum enim fuerit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Atqui cum posset dicere eorum scortationem, libidinem & intemperantiam, ponit potiùs illud peccatum, quòd tunc studuit corrigere. Si autem zelus facit carnales, restat iam vt omnes valde euident, & faccum induant, & cinerem substernant. Quis enim est liber ab hac animi perturbatione? nisi ex me de alijs quoque facio coniecturam. Si zelus facit carnales, & non finit esse spirituales, etiam si prophetet, & alia faciant mirabilia: quando nec tanta adfuerit gratia, quoniam in loco nostro collocauimus, cum nò eo solo, sed alijs etiam eo maioribus sumus cōstricti. Hinc discimus quòd meritò dicebat Christus, Qui facit mala, non venit ad lucem: & quòd vita impura est impedimento sublimibus dogmatibus, non finens vt appareat perspicax animæ facultas. Quomodo ergo fieri non potest vt qui est in errore, & rectè viuunt, maneat in errore: ita non est facile vt qui in sceleribus & flagitijs est educatus, citò respiciat ad dogmatum nostrorum altitudinem. Sed ab omnibus animi perturbationibus oportet esse liberum eum qui est venaturus veritatem. Nam qui est ab iis liberatus, ab errore quoque liberabitur, & veritatem assequetur. Ne ergo existimes solum non esse auarum, neque non scortari ad hoc tibi sufficere: sed ei qui quærit veritatem oportet omnia concurrere. Quamobrem dicebat Petrus. In veritate comprehedo quòd non est personarū acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet ipsum, & operatur iustitiã, acceptus est illi: hoc est vocat, & trahit eum ad veritatem. Nò vides quòd Paulus erat omnium vehementissimus in belligerando, & persequendo? Sed tamen quoniam habebat vitam reprehensionem non obnoxia, nec hæc faciebat motus humana animi perturbatione, & fuit acceptus, & omnes longè superauit. Si quis autem dicat, Quomodo hic & ille Græcus, cum sit bonus, benignus & clemens, permanet errans: illud dixerim, illum habere aliud animi vitium, vanam gloriam, scordiam & animi hebetudinem, aut quòd de sua salute non sit sollicitus, sed res suas temere & casu agi existimet. Paulus autem dicit eum qui operatur iustitiam, cum qui in omnibus fuit irreprehensibilis secundum iustitiam quæ est in lege, &c. Gratias ago Deo meo cui seruiò à maioribus in pura conscientia. Quomodo ergo, inquit, impuri digni sunt haberi prædicatione? Quoniam voluerunt & desiderarunt. Nam eos etiam qui aberrarūt trahit, cum fuerint mundi ab animi vitijs & perturbationibus: eos autem qui ex se & sua sponte accedunt non repellit. Multi autem pietatem ac veram religionem acceperunt à maioribus. Cum autem dixisset, Cum fuerit inter vos zelus & contentio, de cætero se exiit luctaturus aduersus eos qui parent aliorum imperio. Nam in iis quæ præcesserunt, prostrauit principes & eos qui imperant, dicens externam dicendi sapientiam nullius esse pretij: hic autem eos ferit qui parent imperio aliorum, dicens: *Cum enim quis dicat, Ego quidem sum Pauli, ego verò Apollo, an non carnales estis?* Et ostendit hoc nihil eis profuisse, neque effecisse vt aliquid acciperent, sed impediisse ne rerum maiorum acciperent vtilitatem. hoc enim est

A zelo nemo est omnino liber.

Ioan. 3.

A passionibus animi liber fit oportet qui venatur veritatem.

Ag. 10.

Phil. 3.

2. Tim. 1. Prædicatione quoniam attrahat, & quos non repellat.

HOMILIA VIII.

Afecit zelum: zelus autem fecit carnales, illud autem quòd facti sint carnales, non finit eos audire altiora: Quid est igitur Paulus? Quid verò Apollo? Post rerum confirmationem & demonstrationem, apertius deinceps vsus est reprehensione: & suum ponit nomen, amputans omnem asperitatem, & non permittens vt succenserent iis quæ dicebantur? Si enim Paulus nihil est, & non indignatur: multò magis illos non oportebat agrè ferre. Duplici ergo ratione eos consolatur, quòd & se ipsum posuerit, & quòd non rebus omnibus eos priuauerit, vt qui nihil conferant, sed eis dat quidem parum quid, sed dat tamen: Nam cum dixisset, *Quis autem est Paulus, quis verò Apollo?* subiunxit, *Nisi ministri per quos credidistis?* Hoc autem ipsum per se quidem est magnum, & multa mercede dignum: si aspiciatur autem ad exemplar, & bonorum radicem, nihil. Non enim qui bonis ministrat, sed qui ea præbet & donat, is est qui beneficio afficit. Neque verò dixit, Euangelista, sed ministri, quod quidem plus est. Non enim solum dicit, euangelizarunt, sed etiam vobis ministrarunt. Nam illud quidem solum est sermonis, hoc verò est etiam facti. Quamobrem si Christus quidem est solum minister, & non ipse radix & fons tanquam filius, vide quoniam hæc res deducitur. Quomodo ergo, inquit, dicit eum fuisse ministrum circumcisionis? Dicit illic de dispensatione quæ fuit in carne, & non eo modo quem nunc diximus. Nam illic quidem dicit ministrum eum qui adimpleuit, non eum qui ex se bona præbuit. Neque dixit, *Qui vos adducunt ad fidem, sed per quos credidistis, rursus illis plus tribuens: & hinc eos ministros significans.* Si ergo alteri ministrabant, quomodo sibi arripiunt auctoritatem? Considera autem quemadmodum eos non accusat tanquam qui arripiant auctoritatem, sed tanquam qui præbeant. Lapsus enim causa erat in plebe ac multitudine. Nam si illi abscessissent, isti destitissent. Duo ergo aperte confirmauit, vt qui & vnde oportebat peccatum destruere, suffoderit, & aduersum illos odium non pepererit, neq; eos fecerit contentiosiores. *Et vniuersique sicut Christus dedit.* Neque enim hoc ipsum modicum ex se, sed à Deo qui tradit. Nam ne dicerent, *Quid igitur, non contenti erimus iis qui nobis ministrant?* Maximè, inquit. Sed oportet scire quousque. Neque enim hoc ipsum est ab ipsis, sed à Deo qui dedit. *Ego plantavi, Apollo rigauit: sed Deus incrementum dedit.* Ego primus ieci fundamentum verbi, ita vt tentationibus non sint exsiccata quæ ab ipso data sunt semina. Addidit autem quòd totum fuerit Dei. *Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui dat incrementum Deus.* Vides quemadmodum eos cōsolatur, ne exasperarentur, eò quòd audiuisset, *Quid est iste, & quid ille?* sunt enim vtraque graui, & quòd dixisset, *Quis est iste, & quis est ille?* & quòd dixisset, *Neque qui plantat est aliquid, neq; qui rigat est aliquid.* Quomodo ergo hæc leniit ac mitigauit? Quòd & in persona propria adducat despicientiam, dum se nihil esse dicit. *Quis enim est Paulus? Quis autem Apollo?* & quòd totum attribuerit Deo qui dedit omnia. Nam cum dixisset se plantasse, & addidisset nihil esse eum qui plantat, subiunxit, *Sed Deus qui incrementum dedit.* Neque hæctenus constitit, sed alia rursus inductione ei medetur, dicens: *Qui autem plantat, & qui rigat, vnum sunt.* Per hoc autem aliud quoque molitur, nempe vt alter in alterum non efferatur & insolenscat. Vnum autè eos esse dicit, ex eo quòd nihil possint absque Deo qui dat incrementum. Cum hoc autem dixisset, ne eos quidem qui multum laborant, permisit insurgere aduersus eos qui pauciora intulerunt, neque alios his inuidere. Deinde quoniã hoc

Ministri re plus est quam euangelizare.

Rom. 15.

Ministri omnes vnum sunt in eo quòd nihil possint absque Deo.

eos reddebat segniores, quod omnes existimarentur vnum, tam qui multum laborarant, quam qui parum, unde quemadmodum hoc correxit, dicens: *Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Quasi diceret, Ne timeas quod dixerim esse vnum. Nam si ad Dei opus conferantur, sunt vnum: propter labores autem non sunt vnum, sed vnusquisque propriam mercedem accipiet. Deinde hoc ipsum magis mitigat & lenit, cum id effecisset quod volebat, & in quibus potest, gratificatur cum laude & liberalitate. *Dei enim adiutores sumus, Dei agricultura estis, dei edificatio estis.* Vides quemadmodum eis non parum dederit munus, cum prius confirmasset vniuersum esse Deum? Nam quoniam semper hortatur parere preceptis ac ducibus, propterea doctores ac magistros non admodum vilipendit. Dei agricultura estis. Nam quoniam dixit, Plantauit, perstat in metaphora. Si autem estis Dei agricultura, non vt ab iis qui vos colunt, sed vt a Deo vocemini equum est. Non enim ager vocatur agricolae, sed patrisfamilias. Dei edificatio estis. Rursus edificatio non est agricolae, sed domini. Si autem estis edificatio, non oportet esse diuulos: nam non fuerit hoc edificatio. Si estis agricultura, non oportet diuidi, sed muniri vna sepe concordia. *Secundum gratiam Dei quae data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui.* Sapiensem seipsum hic vocauit, non se extollens, sed seipsum praebens exemplum, & ostendens hoc esse sapientis vnum ponere fundamentum. Vide autem quam se modestè gerat: Nam cum dixisset se esse sapientem, non finit hoc esse suum: sed cum se totum prius Deo dedicasset & attribuisset, tunc se sic vocauit. Nam secundum gratiam Dei, inquit, quae data est mihi. Nam simul ostendit, & quod totum sit Dei, & quod id maximè sit gratia, non esse diuulos, sed super vnum positos esse fundamentum. *Alius superaedificat. Videat autem vnusquisque quomodo superaedificet.* Mihi videtur illos eò deducere, vt de vita instituta decerent: quandoquidem eos coniunxit, & vnum fecit. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Iesus Christus.* Non potest autem quandiu fuerit architectus. Sin autem fuerit positum, non est amplius architectus. Vide quomodo ex communibus notionibus ac sententiis confirmat quidquid est propositum. Hoc est autem quod dicit, Annuntiaui Christum, tradidi vobis fundamentum. Videte quomodo superaedificetis: an ad inanem gloriam, an apud homines discipulos attrahentes. Ne attendamus ergo haeresibus. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est. Super ipsum aedificemus, & fundamento haereamus vt palmes viti, & inter nos & Christum nihil sit intermedium. Nam si intermedium sit aliquid, statim perimus. Palmes enim ex eo quod sit continens, attrahit pinguedinem: & aedificium stat eo quod sit conglutinatum. Quod si disiunctum sit, perit, vt quod non habeat cui innitatur. Non solum ergo Christo adhaereamus, sed ei etiam agglutinemur. Nam si disiuncti fuerimus, perimus. Nam qui se, inquit, a te elongat, peribunt. Ei ergo agglutinemur, & agglutinemur per facta & opera. Nam qui seruat, inquit, mandata mea, ipse in me manet. Etenim per multa exempla nos vnit. Considera autem. Ipse est caput: nos autem corpus. Inter caput & corpus non potest vllum esse interstitium. Ipse est fundamentum: nos aedificium. Ipse est vitis: nos palmites. Ipse est sponsus: nos sponsa. Ipse est pastor: nos oues. Ille est via: nos qui ingredimur. Nos rursus templum sumus: ipse est qui inhabitat. Ipse est primogenitus: nos fratres. Ipse est haeres: nos cohæredes. Ipse est vita: nos viuentes. Ipse est resurrectio: nos resurgentes. Ipse est lux: nos qui illumi-

Adiutores autem cooperatores.

Aedificatio non est aedificans, sed domini.

Fundamentum est Christus.

1. Ioan. 3. Vnio Christi nobiscum ostenditur multis exemplis.

namur. Haec omnia indicant vnitatem, nec finunt aliquid vacuum esse intermedium, ne minimum quidem. Nam qui parum abscesserit, multum etiam procedens abscedet. Corpus enim si ab ense accepit dissectionem, interibit: & aedificium si vel parum dehiscat, dissoluetur. Et palmes si a radice parum fuerit abscissus, fit inutilis. Quamobrem hoc parum non est parum, imò verò est ferè totum. Quando ergo parum deliquerimus, aut etiam pigri ac socordes fuerimus, ne illud parum negligamus: citò enim neglectum fit magnum. Ita etiam vestimentum ab initio ruptum & neglectum, per totum producit scissuram: & tectum, si cum pauca tegula deciderint, fuerit neglectum, totam domum deiecit. Nos ergo haec considerantes, parua nunquam despiciamus, ne in magna incidamus. Sin autem despexerimus, & in profundum malorum venerimus, ne cum ibi quidem fuerimus animum despondeamus, ne in capitis grauedinem incidamus. illinc enim rursus ascendere est difficile si non simus valde sobrij, non solum propter longitudinem, sed etiam propter ipsum situm. Nam graue onus est peccatum & deorsum ferens premit. & quomodo qui in puteum ceciderunt, non facile ascendunt, sed opus habebunt aliis qui sursum tollant, ita etiam qui venerit in profundum peccatorum. Latemus ergo funes & demittamus ad eos qui sunt eius modi, & sursum trahamus. Imò verò non aliis tantum opus est, sed etiam nobis ipsis, vt & nos ipsos alligemus, & ascendamus non tantum quantum descendimus, sed etiam longè amplius si velimus. Deus enim fert opem. Non vult enim mortem peccatoris, sed vt conuertatur. Nemo ergo desperet. Nemo labore morbo impiorum, illorum enim est id peccatum. Impius enim cum venerit in profundum malorum, contemnit. Quamobrem non multitudo peccatorum efficit desperationem, sed mens impij. Et si ergo omne vitium perualeris, dic apud te, Deus est benignus & clemens, & nostram desiderat salutem. Nam si sint peccata vestra vt coccinum, tanquam niuem, inquit, dealbabo, & traducam in contrarium habitum. Ne ergo animum despondeamus. Non est enim adeo graue cecidisse, vt iacere cum cecideris. Neque tam malum est esse vulneratum, quam vulneratum nolle curari. Quis enim gloriabitur se cor habere castum, aut audebit dicere se esse mundum a peccatis? Haec dico, non vt vos faciam socordiores, sed vt prohibeam ne incidatis in desperationem. Vis scire quam bonus sit noster dominus? Ascendit publicanus plenus malis innumerabilibus, & cum solum dixisset, Propitius esto mihi, descendit iustificatus. Porro autem per Prophetam quoque dicit Deus, Propter peccatum parum cum affeci tristitia, & vidi quod dolore esset affectus, & ambulasset tristis, & curauit vias eius. Quid aequiparari potest huic clementiae? Quod solum, inquit, esset tristis, remisi peccata. Nos autè ne hoc quidem ipsum facimus: & ideo Deum maximè ad iram prouocamus. Qui enim per parua factus fuit propitius, quando nec ea fuerit assecutus, iure succenset, & extremum de nobis sumit supplicium: est enim hoc summi contemptus. Quis vnquam mœrore fuit affectus propter peccatum? Quis ingemuit? Quis peccatus pulsauit? Quis de eo fuit sollicitus? Ego quidem arbitror neminem. Sed innumerabiles quidem dies lugent homines pro famulis mortuis, pro detrimento pecuniae. Animam autem quotidie perdentes, de eo ne cogitamus quidem. Quomodo ergo poteris Deum placare, cum ne te peccasse quidem noris? Certè, inquit, peccasti. Certè, lingua quidè dicis. Dic mihi mente, & cum verbo ingemisce, vt sis perpetuò lato & alacri animo. Nam si doleremus propter peccata, si ingemisceremus propter

Confessionis iustitiam.

Hier. 7.

Phil. 2.

Præsentis vitæ bona contemnenda.

propter delicta, nihil nos aliud dolore affecisset, hoc mœrore expellente omnem animi ægritudinè. Quamobrem aliud quoque lucraremur cum confessione, nempe quod non immergeremur in molestiis vitæ presentis, neque intumesceremus secundis ac præclaris: & ea ratione Deum rursus magis placabimus, sicut iis quæ nunc facimus irritamus. Nam dic mihi, si habeas aliquem famulum: ille autem multa passus a conseruis, nullius quidem rei alterius habeat rationem, solum autem curet ne dominum prouocet ad iram, an non ex hoc solo sufficit ad tuam iram sedadam? Quid autem si eorum quidem quæ in te deliquit nullam gerat curam, curet autem ea quæ deliquit in conseruis, an non ei maius inferes supplicium? Ita etià facit Deus. Quando eius quidem iram neglexerimus, eam infert vehementiorem. Quando autem eam curamus, mitiorem. Imò verò ne postea quidem infert. Vult nos ipsos a nobis exigere pœnas peccatorum: ipse autem de cætero a nobis non amplius exigit. Propterea enim nobis minatur supplicium, vt metu tollat contemptum. Quando autem ex solis minis extimuerimus, non finit vt eius reipia faciamus periculum. Vide quid dicit Hieremij. Non vides quid ipsi faciunt? Patres eorum ignem accendunt: filij eorum colligunt ligna: mulieres eorum conterunt adipem. Timendum est ne de nobis quoque dicatur tale quid. Non vides quid ipsi faciant? Nullus querit quæ sunt Christi, sed omnes querunt quæ sua sunt. Filij eorum currunt ad libidines. Patres eorum ad auaritiam & plura habendi cupiditatem ac rapinam. Vxores ad eorum quæ ad hanc vitam pertinent spectra & visiones, maritos suos non solum non excindentes, sed etiam irritantes. Sta ergo in foro. Interroga abeuntes & redeuntes: neminem videbis festinare pro re spiritali, sed omnes currere pro carnalibus. Quousque non respicemus & redibimus ad sobrietatem? Quousque deprimemur in somnum profundum? Non malorum nos cepit fatietas? Atqui etiam absque verbis sufficit ipsa rerum experientia ad nos docendos quam nullius pretij sint res præsentis, & quam praua sint omnia. Homines quidem certè externam exercentes sapientiam, & qui futurorum nihil nouerant, cum cognouissent quam viues & abiectæ sint res præsentis, propter hoc solum secesserunt. Quamnam ergo consequeris veniam, humi repens, & parua non despiciens, & quæ data sunt pro magnis & æternis, qui ipsum quoque Deum audis hæc indicantem, & reuelantem, & ab ipso habes eiusmodi promissiones. Quod enim hæc non sufficiant ad possidendum, ostenderunt qui etiam absque maiorum promissione ab eis abstinebant. Quas enim diuitias expectantes veniebant ad paupertatem? Nullas: sed ex eo quod scirent huiusmodi paupertatem esse meliorem diuitiis. Quamnam vitam sperantes, delicias reliquerunt, duræque & asperæ vitæ agenda se dederunt? Nullam: sed scientes ipsam rerum naturam, & intelligentes hoc esse aptius, & ad animæ philosophiam, & ad sanitatem corporis. Hæc nos ergo reputantes, & bona futura assidue in nobis versantes, a rebus præsentibus abscedamus, vt futura illa consequamur, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi. Cui &c.

ORATIO IX.



Quis autem superaedificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fenam, stipulam, vnus cuiusque opus manifestum erit. Dies enim domini declarabit, quia igne reuelabitur. & vnus cuiusque opus quale sit ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superaedificauerit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, Chrysostr. tom. 4.

ἀποκαλύψεται, reuelatur.

detrimentum patitur. ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Non est hæc parua quæ proponitur quaestio, sed & de maximè necessariis, & quæ quærunt omnes homines, an finem habeat ignis gehennæ? Nam quod non habeat quidem, Christus pronuntiauit, dicens. Ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non desinet. Et scio quidem vos hæc audientes torpescere. Sed quid agam? Deus enim iubet perpetuò insonare, dicens, Præcipe populo huic, & nos ad ministerium verbi constituti sumus: & necesse est vt sim molestus auditoribus, non lubens, sed coactus. Imò verò si vultis, ne erimus quidem molesti. Nam si bonum, inquit, facias, ne time. Licet itaque vobis non solum ægrè, sed etiam cum voluptate nos audire. Atque quod non habeat quidem finem, & Christus pronunciauit, & Paulus quoque id dicit ostendens immortale supplicium: & quod peccatores dabunt pœnas exitiosas & æternas. Et rursus, Ne eretis: neque fornicatores, neque adulteri, neque molles regnum Dei possidebunt. Hebrais quoque dicebat, Pacem persequimini cum omnibus & sanctificationem, sine qua nemo videbit dominum. Christus quoque dixit iis qui dixerunt, In nomine tuo multas virtutes fecimus. Discedite a me, nescio vos qui operamini iniquitatem. Exclusæ etiam virgines non amplius intrarunt. Et de iis qui eum non nutrierunt, dicit eos abituros in supplicium æternum. Neque mihi dicas, vbi iustitiæ seruabitur ratio, si finem non habet supplicium? Quando enim Deus aliquid facit, pare eius sententiæ, neque quæ dicuntur humanis subiice rationibus. Quamquam quomodo non fuerit iustum, eum puniri, qui ab initio affectus est bonis innumerabilibus, & deinde fecit ea quæ merentur supplicia, & neque minis neque beneficio euasit melior? Nam si quæris quod iustum est, oportuit nos statim ab initio perire congruenter iustitiæ rationi. Imò verò neque tunc congruenter soli iustitiæ rationi: etenim fuisset hoc quoque quod fieret humanitatis, si hoc passi essemus. Nam quando quispian contumelia afficit eum qui nullam fecit iniuriam, is luit pœnas conuenienter rationi iustitiæ. Quando autem benemeritum, qui nullo quidem antea fuit affectus beneficio, innumerabilia autem contulit beneficia, & solus causa est vt sit, & est Deus, & inspirauit animam, & gratis donauit innumerabilia, & voluit in cælum sustollere. Si eum post tot & tanta beneficia non solum contumelia afficit, sed etiam quotidie afficit per ea quæ facit, quamnam fuerit dignus venia? Non vides quemadmodum puniuit Adamum propter vnum peccatum? Maximè, inquit, dedit ei paradysum, & effecit vt frueretur magno beneficio. Atqui non sunt paria, & eum qui liberè ac securè vitam agit peccare, & eum qui versatur in multa afflictione. Est enim hoc graue quod peccas: cum non modò non sis in paradiso, sed in præsentis vitæ malis innumerabilibus, & nec calamitate quidem & miseria fias modestior, vt si quispian vincetus vteretur flagitio & nequitia. Tibi paradiso quoque maiora est pollicitus. Et neque iam dedit, ne in tempore certaminum te nimia diffunderet latitia. Neque siluit, ne te nimis deieceret laboribus. Et ille quidem cum vnum admisisset peccatum, totam ad se mortem attraxit: nos autem quotidie innumerabilia peccata admittimus. Si autem ille cum vnum admisisset peccatum tantum attraxit malum, & mortè inuexit: qui perpetuò in peccatis viuimus, quid non patiemur, cælo pro paradiso expectantes? Graue est & molestum quod dicitur, & tristitia afficit auditorem: idque scio ex iis quæ ipse patior. Nam cor meum turbatur

Ignis gehennæ non habet finem. Esai. 66. & Mar. 9.

Rom. 13.

2. Thess. 1. Intra 6. Heb. 12.

Matt. 7.

Ibid. 25.

Qui contumelia afficit beneficium, nulla est dignus venia. Gen. 2.

& palpitat. Et quò magis videro probari quod de gehenna dicitur, cò magis tremo, & metu respuo ac reicio, sed necesse est dicere, ne in gehennam incidamus. Non accepisti tu paradìsum, neque ligna, neque platas & arbores, sed cœlum, & bona quę sunt in cœlis. Si autem qui pauciora accepit fuit condēnatus, neque vlla eum exemit ratio, multò magis nos, qui amplius peccamus, & ad maiora vocati sumus, grauiſſima & acerbiffima patimur. Cogita quātum tēpus in morte manet propter vnū peccatum nostrū genus. Quinque millia annorū, & plura præterierunt: & mors nondū est soluta propter vnū peccatū. Neq; possumus dicere quòd Adam audiit prophetas, neq; vidit alios puniri propter peccata: & consentaneū erat eum hinc esse territum, & ipſo exemplo modestum & temperatē esse effectum. Erat enim tunc primus & solus, sed tamen puniebatur. Tu autē nihil eiusmodi poteris producere: qui post tot & tam multa exēpla euasisti deterior: qui tāto dignatus spiritu, non vnum, nec duo, nec tria, sed innumerabilia attrahis peccata. Non enim quòd breui temporis momento admittitur peccatum, hoc considera: nec idēo momētaneum esse supplicium existima. Non vides homines, qui sæpe pro vno furto, & vno adulterio momento temporis admisso, in vinculis & metallis totum suum vitæ tempus consumpserunt, cum fame & multiplici morte affidē lucētates? Neque quisquam eos exemit, neque dixit quod quoniam breui momento temporis est admillum peccatum, oporteat etiam habere supplicium & tempus peccato respondens. At sunt, inquit, homines qui hæc admittūt, Deus autē est clemens & in homines benignus. Primum quidem ne homines quidem hoc faciunt crudelitate, sed benignitate. Deus quoque sicut est benignus, ita etiam punit & vlciscitur. Nam secundum misericordiam eius, multa est eius redargutio. Quādo ergo dixeris Deum esse benignū, tūc mihi dicis maiorē supplicij occasionem, quòd in eum qui talis sit, peccamus. Et ideo dicebat quoque Paulus, Horrendum est incidere in manus Dei viuētis. Sustinere quāso parumper vehemētē verborum meorum ardorē, fortasse enim erit vobis inde aliqua consolatio. Quis ex hominibus ita potest punire vt punit Deus? Qui & fecit inundationem, & tanto generi omnino atulit exitium, & paulò post rursus ignem pluit desuper, & omnes deleuit penitus. Quòdnā supplicium hominum potest esse tantum? Non vides, propemodum esse immortale quod inde extitit supplicium? Quater millia annorum præterierunt, & Sodomitarum adhuc manet & viget supplicium. Nam quemadmodum magna est eius benignitas, ita etiam punitio. Nam si iussisset quidem graua, & quę nō possent fieri, posset fortasse quispiam proferre legum difficultatem. Si autē sunt admodum facilia, quādnā habemus quod dicamus, si ne eorum quidem vllam habemus rationē? Non potes ieiunare, neq; virginitatē exercere? Atqui potes si velis: & nos accusant ij qui possunt. Nec tamen adeò seuerus & rigidus fuit in nos Deus: neq; hæc iussit, neq; lege constituit, sed dimisit in libero arbitrio & electione auditorū. Potes autē esse tēperans in matrimonio, & potes nō inebriari. Nō potes omnes abiicere pecunias. Quāquam potes: & ostendūt qui fecerūt. Sed tamē ne hoc quidem iussit. Sed iussit nō rapere, & ex facultatibus egenis opē ferre. Si quis autē dicat quòd nec vxore sola potest esse contentus, seipsum decipit & fallit, & eum accusant qui absque vxore sunt cōtinentes. Quid verò, dic quāso, nō potes nō probro & maledictō appetere? Non execrari nō potes? Atqui ea facere est graue, non autē nō facere. Quam ergo habemus excusationē, quæ sint adeò leuia & facilia non seruātes? Non potest dici

Propter vnum peccatum, genus hominum vni in morte.

Deus est & iustus & misericors.

Heb. 10.

Gen. 7.

Præcepta Dei non sunt graua.

Peccare molestius quam non peccare.

A nos habere vllam. Atque quod immortale quidem sit supplicium, ex omnibus quę dicta sunt est perspicuum. Sed quoniam videtur nonnullis Pauli verbū aduersari, age hoc ipsum quoque discamus adductū in medium. Nam cum dixisset, *Si cuius opus manserit, quod superedificauerit, mercedē accipiet: & si cuius opus arserit, detrimentū patietur*, subiunxit, *ipse autem saluus erit, sic tamen quasi perignem*. Quid ergo illi dicemus: Cōsideremus prius quod sit fundamentum, & quod aurum, & quā lapides preciosi, & quod fœnum, & quanam sit stipula. Atq; fundamentum quidem ipse Paulus apertē declarauit esse Christum, dicens, *Fundamentum aliud nemo ponere potest præter ipsum*, inquit, *quod est positum, quod est Christus Iesus*. Aedificium autē mihi vidētur esse actiones. Quamquam dicunt quidam hoc ipsum dictum esse etiam de doctoribus & discipulis, & de corruptis hæresibus: sed id quod dicitur, hoc non admittit. Nam si hoc est, quomodo opus quidem perit: qui autem ædificat, saluus erit vel per ignem? Auctorem enim magis perire oporteret: nunc autem inuenietur maiores luisse penas is qui fuit ædificatus. Nam si doctor quidem fuit auctor vitij, dignus est qui maiores luat pœnas. Quomodo ergo saluus erit? Vnde est perspicuum quod agitur de actionibus. Nam quoniam aduersus eum qui fuerat fornicatus, sermonem erat directurus, ab alto & longē antē petatum eius iacit principium. Scit enim etiam de alio loquens, in ipsa de alio disputatione, aliud prius confirmare ad quod est iturus. Eos enim reprehendens quòd seipſos in prandijs non expectarent, cōfirmavit id quod erat dicendū de mysterijs. Quoniam autem nūc quoque festinat ad eum qui erat scortatus, cum de fundamēto dixisset, subiunxit: *Nescitis quòd templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis. Si quis templum Dei violat, disperdet illum Deus*. Hæc autem dicebat, iam metu concutiens eum qui fuerat fornicatus. *Si quis superedificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam*. Nam post fidem opus est ædificatione. Et ideo dicit alibi, *Ædificate vos inuicem in his sermonibus*. Nam & artifex & discipulus simul conferunt in ædificatione. Et ideo dicit, *Vnusquisque autē videat quomodo superedificet*. Si hæc autem dicta sint de fide, non est rationi consentaneum quod dicitur. In fide enim oportet omnes esse pares, quoniam est vna fides. In virtute autem vitæ non possunt omnes esse iidem. Nam fides nō est, alia quidē minor, alia verò melior ac præstantior, sed est eadē omnium: qui verè credunt. Ad vitā autem possunt alij quidē esse alacriores & diligentiores, alij autem socordiores & negligentiores: & alij quidem exactiores, alij verò minus exacti: & alij quidē grauius alij verò minus delinquant. Propterea dixit, *Aurum, argentū, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam. Vnius cuiusq; opus manifestū erit*. Hic dicit actionē. *Si cuius opus manserit, quod superedificauerit mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum accipiet*. Atqui si de discipulis & doctoribus diceretur quod dicitur, non oportuisset eos detrimentum accipere si non audiissent discipuli. Propterea enim dicit, *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*. Non conuenienter fini & euentui, sed conuenienter labori. Quid enim si non attēderunt auditores? Vnde est hinc quoque perspicuum, quòd id quod dicitur, dicatur de factis. Est autem id, quod dicitur, *Si quis habet malā vitam cum fide recta, nō defendet eum fides quo minus puniatur ardente opere*. Illud autē, *Arserit, hoc est, non tulerit ignis impetū*. Sed quomodo si quispiam habens arma aurea fluuiū transmittat, trāsit letior & alacrior. Si autem fœnum habens transmisserit non

saluum igne esse dicitur quod non comburitur.

1. Co. 10. Rom 5.

Peccati descriptio.

solum

solū eum nihil iuuat, sed etiam seipsum perdit: Ita etiam est in factis & operibus. Non hoc enim dicit tantum de iis qui consistunt & iustificantur, sed metum magis volens incutere, & ostendere esse nudū & a perfidio destitutum eum qui versatur in vitio. Et ideo dicebat, *Detrimentum accipiet*. Ecce vnum supplicium. *Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem*. Ecce etiā secundum. Hoc est autem quod dicit. Non ipse quoque ita peribit vt opera, redactus ad nihilum: sed manebit in igne. Salutem itaq; rem vocat. Propterea adiecit, *Quasi per ignem*. Nam nos quoque solemus dicere, saluum est igne de iis quæ non cōburuntur, nec statim in cinerem rediguntur. Ne enim, quoniam ignem audiuisti, existimes eos qui vruntur cō redigi vt non consistant. Si autem supplicium quoque vocet salutem, ne mireris. Solum enim ipse in iis quæ malè sonant, vt pulchris nominibus: & in bonis, contrariis, vt nomen captiuitatis videtur esse rei malæ, sed in re bona eo vsus est Paulus, dicens: In captiuitatem redigentes omnem intelligentiam ad obedientiā Christi. Et in re mala bono nomine rursus est vsus, dicens, Regnauit peccatū. Atqui nomen regni est potius bonū verbum. Ita hinc quoque cum dixisset saluum esse, nihil aliud significauit quā intensiorem & incrementum supplicij, perinde ac si diceret: Ipse autem manet perpetuò punitus. Deinde etiam inferit dicens, *Nescitis quòd templum Dei estis*. Nam quoniam prius locutus est de iis qui scindunt ecclesiā, de cætero cum quoque tangit qui fuit fornicatus: nondum quidem apertē, sed indefinitē: tacitè significans corruptam eius vitam, & peccatum amplificans à dono iam ei dato. Deinde alios quoque pudore afficit ab iis ipsis quæ iam ipsi habuerunt. Aut enim à futuris, aut ab iis quæ iā fuerunt, siue molestis siue bonis, hoc semper facit. A futuro quidē: *Dies enim declarabit: quia in igne reuelabitur*. Ab iis autem quæ iam fuerunt: *Nescitis quòd templū Dei estis, & spiritus sanctus habitat in vobis: si quis autem templū Dei violauerit, disperdet illū Deus*. Vides orationis vehemētiā. Sed quamdiu persona est ignota, nō est adeò graue quod dicitur, cum omnes metus sint participes. *Disperdet eum Deus*, hoc est afferet exitium. Hoc autē non est execrantis, sed prædicentis. Templum enim Dei sanctum est. Qui est autem fornicatus, est profanus. Deinde ne videretur sermonem ad illum derigere: cum dixisset, *Templum Dei sanctum est, subiungit, Quod estis vos*. Nemo se seducat. Hoc quoque ad illum dirigitur, vt qui se existimaret esse aliquid, & gloriaretur sapientia. Deinde ne videretur aliud agendo nimium in eum inuehi, cum animi angorem in eum inieciſset, & timori eum tradidisset, ad communem rursus accusationē deducit orationē, dicens: *Si quis videtur inter vos sapiēs esse, in hoc sæculo stultus fiat vt sit sapiens*. Hoc autem facit cum magna confidentia & dicēdi libertate, vt qui eos satis expugnarit. Nam etsi quis sit diues, etsi genere nobilis, est vilibus & ignobilibus vilior, quando captus fuerit à peccato. Quomodo enim etsi quis regnauerit, fuerit autem seruus, est barbaris omnibus inferior: ita etiam in peccato, barbarum enim est peccatum, & tyrannidem exercens in animam nescientem parere, semel captam, sed in perniciē eorum qui ipsum succipiūt. Nihil est enim aequē inconsideratum atque peccatum, nihil adeò amens & stultum ac violentū. Omnia euerit, & confundit, & perdit quocunque insilierit. est visu deformis, importunum, molestum & graue, & si quis pictor ipsum effingeret, non mihi videretur aberrare, ipsum sic effingens: mulierem quandam formam belluina, barbaram, ignem spirantem, iniucundam, nigram, quales externi Poëtæ depingūt Scyllas. Manibus enim innumerabilibus nostras apprehendit cogitationes &

rationes, & ex improuiso ingreditur, & omnia discerpit ac dilacerat, sicut canes clanculum mordentes. Imò verò quid opus est pictura, cum liceat in medium abducere eos qui ea qua ipsi sunt qualitate præditi? Quænam ergo vis prius describamus: Auarum & raptorem. Et quid est oculis illis impudētius, quid magis inuerecundum, quid magis caninum? Non est enim canis adeò impudens vt iste, quando rapit res omnium. Quid illis manibus impurius? Quid ore illo trucius & sæuius, quod omnia deuorat & non satiatur? Ne eius vultum & oculos intuearis, quòd sint hominis. Non enim sic aspiciunt humani oculi. Non aspiciunt homines tanquam homines. Non aspiciunt cœlum tanquā cœlum, neque sursum respicit ad dominum, sed omnia putat esse pecunias. Hominum oculi solēt intueri homines afflictos, & dolere, & misereri. Isti autem raptores vident pauperes, & efferantur. Hominum oculi non tanquam propria vident aliena, sed etiam propria tanquam aliena: & nō desiderāt quæ data sunt aliis, sed in alios quoque sua effundunt. Isti autem non ferunt, nisi res omnium acceperint. Nō enim humanum, sed belluinū habent visum. Hominum oculi nudum videre suum corpus non ferūt, suum enim est, etiam si sit aliorum, quod attinet ad personam. Isti autem nisi omnia denudarint, & omnia domi recondant, nunquam satiātur, imò verò nunquam implentur. Quamobrem nec earum manus dixeris solū esse ferarum manus, sed iis quoq; feriores & immaniores. Nam vrsi quidē & lupi, vbi eos ceperit fatietas, ab eiusmodi alimento recedūt: isti autem nunquam satiantur. Atqui Deus nobis propterea fecit manus, vt aliis opem feramus, non vt eis insidiamur. Sed si ipsis ad hoc vsuri simus, melius esset eas abscondi, & esse sine eis. Tu autem si ouem quidem laniet ac discerpat fera, doles: si id autem facias in eū qui est eiusdem generis, non existimas te facere aliquid indignum & intolerabile, & quomodo fueris homo? Non vides quòd rem vocamus humanam, quę misericordia plena est & benignitate? Quando autē fecerit aliquid sæuum & crudele, id nominamus inhumanum. Hominis ergo describimus figuram à commiseratione: fera autē à contrario, dicentes, Num homo est fera aut canis? Homines enim paupertatē corrigūt ac subleuant, non augent. Ora quoque eorum sunt ora ferarum: imò verò ea sunt illorum feriora, loquuntur enim verba quę magis quàm illorum dentes virus emittunt, & eadē faciunt. Et si quis omnia persequatur, tūc rectē videbit quemadmodum ex hominibus feras ea vtentes efficit inhumanitas. Quòd si quis etiam eorum mentem examinauerit, non vtique solū feras, sed etiam demones eos appellabit. Sunt enim multa immanitatē pleni, & odio in conferuos: & neque illic est amor regni, neque metus gehennæ: non hominum pudor, non misericordia, non commiseratio, sed impudentia, & truculentia, & futurorum omnium despicientia, & fabula illis esse vidētur Dei verba de punitione, & risu minæ. Talis est ergo mens auari. Cum ergo intrinsecus quidem sint demones, extrinsecus autem fera, & feris deteriores: vbi nam eos dic quāso collocabimus? Nam quòd sint vel feris deteriores, illinc est perspicuū. Ferae tales sunt natura. Isti autem cum natura habeant mansuetudinē, præter naturā cogunt transire ad mores belluinos. Porro autem demones quoque insidiātes, homines habēt sibi opem ferentes. Quòd si opem non ferrent, maior pars eorū, qui nobis insidiātur esset ab eis de medio sublata. Isti aut etiam eos qui cum eis contendunt, probris & contumeliis affectos conantur superare. Rursus demones bellum gerit cum homine, non cum demones qui sunt sui generis. Iste autem cognatos & necessarios

Anari truculentia descriptio.

Oratorum sunt ora ferarum.

Dæmones adiunguntur ab hominibus insidiantibus.

omnibus modis affligere contendit, & neque reueretur naturā. Scio esse multos, qui propter hæc verba nobis sunt infensi & nos habent odio: ego verò illos non odi, sed eorum misereor, & desleo eos qui sic sunt affecti: etsi velint percutere, lubenter tolerabo, si ab hac feritate abstinerint. Non enim ego solus, sed propheta quoque nobiscum eos qui sunt eiusmodi expellit ex cognatione hominum, dicens: Homo cum in honore esset, non intellexit, sed comparatus est iumentis insipientibus. Simus ergo aliquando homines, & cælum suspicimus: & accipiamus & recipiamus id quod est secundum imaginē, ut bona quoque futura consequamur, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi. Cui & c.

Psal. 48.

ORATIO X.



Nemo se seducat. Si quis videtur sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat ut sit sapiens. Sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum. Sicut prius dixi, cum & ante tempus opportunum ad eius qui fuerat fornicatus deduc-

ctus esset accusationem, & cum anigmaticè breuiter aperuisset, & eius concussisset conscientiam, pergit rursus ad cōcertationem de externa sapientia, & ad accusandos eos qui inde sunt inflati, & scindunt ecclesiam, & toto capite exactè perfecto, deinceps lingue permittit, ut vehementi impetu ferretur in eum qui erat fornicatus, cum prius t̄quam telis in eum iactis prælium pugna fecisset, per ea quæ dixit antea. Illud enim, Nemo se seducat, est eius qui aduersus illum maximè inuehitur, & metu eum prius lenit ac mitigat: & quod de stipula dicitur, eius qui ipsum tacitè significat: & quod dicit, Nescitis quod templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis: hæc enim duo maximè solent abducere à peccato, quando pœnam peccato propositā cogitauerimus, & quando dignitatem nostram reputauerimus. Eo ergo quod scœnum & stipulam in mediū adducat, terruit: eo autem quod propriæ nobilitatis auctoritatem dixerit, pudore affectit: illo quidem, eos qui minùs sentiunt, hoc autem, eos qui sunt probiores reddens meliores. Si quis videtur esse sapiens in hoc seculo, stultus fiat. Sicut iubet fieri tanquam mortuum huic mundo (ea autem mors nihil lædit, cum sit causa vitæ) ita etiam iubet esse stultum huic mūdo, hinc nobis veram concilians sapientiam. Stultus autem est mundo, qui externam despiciatur sapientiā & persuasum habet eam nihil conferre ad fidem comprehendendam. Quomodo ergo quæ est secundum Deū paupertas, est causa diuitiarum, & humilitas altitudinis, & gloriā despiciere est causa gloriæ: ita etiam stultum esse efficit omnibus sapientiores. Cur autem nō dixit, deponat sapiētiā, sed, fiat stultus? Ut summè despiciat externā eruditionem. Non sunt enim paria dicere, deponere tuam sapientiam, & fias stultus. Alioqui autem docet etiā ne erubescamus propter eam quæ est in nobis ruditatem & imperitiā: externa enim admodū irridet. Quamobrem nec veretur nomina: quoniam confidit rerum virtuti. Quomodo ergo crux, quæ videtur esse maximè probrosa, fuit causa bonorum innumerabilium, & fundamentum & radix gloriæ ineffabilis: ita etiam quæ videbatur esse stultitia, fuit nobis causa sapientiæ. Quemadmodum enim qui malè quid didicit, nisi totum deposuerit, & animam leuiarit, & mundam præbuerit ei qui est scripturus, nihil ex iis quæ sana sunt & recta planè sciet: ita etiam in externa sapientia, nisi totū exemeris, & verreris mentem, & non læcus atque rudis & indoctus te præbueris fidei, nihil præclarū exactè scies. Nam qui vident perperam, nisi clausis oculis se aliis tradiderint, sed prauo ac corrupto oculorum visui sua permiserint,

Stultus mudo qui nam sit.

Crux est causa bonorum innumerabilium.

A longè plus peccabunt quàm qui non vident. Et quomodo fieri potest ut hæc externa deponatur sapientia, inquit? Si eorum non vtantur decretis ac dogmatibus. Deinde quoniā ad eō acriter ab ea iussit abstinere, causam quoque reddit, dicens: Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum: Non solum enim nihil cōfert, sed etiam impedit. Oportet ergo ab ea abstinere, tanquam quæ lædat. Vides quemadmodum perquam copiosè & abundanter tulit victoriam: ut qui ostēderit quod non solum nobis nihil proffit, sed etiam aduersetur. Neque contentus est propriis probationibus, sed etiam rursus subiunxit testimonium, dicens. Scriptum est enim, Qui comprehendit sapientes in astutia ipsorum. Astutia hoc est, suis armis eos subigens. Nam quoniā sapientia vsi sunt ad hoc ne egeat Deo, per hanc ipsam eos cōiucit quod maximè Deo egeant. Quomodo? Quod per eam stulti effecti, meritò per eam capti sint. Nam qui arbitrantur se Deo non egere, ad tantam redacti sunt egestatem, ut piscatoribus & illiteratis extiterint inferiores, & iis ipsis deinde egerent. Propterea dixit, In astutia eorū cepit eos. Nam quod dixit, Perdam sapientiam, dictū est, ad nihil vtile inducendum. Illud vero, Qui comprehendit sapientes in astutia eorum, ad ostendendam Dei potentiam. Deinde ostendit etiam modum quo cepit, adiecto alio testimonio: Deus nouit cogitationes sapientium, quod vane sunt. Quando autem sapientia quæ est infinita, hæc de ipsis statuit, & tales pronūtiat, quam aliam eorū amentia quæris probationē? Nā hominum quidem iudicia sæpe falluntur: Dei autem sententia nec reprehendi vnquam potest nec corrumpi. Cum de superno ergo iudicio tam præclarum crexisset trophaum, in eos qui ab aliis reguntur, inuectiua vitæ oratione, eos dehortans, & sic dicit: Nemo itaque gloriatur in hominibus. Omnia enim vestra sunt. Rediit ad prius, ostendens quod nec propter spiritualia quidem debent efferi & sibi placere, ut qui ex se nihil habeant. Cum ergo externa sapientia sit noxia, spiritualia autem a vobis non sint data, vndēnam habes quod gloriaris? Et in externa quidem sapiētia nemo, inquit, se seducat: quoniam efferebantur & sibi placebāt de re noxia. Hic autem quoniam res habet vtilitatem, Nemo gloriatur, & leuiori vsus est oratione. Omnia enim vestra sunt: sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive presentia, sive futura. Omnia vestra sunt, vos autem Christus, Christus autem Dei. Quoniam eos valde pupugerat, rursus eos recreat. & superius quidem dicebat, Adiuutores sumus Dei, & per plura alia ipsos esse cōsolatus. Porro autē hic quoque dicit, Omnia vestra sunt, doctorum deprimens fastum & arrogantiam: & ostendens quod non solum eis nihil donant nec gratificantur: sed quod etiam ipsi illis debent habere gratiam. Propter ipso enim tales facti sunt, sed & gratiam acceperunt. Sed quoniam futurum erat ut ipsi quoque gloriarentur, propterea hanc quoque excidit agritudinem, dicens, Vnicuique sicut Deus dedit, & Deus in crementum dedit, ut neque illi sibi placerent ut qui præberent: neque hi rursus, propterea quod audiissent, Omnia vestra sunt, rursus efferrentur. Nam etsi propter vos, à Deo tamen factum est vniuersum. Tu autem mihi considera quemadmodum vsque ad finem perpetuò posuit nomē suum, & nomen Petri. Quid est autē, siue mors? Quod etiam si moriantur, moriuntur propter vos, pro vestra salute pericula aduētes. Vides quomodo rursus depressit fastum discipulorum, doctores autem rursus extulit. Loquitur enim cum eis tanquam cum pueris ingenuis & qui habent pædagogos. Licet etiam aliter dicere, quod Adami quidem mors fuit propter nos, ut castigaremur & modesti redderemur: mors autem Christi, ut salui esse-

mus. Vos autem Christi, Christus verò Dei. Aliter sumus Christi, & aliter Christus Dei, & aliter noster est mundus. Nam nos quidem sumus Christi, tanquam opus: Christus autem Dei, tanquam vera & germana proles, non tanquam opus, quomodo nec noster est mundus. Quamobrem etiam si est vna dictio, est tamen diuersa sententia. Nam noster quidem est mundus, ut qui propter nos sit procreatus: Christus autem Dei, ut qui ipsum habeat autorem eo quod sit pater. Nos autem sumus Christi, ut qui ab ipso sumus constructi. Si autē illi sunt vestri, cur facitis contrariū, ut qui ab ipsis cognominamini, non autem à Christo & Deo? Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Postquam deiecit eorum arrogantiam, vide ut rursus eos recreet, dicens. Ministros Christi. Ne ergo dimisso domino voceris à ministris, & ab illis qui descriuiunt. Dispensatores autem dicit, ostendēs quod non oporteat omnia dare omnibus, sed iis quibus oportet, & qui digni sunt dispensare. Hic iam queritur inter dispensatores ut fidelis quis inueniatur. Hoc est, ne sibi vsurpet quæ sunt domini, nec sibi vendicet. Sed administrat tanquam dispensator, est enim dispensatoris re- è administrare quæ sunt ei tradita: non autem sua dicere quæ sunt domini, sed contra dicere esse domini ea, quæ sunt sua. Vnusquisque hæc cogitans, & qui dicendi habet facultatem, & qui pecunias possidet, nempe quod res domini sunt ei creditæ, & nō sunt suæ: eas non apud se teneat, neque sibi adscribat, sed Deo acceptas ferat qui omnia donauit. Vis videre fideles dispensatores, audi quid dicat Petrus. Quid nos defixis oculis aspicitis, tanquam qui nostra virtute & pietate fecerimus hunc ambulare? Cornelio quoque dicebat, Nos quoque similibus obnoxij perturbationib⁹ homines sumus. Et Christo, Ecce dimisimus omnia, & secuti sumus te. Porro autem Paulus quoque cum dixisset se plusquā ipsos omnes laborasse, subiunxit: Nō ego, sed gratia Dei mecum. Iam verò alibi quoque ad ipsos verba dirigēs, dicebat, Quid enim habes quod nō accepisti? Nihil enim habes tuum, non pecunias, non orationem, non ipsam animam. Nam ipsa quoque est domini. Quando igitur opus fuerit & vocarit necessitas, eā deponere. Sin autem vitæ teneris amore, & iussus deponere, cōtradicis, non es vtiq̄ fidelis dispensator, & quomodo licet Deo vocante resistere? Nam ego quoque hoc dico, & propter hoc ipsum admiror Dei benignitatem, quodque potest à te vel inuito accipere, ea non vult te inuito inferri, ut etiam mercedem habeas. Vt pote potest animam te inuito accipere, sed vult te volente, ut dicas cum Paulo, Quotidie morior. Potest gloriam tuam te inuito auferre, & te reddere humilem & abiectum: sed vult à te volente, ut habeas remunerationem. Potest te etiam nolentem facere pauperem: sed vult te tua sponte fieri talē, ut tibi contexit coronas. Vidisti Dei benignitatem: vidisti nostram socordiam & ignauiam. Ad magnam peruenisti auctoritatem, & aliquando ecclesiasticā affectus es administrationem? ne ingentes sumas spiritus. Non tu acquisuisti gloriā, sed Deus ea te induit. Parce ergo tanquam alienæ, ea non abutens, neque vtens ad ea quæ non decet, neque intumescens, neque eam tibi vendicans: sed existima te esse pauperem & inglorium. Neque enim si purpura regia tibi seruāda esset tradita, oporteret abuti veste, & eam corrumpere: sed ei qui illam dedit conseruare diligenter. Dicendi facultatem accepisti? noli inflari nec insolecere. Tum enim nō est donum. Ne sis ingratus & immemor in iis quæ sunt domini, sed ea distribue conseruis: & neque iis efferaris tanquam propriis, neque parcas ut non distribuas. Et si filios habes, à Deo habes. Si sic existimes; & habens,

Christi sumus tanquam opus.

CAP. III.

AA. 3.

Ibid. 10. Mat. 19. Infrā 15.

Hic infr.

Domini sunt omnia quæ habemus.

Quæ Deus donauit, sunt distribuenda conseruis.

gratias ages: & si iis priuatus fueris, non dolebis. Talis erat Iob, dicens, Dominus dedit, dominus abstulit. Omnia enim habemus quæ sunt Christi, & hoc ipsum quod sumus, per ipsum habemus, & vitam, & respirationem, & lucem, & aërem, & terram, & si quid ex iis excluderit, perimus & interimus: inquilini enim sumus & aduenæ. Hoc autem meum & hoc tuū, sunt nuda solum verba, in rebus autem non consistunt, etenim si domum dixeris esse tuam, est verbum à re desertum. Nam & aër, & terra, & materia sunt opificis. Sed & tu ipse qui eam construxisti, & alia omnia. Si tuus autem est vsus, is quoque est incertus, non propter mortem solum, sed etiam ante mortem, propterea quod res sunt caducæ & instabiles. Hæc ergo apud nos assiduè describentes philosophemur: & duo quæ sunt maxima lucrabimur. Grati enim erimus, & dum habemus, & dum à nobis auferuntur: & non feruimus iis quæ præterfluunt, & non sunt nostra. Nam etsi pecunias acceperit, suas sumpsit: & si honorem, si gloriam, si corpus, & ipsam animam, si filium tuum acceperit, non tuum accepit filium, sed suum seruum. Nō enim effinxisti, sed ille eum fecit. Tu eius accessui administer fuisisti, ipse autē totum est operatus. Gratias ergo agamus quod digni habiti sumus qui rei essemus administri. Sed quid volebas? eumne habere perpetuò? Hoc rursus est ingrati, & nesciētis quod alienum habeas, & non proprium. Quomodo ergo qui promptè alicunde recedunt, sciunt se sua non habere: ita qui dolent, sibi vsurpant ea quæ sunt Regis. Nam si nos non sumus nostri ipsorum: quomodo illi erunt nostri? Duplici enim ratione sumus eius, & ratione creationis, & ratione fidei. Propterea dicit Dauid. Substantia mea apud te est. Paulus quoque dicit, in eo viuimus, & mouemur, & sumus. & de verbo fidei tractans dicit. Non estis vestri, sed empti estis pretio. Omnia enim sunt Dei. Quādo ergo vocauerit, & voluerit accipere, ne sicut ingrati serui vitemus reddere rationem: ne ea quæ sunt domini nobis attribuamus. Anima tua nō est tua: & quomodo tuæ sunt pecuniæ? Quomodo ergo quæ non sunt tua consumis in iis in quibus non oportet? Nescis nos propterea esse accusandos, quod eis malè vsi sumus? Quoniam autem nō sunt nostra, sed domini, oportebat ea impendere in cōseruos. Accusatus quidem certè fuit ille diues quod hoc non fecisset, & qui non nutrierunt dominum. Ne dicas ergo, ego de meis consumo, meis fruor, & ex iis voluptate me expleo. Non ex tuis, sed ex alienis. Alienis autem dico, quoniam tu vis. Nam Deus vult esse tua, quæ pro fratribus tibi sunt tradita. Fuit autem tua quæ sunt aliena, si in alios insumpseris. Sin autem in te ipsum profusè insumpseris, quæ tua sunt, sunt aliena. Nam quoniam eis vsus es crudeliter, & dicis æquum esse ut eis solum ad tuas fruaris delicias, propterea ea dico aliena. Tua enim, sunt etiam conseruorum communia, sicut sol est communis, & aër, & terra, & alia omnia. Quemadmodum in corpore, est & totius corporis, & vniuscuiusque membri ministerium. Quando autem fuerit vnitis solius membri, etiam propriam perdit operationem. Ita etiam in pecuniis accidit. Et ut quod dico fiat apertius: Nutrimētum corporis, quod est commune, datum membrīs, si ad vnum venerit membrum, de cætero fit alienum. Nam cum non potuerit concoqui & nutrire, ab illo quoque factum est alienum. Sin autē factum fuerit commune, & illius & omniū est proprium. Ita etiam in pecuniis, si tu solus eis fruaris, tu quoque perdidisti: neque enim mercedem accipies. Sin autem cum aliis possederis, tunc magis erunt tuæ; & tunc ex eis capies vtilitatem. Non vides quod & manus ministrant, & os comminuit, & vter capiat. Num dicit ven-

Iob. 1.

Filius non effingitur à patre, sed fit à Deo.

Psal. 8. Aq. 17. Infr. 6.

Pecuniæ in conseruos distribuendæ.

ter, Quoniam accepi, debeo totum detinere? Neque tu ergo hoc dicas in pecuniis. Eius enim qui accipit est impertiri. Quomodo ergo ventris est vitium, cibos detinere & non distribuere (nā toti corpori affert exitium) ita etiam diuitum est vitium, id quod habent apud se detinere, hoc enim & seipsum perdit & alios. Oculus rursus totam accipit lucem, sed non ideo ipse eam detinet solus, sed totum omnino corpus illuminat. Non enim ea est eius natura vt apud se detineat, donec fuerit oculus. Nares rursus bonos sentiunt odores, sed non eos solā detinent: sed ad cerebrum transmittunt, & stomachum collocant in boni odoris perceptione, & per se totum hominem recreant. Pedes soli ingrediuntur, sed non se solum transferunt, sed etiam totum corpus transmouent. Ita tu quoque ne quod tibi traditum fuerit solus detineas. Omnino enim tibi ante alios afferes exitium. Non in membris autem solum videris hoc fieri. Etenim faber ferrarius si neminem vellet sua arte impertiri, & seipsum, & alias euertret artes. Sutor similiter, agricola, pistitor, & vnusquisque ex iis qui vitā necessaria exercent studia, si nullum alium velit arte sua impertiri, non solum alios, sed se quoque cum aliis perdit. Et quid dico diuites? Nā & pauperes, si vestro, qui plura quā alij habere vultis, & diuites estis, vitio vti vellent, vos maximē laderent, & citō vos facerēt pauperes: imō perderent, si iis qui opus habent nolent sua impertiri, vt pote agricola suam manuū operationem, nauta suam nauigandi peritiam, miles suā in bellis virtutem. Quamobrem si nihil aliud, hoc quidem reueremini, & beneuolum illorum animum imitemini. Neminem tuis impertiris diuitiis: ergo nec tu quidquam ab alio acceperis. Si autē hoc fuerit, euertentur omnia. Semper enim dare & accipere est initium multorum bonorum, in seminibus, in discipulis, in artibus. Nā si quis voluerit artem apud se retinere, & se, & totam euertit vitam: & agricola si domi infossa seruet semina, grauissimam efficiet famem. Ita etiam diues si hoc fecerit in pecuniis, ante pauperes seipsum perimet, suam gehennā flammam in caput suum extruens. Quomodo ergo doctores & magistri, etiam si multos habeant discipulos, artem suam vnique impertiant: ita etiam tu acquire multos à te beneficio affectos, & dicāt omnes: Hunc aut illum liberauit à paupertate, & istum à periculis, & ille periisset, nisi post Dei gratiam tuam opem sensisset & patrocinium: & quod illum à morbo curaueris, alium à calumnia liberaueris, alium, cum esset peregrinus, hospitio exceperis: alium, cum esset nudus, vestieris. Innumerabilibus diuitiis & multis thesauris meliora verba, omnes multo magis ad se conuertunt quā aurea vestes, & equi, & mancipia. Nam illa quidem efficiunt vt videatur molestus & grauis, & odio habeatur tanquam communis inimicus: hæc autē tanquam communem patrem prædicant, & de omnibus bene meritum. & quod est omnium maximum, Dei beneuolentia tuas semper sequitur actiones. Dicat ergo ille, Meam filiam collocauit in matrimonium: alius, effecit vt meus filius in virotum numerum referretur: & alius, me in calamitate subleuauit: & alius, liberauit à periculis. Hæc verba sunt coronis aureis meliora, habere in ciuitate innumerabiles præcones suæ benignitatis. Hæc voces sunt voce præconum, qui magistratus præcedunt, longè suauiores & iucundiores, vocari seruatore, benefactorē, patronum, quæ Dei sunt nomina: non autem appellari auarum, superbum & insolentem, insatiabilem, tenacemque sordidū & illiberalem. Ne rogo vllum horum verborum appetamus, sed contraria. Si enim hæc dicta in terris reddunt tam præclarum & illustre: cum ea scripta fuerint in cælis, & in die

Ventris est vitium cibos nō distribuere.

Oculus totū corpus illuminat.

Dare & accipere est initium multorum bonorum.

Verba meliora quibus diuitiis.

futuro Deus ea proclamauerit, cogita quantam afferis claritatem, & quantum splendorem. Quem datur omnibus nobis consequi gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi. Cui cum patre &c.

ORATIO XI.



Mihi autem pro minimo est vt à vobis diudicem, aut ab humano die. Sed neque meipsum diudico. Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum. Cum aliis malis, nescio quomodo humanam naturam subit morbus superuacaneæ indagatōis & importunæ curiositatis. Quem Christus quoque castigauit, dicens, Non iudicetis, vt non iudicemini. Quod quidem nullam habet voluptatem, vt cetera peccata: sed solum penam & supplicium. Etenim cum ipsi sumus repleti malis innumerabilibus, & trabes feramus in oculis, peccatorum vicini quæ à festuca nihil differunt, exacti sumus examinatores. Sicut etiā accidit Corinthi: viros enim pios & Deo charos comicè ludificabatur & eiiciebant propter imperitiam: eos autem qui erant pleni malis innumerabilibus, magni aestimabatur propter eloquentiam. Deinde præidentes tanquam iudices, temere tales ferrebant sententias, Iste est magni pretij, hic est illo præstantior, & iste est illi inferior, & ille est hoc melior: & mittentes sua mala lugere erant aliorum iudices: & hac ratione rursus grauiam committebant bella. Paulus ergo hunc morbum tollens, vide quā prudenter eos corrigat. Nam postquā dixit, *Hic iam queritur inter disputatores vt fidelis quis inueniatur*, & videbatur eis dare aditum ad iudicandam & examinandam vnusquisque vitam, hoc autem immittebat seditionem: ne hoc eis accideret, abduxit eos ab huiusmodi altercatione, dicens, *Mihi autem pro minimo est vt à vobis diudicem*. Rursus in sua persona profert id quod dicitur. Quid est autē, Mihi autem pro minimo est vt à vobis diudicem, aut ab humano die? Meipsum indignū, inquit, iudico vt à vobis iudicem. Et quid dico à vobis? Neque à quouis alio. Nemo autem arrogantiæ arguat Paulum, si nullum hominem dicat esse dignum qui de eo ferat sententiam. Nam primū quidem non propter seipsum hoc dicit, sed alios volens eripere ab eorum inimicitij. Deinde nec ad Corinthios vsque rem fecit sistere, sed etiam seipsum ab hoc amouit iudicio, dicens, de iis sententiam ferre maius esse quā vt in mentem eius cadat: subiunxit itaque, *Neque meipsum diudico*. Præter hæc autem quæ dicta sunt, causa est examinanda, propter quā hæc dicebantur. Nam multis in locis scit etiam loqui magnificè. Hoc autem non est fastus, neque arrogantia, sed optimæ dispensationis. Nam nunc quoque nō ipse se effertens, sed alios reprimens hæc dicit, & studēs sanctis dare auctoritatem. Nam quod esset valde humilis, audi quid dicat, inimicorum testimoniū de eo afferens in medium. Præsentia quidem corporis infirma, & sermo cōtemptibilis. Et rursus: Nouissimè autē omnium, tanquā abortiuo visus est & mihi. Sed tamen iste humilis, vocante occasione, vide quomodo discipulorū spiritus sustulerit: non fastū docens, sed sanos indens spiritus & rectam animi elationē. Cum iis enim ipsi loquēs dicebat: Et si in vobis iudicatur mundus, indigni estis minimis iudiciis. Quomodo enim ab arrogantia remotum oportet esse Christianū, ita etiam ab assentatione, & ab illiberali animi elatione. Neque enim si quispiam dicit, Pecunias nihil esse existimo, sed præsentia omnia sunt mihi vmbra, & somnium, & ludibria puerorū, arrogantia eum accusabimus. Nam Solomonē quoque sic insimulabimus arrogantia, qui de eis philosophatur & dicit, Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Sed ab

Arrogantia est, existimare se ceteris meliorem.

Iustificatus est, non sicut qui nullus est sibi conscius.

Non est semper in dicendum, etiam si peccata sint manifesta. Rom. 14.

vt nomine arrogantia appellemus philosophiam. Non est ergo arrogantia hæc despiciere, sed animi magnitudo. Atqui videmus & reges, & principes, & eos qui magistratus gerunt, ea tenere & amplecti. Sed mendicis philosophans, sæpe ea despicit: & non propterea dicemus eum esse arrogantem, sed magni & excelsi animi. Sicut nec eum qui ea valde tenet & amplectitur, humilem & modestum, sed imbecillum, pusillique & abiecti animi, & illiberalem. Etenim si quis filius ea quidē quæ ad patrem pertinent despiceret, quæ sunt autem seruorum admiraretur, non tanquam humilem eum laudaremus, sed tanquam illiberalem & seruilem vituperaremus: admiraremur autem eum qui illa despicit, & paterna magni aestimat: est enim arrogantia existimare se esse ceteris meliorem. Sed eam quæ verè est de rebus ferre sententiam, non est arrogantia, sed philosophia. Propterea Paulus quoque non seipsum extollēs, sed alios humilians, & exurgentes comprimens, & persuadens modeste se gerant, dicebat: *Mihi autem pro minimo est vt à vobis diudicem, aut ab humano die*. Vides quomodo illos quoque curauerit. Nam qui audierit quod omnes similiter despiciat, & à nullo æquum censeat iudicari, minimè dolebit tanquā ipse solus eiecetus. Nam si dixisset, A vobis tantum, & siluisset, hoc satis fuisset ad eos mordendos, vt qui fuissent despecti. Nūc autem eo quod subiunxerit, Neque ab humano die, plagæ medicamentū exhibuit, vt qui eis dederit socios contemptōis. Sed ipse hoc quoque medicatur, dicens, *Sed neque meipsum diudico*. Vide quemadmodum hoc, quod dictum est, non sit arrogantia. Neque enim seipsum dicit iustificare ad hoc accurate & exactè præstandum. Deinde quoniam hoc quoque verbum videbatur esse valde elati, id quoque correxit, dicens, *Sed non in hoc iustificatus sum*. Quid ergo, an non oportet & se & peccata iudicare? Maximè quidē, inquit, oportet hoc facere quādo peccamus. Sed Paulus hoc nō dixit. *Nihil mihi conscius sum*, inquit, quod nā ergo peccatum esset iudicaturus, cum nihil esset sibi conscius? Ille autē non dicit se esse iustificatū. Qui ergo habemus conscientiam mille vnlueribus plenam, & nullius boni nobis sumus cōscij, sed totum contrariū, quid dixerimus? Et quānam ob causam, si sibi nihil fuit conscius, non fuit iustificatus? Quoniam contingebat vt ab ipso quædam peccata essent admissa, neque tamen ipse sciret hæc esse peccata. Hinc considera & reputa quā erit exactū & accuratū futurū iudiciū. Non ergo vt qui existimaret in se nullam cadere reprehensionē, se indignum esse censeat qui ab illis iudicetur, sed ora eorum obstruens qui hæc faciunt absque ratione. Alibi, ne si sint quidem peccata manifesta, permittit aliis iudicare, quoniam tēpus hoc postulabat. Quid enim, inquit, iudicas fratrem tuum? Aut cur tu etiam fratrem tuum nihili facis? Non enim tibi o homo, mandatū est vt alios iudices, sed vt tua examines. Cur domini partes arripis? Illius est iudicare, non tuum. Quamobrem subiunxit: *Itaque nolite ante tempus iudicare: quoad vsque veniat dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo*. Quid ergo, nō oportet doctores & magistros hoc facere? Oportet quidē in peccatis manifestis, & de quibus constat, idque in tempore conuenienti: cum tunc doleant mordeanturque & ægrè ferant: non sicut isti tunc faciebant ob inanem gloriam & arrogantia. Hic enim non dicit de peccatis de quibus constat, sed de eo quod hunc vel illum isti aut alteri præferrent, & eorum vitæ facerent cōparationes. Is enim solus scit ea exactè & accuratè iudicare, qui est nostra secreta iudicaturus, quænam maius & quænam minus merentur supplicij & honorem: nos autem ea

iudicamus vt se res repræsentarit. Si enim in iis, inquit, in quibus ipse peccauit nihil apertè noui, quomodo fuerim dignus qui pro illis feram sententiam? Quomodo autem qui mea exactè & accuratè nescio, aliena potero iudicare? Si hoc autē Paulo vsu veniebat, multo magis nobis. Hæc enim dicebat, nō vt se ostenderet nulli affinnē esse reprehensionem, sed vt ostenderet quod & si quis esset apud eos talis qui non peccasset, ne is quidem dignus esset qui vitam aliorum iudicaret: & quod si is qui sibi nihil est conscius, se dicit esse reum, multo magis ij qui sibi sunt conscij rerum innumerabiliū. Cum sic ergo obstruxisset ora eorum, qui talia faciebant iudicia, deinceps animi impetu crumpens enititur aggredi fornicatorem: & quomodo ingruente tēpestate præcurrunt nubes atræ & tenebricosa, deinde postquam fuerit factus tonitruum fragor ac strepitus, & cœlum vna nubes fecerit, tunc in terram frequens simul ac densa repentè erumpit pluuia. Ita etiam tunc accidit. Nā cum posset cum multa indignatione agere in fornicatorem terribilibus verbis prius comprimit eius tumore: quoniam duplex erat peccatum quod contigerat, nempe & fornicatio, & quod peius est fornicatione, non lugere pro delicto quod admiserat. Nō enim adeo lugeat eū qui peccarat, vt eum qui peccarat, & nō tactus erat penitentia. Lugebo enim, inquit, multos, non eorum qui prius peccarunt solummodo, sed eorū qui penitentiam non egerunt de impudicitia & immunditia quam fecerant. Nā qui postquā peccauit vsus est penitentia, non est dignus qui lugeatur sed qui beetur, vt qui migrarit in locum iustorū. Dic enim, inquit, prior tuas iniquitates, vt iustificeris. Si autē postquam peccauit est impudens, non est tam miserabilis eo quod ceciderit, quā quod iaceat cum ceciderit. Si autem graue est propter peccata non penitere, propter peccata intumescere quantū meretur supplicium? Nam si is qui propter reuē facta extollitur, est immundus: qui propter peccata extollitur, quānam veniam consequetur? Quoniam ergo erat eiusmodi is qui fuerat fornicatus, & adeo impudentem ac periuacacem per peccatum reddiderat animam, necessariū eius fastum prius deicit: & neque prius ponit crimē, ne ipse prius exuat pudorem, vt qui accusetur ante alios: neque posterius, ne existimaret de se agi tanquā in transitu & aliud agendo: sed cum prius ei multum inmisisset timorem ex dicēdi libertate qua vitur in alios, tunc ad ipsum tendit, in aliis increpādis prius labefaciens eius arrogantiam. Ipsa enim verba, Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, & illud, Qui me iudicat dominus est, qui illuminabit abscondita tenebrarū, & manifestabit consilia cordium, non leuiter & eum, & eos qui illi applaudebant, sanctos autem nihili pendebant, tangit. Quid enim, inquit, si extrinsecus aliqui apparent boni & virtute præditi & admirandi? Non externa iudicat ille iudex, sed etiam arcana adducit in medium. Duabus ergo vel tribus potius de causis, nostrū non est accuratum & exactum iudicium. Vna quidem, quod etiam si nullius rei sumus nobis conscij, opus tamen habemus eo qui accuratè & exactè nostra arguat peccata. Altera autē, quod nos plura latent ex iis quæ fiunt, & absconduntur: & hoc ante omnia, quod multa ex iis quæ fiunt ab aliis, nobis quidē videntur bona, non fiunt autē ex recta animi sententia. Quid ergo dicitis, Iste aut ille nihil peccauit, & hic isto est melior? Hoc enim nō licet pronunciare, ne de illo quidem qui sibi nihil est conscius. Qui enim iudicat secreta, ille est qui exactè & accuratè iudicat. Ecce ergo, Ego nihil mihi conscius sum: sed ne sic quidem iustificatus sum. Hoc est, non sum liberatus quominus sim obnoxius reddendæ rationi & reus cri-

1. Cor. 12.

Iudicium nostrum cur nō sit exactū & accuratū.

Rom. 6.

Multa bona saepe sunt, sed non bene.

Dei oculi somno non laborans videt omnia.

Eccle. 23.

Libidine occaecata anima nihil videt.

minum. Non enim hoc dicit, se non esse in ordine & numero iustorum, sed non esse mundum à peccato. Nam dicit alibi. Qui autem est mortuus iustificatus est à peccato, hoc est liberatus. Porro autem multa quoque bona quidem facimus, sed non ex recta animi sententia. Multos enim laudamus non illos volentes ornare & praeclaros reddere, sed per illos alios mordere: & quod sit quidem, bonum est: laudatur enim qui recte facit: est autem corrupta animi sententia: fit enim ex mente Satanica. Hoc enim saepe fecit quispiam non fratri gratulans & de eo letans, sed alium ferire desiderans. Rursus quispiam magnum admisit peccatum: alius quispiam eum vuls supplantare, dicit eum nihil fecisse, consolatur eum peccantem, confugiens ad id quod est commune naturae. Sed hoc saepe facit, non volens ignoscere, sed segniores reddere & foeciores. Rursum saepe increpat, non ut arguat & adimoncat, sed ut proximi peccatum publice proferat & traducat. Cōsilia autem ipsa homines quidem non norunt: scit autem is qui exacte scrutatur corda, & omnia illa producet in mediū. Et ideo dicebat, *Qui illuminabit occulta tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Quando ergo etiam dū nobis nihil sumus conscij, non possumus esse mundi à criminationibus: & in quibus boni aliquid agimus id non recta agimus animi sententia, cogita quantū homines fallantur in iudiciis. Hec omnia non possunt quidem homines assequi: sed solus oculus qui somno nō laborat: & si homines deceperimus, nunquam illum fallemus. Ne dicas, Circuncirca sunt tenebrae, & parietes, quis me videt? Nam qui sigillatim finxit corda nostra, ipse scit omnia. Nam tenebrae apud eum non obscurabuntur. Recte autem dicit peccator, Circuncirca sunt tenebrae & parietes. Nam si tenebrae non essent in mente, non eiecto Dei timore, securē & intrepidē ageret. Nam si non sit obtenebrata principatum tenens facultas animae, non potest cum securitate ac licentia ingredi peccatum. Ne dicas igitur, Quis me videt? Est enim qui penetrat vsq; ad animam & spiritum, compagēsq; & medullas. Sed tu teipsum non vides, nec potes nubem discernere. Sed tanquam sis vndiq; muro cinctus, potes cœlū suspicere. Quōdnam enim peccatū vis prius examinemus, & id videbis sic fieri. Quomodo enim latrones & murorū effossores, quando volunt aliquid pretiosum capere, lucerna extincta hoc agunt: ita etiam in peccatibus facit corrupta ratio. Est enim in nobis perpetuo ardens lumen rationis: & si spiritus nequitiae vehementer cum magno impetu irruens flammam illam extinxerit, animam statim obducit tenebris, expugnatque & protinus spoliat & diripit quae sunt recondita. Quando enim ab impudica libidine capta fuerit anima, sicut nubes & caligo corporis oculos, ita cum illa praecupparit mentis prospiciendi facultatem, nullum sinit videre vterius, non praecipitium, non gehennam, non timorem: sed ab illius insidiarum occupata tyrannide, deinceps facile potest expugnari à peccato: & tanquam fenestris carēs paries ante oculos excitatus, non sinit radium iustitiae menti illucescere, absurdus libidinis cogitationibus ipsum vndiq; arcentibus. & tūc de cætero illi occurrit mulier meretrix, ante oculos, & mentem, & cogitationes stans & apparens. Et quomodo qui sunt orbatī oculis, si vel in fixo meridie steterint sub medio cœli, lucem non suscipiunt, cum sint clausi eorum oculi: ita isti quoq; etiam si innumeraabilia vndique insonent salutaria dogmata, illorum anima hoc morbo praecupata, omnibus eiusmodi verbis aures obstruunt. Sciunt autem ij qui illud recte sunt experti. Absit autem ut nos id sciamus ex ipsa experientia. Non ipsum autem solum hoc facit peccatum, sed etiam o-

mnis amor prauus. Transferam enim, si videretur, orationem à muliere meretrice ad pecunias, & videbimus hic quoque densas & continuas tenebras. Nam illic quidem cum sit vna quae amatur, & vno loco inclusa, non est morbus adeo vehemens. In pecuniis autem quae vbiq; apparent, in argenti cudēdi officinis, in diversis foris, in aurificinis in diuitum aedibus, spirat amor vehemens. Quando enim viderit quispiam hoc morbo laborans in foro pueros superbē & insolenter incedentes, equos ephippiis aureis instratos, homines magnificis & sumptuosis vestibus ornatos, multae offunduntur tenebrae. Et quid opus est dicere aedes, & argenti cudendi officinas? ego enim existimo eos qui sunt huiusmodi, si vel in pictura, vel in imagine viderint diuitias, discerpi, efferari, & rabie agitari, adeo vt vndique eos circumdant tenebrae. Nam & si regiam aspexerint imaginem, non admirantur gemmarum pulchritudine, neque aurum, neque vestem purpuream, sed liquefcunt: & sicut infelix ille amator, si mulieris quam amat cōspicatus fuerit imaginem, rei inanimae haeret affixus: ita etiam iste videns inanimam diuitiarum imaginem, eo morbo longē magis afficitur, ut qui magis tyrannica teneatur affectione: etiam cum oportet vel domi manere, vel si in forum veniat, innumerabilibus plagis acceptis domum reuertit: multa enim sunt quae illius oculos dolore afficiunt. Et quomodo ille nihil aliud videt quam mulierem, ita iste quoque pauperes quidem & alia omnia praeterit, vt ne consolationem quidem accipiat: in diuites autem defigit oculos, ex illorum aspectu magnum & vehementem ignem inducens in suam animam: est enim ignis qui vehementer exedit eum, qui in ipsum incidit: & si gehennae minae non fuissent intentatae, neque suppliciorum, ipsae res praesentes essent supplicium, assidue torqueri, nec inuenire finem morbi, & haec vel sola sufficerent ad persuadendum fugendam esse aegritudinem. Sed nihil est peius amentia, quae efficit vt affigamur rebus, quae angorem animi, iucris autem nihil afferunt. Quamobrem rogo vt incipientem animi morbum extingatis. Quomodo enim febris in initio quidem accedens non admodum siti adurit aegrotantes: cum autem creuerit & flammam excitarit, tunc sitim efficit immedicabilem: & si quis eis concesserit vt se potu expleant, non extinguit, sed accedit fornicem: ita etiam in hoc morbo accidit, si ab initio animam nostram eum subeuntem non prohibeamus, neque ostia claudamus ingressus, de cætero iis qui ipsum susceperūt, immedicabilem efficit aegritudinem. Nam & bona & mala, cum diutius in nobis manserint, sūt validiora. Porro autem in aliis quoq; omnibus hoc videris contingere. Nā planta quidem terrae recēs infra, facile euellitur: non ita si longo tempore egerit radices, sed ad eam emouendam multo veete opus est: & recēs quidem compactum aedificium facile euertitur ab iis qui ipsum agitant: recte autem compactum exhibet multum negocij iis qui ipsum conantur diruere: & fera quae longo tempore in locis aliquibus lubenter habitauit, difficiliter expellitur. Iis ergo quos morbus nondum inuasit, suadeo & rogo ne capiantur, est enim facilius cauere ne in eum incidat, quam cum incidit, recedere: iis autem quos inuasit & correptos afflixit, si velint se vero medico tradere, magnam & Dei gratia spem salutis polliceor. Nam si eos qui affecti fuerunt, in morbum inciderunt, & conualuerunt, cogitauerint, bonā spem habebunt fore vt à morbo liberentur. Quis ergo incidit in hunc morbum, & ab eo facile est liberatus? Zacchaeus ille. Quid enim publicano pecuniae potest esse auidius? Sed repente factus est philosophus, & totum extinxit incendium. Similiter Mattheus. Nam

348

A morbo auaritiae volenti curari quid agendum.

A. 2.

Plutus, id est diuitiarum, seruis fugitiuus & ingratus.

349

Nam is quoque erat publicanus, viuens in perpetua rapina. Sed is quoque repente noxiam exuit, & sitim extinxit, & spiritualem aggressus est negotiationem. Hos ergo & his similes mente versans, nec tu desperaueris. Nam si velis, poteris citò conualescere: & si velis, ritu medicorum ea quoque quae sunt agenda tibi referemus. Oportet ergo ante omnia in illo te recte gerere, vt neq; animum despondeas, neque desperes de tua salute. Deinde non solum eorum qui se recte gesserunt exempla, sed etiam quae ij qui permanserunt perpeffi sunt, inspicere. Quomodo enim Zacchaeum & Mattheum mente cogitauerint, ita etiam Iudam oportet reputare, & Giezi, & Achaz, & Ananiam, & Sapphiram. Vt per illos quidem eiiciamus desperationem: per hos autem excindamus foecordiam. Neque sit supinus animus ad admonitionem eorum quae referuntur: & nos ipsos crudiamus dicere ea quae ad Petrum accedentes dicebant Iudaei: Quid ergo oportet facere vt salui simus? & audiant quanam facere oporteat. Quid ergo oportet facere? Scire quàm res sint viles & abiectae, & quod Plutus, ita enim Graecè dicuntur diuitiae, sit seruus fugitiuus & ingratus, & qui ipsum habent, iniicit in mala innumerabilia, & eiusmodi verba eis assidue decātemus: & quomodo medici eos qui laborant, petentes frigidam consolantur, dicentes se praebituros, non dandi autem praetextum & excusationem afferunt, & fontem, & vas, & tempus, & multa huiusmodi. Nam si repente à furore respuerint, efficiunt vt ipsi sint efferati: Ita nos quoque faciamus in auaros & pecuniae cupidos, cum dixerint, Volumus ditari, ne dicamus protinus, Mala sunt diuitiae: sed assentiamur, & dicamus, Nos quoque hoc volumus, sed in tempore conuenienti, sed veras diuitias, sed quae habent voluptates immortales: sed quae colliguntur, & non aliis, saepe autem etiam inimicis: & de philosophia rationes in medium adducamus, & dicamus, Nō iubemus non ditari, sed non malē ditari. Licet enim ditari, sed absq; auaritia & cum damno aliorum plura habendi cupiditate, absq; rapina & violentia, & absq; eo quod ab omnibus malē audias: & eiusmodi verbis eos prius lenientes, nondum loquamur de gehenna. nam qui aegrotat, non protinus talia verba tolerat. Quamobrem ex praesentibus de his omnia verba faciamus, & dicamus, Quid vis ex auaritia & plura habendi cupiditate ditescere? Vt aliis quidem recondatur aurum & argentum, tibi autem innumerae imprecationes & criminationes: & vt qui fuit quidem priuatus, mordeatur ab indigentia rerum necessariarum, ciuletq; & lamentetur, & tibi innumerae attrahat accusatores, & cum aduenerit vespera forum obeat, in angiportis omnes conueniens, dubiusq; & anxius, & ne nocti quidem audens confidere. Quomodo enim iam dormierit, quem mordet venter, qui vigilat & quem obsidet fames, cum saepe sit gelu, & cadāt imbres? Et tu quidem ex balneo lotus redis, mollibus vestimentis amictus a lacris & latus, & currens ad lautam & opiparam paratam coenam? Ille autem vbiq; in foro à frigore & fame assidue vexatus, circuit incuruatus, & manus protendēs, & ne sine metu quidem audens satiatio & refectio verba proferre pro alimēto necessario: saepe autem etiā probris & contumeliis affectus recedit. Quando igitur domum redieris, & in cubili recubueris, quando in aedibus fuerit lux splendida, cum parata fuerit mensa lauta & cibus lautis referta, tunc recordare miseri & infelicis illius, qui non secus atque canes circuit in angiportis, & tenebris, & luto, & saepe illinc abit, nō domum, neque in cubile, sed in torum ex foeco stratum, sicut videmus canes tota nocte latrantes. Et tu quidem

si videris pariam guttam, è tecto delapsam, totā eucritis domum, famulos appellans, mouens omnia. Ille autem iacens in pannis foeno & luto, omnem patitur algorem. Quanam ergo fera his rebus non frangitur? Quisnam adeo saeuus & inhumanus vt his non mitigetur? Sed sunt nonnulli qui eò venerunt crudelitatis, vt dicant eos digna pati. Nam cum oporteret misereri & lacrymari, & calamitatem simul subleuare & soluere, illi verò crudeliter & inhumaniter eos accusant. Quos lubenter interrogarem, Quanam de causa digna dicquāso patiuntur? Quoniam ali volūt, & non fame confici? Nequaquam, inquit, sed quoniam alūtur, cum sint otiosi: tu autem non in otio degens indulgens genio, & vacas deliciis? Quid verò an non saepe operaris opus omni otio grauius, vt qui rapias, vim afferas, & vt plura habeas, alium fraudes? melius esset si tu quoque te huic dederes otio. Sic enim ociari est melius, quàm vt plura habeas, alium fraudare? Nunc autem alienis quoque insultas miseris & calamitatibus, nō solum in otio degens, neque solum exercens operationem otio grauiorem, sed eos quoque accusans qui versantur in miseris. Eis quoque narremus aliorum calamitates, immaturas orbitates, eos qui degunt in carcere & vinculis: eos qui discerpuntur in iudiciis, eos qui sibi de vita timent, inopinatas mulierum viduitates, frequentes diuitum mutationes, & hoc metu eorum animum molliamus. In iis enim quae de aliis narantur, eis persuadebimus. Nam cum audierit, exempli causa, filius erat illius auari & rapacis: vxor illius qui multa fecit tyrannica, post mortem coniugis mala passa est innumerabilia, iis qui iniuria affecti fuerint in vxorem & filios irruentibus: & communi bello vndique excitato cōtra illius domum, etiam si omnium maximē nullo sit sensu praeditus, ipse quoque expectans fore vt eadem patiat, & de rebus suis timens ne eadem eis accidant, erit modestior. Multis autem eiusmodi narrationibus plena est omnis nostra vita, nec deerit nobis huiusmodi correctio. Quando autem haec dicemus, ne dicamus tanquam suadentes, neque tanquam consulentes, ne sit molesta oratio, sed tanquam narrationem: & ex alia consequētia semper venientes ad haec dicenda: & eos assidue iniiciētes in has narrationes, non concedentes vt alia quàm haec loquantur, quomodo illius domus, cum esset clara & illustris, corruerit: quomodo sit deserta, adeo vt quaecunque erant in ea, in aliorum manus venerint: quàm multa quotidie iudicia de his facultatibus sunt constituta. Quàm multi ex illius famulis, alij quidem medicantes, alij verò in carcere sunt mortui. & hoc dicamus tanquam eius qui excessit miserentes, & tanquam praesentia despicientes: vt & metu & misericordia immitē eius animum mitigemus ac molliamus. Et quando his narrationibus eos viderimus repressos ac coercitos, tūc de gehenna sermonem inferamus: non tanquam eos torrentes, sed tanquam aliorum moti misericordia, & dicamus, Et quid dicere oportet praesentia? Neque enim ad haec vltique sistēt nostra, sed eos qui sunt tales, grauius excipiet supplicium, & fluuius ignis, & vermis venenosus, & tenebrae quae nō desinent, & supplicia immortalia. Si his narrationibus eos incantemus, & nos ipsos & illos corrigemus, & ab aegritudine citò liberabimus. Quemadmodum Paulus quoque dicit: *Et tunc laus vniuscuiusque erit à Deo.* Nam laus quae est apud homines, & diffluit, & saepe nō à bono animo proficiscitur. Quae est autem à Deo, & manet perpetuo, & manifeste resplendet. Nam quando qui scit omnia antiquam orientur, & ab omni animi perturbatione liber iudicatur, tunc indubitata & citra vllam controuersiam est virtutis demonstratio. Cum haec ergo sciamus, ta-

Otiosi diuites aegrotant quod alūtur pauperes otiosi.

1. Cor. 4.

Laus quae est apud homines diffluit.

lia faciamus ut à Deo laudemur, & bona maxima consequamur. Quæ nobis detur assequi gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi.

ORATIO XII.



*H*æc autem fratres, transfiguravi in me & Apollo, ut in nobis discatis non supra quam scriptum est de se sentire. Quamvis quidem opus fuit verbis grauibus & molestis, scenam non aperuit, sed perinde atque si ipse esset

qui hæc audiret, ita differuit: ut personarum quæ accusabantur auctoritas obsistens accusantibus, non permitteret ex criminibus ad iram commoueri. Cum autem oporteret ea de cætero dimittere, tunc ea exuta, & ablata persona, ostendit personas quæ erant abscon-
 scæ in Pauli & Apollo appellatione. Et idem dicebat, *Hæc autem, fratres, transfiguravi in me & Apollo.* & sicut in ægrotantibus, quando infans qui laborat ægri-
 tudine, ferit calcibus, & auerfatur cibos qui offeruntur à medicis, patre aut pædagogo accersito qui assideat, eos iubent à medici manibus acceptos præbere: ut & ob illorum timorem accipiant & quiescant. Ita etiam Paulus cum pro aliis esset accusaturus, illis quidem, ut qui iniuria afficerentur: his verò ut qui supra modum essent honorati, ipsas quidem non posuit personas, in sui autem & Apollo appellatione adhibuit orationem, ut eos reuerentes acciperent medicinam. Postquam autem acceperunt, tunc demum eos aperuit pro quibus hæc dicebat. erant autem hæc non simulatio & hypocrisis, sed sui ad eorum captum demissio, & certo consilio instituta dispensatio. Nam si aperte dixisset, Vos autem viros sanctos iudicatis & admirabiles, id & ægrè tulissent, & resiliissent. Nunc autem cum dixisset, mihi autem pro minimo est ut à vobis diiudicer, & rursus, *Quis est autem Paulus, quis Apollo,* effecit ut accepta esset oratio. Propterea dixit, *Hæc in me transfiguravi, ut in nobis discatis non supra quam scriptum est de se sentire.* Ostendens quod si in illis verba fecisset, non didicissent quæ discere oportebat, neque susceperunt correctionem, ægreferebant quæ dicebantur. Nunc autem Paulum reuerentes, facile tulerunt increpationem. Quid est autem illud, *Non supra quam scriptum est de se sentire.* Scriptum est, *Quid vides festucam in oculo fratris tui, quæ in tuo autem est oculo trabem non animaduertis? & Nolite iudicare, ut non iudicemini.* Nam si vnum sumus & inter nos inuicem colligati, non oporteret nos inter nos insurgere. Nam qui se humiliat, inquit, exaltabitur: & qui vult esse primus omnium, fiat omnium minister. Hæc sunt quæ scripta sunt, *Ne vnus pro vno inflatur aduersus alterum.* Rursus dimissis doctoribus ac magistris increpat discipulos: illi enim erant qui eos extollabant. Alioqui autem principes non facile eam admisissent orationem, propterea quod externam gloriam concupiscerent, erant enim animi perturbatione occæcati. Ipsi autem gloria non fruantes, sed eam aliis præbentes, etiam facilius tulissent admonitionem, & ad morbum soluendum aptiores fuissent quam principes. Num etiam est hoc inflationis, pro aliis extolli, etiam si in rebus suis hoc alicui non accidat? Quomodo enim qui ob alienas effertur & insolefcit diuitias, id facit ex arrogantia, ita etiam qui ob gloriam alterius. Rectè autem appellauit inflationem. Quando enim membrum vnum insurrexit, nihil est aliud quam phlegmone seu inflammatio & morbus. Non enim fit aliter aliud membrum alio altius, quam quando fuerit œdema seu tumor. Ita etiam in corpore ecclesie, qui inflam-

352
 matur & inflatur, is est qui morbo laborat, tumet enim super communem symmetriam. Hoc enim est œdema seu tumor. Ita etiam fit in corpore. Quando adulterinus aliquis & prauus humor affluxerit, non autem solitum alimentum: ita nascitur arrogantia ex subeuntibus alienis cogitationibus. Et vide quam proprie dixerit, *Inflati estis.* Nam quod est inflatum, habet tumorem spiritus, repletum humore corrupto. Hæc autem dicit, non excindens curationem, sed eam quæ est ad alterius malum curationem. Vis istum aut illum curare? non veto, sed non ad dolorem alterius. Non enim ut nos inter nos structa acie configamus, dati sunt nobis doctores, sed ut omnes inter nos coniungamur. Idem enim exercitui præficatur dux exercitus, ut eos qui sunt separati efficiat vnum corpus. Si exercitum autem est diuulsurus, hostis magis quam ducis exercitus locum est impleturus. *Quis enim te discernit? Quid enim habes quod non accepisti?* Deinceps dimissis iis qui parent aliorum imperio, conuertitur ad principes & eos qui imperant: Hoc est autè quod dicit. Vnde constat quod sis dignus qui lauderis? Factumne est iudicium? Præcessit ne examinatio, probatio, exactaque & accurata inquisitio? Sed non potes hoc dicere. Si autem homines ferunt sententiam: sed non est rectum eorum iudicium. Ponamus autem te esse dignum laudibus, & verè habere gratiam, nec esse corruptum hominum iudicium. Nam ne sic quidem oporteret te efferre & superbire. Nihil enim habes domo allatum, sed à Deo acceptum. Quid ergo te habere præ te fers quod non habes? At tu hoc habes, & alij tecum. Acceptum ergo habes, non hoc aut illud, sed omnia quæ habes. Non enim tua sunt hæc rectè facta, sed Dei gratia. Etiam si fidem dicas, ea extitit ex vocatione. & si dicas remissionem peccatorum, si dona ac charismata, si docendi rationem, omnia inde accepisti. Quid ergo habes, inquit, quod non habes acceptum? At ipse ex te ipso rectè egisti. Non potes hoc dicere, sed accepisti: & propterea te efferre & tibi places? Propter id ipsum verò oportebat te intra fines modestiæ continere. Non enim tuum est quod datum est, sed eius qui dedit. Si enim accepisti, ab illo accepisti. Si autem non tuum accepisti, quid magnificè ac præclare de te sentis tanquam habens tuum? Et idem subiunxit, *Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis.* Cum ex concursu & concessione confirmasset orationem, ostendit eos multis opus habere: & dicit, *Et si maximè omnia accepissetis, non oporteret gloriari: nihil est enim vestrum, nunc autem multa vobis desunt.* Et in initio quidem hoc tacite innuit, dicens, *Non potui vobis loqui tanquam spiritualibus.* & Non iudicavi me aliquid scire inter vos nisi Iesum Christum, eumque crucifixum. Hic autè pudore eos afficiendo hoc facit, dicens, *Iam satiati estis, iam diuites facti estis.* Hoc est, De cætero nulla re indigetis: perfecti euastis: ipsum tenetis fastigium: vos nullius rei egestate laborare existimatis: neque Apostolorum, neque doctorum. Et rectè illud, *Iam, ex tempore ostendens esse improbabile quod dicunt, & esse à ratione alienam eorum opinionem.* Quamobrem eos irridens dicebat, *Tam citò ad finem peruenistis: quod quidem fieri non poterat propter tempus.* Nam quæ sunt perfectiora manent in futuro. Paucis enim saturari est animi imbecillitas. Paucis existimare se ditari, est naufragantis & miseri. Infatiabilis enim res est pietas: & mentis est puerilis arbitrari se totum accepisse: & cum ne sit quidem in proccæciis, se efferre & magnificè de se sentire, tanquam finem apprehenderit. Deinde per ea quoque quæ sequuntur, pudore magis afficit. Nam cum dixisset, *Iam saturati estis, subiunxit, Iam diuites facti estis.*

estis. *Sine nobis regnauestis: & vnam regnauestis, ut & nos vobiscum regnaremus.* Multa grauitate plena est oratio. Et idem post multam increpationem eam induxit vltimam. Ita enim & honesta & ad suscipiendum facilis est adhortatio, quando post reprehensionem inferuntur verba quæ pudorem incutiunt. Hoc enim sufficit ad impudentem animum cohibendum, & ad magis ferendum in manifestis reprehensionibus, & ad corrigendum dolorem & impudentiam futuram ex accusatione. Quod orationum autem pudorem in reprehendendo incutientium est maximè admirabile, hoc est: quod duo habeant contraria, & grauiorem præbent sectionem quam manifesta criminatio, & efficiunt ut qui arguitur, dum grauius secatur, magis fortiter toleret. *Sine nobis regnauestis.* Hic magna est emphasis, & aduersus doctores, & aduersus discipulos. Ostenditur autem & quam nullius sint conscientia, & quanta sit eorum stultitia. Hoc est enim quod dicit: Nam in laboribus quidem, inquit, sunt omnia nobis & vobis communia. In præmiis autem & coronis vos primi. Sed non doleo hæc dicens, & idem subiunxit, *Et vnam regnauestis.* Deinde ne videretur esse quædam ironia, subiunxit, *Ut nos quoque vobiscum regnaremus.* Nam nos quoque, inquit, ea bona essemus consecuti. Vidisti quomodo simul ostendat & grauitatem & quam gerit curam, & mentem philosophicam? Vidisti quemadmodum factum deprimit? *Puto enim quod Deus nos Apostolos nouissimos ostendit tanquam morti destinatos.* Magnam rursus emphasim & grauitatem ostendit dicendo, *Nos.* Neque hoc fuit contentus, sed subiunxit etiam auctoritatem, valde eos tangens: *Nos Apostolos,* qui mala patimur innumerabilia, qui seminamus prædicationem veritatis, qui vos ad hanc ducimus philosophiam. *Ostendit seu fecit vltimos, tanquam morti destinatos:* Hoc est, reos & damnatos. Postquam enim dixit, *Ut & nos vobiscum regnaremus, & sermo relaxauit vehementiam: ne eos frangeret & eneruaret, id ipsum rursus assumit cum maiori animi grauitate, & dicit, Puto enim quod Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos seu obnoxios.* Nam ut video, inquit, etiam ex iis quæ vos dicitis, nos sumus omnium abiectionissimi & maximè infames, & condemnati, & ad malè patiendum sumus semper expositi. Vos autem iam regnum, & honores, & præmia visione apprehenditis. Volens autem ad maiorem absurditatem deducere orationem, & ostendens eam summè improbabilem, non dixit, *Nos absolutè sumus nouissimi: sed Deus nos fecit nouissimos.* Neque satis habuit dixisse nouissimos, sed addidit, & morti destinatos, ut vel qui est valde fatuus intelligeret quam non sint ea quæ dicta sunt probabilia: & quod ea essent valde dolentis, & eos pudore valde afficientis. Vide autem Pauli prudentiam: ex quibus cum sit tempus seipsum extollit, virumque honestū ac præclarum se ostendit, & magnum facit: ex iis illis pudorem nunc incutit, seipsum vocans reum & condemnatum. Tanta res est congruo & conuenienti tempore omnia facere. Morti autem destinatos hic vocat condemnatos, & qui varia ac multiplici sunt morte digni. *Quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.* Quid est, spectaculum facti sumus mundo. Non in vno angulo, neque in parua parte orbis habitabilis hæc, inquit, patimur: sed vbique, & apud omnes. Quid est autè, *Et Angelis?* Licet hominibus quidem esse spectaculum, nequaquam autem Angelis, quando vilia & abiecta sunt quæ fiunt. Nostræ autem luctæ & certamina sunt eiusmodi, ut digna sint quæ spectentur ab Angelis. Vide ex quibus se vilem & abiectum facit, quemadmodum rursus ex iis magnum se ostendit: ex quibus autem illi

Chrysof. tom. 4.

A se magnificè efferunt, quemadmodum viles & abiectos pronunciat. Quoniã enim stultos esse quam videri prudentes, & imbecillos esse quam fortes, & infames esse quam claros & illustres, videbatur esse vilius & abiectius; (& hæc quidem in illos est cõiectura, illa verò ipse accipit) ostendit quod hæc sunt illis meliora: si quidem propter hæc non solum homines, sed ipsum etiã populū Angelorū ad suum conuertit spectaculum. Non enim aduersus homines solum, sed etiã aduersus potestates incorporeas est nobis colluctatio: propterea magnum sedet theatrum. *Nos stulti propter Christum: vos autem prudentes in Christo.* Rursus hoc quoque dicit ad incutiendū pudorem, ostendens facile posse fieri, ut hæc cõtraria contingant: & fieri non posse ut in iisdem conueniant quæ tantum inter se distant. Quomodo enim fieri potest, inquit, ut vos quidem sitis prudentes, nos autem stulti in iis quæ sunt Christi? Nam quoniam verberabantur, & despiciabantur, & probris afficiebantur, & nihil esse existimabantur: illi autem honore afficiebantur, & esse sapientes & intelligentes apud multos existimabatur, propterea hæc dicit, *Quomodo fieri potest ut qui hæc prædicet, existimentur esse in iis quæ sunt cõtraria? Nos infirmi, vos autè fortes.* Hoc est, Nos angimur & persecutionem patimur: vos autem securi in otio & in magna rerū quæ ad vitam pertinent abundantia viuistis. Sed id non patitur natura prædicationis. *Vos nobiles, nos autem ignobiles.* Hic ad nobiles dirigit orationem, & quibus ingentes faciunt spiritus res externæ. *Nos usque in hæc horam esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cedimur, & instabiles sumus, & laborantes operamur manibus nostris.* Hoc est, non narro res veteres, sed quibus tēpus præsens fert testimonium. Rerū enim humanarum à nobis nulla habetur ratio, neque externi splendoris, sed ad Deum solum aspiciamus. Quod nos quoque semper facere necesse est. Non solum enim nos spectat Angeli, sed etiã ante illos, is qui proponit præmia certaminis. Non egemus itaque aliis laudatoribus. Hoc enim est illū afficere contumelia, quando eum tanquam qui ad admirandū non sufficiat prætereuntes, ad cõseruos tēdimus. Quomodo enim qui in paruo decertant theatro, magnū quærunt, utpote quod illud non sufficiat ad ostentationem: ita etiam qui decertat in Dei oculis, & deinde laudem quærunt ab hominibus, maiorem dimittentes, & minorem concupiscentes, ad se magnum attrahunt supplicium. Hoc ergo sūscque deque facit omnia: hoc vniuersum orbem terræ conturbat, quod ad homines aspicientes omnia agimus, & in bonis nihil esse ducimus quod habeamus Deū admiratorem, sed à consensu requirimus famam & bonam existimationem. Et in contrariis, eorursus despecto, homines formidamus. Atqui ipsi nobiscum stabūt pro illo tribunali, nihil nos iuantis: Deus autem quem nunc despiciamus, ipse feret sententiã. Sed tamen cum hæc sciamus, ad homines adhuc ore aperto inhiamus, quod quidem est primum peccatum: & præfente quidem homine nemo voluerit scortari: sed etiam si millies malo vratur, vincitur tyrannis vitij ac perturbationis à pudore hominū: Deo autem videte non solum adulterium admittunt & scortantur, sed etiam alia multò grauiora multi admittunt & ausi sunt & audent. Hoc ergo solum an non sufficit ad mille cœlo deiicienda fulmina? Et quid dico adulteria & stupra? Nam quæ his quidem sunt multò minora, veremur facere coram hominibus: Deo autem non itidem. Propterea omnia orta sunt mala, quod in iis quæ sunt adeo mala, non Deum sed homines reueremur. Propterea etiam quæ verè sunt bona, cum multis non videantur esse talia, fugimus: non rerum examinantes naturam, sed ad vulgi aspicientes opinionem. Et in malis itidem affecti, rursus

Laudis non est quærenda ab hominibus, sed à Deo.

Tempore cõuenienti omnia facere res est magna.

Non rerū
examina-
tur natu-
ra, sed
vulgi a-
spicitur
opinio.

Populus
est noster
dominus,
& imma-
nis tyran-
nus.

quædam quæ non sunt bona, & vulgo videntur esse bona, tanquam bona perfequimur ex eadem consuetudine: quo fit vt vtrinque intereant. Fortasse multis videtur esse quod dictum est obscurius. Necessè est ergo ea dicere apertius. Quædo scortamur (oportet enim incipere ab iis quæ dicta sunt) homines magis timemus quàm Deum. Quoniam ergo sic nos eis subiecimus, & ipsos dominos nostros fecimus, multa his dominis videntur esse bona quæ non sunt, & alia videtur esse mala quæ non sunt mala: & illa rursus fugimus similiter. Vt viuere in paupertate multis videtur esse turpe: & fugimus paupertatem, non quoniam res est turpis, nec quoniam hoc nobis sit persuasum: sed quoniam dominis nostris hoc videtur esse turpe, & illos timemus. Rursus ignominia affici & contemptui haberi, & nullam habere potestatem, vulgo videtur esse turpe, probrosum, & vile admodum & abiectum: hoc rursus fugimus, non id damnantes, sed propter dominorum nostrorum sententiam. Rursus è contrario idem malum patimur. Diuitem enim esse, videtur esse bonum, & fastus, & gloria, & suspici & haberi in admiratione. Hoc autem rursus perfequimur, ne hîc quidem rerum naturam esse bonam speculati, sed id persuasum habentes à dominorum nostrorum opinione. Dominus enim noster est populus: & multa turba sæuus est dominus, & immanis tyrannus. Neque enim ei opus est vt mandata à nobis audiantur: sed satis est tantum vt sciamus quid velit: & absque vlllo mandato cedimus, tanta est nostra in eum beneuolentia. Et Deus quidem quotidie nobis minitans & nos admonens, non auditur. Turba autem multa incompota & incondita, & quæ est veluti quædam fex aut quiescens, ne mandato quidem opus habet: sed sufficit solum ostendere quænam ei placeant: & statim in omnibus obedimus. Et quomodo, inquit, effugerit quispiam hos dominos? si maiores quàm licet eorum concipiat spiritus: si rerum inspiciat naturam: si vulgi condemnet sententiam. Si ante alia omnia, in rebus turpibus erudiat seipsum, non extimescere homines, sed oculum qui non obdormiscit: & in bonis rursus ab illo querat coronas. Sic enim neque in aliis eos sustinebimus. Qui enim, quando se rectè gerit, ne illos quidem censet dignos qui bonas suas norint actiones, sed contentus est Dei sententia, ne in contrariis quidem ipsorum vllam habeat rationem. Et quomodo, inquit, hoc erit? Cogita quid sit quidem Deus, quid autem homo, & quo dimisso ad quem confugas. & citò vniuersum corriges. Homo eidem peccato cui tu, est obnoxius, & iudicio, & supplicio. Homo vanitati similis factus est: neque iustum habet iudicium, & eget superna correctione. Homo est terra & cinis. Et si sepe laudauerit, planè laudabit, aut ad gratiam, aut ex odio: & si criminetur rursus, & accuset, id eodem facit animo. Sed non sic Deus. Sed reprehendi nõ potest eius sententia, & purum est eius iudicium: & propterea oportet semper ad eum confugere. Non solum autem propter hæc: sed quòd & ipse te creauit, & omniũ maximè tibi parcat, & te magis diligit quàm tu ipse. Quid ergo mittentes eum habere laudatorem, ad hominem confugimus, qui nihil est, qui temerè & inconsideratè facit omnia. Dicit te improbrum & sceleratum cum non sis talis? Ea ratione eius magis misere, & eum desce quòd interierit: & contemne eius gloriam: occæcati enim sunt eius oculi. Nam hæc quoque audierant Apostoli, & irridebant eos qui ipsos calumniabantur. At te vocat bonum & honestum? Si talis quidem sis, ne propterea extollaris à gloria. Si non sis autem talis, magis despice, & existima rem esse ridiculam. Vis scire quàm sint corrupta vulgi iudicia, in-

tilia & ridicula, & quòd alia quidem sunt hominum infanorum & emoræ mentis: alia autem infantium laetentium, audi. Ego tibi ab alto dicam repetita iudicia, non populi solum, sed etiam sapientissimorum qui ab initio esse videbantur legislatorum. Quis enim vulgo videri potuerit esse sapientior eo qui dignus est habitus qui leges ferret ciuitatibus & populis? Sed tamen his sapientibus non videtur esse malum scortari, neque peccatum mereri. Nulla certè lex externa id punit, neque trahit in iudicium: sed & si pro iis traxerit, vulgus irridet, neque fert iudex. Rursus alea ludere, est apud eos liberum à supplicio, neque apud eos pro his quisquam dedit pœnas. Inebriari & helluari, non solum non est crimen, sed etiam præclarum esse facinus vulgo est existimatum, & in cœnis militaribus de eo acerrimè contenditur: & qui maximè egent sana mente & robusto corpore, ij maximè sunt dediti tyrannidi, temulentia, & corpus eneuantes, & animæ tenebras offundentes. Neque hoc peccatum vllus puniit legislator. Quid peius est hac infania? A sic ergo affectis hominibus cupis laudari? & non te abscondis? Nam & si omnes qui sunt eiusmodi te admirarentur, non te oporteret erubescere, & præ pudore vultum tegere, quòd tibi applauderent homines qui sunt adeò deprauato & corrupto iudicio? Rursus blasphemia legislatoribus non videtur quidquam terribile. Nullus quidem certè qui Deum blasphemarit, tractus est in iudicium, & dedit pœnas. Sed si vestem quidem sit quispiam suffuratus, aut crumenam secuerit, & latera ei lacerantur, & sæpe morte afficitur. Qui autem Deum blasphemat, non infimulatur vllius criminis ab externis legislatoribus. Et si ancilla quispiam vitium attulerit, qui habet vxorem, nihil esse videtur externis legibus, neque vulgo. Vis etiam alia rursus audire quæ eorũ ostendunt amentiam. Nam hæc quidem non puniunt: alia autem ipsi quoque legibus statuunt. Quænam autem sunt illa? Theatra congregant, & meretricum choros illic inducentes, & pueros scortantes, & qui iniuria ipsam afficiunt naturam, totum populum in loco superiore faciunt cõsiderare. Sic ciuitatem recreantes: sic magnos reges, quos semper propter trophæa & victorias admirantur, coronantes. Atqui quid est hoc honore frigidius? Quid voluptate illa iniucundius? Ex his ergo quæris factorum tuorum laudatores? & cum saltatoribus, mollibus, & mimis, & meretricibus, vis dic quæso, laudari? Et quomodo non fuerint hæc extremæ amentia? lubenter enim eos rogarem. Estne graue & indignum leges naturæ euertere, & illicitos & nefarios inducere concubitus? Omnes dicent esse graue & indignum. Videntur quidem certè hoc quoque punire flagitium. Quid ergo illos inducis cinædos & exoletos? Neque solum inducis, sed etiam innumerabilibus & ineffabilibus honoras muneribus: alibi eos qui talia audent puniens: hîc autem tantquam de republica bene meritis & pecuniis infumis, & publicis impensis eos alis. At sunt, inquit, infames. Quid ergo eos crudis? Cur per infames reges honoras? Cur ciuitates enecas? Cur autem in eos tam multa impendis? Nam si sunt infames, infames oporteret expelli. Nam cur eos fecisti infames? An vt laudans, an vt qui eos condemnaueris? Vt qui condemnans scilicet. Deinde vt qui condemnaris quidem, eos facis infames: curris autem eos visurus tanquam qui sint honesti bonæque famæ & existimationis, & admiraris, & laudas, & applaudis. Quid opus est dicere fraudes & imposturas quæ sunt in equorum curriculis: & quæ in pugnis ferarum. Sunt enim illa omnia plena stuporis & dementia. Docent assidue habere populum misericordem, sæuum & inhumanum & exercent ad-

In fucos
mulierũ
inuolutur.

videndum homines discerpi ac dilaniari, effluere sanguinem, & ferarum crudelitatem omnia confundere. Hos autem omnes morbos ab initio induxerunt sapientes illi legislatores: plauduntque & admirantur ciuitates. Sed si vis, iis dimissis, quæ est perspicuum & constat esse absurda, neque tamen sic est visum externis legislatoribus, veniamus ad honesta & præclara præcepta, videbis ea quoque deprauata esse & corrupta à vulgi opinione. Nam matrimonium & nobis & externis videtur esse honorabile: & est honorabile. Sed cum celebratur nuptia, tot sunt res ridiculæ quot statim audietis. Nam multi à consuetudine occupati & decepti, ne earum quidem discernunt absurditatem, sed egent aliis qui doceant. Nam & choreæ, & cymbala, & tibia, verbaque & cantica turpia, temulentiaque & comestiones ac ludificationes, & multa diaboli farrago tunc inuehitur. Et scio quidem quòd hæc reprehendens multis videbor esse ridiculus, & vulgo stolidus existimabor qui veteres leges trãsmoueam. Nam sicut prius dixi, cõsuetudinis magna est deceptio. Non cessabo tamen hæc dicere. Fortè enim fortè, etsi non omnes, pauci tamen nos lubenter excipient, & malent nobiscum irrideri, quàm cum illis nos ridere risu digno lacrymis multisque pœnis ac suppliciis. Quomodo enim non fuerit hoc summè condemnandum, virginem quæ perpetuo vixerat in thalamo, & ab incunte ætate didicerat verecundiam, repente cogere simul omnem effundere pudorem, & ab exordio matrimonij docere impudentiam, & viris petulantibus & impudicis, scortatoribusque & mollibus eam in medium adducere? Quòdnam enim malum illo die non inferetur sponsæ? Impudentia, audacia, inuerecundia, indecoræ amor gloriæ. Volent enim omnes dies habere his similes. Hinc sunt mulieres profusæ & sumptuosæ: hinc impudentes: hinc mala illis innumerabilia. Neque mihi dicas consuetudinem. Nam si res quidem est mala, ne semel quidem fiat: si autem bona, semper fiat. Nam dic mihi, Scortari non est malum? Concedemus ne ergo hoc semel fieri? Nequaquam. Quare? Quoniam etsi semel tantum fiat, malum est similiter. Quamobrem sic quidem oblectari sponsam, si est quidem malum, ne semel quidem fiat. Si autem non est malum, semper fiat. Cur ergo, inquit, de nuptiis detrahis? Absit, non sum adeò infans, sed ea quæ malè attrahuntur ad nuptias, nempe attrita pigmenta & fucos, & quidquid est in eis curiosum & superfluum. Nam ab illo die multos accipiet amatores, etiam ante eum qui cum ipsa est habitaturus. At multi propter speciem admirabuntur mulierem. Et quid tum? Nam si sit pudica, vix effugiet suspicionem. Si autem eius nulla geratur cura, citò capietur, ex illo die accepta occasione libidinis. Sed tamen cum tot sint mala, quando hæc non facta fuerint, contumeliam rem appellant qui pecoribus nihilo sunt meliores, & indignantur si non vulgo appareat mulier, nec exhibeatur videntibus commune spectaculum. Atque ea quæ sunt oporteret existimare contumeliam, & rem ridiculam, & comœdiam. Nam nunc quoque scio fore vt multi me arguant amentia, & irrideant. Sed patiar irrideri, dum lucri aliquid acceperit. Essem enim ridiculus, si cum suadeam vulgi gloriam despiciere, ipse ante alios eo morbo laborarem. Vide quæ hinc sequuntur. Non solum interdiu, sed etiam vesperi viros ebrios & crapula grauatos, & à voluptate & deliciis incensos, qui se parant ad videndam pulchritudinem vultus virginis: & nõ domi, sed per forum traducunt ad ostentationem, cum lampadibus eam profunda vespera deducunt, vt eam omnibus ostendant: per ea quæ faciunt nihil aliud suadentes, quàm vt de cætero omnem

Chrysof. tom. 4.

exuant pudorem: & nec hætenus sistunt, sed cum verbis turpibus eam ducunt. Hæc quoque vulgò lex est. Fugitiui, & mastigia, & perniciosi homines securè & cum summa licentia dicunt quæ volunt, & in sponsam, & in eum qui est cum illa habitaturus: & nihil quidem honestum, omnia autem turpia, probroque plena & dedecore: bonam autem temperantia & moderationis doctrinam non habebit sponsa, quæ hæc audit & videt. Et est quædam diabolica contentio eorum qui hæc suadent, vt alij alios superent, probrorum, ac turpium verborum gloriosa prolotione, per quæ eos qui conueniunt probro afficiunt ac dedecore: & illi victoria parta recedunt, qui plura probra & maiores congesterunt turpitudines. Scio quidem me esse grauem, importunum & molestum, vt qui vitæ quendam amputem voluptatem. Nam propterea lugeo, quòd quæ sunt iniucunda, videatur esse quædam voluptas. Quomodo enim dic quæso non est iniucundum, cõtumelia & maledictio affici, ab omnibus cum sponsa dedecore & ignominia notari? Et si quispiam quidem ex foro tuæ coniugi maledixerit, lites & iurgia moues innumerabilia, & vitam non existimas esse vitalem: tota autem ciuitate præsentè probro & ignominia cum futura coniuge appetitus, lætatis & exultas. quantæ hæc sunt infania? Sed ea res, inquit, est vsurpata consuetudine. Propterea est maximè lugendum, quòd rem consuetudine conclusit diabolus. Nam quoniam res honesta est matrimonium, & nostrum genus constat ac constituit, & causa est multorum bonorum, dolore punctus ille malignus, & sciens munitum esse propugnaculum aduersus scortationem, aliter scortationem inducit vniuersam. Nam in his quidem certè conuentibus multæ virgines etiam dedecore sunt affectæ. Si autem non semper, interim tamen dæmoni illa verba sufficiunt, & improba illa cantica: & sponsam traduxisse, & sponsum transfuxisse per forum. Deinde quoniam hæc sunt vesperi, vt ne tenebræ quidem his malis velũ obtendant, multæ inferuntur lampades, quæ non sinunt latere turpitudinem. Quid enim sibi vult multa turba? Quid verò ebrietas? Quid fistula? An non est perspicuum hæc fieri, vt ne ij quidem qui sunt in ædibus, & graui somno obruantur hæc ignorent: sed à fistula excitati, & supernè ex fenestris despicientes, sint testes illius comœdiæ. Quid dixeris de ipsis canticis quæ sunt plena omni impudicitia, & amoris prauos, & concubitus illegitimos ac nefarios, & domorum euersiones, & tragœdias inducunt innumerabiles, & frequens habet nomen amici & amantis, & amicæ & dilectæ, & quod est omnium grauissimum, eis adsunt virgines, omni exuto pudore, ad sponsæ honorem, vel potius ignominiam, & suę tendentes salutis, & inter impudicos adolescentes, incompotis lasciuientes & indecorè se gerentes cantilenis, verbisque turpibus, & satanica consonantia. Et adhuc me rogas, vnde sint adulteria, vnde nam stupra, vnde matrimoniorum corruptiones? At non hæc, inquit, faciunt ingenuæ & honestæ. Quomodo ergo me irrides, cum ipse hanc legem ante me scias. Nam si sunt bona & honesta quæ sunt, sine illas quoque hæc facere. Num enim quoniam in paupertate vitam agunt, non ipsæ quoque sunt virgines: & ipsas quoque gerere oportet curam continentia ac pudicitia? Nunc autem saltat virgo in communi teatro iuuenum impudicorum, & non tibi videtur esse magis infamis quàm meretrix? Sin autem dicis, Hæc faciunt ancillæ: ne sic quidem te absoluo à reprehensione. neque enim eis oportebat permitti. Omnia enim mala ex his oriuntur, quòd familia nullam habemus rationem. Sed ad despiciendum satis est dicere, Est seruus, & sunt ancillæ: licet

Licentia
omnia dicendi in
sponsam.

Cantica
impudica
in nuptiis.

Galat. 3. & Colof. 3.

In nominatione infantis superstitio.

Amuleta viruperatur.

Luti in fronte pueri illi superstitio.

Deus Christinum vnguento honorauit.

Infr. 11.

quotidie audiamus, in Christo Iesu non est seruus, nec liber. Tu autem equum quidem non despicias, nec asinum, sed nihil non facis ne mali fiant & vitiosi. Seruos autem despicias qui sicut tu sunt animati. Et quid dico seruos, cum filios quoque despicias, & filias? Quid autem postea? Necessè est vt statim subeat tristitia, cum illi omnes pereant & euertantur. Sape autem maximum quoque damnum existere necessè est, cum in turba & multitudine perdantur quaedam pretiosa ex auro monilia. Deinde post matrimonium si natus fuerit infans, hic quoque rursus videbis amentiam. Et cum infantem vocari oportuerit, mittentes eum vocari à sanctis vt veteres primò faciebant, accensis lucernis, & eis nomina imponentes, efficiunt vt ea quæ diutissime durauerit, eodem nomine appelletur quo infans: hinc conicietes futurum vt diu viuat. Deinde cum sæpe contigerit eum mortem subire immaturam, sæpe autem contingit, sequetur multus Diaboli risus, quod eos tanquam stultos pueros sit ludificatus. Quid dixeris de amuletis, & de manu appensis crepiraculis, & stamine coccineo, & de aliis magna repletis stultitia, cum infanti nihil aliud sit adhibendum quam crux ad custodiam? Nunc autem is quidem despectui est habitus qui conuertit totum orbem terrarum, & certum vulnus infixit diabolo, & eius omnem euertit potentiam. Subtegmini autem & stamini, & aliis amuletis creditur pueri tutela & custodia. Dicamque aliquid hoc magis ridiculum: Nemo verò nos accuset importunitatis, si vsque ad ea procedit oratio. Nam qui mundare vult putredinem, non recusabit prius inquinate suas manus. Quidnã ergo est hoc ridiculũ? Quod nihil quidem esse videtur: propterea enim ingemisco: est autem initium desipientiæ & extremæ amentia. Lutum mulieris in balneo accipientes, nutrices & ancillæ, cum digito vnserint, imprimunt in fronte pueri. Et si quis roget quid sibi vult lutum, quid cœnum? Malum, inquit, auertit oculum, fascinoemque & inuidiam. Papæ quanta vis luti, & quanta virtus cœni! tanta quidem vt totam diaboli aciem fundat ac fuget. Non præ pudore vestro vultus regetis? Non tandem diabolicos laqueos aspicietis? Quomodo ab ineunte ætate paulatim suas machinas adhibet diabolus? Nam si hoc efficit lutum, cur in tua quoque fronte hoc non facis, cum sis vir, plenaque & perfecta habitudine, & plures habeas qui tibi inuident quàm infans? Cur non totum quoque corpus luto illinis? Nam si tantam vim habet in fronte, cur non te quoque totum luto inungis? Hæc sunt risus & comœdia satanica, quæ non solum ad irrisionem, sed etiam ad gehennam euertit eos qui decipiuntur. Et quod hæc quidem fiant apud Græcos non est mirum. Quod autem apud eos qui crucem adorant, & sunt mysteriorum arcanorum participes, & tot & tâta philosophantur, hæc vigeat turpitudine, hoc est valde lugendum. Deus te vnguento honorauit: tu autem te probro & dedecore afficis: & cum oporteret fronti crucem imprimere, quæ certam & indubitam præbet tutelam, tu his dimissis ad satanicam derubaris amentiam? Si quibus autem hæc videntur esse parua, discant quod ea sint causæ magnorum malorum: & quod nec Paulo quidem visum sit parua despiciere. Quid enim, dic quæso, minus est, quàm hominem caput operire? Sed vide quantum in ea re ponit studium, & eam cum quanta prohibet vehementia, & multa alia dicens, & quod caput suum dedecorat. Si autem qui caput operit, caput suum dedecorat, qui caput luto inungit, quomodo non infantem reddit abominandum? Quomodo enim eum adducit ad manus sacerdotis? Dic mihi quomodo ro-

gas vt in fronte imponatur signaculum à manu presbyteri, vbi lutum illi uisti? Non hæc faciatis ô fratres: sed ab ineunte ætate cum munite armis spiritualibus: & manu crudite frontem signare: & priusquam possit hoc manu facere, vos ipsi crucem eis imprimite. Quid dixerit quispiam alias satanicas obseruationes quas in enixu & partu mulierum in sui capitis perniciem adhibent obstetrices? qui in morte & vniuersiusque corporis elatione fiunt ciulatus, & à ratione alienæ lamentationes, quæ in sepulchris admittitur stultitia, & circa monumenta studium, importunum & ridiculum præficarum mulierum examen, dierum obseruationes, ingressusque & exitus. Horum tu, dic quæso, venaris gloriam? Et quomodo non est hoc extrema stultitia, hominum mente adeò corruptorum, & temerè omnia agentium gloriam quarere? cum oporteat ad oculum qui semper est insomnis confugere, & ad illius sententiam aspicientes omnia facere & dicere. Nam isti quidem etiam si laudauerint, nihil nos iuuare poterunt. Ille autem si ea quæ fiunt fuerint ei accepta, & hic reddet claros & illustres, & in die futuro impertietur bonis ineffabilibus. Quæ nobis omnibus detur allequi, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum patre, &c.

Oratio decima tertia.



*N*os stulti propter Christum: vos autem prudentes in Christo. Nos infirmi: vos autem fortes. Vos nobiles: nos autem ignobiles. Cum multa grauitate impleisset orationem, quod quidem maiorem infert plagam quàm quauis accusatio, & dixisset, Sine nobis regnauiſtis, & Deus nos ostendit nouissimos, tanquam morti destinatos, per ea quæ deinceps sequuntur, ostendit, Quomodo morti destinatos, dicens: *Nos stulti & infirmi & infames, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cedimus, & incertis vagamur cædibus, & laboramus propriis operantes manibus.* quæ quidem erant iudicia Doctorum, & Apostolorum germanorum. Sed illi efferebantur & inoleſcebant propter contraria, nempe propter sapientiam, propter gloriam, propter diuitias, propterea quod honorabantur. Cum ergo vellet eorum fastum deprimere, & ostendere quod propter hæc non solum non oporteat gloriarì, sed etiam pudore affici, primùm quidem eos ludificatur, dicens, Sine nobis regnauiſtis. Nam ego quidem, inquit, dico præſens tempus non esse honoris, neque gloriæ, quibus vos fruimini, sed persecutionis & contumeliæ, quas nos patimur. Si autem hoc non ita habet, sed remunerationum est tempus, vt video, hoc autem dicit ironicè. Vos quidem discipuli regnauiſtis: nos autem Doctores & Apostoli, & qui ante omnes debemus accipere mercedem, non solum sumus vobis posteriores, sed etiam tanquam morti destinati, hoc est condemnati, perpetuò degimus in ignominia, & periculis, & fame, & contumelia affecti tanquam stulti, & persecutionem ferentes, & longè grauiſſima patientes. Hæc autem dicebat, vt ex iis ipsos quoque faceret intelligere, quod quæ sunt Apostolorum deberent æmulari, pericula, probra & contumelias, non honores & glorias: non enim illa, sed hæc postulat prædicatio. Sed non directè quidem sic dicit, ne iis existat grauis ac molestus. Vt autem eum decebat, sic hanc tractat increpationem. Si enim directè intulisset orationem, sic dixisset. Erratis & fallimini, & longè abestis ab admonitione Apostolica. Oportet enim Apostolum & Christi ministrum videri esse stultum, & degere in afflictione & miseria, quod quidem nos sumus. Vos autem in contrariis. Sed

Ironice aliquando loquitur Paulus, vt minus sit molestus quàm si directè vteretur oratione.

Malè facientes contrarijs remunerantur Christiani.

Mat. 5.

Sed sic hæc magis eos irritassent, vt quæ Apostolorum continerent encomia, & eos effecissent audaciores, vt qui accusarentur & focioriæ & inanis gloriæ & deliciarum. Quamobrem non hac quidem via & ratione persecutus est ea quæ dicta sunt, sed alio modo, qui magis quidem ferit, minus autem est molestus. Quamobrem sic ironicè profert orationem dicens, *Vos autem fortes & nobiles.* Nam si non vsus esset ironia, sic dixisset. Fieri non potest vt iste quidem existimetur stultus, hic verò prudens: & ille quidem fortis, hic verò infirmus. cum vtrunque non postulet prædicatio. Nam si illis quidem liceret hoc esse, his verò illud, aliquam fortè haberent rationem quæ dicuntur à vobis. Nunc autem non licet videri esse prudentem, non præclarum & nobilem: non liberatum esse à periculis. Si minus autem, necesse est vos nobis esse prælatos apud Deum. Vos discipulos magistris & passis innumerabilia. Sin autem ne hoc quidem quisque dixerit, restat vt vos nostra persequamini. *Vsque in hanc horam & esurimus & sitimus, & nudi sumus.* Vides quod oportet esse talem totam Christianorum vitam, non vno aut altero die. Neque enim Athleta si cum semel in lucta vicerit, coronatur cum succubuerit. *Et esurimus.* Aduersus eos qui vitam transigunt in deliciis. *Et colaphis cedimus.* Aduersus eos qui sunt inflati. *Et incertis erramus sedibus expulsi.* Aduersus eos qui sunt diuites. *Et laboramus.* Aduersus pseudoapostolos, qui neque laborare, neque pericula adire sustinent, sed ipsi fructus percipiunt. Sed nos non sic: sed cum externis periculis, nos quoque perpetua exercemus operatione: & quod est his maius, non potest aliquis dicere quod hæc ægrè ferimus: contrariis enim remuneramur eos qui nobis malè faciunt. Nam hoc est magnum, non malè pati (hoc enim est omnium commune,) sed patientes non angere nec ægrè ferre. Nos autem non solum non ægrè ferimus, sed exultamus. Huius autem est indicium, quod qui nobis malè faciunt, eos remuneramur contrariis. Quod autem hæc facerent, audi quæ sequuntur. *Maledictis appetimur, & benedicimus. Persecutionem patimur, & sustinemus. Blasphemamur, & consolamur. Tanquam purgamenta huius mundi facti sumus.* Hoc est, stulti propter Christum. Nam qui est malè passus, & neque vlciſcitur, neque dolet, stultus esse videtur apud externos, & infamis, & infirmus: & ne grauiorem ac molestiorem reddat orationem, ad illorum ciuitatem ea quæ acciderunt reducens quid dicit? *Purgamenta, non ciuitatis vestræ, sed totius mundi facti sumus.* Et rursus, *Peripsema,* non vestram tantum, sed omnium. Quomodo ergo cum de Christi cura loquitur & prouidentia, dimissa terra, cælo, & vniuersa re creata, solam in medio ponit crucem: ita etiam quando vult ad se attrahere, signis prætermisſis, dicit quæ propter ipsos passus est. Ita etiam solemus, quando ab aliquibus iniuria afficimur, & despiciimur, ea quæ pro ipsis passi sumus in medium adducere. *Omnium peripsema vsque adhuc.* Vehementem plagam infixit in sine. Omnium autem, Non eorum, inquit, qui persequuntur, sed eorum propter quos hæc patimur. Magnam gratiam vobis habeo. Est verbum graui ira perciti, non ipso dolente, sed eos volente pungere. Nam qui poterat eis innumerabilia crimina intendere, eos salutat & amplectitur. Propterea Christus quoque nos iubet leuiter ferre contumelias, vt & ipsi philosophemur, & illos pudore magis afficiamus. non enim tam cõtumelia afficiet quàm silens quispiam hoc facit. Deinde quoniam vidit vulnus intolerabile, id statim curauit, dicens, *Non vos pudore afficiens hæc scribo, sed tanquam filios meos dilectos admonens.* Non

tanquam, inquit, vobis pudorem incutiens hæc dico. Quod per verba fecit, id dicit se non fecisse, vel potius se fecisse quidem dicit, sed non mala mente & odio incitata. Hæc est enim optima curatio, cum verbum dixeris, addere quæ ex mente procedit excusationem. Nam non dicere quidem non licebat, quoniam manifestè incorrecti: cum dixisset autem, rursus plagam relinquere incuratam, graue erat & molestum. Quamobrem excusat cum grauitate. Hoc enim non solum eximit incisionem, sed etiam efficit vt subeat interitus consolans vniuersum dolorem. Qui enim audiuit quod non exprobrans sed diligens hoc dicit, magis admittit correctionem. Magna est autem hic quoque grauitas & pudoris suffusio. Non enim dicit, Tanquam doctor ac magister, neque tanquam Apostolus, neque tanquam habens discipulos, quod quidem erat auctoritatis, *sed tanquam filios meos dilectos admonens,* & non solum filios, sed etiam desideratos. Mihi, inquit, ignoscite, si quid grauius dictum est. Hæc fiunt ex dilectione. Non dixit autem, Increpo vel reprehendo, sed admonéo. Quis autem non sustinerit, patre dolente, & quæ opus est consulente? Propterea non hoc prius dixit, sed quando plagam infixit. Quid verò, non parcunt alij vestri doctores, inquit. Non hoc dico: sed non sic parcunt. Sed hoc quidem breuiter non dixit, sed hoc indicauit per studia & nomina, vt qui paedagogum posuerit & patrem. *Nam si multos habeatis paedagogos in Christo, sed non multos patres.* Non hic ostendit auctoritatem, sed exuperantem dilectionem. Neque illos perculit, cum adiecerit, In Christo: sed & eos est consolatus, cum non assentatores, sed paedagogos dixerit eos qui studium ponebant & labores sustinebant: & suam ostendit curam. Non dixit autem, sed non multos doctores, sed non multos patres. Sic noluit suam statuere auctoritatem, neque docere quod multam vtilitatem ab ipso accepissent: sed cum illis concessisset quod multa eis fecisset, res enim eiusmodi est paedagogus, summam sibi reſeruat dilectionem: eiusmodi enim est pater. & non solum dicit neminem eos ita diligere, quod absque vlla cuiusquam reprehensione dici poterat, sed rem quoque factam adducit in medium. Quænam ea est? *Nam in Christo Iesu per euangelium vos genui.* In Christo Iesu. Non mihi hoc imputo. Rursus eos pungit qui sibi laudem doctrinæ tribuebant. Nam vos estis, inquit, signaculum mei Apostolatus. Et rursus, Ego plantaui. & hic, Ego genui, vsus nominibus naturæ. Vnum enim fuit hoc ei studium, vt ostenderet quam in ipsos habet dilectionem. Nam illi quidem cum à me accepissent, vos induxerunt. Vt essent autem fideles, per me factum est. Nam quoniam dixit, Tanquam filios; ne putares verbum esse assentationis, rem quoque adducit. *Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut ego Christi.* Papæ quanta est doctoris fiducia, quàm exacta & perfecta est imago, cum alios quoque ad id exhortetur! Non se autem extollens hoc facit, sed ostendens facilem esse virtutem. Ne mihi enim dixeris, Non possum te imitari. Tu es doctor, & magnus. Non enim tantum inter me & vos interest, quantum inter Christum & me. Sed tamen ego illum sum imitatus. Atque quando ad Ephesios quidem scribit, seipsum non interponit, sed statim omnes illuc inducit, dicens, Estote imitatores Dei. Hic autem quoniam verba faciebat cum imbecillis, seipsum interposuit. Alioqui autem etiam ostendit quod sic quoque Christum licet imitari. Nam qui exactum & accuratum signaculũ est imitatus, imitatus est archetypum. Videmus ergo quemadmodum

Pater dolens & consulens est à filio ferentus.

Infr. 9. Sup. 3.

Virtus est facilis.

Ephes. 5.

Christum vel ex solo auditu licet imitari.

Pauli imago describitur, per singula membra deducta vitæ institutione.

Hic sup. 1

Pauli imago aurea.

Rom. 15.

Esaie 52. Naum. 1. Rom. 10.

Exod. 32. Exod. 25. 36. 37. & Hebr. 9.

ipse Christum est imitatus. Ipsa enim imitatio, non eget tempore, nec arte, sed sola libera animi electione. Nam in statuarius quidem ingressi officinam, non poterimus imitari imaginem, etiam si eam millies viderimus. Huc autem vel ex auditu solo licet imitari. Vultis ergo ut tabula in medium adducta, coram vobis describamus Pauli vite institutionem? Producatur ergo tabula imperatoris imaginibus longe clarior. Subiectum enim non est conglutinati asseres, neque impositi sindones, sed subiectum est, opus Dei. Anima enim est & corpus. Anima Dei opus non hominum: & corpus rursus similiter. Hic plausistis: sed non est hic tempus plausus, sed in iis quæ deinceps sequuntur & plaudendi & æmulandi est tempus. Interim enim est subiecta communis omnibus materia. Anima enim nihil differt ab anima, quatenus est anima: sed liberum eligendi arbitrium ostendit differentiam. Quomodo enim corpus nihil differt a corpore quatenus est corpus: sed simile est & Pauli corpus, & corpus multorum. Pericula autem efficiunt illius corpus præclarior. Ita etiam in anima. Ponatur ergo nobis tabula Pauli anima. Hæc tabula nuper iacebat fuligine obducta, plena telis aranearum: nihil est enim peius blasphemia. Postquam autem venit qui omnia transformat ac transmutat, & vidit eam sic esse depictam non ex ignavia & socordia, sed ex imperitia, & ex eo quod non haberet flores pietatis. Nam zelum quidem habebat: non aderant autem colores. Non enim habebat zelum secundum scientiam, dat ei florem veritatis, hoc est gratiam, & repente regiam effecit imaginem. Cum enim accepisset colores, & didicisset quæ ignorabat, non expectavit tempus, sed protinus euasit artifex optimus. Et primum ostendit caput regium, Christum prædicans. Deinde etiam reliquum corpus, quod est perfectæ vitæ institutionis. Atque pictores quidem & statuarius cum se incluserint, cum magna industria, diligentia & silentio agunt omnia, nemini ostia aperientes. Hic autem tabula in medio orbis terræ proposita, omnibus aduersantibus, tumultuantibus, & perturbantibus, sic hanc regiam faciebat imaginem nec prohibebatur. Et ideo dicebat, Spectaculum facti sumus mundo: in medio terræ, & maris, & cæli, & totius orbis terræ: & mundi tam sensibilis quam eius qui cadit sub intelligentiam, depingens imaginem. Vultis quoque cæteras eius partes videre, quæ a capite sunt decorum: aut vultis ut infernè sursum deducamus orationem? Contemplantur ergo statuam auream, vel potiùs ea pretiosior, & qualem in cælo stare est verisimile: non plumbo vincatam, neque in vno loco positam, sed ab Hierusalem in Illyricum vsque currentem, & in Hispaniam abeuntem, & quæ per totum orbem terræ fertur tanquam alata? Quid enim his pedibus fieri poterit speciosus, qui obierunt vniuersam terram quæ sub sole extenditur? Hanc speciem ex alto quoque Propheta prædicat, dicens: Quam speciosi pedes euangelizantium pacem. Vidisti quomodo sint pulchri pedes. Vis etiam videre pectus? Ades dum, ego hoc quoque tibi ostendam: & videbis id multò splendidius & speciosius pedibus & ipsis pectoribus veteris legislatoris. Moses quidem tabulas gestabat lapideas: ipse autem intrinsecus habebat ipsum Christum: ipsam regiam ferebat imaginem, & propitiatorij. Propterea ipsis Cherubim erat præclarior & magnificentior. Non enim inde talis vox edebatur, qualis hinc. Sed illic quidem plura differebat de sensibus: ex lingua autem Pauli prodibant res quæ cælos superant. Et ex propitiatorio quidem, solis respõsa dabat Iudæis: hinc autem vniuerso orbi terrarum. Et illic quidè per inanima: hic autem per animam virtute præditam. Hoc propitiatorium erat

vel cælo clarius, non resplendens astrorum varietate, neque radiis solaribus, sed habens ipsum cælum iustitiarum, illinc emittens radios. Et hoc quidem cælum nubes subtercurrens reddit tristius. Illud autem pectus nulla eiusmodi nubes subtercurrebat. Imò vero sæpe quidem subtercurrebant multæ tempestates, lucem autem non obscurabant: sed in media tentatione & periculis hæc lux illucescebat. Quamobrem ipse quoque catenis vincetus clamabat, Verbum Dei non est alligatum. Sic semper per linguam illam emittebat radios: & non metus, non periculum pectus illud triste reddebat. Videtur fortasse pectus pedes longo intervallo à tergo relinquere. Sed illi quoque pulchri, ut pedes: & hoc, ut pectus. Vis etiam videre ventrem speciosum? Audi quid de ipso dicit. Si cibus scandalizat fratrem meum, non comedam carnem in æternum. Bonum est carnem non comedere, neque vinum bibere, neque in quo frater tuus offenditur aut scandalizatur, aut est infirmus. Esca ventri, & venter escis. Quid hoc ventre fuerit speciosus, qui sic didicit quiescere, & qui doctus fuit temperantiam, & esurire, & famem pati, & sitire? Sicut enim equus bene compositus habenas habens aureas, ita etiam ipse ingreditur numerosè, mouens necessitatem naturæ. In eo enim ingrediebatur Christus. Eo autem ita sobriè & modestè se gerente, est perspicuum quod etiam omne aliud vitium frangebatur. Vis etiam videre quæ nunc sunt manus? An vis priùs earum spectare scelus? Is ingrediens domos nuper trahebat viros & mulieres, non viri, sed cuiuspiam immanis feræ manus habens. Postquam autem accepit colores veritatis, & spirituales experientiam, non fuerunt ea amplius viri manus, sed spirituales, quotidie vincatæ catenis: & neminem quidem vnquam percusserunt, sed millies sunt percussæ. Has manus fuit aliquando etiam reuerita vitæ: non erant enim amplius manus hominis: propterea nec eas attingit. Vis etiam videre tergum reliquis membris simile? Audi quid de eo quoque dicat: Quinquies quadraginta vna minus accepi à Iudæis. Ter virgis cæsus sum. semel lapidatus sum. ter naufragium feci. nocte & die in profundo maris fui. Sed ne nos quoque in profundum infinitum incidentes multum circumagamus, singula eius membra persequentes, agè à corpore discedetes aliam videamus pulchritudinem, nempe quæ existit ex vestibus, quam demones quoque sunt reueriti. Quamobrem & ipsi fugiebant, & morbi recedebant: & vbiunque apparuisset Paulus, omnia cedebant & ei assurgebant, ut pote quod aduenisset vir totius orbis terrarum fortissimus. & sicut qui in bello multa acceperunt vulnera, si viderint arma eius qui ipsos percussit, horrescunt: ita etiam demones semicinctia solùm videntes, territi abscedebant. Vbi nunc sunt diuites, & qui se effertunt & sibi placent ob diuitias? Vbi sunt qui suas enumerant dignitates, vestesque sumptuosas & pretiosas? Cum his se ipsos conferentes, sua omnia videbunt esse lutum & cœnum. Et quid dico vestes & aurea monilia? Nam si quis mihi daret ut possem obtinere dominatum totius orbis terræ, vnum solum vnquem Pauli existimarem esse fortiosem vniuerso illo regno: omnibus delictis paupertatem, omni gloria ignobilitatem, omnibus diuitiis nuditatem, omni licentia impactos facto illi capiti colaphos, omni diademate quos excepit lapides. Hanc coronam desideremus o dilecti: & si non est persecutio, interim nos ad eam præparemus. Neque enim hic vir erat solùm clarus ex persecutionibus. Dicebat enim, Castigo corpus meum. Hoc autem rectè potest fieri etiam absque persecutione: & admonebat carnis curam non gerere ad concupiscentias. Et

minor perfectione. Inft. 9. Rom. 13. 1. Tim. 5. Ibid. 6.

Deus nihil fecit malum.

Diuites accipiunt à nolentibus.

Et rursus, Habentes alimenta & vestimenta iis contenti simus. Ad hæc enim non opus est persecutionibus. Porro autem diuites quoque castigabat & ad modestiam incitabat, dice ns. Qui volunt esse diuites, incidit in tentationem. Si ergo nos quoque sic nos ipsos exerceamus, ingressi certamen coronabimur: & licet non sit persecutio, pro nobis ipsis multa præmia accipimus. Si autem corpus impingemus, & porcorum vitam agamus, & in pace multa admitemus peccata, & dedecus feremus: Non vides aduersus quos sit nobis colluctatio? Aduersus incorporeas potestates. Quomodo ergo cum simus carnes, eas superabimus? Nã si qui luctatur cum hominibus, opus habet ut parcè & frugaliter viuat: multò magis is qui cum dæmonibus. Quando autem cum carnis abundantia ac pinguedine diuitiis quoque fuerimus alligati, quomodo vincemus aduersarios. Sunt enim vinculum diuitiarum, vinculum graue iis qui eis uti nesciunt, sæuus tyrannus & inhumanus, omnia imperans in perniciem eorum qui seruiunt. Sed si velimus, acerbam hanc tyrannidem de sede deturbabimus, & efficiemus vt nobis cedat non autem imperet. Quomodo ergo hoc fiet? cum diuitias omnibus distribuimus. Quando enim Plutus, id est diuitiarum, fuerit solus aduersus solos, sicut latro quidam in solitudine omnia facit mala. Cum autem in medium adduxerimus, non amplius nos superabit, omnibus cum vndique alligantibus. Et hæc dico, nõ quod peccatum sit habere diuitias: sed peccatum est eas non distribuere pauperibus, & eis malè uti. Nullum enim malum Deus fecit, sed omnia valde bona. Quamobrem bonæ quoque sunt pecuniæ: sed ita demum, si in eas qui possident dominatum non obtineat, & si proximos à paupertate eximant. Neque enim bona est lux illa quæ non delet tenebras, sed eas auget: neque eas dixerim diuitias quæ paupertatem nõ adimunt, sed augent. Nam qui est diues, nõ querit accipere ab aliis, sed aliis opem ferre. Qui autem querit ab aliis accipere, non est amplius diues, sed ipse est pauper. Quamobrem non sunt malum diuitiarum, sed pauper animus, qui diuitias deducit ad paupertatē. Iis qui per angiportus & compita mendicant, per amque habent, & mutilatis sunt corporibus, & pannosis sunt induti vestibus, isti sunt miseriore, qui sericeas & splendidas vestes gestant: & qui superbè & insolenter in foro incedunt, sunt iis miserabiliores qui vadunt per triuia, & in aulas ingrediuntur, & ab imo vociferantur & mendicant. Nam isti quidem Deum laudant, & misericordiæ & multæ philosophiæ loquuntur verba. Quamobrem & eorū miseremur, & manum eis porrigimus: & nunquam eos accusamus. Qui autem malè ditantur, eructant verba crudelitatis, inhumanitatis, rapinæ, & satanicæ cupiditatis: & ideo ab omnibus odio habentur & irridentur. Cõsidera autem quid apud omnes homines videatur esse turpe, à diuitibus petere, an à pauperibus? est perspicuum quod à pauperibus. Hoc ergo faciunt diuites: non enim auderent accedere ad ditiores. Qui autem mendicant, petunt à locupletibus. Non petet enim mendicus à medico, sed à diuite. Diues autem pauperem discerpit ac lacerat. Rursus quid quæso est honestius, accipere à volentibus & gratiam habentibus, an nolentes cogere, & esse eis molestos? Sed hoc quoque faciunt diuites. Nam pauperes quidem accipiunt à volentibus, & habent gratias. Diuites autem ab inuitis & nolentibus: quod est argumentum maioris paupertatis. Nam si ne ad prandium quidem vellet ire quispiam, nisi inuitans inuitato haberet gratiam: quomodo est bonum & honestum pecuniam accipere cum fuerit allata vis & necessitas? Canes nõ propterea auersamur & fugimus latrãtes, quod

Chrysol. tom. 4.

nobis assidue instent & nos vrgeant? Hoc faciunt etiam diuites. At est honestius vt dationi addit metus? Hoc verò est omnium turpissimum. Qui enim nihil nõ mouet vt accipiat, quoniam non fuerit magis ridiculus? Et enim nos canes sæpe timentes, prolicimus quæ tenebamus. Quid rursus, dic mihi, turpius, pannisne obstitum petere, an vestes gestantem sericeas? Quando enim diues quispiam colit & obseruat pauperes senes vt res illorum accipiat, idque cum habeant liberos, quanam erit dignus venia? Si vultis autem ipsa quoque verba examinemus, quanam dicunt quidem petentes diuites, quanam verò pauperes. Quid ergo dicit pauper? Quod qui dat elemosynam, parcè & modicè non dabit, quoniam dat ex iis quæ sunt Dei. Quod Deus est benignus & clemens, & reddit maiora. Quæ quidem omnia sunt verba philosophiæ, & exhortationis, & cõsiliij. Vult enim, te dominum respicere, & tibi eximit metum futuræ paupertatis: & multam videris doctrinam in verbis mendicantium. Diuitum autem qualia sunt verba? Porcorum, & canum, & luporum, & aliarum ferarum. Nam alij quidem ex ipsis perpetuò loquuntur de mensis, & opsoniis, & condimentis, & vini omnis generis, & vnguentis & vestimentis, & de omni alio luxu & profusione. Alij autem de vrsuris & fœnoribus, & schedulas fingentes, & debitorum intolerabilem attollentes magnitudinem, vt quæ à patribus aut auis acceperit initium, huius quidem domum auferunt, illius verò fundum, alterius autem mancipiũ, & omnes facultates. Quid de testamentis dixeris, quæ pro attramento scripta sunt sanguine? Aut enim in non ferendum inductis periculum, aut quibusdam paruis incantatis promissis, quos pauca viderint possidere, persuadent præterire omnes qui ad eos attinent, & sæpe paupertate pereunt, ipsos autem pro illis hæredes inscribere. Hæc autem quarumnam ferarum non obscurant & superant furorem & feritatem? Quamobrem rogo & exhortor vt omnes eiusmodi fugiamus diuitias, turpes & cæde refertas: & acquiramus spirituales, & thesauros inquiramus in cælis. Nam qui eas habent, illi sunt diuites, illi locupletes, fruentes omnibus & quæ hic sunt & illic. Qui enim congruenter Dei verbo vult esse pauper, is omnium ostia habet aperta. Ei enim qui propter Deum nihil possidet, vnusquisque sua cõferet. Qui autem pauca vult habere cum iniustitia, is occludet omnium ostia. Vt ergo & quæ hic sunt & quæ illic, assequamur, eligamus immobiles diuitias, immortales copias. Quas detur nobis cõsequi gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cū patre & sancto spiritu, &c.

Diuites in testamentis à pauperibus instituuntur hæredes.

ORATIO XIII.



DEO misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus, & fidelis in domino, qui vos commones faciat vias meas quæ sunt in Christo Iesu. Hic quoque mihi considera generosam animam, igne ardentior & acrior. Nam ipse quidem vellet adesse ita agrotantibus & seditionem agitantibus Corinthiis. Apertè enim sciebat quantum discipulis prodesset eius presentia, & quantum obesset absentia: & illud quidem significauit in epistola ad Philippenses, dicens: Non in presentia mea tantum, sed multò magis nunc quoque in absentia mea, cum timore & tremore vestram salutem operamini. Hoc autem ostendit in hac epistola, dicens: Tanquam non vêturus sim ad vos, inflati sunt quidam, veniam autem. Atque properabat quidem, & cupiebat ipse adesse: sed quoniã hoc tunc nõ licebat, promissione suæ presentia hoc corrigi. Neque hoc solum, sed etiã missione sui discipuli. Ideo enim, inquit, misi ad vos

Philip. 2.

Timotheum. *Idem.* Quidnam est id autem? Quoniam tanquam filiorum curam gero, & qui vos genui. Et cum commendatione persona est missio: *Qui est filius meus charissimus, & fidelis in domino.* Hoc autem dixit, & suum in eum ostendens amorem, & procurans ut illi cum reuerentem viderent: & non absolute dixit fidelem, sed in domino: hoc est, in iis quae pertinent ad dominum. Si autem in rebus quae ad victum pertinent esse fidelem, est laus & encomium: multo magis in rebus spiritualibus. Si est ergo spiritualis eius filius, cogita quantum sit in eos amor Pauli, quod propter Corinthios voluerit ab eo separari. Si autem etiam fidelis, citra culpam ac reprehensionem res administrabit. *Qui vos commonefaciet.* Non dixit, Docebit, ne agerentur ut qui ab ipso discederent. Et ideo in fine quoque dicit, Opus enim domini operatur sicut ego. Nemo ergo cum nihilo pendat. In Apostolis enim nulla erat invidia: sed vnum spectabant, nempe ecclesiae aedificationem: & si minor erat qui operabatur, omni studio ei opem ferebant & confirmabant. Propterea non satis habuit dicere, Commonefaciet, sed magis volens eorum invidiam amputare, erat enim iuuenis Timotheus, ideo subiunxit, Vias meas, non vias suas, sed meas: hoc est, vitae dispensationem & administrationem, pericula, mores, leges, consuetudines, regulas Apostolicas, alia omnia. Nam quod nudi sumus, & colaphis caedimur, & incertis vagamur sedibus, haec, inquit, omnia vos commonefaciet: & leges Christi, ut haec des delectat. Deinde ad superiora sermonem suum referens subdit, *Quae sunt in Christo Iesu.* Hic omnia, ut consuevit, ad dominum refert, & fidem inde sibi comparat: ideo subdidit, *Sicut ubique in omni ecclesia doceo.* Apud vos nihil dixi noui, horum mihi sunt colicia: cetera quoque omnes ecclesiae: ea autem vocat vias in Christo, ostendens ea nihil habere hominis, & se omnia recte gerere cum illius auxilio. Cum haec autem dixisset, & illos curasset & aggressurus esset accusationem eius qui fuerat scortatus, verba irae plena rufus emittit, non ipse ira affectus, sed illos corrigens, & scortatore dimisso loquitur cum aliis, ne suis quidem verbis illum dignans. Quod etiam facimus in seruis qui valde offenderunt. Et quoniam dixit se mittere Timotheum, ne ideo essent scordiores, vide quid dicat: *Tanquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam.* Hic enim & illos pungit & aliquos alios, insolentes eorum spiritus agitans. Est enim crimen principatus appetitionis, magistri absentia uti ad arrogantiam. Quando enim plebem alloquitur, vide quam hoc facit appositum ad eos pudore suffundendos. Quando autem auctores ac principes, acrius ac vehementius. Nam illis quidem dicit, Omnium peripsa: & eos leniens ac curans dicit, Non vos pudore afficiens hoc scribo. His autem, Tanquam non venturus sim ad vos, inflati sunt quidam: ostendens puerilis animi esse arrogantiam. Pueri enim absentia magistri sunt scordiores. Et hoc ergo indicat, & quod ad correctionem sufficit praesentia: Quomodo enim leonis praesentia efficit ut omnia extimescant animalia, ita etiam Pauli praesentia effiebat ut extimescerent qui corrumpebant ecclesiam. Et ideo subiunxit, *Veniam autem ad vos cito, si dominus voluerit.* Sed hoc quidem solum dicere, videbatur esse minarum: ex factis autem demonstratione & ipsam profiteri ac promittere, & ab illis exigere, hoc erat magni & excelsi animi. Quamobrem hoc quoque adiecit dicens, *Et cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem.* Non enim ex propriis recte factis, sed ex doctoris absentia erat arrogantia. Quod ipsum quoque erat animi despicientis. Propterea cum dixisset, Missi Timotheum, non statim dixit, Veniam: sed cum prius

Infr. vlt. In Apostolis nulla erat invidia.

Hic supr.

Arrogantia est pusillitiam animi.

368
eos reprehendisset quod essent inflati, tunc dixit veniam. Nam si id posuisset ante reprehensionem, sui potius fuisset excusatio, ut qui non defecisset, non autem minarum: & ne credibilis quidem fuisset haec oratio. Nunc autem cum posuerit post reprehensionem, eam fecit & fide dignam & terribilem. Vide autem quam sit id quod dicit, cautum & tunc dictum. Non enim dixit absolute, Veniam, sed si dominus voluerit. Neque ponit certum tempus ac constitutum. Nam quoniam posset contingere ut tardius adesset, vult ex eo quod sit incertum, eos tenere animi dubios & suspensos. Et ne propterea rursus concidant, adiecit Cito. Et cognoscam non sermonem eorum qui sunt inflati, sed virtutem. Non dixit, Cognoscam sapientiam, neque signa. Sed quid? Non sermonem. Et illud nomine deprimens, & hoc extollens. Et nunc dirigit orationem ad eos qui scortatori fauebant & applaudebant. Nam si illi dixisset, non dixisset, virtutem, sed quae prava ac scelerata erant eius facta. Et cur non quaris sermonem? Non quoniam sermone egeam: sed quoniam in virtute sunt res nostrae. Quomodo ergo in bello, non eorum qui multa dicunt est rem recte gerere, sed eorum qui multa operantur: ita hic quoque non eorum qui loquuntur, sed eorum qui faciunt, est victoria. Tibi places, inquit, ob facundiam. Sed si oratorum quidem esset decertatio & tempus, recte ideo tibi placeres. Sed si Apostolorum veritatem annunciantium, & eam signis confirmantium, est decertatio & tempus, quid ob rem superuacaneam, & quae nihil est, es inflatus, & quae ad praesentia nihil potest conferre? Quid enim posset dicendi facultatis ostentatio ad excitandum mortuum, aut fugandos demones, aut aliqua alia eiusmodi facienda miracula? His autem nunc est opus, & per haec nostra consistunt. Et ideo subiunxit, *Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute.* Per signa, inquit, non per linguam facundiam vicimus: & quod diuina sit nostra doctrina, & regnum caelorum annunciamus, maximum argumentum praebemus signa, quae quidem facimus virtute spiritali. Si ergo magni quidam esse volunt qui nunc sunt inflati, cum aduerso ostendant an aliquam talem habeant virtutem. Neque verborum fastum mihi proferant: ars enim illa nihil ad nos. *Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis?* Et multum terroris & multum lenitatis habet haec oratio. Dicere enim, Cognoscam, erat eius qui est paulo contractior & lenior. Dicere autem, Quid vultis, in virga veniam ad vos, est eius qui sedem ascendit doctoris, & inde cum eis differit, & omnem accepit potestatem. Quid est, In virga? In castigatione & supplicio. Hoc est, de medio tollam & execem. Quod quidem Petrus fecit in Sapphira: quod ipse in Elyma Mago. Non enim iam hoc dicit, tanquam seipsum cum illis conferens sed cum auctoritate. Porro autem in secunda quoque epistola cernitur hoc dicere, dum dicit, *An experientiam queritis Christi qui in me loquitur? In virga veniam, an in charitate? Quid verum? in virga venire non erat charitatis? Erat quidem charitatis. Sed quoniam is qui valde diligit respuit poenas sumere, propterea sic dicit. Aequum quando dicebat quidem de supplicio, non dixit, Spiritu mansuetudinis, sed virga, quamvis illud quoque fieret spiritu: est enim spiritus mansuetudinis, & est spiritus auferitatis & seueritatis. Sed non vulgare sic appellare, sed ab iis quae sunt benigniora. Propterea Deus quoque & si puniat, quod sit quidem misericors, lenis & clemens, & diues in misericordia & miserationibus, multis in locis dicitur. Quod autem sit puniens & castigans, semel, & bis, & raro, idque causa urgente. Vide autem Pauli sapientiam. Cum huius & illius*

Et regnum & gehenna est in nostra potestate. Ecl. 15. Eiaia 1.

Cur libertum arbitrium Deus dederit.

Matth. 7.

Arrium initia sunt laboriosa.

illius haberet potestatem, facit ut id situm sit in aliorum potestate, dicens, Quid vultis? Res est posita in vestra potestate. Etenim & hoc & illud est situm in nostra potestate, nempe ut & demur praecipites in gehennam, & ut regnum caelorum assequamur: quoniam Deus sic voluit. Ecce enim, inquit, ignis & aqua. Ad quod vobis extendes manum tuam. & Si volueritis, & me audieritis, bona terrae comedetis. At dicet fortasse quispiam, Volo: & nemo est tam stultus qui se dicat nolle: sed non sufficit mihi velle. Atqui sufficit, si velis ut oportet, & facias ea quae sunt volentis. Nunc autem non vis admodum. Hoc ipsum autem in aliis quoque perpédamus & meditemur, si videatur. Nam dic mihi, Qui vult uxorem ducere, satisne habet quod velit? Minime, sed & quare pronubas, & rogat amicos ut secum vigilent, & cogit pecunias. Rursus mercator, non domi sedens contentus est quod velit, sed & nauem conducit, & nautas, & remiges eligit, & pecuniam dat foenori, & de agris, & rerum venalium pretiis curiosè inquirat. Quomodo ergo non est absurdum, ad res quidem terrenas tantam curam ostendere & studium, caelum autem mercaturos satis habere quod solum velint? Imò verò ne id quidem ostendant cum eo quo par est studio. Qui enim vult ut oportet, res quoque tangit quae ducunt ad id quod vult. Nam quoniam esurire necessitatem affert ut alaris, non expectas ut cibi sua sponte ad te veniant, sed omnia facis ut cogas alimentum. Et in siti, & in algore, & in aliis omnibus similiter operaris, esque instructus & paratus ad curam gerendam corporis. Hoc fac etiam in regno: & id omnino consequeris. Propterea enim te fecit Deus libero arbitrio praeditum, ne postea Deum accuses ut qui sis alligatus necessitate. Tu autem pro iis quorum honorem es affectus, pro iis, inquam, indignaris. Audiui enim multos dicentes. Cur me fecit dominum virtutis? Sed quomodo oportebat te dormientem ac dormitantem, & vitium appetentem, & delitiis te explentem, genioque & ventri indulgentem in caelum sursum tollere? Sed à vitio non abstinuisse. Nam si nunc cum sint minae intentatae, ne sic quidem à scelere abstines: etiam si tibi caelum proposuit praemium, quando cessasses fieri sociorum, & multo deterior? Neque enim illud poteris dicere, quod bona quidem ostendit, opem autem non tulit: tibi enim multum auxilij promittit. At virtus, inquit, est difficilis & molesta: cum vitio autem coniunctum & commistum est permultum voluptatis. Et vitium quidem est spatiosum & late patens: virtus verò arcta & angusta. Num dic, quae so, omnino & ab initio fuerunt ambo eiusmodi. Etenim inuitus de virtute dicis ea quae dicis, adeo fortis & potens res est veritas. Nam si duae essent viae: una quidem ducens ad fornacem, altera verò ad paradysum: & ea quidem esset lata quae ducit ad fornacem, altera verò angusta quae ad paradysum: Quamnam viam magis eligeres? Nam etsi nunc contendens contradixeris, iis tamen de quibus plane constat, etiam si valde sis impudens, non poteris contradicere. Nam quod ea quidem sit magis eligenda, quae habet initium difficile, non autem finem, conabor vos docere ex iis quae sunt in promptu. Et si vultis, primum tractemus artes. Ipsae enim initium quidem habent labore plenum, finem autem quaestuosum. At nemo, inquis, arte attigit qui non habebat qui cogeret. Nam postquam sui iuris fuerit adolescens, magis eligeret in initio viuere in delitiis, & in fine malum pati innumerabilia, quam affligi in principio, & ex illis laboribus postea fructus assequi. Ea ergo eligere est metis eius qui est orbis, & puerilis scordiae: contraria autem, prudentiae, & magni animi virtutis. Sic ergo nos quoque, si non essemus mente pueri, non assimilati essemus

illi orbo & sapienti, sed illi qui habet patrem. Oportet ergo mentem expellere puerilem, non autem res accusare: & aurigam conscientiae praeficere, qui non sinet ventri indulgere, sed currere & decertare. Quomodo enim non est absurdum pueros quidem cum labore & afflictione ducere ad res quidem quae exordia habent laboriosa, bonum autem finem: nos autem contra affici in rebus spiritualibus? Atqui ne in rebus quidem quae ad hanc vitam agentiam pertinent, est omnino perspicuum quod futurus sit bonus finis. Nam & mors immatura, & paupertas, & calumnia, & rerum mutatio, & multa alia eiusmodi, post multos labores ut fructibus priuemur efficiunt. Quod si etiam assequantur qui persequuntur, non erit magnus quo fruuntur fructus. Nam simul cum vita praesenti dissoluntur illa omnia. Hic autem non currimus pro eiusmodi rebus fluxis & caducis, neque de fine timemus: sed & maior & tutior est spes postquam hinc excesserimus. Quamnam ergo est venia, & quae excusatio iis qui nolunt se exuere & parare ad labores hic subundos pro virtute? At rogant cur via est angusta? Et ad terrestres quidem regias non aequum censet ut ingrediatur vllus scortator & impudicus: in ipsum autem caelum aequum censet ut introducantur homines cum licentia, & deliciis, & ebrietate, & auaritia, & cum omni vitio? Et vbi nam haec merentur veniam? At non hoc, inquit, dico, sed cur non sit lata via virtutis. Atqui si velimus, ea erit vel valde facilis. Quid enim, quae so, est facilius, murumne fodere, & aliorum bonis acceptis in carcere conici in vincula, an suis contentum ab omni metu esse liberum? Atqui non dixi totum. Quid enim, dic mihi, est facilius, an cum res omnium furripueris, & ex paucis breui tempore in deliciis egeris, immortally torqueri, & flagris caedi, an cum in iusta paupertate breue tempus vixeris, perpetuis postea expleri deliciis? Nondum enim examinamus quid sit conducibilis: sed interim quid sit facilius. Quid enim est iucundius, bonumne videre somnium, & reuera puniri, an cum molestum videris somnium, reuera expleri deliciis? An non est perspicuum hoc esse iucundius? Quomodo ergo, dic quae so, asperam dicis virtutem? est enim aspera, si ex nostra diiudicetur negligentia. Quod autem sit facilius & non grauis, audi quid dicat Christus: Iugum meum facile est, & onus meum leue. Si autem non sentis leuitatem, est perspicuum te non habere validam animi alacritatem. Quomodo enim si ea adsit, etiam ea quae sunt grauiora sunt leuia: ita si non adsit, etiam ea quae sunt leuia, sunt grauiora. Quid enim, dic quae so, est manna mensa suauis, quid paratu facilius? Egre tamen ferebant Iudaei his fruenteis deliciis. Quid fame acerbius, & aliis laboriosis, quae perperissus est Paulus? Sed exultabat, & letabatur, & dicebat: Nunc laetor in perpeffionibus meis. Quae est ergo causa? Mentis differentia? Si ergo eam qualem esse oportet effeceris, videbis facilitatem virtutis. Quid ergo, fit ne ea, inquit, eiusmodi ex mente eorum qui ipsum persequuntur? Non ex mente solum, sed est etiam talis natura. Etenim si illa esset omnino laboriosa, & hoc omnino contrarium, merito quispiam ex iis qui excidissent, diceret hanc illo faciliorem. Si autem habent initium, illa quidem molestum ac difficile, hoc verò iucundum ac suauis, vtrum, dic quae so, facilius est eligere? Cur ergo non eligunt multi id quod est facile? Quoniam alij quidem non credunt, alij autem etiam credentes mentem habent corruptam, & temporariam voluptatem elegerint pro aeterna. Est ergo hoc facile? Non facile, sed hoc est imbecilli animi. Et quomodo qui febre laborant, non quoniam est iucundius breui tempore esse in deliciis quam omnino vri, propterea amant porum fri-

Via virtutis, cur sit angusta.

Matth. 11.

Animi alacritas omnia reddit facilia. Num. 11.

2. Cor. 11.

Vitium non est facile.

gidæ: sed quoniam prauam cupiditatem non possunt compescere: ita etiam isti. Nam si quis ad supplicium eos simul ferret cum voluptate, nunquam ipsum eligerent. Vidisti quemadmodum non sit facile vitium? Si vis autem, hoc ipsum rursus excutiamus etiam in ipsis rebus. Quid est enim, sic mihi iucundius & facilius? Sed ne res iudicemus ex multorum cupiditate. Non enim ab egrotis sed à sanis ferri oportet sententiam. Neque enim si mihi mille ostēderis febricitantes, & quæretes ea quæ sunt cōtraria sanitati, & eligētes postea puniri, hanc admiserim optionem. Quid ergo, dic quæso, est facilius, multas concupiscere pecunias, an hac cupiditate esse superiorem? Nam mihi quidem hoc videtur. Si autem ipse non credis, ad res ipsas deducamus orationem: & sit ille quidem multa cupiens, hic verò nihil. Quid est ergo, dic mihi, melius ac præstantius, & quid honestius? Sed hoc quidem mittatur. De hoc enim constat, quod hic est illo honestior: neque nunc quidquam de eo quærimus. Avarus enim ne fruatur quidem iis, quas habet, facultatibus. Nam quod amat ne voluerit quidem impendere, sed lubentius seipsum considerit, & carnes proiecerit, quam aurum. Qui autem pecunias despicit, hoc interim lucratur, quod bonis quæ habet absolutè fruatur, liberèque ac securè, & se illis præfert. Quid est ergo iucundius, liberè ac securè frui suis bonis, an viuentem sub dominis diuitiis, rerum suarum nihil audere tangere? Mihi enim videtur perinde esse, ut si qui viri duas habentes uxores, & valde eas amantes, non eis vtantur similiter: sed alteri quidem liceat & tangere, & cum uxore habere consuetudinem: alteri verò ne propè quidem esse. Dicam & alterum, alterius quidem voluptatem, alterius verò indicās animi egri-tudinem. Avarus nunquam hanc sistet cupiditatem, non solum quod non possit quæcunque sunt aliorum accipere, sed & quod quæcunque apprehenderit ac possederit, se nihil habere putat. Qui autem pecunias contemnit, omnia existimabit superflua: neque infinitis cupiditatibus cruciabit animam. Nihil enim est quod rationem supplicij æquè habeat, atque cupiditas quæ non habet quo fruatur: quod etiā maximè mentē ostendit peruersam. Considera autem. Qui pecunias concupiscit, & per multas acquisiuit, is est affectus perinde atque si nihil habeat. Hocne morbo potest aliquid esse magis perplexum. Neque hoc solum est graue & intolerandum: sed etiam quod cum habeat, non videtur ea habere quæ tenet: & cruciatur tanquam non habeat: & si omnium bona acceperit, magis angitur: & si centum possedit talenta, dolet quod mille non acceperit: & si mille, quod non decies mille acceperit, mœrore afficitur: & si decies mille, quod non decies totidem acceperit, discerpitur: & maior acquisitio fit ei maior accessio paupertatis. Nam quo plura acceperit, eo plura concupiscit. Quo ergo plura acceperit, eo magis fit pauper. Cum ergo centum habuerit talenta, non est valde mendicus: mille enim cupit. Cum autem mille acceperit, tunc fit magis pauper. Non amplius enim mille, ut prius, sed decem millium se dicit egere. Si autem concupiscere, & non assequi dicis esse voluptatem, valde mihi videris ignorare naturam voluptatis. Nam quod id non sit voluptas sed cruciatus, ad aliud rursus deducentes examinemus. Quando sitimus, non ideo omnes voluptate afficimur quod sitim sedamus? & propterea bibere est voluptas, quod nos à magno liberat tormento, à bibendi, inquam, appetitu. Hoc est cuius perspicuum. Si autem in hoc appetitu essemus semper mansuri, quod ad supplicij rationem attinet, nihilo minus cruciaremur quam diues ille non misertus Lazari. Nam illi quoque hoc erat cruciatus, admodum

Auari
quantus
sit crucia-
tus.

A paruam aquæ guttam concupiscentem non assequi, quod quidem assidue pati mihi videntur auari, & esse sicut ille qui rogabat ut ea frueretur, & non assequatur. eorum enim anima magis ardet quam illius. Erretè quidam dixit auaros esse hydropicos. Quo modo enim illi multam aquam ferentes in corpore magis videntur. plures concupiscunt. Causa autem est. Neque illi in quibus conuenit locis aquam habent: neque isti cupiditatem in quibus conuenit cogitationibus. Fugiamus ergo hunc alienum & inanem morbum. Fugiamus radicem malorum. Fugiamus quæ adest gehennam, est enim gehenna eorum cupiditas. Explica quidem certè vt riusque animam, & eius qui despicit pecunias, & eius qui non despicit: & videbis quod hic quidem est similis furentibus, nihil volens videre, nec audire: ille autè est similis portui liberato à fluctibus: & est omnium amicus, sicut ille inimicus. Nam & si quis acceperit, non eum afficit molestia: & si quis rursus ipsi dederit, non inflat. sed est quædam apud ipsum libertas, omnem habens securitatem: & hic quidem omnibus assentari & simulare necesse habet. Ille autem nulli. Si ergo avarus est & pauper, & timidus, & simulator & dissimulatur, & metu est plenus, & cruciatus & supplicis: qui autem pecunias despicit, fruatur omnibus contrariis, an non est perspicuum quod virtus est iucundior? Atque reliqua quidem mala persequeremur, per quæ ostenditur nullum malum habere voluptatem, nisi multa à nobis antea dicta essent. Cum hac ergo sciamus, eligamus virtutem, ut & voluptate quæ est hic, fruamur, & bona futura assequamur, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi. Cui &c.

ORATIO XV.



Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, quæ nec inter gentes nominatur, et uxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.

Quando differebat quidem de eo quod ipsi essent diuulsi ac diuisi, non itatim rapida ac vehementi vius est oratione: sed primū egit mitius, & postea desit in acufationem, sic dicens: Significatum est enim mihi de vobis fratres mei, ab iis qui sunt Chloës, quod contentiones sunt inter vos. Hic autem non sic, sed statim pugnat ac ferit, & quoad eius fieri potest, commune profert probrum criminis. Non dixit enim, Cur ille aut iste est fornicatus, sed, auditur inter vos fornicatio, ne ut qui essent nulli reprehensionis affines, pigri essent ac fœciores, sed vt pote communi percusso, & in crimen vocata ecclesia, ita esset animi dubij & anxij. Nemo enim dicit, inquit, quod ille aut iste est fornicatus, sed quod in ecclesia Corinthiorū admissum est illud peccatum. Et non dixit, Perpetratur fornicatio, sed auditur. Quæ ne inter gentes quidem nominatur. Semper enim ex gentibus probra ingerit fidelibus. & scribens ad Thesalonicensēs, dicebat: Vnusquisque vas suum possideat in sanctificatione: non in passione desiderij sicut ceterarū gentes. Et ad Colossenses, & Ephesios: Ne amplius ambulatis sicut reliquæ gentes ambulant. Si autè quod eadem ipsi peccant est eiusmodi vt non possit ignoscij, quod ethnicos superent, vbinam quæso ponemus? Apud illos enim, inquit, non solum nihil perpetratur eiusmodi, sed ne nominatur quidem. Vidisti quemadmodum crimen extulerit? Quando enim cernuntur inuenire eos modos libidinis & impudicitia, quos non solum non perpetrant, sed ne norunt quidem infideles, est ineffabilis peccati exuperatio. Illud quoque inter

Sapientia
externa
etiam
absque
peccato
viliis est
& abie-
cta.

Præsentè
est spiri-
tu quid
sit.
4. Reg. 5.

373 vos, dictum est cum emphasi. Hoc est, Inter vos fideles, qui tanta percepistis mysteria, qui arcanorum fuistis participes, qui ad cœlum vocati estis. Vides quanta indignatione, & quanta ira aduersus omnes plena est oratio? Nam si non multa ira fuisset plena, neque ad omnes esset directa, sic dixisset. Quoniam audiui quod iste aut ille est fornicatus, eum castigate. Nunc autem non sic dixit, sed aduersus omnes se depugnaturus accingit. Etenim si priores quidē scripserunt, illa dixissent. Nunc autem non solum non scripserunt, sed etiam lapsum tulerunt & obumbrarunt. Ideo oratione vsus est vehementius. *Vt uxorem patris sui aliquis habeat.* Id quod est valde turpe respuit. Ideo id honestè præterit, ut quod esset antea satis declaratum. In hoc etiam perstrangit auge's crimen, & ostendens quod apud eos ea perpetratur, quæ ne dicere quidem est Paulo tolerabile. Propterea cum etiam prius dixisset, eodem modo vsus est, dicens. Eum qui hoc opus fecit. Et rursus erubescit & eum pudet apertè dicere. Quod etiam solemus facere in iis quæ sunt valde turpia. Neque dixit nouercam, sed uxorem patris, vt grauius feriat. Nam cum nomina sufficiunt ad accusandum, per ea procedit, nihil addens. Et ne mihi dixeris, inquit, quod vnus est qui est fornicatus, est commune crimen omnium. Et ideo subiunxit, *Et vos inflati estis.* Et non dixit quidem, propter peccatum. Hoc enim est defectus, & egestatis rationis, sed propter illius doctrinam. Ipse autem non hoc posuit, sed in medio reliquit, vt magis feriret. Vide autem prudentiam Pauli. Cum prius externam depreffisset sapientiam, & ostendisset eam per se nihil esse, etiam si peccatum non sit adiectum, tunc de cætero differit de peccato. Nam si ad comparisonem quidem alicuius sapientis qui forte fuit fornicatus, dixisset magnum esse charisma seu donum spirituale, nihil magnum fecisset: ceterum etiam absque peccato deiicere, & pronunciare nihil esse externam sapientiam, hoc erat ostendere eam esse admodum vilem & abiectam. Quamobrem cum sic prius fecisset comparisonem, tunc etiam meminit eius lapsus. Et cum illo quidem non vult differere, & in hoc summam ostendit infamiam: eis autem dicit, Oportebat vos lugere, lamētari, & præ pudore vultum tegere. Nunc autem contrarium facitis. Et ideo subiunxit, *Et vos inflati estis, & non potius luctum habuistis.* Et quid factū est vt nos lugeamus, inquit? Quod in cōmune ecclesiæ progressa est criminatio. Et ad quam rem rectè gerendam lugebimus: *Vt tollatur de medio vestrum qui est talis.* Et neque hic ponit eius nomen, quod solemus facere in iis quæ sunt valde absurda & indigna. Et non dixit, Et non magis cieicistis: sed sicut in morbo aliquo & peste, luctu opus est & intensa supplicatione. *Vt tollatur, inquit: & oratione ad hoc vt oportet, & omnia facere vt iste abscindatur.* Neque eos accusat quod ei non significarint, sed quod non luxerint, vt de medio tolleretur: ostendens hoc oportuisse fieri etiam absque doctore, propter delicti euidenciam. *Nam ego quidem tanquam absens corpore, præsens autem spiritu.* Vide D animum. Ne finit quidem expectare eius præsentiam, & ipsum excipere, & tunc ligare, sed tanquam pestem aliquam cum expulserit, prius quam dispergeret in reliquum corpus, properat eum detinere: Quamobrem subiungit dicens, *Iam iudicauit vt præsens.* Hæc autem dicebat, non solum eos vrgens ad negationem, neque finens vt aliquod aliud consilium caperent, sed etiam terrens, vt qui sciret quæ illic essent futura: hoc enim est, præsentem esse spiritu. Sicut Elisæus erat præsens Giezi, & dicebat, Non cor meum erat tecum? Papæ quæta est virtus doni ac charismatis, cum faciat omnes esse simul & vnà, & efficiat ea etiam quæ sunt procul

scire? *Iam iudicauit vt præsens.* Non finit eos aliquid aliud mente versare. Tuli enim sententiam tãquam præsens. Ne mihi dixeris dilationes & prorogationes: nihil enim aliud fieri oportet. Deinde ne videretur esse nimia auctoritas, neque arrogantiùs dictum esse censeretur, vide quemadmodum eos quoque facit socios iudicij. Nã cum dixisset, iudicauit, subiunxit. *Eū qui sic operatus est in nomine domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute domini Iesu, tradere huiusmodi hominem Satanæ.* Et quid est, in nomine domini nostri Iesu Christi? Secundum Deum, non humana detenti præsumptione. Nonnulli autem sic legunt, Eum qui sic operatus est in nomine domini nostri Iesu Christi, & hic subdistinguentes, subiungunt quod deinceps sequitur, dicentes: Congregatis vobis & meo spiritu, tradere huiusmodi hominem Satanæ, & tradunt hunc esse sensum huius lectionis: Eū qui hoc fecit in nomine Christi, tradite Satanæ. Hoc est, eum qui Christi nomen affecit contumelia: eum qui postquam factus est fidelis, & cognomen accepit ab illo nomine, ea perpetravit, tradite Satanæ. Prior autè editio mihi videtur verior. Quænam autè est ea? In nomine domini congregatis vobis. hoc est, ipso nomine vos congregate, pro quo conuenitis. Rursus seipsum eis fecit assistere: vt quado iudicauerint tanquã ipso præsentem, ita eum abscindat, neque quisquam audeat ipsum censere dignum venia, sciens fore vt Paulus sciat quæ facta fuerint. Deinde id ipsum faciens terribilius, dicit, Cum virtute domini nostri Iesu Christi. Hoc est, quod vel potest Christus vobis talem dare gratiam vt possitis tradere diabolo, vel quod ipse quoque vobiscum contra eum fert sententiã. Non dixit autem, ipsum dedere Satanæ, sed tradere, ei aperiens portas pœnitentiæ, & tanquam Pædagogum eum tradens. Et rursus talem, nec vsquam finit meminisse eius nominis. *In interitum carnis.* Quomodo factum est in beato Iob: sed non pro eadem causa. Nam illic quidem pro splendidioribus coronis: hic autem pro soluēdis peccatis: vt eum flagellet malo vlcere, aut morbo alio. Iam verò alibi dicit, A domino iudicamur hoc patientes. Sed hic cum magis volens tangere, tradit Satanæ. Porro autem hoc quoque fiebat quod Deo videbatur, vt castigaretur eius caro. Nam quoniam ex fatuitate & deliciis carnis nascuntur cupiditates, eam castigat. *Vt spiritus saluus fiat in die domini nostri Iesu Christi.* Hoc est anima. Non quod ea sola salua sit, sed quod hoc constet, quod si illa sit salua, absque vlla contradictione corpus quoque sit futurum particeps salutis. Factum est enim mortale propter ipsam quæ peccauerat. Et si ipsa se iuste gesserit, rursus & ipsum multam assequetur gloriam. Aliqui autem spiritu dicunt esse charisma seu donum gratuitum, quod extinguitur nobis peccantibus. Ne hoc ergo fiat, inquit, puniatur, vt ea ratione melior effectus attrahat gratiam: & inueniatur illam saluam exhibens in illo die. Quamobrem est magis curam gerentis & medentis, quam solum secantis, & temerè & inconsideratè punientis. est enim lucrum pœna maius. Nam pœna quidē est temporalis, lucrum autem perpetuum. Neque absolutè dixit, *vt spiritus sit saluus, sed in illo die.* rectè autem & opportunè eos illius diei admonet, vt ipsi promptiori & alacriori animo veniant ad medicinam: & ille meliùs suscipiat non tanquam verba iræ, sed tanquam patris curam gerentis prouidentiam. Propterea enim & ad interitum carnis dixit, iam diabolo dans legem, nec finens vt ipse vlterius procedat: sicut Deus de Iob dicebat, Sed eius animam ne tetigeris. Deinde cum absoluisset sententiam, & eam paucis dixisset, nec diu in ea esset immoratus, subiungit rursus increpationem, ad eos dirigēs orationem,

Tradere
Satanæ
aliud est
quàm de-
dere.

Infirmitas

Excom-
municatio
est medi-
cinalis.

Iob. 2.

nem, *Non est bona gloriatio vestra*. Ostendens quod illi A usque ad diem praesentem non fuerunt cum poenitere, propter illum gloriantes. Deinde significat quod non illi soli parcens, sed his ipsis quoque hoc facit. Quamobrem subiungit, *Nescitis quod modicum fermentum totam massam corrumpit*? Nam etsi illius, inquit, est peccatum, si tamen negligatur, potest totum corpus ecclesiae corrumpere. Nam quando is qui primus peccavit poenas non dederit, cito alij quoque eadem peccata admittent: ostendens quod non de vno solo, sed de tota ecclesia agitur, & periculum subitur. Quamobrem fermenti quoque opus habuit imagine ac similitudine. Nam sicut illud, inquit, etiamsi sit modicum, totam massam in se transmutat: ita iste quoque si dimissus fuerit impunitus, nec in eius peccatum iuste fuerit animaduersum, corrumpet & perdet ceteros. *Expurgate vetus fermentum*. Hoc est, hunc improbum & flagitiosum. Imò verò non de eo solo dicit, sed alios quoque tacite innuit. Non enim fornicatio solum est vetus fermentum, sed etiam omne vitium. Neque dixit purgare, sed expurgate, hoc est, accurate & perfecte purgate, vt nulla sit eius umbra nec reliquia. Atque dicendo quidem Expurgate, ostendit apud eos adhuc esse improbitatem & vitium: dicendo autem, *Vt sitis noua conspersio sicut estis azymi*, significat & indicat vitium in multos non tantum obtinere dominatum. Si autem dicit, *Sicut estis azymi*, non hoc dicit omnes esse puros, sed sicut decet vos esse. *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiae & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis*. Ita etiam Christus fermentum appellauit doctrinam. Porro autem ipse persistit in metaphora, veterem historiam eis reuocans in memoriam, & pascha, & panes azymos, & que tunc acceperunt, & que nunc accipiunt beneficia, & poenas ac supplicia. Est ergo praesens tempus festi. Nam cum dixisset, festum celebremus, non dixit, Quoniam adest pascha, nec pentecoste: sed ostendens quod omne tempus est tempus dici festi Christianis, propter summa bona quae data sunt. Nam quod non extitit bonum? Filius Dei propter te homo factus est, à morte te liberauit, in regiam vocauit. Qui ergo talia affectus es & assequeris, quomodo non debes tota vita diem festum agere? Nemo sit ergo tristis propter paupertatem, & morbum, & insidias. Nostri enim festi est totum tempus. Et idè dicit Paulus, Gaudete in domino, gaudete iterum dico gaudete. In diebus festis nullus sordidis est indutus vestibus. Nec vos ergo. Facta sunt enim nuptiae, nuptiae spirituales. Simile est, inquit, regnum Dei homini Regi, qui voluit facere nuptias filio suo. Vbi autem Rex facit nuptias, & nuptias filio suo, quidnam fuerit maius hoc festo? Nemo ergo ingrediatur pannis obsitus. Non agitur à nobis de vestibus, sed de immundis actionibus. Omnibus enim splendidis indutis vestibus, vnus solus inuentus in nuptiis vestes habens sordidas, eiectus fuit cum ignominia. Cogita quàm exactam puritatem & munditiam postulat ingressus ad illas nuptias. Non propter haec autem solum eis in memoriam reuocat panes azymos, sed etiam ostendens veteris cum nouo coniunctionem & necessitudinem: ostendens etiam quod post azyma non licet redire in Aegyptum. Sin autem quispiam velit redire, eadem quae ipsi patietur. Illa enim sunt horum umbra, etiamsi sit impudens Iudaeus. Quamobrem etiam si ipsum interrogaueris, nihil magnum dicet: vel potius magnum quidem dicet, sed nihil tale quale nos: quoniam non nouit veritatem. Nam ille quidem dicet, quod detinentes Aegyptios sic mutarit Deus, vt ipsi nos propularent qui nos antea vi-

Quasi, fermentat.

Omne vitium est vetus fermentum.

Epulemur festum celebremus.

Phil. 4.

Mat. 22.

Noui testamenti cum vetericoniunctio.

nebant, & massam seu consperionem non fuerant fermentare. Si quis autem me roget, non audiet Aegyptum, neque Pharaonem, sed libertatem ab errore demonum, & à tenebris diaboli. Non Mosem, sed Dei filium: non mare rubrum, sed baptisma plenum bonis innumerabilibus, vbi vetus homo fuit suffocatus. Rursus si Iudaeum interrogaueris, quamobrem ex omnibus sinibus eiicit fermentum, hic etiam silebit, & ne causam quidem dicit. quoniam alia quidem erant figura futurorum, & causas habebant eorum quae sunt: haec autem neutiquam: vt non liceat Iudaeis male facere, vt non permaneant in umbra. Quid enim queris sibi vult masculum, & sine macula, & vnus anni, & os non confringetis? Quid autem sibi vult & vocare vitiosos, aut stantes & vesperi comedere? aut sanguine munire domum? Nihil aliud dicit quàm sicutque de- que Aegyptum. Ego autem dicam & quid sibi vult sanguis, & vespera, & omnes simul comedere, & stantes omnes. Prius autem dicamus cur ex omnibus sinibus eiiciatur fermentum. Quidnam ergo est azyma? Ab omni improbitate ac vitio oportet fidelem esse liberum. Nam quomodo perit ille vbi inuentus fuerit vetus fermentum, ita etiam apud nos vbi inuenta fuerit improbitas & vitium. Non enim in umbra quidem tanta fuit poenitentia, apud nos autem non multo maior. Si enim domos sic expurgant à fermento, & vel de mari foraminibus sunt solliciti, multo magis nos animam oportet perferuari, vt omnem immundam eiiciat cogitationem. Sed hoc quidem olim apud eos fiebat: nunc autem non amplius. Vbi que enim est fermentum vbi sunt Iudaei. In medijs enim ciuitatibus sunt azyma vbi sunt Iudaei: quod quidem de cetero ludibrium est potius quàm lex. Nam quoniam venit veritas, nullus est amplius locus typis ac figuris. Quamobrem per hoc quoque exemplum, ex ecclesia maxime expellit eum qui est fornicatus. Non solum enim, inquit, praesens nihil prodest, sed etiam laedit, communitatem rursus corrumpens corporis. Nescit enim quispiam vnde nam existat factor si abscondatur quod est putridum, sed communi eum imputat. Quamobrem eos valde vrget vt expurgent fermentum: *Vt sitis noua conspersio sicut estis azymi. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus*. Non dixit est mortuus, sed proposito convenientius, immolatus seu sacrificatus est Christus. Ne quaeras ergo eiusmodi azyma: quoniam nec talem habes agnum. Ne quaeras eiusmodi fermentum, quoniam nec tua azyma sunt huiusmodi. Atque in sensu quidem fermento, quod est azymum seu fermentatum, potuerit fieri fermentatum. Quod est autem fermentatum, non potuerit esse azymum seu infermentatum. Hic autem licet rursus huius esse contrarium. Sed tamen hoc non significauit. Vide autem prudentiam. In priori epistola non dat fornicatori spem reditus: sed iubet eum tota vita esse in poenitentia: ne promissione eum reddat socordiorum. Non dixit enim, tradite eum Satanæ, vt cum poenitentiam egerit tradatur ecclesiae. sed quid? Vt saluus sit in extremo die. Eum enim transmittit ad illud tempus, vt eum reddat animi dubium & anxium: & quod erat ei largiturus post poenitentiam, non aperit, dominum suum imitans. Quomodo enim dicit Deus, Adhuc tres dies, & Niniue subuertetur: neque addidit, Sin autem poenitentiam egerit, salua erit. Ita Paulus quoque non dixit, Sin autem vt par est poenitentiam egerit, confirmabimus in eum charitatem: sed expectat vt ipse opus faciat, & tunc ipse gratiam accipiat. Nam si hoc dixisset ab initio, soluisset eius metum. Quamobrem non solum hoc non facit, sed etiam per exemplum fermenti, ne ipsum

Eccle. 9.

Dan. 7.

Psal. 17. Psal. 6. Dan. 13. Luc. 13.

Auarorum heredes puniuntur si ipsi impune habeant.

ne ipsum quidem finit sperare reditum, sed ad illum A diem eum referuat, dicens, Expurgate vetus fermentum. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiae & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis. Postquam autem egerit poenitentiam, cum omni studio eum introduxit. Cur autem vocat vetus? An propterea quod prior nostra vita esset eiusmodi? An propterea quod id quod est vetus propè sit vt pereat ac aboleatur, sitque foetidum & turpe: cuiusmodi est peccatum? Nam neque absolutè malè audit & vituperatur id quod est vetus: neque absolutè laudatur id quod est nouum, sed ratione habita ad subiecta. Dicit enim alibi, Vinum nouum, nouus amicus. Sin autem inueterauerit, tunc cum gaudio bibes ipsum: in amicitia magis laudans vetustatem quàm nouitatem. Et rursus, Antiquus dierum sedebat: hic quoque rursus antiquum seu vetus sumens pro maximæ gloriae encomio. Alibi autem pro probro & vituperio vetus sumit scriptura. Nam quoniam res sunt variae ex multis compositae, iisdem vtitur & in bonis & malis, non in eodem significato. Vide ergo & alibi vituperari vetus: Inueterati sunt & claudicauerunt à semitis suis. Et rursus, Inueterate dierum malorum. Ita etiam fermentum saepe accipitur pro regno caelorum, quanuis hic malè audiat ac vituperetur. Sed illic ad aliud, & hic ad aliud refertur. Quod autem de fermento dicitur, mihi maxime videtur dirigi ad sacerdotes, qui sinunt intrinsecus esse multum fermenti veteris, non expurgantes ex terminis, hoc est ex ecclesia, auaros & raptores, & quicquid eiiciatur ex regno caelorum. Auaritia enim est fermentum vetus: & vbi que ceciderit, & in quacunque domum fuerit ingressa, eam reddit immundam: & si vel pauca lucri ex iniustitia, totas fermentat facultates. Propterea saepe pauca malè importata, eiiciunt quae benè erant reposita. erantque multa. Auaritia enim nihil est magis putridum: etiamsi cella penariae imponeris clauem, si ostium, si vestem, frustra facis omnia, qui auaritiam pessimum latronem intus cluseris, & qui potest omnia exportare. Quid verò, inquit, cum multis auaris haec non accidant, nec ea patiantur? Maxime accident, & ea patientur, etiamsi non statim. Sin autem nunc effugerint, tunc magis formida, referuantur enim ad maius supplicium. Imò verò si ipsi effugerint, qui bonorum tamen eorum futuri sunt haeredes, ea patientur. Et quomodo, inquit, est hoc iustum? Est certe valde iustum. Nam qui successit haereditati plenè iniquitate, etiamsi ipse non rapuit, habet tamen ea quae sunt aliorum, & hoc planè est ei persuasum, & propterea aequum est vt patiat. Nam si cum iste aut ille rapuisset, tu accepisses, deinde veniens is à quo rapta fuerant, repeteret, num tibi sufficeret ad defensionem, quod tu non rapueris? Minimè. Quid enim, dic quæso, diceris si accusarieris? Quod alius spoliavit? Sed tu possides. Ille rapuit: sed tu frueris: Haec autem sciunt etiam leges externorum, quae iis dimissis qui rapuerunt & abstulerunt, ab illis iubent petere apud quos tua esse inueneris. Si ergo eos quidem noris quibus facta est iniuria, eis redde: & fac quod fecit Zacchæus cum multa accessione. Si autem ignoras, aliam quoque tibi do viam, nec te excludo à remedio, nempe vt egentibus omnia tua distribuas: & sic malum curabis. Si qui autem ad filios & nepotes ea transfuserint, alia pro his mala passi sunt. Et quid dico quae hic sunt? Non enim illo die haec dicent, quando ambo nudi apparuerint, tam à quibus rapta sunt, quàm qui rapuerunt. Imò verò non similiter nudi. Nam à pecunijs quidem similiter vterque erit nudus: alter verò

etiam plenus criminibus quae inde orta sunt. Quid ergo illo die faciemus, quando pro terribili illo tribunali producet in medium & qui iniuria fuit affectus & omnia sua perdidit, cum tu nullum habeas patronum, quid dices iudici? Nam nunc quidem iudicium hominum poteris corrumpere, illud autem tunc nequaquam. Deus enim videt quae sunt, & est prope eos qui iniuria afficiuntur licet non vocatus. Nam qui aliquo malo est affectus, etiamsi ipse sit indignus qui iudicetur, tamen quoniam Deo non placuit quae facta sunt, habet omnino eum vltorem futurum. Quomodo ergo, inquit, isti aut illi res sunt secundae, cum sit malus? Sed non perpetuo. Audi quid dicat propheta. Noli aemulari in malignantibus, quoniam tanquam foenum cito arescent. Vbi enim quæso est postquam hinc fuit abductus is qui rapuit? Vbi sunt spes praclaræ? Vbi est nomen honestum ac venerabile? Non omnia praeterierunt? Non somnium & umbra sunt illius omnia? Hoc etiam expecta de vnoquoque eorum qui sunt huiusmodi: tam qui viuunt quàm qui post illum est futurus. Sed sanctorum virorum res non ita habent: nec eadem poteris in illis dicere, nempe res illorum esse somnium & fabulas. Et si vis eum ipsum qui haec dixit, tabernaculorum effectorem, Cilicem, & cuius ne quisnam quidem esset pater erat apertum, adducamus in medium. Et quomodo, inquit, fieri potest vt quisquam sit talis? Omnino ergo cupis, omnino desideras esse talis? Certè, inquit. Veni ergo ea via qua ipse venit & qui cum eo erant. Et quanam via venit? Hic quidem dicit, in fame, & siti, & nuditate. Ille verò, Argentum & aurum non est mihi. Ita nihil habebant, & tamen omnia possidebant. Quid est hac voce grauius, quid beatius, quid locupletius? Nam alij quidem de contrarijs gloriabantur, dicentes, Ego tot & tot habeo auri talenta, & terræ iugera infinita, & domos & mancipia. Hic autem propterea quod sit omnium nudus, non delitescit ob paupertatem, quod stultis accidit: neque praepudore vultum tegit, sed etiam gloriatur. Vbi nunc sunt diuites qui numerant vsuras & vsuras vsuratum, & qui bona omnium capiunt, & nunquam satiantur? Audi uis Petri vocem, quae ostendit paupertatem diuitiarum matrem, quae nihil habet, & est ditior iis qui sunt redimiti diadematis. Nam haec quae nihil habebat, & mortuos excitabat, & claudi vt recti ambularent faciebat, & daemones fugabat, & ea donabat quae nunquam potuerant qui erant induti purpura, & magnos & terribiles ducebant exercitus. Haec vox est eorum qui iam migrarunt in caelum, qui verticem illum apprehenderunt. Sic fieri potest vt qui nihil habet ea quae sunt omnium teneat, quae sunt omnium possideat. Sin autem possideamus quae sunt omnium, priuati sumus omnibus. Aenigma fortè esse videtur quod dictum est: sed non est. At quomodo, inquis, is qui nihil habet, possidet ea quae sunt omnium: non multo autem magis is qui quae sunt omnium possidet? Nequaquam, sed totum contrarium. Nam qui nihil habent sicut illi, illis erant aperta omnes domus, & gratiam habebant qui eis praebant: & tanquam ad amicos & cognatos veniebant. Venerunt enim ad purpuram venditricem, & illa tanquam ancilla eis sua apposuit: & ad custodem carceris, & ille totam domum suam eis aperuit: & ad mille alios. Sic omnia habebant, & nihil habebant. Nihil enim ex iis quae sunt dicebant esse proprium. Propterea omnia erant ipsorum. Nam qui ea quae sunt, esse communia existimat, non suis tantum vtetur, sed iis etiam quae sunt aliorum, tanquam proprijs. Qui autem abscondit, & se suarum tantum rerum facit esse dominum, ne earum quidem erit dominus. Hoc est autem

Malorum res secundae non diu durant. Psal. 36.

2. Co. 11. Act. 3.

Petrus gloriatur de paupertate.

Qui nihil habent omnia possident. Act. 16.

Qui possidet aliquid ne eorum quidem est dominus.

Act. 5.

Prou. 19. Eleemosynam qui dat quomodo Deo faceretur.

Mat. 6.

Supra

exemplo manifestum. Qui nihil omnino possidet, neque domum, neque mesam, neque superfluam vestem, sed propter Deum omnibus est priuatus, communibus vitur tanquam propriis, & ab omnibus quæ uolet accipiet. Ita quæ sunt omnibus habet qui nihil habet. Qui autem habet aliqua, ne eorum quidem erit dominus: neque enim dabit quisquam ei qui possidet, & latronum, & furum, & calumniatorum, & mutationis rerum, & omnium magis quam illius erunt res illius. Omnem quidem certè orbem terrarum peruasit Paulus, nihil secum ferens, non accedens ad amicos, non ad familiares & necessarios: erat enim in initio hostis omnibus: sed tamen cum esset ingressus, habebat bona omnium. Ananias autem & Sapphira, cum studium posuissent ut priorum aliquid possiderent, ab omnibus exciderunt etiam cum ipsa vita. Abscede ergo à tuis, ut alienis utaris tanquam propriis. Sed enim nescio quemadmodum ad tantam delatus sum exuperationem, hæc loquens hominibus, quibus satis erit si ex suis facultatibus paruum quid impertierint. Quamobrem hæc quidem à nobis dicta sint perfectis: illa uero imperfectioribus. Date egenis ex iis quæ habetis: augete facultates. Nam qui dat, inquit, mendico, sceneratur Deo. Si autem festinas, & non expectas tempus redditionis, veniant tibi in mentem qui hominibus scenerantur pecuniam. Neque enim ij statim volunt accipere vsuras: sed cupiunt longo tempore expectare sortem, à manibus eius cui data est scenori: dummodo sit certa & tuta redditio, neque suspectus sit eis qui accepit. Hoc ergo hæc quoque fiat. Ea dimitte apud Deum, ut multiplicatam tibi reddat mercedem. Ne quæras hæc uniuersum. Nam si hic totum acceperis, quomodo illic accipies? Propterea Deus quoque illic recondit, utpote quod vita præfens sit fluxa & caduca. Dat autem hæc quoque. Quærite enim, inquit, regnum cælorum, & hæc omnia adiicientur vobis. Sed nos respiciamus ad illam, & nõ festinemus ad omniū remunerationem, ne minuamus mercedem: sed expectemus tempus. Nõ enim hæc tales sunt vsuræ, sed quales à Deo dari est consentaneum. His ergo cum magna collectis abundantia, hinc excedamus, ut & præsentia & futura bona consequamur, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui &c.

ORATIO XVI.

CRIPSI vobis in epistola, ne commisceamini fornicariis. Non utique fornicariis huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis seruientibus: alioqui debueratis ex hoc mundo exisse. Nunc autem scripsi vobis non commiseri. Si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruientis, aut ebriosus, aut maledicus, aut rapax: cum huiusmodi nec cibum sumere. Nam quoniam dixit, Non potius luctum habuistis, ut de medio tollatur qui est huiusmodi, & Expurgate vetus fermentum: & verisimile erat eos suspicari, quod oporteat fugere omnes fornicatores. Nam si is qui peccauit, suo malo impertit eos qui non peccarunt: multo magis oportet externos auerfari. Nam si familiari ac necessario non oportet parcere, propterea quod ab eo talis oriatur noxa, multo magis aliis. Si hoc autem intelligatur, consentaneum esset separari etiam à fornicatoribus qui sunt apud Græcos, & sic redacta ad id quod non potest fieri, magis ægrè tulissent, utitur hac correctione, dicens: Ne commisceamini fornicariis: & non utique fornicariis huius mundi: illud, utique, ponens tanquam de re de qua constat. Nam ne existimarent, quod hoc eis non præcepit tanquam imperfectioribus, & tanquam perfecti hoc facere aggredierentur: ostendit quod hoc ne possit quidem

fieri et si maximè uelint. oporteret enim alium orbem terræ quærere. Et idè subiunxit, Alioqui debueratis ex hoc mundo exisse. Vidisti quemadmodum non est grauis ac molestus: & ubique sibi proponit, non solum quod fieri potest, sed etiam quod est facile in ferenda lege. Quomodo enim, inquit, fieri potest ut qui est homo, & præest domui & liberis, & gerit rempublicam, aut est opifex, aut miles, cum sint plures Græci, id est ethnici, fugiant qui sunt ubique fornicatores? Fornicatores enim mundi dicit eos qui sunt apud Græcos. Nunc autem scripsi vobis, si quis frater sit talis, cum eo nec uelci quidem. Hic alios quoque tacitè significat qui uiuunt in nequitia & flagitio. Et quomodo si sit frater, potest esse cultor idolorum? Ut olim contingebat apud Samaritanos, qui ex dimidia parte eligebant impietatem. Alioqui autem prius iacit fundamentum operationis de idolothytis, quam postea est tractaturus. *Aut auarus.* Nam aduersus eos quoque decertaturus se exiit. Et idè dicebat, Cur non potius iniuriam patimini? cur non priuamini, sed vos ipsi iniuriam facitis & priuatis? *Aut ebriosus.* Nam hoc quoque progrediens reprehendit: ut quando dicit, Alius quidem esurit, alius uero est ebrius, & Esca ventri, & venter escis. *Aut maledicus, aut rapax.* Nam eos quoque prius reprehendit. Deinde causam quoque addit, propter quam non prohibet cum externis qui sunt tales commiseri, ostendens quod non solum id non potest fieri, sed est etiam superuacaneum. *Quid enim mihi de iis qui foris sunt iudicari?* Eos qui sunt intus, & eos qui sunt foris, Christianos uocans & Græcos, sicut etiam dicit alibi, Oportet autem & testimonium habere bonum ab iis qui sunt foris. & in epistola ad Thessalonicenses idem ait, dicens Ne commisceamini cum ipso, ut confundatur, & nolite quasi inimicum eum existimare, sed admonete ut fratrem. Cæterum hic quid non affert causam. Quamobrem? Quoniam illic quidem volebat eum consolari: hic autem nequaquam. Non est enim idem peccatum quod hic & quod illic. Sed illic minus: illic enim accusat pigrity: hic autem fornicationis & aliorum grauisimorum peccatorum. Et si quisquam quidem uelit ad Græcos seu ethnicos accedere, non prohibet simul cum eis comedere, propter eandem rursus causam. Sic autem nos quoque facimus, pro filiis quidem & fratribus omnia agentes: alienorum autem non magnam habemus rationem. Cur ergo non externorum quoque curam gerebat Paulus? Curam quidem gerebat: sed postquam suscepissent prædicationem, & Christi doctrinam eos reddidisset obnoxios, tunc eis leges ferebat. Quamdiu autem despiciebant, superuacaneum erat Christi præcepta dicere iis qui ipsum Christum nesciebant. *Nõne de iis qui intus sunt uos iudicatis, eos autem qui foris sunt Deus diiudicabit?* Nam postquam dixit, *Quid mihi de iis qui foris sunt iudicari?* ne quis existimaret eos relinqui impunitos, aliud terribile eis statuit iudicium: Hoc autem dicit, illos quidem simul terrenis, simul autem hos consolans, & ostendens quod hæc temporaria castigatio surripit ab immortalis & perpetuo supplicio. Quod alibi quoque significans dicebat, Nunc autem iudicati castigamur, ne cum mundo condemnemur. *Et auferte malum ex uobis ipsis.* Meminit dictionis quæ sita est in veteri, simul quidem ostendens quod & ipsi magna lucra facient, tanquam à graui peste liberati, simul autem etiam significans quod hoc non sit nouitas. Sed superioribus quoque in veteri uidebatur hoc legislatori, eos, qui sunt eiusmodi, excindere: sed illic quidem uerementius, hæc autem mitius. Quamobrem merito dubitauerit quisquam, cur nam illic quidem concedebat puniri eum qui peccauerat, & lapidibus appeti: hic autem

Cur in veteri grauiora, in nouo mitiora supplicia.

2. reg. 11.

Act. 5.

Cap. VI.

Sup. 5.

Christianis nõ est iudicio disceptandum apud iudices ethnicos.

tem nequaquam, sed eum ducit ad pœnitentiam. Cur ergo aliter quidem illa, hæc uero aliter cõstituebantur? Propter duas planè causas: vnam quidem, quod hi dicebantur ad maius certamen, & opus habebant maiori patientia: alteram autem, eamque ueriores, quod hi quidem ex impunitate facilius corrigebantur uenientes ad pœnitentiam: illi autem ad maiorem improbitatem & vitium erant reptaturi. Nam si primos uidentes punitos in iisdem perseuerabant: si ne punirentur quidem aliqui, multo magis hoc eis accidisset. Propterea illic quidem adultero, & homicidæ mors statim infligitur: hic autem si absoluantur per pœnitentiam, effugiunt supplicium. Cæterum & hic uerementiora, & in veteri mitiora uideris supplicia: ut per omnia ostendatur esse cognatione coniuncta testamta, & unius & eiusdem legislatoris, & congruenter & hic & illic esse supplicia, & sæpe post multum tempus. Nam etiam in veteri David qui & adulterium admiserat, & cædem fecerat, seruatus fuit per pœnitentiam: & in nouo qui de agri pretio pauca subtraxerat Ananias, cum vxore perierit. Si hæc autem plura sunt in veteri, contraria autem in nouo, differentia personarum efficit ut eorum varia sit administratio. *Audet aliquis uestrum habens negotium aduersus fratrem suum iudicari apud iniquos, & non apud sanctos?* Hic quoque rursus accusat ea quæ sunt certa & de quibus constat. Illic enim dicit, Omnino auditur inter vos fornicatio: & hic, *Audet aliquis uestrum, ab initio: statim iram indicans, & ostendens esse audax & iniquum facinus.* Et curnam iniecit sermonem de auaritia, & quod non oporteat foris iudicari? Suam implens legem. Solet enim ea quæ incidunt corrigere, sicut quando diserebat de mensis communibus, digressus est ad loquendum de mysteriis. Hic ergo quoniam fecit mentionem de auaris fratribus, feruens zelo correctionis eorum qui peccant, non sustinet seruare ordinem: sed quod ex consequentia in medium adductum est peccatum rursus corrigit, & sic ad prius reuertitur. Audiamus ergo etiam quid de eo dicit. *Audet aliquis uestrum habens negotium aduersus fratrem, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos?* Nunc ex nominibus rem aperit, dehortatur, & accusat. Et ab initio quidem non euerit iudicium quod sit apud sanctos. Postquam autem eos multis perculsit, tunc etiam omnino sustulit disceptare in iudicio. Nam si maximè, inquit, oportet iudicari, non oportet apud iniquos. Omnino autem nec oportet quidem in iudicio contendere. Sed hoc quidem ponit postea. Interim autem primum declarat, foris non esse iudicio disceptandum. Nam quomodo, inquit, nõ est absurdum, aduersus pusilli animi amicem inimicum accipere arbitrum & conciliatorem? Quomodo autem non pudore suffunderis, nec erubescis, quando sedet ethnicus iudicans Christianum? Si autem de rebus priuatis non licet iudicio contendere apud ethnicos: quomodo eis permittemus ut iudicent de rebus maioribus? Vide autem quemadmodum dixit. Non dixit, apud fideles: sed apud iniquos, posita dictione qua maximè opus habebat ad argumetum propositum, ut auerteret & abduceret. Nam quoniam ab eo uerba fiebant de iustitia: qui autem iudicio contendunt, nihil æquè requirunt atque ut ij qui iudicant magnam iuris curam gerant, inde eos auertit & dehortatur, propemodum dicens. Quò ferris, & quid facis o homo, contrarium patiens eorum quæ desideras, & pro iure assequendo te iniustis permittens hominibus? Et quoniam statim graue erat audire non esse iudicio disceptandum, non hoc statim induxit, sed solum commutauit iudices, extrinsecus in ecclesiam inducens eos qui iudicio contendebant. Quoniam autem uide-

debat esse contemnendum, ab iis qui erant intus iudicari: & tunc maximè, non enim erant idonei ad rem intelligendã: neque erant quales externi iudices legum periti & artis diceñdi, utpote quod complures eorum essent ex priuatis rudibus & indoctis: uide quomodo eos facit fide dignos, ut qui primùm sanctos appellârunt. Sed quoniam hoc eis ferebat testimonium de uitæ puritate, non autem de solertia & perfectione in audientibus, uides quemadmodum hæc quoque tractet partem sic dicens, *An nescitis quod sancti mundum iudicabunt?* Tu ergo qui es eos aliquando iudicaturus, quomodo nunc sustines ab illis iudicari? iudicabunt autem non ipsi sedentes, & rationem exigentes, sed cõdemnabunt. Hoc quidem certè significans, dicebat. *Et si in uobis iudicatur mundus indigni estis qui de minimis iudicetis.* Nõ dixit à uobis, sed inter uos: sicut quado dicit, *Regina austri surget, & condemnabit generationem hanc.* &, *Viri Niniuite surgent, & condemnabunt generationem hanc.* Quando enim eundem Solem uidentes, & earundem rerum omnium participes, nos quidem inuenti fuerimus credidisse, illi autem non credidisse, non poterunt confutere ad ignorationem. Eos enim ipsos accusabimus per ea quæ fecimus: & eiusmodi quisquam illic multa inueniet iudicia. Deinde ne uideretur cuiquam de aliis dicere, uide quomodo commune facit quod dicitur. *Et si in uobis iudicatur mundus, indigni estis minimis iudiciis.* Res, inquit, uobis probrum & dedecus affert ineffabile. Nam quoniam erat uerisimile eos pudere quod iudicarentur ab iis qui sunt intus, contra uero, inquit, est uobis dedecus quado iudicamini ab externis: illa enim sunt minima iudicia, non autè hæc. *Nescitis quod Angelos iudicabimus?* *Quanto magis secularia?* Quidam dicunt hic tacitè innui sacerdotes. Sed absit. Loquitur enim de dæmonibus. Nam si de corruptis diceret sacerdotibus, eos innuisset superiùs cum dixit, In uobis iudicatur mundus. Nouit enim scriptura etiam malos homines uocare mundum: & non iterum hoc dixisset, neque tanquam maius aliquid dicens, ipsum postea posuisset: sed de illis dicit Angelis, de quibus dicit Christus. *Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo & Angelis eius: & Paulus, Angeli eius transfigurantur tanquam ministri iustitiæ.* Nam quando ipsæ potestates incorporate inuentæ fuerint minus habere quàm nos qui carne sumus induti, grauiores dabunt pœnas. Si qui autem adhuc contendant eum dicere sacerdotes, rogemus quosnam sacerdotes? Eos planè qui in iis ambulauerunt quæ ad uitam transigendam pertinent. Quomodo ergo dicit, Angelos iudicabimus: minimè autem secularia, nempe ea quæ ad uictum pertinent: ad distinctionem eorum quæ ad uictum pertinent ponens Angelos: & merito, ut qui ab eorum usu sint remoti propter naturæ exuperationem. *Secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in ecclesia, illos constituite ad iudicandum.* Cum hyperbole & exuperatione nos uolens docere, quod quidquid sit nõ oporteat nos externis dare, mota quæ uidebatur esse obiectione, antè eam soluit. Nam quod dicit est eiusmodi. Fortasse dicit quisquam nullum esse inter uos sapientem, neque qui ad discernendum & diiudicandum sit idoneus. Et quid tum? Nam & si nullus, inquit, sit sapiens, uos minimis permitтите. *Ad uerecundiam uestram dico.* Est refellentis eorum obiectionem, ut quæ sit excusatio & prætextus superuacaneus. Et idè subiunxit, *Sic non est inter uos sapiens quisquam.* Tanta est, inquit, inopia, tanta apud uos raritas uirorum intelligentium? Quod autem subiunxit, maiorem infert plagam. Nam cum dixisset, Sic non est inter uos sapiens quisquam, subiunxit, *Qui possit iudicare inter fratrem suum.* Nam quando frater cum fra-

Iudicare pro condemnare.

Mat. 12. Luc. 11.

Mundus dicitur mali homines. Mat. 25. 2. Cor. 11.

tre iudicio contendit, intelligentia & solertia non est A opus litis arbitro, cum affectio & cognatio magnam o-
pem afferat ad soluendam huiusmodi contentionem.
Sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles.
Vidisti quomodo ab initio non vtiliter criminatus est
eos qui iudicant, appellans iniquos, hic autem ad eos
pudore afficiendos, dicens infideles, est enim admo-
dū turpe si ne fratribus quidem sacerdos esse possit au-
tor reconciliationis, sed necesse sit currere ad externos.
Quamobrem dicens, cōtemptibiles, qui sunt, non hoc
dicit præcipuè quòd oporteat eos qui sunt abiecti con-
stituere, sed eos tangens. Nam quòd iis qui possunt dis-
cernere ac diiudicare permittere oporteat, significauit
dicens, *Sic non est inter vos sapiens quisquam*, & ex abun-
dantia os obstruens, & dicens quòd etsi nullus esset sa-
piens, vos insipientibus magis oporteret permittere au-
diētiam, quàm iudicare externis. Quomodo enim non
est absurdum, si domi quidem sit contentio, nullum
vocare externum, sed crubescere si quæ sunt spargan-
tur apud externos: vbi est autem ecclesia arcanorum
mysteriorum thesaurus, omnia foras efferri? *Sed frater
cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles.* Duplex
est crimen: & quòd iudicio contendit, & quòd apud
infideles. Si enim per se est peccatum cum fratre iudi-
cio cōtendere, etiam apud externos cōtendere quàm-
nam habet veniam? *Iam quidem omnino delictum est in
vobis quòd iudicia habetis inter vos.* Vidisti vbi nam id re-
feruarit, & quàm opportunè hoc sustulerit. Sic enim di-
co, inquit. Aliquis iniuriam facit, aut aliquis iniuriam
patitur. Iam eo ipso quòd iudicio contenditur vterque
malè audit, & in hoc non est alius alio melior. An au-
tem iustè aut iniustè iudicio contendat, hoc est alterius
disputationis. Ne dicas ergo, Quis fecit iniuriam? hinc
enim te condemno, nempe ex eo quòd iudicio con-
tendas. Si est autem crimen quòd ferre non possit eum
qui facit iniuriam: etiam iniuriam facere, quanta di-
gnum est accusatione? *Quare non magis iniuriam accipi-
tis? Quare non magis fraudem patimini. Sed vos iniuriam
facitis & fraudatis, & hoc fratribus.* Rursus crimen est du-
plum: fortasse autem & triplum & quadruplum. Vnum
quidem, nescire ferre cum iniuria sit affectus. Secun-
dum autem, etiam iniuriam facere. Tertium autem ini-
quis de his permittere cognitionem. Quartum autem,
hoc facere fratrem. Neque enim similiter iudicantur
peccata, quando admittuntur in quemlibet & in mem-
brum proprium: hoc enim à maiore admittitur impu-
dentia: & illic quidem est conculcata sola rei natura,
hic autem etiam personæ qualitas. Cum itaque à com-
munibus rationibus eos affecisset pudore, & ante eas à
propositis præmiis, minis concludit adhortationem.
*An nescitis quòd iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite
errare: neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulte-
ri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque auari,
neque fures, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces re-
gnum Dei possidebunt.* Quid dicis? De auaris hominibus
loquens, sceleratorum hominum tãtam induxisti mul-
titudinem? Maximè, inquit. Sed non confundens ora-
tionem hoc facio, sed ordine procedens. Sicut enim
loquens de fornicatoribus, omnium simul meminit:
ita rursus auari facta mentione, omnes adducit in me-
dium, ad reprehendendum assuefaciens eos qui sibi eo-
rum sunt conscij. Nam in aliorum memoria sitam per-
petuò audire punitionem, efficit vt faciliè admittatur
reprehensio, cum aduersus sua peccata se exuerit decer-
taturus. Neque enim hic tanquam hæc de eis sciens,
neque tamen reprehendens ac conuincens, intentat
minas: quod quidem vel maximè sufficit ad retinen-
dum auditorem, & ad non dimittendum vt resiliat,

Sacerdos
debet esse
fratribus
auctor re-
concilia-
tionis.

Ecclesia
arcanorū
mysterio-
rum the-
saurus.

In vno
crimine
crimen
multi-
plex.

quando ad ipsum non dirigatur oratio, sed indefinitè
dicta latenter eius ferit conscientiam. *Nolite errare.* Hic
tacitè innuit quosdam dicentes, quod nunc quoque
multi dicunt, Deus cum sit benignus, clemēs & bonus,
delicta non persequitur: ne timeamus. Nam de nulla
re à nemine vnquam pœnam exigit. Et propterea di-
cit, Nolite errare: est enim extremi erroris & deceptio-
nis, cum bona sperâris cōsequi contraria: & ea de Deo
suspiciari, quæ ne de homine quidē cogitaueris. Quam-
obrem dicit Propheta ex eius persona, Existimasti ini-
quitatem quòd ero tui similis, arguam te, & statuiam
contra faciem tuam iniquitates tuas. Hic quoque Pau-
lus, neque fornicarij, eum qui iam fuerat condemnatus
primūm ponit. *Neque adulteri, neque molles, neque ebriosi
regnum Dei possidebunt.* Multi hunc locum reprehende-
runt, tanquam nimis asperum: siquidem ponit ebrio-
sum & maledicum cum adultero, & muliebria passio, &
masculorum concubitorum: quanquam non sint paria
crimina. Quomodo ergo ea idem merētur supplicium?
Quid ergo dicemus? Imò verò non est paruū crimen
ebrietatis & maledicentia. Nam Christus etiam eum
qui fratrem vocarat fatuum, gehennæ tradidit: sepe e-
nim ex ea mors extitit. Populus quoque Iudæorum
grauissima admisit peccata ex ebrietate. Deinde non
agitur nunc ab eo de supplicio, sed de lapsu à regno. An
autem in gehenna aliquam sint habituri differentiam,
non est præsentis temporis quærere. Non est enim nūc
hoc nobis propositum. *Et hæc quidem fuistis: sed ablu-
ti estis, sed sanctificati estis.* Valde appositè eos pudore
suffundens subiunxit, dicens: Cogitate à quantis malis
vos Deus eripuit: quantam suæ benignitatis & clemen-
tia vobis exhibuit experientiam & demonstrationem:
& neque vsque ad solam à malis liberationem vos est
remuneratus: sed longè amplius suam prouexit benefi-
centiam: etenim mundum fecit. Nunquid autem hoc
solum? Nequaquam: Sed etiam sanctificauit. Sed ne-
que hoc solum, verum etiam iustificauit. Atqui veli
peccatis esse liberatum magnum est donum: nunc au-
tem etiam bonis impleuit innumerabilibus. Et hoc fa-
ctum est, *In nomine domini nostri Iesu Christi.* Nō in hoc,
nec in illo, sed in spiritu Dei nostri. Hæc ergo scientes o
dilecti, & accepti beneficij magnitudinem cogitantes
maneamus modestè ac temperanter viuentes, & ab iis
quæ enumerata sunt mundi, & quæ sunt in foris ex-
ternis iudicia fugiamus, & quæ ingenuitatem & gene-
ris nobilitatem nobis Deus donauit conseruemus. Co-
gita enim quanti sit probri ac dedecoris tibi iura dan-
tem sedere Græcum. Quid ergo, inquit, si iniustè & præ-
ter leges is qui est intus iudicet? Quamobrem dic qua-
sor? Per quas leges iudicas Græcus, & per quas Christia-
nus? An non est perspicuum quòd per hominum qui-
dem leges iudicat Græcus: per Dei autem leges Chri-
stianus? Hic ergo magis est iustum. Nam ex cœlis de-
missæ sunt leges. Nam in externis quidem, cum iis quæ
dicta sunt, multa alia licet suspicari, & vim dicendi ora-
torum, & sordes magistratum, & multa alia quæ ius
possunt corrumpere. Hic autem nihil tale. Quid ergo,
inquit, si dynasta ac potens sit aduersarius. Propter hoc
ipsum verò hic maximè oportet in iudicio contendere.
In externis enim iudiciis te omnino crit superior.
Sin autem non patitur, sed etiam eos qui sunt intus
despicit, & te inuitum vi foras trahit, melius est quod
necessariò es passurus, lubens subire, & non iudicio
contendere, vt etiam mercedem habeas. Nam si
quis velit tecum iudicio contendere, & tuam tunicam
accipere, dimittes ei etiam pallium: & sis beneuolus ac
cōsentiens aduersario tuo citò dum es in via. Et quid o-
pus nostra dicere? Nā ipsi quoque patroni externorum iudi-

Pecunia-
rū amor
perditus
quid fa-
ciat.

1. Tim. 1.

Hic sup.

Diabolus
nō autem
Iob fuit
victus.

Iniuria
affici non
est graue.

iudiciorum, millies hæc dicunt, melius esse foris lites A
componere. Sed o pecunias, imò verò o perditum &
scelestum amorem pecuniarum! Omnia enim euertit
& prosternit: nugæque & fabulæ sunt multis omnia
propter pecunias. Et quòd rebus quidē ad victum per-
tinentibus sint addicti, qui in iudiciis molesta exhibent
negotia, non est mirum. Quòd autem multi ex iis qui iis
renunciarunt eadem faciant, hoc est quod omni priua-
tum est venia. Nam si velis videre quantum te abesse o-
porteret ab hoc vsu, iudiciorum inquam, & scire quid iu-
beat scriptura, & quibus sint leges constitutæ, audi quid
dicat Paulus: Iusto non est lex posita, sed iniustus & non
subditis. Si autem hoc dicit de Mosaica, multò magis
de externis. Atque si quidem iniuriam facias, est perspi-
cuum quòd non sis iustus. Sin autem iniuria afficiaris, &
feras, hoc enim est maximè iusti, nihil opus habes ex-
ternis legibus. Et quomodo, inquit, ferre poterò iniuria
affectus? Atqui Christus præcepit quod esse eo maius.
Non solum enim iussit iniuria affectum ferre, sed ei et-
iam assatim erogare qui facit iniuriam: & patiendi ala-
critate superare cupiditatem eius qui malefacit. Non e-
nim dixit, Ei qui vult iudicio contendere, & tunicam
tuam accipere, dimitte tunicam, sed cum illa da etiam
pallium. Vince enim, inquit, eum malè patiendo, non
malè faciendo. Hæc est enim aperta & clara victoria.
Quamobrem procedens quoque dicebat Paulus. Iam
enim, inquit, delictum est vobis quòd iudicia habetis
inter vos. Et cur non potiùs iniuriam accipitis. Nam
quòd is qui iniuria afficitur, magis vincit quàm is qui
nō patitur iniuria affici, hoc vobis planum faciam. Nam
qui non fert iniuria affici, si eum in iudicium traxerit, &
si eum superauerit, tunc est maximè victus. Nam quod
nolebat passus est: eum enim coëgit aduersarius & do-
lere, & iudicio contendere. Quid enim quòd vicisti?
Quid quod vniuersas recepisti pecunias? Quod nolebas
interim sustinuisse, vt qui sis coactus iudicio contende-
re. Sin autem tuleris iniuriam, vincis, pecuniis quidem
priuatus, nequaquam autem victoria quæ est ob hanc
philosophiam. Neque enim ille coëgit te facere quod
nolebas. Et quòd hoc sit verum, dic mihi quæso quis
vicit? Qui iacebat in sterquilinio. Quis victus est? Iob-
ne cui ablata sunt omnia, an qui omnia abstulit diabo-
lus? Est perspicuum quòd diabolus qui omnia abstulit:
Quemnam admiramur ob victoriam, diabolūne qui
percussit, an Iob qui fuit percussus? Est perspicuū quòd
Iob. Atqui pereuntes pecunias nō potuit retinere: non
suos seruare liberos. Et quid dico pecunias & liberos?
Corporis sui salutem non potuit adipisci, exactissimè
autem & accuratissimè tenuit pietatem. At pereuntibus
liberis non opem tulit. Et quid tum? Eos clariore red-
didit quod accidit. Sibi quoque conuictis & contume-
liis appetito sic opem tulit. Si autem non malè passus,
& à diabolo iniuriis affectus esset, non præclaram illam
victoriam fuisset consecutus. Si malum esset iniuria af-
fici, non hoc nobis iussisset Deus. Mala enim non iubet
Deus. An non est ipse Deus gloriæ? nec nos voluisset
in probum ac dedecus irrationemque & damnum ac
noxiam conicere, sed ea quæ sunt contraria concilia-
re. Propterea iubet nos iniuria affici, & nihil non facit
vt nos abducat ab iis quæ ad hanc vitam pertinent, &
persuadeat quid sit gloria, quid dedecus, quid damnum
& quid lucrum. At graue est iniuria affici, probriusque
& contumeliis appeti. Non est, non est graue o homo:
aliquantisper ad præsentia stupes & es attonitus. Nam
si graue esset, Deus non iussisset. Considera autem. Qui
fecit iniuriam, abiit habens pecunias: sed malam etiam
habens conscientiam. Qui est autem iniuria affectus,
abiit quidem pecuniis priuatus, sed habēs apud Deum
Chryso. tom. 4.

fiduciam, quæ est possessio omnibus thesauris pretio-
rior. Hæc ergo scientes libero animi arbitrio philoso-
phemur, nec eadem nobis accidant quæ stultis, qui tum
non existimant se iniuria affici, quando hoc eis accide-
rit à iudiciis: contra autem vniuersum est planè dam-
num maximum, quando non nostra sponte, sed inde
superati, philosophamur, nihil lucri referre superatum
à iudicio: est enim hoc necessitatis. Quænam est ergo
præclara victoria? Quando tu despexeris, quando iu-
dicio non contenderis. Quid dicis, Ablatæ sunt, in-
quit, omnes meæ facultates, & iubes silere? Probris &
contumeliis sum appetitus, & me placidè ferre iubes?
Et quomodo poterò? Facillimè quidem, si cœlum sus-
pexeris, si hanc videris pulchritudinem, & vbi pollici-
tus est Deus te suscepturum si generoso & forti animo
feras iniuriam. Hoc fac, & cœlū suspiciens cogita quòd
factus es similis ei qui sedet super Cherubim. Nam ille
quoque contumeliis est affectus, & tulit, & probris est
appetitus, & non est vltus: fuit verberatus, & non est
persecutus, sed etiam eis reddidit contraria, vt qui eos
qui hæc fecerant innumerabilibus affecerit beneficiis:
& nos iussit sui esse imitatores. Cogita quòd egressus es
nudus ex vtero matris tuæ, & nudus reuerteris, & tu &
qui te affecit iniuria: imò verò ille cum plagis innume-
rabilibus quæ vermes pariunt. Cogita quòd præsentia
sunt ad tempus. Considera maiorum sepulchra. Disce
apertè quæ facta sunt: & videbis quòd te fecerit fortio-
rem qui tibi fecit iniuriam. Suam enim affectionē red-
didit grauiorem, nempe auaritiā & pecuniæ cupidi-
tatem, tuam autem imbecilliorē, ablato bestiarū ali-
mento. Ad hæc accedit quod te liberauit à solitudini-
bus, ab animi angore, ab invidia calumniatorum, à tur-
ba & tumultu, & perpetuo metu: & malorum colluui-
onem in suum caput conegit. Quid verò, inquit, si cum
fame collucter? Cum Paulo hoc pateris qui dicit, Ad
hanc vsque horam & esurimus, & sitimus, & nudi sum-
us. At ille propter Deū, inquit. Et tu propter Deum.
Quando enim non persequeris, propter Deum hoc fa-
cis. At is qui fecit iniuriam, in deliciis degit cum diui-
tibus, vel potiùs cum diabolo. Sed tu coronaris cum
Paulo. Ne famem ergo timeas. Non enim fame neca-
bit dominus animas iustorum. Et alius rursus dicit, Iac-
ta in dominum curam tuam, & ipse te enutriet. Nam si
passeres agri nutrit, quomodo te non nutriet? Ne simus
ergo modicæ fidei, neque pusillanimi o dilecti. Nam
qui regnum cœlorum est pollicitus, & tam multa bona,
præsentia quomodo nō dabit? Ne superflua appetamus,
sed sufficientiam, & ea esse contentum mordicus te-
neamus, & semper erimus diuites. Tegumenta quæra-
mus & alimentata, & omnia apprehendemus, & ea, &
iis multò maiora. Si autem adhuc doles, & deorsum
incuruaris, vellem tibi eius qui fecit iniuriam post vi-
ctoriam ostendere animam, quomodo fiat cinis. Res
enim eiusmodi est peccatum. Quandiu quidem est in
operatione, aliquam præbet voluptatem. Quando au-
tem fuerit perfectum, tunc parua recedit voluptas, suc-
cedit autem ægritudo animi. Hæc etiam patimur quan-
do aliquos contumelia affecerimus: postea quidem cer-
tè nos ipsos accusamus. Ita etiam quando per fraudem
plusquam oporteat acquisierimus, lætamur, postea au-
tem pungimur à conscientia. Vides apud istum aut il-
lum domum pauperis? Desce non illum qui est priua-
tus, sed eum qui accepit. Non enim dedit, sed accepit
malum. Nam illum quidē priuauit præsentibus, seipsum
autem eiecit à bonis ineffabilibus. Nam si is qui non
dedit egentibus, abiit in gehennam, quid patietur is qui
bona accipit egentium. Et quid est, inquit, lucri cum
malè fuero passus? Magnum quidem certè lucrum,
N

Qui imi-
tiam fecit,
beneficio
afficit.

Sup. 4.

Prou. 10.
Psal. 54.

propter nos facta sunt in hoc sumus multo viliores. Nam & cœlum, & terra, & mare, & flumina sunt nobis stabiliora: & nonnulla etiã ex brutis. Nã & cornix, & genus elephãtorum, & multa alia, longiori tempore fruuntur hac vita quã nos. Nobis autẽ est vita & breuis & laboriosa, non autem illis: imò verò est & longa, & ab animi ægritudine & curis magis libera. Quid ergo, dic quæso, seruo sine fecit meliores & præstantiores dominis? Noli hæc, noli hæc existimare. Neque sis o homo inops mentis: neque ignores Dei diuitias, cum talem habeas dominum. Etenim ab initio Deus te voluit facere immortalẽ, sed tu noluisti: etenim illa erant ænigmata & tacite significationes immortalitatis, cum Deo cõsuetudo & collocutio, vita nõ laboriosa nec afflicta, liberum esse à tristitia, curisque & laboribus & ab aliis temporalibus. Neque enim vestimẽtis egebat Adam, neque tecto, neque aliqua alia eiusmodi cõstructione: sed erat magis similis Angelis, & multa præsciebat ex futuris, & multa repletus erat sapientia, & quod latenter fecit Deus, hoc ille cognouit. Et ideo dicebat, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea. Labor autem postea ortus est, postea sudor, postea pudor, & timor, & non habere dicendi libertatẽ & fiduciam. Tunc autem non erat tristitia, non dolor, nõ gemitus. Sed non permansit in illa dignitate. Quid ergo, inquit, faciam ego? Propter illum pereo. Certẽ non propter illum. Neque enim tu mansisti non peccãas: sed si non idem peccatum, alterum certẽ admisisisti. Alioqui autẽ neque à supplicio accepisti damnium, sed lucrum. Nam si perpetuò quidem mansurus esses mortalis, aliquã fortẽ rationem haberet quod dictum est. Nunc autem animaduerte hoc dictum, quòd nisi mortale corpus habens Adam peccasset, simile ei quod dictum est apud Theologum, medium inter magnitudinem & humilitatem, nõ re vera factus esses immortalis. Nunc autẽ es immortalis: & si velis, plusquam sol lucere poteris. Sed nisi mortale, inquit, corpus accepissem, non peccassem. Quid verò, dic quæso, illene habens mortale corpus peccauit? Nequaquam. Non enim si fuisset mortale, pro supplicio postea mortẽ sustinuisset. Quòd autem neque mortale corpus sit impedimento ad virtutem, sed & castiget, & plurimum conferat, hinc est perspicuum. Nam si expectatio immortalitatis solummodo sic Adamum extulit, si re vera fuisset immortalis, quò non processisset amentia & insolentia? Et nunc quidem si peccaris, potes peccata soluere, cum corpus sit humile, & demissum, & dissoluatur: hæ enim cogitationes sufficiunt ad castigandum & deducendum ad moderationem. Sin autem peccasses in immortalis, stabiliora & durabiliora futura essent peccata. Causa ergo peccati non est mortalitas, ne ipsam accuses, sed mala ex libero arbitrio profecta electio, quæ est radix malorum. Cur enim Abelem nulla iniuria affecit corpus? Cur nihil profuit dæmonibus quòd essent incorporei? Vis scire quòd corpus effectum mortale non solum non læsit, sed etiam iuuat? Audi quantum ex eo lucreris si sis sobrius. Te retrahit & auellit à vitio, mœroribus, doloribus, & laboribus, & aliis huiusmodi. At te adducit, inquit, ad scortationem nõ corpus, sed incontinentia. Nam hæc quidem quæ dixi sunt omnino corporis. Quamobrem fieri nõ potest vt homo qui in hanc vitam venerit non egrotet, & doleat, & angatur animo: fieri autem potest vt non scortetur. Quamobrem si essent naturæ corporis ea quæ sunt vitij, ea esset vnuerse. Sunt enim eiusmodi quæ sunt naturalia. Scortari autem nõ est eiusmodi. Sed hinc quidẽ est dolere: scortari autem est ex electione liberi arbitrij. Ne accuses ergo corpus. Ne tuum honorẽ auferat diabolus quem tibi dedit Deus. Nã si velimus, optimũ frenum erit corpus, animi

Homo non lucet esse immortalis.

Gen. 2.

Ex morte lucrum accipit homo.

Corpus retrahit & auerit à vitio.

insultus reprimens, insolentiam conuellens, arrogantiam prohibens, in maximis & optimis rebus gerendis nobis inseruiens. Ne mihi enim dixeris eos qui furiant. Nam multos etiam videmus equos ferri per præcipitia, auriga deturbato simul cum freno: sed frenum non accusamus. Non enim illud diuulsam hoc effecit: sed auriga qui non retinuit, omnia perdidit. Ita hic quoque reputa. Si videris iuuenem in orbitate degentem, & mala facientem innumerabilia, ne culpam conferas in corpus, sed in aurigam qui trahitur, nempe in rationem. Quomodo enim habena non exhibent negotium aurigæ, sed omnium causa est auriga, qui non recte eas tenet: Quamobrem & pœnas ab eo exigunt, vt quæ cum eo confligant, & eum attrahant, & cogant esse participem sui infortunij. Ita hic quoque. Nam ego quidem, inquit, os equi loris regebam quandiu tu tenebas. Postquam autem proiecisti, exigo à te pœnas tui contemptus, tecumque configo, & attrahor, ne id amplius mihi accidat. Nemo ergo culpam conferat in habenas, sed in se & mentem corruptam. Etenim in nobis est auriga ratio: corpus autem habena, quæ equos ducunt ad aurigam. Atque si ea quidem recte fuerint affecta, nihil tibi graue accidet. Sin autem eas dimiseris, aboleuisti, & perdidisti omnia. Sinus ergo modesti & temperantes, & corpus ne accusemus, sed malam mentem: est enim hoc opus diaboli, efficere vt stulti magis omnia accusent, nempe & corpus, & Deum, & proximum, quam mentem corruptam: ne si causam inuenerint, liberentur à radice malorum. Sed vos cum cognoscatis iniurias, in eum iram conuertite: & cum aurigam vehiculo præfereritis, mentis oculum ad Deum conuertite. Nam in aliis quidem is nihil affert qui proposuit certamen, sed expectat finem. Hic autem omninò Deus est agonotheta. Eum ergo habeamus propitium, & omnia bona futura consequemur.

ORATIO DECIMOCTAUA.



NESCITIS quòd corpora vestra membra sunt Christi: tollens ergo membra Christi, facitis membra meretricis? Absit. Cum à fornicatore transisset ad auarum, rursus ab hoc venit ad illum, de cætero non amplius cum eo differens, sed cum aliis qui non fuerant fornicati: & eos muniens ac tutos reddens ne in eadem incidant, illum rursus tangit. Nam qui peccauit, etiam si ad alium dirigas orationem, pungitur excitata conscientia, & ipsum flagellante. Atque sufficiebat quidem metus supplicij ad eos in temperantia & pudicitia continendos. Sed quoniam nolunt solo metu in his se recte gerere, & minas adhibet & rationes. Atque illic quidem cum dixisset peccatum, & supplicium definiisset, & ostendisset damnium quod omnibus infertur ex concubitu fornicatoris, destitit, & transit ad auarum: & minatus fore vt à regno excidant & iste & cæteri quos recensuit, ita absoluit orationem. Hic autem terribilius aggregatur admonitionem. Nam & qui solum castigat peccatum, & non ostendit id esse iniquissimum, nihil eiusmodi facit à supplicio: & qui rursus solum pudorem inuitit, & non terret, non valde eos tangit qui non sunt sensu præditi. Quamobrem vtrunque facit Paulus, & pudorem inuitit, dicens: Nescitis quòd Angelos iudicabimus: & terret dicens. An nescitis quòd auarum regnum Dei non possidebunt? Et rursus in fornicatorem sic vsus est oratione. Nam & cum eum terruisset per ea quæ prius dixit, & eum excidisset, & satanæ tradidisset, & dici futuram eum admonuisset, rursus pudore afficit dicens. Nescitis quòd corpora vestra membra sunt Christi? tãquam cum ingenuis filiis deinceps loquens.

Paulus pudorem inuitit, non solum ex magnis sed etiam ex paruis.

Magno non est in Græco.

Nam quoniam dixit, Corpus autem domino ipsum, nunc ostendit apertius. Hoc ipsum autem alibi quoque facit, dicens. Vos autem estis corpus Christi, & membra ex parte. Et hoc ipsum exemplum ponit multis in locis, sed non in iisdem: sed aliquando quidem vt ostendat charitatem: aliquando autem vt augeat timorem. Hic autem ipsum posuit terrens & timorem incutiens. Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. Nihil est hac distione terribilius. Neque verò dixit, Tollens ergo membra Christi, coniungam cum meretrice. Sed quid? faciam membra meretricis? Quod quidem magis pungebat. Deinde adstruit quomodo hoc fiat fornicator, sic dicens. An nescitis quòd qui adheret meretrici vnum corpus efficitur? Vndenam est hoc perspicuum? Erunt enim, inquit, duo in carne vna. Qui autem adheret domino, est vnus spiritus. Nequaquam enim permittit coitus vt duo sint duo, sed ambos vnum facit. Vide autem rursus quomodo per nuda procedit nomina, per meretricem & per Christum deducens accusationem. Fugite fornicationem. Non dixit, Abstinetes à fornicatione, sed fugite: hoc est, studium ponite vt à malo liberemini. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est. Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Hoc est minus priore. Sed quoniam ab eo agebatur de fornicatoribus, vndique id extollit, & à maioribus & à minoribus crimen amplificãas. Illud quidem prius dictum est religiosioribus: hoc autem imbecillioribus. Nam hoc quoque est Pauli sapientia, pudorem incutere non solum ex magnis, sed etiã ex minoribus, & ex eo quod est turpe & indecorum. Quid verò, inquit, homicida, nõ manum polluit? Quid verò auarus & raptor? Cuius est perspicuum. Sed quoniam non poterat dici nihil esse peius fornicatore, aliter id amplificauit, dicens, In fornicatione totum corpus sit sceleratum & execrandum. Tanquam enim incidens in lebetem immunditiam, sordibusque & inquinamento tinctum, sic polluitur. Est autẽ hic quoque noster mos. Nam ab auaritia quidem, fraude & rapina non curat quisquam ire in balneum: sed citra vllum discrimen redit domum. A concubitu autem cum meretrice, tanquam totus effectus immundus, venit ad lauandum. Ita turpiorem quandam existimationem ex hoc peccato habet conscientia. Atque sunt vtraque quidem grauiora & auaritia & fornicatio, & iniiciunt in gehennam. Sed quoniam Paulus omnia facit certo cõsilio ac dispensatione, iis quæ habuit amplificauit crimen fornicationis. An nescitis quòd membra vestra templum sunt spiritus sancti? Nõ absolute dixit, Spiritus, sed, Qui est in vobis: quod quidem erat consolantis. Et rursus exponens subiunxit, Quem habetis à Deo. Et eum qui dedit posuit, simul & sublimem reddens auditorem, & terrens tam magnitudine depositi quã magnificentia eius qui deposuit. Et non estis vestri. Hoc non solum est eius qui pudore suffundit, sed eius etiam qui cogit ad virtutem. Quid enim, inquit, quæ vis facis? Non es tui dominus. Hoc autem dicebat non tollens liberum arbitrium. Etenim cum dixisset, omnia mihi licent, sed non omnia expediunt, nõ nostram sustulit libertatem. Et hic rursus scribens, Non estis vestri, non liberam destruit electionem. Sed abducit à vitio, & indicat curam quam gerit dominus. Et ideo subiunxit. Empti enim estis pretio. Si autem non sum meus, quomodo à me exigis quæ sunt agẽda? Quomodo autem procedes rursus dicis, Glorificate autẽ Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro? Quæ quidẽ sunt Dei. Quid ergo est illud, Non estis vestri, & quid per id vult adstruere? Vt nos muniat & nobis caueat ne peccemus, neque sequamur mala & absurda animi desideria. Multa enim volumus mala & absurda, sed ea oportet arcere ac reprimere.

Chrysost. tom. 4.

re: nam possumus. Si autem non possumus, superuacanea est admonitio. Vide ergo quomodo munierit tutumque reddiderit. Nam cum dixisset, Non estis vestri, non dicit, subiecti estis necessitati, sed, Empti estis pretio. Cur hoc dicis? Atqui aliunde, dixerit fortẽ quispiam, oportebat adhortari, ostendendo nos habere dominum. Sed hoc quidem nobis cum Græcis quoque est commune. Illud autem, Empti estis pretio, nostrum est proprium & præcipuum. In memoriam enim reuocat magnitudinem beneficij, & modum salutis, ostendens quòd cum essemus alienati, empti sumus: & non absolute, sed pretio. Glorificate autem Deum, & portate in corpore vestro & in spiritu. Hæc autem dicit vt non corpore solum fugiamus fornicationem, sed etiam in spiritu animæ nihil mali cogitemus, neque gratiam abigamus. Quæ quidem sunt Dei. Nam quoniam dixit vestro, propterea subiunxit, Quæ sunt Dei: assidue nos admonens, omnia esse domini & corpus & animam & spiritum. Enimuerò dicit aliqui, illud Spiritu, idem dicere quod gratia seu dono. Nam si illud sit apud nos, Deus glorificatur: erit autem si habemus cor mûdum. Dei autem ea esse dixit, non quoniam produxit ea solum, sed etiam quoniam cum essent alienata, ea secundo rursus acquisiuit, filij sanguine deposito. Vide quomodo in Christo omnia absoluit: quomodo nos in cœlum extulit: Membra estis Christi, inquit: templum estis spiritus. Ne sitis ergo membra meretricis: Non enim corpus vestrum probro afficitur, non est enim corpus vestrum, sed Christi. Hæc autem dicebat simul & benignitatem ostendens, quòd eius sit corpus nostrum, & à maligna potestate nos eripiens. Nam si est alienum corpus, non est, inquit, in vestra potestate alienum corpus probro & iniuria afficere, maximè cum sit dominicũ: neque polluere & inquinare templum spiritus. Si quis enim priuatam domum ingressus, cum eam sit ludificatus & probro & iniuria affecerit, extremum luet supplicium: qui regis templum latronis fecerit receptaculum, cogita quot mala sit passurus. Hæc ergo cum cogitãris, reuertere eum qui inhabitat: is est enim paracletus. Formida eum qui est tibi connexus & conglutinatus: est enim Christus: non tu enim te fecisti membra Christi, sic cogita, & permane castus & modestus, cuius essent membra, & cuius facta sint. Meretricis membra erant antea: & Christus ea fecit membra sui corporis: de cætero ergo in ea non habes potestatem. Illi serui qui te liberauit. Neque enim si cum haberes filiam, & eam præ stultitia mercede locasses lenoni, & fecisses vt fornicaretur: deinde filius regis præfens eam & à seruitute liberasset, & sibi matrimonio coniunxisset, esset amplius in tua potestate eam ducere in prostibulum. Semel enim eam volens dedisti. Res nostra ita habet, Carnem nostram mercede locauimus diabolo seu lenoni. Videns Christus eam eripuit & liberauit à tetra illa & acerba tyrannide. Non est ergo amplius sui iuris, sed eius qui liberauit. Si velis ea vt tanquam sponsa regis, nemo est qui prohibeat. Sin ad priora duxeris, eadem patieris quæ par est eos qui contumelia affecerint. Quamobrem ea potius est exoranda quã contumelia & probro afficienda. Non enim habes potestatem carnis in malis desideriis, sed in iis solis quæ Deus iusserit. Considera ergo à quãto probro ac dedecore Deus eam liberauerit. Quauis enim meretrice turpius antea prostabat nostra natura. Latrocinia enim & cædes, iniquaque ac nefaria quauis cogitatio ad eam accedens, concumbebat cum anima, modica vilique mercede, nempe præfenti voluptate. Commista enim anima cum malis cogitationibus & actionibus, hæc solum accipiebat mercedẽ. Sed hæc quidem antea fieri graue quidem erat, sed non adeò graue.

Quòd re dempti sumus, est proprium Christianorum.

Corpus Christi probro & ignominia afficitur cum scortatur.

Post cœlum autem, post regnum, postquam reuerenda perceperis mysteria, rursus inquinari, quâmnâ habebit veniam? An non existimas & cum avaris, & cum iis omnibus quos enumeravit, diabolum simul accumbere? mulieres autem ornatas ad libidinem, non censeres cum eo coire? Et quis huic repugnabit orationi? Si quis autē contendat & cōtradicat, exuat animam mulierum quæ se adeo indecorè gerunt, & videbit planè sceleratum illum dæmonem vehementer cum eis coniungi ac commisceri: difficile est enim difficile, ô dilecti, fortasse autē etiam fieri non potest, vt sic ornato corpore simul quoque ornetur anima: sed necesse est vt si alterū curetur, alterum negligatur. Non est enim eiusmodi eorum natura vt simul fiant. Et ideò dicit, Qui adhæret meretrici est vnum corpus. Qui autem adhæret domino, est vnus spiritus. De cætero enim fit spiritus qui est eiusmodi, etiam si indutus sit corpore. Quando enim nihil corporeum, neque crassum, neque terreste circa ipsum fuerit, quomodo est indutus corpore, cùm sit totus principatus animæ & spiritus? Sic Deus glorificatur. Quamobrem in precatone quoque iubemur dicere, Sanctificetur nomen tuum: & Christus dicit, luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui est in cœlis. Ita eum glorificant etiam cœli, non vocem emittentes, sed per aspectum habitus in admiratione, & gloriam referentes in opificem. Ita nos quoque ipsum glorificemus: imò verò etiam plusquam illi. Possumus enim si velimus. Non enim cœlum, dies & nox ita Deum glorificat vt sancta anima. Quomodo enim cœli pulchritudinem quispiam intuens dicit. Gloria tibi Deus, quòd tale opus creaueris: ita etiam viri virtutem aspiciēs, hinc quoque multò magis glorificabit. Nam ex illis quidē rebus creatis nō omnes glorificant, sed multi etiam dicunt, ea quæ sunt, esse casu, aut sua sponte orta. Alij autem etiam dæmonibus tribuunt mundi fabricam, eiuſque curam ac providentiam, qui ea etiam peccata admittunt, & quibus non potest vel vix ignosci. De hominis autem virtute nemo ita fuerit impudēs: sed Deum omnino glorificabit: laudabit eum qui ipsi seruit, vidēs eum vitā degentem cum virtute. Quis enim non obstupescet, quando quispiam cùm sit homo, & cōmunis naturæ particeps, & in medio hominū versans, tanquam adamas non flectitur ab examine perturbationū: quādo cùm sit in medio ignis & ferri & bestiarū, fuerit fortior adamate, & ea superauerit propter rationem pietatis: quādo probris & cōtumeliis fuerit affectus, & bene precatur: quādo maledictis appetitus fuerit, & laudat: quādo ei fuerit insultatum, & orat pro eis qui ipsi faciunt iniuriam: quādo ei paratæ fuerint insidiæ, & beneficio afficit eos qui bellū gerūt, & ei insidiantur? Hæc enim & quæ sunt huiusmodi, multò magis Deum glorificabunt. Nam cœlum quidem vidētes Græci, non erubescunt. Sed si viderint virum sanctum philosophiam exactè ostendentem, præ pudore delitescunt, & se condemnant. Quando enim is qui est eiusmodi cuius ipsi naturæ particeps, multò magis fuerit superior quàm cœlum terra, vel inuiti cogitant diuinam virtutem hæc operari. Et ideò dicit, Et glorificent patrem vestrum qui est in cœlis. Vis etiam aliunde scire quemadmodum ex vita seruorum glorificetur Deus? quemadmodum autem ex miraculis? Iniecit aliquando Nabuchodonosor tres pueros in fornacem. Deinde quoniā vidit ignē eos nō superasse, dicit, Benedictus Deus qui misit Angelū suū, & eripuit pueros suos ex fornace: quoniā in eo cōsiderunt, & verbū regis alterauerunt. Quid dicis, contemptus fuisti, & admiraris eos qui te sunt aspernati? Certè, inquit, & propter hoc ipsum quòd fui contemptus: & miraculi hanc statuit

esse causam. Quare nō propter signum solum tunc fuit Deo gloria, sed propter institutum & liberam electionem eorum qui fuerant iniecti. Si quis autem per se & hoc & illud examinauerit, hoc non minus quàm illud. A fornace enim liberauisset, nō est minus ad rationem miraculi, quàm animis persuasisset vt auerent ingredi fornacem. Quomodo enim non est dignum stupore & admiratione, quando rex orbis terræ, & tam multis armis circumseptus, habēnsque exercitus, & belli duces, & Imperatores, & Toparchas, & Consules, & terram & mare suo subiectum imperio, à pueris captiuis despicitur, & vincit eum qui vixit superant, & totum illum fundunt & profligant exercitum? Non enim potuerunt quod voluerunt rex & eius copiar, idque cū eis opem ferret fornax. Sed nudi, & serui, & peregrini, & pauci. Quid enim tribus est paucius? infinitum exercitū vincit strauerunt & expugnarunt. Iam enim mors despicietur, quoniā deinceps aduēturus erat Christus: & quomodo sole exoritur, priusquam appareat radij, fit splenda lux diei, ita etiam venturo sole iustitiæ, de cætero mors cessit. Quid illo theatro fieri poterit splendidius? Quid victoria clarius? Quid nouis trophæis insignius? Hoc fit etiam nostro tempore: & nunc rex est fornacis Babylonie: & nunc accendit flammam illa sauiorem: est nunc quoque qui iubet illam admirari imaginem. Ad sunt ei & Satrapæ, & milites, & musica delinens & incantans: & multi admirantur hanc imaginem, variam, magnam: est enim res eiusmodi auaritia, qualis illa imago, ne ferrum quidem despiciens, sed ex rebus quidem composita dissimilibus, iubens autem omnia admirari, & ars, & ferrum, & quæ sunt his multò viliora & abiectionora. Sed sicut sunt hæc, ita sunt etiam puerorum illorum amulatores, qui dicunt, Diis tuis nō seruimus, & imaginem tuam nō adoramus: sed & paupertatis fornacē sustinemus, & quamuis aliā afflictionem & miseriam pro Dei legibus. Et qui multa quidem habent, sicut & illi tunc, & eam sape adorant, & exuritur. Qui autē nihil possident, & eam despiciunt, & cū sint in paupertate, in rore magis asperguntur quàm qui viuunt in rerum omnium copia. Sicut tunc quoque qui iniecerunt, quidem conflagrunt. Qui erant autem in medio rore, erant tanquam in aqua. Et tunc quidē ille tyrannus magis vrebatur flamma irē vehementiū eum accendentis, quàm illi pueri. Nam illorum quidē ignis non potuit ne fummos quidem pilos tægere. Huius autem, igne vehementiū, mentem exussit ira. Cogit enim quantum erat in tam multorum conspectu à pueris captiuis ipsum sperni & conspui. Tunc enim ostendit, quòd eorum urbem cepit non sua virtute, sed propter multorum peccata. Nam si vincos non potuit superare, cōsque in fornacē iniectos, quomodo lege belli superasset si omnes essent tales? Vnde est perspicuum quòd multorū peccata urbem tradiderūt. Vide autem etiam quàm ab inani gloria essent alieni pueri. Non enim insilierūt in fornacē. Sed Christi præceptū multis antè sæculis seruabant dicētis, Orate ne intretis in tentationem: neque fugerūt postquam ducti sunt, sed forti & generoso animo steterunt in medio, & neque non vacante decertantes, neque vocate molles & ignaui: sed ad omnia parati, fortes & generosi, & omni pleni fiducia. Audiamus etiam quid dicat, vt hinc discamus philosophicum eorum animum. Est Deus in cœlis potens

Cum avaris
bis diabolus.

Matt. 6.
Ibid. 5.

Cœli Dei
glorificat.

Matt. 5.

Dan. 3.
Ex pueris
in fornacem
iniec-
tus Deus
glorifica-
tur.

Cur pueri
in fornacem
iniec-
ti non
fuerint
futurum.

Vir fortis
lenis &
modestus
fit oportet.

Matt. 4.

Dan. 3.

397
nace ardente eripere. Ne eum ergo condemnes imbecillitatis quòd permittat vt cadamus: est adeo potēs, vt cūm ceciderimus, nos rursus è flamma eripiat: & si non, fit tibi notum, ô rex, quòd diis tuis non seruimus, & auream quam posuisti statuam non adoramus. Vide eos certo consilio ac dispensatione nescire futurum. Nam si præsciuisent, ne fuissent quidem admirabiles cūm fecissent quæ fecerunt. Quid enim mirum si habentes pignora salutis, aduersus graua & difficilia se audaces præstiterint? Sed glorificaretur quidem Deus, qui potuerit eiicere è fornace: illi autem non essent habitus in admiratione, vt qui non seipſos coniecissent in pericula. Propterea permisit vt ipsi nescirent futurum, vt magis eos glorificaret. Et quomodo ipsi cautionem adhibuerunt ne rex Deum damnaret imbecillitatis, si fuissent exusti: ita Deus vtrunque fecit, & suam ostendit virtutem, & effecit vt puerorum animi alacritas apparet præclarior. Quomodo ergo eos iuuat ambiguitas, & quòd non cōsiderent fore omnino vt salui essent? Propterea quòd se omnino viliores & abiectionora existimarent, & indignos eo beneficio. Et quòd non coniectans hoc dico, Cūm in fornacem iniecti essent, descebant & lamentabantur dicentes: Peccauimus, iniuste fecimus: nō licet nobis os aperire. Propterea dicebant. Et si non. Si autem non hoc aperte dixerūt, nempe quòd potens quidem est Deus nos eripere. Sin autem non eripuerit, propter peccata nostra non eripiet, ne mireris: vni enim essent apud barbaros Dei imbecillitatem tegere peccatorum suorum prætextu. Propterea cūm tantum locuti essent de eius potentia, causam non ponūt. Alioqui autem rectè erant eruditi Dei iudicia minimè curiosè inquirere. Cūm hæc ergo dixissent, ignem sunt ingressi, & neque regem affecerunt contumelia, neque euerterunt statuam. Virum enim fortem oportet esse talem, moderatum & lenem, & maximè in periculis: ne videatur ira & inani gloria talia adire certamina, sed magni & excelsi animi virtute & moderatione. Nā qui adit quidem afficiens contumelia, venit in suspicionem illorum criminum. Qui autem patiens, & tractus, & cum lenitate & māfuetudine decertat, non solum in admiratione habetur tanquam fortis & magnanimus, sed non minus etiam prædicatur ob moderationem & lenitatem. Quod ipsi quoque tunc fecerunt, & magni excelsique animi virtutem, & omnem lenitatem & mansuetudinem ostendentes, neque quidquam facientes propter mercedem & remunerationem. Et si nolit, inquit, nos eripere, Deis tuis non seruimus. Iam enim habemus remunerationem, vt qui digni simus habitus qui liberemur ab impietate, & quorum propterea cremarentur corpora. Et nos quoque iam habentes remunerationem, habemus enim, vt qui digni simus habitus qui ipsum agnosceremus, & qui essemus membra Christi, ne faciamus ea membra meretricis. In hoc enim quod est maximè terribile finienda est oratio: vt vegetum ac validum habentes minarum metum, maneamus hoc metu auro effecti puriores. Sic enim poterimus liberati à fornicatione videre Christum. Quem detur nobis omnibus liberè & confidenter illo die contemplari, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum patre &c.

ORATIO DECIMANONA.



E quibus autem scripsisti mihi. Bonum est homini mulierem non tangere: propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat: & vnaquæque suum virum. Postquam grauisissima correxit crimina: vnum quidem quòd diuelleretur ac distraheretur ecclesia: se-
Chrysol. tom. 4.

CAP. VII.

398
cundum autem eius qui fuerat fornicatus: tertium avari: deinceps mitiore vsus est oratione, & admonitione interponit & consilium, de matrimonio & virginitate: ab iis quæ sunt grauisissima quietem dans auditori. In secunda autem epistola facit contrarium: incipit enim à lenioribus, definit autem in tristiora & molestiora. Porro autem hic quoque cūm de virginitate absoluisset orationem, rursus exit ad ea quæ magis pungunt ac feriunt: non omnia deinceps ponens & per seriem, sed in vtroque varians orationem, vt postulabat tempus & vsus rerum subiectarum. Dicit itaque de quibus scripsisti mihi. Ad eum enim scripserat, oporteatne à muliere abstinere, an non: & ad ea rescribens, & de matrimonio legem ferens, inducit etiam orationem de virginitate. Bonum est homini mulierem non tangere. Si quod bonum est, inquit, & quod valde excellit quæris, melius est cum muliere nullam habere consuetudinem. Sin autem id quod est tutum, & quod opem fert imbecillitati, cōiungere matrimonio. Quoniam autem verisimile erat, quod nunc quoque fit, virum quidem velle, mulierem autem nequaquam, aut etiam contrā, vide quemadmodum de vtriusque differit. Nonnulli quidem dicūt hoc dictum esse sacerdotibus: ego autem ex iis quæ deinceps sequuntur considerans, non dixerim rem ita habere: neque enim vniuersè & in genere posuisset admonitionem. Si autem sacerdotibus solum hæc scriberet, dixisset, bonum est doctori seu magistro mulierem non tangere. Nunc autem vniuersè & in genere hoc posuit, dicens, Bonum est homini, non solum sacerdoti. Et rursus, Solutus es ab vxore: ne quæras vxorem. Non dixit, Tu sacerdos & doctor, sed indistinctè: & tota perpetuò sic procedit oratio. Cūm autem dixerit, propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat, ipsa causa concessionis deduxit ad continentiam. Vxori vir debitum reddat. Similiter & mulier viro. Quid est autem, honorem qui debetur. Mulier non habet potestatem sui corporis, sed viri est & ancilla & domina: & si defeceris ab ea quæ conuenit seruitute, Deum offendis. Si autem vis deficere & abstinere, cūm vir hoc permiserit, breui tēpore hoc fiat. Nam propterea hoc appellauit debitum, vt ostēderet nullum esse sui dominum, sed esse inter se alterū alterius seruos. Quando ergo videris te tentari à fornicatione, dic, Corpus non est meum, sed vxoris. Hæc etiam dicat mulier iis qui volunt ad eius euertendam pudicitiam agere cuniculos. Nō est meum corpus, sed mariti. Quòd si corporis potestatem nō habet maritus aut vxor, multò magis pecuniæ. Audite quæcūque habetis maritos, & quicunque vxores. Si enim non oportet corpus habere proprium, multò magis pecuniam. Atque alibi quidem dat marito primatum, & in nouo, & in veteri, dicens: Ad virum conuersio tua, & Ipse tibi dominabitur. Paulus autem sic diuidens & scribens: Viri diligite vxores: mulier autem timeat maritum. Hic autem non vtrique id quod est maius: nec id quod est minus. Quamobrem? Quoniam ab eo agebatur de pudicitia & temperantia. Nam in alijs quidē, inquit, plus habeat maritus: vbi autem de pudicitia & cōtinentia agitur, nequaquam. Vir sui corporis potestatem non habet, neque mulier. Magna est honoris æqualitas, & nulla est exuperatio. Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu. Quid hoc est? Ne contineat, inquit, mulier inuito marito: neque maritus nolente vxore. Quare? Quoniam ex hac continentia magna nascuntur mala. Nam & adulteria, & stupra, & domorum euerſiones sepe hinc ortæ sunt. Nam si etiam habentes suas vxores fornicantur, multò magis si eos priuaueris hoc solatio. Et rectè dixit, Nolite fraudare: fraudationem hinc, & debitū superius appellas, vt do-

Mulierē non tangere est melius & excellentius: vxorem ducere tutius.

Maritus & mulier sunt alter alterius seruus.

Gen. 3.

Coloss. 3.

Ephes. 5.

minij ostenderet incrementum. Altero enim inuito con-
tinere, est alterum priuare: volente autē, minimē. Non
enim si me persuaso ex meis aliquid acceperis, dico
me fraudari aut priuari. Qui enim ab inuito & per vim
coactō accipit, fraudat ac priuat. Quod quidem mul-
tā faciunt mulieres, quā maius peccatum faciunt
quā iustitiam, vt quā ea ratione sunt reā maritorum
libidinis & impudicitiae, & omnia diuellunt & trahunt
ad dissidium. Oportet autem omnibus praeferre con-
cordiam, quoniam hoc est quod omnium maximam
habet potestatem: & si vis, id in rebus ipsis examine
mus. Sit enim vxor & maritus: & contineat vxor inui-
to marito. Quid ergo si ille quidem hinc fornicetur,
aut non fornicetur quidem, doleat autem, & contur-
betur, & vratur, & pugnet, & vxori innumerabilia ex-
hibeat negotia? Quid ei prodest lucrum ex continen-
tia, si rupta sit charitas? Nihil. Quot enim maledicta,
quot negotia, quot turbas, quantum bellum hinc oriri
neceffe est? Quando enim domi inter maritum & vxor-
em fuerit dissidium, non melius se habebit domus
quā nauis agitata tempestate, dissidente gubernato-
re ab eo qui regit proram. Et ideò dicit, *Nolite fraudare
inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus: vt vacetis ieiunio &
orationi.* Hic dicens quā fit maiori studio orationem.
Si enim orare prohibet eos qui inter se conueniunt, si-
ne intermissione orare quomodo tempus habuerit? li-
cet ergo & cum vxore habere consuetudinem, & at-
tēdere orationi: sed per cōtinētiā ea fit exactior. Non
enim dixit absolute, vt orētis, sed vacetis, vt pote quod
res procreet priuationem otij, sed non immunditiam.
Et iterū reuertimini in id ipsum, ne tentet vos satanas. Ne vi-
deretur res esse legis constitutionis, addit causam. *Que-
nam autem ea est? Ne tentet vos satanas.* Et vt discas
quod non diabolus solum id facit quod est adulterij,
subiunxit: *Propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico
secundum indulgentiam, non secundum imperium. Volo enim
omnes homines esse sicut me ipsum in continentia.* Hoc facit
multis in locis quando res suadet difficiles: in medium
seipsum adducit, & dicit: Imitatores mei estote. *Sed v-
nusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, al-
ius vero sic.* Nā quoniā valde eos accusauit, dicens, Pro-
pter incontinentiam vestram, rursus eos consolatus est,
dicens, *Vnusquisque proprium donum habet ex Deo: nō
hoc significans quod id quod rectē agitur, seu bonum
opus, non eget nostro studio: sed sicut dixi antea, eos
consolans. Nam si est donum gratuitum, & homo ad
hoc nihil affert quomodo dicitis? Dico autem non nuptis &
viduis, bonum est illis si sic permanserint sicut ego. Quod si se
non continent, nubant.* Vidisti Pauli sapientiam, & quo-
modo meliorem ac praestantiorem ostendit esse conti-
nentiam: & non cogit eum qui non assequitur, timēs ne
sit aliqua prolapsio. *Melius est enim nubere quā vri.* In-
dicauit esse tyrannidem libidinis & cupiditatis. Quod
autem dicit eiusmodi. Si vim vehementem sustineas &
aestum libidinis, liberare a laboribus & sudoribus, ne
forte euertaris. *Is autem qui matrimonio iuncti sunt prae-
cipio non ego, sed dominus.* Quoniam legem disertis verbis a
Christo latā est lecturus, de vxore non dimittenda ab-
que fornicatione, propterea dicit, Non ego. Nam quā
prius quidem dicta sunt, etiam si non disertis verbis di-
cta sint, ipsi tamen ea ita videntur: at hoc quidem certē
etiam disertis verbis tradidit. Quamobrem illud ego, &
non Ego, hanc habent differentiam. Nam ne quā sunt
eius, humana esse existimes, propterea subiunxit: *Puto e-
nim quod & ego spiritum Dei habeo.* Quid est ergo quod
dominus praecepit iis qui sunt iuncti matrimonio? *Vxo-
rem a viro nō discedere. Quod si discesserit, manere innuptam,
aut viro suo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat.* Nam

Fraudare
quis dica-
tur.

Deest, iei-
unio, in
nostra vul-
gari ver-
sione.

Paulus
suadens
res diffi-
les, se ad-
ducit in
medium.
Sup. 4. &
Phil. 3.

Libidinis
& cupidi-
tatis tyra-
nis.

quoniam & propter continentiam, & propter alias
occasione, & pusilli animi scrupulos contingebat fieri di-
uisiones, melius quidem, inquit, erat, omnino non fieri.
Sed si factum sit, maneat vxor cum marito, etsi non con-
cubitu, eo tamen quod nullum alium virum adducat.
*Nam ceteris ego dico, non dominus. Si quis frater vxorem ha-
beat infidelem: & hic consentit habitare cum illa, non dimittat
illam. Et si qua mulier fidelis habeat virum infidelem, &
haec consentit habitare cum illo, non dimittat virum.* Quem-
admodum cum loqueretur de separatione a fornicato-
ribus, correctione rem reddidit facilem, dicens: Et
non utique a fornicatoribus huius mundi, ita hic quo-
que magnam curam gessit facilitatis, dicens: Si quis vel
vir vxorem, vel mulier maritum habeat infidelem, non
dimittat ipsum. Quid dicit: Si sit quidem infidelis, ma-
neat cum vxore. Sin autem fornicator, nequaquam. At-
qui fornicatio minus est peccatum quā infidelitas.
Minus quidem est fornicatio. Sed Deus suis valde par-
cit. Hoc etiam facit in sacrificio, dicens. Dimitte sacrifi-
cium, & reconciliare fratri tuo. Ita etiam illum, qui ipsi
debebat decies mille talenta non punit, de eo autem
qui a seruo centum exigebat denarios sumpsit sup-
plicium. Deinde ne timeret mulier ne propter coitum
esset immunda, dicit: *Sanctificatus enim est vir infidelis
per mulierē fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per vi-
rum fidelem.* Atqui si is qui meretrici adhæret est vnum,
est perspicuū quod etiā quā adhæret idololatræ, vñū est
corpus: vnum quidem est corpus, sed non fit immun-
da: sed vincit munditia mulieris viri immunditiam: &
rursus munditia viri fidelis, vincit immunditiam mul-
ieris infidelis. Quomodo ergo hic quidem victa est im-
munditia: & ideo permissus etiam fuit concubitus: in
muliere autem fornicante non accusatur maritus eam
eiiciens? Quoniam hic quidem spes est fore vt per ma-
trimonium salua sit pars quā perit: illic autem iam so-
lutum est matrimonium. Et illic quidē ambo corrup-
puntur, hic autem crimen est alterius: vt exempli causa
dico. Quā semel fuit fornicata, est scelerata & impura.
Si ergo qui meretrici adhæret est vnum corpus, ipse
quoque fit sceleratus & impurus cohærens cum ea quā
fornicatur: propterea tota auolat puritas & munditia.
Hic autem non sic. Sed quomodo? Est immundus ido-
lolatra: sed mulier non est immunda. Nam si cum eo
quidem societatem haberet & coniunctionem in eo in
quo erat immūds, in impietate, inquam, ipsa quoque
futura erat immunda. Nunc autem aliter quidem est im-
mundus idololatra, in alia autem re societatem & con-
iunctionem cum eo habet mulier in qua non est immun-
dus. est enim matrimonium & corporum commixtio
in qua est societas & coniunctio. Rursus hunc quidem
retinet spes vxoris, est enim familiaritate & necessitu-
dine ei coniuncta: illum autem non admodum facile.
Quomodo enim quā priori tempore eum dedecore af-
fecit, & facta est alterius, & aboleuit iura matrimonij,
poterit reuocare eum cui facta est iniuria, & qui prae-
terea manet vt hospes ac peregrinus? Præterea illic quidē
post fornicationem maritus non est maritus: hic autem
mulier licet sit cultrix idolorum, non amittit ius mariti.
Non absolute autē habitare facit cum infideli, sed cum
volente. Et ideò dixit, Et ipse consentit habitare cum
ea. Quid enim, quæso, est detrimenti, cum & integra
maneat pietas, & de infideli bona sit spes, si maneat
qui sunt iam coniuncti, & belli superuacanei non affe-
rant occasionem & materiam? Non enim de iis qui
nondum conueniunt nunc loquitur, sed de iis qui
iam conueniunt. Non dicit enim, Si quis vult accipe-
re infidelem, sed, Si quis habet infidelem: vt si quispiam
postquā vxorē duxerit, aut si quāpiā postquā nupsit,
accepit

Aliud
sanctus
aliud fan-
ctificatus.

Seruitus
magis
prodest
quā
obest.

accepit Verbum pietatis, deinde altera pars permansit A
in infidelitate, & contenta est cum eo habitare, non se-
paretur. Sanctificatus enim, inquit, est vir infidelis per
vxorem. Tāta est copia tuā munditiæ. Quid ergo, San-
ctusne est Græcus ethnicus? Nequaquam, non dixit e-
nim, Sanctus est, sed sanctificatus est per mulierem. Hoc
autem dixit, non vt eum ostenderet esse sanctum: sed vt
ex abundantia mulieri eximeret metum, & illum ad-
duceret ad desiderium pietatis. Non est enim immun-
ditia corporum quorum est coniunctio, sed liberi arbi-
trij & cogitationum. Deinde est etiam probatio. Nam
si immunda manens gignis, infans autem non est ex te
sola: immundus ergo est infans, aut ex dimidia parte
mundus. Nunc autem non est immundus. Et ideò sub-
iunxit: *Alioqui filij vestri immundi essent,* nunc autem
sunt sancti: hoc est, non immundi: ipse autem eos voca-
uit sanctos, ex dictionis abundantia, rursus metum ex-
pellens huiusmodi suspicionis. *Si autem infidelis discedit,
discedat.* Hic enim nō est ea res utique fornicatio. Quid B
est autem, Si infidelis discedit aut separatur? vt si iubet
te sacrificare, aut esse sociam impietatis propter matri-
monium, aut recedere, melius est vt diuellatur matri-
monium quā pietas. Et ideò subiunxit: *Nō enim ser-
uitui subiectus est frater aut soror in eiusmodi.* Si quotidie
pugnet, & bellum moueat propterea, melius est disce-
dere: hoc enim tacitē significat, dicens: *In pace autem
vocauit nos Deus.* Ille enim iam causam præbuit, sicut &
qui est fornicatus. *Quid enim scis mulier, si virum saluum
facies?* Hoc rursus refertur ad illud, Nō dimittat ipsum.
Si seditionem non agitat, mane, nam & lucrum habes:
mane, & admone, & consule, & persuade. Nullus enim
Doctōr tantum potuerit valere quantum mulier: & ne-
que imponit ei necessitatem, neque rem ab ea exigit, ne
rursus faciat grauius, neque iubet animum despondere
ac desperare, sed propterea quod futurum sit incertum,
id relinquere suspensum, dicens: *Quid enim scis mulier si
virum saluum facies? Aut quid scis vir, si mulierem saluam
facies?* Et rursus, *Nisi unicuique sicut diuisit Deus. Vnum-
quemque sicut vocauit dominus, ita ambulet. Circuncisus vo-
catus est aliquis, non adducat præputium. In præputio aliquis
vocatus est, non circuncidatur: Circuncisio nihil est, & præpu-
tium nihil est: sed obseruatio mandatorum Dei. Vnusquisque
in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Seruus vocatus
es non sit tibi cura.* Hæc dicit ad fidem nihil conferre. ne
ergo contendas, neque conturberis. Fides enim expul-
lit hæc omnia. Vnusquisque in qua vocatione vocatus
est, in ea permaneat. Vxorem habēs infidelem vocatus
es, permane eam habens: ne propter fidem eiicias vxor-
em. Seruus cum esses, fuisti vocatus: ne sit tibi curā:
permane seruiens. Cum præputium haberes, es voca-
tus: permane habens præputium. Credidisti cum esses
circuncisus: permane circuncisus. hoc enim est vnici-
que sicut diuisit Deus: hæc enim non sunt impedi-
menta ad pietatem. Tu cum esses seruus, es vocatus. Alius v-
xorem habens infidelē: alius circuncisus. Papæ vbiā
posuit seruitutem? Quomodo nihil iuuat circuncisio:
neque lædit præputium, ita neque seruitus, neque liber-
tas. Et vt ex abundantia hoc doceret euidentius, dicit:
Sed etsi potes fieri liber, magis vttere. Hoc est, magis serui. Et
cūnam eum qui potest liberari, iubet manere seruum?
volens ostendere quod nihil lædit seruitus, sed etiam
prodest. Neque verò ignoremus, quod quidam illud,
magis vttere, aiunt dictum esse de libertate, dicentes: Si
potes liberari, liberare. Modò autem Pauli hoc verbum
est valde contrarium, si hoc significet. Non enim con-
solans seruum, ostendendo eum nulla esse iniuria affe-
ctum, iussisset eum fieri liberum. Diceret enim fortē
quispiam, Quid verò si non possim, affectus sum iniuria,

& damnum accipi. Non hoc ergo dicit, sed sicut dixi,
volens ostendere quod nihil emolumenti ei obtingit
qui factus est liber, dicit: Etiam si sit in tua potestate vt
manumittaris & liber fias, permane potius seruiēs. De-
inde subiungit etiam causam. *Qui enim in domino voca-
tus est seruus, libertus est domini. Similiter qui liber vocatus
est, seruus est Christi.* In iis enim quæ sunt secūdm Chris-
tum ambo sunt pares. Similiter enim & tu Christi ser-
uus. Similiter & ille est dominus tuus. Quomodo ergo
qui est seruus, est libertus? Quoniam te liberauit, non
solum a peccato, sed etiam ab externa seruitute, man-
entem seruum: neque enim seruum dimittit esse ser-
uum, neque hominem manentem in seruitute. Hoc e-
nim est quod est admirabile. Et quomodo qui est ser-
uus, est liber, manens seruus? Quando fuerit liberatus
ab affectionibus & animi ægritudinibus. Quando de-
spexerit pecunias, irāmque & eiusmodi alias animi per-
turbationes. *Prelio empti estis: nolite fieri serui hominum.*
Hoc dictum est non solum seruis, sed etiam liberis. Fie-
ri enim potest vt & cum sit seruus, non sit seruus: & cum
sit liber, sit seruus. Et quomodo cum sit seruus, non est
seruus? Quando propter Deum omnia fecerit: quando
non simularit neque fuerit hypocrita, nec aliquid agat
vt seruiat oculis hominum: hoc est, hominibus seruien-
tem esse liberum. Aut quomodo rursus quispiam cum
sit liber, fiat seruus? Quando hominibus aliquid ma-
lum obit ministerium aut propter ingluuiem, aut pro-
pter pecuniæ cupiditatem, aut propter potētiam. Nam
qui est eiusmodi, est omnibus seruior, etsi sit liber. V-
traque autem hæc considera. Seruus erat Ioseph: sed
non seruus hominum. Quamobrem etiam in seruitute
erat omnibus hominibus liberior. dominæ quidē certē
nō cessit in iis quæ volebat quæ ipsum possidebat. Rur-
sus illa erat libera, & omnibus erat seruior, vt quæ ser-
uo assentaretur & eum rogaret & prouocaret. Sed non
persuasit libero vt faceret quod noluit. Non erat ergo
res illa seruitus, sed summa libertas. Quid enim illi ad
virtutem impedimento fuit seruitus? Audiant serui &
liberi. Quis seruii, isne qui rogabatur, an quæ rogabat:
quæ supplicabat, an qui supplicantem despiciebat? Et-
enim sunt seruorum termini a Deo constituti: & quo-
usque eos seruare oporteat est lege constitutum, nec
eos licet transgredi. Quando enim dominus nihil im-
perat eorum quæ Deo non placent, sequi oportet &
parere: vltra autem nequaquam. Sic enim seruus fit li-
ber. Sin autem vltius procedas, etiam si sis liber, seruus
efficeris. Hoc quidem certē tacitē significat dicens, *No-
lite fieri serui hominum.* Si autem non ita est, sed iussit do-
minos relinquere, & contēdere vt fiant liberi, quomo-
do monebat dicens, *Vnusquisque in eo maneat in quo
vocatus est, & alibi, Quicumque sunt sub iugo serui, suos
dominos omni honore dignos censeant, & non despi-
ciant qui fideles habēt dominos, quoniam fratres sunt
qui beneficium consequuntur.* Ad Ephesios quoque
scribens & Colossenses, eadem præcipit & statuit. Vnde
est perspicuum quod non hanc tollit seruitutem, sed
eam quæ est a vitio, in qua sunt etiam liberi: quæ qui-
dem est grauissima, etiam si quispiam cum sit liber, ei
seruiat. Quid enim profuit Ioseph fratribus cum essent
liberi? An non erant omnibus seruis seruiiores, vt qui
& apud patrem mentirentur, & mercatoribus & fratri
dicerent quæ non erant. Sed non talis erat liber, sed v-
bique & verus in omnibus: neque quidquam potuit
eum redigere in seruitutem: non vincula, non seruitus,
non amor dominæ, non quod esset in aliena regione,
sed vbiq; & semper mansit liber: hoc enim est maxi-
mē libertas, quando ea resplendet etiam in seruitute.
Talis res est Christianismus, qui etiam in seruitute do-

Ioseph
manens
seruus
erat liber.

1. Tim. 6.

Ephes. 6.
& Coloss.

Libertas
vera re-
splendet
etiam in
seruitute.

nat libertatem. & quomodo corpus quod est natura facile vulnerabile, tunc ostenditur invulnerabile, quando accepto telo nihil graue passum fuerit: Ita etiam exacte ac perfecte ostenditur liber, quando etiam habens dominos, non fuerit redactus in seruitutem. Propterea iubet eum permanere seruum. Si autem fieri non potest vt cum sit seruus, sit Christianus, sit Christianus qualem esse oportet, accusetur Græci pietatem nihil lædit seruitus, admirabuntur prædicationem. Si enim mors nos non lædit, neque flagella, neque vincula, multo magis seruitus, ignis & ferrum, & tyrannides innumerabiles, & morbi, & egestates, & feræ non læserint fideles, sed fecerint potentiores. Et quomodo poterit lædere seruitus. Non ipsa ô dilecte seruitus lædit, sed quæ est natura seruitus peccati. & si non sis ea seruitute seruus, confide & lætare: nullus te poterit iniuria afficere, vt qui mores habeas qui non possunt redigi in seruitutem. Sin autem ea fueris seruus, etiam si sis millies liber, nihil tibi proderit libertas. Quid enim quæso tibi prodest, quando homini quidem non seruias, te autem inclines & subiicias animi perturbationibus? Nam sciunt quidem homines sæpe parcere: Illi autem domini nunquam fatiantur tuo interitu. Seruis homini? Sed dominus quoque tibi seruit, alimentum tibi procurans, curam gerens tuæ sanitatis, & indumentorum, & de aliis omnibus tibi sollicitus: & tu non adeo metuis ne tu dominum offendas, vt ille metuit, ne necessarium aliquid tibi deficiat. At ille accumbit, tu verò stas? Ecquid tu? Neque enim hoc apud eum solum, sed etiam apud te est. Sæpe quidem certè te cubate & dormiente iuauit, ille non solum stat, sed etiam vim & violentiam sustinet innumerabilem in foro, & te vigilat molestius. Quid verò tale passus est Ioseph à domina, quale illa à cupiditate & libidine? Nam Ioseph quidem non fecit quæ illa voluit iubere. Illa autem fecit omnia quæ iussit eius domina, nempe libido & intemperantia: neque prius destitit quam eam probro affecit ac dedecore. Quisnam hæc iubet dominus? Quisnam crudelis tyrannus? Roga, inquit, seruum: adulare ei quem tua emisisti pecunia. Supplicia captiuo: & si respuerit, rursus insta: & si sæpius dixeris, & non sustinuerit, obserua solitudinem, & vim affer, & te præbe ridiculam. Quid ignominiosius? quid est autem his verbis turpius? Si autem ne sic quidem quidquam effeceris, etiam calumniare, & decipe coniugem. Vide quàm illiberalia, & quàm turpia sint iussa, quàm immitia, quàm sæua, quàm insana? Quid tale iubet dominus, qualia sunt quæ tunc mulieri reginæ iussit libido & impudicitia? Neque tamen ausa est non obedire. Ioseph autem nihil tale est passus, sed omnia contraria quæ gloriam afferbant & honorem. Vis etiam alium videre cui multa imperauit sæua domina, & non ausus est non obedire? Cogita quàm multa Caino imperarunt inuidia. Illa imperauit vt fratrem interficeret, Deo mentiretur, patrem deciperet, vt pudorem exueret. Is verò fecit omnia, & in nullo non obediit. Et quid mirum si hæc domina tantam vim habet in vno. Integros populos sæpe perdidit. Iudæos quidem certè mulieres Madianitarum vincetos propè captiuos acceperunt, cum eos omnes subegissent pulchræ suæ formæ desiderio. Hanc itaque seruitutem efficiens Paulus dicebat, Nolite esse serui hominum: hoc est, Nolite obedire hominibus iniqua & absurda imperantibus, sed nec vobis quidem ipsis. Deinde cum mentem sustulisset, & excellam sublimemque fecisset, dicit: *De virginibus autem præceptum domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Deo vt sim fidelis.* Via & ordine procedens, deinceps etiam meminit virginita-

Cain seruus fuit inuidia.

Num. 35.

ônd xupis à domi no.

tis. Nam postquam eos exercuit & composuit iis quæ dicta sunt de continentia, digreditur ad id quod est maius. Præceptum, inquit, non habeo: bonum autem esse existimo. Quare? Propter eandem causam, quam posuit de continentia. *Alligatus es uxori? Noli querere solutionem. Solutus es ab uxore? noli querere uxorem.* Hæc non sunt repugnantis prioribus, sed valde consentientis. Nam illic quoque dicit, fortè ex consensu. Et hic dicit, Si alligatus es uxori: noli querere solutionem. Hoc autem non est contrarium. Nam quod sit præter mentem & voluntatem, est solutio. Si autem continuerint ex vtriusque voluntate & sententia, non est solutio. Deinde ne hoc videatur esse legis constitutio, subiunxit. *Si autem acceperis uxorem, non peccasti.* Deinde præsentium affert causam, instantem necessitatem, & tempus contrarium, & afflictionem. Multa enim attrahit matrimonium, quæ & hic tacite significauit, & vbi loquitur de continentia: illic quidem dicens, Non habet sui potestatem mulier: hic autem, *Solutus es. Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupsit virgo, non peccauit.* Non de ea dicit quæ elegit virginatè, ipsa enim iam peccauit. Nam si viduæ habent iudicium quæ secundis iunguntur nuptiis, si semel elegerint viduitatem: multo magis virgines. *Tribulationem autem carnis habebunt huiusmodi.* At & voluptatem, inquit. Sed vide quemadmodum eam contraxerit breuitate temporis, dicens. Tempus breue est. Hoc est, iubemur peregrinari & deinde excedere, neque interius currere. Quanquam etiam si nihil graue haberet matrimonium, etiam sic oporteret festinare ad futura. Quando autem etiam habet afflictionem, quid opus est onus attrahere? Quid tantam oportet molem suscipere, quando etiam postquam susceperis, ea vt oporteat tanquam non habentem. Etenim qui habent, inquit, uxores, sint tanquam non habentes. Deinde cum etiam futurorum interposuisset aliquid, rursus ad præsens reduxit orationem. Nam alia quidem sunt spiritualia: vt pote illa quidem, nempe quæ nupsit, sollicita est de iis quæ sunt mariti: hæc verò, nempe virgo, de iis quæ sunt Dei. Alia verò sunt vitæ præsentis: vt illud, *Volo autem vos sine sollicitudine esse.* Sed tamen id quoque dimittit in eorum potestate. Nam qui postquam ostendit id quod est eligendum, rursus affert necessitatem, videtur suis dictis non confidere. Quamobrem concessione eos magis induxit & retinuit, dicens. *Porro hoc ad utilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis iniiciam, sed ad id quod honestum est & quod facultatem præbeat, sine impedimento dominum obseruandi.* Audiant virgines, quod in eo non est definita virginitas. Nam quæ ea curat quæ sunt mundi, ne fuerit quidem virgo, neque honesta. Nam cum dixisset, *Dimissa est & mulier & virgo,* hanc posuit differentiam, qua inter se distant: & dans definitionem virginis & non virginis, non dixit matrimonium, nec continentiam, sed non esse sollicitam, & valde esse sollicitam. Non est enim res mala coitus, sed impedimentum affert philosophiæ. *Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua.* Hic videtur quidem loqui de matrimonio, vniuersum autem dicit de virginitate: nam & secundum concepit matrimonium, tantum dicens, *In domino.* Quid est autem In domino? Cum temperantia, cum honestate, ea enim semper est opus, & eam oportet insequi: alioquin enim ne licet quidem Deum videre. Si autem præterimus quæ dicenda essent de virginitate, nemo nos condemnet negligentiæ. Integer enim liber in hunc locum à nobis est composuit, & cum quàm potuimus accuratissimè & diligentissimè, omnia illic persecuti sumus, superuacaneum esse duximus ea rursus hic exponere. Quamobrem illuc remisso auditore, hic illud solum dice-

CAP. VIII.

Virgines continentiam peccati bene.

Mat. 57.

Ex ingrefsu ad idola que mala existebant.

Rom. 14.

etiam

Secundis nuptiis concedit Paulus.

Chryso stomus ber de virginitate.

lum dicemus, persequendam esse continentiam. *Pa-* **A** *ccem enim, inquit, persequimini, & sanctificationem: sine qua nemo videbit dominum.* Vt ergo digni censeamur eum videre, simus & in virginitate, & in primis & secundis nuptiis eam persequamur, vt regnum cælorum assequamur gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre, &c.

ORATIO XX.



D *e iis autem que idolis immolatur, scimus quod omnes scientiam habemus. Scientia inflat, charitas verò ædificat.* Necesse est primum dicere quid sibi vult hic locus. Sic enim à nobis bene comprehendi poterit quod dicitur. Qui enim videt aliquem accusari, nisi prius viderit naturam peccati, nesciet quænam sunt quæ dicuntur. Quid ergo est de quo tunc accusabat Corinthios? Crimen magnum, & quod est causa multorum malorum. Quodnam est autem? Multi apud eos cum didicissent, quod non quæ intrant per os coinquinant hominem, sed quæ exeunt: & quod idola sunt ligna & lapides & dæmones, quæ nec possunt lædere, nec iuuare, perfectione cognitionis vsi erant immodicè ad aliorum & suum damnum. Ingrediebantur enim ad idola, & mensarum quæ ibi erant participes, & hinc magnum pariebant exitium. Nam qui adhuc habebant timorem idolorum, & ea nesciebant despiciere, cænarum illorum erant participes, quoniam perfectiores videbant hoc facientes, & hinc maximè lædebantur. Neque cum eadem qua illi mente tangebant proposita, sed tanquam idolis immolata: & ea res erat via ad idololatriam. Et ij ipsi perfectiores non leui afficiebantur iniuria, vt qui mensis fruerentur dæmoniacis. Atque hoc erat quidem crimen. Hic autem Beatus id correcturus, non statim vehemènti vsus est oratione. Nam quod fiebat erat potius insipientiæ quàm malitiæ ac sceleris. Et ideò suafione potius egebat in initio quàm vehemènti increpatione & indignatione. Considera ergo eius prudentiam, quemadmodum statim incipiat ab admonitione. De iis autem quæ idolis immolantur, scimus quod omnes scientiam habemus. Imbecillibus dimissis, quod quidem semper facit, cum fortibus & validis primis loquitur. Hoc etiam fecit in epistola ad Romanos dicens. Tu autem quid iudicas fratrem tuum? Is enim est qui facile potest suscipere increpationem. Quod hic quoque facit: & primum eorum exinanit factum, vt qui quod ipsi suum existimant esse præcipuum, nempe perfectam habere scientiam, hoc esse pronunciarit commune. Scimus enim, inquit, quod omnes scientiam habemus. Etenim si mittens eos sibi placere & se magnificè circumspicere, primum ostendisset rem aliis esse noxiam, non tantum profuisset quatum læsisset. Nam ambitiosus & honoris amans animus, quando de re aliqua gloriatur, etiam si hoc lædat alios, ei valde adhæret & amplectitur propter inanis gloriæ tyrannidem. Propterea Paulus rem ipsam per se examinat. Quod etiam in externa sapientia fecit antea, eam summè deprimès. Sed illic quidem hoc iure faciebat: totum enim omnino merebatur reprehendi, idque erat valde facile. Quamobrem id non solum ostendit esse superuacaneum, sed etiam contrarium prædicationi. Hic autem non licebat hoc facere. Nam quod propositum erat, erat scientia, & scientia perfecta. Neque ergo eam deicere tutum erat, nec aliter licebat eiicere factum qui propter eam oritur. Quid ergo facit? Primum eo quod ostenderit eam esse communem, tumorem illorum comprimit. Qui enim magnum quid habent & pulchrum, quando soli id habent, magis efferuntur. Sin-

autem apparuerit eos cum aliis id possidere, hoc eis minus accidit. Primum ergo hoc facit commune, quoniam illi existimabant hoc esse solum ipsorum. Deinde cum fecisset commune, non se solum ponit in societate. nam sic quoque eos magis extulisset. Quomodo enim solum habere extollit, ita vnum & alterum habere socium ex iis qui excellunt, non minus hoc facit. Propterea non se solum ponit, sed omnes. Non enim dixit, Ego quoque habeo scientiam, sed, Scimus quod omnes scientiam habemus. Atque hoc vno quidem primò deiecit factum & arrogatiam. Secundò autem vehemèntius. Quodnam verò hoc est? Eo quod ostenderit rem quidem ipsam non esse absolutam nec perfectam, sed etiam admodum imperfectam: & non solum imperfectam, sed etiam noxiam: nisi sit aliud ipsi coniunctum. Nam cum dixisset, Scientiam habemus, subiunxit, Scientia inflat: charitas autem ædificat. Quare quado fuerit sine charitate, extollit ad insolentiam. At neque charitas, inquit, absque scientia habet aliquid lucri. Sed non hoc dixit: sed id tanquam certum & de quo confertè relinquens, ostendit hoc illo valde egere. Nam qui diligit, seu qui habet charitatem, vt qui impleat mandatum omnium præstantissimum, etiam si quædam habeat deficientia, citò fruetur scientia propter charitatem, sicut Cornelius, & alij multi. Qui autem habet scientiam, non habet autem charitatem, non solum nihil adsumet, sed etiam ab ea quam habet excidet, sæpe incidens in superbiam & arrogantiam. Quamobrem scientia quidem non est efficiens charitatis, sed contrà, eum qui non attendit ab ea abscindit, vt quæ inflat & extollat. Etenim diuidere solet arrogantia: charitas autem & conciliare & adducere ad scientiam. Quod quidem etiam significans, dicebat: *Si quis autem diligit Deum, is cognitus est ab ipso.* Quamobrem non hoc, inquit, prohibeo, nempe perfectam habere scientiam: sed eam habere cum charitate, hoc iubeo: alioqui nihil inde lucri, sed noxia. Vides quomodo iam præmeditatur ac veluti exorditur orationem quam de charitate est habiturus. Nam quoniam omnia mala ex eo contingebant, & non ex perfecta scientia, sed ex eo quod non valde diligant, neque parcant rebus proximis. Vnde etiam factum est vt diuellerentur & extollerentur, & cætera omnia de quibus eos est criminatus, & antea & postea eius assidue curam gerit, bonorum fontem corrigens. Quid ergo inflati, inquit, estis ob cognitionem? Nam si charitatem non habeatis, hinc etiam lædemini. Quid enim peius est arrogantia? Sin autem illud adsit, hoc quoque erit in tuto. Nam & si plus sciueris quàm proximus, ipsum diligens non extolleris, sed ipsum quoque ad hoc deducis. Quamobrem cum dixisset, Scientia inflat, subiunxit, Charitas autem ædificat. Non dixit, Modestè se gerit, sed multo amplius & quæstuosius. Non solum enim inflabat scientia, sed etiam diuellebat. propterea hoc illi ex aduerso posuit. Deinde tertium quoque ponit quod eos potest deicere. Quodnam autem est hoc? Quod etsi coniuncta sit charitas, ne sic quidem perfecta & absoluta est scientia. Et ideò subiunxit: Si quis autem existimat se scire aliquid, nondum cognouit quemadmodum oporteat eum scire. Hic est certus & suo tempore insinctus ictus. Non dico enim, inquit, quod est cõmunis omnium scientia. Non dico quod odio habens proximum, & effectus insolens, te ipsum maximè lædis. Nam etsi solus habens, & si te modestè geras, & si fratrem diligas, sic quoque es imperfectus, quod attinet ad scientiam. Nondum enim scis quidquam vt scire oportet. Si autem nullius exactam & perfectam adhuc habemus scientiam, quomodo nonnulli eò prouecti sunt insanix, vt dicant se

Scientia absque charitate potius lædit quàm prodest.

Non est semper perfecta scientia etiam cum charitate.

Dei non potest haberi perfecta cognitio.

Ioan. 15. Inf. 3.

exactissime & perfectissime Deum nosse? cum etiam si A
omnium aliarum rerum perfectam haberemus cogni-
tionem, ne hæc quidem sic posset haberi. Quantum e-
nim sit eius ad omnium medium interstitium ne dici qui-
dem potest. Vide autem quemadmodum eorum de-
pressit tumorem. Non dixit enim, De rebus propositis
non habetis quam par est cognitionem, sed de re qua-
libet. Neque dixit, vos, sed nec quilibet. Hoc enim eos
accuratè & consolatus est & repressit. *Si quis autem dili-
gat Deum*, hic non dixit, Cognouit ipsum, sed *cognitus
est ab eo*. Non enim nos ipsum cognouimus, sed ipse nos
cognouit. Et idè dicebat, Non me elegistis, sed ego e-
legi vos. Et rursus. Tunc autem cognoscam sicut & cog-
nitus sum. Vide autem perquam multo elatos eorum
depressit spiritus. Primum ostendit quòd quæ sciunt
non soli sciunt. Omnes enim, inquit, habemus scientiam.
Deinde quòd res sit noxia absque charitate. Scien-
tia enim, inquit, inflat. Deinde quòd etiam si sit cum
charitate, nõ est res absoluta nec perfecta. Si quis enim B
putat se scire aliquid, nondum cognouit quemadmo-
dum oporteat eum scire. Ad hæc accedit, quòd ne hoc
quidem ipsum domo ex promptum habent, sed à Deo
donatum. Non dixit enim, Cognouit Deum, sed cog-
nitus est ab ipso. Deinde quòd hoc ipsum sit à chari-
tate, quam non habent ut oportet. Si quis enim, inquit,
diligat Deum, hic cognitus est ab eo. Cum per hæc le-
niisset eorum inflammatione, incipit statuere dogma-
ta. De eis autem quæ idolis immolantur, scimus quòd
nihil est idolum in mundo, & quòd nullus Deus nisi vnus.
Vide in quas incidit angustias. Vult enim vtrun-
que probare, & quòd ab ea mensa abstinere oporteat,
& quòd vim non habeat ad lædendum eos qui sunt eius
participes. Quæ quidem non admodum inter se conue-
niebant. Nam cum didicissent ea non afferre damnum,
ea erant inuafuri tanquam indifferentia. Cum autem
prohibiti essent ea tangere, rursus suspicabantur quòd
prohibiti essent ut quæ vim haberent lædendi. Cum sic
ergo idolorum sustulisset existimationem, abstinendi
primam affert causam, fratrum scandala seu offensio-
nes, sic dicēs. *De eis autem quæ idolis immolantur, scimus
quòd nihil est idolum in mundo*. Rursus ipsum facit com-
mune, & non concedit hoc esse illorum solum, sed ex-
tendit cognitionem per vniuersum orbem terræ. Non
enim apud vos, inquit, solum, sed vbique terrarum hoc
est validum & certum dogma. Quòdnam? *Quòd nihil
est idolum in mundo: quòd non est alius Deus nisi vnus*. Non
sunt ergo idola? Non sunt statuae? Sunt quidem, sed
nullam vim habent. Neque dij sunt, sed lapides & dæ-
mones. Ad vtrosque enim nunc dirigit orationem, nempe
& ad eos qui ex ipsis sunt crassiores, & ad eos qui vi-
debantur philosophari. Nam quoniam alij quidem ex
ipsis nihil plus sciunt quam lapides: alij verò dicunt in
ipsis quasdam habitare virtutes, quas etiam Deos vo-
cant, illis quidem dicit quòd nihil est idolum in mun-
do. His autem quòd nullus est alius Deus nisi vnus. Vi-
des quòd non absolutè dogma constituens hæc scribit,
sed ad ex aduerso sitam exteriorum distinctionem. Hoc
enim semper est obseruandum, siue dicat absolutè, siue
aliis resistens. Non parum enim hoc vobis cõfert & ad
dogmatum perfectionem, & ad ea quæ dicuntur intel-
ligenda: *Nam etsi sunt qui dicantur Dij, siue in celo, siue in
terra, siquidem sunt Dij multi & domini multi, nobis tamen
vnus Deus pater, per quem omnia, & nos per ipsum: & vnus
dominus Iesus Christus per quem omnia, & nos per ipsum*.
Quoniam dixit quòd nihil est idolum, & nullus Deus
alius, erant autem idola, & qui dicuntur Dij, ne videat-
ur pugnare eum manifestis, subiungit dicens. Nam etsi
sunt qui dicantur Dij, sicut sunt Dij, non sunt absolutè

Nullus est alius Deus nisi vnus.

Dij, sed dicuntur: non in re sed in verbo hoc habent.
Siue in celo, siue in terra. In celo dicens solem, &
lunam, & reliquum chorum astrorum. Nam ea quoque
adorant gentes. In terra autem demones, & omnes
qui ex hominibus relati sunt in Deos. Sed nobis vnus
est Deus pater. Cum prius posuisset absque patre, & di-
xisset, Nullus est alius Deus nisi vnus, nunc hoc quoque
adiicit quando illos omnino cecit. Deinde quòd est
diuinitatis indicium hic quoque subiungit, Ex quo om-
nia. Hoc enim ostendit illos quoque non esse Deos.
Dij enim, inquit, qui cælum & terram non fecerunt,
perant. Deinde addit etiam quòd non est eo minus.
Et nos in ipso. Nam quando dicit quidem, Ex quo om-
nia, dicit creationem, & ex nihilo ad hoc vt sint, pro-
ductionem. Quando autem dicit, Et nos in ipso, dicit
rationem fidei & coniunctionis. Quòd prius quoque
dicebat. Ex ipso autem vos quoque estis in Christo Ie-
su. Duplici enim ratione sumus ex ipso: & quòd cum
non essemus, facti sumus, & quòd facti sumus fideles.
Nam hoc quoque est creatio. Quòd etiam dicit alibi.
Vt duos crearet in seipso in vnum nouum hominem.
Et vnus dominus Iesus Christus per quem omnia, &
nos per ipsum. Etiam in Christo rursus hoc similiter est
intelligendum. Per ipsum enim etiam ex nihilo produ-
ctum est genus hominum ad hoc vt esset, & ab errore
rediit ad veritatem. Neque ergo nomina tanquam sorte
distributa diuisit, filio quidem dominus, patri autem
Deus attribuens. Nam ea quoque scit saepe mutare scri-
ptura: vt quando dicit, dixit dominus domino meo. Et
rursus. Propterea vnxit te Deus Deus tuus, &. Ex qui-
bus Christus secundum carnem, qui est super omnia
Deus. Et multis in locis videris hæc transmutari nomi-
na. Si autem essent tanquam sorte assignata vnicuique
naturæ, & non esset Deus filius, & Deus sicut pater ma-
nens filius, cum dixisset, Sed nobis vnus Deus, super-
flue addidisset illud, Pater, volēs significare ingenitum.
Suffecisset enim illud, Deus, si eius solius exhiberet cog-
nitionem, ad id significandum. Non hoc autem solum,
sed aliud quoque dici potest. Nam si dicis quòd quoni-
am dictum est, vnus Deus, illud, Deus, non conueniet
filio, vide hoc etiam positum esse in filio. Etenim filius
dictus est vnus dominus: & non propterea dicimus il-
lud, Dominus, ei soli cõuenire. Quamobrem quam ha-
bet vim illud, Vnus, in filio, eandem habet etiam in pa-
tre: & quomodo nõ depellit patrem quo minus sit do-
minus, cuiusmodi filius est dominus, propterea quòd
filius dicatur vnus dominus: ita nec filium eiicit quo
minus sit Deus, cuiusmodi Deus est pater, propterea
quòd pater dicatur vnus Deus. Si autem dicant aliqui,
quamobrem non meminit spiritus, illud dixerimus
quòd ab eo verba fiebant apud idololatrias, & agebatur
de Diis multis & multis dominis. Et ideo cum patrem
dixisset Deum, filium quoque vocauit dominum. Si ergo
patrem non ausus est nunc appellare dominum cum
filio, ne apud illos veniret in suspicionem quòd duos
diceret dominos: neque filium Deum cum patre, ne
existimaretur duos Deos dicere, quid miraris si non
meminit spiritus? Aduersus illos enim tunc decertabat,
& contendebat ostendere non esse apud nos Deorum
multitudinem. Propterea illud, Vnus, assidue retinet, di-
cens, Nullus est alius Deus nisi vnus, &. Nobis vnus est
Deus, & vnus dominus. Vnde est perspicuum quòd
parcens imbecillitati auditorum, hac loquendi stru-
ctura vsus est: & ne meminit quidem spiritus. Nam nisi
hoc ita esset, nec alibi quidem oporteret meminisse spi-
ritus, neque eum coniungere cum patre & filio. Nam si
à patre & filio est cecit, multò magis id non oportet
ret coniungere in baptismo, vbi maximè apparet auto-
ritas diui-

2. Cor. vlt.

Inf. 12.

Filij men-
tio cur
nulla fiat
à Prophe-
tis.

Idolothytis
vefcens, vt
qui idola
reueren-
tate pol-
luitur.
Deut. 14.

409
ritas diuinitatis, & dantur dona quæ soli Deo dare con-
uenit. Atque ego quidem causam dixi propter quam
hic est silentio præteritus. Si autem non ita est, dic cur
coniungitur in baptismo? Sed non poteris aliam dice-
re causam, quam quòd ipse sit honore equalis. Quando
ergo nulla huiusmodi eum premit necessitas, vide quo-
modo ipsum coniungit sic dicens: Gratia domini no-
stri Iesu Christi, & charitas Dei & patris, & communi-
catio Spiritus sancti cum omnibus vobis. Et rursus, di-
uisiones autem donorum sunt, idem autem spiritus: &
diuisiones ministracionum sunt, idem autem Deus. Sed
quoniam nunc ab eo agebatur aduersus gentes, & eos
qui ex gentibus erant imbecilliores, propterea id nunc
reueratur ac recõditur. Quòd quidem in filio quoque
faciunt Prophetæ, nusquam eius apertè facientes men-
tionem propter imbecillitatem auditorum. *Sed non in
omnibus est scientia*. Quænam? cæne quæ est de Deo, an
ea quæ est de iis quæ immolata sunt idolis? Aut enim
hic tacitè significat gentes quæ multos dicunt Deos &
dominos, aut non norunt Deum qui verè est, aut eos,
gentibus qui sunt adhuc imbecilliores, qui nondum a-
pertè intelligunt idola non esse timèda, & nihil idolum
esse in mundo. Cum hoc autem dixisset, paulatim eos
est consolatus, & erexit: neque enim omnia insectari o-
portebat, & maximè cum vehementius eos esset impe-
turus. *Quidam autem cum conscientia vsque nunc idoli
quasi idolothytum manducant: & conscientia eorum cum sit
infirmum polluitur*. Adhuc, inquit, Formidant idola. Ne
mihî enim præsentem rerum statum dixeris, & quòd
pietatem acceperis à maioribus: sed mentem tuam
transmitte ad illa tempora, & cogita cùm modò con-
stituta esset prædicatio, & adhuc dominatum obtineret
impietas, arderentque altaria & sacrificia, & perage-
rentur libamina, & plures essent Græci, eos qui à maio-
ribus acceperant impietatem, & à patribus, & auis, cum
ex iis genus duxissent, & à demonibus multa mala pasi-
fi essent, repente mutatos quomodo consentaneum e-
rat affici? Quomodo timere & exhorrere demonum
insidias? Propter quos tacitè quoque significans dice-
bat, *Quidam autem cum cõscientia idolothyti*. Neque
enim eos euidenter aperit vt non feriat, neque omnino
prætercurrit: sed indefinitè eorum meminit dicens.
*Quidam autem cum conscientia vsque nunc idoli qua-
si idolothytum manducant*. Hoc est, cum ea mente cum
qua prius. Et cum conscientia eorum sit infirma, pol-
luitur, cum nondum possit despiciere, neque omnino
eos irridere. Sed adhuc discernens. Vt si quis eo quòd
tangat mortuum, existimans seipsum polluere ex Iu-
daica consuetudine: deinde videns alios eum tangen-
tes pura conscientia, non tangens cum eadem mente
pollueretur. Sic illi quoque tunc erant affecti. *Quidam
enim, inquit, cum conscientia idoli vsque nunc*. Non
abs re posuit illud, Vsque nunc. Sed vt ostenderet eos
nihil effecisse se non demittentes & accommodantes.
Neque enim sic eos oportebat inducere, sed aliquo alio
modo, oratione persuadentes & doctrina. *Et consci-
entia eorum cum sit infirma polluitur*. Nusquam adhuc in-
sistit oratio circa rei naturam. Sed sùtque deque verfa-
tur circa conscientiam eius qui participat. Timet enim
ne volens corrigere imbecillum, feriat fortem, & eum
quoque reddat imbecillum. Quamobrem huic non
minus parcit quam illi, neque sinit id existimari ali-
quid: sed multam instruit & apparat orationem, ne de
eo veniat in suspicionem. *Esca autem nos non commendat
Deo. Neque enim si manducauerimus, abundabimus: neque si
non manducauerimus, deficiemus*. Vides quemadmodum
elatos eorum rursus deprimit spiritus. Nam cum dixisset,
quòd non solum illi, sed omnes habemus scienti-

am: & quòd nullus scit quemadmodum oportet cum
scire, & quòd scientia inflat: & deinde eos esset conso-
latus, & dixisset, quòd non in omnibus est scientia, &
quòd isti polluantur propter imbecillitatem. Ne illi di-
cant: Et quid ad nos si non est in omnibus scientia? Cur
enim non habet iste aut ille scientiam? Cur est imbecil-
lus? Ne hæc obiiceret, nõ venit statim ad apertè osten-
dendum quòd propter illius damnum abstinere oportet.
Sed cum telis prius iactis leui prælio eum esset ag-
gressus, ostendit id quòd est hoc maius. Quòdnam est
hoc? Quòd etsi nullus læderetur, neque propinqui vlla
esset peruersio, ne sic quidem hoc facere oporteat. Hoc
enim est frustra laborare. Nam qui audiuit quòd alius
quidem læditur, ipse autem habet lucrum, non multum
abstinet. Sed tunc magis quando didicerit quòd ipse à
re nihil iuuetur. Propterea hoc primum ponit dicens,
Esca autem nos non commendat Deo. Vidisti quantum id
vilipendat quòd videbatur fieri à perfecta scientia. *Ne-
que enim si manducauerimus abundabimus*. Hoc est, apud
Deum probati sumus, tãquam qui bonum & magnum
quid fecerimus. *Neque si non manducauerimus, deficiemus*.
Hoc est, minus quid habemus. Atque interim quidem
hoc ostendit superuacaneum & nihil esse. Quòd enim
neque si fiat prodest, neque si non fiat obest, fuerit su-
peruacaneum. Procedens autem etiam totius rei dam-
num aperit. Nunc autem dicit id quòd fit fratribus.
*Videte enim, inquit, ne forte hæc licentia vestra offendicu-
lum fiat infirmis fratribus*. Non dixit quòd licentia no-
stra sit offendiculum, neque id pronuntiauit, ne eos fa-
ceret impudentiores. Sed quomodo? Videte, eos ter-
rens, & pudore afficiens, & ad non faciendi inducens
negationem. Et non dixit, Ipsa vestra scientia, quòd
magis esset laudis. Neque ipsa vestra perfectio. Sed li-
centia vestra: quòd quidem videbatur magis esse tem-
eritatis, insolentiaque & arrogantia. Neque dixit
fratribus, sed infirmis fratribus augens accusationem,
quòd nec infirmis quidem parcerent, idque fratribus.
Esto enim, Non corrigis, neque excitas: quid supplan-
tas, & facis offendere, cum oporteret manum porrige-
re? At hoc non vis, ergo neque deieceris. Nam si ma-
lus quidem esset, opus haberet punitione. Sin autem
infirmus, curatione. Nunc autem non est solum infir-
mus, sed etiam frater. *Si quis enim viderit eum qui habet
scientiam in idolo recubentem, nonne conscientia eius, cum
sit infirmus, edificabitur ad manducandum idolothyta?* Cum
dixisset, videte ne licentia vestra sit offendiculum, dicit
qua ratione & quo modo hoc fiat: & vbique ponit in-
firmitatem: ne damnum videatur esse rei naturæ, & ter-
ribiles videantur esse demones. Nam nunc quidem, in-
quit, propè est vt omnino deficiat ab idolis. Te autem
videns in illis lubenter versantem, rem accipit pro sua-
sione, & ibi quoque manet ipse. Quamobrem non so-
lum illius imbecillitatis, sed tuæ quoque importunitatis
sunt insidiae. Tu enim ipsum reddis imbecillio-
rem. *Et peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem
Christus mortuus est*. Duo enim sunt quæ te priuant, ve-
nia propter damnum: nempe quòd est imbecillus, &
quòd frater: imò verò etiam tertium, quòd est omni-
bus terribilius. Quòdnam autem est hoc? Quòd Chri-
stus quidem neque mori pro ipso recusauit: Tu autem
ne in animum quidem inducis, vt ad eius imbecillita-
tem te demittas & accommodes. Propterea autem
perfecto quoque in memoriam reuocat, quisnam & ip-
se prius esset, & quòd pro ipso sit mortuus. Et non di-
xit, pro quo te etiam mori oportebat, sed quòd erat
multò maius, quòd etiam Christus propter ipsum est
mortuus. Deinde dominus quidem tuus pro te mori
non recusauit: tu autem adeò eius nullam habes ratio-

Idolothytis non vescendum, & si nullus lædatur.

Malus est puniendus: infirmus curandus.

nem, vt neopropter ipsum à mensa impia & scelerata abstineas: sed post sic datam salutem cum finis interire, & quod est grauissimum, propter cibum. Neque enim dixit, propter tuam perfectionem, neque propter tuam scientiam, sed propter tuam escam. Sunt itaque tuator crimina eaque maxima, quòd & frater, & imbecillus, & cuius Christus tantam habuit rationem, vt etiam pro eo sit mortuus, & quòd post hæc omnia propter cibum perit. Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Vides quemadmodum sensim & paulatim deduxit crimen ad culmen iniquitatis? Rursus autem meminit illorum iniquitatis. Nam quòd ipsi pro se esse existimabant, id semper in ipsorum vertit caput. Neque dixit, scandalizantes seu offensionem afferentes, sed percutientes seu verberantes: vt dictionis emphasi ostenderet crudelitatem. Quid enim homine seuius qui agrotantem verberat? est enim quouis vulnere grauius scandalizare seu offensionem afferre. Hoc quidem saepe etiam mortem attulit. Et quomodo peccant in Christum? Vno quidem modo, quòd quæ sunt famulorum tanquam propria ipse sibi tribuit. Secundo autem, quòd qui verberantur, sunt eius corpus & membra. Tertio autem, quòd opus suum quod per sui propriam ædificauit occasionem, isti hoc diruunt propter suam ambitionem & honoris cupiditatem. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum. Hoc tanquam bonus magister, cuius est per se docere quæ dicit. Neque dixit, siue iuste, siue iniuste, sed quomodocunque. Neque dico, inquit, idolo immolatum, quod etiam propter aliam causam est prohibitum: sed etiam quod etiam eorum quibus veli licet offendit, ab illis quoque abstinere. Neque vno aut altero die, sed toto tempore vitæ meæ, Non manducabo, inquit, in æternum. Neque dixit, Ne perdam fratrem meum: sed absolute, Ne fratrem meum scandalizem: est enim extremæ insipientiæ, ea quæ Christo sunt studio, & eiusmodi vt propter ea mortem elegerit, ea existimare adeo vilia & abiecta, vt propter ipsa ne à cibis quidem abstinemus. Hæc autem opportunè dici possunt non solum illis, sed nobis quoque qui proximi salutem despiciamus, & illa satanica verba dicimus. Nam dicere, Quid curo an iste offendatur, aut ille pereat, est illius crudelitatis & inhumanitatis. Atqui tunc quidem erat & imbecillitatis eorum qui offendebantur: nequaquam autem hoc nobis vsuuenit. Eiusmodi enim peccata admittimus, quæ etiam fortes & firmos offendunt. Quando enim & verberamus, & rapimus, & per fraudem circumuenimus, & liberis abutimur tanquam mancipiis, ad quem offendendum hæc non sufficiunt? Nam ne dixeris, iste est sutor, & alius est tinctor, & alius est faber ærarius: sed cogita cum esse fidelem, & fratrem. Illorum enim sumus discipuli, piscatorum, publicanorum, tabernaculorum contextorum: illius qui nutritus fuit in domo fabri, & qui non habebat vbi caput reclinaret, eius qui tantum itineris confecerit vt ex via esset defessus, eius qui ab aliis nutriebatur. Hæc considera, & nihil esse existima factum humanum. Sed & tabernaculorum confectorem, & cum qui curru vehitur, & qui mille habet famulos, & in foro superbus incedit, esse fratrem existima, imò verò illum magis quam hunc. Ille enim meritò magis dicitur esse frater, qui magis est similis imagini Apostolicæ. Quis est ergo similis piscatoribus? itne qui ex quotidiana alitur operatione, non habens famulum, nec habitaculum: an ille qui magno fastu est circumdatus, & facit quæ pugnant cum Dei legibus? Ne despicias cum qui magis est frater. Ille enim stat propinquior imagini Apostolicæ. At

non sua sponte, inquit, sed coactus. Neque enim hoc facit ex animi instituto. Vnde hoc scis? An non audisti, Ne iudicetis, vt non iudicemini? Vt autem discas quòd non inuitus, accede, & da decies mille talenta: & videbis eum despiciere. Quamobrem si non à maioribus acceperit diuitias, sed cum liceat accipere non admiserit, neque facultatibus aliquid addiderit, magnum affert iudicium quòd despiciat pecunias. Nam & Ioannes evangelista, & Ioannes e-
rat filius Zebedæi hominis admodum pauperis. Sed non propterea dicemus coactam fuisse paupertatem. Quando ergo videris ligna cadentem, malleo tundentem, oppletum fuligine, ne propterea despexeris. Sed propterea admirare. Nam & Petrus se succinxerat, & sagenam tractabat, & piscabatur post resurrectionem Domini. Et quid dico Petrum? Nam ipse quoque Paulus post tot obita terrarum spatia, & tot facta miracula, stans in tentorium officina, pelles confuebat: & reuerbantur cum Angeli, & trementes formidabant demones: nec cum pudebat dicere, Necessitatibus meis, & iis qui erant mecum, ministrarunt manus istæ. Et quid dico, Non pudebat? etiam ob id gloriabatur. Et quis est, inquit, nunc præditus ea virtute qua Paulus? Scio ego quoque esse neminem. Sed non idè sunt contemnendi qui nunc sunt. Nam si propter Christum honores: etiam si sit vltimus, sit autem fidelis, dignus est qui honoretur. Nam si cum & dux exercitus & miles leuis armaturæ accesserint, sintque ambo chari regi, tu domum ambobus aperuisti, per quemnam visus es regem magis honorare? Peripicuum est quòd per militem. Nam dux exercitus, etiam absque amicitia regis, multa habebat quæ possent persuadere vt ei illum exhiberes honorem. Miles autem nihil aliud quam regis amicitiam. Propterea & claudos, & mancos, & qui non possunt gratiam referre, Deus nos iussit inuitare ad cenas & conuiuia, quoniam hæc sunt beneficia quæ propriè fiunt propter Deum. Sin autem magnum aliquem virum & illustrem hospitio exceperis, non est quòd te sit adeò pura elemosyna, sed partem aliquam apud te saepe sibi vendicat inanis gloria, & quòd beneficio sis affectus, & quòd multis propter illum fias insignior. multos quidem certè possum ostendere qui propterea obleruant insigniores ex sanctis, vt apud principes maiorem assequantur confidentiam, & rebus suis & familiaribus hinc fiant vtiliores: & à sanctis illis eiusmodi multa exigunt beneficia, quod quidem facit vt eis pereat merces hospitalitatis, quando hoc animo virtutem persequuntur. Et quid hoc opus est dicere de sanctis? Qui enim hic querit à Deo mercedem laborum quos suscipit, & propter præsentia virtutem persequitur, mercedem suam minuit. Qui autem integras illic exigit coronas, existit longè admirabilior, sicut Lazarus ille qui illic omnia bona recipit, sicut tres illi pueri (qui in fornacem iniiciendi dicebant, Deus in cælis nos potest eripere, & si non notum tibi sit o rex, quòd Diis tuis non seruiamus, nec statuam auream quam crexisti adoramus) sicut Abraham qui filium suum obtulit & stauit, idque faciebat non ob aliquam mercedem: sed vnam maximam existimans remunerationem, obedire domino. Eos nos imitemur. Sic enim nobis veniet copiosa bonorum remuneratio, quoniam hoc animo omnia gerimus, & præclariore assequemur coronas. Quas detur nobis assequi gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum patre & filio, &c.

NON sum liber? non sum Apostolus? Nonne Christum Iesum dominum nostrum vidi? Nonne opus meum vos estis in domino? Quoniam cum dixisset, Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, non fecerat quidem, sed pollicitus erat se facturum si opus esset, ne quis diceret, Temerè gloriaris, & oratione philosopharis, & verbis promittis, quod & mihi & isti & illi est facile. Nam si ex animo hæc dicit, re ipsa ostende quidnam despexeris ne fratrem offendas: propterea necesse habet deinceps descendere ad ea demonstranda, & ostendendum quemadmodum etiam à concessis abstinerit ne offenderet, etiam si nulla lex eum cogeret. Neque enim hoc vti que mirandum, etiam si sit mirandum, quòd à concessis abstinerit ne offenderet, sed quòd etiam cum magno labore & periculo. Quid enim, inquit, oportet dicere de iis quæ sunt immolata idolis? Nam cum Christus statuerit, vt qui euangelium prædicat, viuat ex iis quæ docet, ego hoc non feci: sed statui si opus esset etiam fame vitam finire, & mortem subire acerbissimam, ne quid acciperem ab iis qui catechesi instituebantur: non quoniam essent offendendi si non acciperem, sed quoniam ædificandi, quod quidem erat longè maius. Huius autem rei testes ipsos in medium adducit, apud quos & operans vixit & esuriens, & ab aliis nutritus, & in angustias reductus ne ipsos offenderet. Atqui temerè fuissent offensi, ipse enim legem impleisset, sed ex abundantia tamen eis parcebat. Si autem ipse fecit supra legem, ne offenderentur, & abstinuit à permissis ad aliorum ædificationem, quid isti merentur qui non abstinent ab iis quæ immolantur idolis, idque cum multi ex eo pereant. Quod quidem etiam absque offendiculo oporteret fugere, propterea quòd sit mensa demonum. Atque hæc quidem est summa capitis quam multis tractat versibus. Oportet autem re altius petita persequi proposita. Neque enim hoc tam aperte posuit quam dixi: neque ad hoc statim profilit, sed aliunde ad id accedit, sic dicens. Non sum Apostolus? Nam cum iis quæ dicta sunt, multum quoque interest quòd sit Paulus qui hæc faciat. Nam ne dicerent quòd se signanti licet gustare, interim quidem non resistit nec contradicit, sed dicit quòd etiam si liceret, non oporteret hoc facere propter damnum fratrum. Postea autem ostendit ne licere quidem. Nunc autem prius probat ac confirmat ex iis quæ ad se pertinent: & dicitur se nihil ab eis accepisse, non statim hoc facit. Sed prius dicit suam auctoritatem. Non sum Apostolus? Non sum liber? Nam ne dicerent, Si non accepisti, non accepisti quoniam non licebat accipere, propterea primum ponit causas propter quas iure accepisset, si voluisset accipere. Deinde ne videretur Petrum cum suis asseclis criminans hæc dicere, illi enim accipiebant, primum ostendit quòd illis liceret accipere. Deinde ne quis diceret, Petro quidem licebat accipere, tibi autem non licet, auditorem præoccupat suis laudibus & encomiis. Et cum videret necesse esse vt se laudaret, sic enim corripiebantur Corinthij, & nihil magnum de se vellet dicere, vide quemadmodum vtrisque vsus est vt oportuit: tantum se laudans, non quantum ipsi sua dictabat conscientia, sed quantum exigebat vsus argumenti propositi. Nam cum posset dicere, Me omnium maximè oporteret accipere, & magis quam illos, quoniam plusquam illi laboraui, hoc quidem non dixit quòd habebat exuperationem: sed ex quibus illi erant magni, & propter ea iure accipiebant, ea sola ponit, sic dicens:

NON sum Apostolus? Non sum liber? Hoc est, Non sum mei iuris? Summe in potestate alicuius qui me cogat, & vetet accipere: At illi me in hoc sunt superiores quòd fuerint cum Christo? Sed nec hoc quidem mihi deficit. Propterea dicit: Nonne Iesum Christum dominum nostrum vidi? Postremò enim, inquit, omnium tanquam abortiuo visus est & mihi. Non parua autem erat hæc quoque dignitas. Multi enim Prophetæ & iusti desiderarunt videre quæ videtis, inquit, & non viderunt. Venient dies quando voletis videre vnum ex his diebus. Quid tum, Etiam si sis Apostolus, & liber, & Christum vidisti, nullum autem opus Apostoli ostendisti, quomodo debes accipere? Propterea subiunxit postea, Nonne opus meum vos estis in Christo? Hoc enim est magnum, illa enim absque his nihil iuuant. Nam Iudas quoque erat Apostolus, & liber, & Christum vidit: sed quoniam opus Apostoli non habebat, ne illa quidem ei profuerunt. Propterea & hoc addit, & ipsos citat testes. Et quoniam magnum erat locutus, vide quomodo id castigat & temperat, dicens, in domino. Hoc est, Dei est opus, non meum. Et si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum. Vides quemadmodum non est superuacaneus. Atque poterat dicere & orbem terræ, & gentes barbaras, & terram, & mare. Sed tamen ex iis nihil dicit, sed vincit ex concessione & ex abundantia. Quid enim, inquit, mihi opus est superuacaneis, cum hæc ad hoc argumentum sufficiant? Non dico, inquit, quæ à me apud alios rectè & præclare gesta sunt, sed ea quorum vos estis testes. Quamobrem etiam si non aliunde, à vobis tamen oportebat accipere. Sed tamen à quibus maximè oportebat accipere, sui enim vester doctor, ab eis non accipi. Si aliis non sum Apostolus, sed vobis sum. Rursus per concessionem ponit quod dicit. Erat enim Apostolus orbis terræ. Sed tamen non hoc, inquit, dico, neque decerto & contendo, sed vestrum pono. Nam signaculum Apostolatus mei vos estis. Hoc est demonstratio: & si quis velit scire vnde sim Apostolus, vos profero. Nam quæcunque sunt Apostoli inter vos ostendi, & nihil prætermisi. Quod quidem dicit etiam in secunda epistola: Tametsi nihil sum, signa tamen Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis & prodigiis, & virtutibus. Quid est enim quod minus habuistis præ cæteris ecclesiis. Propterea dicit, Signaculum mei Apostolatus vos estis. Nam & signa ostendi, & verbo docui, & pericula subij, & vitam præstiti nulli affinem reprehensioni. Hæc autem omnia licet videre per has duas epistolas, & quemadmodum horum omnium exactissimè & accuratissimè exhibet demonstrationem. Mea defensio apud eos qui me interrogant hæc est. Quid est, Defensio iis qui me interrogant hæc est? Iis qui querunt scire, vnde est quòd sum Apostolus, aut iis qui me criminantur vt qui accipiam pecunias, aut qui sciscitantur causam propter quam non accipiam, aut iis qui volunt ostendere me non esse Apostolum, vestra institutio & catechesis, & ea quæ sum dicturus, sunt demonstratio & defensio. Quænam autem ea sunt? Nunquid non habemus potestatem manducandi & bibendi? Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi? Et quomodo sunt hæc defensio? Quoniam quando apparuerit me etiam à concessis abstineret, non erit æquum vt veniam in suspicionem, tanquam impostor, aut qui aliquid faciam propter pecunias. Et quæ ergo prius dicta sunt, & nostra doctrina, & ea quæ dixi, sufficiunt nobis ad defensionem: & aduersus omnes qui me interrogant, hic consisto, & illa & hæc dicens, Nunquid non habemus potestatem manducandi & bibendi? Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi? sed tamen

CAP. IX.

Deut. 18. & Matth. 10.

Crencis fidei signum priusquam gustarent.

Boni magistri est per se docere quæ dicit.

Gravibus peccatis grauior fit offensio.

Luc. 2.

Inf. 15.

Matth. 13.

2. Cor. 12.

2. Cor. 11.

licet habeam, abstineo. Quid ergo, Non comedebat, nec bibebat? In fame enim, inquit, & siti, & nuditate versabar. Hic autem hoc non dicit. Sed quid? Non comedimus, nec bibimus accipientes à discipulis, etiam si habeamus potestatem accipiendi. *Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli, & fratres domini, & Cephas? Vide sapientiam: eum qui est Coryphaeus & primus, posterius posuit. Nam quod est ex capitibus validius tunc ponit. Neque enim erat ad eum mirandum ostendere alios hoc facere, sicut eum qui stat in primo loco, & cui sunt creditae claves regni caelorum. Ceterum non eum solum ponit, sed omnes propemodum, dicens: Siue quæras inferiores, siue superiores, omnia posita sunt exempla. Etenim fratres domini à priore infidelitate liberati, fuissent ex probatis, etiam si non peruenissent ad Apostolos. Quamobrem eos quoque posuit medios, summis vtrinque positus. *Aut solus ego & Barnabas non habemus potestatem hic operandi? Vide humilitatem, & animam ab invidia liberam, nempe quod quem sciebat esse socium perfectionis, non celauerit. Nam si alia sunt communia, quomodo non est hoc commune? Apostoli & illi & nos, & ostendimus quæ sunt Apostolorum, & Christum vidimus. Ergo nos quoque potestatem habemus & viuendi in otio, & alimentum accipiendi ab iis qui erudiuntur. *Quis militat suis stipendiis vnquam? Nam quoniam quod erat validissimum, ostendit ex Apostolis, licere hoc facere, de cetero venit ad exempla, & ad communem consuetudinem: quod quidem mos est ei facere, dicens, *Quis militat suis stipendiis? Tu autem mihi considera quam rei propositæ valde congruentia adduxerit exempla: & quomodo primum meminerit periculosa militiæ, armorum, & belli. Eiusmodi enim res est Apostolatus, atque adeo multo maior. Neque enim ab eis gerebatur solum bellum aduersus homines, sed etiam aduersus demones, & illorum principem structa eis erat acies. Hoc est ergo quod dicit, quod ne externi quidem principes qui sunt sæui & iniqui, postulant vt milites militent, & pericula adeant, & domi suæ alantur. Quomodo ergo Christus hoc vnquam exegerit? Neque vno est contentus exemplo. Nam eum qui est simplicior & crassior, hoc vel maxime solet sedare ac placare, quod communem videat consuetudinem conuenire cum Dei legibus. Quamobrem ad alterum procedit, & dicit: *Quis plantauit vineam, & ex fructu eius non edit? Nam per illud quidem pericula, per hoc autem laborem & afflictionem curamque indicauit. Et tertium exemplum rursus addit, dicens: *Qui pascit gregem, & de lacte eius non edit? Multam curam doctori ac magistro conuenientem ostendit in eos qui ab eo reguntur. Apostoli enim erant & milites, & agricolæ, & pastores: non terræ, neque bellorum sensilium, sed ratione præditarum animarum, & aciei quæ aduersus Dæmones instruitur. Est autem illud quoque obseruandum, quod vbique seruauit symmetriam ac moderationem, quærens solum id quod est vtile, non quod superuacaneum. Non enim dixit, quis militat, & non est diues: sed quis militat suis stipendiis vnquam? Neque dixit, Quis plantat vineam, & aurum non colligit? aut fructum integrum non vindemiat: sed ex fructu eius non comedit? Neque dixit, Quis pascit gregem, & de agnis non exercet mercaturam? Sed quomodo, Et ex eius lacte non comedit? Non ex agnis, sed ex lacte. Ostendens quod oportet Doctorem paruo solatio esse contentum soloque necessario. Hæc ad eos qui omnia volunt exedere, & totum fructum vindemiare. Ita etiam Christus legem tulit dicens: Dignus est operarius mercede sua. Non hoc autem solum******

Communis consuetudo, conueniens cum Dei legibus quemuis sedare ac placat.

Matt. 10. & Luc. 19.

A probat exemplis, sed etiam ostendit qualem oporteat esse sacerdotem. Oportet enim eum habere & fortitudinem militis, & agricolæ diligentiam, & curam pastoris, & post hæc omnia nihil amplius querere quam necessaria. Cum ergo ostendisset non esse vetitum Doctori accipere, & ex Apostolis, & ex vitæ quotidianæ exemplis, ad tertium caput accedit, dicens: *Nunquid secundum hominem hæc dico? An & lex non dicit? Nam quoniam hæc tenus ex scripturis nihil dixit, sed communem adduxit consuetudinem: Ne existimetis, inquit, me his niti solis, neque ex iis quæ videntur hæc statuere. Possum enim ostendere hæc quoque Deo videri: & veterem legit legem hæc iubentem. Et ideo per interrogationem profert orationem, quod fit in iis de quibus planè constat & quæ omnes fatentur, sic dicens: *Nunquid secundum hominem hæc dico? Hoc est, solis nitor humanis exemplis? An non etiam lex hæc dicit? *Scriptum est enim in lege Moysis. Non alligabis os boni triturantii. Et quoniam de causa huius meminit, cum haberet exemplum sacerdotum? Ex multa abundantia hoc volens probare. Deinde ne quis diceret, Et quid ad nos quod dictum est de bobus? Hoc exactè & accuratè pertractat dicens: *Nunquid de bobus cura est Deo? Non curæ est, dic quæso, de bobus Deo? Curæ quidem est, sed non ita vt de eo legem tulerit. Quamobrem nisi quid magnum tacitè significaret, per bruta exercens Iudæos vt essent benigni & clementes, ex his etiam de Doctores cum eis loquens, non tantum posuisset studium vt legem scriberet de boue camo non ligando. Hic autem alium quoque ostendit multum laborem Doctorum, & esse debere. Et rursus alium, Quisnam autem is est? Quod quæcunque à veteri scriptura dicta sunt de cura habenda brutorum, ea in primis & præcipuè conferunt ad doctrinam hominum. Quomodo etiam alia omnia, de variis vestibus, & de vineis, & seminibus, & de terra non faciendâ diuersa, & de lepra, & alia, vt semel dicam, omnia, cum iis, vt qui essent crassiores, diserebat, hinc eos paulatim sursum erigens. Vide autem quomodo de cetero hoc non amplius confirmat, vt quod sit manifestum & ex se euident. Nam cum dixisset, Nunquid de bobus curæ est Deo? Subiunxit, *An propter nos vtiq; hoc dicit? Neque illud, Omnino, frustra addens, sed ne permetteret auditori quidquam contradicere: & perstat in metaphora dicens & pronuncians: *Nam propter nos scripta sunt, quod debet in spe qui arat arare. Hoc est, debet doctorem habere mercedem laborum. Et qui triturat, in spe fructus percipiendi. Vide prudentiam. A semente rem traxit ad aream. Hic rursus indicans multum laborem Doctorum, nempe quod & ipsi arant & terunt aream. Et in arando quidem, quoniam nec poterat fructus colligi, sed solus labor sustineri, spem posuit. In terenda autem area aliquo frui concessit, dicens: Et triturans eius spei esse particeps. Deinde ne quisquam diceret, Hæc est ergo merces tantorum laborum, addidit: Propter spem, nempe futuram. Nihil ergo aliud clamat os humanis animalis camo non ligatum, quàm quod oporteat Doctores laborantes mercedem quoque consequi. *Si nos vobis spiritalia seminamus, magnum est si nos carnalia vestra metamus. Ecce quartam etiam addit rationem quod oporteat præbere alimenta. Nam quoniam dixit, Quis militat propriis stipendiis vnquam? & Quis plantat vineam? & Quis pascit gregem? & adduxit bouem triturantem: ostendit etiam aliam causam iustissimam, propter quam æquum erat vt acciperent: vt qui longè maiora præbuisserent, & non solum laborassent. Quidnam ergo est? Si nos vobis spiritalia seminamus, magnum est si nos carnalia vestra metamus. Vidisti*******

2. Cor. 11.

Paulus est ei liceret mercedem accipere, non accipit.

2. Cor. 11.

Supr. 4.

Doctores laborantes mercedem quoque consequi.

417 Vidisti causam iustissimam, & quàm priores magis rationi consentaneam. Nam illic quidem est, inquit, seminis carnalis, & carnalis fructus: hic autem non sic, sed seminis quidem spiritualis: merces autem carnalis. Nam ne sibi placerent & se magni facerent ij qui præbent Doctoribus, ostendit quod maiora quàm dat accipiunt. Nos autem seminantes in animis vestris spiritalia, metimus carnalia. Tale enim est quod datur ab eis alimentum. Deinde eis maiorem incutiendo pudorem dicit: *Si alij potestatis vestra participes sunt, quare non potius nos? Ecce alia rursus ratio, quæ ipsa quoque est ex exemplis, sed non similibus. Neque enim Petri hic meminit, neque Apostolorum, sed quorundam aliorum adulterinorum, aduersus quos postea in certamen descendit, & de quibus dicit: Si quis vos deuorat, Si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit, & belli aduersus eos gerendi iam facit præludium. Et id eò non dicit, Si alij à vobis accipiunt: sed ostendens eorum arrogantiam, tyrannidem, & caupinationem dicit, Si alij potestatis vestra sunt participes, hoc est, vobis dominantur, potestatem exercent, tanquam seruis abutuntur, non solum accipientes, sed etiam cum magna auctoritate. Et ideo addidit, Nò multò magis nos. Quod quidem non dixisset si loqueretur de Apostolis. Sed est perspicuè quod tacitè quosdam innuit exitiosos & perditos, qui ipsos decipiebant. Quamobrem cum lege Moysis, vos quoque ipsi legem tulistis quod præbere oporteat. Cum autem dixisset, Non multò magis nos, non probat cur nò multò magis, sed dimittit probationem eorum conscientia. Simul volens & terrere, & eos maiori pudore afficere: *Sed non vsumus hac potestate. Hoc est, nò accepimus. Vides quod cum per multa prius probasset, non esse contra leges, accipere: tunc dixit se non accipere, ne videatur abstinere tanquam à prohibito. Non enim, inquit, non accipio quia non licet (licet enim, idque ex multis demonstraui, ex Apostolis, ex iis quæ quotidie in vita sunt, ex milite, agricolæ, & pastore, ex lege Moysis, ex ipsa rei natura, quod seminauimus vobis spiritalia, ex iis quæ vos fecistis in alios.) Sed quemadmodum, ne videretur pudore afficere Apostolos qui accipiebant, hæc posuit, eis pudorem incutiens: ita rursus ne per nimiam confirmationem, & multa exempla, per quæ ostendit oportere accipere, videatur querere vt accipiat, & id eò hæc dicit, ipsum iam corrigit: & dilucidius quidem postea hoc posuit, quando dicit: Non scripsi autem hæc vt sic in me fiat. Hic autem dicit, Non vsumus hac potestate: & quod est maius, Ne illud quidè poterit quisquam dicere, quod cum res nobis essent secundæ & amplæ facultates, non vsumus, sed urgente etiam necessitate, non cessimus necessitati. Quod etiam dicit in secunda. Alias ecclesias expoliaui, accipiens stipendia ad ministerium vestrum, & cum essem apud vos, & egerem, nulli onerosus fui. Et rursus in hac, Et esurimus, & sitiimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur. Et hic rursus, hoc ipsum tacitè innuit dicens: *Sed omnia sustinemus. Dicens enim, Omnia sustinemus, & famem tacitè significat & angustias, & alia omnia. Sed ne sic quidem, inquit, coacti sumus soluere legem, quam nobis ipsis imposuimus. Quare? Ne quod offendiculum demus euangelio Christi. Nam quoniam imbecillius affecti erant Corinthij, Ne vos, inquit, percellamus accipientes, maluimus etiam plusquam iustum erat facere, quàm aliquam offensionem dare euangelio, hoc est vestra catechesi & institutioni. Si autem nos, cum & nobis esset permissum, magnamque vim patientes, & exemplum habentes Apostolos, non fecimus, ne daremus offensionem. (Et non dixit, euersionem, sed offensionem, nec abso-***

Christof. tom. 4.

lutè offensionem, sed offensionem aliquam, ne quamlibet, vt ita dicam, protelationem & dilationem afferamus cursui euangelij.) Si nos ergo, inquit, tanto vsum studio, quanto magis vos qui & longè abestis ab Apostolis, & neque legem potestis dicere quæ auertat, sed contra etiam tagitis prohibita, & quæ magnum damnum afferunt euangelio, non solum offensionem, neque vllam impositam videtis necessitatem, oportet abstinere: Hanc enim vnuerfam mouit orationè propter illos qui propter cibum illorum quæ immolata sunt idolis offendunt fratres imbecilliores. Hæc nos quoque audiamus, o dilecti: ne despiciamus eos qui offenduntur, nec aliquam afferamus offensionem euangelio Christi, ne nostram prodamus salutem. Nec mihi enim dicas, Non est hoc aut illud prohibitum propter quod offenditur, & permittitur. Nam ego tibi dico maiora, nempe quod etiam si ipse Christus permiserit, videris autem lædi quempiam, desiste, & ne vere permissione. Nam hoc quoque fecit Paulus, qui cum liceret accipere concedente Christo, non accepit. Etenim cum benignus sit dominus, suis præceptis admiscuit multum mansuetudinis, vt non solum ex iussu, sed etiam ex animi libero faciamus arbitrio. Potuisset enim, si hoc noluisse, præcepta magis intendere & augere & dicere, Qui non perpetuò ieiunat, puniatur. Qui non exercet virginitatem, det pœnas. Qui se non omnibus exuit facultatibus, vltimum luat supplicium. Sed non hoc fecit, tibi præbens vt si velis contendas vt laudem & honorem consequaris. Propterea & quando differebat de virginitate, dicebat, Qui potest capere, capiat. Et in diuite alia quidem præcepit, alia verò permisit libero animi arbitrio. Non dixit enim, Vnde quæ habes, sed, si vis esse perfectus, vende. Nos autem non solum non contendimus vt laudem & honorem consequamur, neque quæ sunt præcepta exuperamus, sed longè etiam abest vt præceptorum mensuram impleamus. Et Paulus quidem esurit, ne offensionem det euangelio: nos autem ne quæ nobis quidem sunt recondita audemus attingere, videntes innumerabiles animas euertendas. Rodat enim, inquit, tinea, & non rodatur pauper, excedat vermis, & non induatur nudus. Omnia consumantur tempore, & non alatur Christus, idque esuriens. Et quis hoc dixit? inquit. Hoc enim est graue admodum, quod hæc non verbis dicuntur, sed factis: minus enim esset graue si diceretur verbis quàm fieret factis. An non enim quotidie clamat inhumana, sæua, & tyrannidem exercens auaritia suis seruis? Apponantur nostra comedenda & sycophantis, & latronibus, & insidiatoribus, nò autem esurientibus, & egentibus nutriendis. Non enim vos facitis latrones? Non vos inuidorum igni præbetis escam? Non vos fugitiuos facitis & insidiatores? tãquam escam eis vestras apponentes diuitias? Quæ est hæc infania? est enim infania & manifestum delirium, arcas quidem implere vestibus: eum autem qui factus est ad Dei imaginem & similitudinem, nudum & præ frigore trementem & vix rectum stantem despiciere. At simulat tremorem & imbecillitatem. Deinde non times ne fulmen ab hoc verbo accensum ex alto deiiciatur? ira enim dirumpor, ignoscite. Tu enim ventri indulgens, & te impinguans, & ad profundam vsque vesperam comotationem extèdens, & mollius fatus stragulis, non censens te daturum pœnas, ad eò prauè & iniquè vtens Dei donis? Nò enim vt inebriemur, vinum: neque vt ventri indulgeamus, factum est alimentum: neque cibi, vt ventrem distèdamus. A paupere autem, ab infelice, ab eo qui non melius est affectus quàm mortuus, exactam exigis rationem? Et non times illud hor-

Quædam sunt præcepta, quædam conuentiones filij. Mat. 19.

rendum & terribile Christi iudicium? Nam si simulat, ex necessitate & egestate simulat, propter tuam crudelitatem & inhumanitatem, quæ huiusmodi opus habet personis, quæ non flectitur ad misericordiam. Quis est enim adeo miser & infelix, ut si nulla premat necessitas, pro vno pane tam indecorè se gerat, pulseturque ac laceretur, & tantas luat pœnas? Illius itaque simulatio circuit tuam pronuntians & prædicans inhumanitatem, Nam quoniam obsecrans & supplicans, & verba profundè miserabilia, lamentansque & lacrymans, & per totum diem circumiens, ne necessarium quidem inuenit alimentum, excogitauit fortè hanc quoque rationem & machinationem, quæ non tantum illi quantum tibi affert dedecus & vituperationem. Equum est enim ut illius misereamur, quòd ad tantam redactus sit necessitatem: nos autem innumerabilia mereremur supplicia, quòd pauperes ea pati cogamus. Nam si facile flecteremur, ille nunquam in animum induxisset, ut ea pateretur. Et quid dico nuditatem & tremorem? Dicam enim quod est eo horribilius. Coacti sunt quidam suos excæcare filios ætate immaturos, ut pertingerent ad nostrum stuporem & sensus egestatem. Nam quoniam videntes, & nudi circumeuntes, neque ætate, neque calamitate attraxerunt immiserordes, tot & tantis malis adiecerunt aliam grauiorem tragicœdiam, ut famem sedarent, leuius esse existimantes hac communi luce priuari, & eo qui omnibus datus est radio, quàm cum perpetua fame luctari, & subire mortem maximè miserabilem. Nam quoniam non didicistis misereri paupertatis, sed delectari calamitatibus, implent infatiabilem vestram cupiditatè, & sibi & vobis gehenna grauiorem accendentes flammam. Et ut sciatis quòd hæc & quæ sunt huiusmodi ideo fiant, dicam vobis certum, & de quo constat argumentũ, & aduersus quod nemo contradicet. Sunt alij pauperes leues & animis sublimes, & qui nesciunt ferre famem, & quiduis potius quàm hoc sustinent. Isti cum miserabilibus & gestibus & verbis sæpe vos interpellassent, cum id nihil eis profuisset, relictis illis supplicationibus, præstigiatores de cætero vobis longè superarunt: alij quidem mandentes coria calceorum detritorum: alij autem acutos clauos in caput traicientes: alij autem in aquis gelu concretis nudo ventre immorantes: alij autem his acerbiora & absurdiora sustinentes, ut vobis improbum exhibeant spectaculum. Tu autem cum hæc fiunt stas ridens, & admirans, & aliorum malis traducens commune probum & dedecus naturæ. Et quidnam plus quàm hæc faceret sæuus & immanis demon? Deinde ut hæc faciat promptius & alacrius, pecuniam das abundantius, & ei quidem qui precatur, & Deum inuocat, placidèq; & leniter accedit, ne vis quidem respondere, nec eum aspiceret, sed etiam grauiora illa & importuna verba ei dicis, quando tibi assidue fuerit molestus: Hunc viuere oportet, aut omnino respirare, aut hunc solem videre? Apud illos autem es & lætus & alacris & liberalis, ut qui sis quidam agonothera illius ridiculæ & satanicæ turpitudinis. Quamobrem iustius iis qui hæc proponunt certamina, & nihil effundunt donec viderint alios puniri, hæc verba dicerentur. Hos autem viuere, aut omnino respirare, & solem hunc videre, qui in communem delinquant naturam, & qui Deum contumelia afficiunt? Nam cum Deus dicat, Da elemosynam, & do tibi regnum cœlorum, non audiisti. Dæmone autè caput clavis confixum ostendente, repente factus es liberalis: & te magis inflexit maligni dæmonis ars & machinatio, tantum habens damnum, quàm Dei promissio bona afferens innumerabilia: cum oporteret, etiamsi sit aurum sol-

uendum, ut hæc nec fiant, nec cernantur fieri, omnia facere & pati ut hanc magnam de medio tollas infamiam. Vos autem ut hæc fiant, & hæc cernatis fieri, omnia facitis & procuratis. Et adhuc interrogas, Dic mihi cur sit gehenna? Sed ne hoc amplius interroges, sed quomodo est vna sola gehenna. Quot enim non sunt digni suppliciis isti qui hoc crudele & immite constant spectaculum, & illa rident propter quæ & illos & vos flere oporteret, magis autem vos, qui in his eos cogitis turpiter & indecorè se gerere. At non cogo, inquit. Quomodo, dic mihi quæso, non cogis, qui bonis quidem, & lacrymantibus & Deum inuocantibus ne animum quidem adhibere sustineas, istis autem & permultam largiaris pecuniam, & facis ut multi circumstant admirantes? Et recedamus, inquit, eorum miserentes. & tu hoc iubes? Non est hoc misereri homo, pro duobus obolis tantum exigere supplicium, iube ut pro alimento necessario se conscindant ac laenient, & cutem capitis in tam multa dissecant adeo acerbè & miserabiliter. Bona verba, inquit: non enim sumus nos, inquit, qui capita illa clavis configimus. Vtinam tu non es, non esset adeo graue malum. Nam qui aliquem interficit, multò facit grauius quam qui seipsum iubet interficere. Quod quidem in his quoque vsuuenit. Acerbiores enim sustinent dolores, cum iubentur ipsi per se hæc mala iussa exequi, idque Antiochiæ, in qua primùm appellati sunt Christiani, in qua fuerunt omnibus hominibus mitiores & benigniores, in qua olim vigeat multus fructus elemosynæ. Neque enim solum ad eos qui aderant, sed etiam ad eos qui longo interuallo aberant, mittebant, idque cum expectaretur fames. Quid ergo, inquit, oportet facere? Hanc quidem feritatem remittere: omnibus autem egentibus persuadere, quòd hæc quidem facientes nullam accipient mercedem. Leuiter autem ac placidè accedentes, magna frequent liberalitate. Et si hæc intellexerint, etiamsi sint omnium miserimi, nunquam in animum inducent sic puniri, ego hoc vobis spondeo: sed vobis etiam habebunt gratiam, quòd & à risu & dolore illo eos liberaueritis. Nunc autem pro aurigis etiam vestros filios dedideritis, & pro saltatoribus etiam vestras profuderitis animas: pro Christo autem esuriente ne minimam quidem vestrarum facultatum partem dederitis. Sed si parum dederitis pecuniæ, perinde ac si totam exoluisset is, ita affecti estis: nescientes quòd non dedisse, sed largè dedisse, hoc est maximè elemosyna. Et idè Propheta quoque non eos qui solum dant prædicat & beatos pronunciat, sed eos qui largè & copiosè erogant. Non solum enim dixit, Dedit. Sed quomodo? Dispensit, dedit pauperibus. Quid enim iuuat si has dederis diuitias, & ex iis tantum, quantum dedit quispiam ex mari cyathum, & ne viduæ quidem æmulatus fueris magnificentiam? Quomodo autem dices, Domine miserere secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum deleiuitatem meam, cum ipse non miserearis secundum magnam misericordiam: fortè autem nec secundum paruam? Valde enim erubescio quando videro multos ex diuitibus gestari equis qui fræna habent aurea, & trahunt seruos aurum ferentes, & lectos habent argenteos, & eiusmodi extrinsecus apparentem plurimam habent speciem: quando autem pauperibus dare oportuerit, etiam pauperrimis esse mendiciores. Sed quid est quod ab eis sæpe dicitur? Habet, inquit, commune ecclesiæ. Et quid hoc ad te? Neque enim si ego dederò, tu eris saluus. Neque si præbuerit ecclesia, tu tua peccata deleuisti. Propterea non das

Luc. 11.

Quod pau- peres si- mulent, i- pã auari sunt causa.

Amant- bus per- uis fac- te in- digne

Pauperum maxima multitudo aletur ab ecclesia.

Mat. 25.

Psal. 111.

Psal. 112.

Elemo- sy na datur à pauci- sculo mag- nam miseri- cordiam

quia ecclesia debet dare egentibus? Quoniam precantur sacerdotes, tu nunquam precaberis? & quoniam alij ieiunant, assidue inebriaberis? An nescis quòd non tam propter pauperes de elemosyna legè tulit Deus, quàm propter eos qui præbent? At sacerdos est tibi suspectus. Est quidem & hoc quoque graue peccatum. Sed nolo de hoc exactè & accuratè disputare. Per te ipsum fac omnia, & sic duplicè assequeris mercedem. Nam quæ nos dicimus de elemosyna, non dicimus ut tu ad nos afferas, sed ut tu ipse per te ministres. Nam mihi quidem offerens, fortasse etiam conuinceris inanis gloriæ. Sæpe autem etiam abibis offensus, propterea quòd mala sis suspicatus. Sin autem per vos ipsos omnia faciatis, & ab offensionibus liberabimini, & è mala suspicione, & maior erit vobis merces. Non ergo hæc dico tanquam vim afferens ut vos huc afferatis pecunias, neque succensens propter sacerdotes, qui malè audiunt. Nam si succensere & dolere oportet, pro vobis dolere oportet qui malè dicitis. Nam iis quidè qui sine causa & immeritò malè audiunt maior est merces: iis autem qui dicunt est iudiciũ & grauius supplicium. Non ergo pro iis hæc dico, sed vestri curam gerens & de vobis sollicitus. Quid enim mirum si in hac generatione quidam veniunt in suspensionem, cum etiam in illis sanctis qui Angelos sunt imitati, qui nihil habebant proprium, Apostolis, inquam, erat murmuratio in ministerio viduarum, quòd despiceretur pauperes, quando nullus ex suis facultatibus quidquam proprium esse dicebat, sed erant eis omnia communia: Ne hos proferamus pretextus, nec existimemus esse defensionem, quòd ecclesia multa possideat. Quando autem eius facultatum videris magnitudinem, cogita etiam inscriptorum pauperum greges, ægotatium multitudinem, curiosè inquire & perferutare innumerabilium expensarum & suppeditationum argumentum & occasionem: nullus est prohibitorus, sed sumus etiam parati vobis reddere rationem. Sed volo uti hyperbole & exuperatione. Nam quando reddiderimus rationem, & ostenderimus sumptus non esse minores prouentibus, sed aliquando etiam maiores, illud ex vobis lubenter sciscitaret, quando hinc excesserimus, & audierimus Christum dicentem: Esurientem me vidistis, & non nutristis: nudum, & non vestistis, quid dicemus? quam autem afferemus defensionem? Hunc aut illum afferemus in medium, qui his non obediit, & quosdam ex suspectis sacerdotibus. Et quid hoc, inquit, ad te? ego enim te accuso de peccatis quæ tu ipse admististi, eorum autè defensio est, propria diluere peccata, non ostendere, alios eadem quæ tu, peccasse. Ecclesia enim propter vestram parcitatem necesse habet habere quæ nunc habet. Nam si omnia agerent congruenter legibus Apostolicis, eius prouetum oporteret esse vestrum animum: quòd quidem & tutum esset penariũ, & thesaurus qui non posset consumi. Nunc autem cum vos quidem thesaurizetis super terram, & omnia in vestris includatis penariis: ipsa autem necesse habet impendere viduarum cœtib; choris virginum, hospitem aduentibus, peregrè proficiscentium afflictionibus, eorum qui sunt in vinculis calamitatibus, eorum qui sunt manci ac mutili necessitatibus, & aliis eiusmodi causis & occasionibus: quid facere oportet: cõsue omnes auersari, & tot portus effodere & ædificare? & quis factis naufragiis suffecerit? querelis, lamentationibus & ciulatus qui vndique existunt? Ne ergo temerè loquamur quidquid in mentem venerit. Nam nunc quidem, ut dixi antea, etiam rationem parati sumus vobis reddere. Si autem secus haberet, prauòsque & corruptos haberetis doctores, & omnia rapientes, & per aua-

Chrysof. tom. 4.

ritiam fraudantes, ne sic quidem vobis defensio esset illorum improbitas. Benignus enim & omni ex parte sapiens vnigenitus Dei filius, & videns omnia, & sciens quòd contingit longo tempore, & in tanto terrarũ orbe esse multos corruptos sacerdotes, ne eorum qui sunt eis subiecti socordia augetur per illorum negligetiam, omnem socordiæ tollens excusationem, Super cathedram Moysi, inquit, sederunt Scribæ & Pharisei. Omnia ergo quæcunque vobis dixerint facite. Secundum opera autem eorum nolite facere: ostendens quòd etiam si malum habeas doctorem, nihil tibi prodesse poterit, nisi iis quæ dicuntur animum adhibeas. Non enim ob ea quæ fecit doctor, sed ob ea quæ audiisti nec obediisti, de te sententiam feret Deus. Quamobrem si facias quidem quæ sunt præcepta, cum multa tunc stabis fiducia. Sin autem iis quæ dicuntur non obedieris, etiam si decies mille corruptos ostenderis sacerdotes, hoc te minimè defendet. Nam Iudas quoque erat Apostolus, hoc tamen nihil vnquam excusabit sacrilegos & auaros: neque poterit quispiam accusatus dicere: Enimuerò Apostolus erat fur, & sacrilegus, & proditor. Imò verò hoc ipsum nos magis puniet & condemnabit, quòd ne aliorum quidem malis castigati sumus. Nam propterea hæc quoque scripta sunt, ut fugiamus illorum imitationem. Quamobrem isto & illo dimisso, nos nos ipsos attendamus. Nam vnusquisque nostrum pro se Deo reddet rationem. Ut ergo hanc rationem cum bona & honesta reddamus defensione, nostram vitam componamus, & largã manum porrigamus egentibus, scientes quòd hæc sola est nostra defensio, ostendere nos ipsos rectè gessisse quæ sunt præcepta, nulla autem alia: & si hanc exhibere potuerimus, illos intolerabiles gehennæ dolores effugiemus, & bona futura consequemur. Quæ detur nobis omnibus assequi gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cui cum patre, &c.

Mat. 23.

Mat. 23.

ORATIO XXII.



ESCITIS quòd qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt. Et qui altari deseruiunt, cum altari participant: ita & dominus ordinauit iis qui euangelium annuntiant, de euangelio viuere. Multum ponit studij, ut ostendat non esse vetitum accipere. Et ideo cum tam multa dixisset antea, non fuit contentus, sed etiam ad legem procedit, præbens exemplũ priori conuenientius. Non sunt enim paria boues in mediũ adducere, & afferre legem disertis verbis latam de sacerdotibus. Mihi autem in hoc quoque considera Pauli prudentiam, quàm magnificè reimmeminerit. Neque enim dixit, qui sacra operantur, accipiunt ab offerentibus. Sed quid? Ex sacro comedunt. Ut neque exproberetur iis qui accipiunt, neque efferantur qui præbent. Quamobrem id quòd deinceps quoque sequitur posuit. Neque enim dixit qui altari assident, accipiunt à sacrificiis, sed, Cum altari participant. Nam quæ sunt oblata, nõ sunt amplius eorum qui obtulerunt, sed sacri & altaris. Neque dixit, Sacra accipiunt, sed ex sacro comedunt. Rursus ostendens symmetriam & moderationem, & quòd non oporteret rem facere pecuniãque colligere, nec ditari. Si autem dicit, Cum altari participant, non dicit eam quæ fit ex æquo distributionem, sed id quòd ex debito datur eis solarium. Atqui longè erant maiora quæ erant Apostolorum. Nam illic quidem honor erat sacerdotium: hinc autem pericula, & mactationes, & cædes. Quamobrem aliis omnibus exemplis erat multò maius dicere, Si nos vobis spiritualia seminauimus. Nam

Oblata nõ sunt amplius eorũ qui obtulerunt.

quando dixit, Seminauimus, ostendit tempestates, pericula, & infidias, & mala ineffabilia, quæ sustinebant ij qui prædicabant. Sed tamen etiam si tanta esset excellentia, noluit neque quæ erant veteris testamenti deprimere, neque sua extollere. Sed sua quoque extollit: non ex periculis, sed ex doni magnitudine, ostendens excellentiam. Non enim dixit, Si pericula adiimus, neque si structæ sunt nobis infidias, sed, si nos vobis spiritalia seminauimus: & quæ sunt sacerdotum, quoad eius fieri potest, extollit dicens, Qui sacra operantur, & qui altari assident, perpetuam eorum seruitutem, & tolerantiam volens ostendere. Et cum dixisset, Sacerdotes qui sunt apud Iudeos, & Leuitas, & Põrifices, vtrosque ostendit ordines, & qui sunt inferiores, & qui superiores. Hos quidem dicendo, Qui sacra operantur, illos autem, dicendo, Qui assident altari. Non enim erat omnibus mandatum vnum opus: sed aliis quidem crassiora, aliis verò altiora sunt commissa. Cum hos ergo omnes esset complexus, ne quisquam diceret, Cur nobis meministi veteris testamenti? Nescis quod perfectiorum madorum sit nobis tempus? Post illa omnia posuit id quod est omnibus fortius, dicens, Ita & dominus ordinauit iis qui euangelium annuntiant, de euangelio viuere. Et neque hic dicit ali ab hominibus, sed sicut in sacerdotibus ex sacro, & ex altari, sic hic quoque dicit, Ex euangelio: & sicut illic edere, ita hic viuere, non mercaturam facere, nec thesaurizare. Dignus est enim, inquit, operarius sua mercede. Ego autem nullo horum usus sum. Quid tum, inquit, si nunc non usus es, in futurum autem vis uti, & propterea hæc dicitis? Apage. statim enim usus est correctione, dicens: Non autem scripsi hæc ut ita fiant in me. Vide autem cum quanta vehementia rem negat & remouet. Bonum est enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis euacuet. Et non semel, nec bis, sed etiam sæpius vitur hac dictione. Dixit enim superius, Non usus sum hac potestate. Et postea rursus, Vt non abutar potestate, & hic, Ego autem nullo horum usus sum. Quorum? Multorum exemplorum. Nam cum multa mihi præberent potestatem, miles, agricola, pastor, Apostoli, lex, ea quæ a nobis in vos fiunt, ea quæ a nobis in alios, sacerdotes, Christi præceptum, nullo horum sum persuasus vt meam legem abrogem, & accipiam. Nec mihi dicas præterita, etiam si possim dicere quod multa olim propterea sum passus: sed tamen non nitor illis solis. Sed etiam de futuris polliceor, nempe me malle mori fame, quam his coronis priuari. Bonum est mihi magis mori quam vt gloriam meam quis euacuet. Non dixit, Legem meam vt quis soluat aut abroget, sed gloriationem. Nam ne quis dicat cum quidem hoc facere, sed non lætum, verum gementem & mærentem, volens summam ostendere lætitiã, & animi alacritatem, rem appellat gloriationem. Tantum abest vt sit mæstus, vt etiam gloriatur, & malit mori quam amittere hæc gloriationem. Ita quod fiebat erat ei vita dulcius. Deinde etiam aliunde id extollit, & ostendit esse magnum. Non vt se præclarum pronuntiet, ipse enim est valde remotus ab illa animi perturbatione: sed vt ostendat se lætari, & ex abundantia de medio tollat suspicionem. Propterea enim, vt iam dixi, rem vocauit gloriationem. Et quid dicit? Nam si euangelizauero non est mihi gloria. Necessitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi est si non euangelizauero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo. Si autem inuitus, dispensatio mihi credita est. Quæ est ergo merces mea? Vt euangelium prædicans sine sumptu ponam euangelium Christi: vt non abutar potestate mea in euangelio. Quid dicit, dic quæso, Si euangelizas, non est tibi gloriatio: sed si sine sumptu potestatis euangelium. Est ergo hoc illo

Sacerdotes perpetuo debent Deo seruire.

Matth. & Luc. 10.

Infrã.

Paulus lætus & alacris nihil accipiebat ab iis quos instituebat.

maius? Nequaquam, sed aliunde aliquid habet amplius. Quoniam illud quidem est præceptum: hoc autem re-ctè quidem fit, sed procedit à meo libero arbitrio. Nam quæ fiunt quidem supra mandatum, ex ipso habent multam mercedem. Quæ autem fiunt ex mādato, non tantam. Quamobrem ea ratione, dicit hoc illo esse amplius, non secundum ipsam rei naturam. Quid enim æquiparari potest prædicationi? Hoc enim facit ipsos certare cum Angelis. Sed tamen quoniam illud quidem est præceptum & debitum: Hoc autem est liberè suscepta liberalitas, ea ratione est hoc illo amplius. Id eod dicit, hoc ipsum interpretans quod nunc dixi, Si enim volens hæc ago, mercedem habeo. Si autem inuitus, dispensatio mihi credita est. Illud volens & inuitus, accipiens pro eo quod est creditum esse & non esse creditum. Ita etiam est intelligendum illud, Necessitas mihi incumbit: non vt qui aliquid horum faciat inuitus, ab sit. Sed vt qui sit obnoxius iis quæ iussa sunt, & ad distinctionem libertatis quæ dicta est in accipiendo. Quamobrem discipulis quoque dicebat Christus: Quando omnia feceritis, dicite, serui inutiles sumus. Quæ enim debemus facere, fecimus. Quæ est ergo merces mea? Vt euangelium prædicans sine sumptu ponam euangelium. Quid ergo dic quæso, Petrus non habet mercedem? Et quis vnquam tantam habuerit quantam ille? Quid verò reliqui Apostoli? Quomodo ergo dixit, Si volens quidem hoc ago, mercedem habeo. Si autem inuitus, dispensatio mihi credita est. Vides hic quoque prudentiam. Non enim dixit, Si autem inuitus, non habeo mercedem, sed dispensatio mihi credita est, ostendens quod sic quoque habeo mercedem: sed talem qualem is qui est executus quod iussum est: sed non qualem is qui è suo liberaliter est elargitus, & præceptum superauit. Quænam est ergo merces? Vt euangelium prædicans sine sumptu ponam euangelium. Vt non abutar potestate mea in euangelio. Vide quemadmodum perpetuo usus est nomine potestatis, ostendens id quod dixi assidue, quod nec ij quidem qui accipiunt, digni sunt reprehensione. Adidit autem, In Euangelio, simul quidem significas euangelium, & prohibens vbique rem educere. Nã cum qui docet oportet accipere, non autem eum qui solum est otiosus. Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrificerem. Hic aliam rursus ponit hyperbolen & exuperationem. Nam magnum quidem, est non accipere, id autem quod sum dicturus, est illo longè maius. Quid est autem quod dicit? Non solum, inquit, non accipi: neque solum non usus sum hac potestate, sed etiam me seruum feci, idque varia & omne genus seruitute. Neque enim in pecuniis solum, sed etiam quod pecuniis est multò maius, in multis & variis negotiis hoc ipsum ostendi, & seruum me feci, eum nulli in nulla re essem subiectus. Hoc enim est, Cum liber essem ab omnibus, neque vni seruiui, sed vniuerso orbi terræ. Et ideo subiunxit, Omnium me seruum feci. Iussus enim eram prædicare, & annuntiare quæ credita fuerant. Innumerabilia autem machinari & excogitare mei est studij & diligentia. Nam ego quidem soluendæ pecuniæ solum eram obnoxius: ego autem pro ea exigēda rursus faciebam omnia, plusquam quæ iussa erant aggrediens. Nam quoniã libera animi electione, desiderio & charitate in Christum omnia agebat, salutis hominũ infatiabile habebat desiderium. Quamobrem ex magna abundantia, septa, vt aiunt, transliebat, per omnia supra ipsum cælum saliens. Et cum dixisset seruitutem, deinde dicit varios eius modos. Quinã autem sunt ij? Et factus sum, inquit, Iudæus tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer. Et quomodo hoc factum est? Circumcidit,

circumcidit, vt euerteret circumcisionem. Propterea non A dicit, Iudæus, sed tanquam Iudæus: quod quidem erat dispensatio. Quid dicitis? Præco orbis terrarum, & qui ipsos cœlos tetigit, & in gratia adeo refulsit, is repente tantum descendit? Certè. Hoc enim erat ascendere. Ne enim hoc videas quod solum descendit: sed etiam quod eum qui infernè iacet erigit & ad se adducit. Iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, vt eos qui sub lege erant lucrificerem. Est explicatio prioris, aut aliquid aliud tacite significat præter prius, Iudæos quidem dicens eos qui longis ab alto petitis temporibus, & ab initio tales erāt. Sub lege autem profelytos, aut eos qui facti erant fideles, & adhuc legem retinebant. Non erant enim amplius tãquam Iudæi, sed sub lege. Et quomodo factus est sub lege? Quando tondebatur. Quando sacrificabat. Fiebant autem hæc non mutata eius sententia: Fuisset enim ea res scelus, sed se demittente & accommodante charitate. Nam vt eos qui verè erant ad hæc traduceret, factus est ipse non verè, solum ostendens ac præ se ferens, cum non esset, nec ex animo hæc faceret. Quomodo enim, qui ad transmutandos alios studium ponebat, & propterea hæc faciebat, vt alios facientes liberaret ab illa humilitate? Iis qui sine lege erant, tanquam sine lege essem. Isti nec erant Iudæi, nec Christiani, nec Græci, sed erant extra legem: cuiusmodi erat Cornelius, & si qui illi similes. Ad illos enim ingrediens multa illorum simulabat. Quidam autem dicunt eum tacite significare disputationem quæ illi fuit cum Atheniensibus ex inscriptione quæ erat in ara, & dicere, Iis qui sine lege erant, tanquam sine lege essem. Deinde ne quispiam existimaret eam rem esse mutationem sententiæ, subiunxit, Cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi. Hoc est, Cum non solum essem sine lege, sed nec absolute in lege, sed eam haberem legem quæ est veteri multò sublimior. nempe spiritus & gratia. Et ideo subiunxit, Christi. Deinde cum effecisset vt consideret de eius sententia, deinde rursus quoque ponit lucrum eius demissionis & accommodationis, dicens, Vt lucrificerem eos qui sine lege erant. Et vbique profert causam suæ demissionis & accommodationis: neque in eo constitit. Sed & infirmis, inquit, factus sum infirmus, vt infirmos lucrificerem. Dices id quod erat eorum reliquum, propter quod hæc quoque omnia dicta sunt. Atqui illa erant longè maiora, sed hoc erat conuenientius. Vnde etiam id posuit posterius. Fecit hoc autem etiam apud Romanos, quando de cibus accusabat, & in multis aliis locis. Deinde ne sigillatim omnia dicens nimis immoraretur, dicit: Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos. Vides Hyperbolen. Omnibus quidem factus sum omnia: non omnes saluos facere expectans, sed vt etiam paucos saluos faciam. Et studium quidem & ministerium tantum sustinui, quantum erat consentaneum eum qui omnes saluos facit: non sperans tamen ferre vt omnes superarem, quod quidem magnum erat & feruentis animi alacritatis. Nam & qui seminat vbique seminat, & non omnem seruat sementem: & tamen suo functus est officio. Et cum dixisset paucitatem eorum qui sunt salui, rursus dicendo omnino, eos leniit qui de eo dolebant. Nam etsi fieri non potest vt vniuersa conseruetur sementis, sed tamen vt tota pereat nullo modo potest fieri. Propterea dixit, Omnino, quoniam omnino necesse est, vt qui tam vehemens ponit studium, etiam assequatur. Omnia autem facio propter Euangelium, vt particeps eius efficiar. Id est, vt ipse quoque videar è domo allatum aliquid contulisse, & sim particeps coronarum quæ sunt repositæ fidelibus. Nam quomodo dicebat, Ex euangelio viuere, hoc est, ex creditibus, ita hic etiã,

Indæum esse, & sub lege esse differunt. Act. 21.

Act. 10. Ibid. 17.

Lex Christi, quæ est spiritus & gratia, est veteri multò sublimior.

Rom. 14.

Qui in prædicatio vehementer ponit studium, aliquid assequitur. Hic sup. 6.

efficiar particeps euangelij, vt possim habere societatem & participationem cum iis qui crediderunt euangelio. Vidisti humilitatem, nempe quomodo in mercedis redditione se vnum ponit ex multis, cum plusquam omnes laborauerit, vnde est etiam perspicuum quod plus præmij esset habiturus. Neque tam æquum esse censet vt primas partes habeat, sed satis habet si cum aliis sit coronarum repositarum particeps. Hæc autem dicebat, non quoniam pro mercede aliqua hoc faceret: sed vt illos quoque hinc attraheret, & hac spe persuaderet omnia facere pro fratribus. Vidisti prudentiam. Vidisti quanta fuerit eius excellentia in accurata & exacta actione: quomodo fecerit supra ea quæ fuerant præcepta, non accipiens cum liceret accipere. Vidisti summam sui demissionem & accommodationem, quomodo cum esset in lege Christi, & supremam seruaret legem, iis qui sine lege erant esset tanquam esset sine lege, Iudæis tanquam Iudæus, in vtriusque summus apparens & omnes vincens. Hoc quoque facit: nec te existimes deiici & decidere cum sis summus, si propter fratrem sustinueris aliquid humile & abiectum. Non est enim hoc deiici & decidere, sed descendere. Nam qui cecidit & est deiectus, iacet & vix resurgit. Qui autem descendit, ascendet etiam cum multo lucro: quomodo etiam Paulus solus quidem descendit, ascendit autem cum vniuerso orbe terrarum: non simulans, neque enim quæsiuisset lucrum eorum qui seruantur, si simulasset. Hypocrita enim & simulato quærit exitium, & simulat vt accipiat, non vt det. Hic verò non sic, sed tanquam medicus, tanquam magister, tanquam pater: ille quidem tanquam ægroto, hic verò tanquam discipulo, alter verò tanquam filio se demittit ad correctionem, non ad damnum. Ita etiam hic quoque. Nam quod quæ dicta sunt non essent hypocrisis & simulatio, cum nihil huiusmodi necesse haberet facere aut dicere, sed suam affectionem fiduciamque ac libertatem velle ostendere, audi eum dicentem. Neque vita, neque mors, neque Angeli, neque principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque aliqua alia creatura, poterit nos separare à charitate quæ est in Christo Iesu domino nostro. Vidisti charitatem igne ardentiorē. Ita etiam nos quoque Christum diligamus. Facile est enim si velimus. Neque enim ille talis erat natura. Propterea & sunt eius priora, quæ sunt his contraria, vt discamus quod sit opus liberi arbitrij, & volentibus sunt omnia facilia. Ne ergo desperemus nec animum despondeamus: sed & si sis maledicus, & si auarus, & si quodlibet, cogita quod Paulus erat blasphemus, quod persecutor, quod contumeliosus, & peccatorum primus, & repente ascendit ad summum cacumen virtutis, neque priora illi vlla fuerunt impedimento. Atqui nemo cum tanto furore sectatur vitium, cum quanto ille est sectatus bellum aduersus ecclesiam. Namque tunc ipsam suam tradidit animam, & dolebat quod tunc non mille haberet manus vt omnibus feriret Stephanum: & tamen sic quoque inuenit quomodo pluribus manibus eum feriret, nempe falsorum testium, quorum seruabat vestes. Iam verò quando etiam intrabat domos, tanquam fera insiliebat, trahens, lacerans viros & mulieres, omnia replens tumultu & strepitu & bellis innumerabilibus. Adeo quidem certè erat terribilis, vt etiam Apostoli post optimam mutationem nondum auderent ei hæerere. Sed tamen post illa omnia, fuit talis qualis fuit, nihil enim est dicendum amplius. Vbi sunt ergo ij qui fati necessitatem aduersus nostri arbitrij libertatem obiiciunt? Hæc audiant, O iij

Aliud est deiici & decidere, aliud descendere.

Rom. 8.

Volētibus omnia sunt facilia.

Act. 7.

& ora sua obstruant: eum enim qui vult esse bonus nihil est quod impediatur, etiam si prius esset improbissimus. Ad hoc enim sumus aptiores, quatenus est etiam virtus secundum naturam, & præter naturam vitium, sicut etiam ægrotare & esse sanum. Nam & oculos nobis dedit Deus, non ut impudicè aspiciamus, sed ut res ab eo creatas admirantes, adoremus Creatorem. Quod autem hinc sit usus oculorum, est perspicuum ex iis quæ videntur. Nam solis quidem & cæli pulchritudinem ex infinito aspiciamus intervallo: mulieris autem pulchram formam, ex tanto non didicerit quispiam. Vides quod nobis ad hoc magis factus est oculus. Rursus aures fecit, non ut verba excipiamus maledica & blasphemata: sed ut dogmata salutaria. Propterea quidem certè quando dissonum aliquid acceperint, & torpescit animus, & ipsum corpus. Sermo, enim inquit, periuri stare facit pilos: & si crudele aliquid & immite audierimus, rursus horremus. Sin autem numerosum aliquid & humanum ac benignum, & gestimus & lætamur. Os quoque nostrum loquens turpia, efficit ut crubescamus & præ pudore nos abscondamus. Sin autem honesta, cum securitate & omni libertate ea emittit. Iis autem quæ sunt secundum naturam nemo erubuerit, sed iis quæ sunt præter naturam. Et manus quidem quando rapiunt, occultantur, & quærunt defensionem. Si autem dederint elemosynam, etiam gloriantur. Quamobrem si velimus, vndique habemus magnam ad virtutem propensionem. Si autem dicis mihi voluptatem quæ ex vitio oritur, cogita quod eam quoque maiorem percipimus ex virtute. Etenim bonam habere conscientiam, & ab omnibus haberi in admiratione, & bonam spem expectare, est omnium iucundissimum ei qui consideraverit naturam voluptatis: quomodo etiam contraria sunt omnium molestissima ei qui novit naturam doloris. Ut probis ab omnibus appeti, à seipso accusari, tremere, & tam futura quam præsentia formidare. Et ut sit quod dico manifestius, ponamus, exempli causa, quandam habentem vxorem proximi cubile perfodere, & capere voluptatem ex improbo furto eius quam amat. Deinde ex aduerso ei statuiamus rursus alium qui sua est contentus: & ut maior & manifestior sit victoria, iste qui sua sola fruitur, amet etiam illam quæ admittit adulterium, contineat autem se ab amore, & nihil mali faciat: quanquam ne hoc quidem est pura temperantia. Cæterum ex abundantia, ut discas quanta sit voluptas virtutis: propterea sic actum finximus. His ergo compositis, sic ambos interrogemus, cuiusnam sit vita iucundior: & videbis hunc quidem gloriantem & exultantem propter victoriã quam est affectus de libidine: illius verò, imò ne expectare quidem oportet ut ab ipso aliquid discas. videbis enim ipsum, et si millies inficietur, miserius affectum quam qui sunt in vinculis. Omnes enim timet & habet suspectos, & suam vxorem, & maritum eius cum qua eommittit adulterium, & eam ipsam cum qua committit, & familiares, & amicos, & cognatos, & parietes, & vmbas, & seipsum, & quod est omnium grauissimum, vociferantem habet conscientiam & in dies latrantem. Quod si etiam Dei iudicium ei venerit in mentem, ne stare quidem poterit. Et est voluptas quidem brevis: qui ex ea autem existit dolor est perpetuus. Nam & vespere & nocte, & in solitudine, & in ciuitate, & vbi que sequitur accusator, acutum ostendens gladium, & cruciatus intolerabiles, & metu ipsum consumens. Ille autem temperans liberatus est ab his omnibus, & est in libertate, & securè videt suam vxorem, liberos, amicos, & liberis oculis videt omnia. Si autem qui a-

Oculos enim nobis Deus dedit.

Eccl. 27.

Os cur sit datum.

Voluptas est maior ex virtute quam ex vitio.

amat quidem, se autem continet, tanta fructur voluptate: qui ne amat quidem, sed purè ac syncerè est temperans, quoniam portu, quam tranquillitate non iucundior & placidior habebit animam? Propterea quidem certè adulteros videris paucos, temperantes autem plures. Si hoc autem esset iucundius, id multi elegerint. Nec mihi dicas timorem qui incutitur à legibus: nò is est enim qui eos continet, sed summa turpitudine & absurditas, & quod molesta sunt plura iucundis, & sententia quam fert conscientia. Et adulter quidem est eiusmodi. Si vultis autem, avarum quoque adducamus in medium, alium rursus iniquum ac sceleratum amorem aperientes. Nam hunc quoque eadem timere videbimus, & non posse pura frui voluptate. Etenim mente versans eos qui iniuria afficiuntur, & eos qui ipsorum miserentur, & omnium communem de ipso sententiam, innumerabilibus agitur fluctibus. Neque hoc solum est ei molestum: sed nec frui potest amica. Tales enim auarorum mores. Non habent ut fruantur, sed ut non fruantur. Si hoc autem esse tibi videtur ænigma, audi quod est ea adhuc peius & magis perplexum, nempe quod non solum hac ratione priuati sunt eorum quæ habent voluptate, quod his non audeant uti, ut velint: sed etiam quod iis nunquam fatientur, sed vexetur perpetua siti: quo quid fieri potest molestius & grauius? Sed non est eiusmodi vir iustus: sed à tremore & odio & metu, & ab hac incurabili siti est liberatus. & quomodo illum omnes execrantur, ita huic omnes benè precantur: & quomodo ille nullum habet amicum, ita hic nullum inimicum. Cum ergo de his nulla sit controuersia, quid vitio fuerit iniucundius, aut virtute iucundius? Imò verò etiã si dixerimus innumerabilia, nemo nec illius, nempe vitij, dolorem, nec huius, virtutis scilicet, voluptatem verbis poterit exprimere, donec ea fruamur. tunc enim & felle amarius inueniemus vitium, quando mel virtutis gustauerimus. Nam nunc quoque est iniucundum, & graue, & molestum: & nec ij qui ipsam colunt & amplectuntur, contradicunt. Quando autem ab eo disceserimus, tunc exactius sentimus acerba eius iussa. Si autem multi ad ipsum currunt, non est mirum. Nam pueri quoque cum sæpe minus iucunda elegerint, despiciunt ea quæ magis delectant: & qui ægrotant, pro fluxa & momentanea gratia, perpetuam, firmamque & stabilem amittunt lætitiã. Hoc autè est amantium imbecillitatis & stultitiæ, non autem rerum naturæ. Qui enim viuit cum voluptate, is est qui est virtute præditus, qui est verè diues, & qui verè liber. Si quis autem alia quidem virtuti concedat, libertatem, securitatem, à curis esse liberum, neminem timere, neminem habere suspectum, voluptatem autem non concedat, tunc mihi venit in mentem profusè ridere. Quid enim est aliud voluptas quam liberum esse à cura & metu, & animæ ægritudinibus non esse obnoxium? Quis est enim, dic quæso, in voluptate, is ne qui furit, & agitatur, & à multis pungitur desideriis, & ne est quidem apud se: an is qui est liber ab omnibus eiusmodi fluctibus, & tanquam in portu sedet in philosophia? An non est perspicuum quod hic? Sed hoc cernitur proprium virtutis. Quamobrem vitium solum habet nomen voluptatis, re autem ipsa caret: & antequam quidem ea fruaris, ea est insania, non voluptas: posteaquam ea frui contigerit, ipsa statim extinguitur. Si ergo neque in initio, neque postea licet eius videre voluptatem, vbi cerneretur, & quando? Ut autem apertius discas quod dico, quod dicitur aperiamus exemplo. Considera autem. Captus est quispiam amore cuiusdam pulchræ & speciosæ mulieris: is donec quidem affectus fuerit ut fruatur amore, est similis iis qui

Abstr. p. 17.

Abstr. p. 17.

Vit. p. 17.

Car. p. 17.

Volent. p. 17.

qui sunt emotæ mētis & delirant. Postquam autem est affectus, extinguit desiderium. Si ergo neque in initio voluptas accipitur, res enim est insana: neque in fine: nam concubitu compefcit cæstrum amoris, vbi eã deinceps inueniemus? Sed non ita se habet res nostræ, sed & initio liberæ sunt ab omni perturbatione, & ad finem vsque manet florens ac vicens voluptas: imò verò ne est quidem voluptatis finis apud nos, neque bona finem habet: neque adhuc dissoluitur & interit ipsa voluptas. Cum hæc ergo omnia cogitauerimus, si quidem voluptatem amamus, virtutem apprehendamus, vt bona præsentia & futura consequamur. Quæ quidem detur nobis omnibus assequi gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cū patre, & spiritu sancto, laus & gloria sit in sæcula sæculorum: Amen.

ORATIO XXIII.



ESCIŒIS quod ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brabium. Cum ostendisset quod res admodum vitilis sit se demittere & ad alios accommodare, & id sit summa perfectio, & quod ipse plusquam omnes ad perfectionem ascenderit, imò verò ipsum etiam exuperauerit non accipiendo: & vtriusque eorum nota nobis fecisset tempora, nempe & perfectionis & demissionis, sui que ad alterum accommodationis, eos deinceps pungit acrius: tacitè significans quod id quod sit ab ipsis, & videtur esse perfectio, est quidam labor inanis & superuacaneus. Et hoc quidem non dicit adeò apertè ne fiant impudètes: per ea autem quæ confirmat hoc ostendit. Et cum dixisset quod in Christum peccant, & fratres perdunt, & nihil eos iuuat perfecta cognitio nisi adsit charitas, rursus venit ad commune exemplum, & dicit, Nescitis quod ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, vnus autem accipit brabium? Hoc autem dicit, non quod vnus quoque sit hic futurus saluus, absit, sed quod nos multum debeamus adhibere studium. Nam sicut illic multis in stadii descendibus, non coronantur multi, sed vnus id assequitur, nec sufficit in certamen descendere, neque inungi, & luctari: ita hic quoque non sufficit credidisse, & leuiter ac vtcunque decertasse, sed nisi ita curramus vt ad finem vsque nos præbeamus nulli affines reprehensionis, & propinqui simus præmio, nihil ad nos redibit emolumentum. Nam et si ipsum existimas perfectum, quod attinet ad cognationem, nondum tamen vniuersum comprehendes. Quod quidem tacitè significans dicebat. Sic currite vt comprehendatis. Non ergo comprehenderant: & cum sic dixisset, modum quoque docet. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Quid est, ab omnibus? Non ab hoc quidem abstinet, in alio autem peccat: sed & ingluuiem, & liguritionem, & temulentiam, & vt semel dicam, omnia vincit vitia. Nam hoc, inquit, sit etiam in externis certaminibus. Iis enim qui decertant, tempore decertationis non licet inebriari, neque scortari, ne vires dissoluant. Sed neque in vlla re alia versari, sed se omninò ab omnibus abducentes, solis gymnasiis dant operam. Si autem illic hæc fiunt, vbi vni vna datur corona, multò magis hic quoque, vbi pro maiori gloria & honore contenditur. Neque enim vnus solus coronatur: & præmia quoque longè superant labores. Deinde ad pudorem incutiendum hoc quoque ponit, dicens. Et illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum. Cum eos ab externis pudore affecisset, se quoque deinceps in medium adducit, quod

quidem est optimus modus doctrinæ. Quamobrem vbi que etiam cernitur hoc facere. Quid est autem, Non in incertum? Ad scopum, inquit, aspiciens, non temerè & inconsideratè, sicut vos. Quid enim, inquit, ad vos redit commodi ex eo quod idolorum delubra ingredimini, & illam vti que ostentis perfectionem? Nihil. Sed non sum ego talis, sed quæcunque facio, facio pro populi salute: seu perfectionem ostendero, propter ipsum: seu demissionem & ad alios accommodationem, propter ipsum: seu Petrum superaro in non accipiendo, ne offendantur: seu me plusquam omnes demisero & ad alios accommodaui, vt qui circumcidar, & tondear, ne supplantentur. Hoc est illud, Non in incertum. Tu autem, dic quæso, cur comedis in idolorum delubris? Sed nullam poteris dicere iustam causam. Cibus enim te non commendat Deo: & neque si comedas, plus habebis: neque si nò comedas, minus. Temere ergo curris & inconsideratè: hoc enim est, in incertum. Sic pugno, non quasi aërem verberans. Rursus illud temerè & inconsideratè tacitè significans hoc dicit. Habeo enim quem feriã, nempe diabolus: tu autè ipsum nò feris, sed vires tuas temerè effundis. Atque eos quidem nunc sic ferens hæc dicit. Nam quoniã in iis quæ præcesserunt, vehementius eos est insectatus, rursus reprimit increpatione, fini orationis referuã profundam incisionem. Nam hic quidè, temerè, inquit, faciunt & inconsideratè: postea autem ostendit quod etiam in magnum sui capitis exitium, etiam absque damno fratrum ipsi culpæ affines hæc audeant. Sed castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne forte cum aliis predicauerim, ipse reprobus efficiar. Hic ostendit eos & ventris implendi teneri desiderio, & ei laxare habenas, & prætextu perfectionis suam implere ingluuiem, quod superius quoque parturiebat dicere, cum diceret, Elcæ ventri, & venter escis. Nam quoniam fornicationem procreant delitiæ, & id peperit idololatriam, id meritò multis in locis insectatur. Et ostendens quàm multa passus sit propter euangelium, hoc quoque ponit cum illis. Quo modo enim, inquit, supergressus sum præcepta, idque cum res esset mihi leuis. Omnia, enim inquit, sustinemus, ita hic quoque multum sustineo laborem, vt moderatè & temperanter viuam. Nam & si non facillè litigari possit cum cupiditate & ventris tyrannide, eam tamen refreno, nec me ei dedo ægritudi: sed omnem sustineo laborem ne ab ea attrahar. Ne enim existimetis me absque negotio in his me re-ctè gerere. est enim cursus, & lucta, & naturæ tyrannis assiduè insurgens, & se vendicare volens in libertatem. Sed non patior, sed eam coërceo, & cum sudoribus multis eam subiicio. Hæc autem dicit vt nemo despondeat animum in suscipiendis pro virtute laboribus, quoniam res est laboriosa. Et ideò dicit, Castigo, & in seruitutem redigo. Non dixit, Interimo, neque enim caro est inimica, sed castigo & in seruitutem redigo: quod quidem est domini, non hostis: Doctoris, non inimici, Pædrotribæ puerum exercentis, non aduersarij. Ne forte cum aliis predicauero, ipse reprobus efficiar. Si autem Paulus hoc timuit qui tam multos docuit, & timuit postquam prædicauit, & factus est Angelus, & totius orbis terræ defensionem suscepit & patrociniũ, quid nos dixerimus? Ne enim existimetis, inquit, quoniam credidistis, hoc vobis sufficere ad salutem. Nam si mihi prædicasse, docuisse, innumerabiles adduxisse, non satis est ad salutem, nisi meæ quoque actiones sint eiusmodi vt in eas nulla cadat reprehensio, multò magis vobis. Deinde ad alia rursus venit exempla: & sicut superius posuit exempla Apostolorum, & communis consuetudinis, & facer-

Temerè nihil agendum. Supr. 8.

Supr. 6.

Caro non interimitur, sed castiganda.

Doctrinæ modus optimus.

Chryso. tom. 4.

dotum, & suum, ita etiam hic quoque positus Olympi-
 corum certaminum exemplis, & suo, rursus pergit ad
 antiquas scripturæ historias: & quoniam asperiores ac
 molestiores habiturus est orationem, communem facit
 adhortationem, & non solum de propositis, sed etiam
 de omnibus, quæ sunt, ut semel dicam, apud Corinthios
 ægritudinibus differit: & de externis quidam certaminibus,
 Nescitis, inquit. Hic autem, *Nolo autem vos ignorare fratres.*
 Hoc autem dicebat, ostendens, quod in his non
 erant valde eruditi. Et quid est quod non vis nos ignorare?
 Quod patres nostri omnes, inquit, sub nube fuerunt, & per
 mare transferunt, & in Moysè baptizati sunt in nube & in mari:
 & omnes eandem escam spirituales manducaverunt, & eundem
 potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali
 confluence eos petra. Petra autem erat Christus. Sed non
 in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Et quam de
 causa hæc dicit? Ut ostendat quod sicut illis non profuit
 quod tantum donum sint assecuti, ita nec his quod consecuti
 sunt baptismum, & spiritualia perceperint mysteria, nisi sint
 ostenturi vitam dignam gratia: & idcirco adducit figuras ac typos
 baptismi & mysteriorum. Quid est autem, in Moysè baptizati sunt?
 Sicut nos cum Christo crediderimus, & eius resurrectioni, baptizamur,
 tanquam ipsi quoque mysteriorum futuri participes: baptizamur
 enim, inquit, pro mortuis, hoc est, nostris corporibus: ita illi
 quoque Moysè freti, nepe cum vidissent eum primum traiecit,
 ausi sunt ipsi quoque aquas transmittere. Sed quoniam vult
 figuram prope veritatem adducere, non sic dicit, sed etiam
 veritatis nominibus usus est in figura. Et hoc quidem est
 symbolum seu signum lauacri: quæ autem sequuntur sacræ mensæ,
 sic illi manna: & quomodo tu bibis sanguinem, sic illi aquam
 è petra. Nam & si sensilia erant quæ fiebant, præbebantur
 tamen spiritualiter, non ex naturæ consequentia, sed ex doni
 gratia, & cum corpore animam quoque nutriebant, ad fidem
 inducentia. Propterea de nutrimento quidem nihil dixit, erat
 enim mutatum, non modo solum, sed etiam natura: erat enim
 manna: sed de potu, quoniam solus modus eius suppeditationis
 erat admirabilis & præter opinionem, & opus habebat confirmationem.
 Quamobrem cum dixisset, Eundem potum spiritalem biberunt,
 subiunxit, *Bibebant enim ex spiritali confluence petra:* & addidit,
Petra autem erat Christus. Non enim petræ natura, inquit, emittebat
 aquam: sed alia quædam spiritalis petra totum operabatur,
 nempe Christus qui est ubique præsens, & omnia facit mirabilia.
 Propterea enim dixit, sequente. Vidisti Pauli sapientiam,
 quomodo eum vtriusque ostendit suppeditatorem, ea etiam
 ratione figuram adducens prope veritatem. Qui enim illi illa
 præbuit, inquit, is hanc quoque mensam construxit: & idem
 illos quoque per mare, & te duxit per baptismum. Et illis manna
 & aquam, & tibi corpus præbuit & sanguinem. Et hæc quidem
 sunt eius doni. Videamus autem & quæ deinceps sequuntur,
 & consideremus, an cum dono visi essent indigni, eis pepererit.
 Sed non poteris hoc dicere. Et ideo subiunxit, *Sed non in pluribus
 eorum beneplacitum est Deo.* Et si tanto honore eos affecerit:
 sed hoc nihil eis profuit, sed plures ex iis perierunt. Atqui
 perierunt omnes. Sed ne his quoque videatur interitum prædicere,
 propterea dixit plures. Atqui erant infiniti: sed nihil eis
 profuit multitudo. Et erant omnia illa amoris indicia. Sed
 ne hoc quidem illos iuuit: quoniam nec ipsi quidam quæ sunt
 charitatis ostendebant. Nam quoniam iis quæ de gehenna dicuntur,
 multi non credunt, ut quæ nec sunt, nec apparent, ostendit
 ex iis quæ iam facta sunt, quod Deus punit peccatores,

CAP. X.

Num. 9. & Exod. 13. & 14.

Baptismi figura.

Sacræ mensæ typus & figura.

Exod. 17. & Num. 20.

etiam si eos affecerit beneficiis. Nam & si futuris, inquit, non creditis, sed non utique non creditis iis quæ iam facta sunt. Considerate ergo quantis eum affecit beneficiis. Ab Ægypto, & qua illic opprimebantur liberavit servitute: mare constravit: è cælo manna demisit: è superis fontes aquarum alienos & admirabiles fidemque & opinionem superantes emisit. Aderat eis ubique faciens miracula, & omni ex parte eos muniens ac protegens. Sed tamen quoniam hoc dono nihil dignum ostenderunt, eis non pepercit, sed omnes perdidit, *Nam prostrati sunt, inquit, in deserto.* Repentinum eorum interitum, pœnalque & supplicia diuinitus illata per hanc indicans dictionem: & quod nec proposita præmia sunt assecuti. Neque enim hæc eis fecit in terra promissionis, sed extra, & procul longèque ab illa regione, eos duplici afficiens supplicio, & quod non concesserit ut terram viderent, eamque ipsis promissam, & quod eos graviter punierit. Et quid hæc, inquit, ad nos? Ad te quidem certè: & ideo subiunxit: *Hæc autem in figura facta sunt nostri.* Nam sicut dona figuræ ac typeri, ita etiam supplicia typeri ac figuræ: & sicut baptisma & mensa prius describebatur, ita etiam per ea quæ sequuntur describitur, quod etiam punientur qui hoc dono sunt indigni. Nos autem prius compellat & monet illis exemplis, ut simus modestiores & temperantiores. Quamobrem subiunxit, *Ut non simus concupiscentes malorum sicut illi concupierunt.* Quomodo enim in beneficiis præcesserunt figuræ, & secuta est veritas, ita etiam sequetur in suppliciis. Vides quemadmodum ostendit, non quod punientur solum, sed etiam quod magis quam illi. Nam si illud quidem est figura, hoc autem veritas, necesse est etiam in suppliciis magnam esse exuperationem, sicut etiam in donis. Considera autem quosnam primum tangat, nempe eos qui comedunt in templis idololorum. Nam cum dixisset, *Ut non sitis concupiscentes malorum,* quod quidem erat uniuersè & in genere, subiungit etiam quod est in specie, ostendens quod vnumquodque peccatum ortum est ex mala cupiditate: & primum hoc dixit, *Neque idololatras efficiamini, sicut quidam ex ipsis: quemadmodum scriptum est. Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Audisti quomodo de cætero eos etiam vocat idololatras. Sed hic quidem pronuncians, postea autem etiam confirmans ac probans. Porro autem causam quoque posuit propter quam currebant ad illas mensas. Ea autem erat ingluuies. Sedit enim, inquit, populus ad comedendum & bibendum: & addidit finem qui deinde sequitur, nempe, Surrexerunt ad ludendum. Quomodo enim, inquit, illi à deliciis exierunt ad idololatriam, ita timendum est ne vos inde eò decidatis. Vidisti quemadmodum ostendit hos utique perfectos illis esse imperfectiores. quos pungebat non eo solum quod non sufferrent, sed etiam quod illi quidem peccarent ob ignorantem, hi verò ob ingluuiem: & illorum quidem interitus causam his tribuit, hos autem non finit sui peccati causam referre in alios, sed & illorum & sui damni in eos esse culpam conferendam pronuntiat. *Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt.* Quare hic meminit fornicationis, cum de ea antea tantum differuerit? Solet semper Paulus quando de multis accusat criminibus, ea etiam ordine disponere, & sigillatim proposita persequi, & rursus ubi loquitur de aliis, etiam priorum meminisse. Quod quidem Deus quoque faciebat in veteri, in singulis delictis vitulum in memoriam reuocans, & peccatum illud adducens in medium. Hoc ergo Paulus quoque hic facit, simul & illud peccatum in memoriam reuocans, & docens quod hoc quoque peccatum

Idololatriæ punitione cur non ponat Paulus. Num. 31.

Ibid. 21.

Num. 14.

1. Cor. 11. & 12.

Pœnæ erunt æternæ in futuro sæculo.

tum natum sit ex deliciis & ingluuie. Et ideo subiunxit, *Neque fornicemur sicut quidam eorum fornicati sunt, & ceciderunt una die viginti tria millia.* Et cur non ponit etiam punitionem idololatriæ? Num quoniam erat clarum & manifestum? An quoniam non fuit tanta strages quanta fuit tempore Balaam, quando initiati sunt Beelphegor, mulieribus Madianitis eos in acie ferentibus & ad libidinem attrahentibus consilio Balaam? Nam quod Balaam hoc esset malum consilium, ostendit Moyses post hæc sic dicens in fine libri Numerorum: Balaam quoque filium Beor occiderunt in bello Madian cum mulieribus, & adduxerunt spolia, & iratus est Moyses, & dixit, Cur viuas cepistis omnes mulieres? Eæ enim fuerunt filiis Israël in scandalum secundum verbum Balaam, ut deficerent, & despicerent verbum domini propter Phegor. *Neque tenemus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt.* Per hoc rursus aliud crimen tacite significat, quod etiam ponit in fine, eos accusans quod de signis depugnarent, & propter tentationes murmurarent, dicentes: Quando venient bona, quando præmia? Et ideo subiungit, eos corrigens & terrens. *Neque murmuraueritis sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.* Non est enim solum quod queritur, pati pro Christo, sed etiam fortiter ferre quæ irruunt, & cum omni voluptate ac latitia: in hoc enim tota consistit corona. Nam nisi hoc sit, pœna etiam sequetur eos qui egrè ferunt. Propterea Apostoli quoque flagris cæsi gaudebant: & Paulus gloriabatur in afflictionibus. *Hæc autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, ad quos fines sæculorum deuenerunt.* Rursus eos terret finem dicens, & efficit ut expectent maiora iis quæ facta sunt. Nam quod pœnas quidem sumus daturi, ex iis inquit, quæ dicta sunt est manifestum iis etiam qui non credunt quæ dicuntur de gehenna. Quod autem grauioribus, & ex eo quod plura consecuti sumus beneficia, & ex eo quod illa sunt figuræ. Nam si in donis est exuperatio, est euidens quod etiam in supplicio. Propterea & figuras vocauit, & propter nos scripta esse dixit: & finis fecit mentionem, ut cõsummationem reuocaret in memoriam. Non enim talia tunc erunt supplicia, ut & finem accipiant, & dissoluantur, sed pœna erit æterna. Sicut enim quæ hic sunt pœnæ, simul cum vita præsentem dissoluantur, ita quæ illic sunt, manent perpetuè. Quando autem dixit fines sæculorum, nihil aliud dicit quam quod de cætero instat terribile illud iudicium. *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat.* Rursus factum eorum deprimit qui sibi placebant & efferebantur ob scientiam. Nam si ij qui tanta bona erant adepti, talia passi sunt, & alij quidem pro murmuratione solum tales dederunt pœnas, alij autem propterea quod tentassent, & neque populus Deum est reueritus, neque quod tam multa sit assecutus, multò magis hoc erit in nobis nisi sobrii simus ac respicamus. Rectè autem dixit, Qui videtur aut qui existimat se stare. Hoc enim, non est stare, ut stare oportet, sibi ipsi confidere. Nam citò cadet is qui est eiusmodi. Nam illi quoque si non valde elati fuissent, & sibi confidissent, sed arrogantiam compressissent & fuissent modesti, non ea essent passi. Vnde est perspicuum, quod arrogantiæ maximè, & deinde otium ac ignauia, & ingluuies sunt fontes horum malorum. Quamobrem etiam si stes, caueas ne cadas. Hic enim stare non est firmiter stare, donec fuerimus liberati à fluctibus vitæ præsentis, & ad tranquillum portum nauigauerimus. Ne ergo eò quod stes efferaris & insolecas, sed caue casum. Nam si timuit Paulus qui erat omnium fortissimus, multò magis nos timere oportet.

Atque Apostolus quidem dicebat, Quamobrem qui videtur stare, videat ne cadat. Nos autem ne hoc quidem possumus dicere, cum omnes, ut semel dicam, ceciderint, & prostrati sint, & humili iacent. Cuinam enim hoc dicam? Eine qui rapit quotidie? sed iacet ut qui magno casu corruerit. At scortatoris? sed humi est proiectus. At ebrius? sed ipse quoque iacet, & nescit quidem se iacere. Quamobrem non est huius verbi tempus, sed illius Prophetici quod dicit Iudæis. Num qui cadit non resurgit? Etenim omnes iacent, nec volunt resurgere. Quamobrem nobis est adhortatio, non ut non cadamus, sed ut iacentes possimus resurgere. Resurgamus ergo vix tandem, o dilecti: Resurgamus ergo & fortiter stemus. Quousque iacemus? Quousque inebriamur, rerum ad hanc vitam pertinentium magno grauari desiderio? Opportunum est nunc quoque dicere, cui loquar, & apud quem testificabor: adeo omnes & ad ipsam virtutis doctrinam obsurduerunt, & ex eo multis malis sunt repleti. & si nudas videre liceret animas, sicut in castris postquam commissum est prælium, alios quidem licet cernere mortuos, alios autem fauciatos, ita etiam videremus in ecclesia. Quamobrem rogo & obsecro, alter alteri manum vicissim præbeamus, & exurgamus. Nam ego quoque ex iis sum qui sunt iceti, & qui egent eo qui sit medicamentum impositurus. Sed ne propterea animum despondeatis nec desperetis. Nam & si grauia sunt vulnera, non sunt tamen incurabilia. Talis est noster medicus, modò vulnera sentiamus, etiam si ad vitij extremum venerimus, aperit nobis multas vias salutis. Nam & si proximo iram remiseris, remittentur tibi delicta. Nam si remiseris, inquit, hominibus, remittet etiam vobis pater vester cœlestis: & si dederis elemosynam, condonabit tibi peccata: & si vehementer ac diligenter oraueris, fruëris remissione. Hoc autem ostendit vidua illa, quæ continua interpellatione flexit crudelem illum iudicem: & si accusaueris peccata, habes cõsolationem. Dic enim tua peccata primus, ut iustificeris: & si pro iis tristis fueris, hoc quoque erit tibi medicamentum maximum. Vidi enim, inquit, quod dolore est affectus, & incessit tristis, & curauit eius vias: & si quid mali passus, fortiter id tuleris, totum exuisti. Nam hoc quoque diuiti illi dicebat Abraham. Recepit Lazarus mala sua, & hic accipit cõsolationem: & si vidua fueris misertus, abluuntur tua peccata. Iudicate, enim inquit, orphano, & iustificate viduam, & venite, & differamus, ait dominus: & si sint peccata vestra tanquam pannus puniceus, tanquam niuem dealbabo. Sin autem sint tanquam coccinum, tanquam lanam dealbabo: neque enim finit ut dimittat ullam vulnerum cicatricem: Sed etsi venerimus in illud profundum malorum, in quo cecidit qui paternas exedit facultates, & vescitur siliquis, & nos penituerit, omnino salui reddimur: & si decies mille talenta debeamus, & prociderimus, & acceptæ iniuriæ non fuerimus memores, omnia nobis remittuntur: & si illic aberrauerimus vbi à pastore remota errauit ouis, illic quoque nos requirit & refert. Si modò velimus, o dilecti: Deus enim est benignus & clemens. Et in eo qui decies mille debebat talenta, contentus fuit quod pronus ad pedes procubuisset: & in eo qui patrias exederat facultates contentus fuit solo reditu: & in oue, quod voluerit portare. Cogitantes ergo eius benignitatis & clementiæ magnitudinem, cum nobis reddamus propitium, & præoccupemus faciem eius in confessione: ne si hinc excefferimus inexcusabiles, extremum subeamus supplicium. Nam si in vita præsentem quaecumque studium & diligentiam ostenderit, maximum lucrum fa-

Ut videant ne cadant, paucis dici potest.

Psal. 40.

Peccatorum remissionis assequendæ sunt multi modi. Matt. 6. Dan. 14. Luc. 18.

Esa. 43.

Luc. 16.

Esa. 1.

Luc. 15.

Matt. 18. & 12.

Pœnitentia nō prodest post mortem.

ciemus. Sin autem cūm hīc fuerimus, meliores non excesserimus, etiam si vehementiori illic ducamur pœnitentia, nihil nobis proderit. Oportebat enim intra septa manētem decertare, non postquam spectaculum sit solum lamentari & flere inutiliter. Quod quidem faciebat etiam diues, lamentans quidem & eiulans, sed frustra & temerē, quandoquidem despexerat illud tempus quo hæc fieri oportebat. Non ille autem solus, sed multi quoque nunc sunt illi similes, qui pecunias quidem nolunt despicere, animam autem despiciunt pro pecuniis. Quos quidem mihi venit in mentem mirari, quando videro eos quidem Deum interpellare pro misericordia, in seipso autem ita esse affectos vt sibi nullum afferant remedium, & tanquam hostes suæ animæ non parcere. Ne ludamus o dilecti, ne ludamus: neque nos ipsos fallamus, Deum quidem rogantes vt nostri misereatur, ipsi autem huic misericordiæ & pecunias, & delicias, & vt semel dicam, omnia præponentes. Neque enim si quis tibi dicam afferret, & hunc aut illum accusans diceret: quod cūm mortem millies esset subiturus, & esset in eius potestate paucis pecuniis mortem effugere, maluisset mori quàm e suis aliquid amittere, diceres eum esse dignū misericordia & condonatione. Hoc ergo in te quoque cōsidera. Nam nos quoque hoc facimus, & nostram salutem despicientes, pecuniis parcimus. Quomodo ergo Deum rogas vt tibi parcat, cūm tu tibi minimè parcas, & animæ pecunias præferas? Quamobrem valde obstupesco in pecuniis quantæ lateant præstigiæ, imò verò non in pecuniis, sed in eorum qui decipiuntur animis. Sunt enim, sunt qui hanc valde irrident imposturam. Quid est enim in eis quod sufficiat ad nostros præstringendos oculos? An non est inanima materia? Non fluxa & caduca? An non est earum possessio incerta & infida? An non timoribus plena est & periculis? Non cædibus & insidiis? Non odio & inimicitias? Non socordia & multo vitio? Non est terra & cinis? Quæ infania? Quis morbus? At non solum sunt accusandi qui eo morbo laborant, inquit, sed etiam est amor tollendus. Et quoniam alio modo tollemus, quàm si ostendamus eum esse malum, & plenum malis innumerabilibus? At ei qui amat non est facile persuadere. Pro ea ergo est ei alia ex aduerso statuenda pulchritudo. Sed cūm adhuc ægrotet, incorpoream nō videt pulchritudinem. Ostendamus ergo corpoream, & ei dicamus. Cogita prata, & qui in iis sunt flores, qui quouis auro sunt lætiores, & omne genus gemmis gratiores & magis pellucidi. Cogita perspicua fontium fluentia, fluuios qui instar olei absque strepitu profuunt e terra. Ascende ad cœlum, & vide solis pulchritudinem, lunæ decorem, astrorum flores. Quid tum, inquit? Non enim eis vtimur sicut pecuniis. Imò verò vtimur plusquam pecuniis, quatenus eorum vsus est magis necessarius, & iis fruimur securiūs. Non enim metuis ne quis eis tanquam pecuniis acceptis recedat: sed tibi licet de eis perpetuò confidere, idque citra vllam curam & sollicitudinem. Si autem doles quòd fruaris cum aliis, & non solus ea possideas sicut pecunias, non pecuniam sed solam mihi videris amare auaritiā & plura habendi cupiditatem. Quoniam ergo quam amas inuenimus, nempe auaritiā, agè tibi ostendam quemadmodum te ipsa odit & auersatur, quàm multos enses contra te acuit, quàm multa fodit barathra, quàm multos suspendit laqueos, quàm multa parat præcipitia, vt vel sic amorem extinguas. Vndēnam autem hæc licet scire? A viis, à bellis, à mari, à iudiciis. Nam & mare implet sanguine, & iudicium cruentat gladios sæpe iniuste: eosque qui noctu & interdiu in viis insidiantur ipsa armat, & persuadet igno-

Amor pecuniz quo modo tollatur.

Auaritia odit suos amatores.

rare naturam, facitque parricidas & matricidas: & omnia mala infert in vitam. Et ideo Paulus eam vocat ipsorum radicem. Ipsa etiam suos amatores non sinit melius affici quàm eos qui metalla operantur. Nam sicut illi in tenebris perpetuò inclusi & vincti laborant inutiliter: ita etiam isti infossi in speluncis auaritiæ & pecuniæ cupiditatis, meminē eos cogente, sua sponte supplicium attrahunt, sibi insolubilia imponentes vincula. Et qui ad metalla quidem sunt damnati, adueniente saltē vespere, soluantur à laboribus: isti autem & die & nocte improba hæc fodiunt metalla. Et illis quidem modus est constitutus laboriosæ illius operationis: isti autem nullam sciunt mensuram: sed quò magis foderint, eò maiorem appetunt afflictionem. Si autem illi quidem inuiti, isti verò volentes, morbi mihi dicis grauitatem, quòd nec possunt quidem liberari, si ne oderunt quidem mali perpeffionem, sed sicut sus in luto, ita etiam isti in auaritiæ sceteribus volutati lætantur, grauiora patientes quàm illi condemnati. Nam quòd pœius cum istis agatur, audi quid illis fiat, & tunc scies quomodo isti se habeant. Dicitur ergo terra illa e qua aurum effoditur, habere quosdam hiatus & recessus in tenebrosos illis speluncis. Reus ergo ille qui ad illos labores est condemnatus, propterea accipiens lucernam & ligonem, ita ingreditur, & infert gutturnium, vt inde lucernæ instillet oleum, propterea quòd sint tenebræ, & nec interdiu quidem luceat, vt dixi antea. Deinde quando tempus infelicem ipsum vocat ad cibum, ipse quidem tempus ignorat: qui est autem eius & eorum qui sunt in vinculis cuflos, spelunca superne valde percussa, per strepitum & vocem illam, iis qui inferiūs operantur, significat esse finem diei. An non horruistis hæc audientes? Videamus autem an non his grauiora patiantur auari. Nam isti quoque grauiorem carceris custodem habent auaritiā, & pecuniæ cupiditatem, eoque grauiorem, quocum corpore animam quoque simul colligat. Sunt etiam hæc tenebræ illis magis horrendæ: non enim sunt sensiles, sed eas intrinsecus parientes, quocumque eunt eas secum circumferunt, illis enim extinctus est animæ oculus. Quamobrem Christus omnium maximè eos pronunciat miseros, dicens: Si autem lux quæ in te est sunt tenebræ, tenebræ quantæ sunt? Nam illi quidem apparentem saltē habent lucernam: isti autem hoc quoque splendore sunt priuati, & ideo quotidie in barathra incidunt innumerabilia. Et qui sunt quidem ad metalla damnati, cūm nox aduenerit, respirant: vt qui in eorum qui interdiu affliguntur communem ad nauigarint tranquillitatem, noctem inquam. Pecuniæ autem amantibus hunc quoque portum obstruxit auaritia, tam multa etiam noctu grauiter mente agitant, vt pote nemine negotium facessente, cum omni otio seipso laniantes. Et quæ hīc quidem aguntur, sunt huiusmodi: quæ autem illic, quænam oratio explicauerit? Fornaces intolerabiles, fluuios igne ardentē, dentes stridentes, vincula insolubilia, vermem venenatum, tenebras lucis expertes, & quæ finem nunquam accipiunt mala. Timeamus ergo o dilecti, timeamus fontem tam multorum cruciatuum, furorem insatiabilem, nostræ salutis perniciem. Fieri enim non potest vt simul pecuniam seruemus & animam. Discamus quòd terra & cinis sunt pecuniæ: quòd nos hinc excedentes deserunt, imò verò etiam antequam excedamus, resiliunt, & ad futura obsunt, & ad vitam præsentem. Nam & ante gehennam, & illud supplicium, nos quoque hīc in bella conicit innumerabilia, seditionesque & pugnas excitat. Nihil enim ad eò bellū procreat atque auaritia. Nihil adeò facit mendicium,

Man. f.

Pœnitentia anima e mul non potest fieri uari.

Tentatio nulla ferri potest absque Dei auxilio.

dicum, seu in diuitiis, seu in paupertate apparuerit. Nascitur enim etiam in pauperum animis grauis hic morbus: nihil enim magis eorum atterit paupertatem: & si inuentus fuerit pauper auarus, is non in pecuniis, sed in fame dat pœnas. Non enim sustinet his vt modicis, sed & ventrem fame vexat, & totum corpus nuditate & algore cruciat: & semper cernitur squalidior & sordidior iis qui sunt in vinculis: & semper deflet & lamentatur, tanquam sit omnium miserissimus, etiam si sint innumerabiles pauperiores. Iste si etiam forum fuerit ingressus, abit multis acceptis vibicibus. & si in balneum, si in theatrum, plura accipiet vulnera, non solum à spectantibus, sed etiam ab iis qui sunt in scena: & quando viderit multas meretrices auro resplendentes. Sic etiam si mare nauiget, mercatores & naues plurimis mercibus oneratas cogitans, & lucra infinita, se ne viuere quidem existimabit. Et si per terram iter ingrediatur, agros, prædia suburbana, diuersoria, balnea, & quæ ex iis redeunt vestigalia reputans, existimabit de cætero ne vitam quidem esse sibi vitalem. Quòd si etiam domi eum incluseris, quæ e foro accepit vulnera refricans, apud se magis affliget animum: & malorum quibus premitur vnum videt solatium, nempe mortem, & hinc migrationem. Hæc patietur non solum pauper, sed etiam diues qui in hunc morbum incidit: & eò magis quàm pauper, quòd vehementior eum premit tyrannis, & maior ebrietas. Quamobrem se etiam existimabit omnibus pauperior: atque adeò etiam pauperior. Non enim ex modo facultatum, sed ex mentis affectione iudicantur diuitiæ & paupertas: atque adeò ille est omnium pauperissimus, qui plura semper concupiscit, & qui nunquam potest sistere ac compescere improbam hanc cupiditatem. Propter hæc omnia fugiamus auaritiā & pecuniæ cupiditatem, quæ mendicos efficit, animas perdit, gehennæ amica, hostis regni cœlorum, mater omnium simul malorum: & pecunias despiciamus, vt fruamur pecuniis, & simul cum pecuniis fruamur etiam nobis promissis. Quæ detur nobis omnibus consequi gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum patre &c.

Auarus vbi que & e re qualibet accipit occasionem se cruciandi.

ORATIO XXIII.



TENTATIO non vos apprehendat nisi humana. Fidelis autem Deus est, qui nō patietur vos tētari supra id quod potestis: sed faciet cum tentatione etiam prouētum. Nam quoniam eos satis terruit veteribus narratis exemplis, & in animi angorem ac perplexitatem iniecit, dicens, Qui stat, videat ne cadat: multas autem tulerant tentationes, & in iis sæpe se exercuerant. Etenim in infirmitate, inquit, & in timore, & tremore multo fui apud vos, ne dicerent, Quid nos terretis, & timorē affertis? Non sumus in his malis inexercitati: expulsi enim & fugati sumus, multaq; & continua subiimus pericula: eorum rursus tumorem comprimens, Tētatio, inquit, non vos apprehendat nisi humana: hoc est parua, breuis, moderata: humanum enim dicit de paruo: vt quando dicit: Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Ne ergo efferamini, neque vobis ipsi placeatis tāquam qui tempestatem superaueritis. Nondum enim vidistis periculum quod mortem minatur, neque tentationem quæ eadem intemat. Quod Hebræis quoque tenebat: Nondum vsque ad sanguinem restitistis aduersus peccatum decertantes. Deinde quoniam eos terruit, vide quomodo rursus eos erigit postquam persuasit vt se modestè gerant. Fidelis autem Deus est qui non patietur vos tētari supra id quod potestis. Sunt ergo ten-

si Anps, cepit, apprehendit.

Sup. 2.

Humana tentatio, id est breuis.

Rom. 6.

Heb. 12.

tationes quæ ferri non possunt. Et quæ sunt hæc? Omnes, vt semel dicam. Posse enim fieri situm est in Deo nutu, si per nostram mētem cum attraxerimus. Quamobrem vt discas & videas, quòd non solum illas quæ nostram superant potestatem, sed neque humanas licet facillè ferre absque diuino auxilio, subiunxit, Sed etiam faciet cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere. Nam ne illas quidem moderatas ac mediocres, sicut dixi, inquit, propria virtute feremus: sed in his quoque eius egemus auxilio, vt eas peruadamus, & priusquam peruadamus feramus. Ipse enim & dat tolerantiam, & citam affert liberationem, adeò vt hac ratione sit tentatio tolerabilis: hoc enim tacitè significauit, dicens, Faciet etiam exitum vt possitis ferre: & omnia ei tribuit. Propter quod charissimi mihi fugite ab idolorum cultura. Rursus eos lenit ac mitigat nomine consanguinitatis: & cum magna vrget celeritate vt ab hoc peccato liberentur. Non enim dixit solum Discedite, sed fugite: & rem vocat idolorum culturā: & non amplius iubet discedere propter damnum proximi: sed ipsum per se ostendit sufficere ad magnum afferendum exitum. Vt prudentibus loquor, vos ipsi iudicate quod dico. Quoniam magnū est locutus, & amplificauit crimē, vt qui id vocat idolorum culturam: ne videretur eos exasperare, & graui ac molesta vt oratione, eis de cætero permittit iudicium, & cum encomio & laude eos constituit iudices, Vt prudentibus, inquit, loquor vobis. Quod quidē est eius qui suo iuri valde confidit, nempe ipsum qui accusatur constituere iudicem eorum quæ dicuntur. Hoc etiam auditorem magis excitat, quando non vt iubens, neque vt legem ferens, sed tanquam consulens, & illorum iudicium subiens, sic differit. Nam cum Iudæis quidem insipientius & puerilius affectis non sic Deus loquebatur, neque eis semper dicebat causas mandatorum, sed solum iubebat. Hic autem quoniam magnam adepti sumus libertatem, cōsiliū quoque consequimur, & loquitur tanquā cum amicis: & dicit, Non opus habeo aliis iudicibus: vos ipsi in me ferte sententiā: vos accipio iudices. Calix benedictionis cui benedicimus, nōne communicatio sanguinis Christi est? Quid dicis o beate Paule? Volens auditori pudorē suffundere, & reuerendorum mentionem faciens mysteriorum, benedictionis calicem vocas illum terribilem & maximè formidandum calicem? Certè, inquit. Non est enim paruum quod dictum est. Nam quando dico benedictionem, explico omnem thesaurum Dei beneficentiæ, & magna illa dona in memoriam reuocō. Nam nos quoque ad calicem recensentes ineffabilia Dei beneficia, & quæcunque sumus adepti, ita ipsum offerimus & communicamus, gratias agentes quod ab errore liberarit hominum genus: quòd cūm longè essemus, propè fecerit: quòd cūm spem non haberemus, & sine Deo essemus, suos fratres fecerit & cohæredes. Pro his ergo, & quæcunque sunt huiusmodi: gratias agentes, ita accedimus. Quomodo ergo non contraria, inquit, facitis o Corinthij, Deo quidem benedicentes quòd vos liberarit ab idolis, rursus autem ad illorum mensas currētes? Calix benedictionis cui benedicimus, nōne communicatio sanguinis Christi est? Valde fideliter dixit & terribiliter. Hoc est autem quod dicit: Id quod est in calice, est id quod fluxit e latere, & illius sumus participes. Calicem autem benedictionis vocauit, quòd eum habentes in manibus, sic cum hymnis & laudibus prosequimur admirantes, ineffabile donum stupentes, benedicētes bonisque verbis prosequentes quòd eum ipsum effudit ne maneremus in errore, & non solum effudit, sed etiam eum ipsum nobis impertit. Quamobrem si sanguinem, inquit, cupis, non aram idolorum

Qui accusatorem constituit, iudicem, suo iuri valde confidit.

Benedictio explicat omnē thesaurum Dei beneficentiæ.

Sanguine
brutorum
cur Deus
fufciperet
in veteri.

Exod. 12.
Num. 19.
& Ioan. 9.

Christi
corpus fr
gitur in
oblatione.

Ab. 4.

Christia-
norum e-
rat olim
corvaum,
& anima
vna: sed
non nunc.

brutorum cæde, sed meum altare meo cruentū sanguine. Quid est hoc horribilius? Quid autem amabilius dic quæso? Hoc faciunt etiam qui amant. Cum viderint eos quos amant aliena concupiscere, & propria despiciere, sua dantes persuadent ut abstineant ab iis quæ sunt illorum. Sed qui amant quidem, in possessionibus, pecuniis & vestibus suam ostendunt liberalitatem & magnificentiam, in sanguine autem nullam vnam. Christus autem etiam in eo suam nostri ostendit curam, & ardentem in nos charitatem. Et in veteri quidem quoniam affecti erant imperfectius, quem idolis offerebant sanguinem, cum ipse sustinuit fufcipere, ut ab illis abduceret: quod ipsum quoque erat amoris ineffabilis. Hic autem, in eo quod est longè horribilius & magnificentius, sacram constituit operationem, ut qui & ipsum mutarit sacrificium, & pro cæde brutorum seipsum iussit offerri. *Et panis quem frangimus nonne communicatio corporis Christi est?* Cur non dixit participatio? Quoniam voluit aliquid amplius significare, & magnam indicare coniunctionem. Non solum enim communicamus eo quod sumus participes & sumimus, sed etiam eo quod uniamur. Cur autem addidit, *Quem frangimus?* Hoc enim licet videre fieri in Eucharistia: in cruce autem non itidem, sed utique ei contrarium. Os enim, inquit, eius non cõteretur. Sed quod non passus est in cruce, hoc in oblatione patitur propter te: & patitur frangi ut omnes impleat. Deinde quoniam dixit, *Communicatio corporis: id autem quod communicat, est alterum ab eo cui communicat, hanc quoque quæ parua esse videbatur, differentiam sustulit.* Nam cum dixisset, *communicatio corporis, quæsiuit rursus dicere aliquid propius. Et ideò subiunxit, Quoniam unus panis, & unum corpus multi sumus.* Quid enim, inquit, dico communicationem? Sumus ipsum illud corpus. Quid enim est panis? Corpus Christi: quid autem sunt qui sumunt? Corpus Christi, non corpora multa, sed vnum corpus. Quomodo enim panis ex multis granis compositus est vnitus, ut nusquam appareant grana, sed sint quidem ipsa, non manifesta autem sit eorum differentia propter coniunctionem, ita etiam inter nos, & Christo coniungimur. Non enim ex alio quidem corpore tu, ex alio autem ille nutritur, sed ex eodem omnes. Et ideò subiunxit, *Omnes enim ex eodem pane participamus.* Si autem ex eodem, & idem efficitur omnes, cur non etiam eandem ostendimus charitatem, & ea ratione vnum quoque efficitur? Nam olim quoque nostrorum maiorum tempore hoc erat. Multitudinis enim credentium, inquit, erat cor vnum & anima vna. Sed non nunc, imò verò totum contrarium. Multa & varia sunt inter omnes bella, & feris sæuissimi affecti sumus alter in alterius membra. Et Christus quidem te, cum tantum disunctus esses, vniit. Tu autem ne fratri quidem tuo exactè ut par est vis vniri, sed te ab ipso abscindis, tantum & charitatem & vitam à domino cõsecutus. Neque solummodò corpus suum dedit: sed quoniam prior carnis natura è terra facta, à peccato prius morte erat affecta, & vita priuata, aliam, ut ita dicam, massam & fermentum induxit, suam carnem, quæ natura quidem erat eadem, à peccato autem libera, & vita plena: & dedit eam omnibus participandam: ut ea nutriti, priori quæ erat mortua deposita, per hanc mensam in vitam immortalem contemperemur. *Videte Israël secundum carnem: Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Rursus & ex veteri ad idem inducit. Nam quoniam erant abiectiores quàm ut eorum quæ dicta sunt assequi possent magnitudinem, etiam à prioribus & consuetis eis persuadet. Pulchrè autem dixit secundum carnem, ut pote quod ipsi essent

A secundum spiritum. Quod autem dicit est eiusmodi: vel ex crassioribus erudimini, quod qui hostias comedunt, participes sunt altaris. Vides quemadmodum ostendit perfectam non habere cognitionem, eos qui videntur esse perfecti, si ne hoc quidem sciunt, quod ex his quædam communicatio & amicitia sæpe existat cum dæmonibus, paulatim eos attrahente consuetudine. Si enim in hominibus salis & mensæ communio, est & occasio & signum amicitie, est satis probabile id ipsum quoque vsuuenire in dæmonibus. Tu autem hoc mihi cõsidera, quemadmodum in Iudæis quidem non dixit, quod Dei sunt participes, sed sunt participes altaris: vrebatur enim quod in altari fuerat positi. In corpore autè Christi non sic. Sed quomodo? Communicatio corporis Christi est. Non enim altaris, sed ipsius Christi sumus participes. Cum autem dixisset quod sunt altaris participes, deinde timuisset ne videretur loqui de idolis tanquam quæ vim aliquam habeant, & quæ possint lædere, vide quomodo rursus ea abolet & destruit, dicens: *Quid ergo dico, quod idolum sit aliquid, aut idolis immolatum?* Hæc autem dico, inquit, & infero, non tanquam idola possint aliquid lædere, aut vim aliquam habeant: nihil est enim: sed volo vos ea despiciere. Et si vis, inquit, nos ea despiciere, cur nos ab iis abducis? Quoniam non offeruntur domino tuo. *Quæ enim, inquit, immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo.* Ne curratis ergo ad contraria. Neque enim si esses filius regis, deinde mensa fruens paterna, illa relicta, velles in carcere esse socius mensæ eorum qui sunt in vinculis, permiserit pater, sed cum magna vehementia te inde abduxerit: non quod mensa te possit lædere, sed quod dedecore afficiat tuam generis nobilitatem, & mensam regalem. Sunt enim isti, serui qui offenderunt, infames, damnati, vincti, qui intolerando seruantur supplicio, & sunt obnoxij malis innumerabilibus. Quomodo ergo non erubescis, cum quando rei isti ac damnati mensam apposuerint, tu instar helluonum & virorum illiberalium illuc curris, & es particeps eorum quæ sunt apposta. *Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum.* Vidisti amicitiam patris curam gerentis. Vidisti etiam ipsum verbum, quod magnam & expressam habet significationem affectionis. Nihil enim volo vos habere cum illis commune, inquit. Deinde quoniam orationem induxerat tanquam adhortationem, ne quis ex crassioribus despiceret, ut qui haberet potestatem, postquam dixit *Nolo, & Vos iudicate, deinceps pronuntiat & legem statuit dicens: Non potestis calicem domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non potestis mensam domini esse participes, & mensam dæmoniorum.* Et solis verbis est contentus ad inductionem, deinde etiam appositi ad incutiendum pudorem: *An æmulamur dominum? Numquid fortiores illo sumus?* Hoc est, tētamus eum, num posuit nos punire: & eum irritamus deficientes ad aduersarios, & in acie stantes cum ipsis hostibus? Hoc autem dixit, eis in memoriam reuocans veterem historiam, & patrum transgressionem. Quamobrem eadem etiam vsus est dictione, qua aduersus Iudæos aliquando vsus est Moyses, de idolorum cultu eos accusans ex persona Dei: *Ipsi enim me æmulati sunt in non Deo, ad iram me prouocauerunt in idolis suis. Num eo sumus fortiores?* Vidisti quàm terribiliter & horribiliter eos increpauit, ipsos eorum neruos conquassans, & per abductionem ad absurdum eos valde tangens, & eorum tumorem deprimens. Et cur, inquit, non posuit hæc in initio, quæ maximè eos abduxissent? Quoniam ei mos est ea quæ vult pluribus confirmare, & quod est fortius vl-

Iudæis
tunc
participes
non
vult

Deu-
p

Ponit
est
vult
punit

Rom. 15.
Hic inf. 9.

Ad sacrifici-
um quo-
modo ac-
cedendum.

Matr. 24.

Corpori
Christi
proposito
quid dice-
dum.

timum ponere, & ex abundantia vincere. Propterea cum cepisset ab inferioribus, venit ad caput malorum. Sic enim hoc fuit eis magis acceptum, prioribus delinito eorum animo. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licet, sed non omnia edificant. Nemo quod suum est querat, sed quod alterius.* Vides exactam & accuratam prudentiam. Nam quoniã erat verisimile eos dicere, *Sum perfectus, & mei iuris, & nullo damno affectus gusto quæ sunt apposta.* Certè, inquit, perfectus quidem es, & tui iuris. Sed ne hoc consideres, sed num id quod fit, damnum afferat, num euerfionem? Vtrunque enim dixit, dicens, *Non omnia conferunt & expediunt. Non omnia edificant: illud quidem pro se, hoc autem ponens pro fratre.* Nam dicere quidem, *Non confert seu non expedit, est eius qui tacite significat illius interitum.* Dicere autem *Non edificat, eius qui significat fratris offensionem.* Et ideò subiunxit, *Nemo quod suum est querat.* Quod quidem vbique, & per totam confirmat epistolam, & in epistola ad Romanos: quãdo dicit: *Etenim Christus, inquit, non sibi placuit. Et rursus: Sicut ego omnibus placco, non querens meam vtilitatem.* Et hic rursus, non tamen id hic pertractat. Nam quoniam in prioribus hoc multis confirmauit & ostendit, quod nequaquam querit quod suum est, sed & Iudæis factus est tanquam Iudæus, & iis qui sunt sine lege tanquam esset exlex, & sua libertate ac potestate non temerè & inconsideratè est vsus, sed ad id quod confert omnibus, omnibus seruiens, paucis verbis contentus hinc desit, per hæc pauca & in memoriam reuocans omnia quæ dicta sunt. Hæc ergo nos quoque cum sciamus o dilecti, curam geramus fratrum, & conseruemus eam quæ est nobis cum ipsis vnitatem. Ad hoc enim nos vocat illud terribile & formidandum sacrificium, iubens ut cum concordia maximè ad ipsum accedamus, & ardèti charitate, & inde effecti aquilæ ad ipsum cœlū euolemus. Vbi enim cadauer, inquit, illic & aquilæ: cadauer corpus vocas propter mortem. Nisi enim ille cecidisset, nos non surrexissimus. Aquilas autem vocat, ostendens, quod oportet eum qui ad hoc corpus accedit esse sublimem, & cum terra nihil habere commune, neque deorsum trahi & serpere, sed assidue sursum volare: & ad solem iustitiæ aspicere, acutòsque & perspicaces habere mentis oculos: aquilarum enim, non graculorum hæc est mensa. Ipsi tunc quoque ei occurrent è cœlis descendentem qui nunc dignè percipiunt: sicut qui indignè extrema patitur. Nam si quis regem non temerè nec inconsideratè exceperit. Quid dico regem, ne vestem quidem certè regiam temerè & inconsideratè immundis manibus contrectauerit quisquam, etiam si sit in solitudine, etiam si sit solus, etiam si nemo adsit, atqui nihil est aliud vestis quàm stamen vermium. Sin autem tincturam admiraris, ipsa quoque est sanguis piscis morte affecti: sed tamen nemo eam voluerit aut vsu fuerit immundis contrectare manibus. Si autè vestem hominis ne ausus quidem fuerit quisquam solum tangere, quomodo Dei corpus qui est super omnia, quod est mundum & nulli affine reprehensionem, quod cum illa diuina natura est conuersatum, propter quod sumus & viuimus, propter quod fractæ sunt portæ inferorum, & aperti fornices cœli, hoc accipiemus cum tantò probro & contumelia? Ne rogo, ne nos ipsos occidamus per impudentiam, sed cum timore & summa puritate ad ipsum accedamus: & quando ipsum videris propositum, dic. Propter hoc corpus non sum ego amplius terra & cinis: non sum amplius captiuus, sed liber: propter hoc spero me accepturum cœlos & omnia bona quæ in eis sunt, vitam immortalè, Angelo-

rum conditionem, cum Christo consuetudinem. Hoc corpus clavis confixum, & flagris cæsum non tulit mors. Hoc corpus in crucem actum sol cum vidisset, suos auertit radios. Propter hoc & velum tunc scindebatur, & petra rumpebatur, & terra quatiebatur. Hoc est illud corpus quod fuit cruentatum, quod lancea percussum, & salutare emisit fontes vniuerso orbi terræ, vnum quidem sanguinis, alterum verò aquæ. Vis etiam aliunde vim eius intelligere? Roga mulierem profuuiio sanguinis laborantem, quæ non ipsum, sed qua indutus erat vestem, imò verò nec eam totam, sed solam eius attingit fimbriam. Roga mare quod ipsum suo tergo portauit. Roga & ipsum diabolum, & dic. *Vndenam habes ictum incurabilem? Qui fit quod nullas habeas vires? Quomodo captus es? Quanam re retentus es cum fugeres? & nihil aliud dicit quàm corpus crucifixum.* Per hoc stimuli eius sunt contrafacti: per hoc caput eius est contritum: per hoc principatus & potestates sunt traductæ. Spolians enim, inquit, principatus & potestates traduxit confidenter, triumphans de illis in semetipso. Roga etiam mortem, & dic, *vndenam sublatus est tuus stimulus? Vndenam soluta est tua victoria? Vndenam excisi sunt nerui tui? Vndenam puellis & infantibus facta es ridicula, quæ Tyrânis & iustis omnibus antea eras terribilis? & causam adscribet huic corpori.* Quando enim agebatur in crucem, tunc surrexerunt mortui, tunc ruptus est ille carcer, & aenæ contrafactæ sunt portæ, & surrexerunt mortui, & omnes inferorum ianitores cõtremuerunt. Atqui si fuisset vnus ex multis, oportuisset contra mortem esse potentiolem. Sed non fuit: non enim erat vnus ex multis, propterea ille dissoluebatur. Et sicut qui nutrimentum acceperat quod non possunt continere, etiam ea quæ prius erant recondita, propter illud euomunt. Ita etiam vsu venit in morte. Corpus quidem quod ipsa non poterat acceptum conficere, illa quoque ciecit quæ intus habebat. id enim habens parturiebat, & premebatur donec ipsum euomuit. Quamobrem dicit Apostolus, *Solutis doloribus mortis. Nulla enim mulier quæ concepit & est grauida, parturiens tanto dolore premitur, quanto illa habens corpus domini dilacerabatur ac discerpebatur: & quod in dracone accidit Babylonio, quando accepto nutrimento disruptus est medius, hoc in hac quoque accidit.* Non enim per os mortis rursus exiit Christus, sed ipso draconis ventre disrupto medio & exciso, ita ex penetralibus processit cum multo splendore, radiòsque emittens, non vsque ad hoc cœlum, sed ad ipsam vsque supernam sedem. Nam illuc quoque ipsum sustulit. Hoc corpus nobis dedit & tenèdum, quod fuit intense dilectionis. Nam quos amamus etiam mordemus sæpius. Quamobrem Iob quoque seruatorum suorum amorem in ipsum indicans, dicebat, quod sæpe illi ipsum valde amantes, dicebant: *Quis dederit nobis impleri eius carnibus? Sic etiam Christus nobis dedit ut implemur eius carnibus, ad maiorem nos attrahens amicitiam.* Accedamus ergo ad eum cum feruore, & ardente charitate, & ne subeamus supplicium. Nam quò fuerimus maioribus affecti beneficiis, eò magis puniemur, quãdo visi fuerimus indigni beneficio. Hoc corpus etiam iacens in præsepiti reueriti sunt Magi: & viri impij, & barbari, patria & domo relicta, & longam viam confecerunt, & cum venissent, cum multo metu & tremore adorarunt. Imitemur ergo vel barbaros, nos cœlorum ciues. Nam illi quidem cum & in præsepiti vidissent & in tugurio, neque tale quidpiam vidissent quale tu nunc, cum magna accefferunt reuerentia. Tu autè non in præsepiti vides, sed in altari, non foeminã

Matr. 27.

Matr. 9.

Luc. 8.

Colof. 2.
Infr. 15.

Act. 1. &
Rom. 6.

Dan. 14.

Iob. 31.

Matr. 2.

cum tenentem, sed sacerdotem adstantem & spiritum A cum magna copia ea quæ sunt propofita superuolantem. Non solummodo hoc ipsum corpus vides sicut illi, sed nosti eius & virtutem & dispensationem, & nihil ignoras ex iis quæ per ipsum effecta sunt, vt qui in omnibus mysteriis sis exactè & accuratè initiatus. Nos ergo ipsos excitemus, & formidemus, & longè maiorè quàm illi barbari ostèdamus reuerentiam, ne si temerè & incòsideratè accesserimus, in nostrum caput ignem congeramus. Hæc autem dico, non vt non accedamus, sed ne temerè & incòsideratè accedamus. Nam sicut temerè & citra discrimen accedere est periculum, ita mysticarum illarum cœnarum non esse participes, est fames & mors. Hæc enim mensa est nerui nostræ salutis, mentis vinculum, fiduciæ fundamentum, spes, salus, lux, vita. Si cum hac mensa illuc excesserimus, cum magna fiducia sacra ascendemus vestibula, veluti quibusdam armis aureis vndique muniti. Et quid dico futura. Hic enim terram tibi cœlum facit hoc mysterium. B Aperi ergo cœli portas, & perspice, vel potius non cœli, sed cœli cœlorum: & tunc videbis quod dictum est. Nam quod illic est omnium pretiosissimum & maximè honorandum, hoc ostendam tibi situm in terra. Sicut enim in regia id quod est omnium magnificentissimum, non sunt parietes, non tectum aureum, sed corpus regis sedens in folio. Sed hoc tibi nunc licet videre in terra. Non enim angelos, nec archangelos, neque cœlos & cœlos cœlorum, sed ipsum eorum ostendo dominum. Vidisti quemadmodum quod est omnium præstantissimum & maximè honorandum vides in terra: neque solum vides, sed etiam tangis, sed etiam comedis, & eo accepto domum reuerteris. Absterge & munda animam, & præpara mentem ad horum mysteriorum susceptionem. Nam si tibi regis filius cum mundo & purpura & diademate tibi traditus esset ferendus, quæcunque sunt in terra abiicisses. Nunc autem nõ hominis regis filium accipiens, sed ipsum vni- C genitum Dei filium, dic rogo non extimescis, & eorum quæ ad hanc vitam pertinent non omnem expellis amorem: & illo solum mundo gloriaris, sed adhuc terram amas videre & pecunias, aurisque artonitus inhias? Et quàmnam assequeris veniam, quàmnam defensionem & excusationem? Nescis quod omnem ad hanc vitam pertinentem magnificentiam auerfatur tuus dominus? Non idèo natus positus est in præsepiti? & matrem accepit humilem? Non propterea dicebat ei qui aspicebat ad caupnationem, Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet? Quid verò discipuli non eandem seruabant legem in pauperum ædibus diuersantes, & alter quidem apud futorem, alter verò apud tabernaculorum contextorem, & apud purpurariam diuertebant? Non enim domus quærebant splendorem, sed virtutes animarum. Eos ergo nos quoque imitemur: columnarum quidem & marmorum prætercurrentes pulchritudinem, supernas autem quærentes mansiones: & omnem hinc factum cum pecuniæ cupiditate conculcemus, altòsque & sublimes concipiamus spiritus. Nam si sapiamus & sobrii ac modesti simus, ne hic quidem mundus est nobis dignus, nedum porticus & ambulacra. Quamobrem rogo animam nostram ornemus, hanc domum construamus, qua etiam accepta excedemus, vt bona quoque aterna consequamur, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum patre &c.

Terræ cœlum facit hoc mysterium.

Luc. 9.

Apòstoli sunt imitatio rebus terrenis despicendi.



MNE quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Cum dixisset fieri non posse vt bibatur calix domini, & calix demoniorum, & abduxisset penitus ab illis mensis, ab exèplis Iudaicis, ab humanis rationibus, & venerandis mysteriis, ab iis quæ peraguntur in idolis: & rursus eis metum incussisset ne hoc metu ad aliam mediocritatis exuperationem eos expelleret, & maiori quàm par sit vt ètes curiositate cogenerentur timere, ne eis etiam ignorantibus aliquid tale inferretur, aut ex foro, aut aliunde, ab hac necessitate eos relaxans, dicit, Omne quod in macello venit manducate, nihil interrogates. Nã si ignoras, inquit, comedas, & nesciens, non es obnoxius supplicio: ca enim res iam est ignorationis, non ingluuici. Nec ab hac solum eum liberat dubitatione ac perplexitate, sed etiã ab alia, magnã eis muniens securitatè ac libertatem. Neque enim permittit eis *ἀνασπίνω*, hoc est, examinare & interrogare, idne sit idolo immolatum, an non: sed indiscriminatim comedere quidquid affertur è foro, neque discernere quid sit quod apponitur. Quo fit vt etiam qui ignorans comederit, sit liberatus. Talia enim sunt quæ non sunt mala naturã, sed ex animi cogitatione & instituto faciunt immundum. Propterea dicit, nihil interrogantes seu examinantes. Domini enim est terra, & plenitudo eius, non demoniorum. Si autem terra, & fructus & bruta. Si autem eius sunt omnia, nihil est immundum. Sed aliter fit immundum, ex animi cogitatione ac instituto & ex inobedientia. Propterea non solum permisit: *Sed & si quis, inquit, vos vocat infidelium, & vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate propter conscientiam.* Vide rursus congruentem symmetriam. Non enim iussit, nec lege sanxit vt abirent, sed neque prohibuit. Si autem abierint, rursus liberat ab omni suspitione. Quamobrem? Ne alicuius timoris, aut pusilli & abiecti animi videatur esse tanta curiositas. Nam qui curiosè inquirat, hoc facit tanquam metuens. Qui autem postquam audierit, abstinet, tanquam despiciens, & odio habens, & auersans abstinet. Quamobrem volens Paulus vtrunque confirmare, dicit, Omne quod vobis apponitur, manducate. *Si quis autem vobis dixerit, hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum qui indicauit.* Neque enim tanquam à vim habentibus, sed tanquam ab abominandis iubet abstinere. Neque ergo vt quæ possint lædere fugite: nullam enim vim habent: neque quoniam nullam vim habent, fitis in discriminatim eorum participes: est enim mensa hostium & notatorum infamia. Propterea dicebat, Nolite manducare propter eum qui indicauit: *& propter conscientiam.* Domini enim est terra & plenitudo eius. Vides quemadmodum & iubet comedere, & quando oportet abstinere? Idem in medium adducit testimonium. Neque enim propterea, inquit, prohibeo, tanquam sint aliena. Domini enim est terra, sed propter id quod dicebam, propter conscientiam: hoc est, ne lædaris. Oportet ergo curiosè inquirere? Non, inquit. Neque enim tuam dixi conscientiam, sed conscientiam alterius. Nam prius dixi, propter eum qui indicauit. Et rursus, *Conscientiam dico, non tuam, sed alterius.* Sed fortasse dixerit quispiam. Fratribus quidem meritò parcis, & non finis nos propter illos gustare. Ne eorum conscientia cum sit infirma ædificetur ad vescendum iis quæ sunt immolata idolis. Sed si sit quispiam ex gentibus, quid hoc est tibi curæ? Non tu dicebas, Quid enim mihi de iis qui foris sunt iudicare? Quid ergo rursus ij sunt tibi curæ? Non illius, inquit, sed hic quoque tui curam gero. Et idèo subiunxit:

Quidam dicunt, si quis comederit, non est peccatum.

Phil.

Nõ natura sed inobedientia facit immundum.

Non sunt superuacanea curiosè indaganda.

subiunxit: *Vt quid enim libertas mea iudicatur ab aliena conscientia?* Libertatem dicens, non esse obseruatum & non prohibitum. hoc enim est libertas à Iudaica seruitute liberata. Hoc est autem quod dicit: liberum me fecit Deus, & altiore quàm vt me vllum damnum attingat. Sed qui est ex gentibus, nescit meam iudicare philosophiam, neque mei domini perspicere liberalitatem & magnificentiam, sed condemnabit, & apud se dicit, res Christianorum sunt fabulæ: abstinent à simulachris, fugiunt dæmones, & hærent iis quæ illis offeruntur. Viget apud eos ingluuies & helluatio. Et quid tum, inquit? Quod ad nos redit damnum, si ille malè iudicet? Quantò autem melius ne illi quidem dare occasionem vt iudicet? Nam si abstineas, ne hæc quidem dicit. Quomodo non dicit? Quando enim viderit hæc non examinantem, non in macello, non in conuiuio, quomodo non dicit, & me condemnabit, vt qui indiscriminatim sim eorum participes? Nequam enim tanquam idolis immolatorum es participes, sed tanquam mundorum. Si autem non curiosè inquiris, vt videaris non timere quæ sunt appofita, propterea enim etiam seu in domum Græcorum ingrediaris, seu in forum venias, non sino te interrogare, ne sis eiusmodi vt à strepitu perturberis, neque te grauia percellant, neque tibi superuacanea exhibeas negotia. *Si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro eo quod gratias ago?* Cuiusnam rei, dic quæso, es gratia, seu per gratiam, participes? Eius enim est tanta gratia, vt mihi animã reddiderit impollutam, & altiore quàm vt vlla inquinetur macula. Nam sicut sol in multas maculas immittens radios, rursus eos contrahit & reddit mundos: ita nos quoque & multò magis in mundo versantes, puri & mundi permanemus, si velimus, quo etiam maiores vires habemus. Cur ergo, inquit, abstinere? non tanquam futurus immundus, absit, sed propter fratrem: & ne fiam socius demoniorum, & ne iudicer ab infideli. Hic enim nõ amplius natura, sed inobedientia, & cum dæmonibus amicitia, me facit immundum, & fordes & inquinamentum facit electio liberi arbitrii. Quid est autem, *Blasphemor, seu maledictis appetor, pro eo quod gratias ago?* Nam ego quidem, inquit, ago Deo gratias, quòd me fecit sublimem, & humilitate Iudaica superiorem, adeò vt nulla ex parte lædar. Græci autem seu gentes, meam nescientes philosophiam, contrarium suspicantur, & dicunt, Christiani nostra appetunt, & sunt hypocritæ, vt qui vituperant quidem & auersentur dæmones, currant autem ad eorum mentas. Quo quid esse possit stultius & magis expers sensus? Non ergo propter veritatem, sed propter honoris & principatus cupiditatem venerunt ad hoc dogma. Quantæ ergo fuerit amentia, si pro eo quod tanto beneficium sum affectus vt pro eo agam gratias, pro eo sim causa blasphemia & maledicti? At hæc quoque nunc dicit Græcus, cum viderit non curiosè quærere? Minimè. Non sunt enim omnia plena iis quæ sunt idolis immolata, vt hoc suspiceris: neque ex iis gustas tanquam quæ sint immolata idolis. Noli ergo curiosè indagare superuacanea. Neque si rursus dicant aliqui, esse idolo immolatum, eius sis participes. Et enim Christus dedit tibi gratiam, & te fecit sublimem, & maiorem quàm vt inde lædaris, non vt malè audias, neque vt vnde tantum lucrificasti, vt inde gratias ageres, sic alios lædas vt blasphement & maledictis appetant. Cur enim, inquit, non dico Græco, Rodo & nihil lædor: & non hoc facio tanquam amans dæmones? Non potes persuadere, etsi dicas millies: est enim imbecillus & hostis. Nam si fratri nondum persuasisti, multò minus inimico & ethnico. Si ille ob conscientiam e-

ius quod est idolo immolatum retinetur, multò magis infidelis. Quid verò nobis tam multis opus est negotiis? Quid ergo, quoniam Christum nouimus, & gratias agimus, illi autem blasphemant & maledictis insectantur, propterea etiam ab eo deficiemus? Absit. Non sunt enim paria. Nam illic quidem magnum est lucrum ex eo quod feramus blasphemiam ac maledictum: hic autem nihil accipimus emolumenti. Et idèo prius quoque dixit: Neque si manducamus, abundamus: neque si non comedamus, deficiamus. Porro autem etiam absque eo rem pronunciauit fugiendam. Quo fit vt etiam alia ratione ab ea oporteat abstinere: non solum propterea, sed etiam ob alias quas dixit causas. *Sine ergo manducatis, sine bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Vidisti quemadmodum à proposito, ad id quod est vniuersè & in genere, deduxit adhortationem, vna pulcherrima nobis data definitio, vt Deus per omnia glorificetur. *Sine offensione esto te Iudæis & gentibus, & ecclesie Dei.* Hoc est non detis alicui ansam, frater enim offenditur: & Iudæus te magis odio habebit, & te condemnabit, & Græcus similiter te tanquam helluonem irridebit & hypocritam. Non solum autem non sunt offendendi fratres, sed etiam, quoad eius fieri potest, ne externi quidem. Nam si sumus lux, & fermentum, & luminaria, & sal, illuminare, non tenebras offundere oportet, constingere, non dissoluere, ad nos ipsos attrahere infideles, non fugare. Cur ergo persequeris quos oportet attrahere? Offenduntur enim Græci quando nos viderint ad ea reuertentes: mentem enim nostram non norunt: neque quòd anima nostra sit altior quàm vt eam vllum attingat inquinamentum. Porro autem Iudæis quoque, & iis qui ex nostris fratribus sunt imbecilliores, eadem accident. Vidisti quàm multas posuerit causas, propter quas oportet abstinere ab iis quæ sunt immolata idolis. Propterea quod sit inutile: propterea quod superuacaneum. Propter damnum fratris, propter Iudæi blasphemiam. Propter Græci maledicentiam. Propterea quòd non oportet societatem habere cum dæmonibus. Propterea quòd ea res sit quidam cultus idolorum. Deinde quoniam dixit, *Sine offensione estote, & eos fecit obnoxios offensione Græcorum & Iudæorum, & graue erat quod dicebatur, vide quemadmodum id reddidit acceptu facile & leue, se ipsum interponens, & dicens. Sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Hoc est regula perfectissimi Christianismi: hoc est decretum exactissimum & accuratissimum: hoc est summum fastigium, ea quærere quæ in commune conferunt. Quod quidem ipse quoque significans, subiunxit, Sicut ego Christi. Nihil enim æquè potest facere imitatore Christi, atque curam gerere proximorum. Quinetiam si ieiunaueris, si humi cubueris, si te cinere consperferis, proximi autem tui curam non geras, nihil magni fecisti: sed adhuc longè abes ab hac imagine hæc faciens. Atqui hic quidem ipsa quoque res est natura vtilis, nempe abstinere ab iis quæ sunt immolata idolis: ego autem etiam multa feci ex iis quæ natura non sunt vtilia, vt quando circumcidi, quando sacrificauit. Si quis enim hæc per se examinauerit, ea & perdit eos qui illa exercent, & efficiunt vt excidant à salute. Sed tamen sustinui, idque propter lucrum quod inde redit. Hic autem nihil eiusmodi. Nam illic quidem nisi adsit utilitas, & quòd factum sit propter alios, tunc res est damnosa & noxia. Hic autem, etiam si nullus sit qui offendatur, abstinere oportet à prohibitis. Non solum sustinui noxia,

Ad Dei gloriam omnia facienda.

CAP. XI.

Imitatur maximè Christum qui curam gerit proximi.

AG. 6.

2. Cor. 11. sed etiam laboriosa. Alias enim, inquit, ecclesias sum depopulatus accepto stipendio & cum liceret comedere, & non operari, non hoc quaesivi, sed malui fame perire, quam alium offendere. Propterea, inquit, per omnia omnibus placeo, seu quid legibus aduersum, seu laboriosum, & periculosum facere oporteat, ad aliorum utilitatem omnia sustineo. Cum ergo quod attinet ad accuratam & exactam vitae rationem sit omnibus superior, quod attinet ad sui demissionem & ad alios accommodationem est omnibus inferior. Nihil enim recte & ex virtute gestunt potest esse magnum, quando non etiam lucrum transfuderit ad alios: idque significat is qui sanum & integrum obtulit talentum, & diuisus est in duas partes, quoniam id non multiplicauit. Et tu igitur o frater, etiamsi maneat a cibo abstiniens, & humi dormias, & cinerem comedas, & perpetuo lamentaris, nulli autem alteri prodis, nihil magnum facies. Magnis enim illis & praclaris viris qui erant in initio, hoc maximo erat studio. Considera exacte & accuratè eorum vitam, & videbis aperte nullum vnquam ex iis, quae sua sunt spectasse, sed vnumquemque spectasse quae sunt proximi, vnde etiam magis resplenderunt. Nam & a Moysè multa & magna facta sunt miracula & signa. Sed nihil eum tam magnum fecit, quam beata illa vox quam ad Deum emisit, dicens: Si ipsis quidem peccatum remiseris, remitte. Sin minus, me quoque dele. Talis erat etiam David. Quamobrem dicebat etiam: Ego qui sum pastor peccauit, & ego male feci: isti autem qui sunt grex, quid peccarunt? Sit manus tua super me, & super domum patris mei. Ita etiam Abraham non querebat id quod erat sibi conducibile, sed quod multis. Quamobrem & seipsum exponere periculis, & Deum rogabat pro iis qui ad ipsum nihil attinebant. Et hi quidem sic resplenderunt. Qui autem sua quaesierunt, quomodo damnū acceperunt? Eius certè fratris filius postquam audiit, si tu is ad dexteram, ego ad sinistram, & accepta optione quaesit quod sibi erat vtile, ne quod suum quidem erat inuenit: sed eius quidem conflagrauit regio, illius autem mansit intacta. Rursus Ionas cum non quaesisset quod multis, sed quod sibi erat vtile, venit in periculum ne periret: & ciuitas quidem sterit, ipse autem est iactatus & agitatus fluctibus & in mari immersus. Quando autem quaesit quod multis conferebat, tunc etiam quod suum erat inuenit. Ita etiam Iacob in gregibus cum suum lucrum non quaesisset, magnas opes est assecutus. Ioseph quoque cum quaesisset quod fratribus suis erat vtile, inuenit etiam id quod sibi. Cum à patre quidè certè mitteretur, non dixit, Quid hoc est? An non audiisti quod pro visione & somniis, me etiam discerpere sunt aggressi & pro somniis reddidi rationem, & quod à te amarer dedi poenas? Quid ergo non mihi facient, si me medium apprehenderint? Nihil horum dixit, nec cogitauit: sed fratrum curam his praefert omnibus. Propterea omnia quae postea ei obtigerunt assecutus est bona, quae & valde clarum cum fecerunt, & magnam ei parauerunt gloriam. Ita etiam Moyses. Nihil enim vetat etiam secundò eum meminisse, & videre quemadmodum sua despiciebat, & quae erant aliorum quaerebat. Nam is versans in regia, quoniam thesaurus Aegypti maiores diuitias esse putabat opprobrium, & omnibus eicctis è manibus erat malorum socius cum Hebraeis, non solum ipse non redactus fuit in seruitutem, sed eos etiam liberauit à seruitute. Atque sunt haec quidem magna, & quae digna sunt Angelica vitae agenda ratione. Quod autem fecit Paulus, est his longè excellentius. Nam alij quidem omnes bonis suis relictis, elegerunt

A habere societatem cum malis proximorum: Paulus autem fecit quod est longè maius. Non enim voluit habere societatem cum aliorum calamitatibus, sed ipse elegit esse in extremis, vt alij essent in bonis. Non sunt enim paria, cum sis in deliciis, abicere delicias & affligi: & cum ipse solus affligaris, efficere vt alij securè viuant & sint in honore. Nam hic quidem est magnum mala bonis commutare propter proximum, affert tamen aliquam consolationem habere socios rerum aduersarum. Se autem velle solum esse in rebus molestis & asperis, vt alij fruuntur rebus iucundis & secundis, id est animi magis iuuenilis & ingentis Pauli spiritus. Non hac autem solum, sed etiam alia maiori exuperatione vincit omnes qui prius dicti sunt. Nam Abraham quidem, & ceteri omnes, seipso obiciebant periculis quae sunt in vita praesenti, & omnes illi, vt semel dicam, hanc mortem petebant. Paulus autem optauit etiam à futura gloria excidere pro aliorum salute. Possunt etiam tertiam dicere exuperationem. Quanam autem ea est? Quod illi quidem etiamsi curam gerebant eorum qui ipsi struxerant insidias, eorum tamen curam gerebant qui ipsis traditi fuerant gubernandi: & perinde eueniebat atque si quisquam curam gereret filij quidem mali & scelerati, sed tamen filij. Paulus autem volebat pro iis esse anathema, quorum non ei erat credita cura & administratio: fuerat enim missus ad gentes. Vidisti animi magnitudinem, & spiritus altitudinem ipsum coelum superantem. Eum imitare. Si autem non potes, eos saltem qui clari ac splendidi fuerunt in veteri. Ita enim quod tibi erit conducibile inuenies, si quaeras id quod est conducibile proximo. Quamobrem cum te piguerit curam gerere fratris, vbi cogitaueris quod non potes aliter esse saluus, propter te ipsum quidem certè illius curam gere, & rerum illius. Nam sufficiunt quidem etiam quae dicta sunt, ad persuadendum quod aliter non licet inuenire quod nobis confert. Si vis autem consuetis exemplis hoc discere, si contigerit alicubi ignem in domo esse accensum, deinde aliqui ex iis qui propè habitant quod suum est spectantes, non concertant aduersus pericula, sed seipso includentes domi manent, timentes ne ingrediens aliquis ex iis quae sunt intus aliquid surripiat, quantum subibunt supplicium? Intrans enim ignis, illorum res omnes comburet: & quoniam id quod est proximo vtile non viderunt, perdunt etiam quod sibi est vtile. Deus enim volens omnes inter se colligare, rebus eam imposuit necessitatem, vt in eo quod est proximo conducibile, alligatum sit quoque quod alteri: & sic consistit totus mundus. Propterea in nauis quoque, si orta tempestate gubernator dimisso eo quod confert multis, solum quaerat quod sibi conferat, & se & illos citò demerget. Porro autem ars quoque quaelibet si id solum spectet quod sibi sit conducibile, vita nunquam constiterit, neque ars quae hoc quaerit. Propterea agricola non tantum frumenti seminat quantum sibi sufficiat, nam iam pridem & se & alios perdidisset, sed quaerit quod confert multis. Et miles non dimicat in acie aduersus pericula vt se conseruet, sed etiam vt ciuitates in tuto collocet. Et mercator non tantum solum importat, quantum sibi soli suffecerit, sed quantum multis etiam aliis. Si quis autem dicat quod vnusquisque haec facit, spectans non quod meum est, sed quod suum. Nam omnia haec agit, & pecuniam, & gloriam, & vt in tuto sit, sibi comparans. Quamobrem quaerens id quod est mihi conducibile, quaerit etiam id quod sibi. Ego quoque hoc dico, & id iam pridem volebam audire, & pro eo omnia verba feci,

Moysem quoniam vocem magnam fecit. Exod. 32.

2. Reg. 24. 1. Par. 21.

Gen. 13. Loth quod suum erat quaerebat.

Iona 4.

Exod. 2. & Heb. 11.

feci, vt ostenderè quod proximus quaerit id quod sibi confert, quando quod tibi confert spectauerit. Nam aliter non ferrent homines quae sunt proximi quaerere, nisi fuerint ad hanc redacti necessitatem. Propterea Deus haec sic coniunxit, neque finit prius venire ad commodum proprium & quod est nobis vtile, nisi ingressi fuerimus per ea quae alii conferunt. Atque hoc quidem est humanum sic ire ad id quod est proximo conducibile. Oportet autem non ex eo persuaderi, sed ex iis quae Deo videntur. Neque enim saluus esse potest qui hoc non habet: sed est summam exerceas philosophiam, ceterorum autem qui pereunt nullam curam geras, apud Deum nullam habebis fiduciam. Vnde hoc constat? Ex iis quae pronunciauit beatus Paulus. Si enim omnes meas facultates distribuero in cibos pauperum, & si corpus meum tradidero vrendum, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest, inquit. Vides quantum à nobis requirit Paulus? Atqui qui bona sua pauperibus distribuit, non quaerit quod est suum, sed quod proximi. Sed hoc solum non sufficit. Nam ingenuè & sincerè hoc vult fieri, & cum magna commiseratione. Nam propterea hoc quoque lege sanxit Deus, vt deducat ad vinculum pacis. Cum ergo ille quidem tantam exigat mensuram, nos autem ne quod minus quidem est exhibuerimus, quam am erimus digni venia? Et quomodo, inquit, dicebat Deus Loth per angelos, Seruans serua animam tuam. Dic quando, & quamobrem? Quando inferebatur supplicium: non quando oportebat corrigi, sed quando erant condemnati, & aegrotabant morbo incurabili, & senes & iuuenes in nefarios amores prosilierant, & eos de cetero oportebat exuri: & illo die quo erant demittenda fulmina. Alioqui autem nec de vitio & virtute hoc dictum est, sed de plaga immissa diuinitus. Quid enim, dic quaeso, facere oportuit, federene & expectare supplicium, & cum eis nihil prodesset, exuri. Sed hoc fuisset extremae amentiae. Nam neque ego hoc dico quod oporteat temerè & inconsideratè, puniri praeter id quod Deo videtur. Sed quando homo versatur in vitio, tunc iubeo se in medium iniicere & corrigere. Si vis quidem, propter id quod est tibi vtile proximo. Sin minus, propter id quod est tibi vtile. Nam illud quidem est melius. Si autem ad illam non peruenias altitudinem, saltem fac propter hoc, & nemo quaerat quod suum est, vt quod suum est inueniat. & cum animo cogitauerimus quod neque facultatum suarum abdicatio, neque martyrium, neque quidquam aliud nos poterit defendere, nisi summam habeamus charitatem, eam ante alia conferuemus, vt alia per eam consequamur bona & praesentia & futura. Quae detur nobis omnibus consequi gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum patre & sancto spiritu in saecula saeculorum sit honor & gloria. Amen.

ORATIO XXVI.



LAUDO autem vos fratres, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, praescepta mea tenetis. Cum absoluisset orationem de iis quae sunt immolata idolis, vt conueniebat, & per omnia eam effecisset perfectissimam, transit ad alterum, quod ipsum quoque erat quidem crimen, sed non tantum. Nam quod prius dixi, hoc quoque nunc dicam. quod non omnia de quibus vehementer accusat ponit ordine, sed iis conuenienti ordine dispositis, in medium eorum iniicit quae sunt leuiores, orationis molestiam

Qui aliorum curam non gerit, ad Deum nullam habet fiduciam. Inf. 13.

Gen. 19.

Præcepta, præcepta, traditiones.

Chrysof. tom. 4.

mitigans quae pariebatur auditoribus ex assidua inculpatione. Quamobrem id quod est omnium vehementissimum, nempe de resurrectione, ponit posterius, interim autem procedit ad aliud leuius, dicens, Laudo autem vos, quod per omnia mei meministis. Nam quando peccatum erat huiusmodi vt de eo constaret, & vehementer accusat & minatur. Quando autem de peccato dubitatur, id primum confirmat ac probat, & tunc increpat: & id quidem de quo constat extollit: id autem quod est dubium, de eo constare ostendit: vt de fornicatione quidem constabat: & ideò non fuit opus ostendere id esse peccatum, sed illic delicti adstruxit magnitudinem, & per comparationem deduxit orationem. Rursus ab aliis iudicari, peccatum quidem erat, sed non tantum: & ideò id interiecit & confirmauit. Rursus vesci iis quae sunt immolata idolis, erat quidem dubium, erat autem malum maximum. Quamobrem & ostendit id esse peccatum, & extollit verbis. Quando autem hoc fecerit, non solum abducit à criminibus, sed etiam ducit ad contraria. Non solum enim dixit non esse fornicandum, sed etiam oportere magnam ostendere sanctitatem. Quamobrem subiunxit, Glorificate Deum in corpore vestro, & spiritu vestro. Et rursus cum dixisset, non oportere esse sapientem externa sapientia, non fuit hoc contentus, sed iubet etiam stultum fieri. Et consulens iudicio non contendere apud externos, neque iniuriam facere, procedens perimit etiam ipsum iudicio contendere: & consulit non solum non facere iniuriam, sed etiam iniuriam pati: & differens de iis quae sunt immolata idolis, non dixit quod oportet solum abstinere à veritis, sed etiam à concessis, quando fuerit scandalum: & non solum fratres non offendere, sed nec Græcos, nec Iudæos. Sinè offensione, inquit, estote & Iudæis, & Græcis, & ecclesiae Dei. Cum ergo de his omnibus impleisset orationem, postea deinceps procedit ad aliud quoque crimen. Quodnam est hoc autem? Mulieres quidem apertae, & nudo capite orabant & prophetabant: (etenim prophetabant tunc mulieres.) Viri autem comam alebant, vt qui versarentur in philosophia, & caput operiebant orantes & prophetantes: quod quidem erat vtrunque legis Græcorum. Quoniam ergo de his omnibus eos cum adesset admonuit: & fortè alij quidem audierunt, alij verò non paruierunt, propterea etiam per epistolam eis rursus tanquam bonus & sapiens medicus verba infundens, peccatum corrigi. Nam quod eos iam cum adesset admonuerit, est perspicuum ex iis quae dicit in proemio. Cur enim cum nihil vsquam antea in tota epistola de eo dixisset, sed ab aliis criminibus esset egressus, statim dicit, Laudo autem vos quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis traditiones meas tenetis? Vides quod alij quidem audierunt, quos laudat, alij autem non obediunt, quos corrigit per ea quae sequuntur. Si quis autem videtur esse contentiosus, nos talem consuetudinem non habemus. Nam si cum alij quidem se rectè gessissent, alij verò non paruissent, omnes reprehendisset: & illos fecisset audaciores, & hos reddidisset socordiores. Nunc autem cum alios quidè laudasset & esset amplexus, alios verò vituperasset, illos quidem magis incitauit, his autem pudorem suffudit. Nam per se quidem ad percellendum sufficit reprehensio. Quando autem facta fuerit ad comparationem eorum qui se rectè gesserunt, & ornatur laudibus, maiorem habet aculeum. Sed nunc quidem non incipit à reprehensione, sed à laudibus, iisque magnis, dicens: Laudo autè vos quod in omnibus mei memores estis,

Sup. 6. Sup. 3.

Sup. 10.

Viri comam alebant.

Hic infr.

P

Paulus etiam in rebus paruis soler magnas laudes cōtēxere.

Hic est enim mos Pauli: etiam in rebus paruis magnas laudes contexit, non hoc faciens assentatione. absit. Quomodo enim qui nec pecunias concupiscit, neque gloriam, neque quidquam aliud eiusmodi, sed pro eorum salute nihil non agit, adularetur? Et ideo laudem quoque extollit dicens, *Laudo autem vos quod per omnia mei memores estis.* Quanam sunt ea omnia. Nam de coma non nutrienda, & de capite non operiendo ab eo tunc solum verba fiebant: sed ut prius dixi, est profusus in laudibus, eos reddens promptiores & animo alacriores. Quamobrem dicit, *Per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis traditiones ita tenetis.* Ergo & sine scripto multa tunc illis tradebat, quod etiam multis aliis in locis indicat: sed tunc quidem solum tradidit. Nunc autem etiam ponit causam. Sic enim & auditores fortiores reddebat ac firmiores, & illorum qui aduersabantur detrahebat fastum. Deinde non dicit, Vos quidem obediistis, alij autem non obediunt, sed citra suspicionem ex doctrina id tacite significat, per ea quae deinceps sequuntur, sic dicens: *Volo autem vos scire quod omnis viri caput Christus est: caput autem mulieris vir: caput vero Christi Deus.* Haec quidem est causae redditio: eam autem ponit, efficiens, ut qui sunt infirmiores, sint magis attentii. Atque qui est quidem, ut oportet, fidelis & fortis, ratione & causa non eget pro iis quae iussus fuerit, sed contentus est sola traditione. *Qui est autem imbecillior, cum etiam causam didicerit, tunc maiori studio retinet quod dictum est, & obedit cum maiori alacritate animi.* Quamobrem nec causam quidem dixit donec vidit violatum esse mandatum. Quanam est ergo causa? Omnis viri caput est Christus. Nunquid etiam Graeci seu ethnici? Nequaquam. Si enim corpus Christi sumus, & membra ex parte, & hac ratione ille est caput nostrum: eorum qui non sunt in corpore, neque sunt membra, non fuerit caput. Quamobrem quando dixit, Omnis, est intelligendum, fidelis. Vides quemadmodum vbique re ex alto petita pudorem inquit auditori. Nam quando diserebat de charitate, & quando de humilitate, & quando de eleemosyna, illinc traxit exempla. *Caput autem mulieris est vir: caput vero Christi Deus.* Hic nobis insultant haeretici, ex iis quae dicta sunt, filio quandam excogitantes diminutionem: sed in se ipsos irruunt. Nam si vir est caput mulieris, caput autem est eiusdem essentiae cuius corpus, caput autem Christi est Deus, filius est eiusdem essentiae cuius pater, nempe consubstantialis. At nolumus, inquit, hinc ostendere diuersitatem essentiae, sed quod a patre regatur & ei pareat. Quid ergo ad hoc dixerimus? Quod maxime quidem quando aliquid dicitur humile & abiectum, cum ipse sit cum carne, non est diuinitatis humilitas ac deiectio quod dicitur, cum susceptae carnis dispensatio suscipiat quod dictum est. Sed dic nunc quomodo velis id ex hoc adstruere. Quod sicut, inquit, vir imperat vxori, ita etiam pater Christo. Ergo etiam sicut Christus viro, ita etiam pater filio. Omnis enim viri, inquit, caput est Christus. Et quis haec vnquam admiserit? Nam si quanta est filij ad nos exuperatio, tanta est patris ad filium, cogita ad quantam eum deduces deiectionem. Quamobrem non sunt omnia similiter examinanda in nobis & in Deo, etiam si dicantur similiter: sed Deo est tribuenda propria quaedam exuperatio, & tanta quanta Deo. Nam si hoc non concesserint, multa consequentur absurda. Considera autem. Christi caput est Deus: hic autem viri & ille mulieris. Ergo si in omnibus similiter caput acceperimus, filius tantum aberit a patre, quantum nos ab ipso. Sed & mulier

tantum a nobis distabit, quantum nos a Dei verbo: & quod est filius ad patrem, hoc nos quoque ad filium, & mulier rursus ad virum. Et quis haec patitur? Sed aliter in muliere & viro accipis caput, & non sic in Christo. Ergo & in filio & patre est aliter nobis accipiendum. Et quomodo est, inquit, aliter accipiendum? Quod attinet ad causam. Nam si vellet Paulus dicere imperium & subiectionem, ut tu dicis, non in medium adduxisset mulierem, sed seruum & dominum. Nam etsi nobis subiecta est mulier, est tamen ut mulier, ut libera, & ut quae est honore aequalis. Filius quoque etsi fuit obediens patri, sed tamen fuit ut filius Dei, sed ut Deus. Quomodo enim filio maior est vis persuadendi apud patrem, quam hominibus apud parentes qui genuerunt, ita etiam maior libertas. Non enim filij quidem autoritas & gratia maior est & magis germana apud patrem, quam hominum: patris autem minor apud filium. Si enim miramur filium, quod ita obediit ut ad mortem usque veniret, camque mortem crucis, & hoc eius magnum statuimus miraculum: patrem quoque mirari oportet, quod talem genuerit, cui non imperaretur tanquam seruo, sed qui obediret tanquam liber, & esset consiliarius. Nam qui est consiliarius, non est seruus. Rursus autem quando audieris consiliarium, ne audias tanquam qui patre opus habeat, sed tanquam filium qui sit honore aequalis patri qui genuit. Ne trahas ergo ad omnia exemplum viri & mulieris. Nam apud nos quidem iure viro subiecta est mulier. Nam in honore aequalitas efficit contentionem: & non solum propterea, sed etiam propter deceptionem quae fuit ab initio. Propterea cum fuit quidem facta, non statim fuit subiecta: neque quando eam adduxit ad virum, neque ipsa tale quid a Deo audiit, neque vir ei tale quid dixit: sed dixit quod esset quidem os ex ossibus eius, & caro ex carnibus eius: imperij autem aut subiectionis apud eam non meminit. Quando autem male vsa fuit potestate, & facta adiutrix inuenta est insidiatrix, & omnia perdidit, tunc de cetero merito audit, Ad virum tuum conuersatio tua. Nam quoniam erat consentaneum hoc peccatum genus nostrum esse oppugnaturum: neque enim aliquid profuisset ad pacem quod ex eo esset facta cum hoc accidisset: sed hoc ipsum etiam virum magis exasperasset, quod ne membro quidem suo parisset quae ex ipso facta fuerat: perfecto diaboli scelere Deus hoc verbum struxit, & ex insidiis futuras inimicitias per hanc sustulit prolatam sententiam, innata cupiditatis veluti quodam medio pariete deiecto, nempe quae ex peccato orta erat iniuriae acceptae recordatione. Sed in Deo, & in essentia illa, in quam non cadit interitus, nihil licet eiusmodi suspicari. Ne ergo accipias exempla de omnibus. Nam alibi quoque multa inde grauiora occurrent peccata. Dicebat enim in proemio epistolae: Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. Quid ergo? omniae similiter nostra sunt, & nos Christi, & Christus Dei? Nequaquam. Sed etiam valde insipientibus manifesta est differentia, etiam si eadem dictio dicta est de Deo, & de Christo, & de nobis. Alibi quoque cum dixisset virum esse caput mulieris, subiunxit: Sicut Christus est caput, & saluator ecclesiae, & defensor, ita etiam vir debet esse mulieris suae. Similiterne igitur accipiemus quod dictum est, & omnia quae cum eo scripta sunt ad Ephesios de hoc argumento? Absit. Fieri enim non potest. Nam eadem quidem verba dicuntur de Deo & hominibus. Sed illa quidem sunt aliter intelligenda, haec vero aliter. Non

Fidelis & fortis absque vlla ratione contentus est traditione.

Filius est patri consubstantialis.

Christus caput ecclesiae: quomodo dicatur.

Non tamen rursus omnia diuersè. Nam rursus temerè & perperam accepta videbuntur, si nos nihil fructus ex iis percipiamus. Quomodo enim non omnia sunt similiter accipienda, ita nec omnia sunt penitus eiicienda. Ut autem quod dico fiat manifestius, tentabo id exemplo reddere perspicuum. Dicitur est Christus caput ecclesiae. Si ex eo quod est humanum nihil accepero, cur hoc mihi dictum est? Rursus si omnia accepero, sequetur aliquid valde a ratione alienum. Caput enim quod similia patitur atque corpus, iisdem quoque erit obnoxium. Quid ergo oportet dimittere, aut quid accipere? Dimittere quidem oportet omnia quae dixi, exactam autem & perfectam accipere vniionem, & causam, & primum principium: & neque hoc solum & absolutè, sed id etiam quod est se maius cogitare, & Deo conueniens: firmior enim & stabilior est vnio, & principium magis honorandum. Rursus audiisti filium, ne omnia hic acceperis: sed neque omnia eieceris, sed acceptis quae Deum decet, nempe quod sit eiusdem essentiae, & quod ex ipso sit: quae sit, quae sunt absurda, & quae sunt humanae imbecillitatis, ea sine in terra. Rursus Deus lux fuit dictus. Num omnia accipiemus quae sunt huius lucis? Minime, ea enim cedit tenebris, & loco concluditur, & ab alia vi mouetur, & adumbratur, quorum nihil fas est cogitare in illa essentia. Sed neque omnia propterea eiiciemus: sed aliquid decerpemus, idque vtile ex exemplo, quae a Deo ad nos manat illuminationem, a tenebris liberationem ex ea colligentes. Et haec quidem ad haeticos. Oportet autem de cetero totum locum persequi ac pertractare. Fortasse enim hic dubitauerit quispiam apud se quaerens. Quodnam sit crimen, mulieres esse aperto capite, viros vero operto. Quodnam ergo sit crimen hinc disce. Signa quidem data sunt, & viro & mulieri, & multa alia, illi quidem imperij ac principatus, huic vero subiectionis: cum his autem hoc quoque quod haec quidem operto sit capite, ille vero apertum caput habeat & nudum. Si haec ergo sunt signa, ambo peccant bonum ordinem confundentes, & Dei constitutionem, & suos limites transgredientes. ille quidem decidens ad huius humilitatem & deiectionem: haec vero in virum insurgens per habitum ac figuram. Si enim non fas est vestem mutare, & neque huic quidem toga indui, illi vero instituta & muliebri tegumento capitis: Non erit enim inquit, viri ornatus super mulierem, neque induetur vir veste muliebri: multo magis haec non sunt mutanda. Nam haec quidem sunt ab hominibus lege constituta, etiam si Deus postea haec confirmauerit: illud autem a natura, caput, inquam, operiri & aperiri. Quando autem dico naturam, Deum dico. Is enim est qui naturam est architectatus. Quando ergo hos euertis terminos & haec rescindis decreta, vide quam multa fiant damnosa ac noxia. Neque mihi hoc dixeris paruum esse peccatum: nam etiam per se magnum est: est enim inobedientia. Quod si etiam esset paruum, magnum fieret, quoniam est signum rerum magnarum. Quod autem sit magnum, ex hoc est perspicuum quod generi humano tam pulchrum & elegantem praebat ordinem, eum qui imperat & eum qui paret in mundo constituens. Quamobrem is qui transgreditur, omnia confundit, & Dei dona prodit, & qui a superioris datus est ei honorem, humi abiicit. Non solum autem vir, sed etiam mulier. Nam ille quoque est honor maximus suum seruare ordinem, sicut etiam magnum est dedecus inter se dissidere. Quamobrem in vtrisque hoc posuit, dicens: *Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum. Omnis autem*

mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum. Erant enim, ut dixi, & viri prophetantes, & mulieres tunc hoc donum habentes, ut Philippi filiae, ut aliae ante illas, & post illas. De quibus dicebat Prophetam multis ante seculis: Prophetabunt filij vestri, & filiae vestre visiones videbunt. Porro autem virum quidem non semper cogit esse aperto capite, sed solum quando orat. Omnis enim vir, inquit, orans aut prophetans operto capite dedecore afficit caput suum: mulierem autem semper iubet esse non nudo & aperto capite. Et ideo cum dixisset, Omnis mulier orans aut prophetans non operto capite, dedecore afficit caput suum, non hic solum constitit, sed etiam perrexit dicens: *Vnum enim est ac si decaluetur.* Si autem turpe est esse rasam, est perspicuum quod etiam non operto esse capite est dedecus. Neque hoc solum fuit contentus, sed etiam rursus addidit, dicens: *Debet mulier habere velamen super caput suum & propter angelos.* Ostendit quod non solum tempore orationis, sed etiam perpetuo eam oportet habere caput opertum. In viro autem, non de capitis tegumento, sed de coma tractat oratio. Nam tunc solum iubet caput aperire quando orat: comam autem alere semper prohibet. Propterea sicut dixit in muliere, *Si autem non velatur, tondeatur:* ita etiam de viro, *Si comam nutriat, ignominia est illi.* Non dixit, *Si operiatur, sed si comam nutriat.* Et ideo in initio dicebat, omnis vir orans aut prophetans super caput habens. Non dixit, operto capite, sed super caput habens: ostendens quod etiam si oret nudo capite, comam autem habeat, perinde est atque si esset operto capite. Capilli enim, inquit, pro velamine ei dati sunt. Si autem non velatur mulier, tondeatur. *Si autem turpe est mulieri tonderi aut radi, veletur.* Nam in principio quidem ut nudum habeat caput exigit, procedens autem etiam ut nudum semper habeat tacite exigit, dicens, vnum enim est ac si rasa sit, & quod cum omni studio & diligentia. Neque enim dixit solum, *κελευσθητω*, id est operiatur, sed *κεκελευσθητω*, id est cooperiatur, ut sit perfecte vndique composita: & per deductionem ad absurdum pudorem inquit, vehementer eos tangens, & dicens. Si autem non velatur, tondeatur. Nam si abiicis, inquit, velum seu tegumentum quod a Deo est positum, abiice etiam quod positum est a natura. Si quis autem dicat, Et quomodo est hoc mulieri dedecus & ignominia, si ad viri ascendit gloriam? illud dixerimus, quod non ascendit, sed a suo honore excidit. Nam non manere intra suos fines, & leges a Deo latas, sed eas transgredi, non est incrementum, sed decrementum. Quomodo enim qui aliena concupiscit, & rapit quae non sunt sua, non plus accipit, sed detrimentum est affectus, ut qui quod habuit perdidit: quod quidem in paradiso accidit. Ita etiam mulier non accipit viri nobilitatem, sed & mulieris amittit honestatem: & non hinc solum ei existit ignominia, sed etiam ex plura habendi cupiditate. Cum ergo accepisset id quod constat esse turpe, & dixisset: Si autem turpe est mulieri tonderi aut radi, ponit de cetero quod suum est, dicens *κεκελευσθητω*, id est cooperiatur. Et non dixit, Comam nutriat, sed cooperiatur, haec vtraque vnum esse statuens, & vtrinque ea confirmans, tam ab iis quae sunt constituta quam a contrariis. Nam & velamen & comam vnum esse dicit: & eam quae est rasa, & eam quae nudum habet caput, rursus idem. Vnum est enim, & idem, inquit, atque si esset rasa. Si quis autem dicat, Et quomodo est vnum, si ipsa quidem habet naturae tegumentum, illa autem quae est rasa, ne hoc quidem? Quod libero suo arbitrio & illud

Act. 21. Ioel. 2.

Vir orans debet esse nudo capite.

Comam alere vir semper prohibetur. Hic inf.

Ibidem.

Coma & velamen est vnum & idem.

abiecit, & nudum habet caput. Si autem non habet nudum pilis, hoc est naturæ, non illius. Quamobrem & quæ rasa est, nudum habet caput, & illa similiter. Propterea enim naturæ permisit eam tegere, ut cum ab illa didicerit, operiatur. Deinde etiam affert causam sicut sæpe dixi, differens tanquam cum liberis. *Nam vir quidem non debet velare caput, cum sit imago & gloria Dei.* Hæc rursus est alia causa. Neque enim solum quod Christum habet caput, debet, inquit, caput aperire, sed etiam quod imperat mulieri. Nam principem qui ad regem accedit, oportet habere signum imperij ac principatus. Quomodo ergo nullus ex principibus absque zona & lana audebit apparere coram eo qui est redimitus diademate: ita nec tu absque signis imperij & principatus, quod est esse aperto capite, ora Deum, ne dedecore afficias, & te, & cum qui te honore affecit. Idem etiam dixeris de muliere. Nam illi quoque est ignominia, si non habeat signa subiectionis. *Mulier autem gloria viri est.* Est ergo naturale viri imperium ac principatus. Deinde postquam pronunciauit sententiam, & rationes & causas rursus affert alias, deducens ad priorem creationem: & sic dicens: *Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro.* Si autem ex aliquo esse, est gloria illius ex quo est, multo magis esse similem. *Etenim non creatus est vir propter mulierem, sed mulier propter virum.* Hæc est secunda rursus exuperatio, imò verò tertia & quarta. Prima, quod caput nostrum est Christus, nos autem mulieris. Secunda, quod nos sumus Dei gloria, mulier autem, nostra. Tertia, quod non sumus ex muliere, sed mulier ex nobis. Quarta, quod non nos propter ipsam, sed illa propter nos. *Ideo debet mulier habere velamen super caput suum.* Ideò, propter quid quæso? Propter hæc omnia quæ dicta sunt, inquit. Imò verò non propter hæc solum, sed etiam propter angelos. Nam si virum, inquit, despicias, reuerere angelos. Caput ergo operire est subiectionis & potestatis: efficit enim ut deorsum aspiciamus, & pudore afficiamur, & propriam conseruemus virtutem. Virtus enim eius cui alius imperat, & honor, est manere in obedientia. Nam vir quidem non habet necesse hoc facere. Sui enim domini est imago: mulier autem merito habet necesse. Cogita ergo quam insignis sit iniquitas, quando tanta honoratus potentia, te ipsum afficis ignominia, arripiens habitum & figuram mulieris: & perinde facis ac si accepto diademate, diadema de capite abiicias, pro diademate autem vestem accipias seruilem. *Veruntamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in domino.* Nam postquam viro magnam dedit excellentiam, ut qui dixerit ex ipso esse mulierem, & propterea ipsam ei esse subiectam, ne viros plusquam par esset extolleret, neque illas nimis deiiceret, vide quemadmodum subiungit correctionem, dicens: *Veruntamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in domino.* Ne enim, inquit, mihi prima sola examines, neque illam fabricationem. Nam si ea quæ postea secuta sunt quæras, vterque vtriusque est autor: vel potius ne sic quidem vterque vtriusque, sed Deus est autor omnium. Et ideo dicit, *Neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in domino.* Nam sicut mulier de viro, ita vir per mulierem. Non dixit, de muliere, sed rursus de viro: hoc enim adhuc manet integrum apud virum. Sed non sunt viri hæc quæ rectè geruntur, sed Dei. Quamobrem subiunxit. *Omnia autem ex Deo.* Si ergo Dei sunt omnia, ipse autem ea iubet, pare, & noli contradicere. *Vos ipsi iudicate: decet mulierem non velatam orare Deum.* Rursus ipsos constituit iudices eorum quæ dicuntur, quod quidem fecit etiam in iis quæ immolata sunt i-

Gen. 2.

Operire caput cur sit signum subiectionis.

adolis: etenim illic dicit: *Iudicate vos quod dicitis: & hic, inter vos ipsos iudicate.* & hic tacite significat aliquid terribilius, nempe quæ hic est contumeliam ad Deum transire. Sed non sic quidem dicit, sed minus quodammodo dicens & magis ænigmaticè: *Decet mulierem non velatam orare Deum. Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi. mulier verò si comam nutriat, gloria est illi, quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.* Quod semper facit, communes ponens rationes, hoc hic quoque facit, ad communem confugiens consuetudinem, & pudore valde afficiens eos qui expectant ab ipso discere, quæ licebat discere à communi consuetudine. Nam quæ sunt talia, ne barbaris quidem sunt ignota. Vide autem quemadmodum ubique acribus vtitur dictionibus. Omnis vir orans velans caput, dedecore afficit caput suum. Et rursus: *Si autem turpe est mulieri tonderi aut radi, cooperiatur.* Et hic rursus, *Vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi: mulier verò si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.* At si pro velamine, inquit, dati sunt, quanam de causa oportet aliud addere velum & amiculum? Ut non ex natura solum, sed etiam ex libero animi instituto fateatur subiectionem. Nam quòd te oportet caput operire, etiam prior natura legem statuit. Adde ergo & quæ sunt tua, ne videaris etiam leges naturæ euertere, quod quidem magnæ est impudentiæ, non solum nobiscum, sed etiam cum natura pugnare. Quamobrem Iudæos quoque Deus accusans dicebat: *Occidisti filios tuos & filias tuas: hoc præter omnes abominationes tuas.* Paulus quoque eos increpans qui apud Romanos impudici erant & libidinosi, sic auget criminationem dicens, quòd non solum præter Dei legem, sed etiam præter naturam erat eorum vsus: mutarunt enim vsum naturalem in eum qui est præter naturam. Propterea hic quoque hanc adhibet rationem, & hoc ipsum ostendens, & quòd nihil constituit alienum ac peregrinum, & quòd apud Græcos sunt omnia nouitatis quæ est præter naturam. Sic etiam Christus hoc ostendens dicebat. *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, ea vos quoque facite eis, significans se nihil nouum afferre. Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque ecclesia Dei.* Est ergo contentio, non rationis his resistere & contendere. Cæterum sic quoque moderatam fecit increpationem, ut qui plurimum pudoris immiserit, quod etiam grauiorem fecit orationem. Nos, inquit, talem non habemus consuetudinem, ut contendamus, & litigemus, & aduersum ac repugnemus. Et nec hæcenus constitit, sed etiam subiunxit: *Sed nec ecclesia Dei, ostendens eos vniuerso orbi terræ repugnare & aduersari, dum non cedunt.* Sed etiam tunc contendebant Corinthij, nunc vniuersus orbis terræ hanc legem admisit & custodit: tanta est potentia crucifixi. Sed vereor ne habitu accepto, re ipsa inueniantur nonnullæ mulieres impudenter se gerere, & aliter esse apertæ ac reuelatæ. Nam propterea etiam scribens ad Timotheum, non his contentus fuit Paulus, sed etiam alia adiecit, dicens. *In habitu ornato, cum verecundia & modestia, ornantes se non in tortis crinibus, aut auro.* Si enim nudum caput habere non decet, sed semper circumferre signum subiectionis: multo magis hoc oportet ostendere ipsis actionibus. Sic quidem certè & præter mulieres maritos suos vocabant dominos, & primas eis concedebant. Illi enim, inquit, suas vxores diligebant. Ego quoque id non ignoro. Sed quando tibi suademus ea quæ tibi conueniunt,

456

Deut. 5. & Matt. 15.

Ephes. 6.

Colos. 3.

Criminis socii inuenire non liberat à culpa. Gen. 3.

Abraham quomodo se gessit in vxorem & Sarra in maritum. Gen. 12. Ibid. 13.

Gen. 14.

niunt, ne spectes ea quæ sunt illorum. Neque enim quando suademus filiis ut obediant parentibus, dicentes scriptum esse, *Honora patrem tuum & matrem tuam, dicunt nobis, dic etiam quæ sequuntur, nempe, Vos quoque patres nolite prouocare ad iram filios vestros.* Et quando dixerimus seruis scriptum esse ut obediant dominis, & non ad oculum seruiant, ipsi quoque rursus à nobis exigunt quæ deinceps sequuntur, iubentes dominis quoque eadem suadere. Nam illis quoque, inquit, iussit Paulus minas remittere. Sed ne sic faciamus, neque quæ sunt alij præcepta quæramus, quando de iis quæ ad nos pertinent accusamus. Neque enim si criminum socium inuenieris, à culpa liberaberis: & hoc vnum specta ut te à criminibus exuas. Nam Adam quoque culpam conferebat in mulierem, & ipsa rursus in serpentem: sed nihil ex iis ipsos eripuit. Neque ergo tu nunc hoc mihi dicas: sed da operam ut beneuolo & grato animo marito præbeas quæ debes. Nā & quādo cum marito tuo loquor, consulens ut te diligat & tui curam gerat, non sino ut in medium afferat legem quæ lata est de muliere: sed ab eo exigo legem quæ de ipso est constituta. Et tu ergo de iis solis quæ ad te pertinent sis curiosa, & te præsta marito morigeram & ad regendum facilem. Etenim si propter Deum pares marito, ne mihi proferas quæ ab ipso debent fieri, sed quibus legislator te fecit obnoxiam, ea fac diligenter & accurate. Hoc enim est maximè Deo parere, etiam contraria patientem legem non transilire. Propterea enim qui amat amantem, nihil videtur magnum facere. Qui autem eum qui odit obseruat & colit, is est maximè qui coronatur. Eodem modo tu quoque reputa, quòd si grauem & importunum tuum maritum tuleris, præclaram accipies coronam. Sin autem mitem & mansuetum, cuiusnam rei tibi dabit Deus mercedem? Hæc autem dico, non iubens maritos esse sæuos & asperos, sed suadens mulieribus ut sæuos & asperos ferant maritos. Quando enim studuerit vnusquisque implere quæ sua sunt, statim sequenter etiam quæ sunt proximi: ut quando parata fuerit mulier etiam sæuientem & ferocientem ferre maritum, & maritus etiam acerbam & molestam vxorem contumelia non affecerit, tunc sunt omnia tranquilla, & sita in portu libero à fluctibus. Sic etiam fiebat apud veteres. Quæ sua erant, implebat vnusquisque: quæ sunt autem proximi non exigebat. Considera autem. Accipit filium fratris Abraham: non eum reprehendit vxor. Iussit eam longum iter ingredi: ne ad hoc quidem contradixit, sed eum est secuta. Rursus cum post multas illas afflictiones, labores, & sudores factus esset omnium dominus, Lotho primas concessit: & non solum non hoc ægrè tulit Sarra, sed neque os aperuit, neque locuta est ut multæ nunc solent mulieres, cum viderint suos maritos in eiusmodi fortibus à minoribus detrimetum accepisse, probris ac contumeliis afficientes, & stultos, & stolidos, ignauosque & proditores hebetesque eos vocantes. Sed illa nihil tale nec dixit nec cogitauit, sed grata fuerunt ei omnia quæ ab illo fiebant: & quod est maius. Nam postquam dominus fuit optionis, & minorem partem tribuit patruo, eum graue inuasit periculum. Quod cum audiisset patriarcha, armauit omnes suos, & aduersus totum Persarum exercitum solus cum suis instruxit aciem. Neque illa tunc eum tenuit: neque dixit quæ erat consentaneum, Quòd ruis o homo, ex præcipitio te ipsum deturbans, & te in tanta coniciens pericula, pro homine qui te affecit contumelia, & tua rapuit omnia, effundens sanguinem? Nam si te ipsum despicias, mei saltem miserere quæ reliqui

Chrysof. tom. 4.

domum, & patriam, & amicos, & cognatos, & te in tam longinqua peregrinatione sum secuta: nec me iniucias in viduitatem & in mala quæ ex ea oriuntur. Nihil horum dixit, nec cogitauit, sed silentio tulit omnia. Postea sterili manente vtero, ei quidem non vsuuenit quod mulieribus, neque flet nec luger: ille autem lamentatur, sed non apud vxorem, verum apud Deum. Et vide quemadmodum vnusquisque seruat quod decet. Neque enim despexit Sarra ut quæ careret filiis: neque ei tale quid exprobrauit. Et illa rursus studium posuit ut ei aliquam afferret consolationem ex ancilla, eo quòd ipsa non pareret filios: nondum enim ea tunc erant prohibita sicut nunc. Nunc enim neque mulieribus licet hæc maritis gratificari: neque illis, seu scientibus, seu ignorantibus vxoribus, tales attentare concubitus, etiam si millies angantur dolore quòd careant liberis. Nam ipsi quoque audient quòd vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Nunc enim non permittitur: tunc autem non erat prohibitum. Quamobrem & mulier hoc mandabat, & ille obediebat: & ne sic quidem propter voluptatem. Sed vide rursus quemadmodum eam eiecit illa iubente: ego enim hoc volo ostendere, quòd & iste illi parebat, & illa isti. Cæterum ne his solum attendas. Sed tu quæ hæc dicit, priora quoque examina, quòd contumelia eam afficiebat, quòd insolecebat aduersus dominam: quo quid potuerit esse molestius liberæ mulieri probæque & honestæ? Ne ergo viri virtutem expectet mulier, & tunc suam exhibeat: hoc enim nihil est magnum. neque rursus vir mulieris honestatem & modestiam, & tunc philosophetur: hoc enim non vtiq; ab eo rectè geritur. Sed vnusquisque, ut dixi, sua prior exhibeat. Nam si externis dexteram percutientibus oportet alteram præbere maxillam: multo magis ferocientem maritum ferre oportet. Neque hoc dico ut verberetur mulier: absit. hoc est enim extrema contumelia, non ei quæ verberatur: sed ei qui verberat. Sed si casu aliquo tibi fors eiusmodi obrigerit, ut talem habeas coniugem, ne ægrè feras, quæ tibi pro eo est reposita cogitans mercedem, & quæ in vita præfenti tibi paratur laudem. Porro autem viris quoque illud dico, nullum sit eiusmodi peccatum ut vobis afferat necessitatem verberandæ vxoris. Et quid dico vxoris? Ne ancillam quidem verberare, & ei manus inferre, viro ingenuo fuerit tolerandum. Si autem viri seruam verberare est probrum, multo magis in liberam manus intendere. Hoc autem etiam ex externis videris legislatoribus, qui eam quæ talia est passa, non amplius cogunt habitare cum eo qui verberauit, ut qui sit indignus qui cum ea habeat consuetudinem. est enim extremæ iniquitatis, vitæ sociam, & quæ in rebus necessariis, & summè est tibi coniuncta, eam tanquam mancipium afficere ignominia. Quamobrem eiusmodi virum, si vir est appellandus & non bestia, instar parricidæ & matricidæ ego dixerim. Nam si propter eam & patrem & matrem iussi sumus dimittere, non illis iniuriam facientes, sed diuinam legem implentes, ipsis parentibus ad eò desiderabilem, ut & ipsi qui relinquuntur gratiam habeant, & cum magno studio id efficiant: quomodo non est extremæ insanix, eam contumelia afficere, propter quam etiam parentes Deus iussit dimittere? Num autem solum est insanix? Dedecus autem & ignominiam quæso quis feret? Quænam autem oratio eam potuerit explicare? quando fletus & eiulatus feruntur per vicus & compita, & ad ædes eius qui tam indecorè se gerit cursum accedunt vicini, perinde ac si aliqua fera

Gen. 16.

Esa. 66.

Mulier non expectet mariti virtutem, nec maritus mulieris.

Vxorem verberare quam graue & indignum. Gen. 2. & Matt. 19.

quæ sunt intus vastet ac perdat. Satius est ut ei qui tam petulanter insultat terra dehiscat, quam de cætero in foro appareat. At est, inquit, mulier audax & insolens. Sed cogita mulierem esse vas imbecillum, te autem virum. Propterea enim factus es rector & princeps, & datus es instar capitis, ut feras eius quæ à te regitur imbecillitatē. Effice ergo ut sit tuus principatus & imperium splendidum: erit autem splendidum, quando eum qui tuo regitur imperio ignominia non affeceris: & quomodo qui fungitur munere regio, eò apparebit præclarior & magnificentior, quò præclariorem & magnificentiorem suum effecerit vicarium. Sin autem despiciatui habuerit & contumelia affecerit dignitatis illius magnitudinem, suæ quoque gloriæ non parvam amputabit partem. Tu quoque si eam quæ post te imperat probro & dedecore affeceris, non leui damno afficies honorem tui principatus. Hæc ergo omnia apud te reputans te modestè gere: & cum his illam quoque cogita vesperam, qua tibi vocato pater tanquam aliquod depositum suam tradidit filiam, & ab omnibus abductæ, & à matre, & à se, & à domo, totam eius curationē tuæ cōmisit dexteræ. Cogita quòd post Deū per ipsam habes liberos, & pater factus es: & ideò sis ei mitis & clemens. Non vides quemadmodum terram quæ semel suscepit semina, omni ratione culturæ colant agricolæ, etiamsi sint innumerabilia quæ ei officiant & detrimentum afferat: ut etiamsi sit terra arida & exilis, etiamsi malas ferat herbas, etiamsi propter naturam situs ei imbres insul- tent. Tu quoque ita facias. Sic enim tu prior frueris & fructibus & tranquillitate: est enim mulier portus, & maximum medicamentum tranquillitatis animi. Atque si portum quidem ab vndis & fluctibus liberaueris, à foro rediens magna frueris securitate. Sin autem tumultibus & turbis implueris, tibi grauius comparas naufragiū. Ne hoc ergo fiat, fiat quod dico. Quando aliquid molestum domi euenerit quòd ea peccarit, consolare, nec auge dolorem. Nam etsi omnia amiseris, nihil est molestius quam non cum benevolentia intus habitantem habere vxorem: & quodcumque peccatum dixeris, nihil dices quod maiorem afferat dolorem, quam cum illa agitare seditionem. Quamobrem eius dilectio est omnibus pretiosior. Nam si oportet alterum alterius onera portare, multò magis vxoris: etsi sit pauper, ne exprobes: etsi sit stulta, ne insultes, sed potius eam corrigas & emendes, est enim membrum tuum, & facti estis vna caro. Sed est garrula ac nugatrix, ebriosaque & iracunda. Propterea ergo dolere oportet, nò irasci: & Deum rogare, & eam admonere, & ei cōsulere, & omnia facere ut vitium amputetur. Si autem eam verberes & conteras, morbus non curatur. Audacia enim soluitur lenitate, non alia audacia. Simul etiam cogita quæ à Deo præbetur merces. Quando enim cum eam tibi liceret excindere non hoc feceris propter Dei timorem, sed tam multa eius vitia tuleris, de iis legem latam metuens, quæ vetat eiicere vxorem, quocumque morbo laboret, ineffabilem accipies mercedem, & ante mercedem maximum lucrum facies, & illam efficiens obedientiorem, ipse quoque ea ratione effectus lenior & clementior. Dicitur quidem certè quidam ex philosophis externis, cum malam haberet vxorem, & nugatricem, & conuitatricem, rogatibus cur eam habere sustineret, dixisse, ut domi haberet gymnasium & palæstram philosophiæ: cro enim, inquit, cæteris mitior, si in ea quotidie erudiar. Magna voce exclamastis, sed ego valde desleo, cum Græci sint nobis sapientiores: nobis qui iussi sumus Angelos imitari: imò verò qui iussi su-

mus Deum æmulari in ratione mansuetudinis. Atque dicitur quidem philosophus cum malam haberet vxorem propterea eam non eiicisse. Quidam autem dicunt eum ipsam propterea duxisse. Ego autem quoniam multi ex hominibus sunt à ratione alieniores, suadeo quidem ut ab initio omnia faciant ut bene compositam accipiāt coniugem, & omni virtute plenam. Sin autem contingat eos aberrasse, & nò bonam neque tolerabilem domum duxisse sponfam, tunc eum philosophum æmulari, & eam omni ex parte componere, & nihil eorum obiicere. Nam mercator quoque priusquam cum socio pacta conuenta fecerit quæ sint pacem conciliare, non prius nauem deducet in mare, neque aliam attinget negociationem. Et nos ergo omnia agamus ut negociationis nostræ vitæ sociam & huius nauis cum omni pace intus teneamus. Sic enim & alia nobis erunt tranquilla, & securi præsentis vitæ pelagus percurremus. Hoc pluris quam domum, & mancipia, & pecunias, & agros, & ipsas res ciuiles faciamus: & nobis sit pretiosius ac præstabilius nobiscum in ædibus sedentem non agitare seditionem, neque à nobis dissidere. Ita enim & alia nobis erunt secunda, & in spiritualibus etiam magnam habebimus facilitatem, hoc iugum trahentes cum concordia: & omnibus rectè gestis, bona reposita consequemur. Quæ detur nobis omnibus consequi gratia & benignitate domini Iesu Christi, cui cum patre &c.

ORATIO XXVII.



Hoc autem præcipio, non laudans quòd non in melius sed in deterius conueniatis. Necessè est etiam præsentis criminis prius causam dicere: sic enim à nobis rursus facilius disci poterit quod dicitur. Quænam ergo ea est? Sicut in tribus millibus quæ ab initio crediderunt omnes communiter inibant conuiuia, & possidebant omnia communia: ita etiam tunc fiebat quando Paulus hæc scripsit, sed non adeò exactè & accuratè. Quidam autem veluti effluxus communionis illius remansit, & ad posteros descendit: & quoniam contingeat ut alij quidem essent pauperes, alij verò diuites, sua quidè omnia non proferebāt in medium, statis autem diebus mensas faciebant communes: & peracta synaxi, post sacramentorum communionem, omnes commune inibant conuiuia, diuitibus quidem cibos afferentibus, pauperibus autem, & qui nihil habebant, etiam vocatis, & omnibus communiter vescētib: sed postea fuit etiam hic mos corruptus. Causa autem fuit ex eo quòd essent diuulsi, & se adscribebant alij quidem istis, alij verò illis, & dicerent, Ego quidem sum huius, ego verò illius. Quod quidem etiam in initio corrigens, dicebat: Significatum est mihi fratres, de vobis ab iis qui sunt Chloës, quòd contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico quòd vnusquisque vestrum dicit, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ; non quoniam Paulo se adscribebant, neque enim hoc sustinuisset, sed ex abundantia volens eum morem euellere radicibus, seipsum adiecit, ostendens quòd etsi quis eum inscriberet à communi corpore abrumpens, sic quoque esset absurdum & extremè iniquitatis. Si autem in eo est iniquitas, multò magis in illis qui sunt inferiores. Quoniam ergo fractus ac discerptus fuit mos pulcherrimus & vtilissimus, erat enim fundamentum charitatis, & solatium paupertatis, & diuitiarum castigatio ac moderatio, & doctrina humilitatis. Quoniam ergo vidit tam multa bona corrumpi & interire,

Vxor est cōsolanda si domi molestum quid acciderit.

Audacia soluitur lenitate, non alia audacia.

Ibid. 11.

Hereses aliarum dogmatum, hæc sectarum. Marc. 18.

Ibidem.

Chrysof. tom. 4.

interire, meritò acri vsus est oratione, dicens, Hoc autem præcipiens non laudo. Nam in alio quidem crimine, utpote quòd multi essent qui obseruarent, aliter incepit, sic dicens. Laudo autem vos quòd per omnia mei meministis. Hic autem contrà. Hoc autem præcipiens non laudo. Quamobrem nec id posuit post increpationem eorum qui vescebantur immolatis idolis: sed quoniam illud erat asperius, eo interiecto quod dictum est de coma, ne ex grauib: criminibus ad alia rursus grauia transiens videretur asperior, tunc accedit ad id quod est grauius & vehementius, & dicit. Hoc autem præcipiens, non laudo. Quòdnam? Quod nunc sum dicturus. Quid est, præcipiens non laudo? Vos, inquit, non amplector nec admitto, quòd me ad consilij necessitatem adduxistis. Non laudo quòd doctrina ad hoc eguistis, quòd opus habetis meo præcepto. Vidisti quemadmodum ostendit ab initio valde esse absurdum quod fiebat. Quando enim ne præcepto quidem deberet indigere qui peccat ad non peccandum, consentaneum est peccatum esse huiusmodi ut non possit ignosci. Et cur non laudas? Quod non in melius sed in deterius conuenitis, inquit. Hoc est, Quòd non pergitis ad virtutem. Nam cum oportet crescere, & esse maiorem laudis cupiditatem & munificentiam, vos etiam morem qui iam inualuerat minuistis, & ita minuistis ut meo quoque præcepto egeretis, ut ad priorem ordinem rediretis. Deinde ne videretur hæc solum dicere propter pauperes, nò statim se ingerit ad dicendū de mensis, ut nò ea ratione faceret increpationem illis esse contemptui. Sed quærit dictionem acerrimam, & quæ vultum habeat terroris. Quid enim dicit? *Primum quidem conuenientibus vobis in ecclesia, audio scissuras esse inter vos.* Non dicit, Audio vos non communiter cœnare: audio enim vos seorsum vesci, & non cum pauperibus: sed id posuit quod eorum mentem valde erat commoturum, nempe nomen schismatis seu sectæ, quod etiam huius erat causa: & rursus reuocauit in memoriam illud quod dictum fuerat ab initio epistolæ, & significatum ab iis qui erant Chloës. *Et ex parte credo.* Nam ne dicerent, Quid si mentiuntur qui calumniantur, neque dixerit se credere, ne faceret impudentiores: neque rursus non credere, ne videretur temerè increpare, sed partem aliquam dicit credere, hoc est, ex parte credere, eos reddens dubios & anxios, & eos vocas ad reditum correctionis. *Nam & oportet hereses esse, ut & qui probati sunt manifesti fiant in vobis.* Hæreses hic vocans, non eas quæ sunt dogmatum, sed horum schismatum seu sectarum. Quòd si diceret dogmatum, non daret ansam. Nam Christus quoque dicit, Necessè est ut veniant scandala, non liberum arbitrium perimens, neque necessitatem & vim aliquam vitæ inferens, sed futurorum omnino prædicens ex mala mente hominum, id quod erat futurum: non propter suam prædictionem, sed propter eorum mentem qui erant incurabiles. Non enim quoniam prædixit, hæc fuerunt, sed quoniam omnino futura erant, propterea prædixit. Nam si scandala essent necessitatis, & non mentis eorum qui ipsa inferunt, superuacaneè dixisset, Væ illi per quem veniunt scandala. Sed de his quidem latius differuimus quando eum locum exposuimus: nunc autem necessè est venire ad propositum. Quod enim dixit de his hæresibus quæ sunt circa mensas, & de hac contentione & dissidio, planum fecit per ea quæ deinceps sequuntur. Nam cum dixisset, Audio scissuras esse inter vos, non hæcenus constitit, sed ostendens quædam dicit scissuras & schismata, præoccupans dicit, *Vnusquisque suam cœnam præsumit.* Et rursus: *Nunquid*

domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut ecclesiam Dei contemnitis? Sed quod de his quidem dicit est perspicuum. Si autem ea appellat schismata & scissuras, ne mireris. Nam sicut dixi, vult eos dictione acriter pungere. Si autem essent schismata ac sectæ dogmatum, non tam placidè cum eis differuisset. Audi ergo quando tale quid dicit, quàm sit acer & vehemens, & dum cautionem adhibet, & dum increpat. Dum cautionem quidem adhibet, ut quando dicit, *Etiam si angelus de cœlo vobis euangelizet præter id quod accepistis, sit anathema.* Et dū increpat, ut quando dicit, *Qui in lege iustificamini, à gratia excidistis.* Et nunc quidem canes vocat eos qui corrumpunt, dicens, *Videte canes: nunc autem cauterio inuistam habentes conscientiam, & rursus angelos diaboli.* Sed hic nihil tale dixit, sed mansuetè ac remissè. *Quid est autem, ut qui probati sunt manifesti fiant inter vos? Ut magis resplendeant.* Hoc est autè quod vult dicere: Eos qui sunt firmi ac stabiles, non modò hoc nihil lædit, sed etiam magis ostendit & reddit splendidiore. Hoc enim, ut non semper reddit causam, sed rerum euentum sæpe indicat. Sic etiam Christus id ponit quando dicit, *In iudicium veni in hunc mundum, ut non videntes videant, & videntes cæci fiant.* Ita etiam ipse Paulus, quando scribit de lege differens. Lex autem subintravit ut abundaret delictum. Sed neque lex propterea data est ut crescerent Iudæorum peccata: sed hoc euenit. Neque Christus ideò venit, ut videntes cæci fierent, sed propter contrarium. Verum hoc accidit. Ita ergo hic quoque intelligendum est hoc, *Ut qui probati sunt manifesti fiant.* Non enim propterea fuerunt hæreses ut qui erant probati fierent manifesti: sed hoc accidit cum hæc fuissent hæreses. Hæc autem dixit consolans pauperes, qui forti & generoso animo ferebant talem contemptum. Propterea non dixit, ut fiant probati, sed ut cum sint probati, fiant manifesti, ostendens quòd etiam antea tales erant, sed miscebantur cum vulgo, neque admodum cernebantur frui consolatione diuitum. Nunc autem ipsa seditio & cōtentio eos effecit manifestos, sicut tempestas ostendit gubernatorem. Neque dixit, ut vos appareatis probati, sed ut probati fiant manifesti qui sunt inter vos tales. Neque enim accusans facit manifestos, ne eos faciat impudentiores: neque laudans, ne superbiores: sed hanc & illam suspendit orationē, præstans, ut quæ dicuntur, congruant vnus cuiusque conscientiæ. Non solum autè mihi videtur hic consolari pauperes, sed eos etiam qui morem non corrumpunt. Etenim verisimile erat esse etiam in ipsis qui ipsum conseruabant. Et ideò dicit *partem aliquam credo.* Iure ergo eos dicit esse probatos, qui non solum cum aliis obseruauerunt morem, sed etiam absque illis immobilem hanc pulchram seruarunt legem. Hoc autem facit, studens per huiusmodi laudes, & alios & hos reddere promptiores & animo alacriores. Deinde dicit de cætero etiam ipsum genus peccati. *Quòdnam autem hoc est? Conuenientibus vobis, inquit, in vnum, iam non est dominicam cœnam manducare.* Vides quàm aptè ad suffundendum pudorem, & instar narrationis iam struxit consilium. Nam alia quidem est, inquit, species conuentus. Ea est enim charitatis & fraternæ dilectionis. Nam vnus quidem, inquit, locus vos omnes suscipit, & simul congregamini: mēsa verò iā non est similis conuentui. Non dixit autem, Conuenientibus vobis non licet communiter manducare, non licet inter vos conuiuari: sed rursus aliter, & multò terribilius eos tægit, dicens, *Iam non est dominicam cœnam manducare, eos ad illam transmittens vesperam, in qua Chri-*

In scilicet dogmatum acer & vehemens est Paulus.

Gal. 1.

Gal. 5.

Phil. 3.

1. Tim. 4.

Ioan. 9.

Rom. 15.

In vespera Christi tradidit sacramenta.

stus reuerenda tradidit sacramenta. Propterea & prandium vocauit cenam: etenim illa cena habuit omnes communiter accumbentes. Atqui non tantum interest inter diuites & pauperes, quantum inter magistrum & discipulos. Cogita quantum interesset inter preceptorem & proditorem. Sed tamen ille quoque cum eis accumbebat, & neque eum expulit, sed etiam sale impertiit, & sacramentorum fecit participem. Deinde interpretatur quomodo non est dominicam cenam manducare. Vnusquisque enim, inquit, suam cenam praesumit ad manducandum, & alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Vidisti quemadmodum ostenderit ipsos se ipsos magis dedecore & ignominia afficere. Nam quod est dominicum, ipsi faciunt proprium. Quamobrem ipsi sunt primi qui probro afficiuntur & ignominia, qui mensae maximam auferunt dignitatem. Quomodo? Quoniam dominica, id est domini cena debet esse communis. Nam quae sunt domini, non huius quidem sunt famuli, illius vero non sunt, sed communiter omnium. Dominicam ergo hanc dicit esse communem. Nam si est domini, non debes eam tanquam priuatim auellere, sed tanquam quae sit domini, communiter omnibus proponere, ea enim est dominica. Nunc autem non finis eam esse dominicam, vt qui non finas eam esse communem, sed seorsum epuleris. Quamobrem subiungit dicens, Vnusquisque enim suam cenam praesumit. Non dixit, Abscindit, sed praesumit, eos edacitatis & temeritatis sensum accusans. Hoc autem significat etiam quod deinceps sequitur. Nam cum hoc dixisset, rursus subiungit. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Quae quidem vtraque erant non seruatae mediocritatis, nempe egestas & exuperatio. Ecce secundum crimen illos quoque laedens. Primum quidem, quod cenam ignominia afficiunt. Secundum autem, quod ventrem inferciunt & inebriantur, & quod est grauius, etiam pauperibus esurientibus. Nam quae erant communiter apponenda omnibus, iis isti soli vescentes procedebant ad infirmitatem & temulentiam. Et ideo non dixit, Alius quidem esurit, alius vero saturatur, sed, ebrius est. Vnumquodque autem horum etiam per se dignum est reprehensione. Nam inebriari, etiam abique eo quod despiciantur pauperes, est crimen: & despiciere pauperes, etiam abique ebrietate, meretur reprehensionem. Quando autem simul fuerint coniuncta, cogita quanta est exuperatio sceleris & iniquitatis. Deinde cum ostendisset absurditatem, deinde cum magna indignatione eos increpat, dicens: Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent? Vides quemadmodum a contumelia pauperum criminationem traxit ad ecclesiam, vt grauiorem redderet orationem. Ecce ergo quarta quoque est accusatio, quando non solum pauperes, sed etiam ecclesia afficitur contumelia. Sicut enim dominicam cenam facis priuatam, ita etiam rursus locum, vtens ecclesia tanquam domo. Facta est enim ecclesia, non vt diuisi sumus qui conuenimus, sed vt qui diuisi sumus, sumus coniuncti, & hoc ostendit conuentus. Et pudore afficitis eos qui non habent. Non dixit, Et fame enecatis eos qui non habent, sed ad suffundendum pudorem multo accommodatius, Pudore afficitis: vt ostenderet quod non tantum est ei cura alimentum, quantum ea qua ipsi afficiebantur contumelia. Ecce etiam quinta accusatio, non solum despiciere esurientes, sed eos etiam pudore afficere. Hoc autem dicit simul & res pauperum ornans ac magni faciens, & ostendens quod non tantum dolent de ventre, quantum de contumelia, simul etiam audi-

Dominica cena debet esse communis.

Inebriari est crimen.

Ecclesia est facta vt qui diuisi sumus, si mus coniuuati.

atorem attrahens ad misericordiam. Cum ergo tam multa ostendisset absurda, contumeliam in cenam, contumeliam in ecclesiam, pauperum despicientiam, tepentem rursus relaxat vehementiam increpationis, dicens: Laudo vos, in hoc non laudo. Quod maxime mireris, cum oporteret vehementius increpare & tangere, postquam tam multa probauit crimina, hic facit contrarium, nempe relaxat, & dat tempus respirandi. Quanam est causa? Grauius ipsos tetigit, amplificata oratione, & cum optimus esset medicus, congruenter vulneribus fecit incisionem, neque quae profundo ictu opus habebant secans in superficie, audiuit enim quomodo eum qui apud ipsos fuerat fornicatus absciderit, neque ferro tradens ea quae lenioribus egebant medicamentis. Propterea hic quoque mitiore usus est oratione: & alioqui studium posuit vt eos pauperibus benigniores redderet & clementiores. Et ideo cum eis magis remissè loquitur. Deinde volens etiam aliunde eos maiori pudore afficere, rursus ex eis quae sunt praecipua contexit orationem. Ego enim accipi a Domino quod & tradidi vobis, quod dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit, Accipite & manducate: Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur, Hoc facite in meam commemorationem. Cur hic meminit mysteriorum seu sacramentorum? Quoniam ad praesens argumentum haec oratio erat eis valde necessaria. Tuus enim, inquit, dominus omnes eadem mensa est dignatus, licet ea esset valde reuerenda, & longe omnium superaret dignitatem. Tu autem eos hac tua parua & vili indignos existimas: & cum in spiritualibus plusquam tu nihil habeant, tu eos spoliastis in sensibus: neque enim haec tua sunt. Sed sic quidem non dicit, ne sit aspera oratio: sed eam efficit leniorem, dicens: Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem. Et cur nobis tempus reuocat in memoriam, & vesperam illam & proditionem? Non abs re neque sine ratione aliqua, sed vt supra modum compungeret etiam a tempore. Nam etsi quis sit planè lapis, si illius noctis illi venerit in mentem, quomodo erat tristis cum suis discipulis, quomodo fuit traditus, quomodo vincus, quomodo abductus, quomodo iudicatus, quomodo cetera omnia quae sunt secuta passus est, sit cetera mollior, & a terra recedit, & ab omni animo obuersante illius visione. Propterea ea omnia nobis reuocat in memoriam, per tempus, & mensam, & proditionem, nos pudore afficiens, & dicens: Dominus quidem tuus seipsum pro te tradidit: tu autem fratrem tuum, pro te ipso ne cibus quidem impertis. Quomodo autem dicit se accepisse a domino? neque enim tunc aderat sed erat ex iis qui persequebantur. Vt discas quod illa mensa nihil plus habet quam quae fuit postea. Nam hodie quoque ipse est qui omnia operatur & tradit, sicut & tunc. Non solum autem propterea noctem illam reuocat in mentem, sed etiam vt aliter nos non compungat. Quomodo enim illorum verborum maxime meminimus quae audiuiimus vltima ab iis qui excedunt, & illorum haeredibus, si mandata transgredi ausi fuerint, eis pudorem incutiètes, dicimus: Cogitate quod postremam hanc vocem apud vos emisit pater, & ad vesperam vsque qua erat expiraturus haec mandauit. Ita etiam hic quoque Paulus volens terribilem reddere orationem, Recordemini, inquit, quod haec vobis dedit postrema mysterij institutionem: & in ipsa nocte qua pro vobis erat occidendus, haec mandauit, & tradens nobis illam cenam nihil postea addidit. Deinde etiam rursus narrat quae facta sunt, dicens: Accipit panem, & cum gratias egisset, fregit & dixit, Accipite, comedite. Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur. Si tu igitur accedat

Eucharistia, id est, gratiarum actioe nihil faciendum est indignum.

Calix veteris testamenti qualis est.

Cena Christi manet vsque ad consummationem.

Matt. 23.

Gustatur sanguis domini.

Matt. 18.

accedas propter eucharistiam, id est gratiarum actionem, tu quoque nihil facias indignum eucharistia seu gratiarum actione: neque fratrem pudore afficias, neque esurientem despicias: ne inebrieris, ne ecclesiam afficias contumelia. Accedis enim gratias agens pro iis quae es adeptus: & tu ergo par pari referas, & ne te abscindas a proximo: etenim Christus omnibus ex aequo dedit, dicens, Accipite, comedite. Ille corpus ex aequo dedit: tu autem ne panem quidem communem das ex aequo, etenim pro omnibus similiter est fractus, & ex aequo factus est corpus pro omnibus. Similiter calicem, postquam cenauit, dicens, Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem. Quid dicis? Christi facis commemorationem, & pauperes despicias, & non exhorreiscis? Sed si filij quidem aut fratris defuncti memoriam ageres, pungereris a conscientia, si non morem impleuisses, & pauperes vocasses. Tu autem domini tui faciens memoriam, ne mensa quidem solum impertis. Quid est autem quod dicit, Hic calix nouum testamentum est? Vereris enim testamenti calix erat libamina, & sanguis rationis expertium animatum. Postquam enim factificauerunt, calice & phiala sanguinem expicientes, libabant. Quonia ergo pro sanguine brutorum tuum intulit sanguinem, ne quis conturbaretur hoc audiens, in memoriam reuocauit vetus illud sacrificium. Deinde cum dixisset de illa cena, iis quae tunc erant coniungit praesentia: vt tanquam in illa vespera, & eodem toro accumbentes, etiam ab ipso Christo hoc accipientes sacrificium, sic nunc etiam afficiatur. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annuntiabitis donec veniat. Sicut enim in pane & calice dixit Christus, Hoc facite in meam commemorationem, nobis aperiens causam dationis mysterij, & cum aliis hanc etiam dicens esse sufficientem ad fundandam pietatem. Quando enim cogitaueris quid dominus tuus passus sit propter te, eris amantior sapientiae. Sic etiam hic dicit Paulus, Quotiescumque manducabitis, mortem eius annuntiabitis. Et haec est illa cena. Deinde ostendens quod ea maneat vsque ad consummationem, dicit, Donec veniat. Itaque quicumque manducauerit panem hunc, aut biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini? Quare? Quoniam ipsum effudit, & ea res pronuntiauit maestationem, nequaquam autem sacrificium. Quomodo ergo & qui tunc pupugerunt, non vt biberent pupugerunt, sed vt effunderent: ita etiam qui indignè ad id accedit, & nihil fructus inde percipit. Vides quam terribiliter verba fecerit, & quanta cum exuperatione eos tetigerit: ostendens quod si sic sint bibiturum, eorum quae sunt proposita indignè sunt participes. Quomodo enim non indignè, qui despicit esurientem? qui praeterquam quod despicit, etiam pudore afficit? Si enim non dedisset pauperibus, expellit a regno, etiam si quis sit virgo, imò vero non largè dedisset (nam & ille habebant oleum, sed non satis habebant) tam multa absurda fecisse & indigna, cogita quantum sit malum. Quanam sunt, inquit, absurda & indigna? Quid dicis, quanam absurda? Talis mensa fuisti particeps: & cum omnibus deberes esse mitior & clementior, & par Angelis, fuisti omnium crudelissimus. Gustauisti sanguinem dominicum, & ne sic quidem fratrem agnoscis? Er quamnam mereberis veniam? Quamquam etiam antea ignorares, a mensa eum oportebat agnoscere. Nunc autem etiam ipsam mensam ignominia afficis, eum qui dignus fuit habitus vt illius esset particeps, tuis cibus non dignum esse existimans. Quam multa passus est qui centum exigebat denarios? Quomodo

donum sibi collatum infirmauit & irritum reddidit? Non cogitas quisnam cum esses, quis factus sis? Non in memoriam reuocas quod hoc pauperem in pecuniis, longè eras egentior in bonis operationibus, cum esses plenus peccatis? Sed tamen ab his omnibus te liberauit Deus, & te tali mensa est dignatus. Tu autem ne sic quidem factus es benignior & magis misericors. Nihil ergo restat, nisi vt tu tradaris tortoribus. Haec verba nos quoque omnes audiamus, quicumque hic quidem cum pauperibus ad hanc sacram mensam accedimus, foras autè egressi, videmur ne eos quidem vidisse, sed & ebrij sumus, & esurientes praetercurrimus. Quod quidem tunc quoque crimini dabatur Corinthiis. Et quando hoc fit, inquit? Semper quidem. Maxime autem in festis, quando maxime non fieri oporteret. Tunc enim post communionem statim excipit ebrietas, & pauperum despicientia: & cum sanguinis fueris particeps, quando est tibi tempus ieiunij, & sobrietatis, lasciuus, debaccharis & comesians petulanter insultas. Et si boni quidem quidpiam prauus fueris, tibi caues ne aliquo alio malo cibo priorem corrupas. Cum autem in conuiuio spiritu sis partus, satanicas inducis delicias. Cogita quid fecerint Apostoli, quando sacrarum illarum mensarum fuerunt participes. An non conuersi sunt ad preces, & hymnos canendos: non ad sacras vigilias: non ad sacram illam doctrinam, & plenam multa philosophia? Tunc enim illis res magnas & admirabiles narrabat & praecipiebat, cum abiisset Iudas ad vocandos eos qui ipsum acturi erant in crucem. Non audiuit quomodo etiam illa tria millia quae perceptorum communionem, perpetuo perseuerabant in oratione & doctrina, non in ebrietatibus & comessationibus? Tu autem prius quam quidem communices, ieiunas, vt quomodocumque dignus appareas. Quando autem communicaueris, cum te oporteret magis augere temperantiam, omnia perdis. Atqui non sunt paria esse sobrium ante & postea. Nam in vtroque, quidem oportet esse sobrium & temperantem, maxime autem postquam sponsum exceperis. Antea quidem, vt sis dignus accipere: postea autem, ne appareas indignus iis quae tu accepisti. Quid ergo, oportetne ieiunare postquam acceperis? Non hoc dico, neque te cogito. Nam est quidem hoc quoque bonum: sed non ad hoc tibi vim facio, sed suadeo ne te deliciis ita impleas vt sis inexplabilis. Nam si nunquam oportet debitum esse deliciis, idque Paulus significauit, dicens, Quae in deliciis viuunt, est mortua: multo magis tunc morietur. Nam si delicia mors sunt mulieri, multo magis viro: etsi hoc cum alio tempore fiat, perdit, multo magis post sacramentorum communionem. Tu autem pane vitae accepto, facis rem mortis, & non horrescis? Nescis quam multa mala proficiantur & subeant ex deliciis? Risus intempestiuus, verba insolentia & incoposita, vrbantitas & facetiae exitio plene, nuge inutilis, ea quae ne fas quidem est dicere: & haec facis Christi mensa exceptus, illo die quo dignus es habitus qui eius carnes lingua tangeres. Quicumque sis ergo, ne haec nant, manum tuam expurga, & castiga linguam, & labra, quae ingressui Christi fuere vestibula: & apposita mensa sensili, ad mensam illam mentem extende, ad cenam dominicam, ad vigiliam discipulorum quae fuit sacra illa nocte. Imo vero exactè & accuratè examinaueris, etiam praesentia sunt nox. Vigilemus ergo cum domino, compungamur cum discipulis: praecationis tempus est, non ebrietatis, semper quidem, maxime autem in die festo. Propterea enim est dies festus, non vt nos indecorè geramus, non vt peccata congregeremus, sed vt quae sunt tollamus. Et scio quidem

Ebrietas maxime viget in festis.

Sobrium esse oportet maxime post communionem.

1. Tim. 5.

Ex deliciis quae mala oriuntur.

Dies festus cur sit.

me hæc frustra dicere, nõ cessabo tamen dicere. Nam & si non omnes obedieritis, non omnes tamen repugnabitis & non obedietis. Imò verò etsi omnes minime obediueritis, mihi quidem maior merces, vobis autem maius est iudicium. Vt ergo ad me emolumentum redeat, ideo nõ cessabo dicere. Fortasse enim fortasse assidua continuatione scopum attingam. Propterea rogo & obsecro, vt, ne in iudicium hoc faciamus, Christum nutriamus, potemus, induamus. Hæc digna sunt illa mensa. Audiisti sacros hymnos, vidisti spiritualia nuptias, mensa regia es acceptus, repletus es spiritu sancto, duxisti choros cum Seraphim, fuisti socius supernarum potestatum: ne abiicias tantam lætitiã, ne effundas thesaurum: ne inducas ebrietatem matrem animi agridudinis, lætitiã diaboli, quã mala parit innumerabilia. Hinc enim est & somnus mortis similis, & crapula, & morbi, & obliuio, & mortis imago. Deinde potus quidem amicum nolueris conuenire: Christum autem intus habens audes quæso tantam iniicere temulentiam? At delicias amas. Propterea ergo cessa inebriari. Nam ego te volo expleri deliciis, sed quæ verè sunt deliciae, quæ nunquam marcescunt. Quænam sunt ergo verè deliciae, & perpetuò florentes? Inuita Christum ad prandium: eum tuis imperti, vel potius suis. Hoc infinitam habet voluptatem, & perpetuò vigentem. Sed quæ sunt sensilia, minime sunt eiusmodi, imò simul & apparent & evanescent: & qui se deliciis expleuit, nihilo melius afficietur quàm qui non expleuit, imò verò peius. Nam ille quidem tantam in portu sedet: hic autem suscepit veluti quædam torrentem morborum obsidionem, & nec hanc quidem ferre potest tempestatem. Ne ergo hæc fiant, persequamur symmetriam & moderationem. Sic enim & corpore bene erimus affecti, & animam in tuto collocabimus, & à præsentibus & futuris malis liberabimur. A quibus nobis omnibus liberatis, detur regnum consequi gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum patre, &c.

ORATIO XXVIII.

ROBET autē seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Quid sibi volunt hæc verba cum sit aliud propositum argumentum? Hic est mos Pauli, sicut prius dixi, non solum illa tractare quæ sunt proposita, sed & si in argumentum incidit aliquid dicendum, id quoque magno studio persequi, & maxime quãdo id fuerit ex iis quæ sunt maxime necessaria & vrgentia. Etenim quando diserebat de iis qui contraxerant matrimonium, incidit etiam de seruis sermo, quem valde fortiter ac generosè & prolixè probauit. Et quãdo dicebat quod non oporteret iudicio contendere iudiciis, cum tunc incidisset in admonitionem de avaritia & plura habendi cupiditate, multum etiam de hoc argumento disseruit. Quod quidem hinc quoque fecit. Nam quoniam semel opus habuit vt meminisset de mysteriis, necessarium esse duxit persequi hoc argumentum. Quamobrem terribiliter de eo disseruit, bonorum caput & summam esse affirmans, ad ea cũ pura accederet conscientia. Vnde nec contentus fuit solum iis quæ prius dicta fuerant, sed hæc quoque adiecit, dicens, Probet autem seipsum homo. Quod etiam dicit in secunda, Vos ipsos tentate, vos ipsos probate, non sicut nos facimus, qui tempore moti magis accedimus quàm studio animi. Non enim eò spectamus vt accedamus parati, & malis nostris expiatis, & pleni compunctione, sed vt in diebus festis, & quãdo omnes accedunt. Sed non sic iussit Paulus: sed vnũ nouit tem-

Ebrietatis incommoda.

2. Cor. 13.

Tempus aditus ad

pus aditus & communionis, puritatem conscientie. Si enim mensa sensilis non fuerimus participes febricitantes, & malis pleni humoribus, ne pereamus: multo magis nefas est hanc tangere cum malis cupiditatibus, quæ sunt grauiore febribus. Quando autem prauas dico cupiditates, & corporum dico cupiditates, & pecuniarum, & iræ, & odij & acceptæ iniuriæ recordationis, & omnes, vt semel dicam, prauas. Et oportet eum qui accedit, his omnibus exhaustis, ita illud mundum tangere sacrificium, & neque segniter & miserè affectum necesse habere propter diem festum accedere: neque rursus compunctum & paratum prohiberi propterea quod non sit dies festus. Dies enim festus est bonorum operum ostensio, & pietas animæ, & vita rectè instituta. Et si hæc habeas, poteris semper diem festum agere, & semper accedere. Propterea dicit, Probet autem seipsum vnusquisque, & tunc accedat. neque iussit alteri alterum probare, sed sibi seipsum, faciens iudicium ad quod populo nõ pateat aditus, & probationem quæ careat testibus. *Quoniam manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* Quid dicis, dic quæso? Quæ tam multorum bonorum est causa, & vita scater mensa, ea fit iudicium? Non ex sua, inquit, natura, sed ex eius qui accedit libero arbitrio. Quomodo enim eius præsentia, quæ magna illa & arcana nobis attulit bona, eos qui ipsam nõ susceperunt magis condemnauit, ita etiam sacramenta ad maius ducunt supplicium eos qui indignè communicant. Cur autem iudicium sibi comedit, & bibit? *Non diiudicans corpus domini.* Hoc est, Non examinans, non cogitans vt oportet, magnitudinem eorum quæ sunt proposita, non reputans quanti momenti & ponderis sit donum. Nam si exactè didiceris quisnam sit qui est propositus, & quisnam sit qui dat seipsum & cui det, nulla alia egebis oratione, sed hoc tibi sufficit ad omnem sobrietatem, nisi animo valde concideris. *Idè inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Hic iam non utique ab aliis affert exempla, sicut fecit in iis quæ erant immolata idolis, veteres narras historias, & plagas acceptas in solitudine, sed ab ipsis Corinthiis, quod etiam acriore efficiebat orationem. Nam quoniam dicebat, Iudicium sibi manducat, & est reus, ne videatur verba dicere, facta quoque ostendit, & eos citat testes. Quod quidem magis pungit quàm minari, eo quod ostenderit minas ad re ipsam rediisse. Non tamen his solis fuit contentus, sed ex his & de gehenna intulit orationem & fide dignam effecit, vtrinque terrenis, & soluens quæstionem quæ vbiq; circumferbatur. Nam quoniam multi inter se dubitant vndenam sit multorum mors immatura, Vndenam longi morbi, dicit quod multa ex iis quæ veniunt præter opinionem, causam habent à peccatis. Quid verò, qui sunt, inquit, perpetuò sani, & ad opiparam veniunt senectutem, non peccant? Et quis hoc dixerit? Quomodo ergo, inquit, non dant pœnas? Quoniam illic dabunt grauiore. Nos autem si velimus, neque hinc, neque illic daturi sumus. *Quod si nos ipsos diiudicemus, inquit, non utique indicemur.* Non dixit, Si castigaremus nos ipsos, si puniremus, sed solum, si vellemus agnoscere peccata, si nos ipsos condèmare, si de delictis ferre sententiam, liberaremur ab eo quod & hinc & illic est supplicium. Nam qui seipsum condemnauit, duplici ratione Deum placat, & quod peccata agnouerit, & quod in futurum sit tardior. Quoniam autè ne hoc quidem leue volumus facere, vt oportet facere, ne sic quidem nos sustinet punire cum orbe terrarũ, sed sic quoque parcat, hinc pœnas exigens vbi supplicium est temporale. Et magna id quod fit est consolatio, & à peccatis

Gehenna peccatoribus puniendis parata.

Qui pauperes suis non impertit, indignè comunicat.

Cur fiat in ecclesia conuentus.

Supr. 4. Phil. 2.

Quis ipium co-redat? modum Deum placat.

469
tis liberatio, & bona spes futurorum, leuans præsentia. Hæc autem dicit, simul quidem consolans infirmos, & alios reddens meliores. *Quamobrem, dicit, Dum iudicamur autem, à Domino corripiamur.* Nam quod fit est magis admonitionis quàm condemnationis, curationis quàm punitionis, correctionis quàm castigationis. Non solum autè hac ratione, sed etiam minis rei maioris, leue reddit id quod est præsens, dicens: *Vt non cum mundo condemnemur.* Vidisti quomodo adduxit gehennam, & illud terribile iudiciũ, & ostendit necessariam, & omnino futuram illam examinationem & supplicium. Nam si fideles, & qui Deo sunt curæ, non impune ferent ea quæ deliquerint, idque est manifestum ex præsentibus, multo magis infideles, & qui peccata admittunt grauiã & immedicabilia. *Itaque fratres mei cum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate.* Adhuc enim eis vigente timore, & manente eis tremore gehennæ, vult rursus etiam pro pauperibus adducere admonitionem, propter quam dixit hæc omnia, ostendens quod qui hoc non faciunt, indignè communicant. Si autem bona sua non impertiri, arcet ab illa mensa, multo magis rapere. Neque verò dixit, Itaque conuenientes impertimini egentibus, sed quod erat honestius, Inuicem seu alter alterum expectate. Hoc enim illud quoque confirmabat, & tacitè significabat, & cum conuenienti figura adduxit adhortationem. Deinde rursus appositè ad incutiendum pudorem: *Si quis autem esurit, domi manducet.* Permittendo prohibuit, idque vehementius quàm si interdixisset. Ex ecclesia enim eos eduxit, & domum transmisit, ea ratione eos vehementer insectans, & ludificans ac irridens tanquam seruos ventris, & qui non possent tolerare. Neque enim dixit, si quis despicit pauperes, sed, si quis esurit, loquens tanquam cum pueris difficiliter tolerantibus, tanquam cum brutis ventri seruientibus. Effet enim valde ridiculum, si propterea quod esurirent, domi esuri essent. Sed non fuit hoc contentus, sed etiam aliud induxit terribilius, dicens: *Vt non in iudicium conueniatis.* Vt non ad pœnam, non ad supplicium conueniatis, ecclesiam afficientes cõrumelia, fratri pudorem incutientes. Propterea, enim inquit, conuenitis, vt vos alter alterum diligatis, vt alter alteri profitis. Si fit autem contrarium, satius est vos vesci domi. Hoc autem dicebat vt magis attraheret. Propterea enim & ostendit damnum quod inde oritur, & dixit esse iudicium non paruum, & omni ex parte eos terruit, ex mysteriis, ex infirmis, ex iis qui decesserunt, ex aliis quæ prius dicta sunt. Deinde aliter quoque eos terret, dicens: *Cætera autem, cum venero, disponam.* Aut ad quædam alia, aut ad hoc ipsum. Nam quoniam verisimile erat eos & dicere causas aliquas, & non licebat omnia corrigere per literas. Quæ admonui, inquit, interim seruentur. Si quid autem habetis aliud quod dicatis, illud reseruetur ad meum aduentum: aut de hac re dicens, vt dixi, aut de aliquibus aliis non valde vrgentibus. Hoc autem facit vt eos ex eo reddat meliores. Nam de eius aduentu cogitantes & solliciti, quod peccarant erant correcturi. Non enim leue quid erat quod Paulus apud eos esset versaturus, idque ostendens dicebat, Tanquã non veniam ad vos, sic inflati sunt quidam. Et rursus alibi, Non tanquam in præsentia meo tantum, sed multo magis in absentia, cum timore & tremore vestram salutem operemini. Propterea non solum promisit se venturum, ne non crederent & fierent socordiores, sed etiam suo aduentui causam addit necessariam, dicens: *Cætera, cum venero, disponam, ostendens quod eorum quæ restabant correctio, etiã si id ei non fuisset statutum, eum illuc traheret.* Hæc cr-

470
go omnia audiètes, & pauperum magnam curam geramus, & ventris appetitum reprimamus, & ab ebrietate liberemur, & studeamus sacramentorum dignè esse participes, & neque doleamus propter eos quæ passi fuerimus, neque in nobis, neque in aliis, vt quando fuerit aliquorum mors immatura, quando longi morbi. Hoc enim est liberatio à supplicio, hoc correctio, hoc optima admonitio. Quis hæc dicit? Qui Christum habet in se loquentem. Sed tamè etiam post hæc sunt mulieres adeo nullo sensu præditæ, vt etiam, infideles immoderato luctu superent: & aliæ quidem hoc faciunt, præ animi perturbatione tenebris offusæ: aliæ autem ad ostentationem, & vt externorum effugiant reprehensiones, quas dico esse maxime priuatas omni venia. Nũ ne, inquit, hic aut iste reprehendat, reprehendat Deus: ne homines vel ipsis brutis amètiore condènent, conculcetq; lex regis totius vniuersitatis: & quæ nõ hæc merentur fulmina? Et si quispiam quidem post luctũ te vocauerit ad cœnã, nemo est qui resistat: B quoniam lex est hominum quæ hæc iubet. Deo autem de non lugendo legem ferente, ita omnes contradicunt? Non tibi venit in mentem Iob, o mulier? non recordaris verborũ quæ dixit in calamitate quæ accidit filiis, quibus sanctũ illud caput fuit magis redimitum quàm mille coronis, & eius præclarioris præconiũ fecerunt quàm multæ tubæ? Non cõsideras magnitudinem calamitatis, & commune illud naufragium, & alienam & admirabilem tragediam? Nam tu quidem fortasse vnũ perdidisti & alterum & tertium. Ille autem tam multos & tam multas: & qui multos habebat liberos, omnibus repente fuit orbatus. Neque paulatim ei consumebantur viscera, sed totus simul & repente ei abripiebatur fructus, & nec lege naturæ, neque cum peruenissent ad senectutem, sed & immatura & violenta morte, & omnes simul, & cum neque adesset, nec assideret, vt auditis saltem verbis vltimis, tam acerbæ mortis haberet aliquod solatium, sed præter omnem spem, & cum nihil sciuisset, omnes simul sunt obruti, factaque est illis domus & sepulchrũ, & laqueus. Non solum ergo mors immatura, sed etiam cum ea multa erant quæ dolorem afferebant: vt pote quod omnes essent in flore ætatis, quod virtute præditi, quod amabiles, quod omnes simul, quod vtriusque sexus nullus esset relictus, quod non communi lege naturæ, quod post tantum damnum, quod cum nullis mali nec sibi nec ipsis esset conscius, hæc passus sit. Horũ enim singula per se sufficiebant ad perturbandum. Quando autem simul cernerentur concurrere, cogita fluctuum altitudinem, & quàm ingens esset tempestas: & quod est maius, & luctu deterius, nesciebat quidem cur hæc fierent. Propterea cum nullam causam afferre posset calamitatis, ascendit ad id quod Deo videtur, & dicit, Dominus dedit, dominus abstulit. Sicut domino visum est ita factum est. Sit nomen domini benedictum in sæcula. Et hæc dicebat, cum se videret quidem esse in malis extremis, qui omni virtute erat perfundus: D homines autem sceleratos, & præstigiatores ac maleficos rebus frui secundis, abundare deliciis & voluptatibus, & omni ex parte exultare & gloriari: neque dixit quidquam tale quale est consentaneum dicere aliquos ex infirmioribus, Ad hæc ne alui filios, & accuratissimè eos institui & exercui? Propter hæc ne domum aperui accedentibus, vt post multos cursus quos conseci, pro egenis, pro nudis, pro orphanis, has acciperem remunerationes? Sed pro his verba illa edidit quæ superant omne sacrificium, dicens: *Nudus egresus sum ex vtero matris meæ, & nudus recedam.* Si autem dirupit vestimenta, & comam totondit, ne mire-

Mulier nimius luctus reprehenditur.

Hier. 12. & Luc. 13.

Iob. 1.

Ibidem.

ris: erat enim pater, & pater amans suorum, & oportebat eum & naturam suscipere commiserationem, & mentis philosophiam. Si hoc autem non fecisset, fortasse existimasset quispiam hanc philosophiam esse stuporis & sensus priuationis. Propterea & viscera ostendit, exactamque & perfectam pietatem: & cum doluisset, non fuit euerfus. Sed eo ulterius procedente eius certamine, rursus est aliis redimitus coronis ex verbis quæ dixit vxori, dicens: Si bona accepimus à domino, cur mala non sufferemus? Nam cum essent ei omnia de medio sublata, & liberi, & prædia, & ipsum corpus, ipsa sola mulier fuit ei relicta ad experiendum, & ad insidias. Propterea eam cum liberis minimè sustulit diabolus, neque eius eadem petiit, quoniam expectauit fore ut ea sibi valde conferret ad huic sancto struendas insidias. Propterea eam tanquam maxima arma sibi reliquit. Si enim, inquit, per ipsam eieci è paradiso, multò magis in sterquilino eum potero supplantare. Vide autem calliditatem. Neque enim cum perirent boues hanc admouit machinam, neque cum asini, neque cum cameli, neque cum diruta fuit domus, neque cum fuerunt obruti filij, sed interim silere & quietem agere finit athletam videns. Quando autem scatuuit fons vermium, & putrescens diffuebat pellis, & quæ consumebantur carnes emittebant faniem multo fetore plenam, & fartaginibus, & fornicibus, & quauis flamma grauius eum consumebat manus diaboli, quauis fera sæuius vndique arrodens & exedens corpus, & in hac calamitate multum processit temporis, tunc ipsam ad eum adducit iam tabe resolutum & confectum. Nam si accessisset in exordio calamitatis, neque illum inuenisset eneruatam, neque ipsa sic potuisset exaggerare calamitatem, neque verbis extollere. Nunc autem quando ipsum vidit propter temporis diurnitatem sitire liberationem, & desiderare solutionem ab iis quæ ipsum valde opprimebant, tunc accedit. Nam quòd esset valde confectus, neque iam posset respirare, & mortem cuperet, audi quid dicat. Nam si mihi possem manum asferre, vel alterum rogare, etiam hoc facerem. Vide autem mulieris astutiam, vndenam statim exordiat. A diurnitate temporis, dicens, Quousque tolerabis? Si autem tempore eam etiam cum res nullæ sunt, verba solum possunt mollire, cogita quemadmodum erat consentaneum tunc eum esse affectum, cum simul cum verbis, res quoque eum mœrore conficerent: & quod est omnium pessimum, ipsa quoque quæ hæc dicebat, erat vxor, & vxor quæ animo conciderat, & animum despondebat, & propterea studebat ipsum quoque impellere ad desperationem. Ceterum ut apertius videamus machinam quæ admouebatur huic muro adamantino, ipsa quoque verba audiamus. Quenam ergo ea sunt? Quousque, inquit, tolerabis? Ecce prætorol ad huc parum temporis, expectans spem meæ salutis. Refellit, inquit, tua verba tempus, quod est quidem longius, nullam autem indicat solutionem. Hæc autem dicebat non solum impellens ad desperationem, sed etiam exprobrans & irridens. Ille enim eam ipsum molestia afficientem consolans & repellens, hæc dicebat. Adhuc parum expecta, & eorum statim erit finis. Exprobrans ergo ei dicit. Num nunc quoque idem dices? Multum enim temporis iam præterit, & nullus horum adhuc finis apparuit. Vide autem malitiam. Neque bouem meminit, neque ouium, neque camelorum. Sciebat enim eum iis non valde morderi, sed statim veni ad naturam, & liberos reuocat in memoriã. Propter ipsos enim sciebat ipsum & vestem rupisse, & comam torondisse. Neque dixit, Perierunt tui filij, sed

admodum aptè ad mouendos affectus, Deletum est tui monumentum è terra, propter quod sunt filij desiderabiles. Nam si nunc quoque cum apparuit resurrectio, ex eo tenemur amore filiorum, quòd eorum qui exceperunt conseruent memoriam, multò magis tunc. Propterea etiam ex eo fit acerbior execratio. Neque enim qui illic execratur, dicit, Exterminentur filij, sed monumentum eius è terra, filij tui, & filij tuæ. Nam cum dixisset monumentum, exactè rursus & accuratè meminit vtriusque sexus. Si hæc tibi, inquit, non sunt curæ, me saltem tibi propone. Mei vteri fuerunt labores & dolores partus, quos frustra sum perpessa. Hoc est autem quod dicit: Quæ sum amplius passa, propter te affecta sum iniuria: & labores quidem sustinui, sum autem priuata fructibus. Vide autem quomodo pecuniæ damnum neque ponit, neque id tacet & prætermittit, sed quantum licuit affectum mouendo enuntiare, id tacitè significat. Nam quando dixit, Ego autem errabunda & serua, in locum ex loco, & in domum è domo commigro, & damnum tacitè significat, & magnam ostendit commiserationem. Sunt enim hæc dictiones aptæ ad amplificandam calamitatem. Ad aliorum enim, inquit, ostia venio. Neque enim solum mendico, sed & erro, & seruo seruitutem alienam & nouam, omnes partes obiens, & calamitatis signa circumferens, & omnes mea mala docens: nempe, quòd est omnium maximè miserandum, domum domo mutare. & nec hætenus destitit lamentari, sed subiunxit, dicens, Expectans solem quando occidet, & cessabo à meis laboribus, & ab ambientibus doloribus qui me nunc comprimit. Nam quod aliis quidem est iucundum videre radium, hoc est mihi graue: desiderabilis autem est nox, & tenebræ. Ea enim sola me facit quiescere à sudoribus, ita mihi est malorum cõsolatio. Sed dic aliquod verbum domino, & morere. Vidisti hic quoque malitiam, quomodo ne in ipso quidem consilio statim exitiosam induxerit adhortationem: sed cum prius miserabiliter narraisset calamitates, & extendisset tragædiam, breuiter ponit adhortationem, & nec eam apertè indicat: sed cum illam adumbrasset, maximè desiderabilem ei proponit liberationem, & mortem denuntiat, quod quidem maximè cupiebat. Et hinc quoque considera diaboli malitiã. Nam quoniam sciebat quãto Iob Dei teneretur desiderio, non finit eius vxorem Deum accusare, ne tanquam inimicam eam statim auersaretur. Propterea eius nusquam meminit: quæ autem ei acciderant súsque deque versat. Tu autem cum iis quæ dicta sunt, adde etiã quòd quæ consulebat erat mulier, vehemens oratrix ad præstringendos oculos eorum qui non attendunt. Multi quidem certè etiam absque calamitatibus, à solo mulierum consilio sunt deieci. Quid ergo hic beatus, & adamante fortior? Acrius eam intuitus, visu etiam ante vocem propulsauit machinationes. Nã illa quidem expectabat se fontes lacrymarum moturam: Ille verò fuit leone acrior, ira plenus & indignatione, non pro iis quæ patiebatur, sed pro iis quæ illa cõsuluit diabolicè: & cum aspectu indicasset iram, moderata vitur increpatione. Nam etiam in calamitatibus erat modestus, & dicit: Cur sicut vna ex insipientibus mulieribus es locuta? Non te, inquit, sic erudij, non sic te educaui. Vnde nec te meã agnosco cõiugem. Hæc enim verba sunt consilium insipientis mulieris & delirantis. Vidisti moderatam incisionem, & plagam quæ sufficit ad morbum corrigendum. Deinde post increpationem, affert rursus consiliũ quod satis est ad consolandũ, & est admodum rationi consentaneum, dicens: Si bona accepimus à Domino, mala non sufferemus? Recordare,

dare enim, inquit, priorum illorum, & considera auctorem, & feres hæc quoque forti & generoso animo. Vidisti viri modestiam & moderationem. Neque enim fortitudini & magni animi virtuti adscribit suam tolerantiam, sed eam esse dicit rerum consequentiã. Pro quibusnam enim nobis dedit illa Deus? Quamnam rependens remunerationem? Nullam, sed ex sola bonitate, erat enim donatio, non remuneratio: & gratia, non redditio. Ergo hæc quoque feramus generoso & forti animo. Hanc & viri & mulieres legem habeamus scriptam, & hæc verba menti nostræ insculpamus, & hæc, & quæ ea præcedunt: & cum eorum quæ perpessus est historiam tanquam imaginem in mente nostra describerimus, pecuniã, inquam, iacturam, liberorum ablationem, plagam corporis, probra, irrisiones, vxoris machinationes, diaboli insidias, omnes, vt semel dicã, iusti perpeffiones, nobis maximum exactè construamus portum. Vt omnia generoso & grato animo ferentes, & in vita præsentis repellamus omnem animi ægritudinem, & de hac benedictione mercedem consequamur, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum patre &c.

ORATIO XXIX.

CAP. XI.

Euntes autem causa schismatis.



De spiritualibus autem nolo vos ignorare fratres.

Scitis autem quod cum gentes essetis ad simulachra muta prout ducebamini euntes. Totus hic locus est valde obscurus. Obscuritatem autem facit rerum ignoratio & defectus, quæ tunc quidem eueniebant, nunc autem non fiunt: & quanam de causa nunc non fiunt? Ecce rursus causa obscuritatis nobis aliam peperit quæstionem. Cur enim tunc quidem fiebant, nunc autem non fiunt? Sed hoc quidem postea dicendum differamus, interim autem dicamus quæ tunc eueniebant. Quid ergo tunc eueniebat? Si quis fuerat baptizatus, linguis statim loquebatur: & non linguis solum, sed etiam multi prophetabant: quidam autem etiam alias plures ostendebant virtutes. Nam quoniam accedentes ab idolis, cum nihil apertè nossent, neque in antiquis libris essent educati, baptizati statim accipiebant spiritum, spiritum autem non videbant, neque enim est aspectabilis, dabat autem gratia sensibile quoddam argumentum illius operationis: & alius quidem Persica, alius verò Romana, alius autem Indica, alius autem aliqua alia statim loquebatur lingua, & hoc manifestum faciebat externis, esse spiritum in eo qui loquebatur: quamobrem sic ipsum quoque appellat, dicens: Vnicuique autè manifestatio spiritus datur ad vtilitatem, charismata seu dona gratuita nominans manifestationem spiritus. Nam quoniam Apostoli hoc quoque primum signum acceperunt, fideles quoque hoc accipiebant, nempe linguarum: & non hoc solum, sed etiam multa alia: nam & mortuos multi excitabant, & demones expellebant, & plura alia faciebant miracula, quinetiam multa alia habebant charismata, alij quidem pauciora, alij verò plura: magis autem quam omnium erat apud eos donum linguarum. Hoc quoque fuit eis causa schismatis, non ex propria natura, sed ex ingrati animi vitio eorum qui acceperant. Nam & qui maiora possidebant, efferebantur aduersus eos qui habebant minora. Hi rursus dolebant, & iis inuidebant qui habebant maiora. Magis autem quam omnium erat apud eos donum linguarum: idque procedens ostendit ipse Paulus. Quoniam ergo hinc certam accipiebant plagam, dum eis dissolueretur charitas, multum studij ponit vt id corrigat. Eueniebat autem hoc quoque Romæ, sed non sic. Quamobrè in epistola quoque ad Roma-

Charismata erant Corinthiis causa schismatis.

nos idem quidem monet, sed adumbratè, & breuiter, sic dicens: Sicut enim in vno corpore, multa membra habemus, omnia autem membra non eandem habent operationem: ita multi vnum corpus sumus in Christo: singuli autem inuicem membra: habentes autem dona secundum gratiam quæ data est nobis, diuersa, siue prophetiam, secundum proportionem fidei, siue ministerium in ministrando, siue qui docet in doctrina. Quòd autem illi quoque hinc incidissent in arrogantiam, hoc in principio tacitè innuit, sic dicens. Dico autem per gratiam quæ data est mihi omnibus qui sunt in vobis, nõ plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, vnicuique vt Deus distribuit mensuram fidei. Atque cum illis quidem, neque enim magnus erat morbus dissidij & arrogantiæ, sic differuit. Hic autem magno studio; valde enim serpebat morbus. Neque hoc solum eos perturbabat, sed & multi illic erant diuinatores, vt pote quòd Græco ritu magis esset affecta ciuitas: & cum aliis hoc quoque eos supplantabat & conturbabat. Quamobrem in principio ponit id quod interest inter vaticinium seu diuinationem & prophetiam. Propterea etiam acceperunt discretionem spirituum, vt discernent & scirent quoniam sit qui loquitur quidem mundo spiritu, quis verò immundo. Quoniam enim ex ipsis non licebat eorum quæ dicebantur præbere demonstrationem. (Prophetia enim non in tempore quo dicitur, sed in tempore euentus præbet indicium suæ veritatis) neque erat facile eam discernere, & quoniam quidem esset qui prophetabat, quoniam verò qui mentiebatur. Etenim cum sceleratus sit diabolus subit eos qui prophetant, & inducit pseudopphetas, tanquam qui ipsi quoque futura prædicant. Deinde quoniam interim de iis quæ dicebantur non poterat reddi ratio, cum res nondum euenissent de quibus prædicebatur, facillè etiam decipiebat. Nam eum qui falsum, & eum qui verum dicebat, arguebat finis. Ne autem ante finem decipiantur auditores, dat ei signum, quòd etiam ante euentum, & hunc & illum indicat. Et hinc accepta consequentia & principio, sic accedit ad dicendum de donis gratuitis, nempe charismatibus, & corrigit contentionem quæ inde orta fuerat. Interim autem incipit dicere de vaticiniis seu diuinationibus, sic dicens, De spiritualibus autem nolo vos ignorare fratres. Spirituality signa vocans, quoniam hæc sunt opera solius spiritus, studio humano nihil conferente ad hæc facienda miracula. Et de his disputaturus, prius, vt dixi, ponit differentiam vaticinationis seu diuinationis & prophetiæ, sic dicens: Scitis quod cum gentes essetis ad simulachra muta vt ducebamini euntes. Hoc est autem quod dicit. In simulachris, inquit, si quando quis arreptus esset à spiritu immundo, & diuinaret seu vaticinaretur, tanquam qui abduceretur sic trahebatur vinculus à spiritu, nihil sciens eorum quæ dicebat. Hoc est enim proprium vaticiniis seu diuinationis, emotæ esse mentis, vim pati ac necessitatem, pelli, trahi, raptari tanquam furentem. Propheta autem non sic, sed cum mente sobria, & cum modesta ac temperante constitutione, & sciens quæ loquitur, dicit omnia. Quamobrè etiam ante euentum vel ex hoc cognosce vatem seu diuinatorem & prophetam. Vide autem quemadmodum non suspectam reddit orationem. Ipsos vocat testes qui rei habuerunt experientiam. Quòd enim, inquit, non mentior, neque temerè de gentibus detraho fingens tanquam inimicus, vos ipsi mihi fertis testimonium. Ipsi enim scitis quòd cum essetis Græci seu gentes, quomodo tracti tunc abduceremini. Si quis eos quoque, vt pote fideles, dicit esse suspectos, agè etiam ex externis hoc vobis faciam

manifestum. Audi quidem certè Platonem sic dicentem: Quemadmodum diuinatorum & vates, dicunt quidem multa & pulchra, eorum autem quæ dicunt nihil sciunt. Audi etiam alium poetam eadem indicantem. Nam postquam quibusdam mysteriis & præstigiis dæmonem illigauit quispiam homini, & ille vaticinabatur, & vaticinans raptabatur, & discerpebatur, nec poterat ferre impetum dæmonis, sed sic discerptus erat petiturus, dicit iis qui eis vtebantur præstigiis & imposturis, Soluite: nanque Deum regem non amplius ipsum Mortalis capit. Et rursus. Soluite scita mihi, atque pedes aspergite lympha munda, expungatur mihi lineæ, vt ad sim. Hæc enim, & quæ sunt huiusmodi (possunt enim longè plura dici) vtraque hæc nobis ostendunt, & necessitatem qua seruiunt qui detinentur dæmones, & vim quam sustinentes qui se semel eis dederunt, sunt emotæ mentis quam habent secūdum naturam. Porro autem Pythia quoque (neesse enim habeo eorum quoque aliam traducere turpitudinem, quam honestum quidem erat præterire, propterea quod vos non deceat talia audire: vt autem apertius discatis eorum probrum ac dedecus, neesse est dicere, vt hinc quoque discatis amentiam & ludibrium eorum qui vtuntur vatibus ac diuinatoribus) Dicitur ergo hæc Pythia, cum esset mulier, infidisse aliquando tripodi Apollinis, diuidens tibias, deinde malus infernè emissus spiritus, & subiens per partes eius genitales, furore replere mulierem, & ea deinde soluere capillos, bacchari, & spumam ex ore emittere, & tanquam temulenta furoris verba effari. Scio vos cum hæc audistis pudore affectos erubuisse. Sed illi magnopere sibi placent & se iactant propter turpitudinem, & propter hanc insaniam. Hæc ergo, & quæcunque sunt huiusmodi, exagitant Paulus dicebat: Scitis quod cum gentes essetis, ad simulachra muta vt ducebamini abducti. Et quoniam diserebat cum eis qui sciebat non ponit omnia exactè, nolens eis esse molestus: sed cum in memoriam omnia reuocasset, & vt ea cogitare effecisset, citò recedit, & festinat ad propositum. Quid est autem, Ad simulachra muta? Isti vates tracti ad illa ducebantur. Si ea autem erant muta, quomodo vsus est illis? Quam autem de causa eos tanquam captiuos & vincetos ad statuas adducebat dæmon? Simul errorem faciens probabilem. Nam ne lapis videretur esse mutus, studebat homines affigere idolis, vt quæ erant eorum illis adscriberentur. Sed nostra non sunt huiusmodi. nostra autem non posuit, quæ sunt, inquam, Prophetarum. Nam omnia erant eis euidentia, & inter eos prophetabant vt ipsos decebat, cum intelligètia & omni libertate. Propterea quidem certè erat in eorum potestate & dicere, & non dicere. Non enim eos premebat necessitas, sed honorabat potestas. Propterea & fugit Ionas, & differebat Ezechiel, & excusabat Hieremias. Deus autem non eos trudebat cum necessitate, sed consulens, exhortans, minas, non menti tenebras offundens. Est enim Dæmonis proprium, tumultum, & furorem, & multam procreare caliginem: Dei autem est illuminare, & quæ oportet, docere cum intelligentia. Atq; hæc prima quidem est differentia vatis seu diuinatoris & prophetæ. Secunda autem alia quam deinceps ponit, dicens. *Idè notum vobis facio, quod nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Iesum.* Deinde etiam alia. *Et nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in spiritu sancto.* Quando videris, inquit, non effantem nomen eius, aut etiam anathematizantem, est vates seu diuinator. Rursus quando videris alium cum eius nomine omnia loquentem, cogita eum esse spiritualem. Quid ergo dixerimus, inquit, de cate-

Pythia quæ tripodi infidebat Apollinis, quomodo vaticinaretur.

Ionaz. 1. Ezecc. 3. Hierc. 1.

chumenis? Nam si nemo potest dicere dominum Iesum nisi in spiritu sancto, quid de iis dixerimus nominantibus quidem eius nomen, priuatis autem spiritu? Sed de his nunc non agitur: non enim erant tunc catechumeni, sed de fidelibus aut infidelibus. Quid ergo, Nullus dæmon Deum nominat? Nonne dicebant dæmoniaci, Nouimus te qui es filius Dei, Nonne dicebat Paulus? Isti homines serui Dei altissimi sunt? Sed flagellati, sed coacti: volentes autem, & non coacti nūquam. Meritò autem hic est quærendum, cur & dæmon hæc loquebatur, & Paulus increpauit, suum imitans magistrum: nam Christus quoq; increpauit. Neque enim volebat ab illis habere testimonium. Quam autem de causa? Et dæmon hoc faciebat volens rerum ordinem confundere, & Apostolorum auctoritatem, & multis persuadere vt ipsi attenderent. Quod si factū esset, cum inde habiti essent fide digni, sua introduxissent. Ne hoc ergo fieret, neque deceptio caperet initium, etiam vera dicentibus ora obstruit: vt in falsis nemo eis animum adhibeat, sed ad ea quæ ab ipsis dicuntur aures obturet. Cum igitur manifestos effecisset & vates & prophetas, & ex prioribus, & ex secundo signo, deinde disserit de miraculis: non temerè ad hanc progressus orationem, sed vt disensionem quæ inde exorta erat tolleretur, & persuaderet & iis qui minus habebant, non dolere, & iis qui maiora, non esse ferri. Quamobrem sic inceptit: *Diuisiones verò gratiarum sunt, idem autem spiritus.* Eum primum medicans ac leniens qui minus habebat donum, & idè ægrè ferebat. Nam cur, inquit, animo angeris quod non acceperis quantum alius? Sed cogita id esse donum gratuitum, non debitum: & dolorem consolaberis. Propterea statim sic dicit, *Diuisiones verò gratiarum sunt.* Non dixit autem, Signorum, neque miraculorum, sed gratiarum seu donorum gratuitorum, nomine donationis persuadens non solum non dolere, sed etiam gratias habere. Et cum hoc illud quoque simul reputa, quod etiam si in eius quod datum est mensura, sis deteriori loco, in eo certè quod dignatus sis illinc accipere vnde accepit qui plus habet, paruū habes honorem. Non poteris enim dicere quod illi quidem gratificatus est spiritus, tibi verò angelus. Nā & tibi & illi dedit spiritus. Et idè subiunxit, *Idem autem spiritus.* Quamobrem etiam si in dono est differentia, at non in eo qui dedit: ex eodem enim fonte & tu & ille hauritis. *Et diuisiones ministrarionum sunt, idem autem dominus.* Nam vberiorum reddens consolationem addit & filium & patrem. & alio rursus nomine vocat hæc dona, hinc quoque maiorem excogitans consolationem. Et idè sic dixit, *Diuisiones autem ministrarionum sunt, idem autem dominus.* Nam qui gratuitum quidem donum audierit, & minus acceperit, fortasse doluerit. Qui autem ministrarionem, non ita. Res enim indicat laborem & sudorem. Quid ergo, inquit, doles si alterum iussit plus laborare tibi parcens? *Et diuisiones operationum sunt, idem verò Deus qui operatur omnia in omnibus.* Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Et quid est operatio? charisma, inquit, seu donum gratuitum. Quid verò ministratio? Nominum differentie solum, nā res sunt eadem. Nam quod est charisma seu donum gratuitum, hoc est ministratio. Hoc etiam dicit operationem. Ministerium enim, inquit, tuū imple, & Ministerium meum glorifico. & ad Timotheum scribēs dicit, Propter quam causam admoneo te, vt suscipies gratiam Dei quæ in te est. & ad Galaras rursus scribēs dicebat, Qui operatus est Petro ad Apostolatam, operatus est & mihi ad gentes. Vides quod nullam ostendit differentiam in donis patris, & filij, & spiritus sancti:

Signa sunt manifestatio spiritus.

Sermo sapientie & sermo scientie differunt. Mar. 3.

Matt. 17.

Luc. 17.

Act. 13. & 5. Discernere spiritus

sancti: non hypostasas seu personas confundens, absit, sed essentia ostendens parem in honore æqualitatem. Nam quod gratificatur spiritus, hoc & Deum operari, hoc & filium constituere dicit & præbere. Atqui si hoc esset illo minus, aut hoc illud, non id sic posuisset. Post hæc autem quodam alio quoque modo eum consolatur, nempe quod & data mensura ei conferat, etiam si sit minor. Nam cum dixisset eundem esse spiritum, & eundem dominum, & eundem Deum, & ea ratione eum recreasset, subiungit rursus aliam consolationem, sic dicens. Vnicuique autem manifestatio spiritus datur ad vtilitatem. Nam ne quispiā diceret, Quid tum si & idem dominus, & idem spiritus, & idem filius: ego autem minus accepi, dicit ita esse conducibile. Manifestationem autem spiritus meritò vocat signa. Nam mihi quidem fideli manifestus est qui habet spiritum, eo quod sit baptizatus: infideli autem nequaquam hoc erit manifestum, sed ex signis. Quamobrem hinc quoque rursus est non parua consolatio. Nam etsi dona sunt diuersa, vna est tamen indicatio. Nam siue multum habeas, siue parum, es similiter manifestus. Nam si hoc studeas ostendere quod spiritum habeas, sufficientem habes demonstrationem. Cum ergo & vnus sit qui dedit, & gratuitum sit donum quod datum est, & hinc sit manifestatio, & hoc tibi magis confert, ne doleas tanquam despectus. Non enim te ignominia afficiens, neque altero inferiorem pronuncians, hoc fecit Deus, sed tibi parcens, & spectans id quod est tibi conducibile. Nam quod maius est accipere eū qui ferre non potest, hoc est & inutile, & noxium, & quod animi meritò afferat egritudinem. *Nam alij quidem per spiritum datur sermo sapientie. Alij autem sermo scientie secundum eundem spiritum. Alij fides in eodem spiritu. Alij gratia sanitarum in eodem spiritu.* Vides quomodo vbi que eandem facit adiectionem, In eodem spiritu dicens, & Secundum eundem spiritum. Scit enim hinc magnam esse consolationem. *Alij autem operatio virtutum. Alij prophetia: alij discretio spirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio sermonum.* Nam quoniam de eo se valde efferebant & sibi placebant, propterea id posuit postremum, & subiunxit, Hæc autem omnia operatur vnus & idem spiritus. Consolationis in vniuerso & in genere est medicamentum, quod ex eadem radice, ex iisdem thesauris, ex iisdem fluentis omnes accipiant. Et idè assidue hauriens, hoc verbo eam quæ esse videtur in æqualitatem exæquat & consolatur. & superius quidem, & spiritum, & filium, & patrem ostendit suppeditare dona gratuita. Hic autem cum dixisset spiritum, satis habuit: vt hinc quoque rursus discas eandem auctoritatem ac dignitatem. Quid est autem sermo sapientie? Quem habebat Paulus. Quem habebat Ioannes, filius tonitru. Quid est autem sermo scientie? Quem habebant multi ex fidelibus, qui scientiam quidem habebant, non poterant autem docere, nec facile aliis enunciare quæ sciebant. *Alij autem fides.* Fidem non eandem dicens eam quæ est dogmatū, sed eam quæ est signorum. De qua dicit, Si habeatis fidem tanquam granum sinapis, dicetis huic monti, Transi hinc, & transibit. De ea quoque rogabant Apostoli, dicentes, Adde nobis fidem. Hæc enim est mater signorum. Operationes autem virtutum habere, & dona sanitarum seu curationum, non est idem. Nam qui habebat quidè donū curationū, solum medebatur. Qui autè habebat operationes virtutum, etiam puniebat. Virtus enim seu potestas est non solum mederi, sed etiam castigare: sicut Paulus excæcavit, sicut Petrus interemit. *Alij autè prophetie, alij verò discretionis spirituum.* Quid est discretionis spirituum? Nosse quis sit spiritua-

lis, & quis nō spiritualis, & quis impostor. Qui dicebat Thessalonicensibus, Prophetias nolite negligere. Omnia autè probate, quod bonum est tenete. Tūc enim erat multa pseudoprophetarum differentia, tūc contentendè diabolo pro veritate statuere mendaciū. *Alij autem genera linguarum, Alij verò interpretatio linguarum.* Nam ille quidè sciebat quid ipse diceret, alteri autem non poterat interpretari. Hic autem vtraque possidebat, vel eorum alterum. Videbatur autem hoc donum esse maius, quoniam id primū acceperunt Apostoli, & apud Corinthios plures id possederant: Doctrinæ autem sermo non ita. Propterea illud quidem primò ponit, hoc verò postea. Nam illud quoque propter hoc, & alia omnia, & prophetia, & operationes virtutum, & genera linguarum, & interpretatio linguarū. Nihil est enim ei æquiparandū. Et idè dicebat, Qui benè præsent presbyteri, duplici honore digni sint, maxime qui laborant in verbo & doctrina. Et ad Timotheum scribebat, dicens. Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ, noli negligere gratiā quæ in te est. Vides quomodo id etiā vocet donum gratuitum, nempe charisma. Deinde quam superius posuit consolationem, dicens, Idem spiritus, eam etiam hic ponit dicens, *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult.* Non solum autem consolatur, sed etiam os obstruit contradicenti, hic dicens, Diuidens singulis prout vult. Oportet enim comprimere & adstringere, non solum mederi. Quomodo etiam facit in epistola ad Romanos, quando dicit, Tu qui es qui respondes Deo: Ita etiā hic, Diuidens singulis prout vult, & quod erat patris, hoc etiam ostendit esse spiritus. Sicut etiam de ipso dicit. Idem autè Deus qui operatur omnia in omnibus, ita etiam de spiritu, Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem spiritus. At dicit, operatur à Deo, Sed nusquam hoc dixit, tu verò id fingis. Nam quādo dicit, Qui operatur omnia in omnibus, hoc dicit de hominibus: cum hominibus autem minimè annumerat spiritum, etiam si millies delires, etiam si millies insanias. Nam quoniam dixit Per spiritum, ne existimes hoc, per, esse diminutionis, neque operationis quæ agit, subiunxit, Operatur spiritus agendo, nō operatur patiendo: & operatur vt vult, non vt iubetur. Sicut enim de patre dicit filius, quod excitat mortuos & viuificat: similiter etiam de se, quod quos vult viuificat. Ita etiam de spiritu, alicubi quidè quod cum potestate omnia facit, & nihil est quod prohibeat. Illud enim, Vbi vult spirat, etiam si dictum sit de vento, hoc confirmat: hic autè quod omnia operatur prout vult. Porro autem quod nō sit ex iis in quæ exercetur operatio, sed ex iis quæ operantur, aliunde quoque discere. Quis enim scit, inquit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis? Ita etiam quæ sunt Dei nemo scit nisi spiritus Dei. Quod autem spiritus hominis, hoc est anima, nō opus habet operatione vt sciat quæ sua sunt, est cuius perspicuū. Ergo nec spiritus sanctus, vt sciat quæ sunt Dei. Sic enim Dei nouit arcana spiritus sanctus, sicut anima hominis nouit arcana sua. Si autè ad id in eam nulla exercetur operatio, multò magis qui scit Dei profunda, & ad id nulla in eum exercetur operatio, ad donum dandum Apostolis non habuerit opus operatione. Præter hæc autem illud quoq; nunc dicā quod prius dixi. Quid hoc est autem? Si minor esset spiritus & diuersæ essentia, nihil profuisset cōsolatio, neq; audiuisset eundem esse spiritum. Nam qui à rege quidem accepit, hanc maximam habuerit consolationē, quod ipse ei dederit. Qui autem à seruo, tunc magis dolet, quando quispiā ei obtulerit. Quamobrem hinc quoq; est perspicuū, quod non seruilis sed regalis essentia sit

quid sit. 1. Thess. 5.

1. Tim. 5.

Ibid. 4.

Rom. 9.

Ioan. 15. Gal. 3.

Ioan. 3.

Rom. 7. Tit.

spiritus sanctus. Quamobrem sicut eos consolatus est dicens, Divisiones ministracionum sunt, idem autem spiritus, & Divisiones operationum, idem autem Deus: ita etiam cum superius dixit, Divisiones gratiarum sunt seu gratuitorum donorum, idem autem spiritus. & postea rursus cum dixit, Hæc autem omnia operatur vnus & idem spiritus, diuidens singulis prout vult.

MORALE.

Ne ergo angamur, inquit, neque doleamus, dicentes, Cur hoc accepi, & illud non accepi: neque ad reddendam rationem vocemus spiritum sanctum. Nam si scis quod id largitus sit ob curam quam tui gerit, cum cogitaris quod ob eandem curam mensuram quoque dederit, sis contentus, & latere ob ea quæ accepisti, nec a-greferas quod alia non acceperis, sed etiam habe gratiam quod non acceperis maiora quam quæ vires tuæ ferre possent. Si autem in rebus spiritualibus non oportet esse nimis curiosum, multo magis in carnalibus, sed quiescere, & non angere animo, propterea quod iste sit pauper, ille vero diues. Nam maxime quidem singuli non à Deo ditantur, sed multi & ab iniustitia, & à rapina, & ab auaritia pluraque habendi cupiditate. Nam qui iustus non ditari, quomodo dederit quod prohibuit non accipere? Ut autem ex maiore copia os de his obstruam iis qui cotradicunt, agere altius deducamus orationem, quando à Deo dabantur diuitiæ: & responde mihi. Quare diues erat Abraham, Iacob autem etiam egebat pane? Non erat iustus & hic & ille? Non similiter dicit de tribus, Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Iacob: Cur ergo ille quidem erat diues, hic vero mercede sua locabat operam? Imò verò cur Esau quidem erat diues, cum esset iniustus & fratricida, hic vero tanto tempore fuit in seruitute? Cur rursus Isaac quidem secure ac tranquillè vixit toto in tempore, Iacob autem in laboribus & miseris, & ideò dicebat, Pauci & mali dies mei? Cur Dauid quidem cum esset propheta, & rex, ipse quoque toto tempore vixit in laboribus: Solomon autem filius eius quadraginta transiit annos omnium hominum securissime & tranquillissime profunda fruens pace, gloria, honore, & se explens omni genere deliciarum & voluptatis. Cur etiam in prophetis, alius quidem magis, alius vero minus affligebatur? Quoniam sic unicuique expediebat. Quamobrem oportet vnquamque dicere & concludere. Iudicia Dei abyssus multa. Nam si magnos illos viros & admirabiles Deus non similiter exercebat, sed illum quidem per paupertatem, hunc vero per diuitias, & illum quidem per quietem ac remissionem, hunc vero per afflictionem, multo magis hæc nunc oportet cogitare. Cum hoc autem illud quoque oportet reputare, quod multa ex iis quæ accidunt, non sunt ex illius voluntate ac sententia, sed ex nostro vitio. Ne dicas ergo, cur ille quidem diues, cum sit malus: hic vero pauper cum sit iustus? Nam horum quidem licet dare rationem, & dicere, quod neque iustus aliquid dani accipit à paupertate, sed etiam bonæ existimationis maiorem accessionem: & malus habet diuitias supplicij viaticum nisi mutetur. Quintam ante punitionem diuitiarum fuerunt multorum ei causa malorum, & duxerunt ad innumerabilia barathra. Deus autem dimittit, simul & ostendens libertatem nostri arbitrij, & alios docens ne furore & rabie incitati ferantur ad pecunias. Quid verò, inquit, quod quispiam cum sit malus est diues, & nihil graue & molestum patitur. Nam si cum sit quidem bonus, diues sit, merito. Sin verò malus, quid dicemus? Quod est etiam hac ratione miserabilis. Nam si diuitiarum accesserint vitio & improbitati, mouent & excitant animi perturbacionem. At est bonus, & est pauper. Sed nihil læditur. At est malus, & est pauper. Iure ergo & merito, imò verò ipsi conducibiliter. At ille diuitias, inquit, accepit à maioribus, & eas dispergit meretricibus & paratitibus, neque graue aut molestum aliquid patitur. Quid dicis? scortatur, & dicis eum nihil graue pati aut molestum? Inebriatur, & existimas eum frui deliciis? Consumit in iis quæ non decet & non opus est, & existimas eum esse beandum & æmulandum? Et quid eo fuerit deterius qui suam animam attulit exitium? Tu autem si corpus quidem eius esset inuersum & mutilatum, eum mille lacrymis descendum esse diceres: totam autem eius animam videns mutilatam, etiam beatum existimas? At non sentit, inquis. Et propter hoc ipsum rursus est miserabilis: sicut & qui sunt emota mentis. Nō qui scit se ægrorare, & quæret omnino medicum, & patietur medicamentum. Qui autem ignorat, ne poterit quidem liberari. Eum ergo, dic mihi quæso, existimas beatum? Sed nihil mirum. Sunt enim plures imperiti philosophiæ. Propterea extremum luimus supplicium, ut qui puniamur, neque liberemur à supplicio. Propterea perpetuæ sunt iræ, animi ægritudines & perturbationes, quod cum vitia à molestia vacua Deus nobis ostenderit, nepe viam virtutis, nos eam dimittentes alia via ingredimur, nepe diuitiarum & pecuniarum, quæ est referta malis innumerabilibus, & non secus facimus atque si quispiam non valens corporum discernere pulchritudinem, sed totum tribuens, vestibus & ornamento quo induuntur, speciosam quidem mulierem, & naturali pulchritudine præditam vitam prætercat, turpem autem & deformem & corpore mancam ac mutilatam contemplatus, eam ducat uxorem. Tale quid nunc quoque multis accidit in virtute & vitio hoc quidem naturam turpe admittentes propter externum eius ornatum, illam autem speciosam & formosam auerfantes propter nudam eius pulchritudinem, propter quam maxime eam oportebat eligere. Propterea erubescit quod apud Græcos quidem qui sunt insipientes, sunt qui hæc philosophentur, si non re ipsa, animo quidem certè & sententia, & sciunt quàm sint res fluxæ & caducæ: apud nos nonnulli ne hæc quidem sciunt, sed & ipsum corruptum habent iudicium, idque cum suisque deique nobis cantet scriptura, & dicat, Nihil factus est in conspectu eius omnis malignus, timentes autem dominum glorificat, & Timor domini omnia exuperauit. Deum time, & præcepta eius custodi: quoniam hoc est omnis homo. Noli æmulari in malignantibus, neque timeas cum diues factus homo. Omnis caro scænum, & omnis gloria eius sicut flos scæni. Hæc enim, & quæcunque sunt huiusmodi, quotidie audientes, adhuc terræ affigimur. Et sicut imperiti pueri assidue elementa discunt, quando sparsim de illorum ordine examinantur, alterum pro altero dicentes, multum mouent risum: Ita vos quoque quando eas ordine enumerauerimus, ut cunquæ assequimini. Quando autem vos extra ordinem sparsim interrogauerimus, quânam ex rebus primas, & quas secundas, & quas postea collocare oporteat, cum non possitis dicere, estis ridiculi. An non est planè ridiculum, immortalitatem expectantes, & bona quæ neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt, de iis quæ hic manent contendere, & ea æmulatione digna esse ducere. Nam si adhuc opus habes, ut hæc discas, nempe quod nihil magnum sunt diuitiarum, quod umbra sint res præsentis & somnium, quod instar fumi euanescent & euolent, ita interim extra adyta, mane in vestibulis: nondum enim fuisti dignus qui ingredereis

Matt. 6.

Diuitiarum quando dantur à Deo. Exod. 3.

Gen. 47.

Psa. 30. & 89.

Psal. 35.

Paupertas iusto nihil obest.

superna regna. Nam si nescis earum instabilem & perpetuò fluentem discernere naturam, quando eas poteris despiciere? Si autem potes dicere, desine indagare & curiosè perferuari cur iste diues, & ille pauper. Perinde enim facis hæc sciscitans, ac si circumiens rogares cur iste albus aut ille niger, aut ille naso aquilino, hic verò simo. Quomodo enim nostra nihil refert, hocne modo an illo se habeat, ita neque pauperem esse neque diuitem, & multo minus quàm illa: sed ad vtendi modum refertur vniuersum. Et si sis pauper, philosophis autem, potes viuere cum animi tranquillitate. Et si sis diues, es omnium miserimus virtutem fugiens. Nam quæ ad nos pertinent & nostra intersunt, sunt ea quæ sunt virtutis: & si ea non adsunt, aliorum nullus est vnus. Propterea & hæc sunt crebræ interrogationes, quod ea quæ nihil refert, & quæ sunt, ut ita dicam, indifferentia, multi sua referre existimant: eorum autem quæ refert, nullam subducunt rationem. Nam quod nostra refert & ad nos pertinet, est virtus & philosophia. Quoniam ergo ab eo longo interuallo abestis, propterea est perturbatio cogitationum, propterea multi agitantur fluctus, propterea est tempestas. Nam cum à superna gloria exciderint, & ab amore cælorum, præsentem appetunt gloriam, fiuntque serui & captiui. Et vnde fit quod hanc appetimus? Ex hoc quod illam non valde concupiscimus. Hoc ipsum vnde nam accidit? Ex foecordia ac negligentia. Ea autem vnde? Ex contemptu. Contemptus autem vnde? Ex amentia, & quod præsentibus rebus affixi simus, & quod rerum naturam nolumus accuratè examinare. Hoc ipsum autem rursus vnde euenit? Ex eo quod neque scripturarum attendamus lectioni, neque cum viris versemur sanctis, & sequamur malorum conuentus. Ne ergo hoc semper fiat, nec fluctus succedentes fluctibus, in malorum pelagus nos abducant, & suffocent, & funditus perdant, donec est tempus, respiscamus, supra petram stantes, Dei, inquam, dogmatum & verborum: despiciamus tempestatem vitæ præsentis. Sic & ipsi eam effugiemus, & alios naufragium patientes extrahentes, bona futura consequemur, gratia & beniginitate, &c.

Gloria præfens cur appetitur.

Psal. 112. Ecclesi. 1. Phil. 3. Eccl. 1.

Sup. 11.

Sup. 9.

Sup. 11. Ecclesi. 1. Phil. 3. Eccl. 1.

esser admirabile & præter omnium opinionem posse probari. Affert, inquam, id quod ad recreandos simpliciores sufficit, nempe id quod dicit de corpore. Eum enim qui pusilli est animi, & est deterioris conditionis, nihil æquè consolatur, & persuadet non dolere, atque si didicerit quod non sit deterioris conditionis. Quamobrem ipse quoque hoc confirmans, sic dicit, Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa. Vidisti exactam & accuratam intelligentiam. Idem vnum & multa ostendit: Et ideo subiungit, proposito magis opem ferens, Omnia autem membra corporis, cum sint multa, sunt vnum corpus. Non dixit, cum sint multa, sunt vnus corporis, sed idem corpus: multa sunt, & illa multa membra sunt hoc vnum. Si ergo multa sunt vnum, & vnum multa, ubi est differentia? Vbi est id quod exuperat, & ubi est quod est minus? Omnia enim, inquit, sunt vnum, & non temerè & abs re vnum, sed etiam magis propriè examinata, eo quod sint corpus, inueniuntur omnia esse vnum. Quando autem sigillatim & per partes, tunc est differentia: & est differentia in omnibus similiter. Nullum enim ex iis per se potest corpus efficere, sed similiter vnumquodque est mancum ac defectum ad corpus efficiendum, & eget coniunctione. Nam quando multa vnum fiunt, tunc est corpus. Quamobrem hoc quoque ipsum tacitè significas, dicebat. Omnia autem membra corporis, cum sint multa, vnum est corpus. Neque dixit quæ exuperant, & quæ sunt minor, sed cum sint multa, quod est commune omnibus. Et quomodo fieri potest ut sit vnum? Quando eiecta membrorum differentia, corpus examinaueris. Nam quod est oculus, hoc est pes, quod attinet ad hoc quod sit membrum, & quod corpus efficiat. Nulla est enim hic differentia. Neque poteris dicere, quod alterum quidem ex membris facit corpus per se, alterum autem non facit. Omnia enim in hoc sunt paria, quoniam omnia sunt vnum corpus. Cum autem hoc dixisset, & apertè probasset ex communi omnium calculo, subiunxit. Ita & Christus. Et cum oporteret dicere, Ita etiam ecclesia, hoc enim erat consequens, hoc quidem non dicit, pro illa autem ponit Christum, in altum extolens orationem, & auditorem magis pudore afficiens. Hoc est autem quod dicit. Ita etiam Christi corpus quod est ecclesia. Sicut enim & corpus & caput vnus est homo, ita etiam ecclesiam & Christum vnum esse dixit. Quamobrem & Christum posuit pro ecclesia, corpus suum sic nominans. Quomodo ergo, inquit, vnum quid est nostrum corpus, etiam si constat ex multis, ita etiam in ecclesia vnum quid omnes sumus. Nam etsi ea constat ex multis membris, ea tamè multa fiunt vnum corpus. Cum ergo eum qui videbatur esse defectus ac deterioris conditionis recreasset, & in altum extulisset ex hoc communi exemplo, rursus communem dimittit consuetudinem, & venit ad alterum caput spirituale, quod maiorem affert consolationem, & ostendit magnam in honore æqualitatem. Quodnam est autem? Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, sicut Iudei, sicut gentiles, sicut serui, sicut liberi. Hoc est autem quod dicit. Quod effecit ut essemus vnum corpus, & nos regenerauit, vnus est spiritus. Non enim alius quidem in altero, alius verò in altero baptizatus fuit spiritu. Non solum autem vnus est qui nos baptizauit, sed & vnum est in quod baptizauit, hoc est, propter quod baptizauit, vnum est. Non enim ut diuersa fiant corpora, sed vt omnes corporis vnitate inter nos conseruemus, baptizati sumus. Hoc est, vt omnes vnum corpus simus, ad hoc baptizati sumus. Quamobrem & qui construxit vnus, & ad quod constructum est vnum est. Et non dixit, Vt fiamus vnus corporis, sed vt omnes

Si multa sint vnum, & vnum multa, nulla est differentia.

Ecclesiam Christum corpus suum nominauit.

Baptizati sumus omnes in eodem spiritu.

ORATIO XXX.



SCIVT enim corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, vnum tamen corpus: ita & Christus. Cum esset consolatus ex eo quod id quod dabatur esset donum gratuitum, ex eo quod omnia acciperent ex vno & eodem spiritu, ex eo quod dabatur ad vtilitatem, ex eo quod ex minoribus fieret manifestatio, & cum his os obstruxisset ex eo quod oporteat cedere potestate spiritus, hæc omnia, inquit, operatur vnus & idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Quamobrem nec fas est curiosè perferuari. eos deinde consolatur ex altero communi exemplo. & ad ipsam confugit naturam, sicut solet. Nam quando differrebat de coma virorum & mulierum, post alia eos quosque hinc erudiit, dicens, An non vos, inquit, ipsa natura docet, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est ipsi: mulier autem si comam nutriat ipsi est gloria? Et quando dicebat de iis quæ immolata sunt idolis, prohibens ea tangere, etiam ab externis exemplis est argumentatus: & olympicorum certaminum faciens mentionem, & dicens, Qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, vnus autem accipit brabium, & ea probans ex pastoribus, militibus, & agricolis. Ideo hic quoque commune exemplum affert in medium. Quamobrem non violenter nititur & contendit ostendere neminem deterioris esse conditionis, quod

Chrysof. tom. 4.

Q

finus vnum corpus. Semper enim dat operam vt ponat dictiones quæ maiorem habent emphasim : & pulchre dixit, Omnes nos, seipsum quoque adiiciens. Neque enim ego qui sum Apostolus, plusquam tu quidquam habeo, hac, inquit, ratione. Nam & tu corpus es sicut ego, & ego sicut tu. & idem omnes habemus caput, & eodem partus enixus sumus editi, & ideo sumus idem corpus. Et quid dico, inquit, Iudæos? Græcos enim seu gentiles, qui tantum à nobis aberant, ad vnum planè corpus redegit. Et ideo cum dixisset, Nos omnes, non ibi se stitit, sed subiunxit, siue Iudæi, siue Græci seu gentiles, siue serui, siue liberi. Si autem antea cum tan t m remoti essemus, vniti sumus, & facti sumus vnum, multò magis postquam vnum facti sumus, non æquum fuerit vt tristitia afficiamur, & angamur animo. Neque enim locum habet differentia. Nam si gentes & Iudæos isdem dignatus est, & seruos & liberos, quomodo postquam dignatus est disiunxerit, quando ex donorum suppeditatione maiorem & exactiorem largitus est vnionem? *Et omnes vno spiritu potati sumus. Nam & corpus non est vnum membrum, sed multa.* Hoc est, venimus ad eandem mysteriorum imitationem, eadem mensa fruimur. Et cur non dixit, eodem corpore nutrimur, & eundem bibimus sanguinem? Quoniam cum dixit spiritu, vtrunque significauit & sanguinem & carnem. Per vtrunque enim vno spiritu potamur. Mihi autem nunc videtur dicere illum spiritus aduentum, qui nobis inest ex baptisinate, etiam ante mysteria. Dixit autem, Potati sumus, quoniam metaphora dictionis est ipsi valde congruens ad propositum argumentum. Vt si de plantis & horto diceret, Ex eodem fonte irrigantur omnes arbores, quoniam ex eadem aqua. Ita hic quoque eundem potum bibimus omnes, eandem percepimus gratiam, inquit. Si ergo & vnus spiritus nos construxit, & in vnum corpus nos omnes congeffit, id enim est, In vnum corpus baptizati sumus: & vnam largitus est mensam, & vnam dedit irrigationem, id enim est, vno spiritu potati sumus, & tanto intervallo distantes vnuit, & multa tunc fiunt corpus quando facta fuerint vnum, cur differentiam mihi iusque de que veras? Si autem dicis, Multa sunt membra, eaque differentia, disce quòd id ipsum quidem est mirabile, & corporis eximium, quando multa & diuersa vnum fecerint. Si autem non essent multa, non esset adeo admirabile & superans opinionem, quòd vnum esset corpus: vel potius ne esset quidem corpus. Sed hoc quidem ponit postea. Interim autem ad ipsa membra accedit, sic dicens. *Si dixerit pes, Quoniam non sum manus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore? Et si dixerit auris, Quoniam non sum oculus: non sum de corpore: num ideo non est de corpore?* Nam si quòd alius quidem sit defectus ac diminutus, alius verò exuperet, non finit esse ex eodem corpore, vniuersum est peremptum. Ne dicas ergo, Nò sum corpus, quoniam sum minor. Nam pes quoque est minoris & inferioris ordinis, sed est corporis. Esse enim & non esse corpus, fit ex eo quòd sit vnitum, aut nò sit vnitum. Nam ex corpore esse aut non esse, non est ex eo quòd alius quidem situs sit in hoc loco, alius autè situs in illo. Hoc enim facit loci differentiam, sed ex eo quòd sit coniunctum, aut sit distans ac remotum. Esse enim aut nò esse corpus, fit ex eo quòd est vnitus esse, aut non esse vnum. Considera autem mihi solertiam, quomodo ipsorum verba appositis accommodat nostris membris. Nā sicut superius dicebat, Hęc transfigurauit in seipsum & Apollo: ita hic quoque, vt non molestam sed exceptu facilem redderet orationem, membra inducit loquentia: vt quando audierint

Baptismus etiam gentes ad vnum corpus redegit.

Per sanguinem & carnem potamur vno spiritu.

Ne corpus quidem esset si non essent multa.

Sup. 4.

naturam eis respondentem, ab ipsa conuicti experientia & à communi calculo, nihil deinceps habeant quod contradicant. Nam etsi hoc ipsum, inquit, dicatis, & si murmuretis, non potestis esse extra corpus. Quomodo enim lex naturæ, ita etiam multò magis virtus gratiæ omnia custodit & conseruat. Vide autè quemadmodum obseruauerit ne quid esset superuacaneum, vt qui non in omnibus membris tractet orationem, sed in duobus solis iisque extremis. Nam & posuit oculum qui est omnium præstantissimus, & id quod est omnium vilissimum & abiectissimum, nempe pedes: neque facit pedem differentem cum oculo, sed cum manu quæ est paulò altior, aures autem cum oculis. Neque enim iis quæ valde exuperant & excellunt, sed iis quæ parum sunt altiora solemus inuidere. Propterea & ipse sic facit comparisonem. *Si totum corpus oculus, vbi auditus? Si totum auditus, vbi odoratus?* Nam quoniam cum in membrorum incidisset differentiam, & dixisset pedes & manus & oculos & aures, deduxit eos ad cogitandum de diminutione & exuperatione, vide quemadmodum eos rursus consolatur, ostendens ita expedire, & quòd multi sint & diuersi, hoc maximè facit esse corpus. Si omnes autem vnum essent, non essent corpus. Et ideo dicit, Si autem essent omnia vnum membrum, vbi corpus? Sed hoc quidem dicit postea. Hic autem ostendit etiam quid maius, nempe quòd non solum non contingit esse corpus, sed ne esse quidem cæteros. Nam si totum auditus, inquit, vbi odoratus? Deinde quoniam sic quoque conturbabantur, quod superius fecit, hoc quoque nunc facit. Nam sicut illic cum per vile eos esset consolatus, postea etiam eis os vehementer obstruxit, dicens. Hęc autem omnia operatur vnus & idem spiritus. Ita hic quoque cum posuisset rationes, per quas ostendit esse vile omnia sic fieri, rursus omnia reducit ad Dei consilium, dicens. *Nunc autem posuit Deus membra, vnumquodque eorum in corpore sicut voluit.* Quomodo de spiritu dixit, Prout vult, ita etiam hic quoque sicut voluit. Ne deinceps ergo causam examines, cur sic, & cur non sic: Poterimus enim ostendere quòd rectè: vt quando dixerimus, vt præstantissimus voluit artifex, sic factum est. Nam sic vult, vt est conducibile. Si autem in hoc corpore, non curiosè inquirimus de membris, multò magis in ecclesia. Vide autem eius prudentiam. Non enim eam quæ est à natura ponit differentiam, neque eam quæ est ab operatione, sed eam quæ est à situ locorum. *Nunc enim posuit, inquit, Deus membra, & vnumquodque eorum in corpore sicut voluit.* Et rectè dixit, vnumquodque, in omnibus indicans id quod est vile. Non potes enim dicere quòd hoc quidem ordinauit, illud verò non: sed vnumquodque situm est conuenienter eius voluntati. Quamobrem pedi quoque conuenit ita esse collocatum, non solum capiti: & si locum mutauerit, & priori loco dimisso ad alium venerit, etiam si videatur venisse ad maiorem, vniuersum perdidit & corruptum, nam & à suo excidit, & alium non consequitur. *Quòd si essent omnia vnum membrum, vbi corpus? Nunc autem multa quidem membra, vnum verò corpus.* Cum eis satis os obstruxisset à Dei dispositione, rursus ponit rationes, & neque hoc semper facit, neque illud, sed commutans, variat orationem. Nam qui solum quidem os obstruit, conturbat auditorem. Qui autem eum assuefacit ad petendum omnium causas, eum lædit in ratione fidei. Propterea & hoc & illud Paulus facit assidue: vt & credant, & non conturbentur: & postquam os obstruxerit, dat etiam rationem. Considera autem eius contentionem, & victoriæ abundantiam. Nam ex quibus existimabant se non esse partes honore, sed in eis magnam esse differentiam, ex iis ostendit

Pulchritudo est & propria & communis.

Ecclesiæ membra sunt & diuersa.

Paulus non solum ostendit ad credendum, sed etiam ad credendum datur.

ostendit quòd sint in honore pares. Quomodo ergo dicam. *Quòd si essent, inquit, omnia vnum membrum, vbi corpus?* Hoc est autem quòd dicit: Si non esset in vobis, inquit, multa differentia, non essetis corpus. Si autem non essetis corpus, non essetis vnum. Si autem non essetis omnes honore pares, non essetis corpus. Si non essetis autem corpus, non essetis vnum. Si autem non essetis vnum, quomodo essetis pares honore? Nunc verò cum sitis omnes non vnum quodpiam donum habentes, propterea estis corpus. Cum corpus autem sitis, omnes vnum estis, & nihil inter vos differtis, in eo quòd corpus estis. Quamobrem differentia ea est quæ in honore maximè facit æqualitatem. Et ideo subiunxit. *Nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus.* Hęc ergo nos quoque cogitantes, omnem expellamus inuidiam, & neque iis inuideamus, qui maiora habent dona, neque eos contemnamus qui minora. Sic enim Deus voluit, ne ergo resistamus. Si autem adhuc conturbatis, cogita quòd tuum munus ille non potest implere. Quamobrem etiam si sis minor, in hoc illum superas: & si ille sit maior, in eo à te superatur, & sic fit æqualitas. Nam & in corpore ea quæ sunt parua, non parum videntur conferre, sed & magnis sæpe obsunt quando absunt. Quid enim est in corpore vilis pilis? Sed si hos viles abstuleris à superciliis & ciliis, omnem visus deleueris speciem & dignitatem, & oculus non amplius apparebit tam pulcher. Atqui leue est damnum, sed tamen sic quoque perit omnis forma decor. Neque verò solum perit forma decor, sed etiam multum decedit de vsu oculorum. Nam vnumquodque nostrorum membrorum, & propriam habet operationem, & communem: & pulchritudo similiter est in nobis & propria, & communis. Et videntur quidem hęc esse diuisa, & sunt tamen exactè connexa: & si alterum perierit, alterum quoque simul interit. Considera autem. Sint lucentes oculi, & gena subridens, & labrum rubicundum & nasus rectus, & porrectum supercilium: sed tamen si quodlibet ex iis peremeris, perimes etiam communem omnium pulchritudinem, & apparebunt omnia tristitiæ plena, & turpia quæ prius erant pulchra. Nam si vel solam summam nasi partem contrueris, in omnia summam infuderis deformitatem. Atqui est vnus membri mutilatio, & in manu similiter. Si vnus digiti vnguem exemeris, videbis idem fieri. Si velis autem videre id ipsum euenire in operatione, tolle vnum digitem, & videbis cæteros magis otiosos, & suo munere non fungentes similiter. Cum ergo communis turpitudine sit vnus membri iactura, & pulchritudo eius conseruatio, ne efferamur, neque insultemus propinquis. Nam propter illud paruum membrum, & quòd magnum, est pulchrum & decorum. & per palpebras ornatur oculus. Secum itaque bellum gerit qui cum fratre belligeratur. Non enim ad illum solum pertinet damnum, sed ipse quoque non paruum accipiet detrimentum. Ne hoc ergo fiat, sicut nostri, ita propinquorum quoque curam geramus, & hanc corporis imaginem, nunc quoque transferamus ad ecclesiam, & prouideamus omnibus tanquam nostris membris. Nam in ecclesia quoque multa sunt membra & diuersa: & alia quidem sunt præstantiora & honoratiora, alia verò minora & inferiora: vt sunt chori virginum, sunt viduarum cœtus, sunt eorum qui in honesto resplendent matrimonio sodalitates, & multi gradus virtutum. & rursus similiter in elemosyna. Nam alius quidem omnia effudit & exinanit: alij autem solum curant vt sibi sit quòd satis sit, & præter vsum nihil requirunt: alij autem dant ex eo quòd super-

Chrysostr. tom. 4.

abundat: ij tamen omnes se inter se ornant: & si minorem nihili fecerit qui est maior, seipsum maximè lædit. Nam & virgo si eam quæ nupsit contumelia affecerit, non parum amputat de studio: & qui omnia elargiendo effudit, si probra iniecerit in eum qui hoc non fecit, ex suis laboribus plurimum exinanit. Et quid dico virgines & viduas, & eos qui nihil possident. Quid est enim vilis & abiectius mendicantibus? sed tamen ij quoque vsum maximum implent in ecclesiis, affixi portis templi, & maximum præbentes ornamentum, & absque iis non fuerit impleta plenitudo ecclesiæ? Quod quidem cum ab initio perpexissent Apostoli, lege sanxerunt, sicut & alia omnia, ita etiam vt essent viduæ: & ea in re tantum posterunt studium, vt eis etiam septem diaconos præficerent. Quomodo enim episcopos, & presbyteros, & diaconos, & virgines, & continentes in membrorum ecclesiæ numerum referunt, ita etiam viduas. Neque enim eæ leui & abiecto funguntur munere. Nam tu quidem quando vis ades. Ipsæ autem noctu & interdiu psallunt & adsunt, non solum hoc facientes propter elemosynam. (Nam si hoc vellent, liceret eis per forum ingredi, & in angiportis mendicare) sed habent etiam non parum pietatis & in Deo colendo reuerentiæ. Vide quidem certè in quanta sint fornace paupertatis: & tamen nullas ex iis videris blasphemantes, neque indignantes & ægrefeferentes, quæ quidem faciunt multæ ex diuitibus, & aliæ quidem ex iis esurientes sæpe dormiunt: aliæ autem etiam à frigore perpetuò sunt concretæ, & tamen degunt in gratiarum actione & glorificatione: & si obolum dederis, gratias agunt, & millies bona precantur ei qui dederit: & si nihil dederis, non ægrefeferunt, sed sic quoque benedicunt ac bonis verbis prosequuntur, & satis habent si fruuntur alimento quotidiano. Quoniam, etsi nolint, inquit, eas ferre necesse est. Quare dic mihi? Quanam de causa acerbum hoc verbum es elocutus? Non sunt artes turpes, quæ senio confectis & viris & mulieribus lucrum afferunt? Non possent, si honestè viuere negligenter, inde cum magna ali abundantia? Non vides quàm multi in ea ætate effecti lenones & turpium amorum conciliatores, & quædam humilissimi alia obeuntes ministeria, & aluntur, & viuunt in deliciis? Sed hi minimè, imò verò malunt fame enecari, quàm vitam suam probro ac dedecore afficere, & salutem prodere: & sedent per totum diem aliquod conficientes medicamentum salutis. Non enim medicus manum extendens, & ferrum immittens putrefacta vulnera æquè excindit, vt pauper extendens dexteram & accipiens elemosynam, amputat & tollit videntes vulnerum: & quòd est miserabile, absque dolore & angore hanc pulchram efficiunt curationem: & non minus quàm nos qui populo præsidemus, & vobis vtilia suademus, differit is qui sedet ante fores ecclesiæ, per silentium & aspectum. Nos enim singulis diebus hęc personantes dicimus, Ne superbi & insolentes tibi sint spiritus o homo. Fluxa & caduca est hominum natura: iuuentus properat ad senectutem, pulchritudo ad deformitatem, vires ad imbecillitatem, honor ad contemptum, sanitas ruit ad morbum & ægrotationem, gloria ad vilitatem & abiectiorem, diuitiæ ad paupertatem. Res nostræ sunt similes vehementi fluenti quod nusquam vult consistere, sed fertur festinans ad decliuc. Eadem illi quoque & his plura per aspectum consulunt, & per ipsam experientiam, quæ est manifestior & apertior admonitio. Quàm multi ex iis qui foris sedent, floruerunt in iuuetute, & res magnas effecerunt? Quàm multi ex his deformibus, multos lógo intervallo superarunt, & viribus corporis, & specie ac decore

Elemosynæ diuersi gradus.

AA. 6.

Viduarum munus.

Mendici solo aspectu discernunt & docent.

Res humanæ quæ sunt fluxæ.

Q ij

vultus? nam innumerabilibus eiusmodi exemplis plena est vita. Nam si ex humilibus & abiectis multi sæpe facti sunt reges, quid mirum si ex magnis & gloria præclaris ac illustribus redditi sunt abiecti & humiles? Nam illud quidem est admirabilis & magis præter opinionem. Hoc autem est ex iis quæ semper accidunt. Quamobrem non oportet fidem non adhibere, si qui ex his floruerunt, & in artibus, & in bellicis expeditionibus, & in pecuniæ copiis, sed cum magno doloris consensu eorum misereri, & nobis ipsis metuere, ne quandoque eadem nobis accidant. Nam nos quoque sumus homines, & huic celeri subiecti mutationi. Sed vecors fortasse & ingratus quispiam ex iis qui solent irridere, irridebit etiam quæ dicta sunt, & nos planè ludificabitur, dicens. Quousque non cessabis pauperes & mendicos in tuis sermonibus inducere, & prædicere nobis calamitates, & paupertatem commendare, & nos mendicos studere efficere? Non mendicos studens efficere hoc dico o homo, sed cæli diuitias vobis contendens aperire. Nam & qui apud sanum meminit ægrotantium, & illorum narrat dolores, non dicit ut faciat ægrotum, sed ut conseruet in sanitate, metu eorum quæ illis accidunt, huius amputans socordiam. Terribilis & horrenda nobis videtur esse paupertas, si vel tantum appelletur. Propterea enim pauperes sumus, quod paupertatem formidamus, etiam si talenta habeamus innumerabilia. Non enim qui nihil habet est pauper, sed is qui horret paupertatem. Nam & in calamitatibus non eos desilemus qui magna mala patiuntur, & miseros existimamus, sed eos qui ferre nesciunt, etiam si sint parua. Nam qui ea ferre potest, & laudibus dignus est & coronis. Et quod hoc ita se habeat, in certaminibus quosnam laudamus? eosne qui multum verberantur, & non dolent, sed erecto & sublimi sunt collo: an eos qui à primis fugiunt acceptis plagis? An non illos quidem etiam coronamus tanquam fortes magnique & excelsi animi: hos autem etiam irridemus tanquam ignavos ac timidos, pusillique & abiecti animi? Ita etiam faciamus in rebus huius vitæ: cum quidem qui facile fert omnia, tanquam fortem illum & generosum athletam, coronemus: hunc autem desileamus extimescentem, & ea quæ sunt graua & aspera contremiscentem, & prius quam plagam acceperit metu mortuum. Etenim in certaminibus, si quisquam priusquam manus sustulerit, cum viderit aduersarium solum manus extendentem, aufugerit, etiam si plagam non acceperit, erit ridiculus, ut qui sit eneruatus, mollis & effæminatus, & horum laborum imperitus: ut etiam accidit in iis qui paupertatem extimescunt, & ne ferre quidem possunt eius expectationem. Non ergo nos vos facimus miseros, sed vos ipsi vos ipsos. Quomodo enim de cætero non ludificabitur diabolus, videns te etiam ante plagam minas formidantem & contremiscentem? Imò verò cum tu hoc existimes esse minas, ne habeat quidem opus ut te deinceps feriat. Sed finens te habere diuitias, propter expectationem earum ademptionis, te reddet quavis cera molliorem: est enim nobis naturâ, ut semel dicam, insitum, ut quæ timemus, postquam ea passi sumus, non tam terribilia esse existimemus quam prius, & ante experientiam. Ne hanc ergo virtutem possideas, in summo te tenet metu, ante paupertatem metu paupertatis tanquam igne liquefaciens. Nam qui est eiusmodi est quavis cera mollior, & ipso Cain vitam agit miseriorem: pro iis quidem quorum plusquam cæteri nimiam habet copiam extimescens, pro iis autem quæ non habet dolens, & pro iis quæ habet rursum tremens, tanquam ingratum fugitiuum intus detinens Plutum, nempe diuitias,

Diabolus finit habere diuitias, ut ademptionis earum metu terreat.

variisque & absurdis obsessus animi perturbationibus. Nam & absurda ac nefaria cupiditas, multiplexque & varius metus, & angor animi, omni ex parte eos tanquam tempestas agitant: & sunt similes nauigio ventis vndique pulso, & multos cõique ingentes fluctus sustinenti. Quanto autem est melius, cum qui est eiusmodi, è viuis excedere, quam perpetuam ferre tempestatem? Nam Caino quoque tolerabilis erat emori quam perpetuò tremere. Ne ergo hæc quoque nobis accidant, irrideamus diaboli machinam, perfringamus eius funes, discindamus sæuæ lanceæ cuspidem, & arceamus omnem eius insultum. Nam si pecunias irriseris, non habet ubi te feriat. Non habet unde te apprehendat. Nam malorum euulsi radicem. Si non sit autem radix, nec malus germinabit fructus. Hæc quidem semper dicamus, & non cessemus dicere. An autem dicentes aliquid proficiamus, ostendit ille dies qui in igne reuelatur, qui vniuscuiusque probat opus, qui præclaras ostendit lampades, & quæ non sunt eiusmodi: tunc crit manifestus & qui minus habet, & qui non habet. Sed absit ut vllus sit hoc solatio destitutus, sed omnes lautam & copiosam afferentes benignitatem, & claras habentes lampades, simul intrent cum sponso. Nam illa voce nihil est terribilius & asperius, quam qui sine copiosa elemosyna excedentes tunc audient sponsum dicentem, Nescio vos. Absit autem ut hanc audiamus vocem, sed illam iucundissimam & maximè desiderabilem, Venite benedicti patris mei, sitis hæredes parati vobis regni à constitutione mundi. Sic enim beatam degemus vitam, & fruemur omnibus bonis, quæ humanam superant intelligentiam. Quæ detur nobis consequi gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cui cum patre & sancto Spiritu sit laus in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO XXXI.

Non potest autem dicere oculus manni, Opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus, Non estis mihi necessarij. Cum minorum reprehisset inuidiam, & eis exemisset animi aegritudinem, qua consentaneum erat eos esse affectos, ex eo quod alij maioribus donis digni essent habiti, eorum quoque fastum deprimit & arrogantiam qui dona maiora acceperant, cum idipsum quidem fecisset, etiam in iis quæ cum illis disseruit. Dicere enim quod sit donum gratuitum, & non res rectè & ex virtute gesta, est eius qui hoc aperte significat. Nunc autem idipsum quoque rursus facit vehementius, manens in eadem imagine. Nam deinceps à corpore, & quæ illic est vnitatem, procedit ad ipsam membrorum comparationem, quod quidem illi maximè quærebant discere. Nam ad illos consolandos non tantum sufficiebat dicere, Omnes vnum esse corpus, quantum discere quod in iis ipsis quæ habebant, non admodum erant inferiores. Dicit autem, *Non potest autem oculus dicere manni, Opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus, Non estis mihi necessarij.* Nam etsi donum sit minus, est tamen necessarium. & quomodo si illud non sit, multa sunt impedimenta: ita etiam absque hoc, claudicat plenitudo ecclesiæ. Neque verò dixit, Non dicit, sed, potest dicere. Quamobrem etiam si velit, etiam si dicat, non contingit, nec res eam habet naturam. Quamobrem cum vtraque accepisset extrema, in eis agit & versat orationem. Primum quidem in manu & oculo. Secundò autem in capite & pedibus exemplum amplificans. Quid enim est pedevilius, aut quid capite honestius ac præstantius, & magis necessarium? Hoc enim est maximè inter homines, nempe

Minor membris si delectanda essent, plenitudo ecclesiæ

nempe caput. Sed tamen non est sufficiens, neque potest ipsum omnia efficere. Nam si esset, superuacancè nobis adiecti essent pedes. Neque hæc tamen constitit, sed etiam aliam quærit exuperationem. Quod quidem semper facit, non ad æqualia vsque contendens, sed etiam ulterius progrediens. Et ideo subiungit dicens. *Sed multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessaria sunt: & quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, iis honorem abundantiorum circundamus: & quæ inhonestiora sunt nostra, abundantiorum honestatem habent.* Vbi que ponens accessionem corporis, & hac ratione illud quoque comprimens. Non hoc enim, inquit, dico, quod non solum maiora opus habent minoribus, sed etiam quod multum opus habent. Si quid enim est in nobis imbecillum, si quid inhonestum, hoc est & necessarium, & maiorem honorem adipiscitur. Rectè autem dixit, Quæ videntur, & quæ putamus, ostendens id non esse sententiam naturæ rerum, sed vulgi suspitionis. Nihil est enim in nobis ignobile & inhonestum: est enim Dei opus. Quid enim partibus genitalibus in nobis videtur esse inhonestius? Sed tamen maiorem honorem assequuntur, & qui sunt valde pauperes, etiam si reliquum corpus habeant nudum, non sustinerunt illa membra nuda ostendere. Atqui non est hic ordo inhonestorum & infamium, sed magis oporteret despici quam alia. Etenim seruus qui domi est infamia & ignominia affectus, non solum non magis curatur & fouetur, sed nec iisdem dignus censetur. Quare si hoc quoque esset inhonestum & infame, non solum non oporteret id maiora consequi, sed nec eadem. Nunc autem maiori honore fruitur, id quoque operata Dei sapientia. Nam illis quidem in natura dedit ut non egerent: his autem quoniam in natura non dedit, ut præberemus coëgit. Sed non propterea sunt inhonesta & ignominiosa. Nam animalia quoque naturâ habent insitum ut nullius rei sint indiga: & neque vestimentis opus habent neque calceis, neque tecto, eorum plurima. Sed non ideo est eis nostrum corpus inhonestius nec ignobilius, quoniam his omnibus indiget. Etenim si quisquam accuratè & exactè examinauerit, ipsa etiam natura sunt & honesta & necessaria. Quod quidem ipse quoque tacitè innuit, ut qui non ex nostro studio ac diligentia, neque ex eo quod maiorem assequantur honorem, sed ex ipsa rerum natura eis suum tulerit suffragium. Et ideo quod dicit quidem infirma & inhonesta ac ignobilia, dicit, Quæ videntur. Quando autem necessaria, non vti que addit quæ videntur, sed ipse pronunciat, dicens esse necessaria, & meritò. Sunt enim vtilia & ad liberorum procreationem, & generis nostri successionem. Quamobrem Romanorum quoque legislatores, eos qui hæc membra excidunt, & eunuchos faciunt, puniunt, ut qui communi generi interitum afferant, & ipsi insultent naturæ. Sed pereant impudici & libidinosi, qui Dei opera vocant in inuidiam & faciunt ut malè audiant. Quomodo enim multi vinum execrantur propter eos qui inebriantur, & sexum mulierum propter eas quæ adulterantur: ita etiam membra hæc turpia esse duxerunt, propter eos qui non ut decet eis vtuntur. Sed non oportebat. Non enim rei naturæ attributum est peccatum, sed nascitur ex libero arbitrio eius qui delictum admittit. Nonnulli autem ea quæ sunt infirmiora, & inhonesta ac ignobilia, & quæ sunt necessaria, & maiorem assequuntur honorem, existimant dicta esse à Paulo de oculis & pedibus: & imbecilliora quidem & necessaria dicere oculos, quod cum virtutis minus habent, vsu exuperent. Ignobilia autem & inhonestiora pedes, nam eorum quoque multa geritur cura & providentia. Deinde ne rursus aliam efficiat

Puerorum castratores Rom. legibus puniuntur.

Chrysof. tom. 4.

exuperationem, dicit, *Honestà autem nostra nullius egent.* Nam ne quispiam diceret, Et quænam est hæc ratio, ea quidem quæ sunt honesta despiciere, iis autem quæ sunt inhonesta ac ignobilia assidere & eis animum adhibere? Non despicientes, inquit, hoc facimus: sed quoniam ea non egent, & videtur quantum breuiter positum encomium sit præteruictus, hoc conducibiliter faciens & vtiliter. Nec hoc est contentus, sed causam etiam addit, dicens. *Sed Deus temperavit corpus, ei cui deerat abundantiorum tribuendo honorem, ut non sit schisma in corpore.* Si autem contemperavit, non fuit apparere id quod erat inhonestius. Nam quod contemperatur fit vnum, & non apparet quidnam esset antea: quoniam ne contemperatum quidem id esse dixerimus. Vide autem quemadmodum defectus assidue præteruehitur dicens, *Ei cui deerat. Non dixit Inhonesto, nec ignobili, sed ei cui deficit: ut qui ei cui deficit secundum naturam honorem dederit abundantiorum.* Et quare? Ut non sit schisma in corpore. Nam quoniam etiam innumerabilibus fruente consolationibus dolebant tamen, tanquam qui minora accepissent, ostendit eos magis fuisse honoratos. Ei enim cui deficit, inquit, abundantiorum tribuendo honorem. Deinde etiam subiungit rationem, ostendens quod & vtiliter effecerit, ut ei deesset, & magis honorauerit. Quænam autem est ratio? Ut non sit, inquit, schisma in corpore. Non dixit, In membris, sed in corpore. Futurus enim erat nimius in rebus habendis excessus, si alia quidem & à natura, & à nostra curarentur cura ac providentia: alia autem nec aliunde, & alterum ab altero essent abscissa, ut quæ ferre non possunt coniunctionem. His autem abscissis, cætera quoque damnium accepissent. Vidisti quemadmodum necessariò ostenderit, ei cui deficit, maiorem datum esse honorem? Nam si hoc non esset factum, commune, inquit, omnium fuisset exitium. Nam si nos eorum magnam non gessissemus curam, iniuria fuissent affecta, ut quæ à natura non haberent auxilium. Iniuria autem affecta periissent. Si periissent, scidissent corpus. Scisso autem corpore, periissent etiam cætera his multò maiora. Vides quod horum quoque cura illorum curæ ac providentiæ est coniuncta. Non enim in sua natura adeo quod ipsa sint habent, quam quod vnum sint in corpore. Propterea si corpus quidem peccaret, nihil eis redit lucri ex singulorum sanitate. Sed siue quidem sit oculus, siue nasus quod suum est ac proprium conseruans, soluto vinculo de cætero nullus crit eorum vsus. Si autem hoc manente illa læsa fuerint, & reparantur, & ad sanitatem citò redeunt. At dixerit fortè quispiam. Hoc in corpore quidem habet rationem, quod id cui deest honorem habet abundantiorum: in hominibus autem quomodo hoc cerneretur? In hominibus quidem certè hoc maximè videris accidere. Nam & qui venerunt circa horam vndecimam, primi acceperunt mercedem: & ovis quæ aberrauit, persuasit pastori ut relinqueret nonaginta nouem, & ad ipsam curreret, & inuenta portaretur, non abigeretur: & filius prodigus maiorem accepit honorem quam qui erat frugi & bonæ existimationis: & latro fuit coronatus & præconio laudatus ante Apostolos. Porrò autem hoc quoque videris fieri in talentis. Nam & qui quinque accepit talenta, & qui duo, iisdem sunt dignati, & eo ipso quod duo acceperit, eius magna magis est gesta cura. Nam si quinque fuissent ei credita, cum non posset, à toto excidisset. Cum autem duo acceperit, & quæ à se præstanda erant impleuit, iisdem est dignatus quæ qui quinque exercuerat, tantò amplius affectus, quò à minoribus laboribus eisdem

Is enim deest, etiam inter homines honorem habet abundantiorum. Matth. 20. Luc. 15. Ibidem. Ibid. 23.

Matth. 25.

Q iij

est coronas adeptus. Atqui ipse quoque erat homo, sic-
 ut qui quinque accepit : sed tamen cum eo summo iu-
 re non agit dominus, neque cogit eadem facere quæ
 conferuus. Neque dicit, Cur non potes quinque con-
 ficere? meritò id dicens. Sed eum quoque coronauit.
 Hæc ergo cum sciatis, vos qui estis maiores, ne insulte-
 tis minoribus, ne ante illos vos ipsos lædatis. Nam si
 ipsi abscindamini, totum corpus interit. Quid enim ali-
 ud est corpus quam multa esse membra? sicut etiam ip-
 se dicit, Corpus non est vnum membrum, sed multa.
 Si hoc ergo est corpus, curemus vt multa maneant.
 Nam si hoc non conferuetur, letale accipitur vulnus in
 iis quæ sunt præcipua. Quamobrem ipse quoque non
 hoc solum exigit vt non à se inuicem abscindantur, sed
 etiam vt valde coniungantur. Cum itaque dixisset, vt
 non sit schisma in corpore, non hoc fuit contentus, sed
 subiunxit, *Sed in idipsum pro inuicem sollicita sint membra.*
 Alteram quoque causam hanc addens cur minora ma-
 iorem assequantur honorem. Non enim vt non solum
 alterum ab altero abscindatur, sic Deus dispensauit ac
 disposuit, sed etiam vt esset multa charitas & concor-
 dia. Nam si vniciue suum esse in salute proximi,
 ne mihi dixeris id quod est plus & minus. Hic enim
 non est plus & minus. Manente enim corpore cerni
 potest differentia: percunte autem, minimè. Peribit au-
 tem nisi etiam minora maneant. Si ergo etiam magna
 pereant paruis abruptis, similiter debent hæc paruorum
 curam gerere, & non secus ac sui, vt pote quod in eo-
 rum salute maneant etiam maiora. Quamobrem et-
 iam si millies dicas quod membrum est inhonestum &
 minus, nisi tamen eius æquè curam geras atque tui-
 ipsius, & non negligas tanquam minus, damnum ad te
 transibit. Propterea non dixit solum, vt de se inuicem
 sollicita sint membra, sed adiecit, vt de eodem pro se
 inuicem sollicita sint membra. Hoc est, vt similis & ea-
 dem cura geratur parui, quæ magni. Ne ergo dicas, iste
 aut ille est plebeius & è vulgo, sed cogita esse mem-
 brum illius corporis quod constat & continet vniuer-
 sum: & sicut oculus, ita etiam iste facit corpus esse cor-
 pus. Vbi enim ædificatur corpus, nullus plus habet
 quam proximus. Neque enim hoc facit corpus, quod
 alterum quidem sit maius, alterum verò minus: sed
 quod multa sint & diuersa. Neque enim tu, quoniam
 es maior, constituis corpus. Quomodo enim tu, quo-
 niam es maior, constituis corpus, ita etiam iste quoni-
 am est minor. Quamobrem eius paruitas, cum oport-
 eat corpus ædificare, est tibi par in honore ad pul-
 chram hanc collationem, idem enim quod tu potest:
 estque hinc perspicuum. Non sit aliquod maius & mi-
 nus membrum, neque honestum & inhonestius: sed
 sint omnia oculus, vel omnia caput, non peribit caput?
 Cuius est perspicuum. Rursus si omnia sint minora,
 idem eueniet. Quamobrem hac quoque ratione exæ-
 quantur quæ sunt minora. Si oportet autem etiam ali-
 quid amplius dicere, vt maneat corpus, minor est is
 qui est minor. Quamobrem propterea est minor, vt
 cum tu sis magnus, maneas. Propterea etiam eandem
 exigit ab omnibus curam & providentiam. & cum dix-
 isset, De eodem pro se inuicem sollicita sunt mem-
 bra, hoc ipsum interpretatur rursus dicens: *Et si quid
 patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: si-
 ue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra.*
 Propterea, inquit, communem fecit curam & provi-
 dentiam, in tanta differentia constituta vnitate, vt eo-
 rum etiam quæ accidunt magna sit societas & commu-
 nio. Si enim proximi quæ geritur cura, est salus com-
 munitatis, necesse est & gloriam, & animi ægritudinem ef-
 se communem. Tria ergo hic exigit, non abscindi, sed

Hic sup.
Corpus
non est
aliud
quam
multa esse
membra.

Vnicui-
que suum
est esse in
salute
proximi.

exactè esse vnitos, alterum alterius similiter curam ge-
 rere, existimare communia ea quæ accidunt. Et super-
 rius quidem dicit, quod abundantiorum dedit hono-
 rem ei cui deest, propterea quod egeat: ostendens
 quod ipsum esse defectum ac diminutum, maiorem
 conciliat honorem. Hic autem ea etiam exæquat ra-
 tione curæ quam alter alterius inter se gerunt. Propter-
 ea enim ea dicit etiam esse maiorem honorem conse-
 cuta, ne eorum geratur minor cura. Non ex hoc au-
 tem solum, sed etiam ex rebus bonis & molestis quæ
 accidunt, membra inter se sunt colligata: etenim cal-
 caneo sæpe infixæ spina, totum corpus sentit & est sol-
 licitum, & dorsum flectitur, & venter, & femora, &
 manus tanquam satellites & ministri procedentes, at-
 trahunt id quod est infixum, & incuruatur caput, & vi-
 dent oculi cum magna sollicitudine. Quare etiam si pes
 minus habeat quod non possit ascendere, eo tamen
 quod caput demiserit, est ei par, & eodem fruatur ho-
 nore: & maximè cum non propter gratiam, sed pro-
 pter vtilitatem id demittant pedes. Quamobrem et-
 iam si plus habet eo quod sit honoratius, attamen eo
 quod cum sit tale, minori debeat honorem & curatio-
 nem, & eius similiter moueatur commiseratione, ma-
 gnam ostendit æqualitatem. Quid enim est calcaneo
 vilius? Quid autem capite honestius ac preciosius? sed
 hoc vadit ad illud membrum, & secum omnia com-
 mouet. Rursus si aliquid passi sint oculi, omnia dolent,
 & omnia sunt in otio: & neque pedes ingrediuntur,
 neque manus operantur, neque venter consuetis frui-
 tur. Atqui est affectio oculorum, Quid ventrem lique-
 facis? cur pedes detines? cur ligas manus? Quoniam
 est illis colligatus, & modo ineffabili totum corpus pa-
 titur. Nam si non simul pateretur, ne sustinisset qui-
 dem esse socium ac particeps curationis ac providen-
 tiæ. Quamobrem cum dixisset, vt de eodem pro se inuicem
 sollicita sint membra, subiunxit, Siue patitur vnum
 membrum, compatiuntur omnia membra: siue gloriifi-
 catur vnum membrum, congaudent omnia membra.
 Et quomodo congaudent, inquit? Coronatur caput,
 & totus homo glorificatur. Os dicit, & rident oculi, &
 lætantur. Atqui non laudatur & probatur oculorum
 pulchritudo, sed linguæ. Rursus si pulchri appareant
 oculi, ornatur tota mulier: sicut ij. quoque cum & re-
 ctus nasus, & collum rectum, & alia membra laudan-
 tur, gestiunt sicut læti & alacres: & rursus affatim
 fundunt lacrymas, in eorum doloribus & calamitati-
 bus, etiam si ipsi permaneant illæsi. Hæc ergo omnes
 cogitantes, imitemur horum membrorum dilectio-
 nem: neque contraria faciamus insultantes malis pro-
 ximi, & proximi malis inuidentes: hoc est enim furen-
 tium, & eorum qui sunt emotæ mentis. Etenim qui ef-
 fodit oculum, maximum indicium profert despicientiæ:
 & qui manum exedit, insaniam planè prodit argumen-
 tum. Si autem quod sit in membris, hoc etiam similiter
 fiat in fratribus, despicientiæ tribuit opinionem, & non
 vulgare damnum affert. Nam quandiu ille respundet,
 tuæ apparet formæ pulchritudo, & totum ornatur cor-
 pus. Neque enim ad se solum redigit pulchritudinem,
 sed etiam tibi largitur quo possis tibi placere & gloria-
 ri. Sin autem eum extinxeris, toti corpori communes
 effeceris tenebras, & omnibus membris intuleris cal-
 lamitatem. Quomodo ergo si splendenter conserues,
 integro corpori conseruas speciem ac decorem. (Ne-
 mo enim dicit, Quid pulcher est oculus, sed quid ista
 aut illa est pulchra? Sin autem ipse quoque laudatur,
 post commune laudatur encomium.) Ita accidit in ec-
 clesia. Nam si sint aliqui in bona existimatione, lau-
 datur commune, & bonis verbis ipsum prosequuntur.

Matt. 12.
Luc. 11.

Emulari
quomodo
licet.

Rom. 11.

Inuidus
est fucus
in aquis.

Mem-
brum
est
quod
est
in
cor-
poris
partem
constituit

Propri-
um
est
quod
est
in
cor-
poris
partem
constituit

Inimici

Inimici enim laudes non diuidunt, sed coniungunt: &
 si quis sit in dicendo illustris, non ipsum solum laudant,
 sed etiam vniuersam ecclesiam. Non enim dicunt so-
 lum, iste aut ille est mirabilis, sed, admirabilem docto-
 rem habent Christiani, & possessionem statuunt esse
 communem. Deinde Græci quidem coniungunt, tu
 autem diuidis, & bellum geris cum tuo ipsius corpore,
 & tuis membris aduersaris? An nescis quod hoc omnia
 euertit? Etenim regnum, inquit, in se diuisum non sta-
 bit. Nihil autem æque diuidit & disungit atque inui-
 dia. Grauis hic morbus, & omni venia priuatus, & ma-
 lorum radice est in aliquo grauior. Nam auarus & pe-
 cuniæ cupidus, tunc lætatur & voluptate afficitur quan-
 do ipse accipit. Inuidus autem tunc lætatur quando a-
 lius accipit. Suum enim beneficium esse existimat alio-
 rum res aduersas, non faustum rerum suarum succes-
 sum: communis quidem humanæ naturæ circumiens
 hostis, & Christi membra verberans. Quo quid fieri
 potuerit insanius? Dæmon inuidet, sed hominibus,
 nulli autem dæmoni. Tu autem cum sis homo, inuides
 hominibus: & ei qui est eiusdem generis aduersaris:
 quod ne facit quidem dæmon: & quamnam veniam
 consequeris? Quamnam autem defensionem & excu-
 sationem, qui contremiscis & palles quando videris
 fratri res esse secundas, cum oporteret coronari, lætari-
 que & exultare? Si autem voles eum emulari, non pro-
 hibeo, emulare: sed vt, sicut ille, in bona sis existimatio-
 ne, non vt ipsum deprimas, sed vt ad idem peruenias fa-
 stigium, vt eandem ostendas virtutem. Hoc est bona
 emulatio, imitari, & non bellum gerere, non dolere de
 bonis aliorum, sed propter sua mala morderi: cuius
 contrarium facit inuidia. Propria enim mala negli-
 gens, propter mala aliena tabescit. Pauper enim non ita
 sua mordetur paupertate, vt proximi copiis. Quo quid
 potuerit esse grauius? Iste enim in hoc, sicut prius dixi,
 est auaro & plura habendi cupido deterior. Nam hic
 quidem quando aliquid acceperit, lætatur. Ille autem
 quando alius non acceperit, tunc lætatur. Quamobrem
 rogo & adhortor, vt hanc malam viam dimittentes, &
 ad bonam transmutati emulationem (est enim vehem-
 ens & quouis igne calidior eiusmodi emulatio) ma-
 gna hinc bona percipiamus & fruamur. Sic etiam Pau-
 lus eos qui erant ex Iudeis ad fidem deducebat, dicens:
 Si quomodo ad emulandum prouocem carnem me-
 am, & saluos faciam aliquos ex illis. Nam qui sic emu-
 latur vt ille volebat, non tabescit quando viderit alium
 in bona esse existimatione, sed quando viderit se defi-
 cere & non assequi. Inuidus autem non sic, sed quando
 viderit alium res suas rectè gerere: & est veluti quidam
 fucus qui perdit alienos labores: & ipse quidem nun-
 quam studet surgere; flet autem, quando viderit alium
 surrexisse, & omnia facit vt ipsum deiiciat. Hanc ergo
 affectionem cuiusnam comparaueris? Perinde mihi esse
 videtur vt si quis piger asinus, & carniū pondere gra-
 uatus, cum equo volucris coniunctus, nec ipse velit sur-
 gere, & pondere carniū ipsum conetur detrahere.
 Nam iste quoque, quemadmodum à profundo hoc
 somno liberetur, neque cogitat, neque studet, nihil au-
 tem non facit vt eum qui euolat in cælum supplantet
 & deiiciat, vt qui sit perfectus emulatur diaboli. Et-
 enim ille cum videret hominem in paradiso, non ipse
 studuit mutari, sed illum expellere è paradiso. Et rursus
 cum vidisset ipsum sedentem in cælo, & alios illuc fe-
 stinantes, eadem meditatur, eos qui illuc festinant sup-
 plantans, & hinc maiorem sibi fornacem congerens.
 Vbi que enim hoc euenit. Is quidem cui inuidetur, si
 sapiat, euadit splendidior: Qui autem inuidet, plura
 sibi mala accumulatur. Sic & Ioseph euasit illustris. Sic
 Chryso. iom. 4.

A Aaron sacerdos: eorum enim qui inuidebant infidiar, Num. 17.
 effecerunt vt Deus semel & bis eandem ferret senten-
 tiam, & vt virga germinaret. Sic Iacob magnas opes est
 affecutus, & alia omnia. Sic qui inuidet magnis se ma-
 lis confixerunt. Quæ quidem omnia cum sciamus, eam
 fugiamus emulationem. Quamnam enim de causa, dic
 quæso, inuides? Quod spiritualement gratiam accepit
 frater? A quonam autem quæso accepit? Non à Deo?
 Odiū ergo & inimicitias aduersus illum suscipis qui
 donum dedit. Vidisti quod malum serpit, & quem ma-
 lorum colophonem imponit, & quantum pœnarum
 fodit barathrum. Fugiamus ergo o dilecti, & neque in-
 uideamus, & pro iis qui inuidet oremus, & nihil non
 faciamus vt eorum animi affectionem ac vitium extin-
 guamus, neque id nobis accidat quod stultis, qui vo-
 lentes ab iis pœnas exigere, omnia faciunt vt eorum
 flammam accendant. Nos autem non sic, sed eos de-
 fleamus, & lamentemur. Ipsi enim sunt qui sunt affecti
 iniuria, perpetuum habentes vermem, qui cor eorum
 ardit, & veneni congregant fontem quouis felle a-
 mariorem. Benignum ergo rogemus Deum, vt & illis
 mutet animi affectionem, & ne nos in eum morbum
 vnquam incidamus: ei enim qui hac tabe laborat nul-
 lus ad cælum patet aditus. Quinetiam ante cælum ne
 hæc quidem vita est eis vitalis. Neque enim lignum &
 lanam insidens tinea & vermis sic solet erodere, vt in-
 uidiæ febris ipsa inuidorum ossa exedit, & animi tem-
 perantiæ affert interitum. Vt ergo & nos ipsos & alios à
 malis liberemus innumerabilibus, perniciosam hanc
 febrem à nobis expellamus, quæ est quauis tabe sæui-
 or: vt spiritali suscepto robore, & præsens certamen
 conficiamus, & futuras assequamur coronas. Quas no-
 bis omnibus detur consequi gratia & benignitate do-
 mini nostri Iesu Christi, &c.

Pro inui-
dis oran-
dum.

ORATIO XXXII.



Os autem est membra Christi, & membra de
 membro. Nam ne quis diceret, Quid ad
 nos exemplum corporis? Nam illud qui-
 dem naturæ seruit, nostræ autem actio-
 nes, & quæ ex virtute à nobis fiunt, sunt
 liberi arbitrij & electionis: id ad res nostras adducens,
 & ostendens tantam ex mentis nostræ instituto debere
 nos habere concordiam, quantam illa ex natura, di-
 cit: Vos autem estis corpus Christi, & membra ex par-
 te. Si autem non oportet corpus nostrum dissidere &
 agitare seditionem, multò magis corpus Christi, & eò
 magis quò gratia est potentior natura. *Et membra ex
 parte.* Non solum enim, inquit, corpus, sed etiam mem-
 bra sumus. Nam de his ambobus superius disseruit,
 multos in vnum cogens, & ostendens omnes esse v-
 num quidpiam ad imaginem corporis: & hoc vnum
 constare per multa, & esse in multis, & multa illa ex eo
 contineri, & id posse esse multa. Quid est autem, Ex
 parte? Quod ad vos quidem attinet, & quantum con-
 sentaneum est esse partem ex vobis ædificatam. Nam
 quoniam dixit corpus, totum autem corpus erat, non
 quæ erat apud Corinthios ecclesia, sed quæ vbique
 per totum orbem terræ, propterea dixit, Ex parte. Hoc
 est, Ecclesia quæ est apud vos, est pars ecclesiæ quæ sita
 est vbique, & corporis quod consistit per omnes eccle-
 sias. Quamobrem æquum est vt non solum inter vos,
 sed etiam cum omni ecclesia, quæ est in orbe terræ, pa-
 cem agatis, si quidem estis membra totius corporis. *Et
 quosdam quidem posuit in ecclesia. Primum Apostolos, secun-
 do Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias
 curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum.*
 Quod enim prius dixi, hoc quoque nunc facit. Nam

quoniam sibi placebant & se efferebant ob linguas, id ubique ponit vltimum. Primum enim & secundum non dixit absolutè, sed suo ordine collocans id quod est præstantius, & ostendens id quod est inferius ac minus. Quamobrem præposuit Apostolos, qui omnia dona in se habebant. neque dixit, Quos posuit quidem Deus in ecclesia Apostolos solummodo & absolutè, aut Prophetas, sed primum, & secundò, & tertio, hoc ipsum quod dixi significans. *Secundò Prophetas.* Prophetabant enim, vt filia Philippi, vt Agabus, vt ij ipsi qui erant apud Corinthios, de quibus dicit, Prophetæ autem duo aut tres loquantur. Ad Timotheum quoque scribens, dicebat: Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ tibi data est per prophetiam. & longè plures tunc erant quàm in veteri. Non enim ad decem & viginti & quinquaginta & centum redactum erat prophetiæ donum, sed abundè effundebatur gratia, & vnaquæque ecclesia habebat multos qui prophetabant. Si autem dicit Christus, lex & prophetæ vsque ad Ioannem, de illis dicit Prophetis qui eius aduentum prædixerunt. *Tertio Doctores.* Nam qui prophetat, ex spiritu omnia loquitur: qui autem docet, nonnunquam ex sua differit intelligentia. Et ideo dicebat, Qui bene præfunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina. Qui autem spiritu omnia loquitur, non laborat. Et ideo eum posuit post Prophetam: quoniam illud quidem totum est donum gratuitum, hoc autem est etiam labor humanus. Et enim ex se quoque multa loquitur, conuenientia tamen diuinis scripturis. *Deinde virtutes, exinde gratias curationum.* Vides quemadmodum rursus diuidit ac separat curationes à virtute: quod priùs quoque fecit. Nam qui habet quidem virtutem, & castigat & medetur. Qui habet autem donum curationum, solum medetur. Vide autem quemadmodum optimo vsus est ordine, prophetiam præponens virtutibus & curationibus. Nam superius quidem vbi dicebat, Alij quidem per spiritum datus est sermo sapientiæ, & alij sermo scientiæ, non per ordinem ponens dicebat, sed indiscriminatim. Hic autem & præponit & subiicit. Cur autem præponit prophetiam? Quoniam in veteri quoque res eundem habebat ordinem. Quando certè Esaias disse-rebat cum Iudæis, & Dei virtutis præbebat ostensionem, & de vilitate dæmonum in medium adducebat argumentum, hoc quoque diuinitatis maximum esse dixit indicium, futura dicere. Porro autem Christus quoque tot factis signis, hoc quoque dixit esse non paruum suæ diuinitatis indicium: & assiduè effatur: Hæc autem dixi vobis, vt quando facta fuerint, credatis quòd ego sum. Sed prophetiæ quidem dona meritò sunt secunda à curationibus. Cur autem & à doctrina? Quoniam non sunt paria annuntiare verbum prædicationis seminarèque pietatem in animis eorum qui audiunt, & facere virtutes. Nam eæ quoque sunt per illa. Quando ergo quispiam verbo erudit & vita, est maior omnibus: eos enim dicit doctores, qui & factis docent, & sermone erudiunt: hoc quidem certè etiam Apostolos fecit esse Apostolos. Et illa quidem etiam quidam alij non magni pretij in initio acceperunt, sicut illi qui dixerunt: Domine, non in tuo nomine prophetauimus, & virtutes multas fecimus? & postea audiuerunt, Nunquam noui vos. Discedite à me qui operamini iniquitatem. Doctrinæ autem sermonem hunc qui est duplex, nempe qui existit & per facta & per verba, malus homo nunquam susceperit. Si Prophetas autem præponit, ne mireris. Non enim absolutè dicit Prophetas, sed eos qui per prophetiam & docent & dicunt omnia ad id quod confert in commune. Quod quidem pro-

cedens nobis facit apertius, *Opitulationes, gubernationes.* Quid est opitulationes seu susceptiones? Vt pauperes suscipiamus. Hòcne ergo est, dic rogo, donum gratuitum? Est hoc maximè donum Dei, præesse ac curam gerere, & res administrare spirituales. Alioqui autem etiam multa ex iis quæ à nobis rectè & ex virtute sunt appellat dona gratuita, non volens nos despondere animum, sed ostendens quod vbiq; & semper Dei e-gemus auxilio, & nos instruens vt simus grati animi, & eorum spiritus. *Genera linguarum.* Vidisti vbinam posuit hoc donum: & quomodo vbiq; vltimum ei locum tribuit. Deinde quoniam rursus ex hac enumeratione magnam ostendit differentiam, & illum excitauit morbum eorum qui minora habent dona, de cætero eis in-sultat cum magna vehementia, propterea quòd eis multa præbuerit argumenta quod non sint conditionis admodum deterioris. Nam quoniam erat verisimile eos his auditis dicere, Et cur non omnes facti sumus Apostoli? superius quidem vsus est oratione magis consolatoria, multis ostendens hoc fieri necessario, & ab imagine corporis. Corpus enim, inquit, non est vnum membrum: & rursus, Si autem essent omnia vnum membrum, vbi corpus? & ex eo quòd data sint vtiliter. Vnicuique enim, inquit, datur manifestatio spiritus ad vtilitatem: & ex eo quòd omnes hauriant ex eodem spiritu: & ex eo quòd id quod datur sit donum gra-tuitum, & non secundum debitum. Diuisiones enim, inquit, sunt gratiarum seu donorum, idem autem spiritus: & ex eo quòd manifestatio fiat similiter per omnia spiritus: & ex eo quòd prout videtur spiritui & Deo, hæc sunt figurata. Omnia enim hæc, inquit, operatur v-nus & idem spiritus, diuidens singulis sicut vult, & posuit Deus membra, vnumquodque eorum in corpore sicut voluit: & ex eo quòd sint necessaria etiam quæ sunt minora. Nam quæ videntur, inquit, esse infirmiora, sunt necessaria: & ex eo quòd sint similiter necessaria, in eo quòd corpus similiter construant atque ea quæ sunt maiora. Corpus enim, inquit, non est vnum membrum, sed multa: ex eo quòd etiam maiora egeant minoribus. Non potest enim, inquit, dicere caput pedibus, tua opera non egeo: ex eo quòd hæc maiorem honorem adipiscantur. Ei enim cui deest, inquit, abundantiorem dedit honorem: ex eo quòd quod communis & par sit eorum cura. De eodem enim sunt inter se inuicem sollicita omnia membra: & ex eo quòd sit vna gloria & dolor ipsorum omnium. Si quid enim, inquit, patitur vnum membrum, collætantur membra omnia. Atque superius quidem per hæc est consolatus. Hic autem de cætero vehementiore & increpante vsus est oratione. Nam sicut dixi, neque semper consolari, neque os semper oportet obstruere. Propterea ipse quoque postquam multis est eos consolatus, valde de cætero eos inuadit, dicens, *Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes gratiam habent curationum.* Neque ad primum vsque constitit, sed procedit vsque ad vltima, aut hoc dicens, fieri non posse vt omnes sint omnia, sicut illic dicit. Si omnia essent vnum membrum, vbi corpus? aut rursus aliquid aliud comparans ad rationem consolationis. Quòdnam est autem? aut ostendens de minoribus non minus quàm de maioribus contendit, ex eo quòd nec ea absolutè data sint omnibus. Quid enim, inquit, doles quòd non habes dona curationum? Cogita quòd id quod tu habes, etiam si sit minus, sæpe non habet qui maius habet. Propterea dicit. *Nunquid omnes linguis loquuntur? Nunquid omnes interpretantur?* Quomodo enim magna non omnibus Deus donauit omnia, sed illis quidem hoc

Propheta erant in ecclesia primitiua. A. 2. 1. & 11. Inf. 14. 1. Tim. 4.

Mat. 11.

1. Tim. 4. Mat. 5.

Hic sup.

Futura dicere est diuinitatis maximum indicium. Ioan. 13.

Mat. 7.

Quis in his verbis interpretatur? Nunquid omnes interpretantur? Quomodo enim magna non omnibus Deus donauit omnia, sed illis quidem hoc

his verò illud, ita etiam fecit in minoribus, ne his quidem omnibus propositis. Hoc autem fecit, magnum ex eo ædificans consensum & charitatem: vt vnusquisque opus habens proximo, ad fratrem congregetur. Hoc & administrat in artibus, hoc & in elementis, hoc & in plantis, & in membris nostris, & vt semel dicam, in omnibus. Deinde subiungit etiam validissimam consolationem, & quæ sufficit ad eos recreandos, & ad sedandam dolentem animam. Quænam autem ea est. *Amulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Hoc autem dicens, tacitè significauit in eos culpam esse conferendam quòd minora accipiant, & in eorum esse potestate, si velint, maiora accipere. Nam quando dicit, *Amulamini*, ab eis studium exigit, & desiderium in res spirituales. Non dixit autem, maiora, sed meliora, hoc est, vtiliora, & quæ conferunt. Hoc est autem quod dicit, Manete desiderantes charismata seu dona gratuita: & ostendo vobis fontem donorum. Non dixit enim charisma seu donum, sed viam: vt magis extollat id quod est dicturus. Neque enim vnum, & duo, & tria vobis ostendo charismata, sed viam quæ ducit ad hæc omnia: & non absolutè viam, sed viam excellentem, & quæ est communiter omnibus proposita. Nò enim sicut charismata, illis quidem hæc, his verò illa, sed non omnibus hæc data sunt: ita etiam hoc quoque, sed donum est in genere consistens & vniuersè. Et ideo omnes ad hoc vocat. *Amulamini*, enim inquit, charismata meliora. Et adhuc excellentiorem vobis viam demonstro, dicens charitatem in proximum. Deinde de ea dicere, & præclaram hanc actionem laudare aggressurus, primum ea destruit per factam ad illa comparisonem, absque illa ea nihil esse ostendens, prudenter admodum. Si enim de charitate statim differuisset, & cum dixisset, viam vobis ostendo, subiunxisset, Hæc autem est charitas, & non per comparisonem produxisset orationem, dictum quidam substantiassent, vt qui vim rei non apertè nossent, sed adhuc dubij his inhiarent. Quamobrem non protinus eam aperit, sed cum primò promissione suspendisset auditorem, & dixisset, Excellentem vobis viam demonstro, & sic eos induxisset ad desiderium, de his ipsis primum differit, & ostendit si illa non sit ea nihil esse, eos ad maximam adducens necessitatem vt se mutuò diligant: quoniam ex eo quòd ea sit neglecta, causa sit omnium malorum. Quamobrem vel ex eo iure magna apparuerit, siquidem charismata quidem eos non solum non conciliant ac congregant, sed etiam vnitos separant & disiunxerunt: ipsa autem eos qui per illa erant separati ac disiuncti, per se erat conciliatura, & vnum corpus effectura. Sed non hoc statim dicit, sed quod maximè cupiebant hoc ponit, nempe quod ea res est charisma seu donum, & charismatum omnium via excellentis. Quamobrem etiam si non propterea quod debet vis fratrem diligere, at propterea quod melius signum apprehendas & copiosum charisma, suscipe charitatem. Vide autem vndenam incipiat. Primum ab eo quod apud eos videbatur admirabile & magnū, nempe à linguis: & cum charisma adduxisset in medium, non tantum ponit quantum habebant, sed multò amplius. Neque enim dixit, *Si linguis loquar*, sed, *Si linguis hominum loquar.* Quid est, hominum? Omnium gètium quæ sunt vbiq; terrarum. Neque ea contentus fuit hyperbole ac exuperatione, sed aliam quoque ponit longè maiorem, subiungens & dicens. *Et angelorum: charitatem autem non habeam, factus sum velut æsonans, aut cymbalum tinniens.* Vidisti vbinam in altum elatum charisma vbinam diruerit & confregerit. Neque enim absolutè dixit, Nihil sum, sed factus sum æsonans, nullo

sensu præditum quidpiam & inanimum. Quomodo autem æsonans? Vocem quidem emittens, sed frustra & temerè, & ad nullum vsu. Nam præterquam quòd nihil efficere, etiam molestiam afferre videor, & multis esse importunus & grauis. Vides quemadmodum qui est priuatus charitate, est similis rebus inanibus & nullo sensu præditis. Angelorum autem linguam hic dicit, non corpus tribuens angelis: sed id quod dicit, est huiusmodi: Si ita loquar vt angelis constitutum est inter se loqui, absque ea nihil sum, sed grauis, importunus & molestus. Sic quidem certè cum dicit alibi: *Ei flestitur omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum, non genua & ossa tribuens angelis hæc dicit, absit, sed intellam ac vehementem adorationem, per eam quæ est apud nos figuram, tacitè vult significare.* Ita hic quoque linguam appellauit, non carneum significans instrumentum, sed eorum mutuum inter se consuetudinem, modo inter nos cognito, tacitè volens significare. Deinde vt accepta & ad admittendum facilis esset oratio, non ad linguas vsque constitit, sed etiam ad cætera progreditur charismata, & cum per eius absentiam omnia diruisset, tunc eius describit imaginem: & quoniam statuit amplificare orationem, à minoribus incipiens ascendit ad maiora. Quod enim quando eorum indicauit ordinem, posterius posuit, nempe donum linguarum, hoc nunc primum enumerat, paulatim, sicut dixi, ascendens ad maiora. Nam cum dixisset de linguis, statim ascendit ad prophetiam, & dicit. *Et si habuero prophetiam.* Et hanc rursus cum hyperbole & exuperatione. Nam quomodo illic nò potuit linguas, sed omnium hominum linguas, & procedens etiam, linguas angelorum: & tunc ostendit nihil esse donum absque charitate: ita hic quoque non solum ponit prophetiam, sed summam etiam prophetiam. Nam cum dixisset, *Et si habuero prophetiam*, subiunxit, *Et nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam.* Cum intentione ponens hoc quoque charisma. Deinde ad alia quoque procedit charismata, & ne sigillatim vnumquodque eorum dicēs videatur rursus esse molestus, ponit matrem & fontem omnium, eamque rursus cum exuperatione, sic dicens, *Et si habuero omnem fidem.* Nec eo fuit contentus, sed quod etiam tãquam maximum dixit Christus, hoc quoque adiecit, dicens, *Ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Cõsidera autem quemadmodum hic quoque rursus destruit linguarū dignitatem. Nam in prophetia quidem magnum ostendit lucrum quod inde proficiscitur, nempe nosse mysterium, & omnem habere scientiam: & in fide non paruum opus montes transferre. In linguis autem, cum ipsum solum dixisset donum, recessit. Tu autem illud quoque mihi cõsidera, quemadmodum paucis omnia complexus est charismata, prophetiam dicens & fidem. Aut enim in verbis, aut in factis sunt miracula. Et quomodo dixit Christus minimam fidei partem esse montes transferre? Nam tanquam minimam dicens sic posuit: Si habetis fidem tãquam granum sinapis, dicetis monti huic, Transi, & transibit. Paulus autem omnem fidem hanc esse dicit. Quid ergo sibi vult? Quoniam hoc erat magnum montes transfouere, propterea eius etiam meminuit: non tanquam hoc sola posset tota fides, sed quoniam hoc videbatur esse magnum crassioribus, propter molem corporis, hinc quoque extollit & amplificat propositum. Hoc est autem quod dicit, Si habeam omnem fidem, & si possim montes transfouere, charitatem autem non habeam, nihil sum. *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas: & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem nò habuero, nihil mihi prodest.* Papæ quanta hyperbole! Etenim hæc quoque

Sine charitate, cætera nihil sunt.

Charitas est melius signum & copiosum charisma. C. A. P. X. 111.

Phil. 2.

Angelorum lingua quid sit.

Fides est mater & fons omnium donorum.

Fidei pars minima est montes transferre. Mat. 17.

Summa eleemosyna. Marc. 19. Ioan. 15. Summa dilectio.

Marc. 10. Luc. 18.

Ioan. 8. Marc. 8. Luc. 12.

Gal. 1.

Rom. 8.

ponit cum alia adiectione. Non dixit enim, Si dedero pauperibus dimidiam partem mearum facultatum, aut duas, aut tres partes, sed si omnes meas facultates. Et non dixit, Dedero, sed distribuero, ut sumptui addatur etiam ministerium cum omni cura & diligentia. Et si dedero corpus meum ut ardeam. Non dixit, Si mortuus fuero, sed hoc quoque cum hyperbole & exuperatione. Omnium enim acerbissima morte posita, nempe viuum exuri, eam quoque sine charitate nihil dixit esse magnum. Subiunxit itaque, Nihil mihi prodest. Sed nondum ostendit omnem hyperbolem & exuperationem, donec Christi testimonia, quae de eleemosyna & morte dicta sunt, in medium adduxero. Quanam ergo sunt testimonia? Dicit diuiti, Si vis perfectus esse, vende omnia quae habes, & da pauperibus: & veni huc & sequere me. Porro autem de dilectione quoque proximi dicit. Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut quis ponat animam suam pro amicis suis. Vnde est peripicuum quod hoc quoque apud Deum est omnium maximum. Sed ego dico, inquit Paulus, quod & si ipsam vitam pro Deo posuerimus, & non solum posuerimus, sed etiam ita ut conflagremus, hoc enim est, Si tradidero corpus ita ut ardeam, non magnum erit nobis lucrum si proximum non diligamus. Atque dicere quidem charismata non multum prodesse si absit charitas, non est mirum. Nam vita quoque sunt postiora charismata. Multi quidem certe eum aserunt, poenas dederunt: ut illi qui eius nomine prophetarunt, & multa daemonia eiecerunt, & multas virtutes fecerunt, ut Iudas proditor. Alij autem fideles cum vitam praestitissent puram, nullo alio opus habuerunt ut salui essent. Quod ergo charismata, ut dixi, ea opus habeant, nihil mirum. Quod autem etiam vita perfecta absque ea nihil possit, hoc est quod indicat hyperbolem & exuperationem, & magnam affert dubitationem: & maxime cum Christus his ambobus sua sententia cernatur maxima tribuere, possessionum, inquam, abdicationi & periculis martyrij. Dicit enim diuiti, sicut prius dixi: Si vis perfectus esse, vende omnia quae habes, & da pauperibus, & veni & sequere me. Et cum discipulis de martyrio differens dicebat. Qui perdidit animam suam propter me, inueniet eam: &, Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui est in caelis. Praelari enim huius facinoris magnus est labor, & qui ipsam ferè superat naturam, hocque sciunt ij qui ut has coronas assequerentur pulchrè digni sunt habiti. Nulla enim dicendi facultas id poterit exprimere. Tam generosi & excelsi est ea res animi, & supra modum admirabilis. Sed tamen hanc rem admirabilem absque charitate nihil prodesse dixit Paulus, etiam si secum habeat cõiunctam bonorum abdicationem. Quanam ergo de causa sic dixit, hoc iam tentabo ostendere, si primum illud quæsero, quomodo is qui omnes suas facultates distribuit, potest non habere charitatem. Nam paratum quidem esse comburi, etiam si habeat charismata, fortasse contingit, & non diligere. Qui autem non solum dat suas facultates, sed etiam distribuit, quomodo non diligit? Quid ergo dici potest? An quod id quod non est, posuit tanquam quod sit, quod quidem semper solet facere, quando voluerit ostendere exuperationem: ut quando dicit scribens ad Galatas: Si nos, aut angelus è caelo euangelizet vobis præterquam quod accepistis, anathema sit. At qui nec ipse, nec angelus è caelo hoc erat factururus. Sed ut rei ostenderet exuperationem, id etiam posuit quod nullo modo erat futurum. Et rursus quando scribit ad Romanos, & dicit, Neque angeli, neque principatus, neque potestates possunt nos separare

à charitate Dei. Neque enim hoc facturi erant angeli. Sed id quoque ponit quod non est: sicut etiam quod deinceps sequitur, dicens, Neque alia creatura. Eam enim omnem comprehendit, & quae supra, & quae infra, dicens omnia. Sed tamen illic quoque quod non est ponit per hypothèsim, ut ostendat modum exuperans suum desiderium. Quod quidem hic quoque facit, dicens, quod etiam si quisquam omnia dederit, charitatem autem non habeat, nihil ei prodest. Aut hoc ergo dici potest, aut quod vult eos qui erogant, esse etiam coniunctos & conglutinatos iis qui accipiunt, & non solummodo dare absque vlla commiseratione, sed miserentes, inflexisque & contractos, & consensum habentes doloris cum iis qui egent. Nam ideo est etiam eleemosyna à Deo lege constituta. Poterat enim Deus alere pauperes etiam absque hoc: sed ut nos colligaret in charitate, & ut inter nos incalesceremus & accenderemur, ipsos iussit à nobis nutrirì. Propterea alibi quoque dicit, Melior est sermo bonus quam datio: & ecce sermo supra donum bonus: & ipse dicit, Misericordiam volo, & non sacrificium. Nam quoniam mos est & eos amare qui beneficio afficiuntur, & qui beneficio sunt affecti esse coniunctiores & beneuolentiores iis qui beneficio afficiunt, vinculum amicitiae faciens, hoc constituit. Sed illud esse quod quaeritur, quomodo cum Christus vtraque dixerit esse perfectionis, hic absque charitate hæc dicit esse imperfecta. Non ei aduersans & reclamans, absit, sed ei valde consonans & consentiens. Nam in diuite non dixit solum, Vende omnia quae habes, & da pauperibus, sed subiunxit, & veni & sequere me. Quod ipse autem sequatur, hoc non adeo ostendit discipulum Christi, ut se mutuo diligere. In hoc enim cognoscent omnes, inquit, quod mei discipuli estis, si alter alterum diligatis. Porro autem quando dicit, Qui perdidit animam suam propter me, inueniet eam, &, Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego ipsum coram patre meo qui est in caelis. non hoc dicit hæc non fieri propter charitatem, sed ostendit mercedem his laboribus repositam. Nam quod cum martyrio hoc quoque requirat, alibi hoc valde innuit, sic dicens, Calicem quidem meum bibetis, & baptismo quo ego baptizor baptizabimini. hoc est, testimonium feretis martyriumque suscipietis, & pro me occidemini. Sedere autem à dextris & à sinistris meis, (non quod aliqui sedeant à dextris & à sinistris, sed primam & summam sedem dicens & honorem) non est meum, inquit, dare, sed quibus est paratum. Deinde ostendens quibusnam sit paratum, eis vocatis dixit, Qui voluerit inter vos esse primus, sit omnium vestrum minister, humilitatem significans & charitatem. Charitatem autem exigit intentam. Propterea nec haecenus quidem constitit, sed subiunxit, Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in pretium redemptionis pro multis: ostendens oportere sic amare ut etiam occidantur pro iis qui diliguntur. Propterea Petro quoque dicit, Si amas me, pascue oues meas. Et ut discatis quam pulchra ac præclara sit actio, eam verbis describemus, quando non videmus eam rebus apparere. Nobis autem veniat in mentem, si ea vbi que esset affatum, quam multa bona existerent. Neque enim opus esset legibus, neque iudiciis, neque poenis, neque suppliciis ac tormentis, neque vlllo alio eiusmodi. Nam si omnes diligerent & diligerentur, nullus cuiquam faceret iniuriam: sed caedes, & pugnae & bella, & seditiones, & rapinae, & propter nimiam habendi cupiditatem circumscriptioes, & omnia mala procul abessent: & ad nomen vsque ignoratum esset vitium. Signa autem hoc non effecerint: sed ad inanem gloriam & insolentiam efferunt

Bona cetera mala habet adiuncta: sola charitas nullum.

Ioan. 21.

Charitas est maior martyrio.

Leuit. 19. & Marc. 22. Ibidem.

Charitatis laudes.

efferunt eos qui non attendunt. Et quod charitatis est admirabile, alia quidem bona mala habent adiuncta: ut qui pauper est, quod suas abdicarit facultates, propterea saepe intumescit. Qui est dicendi facultate praeditus, laborat vesana gloriae cupiditate. Humilis, propter hoc ipsum, in sua insolenscit & superbit consciètia. Charitas ab omni eiusmodi pernicie est libera. Nam aduersus eum qui diligitur nemo vnquam fuerit elatus. Nec mihi posueris vnum diligentem, sed omnes similiter, & tunc eius videbis virtutem. Vel potius si vis, pone vnum qui diligitur, & vnum qui diligit, diligit autem ut par est diligere. Is terram tanquam caelum habitabit, vbi que & semper fruens tranquillitate, & innumerabiles sibi contexens coronas. Nam qui est eiusmodi, is & ab odio & ira, & inuidia & arrogantia, & vana gloria, & à mala cupiditate, & ab omni prauo ac nefario amore, & ab omni mala aegritudine suam puram cõseruabit animam. Quomodo enim nemo sibi mali quid fecerit, ita neque proximis. Cum autè talis sit, etiam cum ipso stabit Gabriele ingrediens in terra. Et qui habet quidem charitatem, est eiusmodi. Qui autem signa facit, & perfectam & absolutam habet scientiam, absque ea, etiam si mille excitet mortuos, non multum iuuabit, ut qui sit ab omnibus abruptus, & cum nullo ex conferuis se patiatur admisceri. Propterea perfecta in ipsum charitatis signum esse dixit, proximum diligere. Si enim o Petre, inquit, me plus his diligis, pascue oues meas. Vidisti quomodo rursus hic quoque tacitè significarit hoc esse maius martyrio. Si quis enim haberet dilectum filium, & pro quo vel ipsam daret animam, deinde quisquam patrem quidem amaret, filium autem minimè attenderet, patrè valde irritaret. Si neque sui sentiret dilectionem propter contemptum filij. Si autem in patre & filio hoc accidit, multo magis in Deo & hominibus. Deus enim est amantior & beneuolentior quam omnes homines. Propterea cum dixisset, Primum & magnum mandatum, diliges dominum Deum tuum: subiunxit, Secundum autem: & non solum, sed addidit eius simile: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Vide autem quemadmodum cum eadem ferè exuperatione eam quoque exigit. Nam de Deo quidem dicit, Ex toto corde tuo: De proximo autem tuo sicut teipsum: quod perinde est atque, ex toto corde tuo. Nam si hoc exactè seruaretur, non esset seruus, non liber, non princeps, non qui pareret principi, non diues, non pauper, non paruus, non magnus, non diabolus vnquam esset cognitus. Non hic dico, sed etiam si alius talis, imò verò & si centum, vel etiam decies mille essent eiusmodi, nihil valuissent si illa esset. Ignis enim immisionem magis tulerit scenum, quam flammam charitatis diabolus. Ea est muro fortior, ea est adamante firmior ac durior, eam non vincunt diuitiae, non paupertas: imò verò non esset paupertas, non immodica diuitiarum copia, si esset charitas, sed ea sola quae ex vtrisque sunt bona. Nam & perciperemus eam quae ex illis existit abundantiam, & quae ex hac oritur curarum & solitudinum vacuitatem: & neque curas diuitiarum, neque paupertatis metum sustineremus. Et quid dico lucra quae ex ea fiunt? Nam ipsum per se diligere cogita quantum sit: quantam afferat lætitiā, in quam magna gratia constituat animam: quod quidem est eius eximium. Nam alia quidem partes virtutis laborem habent coniunctum: ut ieiunium, temperantia, vigiliae, inuidia, cupiditate, contemptum. Charitas autem cum lucro & multam habet voluptatem, & nullum laborem, & sicut bona apis, quae vbi que sunt bona colligens, ea deponit in anima eius qui diligit: & si quis scriuiat, libertate iucundiorē reddit seruitutem. Nam qui diligit non tam lætatur si imperet,

quàm si ei imperetur; etiam si imperare sit iucundum, sed ipsa transmutat rerum naturam, & accedit habens omnia bona in manibus: quauis matre mitior, quauis regina locupletior, & quae sunt laboriosa leuia facit & facilia, virtutem quidem facilem, acerbissimum autem nobis reddens vitium. Considera autem. Impendere videtur esse molestum, ipsa autem id facit iucundum. Accipere ab aliis est iucundum: ea autem non finit id videri iucundum, sed efficit ut fugiatur tanquam malum. Rursum maledicere omnibus videtur esse dulcissimum, ipsa autem id reddit amarum, benedicere verò dulce. Nihil est enim nobis æquè dulce, atque laudare eum qui diligitur. Rursum ira habet aliquam voluptatem, sed hic nequaquam, imò verò ablati sunt omnes eius nerui: & si eum qui diligit molestia affecerit is qui diligitur, nusquam quidem ira cernitur, sed lacrymae, & consolationes, & supplicationes: tantum abest ut irretetur, & si viderit peccantem, luget & dolore afficitur. Sed & ipsa dolor affert voluptatem. Charitatis enim & lacrymae & tristitia sunt quouis risu & gaudio iucundiores. Non aded quidem certè quiescunt & recreantur qui rident, ut qui flent & lugent pro amicis. Quod si non credas, reprimi eorum lacrymas, & non minus aegre ferunt quam si passi essent grauissima. Sed amare, inquit, inhonestam habet voluptatem? absit: bona verba loquere o homo. Nihil enim ab eiusmodi voluptate tam est purum quam germana charitas ac dilectio. Ne mihi enim dixeris plebeium & forensē, & qui est potius morbus quam amor & charitas: & videbis eos esse amantiores & beneuolentiores quam patres: & quomodo qui amant pecunias, pecunias expendere sua sponte non elegerint, sed maluerint cogi in angustias, quam videre illas minui: ita is cui est aliquis iucundus, maluerit pati mala plurima quam videre eum lædi quem diligit. Quomodo ergo Aegyptia mulier amans Ioseph, eum voluit probro & iniuria afficere? Quoniam diabolico amore eum amabat: Ioseph autem, non eo, sed illo quem querit Paulus. Considera ergo quantae charitatis erant eius verba & facta. Illa dicebat, probro me affice, & fac adulteram, & fac iniuriam meo marito, & euerte totam domū, & te expelle ab ea quam cum Deo habes fiducia: quae quidem erant non solum illum, sed ne seipsam quidem amantis. Hic autem quoniam ingenue & sincerè amabat, ab his omnibus abducebat. Et ut dicas quod eius curam gereret, id discere ex admonitione. Non solum enim eam repulit, sed etiam adhibuit admonitionem, quae poterat omnem flammam extinguere. Si enim dominus meus, inquit, propter me nihil cognoscit eorum quae sunt domi, mariti sui eam statim admonuit, ut eam pudore afficeret. Non dixit autem, maritus tuus, sed dominus meus: quod quidè magis sufficiebat ad eam continendam & persuadendam ut cogitaret quamnam sit, & quem amat, nempe dominum seruum. Nam si ille est dominus, & tu domina, pudeat te cum seruo cõsuetudinibus: & cogita cuius sis vxor, & cum quo velis coire, & in quem sis ingrata & immemor beneficij: & quod ego in eum maiorem ostèdo beneuolentiam. Vide autem quomodo eius extollit beneficia. Nam quoniam nihil sublime & excelsum poterat cogitare barbara & impudica mulier, ex rebus humanis ei pudorem intulit, dicens. Propter me nihil cognoscit: hoc est, me magnis afficit beneficiis: nec possum ei qui mihi praestit in iis quae sunt praecipua plagam asferre, me fecit secundum domum dominum: neque quisquam mihi est exemptus præter te. Hic eius attollit animos ac spiritus, ut vel sic eam pudore afficiat, & ostendat magnum esse honorem: & nec eovisque constitit, sed nomen etiam subiunxit, quod satis esset ad eam continen-

Amor qui inhonestam habet voluptatem, non est charitas.

Charitas, quanta esset in Ioseph.

Gen. 39.

dam. Propterea quod tu sis eius vxor: & quomodo faciam verbum hoc malum. Sed quid dicis? Non adest maritus: neque scit se iniuria affici. Sed Deus aspiciet. Sed illa ex consilio nihil lucrificet, sed ipsum attraxit. Furorem enim suum volens implere, non Iosephum amans hæc agebat. Pespicum est autem ex iis quæ fecit postea. Iudicium enim constituit, accusationem intendit, falsum in eum fert testimonium: ferèque tradit eum qui nihil sceleris admiserat, & conicit in carcerem, imò verò quod ad ipsam attinet, interemit, iudicem in eum armauit. Quid verò, erat ne quoque Ioseph talis? Imò verò totum contrarium. Nam neque contradicit, neque mulierem accusauit. Non fuisse enim, inquit, ei fides habita. Atqui valde amabatur: neque id solum cuius fuit ex initio, sed etiam ex fine. Nam si barbarus ipsum non valde dilexisset, silentem & non contradicentem occidisset: erat enim & Ægyptius, & Princeps, & in cubili affectus iniuria, vt putabat, & à seruo, & à seruo qui fuerat tatis affectus beneficiis. Sed hæc omnia vicit desiderium, & gratia quam Deus in eum effudit. Cum gratia autem & hoc amore, nō parua quoque habebat signa & indicia, si iure voluisset contēdere, nempe ipsas vestes. Nam si ei fuisset vis allata, oportebat ruptam fuisse eius tunicam, laceratam ac disceptam eius esse faciē, non tenere illius vestem. Sed audiit, inquit, quod vocem extuli, & vestibus suis relictis abiit. Cur ergo eum exiisti? Nam cum vim passa præclare actum esset, si liberata fuisset ab eo qui erat ei molestus. Ego autem non ex iis solum, sed ex iis etiam quæ postea sunt secuta, possum ostendere eius beneuolentiam & amorem. Nam tunc quoque quando necesse habuit dicere causam cur fuisset coniectus in carcerem & illic esset versatus, rem gestam non enarrauit. Sed quid dicit? Et ego nihil feci, sed furto sum sublatus è terra Iudæorum: & nusquam meminit adulteræ: neque de ea re gloriatur, quod fecisset quilibet, si non propter gloriæ cupiditatem, saltem ne videretur mala aliqua de causa in eam coniectus esse custodiam. Nam si etiam peccantes homines ne sic quidem abstinent ab iis accusandis, etiam si res probrum afferat ac dedecus, quomodo non est ille admirandus, quod cum esset purus, nō dixit amorem mulieris, neque peccatum traduxit, & ne tunc quidem quando thronum ascendit, & fuit rex totius Ægypti, meminit iniuriæ acceptæ à muliere, neque ab illa exigit pœnas. Vidisti quomodo ipse quidem eius curam gerebat, illa autem non amabat, sed furebat. Non enim amabat Ioseph, sed volebat explere libidinem. Porro autem ipsa quoque verba si quispiam accuratè examinauerit, ea sunt cum ira & cede multa. Quid enim dixit? Introduxisti puerum Hebræum vt nobis illuderet? beneficium marito exprobrans: & vestes ostendebat quauis fera effecta sæuior. Sed ille non sic. Et quid dico eius in ipsam beneuolentiam? cum nec aduersus fratres qui ipsum sustulerant talis fuerit: neque de eis quidquam vnquam dixit graue ac molestum, neque intus, neque foris. Propterea Paulus dicit eam esse matrem omnium bonorum, & eam præfert signis & aliis charismatibus. Quomodo enim si vestes quidem sint aureæ & calcei, aliquo etiam alio iudumento opus habemus, vt discamus regem: Sed si purpurā viderimus & diadema, nulum aliud quærimus videre regni signum. Ita hæc quoque, quando charitatis est impositum diadema, id sufficit ad ostendendum perfectum Christi discipulum, non solum nobis sed etiam infidelibus. In hoc, inquit, enim cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si alter alterum amatis. Quamobrem hoc signum omnibus signis est maius, si quidem in ipso cognoscitur discipuli. Nam etsi aliqui mille faciant signa, seditionem autem inter se

Ægyptiæ mulieris in Ioseph crudelitas.

Iosephi in furem dominam beneuolentia & amor.

Gen. 39.

Ibid. 37. & 45.

Ioan. 13.

agitant, ridiculi erunt infidelibus. Quomodo etiam si nullum signum faciant, se autem mutuo perfectè diligant, permanent & veneradi & à nullo subiugati. Nam Paulum quoque propterea admiramur, non propter mortuos quos excitauit, neque propter leprolos quos mūdauit, sed quoniam dicebat, Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Nam etsi decies mille signa ad hæc adieceris, nihil dices quod ei possit conferri. Nam ipse quoque dicit magnam esse sibi repositam mercedem, nō quoniam fecit signa, sed quoniam infirmis fuit tanquam infirmus. Quænam est enim, inquit, mea merces, vt euangelizans sine sumptu ponam euangelium? & quando se præponit Apostolis, non dicit, Plura quàm ipsi feci signa, sed, plusquam ipsi laboraui. Quinetiam fame quoque propterea volebat emori, propter salutem discipulorum. Bonū est enim, inquit, mihi magis emori, quàm vt gloriationem meam quis euacuet: non quoniam gloriabatur ipse, sed ne videretur eis exprobrare. Nusquam enim scit gloriari propter bona sua opera, si non vocet tempus. Sed etsi fuerit coactus, seipsum vocat insipientem. Si quando autem gloriatur, gloriatur in infirmitatibus, in contumeliis, in magna commiseratione eorum quibus insultatur, sicut etiam hic dicit, quis infirmatur, & non infirmor? Hæc etiam verba sunt periculis maiora: & idè ea ponit posterius, amplificas orationem. Quidnam ergo nos mereamur cum illo comparati, qui neque pecunias propter nos ipsos despiciamus, neque quæ sunt ex nostris facultatibus superflua distribuimus? Sed non sic ille, imò verò & animam & corpus tradebat, vt qui ipsum lapidibus appetiissent, & colaphos ei impigissent, regnum assequerentur. Sic enim me, inquit, docuit Christus diligere, qui nouum reliquit mandatum de dilectione, & quod ipse factis impleuit. Etenim cum esset rex vniuersorum, & esset beatæ illius naturæ, homines quos ex nihilo creauit, & quos innumerabilibus affectis beneficiis, eos contumelia afficientes & despuentes non est auersatus: sed & propter ipsos homo factus est, & conuersatus est cum meretricibus & publicanis, & à dæmone vexatos curauit, & cœlum promisit & post hæc omnia ei capto colaphos impegunt, cum vinxerunt, flagris ceciderunt, irriserunt, & tandem in crucem egerunt: & ne sic quidem eos est auersatus: sed & cum esset sublimis in cruce, dixit, Pater, remitte eis peccatum: latronem autem qui antea eum accusabat, introduxit in paradysum: & persecutorem Paulum fecit Apostolum: & suos necessarios ac domesticos & sibi dedicatos discipulos ad mortem dedit propter Iudæos qui ipsum in crucem egerant. Hæc ergo omnia colligentes quæ sunt Dei, & quæ sunt hominum, bona hæc & præclara opera æmulemur, & charitatem omnibus charismatibus superiorem acquiramus, vt & præsentia & futura bona consequamur. Quæ detur nobis omnibus consequi gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum patre & sancto Spiritu &c.

ORATIO XXXIII.

CHARITAS *patiens est, benigna est, non emulatur, non agit perperam, non inflatur.* Postquam enim pronuntiauit, quod & fidei, & scientiæ, & prophetiæ, & linguarum, & charismatum, & curationum, & vitæ perfectæ, & martyrij, si ea absit, non magna est utilitas, necessariò deinceps describit immensam eius pulchritudinem, tanquam quibusdam coloribus, virtutis partibus eius exornans imaginem, & omnia eius membra exactissimè componens. Sed ne leuiter prætercurras ea quæ dicuntur ô dilecte, sed vnumquodque eorum examina

504

1. Cor. 13.

2. Tim. 3. 2.

1. Cor. 13.

1. Cor. 13.

1. Cor. 13.

1. Cor. 13.

1. Cor. 13.

1. Cor. 13.

1. Cor. 13.

1. Cor. 13.

1. Cor. 13.

1. Cor. 13.

1. Cor. 13.

1. Cor. 13.

mina diligentissimè, vt & rei videas thesaurum, & artem pictoris. Considera ergo vndenam statim inceperit, & quidnam primū posuerit, quod est causa omnium bonorum. Quid hoc est autem? Lenitas & patientia. Ea est radix totius philosophiæ. Quamobrem dicebat quidem sapiens, vir lenis ac patiens est multæ prudentiæ. Qui pusilli autem & impatientis est animi, est valde insipiens. Quinetiam cum ciuitate munita ac forti eam comparans, eam dicit illa esse firmiorem ac tutiorem. Ea enim est arma quæ dā inexpugnabilia, & turris quædam quæ rumpi non potest, faciliè propulsans quæcunque sunt molesta. & quomodo quæ in abyssum ceciderit scintilla, illam quidem non lædit, ipsa autem faciliè extinguitur: Ita quod in lenem ac patientem animam inopinatum inciderit & inexpectatum, ipsum quidem faciliè deletur & euanescit, ipsam autem non cōturbat. Rebus enim omnibus validior ac fortior est lenitas, ac patientia: etiam si dicas castra, etiam si pecunias, etiam si equos, etiam si muros, etiam si arma, etiam si quodlibet, nihil dices quod possit comparari cum lenitate & patientia. Nam qui illis fuerit indutus ac tectus, ab ira superatus, sæpe tanquam vilis & ignauus adolescentulus, euertitur, tumultūque & tempestate implet omnia. Hic autem tanquam in portu sedens profunda fruitur tranquillitate, & si in damnum inieceris, non mouebis rupem: & si contumeliam intorseris, non labefactabis turrim, & si plagas infixeris, non feries adamantem. Lenis enim ac patiens propterea dicitur μακροθυμος, id est longanimis, quod longam quandam & magnam habeat animam. Nam quod est longum, dicitur etiam magnum. Sed hoc bonum nascitur à charitate, & iis qui possidēt, & iis qui acceperunt, magnam afferens utilitatem. Ne mihi enim dixeris desperatos, qui malè faciētes, & non malè patientes, sunt deteriores. Hic enim non hoc accidit ex lenitate ac patientia, sed ex iis qui ea non rectè vtuntur. Ne eos ergo dixeris, sed mitiores ac mansuetiores qui magnum hinc lucrum percipiunt. Quando enim cum malè fecerint non malè sunt passi, eius qui passus est lenitatem admirantes, hinc percipient maximam doctrinam philosophiæ. Ipse autem non haecenus constitit, sed eius etiam subiungit alia bona opera, dicens, *Benigna est.* Nam quoniam sunt nonnulli qui lenitate ac patientia non ad sibi conueniētem vtuntur philosophiam, sed ad vindictam eorum qui ipsos irritarunt se ipsos dirumpentes, dicit eam ne in hoc quidem deficere. Et ideo subiungit, *Benigna est.* Neque enim ad accendendam flammam eorum qui ira incendantur, ipsa vtuntur acriùs, sed ad sedandam & extinguendam: & non solum fortiter ferendo, sed & mitigando & consolando medentur vlceri, & vulnus curant iræ. *Non emulatur.* Fieri enim potest vt sit aliquis lenis ac patiens & inuidus, & per hoc bonum illud opus interit ac corrumpitur. Sed ipsa hoc quoque effugit. *Non agit perperam.* Hoc est, nō est temeraria & præceps: eum enim qui diligit efficit prudentem & grauem, & constantem. Eorum enim qui turpiter amant, est proprium hoc delictum. Qui autem hanc nouit dilectionem, ab his omnibus est maximè liber. Quando enim nō fuerit intus ira, omnis quoque aufertur temeritas & contumelia. Etenim tanquam bonus quispiam agricola, intus animè infidens charitas & dilectio, nihil ex his spinis sinit germinare. *Non inflatur.* Videmus enim multos propter hæc ipsa bona opera offerri & insolescere: vt pote quod non sit inuidus, neque malus, neque pusilli & abiecti animi, neque præceps ac temerarius. Neque enim diuitiis & paupertati adsistunt solum hæc mala, sed iis etiam quæ naturā sunt bona & honesta. Sed charitas omnia perfectè expurgat & emundat. Considera autem. Qui est le-

Lenitas & patientia est radix totius philosophiæ. Salomon. Prou. 14.

Patens cur dicitur longanimis.

Lenis ac patiens nō potest esse inuidus.

Charitas sua benignitate

nis & patiens, non est etiam omnino benignus. Si non sit autem benignus, ea res fit vitium, & venit in periculum ne cadat in odium & iniuriæ acceptæ recordationem. Propterea ipsa dato medicamento, puram conseruat virtutem. Rursus benignus sæpe fit facilis, sed ipsa quoque hoc corrigit. Charitas enim, inquit, non agit perperam, non inflatur. Benignus, & qui est lenis & patiens, sæpe est arrogans & insolens: sed hoc quoque tollit vitium. Vide autem quomodo eam ornat, non solum ex iis quæ habet, sed etiam ex iis quæ non habet. Dicit enim eam & virtutem inducere, & vitium excindere: imò verò ne ab initio quidem sinit enasci. Neque enim dicit, *Æmulatur quidem, superat autè inuidiam.* Neque superbit quidem & insolescit: sed castigat eam animi perturbationem: sed, non æmulatur, nō agit perperam, non inflatur. Quod quidem est maximè mirabile, nempe quod absque labore, vt bona rectè gerantur efficit, & absque bello & structa acie trophæum erigit. Non enim sinit vt qui habet sudet, & sic accipiat coronam: sed sine labore ei affert præmiū. Vbi enim moderata & temperanti cogitationi non est quæ aduersatur animi perturbatio, quisnam fuerit labor? *Non est ambitiosa.* Quid enim dico, inquit, eam non inflari, cum tātum absit ab eo vitio, vt etiam extrema perpeffa propter dilectum, ne turpitudinem quidē ac dedecus rem existimer. Rursus non dixit, Probrum ac dedecus reputat, forti autem ac generoso animo probrum fert & dedecus, sed probri ac dedecoris ne sensum quidem accipit. Nam si auari ac pecuniæ cupidi probrosissima quæque ferentes propter illam cauponationem, non solum non erubescunt, sed etiam exultant, multò magis is qui laudabilem hanc habet charitatem, vt sint in tuto qui diliguntur, nihil vitabit & recusabit. Sed nec patiens quidem erubescit. Sed ne ex re mala exemplum afferamus, hoc ipsum in Christo examinemus: & tunc videbimus vim eius quod dictum est. Dominus enim noster Iesus Christus, & conspuebatur, & alapas ac colaphos patiebatur à seruis virisque miserabilibus, & non solum non existimabat id sibi esse probro ac dedecori, sed etiam exultabat, eamque rem gloriam appellabat, & latronem & homicidam secum ante alios introduxit in paradysum: & cum meretrice loquens, idque omnibus qui aderant reprehendentibus, rem non existimauit esse turpem, sed ei suos pedes præbuit osculandos, & corpus lacrymis irrigandum, & capillis tergendum, idque spectantibus inimicis & hostibus. Charitas enim nō probrum esse ducit ac dedecus. Propterea patres etiam si sint omnium philosophi maximi, & in dicendi facultate præstantissimi, non erubescunt simul balbutire cum filiis, neque quisquam ex iis qui vident id reprehendit, sed videtur esse adeo pulchrum & honestum, vt sit etiam in votis. Et si rursus fuerint mali, ij manent corrigentes, curam gerentes, & probra eorum coërcentes. Charitas enim non probrum nec dedecus reputat, sed veluti pennis aureis operit omnia peccata eorum qui diliguntur. Sic etiam Ionatham amabat Dauid, & cum audiret patrem dicentem, Fili puellarum vltro veniētium, mollis & effœminate, non erubuit: etsi verba erant plena multa turpitudine. Hoc est enim quod dicit. Fili meretricularum in viros infanientium, ad viros accurrentium, mollis & eneruate, & qui nihil habes virile, sed viuis in probrum tuum & eius quæ te peperit. Quid ergo, hæc ne agrè tulit, & præ pudore se abscondit, & recessit ab eo quem diligebat? Totum contrarium, imò verò etiam de amore gloriabatur. Atqui ille quidem, nempe Ionatham, erat rex & filius regis. Hic verò, nempe Dauid, fugitiuus & erro. Sed ne sic quidē ipsum puduit de eius amicitia. Charitas enim

Ioan. 19.

Luc. 24. Marc. 26. & Luc. 7.

1. Reg. 19.

non reputat probrum ac dedecus. Est enim hoc eius admirabile, quod contumelia affectum non solum non finit dolere, nec morderi & angere, sed etiam efficit ut lætetur. Propterea ille quoque post hæc omnia, tanquam corona redimitus, recedens Dauidem est amplexus & ei circumfusus. Nescit enim Charitas quid sit probrum ac dedecus. Propterea etiam gloriatur ob ea ob quæ alius præ pudore se abscondit. Pudor enim est nescire amare, non amantem periculum adire, & omnia sustinere pro iis qui diliguntur. Omnia autem cum dico, ne existimes me dicere ea quæ sunt noxia: ut si quis dicat se iuueni opem ferre ut potiatur amica, si quis roget ut efficiat aliquid noxium. Nam qui est eiusmodi, non amat: & id nuper ostendi in muliere Ægyptia. Ille enim est solus amans qui quærit quæ sunt utilia amicis. Quod si quis non venetur id quod est bonum & honestum, est omnibus inimicis hostilior. Ita etiam aliquando Rebecca, quoniam valde pendebat à filio, & furtum fecit, nec erubuit ne deprehenderetur, neque timuit: non leve enim erat periculum. Sed & cum filius summo iure cum ea ageret, in me fit, inquit, o fili, tui execratio. Vidisti etiam in muliere animam Apostolicam. Nam sicut elegit Paulus, ut cum magno paruum conferam, pro Iudæis esse anathema, ita etiam hæc ut benediceretur filius, elegit etiam maledici & execrationem pati: & illi quidem bonis cedebat, non enim cum illo erat benedicenda, mala autem ipsa sola parata erat sustinere: sed tamen gaudebat & vrgebat, idque cum esset tantum propositum periculum, & rerum moram agreferebat. Timebat enim ne si præuenisset Elau, is ipsius inanem efficeret sapientiam. Et ideo verba amputat, & vrget adolescentem & mittens contradicere aduersus ea quæ dicta fuerant, dicit rationem quæ sufficit ad ei persuadendum. Neque enim dixit, Temerè hæc dicis, & temerè metuis, cum pater tuus consenserit, & vero sensu sit priuatus. Sed quid? In me fit tui execratio o fili. Actum tantum ne corrumpas, neque prædam amittas, neque thesaurum prodas. Hic autem Iacob an non fuit mercenarius apud cognatum bis septem annos? An non cum seruitute, etiam pro illa deceptione erat ridiculus? Quid ergo, sensit ne risum? Sibi ne probro ac dedecori esse duxit, quod cum esset ingenuus, & ex ingenuis ingenue educatus, seruilia passus sit apud eos qui genere ad eum atinebant, quod maxime solet morderi & angere, quando quispiam apud notos patitur quæ sunt turpia ac probrosa? Nequaquam. Causa autem erat amor qui longum tempus efficiebat paruum. Fuerunt enim, inquit, coram ipso tanquam dies pauci: tantum absuit ut morderetur & angeretur propter hanc seruitutem. Merito ergo dicebat beatus Paulus: Charitas non probrum reputat ac dedecus, non quærit quæ sua sunt, non irritatur. Nam cum dixisset eam non reputare probrum ac dedecus, ostendit etiam quomodo id non reputet. Quis est autem is modus? Non quærit quæ sua sunt. Nam cum qui diligitur omnia esse existimat, & tunc probrum ac dedecus esse reputat, quando illum à probro & dedecore non potest liberare. Quod si per suum probrum ac dedecus liceat prodesse ei qui diligitur, ne probrum quidem ac dedecus eam rem sibi existimat. Ille enim de cætero est ipse. Hoc enim est amicitia, eum qui diligit & eum qui diligitur, non amplius esse duos diuifos, sed vnum esse hominem, quod quidem non ex alio fit quam ex charitate. Ne quæras ergo quod tuum est, ut inuenias tuum. Nam qui quod suum est quærit, non inuenit quod suum est. Quamobrem Paulus quoque dicebat, Nemo quærat quod suum est, sed quod proximi est vnusquisque. Propria enim utilitas sita est in utilitate proximi, & illius utilitas in ea. Quomodo ergo si quis

Amans solus quærit quæ sunt utilia amico. Gen. 27.

Rom. 9.

Gen. 29.

Amicitia est duos non amplius esse diuifos sed vnum.

aurum proprium in domo proximi in fossam, eò veniens recuset quærere & effodere, nunquam ipsum videbit: ita hic quoque qui non vult in utilitate proximi suam quærere, quæ pro eo sunt propositæ: coronas nunquam assequetur. Deus enim propterea hoc sic posuit, ut simus inter nos colligati: & quomodo quispiam somniculosum puerum excitans ut fratrem sequatur, cum ex se id nolit, dat fratri in manum iucundum aliquid & delectabile, ut accipiendi desiderio persequatur eum qui tenet, quod fit utique. Ita hic quoque quod vniciuique confert dedit proximo, ut ex eo alter ad alterum curramus, & ne simus diuifsi. Et si vis, hoc quoque vide in nobis qui dicimus. Nam quod mihi confert, in te situm est: & quod tibi conducit, in me. Tibi enim confert ut docearis ea quæ Deo videntur: sed hoc mihi fuit creditum, ut tu hoc à me accipias, & propterea necesse habeas ad me currere: & mihi confert ut euadas melior, pro eo enim magnam accipiam mercedem. Sed hoc rursus in te est situm: & propterea necesse habeo te persequi, ut tu sis melior, & quod mihi confert à te accipiam. Et ideo Paulus quoque dicebat: Quanam est mea spes, an non vos? Et rursus: Spes mea & gaudium meum, & corona gloriationis meæ. Pauli itaque gaudium erant discipuli, & illi habebant eius gaudium. Propterea etiam lacrymabatur, si quando vidisset eos pereuntes. Rursus utilitas illorum erat in Paulo. Quamobrem dicebat, Pro spe Israël cinctus sum hac catena. Et rursus: Hæc patior propter electos, ut vitam æternam consequantur. Hoc etiam videris in iis quæ ad hanc vitam pertinent. Mulier enim, inquit, sui corporis potestatem non habet, neque vir: sed mulier viri, & vir mulieris. Ita nos quoque cum aliquos voluerimus colligare, hoc facimus: nullum sui esse dominum dimittimus, sed mediam extendentes catenam, efficiamus ut hic ab illo, & ille ab hoc teneatur. Vis hoc etiam videre in magistratibus? Qui iudicat, non sedet sibi iudicans, sed quærens quod confert proximo. Rursus qui alterius parent imperio, quærunt quod confert imperanti principi, per obseruantiam ac cultum, per ministerium, per alia omnia. Milites pro nobis arma sumunt: propter nos enim pericula ad eunt. Nos pro illis laboramus, à nobis enim eis sunt alimenta. Si autem dicis quod vnusquisque suum quærens hoc facit, ego quoque hoc dico: sed per alienum suum inuenitur. Nam & miles si non belligeretur pro iis qui ipsum alunt, non habet eum qui ad hoc ei ministrat: & ipse rursus si non alat militem, non habet qui eum defendat. Vidisti vbique extensam charitatem, & omnia administrantem ac dispensantem. Sed ne defatigeris donec totam hanc auream catenam didiceris. Nam cum dixisset, Non quærit quæ sua sunt, dicit rursus bona quæ ex eo nascuntur. Quanam autem ea sunt? Non irritatur, non cogitat malum. Vide rursus eum non solum in vitium dominatum obtinere, sed nec omnino sinere ut consistat. Non enim dixit, Irritatur quidem, sed superatur, sed nec irritatur quidem. Neque dixit, Non operatur malum, sed ne cogitat quidem. Nihil enim mali non modo comparat aduersum eum qui diligitur, sed ne suspicatur quidem. Quomodo ergo fuerit operata, aut quomodo fuerit irritata, quæ nec tolerat quidem malam suscipere suspicionem, unde est fons iræ? Non gaudet super iniquitate. Hoc est, non lætatur iis quibus malè fit, sed & quod est multò maius, Congaudet autem veritati. Gratulatur, inquit, iis qui sunt probati & in bona sunt existimatione. Quod quidem dicit Paulus, gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus: Hinc non æmulatur: hinc non inflatur. Nam aliena mala sua esse existimat. Vidisti quemadmodum Angelum

De dilecto non desperat charitas.

Rom. 11. 2. Tim. 2.

Odio habendi non sunt mali sed vitia.

Rom. 10. & 9. Ezech. 11. Exod. 32. Psal. 13.

Psal. 136.

4. Reg. 1. Luc. 9.

Charitas suum alumnium paulatim facit Angelum.

2. Reg. 15.

De dilecto non desperat charitas.

Rom. 11. 2. Tim. 2.

Odio habendi non sunt mali sed vitia.

Rom. 10. & 9. Ezech. 11. Exod. 32. Psal. 13.

Psal. 136.

4. Reg. 1. Luc. 9.

Angelum suum alumnium paulatim facit charitas. Quando enim fuerit ab ira remotus, & ab inuidia mundus, & liber ab omni tyrannica animi perturbatione, traductus est etiam ad ipsam Angelorum impatibilitatem. Sed tamen non est his contentus: sed habet etiam aliquid quod dicat his maius. Nam quæ sunt fortiora ponit posterius. Et ideo dicit, Omnia suffert. A lenitate ac patientia, & benignitate, seu sit contumelia, seu plagæ ac verbera, seu mors, seu quoduis aliud. Hocque potest intelligi ex beato Dauid. Quid enim est grauius quam videre filium insurgentem & tyrannidem appetentem, & paternum sanguinem sitientem? Sed hoc quoque tulit beatus ille, & ne sic quidem sustinuit acerbum verbum emittere aduersus parricidam: sed etiam aliis omnibus dimissis belli ducibus, pro illius salute eis mandabat: erat enim validum charitatis fundamentum. Et ideo omnia sustinet: & eius quidem vires hinc tacite significat, bonitatem autem per ea quæ deinceps sequuntur. Omnia, inquit, sperat, omnia credit, omnia sustinet. Quid est autem, omnia sperat? Quæcunque sunt bona dilecto, non desperat: sed & si malus sit, permanet eum corrigens, prouidens, curam gerens. Omnia credit. Non solum enim, inquit, sperat, sed etiam credit ex eo quod valde amat, etiam si hæc bona ut spes erat non succedant. Sed etsi ille sit importunior & molestior, ea fert. Omnia enim, inquit, sustinet. Charitas nunquam excidit. Vidisti quando imposuerit coronidem: & quodnam sit huius doni eximium. Quid est enim, Non excidit? Non discinditur, ferendo non dissoluitur: amat enim omnia. Qui enim amat, nunquam potest odisse, quidquid factum fuerit: hoc enim est bonum eius maximum. Talis erat Paulus: & ideo dicebat. Si quo modo prouocem ad æmulandum carnem meam, & manebat sperans. Et Timotheum hortabatur, dicens. Seruum domini non oportet pugnare, sed mansuetum esse ad omnes, in modestia erudientem eos qui resistunt veritati ne quando Deus det illis agnitionem veritatis. Quid verò, inquit, si sint inimici & ethnici, non oportet odisse? Odisse quidem, non autem illos, sed illorum dogma: non hominem, sed prauam actionem, & mentem corruptam ac perditam. Nam homo quidem est opus Dei, error verò opus diaboli. Ne ergo misceas quæ sunt Dei, & quæ sunt diaboli. Nam Iudæi erant & blasphemii, & persecutores, & contumeliosi, & Christo dicebant mala innumerabilia. Eofne ergo oderat Paulus, qui omnium maxime Christum diligebat? Nequaquam: imò verò eos & diligebat, & omnia pro eis agebat. Et nunc quidem dicit, Voluntas quidem & deprecatio mea ad Deum sit pro illis ad salutem. Nunc autem, Optarem anathema esse à Christo pro ipsis. Sic & Ezechiel videns eos occidi, dicebat: Hei mihi domine: deles tu eos qui sunt reliqui ex Israël. Et Moyses: Si remittas quidem eis peccatum, remitte. Quid verò dicit Dauid? Qui oderunt te domine, oderam, & propter inimicos tuos tabescebam, perfecto odio oderam illos. Atque non omnia quidem quæ à Dauide in psalmis dicta sunt, dicta sunt ex persona Dauidis. Etenim is ipse dicit, Tabernaculum fixi cum tabernaculis Cedar. Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus. Neque verò vidit Babylonem, neque tabernacula Cedar. Alioqui autem nunc quoque à nobis maior exigitur philosophia. Quamobrem rogantibus quoque discipulis ut descenderet ignis, sicut tempore Eliæ. Nescitis, inquit Christus, cuius spiritus estis. Nam tunc quidem iuebantur non solum odisse impietatem, sed eos etiam qui erant impij, ne amicitia esset eis occasio agendi præter legem. Propterea & cognationes abscedit,

& coniunctiones, & eos vndique arcebat. Nunc autem quoniam nos ad maiorem duxit philosophiam, & effecit excellentiores quam ut damnum illud eis posset euenire, iussit eos & admittere & consolari. Non enim ad nos ex illis damnum, sed à nobis ad illos redit utilitas. Quid verò dicit? Non oportet odisse sed miserrari. Nam si odio habueris, quomodo facile conuerterent errantem? Quomodo orabis pro infideli? Nam quod oporteat orare, audi quid dicat Paulus: Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus. Quod autem non essent tunc omnes fideles, est cuius perspicuum. Et rursus, Pro regibus & omnibus qui in sublimitate constituti sunt. Quod autem ij essent impij & iniqui, hoc quoque est perspicuum. Deinde causam quoque orationis dicens, subiungit. Hoc enim bonum est & acceptum coram Deo saluatore, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Propterea si inuenit mulierem infidelem fidei cohabitantem, non soluit matrimonium. Atqui quid est mulieri marito coniunctus? Erunt enim, inquit, in carne vna: & magnus est illic amor, & feruens desiderium. Si autem impios & iniquos sumus odio habituri, procedentes, etiam peccatores odio habituri sumus: & sic via procedens, separaberis etiam à pluribus fratribus, vel potius ab omnibus. Nemo enim est absque peccato. Nam si Dei inimicos oportet odisse, non oportet solum odisse impios, sed etiam peccatores, & ita erimus bestiis deteriores, omnes auersantes, & inflati insolentia & arrogancia, sicut ille Pharisæus. Sed non sic iussit Paulus. Sed quomodo? Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Quid ergo dicit, quando dicit, Si quis non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate, & non commisceamini cum illo. Maxime quidem hoc dictum est de fratribus. Ceterum nec hoc quidem dictum est absolute, sed cum mansuetudine. Ne enim reseces ea quæ deinceps sequuntur, sed addas etiam quæ sunt postea. Nam cum dixisset, Ne commisceamini, subiunxit: Et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem. Vides quemadmodum malum opus iubet odisse, non hominem: est enim opus diaboli nos alterum ab altero diuellere, & magnum ponit studium ut de medio tollat charitatem, ut excindat viam correctionis, & illum quidem detineat in errore, te autem in inimicitia, & sic deinde arceat viam salutis. Quando enim & medicus odit eum qui laborat, & fugit: & qui laborat auersatur medicum, quando surget is qui ægrotat, cum nec ille eum vocet, nec ipse eum adeat? Quanam autem de causa eum quæso auersaris & fugis? Quoniam est impius. Propterea autem oportet eum admittere & curare, ut ægrotantem facias surgere. Si autem laborat morbo incurabili, at tu iussus es facere quod tuum est. Nam Iudas quoque laborabat morbo incurabili, nec tamen destitit Deus eum curare. Neque tu ergo defatigeris. Nam etiam si tu magno adhibito studio ab impietate eum non liberaris, & liberatoris accipies mercedem, & efficies ut ipse tuam admiretur mansuetudinem, & sic ad Deum tota transibit hæc gloria. Nam etsi miracula facias, & mortuos excites, & quiduis agas, nunquam te adeo admirabuntur gentes, ut quando te vti viderint moribus mitibus, placidis & iucundis. Non est autem hoc quoque paruum opus virtutis: multi enim perfecte liberabuntur à malo. Nihil enim æquè potest attrahere atque charitas. Nam propter illa quidem etiam te æmulabuntur, propter signa, inquam, & miracula. Propter hoc

1. Tim. 2.

Ibidem.

Sup. 7. Gen. 2. Sup. 6.

1. Theff. 5.

2. Theff. 3.

autem & admirabuntur & amabunt: amantes autem etiam apprehendent veritatem, via procedentes. Si autem non statim fit fidelis, ne mireris, neque vrgeas: neque simul quaras omnia, sed interim eum finas te laudare, & amare: & ad id procedens veniet. Et vt apertè discas quantum hoc sit, audi quomodo Paulus quoque ad infidelem accedens iudicem se defendit. **Act. 26.** Beatum, inquit, me existimo, iudicio apud te disceptaturus. Hæc autem dicebat, non ei assentans: absit, sed lucrari volens per mansuetudinem: & ex parte lucratus est, & iudicem cepit is qui tunc putabatur esse reus, & se victum fatetur qui tunc fuerat captus, clara voce dicens omnibus præsentibus, Parum abest quin mihi persuadeas vt siam Christianus. Quid verò Paulus? Magis expandit sagenam & dicit: Optarem non solum te, sed & omnes qui adsunt, hoc fieri quod ego, exceptis his vinculis. Quid dicis o Paule exceptis his vinculis? Et quænam est tibi de cætero fiducia, si eorum te pudeat, & ea fugias, idque cum tam multus adsit populus? Non vbique in epistolis de hac re gloriaris, & te vincitum appellas: & hanc catenam vbique circumfers pro diademate? Qui ergo nunc accidit quod vincula deprecaris? Non ipse, inquit, deprecor, nec eorum me pudet, sed me demitto ad illorum imbecillitatem. Nondum enim possunt meam suscipere gloriationem. Didici enim à domino meo, non immittere partem panni rudis panno veteri. Propterea sic dixi, etenim tunc malè audiebat apud eos dogma nostrum, & crux erat eis iniusta. Si ergo etiam vincula addidero, maius existit odium. Propterea hæc sustuli vt illud esset acceptum: etenim eis probrosum esse videbatur esse vincitum: nondum enim gustarant eam quæ est apud nos gloriam. Oportet ergo se dimittere. Nam quando didicerint philosophari, tunc scient etiam huius ferri pulchritudinem, & splendorem qui oritur ex vinculis. Cum aliis quidem certè differens, eam rem vocat etiam gratiam, dicens: Datum est nobis à Deo, non solum in ipsum credere, sed etiam pro ipso pati. Tunc autem benè agebatur, si qui crucem audiebant pudore non afficerentur. Propterea recta via procedit. Non enim in regiam quis ducens quempiam, priusquam foris stantia aspexerit vestibula, eum cogit ea quæ sunt intus intueri. Sic enim nec apparebunt admirabilia, nisi quis cum intus fuerit, omnia didicerit. Sic ergo nos quoque cum ethnicis sermonem conferamus, cum demissione & charitate. Ea est enim magna magistra, aptaque & idonea ad abducendum ab errore, & ad mores componendos, & adducendum ad philosophiam, & ad efficiendum homines ex lapidibus. Et si vis eius vim intelligere, adduc ad me virum timidum, & qui vel solo terreatur strepitu, & ipsas vmbras pertimescat, sitque iracundus, & asper, & sit potius fera quam homo, salaxque & libidinosus, & qui omni labore vitio, & trade eum in manus charitatis, & eum adduc in hoc gymnasium, & videbis illum timidum & ignauum, fieri fortem magnique & excelsi animi, facileque quidvis audere: & quod est admirabile, hæc non fiunt mutata eius natura, sed in ipsa timida anima suam vim ostendit charitas: & perinde fit atque si quis enssem plumbeum, non effectum ferreum, sed manentem in eadem plumbi natura, quæ sunt ferri operari fecerit. Considera autem, Iacob erat simplex & non fictus, domi habitans, & in laboribus & periculis minime exercitatus, vitam quandam degens remissam & liberam, & sicut virgo in thalamo, ita & ipse intus sedens, magna ex parte necesse habebat domum seruare, liber quidem à foro, & à fori tumultu, & ab omnibus eiusmodi, perpetuò autem manens in quiete, se-

Act. 26.

Ibidem.

Mat. 9.

Philipp. 1.

Charitatis quanta sit vis.

Iacob quæ fortem fecerit charitas.

curitate & silentio. Quid verò, postquam eum accendit fax charitatis, non fictum ac simplicem illum & domi habitantem, vide quam fortem & laboriosum fecerit. Hæc autem non à me, sed ab ipso audi Patriarcha. Socerum enim criminans dicit. Hos viginti annos ego sum tecum. Et quomodo fuisti hos viginti annos? Nam hoc quoque addidit. Vltus æstu diei & algore noctis, & abscessit somnus ab oculis meis. Hæc iste non fictus & simplex, & qui vita vivebat remissa & quiete. Quod autem esset timidus, perspicuum est ex eo quod expectans se visurum Esau, mortuus erat metu. Sed vide rursus quemadmodum iste timidus, leone audacior factus est à charitate. Nam cum veluti quoddam propugnaculum se ante alios omnes collocasset, paratus erat ferum illum, & eadem, vt existimabat, spirantem primus excipere, & vt in tuto essent vxores efficere, & quem formidabat & horrebat, vxoris instructa acie videre cupiebat. Nam hoc metu erat potentius vxorum desiderium. Vidisti quemadmodum cum esset timidus, repente factus est audax, non mutato habitu, sed victus à charitate. Nam quod etiam postea esset timidus, est perspicuum ex eo quod loca locis mutat. Sed nemo existimet ea quæ dicta sunt esse illius iusti accusationem. Non enim timidum esse est crimen, nam hoc est naturæ, sed propter timorem aliquid facere ex iis quæ non decet: Fieri enim potest vt qui est naturà timidus, fortis magnique & excelsi animi fiat à pietate. Quid verò Moyles an non vnum veritatis Ægyptium, fugit & iuit in exilium? Sed tamen ille fugitiuus, & qui viri vnus minas non tulerat, postquam pulchrè gustauit mel charitatis, etiam nullo cogente, festinauit vt simul periret cum iis quos diligebat. Nam si quidem, inquit, eis remittas peccatum, remitte. **Sup. 12.** Siminus, me quoque dele è libro quem scripsisti. Quod autem & audacem mitem ac benignum, impudicumque ac libidinosum faciat moderatum, diligere, ne hic quidem de cætero nobis opus est exemplis. Nam hoc est omnibus perspicuum, quod si quis sit quauis fera ferior, ex dilectione fit quauis oue mansuetior ac mitior. Nam quid erat Saule ferus & furiosus: sed quando eius filia dimisit inimicum, ne acerbum quidem verbum in eam emisit: & qui sacerdotes omnes penitus interfecerat propter Dauidem, videns eam Dauidem domo emittentem, ne verbo tenus quidem ei succensuit, idque tanta fraude aduersus eum adornata: nam à potentiore charitatis freno retinebatur. Sicut autem mites ac benignos, ita etiam temperantes ac modestos ea scit efficere: & si quis diligit vxorem ita vt oportet diligere, etiamsi sit millies salax & propensus ad libidinem, non sustinebit aliam videre propter suum in illam desiderium. Fortis enim, inquit, vt mors esset dilectio. Non aliunde itaque existit indulgere libidini, quam ex eo quod non diligamus. Quoniam ergo omnis virtutis opifex est charitas & dilectio, cum omni diligentia eam plantemus in animis nostris, vt multa ad nos bona afferat, & scatentem eius fructum habeamus perpetuò, qui semper germinat & nunquam marcescit. Sic enim bona etiam æterna consequemur. Quæ detur nobis omnibus consequi gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum patre & cum sancto bonoque Spiritu gloria, honor, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio

ORATIO XXXIIII.



IVE prophetia euacuabuntur, siue lingua cessabunt, siue scientia destruetur. Cum charitatis ostendisset excellentiam, ex eo quod & charismata, & quæ rectè & ex virtute geruntur in vita, ea egeant ex eo quod eius omnes enumerarit virtutes, exacta que ac perfectæ philosophiæ eam esse ostenderit fundamentum, ex alio rursus tertio capite eius ostendit dignitatem. Et hæc facit, & iis qui defecti esse videntur volens persuadere, quod licet eis habere summam signorum, eosque non minus habituros quam qui habent charismata, si eam habeant, sed & longè plura: & eos rursus qui multa habent charismata, & hinc efferuntur, studens deprimere, & ostendere eos nihil habere si eam non habeant. Sic enim & mutuò se erant dilecturi, si hinc tolleretur omnis inuidia & arrogancia. Et rursus diligentes, has animi perturbationes, longius expellebant. Charitas enim non æmulatur, non inflatur. Quamobrem validum & infractum eis murum circumdedit, & multiplicem concordiam, omnèque morbos tollentem, & hinc rursus effectam fortioem. Propterea & innumerabiles agitauit rationes, quæ possent consolari eorum animi ægritudinem. Etenim idem, inquit, dat spiritus, & dat ad vtilitatem, & vt vult diuidit, & diuidit gratis donas, non debens. Et si parum acceperis, similiter es è corpore, & sic quoque multum honorem adipisceris. Et qui quod maius est habet, te quoque indiget qui habes quod est minus. Et maximum donum viaque suprema est charitas. Hæc autem dicebat eos dupliciter colligans ac constringens, & quod si ea adesset, se nihil minus habere censerent: & quod qui ad eam accurrissent & eam accepissent, eis de cætero nihil accideret humanum, vt qui donorum haberent radicem, & vt qui non possent amplius, etiamsi nihil haberent, contendere. Nam qui semel captus est à charitate, liberatus est à contentione. Quamobrem eis etiam ostendens quam multa bona inde percepturi essent, per eius laudes fructus eius descripsit, morbos illorum reprimens. Etenim vnunquodque eorum quæ dicta sunt, est medicamentum quod sufficit ad opem ferendam eorum vulneribus. Et ideo dicebat, est lenis & patiens, aduersus eos qui inter se contendunt. Benigna est, in eos qui dissident & occultas gerunt inimicitias. Non æmulatur, aduersus eos qui inuident sublimibus. Non probrum ac dedecus existimat, aduersus eos qui nolunt se demittere. Non agit perperam, aduersus eos qui sunt diuulsi ac distracti. Non querit quod suum est, aduersus eos qui cæteros despiciunt. Non latetur ob iniuriam, collatur autem veritati, aduersus eos qui inuident. Rursus omnia sustinet, aduersus eos qui insidiantur. Omnia sperat, aduersus eos qui desperant. Omnia suffert, nunquam excidit, aduersus eos qui facile dissident. Postquam ergo eam ostendit magnam cum omni exuperatione, rursus ex alio maximo capite hoc facit, per aliam comparisonem eius extollens auctoritatem. Et sic dicens, siue prophetia euacuabuntur, siue lingua cessabunt. Si enim vtraque hæc introducta sunt propter fidem, ea vbique dispersa, superuacaneus de cætero est eorum vsus. Sed non cessabit se mutuò diligere, sed etiam magis crescet, & hinc & in futurum, & tunc magis quam nunc. Nam hic quidem multa sunt quæ charitatem relaxant ac dissoluunt: pecuniæ, negotia, corporum affectiones, animæ ægritudines: illic autem nihil eorum. Sed euacuari quidem prophetias & linguas, nihil mirum. Scientiam autem euacuari, id est de quo mouetur dubitatio: etenim hoc quoque addidit, di-

Charitas & hic & in futurum magis crescit.

Chrysof. tom. 4.

A cens, siue scientia euacuabitur. Quid ergo, tuncne vitam acturi sumus in ignoratione? Absit, etenim tunc maximè est consentaneum augere scientiam: & ideo dicebat. Tunc cognoscat sicut cognitus sum. Propterea quidem certè, ne similiter atque prophetiam & linguas, eam quoque euacuari existimes, cum dixisset, Siue scientia euacuabitur, non siluit, sed subiunxit etiam, euacuationis modum ostendens. *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* Non euacuatur ergo scientia, sed esse singularem & particularem scientiam euacuabitur. Non tam multa enim vtrique solum sciemus, sed etiam multò plura. Vt autem exemplo hoc faciam manifestum. Nunc scimus Deum esse vbique, sed quomodo sit nescimus. Quod quæ sunt ex nihilo fecerit scimus: modum autem ignoramus. Quod ex virgine natus sit scimus, quomodo autem, nequaquam. Tunc autem de eis aliquid sciemus amplius & perfectius. Deinde ostendit etiam quantum interfit, & non paruum esse quod deficit, dicens. *Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus. Quando autem factus sum vir, euacuauit que erant paruuli.* Porro autem per aliud quoque exemplum id significat, dicēs. *Videmus enim nunc per speculum.* Deinde quoniam speculum exhibet id quod videtur quomodocumque, subiunxit, In ænigmatè: cum hyperbole ac exuperatione ostendens præsentem scientiam esse maximè singularem & particularem. *Tunc autem facie ad faciem.* Non tanquam Deus habeat faciem, sed vt dicat apertius & manifestius. Vides omnia discentes per incrementum. *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.* Vidisti quomodo dupliciter eorum detraxit tumorem: Quod singularis & ex parte sit scientia: & nec eam ex se habeant. Non enim ego eum cognoui, sed se ipse mihi notum fecit. Quomodo ergo ipse me cognouit, prior nunc quoque ad me accurrit: sic ego tunc quoque ad eum accurram multò magis quam nunc. Etenim qui sedet in tenebris, donec quidem Solem non aspicit, non ipse accurrit ad pulchritudinem radij, sed ille se ostendit quando illuxerit. Quando autem eius splendorem susceperit, tunc ipse quoque de cætero lucem persequitur. Hoc ergo est illud, Sicut & ego cognitus sum. Non quod eum ita simus cognituri, sicut ipse nos: sed quod sicut ipse nunc ad nos accurrit, ita nos etiam tunc ipsum apprehendemus, & sciemus multa ex iis quæ nunc sunt arcana, & beatissima illa fruemur consuetudine & sapientia. Si enim qui tam multa nouit Paulus, est infans ac paruulus, cogita quanta sint illa. Si hæc sunt speculum & ænigma, hinc mihi rursus considera quanta sit facies. Vt autem parum quid tibi aperiam huius differentia, obscurum quoque & exilem quendam huius intelligentia radiam in animam tuam immittam. Recordare eorum qui nunc sunt in lege, quando illuxit. Illa enim ante gratiam videbantur quædam magna & admirabilia. Sed tamen audi quid de ipsis dicat Paulus post gratiam. Non glorificatum est quod glorificatum fuit in hac parte, propter excellentem gloriam. Vt autem manifestius quoque fiat quod dictum est. In vno aliquo eorum quæ tunc mysticè peragebantur, tractemus id quod dicitur: & tunc videbis quantum interfit: & si vis, pascha in medium adducamus, & illud, & hoc: & tunc scies excellentiam. Nam pascha quidem peragebant etiam Iudæi: ita autem peragebant tanquam in speculo & ænigmatè. Arcana autem hæc mysteria, nec illis vnquam veniebant in mentem, neque quænam essent ea quæ illa prædicebant. Sed ouem videbant mactari, & sanguinem bestia, & eo vngi ostia. Quod autem filius

Scientia quomodo crescat in futuro.

1. Cor. 13.

Exod. 12. & seq.

R

Dei carne suscepta, esset mandandus, & totum orbem terrarum liberaturus, Græcisque & Barbaris eum sanguinem gustandum daturus, & cælum omnibus aperturus, & quæ illic sunt humano generi additurus, & sumptam carnem captiuam, supra cælum, & cælum cæli, & omnes, ut semel dicam, supernos angelorum & archangelorum, & aliarum potestatum exercitus deducturus, & in ipso throno regio ad dexteram patris ineffabili fulgentem gloria sessuram collocaturus. Hæc certe neque quisquam illorum, neque ullus alius ex hominibus præsciuit, neque vnquam eis in mentem venire potuerunt. At quid isti in rebus omnibus audaces dicunt illud, Nunc cognosco ex parte, dictum esse de dispensationibus & administrationibus: ipsum enim de Deo perfectam habere cognitionem? Et quomodo se vocat infantem & paruulum? Quomodo autem videt in speculo? Quomodo in ænigmate, si vniuersam habet scientiam? Quid autem tanquam eximium id tribuit spiritui, & nulli alij creaturæ potestati, dicens: Quis enim nouit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in ipso? Ita etiam quæ sunt Dei nemo nouit nisi spiritus Dei. Rursus quoque Christus hoc suum esse ait, sic dicens: Non quod patrem vidit quisquam, nisi qui est à Deo is vidit patrem: visionem dicens, manifestissimam, & perfectissimam cognitionem. Quomodo autem qui nouit essentiam, ignorabit dispensationes & administrationes? Illa enim cognitio est hac maior. Ignoramus ergo, inquit, Deum? Absit. Sed quod sit quidem scimus, quidnam autem sit, quod ad essentiam attinet, nequaquam. Et ut scias eum non de dispensationibus & administrationibus dixisse illud, Nunc cognosco ex parte, audi quæ deinceps sequuntur. Subiunxit ergo. Tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Nequaquam autem à dispensationibus & administrationibus fuit cognitus, sed à Deo. Nemo ergo paruam, neque simplicem existimet hanc esse iniquitatem, sed & duplicem, & triplicem, & multiplicem. Non solum enim hoc est absurdum, quod se ea scire gloriantur quæ sunt solius spiritus & solius vnigeniti Dei filij: sed etiam quod cum Paulus ne id quidem cognitionis quod est ex parte absque superna reuelatione potuerit cognoscere, isti ex suis rationibus dicunt se totum comprehendisse. Neque enim possunt vsquam nobis ostendere scripturam quæ de his disseruerit. Sed missa eorum insania, persequamur quæ deinceps dicuntur de charitate. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas.* Nam cessat quidem fides & spes, quando aducnerint bona quæ fuerunt credita & sperata. Et hoc significans dicebat Paulus: Spes enim quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Rursus: Est enim fides rerum quæ sperantur substantia, rerum argumentum quæ non videntur. Quamobrem hæc quidem cessabunt cum illa apparuerint. Charitas autem tunc maximè extollitur, & fit vehementior. Aliud rursus encomium charitatis. Neque enim contentus est prioribus, sed aliud quoque rursus contendit inuenire. Considera autem. Dixit eam esse magnum donum, & eorum donorum eam esse viam per exuperationem. Dixit absque ea non multum prodesse dona: multis verbis eius descripsit imaginem. Vult rursus etiam aliter eam extollere, & ostendere esse magnam ex eo quod permaneat. Et ideo dicebat. Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas. Quomodo ergo est maior charitas? Quod illa transeat. Si ergo tanta est virtus charitatis, merito subiungit, dicens: Sectamini charitatem. Opus est enim persecutione, & vehementi ad illam cursu: adeo à nobis auolat, & tam multa sunt quæ nostrum

Sup. 2. Ioan. 6.

Quod deus sit scimus, quid sit nescimus.

Rom. 8. Heb. 11. Sectamini diuinitate persequimini.

ad illam cursum supplantant. Quamobrem nobis semper magna opus est vehementia, ut eam comprehendamus. Quod quidem indicans Paulus, non dixit, Sequimini charitatem, sed eam persequimini, nos excitans & accendens ad illam apprehendendam. Etenim Deus ab initio innumerabilia est machinatus ut eam nobis inereret. Nam & nobis vnum dedit caput, nempe Adamum. Cur enim non nascimur omnes ex terra? Cur non perfecti, sicut ille? Ut & partus, & filiorum educationes, & alium ex alio inter nos nasci, nos inter nos colligarent. Propterea neque mulierem fecit à terra. Nam quoniam non suffecisset ad nos incitandos ad concordiam, quod similiter essemus eiusdem essentiae, nisi etiam eundem haberemus primum parentem, hoc quoque fecit. Nam si nunc solis disuncti locis, nos à nobis inter nos existimamus alienos: si nostrum genus duo haberet principia, multo magis hoc fieret. Propterea tanquam ab vno quodam capite, ligauit totum corpus humani generis. Et quoniam ab initio videbantur esse duo quidam, vide quomodo rursus eos conglutinat, & in vnum cogit per matrimonium. Propter hoc, inquit, relinquet homo patrem & matrem, & adheret uxori suæ, & erunt duo in carne vna. Non dixit autem mulier, sed homo, quoniam in illo maius est desiderium. Nam propterea hoc quoque maius fecit, ut id quod excellit inflectat tyrannide huius amoris, & subiiciat ei quod est imbecillus. Quoniam autem induci oportuit matrimonium, cum ex quo orta est fecit maritum mulieri. Deus enim omnia postponit charitati. Nam cum etiam hæc sic fuerint, primus tamen statim sic in sanit, & tantam pugnam & inuidiam ei inuenit diabolus, quid non fecisset si non ex eadem radice germinassent? Deinde ut alterum quidem esset subiectum, alterum verò imperaret (nam quod est par honore, solet pugnam inducere) non fuit ut esset populare imperium sed regnum: & sicut in castris, eundem videris ordinem in vnaquaque domo. Est ergo loco quidem regis, maritus: præfecti autem & legati, vxor. Tertium autem imperandi locum sortiti sunt filij. Deinde postea quartum imperium est seruorum. Nam ipsi quoque imperant minoribus: & vnus sæpe ex iis præest omnibus, locum tenens domini. Sed tanquam seruus. Et cum eo rursus aliud imperium, alterum mulierum, alterum puerorum. Et in ipsis pueris rursus aliud ex aetate, & ex sexu, non enim in infantibus similiter dominatum obtinet foemina. Et vbique ferè Deus frequentia fecit imperia, ut omnia maneat in concordia & pulchro ordine. Propterea etiam priusquam genus hominum eductum esset in multitudinem, cum duo soli essent qui erant primi, alteri quidem iussit imperare, alteri verò parere. Et ne rursus eam despiceret tanquam minorem, & absunderetur, vide quemadmodum eam honorauit & vniit etiam ante creationem. Faciamus enim, inquit, ei auxilium: ostendens quod ad eius vsum facta fuerit: & hac ratione ipsum ei conciliarit quæ propter ipsum facta est. In ea enim melius & beneuolentius affecti sumus quæ propter nos facta sunt. Rursus autem ne illa efferretur, ut quæ ei data sit ad auxilium, & hoc abrumperet vinculum, eam facit ex latere, ostendens eam esse partem totius corporis. Ne autem vir hinc efferretur, non amplius finit esse solius quod solius prius fuit, sed fecit contrarium, ei adhibens liberorum procreationem, in hoc quidem virum præferens, non tamen totum eius esse sinens. Vidisti quam multa charitatis vincula Deus fecerit. Sed hæc quidem ex natura, concordia posuit pignora: ad id enim ducit esse eiusdem essentiae. Omne enim animal diligit sibi simile: & mulierem esse ex viro, & ex ambobus rursus filios. Vnde etiã nascuntur multi modi affectionis. Nam alium quidem

Cognatorum matrimonium aut prohibita.

Leuit. 18.

Cur vrbes sint conditæ.

Gen. 11.

Melior certè fuit illa Gen.

Ecclij

quidem diligimus tanquam patrem, alium verò tanquam auum: & aliam quidem tanquam matrem, aliam verò tanquam nutricem: & alium quidem tanquam filium, alium verò tanquam nepotem & pronepotem. Rursus aliam tanquam filiam, aliam tanquam sororis filiam. Et alium quidem tanquam fratrem, alium verò tanquam patrualem: & aliam quidem tanquam sororem, aliam verò tanquam consobrinam. Et quid opus est recensere omnia nomina cognationis? Porro autem excogitauit etiam aliud argumentum cognationis. Prohibitis enim cognatorum matrimoniis, nos eduxit ad alienos, & illos rursus ad nos attraxit. Nam quoniam ex naturali hac cognatione non licebat illos nobis coniungi, per matrimonium illos rursus coniunxit, totas domos per vnã sponfam, & generibus tota commiscens genera. Ne ducas enim, inquit, uxorem sororem tuam, neque sororem patris, neque aliam puellam quæ tecum habet cognationem, quæ prohibet matrimonium, nominatim ponens genera eiusmodi cognationum. Tibi ad illarum sufficit affectionem eodem vtero esse editas, ad te aliter attingere alias. Cur in angustum redigis latitudinem charitatis? Cur causam tuam in ea amicitia superuacaneè consumis, per quam potes etiam tibi parere aliam occasione amicitia foris ducta uxore, & propter illam, cognatorum seriem, & patrem, & matrem, & sorores, & eorum necessarios? Vidisti quot modis nos colligauit. Sed tamen ne hæc quidem ei suffecerunt, sed effecit etiam ut alter alterius inuicem egeremus, ut sic nos quoque coniungeret, quoniam amicitias maximè facit vnus & indigentia. Propterea nec omnia vbique gigni permisit, ut inde etiã cogeret commisceri. Cum autem effecisset ut alter alterius egeremus, commissionem rursus effecit facilem. Nam nisi hoc esset, res ad aliam rediret molestiam & difficultatem. Si enim medico egentem, aut fabro, aut aliquo alio opifice, longè oporteret peregrè proficisci, periret vniuersum. Propterea & vrbes construxit, & omnes simul coëgit. Ut autem etiam quæ procul sunt remota facile nobis suppeterent, in medio positum mare extendit, & ventorum dedit celeritatem, hinc faciles efficiens peregrinationes. In initio autem omnes etiam in vno coëgit loco: nec prius dispersit quam ad malum vsi sunt concordia qui primi donum acceperant. Sed omnes nos simul cõgregauit, & ex natura, & ex cognatione, & ex loco, & quomodo nos non voluit ex cidere à paradiso (nam si voluisset, ne illic quidem posuisset hominem quem fecit ab initio, sed eius causa fuit qui non obediit) ita nec diuersa linguæ esse voluit, nam ab initio hoc fecisset, nunc autem tota terra vnum erat labium, & vox vna omnibus. Propterea quidem certè nec quando terram oportuit deleri, neque nos tunc ex alia fecit materia, neque iustum transfudit, sed eo dimisso in media tēpestate, veluti quadam totius orbis terræ scintilla, nostrum genus inde rursus accendit ex beato illo Noë. Et ab initio quidem vnum fecit imperium, dum virum præfecit mulieri. Postquam autem genus nostrum in multam decidit confusionem & ordinis defectionem, alia quoque constituit, nempe dominorum & magistratum: idque etiã propter charitatem. Nam quoniam vitium nostrum genus dissoluit & interimit, tanquam quosdam medicos iudices constituit in medijs ciuitatibus: ut tanquam charitatis pestem vitium expellentes, omnes in vnum cogant. Ut autem non solum in ciuitatibus, sed etiam in singulis domibus multa sit concordia, cum virum quidem imperio honorasset & excellentia, mulierem autem armasset cupiditate, filiorum autem procreationis donum ambobus posuisset medium, multa etiam alia constituit quæ charita-

tem conciliarent. Neque enim omnia viro permisit, neque omnia mulieri, sed ea vniciquē diuisit: ut qui mulieri quidem domum, viro autem forum tradiderit. & viro quidem dedit ut aleret, nam agros colit: mulieri autem ut vestiret, tela enim & colus sunt mulieris. ipse enim dedit mulieri texendi artem & industriam. Sed pereat auaritia quæ non finit hoc apparere discrimen. Nam multorum ignauia & mollities etiam viros ad telas deduxit, & radios eis in manum tradidit, liciumque & stamen. Sed tamen sic quoque resplendet administrationis diuinæ prouidentia, nam etiam muliere valde opus habemus in magis necessariis: & minoribus indigemus in iis quæ vitam continent. vsusque tanta est necessitas, ut & si quis sit omnium hominum diffusissimus, ne sic quidem sit liber ab hac coniunctione, & opus habeat inferiori. Neque enim diuitibus solum opus habent pauperes, sed etiam diuites pauperibus: & illi magis his, quam hi illis. Et ut hoc videas manifestius, faciamus, si videtur, duas ciuitates: alteram quidem diuitum solum, alteram verò pauperum, & neque in ciuitate diuitum sit vnus pauper, neque in ciuitate pauperum sit vnus diues: sed vtraque exactè expurgemus, & videamus vtra magis sibi possit sufficere. Nam si inuenimus ciuitatem pauperum magis posse, est perspicuum quod diuites his magis egeant. Ergo si in illa quidem locupletum ciuitate nullus erit opifex, nullus aedificator, non faber, non sutor calcearius, non pictor, non agricola, non faber ararius, non funium contextor, neque quidquam aliud eiusmodi. Quis enim ex diuitibus hæc vnquam tractare voluerit? cum etiam qui hæc tractant, cum euaserint diuites, non sustineant miseriam & afflictionem quæ ex his existit operibus. Quomodo ergo nobis stabit hæc ciuitas? Data, inquit, pecunia, qui sunt diuites, hæc ement à pauperibus. Sibi ergo non sufficient si illis opus habeant. Quomodo autem domos aedificabunt? An hoc etiam ement? Sed non est ea huius rei natura. Necessè est ergo illic vocare artifices, & legem violare quam tulimus, ab initio vrbem condentes. Meministis enim quando dicebamus, Nemo sit intus pauper. Sed ecce vnus, etiam nobis inuitis, eos vocauit & introduxit. Vnde est perspicuum fieri non posse ut absque pauperibus constet ciuitas. Si enim maneat ciuitas nullum ex iis excipiens, non erit amplius ciuitas, sed peribit. Non igitur sibi sufficere, nisi tanquam seruatores aliquos, pauperes apud se congregarit. Videamus etiam pauperum ciuitatem, an ipsa quoque similiter degerit in egestate si sit priuata diuitibus. Prius autem oratione expurgemus diuitias, & eas aperte ostendamus. Quid sunt ergo diuitiæ? Aurum, & argentum, & gemmæ, & vestes sericæ & purpureæ & aureæ. Postquam ergo nobis apparuit quid sint diuitiæ, eas abigamus à ciuitate pauperum? Si facturi simus ciuitatem purè pauperum, ne in somnis quidem nobis aurum appareat, neque eiusmodi vestes. Si vis autem neque argentum, neque vasa argentea. Quid ex eo in egestate erunt res huius ciuitatis, dic quæso? Nihil. Nam & si sit aedificandum, non opus est auro, argēto, & margaritis, sed arte & manibus. Nec absolutè manibus, sed manibus callosis, & digitis induratis, & magno robore, lignisque & lapidibus. Et si rursus texenda sit vestis, auro rursus & argento non est nobis opus, sed rursus manibus, & arte, & operantibus mulieribus. Quid rursus si aranda & fodienda sit terra, diuitibusne an pauperibus est opus? Est cuius perspicuum quod pauperibus. Porro autem quando oportebit ex ære fabricari, & aliquid aliud facere huiusmodi, hoc populo maximè nobis opus est. Vbi ergo de cætero nobis opus erit diuitibus, nisi hæc

Mariti & vxoris distincta sunt officia.

Ciuitas non potest constare absque pauperibus.

ciuitatem oporteat destruere? Si enim illis ingressis, in auri & margaritarum desiderium inciderint hi philosophi (philosophos enim appello eos qui nihil quaerunt superuacaneum) se otio dedentes & deliciis, de cetero perdent omnia. At si non sint, inquit, viles diuitia, cur datae sunt à Deo? Et vnde constat quòd à Deo sit ditescere? Scriptura dicit, meum est argentum, & meum est aurum: & cui volo dabo ipsum. Hic nisi rem turpem facerem, profuso nunc risu risissimè, eos qui hæc dicunt irridens, quòd sicut parui pueri regia fruentes mensa, cum illo alimento quiddid inciderit in os iniiciunt: ita isti quoque cum scripturis diuinis sua inducunt. Nam illud quidem, Meum est argentum, & meum est aurum, scio dictum esse à Propheta: hoc autem, Et cui volo dabo ipsum, nequaquam additum, sed ab istis vulgi fecibus inductum. Cur autem illud dictum sit, dicam. Propheta enim Aggæus, quoniam Iudæis assidue pollicebatur post reditum à Babylone se templum ostensurum in priori figura, & ei quod dicebatur non credebant quidam, & propemodum fieri non posse existimabant, vt post cinerem & puluerem talis apparitura esset illa ædes, eorum soluens incredulitatem, ex persona Dei hæc dicit, perinde ac si diceret, Quid timetis? Quid autem non creditis? Meum est argentum & meum est aurum: nec opus habeo vt scæno-ri accepta pecunia sit ædem exornem. Et quòd hoc sit, subiunxit. Et erit gloria huius ædis vltima supra primam. Ne vestimento ergo regio aranearum telam inducamus. Nam si quis fuerit deprehensus in purpura deforme subtegmen contextens, vltimum dabit supplicium, multo magis in spiritualibus. Neque enim leue hinc oritur peccatum. Et quid dico, ex additione & ablatione? Ex puncto solo, & ex sola lectionis simulata actione absurdi sæpe orti sunt sensus. Vnde sunt ergo, inquit, diuites? Dictum est enim, diuitiæ & paupertas à domino. Rogemus ergo eos qui hæc nobis obiciunt. Nunquid omnes diuitiæ, & omnis paupertas à domino? Et quis hoc dixerit? Videmus enim & ex rapto, & ex maleficio in fodiendis sepulchris, & ex præstigiis, & ex aliis huiusmodi occasionibus, magnas diuitias à multis esse congestas, & qui ipsas habent ne dignos quidem esse qui viuant. Quid ergo, dic quæso, has diuitias à Deo esse dicimus? Absit. Sed vnde? A peccato. Nam & meretricis probro affecto corpore ditescit: & formosus sæpe adolescens ætatis flore vendito aurum acquirit cum dedecore: & sepulchrorum effossor effractis sepulchris iniquas cogit diuitias, & latro muris perfectis. A Deo ergo sunt omnes diuitiæ? Quid ergo, inquit, dicemus ad hoc dictum? Disce ergo primum paupertatem non à Deo existere. Quando enim adolescens quispiam, cum sit prodigus, aut in meretrices diuitias consumpserit, aut in præstigias, aut in quædam alia huiusmodi desideria, & factus fuerit pauper, an non est perspicuum quòd hoc non factum sit à Deo sed à sua profusione. Rursus si quis ob segnitium & otium factus sit pauper: Si quis ob amentiam delatus sit ad mendicitatem. Si quis adiens pericula, & nefaria aggrediens facinora, non est planè perspicuum, quòd nemo ex iis qui sunt huiusmodi, à Deo deiectus est ad mendicitatem. Falsum ergo dicit scriptura? Absit, sed stultè agunt, qui non cum ea qua par est diligentia legunt omnia quæ scripta sunt. Nam si & hoc constitit quòd scriptura non est falsa, & ostensum fuerit quòd non omnes diuitiæ sunt à Deo, eorum qui inconsideratè legunt, imbecillitatis est dubitatio. Et oporteret quidem vos dimittere, in hoc à crimine liberata scriptura, vt has nobis detis pccnas vestræ in scripturas negligentia. Sed

Agg. 2. Diuitiæ sint ne à Deo.

Ecc. 11.

Diuitiæ sæpe non sunt à Deo, sed à peccato.

quoniam valde vobis parco, nec possum amplius videre conturbatos, age afferamus solutionem: cum prius dixerimus quis dixerit, & quid dictum sit, & quibus. Neque enim Deus similiter loquitur cum omnibus, sicut nec nos similiter pueris & viris vtimur. Quando ergo dictum est, & à quo, & quibus? A Salomone, in veteri, Iudæis qui nihil aliud sciebant quàm sensilia, & ex iis vim Dei metiebantur. Isti enim sunt qui dicebant, Num & panem potest dare? Et quod signum ostendis nobis? Patres nostri comederunt manna in deserto: Quorum Deus venter est. Quoniam ergo ipsum ex his metiebantur, dicit eis, Hoc quoque potest Deus, & diuites facere & pauperes: non quòd hoc faciat, sed quòd possit quando velit: vt quando dicit, Mariminians, & ipsum exsiccans, & omnes fluuios in desertum redigens. Atqui hoc nunquam factum est. Quomodo ergo hoc dicit Propheta? Non quòd semper fiat, sed quòd ipse possit facere. Quamnam ergo dat paupertatem, & quas diuitias? Recordare Patriarchæ, & scies quænam à Deo dantur diuitiæ. Ipse enim Abraham fecit diuitem, & post illum, Iob: sicut ipse quoque dicit. Si bona quidem accepimus à Deo, mala autem non sustinebimus? Iacobi quoque diuitiæ illinc habuerunt initium. Est etiam ab eo paupertas illa laudabilis, quam illi diuiti tunc conciliabat, dicens: Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & huc me sequere. Et discipulis rursus legem statuens, & dicens: Ne possideatis aurum, neque argentum neque duas tunicas. Ne dicas ergo eum omnes dare diuitias. Ostensum est eas colligi, & ex cadibus, & ex rapinis, & ex mille aliis occasionibus. Sed ad priorem questionem nobis rediit oratio. Nam si nobis nihil profunt diuites, cur facti sunt? Quid ergo dixerimus? Isti non profunt, qui se sic faciunt diuites. Nam qui à Deo facti sunt, valde etiam sunt viles. Idque discit ex iis quæ ab illis fiunt. Abraham enim hospitibus & egenis omnibus possidebat diuitias. Ille enim cum aduenissent tres, vt existimabat, homines, vitulo mactato, tribusque similibus subactis & pistis mensuris, in ostio sedens tempore meridiano, considera cum quanta liberalitate & animi alacritate sua omnibus impendebat, cum pecuniis etiam corporis præbens ministerium, idque in extrema senectute, vt qui & hospitum, & eorum qui egestate laborabant, esset portus, & nihil possideret proprium, ne ipsum quidem filium. Nam cum Deus iussisset, eum quoque tradidit. Cum filio autem seipsum quoque tradidit, & totam familiam, quando studebat eripere fratris filium. Et hæc faciebat non propter pecunias, sed propter solam humanitatem. Nam cum eum spoliatorum facerent dominum qui per eum fuerant seruati, vsque ad filium subtegminis, & corrigiam calcamenti ea recusauit. Talis erat beatus quoque Iob. Etenim ostium meum, inquit, apertum fuit cuiilibet venienti: ego eram oculus cæcorum, pes autem claudorum: ego eram pater infirmorum: foris autem non manebat hospes: infirmi autem non frustrabantur eo quod erat illis opus, neque sui infirmum exire ex ostio meo, sinu vacuo: & his longè plura, ne omnia nunc recenscamus, perpetuo faciebat, omnes diuitias consumens in pauperes. Vis etiam videre diuites qui non à Deo facti sunt, vt discas quomodo vsi sint diuitiis? Vide illum qui erat, cum esset Lazarus, qui ne micis quidem cum impertiebat. Vide Achab qui vineam rapiebat. Vide Giezi: vide omnes qui sunt eiusmodi. Nam qui iustè possident, vt qui à Deo acceperint, in ea quæ Deus præcepit impendunt, Qui in acquirendo autem Deum offenderunt, in

Luc. 11. 4. R. 19.

Luc. 11. 4. R. 19.

expen-

Cur malos finat Deus ditescere.

Rom. 2.

CAP. VII. XIII.

Persequi aliquid quis dicatur.

Linguarum donum primum acceperunt Apostoli, & cur. Gen. 11.

expendendo etiam idipsum faciunt, in meretrices & parasitos consumentes, aut infodientes & excludentes, in mendicum autem nihil consumentes. Et cur, inquit, finit Deus eos qui sunt tales ditescere? Quoniam est lenis & patiens. Quoniam vult nos adducere ad penitentiam. Quoniam parauit gehennam. Quoniam diem statuit in quo est iudicaturus orbem terræ. Si statim autem punisset eos qui malè ditantur, non habuisset Zacchæus constitutum tempus penitentia, vt redderet quadruplum eorum quæ rapuerat. Non Matthæus, vt mutaretur & fieret Apostolus, conuenienti tempore præreptus. Non multi alij eiusmodi. Propterea sustinet omnes vocans ad penitentiam. Si autem nolint, sed in iisdem permaneant, audient Paulum dicentem, quòd secundum eorum duritiam & cor imprenitens, thesaurizant sibi iram in die iræ, & reuelationis & iusti iudicij Dei. Quam quidem iram vt fugiamus, ditemur cœli diuitiis, & laudabilem persequamur paupertatem. Sic enim etiam futura bona consequamur. Quæ detur omnibus nobis assequi gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum patre & sancto spiritu &c.

ORATIO XXXV.



SECTEMINI charitatem: emulamini spiritualia, magis autem vt prophetetis. Postquam enim exactè & accuratè recēsit omnem virtutem ipsius charitatis, de cetero hortatur alacri & prompto animi studio eam amplecti ac tenere. Et ideo dicebat, persequimini. Nam qui persequitur, illud solum videt quod persequitur, & ad illud tendit, & non desistit donec cœperit. Qui persequitur, quando per se non potuerit, per eos qui ipsum præcedunt comprehendit fugientem, eos qui properant magno studio adhortans vt detineant & detentum ei seruent, donec ad eum peruenerit. Hoc nos quoque faciamus. Quando ipsi non peruenerimus ad charitatem, eos qui sunt propè ipsam iubeamus eam detinere, donec ipsi ad eam peruenerimus, ne nos rursus effugiat. Assidue enim à nobis resilit, quoniam non ad id quod oportet ea vtimur, sed omnia ei præferimus. Propterea omnia facere oportet vt eam exactè retineamus: Nam si hoc factum fuerit, de cetero multo nobis labore non est opus, imò ne leui quidem, sed in deliciis degentes & diem festum agentes, angustiam virtutis viam ingrediemur. Et ideo dicit, persequimini eam. Deinde ne existimaret quòd propterea de charitate orationem intulerit, vt extingueret charismata, subiunxit. *Emulamini autem spiritualia, magis autem vt prophetetis. Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo. Nemo enim audit. Spiritus autem loquitur mysteria. Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad edificationem, & exhortationem, & consolationem.* Hic autem de cetero facit charismatum comparationem, linguarum charisma deprimat, neque omnino inutile ostendens, neque per se valde vile. Valde enim propter id timebant, quoniam existimabatur esse magnum charisma: existimabatur autem esse magnum, propterea quòd Apostoli id primum acceperint, & cum tanta demonstratione. Non tamen propterea est aliis præstantius. Cur ergo id ante alia acceperunt Apostoli? Quoniam in omnes orbis partes erant peruasuri, & sicut in tempore quo facta est turris, lingua quæ erat vna dissecebatur in multas, ita tunc quæ erant multæ, sæpe ibant ad vnum hominem, & idem, & Perfarum, & Romanorum, & Indorum, & aliis multis loquebatur linguis, in ipso insonante spiritu, & charisma appellabatur charisma seu donum linguarum: quoniam poterat simul

Chrysof. tom. 4.

A multis loqui linguis. Vide ergo quomodo idem & deprimat & extollit. Nam dicendo, qui loquitur linguis, non hominibus loquitur, sed Deo: nemo enim audit, depresso ostendens non magnam esse vtilitatem. Subiungendo autem, spiritu loquitur mysteria, rursus extollit, ne videretur esse superuacaneum & inutile, & temerè ac frustra datum. Qui autem prophetat, hominibus loquitur edificationem, & adhortationem, & consolationem. Vidisti vndenam ostendat huius doni excellentiam, ex eo quod in commune conferat, & quomodo id vbique præponit quod fit ad multorum vtilitatem? Illi verò non loquuntur hominibus, dic rogo? Loquuntur, sed non talem edificationem, & exhortationem, & consolationem. Quamobrem à spiritu quidem teneri & agitari est vtrique commune, & ei qui prophetat, & ei qui linguis loquitur. In hoc autem ipse, nempe is qui prophetat, est superior, quòd fit etiam vtilis iis qui audiunt. Eos enim qui linguis loquebantur, non audiebant qui donum non habebant. Quid verò, illi nullum edificabant? Certè, inquit, seipfos. Et ideo subiunxit. Qui loquitur lingua semetipsum edificat. Et quomodo si nescit quæ dicit? Sed nunc loquitur de iis qui sciunt quæ dicunt, qui ipsi quidem sciunt, nesciunt autem aliis enunciare. Qui autem prophetat, ecclesiam Dei edificat. Quantum autem interest inter vnum & ecclesiam, tanta est huius & illius differentia. Vidisti eius sapientiam? & quomodo donum non redigat in nihilum? sed ostendat habere quidem lucrum, sed paruum, & quod ei solum qui possidet sufficiat. Deinde ne existimarent quòd eis inuidens linguas deprimat, plures enim ex iis habebant hoc donum, suspicionem eorum corrigens, dicit: *Volo autem omnes vos loqui linguis, magis autem prophetare. Nam maior est qui prophetat, quam qui loquitur linguis, nisi fortè interpretetur, vt ecclesia edificationem accipiat.* Magis autem & minus non sunt ex iis quæ sunt contraria, sed ex iis quæ exuperant. Quamobrem hinc quoque est perspicuum quòd donum non vituperat, sed eos ducit ad meliora, ostendens & quàm eorum curam gerit, & animum ab omni inuidia liberum. Neque enim dixit, Duos aut tres, sed vos omnes volo linguis loqui: & non hoc solum, sed etiam prophetare: & hoc magis quàm illud, maior est enim qui prophetat. Nam postquam id confirmauit & demonstrauit, tunc de cetero etiam pronuntiat, non tamèn absolute, sed cum adiectione. Subiunxit enim, Nisi fortè interpretetur, vtpote quòd si hoc possit interpretari, inquam, est, inquit, par propheta, quoniam sunt multi qui percipiunt vtilitatem. Quod maximè est obseruandum. Quomodo hoc per omnia ante alia requirit. *Nunc autem fratres, si venero ad vos linguis loquens quid vobis prodero, nisi vobis loquar, aut in reuelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina?* Et quid, inquit, dico alios? Sit enim, inquit, qui linguis loquitur Paulus, neque enim quiddam redibit emolumentum ad auditores. Hæc autem dicit, ostendens se id quærere quod est eis conducibile, non autem odio habere eos qui dignum possident, cum ne in propria quidem persona recuset ostendere id esse inutile. Semper autem in sui personam quæ sunt grauiæ & molesta agit. Sicut dicebat in principio epistolæ. Quis est Paulus? Quis est Apollo? Quis Cephas? Quod quidem hic quoque facit, dicens. Ne vobis quidem prodero nisi vobis loquar, aut in reuelatione, aut in prophetia, aut in scientia, aut in doctrina. Hoc est autem quod dicit: Nisi aliquid dixerò quod à vobis facile potest capi, & potest esse manifestum, sed tantum ostendero me habere donum linguarum, abibitis nullo lucro facto ex linguis quas audiistis. **Quomodo enim ex voce, quam non intelligitis? Tamen**

Qui lingua loquitur, seipsum edificat.

Magis & minus non sunt contraria.

que sine anima sunt vocem edentia, siue tibia, siue cithara, nisi distinctiōem sonituum dederint, quomodo scietur id quod canitur, aut cithari? Et quid dico, inquit, quod in nobis est hoc nihil lucri afferre: vile autem esse quod est clarum, & quod facile capiunt auditores? Nam etiam in inanibus musicæ instrumentis hoc videris. Nam siue sit tibia, siue cithara, & neque numero, neque harmonia conueniente, sed consule & temere pulsetur & inspiretur, nullum ex iis qui audiunt delectabit ac recreabit. Nam etiam in illis inarticulatis, aliqua claritate opus est & euidencia: & nisi ex arte pulsaris, & tibiam inspiraueris, nihil facis. Si autem exigimus ab inanibus vt tanta sit in eis claritas, & harmonia, & distinctio, & in illis non significantibus vrgemus & contendimus vt magnam imponamus significationem: multo magis in animatis & ratione præditis hominibus, & in donis spiritualibus persequi oportet id quod est significans. *Et enim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum?* A superuacaneis, ad ea quæ sunt magis necessaria & vtilia deducit orationem. & dicit quod non solum in cithara, sed etiam in tuba videris hoc vsuuenire. Sunt enim illic quoque soni, & indicant aliquando quidem sonum bellicum, aliquando verò non talem: & aliquando quidem educit in aciem, & nisi quispiam hoc norit in extremum venit periculum. Quod quidem significans, & errorem ostendens, dicit, quis parabit se ad bellum? Quamobrem nisi hoc habeat, totum perdit. Et quid hæc, inquit, ad nos? Ad vos maximè. Et ideo subiungit, *Ita & vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? eritis enim in aërem loquentes.* Hoc est, nihil loquentes, nulli loquentes: & vbique ostendit inutile. Et si inutile, cur datum est, inquit? Vt sit vtile ei qui accepit. Si autem aliis quoque futurum est vtile, oportet adit interpretatio. Hæc autem dicit, eos inter se inuicem concilians, vt & si ipse non habeat donum interpretandi, adsumpto altero qui id habeat, quod suum est per illum faciat vtile. Propterea vbique ostendit esse imperfectum, vt ipsos sic colliget. Nam qui id sibi existimat sufficere, non tam id laudat quam deprimit, nõ sinens id rectè splendere per interpretationem. Nam pulchrum quidem est donum & necessarium, sed tum demum si habuerit eum qui declarat ea quæ dicuntur. Nam digitus quoque res est necessaria: sed quando eum abduxeris à reliquis, non erit æquè vtilis. Tuba quoque est necessaria: sed quando solum sonuerit, est etiã molesta & grauis. Neque enim ars apparebit, nisi sit subiecta materia: neque informatur materia, nisi imposta sit forma. Pone ergo formam quidem tanquam subiectum, claritatem autem tanquam formam, quæ si non adsit, subiecti nullus est vsus. *Tam multa, vt puta, genera linguarum sunt in hoc mundo, & nihil sine voce est.* Hoc est, tam multæ linguæ, tam multæ voces, Scytharum, Thracum, Romanorum, Perfarum, Maurorum, Indorum, Ægyptiorum, aliarum gentium innumerabilium. *Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei cui loquar barbarus.* Ne existimes enim quod hoc solum accidat in vobis, inquit, sed etiam in omnibus hoc fieri videris. Quamobrem hæc dico, non vocem vituperans, sed ostendens eam mihi esse inuilem quandiu non fuerit clara & manifesta. Deinde ne grauem ac molestant reddat accusationem, exæquat crimen, dicens, *Ille mihi barbarus, & ego illi.* Non ex natura vocis, sed ex nostra ignoratione. Vidisti quemadmodum paulatim duxit ad id quod est cognatum ac rei proprium: quod quidem mos est ei facere, vt exempla procul attrahat, & desinat in id quod est subiecto coniunctius & magis proprium: Nam postquam dixit de tibia & cithara, vbi est quod multum abest & est inutile, venit ad tubam

Tuba certa & distincta voce excirat ad bellum.

Phil. 3.

Linguarum donum est inutile si abfit interpretatio.

Sup. 9.

rem conducibiliorem, & deinde ad ipsam vocem. Ita etiam antea, quando versabatur eius oratio in eo vt ostenderet non esse prohibitum Apostolis accipere, cum cœpisset primum ab agricolis, & pastoribus, & militibus, tunc deduxit orationem ad id quod est proposito propinquius, nempe ad sacerdotes qui erant in veteri. Tu autem mihi considera quomodo vbique studium posuerit vt donum liberaret ab accusatione, & crimen conferret in eos qui acceperunt. Non dixit enim, Ero barbarus, sed ei qui loquitur barbarus. Et rursus non dixit, Qui loquitur, barbarus, sed Qui mihi loquitur, barbarus. Quid ergo oportet, inquit, fieri? Non solum enim non oportet vituperare, sed etiam adhortari & docere: Quod ipse quoque facit. Postquam enim accusauit & increpauit, & inutile esse ostendit, deinceps etiam consulit, dicens. *Sic & vos, quoniam emulatores estis spirituum, ad edificationem ecclesie querite vt abundetis.* Vidisti quomodo eius scopus vbique vnum sibi semper proponat & eò spectet per omnia, nempe quod multis est vtile, & quod iuuat ecclesiam, veluti quandam ponens regulam. Neque dixit, vt dona possideatis, sed vt abundetis, hoc est vt cum magna largitate ea habeatis. Tantum enim abest vt nolim vos ea habere, vt velim etiam vos eis abundare, modo ea exerceatis ad id quod est vtile in commune. Quomodo autem hoc fiat, dicit & subiungit, dicens. *Et ideo qui loquitur lingua, oret vt interpretetur. Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo & mente. Psallam spiritu, psallam & mente.* Hic ostendit in eorum esse potestate vt donum accipiant. Oret enim, inquit, hoc est quæ sua sunt afferat. Nam si diligenter & magno studio pœteris, accipies. Pete ergo vt non solum habeas donum linguæ, sed etiam interpretationis: vt sis omnibus vtilis, nec donum in te solo includas. Nam si orem, inquit, lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. Vidisti quemadmodum paulatim extollens orationem, ostendit quod qui est eiusmodi, non solum est aliis inutilis, sed etiam sibi ipsi, siquidem mens eius est sine fructu. Nam si quis loquatur solum Perfarum lingua, aut aliqua alia aliena, nesciat autem quæ dicit, certè etiam sibi ipsi iam erit barbarus, non alij solum, propterea quod nesciat vim vocis: erant enim antiquitus multi qui orationis donum habebant cum lingua, & orabant quidem, & lingua loquebatur, aut Perfarum, aut Romanorum voce orans: mens autem nesciebat quod dicebatur. Et ideo dicebat, Orabo spiritu, orabo & mente, psallam spiritu, psallam & mente. Idem rursus hic quoque significat: vt & lingua loquatur, & mens non ignoret quæ dicuntur. Nam nisi hoc sit, alia quoque erit confusio. *Ceterum si benedixeris, inquit, spiritu, quis supplet locum idiotæ? Quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem? Quoniam quid dicas nescit. Nam tu quidem bene gratias agis: sed alter non edificatur.* Vide quomodo hic rursus lapidem ducit ad amissum, vbique querens ecclesie ædificationem. Idiotam autem dicit laicum, & ostendit eum non paruum damnum accipere, quando non potest dicere Amen. Hoc est autem quod dicit. Si barbarorum voce benedicas nesciens quid dicas, neque valens interpretari, non potest laicus respondere, Amen. Non audiens enim illud, In sæcula sæculorum, quod est finis, non dicit, Amen. Deinde rursus eum consolans, ne videatur donum valde vilipendere: quod superius dicebat eum loqui mysteria, & Deo loqui, & seipsum ædificare, & orare spiritu, ex his non paruum excogitans consolationem, hoc hic quoque facit, dicens. Nam tu quidem bene gratias agis, spiritu enim motus loqueris: sed ille nihil audiens, neque sciens quæ dicuntur, stat non magnam

Lingua loquitur, mens autem sine fructu est.

Laicus qui non intelligit, non potest respondere.

gnam accipiens vtilitatem. Deinde quoniam eos est insectatus qui hoc habet donum, tanquam qui nihil magnam haberent, ne videatur tanquam eo priuatus, eos vilipendere, vide quid dicat: *Gratias ago Deo, quod omnium vestrum lingua loquor.* Hoc autem facit etiam alibi. Depressurus enim ea quibus exuperabant Iudæi, & ostensus ea nihil esse, prius ostendit se ea habere, & longè amplius, tunc quoque ea damnum appellat dicens: Si quis videtur habere fiduciam in carne, ego magis, circumcisus octauo die, ex genere Israël, tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus, secundum zelum persequens ecclesiam, secundum iustitiam quæ est ex lege, factus irreprehensibilis: sed quæ mihi erant lucra, ea damnum existimaui propter Christum. Ita hic quoque facit, dicens: Quod magis quam vos omnes linguis loquor. Ne ergo efferamini, & vobis placeatis tanquam soli donum habentes, nam ego quoque id possideo, & magis quam vos. *Sed in ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, vt & alius instruat.* Quid est sensu meo loqui. Vt & alios instruat, intelligens quæ dico, & quæ possum & aliis interpretari, & cum intelligentia dicere, & docere eos qui audiunt. *Quam decem millia verborum in lingua.* Quare? Vt alios, inquit, instruat. Nam illud quidem habet ostentationem, hoc autem multam vtilitatem. Hoc enim est quod vbique querit id, quod confert in commune. Atqui donum linguarum erat nouum & alienum, prophetiæ autem donum consuetum & antiquum & multis iam datum. Hoc autem tunc primum: sed in id tamen non multum ponebat studij. Quamobrem nec eo vsus est, non quod nõ haberet, sed quod quæreret quæ sunt vtiliora, erat enim liber ab omni inani gloria, & vnum spectabat, vt meliores redderet auditores. Propterea etiam poterat videre quod sibi & aliis erat vtile, eo quod esset liber ab inani gloria. Nam qui est in eius seruitutem redactus, non poterit videre, non solum quod aliis, sed etiam quod sibi est vtile. Talis erat Simon, qui quoniam ad inanem aspexit gloriã, ne vidit quidem quod sibi erat conducibile. Tales erant Iudæi, qui propter eam diabolo suam propinarunt salutem. Hinc etiam orta sunt simulachra, & ex externis philosophis ij qui ex hoc furore lapsi sunt, ad mala dogmata incitantes. Vide autem huius vitij peruersitatem. Per hoc & ex iis nonnulli effecti sunt pauperes, & alij studium posuerunt in diuitiis. Tanta est eius tyrannis, vt dominetur etiam in contrariis. Nam & ob temperantiam aliquis inani gloria afficitur, & rursus alius ob adulterium: Et hic quidem ob iustitiam & alius ob iniustitiam, & ob delicias & ob ieiunium, & ob lenitatem & ob audaciam, & ob diuitias & ob paupertatem. Nonnulli enim ex externis, cum liceret accipere, vt in admiratione haberentur, non accipiebant. Sed non sic Apostoli. Nam quod puri essent à gloria, ostenderunt per ea quæ fecerunt. Etenim quando eos Deos vocabant, & parati erant eis sacrificare boues coronatos, non solum absolute prohibuerunt quod fiebat, sed etiam sua vestimenta ruperunt. & quando claudum rectum ingredi fecerunt, omnibus eos ore hianti stupentibus dixerunt, *Quid nos aspiciatis, tanquam propria virtute fecerimus hunc ambulare?* Et illi quidem inter viros paupertatem admirantes negabant paupertatem: hi autem inter homines paupertatem despicientes, etiam laudant diuitias. Et hi quidem, si quid acceperant, egenis opem ferebãt. Ita non propter inanem gloriam, sed propter benignitatem omnia faciebant. Illi autem planè contrarium, tanquam qui essent inimici & pestes communis naturæ, hæc sic quoque faciebant. Nam alius quidem frustra & temere omnes suas facultates in mare demerge-

Philip. 3.

Ibid.

A. 8.

A. 3.

Crates.

Chrysof. tom. 4.

bat, fatuos imitans & eos qui sunt emotæ mentis: alius autè sinebat omnes suos agros depasci ab ouibus. Sed non hi, imò verò quæ dabantur accipiebãt, & distribuabant egentibus cum tanta liberalitate, vt etiam in fame perpetua degerent. Si autem gloriã amassent, non hoc fecissent, nempe vt acciperent & distribuere, timentes ne contra ipsos aliqua esset suspicio. Nam qui sua abiicit propter gloriam, multo magis non accipiet ea quæ sunt aliorum, ne videatur egere aliis, neque veniat in suspensionem. Hos autem vides & ministrantes, & emendicantes pro egentibus. Adeo erant quibusuis patribus amantiores. Vide autem eorum quoque leges symmetria & proportione conuenientes, & ab inani gloria liberatas. Habentes enim, inquit, vestimenta & alimenta, his contenti erimus. Non sicut ille Sinopeus, qui pannis obsitus, & dolium habitans, cum nihil esset opus, multos quidem stupefecit, nulli autem profuit: Paulus autem nihil horum faciebat. Neque enim spectabat ambitionem & honoris desiderium, sed & decorè inducitur vestibus, & domi assidue habitabat, seque planè exactum ac perfectum ostendebat in alia virtute: quod despiciebat Cynicus intemperanter viuens & impudicè, & publicè se obscenè gerens & indecorè. Si quispiam enim roget causam dolij habitationis, nullam aliam inueniet quam solam vanam gloriam. Paulus autem etiam domum mercede conducebat. Quamquam qui longè poterat fortiora, multo magis hoc potuisset. Sed non aspicebat ad gloriam, sæquam belluam, horrendum demonem, pestem orbis terræ, venenatam viperam. Quomodo enim illa bestia vnguibz vterum matris discerpit, ita etiam hoc vitium parentem dilacerat. Vndenam ergo vario huic morbo inuenis medicamentum? Si eos qui ipsum conculcarunt in medium adduxeris, & ad illorum aspiciens imaginem, vitam tuam direxeris. Patriarcha enim Abraham (nemo autem mihi vitio verat eiusdem rei repetitionem, si sæpe eius & in omnibus meminimus. Hoc enim est quod illum quoque reddit maximè admirabilem, & eos qui non ipsum amulantur, omni priuat venia. Nam si eum quidem in parte aliqua, in alia autem parte alium se rectè gessisse ostenderimus, dixerit aliquis esse difficilem actionem virtutis, non esse enim facile omnia simul rectè gerere, quorum partem sanctorum singuli gesserunt. Cum autem inueniatur vnus & idem habere omnia, quam habebunt excusationem qui post legem & gratiam, non possunt ad eandem peruenire mensuram, ad quam qui fuerunt ante legem & gratiam?) Quomodo ergo hic Patriarcha hanc belluam vicit & superauit, quando fuit ei controuersia cum filio fratris? (Nam cum minor portio ei obtigisset, & primas partes non esset assecutus, non doluit. Scitis autem quod in his rebz dedecus est peius damno iis qui sunt pusilli animi, & maximè quando ipse omnium dominus) sicut tunc ille, & qui prior cœperat honorare, non vicissim honore afficitur. Sed tamen nihil horum illum momordit, sed & cum secundas haberet partes fuit contentus, & iniuria affectus à iuvene senex, & patruus à fratris filio, non succensuit, neque ægrè tulit, sed similiter eum amabat & curabat. Rursus ex magno illo & terribili bello parta victoria, vique propullatis & proffigatis barbaris, de victoria non triumphat, nec erigit trophæum: solum enim volebat seruare, non se ostentare. Exceptit rursus hospites, neque hic inani gloria laborauit, sed & ipse occurrebat & adorabat, non tanquam dans beneficium, sed tanquam beneficio affectus: & vocat dominos, nesciens quidem quinam accessissent, & loco ancillæ constituit uxorem. Porro autem

1. Tim. 5.

Diogenes Cynicus cur dolij habitaret.

Gen. 14.

Ibid. 18.

Gen. 24.

Ibid. 12.

Gal. 1.

Act. 18.

2. Cor. 10.

Rom. 9.

Qui corrupto sunt animo, leduntur ab omnibus.

cum in Aegypto quoque antea apparuisset admirabilis, & hanc ipsam uxorem recepisset, & tantum esset honorem consecutus apud neminem se ostentat. Sed indigenam quidem eum regem appellabant, ipse autem soluit pretium sepulchri. Iam vero cum mitteret, uxorem filio ambiturus, famulum, nihil iussit magnum aut præclarum de se dicere, sed solum sponsam adducere. Vis etiam examinare eos qui erant sub gratia, quando eos vndique circumfluebat magna doctrinæ gloria, & videre hoc quoque vitium tunc fuisse eiectum. Cogita mihi hunc ipsum qui hæc dicit, quemadmodum semper totum Deo tribuit, quemadmodum suorum quidem peccatorum assidue meminit, rectè autem factorum nequaquam. Sed si quando oporteat corrigere discipulos, & cogatur hoc facere, eam rem vocat insipientiam, & Petro primas cedit: nec erubescit operari apud Priscam & Aquilam: & vbiq; conatus est se ostendere humilem & abiectum, non in foro superbe incedens, neque turbas circumferens, sed se referens in numerum eorum qui sunt obscuri & non insignes. Et ideo dicebat, Præsentia autem corporis est infirma, hoc est despicienda, & quæ nullum habet fastum. Et rursus, Opto vos nihil mali facere, ne nos probi videamur. Et quid mirum si hanc despicit gloriam? Qui etiam supernam despicit gloriam, & regnum, & gehennam, propter id quod Christo videtur. Optat enim esse anathema à Christo pro Christi gloria, Nam etsi pro Iudæis hoc se dicat velle pati, hoc dicit, ne existimet stultus aliquis eum apprehendere quæ facta sunt eis promissa. Si ille ergo paratus erat ea præterire, quid miraris si humana despicit? Sed eos qui nunc sunt, demergunt omnia, non solum gloriæ appetitio, sed etiam contrarium, contumelia, & metus infamiæ. Nā & si quispiam laudauerit, intumescis, & si vituperauerit, deprimeris. Et quomodo corpora imbecilla offenduntur vel à quibuslibet, ita etiam pusillæ & abiectæ animæ. Eos enim qui sunt huiusmodi, non solum paupertas, sed etiam perdit diuitiæ: non tristitia solum, sed etiam gaudium, & quæ sunt iucunda magis quàm quæ tristia. Nam paupertas quidem cogit esse modestum & temperantem: Diuitiæ autem sæpe educunt etiã ad aliquod magnum malum. Et sicut qui febricitant, ab omnibus offenduntur: ita qui sunt animo corrupto & deprauato, leduntur ab omnibus. Hæc ergo cum sciamus, neque fugiamus paupertatem, neque admiremur diuitias: sed animū ita comparemus vt sit aptus & idoneus ad omnia. Nam qui domum ædificat, non eò spectat, neque vt in eam non cadat pluuia, neque vt ad eam non veniat radius, hoc enim fieri nequit: sed vt ad omnia ferenda apta sit & idonea. Et qui nauem fabricatur, non aliquid agit nec machinatur, neque vt in eam irrumpant fluctus, neque vt non excitetur maris tempestas: sed vt nauis tabulata apta sint ad omnia. Rursus qui curam gerit corporis, non eò spectat vt non sit aëris inæqualitas & intemperies, sed vt corpus omnia hæc facile ferat. Sic etiam faciamus in anima, & studium ponamus, non vt paupertatem fugiamus, neque vt simus diuites, sed vt vnumquodque ex iis ita tractemus vt simus in tuto. Propterea his dimissis & diuitiis & paupertati aptam efficiamus animam. Nam etsi nihil humani accidat, quod quidem maxima ex parte fieri nō potest, sic quoque erit melior qui non querit diuitias, sed omnia facile potest ferre, quàm is qui semper est diues. Primum quidem, qui est huiusmodi, ex se & apud se habet quod sit in tuto, ille autem extrinsecus. Et quomodo miles est melior qui confidit corpori & arti bellicæ, quàm qui solum vires habet in armis: ita qui à virtute septus est & munitus, melior est eo qui confidit pecuniis. Secundò,

quod etiam si in paupertatem non inciderit, fieri potest vt ipse non sit obnoxius perturbationi. Multos enim fluctus & perturbationes habent diuitiæ, sed non vitiosus: imò verò solam voluptatem & securitatem. Facit enim vt expugnari non possit ab insidiatoribus: contra autem diuitiæ & facile inuadi possunt & capi. Et quomodo inter animalia cerui & lepores maximè ex omnibus facile capi possunt propter timiditatem à natura insitam: aper autem & taurus & leones non facile inciderint in insidiatores: Ita etiam licet videre & in diuitibus, & in iis qui sua sponte degunt in paupertate. Nam hic quidem similis est leoni & tauro: ille autem ceruo & lepori. Quem enim non timet diues? Non latrones, non principes, non inuidos, non calumniatores? Et quid dico latrones, & calumniatores, cum ipsos etiam famulos habeat suspectos? Et quid dico viuos? Ne mortuus quidem & liber à maleficio latronum: neque mors cum potest collocare in tuto: sed & mortuum depredantur malefici, adeò instabilis & lubrica res sunt diuitiæ. Non solum enim perfodiuntur domus, sed etiam sepulchra perrumpuntur & loculi. Quid ergo his fieri potuerit miserius? cum ne mors quidem ei hanc præbeat securitatem: sed infelix illud corpus, ne vita quidem priuatum, à malis quæ sunt in vita sit liberatum, cum ij qui ea admittant maleficia, etiam cum puluere & cinere contendat bellum gerere, & multo grauius quàm cum viueret. Nam tunc quidem penarium ingredientibus, arculas quidem mouebant, à corpore autem abstinebant, neque tam multa accipiebant vt ipsum etiam corpus nudarent. Nunc autem ne ab iis quidem abstinent execrandæ manus eorum qui sepulchra effodiunt, sed ipsum mouent & versant, & cum summa crudelitate ipsum contumelia & probro afficiunt. Nam postquam terræ fuit mandatum, & illius & vestium amictu nudatum sic sinunt proiectum iacere. Quis est ergo diuitiis maior hostis, quæ viuorum quidem perdunt animam, mortuorum autem etiam corpus probro & contumelia afficiunt, & ne terra quidem tegi permittunt? quod quidem est commune etiam eorum qui sunt condemnati, & rerum turpissimarum conuicti. Nam cum de illis quidem pœnas capitis exegerint legislatores, nihil vltius inquirunt: ab his autem diuitiæ etiam post mortem pœnas grauissimas exigunt: nudos exponentes & insepultos, spectaculum graue & miserabile. Hi enim grauiora patiuntur quàm qui patiuntur à iudicis calculo & ira. Nam illi quidem cum vno & altero die manserint insepulti, terræ mādantur. Hi verò cum terræ mandati fuerint, tunc nudantur probroque & contumelia afficiuntur. Quod si etiam non accepto loculo recedunt latrones, de eo non diuitiis sed paupertati sunt habendæ gratiæ. Ipsa enim eum seruat. Nam si eum commississemus diuitiis, & mittentes eum construere ex lapide, construxissemus ex auro, eum quoque perdidissemus. Adeo infida res sunt diuitiæ, & non tam sunt eorum qui habent, quàm eorum qui aggrediuntur rapere. Quamobrem superuacanea est illa oratio quæ conatur ostendere diuitias esse expugnatum difficiles, cum nec in die quidem mortis tuti sint qui eas habent. Atqui quis non reconciliatur cum mortuo, etiam si sit fera, etiam si dæmon, etiam si quilibet? Sufficit enim spectaculum ad flectendum vel ferreum vel doloris expertem. Propterea cum quis viderit mortuum, etiam si viderit inimicum & hostem, lacrymatur cum amicissimis: & ira quidem extinguitur cum vita, eius autem locum subit misericordia: & in exequiis & funeris elatione non discreueris inimicum & eum qui non est inimicus. Ita omnes communem reuerentur naturam, & quæ de ea latæ sunt leges. Diuiti-

In sepulchrorum efflorescunt iuuentur.

tiæ autem ne hoc quidem affecit, iram immittunt in eos qui ipsas possident: sed & eos qui nulla affecti sunt iniuria reddunt inimicos defuncti, si mortuum corpus nudare, est acrium inimicorum & hostium. Et natura quidem etiam inimicos ei tunc reconciliat. Diuitiæ autem etiam in eos bellum gerunt quos non possunt quidem vilius criminis accusare, & in magna solitudine crudeliter sæuiunt in corpus. Atqui multa sunt illic quæ possunt attrahere ad misericordiam, hoc ipsum quod sit mortuum, quod immobile, quod ad terram tendat & interitum, quod nemo adsit opem laturus. Sed nihil horum frangit illos execrandos, propter tyrannidem quæ ex improba oritur cupiditate. Amor enim pecuniæ, tanquam immanis quidam tyrannus, eis præest inhumana iussa imperans, eosque effectos bestias, ita ducit ad oculos. Nam tanquam feræ mortuos inuadentes, ne à carnibus quidem abstinerint, si membra eis essent vtilia. Hos fructus percipimus ex diuitiis, etiam post mortem probro & contumelia affecti, & sepultura priuati, quam assequuntur etiam qui nefaria perpetrarunt. Eatinus ergo, dic rogo, adhuc amabimus quæ nobis sunt adeò infestæ & inimicæ? Nequaquam, rogo, nequaquam fratres, sed fugiamus, nec tergum retrō vertamus, & si in manus nostras venerint, ne intus retineamus, sed eas pauperum manibus alligemus. Hæc enim vincula eos magis possunt retinere, & nunquam effugient ex illis penariis: istæque infidæ de cætero manent fideles, placidæ, mansuetæ, eleemosynæ dextera hæc effectæ. Si quando ergo ipsæ ad nos accesserint, ipsi eas tradamus. Sin autem non adfuerint, ne quæramus, neque nos ipsos suffocemus, neque eos qui habent, beatos existimemus. Quomodo enim iste beatus hic existimandus? Nisi eos qui cum bestiis pugnant beatos dixeris, quod pugnant illas bestias sibi inclusas seruent qui talia proponunt certamina, ipsi non audentes accedere nec tangere, sed ipsas formidantes & contremiscentes. Hoc ipsum accidit etiam diuitibus, qui tanquam immanem bestiam diuitias incluserunt in penariis, & ab ipsis singulis diebus vulnera accipiunt innumerabilia, contrario planè modo quàm fiat in bestiis. Nam illæ quidem, quando eas eduxeris, tunc exitium afferunt iis qui eis occurrunt. Istæ autem cum fuerint inclusæ & seruatae, tunc eos perdunt qui ipsas possident & seruant. Sed nos bestiam reddamus mansuetam. Erit autem mansuetæ, si eam non incluserimus, sed in omnium egentium manus adduxerimus. Sic & maxima bona inde percipiemus, & in vita præsentis tuto ac securè & cum bona spe viuentes, & in die futuro stantes cum fiducia. Quam detur nobis omnibus cōlequi gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum patre & sancto spiritu, & c.

ORATIO XXXVI.



FRATRES, nolite pueri effici sensibus, sed matritia paruuli estote: sensibus autem perfecti estote. Merito post multam confirmationem & demonstrationem, oratione vtitur vehementiore & multa increpatione, & meminit exempli rei subiectæ congruentis. Parui enim pueri parua quidem hianti ore stupent & mirantur: rerum autem valde magnarum non tanta tenentur admiratione. Quoniam ergo isti quoque linguarum habentes donum, se totum habere existimabant, quod quidem erat aliorum vltimum, propterea dicit, Nolite pueri effici, hoc est insipientes, vbi oportet esse sapientes: sed illic pueri & simplices, vbi est iniustitia, vbi inanis gloria, vbi tumor. Eum enim qui vitio est infans, etiam prudentem esse oportet. Quomodo enim pruden-

Pueri parua mirantur non autem magna.

tia cum scelere ac maleficio non fuerit prudentia, ita etiam simplicitas cum amentia, non fuerit simplicitas. Nam & in simplicitate fugienda est amentia, & in prudentia vitium & nequitia. Quomodo enim neque amara neque dulcia medicamenta profunt si sint plusquam par sit, ita nec simplicitas per se, nec prudentia. Quamobrem Christus vtraque iubens contemperare, docebat: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Quid est autem esse paruulos seu infantes malitia, seu vitio? Ne nosse quidem quid sit vitium: eos enim vult esse tales. Et ideo dicebat, Omnino inter vos auditur talis fornicatio. Non dixit, perpetratur vel admittitur, sed auditur. Rem enim, inquit, omnino scitis? Ipsam enim vnquam audiistis? volebat enim ipsos esse & viros & pueros. Sed hoc quidem in vitio, illud verò in prudentia. Sic enim & vir fuerit, si fuerit paruus puer. Quamdiu autem non fuerit infans vitio, ne vir quidem erit. Nam qui est sceleratus ac maleficus, non erit perfectus, sed insipiens. *In lege enim scriptum est. In aliis linguis & labiis aliis loquar populo huic: & nec sic exaudient me, dicit dominus.* Atqui nusquam in lege scriptum est, sed sicut prius dixi, vniuersam veterem scripturam semper vocat legem, & prophetas, & historias. Adducit autem testimonium ex Esaia Propheta. Rursus domini gloriam diminuens ad illorum vtilitatem, sic tamen ipsum rursus ponit cum laude. Illud enim, Ne sic quidem, erat ostendentis sufficere miraculum ad eos percellendos: si autem non crediderunt, eorum fuisse culpam. Et cur hoc fecit Deus, si non erant credituri? Vt semper cerneretur facere quæ sua sunt. Cum ergo ostendisset etiam ex prophetia, signum non valde esse vtile, subiunxit. *Itaque lingua in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus. Prophetia autem non infidelibus, sed fidelibus.* Si ergo conueniat vniuersa ecclesia in vnum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ aut infideles, nonne dicent quod insanitis? Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus. *Occulta enim cordis eius manifesta sunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians quod verè Deus in vobis sit.* Multam ex iis quæ dicta sunt hic videbit quispiam dubitationem. Si enim infidelibus signum sunt linguæ, quomodo dicit, Si viderint vos linguis loquentes infideles, dicent vos insanire? & si prophetia non infidelibus, sed fidelibus, quomodo ex ea lucrabuntur etiam infideles? Si enim intret, inquit, infidelis vobis prophetatibus, conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus. Non hæc autem solum, sed etiam post eam secunda hinc oritur quæstio. Apparebit enim lingua rursus maior prophetia. Nam si linguæ sunt in signum infidelibus, prophetia autem fidelibus, id quod alios attrahit & coniungit, maius est eo quod familiares ac domesticos componit & concinnat. Quid est ergo quod dictum est? Nihil difficile, nec obscurum, neque prioribus contrarium, sed valde conueniens, si attendamus. Nam prophetia quidem vtrisque est apta, lingua autem minime. Nam cum de lingua dixisset eam esse in signum, addidit, non fidelibus, sed infidelibus, eisque in signum, hoc est ad obstupefaciendum, non adeò autem ad instituendum. At in prophetia, inquit, hoc ipsum fecit, dicens, Prophetia autem non infidelibus sed fidelibus. Neque enim fidelis opus habet vt signum videat, sed solum doctrina indiget & institutione. Quomodo ergo, inquit, dicit prophetiam vtrisque esse vtilem, cum ipse dicat non infidelibus sed fidelibus? Si diligenter & exactè examinaueris, scies quod dicitur. Non enim dixit prophetiam non esse vtilem infidelibus, sed non esse in signum, vt linguam, scilicet inutile. Neque infidelibus vtile quid est lingua. Vnum.

Pfal. 85.

In fideles dicuntur dupliciter.

Ad. 2. & 10.

Id.

Ad. 5.

Lingua non solum prodest, sed etiam laedit.

Ibid. 2.

1. Tim. 6.

enim est eius opus ac munus, obstupescere solum ac conturbare. Signum est enim ex iis quae sunt media: ut quando dicit, Fac mecum signum: & addit, In bonum. Et rursus, Factus sum tanquam prodigium multis. hoc est, In signum. Et ut scias quod hic adduxit signum, non tanquam faciens aliquid omni ex parte utile, ostendit id quod fit ex eo. Quid hoc est autem? Dicent quod insanitis. Hoc autem dicit, non ex natura signi, sed ex illorum amentia. Infideles autem quando audieris, ne existimes eosdem ubique dici, sed aliquando eos qui morbo laborant incurabili, & manent eiusmodi ut non possint corrigi: aliquando autem etiam eos qui possunt mutari. Quales fuerunt tempore Apostolorum qui admirabantur quae dicuntur magnalia Dei, eiusmodi fuit Cornelius. Hoc est ergo quod dicit: Prophetia quidem est & in infidelibus & in fidelibus. Linguam autem audientes infideles & insipientes, non solum non lucrifaciunt, sed etiam eos qui loquuntur irrident tanquam insanos: est enim eis solum in signum, hoc est ut tantummodo obstupescant. Nam si sapuissent, etiam lucrati essent propter signum quod eis fuit datum. Non enim tunc erant solum qui ebrietatis eos insimulabant, sed multos eos etiam admirabantur tanquam loquentes Dei magnalia. Quamobrem qui irridebant erant insipientes. Et ideo Paulus non absolute dixit, Dicent quod insanitis, sed addidit, Idiotae & infideles. Prophetia autem non absolute in signum, sed ad fidem & utilitatem utriusque est apta & utilis. Idque & si non statim, per ea tamen quae deinceps sequuntur apertius interpretatus est dicens: Coniucitur ab omnibus. Diiudicatur ab omnibus. Et sic occulta cordis eius fiunt manifesta. Et cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians quod verè Deus in vobis sit. Quamobrem non hoc solum maior est prophetia, quod vim habeat in utrisque, sed etiam quod ex infidelibus eos attrahat qui sunt impudentiores. Neque enim idem erat miraculum, quando Sapphiram conuicit, quod quidem erat prophetiae: & quando linguis loquebatur Petrus. Nam tunc quidem fuerunt omnes compressi & coerciti: quando autem loquebatur linguis, etiam pro deliro & fatuo est habitus. Cum ergo dixisset linguam non profuisse, & hoc ipsum rursus extenuasset, eo quod culpam in Iudeos contulisset, procedens ostendit id etiam laedere. Et cur datum est? Ut procedat cum interpretatione. Nam absque eo etiam contrarium euenit apud insipientes. Si enim, inquit, omnes loquantur linguis, ingrediatur autem infideles & idiotae, dicent vos insanire. sicut etiam Apostoli existimati sunt ebrij. Dicebant enim, Musto sunt repleti. Sed non est signi culpa, verum illorum ruditatis & iniustitiae. Propterea adiecit, Idiotae & infideles. Quare illorum imperitiae & infidelitatis est existimatio. Nam ut prius dixi, non in iis quae dantur vitio, sed in iis quae non multum iuuant, conatur donum ponere, ut eos reprimat & insolentiam coercat, & necessitatem afferat requirendi eius qui interpretetur. Nam quoniam non eo spectabant, sed ad ostentationem, gloriaeque & honoris cupiditatem multi eo utebantur, ab eo maxime abducit, ostendens eos in gloria & existimatione magnum damnum accipere, ut qui habeantur pro insanis. Et hoc est maxime quod assidue adstruere conatur Paulus, quando vult ab aliqua re abducere. Ostendit eum laedi in iis ipsis quae desiderat. Et tu quoque fac similiter. Si a volupate abducas, ostende rem esse paruum. Si ab inani gloria abstrahas, ostende rem esse plenam dedecore & infamia. Sic etiam faciebat Paulus. Diuites enim auelens ab amore pecuniae, non dixit solum noxias esse diuitias sed etiam iniicere in tentationes. Nam quoniam

videbantur liberare a tentationibus, eis tribuit contrarium eius quod existimabant diuites. Alij externae operam dabant sapientiae, tanquam hac ratione dogma stabilientes: ostendit eam non solum cruci non operam ferre, sed etiam eam exinanire. Urgebant ut iudicarentur apud alios, existimantes indignum esse iudicari apud suos, propterea quod externi essent sapientiores: ostendit quod sit turpe foris iudicari. Accedebant ad ea quae erant idolis immolata, tanquam perfectam ostentantes sapientiam: ostendit hoc esse imperfectae scientiae, nescire administrare ea quae sunt proximorum. Ita hic quoque, quoniam linguarum donum stupentes admirabantur, gloriam amantes, ostendit hoc quidem eos maxime dedecore afficere, non solum eos priuans gloria, sed eis etiam afferens ut reputarentur insani. Sed non statim hoc dixit: sed cum prius dixisset plurima, quando effecit ut facile exciperetur gratiaque esset oratio, tunc subiungit id quod est admirabile & praeter opinionem. Est autem haec contemplatio ei familiaris. Eum enim qui est labefacturus & in contrarium conuersurus firmiter & stabiliter conceptam opinionem, non oportet statim dicere contrarium, esset enim ridiculus apud eos quos contraria praecipue sententia. Nam quod est valde admirabile & praeter opinionem, non facile admitti poterit ab initio: sed oportet cum per alia prius recte suffoderis & irrepseris, sic conuertere in contrarium. Sic certe fecit etiam differens de matrimonio. Nam quoniam multi animum adhibebant matrimonio tanquam rei in qua esset quies & recreatio: ipse autem volebat ostendere, non iungi matrimonio esse quietem ac recreationem, si statim quidem hoc dixisset, non fecisset ut hoc tam facile admitteretur. Nunc autem cum post multa hoc posuisset, opportunè inducens, facile perculsit auditores. Hoc etiam fecit in virginitate. Nam cum antea multa dixisset, & rursus postea, tunc dicit, vobis parco: & volo vos esse sine sollicitudine. Hoc facit etiam in linguis, ostendens eas non solum priuare gloria, sed eos etiam quae habent, probro ac dedecore afficere apud infideles. Prophetia autem contra probro ac dedecore vacat apud infideles, & maximam habet gloriam & utilitatem. Nam in prophetia nemo dicit eos insanire, nec irridebit eos qui prophetant: sed contra eos stupebit & admirabitur. Arguuntur enim ac coniucuntur ab eis, hoc est quae habet in corde, ea in medium adducuntur, & ostenduntur omnibus. Non sunt autem paria, ingressum quempiam videre, illum quidem Persicè loquentem, hunc autè Syriacè, & ingressum videre arcana eius mentis, & an tentans, & malo animo, an sincere & bono animo sit ingressus, & quod hoc quidem ab illo gestum est, de illo verò consultatum. Hoc enim est illo multò terribilius & vtilius. Propterea in linguis quidem dicit vos insanire: sed hoc ex se non dicit, verum ex illorum iudicio. Dicent enim, inquit, quod insanitis. Hic autem virtutis & rerum sententia, & eorum qui iuuantur. Coniucitur enim, inquit, ab omnibus, diiudicatur ab omnibus: & sic occulta cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians quod verè Deus in vobis sit. Vides quod hoc quidem sit dubitabile. nam illic quidem de eo quod sit ambigitur, & quispiam ex infidelibus id adscripsit insanitiae. Hic autem nihil erit huiusmodi, sed & admirabitur & adorabit, factis primùm confitens, deinde etiam verbis. Sic etiam Nabuchodonosor Deum adorauit, dicens. In veritate Deus vester ipse est Deus reuelans mysteria, quoniam potuisti reuelare hoc mysterium. Vidisti vim prophetiae, quomodo a grestem illum mutaauerit, & instituerit, & ad fidem deduxerit. Quid ergo est, fratres?

Sup. 10.

Sup. 7.

Propheta est Dei interpres.

Sup. 11.

Dan.

fratres? Cum conuenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, reuelationem habet, interpretationem habet: omnia ad aedificationem fiunt. Vidisti Christianismi fundamentum & regulam. Quomodo enim est artificis officium aedificare, ita etiam Christiani proximis prodesse per omnia. Quoniam autem in donum valde est inuectus, ne videatur esse superuacaneum, eius enim factum volens deprimere hoc solum fecit, rursus ipsum cum aliis enumerat, dicens: Psalmum habet, doctrinam habet, linguam habet. Etenim psalmos olim faciebant ex charismate seu dono, & docebant ex dono. Sed tamen haec omnia, inquit, ad vnum aspiciant, nempe ad propinquorum correctionem: nihil fiat temerè & inconsideratè. Si enim non accedis fratrem aedificaturus, cur accedis? Non magna à me habetur ratio charismatum differentiae. Vnum est mihi curae, & vnum est in quod meum pono studium, nempe ut omnia faciam ad aedificationem. Ita etiam qui paruum habet donum, eum qui magnum habet superabit ac praeterugetur, si hoc adsit. Propterea enim sunt dona ut unusquisque aedificetur. Si hoc enim non factum fuerit, erit donum ei qui accipit, ad condemnationem. Quid enim, dic mihi, prodest prophetare: Quid verò mortuos excitare, cum nullus sit qui lucretur? Si hic est autem donorum finis, licet autem etiam alio modo hoc conficere absque donis, ne propter signa efferaris & insolentias, neque te miserum esse existimes donis priuatus. Sive lingua quis loquitur, secundum duos, aut ut multum tres & per partes, & vnus interpretetur. Si autem non fuerit interpres, taceat in ecclesia, sibi autem loquatur & Deo. Quid dicitis quæso? Cum de linguis tam multa dixeris, quod sit inutile, quod superuacaneum, nisi habeat interpretem, rursus iubet loqui linguis? Non iubeo, inquit, sed nec prohibeo: ut quando dicit, Si quis vos vocat infidelium, & vultis ire, non hoc dicit legem ferens ut eas, sed neque retinens. Ita hic etiam. Sibi autem loquatur & Deo. Si non potest, inquit, tacere, sed est adeo honoris & inanis gloriae cupidus, apud se loquatur. Quare hoc ipso quod sic permisit, prohibuit, ut qui pudore affecerit. Quod etiam facit alibi differens de consuetudine cum vxore, ei dicens. Hoc autem dico propter incontinentiam vestram. Sed quando de prophetia loquebatur non sic dixit. Sed quomodo? Imperando & legem ferendo. Prophetæ autem duo aut tres loquantur. Et nusquam hic quærit interpretem, neque os obstruit prophetanti, sicut illic, dicens, Si non sit interpres, taceat. Neque enim sufficit is qui lingua loquitur. Quamobrem si quis quidem habeat vtrunque donum, loquatur. Si autem non habeat, vult autem loqui, cum eo qui interpretatur hoc faciat. Propheta enim est interpres, sed Dei, tu autem hominis. Si autem non sit interpres, taceat: nihil enim superuacaneè fieri oportet ad ambitionem & honoris studium. Sibi autem loquatur & Deo. Hoc est, In mente, & sensim, & absque strepitu, si velit. Non est enim hoc legem ferentis, sed fortè potius pudorem incutientis per confessionem, sicut quando dicit, Si quis autem esurit, domi comedat: & cum videatur concedere, cum tangit acrius. Non enim ideo, inquit, conuenitis ut vos dona habere ostendatis. Sed ut eos qui audiunt aedificetis. Quod etiam dixit in initio, Omnia ad aedificationem fiunt. Prophetæ autem duo aut tres dicant, & ceteri diiudicent. Nusquam plurimum posuit sicut in linguis. Et quid hoc, inquit? Neque enim sufficientem ostendit esse prophetiam, si alijs permittit iudicium. Imò verò est valde sufficiens. Neque enim huic sicut illi os obstruxit, & silètiū indixit, si non sit qui interpretetur. Neque sicut de illo dixit, Si non sit interpres, taceat: ita de hoc quoque, Si non sit

qui discernat, ne prophetet: sed solum muniit auditorem. Hoc enim dixit ad eos monendos ut cauerent, ne inter eos incurreret vates ac diuinator. Nam etiam in principio hoc iussit caueri, quando vaticinationis seu diuinationis & prophetiae attulit differentiam: & nunc ipsum iubet discernere, & considerare ne quid irrepat diabolicum. Quod si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat. Potestis enim omnes per singulos prophetare: ut omnes discant, & omnes exhortentur. Quid est quod dictum est? Si te, inquit, prophetate & loquente, alterius spiritus cum excitauerit, tace de cetero. Quod enim dixit de linguis, hoc hic quoque exigit ut fiat vicissim, sed hic diuinius. Non dixit enim Sigillatim, sed, Si alij sit reuelatum. Quid enim adhuc opus esset, cum hic moueatur ad prophetiam, illum dicere? At oporteret utrosque. Sed res esset absurda & confusa. At priorem. Et hoc quoque absurdum. Propterea enim illo dicente, hunc mouebat spiritus, ut hic quoque diceret aliquid. Deinde consolans eum cui os fuit obstruendum, dicit. Potestis enim omnes sigillatim prophetare, ut omnes discant, & omnes consolentur. Vides quemadmodum affert causam, propter quam facit omnia? Si enim cum qui linguis loquitur, omninò prohibet dicere, quando non habeat interpretem propter inutilitatem: merito etiam prophetiam, si non habeat, sed confusionem faciat, & conturbationem & tumultum importunum, iubet cohibere. Et spiritus prophetarum prophetis subiectus est. Vidisti quam vehementer & terribiliter eum pudore affecerit? Nam ne cõtendat homo & seditionem agitat, ipsum donum ostendit subijci. Spiritum enim hic vocat operationem. Si autem spiritus subiicitur, multò magis non æquum est ut tu qui possides, contendas. Deinde ostendit quod hoc quoque sit Deo acceptum, subiungens & dicens, Non enim dissensionis est Deus, sed pacis, sicut & in omnibus ecclesijs sanctorum doceo. Quid ergo his rebus fuerit magis reuerendum? Etenim ecclesia tunc est cœlum, spiritu sancto omnia regente, & vnumquenque ex iis qui præsumt mouente, & Deo afflante. Sed nunc illorum donorum symbola ac signa tantum tenemus. Nam nunc quoque duo aut tres dicimus, & vicissim, & alio tacente alius incipit. Sed hæc sunt tantum illorum signa & monumenta. Propterea quando inceperimus dicere, populus respondet. Spiritu tuo: ostendens quod olim sic dicebant, non sua moti sapientia, sed spiritu. Sed non nunc, de me iam loquor. Sed ecclesia nunc est similis mulieri quæ à veteri prosperitate excidit, & multis in locis sola tenet symbola antiquæ illius felicitatis, & monilium quidem solas ostendit thecas & arcu-las, diuitiis autem est priuata. Ei nunc est similis ecclesia. Neque hoc solum dico propter dona, non enim esset graue si hoc solum esset, sed etiam propter vitam & virtutem. Nam & viduarum numerus, & chorus virginum tunc magnum ornamentum præbebat ecclesijs: nunc autem ab iis ecclesia deserta est & exinanita, & sola manent signa. Nam sunt nunc quoque viduæ, sunt & virgines. Sed ea non habent illum ornatum, quem habere oporteret eas quæ se ad hæc pararunt certamina. Eximium enim virginis est indicium quo agnoscitur quod de iis tantum quæ sunt Dei sit sollicita, & ad Deum precandum indiuisè affideat. Viduæ quoque non tam fuerit indicium quod secundis non coniungatur nuptiis, quam alia, nempe charitas in pauperes, hospitalitas, in precibus assiduitas, & multa alia, quæ exactissimè exigit Paulus scribens ad Timotheum. Videris etiam eas quæ sunt iunctæ matrimonio apud nos multam ostendere honestatem. Sed non est hoc solum quod queritur, sed diligens cura & studium egenorum, per quod præcæ viduæ valde resplendebant: non sicut

Spiritus pro operatione.

1. Tim. 5.

multæ ex iis quæ sunt nostris temporibus. Nam tunc A quidem pro auro, eleemosynæ induebantur ornamento. Nunc autem hoc dimisso, funibus aureis ex catena peccatorum contextis amiciuntur. Dicamne etiam aliam thecam ornamento patrio exinanitam? Conueniebant olim omnes, & psallebant communiter. Hoc nunc quoque facimus. Sed tunc quidem in omnibus vna erat anima & cor vnum. Nunc autem ne in vna quidem anima illam concordiam videris & cõsensum: sed vbique magnum est bellum. Pacem nunc quoque precatur omnibus, is qui præest ecclesiæ, vt qui in domum ingreditur paternam. Sed huius pacis nomen quidem est frequens, res autem nusquam. Tunc etiam domus erant ecclesiæ: nunc autem etiam ecclesia est domus, vel potius quavis domo deterior. Nam in domo quidem bene constitutum videris ordinem. Nam domina quidem domus sedet in sede cum omni honestate, modestia & decore, & ancillæ texunt cum silentio, & singuli ex famulis in manibus habent id quod est eis mandatum. Hic autem multus est tumultus, magna confusio, & à caupona nihil nostra differunt, tantus est risus, tanta perturbatio, sicut in balneis, sicut in foro clamantibus omnibus & tumultuantibus: atque adeò hic solum. Nam alibi ne propinquum quidem licet alloqui in ecclesiâ, & ne si amicum quidem longo tempore absentem exceperit. Sed hæc foris fiunt: & meritò. Non enim tonstrina, neque vnguentaria officina, neque vlla alia opificum qui sunt in foro taberna est ecclesiâ, sed locus Angelorum, locus Archangelorum, regnum Dei, ipsum cœlum. Quomodo ergo si quis ductum cœlum illum introduxisset, etiam si patrem videres, etiam si fratrem, ne auderes quidem alloqui. Ita hic ne aliud quidem loqui oporteret præter spiritualia. Nam hic quoque est cœlum. Quod si non credis, aspice ad hanc mensam, recordare propter quam causam & quamobrem hic stet. Cogita quis sit qui huc procedat, venerare & obstupescere etiam ante tempus. Etenim si quis solum viderit regis solium, animo assurgit expectans regis exitum. Et tu ergo etiam ante illud tempus stupendum veneras, & obstupescere, & assurgere, antequam videas expansas vestes stragulas & tapetes, & procedentem chorum Angelorum, in ipsum cœlum ascende. At hæc ignorat qui mysteriis non est initiatus. Neesse est ergo apud illum etiam alia dicere. Neque enim nobis deerunt apud eum alia quæ dicamus quæ possint efficere vt surgat, & persuadere vt volet. Tu ergo qui hæc ignoras, quãdo audieris prophetam dicentem, Hæc autem dicit dominus, recede à terra, ipse quoque in cœlum ascende: cogita quisnam sit qui per illum tecum loquitur. Nunc autem histrionis quidem risum mouentis, & scortantis mulieris, probrique ac dedecoris tantum sedet spectaculum, iis quæ dicunt magnum præbens silentium, idque cum nullus iubeat tacere: & neque est tumultus, neque clamor, nec vllus omnino strepitus: Deo autem è cœlis loquente de rebus adeò stupendis ac reuerendis, canibus sumus impudentiores, ne Deo quidem tantam exhibentes reuerentiam quantam meretricibus. His auditis exhorruitis: multò magis hoc facientes, horrete quod de iis qui pauperes despiciunt, dixit Paulus, An non habetis domos ad comedendum & bibendum? an ecclesiam Dei contemnitis, & eos qui non habent pudore afficitis? Mihi quoque concedite vt dicam de iis qui hic cient tumultus & loquuntur. An non habetis domos ad nugandum? an Dei ecclesiam despiciatis, & eos etiam corrumpitis qui volunt esse modesti & quieti? At nobis est suauis & iucundum alloqui eos qui sunt nobis noti? Non hoc veto, sed domi, sed in foro, sed in balneis fiat. Ec-

Cœlum est in ecclesiâ.

Sup. 11.

clesia enim non est locus disputationis sed doctrinae. Nunc autem nihil differt à foro: & si non sit dictu audacius, fortè nec à fornice aut prostibulo: adeò iis quæ illic scortantur lasciuus & impudicus ornantur quæ hic congregantur. Quamobrem multos quoque impudicos hic attrahunt. Et si quis tentet, aut velit corrumpere mulierem, nullus ei videtur locus aptior quàm ecclesiâ. Et si quid vendere aut emere oporteat, ecclesiâ videtur esse aptior quàm forum. Hic enim de his plura verba fiunt quàm in ipsis officinis. Et si qui velint maledicere & maledicta audire, hoc quoque hic magis videbit contingere, quàm in foro. Et si volueris res audire ciuiles, & quæ in adibus fiunt, & quæ in castris, ne eas ad prætorium, neque sedeas in officina medicorum. Sunt enim qui omnibus exactius hic omnia hæc annunciant: & omnia sunt hic magis quàm ecclesiâ. Vos fortasse valde tetigi. Non ego quidem certè, vt arbitrator. Quando enim in iisdem perseveratis, vndenam sciam quòd quæ dicta sunt vos tetigerunt? Neesse est ergo rursus eadem tangere. Hæc ne sunt tolerabilia? hæc ne ferenda? Quotidie dissecamur & discerpimur, vt vtile aliquid edocti discedatis: nemo autem vestrum aliquid lucratus recedit, sed maiori etiam damno affectus. Etenim in iudicium conuenitis, cum peccati vique nullam habeatis occasionem, & meliores & mitiores expellitis, eos vestris nugis vndique molestia afficientes. Sed quid est quod dicitur à multis? Non audio, inquit, quæ leguntur, neque scio ea quæ dicuntur. Atqui propter hoc ipsum te oportebat attendere. Si autem ne id quidem quod est obscurum, tuum excitat animum, mutò magis si essent clara ac manifesta, ea prætercurreres. Idè enim nec sunt omnia dilucida, ne sis piger: neque obscura, ne desperes. Et ille quidem Eunuchus & barbarus nihil ex iis dixit, sed & tantorum negotiorum circumdatus multitudine, etiam cum in via esset, librum habebat in manibus & legebat. Tu autem cum & tibi sit copia doctorum, & habeas qui tibi legant, mihi excusationes profers & prætextus. Nescis ea quæ dicuntur? Ora ergo vt discas. Imò verò fieri non potest vt omnia ignores: multa enim sunt ex se aperta & dilucida. Imò verò etsi omnia ignores, sic quoque oporteret te silere, vt non expellas eos qui attendunt: vt cum Deo acceptum fuerit tuum silentium & pudor tuus, is ea quæ sunt obscura reddat dilucida. At non potes silere? exi ergo, ne aliis quoque damnum afferas. Etenim in ecclesiâ vnam oportet semper esse vocem, tanquam vnum sit corpus. Propterea & qui legit, solus loquitur: & is qui habet episcopatum, sultinet silentio sedens. Et is qui psallit, solus psallit: & si omnes respondendo resonent, vox fertur tanquam ex vno corpore. Et qui ad populum verba facit, solus loquitur. Quando autem multi de multis & diuersis disceptat, cur vos temerè molestiam exhibetis? Nisi enim nos molestia afficere putaretis, nobis de tantis rebus loquentibus, de iis quæ nihil attinent non loqueremini. Propterea non in vita solum, sed & in ipsa rerum æstimatione, magna est peruersio: & ad ea quæ sunt superflua hiatis & obstupescitis, & veritatem dimittentes, vmbra & somnia persequimini. An non vmbra & somnia sunt omnia præsentia, & vmbra deteriora? Etenim priusquam appareant, recedunt: & priusquam auolent, magnam exhibent perturbationem, & maiorem voluptate. Et si hic innumerabiles acceptas infoderit pecunias, cum nox præterierit, hinc nudus recedit, & meritò Nam & qui in somnis sunt diuites, cum è cubili surrexerint, nihil habent ex iis quæ videbantur habere dormientes. Ita etiam avari, & qui plura habendi laborant cupiditate. Imò verò non ita, sed lōge peius. Nam qui in som-

Gen. 3. Mulieres iubentur silere etiam lege veteri.

Gen. 3. Mulieres iubentur silere etiam lege veteri.

Sup. 11. Cõsuetudo omnium ecclesiarum est obseruanda.

nis quidem est diues, neque habet pecunias quas visione apprehendebat se habere, neque aliquò alio bono ab hac visione accepto, surgit. Iste autem, pecuniis quidem est priuatus, peccatis autè quæ ex pecuniis orta sunt repletus, discedit: & cum quæ in diuitiis oriuntur mala, visione apprehenderit, ea non videt de cætero in visione, sed in ipsa rerum veritate. Et fuit quidè voluptas in somnis, quod autem ex voluptate nascitur supplicium, non vtrique accidit in somnis, sed in ipsa experientia, imò verò etiam ante illud supplicium, hic quoque extremas dat pœnas, vt qui in colligendo atteratur innumerabilibus animi egritudinibus, solitudinibus, accusationibus, calumniis, tumultibus, & perturbationibus. Vt ergo & à somnis liberemur, & à malis quæ non sunt in somniis, pro auaritia & plura habendi cupiditate eleemosynâ eligamus, pro rapina benignitatem. Sic enim præsentia & futura bona sumus affecturi, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui, &c.

ORATIO XXXVII.



MULIERES vestre in ecclesiis taceant. Non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse sicut lex dicit. Cum qui ex linguis oriebatur tumultum amputasset, & eum qui ex prophetiis, & legem tulisset, ne esset confusio, vt qui linguis loquebantur, hoc vicissim facerent, & vt qui prophetabant, cum alter inceperet, tacerent, de cætero procedit etiam ad perturbationem quæ oritur ex mulieribus, amputans earum importunam loquendi libertatem: idque valde opportunè. Nam si iis qui habent charismata, nõ permittitur temerè loqui, neque quando velint, idque cum moueantur à spiritu, multò magis illis inconsideratè & vanè nugantibus. Propterea magna quoque cum auctoritate earum nugantium ora obstruit. Non solum enim hic suadet, neque consulit, sed etiam vehementer imperat, antiquam de eis legens legem. Nam cum dixisset, Mulieres vestre in ecclesiis taceant, & nõ permittitur eis loqui, sed subiectas esse, subiunxit, Sicut lex dicit. Et vbi hoc dicit lex? Ad virum tuum conuersio tua, & ipse tibi dominabitur. Vidisti Pauli sapientiam, & quantum adduxerit testimonium, quod non solum eas iubet tacere sed etiam tacere cum metu, & cum tãto metu cum quanto ancillam oportet silere. Propterea cum ipse dixisset, Non permittitur eis loqui, non subiunxit, Sed tacere, sed pro tacere posuit quod est amplius, nempe subiici. Si hoc autem apud maritos, multò magis apud doctores & patres, & in communi cœtu ecclesiæ. At si non loquantur, inquit, nec interrogent, quãnam de causa aderunt? vt audiant quidem quæ oportet, ea autem de quibus dubitant, à maritis domi discant. Et idè subiunxit, Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Non solum, inquit, non est eis absolutè permissum loqui, sed nec aliquid interrogare in ecclesiâ. Si autem non oportet interrogare, multò magis absolutè nefas est loqui. Et cur eas ad tantam redegit subiectionem? propterea quòd mulier res est imbecilla, & mobilis, & leuis. Propterea eis maritos præfecit doctores: utrosque iuuans. Nam & illas reddidit modestas: & eos fecit gnauos & sollicitos, vt qui quæ audierant erant exactissimè apud eas deposituri. Deinde quoniam id ornamento sibi fore dicebant quòd loquerentur publicè, quod dicebant deducit in contrarium, dicens, Turpe est enim mulieri loqui in ecclesiâ. Nam primum quidem hoc confirmauit à lege Dei. Deinde à communi ratione & consuetudine. Sicut etiam quando eis dicebat de coma. An ne hoc quidem vos ipsa docet natura? Et vbique eius talem inuenieris modum, non ex diuinis scripturis, sed ex ipsa consuetudine pudore afficientem. Præterea ab iis quo-

que quæ omnibus videntur, & quæ vbique sunt informata, pudorem incutit. Quod hic quoque fecit, dicens. An à vobis verbum Dei processit, aut in vos solos peruenit? Etenim cæteras adduxit ecclesias hanc legem seruantes, & à nouitate tumultum resercans, & multorum calculo gratam & acceptam reddens orationem. Quamobrem alibi quoque dicebat. Qui vobis in memoriam reuocabit vias meas in Christo, sicut vbique in omnibus ecclesiis doceo. Et rursus, Non est enim Deus dissensionis, sed pacis, sicut & in omnibus ecclesiis sanctorum. Et hic, An à vobis verbum Dei processit aut ad vos solos peruenit? Hoc est, neque primi, neque vos soli fideles, sed totus orbis terræ. Quod etiam ad Colossenses scribens, dicebat. Quod & fructificat & crescit in toto mundo, loquens de Euangelio. Id autem facit etiam aliter ad exhortationem auditorum, vt quando dicit. Quæ sunt eorum, prima esse, & manifesta omnibus. Nam ad Thessalonicenses scribens dicebat: A vobis enim resonit sermo Dei, & in omni loco fides vestra ad Deum exiit. Porro autem ad Romanos quoque scribens, Fides vestra annunciat in toto mundo. Ambo enim sufficiunt & ad exhortandū & excitandum, laudari ab aliis, & alios habere socios sententiæ. Et idè hic quoque dicit, An à vobis sermo Dei processit, aut ad vos solos peruenit? Neque enim, inquit, hoc potueritis dicere quòd nos fuimus doctores aliorum, & non æquum sit vt ab aliis discamus, & quòd fides hic solum stetit, & non oporteret ab aliis exempla sumere. Vides per quàm multa eis pudorem incussit. Legem adduxit, rei ostèdit turpitudinem, cæteras ecclesias in medio posuit. Deinde quod est omnium fortissimum vltimum ponit. Si quis videtur propheta esse aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quod domini sunt madata. Et quamobrem hoc subiunxit? Ostendēs quòd neque vim afferat, nec cõtendat. Quod quidem est signum non eorum qui suã volunt cõstituerent, sed eorum qui spectant id quod est aliis conducibile. Quamobrem dicit etiam alibi, Si quis autem est cõtentiosus, nos talem non habemus consuetudinè. Sed non vbique hoc facit, sed vbi nõ valde magna admittuntur peccata, & tunc magis pudore afficiens. Nam quando de aliis loquitur, nõ sic dicit. Sed quomodo? Ne erretis. Neque fornicatores, neque molles regnū Dei possidebunt. Et rursus, Ecce ego Paulus dico vobis, quòd si circuncidamini, Christus vobis nihil proderit. Hic autem quoniam ab eo verba fiebāt de silentio, non admodum vehementer inuadit, hoc ipso eos magis attrahens. Deinde quod semper solet facere, ad prius argumentum, vnde ad hæc dicēda digressus est, reuertitur. Itaque fratres æmulamini prophetiam, & loqui linguis nolite prohibere. Est enim mos eius non solum agere id quod est propositum, sed etiam ex illo, id quod quomodocūque ei videtur coniunctum corrigere, & rursus redire ad propositum, ne videatur excidere ab argumento. Etenim quando loquebatur de concordia in mensis cum digressus esset ad cõmunionem in mysteriis, & eos inde pudore affecisset, ad priora rursus reuertitur, dicens. Quamobrem cõuenientes ad comedendum, vos inuicem expectate. Ita hic quoque cum differuisset de ordine obseruando in donis, & quòd neque mærore affici oporteat in minoribus, neque tumere propter maiora, & deinde digressus esset ad modestiam mulieribus cõuenientem, & eam inde cõfirmasset, redit ad propositum, rursus dicens. Itaque fratres æmulamini prophetiã, & loqui linguis nolite prohibere. Vidisti quemadmodū ad finem vsque seruauit differentiam, & quemadmodū alterum quidem ostèdit valde necessarium, alterum autem non item. Quamobrem de illo quidem dicit, Æmulamini: de hoc autem, Nolite prohibere. Deinde tanquam in

Ibid. 4.

Hic sup.

Coloss. 1.

1. The. 1.

Rom. 1.

Sup. 11.

Gal. 6.

Sup. 11.

Ordo seruandus in omnibus.

summa omnia corrigens, subiungit, dicens. *Omnia autem honeste & secundum ordinem fiant in vobis.* Rursus eos tangens qui volunt temere se indecorè gerere, & videri insani, & còuenientem non seruant ordinè. Nihil enim æquè ædificat vt ordo rectus, vt pax, vt charitas, sicut etiã contraria diruunt. Nò solum autem in spiritualibus, sed etiã in aliis omnibus hoc videris. Nã siue in choro, siue in nauigio, siue in curru, siue in castris ordinè confundas, & maioribus suo loco eiectis in illorũ ordinem minora induxeris, omnia corrumpis, & sic quæ sunt supra fiunt infra. Neque nos ergo ordinè corrumpamus, neque caput infra statuamus, neque pedes supra. Hoc autè fit quãdo rectã quidem ratione infernè deiecerimus, concupiscẽtias autè, irã & excandescẽtiam & voluptatem rationi præferimus. Vnde magnus existit fluctus, magna perturbatio, & magna tẽpestas, cum omnia occupent tenebræ. Et si vis, primùm excutiamus eã quæ hinc existit deformitatem & decoris egestatem, & tunc damnum. Quomodo ergo hoc nobis fiet notum & manifestũ? Adducamus in mediũ hominẽ sic affectũ, captum amore meretricis, & qui eius inhonesto tenetur desiderio: & videbimus quã hoc sit ridiculum. Quid enim possit esse eo tupius qui stat ad fores domus meretricis, & pulsatur à meretrice, flẽtque & eiulat, & probro afficit suã existimationem. Si vis autè etiã videre dãnũ, veniãt tibi in mẽtem sumptus pecuniæ, de extremis pericula, bellum quod geritur aduersus riuales & aduersarios amatores, vulnera & plagæ quæ accipiuntur ex huiusmodi acie. Tales sunt & quos pecuniæ tenet cupiditas, imò verò turpius & magis indecorè se gerunt. Nam illi quidem in vno corpore sunt occupati & in eo suum ponũt studiũ & operã. Auari verò de omnium facultatibus sunt similiter solliciti & curiosi, & pauperum, & diuitum, & amant res quæ non sunt, quod est maximè signum improbæ cupiditatis. Non dicunt enim, Vellem habere huius aut illius facultates, aut huius & illius solum, sed & mōtes volunt esse aurum, & domos, & quæcunque videntur: & ad alterũ procedunt mundũ, & hæc patiuntur in infinitũ, neque vsquam à suo desistũt desiderio. Quis verbis poterit explicare illarũ fluctus cogitationũ tẽpestatem, caliginem? Vbi autè sunt fluctus & tanta tempestas, quænam fuerit voluptas? Nulla, sed tumultus, & dolor, & caliginosæ nebulæ, pro aquis ferentes multã animi ægritudinem, quod quidem solet accidere in iis qui alienã amant pulchritudinem. Propterea qui nullo modo amant, in maiori sunt voluptate quàm qui amãt. Sed ad hoc quidem nemo cõtradixerit. Ego autè eum etiã qui amat quidẽ, reprimat autè libidinem, maiori dixerim affici voluptate, quàm eum qui assidue fruitur meretrice. Nã etsi eius demonstratio sit difficilior, est tamè necesse hoc quoque audacter dicere. Est enim difficilior, nò ex rei natura, sed ex eo quòd huius philosophiæ nò sint digni auditores. Quid est enim, dic quæso, amãti iucundius, ab amica despici, an honorari, & suspici? Est perspicuum hoc esse iucundius. Quænam ergo, dic quæso, magis honorabit meretrix, eumne qui ei seruit, & factus est eius mancipium, an eum qui eius superauit retia, & structis ab ea calamis volat altior? Est cuius perspicuũ quòd hunc, in quæmnã autè suum magis cõferet studiũ? In eumne qui cecidit, an in eum qui nondũ? In eum planè qui nondũ. Quis est autè desiderabilior, isne qui est cõfectus, an is qui nõdũ est captus? Is qui nondũ est captus. Si autè nõ creditis, à rebus vestris afferã demonstrationem. Quæmnã enim mulierem magis amarit quispiã, eãne quæ facillè succumbit & ei se dedit, an eam quæ negat & ei negotium exhibet? Est perspicuum quòd hanc. Hinc enim accenditur maius desiderium. Ergo idem quoque erit in muliere. & cum

Seruire pecuniæ quàm sit turpe, & indecorum.

magis honorabunt & admirabuntur qui eas despiciunt. Si est autem hoc verum, illud quoque similiter in maiori esse voluptate eum qui magis honoratur & diligitur. Nã & dux exercitus urbem quidem semel captã dimittit: ei autem quæ resistit & cõtendit omni studio assidet. Venator quoque feram venãdo captam habet in tenebris inclusã, quomodo meretrix amatorem: eã autem quæ fugit persequitur. At ille fruitur, inquit, desideriorum: hic autem non fruitur. Probro autem ac dedecore non affici, neque eius tyrãnicis seruire imperiis, neque ab eaduci & circummagi tanquam mancipium, pugnis contusum, consputum, in capite pulsatum, paruum dic quæso existimas esse voluptatem? Si quis enim hæc accurate excusserit, & potuerit colligere omnia eorũ probra ac cõtumelias, criminationes, irãque perpetuas quæ & ex animo existunt & ex deliciis, inimicitias, & alia omnia, quæ ij demum sciunt qui patiuntur, inueniet quoduis bellum plures habere inducias quàm horum vitam. **B** Quænamnam ergo dicis, dic quæso, voluptatem? Eãne quæ capitur ex coitu, quæ est breuis & momentanea? Sed eã statim bellũ excipit, & fluctus, & rabies, & idem rursus furor. Et hæc quidem vobis dicta sunt, perinde atque si quis ea dixerit loquens cum intemperatibus & impudicis adolescentibus, non admodum sustinẽs audire quæ dicuntur de regno & gehenna. Quãdo autem hæc in medium adduxerimus, ne licet quidem dicere quanta sit moderatorũ & temperantiũ voluptas, quando apud se contexit coronas, præmia, consuetudinem cum Angelis, in vniuerso orbe terræ celebratiõnem, fiduciã & dicendi libertatem, spes illas bonas & immortales. At coitus habet voluptatem. (Hoc enim assidue versant.) Qui est autem temperans, non potest assidue pugnare cum tyrannide naturæ. Contrarium verò inuenieris. Ipsa enim vis & perturbatio est magis apud eum qui scortatur. Multa enim ista in corpore agitatio, vel quouis fluctuanti mari grauius afficitur, cuius nunquam sistitur cupiditas, sed ab ea semper impetitur, non secus atq; qui corripiuntur à dæmone, & assidue discerpuntur à malis spiritibus. Temperans autem non secus ac fortis athleta eam assidue feriẽs, optimam, & his innumerabilibus iucundiorẽ percipit voluptatem, hæc victoria, & bona conscientia, & præclaris trophæis perpetuò ornatus. Si autem post cõgressum illa parum quiescit, hoc nihil fuerit. Rursus enim inuadit tempestas, & rursus fluctus. Qui autè philosophatur, ne ab initio quidem permittit vt hanc accipiat perturbationem, neque vt mare assurgat, neq; vt fera vociferetur. Si vim autem sustineat, eum impetum cõprimir. Sed ille assidue pulsatur, pungitur, & nõ fert cæstrum. Fitque perinde, vt si ferum furentem habeat equũ, & freno resistẽtem, & cum omni arte eum reprimat: ipse autem dans locũ, vt hunc fugiat laborem, ab ipso omnem in partem feratur. Hæc si dicta sunt apertius quàm par sit, nemo me reprehendat. Nolo enim dicẽdi grauitate ornare orationem, sed graues & honestos facere auditores. Propterea Prophetæ quoque nulli huiusmodi verbo parcent, volẽtes eos quoque tangunt apertius, quàm nos nunc, propter ea quæ diximus. Medicus enim volens excindere putredinem, non eò spectat vt mundas conseruet manus, sed vt illum liberet à putredine: & is qui humilem vult excelsum reddere, ipse prius fit humilis. Et qui studium ponit vt occidat insidiatorem, se quoque cum illo cruentat, & hoc eum facit clariorem. Nam si à bello reuersum militem viderit quispiam sanie & sanguine & cerebro respersum & pollutũ, nõ ideo odio habebit, neque auersabitur, sed magis etiam admirabitur. Ita nos quoque faciamus cum viderimus quempiã, postquam ma-

Voluptas coitus nulla.

charit cupiditatẽ, cruentũ reuertentem, eũ magis admireremur, simũque socij ac participes eius pugne & victoriæ, & iis qui amãt dicamus, Ostendite nobis voluptatem quam accepistis ex libidine. Nã qui est tẽperans ac pudicus voluptatem habet ex victoria, tu autè non habes aliunde. Sin autem vos dicatis eam quæ est ex congressu: sed illa est manifestior, & magis sufficiens. Nam tu ex eo quo frueris habes aliquid breue, & quod ne apparet quidẽ. Ille autè ex conscientia maiorem habet & perpetuam & suauiorẽ lætitiã. Neq; enim cõsuetudo mulieris potest tam imperturbatã reddere animã, & eã in altũ euehere, quàm philosophia. Atq; hic quidem, sicut dixi, ad eò apertè nobis ostendit voluptatem. In te autè, ex eo quidẽ quòd sis victus video animi ægritudinẽ, voluptatẽ autè volẽs videre, nõ inuenio. Quòdnam enim vis esse tẽpus voluptatis, idne quod est ante coitũ? Sed nõ est, est enim furoris & insanis & mētis emotæ. Dẽtibus enim stridere, & è statu mētis dimoueri, nõ est voluptatis. Si esset autè voluptatis, nõ ea tibi fecisset quæ sustinet qui carẽt ratione. Pugiles enim, tã qui percutiũt, quàm qui percutiũtur, strident dentibus: & parturientes mulieres, quæ distrahũtur doloribus, id faciũt. Quãobrem non est id voluptas, sed potiùs mētis excessus, tumultusque & perturbatio. At tempus quod post sequitur? Sed nec hoc. Neq; enim eã quæ peperit dixerimus esse in voluptate, sed in liberatione à doloribus. Nò est autem planè hoc voluptas, sed potiùs imbecillitas & dissolutio. Multum autè interest inter vtrunquẽ. Quòdnam est ergo tẽpus voluptatis, dic quæso? Nullum est. Quòd si est, est ad eò breue, vt ne appareat quidem. Cum millies quidem certè contenderimus eam deprehẽdere & retinere, nõ potuimus. Sed tẽperantis & moderati tẽpus nõ est eiusmodi, sed latè patet & est omnibus euidentis, vel potiùs tota eius vita est in voluptate cum ei coronetur cõsciẽtia, cum sedati sint fluctus, cum nulla ex parte vllus oriatur tumultus. Cum ergo hic magis est in voluptate, libidinosus autem & voluptarius in animi ægritudine & tumultibus, fugiamus libidinem & intemperatiã, amplectamur temperatiã & moderationem, vt bona etiam futura consequamur, gratia, & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum, &c.

ORATIO XXXVIII.



NOTVM autem vobis facio, Fratres, euangelium quod predicauit vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & saluamini, qua ratione predicauerim vobis. Cum de spiritualibus absoluisset orationem, transit ad id quod

est omnium maximè necessariũ, nempe ad argumẽtum resurrectionis. In eo enim valde ægrotabãt, & quomodo in corporibus, quãdo solidas eorũ partes febris attingerit, neruos, in quã, & venas, & prima elemẽta, malum est immedicabile, nisi eius magna geratur cura: sic tunc quoque ne fieret, erat periculũ. Ad ipsa enim pietatis elemẽta tẽdebat malum. Quãobrem magno studio vsus est Paulus. Non enim amplius ab eo agebatur de vita, neq; quòd ille quidẽ scortabatur, hic verò erat auarus, alius verò habebat caput opertũ, sed in ipso bonorũ capite versabatur oratio. Nam de resurrectione dissidium inter se agitabãt. Nam quoniã hæc est tota spes nostra, ei valde restitit diabolus, & aliquãdo quidem eam tollebat penitus: aliquãdo autem dicebat eam iam fuisse. Quod etiam Paulus scribens ad Timotheũ, hoc malum dogma vocauit gãgrenom, & eos qui ipsum inducebãt notauit, dicens, Ex quibus est Hymenæus & Philatus, qui circa veritatem aberrarunt, dicẽtes iam factam esse resurrectionem, & euertunt aliquorũ fidem. Atque aliquando quidẽ hoc dicebat: aliquãdo autem quòd corpus nõ resurgit, sed resurrectio est animæ purgatio. Hęc

CAP. XV.

2. Tim. 2.

autem persuadebat dicere sceleratus ille dæmon, nõ solum euertere volens resurrectionem, sed etiam quæ pro nobis facta sunt omnia, ostendere esse fabulam. Nam si eis fuisset persuasum nõ esse corporum resurrectionem, paulatim eis persuasisset ne Christum quidem resurrexisset. Ab eo autem illud quoque ordine procedens induxisset, eum nõ aduenisse, neque fecisse quæ fecit. Talis est diaboli malignitas & versutia. Quamobrem Paulus eam vocat insidias, quoniam non directò ostendit quod vult probare, ne deprehendatur, sed alia sibi imposita persona, alia fabricatur, & tanquam infestus hostis cum in urbem irrucit, etiam infernè in muros agit concuculos, vt ea ratione non facillè possit caueri, & rectè ei succedat id quod est molitus. Quamobrem tales eius laqueos semper inueniens, & sceleratas has insidias venans hic vir admirabilis & verè magnus, dicebat Paulus. Nò enim ignoramus cogitationes eius. Etenim hinc totum aperit eius dolum, & omnes ostendit machinationes, & quæcunque vult confirmare producit in medium, accuratissimè & exactissimè omnia perloquens. Propterea enim hoc caput ponit post alia, quoniã erat maximè necessarium, & quod omnia nostra continet. Vide autem eius prudentiam. Nam cum suos prius munisset & in tuto collocasset, tunc vltèrius procedens, externos quoque inuadit, & eis os obstruit ex abũdantia. Suos autem munit & in tuto collocat, non ex rationibus, sed ex iis quæ iam facta sunt, & quæ ipsi admiserunt, & facta crediderunt. Quod quidem valde erat aptum ad pudorem incutiendum, & sufficiebat ad eos continendos. Nam si postea noluisset credere, non vtrique iam Paulo sed sibiipsis non erant credituri. Quod quidem erat accusatio illorum qui semel admiserant, & erant transmutati. Propterea hinc incipit, ostendens se non opus habere aliis testibus, ad probandũ quòd vera dicat, sed iis ipsis qui sunt decepti. Vt autè quod dico sit apertius, de cetero necesse est ipsa audire verba. Quænam ergo ea sunt? *Notum vobis facio, fratres, euangelium quod predicauit vobis.* Vidisti cũ quãta incipiat lenitate. Vidisti quomodo ostendat ab initio se nihil noui nec peregrinũ introducere. Nã qui notũ facit, id quod iã notum fuerat, & in obliuionẽ venerat notũ facit, rursus in memoriam reducens. Cum autè vocauit fratres, hinc quoque non paruam præstruxit demonstrationem eorum quæ dicuntur. Nò aliunde enim facti sumus fratres, quàm ex Christi secundum carnem dispensatione. Propterea eos sic vocauit, simul quidem eos leniens ac mitigãs, & bona innumerabilia eis in memoriam reuocans. Et rursus quod deinceps sequitur hoc ipsum cõfirmat. Quòdnam hoc est? Euangelium. Euangelij enim summa hinc accipit initium, quòd Deus factus sit homo, & cruci affixus fuerit, & resurrexerit. Hoc & Gabriel annunciauit virgini. Hoc & propheta toti orbi terrarum. Hoc etiam omnes Apostoli. *Quod & predicauit vobis, quod & accepistis, & in quo statis, per quod & saluamini, qua ratione predicauerim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis.* Vidisti quemadmodum eos vocat testes eorũ quæ dicta sunt. Nò dicit, Quæ audiulistis, sed quæ accepistis, ab eis exigẽs tãquam aliquod depositũ & significãs, quòd non solum sermone, sed & factis, & signis, & miraculis id acceperunt, & vt ea tutò teneãt. Deinde postquam dixit vetera, tẽpus quoque præsens adduxit, dicẽs, *In quo & statis:* eos præoccupans, vt ne si maximè quidem vellent possint negare. Et ideo incipiẽs non dixit, vos docco, sed notum vobis facio quòd iam factum est euidentis. Et quomodo eos qui labascebãt dicit stare? Vtiliter præ se fert ignorationem: quod quidẽ facit etiã ad Galatas, sed non similiter. Nã quoniã illic non poterat præ se ferre ignorantem, alia ratione tractat orationem, dicens. Cõfido

2. Cor. 1.

Notũ facere quis dicatur.

Gal. 5.

autem in vobis in domino, quod nihil aliud sentietis. Non dixit, Quod nihil aliud sensitis, quonia de eorum delicto constabat, idque erat cuidens, sed spondet de futuro. Quamquam hoc quoque erat incertum: sed ut magis attraheret. Hic autem etiam prae se fert se ignorare, dicens, In quo & statis. Deinde lucrum, Per quod & saluamini. Qua ratione praedicaui vobis. Quamobrem haec doctrina vobis nunc est declarationis & interpretationis. Non enim opus, inquit, habetis ut hoc dogma discatis, sed ut recordemini, & corrigamini. Haec autem dicit, non sinens ipsos esse impudentes. Quid est autem, Qua ratione praedicaui vobis? Quoniam modo, inquit, dixi fieri resurrectionem? Na quod sit quidem resurrectio, non dixerim vos dubitare: quare autem fortasse apertius scire quod dictum est. Hoc etiam faciam: aperte enim scio vos dogma tenere. Deinde quonia enuncians dicebat, in quo & statis, ne ea ratione eos redderet socordiores & negligentiores, eos rursus terret, dicens: Si venietis, nisi frustra credidistis, dicens in capite fidei accepta esse plagam, neque agi de quislibet, sed de tota fide. Et nunc quidem hoc dicit pressius: procedens autem & cum incaluit, aperto deinceps capite vociferatur & dicit: Si Christus non resurrexit, inanis est utriusque praedicationis nostra, inanis est etiam fides vestra, adhuc estis in peccatis vestris. Sed non sic in proemiis. Sic enim expediebat sensum & paulatim progredi. Tradidi enim vobis in primis quod & accepi. Nec hic dixit, Vobis dixi, neque vos docui, sed eadem rursus usus est dictione, Tradidi vobis quod & accepi. Haec duo probans, quod & nihil ex se afferre oporteat, & quod per operum demonstrationem facti sunt certiores, non nudis verbis, & paulatim fide dignam faciens orationem, vniuersum reducit ad Christum, & ostendit ex his documentis nullum esse humanum. Quid est autem, Tradidi enim vobis in primis, inquit, hoc est, ab initio, non nunc. Haec autem dicit, tempus adducens in testimonium, & quod maximè esset pudentum, cum tantum tempus credidissent, transmutari. Nec hoc solum, sed etiam dogma esse necessarium, & ideo in primis fuit traditum, & statim a principio. Et quid, dic rogo, tradidisti? Sed non hoc statim dicit, sed primum se statim accepisse. Et quid accepisti? Quod Christus mortuus est pro peccatis nostris. Non statim dicit quod resurrectio est corporum nostrorum, sed hoc ipsum quidem confirmat, verum relogè petita, & per alia dicens, quod Christus est mortuus, magnamque, firmum ac stabile fundamentum prius iaciens eius quod est dicendum de resurrectione. Neque enim solummodo dixit, Christus est mortuus, etiam hoc satis esset ad significandam resurrectionem, sed cum adiectione, Christus est mortuus pro peccatis nostris. Primum autem operae pretium est audire quid dicat qui laborat haeresi Manichaeorum: & veritatis inimici, & qui cum sua pugnant salute. Quid ergo dicunt isti? Mortem, inquit, nihil hic aliud dicit Paulus, quam fuisse in peccatis: & resurrectionem, esse liberatum a peccatis. Vidisti quemadmodum errore nihil sit imbecillius, & quomodo suis capiatur pennis, neque externa pugna opus sit, sed a seipso configitur. Considera ergo quomodo ipsi seipso configerunt per ea quae dixerunt. Si hoc enim est mors: Christus autem corpus non accepit ut vos vultis, mortuus est autem: in peccato fuit, ut vos vultis. Na ego quidem dico quod corpus accepit, & mortem dico esse carnis. Tu autem hoc negas, necesse habebis illud dicere. Si autem fuit in peccato, quomodo dicit, Quis ex vobis arguet me de peccato? & Venit princeps huius mundi, & in me non habet quidquam. Et rursus. Sic nos decet implere omnem iustitiam. Quomodo autem est omnino mortuus pro peccatoribus, si ipse fuit in peccatis? Nam cum qui moritur pro peccatoribus, oportet nulli peccato esse

obnoxium. Na si ipse etiam peccat, quomodo morietur pro aliis peccatoribus? Si autem est mortuus pro peccatis aliorum, mortuus est cum nulli esset peccato obnoxius. Si autem est mortuus cum esset sine peccato, non est mortuus morte peccati. Quomodo enim, in quem nullum cadebat peccatum? Sed morte corporis. Et ideo Paulus non dixit solum, Est mortuus, sed addidit, Pro peccatis nostris. Et cum vel inuitos coegisset fateri mortem corporalem, per hoc ostendens quod etiam ante mortem nulli peccato erat obnoxius, cum enim qui pro peccatis moritur alienis, consequens est ipsum esse eiusmodi ut non peccet, ne hoc quidem ei suffecit, sed subiunxit, Secundum scripturas. Hinc rursus fide dignam faciens orationem, & significans quamnam mortem diceret. Scriptura enim ubique loquitur de morte corporis. Foderunt enim, inquit, manus meas & pedes meos, & viderunt quem pupugerunt, Multa alia, ne omnia dicamus sigillatim, licet in eis videre alia quidem per verba, alia vero per figuras, quae significat carnis caedem, & quod pro nostris peccatis sit occisus. Pro peccatis enim, inquit, populi mei venit ad mortem, & dominus tradidit seipsum peccatis nostris, & vulneratus est propter peccata nostra. Si autem veterem non fers scripturam, audi Ioanem elamantem, & vtraque ostendentes, nempe & caedem corporis, & causam. Ecce enim, inquit, agnus Dei qui tollit peccatum mundi, & Paulum dicentem, Eum qui non nouit peccatum, pro nobis fecit peccatum, ut nos fereremus Dei iustitiam in ipso. Et rursus, Christus nos redemit a maledictione legis, factus pro nobis maledictus. Et rursus, Expoliatus principatus & potestates tradidit actum de eis triumpho, & alia innumerabilia, quae significat ea quae facta sunt in caede corporis, & propter nostra peccata. Ipse enim dicit, Pro vobis sanctifico meipsum, & Princeps huius mundi nunc condemnatus est, significans se fuisse occisum, cum nullum haberet peccatum. Et quod sepultus est, hoc quoque priora confirmat. Na quod sepelitur, omnino est corpus. Et hic non amplius addidit, Secundum scripturas: na poterat quidem, sed non addit. Quamobrem? An quod sepulchrum omnibus manifestum & tunc fuit & nunc est? An quod in communi positum est illud, Secundum scripturas? Cur ergo hic addit, Secundum scripturas, & quod resurrexit tertia die secundum scripturas, & non est contentus illo priori quod dictum est in communi. Propterea quod hoc quoque multis erat incertum & obscurum, ideo hic quoque adiungit scripturas, inspiratus, & hac sapienter & diuina suscepta cogitatione. Quomodo ergo non etiam in morte idem facit? Quoniam illic quoque crux quidem fuit omnibus manifesta, & omnibus videtibus cruci fuit affixus. causa autem non itidem. Na quod mortuus quidem fuerit sciuerunt omnes. Quod autem pro peccatis totius orbis hoc sit passus, non itidem sciebant multi. Propterea adducit testimonium ex scripturis. Sed hoc quidem satis est demonstratum per ea quae a nobis dicta sunt. Vbi autem quod sit sepultus, & quod tertio die esset resurrecturus dixerunt scripturae? Personam figuram, quam ipse quoque adducit, dicens, Sicut fuit Ionas in ventre ceti tres dies & tres noctes, ita erit etiam filius hominis in corde terrae tres dies & tres noctes. Per rubrum qui erat in deserto. Quemadmodum enim ille ardebat, & non comburebatur, ita etiam corpus illius mortuum quidem fuit, non deturum autem fuit a morte perpetuo. Draco quoque qui fuit tempore Danielis hoc tacite significat. Na sicut ille accepto nutrimento, quod dedit Propheta, ruptus est medius, ita etiam infernus, deuorato illo corpore fuit discissus, cum ipsum corpus ventrem eius dissecuisset, & surrexisset. Si autem haec etiam vis per verba audire quae vidisti per figuras, audi Esaiam dicentem, Tollitur de terra vita eius, & dominus vult eum mudare a plaga, ut ostendat ei lumen. Et David

Hic inf.

Suis capi plurim probuer.

Ioan. 8. Ibid. 12. Matt. 3.

ante

anteillum, Non derelinques animam meam in inferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem. Propterea te quoque; Paulus transmittit ad scripturas ut scias haec non fuisse facta temere & abs re. Quomodo enim cum tot Prophetae ea prius describant, & proclamant, quod scriptura nusquam dicat mortem peccati, mentionem faciens mortis domini, sed corporalem, & sepulturam, & talis resurrectionem. Et quod visus est Cepha. Eum statim ponit qui est omnium fidelissimus. Et post hos undecim. Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent vsque adhuc: quidam autem dormierunt. Deinde visus est Iacobo. Deinde Apostolis omnibus. Nouissime autem omnium tanquam abortiuo visus est & mihi. Postquam enim quae fit ex scripturis ostendit demonstrationem, eam etiam addit quae per res fit, testes adducens resurrectionis, post Prophetas, Apostolos, & alios homines fideles. Si autem illam resurrectionem dixisset a peccato liberationem, superuacaneum fuisset dicere, Visus est huic & illi. Hoc enim est eius qui facit fidem resurrectionis corporis, non eius qui tacite significat liberationem a peccatis. Propterea neque semel dixit illud, Visus est, quanquam id suffecisset dictione in communi posita. Nunc autem & bis & ter eam ponit, & in vnoquoque ferè eorum qui viderunt. Visus est enim, inquit, Cephae. Visus est plusquam quingentis fratribus. Visus est & mihi. Atqui euangelium dicit contrarium, quod visus sit primum Mariae. Sed inter viros huic primum est visus qui maximè eum cupiebat videre. Quonia autem hic dicit duodecim Apostolos? Nam post assumptionem in eorum numerum relatus fuit Matthias, non statim post resurrectionem. Sed est verisimile eum fuisse visum etiam post assumptionem. Hic ipse quidem certè Apostolus, post assumptionem, & vocatus fuit, & ipsum vidit. Propterea nec ponit tempus: sed absolute & indefinite recitet visiones. Quamobrem Ioannes quoque dixit, Tertio iam manifestauit seipsum. Deinde visus est supra quingentis fratribus. Aliqui illud, Supra, dicit esse supra a caelis. Non enim supra terram ingrediens, sed supernè & supra caput eis visus est. Non solum enim volebat facere fidem resurrectionis, sed etiam assumptionis. Quidam autem illud, Supra quingentis, dicit plusquam quingentis. Ex quibus multi manent vsque adhuc. Na etiam, inquit, narro res antiquas, habeo tamen testes adhuc viuètes. Quidam autem dormierunt. Haec quoque dictione rursus confirmans resurrectionem. Deinde visus est Iacobo. Mihi videtur dicere, fratri suo. Ipse enim dicitur ei manum imposuisse ac ipsum ordinasse, & Episcopum fecisse Hierosolymis. Deinde Apostolis omnibus. Erant enim etiam alij Apostoli, ut septuaginta. Nouissime autem omnium tanquam alicui abortiuo visus est & mihi. Hoc verbum est magis modestia. Non enim quonia erat minimus, propterea post alios ei visus est. Nam etiam si eum vocauit vltimum, logè iis qui ante ipsum fuerunt, vel potius omnibus visus est illustrior. Sed nec quingenti fratres Iacobo fuerunt meliores, quonia ante illum eis visus est. Et cur non simul visus est omnibus? Vt fidei semina prius iaceret. Nam qui prior vidit, & exactè factus est certior, alij annunciabat. Deinde sermo praecipientis consistebat eum qui audiebat, in magna huius miraculi expectatione, & via munitur ad fidem ante visionem. Propterea neque simul visus est omnibus, neque in initio multis. Sed vni soli primum, eique omnium summo & fidelissimo. Fidelissima enim maximè anima opus erat, quae prima haec accipiebat visionem. Nam qui aspiciant postquam alij vidissent & ab ipsis audissent, habebant illorum testimonium non parum conferens ad fidem faciendam, & praeparans eorum mentem. Qui autem primus dignus est habitus qui eum videret, magna, sicut antea dixi, fide opus habebat, ne admirabili, & quod omnè superat o-

pinionem, conturbaretur spectaculo. Propterea primum apparet Petro. Na qui primus Christum est cõfessus, iure etiam dignus est habitus qui primus videret resurrectionem. Non propter hoc autem apparet soli Petro, sed quonia & ipsum negauerat, ex abundantia cum consolans, & ostendens eum non esse repulsum, ante alios eum hac dignatus est visione, & primo oues tradidit. Propterea etiam primis visus est mulieribus. Quonia deterioris conditionis fuerat hic sexus, propterea mulier & in eius ortu & in resurrectione prima sentit gratiam. Post Petrum autem & sparsim vnicuique apparet: & aliquando quidem paucioribus, aliquando autem pluribus, ipsos inter se testes & doctores in hoc faciens, & Apostolos reddens fide dignos. Inter quos dixit, Nouissime autem omnium tanquam abortiuo visus est & mihi. Quid sibi voluit hic haec verba humilitatis, aut quamnam habet occasionem? Nam si vult se esse fide dignum, & referre in numerum testium resurrectionis, contrarium facit eius quod volebat. Oporteret enim se extollere, & ostendere esse magnū, quae saepe facit cum tempus postulat. Propterea enim hic quoque modestè loquitur, quonia hoc erat facturus, sed non statim, verum cum ea qua par est prudentia. Na cum prius modestè esset locutus, & in se multas congestisset criminationes, tunc res suas amplificat. Quamobrem? Vt cum illud magnū & sublime de se fuerit locutus, utpote illud, Plusquam omnes laboraui, ea ratione grata & accepta sit oratio, & quae ex quadam dictum sit consequentia, non ex praecedente instituto. Propterea etiam scribens ad Timotheum, cum esset magna de se dicturus, prius ponit suas criminationes. Nam qui de aliis quidem magnū quid dicit, intrepidè loquitur & securè. Qui autem necesse habet se ipsum laudare, quando etiam seipsum citat testem, pudore afficitur & erubescit. Propterea hic quoque beatus seipsum puris miserum pronunciat, & tunc illud magnū loquitur. Hoc autem facit, & eiusdem rei repetitionis molestiam releuat, & quae postea sunt dicenda hinc fide digna efficiens. Nam qui quae sunt probro danda cum veritate retulit, & nihil eorum celauit, utpote quod ecclesia sit persecutus, quod fidem depopulatus, hinc etiam efficit ut quae sunt honesta sint minimè suspecta. Considera autem quam insignis sit humilitas. Na cum dixisset, Nouissime autem omnium visus est & mihi, eo non fuit contentus. Multi enim nouissimi, inquit, primi, & primi nouissimi: propterea addidit, Tanquam cuidam abortiuo. Neque hic stetit, sed suum etiam addit iudicium. Ego enim sum minimus Apostolorum: qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum ecclesiam Dei. Non dixit, Duodecim solum, sed etiam aliorum omnium. Haec autem omnia dicebat, simul & ut es modestia, & sic ut dixi affectus, & quod dicendum erat prius dispensans, & ut lubetius exciperetur efficiens. Na si cum accessisset dixisset, Debetis mihi credere, quod Christus resurrexerit. Vidi enim ipsum, & sum omnium fide dignissimus, ut qui plus laborauerim, etiam offēdisset eos qui audiebant id quod dicebatur. Nec autem cum in rebus humilibus & abiectis primū esset veritatis, & in quae cadebat reprehensio, & eiusmodi narrationis amputauit aperitatem, & viam munit ad faciendam fidem testimonij. Propterea neque solum, ut dixi, se pronūciat esse vltimum, & indignum qui appelleretur Apostolus, sed affert causam, dicens, Quoniam persecutus sum ecclesiam. Atqui omnia illa fuerat remissa, sed tamē ipse nunquam est coram oblitus, volens ostendere gratiae magnitudinem. Et ideo subiungit, Gratia autem Dei sum quod sum. Vidisti rursus aliam summam humilitatem. Nam delicta quidem sibi attribuit, ex recitè autem factis nihil, sed totum Deo ascribit. Deinde ne hinc auditor rursus reddat supinū, dicit, Et gratia Dei in me vacua non fuit. Et hoc rursus demissè. Non dixit enim, Ostēdi studiū ac diligentiā dignā gratia, sed

1. Tim. 4.

Quam modè & humiliter de se loquitur Paulus.

Chryso. tom. 4.

quod ea non fuerit inanis. *Sed abundantius illis omnibus laboravi.* Non dixit, Sum honoratus, sed laboravi: & cum posset dicere & pericula & mortes, nomine laboris rursus extenuat quod dictum est. Deinde rursus solita utens humilitate, hoc quoque citò prætercurrit, & totum Deo adscribit, dicens: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Quid hac anima fuerit admirabilis? Nam cum per tam multa se depressisset, & vnum quiddam altum solum esset locutus, ne hoc quidem suum esse dicit, & ex iis quæ præcesserunt, & quæ postea sunt secuta, altum hoc verbum deprimens, idque cum ex necessitate ad id venisset. Vide autem quàm sit largus & copiosus in verbis humilitatis. Etenim nouissimo, inquit, mihi visus est. Propterea neque secum ponit alium: & tanquam cuidam abortiuo: & minimum se esse dicit omnium Apostolorum, & nec esse dignum qui sic appelleretur. Neque his fuit contentus. Sed ne videatur verbis esse humilis, affert etiam causas & demonstrationes, quod sit quidem abortiuus, Quoniã ipse Iesum vidit posterior. Quod autem sit indignus qui appelleretur Apostolus, Quoniã perfectus est ecclesiam. Nam qui temerè & inconsideratè est humilis, hoc non facit. Qui autem etiam affert causas, contrita mente omnia loquitur. Quamobrè etiam alibi eorum meminit, dicens, Gratiam autem habeo qui me corroborauit Christo, quod me fidelè esse existimauerit, quod me ad ministeriũ posuerit, qui prius eram blasphemus, & persecutor, & contumeliosus. Quare autem hoc quoque altum verbum est elocutus, Abundantius ipsis laboravi? Videbat tempus afferre necessitatè. Nam si hoc non dixisset, sed seipsum solum vilipendisset, quomodo potuisset liberè & confidenter seipsum citare ad testimonium, & cum aliis enumerare & dicere, Siue enim ego, siue illi, sic predicauimus, & sic credidistis? Testem enim oportet esse fide dignum & magnum. Quomodo autem aliis abundantius laborauerit, ostendit superius, dicens, An non habemus potestatem comedendi & bibendi sicut & alij Apostoli? Et rursus, Factus sum iis qui erant sine lege, tanquam essem sine lege. Vbi enim oportebat ostendere exactam diligentiam & perfectionem, omnes superauit: & vbi conueniebat se demittere & aliis accommodare, id quoque excellenter fecit. Nonnulli autem dicunt quod missus sit ad gentes, & maximã orbis partem peruaferit. Vnde etiam perspicuum quod maiorem gratiam sit affectus. Si enim plus laborauit, amplior etiam erat gratia. Ampliorè autem gratiã est consecutus, quoniam maius ostendit studium & diligentiam. Vidisti quomodo, & per quæ dum contendit & nititur sua adumbrare & tegere, ostenditur primus omnium. Hæc nos quoque audientes, delicta quidem nostra traducamus & in publicum proferamus, rectè autem facta fileamus: & si tempus necessitatè afferat, ea modestè & submissè dicamus: & totum gratiã imputemus. Quod ipse quoque facit, sicut; deque primam quidem suam notans vitam, quæ autem postea sunt consecuta, gratiã imputas: vt omni ex parte ostendat Dei benignitatem & clementiam, quod cum talis esset, eum seruauerit, & rursus seruatum talè fecerit. Nemo ergo ex iis qui sunt in vitio, desperet: nemo ex iis qui sunt in virtute, confidat. Sed & hic sit timidus, & ille promptus & alacris. Neque enim qui est piger & socors, sufficit ad manendum in virtute: neque qui studium adhibet & diligentiam, erit imbecillus ad fugiendum vitium.

1. Tim. 1. Cur Paulus dixerit se abundantius ceteris laborasse.

Sup. 9. Ibidem.

1. Reg. 24. Horum autem amborum exemplum est beatus David, vt qui quando parum dormitauit, valde ceciderit, & quando fuit copunctus, ad priorem reuersus sit altitudinem. Sunt enim vtraque; ex æquo mala, & desperare, & pigrum esse ac negligentem. Nam illud quidem deiicit ab ipso cæli fornice: hoc autem non permittit vt qui iacet resurgat. Propterea illi quidem dicebat Paulus, Qui videtur stare,

videat ne cadat. Huic autem, Hodie si vocem eius audieritis, ne obduretis corda vestra. Et rursus, Remissas manus, & dissoluta genua erigite. Eum quoque qui fornicatus fuerat, cum ductus esset penitentia, propterea re-creat, ne nimia abforberetur tristitia. Quid ergo in aliis animo angeris o homo! Nam si in peccatis vbi est vitium solum tristitia, immoderatum magnam affert damnum, multo magis in aliis. Nam cur doles quod pecuniam perdidideris? Sed cogita eos qui ne pane quidem satiantur, & citissimam accipies consolationem. Et in vnoquoque eorum quæ sunt graua & aspera, ne desceas ea quæ acciderunt: sed pro iis quæ acciderunt graua & aspera age gratias. Habuisti pecunias & amisisti? age gratias. Ne lacrymeris pro damno, sed age gratias pro tempore quo tibi earum fuit fructus. Dic conuenienter Iobo, Si bona accepimus à domino, cur mala non sustinebimus? Cum hoc autem illud etiam considera. Si amisisti pecunias, at corpus habes sanum, & non cum paupertate de eius quoque lamentaris inflammatione. At tu quoque corpus aliquod habuit noxiam. Sed non est hic fundus malorum humanorum: sed ferris interim in medio dolio. Multi enim cum paupertate ac mutilatione luctantur cum demone, & erant in desertis. Alij rursus patiuntur his grauiora. Absit enim vt patiamur quæcunque pati possumus. Hæc ergo semper reputans, eos cogita qui patiuntur grauiora, & de nullo eorum doleas. Sed quando peccatis, tunc solum ingemisce, tunc lacrymare, non prohibeo, sed potius hortor, & tunc quoque cum symmetria ac moderatione, cogitans quod ea sit reuersio, ea sit recõsiliatio. Ad video alios esse in deliciis, te autem in paupertate. Sed ne hæc solum consideres, sed etiam eas quæ sunt ex his molestias. In paupertate autem ne consideres solum mendicitatem, sed etiam eam quæ inde capitur voluptatem. Nam diuitiæ quidem lætam habent personam, interna autem plena sunt caligine. Paupertas autem contra, & si vniuersumque explicatis conscientiam, in anima quidem pauperis multam videbis securitatem & libertatem: in anima autem diuitis, tumultus, perturbationes, & fluctus. Si autem doles videns ipsum diuitem, ille quoque plus quam tu dolet, aspiciens eum qui est ipso ditior, & quomodo tu eum times, ita ipse quoque alium, & in eo te nihil præcellit. At doles videns magistratum, quoniam tu es priuatus, & ex iis qui parat imperio: sed tibi veniat in mentem & dies successionis. Sed & ante illum diem, tumultus, pericula, labores, vigilia, omnes afflictiones. Et hæc dicimus apud eos, qui nolunt philosophari. Nam si hoc sciueris, ex aliis maioribus possumus te consolari. Interim necesse est ex crassioribus tecum disceptare. Quando ergo videris diuitem, cogita illo ditior: & videbis eum itidem vt tu es esse affectum. Post ipsum autem, cogita etiam eum qui est te pauperior: & quàm multi dormierunt esurientes, & paternas amiserunt facultates, & habitant in carcere, & quotidie optant mortem. Neque enim animi ægritudinem paupertas, neque voluptatè pariunt diuitiæ, sed & hoc & illud nobis solet indere cogitatio. Considera autem ab infimis incipiens. Qui emit stercora, dolet, & tristitia afficitur, quod non sit liber ab hoc misero, & quod probrosum esse videtur, studio. Sed si ipsum eo liberaueris, & effeceris vt securè abundet rebus necessariis, rursus dolebit quod non plura possideat quam opus sit: & si plura dederis volet ea esse duplo maiora. Rursus etiam propterea non minori afficietur dolore quam prius: & si duplo & triplo plura ei dederis, rursus animo angetur, quod non gerat rempublicam. Et si hoc ei præbeas, seipsum ducet esse miserum, quod non primas partes teneat in republica. Hic autem honorem affectus, quod non imperium obtineat. Quando autem imperium obtinuerit, quod non totius gentis. Quando autem etiam

Bona vera & mala vera sunt cogitanda.

totius gentis, quod non multarum gentium. Quando autem multarum gentium, quod non omnium. Quando factus fuerit legatus aut præfectus, rursus dolore afficietur quod non sit rex. Et si sit rex, quod non solus. Et si solus, quod non etiam barbarorum, quod non etiam totius orbis terræ. Cur non etiam alterius mundi? Et sic procedens cogitatio, non finit eum vnquam lætari. Vidisti quemadmodum etiam si ex vili & abiecto regem feceris, non tollis animi ægritudinem, nisi correxeris cogitationem, quæ laborat auaritia & plura habendi amore. Agè, tibi etiam ostendat contrarium, quod etiam si à supremis ad infima deduxeris eum qui est prudentia præditus, non iniicias in animo ægritudinem & tristitiam: & si vis eisdem descendamus scalas, & præfectum è sede vrbis deiectum, priua illa dignitate. Ipse enim nihil, si velit, hæc esse cogitat. Neque enim reputabit ea quæ sunt ei ablata, sed ea quæ tunc habet, neque gloriã quam habet ex eo quæ gessit magistratu. Sin autem eam quoque ei abstuleris, animo reputabit priuatus, & qui ad eum magistratum nunquam ascenderit, & ad consolationem ei sufficienti diuitiæ. Sin autem ab iis quoque rursus eum expuleris, considerabit eos qui mediocria possident. Si autem etiam abstuleris mediocria, & eum solo necessario impertieris alimèto, poterit animo cogitare eos qui ne id quidem possident, sed cum iugi fame conflictantur, & in carcere habitant. Quod si etiam illum duxeris in carcerem, animo versans eos qui morbis laborant incurabilibus, videbit se multo se habere melius. Et quomodo emptor ille stercoreis, ne rex quidem factus fruatur animi tranquillitate, ita hic quoque ne si fuerit quidem in vinculis, vnquam dolebit. Neque igitur diuitiæ voluptatis, neque paupertas est causa animi ægritudinis, sed mens nostra, & quod animi nostri oculi minimè sint puri, & neque vnquam firmi sint & stabiles, sed volent ad infinitum, & quomodo salubria quidem corpora, etiam si solo pane alantur, bono affecta sunt & luxuriant: morbida autem, etiam si lauta & varia fruuntur mensa, eo sunt imbecilliora. Ita etiam solet euenire in anima. Qui pusilli quidem & abiecti sunt animi, ne in diademate quidem & honoribus qui verbis non possunt explicari, possunt bono & tranquillo esse animo. Philosophi autem, & in vinculis, & in catena, & in paupertate, pura fruuntur voluptate. Hæc ergo cogitantes, aspiciamus sepe ad deteriores. Nam est quidem etiam alia consolatio, sed philosophica, & quæ multorum aliorum superat crassitudinem. Quænam ea est? Quod nihil sunt diuitiæ, nihil paupertas, nihil ignominia, nihil honor, sed in breui tempore, & in verbis solum inter se distant. Cum hac autem, alia quoque est hac maior, neque futura & bona & mala cogitare, ea quæ verè sunt mala, & quæ verè bona, & ab illis accipere consolationem. Sed quoniã, sicut prius dixi, multi sunt longè remoti ab huiusmodi doctrina, propterea necesse habuimus in huiusmodi immorari sermonibus, vt ordine ad hos quoque deducamus eos qui illos susceperunt. Hæc ergo omnia reputantes, omni ex parte nos ipsos componamus, & nunquam doleamus ob hæc inopinata. Neque enim si in imagine viderimus diuites, eos esse dixerimus beandos & amulandos: quomodo neque medicos illic depictos, infelices & miserabiles. Atqui illi sunt firmiores & stabiliores iis qui sunt apud nos diuites. Magis enim in pictura manet diues, quam in ipsa rerum natura. Nam ille quidem sepe etiam ad centum annos sic apparens durauerit. Hic autem cum ne annum quidem vnum in suis facultatibus se deliciis expleuerit, repente priuatus est omnibus. Hæc ergo omnia reputantes, omni ex parte muniamus animi quietem & tranquillitatem aduersus inconsideratam tristitiam, vt & vitam presentem transigamus cum voluptate, & bona futura consequamur, gratia & benignitate, &c.

Chrysost. tom. 4.



SIVE enim ego, siue illi, sic predicamus, & sic credidistis. Postquam Apostolos extulit, & se deiecit, & deinde rursus supra illos extulit, vt efficeret equalitatem, equalitatem enim effecit, se & melioris esse conditionis ostendens & deterioris, & ea ratione se reddens fide dignum, ne sic quidem eos dimittit, sed rursus se cum illis coniungit, indicans eam quæ est secundum Christum consensionem & concordiam. Non tamè hoc sic facit vt videatur eis esse abiectus, sed vt ipse quoque in eodem cernatur ordine. Sic enim conducibile erat prædicationi. Quamobrem ambo similiter ei studio fuerunt vt nec ipse videretur eos despiciere, & ne propter eum quæ eis habebat honorem, vilipenderetur ab iis qui erant ipsi subiecti.

Propterea nunc quoque exequat, rursus dicens. Siue ego, siue illi sic predicamus, & sic credidistis. A quo, inquit, vultis discere, discite, nihil differimus. Et non dixit, Si non vultis mihi credere, illis credite: sed & seipsum facit fide dignum, & per se dicit sufficere, & per seipsum. Nihil enim faciebat personarum differentia, cum par esset auctoritas. Porro autem hoc quoque facit in epistola ad Galatas, eos adsumens, non tanquam eis indigens, sed se quoque dicens sufficere. Mihi enim qui videbantur, inquit, esse aliquid, nihil contulerunt. Verumtamen sic quoque eorum sequor concordiam & consensionem. Dexteras enim, inquit, mihi dederunt. Nam si futurum esset vt aliis demum fides haberetur, & ea confirmaretur testimonio quod fertur ab aliis, damna innumerabilia hinc accepissent discipuli. Non hoc ergo facit seipsum extollens, sed timens euangelio. Propterea hic quoque dicit, seipsum exæquans, Siue ego, siue illi sic predicamus. Pulchrè dixit, Prædicamus, magnam ostendens fiduciam ac loquendi libertatem. Non enim clam neque in occulto, sed tuba vocem clariorè emittimus. Neque dixit predicauimus, sed nunc quoque sic predicamus. Et sic credidistis. Hic non dixit, Creditis, sed credidistis. Quoniam lababant, ad superiora recurrit tempora, & de cætero ab iis ipsis addit testimonium. Si autem Christus predicatur quod resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis quod resurrectio mortuorum non est? Vides quemadmodum optimè ratio cinatur & demonstrat resurrectionem, ex eo quod Christus sit excitatus, cum ex multis illud prius confirmasset. Nam & Prophetæ, inquit, hoc dixerunt, & ipse ostendit per visionem, & nos predicamus, & vos credidistis, quadruplex connectens testimonium: quod ferebatur per Prophetas, quod per rerum euentum, quod per Apostolos, quod per discipulos: vel potius quintuplex. Nam ipsa quoque causa ostendit resurrectionem, nempe quod sit mortuus pro aliorum peccatis. Si ergo hoc fuit demonstratum, est perspicuum quod alterum quoque sequitur, cæteros quoque mortuos excitari. Et ideo tanquam de eo quod constaret, reprehendit, & dubium mouet, dicens. Si autem Christus resurrexit, quomodo quidam dicunt in vobis quod resurrectio mortuorum non est. Hac quoque ratione amputans asperitatem eorum qui contradicunt. Non enim dixit, Quomodo dicitis vos: sed, quomodo dicunt quidam in vobis. & neque omnes accusat, neque eos ipsos quos accusat reddit manifestos, ne eos efficiat impudentiores: neque rursus celat penitus, vt ipsos corrigat. Propterea cum eis separasset à multitudine, ad disceptandum cum eis accingitur, hac ratione & eos reddens imbecilliores, & obstupesciendos, & alios in suscipiendis aduersus eos certaminibus firmius ac stabilius continens in veritate, nec sinens vt ipsi transfugiant ad eos qui studium posuerunt vt ipsos corrumpent. Paratus est

Personarum nihil facit differentia si par sit auctoritas. Gal. 2. Ibidem.

Ad. 10.

nim est vt in eos vehementi feratur impetu orationis. A Deinde ne dicant hoc quidem esse euidēs & omnibus manifestum, quod Christus resurrexerit, & neminem dubitare, non tamen hoc necessariō quoque alterum efficere, nempe hominum resurrectionem. Nam quod ad Christi quidem attinet resurrectionē, ea & fuit prædicta, & euenit, & per testimoniū visionis est probata: adhuc autem in spe est nostra resurrectio. vide quid facit, ex altera parte rursus id cōfirmat, quod magnas habebat vires, Quid enim, inquit, dicunt quidam quod non est resurrectio? Ergo illud quoque ex hoc est peremptum, quod Christus resurrexerit. Et ideo subiūgit, dicens: *Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit.* Vidisti Pauli violentiam & contētionem inexpugnabilem? quomodo non ex eo solūm quod est manifestū, sed etiam ex eo de quo dubitatur à cōtradictentibus, iam conetur demonstrare illud quod est manifestum? Non quoniam quod iam factū erat opus haberet demonstratione, sed vt ostenderet hoc esse æquē atque illud credibile. Et quamam est, inquit, hæc cōsequētia? Nam quod si Christus quidē non resurrexerit, ne alij quidem resurgant, est consequēs. quod autem si alij non resurrexerint, ne ipse quidem resurrexit, quomodo hoc vllam habeat rationem? Quoniā ergo hoc videbatur non esse admodum rationi consentaneum, vide quemadmodum consentaneum hoc valde facit, ab alto prius iaciens semina, ex ipsa fidei causa: nempe quod pro peccatis nostris mortuū resurrexerit, & quod sit primitiæ eorum qui dormierunt. Primitiæ enim cuiusnam fuerint primitiæ, nisi eorum qui resurgūt? Quomodo autem fuerint primitiæ, nisi resurgant illi quorum sunt primitiæ? Quomodo ergo non resurgunt? Si autem non resurgunt, cur resurrexit Christus? Cur venit? Cur carnem suscepit, si carnem non erat suscitaturus? Non enim ipse opus habebat vt resurgeret nisi propter nos. Sed hæc quidē ponit postea progrediens. Interim autē dicit, Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit, vtpote quod hoc sit connexum. Nam si non fuisset resurrecturus, ne illud quidē fecisset. Vidisti paulatim totam euerti susceptę carnis dispensationem, ex illis verbis, & ex eo quod non credatur resurrectio. Sed nūc nihil dicit de carnis susceptione, sed de resurrectione. Non enim carnē suscepisse, sed mortuum esse abolet mortem. Nam eo carnem habēte adhuc dominatum obtinebat illius tyrannis. *Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra.* Atqui consequens erat dicere. Si autem Christus non resurrexit, pugnat cum iis quę sunt euidētia, & cum tam multis Prophetis, & cum rerū veritate. sed id ponit quod est eis multō terribilius. *Inanis est ergo prædicatio nostra. Inanis est & fides vestra.* Conquassare enim vult eorum mentem. Vniuersum, inquit, perdidimus: pereūt omnia si non resurrexit. Vidisti quantum sit mysterium susceptę carnis dispensationis. Nam si mortuus non potuit resurgere, neque abolitum est peccatum, neque mors est perempta, nec ablatum est maledictū & execratio, & non solūm nos inania prædicauimus, sed vos quoq; credidistis inania. Et non solūm ostēdit absurditatem horum malorum dogmatū, sed etiam acriter decertat, dicens: *Inuenimur autem & falsi testes Dei: quoniam testimoniū diximus aduersus Deum quod suscitauerit Christum: quem non suscitauit, si mortui non resurgunt.* Si autē hoc est absurdū, est enim Dei accusatio & calumnia, & nō excitauit vt dicitis, non hoc solum, sed multa etiam alia sequentur absurda. Et ipsa rursus cōfirmat, & assumit dicēs. *Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit.* Nā si hoc non erat facturus, ne aduenisset quidē. Hoc autem non dicit, sed finē, nempe eius resurrectionem, per ipsam o-

Mortuum esse aboler mortem.

mnēs trahēs. *Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra.* Ei quod est manifestū & de quo cōstat continēter addit Christi resurrectionē, ex eo quod est fortius, id etiam quod videtur esse imbecillū & dubiū, reddēs validū & manifestū. Adhuc estis in peccatis vestris. Nā si non resurrexit, nec est quidem mortuus. Si autē non est mortuus, nec aboleuit quidē peccatum. Eius enim mors est abolitio peccati. Ecce enim, inquit, agnus Dei qui tollit peccatum mundi. Quomodo autem tollens mortem. Et ideo etiam vocauit agnum, vt qui occideretur. Si autē non resurrexit, neque fuit occisus. Si autem non fuit occisus, neque peccatū est abolitum. Si autem non fuit abolitum, in eo estis. Si autē in eo estis, frustra prædicauimus. Si autem frustra prædicauimus, frustra credidistis. Alioqui autem mors quoq; manet immortalis, si non resurrexit. Si enim ipse quoque detētus fuit à morte, & dolorem eius non soluit, quomodo alios liberauit qui ipse adhuc detinebatur? Et ideo subiūgit, *Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt.* Et quid dico, inquit, de vobis, cum etiā illi omnes perierint qui vniuersum cōfecerunt, & futuro quod est incertū nō sunt amplius subiecti? Illud autē in Christo, aut dicit in fide: aut qui propter ipsum sunt mortui, qui multa sustinuerunt pericula, qui multas passi sunt afflictiones, qui ingressi sunt per viam angustā. Vbi nunc sunt scelesti ora Manichæorū, qui dicūt cum dicere eam, quæ hīc est, resurrectionem, nempe liberationē à peccato? Dēsi enim isti & cōtinui ac reciproci syllogismi, nihil indicāt eorum quæ illi dicūt, sed id quod nos dicimus. Dicitur enim resurrectio *ἀναστῆσις*, hoc est, eius quod cecidit restitutio. Et ideo frequenter vsurpat, non solūm dicens resurrexisse, sed etiam addēs, ex mortuis. Porro autem Corinthij non dubitabant de remissione peccatorum, sed de resurrectione corporum. Quenam autem omnino vrget necessitas, vt si homines non sint eiusmodi vt non peccēt, ne Christus quidem sit huiusmodi? Nam si nō esset suscitaturus, cōsequens esset dicere, Cur venit, & carnē accepit, & resurrexit? De nobis autē minimē. Nam & peccātibus hominibus & nō peccātibus, cum Deo semper est quod in eum non cadit peccatū: & nos illū nō sequimur. Neq; hoc ad illud reciprocatur, sicut in resurrectione corporū. *Si in hac vita tantūm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Quid dicis o Paule? Quomodo in hac vita sperātes sumus, si corpora nō resurgunt, cum maneat anima & sit immortalis? Quoniā si maneat anima, & millies sit immortalis, sicut est re vera, absq; carne nō accipiet bona illa ineffabilia, sicut neque punitur. Omnia enim manifestabuntur ante tribunal Christi, vt accipiat vnusquisque quę per corpus gessit, siue bona, siue mala. Propterea dicit. Si in hac vita tantūm in Christo sperātes sumus, miserabiliores sumus omnib; hominibus. Si enim nō resurgit corpus, incoronata manet anima extra illā beatitudinem quę est in cœlis. Si autem hoc ita habet, tūc nihil omnino cōsequemur. Si autē tunc nihil cōsequemur, in præsentī sunt remunerationes. Quid ergo, inquit, hac ratione fuerit nobis infelicius? Hæc autē dicebat, simul & eos confirmans ac stabiliens in eo quod dicitur de resurrectione corporū, & de immortalī illa vita persuadens, ne existiment nostra omnia dissolui & desinere in præsentī. Nam cum per præcedentia satis confirmasset quod volebat, & dixisset, Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, periimus, & adhuc sumus in peccatis: rursus hoc quoque subiūgit, quatiens & labefactans eorum arrogantiam. Quando enim est necessariū aliquod dogma introducturus, metu primū percellit cordis eorum duritiē. Quod hīc quoque fecit, vt qui & superius

sup. 4.

Nō omnes sunt mortui in Adā morte peccati.

& superius ea disperferit, & animo anxios reddiderit, A vt qui ab omnibus excidissent, & nunc rursus aliter, & vt maximē doleant, idem faciens, & dicens, Miserabiliores sumus omnibus hominibus, si post tot bella, & mortes, & mala innumerabilia, tantis bonis simus priuandi, & intra præsens tempus nostra consistant. Omnia enim pendēt à resurrectione. Quamobrem hinc quoque est perspicuum, quod non loquebatur de peccatis, sed de resurrectione corporum, & de vita præsentī & futura. *Nunc autē Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium.* Postquam ostēdit quot mala oriantur ex eo quod non credatur resurrectio, rursus repetit quod dictum est, & dicit: Nunc autem Christus resurrexit à mortuis, continuō addens à mortuis, vt obturet ora hæreticorū. *Primitiæ eorum qui dormierunt.* Si est autem primitiæ, eos quoque oportet resurgere. Si autem peccatorum diceret resurrectionem, nemo autem est absque peccato. Nam Paulus dicit, Nihil mihi cōsciū sum, sed non in hoc iustificatus sum, quomodo erunt B aliqui qui resurgant conuenienter vestrę sentētiæ? Vides eum esse locutum de corporibus. Et vt hoc faceret fide dignum, continuō Christum adducit in medium, qui in carne resurrexit. Deinde etiam affert causam. Nam vt dixi, quando enuntiat quidem, causam autem non dicit, non tam facile à multis admittitur & probatur oratio. Quanam est ergo causa? *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorū.* Si autem per hominem, per eum planē qui habet corpus. Vide autem eius solertiam, qui etiam aliter orationem efficit necessariam. Nam eum qui fuit superatus, oportet & prostratam instaurare ac reparare naturam, & ipsum vincere. Sic enim probrum excusserit. Videamus autem quamnam dicit mortem. *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Quid omnēsne, dic quæso, mortui sunt in Adam morte peccati? Quomodo ergo Noë iustus in generatione sua? Quomodo Abraham? Quomodo Iob? Quomodo C alij omnes? Quid verō dic rogo, omnēsne viuificabuntur in Christo? Et vbi sunt qui abducuntur in gehennam? Nam si hoc quidem dictum est de corpore, stat quod dicitur. Si autem de iustitia & peccato, nequaquam. Deinde ne cum audieris communem viuificationem, etiā peccatores existimares esse saluos, subiūxit, *Vnusquisque autem in suo ordine.* Nam quoniam audiisti resurrectionem, ne existimes omnes eadem assequi & iisdem frui. Nam si in supplicio non omnes eadem patientur, sed magna est differentia, multō magis vbi sunt peccatores & iusti, maior est distantia. *Primitiæ Christus: deinde ij qui sunt Christi.* Hoc est fideles, & qui sunt probati, & bonæ existimationis. *Mox finis.* Nam quando illi resurrexerint, res omnes finem accipient, non sicut nunc cum resurrexerit Christus, omnia adhuc sunt in suspenso. Et ideo addidit. *In eius aduentu.* Vt dicas quod loquitur de illo tēpore. *Cum tradiderit regnum Deo & patri, cum euacuauerit omnē principatum, potestatem, & virtutem.* Hic attentē animum adhibete, & videte ne quid vos effugiat eorum quæ dicuntur: est enim nobis pugna cum inimicis. Propterea est exercenda deductio ad absurdum. Quod saepe etiam facit Paulus. Sic enim maximē quæ dicunt, apparebunt nobis deprehēsū facilia. Eos ergo primū rogemus quid sit quod dictum est, Cum tradiderit regnum Deo & patri. Nam si id inconsideratē acceperimus, & non vt Deo conuenit, non erit postea qui id habeat. Nam qui alij tradidit, desinit de cætero ipse id tenere. Nec erit solūm hoc absurdum, sed etiam quod ne ille quidem qui accepit, inuenietur habere priusquam acceperit. Congruenter ergo iis quæ dicunt, neque pater erat rex

Chrysof. tom. 4.

antea, & nostra persequitur: neque filius postea rex esse apparebit. Quomodo ergo ipse quidem dicit de patre, Pater meus vsque nunc operatur, & ego operor? De ipso autem dicit Daniel, Regnum eius, regnum æternum, quod non præteribit. Vides quā multa oriantur absurda, & quā cum scripturis pugnantia, cum quispiā quæ dicuntur humanē acceperit. Quēnam autem hīc dicit euacuari & aboleri principatum? Angelorūne? Absit. At fidelium? Ne hoc quidem. Sed quēnam? Dæmonum, de quo dicit. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi rectores huius sæculi. Nam nunc quidem non sunt plenē abolita nec adhuc cessant, in multis enim locis operantur: tunc autem cessabunt. Oportet autem illum regnare: donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Rursus hinc quoque aliud existit absurdum, nisi id quoque acceperimus, vt Deo conuenit. Nam illud donec, est finis & determinationis. In Deo autem non est. *Nouissimē autem inimica destruetur mors.* Quomodo nouissima? Post omnes: post diabolū, post alia omnia. Etenim etiam in initio intrauit nouissima. Prius enim diaboli consilium, & inobedientia, & tunc mors. Potestate ergo nunc quoque est abolita, re autem ipsa tunc. *Omnia enim subiecit sub pedibus eius. Cum autē dicat, Omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eum qui subiecit ei omnia.* Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse filius subiectus erit illi, qui subiecit sibi omnia. Atqui antea non patrem dicebat esse qui subiecit, sed ipsum euacuare & aboleri. Cum, inquit, euacuauerit omnem principatum & potestatem. Et rursus, Oportet enim ipsum regnare: donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Quomodo ergo hīc dicit patrem? Nec hoc est solūm quod videtur esse dubium, sed etiam quod metu valde absurdo est affectus, & vsus est correctione, dicens, Præter eum qui ei subiecit omnia, tanquam aliquibus suspicantibus, num pater quoque aliquando subieceretur filio. Quo quid fuerit magis alienum à ratione? Sed tamen hoc timuit. Quid ergo est? etenim multæ deinceps sitæ sunt quæstiones. Sed animum mihi adhibete: etenim mihi necesse est primū dicere Pauli scopum & institutum, & consilium quod vbiue videris resplendere: & tunc afferre solutionem. Nam hoc quoque ad solutionem nobis confert. Quod est ergo consilium Pauli, & quis est mos eius. Aliter loquitur quando loquitur de sola diuinitate, & aliter quando acciderit vt loquatur de susceptę carnis dispensatione. Nam quando carnem apprehenderit, de cætero securē omnia loquitur humilia & abiecta, confidens vtpotē, quod ea sit apta & idonea ad suscipiendum ea quæ dicuntur. Videamus ergo hīc quoque an loquatur de sola diuinitate, an eum carnis susceptę dispensatione de ipso hæc enuntiet quæ dicit. Imō verō prius ostendamus vbinam hoc fecerit. Ad Philippenfes scribens dicit: Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse Deo æqualem, sed seipsum exinaniuit serui formam accipiens, in similitudine hominū factus, & figura inuētus vt homo, humiliavit se ipsum, obediēs factus vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter Deus exaltauit illū. Vidisti quemadmodum quando de sola quidem loquebatur diuinitate, illa magna dixit. Quando autem ostendit eum tibi carnem suscepisse, rursus depressit orationem. Nisi enim hæc diuiseris, magna est repugnantia eorum quæ dicta sunt. Nam si Deo erat æqualis, quomodo exaltauit eum qui est sibi æqualis? Si erat in forma Dei, quomodo ipsi donauit nomen? Nam qui donat, ei qui non habet donat: & qui exaltat, cum qui prius erat humili-

Joan. 5. Dan. 7. Quorūnam principatum dixerit euacuari Paulus.

Eph. 6.

Mors potestate solum est nunc aboluta. Psal. 8.

Psal. 109.

Phil. 2.

lis exaltat. Inuenietur ergo esse imperfectus & indigens priusquam altitudinem acceperit & nomen: & alia innumerabilia hinc sequentur absurda corollaria. Sed si carnis susceptæ addideris dispensationem, non peccabis, hæc dicens. Hæc autem hæc quoque cogita, & cum hoc consilio accipe quæ dicta sunt. Cum his autem alias quoque dicemus causas. Interim autem illud necesse est dicere, quod & à Paulo verba fiebant de resurrectione, re quæ videbatur fieri non posse, & quæ minimè credebatur: & scribebat ad Corinthios, ubi plures erant Philosophi, qui semper irridebant ea quæ sunt huiusmodi. Etenim cum in aliis inter se colliderentur, in hoc dogmate tanquam vno ore omnes conspirarunt, statuentes non esse resurrectionem. De huiusmodi ergo causa decertans cui aded non creditur, & quæ irridetur, tam propter anticipatam opinionem, quam propter rei difficultatem, & volens probare id fieri posse, primùm hoc facit ex Christi resurrectione: & cum eam demonstrasset, & ex Prophetis, & ex iis qui viderunt, & ex iis qui crediderunt, postquam accepit ad absurdum deductionem de qua constabat, deinceps probat hominum resurrectionem. Nam si mortui non resurgunt, ne Christus quidem resurrexit. Deinde cum continuò in præcedentibus eorum reciprocam fecisset probationem, aliter rursus argumentatur, eam vocans primitias, & ostendens eum abolere omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & mortem nouissimam. Quomodo ergo, inquit, fuerit abolita, nisi prius amiserit quæ habebat corpora. Postquam ergo magna locutus est de vnigenito, nepe quod tradit regnum, hoc est, quod ipse ea conficit, & ipse bello vincit, & omnia pedibus suis subiicit, subiunxit corrigens multorum incredulitatem. Oportet eum regnare, donec posuerit omnes inimicos sub pedibus suis. Non finem regno imponens dixit illud Donec, sed fide dignum faciens id quod dictum est, & vt bono sint animo & confidant procurans. Non enim postquam audiisti, inquit, eum esse aboliturum omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & diabolium, & tam multas dæmonum cateruas, & infidelium turbas, & mortis tyrannidem, & mala omnia, timeas, tanquam ipse sit infirmus & imbecillus. Donec enim fecerit hæc omnia oportet eum regnare: nõ hoc dicēs, quod postquam fecerit, non regnabit, sed illud probans, quod, etiam si non nunc factum, omnino sit futurum. Non enim conscinditur eius regnum. Dominatur enim, & potens est, & manet, donec omnia rectè confecerit. Huc autem morem inuenieris etiam in veteri scriptura, vt quando dicit, Verbum autem domini manet in æternum, & Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Hæc autem dicit Propheta, & quæ sunt huiusmodi, quando narrat de rebus quæ longo post tempore sunt gerendæ & omnino futuræ, crassiorum auditorum expellens timorem. Quod autem illud Donec & vsque, si de Deo dicantur, non sunt verba finem significantia, audi quid dicat. A sæculo & vsque in sæculum tu es. Et iterum, Ego sum, ego sum, & donec confeneritis ego sum. Propterea & vltimam ponit mortem, vt ex aliorum victoria, hoc quoque facile admittat is qui non credit. Quando ergo diabolium qui mortem inuenit sustulerit, multo magis eius opus dissoluet ac perfinget. Quoniam ergo ei omnia attribuit, quod subiunxerit principatus & potestates, quod regnum rectè gesserit & administrarit, fidelium, inquam, salutem, orbis terræ pacem, malorum deletionem: hoc est enim est regnum rectè gessisse & administrasse, mortem dissoluisset: neque dixit quod pater per ipsum, sed ipse euacuabit & abolebit, & ipse ponet sub pedibus suis, ne-

Hic sup.

Psal. 118. Psal. 101.

Psal. 89.

Exod. 3.

que vsquam meminit patris, de cætero timuit ne videretur quibusdam à ratione alienioribus, aut maior patre esse filius, aut aliquod aliud principium ingenitum. Propterea sibi cauens & rem in tuto collocans, lenit ac mitigat magnitudinem eorum quæ dicta sunt, dicens: Omnia enim posuit sub pedibus suis, res gestas rursus patri adscribens, non tanquam sit impotens & imbecillus filius: Quomodo enim, de quo tam multa tulit testimonia, & cui attribuit omnia quæ dicta sunt? sed propter quam dixi causam, & vt ostenderet patri & filio esse communia quæ facta sunt pro nobis. Nam quod ipse sibi suffecerit ad omnia sibi subiicienda, audi rursus Paulum dicentem: Qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ vt sit conforme corpori gloriæ tuæ, secundum operationem qua etiam possit ipse subiicere omnia. Deinde etiam vsus est correctione dicens: Cum autem dicat, omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eum qui subiecit ei omnia, hinc quoque de vnigeniti gloria non paruum ferens testimonium. Si enim fuisset minor & longè inferior, nunquam eum subiiceret hic metus. Neque hoc fuit contentus, sed aliud etiam ei addit, dicens. Nam ne quispiam suspicaretur & diceret, Quid tum, si non subiectus sit pater? hoc non obstat quo minùs fortior sit filius: veritus impiam hæc suspicionem, quoniam per illud non satis poterat hoc ostendere, addidit ex multa abundantia: Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse filius subiectus erit illi. Ostendens eius magnam cum patre concordiam, & quod is est principium bonorum & causa prima qui eum genuit, qui tam multa potest & rectè gerit. Si autem plura dixit quam res postulabat, ne mireris. Magistrum enim suum imitans hoc facit. Ipse enim volens ostendere illius concordiam eum eo qui ipsum genuit, & quod non præter eius voluntatem aduenit, tantum descendit & se dimittit, non quantum exigebat rei demonstratio, sed quantum opus habebat præsentium rerum imbecillitas. Patrem enim rogat, non propter aliud quam propter hoc: & causam afferens, dicit, Vt credant quod tu me misisti. Hunc ergo imitans, hic quoque dictione vtitur ex abundantia: non vt coactam suspiceris seruitutem, absit, sed vt absurda illa dogmata expellat ex abundantia. Nam quando vult aliquid radicitus euellere, magna vtitur abundantia. Sic etiam dicens de muliere fideli, & viro fideli habentibus inter se consuetudinem lege matrimonij, ne existimaret mulier se pollui ex cõcubitu & complexu infidelis, non dixit mulierem esse immundam, & nihil lædi ab infideli, sed quod est multo amplius, per ipsam sanctificatum esse infidelem, non hoc volens ostendere, quod Græcus factus sit ex illa sanctus, sed verbi exuperatione studens eius metum soluere. Ita hic quoque cum dictionis abundantia studisset impium illud dogma tollere, dixit id quod dixit. Sicut enim imbecillum filium suspicari, est extremæ iniquitatis (quam obrem id corrigit, dicens, Omnes inimicos suos ponet sub pedibus suis) ita rursus est hoc magis impium existimare patrem eo esse minorem. Quam obrem id quoque tollit cum magna exuperatione. Vide autem quomodo id ponat. Non dixit enim abs re, Præter eum qui subiecit, sed significas, quod etiam si de eo constet, se tamen id confirmare ac munire. Et vt scias hanc esse causam eorum quæ dicta sunt, illud ex te sciscitabor, Sine tunc accessio subiectionis filio? Et quomodo non est absurdum, & Deo indignum? Maxima enim est subiectio & obedientia, quod cum sit Deus, serui formam acceperit. Quomodo ergo tunc subiicetur? Vides quod absurdam tollens suspicionem hoc posuerit, idque cum eo quo par est sensu. Nam vt filium deceat

Paulus loquitur

Paulus loquitur

Paulus loquitur

Subiectio & obedi-

tia filij in patrem est Deo digna. Ioan. 5.

Ibid. 17.

Psal. 2. Matt. 28.

Sup. 8.

Deus quomodo sic omnia in omnibus.

Victus esse quado dicitur aliquis.

Marc. 3.

Vincere quis dicitur.

deceat & Deum, sic obedit, non more humano, sed liberè se gerens, & omnem habens potestatem. Alioqui quomodo est confessor, quomodo tanquam pater, sic ipse quoque quos vult suscitatur? Quomodo quæ sunt patris, sunt eius omnia: & quæ eius sunt, patris? Hæc enim nobis indicant exactam & perfectam eius in patrem potestatem. Quid est autem, quando tradiderit regnum? Duo regna Dei nouit scriptura. Vnum quidem ex coniunctione: alterum ex creatione. Nam in omnes quidem regnum obtinet, & Græcos, & Iudæos, & dæmones, & aduersarios, ratione creationis. Regnū autem obtinet infideles, & voluntarios & subiectos, ratione coniunctionis. Hoc regnum dicitur etiam habere imperium. De eo enim dicit etiam in secundo psalmo, Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam. De eo etiam ipse dixit discipulis, Data est mihi omnis potestas à patre meo: ei qui genuit omnia adscribens, non quod ipse non sufficiat, sed ostendens quod sit filius, & non ingenuus. Hoc est ergo tradit, hoc est rectè gerit. Quare autem, inquit, nihil dixit de spiritu? Quoniam nunc de ipso non agitur, neque omnia simul confundit. Nam etiam quando dicit, vnus Deus pater, & vnus dominus Iesus, non omnino minorem sinens esse spiritum, propterea tacet, sed quoniam tunc res non vrgebat, hoc dixit. Scit enim & patris solius meminisse: nec ideo filium eiciemus. Scit etiam & filij & spiritus solius meminisse, nec propterea patrem abolebimus. Quid est autem, Vt sit Deus omnia in omnibus? Vt omnia ab ipso pendeant. Ne quis existimet duo esse principia sine principio, neque aliud regnum diuisum. Nam quado strati quidem iacuerint inimici sub pedibus filij: qui eos autem habet iacentes sub pedibus, cum genitore non agitat seditionem, sed est in perfecta cum eo concordia, ipse erit omnia in omnibus. Quidam autem dicunt ipsum hæc dixisse significancia deletionē vitij, vt pote quod omnes deinceps cedat, & nullus resistat, nec malignè se gerat. Nam quando non fuerit vitium, est perspicuum quod Deus erit omnia in omnibus. Si autem corpora non resurgunt, quomodo sunt hæc vera? Grauius enim erit omnium inimicus, nempe mors, iis quæ voluit confectis. Nequaquam, inquit, neque enim amplius peccabunt, inquit. Et quid tum? Neque enim de morte animæ, sed de morte corporis hic loquitur. Quomodo ergo ea aboletur? Hoc est enim victoria, ea quæ sunt ablata, & quæ detinentur accepisse. Si autem in terra detinenda sunt corpora, manet ergo eius tyrannis, cum hæc quidem detineantur, aliud autem non sit corpus vbi vincatur. Si ergo hoc fiat quod dixit Paulus, sicut certè fiet, & præclara etiam apparebit victoria, cum Deus potuerit suscitare quæ ab ipsa detenta sunt corpora: nam tunc vincit quispiam inimicum, quando acceperit spolia, non quando ipsa fuerit apud eum manere. Si quis autem non audeat quæ sunt eius accipere, quomodo eum dixerimus esse victum? Hoc etiam modo victoriae Christus in Euangelij dicit vicisse, sic dicens. Quando alligauerit fortem, tunc & vasa eius diripiet. Alioqui si hoc non sit factum, ne manifesta quidem fuerit victoria. Nam sicut in morte animæ, qui est mortuus, fuit iustificatus à peccato, neque hoc dixerimus esse victoriam, ille enim est qui vicit, non qui malis addidit, sed qui animi mortuum factam soluit captiuitatem: Ita hic quoque non stitisse mortem corpora depascentem, esse dixerim præclaram victoriam, sed quæ iam detenta erant ab ipsa auelli corpora. Si autem adhuc contendat & dicant de morte animæ hæc esse dicta, quomodo ea aboletur vltima? Nam in vno quoque qui baptizatur, plenè est abolita. Sed si dicas de

corpore, locum habet quod dictum est, nempe quod mors vltima aboletur. Si quis autem dubitet, cur cum differeret de resurrectione, in medium non adduxerit corpora quæ resurrexerunt tempore domini, illud dixerimus, quod hoc non erat dicere de resurrectione. Eos enim qui resurrexerunt ostendere rursus mori, non erat demonstratis quod mors postremò aboletur. Propterea enim dixit eam aboleri vltimam, ne existimes eam amplius resurgere. Vitio enim sublato, multo magis mors cessabit. Neque enim fuerit consentaneum, vt si fons arefcat, qui ex eo manat consistat fluuius, & si euanescat radix, maneat fructus. Quoniam ergo in die nouissimo inimici Dei abolentur cum morte, & diabolo, & dæmonibus, ne tristitia afficiamur ob Dei inimicos quibus res prosperè succedunt. Inimici enim Domini, simulatque glorificati & in altum elati fuerint, deficientes tanquam fumus deficient. Quando videris aliquem Dei inimicum diuitem, stipatum satellitibus, habentem multos assentatores, noli animam abiicere, sed geme, lacrymare, Deum roga, vt eum referat in ordinem & numerum amicorum: & quò magis rem suam bene gesserit cum sit inimicus, eò magis eum luge. Nam peccatores quidem semper oportet deslere, maximè autem quando abundant diuitiis, & sunt eis res secundæ, sicut ægrotantes quando ventri indulgent & inebriantur. Sed sunt quidam, qui his verbis auditis, ita statim afficiuntur, vt propter hæc accerbè ingemiscant & dicant, dignus sum qui deslear, qui nihil habeo. Rectè dixisti, Qui nihil habes, non quoniam non habes quæ ille: sed quoniam rem ducis dignam quæ beata censetur. Ideo dignus es qui milites lugearis. Etenim si quispiam viuens in sanitate, beatum iudicet ægrotum, etiam in molli cubili iacentem, iste est illo multo miserior & infelicior, quod bonorum suorum nullum habet sensum. Quod quidem in his quoque videre licet accidere, vnde etiam tota nostra vita est confusa & conturbata. Hæc enim verba perdiderunt innumerabiles, & diabolo tradiderunt, & iis qui fame extabescunt fecerunt miserabiliores. Nam quod qui plura appetit, sint etiam mendicis miserabiliores, vt qui maiori & acriori laborent animi ægritudine, hinc est perspicuum. Ciuitatem nostram inuasit quondam siccitas, & extrema timebat omnes, & Deum rogabant vt hunc metum solueret: & tunc licebat videre quod dictum fuit à Moyse, cælum factum æneum, & quotidie expectari mortem omni morte grauiorem. Sed cum postea ita visum esset benigno & clementi Deo, præter spem omnem, multa atque aded infinita ex alto cecidit pluuia: & omnes iam festum diem agebant, tanquam qui ex ipsis portis mortis ascendissent: sed in tantis bonis, & communi omnium lætitia, quidam ex his qui erant valde opulenti, huc & illuc circuibat mœstus & tristis, præ animi ægritudine mortuus, & multis causam rogantibus cur in communi omnium lætitia solus doleret, ne intus quidem continere potuit hanc grauem animi perturbationem, sed à morbi punctus tyrannide, causam in medium protulit. Nam cum habeam, inquit, decies mille mensuras frumenti, nescio quid illis deinceps faciam. Huncne, dic quæso, pro his verbis beatum ducemus, pro quibus porteret eum obrui lapidibus, qui est quauis fera crudelior, qui est communis hostis? Quid dicis o homo? Doles quod non perierunt omnes vt aurum cogas? Non audiisti quid dicat Solomon. Qui frumenti auget pretium, est populo execrandus. Sed circuis communis inimicus bonorum orbis terræ, & hostis liberalitati domini totius mundi, & mammonæ amicus, vel potius seruus. Non oportebat linguam illam amputa-

Vitio sublato mors cessabit.

Leui. 26.

Prou. 11.

ri? Non cor extingui quod hæc verba pepererat? Vidi-
 sti quomodo aurum non finit homines esse homines,
 sed feras & dæmones. Quid enim hoc diuite fuerit mi-
 serabilius, qui optat quotidie esse famē, vt ei sit aurum?
 Ad contrarium enim ei redit animi perturbatio. Ne-
 que enim lætatur abundantia possessionis fructuum:
 sed propter hoc ipsum dolet quod infinita possideat.
 Atqui eum qui multa possidet, lætari oportet. Iste au-
 tem propter hoc ipsum animo angitur. Vides quod,
 sicut dixi, non tantam ex præsentibus accipiunt volu-
 ptatem qui sunt diuites, quantam animi sustinent æ-
 gritudinem ex iis quæ nondum aduenerunt. Nam qui
 frumenti infinita possidebat millia, magis dolebat &
 ingemiscebat, quam qui esuriebat. Et qui necessarium
 quidem habebat alimentum, coronabatur, & exulta-
 bat, & Deo agebat gratias. Qui autem tam multa pos-
 sidebat, ægrè ferebat, & se periisse existimabat. Non est
 ergo abundantia quæ efficit voluptatem, sed mens phi-
 losophiæ dedita. Nam absque ea etiam si quispiam om-
 nia acceperit, tãquam omnibus priuatus afficitur &
 lamentabitur. Nam iste quoque de quo nunc à nobis
 agitur, etiam si tanto quanto voluisset pretio vendidisset
 quæ habebat, rursus doluisset quod non pluri ven-
 didisset: & si pluri potuisset, rursus aliam quæsiuisset
 exuperationem: & si modicum vno auro venundidisset,
 hic quoque rursus animi ægritudine fuisset lacera-
 tus, quod non tantum fuisse semimodius. Si autem ab in-
 itio non tantum fuit pretium, ne mireris. Nam & qui sunt
 ebrii, non ab initio incenduntur, sed cum multo mero
 fuerint impleti, tunc grauiorem accendunt flammam:
 Ergo isti quoque quod plura fuerint complexi, eò in ma-
 iori sunt inopia: & qui plura lucrantur, ij magis egent.
 Hæc autem à me non solum ei dicta sunt, sed vniciui-
 que eorum qui hoc morbo laborant, & eorum quæ e-
 muntur augent pretium, & proximo procurant pau-
 pertatem: benignitatis enim & humanitatis nusquam
 est ratio. Vbiq; autem amor plura habendi multis e-
 ducit frumentum & vinum: & ille quidem citius, hic
 verò vendit tardius: neuter autem ob curam quam gerit:
 sed ille quidem vt plura accipiat, hic autem ne pau-
 ciora, mutato fructu. Nam quoniam plures legis Dei
 magnam non habentes rationem, omnia tenent intus
 inclusa, aliter eos Deus adducens ad benignitatem &
 humanitatem, vt vel ex necessitate aliquid boni faciât,
 maioris damni iniicit metum: non sinens in multum
 tempus durare fructus terræ, vt vel ex eorum interitu
 damnum timentes, ea etiam inuiti addant egentibus
 quæ domi infossa malè seruant. Verumenimverò sunt
 quidam post hæc adeo inexplicabiles, vt ne hinc quidem
 castigentur. Multi quidem certè etiam integra dolia
 exinanierunt, & ne cyathum quidem dederunt, nec pec-
 unia pauillum egentibus, acetum autem ex vino fa-
 ctum totum humi iecerunt, & dolia sua simul cum vi-
 no corruerunt. Alij autem rursus cum ne ossa quidem
 esurientem impertierint, integras frumenti captas in
 fluuium proiecerunt: & quoniam Deum non audie-
 runt iubentem dare egenis, iubente curgulione, vel
 inuiti quidquid erat intus effuderunt ad exitum & ex-
 tremum interitum, multum quidem risum, multas au-
 tem execrationes in suum caput simul cum hoc dam-
 no attrahentes. Et quæ hinc quidem sunt sunt eiusmodi:
 quæ autem illic, quænam explicarit oratio? Sicut enim
 isti à curgulione exesum & inutile redditum fru-
 mentum in fluuios iaciunt, eos qui hæc fecerunt, pro-
 pter hoc ipsum factos inuites proicit Deus in fluuium
 ignis. Sicut enim frumentum curgulio & vermis, ita
 istorum animas exedit crudelitas & inhumanitas. Ho-
 rum autem est causa quod sint affixi præsentibus: &

Auarorū
 in paup-
 res inhu-
 manitas.

qui sunt eiusmodi, pleni sunt innumerabili animi æ-
 gritudine. Nam etiam si quiduis iucundum & suauē
 dixeris, ad omnia delenda sufficit metus mortis: & qui
 est huiusmodi, est mortuus adhuc viuens. Et quod infi-
 delibus quidem hæc accidant non est mirum: Quan-
 do autem ij qui tot & tanta perceperunt mysteria, &
 de futuris tam multa sunt philosophati, rebus præsen-
 tibus addicti in eis lubenter versantur, quænam fuerint
 digni venia? Qui sit autem quod lubenter versantur in
 præsentibus? Ex eo quod vacent deliciis, & carnem a-
 dipent, & animam frangant ac molliant, & graue onus
 conficiant, & multas tenebras, & crassum velum ob-
 tendant. Nam in deliciis quidem id quod est melius
 redigitur in seruitutē, quod est autem peius, domina-
 tum obtinet: & illud quidem vndique excæcatur, man-
 cūmque ac mutilum trahitur: hoc autem in omnes
 partes agit & circumagit, cum deberet esse in loco &
 ordine eorum quæ aguntur: est enim magnum animæ
 vinculum cum corpore, idque prouidit & procurauit
 opifex, ne tanquam alienum aliqui persuaderent id o-
 disse. Nam Deus quidem iussit diligere inimicos. Dia-
 bolus autem tantum potuit, vt persuaserit aliquibus etiam
 suum corpus edisse. Nam quando dicit id esse dia-
 boli, nihil aliud quam hoc agit, quod est extremi deli-
 rij, Nam si est diaboli, quis est huiusmodi consensus &
 concordia, vt id reddat omni ex parte aptum ad ope-
 rationes animæ quæ tenetur studio philosophiæ? At si
 est, inquit, aptum, quomodo eam excæcat? Non est cor-
 pus quod excæcat animam, absit, sed deliciæ. Delicias
 autem vndenam appetimus? Non ex eo quod corpus
 habeamus. Minimè: sed ex eo quod malā electionem.
 Corpus enim eget alimento, non deliciis. Corpus opus
 habet vt alatur, non vt infringatur & diffuatur. Neque
 enim animæ tantum, sed etiam ipsi corpori quod alit-
 ur, hostes sunt deliciæ. Nam pro robusto fit imbecil-
 lius, & pro firmo mollius, & pro salubri valetudinariū,
 & pro leui grauius, & pro denso rarius, & turpe pro
 formoso, & pro bene olēte peius olens ac fetidum, & pro
 mundo immūdum, & dolore agitatam pro remisso, &
 inutile pro vtili, & vetus pro nouo, & putridū pro
 forti, tardūque & hebes pro celeri, & claudum pro recto
 & integro. Atqui si esset diaboli, non oporteret ipsum
 ab eo lædi, à vitio, inquam. Sed neque corpus, neque ci-
 bi sunt diaboli, sed solæ deliciæ. Nam per eas scelera-
 tus ille dæmon mala efficit innumerabilia. Sic popu-
 lum integrum pessumdedit ac præcipitavit. Impin-
 guatus est enim, inquit, & dilatatus, & recalcitrauit
 dilectus. Porro autem hinc quoque Sodomis fuit illo-
 rum fulminum initium. Quod quidem significans E-
 zechiël dicebat. Sed hæc iniquitas Sodomorum: in su-
 perbia, & in abundantia panis, & in rebus secundis se
 explebant deliciis. Propterea Paulus quoque dicebat.
 Quæ autem in deliciis degit, viuens est mortua. Quam-
 obrem? Quoniam circumfert corpus tanquam sepul-
 chrum, colligatum malis innumerabilibus. Si autem
 corpus ita perit, quomodo afficietur anima, quanto tu-
 multu, quantis fluctibus, quanta tempestate erit refer-
 ta? Propterea quidem certè ad omnia fit inutilis, & nec
 dicere, nec audire, neque consultare, neque aliquid a-
 gere eorum quæ decet facile poterit. Sed sicut guber-
 nator, si tempestas vicerit artem, cum ipsa naue & ve-
 ctoribus submergitur: ita etiam anima cum corpore
 demergitur in grauem abyssum sensuum egestatis: &
 sicut quandam molam Deus nobis ventrem indidit,
 data facultate iusta symmetria ei conueniente, & cer-
 ta constituta mensura quam ipsum quotidie oportet
 molere. Si quisquam ergo plura iniicit, ea non confe-
 cta vniuerso exitum afferunt. Hinc morbi, & imbecil-
 litates,

Cur
 præsen-
 tibus
 versantur
 in præsen-
 tibus?

Ab
 eo
 quod
 vacent
 deliciis
 &
 carnem
 adipent

De
 Sodomis
 fuit
 illo-
 rum
 fulmi-
 num
 initium

Quam-
 obrem?

Animæ
 cum
 corpore
 demergitur

litates, & deformitates: & non solum morbidam sed &
 turpem faciunt deliciæ eam quæ est pulchra. Quando
 enim iniucunda assidue eructat, & putridum vinum
 spirat, & plusquam par sit rubescit, & qui mulieri con-
 uenit numerum corrumpit, & omnem perdit decorem
 & honestatem, & flaccida quidem fit caro, sanguinea
 autem & intensa supercilia, & maior quam par sit cras-
 situdo, & superuacanea carnis excrecetiæ, cogita quan-
 ta hinc fit insuauitas & molestia. Audiui quoque me-
 dicos dicentes, quod multis impedimento fuerūt de-
 liciæ ne assurgerent in altitudinem. Nam cum interfe-
 cetur spiritus multitudine eorum quæ deiiciuntur, &
 occupetur in iis conficiendis, quod oportebat ad au-
 gmentum procedere, id in superuacaneorum consu-
 mitur confectio. Quid dixeris de pedum doloribus,
 de reumate quod oberrat in omnes partes, quid de aliis
 morbis qui hinc oriuntur, & aliis abominandis? Nihil
 est enim æquè iniucundum & insuauē vt mulier, quæ
 multa comedit. Propterea in pauperculis videris maio-
 rem formæ pulchritudinem, dum consumuntur excre-
 menta, & non temerè ac frustra allinuntur instar luti
 superuacanei. Nam quotidiana exercitatio, & labo-
 res, & afflictiones, & mensa moderata, & tenuis vitæ
 ratio, multam eis præbet bonam habitudinem, & hinc
 quoque multam pulchritudinem. Si autem dicas deli-
 ciarum voluptatem, eam inuenies solum vsque ad gu-
 lam. Nam simul atque linguam præterit, auolat, multas
 immittens molestias. Ne mihi enim solum accubentes
 videas eos qui viuunt in deliciis, sed quando eos vide-
 ris surrexisse, tunc sequere, & videbis magis esse fera-
 rum & brutorum corpora quam hominum. Videbis e-
 nim capite grauos, pandiculantes, colligatos, lecto
 opus habentes, & stragulis, & multa quiete, & tãquam
 in multis vndis iactatos ac perturbatos, & iis qui ser-
 uent opus habentes, & cupientes in illo esse statu in
 quo erant priusquam disrumperentur. tanquam enim
 grauidæ mulieres, ita grauari ventres circumferunt, &
 vix ingrediuntur, & vix aspiciunt, & vix loquuntur, &
 vix omnia. Quod si contigerit eos parum dormire, ab-
 surda rursus vident somnia, & referta visis innumera-
 bilibus. Quid rursus dixeris de alia insaniam, de re, in-
 quam, venerea? Nam ea quoque ex hoc fonte manat:
 & sicut equi in scæminas furore perciti, ita ebrietatis æ-
 stro stimulat, omnes insiliunt, illis stolidius & furio-
 sius exultantes, & multa alia indecorè facientes, quæ
 ne fas quidem est dicere. Neque enim sciunt, neque
 quæ patiuntur, neque quæ agunt. Sed non est eiusmodi
 is qui non dat operam deliciis: sed sedet in portu, a-
 liorum videns naufragia, & pura fruitur voluptate &
 perpetua, quæ libero homini conuenit vitam agens.
 Hæc ergo scientes, fugiamus mala cõuiuia deliciarum,
 & mentam teneamus tenuem: vt & anima & corpore
 benè affecti, omnem operemur virtutem, & bona fu-
 tura assequamur, gratia & benignitate domini nostri
 Iesu Christi, cui cum patre &c.

Voluptas
 deliciarū
 est solum
 vsque ad
 gulam.

Ex delicia-
 rum fonte
 manat ve-
 nus.

ORATIO XL.



LIQVI quid facient qui baptizantur pro
 mortuis? Si omnino mortui non resurgunt, quid
 & baptizantur pro illis? Alio rursus capite
 argumentatur, aliquando quidem ex iis
 quæ Deus facit, aliquando autem ex iis
 quæ ipsi agunt, confirmans quæ dicuntur. Est autè hoc
 ad defensionem non paruum argumentum, quando
 eos qui contradicunt adducit testes eorum quæ dicun-
 tur, per ea quæ faciunt. Quid est ergo quod dicit? An
 vultis primum dicam quomodo hanc dictionem adul-
 terant qui morbo laborant Marcionis? Atque scio qui-

dem fore vt risum multum moueam: verum enim verò
 etiam propterea maximè dicam, vt eum morbum ma-
 gis fugiatis. Nam postquam catechumenus quispiam
 apud eos excesserit, sub lecto mortui abscondo aliquo
 qui viuunt, accedunt ad mortuum, & alloquuntur, & ro-
 gant velint accipere baptismum. Deinde illo nihil
 respondent, qui est abscondus in infernè, pro illo dicit se
 velle baptizari: & sic eum baptizati pro eo qui excessit,
 perinde ac si in scena luderent: tantum valuit diabolus
 in ignauorum animis. Deinde cum accusantur, addu-
 cunt hoc verbum, dicentes Apostolum dixisse, Qui bap-
 tizantur pro mortuis. Vidisti magnam irrifionē: con-
 uenitne aduersus ea contradicere? Ego quidem non ar-
 bitror. Nisi disserere oporteat cum furentibus pro iis
 quæ loquuntur delirantes. Vt nemo autem capiatur ex
 simplicioribus, necesse est vt hanc quoque contradi-
 ctionem aduersus eos sustineamus. Nam si hoc dice-
 ret Paulus, cur minatus est Deus ei qui non baptizatur?
 Non potest enim fieri vt quispiam deinceps non bap-
 tizetur, hoc excogitato. Alioqui verò non est culpa e-
 ius qui excessit, sed eius qui viuunt. Quibusnam autem
 dixit, Nisi comederitis carnem meam, & biberitis me-
 um sanguinem, non habebitis vitam in vobis: viuifne
 an mortuis, dic quæso: & rursus, Nisi quis regeneratus
 fuerit ex aqua & spiritu, non potest videre regnū Dei.
 Si enim hoc permittitur, nec opus est voluntate & in-
 stituto eius qui accipit, nec assensu qui est in vita, quid
 verat quominus & ethnici & Iudæi sic fiant fideles, a-
 liis post illorum decessum, pro illis hæc faciētibus? Sed
 ne araneorum telas amplius conscindentes, inaniter la-
 boremus, agè huius dictionis vim vobis explicemus.
 Quid ergo dicit Paulus? Vobis primum qui mysteriis
 estis initiati, volo in memoriam reuocare eam dictio-
 nem, quam in illa vespere iubent vos dicere qui myste-
 rio initiati: & tunc dicam etiam quod dicit Paulus.
 Sic enim hoc quoque vobis erit dilucidius. Nam post
 alia omnia hoc addimus, quod nunc dicit Paulus. Et
 volo quidem apertè hoc dicere: non audeo autem pro-
 pter eos qui non sunt initiati, ij enim expositionem no-
 bis faciunt difficiliorem, vt qui nos cogant vel non a-
 pertè dicere, aut eis arcana enunciate. Sed tamen di-
 cam, quoad eius à me fieri poterit, testè & adumbratè.
 Nam post mysticorum illorum & terribiliū verborum
 enuntiationem, & horrendas regulas dogmatum, quæ
 è cælo sunt demissa, hoc quoque in fine addimus, quā-
 do sumus baptizandi, iubentes dicere, Credo in resur-
 rectionē mortuorum: & in hac fide baptizamur. Post-
 quam enim hoc confessi sumus cum aliis, tunc demit-
 timur in fontem sacrorum illorum fluentium. Hoc
 ergo in memoriam reuocans dicebat Paulus, Si non
 est resurrectio, cur baptizaris pro mortuis? Propter hoc
 enim baptizaris, mortui corporis credens resurrectio-
 nem, nempe quod non maneat mortuū. Et tu quidem
 per verba dicis mortuorum resurrectionem. Sacerdos
 autem tanquam in quadam imagine, quæ credidisti &
 per verba es confessus, etiam per res ipsas ostendit.
 Quando absque signo credis, tunc tibi etiam præbet
 signum. Quando quæ tua sunt feceris, tunc Deus quo-
 que te reddit certiore. Quomodo? Per aquam. Bap-
 tizari enim & demergi, deinde sursum remeare & e-
 mergere est symbolum seu signum descensus ad infe-
 ros, & ex eo ascensus. Quamobrem Paulus quoque bap-
 tismum sepulchrum vocat, dicens. Consepulti enim
 sumus cum illo per baptismum in mortem. Ex eo au-
 tem futurum quoque facit credibile, corporum, in-
 quam, resurrectionem. Est enim longè maius peccata
 delere, quam corpus suscitare. Et hoc enuncians Chri-
 stus dicebat. Quid enim est facilius dicere, remittun-

Ioan. 6.
 Ioan. 3.

Baptismus
 est, sepul-
 chrum.
 Rom. 6.

Matt. 9.

tur tibi peccata, an dicere, Tolle grabbatum tuum & ambula? Illud quidem, inquit, est difficilius, quoniam autem id minus creditis, ut quod non sit euidēs, & quod est facilius pro difficili habetis nempe potestatis meæ ostensionem, ne hoc quidem indicium recusabo vobis exhibere. Tunc dicit paralytico, surge & tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et quomodo est, inquit, difficile, cum hoc possint facere & reges & principes? Adulteros enim & parricidas illi dimittunt. Ludis o homo, hæc dicens. Nam solus quidem Deus potest, peccata remittere. Principes autem & reges, & si dimittant & absoluant adulteros & parricidas, à præfenti quidem liberant supplicio, eorum autem peccatum non emundant & expiant: & si dimissos quidem prouexerint ad magistratus, & vel ipsa induerint purpura, & imposuerint eis diadema, reges quidem sic fecerunt, à peccatis autem non liberant. Solus enim Deus hoc facit, quod quidem operatur in lauacro regenerationis. Ipsam enim animam tangit gratia, & illinc peccatum euellit radicitus. Propterea eius quidem qui est dimissus à rege, sordidam videre licet animam: eius autem qui est baptizatus, minimè, sed ipsius solis radiis puriorem, & qualis fuit generata ab initio, imò verò illa quoque melior. Fruitur enim spiritu qui eam omni ex parte inflamat, & auget sanctitatem: & sicut aurum aut argētum refundens, purum & nouum facis denuò: ita etiam spiritus sanctus in baptismo tanquam in fornace eam refundens, & peccata consumens, efficit ut quouis auro puro purius fulgeat. Porro autem corporum resurrectionem hinc quoque rursus tibi facit esse credibile. Nam quoniam peccatum mortem intulit, exsiccata radice non est amplius dubitandum de fructus interitu. Propterea cum prius dixisset remissionem peccatorum, tunc confitetur etiam mortuorum resurrectionem, hinc ad illud deductus. Deinde quoniam non sufficit nomen resurrectionis ad vniuersum ostendendum. (Multi enim qui resurrexerant rursus excefferunt, ut qui resurrexerunt in veteri, ut Lazarus, ut qui tempore crucis iubet dicere, Et in vitam æternam, ne quis amplius suspicetur mortem post resurrectionem. Hæc ergo verba in memoriam reuocans Paulus dicit. Quid facient qui baptizantur pro mortuis? Nam si non est, inquit resurrectio, hæc verba planè sunt ludus scenicus. Si non est resurrectio, quomodo eis suademus ut credant quæ non damus: ut si quis iubens ædere schedulam quod hoc & illud acceperit, minimè dederit quæ in ea scripta sunt. Deinde postquam subscripta fuerit schedula, exigat quæ in ea sunt scripta. Quid enim de cætero faciet is qui sub scripsit, cum se quidem reum debendi constituerit, non acceperit autem ea quæ confessus est se accepisse? Hoc enim hic quoque dicit de iis qui baptizantur. Quid facient, inquit, qui baptizantur, qui subscripserunt quidem resurrectionem mortuorum corporum, non decipiunt autem, sed decipiuntur? Quid autem erat omnino opus hac confessione, si res non sequebatur? *Quid & nos periclitamur omni hora? Quotidie morior propter vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Iesu.* Vide rursus vndenam dogma aggredditur probare, à suo suffragio: imò verò non solum suo, sed etiam cæterorum Apostolorum. Est autem hoc quoque non paruum, adducere doctores qui de eo valde certam habent persuasionem & hoc non solum verbis, sed etiam rebus ostendunt. Propterea non dicit absolute, Nos quoque id habemus persuasum. Neque enim satis erat hoc solum persuadere, sed etiam per res ipsas exhibet demonstrationem: perinde ac si diceret, Verbis hæc confiteri nihil vobis fortè videtur esse mi-

Luc. 5.

Matt. 27.
& Luc. 11.

Gal. 5.

Enigilare
iuste & in-
iuste quid
sit.
1. Tim. 6.Matt. 11.
Rapina bo-
na est ra-
pere regni
cælorum.

Mat. 26.

Etiā
autem

randum. Si autem etiam à rebus ipsis vocem vobis exhibeamus, quid ad hæc poteritis contradicere? Audite ergo quemadmodum etiam per pericula hæc quotidie confitemur. Et non dixit, Ego, sed nos, assumens omnes simul Apostolos, & ea ratione modeste se gerens, & fide dignam faciens orationem. Quid enim dicere potueritis? Quod vos decipimus hæc prædicantes, & propter inanem gloriam hæc dogmata statuimus? Sed hanc sententiam ferre non sinunt pericula. Quis enim sua sponte voluerit frustra & temerè adire pericula? Et ideo dicebat, Quid & nos periclitamur omni hora? Nam & si quis propter inanem gloriam hoc sua sponte elegerit, semel & iterum hoc eligeret, non omni tempore sicut nos. Nos enim totam vitam huius rei addicimus. Quotidie morior per vestram gloriationem, quam habeo in Christo Iesu. Gloriationem hic dicens eorum profectum. Nam quoniam multa ostendit esse pericula, ne videretur tanquam desens hæc dicere, non solum, inquit, non doleo, sed etiam glorior quod pro vobis hæc patiar. Duplici autem ratione se dicit gloriari, & quod propter ipsos pericula adeat, & quod ipsos videat incrementum suscipere. Deinde faciens id quod est sibi solitum, quoniam magna est locutus, vtraque Christo tribuit. Quomodo autem moritur quotidie? Animi alacritate, & quod ad hoc sit paratus. Et cur hæc dicit? Rursus per hæc quoque confirmans quod dicitur de resurrectione. Quis enim, inquit, elegerit tam multas subire mortes, si ne sit quidem postea resurrectio, neque vita? Nam si qui credunt resurrectioni, vix pro ea pericula adierint nisi sint fortes ac generosi: multò magis ne is qui non credit, tam multas & tam graues ac difficiles mortes elegerit. Etenim vide quantum paulatim faciat incrementum. Dixit, Periclitamur: Addidit, Omni hora: Deinde, Quotidie. Deinde non solum dicit, periclitator, sed etiam morior. Deinde ostendit & quot mortes. *Si secundum hominem ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest? Quid est, si secundum hominem? Quod ad homines attinet, pugnaui cum bestiis. Quid enim si me Deus eripuit à periculis? Quare qui pro his maximè debeo esse sollicitus, ego sum qui tam multa sustineo pericula, & adhuc nullam accepi remunerationem. Nam si non aduenit tempus remunerationis, sed intra præfens tempus res nostræ sunt conclusæ, nos maius damnum patimur. Nam vos quidem citra periculum credidistis: nos autem mactamur quotidie. Hæc autem omnia dicebat, non quoniam in patiendo nullam haberet vtilitatem, sed propter multorum imbecillitatem, & ut ipsos confirmaret in ratione resurrectionis: non quod ipse curreret propter mercedem: erat enim sufficiens ei remuneratio, id facere quod Deo videtur. Quamobrem etiam quando dicit, Si in hac vita speramus in Christo tantum, miserabiles omnibus hominibus sumus: illic quoque rursus dicit propter illos, ut metu huius miseriarum, eorum de resurrectione excutiat incredulitatem: & ad eorum imbecillitatem se demittens sic dicit. Est enim magna merces, Christo placere in omnibus. Etiam absque remuneratione, magna est merces propter ipsum adire pericula. *Si mortui non resurgunt manducemus & bibamus: cras enim moriemur.* Hoc iam verbum est irridentis. Quamobrem non hoc ex se adduxit, sed magniloquentissimum Prophetam produxit Esaiam, qui de iis qui omnem sensum doloris exuerunt & sunt deplorati, dicebat hæc verba. Qui mactant vitulos, & sacrificant oues, ut carnes comedant, & vinum bibant. Qui dicunt, Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Hæc sunt aperta in auribus domini Sabaoth: & non remittetur vobis hoc peccatum donec fueritis mortui: Si*

autem venia fuerunt priuati qui hæc dicebant, multò magis in gratia. Deinde ne asperiores redderet orationem, non amplius immoratur in abductione ad absurdum, sed orationem rursus conuertit ad exhortationem, dicens: *Nolite seduci: corrumpunt bonos mores colloquia praua.* Hæc autem dicebat, simul quidem eos insectans, tamquam insipientes, bonos enim benigna ac miti appellatione hic appellauit, qui facile possunt decipi & quoad eius fieri potest, pro præcedentibus eos venia impertiens, & maximam partem criminum ab eis propulsans, & in alios transferens, ut hac quoque ratione eos attraheret ad poenitentiam. Quod etiam in epistola ad Galatas facit dicens. Qui autem vos conturbat, portabit iudicium. *Enigilate iusti, & nolite peccare.* Tanquam ebriis dicit & furentibus. Nam omnia simul & repente è manibus eiicere, est ebriorum & furentium, eo quod non amplius videant quæ viderunt, neque credant iis quæ prius confessi sunt. Quid est autem iuste? Ad id quod conducit & est vtile. Est enim iniuste euigilare & expergisci, quando quispiam fuerit excitatus ad detrimentum suæ animæ. Rectè autem addidit illud, Nolite peccare, ostendens quod hinc sint semina incredulitatis. Hoc quoque alibi tacite significat, quod vita corrupta mala gignit dogmata: ut quando dicit radix omnium malorum esse auaritia: quam quidam appetentes aberrauerunt à fide. Multi enim male sibi concij, nec volentes dare poenas, ab hoc metu læduntur in fide resurrectionis, sicut ij quidem certè qui multa & præclara rectè gesserunt, quotidie cupiunt videre illum diem. *Ignorantiam enim Dei quidam habent.* Vide quomodo rursus crimina transfert in alios. Non enim dixit, Habetis ignorantiam, sed ignorantiam quidam habent. Nam non credere resurrectioni, est eius qui non valde scit inexpugnabilem Dei virtutem, & ad ea sufficientem. Nam si quæ sunt fecit ex iis quæ non erant, multò magis poterit excitare & restituere ea quæ sunt dissoluta. Et quoniam eos vehementer tetigit, & summopere eos carpsit, reprehendens eos de ingluuie, de ignorantia & stupore, mitigans ea quæ dicta sunt, dicit, Ad reuerentiam vobis loquor. Hoc est, ut corrigam, ut reducam, ut vos pudore affecti reddamini meliores. Timuit enim ne si plus quàm par esset eos secuisset, resiliunt. Hæc autem existimemus non illis solis esse dicta, sed nunc quoque dicta esse omnibus, qui eodem morbo laborant, & quorum vita est corrupta. Non enim ij solum qui mala habent dogmata, sed ij etiam qui grauibus tenentur peccatis, sunt ebrii & desipiunt. Quamobrem illis quoque dictum fuerit illud, Enigilate seu expergiscimini: & maximè iis qui sunt grauati veterno auaritiæ, iis qui improbè rapiunt: Est enim bona rapina, rapina cælorum quæ nihil lædit. Nam in pecuniis quidem nequit fieri ut quispiam euadat diues, nisi alius prius factus sit pauper. In spiritualibus autem non ita est, sed totum contrarium, fieri non potest ut quispiam fiat diues, nisi alterum fecerit opulentum. Nam si nemini profueris, non poteris effici opulentus. Nam in corporalibus quidem impertitio efficit diminutionem: in spiritualibus autem impertitio operatur abundantiam: & non impertisse, hoc multam conficit paupertatem, & infert vltimum supplicium. Hoc autè ostendit qui infodit thesaurum. Etenim qui rationem habet sapientiæ, & alium impertiit, auget copias, ut qui multos fecerit sapientes: Qui autè domi abscondit, seipsum priuauit copiis, ut qui non pararit multorum vtilitatem. Rursus qui alia habet dona, multos medicatus amplificauit donationem: & nec impertitione fuit ipse exinanitus, & multos impleuit spirituali donatione. Et in omnibus spiritualibus firma & stabilis permanet

hæc regula. Ita etiam in regno, qui sui regni multos reddit participes, hæc rursus ratione eo ipse magis fruetur. Qui autem nullum studet habere socium ac participem, ipse quoque excidet à magnis illis bonis. Si enim sapientia sensilis non consumitur innumerabilibus rapientibus: neque artifex multos efficiens artifices perdit artem, multò magis qui regnum rapit, minus non efficiet, sed tunc nobis maiores erunt diuitiæ, quando multos ad id vocauerimus. Rapiamus ergo ea quæ non consumuntur, sed dum rapiuntur magis abudant. Rapiamus ea quæ nullum habent calumniatorem, nullum qui inuideat. Si enim, si auri locus esset perennem habens fontem scaturientem, & eò magis efflueret, quò magis exhauriretur: alius autè esset locus habens thesaurum inoffusum, ex vtro velles ditescere, an non ex illo? Est perspicuum. Sed ne verbis hoc solum effingamus, quod dictum est cogitate in aère & in Sole: ea enim rapiuntur ab omnibus, & omnes implent. Sed hæc quidem manent similia, à fruētibus & non fruētibus non diminuta. Quod autem dixi est multò maius. Non enim manet similis spiritualis sapientia si distribuatur & non distribuatur: sed magis augetur si distribuatur. Si quis autem non ferat ea quæ dicta sunt, sed rerum ad victum pertinentium affixus sit inopia, ea quæ diminuuntur rapiens, in hoc quoque rursus in memoriam reuocet manæ alimentum, & timeat exemplum supplicij. Quod enim in illo accidebat, hoc etiam videre licet in iis quæ nunc superabundant. Quid autem tunc accidebat? Ex eo quod superabundabat scatebāt vermes. Hoc quoque nunc fit in his. Alimenti enim mensura eadem est omnibus. Vnum enim ventrem implemus: apud te autem qui expleris deliciis est plus stercoreis. Et quomodo illic in domibus qui plus colligebant quàm erat constitutum, non manna congregabant, sed plures vermes & putredinem: ita etiam in deliciis, & in superabundantia, non plus alimenti, sed plus corruptionis congregant qui ventri indulgent & inebriantur. Sed tamen qui nunc sunt, tantò sunt illis priores, quod illi quidem hoc semel passi, fuerunt castigati & sibi temperarunt. Isti autem quotidie hunc vermem illo multò grauiorem, in domos suas introducunt, neque sentiunt, neque fatiantur. Nā quod hæc illis sint similia, quod ad inanem laboris attinet rationem (supplicio enim hæc sunt multò grauiora) hinc considera. In quo enim differt diues à paupere? Non vnū induit corpus, non vnum alit ventrem? In quo ergo plus abudat? In solitudinibus, in consumendo, in eo quod Deo non pareat & obediat, in eo quod carnem corrumpat, in eo quod animæ exitium afferat. Hæc enim sunt ea in quibus plus habet quàm pauper. Nam si multos impleret ventres, haberet fortasse aliquid quod diceret, nempe quod pluribus est opus, & sumptus maior est necessitas. At nunc quoque, inquit, habet quod dicat, quod plures implent ventres, nempe famulorum & ancillarum. Sed hoc non fit propterea quod egeant, neque propter benignitatem & humanitatem, sed solum propter fastum & superbiam. Vnde nec eorum ferri potest defensio. Cur enim multos habent ministros? Quomodo enim in vestibus & in mensa solus vsus est attendendus, ita etiam in ministris. Quis est ergo vsus? Nullus penitus: vno enim famulo vnum dominum solum vti oportet, vel potius duos & tres dominos vno famulo. Si autem hoc est graue, cogita eos qui nullum habent, faciliore autem & expeditiore fruuntur ministerio. Deus enim fecit eos qui sufficerent suo, imò verò & proximi ministerio. Si autem non credis, audi Paulum dicentem, Necessitatibus meis, & iis qui mecum sunt, ministrarunt hæc manus: Deinde totius quidem orbis doctor,

Rapienda
quænam
sunt.

Exod. 16.

Diues à
paupere in
quo differ-
rat.

AR. 20.

& dignus cœlis, non erubescere ministrare innumera-
 rabilibus. Tu autem turpe esse ducis si non circumferas
 multos greges mancipiorum: nesciens quidem hoc
 esse quod te maximo afficit dedecore. Propterea enim
 dedit nobis Deus & manus & pedes, ne opus habere-
 mus famulis. Neque enim propterea quod esset opus,
 introductum fuit genus famulorum. Nam alioqui cum
 Adamo creatus fuisset famulus: sed est pœna peccati &
 multa inobedientiæ. Christus autem cum aduenisset,
 hoc quoque soluit. Nam in Christo Iesu non est seruus
 neque liber. Quamobrem non est necesse habere ser-
 uum. Si autem necesse est, vnum, aut plurimum duos,
 Quid sibi volunt examina ministrorum? Nam sicut qui
 vendunt oves, & qui corpora cauponantur, ita in bal-
 neo, ita in foro procedunt & obeunt diuites. Sed sum-
 mo iure non ago, Sit tibi etiam secundus minister. Si
 autem multos cōgregas, non hoc facis benignitatis &
 humanitatis causa, sed tuis seruientiis deliciis. Nam si hoc
 facis eorum curam gerens, in tuo ministerio neminem
 occupes, sed cum emeris & artes docueris ut sibi suffi-
 ciant ad victum parandum, eos manumitte. Cum au-
 tem flagris cædas, cum in vincula coniciaris, non est uti-
 que opus humanitatis. Et scio quidē me esse molestum
 auditoribus. Sed quid agam? In hoc sum: neque cessa-
 bo hæc dicere, siue quid profecero, siue nō. Quid enim
 sibi vult in foro superbē incedere? Num enim inter fe-
 ras ambulans, quod obuios expellis? Ne timeas, nullus te
 mordet eorum qui accedunt, & prope te ingrediuntur.
 At iniuriam existimas simul ingredi cum omnibus. Et
 quā est hoc insanum, quā prodigiosum, equū qui-
 dem propē sequētem non existimare afferre iniuriam:
 hominē autem, nisi multis abigatur stadiis, putare de-
 decore afficere? Quid verō & famulos habes lictores, li-
 beris vtens tanquam seruis, imō verō ipse quouis seruo
 viuens ignominiosus. Est enim quouis seruo vilior &
 ignominiosior qui tātum circumfert fastum. Propter-
 ea nec veram videbunt libertatem, qui se manciparunt
 huic graui animi perturbationi. Si enim vis expellere,
 superbēque & magnificē incedere, nō accedentes, sed
 fastum expelle: non per famulum, sed per teipsum: non
 hoc flagello, sed spiritali. Nam nunc quidem famulus
 tuus expellit eos qui tecum incedunt: te autem ab alto
 arrogātia turpius quam famulus proximi. Si autem ab
 equo descendens eam abegeris per humilitatem, altius
 sedebis, & in maiori honore teipsum constitues, ad hoc
 non opus habens famulo. Quando enim effectus mo-
 destus humi incedes, sedebis in curru humilitatis, qui
 te in cœlum sustollit, qui equos habet alatos. Sinautem
 ab illo cecideris, & in arrogantia curru transferis, ni-
 hilo melius afficeris quā serpentes humi repentes, im-
 mō verō multo miserius & miserabilius. Nam illos qui-
 dem sic reptare cogit mutilatio corporis, te autē mor-
 bus arrogantia. Omnis enim qui se extollit, inquit, hu-
 miliabitur. Ne ergo humiliemur sed extollamur, venia-
 mus ad illam altitudinem. Sic enim inueniemus in no-
 stris animis quietem, conuenienter diuino oraculo, ve-
 rumque & altissimum honorem consequemur. Quem
 detur nobis cōsequi gratia & benignitate domini no-
 stri Iesu Christi, cui cum patre &c.

ORATIO XLI.



ED dicit aliquis, Quomodo resurgunt mortui?
 Quali autem corpore venient? Inspiciens, tu
 quali seminans, non viuificatur nisi prius mor-
 tuatur. Cum vbiq; mitis & humilis sit ap-
 postolus, hinc acriori vtitur oratione, pro-
 pter absurditatem eorum qui contradicebant. Neque
 tamen est hoc contentus, sed & rationes adducit & e-

568
 A exempla, ea ratione etiam valde contentiosum repræ-
 mens. Et superius quidem dicit, Quoniam per homi-
 nem mors, & per hominem resurrectio: Hic autem sol-
 uit obiectionem quæ fiebat à gentibus. Vide autē rur-
 sus quomodo diminuat vehementiam reprehensionis.
 Non dixit enim, Sed fortasse dicetis, sed cum qui con-
 tradicit posuit indefinitum, ne securē instar torrentis
 rapidiore vtens oratione, auditores valde percelleret.
 Ponit autem duas dubitationes, modi resurrectionis &
 qualitatis corporum. De vtrisque enim dubitabant, di-
 centes: quomodo suscitatur id quod est dissolutum, &
 in quo corpore veniunt? Quid est autem, quo corpore?
 nempe hoc quod interit, quod perit, an aliquo alio?
 Deinde ostendens quod non querunt ea de quibus du-
 bitatur, sed ea de quibus constat, acrius occurrit, di-
 cens, inspicens, tu quod seminans, non viuificatur nisi
 mortuum fuerit. Quod nos quoque solemus facere in
 iis qui contradicunt aduersus ea de quibus constat. Et
 B cur non statim confugit ad Dei potestatem? Quoniam
 disserit cum infidelibus, Nam quando ab eo quidem,
 verba fiunt apud fideles, non admodum opus habet ra-
 tionibus. Quamobrem cum alibi dixisset, Transfigura-
 bit corpus humilitatis nostræ, ut sit conforme gloriæ
 corporis eius, & ostendisset aliquid amplius quā sit
 resurrectio, non posuit exempla, sed pro omni demon-
 stratione Dei potestatem adduxit in medium, addens
 & dicens, secundum operationem quæ etiā possit sub-
 iicere sibi omnia. Nam quoniam hoc confirmauit ex
 scripturis, hæc quoque de cætero addit ex abundantia
 apud eos qui non parent scripturis: & dicit, Inspiciēs, tu
 quod seminans. Hoc est à teipso horum habes proba-
 tionem, per ea quæ facis quotidie, & adhuc ambigis.
 Propterea te voco insipientem, quod ignoras quæ a te
 fiunt quotidie: & cum ipse sis opifex resurrectionis, de
 Deo dubitas? Propterea cum magna dixit emphasi, tu
 quod seminans: tu qui es mortalis & peris. Et vide quæ
 C admodum vtitur dictionibus conuenienter subiecto
 argumento. Nō viuificatur enim, inquit, nisi mortuum
 fuerit. Propriis enim seminum relictis dictionibus, vt-
 pote germinat, pullulat, putrescit & dissoluitur, adapta-
 uit eas quæ carni nostræ conueniunt, nempe viuifica-
 tur & mortuum fuerit, quod quidem non est proprium
 seminum, sed corporum. Et non dixit, postquā mor-
 tuum fuerit, viuit, sed quod est maius, propterea viuit
 quoniam moritur. Vides quod, sicut semper dico, ora-
 tionem semper vertit in contrarium. Quod enim illi
 non resurgendi statuebant esse indicium, hoc facit esse
 certam resurgendi demonstrationem. Dicebant enim
 non resurgere, quoniam est mortuum. Quid autem dicit
 conuertendo? Atqui si non esset mortuum, nō resurre-
 xisset: & propterea resurgit, quoniam est mortuū. Sicut
 enim Christus apertius hoc ostendit, dicens, Granum
 I. frumenti, si cadens in terram non mortuū fuerit, ipsum
 solum manet. Sinautem mortuum fuerit, multum fru-
 ctum affert: illinc Paulus trahens hoc exemplum, non
 dixit, Non viuit, sed nō viuificatur, rursus Dei assumēs
 potestatem, & ostendens quod non natura terræ, sed ip-
 se vniuersum operatur. Et cur nō adduxit in medium
 id quod erat conuenientius & magis propriū? Semen,
 inquam, humanum. Nam ortus quoque noster incipit
 ab interitu, sicut & frumenti. Quoniam non sunt paria:
 sed hoc est maius. Querit enim aliquid integrum, quod
 corrumpitur & interit: illud autem est pars. Quamob-
 rem hoc affert in medium. Alioqui autē illud quidem
 procedit & à viuente, & in ventrem incidit viuentem.
 Hic autem non in carnem, sed in terram sementis de-
 iicitur, & in eam dissoluitur sicut corpus mortuum.
 Quamobrem hac quoque ratione erat exemplū con-
 uenien-

uenientius. Et quid seminans? Non corpus quod futurum est
 A seminans. Nam quæ prius quidem dicta sunt, spectant ad
 dicendum quomodo resurgat, hoc autem ad dubitan-
 dum quali corpore veniant. Quid est autem, Non cor-
 pus quod futurum est seminans? Non spicam integram
 non frumentum recens. Hic enim non amplius ad re-
 surrectionem spectat oratio, sed ad modū resurrectio-
 nis, cuiusmodi est corpus quod est resurrecturū: vt pote
 an tale, an melius & clarius, & ab eodem exemplo su-
 mit vtrunque, ostendens quod id sit resurrecturū mul-
 tō melius. Sed hæretici nihil horum intelligentes insul-
 tant, & dicunt, Si alterum corpus cadit, & alterū resur-
 git, quomodo resurrectio? eius enim quod cecidit est
 resurrectio. Vbi est autem admirabilis, & quæ opinio-
 nem superat aduersus mortem victoria, si aliud cadit &
 aliud resurgit. Neque enim illa vtiq; cernitur reddidisse
 captiuum quod accepit. Quomodo autem iis quæ
 dicta sunt conuenienter exemplū? Non enim alia quidem
 feminatur essentia, alia autem resurgit, sed eadem meli-
 or. Sed neque Christus idem corpus susceperit, qui
 fuit primitiua resurgentium: sed sicut nos, illud quidem
 abiecit, etiam si nihil peccasset, accepit autē aliud. Vn-
 de ergo aliud. Nam hoc quidem ex virgine: illud au-
 tem vnde? Vides ad quantam absurditatem deuoluta
 est oratio. Cur enim ostendit figuram & vestigia cla-
 uorum, an non hoc volens ostendere quod illud est
 quod cruci fuit affixum, & ipsum resurrexit? Quid sibi
 vult quoque figura Ionæ. Non enim alius quidem fuit
 deuoratus, alius autem in terram eiectus Ionas. Quid
 etiam dicebat, Soluite templum hoc, & in tribus die-
 bus excitabo ipsum. Nam quod dissoluebatur, id scilicet
 Ioan. 2. excitauit. Quamobrem addidit Euangelista, Ille au-
 tem dicebat de templo sui corporis. Quid ergo dicit,
 Non corpus quod futurum est seminans? Hoc est, non
 spicam: est enim eadem, & non eadem. Eadē quidem,
 quoniam eadem est essentia, non eadem autem, quo-
 niam hæc est melior, eadem quidem manente essentia,
 maior autem facta specie ac decore: quoniam nisi hoc
 esset, ne esset quidem resurrectio, nisi esset melius resur-
 rectorum. Cur enim domum esset diruturus, nisi splendi-
 diorem esset ædificaturus? Hoc igitur dixit illis qui exi-
 stimant eundem esse interitum ac corruptionem. De-
 inde ne quispiam rursus existimaret hinc dictum esse a-
 liud corpus, datum enigma lenit, & interpretatur quod
 dictum est, non concedens auditori vt mentem aliō
 transferat. Quid ergo nostris opus est verbis? audi ipsū,
 qui dicit quod sit, interpretantem, Non corpus quod futu-
 rum est seminans. Statim enim subiunxit: Sed nudum gra-
 num, vtputa tritici, aut alicuius cæterorum. Hoc est, nō cor-
 pus quod est futurum, vt pote non sic vestitum, neque
 culmum habens & aristas: sed nudum granum, vtputa
 tritici, aut alicuius ex iis quæ sunt huiusmodi. Deus au-
 tem dat illi corpus sicut vult. Certē, inquit. Sed illic est o-
 pus naturæ. Cuius, dic quæso, naturæ? Nam illic quoq;
 Deus fabricatur vniuersum, non natura, neque terra,
 neque pluuia. Quamobrem ipse hæc significans, dimis-
 sa terra & aere & pluuia & agricolarum manibus, sub-
 iunxit, Deus dat illi corpus sicut vult. Noli ergo in-
 quirere & indagare quomodo & quānam ratione, cum
 audieris Dei potentiam & voluntatem. Et vnicuique se-
 minium proprium corpus. Vbi ergo alienū? Dat enim pro-
 prium. Quamobrem quando dicit, Non quod futurum
 est seminans, non hoc dicit quod alia pro alia resurgit es-
 sentia, sed quod melior, quod splendidior. Vnicuique e-
 nim seminum dat proprium corpus. Hinc iam introducit
 etiam differentiam resurrectionis. Ne enim quoniam
 feminatur semen, & omnes ascendunt spicæ, propterea
 existimes parem etiam honorem esse in resurrectione.

Idem cor-
 pus resur-
 rectorum,
 sed melius
 & clarius.

Ion. 2.

Ioan. 2.

Corpus re-
 surgit, idē
 & non
 idem.

Maximè enim ne in seminibus quidem vnus est ordo.
 Nam alia quidem sunt præstantiora & honestiora, alia
 verò deteriora. Et ideo subiunxit, Et vnicuiq; proprium
 corpus. Cæterum non est hoc contentus, sed aliā quæ-
 rit differentiam, maiorem & manifestiorem. Nam ne
 cum audiisses, sicut dixi, quod omnes resurgunt, existi-
 mares omnes eadem consequi & iisdem frui, prius
 quidem iecit etiam in præcedentibus semina huius senten-
 tiæ, dicens. Vnusquisque autem in proprio ordine.
 Facit autem hoc apertius, hic quoque rursus dicens.
 Non omnis caro eadem caro. Quid enim, inquit, dico in se-
 minibus, hoc ipsum agitemus etiam in corporibus, de
 quibus à nobis nunc agitur. Quamobrem subiungit di-
 cens. Sed alia quidem est hominum, alia autem pecorum, alia
 volucrum, alia autem piscium: & corpora cœlestia, & corpora
 terrestria. Sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terre-
 strium, & alia est gloria lune, & alia gloria stellarum. Stella
 enim à stella differt in gloria. Et quid sibi vult hæc ver-
 ba? Quānam de causa à resurrectione corporum, exci-
 dit in oratione de stellis & sole? Non excidit, neque
 abductus fuit ab argumento, absit, sed in eo adhuc hæ-
 ret. Nam quoniam confirmauit quod dictum est de re-
 surrectione, ostendit iam quod tunc futuræ gloriæ ma-
 gna sit differentia, & in duo interim diuidit vniuersum,
 nempe in cœlestia & terrestria. Nā quod corpora qui-
 dem resurgant, ostendit per frumentum. Quod autem
 non in eadē gloria, hinc ostendit. Quomodo enim non
 credere resurrectioni, facit supinos, ita etiam negligentes
 reddit socordes existimare omnes eadem consequi
 & iisdem frui. Quamobrem vtrunque corrigit. Et alia
 quidem absoluit in præcedentibus, ab hoc autem nūc
 incipit: & cum duos fecisset ordines iustorum & pec-
 catorū, hos ipsos rursus secat in duas partes: ostendens
 quod neque iusti, neque peccatores eadem assequen-
 tur: neque iusti omnes eadem quæ iusti: neque pecca-
 tores eadem quæ peccatores. Facit ergo primum vnam
 C sectionem iustorum & peccatorum, dicens, corpora
 cœlestia, & corpora terrestria: per terrestria quidem
 hos tacitè significans: per cœlestia autem, illos. Deinde
 de cætero introducit differentiam peccatorū à pec-
 catoribus, dicens: Non omnis caro eadem caro, sed a-
 lia quidem piscium, alia autem volucrum & pecorum.
 Atqui sunt omnia corpora, sed alia quidem viliora &
 abiectioniora, alia verò minus. In vita quoque similiter &
 in eadem constitutione. Et cum hoc dixisset, ascendit
 rursus in cœlum, dicens, Alia gloria solis, & alia gloria
 lune. Quomodo enim in terrestribus corporibus est
 differentia, ita etiam in cœlestibus est differentia, eaq;
 non vulgaris, sed etiam vsque ad extrema. Non solum
 enim est differentia solis à luna, neque lune à stellis,
 sed etiam stellarū à stellis. Nam etsi omnia sint in cœlo,
 alia tamen maiorem, alia verò minorem habent glo-
 riam. Quid ergo hinc discimus? Quod etsi omnes sint
 in regno, non omnes tamen eadem consequentur & iis-
 dem fruuntur: etsi omnes peccatores in gehenna, non
 omnes eadem sustinebunt. Et ideo subiunxit, Sic & re-
 surrectio mortuorum. Sic sunt quodāmodo in multa dif-
 ferentia. Deinde hac tanquam probata dimissa oratio-
 ne, rursus venit ad demonstrationem & modum ipsius
 resurrectionis, dicens. Seminatur in corruptione, surget in
 incorruptione. Vide autem prudentiam. In seminibus qui-
 dem vnus est nomine corporum, dicens, Non viuifica-
 tur nisi fuerit mortuum: in corporibus autem appella-
 tione seminum, dicens, Seminatur in corruptione, sur-
 git in incorruptione. Non dicit: Nascitur, ne existimes
 esse opusterræ, sed surgit. Seminationem autem hinc di-
 cit, non nostram in matrice generationem, sed defun-
 ctorum in terra sepulturam, dissolutionem, cinerem.

Galat. 3.

Diuitum
 fastus fa-
 mulorum
 gregem se-
 cum du-
 centium.

Luc. 14. &
 18.

Quamobrem cum dixisset, Seminatur in corruptione, A surgit in incorruptione, subiunxit, *Seminatur in ignobilitate*. Quid enim est visu turpius quam corpus quod diffluit? Surgit in gloria: *Seminatur in infirmitate*. Nōdum enim sunt triginta dies, & perit vniuersum: nec potest caro se continere, neque vnum diem durare. *Surgit in virtute*. Tunc enim nihil supererit reliquum. Propterea & illis opus habuit exemplis ne multi hæc audientes, nempe quod surgunt in incorruptione, & gloria, & virtute, putarent resurgentium nullam esse differentiam. Nam omnes quidem resurgunt, & in virtute, & in incorruptione, & in gloria incorruptionis, non tamen omnes eiusdem honoris & securitatis. *Seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale. Est corpus animale, & est corpus spirituale*. Quid dicis, hoc autem non est spirituale? Spirituale quidem, sed illud multo magis. Nam nunc quidem sæpe auolat spiritus sancti multa gratia aliquibus magna peccantibus. Porro autem præsentem quoque spiritu animæ, auolat vita carnis: & quod est huiusmodi, absque hoc est inane. Tunc autem non sic, sed perpetuo permanet in carne iustorum: & eius erit potestas & imperium præsentem quoque anime. Aut enim tale quid tacite significauit, dicēs spirituale: aut quod erit leuius & subtilius, & quod potest etiam veli in aëre, vel potius vtrunque. Si autem non credis ei quod dicitur, vide corpora cœlestia quæ sunt tam splendida & durabilia, & permanent in conditione non senescendi: & hinc crede, quod Deus potest facere hæc quoque in quæ cadit interitus, ab interitu aliena, & multo meliora iis quæ cernuntur. *Sicut scriptum est, Factus est primus homo in animam viuentem: nouissimus Adam in spiritum viuificatē.* Atqui illud quidem scriptum est, hoc autem non est scriptum. Quomodo ergo dixit, scriptum est? A rerum euentu hoc est interpretatus: quod solet assidue facere. Est enim hic mos Prophetæ. Etenim Hierusalem ciuitatem iustitiæ esse vocandam dixit Propheta: & nō est vocata. Quid ergo, falsumne dixit Propheta? Nequaquam. Nam illam quidem sic vocandam dixit per seruum euentum. Christum quoque dixit vocandum Emanuēlem, & nec ipse quoque sic est vocatus. Sed res ipsæ hanc vocem emittunt. Ita hic quoque, nouissimus Adam in spiritum viuificantem. Hæc autem dixit, vt difscas, quod & vitæ præsentis & futuræ iam venerunt signa & pignora: præsentis quidem Adam, futuræ autem Christus. Nam quoniam quæ sunt quidem meliora ponit in spe, ostendit principium iam euenisse & radicem & fontem apparuisse. Si autem radix & fons est omnibus manifestus, nihil est dubitandum de fructibus. Et ideo dicit, Nouissimus Adam in spiritum viuificatē. Porro autem alibi quoque dicit, viuificabit mortalia nostra corpora per inhabitantem in eo spiritum. Est ergo spiritus viuificare. Deinde ne quispiam diceret, cur sunt antiquiora ea quæ sunt peiora: & quæ sunt quidem animalia, tota euenerunt, non vsque ad primitias tantum: quæ autem spiritalia, vsque ad primitias solum: ostendit vtriusque principia sic fuisse constituta. *Sed non prius*, inquit, *quod spirituale est, sed quod animale: Deinde quod spirituale*. Non dicit autem quare: sed est contentus Dei ordinatione, habens sententiam quæ procedit à rebus, testimonium ferentem Dei administrationi, & ostendens quod res nostræ semper procedunt ad id quod est melius ac præstantius. Simul etiam hinc quoque eius quod dicit fidem faciens. Nam si quæ sunt minora euenerunt, multo magis quæ sunt meliora sunt expectanda. Cum ergo futurum sit vt talibus fruamur bonis, nos in hoc ordine collocemus, & ne desileamus eos qui excedunt, sed eos qui vitam male finiunt. Nam etiam agricola cum viderit dissolui frumentum, nō la-

Ignobilitate dicitur ignominia, infamia.

Corpus spirituale quid sit.

Gen. 2.

Zach. 8.

Esa. 7. Mau. 1.

Rom. 8.

Res nostræ semper procedunt ad id quod est melius.

mentatur: sed quando quidem videt solidum manere in terra, veretur & contremiscit: postquam autem fuerit dissolutum, latatur. Initium enim futuræ sementis est dissolutio. Sic nos quoque tunc lætemur cum ceciderit domus in quam cadit interitus, quādo homo fuerit seminatus. Nec mireris si sepulturam vocarit seminatio: ea enim est melior seminatio. Nam illi quidem succedit mors & labores, & pericula, & curæ: huic autem, si rectè viuamus, coronæ & præmia. & illi quidem corruptio ac interitus & mors: huic autem interitu carere, incorruptio & immortalitas, & bona innumerabilia, in illa seminatione sunt complexus & voluptates & somnus: in hac autem vox solum è cœlis descendens, & omnia simul repente perficiuntur. Et qui resurgit, non amplius deinceps adducitur ad vitam laboriosam, sed ad eam vnde effugit dolor, luctus & gemitus. Si autem defensionem requiris & patrocinium, & propterea cum desces, confuge ad omnium communem patronum, defensorum, seruatores, & benefactorem Deum, ad inexpugnabile auxilium, ad facile & promptum adiumentum, ad perpetuam quæ semper & vbique adest protectionem, & nos vndiq; munientem. At consuetudo res est desiderabilis & amabilis. Ego quoque id scio. Sed si rationi motum animi commiseris, & apud te reputaueris quis sit qui accepit, & quod si forti animo tuleris, Deo mentem tuam offers sacrificium; hunc quoque fluctum poteris euadere ac perrumpere, & quod tempus efficit, hoc faciet philosophia: Si autem mollis fueris & eneruatus, tēpore quidem desinet animi perturbatio, tibi autem nullam afferet mercedem. Cum his autem rationibus collige etiam exempla quæ sunt in præsentem vitam, quæ sunt in diuinis scripturis. Cogita quod Abraham suum iugulauit filium, & neque fleuit, neque verbum emisit acerbum. At ille, inquit, erat Abraham. Atqui tu vocatus es vt maiora septa transcendas. Iob autem tantum quidem doluit quantum est consentaneum patrem liberos amantem, & magnam curam gerentem eorum qui excefferant. Nam quæ nos quidem nunc facimus, sunt inimicorum & hostium. Neque enim si aliquo in regiam abducto & coronato plangeres, & lamentareris, te dixerim esse coronati amicum, sed valde inimicū & hostem. At non illum, inquit, lugeo, sed me ipsum. Sed neque hoc est amantis, velle illum propter te angere & vexari, & incertis casibus futuris subiici, cum adit coronari, & ad portum tendere: aut in mari iactari, cum liceat esse in portu. At nescio, inquit, quod iuit. Cur nescis dic mihi? Nā siue rectè vixit, siue secus, est manifestum quod sit abiturus. Propter hoc ipsum, inquit, plango, quod peccator exceffit. Hæc sunt prætextus & effugia. Nam si propterea cum excefferit lugeas, viuente cum transformare & concinnare & componere oportebat. Sed tu quæ tua sunt consideras & tibi proponis, non quæ illius. Si autem etiam peccator exceffit, propterea etiam lætari oportet, quod interscissa sunt peccata, & vitio non adiecit, & quoad eius fieri potest, ei succurrere, non lacrymis, sed precibus, & supplicationibus, & elemosynis, & oblationibus. Non sunt enim hæc temerè excogitata, neque frustra eorum qui excefferunt in diuinis mysteriis meminimus, & pro ipsis accedimus, rogantes agnum propositum, qui mundi peccatum tulit: sed vt inde eis aliqua sit consolatio: neque abs re is qui adstat altari dum veneranda peraguntur mysteria, clamat, Pro omnibus qui in Christo dormierunt, & iis qui pro ipsis celebrant memorias. Nam si pro ipsis non fierent commemorationes, ne hæc quidem dicta essent. Non sunt enim res nostræ ludicrii, abfit: hæc enim fiunt ordinatione spiritus. Eis ergo opem

Separat est seminat.

Gen.

fera.

feramus, & commemorationem eorum peragamus. Si enim Iobi filios expiabat patris sacrificium: quid dubitas, an nobis pro eis qui excefferunt offerentibus, eis existat aliqua consolatio? Solet enim Deus etiam aliis pro aliis gratificari. Et hoc ostendebat Paulus dicens: Vt ex multis personis, eius quæ in nobis est donationis per multos gratia agantur pro nobis. Ne nos pigeat ope ferre iis qui excefferunt, & pro eis offerre preces: est enim propositum orbis terræ commune piaculum. Propterea fidèter pro orbe terræ tūc rogamus, & cum martyribus eos vocamus, cum confessoribus, cum sacerdotibus. etenim vnū corpus omnes sumus, etiam si sint membra mēbris splendidiora: & fieri potest vt veniā eis omni ex parte conciliemus, à precibus, à donis quæ pro eis offeruntur, ab iis qui cū ipsis vocantur. Cur ergo dolens: Cur luges & lamentaris, quando defuncto potest tanta conciliari venia? At luges, quoniam es deserta ac destituta, & perdidisti patronum ac defensorum. Sed nunquam hoc dixeris. Neque enim Deū perdidisti. Quamobrem quando cum habes, ipse erit tibi maior & marito, & patre, & filio, & focero. Nam & illis viuentibus is erat qui faciebat omnia. Hæc ergo cogita, & dic sicut Dauid. Dominus illuminatio mea & saluator meus, quem timebo? Dic, Tu es pater orphanorum, & iudex viduarum: & eius attrahe auxilium, & habebis eum tunc magis tibi prouidentem quàm prius, quod in maiorem redacta es inopiam. At perdidisti filium? Nō perdidisti, ne dicas. Res hæc est somnus, non mors: est migratio, non perditio: est peregrinatio à deterioribus ad meliora. Ne Deum irrites, sed places & reddas propitium. Nam si forti animo tuleris, erit huic & defuncto & tibi quædam consolatio. Sin contrā, iram Dei magis accēdis. Nam si seruo à domino flagris cæso tu adstant ægrè tuleris, dominum magis contra te irritaris. Noli hoc facere, sed age gratias, vt tibi quoque hac ratione discutatur nubes animi ægritudinis. Dic sicut ille beatus, Dominus dedit, dominus abstulit. Cogita quàm multi magis Deo placentes ne omnino quidem habere filios, neque vocati sunt patres. Neque ego, inquit, vellem habuisse: melius enim fuisset non habuisse experientiam, quàm postquam gustaris voluptatem, ab ea excidisse. Ne rogo, ne hæc dicas, ne sic quoque dominum ad iram prouoces. Sed pro iis quidem quæ accepisti age gratias, pro iis autem quæ perpetuo non habes glorifica. Non dixit Iob, melius fuisset non accepisse, quod tu insipienter & ingrato animo dicis, sed etiam pro illis agebat gratias, dicens, Dominus dedit, & pro his benedicebat, dicens, Dominus abstulit. Sit nomen domini benedictum in sæcula. Vxori quoque sic os obstruebat apud eam iustas afferēs rationes, & admirabilia illa verba enuntians. Si bona quidē accepimus à domino, mala autem non sustinebimus? Atqui grauior post hæc fuit tentatio. Sed ille ne sic quidem fractus erat & eneruatus, sed similiter ferebat forti animo, & glorificabat. Tu quoque hoc fac, & apud te reputa, quod non homo accepit, sed Deus qui fecit, qui magis quàm tu eius curam gerit, & scit quid ei conferat, non hostis aliquis, neque insidiator. Vide quàm multi viuentes, vitam non vitalem fecerunt parētibus. Generosos autem & probos nō vides, inquit. Eos quoque video: sed res quoque eorum minus sunt in tuto quàm res tui filij. Nam et si in bona sunt existimatione, finis tamen eorum est incertus: de illo autem de cætero non times, neque contremiscis, ne quid ei accidat, aut aliquam suscipiat mutationem. Hæc etiam cogita de pulchra vxore, & bona domus custode: & pro omnibus Deo age gratias, & si perdidit vxorem, gratias age. Fortasse te vult Deus adducere ad continentiam:

Iob. 1. Deus sollet aliis pro aliis gratificari. 2. Cor. 1.

Psal. 26.

Mors est somnus & migratio ad meliora.

Iob. 1.

Iob. 1.

Iob. 2.

A ad maiora vocat operum septa quæ ascendas: te voluit liberare à vinculo. Si sic philosophemur, & lucrabimur præsentem animi tranquillitatem, & futuras assequemur coronas, gratia & benignitate domini nostri &c.

ORATIO XLII.



RIMVS homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis. Postquam animale dicit primum, & spirituale secundum, rursus aliam ponit differentiam, terrenum dicens & cœlestem. Nam prima quidē est vitæ præsentis & futuræ: hæc autem est eius qui fuit ante gratiam, & eius qui est post gratiam. Nam ne sicut dixi, fidentes resurrectioni, vitam ex virtute & perfectè agendam negligenter, rursus eos quoque hinc reddit paratos ad decertandum, & hortatur ad virtutem, dicens: Primus homo è terra, terrenus: secundus homo, dominus è cælo: vniuersum appellans hominem: & hunc quidem nominans ab eo quod est melius ac præstantius, illum autem ab eo quod est deterius. *Qualis terrenus, tales & terreni*. Sic peribunt & morientur. *Qualis cælestis, tales & cælestes*. Sic manebunt immortales & fulgentes. Quid verò, an non is quoque est mortuus? Mortuus quidē est, sed inde nihil fuit læsus, sed sic quoque mortè fregit ac dissoluit. Vidisti quemadmodum hic quoque morte constituit dogma de resurrectione: Habens enim, vt prius dixi, principium & caput, noli dubitare de toto corpore. Sed & hinc quoque exercet optimam ac præstantissimam vitæ agenda rationem, ponens exempla vitæ excelssæ ac philosophicæ, & eius quæ non est huiusmodi, & vtriusque adducens principia, illius quidem Christum, huius verò Adamum. Propterea nec absolutè dixit, è terra, sed terrenus: hoc est, crassus, affixus præsentibus. Et rursus de Christo, contrarium dominus è cælo. Si autem dicant propterea dominum non habere corpus, quod dictum sit è cælo, sufficiunt quidē quæ iam pridè dicta sunt ad oratorum obstruēda. Nihil autē vetat quominus hinc quoque oratorum obstruamus. Quid est enim dominus è cælo? Naturamne dicit, an optimam vitæ instituendæ rationem? Cuius est perspicuum quod optimam vitæ agenda rationem. Et ideo subiungit. *Ideo sicut portauimus imaginem terreni*. Hoc est, sicut mala fecimus. *Portemus & imaginem cælestis*. Hoc est, faciamus optima. Præter hæc autem, ex te libenter sciscitarer: De naturæ dictū est, Qui ex terra, terrenus, & dominus è cælo? Maximè, inquit. Quid ergo, terrenus solum erat Adam, an aliquam etiam aliam habebat essentiam cognatam supernis & incorporeis, quæ scriptura vocat animam & spiritum? Est cuius perspicuum, quod hæc quoque. Ergo neque dominus erat solum ex superis, etiam si dicatur è cælo, sed etiam carnem susceperat. Quod autem dicit, est huiusmodi. Sicut portauimus imaginem terrestris, malas actiones, portemus & imaginem cælestis, nempe vitæ agendæ rationem quæ est in cælis. Si autem loqueretur de natura, non adhortatione neque consilio res egeret. Quamobrem vel hinc est perspicuum, quod de vitæ agendæ ratione est id quod dicitur. Et ideo cōsulendo inducit orationem, & appellat imaginem, ea ratione rursus ostendens, quod de actione dicit, nō de natura. Propterea enim effecti sumus terreni, quoniā mala fecimus: non quoniam ab initio effecti sumus terreni, sed quoniam peccauimus. Etenim peccatū primum, & tunc mors, & illud, Terra es, & in terram reuerteris, tunc etiam intrauit examen animi motum & perturbationum. Neque enim ex terra esse genitum facit absolutè terrenum: nam dominus quoque erat ex eadem massa & conspersione: sed terrena agere. Sicut etiā cœ-

De cælo cælestis. & quosus est spiritus. Dominus ex cælo.

Gen. 3.

leste, agere quæ sunt digna cœlis. Sed quid ad hoc probandum opus est laborare superuacaneè? Ipse enim procedens nobis sensum aperit, dicens, *Hoc autem dico fratres, quod caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt.* Vidisti quomodo rursus seipsum interpretatur, nos liberans à negotiis quod quidem facit etiam in multis locis: vt quando dicit, Vos autem non estis in carne. Et rursus, Qui autem sunt in carne, Deo placere non possunt. Quamobrem quando dicit, Hoc autem dico, nihil aliud dicit, quàm se propterea hoc dixisse, vt discas quòd malæ actiones in regnū non introducunt. Et ideo subiūxit, *Neque corruptio incorruptelam possidebit.* Hoc est, vitium nō possidet gloriam illam, & perceptionem ac fruitionem rerum in quas non cadit corruptio & interitus. Etenim multis in locis rursus vsus est hac appellatione, dicens, Qui seminat in carnem, ex carne metet corruptionem. Si autem diceret de corpore, nō autem de mala actione, non dixisset corruptionem, sed corruptibile. Quamobrem procedens, & de eo differens, non id dixit corruptionem, sed corruptibile, dicēs, Oportet corruptibile hoc induere incorruptionē. Deinde cum de vitæ agendæ ratione absoluisset admonitionē, quod semper solet facere, argumētum argumento continuò admiscens, reuertitur rursus ad loquendum de resurrectione, sic dicens, *Ecce mysterium vobis dico.* Venerādum quidpiam & arcanum, & quod non omnes norunt, est dicturus: quod etiam ostendit magnum honorem quo eos afficit, nempe eis dicerē arcana. Quid hoc autē est? Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Hoc est autem quod dicit, *Non omnes quidem moriemur, omnes autem immutabimur, etiam qui non moriuntur.* Nam illi quoque sunt mortales. Ne ergo quoniam morieris, propterea, inquit, timeas tanquam non resurrecturus. Sunt enim, sunt etiam aliqui qui hoc effugiēt: & tamen hoc eis non sufficit ad illam resurrectionem, sed oportet illa quoque corpora quæ non moriuntur, immutari, & transire ad incorruptionem. *In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba.* Quoniam multum disputauit de resurrectione, tunc opportunè ostēdit id quod est eius admirabile & præter opinionem. Non est enim hoc solum mirabile, quod primū putrescunt corpora, & tunc resurgunt, inquit: & quòd iis quæ nunc sunt meliora ac præstantiora quæ resurgunt: & quòd ad longè meliorem transiunt conditionem, neque quòd vnusquisque quod proprium est accipit, & nullus quod alterius, sed quòd tam multa, tanta, & talia, & quæ omnem superant rationem & mentem, fiunt in momento, & hoc significans manifestius, *In ictu dicit oculi, id est quanto tempore clauditur cilium.* Deinde quoniam dixit rem magnam & stupore plenam, si res tot & tāræ tam repentiē fiant, subiungit ad demonstrationē, quod dicitur reddens credibile. *Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Illud nos, non dicit de seipso, sed de iis qui tunc inueniūtur viuentes. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionē.* Ne enim cum audieris quòd caro & sanguis regnū Dei non possidebit, existimes corpora non resurgere, subiunxit: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionē, & mortale hoc induere immortalitatem.* Corruptibile autem est corpus & in quod cadit interitus, & est mortale. Mortalitas autem & corruptio deletur & euanescit, ad ipsum accedente immortalitate & incorruptione, Noli ergo deinceps dubitare quomodo vitam viuet infinitam, cum audieris quòd fiat incorruptibile & interitui non obnoxium. *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoria.* Nam quoniam magna dixit & arcana, rursus id quod dicit credibile & fide dignum facit ex pro-

Rom. 8. Ibidem.

Vitium non possidet gloriam. Gal. 6.

Immutatio erit a liquidibus in istar mortis.

phetia. Absorpta est, inquit, mors in victoria, hoc est in finem, hoc est ne manent quidem, inquit, eius reliquia, neque spes est reditus, cum incorruptio consumperit corruptionem & interitum: *Vbi est mors victoria tua, vbi est stimulus tuus?* Vidisti fortē & generosam animam. Nam tanquam pro victoria sacrificans, & Deo afflatus, & futura videns tanquam iam facta, iacenti morti insultat, & in caput eius iacens de victoria exultantem emittit vocem, clamans & dicēs, vbi est mors stimulus? Vbi est victoria tua inferne? Perit, interiit, & penitus euauit, & temerè fecisti illa omnia. Non solum enim eam arenis exuit & vicit, sed etiam perdidit, & eò redegit vt ne esset quidem penitus. *Stimulus autem mortis peccatum est. Virtus verò peccati lex.* Vides quomodo loquitur de morte corporali. Ergo loquitur etiam de resurrectione corporis. Nam si hæc non resurgunt, quomodo est mors absorpta? Nec hoc solum, sed etiam quomodo peccati virtus est lex? Nam quòd peccatum sit stimulus mortis, & illa grauius, & ea in ipso vim habet, est perspicuum. Quomodo autem eius quoque virtus est lex? Quoniam abique ea erat imbecillum: vt quod fieret quidem, non posset autem sic condemnari. Nam fiebat quidem malum, non ita autem aperte indicabatur. Quamobrem lex non parum contulit ad cognoscendum peccatum, imò verò etiam ad augendum supplicium. Si autē dum vellet prohibere id reddidit grauius, non est culpa in medicum conferenda, sed in eum qui malè vsus est medicamento. Nam Christi quoque aduentus grauis fuit ac molestus Iudæis: sed non ideo eum vituperabimus, sed eum quidem etiam admirabimur, illos autem magis odio habebimus, qui læsi sunt per ea quæ debebant eis prodesse. Nam vt scias quòd ipsa vim non dederit peccato, Christus ipsam totā impleuit, & erat extra peccatum. Tu autem mihi considera, quomodo hinc quoque facit fidem resurrectionis. Nam si ipsum peccare erat causa mortis, Christus autem cum venisset soluit peccatum, & nos ab ipso liberauit per baptismum, & cum peccato legem quoque soluit ac fregit: *Quæ dum violatur ac transigitur, ipsum consistit, quid adhuc dubitas de resurrectione?* Quomodo enim mors de cætero dominatum obtinebit? Num per legem? Sed ea est soluta & abrogata. At per peccatum? Sed id est penitus deletum. *Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per dominum nostrum Iesum Christum.* Nam trophæum quidē ipse erexit, coronis autem nos quoque frui fecit, idque non ex debito, sed sola sua benignitate. Itaque fratres mei stabiles estote & immobiles. Iusta iā est & opportuna adhortatio. Nihil enim adeò labefactat facitque vacillare, atque existimare se temerè affligi & sine causa. *Abundantes in opere domini semper.* Hoc est, in vita munda. Nec dixit, Bonū operantes, sed abundantes, vt hoc faciamus cū abundantia, & septa transiliamus. *Scientes quòd labor vester non est inanis in domino.* Quid dicis, rursus labor? labor quidē, sed qui habet coronas, & suscipitur pro cœlis. Nam prior quidem qui fuit post paradysum, est pœna peccatorum admissorū: hic autem est fundamentum futurorū premiorum. Quamobrē nec hac ratione fuerit labor, & quòd supernè magnū nobis detur auxilium. Et ideo subiūxit, *In domino.* Nā prior quidem fuit vt daremus pœnas: hic autē vt bona futura consequamur. Neque enim fieri potest ò dilecti, vt si pigri simus & ignaui, regnū cœlorum cōsequamur, neque si in deliciis agamus, mollēque simus & effœminati. Præclare enim nobiscū agatur, si corpus assilientes & castigates, & innumerabiles suffe-

576
Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionē, & mortale hoc induere immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoria.
Huiusmodi ingrediens cœli fastigium non ascendit. 2. Cor. 5. Matt. 5.
Ibidem.
Ibidem.
Luc. 16.

neat, & quàm sit homo propensus ad vitium, & quomodo nos circumstet vitium, & quàm multi in medio sunt laquei? Cur tam multas ergo curas attrahimus extra naturalia? & nobis plura exhibemus negotia, & maiora imponimus onera? Non sufficit ventris, & vestium, & domus curam gerere? Non sufficit sollicitudo de iis quæ sunt necessaria? Quanquam etiam ab iis nos abduxit Christus, dicens, Ne sitis solliciti animæ vestræ quid comedatis, neque corpori vestro quid induamini. Si autem de alimento necessario, & in dumento non oportet esse sollicitos, neque de die sequenti: qui tam multam attrahunt farraginem ac congeriem, & seipfos obruunt, quando poterunt emergere? Non audiisti Paulū dicentem, Nemo militās Deo implicatur huius vitæ negotiis? Nos autem & deliciis vacamus, & vetrici indulgemus, & inebriamur: & pro rebus quidem externis affligimur, in rebus autem celestibus molles sumus & effœminati. An nescitis quod supra hominem est promissio? Non licet humi ingredienti cœli fastigium ascendere. Nos autem studemus viuere secundum hominem, sed & brutis euadimus deteriores. Nescitis corā quo sistemur tribunali? An non cogitatis quòd & verborum & cogitationum à nobis exigetur ratio? & ne res quidem curamus? Qui enim aspexit mulierē ad concupiscēdum eam, iam est mœchatus. Sed tamē qui etiam curiosi aspectus reddunt rationem, non recusant vel in ipso putrescere peccato. Qui dicit fratri suo stulte, deturbabitur in gehennam. Nos autē innumerabilia probra in eos torquere, & variè eis insidiari non desistimus. Qui diligit diligentem, nō plus habet quàm ethnicus. Nos autem eis quoque inuidemus. Quamnam ergo cōsequemur veniam, quando vetera iussi septa transilire, nostram vitæ agēdæ rationem etiam illorum mensura cōteximus minore? Quænam nos eripiet oratio? Quis nobis aderit, & opem feret dum castigamur? Nullus. Sed necesse est omnino euilantes, lugentes, dentibus frementes, tormentis cruciatos, abduci in illas luce carentes tenebras, in dolores inuitabiles, in pœnas nunquā cessaturas. Quamobrem rogo & obsecro, & vestra apprehendens genua supplico, donec habemus hoc paruū vitæ viaticū, vt iis quæ dicta sunt compungamur, conuertamur, reddamur meliores: ne sicut ille diues, inutiliter illic lamētemur cum excesserimus, & desceamus, fletus autem nihil nobis remedij afferat. Nam siue patrem habeas, siue filium, siue quemuis alium qui apud Deum habeat fiduciam, nemo te eripiet, cum propria tua facta te prodant. Tale est enim illud iudiciū: iudicat solum ex operationibus: nec aliter illic saluum esse licet. Hæc autem dico, non vt te molestia afficiam, nec vt te iniiciam in desperationem, sed ne inani & frigida spe nutriti, & huic & illi fidentes, nostram negligamus virtutem. Nam si socordes fuerimus ac negligentes, non iustus, nō propheta, non Apostolus, nemo nobis aderit. Sed si studium & diligētiam adhibuerimus, ex operibus sufficientem habentes defensionem, cum libertate ac fiducia fruemur etiam bonis quæ sunt reposita iis qui Deum diligunt. Quæ detur nobis omnibus consequi gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum patre &c.

Matt. 6.

2. Tim. 2.

Huiusmodi ingrediens cœli fastigium non ascendit. 2. Cor. 5. Matt. 5.

Ibidem.

Ibidem.

Luc. 16.

ORATIO XLIII.



De collectis autem quæ sunt in sanctos, sicut ordinari ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite per vnam sabbati. Absoluta oratione de dogmatibus, aggressurus eam quæ magis spectat ad mores, missis aliis procedit ad summam bonorum, verba faciens de elemosyna. Sed cum de eo solo disseruisset, desinit. Atqui nusquam hoc fecit. Sed & de elemosyna, & de temperantia, & de man-

CAP. XVI.

Chrysof. tom. 4.

strudine, & lenitate, & de aliis omnibus differit in aliis epistolis in fine. Quare ergo eius quod spectat ad mores hanc solum hic tractat partem? Quoniam eorum quæ prius dicta sunt, plura magis pertinebant ad mores, per quæ castigauit fornicatorem, per quæ eos admonuit qui foris iudicio contendebant, per quæ terruit ebriosos, & eos qui ventri indulgebant, per quæ eos condemnauit qui seditionem agitabant, contendebant, magistratūque & imperia ambibant, per quæ eos qui indignè accedebant ad mysteria, illi intolerando tradidit supplicio, per quæ disseruit de charitate. Propterea eius solum meminit quo maximè opus habebat, nempe opis ferendæ sanctis. Vide autem eius solertiam. Quando eis persuasit resurrectionem, eosque fecit promptiores & animo alacriores, tunc de cætero de eo quoque disseruit. Atqui de eo quoque antea disseruit, quando dicebat, Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos vestra carnalia metimus? & Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Sed quoniam præclaræ huius actionis nouerat magnitudinem, non recusat hoc quoque addere fini epistolæ. *λογισµον* autem id est collectionem, vocat collectionem, statim ab initio rem faciens leuē. Nam quando ab omnibus confertur, vnicuique sit leue quod constituitur. Cum autem dixisset de collectione, non statim dixit, Vnusquisque vestrum apud se ponat, recondens quod ei bene placuerit: quanquam hoc erat consequens. Sed cum prius dixisset, *Sicut constitui ecclesiis Galatiæ*, tunc hoc subiunxit, ea narrando quæ ab aliis fiebant, eis zelum accēdens, idque ponens loco narrationis. Quod etiam fecit scribens ad Romanos. Etenim cum illis videretur narrare quamobrem proficisceretur Hierosolyma, sic sermonem iniicit de elemosyna. Nunc autem vado Hierosolyma ministrans sanctis. Visum est enim Macedonia, & Achaia, & C

Constitui, inquit, ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite. Erubuissent enim videri inferiores Galatis. Non dixit autem Suasi & consului, sed constitui: quod quidem maiorem ostendit auctoritatem. Neque adducit vnam, aut duas, aut tres ciuitates, sed totam gentem. Quod quidem facit etiam in dogmatibus, dicens, Sicut & in omnibus ecclesiis sanctorum. Si hoc enim est validum ad fidem faciendam dogmatum, multò magis ad facta æmulanda. Quid ergo, dic quæso, constituisti? *Per vnam sabbati.* Hoc est, die dominico. *Vnusquisque vestrum apud se seponat recondens quod ei bene placuerit.* Vide quomodo etiam adhortatur à tempore. Dies enim erat idoneus ad eos adducendos ad elemosynam. Recordemini enim, inquit, quænam eo die consecuti estis. Bona enim inefabilia, & radix, & initium vitæ nostræ, eo facta sunt. Non hac autem solum ratione aptum est tempus ad benignitatem prompto & alacri animo exercendam, sed & quòd habet quietem ac remissionem, immunitatemque & vacationem à laboribus. Nam anima à laboribus libera redditur expeditior & aptior ad miserendum. Cum his autē, venerandis quoque ac immortali-bus cōmunicare mysteriis, magnam affert & immittit animi alacritatem. *In ea ergo vnusquisque vestrum*, nō absolute hic aut ille, sed vnusquisque, siue sit pauper, siue diues, siue vir, siue mulier, siue seruus, siue liber, apud se seponat recondens. Non dixit, Ferat in ecclesiam, ne propter paucitatem erubescat: sed cum quæ paulatim fiunt collectionibus auxerit collationem, cum accessero tunc ostēdat. Interim autē, inquit, apud te seponat: & domum tuam fac ecclesiā: arculam gazophylacium: esto custos sacræ pecuniæ, à te ipso ordinatus dispensator pauperum.

Sup. 9.

Rom. 15.

Gazophylacium in ecclesiis.

Benignitas & humanitas dat tibi hoc sacerdotium. Huius est symbolum ac signum quod nunc est gazophylacium. Sed manet quidem symbolum, res autem nusquam est. Et scio quidem quod multi ex iis qui confident, nos rursus reprehendent cum de his differamus, dicentes, Ne rogo, ne sis grauis & molestus auditoribus, sed permitte libero arbitrio & voluntati auditorum. Nam nunc quidem nos pudore afficis & facis erubescere. Nam nec Paulum pudebat pro his assidue esse molestus & loqui pro mendicantibus. Nam si hoc dicerem. Da mihi, & depone in meis aedibus, pudendum forte esset quod dicerem, imò verò ne tunc quidem. Nam qui altari, inquit, assidet, altaris sunt participes. Ceterum fortasse quispiam me reprehenderet, vt qui pro me verba facerem. Nunc autem supplico quidem pro egeribus: imò verò non pro egentibus, sed pro vobis qui præbetis. Et ideo loquor liberè. Quis est enim pudor dicere, da domino esurienti: indue nudum oberrantem, excipe peregrinum? Non erubescit dominus tuus hæc dicere in orbe terrarum, Esurij, & non dedistis mihi quod comedere, qui non erat indigens, nec vlla re opus habebat: & ego erubescam & dubitabo? Absit. Diabolicarum insidiarum est hic pudor. Non ergo erubescam, sed liberè dicam, Date egentibus, & maiori voce quam egentes. Nam si quispiam possit ostendere & probare, quòd hæc dicentes, ad nos ipsos traheremus, & prætextu pauperum ipsi lucraremur, non solum probro ac dedecore digni essemus, sed qui vel à mille fulminibus feriremur, & qui hæc agerent ne mererentur quidem viuere. Si autem Dei gratia pro nobis minimè molesti sumus, sed sine sumptu vobis posuimus euangelium, nequaquam quidem faciētes sicut Paulus, sed contenti propriis, dicam cum omni fiducia, Date egentibus, nec cessabo hoc dicere, & eorum qui non dant ero grauis accusator. Si enim essem dux exercitus, & milites haberem, non me puderet alimenta petere à militibus: valde enim amo vestra salutem. Sed vt euidētor & efficacior sit oratio, affessore accepto Paulo, cum illo vobiscum agam, dicens, *Vnusquisque vestrum apud se seponat, recondens quod sibi videbitur.* Cōsidera autem hinc quoque quàm nō sit hoc graue & molestum. Non dixit, Tantum vel tātum, sed quod videatur & rectè habeat, siue sit multum, siue modicum. Nec dixit, Quod quis lucrificiat, sed quod videatur & rectè habeat, ostendens à Deo esse suppeditationem. Non hac autem solum ratione, sed etiam eo quòd vno tempore totum iubeat pendere, consilium reddit facile. Eo enim quòd paulatim colligatur, insensilis est sumptus & suppeditatio. Propterea nec statim iubet in medium adducere, sed dat longum tempus constitutum, & causam afferens dicit, *Vt non cum venero tunc collectæ fiant.* Hoc est, ne in tempore collectionis, necesse habeatis colligere. Et ad hoc rursus eos non leuiter est adhortatus. Pauli enim expectatio eos faciebat promptiores & animo alacriores. *Cum autē presens fuero, quos probaueritis per epistolas, hos mittam perferre gratiā vestram in Hierusalem.* Non dixit. Hic & ille, sed quos vos probaueritis quos elegeritis, vt efficiat vt ministerium careat suspicione. Quamobrem facit: vt ipsi ferant suffragium electionis eorum qui portāt. Non enim dicit, Collatio quidem est vestra, eligendi autem potestas est eorum qui portant, non vestra. Deinde ne ab ea videatur abesse, literas addit, dicens, *Quos probaueritis, per epistolas mittam.* Quasi diceret, Ego quoque ero vobiscum, & muneris obeundi ero particeps per literas. Neque dixit, eos mittā vt vestram deferant elemosynam, sed vestram gratiam, vt ostendat eos magna operari: vt ostendat eos lucrari. Alicubi autem appellat benedictionem & communicationem: illud quidem, ne redderet pigriores, hoc verò ne

Sup. 9.

Matt. 25.

Sup. 9.

2. Cor. 8.

& Phil. 1.

animis efferret: nusquam quidem certè nominauit elemosynam. *Quòd si dignum fuerit vt ego eam, mecum ibunt.* Hic rursus eos hortatur ad largitatem & munificentiam. Nam si tantum sit, inquit, vt mea opus sit presentia, ne hoc quidem recusabo. Sed statim nō est hoc pollicitus, neque dixit, Postquam aduenero ipse feram. Neque enim hoc ad eò amplificasset, si ab initio id posuisset. Postea autem pulchrè & opportunè id addit. Propterea non statim promisit, neque omnino id soluit: sed cum dixisset se missurum, tunc quoque addit seipsum. Porro autem hic quoque rursus in eorum ponit potestate dum dixit, *Si operæ pretium fuerit vt ego eam.* In illis autē situm erat multum facere quod colligebatur, & tantum vt ipsos puderet cum excitare. *Veniam autem ad vos cum Macedoniam pertransiero.* Dixit hoc quoque superius: sed tunc quidem iracundè. Addidit quidē certè. Et cognosciam non sermonem inflatorum sed virtutem. Hic autem mitius, vt eius desiderent presentiam. Deinde indicant, Cur ergo nobis præfers Macedones? Non dixit, postquam abiero, sed cum Macedoniam pertransiero. *Nam Macedoniam pertransibo. Apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hyemabo.* Neque enim volo vos inuisere tanquam in transitu, sed vobiscum versari, & apud vos manere. Nam quando hanc scribebat epistolam, erat Ephesi cum esset hyems. Dicit ergo, *Permanebo autem Ephesi vsque ad Pentecosten. Postea autem abibo in Macedoniam: & cum eam pertransiero, veniam ad vos estate: forte autem & hyemem apud vos transigam.* Cur autem dixit forsitan, & non affirmavit? Quoniam non omnia præsciebat Paulus, idque dixit vtiliter. Propterea neque absolute affirmat, vt si non factum fuerit, habeat effugium, quòd tunc dixit indefinitè, & spiritus potestatem que eum quòd vult ducit, nō quòd ipse cupiebat. Quod etiam ponit in secūda epistola, de mora se excusans & dicens, Aut quæ cogito secundum carnem cogito, vt sit apud me est & non. *Vt vos me deducatis quocūque iero.* Hoc quoque est charitatis & multa dilectionis. *Nolo enim vos modo in transitu videre. Spero enim me aliquātulum temporis manere apud vos, si dominus permiserit.* Hæc autem dicebat, simul & charitatem ostendens, & eos qui peccant terris, non tamen aperte, sed prætextu amicitie. *Permanebo autem Ephesi vsque ad Pentecosten.* Meritò eis omnia dicit exactè, declarans tanquam amicis. Nam & hoc est amicitie, dicere causam cur non aduenit, propter quam differt, & vbi versatur. *Ostium enim mihi apertum est magnum, & euidentis, & aduersarij multi.* Et si magnum, quomodo aduersarij? Propter hoc ipsum multi sunt aduersarij, quoniam magna est fides, & latus ingressus. Quid est autem ostium magnum? Multi sunt parati fidem suscipere, multi parati sunt accedere & conuerti. Latus mihi patet aditus, crescente & vigente accedentium mente ad obediendum fidei. Propterea vehementer spirabat diabolus, quoniam videbat multos à se desciscere. Quamobrem propter vtrunque manere oportebat, & quòd multum esset lucri, & quòd magnum certamen. Porro autem hoc quoque cis animos addebat, quòd dixerit verbum iam vbique operari, & facile germinare. Si autem sunt multi qui insidiantur, hoc quoque signum est profectus euāgelij. Nunquam enim magis sciat ac fugit sceleratus ille daemon, quàm cum ex suis vasis & instrumentis multa videt diripi. Et nos ergo quando magnum aliquod & præclarum opus gerere volumus, ne hoc consideremus quod magni sit laboris, sed ad lucrum aspiciamus. Vide quidem certè Paulum non propterea vereri ac dubitare, nec propterea refugere, quoniam multi sunt aduersarij: sed quoniam magnum erat ostium, instare & permanere. Nam sicut dixi, hoc erat signum quòd nudaretur & spoliaretur

Tentari bonos cur permittat Deus.

retur diabolus. Non est enim eius qui parua gessit & mala, malam illam bestiam irritare. Quamobrem quando videris virum iustum magna ac præclara gerere; & mala pati innumerabilia, ne mireris. Nam contra mirari oporteret, si diabolus multas accipiens plagas esset quieturus, & vulnera placidè laturus. Neque enim si serpens punctus continuo efferetur, & pungenti insultet, mirari oportet. Quòuis enim serpente grauius serpit diabolus, omnibus insultans, & surgit sicut scorpius in altum erecto stimulo. Ne hoc vos conturbet: cum enim qui à bello & victoria & cæde reuertitur, necesse est etiam fuisse cruentatum, sæpe autem etiam habere vulnera. Et tu ergo cum videris aliquem elemosynas facientem, & innumerabilia alia bona operantem, & sic vires diaboli frangentem, deinde incidere in tentationes & pericula, ne propterea conturberis. Ideo enim incidit in tentationes, quòd diabolus vehementer ferierit. Et quomodo, inquit, permisit Deus? Vt magis coronetur, maiorem ille plagam accipiat. Nam quādo postquam bona fecerit, grauius & aspera patiens perpetuo agit gratias, feritur diabolus. Magnum quidem est etiam rebus secundis & prosperè fluentibus, & misereri, & virtutem amplecti: multo autem est maius, dura & grauius patientem, non desistere ab hac bona operatione. Is enim est qui propter Deum hæc maximè facit. Quamobrem etiam si in periculū veniamus o dilecti, & quiduis patiamur, cum maiori animi alacritate pro virtute labores suscipiamus. Non est enim hic tempus mercedis ac remunerationis. Ne hic ergo coronas exigamus, ne in tempore coronarum minor sit merces ac remuneratio. Quomodo enim in artificibus, qui seipsum quidem alunt, maiorem accipiunt mercedem: qui autem aluntur ab iis qui conduxerunt, non paruum autem de mercede detrahunt: Ita etiam in sanctis, qui bona quidem faciunt innumerabilia, & innumerabilia patitur mala, integram habet mercedem, & longè maiorem remunerationem, non pro bonis solum que fecit, sed etiam pro malis que passus est. Qui autem hic fruatur quiete & deliciis, non tã præclaras illic habet coronas. Ne hic ergo quæramus remunerationē, sed tunc maximè lætemur quando bona opera agētes malè patimur. Nō solum enim ex rectè factis, sed etiam ex tērationibus Deus nobis illic recondit mercedem. Vt autē quod dico fiat manifestius, sint duo diuites misericordes, & dent pauperibus. Deinde eorum alter quidem maneat in diuitiis, & omnia prosperè ei succedant: alter autem incidat in paupertates, & morbos, & calamitates, & Deo agat gratias. Cum ergo ij hinc illuc excefferint, quis maiorem accipiet mercedem? An non est perspicuum quòd qui ægrotat & affligitur: quoniam & benè faciens & malè patiens nihil passus est humanum? est cuius euidēs. Hic enim est statua adamantina, hic est seruus gratus & beneuolus. Si autem non propter spem regni oportet aliquid boni facere, sed propter id quod Deo videtur ac placet, quod quidem est maius quouis regno, quid meretur qui propterea quòd non hic accipit remunerationem, in exercenda virtute est pigrior? Ne ergo conturbemur, quando viderimus, quòd hic aut ille vocans viduas, & pauperes frequentibus excipiens conuiujs, incendio exultam domum amisit, aut aliquam aliam passus est calamitatem. Propterea enim accipiet mercedem. Neque enim Iob in tanta admiratione habebatur propter elemosynas, in quanta propter ea que passus est postea. Propterea & vilipenduntur eius amici, & nullius censentur esse pretij, quòd præfentes quærebant remunerationes, & ideo in iustum iniquam ferebant sententiam. Ne ergo hic quæramus remunerationem: efficiamur pauperes & mendici. Hoc enim est extremæ vilitatis

Chrysost. tom. 4.

& abiectionis, cum cælum sit propositum, & quæ sunt supra cælum, quæ hic sunt spectare. Ne sic ergo faciamus, sed quodcunque in expectatum nobis iustum aduenerit, nos Deum assidue sequamur, & beato Paulo pareamus, & pauperum arculam domi faciamus, & iuxta locum in quo stas orans sita sit: & quoties ad orandum fueris ingressus, depone primùm elemosynam, & tunc emitte precationem: & sicut nolueris manibus illotis ad orandum accedere, sic neque absque elemosyna. Nam si euāgelium quidem suspenderis nihil faciens, non ad eò magnam accipies vtilitatem. Hanc autem habens arculam; habes arma aduersus diabolum: precationem reddis alatam: sanctam domum construis, quæ habet alimenta regis intus recondita. Ideo & iuxta lectum sita sit arcula, nōque nullis perturbabitur visis & insomniis: tantum nihil in eam iniiciatur ex iniustitia. Res enim ea elemosyna: fieri autem non potest vt elemosyna vnquam germinet ex crudelitate. Vultis & vobis dicam vndenam impendere & largiri oporteat, vt hac quoque ratione facilem eam faciatis collationem? Opifex, utpote calceorum confarcinator, aut futor, aut faber ærarius, aut quiuis alius artifex, cum aliquid vendiderit ex iis quæ sua arte fiant, det Deo primitias pretij, ibi paruum partem deiiciat, & ex minori parte cum Deo partiat. Neque enim magnum quid peto, sed tantum quantum Iudæorum infantes, & mille malis pleni, tantum nos qui cælum expectamus, iaciamus. Hæc autem dico non legem ferens, neque prohibens ne plus eroges, sed æquum censens vt non minus deponas quàm partē decimam. Hoc autem fac non solum vèdens, sed etiam emens. Hanc legem etiam seruent qui prædia possident in prouentibus: eam omnes qui iusta colligunt vectigalia. Ad eos enim qui vsuras exigunt à me verba non fiunt. Neque ad milites qui concutiunt, & aliis procurant calamitates. Deus enim nihil inde vult accipere. Sed hæc dico eis qui ex iustis laboribus facultates colligunt. Nam si nos ipsos ad eam deduxerimus consuetudinem, nos deinceps punget conscientia si hanc deseramus legem: neque rem existimabimus grauem, & paulatim veniemus ad maiora, & meditati contemnere pecunias, cum malorum radicem euulserimus, & hic vitam securè & tranquillè agemus, & vitam consequemur futuram. Quam detur nobis omnibus consequi, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum patre, &c.

ORATIO XLIII.



I autem venerit Timotheus, videte vt sine timore sit apud vos. Existimat fortasse quispiam hanc exhortationem esse indignam magni & excelsi animi virtute Timothei. Sed non hoc dictum est propter Timotheum, sed propter audientes, ne per eas quæ ipsi fierent insidias seipsum læderent: ille enim semper erat procliuus ac propensus ad aduanda pericula. Nam tanquam filius patri, mecum seruiit, inquit, in Euangelio. Sed ne ex audacia in discipulum, ad magistrum quoque procederent, & fierent deteriores, eos eminus comprimere & coercere, dicens, Vt sine timore sit apud vos. Hoc est, ne quispiam ex iis qui sunt deplorati in eum insurgat. erat enim fortasse eos increpaturus de iis quæ scribebat Paulus. Denūciat enim se propterea ipsum mittere. Misi enim, inquit, ad vos Timotheum, qui vobis in memoriam reuocabit vias meas in Christo, sicut vbique in omni ecclesia doceo. Ne ergo nobilitati, & diuitiis, & populi commendationi, & externæ sapientie confidentes, inuaderent, & conspuerent, & insidiarentur, dolentes se ab ipso argui, aut propterea

Elemosyna facienda priusquam accedas ad orandum.

Elemosyna vnde eroganda.

Phil. 4.

Sup. 4.

quod magister illos reprehedit, pœnas exigerent ipsum vlcifcentes, propterea dicit, Vt sine timore sit apud vos. Ne mihi enim dixeris externos Græcos & infideles, ea à vobis exigo pro quibus tota conscripta est epistola, quos etiam in initio terruit & in proœmiis. Propterea dixit, Apud vos. Deinde à ministerio eum facit fide dignū, dicens, *Opus enim domini operatur.* Ne hoc enim spectes, inquit, si non sit diues, si non cruditus, si non senex: sed quid iustus sit, & quid efficiat. Opus enim domini operatur. Hoc autem ei sufficit pro omni & nobilitate, & diuitiis, & ætate, & sapientia. Nec hoc fuit contentus, sed addidit, *Sicut & ego.* Et superius, Qui est mihi filius dilectus in Christo. Ipse vobis in memoriam reuocabit vias meas in Christo. Quoniam ergo erat & iuuenis, & soli tanti populi credita erat correctio, vtraque autem in cōtemptum adducebant, meritō subiungit. *Ne quis ergo illum spernat.* Neque hoc solum exigit, sed etiam maiorē honorem. Quamobrem dicit, *Deducite autem illum in pace.* Hoc est, sine timore: non pugnas inferentes & contentiones: non odia & inimicitias, sed subiectionem & honorem, attendentes tanquam magistro. *Vt veniat ad me, expecto enim illum cum fratribus.* Et hoc erat terrentis. Nam vt cum sciret omnia sibi dicenda quæ passus esset, fierent modestiores, propterea addidit, *Expecto enim illum.* Alioqui autem eum quoque hinc facit fide dignum. Siquidem exiturus ipsum expectat, & suam in illos ostendit charitatem, quando eum qui est adeo utilis, propter ipsos misisse cernitur, *De Apollo autem fratre vobis notum facio: quod multū rogauit eum, vt ad vos veniret cum fratribus.* Hic videtur esse & bene eruditus, & maior ætate Timotheo. Ne ergo dicerent, Cur virum quidem non misit, sed pro illo iuuenem, vide quomodo etiam hoc leuet, eum & fratrem vocans, & dicens se illum rogasse vt veniret. Quid ergo non cessit ille, neque annuit, sed restitit & contendit? Non hoc dicit, sed vt neque illum reprehenderet, & se excusaret, dicit, *Et utique non fuit voluntas eius vt nunc veniret.* Deinde ne dicerent hæc esse prætextum & subterfugium, subiunxit, *Veniet autem cum ei vacuum fuerit.* Sic & illum defendit ac excusauit, & eorum qui ipsum desiderabant spem repressit. Ostendens autem quod non in magistris, sed in seipsis debent habere spem salutis, dicit, *Vigilate, state in fide.* Non in externa sapiētia, non est enim illic stare, sed ferri, sicut quidem certē stare in fide. Viriliter agite & confortamini, omnia vestra in charitate fiant. Hæc autem dicens, videtur quidem admonere, eos autem tangit tanquam pigros & desides. Et ideo dicit, *Vigilate,* tanquam eis dormientibus. State, tanquam labantibus. *Viriliter agite & fortes estote,* vt qui essent molles. Omnia vestra in charitate fiant, vt qui seditionem agitent. Et aduersus eos quidem qui decipiunt est illud, *Vigilate, state.* Aduersus eos autem qui insidiantur, est hoc, *Viriliter agite.* Aduersus eos verò qui seditionem agitant & conantur diuellere ac distrahere, est illud, *Omnia vestra in charitate fiant: quod quidem est vinculum perfectionis, & radix & fons bonorum.* Quid est autem illud, *Omnia in charitate?* Siue quispiam increpat, inquit, siue imperat, siue paret imperio, siue discit, siue docet, omnia cum charitate. Nam & cuncta quæ dicta sunt, fiebant ex eo quod ipsa fuerit neglecta. Nam si ea non esset neglecta, non fuissent inflati: non dixissent, Ego quidem sum Pauli ego verò Apollō. Si ipsa adfuisset, non foris iudicio cōtendissent, imò ne contendissent quidem. Si ipsa adfuisset, ille vxorem patris non accepisset: fratres qui erant infirmi non contempserunt, hæreses non habuissent, propter charismata inanem gloriam non concepissent. Propterea dicit, *Omnia cum charitate fiant. Obsecro autem*

vos fratres, nostis domum Stephanæ & Fortunati, quod sunt primitiæ Achaie, & in ministerio sanctorum ordinauerunt se ipsos. Etiam in initio huius meminit, dicens, Baptizauit autem & Stephanæ domum: & nunc eam dicit esse primitias, non solum Corinthi, sed & totius Græciæ. Non est autem hoc quoque paruum encomium, accessisse primū ad Christum. Quamobrem etiam in epistola ad Corinthios ex eo quosdam laudans dicebat, Qui etiam ante me geniti sunt in Christo. Nec dixit eos primos credidisse, sed fuisse primitias, ostēdens, quod cum de fide, vitam etiam optimam ostenderunt, tanquam ex fructibus se omni ex parte dignos exhibentes. Oportet enim primitias esse meliores cateris quorum sunt primitiæ. Quod his quoque per hanc dictionem suo testimonio tribuit Paulus. Non enim solum, sicut dixi, rē & syncerē crediderunt, sed etiam multam ostendunt pietatem, vegetamque virtutem, & in elemosynis dandis munificentiam. Non solum autem hinc, sed etiam aliunde eorum ostendit pietatem, ex eo quod totam domum pietate impleverint. Quod autem bonis quoque operibus & recte factis essent ornati, significat per ea quæ deinceps sequuntur, dicens, Et in ministerio sanctorum ordinauerunt se ipsos. Audiuitis hospitalitatis quanta sint encomia. Non enim dixit, Ministerant, sed ordinauerunt se ipsos. Hoc est, hanc vitam perpetuò elegerunt, in hac se exercent meditatione. *Vt & vos subditi sitis eiusmodi.* Hoc est, vt alter alteri opereratis, & ad impensas pecuniæ, & ad obeundum ministerium corporis, vt communicetis. Nam illis laborerit leuis quando habuerint socios, & ad plures transfuerit beneficium. Et non dixit absolutē, Cooperamini, sed etiam in iis quæ iusserint parere, intentam ostēdens obedientiam. Et ne eis videatur gratificari, addidit, Et omni cooperanti & laboranti. Hæc est, inquit, lex communis. Neque enim priuatim ac seorsum dico de illis, sed si quis est illis similis, his quoque fruatur. Propterea & eos incipiens commendare, ipsos quoque citatētes, dicens, *Obsecro autem vos, nostis domum Stephanæ. Scitis, inquit, & vos quomodo laborant, neque opus est vt à nobis discatis. Gaudeo autē in presentia Stephanæ & Fortunati & Achaici, quoniam id quod vobis deerat ipsi suppleverunt.* Quoniam erat verisimile eos aduersus ipsos esse irritatos, ij enim erant qui venerant, & seditionem ei significauerant, per ipsos enim etiam scripserant de virginibus & matrimonio coniunctis, vide quomodo eos mitigat, in principio quidem epistolæ, dicens, Significatum est enim, inquit, mihi de vobis ab iis qui sunt Chloes, & hos celans, & illos in medium adducens, erat enim verisimile illos per hos declarasse. Hic autem, Id quod vobis deerat, ipsi suppleverunt, & refecerunt meum spiritum & vestrum: ostendens eos venisse pro omnibus, & sua sponte tantam suscepisse peregrinationem. Quomodo ergo quod est proprium fiet commune? Si quod vobis defuit reparaletis per vestram in eos benevolentiam, si eos honoretis, si excipiat, si beneficiæ communicetis. Et ideo dicit, *Cognoscite ergo qui eiusmodi sunt.* Et laudans eos qui conuenerant, eos quoque cum laude coniungit qui missi erant, & qui miserant, dicens, Refecerunt meum spiritum & vestrum. Cognoscite ergo qui sunt eiusmodi, quoniam propter vos patriam & domum reliquerunt. Vidisti prudentiam. Non solum Paulo, sed illis etiam eos ostendit esse gratificatos, quod totam ciuitatem in se circumferant: quod eos etiam reddebat fide dignos, & non sinebat eos ab illis abscindi, tanquam qui per ipsos ad Paulum essent adducti. *Salutant vos omnes ecclesie Asiae.* Semper cogit & conglutinat membra per salutationem. *Salutant vos in domino multū, Aquila & Priscilla.* Apud eos enim manebat,

Domus facta ecclesia.

Sup. 1. & 3. Ibid. 11.

Maranatha quid sit.

nebat, cum esset contextor tabernaculorum. Cum domus sua ecclesia. Hoc quoque non parua est virtus, quod domum fecissent ecclesiam. *Salutat vos omnes fratres. Salutate inuicem in osculo sancto.* Hoc sancti osculi hinc solum ponit additamentum. Quamobrem? Valde inter se dissidebant, quod dicerent, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollō, ego autem Cepha, ego verò Christi: eo quod alius quidem esuriret, alius verò esset ebrius: eo quod haberent pugnas, & æmulationes, & lites ac iudicia, & ex donis magna erat inuidia, magna superbia & arrogantia. Postquam ergo eos coniunxit per exhortationem, meritō etiam iubet coniungi per osculum sanctum. Hoc enim vnit, & vnum corpus facit. Hoc est sanctum, quod non est cum dolo & simulatione. *Salutatio mea manu Pauli.* Ostendit magno studio compositam fuisse epistolam. & ideo hoc adiecit. *Si quis non amat dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema.* Per vnum hoc verbum omnes terruit, qui membra sua faciebāt membra meretricis: eos qui fratres offendeant per immolata idolis: eos qui nominabantur ex hominibus: eos qui non credebant resurrectioni. Non solum autem terruit, sed etiam ostendit viam virtutis, & fontem vitij. Quomodo enim quæ vehemens fuerit charitas, extinguit & expellit omnes peccatorum species, ita etiam quando fuerit imbecillior, facit ea germinare. *Maranatha, Quanam de causa hoc dictum est? & cur voce Hebraica? Quoniam omnium malorum causa erat fastus. Hunc autem fastum efficiebat externa sapientia: & hoc fuit caput malorum, quod maximè diuulfit ac diuisit Corinthum: eorum fastum comprimens, ne Græca quidem sed Hebræa lingua est vsus, ostendens se non modò non pudere simplicitatis & imperitiæ, sed eam etiam vehementissimè & ardentissimè complecti. Quid est autem Maranatha? Dominus noster venit. Quanam ergo de causa hoc ipsum dicit? Dispensationis domini sermonem confirmans, eo quod ex iis maximè composuerit semina resurrectionis. Nec hoc solum, sed illos etiam pudore afficiens. Quasi diceret, Communis omnium dominus tantum dignatus est descendere: vos autem in iisdem estis, & perseueratis peccare. Non summam charitatem obstupescitis & admiramini, quod est caput bonorum? Hoc solum, inquit, cogita, & tibi sufficet ad profectum in omni virtute, & omne peccatum poteris extinguere. *Gratia domini nostri Iesu Christi vobiscum.* Hoc est doctoris, non solum consiliis opem ferre, sed etiam votis ac precibus. Charitas mea cum omnibus vobis in Christo Iesu. Amen. Nam ne existimarent quod eis assentans in hoc desit, dicit, In Christo Iesu. Nihil enim habet humanum, neque carnale, sed est quædam dilectio spiritualis. Quamobrem ea est valde germana & syncera, etenim valde amantis est verbum. Nam quoniam loco distabat, tanquam alicuius dexteræ extensione, charitatis manibus eos complectitur, dicens, Charitas mea vobiscum. Quasi diceret, Sum cum vobis omnibus. Per quæ ostēdit non esse indignationis & iræ quæ scripta sunt, sed curæ quam eorum gerit, cum post tantam accusationem eos non auerteret, sed amat & complectitur, cum essent procul remoti, per epistolas & has literas eis circumfusus. Sic oportet facere eum qui corrigit. Nam qui ira incitatus solum facit, implet suam animi perturbationem. Qui autem postquam correxit peccantem, charitatem quoque ostendit, ostendit illa quoque esse benevolentia quæ dicebat increpans. Sic nos quoque alter alterum erudiamus & castigemus: & neque qui arguit, irascatur. Non est enim hoc correctionis, sed animi perturbationis. Neque qui arguitur, ægreferat. Quod fit enim est medicina, non odium & inimicitia. Si au-*

tem medici vrunt, & non reprehenduntur, etiam si sæpe aberrant à fine. Sed & qui dolent, dum vruntur & secantur; beneficio se affici existimant ab iis qui hunc dolorem excitant: multò magis eum qui suscipit reprehensionem ita affici oportet, vt eum qui corrigit pro medico habeat, nō pro inimico. Porro autem nos quoque qui increpamus, accedamus cū multa mansuetudine, & cum multa prudētia. Et si videris fratrem tuum delinquentem, noli in publicum proferre reprehensionem, sed eum reprehende inter te & ipsum solum: non exprobrans, nec iacenti insultans, sed dolens & ægreferens: & te ipsum quoque exhibe paratum vt reprehendaris, si quid pecces. Vt autem quod dico fiat apertius, per hypothēsim quod dicimus exerceamus. Absit enim vt in veritate hoc nobis exemplum suppeditetur. Sit frater aliquis habitās cum virgine, honestus quidem & pudicus. Sed ne sic quidem malam effugiat existimationem. Si ergo audieris hanc in ore vulgi esse habitationem, ne despexeris, neque dixeris, An non ipse sapit, an non nouit quid expedit? Sine causa ameris, ne sis odio sine causa. Quid enim mihi curæ est superuacancas suscipere inimicitias? Hæc sunt verba delira bestiarum, vel potius dæmonum. Non potest enim fieri vt temerè & sine causa odio habeatur qui hoc facit ob correctionem, sed ob magna bona & coronas ineffabiles. Si autem dicas, Quid verò, non ipse sapit? audies à nobis eum non sapere, est enim animi perturbatione ebrius. Si enim in externis iudiciis, ij qui iniuria afficiuntur, non possunt pro se dicere vt qui ira ferueant, quam non est vitium hæc commiseratio: multò magis ij qui mala tenentur consuetudine. Propterea dico quod etiam si millies sit sapiens, mentem non habet vigilantem. Quid enim erat Dauide sapientius qui dicebat, Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi? Sed quando iniustus oculis vidit vxorem militis, tunc dicebat id sibi accidere quod iis qui nauigant in mari furienti, Omnis sapientia mea est absorpta, & opus habebat aliis qui corrigerent, & nec sentiebat quidem in qualibus & quantis intus versaretur malis. Quamobrem sua deflens peccata dicebat, Sicut onus graue grauata sunt super me. Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Non sapit ergo nec mentem habet qui peccat, est enim ebrius, & eius caligant oculi. Ne hæc ergo dicas, neque illud addas, Non est mihi curæ. Vnusquisque enim suum onus portabit. Etenim vel maximum tibi crimen oritur, quod cum vidisses errantem, in viam non reduxeris. Si enim iumentum inimici in Iudæorum lege non licet despiciere: qui non iumentum, neque inimici animam, sed amici despicit, quamnam assequetur veniam? Neque enim ad nostram sufficit excusationem quod ille sit amens. Nam nos quoque qui sæpe multas dedimus admonitiones, nobis non sufficimus, nec sumus viles. De illo ergo peccante hoc quoque considera, quod consentaneum est eum à te magis quam ab illo optimum accipere consilium. Neque dicas, Quid hæc sunt mihi curæ? Time eum qui primus dixit hoc verbum. Nam illud, Nunquid sum custos fratris mei? eodem quò hoc recidit. Hinc mala nascuntur omnia, quod quæ sunt nostri corporis aliena esse ducimus. Quid dicis, Frater non est tibi curæ? Sed cui erit curæ? Infideline qui eius malis lætatur, exprobratque & insultat? At diabolo qui impellit & supplantat? Et vndēnam, inquit, intelligam, quod proficiam dicens & consulens quæ oportet? Vndēnam autem est perspicuum quod non proficies? Hoc est enim extremæ amentia, cum in incerto sit finis, certum subire crimen negligentia. Atqui Deus futura

Psal. 50.

Psal. 106.

Psal. 37. Qui peccat non sapit, & est ebrius.

Deut. 22.

Gen. 4.

præsciens, sæpe dixit, & nihil profecit, & neque sic desistit: idque cum sciret se non persuasurum. Si autem qui præsciuit se nihil plus effecturum, non desistit corrigere, quamnam habebis excusationem, non futurum omnino ignoras, pigrescisque & torpescis? Etenim multi sæpe aggressi profecerunt, & cum maximè desperassent, tunc maximè sunt assècuti. Quòd si etiam nihil amplius effeceris, fecisti quod tuum est, Ne sis ergo inhumanus, neque immisericors, neque negligens. Nam quòd hæc verba sūt crudelitatis & locordie, illinc est perspicuum. Cur enim cum vnum ex tuis membris laborat, non dicis, Quid mihi curæ, & unde mihi constabit, quòd si eius curam geram, conualecet? sed omnia facis, vt etsi nihil iuueris, te non possis reprehendere, quòd aliquid sit prætermissum eorū quæ debent fieri. Deinde membrorum quidem corporis tãtam curam gerimus, membra autem Christi negligemus? Et vbi nam hæc merentur veniam? Nam si te non insecro dicens, membri tui curam gere, vt vel metu fias melior, tibi in memoriam reuoco corpus Christi. Quomodo enim non est horrendum putrescentem carnem tuam aspiciere & despiciere? Et si haberes quidè famulum aut asinum laborantem putredine, non sustineres despiciere. Christi autem corpus videns repletum scabie, prætercurris? Et non existimas hæc esse digna mille fulminibus? Propterea omnia sũsque de que miscntur, propter hanc inhumanitatem, propter hanc negligẽtiã. Propterea rogo hanc expellamus crudelitatem. Accede ad illum qui habitat cum virgine, & paruum dic fratris encomium aliis quæ habet commodis & dotibus id componēs, & tanquam aqua calida fouens laudibus, ita deprime tumorem eius vulneris: te quoque ipsum pronũcia miserum, accusa commune genus humanum, ostende nos omnes esse in peccatis, pete veniam, dicens te maiora aggredi quàm quæ vires tuæ ferre possint, sed charitatem persuade omnia audere. Deinde consulens, hoc fac non tanquam imperans, sed vt frater: & cum his omnibus phlegmonem deprefferis, & lenieris dolorem qui accidit ex sectione futurae reprehensionis, & sæpe vltus excusatione, & rogaueris ne irascatur, cum cum his ligaueris, tunc plagam inflige, nec vulnus alligans, nec dissoluens, vt neque illinc resiliat, neque hinc despiciat. Nam si certum non dederis vulnus, nihil amplius efficies. Sin autem vehementer percusseris, efficies vt resiliat. Propterea & post hæc omnia reprehensurus, misce rursus encomium cum reprehensionibus. Et quoniam id quod fit ab eo per se non potest esse encomium, non est enim laude dignum simul habitare cum puella virgine, hoc fac ex mente & instituto eius qui simul habitat. Etsi enim scio, inquis, quòd tu propter Deum facis, & illius miseræ videas calamitatem, & quòd defensor careat & patrono, ei manum præbuisi, & si non hoc animo faciat, tu dic ita: & postea hæc quoque adde, rursus vtens excusatione, & dicens, Hæc dico, non iubens, sed in memoriam reuocans. Propter Deum tu facis? Ego quoque id scio. Sed videamus nũ ex hoc aliquod aliud nascatur malum. Et si nullum quidem sit, intus contine, pulchrũque hoc & honestum studium persequere: nullus est qui veter. Sin autem hinc nascitur aliquod damnum maius lucro, caueamus rogo ne dum vnam studemus recreare animam, mille offendamus. Nec statim addas supplicia proposita iis qui offendunt & scandalum afferunt, sed eius quoque adsume testimonium, dicens. Non opus est vt hæc à me discas, tu ipse scis, si quis offendat vnum ex his pusillis, quanti supplicij intententur minę: & cum sic lenieris orationem, & iram mitigaris, impone medicamentum correctionis. Si autem rursus causetur eius so-

litudinem, ne sic quidem prætextum reprehenderis, sed dic ei, Nihil horum te terreat. Sufficientem habebis excusationem aliorum scandalum. Non enim propter locordiam, sed illorum curam gerens, destitisti ab hoc studio. Et breue quidem sit consilium: non enim eget magna doctrina: venia autem sit multa & frequens: & continenter confuge ad charitatem, eorum quæ dicta sunt contegens grauitatem & molestiam, dãnque ei potestatem & dicens. Ego quidem hæc suadeo & consulo, in tua autem potestate est vt persuadearis: neque enim cogō nec vim affero, sed totum permitto libero tuo arbitrio. Si reprehensionem ita tractemus, faciliè poterimus peccantes corrigere. Nam quæ nunc facimus, sunt magis bestiarum & rationis expertium quàm hominum. Nam si nunc quidem sentierint aliqui quempiam hæc peccantem, illum quidem non alloquuntur, ipsi autem tanquam ebrizæ aniculæ inter se susurrant: & illud, Sine causa ameris, & ne temerè & sine causa odio habearis, nusquam apud illos videtur locum habere: sed quando cupiunt quidem accusare, despiciunt illud, Non sine causa odio haberi, imò verò etiam puniri. Neque enim hinc solum nascitur odium, sed etiã supplicium. Quando autem opus fuerit correctione, & hoc ipsum & mille alias afferunt excusationes ac prætextus. Tunc enim, tunc illud cogitare oporteret quando accusas, quando criminaris nempe ne temerè & sine causa odio habearis, & nihil proficio, & non est mihi curæ. Nunc autem, nunc quidem es vehementer inaniterque ac superuacaneè curiosus, & odium despicias, & mala innumerabilia: Quando autem salutis fratris te curam gerere oporteret, tunc vis esse non curiosus & non grauis ac molestus. Atqui ex maledicentia quidem nascitur odium & apud homines & apud Deum. & hoc non est tibi curæ. Ex eo autem quod das scorsum consilio, & ex eiusmodi reprehensionibus, & apud homines, & apud Deum erit tibi amicitia. Quòd si etiam ipse te oderit, propterea Deus manet te magis diligens. Imò verò nec sic oderit, vt quando odio habebat maledicentem. Sed tunc quidem tãquam inimicum & hostem auersabitur: nunc autem existimabit te quouis patre magis reuerendum. Quòd si etiam aperte animo ægreferat, scorsum apud te magnas tibi habebit gratias. Hæc ergo cogitantes, curam geramus nostrorum membrorum: neque linguam alter in alterum acuamus: neque verba loquamur quæ demergant & obruant, proximi bonam famam subvertentes, & non secus atque in bello & pugna sauciantes & sauciati. Quid enim iam prodest ieiunium aut vigilia, quando ebria fuerit lingua, & caninis carnibus immundiorum mensam comedit, vt quæ sanguiuora effecta sit, & cœnum effundat, & cloacæ canalem os faciat, imò verò eo longè impurius & magis abominandum. Nam quod illinc quidem procedit, corpus polluit: quod hinc autem, sæpe suffocat animam. Hæc dico, non eorum qui malè audiunt temerè curam gerens. (Nam illi quoque digni sunt coronis, cum quæ dicuntur ferunt fortiter: sed vestrum qui dicitis. Nam eum quidem qui temerè & sine causa malè audit, beatum pronunciant scripturæ: eum autem qui malè dicit, à sanctis expellunt mysterijs, imò ab ipso ambitu ecclesiæ. Eum, inquit, qui clanculum detrahit de suo proximo, persequēbat. Quinetiam eum dicit indignum lectione sacrarum litterarum. Cur, inquit, enarras iustificationes meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Deinde causam afferens, dicit, Sedens contra fratrem tuum obloquebaris. Et hinc quidem non distinxit, sintne vera an falsa. Alibi autem hoc quoque prohibuit, ostendens quòd etiam si vera dicas, ea non sunt à te dicenda. Nolite iudicare, inquit, vt non iudicemini. Nam &

Inimicus
quomodo
vltiscen-
dus.
Rom. 12.

qui publicanum maledictis insectabatur, est eodem natus, etsi verè illum accusabat. Quid verò si sit, inquis, quispiam audax & execrandus, non est ipse à nobis corrigendus & arguendus? Arguedus sanè est & corrigendus, sed ita vt prius dixi. Sin autem hoc facis ei exprubans, vide ne, dum Pharisaum illum imitaris, id tibi quod illi accidat. Nihil enim hinc redit lucri, non ad te qui dicis, non ad illum qui audit sic accusatus. Sed ille quidem euadit impudentior. Nam quandiu quidem latet, scit erubescere. Postquam autem euaserit manifestus, quod ex eo quoque habebat frenum expellit. Qui autem audit, rursus magis lædetur. Nam siue rerum rectè à se gestarum fuerit sibi cõsciũs, inflatur, alterius tumens accusationibus: siue peccatorum, sit promptior & alacrior ad vitium. Et ipse rursus qui dicit, & apud eum qui audit in mala erit existimatione, & Deum in se magis irritabit. Quamobrem rogo omne verbum obscœnum & fœtidum eiiciamus, si quid bonum ad ædificationem, hoc dicamus. At cupis illum vltisci? Cur ergo te pro illo vltisceris? Nam qui studes vltisci eos qui tibi fuerunt molesti, ita vltiscere vt Paulus iussit vltisci. Si esurit inimicus tuus, ciba illum. Si sitit, da illi potum. Sin autem hoc quidem non facis, solum autem insidiaris, in te ipsum ensẽ stringis. Quamobrem si ille maledicat, orna eum laudibus & encomijs. Sic enim & illum poteris vltisci, & te ipsum liberabis à mala suspitione. Nam qui dolet eo quòd malè audiat, hoc videtur pati ex mala conscientia. Qui autem irridet ea quæ dicuntur, maximum profert iudicium, quòd nullius rei malæ sibi sit cõsciũs. Cum ergo nec audienti, nec tibi, nec ei qui accusatur proffis, & in te ipsum stringit gladium, vel ex hoc ipso euade moderatior. Nam oportebat quidem persuaderi ex regno cœlorum, & ex iis quæ Deo videntur ac placent. Sed quoniam es crassius affectus, & mordet tanquam fera, vel hinc erudiaris & castigeris. Vt his verbis modestior effectus, ex iis solis quæ Deo videtur ac placent possis componi ac concinnari, & cum omni animi perturbatione euaseris superior, cœlestia bona consequaris. Quæ detur nobis omnibus consequi, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri cum sancto Spiritu sit gloria, potentia, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

SERMONES

ALIQVOT DIVI IOANNIS Chrysofomi, Episcopi Constantinopolitani, sparsim prius impressi: nunc demum *συνήδω* huc reuocati, ad communem studiosorum vtilitatem. Idque in loca prioris epistolæ ad Corinthios, variè & pro tempore **D** differta per eundem Chrysofomum.

1. Cor. 7.

De libello repudij, in dictum Pauli, Mulier alligata est legi, quanto tempore vixerit vir suus: si autem dormierit, libera est, cui voluerit, vt nubat, tantum in domino. Beatior est, si sic manserit.



1. Cor. 7.

PRIDEM vobis beatus Paulus de coniugio, coniugijque iustificationibus legem tulit, Corinthiis sic scribens ac dicens: De quibus autem scripsistis mihi, Bonum esse homini, mulierem non tangere: propter fornicationem autem, suam quisque vxorem ha-

Chrysof. tom. 4.

A beat, & suum quæque virum habeat. Eapropter & nos totum sermonem in hoc infumebamus. Itaque necesse est hodie de eodem argumẽto iterum vobiscum differere, quando quidem de eodem etiam ipse Paulus differit. Audiistis enim illum clamantem, ac dicentem: Vxor alligata est legi, quoad vixerit vir illius: si autè obdormierit vir illius, libera est, cui voluerit nubat: beatior autem est, si sic manserit, iuxta meum consilium: opinor autem quòd & ipse spiritum Dei habeam. Sequamur igitur illum & hodie, & de hac colloquamur materia. Sequẽtes enim Paulum, per hoc & Christum ipsum sequemur, eo quòd & ille nõ semetipsum, sed Christum per omnia sequens scripsit. Enimverò non est vulgaris res, coniugium bene se habens: sicut etiam his qui illo, non vt oportet, vtũtur, innumerorum malorum fit materia. Nam sicut mulier adiutrix est, ita sæpe & insidiatrix fit. Et sicut portus est coniugium, ita & sæpe naufragium parit: non iuxta suam naturam, sed iuxta sententiam eorum, qui illo malè vtuntur. Etenim qui iuxta cõgruas leges illud obseruat, domum & vxorem suam, vt malorum omnium quæ vel in foro, vel alicubi obueniunt, consolatricem ac liberatricem reperit. Qui autem temerè & vulgariter hanc rem aggreditur, etiam si multa in foro & alibi tranquillitate fruatur, ingressus in domum scopulos & petras videbit. Itaque quoniam non de rebus vulgaribus nobis est periculum, operæ precium fuerit cum diligentia dictis attendere, & vxorem ducturum, iuxta Pauli, imò Christi leges agere. Sanè scimus, quòd multis nouum & inexpectatum videbitur quod dicimus: at propterea non silebo, sed primũ legem vobis legam, & dein legem quæ cõtraria videtur solueretentabo. Igitur quænam est lex illa, quam nobis Paulus posuit? Mulier, inquit, non separetur viuente viro, neque alium superinducat maritum, neque secundas nuptias habeat. Et vide quanta cum diligentia verborum vsus sit proprietate. Non enim dixit, cohabitet viro, quoad vixerit vir illius: atque aded etiam si libellum repudij det, etiam si domum relinquat, etiam si ad alium abeat, legi adstricta est, adulteraque est talis. Quando igitur vir eiicere vult vxorẽ, & vxor relinquere virum, huius memor sit dicti, & Paulum putet esse præsentem, & persequi se clamando & dicendo: Mulier adstricta est legi. Nam quemadmodum serui fugitiui etiam si domum herilem relinquunt, catenam secum trahunt attrahentem: Ita & mulieres etiam si viros relinquunt, legem habent pro catena, se persequentem & adulterij accusantem, accusantem etiam recipientes, ac dicentem: Adhuc superest maritus, & adulterium facinus hoc est. Mulier enim adstricta est legi, quoad vixerit maritus illius. Et omnis qui dimissam in vxorem acceperit, adulter fit. Quando igitur licebit illi secundas nuptias contrahere? Quando? tunc vbi à catena liberata fuerit, quando vir morietur solum. Hoc igitur declarans non addidit, Quòd si mortuus fuerit vir illius, libera est, cui voluerit vt nubat: sed, si autem dormierit vir illius, quasi consolans viduam, & persuadens manere apud priorem, & non adiungere secundum maritum. Non mortuus est, inquit, vir tuus, sed obdormiuit. Libera est, cui voluerit vt nubat. Non dixit, Nubat, vt ne videatur vim facere & cogere: neque prohibuit volentem secundas nuptias contrahere: neque volentem adhortatus est, sed legem legit, dicens: Libera est, cui voluerit vt nubat. Liberam autem illam post viri mortem esse factam dicens, ostendit, quòd antea adhuc viuente marito serua sit. Quæ autem serua est, ac subdita legi, etiam si millies libellum repudij det, adulterij ligabitur lege. Nam seruis quidem licet mutare dominos viuẽtes, vxori autem non licebit viros commutare

viuentes, alioqui adulterium perpetrabunt. Ne mihi leges ab exteris conditas legas, præcipientes dari libellum repudij, & diuelli. Neque enim iuxta illas iudicaturus est te Deus in die illa qua venturus est, sed secundum suas, vt ipse statuit. Etiam externæ leges, non simpliciter, nec absolutè hoc posuerunt: nam & ipsæ puniunt factum, & hinc liquet, quòd peccatum valde ægrè tulerint. Vnde eam quæ auctor fuerit repudij, nudam & spoliatam facultatibus eiiciunt, vt vnde fuerit dissolutionis occasio, etiam facultatū sit iactura. Nunc puniunt, & idcirco hoc facientes, factum illud non commendabant. Quid igitur? Et Moses, aiunt, hoc fecit: & ille propter istam causam. Tu verò audi Christum dicentem, Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Phariseorum, nequaquam intrabitis in regnum cælorum. Audi illum dicentem: Qui dimiserit vxorem suam, excepta causa stupri, facit illam adulteram fieri: & qui dimissam in vxorem duxerit, adulter fit. Propter hoc venit vnigenitus filius Dei, propter hoc serui formam assumpsit, propter hoc sanguinem effudit preciosum, mortem destruxit, peccatum extinxit, largiorem spiritus gratiam dedit, vt ad maius sapientiæ studium induceret. Aliàs etiam non ita simpliciter legem hanc tulit, sed cum cogeret se attemperare eorum quibus legem dabat infirmitati. Nam quoniam ad cædes prompti erant, & domus cognato replebant sanguine, & neque suis, neque alienis parcebant, ne intus occiderent vxores, quæ ingrata erant, præcepit foris mittendas, quòd grauius malum, nempe homicidiorum facilitas tolleretur. Sanè quòd homicidæ quidam fuerint, audi prophetas dicentes: Edificantes Sion in sanguinibus, & Hierusalem in iniustitiis. Et iterum: Sanguinem sanguini miscunt. Et iterum: Manus vestræ sanguinis plenæ. Et quòd non solum contra alienos, sed etiam contra suos sæuerint, & ita manifestans propheta dicebat: Sacrificauerunt filios suos & filias suas dæmoniis. Qui autem non parcebant liberis, vtique nec vxoribus pepercissent. Vnde ad hoc commodum illud permisit. Quapropter & Christus Iudæis rogantibus, & dicentibus: Quomodo igitur Moses permisit dare libellum repudij, ostendens, quòd non contrariam legem fert, sic alicubi dixit: Moses iuxta duritiam cordis vestri locutus est, ab initio autem non erat sic: sed qui fecit ab initio, masculum & fœminam fecit illos. Si hoc fuisset, inquit, non vnum virum & vnam mulierem fecisset, sed vno Adam condito duas fecisset mulieres, siquidem voluisset vnam quidem eiici, alteram verò induci. Nunc verò ipso formationis modo legem induxit, quam ego nunc scribo. Et quam est illa? Hæc vtique, Eam sibi quisque vxorem feruet semper, quam initio fortitus est. Hæc lex antiquior, quàm illa de libello repudij, & intantum quantum Adam ipso Mose. Et idcirco nunc nihil nouum sector, neque peregrina affero decreta, sed ea quæ Mose antiquiora & priora fuere. Dignum autem fuerit & Mosis legem illam quam de hac re posuit audire: Si quis, inquit, acceperit vxorem, & habitauerit cum illa, & erit: si non inuenerit gratiam coram illo, quia inuenit in illa turpitudinis rem, scribat illi libellum repudij, & det in manum eius: imò non dixit, scribito & dato, sed quid? Scribet illi libellum repudij, & dabit in manus eius. Magnum autem inter hoc & illud discrimen: nam dicere, Scribat libellum repudij, & det in manus eius, iubentis ac imperantis est. Dicere autem, Scribet libellum repudij, & dabit in manus eius, annunciantis factum, & non propriam legem introducentis est. Igitur si quis dicat, Eijciat vxorem, & dimittat illam ex domo sua: cum abierit, si fuerit alteri vi-

Matt. 5.

Ibidem.

Mich. 3.

Osee 4.

Esa. 59.

Psal. 105.

Matt. 19.

Deut. 24.

ro, & odio illam habuerit etiam vir posterior, & scribet illi libellum repudij, & dabit in manus suas, & emittat illam ex domo sua: si mortuus fuerit illius vir, qui accepit sibi illam vxorem, non poterit vir prior, qui dimiserat illam redire, & accipere eam sibi in vxorem. Deinde monstrans, quòd non dixit de facto, non enim coniugium esse putat, sed propter infirmitatē illorum descendit, dicens: Non poterit vir prior accipere illam sibi in vxorem, addidit, Postquam polluit illam: declarans per huius verbi modum, quòd secundæ nuptiæ viuente priore viro, pollutio magis sit quàm coniugium: propter hoc non dixit, Postquam illam in vxorem duxerit. Vides quòd consona cum Christo loquitur. Deinde & causam apposuit, quòd abominatio sit coram Deo. Et Moses quidem sic. Propheta autem Malachias multò manifestius, quàm Moses hoc demonstrat. Nunquid dignum respicere ad sacrificium nostrum, vel recipere acceptabile de manibus nostris? Et cum dixisset, cuius ergo? Vxorem adolescentiæ tuæ ne derelinquas. Postea vt ostendat quale sit malum, & priuās omni venia eum qui hoc fecit, in sequentibus accusationem intentat, sic dicens: Et ista socia tua, & vxor pacti tui, & reliquæ spiritus tui, & non alius fecit. Vides quætas apponit iustificationes: primùm ætatem, dicens: Vxor adolescentiæ tuæ. Deinde societatem vitæ, dicens: Et ista socia tua. Postea modum formationis, dicens: Reliquæ spiritus tui. Non enim de terra formata est sicut Adam, sed de formati è terra latere, & hoc est quòd dicit *εργαστήριον* & reliquæ spiritus tui. Ad hæc omnia, quòd omnibus illis maius fuerit, accedit conditoris dignitas. Hoc enim est, quòd non alius fecit. Non potes, inquit, dicere, quòd te quidem Deus fecit, illam verò non Deus, sed alius quidam illo deterior, sed vnus & idem vtrosque vt essent produxit: & ita quanuis nihil aliud, hoc saltem reueritus charitatem erga illum custodi. Nam si sæpe hoc seruis mutæ dilectionis causa fuit, quia ambo vni & eidem domino seruiunt: multò magis nobiscum hoc fieri conuenit, quando eundem, & conditorem, & opificem vtique habemus. Vidisti quomodo etiam in veteri initia & procemia ferè acceperint nouæ philosophiæ præcepta. Nam vbi multo tempore in lege versati essent, & ad consummatiora mandata transire deberent, iamque properaret ipsorum politia, opportuno tempore ad eiusmodi sapientiam illos propheta inducit. Credamus igitur bonæ legi, & nos ab omni confusione liberemus, neque nostras eiiciamus, neque eiectas recipiamus. Nam qua facie virum vxoris aspicias? quibus oculis amicos illius familiares? Nam si is qui mortui coniugis, cuius vxorem accepit, imaginem recumbentem viderit, afficitur aliquo modo, & grauius fert, si viuentem maritum videat eius quæ sibi cohabitata, qualem vitam aget? quo pacto ingrediatur domum? quo animo? quibus oculis? quomodo videbit illius vxorem suam, imò neque illius, neque suam. Iustè quis talem alloqueretur, Adultera nullius est vxor. Fecellit pacta quæ cum illo habuit, & ad te cum honestis legibus non venit. Quæ igitur dementiæ fuerit, rem tot malis plenam in domum inducere? Non sunt enim tam raræ fœminæ, vt super caput tuum tantam inducas perniciem. Quare cum aliæ sint, quas potes pura conscientia, & permittentibus legibus ducere, ad prohibitas currentes domus subuertimus, bella inter amicos excitamus, ac vndique inimicitias nobis conciliamus: ad hæc innumeris acculatoribus ora aperientes, nostram vitam confundimus, & despectam facimus, & quòd omnibus grauius est, inuitabile iudicium in die illo nobis accumulamus. Quid enim dicemus iudicaturus nos, quando legem in medium

Matt. 5.

1. Cor. 7.

medium illatam legerit, dicens: Iussi repudiatam vxorem non ducere, dicens quòd adulterium committatur. Quomodo igitur ausus es ad prohibitas nuptias accedere? Quid dicemus, quid respondebimus? Nunquam enim illic fas externas leges prætexere, sed necessarium tacentes & ligatos in gehennæ ignem imitti, cum adulteris & alienum thorum iniuria afficientibus. Nam quando dimiserit absque causa stupri, quando eiectam viuente viro duxerit, cum eiecta illa punietur. Propter quod oro, obsecro & supplico, ne viri mulieres eiiciant, neque mulieres viros relinquunt, sed audiant Paulum dicentem: Mulier astricta est legi quanto tempore vixerit vir eius. Si autem dormierit vir, libera erit cui volet vt nubat, tantum in domino. Qualem enim habebunt veniam, qui Paulo etiam secundas permittente nuptias post mortem coniugis, & tantam concedente copiam, ante mortem audent talia facere? Quam assequentur defensionem, vel illi qui viuentibus viris vxores accipiunt, vel hi qui vulgatissima scorta accedunt? Etenim & illud est adulterij aliud genus, habere domi vxorem, & foris scortis iungi. Nam quemadmodum mulier habens virum, etiam si famulo vel libero cuiquam vxorem non habenti se exponat, adulterij legibus implicatur: sic & vir licet ad vulgare scortum, vel ad mulierem aliam, quamuis non habentem virum, ipse vxorem habens aberrarit, adulterij reus censetur. Fugiamus igitur & hunc adulterij modum. Quid enim poterimus dicere, quid item prætexere, qui talia audemus, quam honestam excusationem adhibebimus? Naturæ concupiscentiam? sed affisit quidem vxor, quæ semel obtigit hac nos excusatione priuans. Idcirco nuptiæ inuectæ sunt, vt ne scorteris, imò non vxor sola, sed & multi alij, qui eandem quam nos habemus naturam cohibent, hac nos priuant venia. Quando enim conseruus tuus, idem habens corpus, eandem concupiscentiam possidens, eadem necessitate extimulatus, nullam videt mulierem, sed manet sua sola contentus, qualem habebis excusationem, concupiscentiam prætexens? Et quid dico habentes vxores? Cogita mihi eos qui semper in virginitate vixerunt, & contemptis nuptiis magnam præ se tulerunt continentiam. Cum igitur alij absque nuptiis continentes sint, quam tu assequeris veniam cum nuptiis scortans? Hæc & viri & mulieres audiant, ac viduæ ac nuptæ: omnibus enim Paulus loquitur & lex illa, dicens: Mulier astricta est legi quanto tempore vixerit vir illius: si autem dormierit, libera est, cui vult vt nubat, tantum in domino. Et habentibus viros, & non habentibus viduis, & secundum nubentibus marito, & omnibus simpliciter sermo ille utilis est. Nam quæ habet virum, non vult viuente marito illo quærere alium, audiens quòd viuente illo astricta sit. Quæ verò libera, siquidem voluerit secundo nubere, non simpliciter neque temerè hoc faciat, sed cum legibus quæ sunt à Paulo positæ. dicit enim: Libera est, cui vult vt nubat, tantum in domino: hoc est, cum continentia & honestate. Sin voluerit cum defuncto seruare fœdera, audiet repositas sibi coronas, maioremque alacritatem capiet. Beatior enim est, inquit, si sic manserit. Vides quo pacto omnibus sermo ille utilis, & se ad illarum humilitatem demittit, & istas suis laudibus non defraudat. Etenim quòd de nuptiis & virginitate fecit, hoc & de prioribus & secundis nuptiis: quemadmodum illic non exclusit nuptias, vt ne grauet infirmiores, neque necessitatem imposuit, vt ne volentes virgines agere propofitis coronis spoliaret: Sed demonstrauit quidem, quòd bonæ sint nuptiæ, manifestauit autem quòd melior sit virginitas? Ita & hæc quoque eisdem gradus ponit nobis, maiorem scilicet alte-

ro alterum, nempe viduitatem: alterum verò inferiorem, nempe secundas nuptias. Et illas vltius quamuis transilire volens, ad certamen præparans, & infirmiores cadere non permittit. dicens enim: Beatior enim est si sic manserit, vt ne putes humanam esse legem, audiens iuxta meum consilium, subdit: Opinor autem quòd & ego spiritum Dei habeam. Non igitur humanum consilium est vel præceptum, sed gratiæ spiritus sententia ac diuina lex. Idcirco ne putemus quòd audiam Paulum dum hæc dicit, sed Spiritum sanctum qui hanc nobis legem cõdit. Quòd verò dicit, Opinor, non quasi nesciens dicit, sed modestè agens & seipsum humilians. At quia beatiorem dixerat, & non adiecerat quomodo beatiorem, iusta demonstratione data hanc se à spiritu afferre sententiã: quòd si voles etiam rationibus exquirere, magnam demonstrationum copiam inuenies, & videbis beatiorem esse viduam: non solum in futuro sæculo, sed etiam in præsentē vita. Et istuc ipsum maximè vidit Paulus, id quòd de virginibus insinuauit, dicens: Admonens enim & consulens eligendam esse virginitatem, sic alibi dicebat: Opinor, quòd bonum sit homini sic esse propter instantem necessitatem. Et iterum: Etiam si nupserit virgo, non peccauit. Virginem hæc dicēs non eam quæ renunciauit, sed eam duntaxat quæ nondum coniugium experta est, & non factam obnoxiam perpetuæ virginitatis promissione. Tribulationem autem in carne habebūt qui tales sunt: Ego autem vobis parco. Vno enim & breui hoc verbo reliquit cordato auditori vt omnia colligat & expendat, dolores partus, educationes puerorum, curam, infirmitates, mortes intempestiuas, inimicitias, contentiones, innumeris seruire præceptis, alienis malis obnoxiam fieri, innumeras tristitias in vna sua anima recipere. Ab omnibus illis malis liberatur, quæ continentiam amplexatur, & cum liberatione à tot inuicundis, etiam in futura vita magnam repositam habet mercedem. Hæc igitur omnia scientes, studeamus quidem primis nuptiis esse contenti. Si autem & ad secundas aspiramus, fiat hoc decentissimo modo & habitu, nempe iuxta diuinas leges. Propter hoc enim dixit: Libera est, cui vult vt nubat: & subdidit, Tantum in domino: simul & licentiam dans, & licentiam excludens, & potestatem concedens, & potestati illi vndique leges ac terminos ponens: videlicet ne pollutos & corruptos viros in domum introducat mulier, & stuprum sectantes, sed cum honestate & modestia, ac pietate, vt omnia in gloriam Dei fiant. Quoniam enim sæpius multæ mulieres prioribus viris defunctis, adulterio prius cõmisso alios introducunt, aliæ autem alias pessimas vias excogitarunt: propter hoc adiecit, Tantum in domino, vt nihil horum secundæ nuptiæ habeant: sic enim à criminibus liberæ esse poterunt. Optimum enim foret expectare defunctum, & seruare leges cum illo initas, continentiamque eligere, & manere cum derelictis pueris maiorem Dei beneuolentiam sic conciliando. Et si quæ secundo nubere marito vult, cum modestia ac honestate, & decentissimis legibus hoc faciat, quandoquidem & hoc permittit. Fornicatio autem sola & adulterium prohibentur. Hanc igitur fugiamus & coniuges & cœlibes, nec confundamus vitam nostram, vitamque agamus ridiculam, neque polluamus corpus, neque malam conscientiam in mentem inducamus. Quomodo enim post consuetudinem cum scortis in ecclesiam venire poteris? quomodo manus quibus scortum contrectasti in cœlum extendere audebis? Quibus oculis intueberis amicos honestiores? Et quid dico amicos? etiam si nullus conscius sit, tu teipsum cogis maximè omnium rubore ac confusione perfundere, & maximè

1. Cor. 7.

Ibidem.

Ibidem.

viuentes, alioqui adulterium perpetrabunt. Ne mihi leges ab exteris conditas legas, præcipientes dari libellum repudij, & diuelli. Neque enim iuxta illas iudicaturus est te Deus in die illa qua venturus est, sed secundum suas, ut ipse statuit. Etiam externæ leges, non simpliciter, nec absolutè hoc posuerunt: nam & ipsæ puniunt factum, & hinc liquet, quòd peccatum valde ægrè tulerint. Vnde eam quæ auctor fuerit repudij, nudam & spoliatam facultatibus eiiciunt, ut vnde fuerit dissolutionis occasio, etiam facultatū sit iactura. Nunc puniunt, & idcirco hoc facientes, factum illud non commendabant. Quid igitur? Et Moses, aiunt, hoc fecit: & ille propter istam causam. Tu verò audi Christum dicentem, Nisi abundauerit iustitia vestra vltra Scribarum & Phariseorum, nequaquam intrabis in regnum cælorum. Audi illum dicentem: Qui dimiserit vxorem suam, excepta causa stupri, facit illam adulteram fieri: & qui dimissam in vxorem duxerit, adulter fit. Propter hoc venit vnigenitus filius Dei, propter hoc serui formam assumpsit, propter hoc sanguinem effudit preciosum, mortem destruxit, peccatum extinxit, largiorem spiritus gratiam dedit, ut ad maius sapientiæ studium induceret. Aliàs etiam non ita simpliciter legem hanc tulit, sed cum cogeret se attemperare eorum quibus legem dabat infirmitati. Nam quoniam ad cædes prompti erant, & domus cognato replebant sanguine, & neque suis, neque alienis parcebant, ne intus occiderent vxores, quæ ingratae erant, præceperit foris mittendas, quò grauius malum, nempe homicidiorum facilitas tolleretur. Sanè quòd homicidæ quidam fuerint, audi prophetas dicentes: Ædificantes Sion in sanguinibus, & Hierusalem in iniustitiis. Et iterum: Sanguinem sanguini miscent. Et iterum: Manus vestrae sanguinis plenæ. Et quòd non solum contra alienos, sed etiam contra suos sæuierint, & ita manifestans propheta dicebat: Sacrificauerunt filios suos & filias suas dæmoniis. Qui autem non parcebant liberis, utique nec vxoribus pepercissent. Vnde ad hoc commodum illud permisit. Quapropter & Christus Iudæis rogantibus, & dicentibus: Quomodo igitur Moses permisit dare libellum repudij, ostendens, quòd non contrariam legem fert, sic alicubi dixit: Moses iuxta duritiam cordis vestri locutus est, ab initio autem non erat sic: sed qui fecit ab initio, masculum & foemina fecit illos. Si hoc fuisset, inquit, non vnum virum & vnam mulierem fecisset, sed vno Adam condito duas fecisset mulieres, siquidem voluisset vnam quidem eiici, alteram verò induci. Nunc verò ipso formationis modo legem induxit, quam ego nunc scribo. Et quænam est illa? Hæc utique, Eam sibi quisque vxorem seruet semper, quam initio sortitus est. Hæc lex antiquior, quàm illa de libello repudij, & intantum quantum Adam ipso Mose. Et idcirco nunc nihil nouum sector, neque peregrina affero decreta, sed ea quæ Mose antiquiora & priora fuere. Dignum autem fuerit & Mosis legem illam quam de hac re posuit audire: Si quis, inquit, acceperit vxorem, & habitauerit cum illa, & erit: si non inuenerit gratiam coram illo, quia inuenit in illa turpitudinis rem, scribat illi libellum repudij, & det in manum eius: imò non dixit, scribito & dato, sed quid? Scribet illi libellum repudij, & dabit in manus eius. Magnum autem inter hoc & illud discrimen: nam dicere, Scribat libellum repudij, & det in manus eius, iubentis ac imperantis est. Dicere autem, Scribet libellum repudij, & dabit in manus eius, annunciantis factum, & non propriam legem introductis est. Igitur si quis dicat, Eijciat vxorem, & dimittat illam ex domo sua: & cum abierit, si fuerit alteri vi-

Matt. 5.

Ibidem.

Mich. 3.

Osee 4.

Esa. 59.

Psal. 105.

Matt. 19.

Deut. 24.

ro, & odio illam habuerit etiam vir posterior, & scribet illi libellum repudij, & dabit in manus suas, & emittat illam ex domo sua: si mortuus fuerit illius vir, qui acceperit sibi illam vxorem, non poterit vir prior, qui dimiserat illam redire, & accipere eam sibi in vxorem. Deinde monstrans, quòd non dixit de facto, non enim coniugium esse putat, sed propter infirmitatē illorum descendit, dicens: Non poterit vir prior accipere illam sibi in vxorem, addidit. Postquam polluit illam: declarans per huius verbi modum, quòd secundæ nuptiæ viuentē priore viro, pollutio magis sit quàm coniugium: propter hoc non dixit, Postquam illam in vxorem duxerit. Vides quòd consona cum Christo loquitur. Deinde & causam apposuit, quòd abominatio sit coram Deo. Et Moses quidem sic. Propheta autem Malachias multò manifestius, quàm Moses hoc demonstrat. Nunquid dignum respicere ad sacrificium nostrum, vel recipere acceptabile de manibus nostris? Et cum dixisset, cuius ergo? Vxorem adolescentiæ tuæ ne derelinquas. Postea ut ostendat quale sit malum, & priuās omni venia eum qui hoc fecit, in sequentibus accusationem intentat, sic dicens: Et ista socia tua, & vxor pacti tui, & reliquiæ spiritus tui, & non alius fecit. Vides quætas apponit iustificationes: primùm ætatem, dicens: Vxor adolescentiæ tuæ. Deinde societatem vitæ, dicens: Et ista socia tua. Postea modum formationis, dicens: Reliquiæ spiritus tui. Non enim de terra formata est sicut Adam, sed de formati è terra latere, & hoc est quòd dicit *ἡ γυνή ἡ κλίμα* & reliquiæ spiritus tui. Ad hæc omnia, quòd omnibus illis maius fuerit, accedit conditoris dignitas. Hoc enim est, quòd non alius fecit. Non potes, inquit, dicere, quòd te quidem Deus fecit, illam verò non Deus, sed alius quidam illo deterior, sed vnus & idem utrosque ut essent produxit: & ita quauis nihil aliud, hoc saltem reueritus charitatem erga illum custodi. Nam si sæpe hoc seruis mutæ dilectionis causa fuit, quia ambo vni & eidem domino seruiunt: multò magis nobiscum hoc fieri conuenit, quando eundem, & conditorem, & opificem vtrique habemus. Vidisti quomodo etiam in veteri vitæ & procemia ferè acceperint nouæ philosophiæ præcepta. Nam vbi multo tempore in lege versati essent, & ad consummatoria mandata transire deberent, iamque properaret ipsorum politia, opportuno tempore ad eiusmodi sapientiam illos propheta inducit. Credamus igitur bonæ legi, & nos ab omni confusione liberemus, neque nostras eiiciamus, neque eiectas recipiamus. Nam qua facie virum vxoris aspicias? quibus oculis amicos illius familiares? Nam si is qui mortui coniugis, cuius vxorem accepit, imaginem recumbentem viderit, afficitur aliquo modo, & grauius fert, si viuentem maritum videat eius quæ sibi cohabitabit, qualem vitam aget? quo pacto ingredietur domum? quo animo? quibus oculis? quomodo videbit illius vxorem suam, imò neque illius, neque suam. Iustè quis talem alloqueretur, Adultera nullius est vxor. Fecellit pacta quæ cum illo habuit, & ad te cum honestis legibus non venit. Quæ igitur dementiæ fuerit, rem tot malis plenam in domum inducere? Non sunt enim tam raræ foeminae, ut super caput tuum tantam inducas perniciem. Quare cum aliæ sint, quas potes pura conscientia, & permittentibus legibus ducere, ad prohibitas currentes domus subuertimus, bella inter amicos excitamus, ac vndique inimicitias nobis conciliamus: ad hæc innumeris acculatoribus ora aperientes, nostram vitam confundimus, & despectam facimus, & quòd omnibus grauius est, inuitabile iudicium in die illo nobis accumulamus. Quid enim dicemus iudicatu nos, quando legem in medium

Matt. 5.

1. Cor. 7.

medium illatam legerit, dicens: Iussi repudiatam vxorem non ducere, dicens quòd adulterium committatur. Quomodo igitur ausus es ad prohibitas nuptias accedere? Quid dicemus, quid respondemus? Nunquam enim illic fas externas leges prætexere, sed necessarium tacentes & ligatos in gehennæ ignem immitti, cum adulteris & alienum thorum iniuria afficientibus. Nam quando dimiserit absque causa stupri, quando eiectam viuentē viro duxerit, cum eiecta illa punietur. Propter quod oro, obsecro & supplico, ne viri mulieres eiiciant, neque mulieres viros relinquant, sed audiant Paulum dicentem: Mulier astricta est legi quanto tempore vixerit vir eius. Si autem dormierit vir, libera erit cui volet ut nubat, tantum in domino. Qualem enim habebunt veniam, qui Paulo etiam secundas permittente nuptias post mortem coniugis, & tantam concedente copiam, ante mortem audent talia facere? Quam assequantur defensionem, vel illi qui viuentibus viris vxores accipiunt, vel hi qui vulgatissima scorta accedunt? Etenim & illud est adulterij aliud genus, habere domi vxorem, & foris scortis iungi. Nam quemadmodum mulier habens virum, etiam si famulo vel libero cuiquam vxorem non habenti se exponat, adulterij legibus implicatur: sic & vir licet ad vulgare scortum, vel ad mulierem aliam, quamuis non habentem virum, ipse vxorem habens aberrarit, adulterij reus censetur. Fugiamus igitur & hunc adulterij modum. Quid enim poterimus dicere, quid item prætexere, qui talia audemus, quam honestam excusationem adhibebimus? Naturæ concupiscentiam? sed assistit quidem vxor, quæ semel obtigit hac nos excusatione priuans. Idcirco nuptiæ inuectæ sunt, ut ne scorteris, imò non vxor sola, sed & multi alij, qui eandem quam nos habemus naturam cohibent, hac nos priuant venia. Quando enim conseruus tuus, idem habens corpus, eandem concupiscentiam possidens, eadem necessitate extimulatus, nullam videt mulierem, sed manet sua sola contentus, qualem habebis excusationem, concupiscentiam prætexens? Et quid dico habentes vxores? Cogita mihi eos qui semper in virginitate vixerunt, & contemptis nuptiis magnam præ se tulerunt continentiam. Cum igitur alij absque nuptiis continentes sint, quam tu assequeris veniam cum nuptiis scortans? Hæc & viri & mulieres audiant, ac viduæ ac nuptæ: omnibus enim Paulus loquitur & lex illa, dicens: Mulier astricta est legi quanto tempore vixerit vir illius: si autem dormierit, libera est, cui vult ut nubat, tantum in domino. Et habentibus viros, & non habentibus viduis, & secundo nubentibus marito, & omnibus simpliciter sermo ille utilis est. Nam quæ habet virum, non vult viuentē marito illo quærere alium, audiens quòd viuentē illo astricta sit. Quæ verò libera, siquidem voluerit secundo nubere, non simpliciter neque temerè hoc faciat, sed cum legibus quæ sunt à Paulo positæ. dicit enim: Libera est, cui vult ut nubat, tantum in domino: hoc est, cum continentia & honestate. Sin voluerit cum defuncto seruare foedera, audiet repositas sibi coronas, maioremque alacritatem capiet. Beatior enim est, inquit, si sic manserit. Vides quo pacto omnibus sermo ille utilis, & se ad illarum humilitatem demittit, & istas suis laudibus non defraudat. Etenim quòd de nuptiis & virginitate fecit, hoc & de prioribus & secundis nuptiis: quemadmodum illic non exclusit nuptias, ut ne grauet infirmiores, neque necessitatem imposuit, ut ne volentes virgines agere propositis coronis spoliaret: Sed demonstrauit quidem, quòd bonæ sint nuptiæ, manifestauit autem quòd melior sit virginitas? Ita & hinc quoque eosdem gradus ponit nobis, maiorem scilicet alte-

ro alterum, nempe viduitatem: alteruth verò inferiorem, nempe secundas nuptias. Et illas vltius quamuis transilire volens, ad certamen præparans, & infirmiores cadere non permittit. dicens enim: Beatior enim est si sic manserit, ut ne putes humanam esse legem, audiens iuxta meum consilium, subdit: Opinor autem quòd & ego spiritum Dei habeam. Non igitur humanum consilium est vel præceptum, sed gratiæ spiritus sententia ac diuina lex. Idcirco ne putemus quòd audiamus Paulum dum hæc dicit, sed spiritum sanctum qui hanc nobis legem cõdit. Quòd verò dicit, Opinor, non quasi nesciens dicit, sed modestè agens & seipsum humilians. At quia beatiorem dixerat, & non adiecerat quomodo beatiorem, iuxta demonstrationem data hanc se à spiritu afferre sententiã: quòd si voles etiam rationibus exquirere, magnam demonstrationum copiam inuenies, & videbis beatiorem esse viduam: non solum in futuro sæculo, sed etiam in præsentē vita. Et istuc ipsum maximè vidit Paulus, id quòd de virginibus insinuauit, dicens: Admonens enim & consulens eligendam esse virginitatem, sic alibi dicebat: Opinor, quòd bonum sit homini sic esse propter instantem necessitatem. Et iterum: Etiam si nupserit virgo, non peccauit. Virginem hinc dicēs non eam quæ renunciauit, sed eam duntaxat quæ nondum coniugium experta est, & non factam obnoxiam perpetuæ virginitatis promissione. Tribulationem autem in carne habebūt qui tales sunt: Ego autem vobis parco. Vno enim & breui hoc verbo reliquit cordato auditori vt omnia colligat & expendat, dolores partus, educationes puerorum, curam, infirmitates, mortes intempestiuas, inimicitias, contentiones, innumeris seruire præceptis, alienis malis obnoxiam fieri, innumeras tristitias in vna sua anima recipere. Ab omnibus illis malis liberatur, quæ continentiam amplexatur, & cum liberatione à tot iniucundis, etiam in futura vita magnam repositam habet mercedem. Hæc igitur omnia scientes, studeamus quidem primis nuptiis esse contenti. Si autem & ad secundas aspiramus, fiat hoc decentissimo modo & habitu, nempe iuxta diuinas leges. Propter hoc enim dixit: Libera est, cui vult ut nubat: & subdidit, Tantum in domino: simul & licentiam dans, & licentiam excludens, & potestatem concedens, & potestati illi vndique leges ac terminos ponens: videlicet ne pollutos & corruptos viros in domum introducat mulier, & stuprum sectantes, sed cum honestate & modestia, ac pietate, ut omnia in gloriam Dei fiant. Quoniam enim sapius multæ mulieres prioribus viris defunctis, adulterio prius cõmisso alios introducunt, aliæ autem alias pessimas vias excogitarunt: propter hoc adiecit, Tantum in domino, ut nihil horum secundæ nuptiæ habeant: sic enim à criminibus liberæ esse poterunt. Optimum enim foret expectare defunctum, & seruare leges cum illo initas, continentiamque eligere, & manere cum derelictis pueris maiorem Dei beneuolentiam sic conciliando. Et si quæ secundo nubere marito vult, cum modestia ac honestate, & decentissimis legibus hoc faciat, quando quidem & hoc permittit. Fornicatio autem sola & adulterium prohibentur. Hanc igitur fugiamus & coniuges & cœlibes, nec confundamus vitam nostram, vitamque agamus ridiculam, neque polluamus corpus, neque malam conscientiam in mentem inducamus. Quomodo enim post consuetudinem cum scortis in ecclesiam venire poteris? quomodo manus quibus scortum contrectasti in cœlum extendere audebis? Quibus oculis intueberis amicos honestiores? Et quid dico amicos? etiam si nullus conscius sit, tu teipsum cogis maximè omnium rubore ac confusione perfundere, & maximè

1. Cor. 7.

Ibidem.

Ibidem.

omnium corpus propriū abominari. Nam nisi hoc efferet, quare ad balneum post peccatum illud curris, nonne quia omni luto immundiorum teipsum esse censes? Quam igitur maiorem immunditiæ tuæ probationem quæris, vel quem Deum expectas sententiā daturum, quando tu ipse negligens Deum, talem de factis tuis sententiam tenes? Igitur quod impuros se esse censent, valde laudo & approbo. Quod autem non rectum purificandi modum habent amputo, & propterea reprehendo. Nam si corporalis macula esset, verisimile est, quod balneorum purificationibus corpus ipsum ablueres, animam autem coinquines: talem quare purificationem, quæ illius maculam abluere poterit. Quod autem est illius maculæ balneum? Calidi lacrymarum fontes, gemitus è profundo cordis ascendentes, compunctio perpetua, preces continuæ, eleemosynæ, & eleemosynæ largæ, non ultra hæc opera attentare, condemnare quod factum. Ita peccati natura abluatur, ita expurgatur animæ macula. Atque aded si hæc non fecerimus, etiam si in omnes fluminum fontes descenderimus, neque parum illius peccati depellere poterimus. Imò quod melius, ne attentemus hoc abominabile peccatum. Si quis autem aliquando supplantatus fuerit, hæc subiiciat remedia, prius promittens non ultra in hæc prolapsurum. Sed si peccantes condemnauerimus quidem ea, quæ iam fecimus, iterum autem eadem attentamus, nulla erit purificationis utilitas. Qui enim abluatur, & eodem luto iterum inquinatur: & qui demolitur iterum quod ædificauit, & qui ædificat iterum, ut destruat: nihil inde lucrificat, quàm quod frustra laborat, & ærumnosus est. Igitur & nos ne in vanum & frustra vitam infumamus, priora peccata expurgemus, & quod reliquum est vitæ in continentia & honestate cæterisque virtutibus agamus, ut & Deum misericordem habentes regnum cælorum assequamur, cui sit gloria in sæcula. Amen.

Diui Ioannis Chrysostomi sermo, in dictum Apostoli: Nolo vos ignorare fratres, quod patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare transfuerunt.

1. Cor. 10.



AVTÆ eam maris partem magis amant, quæ frequentibus insulis & portubus diuisa est. Mare enim ubi portus caret, etiam si placidum sit, nauigantibus multum timorem incutit: ubi autem portus & littora vnde quaque obuia fuerint, ibi valde securè nauigatur, etiam si mare tempestatibus sæuiat: facillè tamen, & breui ab vrgentibus malis liberari possunt, non longè absente refugio: & eapropter non solum quando prope portum nauigant, sed & si multum absint, ingentem ab aspectu consolationem accipiunt. Non enim vulgare illorum animas reparare solent, etiam ea quæ procul videntur, uti vertices montium, exurgens fumus, & ouium greges in montibus pascentes. Verum, ubi litus ingrediuntur, plena tunc perfruuntur lætitia, tunc & laborem remittunt, & corpora mirè exasperata, potabilibus oblectant aquis: egressisque in littus, & nudis per terram ambulantes corporibus, omne nauticum tædium deponunt. Sicut autem illi hanc potissimum maris amplexantur partem ob frequentes & continuas refocillationes, sic & ego hanc anni partem præcipuè amo. Non quod liberati simus hyeme, neque quod æstate perfruiamus, blandè afflante zephyro: sed quia crebri nos excipiunt spiritales portus, festi inquam sanctorum martyrum dies. Non enim portus tam idonei sunt ad refocillandos nautas, quàm recreantur fideles sanctorum solenniis. Nautas quidem littora liberant ab inun-

atione, multoque impetu marinorum fluctuum: sanctorum autem memoria fideles ad martyrum festa confluentes, erigit à malignis spiritibus, immundisque ac absurdis cogitationibus, magna animabus eorum reddita tranquillitate. Et si quis vel ex publicis, vel ex priuatis negotiis merore obrutus adueniat: statim omni eo deposito, & leuior, & placidior abit. Non vnum quidem deponens, neque amplius suspendens, sed dissoluens importabile & multiplex onus secularis tristitiæ, & multam in anima sua lætitiā excipiens. Horum omnium testes estis, qui beati Barlaam præmiis heri oblectati, & magna alacritate huc festinantes, abluistis secularium curarum sudorem. Iterumque domum leues auditis nostris sermonibus concessistis. Ecce & aliorum martyrum alia accedit festiuitas. Igitur ut ad illorum portum festinemus, agè, nautas imitemur: & sicut illi nauigantes pelagus cantant, cantu laborem mulcentes: sic & nos donec ad illorum portum veniamus, spiritales quosdam inter nos conferamus sermones. Beatum Paulum ducem eius colloqui habentes, quorsum ille iusserit, sequamur. Et quod nos sequi iubet, pereremus, & viam miraculorum quæ in eremo contigerunt. Audite enim ipsum hodie clamantem, & dicentem: *Nolo enim vos ignorare fratres, quod patres nostri omnes sub nube erant, & omnes per Moysen baptizati sunt in nube & mari, & omnes eandem escam spiritalem comederunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Biberunt enim de spiritali, quæ illos comitabatur, petra: petra vero fuit Christus. Sed plures illorum non approbant Deum, prostrati enim sunt in deserto: hæc autem figura nostri fuere. Ne nos simus concupiscentes rerum malarum, quemadmodum & illi cupierunt. Neque simulachrorum sitis cultores, sicut quidam illorum. Quemadmodum scriptum est: Sedit populus ut ederet & biberet, & surrexerunt ad ludendum. Neque stupris inquinemur, sicut quidam illorum stupris polluti sunt, & ceciderunt vno die viginti duo millia. Neque tentemus Christum, sicut quidam illorum tentauerunt, & à serpentibus extincti sunt. Neque murmuretis, sicut & quidam illorum murmurauerunt: & extincti sunt ab exterminatore.* Videntur quidem hæc quæ dicta sunt manifesta, diligenter tamen attendentibus dubitationem adferunt haud vulgarem: etenim primum interrogatur quare veteris historiæ meminit, & qua consequentia, cum de his disputaret quæ idolis sint immolata. In hanc narrationem incidit, afferens in medium quæ in eremo contigerunt. Non simpliciter, neque fortuito beatus ille loquitur, sed magna conuenientia & proportione, qui dicta eius obseruat, cohærere videt vndique. Quare ergo, & vnde in hanc incidit historiā? Increpabat eos qui remerere & non requisiti ad idola ingrediuntur, pollutum comedentes mensam, & tangentes idolothya. Et cum ostendisset quod duplex damnus illi inde sustinerent (nam & infirmiores offendebant, & ipsi dæmoniorum participes erant: & cum per prædicta satis spiritus eorum humiliasset & docuisset, ostendit fidelem spectare non solum quæ sua sunt debere, sed & quæ multorum) volens ipsis timorem incutere, veterem historiā eis recenset, siquidem & illi magna de se sentiebant, quasi fideles & ab errore liberati, & scientiam assecuti: & inefabilem sacramentorum participes facti, necnon & ad regnum cælorum vocati. Volens ergo declarare, quod illorum nulla sit utilitas, nisi adsit & vita tantæ gratiæ respondens, ex veteri historia ipsos erudit: in super etiam hoc multiplicem in se quæstionem complectitur. Cur non potius per verba Christi in Euangelio posita cum ipsis disputat? Cur non meminit gehennæ, & exterminarum tenebrarum, & venenati vermis, & perpetuorum vinculorum, & ignis præparati diabolo, & stridoris den-

Math. 7.

Ibid. 25.

Ibid. 22.

597 IN DICTVM PAVLI, NOLO VOS IGNORARE FRATRES, &c. 598
 doris dentium, & aliorum indicibilium suppliciorum? A
 terrere enim volens, hoc facere debebat, non ab iis quæ in eremo contigerunt. Nam illi licet puniti sint, mitius tamen & temporaliter, & vno tantum die: isti autem immortalibus & multo grauioribus suppliciis. Quare ergo nõ inde ipsos terruit, neque verbum Christi recensuit? Poterat enim dicere ad læsos: Nolim vos ignorare fratres, quales Christus posuit leges aduersus eos qui fidem quidem habent, vitam autem optimam non præ se ferunt. Etenim homines qui miracula operati sunt, & futura prædixerunt, regno cælorum eiiciebat, dicēs: Multi dicent mihi in die ipsa, Domine domine, nõne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo prophetauimus, & virtutes multas fecimus? & tunc confitebor ipsis: Discedite à me, non noui vos qui operamini iniquitatem. Et virgines quidem non propter fidem & dogma, sed propter peruersam vitam, & immisericordiam, & crudelitatem arguit, & thalamo exclusit: & cum qui indutus erat sordido amiculo, propterea vincitum eiecit, non quia non habebat recta dogmata, sed quia vitam sordidam & impuram. Et quare iussit in ignem intrudi diabolo præparatum? Non ideo eò misit, quia fide exciderant, sed quia nullius miserti erant. Horum omnium & talium memoriā potuit facere, & dicere: Non volo vos ignorare fratres, quod illi omnes & baptismum assecuti sunt, & participes sanctorum facti: & communicarunt mysteriis, & fidem multam ostenderunt, & perfectam habuerunt scientiam: sed quia vitam filij consonam non egerunt, regno eieci, & igni traditi sunt. Quare igitur hæc non dixit? sed omissis istis omnibus, sic fermè ait: Nolo autem vos ignorare fratres, quod patres nostri omnes sub nube fuerunt: & commemoratis Moysiæ, obtinuit ea quæ sub gratia dicuntur. Non simpliciter, neque absque ratione hoc facit: Magna enim præditus erat sapientia. Sed quidnam ait, & propter quid? Volebat ostendere, idem duobus illis testamentis tradi, & magnam cognitionem veteris & noui testamenti. Quandoquidem multi sunt homines, qui gehennam esse non credunt, & neque esse supplicium: sed Deum simpliciter minari vermem immortalem & ignem inextinguibilem, & tenebras externas incutiendæ formidinis & eruditionis causa: sed non possunt fidem præteritis abnegare. Nam quæ facta sunt, quo pacto possent quis dicere non fuisse facta? Nam his quidem quæ nondum apparuerunt, neque in opus procefferunt, multi fidem non habent: iis autem quæ facta sunt, etiam qui valde incorrigibilis, & reprobae mentis, neque si veller, poterit non credere, eo quod valde confessa sint, & finem sortita, eorumque multæ super sint reliquiæ. Vult igitur eos non vacillare in fide, iusto Dei iudicio, quasi diceret: si putas non esse gehennam, neque pœnam & supplicium, sed Deum ita simpliciter esse minatum, animo repete quæ præterita sunt, & futura crede. Nam si idem est Deus, qui & prius & quæ nunc sunt gubernat, & tam ea quæ ad veterem legem, quàm ea quæ ad gratiam pertinent: cum igitur idem sit, qua ratione constabit, illos quidem peccantes puniri, nos verò hæc & multo grauiora illis admittentes impunes relinqui? Rogo igitur, fornicatiue sunt Iudæi: & puniti sunt. Obmurmurauerunt, & puniti sunt, necessarium omnino fuerit confiteri. Quomodo igitur animaduertet in illos, te autem eadem committentem despiciet? non est rationi consonum. Sed non dedisti hic pœnam, propterea magis crede gehennam esse & supplicium, quia pœnam hic non dedisti. Nam si in futuram vitam non esset supplicium repositum, nequaquam impunitus mansisses, qui ausus eadem es quæ priores illi. Tu ergo si reprehendis lasciuum aliquem & dissolutum, multæque intemperantiæ, & dicit ad te quod & sint fabulæ, & non sit supplicium neque gehenna, sed solum Deus terrere voluerit: dic ad ipsum, si non credis futura, quoniam non apparēt neque euenerunt, neque ante oculos nostros sita sint: non tamen est possibile fidem abnegare iis quæ facta sunt, & quæ finem sortita. Cogita Sodomam & Gomorrhā, regio illa propter nullum aliud peccatum tantum luit supplicium, quàm quod illius ciues illicitos in duxere coitus, & illicitos amores, & leges naturæ radicitus subuertēre. Qua igitur ratione constabit Deum, qui nunc idem est, qualis tunc erat, illos quidem cum peccarent, absque omni venia puniisse, te autem qui post illos peccasti, tantò maiori supplicio dignum, quantò maiorem sortitus es gratiam, & emendatus illorum suppliciis nihil profecisti, impunitum relinquere? Et propterea Paulus nihil iam de gehenna dicit: quia multis futura parum credita sunt ab eis quæ iam contigerunt, & de quibus sufficienti fide instructi sunt, ipsos erudire vult. Tam licet futura sint terribiliora, imperfectis tamen hominibus præterita magis credibilia sunt, vnde & ipsa futuris magis terrere solet: propterea & hic eis differit ea, quæ nec valde impudens inficiari, vel discredere possit. Insuper & Marcioni, & omnibus qui eodem laborant morbo, intempestiuam plagam infert. Nam si non est idem Deus veteris & nouæ, qui & tunc legem statuit, & hæc facturus est, superfluc mihi narras hæc o Paule, & nullum timorem auditoribus infers. Potest enim auditor dicere, quod si alius est ille Deus, & alius iste: non omnino iste iudicat iuxta illius sententiam, neque eadem seruabit leges. Quid enim si Deo veteris legis visum est omnes punire, & afficere suppliciis, quid terret? Quas laruas profers? Alium habeo dominum me iudicaturum, ita ut si alius sit Deus veteris, alius nouæ legis, Paulus omnino secus quàm volebat, fecit. Non enim solum non terruit audientem, sed omni timore & angustia liberauit: quod certè nullus hominum fecit, quamuis ille insipiens. Minus ergo Paulus tanta repletus sapientia ita docet. Vnde manifestum quod vnus & idem Deus, qui & Iudæos in errore prostrauit, & peccatores puniturus est, alioqui non idem & sibi constans esset. Iterum enim idem dicam per ea quæ olim ab eo facta sunt, & nos de futuris terret, quādoquidem idem est. Expectationem supplicij tam certam, cui contradicere non potest, induxit, monstrans quod reuerentia & timore opus sit. Nam qui patres puniuit peccantes, nobis non parceret eadem committentibus. Dignum porro est, ut redeamus ad principium narrationis, & reliqua perscrutemur omni adhibita diligentia. Nolo autem vos ignorare fratres. Discipulos fratres vocauit, non à dignitate, sed charitate hoc eos appellans nomine: sciebat enim, & planè sciebat nihil charitati conferendum, & summum dignitatis genus charitatem. Hoc nunc nos quoque primum imitemur, etiam si valde nobis inferiores sint aliqui, ipsos ministerij nominibus appellamus: non solum liberos, sed & seruos: non solum diuites, sed & pauperes. Nam & Paulus non solum Corinthiorum diuites liberos, illustres, & nobiles, sed etiam priuatos & famulos, & omnes indiscriminatim hac appellatione honorauit. In Christo enim Iesu neque seruus, neque liber, neque Barbarus, neque Scythæ, neque sapiens, neque insipiens, sed omnis secularis dignitatis inæqualitas sublata est. Et quid mirum si Paulus seruos sic vocauit, cum & dominus ipse sic vocarit nostram naturam, dicens: Annunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te? Non solum autem vocauit nos fratres, sed & ipse fieri frater voluit, & factus est humana carne induta, naturæ

Gen. 19.

Galat. 3.

Psal. 21. &

Heb. 2.

Heb. 2.

Ibidem.

particeps: quæ utique & ipse Paulus admirans, dicebat: Non angelos apprehendit Deus, sed semen Abraham apprehendit, unde per omnia debuit fratribus assimilari. & iterum: Quia pueros participes fecit carnis & sanguinis, & verisimile est & ipsum horum fuisse participem. Hæc omnia cum audimus, omnem arrogantiam, & fastum, & stultitiam ex anima nostra expellamus, studioque multo id rectè faciamus, familiaribus nominibus & honorem habentibus fratres vocantes: quod licet tenue opus videatur, attamen magnorum bonorum causa est: sicut & multas sæpenumero lites & contentiones fecit omisum. Neque hoc solum, sed & cætera verba diligenter exquirenda sunt: non enim solum posita sunt. Nam cum dixit, Nolui vos ignorare fratres: adiecit, Patres nostri omnes: non dixit Iudæi, neque hi qui Ægyptum exierunt, sed quid? patres nostri omnes, quod modestiam suam indicans, suam cum illis cogitationem non erubescat, tametsi superior illis esset. Et sermone hoc compefcit iterum impudentem linguam, calumniantium veterem legem: nam si illi aduersaretur, neque celeberrimorum nominum fuisset memor, quæ tunc in vniuersum coargui potuissent. Omnes. Non simpliciter dixit, omnes, neque obiter, sed valde sapienter. Nam non semel dixit, sed secundo & tertio, & sæpius, ut discas haud temerè adiectum. Dixit enim: Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare trāsierunt, & omnes in Mosem baptizati sunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Audisti quod sæpius, omnes, posuit: quod nequaquam fecisset, nisi magnum quiddam, & admirabile sacramentum significare voluisset. Nam si posuisset simpliciter, suffiebat id semel dici, & postea obticeri: ac si diceret, Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & mare trāsierunt, & in Mosem baptizati sunt, & eundem spiritalem cibum comederunt, & eundem potum spiritalem biberunt. Verum non sic dixit, sed in singulis adiecit, omnes: sic nobis aperiendo suæ sententiæ ianuam, quod sua conspiceretur prudentia. Nam cuius gratia continuò eius verbi meminit, nisi ut ostendat magnam esse veteris ad nouam legem cognitionem: & quod illa istorum figura fuerit, & umbra futurorum: & primò quod hoc æqualitatem indicet? Volens enim declarare, quod sicut in ecclesia non est discrimen serui & liberi, neque ciuis & aduenæ, neque senis & adolescentis, neque insipientis & sapientis, neque priuati & principis, neque mulieris & viri: sed omnis ætas, omnis dignitas, & vnaquæque natura æqualiter in baptisterium descendit, etiam rex & pauper eadem purificatione vtuntur: id quod maximum nostræ præsertim nobilitatis est argumentum. Nam similiter & mendicus & purpuram gestas ad mysteria admittuntur, neque in sacramentis maior istius quàm illius est respectus: Sic & in veteri conuenienter, Omnes, posuit. Neque enim dicere potes, quod Moses per aridam, Iudæi per mare trāsierunt: neque quod abundantes per vnâ, & indigi per aliam viam: neque mulieres sub sereno, viri sub nube fuerint: sed & sub mari omnes, & sub nube omnes, & in Mosem omnes. Nam transitus ille futuri baptismi typus erat: oportebat igitur primùm figurâ illam bene omnia figurare, quod omnes ipsam tenerent, sicut & hic omnes ex æquo participes sunt. Et quomodo ipse ait illud figuram præsentium? Si didiceris primùm quid sit figura, & quid veritas, tunc & huius tibi rationes reddemus. Quid igitur est umbra, & quid veritas? Agè, similitudinem ab imaginibus sumamus, quas pictores pingunt. Vidisti sæpe imaginem regiam veneto colore coloratam, deinde pictorem circumducere candidas lineas, & facere regem & seruum regium, & equos circumstâtes, & lancearios,

& vincos hostes, & subditos: & cum hæc vides delineata & adumbrata, neque scis totum, neque ignoras totum, sed quod homo pingitur, & equus, obscure cognoscis: qualis autem sit rex, & qualis hostis, non valde perspicue cognoscis, donec colorum veritas aduenies, certior reddat visum. Sicut igitur in hac imagine non exigis totum ante veritatem colorem: sed est obscuram quandam accipias cognitionem eorum quæ sunt, satis tamen picturam absolutam putas. Sic & de veteri & nouo senti, ut non omnem veritatis diligentiam in typo exquiras. Et poterimus te docere, quomodo vetus ad nouum testamentum habeat cognationem: & ille transitus ad nostrum baptismum. Nam ibi aqua, & hic aqua: lauacrum hic, & ibi pelagus. Omnes hic in aquam ingrediuntur, & ibi omnes. Iuxta hoc similitudo est. Postea vis cognoscere colorum veritatem? ibidem liberati sunt ex Ægypto per mare, hic autem ab idololatria. Et ibi quidem Pharo submersus est, hic autem diabolus: ibi Ægyptij submersi, hic autem vetus homo peccatis defoditur. Et vide cognationem figuræ ad veritatem, & veritatis excellentiam. Neque enim omnino alienum oportet esse typum à veritate, alioqui non esset typus. Neque omnino adæquari veritati, quia alioqui & veritas ipsa foret: sed oportet manere in suo modo, & neque comprehendere omnem veritatem, neque omni veritate destitui. Nam si totum contingat, iterum ipsa est veritas: si autem à toto destituatur, & nulla sit similitudo, consequenter non poterit esse figura. Sed oportet ut partem quidem teneat, partem autem veritatis referuet. Igitur ne in veteri totum à me requiras, etiam si parua quædam & obscura accipis ænigmata, boni hoc consulas. Vbi igitur est affinitas figuræ ad veritatem? omnes ibi, & hic omnes: per aquam sunt ibi, & hic per aquam: à seruitute liberati sunt illi, & nos à seruitute liberati sumus: sed non ab eadem omnes. Nam illi quidem à seruitute Ægyptiorum, nos verò à seruitute demonum: illi quidem à seruitute Barbarorum, nos verò à seruitute peccati. Ad libertatem venerunt illi, & nos: sed non ad eandem. Nam nos ad multò clariorem. Quod si maiora sunt nostra & illis excellentiora, ne mouearis: hoc enim à veritate est, quod sit aliqua excellentia, sed non pugna vel diuersitas cum figura. Quid autem est, Omnes in Mosem baptizati sunt? & forte manifestum est quod dicit. Tentabimus tamen id notius reddere. Mare ante oculos tunc effusum erat, & præceptum illis, ut transirent per aridam & admirabilem quandam viam, quam nullus hominum vnquam transierat. Cum credidissent Mosi, ipsum habentes ducentem itineris, fidenter aquas trāsierunt: hoc & in Christo effectum est. Nam vbi nos eduxit ab errore, & liberauit ab idololatria, ad regnum inducens, ipse primus hanc viam ire cœpit, quoniam primus in cœlos ascendit. Sicut igitur illi Mosi credidère, & iter audacter suscipere: sic & nos in Christo confidimus, & audacter hanc peregrinationem perficimus. Et hoc quod in Mose baptizati sunt, manifestum ex historia est. Non enim in nomine Mosi baptizati sunt. Cum autem nos non solum fortiti sumus ducentem Iesum, sed in nomine eius baptizati sumus, & illi in nomine Mosi non sunt baptizati, ne etiam hic turberis. dixi enim quod oportet veritatem habere excellentiam quandam supra figuram. Vidisti de baptisinate quæ figura, & quæ veritas? Agè, ostendam tibi & mensas, & sacramentorum communionem ibi delineari, si non iterum petis à me totum: sed si requiris quæ facta sunt, sicut par est in adumbratione & figuris videre. Igitur quia dixit de mari, & de nube, & de Mose: adiecit præterea, Et omnes eundem spiritalem cibum comederunt. Sicut tu, inquit, à lauacro aquarum ascendens,

ascendens, ad mensam curris: sic & illi à mari ascendentes, ad mensam venere nouam & admirabilem: de manna loquor. Et iterum, sicut tu admirabilem habes potum, salutarem sanguinem: sic & illi admirabilem habuerunt poculi naturam. Non enim inuenerunt fontes, & amnes manantes, sed à dura & inaquosa petra multam fluminum largitatem acceperunt: propter hoc & spiritalem vocauit. Non quod natura talis esset, sed quod hoc modo suppeditabantur. Non enim secundum naturam conuenientiam ipsis dabatur: sed secundum operationem Dei ipsos ducentis. Vnde & cum hoc corrigeret, ita dicebat. Igitur quia dixit: Omnes eundem potum spiritalem biberunt: aqua autem erat quæ bibeatur. Volens ostendere quod propter hoc spiritale dixit, non ob naturam aquæ, sed ob modum quo suppeditabatur illis, adiecit: Bibeant enim de spiritali eos consequente petra, petra autem erat Christus. Non, inquit, natura lapidis, sed efficax virtus Dei fontes illos scaturire faciebat. Et hic Pauli Samosatani hæresim radicatus euellit. Si enim Christus illa omnia operabatur, quo modo ipsum tunc primùm cœpisse dicunt, quando ex Maria natus est? Cum enim ea quæ in eremo contigerunt, multo tempore ante Mariam facta sunt, & Christus iuxta Pauli vocem hæc omnia fecit, necesse & ante hunc partum & parturitionem ipsum esse. Non enim qui nullibi erat, has fuisset operatus tam admirabiles atque raras res. Sicut autem dixit quod omnes per mare trāsierunt: sic nobilitatem ecclesiæ præfigurauit, cum dixit: Eundem spiritalem cibum comederunt. Hoc idem rursus insinuauit: sic enim in ecclesia non aliud quidem corpus diues, aliud verò pauper: neque alium quidem sanguinem ille, alium autem iste. Sic & tunc non aliud quidem accipiebat diues manna, aliud verò pauper: neque alterius fontis iste particeps erat, alterius verò indigentioris ille. Sed sicut nunc eadem mensa & idem poculum, eadem & educatio omnibus qui huc ingrediuntur proponitur: sicut & tunc idem manna & idem fons omnibus proferebatur. Et hoc utique mirabile & rarum. Tentauerunt tunc aliqui per tempus illud plusquam opus fuerat colligere, & nullum auaritiæ suæ fructum accipiebant: & quandiu æqualitatem colebant, mansit manna quod manna erat: postquam autem avari plus habere desiderauerunt: auaritia mutauit manna in vermem, quamuis hoc non cum detrimento aliorum faciebant. Non enim rapiebant ex alimento proximi, cum plus colligerent: attamen cum plus desiderarent, condemnati sunt. Nam tametsi neminem alium iniuria affecerunt, tamen sibi ipsis maximè nocuere, hoc colligendi modo auaritiæ studentes. Atque sic simul erat cibus, & diuinæ agnitionis instructio, & simul pascebat corpora, & erudiebat animam. Neque pascebat solum, sed à laboribus liberabat. Non enim opus erat iungere boues, neque trahere aratrum, neque sulcos secare, neque ad annum expectare: sed mensam habebant subito appositam, semper recentem & quotidie nouam, rebûque ipsis discebant euangelicum illud præceptum, Non debere esse sollicitum in crastinum. Nulla enim utilitas ipsis ab hac solitudine proueniebat. Nam qui plus colligebat, corrumpebatur & peribat, & auaritiæ argumentum solum dabat. Insuper ne putarent illum imbrem iuxta naturæ consuetudinem esse, nihil talium in die sabbati fiebat, Deo duo illa ipsos docete, quod prioribus diebus ipse mirabilem & priorem pluuiam operabatur: & quod perdidit illum abstinebat, ut inuiti etiam discerent illo die feriari. Non in cibis autem solum, sed & in indumentis & calceamentis & aliis omnibus rebus ipsis videre licebat mandata Apostolis ipsis præcepta. Nam

neque propriam habebant mensam, neque vestem secundam, neque calceos, Deo sic dispensante. Vide quanta veteris ad nouam affinitas. Sicut enim postea Christus Apostolos instruxit quantum ad necessaria, sic & illis quidem vitæ modus adaptatus est, & omnis creatura ad ministerium illorum præparata erat. Et cuius gratia hæc facta sunt? dicit. Conclufurus illos erat in vnum orbis locum, & iussurus ut sibi illic perpetuò ministraret, & neque templum, neque altare alicubi aliud fundarent: sed oblationes & sacrificia sua illuc ferrent, & ferias celebrarent, & legerent legem, & omnes alios sanctificationis illius ritus perficerent. Ne igitur separato ministerij ritu, prouidentiam suam illuc cõcludi putarent, quasi vnus regionis Deus esset, prius suam virtutem in aliena regione declarauit: in Ægypto, in eremo, vbi nullus ministrabat, vbi nullus adorabat: & creatura planè diuersis rebus seruebat, quibus probabat suam potentiam qua primùm condidit orbem, & ita incredulos arguebat. Nam mare alios submergebat, alios saluabat: & aer nunc pluebat grandinem, & perdebat Barbaros: nunc deferebat manna, & Iudæos pascebat. At terra nunc culices ad puniendum hostes, nunc coturnices in salutem eorum proferebat: & illis in die tenebræ, illis in nocte lux erat. Et Ægyptij Nilum habentes propè fluentem, siti & siccitate peribant: hi autem in terra arida & sicca exercitum ducetes, multa aquarum copia fruebantur. Et aduersus illos ranæ pugnabāt, hos autem neque gigantes comprehendere potuerunt. Sed cuius gratia horum memoriam affert beatus Paulus? Ob causam quam principio vobis dixi, ut discas quod neque baptisima, neque peccatorum remissio, neque scientia, neque sacramentorum communio, neque sacra mensa, neque fruitio corporis, neque participatio sanguinis, neque aliquid horum prodesse nobis poterit, nisi vitam rectam, & admirabilem, & omni peccato liberam habeamus. Propter hæc enim meminit recensens figuram baptismatis in mari & nube. Et figuram sacramentorum in manna & petra præfigurauit in veteri. Et cum dixit quod omnes eundem cibum spiritalem comederunt, & eundem potum spiritalem biberunt, adiecit dicens: Sed plures illorum non approbavit Deus. Post hæc & talia miracula ait: Non dilexit ipsos Deus. Sed cur prostrati sunt in deserto? Cuius gratia hæc nobis dicitis o Paule? Hæc figuræ nostri causa factæ sunt, ut neque nos fians concupiscentes rerum malarum, sicut & illi concupierunt: neque idololatrasiam, sicut aliqui horum, ut scriptum est: Sedit populus ut ederet & biberet, surrexeruntque ad ludendum. Vide Pauli prudentiam. Dixit peccatum, dixit causam peccati, dixit pœnam peccato debitam: per ea nos erudiens, ut illorum fugiamus mores, non imitando. Causa peccati, gula. Sedit enim, ait, populus, ut ederet & biberet. Peccatum ipsum, ludus: deinde pœna, prostratio in deserto. Iterum ait, Ne scortemur, quemadmodum illorum quidam scortati sunt. Ibi scortationis causam non posuit, sed pœnam. Qualem autem? Ceciderunt in die vna vigintitria millia. Quare autem non posuit occasionem unde orta scortatio? Studiosis hoc reliquit, ut historiam inquirerent, & inde eius radicem discerent. Ille optimus medicandi modus, dicere unde nascantur morbi, & vulneribus remedia adhibere. Ob hoc ait: Hæc autem omnia figuratiuè contigerunt illis, scripta autem sunt ad nostram admonitionem, atque ad eò qui illa fecit, & reprobos tunc puniuit, idem & nunc nos admonet. Non enim verbis solum, sed etiam operibus ipsis, qui scilicet maximam admonitionis est modus. Vide quo modo cum qui in veteri hæc fecit, magistrum his quæ in gratia instituit: demonstrans quod vnus est

1. Cor. 10.

Exod. 32.

1. Cor. 10.

Math. 6.

& idem qui & illa fecit, & qui hæc per ipsum loquitur. Nam si alius esset, non vocasset illa istorum figuras, neque dixisset ipsa in nostri admonitionem scripta, neque magistrum nobis insituisse, quem non putasset esse Deum: neque per ea quæ ab illo tunc facta sunt, nos terruisset, quasi in illius manus olim casuros. Nunc autem quia monstravit, quod in illius manus iterum sumus casuri: & quod vterque populus & ille & hic illius legibus regantur, meminit omnium illorum, & dixit, quod ad nostri admonitionem scripta sunt. Igitur cum hæc sciamus, tam futuris quam præteritis credamus. Si autem sunt quidam futuris non credentes, illos ad virtutis studium à præteritis inducamus, narremus quæ Sodomitis euenerunt, dicamus de diluio, commemoremus de Ægyptiis, vt aliorum respicientes pœnis, & vitam agant optimam, & fideliter de gehenna & resurrectione credant. Quia & nunc quotquot iudicium non credunt, hoc à vita peruersa & conscientia mala patiuntur: quod si expurgemus ipsorum peccata, & timore futurorum erudiamus, & vt de futuris fideliter sentiant, persuadeamus. Nam sicut mala dogmata impuram inducere cõsueverunt vitam, ita & vita peruersa, dogmatum peruersitatem sepe parit. Quod scilicet ne fiat, ideo verba hæc & nobis omnibus, & aliis cantauimus, vt in recta fide perseverantes, & vitam optimam agamus. Atque hoc vbique sermonibus docui, quia sine ea nulla rectorum dogmatum utilitas. Fiant hæc precibus sanctorum & patronorum omnium, vt seruemus dogmatum rectitudinem, quæ supernè & à progenitoribus accepimus: & adiiciamus illis congruam vitam, & promissa bona consequamur, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, cum quo patri simul & Spiritui sancto sit gloria, imperium, honor, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Diui Ioannis Chrysostomi homilia in dictum Apostoli ad Corinthios: Oportet & hæreses esse.

1. Cor. 11.



ONCIONEM vestram sermone dudum fatis incendi, cum inducerem Hierusalem suarum calamitatum vobis & nunciam, & lamentatricem. Et quia tunc vidi oculos vestros turgidos, lacrymarum flumina producere, mentesque omnium affectionibus confundi ac turbari: ideo statim vt id animaduerti, tragœdia paucis absoluta, sermonem è medio abrui. Eò enim progredi videbatur luctus, vt omnium corda planctibus dissectum iri putarem. Iam anima luctu impedita, nihil sani vel dicere vel audire potest. At quod hæc nunc repeto, quid ad rem? Multum. Nam id quod hodie diximus, admodum simile & cognatum est ei quod hodie adhuc dicere decruimus. Vt enim quæ dicta sunt hodie, ad reprimendam vitæ desidiam, corrigendamque in operibus nostris negligentiam conducunt: ita nunc dicenda circa diligetem articuloꝝ fidei obseruationem securiores nos reddere poterunt, vt sic vnde quaque in mensuram Christi peruenientes, iuxta diuini Apostolum in virum integrum euadamus: & sicut hodie ea quæ ad corpus pertinebant, curabamus: ita nunc quæ ad caput spectant tractabimus, & hodie quidem verba Hieremiæ, nunc autem verba Pauli. Ex verbis verò Pauli, de quibus nunc agendum, hæc nobis proponuntur: Oportet autem & hæreses esse, vt probati manifesti fiant inter vos. Haud contemnendum, quod queritur: Nam si Paulus consulendo diceret, Oportet & hæreses esse, inculpati forent hæresiarçhæ. At qui non ita sentit, neque hoc consulentis, sed futura prædicentis verbum est. Quomodo & medicus videns ægrum gule & ebrietati interdiciturque aliis deditum, dicit: pro-

Coloss. 1.

A fecitò necesse est vt incontinentia hæc febrem pariat: quibus verbis non legem statuit, neque consulit, sed è præsentibus futura coniectat. Similiter & agricola & nauta cum videt conglobari nubes, & audit tonitrua, dicit: Fieri non potest, quin nubes illæ pluuiam & validos imbres pariant. Neque hi laudant sed prædicunt quod apparet. Paulus quoque eadem ratione posuit verbum. Oportet. Et nos sæpenumero cum videmus homines inter se disceptare, grauique dicacitate murum inuadere, dicimus: Oportet quod ex huiusmodi pugna magnum quoddam malum oriatur. Quibus tamen verbis, neque nos consulimus, neque quempiam incitamus: sed quid futurum sit, ex præsentibus diuinamus. Ita sanè nec Paulus aliquid consulit, dum dicit: Oportet etiam hæreses in vobis esse, sed prædicat ac prophætat rem euenturam, cæterum hæreses consulit minime. Ipse enim est, qui dicit: Si angelus vobis aliud euangelizat, præter id quod accepistis, anathema sit. Ipse est, qui circumcisionem prohibuit, cum præter tempus obseruaretur, & puritatem prædicationis euangelicæ inturbaret. Eiiciebat enim illam & dicebat: Si circumcidimini, Christus nihil vobis proderit. At inquit, cur igitur ad hæc causam adiunxit, dicens, Vt probati manifesti fiant inter vos? Vt, in scripturis plerumque non causam significat, sed magis euentum rerum. Exempli gratia: Venit Christus, & cæcum videre fecit, à quo adoratus est: Iudæi autem illo curato faciebant omnia si qua miraculum obfuscare possent, & atque ita Christum repellabant. tunc igitur ait: In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident videant, & qui vident, cæci fiant. Ergone ea de causa venit, vt illi excarentur? Non ideo venit, tamen si ita euenit. Vnde sub figura redditæ causæ narratur euentus. Item, Lex data est, vt impetum peccandi prohibeat, moderatiõneque faciat eos, qui illam acciperent. Sed ob illorum ignauiam diuerso modo accidit, auxit enim peccata. & dicit Paulus: Lex autem subingressa est, vt peccata auget: cum tamen ob hoc potius ingressa fuerit, vt peccata minueret. Etiam si secus acciderit, ob illorum insipientiam qui eam accepere. Sic vtique, vt, nec hic causam reddit, sed euentum indicat. Quandoquidem alia quædam causa est, & origo hæreticorum. Neque inde sunt hæreses, vt probati manifesti fiant, sed aliunde occasiones acceperunt: de qua re audi Christum, qui id nobis declarat: Simile factum est regnum cœlorum homini seminanti semen bonum in agro suo: cumque dormirent homines, venit inimicus homo, & superfeminavit zizania. Vides hæresium causam hanc esse quod homines dormiuerunt, quod negligentes fuere, quod non diligenter his quæ dicta sunt intendere. Quapropter, vt ne quis dicat, quare hoc permisit Christus, dicit Paulus. Nil tibi nocebit ea permissio, si probatus fueris. Inde enim multò clarior & manifestior euades. Nò enim idem fuerit, nullo vel aliquo subuertente, & à nullis vel multis fluctibus pulsatum manere immotum, & non circumactum. Nam vt arbores bene & diligenter radicatae, ventorum vi cum aguntur hinc & inde, solidiores fiunt: sic & bene solidatas in fundamento veræ fidei animas, quæcunque irruunt hæreses, reddunt fortiores, tantum abest ne subuertant. Quid autem de infirmis dicit, qui leui momento circumaguntur, & supplantantur, neque illi ob hærescos impetum, sed ob suam imbecillitatem hoc patiuntur? Imbecillitatem, inquam, non natiuam, sed voluntariam, quæ digna reprehensione, quæ supplicij rea est, quam & nos officiosè corrigimus: cumque emendamus, laudamus: si in emendam relinquitur, puniuntur. Iam vt discas, quia sobrij atque prudentes nocere non possunt: quid est, dicitur, diabolo

Matt. 26. & 27. & Ioan. 13.

Ioan. 15.

Act. 4.

605 IN DICTVM PAVLI, OPORTET HÆRESSES ESSE, &c. 606

diabolo peius, quid etiam inquinatus? Verumtamen A ille tam malus, tamque importunus, tantæque potestate præditus, licet omnes machinas in Iob conuerteret, omnemque pharetram in corpore iusti expleret, ipsum tamen non solum non subuertit, sed & clariorem fecit: & ille quidem nihil in cõmodi à diabolo accepit. Iudæ autem quia negligens erat ac deses, neque Christi consuetudo profuit. Nam post tot consilia, postque plurimas illas admonitiones mansit qualis erat, proditor. Causa autem est, quia Deus non adigit vi, neque cogit si qua non vult. Itaque nec nos sicut neque Iob, modò prudentes sumus, nocere poterit diabolus. At si sobrij prudentesque non fuerimus, sed ignaui, etiam illa quæ prodesse possent, non proderunt: summamque interim faciemus iacturam. Tantum malum est ignaui. Quocirca Iudæis præsentia Christi non solum non profuit, sed & nocuit, non ob Christum, sed ob suam ipsorum malitiam & stuporem: & de hoc audi Christum dicentem: Nisi venissem, ait, & locutus fuisset eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem peccati sui non habent. Vides quomodo illos præsentia Christi etiam venia facit indignos, & omne excusationis effugium tollit: tantum mali est, non attendere sibi ipsi, neque quæ sua sunt sicut par est regere: id quod & in corporibus videre licet. Nam qui oculis laborat, etiam à Sole offendi consuevit: qui autem sanus est, nec à tenebris incommodatur. Hæreo autem diutius in hoc sermone: sunt enim nonnulli, quibus tamen displiceat ignauiam sua, quique se à torpore vindicent, obambulant tamen quærentes frigidam excusatiunculam, & dicunt: Nisi esset diabolus, non periremus: nisi lex esset, non peccaremus: nisi hæreses essent, non supplantaremur. Amice, hæc quas prætexis causæ neminem læserunt vnquam: sicut nihil quoque prodest ei qui salutem suam ignauius aut oscitabundus negligit. Proinde & tale quiddam Paulus insinuans dicit, Vt probati manifesti fiant in vobis, quasi diceret, ne turbemini, ne mœreatis: nihil enim vos nocere poterunt hæreses. Iam tamen de hæresibus sermo sit, non tamen hoc ipsum agitur, quod sermo sonat: id quod vel ex his manifestum. Est enim prophæta, non consilium: prædictio, non adhortatio: euentus, non causa. Neque hoc loco de articulis fidei loquitur, sed de pauperibus & diuitibus, de manducando, & non manducando, de luxu ac intemperantia diuitum, de que pauperibus contemptis. Forte igitur aliquantulum, vt repetamus rem paulò altius, alioqui res vix manifesta erit. Quamprimum Apostoli verbum pietatis feminare cœperunt, annumerati sunt eis statim tria millia, & iterum quinque millia, eratque ipsorum omnium cor, & anima vna. Et quis tantæ concordie auctor? Quod illud charitatis vinculum? Quòdnam animarum illud philtrum? Opum contemptus. Nullus enim ipsorum dicebat suum aliquid esse ex his quæ possidebat, sed erant ipsis communia omnia. Omnia etenim bona statim proueniunt, vbi malorum radix, auaritia dico, sublata fuerit. Igitur cohercebant inter se, nihilque erat quod diuellere poterat: iam enim frivola illa verba, Meum & Tuum, quæ tot bella mundo inuexerunt, ex sancta illa ecclesia erant exterminata, inhabitabaturque non aliter terra, quam ab angelis cœlum. Non inuidebant diuitibus pauperes, neque enim erant diuites: non contemnebantur à diuitibus pauperes, non enim erant pauperes. Verum communia erant omnia, & nemo quod habebat, dicebat proprium. Insuper non sicut nunc mos habet, ita & tunc eueiebatur. Nam qui nunc dant indigentibus, habent propria: tunc autem dominio etiam rerum suarum renunciantes, oblatisque omnibus nihil reliquiarum serua-

Act. 4.

2. Cor. 8.

Gen. 18.

2. Cor. 9.

Luc. 18.

bant hi qui antea fuerant diuites. Et si qua ex opum contemptu inflatio esse potuit, tollebatur & ipsa confestim. Siquidem modis omnibus par omnium erat honor. Erat item videre quandam pietatis speciem non ex sola abiectione opum omnium in vnum conflatarum, sed etiam ex abiiciendi modo. Nam quotquot vel domos vel agros possidebant, ea vendebant, eorumque pretium allatum ante pedes ponebāt Apostolorum. Non dicit, quod in manus ipsorum ponebant, sed ad pedes, declarando simul fidem, pietatem, atque reuerentiam, quam habebāt Apostolis. Et quod maioris ducebant, quod ab eis reciperentur, quam quod darentur dona. Hoc enim potissimum est contemnere opes, hoc est pascere esurientem Christum, si absque arrogancia & fastu hoc facias, sicque das, quasi tibi ipsi plura quam danti beneficia dare videaris: quod si secus affectus es, neque sic dederis vt te putes magis accipere, quam dare, non dedisti hoc aliis. Idem testatur Paulus, dicens: Certiores autem vos facio fratres de gratia Dei quæ data fuit in ecclesiis Macedonia, quod profunda paupertas illorum exundauit in diuitias simplicitatis ipsorum: nam pro viribus, testor, etiam supra vires prompti fuerunt, multa cum obtestatione rogantes nos, vt beneficium & societatem ministerij suscipere in sanctos. Vides quomodo illos magis in hoc admiratur, quod licet nacti essent gratiam, orabant tamen, & obsecrabant, tantam præ se ferentes liberalitatem. Eadem de causa & Abraham admirabilis est non solum quod vitulum immolauit, neque quod farinam commiscuit, sed quod multa cum humilitate & voluptate hospites suscepit. Accurrebat enim, ministrabat, dominos appellabat, thesaurum innumerorum bonorum se inuenisse putabat, si quando hospitem videret prætereuntem. Sic enim duplex erit eleemosyna, & cum damus, & cum alacriter exhibemus. Hilarem datorem diligit Deus. Esto, innumera expenderis talenta, nisi alienus ab arrogancia, fastu atque inani gloria fueris, omnia simul perdes. Quemadmodum Pharisæus ille rerum suarum decimator, quia de se sublimia sentiebat, & inflabatur, domum perditis omnibus à templo rediit. Vtrum alia ratio erat eorum, qui Apostolorum temporibus vivebant. Gaudebant enim & exultabant cum opes offerrent, maxima lucrari sese putantes, maximæque charitatis esse arbitrabantur, si cas ab ipsis recipere dignarentur apostoli. Et quasi hi qui ad magnos quosdam principatus accersiti, regias inhabitaturi ciuitates, omnem substantiam suam in pecuniam commutant, & sic illò migrant: ita planè & tunc faciebant homines illi ad cœlum vocati, & ad supernam metropolim, & regnum quod illic est. Nam persuasum habentes illic esse patriam, omni substantia sua in pecuniam commutata, pecuniam per Apostolorum manus illò præmiserunt. Est autem extrema stultitiæ relinquere aliquid rerum nostrarum in hoc loco, nobis paulò post etiam hinc emigraturis. Quicquid enim relinquitur, in damnum cedit. Quapropter illò præmittantur omnia, vbi & nos semper posthac sumus conuersaturi. Hæc quoque quia & ipsi secum reputarunt, omnem simul deposuerunt substantiam, siebaturque illis duplex pietatis opus. subleuabant enim indigentium inopiam, & thesauris suis in cœlo repositis, plures & securiores suas facultates faciebant. Ab hac lege & consuetudine inoleuit in ecclesiis consuetudo quædam admirabilis: fideles enim omnes in conuentibus suis postquam audissent doctrinas, post preces, post sacramentorum communionem, soluta concione non mox domum concedebant, sed diuites & abundantiores alimenta & edulia à domibus suis auferentes, pau-

peres vocabant, communēque faciebant mēſas, communia prandia, communia conuiuia in ipſa eccleſia. Atque ita à communione mēſe & pietate loci vnde-
 quaque ad charitatem accendebantur, non abſque ſumma voluptate vtilitateque maxima: pauperes enim tum fruebantur conſolatione qualis obtingebat: diuites verò fructum beneuolentiæ & ab his quos paſcebant, & à Deo propter quem illos paſcebant, aſſequebantur: ſicque tandem domum redibant. Igitur multa quidem hinc eis proueniebant bona: ſummum tamen omnium erat, feruens in tota congregatione amicitia, tanta ipſis inter ſeſe prudentia atque beneuolentia congregatiſ, non ſolum cum acciperent, ſed & cum darent beneficia. Hunc morem Corinthij proceſſu temporis corrupēbāt, & abundantiores inuitatis ſui ſimilibus, contemnebant pauperes, & tardiùs venientes, vtpote more pauperum, ſecularibus negotiis detentos non expectabant. Vnde contingebat, quòd pauperes aduenientes, menſa ſublata, aliis prouenientibus, aliis tardiùs ſubſequentibus, verecundè diſcederent. Videns igitur Paulus mala quæ tum ex eo negotio fiebant, & poſtea futura, quando quidem contemnebantur pauperes mirum in modum à diuitibus, quorum inſolēs erat ſuperbia: è diuerſo verò pauperes mœſti aduerſabantur diuitibus: & qualia ex huiuſcemodi rebus mala oriri ſolent, tunc quoque vſu eueniebant: proinde prauam hanc conſuetudinem emendat, & vide quanta prouidentia correptionem aggreditur. Incipiens enim ſic dicit: Illud autem præcipiens non laudo, quòd non in melius, ſed in deterius cōuenitis. Quid eſt, non in melius? Progenitores, ait, veſtri & patres ſubſtantias ſuas vendebant, & poſſeſſiones & opes & communia omnia habebant, & magnam in primis inter ſe charitatem: quos cum imitari vos debetis, non ſolum nihil talium feciſtis, ſed etiam id ipſum quod ſolum vobis reliquum erat, perdidisti. De conuiuio autem loquitur, quæ in ſynaxi fiebant: & ob hoc dicit, non in melius, ſed in deterius cōueniſtis: quòd patres veſtri pauperibus omnes poſſeſſiones concedebant, vos pauperes menſa etiam illis conceſſa priuaſtis. Nam primùm quidem cum conuenitis in eccleſia audio diſſidia in vobis eſſe, & aliqua ex parte credo. Vides quomodo iterum prudenter correptionem adhibet: non dixit, non credo: neque dixit, credo, ſed medio verbo vſus eſt, Aliqua ex parte etiam credo, non omnino credo, neque omnino diſcredo hoc vel illud omnibus modis contigiffe. Vos domini, ſiquidem emendati fueritis, non credo: ſin ita perfeueraueritis, credo. Igitur non accuſauit, & accuſauit tamen. Non accuſauit perfectè, vt legitimam ipſis pœnitentiæ correptionis ſpem daret. Non reliquit abſque reprehentione, vt ne manerēt in ignauia ſua. Nondum omnino credidi dicit: hoc enim eſt quod dicit, ex aliqua parte credo. Hoc autem dicebat, admonens vt imitarentur & corrigerentur, vtque auocaretur ne tale quid aduerſus eos crederet, etiam ſi ex parte crederet. Oportet enim & hæreſes in vobis eſſe, quòd qui probati ſunt, manifeſti ſiant inter vos. Dic igitur quæ illæ hæreſes? Hic attendite, quòd non de articulis fidei dictum eſt, oportet inter vos hæreſes eſſe: ſed de diſcordia & ſcētis circa menſam. Nam cum dixit, oportet etiam hæreſes eſſe, ſubdit modum hæreſcon. Igitur cum conuenitis in eundem locum, non licet dominicam cœnam manducare. Quid eſt dominicam cœnam manducare? Non eſt comedere herilem cœnam. Illam autem cœnam dicit, quam ſuprema nocte tradidit Chriſtus, cum diſcipuli omnes eſſent cum eo. In illa enim cœna & dominus & ſerui omnes ſimul ſedebāt: vos autem cum ſitis conſerui, inter vos tamen diſſidetis & diuidimini,

1. Cor. 11.

1. Ioan. 13.

& Chriſtus quidem neque proditorem abegit: nam & Iudas tum cum ipſis erat, tu autem fratrem depellis. Ob hoc dicit, non eſt dominicam cœnam manducare, vocans dominicam cœnam, quæ omnibus ſimul conuocatis concorditer & communiter fumitur. Vnusquisque enim, dicit, propriam cœnam occupat in edendo, & hic quidem eſurit, ille verò ebrius eſt. Et ibi ebrietatis quoque nomine magis eos corripit, quamuis vtrique immodica dicit, famem videlicet & ebrietatem nominando. Erenim tu diſtenderis voracitate, ille autem fame putreſcit: tu pluribus quàm opus ſit participas, ille neque neceſſariis fruitor. Itaque duplex hoc corruptæ æqualitatis malum hæreſes vocat. Siquidem contentioſe inter ſe recumbebant & tumultuabantur: & ille quidem eſuriebat, hic verò inebriabatur. Ideo rectè dicebat, cōuenientibus vobis in vnum. Cuius enim gratia facta eſt collecta? Siquidem menſa non ſit communis. Dominicæ ſunt opes quas accepimus, etiam cum ſeruis noſtris conuiuia propoſita ſint. Num ſanè domos non habetis ad edendum & bibendum? An eccleſiam Dei contemnit, & pudefacitis eos qui non habent? Tu quidem putas quaſi fratrem ſolum iniuria afficias: redundat autem etiam iniuria in locum illum, Eccleſiam enim totam cōtemnis. Propterea enim eccleſia dicitur, quia communiter omnes accipit. Cur ergo in eccleſia dapſilitatem domus tuæ introduciſ? Iam ſi fratrem contemnis, reuerere ſaltem locum. Nam & eccleſiæ iniuria ſit. Signanter autem non dicit, priuatim eos qui non habent: vel, non eſtis miſericordes eis qui non habent: ſed quid ait? pudefacitis eos qui non habent. Quo curioſiſſimum quoque ipſorum luxum reprehendit: non enim tam curæ pauperibus eſt quomodo alantur, quàm dedecori cum iniuria afficiuntur. Vides quo pacto honeſtè de his reſpondit, illòſque grauiùs increpat? Quid vobis dicam, laudabo vos? in hoc non laudo. Quid hoc? Poſtquam indignitatem rei declarauit, ſubiungitur accuſatio, optimòque iure, vt ne ſiant impudentiores. Nam priùs quàm indignitatem facti demonſtraret, perfectam negationem protulit dicendo: Hæc præcipiens non laudo. Vbi autem ſatis diligenter demòſtrauit dignos eos eſſe multis reprehentionibus, ſubiunxit accuſationem quæ ſuperioribus verbis declarationi congrueret. Relicta autem in medio & ſuſpenſa accuſationis vehementia, ad myſticam menſam conſequenter ſermonem vertit, plus ipſos volens terrere. Ego enim, ait, accepi à domino, quod & tradidi vobis. Qualis hæc eſt conſequentia? de communione diſputas prandio, & ſacramenta commemoras? Etiam, ait. Nam ſi etiam ſpiritualis illa tremendaque menſa ex æquo omnibus diuiti & pauperi proponitur: neque ea fruitor vberius diues, & parcius pauper, ſed omnium vnus honor eſt, & idem acceſſus, donec omnes communicent, & participes ſiant ſpiritualis illius cibi: quæ propoſita ſunt non retrahuntur, ſed ſtantes ſacerdotes omnes expectant etiam pauperrimum omnium: quantum igitur magis in mēſa illa corporali ita fieri conuenit? & ea propter meminit huius dominicæ cœnæ. Ego enim accepi à domino, quod & tradidi vobis, quòd dominus Ieſus in ea nocte qua tradebatur, accepit panem, & actis gratiis fregit ac dixit: Hoc meum eſt corpus, quod pro vobis frangitur, hoc facite in mei cōmemorationem. Similiter & poculum peracta cœna, dicens: Hoc poculum nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine. Deinde vbi multum diſputauit de his qui indignè communicant myſteriis, eòſque reprehendit grauius, & demonſtraſt quòd idem ſupplicium paſſuri eſſent, quòd hi qui Chriſtum occiderant, ſi ſanguinem

guinem eius & corpus abſque probatione & temerè accipiant: rurſum ad propoſitam materiam ſermonem conuertit, dicēs: Itaque fratres cum conuenitis ad comedendum, aliud alium expectate: quòd ſi quis eſurit, domi edat, vt ne ad iudicium conueniatis. Vide quomodo latenter etiam gulam ipſorum taxat, & non dixit, Si autem eſuritis: ſed, quòd ſi quis eſurit, vt vnusquisque ſibi reus eſſe videatur reprehentionum, præueniens ſeipſum corrigat. Vnde & à maiori metu ſupplicij ſermonem claudit dicens: Vt ne in iudicium conueniatis, hoc eſt in condemnationem: quaſi diceret: Non eſt cibus, neque menſa quæ cum deſpectu fratris & eccleſiæ, cumque tanta gula & intemperantia exhibetur. Non ſunt hæc cōtemnenda, ſed ſunt veriùs vindicta & ſupplicium. Magnam enim inde meremini & contrahitis pœnam vobis infligendam, ſi fratres iniuriis afficitis, ſi eccleſiam contemnit, ſi priuatam domum ex ſancto loco facitis, quia ſeorſum comeditis. Dilecti, vbi & vos hæc audiueritis, obturate ora corū, qui ita ruditer & temerè apoſtolico ſermone vtuntur, corrigite eos qui in ſuum aliorumque damnū ſcripturis abutuntur. Habetis enim nunc, vt reor, quid & de quo dicat, cum dicit: Oportet autem & hæreſes eſſe, nempe de diſcordia quæ ſit circa menſas, cum vnus eſurit, alius autem ebrius eſt. Reliquum eſt, cum fide rectè inſtituti fuerimus, vitam quoque ad tanta dogmata dignè ſubſequentem declarem: multa nobis ſit erga pauperes benignitas, multa circa indignos prouidentia, ſatagamus ſpiritualem quandam negotiationem exercentes, neque plus inquiramus, quàm noſtra exigat neceſſitas, & vſus. Hæc verè ſunt diuitiæ, hæc vera abundantia, hic verus theſaurus eſt, qui non deficiet, ſi omnia noſtra in cœlos transferamus: & confidimus præterea hæc nobis reſpoſita, & egregiè cuſtodita. Hinc nobis geminum ab eleemoſyna lucrum accreſcet. Primum, quòd de opibus quas expendimus, nō timemus ne fortè à latronibus & furibus & familiarium infidelitate diripiantur. Secundum, quòd reſpoſita, & nō vulgariter deſoſa ſunt, quaſi infructuoſa: ſed ſicut radix in pingui plantata ſolo, quæ nobis ſingulis annis tempeſtiuos affert fructus: ſic & pecunia in manibus pauperum plantata, non ſolum in ſingulos annos, ſed & in ſingulos dies ſpirituales nobis fructus affert, fidenciam ſcilicet in Deum, peccatorum abſceſſum, cōſcientiam bonam, læticiam ſpiritualem, ſpem iucundam, aliæque bona, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Quæ precor vt & vos omnes aſſequamini gratia domini cui gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Diui Ioannis Chryſoſtomi, ex Apoſtolo, de fide, ſpe, & charitate, Sermo.



POSTOLVS Paulus loquitur dicēs, Mament, inquit, tria iſta, fides, ſpes, charitas: maior autem his eſt charitas. Hæc ergo tria decurrenda ſunt nobis, & ſigillatim pro viribus demonſtranda. Dùmque quantum valeant, inueſtigamus: ſingula nobis quemadmodum exercenda ſint, nouerimus. Primum igitur nobis definienda eſt fides. Eſt enim fides origo iuſtitia, ſanctitatis caput, deuotionis principium, religionis fundamentum. Nullus vnquam ſine hac dominum promeruit: nullus ſine illa ſaſtigiū ſublimateſcit. Eſt enim fides innocens ac pura credulitas: qua ad Deum accedimus, qua præceptis inſiſtimus, qua expiata mente dominum veneramus. Hæc excludit dubia, tenet certa, promiſſa conſignat. Hanc qui tenet, ſcelix eſt: qui deſeruerit, miſer. Hæc in eccleſia ſigna oſtendit, virtutes exercet, chariſmata complet. Hæc am-

Chryſoſt. tom. 4.

1. Cor. 13.

Fides quid.

Aplexada nobis eſt ſemper, hæc mentis virtute tenēda. Per illam enim venimus ad Chriſtum: per illam pergitur ad Deum: per illam properamus ad cœlum. Hac gubernatrice Noë diluuium nauigauit: per hanc Abraham & benedictionem meruit, & filium in ſenectute ſuſcepit. Per hanc ex Sodomitarum interitu, Loth ſanctiſſimus liberatus, Moyses electus, David protectus, tres pueri de incendio erepti, Daniel à leonibus liberatus. Eſt, inquam, fides pactum cum Deo, cum Chriſto placitum, conſignatio promiſſorum. Denique quoties ad iſtam fidem acceditur, & pactum inter hominem & Deum firmatur: tunc homo Deo ſe credere proſitetur, & à Deo homini pignus quoddam ſpiritus ſancti tribuitur. Teneris igitur Chriſtiane, & tenes: aliud à Deo accipis, aliud Deo promittis. Non debes placitum deſtuere, cuius te pignus conſpicias retinere. Nam ſi inter homines ſemper pacta ſeruatur, & quicquid inter ſocios aliquādo placuerit, inconcuſſa fidei firmitate tenetur, ne ſit violata fidei reus, qui aut placitum ſoluerit, aut pactum ruperit, aut ſocialem conuentum perfida calliditate mutauerit: quantum tenaciùs firmiùſque ſeruandum eſt, quod cum Deo contrahitur, quod cum Chriſto inicitur, quod in ſpem promiſſorum cœleſtium copulatur? Homines enim inter ſe nonnunquā aut falluntur, aut fallunt, Deus autem ab homine falli nō poterit. Quicquid promiſeris exigis: quicquid voueris, inquiris: adeo vt cum iudicij venerit dies, & ſingulorum pacta vel ſponſa recitari iubente domino cœperint: aut ſeruata fidei præmium, aut violata ſupplicium tribuetur. Vt enim ipſe fidelis eſt reddendo, ita fidelem exigis de promiſſo. Talem hominem querit erga ſe ſemel Deus exiſtere, qualem ſeipſum homini deſiderat exhibere. Ego, inquit dominus, promiſſa non muto: ego quod deſtinavi, attribuo. Ego tibi præmia quæ ſpondi, diſpenſo: ſi tamen, quod credis, exhibeas: ſi fidem quā polliceris, adimpleas: ſi actibus ſanctis, quod voueris oſtendas. Cæterum ſi aliud geſſeris, quam voueris: & fidei nomen perfida voluntate diſſolueris: non modò præmiorum compos eſſe non poteris, ſed & deſtinato ſupplicio neceſſe eſt ſubiugeri. Aliud eſt enim eſſe quod diceris: aliud dici quod non ſis. Non poteſt ad præmium tendere, qui profeſſionem noluerit adimplere: nec accipere poterit quod promittitur, niſi ante impleuerit quod iubetur. Dictum eſt igitur, licet pauca, de fide. De ſpe quoque aliqua proſequamur: Spes eſt futura pollicitationis religioſus aſſenſus, promiſſæ gloriæ deuota intentio, ſanctorum deſtinata ſublimateſcit, bonorum expectatio futurorum. Spes eſt, inquam, cognitio fidei, credulitatis propinquitas, deſtinatum præmiorum tempus, futura expectatio meritōrū. Quæ duo, id eſt, fides & ſpes, ita certa ſibi mutua vice coniuncta ſunt, vt altera ſine altera ſtare non poſſit. Quicquid enim fides credendo acquirit: hoc ſpes ſuſtinendo præſumit, dicēte propheta: Et ſi tardauerit, ſuſtine eum: quoniā veniens aderit, & non tardabit. Noli à ſpe propoſita Chriſtiane deſiſtere, noli ſuſtinēdi gloriā perdere, noli rebellāti animo claudicare. Salomō enim conacionatur, & dicit: Væ his qui perdidērunt ſuſtinētiā, & diuerterunt in vias prauas. Et quid facient, cum inſpicere cœperit Deus? Noli, inquam, à ſpe propoſita Chriſtiane deſiſtere, noli à cœpto itinere declinare: feſtina quò tendis: quò properas, perueni. Currentis grefſus non retrahat inimicus: feſtinantis animum ſpes iſta perducit ad Deum. Veloces ſequere, tardioreſ atrahe, pigros deſere, fortioſe fortiter imitare. Tu alios prouoca, te prouocent alij. Citò enim quò deſiderat peruenit, qui velocioreſ ſequitur, & veretur ne à tardioribus tranſeat. Perpende, ſi poteſ, labores & me-

Gen. 7. Ibid. 1. Ibid. 19. Eccl. 45. 1. Reg. 16. & ſeq. Danic. 3. Ibidē 14.

Spes quid.

Aba. 2.

Eccl. 2.

rita, sudores & præmia, cursus & regna. Nec tamen laborat, qui Deo iuuante festinat: aut onerosum aliquid sentit, cui particeps Christus existit. Exiguū sentis, sed immensum est quod mereris. Modicum pateris: sed æternum est quod regnabis: quanuis voluptas sit magna Deo iuuante currere, & Christo comite pergere, fauente domino festinare. In stadio terrestri vnus qui prior venerit, coronatur: in cœlesti verò stadio quisquis

1. Cor. 9.

peruenierit, promeretur coronam. Nescitis, inquit apostolus, quia qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, vnus tamen accipit brabium? Vos autem sic currite, vt omnes accipiatis. Et illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. In stadio quidem terreno velocitas quæritur, in cœlesti verò affectus optatur. Illic festinans, hic perueniens: illic properans, hic perficiens coronatur. Nonnunquam enim festinatio fatigata deficit: feliciter verò peruenit quem lætum iter ad destinata perducit. Fides fundamentum ponit, hæc ipsum hominem cōstruit. Illa dat principium, hæc Christianum perducit ad summum. Illa initia credulitatis aggreditur, hæc ad consummationem virtutis meditat. Illa quod promittitur, credit: hæc quod sperat iam cernit. Videmus nunc, inquit apostolus, per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc autem cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Nec enim quisquam poterit fidei fructum percipere, nisi qui spei gloriam voluerit consummare. Vt enim sine fide spes non habet firmitatem: ita sine spe fides non potest habere mercedem. Sanè si fides est religionis fundamentum, & spes consummat & perficit ædificium: quomodo apostolus dicit charitatem esse maiorem, quæ sine fide & spe non potest habere firmitatem? Denique tolle fidem, & spes vbi construitur? Adime spem, & vbi charitas sublimatur? Illa enim poterunt esse maiora, sine quibus esse alia non possunt. Igitur si res ita est: cur charitati & non magis fidei Apostolus tribuit principatum? Sed vt quæstio iam dirimatur, & quod obscurum est, pateat: est fides, qua futura credimus: spes, qua ventura præsumimus: charitas, qua & Deum diligimus, & proximos honoramus. Siue enim, inquit Apostolus, prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cefabunt, siue scientia euacuabitur: ex parte enim scimus, & ex parte prophetamus: cum autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Cessat enim fides, vbi quod creditum est, venerit: cessat & spes, vbi quod speratur, affuerit. Tunc enim iam quod credatur, non est: quia quod credebatur, adest. Tunc quod sperabatur, cessat: quia quod speratum est, præsens est. Sola charitas aterna est: quia cum Deo in sanctis est: & ideo maior est. Denique nullum charissima sine charitate perfectum est, nullum donum sine dilectione aptum. Quicquid enim charismatis aut domini quisque meruerit, desertum charitate non stabit. Omnia enim quæ spiritus sanctus deuotis aut impartit, aut donat, aut charitate perficiuntur, aut sine charitate effectum nullum fortiuntur. Denique ipsum martyrium sine charitate impleri non poterit, licet charitas sine martyrio sola perfecta sit, sicut Apostolus loquitur, dicens: Si linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum vt aramentum tinniens, aut cymbalum concrepans. Et si habero prophetiam, & sciero omnia mysteria, & omnem scientiam, & si habuero tantam fidem, ita vt montes transferam, charitatem non habeam, nihil sum. Et si distribuero omnia mea, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil sum.

1. Cor. 13.

Ibidem.

Ibidem.

A Si nec corpus ignibus traditum, & substantia donata pauperibus, nec communis sermo cum angelis, nec montes translati per fidem sine charitate effectus habere non possunt: quid charitate sublimius esse poterit, cum ipsa charitas Deus sit, vt & iam si quid comparaueris, parum sit: si quid sociaueris, minus, dum charitas Deus est: cui comparabile nihil est. Inchoatur in mundo, perficitur in cœlo: quæritur in sæculo, inuenitur in regno. Hic enim nec fides cœpta perficitur, nec spes proposita consummatur. Esse enim fidelem charitatis est bonum: sperare quod promissum est, amare est Christum. Charitas est enim, quæ & fidem adiuuat, & spem sibi sociat, & vtramque secum Deo muneranti assignat. Sola est, inquam, quæ & fidem excitat, & spem longanimum reddit, & vtrique semet sociam exhibet, & magistram, cum ipsis ad Christum peruenit: ipsis tunc perfectione cessantibus, sola in sanctis regna cœlestia possidebit. Agè nunc quisquis es Christiane, cum istis viue, cum istis in ecclesia flore, cum istis sancta officia exerce, cum istis in hoc mundo contra diabolum præliare. Ipsæ te perducant ad Deum, ipsæ te leuent ad cœlum, ipsæ tecum perueniant simul ad Christum.

HOMILIA DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI IN DICTVM APOSTOLI AD CORINTHIOS, CVM AUTEM SUBIECTA FUERINT ILLI OMNIA, TUNC & FILIUS IPSE SUBIICIETUR QUI SUB. &c. Item de mundatione leprosi, de mysterio terrarum & cornu olei.



C N hesterno fratres, quem de aeterno Christi regno habuimus sermone, & nos omnes dicendi neruos intendimus, & his qui ausculturunt, iusta sufficiensque obtingit enarratio. Iusta inquam, non si dignitas rei prædicandæ, sed si meæ prædicantis vires spectentur. Neque enim vel in cœlis, vel in terris aliquid tale, quod laudatissimam vnigeniti dignitatem, meritis laudibus efferre potest. Multa sanè de domini theophania prædixerunt prophetae, multa decreuit lex, multa prædicarunt Apostoli, multa promulgarunt euangelistæ, & adhuc dignitatem illam ne vnus quidem allequi potuit. Quod si tanta spiritus sancti flumina, perpetuis limpidisque amnibus manantia, omnes humanas vires insumpserunt, & nihil quod par sit, ac dignum virtute diuina eruclarunt: vbinam tenuissima sermonis gutta comparebit, cum talis ac tanta sermonis eminentia proponitur? Qui posset mortalis lingua immortalem naturam dignis præconiis celebrare? Profecto non capit humana ratio, vt sermo ille per quem mundus est factus, quantum addecet, prædicetur. Quid igitur? Prædicamus, quantum possumus, quandoquidem non possumus quantum debemus. Quippe in aliis quidem certaminibus laureas referunt, qui victores redeunt: ac in disputationibus de rebus diuinis, solis illis debetur corona, qui se rei magnitudine victos ingenuè fatentur. Itaque vincamur dicentes, ne condemnemur silentes. Nihilominus cum sint, qui dicant, Demonstratum est regnum Christi nullo sine consummari, & quod tradit regnum Deo & patri, hoc est orbem: in quo cum regnauit olim peccatum, postea idem à gratia regi cœpit. Adhuc nihil inuestigatum est de eo, quod quando subiecta fuerint illi omnia, tunc & filius ipse subiiçietur patri, à quo subiecta sunt illi omnia. Operæ precium igitur fuerit, vt de hoc quoque pro nostra virili aliquid afferamus in medium, ne sci-

ne scilicet imprudentibus silentio nostro ruinæ alicuius simus authores. Vellem itaque fratres constare vobis omnibus, quod præter nostram voluntatem id prætermisum fuit. Nam cum cætera iuxta ordinem, & vt sermo postulabat, traderentur: arbitrabamur, ex his quæ iam tenebatis, declarari etiam id quod mittebatur. Nam vnus scopus, eademque ratio, soluit quæ dicta, & manifestat intermissa. Enimvero iuxta dispensationem dicta sunt hæc ab Apostolo. Et quemadmodum illi cum dicitur, tradit regnum Deo & patri, non responderit virtuti, quanta prædicari potuit: sed leuiter & in superficie res agitur, quo consulatur imbecillitatem, qui deorum multitudinem inuectum iri suscipari possent: Lacte enim vos potavi, ait, non cibo: sic & nunc, simili sermone hoc dicit. Siquidè generalis scopus apud Apostolum est, quod nunquam inducit diuinam naturam seditionem aduersus seipsam excitantem, aut filium patri oblectantem, iuxta impiam Iudeorum suspicionem. Dicebant enim: Non est ille à Deo, quia sabbatum non obseruat. Itaque vnica introducit naturam seditionis prorsus expertem, vnam concordiam, vnam sermonem, vnam voluntatem, vnam potestatem, vnum Deum in omnibus, nempe vt erroris eorum, qui multos deos statuunt excideret germina. Declarauimus enim, vt memores sunt auditores studiosi, quod idem sermo, qui patris dignitatem adstruit, is verbis & syllabis iisdem Christi quoque dignitate prædicat. Et sicut ibi dixit, vt sit Deus omnia in omnibus, sic & de vnigenito ait, sed omnia in omnibus Christus. Igitur quid sibi nunc vult, quod ait, subiiçietur? Pharmacum inquam hic parat gentilium morbo. Non statuit dogma ecclesiasticum, sed paganorum suspensionem refutat. Quod si absolute hoc sermone fuerit vtendum, dicit eam, quæ per ecclesiam fit, obedientiam ac subiectionem esse Christi. Quando enim ecclesia nihil spurium adulterinumque habet, sed synceram germanamque Deo mentem offert, ac si subiecit, tunc illi germanè subiiçietur. Eapropter coactus verbum locutus est, & quod non facile incircumspectior aliquis accipiat. Proinde hic discite. Quæcunque eiusmodi dicta Christo tribuuntur, ea ad ecclesiam Christi pertinent. Cuius rei testem ipsummet dominum ecclesiæ producimus: sed paulò altius rem repetamus, quod perspectiora sint, quæ dicuntur. Quando in mundo hoc erat secundum carnem Christum, pro salute mundi humanam implens dispensationem, persequebantur illum Iudei, & ab inimicis veritatis infestabatur saluator orbis. Et ij qui beneficiis quotidianis fruebantur erga fontem beneficiorum erant ingrati. Vbi autem omnem humanam adimpleuit dispensationem per passionem, in cœlestes concessit choros: & corpore quidem translatus est, veritate autem ipsa adimplet omnia. Corpus item quod induerat, in excelsa receptum, à dextra magnitudinis in sublimibus collocavit, nõ quasi extraneam, ac peregrinam quandam accepturum dignitatem, sed vt corpus, quod antea mortale erat, hac tanta gloria circumamiciret. Verum post assumptam carnem, post consummatas passiones, post resurrectionem illam celeberrimam, postque illam in cœlos translationem, cum ab omni exercitu adoraretur, etiã eorum qui super cœlos sunt: circūstiparetur itè omnium angelicorum ordinum agminibus, & iam non esset in eorum numero, qui affligebantur, persecutionibusque infestabantur, vbi Paulum furibundum vidit aduersus ecclesiam, & aduersus sanctos furoris sui venenum effundere, inquit ad eum is, qui passionibus vltra nõ erat obnoxius, sed in tam admirabili honore, dignaque gloria versabatur: Saule Saule quare me persequeris? Et

1. Cor. 3.

Ioan. 9.

Ephes. 1.

Act. 9.

Chrysof. tom. 4.

A planè nõ te persequor, qui tuam in cœlis habes sedem. Quid me persequeris? proprias sibi facit Ecclesiæ passionem. Saule Saule quid me persequeris? Vides quod persecutio ecclesiæ Christo adscribitur, qui ecclesiæ caput est? Sicut igitur cum ecclesia fert persecutionem, Christus eam se ferre dicit: ita & nunc Paulus, cum ecclesia subditur, dicit Christum subiici. Argumentum item aliud huius rei si placet accipe. In duobus enim tribusve testibus consistet omne verbum: non quod voci dominicæ accedat oporteat testimonium aliud: sed quia Christus cum loquitur, apud credulos fidem inuenit, apud infideles nullum persuadet testimonium: vocem dominicam non confirmamus, sed insipientia hæreticorum ora obstruimus. Paulus ergo ille à Christo edoctus, quod persecutio ecclesiæ in Christum vergeret, cognouit: & quod consentaneum quod quicquid patitur ecclesia, in Christum quodammodo refertur. Quare & ipse regis sui verborum vestigia sequens, in vna epistolarum dicit: Impleo quæ defuerunt afflictionibus Christi. Et nunc & iterum affligitur Christus, etiam si in cœlos rediit. At vide quid præterea dicat, suppleo quæ defuerunt afflictionibus Christi in carne mea pro corpore ipsius, quod est ecclesia. Vides vt ipsius faciat, quæcunque sunt ecclesiæ, siue passiones, siue honores. Veneratus es ecclesiam, veneratus es Christum. Infectatus es ecclesiam, tametsi non opere, proposito tamen Christum infectatus es. Cogita quantum periculum eorum, qui ecclesiam mœrore afficiunt, quanta corona eorum, qui ecclesiam venerantur. Qui vos spernit, me spernit, inquit seruator. Agnosce domini vocem, quæ spirituale aliquid in se reconditum & consequens habet. Nam & pater de patris illis suis prophetis talia loquebatur, propriamque ducebat iustorum iniuriam. Nam cum Abimelech rex Philistiim accepisset Saram Abrahamæ uxorem, dicit ei Deus: Restitue viro uxorem, quia propheta est, & orabit pro te. Ille verò respondens ait: Nesciebam domine quod vxor eius esset: puro corde hoc feci. Quid autem ad ipsum dominus? Et ego sciebam, quod puro corde hoc fecisti, & ob hoc peperi tibi, ne in me peccares. Declaratum itaque est fratres, & omnia quæ in ecclesia considerantur, in Christum referri possunt. Et idcirco Apostolus dicit: Subiiçietur filius, hoc est ecclesia, ei qui subiiçit illi omnia. Caterum est & via alia, qua solet obstrepere malignus. Et quidnam ait? Nempe ecclesia non subditur, sed primum subiiçietur post resurrectionem. Itaque & idem argumenti ad contradictionem tuam obtendi poterit hæretice. Dic mihi, Christus an nõ subiectus est etiamnum iuxta tuum sermonem, cum subiecerit sibi omnia, tunc subiiçietur: occasionem vti que habuisset, si in præsentia domino non fuisset subiectus? At si hæretice iuxta tuum sermonem Christus nunquam reluctatur patri, temerè dicitur, quod cum subiiçiet sibi omnia, tunc subiiçietur. Sexcentis nominibus subiectionem illius profers, & nunc in aliud tempus semoues aliam quandam subiectionem. Cum audis Christum dicentem: Non veni, vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me: statim profers cornu impietatis, atque dicis: Vides vt subiectus est patri? si audieris ipsum dicentem, Ego à meipso non loquor: sed pater mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar: statim excipis verbum, confirmans quod Christo non sit autoritas, sed subiiçietur. Si audieris ipsum dicentem: Ego nullum iudico, est qui quærat, & qui iudicet, rapim arguis verbo subiectionem. Cum ergo in omnibus ostēderis subiectum, cuius gratia argumentum adducis malignum, dicisque: Verbum sequor, & non mentem? Quia tunc

Deu. 17. 1. Cor. 11.

Coloss. 1.

Luc. 10.

Gen. 19.

Ioan. 6.

Ibid. 14.

Ibid. 8.

subiicietur, qui semper est subiectus. Quid ergo vult sensus? Nusquam non Apostoli scopus est, vt aboleatur error impius, quo dij multi inuehantur, vt eiiciatur seditio in natura, quæ omnis seditionis expers est, & vt exterminentur malè sentientium suspiciones. Monstrat itaque subiectionem non violentam, neque necessitate coactam, neque seruillem, sed concordia dignitati congruam. At mi frater, ne facile quæ prædicta sunt inuadas, vt cum dicitur: **A** me ipso hoc non dico: mādatum dedit mihi pater, quid dicam, & quid loquar. Vereor enim, ne quæ aduersus hæreticos disputationis gratia dicta sint, in ecclesiasticis dogmatibus te offendant. Sicut ergo sermonem nostrum superius adstruximus, cum de mente Apostoli responderemus, quod non omnia vt dogmata prædicarint Apostoli, sed alia quædam vt dogmata, alia iuxta dispensationem proposita sunt. Id quod & apud fontem veritatis, dominum Apostolorum & prophetarū inuenio: quod non semper ad dignitatem suam, iuxta dogmatum scilicet veritatē locutus sit, sed dispensatione quadam, pro infirmitate populi nonnunquam se submisit. Agè dicito mihi frater, cum dicit veritatis dominus: Si ego mihi ipsi testis sum, testimonium meum non est verum. Sequar dictionem, sequar verbum: iniuriam faciam dignitati, siquidem per dispensationem dictum. Sed neque si malignus interpret esse vellem, permittet mihi dominus, qui licet dictionem perperam sequar, sensus tamen coniecturam prauam excludit, & voce alia me corripit: quæ sicut alio loco sancta de diuinis tradit, ita nunc simpliciter dignitatem confundere, & iniuria afficere videtur. Quandoquidem dicere posset: Rationem infirmorum Iudæorum habens, dicebam: Si ego de me testificor, testimonium meum non est verum: quam dictionem tu ad blasphemiam rapuisti, an non me alicubi dicentem audisti, etiam si ego de me testificor, testimonium meum verum est? Quid ergo fratres, contraria sibi ipsi pronunciat veritas? Absit: sed aliter se habet ad eos, qui veritatis sunt alumni, & aliter ad eos, qui à veritate aliquantum abalienati: non quod ipsa varia sit, sed quod pro singulorum habitudine sese accommodat. Quare igitur dicit Iudæis: Ego à me ipso loquor, sed pater mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar? Quia opinabantur ipsum esse Mosaicæ legis inimicum, & præscribere aduersa patri, qui in lege sabbatum legis honestabat, videbaturque legibus noui testamenti pugnantibus cum veteri, nouus status induci: idcirco declarare volens, se nihil constituere quod Deo displiceret: nihil etiam prædicare, quod legi aduersaretur, dicit: Ego à me ipso non loquor, quemadmodum vos suspicamini: sed ille ipse, qui à vobis adoratur, ipse mihi mandatum dedit: quasi doceret eos, quod si hæc suggillatis, non meam doctrinā suggillatis, sed impingitis in Deum, quem confitemini. Quando ergo fratres sic miserè, sic abiectione, sic humiliter sermonem Christi tracto, vt accipiam, quasi in seruili conditione dicatur hæc vox: **A** me ipso nihil facio, pater mihi mandata dedit quid loquar, & quid dicam: vides mox in quantum impietatis profundum descendendo, si ita suspicer. Facio enim ipsum non solum patre inferiorem, sed & Apostolis ipsis minorem. Quomodo autem id, ausculta. Paulus dicit: De virginibus præceptum domini non habeo, cōsiliū autem do. Paulo permittis absque præcepto consiliū dare, Christum verò sub seruitutis iugū abstrudis, qui ita mordicus tenes verbum, quo dicitur: **A** me ipso facio nihil? Iam sicut & antea præmissi aliter ipsum disputare solitum cum his qui veritate enutricati, aliter cum his, qui ab ea sequestrati. Neque enim Iu-

Ioan. 7.

Ibid. 8.

1. Cor. 7.

dei ipsum esse filium Dei reputabant, neque in mētem Iudæis veniebat Deū esse reponem. Non audisti qualia de ipso dixerunt? Homo ille non est Dei, quia sabbatum non custodit. Non putabāt esse hominem Dei, & quomodo dignitatē vnigeniti coniectarent? Ad hæc dicebant iterum de seruatore: Scimus quod homo hic peccator est, quia sabbatum non seruat. Cum ergo de ipso sentirent vt peccatore, & homine, cui nihil cum veritate commune: vllā mēte diuinitatis opinionem vel fortuitò de ipso conciperent? Ea de ratione ad sic affectos vocem submisit, eosque docuit, ne ob externum habitum contradicentes, putent ipsum à diuina voluntate dissidere. Vnde dicebat: **A** me ipso non loquor: ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar. Apud eos autem qui fide filij instructi, animaduerte vt vocem supplicem & abiectionem deponit, diuinæque dignitatis gloriam induit, dicens, Audistis dictum esse antiquis, non facies adulterium: qui viderit vxorem proximi vt concupiscat, iam peccauit, ego autem dico. Vides quomodo nuda auctoritas, vbi fidelis: & quomodo formata ac tecta per dispensationem, vbi suspectus auditor? Cum autem paruulus fermè in turba contritus esset, dixit: Semper diuini sermonis auditui turbatio agnata est. Etenim animarum hostis diabolus, vbi videt quod sermo acuta iacula aduersus deceptionem suam emittit, continuo auditores cōturbat, vt veritatem redargentem in fugam vertat. Eutychnus adulescens Pauli auditorium turbabat, & hic adolescens quidam auditorium populi interturbauit, quò magis proposito destituantur auditores. Atqui fratres nos fugientes fluctuum tempestatem, ad tranquillum veritatis portum nauim appellamus. Nollem enim digressiōnem latius expatiari, quæ instituto sermoni obstat. Vbi suspectus auditor, accommodetur ad dispensationis rationem doctrina: vbi verò sincerus veritatis atque pietatis alumnus, nuda sit auctoritas. Ad Iudæos dicebat, **A** me ipso nihil loquor: ad domesticos autem fidei: Audistis quod dictum sit antiquis, non facies adulterium: ego autem dico. Vbi, Ego illud, loquentis auctoritatem testatur dicentis, vt cum dicit: Ego sum, Ego sum: & honestum est illud, Ego sum. Et iterum Iudæis dicit: Non veni vt faciam voluntatē meam, sed voluntatem eius qui misit me. Soluit item hæreticæ suspicionis dubitationem hodierna euangelica lectio. Quando enim leprosus ille ad ipsum accessit, corpore quidē leproso, anima autem pura & lucida, dicit ipsi: Domine si vis, potes me mūdare. Quære hinc hæreticorum canonem. Oportuerat enim consentanea voci suæ dicere, non volo ego, sed vult pater, mundus esto: non veni enim vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Non audisti me dicentem, nō veni vt faciam voluntatem meam? Si ergo cogat voluntatem potestatis subditam, sicut impij dicunt, cur auctoritatem exposcis ab eo, qui paternæ auctoritati subditus est? Verum nihil horum seruator ad eum, qui ad se sincero pectore accesserat dixit, sed declarando ipsum sinceræ esse fidei, sincera quoque ac pura sanitate donauit. Accessisti ad ipsum fideliter, accipe & remediū fideliter. Voluntati meæ adscribis benevolentiam, voluntate mea & salutem capeffito. Domine si vis potes me mūdare. Volo, mundus esto. Non subsistit hæreticæ impietatis definitio. Vides quātum sermoni subest? **A** propria voluntate auctoritatem seruat. Hæc autem cum dicam, non induco separatam à voluntate patris voluntatem filij. Quam enim filij dixeris voluntatem, patris voluntatem dicis: & quam dixeris voluntatem patris, prædicas auctoritatem filij: & si dixeris auctoritatem filij, de-

1. Cor. 15.

Ibidem.

Psal. 148.

Danic. 3.

Coloss. 1.

Mat. 8.

Luc. 5.

Eccl. 2.

clarabis potestatem spiritus sancti. Vna enim potestas, indiuisum regnum. At dicit quis: Attigisti inter dicendum de spiritu sancto, de potestate: ego apostolica voce inuenio spiritum Christo subiectum. Dixit enim Paulus: Quando autem dicit, quod omnia ipsi subiecta sunt, manifestum est quod omnia, præter eum qui subiecit illi omnia intelligit, ergo spiritus subditus est: solum enim patrem dicit non subiectum esse Christo. Verum cum dicit, omnia, creaturam signat: nō increatam naturam iniuria afficit, sed de subiectione inimicorum disputat. Vltimus inimicus abolebitur mors. Cur ergo in subiectorum inimicorum regione collocas spiritum sanctum? Non enim subiectionem amicorum pater induxit, non subiectionis angelorum meminit, non subiectionem archangelorum attigit, sed subiectionum inimicorum: inimicus extremus mors abolebitur: loquitur de inimicis qui subditi sunt, nō de spiritu sancto. Iam si nos fideles, qui in Christo credimus, cum Christo regnabimus: spiritusne sanctus non parem cum obedientibus sortietur dignitatem? In die manifestationis saluatoris sedebunt filij Zebedæi Iacobus & Ioannes, & chorus ille Apostolorum super duodecim thronos: spiritusne erit circa subditorum suppedaneum? Faceffat hæc impietas, amice: sermo hic est de creatura, non de increata natura, non de adorabili dignitate. Et vt diligentem ac exquisitum veritatis sermonem accipias, considera quomodo beatus David inducens laudantium creaturarum chorum, dicit: Laudate dominum è cœlis, laudate eum in summis, & reliqua. Angeli, virtutes, cœli cœlorum, & aquæ quæ super cœlos. Nullam spiritus mentionem facit, increatam naturam creaturæ non connumerat. Tres pueri, qui in camino, induxerūt & ipsi creaturarum chorum: laudate, dicentes, angeli domini, cœli domini, virtutes domini, Sol & luna, &c. nō recordati sunt spiritus sancti. Item & Paulus, cum diuidit inuisibilia ab iis quæ vidētur, dicit eo loco, vbi docet quod in Christo condita sunt omnia, tam quæ in cœlo, quàm quæ super terram: tam visibilia, quàm inuisibilia: & confestim adnumerat inuisibilia, dicens: Siue throni, siue principatus, siue potestates, siue dominationes. Nam quoniam omnium quæ videntur seruitus in confesso est: inter inuisibilia autem recensentur angeli, & virtutes, & spiritus sanctus, & filius, & pater, vt non per ignorantiam cœlestium, sub iugum seruitutis dominium & dignitatem spiritus sancti trahas, eā quæ videntur discernit: neque dicit, siue Sol, siue luna, siue astra, omnia seruituti obnoxia: horum enim conditio comperta est, quod omnia seruiunt. Cæterum in his quæ inuisibilia, sunt principatus & angeli: est autem inuisibilis etiam & qui adoratur spiritus. Igitur ne quis ipsum cum aliis inuisibilibus copulet, seorsum numerantur superna omnia, ne in ordine ministrantium sit & dominus. Seorsim numerat, quæ non adorantur, vt segregetur quod adoratur. Siue throni, siue principatus, siue potestates: non dicit, siue spiritus. Verum ad institutum redeamus. Si vis domine, potes me mūdare. Sciebat leprosus seaturientē beneficentiam, sciebat emanantem salutem, sciebat multos malè habentes, & à dæmonibus infestatos inuestigasse fontem salutis, & cogitationis hæsitationem deponit: & cum esset carnæ quidem leprosus, anima tamen mundus erat: neque enim discolor illius anima. Etenim sicut molesta corporis lepra, colorem variat: sic & vbi animam occuparit, duplex facit cor, scilicet ad fidem, & ad infidelitatem se dispersiens. Et quàm iniucunda oculis humanis corporea lepra, tam insuauis est oculis Dei in plures secta partes anima. Et ob hoc ait scriptura: **V**æ duplici cordi,

A & animæ solutæ, & peccatori vias duas incedenti. Rursum contineamus nos in instituto. Volo, mundus esto. Omiraculum. Volo, mūdus esto. Sermo nonnunquam, fratres, ab autoritate, sermo nonnunquam à temeritate proficiscitur: & hunc quidem fortuitò quis eblaterat, ad illum verò opus comitatur autoritatem eius, qui solus potest. Si ergo dixisset: Volo, & non subsecutum esset opus, temeritas erat: nunc verò cum opus vocem subsequitur & sermonem, ne agrè feras, & opus reuerere. Vide quantum discrimen inter veterem legem nouamque gratiam etiam omni ex parte. Moses cum ex monte descendisset, primam legem tulit, & mandauit vt castris excederent leprosi. Christus verò monte descendens, leprosum protinus mundat: & ille quidem morbos eliminat, hic verò curam eorum agit. Ascendit Christus in montē, ascendit & Moses: & hic quidem vt acciperet, ille verò vt daret. Ascendit Moses, & inuenit montem impletum tubis, nubibus, tonitruis, fulguribus, turbinibus, caligine: quæ licet parum congruebant dexteræ & magnitudini apparentis, verum decebat vt populus ille ita ad pietatem erudiretur. At Christi gratia timorem ponit, seruitutem eiicit. Non enim accepimus spiritum seruitutis iterum in timorem, sed accepimus spiritum adoptionis. Et Moses quidem dedit decem mandata: Iesus autem dominus Moyses, nouem beatitudines. Dictorū veritatem sciunt quotquot aliquatenus scripturas norūt. Prima beatitudo, Beati pauperes spiritu, quia ipsorum est regnum cœlorum. Beati qui lugent, quia ipsi consolabuntur. Beati mansueti, quia hæreditate obtinebūt terram. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quia ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quia ipsi misericordiam assequentur. Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbūt. Beati pacifici, quia filij Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quia ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis, quando exprobrauerint vobis, & persecuti fuerint, & dixerint aduersus vos omne malum verbum mentietes. Quare lex ponit decem mandata, gratia autem nouem beatitudines? Nempe decem mandatorum numerus responderet numero plagarum Ægypti. Decem plagæ Ægypti impietatem castigant, & decem mandata populum erudiunt infensatum. Id quod & littera iota indicat, quæ denarius numerus scribi solet: virgulæ enim formam & figuram præ se fert. Et virga erudiebat Ægyptios atque populum: Iesus verò dominus noster dat nouem beatitudines, triplici ternario triplicem plectens coronam. Quædoquidem, fratres, adorabilis illa trias, regalis illa dignitas, immaculata natura, indominabilis dominatio, in ternario gloriam habet, & veneratur Deus ternarij prædicationē in terra, & virtutum numerum, quod numero sanctæ trinitatis respondeat. Et vt exempli gratia aliquid dicam: Multi sunt patriarchæ, & Deus seipsum patriarcharum vocat Deum: Ego Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Non quod non sit etiam Deus Moyses, & non Deus Ioseph. Omnium enim Deus est, qui se inuocāt in veritate: sed veneratur sicut in imagine, in terrenis cœlestia. Tres patriarchæ sunt in honorem trinitatis, tres virtutes in honorem trinitatis. Nunc autem manent tria hæc, fides, spes, charitas. In tria diuisum est vniuersum, nempe in ordinem super cœlestium, terrenorum, & subterraneorum. In tria secantur tempora, in præterita, præsentia, & futura. Et sicut licet multi sint patriarchæ, vt prædicetur gloria viuientis spiritus, sufficit ternarius: ita cum multi sint sacerdotes, trias tamen sacerdotum electa est, nempe Moyses, & Aaron, qui in sacerdotibus eius, & Samuëlis. Multi reges, multi sacerdotes, & trium celebris est me-

Num. 5.

Rom. 8.

Mar. 5.

Iota.

Exo. 3.

1. Cor. 13.

Psal. 98.

Nam & à temporis opportunitate ansam capit, quò a-lacriores reddat offerentes. Et quid commodi habet eius diei tempus, quo facilius datur eleemosyna? Ecce, quoniam tum à labore omni cessatur, relaxationeque & ferius alacrior fit animus, & quod multò maius est, innumeris eo die bonis potiti sumus. Nam eo die destructus est infernus, extinctum maledictum, disparuit peccatum, contracta inferorum portæ, captius factus est diabolus, diuturnum bellum diremptum, conciliati Deo homines, nostrumque genus ad pristinam, imò ad maiorem rediit dignitatem, viditque sol inopinatum & admirabile illud spectaculum, quòd homo factus est immortalis. Hæc omnia volens ipse nobis in memoriam referre, dicit illum in medium attulit, ipsum in aduocatum assumens, qui vniciusque diceret, Cogita homo quanta & qualia bona accepisti hoc die, quatis malis es liberatus. Qualis eras antea, qualis postea factus es. Iam si nos natalitia celebramus, & multi libertinorū etiam eos dies in quibus libertate donati sunt, in magno habet honore, ita vt alij, venerando tempus conuiuia faciant, alij multa munera largiantur: quantò magis nobis dies ille obseruandus, quem si quis natalitium totius humanæ naturæ appellet, haud aberrabit. Perditi enim eramus, & inuenti sumus: mortui eramus, & reuiximus: inimici eramus, & reconciliati sumus. Spirituali autem honore, inquam, hunc diem venerari oportet, non conueniendo, non vinum profundendo, non ebrietati choreisque vacando, sed indigentes fratres liberalitate facili iuuando. Quæ dico, non vt laudetis tantum, sed vt & vos quoque imitemini. Neque enim putare debetis hæc solis Corinthiis esse scripta, sed & vnicuique nostrum, ac omnibus qui post nos futuri sunt. Faciamus itaque sicut nobis Paulus præscripsit, & die dominico vnusquisque nostrum domi opes dominicas reponat, fiatque ex hoc lex & consuetudo immutabilis, nec dubito posthac nõ fore opus adhortatione vel consilio. Nequaquam enim tam efficax est adhortatio & sermo, vt consuetudo tempore firmata. Statuamus igitur hoc, vt dominico die aliquid in subsidium pauperum reponamus, neque legè postea transgrediamur, etiam quantacunque vrgeat necessitas. Iam cum dixit, In vna sabbatorum, subdit, Vnusquisque nostrum: non diuitibus, ait, dico solum, sed & pauperibus: non liberis solum, sed & seruis: nõ viris solum, sed & mulieribus. Nullus ab hoc ministerio exèptus, lucrive fit expers, sed vnusquisque aliquid offerat. Neque collationi huic obstat inopia: quantùmque enim pauper sis, nõ es pauperior vidua illa quæ omnè substantiam expendit: quantumcunque mendicus sis, non eris pauperior Sidonia muliere, quæ pugillum farinæ tantum habens sollicita erat quomodo prophetam dignè exciperet, tametsi videret circumstantes pueros, & famem vrgentem, neque aliud quicquam haberet repositum. At qua de causa dixit, vt aliquid apud seipsum reponat thesaurizans? Ne fortè quis erubescat & vereatur ostendere tam parum à se offerri: & ideo ait, Tu serua & custodi: & cum paulatim paruæ oblationes iustam aliquam quantitatem habent, tum profer in medium. Item non dixit, colligens: sed, thesaurizans: vt discas quòd sumptus ille thesaurus sit, & expensæ illæ quæstus. Thesaurus, in quâ, est omni thesauro melior. Nam sensibilis thesaurus, & insidiis petitur, & imminuitur, sæpèque inuentores pessundat: cælestis autem ille, totus alius est: insidias ignorat, auferri nequit, salus possidentibus & accipientibus, non consumitur tempore, nõ perit inuidia, sed profus eiusmodi iniuriis superior, multa colligentibus affert bona. Obediamus igitur, & faciamus etiam nos ita: vt cum priuatis sint & sacræ o-

Mar. 12.
3. Reg. 17.

624
A pes in domibus nostris repositæ, futurumque vt per eas etiam priuatæ conferentur. Quemadmodum si opes subditorum in regis promptuariis conferentur, per illas etiam regis securiores sunt: ita certè & in domo tua si pauperum opes reposeris, & dominico die collegeris, etiam tuæ securiores erunt: crisque dispensator opum illarum à Paulo ordinatus. Et hinc collecta hæc, occasio erit vt plura colligas, modò primùm tibi ipsi bonam hanc consuetudinem feceris: nam te ipsum instigabis nullo alio consiliario habens opus. Hoc itaque modo vnus cuiusque domus ecclesia fiat, sacratas opes intra se seruans. Enimvero gazophylacia quæ in templis sunt, illarum symbolum gerunt. Locus in quo pauperum opes sitæ, inaccessus est demonibus. Et opes, quæ in eleemosynas deputatæ, domos plus muniunt, quàm scutum & lancea, ac arma, & seruorum & militum manus. Porro postquam Apostolus dixit, quando, & à quibus, & quomodo reponendæ sint hæc opes, quantas illas esse oporteat: offerentium arbitrio relinquit. Non enim dicit, Tantum & tantum offer, vt ne præcepto grauet, multis alioqui paupertatem prætextentibus: atque adeò ne dicant pauperes, Quid si tantum præstare non possumus? propterea quantitatem oblationis virtute offerentium determinauit. Vnusquisque enim vestrum, ait, apud sese reponat thesaurizans quod commodum fuerit. Quo verbo *ἐν ὁσῶν* Paulus demonstrat, quòd supernè fauor, & felix euentus eis assistet. Non enim hoc solum considerabat quomodo, sed & vt magna cum promptitudine pauperibus necessaria suppeditarentur. Enimvero & Deus eleemosynam non ob hoc solum instituit, vt pacantur indigi, sed etiam vt dantibus accrescerent beneficia, atque adeò magis propter dantes, quàm accipientes. Nam si pauperum duntaxat habuisset rationem, nihil aliud præcepisset, quàm vt necessaria eis darentur, nec dantium promptitudinem requisisset: at nunc videre licet Apostolum hoc potissimum agere, & ordinare, vt gaudentes & hilares sint largitores. Et alicubi dicit, Ne ex tristitia, vel ex necessitate: hilarem datorem diligit Deus. Et non simpliciter dicit datorem, sed eum qui libenter & voluptè benefacit. Et iterum alio in loco. Qui impertit in simplicitate, qui præest in diligetia, qui largitur in hilaritate. Et propterea vera eleemosyna est, sic dare, vt gaudeas te dare, putésque te accipere magis quàm dare. Atque hoc modis omnibus conatur, vt leue faciat præceptum, fiatque cum alacritate oblatio. Et considera, quot nominibus attentauit præcepti pondus & grauitatem auferre. Primùm iubet offerre non vnum, duos vel tres, sed vniuersam ciuitatem *λόγια*. Collatio enim nihil aliud est quàm collectio, & symbolū quod omnes dant. Secundò accipientium dignitatem significat: non enim dicit, pauperes: sed sanctos. Tertio exemplum affert aliorum, qui simile quiddam fecerant, cum dicit: Sicut ordinaui ecclesis Galatiæ. Quartò diei opportunitatem adiicit, dicens: In vna sabbatorum vnusquisque apud seipsum ponat. Quintò, non iubet omnia simul profundi in eleemosynam, sed paulatim. Indignū enim totum iubere, totum vno die offerre, & tanto tempore inopia premi: hoc enim citra ratione sumptuum omnino esset. Ad hæc, non decernit mensuram, sed offerentium arbitrio permittit, & à Deo datum declarat. Vtrumque hoc insinuat cum dicit, quod commodum fuerit. Adiicit & septimum alium modum, cum dicit, Vt ne cum venero, tunc collationes fiant. Quo dicto & suburget expectantes suum aduentum, & solatur certum diem aduentus sui scribens. Neque his cõtentus, alium etiam octauum adducit. Et qualisnam ille?

Vbi venero autem, quoscunque probaueritis per epistolas hos mittam, vt perferant gratiam vestram Hierosolymam. Quòd si fuerit operæ precium vt & ego ipse proficiscar, mecum proficiscentur. Vide quàm aliena à fastu & mæsueta sit generosa illa ac beata anima: vide quàm sollicita & affectu plena? Noluit enim ex sua sententia eligi ministraturos pauperibus necessaria, sed eorum electionem ipsis permisit. Neque iniuriæ loco habuit, quòd Corinthiorum suffragio, sententiæque, & non Pauli constituebantur: imò absurdum censuisset, si secus esset actum. Et hac de causa permisit eis, vt quorum erat oblatio, eorum esset & ministrorum electio: interim & mæsuetudinem suam demonstrans, & omnem ansam ac vmbra suspicionis auferens. Nam licet ab omni suspitione mala alienus, & Sole purior erat: ex abundantia tamen hoc curabat, quòd infirmioribus parceret, & suspiciones effugeret: vnde dicit, Vbi venero autem, quoscunque probaueritis, eos mittam, vt deferant gratiam vestram. Quid dicis Paule? Tu autem non nauigabis, neque subsidia accipies, sed aliis rem demandabis? Ne cogitantes tale quiddam tristiores redderet, vide quomodo & hoc bene tractat. Non enim simpliciter dixit, quoscunque probaueritis mittam, sed quid? Per epistolas. Tametsi non corpore adero, sed literis meis affuturus, adiuuabo illorum ministeriū. Num Pauli umbra vel calceamentis eius digni sumus? Et ille tanta apud omnes dignitate conspicuus, reicit honores vndeque: non verò stomachamur, & ægrè ferimus, si quando non sententia nostra, neque suffragio & iudicio ordinantur, qui subsidia illa ministrèt: & iniuriam putamus, si non nobiscum, & nostra sententia hoc faciunt qui sua impendunt. Vide autem qualiter eleemosynæ vbique meminit. Hoc loco cam non vocat mandatum, neque eleemosynam, sed gratiam: demonstrans quòd sicut mortuos excitare, & demones effugare, & leprosos mundare, gratia opus est: sic etiam pauperes iuuare, & indigis manū porrigere, imò multò magis hoc quàm illud. Iam licet gratia sit, nostra tamen opus habet opera & studio vt eligamus, & velimus, & gratia Dei dignos nos exhibeamus, & præparemus. Hoc quidem dicto egregiè ipsos cõsolatus est, quia literas suas cum eis missurus esset: iterum tamen alio maiori quàm antea consolatur, dum pollicetur se ipsum itineris sui socium futurum. Si enim fuerit operæ precium, vt ipse proficiscar, mecum proficiscentur. Et vide etiam hinc ipsius industriam. Neque enim negauit se simul iturum, neque omnino iturus est, sed iterum arbitrio dantium rem submittit, eosque dominos facit suæ peregrinationis, demonstrans quanta sit hæc dignitas. Nam tanta est, quæ etiam ipsum itineri se vt accingat, excitet. Nam cum dicit operæ precium, coniectantis est. Quòd si per omnia hanc profectioem abnuisset, tristiores vtique eos reddidisset ac segniores: sin dubiè promississet, negligetiores fecisset, & ideo non omnino negat neque pollicetur, sed sententiæ Corinthiorum submittit. Audientes enim Paulum delaturum oblationes suas, maiori studio & alacriter ferebatur, quòd per sanctas illas manus oblationes suæ deferendæ essent, & huic sacrificio preces illius accederent. Porro si tanta alacritate hoc faciebant Corinthij obscuratiori Paulo, tu verò dabis domino Pauli (Nam propter pauperes Deus suscipit.) qualem excusationem habiturus es, si negaueris, vel distuleris? Et profectò nisi res magna curaque multa digna esset, ille cui totus orbis creditus, & cui curæ erant omnes quæ sub Sole ecclesiæ, vix id muncri obiiisset. Igitur hæc & nos cogitemus, quoties vel dādum vel dantibus aliis ministrandum, ne simus difficiles tristè se perinde ac possessiones imminuerentur. Quo-

A modo enim non absurdum? Agricola sementem facit, & quæ habet expendit, & non tristatur, nec dolet, nec sumptum se facere putat, sed lucrū potius, tametsi incerta eius spes. Tu autem non in tam vilibus, sed in multò maioribus feminans, & daturus pecuniam in manus Christi, recusas, torpes, & inopiam prætexis? An nõ potuit Deus præcipere telluri, vt proferat aurum e laboratum? Etenim qui dixit: Germinet terra herbam Gen. 1. sceni, & ipsa mox protulit viridantem faciem, non potuit præcipere, vt fontes & fluij auri vbique manent? At noluit, sed permisit multos inopes, tam ob illorum quàm tuam vtilitatem. Quandoquidem ad virtutem conducibilior paupertas, quàm diuitiæ, & his qui in peccatis sunt, non parua consolatio est, quòd indigentibus subsidium ferunt. Præterea huius rei tanta cura fuit Deo, vt cum nobiscum hinc ageret, carnèque inductus cum hominibus versaretur, non detrectaret, neque erubesceret, quòd ipsemet ea quæ pauperum erant dispensare voluit, quamuis tot panes fecisset, faceretque mandato suo quæcunque vellet, possètque infinitos thesauros simul mōstrare. Atqui hoc non fecit, sed præcepit discipulis vt haberent marsupium, & dispensarent indigis. Nam quum ad Iudam per ænigma loqueretur de traditione, non intelligentes discipuli quid dixisset, putauerunt dictum vt pauperibus aliquid daretur. Et dicit, Marsupium ipse portabat, & quæ ei dabantur. Ioan. 13. Frequens enim Deo est misericordia, non solum eius quæ erga nos, sed eius etiam quæ ab hominibus in conseruos fieri debet. De quo in veteri ac nouo leges innumeræ. Per omnia humanos esse iubet, in cogitationibus, verbis, & operibus. Moses de his sursum ac deorsum sermones disseminat: Prophetæ ex persona Dei clamant, Misericordiam volo, & non sacrificium. Apostoli quoque illis consona & faciunt & dicunt. Proinde in hac re negligentes ne simus. Non enim tam pauperibus quàm nobis profusum, plura accipientes quàm dantes. Hæc non temerè, & abique causa dico. Sunt enim perquam multi, qui nonnunquam curiosius rogant & inquirunt patriam & vitam, mores & artem, & corporis bonam valetudinem, & inde crimina intentant, & ob sanitatem de eis pœnas exposcunt. Hinc fit quòd multi etiam cæcitate corporis simulant, vt eius calamitatis actū, credulitatem humanitatemque nostram inflectant. Quæ quidem si græte contingant, grauias sunt, non tamen vsque grauias. Hyeme verò & frigore, tam inhumanū & crudelem iustificatorem se exhibere, veniamque nullam ociosis cōcedere, summè crudele fuerit. Quid igitur Paulus ad Thesalonicensis dicit: Si quis laborare non vult, etiam nõ comedat? Vt & tu hæc audias: & non ad illū solum, sed & ad te quoque hæc verba attinent. Pauli enim leges non solis pauperibus, sed & nobis positæ sunt. Dico quid onerosum & molestum, scio vos succensere, attamen dicam: nõ enim vt grauem, sed vt emendè dico. 2. The. 3. Illis quidem ocium obiicimus, etiam in re cui debetur venia: nos autem eadem sæpe facimus omni ocio grauiora. At ego, dicis, paternā hereditatē habeo. An ergo quia pauper, & ex pauperibus est, & non contigerit ei progenitores diuites, dignus est qui peccat? Profectò hac de causa, cõmiseratione & misericordia diuitum maxime dignus est. Tu quidem sæpe diem teris in theatris, & in conciliis, & in conuētibus, è quibus nulla vtilitas, & multis obloqueris, & nihil te committere, nec te ociosum putas: hunc autem miserum & ærumnosum, in lacrymis, in precibus, in extrema miseria totum diem expendentem iudicas, & ad tribunal trahis, & de eo pœnas exposcis? Hæccine humana est sententia? Igitur quādo dicis, Quid dicemus Paulo? Tu ca-

tibi ipsi, non pauperibus dic. Et non solum minas sed & veniam ibi lege. Nam ut dixit: Si quis non laborat, neque comedat: adiecit, vos autem fratres, ne afflixeritis bonum facientes. At qua ratione, dicis, excusabis eos? Fugitivi sunt, & peregrini, & nebulones, relictaque patria sua in nostram confluunt. Et tu hanc de causa stomacharis, civitatisque huius coronam precipuam vellicas, quoniam communem patriam & portum omnes eam putant, & alienam propriae praefereunt? Ne tantum praconium adulteres, ne principalem hanc patriam laudem decurtas. Olim cum fames totum orbem inuafura esset, habitatores huius civitatis, his qui Hierosolymis erant, atque adeo illis ipsis de quibus vobis totus hic sermo locutus est, per manum Barnabae & Sauli subsidia miserunt non parua. Qua ergo venia digni erimus? quomodo excusabimur, cum patres nostri suis opibus pauerunt eos qui a longe habitabant, & ad ipsos currebant: nos vero etiam aliunde ad nos confugientes, fugamus, & ut de eis poenae fumantur petimus, praefertim cum non ignoremus, nos plurimorum malorum reos? Quod si Deus ita diligenter nos scrutaretur, uti nos causam pauperum, nullam vquam misericordiam vel veniam assequeremur. In quo enim iudicio iudicatis, dicit, & vos iudicabimini. Esto igitur misericors & benignus conferuo, dimittenturque tibi peccata multa: miserere, & eandem sententiam inuenies. Quid tibi ipsi negocia plectis? Quid curiosus es? Si Deus ita ordinasset, ut percontaremur vitas, & exposceremus poenas, & curiosi aliorum mores discuteremus: an non multi grauatim ferrent, & ad seipos dicerent, Quidnam hoc est? difficilem rem nobis Deus praescripsit. Non enim pos-

sumus aliorum vitam inquirere, siquidem ignoramus quid admiserint. An non multi ita dicerent? Nunc vero cum omni hac curiositate nos liberauit, & daturum se mensuram perfectam pollicitus est, siue boni, siue mali qui accipiant, nobis ipsis negocium facimus. Et vnde hoc liquet, quod siue bonis, siue malis dederimus, mercedem accepturi simus? Hinc videlicet, quod ipse iussit nos, ut oraremus pro insectantibus & calumniantibus nos, ut simus similes patri nostro, qui in caelis est, qui Solem suum oriri permittit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Proinde quemadmodum dominus tuus, cum multi blasphemaret, multi fornicentur, multi furentur, latrocinentur, sepulchris infidentur, & multa mala faciant, ipse non desinit a sua in omnes beneficentia, sed communes radios, communes imbres & fructus terrae profert, suam monstrans misericordiam: Sic & tu fac, & cum adhuc tepus misericordiae, iuua pauperes, pascere famelicos, libera afflictos, ne sis praeterea curiosi sollicitus. Nam si vitas hominum discussuri sumus, nullius vquam miseremur, & intempestiua curiositate hac praepediti, absque fructu, & destituti omni adiumento permanebimus, magnum interim laborem frustra & incassum subeuntur. Eapropter obsecro, ut intempestiua curiositate haec ommissa, indigentibus omnibus detur, fiatque hoc magna alacritate, ut etiam ipsi misericordiam & benignitatem apud Deum assequamur. Oro, ut hoc vobis omnibus eueniat per gratiam & misericordiam domini nostri Iesu Christi, cum quo patri, simul & spiritui sancto sit gloria, imperium, & honor nunc & semper, & in saecula saeculorum. Amen.

Matt. 7.

IACOBVS BILLIVS ABBAS
S. MICHAELIS IN ERAMO, CANDIDO LECTORI S.



ERITO sane hoc nomine in multorum grauisimorum virorum offensionem Erasmus incurrit, quod nullis plerumque, aut certe non nisi leuibus ac plane frigidis rationibus nixus, plurimos libros patris adimere, atque inter notos referre non sit veritus. Ne longe abeam, hunc Chryostomi commentarium ipsius non esse, omnium mortalium, primus, atque, ut opinor solus asseruit, cum tamen, siue stylum ipsum, siue in abstrusissimis quibusque Pauli sensibus eruditis acumen, siue in tractandis locis communibus dexteritatem, siue denique pietatem spectes, nihil vquam ab hoc sanctissimo viro, vel elegantius, vel ingeniosius, eruditiusque literis mandatum fuisse existimem. Ac certe, cum Pauli textum lego, multa mihi perobscura se offerunt, multa salebrosa, multa, quae me properantem insistere cogant, ac velut iniecta manu remouentur: quae, simulatque Chryostomi interpretatio accessit, ita plana, ita aperta & dilucida redduntur, ut nihil sit, quod ad verborum sensum intelligendum ultra requiram. Nimirum vir ille mirifice Paulum colebat, tamque impense erga eum affectus erat, ut quemadmodum ipsemet testatur, ab illius lectione nunquam discederet. Ex quo illud assequatur, ut dum, quem ille ad scribendum, eundem etiam ipse ad legendum & explanandum, animum asserret, vnus quodammodo spiritus cum ipso efficeretur: ac dum ipsius scripta diurna nocturnaque manu versaret, ipsius quoque mentem simul imbiberet, atque ad intimos eius sensus cognitione penetraret. Immo etiam Proclus Constantinopolitanus Archiepiscopus, locuples in primis testis, se Paulum ipsum Chryostomo, dum scriberet, multa in aurem insusurrantem, atque arcanum verborum suorum sensum ipsi aperientem vidisse asseruit: ut iam in hoc scripti genere, non tam labore ac studio parta, quam diuinitus infusa ipsi doctrina fuisse videatur. Quo indigniore animo fero ne hunc quidem tam pium & eruditum, tamque, ut vno verbo dicam, Chryostomicum factum, virulentam Erasmi censuram effugere potuisse. Vide enim quidnam in Epistola quadam ad Tostallum (quae est in Floridarum volumine) scribat: Ex Chryostomo in Acta verteram Homilias tres, cuius opera me penituit, cum nihil hic viderem Chryostomi. Tuo tamen hortatu recepi codicem in manum: sed nihil vquam legi indoctius. Ebrius ac stertens scribere meliora. Habet frigidus sensiculos, nec eos ipsos commode potest explicare. Ex commentariis in Epistolam ad Corinthios posteriorem verti Homilias sex: eundem artificem illic loqui sentio. Itaque non est animus bonas horas male collocare. Aliud spirat Chryostomus. Videtis lector quam arroganter hic de se, quam contumeliose de his duabus Chryostomi lucubrationibus loquatur. Mihi profecto cum his verbis vteretur, Ebrius ac stertens meliora scriberem, non satis ipse sobrius fuisse videtur. Quid autem? Quia hi duo commentarii Erasmo non placent, ideo a Theologia improbantur, ac tanquam adulterini reiciuntur: Minime vero: sed potius haec censura, non minus iniqua quam temeraria expodetur. Quisquis enim hunc in Paulum Commentarium, cum eo, quem in epistola ad Romanos edidit, qui omnium consensu germanus Chryostomi factus est, diligenter conferre voluerit, non lac lacti, ut prouerbio dici solet, nec ouum ovo similis, quam hos inter se esse comperiet. Eadem utrobique pietas, eadem doctrina, eadem phrasim, eadem interpretandi ratio, idem in tractandis locis communibus genius. Commentarius autem in Acta, etsi minus cura ac laboris praese fert (nam in Paulinis Epistolis illustrandis

illustrandis apparet eum omnes ingenij atque industriae nervos contendisse) non tamen propterea calculo atro notari, tamenque verborum contumelia & atrocitate proscindi debuit. Codicis Graeci copia mihi fecit vir quidam mihi amicissimus. Nihil fingi potest elegantius: nihil, quod Chryostomi phrasim magis referat. Sed quid coniecturis agere attinet, cum idoneum testem habeam, qui hanc enarrationem vero suo parenti asserat, ac petulantem conuictiisque plenam Erasmi censuram auctoritate sua obtinet? Quis enim non ei potius fidem adhibendam putet, qui ante septingentos & quinquaginta annos ex eo libro testimonium profertens, Chryostomum auctorem aperte citat, quam ei, qui nihil praeter somnia, hoc est opiniones nulla ratione suffultas asserit? Damascenus itaque (nam is est quem intelligo) lib. 3. de Orthod. fid. cap. 15. ex secunda ipsius in Acta Homilia hunc locum profert, ubi docet Christi passionem, ob beneficia, quae hinc ad vniuersum genus humanum promanarunt, actionis quodammodo rationem habere. Quid igitur hic faciet Erasmus? Non enim dubium est, quin, quod Damascenus de illius libri auctore sensit, tota illa aetas senserit. An Graecam phrasim melius intellexit, quam tot viri in media Graecia, aut nati, aut educati & instituti? Minime sane. An meliore fide ac maiore auctoritate Chryostomi notha a veris discernet, quam illi, qui, quo propinquiores fuerunt ipsius aetati, eo quoque scriptorum eius indicem melius cognitum ac perspectum habere poterunt? Ne id quidem profecto. Nihil igitur superest, quam ut, cum Chryostomi hoc opus esse constet, in eum Erasmi contumelia conferantur, immo vero (quod multo equius est) in ipsiusmet Erasmi caput retorqueantur. Porro cum hunc in Acta Commentarium Damascenus Chryostomo vindicet, expositionis autem secundae ad Corinthios Epistolae eundem parentem & artificem esse qui & explanationis illius in Acta, Erasmus assermet, quin hic in Paulum Commentarius Chryostomi genuinus sit, si sibi constare velit, causam haud vllam dicere queat. Et tamen ipse in hoc suo iudicio (si iudicium id appellandum est, in quo iudicij nihil, temeritatis permultum reperitur) ita obstinato animo hesit, ut etiam illud in Epistola, quam Basilij libro de spiritu sancto praefixit, repetendum putarit. Sed bene habet, quod illic quoque leuius censor, ac dicam ridiculus inuenitur. Audi enim quid dicat: Postquam dimidium operis absolueram citra tedium, visa est mihi phrasim alium referre parentem, aliumque spirare genium. Ac leuibus quibusdam & ineptis ratiunculis interiectis. Ex his rebus, inquit, subiit animum meum suspicio, studiosum quempiam, quo voluminem redderet auctius, multa intertexuisse, vel ex aliis Authoribus decerptis, vel ex se reperita. Videtis quemadmodum hunc librum, non iam in totum, sed dimidia duntaxat ex parte ingulet, cumque Cecropis cuiusdam instar deponi nobis fingat, ut sit οὐδὲν ἄλλο, ὅτι τινος δὲ δόξα, quemadmodum de Chimera loquitur Homerus? Quod si machinas, quibus dimidiam illius libri partem euertere nititur, conspexeris, nescio an in stomacho risum tenere queas. Primum ei vitio vertit, quod interdum ad tragicum cothurnum intumescat eius oratio, nunc rursus ad vulgarem sermonem subsidat. Quasi vero non omnibus Oratoribus hoc familiare sit, ut, cum materia hoc poscit, alius stylum attollat, grandiorque dicendi genere utantur. Deinde hunc librum Basilio ea de causa indignum esse censet, quod in eo Author subinane quiddam habere videatur, vel utque ostendet se didicisse, quae Aristoteles in Pradicamentis, & Porphyrius in libro de quinque vocibus predicabilibus tradiderunt. Ineptè id sane atque imperite. Quid enim? An cum totius disputationis cardo in exiguarum quidem, sed permagni interim momenti Propositionum explanatione versaretur, fideique aduersarij externae disciplinae praesidiis aduersus orthodoxos abuterentur, eruditissimum virum minime decuit, quo gladio illi Ecclesiae iugulum petebant, eodem ipsos trucidare, planumque facere, eos armis etiam illis, quibus plurimum confidebant, inferiores esse? Nam de phrasim dissimilitudine, quam etiam causatur, in eo certe (quemadmodum & in 2. hom. de Ieiun. quae repugnet ille quantum voluit, Basilij tamen est, citaturque a Damasceno in Parallelis, & in eiusdem Authoris Commentariis in Esaiam, quos, praeter quatuor illos testes, quos doctissimus ac religiosissimus Carthusianus Tilmannus producit, etiam ex Tharsij Constant. Archiepiscopi ad Adrianum Papam epistola Chryostomi esse non dubium est) perspicue fallitur. Neque enim vllum phrasim discrimen a quoquam agnosci potest: uti facile existimabit, quisquis totum librum cum iudicio euoluerit. Quid autem est quamobrem refutandis illius coniecturis diutius immeror, cum vnus Euthymius, Graecus etiam Author, qui Alexij Imperatoris aetate floruit, omnes eas vno ictu prorsus elidat? Quoties enim hunc librum in sua Panoplia citat (id autem libentissimè facit) semper eum triginta capitulum librum nunciat: ut iam nulla dubitandi occasio cuiquam relinquatur, quin totum illud opus Basilij sit. Atque haec, sane stomachosius quidem aliquando fortasse, quam mei mores ferant, non tamen quam haec in condemnandis magnorum virorum monumentis licentia mereatur, mihi dicta sint. Nunc, cur hunc Commentarium de integro vertendum susceperim, paucis est exponendum. Certè cum Erasmi in Graecis Latine reddendis elegantia & diligentia mihi iam pridem comperta esset, non erat animus rem actam ut dici solet, agere, nouamque translationem moliri. Neque enim dubitabam, quin ille, & fidelissimum & disertissimum Interpretem praestitisset. Itaque retentis sex primis Homiliis, quas solas ipse traduxerat, reliquas duntaxat, quae infinitis erroribus scatebant, denuo conuerteram. Sed cum illud mihi in mentem venisset, vix fieri potuisse quin ipse quoque, in iis, quae velut inuita Minerua, & male de Auctore sentiens transfulisset, interdum laberetur, gustum capere volui, quam rectè in hoc munere versatus fuisset. Et ecce in paucis paginis tot errata reperi, ut non modo iustam, sed etiam necessariam causam habuerim, quamobrem relicta ipsius versione nouam subrogarem. Id quod illi nullam aliam ob rem contigisse arbitror, quam quod nihil bene agi potest, quod inuito animo agitur. Ac ne me quisquam id ipsi affingere putet, in tribus primis Homiliis annotandos eos locos duxi, in quibus ab Auctoris mente ipsius versio aperte disidet. Nam in plures inquirere non libuit, ne illud in me torqueri posset, Male sit ei, qui sola colligit mala. Illud quidem miror, Philippum Montanum, virum eruditum, cum hoc munere ex professo suscepisset, ut ad marginem Interpretum errata corrigeret, tam pauca ex tam multis collegisse: ut non incommode quispiam in hac re illud Horaty ad Chryostomum dicere queat, Quid te exempta iuuat spinis è pluribus vna? Sed cum, quod potuit, praestiterit, immo multum praestiterit, est sane, cur potius ipsi gratiam habeamus, atque ipsius Manibus felicitatem precemur, quam ut de praetermissis, aut non animaduersis, eum insectemur. Nolim autem ignores, Lector, D. Cuiacij, Iureconsultorum nostrae memoriae principis, librum, quem ad manuscriptum exemplar emendauit, magno mihi non paucis in locis adiumento fuisse. Quamquam etiam ab ingenio nonnunquam petenda mihi medicina fuit: non tamen omnino infelicitate, ut opinor. Cuius rei hoc vnum exemplum esto. Homilia 21. in his verbis. ἡ γὰρ ἐκ τῆς ἰσθμῆς ἀλλὰ μετὰ πολλὰς ἐπινοίας ἐν τῷ δόξῃ. ἡ ἐπεὶ δὲ νῦν ἰσθμῶν, cum huius perspicue se prodar, quis erit qui mihi iustam reprehensionis notam impingere queat, si vnus literula iactura ei mederi studeam, atque ita legam ἡ γὰρ ἐκ τῆς ἰσθμῆς ἀλλὰ μετὰ πολλὰς ἐπινοίας ἐν τῷ δόξῃ. Nam ut editio habet, quis ex iis verbis, nisi prorsus absurdus, sensus elici potest? Plures eiusmodi locos proferrem, si id necesse esset, ac non etiam hac praefatio iam nimis excreuisset. Vale igitur lector, & hunc nostrum laborem boni consule.

DIVI IOANNIS

CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI, in secundam ad Corinthios Epistolam commentarius.



PAVLVS Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater, Ecclesie Dei que est Corinthi, cum omnibus sanctis, qui sunt in vniuersa Achaia, Gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & domino nostro Iesu Christo. Benedictus Deus, & pater domini nostri Iesu

Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: ut possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per consolationem qua & ipsi consolamur à Deo. Prius querere conuenit, quidnam sit, cur secundam epistolam priori adiungat, & quamobrem à Dei miserationibus atque cōsolatione initium ducat. Quidnam ergo causæ est, cur secundam adiecerit, cum in priori Epistola dixisset, Veniam ad vos, & cognoscam, non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutē: & ad calcem rursus hoc ipsum suauioribus verbis pollicitus fuisset, Veniam enim, inquit, ad vos, postquam Macedoniam pertransiero. Macedoniam enim pertransibo, atque apud vos fortasse manebo, aut etiam hyemabo. Nimirum quia multum temporis intercesserat, nec tamen ad eos se contulerat. Quin potius, cum præsinitum tempus iam fluxisset, adhuc tamen cūctabatur, ac moras trahebat, quod scilicet spiritus eum in aliis longè magis necessariis negotiis retineret. Hac de causa secundam Epistolam scribere necesse habuit, non necesse habiturus, si non multò, quàm promiserat, serius accessisset. Nec verò hoc duntaxat nomine, sed ob id etiam, quod ex superiore Epistola meliores redditi fuerant. Nam fornicatorem eum, quem prius fauore complectebantur, & ob quem insolenter se efferebant, absciderant, ac protus eiecerant. Id quod his verbis indicauit, Si quis autem contristauit, non me contristauit, sed ex parte, ut non onerem omnes vos. Sufficit ei, qui eiusmodi est, obiurgatio ea, quæ fit à pluribus. Ac rursus sermonis progressu idem innuit, cum ait: Ecce enim hoc ipsum, quod secundum Deum contristati estis, quantam in vobis sollicitudinem effecit? Imò excusationem, imò indignationem, imò timorem, imò desiderium, imò æmulationem, imò vindictam. In omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse in negotio. Quin pecuniam eam, quam imperauerat, summo studio collegerant. Vnde etiam dicebat, Scio enim alacritatem vestram, de qua glorior apud Macedones: quoniam Achaia parata est ab anno superiori. Huc accedit quòd Titum, quem ipse miserat, maxima cum benevolentia susceperant. Id quod etiam ostendebat, cum rursus diceret. Viscera eius abundantius sunt in vobis, reminiscens omnium vestrum obedientiam, quomodo cum timore & tremore eum suscepistis. His omnibus causis adductus, secundam Epistolam scribit. Etenim par erat, ut quemadmodum illis, cum peccarent, succensebat, sic etiam eisdem ad meliorem mentem reuersos comprobaret ac laudibus afficeret. Ac proinde nec acrem se ac vehementer sub ipsius finem partibus. Nam & apud eos Iudæi quidam erant, qui magnificè de se sentirent, ac

Vide fol. 639.

1. Cor. 5.

Inf. 2.

Cap. 7.

Inf. 9.

Inf. 7.

A Paulum, ut vanum & arrogantem, nulliusque pretij hominem, in odium atque inuidiam vocarent. Eaque de causa dicebant: Epistolæ quidem graues, præsencia autem corporis infirma, & sermo cōtemptibilis. Quorum verborum hæc erat sententia: Cum adest ille, nullius pretij esse videtur (hoc enim his verbis significatur, Præsencia corporis infirma: cum autem abscessit, per literas magnopere se iactat: hæc enim horum verborum significatio est, Epistolæ graues. Quinctiam, ut laudem atque autoritatem sibi conciliarent, se nihil numerorum accipere simulabant. Quod etiam ipsum innuebat, cum diceret, Ut in quo gloriantur, inueniantur sicut & nos. Ac præterea, quoniam dicendi facultate pollebant, eo nomine animos maiorem in modum atolebant. Ob eamque causam ipse quoque sese imperitum appellat, ut videlicet ostendat id sibi minimè pudori esse, nec rem huiusmodi magni cuiusdam pretij, sed nullius potius momenti existimare. Quoniam igitur uerisimile erat quosdam eorum oratione à recta sententia deduci, idcirco cum prius ipsos ob id, quod præstiterant, laudibus extulisset, ac rursus illorum arrogantiam ob Iudaicas ceremonias, quas intempestiue iam obseruare studebant, retulisset, tum denique hoc eos nomine non nihil obiurgat. Atque huiusmodi, ut summatim ac velut obiter dicam, Epistolæ argumentum mihi esse videtur. Sequitur iam ut Epistolæ initium attingamus, & cur post salutationem, quam pro suo more adhibebat, ad hunc modum à Dei miserationibus exorsus sit, exponamus. Prius tamen principium ipsum explicare opus est, ac querere, quidnam sit, quamobrem Timotheum hoc loco sibi copularit. Paulus enim, inquit, Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater. Etenim in priore Epistola facturum se recipiebat, ut cum mitteret, mādabātq; dicens, Si autem venerit Timotheus, videte ut sine metu sit apud vos. Qui fit igitur, ut eū hoc loco in proœmio secū coniungat. Nimirum cum, pro eo ac magister promisserat, ad eos se contulisset, (misi enim, inquit, ad vos Timotheum, qui vos cōmonest faciet vias meas, quæ sunt in Christo) atq; vbi omnia rectius cōstituisset, ad Paulum se receperat. Siquidem, cum eum mitteret, his verbis utebatur: Deducite eum in pace, ut veniat ad me. Expecto enim eum cum fratribus. Posteaquā igitur ad magistrum se recepisset, ac restitutus correctique vnā cum eo Asiæ negotiis (manebo enim, inquit, Ephesi vsque ad Pentecosten) rursus in Macedoniam transfuisset, iam non immeritò eum, ut præsentem, sibi copulat. Etenim tunc ex Asia, nunc autem è Macedonia scribit. Ipsum porrò sibi hac ratione coniunxit, tum ut autoritatem ei conciliaret, tum ut ingentis humilitatis suæ specimen exhiberet. Quauis enim ille inferior ipso esset, tamen charitas omnia connectit. Eoque etiam fit, ut illum vbique sibi exaquet, nunc scilicet ita loquens, Tanquam patri filius mihi inseruiuit: nunc rursus, Opus enim Domini operatur, sicut & ego: ac denique hoc loco fratrem quoque eum appellat: nimirum ut omnibus modis ei apud Corinthios venerationem comparet. Nam eò, ut iam dixi, perreuerat, suæque virtutis documentum præbuerat. Ecclesie Dei que est Corinthi. Rursus eos Ecclesiam vocat, ut omnes in vnum conciliet, ac deuinciat. Neque enim Ecclesia vna esse queat, diuisis iis, atque inter se dissidentibus, qui in ea sunt. Cum sanctis omnibus qui sunt in vniuersa Achaia. Eadem opera & Corinthios honore afficit, dum per eam, quam ad eos scribit Epistolam, omnes consalutat: & vniuersam nationem inter se conciliat. Sanctos autem eos vocat, ut ostendat ab hac appellatione alienum esse, quisquis impuris est moribus.

Gal. 1.

1. Cor. 5.

Inf. 4.

Inf. 4.

Phil. 1.

1. Cor. 1.

Phil. 17.

Phil. 26.

633 moribus. At quid causæ est, cur ad Metropolim scribens, omnibus per eam scribat, cum id vbique minimè faciat? Siquidem cum ad Thessalonicenses litteras daret, non scilicet ad Macedones quoque scribebat: nec item Ephesi scribens, vniuersam Asiam vnā complexus est: nec denique Epistola ad Romanos, iis etiam, qui in Italia versabantur, missa est. Verum hinc demum hoc facit, atque item in Epistola ad Galatas. Neque enim illic vni duntaxat, aut duabus, aut tribus ciuitatibus, sed iis qui passim fusi & dispersi erant, scribit, his verbis vtens: Paulus Apostolus, non ab hominibus, nec per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitauit eum ex mortuis, & qui mecum sunt omnes fratres, Ecclesiis Galatiæ: Gratia vobis & pax. Quin ad Hebræos quoque vnā generatim Epistolam scripsit, nec eos per ciuitates distinxit. Quanam igitur huiusce rei causa est? Mea quidem sententia, quod communes hinc morbi essent. Ac proinde communem quoque Epistolam facit, quia communi correctione indigebant. Etenim Galatæ omnes morbo laborabant, & Hebræi: atque, ut mea opinio fert, hi quoque. Quamobrem cum vniuersam nationem congregasset, atque eos, quemadmodum reliquos omnes consueuerat, salutasset, (gratia enim & pax, inquit, à Deo patre nostro, & domino Iesu Christo) audi iam quæ admodum accommodatè ad institutum argumentum exordiat. Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum & Deus totius consolationis. Quoniam autem modo hoc præsentem argumento congruit, dixerit fortasse quispiam? Maximè sanè. Sic enim expende. Magna hoc eos molestia & perturbatione afficiebat, quod Apostolus illuc minimè profectus fuisset (præsertim cum id se facturum spondisset) verum vniuersum tempus in Macedonia consumpsisset, aliòsque ipsis anteferre videretur. Quare, ut hanc perturbationem comprimat, causam exponit, ob quam minimè ad eos perrexit. Nec tamen rectè eam ponit, nec ait, Scio quidem quod pollicitus sum me ad vos venturum, sed quia calamitates mihi impedimento fuerunt, ignoscite quæso, nec me superbiæ cuiusdam aut negligentie condemnate. Verum alia ratione, ac magnificentius, atque ad fidem faciendam accommodatius, hoc idem efficit, rem nimirum per consolationem amplificans: quod deinceps ipsi ne causam quidem sciscitentur ob quam ad eos venire cunctatus sit. Ac perinde facit, ut si quis, cum se ad aliquem, quem charum habeat, venturum esse recepisset, ac postea innumeris periculis perfunctus, veniat, ac dicat, Gloria tibi sit Deus, quod faciem mihi charam ac desideratam ostendisti: benedictus Deus, quibus periculis me liberaisti? Siquidem huiusmodi diuinæ gloriæ prædicatio purgationis vice apud eum est, qui expostulaturus fuerat, nec eum de cunctatione ac mora conqueri permittit. Erubescit enim eum, qui ob tot ac tanta mala, ex quibus ereptus est, Deo gratias agit, in ius vocare, pœnâsq; tarditatis ab eo expectare. Ob eamque causam ad hunc modum auspicatur, Benedictus Deus misericordiarum. Quibus verbis hoc subindicat, se ipsius ope ex ingentibus periculis eductum ac liberatum fuisse. Quandoquidem Dauid non vbique eodem modo, nec ab iisdem rebus, ipsum appellat: verum cum de bello ac victoria verba facit, Dilegam te domine virtus mea, inquit, Dominus protector meus. Cum autem de calamitate, qua liberatus est, ac de animi caligine, quæ ipsum circumfunderat, Dominus illuminatio mea, & salus mea. Atque, nunc à benignitate & clementia, nunc à iustitia, nunc ab incorrupto iudicio, prout illa, in quibus versabatur,

A tempora postulabant, cognomentum ipsi tribuit. Ad eundem itaque modum hoc quoque loco Paulus incipiens, à benignitate & clementia ipsum appellat, Deus misericordiarum, inquit, hoc est qui tantæ miserationis specimè edidit, ut nos ex ipsis mortis portis eduxerit. Hoc enim maximè Deo proprium ac peculiare est, ipsiusque naturæ insitum, nimirum ad hunc modum misereri. Ob hanc causam misericordiarum Deum ipsum vocat. Atque hinc quoque Pauli humilitatem velim consideres. Nam quamuis euangelicæ prædicationis causa periclitaretur, non tamen merito suo, sed per Dei miserationes salutem cōsecutum se esse ait. Verum hoc quidem apertius postea dixit: nunc autem hæc verba subiungit, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Non dixit, Qui non finit nos calamitate affici, sed, qui in calamitate nos consolatur. Nam hoc tum Dei potentiam declarat, tum eorum, qui calamitatum premuntur, patientiam auget. Tribulatio enim, inquit, patientiam operatur. Id quod Propheta quoque his verbis indicabat: In tribulatione dilatasti me. Non dixit, Non passus es me in tribulationem labi, aut, Tribulationem confestim submouisti: sed ea manente dilatasti me: hoc est ingentem cordis latitudinem & voluptatem mihi attulisti. Id quod etiam in tribus pueris contigit. Neque enim, quò minus in fornacem inciderent, prohibuit, nec cum incidissent, flammam extinxit: verum flagrante fornace latitudinem ipsis præbuit. Hoc autem Deus perpetuò facere consuevit. Id quod etiam Paulus subindicabat, cum diceret, Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Quin aliud quoque his verbis demonstrat. Quidnam tadem istud? Nempe quod non semel aut iterum, sed semper hoc facit. Neque enim nunc consolatur, nunc rursus deserit: sed semper ac perpetuò hoc agit. Ob idque dixit, qui consolatur, non, qui consolatus est: &, in omni tribulatione non in hac atque illa, sed in omni. Ut possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per consolationem, qua consolamur & ipsi à Deo. Videtne quemadmodum excusationem præstruat, dum magnæ cuiusdam afflictionis suspicionem auditori præbet? Atque etiam per hæc ipsa verba modestiam præ se fert, cum ait hanc quoque ipsam miserationem, non ob ipsorum meritum ac dignitatem, sed propter eos, qui ab ipsis adiuuandi erant, contigisse. Ob id enim, inquit, nos consolatus est, ut nos mutuum consolationem alij aliis adhibeamus. Atque hinc quoque Apostolorum dignitatem declarat, dum hoc indicat, quod posteaquam solatio affectus ac recreatus fuit, haudquaquam superinum se atque ignauium præbeat, verum ad cohortandos atque confirmandos & excitandos alios progrediatur. Sunt etiam qui hunc locum sic exponant, tanquam Apostolus dicat, Consolatio nostra aliorum quoque consolatio est. Quin mihi etiam ipse in Apostolos eos, qui incassum se iactabant, domique desidebant, ac deliciis operam dabant, per huiusmodi proœmium inuehi videtur, verum tectè atque obscure, ac velut obiter. Cæterum præcipuè id agebat, ut cunctationis ac negligentie notam à se depelleret. Nam si propterea consolatione afficimur, ut aliis quoque consolationem afferamus, crimini mihi ne vertite, quod ad vos non accesserim. Siquidem nobis omne tempus in infidiis & inuasionibus, depellendis que ingruentibus periculis terebatur. Quoniam sicut abundant Christi passionibus in nobis, ita etiam per Christum abundat consolatio nostra. Etenim ne discipulorum animos calamitates suas nimium exaggerando consterneret, ostendit rursus ingentem quoque consolationis copiam esse: sicque animos eorum erigit. Neque hac tantum ratione ductus hoc fa-

Rom. 5.

Psal. 4.

cit, sed eod etiam, quod eos Christi submoncat, ipsiusque passionibus esse asserat: atque ante consolationem ab ipsis quoque calamitatibus consolationem inducit. Quid enim suavius ac iucundius, quam me Christi socium effici, atque ipsius causa hæc perpeti? Quid cum hac consolatione comparandum? Nec verò hinc tantum, sed aliunde quoque, eorum, qui calamitatibus conflantur, animos attollit. Vnde tandem aliunde? Hinc nempe, quod ait, *abundant*. Non enim dixit, *quemadmodum* Christi passiones nobis ingruunt: sed *sicut abundant*. Quibus verbis illud ostendit, quod non modò illius cruciatus, sed his quoque plures perferant. Non enim, inquit, ea tantummodo, quæ ipse passus est, pertulimus, verum his etiam ampliora. Sic enim considera. Vexatus est, persecutionem passus est Christus, flagris affectus est, mortuus est. At nos, inquit, his plura patimur: quod quidem vel solum ad consolationem satis esse queat. Nec verò est quod quisquam hunc sermonem arrogantiae ac temeritatis damnet. Nam & alio loco ait, Gaudeo in passionibus meis, atque adimpleo ea quæ defunt passionibus Christi in carne mea. At neutrum horum temeritatis vilius & arrogantiae est. Quemadmodum enim Discipuli maiora, quam ipse, miracula fecerunt (qui enim credit in me, inquit, maiora his faciet) totum autem ipsi iurè ascribitur, qui in ipsis operabatur: sic etiam plura, quam ipse perpessi sunt. At vniuersum hoc rursus ipsi ascribi debet, qui eos consolabatur, atque ita comparabat, ut ingruentia mala forti animo perferrent. Vnde etiam Paulus, quam excellè locutus esset, agnoscens, vide quemadmodum hoc rursus his verbis mitiget, *ita & per Christum abundat consolatio nostra*. Quibus videlicet verbis totum hoc acceptum illi refert, atque ipsius benignitatem prædicat. Non enim inquit, quanta calamitate, tanta quoque consolatione afficimur, sed multò maiore. Neque enim dixit, Consolatio calamitates æquat: sed *abundat consolatio*: sic nimirum, ut certaminum tempus, aliarum rursus coronarum tempus esset. Quid enim, quæso, tam amplum ac præclarum, quam ob Christum flagris cædi, & cum Deo colloqui, omnibusque robore præstare, ac persecutores vincere, neque ab vniuerso terrarum orbe subigi & expugnari posse, atque eiusmodi bona in altero æuo expectare, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt? Quid tam egregium ac magnificentum, quam pietatis causa premi, atque innumeris Dei consolationibus frui, ac tot tantisque peccatis liberari; & Spiritu sancto, & sanctitate, atque iustitia donari, nec quenquam metuere ac perhorrescere, atque in ipsismet periculis quouis splendidiorum videri?

MORALE.

Ferendas æquo animo esse afflictiones.

QUÆ cum ita sint, ne committamus ut in tentationibus animo deiiciamur. Nemo enim deliciis studens, & dormiens, ac languens, cum Christo societatem habet, nemo eorum, qui molliter ac remissè viuunt: verum is demum illi vicinus est, qui in calamitate ac tentatione versatur, atque arcum vitæ iter tenet. Nam ipse quoque hac via incescit. Eamque ob causam dicebat, Filius hominis non habet vbi caput reclinet. Proinde ne animo discrucieris, cum calamitate premeris, animaduertens cui communices, & quonam modo per tentationes scelerum maculas eluas, quantumque inde fructum referas. Nihil enim aliud graue atque acerbum est, quam in Dei offensionem incurrere. Hoc sublato, non afflictio, non insidiæ, non aliud

Nil suavius quam pro Christo pati.

Coloss. 1.

Ioan. 14.

Quin magnas res, pro Christo pati.

Quis Deo propinquus. Luc. 9.

Nihil graue præter peccatum. Simile.

quicquam prudenter animam molestia afficere queat. Quin potius, quemadmodum si exiguam scintillam in magnum pelagus iniicias, eam protinus extinxeris: eodem modo molestia omnis, quamlibet ingens, si in animum bene sibi conscium inciderit, confestim perit & evanescit. Eoque nomine Paulus etiam perpetua lætitia fruebatur quandoquidem in iis rebus, quæ diuinæ voluntati consentaneæ erant, fidentem animum gerebat, ac tot mala ne quidem sentiebat: verum quavis, ut homo, dolore tangeretur, non tamen animo concidebat. Ad eundem modum Patriarcha quoque ille in gaudio versabatur, tametsi alioqui grauiam multa & acerba sustineret. Sic enim perpende: Patria caruit: longas ac molestas peregrinationes subiit: atque, cum in alienam regionem venisset, ne pedis quidem vestigium habebat. Hinc rursus eum fames excepit, ac solum vertere coëgit. Famem rursus vxoris ereptio secuta est, ac mortis metus, & sterilitas, & bellum, & pericula, & insidiæ, ac denique, quod ærumnarum caput erat, vniuersi & chari filij mactatio, illa inquam acerbissimum atque immedicabilem quandam doloris sensum afferens. Neque enim est quod existimes, quoniam prompto atque impigro animo Deo paruit, idcirco citra vllum doloris sensum illa omnia pertulisse. Nam etiam si milles iustus fuisset, ut reuera erat, tamen homo erat, eaque, quæ natura fert, patiebatur. At ipsum tamen nihil horum percussit: sed fortis athletæ instar constitit, atque in vnoquoque horum victoriam adeptus est. Ad eundem modum beatus quoque Paulus, cum densos quasi niuium globos quolibet die in se irruentes perspiceret, haud secus ac si in medio paradiso degeret, ita gaudebat & exultabat. Ut igitur is, qui huiusmodi gaudio fruitur, à mœrore arripi non potest: sic qui illud minimè amplexus est, à quibusuis arripi & expugnari potest. Ac perinde ei accidit, ut ei qui imbecillibus armis instructus est, ac vel leuissimo ictu fauciat: cum contra is, qui probè vndique armatus est, ingruentia omnia tela propulset. Etenim quibusuis armis firmior ac valentior est voluptas ea, quæ secundum Deum percipitur. Nec quicquam est, quod huiusmodi virum in tristitiam ac mœrorem concitare queat: verum omnia forti ac generoso animo perfert. Quid enim igne grauius? Quid perpetuis cruciatibus acerbius? Nam ut etiam opes, & liberos, ac denique quiduis amittat, hoc tamen ad sciendum dolorem omnibus est violentius. Pellem enim, inquit, pro pelle, & omnia quæ habet homo, dabit pro anima sua. Nec quicquam corporis tormentis acerbius fingi potest. Sed tamen, quæ vel auditu intoleranda sunt, ea ob gaudium illud, quod diuinitus concipitur, tolerabilia, atque etiam expetenda fiunt. Ac si à ligno, vel à sartagine, non nihil adhuc spirantem martyrem eduxeris, tantum gaudium in eo situm comperies, quantum ne verbis quidem vllis exprimi possit. Et quid faciam, dixerit aliquis, quædo martyrij tempus nunc haudquaquam est? Quid audio? Martyrij tempus nunc non adest? Nunquam illud adest: sed semper ob oculos nostros versatur, si quidem vigilatè animum præstemus. Neque enim in ligno tantum pendere, martyrem facit. Nam si ita res haberet, coronarum huiusmodi Iob expers esset: neque enim ad tribunal adductus est, nec iudicis vocem audiuit, nec carnificem vidit, non enim è ligno sublimis pendens excarnificabatur: & tamen multis martyribus acerbiora passus est, ac voces illæ nunciorum, qui alij aliis succedebant: eum quavis plaga acrius acerbiusque conuulnerabant, atque vndique lancinabant, vermiumque illorum ora omni ex parte ipsum immaniùs, quam sexcenti carnifices, corodebant.

Tob. mar. ty.

Multi opum iacturam grauius ferunt, quam plagas.

Patientia in bonorum amissione, in martyrium est.

Gen. 22.

Martyr gaudium inter cetera.

Namque martyrij occasio dicitur.

Iob. 1.

rodebant. Ecquem igitur martyrem hic non æquet? Imò verò sexcentos? Nam per omnia rerum generum luctabatur, tum palmam obtinebat, nimirum per opes, per liberos, per corpus, per vxorem, per amicos, per hostes, per seruos (nam hi quoque in os eius inspebant) per famem, per insomnia, per dolores, per fetorem. Ob eamque causam illud à me dictum est, eum non vni, aut duobus, aut tribus, sed sexcentis martyribus æquandum esse. Etenim vnà cum his quæ commemorata sunt, tempus quoque magnum ipsius coronis cumulum addit: quippe quod ante legem & gratiã hæc perpeffus sit, quod multos menses, quod omnia supra modum, quod acerbitates omnes simul in eum impetum fecerint. Atqui vnumquodque eorum, vel solum, intolerabile erat, ipsaque adeò diuitiarum iactura, quæ alioqui reliquis tolerabilior esse videtur. Multi quippe plagas quidem æquo animo tulerunt, qui tamen opum iacturam minimè pertulerunt: verum earum causa flagris potius concidi, atque innumeris calamitatibus affici, quam aliquam earum partem proiicere maluerunt, grauioremque eam plagam existimarunt, quæ ex opum detrimento capitur. Itaque hoc quoque aliud martyrij genus est, cum quis earum amissionem forti animo perfert. Et quonam modo, inquit, aliquis, eam forti animo perferemus? Cum intelligis te per vnicam vocem, qua Deo gratias agas, plus lucri facturum, quam damni feceris. Nam si audita earum amissione minimè conturbemur, sed dicamus, Benedictus Deus, longè vberiores diuitias inuenimus. Neque enim tantum vtilitatis capies, si opes tuas in egentes consumas, & obambules, ac pauperes conquiras, facultatèque tuas in eos, qui fame constrikti sunt, spargas, quantum per hoc vnum verbum emolumentum feres. Quædoquidem & Iobum nõ tam admiror, cum domum suam pauperibus apertam habet, quam eundem suspicio, ac prædico, cum bonorum ereptionem ita fert, ut gratias etiam agat. Quod etiam ipsum in liberorum amissione accidere cernere licet. Neque enim hac in re minore mercedem capies, quam ille, qui filium suum in altum subuexit, atque immolauit, si, cum filium extremum vitæ spiritum edentem conspexeris, benigno Deo gratias agas. Quid enim est quamobrem is, qui huiusmodi animo præditus est, Abrahamo inferior sit? Ille enim non mortuum humi stratum vidit, sed tantum expectauit. Quocirca si hac ratione superior est, quod filium mactare parabat, atque extenta manu gladium arripuerat, hoc rursus nomine inferior est, quod hic puer mortuus iacet. Quinetiam alioqui præclari facinoris spes consolationem ipsi afferbat: atque illud item, quod strenuum huiusmodi facinus, propriè ipsius fortitudinis munus erat: ac præterea vox ea, quæ cœlitus mittebatur, ab eo audita, promptiorem eum reddebat. Hic autem nihil eiusmodi est. Ex quo intelligitur, adamantina quadam anima opus esse, ut quispiam vnicum filium, qui in diuitiis educatus fuerat, lætamque de se spem afferebat, in tumultu iacentem, & extentum conspiciens, casum hunc leniter ac placidè ferat. Qui hoc animo est, si sedatis & consopitis naturæ fluctibus illud Iobi siccis oculis dicere queat, Dominus dedit, dominus abstulit, ob hoc duntaxat verbum vnà cum Abrahamo collocabitur, vnà cum Iob victor prædicabitur. Quod si compressis mulierum singultibus, chorisque lugentium dissolutis omnes ad celebrandas Dei laudes excitarit, innumera in cœlo, innumera in terra præmia consequetur, hominibus videlicet cum admirantibus, angelis plaudentibus, Deo coronante. Et qui fieri queat, dicit aliquis, ut qui homo est, non luceat? Nimirum si cogites, nec Patriarchæ,

chæ, nec Iobo, cum homo vterque esset, quicquam tale accidisse, idque cum vterque ante legem & gratiam ac tantam legum philosophiam extitisset. Si præterea illud consideres, eum, qui vitam cum morte commutauit, ad meliorem regionem migrasse, atque ad præstantiorem sedem transfuissè, tunc non filium amisisse, sed in tuto iam loco collocasse. Quamobrem ne dixeris, iam pater non vocor. Ecquid enim est, quæ obrem non iam voceris, cum filius tuus superstes sit? Num enim puerum amisisse? Num filium perdidisti? Imò potius adeptus es, tutiusque possides. Ob idque non iam hic solum pater vocaris, sed etiam in cœlo. Quamobrem, tantum abest, ut patris nomen amiseris, ut copiosius etiam illud tibi accesserit. Neque enim iam mortalis, sed immortalis filij pater vocaberis, strenuèque militis, atque intus perpetuò stantis. Neque enim est, quod eum idcirco tibi periisse putes, quia non adest. Etenim si peregrè profectus fuisset, non propterea vnà cum corpore propinquitatis quoque nomen abcessisset. Quocirca ne iacentis vultum attende (sic enim ægritudinem exulcitas) verum da operam, ut metem ab eo, qui iacet, ad cœlum subducas. Non enim cadauer hoc, quod humi iacet, filius tuus est: sed ille, qui auolauit, atque in immensam altitudinem ascendit. Cum itaque depressos oculos, atque contractum os, & corpus motu carens videris, caue hoc tibi in mentem veniat, quod os istud non iam loquitur, oculi isti non iam cernunt, pedes isti non iam ambulant, sed omnia in corruptionem abierunt. Caue inquam ista commemorares, verum his contraria, nempe, Os istud meliùs loquetur, oculi isti meliora cernunt, & pedes in nubibus sublimes tollentur, ac denique corpus istud, quod nunc corrumpitur, immortalitatem induet, illustrioremque filium meum recipiam. Quod si mœrorem tibi ea, quæ cernis, afferunt, interim tecum ipse hæc loquere: Vestimentum hoc est, id exiit, ut ipsum præclarius recipiat. Domus hæc est: ea euersa est, ut luculentior fiat. Quemadmodum enim nos, cum domum euersuri sumus, eos, qui intus habitant, ne quid pulueris contrahant, ac tumultu offendantur, foras amandamus, ac paulisper sededere iubemus, posteaquam autem domum tutam reddidimus, tum denique ipsos liberè introire sinimus: eodem modo Deus quoque facit. Euerso enim putri ipsius tabernaculo, interim eum in paternam domum atque ad se introducit, ut posteaquam illud diruerit, atque instaurarit, tum demum splendidius id ei reddat. Quocirca ne dixeris, Periit, nec iam est (eorum enim, qui fide carent, hæc verba sunt) verum hoc potius, Dormit, ac resurget: peregrè abiit, atque cum rege venturus est. Quis hoc sermone vitur? Is nempe, qui Christum in se loquentem habet. Si enim credimus, inquit, quod Iesus crucifixus est, & resurrexit, ac viuit: ita etiam Deus, eos, qui obdormierunt, per Iesum adducet cum eo. Quare si filium quæris, illic eum quære, vbi rex est, vbi angelorum exercitus, non in sepulchro, non in terra, ne alioqui eo vsque adeo in altum erecto ipse humi prouolutus maneat. Si ad hunc modum philosophemur, omnem eiusmodi dolorem nullo negotio propellemus. Deus autem misericordium & totius consolationis omnium nostrum corda consoletur, & eorum, qui in eiusmodi doloribus versantur, & eorum, qui alio mœroris genere tenentur, donetque ut omni mœstitia liberemur, ac spirituale gaudium percipiamus, futuræque bona consequamur. Quæ vtinam nobis consequi contingat, per gratiam & benignitatem domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Qua ratio ne luctus in orbitate comprimi possit.

Quid cogitandum cum examine cornu ceruicis.

Simile.

1. Thef. 4.

Vide fol. 631.

a *Suauioribus verbis*] Gr. *ωρησώτερον*. Erasmus, seucrius, quasi A

in Græco esset *απλωτέρον*. b *Huc accedit quod Titum*,] Pro Tito Timotheum habet exemplar Veronense: & ita etiam legisse videtur Erasmus. Sed ex D. Pauli loco, quem hic citat Chryostomus, facile animaduertere potuit legendum esse, Titum: quemadmodum etiam habent emendati codices. Sicque etiam veris. seq. pro *λαοι, τα* rependendum est, ex emendato Cuiacij libro.

c *se nihil numerorum accipere simulabant.*] Gr. *ὕπερῃοντο μὴ λαμβάνειν*. Erasmus, simulabant se non recipere literas illius. In quo apertissimè labitur. Neque enim de Corinthiis loquitur Chryostomus, sed de pseudapostolis, qui cum pecunias clam à Corinthiis acciperent, tamen, quò maiorem autoritatem sibi conciliarent, se nihil accipere simulabant. Id quod cum ex multis aliis locis probari potest, tum potissimum ex eo Homiliæ vicefimæ tertiæ loco, in quo hæc D. Pauli verba exponit, sed in omnibus manifestati in vobis: vbi his verbis vtitur: *λαμβάνομεν ὡς πᾶσι, καὶ ἡ σὺ μὲν, παρ' ὑμῶν οὐκ λαμβάνομεν, καὶ ἔτι ὁ θεὸς ἀποδοῖ μὲν ταῖς λαμβάνουσιν, καὶ οὐκ ἔπι λαμβάνουσιν.*

d *Verum nullus potius*.] Gr. *τὸν ἐν τῷ μὲν οὐκ ἠέριται*. Erasmus et si diuersum sentit. Quæ verba à D. Pauli mente profusè dissident. Sic enim simul eloquētiam & in magno & in nullo pretio haberet. Itaque hoc loco *τὸν ἐν τῷ μὲν οὐκ*. Idem est quod *ἀλλὰ τὸν ἐν τῷ μὲν*.

e *Prius tamē principium*] Gr. *πρῶτον μὲν πρὸς τὸν ἀρχαῖον &c.* Vbi non est mihi dubium, quin legendum sit, *πρῶτον μὲν πρὸς τὸν ἀρχαῖον*. Erasmus, interim post tale exordium &c. Perinde ac si in Græco esset, *μετα: alieno planè sensu.*

f *Nimirum cum, pro eo*] Hæc Erasmus (dum ita vertit, quasi in Græco esset, *ὡς ἐν τῷ μὲν οὐκ*) confusius reddidit.

g *Magistrum se recepisset*.] Gr. *διδάσκαλον*. Erasmus discipulum.

h *Atque eos, quemadmodum reliquos omnes consueuerat, salutasset.*] Gr. *ἀποδοῖ τῶν αὐτῶν ὡς πάντας ἀπὸ τοῦ ἀποστολικῆν νόμου τῶν ἀποστολικῶν, hoc loco salutare significat, non simpliciter verba facere, vt vertit Erasmus*. His enim verbis D. Paulus omnes salutare solebat, Gratia vobis & pax à Deo patre nostro.

i *Nec tamen rectè eam ponit.*] Gr. *ὡς ἐν τῷ μὲν οὐκ ἔστιν ἰσχυρῶς*. Oblique causam hanc ponit, nec eam aperte explicat. Erasmus ita transfert, quasi *ὡς ἐν τῷ μὲν οὐκ ἔστιν* idem sit quod *ἰσχυρῶς*.

k *Quem charè habeat.*] Gr. *τὸν ἀγαπῶν*. Erasmus, id desiderat.

l *Prout ea, in quibus verabatur, tempora postulabant.*] Gr. *κατὰ τὴν ἰσχυρῶς τῶν ὑποκειμένων κεραιῶν*. Eras. vtiqueque postulat præsentis argumenti ratio.

m *Ob ipsorum meritum.*] Hoc est Apostolorum. Non enim hæc de Corinthiis accipienda sunt.

n *Qui in cassum se iactabant.*] *εἰς τὸ κενὸν λαλοῦντες*. Eras. qui illic erant. Nescio an *εἰς* legerit.

o *Et inuasiōibus*,] *ἐπιλασίων* vocabulū, quod hoc loco cum insidiis coniunctum est, hostilem impetum, aut inflictam calamitatem significat. Eras. in alliciendis infirmis: non rectè meo iudicio. Hic enim de calamitatibus duntaxat ac periculis loquitur Paulus.

p *Neque enim tantummodo*,] Pro *πᾶσι* Cuiacij codex emendatus habet *μόνον*. & rectè.

q *At neutrum horum*,] Gr. *ἀλλὰ ἄδελφον*. Erasmus, ita nec illud audaciam habet.

r *Quid enim tam amplum ac præclarum.*] Gr. *τί ὅσον εἶπε μοι τὸ δῶρον*. Quæ non ita accipiēda sunt, quasi hæc duo inter se cōferat, vt putat Eras. qui vertit, *Quid simile habent &c.* sed coniuncto sensu intelligi debent. Hæc enim verba, *τί ὅσον*, nihil aliud sonant, quàm *ὅσον ἔστιν ἡ μὲν, ἢ ὅσον ἀντίστοιχον*. vt cum alio loco ait, *τί ὅσον γὰρ τῆς ἐκείνης ἴσως*.

IN MORALI.

s *Nemo deliciis studens.*] In Græco post, *τῶν ἡδονῶν*, Cuiacij liber D habet, *τρυφῶν καὶ καυχήσαν.*

t *Ipsaque adeò facultatum iactura.*] Hoc enim vult Chryostomus, etiam ipsam bonorum amissionem, quæ tamen tolerabilior esse videtur, quàm reliquæ illæ plagæ, quibus Iob affectus est, intolerabilem quandam cruciatum animo afferre solere.

u *præstantiorem sedem.*] *ἀνώγειν*. Eras. requiem.

x *Cum domum euerfuri sumus.*] scilicet vt eam instauramus. Erasmus hoc loco non animaduertit quid intersit inter *καταρῶν* & *καταρῶν*. Vertit enim, purgare. Quod tamen non placet, tum ob hæc verba quæ sequuntur, *ἐπὶ δὲ κατὰ τὸν ἀποστολικῶν ἀσφαλῶν τὸ δωματίον*: tum quia similitudo non ita quadraret. Atque ad eundem modum paulò post, hæc verba, *ὅταν καταρῶν*, ita exponit, quasi in Græco esset *καταρῶν*.

y *spiritale gaudium.*] *χαρὰ* habet emendatus codex.

IV E autem tribulamur, pro vestra consolatione & salute, quæ operatur in tolerantia earundem passionum quas & nos patimur: & spes nostra firma est pro vobis. Postquam vnam ac principem exhortationis atque consolationis

causam protulit, nempe quòd Christo communicemus, secundam quoque hanc ponit, nimirum quòd discipulis ipsis hinc salus comparetur. Ne igitur animis concidatis, inquit, nec perturbemini ac metuat, propterea quòd affligimur. Quandoquidè hoc ipso nomine æquius fuerit vos fiduciã concipere. Nam nisi affigeremur, hæc omnia vobis exitiũ attulissent. Qui tandem istud? Quoniã si animis fracti, ac periculorum metu perterriti, fidei doctrinam vobis minimè prædicauissemus, vt verã scientiã intelligeretis, extremo in discrimine res vestræ sitæ essent. Vides rursus quãta Pauli vis sit atque contentio? Ab his ipsis rebus, quæ metum ac perturbationẽ ipsi afferrebant, eos consolatur. Quò etenim persecutiones nostræ magis ingrauescunt, inquit, hoc bona vestra spes maius incrementum capere debet: quandoquidè tantò maior salutis cōsolationique vestræ cumulus accedit. Quidnam enim tantam ad consolandum vim habebat, quàm quòd prædicationis beneficio tot bona consequebatur? Postea, ne vniuersam laudem solus ipse sibi arrogare videatur, vide quònam modo eos quoque in laudis societatem asciscat. Postquam enim dixit, Siue tribulamur, pro vestra consolatione & salute, subiūxit, *Quæ operatur in tolerantia earundem passionũ, quas & nos patimur*. Ac dilucidius hoc quidem postea exprimit his verbis: *Sicut socij estis passionum, sic eritis cōsolationis*. Interim autè hoc loco id subindicauit, cum dixit, *Earundem passionũ*, atque ita ⁴¹ sermo- nem cum illis cōmunicauit. Quod autem ait, hæc sententiam habet: Non ego solus vestræ salutis negotiũ ago: sed & vos quoque. Siquidè & nos, dum prædicationis munus obimus, affligimur: & vos, qui sermonẽ excipitis, in iisdem calamitatibus versamini: nos videlicet, vt, quæ accepimus, vobis imperiamus: vos, vt quod datur, accipiatis, nec amittatis. Quidnã igitur est, quod cum hac humilitate comparari possit? Quippe cum eos, qui tanto interuallo ab eo distiti erant, in eandem patientiæ laudem dignitatẽque subuehat. Inquit enim, *Quæ operatur in tolerantia earundem passionum*. Neque enim per fidem duntaxat salus vobis cōparatur: verum per id etiam, quòd eadem, quas nos, calamitates sufferitis. Quemadmodum enim egregius athleta ob probam corporis habitudinem, ⁴² etiam cum duntaxat cernitur, atque artem in seipso continet, homines in admirationem trahit: at cum operatur, & plagas perfert, atque aduersarium ferit, tum denique potissimum elucet, quoniam tum denique bona ipsius habitudo vim suam exerit, artisque præstantia declaratur: eodem modo salus nostra tum luculentius agitur, hoc est ostenditur, augetur, amplificatur, cum tolerat & patitur, ac cuncta forti & strenuo animo subit. Ex quo colligitur, salutis negotium non in hoc consistere, vt quispiam alium malo afficiat, sed vt ipse afficiatur. Nec dixit, *ὡς ἐργασίης*, hoc est, quæ efficit, sed, *ὡς ἐργασίης*, id est, quæ efficitur: vt videlicet illud ostendat, quod ad eorum promptitudinem atque animi alacritatem diuina quoque gratia adiuncta, multas vtilitates afferbat, dum in illis operaretur. *Et spes nostra firma est pro vobis*. Hoc est, etiam si innumeras rerum acerbitates perpetiamini, confidimus tamen fore, vt ne ob vestras quidem persecutiones concidatis. Tantum enim abest, vt sinistri quicquam de vobis, ob ea quæ patimur, suspicemur, vt cum

1. Thef. 3.

Ibidem.

41.

42.

641 vt cum ipsi patimini, tum quoque bono animo simus. Vides quantum illi ex priore epistola profecerint ad virtutem: Etenim multò maiora ipsis pro testimonio tribuit, quàm Macedonibus, quos tamen alioqui passim per totam epistolam laudibus vehit. Nam illorum quidem causã in metu erat, atque aiebat: Misimus vobis Timotheum, ad confirmandos vos, & exhortandos pro fide vestra, vt nemo moueatur in tribulationibus istis. Ipsi enim scitis quòd in hoc positi sumus. Ac rursus: Propterea & ego amplius non sustinens, misi ad cognoscendam fidem vestram: ne fortè tentauerit vos is qui tentat, & inanis fiat labor noster. De his autem nil tale loquitur, sed planè contrã. *Spes nostra firma est pro vobis, Siue consolamur pro vestra consolatione & salute, scientes quod sicut estis socij passionum, ita eritis cōsolationis*. Nam quòd eorum causã Apostoli premerentur, his verbis indicauit, Siue tribulamur, pro vestra consolatione & salute. Vult autem item ostendere, quòd eorum etiam causã consolatione afficerentur. Atque hoc quidem superius quoque dixit, tamen non speciatim. Benedictus enim, inquit, Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione, vt possimus & ipsi cōsolari eos, qui in omni pressura sunt. At rursus idè hoc quoque loco apertius, atque ad eorum animos curandos efficacius dicit. Siue enim consolamur, inquit, pro vestra consolatione. Quorum verborum hic sensus est: Consolatio nostra, consolatio vestra existit: etiam si alioqui vos minimè sermone consolemur. Nam si paulum ipsi respiremus, id vobis ad consolationem factis est: ac si nos solatio afficiamur, in consolationem vestram hoc cedit. ⁴³ Quemadmodum enim calamitates nostras, vestras esse ducitis: sic etiam nostram consolationem vestram esse censetis. Neque enim certè, cum in aduersis ac mœstis rebus socij mihi sitis, in lætis item ac secundis socij non eritis. Quocirca cum in omnibus rebus socios vos habeam, non est quòd me huiusce tarditatis ac moræ nomine accusetis. Nam & vestra causa affligimur, & vestra causa consolatione afficimur. Ne quis enim graue ac molestum id esse existimaret, quod dixerat, Vestra causa hæc patimur, illud etiam addit, Et vestra causa consolatione afficimur: ac ne nos quidem soli periclitamur, quippe cum ipsi quoque in earundem calamitatum partem veniant. Itaque tum ex eo quòd periculorum socios ipsos assumpsit, tum ex eo quòd consolationis suæ causam ipsis ascribit, orationem lenit. Ac propterea, siue insidiis appetamur, firmo animo este (nam vt fides vestra plus roboris colligat, hoc patimur) siue solatium accipimus, hoc quoque nomine gloriamini: nam vestra quoque causa eo fruimur, vt hinc etiam consolationis non nihil ad vos redeat, dum lætiæ nostræ participes estis. Atque vt intelligas, quòd de hoc consolationis modo nunc loquatur, quem ipse percipiebat, nõ hinc tantum quòd consolatione ab ipsis afficeretur, verum etiam quia eos ab afflictione liberos & immunes esse intelligeret, audi quæ deinceps sequitur, per quæ hoc aperte declarauit, cum dixit, Scientes quòd sicut socij estis passionum, ita eritis & cōsolationis. Quemadmodum enim, cum nos persecutionem patimur, vos perinde doletis, ac si ipsi eam subiretis: eodem modo non dubitamus, quin, cum solatium accipimus, vos eo frui existimetis. Quid hoc animo humilium fingi possit? quippe qui periculis tanto eos interuallo superans, socios tamen eos vocat, qui ne minimam quidem eorũ partem sustinebant. In consolatione autem vniuersam ipsis causam, non suis laboribus, ascribit. Deinde, quoniam de afflictionibus generatim loquebatur, iam locum quoque narrat, in quo hæc perpeffus sit. *Non enim*

A *volumus vos ignorare, Fratres, de tribulatione nostra quæ facta est nobis in Asia.* Hæc, inquit, idcirco commemoramus, ne ea, quæ nobis acciderunt, ignoretis. Siquidem rerum nostrarum statum vobis cognitum & exploratum esse cupimus, atque, vt sit, summo studio à nobis curatum est. quod quidem maximum est benevolentia argumentum. Hoc autem in superiore quoque epistola his verbis prius significarat: Ostium mihi apertum est magnum & euident, & aduersarij multi Ephesi. Hæc igitur in memoriam ipsis redigens, atque exponens quæ subiecit, ait, Nolo vobis ignotam esse afflictionẽ eam quæ mihi in Asia contigit. Quod etiam ipsum, cum ad Ephesios scriberet, dicebat. Nam cum Tychicum ad eos misisset, hanc ipsi professionis causam fuisse cōmemorat. Ob idque his verbis vtatur: Vt autè sciatis & vos quæ circa nos sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus, charissimus frater & fidelis minister in domino, quẽ misi ad vos in hoc ipsum, vt cognoscat quæ circa vos sunt, & consoletur corda vestra. B In aliis quoque epistolis hoc ipsum facit. Neque id superuacaneum est, sed perquam etiam necessariũ: partim ob ingentem charitatem, qua discipulos prosequabatur, partim ob assiduas tētationes, in quibus permagna consolatio erat, compertum habere quonam statu vtraque ex parte res se haberent: quò nimirum, si tristes & acerbæ essent, ad eas perferendas se compararent, atque in solitudine essent, cautioreque se præberent: sin autem lætæ ac iucundæ, simul gaudent. Cæterum hoc loco, & tētationum inuectionem, & quo pacto his liberatus sit, simul exponit. *Quoniam supra modum grauati sumus, supra virtutem*. Non secus videlicet ac nauis aliqua, quæ graui quodam onere demergitur. Atque vnam quidem & eandem rem his verbis intelligere videtur, cum dixit, *Supra modum, & supra virtutem*: non tamen vna est, sed duæ. Etenim ne quis dicat, Quid enim, si supra modum quidem erat periculum, vobis autem non magnum erat? Idcirco C subdidit, Et magnum erat, & vires nostras superabat, atque vsque adeo superabat, vt etiam viuere nos tæderet, hoc est, nullam spem & expectationẽ haberemus nos amplius victuros. Id quod Dauid mortis portas, ac mortis dolores, & mortis vmbram appellat. Hoc nimirum hic quoque Paulus dicit, Eiusmodi periculum subiimus, quod omnino mortẽ afferret. *Sed ipsi in nobis ipsi responsum mortis habuimus: vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitatur mortuos.* Quid est, Responsum mortis habuimus? sententiam, iudicium, expectationem. Talem enim res ipsæ vocem mittebant, tale responsum dabant ea quæ euenerant, nempe quòd certissimè morituri essemus. Verum id vsque ad rem ipsam minimè processit, sed intra suspicionem nostrã substitit. Quanquam enim rerum natura hoc pronunciasset: tamen Dei potentia sententiam in opus exire minimè passa est, sed in sola nostra cogitatione, atque in expectatione, hoc contingere permisit. Eoque nomine ait, *In nobis ipsi responsum mortis habuimus*, non in re ipsa. Quidnam autem est, cur tantũ periculũ nobis creati permiserit, vt vitæ spes omnis nobis crepta esset? *Neque, inquit, fidentes simus in nobis, sed in Deo.* His autè verbis Paulus, nõ quòd ipse ita affectus esset, absit hoc, sed vt alios, per ea, quæ de seipso dicebat, institueret, simulque etiã modestiæ studio ductus, vt eatur. ⁴⁴ Quandoquidem in progressu quoque ait, Datus est mihi stimulus carnis, (hoc est tētationes) vt ne extollar. Atqui Deus non ob eas se permisisse ait, sed alteram ob causam. Quam tandem? Nimirum vt ipsius potẽtia magis eluceret. Sufficit enim tibi, inquit, gratia mea. Nã virtus mea in inarmitate perficitur. Verum, quemadmo-

1. Cor. 16.

Coloss. 4.

Psal. 87.

Inf. 12.

dum à me dictum est, nusquam mores suos obliuiscitur, seipsum inter eos, qui longè inferiores erant, ac multa disciplina & correctione opus habebant, accessens. Nam alioqui, cum ad castigandos, atque ad meliorem mentem reuocandos, etiam vulgares homines, vna aut altera tētatio coorta sufficiat, quoniam tādē modo is, qui supra mortales omnes humilitatem per omnem vitæ cursum coluerat, pluraque, quam quilibet alius, perpeffus fuerat, post tot annos, ac cælis dignam philosophiam, hac admonitione opus haberet: Ex quo perspicuum illud est, eum hoc loco, partim modestiæ studio, partim vt eos, qui de seipsis magnificè sentiebant, atque arroganter se iactabant, deprimere ac coerceret, his verbis vsum fuisse, Vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo. Ac vide quē admodum hac quoque ratione animos eorum deliniat. Tētationes enim, inquit, vestra causa nobis inferri permissæ sunt, tātō in pretio vos Deus habet (si enim tribulamur, inquit, pro vestra consolatione & salute:) at immodica calamitatum magnitudo propter nos contigit, vt ne fidentes simus in nobisipsis, sed in Deo qui suscitatur mortuos. Rursus doctrinam de resurrectione, de qua tot in priori epistola verba fecerat, in memoriā ipsius reuocat, atque à præsentibus rebus ei fidē astruit. Vnde etiam subiunxit, *Qui de tantis mortibus nos eripuit.* Non dixit, ex tot periculis: quod simul & intolerandam tentationum acerbiter ostendat, & illum, quem dixi, sermonem confirmet. Quoniam futura res erat resurrectio, idcirco hanc quotidie fieri ostendit. Nā cum Deus hominem, de quo spes omnis iam abiecta erat, quique ad ipsas vsq; mortis portas accesserat, in sublimē reuocat, nihil aliud quam resurrectionis specimen præbet, ab ipsis nimirum mortis faucibus eum retrahens, qui in eas inciderat. Quo etiam fit, vt de multis, qui cum ab omnibus deplorati fuerint, ac deinde ex graui morbo aut intolerandis quibusdam tentationibus emerferint, illud vsurpari soleat, Mortuorū resurrectionem in hoc homine vidimus. *In quem speramus quoniam & adhuc eripiet, adiuuantibus etiam vobis in oratione pro nobis.* Vt ex multarum personis facierum, eius, quæ in nobis est, donationis per multos gratiæ agatur pro nobis. Quoniam id quod dixerat, *Vt ne simus fidentes in nobisipsis*, commune crimē & accusatio esse videbatur, quæ nonnullos eorum perstringeret, mitigat rursus id quod dixit, preces nimirum ipsorum ingentis præsidij loco implorans, illudque simul indicans, vitā nostram in perpetua cura & sollicitudine esse oportere. Nam dum ait, *Speramus autem quoniam & adhuc eripiet, multarum tentationum agmen pronunciat: nec tamen vsquam derelictionem, sed auxilium ac suppetias.* Deinde, ne ob eam causam animis consternerentur, quod audiant fore, vt in perpetuis periculis versentur, prius, quidnam pericula vtilitatis afferant, demonstrat, nempe, ne simus fidentes in nobisipsis, hoc est, vt Deus nos in perpetua humilitate ac modestia contineat: & vt salus eorum procuretur: atque alia etiā plura existant, velut Christo communicare (abundant enim, inquit, passionis Christi in nobis) & pro fidelibus pati (sive enim tribulamur, inquit, pro vestra consolatione ac salute) tū etiam quod hæc ipsa magis eluceat, (sic enim ait, *Quæ operatur in tolerantia earundē passionum*) illud item, quod hinc fortes ac tolerantes efficiantur: ac præterea, quod resurrectionem ante oculos suos effulgentem cernant (ex tantis enim, inquit, mortibus nos eripuit) ad hæc quod ea ratione anxij ac solliciti reddantur, atq; oculorū aciem semper in eum intentam habeant: ac denique, quod precibus affixi sint (adiuantibus enim, inquit, vobis in oratione pro

Liberatio à grauib; malis, resurrectio quædam est.

644 nobis.) Posteaquam igitur afflictionum vtilitate ostendit, ac deinde sollicitudinem ipsis iniecit, rursus eorum animos acuit, atque ad virtutem promptiores efficit, magnum ipsorum precibus testimonium tribuens, siquidem ob eas Paulum ipsis donarit. Adiuuantibus enim, inquit, vobis in oratione. Quid autem est, *Vt in multarum personis facierum, eius, quæ in nobis est, donationis per multos gratiæ agantur?* Ex mortibus illis nos eripuit, adiuuantibus etiam vobis in oratione, hoc est vobis omnibus nostra causa deprecantibus. Beneficium enim in nos collatum, hoc est salutem nostram, vobis omnibus largiri voluit: vt multæ facies gratias ipsi agant, quandoquidem multæ quoque gratiam acceperunt. Hæc porro eō dicebat, partim vt ipsos ad preces aliorum quoque causa fundendas excitaret, partim item, vt pro iis etiam calamitatibus, quibus alij afficerentur, gratis Deo semper agendis ipsos assuefaceret: ostendens videlicet, id ipsi quoque quàm gratissimū esse. Nam qui hæc aliorum causa facere consueuerint, multo sanè magis vtraque hæc ipsi sua causa præstaturi sunt. Quinetiam eos ad humilitatem erudit, atque ad feruentiorem charitatem ducit. Nam cum ipse, qui tot partibus sublimior illis erat, eorum precibus salutem se consecutum esse, ac propter ipsorum orationes beneficium accepisse dicat, velim tecum reputes, quo eos animo quàmque modesto esse oportebat. Quin illud quoque animaduerte, quod etiam si Deus misericordia permotus aliquid faciat, tamen hæc quoque precatio multum adiuuanti affert. Etenim in principio salutem suam Dei miserationibus acceptam retulit (Deus enim miserationum, inquit, nos eripuit) hæc autem eadem ipsorum quoque precibus ascriptis. Nam etiam illud, qui talentorum decem millia debebat, postquā ad ipsius pedes accidisset, miseratus est: & tamen dictum est, misericordia motus dimisit eum. Atque item Chananzæ, post multam illam assiduitatem ac tolerantiam, tum denique filix salutem concessit: etiā si alioqui misericordia ductus ipsi salutem attulerit. Ex quo nimirum intelligimus quamuis Deus misericordiam erga nos adhibiturus sit, nobis tamen istud prius faciendum esse, vt misericordia dignos nos ipsos præstemus. Quoniam enim misericordia sit: dignos tamen requirit. Nō etenim temerè quibusuis obtingit, etiam stupore laborantibus, nec se misericordia egere sentientibus. Miserebor enim, inquit, cuius miserebor: & misericordiam præstabo ei, cui miserebor. Vide quippe quidnam hæc quoque dicat, Adiuuantibus & vobis in oratione. Nā nec totum ipsis tribuit, ne eorū animos efferat: nec rursus eos omni ex parte ab huius beneficii laude submouit, vt eos incitet alacriorēque efficiat, atq; inter se deuinciat. Vnde etiam dicebat, salutē meam vobis donauit. Nam persepe quoque Deus quasi pudore commouetur, cum multitudinem ad precationem concordem atq; conspirantem cernit. Ob eamque causam ad Prophetam dicebat, Ego autē non parcā huic ciuitati, in qua habitant plus quā ceterum viginti millia hominū? Deinde ne putes Deū ob multitudinem dūtaxat ad misericordiā inflecti, his verbis vitur: Si fuerit numerus Israël tanquam arena maris, reliquæ saluæ fient. Qui factū est igitur, vt Niniuitas seruarit? Nempe quia non multitudo solum erat, sed multitudo virtute prædita. Pœnitentiam enim vnusquisque egit, & à via sua praua recessit. Atq; etiam ipse, dum salutē ipsis afferret, aiebat, Nesciūt quid sit inter dextram & sinistrā. Ex quo perspicuum est, eos in priora peccata simplicitate potius quā animi peruersitate lapsos fuisse. Idq; ex eo constat, quod paucis dūtaxat verbis auditis ad meliorem mentem se receperunt.

Ad. 12.

Charitatis vocabulo bona omnia continentur. Phil. 33.

Misererebor enim, inquit, cuius miserebor: & misericordiam præstabo ei, cui miserebor.

Esai. 10.

runt. Quod si ad eos seruandos hoc satis viriū habuisset, quod centum viginti hominum millia erant, quidnam quæso prius quoque prohibuisset, quin salutem adipiscerentur? Cur igitur, inquiet aliquis, nō dixit ad eum, Ego autem non parcā ciuitati huic ita immutata: sed ingētem illam multitudinem producit, quod tamen adiungere minimè necesse erat. Nempe quia Propheta mutationem eorum cognitā & compertam habebat: numerum autem ac simplicitatem, non item. Vndique igitur eorum animos emollire studet. Nam tum denique viribus pollet multitudo, cum virtus etiam accedit. Quod etiam alio loco scriptura his verbis declarat: Oratio autem fiebat sine intermissione ab ecclesia ad Deum pro eo. Tantamque vim habuit, vt quamuis etiam fores clausæ essent, & catenæ Apostolum stringerent, custodēsque vtrinque ad ipsius latus dormirent, eum tamen eduxerit, atque ex omnibus illis difficultatibus liberarit. Verum, quemadmodum, si virtus adsit, magnam vim habet multitudo: ita si vitium adsit, nullam vtilitatem affert. Siquidem & Israëlita, quos arenæ maris numerum adæquasse scriptura refert, omnes perierunt. Atque etiam tempore Noë permulti, immò innumerati erant: nec tamen eos quicquam hoc iuuat. Sola enim multitudo nihil potest, verum tum demum, cum accessionis loco est.

MORALE.

Quod alij pro aliis orare debeamus.

Demus igitur operam, vt in precibus coeamus, alij pro aliis precemur, quemadmodum illi pro Apostolis. Sic enim & mandatum explemus: & ad charitatem incitatur: (cum autem charitatem dico, omnia bona hoc vocabulo complector) atque etiam maiore studio gratias agere discimus. Nā qui pro alienis successibus gratias Deo agunt, multo magis id pro suis faciunt. Hoc Dauid quoque faciebat, cum diceret, Magnificate dominum mecum, & exaltemus nomē eius in id ipsum. Hoc & Apostolus passim exposcit. Hoc igitur nos item faciamus, atque apud omnes Dei beneficium prædicemus, vt eos laudationis socios assumamus. Nam si, cum beneficium aliquod ab hominibus accepimus, atque id celebramus, promptiores eos ad bene de nobis merendum reddimus: multo magis, Dei beneficia prædicantes, ad maiorem beneuolentiam ipsum attrahemus. Et si, cum beneficium aliquod ab hominibus consecuti sumus, ad gratias nobiscum agendas alios etiam excitamus, multo profectō magis nobis curandum est, vt multos, qui gratias pro nobis agant, ad Deum adhibeamus. Cumque Paulus, qui tantam apud Deum fiduciam obtinebat, hoc faciat, quātō magis hoc à nobis fieri necesse est? Quocirca sanctos viros etiam atque etiam obsecremus, vt pro nobis gratias agant, atque etiam ipsi pro nobis hoc inuicem faciamus. Istud præsertim sacerdotum munus est, vt pote bonum omnium præstantissimum. Accedentes enim, primū pro vniuerso terrarum orbe communibūque commodis gratias agimus. Nam et si communia Dei beneficia sunt: tamen tu quoque in communi salutem es consecutus. Eoque nomine, tum pro priuata tua communem gratiarum actionem debes: tum pro communi priuatam Deo laudem abste offerri æquum fuerit. Etenim solem non tibi vni accendit, sed etiam communiter omnibus: & tamen in parte totum habes. Nam quamuis ob communem omnium vtilitatem tanta magnitudine procreatus sit: tamen tu quoque solus tantum vides, quantum vniuersi

Chrysof. tom. 4.

A mortales videre queant. Ex quo efficitur, vt tantam gratiarum actionem debeas, quantam vniuersi. Ac te, & pro communibus beneficiis gratias agere par est, & pro aliorum virtute. Multis enim etiam propter alios beneficiis afficimur. Etenim si vel decem soli iusti viri in Sodomis inuenti fuissent, non in eas, quas pertulerunt, calamitates incidissent. Quamobrem pro aliorum quoque apud Deum libertate ac fiducia gratias agamus. Siquidem prisca quoque lex hæc est, atq; antiquitas in ecclesia instituta. Sic Paulus etiam pro Romanis, pro Corinthiis, pro vniuerso terrarum orbe gratias agit. Nec verò illud mihi dixeris, Hoc præclarum ac cum virtute coniunctum facinus meum non est. Quamuis enim tuum non sit, sic quoque tamē gratias agere debes, quod membrum tuum tale sit. Quamquam etiam illud tuum facis, cum laudas & in coronarum partem ipse etiam venis: atque eadem gratiam percipies. Ob eamque causam ecclesia leges ad hunc modum preces fieri iubent, non eas duntaxat, quæ pro fidelibus, sed eas etiam quæ pro catechumenis adhibentur. Siquidem lex ad supplicandum pro his, qui nondum initiati sunt, fideles excitat. Nam cum Diaconus ait, *Pro Catechumenis intendē oremus*, Nihil aliud facit, quā vt vniuersam fidelium multitudinem ad preces pro illis obeundas excitet. Atqui alieni adhuc sunt Catechumeni. Nondum enim corpori Christi infiti sunt, nec mysteriorum participes effecti, verum à spiritali grege adhuc diuisi. Quod si ergo pro his orandum est, multo sanè magis pro nostris membris. Ob idque etiam ait, *Intendē oremus*. Ne videlicet eos tāquam alienos abdicēs ac reiicias, ne tanquam peregrinos non agnoscas. Nondum enim lege sancitam, atq; à Christo inuestitam precationem habent, nondum liberiū orandi potestatem nacti sunt, sed aliorum, qui mysteriis initiati sunt, ope indigent. Etenim extra vestibula regia stant, longèque à sacris cancellis. Eaque etiam de causa, cum tremendæ preces nunt, ablegantur. Quo fit, vt te quoque hortetur, vt pro illis ores, quo membra tua fiant, nec iam peregrini atque alieni sint. Illud enim, *Oremus*, Non ad sacerdotes tantum, sed etiam ad populum spectat. Nam cum ait, *Responde stemus, oremus*, Omnes ad precandum hortatur. Ac tum precationem auspicans, ait, *Vt misericordissimus ac miserator Deus eorū orationes exaudiat*. Etenim ne dicas, Quid est quamobrem oremus? Alieni sunt, nondum nobiscum coniuncti. Vnde Deum permouere possum? Vnde cum adducere, vt misericordiā ac veniam illis impertiat? Ne, inquam, hæc quærens hæreas, vide quemadmodum his verbis dubitationem tuam discutiat, *Vt misericordissimus ac miserator Deus*. Audisti, misericordissimus Deus? perplexo iam animo esse desine. Misericordissimus enim ille, omniū, hoc est tam peccatorum, quā amicorum miseretur. Quocirca ne dixeris, Quoniam modo eorum causa Deum adibo. Ipse enim eorum preces exaudiet. Quenā porrò alia Catechumenorū precatio est, quā vt ne Catechumeni maneat? Mox supplicationis quoque modū dicit. Quisnam autem ille est? *Vt cordium ipsorum aures aperiat*. Oculus enim & obturata adhuc sunt. Aures porrò non externas hæc, sed mentis intelligit. *Vt audiant quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt*. Neque enim arcana mysteria audierūt, sed procul & eminus stant. Atque etiam si audiant, haud tamen, quid dicatur, intelligunt. Siquidem ea ingentem sagacitatem & intelligentiam requirunt, non autem vt duntaxat audiantur. Ipsi verò internas aures nondum acceperunt. Vnde etiam Propheta gratiam ipsis optat. Siquidem Propheta ad hunc mo-

Gen. 18.

Catechumeni à tremendis mysteriis ablegantur.

1. Cor. 2.

Esa. 50.

Mat. 23.

Mar. 4.

dum loquebatur. Dominus mihi dedit linguam eruditam, ut sciam quando oporteat proferre sermonem: quoniam ipse aperit os meum, posuit me manū, apposuit mihi aurem audientem. Quemadmodum enim Prophetæ alio modo ac reliqui homines audiebant: sic fideles quoque alio modo quàm Catechumeni. Atque hinc etiam docetur Catechumenus, se ab hominibus hæc non discere, neque audire (nolite enim, inquit, vocare vobis magistrum in terra) sed sublimitus atque de cælis. Erant enim omnes, inquit scriptura, docibiles Dei. Atque idcirco ait, *Et instillet ipsis verbum veritatis.* Ita ut internè in ipsos infundatur. Necdum enim, ut par est, veritatis verbum norunt. *Vt timorem suum in ipsis seminet.* At hoc minimè sufficit. Alia enim ceciderunt secus viam, alia super petras. Verùm nos non ad huc modum postulamus, sed quemadmodum ararum in pingui terra sulcos aperit: sic etiam hic ut fiat precamur, nempe ut in mentis imo innouati, femina iniecta excipiant, ac quicquid audierint accuratè retineant. Vnde etiam hæc verba subnectit, *Et confirmet fidem suam in animis eorum.* Hoc est, ut ne in superficie iaceat, sed altè radices agat. *Vt insititæ euangelium ipsis reuelet.* Duplex velamen esse ostendit, alterū quia mentis ipsorum oculi clausi sint, alterum quia operum illis est Euāgelium. Ac proinde superiùs quidem dicebat, *Vt aperiat aures cordis ipsorum.* Hic autem, ut iustitiæ euangelium ipsis detegat, hoc est, ut sapientes eos, & ad illud excipiendum idoneos, reddat, atque ut doceat, ac femina iaciat. Nam siue idonei sint, nihil tamen id ipsis emolumentum attulerit, nisi Deus detexerit: siue Deus detegat, ipsi autem repudient, in idem rursus detrimentum prolabantur. Hac de causa utrūque petimus, nempe ut & corda aperiat, & Euāgelium patefaciat. Neque enim si regium paludamentum superiecto velo tectum iaceat, quicquam hoc intuentium oculis profuerit: quemadmodum rursus nil de rectū illud esse iuuerit, si oculi minimè vigilant. Ambo porrò ista contingent, si illi priùs voluerint. Quidnam autem est iustitiæ Euāgelium? nimirum quod iustos efficit. His enim verbis baptismi desiderium in ipsis ciet, dum illud ostendit, Euāgelium non tantum peccata remittere, sed iustitiam etiam afferre. *Vt det illis mentem diuinam, castam cogitationem, vitam cum virtute coniunctam.* Audiant hæc fideles, qui vitæ huiusce negotiis affixi sunt. Nam si iis, qui minimè initiati sunt, hæc postulare iubemur, animaduertas velim, quales nos ipsos esse oporteat, qui hæc aliis postulamus. Siquidem id agendum est, ut vita nostra Euāgelio respondeat. Quo etiam fit, ut precationis lex à doctrina ad vitam transeat. Postquam enim dixit, *Vt insititæ euangelium ipsis detegat,* subiunxit, *ut det ipsis mentem diuinam.* Quid est diuinam? Hoc est, ut Deus in ea habitet. Inhabitabo enim in ipsis, inquit, & inambulabo. Nam cum mens iustitia prædita est, ac peccata exiit, Dei domus efficitur. Cum autem in ea domicilium sibi constituerit, nihil posthac humanum erit. Sicque diuina mens redditur, diuinitus omnia proloquens, ac velut domus Dei in ea habitantis. Ex quo colligitur, eum mentem diuinam non habere, qui turpibus sermonibus vitur: nec castam cogitationem, qui scurrilitate ac risu delectatur. Quidnam autem est castam cogitationem habere? nempe spirituali sanitate præditum esse. Sanè etenim is, qui vitij cupiditate correptus tenetur, præsentiaque ad stuporem vsque miratur, castus, hoc est sanus, esse nequit. Quemadmodum enim qui in morbo versatur, ea etiam appetit, quæ minimè conuenit: eodem hic quoque modo. *Vitam cum virtute coniunctam.* Doctrina quippe vitam c-

Vita nostra euāgelio respondere debet. Infr. 6.

Piamens Dei domus.

Simile.

tiam desiderat. Audite hæc, qui sub vitæ calcem ad baptismum acceditis. Nam nos quidem id precibus à Deo contendimus, ut post baptismum proba quoque vitam habeatis: tu contra in hoc incumbis, nihilque non facis, ut sine proba vita hinc excedas. Quid enim, si iustus quidē fias, sed à fide duntaxat? At nos ut à virtutum quoque muneribus tibi fiducia comparetur, oramus. *Perpetuo quæ ipsius sunt cogitare, quæ ipsius sunt sapere, quæ ipsius sunt meditari.* Castam enim cogitationem atque honestam vitam, non ad vnum duntaxat aut duos, aut tres dies, sed per vniuersum vitæ curriculum petimus, & quod bonorum omnium causa est, quæ ipsius sunt sapere. Plerique enim quæ sua sunt querunt, non quæ Iesu Christi. Quoniam igitur modo hoc fieri possit? (ad precem enim hoc quoque accedat oportet, ut quæ nostra sunt præstemus.) Si in ipsius lege dies noctisque versemur. Vnde etiam deinceps hoc petit, *in ipsius lege die ac nocte morari.* Et quemadmodum superiùs dixerat, *Perpetuo:* eodem modo hic, *Die ac nocte.* Itaque eorum me pudet, qui toto anno vix semel in ecclesia conspiciuntur. Quam enim excusationem nancisci queant, qui cum diu ac noctu in Dei lege, non dicā versari, sed morari, hoc est animi delicias in eo positas habere iubeantur, tamen ne minimam quidē vitæ partem in hoc impendunt, ut ipsius mandata memoria vsurpent, atque ipsius iustificationes custodiāt. Vidēne catenam optimam, quàmque aptè singula hæc inter se cohæreant, atque quauis aurea catena firmius & elegantius? Postquam enim mentem diuinam postulauit, exponit quonam pacto talis esse queat. Qui porrò istud? Nimirum si quis perpetuo ea, quæ Dei sunt, meditetur. Hoc autem quānam ratione quispiā consequi possit? Si diuinæ legi operam dare nūquam intermitterat. Quoniam porrò pacto id mortalibus persuaderi queat? Si mandata ipsius obseruent. Quin potius ex eo ipso, quod legi diuinæ quispiam studeat, id consequitur, ut mandata seruet, quemadmodum scilicet ex eo quod quis ea, quæ ipsius sunt, sapit, ac mētem diuinam habet, illud adipiscitur, ut quæ ipsius sunt meditetur. Singula enim ex his, quæ diximus, & id quod vicinum est efficiunt, & ab eo efficiuntur: & ipsum continent, & ab ipso continentur. *Intentiùs adhuc pro ipsis rogemus.* Quoniam animus in prolixa oratione obdormiscere consuevit, rursus eū excitat. Magna enim rursus atque excelsa postulare vult. Ideoque ait, *Intentiùs adhuc pro ipsis rogemus.* Quidnam autem hoc est? *ut eripiat eos ab omni malo & absurdo negotio.* Hoc loco id ipsis petimus, ut ne intrent in tentationem, atque ut ab omnibus, tam corporeis, quàm spiritualibus insidiis liberentur. Ob id etiam hæc verba subiungit, *Ab omni peccato diabolico, & omni obsidione aduersarij.* Quibus verbis tentationes ac peccata significat. Peccatum enim ea natura est, ut faciliè hominē obideat, atque vndique stet, à frōte nempe & à tergo, sicque nos deiciat. Postquam enim, quæ à nobis præstanda sint, exposuit, hoc est, ut in eius lege versemur, ipsius mandata memoria teneamus, iustificationes eius custodiamus, hociā admonet, ne ista quidem sufficere, nisi adsit ipse, atque opem ferat. Nisi enim dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Ac præsertim in his, qui diabolo adhuc obiecti sunt, ac sub ipsius imperio & ditione. Ac vos hæc nostis, qui sacris initiati estis. Faciliè enim illa verba vobis in memoriam redeant, per quæ ipsius tyrannidi nūcium remisistis, cum flexo genu ad regem trās fugistis, ac tremēda illa verba protulistis, quibus tyrāno nullo omnino modo obsequi docemur. Aduersarium porrò ac diabolum ipsum appellat, quoniam & Deum apud homines, & homines apud

Iob. 1.

Gen. 2.

Ioan. 3.

Matt. 7. Ephe. 6.

Car. 1.

apud Deum, ac nos ipsos inter nos criminatur. Etenim ipse olim Iobum apud Deum in crimen vocabat, cum diceret, Num Iob frustra colit Deum? Ac rursus Deum apud Iobum his verbis: Ignis descendit de cælo: atque item Deum apud Adamum, cum diceret fore, ut eorū oculi aperirentur: ac nunc etiā apud plerosque mortalium, dicens, Deus earum rerum, quæ oculis cernuntur, cura minimè tangitur, sed res vestras dæmonibus permisit. Quin apud complures quoque Iudæos Christum traducebat, impostorem ac præstigiatores eum appellans. Quoniam autem modo vim suam exerat, audire fortasse aliquis cupit. Cum mentem diuinam afflatam & sobriam cogitationem non inuenit, tum demum in vacuum atque inanem animam impetum facit: cum Dei mandata non recordatur, nec ipsius iustificationes custodit, tum demum captiuam eam secum abducit. Adamus quippe, si huiusce mandati meminisset, De omni ligno comede, si legem eam seruasset quæ dicebat, In quacunque die comederitis, morte moriemini, non ea, quæ passus est, passus fuisset. *Vt dignetur eos in tempore opportuno lauacro regenerationis, & remissione peccatorum.* Quædam enim præsentia petimus: quædam futura. Ac de lauacro philosophamur. Atque in ipsa petitione docemus eos vim baptismi cognitam habere. Hinc enim iam sermo eos assuefacit, ut intelligant rem eam regenerationem esse, nosque, ut à vulua, sic ab aquis denuò gigni: ut ne illi cum Nicodemo dicant, Quomodo potest homo nasci cum sit senex? Potestne in ventrem matris suæ introire, ac nasci denuò? Deinde postquam peccatorum remissionem dixit, per ea quæ sequuntur ipsam confirmat, dicens, *Indumento incorruptionis.* Etenim qui filietatem induit, proculdubio incorruptibilis efficitur. Quid autem est in tempore opportuno? Nimirum cum quis probè affectus est, cum animo alacri & cum fide accedit. Fidelis etenim hominis opportunum tempus hoc est. *Vt benedicat introitus, & exitus eorum, omnem vitam ipsorum.* Hoc loco aliquid, quod ad corpus spectet, petere iubentur, ut qui adhuc imbecilles sint. *Domos eorum, & habitationes.* Hoc est, siue familiarum habeant, siue cognatos, siue alios quosdam necessarios. Hæc enim erant veteris testamenti præmia: nec quicquam perinde graue, atque acerbum esse videbatur, ut viduitas, ut sterilitas, ut præmatura funera, ut fames, & aduersi rerum successus. Ob eam causam in petitionibus ad corpus pertinentibus eos immorari sinit, paulatim videlicet ipsos in altum subuehens. Hoc enim & Christus facit, & Paulus, antiquas videlicet benedictiones vterque in memoriam reuocans: Christus nempe, cum ait, Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram: Paulus autem, Honora patrem tuam & matrem tuam, ut sis longæuus super terram. *Filios eorum, ut eos augeas & benedicas, atque ad mensuram ætatis perductos sapientia instruas.* Hic rursus partim corporeum, partim spirituale beneficium ipsis poscit, ut pote puerili adhuc animo præditis. Quod autem sequitur, omni ex parte spirituale est, *Vt omnia quæ ipsi proposita erunt, ad utilitatem dirigas.* Non enim simpliciter quæ proposita erunt, sed, quæ ad utilitatem. Sæpe enim peregrinatio aliqua instituitur, sed minimè conducit: atque aliud quiddam simile, quod nec item vile est. Ex quibus hoc discunt, Deo in omnibus rebus gratias agere, ut quæ ad eorum commodum & utilitatem fiant. Posthæc omnia, iam eos surgere iubet. Nam cum priùs eos humi prostratos tenuisset, posteaquam ea petierunt, quæ petierat, ac fiducia perfulsi sunt, iam eos sermo erigit, ac deinceps ipsos quoque precationem ad Deum amplecti iubet. *Chryso. tom. 4.*

Siquidem quædam nos dicimus, quædam rursus ipsis committimus, petitionis nempe ianuam ipsis aperientes: non secus videlicet ac pueros primū ipsi docemus, post autem ipsos quoque loqui iubemus. Itaque hoc ipsis dicimus, *Angelum pacis petite, & Catechumeni.* Est quippe Angelus etiam cruciatum inferens, ut cum ille ait, Immissionem per Angelos malos. Est & Angelus exterminator. Ac prouidè eos Angelum pacis petere iubemus, docentes eos, id, quod bonorum omnium vinculum est, hoc est pacem postulare: Ita ut ab omni pugna ab omni bello, & ab omni dissidio absint. *Pacifica vobis omnia que proponuntur.* Ut cumque enim graue aliquid sit, dum tamen pacem quispiam habeat, leue est. Eoque etiam nomine Christus dicebat, Pacem meam do vobis. Neque enim vllum armorum genus diabolo equè firmum ac validum est, ut pugna, & similtas ac bellum. *Pacificum hunc diem, atque omnes vite vestre dies possulate.* Vides rursus quemadmodum vniuersam vitam in virtute transigi iubeat. *Christianos vestros fines.* Et, quod bonorum caput est, *Quod honestum est, & quod utile.* Nam quod honestum non est, id ne vile quidem esse potest. Alia enim rerum vtilium apud nos natura est, quàm vulgus opinatur. *Vos ipsos Deo viuenti, ac Christo ipsius commendate.* Nondum enim hoc illis committimus, ut pro aliis orent: sed præclare agi putamus, si pro seipsis orare queant. Vidēne quàm plena & numeris omnibus absoluta precatio sit, siue doctrinam, siue vitam consideres? Nam cum Euāgelium dicimus, cum incorruptionis indumentum, cum regenerationis lauacrum, doctrinam vniuersam his verbis complectimur. Rursus cum mentem diuino numine afflatam, cum sobriam cogitationem, cum denique cætera ea, quæ à nobis commemorata sunt, vitam significamus. Demum eos capita inclinare iubemus, hoc videlicet argumento preces exauditas esse statuentes, quod Deus eos benedicat. Neque enim homo est qui benedicit, sed per illius manum ac linguam regi ipsi capita eorum, qui adsunt, offerimus. Ac tum inclamant omnes, Amen. Hæc autem omnia quorsum tandem à me dicta sunt? Ut doceam nos aliorum commoda querere debere, ac ne putent fideles hæc, cum recitantur nihil ad se pertinere. Neque enim ad parietes diaconus loquitur, cum ait, *Oremus pro Catechumenis.* Verùm nonnulli adeo amentes, atque ignaui ac dissoluti sunt, ut non modò in Catechumenorum, sed etiam fidelium tempore stent atque confabulentur. Hinc omnia subuersa sunt, hinc omnia perierunt: quia quo tempore maximè curandum est ut Deum nobis reconciliemus, hoc ipso ipso ita discedimus, ut eius iram in nos concitemus. Siquidem coram fidelibus pro episcopis, pro presbyteris, pro regibus, pro imperatoribus, pro terra & mari, pro aëris temperie, denique pro vniuerso terrarum orbe benignū dominum adire iubemur. Quamobrem cum nos, qui tanta fiducia præditi esse debemus, ut etiam pro aliis oremus, ne pro nobis quidem attento ac vigilantī animo precemur, quānam excusationis, quānam veniæ nobis locus esse possit? Ac proinde obsecro, ut hæc omnia animo ac mente complectētes, precationis tempus agnoscamus, sublimēque efferamur, atque à terra excedamus, ipsūque cæli fornitem attingamus, ut Deum nobis propitium & placidum reddere, ac promissa bona consequi possimus. Quæ vtinam consequi nobis contingat per gratiam ac misericordiam domini nostri Iesu Christi, cui cum patre & spiritu sancto sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Psal. 77.

Ioan. 14. Diaboli

In eos qui in templo confabulantur.

Videfol. 640.

a sermonem cum illis communicavit.] hoc loco rationem A

vertit Erasmus : haud rectè. Nisi fortè pro ratione , oratione reponendum sit.

b Etiam cum duntaxat cernitur,] Gr. καὶ φανερώμενος. i. vel ipso aspectu admirationem mouet. Erasmus, & illustris. nimis obfcurè.

c Salutis negotium] ἐπιπέλα. Erasim. declaratio.

d Quemadmodum enim calamitates nostras,] Hæc verba, ὡς ἂν τὰ πάθηματά τε καὶ ἡμετέρας συμπτώσεις, & in Veronenſi editione, & in Erasmi versione desiderantur.

e Quem ipse percipiebat,] Vcl, ἐκαστὸν legendum in Græco : vel certè ἐκαστὸν de Apoftolis intelligendum est, non de Corinthiis, vt putat Erasmus.

f Vt cognoscat quæ circa vos sunt.] In Veronenſi corruptè legitur ἵνα γινώσκῃ τὰ ἀπὸ ὑμῶν : quemadmodum etiam in eo libro, quo Erasmus vsus est. Vertit enim, vt sciatis rerum mearum statum. Constantè enim in Græcis codicibus legitur Coloss. 4. ἵνα γινώσκῃ τὰ ἀπὸ ὑμῶν.

g In solitudine essent,] Post ἀποσταλέντων, ex emendato codice addendum, καὶ ἐν ἑαλιονίς τῷ καὶ ἀσφαλιστέρας καὶ χριστῶν συνειδέσθαι.

h Modestia studio ductus,] μπειλάζειν ἐπιστολάς. Erasmus, ad modestiam vocare. Atqui neutrum est hoc verbum.

i Deus non ob id] Erasmus de suo addit, tantum. Quod cum Paulinis verbis pugnat.

k Modestia studio.] μπειλάζειν. Quod rursus transitivè accipit Erasmus.

l Tanto in pretio vos Deus habet.] Gr. ὅσους πρῶται. Quæ verba ita reddit Erasmus, quasi esset, ὅσων ἡμῶν πρῶτα. Siquidem ob eas Paulum donavit. Pro ἐχέλασται hoc loco legendum esse apparet ἐχέλασται. Hoc enim vult Chrysoſtomus, Deum, Corinthiorum precibus permotum, Paulum ipsis donauisse, atque è periculis extraxisse. Vnde etiam Paulo inferius ad eundem modum ait, ἵμιν ἐχέλασται μου τὸ πλῆθος τῶν σαρκῶν.

m Et tamen dictum est,] Gr. καὶ πρὸς ἄνθρωποι. Eras. Sic enim scriptum est. Quasi verò hæc verba idcirco subiiciat Chrysoſtomus, vt probet Christum, non misericordia motum, hunc debitorem missum fecisse, ac non potius id, quod priore loco posuit, nempe vniciue faciendum esse, vt dignum se gratia diuina præbeat. Id autè offendit exemplo huius debitoris, qui nisi prius ad Christi genua procubisset, salutem minimè consecutus fuisset.

n Miserebor enim,] Sanè huc Scripturæ locum hîc à quopiam temerè insitum esse mihi persuadere. Tantum enim abest vt hinc probetur id quod præcessit, vt etiam vehementer infirmetur.

o Centum viginti millia] Erasim. quinquaginta millia.

p Lapsos fuisse,] ἐπιπαιον legendum pro ἐπαιον.

q Mutationem eorum] Gr. τὸ μὲν τῶν ὁρίων, ἢ μεταβολή. Eras. Nā quod futurum erat, id perspicuum erat Prophetæ. Incommodè profectò. Neque enim hæc verba, Id quod futurum erat, ex Græco hausit: quippe cùm Ninivitarè iam penitentiam egissent.

IN MORALI.

r Dei beneficium prædicemus,] Græca inuertit Erasmus. Sic enim transfert, ac si in Græco esset, τὴν εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας ἐκφέρειμεν. Aliud autem vult Auctor, nempe faciendum nobis esse vt Dei erga nos beneficia cunctis exponamus, quòd eos ad gratias Deo nobiscum agendas excitemus.

s Pro Catechumenis] Erasmus permultis locis Diaconi verba cum Chrysoſtomi expositione commiscet, atque ita omnia confundit, vt pulcherrima illa oratio, quæ pro Catechumenis in Græcorum Missa olim fieri solebat, vix à quoquā agnosci queat. Cui quidem incommodo facilè à nobis allata medicina est, cùm Diaconi verba aliis literis pingenda curauimus.

t Et aque etiam de causa, cum tremenda ille preces sunt, ablegantur.] ἡμᾶς ποτὶ καὶ ἀπὸ λαλοῦνται τῷ φρικτῷ ἐκείνῳ ἐν τῷ γινόμενῳ. Quæ verba pessimè sanè ad hunc modum exponit Erasmus, Et ideo tremendas illas preces, quæ fieri solent, impartimur illis, Vbi ἀπὸ λαλοῦνται accepit pro ἀπὸ λαλοῦνται. Quanquam etiam ἀπὸ λαλοῦνται potius dicendum fuisset. In quo certè luculento errore lapsus est, oblitus scilicet peruulgatæ consuetudinis Ecclesiæ, quæ antiquitus (vt etiam tradit Dionysius lib. de Ecclesiast. Hierar. cap. 3.) Catechumenos, vt & Energumenos ac Pœnitentes à templo ablegabat, cùm ad tremenda mysteria ventum esset.

v sed etiam ad populum] Gr. ὡς εἰς τὸν λαόν συντελεῖται. Fort. πλῆσι. Erasmus obfcurè. His qui populum constituunt.

u si oculi minimè vigilent.] Pro ὁρῶντων, ἐπιτηρησάντων habet emendatus codex.

x Ipsos quoque preces ad Deum amplecti iubet. Hoc est, præcationi ei, quæ Deo adhibetur, socios se adiungere. Id enim iubebat Diaconus, vt cùm Catechumeni ea, quæ præcesserant,

652 taciti atque humi prostrati audissent, iam exurgerent, atque inceptam à Diacono præcationem profecerunt. Itaque hoc loco ἐχέλασται ἡμῶν ἡμετέρας non idem est, quod ἀποσταλέντων, vel ἀποσταλέντων πρὸς δεξιὰς, vt putauit Erasmus (vertit enim, Iuber illos aliquid esse in precibus ad Deum. Vbi etiam non animaduertit per ἡμετέρας, intelligendam esse hîc orationem eam, quam Diaconus pro Catechumenis recitabat.) sed ἀπὸ λαλοῦντων καὶ κατανοῶν τῶν ἐν τῷ.

y Christianos vestros fines.] Vt cetera vertit Erasmus.

z Nondum enim hoc illis committimus vt pro aliis orent.] Gr. ἔτι οὐκ ἔδωκεν ὑμῖν ἐπεὶ οὐκ ἔστιν ἐπισημασμένον. (Fort. ἐν τῷ) ἀπὸ ἀγαπητῶν ὑμῶν ἀπὸ τῶν δούλων καὶ ἀδελφῶν. Quæ verba sic reddit Erasmus, Nondum de cæteris præcipimus illis: sed tamen charitatis est & pro illis orare vt possint. Iudicet autem eruditus Lector, an his verbis aptè & fideliter exprimitur, quod ait Chrysoſtomus. Exponens enim hæc verba Diaconi ad Catechumenos, quæ paulò antè præcesserunt, causam affert, cur hoc duntaxat ipsis imperet, vt seipſos, ac non item alios Deo commendent. Quoniam, inquit, præclare agitur, si ipsi, tantisper dum in eo ordine sunt, pro seipſis orare queant.

aa Quod Deus eos benedicat,] τὸ τὸν θεὸν εὐλογεῖν. Hoc argumento, inquit, colligimus preces eorum exauditas esse, quòd tum à Deo sacerdotis opera benedicantur. Eras. vertit, Ac Deum illis benedicere: non animaduertens hæc non per coniunctionem legenda esse, sed ita, vt causam significet.

bb eorum, qui adsunt,] παρεστώτων habet emendatus codex, non ἀπὸ εὐσεβῶντων, vt Veronenſis editio.

cc siquidem coram fidelibus.] Gr. ὅτι τῷ πιστῶν. i. cùm submotis Catechumenis soli fideles remanserunt. Erasmus vertit, in fidelibus.

HOMILIA III.

AM gloria nostra hæc est, testimonium conscientia nostra, quod in simplicitate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus in mundo. Hic rursus aliud quod non paruum consolationis argumentum nobis aperit, imò perquam ingens, quòdque animum periculis depressum erigere queat. Quoniam enim dixerat, Deus nos eripuit, atque id totum misericordiam Dei, precibusque ipsorum ascripserat, ne hæc ratione auditoris animum supinum ac læguidum redderet, vt pote Dei misericordiæ duntaxat, aliorumque precibus confidentem, ostendit ipse quoque ex se non paruum quiddam præstitisse. Atque id quidem prius etiam his verbis declarauit, Sicut abundant passionibus Christi in nobis, sic etiam abundat consolatio nostra. Hic autem aliud rursus, quod ipse præstiterit, commemorat. Quòdnam tandem hoc? Quoniam in pura conscientia, minimèque ficta mente, vbique terrarum conuersati sumus, inquit. Hoc porrò ad nostram consolationem & cohortationem non parum momenti habet, nec ad consolationem tantum, sed ad aliud etiam insuper, quod consolatione longè præstantius est, hoc est ad gloriationem.

His autem verbis partim eos docet, vt in afflictionibus minimè animis frangantur, & consternentur, sed potius gloriantur, cùm puram conscientiam habeant: partim etiam falsos Apostolos epistola ait, Misit me Christus vt Euangelizem, non in sapientia sermonis, ne euacuetur crux Christi, & vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in potentia Dei: sic etiam hoc loco ait, Non in sapientia, sed in gratia Christi. Quin aliud quoque his verbis significauit, Non in sapientia Christi, Hoc est non in fraude: nimirum hic quoque prophanam eruditionem sternens. Gloria enim nostra hæc est, inquit, testimonium conscientia nostra. Hoc est, conscientia nostra, cùm nos condemnare nequeat, tanquam qui ob improba facinora vexemur, & exagitemur. Quauis enim innumeris calamitatibus afficiamur, atque vndique impetamur, nobis tamen ad consolationem, nec ad consolationem tantum, sed etiam ad coronam

coronam sufficit conscientia, quæ pura est, nobisque hoc testificatur, nos non sceleris vllius causa, sed ob Dei voluntatem, ob virtutem, ob philosophiam, ob multorum salutem hæc pati. Ac prior quidem illa consolatio à Deo manabat: hæc autem ab ipsis, atque à vitæ puritate colligebatur. Vnde etiam gloriam ipsam vocat, quoniam propria eorum virtute comparabatur. Quænam igitur est hæc gloria, & quidnam nobis conscientia nostra testificatur? Quoniam in sinceritate, Hoc est nihil fraudulentum, nihil per hypocrisim, per simulationem, per assentationem, per insidias, per imposturam, ac per aliud quicquam eiusmodi fecimus: sed in omni libertate, in simplicitate, in veritate, in pura minimèque maligna voluntate, in mente ab omni dolo vacua, nihil reatum & adumbratum, nihil fucatum ac veteratorium habentes. Non in sapientia carnali, Hoc est non in vafricie & improbitate, nec in sermonis facundia, ne xûque sophismatum. Hæc enim per carnalem sapientiam intelligit. Atque id, vnde illi magnopere gloriantur, inficiatur ipse ac reiicit: ex abundantia videlicet ostendens, haud dignum istud esse, de quo quisquâ gloriatur, quippe cùm ipse nõ modò id non requirat, verum etiam submoueat ac probo ducat. Sed in gratia Dei conuersati sumus in mundo. Quid est, in gratia Dei? Hoc est sapientiam ac potentiam ipsius beneficio nobis concessam per miracula declarantes: atque hinc etiam, quòd, cùm rudes essemus, nihilque externæ doctrinæ nobiscum afferremus, doctos tamen, Oratores, Philosophos, reges ac populos vicerimus. Porrò non vulgaris est hæc consolatio ac gloriatio, nempe quòd ipsi sibi conscij essent, se non humanam potentiam adhibere, sed diuina gratia omnia conficere. In mundo. Ita non Corinthi tantum, sed passim quoque toto terrarum orbe. Abundantius autem apud vos. Quid abundantius ad vos? In gratia Dei conuersati sumus. Nam & signa & miracula apud vos edidimus, & curam diligentiamque maiorem adhibuimus, vitamque ab omni reprehensione alienam. Nam hoc quoque per gratiæ vocabulum intelligit, nimirum ea etiam, quæ cum virtute gessit, ipsi ascribens. Illic enim vltra septa profiliit, dum sine sumptu Euangelium poneret, vt eorum imbecillitati consulere. Nõ enim alia scribimus vobis, quam que legitis & agnoscitis. Quoniam magnifica de se prolocutus fuerat, sibi que ipsi testimoniu dixerat (id quod inuidiam conflare solet) rursus eorum, quæ dicit, ipsos testes producit. Non enim est, inquit, quod quisquam existimet, ea, quæ à me dicuntur, verborum duntaxat pompam esse. Hæc enim vobis commemoramus, quæ vobis ipsis perspecta & explorata sunt. Quòdque nos minimè mentiamur, præ cæteris ipsi testes esse queatis. Legentes enim agnoscitis, quòd, quæ nos re ipsa præstitisse compertum habebitis, ea per litteras quoque prædicamus: nec testimoniu vestrum litteris nostris repugnat, sed earum ipsarum lectioni consonat hæc cognitio, quam antè de nobis habebatis. Sicut & cognouistis nos ex parte. Neque enim ex aliorum sermone res nostras cognouistis, sed ex ipsa experientia. Illud autem, ex parte, modestiæ causa dixit. Hoc enim ipsi in more positum est, cùm necessitate adductus (neque enim aliàs hoc facit) magni de se quippiam pronunciarit, vt eorum, quæ dixit, tumorem statim retundat. Spero autem quòd etiam vsque in finem cognoscetis. Vides rursus quo pacto à præteritis, fidè futuris astruat: nec à præteritis tantum, sed etiam à Dei potentia. Neque enim absolute affirmauit: sed hoc totum ad ipsum, spemque, quam in ipso positam habet, relegauit. Quòd gloria vestra sumus, sicut & vos nostra in die domini nostri Iesu Christi. Hoc loco inuidiam, quam ea, quæ fu-

perius dixerat, ipsi concitare potuerant, succedit, dum ad eorum, quæ rectè, & cum virtute gesserat, confortium ac societatem ipsos aspicit. Non enim intra nos constiterunt, inquit, sed ad vos quoque dimanant, ac vicissim à vobis ad nos. Quoniam enim seipsum extulerat, ac præteritorum argumentum exhibuerat, & de futuris sponderat, ne auditores eum, tanquam magna de se prædicantem, incefferent, atque in inuidiam, vt dixi, prolaberentur, gloriationem cum ipsis communicat, atque hanc laudem coronam ad ipsos pertinere ait. Nam si tales appareamus, inquit, nostra laus, vestra gloria est: quæadmodum scilicet nos quoque, dum vos laude atque gloria floretis, exultamus, gestimus & coronamur. Atque hinc quoque rursus, per ea quæ dixit, ingentem humilitatis suæ significationem præbet. Non enim vt magister ad discipulos, sed vt ad pari honore præditos discipulos loquens, ita sermonem exæquat. Ac vide quo pacto eos sublimes efficiat, ac philosophia impleat, dum ipsos ad illum diem trāmittit. Ne enim mihi præsentia cõmementis, inquit, hoc est probra, conuitia, scommata, quæ vobis à plerisque inferunt (neque enim quicquam hinc magni momenti est, non læta, non molesta, non scommata, non humanæ laudes) verum tremendi illius atque horrendi diei vobis in mentem veniat, in quo omnia aperta erunt. Tum enim & nos in vobis, & vos in nobis gloriabimini, cùm & vos tales magistros habuisse perspicuum erit, qui nec humani quicquam docuerint, nec improbè ac flagitiosè vixerint, nec vllam vitij ansam cuiquam porrexerint, ac nobis rursus tales discipulos fuisse, qui nec humani aliquid passi fuerint, nec vacillarint, sed alacri ac pròpto animo cuncta exceperint, nec vlla ex parte imposturam sibi fieri permiserint. Ac nunc quidem hæc quoque prudentibus conspicua sunt: tum autem cunctis erunt. Itaque etiam si nunc aflugimur, non mediocris hæc quoque nobis consolatio suppetit: quæ quidem nunc à conscientia proficiunt, tum autè ab ipsa declaratione. Nunc enim conscientia quidem nostra hoc perspectum habet, nos Dei gratia omnia efficere, quemadmodum ipsi quoque scitis ac sciatis: at tum omnes etiam mortales, tam nostra, quam vestra cognoscent, nõ que mutuo alios ab aliis celebrari perspicient. Etenim ne solus ipse splendorem ex gloriatione consequi videatur, ipsis quoque gloriandi causam præbet, atque à præsentibus molestiis eos auocat. Quòdque in consolatione fecerat, cùm diceret, Propter vos consolatione afficimur, hoc etiā hinc facit, cùm ait, propter vos gloriamur, quæadmodum vos quoque nostra causa: vbique scilicet eos rerum omnium socios adhibens, consolationis, passionum, suæ denique salutis. Siquidem hanc salutem ipsis quoque assignat. Adiuuantibus enim, inquit, vobis in oratione, Deus nos eripuit. Ad hunc igitur modum ea quoque, ob quæ gloriatur, communia cum ipsis facit. Vt enim illic ait, Sciens quoniam sicut socij estis passionum, ita & consolationis: eodem hinc quoque modo, gloria vestra sumus, vt & vos nostra. Et hac confidentia volebam prius venire ad vos. Quanam confidentia? Quòd virtuti vestræ maiorem in modum cõsidam, quòd propter vos gloriar, quòd gloriatio nostra sitis, quòd vos vnice amè, quòd nullius mali mihi conscius sim, quòd non dubitè quin omnia apud nos spiritualia sint, ac vos harum rerum testes habeam. Volebam venire ad vos, & per vos transire in Macedoniam. Atqui contrarium in priore epistola pollicitus fuerat, his verbis vtès: Veniam autem ad vos, cùm Macedoniam transiero. Macedoniam enim pertransibo. Qui fit itaque, vt hinc pugnantia dicat? Non pugnantia dici ab-

Quid sit sapientia carnalis.

Nihil hic magnum est.

I. Cor. 16.

fit, hæc enim cum his quidem quæ scripserat, pugnant: cum his autem, quæ in animo habebat, minimè pugnant. Ob eamque causam haudquaquam hinc dicit, Scripsi me per vos in Macedonia transiturum, sed, *volebam*. Nam etiam si non ita scripserim, inquit, tamen studebam ac cupiebam priùs quoque ad vos proficisci: hanc tantumque ab eo abfui, ut seriùs, quam promiseram, ad vos me conferrem, ut ipsam quoque pollicitationem anteuertere cuperem. *Vt secundam gratiam habereis.* Quid est, *secundam*? Duplicem: Alteram nempe per litteras, alteram per præsentiam. Per gratiam porro hoc loco lætitiã intelligit. *Et per vos transire in Macedonia, & rursus à Macedonia transire ad vos, & à vobis deduci in Iudæam.* Cum ergo hoc vellem nunquid leuitate usus sum? Hic iam rectè & apertè cunctationis absentiaque crimen à se propulsat. Quod enim ait, hanc sententiam habet: *Volebam venire ad vos.* Cur ergo non veni? An quod leuitate & inconstantia laborarem? Hoc enim significat istud, *Nunquid leuitate usus sum?* Minimè. Quid igitur causæ est? *Quonia quæ cogito, non secundum carnem cogito.* Quid est, non secundum carnem cogito? Non carnali modo. *Vt sit apud me, est est, non non.* At id quoque obscurum est. Quidnam igitur his verbis sibi vult? Carnalis homo, hoc est, qui præsentibus rebus affixus est, ac perpetuò in iis versatur, à spiritus operatione alienus est, quasi libet in oras proficisci & vagari potest. At spiritus minister, qui que ab eo afflatur ac circumducitur, non potest vbique pro arbitrio suo animique sententia se gerere, (quippe quam spiritus authoritati ita addixerit, ut ex ipsius nutu pendeat.)^h verum perinde illi accidit, ut si probus quispiã feruus, qui ob herilia imperia quoquouersum distrahitur, nec sui iuris atque arbitrij est, ac ne tantillum quidem respirandi facultatem habet, conseruis suis aliqua promittat, ac deinde, quia domino aliter placeat, minimè præstet quæ promiserat. Hoc igitur ait, Non iuxta carnem consulto, neque à spiritus gubernatione liber atque immunis sum, nec mihi, quo libeat, proficisci licet. Nam paraclæti imperio & edictis subiicior, atque ad ipsius calculum agor ac circumagor. Hinc factum est ut venire nequiebam. Non enim spiritui placuit. Id quod etiam in Actuum libro plerisque locis ipsi vsu venit. Aliò enim se conferre constituentem spiritus aliò proficisci iubebat. Quamobrem non meæ leuitatis, & inconstantia est, inquit, quòd non venerim, sed quòd spiritui, cui subiectus sum, parèdum esset. Vides rursus consuetam ipsi ac familiarem argumentandi rationem? Vnde enim ipsi se probaturos existimabant, eum iis consiliis uti, quæ à carne proficiscerentur, (quòd nimirum promissis non steterit) hinc ipse vel maximè se spiritualibus cogitationibus ductum fuisse ostendit, ac contra carni potius cõsentaneo modo cogitaturum fuisse, si contrarium fecisset. Quid igitur, dicit aliquis, an non ex spiritu pollicitus fuerat? Minimè verò. Etenim iam etiam à me dictum est, non omnia eã Paulo cognita fuisse, quæ futura erant, & conducebant. Eaque de causa in superiore quidem epistola his verbis vtitur, *Vt vos me deducatis quocunq; proficiscar:* hoc videlicet metuens, ne cum in Iudæam dixisset, aliò quopiã abire cogereetur. Hic autem, quoniam hac spe delusus fuerat, istud ait, *Et à vobis deduci in Iudæam.* Nam quod charitatis erat, id ponit, hoc est ad eos venire: quod autem eorum nihil intererat, nempe ut in Iudæam abiret, hoc verò non iam expressè ac disertè addit. Postquam autem conuictus est, hinc iam fidenter dicit, *In Iudæam.* Atque hoc vtilliter contingebat, ne quis ipsorum maiorem, quam par erat, opinionem de eo haberet. Etenim si, cum

Simile.

Act. 16.

1. Cor. 16.

Act. 14.

hæc etiam ita se haberent, tamen non defuerunt, qui tauros ipsis immolare vellent, quò tandem impietatis documenta præbuisent? Quid autem est, quamobrem tibi mirum videatur, ea omnia, quæ futura erant, Paulo minimè nota fuisse, cum etiam in precibus plerunq; quod expediat, ignoret. Quid enim oremus, inquit, quemadmodum oportet, nescimus. Nec verò hoc eò duntaxat ait, ut modestia opinionem colligat: sed etiam ostendit, vbinam, quid in precibus vtile esset, ignorarit. Vbinam autem ignorauit? Nempe cum precibus à Deo contendebat, ut è tentationibus eriperetur, his verbis vtens, *Datus est mihi stimulus carnis, angelus Satanæ qui me colaphizet.* Propter quod ter dominum rogavi: & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea. Virtus enim mea in infirmitate perficitur. Vides quemadmodum, quid ex vsu esset, postulare nesciuerit, ac propterea ne quidem accepit, cum tamen identidem postulasset? *Fidelis autem Deus quia sermo noster, qui fuit ad vos, non fuit, Est & Non.* Ex orientem obiectionem præclare discutit. Dicere enim fortasse potuissent: Si cum ipse te ad nos venturum receperis; id tamen facere distulisti, atque ita non est apud te, Est est, Non non, verum quæ nunc dicis, postea subuertis, quemadmodum in tua ad nos profectio fecisti, o nos miseros, si hoc quoque in Evangelij prædicatione contigit. Quocirca ne hæc cum animis suis illi cogitarent, atque in perturbatione versarentur, ait, *Fidelis Deus, quia sermo noster ad vos non fuit Est & Non.* Hoc enim, inquit, in prædicatione nõ contigit, sed in viis ac peregrinationibus duntaxat. Nam in prædicatione, firma atque immota manent quæ diximus. Per sermonem enim hoc loco prædicationem significat. Postea irrefutabile argumentum huius rei affert, ad Deum hoc totum referens. Quod autem ait, hunc sensum habet: Aduentus mei pollicitatio, mea erat, atque ego mea sponte id promiseram: at prædicatione non mea erat, nec humana: sed Dei. Quod autem Dei est, in id mendacium cadere nequit. Vnde etiam dicit, *Fidelis autem Deus.* Hoc est, verus. Quamobrem nihil est, cur ea, quæ illius sunt, vobis suspecta sint. Nihil enim in ipsis humanum est. Ac posteaquam sermonem dixit, de quo sermone loquatur, deinceps exponit. Quisnam igitur hic sermo est? *Dei enim filius Iesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me & Sylvanum, & Timotheum, non fuit Est & Non.* Ob eam enim causam magistrorum chorum in medium adducit, ut hinc quoque testimonio suo fidem astruat, non per auditores tantum, sed etiam per magistros. Atqui discipuli illi erant. Est ita: sed modestia studio eos in magistrorum album refert. Quid autem est, Non fuit Est & Non? Non ea subuerit, inquit, quæ priùs inter concionandum dixi: non modò hoc, modò illud apud vos differui. Hoc enim nõ fidei fuerit, sed animi aberratis. *Sed Est in illo fuit.* Hoc est, Quod dixi, immotus ac firmus sermo manet. *Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo est, & in ipso Amen, Deo ad gloriam per nos.* Quid est, *Quotquot promissiones Dei?* Prædicatione euangelica multa promittebat: atque ipsi multa hæc promittebant ac prædicabant. Nam & de resurrectione verba fecerant, & de assuptione & de immortalitate, & de magnis præmiis, atq; arcanis illis bonis. Has pollicitationes firmas ac stabiles manere ait. Et nõ fuit Est & Non in illis, hoc est, non quandoq; vera, quæ dixi, quandoq; falsa fuerunt, ut meus ad vos accessus: sed semper vera. Ac primò quidem pro fidei dogmatibus, sermonèq; de Christo habito, cõtendit, dicens, Sermo meus, & prædicatione mea non fuit Est, & Non: deinde

Eph. 1.

Christiana-
noru di-
gnitas.

deinde pro ipsius pollicitationibus pugnat. Quotquot enim, inquit, promissiones Dei sunt, in illo est. Quòd si firma ac certa sunt quæ promissæ, nec dubiũ est, quin ea daturus sit, multò vtique magis ipse, ac sermo qui de eo habetur, firmus ac certus est, neque istud dici potest, quòd nunc quidem sit, nunc autem non sit: sed semper est, atque idem est. Quid est autem, *In illo Est, & Amen?* Nimirum his verbis, id quod omnino futurum est, significat. Promissiones enim in ipso, ac non in homine, hoc habent, ut contingant & expleantur. Quare nihil est quod metuas. Non enim homo est, ut suspectum eum habere possis: sed Deus, qui & dixit, & explet. *Deo ad gloriam per nos.* Quid est, *Ad gloriam per nos?* Eas per nos explet, hoc est per collata in nos beneficia ad gloriam Dei. Hoc enim in Dei gloriam cedit. Si autem ad Dei gloriam, quin fiat non est dubitandum: tum quia, etiam si salutem nostram contemptui haberet, non tamen gloriam suam contempturus est: tum quia singularem erga homines benevolentiam gerit. Adde quòd nostra salus, cum gloria ea, quæ hinc ad ipsum redit, coniuncta est. Quo fit, ut cum promissiones ad ipsius gloriam pertineant, dubium esse non possit, quin salus quoque nostra consequatur. Quod etiam in epistola ad Ephesios crebrò inculcat, dicens, In acquisitionem gloriæ ipsius. Atque vbique istud ponit, ut ostendat id necessariò euenturum. Quod etiam hoc loco ait, nempe quòd ipsius pollicitationes minimè fallant. Neque enim nobis duntaxat salutem, sed ipsi quoque gloriam afferunt. Quæ cum ita sint, ne illud tecum reputes, quòd per nos ista promissa sint, ac propterea de iis addubites. Neque enim per nos, sed per eum expleantur. Quamquam etiam alioqui promissiones quoque per ipsum sunt. *Qui autem confirmat vos nobiscum in Christo, & qui vnxit nos, Deus: qui & signauit vos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Rursus per præterita fidem futuris conciliat. Nam si ipse est, qui nos in Christo confirmat, hoc est, qui nos à fide, quæ in Christo est, dimoueri non sinit, atque ipse etiam est, qui nos vnxit, spiritumque in cordibus nostris dedit, qui tandem non futura quoque daturus est? Nam cum principia, & materiam, ac radicem & fontem, hoc est, veram ipsius cognitionem, ac spiritus participationem largitus sit, qui fieri potest, ut non ea etiam largiatur, quæ ex his oriuntur? Nam cum illa horum causa donentur, multò magis is, qui hæc dedit, illa quoque præbebit. Et cum hæc adhuc hostibus dederit, multò magis illa in gratiam receptis donabit. Ac proinde ne spiritum quidem simpliciter dixit, sed pignus nominauit: ut per hoc de toto fiduciam concipias. Neque enim si totum daturus non esset, pignus præbere, ac frustra & temerè perdere in animum induxisset. Ac vide quæso Pauli probitatem, animique gratitudinè. Quid enim, inquit, dicere attinet, promissionum veritatem in nobis minimè sitam esse? Immo hoc ipsum, quòd vos firmi atque immobiles statis, non in nobis est: sed Dei beneficium est. Qui enim confirmat vos, inquit, Deus est. Non enim scilicet nos sumus, qui vos fulcimus. Nam ipsi quoque confirmantis ope indigemus. Quocirca non est quòd quisquam prædicationem euangelicam in nobis periclitari existimet. Ipse totum hoc in se recepit: ipsi totius negotij cura est. Quid autem est, *Qui vnxit, & signauit?* Hoc est qui spiritum dedit, per quem vtrumque horum effecit nimirum simul & Prophetas, & sacerdotes, & reges efficiens. Siquidem hæc hominum genera olim vngebantur. At nos, non vnã, sed tres istas dignitates præstantiore conditione obtinemus. Nam & regno potituri sumus;

A & cum victimæ loco corpora nostra offerimus, sacerdotes efficiamur, (exhibete enim, inquit, membra vestra hostiam viuentem, placentem Deo) atque insuper Prophetæ constituimur. Quæ enim oculus non vidit, nec auris audiuit, ea nobis patefacta sunt.

Rom. 12.
1. Cor. 1.

MORALE.
Reges eos esse, qui vitiis atque animi perturbationibus imperant.

Quamquam etiam alia ratione reges efficiamur, si improbas & absurdas cogitationes in potestate tenere voluerimus. Nam quòd is, qui talis sit regnet, & quidem magis, quam qui diademate cinctus est, liquidò iam vobis demonstrabo. Multos ille exercitus habet: at nos quoque plures illis cogitationes habemus. Neq; enim infinita cogitationum, quæ in nobis sunt, multitudo enumerando percenseri potest. Nec verò multitudinem duntaxat intueri licet, sed etiam multos in hac cogitationum copia duces, tribunos, turmarum præfectos, sagittarios, fundibularios. Quid aliud est, quòd regem efficiat? Vestisne? At hic quoque meliori ac præstantiori veste amictus est, quam nec tinca exest, nec vetustas conficit. Quin multiplicem quoq; coronam habet, nempe, & miserationum Dei (Benedic enim, inquit, anima mea domino, qui coronat te in misericordia & miserationibus: & gloriæ, (gloria enim, inquit, & honore coronasti eum) & bonæ voluntatis (ut scuto enim, inquit, bonæ voluntatis coronasti nos) & gratiarum: Coronam enim, inquit, gratiarum accipies capiti tuo. Vidēsne quàm variè textum quantòque gratius ac venustius sit istud diadema? Verum enim uerò altiùs rursus & accuratiùs horum regum statum expendamus. Ille stipatoribus suis dominatur, & cunctis imperat, omnesque ipsi parent, & obsequuntur. At ego hic maius præstantiùsq; imperium tibi ostendo. Nam multitudo quidem par est, aut etiam amplior. Superest autem ut subiectionem ipsam consideremus. Ac ne mihi eos in medium proferas, qui regia dignitate lapsi sunt, atque ab ipsismet satellitibus suis trucidati. Ne inquam, eos in medium producamus: verum eos conquiramus, qui pulchrè in vtraque parte regnum administrarunt. Ac tu quidem, quos libuerit, pone: ego autem Patriarcham vnum cunctis oppono. Nam cum ipse filium mactare iuberetur, cogites velim quòtnam tum aduersus eum cogitationes insurrexerint. Et tamen omnes subegit, atque omnes eum, magis quam regem satellites, pertimescebant: ac vel solo obtutu omnes comprimebat: ita ut ne hiscere quidem earum vlla auderet, verum cuncta caput summitterent, ac velut regi cederent, quamuis alioqui acerrimæ essent atque inprimis acerbæ. Neque enim hastarum cuspides tam horrendæ sunt, cum à multis militibus furriguntur, quam tum formidabiles erant illæ cogitationes. An non enim hastis atrocior erat illa, quam natura ciebat, commiseratio? Ac proinde animam illam, magis quam præacuta cuspis, excindere poterant. Nec enim vlla hasta tam acuta vnquam esse queat, quam cogitationum illarum aculei, qui ab intimis visceribus acuebantur, ac furrigebantur, iusti viri animam transfigebant. Nam hic, & tempore, & consilio, & plaga, & dolore opus est: ac tum mors sequitur. Illic autem nihil horum requirebatur. Adeo tum celeriora, tum acriora vulnera erant. Et tamè, cum aduersus eum cogitationes arma induissent, ingens erat tranquillitas: omnesque compositè stabant, ornantes potius ipsum quam terrore afficientes. Eum enim, gladium extendentem, ante oculos tibi pone, ac quos volueris Reges, Augustos, Cæsares,

1. Pet. 1.
Ibid. 8.
Ibid. 6.
Pro. 4.

Gen. 22.

in medium profer. Nihil enim simile dixeris, nec A
speciem ullam eiusmodi, tamque amplam & insignē,
ac cœlis dignam ostendere poteris. Tum enim vir ille
iustus de potentissima tyrannide triumphum egit. Ni-
hil enim est quod maiorem vim atque adeo tyranni-
dem habeat, quam natura. Atque ut sexcentos, qui
necem tyrannis intulerint proferas, nullum tamen e-
iusmodi nobis ostenderis. Etenim hæc palma angeli
verius quam hominis tunc erat. Sic quippe confide-
ra. Natura cum armis suis, cum militaribus omnibus
copiis suis humi iacebat: ipse autē stabat extenta ma-
nu, non coronā, sed gladium, quavis corona illustri-
orem, tenente: atque angelorum agmen applaud-
bat, ac Deus è cœlis victorem eum pronuntiabat.
Quoniam enim in cœlis illi conuersatio erat, idcirco
cœlesti quoque præconio celebrabatur. Quidnam
hoc splendidius? Imò quidnam cum hoc trophæo
conferri queat? Nam si, cum athleta vicisset, non
præco quidam ex inferiori loco, sed rex ipse è supe-
riore assurgens victoris laudes prædicaret, an non
hoc ille coronis ipsius illustrius honorificentiusque sibi
esse duceret, omniumque spectatorum oculos ad se
conuerteret? Cum igitur non mortalis quispiam rex,
sed Deus ipse, non in hoc theatro, sed toto orbe in-
spectante, atque angelorum & archangelorum grege
alta voce de cœlo clamans, victorem ipsum pronun-
ciet, ubinam, quæso, iustum illum virum collocabi-
mus? Quin, si placet, vocem quoque ipsam audiamus.
Quænam ergo hæc vox est? Abraham, Abraham, non
extendas manum tuam in Isaac, nec facias illi quic-
quam. Nunc enim cognoui quod tu timeas dominum,
quoniam non pepercisti vnigenito filio tuo, propter
me. Quid autem hoc? In fine qui omnia nouit antequam
orianatur, nunc demum cognoui? Atqui hominibus
quoque perspecta iam & explorata erat ipsius pietas.
Tot suæ erga Deum benevolentia argumenta dede-
rat, cum Deus ad eum dixisset, Egredere de terra tua,
& de cognatione tua: cum ob ipsum, atque honoris
ipsius causa nepoti suo primatu cessisset: cum eum è
tot tantisque periculis extraxisset: cum in Ægyptum
ipsius iussu profectus fuisset, atque vxore sibi adempta
haudquaquam propterea indignationem concepisset.
Quibus ex rebus homo etiam, ut iam dixi, pietatem
ipsius compertam & exploratam habere potuisset,
nedum Deus, qui non expectat dum ipsas res
noscat? Quoniam autem modo illum iustum pronun-
ciaisset, si voluntatem ipsius ignorasset? Credidit enim,
inquit, Abraham Deo: & reputatum est ipsi ad iusti-
tiam. Quid igitur est istud, *Nunc cognoui*? Syrus qui-
dem sic habet, *Nunc declarasti*, subaudi, hominibus.
Nam ipse iam pridem, atque ante omnia illa iussa, id
nōram. Cur autem nunc quoque hominibus? An non
illa ad declarandam ipsius erga Deum benevolentiam
sufficiebant? Sufficiebant sanè. Verum hoc tanto
illa omnia antecellit, ut præ eo nihil prorsus illa esse
videantur. Quamobrem, ut præclarum hoc facinus
amplificaret, atque reliquis omnibus præstantius esse
ostenderet, his verbis usus est. Siquidem etiam hoc
in hominum consuetudine positum est, ut in eximiis
ac præcellentibus rebus, palmamque obtinentibus, ad
hunc modum loquantur: Verbi gratia, cum quis ma-
ius aliquod, quam antea, munus a quodam accipit, sæpe
ita loquitur: Nunc demum perspexi, quod me ille
amet: non quod his verbis hoc velit, se ante tempus id
nesciisse, sed ut hac ratione ostendat, munus istud,
quo nunc affectus est, cæteris omnibus præstare. Ad
eundem modum Deus quoque humano more lo-
quens, Nunc, inquit, cognoui: Nihil videlicet aliud

Nihil naturæ violentius.

Gen. 22.

Ibid. 12. Ibid. 13.

Ibid. 15.

hiscæ verbis, quam singularem quandam certaminis
magnitudinem exprimere volens, non autem quod
tum duntaxat, aut timorem, aut timoris magnitudi-
nem cognosceret. Nam etiam cum ait, Venite de-
scendamus ac videamus, non idcirco hac oratione
vitur, quod descensu opus habeat, quippe qui om-
nia impleat, atque omnia apertissimè cognoscat:
sed ut hinc discamus, de re aliqua non temerè pro-
nuntiare. Atque item, cum ait scriptura, Deus de cœ-
lo prospexit, per metaphoram ab hominibus ductam,
exactissimam ac certissimam cognitionem intelligit.
Eodem modo hic quoque, Nunc cognoui, ait: ut hoc
omnibus prioribus maius excellentiusque esse demō-
stret. Hoc ita esse probat ex eo, quod deinceps sub-
iungit, Quia non pepercisti filio tuo dilecto propter
me. Non duntaxat dixit, Filio tuo, sed, filio tuo dile-
cto. Non enim aduersus naturam tantum, sed etiam
aduersus benevolentia affectum, qui, tum ob pro-
prios mores, tum ob magnam pueri virtutem ingens
erat, intrepidum se præbuit. Quod si, ne ut improbos
quidem filios aspernentur, facile adduci parentes
queunt, verum eos quoque lacrymis & luctu prosequuntur:
cum & filius fuerit, & germanus, & vnigenitus,
& dilectus, & Isaac, & ab ipso patre iugulatus sit,
quisnam incredibilem animi illius magnitudinem
vllis verbis complecti possit? Nimirum hoc certamen
mille diademata, atque innumeras coronas splendore
superat. Etenim ei, qui coronam illam gerit, plerumque,
& mors superueniens infesta est, & mille etiam
ante mortem rerum insidia. Hoc autem diademate
quisquis redimitus fuerit, id ei ne post mortem qui-
dem quisquam eripere poterit, non suorum, nō alieno-
rum. Atque etiam pretiosissimum huius diadematis
lapidem perspicias velim. Ut enim pretiosus lapis,
sic cum ad extremum cingit. Quidnam autem hoc
est? *Propter me*. Neque enim hoc est, quod admirationem
mereretur, nempe quod non pepercerit, sed quod
propter eum. O dextram beatam, quali gladio donata
est: O admirandum gladium, quali dextra donatus
est: O beatum inquam gladium, ad quod ministerium
paratus est: quod munus obiit, & cui figuræ subser-
uuit: quoniam pacto cruore tinctus est, & cruore non
est tinctus? Neque enim, quo verbo vtar, scio: adeo
tremendum istud mysterium erat. Non pueri collum
attigit, nec sancti illius guttur penetrauit, nec iusti
cruore rubuit. Et immersus est: & non immersus.
Mentis errore affici fortasse vobis videor, qui ita pu-
gnantia loquar. Et certè afficior, dum iusti illius mi-
raculum animo contemplor, nec tamen pugnantia
loquor. Etenim iusti viri manus eum in pueri gutture
defixit: at Deus etiam infixum non permisit pueri
cruore contaminari. Neque enim Abraham solus
eum tenebat: sed etiam Deus. Ille per voluntatem
impellebat: hic per vocem reprimebat. Nam eadem
vox dextram illius, & armauit, & compescuit: atque
Deo, tanquam bellico cuidam imperatori, subdita,
ad ipsius nutum omnia exequabatur: cunctaque ad il-
lius vocem administrabantur. Sic enim considera. Dixit,
Occide, ac statim armabatur. Dixit, Ne occidas:
ac statim arma deponebat. Siquidem omnia parata
iam erant. Ac postea Deus militem suum ac ducem
orbi ostendit, victorem angelorum theatro, illum in-
quam sacerdotem, illum regem, gladio magis, quam
vlllo diademate, coronatum, illum inquam laureatum,
illum fortitudinis laude præstantem, ac sine confu-
ctu victorem. Quemadmodum enim si quis imperator
strenuissimum militem habeat, etiam ipsa geren-
dorum armorum dexteritate, ipsa statione, ad ipso im-
pectu,

Gen. 22.

Abraham & natura excessit.

Dan. 3. & 6.

Gen. 22.

Iob. 2.

Abraham propheta. Ioan. 8. 9. Christianorum dignitas.

Sacerdos Abraham.

Gen. 22.

Iob. 2.

Abraham propheta. Ioan. 8. 9. Christianorum dignitas.

Sacerdos Abraham.

Gen. 22.

Iob. 2.

Abraham propheta. Ioan. 8. 9. Christianorum dignitas.

Sacerdos Abraham.

Gen. 22.

Iob. 2.

Abraham propheta. Ioan. 8. 9. Christianorum dignitas.

Sacerdos Abraham.

Gen. 22.

Iob. 2.

Abraham propheta. Ioan. 8. 9. Christianorum dignitas.

Sacerdos Abraham.

Gen. 22.

Iob. 2.

Abraham propheta. Ioan. 8. 9. Christianorum dignitas.

Sacerdos Abraham.

Gen. 22.

Iob. 2.

petu, hostem metu percellit: sic Deus sola iusti viri vo-
luntate, solo gestu, sola denique statione, communem
omnium nostrum hostem exterruit, atque in fugam
vertit. Nam & illum existimo tum tremebundum re-
cessisse. At, dixerit fortasse aliquis, quid est quamob-
rem Deus dextram cruentari nō permiserit, ac post-
ea maestatum repente ad vitam reuocari? Quoniam
fas non erat Deum huiusmodi sanguinem capere: sed
pestiferos demones mensa hæc decebat. Atque hic v-
trunque declarabatur, nempe & domini benignitas,
& serui probitas. Ac prius quidem de terra sua egres-
sus fuerat: tum verò ab ipsa quoque natura excessit.
Eoque nomine fortem cum scœnore accepit, idque
admodum merito. Patris enim nomen amittere ma-
luit, quam committere, ut à probi serui officio recede-
ret. Eoque factum est, ut non modò pater, sed etiam
sacerdos existeret. Et quia Dei causa etiam à suis ab-
cesserat: idcirco Deus ipsi cum illis sua quoque largi-
tus est. Ac quidem ipse, cum ab hostibus insidia crean-
tur, etiam vsque ad rem ipsam progreditur, ac mi-
racula edit: ut in fornace, ac leonibus vsu venit. Cum
autem ipsemet est qui imperat, intra animi prompti-
tudinem imperium suum sistit. Quid enim, heus tu,
in illa animi fortitudine ac præstantia iam desideraba-
tur? Num enim Abraham, quod euenturum erat, præ-
sciebat? Num Dei misericordiam vlllo artificio capta-
bat? Nam, licet prophetia quoque dignitate polleret,
non ea tamen conditione Propheta est, ut nihil eum
fugiat. Itaque superuacanea iam ac Deo indigna truci-
datio extitisset. Quod si illud operæpretium fuerat
scire, Deum mortuos ad vitam reuocare posse, multò
scilicet admirabilius id ab emortua vxoris vulua in-
tellexerat, imò ante hanc quoque demonstrationem,
ut qui fide præditus esset. Tu verò da operam ut ius-
tum illum non solum admireris, sed etiam imiteris:
cumque eum in tanto tumultu, ac tanta fluctuum tem-
pestate, non secus atque in tranquillitate nauigantem
cernis, fac etiam ut obedientia & fortitudinis clauum
arripas. Nec mihi illud tantum commemora, quod
altare extruxerit, & ligna pararit: sed pueri quoque
vocem in mentem reuoca, tecumque illud reputa,
quanta exercituum agmina impetum in eum fece-
rint, ipsi pauore iniicientia, cum puerum dicentem
audiuit, Pater ubinam est victima? Animaduerte,
quot quantæque tum cogitationes commotæ sint, non
ferro, sed igneis hastis armata, atque vndique eum
pungentes & conscindentes. Nam si nunc quoque
multi etiam, qui patres non sunt, dolore franguntur,
atque adeo collacrymassent, nisi rei exitum perspe-
ctum haberent, imò etiam complures, quanquam il-
lum norint, lacrymantes tamen intueor: quo tan-
dem doloris cruciatu affectum eum fuisse probabile
est, qui ipsum genuerat, qui educauerat, qui in sene-
ctute, qui solum habebat, qui talem, qui cernebat, qui
audiebat, qui iam iamque de medio sublaturus erat?
Quæ verborum prudentia? Quæ responsionis man-
suetudo? Quis autem erat qui tum operabatur? Diabo-
lusne, ut doloris quasi faces quasdam naturæ ad moue-
ret: minimè: Verum Deus, ut auream iusti animam
magis exploraret. Etenim tum quidem, cum Iobi vx-
or verba faceret, diabolus operabatur. Tale quippe
illud consilium erat. Hic verò nihil impiè loqueba-
tur, sed perquam piè & circumspectè: ac multa venu-
stas in verbis effloreat, magnaque mellis copia è ser-
monibus manabat, à tranquilla illa & placida anima
fluens. Atque hæc verba tantam vim habebant, ut vel
saxeum pectus emollire possent. Nec tamen adaman-
tem illum perculerunt, imò nec concusserunt. Nec

A dixit, Quid patrem vocas, qui paulò post pater tuus
futurus non est, qui que iam huius honoris iacturam
fecit? Quamam porrò de causa puer quoque sciscita-
tur? certè non quod curiositate, atque aliena inquiren-
di studio duceretur, sed quod de iis, quæ proposita e-
rant, anxio ac sollicito animo esset. Sic enim secum co-
gitabat, nisi pater eum conscium ac participem earum
rerum, quæ gerebantur, adhibere voluisset, minimè fa-
cturum fuisse, ut seruis infra manere iussis, ipsum so-
lum assumeret. Ob idque tum denique ipsum interro-
gat, cum iam soli essent, nec quisquam ea, quæ dice-
bantur, exaudiret. Tanta pueri prudentia erat. Quid?
an non omnes, tam viri, quam vxores, incaluistis? An
non vnusquisque vestrum puerum illum animo com-
plectitur, & exosculatur, prudentiamque suspicit, at-
que ipsius pietate commouetur, cuius ope fiebat, ut
cum etiam colligaretur, ac rogo imponeretur, non
metu concuteretur, nec resileret, nec patrem ut furo-
re percitum accusaret: verum & vinculis astringere-
tur, & sustolleretur, ac imponeretur, cunctaque, velut
agnus quispiam, vel potius, ut communis omnium do-
minus, silentio ferret? Etenim illius mansuetudinem
imitabatur, ac figuram tenebat. Tanquam ovis enim,
inquit, ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram
tondente se, obmutuit. Atqui locutus est iste? Sanè
quidem: Nam & dominus quoque ipsius locutus est.
Quoniam igitur modo obmutuit? Hoc est. Nihil arro-
gans, nihil asperum locutus est, sed blanda omnia &
mansueta: ac verba ipsa plus mansuetudinis præ se
ferebant, quam si obticuisset. Quandoquidem etiam
Christus dicebat, Si malè locutus sum, testimonium
perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? Et
tamen hac oratione mansuetudinem suam magis de-
clarauit, quam si silentio usus fuisset. Et quemad-
modum hic patri ex altari, sic ille etiam è cruce loqui-
tur, Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.
Quid igitur ad ista patriarcha? Deus providebit sibi
victimam in holocaustum, fili. Vterque naturæ voca-
bula vsurpat. Ille patrem, hic filium vocat: Ac graue
vtrique bellum excitatur, atque ingens tempestas:
nusquam tamè naufragium. Philosophia enim omnia
vincit. Deinde ut Dei nomen audiuit, nullum vltra
verbum addidit, nec curiosius quicquam inquisiuit.
Vsq; adeo prudens erat hic puer, idque in ipso æta-
tis flore. Vides quot exercitus rex hic superarit, quot
irruentia bella compresserit? Neque enim Hierosoly-
mitanæ vrbi tam formidabiles erant barbari, cum eam
sæpenumero aggredierentur, quam hæc cogitationes
vndique ipsum circumsidentes. Et tamen omnes fre-
git ac superauit. Vis etiam sacerdotem cernere? Non
longè exemplum est. Nam cum eum ignem & gladium
habentem, & altari astantem intueris, quid iam est
quod de sacerdotio dubites? Quod si tibi victimam
quoque videre cordi est, duplicem cernas licet. Obtulit
enim filium, obtulit & ouem, vel, ut rectius loquar,
ante omnia voluntatem suam. Atque per ouis quidem
cruorem, manum, per filij autem maestationem ani-
mam sanctificauit. Atque ita sacerdos creatus est, ni-
mirum per vnigeniti sanguinem, atque agni sacrificium.
Nam & sacerdotes per victimarum, quæ Deo
offerebantur, sanguinem olim sanctificari solebant.
Vidne iam Prophetam quoque conspiceret? Abraham
pater vester exultauit ut videret diem meum. Et vidit,
& gauisus est. Ad eundem modum tu quoque in ba-
ptismo rex, & sacerdos, & propheta efficeris: Rex,
cum omnes prauas actiones in terrâ abiicisti, ac pec-
cata interemisti: Sacerdos, cum te ipsum Deo obtuli-
sti, ac corpus maestasti, atque adeo ipse quoque maest-

Abraham & natura excessit.

Dan. 3. & 6.

Gen. 22.

Iob. 2.

Esa. 53.

Ioan. 18.

Luc. 23.

Gen. 22.

Sacerdos Abraham.

Abraham propheta. Ioan. 8. 9. Christianorum dignitas.

beneficiis affecisset, & quorum causa plurimum laboris suscepisset, loqueretur. Quocirca, inquit, si hac ratione scribo, ac non venio, ut magni aliquid procurem non venio, ac non quod vos oderim atque auerfer, sed quod maiorem in modum amem. Deinde quoniam dixerat, Qui me contristat, me latificat, ne illi dicerent, Hęcine igitur tibi studio est; ut latificeris, atque omnibus vim tuam & auctoritatem ostentes? Idcirco subiunxit, Nam ex multa tribulatione & angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas, non ut contristemini, sed ut sciatis quam charitatem habeam abundantius in vobis. Quid hac anima indulgentius, atque ad amandum propensius? Ostendit enim se non minus, imò etiam multò magis doluisse, quàm illi ipsi, qui peccauerant. Non enim ex tribulatione tantum dixit, sed, Ex multa: nec per lacrymas solum, sed, Per multas lacrymas, & cordis angustiam. Hoc est, mœrore præfocabar, ac strangulabar. Ac tristitiæ nubem iam non ferens, ad vos scripsi: non ut contristemini, inquit, sed ut charitatem eam noscatis, quam abundantius erga vos habeo. At qui sermonis series hoc postulabat, ut diceret, Non ut contristemini, sed ut respiscatis. Etenim hac de causa scripserat. Hoc tamen non dicit: sed, ut plus suauitatis orationi suæ concilieret, atque in maiorem sui amorem eos pertrahat, hoc illius loco ponit, ostendens se amore ac benevolentia ductum omnia facere. Nec charitatem tantum dixit, sed, Quam abundantius habeo erga vos. Vult enim hac quoque ratione animos eorum ad se allicere, dum se eos præ cæteris amare, atque ut erga eximios ac præcipuos discipulos affectum esse demonstrat. Vnde etiam ait, Et si aliis non sum Apostolus, at vobis tamen sum. Et si multos pædagogos habeatis, non tamen multos patres. Ac rursus. In gratia Dei conuersati sumus in mundo: abundantius autem apud vos. Atque infra etiam, inquit, Abundantius vos diligens, minus diligo. Et hoc loco. Quam habeo abundantius erga vos. Itaque etiam si verba iracundia plena erant, tamen hæc animi concitatio ex ingenti charitate ac dolore nascebatur. Cumque epistolam scriberem, inquit, dolebam & angebar, non hoc tantum nomine, quod peccassetis, sed eo etiam, quod vobis mœrore affere cogeret. Verum hoc quoque ipsum ab amore ac benevolentia proficiscebatur. non secus ac si quis, cum filium in primis charum habeat, qui sanie laboret, eumque secare atque vrere cogatur, vtroque nomine doleat, tum quod is æger sit, tum quod eum secare necesse habeat. Ac proinde id quod mei in vos odij signum esse existimatis, magni amoris argumentum erat. Quod si hoc ipsum, quod vos contristatim, ab amore ortum trahit, multò sanè illud magis, quod, dum in mœrore estis, in lætitia verfer. Cum ergo se ipse excussisset (siquidem plerisque locis se excusat: nec propterea erubescit. Nam cum Deus id faciat, cum ait, Popule meus, quid feci tibi, multò magis id Paulum facere conuenit) cum, inquam, se ipse excussisset, ac iam pro eo verba facere pararet, qui stupri crimine se obstrinxerat, ne illi, tanquam qui contraria iussa acciperent, distorquerentur, pertinaciùsque contenderent, propterea quod idem ipse erat, qui & tum ira exarserat, & nunc eum missum facere iubebar, vide quo pacto, tum per ea, quæ dixit, tum per ea, quæ dicitur, hoc præmunierit. Quid enim inquit? Si quis autem me contristauit, non me contristauit. Posteaquam prius hoc eos nomine collaudauit, quod iisdem rebus, & gauderent, & angerentur, tum demum sermonem de hac re aggreditur:

1. Cor. 9.

Ibid. 4. Sup. 1.

Inf. 12.

Mich. 6.

acum prius dixisset, Gaudium meum, vestrum omnium est. Quod si gaudium meum, omnium vestrum est, faciendum vobis est, ut mecum nunc quoque gaudeatis, quemadmodum tunc quoque mecum doluistis. Nam ut tum dolendo mihi voluptatem attulistis, ita nunc gaudendo (siquidem gauisi fueritis) idem efficietis. Nec dixit, Mœror meus, mœror omnium vestrum est: sed, cum in aliis locis hoc astruxisset, nunc id solum, quo habebat opus, posuit, nempe gaudium, dicens, Gaudium meum, omnium vestrum est. Deinde superiorum quoque meminit, his verbis. Deinde superiorum quoque meminit, his verbis, Si quis autem me contristauit, non me contristauit, sed ex parte: ut non onerem vos. Scio, inquit, quod ira & indignatione mecum commoti fuistis propter eum qui stuprum admiserat: atque hoc facinus vos omnes ex parte mortificauit. Atque ideo dixi, Ex parte, non quod vos minorem inde mœrorem acciperetis, quàm ego: sed ne illum, qui stuprum perpetravit, nimium onerem. Quocirca non me solum ille in mœrorem coniecit, sed vos etiam item omnes. Atque, ut indulgentius eum eo agerem, dixi, Ex parte. Vides quemadmodum statim iratos eorum animos lenierit, cum ostendit ipsos indignationis quoque socios ac participes fuisse: Sufficit illi, qui eiusmodi est, obiurgatio ea, quæ fit à pluribus. Non dixit ei qui stuprum admisit, sed rursus, ei qui huiusmodi est, quemadmodum & in præcedenti epistola: verum non eandem ob causam. Illic enim ob pudorem ita loquebatur, hic ob indulgentiam. Ob idque nec iam vsquam peccati mentionem facit, quod videlicet tempus esset, ut ipsius patrocinium susciperet. Ita ut è contrario magis doneris & consolemini: ne forte abundantiori tristitia absorbeat qui est eiusmodi. Non enim solum id iubet, ut obiurgationi finis imponatur, sed ut etiam ad priorem statum reducat. Etenim si quis eum, qui verberibus cæsus sit, tantum modo missum faciat, nec ei medeatur, nihil fecit. Vide autem quoniam rursus modo illum quoque coërceat, ne ob condonatum peccatum deterior fiat. Nam quauis peccatum confessus fuerit, ipsiusque eum poenituerit: ostendit tamen eum non tam poenitentia opera, quàm gratia & beneficio veniam consequi. Ob idque ait, Doneris & consolemini. Et quod sequitur, idem declarat. Non enim, inquit, quod id promereatur, nec quod eam, quàm par sit, poenitentiam præstiterit: sed quia infirmus est, idcirco hoc peto. Vnde etiam subiunxit, Ne forte abundantiori tristitia absorbeat qui est eiusmodi. Que verba sunt hominis magnæ poenitentia testimonium ipsi tribuentis, nec eum in desperationem rueri sinētis. Quid est autem, absorbeat? Nempe vel hoc faciens, quod à Iuda factum est: vel, etiam si vita vsura fruatur, deterior effectus. Etiam resiliet, inquit, quod contractum ex longiore obiurgatione dolorem non amplius ferre queat: ac desperata salute, aut in laqueum, aut in maiorem deinceps improbitatem ruet. Itaque occurrendum est, ne hulus ingrauescat, atque id quod rectè atque ex virtute fecimus, ob neglectum modum amittamus. Hæc autem eò dicebat, ut & illum, quemadmodum iam à me dictum est, coërceat, & admoneret, ne post impetratam veniam ignauior fieret. Non enim, inquit, eum ita excepi, quasi contractas sceleris sordes penitus absterferet, sed quod vereretur grauius aliquid in se admitteret. Ex quo illud discimus, non ex scelerum tantum natura, sed ex eorum etiam animo atque affectione indicendam esse poenitentiam, quemadmodum tum quoque fecit Apostolus, quod ipsius imbecillitatem extimesceret. Ideoque dicebat, Ne absorbeat, velut à bellua quadam, atque à tempestate, ac procellis. Propter quod obsecro

omnibus

obsecro vos. Non iam imperat, sed obsecrat, non ut præceptor, sed ut æqualis: atque illi in iudicio subsellio positus & constitutus, ipse in patroni loco atque ordine se collocavit. Quoniam enim id, quod in animo habebat, confecerat, præ gaudium iam modum in supplicando excedit. Dic autem quæso quidnam est de quo obsecras? Ut firmetis in eum charitatem. Hoc est, constabiliatis, nec eum leuiter ac vulgari modo suscipiatis. Quibus etiam verbis summæ virtutis testimonium ipsis tribuebat: siquidem ij, qui hominem illum vsque adeo amabant ac tuebantur, ut etiam animis infiantur, ad eò rursus eum auerfari sint, ut tantopere laboradum Paulo fuerit, ut charitatem in eum firmarent. Nimirum hæc discipulorum, hæc magistrum virtus est: quod illi tam morigeros & obsequentes se præbeant, hic tam præclarè ipsos componat ac moderetur. Hoc si nunc quoque fieret, qui peccant, haud sine sensu peccarent. Nec enim eos temerè amare atque complecti oportet: nec sine ratione auerfari. In hoc enim etiam scripsi vobis, ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obediens sitis. Hoc est, non modò in amputando: sed etiam in adiungendo. Vides quoniam pacto hic quoque rursus metum ac trepidationem immittat? Ut enim, cum ille peccasset, periculi terrorem ipsis iniicit, nisi eum abscinderent, dicens, Exiguum fermentum totam massam corrumpit, aliæque plura: eodem hic quoque modo inobedientia metum iisdem iniicit, modò non his verbis utens: Quemadmodum tunc non pro illo tantum, sed etiam pro vobis, sic nunc quoque non magis illius, quàm vestra causa consilium vobis capiendum est, ne pernicaces quidam, atque inhumani homines esse videamini, nec in omnibus obediens. Ac proinde ait, In hoc enim etiam scripsi vobis, ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obediens estis. Etenim illud inuidia quoque fortasse ac lioris esse videri potuisset: hoc autem puram inprimis ac sinceram obedientiam ostendit, & an ad colenda humanitatis officia idonei sitis. Hoc enim proborum atque ingenuorum discipulorum est, nempe non modò illa, sed contraria quoque imperanti obtemperare. Atque ideo dixit, Ad omnia. Quibus verbis ostendit eos, nisi obediunt, non tam ei, quàm sibi ipsis probro ac dedecori fore, ut qui pernicacia opinionem collecturi sint. Hoc autem hac ratione facit, ut hinc quoque ipsos ad parendum impellat. Vnde etiam ait, In hoc enim & scripsi vobis. Neque enim ob eam causam scripsit: sed hoc idcirco dixit, ut eorum animos pelliceret. Quod enim præcipue agebatur, erat illius salus, qui peccarat. Verum ibi nullum incommodum occurrit, ipsis etiam gratificatur. Per hæc autem verba, Ad omnia, rursus eos laudat, pristinam eorum obedientiam commemorans, atque in medium adducens. Cui autem aliquid donatis, & ego. Vides quo pacto rursus posteriores sibi tribuit, illos videlicet duces atque auspices, se verò comitem duntaxat ostendens? Sic nimirum exacerbatus animus mitigatur: sic durus ac pertinax emollitur. Postea, ne supinos & ignaues eos reddat, ut penes quos negotij summa sit, atque illum haudquaquam missum faciant, ad hoc ipsos impellit, dum ait se quoque illi condonasse. Nam & ego si quid donauit, quod donauit, propter vos. Quin hoc quoque ipsum vestra causa feci, inquit. Et quemadmodum, cum illum amputari iubebat, nec ei indulgenti arbitrium ipsis permisit, dicens, iam iudicauit tradere huiusmodi hominem Satanae, ac rursus tamen eos sententia socios asciuit, cum diceret, Congregatis vobis tradere eum: (duas videlicet res maximas struens, nempe ut & sententia fer-

1. Cor. 5.

1. Cor. 5.

retur, & tamen non sine illis, ne hac ratione eos lædere videretur) ac neque solus eam proferebat, ne illi superbum eum & arrogantem esse, ac se ab eo contemni iudicarent: nec rursus rem totam ipsorum arbitrio committebat, ne accepta huiusce rei potestate prederent eum qui peccauerat, in tempestiuam nimirum erga ipsum indulgentiam adhibentes: eodem modo hic quoque facit, dicens, Ego iam condonauit, qui in prior epistola iam condemnaram. Deinde ne, tanquam contempti, animis offenderentur, ait, propter vos. Quid igitur? An ut ab hominibus gratiam iniret, ipsi ignouit: minime. Ideoque adiecit, In persona Christi. Quid est, in persona Christi? hoc est, secundum Deum, vel, ad Christi gloriam. Ne circumueniamur à Satana. Non enim ignoramus cogitationes eius. Videte ne, ut & illis potestatem concedat, & eandem rursus adimat: ut illinc quidem eos mitiget ac emolliat, hinc autem eorum arrogantiam amputet. Nec verò id solum hoc loco molitur, sed illud quoque, ut ostendat commune detrimentum fore, si non obediunt. Quod etiam in superiore epistola fecit. Nam tum etiam dicebat, modicum fermentum totam massam corrumpit: & rursus hic, ut non circumueniamur à Satana: ac denique nusquam non. Atque illius, qui peccarat, absolutionem, sibi & illis arrogat. Verum altius rem quæso considera. Si quis autem me contristauit, inquit, non me contristauit, sed ex parte; ut non onerem omnes vos. Ac deinde rursus, Sufficit ei qui eiusmodi est, obiurgatio ea, quæ fit à pluribus. Hoc ipsius decretum est, atque sententia. Nec tamen in hoc decreto constitit: sed rursus eos quoque socios adhibet, dicens, ut è contrario magis condonatis & consolemini. Propter quod obsecro vos, ut firmetis in eum charitatem. At posteaquam totum istud eorum arbitrio ac potestati permisit, ad auctoritatem suam deinceps transit, his verbis utens, In hoc enim scripsi vobis, ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obediens estis. Mox rursus gratiam ipsis ascribit, cum ait, Cui autem donatis. Tum rursus sibi, dicens, Et ego: Si cui donauit: propter vos. Deinde simul & ipsis & sibi eam vendicat, cum ait, Nam & ego si quid donauit, propter vos, in persona Christi. Hoc est, ad gloriam Christi: vel, tanquam Christo hoc etiam imperare: id quod summum ad permouendos eorum animos momentum habebat: propterea quod iam indulgentiam non adhibere in negotio, quod ad Christi gloriam pertineret, ipsiq; placeret, vererentur. Deinde rursus commune detrimentum, si obedire negligerent, proponit, dicens, Ut non circumueniamur à Satana. Quo loco pulchrè πλεονεξίας vocabulum vsurpauit. Nec enim ille sua iam capit: sed nostra eripit. Nec verò mihi hoc dixeris, quod solus ille fornicator bellua in prædam cedat: verum illud quoque tecum reputa, quod gregis numerus minor sit: ac nunc præsertim, cum id, quod amissum est, recuperare licet. Non enim eius cogitationes ignoramus. Nempe quod pietatis prætextu nobis exitium afferat. Non enim hinc solum, quod aliquid ad stuprum induxerit, sed à contrario quoque pernicia afferre potest, nimirum ab immodico mœrore ex poenitentia contracto. Cum igitur vnà cum suis nostris quoque, abripiat, cum & peccare iubens perdat, & nobis poenitentia indicetibus, rapiat, an non istud πλεονεξία est, hoc est alienæ rei vsurpatio? Non enim satis habet per peccatum nos deicere: sed per poenitentia quoque, nisi vigilatem animum præstemus, idem efficit. Atque id eò πλεονεξία meritò appellauit, cum per ea etiã, quæ nostra sunt, victoriam adipiscitur. Etenim per peccatum capere, proprium ipsius est: at per poenitentiam, non item. Nostrum enim, non autè illius, est hoc armorum genus. Quamobrem

1. Cor. 5.

cum hinc quoque capere potest, animaduerte quam turpis ac foeda sit hac clades: quantumque ille, ut imbecilles & miseros irrisurus atque exagitaturus est, si quidem nos nostrifmet armis subegerit. Perquam enim ridiculum ac summè pudendum illud est, quod per medicamenta nostra, ipse vulnera efficiat. Ob idque Paulus dicebat, Non enim ipsius cogitationes ignoramus: hoc est: quam multiplex, quam vafer, quam veterator, ac versutus sit, quam denique sub pictatis obtentu infestum nobis hostem præbeat.

MORALE.

Veram pœnitentiam in cordis contritione sitam esse.

Hæc igitur nos quoque cogitantes, neminem unquam contemnamus, nec peccâtes desperemus, nec rursus fœcordia & segnitie langueamus: verum, cum peccatum admisimus, animum conteramus, nec verba duntaxat proferamus. Siquidem complures noui, qui se quidem peccata sua desistere aiunt, at interim nil magni operantur: verum ieiunant illi quidem ac vestes asperas gestant: cæterum maiori pecuniarum cupiditate flagrant, quam caupones: ira magis corripuntur, quam feræ: atque obrectatione magis, quam alij laudationibus delectantur. Pœnitentia, ista non sunt. Pœnitentiæ larua atque vmbra ista sunt, non pœnitentia. Ob idque ad eiusmodi homines illud vsurpare licet, Videte ne circûueniamur à Satana. Non enim eius cogitationes ignoramus. Alios quippe per peccata, alios per pœnitentiam, alio modo perdit: dum videlicet eos nullum ex pœnitentia fructum percipere finit. Nam cum quibusdam recta atque aperta via perniciem afferre nequit, alteram viam inir, sicque se comparat, ut labores quidem augeat, fructus autem adiuet, ipsisque hoc persuadeat, ut tanquam omni ex parte officio perfuncti, reliqua negligant. Quocirca ne incassum nos ipsos vexemus, breuem ad huiusmodi mulieres orationem habeamus. Mulierum enim potissimum hic morbus est. Præclarum quidem hoc quoque est, quod nunc facitis, hoc est ieiunare, & humi cubare, ac cinerem adhibere: sed nisi alia insuper accesserint, nulla hinc vtilitas cõsequetur. Ostendit Deus quo pacto peccata remittat. Quid igitur relicta hac via alteram vobis sternitis? Peccarunt quondam Ninivitæ, eaque fecerunt, quæ vos quoque nunc facitis: sed videamus quidnam fuerit quod ipsis vtilitatem attulerit. Quemadmodum enim medici ægrotis multa quidem remedia adhibent: sed qui sagaci ingenio est, non hoc perpendit, quod hoc atque illo medicamento vsus sit is qui aduersa valetudine laborat, sed quam vtilitatem hinc sit cõsecutus: eodem modo hic etiam res expendenda est. Quidnam igitur barbaris illis vtilitati atque emolumento fuit? Vulneribus suis ieiunium adhibuerunt, & quidem graue. Adiunxerunt etiam vitæ mutationem. Videamus igitur quidnam horum sanitate ipsis attulerit. Vnde autem hoc sciemus, inquit? Si ad medicum accedamus, atque ipsum interrogemus. Neque enim id nos celabit: imò etiam libenter dicet. Quin potius ne quis ignoret, aut sciscitari necesse habeat, pharmacum quoque, quod eos crexit, literarum monumentis mandauit. Quodnam igitur istud est? Vidit, inquit, Deus quod conuersus est vnusquisque à via sua praua: & pœnituit eum malorum quæ locutus fuerat ut faceret eis. Non dixit, Vidit ieiunium & cilicium, ac cinerem. Nec tamen hæc eò dico, ut ieiunium tollam (auertat hoc Deus) sed ut vos ad id, quod ieiunio præstantius est, faciendum hortor, hoc est ut ab omni vitio abstineatis. Peccauit etiam Dauid. Videamus igitur quo pacto hic quoque pœnitentiam ege-

Falsa pœnitentia.

Diaboli fraus.

Simile.

Ion. 3.

rit. Tres totos dies in cinere sedit. At ille quidem non ob peccatum fecit, sed filij causa, calamitate nimirum adhuc temulentus: peccatum autem alio modo absterit, nempe per humilitatem, per cordis contritionem, per animæ compunctionem, dum etiam illud cauet, ne in eadem relabatur, dum peccati nunquam memoriam abiicit, dum irruentes omnes acerbitates grato animo fert, dum iis, à quibus molestia afficitur, parcit, dum eos, qui ipsi insidias parant, non vlsciscitur, imò eos, qui id facere cupiunt, prohibet. Nam cum Semei cum innumeris probris obrueret, ac militarium copiarum præfectus, qui tum aderat, id indigno animo ferret, dicebat, Sine illum mihi maledicere: Deus enim hoc ei præcepit. Cor quippe contritum & humiliatum habebat, quod ipsius peccata maximè abstergebat. Nam in hoc demum confessio, in hoc pœnitentia posita est. Quod si ieiunantes arrogantiam laboremus, non modò nullum hinc emolumentum, sed etiam detrimentum capiemus. Quamobrem tu quoque cor tuum demitte, ut Deum allicias. Prope enim est his qui tribulato sunt corde. An non vides quemadmodum in splendidis ædibus, ij, qui dedecore atque ignominia affecti sunt, cum etiam ab infimis quibusque seruis contumeliam accipiunt, non tamen colluctentur, sed ob infamiam eam, quam peccatum ipsis inussit, æquo animo id ferant? Cura igitur ut idem quoque facias. Si quis te conuictus infectetur, ne exaspereris, sed ingemiscas, non ob illatam tibi contumeliam, sed ob peccatum quod te in ignominiam coniecit. Cum peccaueris ingemisce: non quòd pœnas daturus sis (nihil enim hoc est) sed quòd dominum tuum offenderis, tam benignum, tam te amantem, tam denique saluti tuæ appensum, ut filium quoque suum tua causa tradiderit. Ingemisce igitur, neque vnquam id facere intermitte. Etenim hoc demum est confessio. Non nunc lætum, cras autem mortuum, ac rursus lætum te præbe. Verum perpetuo in luctu ac tui contritione mane. Beati enim, inquit, qui lugent, hoc est, qui assidue hoc faciunt. Itaque sic te compara, ut semper hoc facias, tibi que ipsi animum intendas, ac peccus tuum conteras, non secus ac si quis amisso filio vnice charo in luctu versetur. Scindite etenim, inquit, corda vestra, & non vestimenta vestra. Porro, quod fractum est, haudquaquam se in altu extulerit: quod contritum est, haudquaquam exurrexerit. Ob eamque causam alter ait, Scindite: alter autem, Cor contritum & humiliatum Deus non despiciet. Quantumuis sapiens sis, quantumuis diues, quantumuis princeps, peccus tamen scinde, nec ipsum altè de se sentire, atque inflari sine. Nam quod scissum est, non inflatur: atque ut etiam aliquid sit à quo extollatur, tamen quia scissum est, inflationem ferre nequit. Ad eundem modum tu quoque modestiæ atque animi summissioni stude. Illud tibi in mentem veniat, Publicanum ob vnum duntaxat verbum iustitiæ laudem consecutum fuisse. Quamquam ne modestia quidem erat illa, sed vera confessio. Quod si hoc tamè tantam vim habet, quantò quæso maiore habitura est animi modestia. Iis, qui in te deliquerint, peccata remitte. Nam hinc quoque peccata remittuntur. Ac de priori quidem ait, Vidi quòd ambulauerit tristis: & sanauit vias eius. Et in Achab istud Dei iram sustulit. De posteriore autem, Dimittite, & dimittetur vobis. Est etiam alia via, hoc pharmacum nobis ferens, scelerum condemnatio. Dic enim tu prior iniquitates tuas, inquit, ut iustificeris. Illud item peccata delet, si calamitate affectus gratias agas. Ac demum id præstat, ea quæ omnibus antecellit, elemosyna. Numerata igitur remedia,

Luc. 18.

Esa. 1.

Ce. 1.

Luc. 18.

Indi.

Sup. 1.

Luc. 18.

Luc. 6.

Consi. 1.

Esa. 41.

Consi. 1.

Esa. 41.

media, quibus vulnera tua sanantur: atque omnia continenter impone, humilitatem nempe, confessionem, iniuriarum obliuionem, gratiarum actionem in rebus aduersis & incommodis, misericordiam in iuandis tam pecunia quam studio atque officio, proximis, firmas denique ac robustas preces. Sic vidua illa immanis illius & crudelis iudicis animum mitigauit. Quòd si illa, iniquum, quantò magis tu mansuetum ac facilem? Est & alia præter eas, quas commemorauimus, via, nempe iis, qui iniuria afficiuntur, præsidio esse. Iudicate enim pupillo, inquit, & viduam iustificate: & venite, & disputemus. Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi niuem ea dealbabo. Quamnam porrò excusatione digni erimus, si cum tot vias habeamus nos in cœlum subuehentes, cum tot pharmaca, quæ etiam post baptismum vulneribus medeantur, in iisdem tamen vitæ studiis perseueremus? Quamobrem ne quæso perseueremus, verum ij quidem, qui nondum lapsi sunt, in sua pulchritudine perstent, vel, ut rectius dicam, eam magis ac magis excolant. (Nam ut etiam præclara hæc officia peccata nulla reperiant, cumulationem certè pulchritudinem reddunt) nos verò, qui peccata multa perpetravimus, ad correctionem, ea, quæ diximus, adhibeamus: ut ad Christi tribunal cum magna fiducia adstemus, cuius vtinam nos omnes participes simus, per gratiam, & benignitatem eiusdem Domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri, & Spiritui sancto, sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA V.

V M autem venissem Troadem propter Euangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino, non habui requiem spiritui meo, eò quod non inuenerim Titum fratrem meum.

Hæc quidem verba parum digna Paulo esse videntur, nempe quòd ob fratris absentiam tantam salutis afferendæ occasione oblatam abiecerit. Ac præterea videntur ista non satis cum superioribus coherere. Quid igitur placet? An ut prius ostendam, eum nihil seipso indignum dixisse? An quòd orationis feris pulchrè quadret? Meo quidem iudicio satius fuerit, posterius priore loco demonstrare. Hac enim ratione alterum quoque facilius ac dilucidius fuerit. Quomam igitur pacto hæc cum superioribus cohereret? Illa ipsa in memoriam redigamus, atque ita istud intellegemus. Quamnam igitur illa erant? Nimirum quæ initio dicebat, Nolo vos ignorare de tribulatione quæ facta est mihi in Asia, quoniam supra modum grauati sumus supra virtutem. Postea autem vbi ostendit quomam modo liberatus sit, eaque, quæ in medio sunt, interiecit, necessariò rursus docet se alio quoque modo afflictum fuisse. Qui tandem istud? Quòd Titum non inuenerit. Etenim istud quidem per se quoque graue est, atque ad consternandum animum magnam vim habens, nempe tentationes subire: at cum deest qui consoletur, sarcinamque vnà sufferre queat, tum demum ingrauescit tempestas. Titus porrò ipse est, quem infra ab illis ad se venisse refert, & de quo multas ac præclaras laudes recenset, quemque à se missum esse dicebat. Quamobrem, ut ostendat se ipsorum causa hanc quoque afflictionem subiisse, his verbis vsus est. Quòd itaque hæc verba pulchrè cum superioribus cohererent, hinc perspicue patet. Quòd autem ne Paulo quidem indigna sint, id quoque planum facere conabor. Neque enim hoc dicit, quòd Titi absentia, eorum, qui ad fidem accessuri erant, saluti moram attulerit, nec quòd propterea eos, qui fidem susceperant, contempserit, sed quòd requiem non habuerit, hoc

Chrysost. tom. 4.

est ob fratris absentiam in afflictione ac dolore versatus sit, (hinc nimirum ostendens, quanti momenti sit fratris absentia) atque ob eam causam illinc excesserit. Quid autem hæc verba sibi volunt, Cum venissem Troadem propter Euangelium? Non, inquit, temerè eò profectus sum, sed ut prædicarem. Et tamen licet ea de causa eò me contulisset, ac maximum opus perissem (ostium enim, inquit, mihi apertum esset in Domino) non habui requiem: tamen non propterea opus impeditum fuerit. Qui fit igitur ut dicat, valescens eis, abij? hoc est, præ animi angustia ac dolore non diuturno tempore illic moratus sum. Ac fortasse etiam illius absentia negotio moram atque impedimentum afferebat. Hoc porrò non parua quoque consolationi ipsis erat. Nam si, cum fores illic apertæ essent, atque ob eam causam venisset, tamen quoniam fratrem non inuenit, confestim abscessit, multò æquius est, inquit, vos negotium angustius ac necessitatibus ignoscere, quæ nos quaqua uersum agunt, ac circumagunt, nec ad eos, quos volumus, arbitrato nostro proficisci, aut diutius apud eos morari sinunt. Vnde etiam, ut supra Spiritui, ita hic quoque Deo peregrinationes suas ascribens, hæc verba subiungit: Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu, & bonum odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco. Etenim ne tanquam lugens hæc deplorare videatur, gratias Deo agit. Quod autem ait, hunc sensum habet: vbique afflictio, vbique anxietas. Veni in Asiam: grauatus sum supra vires. Veni Troadem: fratrem non inueni. Ad vos non veni: hoc quoque non paruam, imò perquam ingentem molestiam mihi attulit. Illudque præterea, quòd multi apud vos peccauerint, eaque mihi, cur vos minimè viderem, causa fuerit. Parcens enim vobis non vltra veni Corinthum, inquit. Quare ne hæc per deplorationem dicere videretur, subdit, Non modo non dolemus in hisce tribulationibus, sed etiam gaudemus: quòd quæ maius est, non modò propter futura præmia, sed etiam ob præsentia. Siquidem hic quoque ob eam causam clari atque illustres sumus. Quocirca tantum abest ut luctu afficiamur, ut etiam triumphum rem istam appellemus, atque ob ea, quæ cõtinent, gloriamur. Eoque nomine dicebat, Gratias autem Deo, qui semper triumphat nos, hoc est, qui nos semper illustres ac splendidos reddit. Nam quòd dedecoris speciem habet, nimirum quouis tempore vexari, atque exagitari, hoc nos summo honori ducimus. Ob idque non dixit, Qui nos conspicuos reddit: sed, qui triumphat. Qua voce hoc indicat, huiusmodi perfectiones vbique terrarum perpetua aduersus diabolium trophæa erigere. Deinde vnà cum eo, qui triumphat, causam etiam afferens, hinc quoque auditoris animum erigit. Non enim, inquit, à Deo tantum in triumphum agimur, sed etiam in Christo, hoc est propter Christum ac prædicationem. Nam cum triumphare opus sit, omnino nos quoque, qui trophæum ferimus, conspicuos esse necesse est, quando quidem ipsum gestamus. Ob idque clari ac celebres sumus. Et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco. Superius dixit, triumphat nos: hic, in omni loco, inquit: illud nimirum indicans, nec locum, nec tempus vllum esse, quod non Apostolicis certaminibus impletum sit. Atque altera rursus metaphora vitur, à suauis odore ducta. Ut enim qui vnquentum gestant, inquit, sic cunctis ipsi conspicui sumus: per pretiosum vnquentum, Dei cognitionem vocans. Nec dixit, Notitiam, sed, odorem notitiæ. Eiusmodi enim est præsens cognitio, hoc est non admodum perspicua & referata. Ob idque in priore epistola dicebat, Videmus nunc per speculum in ænigmate. Atque hoc loco odorem id vocat. Porrò qui odorem sensit, illud quidem

Simile.

1. Cor. 13.

Simile.

nouit, vnguentum alicubi conditum esse: at cuiusmodi naturæ, non item, nisi prius id perspectum habuerit. Eodem modo nos quoque, quod sit Deus, scimus: quidnam autem natura sit non item. Itaque tanquam thuribulum regium sumus, cœleste vnguentum, ac spiritualem fragrantiam, quoquo gentium pergamus, redolentes. Hæc autem eò dicebat, partim vt Evangelicæ prædicationis vim demonstraret (nempe quod per eos, à quibus insidiæ ipsi compararentur, magis elucere, dum videlicet eorum persecutores hoc facerent, vt vniuersus orbis, tum eorum trophæa, tum odoris suauitatem exploratam haberet) partim etiam vt eos ad omnes afflictiones & tentationes forti animo perferendas cohortaretur: quippe cum etiam ante cœleste præmium eiusmodi gloriam perciperent, quæ nullis verbis explicari posset. *Quia Christi bonus odor sumus in iis qui salui sunt, & in iis qui pereunt.* Siue enim quis salutem consequatur, inquit, siue pereat, Evangelio semper virtus sua constat. Et quemadmodum Sol, licet infirmis oculis tenebras offundat, lumen tamen est, etiam si obscuritatem afferens; ac mel, etiam si ægrotis amarum sit, suapte tamen natura dulce est: eodem quoque modo Evangelium suauis odore præditum est, etiam si nonnulli pereant, infidelitate laborantes. Neque enim illud exitij causa est: sed eorum peruersitas. Quin hinc quoque vel maximè ipsius suauitas perspicitur, quod qui improbi ac corrupti sunt, pereant. Ac proinde non modò per bonorum salutem, sed etiam per improborum interitum ipsius virtus declaratur. Nam & Sol, quia perquam clarus est, ea re potissimum infirmorum oculos perstringit. Ac Saluator in multorum ruinam & resurrectionem est: & tamen Saluator manet, quamlibet innumeris cadat. Atque ipsius præsentia grauius iis, qui à suscipienda fide abhorruerunt, cruciatus accersit, non tamen propterea salutaris esse desinit. Eòque nomine Paulus ait, *Deo bonus odor sumus.* hoc est, *Quamlibet nonnulli pereant, interim tamen id esse perferamus, quod sumus.* Nec absolutè dixit, *bonus odor sumus: sed, Deo.* Porro cum Deo bonus odor sumus, atque ille hæc calculo suo comprobet, quis iam erit qui contradicat? Quin hæc verba, *Christi bonus odor sumus,* mihi duplici modo exponi posse videntur. Aut enim hoc ait, quod seipsum tanquam victimam offerrent, dum mortem oppeterent: vel, quod necis Christi bonus odor sumus: perinde ac si quis dicat, Huiusce victimæ bonus odor est hic suffitus. Aut igitur hoc significat boni odoris vocabulum, aut, quod ante dixi, nimirum quod quotidie Christi causa maectetur. Vides quo tentationes subuexerit, cum triumphum cas, & odorem, oblatumque Deo sacrificium appellat? Deinde postquam dixit, *Bonus odor sumus in iis qui pereunt,* ne hoc existimes illos quoque Deo gratos & acceptos esse, subiunxit, *aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.* Hæc enim fragrantiam quidam ita suscipiunt, vt salui fiant: quidam rursus ita, vt pereant. Itaque etiam si pereat aliquis, ipse in culpa est. Nam & fues vnguento suffocari dicuntur: & lumen, vt antea dixi, infirmis oculis tenebras offundit. Atque huiusmodi bonorum natura est, vt non ea tantum, quæ ipsis familiaria sunt, fiant, sed etiam contraria perdant. Hincque vel maximè vis eorum ac potentia declaratur. Siquidem & ignis, non solum cum illuminat, aut cum aurum purgat, sed etiam cum spinas absumit, vim suam maximè indicat, atque hæc ratione ignem se esse demonstrat. Eodem modo Christus hinc quoque maiestatis suæ specimen edit, cum oris sui spiritu Antichristum opprimit, ac per aduentum præsentis suæ de medio tollit. *Et ad hæc quis idoneus?* Quoniam magnificentius aliquantò locutus

Simile.

Simile.

Luc. 2.

Simile.

fuisse videbatur, nempe, Christi sacrificium, ac bonus odor sumus, atque vbique triumphamus, rursus moderatione vitur, Deo cuncta assignans. Ob idque ait, *Et ad hæc quis idoneus?* Hoc enim totum Christi est, inquit, nihil est quod nobis arrogemus. Vides quoniam pacto, contra ac pseudapostoli, loquatur? Etenim illi gloriabantur, perinde ac si ad prædicationem aliquid à se afferrent: hic autem eo nomine se gloriari ait, quod nihil ipsius sit. Gloria enim nostra hæc est, inquit, testimonium conscientie nostræ, quoniam non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus in mundo. Ob cuius rei, hoc est externæ, adeptionem, gloriantur sibi illi existimabant, de huius rei sublacione hic gloriatur. Vnde etiam hoc loco ait, *Et ad hæc quis idoneus?* Quod si minimè idonei sumus, gratiæ profectio id est quod geritur. *Non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei.* Nam etsi magna quædam proloquimur; tamen nihil nostra industria confectum fuisse, sed omnia Christi esse diximus. Neque enim pseudapostolos imitabimur, qui pleræque sua esse dicunt. Hoc enim est cauponari, cum quis vinum adulterat: cum quis pecunia id vendit, quod gratis dare debebat. Hoc enim loco, & de quæstu eos lepidè perstringere videtur, & rursus, id quod dixi, significare, nempe quod sua illi diuinis admisceant. Quod etiam Esaias in hæc verba obiciebat, *Caupones tui vinum aqua miscent.* Nam etsi de vino hoc dictum sit, non tamen aberrat, qui doctrina hoc quoque intellexerit. At non nos, inquit, ad hunc modum: sed qualia nostræ fidei commissia sunt, talia quoque ea præbemus, doctrinam meram propinantes. Vnde subiunxit, *Sed ex sinceritate tanquam ex Deo, coram Deo in Christo loquimur.* Non vt vobis imposturam faciamus ita prædicamus, inquit, tanquam vobis gratificantes, aut tanquam à nobis aliquid afferentes, atque admiscentes, sed tanquam ex Deo, nempe minimè gloriari tanquam aliquid proprium habeamus, sed omnia ad Deum referre. *In Christo loquimur,* id est, Haudquaquam nostra sapientia & eruditione, sed illius potentia affliti. Qui autem gloriatur, non ad hunc modum se gerunt, verum perinde ac si aliquid à seipsis afferant. Vnde etiam eos alio loco his verbis traducit: *Quid enim habes, quod non acceperis? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Hæc porro maxima virtus est, omnia Deo ascribere, nihil suum esse ducere, nihil suæ gloriæ causa facere, sed ad Dei voluntatem perpetuò intentam oculorum aciem habere. Hic enim est, qui vitæ actæ rationes exacturus est. Nunc verò rei ordo inuersus est: atque illum quidem qui pro tribunali sessurus, ac rationes repetiturus est, non valde metuimus: eos autem, qui nobiscum stabunt, ac iudicium subituri sunt, expauescimus.

MORALE.

Dei metum semper ob oculos habendum esse.

VNDE igitur hic morbus? vnde in nostras animas inuasit? Hinc nimirum, quod non assidue res illas animo volutemus, sed præsentibus affixi teneamur. Hinc fit, vt & in exitiosas actiones facilè prolabamur, & si quid boni agimus, ostentationis causa faciamus, atque id quoque in detrimentum nobis cedat. Siquidem vidit fortasse quispiam impudicis oculis mulierem, nec id, aut mulier quæ conspecta est, aut ij, qui vnà gradiebantur, fenserunt: verum oculum illum impudicè minime fugit. Nam ille, prius etiam quam peccatum admissum esset, impudicam animam, & internum furorem, & cogitationes in tempestate ac procella subinde sese conuolutes perspexit. Neque enim testibus & coniecturis ille opus habet, cui omnia explorata sunt.

677

sunt. Quocirca ne oculos ad conseruos tuos conuertas. Nam etiam si homo laudet, nihil tamen hoc prodest, cum Deus non approbat, nec si condemnet homo, quicquam hinc detrimenti redit, cum Deus non condemnat. Quò magis tibi prouidendum est, ne hac quoque ratione iudicem ad iracundiam cõcites, dum conseruorum quidem magnam rationem habes, ipso autem indignante, nec metu nec tremore afficeris. Quare, laudem eam, quæ ab hominibus proficiscitur, contemnamus. Quousque tandem viles & abiecti erimus? Quousque, Deo ad cœlum nos attollente, ipsi humi serpere contendemus? Fratres Iosephi, si Dei timorem ante oculos habuissent, vt habere par erat, non captum in solitudine fratrem interemissent. Cain rursus, si sententiam ipsius, vt par erat, extimuisset, non dixisset, *Veni & egrediamur in agrum.* Quid enim, o miser, & calamitose, à patre ipsum distrahis, atque in campum abducis? An non Deus etiam in campo facinus tuum cernit? An non ab iis, quæ patri tuo acciderunt, didicisti, quòd omnia norit, atque omnibus, quæ sunt, intersit? Quid autem causæ est, cur non ad eum scelus insipientem ita locutus sit, mène celas, qui vbique adsum, & arcana noui? Quia nondum ille hæc rectè ac sapienter percipere poterat. Quid autem ait? *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me.* Non quod sanguis vocem habeat: sed eodem modo, quo de perspicuis ac manifestis dicere solemus, res clamat. Ac proinde Dei sententiam ob oculos semper habere opus est: moxque omnes rerum acerbitates extinctæ erunt. Ad eundem modum in precibus quoque vigilantem animum præstare possumus, si, quem alloquamur, cogitemus; si illum reputemus, nos sacrificium offerre, gladiumque in manibus, ignem ac ligna habere, si cœli portas per cogitationem referemus, si illum migremus, acceptumque Spiritus gladium in victimæ iugulo defigamus, ipsique vigilantiam immolemus, ac lacrymas effundamus. Hic enim huius victimæ sanguis est. Tali altare illud cæde tingitur. Ne igitur sinas quicquam humanarum cogitationum animam tuam occupare. Subeat in mentem, Abrahamum, cum sacrificium offerret, non vxori, non seruo, non alij cuiquam, vt adesset, permisisse. Eodem modo tu quoque minimè sinas vt seruilis vllus & illiberalis affectus tibi adsit: sed solus in montem ascende, ad quem ille ascendit, & ad quem nefas est alium quenquam ascendere. Quòd si quæ huiusmodi cogitationes vnà ascendere conentur, impera eis cum auctoritate, ac dic, *Sedete hic, ego autem & filius,* postquam adorauerimus, reuertemur: atque afina & pueris, & si quid brutum ac stolidum est, humi relictis, si quid ratione præditum est, accipe atque ascende, quemadmodum ille assumpsit Isaac. Quin altare quoque, perinde vt ille, extrue, tanquam humani nihil habens, atque extra naturam raptus, quandoquidem & ille, nisi à natura excessisset, filium haudquaquam iugulasset. Nec quicquam tum te inturbet, sed supra ipsos etiam cœlos asurge. Acerbe ingemisce, confessionem maeta. Maeta contritionem cordis. Hæc victimæ non in cinerem desinunt, nec in fumum dilabuntur, nec lignis & igne opus habent: sed duntaxat animo compuncto. Hoc ligna, hoc ignis est, vrens illa, sed non perurens. Nam qui feruenter orat, vritur quidem, at non perurit: verum quemadmodum aurum, quod igne exploratur, splendidius efficitur. Ad hæc illud caue, ne vllum in oratione verbum emittas, quod dominum iritet, vel in hostium tuorum perniciem ipsum adeas. Nam si vel hostes habere, probro non caret, cogita quantum malum sit aduersus eos orare? Pro eo atque oportebat veniam petere quòd hostes habeas, tu contra eos quoque

Gen. 37.

Ibid. 4.

Gen. 22.

Chrysof. tom. 4.

accusas. Et quam tandem veniam obtinere queas, cum eo quoque tempore aliis obtrectes, quo ingenti ipse misericordia opus habes? Etenim eò accessisti, vt pro tuis peccatis orares. Ne igitur alienorum peccatorum recorderis: ne alioqui tuorum ipse memoriam refrices. Nam si dixeris, Hostem percutis, os tuum obstruxisti: iam linguæ fiduciam præcidisti. Primum nempe, quia ab ipso statim initio dominum ad iracundiam incitasti: deinde quia contraria postulas, quam oratio ferat. Nam si pro peccatorum remissione Deum conuenis, qui sit, vt pro supplicio verba facias? Quin contra potius faciendum erat, nimirum vt pro ipsis quoque preces funderes, quòd pro te quoque cum fiducia obsecreres. Nunc verò iudicis sententiam per tuam occupasti, dum petis vt de peccantibus supplicium sumat: quod quidem omnem tibi veniam adimit. Contra si pro ipsis orandum duxeris, etiam si pro peccatis tuis nullum verbū feceris, tamen totam confecisti. Cogita quoniam in lege sacrificia sint: sacrificium laudis, sacrificium confessionis, sacrificium salutaris, sacrificium purgationum, ac sexcenta alia. Atque interim nullum est aduersus inimicos: sed pro propriis peccatis aut etiam rectè factis. Num enim alium Deum adis? An non ad illum accedis, qui dixit, *orate pro inimicis vestris?* Quoniam igitur modo aduersus illos clamitas? Quoniam modo Deum, vt legem suam infringat, rogas? A supplicis persona istud alienum est. Nemo supplicat vt alius pereat, sed vt ipse salutem consequatur. Quid igitur supplicis quidem personam geris, interim tamen accusatoris verba habes? Ac quidem cum pro nobis ipsi oramus, scabimus nos, & oscitamus, & in sexcentas cogitationes labimur: cum autem aduersus inimicos, attenti ac vigilantes hoc facimus. Quoniam enim diabolus illud exploratum habet, quòd in nostrum ipsum metus peccatum gladium impellimus, idcirco tum nos minimè distrahit, atque auocat, quòd videlicet hac ratione maiorem nobis perniciem afferat. At, inquis, læsus sum, & affligor. Ergo aduersus diabolum ora, qui omnium maximè nos iniuria afficit. Hoc etiam dicere præcipis, libera nos à malo. Nimirum enim ille implacabilis hostis est. At homo, quicquid tibi faciat, amicus ac frater est. Quocirca omnes aduersus illum irascamur, aduersus eum Deum obsecremus, dicentes, *Contere Satanam sub pedibus nostris.* Ille enim inimicos quoque nobis parit. Quòd si aduersus inimicos preceris, id precaris, quod ipse quoque in votis habet: quemadmodum videlicet, si pro inimicis, aduersus eum precaris. Quid igitur relicto vero hoste membra tua mordes, atque hac ratione feris etiam ipsis, atrociorum & immaniorum te præbes? At, inquis, contumeliam mihi intulit, ac bona ademit. Et quem tandem luctu prosequi conuenit, eumne qui iniuriam accepit, an qui intulit? Hunc profectò, quia pecunias lucratus, à Dei beneuolentia seipsum exclusit, pluræque perdidit quam accepit: ac proinde ipse est qui læsus est. Ob idque non aduersus eum, sed pro eo potius orandum est, vt Deus propitium ac placidum se illi præbeat. Vide quot calamitatibus affecti sint tres pueri, cum tamen nihil mali admisissent. Patria & libertate exciderant, captiui abducti, ac serui effecti, atque in alienam ac barbaram regionem abstracti fuerant, frustra quoque ac temerè propter insomnium obtruncandi erant. Quid igitur vnà cum Daniele ingressi, quid inquam orarunt? Quod dixerunt? Contere Nabuchodonosor: ipsius diademata concurre: eò regio solio eum deturba? Nihil omnino eiusmodi: verum Dei misericordiam implorabant. Et cum in fornace essent, eodem modo se gesserunt. At vos non perinde: sed longè quam illi minoribus calamitatibus affecti,

Math. 5.]

Math. 6.

Dan. 1. & seq.

Y ij

acplerunq̄ue meritò, sexcenta tamen mala imprecari a minimè definitis. Atque alius quidem sic loquitur, Prosterne inimicum, velut Pharaonis curram demersisti. Alius, Carnem illius feri. Alius rursus, Redde illi in filios. An non huiusmodi verba agnoscitis? Vnde igitur nobis hic risus? Vides quàm ridicula hæc sint, cum citra animi perturbationem dicuntur? Et sanè peccatum omne, tum denique, quàm foedum sit, patet, cum ab eo, qui id admittit, affectum detraxeris. Si ei, qui ira inflammatus fuerit, in memoriam ea verba redigas, quæ flagrante iracundia protulit, erubescet, & seipsum iridebit, ac mille mala perpeti, quàm verba illa audire mallet. Si impudicum, hominem post coitum ad mulierem eam, cui stuprum obrulit, adduxeris, hinc quoque, vt sceleratam & execrandam, ipsam auersabitur. Eodem modo vos quoque, cum ab hoc affectu liberi estis, huiusmodi verba ridetis: quemadmodum sanè ridicula ea sunt, ac temulentis vetulis digna, muliebrique animi imbecillitate. Quin etiam Ioseph, licet venditus ac seruus effectus, atque in vincula coniectus, ne sic quidem tamen acerbum aduersus eos, à quibus læsus fuerat, verbum emisit. Sed quid ait? Furtim sublatus sum de terra Hebræorum: nec addit, à quo. Pudet enim eum malorum fratrum, magis quàm eos ipsos, qui hæc perpetraverant. Eodem modo nos quoque affici conuenit, vt pro iis, qui nobis iniuriam inferunt, vehementius angamur, quàm illi ipsimet. Detrimentum enim ad illos redundat. Quemadmodum enim qui clauos calcibus impetunt, còque nomine gloriàtur, huiusmodi furoris ergò commiseratione ac lacrymis digni sunt: eodem modo qui eos lædunt, à quibus nihil iniuriæ acceperunt, multis lamètis ac fletibus potiùs, quàm execrationibus digni sunt, vt qui suas ipsimet animas feriant. Neque enim quicquam sceleratius est anima malum imprecante, nec impurius lingua, huiusmodi sacrificia offerente. Homo es: ne apudum virus euomas. Homo es: ne in belluam degeneres. Ob eam causam os tibi datum est, non vt mordeas, sed vt aliorum vulneribus medearis. Recordare quid tibi præceperim, inquit Deus, remittere nempe ac condonare. Tu verò mecum etiam agis, ac me obsecras, vt socium me tibi ad euertenda præcepta mea adiungam: ac fratrem corrodis, & linguam cruentas, non secus ac furiosi propriis carnibus dentes cruore perfundunt. Quanta diabolus voluptate affici, quanto risu diffundi existimas, cum eiusmodi preces audit? Quàm contrà Deum irasci, teque auersari, ac odisse, cum talia rogas? Quo quid grauius esse queat? Nam si nefas est eum ad mysteria accedere, qui inimicos habet, an non is, qui non tantum hostem habet, sed etiam pestem ei imprecatur, ab ipso quoque templi ambitu arcendus est? Hæc igitur cogitantes, atque huius sacrificij causam agnoscetes, nempe quòd pro hostibus maclatus Christus sit, id demus operam, vt ne inimicum quidem habeamus, ac si habeamus, pro illo precemur: vt nos quoque peccatorum nostrorum veniam consecuti, cum fiducia tribunali Christi astemus, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VI.

CAP. III.



INCIPIMVS iterum nosmetipsos commendare? Aut nunquid egemus, sicut quidam, commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis? Quod futurum erat, vt ipsi ab aliis obiceretur, nempe quòd seipsum attolleret, hoc ipse anteuertens posuit: quamuis etiam alioqui tanta præmolitione antè vltus fuisset, ac dixisset, Et ad hæc quis idoneus est? Et, Ex sinceritate loquimur. Sed tamen hæc ipsi minimè sufficiunt. Ea enim ipsius consuetudo est:

plurimumque ab eo distat, vt magni quippiam de se dicere videatur, vehementerque, atque incredibilem quendam in modum istud fugit. Tu verò hinc quoque singularem ipsius sapientiam animaduerte. Rem enim, quæ tristitia speciem habet, hoc est afflictiones, vt quæ adco amplificauit, ac luculentam & illustrem rem esse ostendit, vt ex his, quæ dixerat, hæc ei obiectio emergerit. Quod etiam ipsum ad epistolæ quoque calcem facit. Postquam enim innumera pericula, contumelias, anxietates, rerum angustias, ac cætera eiusmodi recensuit, hæc verba mox subiunxit, Non nos ipsos commendamus: sed occasionem vobis damus gloriandi. Atque istud quoque rursus illic vehementer, atque cum maiori consolatione ponit. Etenim hinc benevolentiam hæc verba sonant, aut nunquid egemus, sicut quidam commendatitiis epistolis? Illic autem necessariò sanè ac vtiliter spiritibus quibusdam plena sunt quæ dicit. Non enim, inquit, rursus nos commendamus: sed occasionem vobis damus gloriandi. Ac rursus: Putatis quòd vobis nos ipsos excutemus? Coram Deo in Christo loquimur. Timeo autem ne fortè cum venero, non quales volo inueniam vos: & ego inueniar à vobis qualem non vultis. Siquidem, ne adulationis opinionem subeat, vt qui honorem ab ipsis ambiat, his verbis vtitur, Timeo ne fortè cum venero, non quales volo inueniam vos: & ego inueniar à vobis qualem non vultis. Verum hæc quidem non sine multa reprehensione. At initio nõ ita: sed mitiori sermone vtitur. Quidnam autem his verbis sibi vult? De tentationibus ac periculis locutus est, quòdque vbiq̄ue à Deo triumphatur, atque orbis vniuersus hos triumphos nouit. Quoniam igitur magnifica quædam de se prolocutus erat, idcirco obiectioem sibi ipsemet struit, dicens, Incipimus iterum nos ipsos commendare? Quod autem ait, hunc sensum habet: fortasse quispiam hoc nobis obiecerit, Quid hoc est Paulus? Hæc de te loqueris, ac te ipsum effers? Hanc igitur obiectioem soluens, ait: Non hoc volumus, nempe nos ipsos iactare atque attollere: imò tantum abest vt commendatitiis ad vos epistolis opus habeamus, vt vos ipsi nobis epistolæ instar sitis. Nam epistola nostra vos estis, inquit. Quid est vos estis? Si commendatione apud alios opus mihi fuisset, vos epistolæ loco in medium produxissem. Quod & in priori epistola dicebat, Signaculum Apostolatus nostri vos estis. At hoc loco id non ita exprimit, sed per ironiam quandam, vt maiores aculeos orationi addat. Aut nunquid egemus commendatitiis epistolis? Atque Pseudapostolos innuens, subiicit, sicut quidam ad vos, aut ex vobis commendatitiis epistolis ad alios. Deinde quoniam graue erat, quòd dixerat, id mitigat, hæc verba subiungens, Epistola nostra vos estis scripta in cordibus nostris, que sciunt, & legitur ab omnibus hominibus: manifestati quòd epistola estis Christi. Hoc loco non solum amoris ac benevolentia, sed etiam probæ atque honestæ vitæ testimonium ipsis tribuit, quippe qui eiusmodi sint, vt magistri auctoritatem per virtutem suam demonstrare queant. Hoc enim significat quòd ait, Epistola nostra vos estis. Perinde videlicet ac si diceret: Id quòd litteræ fecissent, nempe vt nos commendarent, atque auctoritatem nobis conciliarent, hoc ipsi præstatis, dum homines vos vident, atque audiunt. Discipulorum enim virtus magistro plus ornamenti, atque commendationis affert, quàm vlla epistola. Scripta in cordibus nostris. Hoc est, quam omnes norunt. Adeo nimirum vos quoquo gentium circumferimus, atque animo versamus. Non secus ac si diceret: Nostra apud alios commendatio vos estis. Nunquam non enim in corde vos habemus, ac vestra rectè facta apud omnes prædicamus. Quo fit, vt non modò hoc nomi-

681

hoc nomine, quòd apud alios quoque commendationis instar nobis estis, epistolis vestris minimè indigemus: sed ob eam quoque causam commendatione nobis apud vos minimè opus est, quòd vos apprimè amem. Etenim ad ignotos quidem litteris quispiam opus habet: vos autem nobis in animo estis. Nec verò absolutè dixit, estis, sed inscripti. hoc est, nec mihi ex animo excidere potestis. Quemadmodum enim ex litteris, qui eas legunt, sic ex corde nostro, qui hoc norunt, nostram erga vos benevolentiam perspectam & exploratam habent. Quocirca si litterarum hoc munus est, vt ex his liqueat hinc aut illum mihi amicum ac patronum esse, ad id totum conficiendum satis superque est vestra erga me charitas. Nam siue ad vos proficiscamur, aliorum commendatione minimè indigemus, quòd videlicet amor erga me vester id muneris iam occuparit: siue ad alios, litteris rursus nihil nobis opus est, vtpote quibus eadem benevolentia earum loco satis superque fit. Circunferimus enim epistolam in cordibus nostris. Mox altiùs adhuc eos attollens, epistolam quoque Christi eos vocat, dicens, Manifestati quòd epistola estis Christi. Atque id locutus, occasionem hinc atque initium sumit legem expendendi. Atque etiam alio modo suam epistolam eos hoc loco esse ait. Superiùs enim eos idcirco epistolam appellabat, quòd ab ipsis commendaretur: hinc autem epistolam Christi eos vocat, vt qui Dei legem inscriptam haberent. Nam quæ Deus, cum omnibus aliis, tum vobis etiam nota & perspicua esse volebat, hæc in cordibus vestris inscripta sunt. Nos porrò ita vos comparauimus, vt litteras exciperetis. Quemadmodum enim Moses lapides & tabulas sculpsit: sic nos quoque animas vestras. Ob idque ait, Ministrata à nobis. At, dices: in hoc pari conditione erant. Nam & illæ à Deo conscriptæ erant, & hæc à Spiritu. Quanam ergo in re discrimen situm est? Scripta non atramento: sed Spiritu Dei uiuentis non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Quantum autem inter Spiritum & atramentum, atque inter lapideas & carnales tabulas interest, tantum etiam inter has & illas est discriminis: ac proinde inter eos quoque, qui his operam nauarunt, & eum, qui illis operam nauauit. Ob eamque causam, quia magnificè locutus fuerat, confestim seipsum carpit, dicens, Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum. Ac rursus totum id Deo ascribit. Hæc enim, inquit, Christi beneficio nobis contigerunt. Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis. Vide rursus alteram etiam præmunitionem. Siquidem hac virtute, hoc est humilitate, in primis Paulus excellit. Eoque fit, vt quoties de se ipso magnificè aliquid ait, nihil non studij adhibeat, vt id quouis modo mitiget ac molliat. Quod etiam hoc loco his verbis facit: Non quòd simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis. Hoc est, Non ita dixi, Fiduciam habemus, tanquam aliud nostrum sit, aliud Dei: sed totum istud Deo ascribo. Nostra enim sufficientia ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros noui Testamenti. Quid est idoneos nos fecit? Fecit vt huic muneri pares esse possimus, atque ad illud obeundum appositi. Paruum porrò hoc non est, nimirum tales tabulas, & epistolas, prioribus multò maiores ac præstantiores orbi attulisse. Vnde etiam subiunxit, Non littera, sed spiritus. En rursus aliud discrimen. Quid autem, dixerit fortasse aliquis, an non lex quoque illa spiritualis erat? Quomodo ergo ait, Scimus quòd lex spiritualis est? Spiritualis quidem erat: sed tamen Spiritum minimè præbebat. Non enim Moses Spiritum, sed litteras attulit. At contrà hoc nostræ fidei commissum est, vt Spiritum demus. Vnde etiam istud studiosè profequitur, dicens,

Chrysof. tom. 4.

Littera enim occidit, Spiritus autem viuificat. Hæc autem non temerè dixit, sed vt eos perfringeret, qui ob Iudaicas ceremonias magnificè de se sentiebant. Per litteram autem hoc loco legem intelligit, quæ peccantes supplicio afficiebat: per spiritum autem, gratiam Baptismi, qua iij, qui à peccato interempti sunt, ad vitam reuocantur. Postquam enim discrimen illud commemorauit, quòd inter vtriusque tabulæ naturam erat, non in eo hæret, sed vlteriùs progressus, hoc latius profequitur: qua videlicet ratione Auditorem magis capere poterat, nimirum ab vtilitate & facilitate. Neque enim laborem habet, inquit: & maiorem gratiam affert. Nam si de Christo loquens, ea potissimum ponit, quæ benignitatis ipsius potiùs, quàm nostri meriti sunt, quæque inter se deuincta sunt, multò magis hoc quoque necessariò facit, cum de Testamento verba facit. Quidnam igitur hæc verba significant, Littera occidit? Dixerat quidem in tabulis lapideis & cordibus carnis: verum nondum magnum quoddam discrimen proferre videbatur. Adiunxit itaque, quòd illa, littera aut atramento, hæc spiritu perscripta sit. Cum autem ne istud quidem eos admodum excitaret, deinceps iam hoc dicit, quòd vel pennas illis afferre queat, nempe, Littera occidit: Spiritus autem viuificat. Quidnam autem hoc est? In lege, is, qui peccatum habet, punitur. Hinc qui peccatum habet, accedens baptizatur, ac iustus efficitur. Iustus autem effectus, viuuit, vtpote peccati morte liberatus. Lex, si homicidam arripuerit, eum morte afficit: Gratia, si homicidam ceperit, illuminat ac viuificat. Quid autem homicidam dico? Lex eum, qui Sabbati die ligna collegerat, arreptum lapidibus obruit: (hoc enim est quòd ait, Littera occidit) Gratia contrà, sexcentos homicidas & latrones accipit, ac Baptismi aqua tinctos prioribus malis liberat. Hoc est, Spiritus viuificat. Illa eum, qui prehensus est, ex viuio mortuum reddit: hæc eum ex mortuo viuum efficit. Venite enim, inquit, ad me omnes qui laboratis & onerati estis: & non dixit, excrucio vos, sed, reficiam vos. Etenim in Baptismo peccata sepeliuntur, priora delentur, homo viuificatur, omnis denique gratia in ipsius pectore, tanquam in tabulis, inscribitur. Itaque reputes, velim, quanta Spiritus gratia sit, quippe cum ipsius tabulæ prioribus meliores ac potiores sint, atque ipsa etiam resurrectione præstantius aliquid ostendat. Nam & mors ea, à qua ipsa liberat, priore grauior est, & quidem tantò, quanto anima corpori præstat: atque ea vita, quam Spiritus impertit, per eam cõflatur. Quòd si hanc afferre potest, multò magis minorem. Illam etenim Prophetæ quoque contulerunt: hanc autem non perinde. Nemo enim, Deo vno excepto, peccata remittere potest. Quin ne illam quidem citra Spiritus opem præbebant Prophetæ. Nec verò hoc duntaxat mirum est, quòd viuificat: sed etiam idem faciendi potestatem aliis quoque præbuit. Accipite enim, inquit, Spiritum sanctum. Quid ita? An enim sine Spiritu non licebat? Licebat quidem, sed vt ostenderet Deus illum supremæ potentia & auctoritatis, ac regis illius essentia esse, eademque vim habere, his verbis vtitur. Ob eamque causam etiam subiungit. Quorum remisistis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.

MORALE.

Quanam vera vita existimanda sit.

QUANDO QUIDEM igitur nos vita donauit, viuentes maneamus, nec ad priorem mortem rursus redeamus. Christus enim nõ iam moritur. Quòd enim mortuus est, peccato mortuus est semel, nec vult semper nos gratiæ beneficio salutem consequi,

Y iij

Alioqui enim omnium rerum inanes futuri sumus. Ac proinde à nobis quoque aliquid conferri vult. Itaque hoc conferamus, vt animam viuentem conferuamus. Quidnam autem spiritus vita sit, à corpore disce. Etenim corpus tum demum viuere dicitur, cum recto quodam gressu incedit: at vbi dissolutum iacet, ac præposterè mouetur, etiamsi viuere, aut ambulare videatur, tamen quauis morte grauior est huiusmodi vita. Eodem modo si nihil sani loquatur, sed eorum, qui mentis emoti sunt, verbis vtatur, atque alia pro alijs cernat, rursus miserabilior est ille, quàm qui vitam cum morte commutarunt. Consimilem in modum anima quoque, cum nihil sani habet, etiamsi viuentis speciem præbeat, tamen mortua est: cum aurum non vt aurum, sed vt magnum aliquid ac pretiosum cernit, cum futura non cogitat, sed humi serpit ac volutatur, cum pro alijs alia facit. Vnde enim nos anima præditos esse constat? An non ex actionibus? Cum igitur suis ipsa muneribus non fungitur, an non mortua est? Verbi gratia, cum virtutis cura non tenetur, sed aliena rapit, ac flagitiosè viuut. Vnde enim queam dicere animam tibi inesse? An quòd ambules? At hoc bruti etiam habent. An quòd edas ac bibas? At hoc ferarum quoque est. An quòd recto corpore sis, ac duobus pedibus insistas? At hoc mihi potius indicat te belluam humana forma esse. Nam cum cætera eadem tibi cum bellua sint, erectio autem non item, nimirum hoc ipso vehementius me turbas ac perterrefacis, magisque portentum id esse existimo, quod cerno. Etenim si feram humana lingua loquentem cernerem, non propterea hominem esse dicerem: quin hoc ipso nomine potius feram, quauis alia fera prodigiosior. Vnde ergo mihi exploratum esse queat, humanam animam tibi inesse, cum vt asini calcitres, vt camelii memor sis iniuriarum, vt vrsi mordeas, vt lupi rapias, vt vulpes fureris, vt serpentes vafer ac fraudulentus sis, vt canis impudenter te geras? Vnde, inquam, te humana anima præditum esse intelligere queam? Vis tibi mortuam ac viuentem animam ostendam? Ad præscos illos viros sermonem conferamus, ac, si placet, diuitem illum, qui Lazari tempore erat, in medium proferamus: atque, quidnam tandem mors animæ sit, intelligemus. Etenim ille mortuam animam habebat: idque ex his, quæ faciebat, liquet. Eorum enim numerum, quæ animæ sunt, nullum exequiebatur: verum solummodo edebat ac bibebat, & voluptatibus operam dabat. Tales nunc etiam sunt, qui immisericordia & crudelitate laborant. Mortuam enim hi quoque animam habent, quemadmodum & ille. Vniuersus enim is calor, qui ab amore erga proximum manat, absumptus est, ipsaque magis quàm exanime corpus mortua est. At pauper non ita: sed in ipsa philosophiæ arce stans, elucebat. Et quamuis perpetua fame confictaretur, ac ne necessarius quidem cibus ipsi suppeteret: tamen ne sic quidem blasphemii quicquam aduersus Deum prolocutus est, sed omnia generoso animo tulit. Hoc porro non paruum animæ opus est, verum maximum, & sanitaris, & argumentum. Cum autem hæc desiderantur, liquet profectò hac de causa ea interiisse, quia anima mortua sit. Agè enim, an non mortuam animam illam esse dicemus, quam inuadit diabolus, feriens, lancinans, mordens, calcibus impetens, nec tamen ea quicquam horum sentit, sed mortua iacet, nec, cum ipsi opes suæ adimuntur, dolet: verum ille quidem insultat, hæc autem immobilis manet, nec instar corporis anima orbatu villo sensu afficitur? Nam cum Dei timor vnà cum cura ac diligentia non adest, talem eam esse necesse est, ac quous caduere miseriorem. Neque enim in saniam & ci-

Quæ anima mortua dicenda.

Luc. 16.

Auari & immisericordes, mortui sunt.

Anima timore Dei vacua, mortua est.

nerem ac puluerem, corporis in modum, anima dilabitur, sed in ea, quæ his foetidiora sunt: in ebrietatem, in iram, in auaritiã, in flagitiosos amores, ac præposterâs cupiditates. Quòd si ipsius foctorem certius intueri cupis, da mihi puram animam: ac tum perspicue cernes quàm foetida sit turpis illa & impura. Nunc enim id minimè perspicere poteris. Nam quandiu foctori assueti sumus, cum haudquaquam sentimus. At cum spiritualibus sermonibus alimur, tum denique, quantum malum illud sit, agnoscimus. Etiam si alioqui permultis hoc indifferens esse videatur. Ac de gehenna nondum loquor: sed si lubet præsentia expendamus, eumque, non dico qui turpia perpetrat, sed qui turpia loquitur, consideremus, quàm scilicet ridiculus sit, quàmque sese primum contumelia afficiat, atque, vt qui cœnum aliquod ex ore emittit, sic se ipse contaminet. Etenim si fluxio vsque adeo foeda atque impura est, cogita, quæso, qualis huius cœni scaturigo sit. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Ego verò non hoc tantum nomine lugeo: sed quòd apud nonnullos ne turpe quidem istud videatur. Atque hinc mala omnia incrementum capiunt, cum videlicet & peccamus, nectamen peccare nobis ipsis videmur. Visne igitur scire quantum malum sit turpia loqui? Animaduerte quemadmodum eos, qui te audiunt, obscœnitatis tuæ pudeat. Quid enim vilius, quid contemptius homine turpia proloquète? Nam qui tales sunt, in histrionum classem, atque in prostitutæ pudicitie mulierum ordinem sese contrudunt. Imò etiam plus illis, quàm vobis, pudoris inest. Quoniam autem modo vxorem ad pudicitiam erudire queas, cum per huiusmodi verba eam ad libidinem instituas? Præstat sanicm ex ore emittere, quàm verbum obscœnum. Ac nunc, si focteat os, ne ad communes quidem cibos admitteris: cum autem anima vsque adeo focteat, heus tu, mysteria percipere non dubitas? Ac si quidem aliquis vas impurum acciperet, atque in mensa tua collocaret, fustibus quoque cæsum illum exigeres: tu verò Deum, cum in ipsius mensa (mensa enim ipsius, os nostrum est, cum gratiarum actione plenum est) quouis impuro vase foctiora & execrabiliora verba profers, quæso te, non cum ad iracundiam abs te prouocari putas? Et qui aliter fieri queat? Nihil enim æquè sanctum illum ac purum exacerbatur, vt verba hæc. Nihil ita temerarios & impudentes homines reddit, vt huiusmodi verba loqui, & audire. Nihil æquè pudicitie neruos infringit, vt flamma, quæ per ea excitatur. Deus vnguetum ori tuo imposuit: tu verò caduere foctiora verba in eo recondis, atque animam ipsam obruncas, & immobilem reddis. Etenim cum aliquem contumelia afficis, hoc non animæ, sed iracundiæ vox est. Cum obscœna loqueris, non illa, sed libido locuta est: cum obtrectas, inuidia: cum insidias struis, auaritia. Hæc enim non animæ sunt, sed perturbationum ipsius ac morborum. Quemadmodum enim corrumpi, non simpliciter corporis est, sed mortis & vitij, quod in corpore est: eodem modo ista quoque aduentitiarum animæ perturbationum sunt. Nam si viuentis animæ vocem audire vis, audi Paulum dicentem, Habentes v. Tim. alimenta, & quibus tegamur his contenti sumus. Et, Quæstus magnus est pietas. Et, Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Audi Petrum dicentem, Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do. Audi Iob, gratias agentem, ac dicentem: Dominus dedit, Dominus abstulit. Hæc viuentis animæ verba sunt, hæc suam vim exerentis. Ad eundem modum Iacob etiam dicebat, Si dederit mihi Dominus panem ad manducandum, & vestimentum ad induendum. Sic & Ioseph, Quo pacto faciam vobum hoc

Quæ anima mortua dicenda.

Quod legis inuenit.

Simile.

Ibidem Gal. 3. Act. 17.

Iob 1.

Gen. 14.

Gen. 31.

bum hoc malum, & peccabo coram Deo? At non perinde barbara illa, sed velut ebria ac delirans, ita loquebatur, dicens, Dormi mecum. Hæc igitur cum nobis explorata sint, viuentem animam admiremur: mortuam fugiamus: vt futuram quoque vitam consequamur. Quam gratiam & benignitatem Domini nostri Iesu Christi, cum quo gloria Patri & Spiritui sancto in sæcula facuorum. Amen.

HOMILIA VII.



VOD si ministratio mortis litteris deformata fuit in gloria, ita vt non possent filij Israël intendere in faciem Moysi propter gloriam vultus eius, qui euacuatur: quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria? Dixerat quòd Mosis tabulæ lapideæ erant, ac litteras haberent, hæc contra carnales (hoc est Apostolorum corda) ac Spiritu descriptæ, ac præterea quòd littera occideret, Spiritus autem viuificaret. Supererat iam huic comparationi aliud quoque non parui momenti adicere, nempe id quod ad Mosis gloriam pertinebat: quam quidem nemo hinc in nouo Testamento corporeis oculis vidit. Vnde etiam magna & præclara videbatur, quoniam gloria ea sub sensum cadebat (corporis enim oculis cernebatur, licet ad eam accedere nemo posset) cum contra gloria noui Testamenti animo tantum cerneretur. Neque enim imbecillioribus hominibus perspicua est huiusmodi præcellentie cognitio: verum gloria illa magis eos attollebat, atque ad se conuertebat. Quoniam igitur in huiusmodi comparationem incidit, atque, quantum hæc illam antecellat, demonstrare studebat, idque propter auditorum crassitiam perarduum erat, vide quid faciat, & qua arte id molitur, nimirum primo loco rationes, ex quibus discrimen agnoscatur, inducens, easque ex iis, quæ antè dixerat, contexens. Nam si illa mortis, inquit, hæc autem vitæ ministratio est, dubium esse non potest, quin hæc quoque gloria illam antecellat. Quando quidem enim facere non poterat, vt corporeis oculis eam spectandam proponeret, ipsius præstantiam ratione atque argumento declarauit, dicens, Quòd si ministratio mortis fuit in gloria, quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria? Per mortis autem ministerium legem intelligit. Atque interim vide, quàm sedulo in ista comparatione caueat, ne vllam hæreticis ansam præbeat. Non enim dixit, Lex mortem efficit: sed, mortis ministratio est. Mortem enim ministrabat, non autem pariebat. Nam peccatum id erat, quod mortem efficiebat: Lex autem mortem inuehebat, ac peccatum indicabat: non autem faciebat. Malum enim apertius detegebat, ac plectebat, non autem ad malum impellebat. Neque ad id ministrabat, vt peccatum fieret, aut mors existeret, sed vt pœnas daret is qui peccasset. Ac proinde hac quoque ratione peccatum debebat. Nam dum ipsa peccatum adeo formidandum esse ostenderet, proculdubio hoc etiam faciebat, vt ipsum fugiendum esse videretur. Quemadmodum igitur is, qui enssem in manus sumit, ac fonti caput amputat, iudici pronuncianti ministrum se præbet: neque ipse est qui interimit, etiamsi alioqui ipse sit, qui caput abscindit: nec rursus is, qui sententiam profert, ac fontem condemnat: sed eius, de quo supplicium sumitur, improbitas: eodem modo hic quoque, non lex erat quæ necem afferebat, sed peccatum ipsum erat, quod & interimebat & condemnabat. Hæc porro, in fontem animaduertens, vim illius succidebat: nimirum supplicij metu eum coercens. Nec verò satis habuit Paulus præstantiæ declar-

randæ causa hoc solum protulisse, sed aliud quoque adiungit, dicens, In litteris deformata in lapidibus. Vides quemadmodum rursus Iudaicos spiritus deprimat. Nihil enim aliud lex erat, quàm litteræ, non autem subsidium vllum è litteris profultans, atque aspirans iis, qui dimicabant, quemadmodum in Baptismo: sed tabulæ & scripturæ, mortem iis, qui litteras violabant, afferentes. Vides quo pacto Iudaicum contentionis studium rerundens, per ipsa quoque vocabula auctoritatem legis nunc deiciat, lapidem dicens, & litteras, & ministrationem mortis, addensque præterea, quòd deformata atque impressa? Hinc enim nil aliud designat, quàm quòd lex in vno loco defixa erat, non quemadmodum Spiritus, qui vbique aderat, vim magnam cunctis inspirans. Vel certè hoc indicat, quòd litteræ minas multas efflabant, & quidem eiusmodi minas, quæ deleri non possent, sed semper manerent, vt pote saxi insculptæ. Deinde etiam, dum vetera laudibus efferre videtur, rursus Iudæorum accusationem simul inspergit. Cum enim dixisset, In litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, subiunxit, ita vt non possent filij Israël intendere in faciem Moysi. Quod quidem magnam eorum imbecillitatem, animique ad res terrenas propensionem declarabat. Ac rursus, non propter tabularum gloriam, dixit, sed, propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur. Ostendit enim cum, qui tabulas ferebat, gloria affici non autem illas. Non enim dixit, Quia non possent intendere in tabulas, sed, in vultum Moysi. Ac rursus non dixit, Propter gloriam tabularum, sed, propter gloriam vultus ipsius. Deinde postquam eam extulit, vide quo pacto eam rursus deiciat, dicens, quæ euacuatur. Quanquam hoc accusationis rationem non habet: sed extenuationis. Non enim dixit, Quæ corrupta est, aut, quæ mala est: sed, quæ definit, ac finem accipit. Quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria? Fidenti enim animo iam noui Testamenti dignitatem attollit, vt omnis dubitationis expertem. Ac vide quid agit. Opposuit lapidem cordi, & litteras Spiritui. Deinde cum ea, quæ ex vtriusque oriuntur, indicasset, non iam, quæ ex vtriusque ortum habeant, ponit: sed, posteaquam id, quod à littera ortum trahit, expressit, nempe mortem & condemnationem, id, quod à Spiritu proficitur, non item exprimit, hoc est vitam & iustitiam, sed ipsum Spiritum: quod quidem sermonem amplificabat. Nouum enim Testamentum non vitam duntaxat dabat, sed etiam Spiritum, à quo vita afferebatur, subministrabat. quod quidem vita multò maius ac præstantius erat. Atque ideo dixit, ministratio Spiritus. Ac postea rursus eandem rem inculcat, dicens, Nam si ministratio damnationis in gloria. Ac dilucidius exponit quidnam his verbis significetur, Littera occidit, hoc videlicet inquit, quod antè diximus, nempe legem peccatum iudicare, non autem efficere. Multo magis ministratio iustitiæ abundat in gloria. Etenim tabulæ illæ peccatores ostendebant, ac supplicio afficiebant: hæc autem peccatores non modo non puniebat, sed etiam iustos efficiebat. Baptismus enim hoc largiebatur. Non enim glorificatum est, quod glorificatum est in hac parte, propter excellentem gloriam. Superioribus verbis id quidem ostendit, quòd hoc quoque in gloria sit, nec simpliciter in gloria, sed quòd etiam abundet. Non enim dixit, Quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria? sed, Abundat in gloria: supradictis nimirum argumentis id probans. Hic verò præcellentia quoque quanta sit, his verbis ostendit, dicens, Si hanc cum illa comparem, ne gloria quidem est, veteris Testamenti gloria. Quibus verbis non hoc simpliciter astruit, quòd gloria non sit, sed com-

parationis ratione. Vnde etiam subiunxit, *In hac parte*, hoc est, si comparatio habeatur. Nec tamen hoc vetus Testamentum traducit: sed vehementer etiam ipsum commendat. Etenim comparationes de rebus cognatis fieri consueverunt. Mox insuper aliud argumentum mouet, quod alia quoque ratione præstantiam huiusmodi demonstrat. Quale tandem istud? Nimirum à tempore, dicens, *Si autem quod euacuatur, per gloriam est, multo magis id quod manet, est in gloria.* Illud enim finem accepit: hoc perpetuò manet. *Habentes igitur talem spem, multa fiducia utimur.* Quoniam enim Auditor tot ac tanta de nouo Testamento audierat, atque hanc gloriam oculis ipsis vsurpare cupiebat, vide quonam pacto ipsum ad futurum æuum reiciat. Ob idque spem in medium protulit, dicens, *Habentes igitur talem spem.* Qualem tandem? Quòd maiore dignitatem, quam Moses, consecutus sumus, non tantum nos Apostoli, sed etiam omnes fideles, *multa fiducia utimur.* Apud quem, quæso? Apud Deum, an apud discipulos? Apud vos, inquit, quos discipulos habeo, hoc est, cum libertate vbi que loquimur, nihil occultantes, nihil dissimulantes, nihil suspicantes, sed perspicue loquentes. Nec veremur ne oculorum vestrorum aciem perstringamus, quemadmodum Moses Iudæorum. Nam quòd istud his verbis significarit, audi quæ deinceps sequuntur. Imò verò historiam prius referre necessarium est. Nam & ipse eam assidue versat. Quænam igitur est hæc historia? Cùm Moses acceptis denuò tabulis descenderet, gloria quædam ex ipsius vultu exiliens, adeò effulgebat, vt Iudæi nec ad eum accedere, nec cum eo colloqui possent, quousque faciei suæ velamē imposuisset. Sic enim in Exodo scriptum est: Cùm descendisset Moyses de monte, duæ tabulæ erant in manibus eius: & ignorabat quòd glorificatus esset aspectus faciei eius: & timuerunt appropinquare ei. Et vocauit eos Moyses, & locutus est ad eos. Et postquam cessauit loqui ad eos, imposuit faciei suæ velamen. Cùm autem ingrediebatur vt loqueretur coram Deo, tollebat velamen quousque egrederetur. Huius historiæ mentionem faciens, ait, *Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, vt non intenderent filij Israël in faciem eius quod euacuatur.* Quod autem dicit, est eiusmodi: Nihil necesse est, vt Moysis instar nos ipsos obuelemus. Potestis enim ipsi in gloriam hanc, qua cincti & ornati sumus, intueri, etsi multo maior ac splendidior sit, quam illa Moysis. Videtne quantum illi profecerint? Nam qui in priore epistola dicebat, *Lac vobis potum dedi, non cibum*, hic ait, *Multa fiducia utimur*: ac Mosem in medium producit, sermonemque per comparationem prouehit, vt hac quoque ratione Auditorem in altum subducatur. Ac primum Iudæis ipsos anteponebat, dicens, Non opus habemus velamine, quemadmodum ille apud eos, quibus præerat. Post autem ad ipsius quoque Legislatoris dignitatem, atque adeò multo quoque altius eos attollit. Interim autem, quæ deinceps sequuntur, audiamus. *Sed obtusi sunt sensus eorum.* Vsq̄ in hodiernum enim diem id ipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet non reuelatum (quoniam in Christo euacuatur.) Vide quid per hæc verba astruat. Nam quod tum semel in Mose contigit, hoc perpetuò in lege contingit. Nec tamen his verbis legem criminatur, quemadmodum nec Mosem tum sese obuelantem, sed Iudæorum væcordiam. Illa enim suam gloriam habet: at isti eam intueri nequiverunt. Quid igitur mirum vobis est, inquit, si hanc gratiam gloriam cernere nequeant, cùm minorem illam Moysis non perspexerint, nec illius vultum obtueri potuerint? Quid item hoc animos vestros conturbat, quòd Iudæi Christo non credant, cùm ne legi quidem credant?

Exod. 34.

1. Cor. 3.

Nam ob id Gratiam etiam ignorarunt, quoniam ne vetus quidem Testamentum, nec ipsius gloriam cognouerunt. Siquidem Legis gloria in hoc demum sita est, quòd ad Christum animos conuertat. Vides vt hinc quoque Iudæorum factum retundat? Etenim vnde illi præstantiore conditione se esse existimabant, nempe quòd Moysis facies fulgorem emitteret, hinc eorum crassitiem & abiectionem ostendit. Quocirca nihil est, quòd hoc nomine illi gloriantur. Quid enim hoc ad Iudæos qui frui non potuerunt? Vnde etiam id assidue inculcat, nunc videlicet ipsum velamen in veteris Testamenti lectione non reuelatum manere dicens, quia in Christo euacuatur: Nunc rursus vsque in hodiernum diem, quo tempore legitur Moyses, id ipsum velamen in ipsorum corde positum esse: nimirum his verbis, tum in lectione, tum in eorum corde imminere dicens. Superius verò dixerat, Vt intendere non possent filij Israël in faciem Moysis, propter gloriam vultus eius quæ euacuatur. Quo quid vilius abiectione fingi possit, cùm ne eius quidem gloriæ, quæ euanescebat, imò, si cum altera conferatur, nullius momenti est, spectatores esse queant, sed ab ipsis ea obtegatur, vt non intendant in faciem eius quod euacuatur, hoc est in finem legis, quæ aboletur. *Sed obtusi sunt sensus eorum.* Et quid hoc, dixerit aliquis, ad velamen illud? Quoniam futura præsignabat. Neque enim tum duntaxat non viderunt, sed ne nunc quidem legem videt. Hoc autem ipsorum vitio fit. Obtusio enim mentis stuporem ac væcordiam declarat. Itaque nos sumus, qui legem cognitam habemus. Nam illis, non modò gratia, sed ipsa quoque lex obumbrata est. Vsq̄ in hodiernum enim diem id ipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet, inquit, non reuelatum, quia in Christo euacuatur. Quod autem ait, hanc sententiam habet: Hoc ipsum cernere nequeunt, eam finem accepisse, propterea quòd Christo non credunt. Etenim si per Christum finem accepit, idque etiam lex antè dixit, qui tandem fieri queat, vt qui Christum, à quo lex antiquata est, minimè recipiunt, legem ipsam antiquatam esse perspiciant? Porro qui hoc perspicere nequeunt, perspicuum sanè est, quòd ipsius etiam legis, quæ hæc dicit, vim ac robur, gloriæque vniuersam ignorent. At quonam loco, inquit, lex se in Christo aboleri testatur? Non solum testata est, sed etiam per res ipsas demonstrauit. Ac primum quidem quòd sacrificia & sanctificationem omnem in vno loco, hoc est in templo conclusit, atque hoc ipsum templum postea sustulerit. Nisi enim sacrificia, & legem omnem de his institutam finem habere voluisset, duorum alterum fecisset, nempe aut templum non sustulisset, aut, si sustulisset, sacrificia certè aliis in locis fieri minimè prohibuisset. Nunc verò, cùm vniuerso terrarum orbi, atque adeò ipsi quoque Hierusalem aditum ad huiusmodi sacrificia præcluserit, solùmque templum ipsis permiserit, & assignarit, atque hoc quoque ipsum postea sustulerit, nimirum per res ipsas tandem declarauit, legis ritus per Christum finem accepisse. Siquidem templum à Christo sublatum est. Quòd si per verba quoque videre libet quemadmodum per Christum lex abrogata sit, ipsummet Legislatorem audi, ad hunc modum loquentem: Prophetam vobis suscitabit Deus de medio fratrum vestrorum, tanquam me ipsum audietis in omnibus, quæcunque mandauerit vobis. Et erit, omnis anima quæ Prophetam illum non audierit, exterminabitur. Vides quo pacto ostēderit, quòd in Christo finē acceptura esset? Etenim Propheta hic (id est Christus secundum carnem, quem Moyses audire iussit) & fabbatum & circūcisionem, aliisque omnia sustulit. Ac Dauid hoc quoque ipsum indicans, de

psal. 109.

Hebr. 7.

Hebr. 10.

cans, de Christo dicebat, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, non autem secundum ordinem Aaron. Ob eamque causam Paulus perspicue hoc exponens, ait, Translato sacerdotio, necesse est vt legis translatus fiat. Atque alio loco his rursus verbis vitur, Sacrificium & oblationem noluit: holocausta & pro peccato non placuerunt tibi: tunc dixi, Ecce venio. Atque alia multo his plura testimonia ex veteri Testamento proferre licet, quibus, quemadmodum lex per Christum abrogata sit, perspicuum fiat. Itaque postquam à lege abscesseris, tum demum legē pulchrè perspicies: quandiu autem eam retinueris, nec Christo credideris, ne legem quidem ipsam perfectam habiturus es. Eaque etiam de causa, vt hoc ipsum luculentius adhuc astruat, subiunxit, *Sed in hodiernum vsque diem cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Quoniam enim dixerat, in veteris Testamenti lectione velamen manere, idcirco, ne quis hæc verba de legis obscuritate intelligenda esse existimaret, tum per alia verba hoc ipsum prius demonstrauit (nam cum dixit, *Obtusi sunt sensus eorum*, ostendit eos in culpa esse) tum rursus in his quoque verbis. Nō enim dixit, *In litteris manet velamen*, sed, *In lectione.* Lectio porro legentium actio est. Ac rursus, *cum legitur Moyses.* Dilucidius autem istud deinceps indicauit, apertè dicens, *Velamen positum est super caput eorum.* Quandoquidem & in Moysis facie non ob Mosem positum erat: sed propter eorum crassitiem, & carnalem mētem. Cùm igitur eos satis coarguisset, iam correctionis etiam modum ostēdit. Quinam autem hic modus est? *Cum autem conuersus fuerit ad Dominum*: hoc est, à lege abscesserit, auferetur velamen. Vides quemadmodum velaminis illius causa, non Moisaicus vultus fuerit, sed Iudæicus aspectus? Non enim vt Moysis gloria occultaretur, hoc faciebat: sed ne illi viderent. Neque enim capaces erāt. Itaque illorum hoc vitium erat. Neque enim hinc fiebat, vt illum quicquam fugeret, sed illos. Nec dixit, Cùm legem reliquerit, ceterum istud significauit, cùm diceret, *Cum autem conuersus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.* Quibus quidem in verbis ad extremum vsque in historia persistit. Etenim cùm Moyses Iudæos alloqueretur, faciem suam obuelebat: cùm autem ad Dominum se conuertebat, eam detegebat. Hoc autem eius, quod futurum erat, figuram gerebat: nempe quòd, cùm ad Dominum nos ipsos conuerterimus, tunc legis gloriam, ac nudam Legislatoris faciem perspicemus: imò non hoc tantum, sed in Moysis classe atque ordine erimus. Vides quo pacto Iudæum ad fidem excitet, dum ostendit eum, si ad fidem accesserit, non modò Mosem intueri posse, sed etiam in eodem, quo Legislator ille, gradu atque ordine esse. Non enim duntaxat eam gloriam cernes, inquit, quam tum minimè vidisti, sed & ipse quoque in eadem, qua ille, gloria futurus es, imò multo etiam maiore, atque adeò tanta, vt ne illa quidem gloriæ speciem præbeat, si cum hac comparetur. Quonam tandem modo? Quoniam, cùm ad Dominum conuersus fueris, atque in gratia esse cæperis, illa gloria frueris, cum qua Moysis gloria collata, vsque adeo inferior est, vt ne gloria quidem sit. Et tamen quamuis exigua ea sit, longoque ab hac interuallo remota, tamen quandiu Iudæus eris, ne hanc quidem consequeris. (ex quo colligitur Iudæos eam nec tum vidisse, nec nunc videre:) si autem fidem amplexus fueris, hac multo quoque maiore diuino beneficio perspicies. Et quidem, cùm ad eos, qui fide præditi erant, verba faceret, glorificatum fuisse negabat id quod glorificatum fuerat: hic autem non ita: sed quo pacto? *Cum conuersus fuerit ad dominum, tolletur velamen:* sensim videlicet illum subuehēs, ac primum quidem in eodem cum Mose gra-

A du colliens, deinde autem maiorum quoque rerum confortem eum faciens. Nam cùm Mosem, inquit, in gloria videris, tum demum ad Deum quoque te conuerteris, ampliorēque, quam hæc sit, gloria frueris. Itaque à principio vide quonam res posuerit, quæ discrimen efficerent, atque illud ostenderent, nouum Testamentum veteri præstare, non autem cum eo pugnare atque ipsi aduersari. Illud, inquit, & littera, & lapis, & mortis ministratio erat, & aboletur: & tamen ne hac quidem gloria Iudæi digni habiti sunt. Hoc autem carnalis tabula est, & spiritus, & iustitia, & constanter manet: atque omnes eo digni habemur, nō vnus tantum, vt tum Moses inferiore illo. Nos enim omnes, inquit, reuelata facie gloriam, non Moyses, sed Domini intuemur. Verum enim verò quoniam nonnulli, minimè dubiis videlicet atque ambiguis rebus oblectantes, hæc verba, Cùm autem conuersus fuerit ad Dominum, de Filio dicta esse contendunt, accuratius istud expendamus, illud prius ponentes, vnde id se astruere ac confirmare putant. Quidnam autem hoc est? Quemadmodum inquit, Scriptura dicit, Spiritus est Deus: eodem modo etiam hoc loco, Spiritus Dominus est. Minimè verò. Non enim dixit, Spiritus est Dominus, sed, Dominus est Spiritus. Multum porro inter hæc & illam compositionem interest. Nam cùm ita loqui vult, vt tu ais, adiunctiuo articulum non addit. Quin aliter etiam omnia ea, quæ supra commemorata sunt, de quonam dixerit, videamus: velut cùm dicebat, Littera occidit, Spiritus autem viuificat. Ac rursus, Scripta non atramento, sed Spiritu Dei viuētis. Vtrum de Filio an de Spiritu? Liqueat profecto quòd de Spiritu. Ad cum enim, à littera, eos vocabat. Etenim ne quis, cùm Spiritus vocabulum audiuisset, ac deinde hoc secum reputans, Si Moyses ad Dominum conuersus fuerit, ipse autem ad Spiritum, idcirco se inferiore conditione esse arbitraretur: vt huiusmodi suspicioni medeatur, his verbis vitur, Dominus autem Spiritus est. hoc est, Ipse quoque Dominus est. Atque vt intelligas ipsi de Paraclito sermonem esse, subiunxit, *Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* Neque enim scilicet hæc perinde esse dixeris, ac si ita locutus fuisset, Vbi autem Dominus Domini. Libertatem autem dixit, habita ratione pristina seruitutis. Deinde ne eum de futuro tempore loqui putes, ait, *Nos autem omnes reuelata facie gloriam domini specularantes, non illam, inquam, quæ finem accipit, sed quæ manet, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domino Spiritu.* Vides quo pacto rursus Spiritum in Dei ordine collocet, eosque in Apostolorum classem subuehat? Etenim prius dixerat, Epistola estis Christi. Et hoc loco, *Nos autem omnes reuelata facie.* Atqui ipsi legem, Moysis instar, gestantes venerant. Est ita sanè. Sed quemadmodum, inquit, nos velamine haudquaquam opus habuimus: sic ne vos quidem, qui Euangelium suscepistis. Et quidem longè maior est hæc gloria. Neque enim vultus nostri est, sed Spiritus. Et tamen vos, æquè ac nos, in eam oculorum aciem intendere potestis. Illi Moysis faciem cernere non potuerunt: vos Spiritus quoque gloriam potestis. Quòd si Spiritus inferiorum locum obtineret, hæc certè, vt illis maiora, minimè posuisset. Quidnam autem est, *Gloriam domini specularantes, in eandem imaginem transformamur?* Apertius id quidem demonstrabatur, cùm miraculorum dona vim suam exererent. Tamen ne nunc quidem id perspicere difficile fuerit ei, qui fidei oculis præditus fuerit. Nam simul atque baptizatur, etiam supra Solem anima exsplendescit, à Spiritu perpurata. Ac non modò gloriam Dei prospicimus: sed illinc quoque splendorem aliquè haurimus. Quemadmodum enim purum argētum, ad Solis radios situm,

ipsum quoque radios emittit, non ob suam duntaxat naturam, sed etiam ob solarem fulgorem: eodem modo anima defæcata, atque argento splendidior effecta, Spiritus gloria radium suscipit, ac vicissim remittit. Vnde etiam ait, *speculantes in eandem imaginem transformamur à gloria*, subaudi, Spiritus, *in gloriam*, nostram, quam contrahimus, quæque talis est, qualem esse par est, à Domino Spiritu. Vides quemadmodum hoc item loco Spiritum Dominum appellet? Atque alibi quoque ipsius dominationem perspicere licet. Ministrantibus enim ipsis Domino, inquit, ac ieiunantibus, dixit Spiritus sanctus, Segregate mihi Paulum & Barnabam. Ob id enim his verbis Scriptura utitur, vt cum eiusdem dignitatis esse ostendat. Ac rursum ait Christus: Seruus nescit quid faciat dominus eius. At contra, vt homo nouit ea quæ sua sunt, ita spiritus nouit quæ Dei sunt, non quod edoceatur. Nam ita similitudo non sibi cõstaret. Quin hinc quoque authoritatem ac dominationem suam ostendit, quod, prout vult, operatur. Hic nos transformat: Hic nos huic sæculo conformari non finit. Hic huiusmodi creationis artifex est. Quemadmodum enim ait, *Creati in Christo Iesu: eodem modo ait, Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innoua in visceribus meis.*

MORALE.

De piorum gloria: Et quonam pacto impudicus amor frangendus sit.

Vis hoc tibi ab Apostolis quóque modo in sensum incurrente ostendam? Paulum cogita, cuius vestes vim ædebant: Petrum, cuius ipsæ quoque vmbra viribus pollebant. Neque enim, nisi regis imaginem gestassent, & incomparabilis quidam fulgor ex ipsis effulisset, tot eorum vestes atque vmbra miracula ædidissent. Regis quippe vestes, latronibus etiam terrori sunt. Libetne videre hanc per corpus quoque collucetem? Intuentes, inquit, faciem Stephani, viderunt tanquam faciem angeli. Quanquam nihil istud erat, præ gloria ea, quæ internè rutilabat. Nam quod Moses in vultu habebat, hoc isti in anima circumferabant, atque adeò multo amplius. Etenim id quod Mosi contingebat, sensui subiectum erat: hoc autè corporis expertus est. Et quemadmodum ignea corpora, à splendidis corporibus, in id, quod propinquum est, defluetia, ipsis quoque splendorem suum impertiunt: eodem modo in fidelibus quoque vsu venit. Ob eamque causam à terra abscedunt, qui ita affecti sunt: cœlestiaque sola ipsis in mète versantur. Hei mihi! Hic enim acerbè quoque ingemiscere pulchrum fuerit, quod, cum tanta nobilitate præditi simus, tamen ne ea quidem, quæ dicuntur, nouimus: quia confestim has res nobis perire sinimus, atque ea, quæ in sensum cadunt, ad stuporem vsque admiramur. Arcana enim hæc & tremenda gloria, ad vnum quidem aut alterum diem in nobis manet: deinceps autem eam extinguimus, dum negotiorum huiusce vitæ tempestatem accersimus, ac per nubium densitatem radios propulsamus. Tempestas enim, res huiusce vitæ sunt, ac tempestate tristiores. Neque enim hinc frigus oritur, nec pluuia, nec lutum, ac profundus limus: sed, quæ his omnibus grauiora sunt, hinc constantur, nempe gehenna, & gehennæ mala. Et quemadmodum grassante acerrimo frigore membra omnia concrescunt, ac mortua sunt: sic etiam animus in peccatorum frigore ac tēpestate contremiscens, nullum munus suum exequitur, vt qui videlicet conscientia, tanquam gelu concretus sit. Quod enim corpori frigus est, hoc animo conscientia. Vnde etiam timiditas existit. Neque enim quicquam homine mundanis rebus affixo timidius fingi potest. Nam qui

Aa. 13.

Ioan. 15.

1. Cor. 12.

Col. 1. Psal. 50.

Aa. 19. Ibid. 5.

Aa. 7.

Simile.

Tempestas res huius vitæ.

Nihil homine mudo affixo timidius. Gen. 4.

eiusmodi est, vt Cain viuat, quotidie nimirum tremens. Quid autem mortes & detrimenta, & offensiones, & assentationes, & obsequia commemorem? Nam, vt hæc quoque omitam, sexcentas mutationes extimescit. Atque arca quidem auro referta est: animus autem paupertatis metu minimè vacat. Ac meritò quidem. In rebus enim imbecillis, & quæ facillè mutantur, anchoram figit. Atque vt etiam ipse naufragium minimè patiatur, in aliis tamen id perspicens, exanimatur. Atque vt ingenti timiditate, ita rursus ingenti ignauia laborat. Neque enim huiusmodi homo in periculis duntaxat, sed in omnibus etiam aliis rebus ignauus est. Nam si pecuniarum cupiditas irruerit, non vt ingenuus quispiam vitæ impetum propulsat: sed vt pretio emptum mancipium quiduis facit, auaritiæ, tanquam graui atque acerbæ dominæ, seruiens. Si formosam aliquam puellam conspicatus fuerit, protinus captus trepidat, rabiðique canis in morem eam sequitur, cum contra faciendum sit. Etenim cum mulierem egregia forma præditam cernis, ne hoc spectes quonam pacto cupiditatis tuæ compos fias, sed quonam pacto cupiditate libereris. Et quonam ratione hoc fieri possit, inquis? Neque enim amare mei est arbitrij. Cuius ergo dic mihi? Insultus diaboli. Omnino igitur diabolus esse arbitraris, qui insidias struat? Luctare igitur, ac pugna cum morbo. At non possum, inquis. Agè igitur hoc primum te docebimus, ignauitæ tuæ esse, id quod tibi accidit: tēque ab initio dæmoni aditum præbuisse: ac nunc, si voluntas ita tulerit, cum facillimè propellere posse. Agè enim, qui adulterium perpetrans, vtrum amore ducti id perpetrans, an quod simpliciter pericula expetant? Amore ducti haud dubiè. Num igitur veniam propterea obtinent? Minimè. Quid ita? Quoniam ipsorum est peccatum. At quid syllogismos nectis, inquis? Conscius mihi ipse sum, me affectum hunc submouere velle, nec tamen id possum: verum id imminet, grauitèrque me premit, & excruciat. Vis quidem illud, o homo, submouere: at non ea facis, quæ ab iis, qui submouere cupiunt, requiruntur. Verum perinde facis, vt si quis febri correptus, ac sese frigida aqua ingurgitans, dicat, Quanta comminiscor, dum febrem extinguere studeo, nec possum, sed flammam potius meam accendo. Videamus igitur num tu quoque ea facias, quæ morbum inflamment, cum te ea excogitare putes, quæ extinguant. Non, inquis. Dic igitur, quidnam, vt morbum extingueres, facere vnquam es conatus? Quid autem omnino est, quod morbum augeat? Etenim licet non omnes his criminibus obnoxij simus (plures enim reperire est, qui pecuniarum, quam qui corporum amore teneantur) commune tamen omnibus, tam his quàm illis remedium proponitur. Nam & ille amor absurdus est, & hic quoque: verum hic illo acrior est, ac vehementior. Quamobrem si maiorem superauerimus, non est dubium quin minorem quoque facillè vincamus. At, inquis, si acrior hic amor est, qui fit, vt non omnes hoc malo corripiantur, sed plures ad insaniam vsque pecunias ament? Primum quia periculo carere videtur hæc cupiditas. Deinde quoniam, etsi corporum cupiditas acrior est, tamen citius extinguitur. Nam si perstaret, vt pecuniarum cupiditas, eum, qui captus esset, funditus quoque perderet. Agè igitur, de hoc corporum amore ad vos differamus, ac videamus vndenam incrementum sumat hoc malum. Sic enim perspectum habebimus, vtrum culpa nostra contrahatur, necne. Ac, si culpa nostra contrahatur, nihil nõ faciamus, quo superiores eo simus: si autem extra culpam sumus, quid frustra nos ipsos credimus? Quid item non iis, qui eo capiuntur, ignoscimus potius, quàm succensimus? Vnde igitur nascitur hic amor?

Ab ele-

Ab elegantia formæ, inquis, cum scilicet pulchra & venusta ea fuerit, quæ vulnus infert. Frustra & temerè hæc dicis. Nam si formæ pulchritudo amatores alliceret, omnes haberet amatores hæc puella. Quod si non omnes habet, proinde nec natura, nec eleganti formæ, sed impudicis oculis istud ascribendum est. Nam cum eam curiosè intuens suspexeris, atque adamâris, telum excepisti. Quisnam autem, inquis, facere possit, vt pulchram mulierem cernens, non eam laudet? Quo fit, vt cum res huiusmodi mirari, voluntatis nostræ minimè fit, ne amor quidem in nostro arbitrio situs sit. Insiste, o homo! Quid omnia simul cõfundis, vndique in orbem excurrens, nec mali radicem perspicere volens? Siquidem plerosque video, qui formam admirentur ac laudibus efferrant, nec tamen ament. Et qui fieri potest, inquis, vt qui mirantur, non item ament? Ne tumultuare, quæso. Hoc enim dicere paro: sed expecta, & audies Mosè, filium Iacob admirantem, ac dicentem, Et erat Ioseph pulchra facie, & aspectu decorus. Num igitur propterea is amabat, qui hæc dicebat? Minimè. Non enim, inquis, eum, quem laudabat, cernebat. Atqui erga auditas quoque formas ita quodammodo afficimur, non modò erga conspectas. Verum ne mihi in his rebus contentionem moueas, an non Dauid admodum formosus erat, ac subrufus cum oculorum pulchritudine? Porrò oculorum elegantia maximè violenta pulchritudinis pars est. Num igitur quispiam ipsius amore captus est? Minimè. Non igitur vnà cum admiratione amor etiam nascitur. Nam & matres multi habuerunt corporis pulchritudine florentissimas. Num igitur filij earum amore incensi sunt? Absit istud. Quanquam enim, id quod cernunt admirentur: tamen in foedum amorem non incidunt. At, rursus inquis, hoc ipsis natura præstat. Quænam oro natura? Quia matres sunt, inquis. Quid? An non audis Persas nemine cogente, cum matribus suis misceri, nec vnum aut duos, sed vniuersam gentem? Quin citra hæc quoque liquidò hinc constat, morbum hunc, non corporis elegantia, nec simpliciter pulchritudini adscribendum esse, sed animi foecordia, atque oberrationi. Permulti etenim, cum innumeras præstanti forma mulieres præterissent, deformibus sese dederunt. Ex quo videlicet perspicuum est, amorem à formæ venustate minimè proficisci. Nam si ita esset, ij, qui in amore inciderunt, ab illis potius quàm ab istis, capti fuissent. Quidnam igitur in causa est, inquis? Nam si formæ honestas non facit vt quispiam amet, vnde igitur amor causam ac radicem habet? An à malo dæmone? Habet quoque illinc ortum, sed non hoc est quod queritur: verum an non ipsi quoque in causa simus. Neque enim illorum duntaxat sunt insidie, sed cum illis: imò à nobis primum. Num enim aliunde perniciosus hic morbus aequè ortu trahit, atque à consuetudine, & verborum blanditiis, & otio ac cessatione, quodque nihil, quod agamus, habeamus. Magna quippe, magna, inquam, consuetudinis vis est, atque adeò tanta, vt in naturæ necessitatem migret. Quod si consuetudinis est hanc procreare, non dubium quin etiam extinguere. Sanè multi amantes ad hunc modum amare desierunt, cum, quas amabant, non cernerent. Hoc autem ad breue quidem tempus acerbum, ac perquam iniucundum esse videtur: at progressu temporis suaue efficitur, ac, ne si velint quidem, morbum reuocare queant. Quid igitur, inquis, cum citra consuetudinem vllam ab ipso primo aspectu captus fuero? Hic quoque in causa est corporis desidia, aut alimentum, aut quod ea, quæ opus sunt, non cures, nec in necessariis negotiis veriseris. Nam qui talis est, instar erroris cuiuspiam quouis malo transfigitur: atque huiusmodi animam, non fe-

Gen. 39.

1. Reg. 16.

Vnde insidie sunt.

cus ac puerum licenter vagantem, quisquis vult in seruitutem trahit. Quoniam enim ipsa hoc in more positum habet, vt aliquid operetur, siquidem ipsius in rebus honestis actionem comprimas, quando quidem nihil agere non potest, alia pariat necesse est. Quemadmodum enim terra, cum nec feritur, nec plantatur, herbam duntaxat profert: eodem quoque modo anima, cum necessariorum rerum nihil habet quod agat, atque animo aliquid agere cupiat, prauis rebus se tradit. Et quemadmodum oculus, quando cernere non cessat, praua cernat necesse est, cum bonis obiectis caret: sic etiam animus, cum se à necessariis abduxerit, iam circa inutilia versatur. Alioqui enim, quod occupatio & cura primū quoque impetum propellere queat, multis argumentis liquet. Quamobrem cum pulchram mulierem conspexeris, ab eaque te affectum senseris, vltra iam eam ne cernas: & liberatus es. Et qui fieri poterit, inquis, vt eam vltra non cernam, cum cupiditate trahar? Aliis rebus, quæ animam distrahant, fac te addicas, libris nimirum, necessariis curis, patrociniis, opitulationibus eorum, quibus iniuria infertur, precibus, rerum futurarum meditationi. His animum astringe. Ad hunc modum non recens tantum vulnus curabis, sed concretum etiam atque inueteratum facillè discutes. Nam si contumelia, vt est in proverbio, amanti persuadet, vt amorem abruptat, quid afferri potest, quin multò magis spirituales hæc incantationes malum istud superet, dummodo vel solùm ab eo nos remouere in animum inducamus? Quod si cum illis versemur, atque consuetudinem habeamus, quæ huiusmodi tela in nos contorquent, ac de illis, tum loquamur, tum audiamus, morbum hoc pacto alimus. Quonam ergo modo ignem extingui cupis, cum quotidie flammam accendas? Ac de consuetudine hæc mihi ad iuuenes dicta sunt. Nam quod ad viros attinet, eosque qui philosophari norunt, nihil perinde iuuat, vt Dei timor, gehennæ memoria, regni cœlorum cupiditas. Hæc enim ad extinguendū ignem sufficiunt. Ac præterea illud quoque tecum reputa, id, quod cernis, nihil aliud esse, quàm pituitam & sanguinè, ac corrupti alimenti succum. At lætus ac splendidus oris flos est, inquis. Esto sanè: sed terræ etiam floribus nihil lætius ac iucundius est: qui tamen etiam marcescunt, atque in putredinem abeunt. Quocirca ne hic quoque ad florem attende, sed interius animo transi, ac pulchram illam cutim cogitatione adimens, explora quæ sub ea sita sint. Quandoquidem etiam hydropicorum corpus nitet ac lucet, nec quicquam fœdi in superficie habet: sed tamen humoris illius, qui intus conditus est, cogitatione perculsi, huiusmodi homines osculari non sustinemus. At tener & versatilis est oculus, ac rectè porrectum supercilium, & nigra palpebra, & suavis pupilla, & serenus aspectus? At rursus hoc vide, quod istud quoque nil aliud est, quàm nerui, & venæ, atque arteriæ. Quin tu hunc quoque pulchrum oculum, agrum, senio affectum, mœrore afflictum, ira tumetem cogita, quàm scilicet deformis sit, quàm celeriter pereat, quàm, citius etiam pictura, euanescat. Ab his iam cura, vt ad veram pulchritudinem animum traducas. At, inquis, animæ pulchritudinem haudquaquam cerno. At, si libererit, cernes. Et quemadmodum qui pulchros oculos non viderit, eosdem tamen admirari potest: eodem modo animæ pulchritudinem etiam sine oculis perspicere licet. An non egregiam formam sæpe animo atque cogitatione informasti, eoque figmento nonnihil te affici sensisti? Effinge nunc quoque animæ pulchritudinem: atque huiusmodi formæ elegantiæ te oblecta. At, inquis, non cerno ea, quæ corpore vacant. Atqui ista animo magis intuemur, quàm corpora. Siquidem ob hanc

Simile.

Aliud simile.

Remedia aduersus libidines.

Simile.

quoque causam, & angelos, & archangelos admiramur, quamuis eos minimè cernamus: & probos item mores, animæque virtutem. Ac si probum hominem & moderatum videris, magis hunc admiraberis, quam elegantem illam faciem. Quòd si iniuria affectu videris, eamque æquo ac placido animo ferentem, huiusmodi hominem ama, etiam si senio confectus sit. Eiusmodi enim est animæ pulchritudo, vt in senectute quoque amatores habeat, nec vnquam marcescat, sed perpetuò floreat. Igitur vt hanc quoque ipsi pulchritudinem adipiscamur, eos, qui hac pollent, captemus, atque ipsorum amatores nos præbeamus. Sic enim ipsi quoque hanc pulchritudinem consequemur, atque ad æterna bona peruenire poterimus. Quæ vtinam nobis consequi detur, per gratiam & benignitatem domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

CAP. III.



DEO habentes hanc ministracionem, iuxta quod misericordiam consecuti sumus, non defecimus, sed abdicamus occulta dedecoris. Quoniam magna quædam locutus fuerat, ac seipsum & fideles omnes Mosis anteposuerat, atque tantam eorum, quæ dixerat, magnitudinem esse sentiebat, vt ad eam nihil accedere posset, vide quo pacto rursus modestiam præ se ferat. Nam & propter commentitios Apostolos atque auditores ipsi faciendum erat, vt seipsum attolleret: & rursus vt tumorem illum mitigaret, non autem omnino profligaret: nam hoc ludentis hominis fuisset. Quocirca hoc alia via aggredditur, nimirum ostendens id omne non nostris meritis ac virtutibus, sed diuina benignitate contigisse. Proinde ait, *Habentes ministracionem hanc.* Neque enim quicquam amplius erogauimus, quam quod ministri exitimus, beneficiisque à Deo datis administram operam præbuimus. Quo fit, vt nec largitionis, nec suppeditationis, sed ministerij vocabulo vsus sit. Ac ne hoc quidem ipsi satis fuit: verum addidit, *Iuxta quod misericordiam consecuti sumus.* Nam hoc quoque ipsum, quod his rebus ministrauimus, à Dei misericordia & benignitate profectum est. Quanquam alioqui misericordiam sit, è malis exemisse: non autem tot insuper beneficiis affecisse. Sed hoc etiam habet Dei misericordia. *Non defecimus.* Hoc quoque ipsius facilitati atque humanitati acceptum referendum est. Nam illa verba, *Iuxta quod misericordiam consecuti sumus,* existimare debes, tam ad ministerium referri, quam ad id, quod sequitur, *Non defecimus.* Ac velim animaduertas, quam seipsum deprimere studeat. Nam qui tot ac tantis, inquit, beneficiis auctus, atque ornatus sit, idque diuina tantum misericordia & benignitate, quid tandem eximia laude dignum præstat, si tales labores suscipit, si pericula adit, ac tentationes sustinet? Propterea non modò non consternamur animo, sed etiam gaudemus, ac verborum libertate vtimur. Postquam enim dixit, *non defecimus,* subneccit, *sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei.* Quid porro sibi volunt hæc verba, *occulta dedecoris?* Non, inquit, magna profitemur ac pollicemur, cum alia rebus ipsis ostendamus, quemadmodum illi (vnde etiam dicebat, *Quæ in faciem sunt, perspicitis*) verum tales omnino sumus, quales cernimur, non fictum ac velut duplicem animum gerentes, nec ea dicentes atque agentes, quæ præ pudore ac rubore occultanda, & velut vmbri quibusdam obuoluenda sint. Idque exponens, subiunxit, *non ambulantes in astutia.* Nam quod illi laudi ducebant, hoc ipse scèdum ac ridiculum esse statuit. *Quidnam autem est, in astutia?* In

A ea existimacione illi erant, quasi ab accipiendis muneribus abhorrent: cum tamen acciperent. Sanctorum virosum ac proborum Apostolorum existimacione florebat: cum interim innumeris vitiis scaterent. At nos, inquit, hæc abieciimus (nam hæc sunt, quæ occulta dedecoris vocat) quippe qui tales firmus, quales videmur: nec quicquam, non modò in vita nostra & moribus, sed ne in ipsa quoque verbi diuini prædicatione, tetum atque adumbratum habemus. Hoc enim significat, quod ait, *Neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis.* hoc est, non vultu & ostentacione, sed ipso rerum argumento atque documento. *Commendantes nos ipsos ad omnem conscientiam hominum.* Non enim iis tantum, qui fide præditi sunt, sed iis quoque, qui à fide alieni sunt, perspicui sumus, ac quibusuis expositi, vt res nostras arbitratu suo explorent: atque hinc nos ipsos commendamus, non à fucò ac simulatione, aut quòd splendidam laruam circumferamus. Dicimus itaque nos nullum munus accipere: atque huius rei testes vos laudamus. Dicimus nos nullius flagitij nobis conscios esse: atque huius rei rursus à vobis testimonium petimus: non vt illi solent, qui vitia sua obtegentes multis imposturam faciunt. Nam nos, & vitam nostram cunctis in medium proponimus: & doctrinam ita patefacimus, vt quibusuis eam intelligere promptum ac procliuè sit. Mox autem quia ij, qui infidelitate laborabant, vim huiusce doctrinæ minimè perspectam habebant, subiunxit, hoc non sibi, sed eorum stupori ac væcordiæ assignandum esse, dicens, *Quòd si etiam opertum est Euangelium nostrum in iis, qui pereunt, opertum est, in quibus Deus huius sæculi excacauit mentes infidelium.* Quod hic dicit, eadem vim habet, quam ea, quæ prius dixit, Aliis odor mortis sumus in mortem, aliis odor vitæ in vitam. Ceterum quid sibi hæc verba volunt, *Deus huius sæculi:* Qui Marcionis doctrina infecti sunt, de rerum opifice atque architecto, iusto quidem illo, sed non item bono, hæc dicta esse contendunt. Aiunt enim quendam iustum esse, qui bonitatis sit expers. Manichæi autem his verbis diabolus significari asserunt: hinc nimirum alium rerum cõditarum effectorem & architectum, præter eum qui verè est, perquam stolidè inducere cupientes. Habet enim hoc familiare Scriptura, vt Deum, non ex ipsius dignitate, sed ex eorum, qui ipsius imperio subsunt, imbecillitate nuncupet. Quo in genere illud est, quod Mammonam dominum dicit, & ventrem Deum. Neque enim propterea, aut venter Deus est, aut Mammona dominus: sed eorum demum, qui sese ipsis subiecerint. At verò nos illud dicimus, ne de diabolo quidem hæc verba habita esse, sed de Vniuersitatis Deo: sicque legendum esse, *Infidelium huius sæculi mentes Deus excacauit.* Id quod hinc constat, quia futurum æuum infideles minimè habiturum est, sed hoc duntaxat, quod nunc fluit. Atque vt etiam aliter quispiam hæc verba legere malit, nempe *Deus huius sæculi,* ne hinc quidem vlla calumniæ ansa porrigitur. Neque enim hinc ostenditur, eum huius tantum sæculi Deum esse. Nam & Deus cœli dicitur: nec tamen proinde cœli tantum Deus est. Et, Deus præsentis diei dicimus: nec tamè hec ita dicimus, quasi ipsius imperium vnus duntaxat illius diei angustis circumscribamus. Quin Deus quoque Abraham dicitur, & Deus Isaac, & Deus Iacob: cum tamen non eorum tantum sit Deus. Ac pleraque etiam alia huiusmodi testimonia in Scripturis inueniri possunt. Quoniam porro modò excacauit? Non sanè quòd in hoc vlla ipsius actio fuerit, absit: sed quia id passus est, ac permisit. Nam id quoque genus loquendi in Scripturæ more positum est: velut cum ait, Tradidit eos Deus in reprobum sensum, Quoniam enim illi prius fidem ipsi abrogauerunt, seque

Matt. 7.

Matt. 13.

Matt. 4. Philip.

Exod. 4.

Deus per misericordiam excacauit. Rom. 1.

1. Cor. 2.

697 seque ita compararunt, vt indigni essent, qui mysteria diuina contuerentur, tum denique ipse quoque, id vt illis accideret, fuit. Quid enim, quæso, hic faciendum erat? An vt inuitos ac repugnantes traheret, suaque arcana iis, qui ea cernere recusabant, aperiret? Atqui res ista maiorem ipsis contemptum peperisset, ac ne intueri quidem sustinuisent. Vnde etiam mox subiunxit: *Vt non fulgeat eis illuminatio Euangelij gloriæ Christi.* Non ad hoc vt Deo non credant, sed vt, quæ sint interna mysteria, infidelis mens minimè perspiciat. Nam id quoque nobis interdictum est, ne margaritas ante porcos coniciamus. Etenim si ea quoque infidelibus detexisset, eorum vtique morbus hac ratione ingruidisset: non secus ac si quis eum, qui oculorum morbo laboret, Solis radios contueri cogat, ipsius imbecillitatem auget ac dolorem exulcerat. Quo etiam fit, vt medici eos in tenebris abditos inclusisque teneant, ne morbus ingrauescat. Ad hunc itaque modum hic etiam intelligendum est, nempe quòd isti vitio suo increduli extiterunt: Increduli autem effecti, Euangelij arcana minimè iam perspexerunt, Deo nimirum radios suos illis deinceps subducente, atque occultante. Id quod etiam ipsum discipulis dicebat: Propterea in parabolis loquor ipsis, quia audientes non audiunt. Verumenimvero, vt, quod dico, exemplo dilucidius fiat, finge Gentilem esse quendam, qui res nostras pro fabulis habeat. Hic igitur, cum eo animo sit, plusne ex eo commodi capiet, si ingressus fuerit, ac mysteria nostra conspexerit, quam si foris maneat? Ob eam causam ait, *Vt non fulgeat illis illuminatio:* In Mosis videlicet historia adhuc hærens. Nam quod illius atate Iudæis accidit: hoc Euangelij tempore infidelibus vsu venit. Quidnam autem sit, quod ait opertum illis fuisse, ac minimè declaratum, audi quid ipse dicat, *Vt non fulgeat eis illuminatio Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei.* Nempe verbi gratia quòd orbis salus crux est, ipsiusque gloria: atque alia omnia, tam præsentia, quam futura, tam in aspectum cadentia, quam oculorum obtutum fugietia, arcana denique atque omnem sermonis facultatem excedens earum rerum, quæ in spe atque expectatione positæ sunt, claritas. Vnde etiam *Abraham* dixit, hoc est irradiare: ne tu plenam ac cumulatum cognitionem in hac vita quæras. Est enim velut radius quispiam ac fulgor spiritus, ea cognitio, quam diuinitus accepimus. Id quod etiam superius indicans, odoris, ac rursus pignoris vocabulo vsus est. Quibus verbis illud demonstrat, multò maiorem partem in futuro æuo expectandam esse. Sed tamen hæc quoque omnia ipsis occultata sunt: & quidem ob id occultata, quia prius ipsi fidem Deo abrogauerunt. Postea, vt ostendat, non Christi modò, sed etiam Patris gloriam iis incognitam esse, qui eam minimè viderunt, adiecit, *qui est imago Dei.* Caue enim in Christo solo pedem figas. Quemadmodum enim per eum Patrem cernis: ita, si ipsius gloriam ignores, ne Patris quidem gloriam cognitam habebis. *Non enim nos ipsos prædicamus: sed Christum Iesum dominum nostrum, nos autem seruos vestros per Iesum.* Quinam hic sermonis tenor est? Quid hoc, cum iis, quæ ante dicta sunt, commune habet? Nimirum vel eos notat, vt insolentius sese offerentes, ac discipulos eò adducere cupientes, vt ab eorum nominibus sibi nomen imponant, quemadmodum in superiore epistola dicebat, Ego sum Pauli, ego autem Apollo: aut aliud quiddam grauissimum significat. Quidnam hoc? Quoniam acerrimum in ipsos bellum illi gerebant, atque insidias vndique ipsis struebant. Num, inquit, aduersum nos pugnat, ac non potius aduersus eum, qui à nobis prædicatur? Neque enim nos ipsos prædicamus. Nam ego seruus sum, ego eorum etiam, qui prædicationem excipiunt, minister, operam

A omnem alteri nauans, atque ipsius gloriæ causa quiduis faciens. Ita, dum mihi bellum infero, ea, quæ illius sunt, deijcis. Tantum enim ab eo absum, vt ex Euangelico munere quicquam mihi arrogem, vt ne seruus quidem vester esse propter Christum recusaturus sim, quando quidem ipsi visum est tanto in pretio vos habere, tantoque amore vos complecti, ac salutis vestræ causa quiduis agere. Vnde etiam ait, *Nos autem seruos vestros propter Christum.* Videtne animum ab omni gloriæ studio purum? Tantum abest, inquit, vt eorum, quæ Domini sunt, quicquam vsurpemus, ac nobis arrogemus, vt etià nos ipsos vobis propter eum subiiciamus: *quoniam Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus vestris.* En quomodo rursus iis, qui eximia illam gloriam, Mosis videlicet, oculis vsurpare cupiebant, ostendit etiam cum additamento fulgentem. Quemadmodum enim, inquit, in vultum Mosis, ita etiam in corda vestra effulsit. Et quidem prius ea, quæ in rerum conditarum initio extiterunt, in memoriam ipsis reuocat, lucem nimirum in sensum cadentem, atque item sensibilem caliginem, ostendens hoc opificium illo sublimius ac præstantius esse. Verum vbinam dixit, *de tenebris lucem splendescere?* In principio, ac rerum conditarum primordiis. Tenebræ enim, inquit, erant super faciem abyssi. Et dixit Deus, Fiat lux. Non enim hic dixit Apostolus, quòd nunc quoque dixerit Deus: sed quòd ipsemet fulserit. Quocirca, nec res eas, quæ in sensum cadunt, hac luce affulgentem intuemur, sed Deum ipsum nobis per Christum illucentem. Videtne quo pacto nihil in Trinitate sit diuersum? Nam de Spiritu sancto ait, *Nos autem omnes, reuelata facie gloriam domini specuantes, in eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam, tanquam à domino Spiritu.* Rursus de Filio, *Vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei.* De Patre denique, *Qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus vestris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi.* Quemadmodum enim cum dixisset, *Euangelij gloriæ Christi,* subiicit, *qui est imago Dei,* his scilicet verbis indicans eos, illius quoque gloria orbatos esse: Ita cum dixisset, *scientiæ Dei,* adiecit, *in facie Christi,* vt ostendat nos per Christum ad Patris cognitionem peruenire, quemadmodum etiam per Spiritum nobis ad eum accessus patet. *Habemus autem istum thesaurum in vasis fictilibus: vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis.* Quoniam enim de arcana illa gloria per multa & ampla verba fecerat, ne quis diceret, *Qui fit igitur, vt cum tantam gloriam consecuti sumus, in mortali corpore maneamus,* hoc ipsum, inquit, est summo perè mirandum, ac luculentissimum diuinæ potentæ argumentum, quòd fictile vasculum tantum splendorem ferre, ac tantum thesaurum tueri potuit. Cuius etiam rei admiratione ipse commotus dicebat, *Vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis,* his verbis eos rursus perstringens, qui in seipsis gloriabantur. Nam & beneficiorum datorum magnitudo, & eorum, qui his affecti sunt, imbecillitas, vim Dei demonstrant, non modò quia magna largitus est, sed quia paruis & abiectis. Fictile quippe dixit, vt humanæ naturæ fragilitatem significaret, carnisque nostræ imbecillitatem conspicuam redderet. Testa nanque nihilo melius illa se habet: ad eò offensionibus patet, ac morte, & morbis, & cœli intemperiiis, atque innumeris aliis incõmodis facile dissoluitur. Hæc porro dicebat, tum vt eorum arrogantiam comprimeret, tum vt nihil rerum suarum humanum esse demonstraret. Nam tum demum Dei vis maximè elucet, cum per viles & abiectos homunculos ingentes res parat. Ac proinde alio etiam loco aiebat, *Virtus mea in infirmitate perficitur. Quin in veteri quoque Testa-*

Gen. 1.

Humane nature fragilitas.

Inf. 12. 1. Reg. 5.

mento per culices & muscas totos barbarorum exercitus in fugam vertebat. Ob eamque causam erucam magnam vim suam appellabat: & olim linguas duntaxat confundendo, ingentem illam turrim Babylonicam deleuit. In bellis insuper, non per trecentos viros infinitam hostium manum profligabat, nūc tubarum clangore vrbes euertebat: ac postea per exiguum ac vilem adolescentem Dauidem vniuersam barbarorum aciem in fugam agebat. Eodem itaque modo hīc quoque missis duntaxat duodecim viris de orbe victoriam adeptus est: idque etiam, cum ipsi infesta omnia haberent, ac bello ab omnibus vexarentur.

MORALE.

Quomodo in fidei Christianæ predicatione vis diuina effulserit.

QUOCIRCA Dei potentiam ad stuporem vsque admitemur, ac suspiciamus & adoremus. Sciscitemur ex Iudæis, sciscitemur ex Gentilibus, quisnam vniuerso terrarum orbi persuaserit, vt à patriis ritibus & institutis abscederet, atque ad alteram viuēdi rationem sese conferret? piscator, an tentoriorum effector? publicanus, an indoctus ac litterarum expertus? Quam autem hoc rationem haberet, nisi vis diuina fuisset, quæ per hos omnia conficeret? Nam quid ad inflectendos ac permouendos eorum animos dicebant? Baptizemini in nomine crucifixi. Cuius tandem? Nempe quem nunquam viderant. Et tamen cum hæc dicerent ac prædicarent, auditoribus persuadebant, eos, qui vaticinabantur, atque à maioribus traditi ipsis erant, Deos minimè esse: Christum contrà, qui clavis in cruce affixus fuerat, omnes ad suas partes pertraxisse. At qui, quòd in crucem sublatus, ac sepultura affectus fuisset, apud omnes ferè constabat: quòd autem reuixisset, pauci omnino viderāt. Nihilò fecius tamē hoc quoque ipsum, iis, qui non viderant, persuaserunt: nec id solum, sed & hoc etiam, quòd in cælos ascēdisset, atque ad iudicium de viuis ac mortuis ferendum venturus esset. Vnde igitur, velim dicas, persuadendi vis in his sermonibus? Non aliunde scilicet, quam à Dei potentia. Primum enim nouitas ipsa omnium animos offendebat. Cum autem in huiusmodi rebus quispiam res nouas molitur, id verò acerbiter maiorem affert, vt cum prisorum rituum fundamenta effringit, ac leges radicibus euellit. Huc accedit, quòd ne præcones quidem ipsi auctoritate valere videbantur. Nam & ex ea natione erant, quæ apud omnes odio & inuidia flagrabat: & ipsi timidi ac doctrinæ expertes erant. Vnde igitur orbem subegerunt? Vnde vos, & maiores vestros, qui philosophiæ opinionem obtinebant, atque ad eò Deos ipsos ciecerunt? An non liquet, id ipsis ex eo contigisse, quòd Dei ope ac præsidio niterentur? Neque enim tam præclara facinora in humanam potentiam cadunt, sed in diuinam quandam ac sermone sublimiorem. Minimè verò, inquiunt isti: sed præstigiis hoc consecuti sunt. Quid audio? Ergo dæmonum imperium augeri par erat, atque idolorum cultum amplificari. Quis igitur factum est, vt ea deleta atque extincta sint, ac nostra, quæ cum illis omnino pugnant, efflorescant? Quare hinc quoque liquet, Dei calculo hæc contigisse: neque id duntaxat à doctrina & prædicatione, sed ab ipsa quoque vitæ ratione. Quando enim tanta virginitas passim toto orbe consistit? Quando par opum, & vitæ, atque aliarum omnium rerum contemptio? Nam homines nequam, & flagitiosi, ac præstigiatores, nihil eiusmodi effecerint: sed contraria omnia. At hi angelicam vitæ rationem nobis, & in nostra, & in barbara regione, atque

adeò in extremis terræ recessibus non modò suaserunt, sed etiam persuaserunt. Ex quo nimirum perspicuum est, Christi vim fuisse, quæ hoc totum confecerit, vim inquam illam vbique lucentem, ac fulgetra quavis celerius hominum mentes illustrantem. Hæc igitur cum animis vestris reputantes, atque apertum promissionis futurorum bonorum argumentum, ex his, quæ facta sunt, capientes, inuictam illam crucifixi potentiam nobiscum adorate: vt & intolerandos cruciatus effugiatis, & sempiternum regnum assequamini. Quod vti vobis contingat, per gratiam, & benignitatem domini nostri Iesu Christi, &c.

HOMILIA IX.



N omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aperiatur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur. In eo adhuc immoratur, vt ostēdat omne hoc negotium diuinæ potentie ascribendum esse: quòd eorum arrogantiam coerceret, qui in seipis gloriabantur. Non enim, inquit, hoc solum admirationem habet, quòd hunc thesaurum in fictilibus vasis asseruamus: sed etiam quòd, cum sexcentis incommodis premamur, atque omni ex parte pulsamur, eum tamen tuemur, nec amittimus. Et quidem si vel adamantinum vas esset, tanto tamen thesauro gestando, tantisque insidiis sustinendis impar esset. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur. Quid est, in omnibus? In hostibus, in amicis, in rebus necessariis, in aliis, quarum penuria laboramus, ab hostibus, à nostris, sed non angustiamur. Ac vide quemadmodum pugnant res dicat, vt hinc quoque Dei vim commonstret. Tribulationem patimur, inquit, sed non angustiamur: aperiatur, sed non destituimur: hoc est non ad extremum vsque confertimur. Plerisque enim in locis dolemus, nec quod volumus, assequimur: non sic tamen, vt à propositis rebus excidamus. Hac quippe non eò permittit Deus, vt vincamur, sed vt exerceamur. Persecutionem patimur, sed non derelinquimur: deijcitur, sed non perimus. Quamuis enim tentationes contingant: non ea tamen contingunt, quæ ex tentationibus oriri solent. Id quod etiam ipsum Dei potentia & gratia acceptum referri debet. Quanquam etiam alio loco hæc Deum idcirco permittit ait, tum vt ipsorum modestiam atque humilitatem hac ratione alat, tum vt aliis consulatur. Ne enim insolentiùs efferar, inquit, datus est mihi stimulus. Et rursus, Ne quis existimet de me, supra id quod videt, & audit ex me. Et alio loco, ne fidentes simus in nobis ipsis. Hinc verò: vt Dei potentia elucescat. Vidēsne quantus quæstus ex tentationibus redeat? Nam & Dei vim ostendebant, & gratiam amplius detegebant (sufficit enim tibi gratia mea, inquit.) & ad colendam modestiam hortabantur, & aliorum fastum atque arrogantiam compescebant, ac denique firmiores eos ac tolerantiores efficiebant. Patientia enim, inquit, probationem operatur, probatio spem. Nam qui in quamplurima pericula inciderant, atque ex iis spe diuina fracti emerferant, documentum hinc capiebant, eam sibi in omnibus rebus arctius esse complectendam. semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes: vt & vita Iesu manifestetur in corpore nostro. Quidnam erat hæc mortificatio domini Iesu, quam circumfererebant? mortes quotidianæ, per quas resurrectionis specimen edebatur. Nam si quis est, inquit, qui Christum mortem obijisse, atque ad vitam rediisse minimè credat, in nos intueatur, qui singulis diebus morimur, atque ad vitam reuocamur: ac tum resurrectioni fidem est habiturus. Vidēsne quemadmodum

aliam adhuc tentationum causam inuenerit? Quam tandem? Vt & vita Iesu, inquit, manifestetur in corpore nostro. In eo videlicet, quòd nos è periculo extrahat. Ita fit, vt quod infirmitatis ac derelictionis speciem habet, hoc ipsius resurrectionem prædicet. Neque enim, si nullis molestiis afficeremur, perinde ipsius potentia declarata fuisset, ac nunc declaratur, cum variis quidem calamitatibus conflictamur, sed tamen minimè vincimur. Etenim nos qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum: vt & vita Iesu manifestetur in nobis in carne nostra mortali. Passim hunc morem tenet, vt cum quidpiam obscure dixerit, id rursus exponat. Id quod hoc quoque loco fecit, illud videlicet, quod dixerat, apertius declaras. Propterea tradimur, inquit, hoc est mortificationem circumferimus, vt vitæ ipsius potentia perspicua fiat, non sinentis nimirum mortalem carnem tanta perpetentem, malorum agmine frangi ac debilitari. Quamquam hoc aliter quoque accipi potest. Quomodo? Vt alio loco ait, si commoriamur, & conuiuemus. Vt enim nunc ipsius mortem perferimus, atque ipsius causa vitam cum morte commutare volumus, ita etiam ipse extinctus ad vitam reuocare tunc volet. Nam si nos è vita ad mortem venimus, ipse quoque è morte ad vitam nobis dux erit. Ergo mors in nobis operatur: vita autem in vobis. Non iam de corporea morte, sed de tentationibus, animorumque relaxatione loquitur, cum ait, nos quidem in periculis ac tentationibus versamur: vos autem in quiete ac relaxatione vitam eam, quæ his periculis comparatur, percipitis. Atque ea quidem, quæ cum periculo coniuncta sunt, ipsi sustinemus: at vos rebus secundis ac latis fruimini. Neque enim pares tentationes suffertis. Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est, Credidi propter quod locutus sum, & nos credimus propter quod & loquimur: scientes quoniam qui suscitauit Iesum, & ipse suscitabit nos per Iesum. Submonuit nos psalmi, insignem philosophiam complectentis, atque eiusmodi, quæ homines in periculis positos ad fortitudinem mirum in modum excitare possit. Hæc enim verba vir iustus pronunciauit, cum in magnis periculis esset, & è quibus non aliunde, quam per diuinam opem, emergens facultas vlla suppetebat. Quoniam igitur quæ cognata sunt, magnam ad consolandum vim habere solent, idcirco dixit, Habentes eundem spiritum: quod perinde est ac si diceret: eodem subsidio freti, quo ille è periculo ereptus est, nos quoque seruamur: ex eodem spiritu, quo ille locutus est, nos quoque loquimur. Quibus verbis illud ostendit, miram esse inter nouum ac vetus Testamentum concordiam, atque eundem spiritum esse, qui in vitroque vim suam exeruerit: illudque prætereà, non nos solos in periculis versari, sed etiam veteres omnes: ob idque fide ac spe animos erigendos esse, nec vrgentium malorum finem atque exitum statim petendum. Postquam enim rationibus resurrectionem ac vitam demonstrauit, illudque insuper, pericula imbecillitatis ac desertionis argumentum minimè esse, deinceps iam fidem etiam inuehit, eique omnia committit. Quanquam ipsam quoque vt probet ac muniat, Christi resurrectionem in medium affert, cum ait: nos quoque credimus, propter quod & loquimur. Quid credimus, heus tu? Quod is, qui Christum suscitauit, nos etiam excitabit, & constituet vobiscum. Omnia enim propter vos: vt gratia abundans, per multos in gratiarum actione abundet in gloriam Dei. Rursus animos eorum effert, vt nō hominibus gratiam habeant, hoc est pseudoapostolis. Hoc enim totum diuini beneficii est, qui compluribus gratificari vult, vt maior gratia appareat. Propter vos quippe & resurrectio ipsius extitit, & cætera omnia. Neque enim

vnus duntaxat hominis causa hæc fecit: sed omnium. Propter quod non desicimus: sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpitur: tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem. Quomodo corrumpitur? Cum flagris caditur, exagitur, sexcentis acerbitatibus afficitur. Is tamen qui intus est, renouatur de die in diem. Quo pacto renouatur? Fide, spe, animi promptitudine. Restat igitur, vt ad pericula intrepidum animum afferamus. Quò enim pluribus incommodis corpus diuexatur, eò latiori spe animus fruitur, ac splendidior efficitur, non secus atque aurum, cui ignis diutius adhibetur. Ac vide quomodo presentis vitæ molestias abstergat. Id enim quod in presenti est momentaneum ac leue tribulationis nostre, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Spe negotium concludit: quòdque in ea Epistola, quæ est ad Romanos, dicebat, Spe salui facti sumus, spes autem quæ videtur non est spes: hoc etiam hinc astruens, præsentia cum futuris componit: in præsentem nempe cum æterno, leue cum graui, tribulationem cum gloria. Ac ne hoc quidem contentus, alteram vocem adiungit, eamque concludit, cum ait, supra modum in sublimitate. Quinetiam modum postea declarat, quot ac tantæ afflictiones leues efficiuntur. Quoniam igitur modo leuantur. Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Ita nimirum & præsentis molestias leues, & futurum illud præmium ingens atque amplum existet, si ab his rebus, quæ aspectu sentiuntur animos nostros abduxerimus. Quæ enim videntur, temporaria sunt. Ergo & eiusmodi sunt afflictiones. Quæ autem non videntur, æterna. Igitur & coronæ quoque tales. Nec verò dixit, Tales sunt tribulationes, sed omnia quæ videntur: siue supplicium dicas, siue quietem, ac relaxationem animi: vt non sit cur aut tormentis frangaris, aut deliciis emolliaris. Quocirca ne de futuris quidem verba faciens, dixit, regnum æternum: sed, quæ non videntur æterna sunt, siue regnum sit, siue cruciatus: vt & illinc nos exciter atque adhortetur, & hinc terrorem nobis iniiciat.

MORALE.

Pia ad æternæ vitæ studium adhortatio.

CVM igitur, quæ videntur, temporalia sint, quæ autem non videntur, æterna, ad hæc oculorum aciem intendamus. Ecqua enim nobis excusatio futura est, si fluxa & caduca sempiternis potiora habuerimus. Nam etsi suaue est, quod præsens est: minimè tamen perpetuum. At verò ea acerbitas, quæ ex hac suauitate nascitur, eiusmodi est, vt nec finem habeat, nec veniam. Quam enim excusationem habituri sunt, qui, eum spiritum acceperint, tantòque beneficio affecti sint, humilibus tantum rebus & abiectis toto studio incumbunt, atque in terram collabuntur? Etenim complures audio, qui ridiculis hisce verbis vtuntur, Da mihi hodiernum diem, & tu crastinum sume. Nam si talis est in futuro æuo rerum status, qualem dicitis, vnum pro vno fuerit. Si verò ex iis, quæ de æuo illo commemorantur, nihil omnino est, duo pro nihilo erunt. Quid his vocibus sceleratius, quid dementius fingi potest? Nos de cælo differimus, ac de arcanis & ineffabilibus illis bonis: & tu verba è Circo petita in medium profers, nec pudore suffunderis ea proloquens, quæ mente captorum hominum sunt, nec crubescis, præsentibus rebus ita infixus? Non desipere ac mentis errore affici desines, atque in iuuenili etiamnum ætate delirare? Quòd si hæc verba ex Gentilium ore mitterentur, nihil mirum esset. At verò fide præditos homines eiusmodi sermones effutire, quam tandem veniam mereri id queat?

Amos 4.
Gen. 11.
Iudic. 7.
Iosue 6.
1. Reg. 17.

Ad. 1.

Rom. 6.

Psal. 115.

Rom. 8.

Atheorū sermo.

Vide fol. 708.

Dic enim, an spes illas immortales omnino suspectas habes? An hæc prorsus dubia atque incerta esse censet? Si ita est, qua tandem venia hæc digna esse queant? Et quisnam inquit, ad nos venit, ac quæ illic gerantur, exposuit? Hominum sanè nemo: sed Deus ipse, cui potius quam vniuersis mortalibus, credendum est, hæc declarauit. Sed non vides res illas, inquit. Ne tu quidem Deum cernis. Quid ergo, an proinde Deum esse non existimabis, quia cum non vides? Et valde quidem existimo ac credo, inquit. Igitur si quispiam, ex his, qui fide carent, ita tecum agat, ac percontetur, ecquis è cælo venit, atque hæc narrauit, quid dicturus es? Vnde tibi est exploratum Deum esse? Ab iis rebus, quæ in aspectum cadunt, inquit, ac commodissimo eo ordine, qui in rebus omnibus conditis elucet: hinc denique, quòd de eo inter omnes constat. Fac igitur vt sermonem quoque de extremo iudicio ad eundem modum excipias. Quo pacto, inquit? Percunctabor te: tu verò responde. Iustus ne est hic Deus, ac cuique, quod meretur, tribuit: an contra sceleratos homines florere, atque in deliciis versari vult: probos autem contraria omnia habere? Minimè inquit: Nam ne homini quidem hoc acciderit. Vbi nam igitur, qui virtutem in hac vita coluerunt, bonis fruuntur? vbi nam rursus, improbis pœna constituta erit, si nulla posthac vita, nulla merces, aut pœna futura est? Vidè sine, quòd vnum pro vno adhuc est, & non duo pro vno? Ego verò porro progrediar, illudque tibi ostendam, ne vnum quidem pro vno improbos habere, sed ita comparatam esse huius rei rationem, vt iustis quidem duo pro vno futura sint, iis autem, qui perditè & flagitiosè viuunt, ac delicias amplectantur, contra omnino. Nam qui in hac vita se voluptatibus dediderunt, ne vnum quidem pro vno acceperunt: qui autem vitæ curriculum cum virtute conficiunt, duo pro vno. Vtri enim, quæso, in voluptate sunt, qui præsentis vitæ ad luxum ac delicias abusi sunt, an qui ex christianæ philosophiæ præceptis vitam suam moderati sunt? Tu fortasse illos dices: ego autem hos esse ostendam, & quidem eos ipsos testes citans, quibus præsentibus bonis frui contigit. Nec verò ita perfrieta fronte erunt, vt aduersus ea, quæ dicturus sum, niti audeant. Nam & pronubas sæpe diris omnibus deuouerunt, etiam ipso die quo thalami strati sunt: eosque sceleratis nomine prædicarunt, qui vxorem non duxerunt. Quin multi quoque iuuenes, cum ineundi matrimonij potestas esset, non aliam ob causam ab vxore ducenda abhorruerunt, quam ob molestias, quas id vitæ genus haberet. Nec verò hæc eò à me dicuntur, vt matrimonium accusem (honorabile enim est) sed eos, qui eo præposterè vsi sunt. Quòd si hi, qui matrimonium inierunt, acerbissimam plerumque hanc vitam esse indicarunt, quid de iis dicemus, qui in prostibulorum voraginem prolapsi sunt, ac captiuo quouis seruilis & miseris sese affecerunt? quid de iis, qui in deliciarum cœno computruerunt, ac sexcentis morbis corpus inuoluerunt? At honoribus & gloria pollere dulce est? Nihil verò hac scrutate acerbis & amarulentis excogitari potest. Nam qui ita affectus est, vt inanis gloriæ cupiditate captus, vel infimis quibuslibet homuncionibus placere studeat, mancipiis quibusuis abiectionis est, atque contemptior. Qui autem eam sub pedibus positam, ac protritam habet, nec aliorum de se iudicia laudèque moratur, is verò omnium excelssimus habendus est. At opes habere præclarum est, & expectandum. Verum à nobis sæpenumero demonstratum est, eos in maioribus opibus animique iucunditate versari, qui ab iis immunes sunt, atque omnibus rebus carent. Sed per bacchari suaue est? Et

Vera voluptas in virtute sita.

Hebr. 13.

quis hoc dixerit? Quocirca si iucundius ac suauius est, inopem esse, quam diuitem, à matrimonio abstinere, quam matrimonium subire, inanem gloriam aspernari, quam appetere, à deliciis abhorrrere, quam deliciis studere, sequitur, vt hic quoque meliore conditione sint, qui se in rerum præsentium amore minimè defixerunt. Nondum hoc commemoro, quòd vir quidem probus, tametsi innumeris tormentis excrucietur, habet tamen spem latam, cuius adminiculo nititur ac leuatur: improbus contra, etiam si innumeris voluptatibus fruatur, inest tamen in eius animo futuri supplicij metus, voluptatem ipsius interpellans atque perturbans. Nam ne hic quidem supplicij modus paruus est: quemadmodum nec contrarius, hoc est voluptatis & oblectationis. Est etiam tertius modus præter hos duos. Quinam tandem? Quòd huiusce vitæ delicia, ne tum quidem apparent, cum adsunt, utpote quas, & natura, & tempus coarguat: illæ contra non modò sunt, sed firmæ quoque ac stabiles manent. Iamne perspicis, quòd non modo duo pro nullo, sed etiam tria & quinque, & decem, & viginti, atque ad eò sexcenta pro nullo ponere poterimus? Quòd vt etiam proposito exemplo intelligas, prodeant in medium diues ille ac Lazarus. Ille præsentia, hic futura percepit. An porro vnum atque idem esse status per omne tempus puniri, atque ad exiguam horam fame vexari? in caduco ac mortali corpore ægrotare, & in immortalis acerbis in modum igne cruciari? Paruo illo morbo perfunctum, sempiternis postea deliciis circumfluere, & post breuem fructum ex opibus perceptum sempiternis postea suppliciis torqueri? Et quis tandem hoc contenderit? Nam quid expendere volumus, qualitatemne an quantitatem? ordinem in quo vterque à Deo collatus est, an sententiam que de vtroque lata est? Quousque tandem scarabæorum in cœno semper sese volutantium verba loquemini? Neque enim hominum ratione præditorum est, animam, quæ tanti pretij est, pro re nullius momenti proijcere: cum è contrario nobis agendum sit, vt pro exiguo labore cælum capiamus. Quid verò? Placètne vt aliunde adhuc doceam, horrendum in altero æuo tribunal esse? Conscientiæ tuæ ianuam aperi: ac iudicem in animo tuo velut pro tribunali sedentem intueri. Quòd si tu, quanuis præpostero tui amore affectus, te ipsum tamen condemnas, nec iniquam sententiam ferre sustines, an non multò maioris curæ ius Deo erit, atque incorruptum ille de omnibus iudicium feret? Sed temerè hæc omnia ferri sinet, inquit. Ecquis tandem hoc dixerit? Nemo profectò. Nam & Græci, & Barbari, & Poætæ, & Philosophi, & omnes denique mortales, in hoc nobiscum, etsi dispari modo, consentiunt: ac quadam in inferis tribunalia esse aiunt. Vsq; eadè perspicua & indubitata hæc res est. Quid autem affertur, inquit, cur Deus hic in improbos minimè animaduertat? Nimirum vt longanimitatem suam ostendat, nobisque per penitentiam viam ad salutem muniat, ac non vniuersum mortalium genus funditus deleat, eosque, qui per optimam vitæ mutationem salutem consequi poterant, priusquam ad eam perueniant, de medio tollat. Nam si flagrantibus peccatis homines confestim pœnis ac morte afficeret, quo tandem modo salutem accepisset Paulus, quo modo Petrus, principes inquam illi, ac summi totius orbis magistri? Quoniam modo David salutem ex penitentia percepisset? Quoniam modo Galatæ, alique plures? At, pergis querere, Quid causæ est, quam obrem nec ab omnibus in hac vita pœnas expetit, sed ex omnibus illis, paucis tantum supplicia infert: nec rursus in altero

Luc. 13. 1. Cor. 11.

Psal. 102. 7.

Vita hæc momentum est.

Luc. 15.

Matt. 25.

tero æuo, de omnibus pœnas sumat, sed de aliis hic, de aliis illic? Nempe vt & per eos, quos hic plectit, vel stupidissimum quemque excitet: & per eos, quorum impunita scelera relinquit, illud efficiat, vt futura expectemus. An non vides plerumque hic flagitiorum suorum pœnas luere, vt eos, qui turris ruina oppressi sunt, vt eos, quorum sanguinem Pilatus cum sacrificiis commiscuit, vt Corinthios eos, qui ob indignè percepta mysteria præmaturam mortem obierunt, vt Pharaonem, vt Iudæos, qui à Barbaris trucidati sunt, vt plerumque alios: & tum, & nunc, & perpetuò? Rursus alij multi, nullis hic scelerum pœnis per solutus è vita discesserunt: vt diues ille qui Lazari tempore vixit, alijque complures. Hæc porro eam ob causam facit, partim vt ex eorum qui futura non credunt, animis soporem excutiat: partim, vt eos, qui segnitie laborant, diligentes ac studiosos reddat. Deus enim iustus est iudex, & fortis, & longanimis: nec per singulos dies iram inducit. Quòd si ipsius longanimitate abutamur, erit tempus, cum iam ne tantillum quidem temporis longanimitatem adhibebit, verum statim supplicia inferet. Quæ cum ita sint, prouideamus, ne dum ad vnicum momentum (momenti enim instar est hæc vita) deliciis indulgere volumus, infinitorum sæculorum pœnam nobis acceramus: verum ad momentum potius laboremus, vt perpetuis coronis cingamur. An non cernitis in huiusce quoque vitæ negotiis bonam hominum partem eodem modo facere, ac breuem laborem diuturnæ quietis causâ suscipere: tametsi etiam sæpe contra res eueniat ac sibi proponunt. Hic enim laborum ac quæstus æqua est portio. Imò etiam plerumque contra vsu venit, vt infinitus sit labor, fructus autem tenuis, ac sæpe ne tenuis quidem. At verò, cum de cælesti regno agitur, contraria est ratio. Paruum enim laborem magna atque infinita iucunditas excipit. Sic enim considera. Agricola totum annum laborat: atque ad finem ipsam diuturnorum laborum fructu sæpenumero excidit. Rursus, & nauis gubernator, & miles, ad extremam vsque ætatem in bellis & laboribus versati, sæpe ita hinc excedunt, vt & ille mercium suarum opibus labatur, & hic vitam vnâ cum victoria amittat. Ecquam ergo, te rogo, excusationem habituri sumus, qui cum in rebus fluxis & caducis ea que cum labore coniuncta sunt, præferimus, vt parumper conuiescamus, vel ne parumper quidem (dubia quippe hæc spes est) in spiritualibus cõtrario omnino modo faciamus, ac propter exiguam ignauiam, eiusmodi, qui nullis verbis explicari possunt, cruciatus nobis attrahamus. Quocirca vos omnes oro atque obtestor, vt tandem aliquando ex hoc stupore atque amentia vos ipsos recipiatis. Nemo enim tum erit, qui vos è pœnis eximat, non pater, non filius, non amicus, non vicinus, nõ quisquam alius: sed, si nos opera nostra prodiderint, omnia pessum ibunt, ac prorsus de nobis actum erit. Quantos diues ille luctus emisit, quantis precibus à Patriarcha contendit, vt Lazarum ad se mitteret? Verum audiamus quid responsi ab Abrahamo tulerit: Chaos magnum inter vos ac nos interiectum est: ita vt ne hi quidem, qui volunt illuc transire, id possint. Quam obnoxias precibus virgines illæ cum æqualibus suis egerunt, vt parum olci ab ipsis acciperent: Verum audi quid ipsæ quoque dicant: Ne fortè non sufficiat nobis & vobis. Nec fuit quisquam qui eas in thalamum introducere posset. Hæc itaque cum animis nostris reputantes, nos quoque vitæ nostræ curam geramus. Nam quoslibet labores commemoraueris, quoslibet cruciatus admoueris, nihil omnino hæc erunt, si cum futuris bonis conferantur.

Chrysof. tom. 4.

Pone enim, si ita lubet, ignem, & ferrum, & belluas, ac si quid his acerbis est: hæc tamen præ tormentis illis ne vmbra quidem rationem habent. Hæc quippe, cum acrius ac vehementius adhibentur, tum potissimum leuia efficiuntur. Hoc enim afferunt, vt iis ocyssimè liberemur, quòd corpus ferendæ doloris acerbitati ac diuturnitati minimè par sit. At verò illic secus res habet. Nam & longinquitas, & incredibilis quædam magnitudo, simul concurrunt, tam in rebus iucundis, quam in molestis & acerbis. Proinde, quando diu tempus est, præoccupemus faciem domini in confessione: vt tum eum suaue ac placidum cernamus, ac minaces illos angelos effugiamus. An non hos lictores conspicias, qui præfectis administram operam nauant, quomodo fontes trahant, quomodo vinciant, quomodo flagris afficiant, quomodo latera perfodiant, quomodo ignem in tormentis admoueant, quomodo fecerit? Atqui hæc cuncta merus ludus ac risus sunt, si cum illis suppliciis in contentionem veniant. Etenim hæc tormenta temporaria sunt: illic autem nec vermis moritur, nec ignis extinguitur. Corpus quippe tale iam est, vt interire ac corrumpi nequeat. Faxit autem Deus, ne hæc re ipsa atque experimento discamus, sed intra verba hi terrores consistant, nec carnificibus illis tradamur, verum hic potius castigemur. Quantum verborum tum profunderemus, nos ipsos accusantes! quos gemitus, quos singultus edemus! Sed iam nihil inde commodi ac fructus consequemur, (quandoquidem, nec fracta ac depressa nauis nauæ iam quicquam prodesse queunt, nec medici extincto ægroto) verum identidem quidem illud in ore habebimus, quòd hoc acque illud facere oportebat: cæterum frustra omnia atque incassum dicentur. Quantisper enim per vitæ ac morum emendationem salutis spes adhuc incolumes sunt, nihil non dicere ac facere opus est: cum autem nulla iam res arbitrij nostri erit, re videlicet tota perdita & corrupta, tum verò frustra, & dicentur omnia, & fient. Nam & Iudæi tum dicturi sunt, Benedictus qui venit in nomine domini: verum nullum huius vocis fructum propterea capere poterunt, vt pœnam effugiant. Non enim tum hoc dixerunt, cum dicendum erat. Quocirca, ne hoc quoque nobis in vita ac moribus accidat, hic iam vitam in melius commutemus, vt ad Christi tribunal cum omni fiducia sistamur, quam, velim, ipsi consequamur per gratiam & benignitatem domini nostri Iesu Christi, cum quo patri, & spiritui sancto gloria in sæcula. Amen.

Psal. 94.

Mar. 9.

ANNOTATIO.

a Vnum pro vno fuerit.] Erant Chrysofomi ætatè nonnulli, quemadmodum & hac nostra tempestate non pauci, voluptatum illecebriis ita deliniri atque corrupti, vt quæ de futuræ vitæ præmiis ac suppliciis Scriptura tradit, vel pro fabulis haberent, vel certè parum admodum curarent. Eorum enim hæc verba erant: Da mihi hodiernum diem: & crastinum cape. hoc est, Sine me præsentis vitæ oblectamentis frui: tu verò futura bona tibi habe. Atque etiam, in re scilicet maximè seria iocantes, his verbis à circo petitis utebantur: Si talia illic erunt, qualia ipsi dicitis, *εἰ ἀντ' εὐδὸς γέροντες, αἰ δὲ μὲν δὲν ὄλας ἢ, δύο αὐτ' ἕδνός,* id est, vnum pro vno extitit: *ἴτι:* autem nihil omnino sit, duo pro nullo. Quòd quidem perinde erat ac si ad hunc modum loquerentur: Si vera sunt quæ de iustorum præmiis, & iniquorum suppliciis commemorantur, æqua conditione erimus. Nos enim præsentia habebimus: vos futura. Sin falsa & commentitia, nos quidem duplici nomine beati erimus, vt qui & in hac vita in omni voluptatum genere versati fuerimus, & in altero æuo nullas pœnas subituri sumus: vos contra duplici nomine miseri, vt qui & in hac vita magnos labores susceperitis, & in futura

Vide fol. 702.

Z

vita nihilo quam nos meliore conditione futuri sitis. At impiam hanc & Epicuream opinionem grauissimis verbis insectatur vir sanctissimus, ostenditque impiis non modò duo pro vno minimè fore (hoc enim à Dei iustitia abhorre docet) sed ne vnum quidem pro vno. Impiis enim ne in hac quidem vita bene esse posse, cum impure ac scelerata conscientia perpetuus comes sit metus, animique angor. Exciderat porro ei, qui ante me hunc Commentarium Latinum fecit, vna linea quæ totum hunc locum proflus obsecratur. Nam post hæc verba *ἐξ ἧς ὁπ ἐν αὐτῷ ἐνός τῶος, καὶ ἐξ ἧς δύο αὐτῷ ἐνός*, sequitur in Græco, *ἐξ ἧς δύο αὐτῷ ἐνός ὁπ ἐν αὐτῷ ἐνός, ἀλλὰ δύο αὐτῷ ἐνός* (vbi tamen legendum fortasse *αὐτῷ ἐνός*) *ἐστὶν τῆς διχλοῖας*. id est, Videlicet quòd adhuc vnum pro vno sit, & non duo pro vno? At ego infra hoc tibi ostendam, quòd ne vnum quidem pro vno sit, verum contra iustus duo pro vno (vel pro nihilo potius) erunt. Hoc est, vt dilucidius id explicem, iam tibi, quisquis es qui circensi hoc dicto abuteris, illud præcidi, nulla piis post hanc vitam præmia, nullas impiis pœnas à Deo constitutas. Itaque iacet iam illud tuum, Duo pro vno. Ostendi enim id cum Dei iustitia ex diametro pugnare, vt quispiam, & hîc vitiorum lenociniis ac voluptatum illecebris totum se tradat, & cœlestibus ac sempiternis bonis quandòque oblectetur. Id quod tu stultè tibi pollicebaris, tremendum istud Christi tribunal in dubium reuocans. Nunc verò porrò progrediar, atque illud planum faciam, tibi tuique similibus ne vnum quidem pro vno fore, hoc est flagitiosos & sceleratos homines non modò in altera vita miserimo ac terribimo statu fore, sed ne hîc quidem suauem ac iucundam vitam habere: cum contra ij, qui fidem ac iustitiam colunt, duo pro vno (ego tamen vt dixi *αὐτῷ ἐνός*, legere malim, id est pro nullo) habeant, hoc est, non modò sempiterna in cœlo præmia consecuturi sint, sed hîc quoque summa cum iucunditate ac tranquillitate viuunt.

HOMILIA X.

CAP. V.



SCIMVS enim quoniam si terrestris domus nostra huius tabernaculi dissoluatur, adificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. Rursus eorum alacritatem excitat, propterea quòd multæ ipsis tentationes inferebantur. Verisimile enim erat eorum animos ob ipsius absentiam debilitatos fuisse. Quid igitur ait? Nihil est quòd miremur ac perturbemur ob calamitates eas, quibus afficimur. Multa enim commoda hinc percipimus. Quorum alia quidem prius commemorauit, velut, quòd mortificationem Iesu circumferimus, ac potentia ipsius specimen maximum exhibemus (vt enim, inquit, *sublimitas virtutis sit Dei, & non ex nobis*) & perspicuum resurrectionis argumentum edimus (vt ex his verbis patet, *vt vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali*.) Posteaquam autem illud præterea dixit, interiorem quoque nostrum hominem hoc pacto meliorem fieri (etiam enim, inquit, is qui foris est noster homo corrumpitur: is tamen, qui intus est renouatur de die in diem.) ostendens rursus quantum vtilitatis afferrat vapulare ac diuexari, illud subiungit, quòd cum plenè atque integrè hoc fit, tum innumera bona iis, qui hæc incommoda pertulerint, hinc pullulabunt. Etenim ne externum tuum hominem corrumpi audiens, animo discrucieris, hoc asserit, quòd cum istud plenè atque omnino acciderit, tum maximè gaudebis, atque ad meliorem regionem concedes. Itaque non modò non est dolendum, cum ille aliqua ex parte nunc corrumpitur, verum etiam, vt omni ex parte corrumpatur expetendum est. Hæc enim corruptio ad eum statum maximè te ducit, qui ab omni corruptione atque interitu alienus est. Ac proinde hæc quoque subiungit, *Scimus enim quia si terrestris domus nostra huius tabernaculi dissoluitur, adificationem ex Deo habemus, non manufactam, æternam in cœlis*. Quoniam enim resurrectionis doctrinam, in

qua potissimum ægrotabant, rursus prosequitur, iccirco auditorum iudicium etiam assumit, eamque hoc pacto astruit: non tamen perinde vt antè, sed velut ex altera occasione ac materia in eum sermonem ingressus: (iam enim eorum errorem correxerat) aitque, *Scimus quòd si terrestris domus nostra huius tabernaculi dissoluatur, adificationem ex Deo habemus non manufactam, æternam in cœlis*. Sunt qui per terrestrem domum mundum hunc intelligant: ego verò his verbis corpus potius significari contenderim. Atque hîc velim consideres, quomodo per vocabula ipsa ostendat, quantum futura præsentibus antecellant. Nam cum terrestrem dixisset, cœlestem opposuit: cum tabernaculi habitationem (quo verbo fluxam & fragilem ipsius naturam declarat) cœlestem è regione collocauit. Etenim tabernaculi nomen plerumque temporarium quiddam ac breui periturum indicat. Ac proinde aiebat Christus: In domo patris mei mansiones multæ sunt. Quòd si Scriptura sanctorum quietem tabernaculi nomine vsipiam appellat, non simpliciter atque absolutè id facit, sed cum aliqua adiectione. Non enim dixit Christus, Vt vos recipiant in tabernacula sua, sed in æterna tabernacula. Iam verò cum dixit, *non manufactam*, eam, quæ manu constructa est, tacitè significauit. Quid igitur, inquit, corpùsne manu conditum est? Minimè verò. Sed, vel huiusce mundi domos, quæ manu extruuntur, designat: vel si Paulus per tabernaculi domum corpus hoc, quòd manu minimè conditum est, intelligit, hoc dicendum est, eum non iccirco æternam ei opposuisse, vt eam à tabernaculi domo distingueret, sed vt illius encomia auget, ac cumulum aliquem laudibus afferret. Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupientes. Quam habitationem? Corpus a corruptione alienum. Et cur nunc ingemiscimus? Quoniam illud longè melius est. De cœlo autem ipsum esse ait, propterea quòd ab omni corruptione atque interitu immune est. Non enim scilicet corpus è cœlo ad nos delabitur: sed hoc vocabulo gratiam illinc promanantem indicat. Quocirca tantum abest vt ob certum aliquod tentationum genus dolendum sit, vt etiam quoduis tentationum genus expetere debeamus. Perinde ac si diceret: Ingemiscis ob persecutiones, quæ tibi inferuntur, & quia externus tuus homo labefactatur? Imò verò hoc nomine fac ingemiscas, quòd non maiorem in modum hoc fiat, nec proflus atque in totum eorumpatur. Videlicet quoniam pacto sermonem in contrarium intorserit, cum hoc ostendit, pro eo quòd ipsi ob quasdam afflictiones in gemitu versabantur, id potius ægrè ac molestè ferendum esse, quòd non plenè atque in totum ipsis contingerent. Quo etiam fit, vt iam corpus, non tabernaculum appellet, sed habitationem ac domicilium: idque non sine magna ratione. Tabernaculum enim facile dissoluitur: illud autem perpetuò manet. Si tamen vestiti & non nudi inueniamur. hoc est, etiam si corpus deposuerimus: non tamen sine corpore illic sistemur: sed cum eodem incorruptibili effecto. Nonnulli autem alterum horum verborum sensum asserunt, quem etiam inprimis probò. Ne enim omnes ob resurrectionem intrepidum animum sumant, ait, *Si tamen vestiti*: hoc est incorruptibilitatem, atque immortale corpus consecuti, ac non nudi inueniamur: subaudi, gloria ac securitate. Id quòd superiore quoque epistola dicebat, Omnes quidem resurgemus: cæterum in sua quisque classe. Et, sunt corpora cœlestia: sunt & terrestria. Ita enim communis

munis est omnium resurrectio, vt tamen gloria non item communis sit: verum alij cum honore, alij cum ignominia, alij ad regnum, alij ad pœnam resurrecturi sint. Quòd etiam ipsum hîc indicauit, cum dixit, *si tamen vestiti ac non nudi inueniamur*. Nam & nos, qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati: eò quòd nolumus expoliari, sed superuestiri. Hoc rursus loco plenè atque apertè hæreticorum ora obstruxit, cum illud ostendit, se non de alio atque alio corpore simpliciter verba facere, sed de corruptione, atque incorruptione. Neque enim ea nobis ingemiscendi causa est, vt corpore liberemur. (hoc quippe ne exuere quidem volumus) verum corruptione ea, quæ ipsi inest, solui properamus. Vnde etiam dicit, Nolumus corpus exuere, sed ipsum incorruptione atque immortalitate superuestire. Atque hæc verba mox exponit, *vt absorbeat, quòd corruptibile est, à vita*. Quoniam enim molestum ac graue plerisque esse videbatur corpus deponere, atque cum omnium mortalium suffragiis pugnabat, dicens, Ingemiscimus, nolentes eo liberari (dicere enim aliquis potuisset, Si anima, cum ab ipso disiungitur, in tanto dolore ac luctu versatur, quorsum hoc ais, nos idcirco ingemiscere, quòd non ab eo distrahamur?) Ne igitur hæc ipsi obiiciantur, occurrit ipse, ait. Ne ego quidem hoc dico, quòd ob id ingemiscamus, vt corpus deponamus (neque enim vllus est, qui sine animi molestia ipsum deponat: quippe cum de Petro quoque dicit Christus, Tollent te, ac ducent quo non vis) sed vt immortalitatis veste ipsum superinduamus. Hoc enim est, per quòd corpore grauamur, non quòd corpore conuestiti sumus, sed quòd incorruptibili corpore, ac perpeffionibus obnoxio. Nam hoc demum est quòd nobis moerore affert. Verum accedens vita, corruptionem conficit atque absumit, non item corpus. Et quomodo hoc fit, inquit? Ne quæras. Deus hoc facit: ne curiosè hoc exquiras. Vnde etiam subiicit, *Qui autem nos efficit in hoc ipsum, Deus est*. Quibus verbis ostendit hæc iam olim decreta fuisse. Non enim nunc primum ita visum est Deo: sed iam inde ex quo nos primum ex argilla effinxit, atque Adamum condidit. Nec verò eum in hoc condidit, vt moreretur: sed vt immortalem eum efficeret. Postea, vt fidem dictis astrueret, subiunxit, *Qui etiam dedit nobis pignus spiritus*. Nam & tunc in hunc finem hominem effinxit, & nunc per baptismum efficit: eiusque rei non paruum nobis pignus præbuit, nempe spiritum sanctum. Semper autem pignoris vocabulo vtitur, tum vt demonstret se totius huius rei debitorem esse, tum vt maiorem fidem atque autoritatem apud obtusioris & crassioris animi homines, & hæreticos verbis suis conciliet. *Audentes igitur semper ac scientes*. Audentes dixit, propter persecutiones & insidias, ac mortes assiduas, perinde ac si diceret: Exagitat te aliquis, insectatur, obtruncat? Ne animo concidas. Bono tuo hoc omne sit. Ne pertimescas: sed præfidentem animum gere. Id enim, quòd tibi molestia ac dolori est, nimirum quòd corruptioni seruis, deinceps iam te de medio tollit, atque ex hac seruitute celerius liberat. Ac proinde dicit, *Audentes igitur semper*: non modò in quiete animique relaxatione, sed etiam in afflictionibus. *& scientes, quoniam dum versamur in corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, & non per speciem*. *Audemus autem, & bonam voluntatem habemus peregrinari à corpore, & presentes esse ad Dominum*. Quòd omnibus sublimius est, posteriore loco posuit. Præstantius enim est cum Christo esse, quam corpus à corruptione liberum accipere. Sensus autem horum verborum est eiusmodi: Vitam nostram is non extin-

Chrysof. tom. 4.

quit, qui nos oppugnat, ac morte afficit: ne timeas. Fidentem animum præbe cum concideris atque obtruncaris. Neque enim ille duntaxat te à corruptione vindicat, ac graui sarcina leuat: sed etiam ad Dominum confestim transmittit. Vnde etiam haudquam dixit, *dum sumus in corpore*, quòd videlicet hîc sumus tanquam in externa atque aliena regione. *Scientes igitur, quòd dum versamur in corpore, peregrinamur à Domino*. *Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & presentes esse apud Dominum*. Videlicet quo pacto molesta illa atque odiosa mortis & obitus vocabula reticens, alia perquam iucunda & suaui in eorum vicem substituerit, præsentiam nimirum ad Dominum ea nuncupans, ac rufus prætermisissis illis vocabulis, quæ iucunditatis speciem habere videbantur, hoc est vita, à molestis & acerbis ea nominauerit, peregrinationem videlicet à domino vitam hanc appellans? Hoc porro eo consilio fecit, ne quisquam in hac vita libenter immoretur, sed eam potius grauitè & iniquo animo ferat. Nec rursus, ex hac vita excessurus, vehementius perturbetur, sed potius eo nomine lætetur, vt ad maiora bona proficiscens. Postea, ne quis hæc audiens, *peregrinamur à Domino*, his ad eum verbis vteretur, quid ais? Num idèò à Deo alienamur, quia hîc sumus? Obiectionem hanc occupans, dixit, *per fidem enim ambulamus, non per speciem*. Atque hîc quidem ipsum noscimus: sed non ita planè ac dilucidè. Id quòd alio loco dicit, *Per speculum, & in ænigmate*. *Audemus autem, & bonam voluntatem habemus*. Papæ, quo sermonem intorsit: nempe ad summum mortis desiderium ciendum, id, quòd graue atque odiosum erat, dulce esse ostendens, & quòd suæ erat, iniucundum ac molestum. Quòd enim ait, *bonam voluntatem habemus*, idem est quòd, expetimus. Quid autem expetimus? Excedere è corpore, atque apud Deum præsentem esse. Hoc autem, vt iam dixi, Paulo perpetuum est, vt eorum, qui ipsi aduersantur, sermonem in contrarium torqueat. *Vnde & contendimus, siue presentes, siue absentes ipsi placere*. Hoc enim nobis propositum est, inquit, vt siue illic, siue hîc sumus, ex ipsius voluntate & sententia viuamus. Hoc enim studio nihil est nobis antiquius. Ac proinde sic habeto, te cœlorum regnum iam obtinere, si vitæ tuæ rationes Deo probaris. Nam ne rursus, cum in tantam cupiditatem venissent, ad præsentia diuinæ moram ac dilationem fatiscerent, animisque languerent, hîc iam ipsis, quòd bonorum omnium caput est, tribuit, nempe, Deo gratos atque acceptos esse. Neque enim simpliciter hinc excedere præclarum est: sed ita excedere, vt te vitæ probitas Deo commendabilem reddat (hinc enim præclarum quoque illud efficitur: nec rursus hîc simpliciter esse graue ac molestum est, sed ita esse, vt ob vitæ improbitatem apud Deum in offensione sis. Caue ergo existimes excessum è corpore sufficere. Virtute quippe vbique est opus. Quemadmodum enim, cum resurrectionis vocabulo vsus esset, non nobis liberum reliquit in ea sola fiduciam habere, dicens, *si tamen vestiti, & non nudi inueniamur*: sic, cum peregrinationem ostendisset, ne eam tibi ad salutem satis esse crederes, hoc adiecit, faciendum nobis esse, vt nos ipsos vitæ integritate Deo probemus. Postquam igitur à multis rebus lætis ac iucundis eorum animos incitauit, deinceps à tristioribus metum eis incutit. Quòd enim vtile est, tam in bonorum adeptione, quam in malorum fuga consistit, quæ quidem duo, sunt cœlorum regnum, & gehenna. Cæterum quoniam posteriùs, hoc est, pœnam effugere, maiorem vitam

1. Cor. 13.

habet (plerique enim eo sunt animo, ut cum multa non ultra se porrigit, quam ut bona non accipiant, facile id ferant: cum autem dolor etiam accedit, non item: etiam si profecto intolerabilis regni cœlestis iactura existimanda erat: sed facit permultorum imbecillitas, abiectionumque rerum studium, ut hoc ipsis grauius esse videatur) quoniam, inquam, magnam auditorum partem bonorum largitio non perinde excitat, ut tormentorum comminatio, idcirco necessitate compulsus, sermonem hoc modo concludit. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* Mox tamen, ut tribunalis illius memoria auditorem teruit, atque concussit, ne hic quidem tristitia sine lætis posuit, sed voluptate quadam temperauit, dicens, *ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Quibus verbis, & eos, qui præclare se gesserant, atque interim vexabantur, in spem erigit: & eos qui languidis & consternatis animis erant, iniectione terrore promptiores ac diligentiores reddit: ac denique corporum resurrectionem confirmat. Non enim videlicet, inquit, id quod, tum ad virtutem, tum ad vitium, operam suam subministravit, à præmio vel pœna excludetur: sed vnà cum animis corpora, partim excruciantur, partim coronas cōsequuntur. At sunt heretici, qui aliud corpus resurgere asserant? Vnde hoc quæso? Estne consentaneum, ut cum aliud peccauerit, aliud pœnam pendat: cum aliud rectè, atque ex virtute se gesserit, aliud coronam referat? Tum, quid ad hæc Pauli verba dicturi sunt, Nolumus spoliari, sed superuestiri? Iam verò, quomodo id quod corruptibile est, à vita absorbetur? Nec enim ita locutus est Paulus, *ut absorbeat mortale, vel corruptibile corpus ab incorruptibili corpore: sed, ut corruptio à vita.* Hoc enim tum contingit, cum illud ipsum corpus ad vitam redit. Quod si relicto illo aliud extruatur, non iam absorbetur corruptio, sed manet ac dominatur. Quocirca minimè hoc fit: verum oportet corruptibile hoc, corpus nempe, induere corruptionem. Corpus enim media conditione est, ac nunc in corruptione est, post autem in incorruptione erit: ac propterea in corruptione prius: quoniam incorruptionem solui minimè oportebat. Neque enim corruptio, inquit, incorruptionem hæreditate possidebit (quoniam enim modo corrumpi posset id, quod incorruptibile est?) verum contra corruptio à vita absorbebitur. Illa enim hanc vincit: hæc autem illam non item. Ut enim cera ignis ardore colliquefcit, cera autem ignem minimè soluit ac liquat: ad eundem modum corruptio ab incorruptibilitate soluitur, atque extinguitur: huic autem illa dominari nunquam poterit.

1. Cor. 15.

MORALE.

Quam formidandum sit extremum iudicium.

AVDIAMVS ergo vocem Pauli dicentis, Oportet nos omnes sisti ad tribunal Christi: ac tribunal illud animo atque cogitatione informemus, existimemusque ipsum iam adesse, ac vitæ rationes à nobis exposci. Ego enim fusiùs latiùsque exponam. Nam Paulus, quia de afflictione sermonem habebat, nec eos rursus premere volebat, non diutius in hac oratione immorandum esse duxit, sed paucis his verbis, *Unusquisque referet prout gessit*, id quod acerbiter afferbat, complexus, statim vterius transit. Existimemus igitur diem illum extremum nunc adesse: ac suam quisque nostrum conscientiam consideret, fingatque animo adesse iam iudicem, omniâque detegi, atque in medium proferri. Neque enim sisti tantum nobis ne-

cessè est, sed etiam manifestari. Quid? An non erubuitis? An non mente excessistis? Quod si nunc re non dum præsentè, sed efficta duntaxat, atque animo ad-umbrata, conscientia nostra tenet nos exanimat, quid tandem faciemus, cum dies ille venerit, cum totus orbis terrarum affuerit, cum angeli & archangeli, cum densa spirituum agmina, atque omnium cursus & raptus in nubibus, & acies tremoris plena? cum tubæ aliæ atque aliæ, & continuæ illæ voces: Nam, ut etiam nulla gehenna sit, tamen in tanto splendore reici, & cum ignominia secedere, quantum tandem tormentum existimandum est? Etenim si imperatore cum suis urbem ingrediente, suam quisque nostrum paupertatem intuentes, non tantum ex huiusmodi spectaculo voluptatis, quantum ex eo, quod earum rerum, quæ circum imperatorem sunt, nullo modo participes efficiuntur, nec prope eum, qui rerum potitur, sumus, mœroris capimus, quid tum futurum est? An verò leue tormentum esse censet, non ascribi in illum chorum? ad arcanam illam gloriam non admitti? ab illa celebritate, ac bonis, quæ nullo sermone explicari possunt, procul ac longè proiici? Cum verò tenebræ insuper sint, & dentium stridor, & eiusmodi vincula, quæ frangi nequeant, & vermis immortalis, & ignis nunquam extinguendus, & oppressio, atque angustia, & linguæ conflagratio, quemadmodum illa Diuitis, cum eiulemus & nemo audiatur: ingemiscamus, ac præ dolorum acerbitate rugiamus, & nemo attendat: in omnes partes oculos conuertamus, & nusquam sit qui solatium ferat: quo tandem loco eos constituemus, qui in tanta calamitate versabuntur? Quid illis animis miserius? quid miserabilius? Nam si cum in carcerem quandam ingressi sumus, atque alios squalore confectos, alios catenis vinctos, ac fame laborantes, alios in tenebris clausos conspiciamus, animis commouemur, ac perhorrescimus, nihilque non facimus, ut ne in eum locum incidamus, cum ad ipsos gehennæ eculeos obtorto collo trahemur, quinam futuri sumus? Non enim vincula illa ferro confecta sunt, sed igne perpetuo ardente: nec nobis æquales ij, qui cruciandis nobis præficiuntur (quos etiam sæpenumero placare queas) sed angeli, quos ne obtueri quidem possis, propter eas, quas Domino intulimus, contumelias, ira flagrantes. Nec verò, ut in hac vita, cernere est, alios qui pecuniam, alios qui alimenta, alios denique qui cohortatorios sermones afferant, consolationemque aliquam adhibeant: verum omnia illic venia carent. Etiam si ad sit Noë, etiam si Iob, etiam si Daniel, ac propinquos & necessarios suos excruciarum videat, iis auxilio esse non audeat. Nam tum omnis illa commiseratio, quæ nobis à natura imposta est, extinguitur. Quoniam enim ita fieri potest, ut improborum parentum iusti sint liberi, ac contra proborum filiorum mali parentes, idcirco, ut pura atque omni mœrore vacua lætitia sit, nec ij, qui bonis illis fruuntur, commiserationis necessitate distorqueantur, hunc quoque commiserationis affectum in eis extingui assero, ipsosque vnà cum Domino aduersus viscera sua iracundia incendi. Nam si vulgares etiam homines, cum filios suos improbitati addictos esse vident, eos abdicant, atque à familia exciunt, multò sanè magis id tum iustis vsu venturum est. Quocirca nihil est cur quisquam sibi læta pollicetur, nihil ipse laude dignum gerens: quauis sexcentos etiam iustos auos numerare queat. *Unusquisque enim referet, prout gessit, propria corporis.* Atque hic scortatores quoque mihi perstringere videtur, ac futurorum

712

Gehennæ
metus v-
tilissimus.

Matt. 22.

Luc. 16.

Matt. 25

Ibidem.

Esa. 66.

713

futurorum suppliciorum metum ipsis iniicere, nec ipsis duntaxat, sed & omnibus qui aliquo crimine sese deuinciunt. Hęc igitur tu quoque audi: ac, si libidinis igne flagras, ignem illum oppone: atque hic confestim extinguetur & euanesceat. Si quid, quod turpe & absonum sit, loqui gestis, dentium stridorem cogita: & fræni instar tibi hic metus erit. Si animum inducis cupipiam aliquid eripere, audi iudicem imperantem, ac dicentem, Ligatæ manus eius ac pedes, & eiicite eum in tenebras exteriores: Ita fiet, ut hanc quoque cupiditatem exturbes. Si vino deditus es, nec à crapula abstrahi potes, audi diuitem illum dicentem, Mitte Lazarum, ut extremo digito suo linguam meam, ignis ardore conflagrantem, refrigeret, nec tamen id obtinentem: atque ita hoc vitio laborare defines. Si deliciarum amore teneris, afflictionem illam & angustiam cogita: & delicias ne quidem cogitabis. Si sæuus & crudelis es, virginum illarum tibi in mentem veniat, quæ ob extinctas lampades ad thalamum minimè admittæ sunt: & humanitatem quamprimùm indues. Si segnitie ac languore torpes, eum, qui talentum abscondit, ob animum tibi proponere: & ignem ipsum acrimonia vinctes. At fortasse alienarum opum cupiditas te ardit? Verum illum immortalem in mente habe: ac perfacile, tum hunc morbum profigabis, tum alia omnia Dei præcepta explebis. Neque enim ille quicquam durum ac graue imperauit. Vnde fit igitur, ut, quæ edixit, molesta nobis videantur? Nimirum in causa est fœcordia nostra & inertia. Ut enim, si studium ac diligentiam adhibeamus, etiam quæ intoleranda videntur, facilia & leuia erunt: ita, si desidia & ignauia laboremus, etiam quæ leuia ac tolerabilia sunt, difficilia & molesta nobis apparebunt. Hęc itaque cum animis nostris considerantes, non eos, qui deliciis indulgent, spectemus: sed quis eorum sit exitus (hic nempe sterces, & corporis obesitas: illic vermis & ignis) non eos, qui alienis bonis manus iniiciunt, sed quis eorum sit finis (hic videlicet curæ ac metus & angores: illic vincula eiusmodi, ex quibus elabendi nulla sit facultas) non eos, qui gloriæ studio ducuntur, sed quid ex ea nascatur, hoc est seruitus hic & simulationes: illic damnum intolerabile, ac perpetuus flammæ cruciatus. Nam si hæc cum animis nostris differamus, præposterâque nostras cupiditates ad hunc modum perpetuo incantemus, quamprimùm hoc assequemur, ut & præsentium rerum amorem expellamus, & futurarum incendamus. Incendamus igitur eum, atque inflammemus. Nam si vel simplex harum rerum cogitatio quamlibet exigua atque obscura sit, tantam affert voluptatem, cogita quæso, quantum oblectamenti perspicua earum fructio nobis allatura sit. Beati enim uero, ac ter & sapius beati, quibus bonis illis frui contingit: quemadmodum contra miseri ac ter miseri, qui contraria his mala patiuntur. Ut ergo ex illorum, non ex horum, numero simus, virtutis studium capeffamus. Sic enim ad futura bona perueniemus. Ad quæ vtinam peruenire nobis detur per gratiam & benignitatem Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & sancto Spiritu sit honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XI.



SCIENTES ergo timorem Domini, hominibus suademus: Deo autem manifesti sumus. Spero autem nos & in conscientiis vestris manifestos esse. Hęc igitur scientes, inquit, hoc est horrendum illud tribunal, omnem operam adhibemus, ut ne ansam ullam, aut offensio-

Chrysof. tom. 4.

nem, aut malæ vllius actionis suspicionem vobis aduersum nos prabeamus. Videtne quam syncerè atque accuratè in suo munere versetur, quantoque studio, ac diligentia eorum commodis & salutis consulat? Neque enim tum solum in nobis crimen hæreret, cum quid mali perpetravimus: sed quamuis etiam nihil perpetremus, tamen si suspicione apud homines laboremus, nec eam amoliri ac propullare, cum liceat, curemus, pœnas vti que subituri sumus. *Non iterum commendamus nos vobis: sed occasionem vobis damus gloriandi pro nobis.* Vide quomodo nunquam non id agat, ut eiusmodi suspicionem à se remoueat, quali suas ipse laudes canere videatur. Nihil enim perinde auditorum animos offendit, ut cum quis magna & eximia quædam de se prædicat. Quoniam igitur in eiusmodi argumenti sermonem incidere necesse habuerat, correctionem mox adhibuit, dicens, Hoc vestra causa feci, non mea: ut habeatis vnde gloriemini, non nos: neque id simpliciter, sed propter falsos Apostolos. Vnde etiam subdidit, *Ad eos qui in facie gloriantur, & non in corde.* Videtne ut hos ab illis abduxerit, atque ad suas partes pertraxerit, cum illud ostendit, quod ipsi quoque Corinthij occasionem aliquam arripere, per quam ipsius causam tueri, iisque, à quibus in crimen vocabatur, respondere queant? Non enim, inquit, hæc eò dicimus, ut ipsi gloriemur: sed ut vos pro nobis liberam vocem mittere possitis. Id quod hominis erat ingentem illis erga se amorem testificantis. Nec verò ut tantummodo gloriemini: sed etiam ut ne ab ipsis in fraudem impellamini. Illud tamen haud apertè dicit: verum mitioribus aliis verbis eandem rem aggreditur, ac citra illorum perstrictionem: dicens, *ut habeatis vnde gloriemini ad eos, qui in facie gloriantur.* Ac ne hoc quidem temerè & sine causa ab iis fieri vult, sed tum demum, cum eos insolentius sese efferre conspexerint. Vbi que occasionem exquirat. Non igitur, ut seipsum illustrem ac splendidum ostendat, sed ut illos, præposterè atque in Corinthiorum detrimentum sese venditantes compefcant, hoc facit. Quid autem est in facie? In iis rebus, quæ oculis cernuntur, atque ad ostentationem tendunt. Tali enim animo illi præditi erant, ut qui ad honores & gloriam actiones suas omnes referrent, intusque planè inanes essent, ac pietatis quidem laruam gererent, grauitatisque speciem haberent, cæterum bonis operibus carerent. *Siue enim mente excedimus, Deo: siue sobrii sumus, vobis.* Siue enim, inquit, magni aliquid proloquamur (nam hoc mentis excessum vocat, quemadmodum & alio loco insipientiam) Dei causa facimus: ne vos, dum de nobis ut vilibus homunculis existimatis, contemptui nos habeatis ac pereatis: siue humile aliquid ac demissum, vestri gratia hoc facimus, ut modestè ac summissè de vobis sentire discatis. Vel etiam hoc rursus ait, Si quis nos mentis errore affici existimat, à Deo, propter quem in hanc suspicionem venimus, mercedem efflagitamus: sin autem nos sanos ac sobrios esse censet, fruatur ille sanè nostra sobrietate. Ac rursus aliter: Videmus quibusdam mentis impotes esse? Propter Deum huiusmodi infania laboramus. Vnde etiam subdit: *Charitas enim Dei urget nos: astimantes hoc.* Non modò, inquit, futurorum suppliciorum metus, sed ea etiam, quæ iam contigerunt, non sinunt nos desidia torpere atque obdormiscere: verum ad suscipiendos salutis vestræ labores excitant, atque impellunt. *Quænam autem sunt ea, quæ iam contigerunt? Quæ-*

Infr. 11.

Z iij

nisi unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Ergo ita loquitur Paulus, tanquam mortales omnes periissent. Neque enim pro omnibus Christus mortem oppetiisset, nisi omnes mortem obiissent. Hic enim sunt salutis subsidia, atque instrumenta: illic autem non item. Proinde Caritas, inquit, Dei nos constringit, nec sinit conuiescere. Extremam enim miseriam fuerit, ac vel gehenna ipsa atrocior, cum ille tam præclarum facinus ediderit, inueniri quosdam, qui ex tanta ipsius cura & providentia nullum fructum capiant. Magnam enim ac singularis cuiusdam est charitatis, pro tanto ac tam late fuso terrarum orbe, atque ita affecto, mortem subiisse. *Vt qui uiuunt, non iam sibi uiuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est ac resurrexit.* Si itaque nos nobis ipsis uiuere non oportet, prouidendum est uobis, ne incurfantibus periculis, ac morte, in perturbatione atque animi tumultu sitis. Ac rationem haud dubiam affert, quamobrem id facere debeamus. Etenim cum per ipsum morte functum uiuamus, ei utique, ob quem uiuimus, uiuere debemus. Atque hic quidem unum & idem esse uidetur id quod ab Apostolo dictum est: ceterum, si quis accuratè rem expendat, duo hæc esse comperiet, unum nimirum, quod propter ipsum uiuimus, alterum quia ipse nostra causa mortuus est. Quorum utrunque, vel seorsim consideratum, tanti momenti est, ut nos ei obnoxios atque obstrictos reddere queat. Cum autem ambo in unum confluant, cogites uelut quanto ei beneficio sis deuinctus. Imò enim uero tria hæc sunt. Etenim primitias à morte propter te ad vitam excitauit, atque in cælum euexit. Vnde etiam addidit, *ei qui pro nobis mortuus est ac resurrexit. Itaque nos ex hoc iam neminem nouimus secundum carnem.* Nam si omnes mortui sunt, & omnes resurrexerunt, atque ita quidem mortui sunt, ut peccati tyrannus eos condemnabat: resurrexerunt autem per regenerationis lauacrum, & Spiritus sancti renouationem, merito proinde negat nos quenquam piorum secundum carnem cognoscere. Et si enim in carne sunt, quid tum? Nam carnalis illa vita interiit: ac denuò in Spiritu geniti sumus, atque aliam uitæ rationem, aliumque uitæ statum, nimirum cum, qui in cælis est, nouimus. Ac rursus huius beneficii auctorem Christum esse ostendit, ac propterea subiunxit: *Et si cognouimus Christum secundum carnem: sed nunc iam non nouimus.* Quid igitur, dices, An carnem exiit, ac nunc corporis est expertus? Minimè uero. Nam nunc quoque in carne est. Hic enim Iesus, qui à uobis assumptus est in cælum, sic ueniet. Quomodo sic? In carne uidelicet, & cum corpore. Quid igitur afferri potest, cur dicat, *et si cognouimus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus?* Audi. Cum de nobis sermo est, secundum carnem, idem est quod in peccatis esse: contra, non secundum carnem, idem quod in peccatis minimè esse. At cum de Christo sermo habetur, secundum carnem nihil aliud significat, quam in naturæ affectionibus esse, ut in fame, in siti, in fatigatione, in somno. Peccatum enim non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Atque idcirco dicebat, *Quis est uobis arguet me de peccato?* Et rursus: *Venit princeps mundi huius: & in me non habet quicquam.* Contra, non secundum carnem, nihil aliud indicat, quam eum huiusmodi affectionibus iam vacare, non autem quòd extra carnem sit. Nam cum hac quoque, impatibili iam atque immortalis, ad iudicium de orbe ferendum venturus est. Ad quam etiam dignitatem nos proficiscemur, cum corpus nostrum conforme effectum fuerit corpori claritatis ipsius. *Si qua ergo in Christo no-*

Ad. 1.

Esa. 53.

Ioan. 8.

Ibid. 14.

Phil. 3.

ua creatura. Postquam enim à charitate animos nostros ad uirtutem incitauit, nunc iam ab ipsis quoque rebus ad eam nos extimulat. Ac propterea subiungit, *Si qua in Christo noua creatura.* Si quis ipsius fidem amplexus est, inquit, ad alterum opificij genus uenit. Etenim supernè per Spiritum genitus est. Ac proinde hoc etiam nomine par est ut ipsi uiuamus, non tantum quia nostri iuris non sumus, aut quia ipse pro nobis mortem oppetiuit, aut quia primitias generis nostri à morte ad uitam reuocauit, sed etiam quia ad alteram uitam concessimus. Vide quot, quamque æquas rationes afferat, quamobrem rectè, atque ex uirtute nobis ducenda uita sit. Nam ob id quoque crassiore uocabulo correctionem huiusmodi appellandam censuit, ut magnam migrationem ac uitæ commutationem ostendat. Postea ulterius prosequens id quod dixit, atque ostendens quomodo noua creatura simus, *Vetera transierunt, inquit, ecce facta sunt omnia noua.* Quænam uetera? Peccata & impietates: uel etiam Iudaicæ omnes ceremoniæ: uel potius hæc simul & illa. *Ecce facta sunt omnia noua, Omnia autem ex Deo.* Nihil à nobis profectum est. Nam & peccatorum condonatio, & adoptatio, & omni sermone præstantior gloria, ipsius munere nobis concessa est. Non enim iam à futuris duntaxat, sed à præsentibus quoque illos cohortatur. Sic quippe considera. Dixerat fore, ut resurgeremus, atque ad statum à corruptione alienum perueniremus, domumque sempiternam haberemus. Verum, quoniam apud eos, qui futura non perinde, ut oportet, credunt, præsentia maiorem ad excitandos animos vim habent, quam futura, idcirco quanta iam acceperint, demonstrat, & quidem qui tum essent, cum huiusmodi beneficiis ornati sunt. Quinam ergo erant? Mortui utique omnes (omnes enim mortui sunt: & pro omnibus mortuus est, tanto erga omnes amore per quem flagrabat) ac uitij senio & uetustate omnes confecti. At iam rerum uices ita mutatae sunt, ut & anima noua (perpurgata enim est) & corpus nouum, & nouum adorationis genus, & pollicitationes nouæ, & Testamentum, & uita, & mensa, & uestis, & ut uo uerbo completar, omnia noua sint. Etenim pro terrena Ierusalem, cælestem metropolim accepimus: pro uisibili templo, templum spirituale cernimus: pro lapideis tabulis carneas, pro circumcisione baptismum, pro manna corpus Dominicum, pro aqua è petra expressa cruorem è latere profluentem, pro uirga Moïsi aut Aaronis, crucem, pro terra illa Iudæis promissa cælorum regnum, pro sexcentis sacerdotibus unum pontificem, pro agno rationis experte agnum spiritualem. Hæc aliæque huius generis Paulus animo uolens, dicebat, *noua facta sunt omnia. Omnia autem ex Deo.* Per Christum uidelicet, ac per beneficium ab eo acceptum. Vnde etiam subiungit, *qui nos reconciliauit sibi per Christum: & dedit nobis ministerium reconciliationis.* Ex hoc enim omnia ad nos bona profuxerunt. Nam qui nos cum Patre in gratiam reduxit, eidem quoque alia accepta referenda sunt, quæ Deus nobis in amicitiam receptis largitus est. Neque enim nos hostes manere sinens huiusmodi munere affecti: sed prius amicitia ipsius restitutos. Porro cum aio Christum recuperatæ gratiæ nobis authorem extitisse, Patrem quoque dico: cum Patrem in nos hoc beneficium contulisse aio, Filium quoque dico. Omnia enim per eum facta sunt: atque ipse huius rei author existit. Neque enim nos ad eum accurrimus: sed ipse nos uocauit. Quoniam modo uocauit? Per Christi necem. *Qui dedit nobis ministerium reconciliationis.* Hic

Hic rursus Apostolorum decus ac dignitatem ostendit, declarans, & quantum munus ipsorum fidei commissum sit, & quam eximius ac singularis sit Dei erga nos amor. Non enim posteaquam legati illius, qui uenerat, uocem audire neglexerunt, ira incensus est, eoque deseruit: sed perstat adhuc, tum per se, tum per alios admonens, & exhortans. Ecquis est qui tantam salutis nostræ curam ac sollicitudinem pro dignitate admirari ac suspicere possit? Interemptus est filius, qui dirimendæ iniuriæ causa uenerat, filius, inquam, uerus atque unigenitus: ac ne sic quidem Pater eos, qui ipsi necem intulerunt, auersatus est, nec dixit, *Misi legationis causa filium meum: illi autem non modò ipsius uerba audire recusarunt, sed ipsum etiam de medio sustulerunt, atque in crucem egerunt: æquum est iam eos pro derelictis habere.* Verum contra omnino fecit: & quia ille abscessit, nobis hanc prouinciam mandauit. *Dedit nobis ministerium reconciliationis. quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.* Videtne charitatem, non modò vim omnem uerborum, sed etiam cogitationem omnem excedentem? Quisnam erat, qui iniuriam acceperat? ipse. Quisnam fuit, qui primus ad delendam inimicitiam uenit? ipse. At enim, inquit, Filium misit, non autem ipse uenit. Filium quidem misit: sed tamen non ipse solum hortabatur, sed Pater quoque, & cum eo, & per eum. Ob idque etiam dicebat Apostolus, *Deus erat mundum sibi reconcilians in Christo.* hoc est per Christum. Quoniam enim dixerat, *Qui dedit nobis ministerium reconciliationis,* temperamento quodam utitur, perinde ac si diceret: Non est quòd existimetis summam huius rei auctoritatem penes nos esse: ministri tantum sumus. Deus est qui totum hoc efficit, qui per unigenitum suum terrarum orbem in gratiam recepit. Quo tandem id modo? Nam hoc est quòd admirationem habet, nimirum quòd non solum amicus effectus est: sed etiam quòd sic amicus. Quomodo sic? Peccata ipsis remittens, nam aliter amicitia contrahi non poterat. Vnde etiam subdidit, *non reputans illis delicta ipsorum.* Etenim si admissorum peccatorum rationem exposcere uoluisset, de nobis utique omnibus actum fuisset. Omnes quippe mortui erant. Sed tamen cum tantus peccatorum numerus esset, non modò nullas à nobis pœnas expetiuit, sed etiam nobiscum in gratiam rediit: non modò peccata remisit, sed ne ad calculum quidem uocauit. Ad eundem porrò modum nobis faciendum est, ut inimicis nostris ignoscamus: quo eandem quoque ipsi ueniam peccatis nostris impetemus. *Et posuit in nobis uerbum reconciliationis.* Neque enim nos ad graue atque odiosum aliquod negotium uenimus, ut qui nil aliud muneris habeamus, quam ut omnes Deo amicos efficiamus. uelut si ipse Christus diceret: Quoniam uerbis meis fidem non adhibuerunt, in exhortando ipsi perstate, nec antè conuiescite, quam persuaseritis. Quò etiam spectat id quòd sequitur, *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Vides quemadmodum hoc negotium extulerit, cum Christum ipsum supplicentem induxit, imò non Christum solum, sed etiam Patrem. Horum enim uerborum hic sensus est: Pater Filium misit, qui ipsius nomine exhortaretur, atque apud hominum genus legationis munus susciperet. Sed quoniam ille necatus abscessit, nos legationi illi successimus, atque, & illius, & Patris nomine, uos exhortamur. Tanto nimirum in pretio est apud eum hominum genus, ut & Filium dederit, idque cum eum maclatum iri exploratum

A haberet: & uestra causa nos Apostolos crearit. Ita- que non abs re dicebat, *omnia propter uos.* Quòd igitur ait, *pro Christo legatione fungimur,* idem est ac si diceret *Christi uice.* Nos enim ipsius muneri successimus. Quòd si hoc magnificentius aliquantò tibi dictum uideretur, audi quæ sequuntur: ex quibus Apostolus perspicuum illud facit, quòd non Christo duntaxat, sed Patri quoque in hac re uicariam operam nauent. Nam ob id etiam adiunxit, *tanquam Deo per nos exhortante.* Non enim per Filium tantum suum, sed & per nos quoque, qui ipsius muneri uicarij successimus, exhortatur. Quamobrem ne existimetis uos à nobis rogari: Christus ipse uos rogat: Pater ipse per nos uos orat atque obsecrat. Ecquid est quòd cum tam eximia & singulari benignitate conferri possit? Ipse enim post innumera sua beneficia contumeliis affectus, non modò nullas de nobis pœnas sumpsit, uerum etiam Filium suum dedit, ut cum ipso in gratiam restituamur. Qui autem eum acceperunt, adeò in gratiam reduci non curarunt, ut etiam eum morte affecerint. Rursus igitur alios deprecatores misit: iisque missis, ipse est qui rogat. Quid autem rogat? *Reconciliamini Deo.* Non dixit, Dei gratiam recuperate: neque enim ipse est qui inimicitias gerit, sed nos. Deus quippe nunquam inimicitias gerit. Atque etiam ut legatus missus, causam disceptans ac iura proferens, *Eum enim,* inquit, *qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Non priora colligo, inquit, nempe quòd contumelia eum affectis, quòd eum, à quo nihil iniuriæ acceperatis, quòd præclarè de uobis meritum: non illud etiam, quòd nullas à uobis pœnas expetiuit, quòd prior iniuria affectus, prior rogat: nihil horum nunc commemoretur. An non uel ob unum hoc beneficium, quòd nunc in uos contulit, æquum fuerit ut cum ipso in gratiam redeatis? Et quòd tandem? *Eum qui non nouerat peccatum, pro uobis peccatum fecit.* Nam etiam si nihil omnino præstitisset, sed hoc duntaxat effecisset, cogita quæso, quanti illud æstimandum erat, quòd Filium suum pro iis, à quibus contumelia affectus fuerat, dedisset? Nunc uero, & magna præstitit, & præterea eum, qui læsus fuerat, pro iis, qui læserant, cruciari permisit. At hoc minimè quidem dixit Apostolus: sed, quòd multò his maius ac præstantius erat, posuit. Quidnam autem? Eum, inquit, qui non nouerat peccatum, qui ipsamet iustitia erat, peccatum fecit, hoc est ut peccatorem condemnari passus est, ut sceleratissimum hominem mori. Maledictus enim, qui pendet in ligno. Multò quippe atrocior erat ita mori, quam duntaxat mori. Id quòd ipse quoque alio loco subindicat, dicens, *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Neque enim cruciatum duntaxat ea res habebat, sed & ignominiam. Animaduerte itaque quot ab eo beneficia acceperis. Magnum enim atque amplum censendum est, cum quis, etiam peccator, pro alio quicumque tandem ille sit, mortem oppetit: at cum iustus etiam est qui patitur, & pro peccatoribus moritur, nec solum moritur, sed etiam ut impius & execrandus, nec denique ut execrandus tantum moritur, uerum etiam ingentia hinc, & quæ nunquam expectaueramus, bona nobis conciliat (ut enim efficiamur Dei iustitia in ipso, inquit) quænam hæc oratio, quænam mens hæc consequi atque exprimere queat? Eum enim, qui iustitiæ laude præstabat, inquit, peccatum fecit: ut peccatores iustos efficiat. Imò ne sic quidem locutus est: sed, quòd longè sublimius erat, dixit. Neque enim affectionem, sed qualitatem ipsam posuit. Non enim dixit, *Fecit peccatorem: sed, fecit peccatum.* non, cum, qui peccatum non

perpetrarat, sed, qui ne peccatum quidem norat: vt & A nos efficiamur, non iusti, sed iustitia ipsa, atque adeo Dei iustitia. Dei enim ipsa est, cum non ex operibus (nam in iis nullam labem inueniri necesse esset) sed ex gratia, quæ peccatum omne prorsus delet atque extinguit, iustificamur. Hoc porro duplex simul commodum nobis gignit. Nam nec animis efferri nos finit (quod videlicet Deus id totum nobis tribuerit) & beneficij magnitudinem ostendit. Prior enim illa, legis atque operum iustitia est: hæc verò Dei iustitia.

MORALE.

Peccata potius timenda esse, quam pœnam.

Hæc igitur cum animis nostris reputantes, magis res, quam ipsum cœlorum regnum admiremur: nec in ea opinione simus, vt graue esse iudicemus pœna affici, sed, peccare. Nam etiam si ipse in nos minimè animaduertat, nos tamen de nobis ipsis pœnas sumere debemus, qui tam ingrati in benè de nobis meritum exitimus. Et quidem, amasiam quispiam habens, sæpe etiam sibi mortem consciscit, quod ea potiri non potuisset: atque etiam potitus, si quid in eam peccarit, ne luce quidem ac vita se dignum existimat: nos autem tam suauem ac benignum Dominum contumeliis incessentes, non nos ipsos in gehennæ flammam iniiciemus? Mirum aliquid, atque ab humanis sensibus alienum, quodque plerisque incredibile videbitur, dicam. Maior ei, qui, cum tam facilem ac benignum Dominum offenderit, pœnas luit, consolatio futura est, si quidem sana mente sit, cumque, vt par est, amet: quam ei, de quo supplicium nõ sumitur. Atque hoc vel ex communi consuetudine perspici potest. Nam qui hominem sibi charissimum læsit, tum maximè acquiescit, cum à se ipso pœnas exegerit, ac mali aliquid perperussus fuerit. Quo in genere illud est, quod Dauid dicebat, Ego, qui pastor sum, peccaui, ego, qui pastor sum, inique egi: isti qui oues sunt, quid peccarunt? Vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei. Ad hæc, cum Absalonem amisit, grauissimas à seipso pœnas exposcebat. At qui non ipse erat, qui iniuriam intulerat: sed qui acceperat. Sed tamen quia ingenti amore filium extremo vitæ die functum complectebatur, doloribus sese conficiebat, hac nimirum ratione leuiorem sibi suum casum fingens. Ad eundem igitur ipsi quoque modum, cum in eum peccamus, in quem peccare minimè oportebat, pœnam de nobis ipsis sumamus. An non eos videtis, qui charissimis filiis orbatii sunt, quemadmodum propterea discrucientur, ac capillos vellunt: quoniam solatij loco illis est, pro iis, quos amant, sese afflictere? Quod si, cum nihil sceleris in homines nobis charissimos admiserimus, leuamur tamen, cum ex eorum calamitatibus dolore ipsi afficimur, an non cum ipsi sumus, qui Deum ad iracundiam concitauimus, ipsique iniuriam intulimus, multò magis nos iuuabit ac recreabit pœnas dare, quam pœna non affici? Nemini profectò id dubium est. Si quis erga Christum eo amore est, quo debet, quid dicam intelligit, quòque modo, ne ipso quidem ignoscente, quin in se ipsum animaduertat non sustinebit. Maximum enim supplicium eo ipso pendit, quod ipsum ad iracundiam extimulauit. Nec verò me fugit incredibilia plerisque videri quæ dico: sed tamè ita se res habet, vt dixi. Quocirca si Christum ita amemus, vt amandus est, peccatorum nostrorum ipsimet vindices erimus. Iis enim, qui cuiusuis hominis amore flagrant, non illud molestum est, quod pro offenso eius, quem amant, animo grauius aliquid patiantur: sed illud ante omnia grauius acer-

2. Reg. 24.

2. Reg. 18.

bèque ferunt, quod eum, quem diligunt, offenderint. Ac siquidem ille ira commotus, iniuriam acceptam minimè vlciscatur, hoc ipso amicium grauius excruciat: contra, si quid pœnarum sumat, plus ei leuationis affert. Quæ cum ita sint, ne gehennam perhorrescamus, sed id potius timeamus ne Deum offendamus, hoc enim illo atrocius est: cum nobis insensus, vultum suum à nobis auertit, hoc quouis supplicio grauius atque acerbius. Atque vt, quantum in hoc mali positum sit, intelligas, animaduerte quod dico. Si quis rex latronem aliquem ac facinorosum hominem pœnas luentem conspiciens, charum & vnicum ac germanum filium necandum dederit, atque vnà cum morte crimen quoque ab illo ad filium, longè ab illius flagitiis remotum, transtulerit, vt reum & supplicio eximat, & ab infamia vindicet, atque insuper ad ingentem dignitatem euexerit, ac deinde ipse post allatam illi eiusmodi salutem amplissimamque gloriam, ab eo, in quem tanta beneficia contulerit, contumeliis afficiatur, an non ille, si modò mente constet, milles mortem oppetere mallet, quam in tantæ ingratitudinis crimine perspicuè hære? Hoc itaque nunc quoque nobiscum expendamus, atque ob offensum eum, cuius tot in nos beneficia extant, acerbos gemitus emittamus: nec quia iniuriis à nobis lacescit lenem ac longanimum se præbet, idcirco fidentem animum præferamus, verum ob id quoque ipsum distorqueamur. Nam etiam apud homines, cum quis impacta sibi in dextram maxillam alapa, sinistram quoque feriendam præbet, maiorem vltionem sumit, quam si mille plagas aduersario infixisset: & cum maledictis impetitus, non modò maledicta non regerit, sed etiam conuitori suo fausta precatur, grauius eum ferit, quam si sexcentis eum probris aspersisset. Quod si in hominibus hoc vsu venire conspiciamus, vt cum is, quem iniuria affecimus, lenem se nobis ac facilem præbet, erubescamus ipsi: quantum magis in Deo metuendum illis est, qui peccandi finem non faciunt, nec tamen quicquam aduersi patiuntur. Siquidem in capitis ipsorum perniciem eiusmodi cruciatus asseruantur, qui nulla oratione explicari possint. Hæc igitur animo volentes, peccatum ante omnia timeamus. Hoc enim pœna est, hoc gehenna, hoc innumera mala. Nec verò tantum timeamus, sed etiam fugiamus, ac Deo perpetuò placere studeamus. Hoc enim regnum est, hoc vita, hoc innumera bona. Ita fiet vt & hic iam regno potiamur, & futuris bonis. quæ vltimam consequamur per gratiam ac benignitatem Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto honor & gloria in secula seculorum. Amen.

HOMILIA XII.

DIVVANTES autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. At enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tibi. Quoniam enim Deum rogare dixerat, Apostolos autem legatione fungi, atque obsecrare vt cum Deo in gratiam redirent, ne segniore inde atque ignauiores redderentur, hinc rursus eos terret & excitat, dicens, Exhortamur ne in vanum Dei gratiam recipiatis. Neque enim propterea nos socordiae demus, inquit, quia Deus nos rogat, ac legatos nos misit: imò verò ob hoc ipsum maiore studio & diligentia Deo placere, ac spirituales merces colligere curemus. (Id quod etiam superius dicebat, Caritas Dei vrget nos, hoc est, premit, impellit, adurget:) ne alioqui si post tantam Dei pro-

ratio-

rationem & solitudinem inertia & languore conster-

Rom. 13. Phil. 4. **I. Cor. 3.**

nemur, nec vllum egregium virtutis specimen edamus, tantis bonis excidamus. Ne igitur existimetis, inquit, quia deprecatores misit, perpetuum id fore. Vique ad secundum ipsius aduentum hoc erit, tantisper rogat dum hic sumus. Postea sequitur pœna & cruciatus. Propterea vrgemur, inquit. Neque enim eos duntaxat à bonorum magnitudine ac Dei benignitate, sed etiam à temporis breuitate semper extimulat. Vnde & alio loco ait: Nunc enim propior est nostra salus. Et rursus: Dominus prope est. Hic verò quippiam etiam amplius facit. Neque enim hinc tantum eos ad salutem impellit, quod breue atque exiguum sit id temporis quod restat: sed hinc etiam, quod solum hoc tempus ad eam adipiscendam appositum sit. *Ecce enim nunc tempus acceptabile: ecce dies salutis.* Caueamus igitur ne occasionem nobis perire sinamus, verum dignum accepta gratia studium exhibeamus. Nam ob hanc quoque causam ipsi festinamus, quod & breuitatem & opportunitatem temporis perfectam habeamus. Vnde etiam dicebat, *Adiuuantes autem exhortamur.* Adiuuantes, vos scilicet. Vos enim potius, quam Deum pro quo legationis munus obimus, adiuuamus. Ipse enim nulla re indiget: verum salus omnis ad vos permeat. Atque vt etiam Dei adiutorem se esse dicat, ne hoc quidem ille repudiat. Nam & alio loco dicit, *Dei adiutores sumus.* Atque hac ratione homines rursus salutem impertire ait. *Et exhortamur.* Ille quippe cum exhortatur ac rogat, non simpliciter rogat, sed acquissimas quoque has causas affert, nempe quod iustum illum filium, quique ne peccatum quidem nosset, donauerit, & pro nobis peccatoribus ipsum peccatum fecerit, vt nos iusti efficiamur: quæ quidem cum habeat, ac Deus sit, ne rogare quidem eum oportet, homines præsertim, & à quibus offensus fuerat, verum singulis diebus rogari. Nihilò fecius tamen rogat atque obsecrat. At nos, cum rogamus, nullum omnino ius, nullum beneficium proferre possumus: verum vnum hoc demum, quod Dei, qui tantas beneuolentiæ significationes dederit, nomine vos obsecramus. Obsecramus porro, vt oblatum beneficium accipiatis, nec munus repudiatis. Morem itaque nobis gerite: ac videte, ne in vacuum gratiam accipiatis. Etenim, ne illi in hoc vno reconciliationem positam esse existimarent, vt vocanti fidem adhiberent, ideo hæc verba adiungit, quibus studium quoque ac diligentiam in vitæ ratione ac moribus efflagitat. Nam qui, postquam peccatis liberatus, atque in amicitiam receptus est, in prioribus flagitiis rursus volutatur, is ad inimicitias redit: ac frustra, quantum ad vitam attinet, gratiam Dei accepit. Neque enim magnum vllum ad salutem adiuumentum nobis affert gratia, si impurè ac fecleratè viuamus: quin potius detrimentum accersit, vehementiusque nos in peccatis premit, vt qui post eiusmodi cognitionem ac beneficium ad priora vitia nos ipsos referamus. At enim uero nondum hoc ponit, ne molestam atque asperam orationem reddat: hoc solum dicit, nullam hinc ad nos vtilitatem redire. Mox autem prophetiæ quoque memoriam reficit, quò eorum animos ad capeffendum salutis studium impellat & adurget. *Ait enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tibi. Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis.* Tempus acceptabile. Quòdnam istud? Tempus videlicet beneficij & gratiæ: in quo, præterquam quod nec de peccatis admiffis rationes exposcuntur, nec pœnæ penduntur, licet insuper vnà cum eo quod liberamur, innumeris quoque bonis frui, iustitia nimirum, sanctificatione, aliisque omni-

Abus. Quantos enim labores suscipere par erat, vt hanc occasionem nancisceremur? At, ecce, nullo à nobis suscepto labore, adest, omnium antè admissorum criminum veniam afferens. Ac proinde acceptabile hoc tempus vocat: quoniam eos quoque, qui innumeris sceleribus sese obstrinxerant, admittebat: nec tantum admittebat, sed ad summum etiam honoris gradum subuehebat: non secus videlicet atque adueniente rege iudicij tempus non est, sed gratiæ ac salutis. Ob eam causam acceptabile hoc tempus vocat Paulus, quando adhuc in fodiendi munere versamur, quando adhuc in excolenda vinca operam nauamus, quando vndecima hora superest. Accedamus igitur, ac vitæ nostræ rationes rectè instituamus. Id enim facile ac procliuè est. Nam qui eo tempore certat, quo tantum beneficium, ac tanta gratia effusa est, palmam facili negotio consequetur. Etenim apud terrenos quoque imperatores, tum cum festi corum dies agitantur, atque in consulari habitu cernuntur, is etiam, qui exiguum aliquod munus offert, magnis beneficiis afficitur: iis autem diebus, quibus iudiciis operam dant, magna cura & diligentia, magnòque examine opus est. Ad eundem ergo modum nos etiam huius beneficij tempore decertemus. Dies gratiæ est, diuinæ inquam gratiæ: vnde etiam perexiguo labore coronas adipiscemur. Nam si cum tot vitis scateremus, & admisit nos, & iis liberauit, quid afferri potest? quin nunc omnibus criminibus solutos, cæque, quæ nostri muneris sunt, præstantes, multò magis admiffurus, atque amplexurus sit? Postea id quod perpetuò facit, vt seipsum in medium proponat, atque hinc exemplum sumere iubeat, hinc quoque facit. Vnde etiam subiungit, *Nemini dantes vllam offensionem: vt non vituperetur ministerium nostrum.* Ita, non modò ab occasione, sed etiam ab iis, qui præclare in suo munere versati sunt, eos permouere studet. Ac vide quem sine fastu atque arrogancia. Non enim dixit, Intuemini in nos, quia tales sumus: verum prius, quemadmodum se gerat, commemorat, vt omnem reprehensionis causam submoueat. Ac duo eximia immaculatæ vitæ argumenta ponit, dum ait, *Nemini dantes vllam offensionem.* Quin ne accusationis quidem vocabulo vsus est, sed, quod longè minus erat, offensionis: tanquam diceret, nullam cuiquam aduersum nos quarimoniam ac reprehensionis occasionem præbentes. *Vt non vituperetur ministerium nostrum:* hoc est, Ne quis illud carpat. Ac ne hic quidem rursus dixit, Vt non accusetur: sed, vt ne leuissima quædam in eo culpa hæreat, nec quispiam sit, qui vlla in re illud insectari ac reprehendere queat. *Sed in omnibus exhibentes nosmetipsos sicut Dei ministros.* Hoc multò maius est, quam quod proximè dixit. Neque enim in pari laude ponendum est, reprehensione vacare: atque, Ita vitæ suæ rationes comparare, vt vndique perspicuum sit, eos Dei ministros esse. Non enim paris laudis est, à reprehensione liberum esse: & laudum ornamentis abundare. Nec verò dixit, *apparentes, sed exhibentes,* hoc est, liquidò demonstrantes. Mox etiam quo pacto ad hanc virtutis præstantiam peruenerint, exponit. Quoniam igitur? *In multa patientia, inquit.* Quibus verbis bonorum omnium fundamentum posuit. Qua etiam de causa non simpliciter patientiam dixit, sed multam addit, vt illius magnitudinem declararet. Neque enim vnum aliquod aut alterum incommodum perferre magnæ laudi ducendum est. Itaque densa tentationum agmina subiungit, dicens, *In tribulationibus, in instabilitatibus.* Hoc ad afflictionum exaggerationem facit, cum eiusmodi mala sunt, quæ vitari nequeunt: ac velut necessitas

quædam acerbitatum incumbit, ex qua vix omnino quispiam se expedire queat. *In angustiis*: famis scilicet, aliarumque rerum necessariorum: vel etiã simpliciter, tentationum. *In plagis, in carceribus, in seditionibus*. At qui quodlibet horum, vel solum, vix tolerabile erat, nempe & flagris cædi solum, & vinciri solum, & denique ita vndique exagitari, vt nusquam consistendi potestas esset, hoc enim significat id quod ait, *In instabilitatibus*. At cum & hæc omnia, & simul, atque vno agmine ingruunt, faciliè, existimare potes, quàm firmum ac valentem animum requirant. Deinceps vnã cum externis calamitatibus eas quoque ponit, quas ipse sibi accersebat. *In laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate*. His verbis ærumnas eas innuit, quas huc atque illuc cursando, ac victum sibi manibus quærendo, exantlabat, noctesque item eas, quas in docendo, vel etiam fortasse laborando, conterebat. Ad quas etiam ærumnas illud quoque accedebat, quòd ne ieiunium quidem omittebat: tamen alioqui illa mille ieiuniorum instar essent. Per castitatem rursus hoc loco, vel pudicitiam intelligit, vel in omnibus rebus puritatem, vel quòd à muneribus capiendis abhorreret, atque gratis Euangelium prædicaret. *In scientia*. Quid est, *In scientia*? In sapientia à Deo concessa, quæ vera scientia est: non quemadmodum illi, qui sapientes habentur, ac de externa quidem eruditione sibi mirificè placent, cæterum hoc doctrinæ genere inferiores sunt. *In longanimitate, & suauitate*. Hæc quoque perquam generosi animi sunt, nempe, cum vndique prouocaris, ac pungaris, æquo animo acerbitates omnes ferre. Tum autem ostendens, vnde ad hunc virtutis gradum peruenerit, subiunxit, *In spiritu sancto*. In ipso enim omnia hæc consequimur. Ac vide quando Spiritus sancti auxilium posuerit, nimirum postquam suas ipse partes obiuit. Quanquam mihi aliud quoque his verbis indicare videtur. Quidnam hoc? Nempe quòd copioso Spiritu repletus esset, atque hinc quoque missionis suæ argumentum præberet, quia spiritalibus gratis donatus fuisset. Nam etsi id quoque diuina gratia erat: at ipse quoque causa item erat, vt qui per sua rectè facta & sudores gratiam attraxisset. Quòd si quis insuper id quoque ab Apostolo indicari contendat, quòd in spiritali etiam illa gratia nullam cuiquam offensionis causam dederit, ab ipsius sententia haudquaquam aberrarit. Etenim illi, qui apud eos linguarum donum acceperant, eoque nomine arrogantiam conceperant, vituperati sunt. Fieri enim potest, vt qui spiritali gratiam acceperit, non ea, vt par est, vtatur. At nos non ita, inquit, verum in spiritu etiam, hoc est in spiritalibus gratis, ita nos ipsos gessimus, vt omni labe ac reprehensione careremus. *In charitate non ficta*. Hæc bonorum omnium ipsi causa erat: hæc talem ipsum efficiebat: hæc denique id præstabat, vt Spiritus, cuius ope atque adiumento nihil non assequeretur, apud ipsum maneret. *In verbo veritatis*, hoc est quod plerisque locis ait, non dolo tractantes nec adulterantes verbum Dei perlitimus. *In virtute Dei*. Quod nusquam non facit, vt nihil sibi, sed Deo accepta omnia referat, eaque, quæ cum laude gesserit, ascribat, hoc etiam hic fecit. Quoniam enim magna quædam ac præclara prolocutus fuerat, dixeratque vitam semper ab omni reprehensione alienam, ac summam philosophiam exhibuisse, Spiritui sancto, ac Deo hæc attribuit. Neque vulgaria erant quæ dixerat. Nam si quietam etiam ac tranquillam vitam agenti virtutem assequi, nullumque reprehensioni locum dare, difficile atque arduum est: illud tecum reputa, quàm egregij animi sit, tot tentationibus obturbatum ac vexa-

Sup. 4.

tum semper effuluisse. Et quidem non hæc sola sustinuit: sed multò his plura, quæ deinceps enumerat. In quo illud admirandum est, non quòd tot tantisque fluctibus obrutus non fuerit, nec quòd omnia forti animo pertulerit, sed quòd etiam cum voluptate omnia, quæ deinceps his verbis declarat, *per arma iustitiæ, à dextris & sinistris*. Videlicet animi præsentiam, ac spiritus acres & robustos? Afflictiones enim arma esse ostendit, vt quæ non modò non deiciant, sed etiam muniant ac firmiores efficiant. Sinistra autem ea vocat, quæ molestiæ speciem habent. Nam eiusmodi sunt ea, quæ mercedem habent. Cur igitur hoc iis nomen imponit? Nempe vel quia iuxta vulgi opinionem loquitur: vel quia iussit nos Deus orare, ne in tentationem intremus. *Per gloriam & ignominiam, per infamiam & bonam famam*. Quid ais Paule? Magnùmne atque amplum ad laudem tibi esse censeres gloria frui? Maximè, inquit. Quid ita? Nam ignominiam quidem ferre magnum ac præclarum est. Quid verò? an in gloria versari non fortem ac strenuum animum requirit? Fortem planè, ac perquam ingentem, vt ne is, qui ea fruitur, in arrogantiam prorumpat. Quo fit, vt hoc quoque nomine Paulus gloriatur, quemadmodum & illo: quoniam in vtraque re, peræque virtus ipsius elucebat. Quoniam porro modo gloria iustitiæ armatura sit? Quoniam multos ad pietatis studium incitat, cum magistros in honore esse conspiciunt: atque bonorum operum hoc argumentum est, ac denique hinc Dei gloria celebratur. Quin illud quoque diuini artificij erat, nimirum Euangelij prædicationi aditum per contraria aperire. Sic enim cogita: Vincit erat Paulus? Id quoque ad Euangelij commodum cedebat. Quæ circa me sunt, inquit, magis ad profectum Euangelij venerunt: ita vt plures è fratribus confidentes in vinculis meis abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui. Rursus in gloria versabatur? hoc quoque rursus promptitudinem illis maiorem afferebat. *Per infamiam & bonam famam*. Non enim ea solum quæ corpore excipiebat, forti ac generoso animo perseuebat, hoc est afflictiones, eaque omnia, quæ enumerando recensuit: sed ea etiam, quæ animum solum perstringebant. Neque enim hæc quoque leues tumultus excitare consueverunt. Ipse quippe Hieremias, cum alioqui multas calamitates tulisset, ad has fatisciebat, animoque frangebatur. Nam cum probris & conuitiis incessetur, dicebat, Non prophetabo, nec loquar vltra in nomine Domini. Dauid etiam plerisque locis probro se esse deplorat. Atque item Esaias, post alia multa pro hac quoque re ad hunc modum cohortatur: Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis. Ac rursus Christus ad Apostolos verba faciens: Cum dixerint, inquit, omne malum aduersum vos, mentientes, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Et alio loco dicit, Et exultate. Atqui non tantam mercedem constitueret, nisi ingens esset difficultas atque certamen. Etenim cum quis in cruciatibus versatur, corpus cum animo dolores patitur: hoc quippe habet dolor, vt & corpus & animum afficiat. At in probris & maledictis animus duntaxat vexatur. Multi certè his solis prostrati sunt, animæque suæ iacturam fecerunt. Atque ipsi quoque Iob vermibus & vlcerebus grauiora ea probra fuere, quibus ab amicis oneratus fuit. Nihil enim est, nihil inquam est, quòd iis, qui doloribus premuntur, acerbis accidere possit, quàm eiusmodi oratio, quæ eorum animos mordere ac vellicare queat. Quocirca cum periculis ac sudoribus hæc quoque collocat Paulus, dicens, *per gloriam, & ignominiam*. Multi quæ-

Iob. 19.

Ioan. 5.

pe, etiam ex Iudæis, ne ea gloria, in qua apud vulgus erant, laberentur, ad Christi fidem sese conferre noluerunt. Timebant enim, non ne supplicio afficerentur, sed ne ex synagoga proscriberentur. Vnde etiam dicebat Christus, Quomodo potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis? Ac multos cernere est, qui cum acerba omnia contempserint, à gloria superati sunt. *Vt seductores, & veraces*. Idem est cum eo quod paulò ante dixit, *per infamiam, & bonam famam*. Sicut qui ignoti & cogniti. Hoc quoque cum iis verbis congruit, *per gloriam & ignominiam*. Quibusdam enim noti erant, ab iisque singulari studio colebantur: quidam rursus ne cognoscere quidem eos dignabantur. *Quasi morientes, & ecce viuimus*. Vt morti obnoxij, ac capitis damnati. Quod ipsum quoque ad ignominiam faciebat. Hoc porro dicebat, tum vt inenarrabilem Dei potentiam, tum vt suam aliorumque Apostolorum tolerantiam declararet. Nam, quantum in iis, qui nobis insidias struunt, situm est, inquit, mortui sumus: atque ita omnes existimant: at diuina potentia factum est, vt ex peccatis crepti simus. Postea, cur hæc Deus permittat, explanans, subiungit, *vt castigati, & non mortificati*. quibus verbis illud indicat, ex tentationibus ingentem, etiam ante ipsa præmia, fructum ipsis exoriri, hostesque in ea causa esse, vt vel inuiti de ipsis bene mereantur. *quasi tristes, semper autem gaudentes*. Etenim exterorum quidem opinione in mœrore sumus: at nos, quid ipsi de nobis existiment, haud attendimus, verum florentissima voluptate fruimur. Nec verò gaudentes solum dixit, sed addidit, *semper*. *Semper enim gaudentes*, inquit. Ecquid igitur huic vitæ par esse queat, in qua tot calamitatibus incurfantibus, auctior atque cumulatio voluptas efficitur? *Sicut egentes, multos autem locupletantes*. Quidam aiunt hoc loco de spiritalibus opibus verba haberi. Ego autem de iis quoque, quæ ad carnem attinent, Paulum loqui affirmem. Nam & his nouo quodam modo præditi erant, vt quibus piorum omnium ædes paterent. Atque hoc perspicuum fecit, ex eo quod deinceps ait, *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes*. Et qui fieri hoc potest, inquires? Imò qui contrarium fieri potest? Nam qui multa possidet, & retinet, nihil habet: qui autem nihil habet, omnia possidet. Neque hic solum hoc vsu venit, sed & in aliis rebus, è contrariis contraria existunt. Quòd si miraris quoniam modo fiat, vt qui rebus omnibus caret, cuncta habeat, hunc ipsum Paulum in medium adducamus, qui orbi terrarum pro potestate imperabat, cuique non in ipsorum tantum pecunias, sed in oculos quoque ipsos arbitrium erat. Si fieri potuisset, inquit, oculos vestros eruissetis, & mihi didissetis. His porro verbis eam ob causam vitur, vt nos doceat, ob vulgi opiniones atque sententias minimè conturbari, etiam si nos impostores appellent, etiam si nos ignorent, etiam si fontes ac morti addictos esse existiment, etiam si in mœrore atque egestate versari, etiam si rerum omnium inopia premi, etiam si, cum læti atque hilares simus, mœsto ac luctu profligato animo esse: quandoquidem nec cæcis perspicuus est Solis splendor, nec iis, qui mentis errore afficiuntur, eorum, qui prudentes ac sobrij sunt, voluptas perspecta & explorata. Solum enim pij viri, recti sunt rerum iudices, nec de iisdem, quibus alij, rebus vel gaudent vel anguntur. Quemadmodum enim si quis palæstræ rudis pugilem vulneribus affectum ac corona redimitum spectet, eum ob vulnera discrucari iudicabit, quòd videlicet, quantam ei corona voluptatem pariat, ignoret: eodem modo isti, quia, quæ patimur,

Gal. 4.

Simile.

norunt, ea autem, ob quæ patimur, nesciunt, non mirum si hæc sola suspecta habeant ac vereantur, vt quæ certamina quidem & pericula perspiciant, præmia autem & coronas, & certaminum causam, non item. Quænam ergo ea omnia erant, quæ Paulus possidebat, cum diceret, *Tanquam nihil habentes & omnia possidentes*? Mundana, & spiritalia. Qui enim hoc adeptus erat, vt eum vrbes velut angelum exciperent, pro eo effoscos oculos tradere, pro eo ceruices suas exponere parati essent, an non ille omnia eorum bona possidebat? Quòd si spiritalia quoque perspicere libet, videbis eum in iis quoque maximè copiosum ac locupletem. Nam qui in tanta summi illius omnium regis amicitia versabatur, vt angelorum Dominus arcana sua ipsi impertiret, qui fieri poterat, quin omnes opibus anteiret, atque omnia possideret. Non enim alioqui demones ita ei cessissent: non ita dolores ac morbi fugam corripissent.

B

MORALE.

De diuitiis & paupertate.

Proinde nos quoque, cum propter Christum malo aliquo afficimur, non modò fortem ac generosum, sed etiam lætum atque hilarem animum præbeamus. Si ieiunamus, perinde exultemus ac si in luxu versaremur. Si contumelias accipimus, non secus tripudiemus, ac si laudes nostræ prædicarentur. Si sumptus facimus, ita animo comparati simus, tanquam quæstum faciamus. Si pauperibus largimur, nos ipsos accipere arbitremur. Nam qui non eo animo dat, nec faciliè quidem ac promptè dabit. Quare cum in animo habes spargere, non id solum expecta, quod expendis: sed hoc etiam quod plura lucraris: & quidem hoc prius quàm illud. Nec verò in subleuanda duntaxat pauperum inopia, sed in omni quoque virtute, non tam laborum acrimoniam, quàm præmiorum suauitatem, atque ante omnia Christum, qui certaminum causa est, ob animum tibi proponere. Sic fiet, vt certamina impigrè adeas, atque omnem vitæ cursum cum voluptate conficias. Neque enim quicquam est, quod tantam ad ciendam voluptatem vim habeat, vt animus sibi bene conscius. Ac propterea Paulus quidem, cum singulis diebus vexaretur, gaudebat tamen & exultabat: contra autem homines huius tempestatis ne per somnum quidem horum aliquid peritentes, dolent ac mœsti sunt, nullam aliam scilicet ob causam, quàm quòd minimè forti ac philosophico animo præditi sint. Alioqui enim exponas mihi velim quid sit quamobrem luceas? An quia pauper es, ac rerum necessariorum inopia premeris? Ergo eo nomine potius lugendus es, non quia ploras, nec quia eges, sed quia animo paruo es atque abiecto: non quia numis cares, sed quia numos tanti æstimas. In singulis dies morte fungebatur Paulus, nec tamen plorabat, imò etiam lætabatur. Cum perpetua fame luctabatur, nec dolebat, imò etiam gloriabatur. At tu, quia totius anni prouentus reconditos non habes, idcirco angeris, teque affligis. Non mirum, inquis. Ille enim de se tantum erat sollicitus: me verò, & serui, & liberi, & vxor sollicitum tenent. Immo verò ille solus rerum suarum curam ac sollicitudinem minimè gerebat, sed vniuersi terrarum orbis. Actu quidem prouicia domo sollicitudine afficeris: ille autem pro tot Hierosolymitanis pauperibus, pro Macedonicis, pro omnibus denique egenis qui vbique erant, nec minus pro iis, qui ipsis largiebantur, quàm pro iis, qui accipiebant. Duplex enim ipsum pro terrarum orbem

Bona conscientia summæ lætitiæ causa.

1. Cor. 15.

Rom. 15.

Rom. 9.

Inf. II.

cura tangebatur, nempe & ne rebus ad vitam necessariis indigerent, & ut spiritualibus opibus abundarent. Nec verò tantum mœroris parentibus afferunt filij fame laborantes, quantum ipsi piorum omnium negotia. Quid autem dico piorum? Nam ne pro iis quidem, qui à fide abhorrebant, cura vacabat: verum ea ita optaretur, ut eorum loco anathema quoque fieri optaret. Tu verò, ne si millies quidem fames inualesceret, pro villo tamen homine mori velles. Ac tu quidem pro vnica vxore in cura es: ille autem pro omnibus totius orbis Ecclesiis. Sollicitudo enim mea, inquit, omnium Ecclesiarum. Quousque ergo ludes, o homo, teipsum cum Paulo conferens? Non tu hac tanta animi imbecillitate laborare defines? Collacrymandum enim est, non cum in paupertate sumus, sed cum peccamus. Hoc quippe est, quod lacrymas meretur, Nam alia eiusmodi sunt, ut risum etiam cedere debeant. At non hoc duntaxat mihi mœrori est, inquis, sed illud quoque, quòd hic auctoritate ac potentia præditus est, ego autem iaceo. Quid tum? Ipse quoque Paulus ignobilis atque abiectus plerisque videbatur. Verum Paulus ille erat, inquis. Ergo non rerum natura, sed animi morbus hanc tibi mœstiam affert. Quocirca paupertatem noli deslere, verum teipsum, qui ita affectus sis: imò verò teipsum ne desle, sed potius corripere: nec opes quære, sed, quod maiorem quam infinitæ opes lætitiæ parit, consecrare, nempe patientiam ac virtutem. Hæc enim si adsit, nihil nocet paupertas: si desit, nihil profunt opes. Quid enim, orote, vililitatis capiunt, qui opibus quidem affluunt, verum pauperes animos habent? Non tu tam miserum teipsum censes, quàm diues ille seipsum, quia non omnes omnium facultates vnus habet. Quòd si non perinde vt tu, lamentatur, ipsius conscientiam explicata, & lamentationes atque singultus videbis. Vis tuas tibi opes ostendam, vt beatos eos existimare defines, qui in pecuniis sunt locupletes? Vides hoc cœlum, quàm præclarum, quàm ingens, quàm sublimi loco situm? Hac ille pulchritudine nihilo amplius fruitur quàm tu: nec te ille propellere, totumque sui iuris efficere queat. Vt enim propter illum est creatum, ita etiam propter te. Quid Sol? Splendidum inquam hoc sydus ac rutilans, atque oculos nostros oblectans? An non communis hic quoque omnibus mortalibus patet, atque omnes æquè, tam diuites, quàm egentes eo fruuntur? Quid stellarum corona? quid Lunæ orbis? an non omnibus æquè concessa sunt? Imò verò, quod dictu mirabile est, nos, qui pauperes sumus, vberius iis fruimur, quàm illi. Etenim illi, mero vt plurimum obruti, atque in comestationibus altissimòque somno vitam degentes, ne hoc quidem percenscunt, vt qui tecto se teneant, atque in vmbra alantur. Pauperes contra ea conditione sunt, vt nulli mortalium parem ex elementis voluptatem capiant. Quin si aërem ipsum, qui vbi que fusus est, exploraueris, puriore vtique eo atque vberiore pauperem frui perspicias. Nam, & viatores, & agricolæ, lætius eo afficiuntur, quàm qui in vrbibus degunt: & si hos quoque spectes, lætius artifices, quàm qui toto die perbacchantur. Nam quid de terra dicam? An non cunctis æquè patet? minimè inquis. Quid ita? Quoniam is, qui diues est, & in vrbe multa terræ iugera adeptus, longa pomœria extruit, & in agris multas partes defecat. Quid ergo? An quia defecat, solus proinde iis fruitur? Haud sanè, quamlibet adniratur. Fructus etenim in omnes distribuere cogitur, ac triticum, vinum, & oleum ti-

bi elaborat, ac nusquam non tibi inferuit. Amplo- rum etiam septorum ac domiciliorum post incredi- biles sumptus & labores atque arumnas vsu tibi comparat, exiguis à te pro huiusmodi ministerio numis acceptis. Atque hoc, & in balneis, & in aliis omnibus rebus, vsu venire comperias, vt qui diuitiis circumstantur, curis & laboribus conficiantur: qui autem opibus carent, paucis obolis hoc assequuntur, vt his omnibus cum summa securitate fruatur. Nec verò plus fructus è terra ad diuitem redit. Neque enim ille decem ventres implet, cum tu vnum duntaxat impleas. At exquisitioribus cibis ille vescitur? Maximè quidem istud haud magna præstantia est. Quanquam, vt ita sit, tamen hic quoque superiores partes pauperem ferre comperiemus. Nam si profusa illa & exquisita vitæ ratio ea de causa tibi beata & expetenda esse videtur, quòd maiore voluptate perfusa sit, amplior vtique voluptas penes pauperem est, nec solum voluptas, sed etiam sanitas. Atque hoc solo nomine superior est diues, quòd imbecillius sibi corpus efficiat, ac plures morborum fontes colligat. Quidquid enim pauper edit, modo rationi consentaneo administratur: quidquid autem diues, quia modum excedit, in corruptionem definit. Quod si placet, exemplo istud ipsum perspiciamus. Si rogos accendendus sit, atque ille quidem sericas vestes, & permulta tenui filo contexta lintea iniiciat, atque ita eum accendat, hic contra quereca & picea ligna, quid tandem amplius ille habet quàm hic? Nihil sanè: imò inferius etiam quippiam. Nihil enim prohibet quominus idem exemplum alio modo inuertamus. Si alter ligna, alter corpora exurenda in rogam iniecerit, vtri tandem rogo lubentius affueris, huicne qui lignis, an ei, qui corporibus inflammatus sit? Liquet profectò quòd ei lubentius, qui lignis incensus sit. Ille enim, vt naturæ consentaneum est, ardet, ac iucundum hominibus spectaculum præbet: hic contra eiusmodi est, qui nidore & sanie ac fumo, & offium foetore, omnes procul abigere queat. Cohorruisti ad hæc verba, atque rogam hunc execraris? Tales vtique sunt diuitem ventres. Maiorem enim in illis, quàm in illo rogo putredinem quis reperiat, vt foetidos halitus, & impuras defluxiones, quòd toto corpore, atque in singulis partibus, ingens ob saturitatem cruditas existat. Nam cum naturalis calor conficiendis omnibus cibis haud par sit, verum iis obruatur, vrgent illi, fumum sursum excitantes, atque ingentem molestiam afferentes. Cuiam igitur rei eorum ventres conferre quis possit? (ac velim ne vos offendat quod dicturus sum: verum si falsa loquar, orationem meam refutate) cuiam inquam rei eiusmodi ventres conferre quispiam possit? Neque enim, quæ diximus ad declarandam eorum miseriam sufficiunt. Alteram rursum imaginem reperi. Quam tandem? Quemadmodum in cloacis, in quibus magna est stercoreis, feci, stipula, lapidum ac luti colluuiæ, crebræ obstructions oriuntur, ex quibus fit tandem, vt cœnum magno impetu ad superiores partes sese diffundat: ita etiam in horum ventre vsu venit. Eo quippe ab inferiori parte obstructo, vitiosæ illæ defluxiones magna ex parte ad superiores partes regurgitant. At verò in pauperibus secus res habet. Vt enim fontes, qui puros latices fundunt, atque hortos & prata irrigant, ita horum quoque ventres ab his excrementis puri sunt: cum contra diuitem, vel potius luxui studentium, ventres humoribus noxiis, pituita, bile, corrupto sanguine, putrique defluxione, aliisque huiusmodi rebus pleni sint. Ex quo fit, vt ne ad breue quidem

Simile

In quo diuitiæ sicæ sint.

tempus incolumis quis perstare possit, qui quidem A semper in deliciis viuat: verum in perpetuis morbis versetur. Quocirca lubens ex istis scisciter, quam ob causam sibi nobis Dei munere concessi sint: vt intereamus, an vt aliam? vt aduersa valetudine laboremus, an vt sani simus? vt imbecilles simus, an firmi ac robusti? Illud sanè perspicuum est, quòd alimoniam, sanitatis, viriùmque tuendarum causa data sint. Qui fit igitur, vt iis in contrarium abutimini, morbos videlicet atque imbecillitatem per eos corpori procurantes: cum contra pauper frugali ac tenui cibo commodam valetudinem, corporisque firmitatem ac robur sibi comparet? Proinde ob paupertatem, sanitatis parentem, ne collacryma, sed potius exulta: & si tibi diuitiæ cordi sunt, diuitias contemne. In hoc enim potissimum opes & copiam positæ sunt, non vt quis diuitias habeat, sed vt ne habere quidem curet. Id quod si adepti fuerimus & hic diuitibus omnibus copiosiores erimus: & illic futura bona consequemur: Quæ vtinam consequi nobis contingat, per gratiam & benignitatem Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIII.



s nostrum patet ad vos, o Corinthij: cor nostrum dilatatum est. Non angustiamini in nobis: angustiamini autem in visceribus vestris. Posteaquam tentationes suas & afflictiones exposuit. (In patientia enim, inquit, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in incertis sedibus, in laboribus, in vigiliis:) atque itingens id bonum esse ostendit, (Sicut tristis enim, inquit, semper autem gaudentes; sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, & omnia possidentes:) tum etiam arma ea esse dixit, (Vt castigati enim, ait, & non mortificati:) atque insuper magnam Dei erga nos curam ac potentiam per ea declarauit, (Vt enim, inquit, sublimitas virtutis sit Dei, & non ex nobis:) ac præterea certamina quoque sua enumerauit. (Semper enim, inquit, ipsius mortificationem circumferimus.) Illudque item addidit, ea perspicuum resurrectionis argumentum esse, (Vt enim & vita Iesu, inquit, manifestetur in carne nostra mortali:) adhæc quarum rerum particeps extiterit, quæque ipsius fidei commissa fuerint, (Pro Christo enim legatione fungimur, inquit, tanquam Deo per nos exhortante:) atque insuper quarum rerum minister sit, nimirum non litteræ, sed spiritus: ac denique quòd non eo tantum nomine venerandus sit, sed etiam ob tentationes, (Deo enim, inquit, gratia, qui nos semper triumphat:) iam ad eos obiurgandos se accingit, vt parum sui studiosos. Nec tamen ad hoc statim orationem confert, verum id prius agit, vt suum erga eos studium ac beneuolentiam ostendat: atque ita demum in huiusmodi sermonem ingreditur. Nam etsi is, qui obiurgationem adhibet, in ea causa sit, vt virtutes quoque ipsi suæ ac res præclaræ gestæ venerationem concilient: tamen cum suam etiam erga eos, quibus succenset, beneuolentiam declarat, hoc assequitur, vt minùs grauis ac molesta sit ipsius oratio. Quo fit, vt ipse quoque Paulus è tentationibus suis ac sudoribus & certaminibus egressus, ad eam orationem, qua de ipsius erga eos beneuolentia & charitate agitur, transeat, ac postea obiurget. Quænam ergo suæ erga eos charitatis argumenta affert? Os nostrum patet ad vos, o Corinthij. Et quod tandem charitatis argumentum hoc est? aut quid omnino hæc sibi verba volunt? Non sustinemus, inquit, silen-

tio ad vos uti: sed continenter vos alloqui, atque orationem ad vos habere gestimus. qui quidem amanti- um mos est. Nam quod in corpore sunt manuum complexus, hoc in animo est sermonis commercium. Ad hanc porro interpretationem alia etiam accedit. Quæ tandem? Apud vos, inquit, quos charissimos habemus, cuncta liberè proloquimur, nihil dissimulantes, aut reseruantes. Quoniam enim iam obiurgaturus est, idcirco veniam petit, illud ipsum, quòd eos liberè obiurget, ingentis sui erga eos amoris documentum esse statuens. Iam ipsa quoque nominis adiectio magnæ amicitie ac feruentis affectus specimen habet. Nam & eorum, quorum amore flagramus, nuda nomina nobis identidem in ore versari solent. Cor nostrum dilatatum est. Quemadmodum enim id, quod calorem affert, dilatare solet: ita etiam charitatis munus est dilatare. Calida quippe ac feruens est virtus. Hæc os quoque Pauli aperiebat, & pectus exporrigebat. Neque enim ore tantum ac labiis amo, inquit: verum etiam cor ipsum in amore consonat. Ac proinde intrepidè loquor, toto ore, ac tota mente. Non enim Pauli pectore quicquam latius erat, quod pios omnes, perinde atque amafius quispiam, adeo arcto amore complectebatur, non sese scindente ipsius amicitia, & imbecillitatem contrahente, sed integra in vnoquoque manente. Et quid mirum talem ipsius in pios viros animum fuisse, cum etiam in infidelibus pectus ipsius vniuersum terrarum orbem amplecteretur? Ob eam causam nò dixit, Amo vos, sed, quod maiorem emphasis habet, Os nostrum patet, cor nostrum dilatatum est: nos complexu nostro omnes coercemus: ac ne id quidem vt cunq, sed cum ingenti amplitudine. Nam qui amatur, in intimo amantis pectore sine villo metu obambulat. Idcirco ait: Non angustiamini in nobis: angustiamini autem in visceribus vestris. Atque hic quoque vide, quemadmodum obiurgatio non parua indulgentia temperetur. Id quod magnopere amantium est. Non dixit, Vos me non amatis: sed non parum modo. Neque enim animum inducit asperius eos insectari. Ac passim cernere est, quemadmodum incredibili quodam piorum amore flagret, si quis ex singulis Epistolis testimonia seligat. Ad Romanos enim scribens, ait: Cupio videre vos. Et: Sape proposui venire ad vos. Et: Si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam ad vos. Ad Galatas autem hæc eius verba sunt: Filioli mei quos iterum parturio. Ad Ephesios rursus: Huius rei gratia flecto genua mea pro vobis. Ad Philippenses autem: Quæ enim est spes mea, aut gaudium, aut gloriæ corona? An non vos? Quin se, & in corde, & in vinculis, eos circumferre dicebat. Porro cum ad Colossenses scribit, Cupio, inquit, videre vos quantum certamen habeam pro vobis, & quicunque faciem meam non viderunt in carne: vt consolationem habeant corda vestra. Et ad Thessalonicenses: Quemadmodum si nutrix foueat filios suos, ita desiderantes vos, cupiebamus vobis dare, non solum Euangelium, sed etiam animas nostras. Tum etiam ad Timotheum: Memor lacrymarum tuarum, vt gaudio implear. Et cum ad Titum scribit, Tito dilecto filio: & item ad Philemonem, Dilecto filio. Ad hæc in ea Epistola, quæ ad Hebræos est, multa alia eiusmodi scribit, nec cessat consolari ac dicere: Adhuc modicum aliquantulum: & qui venturus est, veniet, & non tardabit: perinde videlicet ac si mater filios tædio ac mœrore laborantes alloquatur. Denique hoc loco Corinthios alloquens, Non angustiamini in nobis, inquit. Nec verò se duntaxat eos amare ait: sed ab ipsis etiam amari: quò nimirum hinc quoque eorum ani-

Rom. 1.

Gal. 4.

Ephes. 3.

Philip. 4.

Ibid. 1.

Coloss. 1.

1. thess. 1.

2. Tim. 1.

ad Tit. 1.

Philem. 1.

Hebr. 10.

mos alliciat. Atque de his quidem hoc testificans, ait: Titus venit, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem. Et de Galatis, dicens: Si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. Et de Theffalonicensibus: Qualem introitum habuerimus ad vos. Et rursus de Timotheo: Memor lacrymarum tuarum, vt gaudio implear. Ac denique passim in Epistolis hoc videas, ipsum discipulis testificantem, quod & eos amet, & vicissim ab iis ametur. Non tamen similiter hinc quoque dicit: *Licet abundantius vos diligens, minus diligar.* Verum hoc quidem ad epistolæ calcem ait, Interim autem acrius loquens, *Non angustiâmini*, inquit, *in nobis: angustiâmini autem in cordibus vestris.* Vos, inquit, vnum capitis: ego urbem vniuersam, ac plebem tantam. Nec dixit, Non nos capitis: sed, *Angustiâmini*: Idem nimirum subindicans, sed molliori verbo vtens, ne acrius eos perstringeret. *Eandem autem habentes remunerationem, tanquam filii dico.* Atqui minimè par est, prius amari. Quauis enim alioqui parem amoris mensuram quispiam afferat, hoc tamen nomine vincitur, quod posterior ad amandum venerit. Verum hæc non ad viuum refeco, inquit: mihi satis fuerit, si vel meo amore prouocati, mutæ erga me beneuolentiæ significationem præbeatis. Postea, vt eos ad hoc obstringi ostendat, atque ea, quæ dicit, ab omni assentationis suspicione vindicet, Tanquam filii dico, inquit. Quid est, tanquam filii? Nil magni postulo, si, cum pater vester sim, à vobis amari velim. Ac vide ipsius prudentiam & modestiam. Non hic pericula pro ipsis suscepta, non labores ac mortes ponit, quauis multa eiusmodi commemorare queat, (adeo ab omni fastu alienus est) verum vnum hoc, quod eos amet, ac proinde amari quoque velit: quia pater vester sum, inquit, quia acerrimo vestri amore incendor. Etenim illud sæpenumerò eum, qui amatur, offendit, cum quis collata in eum beneficia profert: exprobrantis enim speciem habet. Quocirca hoc minimè facit Paulus, verum, vt filij, parentem diligite, inquit: quod quidem naturæ potius est, ac tale vt patri hoc suo quisque præstare debeat. Postea, ne quis existimet cum sua causa hæc dicere, demonstrat se commodis eorum consulere, cum eorum beneuolentiam ad se attrahit. Vnde etiam subiungit, *Nolite iugum ducere cum infidelibus.* Non dixit, Nolite commiseri cum infidelibus: sed vehementius eos perstringens, vtpote ius violantes, Ne deflectatis vos ipsos, inquit. *Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate?* Hic iam non sui amoris, & eorum, qui Corinthios corrumpebant, comparationem affert: sed Corinthiorum nobilitatem cum illorum ignominia in contentionem adducit. Sic enim & plus grauitatis oratio contrahebat, & ipsius personæ magis conueniebat, ac denique Corinthiorum animos coniunctiores ipsi reddebat. Quemadmodum si quis filio parentes aspernant, ac sceleratis & nefariis hominibus totum se tradenti, dicat, Quid facis o puerule? Patrem contemnis, eique scelestos homines atque innumeris vitiis coopertos anteponis? An te fugit, quantum illos probitate ac nobilitate superes? Hac namque ratione ipsum potius ab eorum societate abstrahet, quàm si paternas laudes prædicaret. Etenim si ad hunc modum loquatur, An nescis quantum illis melior sit pater tuus? haud tantum efficiet. Sin autem omissò patre ipsum illis præferat, dicens, An ignoras quis tu sis, & quoniam illi? Non tibi in animo versatur tua nobilitas atque ingenuitas, & illorum ignominia? Ecquid enim tibi commercij est cum furibus illis, cum adulteris, cum

præstigiatoribus? confestim eum huiusmodi laudatione, tanquam pennis quibusdam in altum erectum adducet, vt ab illorum societate penitus se abrumpat. Nam priore orationem non ita libenter excipiet: quia hoc ipso, quod pater illi antefertur, reprehenditur ipse, vt qui non modò patri mereri sit, sed etiam eiusmodi patri. Hic autem nil tale ipsi accidit. Neque enim vllus est qui laudari nolit. Quinetiam cum auditoris laudatione mollius subit reprehensio. Cedit enim ille monenti, animosque magnos concipit, penitusque eorum societatem fastidit & auersatur. Enimuerò non hoc solum mirandum est, quod Paulus talem comparationem inuenerit, sed quod maius etiam aliquid excogitauerit, atque ad incuriendum terrorem accommodatus. Primum videlicet, quia per interrogationem sermonem inducit, id quod in perspicuis & certissimis rebus fieri consuevit. Deinde quia per nominum densitatem & multitudinem cum dilatat atque amplificat. Non enim vnum, aut alterum, aut tria, sed plura ponit personarum loco, rerum nomina, atque hinc summam virtutem, illinc extremum vitium orationis penicillo describit: ac tantum, immò tam infinitum inter vtrumque discrimen esse ostendit, vt ne probatione quidem vlla res indigeat. *Quæ enim*, inquit, *participatio est iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis?* Vides quo pacto nuda nomina ponit, quæque satis sint ad eos ab huiusmodi rebus auertendos? Non enim dixit, *præuaricationi*, quod plus erat quàm iniquitas: nec dixit, *his qui sunt lucis*, & *iis qui sunt tenebrarum*: sed res ipsas inter se contrarias ponit, eamque rationem habentes, vt, quæ sibi contraria sunt, nullo modo admittere queant, nempe lucem ac tenebras. Nec rursus dixit, *iis qui sunt Christi*, & *iis qui sunt diaboli*: verum, quod multò remotius erat, Christo & Belial: Hebraice videlicet lingua apostatam illum ita appellans. *Aut quæ pars fideli cum infideli?* Hic iam, ne vitij tantummodo infectationem, ac virtutis commédationem prosequi videatur, personarum quoque indefinitè meminit. Nec dixit, *quæ societas?* sed, *quæ pars?* hoc est præmium ac merces? *Quis consensus templo Dei cum idolis?* Vos enim estis templum Dei viui. Horum verborum hic sensus est: Quemadmodum rex vester nihil cum diabolo commune habet (quæ enim concordia Christo cum Belial?) ita nec res ipsæ inter se commercium vllum habent. Quæ enim communicatio luci cum tenebris? Proinde ne vobis quidem vllum cum istis commercium esse debet. Ac priore loco regem ponit, secundo ipsos: hac nimirum ratione quammaximè eos à terribili hoste abstrahens. Tum autem, postquam dixit, *templo Dei cum idolis*, atque eos Dei viui templum esse pronunciauit, necessariò iam testimonium quoque subiungit, perspicuum nempe faciens, se assentatione minimè ductum his verbis vti. Nam qui aliquem laudat, nisi probationem quoque afferat, adulari videtur. Quòdnam ergo est hoc testimonium? *Quoniam inhabitabo in illis & inambulabo*. Inhabitabo in templis & spatiabor. vberiore videlicet erga eos affectum indicans. *Et ero illorum Deus: & ipsi erunt mihi in populum.* Quid agis, inquit? Deum in teipso gestas, & ad illos curris? Deum, inquam, cui cum illis nihil commune est? Hæccine venia digna sunt? Animaduerte quis in te inambulet, quis inhabitet. *Propter quod exite de medio eorum, & separamini, & immundum ne tetigeritis: & ego recipiam vos, dicit Dominus.* Non dixit, *Immunda ne faciatis*, sed accuratiorem & exactiorem virtutem

virtutem requirens, Ne attingatis quidem, inquit, nec appropinquetis. Quid autem est carnis immunditia? Adulterium, stuprum, impudicitia. Quòdnam rursus impuræ animi cogitationes? Procax & libidinosus aspectus, iniuriarum memoria, fraudes, & cætera huiusmodi. Vult itaque nos vtrinque puritatem præstare. Videtne autem quantum hinc præmij existat? Nimirum improbis hominibus defungi, ac cum Deo coniungi. Audi quæ sequuntur, *Et ego ero vobis in patrem: & vos eritis mihi in filios, & filias, dicit Dominus.* Videtne quemadmodum Propheta præsentem gratiam, hoc est regenerationem, quæ nobis per gratiam comparatur, longè antè prædicat. *Has ergo promissiones habentes, charissimi.* Nempe quod Dei filij ac filia simus: quod hospitem ipsum & in nobis deambulantem habeamus, quod populum ipsum efficiamur, quod Deum ipsum ac patrem possideamus, *Emundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus.* hoc est, ita nos comparemus, vt nec impura contrectemus (hoc enim carnis inquinamentum est) nec ea, quæ labem animis ac maculam inurunt: hæc quippe est spiritus impuritas. Ac ne hoc quidem contentus, adhuc subiungit, *perficientes sanctificationem in timore Dei.* Non enim propterea statim puri efficiamur, si nihil impuri attingamus: sed ad hoc vt sancti simus, aliud præterea requiritur, nempe vt studium atque industriam, vt animi attentionem ac pietatem adhibeamus. Pulchrèque addidit, *In timore Dei.* Fieri enim potest, vt quis pudicitiam præstet, non tamen id Dei metu faciat, sed inanis gloriæ studio ductus. Quin aliud quoque per hæc verba, *In timore Dei*, subindicat, modum videlicet, quo sanctitas plenè ac cumulatè præstari queat. Nam etsi cupiditatis magna vis ac tyrannis est: tamen, si Dei timore animum obseptum habeas, ipsius furorem infringes.

MORALE.

Minimè euulgandam eleemosynam esse: & pauperem meliori conditione esse quàm diuitem.

PORRO per sanctificationis vocabulum hoc loco non pudicitiam duntaxat intelligit, sed eiusmodi animi habitum, qui ab omni peccati labe purus sit atque immunis. Sanctus enim est, qui puritate præditus est. Purus autem tum demum effici quispiam poterit, si non scortatione duntaxat vacet, sed etiam auaritia, liuore, arrogantia, inani gloria: ac potissimum hac postrema, quæ cum in omnibus rebus fugienda sit, tum potissimum in eleemosyna, quandoquidem ne eleemosynæ quidem nomen obtinere queat, si hoc morbo laboret: sed ostentationis & crudelitatis. Nam cum ad largiendum non miseratione, sed beneficij euulgandi studio duceris, non modò id eleemosyna non est, sed etiam contumelia. Fratrem quippe traxisti. Proinde non pecunias tantummodo dare eleemosyna est: sed eo animo dare, qui proximi miseris commoueat. Quandoquidem etiam ij, qui in theatris spectant, tum cinædis largiuntur, tum alijs qui in scena versantur, nec tamen ea res eleemosyna est: & qui cum scortis congreduuntur, dant quidem item, nec tamen beneficium atque humanitas id dici potest, sed flagitium & contumelia. His porro non dissimilis est, qui gloriæ cupiditate laborat. Quemadmodum enim ille, cum meretrici stuprum intulit, flagitij mercedem ipsi persoluit: ad eundem tu quoque modum ab eo, qui pecuniam à te accipit, pro mercede contumeliam exigit: tibi que simul, atque illi finitæ existimationis notam inuris: ac præterea maior, quàm dici queat, detrimento te ipsum afficis. Vt enim bellua quædam, aut canis aliquis insiliens, ita flagitiosus hic morbus atque hæc inhumanitas bona nostra nobis eripit. Inhumanitas quippe ac sæuitia est hæc res: imò etiam crimen ea grauius. Nam qui sæuus & crudelis est, egenti quidem nihil impertit: at tu peius eo facis. Iis enim, qui dare volunt impedimento es. Nam cum munus tuum iactas, atque in vulgus effers, simul & accipientis famam & existimationem deles, & eum, qui dare parat, si modo ignaui animi fuerit, reprimis. Neque enim iam ei daturus est, vt qui iam acceperit, nec perinde egeat: quin plerumque etiam accidet, vt cum insectetur, si, postquam à te acceperit, ad se accedat, ac stipem petat, atque impudentiæ insimulet. Ecqua ergo eleemosyna hæc est, cum, & te ipsum, & eum, qui accipit, dedecore afficis, & duplici quoque nomine eum, qui hoc edixit: nempe & quia eo eleemosynæ tuæ spectatore non contentus, oculos quoque conseruorum præter eum requiris, & quia legem ab eo institutam, qua id prohibetur, violas. Ac mihi quidem in animo erat alia quoque persequi, velut ieiunium & precationem, ac quantum illic quòque inanis gloriæ studium, labem & perniciem afferat, demonstrare: verum in mentem mihi venit, me sermonem quandam necessarium superiore disputatione minimè absoluisse. Et quis tandem hic sermo erat? Dicebam scilicet, quod pauperes etiam in rebus caducis & temporarijs meliori conditione sint, quàm diuites: tum cum de sanitate ac lætitia verba facerem: atque id apertè demonstrabatur. Age itaque hodierno die hoc planum faciamus, eos in sublimioribus quoque rebus superiores partes ferre. Vtra enim potius aditum ad cælorum regnum aperiat, opulencia an paupertas, de ipsomet cælorum domino audiamus. De illis enim ait, *facilius esse camelum introire per foramen acus, quàm diuitem in regnum cælorum.* De pauperibus autem contra omnino. Si enim vis, inquit, perfectus esse, vende quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me, & habebis thesaurum in cælis. Quòd si placet, alia quoque ratione id, quod à nobis dictum est, consideremus. Arcta, inquit, & angusta est via, quæ ducit ad vitam. Vter ergo per arctam viam iter facit, isne qui in delicijs, an qui in egestate degit? Isne qui solus est, an qui infinitas sarcinas gestat? Isne qui mollis est ac dissolutus, an qui curis ac sollicitudinibus afficitur? Verumenimvero quid verbis opus est, cum ad personas ipsas venire liceat? Pauper erat Lazarus, & valde pauper: diues contra is, qui pro foribus iacentem præteribat. Vter igitur in regnum cælorum ingressus est, atque in suauissimo Abrahamæ sinu conuiescit? Vter rursus flammis excrucietur, ac ne vnicam quidem aquæ guttam consequi potest? At etiam pauperes plerique perituri sunt, inquit: ac contra diuites multi arcanis illis bonis fruuntur. Imò contra cernere est, paucos quidem diuites, pauperes autem multò plures ad salutem peruenire. At velim diligenter consideres, hinc opum impedimenta, hinc paupertatis vitia. Quanquam, nec opum, nec paupertatis hæc vitia sunt: sed vtrumque eorum, qui his præditi sunt. Sed tamen vtrum è duobus animum firmius muniat, videmus. Quòdnam ergo vitium paupertas habere videtur? mendacium. Quòdnam rursus diuitiæ? superbiam, malorum omnium matrem, quæ etiam diabolum, vt diabolus esset, cum prius talis minimè esset, effecit. Rursus malorum omnium radix est auaritia. Vter itaque huic radici vicinior est, diuesne an pauper? Diues proculdubio. Quò enim quis pluribus

opibus vndique cinctus est, eò plures expetit. Adhæc A inanis gloria studium sexcentas virtutes labefactat. At non procul item ab hac fixum tabernaculum habet diues. Quid autem, inquit, pauperis incommoda non affers, afflictionem videlicet atque angustiam? At hæc illi cum diuite sunt communia: imò etiam maiore ex parte huius sunt, quàm illius. Ita fit, vt quæ paupertatis mala esse videntur, vtriusque communia sint: quæ autem diuitiarum, ea diuitem solum vexent. Quid verò, inquit, cum pauper ob rerum necessariorum penuriam multa scelera perpetrat? At nullus pauper tot scelera ob egestatem admittit, quot diuites ob amplas & vberes opes admittunt, & ne, quæ domi congesta habent, amittant. Neque enim pauper necessaria perinde expetit, vt diues superuacanea: nec rursus tantam ad improbitatem exercendam vim ac facultatem habet, quantam ille. Proinde si & vult magis, & plus potest, liquet profectò quòd plura quoque flagitia designabit. Neque enim pauper famem ita reformidat, vt diues metu contremiscit, ac penè exanimatur, ne bona ei sua pereant, & discrucietur se nondum omnia omnium bona accepisse. Proinde cum & ab inani gloria, & à superbia, & ab auaritia, quæ malorum omnium radix est, propius absit, quam tandem salutis spem habiturus est, nisi insignis cuiusdam virtutis speciem edat? Quònam modo per arctam viam gradietur? Quæ cum ita sint, vulgi opiniones ne circumferamus, sed res ipsas expendamus. An non enim absurdum ac præposterum fuerit, nos, cum de pecuniis agitur, aliis fidem non habere, sed numero & calculo id committere, cum autem de rebus iudicandum est, in aliorum opiniones temerè ac velut obtorto collo trahi: idque cum exactam rerum omnium lancem ac normam & amissim habeamus, nempe diuinarum legum sententiam? Quocirca vos omnes rogo atque obsecro, vt, quid hic aut ille de his rebus sentiat, nihil morantes, Scripturas sacras de iis consulatis, ac, quæ veræ sint opes cognoscatis, cognitatis omni studio consecutemini, vt ad cœlestia bona perueniatis: per gratiam & benignitatem Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen

HOMILIA XIII.



CAPITE nos, neminem lesimus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus. Non ad condemnationem vestram dico. Prædiximus enim vobis, quod in cordibus nostris estis ad commoriendum & conuiuendum.

Rursum de charitate sermonem mouet, increpationis asperitatem reprimens. Postquam enim eos coarguit, atque hoc nomine obiurgauit, quòd amati non perinde redamarent, sed ab ipsius amore ac beneuolentia sese abrumpentes, aliis pestiferis hominibus sese adiungerent, rursus obiurgationis acerbiter lenit, dicens, *Capite nos*: hoc est, amate nos. Beneficium poscit minimè graue, & quod maiori iis, qui dant, quàm qui accipiunt, vtilitati sit. Nec dixit, *Amate*: sed, quod misericordiam redolebat, *capite*. Quisnam nos, inquit, à vestris mentibus abegit? quis eiecit? Quid causæ est, quomobrem in vobis coarctemur? Quoniam enim suprà dixit, *Angustiamini in visceribus vestris*, hoc loco id apertius declarat, dicens, *Capite nos*: atque hac rursus ratione ipsos ad se pertrahit. Neque enim quicquam est, quod perinde ad amandum alliciat, vt cum is, qui amatur, intelligit eum, qui amat, beneuolentiam suam

736
summo expetere. *Neminem lesimus*. Vide quo pacto rursus beneficia sua minimè recenset, verum alio quodam modo ita loquitur, vt & minis molestiæ oratio habeat, & interim tamen acris feriat. Simul etiam pseudoapostolos notat, cum ait, *Neminem lesimus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus*. Quid est *corrupimus*? hoc est, neminem in fraudem induximus: quemadmodum & alio loco ait, *Neminem circumuenimus*, non rapimus, non insidias struximus. Nondum dicit, Hæc atque illa commoda vobis attulimus: sed, quò maiorem ad pudorem incutiendum vim oratio haberet, *neminem lesimus*. Quod perinde est ac si diceret: Etiam si nulum in vos beneficium contulisset, tamen ne sic quidem me fastidire atque auersari debeatis. Neque enim aliquid habetis, quod mihi obicere possitis. Postea autem dicti asperitatem sentiens, sermonem rursus temperauit. Atque eam rationem tenuit, vt nec prorsus taceret (neque enim eorum animos excitasset) nec rursus sermonis acerbiter nulla suauitate conditam relinqueret. Nam alioqui grauius ipsis vulnus inflixisset. Et quid ait, *Non ad condemnationem vestram dico*. Vnde id liquet? *Prædixi enim, inquit, quod in cordibus nostris estis ad commoriendum & conuiuendum*. Maxima certè vis amoris hæc est, cum, etiam contemptus, vnà cum ipsis & mori, & viuere vult. Neque enim vtunque estis in cordibus nostris: sed ita vt dixi. Fieri enim potest, vt & amet quis: & pericula tamen fugiat. At nos non ita. Atque hinc quoque miram Apostoli prudentiam perspicere. Non enim, quibus eos beneficiis iam affecisset, narrauit, ne ea rursus exprobrare videretur: sed de futuris pollicetur. Nam si pericula inferri contingat, inquit, quiduis pro vobis impigro animo patiar. Neque enim mihi, vel mors per se, vel vita, vllius momenti esse censetur: sed vbicumque vos fueritis, vel mihi mortem vita, vel vitam morte chariorem atque optabiliorem efficietis. At enim mortem pro aliquo oppetere, amicitia apertum argumentum est: viuere autem quis nolit, etiam eorum, qui minimè amici sunt? Quam igitur ob causam id, velut magnum atque ad laudem amplum posuit? Nimirum quia perquam magnum hoc quoque ac luculentum est. Sunt enim permulti, qui amicorum quidem calamitatibus commouentur: at non perinde de eorum gloria & splendore gaudent, verum inuidia tangantur. Nostra autem, inquit, alia est ratio. Nam siue in calamitatibus sitis, aduersarum rerum vestrarum participes esse non metumus: siue prosperè vobis atque ex animi sententia res fluant, liuore minimè percutimur. Demum, quia hæc perpetua oratione versauit, dicens, *Non angustiamini in nobis: & Angustiamini in visceribus vestris: & Capite nos: & Dilatamini & vos: & Neminem lesimus*: atque hæc omnia ad eorum reprehensionem spectare videbantur, vide quemadmodum aliter quoque asperitatem his verbis mitiget, *Multa mihi fiducia est ad vos*. Ob id, inquit, huiusmodi oratione vt non dubito, non quòd vos condemnem, sed quòd ingenti libertate ac fiducia nitar. Id quod superius etiam dicebat, *Multa est mihi gloriatio pro vobis*. Cauete enim existimetis, inquit, à me hæc idcirco dici, quòd vos semel ac prorsus condemnem (nam de vobis magnopere mihi placeo, ac glorior) sed quia vobis confutum volo, ac vos maiora virtutis incrementa facere cupio. Id quod Hebræis quoque post multam obiurgationem dicebat, *Confidimus autem de vobis meliora, & viciniora saluti, tametsi ita loquimur* autem

737
autem vnūquemque vestrum eadem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei vsque in finem. Sic enim hoc loco, *Multa mihi gloriatio est pro vobis*. Apud alios, inquit, de vobis gloriamur. Vides quàm syncceram consolationē adhibuerit? Nec vtunque glorior, dixit: sed magnopere. Subiungit mox, *repletus sum consolatione*. Qua consolatione? à vobis videlicet manante: quia ad meliorem frugem reuerfi, per opera me consolati estis. Amantis enim hoc est, partim de eo, quòd non ametur, expostulare, partim metuere ne modum in accusando excedens, mœrorem afferat. Ob id dicit, *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio*. Atqui hæc cum prioribus pugnare videntur, inquit. Minimè verò pugnant, sed mirificè potius consentiunt. Hæc enim efficiunt, vt illa equioribus animis excipiantur: atque harum rerum laudatio vtilitatem eam, quam reprehensiones illæ afferebant, synceriores reddit, vt quæ dolorem earum subducant, velutque suffurent. Quocirca perquam synccerè ac prolixè & copiosè his verbis vsus est. Non enim dixit, *Impletus sum gaudio*: sed, *abundo*: imò non *abundo*: sed, *superabundo*: hinc quoque nimirum rursus ostendens, quanta cupiditate incensus sit, vt potè qui, tametsi vsque adeo ametur, vt eo nomine gaudeat & exulter, nondum tamen, quantum amandus sit, tantum amari se existimet, nec totum accepisse: vsque adeo per ingentem suum erga eos amorem inexplibili cupiditate tenebatur. Nam ab iis, quos quis amat, vel quoquo modo amari non paruam voluptatem affert, propterea quòd ipse vehementer eos amet. Itaque hoc rursus charitatis ipsius argumētum erat. Ac de consolatione quidem dixit, *repletus sum*. hoc est, accepi quod mihi debebatur. De gaudio autem, *superabundo*, quasi dicat: Magno quidem propter vos mœrore affectus sum: verum abundè mihi satisfecistis, ac solatium attulistis. Neque enim mihi solum mœrorem causam ademistis: sed etiam vberiore lætitia me perfudistis. Deinde ipsius magnitudinem declarans, non hinc solum hoc ostendit, quòd dixit, *superabundo gaudio*: sed ex eo etiam, quòd subdit, *in omni tribulatione nostra*. Tanta, inquit, erat ea voluptas, quæ mihi à vobis allata est, vt ne tanta quidem afflictione obscurari, atque extingui poterit, sed magnitudinis suæ exuberantia, molestias omnes, quæ nos inuaserant, fregerit, nec earum sensu nos affici permiserit. *Nam & cum venissemus in Macedoniam nullam requiem habuit caro nostra*. Quoniam enim dixit, *Tribulatione*, idcirco quanta etiam ea tribulatio fuerit exponit, eamque verbis exaggerat, vt ostendat magnam eam consolationem ac lætiam, qua ab ipsis affectus fuerit, extitisse, quippe quæ tantum dolorem absterferit, ac propulsarit. *Sed omnem tribulationem passi sumus*. Quomodo omnem? *Foris pugnæ*, ab infidelibus: *intus timores*, ob eos, quorum fides imbecilla erat, ne videlicet in errore pertraherentur. Neque enim apud Corinthios tantum, sed aliis etiam in locis hæc contingebant. *Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos in aduentu Titi*. Quoniam enim præclarum eis testimonium dixerat, vt assentationis opinionem à se remoueat, Titum fratrem testem adducit, qui post superiorem Epistolam à Corinthiis ad Paulum reuerfi, de eorum emendatione certior eum fecerat. At tu mihi velim consideres, quemadmodum vbi Titi præsentia permagni æstimet. Nam & prius his verbis vsus est, *Cum autem venissem Troadem propter Euangelium, non habui requiem spiritui meo, eo quòd non inuenerim Titum fratrem meum*. Et hinc rursus, *In aduentu Titi consolationem accepimus*, inquit. Vult quippe apud eos authori-

Sup. 2.

Chrysof. tom. 4.

tatem ipsi conciliare, atque efficere, vt summopere ab iis ametur. Ac vide quemadmodum vtrunque astruat. Ex eo enim quòd ait, *Non habui requiem spiritui meo*, virtutis ipsius magnitudinem commonstrat: ex eo rursus quòd ait, *In tribulatione nostra, ex ipsius aduentu, consolationem accipiens, nec solum ex ipsius aduentu, sed etiam ex consolatione, qua consolatus est in vobis*, Corinthiorum beneuolentiam ipsi conciliat. Nihil enim perinde amicitias gignit atque conglutinat, vt cum quis lætum aliquid ac sanum de quopiam commemorat. Id quod de Tito affirmat, dicens, *Reuerfi ille summa lætitia animum nostrum erexit, tam fausta de vobis nunciavit, propterea ipsius aduentus magnæ nobis voluptati fuit*. Non enim ipsius duntaxat aduentus nos lætitia affecit: sed etiam ea consolatio, quam ipse à vobis accepit. Quònam autem modo consolationem accepit? Per virtutem vestram, ac rectè facta. Vnde etiam subiungit, *annunciens nobis vestrum desiderium, vestrum stectum, vestram emulationem pro me*. Hæc sunt quæ ipsum oblectarunt, inquit: hæc sunt, quæ ipsi solatio fuerunt. Vides quo pacto ipsum quoque acerrimo eorum amore flagrare ostendat: vt qui eorum probitatem atque gloriam consolationem suam esse ducat, ac, velut ob bona sua, reuerfi ad Paulum gloriari? Ac perspicere quàm feruenti affectu ea exponat, *Vestrum desiderium, vestrum stectum, vestram emulationem*. Verisimile enim est eos in luctu ac dolore fuisse, quidnam esset, quomobrem beatus Paulus tantopere stomacharetur, ac tandiu ab ipsis abesset. Quocirca non simpliciter dixit, *lacrymas*, sed stectum ac lamentationem: nec cupiditatem, sed, *ἐπιπόθηον*, hoc est acere desiderium: nec iram, sed zelum, & quidem zelum pro ipso, id est, quo in fornicatorem illum, atque in Pauli accusatores exarserant. Vos, inquit, acceptis meis litteris inflammati atque incensi estis. Ob eam causam gaudio abundat, ob eam causam consolatione repletus est: quòd ipsos perstrinxisset. Mihi porro ista non tantum ad eorum, quæ præcesserant, consolationem dicta esse videntur: sed etiam ad eorum, qui hæc præstiterant, cohortationem. Quauis enim nonnulli, vt quidem existimo, prioribus criminibus obnoxij, atque his laudibus indigni essent: non tamen eos discernit: verum & laudes communes, & item communes reprehensiones ponit: hoc videlicet auditorum conscientia tribuens, vt singuli quæ ad se pertinerent, seligerent. Ita enim & reprehensiones inuidia carebant, & laudes ingentem zelum excitabant.

MORALE.

Aduersus peccantes iracundiam adhibendum esse.

Ad eundem nunc quoque modum ij qui accusantur, affici debent, hoc est vt lugeant, ac lamententur, & magistrorum suorum desiderio flagrent, auidiusque eos, quàm vel ipsos parentes, requirant. Ab his quippe viuere, ab illis bene viuere habent. Ad hunc modum paternas obiurgationes ferre conuenit: ad hunc modum vnà cum Antistitibus, ob eos, qui peccant, dolore atque iracundia inflammari. Non enim in ipsis totum positum est: sed partim etiam in nobis. Etenim si is, qui flagitium aliquod admisit, se quidem à patre asperioribus verbis accipi, cæterum à fratribus adulatoria oratione deliniri videat, segnior vtique efficitur. Proinde cum pater obiurgat, tu quoque fac simul cum eo irascaris, siue vt fratris curam gerens: siue vt duntaxat cum patre stomachans, magnum studium exhibe, ac non quia obiurgatus est, sed quia peccauit. Alioqui si extruam quidem ipse, tu verò

A a

destruas, quid aliud assequimur, quam vt inani labore nos ipsos conficiamus? Quin potius non hic tibi damnum hæret: verum pœnam quoque tibi accersis. Nam qui obstat, quò minus vulnus curetur, non minori, quam qui inflixit, immo etiam grauiori supplicio afficitur. Neque enim par crimen est, aliquem ferire: & impedire ne remedium afferatur. Hoc enim omnino mortem gignit: illud autem non omnino. Hæc autem ad vos idcirco, mihi dicta sunt, vt cum antistites iustis de causis irascuntur, vos quoque vnà cum ipsis irascamini: vt cum quempiam obiurgatum videritis, ipsi eum magis etiam auersèmini, quam magister ipse. Date operam, vt qui deliquit, vos potius, quam magistros ipsos pertimescat. Etenim si magistri solius timor in ipsis animo versetur, citò peccabit. Sin autem tot oculos, ac tot ora pertimuerit, cautius proculdubio vitam instituet. Quemadmodum enim nisi hæc faciamus, extremas pœnas daturi sumus: ita si hæc præstemus, quæstum eum, quem peccantium correctio parit, consequemur. Quamobrem ita faciamus. Quod si quispiam Christianis hominibus conuenire dixerit, humanitatem erga peccantem fratrem adhibere, dicat ille, humanitate eum vti, qui irascitur, non eum, à quo præmaturè, qui peccat, vocatur, nec peccati sui sensu affici finitur. Vter enim, quæso, febre ac phrenesi laborantem misericordia prosequitur, isne qui in lecto eum sternit, ac vinculis astringit, atque à noxiis cibis & potionibus arceat, an qui ei mero se ingurgitandi facultatem præbet, ac sui iuris & arbitrij eum esse iubet, omniâque facere, quæ ab homine sano atque incolumi valetudine fieri debent? An non morbum quoque hic exulcerat, qui humanitatis officio fungi sibi videtur: cum contrà ille morbum pellat ac profliget? Eodem modo hic quoque iudicamus. Humanitatis enim est, ægrotis non vbiq; indulgere, ac præposteris ipsorum cupiditatibus adblandiri. Nemo eum, qui apud Corinthios stupri crimine sese obstrinxerat, tam amabat, quam Paulus, qui cum Satanæ tradi iubebat: nemo rursus tam eum oderat, quam ij, qui peccanti applaudebant, & obsequebantur. Atque hoc exitus rei comprobauit. Illi enim ipsius etiam animum inflarunt, ac tumorem maiorem effecerunt: hic autem tumorem compressit, nec antè abstitit, quam eum integræ valetudini reddidisset. Atque illi quidem malum, quod iam erat, auxerunt: hic verò id quoque, quod primum contractum fuerat, euulsit. Quocirca nos etiam has humanitatis clementiæq; leges addiscamus. Nam & tu, si equum videris, qui in præcipitia feratur, frænum iniicis, acriterque inhiibes, ac sæpe flagellas. At qui cruciatus hoc est: verum huiusmodi cruciatus salutem ei affert. Eandem igitur erga eos qui peccant, rationem tene. Vinculis eum, qui facinus improbum admisit, coërce, vsque dum ipse Deum sibi propitium ac placidum reddiderit. Solutum ac liberum eum ne linquas: arctioribus diuinæ iræ vinculis constringatur. Si vincula ipse iniicero, Deus non iam vinciet: sin autem in vinculis eum non tenuero, eiusmodi eum vincula manent, quæ frangi nullo modo queant. Si enim nos ipsos iudicaremus, non vtiq; iudicaremur. Proinde non est, quòd hanc rem crudelitatis ac sæuitiæ esse arbitreris, sed summæ clementiæ & benignitatis, præstantissimæque medendi rationis, nec vulgaris erga peccatoris salutem cura. Verum satis diu pœnas expenderunt, inquis. Quàm diu quæso? Annum vnum, & alterum, ac tres. Atqui temporis moram non quæro: sed animæ correctionem. Hoc itaque fac demones, sintne compuncti, sintne in melius immutati: & res tota confecta crit. Quod nisi ita sit, nihil profectò tem-

poris diuturnitas emolumentum attulerit. Neque enim sapiusne obligatum vulnus fuerit, quarimus: sed an obligatio illa quicquam profuerit. Ac siquidem etiam ad exiguum tempus adhibita, profuit, non iam amplius adhibeatur: si autem nondum eam adhibuisse iuuat, etiam post decem annos adhibeatur. Denique hic tibi eius, qui vincus est, soluendi præscriptus terminus esto, nempe ipsius vtilitas. Si ad hunc modum, & nostri, & cæterorum curam geramus, ac non hominum gloriam aut ignominiam spectemus, verum futuræ vitæ cruciatum ac probrum, atque ante omnia Dei offensionem & iracundiam nobis ob oculos ponentes, pœnitentiæ pharmaca non leuiter imponamus, tum ad integram sanitatem quamprimum veniemus, tum futura bona consequemur: quæ vtinam omnes consequamur gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XV.



VARE etsi contristati vos per Epistolam non me pœnitet, etiamsi pœniteret. Iam de Epistola se exulat, cum correcto peccato, blandius eos alloqui poterat: ostenditque quanta ex ea re vtilitas parta sit. Atque hoc quidem etiam iam antè fecerat, dicens, Ex multa enim tribulatione & angustia cordis scripsi vobis, non vt contristemini, sed vt charitatem cognoscatis, quam habeo erga vos: nunc autem idem etiam rursus facit, ac pluribus verbis astruit. Nec dixit, Prius quidem me pœnitebat: nunc autem non iam me pœnitet. Quoniam igitur modo? Non me pœnitet nunc, etiamsi me pœniterit, quasi diceret: Etiamsi eiusmodi essent ea quæ scripseram, vt increpationis modum excederent, ac me pœnitudo afficerent: tamen magnum illud commodum, quod ex iis litteris extiit, non iam me pœnitudo tangi finit. Hæc porro non eò dicebat, quòd immodica in eos obiurgatione vsus esset: sed vt eorum laudes amplificaret. Tantam enim, inquit, emendationem præ vobis tulistis, vt etiamsi mihi tam acrem vobis plagam inferre contigisset, vt me quoque ipse hoc nomine condemnarem, nunc tamen perspecto rei exitu factum meum comprobarem. Quemadmodum in pueris vsu venit, vt Simile. Mærora qua in re vtilis.

Simile.

Mærora qua in re vtilis.

741
Sum transferat, eamque rationem ineat, vt id quod extiterit molestiæ, litteris suis ascribat, cum ait, *etsi ad horam vos contristauit*, id autem vtilitatis, quod ab iis litteris allatum sit, eorum virtuti tribuat. Non enim dixit, quia vos epistola correxit, (tamesti ita se res habebat: sed, quia contristati estis ad pœnitentiam. *Contristati enim estis secundum Deum, vt in nulla re detrimentum patiamini ex nobis.* Vides prudentiam, quam nemo vllis verbis consequi possit. Nisi enim hoc fecissemus, inquit, magnum à nobis incommodum accepissetis. Ac commodum quidem illud, quod ex epistola fluxerit, ipsis acceptum referendum esse ait: damni autem allati culpam suam futuram fuisse, si silentio vsus fuisset. Nam cum futurum esset, vt meliorem ex obiurgatione mentem reciperetis, profectò ea obiurgatio sine vestro detrimento à nobis prætermitti non potuisset. Nec verò id vobis tantum, sed nobis quoque damno cessisset. Quemadmodum enim qui mercatori ea, quæ ad nauigandum necessaria sunt, minimè suppeditat, ipse est qui damnum accipit: eodem modo, nisi pœnitentiæ occasionem vobis præbuissemus, nos ipsos damno affecissemus. Videsne quo pacto peccantibus succedere, tum magistro, tum discipulo detrimentum afferat? *Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiæ in salutem stabilem operatur.* Propterea, inquit, etiamsi me pœnituisset, priusquam fructus atque commodi magnitudinem perspexissem: nunc tamen haud me pœnitet. Talis enim est tristitia, quæ secundum Deum suscipitur, de qua iam verba facit, ostendens tristitiam non semper grauem esse, sed tum denique, cum secundum mundum concipitur. Quid autem est secundum mundum? Nimirum, si ob amissas opes, si ob gloriam, si ob alicuius mortem in mœrore verseris, hæc omnia secundum mundum sunt: ac propterea mortem etiam accersunt. Nam qui gloria causa mœrore afficitur, is etiam inuidet, ac plerunq; interire cogitur. Cuiusmodi scilicet mœrore Cain & Esau laborarunt. Itaque per sæculi tristitiam, eam intelligit, quæ mœrentibus detrimentum affert. Nã mœror ad peccata dütaxat vtilis est. Id quod hinc liquidò perspicitur potest. Etenim qui ob amissas opes in mœrore est, incommodum acceptum hac ratione minimè sarcit. Qui mortè alicuius mœrore prosequitur, iacentem minimè excitat. Qui ob morbum discruciat, is cum adeo non depellit, vt etiã augeat & exasperet. At cui peccata mœrori sunt, is solus è mœrore fructum capit. Peccata enim absumit ac delet. Quoniam enim medicamentum istud ad hoc tantum comparatum est, idcirco hic etiam duntaxat vim habet, vtilitatemque suam exerit: in aliis rebus non modò non iuuat, sed etiam obest. At, dicit aliquis, Cain ob eam causam in mœrore iacebat, quòd apud Deum laudem minimè consequeretur. Immo non eam ob causam: sed quia splendentem fratrem cernebat. Nam si ob illud doluisset, fratris virtutem imitari, eique gratulari debebat. Nunc autem ad hunc modum dolens, perspicuum illud faciebat, se mœstitia huic mûdo consentanea teneri. At non ita Dauid, non Petrus, non ceteri iusti: qui proinde omni laude florebant, quòd aut propter sua, aut propter aliena peccata dolerent. Quamquam quid mœrore grauius? Sed tamen, cum iuxta Deum suscipitur, lætitia ea, quæ in mundo sita est, potior ac præstabilior est. Hæc enim in nihilum definit, ille pœnitentiæ in salutem, cuius nos nunquam pœniteat, gignit. Hoc enim ille mirum habet, quòd qui sic doluerit, eo nomine nunquam pœnitentiæ ducetur: id quod maximè tristitiæ mundanæ proprium ac peculiare est. Quid enim legitimo filio charius atque iucundius? Quid rursus huiusmodi morte acerbius fingi

A potest? Et tamen parentes, qui in ipsa doloris flamma nullius consolationem admittere sustinent, seque ipsos ex cruciant, iidem postea ob immodicum luctum pœnitudo afficiuntur, vt qui non modò nihil inde commodi ceperint, sed grauius etiam seipos vexarint atque obtriuerint. At minimè talis est pius mœror, ac iuxta Deum susceptus. Quin potius duplex emolumentum habet, alterum videlicet, quia hoc efficit, vt eum, qui dolet, minimè pœnitendum vnquam sibi putet, quòd doluerit: alterum quia huiusmodi mœror in salutem tandem definit, quorum vtroque mundana mœstitia orbata est. Nam qui ita dolent, & in perniciem suam dolent: & postquam doluerint, sibiipsis succensent. quod quidem maximo argumento est, eos non sine incommodo ac detrimento in eiusmodi mœrore incidisse. At contrà omnino in altero illo mœroris genere vsu venit. Vnde etiam dicebat Paulus *pœnitentiæ in salutem non pœnitendam operatur.* Neque enim futurum est, vt quisquam vnquam sibi eo nomine succenscat, quòd ob peccata se se mœrore luctuque afflixerit atque obtriuerit. Quod cum dixisset Paulus, haudquaquam aliunde exemplum proferre, eosque quorum mœrores prisca historia monumens proditi sunt, in medium adducere, necesse habuit: verum Corinthios ipsos producit, atque ab iis, quæ fecerunt, verbis suis fidem astruit, vt vnà cum laudatione ipsos etiam erudiat, arctiusque sibi deuinciat. *Ecce enim, inquit, hoc ipsum quòd secundum Deum contristati estis, quantam in vobis operatum est sollicitudinem?* Vos enim, inquit, non modò eò non iniicit hæc mœstitia, vt vosmetipsos condemnaretis, tanquam qui frustra hoc fecissetis: verum contrà promptiores ac diligentiores reddidit. Subiungit deinde studij ac sollicitudinis eorum argumentum. *sed indignationem.* Etenim magno metu perterritorum hominum erat, tantum studium, ac celerrima illa correctio. Ac, ne seipsum esse videatur, perspicite, quæso, quam propter id leniat, dicens, *sed desiderium*, erga me. *sed emulationem*, pro Deo. *sed vindictam.* nam violatæ diuinæ legis indices extitistis. *In omnibus exhibuistis vospis incontinentes esse negotio.* Non modò quia nullum eiusmodi facinus perpetrassent (perspicuum enim hoc erat) sed etiam quia id perpetranti minimè fauerent. Quoniam enim superiore Epistola dicebat, Et vos inflati estis, hic ait, Hac quoque suspitione vospis liberauistis, dum non modò facinus istud minimè probastis, verum etiam ei, à quo admissum fuerat, succensuistis. *Igitur etsi scripsi vobis, non propter eum, qui fecit iniuriam, nec propter eum qui passus est.* Nam ne dicerent, Ecquid igitur nos obiurgas, si huic facinori affines non eramus, huic obiectioni superius etiam occurrens, atque ad id sibi viam præmunens, ea dicebat, quæ dicebat, nempe: Non me pœniteret, etiamsi pœnituisset. Tantum enim, inquit, ab eo absum, vt de iis, quæ tum scripsi, me pœniteat, vt tum magis me pœniterit, quam nunc, cum vos pueros ab huiusmodi scelere, atque immunes exhibuistis. Videsne rursus, quanta dicendi vi atque contentione Paulus vtatur, quoniamque pacto sermonem in contrarium retorserit? Ex eo enim ipso, vnde cum pudore affectum fuisse existimabant, vt qui frustra eos obiurgasset, propterea quòd in melius profecissent, ex eo inquam ipso illud demonstrat, se iustam liberius eos alloquendi causam habuisse. Neque enim ipsis iam ad gratiam loqui recusat, cum tunc id se facere posse videt. Etenim cum in superioribus litteris dixerit, *Qui adhæret meretrici, vnus corpus efficitur:*

Duplex pœnitentiæ vtilitas.

1. Cor. 4.

1. Cor. 6.

Ibid. 5.
Ibid. 6.

& Tradere huiusmodi hominem Sathanae in interitum carnis: & Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est: & cetera omnia eiusdem generis: qui fit ut hic dicat, *Non propter eum qui fecit iniuriam, nec propter eum qui passus est?* Minimè verò secum ipse pugnat, cum ita loquitur, inò pulchrè cõcordat. Quònam autem modo secum concordat? Quoniam summo ei studio erat, vim sui erga eos amoris declarare. Quocirca non hoc amputat, quòd fornicatoris illius saluti consultum velit: verum simul quoque, ut iam dixi, suam erga eos charitatem ostendit: seque longè magis hoc metu percussum fuisse, quòd vereretur, ne Ecclesia tota detrimentum ex eo flagitio acciperet, malumque latius serperet, ac sensim grassans, totam Ecclesiam occuparet. Vnde etiam dicebat, Modicum fermenti totam massam corrumpit. Verum id quidem in ea Epistola: Nunc autem, quoniam ad meliorem frugem se receperant, non iam ita hoc ponit, verum alio modo. Atque eandem quidem rem subindicat: ceterum suauis orationem tractat, dicens, *ad manifestandam sollicitudinem nostram quam habemus pro vobis ad vos.* hoc est, ut exploratum habeatis, quantopere vos amem. Hoc autem idem est cum eo quod prius dixit: verum quia aliis verbis enunciatur atque explicatum est, speciem aliam præbere videtur. Nam quod idem sit, mentem Pauli excute, nec quicquam inter vtrumque discriminis esse cõperies. Quoniam enim, inquit, valde vos amo, idcirco verebar, ne quid inde molestiæ caperetis, atque ipsi mœrore afficeremini. Quemadmodum nimirum cum ait, Num de bobus cura est Deo: Non hoc dicit, ei boum curam minimè esse (neque enim res vlla Dei prouidentia destituta conseruari potest) sed his verbis hoc vult, Deum, cum legem illam sanciret, haudquaquam præcipuè boum curam habuisse. Ad eundem modum hoc loco, Propter vos, inquit, potissimum scripsi: deinde etiam illius causa. Atque infixum quidem in animo vestri amorem habebam, etiam si nihil ad vos literarum dedissem: ceterum cum vobis per literas illas, atque omnibus in vniuersum declarare cupiebam. *Ideo consolati sumus:* quoniam & nostrum erga vos studium ac benevolentiam ostendimus: & officio plenè ac cumulatè perfuncti sumus. Sic alio quoque loco dicebat, Nunc viuimus, si vos statis in Domino. Et rursus: Quæ est ergo spes nostra, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nõnne vos? Discipulorum enim incrementum mente prædito magistro & vita, & cohortatio, & consolatio est.

MORALE.

Imperij spiritualis & temporalis comparatio.

Nihil enim cum, qui imperium gerit, æquè indicat, ut amor atque indulgentia erga eos quibus præest. Nam & patrem non modò sobolis procreatio facit: sed etiam post procreationem amor. Quòd si vbi natura est, tantus amor requiritur: quanto magis vbi gratia? Ita veteres omnes exsplenduerunt. Hinc quippe omnes, qui apud Hebræos in gloria fuerunt, nominis splendorem affecti sunt. Sic Samuël magnum se præbuit, cum diceret: Absit à me hoc peccatum in Domino, ut cessem orare pro vobis. Sic Dauid, sic Abraham, sic Elias, sic iusti omnes, tam in veteri, quam in nouo Testamento. Etenim Moses subditorum amore ductus, ingentes opes ac thesauros omni sermone sublimiores reliquit, potius habens affligi cum populo Dei. Quin prius etiam, quam dux creatus fuisset, rebus ipsis populi moderator erat. Quare perquam stolidè ad cum Hebræus ille dicebat, Quis te consti-

I. Reg. 12.

Heb. 11.

Exod. 2.

tuit principem ac iudicem super nos? Quid ais? Operam cernis: & de nomine dubitas? Perinde ac si quis medicum peritissimè secantem, atque agræ corporis parti opem afferentem, conspiciens, dicat, Quis te medicum constituit, ac secare iussit? Ars nimirum ipsa, vir optime, ac morbus tuus. Eodem modo hunc quoque artis scientia ad talem dignitatem euexit. Neque enim imperium tenere, dignitas tantum est: sed ars etiam, & quidem artium omnium præstantissima & sublimissima. Nam si externum ac profanum imperium ars est, & scientia omnium præclarissima: multò profectò magis hoc nostrum. Tantò quippe hoc imperium illo præstantius est: quanto illud reliquis antecellit: inò verò longè etiam magis. Ac si placet, hunc sermonem accuratius expendamus. Ars est agricultura, ars est textrina, ars est ædificatio: quæ etiam ipsæ perquam necessariae sunt, ac vitam nostram maximè tuentur. Nam cetera, ut ferraria, fabrilis, eaque, quæ in ouibus armentisque pascendis sita est, his duntaxat ancillantur. Quin harum quoque artium nulla perinde necessaria est, ut agricultura, quippe quam etiam Deus primam inuexit, cum hominem procreauit. Etenim sine calceis ac vestimentis vita duci potest: sine agricultura autem nullo modo potest. Tales Hamaxobios esse ferunt: tales eos qui apud Scythas in pascuis degunt: tales apud Indos Gymnosophistas. Hi enim & ædificandi, & texendi, & conficiendarum vestium artem reliquerunt: solaque agricultura opus habent. Pudeat vos, qui superuacaneis artibus indigetis, & epularum structoribus, & placentarum effectoribus, variandique arte præditis artificibus, aliisque eiusdem generis permultis, ut vitam trãfigatis. Pudeat vos qui vanas artes in vitam humanam induxistis. Vobis, qui in Christum creditis, barbari illi pudorem incutiunt, quibus arte opus non est. Etenim ita diuinitus comparatum est, ut paucis admodum rebus natura contenta sit. Quanquam nec vos cogo, nec legem impono ut ita viuatis: verum ut Iacob postulabat. Quid autem ille postulabat? Si mihi dederit Deus panem ad vescendum, & vestimètum ad induendum: &c. Sic etiam Paulus imperabat, dicens, Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus. Prima itaque est agricultura: secunda textoria ars: tertia ea, quæ in extruendis ædibus sita est. Quæ autem in calceamentis versatur, omnium postrema est. Apud nos quippe, & famuli complures, & agricolæ sunt, qui sine calceamentis vitam transigant. Proinde vtilis ac necessariae artes, hæ sunt. Agè igitur, ipsas cum imperandi arte conferamus. Hæc enim mihi causa fuit, cur eas artes, quæ principem inter alias locum tenent, in medium adduxerim, ut cum hanc illis præstantiorem esse liquidò demonstratum fuerit, sine controuersia de aliis quoque ipsa palmam ferat. Quo igitur argumento hanc omnibus aliis magis necessariam esse probabimus? Quia hac sublata nihil illa profunt. Ac, si lubet, omiſſis aliis, colendorum agrorum artem, quæ omnibus aliis sublimior, magisque necessaria est, in medium proferamus. Ecquid igitur ex agricolarum labore atque industria emolumentum afferetur, si homines inter se bellum gerant, aliisque aliorum bona diripiant? Nunc enim principis metus eos reprimat, conseruatque ea, quæ ab illis elaborantur. Quem tu metum si semel sustuleris, frustra labor ille omnis susceptus fuerit. Quòd si quis accuratè rem expendat, alterum quoque imperium, quod hoc gignat ac tœatur, inueniet. Quòdnam hoc est, ut sibi ipse præsit ac dominetur, atque ita se comparet, ut & fordidos ac illiberales animi motus coër-

Rom. 13.

Hebr. 13.

Coloss. 3.

Gen. 1.

I. Tim. 2.

Agricola præfetti speciem gerit.

ceat, & rursus virtutis furculos alat, atque omni studio ac sollicitudine augeat. Duplex enim imperij genus est: alterum cuius opera homines & populis & vrbibus imperant, ac ciuilem hanc vitam moderantur, (id quod Paulus indicabat, cum diceret, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. non est enim potestas nisi à Deo. Ac postea, quantum hinc commodi compareretur, ostendens, hæc verba subiungit: Magistratus Dei minister est in bonum. Ac rursus: Dei minister est, vindex in iram ei, qui malum egit:) alterum, per quod imperium in se gerit, quisquis mente ac prudentia præditus est: quod ipsum quoque Paulus his verbis declarauit: Quòd si vis non timere potestatem, bonum fac. Quo loco de eo loquitur, qui sibi ipsi imperat. At verò hic aliud quoque imperij genus est, ac ciuili quidem imperio sublimius. Quòdnam igitur hoc est? Illud nimirum, quod in Ecclesia viget: cuius etiam ipsius mentionem Paulus facit, cum ait: Obedite præpositis vestris, & subiaccete eis. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris redditurus. Hoc enim imperium tantò ciuili excellentius est, quanto cælum terra: inò etiam multò præstantius. Primùm namque non hoc præcipuo studio spectat, ut perpetrata scelera vindicet, sed ut ne omnino quidem perpetrentur. Deinde si perpetrata sint, non ut ægrotantem de medio tollat: sed ut ipsa deleantur. Ad hæc rerum quidem huius vitæ paruum omnino rationem habet: verum pro cœlestibus omnia agit ac decernit. Nostra quippe conuersatio in cœlis est: atque adeo nostra quoque vita illic: abscondita est enim, inquit, cum Christo in Deo. Quin præmia etiam illic sunt: ac pro coronis illic reconditis hic curritur. Neque enim hæc vita post mortem deletur: inò tum demum clariùs lucet. Quocirca non modò maiorem, quam prouinciarum præfecti, sed etiam quam illi ipsi, qui diademate cincti sunt, honorem acceperunt, qui hoc imperium gerunt: ut qui in maioribus rebus, & ob maiora commoda, homines fingant. At verò, nec qui ciuile, nec qui spirituale imperium expetunt, id ritè ac præclare administrare poterunt, nisi sibi ipsi priùs, ut par est, imperent, atque vtriusque politiæ leges summo studio seruent. Ut enim duplex quodammodo est imperium populare: sic illud etiam quod in se quisque habet. Atque hic quoque rursus spirituale imperium ciuili præstat, ut à nobis est demonstratum. Porro artes etiam quasdam perspicere est, quæ imperij speciem imitentur: ac potissimum agriculturam. Est enim plantarum velut præfectus quidam agricola: quippe qui partim eas amputet, ac cohibeat, partim augeat & excolat: non secus ac præclarissimi quique principes flagitiosos homines ac pluribus labem & perniciem afferentes suppliciiis afficiunt, atque excindunt, bonos contrà & modestos viros ad ampliores honores prouehunt. Quòd sit ut Scriptura quoque vinitoribus Antiflites comparet. Quantum enim plantæ vocem nullam mittunt, ut in vrbibus ij solent quibus iniuria fit: at per ipsum tamen aspectum iniuriam acceptam ostendunt, ut quæ à noxiis herbis in arctum coactæ marcescant. Atque ut improbitas legibus coërceatur: ad eundem modum hic quoque artis huius adiumento, & terræ vitium, & plantæ ignobilitas ac feritas corrigitur. Etenim ea omnia, quæ in humanis moribus existunt, illic quoque reperiemus, asperitatem nimirum, mollitiem, timiditatem, temeritatem, inconstantiam, ac ramos quidem alios opibus intempestiuè, atque in vicinorum perniciem florentes, alios rursus egentes iniuriæque affectos, velut cum sepe quædam in vicinarum plantarum exitium assurgit, atque item infrugiferæ aliæ arbores &

Chrysof. iom. 4.

agrestes in altum elatæ subiectarum arborum incrementum impediunt. Et quemadmodum præfecti ac reges habent, qui imperium suum labefactent atque oppugnent: ita etiam agricola ferarum incurfus, aëris intemperiem, grandinem, rubiginem, imbrem, siccitatem, aliisque eiusdem generis. Quæ quidem eò fiunt, ut perpetuò spes tua in Deo sita sit. Nam cetera quidem artes hominum quoque studio ac præsidio sese tumentur: hæc verò vbertatis spem magna ex parte in Dei ope atque auxilio positam habet, totaque penè omnino hinc pendet: at tametsi pluuies etiam, partiumque anni temperiem desideret, potissimum tamen Dei prouidentiam requirit. Neque enim, qui plantat, aut qui rigat est aliquid: sed, qui incrementum dat, Deus. Quin hic quoque & mors & vita est, & parturientes, & partus, quemadmodum in hominibus. Nam & excindi contingit, & fructum ferre, & mori, & quod mortuum fuerit, rursus ad vitam redire. In quo etiam nobis variè ac perspicuè terra de resurrectione sermocinatur. Nam cum radix fructum fert, ac semen edit, an non id pro resurrectione habendum est? Ac multam utique Dei prouidentiam & sapientiam imperio adiunctam cernere quis possit, si singula perssequi velit. Verum, ut ad institutam orationem veniam, imperium illud circa terram ac stirpes versatur: nostrum autem circa curam ac medicinam animarum. Quantò itaque inter stirpes & animas interest, tantò hoc imperium illo præstabilius censerit debet. Rursus qui præsentis vitæ imperio potiuntur, tantò iis, penes quos Ecclesiasticum imperium est, inferiores sunt, quanto minùs præclarum est inuitis, quam volentibus imperare. Nam hoc etiam naturæ consentaneum imperium est. Etenim illic quidem omnia metu ac necessitate perficiuntur: hic voluntas liberaque animi sententia omnia exequitur. Nec verò hac tantum ratione hoc imperium illi præstat, verum ob hanc etiam causam, quòd non solum imperium est, sed etiam paternitas, ut ita dicam. Nam patris mansuetudinem ac suauitatem habet: cumque maiora præcipiat, ea tamen persuadet. Externus enim princeps dicit, Si adulterium admisit, actum de te erit: at hic grauissimas pœnas minatur, si vel duntaxat procacibus & impudicis oculis mulierem conspexeris. Etenim graue ac venerandum est hoc tribunal: nec corpus solum, sed animam etiam corrigit. Quantum ergo inter corpus & animam discriminis est, tantum item hoc imperium ab illo distat. Ad hæc qui imperio illo fungitur, perspicuorum duntaxat criminum iudex sedet, inò ne horum quidem omnium, verum eorum tantummodo, quæ certis argumentis comperta sunt. Quin plerunque etiam accidit, ut prodito iure ea dissimulet. At contrà tribunal nostrum omnes, qui ingrediuntur, hoc docet, quòd qui apud nos iudicis partes tenet, nulla omnia & aperta in communi totius terrarum orbis theatro collocabit: nec cuiquam sese occultandi facultas erit. Ac proinde Christiana lex multò magis vitam nostram tuetur & continet, quam externa. Nam si de tectis atque occultis peccatis contremiscere, cautiorem hominem reddit, quam de perspicuis tantum in metu esse, atque is, qui de leuibis etiam noxis pœnas expetit, ad virtutis studium magis excitat, quam qui grauissima quæque duntaxat punit, non est profectò dubium quin vita nostra hoc imperio maximè fulciatur & conseruetur. Quòd si placet, vtriusque etiam principis institutionem consideremus. Hic quippe haud paruum discrimen perspicies. Non enim numerata pecunia hoc imperium accipere licet: sed edito eximie ac probatissimæ vitæ do-

I. Cor. 3.

Matt. 5.

cumento. Nec verò ad hoc imperium ita prouehitur is, qui electus est, quasi ad humanam gloriam, & priuatam requiem & oblectationem, sed velut ad labores & sudores, ac publicam vtilitatem. Vnde etiam haud paruum à Spiritu sancto auxilium consequitur. Atqui illic quidem non vltra progreditur is, qui imperat, quam vt, quæ facienda sint, edicat: hic verò precum etiam, & gratiæ subsidium adiungit. Quin potius illic ne verbum quidem vllum de optimè instituenda vitæ ratione habetur, nec sedet quisquæ qui doceat, quid sit anima, quid mundus, quid ipsi postea futuri, & ad quæ hinc migraturi sumus, quaque ratione virtutem adipisci queamus: verum de pactis quidem & contractibus ac pecuniis multa verba funduntur, harum autem rerum nulla prorsus cura est. At in Ecclesia sermones omnes hæc de rebus institui conspicias. Ob eamque causam quiduis eam merito nuncuparis, tribunal nempe, & medicinæ officinam, & philosophiæ scholam, & animæ ludum literarium, & gymnasium cursuum in cœlum ferentium. Iam verò, quòd hoc imperium omnium imperiorum lenissimum sit, etiam si alioqui plus curæ ac diligentia requiratur, hinc liquet. Nam qui externum imperium gerit, si adulterum arripuerit, protinus in eum animaduertit. Ecquid porro hinc commodi existit? Hoc enim non vitium est de medio tollere, sed ægram ac fauciam animam abigere. At qui hic imperium administrat, hoc summo studio agit, non vt de nocente supplicium sumat, sed vt vitium euellat. Nam tu quidem perinde facis, ac si morbo aliquo in capite enato, non morbum ipse comprimis, sed caput amputes: ego verò non ita, sed morbum trunco: atque cum quidem à mysteriis sacrisque septis arceo, cæterum eundem postea excitatum, ac vitio liberatum, melioremque per pœnitentiam effectum, rursus assumo. Et qui fieri potest, inquis, vt adulterium eximatur? Potest, inquam, & quidem facillè: si quis his legibus sese submittat. Balneum enim spirituale est Ecclesia, non corporis spurcitiem, sed animæ labe variis pœnitentiæ modis abstergens. Nam tu quidem, siue eum impunitum dimiseris, peiorem reddis, siue supplicio affeceris, incurabilem reliquisti: ego autem nec impunitum abire sino, nec tuo more plecto: verum simul & pœnam, quam debeo, ab eo expeto, & quod commissum est, corrigo. Visne etiam aliter ex me discere quonam pacto tu gladium stringens, ac flammam facinorosis hominibus ostendens, haud magnam iis medicinam afferas; ego autem his etiam remotis ad integram eos sanitatem ducam. Nec verò mihi oratione ac verbis opus est, sed terram ac mare, atque adeò ipsam hominum naturam in medium adduco. Ac mihi velim expendas, priusquam tribunal hoc fixum esset, quinam rerum humanarum status erat, quòque modo nihil eorum, quæ nunc præstantur, ne nomine quidem tenuis olim audiri poterat. Ecquis enim aduersus mortem intrepidum animum præbuit? Ecquis opes contempnit? Ecquis gloriam pro nihilo duxit? Ecquis fuga relictis mundi tumultibus solitudinem, philosophiæ matrem, complexus est? Vbi nam virginitatis nomen olim erat? Hæc quippe omnia, atque his plura, tribunalis huius beneficio nobis contingerunt: hæc nobis hoc imperium effecit ac præstitit. Cum igitur hæc perspecta habeatis, atque omnem huius vitæ vtilitatem, orbisque vniuersi correctionem hinc fluere intelligatis, date operam, vt ad diuinorum sermonum auditionem, atque ad hos conuentus, & preces crebro veniatis. Nam si ad hunc modum vosmet componatis, vitamque ac mores cœlis dignos exhibeatis, promissa bona consequi

poteritis, per gratiam & benignitatem Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVI.



DEO consolati sumus. In consolatione autem vestra, abundantius magis gauisi sumus super gaudio Titi, quia resectus est spiritus eius ab omnibus vobis. En rursus quomodo laudes eorum attollat atque amplifcet, eorumque charitatem ostendat. Posteaquam enim magnam se ex eo voluptatem cepisse asseruit, quòd tantum ipsius epistola præstitisset, quòdque tantum inde emolumentum ad Corinthios rediisset, (Gaudeo enim, inquit, non quia contristati estis: sed quia contristati estis ad penitentiam), suamque erga eos charitatem his verbis declarasset, Etiam si scripsi vobis, non propter eum qui fecit iniuriam, nec propter eum qui passus est, sed ad manifestandam sollicitudinem nostram, quam habemus pro vobis ad vos, rursus aliud eorum benevolentia argumentum commemorat, quòd magnam ipsi laudem conciliat, ostenditque quam vera & sincera charitate præditi sint. In consolatione enim vestra, inquit, abundantius gauisi sumus super gaudio Titi. Atqui, dicit quispiam, non est hoc hominis magno amore flagrantis, ob eum maiori lætitia affici, quam ob illos. Imò verò, inquit Paulus, magni amoris hoc argumentum est. Non enim tam illius, quam vestra causa, sum delectatus. Vnde etiam mox subdit, dicens, Quia viscera eius resecta sunt à vobis omnibus. Non dixit, ipse sed, viscera ipsius: hoc est, charitas ea, qua vos complectitur. Quoniam autem modo resecta sunt? Ab omnibus vobis. Nam id quoque amplissimæ laudi ducendum est. Et si quid apud illum de vobis gloriatus sum. Magna hæc laus habenda est, cum præceptor gloriatur. Ait enim, non sum confusus. Ob id gauisus sum, quòd meliores extitistis, ac rebus ipsis verba mea comprobastis. Ex quo mihi duplex ornamentum comparatum est, tum quia vestra virtus alius prouecta est, tum quia minimè à veritate aberrasse visus sum. Sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus, ita & gloriatio nostra, quæ fuit ad Titum, veritas facta est. Hoc loco aliud quoque aliquid subindicat. Quemadmodum, inquit, apud vos omnia de Tito verè locuti sumus (nec enim à vero abhorret, cum multam apud illos de Titi laudibus orationem habuisse) sic vicissim ea, quæ de vestris laudibus à me ad Titum dicta sunt, vera comperta sunt. Et viscera ipsius abundantius in vobis sunt. His verbis iam cum commendat, vt magno quodam amore inflammatum, ac velut vinculis quibusdam cum ipsis astrictum. Non enim dixit, charitas ipsius, sed, viscera ipsius. Deinde, ne assentationis opinionem præbeat, vbi que amicitia causas affert: tum ne, vt iam dixi, in adulationis suspicionem incidat, tum vt eos ad virtutem acrius incitet, totam laudem ad eos referens, atque ostendens eos esse, qui tantæ benevolentia initium atque argumentum Tito iniecerint. Nam cum dixisset, Viscera eius abundantius sunt ad vos, subiunxit, Reminiscens omnium vestrum obedientiam. Hoc autem tibi quoque candorem & gratitudinem erga homines de se bene meritos ostendit, vt qui eos omnes animo complexus rediisset, perpetuæque memoria circumferret, atque & ore & mente ac cogitatione versaret. In quo etiam Corinthios rursus maiorem in modum ornat, quòd videlicet ipsum ita sibi mancipatum ac deuinctum dimississent. Mox obedientiam etiam ipsorum exponit, vt eorum studio velut stimulos addat. Vnde & subnectit hæc verba, quomodo cum timore &

Ecclesia
balneum
spiritalis.

timore suscepistis eum. Non modò cum benevolentia, sed etiam cum summo honore. Vidésne quemadmodum duplicis virtutis testimonium ipsis tribuat: nempe quòd, & vt patrem eum amarent, & vt antistitem metuerent: atque ita animo comparati essent, vt nec metus eorum benevolentia obscuritatem afferret, nec benevolentia metum solueret ac profigaret? Atque id est quod superius dicebat, Hoc ipsum, quòd contristati estis, quantam in vobis operatum est sollicitudinem, sed timorem, sed desiderium. Gaudeo igitur quoniam in omnibus confido in vobis. Vidésne quemadmodum ille ob ipsos magis gaudeat? quoniam, inquit, præceptori vestro probro ac dedecori minimè fuistis, nec testimonio meo indignos vos reddidistis. Proinde non tam ob Titum lætabatur, quòd tantum honorem accepisset, quam ob eos, quòd tantum grati animi specimen edidissent. Nam ne illius potius amicitia ductus, in lætitia versari videatur, vide quemadmodum hic quoque causam afferat. Vt enim superius dixit, Quòd si quid de vobis gloriatus sum, non sum confusus: sic etiam hoc loco, quoniam in omnibus confido in vobis. hoc est: siue ita res ferat, vt obiurgatio adhibenda sit, non timeo, ne ob eam causam animos vestros à me abrumpatis: siue ita contigerit, vt mihi de vobis gloriandum sit, non vereor, ne frustra id facere comperiar: siue vos, vt morigeros ac dicto audientes, siue vt benevolentia & charitate, aut etiam zelo præditos, laudandos habeam, bono animo sum de vobis. Edixi vt excinderetis: & excidistis. Edixi vt reciperetis: & recepistis. Dixi coram Tito vos magnos quosdam & admirandos viros esse, magistròsque colere ac vereri nosse: hæc rebus ipsis vera esse demonstrastis. Nec perinde ille hæc ex me didicit, vt ex vobis. Quocirca ingenti quodam vestri amore incensus ad me reuersus est: vtpote qui plura præstiteritis, quam ex meo sermone de vobis accepisset. Notam autem vobis facio, fratres, gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedonia. Posteaquam corum animos laudibus extulit, admonitionem rursus adhibet. Ob eam enim causam obiurgationi laudes admiscuit, ne ab obiurgatione confestim ad monendum delapsus, minis gratam ac plausibilem orationem redderet, verum lenitis, velutque subactis prius ipsorum auribus, ita demum sibi viam ad admonendum strueret. Vult enim de eleemosyna verba facere. Vnde etiam occupatione vtens, dixit, Gaudeo quòd in omnibus confido in vobis. Nimirum ab iis, quæ iam egregiè præstiterant, ad hoc promptiores alacriorisque reddens. Nec verò protinus dixit, Eleemosynam igitur date: sed animaduerte quæso sagax ipsius consilium, quemadmodum eminus atque ab alto orationem præmuniat. Notam enim, inquit, vobis facio gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedonia. Gratiam id vocat, ne animis efferantur: ac res aliorum narrans id agit, vt dum alios laudat, diligentiores hos efficiat. Ac duas, imò tres Macedonibus laudes tribuit, primam, quòd tentationes strenuo animo perferrent: alteram, quòd egentibus opem ferre nosset: postremam, quia quanuis ipsi inopia laborarent, munificentiam tamen in eleemosynis exhiberent. Nam illis suæ quoque facultates erepta fuerant. Idque significabat, cum in ea Epistola, quam ad ipsos scribebat, diceret, Vos enim imitatores facti estis Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Iudæa, quoniam eadem passi estis à contribulibus vestris, quæ illi à Iudæis. Audi iam quibus verbis vtatur, cum ad Hebræos scribit, Nam & rapinam vestrorum bonorum cum gaudio suscepistis. Gratiam porro hanc rem vocat, non

solum vt eos in modestia contineat, sed etiam vt animos eorum excitet, ac minus inuidiosam orationem reddat. Quocirca fratrum quoque nomen adiuuauit, vt liuorem omnem succidar. Eximiis enim, ac penè fidè maioribus laudibus Macedones ornare parat. Audi quippe quid de iis prædicet. Nam cum dixisset, Notam vobis facio gratiam Dei, non dixit, quæ data est in hac vel in illa ciuitate: verum vniuersam gentem laudibus vehit, dicens, In Ecclesiis Macedonia. Mox ipsam quoque gratiam declarat. Quoniam in multo experimento tribulationis abundantiam gaudij ipsorum fuit. Animaduertisne Pauli sagacitatem? Priore enim loco illud non dicit, quod instituit, sed alterum quiddam antepone: ne consultò hoc facere videatur, sed ex altera verborum serie ad hoc venire. In multo experimento tribulationis. Id quod ad ipsos quoque Macedones, cum ad eos scriberet, dicebat, Imitatores facti estis Domini, excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus sancti. Et rursus: A vobis enim diffamatus est sermo Domini, non solum in Macedonia, & in Achaia, sed etiam in omni loco vestra fides, quæ est ad Deum, profecta est. Quidnam autem his verbis sibi vult, In multo experimento tribulationis, abundantiam gaudij eorum fuit? Vtrunque, inquit, incredibilem quendam in modum ipsis contigit, nempe & tribulatio, & lætitia. Ex quo magna quoque admiratio nascebatur, quæ fieret, vt tanta voluptatis vbertas & copia ex afflictione ipsis oriretur. Neque enim duntaxat mœrorem illis nullum tribulatio pepererat, sed lætitiæ quoque ipsis causam præbuerat: idque cum grauis ac multiplex esset. Ob id porro his verbis vtatur, vt eos velut athletas quosdam ad certamen vngeret, adduceretque vt fortem in tentationibus ac constantem animum præstarent. Non enim leuiter vexati fuerant, sed ita, vt per patientiam virtus eorum probata atque explorata fuerit. Imò verò, non, per patientiam, dixit, sed quod plus erat quam patientiam, gaudium ac voluptatem. Atque adeò ne gaudium quidem simpliciter dicit, sed gaudij abundantiam. Ingēs enim, & quæ nullis verbis explicari queat, lætitia in ipsis enata est. Et altissima paupertas eorum abundauit in diuitiis simplicitatis eorum. Vtrunque rursus hoc cum mira extuberantia. Quemadmodum enim multiplex afflictio, multiplex gaudium, atque adeò gaudij abundantiam peperit: ita ex magna paupertate ingentes eleemosynæ opes ortæ sunt. Hoc enim his verbis significauit, Abundauit in diuitiis simplicitatis eorum. Neque enim donorum amplitudine vel tenuitate, sed donantium animo ac voluntate liberalitas æstimatur. Quamobrem nusquam donorum copiam commemorari: sed diuitias simplicitatis eorum. Id autem perinde est ac si diceret: Non modò ipsis ad liberalitatis ac munificentia munera obeunda nihil impedimenti paupertas attulit: verum contrà occasio ipsis fuit vberius copiosiusque largiendi, non secus ac tribulatio amplius gaudendi. Quò enim egentiores erant, hoc maiori animi promptitudine ac munificentia largiebantur. Vnde etiam hoc nomine magnopere eos laudat ac suscipit, quòd in tanta egestate tantæ liberalitatis specimen ediderunt. Altissima enim eorum paupertas, id est, ingens atque omnem vim sermonis excedens, simplicitatem eorum luculentum argumentò demonstrauit. At vero non dixit, demonstrauit, sed, abundauit: nec item simplicitatem, sed diuitias simplicitatis, hoc est, quæ paupertatis magnitudini responderet. Quin potius eiusmodi liberalitatem præstiterunt, cuius multò maior, quam paupertatis amplitudo esset. Tum hoc apertius etiam exponit, dicens, quia secun-

i. Thesi t.

CAP.
VIII.

Hab. 10.

Chryso. tom. 4.

A a iij

dum virtutem (locuples utique testis) & *supra virtutem*: A hoc est, Exuberavit in diuitias simplicitatis eorum. Imò non per hoc tantum, sed & per ea, quæ sequuntur, id indicat. *Voluntarij enim fuerunt*, inquit. En alteram etiam amplificationem. *Cum multa exhortatione*. En tertiam quoque ac quartam. *Obsecrantes nos*. En quintam. Et quidem cum afflictione ac paupertate prementur. Sexta hæc est. Septima, quod perquam prolixè atque copiosè dederunt. Postea, quoniam hoc potissimum apud Corinthios efficere ac consequi studebat, vt cum inductione animi & voluntate largirentur, in ea re præsertim immoratur, dicens, *Cum multa exhortatione: & obsecrantes nos*. Non eos, inquit, rogauimus, sed ipsi nos. Quid autem obsecrantes nos? *Gratiam & communicationem ministerij quod sit in sanctos*. Videtne rursus quo pacto rem hanc amplificet, insignibus nominibus eam nuncupans? Quoniam enim illi miro studio Spiritus gratias affectabant, idcirco gratiam id appellat, vt celerrimo gradu ad eam accurrerent: ac rursus communicationem, vt intelligerent, se non tantum dare, sed etiam accipere. Hoc itaque, inquit, à nobis precibus contendebant, vt huiusmodi ministerium susciperemus. *Et non sicut sperauimus*. Hæc verba, tum ad largitionis amplitudinem, tum ad calamitates refert. Nunquam fore sperauissemus, inquit, vt, cum in tanta calamitate ac paupertate versarentur, nos etiam ipsi adurgerent, ac tantopere obsecrarent. Ad hæc, qua cura & sollicitudine in reliqua vita excolenda vterentur, his verbis declarauit: *sed seipsum primum dederunt Domino: deinde nobis per voluntatem Dei*. In omnibus enim rebus eorum obedientia spem nostram, expectationemque superauit. Nec enim, quia egentium miseriam subleuabant, idcirco aliarum virtutum curam abiiciebant: sed seipsum Domino primum dono obtulerunt. Quid autem est, *Domino semetipsum dederunt*? hoc est, dicarunt & consecrarunt: probi minimèque adulterini in fide extiterunt: animi magnitudinem in tentationibus adhibuerunt: moderationem, facilitatem, charitatem, studiumque in aliis omnibus virtutibus atque alacritatem præ se tulerunt. Quidnam autem Paulus his verbis sibi vult, & nobis? hoc est, obedientes se nobis præbuerunt: amore ac beneuolentia nos complexi sunt, nobis paruerunt: atque ita se compararunt, vt & Dei leges impleant, & charitatis vinculo nobiscum astringerentur. Ac perpende, quomodo hinc quoque eorum intentissimum quoddam pietatis studium ostendat, dicens, *semetipsum dederunt Domino*. Non, inquit, partim Deo, partim mundo obedierunt: sed omnia Deo, atque etiam seipsum totos ei dederunt. Neque enim ob piam largitionem fastu atque arrogantia elati sunt: verum cum ingentem prius humilitatem, ingentem obedientiam, ingentem honorem, ingentem philosophiam exhibuissent, ita demum ad eleemosynam colendam studium incubuerunt. Quid porro his verbis significatur, *per voluntatem Dei*? Quoniam dixerat, *semetipsum nobis dederunt*, non, inquit, humano affectu, sed iuxta Dei voluntatem hoc quoque ab iis factum est. *Ita vt rogarem Titum, vt quemadmodum cepit, ita & perficiat in vobis gratiam istam*. Et quænam est hæc verborum series? Egregia sanè, ac cum his, quæ præcesserunt, pulchrè coherens. Quoniam enim, inquit, eos in omnibus rebus, hoc est in tentationibus, in eleemosynis, in nostri amore, ac reliqua vitæ puritate, acres ac vehementes esse compertum & exploratum habemus: idcirco vt vos quoque ipsorum virtutem adæquetis, Titum misimus. Id enim his verbis indicauit, etsi non ita sit locutus. Ac consideres

velim quanta in Paulo charitatis magnitudo sit. Ab illis, inquit, cum rogaremur, & obsecraremur, de vobis sollicito animo eramus, nimirum ne ab illis vinceremini. Quæ etiam nobis mittendi Titi causa fuit, vt hinc quoque excitati & commonefacti, Macedonum virtutem vobis imitandam proponeretis. Etenim illic erat Titus, cum hæc epistola scriberetur. Ostendit autem eum iam suapte quoque sponte ante Pauli cohortationem hoc facere cepisse, cum ait, *quemadmodum antè cepit*. Vnde etiam mirificis laudibus eum afficit, tum in Epistolæ exordio, ad hunc modum loquens, Eò quòd non inuenerim Titum fratrem, non habui requiem spiritui meo: tum hoc loco per omnia hæc verba quæ de eo habuit: ac denique per hoc ipsum quod ait, eum prius etiam occerpisse. Neque enim exigua hoc quoque laudi ducendum est, quippe quod à calente animo ac zelo æstuante proficiscatur. Ex quo etiam factum est, vt eum miserit, nimirum ex ipsius præsentia magnum illis ad largitionis studium calcat addens. Ac propterea laudibus eum extollit, vt eum Corinthiis vehementius conciliet. Nam & istud magnum ad persuadendum pòdus habet, cum ij, qui momentur, amico ac beneuolo erga eum animo sunt. Pulchrè autè semel, & iterum, ac tertio, eleemosynæ mentionem faciens, gratiam eam vocat. Nunc enim ait, *Notam autem vobis facio, fratres, gratiam Dei, qua data est in Ecclesijs Macedonia: nunc, Voluntarij fuerunt, cum multa oratione obsecrantes nos gratiam & communicationem: ac rursus: Vt quemadmodum prius cepit, ita & perficiat in vobis gratiam istam*. Etenim ingens bonum ac Dei donum hoc est, quòdque, si præstetur, Deo ipsi nos, quantum fieri potest, similes efficiat. Hoc enim potissimum homo est. Vnde etiam hominis indicium quidam dicēs, hoc posuit, Magna res est, inquit, homo: ac magni pretij vir eleemosynæ studiosus.

MORALE.

Ad eleemosynam promptitudinem animi adiungendam.

MAIOR hæc gratia est, quàm mortuos ad vitam reuocare. Christum enim fame laborantem alere, multò maius ac præstantius est, quàm in nomine Iesu à morte ad vitam homines excitare. Illic enim Deo beneficium das: hic ille tibi. Porrò non iis, qui beneficium accipiunt, sed qui dant, merces est constituta. Etenim in miraculorum editione debitorem te Deus habet: in eleemosyna autem tu Deum tibi obstrictum habes. Eleemosyna verò tum deum est, cum tu prompto atque alacri animo, cum largè & copiosè tribuis: cum teipsum, non dare, sed accipere existimas: cum perinde ac beneficium accipiens, & quæstum faciens, ac non tanquam perdens, largiris. Nam hoc alioquin beneficium quidem censendum fuerit. Qui enim misericordia ductus inopiam alterius subleuat, is vtrique læto animo, non graui ac molesto esse debet. An non enim absurdum fuerit, si, cum alterius mœrorem discutias, mœreas ipse ac discrucieris? Neque enim ipsi iam eleemosynæ nomen reliquum facis. Nam si idcirco mœres, quòd alterius mœrorem depuleris, extremæ cuiusdam crudelitatis ac feritatis argumentum edis. Præstat enim non depellere, quàm ita depellere. Quid autem omnino est, o homo, quod mœres? An ne aurum tuum minuatur? Si hoc animo es, proflus ne des quidem. Nisi tibi in cœlis aurum tuum multis partibus augeri confidis: ne tribuas. At hic vicem tibi rependi postulas? Quid ita? Sine eleemosynam eleemosynam esse, non negotiationem. Sanè multis quidem contigit, vt in hac quoque vita receperint: verum

Quidam accipit.

Eleemosyna prope nunc mœrore quirit.

verum non ita receperunt, quasi hoc nomine superiores iis futuri, quibus vices hinc minimè relatæ essent. Quin potius nonnulli ex illis, vt imbecilliores, quia futuris bonis nonnulli admodum alliciebantur, hinc receperunt. Et quemadmodum helluones ac rustici homines, ventrisque mancipia, ad regiam mensam acciti, congruum tempus, puerorum more, minimè expectantes, voluptatem suam labefactant, dum antevertentes ipsi, vilioribus epulis sese ingurgitant: ad eundem modum hi quoque, qui in hac vita beneficentiæ vicem expectant & accipiunt, futura mercedem minuunt. Itane verò tu, cum pecuniam fœnori das, sortem tuâ longo pòst tempore recipere cupis, ac fortasse ne recipere quidem, vt ex mora ipsa fœnus tibi augeatur: hinc contra statim exigis, idque, cum non hinc, sed illic, perpetuò futurus sis: non hinc iudicium subiturus, sed illic causam dicturus? Et quidem si tibi quispiam ædes illic extrueret, vbi cômoraturus minimè esses, contumeliæ id duceres: nunc autem hinc diues esse studes, vnde ante vesperam quoque fortasse migrandum tibi est? An te fugit nos in externa atque aliena regione tanquam hospites & aduenas versari? An te clam est, aduenas ea esse conditione, vt tum eiiciantur, cum minimè id expectant, & opinantur? Id quod nobis in hac quoque vita vsu venit. Ac propterea quicquid extruxerimus, hinc relinquimus. Neque enim finit nos Dominus ea nobiscum hinc efferre, siue domos condiderimus, siue prædia emerimus, siue mancipia, siue vasa, siue aliud quippiam eiusdem generis. Nec verò te duntaxat minimè finit ea tecum efferre: sed ne mercedem quidem tibi assignat. Prædixit enim tibi ac denunciavit, ne ædifices atque consumas aliena, sed tua. Quid igitur causæ est, cur relictis tuis, in alienis operam naues, & sumptus facias: vt sic & laborem & mercedem perdas, & extremas pœnas subeas? Ne, quæso, hoc committamus: verum quoniam naturâ aduenæ sumus, animo quoque ac voluntate sumus: ne alioqui illic aduenæ sumus, atque contempti & abiecti. Nam si ciues hinc effici in animum induxerimus, nec hinc ciues erimus, nec illic. Sin autem hinc aduenæ esse perseueremus, atque ita, vt aduenas decet, vitam degamus, ciuium libertatem ac fiduciam, & in hac & in futura vita consequemur. Vir quippe iustus, etiamsi nullas opes habeat, tamen, & hinc, & in omnium bonis, tanquam in suis, versabitur: & ad cœlum profectus, æterna tabernacula sua conspiciet: ac neque hinc iucundi quicquam perpetietur (nec enim quisquam eum, qui terram vniuersam pro ciuitate sua habeat, exilio multare poterit.) & patriæ suæ restitutus, veras opes accipiet. Vt igitur, & huius, & illius vitæ bona lucremur, facultatibus nostris, vt par est, vtamur. Sic enim fiet, vt cœlorum ciues simus, & multa libertate ac fiducia perfruamur: qua vtinam nobis frui contingat, per gratiam & benignitatem Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVII.



SED sicut in omnibus abundatis fide & sermone & scientia & omni sollicitudine. Vide quemadmodum rursus ad laudes cohortationum adiungat: vt eorum animos ad maiores laudes excitet. Nec dixit, Vt detis; sed, *vt abundetis in fide*, donorum spiritualium, & sermone, sapientiæ: & scientia, dogmatum fidei, & omni sollicitudine, hoc est studio cæterarum virtutum. *Insuper & charitate vestra in nos*: de qua prius locutus sum, & cuius demonstrationem feci. *vt & in hac gratia abundetis*. Vides eum ob hanc causam illic ab illis lau-

simile.

Homines hic peregrini.

A dibus exorsum esse, vt via progrediens, eos in his quoque ad idem studium pertraheret. *Non quasi imperans dico*. Vide quomodo assiduè illis indulgeat, quomodo minimè grauem ac violentum & imperiosum se præbeat. Imò verò vtrunque his verbis complectitur. Nam & eos ad obeundum officium quodammodo cogit: & interim perinde ac nullam vim & necessitatem ipsis afferat, hoc assequitur, vt omni offensione ac molestia carcat ipsius oratio. Quoniam enim perpetuam admonitionem adhibuit, ac Macedonas summis laudibus extulit, ne hoc vis cuiusdam, ac coactionis speciem habere videatur, ait, *Non quasi imperans dico: sed per aliorum sollicitudinem etiam vestrae charitatis sinceritatem comprobans*. Non vt dubitans (neque enim istud hoc loco significat) sed probam eam efficiens ac declarans, & firmiorem reddens. Ob id enim his verbis vtor, vt vos ad eandem animi promptitudinem extimulem. Ob id studium eorum commemorō, vt animi vestri propensionem illustrem atque excitem. Deinde hinc ad aliud quiddam maius delabatur. Neque enim vllum admonitionis modum præmittit: verum omnia mouet, ac quouis modo orationem tractat. Nam & per aliorum laudes eos cohortatus est, dicens, *Notam autem vobis facimus gratiam Dei, qua data est in Ecclesijs Macedonia: & eos etiam ipsos laudando*, cum ait, *Sed vt in omnibus abundetis, in sermone, in scientia*. Hoc enim acrius hominem mordet, cum quis à seipso vincitur, quàm cum ab aliis. Postea denique ad id, quod admonitionis caput & coronis erat, se confert. *Scitis enim gratiam Domini nostri, quoniam propter nos egenus factus est, cum diues esset: vt illius inopia vos diuites essetis*. Cogitate, inquit, ac cum animis vestris reputate gratiam Dei: nec temerè ac negligenter eam præterite, verum, quæ & quanta sit illius magnitudo, conuicite. Ita fiet, vt nullis vestris rebus parcatis. Ille gloriam suam exinaniuit: vt vos, non illius opibus, sed egestate ditemini. Si adduci nequis, vt egestatem diuitiarum efficientem esse credas, fac animo tuo se obiciat Dominus: & de ea re ambigere defines. Nisi enim ille pauper factus fuisset, tu diues minimè extitisses. In quo illud mirandum est, quòd paupertas opibus circumfluxit. Diuitias porrò hoc loco appellat pietatis cognitionem, peccatorum purgationem, iustitiam, sanctificationem, ac mille alia bona, quæ nobis largitus est, ac largietur. Atque hæc omnia paupertatis beneficio nobis contigerunt. Cuius paupertatis? Per id nimirum, quòd carnem suscepit, atque homo effectus est, eaque pertulit, quæ pertulit. Quamquam hæc ille minimè debebat: cum tu contra ipsi debeas. *Et consilium in hoc do: hoc enim vobis utile est*. Vide rursus quantam curam adhibeat, ne grauis ac molestus sit, atque his duabus rebus sermone mitiget, dum ait, *Consilium do: &, quod vobis utile est*. Neque enim cogo ac vim infero, inquit, atq; ab inuitis extorqueo: sed in his verbis, tam eorum, qui accipiunt, quàm vestram vtilitatem mihi propono. Deinde exemplum & ab ipsis sumit, & ab aliis, *qui non solum facere, sed & velle prius cepistis ab anno superiore*. Vide quomodo ostendat eos vltro suaque sponte, ac citra cuiusquam cohortationem, eò venisse. Quoniam enim hoc de Thessalonicensibus asseruerat, quòd vltro, & cum magna exhortatione, ad eleemosynæ studium se contulerant, vult iam ostendere hos idem quoque præstitisse. Ac proinde dixit, *non solum facere, sed & velle: & non, cepistis, sed, prius cepistis ab anno superiori*. Ad eadem ergo vos hortor, inquit, ad quæ ipsimet antehac cum omni animi alacritate vos ipsos excitastis. *Nunc verò & facto perfecistis*. Non dixit, *fecistis*, sed, *finem imposui*.

755. *Vt quemadmodum promptus est animus voluntatis: ita & sit perficiendi ex eo quod habetis.* hoc est, vt præclara hæc virtus non intra animi promptitudinem consistat, sed eam etiam mercedem, quam opera afferunt, consequatur. *Si enim voluntas prompta est, secundum id, quod quis habet accepta est, non secundum id quod non habet.* Vide omni sermone sublimiorem sapientiam. Cum quosdam ostendisset, qui facultatum suarum modulum in largiendo excederent, Thessalonicenses nimirum, eosque hoc nomine collaudasset, dixissetque, Testimonium reddo cis quod etiam supra virtutem: quoniam nunc ad eiusmodi duntaxat, quæ facultatibus par sit, beneficentiam hortatur, sinens exemplum partes suas agere (norat enim admonitionem ad eandem rerum imitationem non perinde animum excitare, ac zelum.) idcirco ait, *Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est, non secundum id quod non habet.* Non est, inquit, quod ob verba illa mea pertimescas. Etenim eiusmodi quidem oratione mirificam illorum liberalitatem prædicabam: at verò Deus ea tantum à nobis expetit, quæ nostrarum virium sunt, & secundum id quod quis habet, non secundum id quod non habet. Vox enim ἐν ᾧ ὁ δὲ θεὸς, hoc loco idem significat, quod ἀπαίτεται, id est, postulatur. Atque his verbis valde ipsos delinit, exemplo nimirum illo fretus, eoque magis illos alliciens, quod indulgentius cum illis ageret. Vnde etiam subiunxit: *Non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio.* Atqui Christus contrarium in vidua illa comprobavit, quod videlicet vitium totum suum profudisset, atque ex penuria sua tribuisset. Sed quia Corinthios alloquebatur, vbi esurire malebat (melius est enim mihi mori, inquit, quam vt gloriam meam quis euacuet) ob eam causam admonitionem suam temperat. Illos quidem, inquit, qui supra vires largiuntur, laudo: hos tamen, vt idem faciant, haud adigo. Non quod nollet: sed quia imbecilliores erant. Alioqui cur illos hoc nomine laudibus effert, quod in multo experimento tribulationis, abundantia gaudij eorum fuerit, & altissima paupertas eorum superabundauerit in diuitias simplicitatis eorum: & quod supra vires tribuerint? An non perspicuum est, cum his verbis id agere, vt hos quoque ad eandem virtutum studium incitet? Quocirca, etiam si minora ipsis concedere videtur, hoc tamen eo consilio facit, vt ipsos, per illa ad hæc subuehat. Considera quippe quemadmodum per ea etiam, quæ deinceps sequuntur, id occultè astruat. Posteaquam enim his verbis usus est, subdidit, *vestra abundantia illorum inopiam suppleat.* Non enim superioribus tantum, sed etiam his verbis efficere studet, vt præceptum hoc leue ipsis esse videatur. Ac ne hinc quidem duntaxat, sed etiam à mercede rursus leuius illud faciliusque reddit, ac magnificentius, quam pro eorum dignitate, loquitur, dicens, *Vt fiat æqualitas in presenti tempore: & illorum abundantia vestram inopiam suppleat.* Quid autem est quod ait? Vos opibus floretis: illi vitæ integritate, & libertate ac fiducia erga Deum. Proinde de opibus quæ vobis redundant, ipsis autem desunt, eis imperite: vt de ea fiducia, qua ipsi abundant, vos autem indigetis, ipsi vicissim accipiat. Vide quomodo occultè hoc astruxerit, ipsos supra vires, atque ex penuria dare debere. Si enim, inquit, de redundantia accipere vis, de redundantia quoque tribue. Si autem totum attrahere cupis, de penuria quoque ac supra vires præbe. At verò hoc quidem minimè dixit: verum in auditorum cogitatione relinquit. Ipse autem id, quod sibi proponebat, ac temperatam admonitionem interim efficit, iuxta id quod apparebat sub-

756. iungens, ac dicens, *vt fiat æqualitas in presenti tempore:* vobis videlicet, atque illis mutuo, quæ vtrisque redundant, tribuentibus, ac, quæ desunt, suppliantibus. At enim quæ est ista æqualitas pro carnalibus spiritalia rependere? Multo enim præstantiora hæc sunt, quam illa. Quo pacto igitur æqualitatem vocat? Nimirum vel quantum ad redundantiam & inopiam, vel, quantum ad præsentem duntaxat vitam attinet, hanc æqualitatem fieri dicit. Ob id enim cum dixisset, *æqualitas*, subiunxit, *In presenti tempore.* Hæc autem dicebat, tum vt diutum arrogantiam comprimeret: tum vt ostenderet post discessum ex hac vita spirituales homines præstantiore conditione fore. Etenim in huius vitæ curriculo ingenti æqualitate omnes fruimur: at tum magna distinctio erit, ac summa præcellentia, nimirum iustis Solem splendore superantibus. Tum autem, posteaquam eos non tantum dare, sed etiam maiora vicissim accipere demonstrauit: alia quoque ratione alacres eos ad dandum efficere molitur, illud ostendens, quod ne si sua quidem aliis minimè impertuerint, quicquam tamè amplius habituri sint, etiam si omnia domi congesta habuerint. Ac veterem historiam profert, ad hunc modum loquens, *Sicut scriptum est, Qui multum, non abundauit: & qui modicum, non minorauit.* Hoc autem in Manna contigit. Nam & qui amplius, & qui minus collegerant, eandem mensuram habere comperiebantur: credo quod Deus hac ratione intemperantiam & inexplebilem auaritatem coerceret. Hoc porro eò dicebat Paulus, tum vt ob ea, quæ tum contigerunt, Corinthiis metum iniiceret: tum vt eos dehortaretur, ne plus habendi cupiditate vsquam tenerentur, nec ob id quod minus, quam alij, haberent, angerentur. Atque hoc nunc quoque in fluxis & tempore perituris rebus locum habere, ac non in Manna solo, cernere est. Nam cum omnes vnum tantummodo ventrem expleamus, vnum vitæ cursum conficiamus, & vno tantum corpore cooperiamur, nihil profectò, nec amplius diuiti ex opum affluentia, nec minus pauperi ex egestate futurum est.

MORALE.

In eos quos aliorum ope indigere pudet: & de eleemosyna studio.

757. Quid igitur afferre potes, cur paupertatem formides, cur opes expetas? Metuo, inquis, ne aliorum fores adire cogar, atque alios rogare. Multos quippe assidue hoc in precibus vsurpantes ac dicentes audio, Ne me eò redigi sinas, vt hominum ope atque auxilio opus habeam: & quidem hæc audiens ingentem risum edo, puerilis siquidem est hic metus. Nullus enim dies, nulla, vt ita dicam, res est, in qua alij aliis non indigamus. Itaque inconsiderati atque arroganti tumentis animi hæc verba sunt, nec rerum naturam perspicue agnoscentis. An non cernis nos omnes ea esse conditione, vt alij aliorum ope carere nequeamus? Nam & artifice miles opus habet, & artifex mercatore, & mercator agricola, & seruus libero, & herus seruo, & pauper diuite, & diues paupere, & qui nil operis facit, eo, qui eleemosynam præbet, & qui præbet, eo, qui accipit. Etenim is, qui eleemosynam accipit, maximè necessarium, atque adeo omnium præstantissimum munus explet. Nisi enim pauperes essent, salus nostra magna ex parte profligata & euersa esset, vt qui, vbi pecunias serere possemus, non haberemus. Ex quo fit, vt pauper, qui omnium minimè vtilis esse videtur, omnium maximè sit vtilis. Quod si alterius

757. alterius ope indigere turpe est, nihil aliud reliquum est, quam vt intereamus. Neque enim fieri potest vt viuat, qui hoc timet. At, inquis, elatum supercilium ferre nequeo. Ecquid tu alium arrogantia infimulans, te ipsum per hanc accusationem probro afficis? Arrogantis enim est hominis, superbi animi fastum ac tumorem ferre non posse. Ecquid verò hæc, quæ nihili æstimanda sunt, metuis? ad hæc contremiscis? ob hæc paupertatem reformidas? Nam si diues fueris, eò pluribus & vilioribus indigebis. Quò enim ad maiores opes peruenieris, eò magis te huic maledictio subiiciet. Ita, quid optes ac preceris, necis, dum opes eò petis, vt nullius opeam desideres: perinde ac si quis mare ingressus, vbi & nautis, & nauæ, & amplissimo apparatu opus est, vota faciat, vt nullius omnino hominis opera atque auxilio indigeat. Nam si animum inducis haud magno opere quoquam opus habere, paupertatem opta. Ita fiet, vt si cuiuspiam ope indigeas, pro pane tantum aut veste indigeas. Quòd si, & pro agris, & pro ædibus, & pro pensionibus, & pro mercedibus, & pro dignitate, & pro vitæ præsidio, & pro gloria, & pro iis, qui imperium gerunt, opus vti que habeas & iis qui illis subsunt, & iis qui in vrbibus, & iis qui ruri degunt, & mercatoribus, & cauponibus. Iamne perspicis, quam extremæ amentia hæc verba sint? Quid enim? Horrendum omnino esse censet, cuiusquam hominis ope indigere? Fieri quidem in vniuersum haud potest, vt quis hac re liberetur. Cæterum si tumultum fugere cupis (id enim licet) in tranquillum paupertatis portum confugiens, multiplicem negotiorum tumultum amputa, nec vllò modo turpe esse statue altero opus habere. Hoc enim ineffabili Dei sapientia ita comparatum est. Nam quia alij aliorum ope carere non possumus, hæc mutui auxilij necessitas hoc affert, vt amicitia vinculo inter nos astringamur. Quòd si se quisque contentus nullius opem desideraret, immanes profectò ac truculentæ belluæ essemus. Quocirca Deus vi ac necessitate nos inuicem subiecit: & tamen quotidie mutuis offensionibus inter nos collidimur. Quòd si hoc frænum abscedisset, equis fuisset, qui proximi amicitiam prompto animo appetisset? Proinde nec turpe hoc esse ducamus, nec deprecemur, ac dicamus, Ne sinas nos alicuius auxilio opus habere: verum ita precemur, Ne sinas, cum in aliqua necessitate constituti sumus, preces nostras ab iis repudiari, à quibus iuari possumus. Non enim aliorum ope indigere graue est: sed aliorum facultates eripere. At nunc, pro hac quidem re nunquam preces fudimus, ac diximus, Ne me sinas alienis bonis cupiditatis oculos adiacere: penuria autem premi, illud demum est, quod nobis infauftum, ac votis omnibus auerandum esse videtur. Atqui Paulus persæpe eguit: nec tamen id dedecori, sed ornamento ducebat, eosque, quorum opera atque auxilio usus fuerat, laudibus efferebat, dicens, Quia semel & bis in usum mihi misistis. Et rursus: Alias Ecclesias expoliavi, stipendium accipiens ad ministerium vestrum. Quocirca non ingenui, sed mollis & enervati, ac degeneris & stulti animi est hoc nomine pudore affici. Nam ita Deo placet, vt alij aliis indigamus. Ac proinde vltra modum philosophari ne stude. At, inquis, hominem eum ferre nequeo, qui crebrò rogatus & obsecratus, precibus meis minimè cedit. Et quo tandem modo te Deus feret, à quo sæpe rogaris nec flecteris: & quidem rogaris de iis rebus, quæ tua intersunt? Pro Christo enim, inquit Apostolus, legatione fungimur, tanquam Deo obsecrante per nos: Reconciliamini Deo. Et tamen ipsius Dei seruus sum, inquis. Quid tum? Cum enim tu, qui seruus es,

Arrogans est qui arrogantem ferre non potest.

Philip. 4. Infr. 11.

Sup. 5.

pauperes vilitatis alterius

758. A mero te ingurgites, ille autem, qui herus est, fame laboret, ac ne necessario quidem alimèto fruatur, quidnam tibi præsidij seruitutis nomén allaturum est? Imò verò hoc te grauius onerabit, cum tu in ædibus, quæ triplex tabulatum habent, commoreris, ille ne commodum quidem tectum vllum habeat: cum tu in mollibus stragulis conuiescas, illi ne ceruical quidem præstò sit. At dedi, inquis; Bene habet. sed non est intermittendum hoc facere. Nam tum duntaxat tibi certa erit excusatio, cum, quod des, non habueris, ac rebus omnibus carueris. Quandiu autem habueris, etiam si sexcentis dederis, sint autem alij qui fame conflentur, nulla tibi excusatio suppetet. At verò, cum & frumentum comprimis, & pretium auges, & inusitatas cauponandi rationes cõminisceris, ecqua iam tibi salutis spes futura est? Esurienti gratis dare iussus es: at tu ne cum æquo quidem ac mediocri pretio das. Ipse tua causa tanta se gloria spoliavit: tu eum ne dignum quidem ducis, cui panem impertias: verum cum canis tuus cibis distentus sit, Christus contra fame conficitur: cum famulus tuus ciborum copia atque ingluuie disrumpatur, tuus contra illiusque dominus necessario victu caret. Hæcne tandem amicorum sunt? Obsecro vos, Deo reconciliemini. Hæc enim inimicorum sunt, infestorumque hostium. Quocirca pudorem nobis ea omnia beneficia incutiunt, quæ accepimus, atque accepturi sumus: ac si quis pauper accedat, opemque nostram imploret, magna cum animi beneuolentia eum excipiamus, consolantes ipsum ac verbis erigentes: vt eadem ipsi tum à Deo, tum ab hominibus consequamur. Omnia enim, quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Nihil graue, nihil molestum hæc lex habet. Quæ tibi fieri vis, inquit, hæc ipse facito. Æquæ sunt vices. Nec verò dixit, Quæ non vultis vobis fieri, hæc ne quidem ipsi facite: sed quod maius est. Illic enim à malis tantum abstinetur: hic verò bona quoque efficiuntur: atque huius complexu illud etiam coercetur. Ad hæc, non dixit, Hæc vos quoque velitis: sed, Facite illis. Quidnam autem illinc fructus existit? In hoc lex sita est & Prophetæ. Misericordiam tibi adhiberi vis? Adhibe ipse. Veniam vis impetrare? Ignosce ipse. Non vis malè audire? Malè ne dixeris. Laudari expetis? Lauda ipse. Non vis tua tibi per iniuriam extorqueri? Aliena ne cripe. Vides quemadmodum virtutem naturale quoddam bonum esse ostenderit, nosque externis legibus ac magistris minimè opus habere? In his enim, quæ nobis à proximis nostris, vel accidere, vel non accidere volumus, nobismet ipsi legem imponimus. Quamobrem si, quod tibi fieri nolis, alteri facias, aut si quid tibi fieri velis, quod ipse minimè facias, tuomet ipse calculo te condemnas, nec iam quicquam habes, quod peccatis tuis prætexas, velut, quæ facienda sint, ignorans. Quæ cum ita sint, operam quæso demus, vt hanc per nos ipsos in animis nostris legem excitantes, ac perspicuas hæc & compendiosas litteras peruolentes, tales nos erga proximos nostros præbeamus, quales eos erga nos esse volumus. Sic fiet, vt & præsentem tranquillitate fruamur, & futura bona consequamur, per gratiam & benignitatem Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Matt. 7.

HOMILIA XVIII.



GRATIAS autem Deo qui dedit eandem sollicitudinem pro vobis in corde Titi. Rursus Titum laudat. Quoniam enim de elemosyna sermonem habuerat, iam de iis quoque verba facit, qui pecunias ab ipsis accepturi ac deportaturi erant. Hoc enim ad huiusmodi collectionem, & ad augendam eorum, qui erogabant, alacritatem, adiuventum afferebat. Nam qui eorum, qui legis ac suscipiendis pecuniis operam nauant, integritati confidit, nec sinistri quicquam de iis suspicatur, vberius copiosiusque erogare solet. Quod quidem, vt tunc quoque fieret, audi quemadmodum eos commendat, qui ad hoc munus obeundum perrexerant: Inter quos principem locum Titus tenebat. Ideoque dicit: Gratias autem Deo, qui dedit eandem sollicitudinem in corde Titi. Quid est, eandem? quam pro Thessalonicensibus quoque habebat: vel, eandem quam ego. Ac prudentiam Pauli animaduerte. Dei beneficium hoc esse ostendit, proindeque eius auctoritatis gratias agit: vt videlicet hac quoque ratione animos eorum moueat atque incitet. Nam cum Deus illum excitaret, & ad vos miseret, ipse proculdubio per illum petir. Cauete igitur existimetis humanitas hoc contigisse. Verum vnde liquet quod Deus ipsum cohortatus sit? Quoniam exhortationem quidem suscepit: sed cum sollicitior esset, sua voluntate profectus est. Vide quomodo cum ostendat, ad hoc vt partes suas obiret, nullius alius cohortatione opus habuisse. Quin, postquam Dei gratiam commemorauit, non fuit id totum Deo ascribi: vt videlicet eos hoc etiam nomine ad maiorem Titi amorem pertrahat, cum ait eum suapte quoque sponte excitatum fuisse. Cum enim sollicitior esset, inquit, sua voluntate profectus est, hoc est, prouinciam hanc praecepit: in thesaurum insiliit: fuisset commodis consulere iudicauit, operam vobis nauando: tantaque in eo vis amoris erga vos fuit, vt ne cohortatione quidem nostra egerit: quanquam fuit illa quidem a nobis adhibita: ceterum haudquaquam hinc ille, sed a seipso, & a Dei gratia excitatus est. *Misimus autem etiam cum illo fratrem, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias.* Et quisnam est hic frater? Nonnulli his verbis Lucam significari putant: atque hoc dicunt propter eam historiam, quam litteris mandauit. Alij Barnabam: siquidem etiam praedicationem scripto minimè proditam Euangelium nuncupat. Quidam autem cause est, cur eorum nomina haud adscribat, verum Titum quidem & nominatim declaret, & ab Euangelicæ functionis societate appellet (quippe cuius opera tanto viui esset, vt ob ipsius absentiam ne magnum quidem aliquid ac strenuum efficere Paulus quierit: Eo enim, inquit, quod Titum non inuenerim, non habui requiem spiritui meo.) & ab ipso erga eos amore ac beneuolentia (viscera enim ipsius, inquit, abundantius sunt ad vos) & ab eo studio ac diligentia, qua in hoc munus incubuit (sua enim voluntate, inquit, profectus est) hos contra nec perinde commendat, nec nominatim citet? Quid igitur ad hoc afferri potest? Fortasse ipsi Corinthiis ignoti erant: ac proinde in praedicandis eorum laudibus, quorum virtutis periculum nondum fecerant, haud multum immoratur: verum haec tenus de iis verba facit, quatenus ipsis ad commendationem, vitandamque sinistram suspensionem satis erat. Ceterum videamus, vnde huic quoque ipsi laudem texat? Vnde igitur laudis argumentum petir? Primum ab Euangelica praedicatione ipsum laudat, nempe quod non so-

Sup. 2.

Ibid. 7.

lum praedicaret, sed etiam, vt par erat, & eo, quo conueniebat, studio atque industria. Neque enim dixit, quod praedicaret, & euangelicam doctrinam profiteretur, sed, *cuius laus est in Euangelio.* Ac ne in assentionis suspensionem veniat, non vnum aut alterum aut tres, sed vniuersas Ecclesias testes ipsi citat, dicens, *per omnes Ecclesias.* Deinde ab eorum quoque calculo, a quibus institutus ordinatusque fuerat, venerationem ipsi conciliat: nam ne id quidem parui refert. Quo factum est, vt, postquam dixit, *Cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias, subiunxerit, Non solum autem.* Quid sibi haec verba volunt, *Non solum autem?* Non, inquit, hoc tantum nomine venerationem meretur, quod euangelicæ praedicationis laude floreat, atque ab omnibus commendetur: sed etiam, quod ab Ecclesiis nobiscum vnà ordinatus sit. Ex quo mihi Barnabam significare videtur. Ac magnam ipsius auctoritatem amplitudinemque indicat. Ostendit enim qua etiam de causa ordinatus sit, *Comes enim, inquit, peregrinationis nostrae in hanc gratiam, quae ministratur a vobis.* Vides quot ipsum laudibus afficiat? In Euangelij praedicatione emicuit, de qua ea re Ecclesias omnes testes habuit. Eadem ipsi prouincia, quæ & Paulo mandata est: atque omnibus in locis socius ipsi, tam in tentationibus, quam in periculis extitit. Hanc enim peregrinationis nomen significationem habet. Quinam autem horum verborum sensus est, *In hanc gratiam, quae ministratur a vobis?* hoc est, In hoc, vt Verbum annunciet, Euangeliumque praedicet: vel, vt in ratione pecuniaria operam nauet: Imò vtrunque his verbis mihi à Paulo intelligi videtur. Subiicit postea, *Ad Domini gloriam, & alacritatem vestram.* Quæ verba hunc sensum habent. Postulauimus, inquit, vt ipse nobiscum eligeretur, atque ad hoc munus designaretur, vt sacrarum pecuniarum promus condus ac minister esset. (Neque enim parua hæc dignitas erat, considerata enim, inquebat Petrus, viros ex vobis boni testimonij septem) atque ab Ecclesiis, consentientibus totius populi calculis, creatus est. Quid autem hæc verba significant, *Ad gloriam Domini & vestram alacritatem?* Hoc est, vt & Dei gloria celebretur, & vos promptioribus animis fitis, cum probos atque integros eos esse perspexeritis, qui pecunias suscipiunt, nec quenquam esse, qui vllam ipsis, ne falsam quidem suspensionem constare possit. Hac de causa tales viros conquisiimus: nec vni duntaxat id muneris commisimus: verum vnà cum eo (vt hanc quoque suspensionem fugiat) Titum etiam misimus. Postea autem hæc ipsa verba exponens, *Ad gloriam Domini & alacritatem vestram,* subdidit, *Deuitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quae ministratur a vobis.* Quam tandem sententiam hic sermo habet? Dignam profectò Pauli virtute: & quæ ipsius curam & sollicitudinem, atque indulgentiam declaret. Ne quis enim, inquit, sinistri aliquid de nobis suspicetur, ac vel leuissimam reprehensionis ansam aduersum nos habeat, vel de commissa nobis pecunia aliquid interuertentibus, idcirco tales viros misimus, non vnum duntaxat, sed & duos, & tres. Vides quo pacto ipsos ab omni grauiori suspensione vindicet, non solum ex eo quod Euangelium praedicent, aut quod electi fuerint, sed ex eo etiam, quod probitate praestent, ob idque ipsum designati sint: ne locus vllus suspensioni detur. Nec dixit, *Ne vos vituperetis:* sed, *Ne quis alius.* Atqui eorum causa hoc fecerat: idque his verbis indicauit, *Ad gloriam Domini, & alacritatem vestram:* ceterum eos perstringere minimè vult, proindeque ait, *Deuitantes hoc facere.* Ac ne hoc quidem contentus, rursus ipsos per-

Ad.

e,

ea, quæ sequuntur, delinit, his verbis vtens, *In hac plenitudine quæ ministratur a vobis:* atque ita id, quod graue atque inuidiosum erat, cum laudibus ponens. Ne enim dolore cõficerentur ac dicerent, *Quid igitur habes quod de nobis suspiceris?* atque ita miser sumus, vt de his rebus apud te in suspensionem veniamus? huic obiectioni medetur, inquit, *Multæ pecuniæ a vobis mittuntur:* atque hæc plenitudo, hoc est pecuniarum copia, satis magnam vim habet ad sinistram suspensionem in improborum animiscendam, nisi cautionem adhibeamus. *Prouidemus enim bona, non solum coram Domino, sed etiam coram hominibus.* Ecquid Pauli virtutem adæquare queat? Non enim dixit, *Pleret,* atque in malam pestem abeat, qui huiusmodi quippiam suspicari in animum induxerit: dū me conscientia mea non condemnet, huiusmodi suspensiones nihil moror. *Quin potius, quod imbecilliores ipsi erant, eò magis ad eos sese demittebat.* Egrotanti quippe, non succensere, sed opem afferre oportet. Et quidem, a quo peccato longius remoti sumus, quam ille ab eiusmodi suspitione? Nam ne si dæmon quidem fuisset, hoc beati illius viri ministerium suspectum habuisset. Et tamen ille, quamlibet ab hac præpostera suspitione procul distitit, nihil non tamen agit ac molitur, vt ne vmbra quidem vllam iis relinquat, qui quoquo modo suspicari aliquid mali velint. Ac non modò accusationes fugit: sed etiam leues reprehensiones, ac nudas suspensiones. *Misimus autem cum illis & fratrem nostrum.* En rursus alium quoque adiungit: eumque non sine laude, calculoque tum suo, tum aliorum multorum. *Quem probauimus in multis sepe sollicitum esse, nunc autem multo sollicitiorem.* Posteaquam eum ab his, quibus praeditus erat, virtutibus laudauit, ab ea quoque, qua illos complectebatur, beneuolentia eum laudibus vehit: quodque de Tito dixerat, *cum sollicitior esset, sua voluntate profectus est,* hoc de eo quoque praedicat, dicens, *Nunc autem multo sollicitiorem.* Siquidem Paulus studij erga Corinthios, atque amoris femina prius in ipsorum animis insuerat. Ac demum eorum virtute declarata, Corinthios iam pro ipsis in hæc verba hortatur, *Sive pro Tito, qui est socius meus, & in vobis adiutor.* Quid est, *Sive pro Tito?* Si quid dicere necesse est, inquit, hoc dicere habeo, quod socius meus est, & in vobis adiutor. Hoc enim est quod ait. Vel certe hoc vult: *Si pro Tito aliquid feceritis, non vulgari cuiquam homini feceritis: socius quippe meus est.* Quibus quidem verbis quanquam eum laudare videatur, eos ipsos tamen effert, tanta nimirum eorum erga se studia esse demonstrans, vt ad honorem alicui habendum satis ampla apud eos materia sit, ipsius locum esse. At enim uero hoc minimè contentus, alterum quoque adiecit, dicens, *In vobis adiutor.* Non vtunque adiutor, sed in iis rebus, quæ vestra interfunt, in vestro profectu, atque incremento, in amicitia, in studio erga vos. Id quod ad eorum beneuolentiam ipsi conciliandam maximam vim habebat. *Sive fratres nostri.* Sive de aliis, inquit, quippiam audire auctis, hi quoque maximas apud vos æquissimasque commendationis causas habent. Nam & ipsi fratres vestri sunt, inquit, *& Apostoli Ecclesiarum.* hoc est, ab Ecclesiis legati sunt. *Gloria Christi.* Ad eum enim omnia ea referuntur, quæ in ipsos facta fuerint. Quocirca, si ipsos, vt fratres, excipere vultis, siue vt Ecclesiarum legatos, siue vt Christi gloriam vobis proponentes, multas amoris erga eos & beneuolentiæ occasiones habetis. Nam pro Tito quidem hoc dicere habeo, quod socius quoque meus sit, vestrique amans: pro iis autem, quod fratres, quod Ecclesiarum legati: quod

A denique Christi gloria agatur. Videtne perspicuum hinc quoque esse, illos Corinthiis tum ignotos fuisse? Alioqui enim a quibus rebus Titum, ab iisdem etiam ipsos coornasset, nempe à beneuolentia, quam erga eos haberent. Sed quia nondum ipsis noti erant, Vt fratres, inquit, eos suscipite, vt Ecclesiarum Apostolos, denique vt ad Christi gloriam hoc facientes. Vnde subiungit, *Ostensionem ergo quæ est charitatis vestre & nostræ gloriæ pro vobis, in illos ostendite in facie Ecclesiarum.* Nunc, inquit, planum facite quàm me ipsi ametis, quàmque ego rursus in vobis non frustra ac temerè glorier. Hoc porro ita demum planum facietis, si beneuolentiam ipsis charitatemque praestiteritis. Postea terrorem quoque sermoni suo adiecit, dicens, *In facie Ecclesiarum:* hoc est, ad Ecclesiarum gloriam & honorem. Nam si ipsis honorem habueritis, Ecclesiis profectò, a quibus missi sunt, honor a vobis habitus erit. Neque enim ad eos duntaxat honor permeat: sed ad illos etiam, a quibus missi atque instituti sunt: atque ante illos etiam ad Dei gloriam tendit. Nam cum eos, qui illi ministrant, honore afficiamus, ad illum vtique laus ea peruadit. *In facie Ecclesiarum.* hoc est, in publico Ecclesiarum cœtu. Quod quidem non leue ducendum est. Magna quippe sacri conuentus, hoc est Ecclesiarum, vis ac potentia est.

MORALE.

Quantam Ecclesie oratio vim habeat: Et, in sententia dicenda pertinaciam fugiendam esse.

O ratio Petrum è vinculis exemit: Pauli os aperuit. Horum suffragium eos, qui ad spiritalia dignitates veniunt, haud leuiter exornat. Ac propterea is, qui ordinandi munus obiturus est, illorum preces tum poscit, atque ipsi calculum suum addunt, acclamantque ea, quæ norūt, qui mysteriis initiati sunt. Neque enim fas est coram prophanis cuncta detegere. Interdum autem ne quicquam quidem inter sacerdotem interest, & eos quibus praest, velut cum tremenda mysteria percipienda sunt. Aequè enim omnes ad ea admittimur: non quemadmodum in veteri Testamento, alia sacerdos, alia subditus edebat, nec plebi fas erat iis vesci, quibus sacerdos vescabatur. Nunc enim secus se res habet. Omnibus siquidem vnum corpus, vnum poculum proponitur. Quin in precationibus quoque illud quippiam conspexerit, populum permultum erogare. Etenim pro arreptiis, & pro iis, qui in penitentia sunt, communia, & à sacerdote, & ab ipsis vota fiunt: atque omnes vnam eandemque precem concipiunt, precem inquam illam misericordia plenam. Rursus cum eos, qui sacrosanctæ mensæ participes esse nequeunt, à sacris septis arcemus, incunda est altera oratio, in qua omnes peræquè humi iacemus, omnes peræquè confurgimus. Ad hæc, cum pax danda, vicissimque accipienda est, omnes æquè inter nos exosculamur. Iam in tremendis quoque mysteriis, vt sacerdos pro plebe, ita plebs pro sacerdote vota facit. Hæc enim verba, *Et cum spiritu tuo,* nihil aliud, quàm hoc, significant. Rursus ea oratio, qua Deo gratia aguntur, vtrisque communis est. Neque enim ipse solus gratias agit: sed etiam plebs vniuersa. Nam cum prius illorum vocem sumpsit, atque illi assenserunt id dignè ac iuste fieri, tum demum gratiarum actionem auspiciatur. Quid autem est, quamobrem tibi mirum videatur, si cum sacerdote plebs interdum loquatur, cum etiam cum ipsis Cherubim, ac supernis virtutibus sacrosanctos illos hymnos com-

Ad. 12.

Leuit. 10. & 22.

munitur in cœlum mittat? Hæc porro cuncta eò à me dicuntur, vt vnusquisque, etiam ex his qui subsunt, aduigilet: illudque intelligamus, nos omnes vnum corpus esse, tantumque duntaxat inter nos differre, quantum membra à membris differunt: ac proinde committendum non esse, vt omnia ad sacerdotes reiciamus: quin potius nos quoque Ecclesiæ totius, perinde ac communis corporis, cura afficiamus. Hoc enim & maiorem securitatem affert: & maius virtutis incrementum nobis comparat. Audi quippe quem admodum Apostolorum tempestate ipsi per se eos, quibus præerant, consilij socios adhibebant. Nam & cum septem diaconos crearent, ad plebem prius retulerunt: & cum Petrus Matthiam, de ea re cum omnibus, qui tum aderant, tam viris quam mulieribus, agitauit. Neque enim hoc imperium in eorum, qui præsunt, fastidio atque arrogantia, & in eorum qui subsunt, seruilis quadam demissione situm est: verum spirituale est, hoc præsertim nomine superiores partes obtinens, quòd pro vestra salutis cura plures labores suscipiat, non autem quòd plures honores requirat. Etenim omnes, tanquam domum vnam, sic Ecclesiam habitare, omnes, vt vnum corpus, ita affectos esse conuenit: quemadmodum videlicet & Baptisma vnum est, & mensa vna, & fons vnus, & creatio vna, & denique pater vnus. Ecquid igitur disiecti, ac diuulsi sumus, cum tot summæ coniunctionis vincula habeamus? Rursum enim eadem deplorare cogimur, quæ sæpenumerò lectu prosecuti sumus. Lectu quippe ac lacrymis dignus est hic rerum status, in quo alij ab alijs vsque adeo distracti abruptique sumus: cum contra corporis vnus compagem imitari nos oporteat. Sic enim à minore quoque, is, qui maior est, luctri aliquid facere queat. Nam cum Moses quippiam, quod in rem esset, ex focero didicerit, quod prius non animaduertebat: quanto magis in Ecclesia hoc vsu venire possit? Quid autem causa est, cur, quid prophanus homo peripiciebat, hoc spirituale fugeret? Vt nimirum omnes, qui tum erant, hominem eum esse intelligerent, atque & in secundo mari, & in effringenda petra Dei auxilio indigere, miraculaque ea, non humanæ naturæ, sed diuinæ potentie ascribi debere. Eodem modo nunc quoque, si quispiam parum vtilem sententiam dixerit, surgat alter ac loquatur. Quòd si, quanuis inferior sit, aliquid tamen, quod ex vsu sit, dicat, sententiam illius comproba: nec eum quamlibet vilem & abiectum asperneris. Neque enim quisquam horum tam à proximo suo distat, quam focer ille à genero Mose, qui tamen sermonem ipsius minime fastidiuit: verum & consilium excepit, eique paruit, atque adeo litteris quoque mandauit, nec eiusmodi rem historiae prodere dubitauit: nempe vt permultorum hominum factum deiiceret, ob idque hac tanquam in columna insculpta posteris reliquit, quòd multis hanc historiam vtilitati fore perspectum haberet. Quò magis nobis prouidendum est, ne eos, qui optima consilia porrigunt, etiam si in sacerdotum numero minime sint, sed abiectæ sortis, contemnamus: quæque ipsi censuerimus, ea prorsus valere atque obtinere velimus: verum vt ea demum, quæ vtilia visa fuerint, omnium calculis comprobentur. Plurique enim cæcutientium, multa clariùs perspexerunt, quam qui acutè cernebant, propterea quòd contentionem maiorem ac studium adhibuissent. Nec verò his vobis vtaris, Ecquid me ad consilium vocas, si verbis meis non obtemperas? Non enim consultoris sed tyranni hæc accusationes sunt. Nam qui consultorem se profitetur, hoc solum in arbitrio suo habet, vt, quid

Ad. 2.

Ephes. 4.

Aduersus dissidiorum amantes.

Exod. 18.

In eos qui suas sententias velle volunt.

A censeat, dicat: quòd si sententia alia conducibilior appareat, quàm ea, quæ ab eo dicta est, hanc si sequi recuset, non iam consultorem, vt iam dixi, sed tyrannum agit. Ne igitur ad hunc modum faciamus: verum animum ab omni fastu atque arrogantia eximemus, id spectemus, non vt ea solum, quæ ipsi decreuerimus, stent ac rata sint, sed vt ea sententia, quæ potior conducibiliorque fuerit, valeat, etiam si à nobis minime allata sit. Neque enim parum lucri hinc colligemus, etiam si ipsi, quæ in rem sint, haud reperiamus, dum tamen quæ ab alijs vtilius animaduersa fuerint, amplectamur. Nam & ingentem à Deo mercedem accipiemus, & maximam inde gloriam consequemur. Vt enim is, qui vtilem sententiam dixit, ingenij & sapientiæ, ita nos, qui eam comprobauimus, complexique sumus, prudentiæ candorisque laudè feremus. Ad hunc modum, & domus, & ciuitates: ad hunc modum Ecclesia gubernata, magnis incrementis augebitur: ad hunc modum nos quoque præsentis vite optimè instituta, futuris bonis potiemur, quibus vtinam omnes potiamur per gratiam & benignitatem Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIX.



AM de ministerio quod sit in sanctos, ex abundantia est mihi scribere ad vos.

Postquam tot verba de ea re habuit, ait, Ex abundanti est mihi scribere ad vos. Nec verò in hoc tantum ipsius prudentia & sagacitas enitet, quòd, tam longa oratione habita, superuacaneum esse ait ad eos scribere: sed in hoc etiam, quòd de eadem re rursus verba facit. Nam ea quidem, quæ paulò antè dixit, de iis dixit, qui pecunias susceperant, hoc videlicet agens, vt ipsis magni à Corinthiis honores haberentur: at verò ea, quæ de Macedonibus antea diserebat, nempe quòd altissima eorum paupertas in diuitias simplicitatis eorum abundarat, cæteraque omnia, ad beneficentiam elemosynarumque spectabant. Et tamen, quanuis tam multa, & prius dixisset, & rursus dicturus esset, Ex abundanti mihi est, inquit, scribere ad vos. Hoc porro eò facit, vt eorum animos alliciat. Pudet quippe hominem, qui ea existimatione est, vt ne consilio quidem egere videatur, mortalium de se opinioni imparè reperiri, eique deesse. Ad id, plerumque etiam, cum accusatione ipsi vtendum est, facit, per præteritionem videlicet loquens: hoc enim non paruam vim habet. Iudex si quidem, accuatoris magnanimitatè perspicuus, haud deinceps adducitur, vt de eo quicquam sinistra suspicetur. Id enim secum reputat, nullo modo fieri posse, vt qui, cum multa dicere in promptu haberet, tamen dicere superfederit, is falsa crimina confingat. Quin hac quoque ratione plura dat suspicari, quàm dixerit: sibi quæ ipsi probitatis existimationem conciliat. Atque hoc, tum in consilijs dandis, tum in prædicandis virtutibus facit. Postquam enim dixit, Ex abundanti est mihi scribere, vide quo pacto eos moneat. Scio enim promptum animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones. Magnum quidem ac luculentum illud quoque est, eum ipsi compertum & exploratum esse: cæterum multò maius ac luculentius, eundem apud alios etiam laude & prædicatione efferre. Maioris quippe hoc ponderis est. Non enim in tanta hominum multitudine probro ac dedecore affici voluissent. Vidène quam in monendo prudentiã adhibeat? Ab alijs, nempe à Macedonibus eos cohortatus est. Notam enim, inquit,

CA. 11.

Sup. 8.

Homines naturã zelotypi.

Sup. 8.

inquit, facio vobis gratiam quæ data est in Ecclesiis Macedoniae. Ab ipsismet etiam cohortationis argumentum traxit, his verbis vtens. Qui quidem non solum facere, sed & velle cœpistis ab anno priori. Tum à Domino quoque exhortationem his verbis duxit, Notis enim gratiam domini nostri, quoniam propter vos egenus factus est, cum diues esset. Rursus ad firmum & validum caput confugit, ab alijs nimirum exemplum petens. Zelotypum enim est mortalium genus. Et quidem par erat, vt illi, Domini potius exemplo, ac deinde præmiorum spe mouerentur, sed quia imbecillioribus animis erant, hæc potius ratione ipsos pertrahit. Neque enim quicquam est, quod tãtum efficiat, quantum zelus. Ac velim animaduertas quàm nouo modo hoc inuehat. Non enim dixit, Hos imitemini: sed quid? Vestra emulatio prouocauit plurimos. Quid ais? Aliquantò antè dicebas, quod voluntariè, & cum multa deprecatione, obsecrantes nos &c. Quomodo ergo vestra emulatio? Ita est, inquit, Non suauis, non cohortati sumus: hoc vnum egimus, quòd vos laudibus extulimus, quòd de vobis gloriati sumus: idque ad excitandos & cohortandos eorum animos abundè fuit. Vides quemadmodum hos per illos, ac vicissim illos per hos excitet, atque zelotypiæ maximam laudem adiungat? Mox, ne animos illis attollat, orationem arte quadam temperat, inquit, Et vestra emulatio prouocauit plurimos. Perpende itaque quàm turpe sit, eos ipsos, qui huiusce liberalitatis authores alijs extiterunt, in hoc largitionis genere posteriores partes ferre. Ob eam causam non dixit, Illos imitemini: neque enim hoc tantam ad eorum animos zelo inflammãdos vim habebat. Quomam autem modo? Vestrum illi exemplum secuti sunt: ne committite, magistri, vt discipulis inferiores sitis. Ac perspice quemadmodum, vt eos vehementius excitet atque incendat: at iis se stare simulet, non secus atque in certamine quodam & contentione ad eorum partes se conferens. Vt enim superius dicebat, Voluntarij & cum multa exhortatione nos deprecantes: ita vt Titum rogarem, vt quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis gratiam istam: eodem modo hic quoque ait, Idcirco misimus fratres, vt ne, quod gloriemur, euacuetur in hac parte. Vidène quàm anxio ac trepido animo sit, ne ea, quæ dixit, cohortationis tantum causa dixisse videatur, verum quia res ita se habeat, Fratres, inquit, misi. Tanta videlicet mihi propter vos curæ est, ne gloriatio nostra in ventos abeat. In quo ita se gerit Paulus, vt prorsus ad Corinthiorum partes sese adiungere videatur: tametsi reuera omnibus æquè consulat. Horum porro verborum hic sensus est: Magnopere propter vos glorior: apud omnes me effero: apud illos etiam me iactaui. Quocirca si officio vestro defueritis, commune mihi vobiscum hoc dedecus erit. Atque hic quoque sermonem temperauit. Adiecit enim, In hac parte: non omnibus in rebus. Vt, (quemadmodum dixi) parati sitis. Neque enim dixerat eos paratos fore: sed omnia iam prompta ac parata esse, nec quicquam iam ipsi deesse. Hoc igitur, inquit, re ipsa comprobari volo. Postea sollicitudinem suam animique anxietatem his verbis amplificat, Ne si venerint Macedones mecum, & imparatos vos inuenerint, confundamur nos (vt non dicamus vos) in hac substantia gloriationis. Maior incutitur pudor, cum quis permultos spectatores adhibet, & quidem eos qui audierunt. Nec verò dixit, Macedones mecum duco, mecum enim illi ad vos se conferunt: ne videlicet hoc dedita opera facere videatur. Quomam autem modo? Ne fortè, si venerint

Macedones: fieri siquidem potest vt veniant. Hoc quippe sermonis genere suspicionem omnem à se remouet, contumaciores alioqui ac peruicaciores eos effecturus. Vide quomodo non tantum spiritualibus, sed humanis etiam rationibus eos impellat. Nam etsi me, inquit, haud magni ducitis, firmoque ac fidenti animo estis, vt à me veniam impetraturi: certè Macedonas vobis animo proponite: ne fortè, si veniant, ac vos offendant, non dico nolentes, sed imparatos, nondumque munere vestro plenè atque cumulatè perfundtos, pudore afficiamur. Quòd si nõ confestim largiri, turpe ac probri plenum est, nihil profus, aut certè minus, quàm par sit, largiri, cuius tandem dedecoris sit, cogites licet. Postea leniter simul, atque ad ferendum accommodatè, id quod hinc euenturum est, exponit, his verbis vtens, Confundamur nos, vt non dicamus vos. Rursusque orationem reprimit, dicens, In hac substantia gloriationis. Quibus verbis non eò tendit, vt ipsos segniore efficiat: sed vt hoc ostendat, eos, qui alijs virtutibus florant, curare debere, vt in hac quoque magna cum animi fiducia & libertate versentur. Necessarium ergo existimaui rogare fratres, vt prius perueniant ad vos, & præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse sic quasi benedictionem, non tanquam auaritiam. Rursus istud alio modo repetit. Ac ne temerè his verbis vti videatur, nullam aliam huius itineris suscipiendi causam esse ait, quàm ne ipsi pudore suffundantur. Vidène iam, quemadmodum illa verba, Ex abundanti est mihi scribere ad vos, admonitionis exordium fuerint? Perspicis quippe quot de huiusmodi ministerio verba fuderit. Ad hæc illud quoque dicere licet, quòd, ne secum ipse pugnare videatur, qui cum dixisset, Ex abundanti, tamen de ea re verba facit, præterquam quod de celeritate ac munificencia promptitudinèque animi differit, per hæc illud etiam efficit. Hæc enim tria exigit: atque hæc quidem capita etiam in initio Epistolæ mouit. (nam cum diceret, In multo experimento tribulationis, abundantia gaudij ipsorum fuit: & altissima paupertas abundauit in diuitias simplicitatis eorum, nil aliud his verbis significabat, quàm quòd & multum contulissent, & cum gaudio ac celeritate: ac munerum amplitudo non modò illos mœrore minime affecisset, sed ne illud quidem, quòd in calamitatibus & periculis versarentur, quod tamen grauius acerbisusque erat, quàm facultates suas impertire. Atque etiam in his verbis, Seipsos nobis dederunt, eorum animi promptitudinem ingentemque fidem ostendit) Rursum autem eadem hic quoque tractat. Quoniam enim liberalitas & hilaritas ferè inter se pugnant, atque is quidem, qui multum tribuit, sæpe mœrore afficitur, hic contra, ne doleat, parcius tribuit, vide quomam pacto, & cum ea, quæ ipsum decebat, prudentia vtriusque curam gerat. Non enim dixit, Pauca sponte & lubenti animo dare præstat, quàm multa inuito: quandoquidem vtrunque volebat, vt & multum, & libenter tribuerent. Quomam verò modo? Vt præparent vestram benedictionem paratam esse sicut benedictionem, & non tanquam auaritiam. Prius ab eo, quod iucundius ac leuius erat, auspiciatur, nempe vt ne grauatim atque inuitis animis largiantur. Benedictio enim est, inquit. En quo pacto inter cohortandum enascentem statim fructum ostendat: eosque, qui tribuunt, benedictione referros esse. Quin vocabuli quoque suauitate eos illexit. Nemo enim mœsto animo benedictionem impertit. Ac ne hac quidem dictione contentus, addidit, Non tanquam auaritiam. Ne existimetis, inquit, nos eam,

Sup. 8.

vt auaros, accipere, sed vt benedictionis authores vobis existamus. Auaritia siquidem eorum est, qui inuiti tribuunt: ac proinde qui eleemosynam inuitus in aliquid confert, avaritiam iis dat, non benedictionem. Postea ab hoc rursus ad illud transit, nimirum ad hoc, vt prolixè ac munificè tribuant. *Hoc autem dico, hoc est, cum hoc illud quoque dico, Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Non dixit, *ieiunè*, sed mitiore vocabulo vtens, *parcè*. Quin semen quoque hanc rem appellauit, vt statim tibi ob oculos sese merces obiciat: ac messem cogitans, plura te dare, quàm accipere intelligas. Proinde non dixit, *Qui dat, sed, Qui seminat*. Non item, *Si vos seminaueritis*: verùm in genere hoc extulit. Non denique *ample & copiosè*: sed quod eo non paulò maius erat, *In benedictionibus*. Tum rursus ad prius illud, quod suauitatem habebat, se recipit, dicens, *Vnusquisque prout destinavit in corde suo*. Magis enim liberam quis facultatè nactus, aliquid facit, quàm necessitate adactus. Vnde etiam in hoc immoratur. Postquam enim dixit, *Sicut destinavit*, subiicit, *non ex tristitia aut ex necessitate*. Ac ne id quidem ipsi satis fuit: verùm à Scriptura quoque testimonium affert, dicens, *Hilarem enim datorem diligit Deus*. Vides quàm assiduè hoc ponat, *Non vt imperans dico*. Et, *Consilium in hoc do*. Et, *Vt benedictionem, ac non tanquam avaritiam*. Ac rursus, *Non ex tristitia, neque ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus*. In quibus verbis per hilarè, amplum ac munificè mihi significare videtur: tametsi hoc cõsilio vocem hanc assumptèrit, vt Corinthios ad prompto animo tribuendum impellet. Quoniam enim Macedonũ exemplum, aliaque omnia ad inducendam largiendi amplitudinem abundè sufficiebant, idcirco de ea haud multa verba facit, verùm orationem huc confert, vt ne iniquis inuitisque animis tribuant. Nam si virtutis opus est, quidquid autè necessitate fit, mercedem succidit, meritò proinde hoc efficit. Nec verò duntaxat monet: sed etiam, quod ipsi perpetuum est, vota adhibet, dicens, *Potens autem est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis*. Per huiusmodi precationem, cogitationem eam amolitur, quæ huiusmodi munificentia occurrere solet, ac nunc quoque plerisque impediendum esse. Complures enim eleemosynam dare pertimescunt, dicentes, Ne fortè in paupertatem incidam, ne fortè aliorum ope atque auxilio opus habeam. Vt igitur hunc metum extinguat, votum adiungit dicens, *Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis*. Non simpliciter dixit, *implere, sed abundare facere*. Quid autem est gratiam abundare facere? Hoc est, tot tantisque opibus vos cumulare, vt huiusmodi benignitate ac munificentia copiosissimè vti possitis. *Vt in omnibus omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum*. Vide quomodo ipse precationi magna in sit sapientia. Non opes ac redundantes facultates illis optat, verùm *omnem sufficientiam*. Ac ne hoc quidem tantummodo nomine admirabilis nobis occurrit: sed & eo quoque, quòd, vt superuacaneas illis ac redundantes opes minimè à Deo precatur, ita nec eos premit, cogitque ex penuria largiri, nimirum illorum imbecillitati obsecundans: verùm hoc illis à Deo petit, vt, quantum satis sit, habeant: simulque illud ostendit, beneficiis diuinitus acceptis minimè abutendum esse. *Vt abundetis*, inquit, *in omne opus bonum*. Ob eam causam, inquit, hæc peto, vt aliis quoque tribuatis. Nec dixit, *tribuatis*: sed, *abundetis*. Nam in carnalibus quidem, quantum sat sit, ipsis petit: at in spiritualibus, vt etiam abundantè postulat, non in eleemosyna

A tantum, sed etiam in omnibus aliis rebus: *In omne opus bonum*. Postea consultorem ipsi Prophetam adhibet, quæsito videlicet eiusmodi testimonio, quo ad amplissimam munificentiam excitentur: aitque, *sicut scriptum est, disperdit, dedit pauperibus, Iustitia eius manet in seculum seculi*. Hoc est id quod aiebat, *Vt abundetis*. Hoc enim verbum, dispergere, nil aliud indicat, quàm copiosè ac munificè largiri. Etsi enim ipsa non manent: ea tamen, quæ ex ipsis oriuntur, manent. Hoc nanque est, quod meritò quispiam miretur, quòd, quæ asseruata percunt, eadem cum disperguntur, manent, & quidem in perpetuum. Per iustitiæ porro vocabulum hoc loco benignitatem atque humanitatem intelligit. Iustos quippe homines efficit, peccata ignis in modum absumens & conficiens, cum largissimè profunditur.

MORALE.

Eleemosynam leto ac munifico animo dandam esse.

Q uocirca ne præparè nos geramus: sed plena confortatq; manu seramus. An nõ perspicis quantam nutritionibus ac scortis alij largiantur? Dimidium saltem eorum Christo tribue, quæ illi saltatoribus tribuunt. Tantum saltem homini fame laboranti præbe, quantum illi, ambitione ducti, scenicis impertiunt. Illi etenim einædorum corpus infinito etiam auro conuestiunt: at tu ne tenui quidem veste Christi carnem obuoluis, idque cum nudam eam cernis. Quàm hoc venia dignum esse queat? quod non supplicij genus hoc meretur: cum ille in eam, quæ ipsi exitio atque infamiae est, tot munera conferat, tu contrà ne minimum quidem ei, qui te seruat clariorèmq; efficit? Verùm in ventrem quidem, ac temulentiam, & ganeam sumptus faciens nusquam paupertatis meministi: at cum subleuanda cuiuspiam paupertas est, quous egentior existis. Atque ita affectus es, vt parasitos & assentatores alens, perinde oblecteris, ac si è fontibus sumptus haurires: cum autem pauperem vspiam cernis, tum demum tibi paupertatis metus ingruat. Ob eam proinde causam, & à nobis ipsis, & ab aliis tandem condemnabimur, hoc est & ab iis qui virtutis officio functi sunt, & ab iis qui ab eo aberrarunt. Dicturus est enim tibi: *Quare in rebus honestis non perinde munificus ac liberalis extitisti*: verùm ille quidem, cum meretrici daret, nihil horum secum reputabat, tu verò Domino tribuens, qui te anxio & sollicito animo esse veuit, metu ac tremore totus concuteris? Et qua tandem venia dignus esse queas? Nam si homo acceptum beneficium non negligit, verùm gratiam rependit: multò vtiq; magis Christus gratiam relaturus est. Etenim qui ea benignitate est, vt, ne beneficio quidem villo accepto, largiatur, an nõ idem, cum acceperit, vicem relaturus est? Quid ergo, inquit, cum nonnullis res eò redierit, vt multis impensis factis aliorum ope atque auxilio opus habeant? Scitè profectò tu mihi eos commemoras, qui facultates omnes suas expenderunt, cum tu ne obolum quidem impertias. Pollicere prius te facturum, vt bona omnia tua effundas, & tunc de illis sanè percontare. Quantisper autem tenax ac præparcus es, atque è tuis facultatibus paucissima omnino tribuis, quid tu mihi prætextus istos, atque istas excusationes prætextendis? Neque enim te ad summum paupertatis verticem subuehimus: verùm vt superuacanea interim ac redundantia circuncidas, idque duntaxat, quod satis sit, expetas, postulamus. Id porro in eo situm est, vt ea

Luc. 21.

1. Reg. 17.

Egal. 143.

Mat. 4.

tibi suppetant, sine quibus traduci vita nequit. Ab his nemo te auellit, nec quotidianum victum prohibet: victum dico, non luxum: indumenta, non ornamenta. Quanquam enim, si quis rem accuratè expendat, luxus hoc maximè ac voluptas est. Sic enim confidera. Vtrum horum potiùs in deliciis versari dixerimus, eumne, qui oleribus vescitur, commodàque valetudine est, nec quicquam molestiæ patitur, an eum, qui Sybaritica mensa vitur, ac sexcentis morbis scatur? Liqueat profectò, quòd illum. Itaque ne quid amplius requiramus, siquidem & in luxu ac deliciis versari, & incolumi valetudine esse volumus: atque ea re sufficientiam desiniamus. Et qui folis leguminibus viuere, ac sanitatem tueri potest, nihil præterea requirat. Qui autem imbecilliore valetudine est, atque olerum medicina opus habet, ab ea ne arceatur. Quòd si quis hoc adhuc infirmior fuerit, ac modico carniū adiumento opus habeat, ne eo quidem ipsi interdicemus. Neque enim hæc eò suademus, vt homines opprimamus, ac de medio tollamus: sed vt superflua circuncidamus. Superfluum porro est, quod necessarium vsum excedit. Nam cum, hoc quoque remoto, sanè atque honestè vitam transigere possumus, superflue proculdubio adiungitur. Hoc & in vestibus, & in mensa, & in domo, & in omnibus aliis rebus consideremus: ac necessarium vsum vbique quæramus. Nam quod superfluum est, idem quoque inutile est. Cum tu diurnam operam dederis, vt mediocritate contentus sis, tum demum te, si viduam illam imitari in animum induxeris, ad ea, quæ his maiora & præstantiora sunt, subuehemus. Neque enim ad mulieris illius philosophiam adhuc peruenisti, quandiu id tibi curæ est, vt, quantum satis sit, habeas. Illa enim supra id quoque assurrexit, vt quæ cuncta ea, quibus alenda erat, in sacrum ærarium contulerit. Num tu igitur de necessariis adhuc hæsitabis? An non te pudet, à muliercula vinci, ac non modò illam imitando non assequi, sed ab ea permagno quoque intervallo à tergo relinqui? Nec enim illa his, quibus vos, verbis via est: Quid me futurum est, si in sumptis omnibus meis facultatibus eò redigar, vt aliorum auxilio opus habeam? verùm libenter ac magnificè bona sua exuit. Nam quid de ea veteris Testamenti vidua dicam, quæ Eliæ tempestate fuit? Illa etenim non in paupertatis tantum, sed etiam in mortis atque interitus periculum venerat, nec sui duntaxat, sed & filiorum. Neque etenim fore expectabat, vt ab aliis acciperet: sed vt quamprimum interiret. Verùm Prophetam vidit, inquit, atque hinc adducta est, vt liberalitate ac munificentia vteretur. Quid verò? An non innumeros sanctos cernitis? Et quid sanctos dico? Imò ipsum sanctorum Dominum stipem petentem videtis: ac ne sic quidem tamen beneficentiam induitis, verùm promptuaria habentes eruçantia ex hoc in illud, ne ex eo quidem, quod superfluit, impertitis. Quid ais? Præcens erat Propheta, idque eam impulit vt tantum liberalitatis specimen ederet? Id enim uero magna admiratione dignum est, quòd magnum atque eximium virum eum esse credidit. Quoniam enim modo non ea dixit, quæ barbaram & alienigenam mulierem cogitare consentaneum erat, nimirum, Si Propheta hic esset, haudquaquam opem meam desiderasset: si Dei amicus esset, haud eum ille neglexisset. Sit ita sanè, quòd Iudæi has scelerum pœnas luant: hic autem ecquam tandem ob causam in iisdem pœnis hæret? At nihil horum animo agitauit, verùm ædes suas ipsi, atque etiam ante ædes animum patefecit, suâque omnes facultates in medium posuit, missâque facta na-

Chrysof. tom. 4.

A tura, contemptisque liberis, hospitem omnibus rebus antetulit. Perpende itaque quod nobis supplicium constitueretur, cum muliere vidua, egente, alienigena, barbara, liberorum parente, horum, quæ nobis nota sunt, nihil cognitum habente, inferiores imbecilliorisque fuerimus. Neque enim si firmum ac robustum corpus habeamus, fortes proinde sumus. Etenim is demum hac virtute præditus est (iaceat licet in lecto) qui internis viribus pollet. Quibus demptis, etiam si alioqui tanto corporis robore quispiam præditus sit, vt vel montem auellere queat, haud tamen, illum puella, vel misera anu, firmiorem valetiorèmq; esse dixerim. Nam ille quidem cum incorporeis vitis configit: hic contrà ne contueri quidem ea audeat. Atque vt hanc fortitudinis normam esse intelligas, ab hoc ipso exemplo id colligas licet. Quid enim hac muliere fortius fingi possit, quæ & aduersus naturæ tyrannidem, & aduersus vim famis, ac mortis minas strenuo animo stetit, atque hæc omnia superauit? Audi quippe quemadmodum Christus eam commendat. Multa enim, inquit, erant viduæ in diebus Eliæ: & ad nullam harum missus est Propheta, præterquam ad illam. Dicam aliquid magnum ac pene ab humanis sensibus alienum. Ad hospitalitatis laudem illa plus attulit, quàm pater noster Abraham. Non enim ad gregem cucurrit, vt ille: verùm à pugillo illo omnes, qui hospitalitatis nomine clari ac celebres extiterunt, superauit. Ille enim idcirco vincebat, quòd hoc munus sibi ipse assumpsit: at hæc hospitis causa ne filiis quidem pepercit: Idque, cum futura bona ne in expectatione quidem haberet. Nos contrà, cum nobis regnum ostendatur, cum gehennæ minæ intenduntur, cum (quod omnibus maius est) Deus tot ac tanta pro nobis patrârit, atque his rebus gaudeat, languemus tamen atque animis consternamur. Minimè obsecro: verùm dispergamus, ac demus pauperibus, vt dare par est. Multum enim & paucum, Deus, non munerum quantitate, sed dantis facultate metitur. Ex quo fit, vt plærunque eo, qui obolum duntaxat pependit, minus tu pependerit, qui centum aureos stateres pependisti. Sed tamen ita saltem fac: & statim ad vberiore munificentiam venies. Sparge pecunias: vt iustitiam colligas. Neque enim ea cum pecuniis adesse vult: verùm per eas quidem, sed non cum iis nobis adest. Non enim fieri potest, vt & pecuniarum cupiditas & iustitia simul habitent. Distinctas quippe sedes habent. Quocirca ne ea iungere stude, quæ iungi nullo modo possunt: verùm pecuniæ amorem, velut tyrannum quandam, propelle & abige, siquidem tibi cordi est reginam accipere. Hæc enim regina est, homines ex seruitute in libertatem vindicans: cum contrà omnino illa faciat. Quæ cum ita sint, omni studio illam fugiamus, hanc amplectamur: vt & huiusce vitæ libertate fruamur, & regnum cœlorum consequamur, per gratiam & benignitatem Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XX.



VI autem administrat semen seminanti & panem ad vescendum, suppetiet: & multiplicet semen vestrum, & augetur satus frugum iustitiæ vestre. Pauli prudentiam hinc vel maximè quispiam admirari possit, quòd, quemadmodum & à spiritualibus & à carnalibus cohortationem duxit, ita etiam in mercede rursus idem facit, vtrasque nimirum vices constituens. Illud si-

Quis verò fortis sit.

Luc. 4.

Gen. 18.

Quomodo Deus eleemosynam poneret.

quidem, *Differit, dedit pauperibus, Iustitia eius manet in seculum*, ad spirituales mercedem spectat: hoc autem, *Multiplicet semen vestrum*, carnalem remunerationem. Nec tamen hic consistit: verum rursus adhuc ad spiritualia transit, perpetuo nempe ea inter se componens. Illud enim, *Augeat factus iustitie vestre*, spirituale est. Hoc autem varianda orationis causa facit, tum ut ignavas eorum & inertes animi agitationes radicitus euclat, tum ut paupertatis metum plurimis rationibus eximat, ac presenti etiam hoc exemplo. Nam cum iis, qui terram conferunt, det Deus, cum iis qui corpus alunt, vbertatem præbeat, multo utique magis iis, qui cælum excolunt, atque animi curam gerunt, quandoquidem in eam impensorem curam conferri vult. At verò id quidem argumentationis modo, atque ut dixi, minimè ponit: verum per voti ac precationis speciem id effert: sic tamen, ut simul & argumentationem perspicuam faciat, & magis eos in spem inducat, non ab iis tantummodo quæ fiunt, sed etiam ab huiusmodi precatione. *Suppeditet enim*, inquit, *& multiplicet semen vestrum, & augeat factus iustitie vestre*. In quibus verbis rursus liberalitatem ac munificentiam sine vlla suspitione significat (hoc enim indicant hæc verba, *Suppeditet & multiplicet*.) simulque non finit nos præter ea, quæ ad vitam tuendam necessaria sunt, quicquam exquirere, cum ait, *Panem ad vescendum*: Nam id quoque cumprimis in Paulo admirari licet, quod prius etiam iam astruxit, nempe quòd in rebus necessariis nihil ultra, quàm opus sit, nos exquirere finit: in spiritualibus autem nos admonet, ut ingentes opes & copias nobis comparemus. Ac proinde superius dicebat, *Vt sufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum*. Et hæc, *Qui ministrat panem ad vescendum, multiplicet semen vestrum*, hoc est spirituale. Neque enim eleemosynam duntaxat exigit, sed copiosam & affluentem. Quo fit, ut eam semen quoque assidue appetat. *Vt enim triticum constitum florentes segetes reddat: ita etiam eleemosyna ingentes iustitie manipulos efficit, atque ineffabilem segetem edit*. Posteaquam autem tantam ipsis vbertatem exoptavit, ostendit rursus vbinam ea impendi debeat, his verbis utens, *Vt in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, que operatur per nos gratiarum actionem Deo*. Non ut in ea, in quæ minimè decet, opes vestras insumatis, inquit, sed in ea, ex quibus plurima gratiarum actio ad Deum reddit. Magnas quippe res Deus arbitrij nostri effecit: ac minora sibi ipsi relinquens, maiora nobis concessit. Alimenti enim illius, quo corpus vititur, arbitrium ipse penes se esse voluit: spiritualis autem, nobis commisit. Hoc quippe in arbitrio nostro & potestate situm est, ut segetem nostram virentem exhibeamus. Neque enim ea imbres desiderat, partiumque anni temperiem: sed, voluntas modò adfit, etiam ad ipsum vsque cælum curret. Per simplicitatem porro hoc loco munificentiam intelligit: quæ quidem per nos efficit, ut gratiæ Deo habeantur. Neque enim hinc solum eleemosyna existit: sed etiam permultæ gratiarum actionis materia: nec solum gratiarum actionis, sed etiam multarum aliarum rerum, quas etiam ipsas orationis progressu ponit: ut cum illud demonstrarit, multa hinc emolumenta exoriri, promptiores atque alacriores ipsos reddat. Quænam igitur sunt multa hæc commoda? Audi ipsum loquentem: *Quoniam ministerium huius officij non solum supplet ea que desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, per probationem ministerij huius, glorificantes Deum in obedientia confessionis vestre in Evangelium Christi, & simplicitate communicationis vestre in illos & in omnes, & in illorum*

obsecratione pro vobis, desiderantium vos propter eminentem gratiam in vobis. Hæc autem verba hunc sensum habent: Primum sanctorum egestatem ac penuriam non modò expletis, sed etiam exundatis, hoc est, plus etiam, quàm necesse sit, ipsis impertitis. Deinde per eos laudem ad Deum mittitis. Ipsi enim gloriam ob confessionis vestre obedientiam prædicant. Ne enim eos ostendat hoc duntaxat nomine, quòd beneficiis affecti sint, gratias agere, vide quàm altos ac sublimes eos reddat: Quod enim in ea Epistola quam ad Philippenses scripsit, ait, *Non quia requiro datum, hoc ipsis quoque testimonio suo tribuit*. Nam gaudent illi quidem, inquit, quòd res eas, quarum inopia premuntur, ipsis subministratis, ac paupertatem eorum subleuetis: ceterum multo maiorem hoc illis voluptatem affert, quòd Evangelio ita vos submisistis. Cui rei hoc argumento est, quòd tam prolixè ac munificè tribuitis. Id enim Evangelium præscribit. *Et simplicitate communicationis vestre in illos, & in omnes*. Atque ob eam causam, inquit, Deum laudibus efferunt, quòd non erga eos duntaxat, sed etiam erga omnes tam liberales estis. Atque hoc rursus ad eorum laudem ac prædicationem spectat, nempe quòd pro iis quoque gratias Deo agant, quæ in alios conferuntur. Neque enim, quæ sua sunt, duntaxat quarunt: sed aliorum quoque commodis consulunt: Idque, cum in extrema paupertate versentur. Quod quidem magnæ eorum virtutis indicium est. Nihil enim perinde invidia æstuat, ut id hominum genus, quod egestate laborat. At illi hoc vitio vacant: tantumque ab eo absunt, ut ob vestra in alios beneficia disceruerentur, ut ex illis non minus voluptatis capiant, quàm ex iis, quibus ipsi afficiuntur. *Et ipsorum obsecratione pro vobis*. Nam pro illis quidem, inquit, gratias Deo agunt: pro vestra autem charitate, atque congressu cum rogant & obsecrant, ut vestro conspectu sibi frui liceat. Hoc enim non ob vestras opes expetunt: sed ut gratiam vobis diuino munere concessam oculis vsurpent. Videtne Pauli prudentiam? quem admodum videlicet eorum virtutem efferens, laudem omnem Deo ascripserit, cum gratiæ vocabulo hanc rem appellauit. Posteaquam enim magna & præclara de ipsis locutus est, ministros nuncupans, ac summis laudibus ipsos in cælum euexit (ut qui in pauperum commoda sumptus facerent, cum ipse tantum operam suam ipsis commodaret) probosque & minimè adulteros eos appellauit, ostendit Deum harum omnium rerum authorem esse: atque ipse rursus vnà cum ipsis Deo in hæc verba gratias agit, *Gratias autem Deo super inenarrabili dono eius*. Per donum hoc loco tot actanta illa bona intelligit, quæ, tam iis, qui accipiunt, quàm qui dant, per eleemosynam comparantur: vel arcana illa & omni sermone præstantiora bona, quæ per ipsius præsentiam orbi terrarum vniuerso amplissimè copiosissimèque tributa sunt. Id quod etiam magis conicere licet. Ob id enim diuinitus accepta beneficia ipsis in memoriam redigit, ut & animos eorum ab omni fastu coerceret, & munificentiores eos efficiat. Hoc quippe ad virtutum omnium incitamentum maximam vim habet: ac proinde ad concludendam orationem adhibuit. Quòd si Dei beneficium tale est, ut nullis verbis explicari possit, ecquid tandem eorum furori atque amentia par esse queat, qui in peruestiganda ipsius essentia curiosè versantur? Nec verò ipsius duntaxat beneficium facultatem omnem sermonis excedit: sed etiam pax ea, per quam supera cum inferis reconciliauit, omnem mentis agitationem superat.

QUAMOBREM operam demus, ut, cum tanta gratia fruamur, parem vitæ probitatem præstemus, magnamque eleemosynæ curam geramus. Geremus autem, si id, quod modum excedit, fugiamus, si temulentiam, si ingluuiem. Nam & esculenta & poculenta nobis à Deo idcirco data sunt, non ut his vltra modum ingurgitemur, sed ut aliamur. Neque enim vinum est, quod temulentiam gignit: si enim ita se res haberet, omnes temulentos esse necesse esset. At, inquis, an non ita conditum esse poterat, ut ne largius quidem haustum noceret? Ebriorum hæc verba sunt. Nam cum largius adhibere non ceoat, ac ne sic quidem tamen ab immodico potu abstineas, cum hoc adeo scædum & noxium sit, ac ne sic quidem improbæ cupiditati finem imponas, si liceret & multo mero uti, & nullo hinc detrimento affici, quoniam tandem modo improbam bibendi auiditatem compressisses? An non flumina quoque in vinum verti cupisses? an non omnibus rebus pestem atque exitium attulisses? Si alimenti certa mensura est, quam cum excedimus, valetudinem lædimus, ac ne sic quidem frangere pati potes, verum eo perupto omnes omnium facultates accipis, ut improbæ huic gulæ tyrannidi administram operam præstes, quid non fecisses, si modus hic à natura constitutus sublatus esset? An non vniuersum vitæ tempus in hoc impendisses? Num igitur oportebat cupiditatem adeo absurdam ac præposteram confirmare, atque perniciem ex immoderatione nascentem minimè coercere? Et quot tandem hinc alia incommoda minimè procreata fuissent? Verum, o væcordes homines! qui cum in crapula reliquisque luxuriæ generibus, tanquam in ceno volutentur, si paulum resipuerint, nihil aliud sedentes faciunt, quàm ut his verbis vtantur, *Ecquid hoc in hanc rem insumitur? cum contra peccata ipsi sua accusare debeant*. Nam pro eo quod ais, *Quare Deus certos fines constituit? quare non omnia temere feruntur? ita loquere: Quare ebrietati studere non definimus? quare vino non satiamur? quare animantes rationis expertes stoliditate atque amentia superamus? Hæc enim eos inter se querere conueniebat, atque Apostolicam vocem audire, perspectumque habere quotnam his viris bona ex eleemosyna oriri Paulus testetur, atque hunc thesaurum præripere. Hoc enim, nempe pecunias aspernari, probos, ut ab eo dictum est, homines reddidit: & ut Dei gloria celebretur, efficit: & charitatem inflammat: & magnitudinem animi gignit: & sacerdotes constituit, & quidem eiusmodi sacerdotio fungentes, quod ingentem mercedem afferat. Nam qui eleemosynæ studio est, non ille quidem talari veste indutus est, nec tintinnabula circumfert, nec corona redimitus est: verum humanitatis ac beneficentiæ stola, quæ sacram illam vestem sanctitate superat, conuestitus est, oleoque delibutus, non ex materia, quæ in sensum cadat, sed à Spiritu effecto. Ad hæc coronam à commiseratione contextam habet (ait enim Scriptura, *Qui coronat te in misericordia & miserationibus*) ac pro lamina Dei nomen gestat, imò Dei similitudinem assequitur. Quidni? cum Christus dicat, *Similes eritis Patri vestro qui in cælis est*. Visne etiam ipsius altare intueri? Non illud Beseleel, non vllus artifex alius extruxit, sed Deus ipse: non ex lapidibus, sed ex materia cælo illustriore, hoc est ex animis ratione præditis. At dices: *In sancta sanctorum ingreditur sacerdos*. Licet enim uero tibi, hoc sacrificij munus obeunti, in adyta magis tremenda ingredi, in quibus nemo mortalium adest, sed pater tuus, qui te in abscondito videt: *In quibus ne-**

Phil. 102.

Matt. 5.

Ibid. 6.

Amo quicquam aliud cernit. Quoniam autem modo, inquit, fieri potest, ut nihil in oculos incurrat, cum propalam fixum sit altare? Hoc enim est quod admirationem mouet. Quoniam tum quidem, & portæ vndique, & vela solitudinem efficiebant: nunc verò palam rem sacram facienti, non minus quàm in sanctis sanctorum, atque adeò multo tectius, maiorèque cum animi horrore hoc facere licet. Nam cum non humanæ laudis aucupandæ causa hoc facis, viderit licet vniuersus terrarum orbis, nullus vidit, quando ita fecisti. Neque enim hoc tantummodo dixit Christus, *Ne faciatis iustitiam vestram coram hominibus: sed adiecit, Vt videamini ab eis*. Hæc ara ex ipsis Christi membris constat: ac Domini corpus altare tibi efficitur. Hoc ipsum verere. In carne victimam Domini immolas. Hoc altare presenti quoque altari augustius est, magisque tremendum, nedum veteri illo. (quæso vos ne tumultum excitetis.) Hoc enim, quo nunc vtimur, eximium quidem atque admirandum est ob eam victimam, quæ in ipso imponitur: illud autem, hoc est, hominis misericordiæ studiosi, non hoc duntaxat nomine, sed etiam quia ex ipsa quoque victima, quæ hoc efficit, constructum est, admirationem habet. Rursus hoc altare, natura quidem lapis est, sanctum autem efficitur, postquam Christi corpus excipit: illud verò, quia Christi corpus est. Itaque hoc horribilius est quàm illud, cui tu laicus astas. Ecquid iam tibi Aaron videtur, si cum his rebus confertur? Ecquid corona? Ecquid tintinnabula? Ecquid sancta sanctorum? Nam quid iam vetus illud altare ad comparisonem afferre necesse est, cum etiam cum hoc nostro collatum, adeò insigne ac splendidum apparuerit? At tu, altare quidem illud in honore habes, quia Christi corpus capit, cum autem, qui ipsummet Christi corpus est, contumelia afficis, ac pereuntem despicias. Hoc altare, quoquo te vertas, & in vicis, & in foro situm videre poteris, singulisque horis in eo rem sacram fieri. Nam hic quoque sacrificium obitur. Et quemadmodum stat sacerdos, Spiritum accersens: ita tu quoque Spiritum accersis, non quidem voce, sed rebus ipsis. Neque enim quicquam est, quod perinde Spiritus ignem retineat atque accendat, ut oleum istud, minimè parca manu effusum. Quòd si id etià scire expetis, quidnam tandem fiant, quæ abs te feruntur, ad eisdem, & ea tibi commonstrabo. Quisnam igitur huius altaris fumus est? quænam fragrantia? Gloria, & gratiarum actio. Quoniam vsque progreditur? Ad cælum vsque? Imò verò ipsum cælum exuperat, & cælum cæli: atque regio ipsi throno astat. Preces enim tuæ, inquit, & eleemosynæ ascenderunt in conspectum Dei. Atque ea odoris suauitas, quæ in sensum cadit, ne magnam quidem æeris portionem interfecat: hæc autem ipsos etiam cælorum fornices referat. Ac licet ipse taceas, res tamen ipsa clamat: fitque sacrificium laudis, non vitula iugulata, nec pelle cremata, sed spiritali anima, quæ sua sunt, afferente. Omni enim humanitatis genere sacrificium istud est præstantius. Quocirca cum pauperem fide præditum cernis, ita existima, te altare videre. Cum huiusmodi pauperem conspicias, non modo eum contumelia ne affice, sed etiam verere. Quòd si alterum contumeliam ipsi inferentem videas, prohibe atque iniuriam propulsa. Sic enim poteris & ipse benignum & placidum Deum habere, ac promissa bona consequi, quæ vti nam nobis omnibus consequi detur, per gratiam & benignitatem Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Nota.

Chr. altare in honore sit.

Aa. 10.

CAP. X.



I P S E autem ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem & modestiam Christi, qui in facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis. Rogo autem vos ne praesens audeam per eam confidentiam, qua existimor audere in quosdam, qui arbitrantur nos, tanquam secundum carnem ambulemus. Posteaquam institutum de eleemosyna sermonem, vt oportebat, absoluit, ostenditque plus eos a se amari, quam ab ipsis ametur, atque insuper de patientia sua & tentationibus verba fecit, tempestiue iam ad obiurgatoriam orationem se confert, pscudapostolos perstringens, atque ad ea quae inuidiosiora erant, sermonem concludens, ac seipsum commendans. Nam hoc quoque tota passim epistola facit: Idque etiam sentiens, plarumque se ipse corrigit, his verbis vtens, Num iterum nos ipsos commendamus? Atque vltius progrediens, Non rursus nos ipsos commendamus: sed occasionem damus vobis gloriandi. Et rursus: Insuper factus sum gloriando: vos me coegistis. Ac multas huiusmodi correctiones adhibuit. Nec vero quispiam aberrabit, qui hanc epistolam Pauli encomium appellarit: adeo copiose, & quae diuinæ gratiae sunt, & quae ad ipsius patientiam attinent, describit. Quoniam enim nonnulli erant, qui magnifice de se sentirent, ac se ipsos Paulo anteferrent, eumque vt vanum & arrogantem, vt nullius pretij hominem, vt nihil fani docentem, traducerent (nam hoc corrupti eorum animi vel maximum erat indicium) vide quem admodum eos obiurgare incipiat. Ipse autem ego Paulus. Vides qua acerbitas, qua autoritate loquatur. Hoc enim perinde est ac si diceret: Obsecro vos, ne me cogatis, ac mea aduersus eos, qui me parui pendunt, & carnalem hominem esse existimant, potentia vti sinatis. Hoc porro minis illis acerbis amarulentiisque est, quas in priore ad eos epistola his verbis intentabar, In virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu lenitatis? Nunc autem, quasi non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. Veniam autem & cognoscam, non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem. Vtrumque etenim hoc loco ostendit, nimirum & potentiam, & lenitatem ac patientiam, vt qui tam obnoxius verbis, tamque accuratè roget atque obsecret, vt ne ad vtriusque suae potentiae demonstrationem venire necesse habeat, eosque ferire ac supplicio afficere, poenaeque ab iis extremas experere. Hoc enim his verbis subindicauit, *Rogo autem vos ne praesens audeam per eam confidentiam, qua existimor audere in quosdam qui arbitrantur nos, quasi secundum hominem ambulemus.* Verum enimvero ad id, quod in initio positum est, sermonem conferamus. Ipse autem ego Paulus. Magna in his verbis emphasis, magna grauitas inest, quemadmodum enim alio loco ait, Ecce ego Paulus dico vobis: & rursus, Vt Paulus senex: & rursus alio loco, Ipsa enim astitit multis, & mihi ipsi: eodem modo hic quoque ait, *Ipse autem ego Paulus.* Atque illud quidem magni aestimandum est, quod ipse roget atque obsecret: ceterum alterum hoc maius, quod adiunxit, dicens, *Per clementiam & benignitatem Christi.* Quoniam enim magnum ipsis pudorem inuolueret studet, clementiam ac mansuetudinem protendit: hac nimirum ratione obnoxius supplicans, perinde ac si diceret: Ipsam Christi mansuetudinem, per quam vos rogo atque obsecro, vereamini. Hoc autem eam quoque ob causam dicebat, vt illud planum faceret, se, quamlibet ab illis in eam necessitatem adigeretur,

Supr. 3. Ibid. 5.

Infr. 12.

I. Cor. 4.

Gal. 5. 2. Tim. 4.

Rom. 1. 6.

A vt eos asperius adhiberet, tamen ad lenitatem propensorem esse: ob idque eorum flagitia minimè vindicare, quod facilitate ac clementia praeditus esset, non autem quod parum virium haberet, quandoquidem ad hunc etiam modum Christus faciebat. *Qui in facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis.* Quidnam his verbis vult Paulus? Vel ironice loquitur, eorum verba vsurpans. Hoc enim illi dicebant, quod cum praesens ipse esset, nullius omnino pretij homunculus, sed vilis ac despicibilis esset: cum autem abesset, tum demum intumesceret, ac magnifice loqueretur, ipsosque vexaret ac minis insectaretur. Hoc quippe per haec verba, quae sequuntur, subindicat, *Quoniam, inquit, epistole graues sunt, praesentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis.* Ergo vel per ironiam inquit, magnam asperitatem declarans, ac dicens, Ego ille, coram humilis, ego ille vilis, vt ipsi aiunt, cum autem absens, sublimis & excelsus: vel certe hoc vult, se, quamuis magnifice ac sublimiter loquatur, non ex arrogantia hoc facere, sed quod eorum fiducia niteretur. *Rogo autem vos ne praesens audeam hac confidentia, qua existimor audere in quosdam, qui nos arbitrantur, quasi secundum hominem ambulemus.* Vides quanta sit haec stomachatio? quamque his verbis eos perspicue arguat? Rogo enim vos, inquit, ne in eam necessitatem me adducatis, vt ostendere cogar, quod praesens quoque viribus ac potentia polleam. Quoniam enim propterea quod absens magna aduersum vos audacia vtor atque efferor, his verbis vsus sum, idcirco obsecro ne mihi hanc necessitatem afferatis, vt potentia mea vtar. Hoc enim significat, cum ait, *ea confidentia.* Nec dixit, qua paratus sum, sed, *qua existimor.* Necdum enim mihi hoc constitutum est: verum ipsi quidem causam atque occasionem praebent: at ego tamen ne sic quidem hoc facere in animum induco. Atqui, non vt suas ipse iniurias videretur, hoc faciebat, sed vt Euangelium tueretur. Quod si, vbi praedicationis Euangelicae causata erant, minimè acerbum se praebet, verum tergiuersatur ac moras necit, rogatque ne tanta sibi necessitas inferatur: multo vtiq; minus in suis iniuriis propulsandis quicquam huiusmodi fecisset. Hoc igitur, inquit, mihi indulgete, vt ne necesse habeam ostendere quod coram etiam, aduersus quos par sit, animi fiducia vti queam, hoc est eos punire ac supplicio afficere. Videtne quam ab omni gloria studio alienus esset, nec ostentationis causa quicquam efficeret: vt qui, tum etiam, cum necesse esset, audaciam tamen id appellaret. Rogo enim, inquit, ne praesens audeam ea confidentia, qua existimor audere in quosdam. Hoc enim cum primis ex magistri officio est, non confestim poenas sumere, sed corrigere, atque in inferendis suppliciis cunctantem ac tardum esse. Quosnam porro eos intelligit, quibus comminatur? **D** Eos videlicet, qui de nobis ita existimant, tanquam secundum hominem ambulemus. Nam cum illi, vt hypocritam, vt improbum atque arrogantem insinulabant. *In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus.* Hic iam eos figurata voce terret. Carnem enim gerimus, inquit, non id inficior: verum carni minimè viuimus. Imò vero ne hoc quidem dixit, sed aliquantisper reseruauit, quod ad vitae laudem commendationemque pertineret: ac prius de praedicatione differit, ostendens eam minimè humanam esse, nec inferiore ope indigere. Quocirca non dixit, Non iuxta carnem viuimus, sed, *non secundum carnem militamus:* hoc est, bellum quidem ac dimicationem suscepimus: at carnalibus armis mini-

Infr. 11.

mè decertamus, nec humanis auxiliis nos tuemur. *Arma enim nostra non sunt carnalia.* Quenam enim arma carnalia sunt? Opes, gloria principatus, facundia, vis dicendi, concursationes, assentationes, simulationes, aliaque eiusmodi. At nostra arma haudquaquam talia sunt. Qualia ergo? *Potentia Deo.* Nec dixit, Nos haud carnales fumus, sed, *arma nostra.* Nam, vt iam dixi, de praedicatione verba prius facit, potentiamque vniuersam Deo ascribit. Nec dixit, spiritalia (quanquam hoc vocabulum adhibendum esset, vt carnalibus opponeretur) sed *potentia:* per hoc nimirum, illud quoque significans, atque ostendens, quod illorum arma infirma & imbecilla sint. Atque animaduerte quam ipse fastus omnis sit expers. Non enim dixit, nos potentes sumus, sed, *arma nostra Deo potentia sunt.* Non nos ea talia credidimus: sed Deus ipse. Quoniam enim ipsi flagris caedebantur, & exagitabantur, atque innumeris & atrocissimis incommodis premebantur, quae quidem imbecillitatis argumentum erant, idcirco Dei potentiam ostendens, ait, *sed Deo potentia sunt.* Nam hoc in primis ipsius vim ac potentiam indicat, quod per huiusmodi arma victoriam adipiscatur. Itaque tametsi nos haec gestemus: at ipse tamen est, qui per ea dimicat, & operatur. Postea horum quoque armorum longum encomium texit, dicens, *Ad destructionem munitionum.* Ac ne munitionis audito nomine, quicquam, quod sub sensum cadat, cogites, ait, *consilia destruentes:* per figuratum loquendi genus emphasim indicans: per id autem quod subiunxit, spiritale hoc bellum esse declarans. Munitiones enim istae, non corpora, sed animos obsident. Quare illis firmiores sunt: ob idque maioribus etiam armis opus habent. Munitionum porro vocabulo Gentilium factum intelligit, captiuiumque dialecticarum atque argumentationum vim. *Consilia destruentes, atque omnem alitudinem extolentem se aduersus scientiam Dei.* Persistit in metaphora, vt significantius sese exprimat. Quauis enim munimenta sint, inquit, quauis turres, atque aliud quiduis: his tamen armis cedunt. *Et captiuantes omnem intellectum in obsequium Christi.* Atqui incommodam significationem habet captiuitatis vocabulum. Est enim libertatis euersio. Quid igitur afferri potest, cur hac voce vsus sit? Nimirum iuxta alteram significationem eam vsurpat. Captiuitatis enim nomen duplicem significationem habet, nempe & vi captum esse, atque ita expugnatum, vt iam nulla resurgendi facultas sit. Itaque posterioris huius significationis ratione hoc vocabulum vsurpauit. Vt enim, cum ait, *Alias Ecclesias expoliavi, his verbis hoc vult intelligi, se non furtim atque occultè accepisse, sed quod prorsus eas spoliari, atque omnia acceperit: sic etiam hoc loco cum ait, In captiuitatem redigentes.* Neque enim accipiti Marte pugnabat Paulus: verum nullo negotio victoriam obtinebat. Ob eamque causam non vincimus tantum ac superiores existimus, dixit, sed, *In captiuitatem redigimus: quemadmodum scilicet superius etiam non dixit, Tormenta propugnaculis admouemus, sed, munitiones destruimus: armis quippe, inquit, longè eos antecellimus.* Non enim verbis pugnamus: sed rebus aduersus verba: non in carnali sapientia, sed in spiritu mansuetudinis ac potentia. Quoniam ergo modo gloriaturus eram, ac per sermonem iactaturus, & per epistolas comminaturus (quemadmodum illi eum criminabantur, dicentes, epistolae quidem graues) cum vis nostra in his minimè sita esset? Posteaquam autem dixit, *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi,* quia captiuitatis nomen durius erat, tropum hunc confestim dissoluit, his verbis vtens, *In obsequium Christi*

Chrysof. rom. 4.

A ssi, à seruitute in libertatem, à morte ad vitam, ab exitio ad salutem. Neque enim eò tantum venimus, vt aduersarios sternamus: sed vt eos ad veritatem transferamus. *Et in promptu habentes vlisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia.* Hoc loco non illos tantum, sed & hos quoque metu concutit. Vos enim, inquit, expectamus, vt posteaquam nostris admonitionibus ac minis correcti ac repurgati, atque ab eorum societate abducti fueritis, tum demum illis, qui incurabili morbo laborant, solis relictis, supplicium inferamus, cum vos prorsus ab ipsis abscesseritis. Nam obeditis quidem nunc quoque: verum haud plenè atque integrè. Atqui, inquit, si hoc nunc fecisses, maius commodum consecutus fuisses. Minimè verò. Si enim nunc hoc fecissem, vos quoque eodem supplicio inuoluissem. At (fortasse dicere perges) eos quidem poena afficere oportebat, nobis autem parcere. Verum si percissem, gratia ductus id facere visus fuissem. Nunc vero id minimè volo: sed prius vos corrigere, atque ita demum ad puniendos illos me conferre. Quid visceribus illis mitius leniusque fingi possit? quippe qui suos alienis permixtos cernens, plagam quidem inferre vult, ceterum se cohibet, atque indignationem tantisper reprimit, quoad illi secesserint, vt hos solos feriat, vel potius vt ne hos quidem. Ob id enim his minatur, atque se illos tantummodo recuperare cupere, vt & isti quoque correcti ad meliorem frugem migrent, nec in quenquam iram effundat. Vt enim praestantissimus medicus, & pater communis, & patronus ac procurator, ita omnia agebat, ita omnium commodis consulebat, impedimenta submouens, pestiferos homines coercens, vndique cursitans. Neque enim pugnando negotia ad hunc modum conficiebat: sed vt ad paratam promptamque victoriam pergens, trophæum statuebat, diaboli propugnacula, daemónumque machinas diruens, demoliens, ac solo æquans: atque mortales prorsus omnes ad Christi castra traducebat, ac ne tantillum quidem temporis ad resumendos spiritus sibi concedebat, ab his ad illos, ab illis rursus ad alios transficiens, non secus atque praclarissimus quispiam imperator, quouis die, vel, vt rectius loquar, quouis hora, trophæum erigens. Cum vnica enim tunica in aciem ingressus, hostium vrbes vnà cum ciuibus capiebat: arcuumque & hastarum, & telorum, ac denique omnium rerum instar erat Pauli lingua. Loquebatur enim ille tantummodo: & protinus ipsius verba quouis igne acrius ac vehementius in hostes labebatur: ac daemones quidem abiebat, homines autem ab ipsis correptos ac detentos ad se reducebat. Etenim cum malum illum daemone ciecit, praestigatorum hominum quinquaginta millia confluxerunt, librisque magicis exustis ad veritatem sese transfulerunt. Et quemadmodum in bello collapsa aliqua turri, aut prostrato tyranno, omnes, qui ab ipso stabant, abiectis armis ad hostium imperatorem accurrunt, ad eundem modum tunc quoque accidit. Pulsus enim daemone, omnes ij, qui obfessi tenebantur, abiectis, vel potius deletis libris suis, ad Pauli pedes confugerunt. At ille aduersus vniuersum terrarum orbem, non secus atque aduersus exercitum vnum, aciem instruens, nusquam consistebat, verum, perinde ac pennis quibusdam praeditus, omnia faciebat: ac nunc claudum erigebat, nunc mortuum ad vitam reuocabat, nunc alterum, hoc est magum illum oculorum caligine multabat, ac ne in vincula quidem coniectus quiescebat, verum illic quoque carceris custodem ad suas partes pertrahebat, praclarum nimirum hoc captiuitatis genus efficiens.

Simile.

A. 19. Labi videtur memoria hoc loco.

A. 14. & 20. & 13. & 16.

In eos qui Pauli lectione abutuntur.

HUNC igitur nos quoque pro viribus imitemur. Quid autem dico, pro viribus? Licet enim cuius ad eum propius accedere, cuiusque dimicandi præstantiam intueri, ac fortitudinem imitari. Adhuc enim etiam hoc facit, consilia destruens, atque omnem altitudinem sese extollentem aduersus scientiam Dei. & quidem eum plerique hæretici conscindere ac truncare aggressi sunt: at ipse tamen etiam diuulsus atque in membra distractus, ingentis roboris specimen edit. Siquidem & Marcion, & Manichæus eo vsi sunt, verum concisæ ac truncatim. At sic tamen etiam à partibus confutantur. Nam & manus sola fortissimi huius viri, cum apud ipsos est, per facile eos fundit ac fugat: & pes solus, cum apud alios est, eos insectatur, ac deiicit, vt ex eo tibi potentia ipsius magnitudinem ac præstantiam intelligere liceat, quippe qui etiam carne vndique concisus cunctos tamen hostes subigere atque expugnare posset. Atqui peruersitatis hoc argumentum est, inquit, quod hi omnes eo vtantur, qui inter se configunt. Peruersitatis quidem hoc sanè: non tamen Pauli, absit, sed eorum, qui eo abutuntur. Nam quod ad eum attinet, non vaser quisquam ac varius erat, sed simplex & perspicuus: at isti verba ipsius ad suam sententiam detorserunt. Sed cur ita locutus est, inquit, vt aniam volentibus daret? Non dedit ipse: sed eorum amentia, qui ipsius verbis, haudquaquam, vt par erat, vsi sunt. Quandoquidem & totus hic mundus, ingens quidem & præclarus est, diuinæque sapientia argumentum, & cæli Dei gloriam enarrant, & dies dei cruciat verbum, & nox nocti indicat scientiam: & tamen plerisque ad hunc offendere contigit. Partim enim adeò immodicè, ac supra quàm æquum esset, eum admirati sunt, vt Deum esse arbitrarentur: partim rursus in tanta pulchritudinis ipsius ignoratione versati sunt, vt indignus ipsis videretur, qui Deum authorem haberet, magnaque proinde ex parte perniciosæ cuiusdam materiae assignaretur. Atqui Deus vtrosque communierat, eo nimirum ita condito, vt & magnitudine ac pulchritudine præditus esset, ne ab ipsius sapientia alienus esse censeretur, & rursus aliena ope indigeret, nec sibi ipsi sufficere posset, ne eum quisquã Deum esse suspicaretur. Et tamè ipsi à rationibus suis cæcati, in contrarias opiniones inciderunt, scèque mutuo confutantes & accusantes, diuinamque sapientiam, per eas ipsas rationes, quibus in errorem inducti sunt, ab omni culpa & reprehensione vindicantes. Quid autem Solem, quid cælum commemoro? Iudæi tot miracula præ oculis patrari conspexerant: & statim vitulum adorarunt. Rursus Christum dæmones è corporibus pellentem videbant: & dæmoniæ cum vocabant. Atqui non propterea is culpandus erat, qui dæmones depellebat: sed ij, qui mentis oculis capti erant, in crimen vocandi. Proinde ne tu quoque Paulum ob eorum mentem atque sententiam, qui ipsius verbis abusi sunt, reprehende: quin potiùs da operam, vt ipsius thesaurum probè intelligas, opesque explices. Ita fiet, vt ipsius armis septus & munitus aduersus omnes fortiter ac strenuè dimices: Ita fiet, vt, & Gentilibus, & Iudæis ora obstruere queas. Qui autem istud, inquit, cum illi fidem ipsi minimè arrogant? Per ea, quæ ipsius opera contigerunt: per eam correctionem, quam toto terrarum orbe adhibuit. Neque enim humanæ facultatis erat, tot tantaque perficere: verum Crucifixi vis eum afflans, talem effecit, atque & oratoribus, & philoso-

Plal. 18.

Exod. 32.

Ioan. 8.

Aphis, & tyrannis, & regibus, & quibusvis aliis valentiorum reddidit. Ille enim non modò arma induere, & aduersarios ferire ac prostrernere poterat: sed alios quoque tales efficere. Quocirca vt & nobis ipsis, & aliis vsui esse possimus, ipsum in manibus semper habeamus, atque in ipsius scriptis, tanquam in amceno prato atque horto summa cum animi voluptate versetur. Sic enim, & à vitio nos abstrahere, & virtutem amplecti, & promissa bona consequi poterimus: per gratiam & benignitatem Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA XXII.



VÆ secundum faciem sunt, videtis. Si quis sibi confidit, Christi se esse, hoc cogitet iterum apud se, quia sicut ipse Christi est, ita & nos. Cum multis aliis nominibus Paulum quispiam suspicere atque admirari possit, tum hoc potissimum, quod cum in maximam necessitatem inciderit seipsum extollendi, vtrunque assequitur, nempe vt & hoc faciat, & tamen ex suarum laudum prædicatione nullam inuidiam sibi conflet. Id quod etiam in Epistola ad Galatas maximè perspicere licet. Etenim illic quoque in eiusmodi argumentum delapsus, vtrunque horum curat. Id quod perdifficile sanè est, magnamque prudentiam requirit. Nam & modestiam tenet, & magnificum quiddam de se prædicat. Ac velim consideres, quoniam pacto hoc quoque loco magnificè id faciat. *Quæ secundum faciem sunt videtis.* Perspice quanam hic etiam prudètia vtatur. Postquam enim in eos, à quibus in fraudem inducti fuerant inuectus est, non in illis orationem fixit atque compressit, verum ab iis ad hos quoque transiit. Atque assiduè hanc rationem tenet. Neque enim impostores tantum, sed eos etiam, quibus fucus factus est, insectatur. Nam si eos à reprehensione immunes abire permisisset, non ita facile ex ea oratione, quæ in alios coniecta fuisset, ad meliorem mentem rediissent: quin potiùs admodum sese, tanquam his criminibus minimè affines, animis extulissent. Ob eam causam hos quoque perstringit. Nec verò hoc tantum nomine sese admirandum Paulus præbet: sed & hoc etiam, quod congruentem vtriusque obiurgationem adhibet. Audi quippe quid his dicat: *Quæ secundum faciem sunt videtis.* Non leue hoc erimen est: verum eorum hominum, qui per facile decipi, ac circumscribi possint. Quasi diceret, Ab his, quæ externè patènt, homines probatis & expenditis, à carnalibus, à corporeis. Quid est, ab iis quæ externè patent? Si quis opibus circumfluit, si quis animo intumescit, si quis adulatorum gregibus stipatus est, si quis magna de se prædicat, si quis inanis gloria studio ducitur, si quis virtutem, qua caret, ementitur. Hoc enim hæc verba significat, *Quæ secundum faciem sunt, videtis.* Si quis confidit sibi se Christi esse, hoc cogitet iterum apud se, quod sicut ipse Christi est, ita & nos sumus. Neque enim in initio acer ac vehemèns esse vult: verum sensim orationem auget atque amplificat. Ac vide quatum alperitatis in his verbis subsit. Hæc enim verba, *apud se, eandem significationem habent, ac si diceret, Non expectet, dum à nobis id discat, hoc est ex nostra aduersus eum obiurgatione: verum ex seipso id consideret, quod quemadmodum ipse Christi est, ita & nos.* Non quia ita esset Christi, vt ille: verum, Sicut ipse Christi est, ita & ego Christi. Atque hac ratione inter nos est societas. Non enim ipse Christi est, ego alterius cuiuspiam. Postquam autem hoc, quod æquè vterque habebat, posuit, addit id quoque, quo alterum antecellebat.

Nam

Nam etsi amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Deus in edificationem, & non in destructionem vestram, non erubescam. Quoniam enim magnum aliquid de se dicere parabat, vide quemadmodum id præmolliat. Neque enim quicquam permultos auditores perinde offendit, vt cum quis seipsum laudat. Quocirca, vt inuidia occurrat, ait, *Etsi amplius aliquid gloriatus fuero.* Nec verò dixit, Si quis confidit sibi se Christi esse, hoc secum reputet quod longo à nobis interuallo distat: ego enim magnam ab eo auctoritatem ac potentiam habeo, vt quos voluero pœna ac morte afficiam. Sed quid? *Nam etsi amplius quiddam.* Atqui nulla oratione exprimi poterat, quanta potentia polleat. Verum eam verbis contrahit. Nec rursus dixit, *Glorior, sed, si gloriatus fuero, si ita voluntas tulerit: sic nimirum & modestia vtens, & præstantiam suam ostendens.* Si igitur gloriatus fuero, inquit, de potestate, quam mihi dedit Dominus. Rursum totum ipsi ascribit: & commune facit donum, ad edificationem, non ad destructionem. Vides quo pacto rursus inuidiam eam, quam ipsi laudum suarum prædicatio conflare poterat, mitiget, auditorumque sibi conciliet, vsum eum videlicet commemorans, ob quem hanc potentiam acceperit. Quoniam igitur modo ait, *Consilia destruentes?* Quoniam hoc ipsum præsertim ædificationis genus est, nempe impedimenta de medio tollere, & quæ ægra & corrupta sunt refutare, ac vera compingere. Ad edificationem. Ergo ad hoc potentiam accepimus, vt ædificemus. Quod si quis obluetetur, ac dimicet, atque ita affectus sit, vt nulla ratione sanari possit, tum demum altera quoque facultate vtetur, eum diruentes ac prostrernentes. Vnde etiam ait, *Non erubescam:* hoc est non mendax nec vanus reperiar. *Vt autem non existimer tanquam terrere vos per epistolas (quoniam quidem epistole, inquit, graues sunt, & fortes, presentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis) hoc cogitet, qui talis est, quod quales sumus per epistolas absentes, tales & presentes in factis.* Quod perinde est ac si diceret: Poteram quidem gloriari: verum ne rursus eadem mihi obiiciant, hoc est quod per litteras me iactem, cum coram abiectus & despiciabilis sim, nihil amplum dicam. Et quidem postea dixit: Verum non de hac potentia, per quam terrori erat, sed de reuelationibus, maiorèque etiam ex parte de tentationibus. Itaque ne vos duntaxat metu afficere videar, hoc cogitet, qui eiusmodi est, quod quales sumus per epistolas absentes, tales & presentes in factis. Quoniam enim hoc dicebat, quod magna quidem per litteras commemoraret, cæterum præsens nullius pretij esset, ob eam causam his verbis vtitur, isque rursus parè ac modestè. Non enim dixit, Vt magna scribimus, ita magna quoque presentes gerimus: sed demissiùs locutus est. Nam cum illos quidem alloqueretur, non sine acrimonia hoc collocauit, inquit, Rogo autem vos, ne præsens audeam ea confidentia, qua existimor audere in quosdam: cum autem ad hos verba facit, submissiùs agit: ob idque ait, Quales sumus presentes, tales & absentes, hoc est humiles, compositi, nusquam nosipfos iactantes. Idque liquet ex his quæ sequuntur. *Non enim audeamus inserere aut comparare nos quibusdam, qui seipso commendant.* Hoc loco illos, & arrogantia morbo laborare, & magna de seipsis loqui ostendit: eosque, vt seipso commendantes, perstringit. At nos, inquit, nihil eiusmodi facimus: verum si quid etiam magni patramus, ad Deum omnia referimus. Ob idque subiunxit, *Sed ipsi in seipsis sese metientes, & sese sibiipsis comparantes, non intelligunt.* Quod ait, hanc sententiam habet. Non cum illis nos-

Chrysof. tom. 4.

A ipsos comparamus: sed nosmet inter nos. Nam & vltèrius progressus dicebat, Nihil minus habui à magnis Apostolis. Et in priore epistola: Plus aliis omnibus laboraui. Et rursus, & Signa Apostolatus mei facta sunt inter vos in omni patientia. Itaque nosipso inter nos comparamus: non cum illis, qui nil habent: huiusmodi quippe arrogantia ex amentia oritur. Ergo vel de seipso hoc dicit, vel de illis: quasi dicat, Non audeamus nosipso cum illis conferre, qui inter se contendunt, ac magna de se iactant: nec intelligunt, hoc est, non sentiunt quàm sint ridiculi, cum ad hunc modum gloriantur, seque ipsos inter se efferunt. *Nos autem non in immensum gloriabimur: quemadmodum illi.* Probabile enim erat, eos iactando eò vsque progressos fuisse, vt se orbem terrarum conuertisse, atque ad extremos vsque terræ fines perrexisse dicerent, multaque alia eiusmodi de se magnificè prædicarent. At nos, inquit, non ita. *sed secundum mensuram regulæ, quam mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi vsque ad vos.* Itaque vtrique ipsius modestia elucet, tum quia haud plus, quàm effecerit, dicit: tum quia hoc ipsum Deo acceptum refert. Secundum enim mensuram, inquit, regulæ qua mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi vsque ad vos. Quemadmodum vineam quandam dispersiens, ita nobis metas nostras distinxit. Ac proinde non vltèri gloriatur, quàm quousque nobis peruenire concessum est. *Non enim quasi non pertingentes ad vos, superextendimus nos. vsque ad vos enim peruenimus in Euangelio Christi.* Non simpliciter ad vos accessimus, verum etiam annunciauimus, concionati sumus, persuasimus, negotium confecimus. Verisimile enim est, illos, cum tantummodo ad Apostolorum discipulos sese contulissent, ob simplicem huiusmodi aduentum eò arrogantia prodiisse, vt omnem rei successum sibi ascriberent. At nos, inquit, haudquaquam ad hunc modum nos gessimus. Nec quisquam est qui obiicere nobis hoc queat, quod ad vos vsque proficisci nequierimus, verbisque solis nostram ad vos vsque gloriationem porrigamus. Nam apud vos quoque fidei doctrinam prædicauimus. *Non in immensum gloriantes in alienis laboribus, spem autem habentes crescentis fidei vestrae, in vobis magnificari secundum regulam nostram, in abundantia, etiam in illa, que vltèra vos sunt, euangelizare, non in aliena regula, in iis que præparata sunt gloriari.* Magnam his verbis reprehensionis notam illis inurit, tum quod immodicè gloriarentur, tum quod de alienis laboribus. Nam cum sudor omnis Apostolorum esset, illi de ipsorum laboribus sese venditabant. At nos, inquit, per opera hæc demonstraui-mus. Quamobrem haud eos imitabimur: verum ea dicemus, quæ rerum ipsarum testimonio nituntur. Quid autem vos dico? Spem enim habeo fore, vt crescente vestra fide: non enim planè affirmat, morem videlicet suum retinens: verum, Spero, inquit, fore vt vobis in fide progressum facientibus, regula nostra latius sese porrigat, vt vltèrius Euangelium prædicemus. Longiùs enim progrediemur, inquit, vt concionemur, ac labores suscipiamus, non autem vt de alienis ærumnis nosipso iactemus. Ac regulæ ac mensuræ vocabulis commodè vsus est, velut ad orbis terrarum possessionem, præstantissimamque hæreditatem profectus: atque vt ostendat totius huius negotij summam diuini beneficii esse: ergo huiusmodi res habentes, inquit, ac maiores expectantes, non perinde gloriatur, vt illi qui nihil habent, nec nobis ipsis quicquam ascribimus: verum omnia Deo. Vnde etiam subdit, *Qui gloriatur, in Domino gloriatur.* Et hoc, inquit, diuinitus nobis contingit, *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est: sed*

Bb iij

Infr. 114.
I. Cor. 15.
Infr. 12.

quem Deus commendat. Non dixit, Nos sumus, sed, quem Deus commendat. Vides quàm modestè loquatur. Quòd si sermonis progressu altiùs loquitur, ne mirum tibi videatur. Id enim Paulinæ quoque prudentiæ est. Nam si vbique demissè abiectèque locutus fuisset, tantam illis plagam minimè infixisset, nec discipulos errore liberasset. Siquidem accidit interdum, vt & intempestiua modestia quispiam vtens, detrimentum afferat, & contrà eximium aliquid de se opportunè prædicans, proffit, quemadmodum ipse quoque fecit. Neque enim paruum periculum imminabat, ne discipuli eò adducerentur, vt de Paulo sinistram aliquam opinionem imbibent: non quòd Paulus humanam gloriam captaret. Nam si eam appetisset, non magna illa & admiranda, quæ ante quatuordecim annos ipsi contigerant, tanto tempore silentio compressisset: nec profectò, qui vrgente etiam necessitate ita dicere cunctabatur ac refugiebat, ea tum dixisset, nisi magna necessitate restrictus fuisset. Quocirca non humanæ gloriæ studio ac cupiditate ductus hæc dicebat: sed vt discipulis confuleret. Quoniam enim eum, vt vanum hominem, ac verbis quidem sese venditantem, cæterum re ipsa nihil præstare valentem traducebant, idcirco necessè iam habebat ad reuelationes illas venire. Quamquam is quidem per res ipsas fidem illis facere poterat, cum hæc diceret: sed tamen verborum minis adhuc vtendum censuit. Siquidem ab inanis gloriæ cupiditate maximè purus erat. Id quod vniuersa ipsius vita, tam antè, quàm post acta declarat. Ob eamque etiam causam subito ad Christi fidem migravit, statimque vt migravit, Iudæos perturbavit, omnemque illum, quo apud eos florebat, honorem abiect. Atqui caput eorum, atque antistes erat: verum inuenta veritate nihil horum animo versavit: sed ea probris & ignominii commutavit. Multorum quippe salutem sibi ob oculos proponebat, in hoc videlicet omnia sibi posita existimans. Et sanè qui fieri potuisset, vt qui nec gehennam, nec regnum, nec innumerabiles mundos præ Christi amore quicquam esse duceret, is vulgi gloriam venaretur? Minimè profectò. Imò contrà perquam humilis erat, cum liceret, priorèque vitam inuectiua oratione profcindebat, vt pote qui blasphemum se, ac persecutorem & contumeliosum hominem appellaret. Atque ipsius etiam discipulus Lucas de eo multa commemorat, quæ nimirum ex ipso didicerat, cum priorem vitam suam ei, non minùs quàm sequentem, exponeret.

MORALE.

Hæc autem dico, vt non tantum audiamus, sed etiam discamus. Nam cum ille peccata, quæ ante Baptismum admiserat, etsi prorsus extincta, in memoria tamen haberet, quam nos veniam consequi possimus, qui ea etiam, quæ post Baptismum perpetravimus, obliuione deleamus? Quid ais homo? Deum offendisti: & obliuisceris? Altera iam est hæc offensio, altera inimicitia. Quibusnam ergo peccatis solui petis? An iis, quæ ne tibi quidem nota sunt? Ita sanè. Non enim laboras, anxioque animo es, quo pacto eorum rationem redditurus sis, qui ne memoria quidem ea tenere cures, sed ludas in minimè ludicris. Verum adierit illud tempus, cum non iam vltra nobis ludus hic procedet. Prorsus etenim mori necessè est (eo quippe plerique stupore sunt, vt de perspicuis quoque rebus loqui necessè habeam) prorsus resurgere, prorsus iudicium subire, ac pœna affici. Quamquam hoc quidem haud prorsus, si quidem velimus. Nam illa quidem, hoc est mors nostra, & reditus ad vitam, &

I. Tim. I.

Peccata non sunt obliuiscenda.

iudicium, nostri arbitrij non sunt, verum Domini nostri: at verò pœnas vel subire, vel non subire, in arbitrio nostro situm est. Hoc enim ex eorum genere est, quæ hoc vel illo modo se habere queunt. Quamquam si voluntas nostra ita tulerit, hoc ex eorum classe ac numero faciemus, quæ nullo modo fieri possint, quemadmodum videlicet Paulus, & Petrus, atque omnes sancti. Illi enim ea conditione sunt, vt supplicio affici nullo omnino modo queant. Proinde si voluerimus, eodem modo impossibile erit, vt aliquid mali perpetiamur. Nam etiam si innumeris nos ipsos sceleribus obstrinxerimus, salutem tamè recuperare possumus, quando hinc sumus. Quocirca demus operam, vt nos ipsos recuperemus. Atque is quidem, qui senili ætate est, hoc cum animo suo consideret, se propediem hinc excessurum esse, ac satis diu ætatem in voluptate duxisset, quamquam, quæ hæc voluptas est, in vitis vitam exigere? verum ad ipsius opinionem orationem meam interim accommodo. Illud etiam postea animaduertat, licere ipsi contractas omnes maculas exiguo tempore abstergere. Iuuenis rursus secum item reputet, quàm incertus vitæ finis sit, quòdque sæpe contigit, vt multis senibus diutius hinc manentibus, iuuenes ante ipsos morte abrepti sint. Ob id enim noster è vita discessus in obscuro atque incerto iacet, ne eum negotiemur. Vnde etiam Sapiens quidam his verbis nos admonet, Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: nescis enim quid paritura sit superuentura dies. Ex dilatione quippe periculum ac metus nascitur: ex eo autem, quòd quis moram omnem ac cunctationem fugiat, perspicua & certa salus. Proinde virtutem arctissimè complectere. Sic enim, siue iuuenis hinc abscedas, tutò abscedes: siue ad senilem ætatem peruenias, cum amplissimis opibus excedes, duplicemque lætitiã ac festiuitatem per omnem vitam habebis, nimirum & à vitio abstinens, & virtutem amplexans. Caue dixeris, Erit tempus cum ad meliorem frugem reuertendum erit. Hæc enim verba Deum maiorem in modum ad iracundiam concitant. Quid tandem est, quòd cum ille infinita tibi sæcula pollicitus sit, tu contrà in præsentis hac vita, quæ breuis ac fluxa est, nullum laborem suscipere velis: verum ita dissolutus & ignauus sis, vt etiam hanc ipsam breuiorem requiras? An non eadem comestiones quotidie? An non eadem mensæ? An non eadem scorta? An non eadem theatra? An non eadem pecuniæ? Quousque ista, tanquam vera & solida amabis? Quousque inexplebili vitij cupiditate teneberis? Subeat animum tuum hæc cogitatio, quòd quoties scortatus es, toties te ipsum condemnasti. Huiusmodi quippe est peccatum. Proinus vt perpetratum est, sententiam fert iudex. Mero te obruisti, cibus te ingurgitasti, rapuisti? Consiste iam, tæque in contrariam viam refer. Deo gratias age, quòd te inter media peccata haudquaquam abripuit: ne alterum quoque tibi tempus ad flagitiosè viuendum præscribi postules. Multi, dum alios per auaritiã circumscriberent, hinc abrepti sunt, atque ad perspicuas certasque pœnas abscesserunt. Ne idem tibi accidat, time. At, inquis, multis Deus in extrema quoque senectute peccata sua confitendi spatium concessit? Quid tum? An tibi quoque concedet? Concedet fortasse, inquis. Quid ais, fortasse, & interdum, & sæpe? In mentem tibi veniat, te de anima tua consilium inire. Contrarium etiam pone, tecumque ita reputa, ac dic, Quid autem, si non concesserit? Tu contrà, Quid autem si concesserit, inquis? Concessit quidem ipse. Veruntamen hoc illo tutius est & vtilius. Etenim si iam probè viuere incipias, siue certum vitæ spatium acceperis, siue

Nihil vitæ tempus

Encl. Periculis emendat. dicitur.

In eor. periculis iam ut morat. sicut peruen.

ris, siue non, omnia lucratus eris: si autem moras quotidie neças, ob eam ipsam persæpe causam minimè accipies. Enimuero, cum ad bellum proficißeris, non dicis, minimè necesse est testamentum condere: fortasse reuertar: nec, cum de ineundo matrimonio consultas, dicis, Vxorem egentem accipiam, multi enim præter opinionem ad opes ita peruenerunt: nec, cum domum extruere paras, infirma fundamenta iaciam, permultæ enim ades sic etiam constiterunt. At verò, cum de anima consilium inis, imbecillioribus niteris, nimirum illud, fortasse, & sæpe, & interdum, ponens, incertis que euentibus te ipsum committis. Non incertis, inquis, euentibus: sed Dei benignitati. Benignus enim ac clemens est Deus. Id quidem ipse quoque compertum habeo. Sed tamen benignus hic illos etiam, quos dixi, de medio sustulit. Quid verò, si accepto longiori vitæ spatio, idem ipse tuique similis mancas? Nam qui eiusmodi est, in senectute quoque ignauus ac fœcior erit. Is enim, qui hæc cogitat, etiam post octoginta annos, nonaginta requirit, & post nonaginta, centum, & exactis centum annis senior adhuc erit: atque ita tota vita incassum absumetur, tibi que etiam id accidit, quod de Iudæis dictum est, Defecerunt in vanitate dies eorum. Atque vtinam in vanitate duntaxat, ac non etiam in perniciem. Cum enim illuc abierimus, grauem peccatorum sarcinam gestantes (hoc quippe est in perniciem) alimentum igni, ingentemque vermi mensam deferemus. Quamobrem, rogo atque obsecro, vt tandem aliquando fortiter stemus, nolique à vitio remoueamus, vt promissa bona consequamur, quæ vtinam nobis omnibus consequi detur, per gratiam & benignitatem Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Psal. 77.

HOMILIA XXIII.



Vtinam sustineretis modicum quid insipientie mee: Imò verò sustinetis me. Ingressurus iam iamque in suas laudes, magna præmunitione vtitur. Idque non semel duntaxat atque iterum facit. Quamquam alioqui argumenti necessitas ad eum purgandum sufficiebat: & ea, quæ persæpe ab ipso dicta fuerant. Nam qui peccata ea, quæ Deus è memoria eiecerat, in memoria habebat, ob idque Apostoli quoque nomine indignum se esse aiebat, perspicuum vtique est, vel admodum stupidis ac vacordibus, quòd non gloriæ studio ea dicit, quæ nunc diciturus est. Etenim, vt mirum aliquid dicam, hoc ei ad gloriam plurimum incommodi afferebat, quòd suas ipse laudes prædicaret. Id enim pleròque offendit. Et tamen ne hoc quidem facere superfedebat: verum vnum id spectabat, vt auditorum salutem cõsuleret. Cæterum ne hoc nomine stultorum animos læderet, quòd magnificis de se sermonibus vteretur, ex abundanti multas hæc præmolitiones adhibuit, aitque, Vtinam sustineretis modicum quid insipientie mee. Imò verò sustinetis. Vides prudentiam? Nam dum, vtinam, dicit, hoc eorum arbitrij esse statuit: dum autem affirmat, planum reddit, se eorum beneuolentiæ maiorem in modum confidere, atque & eos amare, & vicissim ab ipsis amari. Vel potius, non tam à simplici ac vulgari beneuolentia, quàm à feruenti quodam & infano amore oportere ait eos, se etiam insipienter gerentem perferre. Vnde etiam subiunxit, AEmulor enim vos Dei emulatione. Non dixit, Amo enim vos: sed, quod multò vehementius erat, ponit. Zelotypia enim laborant eorum animi, qui erga eos, quos amant, ardentius affecti sunt. Neque enim aliunde oriri queat zelotypia, quàm ab acris ac vehementi amicitia. Deinde ne putent se ab eo,

Cap. XI.

vel honoris, vel pecuniarum, vel alius cuiusquam rei causa expeti, adiecit, Dei emulatione. Deus etenim zelo affici dicitur, non vt perturbationem aliquam suspicetis (Deus enim ab omni perturbatione remotus est) verum vt omnes intelligat, eum non aliam ob causam, quàm ob eos ipsos, quos zelotypia prosequitur, omnia facere: non vt ipse quæstum aliquem hinc faciat, sed vt eis salutem afferat. Nam in hominibus non ita zelus efficitur, verum ob priuatam quietem: non propterea quòd contumelia afficiantur qui amantur, verum quòd non amentur ij qui amant, sed superentur, minoresque partes ferant apud eos quos amant. Hic autem non ita se res habet. Non enim, inquit, id mihi curè est, ne inferiore apud vos conditione sim, sed ne vos deprauatos & corruptos videam. Huiusmodi enim Dei zelus est, huiusmodi quoque meus, vehemens simul ac purus. Sequitur autem causa necessaria, Respondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Quare non mea causa, sed illius, cui vos respondi, zelo ardeo. Sponsalium enim præsens hoc tempus: alterum nuptiarum: tum videlicet, cum dicitur, Surrexit sponsus. O rem nouam! In mundo virgines ante matrimonium manent: post matrimonium non item. Hic autem non sic. Verum etiam si virgines ante hoc matrimonium non sint, post initum matrimonium virgines efficiuntur. Ad hunc modum tota Ecclesia virgo est. Etenim ad omnes & coniugatos, & coniugatas Paulus loquitur. Videamus autem quid secum ferens nos respondeat, quam dotem, non aurum, non argentum: sed celorum regnum. Vnde etiam dicebat, Pro Christo legatione fungimur. Atque obsecrat, cum sponsam accepturus erat. Huius rei figuram gerebant ea, quæ tempore Abraham contigerunt. Etenim ille fidelem seruum misit, qui puellam ethnicam desponderet. Eodem modo hic quoque Deus seruos suos misit, qui filio suo Ecclesiam desponderet, ac Prophetas, antiquitus his verbis vtentes, Audi filia, & vide, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Et concupiscet rex decorem tuum. Vidisti etiam Prophetam despondentem. Vidisti etiam Apostolum cum magna fiducia hoc verbum proferentem ac dicentem, Respondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Vidisti rursus prudentiam? Postquam enim dixit, Equum est vt me sustineatis, non dixit, Magister enim vester sum, nec, mea causa hæc dico: sed, quod potissimum illis dignitatem afferebat, hoc ponit, nimirum se pronubæ, illos autem sponsæ loco constituens. Ac postea subiungit, Timeo autem, ne forte vt serpens Euam decepit per astutiam suam, sic corrumpantur sensus vestri à simplicitate quæ est in Christo Iesu. Nam et si exitum vestrum est: at mæror tamen mihi vobiscum communis est. Ac vide qua prudentia vtatur. Neque enim hoc perspicuè indicat, tamen ipsi corrupti erant. Idque his verbis ostendebat, Cum impleta fuerit obedientia vestra. Et, Lugeam multos qui peccauerunt. Sed tamen non sinit eos frontem perfricare. Ob idque ait, Ne forte. Neque enim condemnat: nec rursus silet. Neutrum quippe tutum erat, nempe vel apertè dicere, vel perpetuò occultum tenere. Quocirca id quod medium erat, collocat, dicens, Ne forte. Hoc enim nec admodum condemnantis erat, nec rursus magnopere fidentis, sed inter hæc duo stantis. Ad hunc modum eos consolatus est: atque interim per historiæ commemorationem incredibilem quendam metum ipsis incussit, omnemque veniam ademit. Quamuis enim & serpens versutus esset, & illa stulta: neutrum tamen horum mulierem supplicio exemit. Videte itaque, ait, ne hoc vobis accidat, nec quicquam vobis præsidio sit. Nam ille quoque maiora pollicitus, hac ratione ipsam in frau-

Sponsalium hoc tempus est: futurum nuptiarum. Matt. 25.

Sup. 5.

Gen. 24.

Psal. 44.

Inf. 12.

dem induxit : quemadmodum scilicet isti quoque sese A
 iactantes atque instantes, ipsos decipiebant. Atque hoc
 non modò hinc cõicere licet, verum etiam ex his, quæ
 postea ait, *Si is qui venit alium Iesum prædicat quem non
 prædicauimus, aut alium spiritum accepit quem non accepimus,*
aut aliud Euangelium quod non receperitis, rectè pateremini.
 Nec verò ait, Ne fortè sicut Adam deceptus est, sed
 ostendit eos scõminas esse, qui hæc patiuntur. Scõminarum
 enim est decipi. Nec etiam sic dixit, Vos decipiamini:
 sed persans in metaphora ait, *Ne fortè corrumpantur
 sensus vestri à simplicitate quæ est in Christo Iesu.* A simplicitate,
 inquam, non à versutia. Non, inquam, ex versutia,
 neque ex eo quòd fides vobis desit: sed ex simplicitate.
 Et tamen ne hoc quidem nomine veniam promerentur,
 qui decipiuntur. Id quod Eua indicauit. Quòd si hoc
 veniam minimè meretur, multò minus cum quis ob inanem
 gloriam in hanc fraudem incidit. *Si enim is qui venit
 alium Iesum prædicat quem non prædicauimus:* hinc
 videlicet ostendens, non Corinthios esse: sed aliunde
 irrepere, qui eos in fraudem impellunt. Ob idque ait,
qui venit. Si alium spiritum accepistis, si aliud
 Euangelium quod non receperitis, rectè pateremini, quid
 ais? Qui Galatis dicebas, Si quis euangelizauerit vobis
 præterquam quod accepistis, anathema sit, nunc dicis,
 rectè pateremini? Atqui hoc nomine minimè par erat
 sustinere, verum pedem remouere. Sin autem eadem
 dicunt, tum demum sustinere opus est. Qui fit igitur
 vt dicas, Quoniam eadem dicunt, non opus est sustinere?
 Quid? si alia dicerent, æquumne esset sustinere? Aduertamus
 itaque. Magnum enim periculum imminet, altumque
 præcipitium, si leuiter hoc prætereamus: aditumque
 omnibus hæresibus præbet id quod dictum est.
 Quænam ergo horum verborum sententia est? Sic se
 iactabant illi, tanquam Apostoli non perfectè docerent,
 atque ipsi plus aliquid quàm illi afferrent. Verisimile
 enim est, quòd illi multa blaterantes, stultam quandam
 congeriem atque colluuiem in huiusmodi dogmata inuehebant.
 Vnde etiam & serpentis, & Euæ, quæ ad eundem modum
 amplitudinis maioris expectatione decepta fuerat,
 mentionem facit. Hoc quippe etiam in priore Epistola
 subindicans, dicebat, iam diuites facti estis, sine nobis
 regnatis. Ac rursus, Nos stulti propter Christum : vos
 autem prudentes in Christo. Quoniam igitur illi, vt
 verisimile est, externa sapientia vtentes, multa nugabantur,
 hoc inquit, Si quid præterea dicerent, atque alium
 Christum prædicarent, quem prædicari oporteret, nos
 autem prætermissemus, rectè sustineretis. Ob hanc enim
 causam adiecit, Quem non prædicauimus. Si autem eadem
 fidei capita, quid amplius? Quicquid enim dixerint,
 nihil amplius dicturi sunt, quàm quæ diximus. Ac vide
 quàm exactè hoc ponat. Non enim dixit, Si is qui venit
 amplius aliquid dicit (Nam illi amplius aliquid dicebant,
 vt qui cum maiore autoritate concionarentur, atque ingentem
 verborum elegantiam adhiberent: eaque de causa non hoc
 dixit) sed quid? Si is qui venit alium Iesum prædicat,
 (quod quidem verborum structuram ac probationem
 minimè requirebat) aut spiritum alium accepistis (neque
 enim hinc sermonibus opus erat) hoc est locupletiores
 vos, quantum ad gratiam attinet, efficit: aut Euangelium
 aliud quàm quod receperitis (nam ne hoc quidem rursus
 verborum elegantiam desiderabat) rectè sustineretis.
 Ac velim consideres, quemadmodum vbique distinctione
 vsus sit, qua indicet nihil amplius atque copiosius ab
 ipsis allatum fuisse. Postquam enim dixit, *Si is qui
 venit alium Iesum prædicat,* subiunxit, *quem non prædicauimus.*
 Eodè modo post hæc verba, *Aut alium spiritum accepistis,*
 adiecit, *quem non accepistis.* Ac postre-

Scõminarum est decipi.

Galat. 1.

1. Cor. 4.

mò post hæc verba, aut Euangelium aliud, addidit, quod
 non receperitis. Per quæ omnia illud indicauit, non simpliciter,
 an illi quid amplius dixerint, attendendum esse, sed an
 aliquid amplius dixerint quod dici oporteret, & ab ipso
 omisissum sit. Quòd si non oportebat, inquit, ob idque
 nec à nobis dictum sit, quid causæ afferri potest, quam
 obrem eos admiremini? At, dicit quispiam, si eadem dicunt,
 quid est cur eos prohibes? Quoniam per simulationem
 alia dogmata inducunt. Verum id nondum ait: sed
 postea illud ponit, cum dicit, Transfigurant se in
 Apostolos Christi: interim autem ab his, quæ minus inuidiæ
 habebant, discipulos ab eorum auctoritate abducit,
 non quòd inuidia in illos commoueretur, sed quòd
 his prospectum vellet. Alioqui enim cur Apollonem
 nõ impedit, virum præsertim eloquentem, ac Scripturarum
 cognitione præstantem? Etenim & hortatur, & se eum
 missurum pollicetur: quòd nimirum ille vnà cum
 eruditione dogmatum integritatem conferuabat:
 isti autem contrà. Ob eamque causam eos bello
 lacessit, & discipulos infectatur, quòd incredibilem
 quendam in modum erga eos affecti essent. Nam si
 quid, quod in rem esset, à nobis prætermisissimum,
 ipsi impleuissent, causam haud vllam diceremus, quin
 operam illis daretis. Sin autem omnia cumulatè à
 nobis præstita sunt, nihilque omisissum est, qua tandem
 de causa vos illi ceperunt? Vnde etiam subdit, *Existimo enim
 me nihil minus habere à magnis Apostolis:* non iam scilicet
 cum illis, sed cum Petro reliquisque huiusmodi
 comparationem faciens. Itaque si isti vlla in re me
 superant, sanè & illos. Ac vide quo pacto hic quoque
 sermonem temperet. Non enim dixit, Nihil amplius,
 quàm ego, Apostoli dixerunt. At quo modo? *Existimo
 enim me nihil minus habere à magnis Apostolis:* hoc est,
 arbitror me nihilo posteriorem fuisse excellentibus
 Apostolis. Nam quoniam eo nomine inferiore conditione
 esse videbatur, quòd illi, vt qui cum antecessissent,
 in maiore fama essent, ac luculentior quædam circa
 eos species esset, atque isti sese introducere parabant,
 ob eam causam sese illis cum auctoritate sibi conueniente
 comparat. Vnde etiam non sine laude mentionem eorum
 facit. Neque enim simpliciter Apostolos dixit, sed
 magnos & eximios, Petrum videlicet, & Iacobum &
 Ioannem indicans. *Nam etsi imperitus sermone: sed non
 scientia.* Quoniam enim hoc nomine superiores illi erant,
 qui Corinthios corrumpebant, quòd non rudes &
 indocti essent, id quoque ponit, quò ostendat se
 propterea non modò pudore minimè affici, sed etiam
 gloriam. Nec dixit, Si ego imperitus, & illi quoque.
 (hoc enim visum fuisset esse hominis, & illos traducentis,
 & istos attollentis) verum rem ipsam, hoc est
 externam sapientiam deiicit. Atque in priore quidem
 epistola vehementer in hoc incumbit, vt ostendat hoc
 ad prædicationem non modò nihil vtilitatis afferre,
 sed etiã Christi gloriam obscurare: Veni enim, inquit,
 non in sublimitate sermonis aut sapientia ad vos:
 vt non euacuetur virtus Christi. Ac multa alia
 eiusmodi. Quid igitur dixit? nempe quòd scientia
 imperiti essent: quæ quidem summa est imperitia.
 Ergo cum in magnis comparatio facienda erat,
 seipsum Apostolis confert: cum autem ostendèdum
 id, quod imbecillitatis cuiusdam speciem habebat,
 non item. Quin potius cum re ipsa congre-
 ditur, ostenditque hoc lucro & commodo cessisse.
 Ac rursus, cum nulla necessitas vrgebat, minimum
 etiam Apostolorum se dicebat, ac ne Apostoli
 quidem nomine dignum: hinc rursus, cum tempus
 id postulabat, nihilo inferiorem se esse præstantissimis
 quibusque Apostolis. Nõrat enim hinc magnam
 ad discipulos vtilitatem redituram esse. Vnde
 etiam postea subiungit, *sed in omnibus manifestati sumus vobis.* Etenim
 hinc quoque falsos

Sup. 4.

1. Cor.

1. Cor.

falsos

falsos Apostolos perstringit, vt in versutia ambulantes. A
 Quin hæc quoque de se antè prædicabat, quòd non iuxta
 personam viueret, nec fraudulento animo atque ad quæstum
 prædicaret. Illi autem alij erant, alij apparebant, non
 item ipse. Quòd fit, vt vbique magnificè de se hoc nomine
 sentiat, quòd nihil humanæ gloriæ causæ faceret, nec res
 suas occultaret. Id quod etiam antè dicebat, In
 manifestatione veritatis commendantes nos ipsos ad
 omnem cõscientiam hominum. Nuncque item, In omnibus
 manifestati sumus vobis. Quid autem hoc sibi vult? Imperiti
 sumus, nec id celamus. A nonnullis accipimus: nec
 tacemus. A vobis accipimus, nec dissimulamus nos
 accipere, quemadmodum isti cum accipiunt, verum
 omnia perspicua vobis facimus. Id quod hominis erat
 magnopere illis confidentis, atque omnia in veritate
 referentis. Vnde etiam testes eos citat: & nunc scilicet,
 cum ait, vobis: & prius, cum dicebat, Non enim alia
 scribimus vobis, quàm quæ legitis, aut etiam agnoscitis.
 Deinde postquam se purgauit, durius postea subiungit,
 An peccatum feci me humilians, vt vos exaltemini? Idque
 exponens, ait, Alias Ecclesias expoliaui, stipendium
 ab illis accipiens ad vestrum ministerium. Quod autem
 ait, hanc sententiam habet: In summis rerum angustiis
 versatus sum. Hoc enim his verbis significatur, Humilians
 me ipsum. Hoccine igitur est, quod mihi vitio vertitis?
 atque ob eam causam aduersum me animos effertis,
 quòd me ipsum depresso, mēdicans atque in arctum
 redactus, ac fame laborans, vt vos exaltemini? Et quonam
 pacto euehebantur illi, ipso in summis rerum difficultatibus
 hærente? Amplius edificabantur, minimeque offende-
 bantur. Quod quidem maximum ipso- rum probrum erat,
 ac perspicuum imbecillitatis argumentum: nempe quòd
 aliter eos subuicere non poterat, nisi ipse prius sese
 depressisset. Quid ergo? Illudne mihi crimini vertitis,
 quòd humilis factus sum? At vos ob eam causam
 cuncti estis. Quoniam enim superius dicebat, quòd
 cum hoc nomine criminabantur, quia præfens quidem
 humilis erat, absens autem magnum ac fidètem animum
 gerebat, ita se purgat, vt rursus eos feriat, dicens:
 vestra causa hoc à me factum est. Alias Ecclesias
 expoliaui. Hinc iam exprobrandi modo loquitur. Verum,
 quæ præcesserunt, non sinunt hæc molesta videri.
 Dixit enim, Sufferte me paulum in insipientia. Atque
 ante alia sua rectè facta, in hoc primo gloriatur. Hoc
 enim in primis quarunt mundani: atque in hoc aduersarij
 quoque illi animos attollebant. Quocirca non ante in
 periculorum ac miraculorum sermonem ingreditur:
 sed de pecuniarum contemptu prius verba facit, quando
 quidem hoc nomine sese efferebat. Quin etiam tacitè
 indicat, eos opibus præditos fuisse. Quod autem in eo
 admirationem habet, istud est, quòd cum illud dicere
 posset, se manu labore sibi victum parasse, non tamen
 hoc dixit: verum illud demum, quod pudorem illis
 incutiebat, nec ad ipsius laudem commendationemque
 pertinebat: nempe, Ab aliis accipi. Nec dixit, accipi,
 sed, expoliaui: hoc est diripi, pauperesque eos reddidi.
 Quòdque maius est, non ad profusos sumptus, sed ad
 necessarios vsus. Stipēdij enim vocabulo necessarium
 cibum intelligit: Quòdque etiam grauius, ad ministerium
 vestrum. Vobis prædicabam, inquit, & cum à vobis
 alij deberem, ab aliis id percipiebam. Duplex culpa,
 immo triplex: quòd cum apud eos esset, atque ipsis
 ministraret, necessariumque alimētum quæreret,
 alios tamen habebat, qui ipsi suppeditarent. Ac sanè
 isti illos longè superabāt. Illi enim in focordia erant:
 hi in studio. Illi ne præsentem quidem alebant: isti
 ad eum, etiam longè remotum, mittebant. Postea
 autem, vbi illos vehementer perstrinxit, sensim rursus

obiurgationis acerbiter lenit, dicens, *Et cum præfens
 essem apud vos, & egerem, neminem grauau.* Non enim
 dixit, *Non mihi dedistis: sed, ego non accipi.* Adhuc enim
 mitius cum illis agit. Cæterum in orationis summiffione
 tacitè rursus eos percellit. Hoc enim vocabulum, præfens,
 admodum emphaticum est, & cum egerem. Ne enim illi
 dicerent, Quid igitur, si habebas? subiunxit, *Et cum
 egerem, non grauau vos.* Hic rursus leuiter eos ferit,
 quòd segniter, tanquam grauati, huiusmodi collationis
 munere fungeretur. Sequitur deinde causa, accusatio-
 nis plena, ac zelotypia referta. Vnde etiam eam non
 primariè collocauit, sed velut docens, vnde, & à quibus
 nutritus sit: quò videlicet eos citra omnem suspicionem
 ad eleemosynæ opus excitaret. Nam quod mihi deerat,
 inquit, suppleuerunt fratres qui venerunt è Macedonia.
 Vides quemadmodum ipso rursus incitatur, dum eos,
 quorum ope ac ministerio subleuatus est, in medium
 proponit. Nam cum prius in eam cupiditatem ipsos
 iniecisset, vt scire auerent quoniam hi essent, cum
 diceret, *Alias Ecclesias expoliaui,* tum demum illos
 nominatim profert. Quod quidem hos ad eleemosynam
 incitabat. Siquidem ipsis suadet, vt cum hoc nomine
 inferiores extitissent, quòd Apostolum minimè aluissent,
 saltem non committerent, vt in subleuanda pauperum
 inopia vincerentur. Hoc autem ad Macedones scribens
 dicebat, Ad vsus meos mihi misistis semel & iterum,
 & in principio Euangelij: quod quidem maximè ipsis
 laudi erat, quòd ab ipso statim initio eorum virtus
 effulisset. Ac vide quo pacto vbique necessitatem
 duntaxat ponat, nusquam autem profusam copiam. Et
 quidem in eo quod dixit, *præfens, & cum egerem,*
 illud indicauit, debuisse se à Corinthiis alij. In eo
 autem quod dixit, *Quod deerat mihi suppleuerunt,* ostendit
 se hoc quidem postulasse: ac causam affert, quæ non erat.
 Quam tandem hanc? Quòd nempe ab aliis accepisset.
 Quod enim mihi deerat, inquit, suppleuerunt qui venerunt.
 Ob eam causam, inquit, non vos grauau, non autem
 quòd vobis non confiderem. Atqui ob hoc ipsum istud
 facit, idque demonstrat per ea, quæ deinceps sequuntur.
 Sed tamen hoc non apertè dicit, verum reticet,
 audientium videlicet cõscientiæ id relinquens. Ac
 rectè id ostendit per ea quæ sequuntur, dicens, *In omnibus
 sine onere me vobis seruaui, ac seruabo.* Neque enim
 velim existimetis hæc eò à me dici, vt accipiam. Illud
 autem, *seruabo,* acerbius erat, nimirum si necdum ipsis
 confidebat, sed se aliquid ab eis accepturum omnino
 desperabat. Ostendit autem quòd hoc etiam illis graue
 ac molestum esse censebat. Vnde dicebat, *sine onere me
 vobis seruaui, ac seruabo.* Sicque etiam in superiori epistola
 dicebat, Non scripsi vt ita fiat in me. Melius enim mihi
 est mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet. Atque
 hinc rursus, Sine onere me vobis seruaui, atque etiam
 adhuc seruabo. Postea, ne hoc idcirco dicere videatur,
 vt eorum gratiam sibi magis conciliet, ait, *Est
 veritas Christi in me.* Ne putetis, inquit, me ideo hæc
 dixisse, vt accipiam, vestrosque animos magis ad me
 pertraham. *Est enim veritas Christi in me, quod gloriatio hæc
 mea non infringetur in regionibus Achaie.* Nam ne quis
 rursus existimaret eum hoc nomine discrucari, aut in-
 fenso & irato animo hæc commemorare, gloriationem
 quoque hanc rem appellat. Atque in priore quoque epistola
 idem astruebat. Nam etiam illic, ne eos percelleret, ait,
 Quæ ergo mihi merces est? vt euangelizans sine sumptu
 ponam Euangelium Christi. Atque vt illic mercedem,
 ita hoc loco gloriationem vocat, ne videlicet ob hæc
 verba vehementi quodam pudore suffundantur, vt
 petenti minimè porrigentes. Quid enim, si detis, inquit?
 At ego non accipio. Atque illud, & per 71.

Philip. 4.

1. Cor. 9.

Ibidem.

στυγ, id est, non obstruetur, metaphora est ducta à fluminibus, quorum in morem fama ipsius ubique fluctabat, quia nihil acciperet. Non, inquit, largitione vestra libertatem meam obstruetis. Sed non dixit, obstruetis (quod amarulentius erat) verum, non obstruetur in regionibus Achaiae. Quod quidem rursus gravem plagam infligebat, abundeque sufficiebat ad eos deiiciendos ac mcerore afficiendos, utpote quos solos repudiaret. Nam si gloriabatur, ubique gloriari oportebat: si autem apud nos solos, propter imbecillitatem fortasse nostram hoc facit. Quamobrem, ne hæc secum reputantes, ingenti mæstitia consternarentur, vide quemadmodum istud mitiget. *Quare? quia non diligo vos? Deus scit.* Propter enim mirum ac leniter: quanquam ne sic quidem culpa eos liberavit. Neque enim dixit, Non estis imbecilles: neque, non estis firmi ac robusti: sed, Quia diligo vos: quod quidem eorum acculationem vehementer augebat. Ab ingenti enim ipsius erga eos amore illud proficiscebatur, quòd ab his nihil accipiebat, quòd quidem acriter perstringebantur. Itaque res contrarias ab ipso amor exprimebat, nempe, ut acciperet, & non acciperet. Contrarietas porro hæc, ex eorum, qui dabant, affectu nascebatur. Ac quidem non dixit, Propterea non accipio, quia vehementer vos amo, quoniam ad hunc modum imbecillitatem eorum accusasset, atque in anxietatem animos eorum coniecisset: verum ad aliam causam sermonem còuertit. Quam tandem? *Ut amputem occasionem eorum qui quarunt occasionem: ut in quo gloriantur inveniatur sicut & nos.* Quandoquidem enim operam dabat, ut anteam aliquam inveniarent, hæc quoque amputare oportebat. Hoc enim solum erat, in quo gloriabantur. Ut itaque nulla re superiores essent, hoc quoque correctum oportuit. Siquidem in aliis inferiores erant. Nihil enim, ut à me dictum est, mundanos perinde ædificat, ut nihil accipere. Quocirca diabolus pro sua peruersitate hanc potissimum illecebram iniecerat, studens eos in aliis rebus incommodo afficere. Cuiusmodi mihi autem hoc quoque ab hypocrisis manasse videtur. Quamobrem nec dixit, In quo rectè & cum virtute se gesserunt: sed quid? *In quo gloriantur.* Quibus verbis eorum arrogantiam cauillis incessabat. Iactabant enim id quoque quod non erant. Atqui præstantem virum, non modò de iis, quæ ipsi defunt, gloriari non conuenit, sed ne de iis quidem, quæ habet. Quemadmodum beatus hic vir faciebat: ac patriarcha Abraham dicebat, Ego autem sum terra & cinis. Nam quoniam nulla peccata habebat, quæ commemorare posset, verum virtutibus exsplèdebat, idcirco cum nec gravem ullam aduersum se reprehensionis ansam reperisset, ad naturam confugit. Et quoniam terræ nomen quodammodo honestum est, idè cineris vocabulum adiunxit. Vnde etiam alius quispiam dicebat, Quid superbit terra & cinis?

MORALE.

Quàm vana sit humana gloria: & contra auaritiam.

NEQUE enim mihi oris florem commemora, nec erectam ceruicem, nec egregiam vestè, & equum, atque affeclas: sed vbi hæc omnia desinant, considera, atque adiunge. Quòd si ea, quæ oculis cernuntur, dixeris, ego, quæ in picturis sunt, longèque hæc splendore superant, proferam. At quemadmodum illa ob aspectum minimè admiramur, quòd eiusmodi eorum substantiam esse perspiciamus, ut nihil præter lutum sint, sic ne hæc quoque. Nam & ista lutum sunt: atque ad eò prius etiam, quàm intereant, atque in puluerem dilabantur. Ostendè mihi hunc elata ceruice hominem, febre la-

borantem, atque extremum spiritum edentem: ac tum te alloquar, & percontabor, quòd ingens ille ornatus reciderit, quòd ingens illa assentatio, ac seruorum obsequium abierit, opumque ac prædiorum copia: quis ventus obortus omnia flatu suo excusserit. At etiam in lectulo iacens, opum ac fastus signa circumfert, imposita nimirum ipsi veste luculenta, pauperibus iuxta ac diuitibus funus prosequentibus, populis fausta omnia illi precantibus. Maximè quidem hæc quoque merus risus sunt. Verum, ut cunque sit, hæc tamen protinus etiam instar floris diffluere constat. Nam simulatque ex vrbis portis excesserimus, traditòque vermibus cadauere redierimus, rursus ex te quæram quoniam ingens illa turba se còferat, quòd clamor ille ac tumultus euaserit, quòd lampades, quòd fœminarum cœtus. An non in somnium ista sunt? Quòd clamores abcesserunt? Quòd multa illa ora vociferantia, atque ad concipiendam fiduciam adhortantia, quia nulla mors est? Atqui non nunc hæc accinere oportebat haudquaquam audienti: verum tum cum aliis sua eripiebat, eosque per auaritiam circumscribebat, tum demum, verbis non nihil immutatis, dicere oportebat, Non est quòd fidenti animo sis: nemo immortalis est. Amentiam istam comprime: cupiditatem extingue. Verum et si illi, ut qui è stadio excesserit, nihil hæc vtilitatis afferunt: at illi tamen diuites, qui eodem morbo laborant, atque eum ad sepulchrum prosequuntur, audiant. Quòd quidem enim hoc illis opum ebrietas prius afferebat, ut nihil eiusmodi cogitarent: at eò certè tempore, cum ipse etiam iacentis aspectus fidem verbis astruit, castigentur & erudiantur, illud secum reputantes, paulò post fore, ut illi veniant, à quibus ipsi quoque ad horrenda illa loca abducantur, vbi referenda rationes erunt, pœnæque subeunda ob ea quæ raperunt, atque usurparunt. Et quid hæc ad pauperes inquit? Sanè quidem multis hoc quoque voluptati est, excruciatum eum cernere, à quo iniuriam acceperint. C At nobis hoc minimè iucundum est, inquit, verum illud demum, si nihil ipsi mali perpetiamur. Equidem hoc nomine vehementer vos laudo atque amplector, quòd alienis calamitatibus minimè gaudeatis, verum propriam duntaxat securitatem queratis. Agè igitur, hæc quoque vobis spondebo ac pollicebor. Etenim cum detrimento aliquo ab hominibus mulctamur, non paruam debiti partem succidimus, si ea, quæ nobis inferuntur, magno ac generoso animo perferamus. Ex quo fit, ut nulla iniuria afficiamur. Deus enim vexationem nobis pro debito imputat, non secundum iuris, sed secundum benignitatis rationem, etiamsi non ab initio, eum, qui iniuria affectus est, vlciscatur. Vnde hoc perspicuum est, inquit: Iudæi quondam à Babiloniis vexabantur, nec Deus prohibuit: verum, & pueri, & mulieres, in seruitutem abducebantur. At postea hæc captiuitas pro peccatorum ratione in consolationem ipsi cessit. Ob eamque causam Esaiæ dicebat, Consolamini consolamini populum meum sacerdotes: loquimini ad cor Hierusalem: quia suscepit de manu Domini duplicia peccata sua. Ac rursus, Da nobis pacem. Omnia enim reddidisti nobis. Et Dauid ait, Vide inimicos meos quia multiplicati sunt: & dimitte omnia peccata mea. Et cum illum Semei, dira omnia ipsi imprecantem, ferret, aiebat, Dimitte eum, ut videat Dominus humilitatem meam, & reddat mihi pro hac die. Nam cum ille nobis iniuria affectis opem non fert, tum maximam vtilitatem accipimus. Nobis etenim hoc pro virtutibus ac rectè factis ascribit, cum acceptam iniuriam ferimus, ut ipsi gratias agamus. Quocirca cum pauperem à diuite diripi videris, missum faciens eum, cui iniuria fit, creptorem lacrymis prosequere. Ille enim for-

4. Reg. 5.

enim sordes excutit: hic verò sordibus se inficit. Sic etiam Elisæi puero in Naaman còtigit. Nam etiamsi non rapuit, tamen hoc ipsum iniustitiæ rationem habebat, quòd cum fraude accepit. Atque is quidem, cui illata iniuria fuerat, iuuabatur: qui autem iniuriam intulerat, grauissimo detrimento afficiebatur. Hoc nunc quoque in anima vsu venit. Atque hoc tantam vim habet, ut etiam solum, plerunque Deum placarit, etiamsi alioqui is, qui malè mulctabatur, subsidio indignus esset. Nam cum supra modum quis vexatur, vel hinc solum Deum ad dandam sibi veniam allicit, vlciscendumque eum, qui iniuriam infert. Vnde etià Deus Barbaris antiquitus dicebat, Ego quidem eos ad pauca tradidi: ipsi autem adiecerunt ad mala. Eò idque atrocissimis suppliciis mulctabuntur. Non enim, non inquam est quicquam, quod Deum ad iracundiam perinde incitet, ut rapere & vim afferre, aliòsque circumuenire. Quid ita? Quia per facile est ab hoc flagitio abstinere. Neque enim naturalis quædam cupiditas hæc est, negotium faciens: sed ab animi segnitie ortum trahit. Quoniam igitur modo, inquit, Apostolus eam malorum radicem vocat? Nam & ego idem dico. Verum nostro vitio, non rei ipsius natura, radix ipsa est. Atque si ita lubet, comparationem inducamus, ac videamus vtra violentior sit: pecuniarumne an corporum cupiditas? Etenim hoc demum grauius iudicandum est, quod magnos viros prostrauisse reperietur. Videamus itaque quem magnum virum opum cupiditas inuaserit. Neminem profecto: sed miseros admodum & abiectos, Giezi videlicet, Achab, Iudam, Iudaicos sacerdotes. At verò corporum cupiditas magnum illum Prophetam superauit. Nec verò hæc eò dico, ut his, qui huiusmodi cupiditate correpti tenentur, veniam còcedam: sed potius id ago, ut sobrij ac vigilantes sint. Nam cum magnum esse huiusmodi affectum demonstro, tunc maximè eos omnia venia orbatos esse ostendo. Etenim si feram hanc ignorares, ad hoc ipsum tibi confugere liceret. Nunc autem cum nobis, & tamen in eam incidas, nulla omninò tibi excusatio superest. Post hunc, eius filium magis adhuc superauit. Atqui nemo vnquam ei sapientiæ laude præstitit: atque etiam per alia omnia virtutis genera grassatus est. Sed tamen hoc vitio vsque adeo captus est, ut lethale etiam vulnus acceperit. Ac pater quidem surrexit, acceptumque damnus fariuit, ac rursus coronam adeptus est: hic autem nihil tale ostēdit. Quocirca Paulus etiam dicebat: Melius est nubere, quàm vri. Et Christus: Qui potest capere, capiat. De opibus autem non ita: sed, Qui reliquerit bona sua, centuplum accipiet. Quoniam ergo modo, inquit, de iis, qui opibus abundant, hoc asseruit, eos agrè cœlorum regnum obtenturos? Nimirum his rursus verbis ipsorum ignauiam tacitè significat, nec opum tyrannidem, sed vehementem eorum seruitutem. Idque etiam ex his, quæ Paulus consulendi causa dicebat, perspicuè liquet. Ab illa enim cupiditate abducit, dicens, Qui autem volunt diuites fieri, incidunt in tentationem. Ab hac autem non item: sed postquam ad tempus duntaxat disiunxit, idque ex consensu, rursus, ut còueniant, admonet. Fluctus videlicet libidinis extimescit: ne fortè ea graue naufragium efficiat. Hic affectus etiam ira acrior ac vehementior est. Neque enim irasci quisquam potest, si nemo sit, qui ad iram extimulet. At concupiscentia oritur, etiamsi vultus, qui ad hoc incitat, minimè cernatur. Itaque eam non prorsus amputauit, sed sine causa, addidit: nec rursus libidinem omnem sustulit, sed iniquam tantum. Propter concupiscentias enim, inquit, vnusquisque uxorem suam habeat. At verò pecunias aggerere, nec sine causa, nec cum causa concessit. Siquidem

1. Tim. 6.

Quis violentior affectus, auaritia an libido?

2. Reg. 11.

1. Cor. 7.

Matth. 19.

Ibidem.

Mar. 10.

1. Tim. 6.

Matth. 5.

1. Cor. 7.

A illi affectus ob necessitatem nobis insiti sunt: nimirum libido procreandorum liberorum causa: ira autem, ut iis, qui læduntur, auxilium afferamus. Pecuniarum autem cupiditas, minimè. Ex quo intelligitur, eam ne naturalem quidem affectum esse. Ac prouide si ea te capi ac vinci sinas, tantò vtique fœdiora patieris. Eòque fit, ut Paulus, cum secundas nuptias permittat, in pecuniis tamen ac diuitiis accuratam synceritatem requirat, dicens: Quare non potius iniuriam patimini? Quare non potius damnus accipitis? Ac de virginitate quidem differens, ait, Præceptum Domini non habeo. Et: Ad vtilitatem vestram dico: non ut laqueum vobis iniiciam. At cum de diuitiis ei sermo est, Habentes, inquit, vestes & alimenta, his contenti simus. Quid igitur causæ est, inquit, cur plerique hoc affectu capiuntur? Quia aduersus eum non ita preparati sunt, ut aduersus impudicitiam ac fornicationem, Nam si æquè graue ac formidandum hoc malum ipsis visum fuisset, haud citò capti fuissent. Ad hunc modum miseræ quoque illæ virgines è thalamo eiecæ sunt, quoniam, maiore hoste prostrato, ab imbecilliore, ac nullo omninò robore prædito, deiecæ sunt. Huc accedit, quòd si quis libidinem superans, à pecuniis superetur, sæpe ne libidinem quidem vincit: verum à natura hoc nactus est, ut ab hoc affectu non admodum negotij ei exhibeatur. Neque enim omnes in eum æquè proni sunt. Hæc itaque perspecta habentes, ac virginum exemplum perpetuò cum animis nostris versantes, perniciosam hanc belluam fugiamus. Nam si virginitas illis nihil profuit, verum post infinitos labores ac sudores ob pecuniæ studium in exitium abierunt, quis tandem nos supplicio eripiet, si in hunc affectum inciderimus? Quocirca rogo, ut nec capiamur, nec capi sustineamus: sed grauiam quoque hæc vincula perfringamus. Sic enim ad cœlum peruenire poterimus, atque innumerabilia illa bona consequi, quæ vtinam consequi nobis contingat per gratiam & misericordiam Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIIII.



AM eiusmodi pseudapostoli, sunt operarij dolosi, transfigurantes se in Apostolos Christi. Quid ais? Qui Christum prædicant, qui pecunias non accipiunt, qui Euangelium aliud non inducunt, pseudapostoli sunt? Maximè, inquit. Atque hoc præsertim nomine, quòd hæc omnia ficto animo faciunt, ut fallant. Operarij dolosi. Operantur enim, sed, quæ plàtata sunt, euellunt. Quoniam enim exploratum habent, se non aliter gratos acceptòsque fore, veritatis larua assumpta, ita demum imposturæ fabulam agunt. Et verò, inquit, pecunias non accipiunt, ut plures accipiant, ut animas perdant. Quin potius id quoque falsum. Nam & accipiebant: sed furtim. Idque in iis, quæ sequuntur, ostendit. Atque id quidem iam tacitè indicauit, cum dixit, Ut in quo gloriantur, inueniantur sicut & nos: ceterum idem dilucidius postea his verbis significauit, Si quis vos deuorat, si quis accipit, si quis extollit, hunc sustinetis. Nunc autem aliunde hos insectatur, dicens, transfigurantes. Larua tantum ipsis ac pellis ouis est. Et non mirum. Si enim ipse Satanas transfiguratur se in angelum lucis, non magnum est, si ministri eius transformantur velut ministri Iustitiæ. Itaque, si quid admirari oportet: hoc demum est quod admirari oportet: non autem quod isti agunt. Nam cum eorum magister nihil non audeat, ac molia-tur, nihil mirum discipulos quoque ipsius exemplum sequi. Quid autem est, angelum lucis? cum, qui loquendi

Ibid. 6.

Ibid. 7.

1. Tim. 5.

Matth. 25.

libertatem habet, eum qui Deo astat. Sunt enim etiam angeli tenebrarum hi qui diaboli sunt, ac caliginosi & feroces. Ac multos diabolus ad hunc modum fecellit, dum se in angelum lucis transfigurauit, non autem talis effectus est. Eodem igitur modo isti, laruum quidem Apostoli circumferunt: non autem vim ac facultatem: Neque enim possunt. Nihil porro tam diabolicum est, quam ad ostentationem aliquid efficere. Quid autem est ministerium iustitiae? Id videlicet, quod sumus, Evangelium quod iustitiam habet, vobis predicantes. Aut enim hoc est quod ait, aut certe, quod iustorum virorum famam sibi pepererunt. Quamnam ergo ratione eos agnosceremus? Ab ipsorum operibus, quemadmodum à Christo dictum est. Ob idque, & sua recte facta, & illorum vitia inter se conferre cogitur: ut ex comparatione falsi atque adulterini perspicui fiant. Ac rursus in suas laudes ingressurus, primum illos accusat, ut ostendat sibi necesse esse in hoc argumento versari: ne quis alioqui ipsum, ut de suis laudibus verba facientem, reprehendat. Aitque, *Iterum dico*. Etenim multa iam premolitione antè usus est. Sed tamen his quae dixi, minimè sum contentus, inquit, verum rursus dico, ne quis me insipientem esse existimet. Hoc enim eorum negotium erat, cum nulla causa suppetere, gloriarì. Ac velim consideres, quemadmodum quoties in suas laudes ingredi parat, occupatione quadam utatur. Stulta enim res est, inquit, gloriarì. Ego verò hoc, non ut stolidus facio: sed ut coactus. Quod si vobis id non persuaderi finitis, verum, quamuis id me necessariò facere videatis, nihilominus tamen me condemnatis, ne sic quidem tamen hoc facere detrectabo. Vidène quo pacto magnam sibi loquendi necessitatem impositam esse ostendat. Nam qui ne hanc quidem suspensionem reformidabat, quantum vim ad loquendum sustineret, quamque huiusmodi sermonem velut parturiret, ac profundere cogere, tecum velim consideres. At sic quoque tamen moderationem in hac re adhibuit. Nò enim dixit, Ut glorier. Cùmque paulum gloriaturus esset, rursus etiam altera premolitione usus est, dicens, *Quod loquor non secundum hominè loquor, sed ut in insipientia in hac substantia glorie*. Vides quemadmodum gloriarì, secundum Deum non sit? Cùm enim omnia feceritis, inquit, dicite, quia serui inutiles sumus. Verum hoc per se quidem secundum Deum non est, sed ab animo ac voluntate tale efficitur. Ob eamque causam dixit, *quod loquor*: non causam, sed verba reprehendens. Etenim scopus adeò eximius erat, ut & verbis ornamentum afferret. Quemadmodum enim homicida, tametsi facinus huiusmodi valde interdictum sit, tamen ab animo & voluntate saepe laudem est affectus: & circumcidi, licet secundum Dominum non sit, tamen ab animi instituto tale efficitur: sic etiam gloriarì. Cur autem non tam accurata sermonis diligentia usus est? Quia aliò properat, atque ex abundanti, his, qui cum carpere gestiebant, solum obsequitur, ut, quae profutura sunt, dicat. Etenim quae dicta erant, abundè ad tollendam omnem suspensionem sufficiebant. *sed ut in insipientia*. Prius ait, Utinam sustineretis modicum quid insipientiae meae. Nunc autem, *ut in insipientia*. Quò enim altius progreditur, eò magis sermonem repurgat. Deinde ne cum vbique stultitiam adhibere arbitris, adiecit, *In hac substantia glorie*. hoc est, quod ad hanc duntaxat partem attinet. Quemadmodum & alio loco dicebat, Ut ne confundamur. Et rursus alio loco, cùm dixisset, An quae cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me est est, non non: atque ostendisset se idcirco non posse vbique, quae pollicetur, explere, quoniam non secundum carnem consilium inuit, ne hanc suspensionem etiam ad doctrinam nonnul-

li pertraherent, ait, Fidelis autem Deus quòd sermo noster ad vos non fuit, est, & non. Ac vide quàm multo prius locutus, alias adhuc purgationes afferat, praeponeus ad hunc modum ac dicens, *Quoniam multi gloriantur secundum carnem, & ego gloriabor*. Quid est autem, *secundum carnem*? hoc est, ab externis rebus, à nobilitate, ab opibus, ab cruditione, à circuncisione, ab Hebraeis auis, ab ea, qua apud pleròsque florent, existimatione. Ac vide sagacitatem. Illa ponit, quae nihil esse ostendit: ac tum denique insipientiam. Etenim, si ob ea, quae verè bona sunt, gloriarì stultitiae est, multò certè magis ob ea, quae nullius pretij sunt. Atque id est quod, *non secundum Dominum*, vocat. Neque enim quicquam prodest Hebraeum esse, aliàque id genus. Non ergo existimetis me hanc virtutis loco ponere. Sed quoniam illi gloriantur, hinc ego comparationem ducere cogor. Quod etiam alibi facit, dicens, Si quis videtur confidere in carne: ego amplius. Atque illic quidem hoc facit ob eos, qui in hoc confidebant: quemadmodum si quis claro genere natus, ac philosophicum vitae genus amplexus, alios ob nobilitatem magnificè de se sentientes videat, atque eorum fastum deprimere cupiens, generis sui splendorem commemorare cogatur, non ut se insolenter efferat, sed ut eos humiles reddat. Idem nimirum Paulus quoque facit. Ac tum abducta ab illis oratione totam causam in Corinthios effundit, dicens, *Libenter enim suffertis insipientes*. Itaque vos harum rerum causa potius estis, quàm illi. Nam nisi vos eos sufferretis, atque, quantum quidem in illis est, detrimentum accepissetis, nullum verbum fecissem. Verum curæ mihi est vestra salus: meque ad vos indulgenter demitto. Ac vide quemadmodum obiurgationi laudem adiungat. Posteaquàm enim dixit, *Libenter suffertis insipientes*, addidit, *cùm sitis ipsi sapientes*. Insipientis enim hominis est, ob huiusmodi gloriarì. Et quidem obiurgare oportebat, ac dicere, Nolite sufferre insipientes. Verum hoc cum maiore abundantia facit. Nam illo modo idcirco eos obiurgare visus fuisset, quòd his rebus careret: nunc verò, cum se in his quoque superiorem esse ostendat, & tamen nihil ea esse ducat, magis eos corrigit. Ceterum priusquam in laudes suas atque comparationem ingrediatur, ingentem seruilis animi deiectionem, qua Corinthij laborabāt, ipsis probro vertit, nempe quòd maiorem quendam in modum ipsis sese subiecissent. Ac vide quo pacto eos perstringat. *Sustinetis enim*, inquit, *si quis vos deuorat*. Quoniam ergo modo dicebas, ut in quo gloriantur, inueniantur sicut & nos? Vidène quo pacto eos accipere ostendat: ac non simpliciter accipere, sed etiam supra modum. Hoc enim vocabulo, *deuorat*, hoc indicatur. *Si quis vos in seruitutem redigit*. Et pecunias vestras, inquit, & corpora, & libertatem dedidistis. Hoc enim maius est, quàm accipere, nimirum quòd ipsi non modo pecunias, sed vos etiam ipsos in arbitrio suo ac potestate habeant. Quod etiam superius his verbis demonstrabat, Si alij potestatis vestrae participes sunt, an non multò magis nos? Postea, quòd grauius est, adiungit, dicens, *Si quis extollitur*. Neque enim mediocris quaedam est vobis seruitus, nec faciles & humani domini, sed graues ac molesti. *Si quis vos in faciem cadit*. Vides rursus tyrannidis augmentum? hoc porro dicebat, non quòd eorum ora verberarent, sed quòd eos despiceret, atque dedecore & ignominia afficeret. Vnde etiam adiecit, *Secundum ignominiam dico*. Nec enim mitius vobiscum agitur, quàm cum his, qui in faciem caduntur. Quidnam igitur hoc vehementius esse queat, aut quamnam dominatio hac acerbior, cùm & pecuniis vestris, & libertate atque honore ademptis, ne sic quidem lenes ac placidos se praebent, ac ne in seruatorum quidem

gradu atque ordine manere vos sinunt, verum mancipio quouis pecunia empto contumeliosius vos tractant? *Quasi nos infirmi fuerimus*. Obscurum est quod ait. Nam quoniam molestum ac graue erat, idcirco hoc ita collocauit, ut acerbitatem obscuritate falleret. Quod enim ait, hanc sententiam habet: An non ipsi quoque hanc facere possumus? Et tamen nò facimus. Quam ob causam eos suffertis? An tanquam nos hęc efficere nequeamus? Atqui illud quoque reprehensionem meretur, quòd & stultè se gerentes suffertis: quòd autem etiam vsque adeo vos aspernantes, diripientes, sese extollentes, vos cadentes, id verò nullam excusationem, nullam rationem habere queat. Nouum enim est hoc imposturæ genus. Nam cum alij, qui imposturam faciunt, largiri atque assentari soleant, isti contra fallunt & accipiunt, contumeliàmque inferunt. Itaque ne umbra quidem vlla venia vobis esse possit, quippe qui eos, qui vestra causa, ut vos subuehamini, sese deprimunt, contemnitis & pro nihilo putatis, ac contra eos, qui, ut vos deprimamini, sese efferunt, suspicitis. Quid enim? Num nos quoque idem facere non poteramus? At nolimus: ut qui vtilitatem vestram nobis propositam habeamus. Nam illi quidem fortunas vestras quaerunt: nos verò commoda vestra quaerimus. Vides quemadmodum vbique, per quae ad eos liberè loquitur, per eadem terrorem quoque ipsis iniicit? Etenim si ob eam causam, inquit, eos honore afficitis, quia vos cadunt, atque contumeliosè vexant, nos quoque hęc facere possumus, nempe seruitute vos opprimere, verberare, atque aduersum vos extolli. Vides quo pacto causam omnem, tum illorum arrogantiae, tum suae, ut videbatur, insipientiae, in hos confert? Etenim non ut splendidiorem meipsum ostendam, sed ut vos ab hac acerba seruitute eripiam, non nihil gloriarì cogor. Operpretium est autem non simpliciter hęc verba expendere: sed causam etiam adiungere. Quandoquidem & Samuel ingetem laudem de seipso contexit, cum Saulem vnebat. Cuius vestrum bouem, aut asinum, aut vestimentum tuli? Quem calumniatus sum & oppressi? Et tamen nemo eum accusabat. Id autem ea de causa dicebat, non ut plausum & gloriam captaret: sed, quia regem creaturus erat, sub purgationis specie eum erudire vult, ut lenem se ac placidum praebet. Atque Prophetæ prudentiam, vel potius Dei benignitatè, animaduertas velim. Nam quia eos auertere ac deterrere cupiebat, de futuro rege graui multa collegit, nimirum quòd pistrices vxores eorum facturis esset, viros pastores, & equifones. Si quidem diligenter regni cultum & obsequium enumerabat: quoniam eos ita affectos esse videbat, ut nulla ex rebus omnibus prohiberentur, verum incurabili morbo laborarent. Sicque, tum indulgenter cum ipsis agit, tum regem ad lenitatem componit. Ob idque etiam testem eum profert. Neque enim alio qui quisquam tunc eum in ius vocabat, nec accusabat, ut ipse sese purgare necesse haberet: sed, ut eum meliorem faceret, his verbis utebatur. Vnde etiam ut ipsius fastum ac tumorem comprimeret, subiunxit, Si audieritis vos, & rex vester, hac & hac bona vobis continget. Sin autem non audieritis, contraria omnia habituri estis. Atque etiam Amos dicebat, Non eram Propheta, nec filius Prophete, sed armentarius, vellicans sycomos. Et tulit me Dominus. Hęc porro non eò dicebat, ut seipsum efferret, sed ut eos, qui ipsum non ut Prophetam existimabant, reprimeret: atque etiam ut ostenderet se minimè fallere, à seque ea dicere, quae dicebat. Atque alius rursus hoc idem indicans dicebat: Verumtamen ego repletus sum fortitudine Domini in spiritu & potentia. Quin David quoque, cum de vrso, ac leone verba faceret,

A non eò hęc commemorabat, ut plausus aucuparetur, sed ut magni aliquid & admirandi procuraret. Nam quoniam fidem nemini faciebat, se barbaro superiorem futurum, ut qui nudus esset, nec arma gestare posset, fortitudinis suae argumentum praebere necesse habuit. Et cum Saül oram chlamydis abstulit, non ostentationis causa dicebat ea quae dicebat, sed ut prauam eam suspensionem à se depelleret, quam aduersus eum sparserant, dicentes cum in animo habere regem obtinere. Quamobrem vbique causa inuestiganda est. Nam qui auditorum vtilitatem ante oculos sibi proponit, etiam si seipsum laudibus efferat, non modò nullam reprehensionem, sed coronam quoque meretur. Imò si tum tacuerit, in reprehensionem necessariò incurret. Nam & David, si tum, cum ineundum erat cum Goliath certamen, conticuisse, haudquaquam eum ad dimicationem exire permisissent, ac luculentam illam palmam reportare. Quocirca necessitate compulsus hoc dicit, & quidem non fratribus suis (quanquam nec apud illos fidem inueniebat, quemadmodum nec apud regem) Verum inuidia ipsis aures obturabat. Quare his missis factis eum alloquitur, qui nondum inuidia laborabat.

MORALE.

Remedia aduersus inuidiam.

HORRENDA enim res est inuidia, horrenda, inquam: ac propriam salutem aspernari persuadet. Sic Cain quoque sibi ipsi exitium attulit, atque ante eum rursus diabolus, qui ipse patrem interemerat. Sic Saül, qui prauum daemonem aduersus animam suam accersuerat: cùmque accersiuisset, medico rursus inuidebat. Ea enim inuidiae natura est. Norat se ab eo seruatum: malebatque perire, quàm eum, à quo salutem accepisset, florentem còspicere. Quid hoc affectu grauius esse queat? Haudquaquam aberrarit, qui diaboli factum eam dixerit. Atque in ea quidem inanis gloriæ fructus, immò etià radix est. Hęc enim duo vitia sese mutuò struere solent. Sic nempe, tunc quoque liuore afficiebatur Saül, quòd dixissent, Percussit David decem millia. Quo quid stultius, atque à ratione alienius fingi possit? Quid enim, quæso, inuidia te afficit? An quòd quispiam laudibus aliquem ornarit? Atqui gaudere oportebat. Atque etiam alioqui nescis an vera hęc laus sit. An ob id luges, quòd cum nihil in eo sit, quod admirationem mereatur, laudem tamen consecutus sit? Atqui misereri potius còuenit. Etenim si bonus sit, nemo laudato inuidet, verum ad aliorum laudem, suam quoque commendationem adiungit. Sin autem talis non est, quid discruciaris? Quid in teipsum gladium impellis? An quòd apud homines eximius quidam vir habeatur? At apud homines, qui hodie sunt, & cras esse desinunt. An quia gloriam obtineat? Quam tandem? De qua Propheta ait, quòd flos fœni sit? Hoccine ergo nomine inuides, quòd farcinam non gestas, nec huiusmodi fœni onera circumfers? Quòd si tibi ille hoc nomine beatus videtur, cur nò etiam lignatores, qui quotidie onera gestant, & in vrbem ingrediuntur? Neque enim hac farcina melior illa est, inò etiam deterior. Illa enim corpus solum premit: hęc verò animam quoque ipsam plerunque damno afficit, plùsque anxietatis quàm voluptatis affert. Nam etiam si orationem habes, hominum laude celebretur, maior tamen in eo metus est, quàm laus ac prædicatio. Atque adeò hanc breuem habet: illum perpetuum. At apud principes in gloria & splendore versatur? Verum illic rursus liuor, & periculum. Ut enim tu erga illos affectus es: ita etiam alij complures. At perpetuò laudatur? Hoc verò acerbam serui-

Diaboli cum est ostentationi studere.

Math. 7.

Philipp.

1. Reg. 22.

Luc. 17.

Sup. 4. Ibid. 1.

Ibid. 24.

1. Reg. 18.

1. Reg. 18.

Esa. 40.

Ibidem.

Amos 7.

Mich. 3.

1. Reg. 17.

Mifera
ambitio-
forum
feruitus.

tutem efficit. Neque enim liberè quicquam ex animi A
sententia facere audebit: ne in eorum, à quibus celebra-
tur, offensionem incurrat. Graue enim ipsi vinculum
est nominis claritas. Quocirca quò pluribus notus ac
familiaris est, eò etiam plures dominos habet, cuiusque
feruitus crescit: vt qui dominos suos, quoquo se veritat,
inspiciet. Ac seruus quidem, cum ab heri sui vultu re-
motus est, respirat, ac summa libertate fruitur: hic au-
tem vbique dominos obuios habet. Omnium enim,
quos in foro videt, est seruus. Quòd si necessitas aliqua
vigeat, forum ingredi non audeat, nisi famuli quoque
afficerentur, atque equus & omnis alia pompa parata &
adornata sit, ne alio qui à dominis improbetur. Quòd si
syncerum aliquem amicum videat, familiares cum eo,
tanquam æquali, sermones habere nò audeat. Dominos
enim metuit, ne ab ipsis de gloriæ suæ gradu deiciatur.
Ex quo efficitur, vt quò clarior est, eò grauiore seruitu-
te opprimatur. Quòd si quid molesti patiatur, eò acer-
bior est hæc contumelia, quò plures illius testes habes,
ac præter dignitatem res ea esse videtur. Nec contume-
lia duntaxat istud est, sed etiam calamitas. Nam per-
multos habet, qui aduersis ipsius rebus lætentur: quem-
admodum contrà cum bono aliquo fruitur, complu-
res qui ipsi inuideant, ac liuore afficiantur, eumque de-
iicere studeant. Hòcne gloria? Minimè verò: sed ignominia, & seruitus,
& vincula, & quidquid graue à quoquam dici possit.
Quòd si vsque adeo iucunda atque expetenda ea gloria
esse videtur, quæ ab hominibus proficitur, tæque
plausus ille, quo quispiam à plurimis excipitur, maio-
rem in modum còturbat, cum eum huiusmodi plausu
frui videris, fac animo & cogitatione ad futurum eum
gloriàmque illam transeas: & quemadmodum irruen-
tem feram effugere festinans in cubiculum ingressus,
fores occludis, sic tu nunc quoque ad futuram vitam
arcanamque illam gloriàm confuge. Ad hunc enim
modum & hanc calcabis, & illam facilè assequeris, &
vera libertate aternis que bonis fruèris: ad quæ vnam
nobis peruenire contingat per gratiam & benignita-
tem Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spi-
ritu sancto honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXV.



N quo quis audeat (in insipientia dico) audeo
& ego. Vide rursus quemadmodum refu-
giat, ac deprecatione & præmuntione v-
tatur: tametsi permulta quoque iam huius-
modi dixerit, nempe, Vtinam sustineretis
modicum quid insipientiæ meæ: & rursus, Ne quis me
existimet insipientem esse: sin minus, vt & insipientem
accipite: & Quod dico, non secundum Deum dico, sed
vt in insipientia: & Quoniam multi gloriantur secun-
dum carnem, & ego gloriabor. Atque hic rursus, In
quo quis audeat (in insipientia dico) audeo & ego. Au-
daciã videlicet & insipientiam appellat, magni aliquid
de se prædicare, idque quamlibet etiam vrgente neces-
sitate: quo nimirum nos doceat rem huiusmodi sum-
mopere fugere. Nam cum, omnibus etiam virtutis mu-
neribus perfuncti, inutiles tamen nos vocare debeamus,
qua tandem is venia dignus esse queat, qui nulla
necessaria causa impulsus, se ipsum attollit ac iactat? Ob
eam causam Pharisaus quoque ea passus est, quæ passus
est, atque in portu naufragium subiit, quòd ad huc sco-
pulum ratem suam allisisset. Ob eam causam Paulus, etsi
summa necessitate constrictum se conspiciens, tamen
refugit ac detrectat, atque identidem admonet, huius-
modi rem insipientiæ nota non carere. Ac tum deni-
que necessitatis excusationem obtendens, metum ex-

Luc. 17.

Luc. 18.
Phari-
sæus in
portu
naufra-
gium fa-
cit.

cutit, & ait, *Hebraei sunt, & ego: Israelitæ sunt, & ego*. Non
enim Hebraei omnes Israelitæ erant. Quandoquidem
& Ammonitæ & Moabitæ Hebraei erant. Eaque de cau-
sa, vt generis nobilitatem repurgaret, subiunxit, *semen
Abrahæ sunt, & ego. Ministri Christi sunt* (vt minus sa-
piens dico) plus ego. Non satis esse duxit præmuntionem
antehac adhibuisse, nisi hic quoque rursus ea vteretur.
Vt minus sapiens dico, plus ego. Ego his melior sum ac
præstantior. Et quidem perspicua præstantiæ suæ argu-
menta habebat. Nihilominus tamen insipientiæ voca-
bulo hanc rem appellat. Atqui, iniquis, si falsi Apostoli
erant, præcellentiã ista per comparationem induci mi-
nimè debebat, sed prorsus hoc adimi, quòd ipsi mini-
stri essent. Istud verò ipsum, inquam, sustulit, cum dixit,
Pseudapostoli, operarij dolosi, transfigurantes se in A-
postolos Christi. At nunc haud ita hoc facit. Ad exa-
minationem enim sermo processurus erat. Nemo por-
ro re nondum examinata simpliciter sententiam pro-
nunciat: verum hanc rationem tenet, vt cum prius sub-
lationem eam, quæ per res ipsas efficitur, comparatio-
nis modo collocarit, tum demum rem eam ostendat,
quæ multò plus roboris ac firmitatis habeat. Vel etiam
alio modo, sententiam ipsorum nò iudicium suum ponit,
dicens, *Ministri Christi sunt*. Ac postea cum dixit,
plus ego, comparationem prouehit, atque ostendit se, non
pronunciantem, sed demonstrationem eam, quæ ex re-
bus ipsis existit, inducètem, peculiarem Apostolici mu-
neris notam retinere atque conseruare. Atque omittis
omnibus miraculis à tentationibus exorditur, ad hunc
modum loquens: *In laboribus abundantius, in plagis su-*
pra modum. Hoc enim illo maius est: nempe cædi ac
verberibus affici. *In carceribus abundantius*. Hic quoque
rursus incrementum est, *In mortibus frequenter*. Quotidie
enim, inquit, morior. Hic autem etiam re ipsa. Per sæpe
siquidem in mortifera pericula coniectus sum. *A Iu-
daeis quinque quadragenas vna minus accepi*. Quare, *vna
minus?* Prisca lege sancitum erat, vt si quis plus quàm
quadraginta verberum ictus acceperet, infamis apud ip-
sos esset. Itaque ne verberantis impetus hunc nume-
rum in infligenda pœna excedens, ignominie notam
re inurere, præscriptum est ab illis, vt ei, qui vapula-
ret, vnde quadraginta tantum plage incurrerentur: vt
quamlibet is, qui verberaret, in cædendo acris esset, ta-
men quadragenarium non excederet, sed infra nume-
rum lege constitutum subsistens, ei, qui verberibus affi-
ceretur, ignominie notam minimè imprimeret. *Ter-
virgis cesus sum, semel lapidatus sum: ter naufragium feci*. Et
quid hoc ad Euangeliũ: Quia longas vias, & marinas
obiuit. *Die ac nocte in profundo maris sui*. Quidam id ita
accipiunt, quod in medio mari fuerit, quod quidem ad
similitudinem veri magis accedit. Nam illud ne admi-
ratione quidem dignum est: neque ita positum fuisset,
tanquam naufragio maius. *Periculis fluminum*. Etenim
flumina quoque traicere cogebatur. *periculis latronum,
periculis in ciuitate, periculis in solitudine*. Vbi que mihi
certamina proponebantur, in locis, in regionibus, in ci-
uitatibus, in solitudinibus. *Periculis ex gentibus, periculis
ex falsis fratribus*. Vide alterum belli genus. Non enim
ab hostibus solum, sed etiam ab illis, qui fraternæ bene-
uolentiæ speciem præ se ferebant, periebatur, magna que
animi contentione ac prudentia opus habebat. *In labo-
re & arumna*. Crebris & còtinuis periculis labores suc-
cedebant, ac rursus labores pericula excipiebant, nec
vel tantillum eum respirare sinebant. *In vigilis multis,
in fame & siti & nuditate, præter illa quæ extrinsecus sunt*.
Plura prætermissa, quàm enumerata sunt. Imò ne ea
quidem, quæ enumerando recensuit, qualia sunt, verbis
explicari potest. Neque enim ea speciatim posuit: ve-
rùm illa

rùm illa demum commemoravit, quorum exiguus, A
atque eiusmodi, qui faciliè percipi posset, numerus e-
rat, ter & ter dicens, & semel: alia autem non item,
quòd videlicet ea sæpenumero pertulisset. Nec verò,
quis harum rerum fructus extiterit, refert, hoc est
quantam hominum multitudinem ad Christum con-
uerterit: sed tantum ea, quæ prædicationis causa per-
pessus sit: simul nimirum & modestiam retinens, & il-
lud ostendens, quòd etiamsi nihil effectum fuisset, non
tamen ipsius labores fructu caruissent. Sic nanque
merces plena & cumulata est. *Instantia mea quotidia-
na*. Tumultus, commotiones, populorum oppugna-
tiones, urbium impetus. Iudæi etenim supra omnes
cum bello lacebabant, propterea quòd præ cæteris o-
mnibus eos confunderet, maximùmque furoris eo-
rum atque amentie argumentum hinc præberet, quòd
tam subito ab iis ad Christum sese transtulisset. Atque
ingens aduersus eum bellum, tum à suis, tum ab alienis,
tum ab hypocritis excitabatur: fluctusque vbique
& præcipitia erant, in habitabili orbe, in desertis lo-
cis, in terra, in mari, intus, foris. Ac ne necessarius
quidem cibus ipsi superebat, nec quamlibet tenue
indumentum: verum ille orbis terrarum pugil nudus
dimicabat, ac fame oppressus decertabat. Tantum
videlicet ab eo aberat, vt opibus fruendis operam dar-
ret. Nec verò eo nomineangebatur: sed pro his re-
bus certaminis præsidii gratias agebat. *solicitudinem omnium
Ecclesiarum*. Istud præcipuum omnium caput est, quòd
animus quoque ipsius distorquebatur, atque cogitatio
distrahebatur. Nam etiamsi nulla res ipsum externè
impetiuisset, satis tamen superque intestinum bellum
erat, densisque, atque aliis alij superiecti fluctus, cura-
rum agmina, cogitationum confectus. Nam si quis-
piam vnus tantum curam gerens, seruósque & pro-
curatores atque administratores habens, plerumque
præ curarum mole ne spiritum quidem ducere potest,
tametsi alioqui nemo sit, qui negotium ipsi faceat, C
cogita, quæso, quidnam hic pertulerit, qui non vnus
domus, sed urbium, & populorum, & nationum,
atque adeò totius orbis curam gerebat, & qui-
dem pro tanti momenti rebus, cum tot essent à qui-
bus vexabatur, ipseque solus esset, tantaque patere-
tur, eaque solitudine afficeretur, vt nullus pater pro
filio in pari cura verferetur. Ne etenim dicas, Quid e-
nim si sollicitus quidem erat, sed vt cunque ac leuiter,
subiunxit quàm acris ac vehemens ea cura esset, di-
cens, *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Non dixit,
Non mœstitiã sum particeps: sed perinde atque eo-
dem ipso affectu ac morbo laborè, ita perturbor ac tu-
multuor. *Quis scandalizatur, & ego non uror?* Vide rur-
sus incredibilem quandam doloris magnitudinem,
quæ quidem in hoc inflammationis vocabulo inest.
Incendor, inquit, atque ardeo. Quod quidem ma-
ius omnibus, & grauius erat. Illa enim, quamquam
aspera & grauius, tamen confestim præteribant, volu-
ptatèque minimè marcescentem afferebant: hoc
autem erat, quod eum premebat, atque in arctum re-
digebat, mentèque ipsius sauciabat, quòd pro vno
quoque eorum, qui infirmitate premebantur, quicun-
que tandem is esset, tanta perpetereetur. Non enim de
maioribus quidem hæc dicebat, minores autem con-
tinuebat: verum abiectissimum etiam quemque, qui-
cunque is esset, inter necessarios reponebat. Vnde et-
iam dicebat, *Quis infirmatur?* & quemadmodum si
ipse vniuersa orbis Ecclesia esset, sic in vnoquoque
membro discruciebatur. *Si gloriari oportet, in his, quæ
infirmitatis meæ sunt, gloriabor*. Videtne quemadmo-
dum nusquam ob miracula, sed ob persecutiones &
Chrysol. tom. 4.

tentationes gloriatur? Hoc enim, inquit, imbecillita-
tis est, variùmque ac multiplex bellum esse indicat.
Nam & Iudæi bellum ipsi inferebant, & Gentiles ad-
uersus eum in procinctu stabant, & falsi fratres cum eo
luctabantur, & fratres infirmitate laborantes ac scan-
dalum patientes mœrore ipsum afficiebant. Vndique
ipfi tumultus ac perturbatio erat, à suis, ab alienis.
Hæc nimirum peculiaris Apostolici muneris nota est.
Per hæc textur Euangeliũ. *Deus & pater Domini no-
stri Iesu Christi scit quia non mentior. Præpositus Genis A-
retæ regis custodiebat ciuitatem Damascenorum volens me
comprehendere*. Quidnam causæ est, quamobrem hoc
loco affirmatione atque asseueratione vtatur, cum
nulla in re antè istud fecerit? Fortasse quia antiquius
hoc erat, & ignotius: illa autem ipsis quoque nota
atque comperta, nimirum sollicitudo Ecclesiarum, a-
liaque omnia. Pespice itaque quanta belli vis esset,
quippe cum ob ipsum ciuitatem præsidio cinctam te-
neret. Porro cum bellum dico, Pauli zelum dico.
Nam nisi acer ipse ac vehemens extitisset, non vtique
tanto furore præfectum incendisset. Hæc sunt animi
Apostolici, nimirum tot aduersa perpeti, nec tamen
vsquam subuerti, sed forti ac generoso animo ea, quæ
accidunt, perferre, non autem periculis obuiam ire,
nec in ea insilire. Vide quippe quemadmodum hic
obsidionem effugere sustinuerit, *Per murum demissus
in sporta*. Quamquam enim ex hac vita discedere cu-
piebat: at hominum tamen salutem expetebat. Vnde
etiam sæpe eadem moliebatur, vt se prædicationi
seruaret. Ac ne humanis quidem artibus, cum tem-
pus ita postulare, vti recusat. Vsq; adeo prudens ac
vigilans erat. Nam cum eiusmodi mala erant, quæ
vitari nullo modo possent, tum gratia sola opus habe-
bat. Cum autem quædam mediocri tentatio erat,
multa quoque suopte ingenio excogitabat. Atque hic
quoque rursus Deo totum ascribens, quemadmodum
si scintilla quædam ignis, qui extingui nequeat, in ma-
re prolapsa, incurfantibus multis fluctibus, pessum eat,
rursusque splendida emergat, ad eundem quoque mo-
dum beatus Paulus nunc quidem periculis velut con-
flabatur, nunc verò ex ipsis emerfus nitidior ac splen-
didior ascendebat, eo ipso, quòd vexabatur, victoriam
referens. Simile.

MORALE.

Hæc enim luculenta victoria est: hoc Ecclesie tro-
phæum. Sic diabolus sternitur ac profigitur,
dum nos malè mulctatur. Nobis enim perpetentibus,
capitur ille: ac malè mulctatur, dum nos incom-
modis afficere studeat. Id quod in Paulo quoque vsu
veniebat. Quò enim maiora pericula illi diabolus crea-
bat, eò magis vincebatur. Neque in vnum tentationis
genus, sed varia ac multiplicia comparabat. Alia enim
laborem, alia mœrorem, alia metum, alia dolorem, alia
curam, alia infamiam, alia hæc cuncta simul afferebant.
Et tamen in omnibus superabat. Ac quemadmodum
si miles vnus, ab vniuerso terrarum orbe bello impeti-
tus, inter medios hostium cuneos verferetur, nec quic-
quam aduersi patiatur, sic etiam Paulus solus inter Bar-
baros, inter Gentiles, vbique terrarum, atque in omni-
bus maris partibus apparens, inuictus manebat. Atque
vt scintilla aliqua in stipulam ac fenem incidens, in
naturam suam vertit ea quæ vruntur: ad eundem hic
quoque modum inuadens, omnes ad veritatem tradu-
cebat, torrentis instar omnia peragrans, atque obsta-
cula subruens: ac velut vnus & idè athleta luctans, cur-
rens, & pugnis certans, aut vt miles muros oppugnans,
pedestrem vel naualem pugnam iniens, sic ipse quoque

omne certaminis genus obibat, ignemque spirabat, atque ita se comparabat, ut nemo ad eum propius accedere posset. Vno corpore terram vniuersam comprehendebat: vna lingua omnes fundebat ac fugabat. Non ita multæ illæ tubæ in Hiericuntinæ vrbis muros incidebant, eosque solo æquabant, ut vox eius resonans diabolica præfidia prosternebat, atque hostes ad suas partes traducebat. At posteaquam ingentem captiuorum copiam collegisset, armisque eos induisset, exercitum suum rursus efficiebat, ac per eum eximias palmas obtinebat. Dauid vno tantum lapidis iactu Goliath deiecit. At si egregia Pauli facinora expendas, pueri facinus illud inuenietur: quantumque inter pastorem & belli ducem interest, tantum inter vtrumque discriminis esse conspicias. Hic enim non lapidis iactu Goliath prosternebat, verum sola voce totam diaboli phalangem opprimebat, atque ut leo rugiens, ignemque è lingua emittens, sic ipse à nemine sustineri poterat, assidueque quoquo gentium transiliebat. Ad hos currebat, ad illos se conferebat: ad hos migrabat, ad alios transibat, vento celerius procurrens, atque, instar vnus domus aut nauis, vniuersum terrarum orbem gubernans, pessum euntes retrahens, vertigine laborantes fulciens, nautas inhortans, ad puppim sedens, proram circumspectans, funes tendens, remum tractans, velum trahens, in cælum oculos coniiciens, omnia ipse munera obiens, nautæ, gubernatoris, proretæ, veli, nauis: quidlibet patiens, ut aliorum mala solueret. Sic autem consideres velim. Naufragium subiit, ut orbis terrarum naufragium sedaret ac cõprimeret. Noctem & diem in imis maris gurgitibus egit, ut homines ex erroris profundo extraheret. In labore versatus est: ut laborantes reficeret ac recrearet. Plagas sustinuit: ut iis, quibus diabolus vulnera intulerat, mederetur. In carcere commoratus est: ut eos, qui in vinculis ac tenebris sedebant, in lucem educeret. In mortibus frequenter: ut acerbis mortibus liberaret. Quinquies quadragenas vna minus accepit: ut eos, qui hæc perpetrabant, à diaboli verberibus eximeret. Virgis affectus est: ut sub Christi virgam & baculum adduceret. Lapidibus impetitus est: ut à lapidibus sensus expertibus remoueret. In solitudine fuit: ut à solitudine extraheret. In itineribus: ut errantes reprimeret, viamque in cælum ferentem aperiret. In vrbibus periclitatus est: ut supernam ciuitatem ostenderet. In fame & siti: ut à grauiore fame vindicaret. In nuditate: ut turpiter & indecorè se gerentes Christi stola conuestiret. In vulgi incurfione: ut à dæmonum impetu ac molestia abduceret. Vltus est: ut ignita diaboli tela extingueret. Per fenestram è muro demissus est: ut humi stratus è terra in altum transmitteret. Adhucne igitur loquimur, cum ne ea quidem sciamus, quæ Paulus perpessus sit? Adhucne pecuniarum, adhuc vxoris, & ciuitatis, & libertatis mentionem faciemus, cum illum etiam vitam ipsam millies aspernari ac pro nihilo ducere videamus? Qui martyrio perfungitur, semel moritur: at beatus ille vir in vno corpore atque vna anima tot pericula tamque graua sustinuit, ut vel adamantinum pectus turbare possent. Ac, quæ sancti omnes in tot corporibus pertulerunt, ea hic vniuersa in vno tulit: atque in vniuersum orbem, tanquam in stadium ingressus, rebûsque omnibus exutus, fortiter & generosè stabat. Nõrat enim dæmones, qui aduersus eum decerabant. Vnde etiam ab ipsis statim initiis virtus eius enituit: atque ab ipsis carceribus ad metam vsque, idem semper suisque similis permansit. Immo etiam, cum à palma iam non longè abesset, persecutionem augebat. Quodque mirabile est, tot, tantaque, tum

804
A patiens, tum faciens, summam modestiam retinere norat. Nam cum in eam necessitatem incidisset, ut, quæ rectè & cum virtute gesserat, narranda ipsi essent, celeriter omnia percurrit. Atqui sexcenta volumina impleuisset, si singula ea, quæ dixit, dilatare atque amplificare voluisset, si Ecclesias, quarum sollicitudinem gerebat, enumerasset, si carceres, & ea, quæ in ipsis præstitit, si aliarum rerum circûstantias, si aliorum in se impetus sigillatim exposuisset. sed noluit. Hæc igitur cum nobis explorata sint, modestiam colere discamus, nec vnquã in opibus, aut in aliis huiusce vitæ rebus gloriari: verum in contumeliis, quas Christi causa acceperimus, in iisque tũ denique, cum necessitas id expresserit. Quod si nihil sit quod vrgeat, ne harum quidem rerum mentionem faciamus, ne alioqui animis efferamur: verum peccatorum duntaxat. Sic enim his facilè liberabimur, Deumque placidum ac propitium habebimus, ac vitam æternam consequemur. Quam vnam nobis omnibus consequi contingat, per gratiam & misericordiam Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVI.



GLORIARI quidem non expedit mihi. Verum vnam autem ad visiones & reuelationes Domini. Quidnam hoc sibi vult quod postquam tot ac tanta dixit, his verbis vitur, *Gloriari non expedit mihi*: perinde ac si nihil dixisset? Non hoc ait, quasi nihil dixisset. Sed quia ad alterum gloriationis genus migraturus est, quod et si non tantam mercedem habet, tamen illustriorem cum plerisque ostenderet videtur, non autem iis, qui rem diligenter & accuratè perpendunt, idcirco ait, *Gloriari quidem non expedit mihi*. Magnæ enim iactationes erant illæ, quas antè enumerauit, nepe quæ ab afflictionibus proficiscebantur. Habet autem nunc alia quæ dicat, nimirum reuelationes atque arcana mysteria. Quid autem causæ est, quamobrem dicat, *Non expedit*? Ne me, inquit, huiusmodi commemoratio in arrogantiam extollat. Quid ais? An ea nescis, etiamsi non dixeris? At non æquè animus noster attollitur, cum nos ea scimus, & cum ad alios efferimus. Neque enim rectè factorum natura factum atque arrogantiam afferre consuevit: sed vulgi testimonium atque cognitio. Ob eam causam ait, *Non expedit mihi*: ac ne maiorem auditorum animis de me cogitationem immittam. Etenim pseudopostoli ea, quibus carebant, de seipsis prædicabant: hic contra ea etiam, quæ ipsi insunt, reticet atque occultat: idque cum tanta ipsi necessitas incumbat: atque, *Non expedit mihi*: quo nimirum omnes doceat multò etiam magis huiusmodi rem fugere. Neque enim istud fructum vllum & vtilitatem, sed potiùs detrimentum habet, nisi vtilis quædam ac necessaria occasio sit, quæ ad id impellat. Postquam itaque pericula, tentationes, insidias, mœrores ac naufragia commemorauit, ad alterum gloriationis genus se confert, dicens, *Scio hominem ante quatuordecim annos (sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit) raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum. Et scio huiusmodi hominem (sive in corpore, sive extra corpus nescio: Deus scit) quoniam raptus est in paradysum: & audiuit arcana verba que non licet homini loqui. Pro huiusmodi ergo gloriabor: pro me autem non gloriabor*. Magna certè hæc reuelatio est. Nec tamen hæc sola fuit: sed aliæ complures. Verum ipse vnam ex multis ponit. Nam quod multæ essent, audi quid dicat, *Ne magnitudo reuelationum extollat me*. Verum enim

804
enimuerò, dixerit aliquis, si eas premere atque occultare cupiebat, omninò ne significationem quidem vllam, quamlibet obscuram, dare, nec quicquam eiusmodi dicere debebat: sin autem dicere in animum inducebat, faciendum ipsi erat, ut apertè eas dilucidè que exponeret. Quid igitur afferri potest, quamobrem nec perspicuè eas exposuit, nec omnino reticuerit? Nimirum id eo factum est, ut hinc quoque ostendat, inuitum se ac repugnantem ad id accedere. Ob idque etiam quatuordecim annorum tempus posuit. Neque enim frustra huius temporis mentionem fecit, sed ut demonstraret, quod qui tot annos tacitum id tenuerat, haudquaquam id nunc enunciaisset, nisi summa eum necessitas impulisset: verum æquè tacuisset, nisi fratres pereuntes vidisset. Quod si iam inde ab ipsis primordiis talis erat Paulus, ut eiusmodi reuelatione dignus haberetur, cum nondum tot ac tantis virtutum ornamentis præditus esset, cogita, quæso, quantum vir in quatuordecim annis euaserit. Ac vide quemadmodum hic quoque modestè se gerat, cum quædam narrat, quædam autem se ignorare confiteri. Et quidem sufficiebat, cum raptum suum commemorasset, tacere. At nunc pro sua modestia hoc quoque adiungit. Quid igitur? Itane mens atque anima rapta est, ut interim corpus mortuum manserit? An corpus quoque raptum est? Id verò dicere non licet. Nam cum Paulus ipse, qui raptus est, & cui tot ac tantis arcanis frui contigit, minimè compertum habuerit, multò sanè magis hoc nobis ignotum est. Nam id quidem exploratum habebat, quod in Paradiso esset, ac ne id quidem item cum fugiebat, quin in tertio cælo verfaretur: at modum haud perspicuè norat. Atque etiam aliunde, quàm ob omni fastu alienus esset, confidera. Etenim cum de Damascenorum ciuitate verba faceret, fidem sermoni suo astruit: hic autem non perinde. Nec enim hoc admodum confirmare volebat: sed tantum dicere ac tacitè significare. Ac proinde hæc verba subiicit, *Pro huiusmodi gloriabor*. Quibus verbis haud istud indicabat, alium fuisse qui raptus fuerat: verum, ut simul, & quantum fas erat, diceret, & interim de se apertè loqui vitaret, ad hunc modum orationem conformauit. Num enim alioqui consentaneum fuisset, cum de se verba faceret, alium in medium proferre? Quid igitur afferitur, quamobrem istud sic posuerit? Non idem erat dicere, *Raptus sum*: & scio hominem raptum: nec, *Glorior pro meipso*: & pro huiusmodi gloriabor. Quod si quis dixerit, Quoniam tandem modo fieri poterat, ut sine corpore raperetur? vicissim ex eo quæram, quoniam pacto fieri poterat, ut cum corpore raperetur. Etenim hoc quoque, siquidem ad humanarum rationum lancem expendas, ac non fidei permittas, difficilius quàm illud explicari potest. Cur autem raptus est? Mea quidem sententia, ne reliquis Apostolis inferior esse videretur. Nam quia illi cum Christo consuetudinem habuerant, idcirco eum, ut gloriam ipsi conciliaret, in Paradysum rapuit. Si quidem ingenis huius loci nomen erat, atque vbique hominum sermone celebrabatur. Quocirca etiam Christus dicebat: *Hodie mecum eris in paradiso. Pro huiusmodi gloriabor*. Quid ita? Si enim alius raptus est, quid tu gloriaris? Ex quo illud intelligi datur, eum de seipso hæc prædicasse. Quod si subiunxit, *Pro meipso autem non gloriabor*, nihil aliud his verbis significat, quàm quod nulla urgente necessitate nihil huiusmodi leuiter ac temerè dicturus sit. Aut certè, ut rursus, quod dixerat, quantum fieri poterat, adumbraret. Nam quod de seipso tota ei esset oratio, etiam ex his, quæ deinceps sequuntur, perspicuè liquet. Subiunxit e-

Chrysof. tom. 4.

806
A nim, *Si autem etiam voluero gloriari, non ero insipiens. Veritatem enim dicam*. Quoniam igitur modo priùs dicebas, *Vtinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ*? Et, *Quod dico non secundum hominem dico*, sed ut in insipientia: hic autem, *Si autem etiam voluero gloriari, non ero insipiens*? Hoc non gloriationis ratione dicit: sed mendacij. Nam si gloriari insipientiæ est, multò certè magis mentiri. Hac igitur ratione ait, *Non ero insipiens*. Vnde etiam subiunxit, *Veritatem enim dicam. Parco autem: ne quis me existimet supra quod videt, aut audit ex me*. Hæc certa & indubitata causa est. Nam etiam ob miraculorum magnitudinem dii ipsi habiti sunt. Quemadmodum ergo Deus in elementis vtrumque fecit, nempe ut & imbecilla ea, & præclara crearet, alterum, ut ipsius potentiam prædicarent, alterum ut hominum errorem prohiberent: sic etiam hic quoque simul & admirabiles & imbecilles erant, ut ex operibus ipsis infideles erudirentur. Nam si eximij solum & admirabiles manentes, nec vllum imbecillitatis argumentum circumferentes, sermone suo vulgus prohibere studuissent, ne maiora, quàm veritas pateretur, de ipsis existimarent, non modò nihil perfecissent, sed etiam contrarium planè effecissent. Etenim illæ laudum reculationes, quas per sermonem fecissent, ab humilitate potiùs ac modestia proficisci visæ fuissent, maioremque ipsis gloriam admirationemque peperissent. Ob id ergo factum est, ut opere ipso ac rebus ipsis eorum imbecillitas deregeretur. Quod etiam ipsum in iis hominibus, qui tempore veteris Testamenti fuerunt, conspiceret quispiam possit. Nam Elias etiam eximius vir erat: at timiditatis tamen quandoque notatus est. Et Moses item magnus: at hic quoque ob eundem affectum fugam conciuuit. Hæc porro idcirco ipsis accidebant, quod Deus abscederet, atque humanæ naturæ imbecillitatem prodi ac declarari sineret. Nam cum, posteaquam Iraëlitas ex Ægypto eduxisset, dixerint illi, *Vbi est Moses? si eos etiam in Palæstinam induxisset, quid non dicturi fuissent? Ob eamque causam ipse quoque ait, Parco, ne quis me existimet*. Non ait, *dicat*: sed, *ne quid maius, quàm pro dignitate mea, existimet*. Itaque hinc etiam perspicuum est, eum de seipso hanc omnem orationem habere. Eaque de causa initio quoque dicebat, *Gloriari quidem non expedit mihi*. Quibus quidem verbis, si de alio quopiam ea dicturus fuisset, quæ dixit, haudquaquam vltus esset. Quamobrem enim de altero gloriari non conducit? Verum ipse erat, cui ista diuino beneficio contingerant. Vnde etiam hæc verba subiicit, *Et ne magnitudo reuelationum me extollat, datus est mihi stimulus carnis, angelus Satane, qui me colaphizet*. Quid audio? Isne, qui præ Christi amore, nec cælorum regnum, nec gehennam quicquam esse ducebat, vulgi honores alicuius pretij esse censēbat: ita ut his etiam attolleretur, ac perpetuo fræno opus haberet? Non enim dixit, *Qui colaphizaturus sit, sed, Qui colaphizet*. Quis autem hoc dixerit? Quoniam ergo horum verborum sententia est? Postquam quisnam tandem iste stimulus, & quis angelus Satane sit, aperuerimus, tum demum hoc etiam exponemus. Nonnulli ergo eum dolorem quendam capitis, quem diabolus ipsi confluisset, intelligere censuerunt. Absit autem ut ita sit. Neque enim Pauli corpus diaboli manibus ac potestati addictum fuit: quippe cum diabolus ipse vel Pauli duntaxat iussis atque imperiis cederet, eique Paulus & leges, & certos terminos præscriberet, cum fornicatorem illum in carnis interitum ipsi traderet, nec eos ille transire ausus fuerit. Quid igitur his verbis sibi vult? Satan Hebræo

C c ij

rum lingua aduersarium sonat. Ac Scriptura tertio Regum libro aduersarios hoc nomine appellauit. Nam de Salomone verba faciens, ait, Non erat Satan in diebus ipsius (hoc est aduersarius) qui bellum ipsi inferret, aut molestiam exhiberet. Quod ergo ait, hanc habet sententiam: Deus prædicationem lætæ ac fœliciter progredi non permisit, quò animos nostros demitteret, verùm aduersarios in nos impetum facere passus est. Hoc enim ad deprimendum fastum vim habebat, non item ad illum capitis dolorem propulsandũ. Quocirca per Angelum Satanæ, Alexandrum ærarium, Hymenæum, Philetum, ac denique omnes, qui fidei doctrinæ aduersabantur, atque cum ipso contendebant ac bellum gerebant, eumque in vincula conieciabant, cædebant ac raptabant, intelligit: quò videlicet ea, quæ Satanæ erant, perpetrarent. Quemadmodum enim Iudæos diaboli filios vocat, quò illius opera imitarentur: sic etiam Satanæ Angelum omnes eos nuncupat, qui fidei doctrinæ obfistunt. Hoc itaque ait, *Datus est mihi stimulus qui me colaphizat.* Non quò Deus huiusmodi homines armaret, (absit enim hoc) sed quò eos minimè coërceret, ac suppliciis afficeret, verùm ad quoddam tempus eos grassari permetteret. *Propter quod ter Dominum rogauit.* Hoc est sæpenumero. Idque summæ humilitatis argumentum est, non celare quò ferendis insidiis impar esset, grauitèrque laboraret: atque, vt liberaretur, preces ad Deum adhibendæ ipsi essent. *Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Virtus enim mea in infirmitate perficitur.* Hoc est, Sufficit tibi quò mortuos in vitam reuocas, quò cæcis mederis, quò leprosos purgas, quò alia miracula edis. Ne insuper id poscas, vt à periculis immunis sis, liberèque ac tranquillè degas, ac sine molestiis munus prædicationis obeas. At doles & mœrore afficeris? Ne mihi hoc imbecillitati ascribas, quò multi sint qui tibi insidias struant, tèque cædant & exagitent, ac flagris conscindant. Nam hoc potiùs meam potentiam indicat. Virtus enim mea, inquit, in infirmitate perficitur: cum videlicet vos persecutionem patietes, eos, qui vos persequuntur, frangitis ac superatis, cum iactati atque vexati, de iis, qui vos vexant, palmam refertis, cum vinculis astricti, eos, qui flagris vos cædunt, in fugâ vertitis. Quocirca superuacanea ne poseas. Vides quemadmodum ipse aliam causam afferat, aliam Deus? Ipse enim ait, Ne extollar, datus est mihi stimulus carnis. Contrà autem hanc à Deo allatam causam fuisse ait, nimirum se istud idcirco permittere, vt potentiam suam ostendat. Non igitur superuacaneam duntaxat rem postulas, sed etiam quæ potentiam meæ gloriæ tenebras offundat. His enim verbis, Sufficit tibi, hoc indicatur: tanquam videlicet nihil aliud adiungi debeat, verùm omnia perfecta ac numeris omnibus absoluta sint. Itaque hinc etiam liquet, eum non de capitis dolore loqui. Neque enim ægrotantes prædicabant (non enim morbo detenti prædicare potuissent) sed exagitati ac vexati, omnia superabant. Postquam igitur hæc audiui, inquit, libentissimè in infirmitatibus meis gloriabor. Ne enim animis conciderent, eum scilicet pseudapostoli illi ob contraria gloriarentur, seque iactarent, hi autem in persecutionibus versarentur, ostendit se propterea illustriorem fieri, Deique potentiam hæc ratione magis elucere: eaque, quæ ipsis contingebant, eiusmodi esse, vt de iis meritò gloriari possent. Ob eamque causam ait, *Libentissimè igitur gloriabor.* Non mœsto atque afflicto animo hæc dixi, quæ supra enumeravi, aut etiam hoc, quò nunc dixi, nempe datum mihi stimulum esse: sed velut eo nomine gloriâs, maiorèmq; hinc vim

contrahens. Vnde etiam subiungit, *Vt inhabitet in me virtus Christi.* Hoc loco aliud quiddam tacitè significat, nimirum quòd quanto magis tentationes augebantur, tantò etiam magis gratia crescebat, ac permanebat. *Quãobrem mihi placeo in infirmitatibus meis. Quibus tandem quæso? In contumeliis, in persecutionibus, in necessitatibus, in angustiis.* Vidène quo pacto hoc nunc apertissimè declararit? Infirmitatis enim genus commemorans, febres non dixit, aut huiusmodi aliquem circuitum, aut alium corporis morbum, sed contumelias, persecutiones, angustias. Perspicène Paulini animi aequitatem ac probitatem? Periculis quidem ac molestiis liberari cupiebat: cum autem à Deo audiuit hoc fieri minimè oportere, non modò hoc nomine tristitia affectus non est, quòd voti sui compos minimè extitisset, sed etiam voluptatem cepit. Ob idque dicebat, *Quãobrem placeo mihi: lætitia afficio,* inquit, ac pro Christo contumeliis affici, vexari, opprimi cupio. Hæc porro ideo dicebat, tum vt illorum arrogantiã comprimeret: tum vt horum animos erigeret, ne calamitates eæ, quibus premebantur, ipsis pudori essent. Hæc enim materia, inquit, est eiusmodi, vt nos omnibus mortalibus clariore reddere queat. Ac deinde aliam quoque causam ponit. *Cum enim infirmor, tunc potens sum.* Quid tibi mirum videtur Dei potentiam tum demum ostendi? Ipse quoque tum firmus ac potens sum. Siquidem tum maximè gratia accedebat. Quemadmodum enim abundant ipsius passionis: ita etiam abundat consolatio nostra. Vbi afflictio, illic etiam consolatio: vbi consolatio, illic & gratia. Quippe cum in vincula coniectus fuisset, tum demum mirifica illa parabat. Cum naufragium fecisset, atq; in barbarorum regionem delatus fuisset, tum potissimùm effulsit ac celebratus est. Cum tribunal vinctus ingressus est, tum iudicem quoque ipsum superauit. Sic in veteri quoque Testamento contingebat. In tentationibus enim iusti florebat.

MORALE.

Quantam utilitatem afflictio afferat.

Sic tres pueri, sic Daniel, & Moses, & Ioseph. Omnes hinc splendorem ac magnas coronas consecuti sunt. Nam tum etiam anima purgatur, cum propter Deum premitur. Tunc maiori auxilio fruitur, atque ampliori gratia digna existit, cum maiore subsidio opus habet. Quin ante illud quoque præmium, quòd à Deo propositum est, ingentia bona percipit, cum philosophicè se gerit. Nam afflictio & fastum amputat, & segniticem omnem excindit: atque ad patientiam instruit, ac velut inungit. Rerum humanarum vilitatem detegit: atque ingentem philosophiam inducit. Omnes enim turbulenti animorum motus ipsi cedunt, inuidia, æmulatio, libido, potentia, diuitiarum & corporum amor, arrogantia, fastus, ira, ac reliquum huiusmodi morborum agmen. Quòd si in rebus ipsis, & priuatim virum aliquem, & populum vniuersum cernere libet, in promptu erit mihi ostendere, & qui in calamitate, & qui in quiete atque oblectatione versati sint, ac docerè, quantum illinc fructus, quantum hinc socordia promanarit. Etenim Hebræi, cum exagitantur, ingemiscebant ac Deum obsecrabant, plurimùmque auxilij è coelo pertrahebant. Cum autem increpatis sunt: recalcitrarunt. Niniuitæ rursus, cum securè ac tranquillè viuerent, Deum vsque adeo ad iracundiam incitarunt, vt se urbem funditus deleturum minarentur. At postquam Ionæ prædicatione humiles ac summissi redditi sunt, tum verò nullò nò philosophiæ argumentum

3. Reg. 7. & 9.
Ibid. II.
1. Reg. 13.
Quod auro ignis hoc animo afflictio. Ioan. 16.

Ad. II.
Ibid. II.
Afflictio nis vilitas.
Senatus erat Deus creare.
Erod. II.
Deum Ionæ
Antiochus.

mentum præbuerunt. Quòd si hominem vnum priuatim intueri libet, Solomonem tibi animo proponere. Nam cum hic in cura & perturbatione versaretur, de gētis videlicet illius imperio atque gubernatione consilia agitans, dignus habitus fuit cui visio illa contingeret. Cum autem luxui ac deliciis se dedit, in ipsam vitij voraginem deuolutus est. Quid ipsus pater: Quònam tempore eximium atque admirandum virum se præbebat? An non cum in tentationibus versaretur? Quid Absalon? An non tum demum prudenter ac modestè se gerebat, cum exilij causa solum vertisset? Postquam autem reuersus est, tum tyrannidem inuasit, tum parricidij crimine sese deuinxit. Quid Iob? Nā quamquam ille, etiam cum læta omnia ac prospera haberet, clarus & illustris erat, illustrior tamen post calamitatem visus est? Quid autem prisca & vetera commemorare attinet? Nam si quis præsentem rerum nostrarum statum expendat, quantum fructus ex afflictione nascatur, perspiciet. Nunc enim, cum pace fruimur, e-languimus & defluximus, ac sexcentis Ecclesiam malis impleuimus. Cum autem exagitabamur, & moderatiores, & meliores, & studiosiores, & ad hoc conuentus concionēsque audiendas promptiores eramus. Quod enim auro ignis, hoc animis est afflictio, spurcitiem abstergens, puros eos afficiens, luculentos & illustres reddens. Hæc ad regnum inducit: illa ad gehennam. Quocirca hæc quidem angusta: illa autem lata. Vnde etiam Christus dicebat, In mundo pressuram habebitis: tanquam ingens bonum ad nos perueniens. Itaque si inter ipsius discipulos censeris, arcum & angustum iter capeffe, nec indignare, atque animum desponde. Nam nisi ad hunc modum premaris, omnino te inutuli quadam & infructuosa alia de causa premi necesse erit. Nam & inuidus & pecuniarum audis, & qui meretricis amore flagrat, & inanis gloria cupidus, & quilibet eorum, qui praua consecretantur, multos mœrores multasque calamitates subit, nec minus, quàm ij, qui lugent, angitur. Quòd si non collacrymat ac mœret, pudore scilicet ac stupore prohibetur. Alioqui enim, si animum ipsius cognitum habeas, infinitis eum fluctibus refertum conspicias. Cum itaque res ita se habeat, vt & eum, qui hanc, & eum, qui illam vitam sequitur, premi necesse sit, quò fit vt non hoc potiùs vitæ genus amplectamur, quòd innumeras cum afflictione coronas afferat? Etenim Deus ad hunc modum sanctos omnes per afflictionem, & anxietatem duxit: simul nempe & ipsos iuuans, & aliis consulens, ne videlicet maiorè, quàm par esset, de ipsis opinionem conciperent. Sic enim etiam Idolorum cultus primùm robur atq; imperium obtinuerunt: cum nimirum homines, ampliori, quàm æquum esset, admirationi haberentur. Sic Romanorum senatus Alexandrum decimum tertium Deum esse censuit. Is enim hanc potestatem habebat, vt Deos crearet atque conscriberet. Quippe, cum res omnes à Christo gestæ nunciatæ sunt, Romam misit is, qui Iudæorum nationi præerat, sciscitans ex ipsis num eum quoque Deum creare placeret. Id verò illi facere recusarunt, quòd iniquo atque infenso animo ferrent, ante decretum suum atque sententiam, Crucifixi potentiam effulgentem, vniuersum orbem ad sui cultum & venerationem attraxisse. Hoc porro vel inuitis ipsis ita diuinitis procurabatur: vt ne humanis suffragiis atque sententiis Christi diuinitas promulgaretur, atque vnus è multis illis ipse esse censeretur, qui ab ipsis creati ac designati fuerant. Nam & pugiles pro Diis habuerunt: atque adeo cinèdum illum, quem Adrianus in deliciis habebat. Vnde etiam vrbs Anti-

anoi appellatur. Quandoquidem enim mors aduersum humanam naturam testimonium dicit, idcirco diabolus alteram viam excogitauit, nimirum animæ immortalitatem: cui immodicam quandam adulationem admiscens, quamplurimos in impietatem abduxit. Ac veteratiorum illius improbitatem quæso perspicite. Nam cum nos eam commodè atque vtiliter proferimus, sermonem ille euertit. Cum autem in detrimentum ac perniciem eam astruere cupit, magno studio & diligentia eam constituit. Ac si quispiam dixerit, Quò fieri potest vt Alexander Deus sit? An non mortuus est, & quidem miserè? At immortalis est animus, inquit. Nunc ergo immortalitatem asseris ac philosopharis, vt à præpotenti Deo nos abducas. At cum nos summum Dei beneficium eam dicimus, humiles & humili abiectos, nihilque melius quàm ea animantia, quæ ratione carent, affectos, vt deceptos, in tuam sententiam abducis. Quòd si Crucifixum viuere dixerimus, risus statim consequitur: quamlibet etiam orbis vniuersus, & olim, & nunc quoque id clamet, tum videlicet per miracula, nunc autem per eos, qui ad eum sese conuerterunt. Neque enim mortui est ista præstare. Sin autem rursus quispiam Alexandrum viuere asserat, huic fidem adhibes, cum tamen nullum miraculum proferre queas. Imò verò, inquis, Multa enim & magna, cum vitæ vsura frueretur, gessit. Nam & gentes, & vrbes, imperio suo ac ditioni subiecit, & in multis bellis ac præliis victoriam obtinuit, trophæaque erexit. Quid si ostendero, id, quòd nec ille, dum viueret, nec alius quispiam ex his, qui vnquam extiterunt, cogitauit: quòd tandem aliud resurrectionis argumentum quæris? Nam quòd quispiam viuens bella feliciter confecerit, victoriasque adeptus sit, cum regium imperium obtineret, copiasque militares haberet, nec mirum, nec nouum atque insolens videri debet. At verò post crucem ac tumulum, tot ac tanta passim tota terra & mari efficere, hoc verò ingenti potissimùm stupore plenum est, ac diuinam & arcanam potentiam promulgat. Ac quidem Alexander imperiū suum, post ipsius è vita discessum, laceratum ac penitus deletum, haudquaquam instaurauit, atque in integrū restituit. Quò enim id potuisset homo mortuus? At Christus tum demum ipsum maximè excitauit, postquam ex hac vita migravit. Quid autem Christum commemoro? cum ipse discipulis quoque suis, vt post mortem clari ac celebres essent, concesserit? Vbi enim quæso, Alexandri tumulus est? Fac mihi eum ostendas: diemque, quo vitam cum morte commutauit, dicas. At Christi seruorum tum splendida sepulcra sunt, vt quæ urbem omnium præstantissimam maximèque regiam occuparint, & dies noti atque perspecti, vt qui festi à toto orbe agitentur. Atque illius quidem tumulum familiares quoque ignorant: huius autem, barbari quoque exploratum habent. Ac sepulcra eorum, qui Crucifixi seruierunt, regias aulas splendore vincunt, non tam magnitudinis aut pulchritudinis edificiorum ratione (nam hac etiam parte superant) quàm, quòd multò maius est, coeuntium studio atque alacritate. Nam & ille, qui purpurâ gestat, ad sepulcra illa se confert, vt ea exosculetur: abiectoque fastu supplex stat, sanctosque obsecrat, vt ipsi apud Deum sibi præsidio sint: atque, vt & tentoriorum opificem, & piscatorem, & quidem fato functos, patronos habeat, precibus is contendit, qui diademate cinètus est. Ergone, dic quæso, horum dominum mortuum dicere audebis, cuius serui, etiam defuncti, eorum, qui vniuerso orbi imperant, patroni ac defensores sunt? Atque id non Romæ solum fieri quispiam viderit, sed etiam in vrbe

Diabolus animorū immortalitate abicitur.

Sanctorū sepulcra.

Chrysof. tom. 4.

Constantinus in A-
postolici
templi ve-
stibulo
humatus.

Constantinopolitana. Nam & hinc quoque Constantinum magnum filium ita demum ingenti honore se affecturum existimavit, si eum in piscatoris vestibulo conderet. Quodque Imperatoribus sunt in aulis ianitores, hoc in sepulcro piscatoribus sunt Imperatores. Atque illi quidem, velut Domini, interiores loci partes obtinent: hi autem velut accolæ ac vicini, præclare secum agi putarunt, si vestibuli ianua ipsis assignetur: ab his videlicet, quæ in hac vita fiunt, etiam his, qui à fide Christiana abhorrent, illud ostendentes, quod piscatores in resurrectione præstantiorem dignitatis gradum obtinebunt. Nam cum hinc in sepulcris tãto superiores sint, multò certè magis in resurrectione. Atque mutatis rerum vicibus, Imperatores famulorum ac ministrorum, subditi autem Imperatorum dignitatem tenent, atque adeo luculentiorum. Quodque hoc non ab adulationis studio proficiscatur, veritas ipsa ostendit. Etenim ab illis hi quoque maiorem splendorem sunt consecuti. Hæc quippe sepulcra, aliis Imperatorum sepulcris multò splendidiora & venerabiliora facta sunt. In illis enim mira solitudo: in his ingens hominum frequentia. Quod si cum imperatoris aulis hæc sepulcra conferre libeat, penes hæc rursus victoria futura est. Illic enim multi sunt, qui turbam submoueat: hinc contra multi qui inuitent, atque & diuites, & pauperes, & viros, & fœminas, & heros, & seruos attrahant. Illic ingens terror: hinc lætitia, quæ nullis verbis explicari queat. At dulce spectaculum est Imperatorem auro amictum, & corona redimitum videre, adstantesque bellicos duces, præfectos, tribunos, centuriones, prætores? Verùm hæc adeo illis augustiora magisque tremenda sunt, ut præ istis illa scena quædam ac merus ludus censerent possint. Simul enim atque limina transfileris, locus ipse mætem ad cœlum, ad supernum regem, ad angelorum exercitum, ad sublimem illum thronum, ad inaccessible gloriam, transmittit. Atque hinc quidem Imperator subditos suos præfecto ita subiecit, ut ei liberum sit alios solvere, alios vinculis astringere: at sanctorum ossa nõ miseram hanc abiectionemque potestatem habent, verùm illa multò maiore. Dæmones enim sistunt & excruciant, acerbissimisque illis vinculis, eos, qui astricti sunt, solvunt. Quid hoc tribunali terribilius fingi potest? Cum nemo cernatur, nemo dæmonis lateri incumbat, voces & dilacerationes, verbera & cruciatus, linguæ conflantes audiuntur, dæmone videlicet eximiam illam & admirabilem potentiam minimè ferente. Atque isti, qui corpora gestarunt, virtutes illas corpore vacantes superant: pulvisque, & ossa, & cinis, naturas ab oculorum aspectu remotas excarnificant. Ob eamque causam nemo est qui peregrinationem vnquam inire sustineat, ut Imperatorum aulas videat: contra multi plerumque Imperatores peregrè profecti sunt, ut hoc spectaculo fruerentur. Siquidem sanctorum martyrum templa futuri iudicij vestigia & signa exhibent, dum nimirum dæmones flagris cæduntur, hominesque torquentur, ac liberantur. Vides quæ sanctorum, etiam vita sanctorum, vis sit? Vides quæ flagitiosorum hominum, etiam viventium, imbecillitas? Proinde vitium fuge, ut eos, qui tales sunt, superes: ac virtutem omni studio consecrare. Nam si præsentia eiusmodi sunt, cogites velim qualia futura sint. Atque hoc amore perpetuò correptus sempiternam vitam arripe. Quam vnquam nos omnes consequamur, per gratiam & misericordiam Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Sanctorum
ossa quan-
tum pos-
sunt.

Pisere-
grinatione.

Sancti-
tudine

HOMILIA XXVII.



ACTVS sum insipiens gloriando, vos me coëgistis. Ego enim à vobis debui commendari. Absoluta de suis laudibus oratione, hic minimè gradum fixit: verùm se rursus excusat, ac de iis, quæ dixit, veniam petit, necessitate nempe adductum se fuisse dicens, non voluntate, animique inductione. Et tamen, quamlibet eò necessitate pertractus fuerit, insipientem se vocat. Atque, cum hunc sermonem ordiretur, dicebat, Ut insipientem accipite me: & Tanquam in insipientia. Nunc verò sublata hac particula, vt, Insipientem seipsum vocat. Posteaquam enim, per ea, quæ dixit, id, quod in animo habebat, effecit, liberè iam atque audacter vitium huiusmodi notat, quo videlicet omnes erudiat, ne, nisi summa necessitas urgeat, quisquam suas laudes prædicet: quippe cum Paulus, necessaria etiam causa oblata, insipientem tamen se appellavit. Deinde eorum, quæ locutus est, causam omnem, non ad pseudapostolos, sed ad discipulos suos conuertit. Vos enim inquit, me coëgistis. Nam si ipsi ita se iactarent, ut id sine vestra fraude facerent, nec vos in exitium impellerent, haudquaquam eò progressus essem, vt in eiusmodi sermones meipsum demitterem. Quoniam autem vnuerfam Ecclesiam labefactabant, vtilitatis vestræ causa insipientiæ vitio laborare coactus sum. Nec verò dixit, Metui, ne si primas apud vos tulissent, dogmata sua ferebant: verùm hoc quidem ipsum superius posuit, cum dixit, Timeo autem ne sicut serpens Euam seduxit, ita corrumpantur sensus vestri. Nunc autem non eodem modo: verùm maiori cum autoritate ac potestate, vt qui ex his, quæ antè dixerat, liberiùs loquendi facultatem nactus esset. Ego enim à vobis debui commendari. Postea causam affert. Rursusque haud revelationes ac miracula tantum commemorat, sed etiam tentationes. *Nihil enim minus habui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli.* Vides quemadmodum hic quoque rursus liberiùs, ac maiori quadam cum autoritate loquatur. Priùs siquidem aiebat, Existimo me nihil minus habuisse. Hinc autem absolutè pronuntiando ita, vt dixi, post allatas probationes liberè deinceps loquitur. Quamquam ne sic quidem à modestia, suisque moribus abscedit. Perinde enim ac si quid magni dixisset, suæque dignitatis modum excessisset, quòd in Apostolorum numerum sese aggregasset, sic rursus orationem temperat, atque: *tametsi nihil sum, signa tamen Apostoli facta sunt in vobis.* Ne, inquit, hoc insipias, an vilis & exigui pretij ego sum: verùm an non his, quæ ab Apostolo expectanda erant, tibi frui contigerit. Nec dixit, vilis: sed, quod hoc vocabulo adhuc inferius erat, *nihil.* Quid enim refert magnum esse, si nemini profis: quemadmodum videlicet nil prodest medicum artis suæ peritum esse, si nulli ægrotantium medeatur. **D**Ne ergo, inquit, hoc expendas, quòd nihil ipse sim, verùm illud demum considera, quòd in iis, in quibus vos beneficio affici conueniebat, nullè meæ partes desideratæ sunt, verùm Apostolatus mei experimentum præbui. Quocirca minimè oportebat vt me ipse prædicarem. Hoc porro non eo dicebat, quòd commendatione opus haberet (quinam enim id, cum etiam ipsum præ Christi amore ac desiderio parui faceret?) sed quòd salutis ipsorum cupiditate teneretur. Postea, ne ipsi dicerent, Quid nostra interest, si eximius Apostolis nulla in re inferior fueris? ob eam causam subiungit, *In vobis facta sunt signa Apostoli, in omni patientia, & signis, & prodigiis.* Papæ quantum rectè factorum pelagus paucis verbis præterit! Ac vide quid primum collo-

Sup. II.

Sup. II.

1. Cor. 9.

Nihilno-
fert mi-
gnis esse
nemini
prodit.

Ibidem.

HOMILIA XXVII.

813 collocet, nimirum patientiam. Hoc enim Apostoli specimen atque argumentum est, nempe omnia forti animo ferre. Istud porro breuiter atque vno vocabulo complexus est. Contra, miracula, vt quæ non ipsius virtute ederentur, pluribus verbis prosequutus est. Cogita enim quot carceres, quot plagas, quot discrimina, quot insidias, quot tentationum agmina hinc tacitè significarit: quot intestina bella, quot externa, quot dolores, quot impetus, vnico patientiæ vocabulo perstrinxerit. Per signa rursus, quot homines ab eo à morte ad vitam reuocati, quot cæci curati, quot leprosi mundati, quot dæmones eieciti sint. Ex his verbis illud edocemur, vt si necessitas quædam nos in huiusmodi narrationes adegerit, ea, quæ à nobis rectè & cum laude gesta sunt, breuissimè perstringamus. quemadmodum à Paulo quoque factum est. Mox, ne aliqui dicerent, Etiam si magnus es, ac multa gessisti, at non tot tamen ac tanta, quot & quæta Apostoli in reliquis Ecclesiis gesserint, idcirco subdidit, *Quid est enim quod minus habuistis præ cæteris Ecclesiis?* Non minorem, quam ceteri, gratiam accepistis. At, dixerit fortasse quispiam, quidnã causæ est, cur relicta dimicatione cum pseudapostolis sermonem ad Apostolos conuertat? Nimirum vt eorum animos amplius erigat, ostendatque eos non modò illis præstantiores, sed ne magnis quidem Apostolis inferiores esse. Ob eam quippe causam cum de illis verba facit, ait, *Plus ego.* Cum autem cum Apostolis se confert, satis habet, si ipsis inferior minimè sit: tametsi etiam plus illis laborasset. Atque hinc illud quoque indicat, quòd & in illos cõtumeliosi sint, cum eum, qui ipsis par sit, istiusmodi hominibus posthabeant. *Nisi quòd ego ipse non grauam vos.* Rursus cum magna acerbitate obiurgationem posuit. Idque, quod sequitur, asperius adhuc est, *Donate mihi hanc iniuriam.* Et tamen hæc asperitas beneuolentiæ verba & eorum laudationem continet: siquidem iniuriæ hoc ducebant, quòd Apostolus à se id impetrari minimè passus esset, vt quicquam ab ipsis sumeret, nec tantum fiducia concepisset, vt ab his alii sustineret. Si hoc, inquit, mihi crimini vertitis. Non dixit, Malè me accusatis: sed non sine magna suauitate, A vobis peto vt mihi huius peccati gratiam faciatis. Ac, qua solertia vtatur, perspicias velim. Quoniam enim hoc, assiduè vsurpatum & inculcatum, probum ipsis afferebat, idcirco etiam assiduè illud mitigat. Superius enim cum dixisset, Est veritas Christi in me, quòd gloriatio hæc non infringetur, dixit rursus, Quia non diligo vos? Deus scit: sed vt amputem occasionem eorum, qui quærent occasionem: & vt, in quo gloriantur, inueniantur sicut & nos. Et in priore Epistola cum dixisset, Quæ igitur mihi merces est? vt Euangelium prædicans sine sumptu ponam Euangelium: hic rursus ait, *Donate mihi hanc iniuriam.* Vbi que enim cauet, ne ostendat eorum imbecillitatem in causa esse, cur nihil ab ipsis accipiat: ne hinc animos eorum feriat. Ob idque sic loquitur: Si hoc peccatum esse ducitis, veniam peto. Hæc autem idcirco dicebat, vt simul & eos percelleret, & leniret. Nec enim mihi hoc dixeris, Si ferire cupis, quid excusatione vteris? Si lenire, quid feris? Hoc enim solertis animi est, nimirum incidere, & vulnus obligare. Postea, ne (vt prius dicebam) ideo hoc assiduè versare videretur, quòd aliquid ab ipsis acciperet, huic suspicioni medetur quidem ipse etiam in epistola superiori, dicens, Non autem scripsi, vt ita fiat in me. Melius enim est mihi mori, quam vt gloriam meam quis euacuet. Hinc verò suauius blandiùsque id facit. Quoniam tandem modo? *Ecce tertio iam paratus sum venire ad vos: & non ero grauis vobis. Non enim quero quæ vestra sunt:* Chrysost. tom. 4.

814 sed vos. Nec enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. Quod autem dicit, hanc sententiam habet: Non quia nihil accipio, idcirco ad vos non accedo: verùm & iterum accessi, & tertio ad vos proficisci paro, nec vobis oneri ero. Ac causam sanè grauem affert. Neque enim dixit, Quia præparci estis, quia offendimini, quia imbecillitate laboratis. Sed quid? *Non enim quero quæ vestra sunt, sed vos.* Maiora quædam posco, nempe animas loco pecuniarum, salutem auri loco. Deinde, quoniam res nondum suspicione carebat, tanquam videlicet ipse dolore quodam aduersus eos commoueretur, ob eam causam rationem quoque ponit. Quandoquidem enim verisimile erat eos dicere, An non licet nobis, quæ nostra sunt, habere, non sine magna suauitate ac venustate defensionem ipsorum in hæc verba subiungit, *Non enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filiis:* magistrorum videlicet ac discipulorum vice, parentes ac filios collocans, ac demonstrans se debito quodam munere perfungi, cum tamen ad id minimè astrictus esset. Non enim ita imperauit Christus: sed pro sua erga eos indulgentia his verbis vtitur. Eoque nomine quiddam etiam maius adiungit. Non enim duntaxat dixit, *Nec enim debent filij parentibus thesaurizare:* sed hoc quoque adiecit, quòd parentum sunt partes, vt filii thesaurizent. Quandoquidem itaque dare opus est, *ego libentissimè impendam, & superimpendam pro animabus vestris.* Etenim lex quidem naturalis hoc sanxit, vt parentes filiis thesaurizent: ego verò, ea re non contentus, meipsum quoque insuper vobis trado. Atque in hoc incredibilis quædam ipsius liberalitas elucet, quòd non solum non accipit, verùm etiam insuper donat: neque id vulgariter, sed cum magna munificentia, atque ex eo quod ipsi deest. Hoc enim vocabulo, *superimpendam*, istud tacitè indicatur. Nam etiam si carnem ipsam, salutis vestræ causa expendere oporteat, nullam ipsius rationem habeo. **C**Atque id quod subiungitur, coniunctam cum beneuolentia accusationem habet, *licet plus vos diligens, minus diligar.* Atque hoc, inquit, facio, non minus pro iis, à quibus minimè amor, quam pro iis, à quibus amor. Iam ergo considera quòtnam gradus ista res habeat. Accipere oportebat: ipse autem non accipiebat. hæc prima laus est. Et cum inopia premeretur, hæc secunda est. Et cum ipsis prædicaret. Tertiam habes. Et insuper largitur. hinc quarta est. Nec vulgariter largitur: sed copiosè. Quinta hæc est. Nec pecunias duntaxat: sed etiam seipsum. Sexta. Et pro his à quibus haud magnopere amabatur. Septima. Ac denique pro his quos maiorem quandam in modum amabat. *Octaua hæc est.*

MORALE.

De charitate: & contra inuidos.

Hinc itaque nos etiam imitemur. Nam cum ingès crimen sit, non diligere: maius tamè & grauius efficitur, cum quispiam amatus minimè redamat. Nam si is, qui amantem redamat, publicanis nihilo præstantior est, profectò is qui ne hoc quidè habet, inter feras censendus est, imò etiam his inferior erit. Quid ais homo? Amantem non redamas? Cur ergo huiusce lucis vsura frueris? Qua tandem in re iam vsuri eris? Quibusnam in rebus? forensibus, an priuatis? Haud sanè. Nihil eo homine inutilius fingi potest, qui amare nescit. Hanc legem latrones etiam persæpe ac sicarij, & sepulchrorum effossores amplexi sunt: cumque vel salem duntaxat communem inter se habuissent, aliam mentem induerunt, atque ob mensæ commercium mores suos mutauerunt. Tu verò non salem duntaxat, sed ver-

Matt. 5.

Inutilis est, qui amare nescit.

ba etiam, & negotia, & ingressus cum aliquo communis habens, non cum amas? At ij, qui turpibus amoribus dediti sunt, vniuersas quoque facultates suas in eas mulieres, cum quibus consuetudinem habent, expendunt: tu verò, honesto amore captus, ita frigidus & imbecillus atque ignauus es, vt ne citra sumptum quidem vllum amare sustineas. Sed quisnam est, inquis, vsque adeo miser, quis tam belluinis moribus, vt amantem aueretur atque oderit? Tu quidem rectè facis, qui ob rei absurditatem fidem mihi detrahis. Verùm, si multos eiusmodi demonstraro, quo tandem pacto ignominiam hanc feremus? Nam cum amanti obtrectas, aut obtrectante altero non ei opem fers, cum florenti inuides, quanam hæc beneuolentia est? Quanquam ne hoc quidem ad probandam amicitiam sufficit, quòd quispiam ab inuidia liber sit: quemadmodum nec illud etiam, quòd quis amantem odio ac bello minimè insectetur: nisi insuper eum quoque tueatur, ipsiusque commoda amplificet. Cum autem nihil non facit ac loquitur, quòd proximum deiciat, quid tandem hac anima miserius esse possit? Heri ac nudius tertius amicus illi eras, sermonisque ac mensam impertiebas. Postea autem, simulatque membrum tuum florens, atque in homine laude positum vidisti, abiecta amicitiae larua, inimicitiae, vel furoris potius, personam induisti. Perspicuus etenim furor est, prosperis aliorum rebus angit. Hoc enim furentium canum est, rabièque laborantium. Eorum enim more, hi quoque liuoris cæstro perciti, in omnium ora profiliunt. Ac sanè præstat serpentem in visceribus prouolutum habere, quàm inuidiam internè serpentem. Etenim ille, & medicamentorum auxilio sæpe euomi, & alimenti ope mitigari potest: at inuidia, non in visceribus sese volutat, sed in animæ sinu versatur. eaque est huius morbi natura, vt ægrè deleri atque extingui possit. Ac serpens intus conditus corpora humana haudquaquam attigerit, siquidem ipsi alimentum apponatur: at inuidia, etiam si sexcentas ei mensas apposuerit, animam ipsam arrodit, vnde cunquæ mordens, vellicans, trahens: neque vllum solatij genus reperire potest, cuius ope atque adiumento furorem compescat, vno duntaxat excepto, nempe vt ei, qui prosperis rerum successibus vtitur, calamitas aliqua accidat. Nam hac demum ratione morbus remittitur. Imò ne sic quidem. Nam etiam si ille incommodo aliquo afficiatur, alterius tamen res lætas ac secundas cernens, in iisdem doloribus hæret: atque vbique vulnera, vbique plagæ. Neque enim fieri potest, vt qui in terra degit, neminè videat, quo cum præclare ac feliciter agatur. Tantæque est huius morbi magnitudo, vt etiam si quis sese domi includerit, priscis etiam hominibus vita functis inuideat. Atque his quidem, qui in mundo atque hominum frequentia viuunt, id euenire, quanuis graue ac molestum sit, non tamen æquè graue habendum est. At quòd ij quoque, qui à tumultibus in medio sitis liberati sunt, hoc morbo teneantur, id verò omnium acerbissimum est. Ac vellem istud mihi silentio præterire liceret. Et sanè, si silentium ipsam etiam rerum infamiam adimeret, operæpretium esset tacere: cum autem, me etiam tacente, res ipsæ vehementius, quàm lingua mea facere posset, clamaturæ sint, nullum certè detrimentum à verbis meis afferetur: fortasse etiam, vt pote nobis vitia traducentibus, fructus aliquis atque vtilitas consequetur. Hic enim morbus Ecclesiam etiam attigit, omniâque sursum ac deorsum vertit, corporisque compagem discidit: nosque aduersus nos ipsos mutuo stamus, liuore nimirum arma nobis porrigente. Ob eamque causam in-

Furor est inuidere.

Inuidiæ morbus Ecclesiam quoque inuenit.

gens rerum deprauatio est. Nam cum, omnibus etiam ædificantibus, præclare se res habeat, si ij, qui erudiuntur, stare queant, cum omnes id agimus vt diruamus, quis tandem finis erit? Quid agis homo? Vtilè esse existimas, proximi commoda deicere? At ante illum tua ipsius commoda euertis. Non ædium extructores, non agricolas cernis, quemadmodum omnes concordibus animis in vnum currant? Hic effodit, ille ferit, alius radicem contegit, alius quod satum est, rigat, alius obsepit, ac muro cingit, alius bestias arceat: omnesque id vnum spectant, vt plantam incolumem seruent. Hic autem non ita se res habet. Verùm planto quidem ipse: alter autem labefaciat, & succurrit. Sine saltem eam rectè figi: vt robor eiusmodi contrahat, quòd hostili impetu frangi nequat. Non opus meum deles, sed tuum euertis. Ego plantaui, rigare te oportebat. Si itaque succutias, radicem funditus euelles, nec habebis vbi rigationem tuam ostendas. At vides eum qui plantat omnium sermonibus celebrari? Bono animo esto: nec ego aliquid sum, nec tu. Nec enim qui plantat est aliquid, nec qui rigat est aliquid. Vnius enim Dei opus est. Ex quo efficitur, vt aduersus ipsum bellum in eas ac dimices, dum ea, quæ plantata sunt, extirpas. Ergo aliquando tandem resipiscamus, atque expurgiscamus. Non tam externum bellum, quàm intestinum pugnam extimesco. Quandoquidem etiam radix, cum terræ rectè affixa fuerit, nihil à ventis detrimenti patietur. Sin autem ea, verme eam internè depascente, vacillet, nemine etiam molestiam ipsi exhibente collabatur. Quousque tandem Ecclesiæ radicem vermium in morem exedemus? Nam & à terra huiusmodi cogitationes existunt: imò, vt rectius loquar, ne à terra quidem, sed à stercore, vt pote quarum parens putredo sit. Neque etiam ab execrando eo obsequio, quod à mulieribus exhibetur, abstinimus. Tandem igitur aliquando fortes viros nos præbeamus: philosophiæ pugiles efficiamur, ingentem malorum prouentum abigamus. Etenim Ecclesiæ multitudinem, tanquam exanime quoddam corpus, humi prostratum nunc cerno. Et quemadmodum in corpore recens vita functo, oculos quidem, & manus, & pedes, & collum, & caput intueri licet, sic tamen vt nullum membrum munere suo fungatur: eodem modo hic quoque omnes, qui adsunt, fide quidem præditi sunt: at fides actiuosa non est. Feruorem enim extinximus, Christi que corpus mortuum reddidimus. Quòd si hoc dictu quoque horrendum est, multò vti que horribilius est, cum in rebus ipsis cernitur. Si quidem fratrum nomina habemus: res autem hostium. Cùmque membra omnes vocemur, ferarum tamen ritu inter nos dissidemus. Hæc, non rerum nostrarum euulgandarum ac traducendarum studio à me dicta sunt: sed vt pudorem vobis incutiam, atque hinc vos auertam. Quidam in domum aliquam se contulit, honorificèque exceptus est. Pro eo atque Deo gratiæ agenda erant, quia membrum tuum honore afficitur, ac Deus celebratur, tu contra omnino facis. Apud eum enim, à quo honore affectus est, ipsi obtrectas: ita vt ambos simul subuertas, tibi que insuper ipse ignominia notam inuras. Ecquid causæ est, ô miser, & ærumnose! cur, cum fratrem, vel apud viros, vel apud mulieres, laudatum audieris, mestitiam inde contrahas? Incrementum laudationibus affer: Ita fiet, vt tibi quoque ipse laudem concilies. Quòd si laudes deprefferis, prius de te ipso male locutus eris, vt qui prauam opinionem tibi collegeris, atque insuper illum altius adhuc euexeris. Cum eum ab alio laudari audis, fac eorum, quæ dicuntur, sis particeps,

Fructus nomina habent res actus hostium

particeps, si non vita & virtute, at hoc certè nomine, quòd ipsius virtutibus gaudeas. Laudauit eum quispiam? Admirare tu quoque, ac prædica. Sic te ille vt probum ac benignum laudibus efferet. Non est quòd metuas, perinde atque per alienarum virtutum prædicationem tuas deicias. Hoc enim in reprehensionibus atque obtrectationibus locum habet. Peruicax enim suapte natura hominum genus est. Ex quo efficitur, vt cum quis te, de eo, quem laudat, malè loqui videt, laudibus proinde suis cumulum addat: vt hac ratione te pungat. Atque accusator, & secum ipse tacitus, & ab aliis criminatur. Vides quantam fœditatem nobis ipsi accersimus? quo pacto gregem perdimus ac discerpimus? Quamobrem tandem aliquando membra efficiamur: tandem aliquando vnum corpus. Atque is quidem, in quem laudes conferuntur, laudes eas propulset, & in fratrem encomia transferat: qui autem alterius laudes audit, ipsi gratuletur. Quòd si nos ad hunc modum inter nos coniungamur, caput quoque ipsum nobis conciliabimus. Sin autem inter nos disiuncti atque distracti simus, Dei quoque opem à nobis auertemus. Hac porro remota, ingentem perniciem corpus contrahet, vt quod supernè minimè constringatur. Hoc ergo ne nobis accidat, submoto liuore atque inuidia, vulgicque opinione contempta & pro nihilo habita, beneuolentiam atque concordiam amplectamur. Ita fiet, vt futura bona consequamur. Quæ vtinam nobis consequi contingat, per gratiam & benignitatem Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVIII.



ED esto, ego vos non grauavi: sed cum essem astutus, dolo vos cepi. Nunquid per aliquem eorum, quos misi ad vos, circumueni vos? Rogauit Titum, & misi cum illo fratrem. Nunquid Titus vos circumuenit? Nonne eodem spiritu ambulauimus? Nonne iisdem vestigiis? Obscurè admodum hæc verba à Paulo dicta sunt, non tamen frustra, nec temerè. Nam quoniam de pecuniis, purgationeque ob eas, sermo ipsi institutus erat, non abs re verba sua obscuritate quadam inuoluit. Quidnam ergo sibi vult id quod hic ait? Dixit, Nihil cepi: verum paratus etiam sum insuper dare, atque impendere: ac multa in eam sententiam, tum in priore, tum in hac quoque epistola differuit. Nunc verò aliud quidem ait, velutque obiectioni occurrit, eamque antè dissoluit. Quod autem ait, est eiusmodi: Equidè ipse per avaritiam vos minimè circumscripsi. Verùm quispiam hoc fortasse dicere queat, quòd quanquam nihil ipse sumpserim, tamen cum vafer ac subdolos essem, id molitus sum, vt ij, qui à me missi erant, suo nomine aliquid à vobis postularent, sicque per eos sumpserim, atque ita me compararem, vt aliorum manu accipiens, intertem tamen acceptæ pecuniæ opinionem à me remouerem. At ne hoc quidem dicere quisquam possit. Vosque ipsi testes estis. Vnde etiam interrogandi modo sermonem producit, dicens, Rogauit Titum & misi cum eo fratrem. Nunquid Titus vos circumuenit? Nonne eodem quo ego, pacto ambulauit: hoc est, nihil ipse accepit. Vides quantum accuratè sinceritatis incrementum sit: quòd nempe non modò se ipse purum ab accipiendo seruauerit, sed eos quoque, quos miserat, ita regat atque componat: quò videlicet ne tantillam quidem occasionem his præbeat, qui eum carere gestiebant. Hoc enim longè maius præstantiusque est eo, quod Patriarcha fecit. Nam ille, cum post extortam hostibus victoriam reuersus esset, ac rex ipsi spolia offerret, negauit se quicquam

Gen. 14.

accepturum, præter ea quæ socij ipsius comedissent. Hic autem ne necessarium quidem alimentum capere voluit, nec socios quoque participes ipsius esse passus est: sic nimirum impudentium ora quammaximè comprimens. Ob idque nec ipse pronunciat, atque ne eos quidem accepisse: vt ne à persona ipse sua, sed ab illorum calculo testimonium petere videatur. Id quod in rebus confessis & exploratis, & de quibus minimè dubitamus, facere solemus. Dicite enim, inquit, num quis ex his, quos misi, vos per avaritiam circumuenit? Non dixit, Num quis à vobis aliquid accepit? Verùm πλεονεξίας, hoc est fraudationem, id vocat, eos videlicet perstringens, ingentique pudore afficiens, atque ostendens fraudationem esse, ab inuitis quippiam accipere. Nec dixit, Num Titus, sed, Num quis? Neque enim hoc dicere queatis, inquit, hunc non accepisse, illum autem accepisse. Neque enim quisquam ex his, qui ad vos se contulerunt, aliquid accepit. Rogauit Titum. Id quoque aculeatè dictum est. Neque enim dixit, Titum misi, sed, rogauit: hinc nimirum ostendens, quòd etiam si aliquid accepisset, iure suo accepisset: & tamen sic quoque purum ab accipiendo se præstitit. Quocirca eos rursus his verbis interrogat, Nunquid vos Titus circumuenit? Nonne eodem spiritu ambulauimus. Diuinæ gratiæ totum ascribit, ostenditque vniuersam hanc laudem, non nostris laboribus comparari, sed spiritus beneficio & gratia præstari. Etenim amplissima Dei gratia hoc fiebat, vt quanuis inopia & egestate premerentur, ac fame laborarent, tamen ob eorum, quos erudiendos susceperant, vtilitatem, nil acciperent. Nonne iisdem vestigiis? Hoc est sinceritatem hanc ne tantillum quidem immutarent: sed eandem normam retinuerunt. Rursus putatis quòd excusemus nos apud vos? Vides quemadmodum vbique metuat, ne adulationis opinionem contrahat? Vides prudentiam Apostolicam? quàm assiduè id inculcet. Nam & prius dicebat, non rursus nos ipsos commendamus, sed occasionem damus vobis gloriandi. Et in Epistolæ primordiis, Num indigemus commendationis epistolis? Omnia autem propter ædificationem vestram. Rursus eos demulcet, ac ne hic quidem aperte ait, Ob imbecillitatem vestram non accipimus: sed, Vt vos ædificemus, dilucidius nimirum aliquantò, quàm antè, loquens, detegensque id quod animo parturiebat, haud tamen amarulenter, & aculeatè. Non enim dixit, Ob imbecillitatem vestram: sed, Vt ædificemini. Timeo enim ne forte cum venero, non quales volo inueniam vos: & ego inueniar à vobis, qualem non vultis. Magnum aliquid ac molestum dicitur est. Ac proinde excusationem ponit, tum per id, quod dixit, Omnia autem propter ædificationem vestram: tum quia adiecit, timeo: quò videlicet eorum, quæ dicitur est, asperitatem mitiget. Hoc quippe non iam arrogantiae cuiusdam erat, nec autoritatis eius, quam magistri adhibere solent, sed paternæ curæ ac sollicitudinis, nempe quòd grauiori etiam, quàm illi ipsi qui peccarunt, metu commoueatur, cum eos castigare parat. Quin ne sic quidem eos exagitat, nec certò pronunciat, sed dubitabundè loquitur, Ne forte cum venero, non quales volo, vos inueniam: Non dixit, probos ac virtutis studiosos, sed, quales volo: vbique nempe beneuolentiæ atque amoris vocabula ostendens. Hoc autem verbum, inueniam, id, quod præter expectationem contingit, indicat, quemadmodum & illud, Inueniar à vobis. Neque enim res ea voluntatis est, animique inductionis, sed necessitatis, causam à vobis accipientis. Atque ob eam causam ait, Inueniar qualem non vultis. Hic non dixit, Qualem nolo, sed, ad feriendum accommodatiùs, qualem non vultis. Iam

Supr. 5.

enim deinceps voluntas eius erat: non quidem primariè, sed voluntas tamen. Poterat siquidem rursus dicere, *qualem nolo*, atque ita benevolentiam suam indicare: verùm remissum atque ignaum auditorem reddere volebat. Quin potius ad hunc modum oratio plus asperitatis habuisset. Nunc autem & vehementius ferit, & mitiorem suaviorèmq; se ostendit. Hoc enim ipsius sapientiæ proprium est, vt cum profundius secat, mitius blandiusque percutiat. Postea, quia obscurius locutus erat, his verbis istud detegit, *Ne forte contentiones, emulationes, animositates, detractiones, susurraciones, inflationes, &c.* Quod prius ponere debebat, hoc posterus collocat. Etenim aduersus eum arrogantia efferebantur. Verùm ne prius, quod suum erat, quærere videretur, propterea id, quod commune erat, priore loco ponit. Hæc enim omnia ex inuidia oriebantur, nimirum calumniæ, accusationes, dissidia. Siquidem inuidia, velut perniciosa quædam radix, iracundiam, accusationem, arrogantiam, atque alia omnia paribat, ab illis vicissim amplius augebatur. *Ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos.* Hoc quoque percutientis rursus erat. Sufficiunt enim priora, inquit: velut etiam initio dicebat, Quod parcens vobis non veni vltra Corinthum. Vides quo pacto simul, & indignationem, & paternam benevolentiam præ se ferat? Quid autem est, *humiliet*? Atqui gloria hæc est, nempe accusare, pœna afficere, rationes exposcere, iudicis loco & gradu sedere. At humiliationem tamen id vocat. Tantum scilicet ab eo aberat, vt huiusmodi humiliationis eum puderet (quandoquidem præsentia corporis infirma erat, & sermo contemptibilis) vt etiam perpetuò in eo statu versari cuperet, contrariumque deprecaretur. Atque hoc sermonis progressu apertius dicit, humiliationemque id maximè ducit, nimirum in inferendæ pœnæ atque supplicij necessitatem incidere. Quid est autem cur non dixit, Ne cum venero, humiliet, verùm, *ne cum venero, humiliet me Deus*? Quoniam nisi propter ipsum, nulla me ea res cura & sollicitudine affecisset. Neque enim, vt imperium ac potestatem habens, atque arroganter me gereas, pœnas exigo: sed quia ipse ita edixit. Ac superius quidem istud posuit, dicens, *Inueniar qualem non vultis.* Hic autem demissius, ac lenius blandiusque loquitur, dicens, *Et luceam multos ex his qui antè peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam.* Non dixit, omnes, sed, *multos.* Ac ne eos quidem declarat, nimirum hinc quoque facile ipsi ad pœnitentiam reditum dans, perspicuumque faciens, pœnitentiam errata corrigere posse, scèque eos demum lugere, qui scelera pœnitentia minimè ducebantur, qui incurabili morbo laborarent, qui denique suo in vulnere manerent.

MORALE.

Quantum pudoris ac metus secum trahat improbitas.

ANIMADVERTE itaque Apostolicam virtutem, quòd nimirum is, qui nullius mali sibi conscius est, pro alienis malis ingemiscat, ac pro iis, quæ alij perperam admiserunt, deprimatur. Hoc enim præsertim magistri munus est, discipulorum calamitatibus ad hunc modum affici, atque ob eorum, quibus præest, vulnera, in angore animi ac luctu versari. Postea peccati quoque genus exponit, *Super fornicatione & immunditia quam egerunt.* Immunditiæ vocabulo hinc quoque fornicationem innuit. Si quis tamen accuratè rem expendat, omne peccati genus hoc nomine appellari potest. Nam quamuis fornicator præcipuè, atque adulter, immundi dicatur: tamen cætera etiam peccata im-

munditiam animæ afferunt. Ob eamque causam Christus quoque Iudæos immundos appellat, non modò fornicationem, sed reliqua etiam improbitatis genera ipsis obiciens. Vnde etiam ait, eos externa tantum mundasse. Et, Non quæ intrant in os coinquant animam: sed quæ exeunt. Et alio loco dictum est, Immundus est apud Dominum omnis qui elato corde est. Vt enim virtute nihil purius est: sic improbitate nihil turpius atque obscœnius. Illa enim sole splendidior est: hæc cœno fœtidior. Atque hoc suomet testimonio comprobare illi queant, qui in cœno voluntantur, atque in tenebris versantur, si modò quispiam effecerit, vt vel tantillum cernere queant. Quandiu enim secum ipsi sunt; atque hoc affectu, tanquam temulentia quadam laborant, velut in tenebris degentes, fœdè atque indecorè, & cum summa turpitudine iacent, sentientes illi quidem tum quoque quo in statu sint, sed non planè atque exactè. At cum ab aliquo eorum, qui rectè atque ex virtute viuunt, sese coargui viderint, vel etiam duntaxat eum conspexerint, tum demum miseriam suam apertius agnoscunt: ac velut immisso quodam Solis radio fœditatem suam contingunt, atque consciorum ora erubescunt, etiam si alioqui hic seruus sit, ille liber, hic subditus, ille rex. Sic nempe Achab ad Eliæ conspectum pudore suffusus est, tametsi nullum ille verbum adhuc emisisset, solo videlicet ipsius prospectu conuictus: ac silente accusatore, sententiam, qua facinus ipsius damnabatur, ferebat: vt qui eorum, qui criminis conuicti sunt, verba proferret, ac diceret, Inuenisti me, hostis meus. Tanta videlicet animi libertate ac fiducia Elias tyrannum illum tunc alloquebatur? Sic Herodes, cum reprehensionum pudorem ferre non posset (siquidem prophetica vocis ingens ac præclarus splendor erat) Ioannem in vincula coniecit, tanquam qui nudus esset, ac lucernam extinguere conaretur, vt rursus in tenebris degeret. Quin potius ipse quidem eam extinguere haud ausus est, sed in domo sua, velut sub modio, collocauit: infelix autem ac misera illa hoc vt fieret, ab eo extorsit. At ne sic quidem criminis reprehensionem obtegere potuerunt: verùm eam magis accenderunt. Nam & qui sciscitabantur quam ob causam Ioannes in vinculis teneretur, eam discabant: & qui postea, vel tum terram aut mare incolebant, vel nunc sunt, aut posthac futuri sunt, sceleratam hanc tragœdiam, hoc est tam libidinem, quam nefariam ab ipsis perpetratam cædem, apertius intellexerunt, atque intellecturi sunt: nec vlla vnquam vetustas harum rerum memoriam delere atque obruere poterit. Tam præclara scilicet res est virtus, tamque immortalis est ipsius memoria: atque vsque adeo vel sermone solo eos, qui ipsi aduersarij sunt, percellit ac metu concutit! Cur enim cum in carcerem coniecit? Cur non eum contempsit? Num Ioannes cum in iudicium tracturus erat? Num adulterij pœnas ab eo expetiit? Nonne reprehensio duntaxat erant ea quæ dicebantur? Quid ergo metuit ac tremuit? An non verba erant, ac simplex sermo? Certè. Sed huiusmodi verba magis, quam res ipsæ, eum pungebant. Non cum ad iudicium, sed ad conscientia tribunal pertrahebat: omnesque eos, qui libera cogitatione suffragium tunc ferebant, iudices ipsi constituerebat. Quocirca tremebat tyrannus, virtutis splendorem haud ferens. Vides quanta philosophia vis sit? Eum qui catenis victus erat, tyranno splendidior reddidit, effecitque vt hic illum formidaret ac contremisceret. Verùm ipse quidem in vincula duntaxat eum coniecit: at nefaria illa in cædem ruit. Quanquam alioqui in hunc potius crimen conferebatur. Neque enim, cum obuiam illi tum factus fuisset, dixerat, Cur cum tyranno consuetudinem

Mat. 14.

Viri pij aspectus malis formidabilis est. Sap. 1.

Mat. 14.

Quantum sit virtutis robur.

habes? Non quòd illa crimine vacaret (qui enim id fieri potuisset?) verùm vt hac ratione vniuerso huic malo mederetur. Quamobrem illum reprehendit, ac ne eum quidem admodum vehementer. Neque enim dixit, O sceleste, immo scelestissime, o flagitiose ac prophane, Dei legem protulisti, imperia illius contempsisti, potentiam tuam pro lege habuisti. Nihil horum locutus est. Atque etiam in criminis infectione multa ab eo moderatio ac lenitas adhibita est. Non licet, inquit, tibi habere vxorem fratris tui. Quæ quidem verba docentis potius sunt, quam coarguentis: erudientis potius quam vindicantis: instituentis potius, quam traduentis: corrigentis potius, quam insultantis. Verùm, vt dixi, inimica furi lux est: vir iustus vol solo aspectu peccatoribus grauis ac molestus est. Grauis est enim, inquit, etiam ad videndum. Neque enim ipsius radios ferre queunt: quemadmodum nec Solares radios, qui agris oculis sunt. Quin multis quoque prauis hominibus, non aspectu tantum, sed etiam auditu grauis est. Ac proinde scelerata illa, atque adeo sceleratissima filia læna, vel carnifex potius, quamuis ne ipsum quidem vidisset, nec ipsius vocem audiisset, tamen ad eius cædem animum adiecit, operamque dedit, vt ea, quam impudicè alebat, in cædem quoque prorumperet. Vtque adeo eum extimescebat! Et quid ait? Da mihi in disco hinc caput Ioannis Baptistæ. Quò præceptis ferris misera & calamitosa? Num enim adest accusator? Num cernitur ac molestiam exhibet? Alij dicebant, Grauis est nobis etiam ad videndum: huic autem, vt dixi, auditu etiam grauis est. Ob idque ait: Da mihi in disco hinc caput Ioannis. Atqui tua causa carcerem incolit, ac vinculis astrictus tenetur, tibi que licet amoris ergò tere iactare, atque his verbis vri: Regem superauit: quandoquidem ne publicè quidem reprehensus, remissior fuit, nec ab amore se abduxit, nec adulterium meum diuulsi: quin potius, eum ipsum, a quo propterea reprehensus fuerat, in vincula coniecit. Quid furis, ac rabie percelleris, cum etiam post peccati reprehensionem sponso fruaris? Quid Furiarum mentiam requiris, atque carnificum dæmonum conuiuium efficis? Vides quàm nihil proflus, quàm meticulosum atque ignaum sit vitium? Quoniam modò, cum maximè vincit, tum imbecillius fiat? Etenim ea, non ita tumultuabatur, antequam Ioannem in carcerem contrusisset, quàm, victo postea eo, perturbabatur, atque adurgebat, dicens, Da mihi hinc in disco caput Ioannis. Et quare hinc? Ne, inquit, liuor obumbret: ne aliqui eum è periculo eripiant. Et quare non integrum cadauer, sed caput duntaxat poscis? Linguam illam, inquit, silentem cernere gestio, quæ me molestia affecit. At, o infelix ac misera, contrarium omnino euenit: (quem admodum etiam eueniet) dissecta enim clariùs postea clamabit. Tunc enim in Iudæa tantum clamabat: nunc autem ad extremos vsque orbis fines grassabitur: & in quamcumque Ecclesiam ingressus fueris, siue apud Mauros, siue apud Persas, siue apud ipsas Britannicas insulas, clamantem Ioannem audis, Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Verùm illa sapientiæ omnis experts & ignara stolidum & amentem tyrannum ad cædem adurget, & premit atque impellit: metuens scilicet, ne sententiam mutet. Ac tu hinc quoque virtutis robur intellige. Ne carcere quidem inclusum, ac vinculis astrictum, & silentem iustum virum ferre potest. Vides quàm imbecilla, quàm impura res sit vitium? Etenim humanum caput eduliorum loco in disco infert. Quid puella illa scelestius? quid libidiniosius? quid impudentius? Quam in diaboli

theatro, ac dæmonum conuiuio vocem emisit? Vides linguam, & linguam: alteram salutaria medicamenta ferentem: alteram autem venenum habentem, ac diabolicarum epularum extructicem? Sed quidnam afferri potest, cur non intus in ipso conuiuio, vbi maior ei voluptas erat, eum obtruncari iusserit? Metuebat scilicet ne si eò accessisset, seque contuendum præbuisset, ipso aspectu, ac loquendi libertate, omnium animos immutaret. Ob eam causam caput postulat, illustre videlicet stupri trophæum erigere cupiens: ac matri suæ dedit. Vides saltationis præmia? Vides diabolicarum insidiarum spolia? Non Ioannis caput dico: sed ipsum maritum. Nam si quis accuratè rem expendit, aduersus regem palma erit: & quæ superior extiterat, vincebatur: & qui capite truncatus fuerat, coronam obtinebat, ac velut præconis voce victor pronunciabatur, vt qui, etiam post mortem, animos eorum, qui scelere se constrinxerant, vehementius concuteret. Quòdque hæc, quæ à me dicta sunt, non inanis quidam verborum fumus sint, Herodem ipsum interroga. Nam ille, posteaquam Christi miracula ad eius aures peruenerunt, dicebat, Hic est Ioannes. Ipse surrexit à mortuis: & ideo virtutes operantur in eo. Vtque adeo vigentem in se metum ac perpetuam trepidationem habebat: nec quisquam erat, qui conscientia terrorem ei eximere posset, verùm incorruptus ille iudex continenter eum præfocabat, singulisque diebus perpetrata cædis pœnas ab eo repetebat! Quæ quidem cum perspecta habeamus, ne malo ab aliis affici, sed malum aliis inferre metuamus. Illud enim victoria est: hoc clades. Eaque de causa Paulus etiam dicebat, Quare non potius iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus? Etenim in referendis malis victoria & palma, ac prædicatio sita est. Idque in omnibus sanctis perspicere est. Quandoquidem igitur omnes hac ratione corona donati, ac victores pronunciati sunt, nos quoque proinde eandem viam ingrediamur: atque illud quidem oremus, vt in tentationem minimè intremus: cæterum si accesserit, aduersus ipsam fortissimè stemus, eamque, quam par est, animi promptitudinem exhibeamus: quò futura bona consequamur, per gratiam & benignitatem domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIX.



*E*CCĒ tertio hoc venio ad vos: In ore duorum ac trium testium stabit omne verbum. CAP. XIII.

Cum aliunde etiam multis ex rebus, tum vel hinc maximè Pauli sapientiam, paternumque affectum perspicere licet: nimirum quàm in denunciandis quidem suppliciis multus ac vehemens, in inferendis autem segnis ac tardus sit. Neque enim de iis, qui peccabāt, pœnas statim sumpsit: sed semel atque iterum admonuit. Ac ne sic quidem in contumaces animaduertit: sed rursus admonet ac denunciât, dicens, *Tertio hoc venio ad vos:* ac, priusquam adsim, rursus scribo. Postea, ne cunctatio segnitatem illis patriat, vide quo pacto hinc quoque eos corrigat, assidue nempe interminans, ac plagas intentans, atque hisce verbis vtens, Si venero iterum, non parcam. Et, Ne cum venero, luceam multos. Hæc porrò idcirco facit ac loquitur, vt hac quoque parte omnium dominum imitetur. Nam & Deus assidue quidem comminatur, ac sæpe pœnas denunciât: sed non sæpe punit & cruciatum infert. Hoc itaque ipse quoque facit. Ob idque etiam antè dicebat, Parcens vobis non vltra ve-

Mat. 14.

1. Cor. 6.

Sup. 12.

Immunditiae vocabulo peccatum omnino significatur.

ni Corinthum: Quid est, parcens vobis? hoc est, ne vos A sceleribus deinctos inueniens, ac sine vlla emendatione in his perstantes, poena & cruciatu vos afficiam. Et hoc loco, Tertio hoc venio ad vos. In ore duorum ac trium testium stabit omne verbum. Non scriptum cum scripto connectit. Id quod alio quoque loco facit, cum ait, Qui adhæret meretrici vnum corpus est. Erunt enim, inquit, duo in carne vna. Et quidem de legitimo matrimonio hoc dictum est: verum eo loco commode ad hoc abusus est, vt vehementiorem terrorem incuteret. Ad eundem ergo hinc quoque modum facit, nempe testimoniorum loco aduentus suos, ac poenæ denunciations ponens. Quod autem ait, hanc sententiam habet: Semel dixi, atque iterum, cum ad vos accessi: & nunc item per literas dico. Ac si quidem me audieritis, quod cupiebam contigit. Sin autem verba mea contempseritis, deinceps necesse erit, vt præstem quæ dixi ac supplicium irrogem. Idcirco ait: Prædixi, & prædico, vt præsens bis, nunc etiam absens scribo iis qui peccauerunt, & reliquis omnibus, quod si iterum venero non parcam. Nam si in ore duorum ac trium stat omne verbum, bis adfui, & dixi. Ac nunc quoque per epistolam dico. Iam itaque deinceps necesse est verba mea vera inueniri. Non enim est quod existimetis literas meas inferioris authoritatis esse, quam præsentiam. Vt enim præsens dicebam: sic nunc quoque absens scribo. Vides paternam curam ac sollicitudinem? Vides Magistro congruentem prouidentiam? Nec tacuit, nec rursus poenam intulit: verum sapius quoque prædicit, atque in interminatione constanter permanet, ac supplicium differt. Quod si in peccatis obstinati maneant, tum demum re ipsa poenam se inflicturum minatur. Quid autem prædixisti, ac nunc etiam præsens scribis? Quod si venero iterum, non parcam. Posteaquam superius se hoc, nisi necessitate coactum, facere non posse ostendit, ac luctum & humiliationem eam rem appellauit (ne cum venero, inquit, humiliet me Deus apud vos, & lugeam eos qui ante peccauerunt, & non egerunt poenitentiam) ac sese ipsis excusans, semel & iterum ac tertio prædixisse asseruit, quodque nihil non agat ac molietur, quod supplicium atque animaduersionem propulset, eosque verborum terrore meliores efficiat, tum verò graue illud & horrendum collocat, dicens, Si venero iterum, non parcam. Non dixit, Puniam ac vindicabo, poenâque expebam: verum paternis verbis supplicium ponit, hinc nimirum viscera sua, animûmque ipsi condolecentem ostendens, quod pro sua erga eos indulgentia semper supplicium infligere differret. Postea autem, ne nunc quoque ita existimarent, eum rursus dilatione vti, ac verborum tantum minas adhibere, ob eam causam prius quoque dixit, In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. Et, Si venero iterum, non parcam. Quod autem ait, est eiusmodi: Non iam diutius cunctabor, si vos (quod Deus auertat) emendationis expertes inuenero, sed poenas haud dubiè inferam, ac, quod dixi, præstabo. Mox cum ingenti animi permotione ac vehementi acrimonia & indignatione in eos inuehens, qui ipsum tanquam imbecillum cauillis incessebant, præsentiamque ipsius suggillabant, atque his vocibus utebantur, Præsentia infirma, & sermo contemptibilis, his verbis vtitur: An experimentum queritis eius qui in me loquitur Christus? His enim verbis simul & hos ferit, & illos perstringit. Quod autem dixit, hunc sensum habet: Quandoquidem periculum facere vultis, an Christus in me habitat, rationesque à me exposcitis, eaque de causa me, vt vilem ac contemnendum homunculum, fannis im-

1. Cor. 6.

Sup. 12.

5. 17.

5. 17.

5. 17.

petitis, tanquam potentia illa destitutum, hac me minime carere scietis, si (quod nolim) occasionem mihi præbueritis. Dic autem quæso, inquiet aliquis, an propterea in eos animaduertendum putas, quod experimentum querant? Minimè, inquit. Nam si hoc quærerem, mox vt primum peccassent, in eos animaduertissem, nec cunctatione vlla vsus fuisset. Quod autem id minimè quærat, dilucidius aliquantò post indicauit his verbis: Opto autem vos nullo malo afficere, non vt nos probati appareamus, sed vt vos, quod bonum est, faciatis, nos autem vt reprobi simus. Non ergo per causæ modum istud ponit, sed potius vt stomachans, eosque, quibus contemptui erat, incessens. Equidem ipse, inquit, huiusmodi experimentum vobis præbere nolo. Quod si ipsi causam præbueritis, meque concitare in animum induxeritis, ex ipsis rebus intelligetis. Ac vide quemadmodum orationem asperet. Neque enim dixit, Quoniam experimentum mei queritis: sed, eius qui in me loquitur Christus. Quibus verbis ostendit eos in illum peccare. Nec simpliciter dixit, eius qui in me habitat, sed, eius qui in me loquitur: hinc videlicet indicans, verba sua à Spiritu proficisci. Quod si vim suam ille non ostendit, nec poenas irrogat (Iam enim à se orationem illuc traducit, quod plus terroris minæ habeant) non imbecillitate prohibetur (id enim potest) sed animi lenitate. Quocirca, ne ipsius tolerantiam imbecillitati quispiam ascribat. Quid enim est cur tibi mirum videatur, si pro sua tolerantia animique æquitate in peccatores non animaduertit, nec poenas ab iis expetit, cum ipse quoque in crucem agi sustinuerit, atque huiusmodi cruciatu perpetuens, poenam minimè irrogarit? Vnde etiam subiunxit, Qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis. Nam etsi crucifixus est ex infirmitate: sed viuit ex virtute Dei. Plurimum hæc verba obscuritatis habent: atque imbecillioribus perturbationem iniiciunt. Quapropter apertius ea explicare necesse est, atque huius dictionis, in qua obscuritas sita est, significationem afferre: vt ne quis, etiam ex iis, qui simpliciore ingenio præditi sunt, offendatur. Quidnam igitur sit id quod dixit, & quid per infirmitatis vocabulum designet, & quam significatione hoc loco vsupatum sit, operæpretium est intelligere. Etenim vna quidem est dictio, verum per eam multa indicantur. Siquidem infirmitas dicitur corporis morbus. Eaque ratione etiam de Lazaro in Euangelio dictum est, Ecce quem amas infirmatur. Et ipse dicebat, Hæc infirmitas non est ad mortem. Ac Paulus de Epaphrodito verba faciens, Nam & infirmatus est vsque ad mortem: sed Deus misertus est eius. Et de Timotheo, Vno modo vtere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. Hæc enim omnia corporeum morbum significant. Rursus infirmitas dicitur, cum quis in fide non satis firmus est, nec perfectus ac numeris omnibus absolutus. Idque his verbis Paulus indicabat, Infirmitas autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum. Ac rursus: Alius quidem credit se comedere omnia: qui autem infirmus est, oculus manducat. Quibus verbis eum significat, qui imbecilli fide præditus est. Habes iam duos infirmitatis significatus. Est & tertia alia infirmitatis significatio. Quenam tandem hæc? Persecutiones, insidiae, tentationes, calamitates. Quod etiam Paulus his verbis declarabat, Pro hoc ter Dominum rogavi: & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea. Virtus enim mea in infirmitate perficitur. Quid est, in infirmitate? In persecutionibus, in periculis, in tentationibus, in insidiis,

Infirmis
is vos
quid
dicet.

1. Cor. 13.

Phil. 1.

1. Tim. 5.

Rom. 14.

Ibidem.

Sup. 11.

Ibid. 11.

825

diis, in mortibus. Id quod indicabat, cum diceret, A Quamobrem mihi placeo in infirmitate. Ac postea exponens de qua infirmitate loqueretur, non febrem dixit, aut dubitationem quandam in fide: sed quid? In contumeliis, in persecutionibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus: vt inhabitet in me virtus Christi. Cum enim infirmior, tunc potens sum, hoc est, cum vexor, cum exagitor, cum insidiis appetor, tunc robore polleo, tunc victoriam magis obrinco, atque eos, qui mihi insidias parant, supero, nimirum copiosiore gratia in me insidente. Ergo iuxta tertium hoc significationis genus infirmitatis vocabulum hoc loco Paulus vsurpauit. Quodque ait, est eiusmodi. Aduersus id, quod iam antè dixi, rursus contendit, nempe quod vilis ipsis & contemnendus esse videbatur. Non enim sese iactare volebat, nec talis existimari, qualis reuera erat, nec vim eam, quam ad puniendum & ex cruciandum habebat, ostentare: vnde etiam hoc nomine vilis & abiectus habebatur. Quoniam itaque ob eam opinionem in magna socordia ac stupore versabantur, nec à peccatis resiliabant, idcirco, commodam occasionem nactus, de his rebus acriter differit, illud demonstrans, imbecillitatem non in causa esse, quamobrem nihil faciat, sed animi lenitatem. Ac postea, vt iam dixi, sermonem à se ad Christum traducens, metum auget ac minas amplificat. Quod autem ait, tale est: Num, si quid etiam faciam ac de iis, qui peccauerunt, supplicium fumam, ego sum qui punio & poenas sumo? Immo verò Christus ipse est, qui in me habitat. Quod si hoc non creditis, verum experimentum capere vultis, per eius qui in me sedem habet, opera, id mox spectaculum habebitis. Non enim in vobis infirmus est: sed potens. Cur autem adiecit, In vobis: cum ipse vbique viribus polleat? Nam siue infideles, siue demones, siue quicquid tandem illud esse queat, supplicio afficere voluerit, id potest. Quidnam ergo sibi vult hæc adiectio? Nimirum hoc vocabulo ideo vsus est, vt ab iis ipsis rebus, quarum iam periculum fecerant, vehementius eos commoueat. Aut certè hoc indicat, quod nunciis, quibus castigatione opus est, potentiam suam perspicuam reddit. Id quod etiam alibi dicebat. Quid enim mihi de iis quoque, qui foris sunt, iudicare? Ab externis enim in iudicij die poenas expetiturus est: à vobis autem nunc quoque: vt scilicet vos ab illa poena eximat. Attamen hoc etiam, quod vtilitatis nostræ causa procuratur, atque ab amore quodam paterno proficiscitur, vide quo pacto cum terrore, atque ingenti animi concitatione ponit, dicens, Qui non infirmatur in vobis, sed potens est in vobis. Nam etsi crucifixus est ex infirmitate: sed viuit ex virtute Dei. Quauis etenim, inquit, rem subire voluerit, quæ infirmitatis opinionem habere videatur, nihil tamen istud ipsius potentiam labefactat & imminuit. Inuicta enim ipsa manet: nec res ea, quæ imbecillitatis esse videbatur, vllò eam detrimento affecit. Quin potius hoc quoque ipsum vim eius inprimis declarat, quod & rem huiusmodi sustinuerit, nec tamen ipsius potentia quoquo modo propterea imminuta & mutilata fuerit. Quocirca nihil est, quamobrem infirmitatis vocabulum quenquam perturbet. Nam & alio loco ait, Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Atqui, nec stulti quicquam, nec infirmi in Deo inest. Verum crucem ad hunc modum appellauit, infidelium de ea opinionem exponens. Audi quippe eum sese explicantem: Verbum enim crucis pereuntibus stul-

1. Cor. 5.

1. Cor. 1.

titia est: nobis autem, qui salui sumus, virtus Dei est. Ac rursus, Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam: iis autem, qui vocati sunt, tam Iudæis, quam Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Ac rursus, Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus. Stultitia enim est ei. Videtne quemadmodum vbique, eorum, qui à fide abhorrent, opinionem exponat, qui crucem stultitiam & infirmitatem esse arbitrabantur? Ad eundem igitur modum hinc quoque, non eam, quæ verè sit, infirmitatem dicit, sed quam homines à fide alieni talem esse suspicantur. Non ergo hoc ait, eum, vt qui imbecillis esset, in crucem actum fuisse. Absit hoc. Nam quod potuerit cruci non affigi, per omnia declarauit, nempe dum nunc supinos hostes in terram prostrauit, nunc Solis radios auertit, nunc ficum aridam reddidit, nunc eos, qui ad ipsum venerant, oculorum caligine affecit, infinitaque alia patrauit. Quid ergo his verbis sibi vult, ex infirmitate? Hoc scilicet, quod etiam si periculum atque insidias perpeffus, in cruce suffixus fuerit (sic enim infirmitatis vocabulum accepi, vt eo periculum & insidiae significantur) nullo tamen hinc detrimento affectus sit. Hæc porro idcirco dicebat, vt exemplum ad se traheret. Quoniam enim illi Apostolos vexari, exagitari, atque contemni, nec tamen eos iniurias suas vlscisci ac persequi conspiciebant, vt doceat non imbecillitate fieri, quod ipsi ea perpetiantur, nec quod acceptas iniurias persequi nequeant, ad dominum sermonem attollit. Quandoquidem ipse quoque, inquit, vinciebatur, in crucem agebatur, innumeris malis afficiebatur, nec tamen sese vlsciebatur, verum perstabat, eaque, quæ infirmitatis speciem habebant, perfererebat, sicque vim suam declarabat, quod nimirum, etiam si minimè sese vindicans atque vlsciscens, nullo tamen omnino detrimento mulctaretur. Neque enim crux vitam intercidit, nec resurrectionem impediuit: verum & resurrexit, & viuit. Porro, cum crucem ac vitam audieris, sermonem de humanitate à Christo suscepta intellige. De hac enim ista omnia intelligi debent. Quamquam autem dicat, ex virtute Dei, non ita tamen id accipiendum est, quasi ipse carni suæ vitam afferre nequiverit: sed quia nihil ipse interfuit, vel Patris, vel Filij dicere. Nam cum dixit, ex virtute Dei, ex virtute sua dixit. Nam quod ipse quoque eam ad uitam reuocarit, eamque tueatur atque conseruet, audi ipsum dicentem, Soluite templum hoc, & ego in tribus diebus excitabo illud. Quod si id, quod ipse est, Patris esse dicit, nihil est, quod conturberis. Omnia enim, quæ Patris sunt, inquit, mea sunt. Ac rursus, Omnia mea tua sunt, & tua mea. Quemadmodum igitur, inquit, ille cruci affixus, nihil detrimenti accepit: sic ne nos quidem cum vexamur, ac bello laceffimur. Vnde etiam subiungit, Nam & nos infirmi sumus in illo: sed viuemus in eo ex virtute Dei. Quid est, infirmi sumus in illo? Persecutionem patimur, vexamur, grauissimis malis afficimur. Quid autem, In ipso? hoc est ob prædicationem, ac fidem in eum. Quod si ipsius causa, ea, quæ tristia ac molesta sunt, patimur, perspicuum vtique est nos læta etiam accepturos. Eaque de causa subdidit: Sed viuemus in ipso ex virtute Dei. Vosmet ipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmet ipsos, quia Christus Iesus in vobis est? nisi forte reprobi estis. Spero autem quod cognoscetis, quia nos non sumus reprobi. Postquam enim per ea, quæ dixit, istud ostendit, quod etsi vltione non vtitur, non tamen

Ibidem.

Ibid. 1.

Ioan. 18.

Matt. 21.

Ioan. 2.

Ibid. 16.

Ibid. 17.

tanquam Christum in seipso non habeat, hoc minime facit, sed ut illius lenitatem imitetur, qui cum cruce afficeretur, non se vlciscebatur, rursus alio modo idem efficit. Atque à minori ad maius argumentum ducens, à discipulis orationem ita astruit. Quid enim de me magistro loquor, qui in tanta cura versor, ac totum terrarum orbem fidei meae commissum habeo, totque ac tanta miracula edidi? Nam si vos, qui discipulorum loco ac numero estis, vos ipsos examinare volueritis, Christum in vobis quoque habitare conspicietis. Quod si in vobis, multò certè magis in magistro. Nam si fidem habetis, Christum etiam in vobis est. Etenim tunc temporis ij, qui fide præditi erant, miracula patrabant. Ob idque subiecit, *Vosmetipsos tentate, Ipsi vos probate, si estis in fide. An non cognoscetis vos, quod Christus in vobis est? Nisi forte reprobi estis.* Quod si in vobis, multò magis in magistro. Mihi porro hæc ille de ea fide intelligere videtur, quæ in miraculorum editione sita est. Nam si fide illa præditi estis, inquit, Christus in vobis est, nisi forte reprobi estis. Videlicet quemadmodum rursus eos terreat, Christum que amplius apud se esse demonstrat? Hoc enim loco mea quidem opinione vitam quoque eorum tacitè perstringit. Quandoquidem enim ad vim atque operationem spiritualem attrahendam fides minime sufficit, dixerat autem, Si in fide estis, Christum in vobis habetis, illud porro contingebat, multos, qui fidem habebant, huiusmodi vi ac facultate carere, idcirco dubitationem soluens, ait, *Nisi forte reprobi estis*, hoc est, nisi vitam flagitiis corruptam habetis. *Spero autem quod cognoscetis quod nos reprobi non sumus.* Sequebatur ut diceret, Si autem vos reprobi facti estis: at nos haudquaquam. Verum hoc ita non exprimit, ne feriat: sed obscurè hoc innuit, nec videlicet pronuncians ac dicens, Reprobi estis, nec rursus per interrogationem id proponens, ac dicens, si autem vos reprobi: verum hoc prætermisso, obscurè quodammodo istud indicat, cum subiungit, *Spero autem quod vos cognoscetis quod nos non sumus reprobi.* Atque hic quoque rursus non parua comminatio, nec paruus terror est. Quoniam enim hinc, inquit, hoc est per meam in vos animaduersionem experimentum capere vultis, non ij erimus qui huiusce rei documentum ac specimen præbere nequeamus. Cæterum id nondum dicit, verum maiore cum grauitate ac comminatione, Spero autem quod cognoscetis, quia nos reprobi non sumus. Vos enim, inquit, hoc etiam remoto, res nostras compertas & exploratas habere oportebat, quodque Christum in nobis loquentem & operantem habeamus. At quoniam per ipsas quoque res experimentum sumere cupitis, nos minime reprobos esse comperietis. Deinde, posteaquam minas intentauit, ac pœnam iam velut pro foribus collocauit, eosque summo terrore perterritos eò adduxit, ut supplicium iam iamque expectarent, vide quo pacto rursus orationem suauitate quadam perfundat, metumque mitiget, ostendatque quam ab omni ambitione remotus sit, quantam discipulorum curam gerat, quam philosophico, quam excelso, atque ab inanis gloriæ studio alieno animo sit. Hæc enim omnia ostendit per ea quæ subiungit, dicens, *Oro autem Deum, ut nihil mali faciatis, non ut nos probi appareamus, sed ut vos, quod bonum est faciatis, nos autem ut reprobi simus. Non enim possumus aliquid contra veritatem, sed pro veritate. Gaudemus autem quoniam nos infirmi sumus, vos autem potentes estis. Hoc enim etiam oramus, vestram perfectionem.* Quid huic animæ par esse queat? Contemnebatur, conspuebatur, traducebatur, sannis incessabatur, ut vilis, ut despicibilis, ut

arrogans, ut sese per verba quidem ostentans, cæterum in ipsis rebus ita imbecillis, ut ne tantillum quidem vim suam demonstrare posset: & tamen non modo in eos animaduertere differt ac refugit, sed etiam vota facit, ut ne in huiusmodi materiam incidat. Opto, inquit, ut ne mali aliquid faciatis, non ut nos probi appareamus, sed ut vos, quod bonum est, faciatis, nos autem ut reprobi simus. Quidnam est quod ait? Deum, inquit, rogo atque obsecro, ut neminem, qui deplorata improbitate sit, offendam. Quin potius ne hoc quidem solum est quod rogo: sed ut ne penitus quidem peccetis (ne malum enim faciatis, inquit) quod si etiam peccasse vobis contigerit, ut ad meliorem frugem vos conferatis, atque antè corrigamini, omnemque iram meam propulsetis. Neque enim id agimus, ut probati ipsi simus: sed contra omnino, ut nos probati non appareamus. Nam si in peccatis ita perstetis, ut nulla eorum penitentia ducamini, nobis necesse erit pœnas atque cruciatus adhibere, corporaque vestra mutilare: quemadmodum videlicet in Sapphira & Mago contigit, potentiaque nostræ documentum præbere. Verum id minime nobis in votis est: imò contra, ut ne ipsi ad hunc modum probi appareamus, hoc est, ut ne sic potentia illius, qua præditi sumus, specimen edamus, nimirum eos, qui peccant, atque incurabili morbo detinentur, pœna & cruciatu afficiendo. Verum quid? Hoc demum est quod optamus, ut vos, quod bonum est, faciatis, hoc est, ut vos semper in virtute ac vitæ integritate sitis, nos autem velut reprobi simus, nimirum vindicem nostram potentiam haudquaquam exerentes. Nec verò dixit, *reprobi*, nec enim propterea reprobos futuros erat, etiam si pœnam non adhibuisset, quin potius hoc ipso nomine probus: verum etsi nonnulli sunt, inquit, qui nos ea de causa abiectos & contemnendos esse suspicantur, quod potentia nostræ specimen haud exhibeamus, nihil tamen hoc moror, Satius enim est, ut in hac apud illos existimatione simus, quam ut in plagis inferendis, atque in animis emendationem omnem respicientibus, potentiam nobis diuinitus concessam ostendamus. *Non enim possumus aliquid contra veritatem sed pro veritate.* Ne enim hoc idcirco facere videretur, ut gratiam ab ipsis iniret (id enim animi est inanis gloriæ cupiditate laborantis) sed quia ipsa rei natura istud postulabat, hæc verba subiunxit, *Non enim possumus aliquid contra veritatem.* Si enim vos virtutibus florentes inuenerimus, inquit, atque ita comparatos, ut peccata per penitentiam depuleritis, fiduciamque apud Deum habeatis, iam nobis, ne si velimus quidem, supplicio vos afficere licebit. Verum, etiam si id facere moliamur, adiutorem tamen Deum non habebimus. In hoc enim potentia nobis ab ipso concessa est, ut veram & equam, non autem veritati repugnantem sententiam feramus. Videlicet quemadmodum vndecunque sermonem minime grauem ac molestum reddat, ac minarum alperitatem leniat? Verum enim uero quemadmodum hoc illi studio fuit, sic quoque istud ostendere vult, se animo ac voluntate ipsis coniunctissimum esse. Ac proinde subiunxit, *Gaudemus enim cum nos infirmi sumus, vos autem potentes estis. Hoc autem & oramus, vestram perfectionem.* Maximè quidem, inquit, nec aduersus veritatem quicquam possumus, hoc est, vos, vestras vitæ rationes Deo probantes, supplicio coercere. Cæterum quando id nequimus, ob eam causam ne volumus quidem, imò contrarium cupimus. Quin hoc ipso quoque nomine potissimum gaudemus, cum vos nullam nobis vindicis nostræ potentia demonstrat

Inanis gloria quouis barbaro crudelior.

Gloria sui cupidus fugit.

occasione præbere inuenerimus. Quamquam enim huiusmodi rebus efficiendis id assequimur, ut clari, & probi, ac fortes & robusti appareamus: at nos tamen, quod contrarium est, volumus, nimirum vos probos esse atque ab omni reprehensione alienos: nosque nunquam inde gloriam adipisci. Quocirca ait, *Gaudemus enim cum nos infirmi sumus.* Quid est cum infirmi sumus? cum infirmi existimamur, tamen si reuera infirmi non sumus. Nam hoc esse apud hostes censèbantur, cum vlticem vim suam non iam exerent. Sed tamen gaudemus, inquit, cum ita vobis comparata est vitæ vestræ ratio, ut nullam nobis in vos animaduertendi ansam porrigatis: nobisque id voluptati est, cum ad hunc modum infirmi existimamur, modò vos eiusmodi sitis, in quos nulla reprehensio cadat. Ob idque subdit, *Vos autem potentes estis*, hoc est probi ac virtute præstantes. Ac non modò hæc volumus, sed & in votis aliud habemus: nempe ut omnis reprehensionis expertes sitis, atque perfecti, nullam nobis ansam præbentes.

MORALE.

Aduersus inanis gloriæ cupiditatem.

Hoc verè paterni affectus est, nimirum discipulorum salutem gloria sua, nominisque celebritate antiquiorem habere. Hoc animi ab inanis gloriæ studio remoti. Hoc potissimum hominem è corporis vinculis eximit, atque à terra in cælum attollit, nempe ab inani gloria purum ac liberum esse: quemadmodum scilicet contrarium in multa peccata protrudit. Neque enim fieri potest, ut quisquam magnus & excelsus ac strenuus sit, qui non ab inani gloria immunem se præstet: Verum humi ferpat, ac multa labefactet necesse est, dum scelestæ dominæ, ac quouis barbaro crudeliori ancillatur. Ecquid enim ea immanius ac truculentius esse queat, quæ tum maximè sæuit & efferatur, cum maximè colitur atque obseruatur. Atqui hoc ne feræ quidem habent, sed multo obsequio deliniuntur. At contra prorsus inanis gloria. Contempta enim mitescit: honore affecta exasperatur, atque aduersus eum, à quo honore afficitur, arma sumit. Hanc honore complexi Iudæi asperrimis pœnis cruciati sunt: hac contempta Discipuli coronam obtinuerunt. Quid autem pœnam ac coronas dico? Nam si gloriæ aspernari, plurimum ad hoc conducit, ut clari ac celebres appareamus, hæc quoque videbis, eos, qui hanc colunt, detrimento affici, eos contra, quibus ipsa contemptui est, commodum atque vtilitatem capere. Siquidem Discipuli, qui eam pro nihilo duxerunt (nihil enim prohibet quin idem rursus exemplum vsurpemus) Deique gloriæ pluris fecerunt, Solem ipsum splendore superant, immortalémque etiam post mortem famam consecuti sunt. Iudæi autem, qui se ei subiecerunt, sine vrbe, sine lare, infames, exules, sedibus suis exturbati, viles & contempti extiterunt. Quamobrem tu quoque, si gloriæ adipisci studes, gloriæ repelle. Quod si eam aucuperis, ea excides. Ac, si lubet, hunc sermonem in iis quoque, qui promiscuum huius vitæ genus sequuntur, ventilemus. Ecquos enim cauillis incessimus? An non eos, qui ipsam expetunt? Itaque ipsi maximè sunt, qui ea carent: ut qui innumeras reprehensiones habeant, atque ab omnibus contemnantur. Ecquos rursus, dic quæso,

suspiciamus ac prædicamus? An non eos, qui hanc spernunt ac pro nihilo putant? Ergo hi sunt qui gloria afficiuntur. Quemadmodum enim is demum diues est, non qui multis rebus, sed qui nulla re indiget: sic clarus ille ac celebris est, non qui gloriæ cupiditate æstuat, sed qui eam contemnit ac nihili ducit. Umbra enim gloriæ est hæc gloria. Nemo enim picto pane conspecto, etiam si millies fame teneatur, picturam attinget. Eodem igitur modo tu quoque minime committe, ut vmbra confectus. Gloriæ enim umbra hoc est, non gloria. Atque ut hoc ita se habere intelligas, illud tecum reputa, quod res ista apud homines crimini vertitur, quod fugienda atque aspernanda omnibus videtur, atque adeo iismet ipsis, qui eam concupiscunt, quod denique is, qui eam habet, aut habere expetit, pudore suffunditur, cum ab ea appellatur. Vnde igitur hæc cupiditas, inquit? Et quonam pacto existit hic affectus? Nimirum ab animi imbecillitate (neque enim duntaxat accusare opus est, sed etiam corrigere) ab imperfecta mente, à puerili sententia. Quocirca pueritiam deponamus, ac viros nos præbeamus, atque vbique, hoc est in opibus, in voluptate, in deliciis, in gloria, in potentia, veritatem, ac non vmbra sequamur. Ita fiet, ut & hic morbus, & plurimi alij comprimantur. Vmbra enim sequi, hominis est insania laborantis. Eaque de causa Paulus quoque dicebat, *Euigilate iustè, & nolite peccare.* Est enim & alterum insanie genus, ea grauius atque atrocius, quæ à demonibus aut à phrenitide accersitur. Illa enim insania veniam habet: hæc venia caret, cum anima ipsa corrupta est, rectumque iudicium amissum. Ac phrenitidis quidem organum corporea affectio est: hæc autem insania, ab artifice mente promanat. Quemadmodum igitur inter febres illa potissimum acerbæ atque incurabiles sunt, quæ solidas corporis partes attingunt, atque intus in nervis ipsis ebulliunt, & in venis delitecunt: ad eundem modum hæc quoque insania, quandoquidem intus in ipso animo flagrat, eumque peruerit ac labefactat. Quid enim afferri potest, quin perspicua & certa insania sit, morbusque omni insania grauior, res eas, quæ perpetuò firmæ ac stabiles sunt, aspernari, fluxis autem ac perituris summo studio inhærere? Dic enim quæso, si quis ventum persequeretur, aut arripere tentaret, an non eum mentis errore affici diceremus? Quid enim est neglecta veritate vmbra tenere? Nam si quis vxorem suam odio haberet, vmbra autem ipsius complecteretur, aut à filio quidem suo aucterum animum haberet, ipsius autem vmbra deamaret, aliudne ad probandam insaniam signum indiciumque quæres? Tales nimirum hi quoque sunt, qui res huiusce vitæ ad stuporem vsque mirantur. Omnia quippe umbra sunt, siue gloriæ, siue potentiam, siue nominis splendorem, siue diuitias, siue voluptates, siue quidlibet aliud huius vitæ dixeris. Ob eamque causam etiam Propheta dicebat, *Veruntamen in imagine pertransit homo: sed & frustra conturbatur.* Ac rursus, *Dies nostri sicut umbra declinauerunt.* Atque alio loco humana omnia sumum, ac scæni florem appellat. Nec verò læta solum umbra sunt, sed etiam tristitia, siue mortem, siue egestatem, siue morbum, siue aliud quiduis dixeris. Quænam igitur firma ac stabilia sunt, tam læta quam tristitia? Nimirum regnum sempiternum, ac gehenna perpetua. Neque enim vermibus extinguetur, nec ignis extinguetur. Ac resurgent hi in vitam æternam: illi autem in pœnam sempiternam. Quæ cum ita sint, ut

Vmbra sequi insania est. 1. Cor. 13.

Simile.

Psal. 8. 7. Ibid. 101.

Calamitas res huius vitæ umbra sunt. Esa. 66. Mar. 9.

hanc fugiamus, illa fruamur, omiffis vmbri res veras ferio ac lummo studio complectamur. Sic enim colorum regnum assequemur. Quod vti nam nobis omnibus assequi contingat, per gratiam & benignitatem domini nostri Iesu Christi, cui honor & gloria in secula seculorum. Amen.

HOMILIA XXX.



DEO haec absens scribo, vt non praesens durius agam secundum potestatem quam dominus dedit mihi in adificationem, & non in destructionem. Senferat se asperiori sermone vsum fuisse, ac praesertim ad cal-

Supr. 10.

cem epistolae. Etenim prius dicebat, Rogo autem vos, fratres, per mansuetudinem & lenitatem Christi, qui in faciem quidem humilis sum in vobis, absens autem fiducia vtor in vos. Quae so autem ne praesens audeam per eam confidentiam, qua existimor audere in quodam, qui arbitrantur nos tanquam secundum carnem ambulemus. Et, In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit obedientia vestra.

Ibid. 12.

Ac rursus: Timeo, ne forte cum venero, non quales volo inueniam vos, & ego inueniar a vobis qualem non vultis. Et rursus: Ne cum venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex his qui ante peccauerunt, & non egerunt poenitentiam super fornicatione & immunditia quam gesserunt. Et postea, Praedixi & praedico, vt praesens bis, & absens nunc scribo, quod si iterum venero, non parcam. Ac denique, An experimentum quaeritis eius qui in me loquitur Christus? Quoniam itaque haec, & alia complura dixerat, terrorem iniiciens, pudorem incutiens, obiurgans, perstringens, idcirco, vt de omnibus se excuset, ait, Ideo haec absens scribo, vt non praesens durius agam. Cupio enim asperitatem meam in litteris folis sitam esse, an non item in rebus. Cupio acres ac vehementes Epistolas esse: vt minae maneant, ac non in opus exeant. Rursus in hac quoque excusatione maiorem orationi suae terrorem conciliat, ostendens videlicet non se esse, qui poenam irrogaturus sit, sed Deum. (Subiunxit enim, Secundum eam potestatem, quam dedit mihi dominus) ac rursus indicans se minimè cupere potentia sua ad eorum poenam & cruciatum abuti. Adiecit enim, ad adificationem, non ad destructionem. Ac quidem istud, vti iam dixi, nunc subindicauit: verum reputandum ipsis reliquit, quod si obstinatis animis in peccatis haereant illud etiam adificationis rationem habeat, nempe eos, qui ita affecti sunt, supplicio afficere. Etenim ita se res habet, atque ipse hoc nouit, ac rebus ipsis demonstrauit. De cetero, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini. Idem sapite, pacem habete, & Deus dilectionis & pacis erit vobiscum. Quid sibi haec verba volunt, De cetero, fratres, gaudete? Mœrore nos affecisti, metum nobis intulisti, anxietatem inieicisti, tremorem incussisti: & quo pacto nos gaudere iubes? Imò hoc ipso nomine vos gaudere iubeo. Nam si ea, quae vestrarum sunt partium, iis, quae mei officij sunt, respondeant, nihil erit quod gaudio vestro impedimentum afferat. Nam quicquid a me expectandum erat, praestiti. Lenitatem adhibui, cunctatus sum, non excidi, hortatus sum, admonui, terrui, comminatus sum: vt vndecunque vos ad poenitentiae fructum colligerem. Partes iam vestrae accedant oportet. Atque ita eiusmodi vobis gaudium erit, quod deficere atque opprimi nequeat. Perfecti estote. Quid est, perfecti e-

Ibidem.

stote? Perfecti efficiamini, ac quae defunt, expleatis. Exhortamini. Quoniam enim multae tentationes atque ingentia pericula erant, solatium, inquit, capite, tum alij ab aliis, tum a nobis, tum ab ipsa rerum in melius mutatione. Nam si ab animo bene sibi conscio laetitia oriatur, vltique omnes virtutis numeros expleueritis, nihil ad animi tranquillitatem & solatium vobis deest. Neque enim ad consolandos animos quicquam tantum momenti habet, quantum pura conscientia: etiam si alioqui sexcentae tentationes vos circumfudeant. Idem sapite, pacem habete. Quod etiam in prioris epistolae initio postulauit. Siquidem fieri potest vt nonnulli, quauis idem sentiant, non tamen pacem colant: nimirum cum in fidei quidem doctrina consentiunt, caeterum in mutuis negotiis dissident. At vtrumque exigit Paulus. Et Deus dilectionis & pacis erit vobiscum. Non enim solum monet atque hortatur: sed etiam optat ac precatur. Aut quippe id optat ac precatur: aut quod futurum est, praedicit: vel potius vtrumque simul facit. Si enim haec feceritis, inquit, hoc est, si idem sentiat, ac pacem colatis, Deus quoque vobiscum erit. Deus siquidem, charitatis & pacis est Deus, atque his rebus gaudet & oblectatur. Hinc vobis quoque pax futura est, nimirum ab ipsius charitate. Hinc illud consequemini, vt mala omnia procul a vobis pellantur, ac de medio tollantur. Haec scilicet est, quae terrarum orbi salutem attulit: haec, quae diuturnum bellum compressit ac sustulit: haec, quae terram cum caelo commiscuit: haec quoque homines angelos reddit. Hanc proinde nos quoque amemus. Infinitorum enim bonorum parens est charitas. Per hanc salutem accepimus: per hanc nobis arcana omnia bona comparantur. Deinde ipsos ad eam impellens, Salutate inuicem in osculo sancto. Quid est, sancto? Non ficto, non subdolo, quemadmodum Iudas Christum osculatus est. Ob id enim nobis datum est osculum, vt charitatis igniculus ac fomes sit, vt affectum inflammet, vt hac ratione nos ipsos mutuo amemus, velut fratres inuicem se amant, patresque vicissim filios, imò etiam multo vehementius. Illa enim naturae sunt: haec gratiae: Ad hunc modum animae inter se deuincuntur. Ob eam causam etiam ex peregrinatione aliqua reuersi, mutuo nos osculamur, animis videlicet ad mutuum congressum accedentibus. Hoc enim potissimum membrum est, quod animi affectum nobis praedicat. Quin de hoc sancto osculo aliud quoque afferri potest. Quid tandem? Templum Christi sumus. Itaque templi vestibula & aditum osculamur, cum alij alios osculamur. An non cernitis quotnam homines etiam huiusce templi vestibulis osculum figunt, partim inclinato capite, partim manu tenentes, atque ori manum admouentes. Ac per has portas, & ianuas, ingressus est Christus, & ad nos ingreditur cum communicamus. Nostis enim vos, qui mysteriorum participes estis, quid dicam. Neque enim vulgari quodam honore os nostrum afficitur, cum corpus Dominicum excipit. Ea quoque praesertim de causa tum mutua oscula iungimus. Audiant qui obscena loquuntur, qui conuitia proferunt: ac cohorrescant, cogitantes quale os turpent ac dedecorent. Audiant qui obscenè osculantur. Audi quae oracula Christus per os tuum ediderit: atque illud ab omni macula purum conserua. De futura vita disseruit, de resurrectione, de immortalitate: quod mors minimè mors sit: ac sexcenta alia arcana. Etenim, is, qui sacris initiandus est,

stote? Perfecti efficiamini, ac quae defunt, expleatis. Exhortamini. Quoniam enim multae tentationes atque ingentia pericula erant, solatium, inquit, capite, tum alij ab aliis, tum a nobis, tum ab ipsa rerum in melius mutatione. Nam si ab animo bene sibi conscio laetitia oriatur, vltique omnes virtutis numeros expleueritis, nihil ad animi tranquillitatem & solatium vobis deest. Neque enim ad consolandos animos quicquam tantum momenti habet, quantum pura conscientia: etiam si alioqui sexcentae tentationes vos circumfudeant. Idem sapite, pacem habete. Quod etiam in prioris epistolae initio postulauit. Siquidem fieri potest vt nonnulli, quauis idem sentiant, non tamen pacem colant: nimirum cum in fidei quidem doctrina consentiunt, caeterum in mutuis negotiis dissident. At vtrumque exigit Paulus. Et Deus dilectionis & pacis erit vobiscum. Non enim solum monet atque hortatur: sed etiam optat ac precatur. Aut quippe id optat ac precatur: aut quod futurum est, praedicit: vel potius vtrumque simul facit. Si enim haec feceritis, inquit, hoc est, si idem sentiat, ac pacem colatis, Deus quoque vobiscum erit. Deus siquidem, charitatis & pacis est Deus, atque his rebus gaudet & oblectatur. Hinc vobis quoque pax futura est, nimirum ab ipsius charitate. Hinc illud consequemini, vt mala omnia procul a vobis pellantur, ac de medio tollantur. Haec scilicet est, quae terrarum orbi salutem attulit: haec, quae diuturnum bellum compressit ac sustulit: haec, quae terram cum caelo commiscuit: haec quoque homines angelos reddit. Hanc proinde nos quoque amemus. Infinitorum enim bonorum parens est charitas. Per hanc salutem accepimus: per hanc nobis arcana omnia bona comparantur. Deinde ipsos ad eam impellens, Salutate inuicem in osculo sancto. Quid est, sancto? Non ficto, non subdolo, quemadmodum Iudas Christum osculatus est. Ob id enim nobis datum est osculum, vt charitatis igniculus ac fomes sit, vt affectum inflammet, vt hac ratione nos ipsos mutuo amemus, velut fratres inuicem se amant, patresque vicissim filios, imò etiam multo vehementius. Illa enim naturae sunt: haec gratiae: Ad hunc modum animae inter se deuincuntur. Ob eam causam etiam ex peregrinatione aliqua reuersi, mutuo nos osculamur, animis videlicet ad mutuum congressum accedentibus. Hoc enim potissimum membrum est, quod animi affectum nobis praedicat. Quin de hoc sancto osculo aliud quoque afferri potest. Quid tandem? Templum Christi sumus. Itaque templi vestibula & aditum osculamur, cum alij alios osculamur. An non cernitis quotnam homines etiam huiusce templi vestibulis osculum figunt, partim inclinato capite, partim manu tenentes, atque ori manum admouentes. Ac per has portas, & ianuas, ingressus est Christus, & ad nos ingreditur cum communicamus. Nostis enim vos, qui mysteriorum participes estis, quid dicam. Neque enim vulgari quodam honore os nostrum afficitur, cum corpus Dominicum excipit. Ea quoque praesertim de causa tum mutua oscula iungimus. Audiant qui obscena loquuntur, qui conuitia proferunt: ac cohorrescant, cogitantes quale os turpent ac dedecorent. Audiant qui obscenè osculantur. Audi quae oracula Christus per os tuum ediderit: atque illud ab omni macula purum conserua. De futura vita disseruit, de resurrectione, de immortalitate: quod mors minimè mors sit: ac sexcenta alia arcana. Etenim, is, qui sacris initiandus est,

Sacerdotis os Propitiatorio angustius.

Nihil quicquam saluati fecit.

Charitas bona.

Mat. 14.

Cur sic loquitur charitatis.

Mos vt osculans.

Alia officio ratio.

Nos vt sacramentum.

us est, ad sacerdotis os, tanquam ad oraculum accedit. Audiamus quanam horrore digna sint. Siquidem animam suam iam inde a progenitorum tempore perdidit: atque ad eam exquirendam accedit, teque consulendum, quoniam pacto eam inuenire ac recuperare queat. Tum Deus ipsi velut per oraculum indicat quanam ratione ipsa inueniri possit: atque os istud vel ipso quoque Propitiatorio augustius atque horribilius existit. Nam Propitiatorium illud nusquam eiusmodi vocem emittebat: verum de rebus inferioris momenti diserebat, nimirum de bellis ac terrena pace: haec autem omnia, de caelo, & futura vita, rebusque nouis, ac mentis captum excellentibus. Postquam autem dixit, Salutate inuicem in osculo sancto, subiunxit, salutant vos omnes sancti: vt videlicet hinc quoque spem laetam ipsis afferat. Hoc autem osculi loco posuit, per salutationis vocabulum ipsos inter se copulans. Siquidem ab eodem ore, quo osculum manat, sermones etiam fluunt. Vides quemadmodum omnes, tam corporibus longè distitos, quam vicinos inter se conciliet, hos nempe per osculum, illos per litteras? Gratia domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus cum omnibus vobis. Amen. Postquam eos, tum per salutationes, tum per oscula inter se copulauit, rursus voto ac precatione orationem concludit, ac perquam sedulo & accuratè ipsos cum Deo quoque connectit. Vbi nunc sunt ij, qui Spiritum sanctum, propterea quod in Epistolarum initiis collocatus non est, eiusdem proinde essentiae minimè esse contendunt? Ecce enim nunc cum Patre & Filio ipsum recensuit. Ac praeterea istud quoque afferri potest, quod cum in Epistola ad Colossenses dixisset, Gratia vobis & pax a Deo Patre nostro, Filium tacuit, nec, vt in omnibus Epistolis, adiecit, domini nostri Iesu Christi. An ergo propterea ne Filius quidem eiusdem essentiae erit? Verum extremae dementiae fuerit hoc dicere. Nam hoc ipsum quoque vel maximè ostendit eum eiusdem essentiae esse, quod Paulus variè hoc vultus sit. Ac quod haud simplex coniectura sit quod dixi, audi quo pacto Filij & Spiritus mentionem fecerit, Patrem interim silentio praeteriens. Ad Corinthios enim scribens, his verbis vtitur, Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Quid ergo, heus tu, an no isti in Patris nomine baptizati sunt? Id si ita est, ergo nec abluti, nec sanctificati sunt. Atqui baptismo certè tincti fuerant. Quid ergo causae est, quamobrem non dixerit, Abluti estis in nomine Patris: Quia nihil referre censebat, an modò huius, modò illius personae meminisset. Idque hoc ipsi plerisque Epistolarum locis in vtu atque consuetudine positum fuisse reperies. Etenim in Epistola ad Romanos ait, Obsecro igitur vos per miserationes Dei. Atqui Filij quoque miserationes sunt. Et, Obsecro autem per charitatem Spiritus: cum tamen Patris quoque sit charitas. Cur ergo nec Filij, cum de miserationibus loquitur, nec Patris, cum de charitate, mentionem fecit? Nimirum ea de causa haec silentio praetermisit, quod perspicua, atque certa, & indubitata essent. Quin has quoque gratias inuerso modo rursus posuisse inuenietur. Postquam enim dixit, Gratia domini Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus, alio loco communicationem Filij & charitatem Spiritus ait. Obsecro enim vos, inquit, per charitatem Spiritus. Et in Epistola ad Corinthios, Fidelis Deus, per quem vocati sumus ad societatem Filij ipsius. Ad hunc modum ea, quae ad Trinitatem pertinent, diuisionem omnem respuunt. Chrysof. tom. 4.

Colof. 1.

1. Cor. 6.

Rom. 12.

1. Cor. 1.

Et vbi Spiritus communicatio est, Filij quoque inuenta est: & gratia, tum Filij est, tum Patris, tum Spiritus sancti. Gratia enim vobis a Deo Patre. Et alio loco, cum multa ipsius genera enumerasset, subiunxit, Haec autem omnia operatur vnus & idem Spiritus, diuidens vniciue prouult vult. Nec verò eò haec dico, vt personas confundam (absit) sed quòd, tum harum distinctas proprietates, tum naturae vnitatem agnoscam. Quocirca sic maneamus, vt dogmatum horum sinceritatem teneamus, ac Dei amorem & benevolentiam attrahamus. Etenim prius quidem nos, sui odio flagrantis amauit, & cum hostili in eum animo essemus, in gratiam recepit: postea autem amantes iam amare vult.

1. Cor. 12.

MORALE.

Quocirca constanter eum amemus: vt ab eo etiam amemur. Nam si, cum ab iis amamur, qui plurimum possunt, timori omnibus sumus, multò utique magis, si a Deo amemur. Quòd si, huius amoris causa, opes etiam ac corpora, & vitam quoque ipsam dare opus sit, ne id efficere dubitemus. Neque enim verbis nostrum erga eum amorem testari fatis est. Neque enim ipse verbis duntaxat, sed etiam rebus suum erga nos amorem demonstrat. Quamobrem tu quoque per opera id ostende: atque ea, quae ipsi grata sunt, effice. Sic enim ipse lucrum rursus referes. Etenim ille nulla re nostra indiget. Id quod etiam veri ac sinceri amoris indicium est, nempe quòd, cum nulla ipse re indigeat, nec in vllius rei penuria versetur, tamen nihil non faciat, vt a nobis ametur. Ea quoque de causa Moses dicebat, Quid enim Dominus Deus a vobis quaerit, nisi vt ipsum ametis, ac prompto animo post ipsum incedatis? Ex quo efficitur, vt quando ipse iubet vt eum ames, tum potissimum ostendat se tui amore affici. Vide quippe, quòd omnia ipsius praecpta ad requiem nostram ac salutem & gloriam referantur. Etenim cum ait, Beati misericordes, beati mundo corde, beati mites, beati pauperes spiritu, beati pacifici, nihil quidem ipse hinc percipit: verum idcirco hoc praecipit vt nos ornet & instituat. Et cum ait, Esuriui, non eò id ait, quòd ministerio nostro opus habeat: sed vt te ad benignitatem & misericordiam alere poterat: verum, vt amplissimum tibi desiderium largiretur, haec edixit. Nam cum sol iste, qui in rerum conditarum numero est, oculis nostris haudquaquam indigeat, (neque enim ei quicquam de splendore decedit, etiam si nemo eum cernat: verum nos ipsi sumus, qui vtilitatem capimus, cum ipsius radios contuemur) quantò tandem magis in Deo id vtu venit? Atque, vt hoc etiam aliunde noscas, quantum inter Deum ac nos interesse vis? An quantum inter nos & culices? Liqueat profecto quòd multò plus, atque adeò infinities amplius. Proinde si nos, qui inanis gloriae studio flagramus, nec culicum ministerio: nec gloria indigemus: quantò magis Deus, qui a turbulentis animi permotionibus & egestate plurimum abest, haec tenus tantum vtilitatem ex nobis capit, quatenus beneficiis nos afficit, ac salute nostra maiorem in modum oblectatur? Quo fit, vt etiam plerumque sua misera faciens, tua quaerat. Si quis enim, inquit, vxorem habet infidelem, & ipsa consentit habitare cum eo, non dimittat illam. Qui autem dimittit vxorem, excepta causa fornicationis, facit eam mœcham. Videtne bonitatem omni sermonis facultate praestantior? Si adultera sit vxor, inquit, minimè te cogo vt cum ea habites. Si autem infidelis, non prohibeo. Rursus, si

Verbis amare non satis est.

Deu. 10.

Matt. 5.

Matt. 25.

Simile.

diuisionem habet e-mend. co-dex.

1. Cor. 7.

Matt. 5.

Mat. 5.

Mat. 18.

Gen. 20.

Act. 9.

Mat. 25.

aduersus aliquem in feno animo es, iubeo vt is, qui te molestia afficit, oblationem meam relinquat atque ad te currat. Si enim offers munus tuum, inquit, atque illic recordaris quod frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque munus tuum ante altare, & vade, & prius reconciliare fratri tuo, & tum veniens offer munus tuum. Quid decoctoris illius parabola? An non hoc indicat? Nam cum decem millia talentorum abliguriuisset, ipsius miseratus est, eumque missum fecit: at cum idem centum denarios a conseruo suo exegisset, tum nequam atque improbum eum vocauit, tum supplicio tradidit. Tanta ipsi tuae quietis ratio atque cura est! In viri iusti vxorem barbarus flagitium mox admittitur erat: ac dixit dominus, Peperci tibi, vt ne peccares in me. Paulus Apostolos persequebatur: & ait ad eum, Quid me persequeris? Alij fame laborabant: & ipse esurire se dicit, ac nudum & peregrinum oberrare: vt hac quoque ratione te pudore quodam commotum ad elemosynae studium excitet. Quamobrem illud cum animis nostris reputantes, quantam vbique erga nos charitatem ostenderit, atque etiamnum ostendat (nam & sui cognitionem nobis praebuit, quod quidem praecipuum bonorum omnium caput est, atque animi lumen, ac virtutis doctrinam, vitamque ipsi gratam, velut lege lata promulgauit, & omnia nostra causa fecit, & Filium suum dedit, & regnum pollicitus est, & ad arcana bona omniq; sermone sublimiora nos vocauit, & beatissimam vitam nobis praeparauit) quilibet faciamus ac dicamus, vt & ipsius amore ac benevolentia digni videamur, & futura bona consequamur. Quae vtinam nobis omnibus consequi contingat per gratiam & benignitatem domini nostri Iesu Christi, cui cum patre sit gloria vna cum sancto Spiritu, nunc & semper & in saecula saeculorum. Amen.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI IN HOC APOSTOLI DICTVM, VTINAM tolerassetis paululum quiddam insipientiae meae, Homilia: viro quodam docto interprete.

2. Cor. 11.



MNEIS equidem amo sanctos, maximè verò sanctum Paulum, vas electionis, tubam caelestem, sponsae Christi ducem, ac pronubum. Id quod propterea dixi, & amore in medium produxi, vt vos ille tamenti amoris participes facerem. Quandoquidem externo amore succumbentes, fateri palam propria dispudet, tanquam deterritos tum sui pudore, tum audientium periculo. Atque hunc nostrum amantes nunquam tacent, quia sibi atque auditoribus iuxta profunt tam honesta professione. Nam amor ille vitio datur, hic laudi. Ille morbus animi probris obiectus, hic animae laetitia est & exultatio, mundusque indicibilis: ille bellum in amantium cogitationem inuehit, hic bello, si quod fuerit, eiecto, pacem copiosam substituit. Ex amore quidem vulgari, non modò nihil accrescit emolumentum, sed ingentem quoque rei familiaris iacturam facit, inanem sumptum, vitaeque interuentionem, adeoque aedium è fundo subuersionem. Ex honesto autem, qui spectat animorum decorem, multae opes bonorum operum, magnaque virtutum supellex existit. Praeterea bonam

836

A corporis formam adamantes, inhiantesque ad splendorem faciei, turpes sunt & in elegantis formae, neque ad mutandam deformitatem quicquam ex concupiscentia lucrantur, quin semper in peiorem, abiectionemque oris habitum abeunt. Ceterum in hoc amore penitus est contrarium: quicumque amat animam sanctam formosam, claram, pulchramque, etiam si ipse est turpis, ingratusque aspectus: imò si omnium sceddissimus, modò perduret in amore sanctorum, continuo talis erit, qualis est quem amat. Etenim diuina id benignitatis argumentum est, quod corpus deformis & mutilum nequeat emendari: anima verò turpis & manca, in pristinam lucem & decorem facile reformatur. Nam ex bonitate vultus nihil emolumentum: ex pulchritudine autem animae tanta licet bona lucrari, quanta congruè possidet, qui Deum habet amatorem. Audi enim, inquit, filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populi tui & domus patris tui, & concupiscet rex pulchritudinem tuam. Pulchritudinem hinc eam dicit, quae est secundum animam: cuiusmodi virtute & pietate contingit. Quae de causa, cum tantum sit lucrum sanctorum amatoribus, operae praecipuum facimus, si communi amore amplectamur sanctum tam eximium, idque cupidissimè. Nam si animam nostram amor ille vel semel subiens in ea lucidam excitauerit flammam: quicquid fencosum, quicquid saxosum & asperum & insensatum offendit, in cogitatione nostra totum exponit, aut certe promittit, & animam nostram in decliuem fundum, laetumque aruum purgat, aptamque reddit diuino semini suscipiendo. Et nemo dicat, quod nunc neque adlit Paulus, neque oculis nostris videatur: & quoniam modo contingere queat, vt id quod nunquam vidimus, amemus? Nihil enim hoc est impedimentum, quando & absentem amplectimur, & inuisum diligimus, potissimum cuius virtutis argumenta tam magna, tamque egregia, in omnibus vbique terrarum ecclesiis. Nempe impietatem dissipatam, malam vitam in meliorem versam, errantes in vitam reductos: intemperantium sacra, vt Bacchanalia & id genus explosa, abdicata templa, obmutescens daemones. Vniuersa haec tam admiranda linguae Paulinae potentia, inspirata gratia Dei confecit, claramque flammam pieratis vbique gentium accendit. Cum quibus dotibus & sanctas huius epistolas habemus, quae nobis characterem beatae animae diligenter insculpunt. Quemadmodum ergo cum Paulo in praesentia constituto differere animus esset: sic cum alacritate nos obsequentes eius literis praebemus, quae intus dicta sunt, explicemus. Discamus quidnam sit, quod exclamauit hodie, dicens: Vtinam tolerassetis parum quiddam insipientiae meae, quin me sustinuissetis: amulor enim vos Dei emulatione. Quid ais Paule? qui discipulis legem praescribens, In sapientia, inquit, ambulate erga extraneos: qui dicitis, Sermo vester semper in gratia sit sale conditus, vt sciatis quomodo oporteat vos vniciq; respondere: qui precaris omnibus vt sapientia spiritali adimpleantur: ipse exclamans Vtinam tolerassetis paululum quiddam insipientiae meae: Num satis tibi dixisse fuit, aliquod insipientiae meae verbum? Ad discipulos etiam illud exponis, neque ad discipulos tantum exponis, imò omnibus hominibus, quotquot cum illis fuerunt, per epistolam notum facis. Animaduerte, quam non oporteat, quae dicuntur simpliciter percurrere, sed vnumquodlibet accurate disquirere. Illud enim quum legitur simpliciter, offendit auditores: peruestigatum verò, eximiam aperit Pauli sapientiam, admirandam prudentiam, curam

indici-

1. Cor. 2.

Ibid. 11.

Ibidem.

Ibidem.

1. Cor. 10.

Ibid. 11.

1. Cor. 10.

Ibid. 11.

1. Cor. 11.

Ibidem.

indicibilem. At quid tadem id est, quod dicitur? Pseudapostoli frequentes apud Corinthios agebant, qui praeconio Christi deprauato, etiam accusati Pauli opinionem erucere, quam de ipso discipuli conceperant, ceu per cuniculos tentarunt, eumque per ironiam falso dictis arrodentes, superbiae detulerunt: aduersus illos bona pars, vt videtur, epistolae pertinet. Quemadmodum quum dicit, Non sumus sicut reliqui, venditantes verbum Dei: & rursum dicens, Sic me seruauit, ne cui essem onerosus: & addit, consilium semper fuisse, vt hanc legem immotam seruet. Nam est veritas, inquit, in me Christi, quod haec mea gloriatio non interrumpitur in me, in regionibus Achaiae. Quando reddit causam, sceleratos istos tacite notat, sic dicens: Quapropter, an quod non diligam vos? Deus nouit. Verum quod facio, idem & faciam, vt amputem occasionem iis qui cupiunt occasionem. Et antea discipulos cohortatur, ne committant, vt eis necessario potentiam suam declaret, dicens: Rogo autem vos, ne praesens audeam ea fiducia, qua existimor audax fuisse in quosdam, qui putant nos veluti secundum carnem ambulare. Nam sic illi maledici, de quibus haec dicit, omnia rememorabant, per ironiam eum acerbius vellicantes: quod videlicet epistolae Pauli magnum praese ferant tumorem, & verborum arrogantiam: ipse verò nihil sit, exiguus, abiectus. Postquam igitur hoc loco traducitur, quasi in nullo sit numero, qualique indignus sit, de quo ratio habeatur, sicut iterum explicans pseudapostolis, Num illud, inquit, peccavi, quod me ipsum humiliarim, vt vos exaltarem? Et istud obiectum crimen diluens: Quales, inquit, sumus sermone per epistolas cum absumus, tales sumus & cum adsumus facto. Quando itaque multi fuerant apud illos pseudapostoli, quos & operarios dolosos nominat, sic dicens: Siquidem istiusmodi pseudapostoli, operarij dolosi sunt, sumpta persona apostolorum Christi. Atque haud mirum, quandoquidem ipse satanas transformatur in angelum lucis: non magnum est igitur, si & ministri illius personam in se transferunt, quasi sint ministri iustitiae. Quae de causa, quum isti contumelias infinitas in hunc dicunt, damnòque afficiunt discipulos: quod perperam persuasi, minus idoneam de eo existimationem habere queant, deinceps necesse habet in magnificam, tamen veram laudum suarum recordationem descendere. Neque enim consultum fuit in reliquum tempus tacuisse. Ceterum quia pugnas suas nobis erat memoraturus, & reuelationes quas vidit, & labores quos pertulit, ostensus omnibus, quam inuitus, quamve coactus id faciat: quanquam necessitatem vidit ineuitabilem, tamen insipientiae quiddam vocat, sic dicens, Vtinam tolerassetis quiddam insipientiae meae. Facturus, inquit, sum rem absurdam & stultam, me ipse celebrabo & extollam. Verum ego praedicationis huiusmodi propriae causa non sum, sed illi potius, qui eò me detruserunt: propterea vos adhortor, perferatis me illis causam reddentem. Num perspicue vides prudentiam Pauli? Etenim dicens: Vtinam tolerassetis paululum quiddam insipientiae meae, quinimò sustinete me: nam zelotypus sum erga vos Dei zelo: non continuo perrexit ad narrationem laudum, sed interim iterum interserit verba quaedam, & in hunc propè modum dicit: Iterum dico, ne quis me putet insipientem, alioqui & vt insipientem accipite me. At ne sic quidem attingit narrationem, sed iterum dicit: Quod dico, non dico secundum dominum, sed velut in insipientia, in hoc argumento gloriationis. Sed ne tum qui-

Chrysof. tom. 4.

dem audeat ingredi, tot verbis ceu in praesidium praetermissis. Quin iterum repositus praeludit & dicit: Quandoquidem multi gloriantur secundum carnem, & ego gloriabor: libenter enim suffertis insipientes, cum sitis sapientes. Mox iterum recusat & contatur, paucisque interpositis addit: Sed in quocumque audeat aliquis, in insipientia loquor, audeo & ego. Cum demum latissima excusatione, praemittigationeque praedaudita, tentauit aggredi laudum suarum enarrationem. Et quemadmodum equus praecipitium aliquod, praeruptumque cliuam transurus se colligit, quasi hunc vno saltu exuperaturus foret: verum profundum despiciens hiatus subiacere, obstupescit metu, contrahiturque, deinde quum sentit equitem vehementius vrgere, rursum aggreditur, idemque quod antea perfert, necessitatem & vim indicans, subsistit aliquandiu, hinnitum musitans super oram foueae, resumpto tadem animo se vltro fidenter adigit. Sic & beatus Paulus veluti se daturus in preceps, in laudum suarum recitationem, semel atque iterum, ac tertio, & subinde saepius retrocedit, sic dicens: Vtinam tollerassetis paululum quiddam insipientiae meae. Et rursum: Ne quis me putet insipientem esse, alioqui & vt insipientem accipite me. & Quod dico, non dico secundum dominum, sed velut in insipientia, in hoc argumento gloriationis. Et rursum: Quandoquidem multi gloriantur secundum carnem, & ego gloriabor: libenter enim suffertis insipientes, cum sitis sapientes. Et rursum: In quocumque audeat aliquis, in insipientia loquor, audeo & ego. Et quum se millies insipientem nominasset & stultum, vix tandem audeat in proprias laudes descendere. Hebraei sunt, & ego: Israelitae sunt, & ego: semen Abraham sunt, & ego: ministri Christi sunt, & ego. At nondum sibi excidit, sed iterum praemollit hoc pacto: Delirans, inquit, loquor, plus ego. Neque hic desinit, nam absoluto laudum suarum catalogo, factus sum, inquit, insipiens gloriando, vos me cogitis. Ecquid non dixit, pseudapostoli me coegerunt: sed, vos me cogitis? Quoniam illorum, inquit, rationem non habui. Vestra ferme fuerunt sana & sobria, nisi fuissetis auersi, nisi retulissetis pedem. Quod si nos semper maledictis impetissent, illorum virulentia nihil nobis accreuisset detrimenti. Verum quia cognoui dissipatum esse ouile, discipulosque defecere, experiundae rei & arduae & perquam molestae animum insumpsi, adeoque coactus sum desperare, mea recensendo encomia, propter vos, vestramque salutem. Ea sanctis consuetudo, quod perperam fecerunt, rependunt quotidie, deplorant, omnibusque ob oculos ponunt: quod autem ingenuum & eximium, abscondunt, & obliuione transmittunt. Talis est hic sanctus noster, peccata sua vel nemine impellente perpetuo versat, excantatque. Siquidem aliquando dicit: Christus Iesus venit in hunc mundum, vt seruaret peccatores, quorum primus ego sum. Aliquando verò: Gratiam habeo in eo, qui me confortat Christo, quod fidelem me arbitratum est, ponendo in ministerium. Item prius sui contumeliosus, persecutor, & iniurius, sed commiserationem sum consecutus, quia ignorans feci in infidelitate. Et rursum: Postremo omnium tanquam putamento apparuit. & Ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum idoneus nominari apostolus, quandoquidem sum ecclesiam persecutus. Et rursum: Mihi minimo omnium sanctorum data est haec gratia. Non apostolorum tantum, sed generatim omnium fidelium postremum se asserit, ita dicens: Mihi minimo omnium sanctorum data est gratia haec. Neque se dignum dicit gratia, quae est ser-

D d ij

uatus: Christus, inquit, Iesus in mundum venit, ut peccatores saluos faceret, quorum primus sum ego. Animaduerte quam causam salutis acceptæ reddit. Nam dicit, idè misericordiam sum adeptus, ut in me primo ostenderet Iesus Christus omnem longanimitatem, ad exprimendum exemplar iis qui credituri essent in se, in vitam æternam. Nullo pacto suam asserit dignitatem & meritum, ne vllus peccator in malitia quantumlibet confirmatus, deinceps animum abiiciat, etiam si bellum Christo fecit: quando Paulum videt postremum omnium, quo posterior non erat alius quisquam, qui in acie Deo restitit, liberè seruatum. Quandoquidem Christus dicit: Quoniam vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram gentibus & regibus. Ille verò ne tantulum quidem ex tantis præconiis intumuit, se miserum pertinaciter contendit. Post tantam gratiam, post tam eximia virtutis opera, post præclaram dicendi libertatem, primum se peccatorem nominat. Et propterea se affirmat misericordiam consecutum, ne quisquam neque in extremam malitiam delapsus desperare queat, modo rem speret, & in hunc exhibitam clementiam. Itaque præter necessitatem excitat quotidie in omnibus epistolis, se notatione atra describens: palamque faciens, non solum eius ætatis hominibus, sed & omnibus posteris. Præconia vel vrgente necessitate grauat, vel potius refugit, enarrare. Nam sæpenumero eam rem insipientiam nominat, atque admirandam, diuinamque illam reuelationem multo tempore subtrahit: quam non paulò antè, neque anno altero, aut tertio, aut decimo, sed aliquantò superioribus vidit. Quamobrem nunc tempus nominatim apponit, sic dicens: Scio hominem ante annos quatuordecim raptum vsq; in tertium cælum, ut tu discas, quòd ne tum quidem dixisset, nisi multam vidisset necessitatem imminere. Nam si animo sedisset proprias aliquando prædicare laudes, factam visionem tam obstupendam còtinuò prodidisset, aut primo, aut secundo, aut tertio anno, modò ad annum quartumdecimum tacitò suppressit. Neque cuiquam aperuit, præterquam vnis Corinthiis: & tum potissimum, quando falsos mendacesque apostolos suboriri vidit, nimirum ut ostenderet, ne tum quidem fuisse animum dicendi, si non obseruasset lucem illam pessimam in discipulos grassari. At nos non item. Contraria ratione prorsus nitimur. ne vnus quidem diei, qua peccauimus, tenemus memoriam: imò referentibus indignamur, grauitèrque succensemus, & perquam molestè suscipimus, conuicij loco ducimus, mille contumeliis retaliamur. Cæterum si quid bene fecimus, quantumcunque fuerit, latissimè prosequimur: recensentibus illud habemus gratiã, eos putamus amicos nobis. Sed & Christus diuersum præcepit benefactorum obliuionem, memoriam peccatorum. Quod nobis clarum effecit in hoc quod discipulos adhortatur, dicens: Quando omnia feceritis, dicite, inutiles serui sumus. Et in parabola pharisæi, cui publicanum præposuit. Quemadmodum enim illum delictorum memoria iustificauit, ita hunc memoria suorum operum destruxit. Quarum rerum Deus Iudæos admonet, sic dicens: Ego sum is qui extinguit iniquitates tuas, & non meminero, tu verò memineris. Talis erat apostolis consuetudo, talis prophetis, atque iustis omnibus: quapropter David peccati sui perpetuò meminit, virtutis nunquam, nisi compulsus necessitate. Quãdo Barbaricum bellum Iudæam vexabat, omniãque periculis plena videbantur, cum esset adhuc iuuenis, & rei bellicæ imperitus, omisis ouibus in exercitum profectus,

A8 9.

1. Cor. 11.

Luc. 17.

Ibid. 18.

Esa. 45.

omnes animo deiectos conspexit, obstupescit, & obsequio metu ac tremens. nihil quod est humanæ fragilitatis perferens, neque formidolosum reddidit suæ humilitatis cognitio: quum fide omnibus quæ videntur exuperatis, ad regem cælorum suspiciens, multam animo alacritatem concepit, non solum milites, sed & fratres accessit, seque eos ex præsentis periculo promissit in securitatem vindicaturum. Cùmque fratres quod dictum erat, risissent, ut qui Deum à quo inunctus fuit, ac generosum animum ignorabant ad eò redundantem cælesti philosophia, illis omisis ad alios diuertit. Tandem ad regem perductus, quem præ timore propè mortuum inuenit: principio illum solatus, consilium atque animum reddit, sic dicens: Ne concidat cor domini mei intra se, quia seruus tuus abibit expugnaturus istum. Rex verò cum non fidem haberet tantis pollicitis: abire, inquit, non poteris, admodum puer es, & ille vir bellicosus, & per omnem vitam exercitus. David in ancipiti constitutus, necesse habuit recensere sua præconia. Quam autem inuitus id fecerit, ex prioribus apparet. Nam de præclara se gestis ne tantillum quidem narrauit, neque fratribus, neque militibus, neque regi ipsi, quoad eum non adhibentem fidem promissis ipsius, vidit tum angustia pressum, tum negantem facultatem cum illo congregandi. Quid enim præterea faciendum fuit: recedende virtutes? At nequaquam ei concredita fuisset belli summa, neque defensio periculi iam tum imminentis obtigisset. Qua de causa quatenus oportuit, obtexit silentium: inuitante autem ac estlagitante temporis ratione ad dicendum, consilium diuersum inuit dicit: que ad regem: Pastor eram seruus tuus in ouili patris, & quando venit leo aut vrsus, & rapuit ouem ex grege, à tergo aggressum perterrefeci, corripui prædam ex ore, & comprehendi guttur, & interfeci eum: & leonem & vrsum percussit seruus tuus: & erit alienigena iste & incircuncisus sicut vnum ex illis. Num vides quo pacto declarauit, quanam gratia laudes proprias percensuerit? Tum sanè rex in reliquum tempus assumpta fiducia, iussit ut abiret: atque abiit, & in acie victor euasit. Quòd si laudes suas refugisset proferre, ne utiquam eum rex ad singulare certamen idoneum putasset, & parum idoneum existimatum in aciem descendere qui dimississet: Cæterum eo non dimisso, præclarum facinus fuisset impeditum: quo impedito, neque Dei gloria tum illustrata fuisset, neque ciuitas euitasset incumbens periculum. Ergo ne tot absurda committantur, neve tanta ministerij magnitudo secludatur, necesse fuit ipsi David suas referre laudes. Quemadmodum enim tacere nouit, quãdo nulla vrgere necessitas: ita & dicere nouit, quum instare multam vim perpendit. At non in hoc tantum, sed in altero etiam, nempe Samuël videre licet modestiæ rationem. Etenim ille tot annos præfectus populo Iudæico, iuxta id quod Deus tum disposuerat, nihil tamen vnquam de se eximium prædicauit, tametsi vberissimam, si amasset, gloriæ materiam habuit: utpote laudabilem à puero educationem, sanctã in templo conuersationem, & amplissimam ab incunabulis prophetiam. Ad hæc tot bella, victoriam toties actam, non tã armis quàm beneuolentia & fauore Dei. Nihil horum superioribus annis, ut de se confiteretur, imperauit vsus. Cæterum vbi abdicatam rempublicam alteri curandam cedere parabat, tum inuitauit occasio ad laudes suas late recitandas. Itaque coacta populi totius concione, præsentis Saül in hunc fermè modum locutus est: Ecce vocem vestram audiui, & constitui regem super vos, & serui: & ecce ego conuersatus sum

sum coram vobis ex adolescentia mea. vsque in hunc diem iudicati estis à me coram domino, & coram Christo eius. Cuius vitulum accepit? aut cuius asinum accepit? quem vestrum imperio depressi? cui vestrum vim feci? aut ex cuius manibus corripui hostiam aut calceum, & abscondi oculos meos ab ipso? Dicit aduersum me, & reddam vobis. Aduerte quanta necessitas huiusmodi dicendi. Magna nimirum & vehemens. Quandoquidem daturus erat illis principem Saül, in suam ipsius excusatione docere hunc intendens, quoniam pacto imperium sit gerendum, & quàm vigilanter curiosèque pro subditis excubandum, eos qui nuper admodum ipsum iudicem recusarunt, philosophiæ suæ testes facit. Neque tamè eo tempore, quo præfuit magistratui, quòve ipsius dicto audierunt, ne cui videntur ceu timidi, metùque perterriti, quæ non fuerunt, affirmasse testimonio. Verum præfectura iam tum præterita, mutatàque in successorem prouincia gubernandi, vbi in reliquum tempus nihil periculi manebat accusatorem, tum demum apud eos iustitiam suam contestatur. Alius fortè iniuriæ memor, quam à Iudæis accepisset, ne utiquam exoptaret post se principem mansuetum exoriri ac moderatum. Idq; non omnino propter memoriã iniuriæ, sed ut ipse queat amplius commendari. Siquidem grauis iste morbus magistratibus infestus est, ut post se administrationem rerum suscepturos, peruersos esse ac sceleratos precetur. Nã qui sunt generosi, magnique animi, in clariorem splendorem se existimant euasuros, quum eiusmodi non fuerunt, qui in principatu sequuntur. Qui tantum vmbra sunt, corruptique moris, arbitrantur malitiam successoris ipsis in prætextum flagitiorum fore. Atqui non sic beatus ille Samuël orauit, expetiuitque votis summam rerum in eximium quèdam traducere. Vsque adeo affectu charitatis tenebatur, vsque adeo mundus fuit & alienus ab inuidia, longèque semotus à vanitate & opinione sui. Quia salutem hominum duntaxat spectauit, illis gubernatorem ad sui expressit imitationem, in ea oratione qua de gestis suis rationem dedit. Nam cum ignarum sciret odiosumque, regem adhortari, qui omnia coram erat auditurus, atque illi ceu formam præscribere republicæ: quàm scilicet mansuetus esse debeat, quàm moderatus, quàm procul à munerum corruptione, ut nemini vim inferat, ut nemini sit iniustus, neque diuitiis congerendis studeat: rursus tacendo cunctus populus in prædam traditus fuisset: prætextu excusationis, vtrunque periculum declinauit. Illum docuit cuiusmodi gubernatorem esse conueniat, simulque vitauit odium doctrinæ. Siquidem videret circa res suas occupatus: instruit tamen & præscribit, quanto studio, quãve via, subditorum commodis aduigilare par sit. Tu interim expende, quàm accuratè se ipse purum declarat ab omni delicto. Non enim dicit, neque agrum alicui ex vobis, neque argentum abstuli: sed quod omniũ vilissimum est dicit, nempe ne calceum quidem. Mox alteram ipsius, eximiamque nobis virtutem aperit. plerique enim principes dum furto plebem expoliant, mansueti sunt & moderati & suauis, non ex animo, sed propter necessitatem conscientia, adempta eis per futurum dicendi libertate. Si muneribus accipiendis abstinent, onerosi grauesque sunt, quanquam non ex animo abstinent. Eo namque ingenio existimationem captant, quasi ex proposito sint puri. Adeoque in vnum pariter vtrunque sæpenumero confluit, & quàm facillimè, ut idem sit ex æquo læuus atque furax. Sanctus ille contendit se ambobus his malis eminere, non minus ab industria compilandæ plebis, quàm ab ira remotissimus, cum dicit: Cuius vitulum sumpsi? nec

Chrysof. tom. 4.

definit, quin mox subiungit, aut quem ex vobis potentia suppressi, aut in vincula perpetua conieci, hoc est, afflictionibus extinxi? Quod autem dicit, huiusmodi quiddam est: nemo illud aduersum me dicere poterit, cum nihil penitus accepi. Quando verò nihil accepi, consequens esset, me fuisse intolerabilem, difficilem, atrocem, ac inhumanum: eoque subnectit, Aut quem ex vobis imperio depressi? At quid illi responderunt? Non oppressisti nos, neque vinculis intruisti, neque vnquam ex manibus nostris quicquã accepisti. & quò difscas quòd regem illorum instructurus, illa sit præfatus, subiecit: Testis dominus, & testis vnctus eius, quin immo vobis idem est manifestum. Atque ostendit, quàm iniucunda testificatio. illum enim testem nominauit, qui arcana cogitationum perspexit, quod est mundæ conscientia probamentum, quia nemo prorsus, nemo qui sanus, quique mente non excidit, testem Deum euocat, nisi omnibus modis sibi confidat. Testificantibus itaque illis de his quæ modò narrauerat, aliam virtutem ingerit, veterum memoriam reficit, & eorum quæ gesta sunt apud Ægyptum, præfecturæ Dei, ac bellorum quæ secuta sunt. Rememorat pugnam sub se pugnatam, insperatamque victoriam. Deducit quomodo sæpenumero propter peccata traditi sunt hostibus, inuocatòque Deo ab eis rursus liberari. Veteribus noua committens, Misit, inquit, dominus Hieroboam & Barach Iephthæ, ipsumque Samuëlem, & eripuit vos circumvndique ex manu inimicorum vestrorum, magnaque fiducia domos vestras incoluistis. Num vides quemadmodum est consuetudo sancti, propria benefacta pertinaciter contegere, nisi dum ad explanandum necessitas imperiosior impellit: Idèoque Paulus huc spectans, ut qui accuratè didicerat, quàm molestum odiosumque sit, audire de se magnificentius loquentem, dixit, Utinam tolerassetis meæ insipientia paululum quiddam. Neque ait, utinam tolerassetis insipientiam meam: sed, paululum quiddam. Quandoquidem necessitas non fuit, ut se largius profunderet in encomiorum suorum narrationem, breuibus ea peruolitauit, idque propter illos & ipsorum salutem. Quemadmodum enim suas recitare virtutes, extremæ videtur dementia, si nulla superest necessitas: ita necessitate violenter incumbente propellentèque, proditio est ea tacere, quæ quis studiose perfecit. At Paulus præsentem considerans necessitatem, adhuc subcontatur, insipientia negotium nominat: quòd tu discas eius prudentiam, sapientiam & securissimam cautionem. Nam cum dicit, Quod loquor, non loquor secundum dominum: adnectit argumento gloriationis. Ne putes, inquit, ista me generatim differere. Itaque in hoc cum laudo maximè & admiror, pronuncioque sapientissimum, quòd rem stultam existimauit sese prædicare & extollere. Quòd si ille, quum necessitatem adesse videret, appellauit hoc insipientiam: qua venia, qua excusatione digni sunt, qui de se præter necessitatem eximia iactant, aut alii ut ipsos apud auditores efferant iniungunt? Ergo cum illa cognoscimus, quæ dicta sunt, non tantum verbis commendemus, sed imitemur, & assequi contedamus, oblitivirtutum, tenacem vitiorum memoriam foueamus, quòd mediocribus consentire possimus, in futurum protendere, brabion apprehendere supremæ vocationis. Quod omnibus nobis obuoniat ex charitate & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui simul atque patri & sancto spiritui sit gloria, potentia, honor, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Dd iij



IVVS Ioannes Chrysostomus, hoc est, os verè illud aureum, pie lector, quemadmodum Nixephorus Calistus se legisse testatur, libros vigiliarum suarum amplius mille ad posteritatem transmisit. Et si Suida asserenti fidem habere non recusamus, eum tot exarasse volumina deprehendimus, ut illa ne recensere quidem numerando possibile sit. Quantum verò ad verborum rationem, & genus dictionis attinet, omnes ei tribuunt natiuam ac venustam Attici sermonis puritatem admirabili docendi facilitati coniunctam, qualis nulli unquam vel Grecorum eloquentissimo contigit. Ac cum sit dilucida atque facili oratione, quam verè & germanè Atticam esse Plutarchus asseuerat, vsquequaque admirabilis, in eo opere tamen quod de sacerdotio publicum esse voluit, summam laudem, (quòd non alibi stylo sit vsus grandiore, nec magis elaborato) apud omnes bonos hæcenus promeruit. Idem ipsum in commentariis permultis ad vetus & nouum Testamentum à se conscriptis similiter fecisse probabile est, quos iniurià temporum, cum nusquam appareant, intercidisse arbitramur. Qui si extarent, & in manibus studioforum versarentur, eorum que hic significare contendimus, amplissimum testimonium præ se ferrent. Id quod adhuc manifestissimè cernimus in continuo illo atque insigni eius commentario in epistolam diui Pauli Apostoli ad Galatas, in cuius explicatione, recondita Dei mysteria ita referat & interius spectanda proponit, ut nullus deinceps hesitare possit, beatam eius viri animam sancti spiritus afflatu, si unquam aliàs, tunc maximè cum illa commentaretur, fuisse illustratam. Huic nostræ opinioni, ne quis arbitretur nos talia confingere, adstipulatur Georgius Patriarcha Alexandrinus, in vita Chrysostomi à se edita, his verbis: Diuus Ioannes cum Pauli epistolas (quas præ cæteris diuinis libris vehementi complectebatur amore) explanare cepisset, & in eas ad funalis cerei lumen singulis noctibus enarrationes multas conscripisset, iamque eas maxima ex parte interpretatus esset, nocte quadam cepit, dicens, Et quis nouit, Deone accepta sint hæc, & gratiam ab eo relatura? Atque vitinam citra notam reprehensionis enarrata sint hæc. Scopimne attigi sapientis istius, ac tanti viri? Hac de re ut argumento quopiam redderetur certior, supplex efflagitauit Deum. Et ecce nocte eadem arreptis in manum chartis, cum pressius incumberet scribendis in Apostolorum commentationibus, venit ad eum Paulus Apostolus, in aures eius expositionem immurmurans. Quem Proclus cubicularius ad fores cubiculi excubans per foramen quoddam ianue prospectans, manifestè vidit immittentem os suum deorsum versus in aurem Ioannis dexteram, & familiariter dictantem ea que Ioannes scribebat. Forma autem, habitusque Apostoli erat omni ex parte assimilis imagini diui Pauli, quam Chrysostomus, ad viuum depictam, in cubiculo suo summa cum veneratione seruabat. Hæc Georgius. Ideoque mihi facillimè persuadeo, ut in diuinis literis & sacrosanctis scripturis multum se, quod de Cicerone scriptum reliquit Quintilianus, ij profecisse intelligant, cui diui Ioannis Chrysostomi lucubrationes cordi fuerint. Atque eo magis diuinorum eloquiorum certissimam scientiam consequentur, si tanti viri mores grauissimos, insignem pietatem, & ipsissimam sacrati peccatoris imaginem, in suis scriptis lucenter & ad viuum expressam, quam sequenti carmine utcumque delineatam exhibemus, sibi ad imitandum assidue proposuerint: que quidem diuini hominis imago, in suis commentariis latissimè variisque coloribus exornata, cælestium rerum contemplatoribus & talium scriptorum lectoribus nunquam non occurrit.

IN IMAGINEM DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI.

O Nimium veneranda mihi, mihi dulcis imago, Quam bene diuini signa decoris habes? Qui radij, quæve ora micant, quæ sidera fronti. Quos ignes, vel quas fundis ab ore faces? Salue magne parens, cæli decus, aurea fandi Copia, cui meritum nomen & ora dedit. Nil mortale sonas: summi feu scripta Parentis Excutis immensis finibus ingenij, Siue rudes firmare velis melioribus orsis, Anxia seu tristi corda dolore leuas,

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI enarratio in epistolam ad Galatas: incerto interprete, locis aliquot per ipsum restitutis ex editione Veronensi.



AVLVS Apostolus, non ab hominibus, neque per homines, sed per Iesum Christum & Deum patrem, qui suscitauit eum à mortuis, & omnes qui mecum sunt fratres, ecclesijs Galatiæ, Gratia vobis & pax à Deo patre nostro & domino Iesu Christo. Procerium multa vehementia, magnoque spiritu plenum est: nec procerium modò, verum etiam tota, ut ita dicam, e-

Vehementior Paulus

Seu dictis mulcere feros, seu flectere sensus, Gratia diuino semper in ore fedet. Antiochi te magne solum, te Thracia longè Littora, & Euxini marmoris ora sonat. Armeniisque canit cultor beneolentis amomi, Quique Cilix rubri demetit arua croci. Te totus terrarum orbis, te curia cæli Suspicit, & cælo tot benefacta beant. Per te sancte pater, tua nos exempla secutos, Ipse pater cælo transferat omnipotens.

pistola. Etenim tum placidè lenitèrque loqui discipulis, quum opus est acrimonia, non doctoris, sed corruptoris potius fuerit & hostis. Hanc ob causam & dominus, quum multa placidè mansuetèrque locutus sit discipulis, nonnunquam tamen & austeriorem adhibuit orationem, nunc quidem illos beatos prædicans & collaudans, nunc rursus increpans & obiurgans. Itaque quum Petro dixisset: Beatus es Simon Bar Iona, promississetque futurum, ut ecclesiæ fundamenta super illius professionem iaceret, haud multò post dicit eidem: Vade post me satana, scandalum es mihi. Et alibi rursus: Adhuc & vos sine intellectu estis? Tantùmque terroris illis iniicit, ut Ioannes dicat, quòd videntes eum cum muliere Samaritana colloquentem, de cibo quidem communerint: cæterum nemo fuerit ausus dicere: quid quaeris aut quid loqueris cum ista? Hæc edoctus Paulus, ac præceptoris sui vestigijs ingrediens, variè sermone

1. Cor. 4. Infr. 3.

Ibid. vi.

Ibid. 4.

Paulus cur irritatus Galatis.

Infr. 5.

Ibidem.

Argumentum epistolæ.

nem ad discipulorum vtilitatem attemperat; nunc quidem vrens ac secans, nunc rursus mitiora admoens remedia. Et Corinthiis quidem dicebat: Quid vultis? ut in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu lenitatis? Porro Galatis ita loquitur: O stulti Galatæ. Neque verò semel duntaxat, sed bis vsus est hac obiurgatione. Quin & sub finem epistolæ, taxans illos dixit: Ne quis mihi faceffat negocium. Cæterum hîc acerbitatem denuò mitigat, quum ait: Filioli mei, quos iterum parturio: aliique multis consimilibus verbis. Cæterum hanc epistolam esse plenam vehementiæ, cuius perspicuum est vel ex ipso statim lectionis ingressu. Sed aperiendum est, quid Apostolum prouocaret in discipulos. Neque enim id pusillum fuit, neque parui momenti: alioqui nec ipse tam acerbè fuisset in eos inuectus. Siquidem quibullibet de causis irritari, hominis est pusillanimitis, morosi, miserique: quemadmodum ex aduerso, in grauibus causis supinum ac negligentem esse, viri est inertis ac somniculosi. At huiusmodi nequaquam erat Paulus. Quod igitur erat peccatum, quo sic commotus erat? Profectò magnum erat, & supra modum graue, quòdque illos omnes abalienabat à Christo, quemadmodum ipse in progressu sermonis declarat, dicens: Ecce ego Paulus dico vobis, quòd si circumcidamini, Christus nihil vobis profuturus est. Ac rursus: Quicumque in lege iustificamini, à gratia excidistis. Quid igitur tandem hoc erat? Nam apertius explanandum est. Qui ex Iudæis crediderant, partim occupati persuasione Iudaismi, partim inanis gloriæ siti temulenti, dum sibi doctorum cupiunt parere dignitatem, auctoritatèrque, profecti ad Galatas docuerunt illis opus esse circumcisione, seruanda sabbata, & nouilunia, nec tolerandum esse Paulum, qui harum rerum tolleret obseruationes. Nam Petrus, Iacobus, ac Ioannes hæc, ut aiebant, non prohibebant, quum essent inter Apostolos, primæ dignitatis, quumque cum Christo fuissent versati. Ac re vera nò prohibebant. Cæterum id faciebant, non quòd ita faciendum esse decernerent: sed ut eorum qui ex Iudæis crediderant, imbecillitati morè gererent. At Paulus qui genibus prædicandi munus susceperat, nihil opus habebat hac obsecundatione. Nam quum versaretur in Iudæa, ad eundem modum & ipse morem gessit Iudæis. Verum impostores quidam non explicantes causas, ob quas tum hic tum illi Iudæis morem gererent, arte fallebant simpliciores, huiusmodi sermonibus: Non est ferendus Paulus. Nam hic heri ac nudiustertius exortus est: at Petrus & qui cum illo sunt, primi sunt Apostolorum. Tum hic quidem discipulus fuit Apostolorum, illi verò Iesu Christi. Propterea hic solus est, illi multi & ecclesiæ columnæ. Denique & simulationis calumniam Paulo intendebant dicentes: Hic ipse qui tollit circumcisionem, alibi visus est iis vri quæ damnat, aliter vobis, aliter alijs prædicans. Proinde quum cerneret totam Galatarum gentem inflammatam, ac periculofum incendium aduersus illorum ecclesiam excitatum esse, iamque domum labefactam, periclitari: ne corrueret, partim ira iusta commotus, partim immenso animi dolore correptus (nam & hoc declarauit dicens: Cupiebam nunc esse apud vos, & mutare vocem meam) scribit epistolam ad vniuersos, ad ista respondens, & ad hoc ab ipsis protinus exordijs tendit, videlicet quòd ij qui suffossis cuniculis ipsius existimationem apud Galatas subuertere conabantur, dicebant, alios esse discipulos ipsius Christi, hunc Apostolorum duntaxat fuisse discipulum. Et hanc ob causam sic orsus est: Chrysof. tom. 4.

Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per homines. Prædicabant enim, quemadmodum iam cœperam dicere, impostores illi, quòd Paulus Apostolorum omnium postremus esset, quòdque ab illis edoctus esset: Petrum enim, Iacobum & Ioannem, ut primi fuerant vocati, ita inter discipulos tenere primas, qui sua dogmata ab ipso Christo acceperant. Proinde magis credendum illis quàm huic. At illos non vetare circumcisionem, neque legis obseruationem. Hæc & his similia dictitantes, hinc Pauli deprimentes auctoritatem, illinc aliorum Apostolorum gloriam attolentes, non ut illos laudibus ornarent, sed ut Galatas seducerent, persuaferant ut legi adhærerent, quum iam legis tempus præterisset. Proinde congruenter ad hunc exorsus est modum. Quoniam enim ipsius doctrinam eleuabant, dicentes illam ab hominibus profectam, quum Petri esset à Iesu Christo, in ipso statim ingressu refellit hoc, dicens se Apostolum esse non ab hominibus, neque per homines. Nam baptizarat quidem illum Ananias, at non ille liberauit eum ab errore, nec ad fidem adduxit, sed ipse cœlitus Christus, emissa ad eum admiranda illa voce, per quam hunc quoque piscatus est. Nam Petrum quidem ac fratrem eius & Ioannem cum fratre suo, ambulans iuxta mare vocat: Paulum verò vocauit quum iam ascendisset in cœlum. Et quemadmodum illi non habebant opus iterata vocatione, sed protinus relictis retibus, cæterisque omnibus sequuti sunt eum: ita & hic à prima statim vocatione, ad summum ascendit fastigium, simul ac baptizatus est, bello cum Iudæis irreconciliabili suscepto. Atque hoc nomine potissimum cæteris Apostolis antecellebat: Abundantijs enim, inquit, illis laboraui. Verum nondum hoc aggreditur, sed sat habet cæteris æquiparari. Neque enim hoc illi studio fuit, ut ostenderet se cæteris eminentiorem, sed ut erroris ac deceptionis argumentum materiàmque dissolueret. Itaque quod dicit, non ab hominibus, omnium erat commune, siquidem euangelij prædicatio originem ac radicem ducebat è cœlis. Cæterum quod addit, neque per homines, ipsi proprium erat. Imò verius, non ipsius tantum, sed cæterorum etiam Apostolorum: neque enim per homines vocat eos, sed per se ipsum. Sed quamobrem non meminit vocationis, dicens: Paulus vocatus, non ab hominibus: sed Apostolici muneris facit mentionem? Quoniam in hoc totius sermonis cardo vertebatur. Dicebant enim hunc Apostolum ab hominibus suscepisse illam docendi prouinciam, eoque par esse, ut illos sequeretur. Verum quòd non ab hominibus eam suscepisset, declarat Lucas qui dicit: Ministrantibus autem illis ac ieiunantibus domino, dixit spiritus sanctus, segregate mihi Paulum & Barnabam. Vnde liquet eandem esse potestatem filij & spiritus. Quum enim à spiritu missus esset, à Christo se missum ait. Idem & alibi declarat, ea quæ Dei sunt, adscribens spiritui. Siquidem senioribus Milesijs verba faciens, Attendite, inquit, vobis ipsis, & vniuerso gregi, in quo posuit vos spiritus sanctus pastores & episcopos: & tamen in alia quadam epistola dicit, quos quidem posuit Deus in ecclesia, primùm Apostolos, secundo loco prophetas, deinde pastores ac doctores. Adeò promiscuè citràque discrimen loquitur, quæ spiritus sunt, Deo tribuens: rursus quæ Dei, spiritui. Quin & obiter hæreticorum obturat ora, quum ait: Per Iesum Christum & Deum patrem. Etenim quoniam aiunt hanc vocem, velut inferioris dignitatis adiectam filio, vide quid facit: Eam patris vocabulo præponit, nos in-

AA. 9.

Matt. 4.

AA. 9.

1. Cor. 15.

Quæstio.

AA. 13.

Spiritus sanctus probatur esse Deus. AA. 20.

1. Cor. 12.

Hæc vox, per, etiam præponitur patri Deo.

terim docens, ne naturæ ineffabili leges statuamus, A
neque deitatis modum præfiniamus inter filium & pa-
trem. Nam ubi dixisset, per Iesum Christum: adiecit,
& Deum patrem. Etenim si sola patris mentione facta
dixisset, per quem: fortassis commento reperto
dixissent hanc particulam, per quem, congruere patri,
eò quòd filij opera ad illum referantur. At nunc
simul & filij & patris facta mentione, communitèr-
que de utroque loquutus, isti commento non passus
est locum esse reliquum. Neque enim id facit, quòd
ea quæ filij sunt propria, referat ad patrem: sed ut de-
clarat, quòd hæc oratio nullum naturæ discrimen
inducat. Quid porrò hic habituri sint quod dicant isti,
qui in baptismo commenti sunt, unde putent a-
liam personam alia minore, eò quòd baptizemur
in nomine patris & filij & spiritus sancti? Nam si id-
eo inferior est filius, quòd post patrem ponitur, quum
hic Apostolus à Christo orsus ad patrem veniat, quid
dicturi sunt? Verùm nihil adhuc blasphemum dice-
mus. Non enim committendum est, ut cum illis de-
certantes à veritate excidamus. Quin potius etiam
si decies millies insaniant illi, nos tamen intra veri-
tatis limites contineamur oportet. Quemadmodum
igitur nos haudquaquam dixerimus filium patre ma-
iorem, eò quòd Paulus hunc priore loco commemo-
rauit (nam id quidem summa dementiæ, totiusque
impietatis extrema linea fuerit) ita nec illic quia pa-
tri postponitur filius, arbitrari debemus filium patre
minorem. *Qui excitauit eum à mortuis.* Quid agis Pau-
le? Quum cupias Iudaizantes ad fidem perducere,
nihil ex illis magnis ac præclaris adducis in medium?
Quale est illud quod ad Philippenes scripsisti dicens:
Quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus
est esse se æqualem Deo. Item quod Hebræis scri-
bens clara voce protulisti, splendor est gloriæ, & fi-
gura substantiæ illius. Rursum quod in Euangelij sui
initio ille tonitruum filius exsonuit: In principio erat
verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat
verbum. Præterea quod ad Iudæos crebrò pronuncia-
uit dominus dicens: Quæ facit pater, eadem & fili-
um facere. Declarat enim, quòd eandem potentiam
habeat cum patre, eandemque operandi facultatem.
Horum nihil dicis, verùm his omnibus omisissis, de
carnis dispensatione facis mentionem, crucem ac
mortificationem in medium adferens. Hoc esse ver-
um falsus aliquis, sic pro Paulo respondebit: Si illi
sermo fuisset apud homines qui nihil magni de Chri-
sto concepissent animis, æquum erat illa magnifica
proferre. Verùm quoniam illi nobis mouent seditionem,
qui sibi videbantur pœnas daturi si deficiissent
à lege, ideo mentionem facit eius rei, per quam ex-
cludit totam legis necessitatem, nimirum commemo-
rans Dei munificentiam ex cruce & resurrectione
collatam vniuersis. Etenim si dixisset: In principio er-
at verbum, & quum in forma Dei esset, & si fecisset
eum æqualem patri, aliâque his consimilia si dixisset,
deklarasset quidem verbi diuinitatem: verùm nihil
ad id quod hic agebatur, illa contulissent. Porrò
quòd ait, qui excitauit eum à mortuis, commonefacit
eos summi beneficij, quod in nos contulit Christus,
quæ res haud mediocriter ipsi conducebat ad id
quod agebatur, eò quòd homines plerique non per-
inde solent attentis auribus audire eos sermones, qui
Dei maiestatem commendant, atque hos qui eiusdem
in homines beneficentiam declarant. Hanc ob
causam omisissam illorum mentionem, de collata in nos
munificentia verba facit. Verùm hic insultant hære-
tici dicentes: Ecce pater suscitauit filium. Nam po-

steaquam semel eos corripuit infantiæ morbus, ad su-
blimes illas sententias spontè surdi sunt: ceterùm si
qua humiliora vel ob carnem assumptam ita dicta
sunt, vel ob patri debitum honorem, vel ob aliam
quampiam dispensationem, hæc seligunt, & hæc so-
la expendent, circa aliorum locorum collationem,
ipsi sibi noxam accersunt, nolim enim dicere scripturæ.
Quos equidem lubens perconter, quas ob res ista
dicant? Num ideo, quòd studeant filium ostende-
re imbecillem, nec satis idoneum ad vnius corporis
suscitationem? Atqui fides erga illum effecit, ut &
vmbre eorum qui in ipsum credebant, excitarent
mortuos. Itane qui credebant in eum, homines ad-
huc mortales, ex vmbra sola luteorum corporum que
gerebant, eque vestibus horum corporibus admotis,
excitabant mortuos, & ipse seipsum excitare non po-
tuit? An non hæc euidentis est insania, veheménque
deliratio? Non audis illum dicentem: Soluite tem-
plum hoc, & in triduo excitabo illud? Ac rursum:
Potestatem habeo ponendi animam meam, & pote-
statem habeo iterum sumendi eam? Quam igitur ob
causam pater illum excitasse dicitur? Sic illum exci-
tare dicitur, quemadmodum & alia facere dicitur, quæ
facit filius. Siquidem hoc partim honoris gratia, qui
patri debetur, dictum est: partim ob auditorum imbeci-
llitatem. *Et qui mecum sunt fratres.* Quam tandem ob
causam nequaquam hoc addit in ceteris epistolis? In
illis enim aut suum nomen solum ponit, aut duorum
duntaxat triumve addit nomina: hic autem totam
multitudinem posuit. Ideo posuit vniuersos, quòd
neminem commemorat nominatim. Verùm hoc ip-
sum cur facit? Traduxerant Paulum hoc nomine,
quòd solus hæc prædicaret, nouamque dogmatum
rationem inueheret. Hanc igitur illorum suspicio-
nem cupiens eximere, simulque declarare, quòd mul-
tos haberet eiusdem sententiæ, adiungit sibi fratres,
significans se ex illorum sententiâ scribere quæ scribit.
Ecclesijs Galatiæ. Neque enim vnam ciuitatem, neque
duas, neque tres, sed totam Galatarum gentem huius
erroris incendium peruaserat. Contemplare verò mi-
hi & hic vehementem indignationem Apostoli. Non
enim dixit, dilectis, neque sanctificatis, sed ecclesijs
Galatiæ. Nam hoc erat agrè affecti animo, summeque
dolorem aperientis, quòd eos non à charitate, neque
proprijs nominibus appellauit, sed à sola congrega-
tione: quòdque non addidit, ecclesijs Dei, sed sim-
pliciter dixit, ecclesijs Galatiæ. Quamquam & alioqui
ipsa statim præfatione festinat illorum dissidium redi-
gere in concordiam, eaque gratia ecclesiæ, id est, con-
gregationis vocabulum posuit, pudorem illis incuti-
ens, & cogens in vnum. Etenim qui disiecti sunt in va-
rias partes, nequaquam possunt hoc appellari cogno-
mine. Siquidem ecclesiæ nomen, consentus concor-
diæque nomen est. *Gratia vobis & pax à Deo patre & Do-
mino Iesu Christo.* Quum ubique necessariò ponit hanc
particulam, tum maxime nunc Galatis scribens. Quum
enim periclitarentur, ne à gratia exciderent, optat il-
lis huius instaurationem ac farturam. Et quoniam se-
ipsos hostes reddiderant Deo, obsecrat Deum, ut eos
ad eandem pacem reducat. *Deo patre.* Et hoc ex loco
rursum conficiuntur hæretici. Nam qui Ioannem in
initio sui Euangelij, quum ait: & Deus erat verbum,
dicunt ideo *Deo*, id est Deum absque articulo posuisse,
ut filij deitatem induceret paterna minore. I-
témque Paulum, quum ait filium in forma *Dei*, id est,
Dei fuisse, non de patre fuisse loquutum, eo quòd ibi
quoque Dei nomen careat articulo: quid hic dicturi
sunt, quum ipse Paulus sic loquatur, non *Deo* *Deo*
id est,

hæc. i. dicitio. nã de præpo- sitione, per, quæ nõ solum filio sed patri etiã adicitur, hic loqui videtur.

Ordo in personis inæqualitatem nõ denotat.

Phil. 2.

Hebr. 1.

Ioan. 1.

Ibid. 5.

Christus excitatus

patris. hinc. nescit. planct. ciam.

aa. 7.

Ioan. 1. Ibidem.

Quæsi.

Ecclesi.

Ioan. 1. Articuli. vis.

id est, à Deo, præfixo articulo: sed *Deo* *Deo* *Deo*, id
est, à Deo patre, sine articulo? Patrem verò hic De-
um appellat, non quidem illis assentans ac blandiens,
sed acriter taxans, eiusque memoriam refricans cau-
sæ, per quam facti fuerant filij. Non enim per legem,
sed per lauacrum regenerationis hoc honoris adepti
sunt, eoque passim in ipsis etiam epistolarum exordiis
spargit ac disseminat beneficentiæ diuinæ vestigia,
tantum non dicens: Quum serui sitis, quum sitis hos-
tes & alienati, qua fronte vocatis patrem Deum?
Num lex vobis largita est istam cognationem? Cur igi-
tur deserto eo, qui vos in hanc propinquitatem in-
duxit, rursus transcurritis ad prædagogum? Neque
verò patris nomen tantum, verùm & filij cognomina
sufficiebant ad declarandam illis Dei erga ipsos muni-
ficientiã. Etenim domini Iesu Christi nomē si diligen-
ter expendatur, totam illius erga nos beneficentiam
declarat. Iesus enim, inquit, ob hoc vocabitur, quo-
niam ipse saluum faciet populum suum à peccatis ip-
sorum. Christi verò cognomen spiritus vnctionem
reuocat in memoriam. *Qui dedit semetipsum pro peccatis
nostris.* Vides quòd haudquaquam seruale & adactum
sustinuerit ministerium, nec à quoquam sit traditus,
sed ipse seipsum tradiderit. Itaque quum audis Ioan-
nem dicentem, quòd pater filium suum vnigenitum
dedit pro nobis, ne ob id diminuas vnigeniti digni-
tatem, neve quid humanum de illo suspiceris. Quan-
quam enim pater dicitur tradidisse, non hoc dicitur,
ut imaginis, quòd filius patri seruili more inferuiat,
sed ut intelligas hoc patri quoque fuisse placitum.
Quod & hic Paulus declarat, dicens: *Iuxta voluntatem
Dei & patris nostri.* Vide, non dixit, iuxta præscriptio-
nem: sed, secundum voluntatem. Etenim quum ead-
em sit voluntas patris ac filij, quæcunque voluit fi-
lius, eadem voluit & pater. Quid est, pro peccatis no-
stris? Innumeris, inquit, malis nos ipsos inuoluera-
mus, erantque rei extremi supplicij. Ac lex quidem
adeò non liberabat, ut condemnari etiam: sic prodi-
to peccato & in apertum prolato, ut nec liberos red-
dere, nec iram Dei sedare valeret. Sed Dei filius &
hoc quod erat impossibile, reddidit possibile, dum &
peccata dissoluit, & inimicos constituit in amicorum
ordinem, & alia denique innumera bona largitus est.
Post hæc ait: *Vt eriperet nos ex presenti seculo malo.* Rur-
sus hoc dictum alij arripiunt hæretici, damnantes
hanc præsentem vitam, & in hoc Pauli testimonium
allegantes: Ecce, inquit, præsens sæculum appel-
lat malum. Sed agè dic mihi, quid est sæculum? Tem-
pus diebus & horis discretum. Quid igitur? An spa-
tium dierum malum est? An malus est Solis cursus?
At nemo quisquam istud vnquam dicturus est, etiam
si ad extremam venerit amentiam. Verùm, inquit,
non tempus dixit malum, sed præsentem vitam ap-
pellauit malam. Atqui non istuc sonant verba Pauli,
verùm non intelligis verba, ex quibus nectis huius vi-
tæ accusationem, sed ipse tibi aperis interpretandi
viam. Proinde nobis quoque concedas, ut quæ dicta
sunt interpretemur, idque eò magis, quòd quæ nos
adferimus, & pia sunt, & rationi consentanea. Quid
igitur dicturi sumus? An quòd nullum malum esse
queat vnquam causa boni? Sed hæc vita præsens in-
numerabiles coronas, tantaque præmia parit. Vnde
& ipse Paulus supra modum laudat eam, loquens
huc in modum: Quòd si viuere in carne hic mihi fru-
ctus est operis, & quid eligam ignoro. Hic verò quum
sibi proponat optionem, vtrum hic mallet viuere, an
dissolui, & esse cum Christo, potius ducit hic commo-
rari. Quòd si mala esset vita, nequaquam hoc ille de

seipso dixisset, nec alius quisquam potuisset eam ad vir-
tutem abuti, quantumuis adhibuisset studij. Nullus e-
nim vnquam malitia possit in bonum vti, non scortatione
ad pudicitiam, non inuidia ad benevolentiam.
Nam quum Paulus de prudentia carnis loquens scri-
bit, eam non esse subiectam legi Dei: neque enim
posse esse virtutem. Proinde quum audis malum sæ-
culum, intellige prauas actiones, propositum animi
corruptum. Neque enim ob id venit Christus, ut nos
excuteret exigeretque ex hac vita, sed ut nos in mun-
do relictos, dignos efficeret, qui in cælis versemur.
Eoque patri loquens, sic ait: Et hi in mundo sunt, & e-
go ad te venio. Ac rursum: Non rogo, ut tollas eos de
mundo, sed ut serues eos à malo, hoc est, à malitia.
Quòd si non pateris hanc interpretationem, sed ad-
huc prædicas hanc vitam esse malam, ne crimineris
eos qui sibi ipsis consciscunt necem. Ut enim qui se
subducit malis, non criminationem meretur, sed cor-
onam promeretur: ita qui violèta morte, seu laqueo,
seu aliis modis vitam abrumpit, hunc haudquaquam
æquum fuerit in crimen vocari, iuxta vestram senten-
tiam. Nunc verò Deus illos acrius punit quàm homici-
das, & nos omnes eos detestamur. Atq; id iure, meri-
tòque. Nam si alios occidere fas non est, multò magis
nefas est seipsum occidere. Quòd si hæc vita res est
mala, coronandi forent homicidæ, qui nos à malitia
liberarent. Adhæc autem qui hæc dicunt, suis ipsorum
verbis inuoluuntur. Etenim quum Solem prædicent
esse Deum, post hunc & Lunam deam, hosque adorent,
veluti multorum bonorum auctores, secum pugnantia
loquuntur. Nam horum ut & reliquorum astrorum,
non alius est vsus, nisi quòd præsentem vitam nobis
absoluunt, hanc inquam, ut isti loquuntur, malam, dum
& alunt corpora, & splendore prælucent, & terræ fru-
ctus vegetant: qui sit igitur, ut ad huius malæ vitæ con-
stitutionem, adeò subscriuant isti vestro iudicio dii?
Sed neque astra dii sunt: Absit, sed opera sunt Dei, in
nostram vtilitatem condita: neque mundus malus
est. Quòd si mihi memores homicidas, adulteros, &
monumentorum suffosores, ita demonstro tibi ni-
hil ad præsentem vitam attingere. Neque enim hæc
peccata sunt vitæ quam agimus in carne, sed corru-
ptæ voluntatis. Etenim si ista sic essent vitæ præsen-
tis, ut forte fatòve quodam illi essent affixa: nullus
ab his malis liber esset, neque purus. Proinde consi-
dera neminem effugere posse quæ propria sunt hu-
ius vitæ. Quæ porrò sunt hæc? Edere, bibere, dormi-
re, crescere, elurire, sitire, nasci, mori, cunctaque his
similia. Hæc nullus vnquam vicerit, non peccator,
non iustus, non rex, non plebeius, sed omnes subiac-
emus naturæ necessitati. Itidem & scelera perpetrare,
si pertineret ad sortem conditionemque naturæ,
nullus hæc effugere posset, quemadmodum nec illa.
Nec enim mihi dixeris, raros esse qui rectè vitam ge-
runt. Nam nullum omninò reperies qui naturalibus
necessitatibus vnquam fuerit superior. Itaque donec
vel vnus inuenietur, qui virtutem præstiterit, constabit
vndique illa nostra ratio. Quid ais miser & in-
fœlix? Num hæc vita mala, in qua Deum agnouimus,
in qua de futuris philosophamur, in qua ex homini-
bus facti sumus angeli, cùmque cœlestibus virtuti-
bus simul chorus ducimus? Et quòd tãdem aliud que-
remus malæ peruerseque vestræ mentis argumētum?
Cur igitur, inquis, Paulus sæculum præsens dixit ma-
lum? Nimirum communi hominum more sic loquu-
tus est, quandoquidem & nos ad eum modum loqui
solemus, malum habuit diem: non ipsum tempus, sed

Rom. 8.

Ioan. 17. Ibidem.

Matt. 1.

Ioan. 3.

Ibid. 6.

Vita quo- modo di- citur ma- la.

Phil. 1.

circumstantiam & actionem inculpantes. Eadem ratio-
ne Paulus damnans prauas hominum voluntates, hac
loquendi consuetudine est vsus, ostendens quod Chri-
stus nos non modò liberauerit à prioribus peccatis,
verùm etiam in posterum aduersus hæc tutos reddi-
derit. Prius enim illud declarat, quum ait: qui dedit
semetipsum pro peccatis nostris. Quum autem ad-
dit, Vt eriperet nos ex præsentis seculo malo, tamen
& custodiam in posterum aperit, Nam lex quidem
& gratia ad vnum horum erat infirma & inefficax, gra-
tia verò ad vtrumque valuit. Eoque subiunxit: *Iuxta
voluntatē Dei & patris nostri.* Quum enim illi putarent
se Dei iussa negligere, vtpote qui legem seruandam
dederat, metuerentque ne perirent, si deserta vetere
lege in noua progredierentur, & hanc illorum opini-
onē corrigit dicens, hæc patri quoque placita esse. Nec
simpliciter dixit patri, sed, patri nostro: idque per-
petuò repetit, pudorem illis incutiens, eò quòd o-
stendit, quòd suum patrem Christus nostrum pa-
trem effecit. *Cui gloria in secula, amen.* Et hoc nouum
est & inusitatum. Nam hanc vocem, amen, nusquam
alibi reperimus in epistolarum initio positam, sed
multis præcedentibus solet addi. At hic ostendens ea
quæ dicta sunt, satis euidens habere Galatarum
accusationem, & sermonem esse perfectum & abso-
lutum, hoc vsus est exordio: quandoquidem mani-
festa crimina non egent multo probationis apparatu.
Posteaquam enim illis in memoriam redegisset cru-
cem & resurrectionem, redemptionem è peccatis, in
posterum datam tutelam, paternam voluntatem, fi-
lij consilium, gratiam, pacem, denique totum illius
donum gratuitum, glorificando Deum sermonem
clausit. Verùm non hac de causa solum hoc fecit, ve-
rum etiam quòd supra modum doni magnitudinem
admiraretur ac stuperet, gratiæque immensitatem, si-
mùlque secum reputaret, quum tales essemus, quales
nos reddidisset Deus, idque subito in puncto mo-
mentoque temporis, tanquam qui hæc oratione con-
sequi non posset, glorificatione finit sermonem, non
eam quæ Deo digna sit, sed quam ipse poterat lau-
dem pro toto terrarum orbe depromens. Atque ob
id deinceps concitatore vsus est oratione, velut in-
flammatus vehementer ex consideratis Dei erga nos
beneficiis. Quum enim dixisset, cui gloria in secula,
amen: ab actiori obiurgatione orditur, dicens: *Miror
quòd tam cito transferimini ab eo qui vocauit vos in gratia
Christi, in aliud Euangelium.* Quoniam per legis obser-
uationem arbitrabantur sese placere patri, quemad-
modum existimabant Iudæi Christum persequentes,
hoc primum demonstrat, illos dum hæc faciunt, non
modò Christum, sed & patrem offendere. Non enim
inquit, à Christo, sed à patre deficitis ista faciendo.
Nam vt vetus testamentum non patris tantum est, ve-
rùm & filij: ita gratia non filij solum est, sed & patris.
Denique communia omnia. Omnia, inquit, quæ pa-
tris mei sunt, mea sunt. Ergo quum dicit eos à patre
defcuisse, duplicem impingit culpam, alteram quòd
defecerint, alteram quòd celerrimè defecerint. At-
qui contrarium potius erat reprehensione dignum,
videlicet si post multum temporis defcuisissent, verùm
hic agitur de circūuentione. Est quidem & ille dignus
reprehensione, qui post longum temporis spatium
deficit. Cæterum qui ad primam irruptionem & in ip-
so sagittarum è longinquo volantium iactu concidit,
extremæ imbecillitatis de se specimen præbuit: hoc
nomine & hos inculcat, dicens: *Quid hoc rei est, quòd
ij qui vos decipiunt, nec spatio temporis ad id opus
habent, sed prima statim inuitatio sufficit eis ad sub-*

uertendum vos & capiendum? Quam tandem impe-
trare possitis veniam? Etenim si hoc crimen in ami-
cos commissum esset, is qui priores vtiles ac necessa-
rios amicos reliquisset, dignus esset condemnatione:
ne: qui Deo vocante resilit, cogita quanto supplicio
sit obnoxius. Cæterum quum ait, admiror, non solum
verecundiam illis ingerit hoc dicto, quòd post tantam
munificentiam, post tantam peccatorum condona-
tionem, post immensam exhibitam humanitatem, vl-
trò currant ad iugum seruitutis: verùm simul & illud
ostendit, qualem habeat de illis opinionem, nimi-
rum ingentem quandam & egregiam. Neque enim si
iudicasset eos de numero vulgarium, & eorum quibus
facile imponitur: nequaquam admiraretur quod ac-
ciderat. Verùm quoniam vos, inquit, estis de numero
syncerorum, & qui multum laboris sustinuerunt: ideo
miror. Id igitur satis erat ad eos restituendos, & ad
priora reuocandos, quod ipsum in huius epistolæ me-
dio declarat, dicens: *Tam multa passi estis frustra, si
tamen frustra. Transferimini.* Non dixit, translati estis,
sed transferimini, hoc est, nondum credo, nondum
arbitror perpetratam circūuentionem. Quod ipsum
rursus est reuocare studentis. Hoc igitur in sequenti-
bus dicit apertius: Ego confido de vobis, quòd nihil
aliud sapietis. *Ab eo qui vocauit vos in gratia Christi.* Ipsa
quidem vocatio patris est, vocationis autem causa fi-
lius est. Nam ipse est qui nos reconciliauit, qui donum
dedit. Neque enim ex operibus iustitiæ salui facti su-
mus: quin potius & hæc illius sunt, & illa huius. Nam
mea, inquit, tua sunt, & tua mea, Nec dixit, ab Euange-
lio transferimini: sed, à Deo, qui vos vocauit. quod
erat dictu horribilius, & accommodatius ad terro-
rem illis incutiendum, id posuit. Siquidem qui stude-
bant illos seducere, non id semel ac repente facie-
bant, sed paulatim eos ab ipsis rebus transferentes, à
nominibus non transferebant. Nam huiusmodi dia-
boli fraus est, haudquaquam nudos proponere la-
queos, quibus venatur homines. Etenim si dixissent,
desciscite à Christo, Galatæ vitassent eos, velut im-
postores & corruptores. Nunc verò sinentes eos ad-
huc in fide manere, & interim fraudi prætexentes Eu-
angelij nomen, impunè summæque audacia perfodie-
bant domum, videlicet iis quæ dixi, velut obtentis ve-
lamenti per hæc nomina cælantibus parietum per-
fossores. Quoniam igitur illi suam imposturam appel-
labant Euangelium, ipse enim aduersus nomen re-
pugnat, libereque agit, dicens: *In aliud Euangelium, quod
non est aliud.* Pulchre: neque enim est aliud. Attamen
quod accidit ægrotantibus, dū salubribus cibis offen-
duntur, hoc idem vsu venit hic Marcionistis. Arripue-
runt enim quæ dicta sunt hic, ac dicebant: Ecce Paulus
etiam ipse dixit non esse aliud Euangelium. Neque enim
hi recipiunt omnes Euangelistas, sed vnum duntaxat,
quod ipsum tamen suo arbitratu mutilarunt, commif-
cueruntque. Quid igitur sibi vult quum ait, iuxta Eu-
angelium meum & prædicationem Iesu Christi? Sunt
quidem vehementer ridicula, quæ isti adferunt, verum-
tamen quanquam sunt deridenda, operæpretium ta-
men est ea refellere propter eos qui facile decipiuntur.
Quid igitur dicemus, an quòd etiam si decies mil-
le sint euangelistæ qui scribunt Euangelia, modò scri-
bant eadem, multa illa vnicum esse Euangelium, ne-
que quicquam obstare scribentium multitudinem,
quo minus vnum sit Euangelium? quemadmodum
ex aduerso, si quis vnus scribens commemoret con-
traria, non esset vnum Euangelium quæ scribuntur.
Vt enim vnum sit euangelium aut non vnum: non æ-
stimatur numero scribentium, sed hinc, eademne
sunt,

non agno-
scitis.

Infra,

Infra,

Ioan. 17.

Marcio-
nis est.

Estregi
vnum &
multa.

Ioan. 17.

853
sint, an diuersa quæ scribuntur. Vnde dilucidum est,
quatuor Euangelia vnum esse Euangelium. Quum
enim quatuor eadem loquantur, non est aliud atque
aliud ob personarum differentiam, sed vnum ob eo-
rum qui loquuntur consonantiam. Neque enim Pau-
lus nunc de numero loquitur, sed de pugnantia eo-
rum quæ dicuntur. Proinde si iuxta vim eorum quæ in
illis scripta sunt, iuxtaque dogmatum excussam ratio-
nem, aliud est Euangelium Matthæi, aliud Lucæ: re-
ctè Pauli sermonem hunc arripit. Sin vnum & idem
est, desinant ineptire, simulantes hæc ignorare sese,
quæ vel admodum pueris nota perspicuæque sunt.
*Nisi quòd quidam sunt, qui conturbant vos, & volunt sub-
uertere Euangelium Christi.* Hoc est, donec fueritis sanæ
mentis, [ne agnoscat] aliud Euangelium, donec re-
cto minimèque distorto fueritis obtutu: nec imagine-
mini vos videre quæ nusquam sunt. Quemadmodum
oculus turbatus aliud pro alio cernit: ita mens praua-
rum cogitationum confusione perturbata, idem pati
consequitur. Itidem & qui laborant insania, alias pro a-
liis rerum species se videre credunt. Verùm hæc insa-
nia quam illa periculosior est, quæ noxam adfert non
in rebus sensibilibus, sed in rebus intelligibilibus: non
in pupilla corporalium oculorum, sed in oculis animi
distortionem gignens. *Et volunt subuertere Euangelium
Christi.* Atqui vñ aut alterum duntaxat præscriptum
induxerāt, circuncisionem, & dierum obseruationem
innouantes. Verùm vt ostēderet quòd pusillum quid-
dam perperam admixtū, totum corrumpit, dixit sub-
uertere Euangelium. Quemadmodum enim in moneta
regia, qui paulum aliquid amputat de impressa ima-
gine, totum numisma reddidit adulterinum: ita quis-
quis sanæ fidei vel minimam particulam subuerterit,
in totum corrumpitur, ab hoc initio semper ad deter-
iora procedens. Vbi sunt igitur qui nos vt contentio-
sos damnant, eo quòd cum hæreticis habemus dissi-
dium, distitātque nullum esse discrimen inter nos &
illos, sed ex principatus ambitu proficisci discordiam?
Audiant quid dicit Paulus, nimirum illos subuertisse
Euangelium, qui paululum quiddam rerum nouarum
inuexerant: Isti verò non simpliciter pusillum quid-
dam innouant. nam qui pusillum, qui filium Dei præ-
dicant esse creaturam: sed quod est omnium maxi-
mum, immutant. An non audisti, quòd is qui in veteri
quoque Testamento, sabbato ligna collegerat, vni-
cum mandatum, nec id maximum transgressus, extre-
mo affectus est supplicio? Quòdque Oza, quoniam ar-
cam alioqui subuertendam fulcit, è vestigio mortuus
est, eo quòd ministerium ipsi non congruens vsurpa-
uit: Ergone sabbatum violatum, & solus arcæ ruituræ
contactus, ad tantam indignationem prouocauit, vt
qui hæc ausi fuerant, ne minimum quidem veniæ sint
consecuti: hic verò qui adoranda & ineffabilia dogma-
ta corrumpit, excusationem habiturus est, & veniam
consequetur? Non potest hoc fieri, nō potest inquam.
Hoc ipsum igitur est omnium malorum causa, quòd
ob pusilla non indignamur. Ob id enim maiora scelera
subierunt, quòd minoribus debita correctio non ad-
hibetur. Et quemadmodum in corporibus, qui vulne-
ra neglexerunt, febres gignunt, & putrefactiones, ac
mortem denique: itidem & in animis qui pusilla dissi-
mulant, maiora inuitant. Ille, inquit, labitur in ieiunio,
neque quicquam est magni. Alter verò valet qui-
dem recta fide, cæterum temporis gratia simulans,
proftendi libertatem prodidit. Ne id quidem est ali-
quid magni mali. Alius irritatus, minatus est se defe-
cturum à recta fide. Ne id quidem supplicio dignum,
eo quòd ira animique commotione peccauit. Quin

Contem-
ptus eccle-
siaz.

Etiam ma-
lis præpo-
sitis obe-
diendum.

Mat. 23.

Mal. 2.

Nim 15.
2. Reg. 6.

Pusilla de-
licta non
negligen-
da.

Ieiunium
Iudæorū.

Luce. 16.

1. Cor. 5.

2. Cor. 4.

fecta esse, aut iuxta hyperbolen magnificentius quam pro re dicta, aut impetu cursuque sermonis raptim excidisse, repetit eadem. Etenim qui animi commotione occupatus dixit aliquid, hunc mox dicti poenitere solet. Cæterum qui denuò repetit eadē, declarat sese iudicio locutū, ac prius animi consilio fuisse decretum & comprobatum, atque ita demum voce proditū. Abraham igitur cum rogaretur, ut mitteret Lazarū, respondit, Habent Moſem & Prophetas: si illis non crediderint, neque mortuos resuscitatos auditori sunt. Hæc autem Christus ipse inducit in parabola loquentem Abraham, declarans se velle plus fidei habendum esse scripturis, quam si mortui reuiuſcant. Paulus verò (porrò cum Paulum dico, rursum ipsum Christū dico: hic enim erat, qui mentem illius agebat:) etiam Angelis è cælo descendentibus præponit scripturas, idque valde congruenter. Siquidem Angeli quilibet magni, tamen serui sunt, ac ministri. Cæterum omnes scripturæ non à seruis, sed ab vniuersorum domino Deo venerunt ad nos. Hanc ob causam dicit, Si quis vobis euangelizauerit præter id quod euangelizauimus vobis. Non dixit, si ille aut ille, idque prudenter admodum citra odium & inuidiam. Quorsum enim opus erat iam edere nomina, posteaquam tam vehementi sublimique fuerat vsus sermone, ut vniuersos & qui in cælis sunt, & qui in terris, complecteretur? Per hoc enim quòd Euangelistas & Angelos pronunciat anathema, omnem dignitatem cõprehendit: per hoc verò quòd seipsum quoque pronunciat anathema, omnem familiaritatem ac germanitatem cõplexus est. Ne mihi dixeris, inquit, collegæ tui & focij Apostoli hæc dicunt: nec mihi ipsi parco, si diuersa prædicem. Neque verò Paulus hæc dicit, quòd damnaret Apostolos tanquam Euangelicæ prædicationis præuaricatores, absit: ait enim, Siue nos, siue illi, sic prædicamus: sed ut ostenderet personarum dignitatem non recipi, quoties expenditur veritas. *Nunc enim hominibus suadeo, an Deo, aut quero hominibus placere? Si enim adhuc hominibus placerem, Christi seruis non essem.* Quauis enim, inquit, vos fallerem hæc dicens: num & Deo valeã imponere, qui perspicit arcana mētis, & cui ut placerem, semper omne mihi studium fuit? Vides spiritum Apostolicum, vides sublimitatem euāgelicam. Hæc eadem autem in epistola ad Corinthios dixit: Non vobis excusamus nos, sed occasionem damus vobis gloriandi. Atque iterum: Mihi verò pro minimo est, ut à vobis iudicer, aut ab humano die. Cum enim doctor cogereur se discipulis excusare, sustinet quidem illud, sed tamen indignè fert, haud quidem ob insolentiam, absit hoc, sed partim ob id quòd ij qui seducebatur, tam mobili forent animo, tamque instabili sententia: partim quòd ipsius verbis apud illos parū certa fides haberetur. hæc de causa dixit hæc quoque, propemodum his vtens verbis: An mihi apud vos est habēda oratio? An homines mihi ius dicturi sunt? apud Deum nobis est causæ dictio. Atque ut apud illud tribunal bonam habeamus causam, omnia facimus, ac nequaquam eò deuenimus infelicitatis, ut cum rationem reddituri simus omnium domino super his quæ prædicamus, corumpamus Euangelij dogmata. Itaque partim sese excusans, partim illos extimulās, hæc verba posuit. Non enim cõueniebat discipulis, ius dicere præceptoribus, sed credere & obtemperare. Verum quoniam, inquit, inuersus est rerum ordo, & iudices nunc sedistis: scitote mihi non esse magnopere curæ, quomodo me purgem apud vos, sed omnia facimus propter Deum, ut que illi de hisce dogmatibus reddamus rationem. Etenim qui studet hominibus suadere, multa facit in syn-

cera prauaque, & fraudibus vitur & mendacio, quòd persuadeat, mentemque capiat auditorum: contra, qui Deo suadet, illique placere studet, huic simplici puraque mente est opus: Deus enim falli non potest. Vnde perspicuum est, inquit, nos quoque, nec principatum ambientes, nec discipulos colligendi studio, neque gloriam ac laudem à vobis captantes hæc scribere: neque enim nobis studio est placere hominibus, sed Deo. Nam si voluissem hominibus placere, adhuc à Iudæis starem, adhuc persequerer ecclesiam Dei. Cæterum qui totam Iudæorum gentem, qui familiares, amicos & cognatos, qui tantam contempſi gloriam, proque his commutauit persecutiones, inimicitias, bella ac mortes quotidianas, satis declarauit me hæc quoque quæ nunc loquor, non humanæ laudis studio loqui. Hoc autem ideo præfatus est, quoniam commemoraturus erat prioris vitæ suæ historiam, & quomodo repente fuerit immutatus, & argumentis euidentibus demonstraturus, se pro veritate stare. Rursus autem ne putarent illum hæc eò facere, quòd ipsis redderet rationem, atque hinc efferrentur, in superioribus illa dixit. Nunc hominibus suadeo. Nouerat enim prout postulabat opportunitas, etiam sublime quippiã ac magnificum loqui, ad eorum quos insituebat correctionem. Atqui poterat aliunde probare, se cum veritate ac sinceritate prædicare Euangelium, nimirum è prodigiis, è miraculis, è periculis, è carceribus, & quotidianis mortibus, è fame, siti & nuditate, ex aliis horum similibus: verum quoniam illi nunc dirigitur oratio non ad pseudapostolos, sed ad Apostolos, qui horum periculorum erāt confortes, alia via aggreditur causæ tractationem. Alioqui cum ad pseudapostolos sermonem intenderet, hunc in modum induxit comparationem, tolerantiam in periculis adducens in medium, dicensque: Ministri Christi sunt, desipiens loquor, plus ego, in laboribus abundantius, in plagis supra modum, in carceribus abundantius, in mortibus frequenter. Nunc sanè superioris vitæ conuersationem memorat, dicens: *Notum vobis facio fratres euangelium, quòd prædicatum est à me, non esse secundum hominem: neque ego enim ab homine accepi illud, neque edoctus sum, sed per revelationem Iesu Christi.* Vide ut vndiquaque confirmat se fuisse Christi discipulū, nullo hominis interuentu, sed ipso Christo per seipsum omnē ipsi cognitionem digno patefacere. Et quomodo, inquit, inquit, probari possit incredulis, quòd Deus per se, nullo hominis interuentu tibi patefecerit illa arcana mysteria? Probat hoc, inquit, illa superior mea cõuersatio. Nisi enim Deus fuisset, qui effulserat, haudquaquam adeò repente fuisset immutatus. Nam qui docentur ab hominibus, etiam si sint acri celerique ingenio, tamen ut ad diuersa transferantur, tempore est opus multoque studio. Cæterum qui cum vehementissimè laboraret insaniam, totus ac purè rediit ad sanam mentem, declarat sibi diuinam visionem ac doctrinam adfuisse, perque hanc subito ad puram redisse fanitatem: eòque cogitur de prioris vitæ commemorare, atque ipsos testes citat eorum quæ gesta sunt. Vos quidem, inquit, nescitis, quòd vnigenitus Dei filius me è cælis per se vocare dignatus est. Nam qui possitis id scire, cum non adfueritis? Verum illud omnino noſtis, quòd fuerim persecutor, quandoquidem vsque ad vos quoque mea sæuitia penetravit, cum ingens sit interuallum inter Palæstinam & Galatiam, ut non fuerit rumor in tam longinquo dimanaturus, nisi quæ fiebant à nobis modum excessissent, fuissentque intolerabilia. Vnde & dicit: *Audistis meam conuersationem, quòd supra modum persequebar ecclesiam Dei, & expugnabam illam.* Vides ut singula cum

in genere inco.

reverti immutatus est.

1. Cor. 5.

Deus qui dem ait quid. Act. 9. ponit se. ut intelligas, Deum quidem Pauli virtutem prædicare, Pauli verò totū gratiæ tribuere.

exaggeratione cõmemorat, nec pudet sua mala confiteri. Non enim tantum est persecutus, sed omni cum vehementia: nec persecutus est modò, verum etiam expugnauit: hoc est, conatus est ecclesiam extingueret, subuertere, demoliri, abolere. Nam id est expugnatōis opus. *Et proficiebam in Iudæismo ultra multos æquales meos, cum essem abundantius emulor patriarum mearum traditionum.* Ne putares iræ fuisse quod gerebat, ostendit se quicquid fecit, zelo quodam fecisse, tametsi non secundum scientiam, nequaquam autem inanis gloriæ siti, aut vindicandi quos oderat cupidine, sed quòd studio teneretur traditionum quas à maioribus acceperat. Huius autem sermonis hic est sensus: Si quæ feci aduersus ecclesiam, nõ humano feci affectu, sed zelo diuino, errante quidem, sed zelo tamen: qui consentaneo est me nunc, dum pro ecclesia curro, agnita veritate, inanis gloriæ causa hæc facere? Etenim si in errore talis affectus mihi non est dominatus, sed Dei zelus eò me pepulit, multò magis posteaquam agnoui veritatem oportet me ab omni istiusmodi suspitione liberum esse. Nam simul atque conuersus sum ad ecclesiastica dogmata, protinus quicquid Iudæicarum opinionum occuparat animum meum, totum exui, multoque maiorem zelum hinc præstiti quàm illic præstiteram. Quæ res arguit me verè fuisse transmutatum, diuinòque zelo teneri. Quòd ni sic haberet, agè dic mihi, quid aliud erat in causa ut tantam sustinerem immutationem, ac pro honore cõtumeliã, pro requie pericula, pro securitate afflictiones susciperem? Nulla causa erat alia, nisi tantum veritatis amor. *Cum autè placuisset Deo, qui me segregauit ex utero matris mee, & vocauit per gratiam suam, ut reuelaret filium suum in me, ut prædicem illi in gentibus, protinus non communicauit cum carne & sanguine.* Vide quæ admodum hinc studet ostendere, quòd per id etiam temporis quo relictus est in errore, propter occultam aliquam diuinæ prouidentie rationem relictus sit. Etenim si ab utero matris segregatus erat ut fieret Apostolus, & ad hoc ministerium vocaretur, vocatus est autem tunc, & simul ut vocatus est, obsecutus est: perspicuū est Deum ob causam aliquam arcanam eò vsque distulisse. Quæ igitur est hæc dispensatio? Fortassis inhiantes auctis hoc ab initio audire, cur tandem non cum duodecim Apostolis vocauerit. Verum ne ego dignus es ab eo quòd est in manibus, prolixiorē faciã sermonem, oro charitatem vestram, ne omnia ex me velitis discere, sed ex vobis etiam ipsis inquiratis, Deum obsecrantes ut vobis patefaciat. Quamquam & nos super hac re aliàs sumus locuti, cum de mutato Pauli nomine apud vos differeremus, causamque redderemus, ob quam Deus prius dictum Saulum, Paulum appellarit. Quæ si vobis exciderunt, ex eo libro hæc omnia cognoscetis. Nunc à tenore sermonis non recedamus, consideremusque quomodo rursus ostendit nihil in ipso casu aut hominum more factum esse, sed Deum omnia suo arbitratu multa prouidentia dispensasse: ostendit autem his verbis: *Et vocasset per gratiam suam.* Hinc declarat quòd Deus ipsum ob virtutem vocauerit. Ait enim ad Ananiam: Vas electionis est mihi, ut portet nomen meum coram gentibus ac regibus: hoc est. Idoneus est ministerio præclaroque facinori sustinēdo. Atque hanc vocationis causam hic ponit, idem tamen vbi que totum gratiæ & ineffabili numinis humanitati tribuit, loquens hunc in modum: Sed misericordiam consecutus sum, non quòd sufficiens essem, neque quòd idoneus, sed ut in me declaret omnem lenitatem, in exemplum eorum qui credituri erant illi in vitam æternam. Vides excellentiam mo-

destiæ, vides eximie submissum animum. Ideo, inquit, ego misericordiam consecutus sum, ne quis de seipso desperet, sed quisque bonam spem habeat, posteaquam omnium mortalium pessimus, Dei benignitatem afsecutus sum. Id enim declarat, dicens: *Ut in me demonstraret omnem lenitatem, in exemplum eorum qui credituri essent in illo. Ut reuelaret filium suum in me.* Alibi verò dicit ipse Christus: Nemo nouit filium nisi pater, nec vllus nouit patrem, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Vides quòd & pater filium, & filius patrem reuelat. idem fit in gloria, Filius glorificat patrem, & pater filium. Glorifica filium tuū, ut & filius tuus glorificet te. Et rursum, Quemadmodum ego te glorificaui. Sed quam ob causam non dixit, ut reuelaret filium suum mihi, sed in me? Ob id ita locutus est, ut ostenderet, quòd non modò verbis edoctus esset de fide, verum etiam copioso spiritus dono repletus. Reuelatione siquidem illustrante illius animum, simul & Christum habebat in ipso loquentem. *Ut euangelizem illum in gentibus.* A Deo nanque factum est, non solum ut crederet, verum etiam ut ad Apostolicum munus deligeretur. Sic enim, inquit, mihi seipsum reuelauit, non tantum ut ipsum cognoscerem, verum etiam ut eius notitiam ad alios proferrem. Nec tamen simpliciter dixit, apud alios, sed ut euangelizem eum in gentibus: iam hinc incipiens attingere non minimum suæ defensionis caput, ex ipsa discipulorum persona. Nec enim erat illi par necessitas prædicandi Iudæis & gentibus. *Protinus non contuli cum carne & sanguine.* A postolos hinc rectè significat, naturæ cognomento eos designans. Quòd si hoc sentit de cunctis hominibus, nos nõ contradicemus. *Neque ascendi Hierosolimam ad antecessores meos Apostolos.* Hæc verba si quis per se expendat, videntur spirare non vulgarem magniloquentiam & arrogantiam, plurimumque abesse ab Apostolico spiritu. Etenim quòd ipse sibi suffragium fert, neque cum quoquam sententiam communicat, videtur esse factus. Videbam, inquit, hominem, qui sibi videbatur esse sapiens, sed maiorem illo spem habet insipiens, & vā his qui prudentes sunt apud semetipsos, & in oculis suis intelligentes. Ac idem rursus: Ne sitis prudentes apud vosmetipsos. Itaque qui tam multa huiusmodi præcepta ab aliis audierat, quique eadem aliis præceperat, ipse in hæc incidit, non dicam Paulus, sed vel homo quiuis? Verum hic sermo si per se nudus expendatur, offendere moueréque potest auditorem. Cæterum si causam adiecerimus, ob quam hæc dicebat Apostolus, & applaudent & admirabuntur omnes ita locutum. Hoc igitur faciamus. Non enim oportet verba nuda expèdere, alioqui multæ consequuntur absurditates. Neque conuenit sermonē per se nudum examinare, sed obseruare mētem scribentis. In humanis enim sermonibus nisi hac ratione fuerimus vsi, expendētes quid senserit is qui loquitur, multas inducimus similitates, omnia subuertuntur. Et quid attinet loqui de verbis, quando & in factis, nisi regulam hanc seruauerimus, omnia sursum deorsum miscebuntur? Nam & medici secant carnem, nonnunquam & ossa frangunt: quæ frequenter eadem faciunt & latrones. An non igitur fuerit extremæ infelicitatis, si nequeamus latronem à medico discernere? Rursum homicidæ pariter ut martyres torquentur, at non quia patiuntur eadem tormenta, vtrique eodem habentur loco, sed plurimum interest inter hos & illos. Quòd ni regulam hanc seruauerimus, nulla de re rectè iudicare poterimus: sed ipsum etiam Heliam homicidam censebimus, cumque hoc Samuēlem, & Phinees. *Quin & Abraham filij interfectorem dicemus, si res nu-*

1 Tim. 1. in ipso: vel ob ipsum: nempe Paulū, qui peccator talis veniã sit consecutus. Mat. 11. Ioan. 17. Ibidem.

Pro. 26.

Esa. 5. Rom. 12.

das expendimus, non addentes quam ob rem, quo animo id fecerit. exquiramus igitur & Pauli mentem qua hæc scripsit, consideremus quod spectarit, quem scopum sibi proposuerit, & quis in totum fuerit erga Apostolos. Tum enim intelligemus, quo animo hæc scribat. Neque enim quo vel eorum auctoritatem eleuaret, vel seipsum prædicaret, locutus est vel hæc vel illa superiora. Qui enim id faciat, qui seipsum pronunciarit anathema? sed vt vbique seruaret euangelij sinceritatem. Cum enim ij qui oppugnabant ecclesiam, dicerent, iis Apostolis adhærendum esse, qui ista minimè prohiberent, non Paulo qui prohibeat: atque hinc sensim irrepsisset Iudaicus error ac deceptio, cogitur hinc fortiter & aperte resistere, non quidem cupiens de Apostolis maledicere, sed hoc agens ac moliens, vt eorum insolentiam, qui seipsos non rectè laudabant, comprimeret, eoque dicit: *Non contuli cum carne & sanguine.* Fuit enim extrema absurditatis, eum qui à Deo fuerat edoctus, postea cum hominibus communicare. Nam qui dicit ab hominibus, is congruenter denuo recipit homines in communicationem: verum quem Deus sua beata voce dignatus est, quique ab eo doctus est, qui habet sapientiæ thesaurum: qua gratia post cum hominibus conferret? Par enim fuerit, vt talis doceat potius homines, quam vt discat ab hominibus. Non igitur arrogantia causa hæc dicebat Apostolus, sed vt suæ prædicationis auctoritatem declararet. *Neque ascendi,* inquit, *ad eos qui ante me fuerunt Apostoli.* Quoniam illi nusquam non inculcabant cæteros Apostolos esse Paulo priores, & ante hunc fuisse vocatos, ideo hoc dicit. Quod si fuisset cum illis communicandum de euangelio, is qui per reuelationem iniunxerat ei prædicandi munus, utiq; & hoc præcepisset. Quid igitur? non ascendit illuc? * Sanè ascendit: nec tantum ascendit, sed vt disceret aliquid ab illis. Quando? Cum in ciuitate Antiochia, quæ ab initio singulare studium erga ecclesiam declararat, quæstio nata est de hac ipsa re, quæ nunc est in manibus. Quærebatur autem, vtrum essent circuncidendi, qui ex gentibus credidissent, an non compellendi potius, vt tale quippiam paterentur. Id temporis ascendit tum hic ipse Paulus, tum Silas. Quomodo igitur dicit, non ascendi, neque contuli? Primum quidem quoniam ipse sponte non ascenderat, sed missus erat ab aliis. Deinde quoniam non accessit eò, vt aliquid disceret, sed potius vt aliis persuaderet. Nam ipse statim ab initio fuerat eius sententiæ, quam Apostoli postea comprobarunt, videlicet, non esse circuncidendos. Cæterum quoniam ad eum vsque diem non visus est illis sat idoneus cui fides haberetur, sed magis auscultabant iis qui versabantur Hierosolymis: ascendit non ipse percepturus quod antè nescierat, sed vt contradicentibus persuaderet, eos qui Hierosolymis erant, huic sententiæ subscribere. Itaq; ab initio quid esset agendum perspexerat, nec opus habebat vllò doctore, sed quæ post multâ discussionem erant Apostoli decreturi, hæc ipsa citra discussionem cœlitus habebat apud sese certa & indubitata. Idque Lucas declarans dicit, Paulum prolixam & copiosam orationem habuisse super hisce rebus apud illos etiam priusquam iret Hierosolymam. Verum quoniam ita visum erat fratribus, vt ab illis quoque diceret, ascendit, non sua ipsius causa, sed illorum. Cæterum ad explicandum id quod dictum est, nõ ascendi: licet & illud adferre, quod nec in initio prædicationis ascenderit, nec tum cum ascendit, ascenderit discendi gratia. Quandoquidè horum vtrûque significat, dicens: Protinus non contuli cum carne & sanguine. Nõ simplici-

ter dixit, non contuli, sed protinus non contuli. Simul & illud subindicans, quod huic rei nihil anteposuerit. Quod si post hæc videtur ascendisse, nõ tamen ascendit, vt quicquã ab eis acciperet, quod nõ habuisset. *Sed abij,* inquit, *in Arabiam.* Contemplare feruentem animum. Studebat occupare regiones antehac à nemine cultas, sed quæ etiamnum vastæ incultæq; iacebãt. Etenim si mansisset apud Apostolos, cum nihil esset quod ab illis posset discere, prædicationis officium fuisset impeditum. Oportebat enim illos quaquauerum disseminare verbum. Has ob res hic beatus spiritu doctrinæ feruens, protinus aggressus est homines barbaros & agrestes, vitæ genus suscipiens multis laboribus ac periculis obnoxium. Iam mihi considera illius modestiam. Cum dixisset, *Abij in Arabiam,* subiunxit, *Et iterum reuersus sum Damascum.* Non commemorat sua præclara facta, neque quos edocuerit, neque quam multos. Atque adeo mox vt baptizatus est, declarauit huiusmodi zelum, vt non solum confunderet Iudæos, sed ad tantam iracundiam prouocaret, tum Iudæos tum gentes, vt ipsi struxerint insidias, conatque sint è medio tollere. Quod haudquaquã accidisset, nisi credentibus magnam adiunxisset accessionem. Cum enim doctrina superarentur, restabat vt ad cædem sese verterent. Quod quidem euidenter erat argumentum Paulinæ victoriæ. At non passus est Christus illum interim, seruans eum prædicando euangelio. Cum posset igitur multa commemorare de rebus ab ipso præclare gestis, nihil tamen eorum narrat. Sic & omnia quæ dicit, non ambitionis gratia dicit, neque quod cæteris Apostolis præstantior habeatur, neque quod ægrè ferret ipsius dignitatem eleuari: sed quod metueret, ne quid hinc detrimenti accideret prædicationi. Nam & abortiuum seipsum appellat, & omnium peccatorum primum, ac postremum Apostolum, & huius honore nominis indignum. Atque hæc dicebat, cum plus omnibus laborasset. Quod quidem præcipuum est modestiæ documentum. Etenim cum qui sibi nullius bonæ rei concius est, submissè de seipso loquitur, prudens est, non modestus. At qui post tot emeritas coronas talia loquitur, ille nouit quid sit modestia. *Et iterum reuersus sum,* inquit, *Damascum.* Iam quam multa verisimile est eum illic egisse? De hac ciuitate refert quod eam præfectus cui rex Areta gentis eius curam delegarat, custodierit, cupiens ipsum comprehendere. Quod quidem maximum argumentum erat, illum acriter magnæque vi vexare Iudæos. Verum horum nihil hic commemorat. Ac ne illic quidem ea commemoraturus erat, sed reticuit, nisi dum perspexisset tempus illud eam historiam postulare. Sic igitur & hic dicens se isse ac rediisse, præterea nihil addit eorum quæ illic gesta fuerant. *Deinde post tres annos ascendi Hierosolymam, vt viderem Petrum.* Quid hoc animo possit esse modestius? Post tanta taliæque benefacta, cum nihil opus haberet Petro, nec illius egeret voce, sed honore par esset illi, nihil enim hic dicam amplius: tamen ascendit velut ad maiorem ac seniore, solûque Petri conspectus commouit illum, vt eò proficisceretur. Vides quemadmodum illis tribuit congruentem honorem, neque solum non ducit seipsum illis meliorem, verum ne parem quidem esse putat: id quod ex ipsa profectioe liquet. Sicut enim nunc multi fratrum nostrorum ad viros sanctos proficiscuntur, eodem affectu tunc Paulus ad Petrum profectus est. Quia potius erat hoc multò submissius, quod fecit Paulus. Nam isti nunc vtilitatis suæ gratia suscipiunt peregrinationem, at tum beatus ille non vt diceret aliquid ab illo, neque vt correctionem aliquam ac-

Rom 9.

id est, attendi, ut sit obiectio.

ibi 20.

vt etiam de illis cognoferet.

ferrent docere.

1. Cor. 11. & Tim.

1. Cor. 11.

Clet.

ciperet, profectus est: sed tantum vt videret eum, suaque præsentia honoraret. *Vt viderem,* inquit, *Petrum ascendi.* Non dixit *id est,* id est, vt cernerem Petrum: sed, *id est,* id est, vt viderem: quomodo loqui solent, qui magnas ac splendidas vrbes inuisunt cognoscendi gratia. Adeo iudicabat operæpretium multoque studio dignum tantummodo videre virum. Idem autem ex ipsis factis perspicuum est, proficiscens enim Hierosolymam, cum multas iam nationes conuertisset ad euangelium, tantæque res gessisset, quantas cæterorum nemo gesserat, Pamphyliam, Lycaoniam, Cilicum gentem, omnes qui illam orbis partem habitant, ad rectam vitam instituisset, Christoque lucrificasset, primum quidem ingreditur ad Iacobum, plurimum cum modestia velut ad maiorem & honoratiorem. Deinde consulentem sustinet, & consulentem contraria iis, quæ nunc tractat. Vidēsne, inquit, frater quot millia sunt Iudæorum qui crediderunt? Itaque rade caput & purifica te ipsum. Rasi caput, omnesque ritus Iudaicos peregit, eo quod hic non lædebatur euangelium, omnibus erat submissior. Cæterum vbi conspexit nonnullos ex hac modestia lædi, non amplius vsus est hac immodica modestia. Iam enim hoc fuisset non præstare modestiam, sed inficere corrumperéque discipulos ipsi subditos. *Et mansi apud illum diebus quindecim.* Itaque quod ad illum profectus est, declarat multum honorem erga Apostolos. Porro quod ibi tot dies commoratus est, amicitiam ac vehementissimam arguit charitatem. *Alium verò Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem domini.* Vide vt maiorem beneuolentiam habuit erga Petrum. Huius enim causa peregrinationem susceperat, & apud eundem commoratus est. Hæc & dico frequenter, & vos memoria tenere volo, vt si qua audieritis, quæ aduersus Petrum dicta videbuntur, ne quis suspectum habeat Paulum Apostolum. Siquidem hanc ob causam & ipse hæc loquitur, præueniens vt talem corrigat suspensionem. veluti cum dicit, Restiti Petro: ne quis hæc verba putet esse simulatis aut contentionis. Nam & honorat virum, & diligit plus omnibus. Nec enim ob vllum aliorum Apostolorum narrat se ascēdisse Hierosolymam, sed propter hunc solum. Cæterorum, autem, inquit, Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum. Vidi, inquit, non doctus sum. Sed vide quanto cum honore & hunc nominauit. Non enim simpliciter dixit Iacobum, sed magnificum illum elogium addidit, fratrem domini. Vique adeo liber erat ab omni liuore. Etenim si tantum indicare voluisset de quo loqueretur, poterat alia nota declarare, si dixisset, Iacobum Cleopæ, quod cognomen posuit Euāgelista. Verum non ita locutus est, sed quoniam existimabat honoris titulos Apostolorum esse proprios, veluti seipsum honestans, ita & illum veneratur. Non enim appellauit eum Iacobum Cleopæ, vt dicebam, sed quomodo? fratrem domini. Atqui nec frater erat domini iuxta carnem, sed esse putabatur. Attamen ne id quidem auertit Paulum, quominus adderet viro dignitatis titulum. Quin & aliunde multifariam ostendit Paulus se tam sincerè erga Apostolos affectum fuisse, quam illo dignum erat. *Qua autem scribo vobis, ecce coram Deo quod non mentior.* Vides in omnibus similiter elucetem huius sancti animi modestiam. Nec enim aliter quam si apud tribunal periclitaretur, essetque perperurus sententiæ ac penam, ita studuit exculare sese. *Deinde veni in regiones Syria & Cilicie,* posteaquam Petrum vidissem. Rursus incipit narrare de certamine, quod propositum est, Iudæam quidem non attingens, tum quod ad gentes missus esset, tum quod noluerit super alienum fundamentum æ-

dificare. Cuius rei gratia ne simplici quidem congressu viderat cæteros Apostolos. Idque perspicuum est ex his quæ sequuntur. *Eram enim,* inquit, *de facie ignotus ecclesiis Iudææ: tantum audierant, is qui aliquando persequabatur nos, nunc annunciat fidem, quam pridem expugnabat.* Quid hoc animo possit esse modestius? Nam cum exponeret ea, quæ faciebant ad ipsius accusationem, veluti quod persecutus esset ecclesiam Dei, quodque expugnaret eam, hæc multa cum exaggeratione protulit, traducens suam ipsius vitâ prius actam. Cæterum quæ demonstratura fuerant ipsius splendorem, ea prætercurrit, cum posset, si voluisset, omnia sua præclara gesta commemorare: nihil horum refert, sed vnico verbo pelagus immensum præteruectus, dicit: Veni in regiones Syriæ & Ciliciæ, & audierat, is qui persequabatur nos aliquando, nunc prædicat fidem, quam pridem expugnabat. nec præterea quicquam addidit. Quid autem sibi vult, cum ait, Ignotus eram ecclesiis Iudææ? vt scires, adeo Paulum non prædicasse Iudæis circūcisionem, vt ipse ne de facie quidem fuerit illis notus. *Et glorificabant in me Deum.* Contemplator & hic regulam Paulinæ modestiæ, quantoque studio eam obseruet. Non enim dixit, admirabantur me, laudabant me, studebant: sed declarauit totum hoc esse gratiæ, dicens: Deum glorificabant in me. *Deinde post annos quatuordecim ascendi Hierosolymam vnâ cum Barnaba, assumpto simul & Tito.* Ascendi autem iuxta reuelationem. Prioris ascensionis causam Petrum ait fuisse, vt quæ illum videret: vt autem iterum ascenderet, in causa fuisse reuelationem spiritus. *Et contuli cum eis Euangelium, quod prædico in gentibus.* Seorsum autem iis, qui videbantur esse alicuius existimationis, ne forte in vanum currerem, aut cucurrissem. Quid ais Paule? Qui initio nolebas conferre, neque per annos tres, peractis quatuordecim annis tum demum confers, ne forte in vanum curreres? At quanto præstiterat illud protinus in initio fecisse, quam post tot annos? Cur autem currebas, si non persuasum habebas, te non in vanum currere? Et quis tam excors est, vt tot annos prædicer, ignarus an rectè prædicer? Iam illud hoc etiam multò perplexius est, quod ait se iuxta reuelationem ascendisse. Hoc est perplexius, vt dicebam, priore: sed tamen idoneum vt nobis & illius porrigat solutionem. Nam si sua sponte ascendisset, ne id quidem vllò pacto consentaneum esset rationi. Non enim erat illius beatæ animæ in tantam delabi amentiam. Siquidem ipse est qui dicit: Sic curro, vt non in incertum: sic pugilem ago, non vt aërem verberans. Quod si curris non in incertum, quomodo dicis, ne forte in vanum currerem, aut cucurrissem? Vnde perspicuum est, quod etiam si ascendisset absque reuelatione, accidisset illi quod imprudentibus solet accidere: attamen casus non fuisset perinde absurdus. Cæterum posteaquam illum spiritus ducit gratia, quis deinceps ausit aliquid tale suspicari? Nam hanc ob causam & ipse addidit illud, iuxta reuelationem, ne quis ante quæstionis solutionem, condemnaret illum inscitia, nimirum sciens non esse humanum quod geritur, sed diuinæ dispensationis multa providentis & de præsentibus, & de futuris. Quæ tandem igitur huius peregrinationis causa? Quemadmodum cum prius ascēderet ex Antiochia Hierosolymam, nõ sua sponte ascendit, (nam ipse planissimè nouerat, simpliciter ac merè Christi decretis hærendum esse) sed cupiens eos qui dissidebant, redigere in concordiam: Similiter & nunc non ipsi fuit opus discere, an in vanum cucurrisset: sed vt iis qui ipsum accusabãt, ad plenum persuaderetur. Quoniam enim magnificentiorum de Petro & Ioanne opinionem haberent, putarētque

CAP. II.

post.

1. Cor. 9.

Alludit ad prouerbium, Stultus factum cognouit.

AR. 21.

Gal. 2.

Iacobus Cleopæ.

apostolos inter sese dissidere, propterea quod hic prædicaret euangelium absque circuncisione, illi contra permitterent eam, atque hinc existimabant Paulum aduersum legem agere, & in vanum currere: *Ideo ascendi*, inquit, & contuli cum illis euangelium: non ut ipse quicquam discerem: quod ipsum post apertius dicit, sed ut docerem eos, qui hæc suspicantur, me non in cassum currere. Spiritus enim qui prouiderat hanc contentionem orituram, procurarat ut Paulus illuc ascenderet & conferret. Ideo dixit, secundum reuelationem ascendendi, eademque de causa Barnabam ac Titum sibi adiunxit, testes futuros eorum, quæ Paulus prædicasset. *Et contuli*, inquit, *cum illis euangelium, quod prædico in gentibus*, hoc est, sine circuncisione. *Seorsum autem qui videbatur alicuius existimationis*. Quid significare voluit, dicendo, seorsum? At qui communia dogmata studet corrigere, non seorsum, sed in publicum ea proponit. Paulus autem non ita. Non enim cupiebat aliquid discere corrigere suorum dogmatum, sed occasionem adimere cupientibus alios decipere. Cum enim Hierosolymis offenderentur omnes, si quis transgrediretur legem, si quis prohiberet circuncisionem, unde & Iacobus dicebat: Vides frater quot millia sunt Iudæorum qui crediderunt? & hi omnes audierunt de te, quod defectionem doces à lege. Cum igitur offenderentur, palam quidem accedere suamque prædicationem aperire non sustinebat, sed deorsum contulit cum his qui erant alicuius opinionis, præsentibus Barnaba ac Tito, ut hi apud eos, qui ipsum criminabantur, forent idonei testes, ne apostolis quidem visum, Pauli prædicationem in gentibus peractam, pugnare cum apostolorum sententia. Porro quod ait, qui videbantur alicuius existimationis, non ideo dicit, ut detrahat eis suam magnitudinem: quandoquidem de seipso quoque loquitur, Videor autem & ipse mihi spiritum Dei habere: quod vti que est modestè loquentis, non abnegantis se habere. Hoc pacto & hic dixit, qui videbantur, suum iudicium cum publico omnium iudicio coniungens. *Sed ne Titus quidem, qui mecum erat, cum Græcus esset, coactus est circuncidi*. Quid est, cum Græcus esset? Græcorum, inquit, hoc est, è gentium erat genere, præputium gerens. Non enim ego solum ita prædicaui, verum etiam Titus ita fecit: quem cum esset Græcus, Apostoli non compulerunt circuncidi. Quod quidem certissimum erat argumentum, illos non damnare quæ à Paulo dicebantur ac gerebantur. Et quod hoc quoque multò maius est, cum vrgerent aduersarij, eaque scirent, ne sic quidem apostoli per eos huc adacti sunt, ut iuberent eum circuncidi. Id quod ipse declarat dicens: *Sed propter subintroductos falsos fratres*. Qui sunt isti falsi fratres? siquidem hinc non mediocri existit quaestio. Nam si apostoli permittebant circuncisionem, quare nunc falsos fratres appellat eos, qui & ipsi secundum apostolorum sententiam iuebant hoc fieri? Primum, quia non est idem iubere ut fiat, & quod fit, permittere. Etenim qui præcipit, is studiosè serioque ceu rem necessariam ac præcipuam agit. Verum qui cum ipse non præcipiat, tamen non prohibet volentem, is non concedit ut rem factu necessariam, sed dispensationem quandam implet. Quale quiddam & in epistola ad Corinthios Paulus scripsit dicens: Ne fraudetis vos inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ac rursus conuenite in vnum. Loquitur autem viris & vxoribus. Deinde ne putares eum hoc illis pro lege scribere, subiunxit, Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium: eò quod hoc non esset principale iudicium auctoritatis ipsius, sed indul-

gentia erga illorum incontinentiam. Eoque dicit, propter incontinentiam vestram. Nam si Pauli sententiam cupis cognoscere, audi quid dicat: Volo omnes homines esse, ut ipse sum. Itidem & hic accidit, apostoli non ut legis defensores hoc concedebant, sed obsecundantes infirmitati Iudaicæ. Alioqui si legem tueri voluissent, haudquaquam alio modo prædicassent Iudæis, alio gentibus. Etenim si res cuiusmodi fuisset, ut ab infidelibus necessariò fuerit obseruanda: perspicuum est etiam ab omnibus fidelibus obseruandam fuisse. Contra, si decretum est, ne quis gentibus harum rerum gratia molestus esset, satis declararunt se hoc Iudæis morem gerendo permisisse: at falsi fratres non eodem modo, sed hoc agebant ut eos excluderent à gratia, ac denuò in seruitutis iugum pertraherent. Hoc igitur est primum discrimen inter apostolos & falsos fratres, longo interuallo alteros ab alteris dirimens. Alterum erat, quod apostoli id faciebant in Iudæa, vbi lex vigeat. Cæterum falsi fratres nusquam hoc non faciebant. Nam & Galatas omnes attigerant. Unde dilucidum est, hoc non factum adificationis gratia, sed ad subuertendum totum euangelij negotium. Aliter ab apostolis concedebatur legis obseruatio, aliter à falsis fratribus studiosè curabatur. *Qui subintroducti, ut explorarent libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu*. Vides ut exploratorum appellatione expressit bellum eorum? Exploratores enim ob nihil aliud ingrediuntur, nisi ut cognitis rebus aduersariorum, ipsi sibi facillimum aditum parent ad expugnandum capiendumque, quemadmodum & illi tum faciebant, studentes eos in veterè retrahere seruitutem. Unde vel hinc liquet, non idem fuisse propositum apostolis & istis, imò magnopere diuersum. Illi siquidem concedebant, ut eos paulatim eximerent è seruitute: isti contra hoc moliebantur, ut eos in grauiorem pertraherent seruitutem. Eoque clam obseruabant, attentè circumspectantes, & curiosè disquirentes quinam haberent præputium, quod & Paulus declarans ait: Subintroierunt, ut explorarent libertatem nostram. Non tantum exploratorum vocabulo, verum etiam ex eo quod clam ingressi sunt, seque furtim intrò submiserunt, demonstrauit eorum insidias. *Quibus nec ad horam cessimus subiectione*. Vide sermonis artificium ac significantiam. Nò dixit, cessimus verbo, sed subiectione. Non enim id faciebant, ut aliquid frugiferum docerent, sed ut eos subigerent, & in seruitutem pertraherent. Idcirco apostolis quidem cessimus, istis verò non amplius cessimus: *Ut euangelij veritas maneret apud vos*. Ut, inquit, quod prius verbis prædicaueramus, factis confirmaremus, nimirum quod vetera trāsierunt, & noua facta sunt omnia: & quod si quis est in Christo, noua est creatura: & quod his qui circunciduntur, Christus nihil proderit. Hanc veritatè confirmantes, nec ad horam cessimus. At mox quoniam protinus obstabant illa quæ faciebant apostoli, eratque verisimile futuros aliquos qui dicerent, Qui sit igitur, ut hæc illi præcipiant? Vide quàm sapienter soluit obiectionem. Nò enim explicat veram causam, videlicet quod id facerent apostoli quòd morem gererent Iudæis: nec hoc fuisse iudicij illorum, sed dispensationis. Hanc enim si protulisset, offensum fuissent audientes. Oportet enim dispensationis ignorare causam ad quos sit aliquis ex ea fructus rediturus. Nam si pateat causa eorum quæ sunt, tota perierit utilitas. Quapropter ipsum quidem, qui dispensationem adhibet, scire causam oportet eorum quæ geruntur: cæterum eos quibus est profutura dispensatio, hanc oportet ignorare. Atque ut magis fiat dilucidum quod dico, ex hoc ipso argumento sumemus exemplum. Hic ipse

Diffinitio
Pauli

beat

beatus Paulus, qui tollit circuncisionem, cum Timotheum esset missurus ad docendum Iudæos, prius illum circuncidit, atque ita misit. Id autem faciebat, quòd doctor esset acceptior apud auditores, & ingressus est, cum circuncisione, ut abrogaret circuncisionem. Atque huius facti causam ipse quidem cum Timotheo nouerat, discipulis autem nequaquam aperuit. Etenim si nouissent quòd illum hoc animo circuncidisset ut circuncisionem abrogaret, nec audissent omnino Timotheum concionantem, totumque lucrum & utilitas perisset. Nunc verò hæc ignorantia maximam illis attulit utilitatem. Dum enim arbitrantur illum seruandæ legis studio hoc facere, beneuolis animis placideque, tum ipsum doctorem, tum eius doctrinam excipiunt. Qua recepta, ac paulatim eruditi, recesserunt à prioribus. Quod haudquaquam euenisset, si initio causam nouissent. Etenim si nouissent, auersati fuissent illum, auersantes autem nequaquam auscultassent: si nò auscultassent, perseverassent in errore pristino: Id verò ne fieret, non aperuit causam. Proinde nec hic aperit dispensationis causam, sed alia via rem aggreditur, ita loquens: *Ab iis verò qui videbantur esse aliquid, quales aliquando fuerint, nihil mea refert, personam hominis Deus nò accipit*. Hic non solum non excusat apostolos, verum etiam vehementer grauat sanctos, ut profit infirmis. Tale autem est quod dicit: Et si illi permittunt circuncisionem, ipsi Deo redditori sunt rationem. Non enim quia magni sunt, ac dignitate præeminentes, Deus personam illorum accipiet. Neque tamen sic apertè locutus est, sed moderatius. Nam non dixit, Quòd si illi turbant prædicationem, præter ea quæ mandata sunt prædicantes, luent extrema supplicia. Nihil, inquam, horum dixit, sed reuerentiùs videtur illos attingere, loquens hunc in modum: Ab his autem qui videbantur esse aliquid, quales aliquando fuerint. Non dixit, quales iam olim sunt, sed quales fuerint: nimirum declarans, quòd & illi iam defuissent hoc modo prædicare, utpote iam ubique coruscante euangelio. Cæterum quod ait, Quales aliquando fuerint, hoc declarat: Si sic, inquit, prædicauerunt, ipsi reddent rationem. Non enim hominibus, sed Deo sunt rationem redditori. Hæc autem dicebat, non velut ambigens aut ignorans quid quo animo facerent illi, sed ut dicere cœperam, quòd expedire iudicaret, ut hac via rem aggrediretur. Deinde ne velut diuersæ factionis videretur illos accusare, & hinc oriretur contentio: nis ac dissidij suspicio, mox correptionem adiunxit, dicens: *Mihi enim qui habebantur in pretio, nihil contulerunt*. Quid autem hoc est? Quæ vos dicitis, inquit, nescio: illud certò scio, quòd mihi non modò non sunt aduersati, verum etiam conspirarunt mecum, concordiaque sociati sunt. Id enim declarat, cum ait, *Dexteras dederunt*. Verum nondum hoc dicit, sed illud tantum dicit, quòd non docuissent, non correxissent, neque quicquam addidissent iis quæ prius sciuerat. *Mihi enim*, inquit, *qui erat in pretio, nihil præterea contulerunt*. Hoc est, posteaquam cognouerant quæ prædicarem, nihil adiecerunt, nihil inde correxerunt: idque cum scirent me ea gratia venisse Hierosolymam, ut cum ipsis communicarem. Nam iuxta reuelationem spiritus acceperam, ut cum illis communicarem, ac Titum incircuncisum habebam mecum. Itaque nec illi mihi quicquam dixerunt ultra ea quæ prius sciueram, nec illum circuncidi. *Sed contra*. Quid est contra? Quidam hoc sentit Paulum dicentem, quod non solum ipsum nihil docuerint, verum etiam ab ipso docti sint. Ego verò nequaquam hoc dixerim. Quid enim ab illo præterea erant docendi? quandoquidem vnusquisque illorum perfectus erat. Non igitur hoc sentit cum ait, *Contra: sed illud*

quales
enimque
tandem
sint, sed
fuerint.

Hic sup.

Chrysost. tom. 4.

potius vult dicere, quòd non solum nihil reprehenderunt, verum in tantum abfuerunt ab inculando, ut comprobarint etiam. Nam comprobatio contraria est inculcationi. Mox quoniam coniectandum erat dicturos aliquos: Si comprobarunt, quare non sustulerunt circuncisionem? Nam si comprobarunt, tollenda erat. Hic si dixisset, sustulerunt, iudicabat nimis inuerecundum fore, atque hinc orituram pugnam manifestam aduersus ea quæ confessus fuerat. Rursus si confiteretur concedendam esse circuncisionem, videbat necessariò fore, ut in aliam incideret obiectionem. Si enim, inquit, comprobarunt tuam prædicationem, cum contra permiserint circuncisionem, ipsi secum pugnant. Quo pacto igitur hic soluitur nodus? Dicere poterat, quòd ista fecissent morem gerentes infirmitati Iudaicæ. Verum hoc dicendo totum dispensationis fundamentum conuulsisset, eoque non dicit hoc, sed reliquit in dubio atque ancipiti, dicens: Ab iis autem qui videbantur esse aliquid, nihil mea refert: perinde quasi diceret, Non accuso, neque suggillo sanctos illos. Sciunt ipsi quid fecerint. Deo siquidem redditori sunt rationem. Quod autem hic demonstrare studeo, hoc est, quòd à me gesta non resciderunt neque correxerunt, neque quippiam addiderunt, quasi quicquam illis deesset, verum etiam comprobarunt & assensu sunt. Atque huiusce rei testes habeo Titum ac Barnabam, unde subiicit dicens: *Cum vidissent mihi commissum euangelium præputij, quemadmodum Petro circuncisionis, dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatis*. Circuncisionem & præputium dicens non res ipsas, sed gentes hac nota distinctas. Subiunxit igitur, *Qui enim operatus est in Petro in apostolatuum circuncisionis, operatus est & in me inter gentes*. Quemadmodum igitur præputij nomine designat gentes, ita & circuncisionis nomine Iudæos. Iamque se cæteris honore parem ostendit, nec se reliquis illis, sed ipsi summo comparat, declarans quòd horum vnusquisque partem fortitus sit dignitatem. Posteaquam enim argumentis declarauit apostolorum inter ipsos concordiam, quod superest sumpta fiducia liberè prosequitur: neque iam solum peruenit vsque ad apostolos, sed ad Christum ipsum deducit sermonem, adque gratiam ipsi ab illo donatam, quarum rerum testes citat Apostolos, dicens: *Vbi cognouissent gratiam Dei quæ data est mihi, Iacobus, Cephas, & Ioannes*. Non dixit, postquam audissent, sed cognouissent: hoc est, ex ipsis didicissent factis, dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatis. Vides ut paulatim demonstrarit hoc & Christo visum, & apostolis. Neque enim data fuisset, neque in illo fuisset operata gratia, ni prædicationem eam comprobasset. Ac Petri quidem solius meminit, vbi se cogitur cum illis conferre. Cæterum vbi citandum est testimonium, trium pariter facit mentionem, idque non sine laudis elogio: Cephas, inquit, Iacobus & Ioannes, qui videbantur esse columnæ. Nec rursus dicit videbatur, quod tolleret rei veritatem, sed aliorum quoque assumit sententiam, dicens: Qui magni sunt & eximij, quosque omnes ubique celebrant, huiusmodi testes sunt eorum quæ dico, quòd eadem placent & Christo, quòdque hæc ex ipsis rebus cognouerunt, ipsaque rerum experientia commoti sunt, ut crederent. *Ideoque & dexteras mihi dedere, non mihi tantum, sed & Barnabæ, ut nos quidem ad gentes, ipsi verò in circuncisionem*. O prudentiam eximiam! o concordie demonstrationem irrefutabilem! ostendit & illorum doctrinam ipsius esse, & ipsius doctrinam illorum esse. Eadem enim vtriusque placebant: videlicet ut & illi sic prædicarent Iudæis, & hic gentibus. Eoque subiicit ita loquens: Ut nos quidem in gentes, ipsi verò in circuncisionem. Vides quòd hic quoque circun-

Paulus
honore
par Pe-
tro.

cisionem appellat non rem ipsam, sed Iudæos. Quoties enim rem ipsam sentit, addito contrario discernit, ipsamque nominat præputium, veluti cum ait: Circuncisio quidem prodest, si legem obserues. Quod si transgressor legis fueris, circuncisio tua præputium facta est. **1. Cor. 7.** Ac rursus: Neque circuncisio quicquam valet, neque præputium. Cæterum ubi sic appellat Iudæos, nec rem intelligi vult, sed populum: non opponit præputium, sed gentes. Etenim velut è regione discernuntur, Iudæi quidem à gentibus, à circuncisione verò præputium. Quemadmodum cum superius diceret, qui operatus est in Petro ad Apostolici muneris functionem in circuncisione, operatus est & in me inter gentes. & hinc rursus, Nos inter gentes, ipsi verò in circuncisione. non rem ipsam, sed Iudæorum populum sic appellans, distinguens eum à gentibus. *Tantum ut pauperum memores essemus, quod ipsum etiam studui facere.* Quid tandem est hoc quod dicit? In prædicandi, inquit, munere partiti sumus inter nos orbem terrarum. Atque ego quidem eos qui ex gentibus sunt, illi verò Iudæos sortiti sunt, iuxta Dei placitum. Cæterum curam pauperum qui sunt apud Iudæos, ego ex meipso iunxeram cum illorum voluntate. Quod si bellum fuisset inter eos & contentio, nequaquam hoc illi recepissent. Qui sunt autem isti pauperes? Plerique Iudæi qui crediderant in Palæstina, facultatibus omnibus erant exuti, ac per omnes regiones dissecti exulabant. Quod quidem & in epistola ad Hebræos scripsit dicens: Nam bonorum vestrorum rapinam cum gaudio suscepistis. **Heb. 10.** Declarat idem & Thessalonicensibus scribens, ac fortitudinem illorum prædicans: Vos enim, inquit, imitatores facti estis ecclesiarum Dei, quæ sunt in Iudæa: quoniam & vos eadem passi estis à propriis contribulibus, quemadmodum & illi à Iudæis. omnibusque modis ostendit, quod ij qui ex gentibus crediderant, non perinde oppugnabantur à Græcis, quemadmodum ij qui ex Iudæis crediderant, à suæ gentis hominibus vexabantur, sed hæc gens cæteris omnibus erat atrocior: eoque summa sollicitudine modis omnibus curam illorum gerit, ac quæ ob hoc ipsum & Romanis præcipit & Corinthiis: neque solum colligit pecunias, verum etiam ipse eas perfert, dicens, Nunc autem proficiscor Hierosolymam, ministraturus sanctis. Nam & ad victum necessariis egebant. Quod igitur hic significat, illud est: Hac in re mihi visum est illis opulari: quod ut recepi, ita non cessavi in suscepto negotio. At postquam ostendit suam cum apostolis concordiam consensumque, cogitur deinceps & disceptationis cum Petro Antiochiæ habitæ mentionem facere, dicens: *Cum autem venisset Petrus Antiochiam, in faciem illi restiti, quoniam reprehensus erat. Priusquam enim venissent quidam à Iacobo, simul cum gentibus edebat. At postquam venissent, subduxit ac separavit seipsum, metuens eos qui erant ex circuncisione.* Multi qui parum attentè legunt hunc epistolæ locum, existimant Petrum à Paulo in simulari de simulatione. Verum hoc non ita se habet, non ita se habet inquam. Absit ut ita fit. Multam enim hic comperimus tum Petri tum Pauli prudentiam in hoc adhibitam, ut clam rectèque prodesse audientibus. Sed prius dicendum est de Petri fiducia, & quomodo hic vnus ante cæteros discipulos solutus sit profiteri, quandoquidem etiam cognomen sortitus est ob immutabilem & immobilem fidem. Cum enim omnes essent interrogati, hic ante cæteros profiliens, Tu es, inquit, Christus filius Dei viui. quo tempore illi & claves regni cælorum conceditæ sunt. Præterea in monte solus extitit qui loqueretur. Ad hæc cum de cruce fieret sermo, cæteris tacentibus ipse dixit, Propitius esto tibi. Quanquam autem hæc verba

A non erant circumspectæ mentis, erant tamen feruida charitatis. Quin & in cæteris omnibus videmus illum alius feruidiorem, & ad pericula præsilientem. Ita cum dominus visus esset in littore, cæteris nauim trahentibus ipse non sustinuit nauigio accedere. Iam & post resurrectionem Iudæis vociferantibus insanientibusque, ac discipulos discerpere quærentibus, primus accedens ausus est in vocem erumpere ac dicere, quod ille crucifixus assumptus esset, iamque in cælis ageret. Aliud est autem, ostium clausum recludere ac negotio dare principium: aliud post deinceps confidenter agere. Itaque qui suam ipsius animam tam numerofo populo exposuerat, quomodo simulasset vnquam? qui flagellatus, qui vincus, nihil de sua fiducia voluerit remittere, idque tum in ipso statim prædicationis initio, tum in mediâ metropoli, vbi tantum erat discriminis: quomodo post tantum temporis Antiochiæ, vbi nullum erat periculum, cum iam ipsis factis comprobatus ac spectatus esset, eos qui ex Iudæis crediderant, formidasset? Qui Iudæos ipsos non metuerat & in principio & in ciuitate primaria: qui consentaneum est, ut post tantum temporis, cum esset in aliena ciuitate, eos qui ab illis defecerant metuerit? Non igitur hæc dicens Paulus aduersus Petrum loquitur, sed quo consilio dixerat illud, Ab his autem qui videbantur esse aliquid, quales aliquando fuerint, nihil mea refert: eodem & hæc loquitur. Verum ne diutius his de rebus dubitemus, eorum quæ dicta sunt, causam oportet explicare. Apostoli, quemadmodum dicere cœperam, Hierosolymis quidem permittebant circuncisionem: non enim poterant subito à lege reuelli. Vbi verò venissent Antiochiam, iam nihil istarum rerum obseruabant, sed cum his qui ex gentibus crediderant, indifferenter vivebant: quod tanè & Petrus tum faciebat. Vbi verò venissent ex vrbe Hierosolymarum, qui viderant cum ibi sic prædicantem, non vterius tentabat idem facere, metuens ne illos offenderet: sed secessit, hic duo per dispensationem agens: alterum ne offenderet eos qui erant ex Iudæis: alterum ut Paulo iustam præberet occasionem increpandi. Etenim si ipse qui Hierosolymis prædicarat cum circuncisionis permisso, Antiochiæ secessisset: visus fuisset iis qui ex Iudæis crediderant, Pauli metu id facere: ac Petri nimiam facilitatem reprehendissent discipuli: quæ res non mediocre peperisset offendiculum: quanquam Paulo quem nihil latebat, suo discessu nullam huiusmodi præbuisset suspicionem. noverat enim quo animo hæc fierent. Vnde & Paulus obiurgat, & Petrus sustinet: ut dum magister obiurgatus obtulisset, facillimè discipuli mutarent sententiã. Nam si Paulus, cum tale nihil accidisset, admonuisset, nihil magni fecisset. Nunc verò quoniam nactus occasionem acrius increpauit, maiorem Petri discipulis timorem iniecit. Quod si Petrus hæc audiens contradixisset, merito quis eum culpate potuisset, quod dispensationem subuertisset. Nunc verò dum alter obiurgat, alter obtinet, multis timor incutitur iis qui ex Iudæis crediderat: eoque vehementius tractat Petrum. Vide autem quanta circumspectione sermonem temperat, prudentibus subindicans, ea quæ loquitur, non esse dissidij, sed dispensationis. *Cum enim, inquit, Petrus venisset Antiochiam, in faciem illi restiti, quoniam reprehensus erat.* Non dixit, reprehensus à me, sed simpliciter, reprehensus: haud dubium, quin ab aliis. Nam id aliunde subaudiendum est. Quod si ipse reprehendisset illum, haudquaquam veritus fuisset hoc dicere. Quod autè dixit, *et te oportet*, id est iuxta faciem: perinde est quasi dixisset, in speciem. Etenim si verè fuisset inter ipsos cõtètio, nequaquam præsentibus discipulis se iniucem increpassent. Graui

Matt. 16.
Marc. 17.
Marc. 9.
Matt. 16.

Sup. 1.
Inf. 4.
1. Cor. 11.
Graui enim illis fuissent offendiculo. Nunc autem vt-
lis erat palam in speciem adhibita dissensio. Et quem-
admodum Paulus Hierosolymæ cessit illis, ita iudem
Paulo cesserunt Antiochiæ. Quænam igitur erat repre-
hensio? *Priusquam enim venissent quidam à Iacobo (Rectè:
Nam ipse fuerat doctor Hierosolymis) simul cum gentibus edebat. postquam autem venissent, subraxit ac subduxit sese, metuens eos qui erant ex circuncisione.* Non hoc metuens, ne veniret in discrimen. Nam qui in initio non metuerat, multò minus tum metuisset. Verum illud metuebat, ne deficerent: quandoquidem & ipse Paulus loquitur Galatis, Timeo de vobis, ne frustra laborauerim. Ac rursus: Timeo ne quemadmodum serpens decepit Euam, corrumpantur sensus vestri. Apud illos igitur mortis metus nihil erat, verum metus ne perderent suos discipulos, vehementer cõtutiebatur illorum animos. *Ac simularunt cum illo & reliqui Iudæi, ut & Barnabas simul abductus fuerit in illorum simulationem.* Ne mireris si factum hoc appellat hypocrisim, hoc est simulationem. Non enim vult, ut prius dixi, patefacere consilium, ut illi corrigerentur. Quoniam enim vehementer hærebant legi, ideo Petri factum appellat simulationem, & seuerius increpat, ut persuasionem illis radicitus infixam euelleret. Et hæc audiens Petrus, iungit cum Paulo simulationem, quasi deliquisset, ut per ipsius obiurgationem corrigerentur. Etenim si Paulus obiurgasset eos qui erant ex Iudæis, indignè tulissent ac respuissent illius obiurgationem. Nec enim admodum magnificè de illo sentiebant. Nunc autem cum cõticipiant doctorem suum obiurgatum obticere, neque contemnere, neque contradicere Pauli verbis poterant. *Sed cum viderem quod non rectè incederent ad veritatem euangelij.* Ne hæc quidem dictio vos conturbet. Non enim hæc dicit reprehendens Petrum, sed ita figuratam facit orationem, ut audita prodesse iis qui ob Petrum obiurgatum erant futuri meliores. *Dixi Petro coram omnibus.* Vides quomodo hinc corrigit alios? Nam ideo dixit coram, ut qui audirent, timerent. Agè dic quid dixeris: *Si tu, Iudæus cum sis, gentiliter viuis, & non Iudæicè: cur cogis gentes Iudæizare?* Atqui gentes non simul cum illo fuerant in simulationem illam abductæ, sed Iudæi. Cur igitur incusas quod factum nõ est? Quin potius vertis sermonem ad eos qui simulabant, qui quidem erant ex Iudæis, & non ad gentes? Cur autem Petrum solum incusas? Cæteri quoque cum illo simulauerant. Videamus porò & quid sit in quo accusat. *Si tu, Iudæus cum sis, gentiliter viuis, ac non Iudæicè: cur cogis Iudæizare?* Atqui solus hic se subduxerat. Quid igitur est, quod vult efficere? Ut obiurgatio careat suspitione. Nam si dixisset, Male facis, qui legem obseruas: increpassent illum Iudæi tanquam confidètius agentem aduersus præceptorem ipsorum. Nunc verò dum illum obiurgat pro suis discipulis, nimirum pro his qui erant ex gëtibus, molliorem reddidit hunc sermonem: quanquam non hoc modo tantum, verum etiam hoc, quod abstinens ab omnium reprehensione, totam increpationem cõtert in doctorem. Si enim tu, inquit, Iudæus cum sis, gentiliter viuis, non Iudæicè: propemodum apertè clamans, Imitamini doctorem, ecce & ipse Iudæus cum sit, gentium more viuit. Verum id non dicit. Nõ enim accepissent admonitionem, sed prætextu reprehensionis pro gëtibus patefacit Petri sententiã. Rursus si dixisset, cur eos qui sunt ex Iudæis, cogis gentium more viuere? acerbior fuisset oratio. Nunc verò sic moderans sermonem, non quasi defendat discipulos Iudæos, sed eos qui erant ex gentibus, hoc pacto corrigit illos. Increpationes enim si non fuerint vehementer acerbæ, facillimè possunt recipi. Nullus enim eorum qui erant ex gentibus, incusa-

re Paulum poterat, si de Iudæis fecisset verba. Hoc totum suo silentio correxit Petrus, recepta in se simulationis opinione, quò vera simulatione Iudæos liberaret. Primùm igitur in Petri personam torsit sermonem, si tu Iudæus cum sis. Cæterum in progressu communiter ad omnes vertit orationem, seipsum etiam complectens cum cæteris, atque ita dicens: *Nos naturã Iudæi, ac non ex gentibus peccatores.* Ac sermo quidem admonitionem habet, nisi quòd addita est species obiurgationis, propter eos qui erant ex Iudæis. Facit autem idem alibi quoque, ut aliud videatur dicere, aliud agens: veluti cum Romanis scribens, ait: Nunc autem eo Hierosolymam ministrans sanctis. Non enim volebat dicere, nec hoc eos simpliciter docere, cuius rei gratia proficisceretur Hierosolymam: sed illud agebat, ut eos prouocaret ad æmulationem beneficentiæ. Nam si causam modò voluisset explicare, satis erat dicere, eo ministrans sanctis. Nunc verò considera quàm multa connectat. Complacuit enim Macedoniæ & Achaïæ communicationem aliquam facere in sanctos pauperes qui sunt Hierosolymis. Complacitum est enim, & debitores illorum sunt. Ac rursus, Etenim si in spiritualibus gentes fuerunt illorum consortes, debent illis & in carnalibus subministrare. Vide igitur quomodo Iudæorum spiritus premit, aliud per aliud agens, vtque cum autoritate loquitur. *Nos, inquit, naturã Iudæi, & non ex gentibus peccatores.* Quid est, naturã Iudæi? Nimirum non profelyti, sed à teneris annis educati in lege. Nos itaque relicto vitæ genere in quo fueramus nutriti, confugimus ad fidem quæ est in Christum. *Scientes quod non iustificabitur homo ex operibus legis, sed tantum per fidem Iesu Christi. & nos in Christum credimus, ut iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis, eò quod non iustificabitur ex operibus legis omnis caro.* Vide & hic vt omnia circumspectè loquitur. Non enim ait, reliquimus eam vt malam, sed vt infirmam. Proinde si lex non confert iustitiam, otiosa est circuncisio. Sed nunc quidem ad hunc modum loquitur: cæterum in progressu declarat, non solum otiosam esse, verum etiam periculosam: quod quidem vel maximè obseruandum, quòd cum initio dixerit, non iustificatur homo ex operibus legis: progressus vehementius loquitur. *Quod si querentes in Christo iustificari, reperti sumus & ipsi peccatores, nimirum Christus peccati minister est.* Nam si nõ potest, inquit, fides in eum iustificare, sed opus est rursus amplecti legem: & si posteaquam legem reliquimus ob Christum, non iustificamur ex legis omissione, sed condemnatur: comperiemus illum esse causam cõtèmnationis, cuius gratia cum legem reliquerimus, ad legem vltro recurrimus. Vides in quantã absurditate necessitatem coëgit orationem, quàmque validè pugnet. Nam si, inquit, non oportuit legem relinquere, nos autem reliquimus propter Christum: quomodo sumus iudicandi? Quid igitur Petro dicis, quid admones eum, qui hæc omnia plenissimè nouit? An non Deus illi ostendit, non esse iudicandum hominem qui præputium habet in circuncisione? Nõne cum Iudæis hisce de rebus differens, liberè illis ex hac visione restitit? Nõne decreta publica super his denuo misit ex Hierosolymis? Hæc igitur non vt Petrum corrigit loquitur, sed sermo in illum erat intèndendus, cum discipulos redargueret. Nec ista propriè pertinet ad Galatas, sed in omnes quadrant qui eodè cum illis errore tenebatur. Quanquã enim nunc nõ multi circunciduntur, sed iciunant, seruantque sabbata, eadem cum illis faciunt, excutiètes semet ipsos à gratia. Nam si iis qui tantum circuncidebantur, Christus nihil prodest: vbi iciunium ac sabbatũ accesserit, pro vno præcepto duo seruantur. Vide quantum sit

Quidam Græci co-
dices ha-
bent re-
duci[er.]

Rom. 15.

Ibidem.

Ibidem.

Ieiunia Iudaica.

periculum, quod ab ipso etiam tempore fit formidabilis. Siquidem illi in initio hæc faciebant, cum adhuc extaret ciuitas, cum templum, cum cætera omnia. Hi verò cum & conspiciant quas pœnas Iudæi dederint, & urbem funditus deletam videant, nihilo fecius plura etiam obseruât: quam habere poterunt excusationem, eo tempore seruantes legem, quo ipsi Iudæi quamuis vehementer cupientes non possunt hæc conseruare? Induisti Christum, membrum factus es domini, in supernam ciuitatem adscriptus es, & adhuc circa legem serpis? Et quomodo potes regnum illud consequi? Audi Paulum dicentem, euangelium subuerti per legis obseruationem. Quod si vis etiam, rei modum discito, simul horrescito, fugitòque barathrum. Cur enim obseruas sabbatum, ac ieiunas cum illis? Videlicet veritus legem ac ritus illos ommittere? At nequaquam timeres legem, nisi fidem contemneres, vt quæ sit imbecillis, nec per se valeat conferre salutem. Quod si metuis non seruare sabbatū, conspicuum est te adhuc metuere legem, velut etiamnum autoritate pollentem. Quod si quis rursus vsus est legis, profectò non est opus parte, aut vnico præcepto, sed tota lege est opus. Si verò tota est opus, excussa est paulatim, quæ per fidem datur iustitia. Nam si obseruas sabbata, cur non & circumcideris? Quod si circumcideris, quin & pecudes immolas? Etenim si seruanda lex est, tota seruanda est. Quod si non est necesse seruare totā, ne partem quidem seruare necesse est. Quod si pro parte formidas ne condemneris, multò magis pro tota metuas oportet. Quod si tota violata non punit, palam est nec partem id facere. Quod si portio legis violata punit, multò magis id faciet tota. Si tota seruanda est, non oportet auscultare Christo: aut si Christo auscultamus, legis transgressores efficiamur oportet. Etenim si oportet eam seruare, qui non seruant, transgressores sunt: huius autem transgressionis Christus nobis author esse deprehenditur, nam ipse legem soluit, eam quæ talia præcipit, & aliis vt soluerent præcepit. Vides quid moliantur isti Iudaizantes? Christum qui nobis est author salutis, hunc etiam peccati faciunt authorem, quemadmodum & Paulus ait, nimirum Christus minister est peccati. Post hæc cum sermonem eò deduxisset, vt videretur absurdus, non iam opus erat probationum apparatu ad confutationem, sed satis erat negasse ac dicere, Absit. Siquidem aduersus vehementer absurda & inuerecunda nihil opus est oratoriis rationibus, sed sufficit abnegare solum. Nam si quæ destruxi, hæc iterum ædifico, transgressorem me ipsum constituo. Vide Pauli prudentiam. Illi studebant ostendere, qui non seruaret legem, eum transgressorem esse: hic in diuersum torquet sermonem, ostendens eum esse transgressorem qui seruat legem, transgressorem inquam, non modo fidei, sed & ipsius legis. Quæ enim destruxi, hæc rursus ædifico, nimirum legem. Quod verò dicit, tale est: Cessat lex, & hoc professi sumus, & ob id ea relicta confugimus ad salutem quæ est ex fide. Itaque si contendamus eam statueri, hoc ipso reddimur transgressores, qui contendamus seruare quæ Deus antiquauit. Deinceps quomodo soluta sit, ostendit: *Ego enim per legem legi mortuus sum.* Duplicem habet hic sermo considerationem. Aut enim de lege gratiæ loquitur: solet enim Paulus & hanc appellare legem, veluti cum ait: Lex autem spiritus vitæ liberauit me, aut hic de lege veteri loquitur, significans se per legem ipsam legi mortuum esse: hoc est, ipsa lex me huc perduxit, ne posthac ipsi auscultarem. Itaque si nunc illi sum auscultaturus, ipsam etiam legem transgredior. Quinam? & quomodo? Moses ait: Prophetam suscitabit vobis dominus Deus ex fratribus vestris

tanquam me, eum audietis: nimirum de Christo loquens. Itaque qui huic non obtemperant, legem transgrediuntur. Rursus & alio modo nobis intelligendum est quod ait, Per legem legi mortuus sum. Lex enim iubet omnia fieri quæ in ipsa scripta sunt, ac non facientem punit. Omnes igitur illi mortui sumus, eo quod nullus eam implevit. Ac vide quàm hęc quoque moderatè pugnet aduersus legem. Non enim dixit, lex mihi mortua est, sed, ego legi mortuus sum. Huius dicti sensus est. Quemadmodum exanimis ac mortuus non potest auscultare præceptis legis, ita nec ego, qui ex illius maledictione mortuus sum: siquidem iis quæ loquitur illa, mortuus sum. Ne igitur præcipiat mortuo, quem ipsa etiam occidit, idque non solum morte corporali, verum etiam animæ, per quam mortem corporis inuexit. Hoc enim sentire se declarat in his quæ sequuntur, dum subnectit: *Vt Deo viuam, simul cum Christo crucifixus sum.* Nam quoniam dixerat, mortuus sum, ne quis diceret, quomodo igitur viuus? subiecit & vitæ causam, declarans quod lex quidem viuentem occidit, Christus autem mortuum assumptum per mortem viuificauit. Declaratque duplex miraculum, alterum quod mortuum reuocauit ad vitam, alterum quod per mortem largitus est vitam. Siquidem hoc loco mortis nomine vitam designat. Hoc enim est quod ait, vt Deo viuam, simul cum Christo crucifixus sum. Quomodo, dixerit quispiam, viuens ac spirans simul crucifixus est? Nam Christum quidem fuisse crucifixum, clarum est. Tu verò quomodo crucifixus es ac viuus? Vide quemadmodum & hoc interpretatur, dicens: *Viuo autem non iam ego, viuunt verò in me Christus.* Nam dicendo, simul cum Christo crucifixus sum, baptismum rectè significat: cum verò dicit, viuo autem iam non ego, significat sequentem vitæ rationem per quam mortificantur membra. Quid autem est, viuunt verò in me Christus? Nihil, inquit, geritur à me, quod nolit Christus. Sicut enim mortem appellat non istam communem, sed mortem à peccatis: sic & vitam appellat liberationem à peccatis. Deo siquidem nemo potest aliter viuere nisi mortuus fuerit peccato. Quemadmodum igitur Christus corporalem sustinuit mortem, ita & ego mortem à peccatis sustinui. Mortificate, inquit, membra vestra quæ sunt super terram, quæ sunt fornicatio, adulterium, immunditia. Ac rursus, Vetus non est homo crucifixus est, id quod in lauacro factum est. Quod si manseris mortuus peccato, viuus Deo: sin de nouò peccatū suscitaris, corrupisti talem vitam. At non talis erat Paulus, qui perseuerauit perpetuò mortuus. Proinde si viuo, inquit, Deo alia vita quàm in lege vixeram, ac legi factus sum mortuus: nullam legis partem seruare possum. Vide exactam vitæ rationem, ac beatam illam animam admirare. Non dixit, viuo ego: sed, viuunt in me Christus. Quis ausit in hanc vocem erumpere? Quoniam enim seipsum Christo domino ac cruci præbuerat, cunctaque reiecerat temporalia, & ad illius voluntatem faciebat omnia, non dixit, viuo Christo, sed quod longè maius erat dixit, Viuunt in me Christus. Quemadmodum enim peccatum si vicerit, ipsum est quod viuunt in homine, animum ad quæ vult pertrahens: ita si illo mortuo, quæ Christo sunt placita fiant, nec humana deinceps est eiusmodi vita, videlicet ipso Christo viuente in nobis, hoc est agente ac dominante. Porro quoniam dixit, simul crucifixus sum, nec iam viuo sed mortuus sum, videbatürque multis absurda dicere, subiunxit: *Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei.* Quæ hæcenus, inquit, dixi, de vita intellectuali dicta sunt. Quod si quis expendat & hanc vitam sensibilem, & ea mihi per fidem in Christum contigit

Quantum

Quantum enim ad veteris vitæ rationem ac legem attinet, dignus eram extremo supplicio, ac iam pridem perieram: Omnes enim, inquit, peccauerunt, & egent gloria Dei. Nos enim cum essemus obnoxij sententiæ damnationis, Christus liberauit: omnes enim eramus mortui, si minus experientia, certè iudicio, iam iamque plagam expectantes liberauit. Cum igitur & lex accusasset, & Deus condemnasset: Christus interueniens, ac semet exponens morti, nos omnes eripuit à morte. Itaque quod nunc viuo in carne, in fide viuo: hoc est per fidem quam habeo in ipso viuo. Nam ni id fuisset, nihil obstabat quò minus interirent vniuersi, quod & accidit in diluuiò. sed Christi aduentus inhibens iram Dei, fecit vt per fidem viuereamus. Vt autem scias hoc illum sentire, audi quæ sequantur. cum enim dixisset: quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo, subiecit: *Filij Dei qui dilexit me, deditque seipsum pro me.* Quid facis o Paule, dum communia propriè tibi vindicas, quæque pro toto terrarum orbe facta sunt, tibi facis peculiaria? Non enim dixisti, qui dilexit nos, sed, qui dilexit me. Atqui Euangelista dicit: Sic dilexit Deus mundum. Quin & tu ipse dicis, Qui proprio filio non pepercit, sed tradidit eum pro nobis. Non igitur pro te, sed pro omnibus. Ac rursus, Vt acquireret sibi populum peculiarem. Quid est igitur quod hęc dicit? Cum consideraret apostolus infirmitatem humanæ naturæ, & ineffabilem Dei sollicitudinem, tum quibus ipsum malis liberasset, quæ bona largitus esset, inflammatus illius desiderio, hunc in modum loquitur. Quandoquidem & Prophetæ non raro Deum communem, sibi proprium faciunt, hoc modo loquentes: Deus Deus meus ad te de luce vigilo. Præterea verò declarat hoc quoque par esse, vt quisque nostrum non minus agat gratias Christo, quàm si ob ipsum solum aduenisset. Neque enim reculaturus erat vel ob vnum tantam exhibere dispensationem, ad eò singulum quemque hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem vniuersum. Itaque victima quidem pro tota oblata est natura, ac sufficiebat omnibus seruandis. Cæterum soli illi qui crederent, sunt quibus vsui fuit beneficium. Attamen non abstreruit eum ab eiusmodi dispensatione, quòd non omnes accederent: sed quemadmodum in euangelio cõuiuuium omnibus quidem paratum erat, verum quoniam qui vocati fuerant, venire noluerunt, non pariter sustulit quæ fuerant parata, sed alios vocauit: Itidem & hic fecit. Nam & ouis quæ fuerat à nonaginta nouem distracta, vnica erat, nec hanc tamen contempsit. Hoc idem & de Iudæis differens Paulus, in hunc fermè modum significauit dicens: Quid enim si quidam non crederunt? Num incredulitas eorum fidem Dei faciet irritam? Absit: Sit autem Deus verax, omnis verò homo mendax. Ergo cum ille sic dilexerit, vt semetipsum etiam tradiderit, omnique salutis spe destitutum ad tantam talèmq; vitam adduxerit: tu post tot accepta bona, denuo recurris ad vetera? Posteaquam igitur diligenter interiecit, quæ rationibus erant tractanda, quod superest acriter asseuerando pronunciat, dicens: *Non reiciio gratiam Dei.* Audiant hoc isti, qui hisce quoque temporibus Iudaizant, legique attendunt. ad eos siquidem hæc dicuntur. Etenim si per legem est iustitia, nimirum frustra Christus mortuus est. Quid hoc peccato grauius: quid his verbis ad incutiendum pudorem efficacius? Etenim si mortuus est Christus, clarum est legem non posse iustificare nos. Quod si lex iustificat, superuacanea est Christi mors. Et qui possit hoc videri rationi congruens, rem tantam, tam adorandam ac reuerendam, omnèmq; superantem hominum cogitationem, tam ineffabile mysterium, quod patriarchæ

Chrysof. tom. 4.

quidem parturiebant, Prophetæ verò prædixerunt, angeli videntes obstupuerunt, tum quod caput est diuinæ erga nos sollicitudinis, apud omnes creditum ac receptum, hoc frustra & in cassum factum dicere? Ergo cum consideraret insignem absurditatem, si tantam talèmq; rem dicerent superflue fuisse factam: (hoc enim colligebatur ex his quæ faciebant) etiam conuictis obiurgat illos, dicens: *O stulti Galatæ, quis vos fascinauit? quibus ante oculos Iesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus.* Hic iam ad aliud transit caput. In superioribus quidem ostendit se non esse apostolum hominum, neque per homines, nec eguisse apostolorum doctrina: hęc verò posteaquam se iam doctorem dignum cui fides haberetur declarauit, maiore cum autoritate differit, fidei legi que faciens comparisonem. Sic igitur illic ingrediens dicit: Admiror quod tam citò transferimini: hic verò, O stulti Galatæ. Tum enim parturiebat indignationem, quam vbi iam pro se respondit, in medium crumpens protulit, re comprobata. Quod si stultos vocat, ne mireris. Non enim transgrediens Christi legem, quæ vetat ne quis fratrem suum appellet fatuum, hoc facit, sed admodum illam obseruans. Non enim simpliciter dictum est, Qui vocarit fratrem suum fatuum, sed qui temerè vocarit. Horum verò nonnulli digni erant hac appellatione, qui post tanta taliæque perinde quasi nihil esset actum prioribus hærebant circumuenti. Quod si hanc ob causam Paulum appellas contumeliosum, simul & propter Sapphiram & Ananiam Petrum dices homicidam. Quod si dementia sit illud dicere, multò magis dementia fuerit hæc dicere. At tu mihi contemplator, vt non statim in initio vsus est hac vehementia, sed post tot redargutiones, totque probationes, cum iam non ab illo, sed ab ipsis argumentis accipiebant obiurgationem. Cum enim demonstrasset quòd fidem repellerent, quòd Christi mortem superuacaneam redderent, tum adiungit obiurgationem, ac ne id quidem vt merebantur: digni quippe qui seuerioribus etiam verbis acciperentur. Cæterum & illud mihi considera quomodo protinus etiam vulnere inflicto temperat dolorem. Non enim dixit, Quis vos seduxit? quis vobis abusus est? quis vos circumuenit? sed, quis vos fascinauit? Sic moderatè increpationem, vt nõ careat laude. Hæc enim verba sunt indicantis, quòd prius inuidia digna fecerint, quòdque id quod accidit, dæmonis insultu factum sit, qui secundis illorum successibus, vehementer reclamauerit. Porro cum audis inuidiam, quemadmodum hęc & item in euangelio, audis oculum malum, idem declarantem: ne sic existimes, quòd oculorum coniectus intuètes ledere soleat. Oculum siquidem, hoc est, ipsum membrum nequaquam possit esse malum: verum hęc eo modo Christus notat inuidiã. Nam oculorum est, simpliciter videre tantum: cæterum videre perperam, animi est intus deprauati. Quoniam enim per hunc sensum in animum nostrum influit eorum quæ videntur consideratio, & plerunque diuitiis innascitur inuidia, porro diuitiæ cernuntur oculis quemadmodum & principatus & satellitia: propterea vocauit malum oculum, qui nõ simpliciter cerneret, sed qui cum liuore, animique malitia. Cum verò dicit, quis vos fascinauit? declarat eos, quòd non veluti curam habentes, nec vt id quod deceret supplètes, verum etiam id quod erat, mutilatè ac decimatè id facerēt. Siquidem liuoris est, non addere quod deest, sed de pleno etiã aliquid detrahere, totumque corrumpere. Hęc autè dicit, non quasi liuor per se nocere posset, sed vt ostendat eos qui ista docebāt, per inuidiam ad hoc venisse. *Quibus Christus ante oculos prius depictus erat, in vobis crucifixus.* Atqui nõ apud Galatas, sed Hierosolymis crucifixus fuit,

Ec iij

Rom. 8.

Deut. 18.

Rom. 3.

Genes. 7.

Joan. 3. Rom. 8.

Psal. 62.

Luc. 14.

Colos.

Rom. 5.

Matt. 18.

Rom. 3.

CAP. III.

Sup. 1.

Math. 5.

Act. 5.

Basiliens. fascino, inuidico.

Math. 6. & 10.

Quomodo igitur dicit in vobis? Vt fidei vim ostenderet, quæ possit & procul dista cernere. Nec dixit, crucifixus est: sed, præscriptus est crucifixus: indicans quod oculis fidei quidem exactius perspicerent, quam nonnulli qui præsentibus adfuerant, eaque quæ gerebantur conspexerant. Illorum enim qui spectarant complures nullum inde fructum retulerunt, hi verò quæ oculis ipsis non viderant, tamen per fidem evidentius viderant. Hæc autem loquitur simul & taxans eos, & laudans: laudans quidem, quod tanta cum fiducia recepissent id quod acciderat: taxans verò, quod quem viderant pro ipsis nudari, colaphis cædi, affigi clavis, cõspui, probris incessi, acetò potari, accusari à latronibus, lancea vulnerari, (nam hæc omnia significauit dicendo, præscriptus est in vobis crucifixus:) eo deserto ad legem currebant, nihil reueriti cruciatus illos. Tu verò & illud considera, quemadmodum vbique prætermisso cœlo, terra, mari, cæterisque rebus omnibus, Christi potentiam prædicarit, crucem vbique celebrans. Hoc enim erat præcipuum caput diuinæ pro nobis sollicitudinis. *Hoc solum volo discere à vobis, ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Quoniam, inquit, non præbetis perpetuam attentionem prolixis sermonibus, nec vultis magnitudinem huius dispensationis intueri, compendioso sermone breuissimæque demonstratione volo persuadere vobis, [vosque extremæ ingratitude ac dementia coarguere.] Ac prius quidem in his quæ superius dicta sunt, ex his quæ locutus est Petro, persuaserat: sed hic iam ipsos aggreditur, non ex his quæ alibi contigerunt, sed ex his quæ inter eos gesta sunt, omnia demonstrans: neque tantum ex his donis quæ cum cæteris acceperant communia, verum etiam ex his quæ ipsis peculiariter donata fuerant, fidem facit, simul & probationem instruit, eoque dicit: *Hoc solum volo discere à vobis, ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Accepistis, inquit, Spiritum sanctum, edidistis multa miracula, perfecistis prodigia mortuos excitando, leprosos mundando, prophetando, linguis loquendo. Hanc igitur tam insignem potestatem num vobis dedit lex? Atqui prius nihil tale faciebatis, sed posteaquam credidistis, talia facere cœpistis. An non igitur extremæ dementia est, cum tantum beneficium in vos contulerit fides, hæc relinquere, & ad legem quæ tale nihil vobis præstitit, vltro recurrere? *Ad eum stultus estis, qui in spiritu capistis, nunc carne consummaminini.* Rursum opportunè conuictum addidit. Cum, inquit, oportuerit vos temporis progressu, prioribus bonis accessionem adiungere, non solum non profecistis, verum denuò ad relicta estis retroacti. Etenim qui ab exiguis initium faciunt, procedentes ad maiora conscendunt. Vos contra à magnis orsi, ad diuersa retrocessistis. Si à carnalibus cœpissetis, oportebat ad spiritualia proficere: nunc verò cum à spiritualibus cœperitis, ad carnalia diuertistis. Nam edere miracula, spirituale est: circuncidi verò, carnale. Vos autem post signa deuenistis ad circuncisionem, post apprehensam veritatem ad typos recidistis, post cõspectum Solem lucernam quæritis, post solidum cibum ad lac recurritis. Et non dixit, carne consummaminini: sed, deinde carne consummaminini: illud indicans, quod pseudoapostoli pecudum ritu correptos eos conciderent, dum semet illis præbent ad ferendum quicquid illis collibuisse, perinde ac si quis è ducibus ac fortibus viris, post innumera trophæa victorialisque seipsum in desertorum infamiam tradat, corpus suum exhibeat volentibus imprimere notas. *Tam multa passi estis frustra? si tamen & frustra.* Hoc multo acrius vulnerat quàm illud prius. Non enim signorum restricta memoria æquè poterat illorum animos mor-

dere, vt offensa certaminum malorumque tolerantia, quæ propter Christum fuerant perpeffi. Omnium, inquit, illorum quæ sustinuitis, isti iacturam vos facere volunt, & coronam vobis student interuertere. Mox ne concuteret illorum animos, neruòsque dissolueret, non expectauit inficiationem, sed continenter subtegit, si tamen frustra, significans videlicet, si volueritis expergisci, ac reuocare vos ipsos, non frustra passi fueritis. Vbi nunc sunt qui tollunt poenitentiam? Ecce hi spiritum acceperant, signa fecerant, confessores fuerant, innumerabilia pericula, varias persecutiones Christi causa perpeffi fuerant, & post tam multa rectè facta à gratia exciderant: & tamen dicit, si volueritis, potestis vos ipsos reuocare. *Qui igitur subministrat vobis spiritum, quique in vobis operatur miracula, ex operibus legis, an ex auditu fidei?* Cum tantum, inquit, donum adepti sitis, vt & miracula ederetis: vtrum quia legem seruastis, ideo ista faciendi potestate dignatus est vos Deus, an propter fidem? Non dubium est quin propter fidem. Quoniam enim sursum deorsum hoc vertebant illi, & vndique iactabant dicentes fidem non valere nisi adiuncta lege, Paulus contra demonstrat, additis præceptis fidem iam nihil profuturam. Tum enim valet fides, cum nihil accesserit ex lege. Quicumque enim, inquit, in lege iustificamini, à gratia excidistis. Verum id quidem in progressu declarat, cum etiam liberius loquitur, ex his quæ iam probata sunt fumens occasionem, hætenus verò ex præteritis parat occasionem. Cum, inquit, non attendebatis legi sed fidei, tunc spiritum accepistis, tunc signa prodidistis. Deinceps quoniam de lege dicendum erat, & alium mouet locum, qui plurimum habet contentionis. Abraham in medium adducit, idque valde opportunè, multaque copia, loquens hunc in modum: *Sicut Abraham credidit Deo, & imputatum est illi ad iustitiam.* Declarant quidem, inquit, fidei vim & à vobis edita miracula. Quod si vultis, etiam ex vetustis historiis conabor vobis facere fidem. Itaque quoniam celebris magnæque existimationis apud illos erat patriarcha Abraham, & hunc profert in medium, declarans hunc quoque sic fuisse iustificatum. Quod si is ante gratiam ex fide iustificatus est, idque cum & operibus bonis floreret, multò magis vos. Quid igitur illi detrimenti attulit, quod non esset sub lege? Nihil. Sed sufficiebat ei fides ad iustitiam. Dixerit aliquis, Non erat tum lex. Pulchrè. Neque nunc est lex, sicuti nec tum, ob id enim sublaturus legis necessitatem, eum qui tum ante legem iustificatus fuit inducit, ne hoc possit obiici. Nam quemadmodum tunc data nondum erat, ita nunc quæ data fuit, antiquata est. Ad hæc quoniam efferebantur animis quod ab Abraham ducerent genus, metuentes ne si legem relinquerent, ab illius cognatione fierent alieni: id quoque rursum in contrarium vertit, metumque soluit, declarat quod fides potissimum conciliat cum illo propinquitatem: quod quidem manifestius in epistola ad Romanos probauit, non minus tamen idem hic agit dicens hoc pacto: *Scitote ergo, quod qui ex fide sunt, filij sunt Abrahæ.* Deinde hoc ipsum veteris scripturæ testimonio probat. *Præuidens enim scriptura, quod ex fide iustificat gentes Deus, prænuiciauit Abrahæ, dicens, in te benedicentur omnes gentes.* Itaque si qui nullam cum illo naturalem habent cognationem, sed fidem illius imitati sunt, filij sunt: perspicuum est quod in hanc inferuntur gentes quæ crediderunt. Id enim significat cum ait, In te benedicentur omnes gentes. Per hæc autem & aliud quiddam magnum declaratur. Nam quoniam illud eos turbauerat, videlicet legem antiquiorem esse, fidem autem post legem: & hanc illis eximit suspitionem, ostendit

Deuter. 27.

Poenitentia admittere.

Infirmitas.

Ioan. 4.

Rom. 4.

Gen. 12.

Abac. 2.

877 nem, ostendens fidem esse lege antiquiorem, idque liquere ex Abraham. Priusquam enim existeret lex, ille iustificatus est. Porro vt ostendam ea quoque quæ nunc sunt, iuxta vaticinia prophetarum euenisse: *Præuidens, inquit, scriptura, quod ex fide iustificat Deus gentes, non ex lege, prænuiciauit Abrahæ.* Quid tandem hoc est? Qui, inquit, legem dedit, idem & priusquam legem daret, hoc definierat, vt gentes per fidem iustificarentur. Non dixit, reuelauit: sed, *euangelisat*, id est, latum nuncium attulit, vt intelligas & patriarcham tali iustificationis modo gauisum fuisse, ac vehementer vt hoc contingeret desiderasse. Cæterum quoniam illos & alter quidam habebat metus, scriptum erat enim, Maledictioni obnoxius est omnis qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis huius, vt faciat ea: & hunc eximit metum, sapienter ac prudenter rursus hoc vertens in diuersum, & ostendens quod non solum non sint execrationi obnoxij qui legem relinquerent, sed & benedictionis participes: contra qui legem obtinerent, adeò non benedicti, vt etiam execrabiles. Siquidem illi dicebant, Qui non seruauerit legem, execrationi est obnoxius. Hic verò declarat, eum qui seruat, execrabilem esse: è diuerso qui non seruat, benedictionis confortem. Rursum illi dicebant, qui sola fide nititur, execrabilis est: hic contra demonstrat, qui sola fide nititur, eum benedictum esse. Agè igitur hæc omnia demonstramus vobis iam euenisse. Sed his quæ iam dicentur, attendite diligenter: non enim rem vulgarem pollicemur. Ostenderat quidem hoc antea, cum narraret scripturam dixisse patriarchæ, In te benedicentur omnes gentes. Tum verò lex non erat, sed fides, eoque ratiocinans subiunxit: *Itaque qui sunt ex fide, benedicuntur cum fidei Abraham.* Porro ne hinc ansam arriperent contradicendi, dicerentque, Meritò ex fide iustificatus est, nondum enim erat lex: At tu mihi demonstra post traditam legem, fidem iustificare. Ad id venit, ac plus demonstrat quàm illi quærunt, nimirum non modò iustificare fidem, verum etiam legem ipsa vtentes obnoxios execrationi reddere. Hæc quò magis intelligas, audi ipsius Apostoli verba. *Quæ tandem sunt illa? Quotquot enim ex operibus legis sunt, sub maledictione sunt.* Verum hæc est sententia, nondum habens probationem. Vnde igitur probatio? Ex ipsa lege. *Maledictus enim, inquit, qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis huius, vt faciat ea. In lege autem neminem iustificari, cuius perspicuum est.* Omnes enim peccauerunt, & execrationi sunt obnoxij. Verum hoc modo non loquitur, ne videatur ipse ex se pronuciare, sed iterum idem probat testimonio breuiter vtrunque complectente, alterum quod nullus legem impleffet, vnde & execrationi erat obnoxij: alterum quod fides iustificat. Vnde igitur testimonium? Ex Propheta Abacuc ita loquente: *Iustus autem ex fide viuere.* Hoc enim non solum ostendit ex fide iustificationem esse, verum etiam fieri non posse vt per legem contingat salus. Posteaquam, inquit, legem nemo seruauit, sed omnes ob transgressionem erant obnoxij maledicto, excogitata est facilius quædam via per fidem: quod ipsum maximū est argumentum, ex lege neminem posse iustitiam adipisci. Non enim dixit Propheta, iustus ex lege viuere: sed, ex fide. *Lex autem non est ex fide.* Quid autem & hoc sibi vult, *Qui fecerit hæc, viuere in eis?* Hoc est, non tantum fidem requirit lex, sed opera quoque: gratia verò ex fide seruat ac iustificat. Vides quomodo demonstrauerit eos qui legi hærent, eo quod impleri non possit, execrationi fuisse obnoxios. Sed quomodo fides habet hæc vim, vt iustificet? Audi. Nam hæc ante promisit, eaque magna vi comprobauit. *Quum enim lex esset infirmior, quàm vt*

posset hominem ad iustitiam perducere, repetitum est non leue remedium, nempe fides, quæ quod legi erat impossibile, per se redderet possibile. Ergo si & scriptura dicit iustum ex fide victurum, reiiciens iustitiam quæ est per legem: & si Abraham ex fide iustificatus est, manifestum est, magnam esse vim fidei. Quin & eum qui non perseuerauerit in lege, execrabilem esse: & eum qui fidei innititur, iustum esse manifestum est. Sed vnde, inquiet aliquis, poteris nobis probare quod illa execratio non amplius subsistit? Nam Abraham quidem ante legem fuit, nos autem qui semel sub iugo fuimus seruitutis, nos ipsos reddidimus obnoxios execrationi. Quis igitur est qui soluit illam execrationem? Vide quàm celeriter huic etiam obiectioni occurrit: quanquam & ea quæ dicta sunt, suffecerant. Etenim qui semel iustificatus est, mortuusque legi, ac vitam nouam amplexus est, qui possit esse obnoxius execrationi? At his cõtentus non est, verum & aliis modis rem aggreditur, scribens: *Christus nos redemit ab execratione legis, factus pro nobis execratio.* Scriptum est enim, *Execratus quisquis pendet in ligno.* Verum alij populus execrationi fuit obnoxius, quæ dicit: *Maledictus omnis qui non permanserit in his quæ scripta sunt in libro legis huius.* Et quid hoc? Nam populus quidem obnoxius erat. Non enim permanserat in lege, neque quisquam erat qui legem totam impleuerat. At Christus hanc execrationem altera permutauit, quæ dicit: *Maledictus qui pendet in ligno.* Quoniam igitur & qui pendet, execrabilis est: & qui legem transgreditur, execrabilis est: non oportuit illum qui execrationem illam erat sublaturus obnoxium eidem fieri execrationi: verum pro illa erat alia suscipienda execratio, quam & suscepit, ac per eam illam sustulit, perinde faciens, ac si morti adiudicato quopiam, alius insons, illius damnati vice sponte mori volens eripiat illum, [sic & Christus fecit.] Quum enim Christus non esset obnoxius execrationi transgressionis, hæc in se recepit pro omnibus, vt omnes ab illa liberaret. Peccatum enim, inquit, non fecit, nec inuictus est in ore illius dolus. Itaque sicut mortuus eos quibus erat moricundum, exemit à morte, ita & [execratione in se recepta] ab execratione liberauit. *Vt in gentes veniret benedictio Abrahæ in Christo Iesu.* Quomodo in gètes? In semine, inquit, tuo benedicentur omnes gentes: hoc est in Christo. Quod si hoc de Iudæis dictum esset, nequaquam ita locutus fuisset. Neque enim rationi cõsentaneum erat, vt qui ob transgressionem execrationi erant obnoxij, hi ceteris essent authores benedictionis. Nullus enim execratus alij dat benedictionem, cuius ipse est expers. Vnde liquet totum hoc de Christo dictum esse. Ipse enim erat semen Abrahæ, & per hoc gètes benedicuntur, atque ita denunciat spiritus promissio, quod ipsum significans dicebat: *Vt promissionem spiritus accipiant per fidem.* Etenim quum non posset gratia spiritus in eum qui ingratus erat & offenderat, venire, primùm benedicuntur sublata maledictione: deinde per fidem iustificati, accipiunt spiritus gratiam. Proinde crux sustulit execrationem, fides inuexit iustitiam, iustitia verò gratiam spiritus allexit. *Fratres, secundum hominem loquor, hominis licet confirmatum testamentum nullus irritum facit, aut aliquid adordinat.* Quid est secundum hominem loquor? Humanis vtor ex èplis. Posteaquam enim & ex scripturis, & ex miraculis apud illos editis, & ex his quæ Christus passus est, denique ab ipso patriarcha sermonem confirmauit, iam ad cõmunem digreditur consuetudinem. solet enim Paulus hoc semper facere, quod condulcet etiam sermonem, quò & facilius recipiatur, & crassioribus fiat intelligibilior. Sic & Corinthiis differens ait, [Quis pascat gregem, & ex lacte eius non vescitur? Quis

Deut. 21. Ibid. 17.

quisquis.

Esa. 53.

Gen. 22.

1. Cor. 9.

Heb. 9.

Esa. 48.

Ibid. 29.

Osee 1.

Hier. 18.

Supra 3.

Gen. 22.

plantat vineam, & de fructu eius non edit?] Ac rursus A
 Hebræis, Testamentum enim in mortuis ratum est, quoniam
 nondum valet dum vivit qui testatus est. Quin & aliis
 compluribus locis aliquis comperiet illum talibus libenter
 immorantem rationibus, quandoquidem & Deus in veteri
 testamento idem hoc assidue facit, hunc in modum loquens:
 Num mulier obliuiscetur filij sui? Ac rursus, Num dicit
 figmentum figulo, quid facis? Item in Osee maritum
 imitatur ab vxore despectum. Insuper & in figuris multum
 humanorū exemplorum cernere quispiam poterit: Veluti
 quum cingulum accipit Propheta, & in domunculam figuli
 subit. Quid igitur sibi vult exemplum? Nimirum illud quod
 fides fuit antiquior, lex verò tum recentior tum temporaria,
 & in hoc data, vt præcedens viam aperiret fidei. Et ideo
 dicit, Fratres secundum hominem loquor. Quum superior
 illos appellaret stultos, hæc fratres vocat, simul & perstringens
 eos & cõsolans. Hominis licet confirmatum testamentum.
 Si homo, inquit, condit testamentum, num quis audeat
 superueniens inuerrere, aut adiicere quidpiam? Nam hoc
 est quod ait, aut superordinat. Magis igitur hoc non est
 faciendum in Deo. Et ad quem, inquit, aliquis, Deus
 condidit testamentum? Ad nullum quidem aliorum
 hominum, præterquam Abrahamam. Nam illi dictum est.
*In semine tuo benedicentur omnes gentes. Non dicit, in
 seminibus, tanquam in multis: sed tanquam in vno, &
 semine tuo, quod est Christus. Hoc autem dico, testamētum
 prius confirmatum à Deo in Christum, lex que post
 quadringentos ac triginta annos facta est, non irritum
 facit, vt inanem reddat promissionem. Nam si ex lege
 hæreditas, non iam ex promissione. Abrahæ verò per
 repromissionem donauit Deus.* En igitur & Deus fecit
 testamentum Abrahamæ, dicens, per semen eius venturas
 benedictiones in gentes. Quomodo igitur lex eas potest
 subuerrere? At tu charissime quum hæc audis, caue ne
 quid noxæ tibi adferat exemplum, vt minus bene sentias
 de maiestate Dei. Nam quoniam exemplum totum non potuit
 conuadare ad materiam propositam, ideo præmisi, secundum
 hominem loquor. Verum agere rursus ab initio consideremus
 exemplum. Promiserat Abrahamæ Deus fore, vt per semen
 ipsius benediceretur gentes. Semen autem eius secundum
 carnem fuit Christus. Venit post quadringentos & triginta
 annos lex. Itaque si lex confert benedictiones, vitam, &
 iustitiam, repromissio illa irrita est. Itane sit igitur,
 vt quum hominis testamētum nullus irritum faciat, Dei
 testamentum post quadringentos triginta annos irritum
 sit? Etenim si quod illud testamentum promissit, non
 præstat ipsum, sed lex pro illo præstat, nimirum illud
 reiectum est. Et quomodo possent hæc congruere rationi?
 Cuius igitur gratia, dixerit aliquis, dedit legem? Audi
 ipsum dicentem, subnectit enim: *Quid igitur lex? præuaricationum
 causa addita fuit.* Itaque nec hæc est superflua. Vides
 vt omnia perspicit, vt innumeris vitur oculis. Quoniam
 extulerat fidem, declarans eam fuisse antiquiorem lege,
 ne quis existimaret legem esse superuacaneam, hanc quoque
 partem corrigit, demonstrans eam non frustra, sed admodum
 vtiliter fuisse datam. Ob transgressiones, inquit, addita
 fuit: hoc est, ne liceret Iudæis securè viuere, atque in
 extremam prolabi malitiam, sed lex illis freni vice foret
 imposita, crudiens, componens, prohibensque transgredi,
 si minus omnia, certè aliquot præcepta. Itaque non mediocris
 erat ex lege fructus: ac significans Apostolus, quousque
 esset addita lex, subtexit: *Donec veniret semen, [cui]
 repromissio facta fuerat.* De Christo loquitur. Proinde
 si vsque ad Christi aduentum data est, quid eam longius
 & vltra tempus prorogas? *Disposita per manus
 angelorum in manu mediatoris.* Aut sacerdos

tes vocat angelos, aut sentit ipsos etiam angelos subministrasse
 ferendæ legi. Mediatorem autem hic appellat Christum,
 declarans quod is ante legem fuerit, ipseque legem dedit.
 Mediator autem vnus non est, sed Deus vnus est. Quid
 hic dicturi sunt hæretici? Etenim si quod solus pater
 dicitur verus Deus, obstat quominus filius sit verus Deus,
 profectò nec Deus erit, eo quod de solo patre dicitur,
 Deus vnus est. Quod si dum vnus Deus dicitur pater,
 Deus est & filius: perspicuum est, quod dum solus pater
 dicitur verus Deus, verus Deus sit & filius. Mediator
 autem, inquit, non vnus, sed duorum quorumpiam
 mediator est. Cuius igitur mediator fuit Christus? Clarum
 est quod inter Deum & homines intercesserit. Vide
 quomodo declarat quod ipse etiam legem dedit. Quod si
 ille legem dedit, nimirum idem habet authoritatem
 abrogandi. *Lex igitur aduersus promissam Dei?* Nam
 si in semine Abrahamæ repromissiones datæ sunt, lex
 autem inducit maledictionem, est vtique aduersus
 promissam Dei. Quomodo igitur soluit obiectionem?
 Primum quidem negat dicēs, *Abst.* Deinde etiam probat,
 ita loquens: *Nam si fuisset data lex, vt posset
 viuificare, verè ex lege fuisset iustitia.* Quod autem
 dicit, hoc est: Si in lege, inquit, vitæ spiritum habuissimus,
 & hæc potestatem habuisset nostræ salutis, fortassis ista
 rectè diceret. Contrà, si per fidem seruaris, etiam si
 lex reddat execrables, nihil detrimenti capiebas,
 posteaquam venit fides, omnia dissoluens. Nam si per
 legem fuisset repromissio, iure metueres, ne exclusus
 à lege, simul & à iustitia excludereris. At si ideo
 data est lex, vt omnes concluderet, hoc est, coargueret,
 ostenderetque eis ipsorum peccata, non solum non
 obstat quò minus consequaris repromissiones, verum
 etiam confert ad eas adipiscendas. Hoc itaque
 significans dicebat, *Sed conclusit scriptura omnia
 sub peccatum, vt promissio per fidem Iesu Christi
 daretur credentibus.* Nam quoniam Iudæi ne sentiebant
 quidem sua peccata, non sentientes autem nec
 desiderabant remissionem, dedit legem quæ proderet
 vulnera, quò medicum requirerent. Quod enim dixit,
 conclusit, perinde valet ac si dixisset, coarguit, &
 coargutos continuit in metu. Vides quod non solum
 aduersus Dei promissam data non fuit, verum etiam pro
 promissis. Etenim si lex sibi negotium hoc vindicasset,
 & authoritatem habuisset, rectè ista dicerentur. Sin
 alteri currit, ac propter illum omnia facit, quomodo
 est aduersus promissam Dei? Nam si lex data non fuisset,
 omnes in malitiam fuissent deuoluti, neque quisquam
 Iudæorum fuisset auditurus Christum. Nunc verò data,
 hæc duo præstitit commoda, alterum quò virtutem
 medicum docuit eos qui ipsi parebant: alterum, quò
 per hanc agnouerunt sua peccata, quæ res illos
 maxime reddit promptos ad quærendum Dei filium.
 Itaque qui non crediderit legi, eo quod non agnoscerent
 condemnarētque sua peccata, non crediderunt Christo.
 Idque significans ait: Ignorantes enim Dei iustitiam,
 & propriam iustitiam statuere quærentes, iustitiæ
 Dei non fuerunt subiecti. *Priusquam autem veniret
 fides, sub lege custodiebamur conclusi in fidem, que
 erat reuelanda in nos.* Vides vt dilucidè quæ diximus
 confirmat. Nam quod dixit, custodiebamur, & conclusi,
 nihil aliud significat, quàm tutelam ex legis præceptis
 adhibitam. Lex enim timore veluti muro quodam
 continens illos, ac secundum ipsam viuendi necessitate
 constringens, referuabat illos fidei. *Itaque lex
 pædagogus noster fuit ad Christum, vt ex fide
 iustificaremur.* Ergo non est aduersus. Pædagogus
 enim non aduersatur præceptoribus, sed adiuvat,
 arcens adolescentem ab omni vitio, reddens illum
 idoneum omni studio percipiendis quæ tradit præceptor.
 Verum vbi iam habitum collegerit, discedit pædagogus,

Codex Veronen. habet os, id est sicut non os, cui.

Hic sup.

Rom. 6.

Cap. III.

Rom.

agogus, eoque dicit: *At vbi venit fides, que in virum
 perfectum educit, non amplius sub pædago sumus. Omnes enim
 filij Dei estis per fidem, que est in Christo Iesu.* Itaque si
 lex est pædagogus, & sub hoc custodiebamur conclusi, non
 aduersatur gratiæ, sed adiuvat. Quod si postquam aduenit
 gratia, perseuerat constringere, tum est aduersaria. Etenim
 si quos oportebat exire ad illam, apud sese concluderet,
 tum nostrâ corrumpere salutem. Quem admodum si lucerna
 quæ noctu præluxit, iam orto die vetet nos obtueri Solem,
 non solum non præstaret officium, verum etiam læderet:
 Itidem & lex si obstaret ad meliora pergendum.
 Qui nunc eam seruauit, ij maxime traducunt illam: siquidem
 & pædagogus tunc ridiculum reddit adolescentem, cum
 tempore postulant vt ab eo discedat, apud se detinet.
 Et ideo Paulus sic ait: *Posteaquam venit fides, non
 amplius sub pædago sumus. Omnes enim, inquit, filij
 Dei estis.* Papæ, quanta fidei vis, & quomodo eam
 progressu sermonis aperit! Prius enim ostendit, quod
 fides redderet filios patriarchæ: Scitote, inquit, qui ex
 fide sunt, hos esse filios Abrahamæ. Nunc verò demonstrat
 eosdem esse filios Dei. Omnes enim, inquit, estis filij
 Dei per fidem, que est in Christo Iesu: per fidem, non
 per legem. Post hæc quoniam rem magnam dixit &
 admirabilem, explicat & modum quo fiunt filij Dei.
*Quicumque enim in Christum baptizati estis, Christum
 induistis.* Et quam ob causam non dixit, quicumque in
 Christum baptizati estis, ex Deo nati estis? Hoc enim
 congruebat ad demonstrandum quod essent filij. Sed hic
 sermo plus habebat maiestatis ac religionis, eoque sic
 loqui maluit. Etenim si Christus est filius Dei, tu verò
 illum induisti, cum habes filium in te, & in illum per
 similitudinem transformatus es in eandem cognitionem,
 vnâque speciem perductus es. *Non est Iudæus neque
 Græcus, non est seruus neque liber, non est mas aut
 femina: omnes enim vos vnus estis in Christo Iesu.*
 Vides animam insatiabilem. Cum enim dixisset, Omnes
 facti sumus filij Dei per fidem, non hætenus contentus
 fuit, sed quærit etiam amplius aliquid inuenire, quod
 cuiusmodi approbare queat propiorem erga Christum
 societatem. Cùmque dixisset, Christum induistis, ne
 hoc quidem dicto contentus est, sed explanans illud, vltra
 talem coniunctionem progreditur, & ait: Omnes vnus
 estis in Christo, hoc est, eadem formam, eandem figuram
 habetis omnes, videlicet Christi. Quid his verbis esse
 possit magis stupendum aut reuerendum? Qui prius erat
 ethnicus, aut Iudæus, aut seruus, nunc obambulat
 formam gestans non angeli, neque archangeli, sed vniver
 forum domini, atque in sese Christum representat.
*Quod si vos estis Christi, nimirum Abrahamæ semen
 estis, ac iuxta repromissionem hæredes.* Vides vt quod
 antea dixerat, nunc demonstrat, videlicet de semine, quod
 Abrahamæ & semini eius benedictiones sunt datæ. *Dico
 autem, quanto tempore hæres paruulus est, nil differt à
 seruo, quum sit dominus omnium, sed sub tutoribus &
 procuratoribus est, vsque ad tempus presinitium à patre:
 Sic & nos quum essemus paruuli, sub elementis mundi
 eramus seruientes.* Paruulum hic non ætate dicit,
 sed animo, significans quod Deus initio voluerit ista
 largiri: verum vbi vidit nos adhuc puerili esse affectu,
 passus est nos sub elementis mundi agere, hoc est,
 sub neomeniis & sabbatis. Nam hi dies nobis à Luna
 Solisque cursu redeunt. Proinde si nunc quoque vos
 sub legem redigunt, nihilo secius faciunt quàm si vos
 tempore ætatis adultæ rursus ad relictum pueritiæ
 tempus traherent. Vides quanta res sit observatio
 dierum. Eum qui dominus est ac paterfamilias, & omnem
 potestatem habet, in famuli locum redigit. *Posteaquam
 autem venit plenitudo temporis, emisit Deus filium
 suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui
 sub lege*

erant redimeret, vt adoptione locum filiorum reciperemus.
 Duas hic causas refert ad beneficia assumptæ carnis, videlicet
 liberationem à malis, & bonorum subministracionem,
 quæ quidem nullus præstare poterat, nisi ipse solus.
 At quæ tandem erant illa? Liberari ab execratione legis,
 & adoptari in ius filiorum. Ait enim, Vt eos qui sub
 lege erant redimeret, & vt adoptionem filiorum reciperemus.
 Pulchrè dixit, reciperemus, indicans esse debitum.
 Cœlitus enim repromissit Abrahamæ, quemadmodum & ipse
 multis verbis declarauit his de rebus factas repromissiones.
 Et vnde constat, inquiet aliquis, nos factos esse filios
 Dei? Dixit modum vnum, quia Christum induimus,
 qui est filius. Dicit & alterum, quia spiritum adoptionis
 accepimus. *Quoniam autem estis filij, emisit Deus
 spiritum filij sui in corda vestra, clamantem abba pater.
 Itaque iam non es seruus, sed filius. Quod si filius, ergo
 hæres: hæres quidem Dei, cohæres autem Christi.* Ac si
 diceret, haudquaquam potuissimus illum appellare patrem,
 nisi prius facti fuissimus filij. Igitur pro seruis, liberos:
 pro paruulis, adultos: pro alienis, hæredes ac filios fecit
 gratia. An non igitur absurdum, extremæque sit ingratitudinis,
 hac ommissa reuolui in ea quæ relicta sunt à tergo?
*Sed tunc quidem ignorantes Deum, seruibat is qui naturâ
 non sunt dij. Nunc autem quum cognoueritis Deum, immo
 potius cogniti sitis à Deo, quomodo denud conuertimini
 ad infirma & egena elementa, quibus rursus ab integro
 vultis seruire?* Hic ad eos qui ex gentibus crediderant,
 orationem dirigens ait, quod tale quiddam est simulachrorum
 cultus, qualis est dierum obseruandorum custodia,
 quodque nunc his grauius debetur supplicium. Eoque
 elementa vocauit, non naturâ deos, hæc ipsa persuadere
 cupiens, eosque in maiorem impellere perturbationem.
 Quod autem dicit, illud est: Tum quidem obtenebrati,
 & in errore versantes, humi trahebamini: nunc verò
 posteaquam nouistis Deum, vel cogniti potius estis ab illo,
 quâ fieri potest, vt non vobis maius & acerbius
 supplicium accersatis, post tantam vobis impensam
 curam, in eandem relapsi insaniam? Neque enim vos
 labore vestro Deum inuenistis, sed vos quidem in errore
 versamini, ille verò vos ad se traxit. Porro elementa
 infirma vocat & egena, quod nullam vim habeant ad
 bona proposita perducendi. *Dies obseruatis, & menses,
 & tempora, & annos.* Ex his clarum est, quod non
 solum circuncisionem eis prædicauerant illi, verum etiam
 dies festos, & neomenias. *Timeo de vobis, ne forte
 frustra laborauerim erga vos.* Vides viscera & affectus
 apostolicos? Illi iactantur fluctibus, & hic tremunt
 ac metuit: eoque vehementer illis incutiens pudorem,
 ait hoc, laboraui erga vos: perinde quasi dixisset, ne
 tantos meos sudores reddatis inanes. Cùm autem dicit
 metuo, & addit, ne fortè: simul & desperationem illis
 iniecit, & in bonam spem erexit. Non enim dixit,
 frustra laboraui, sed, ne fortè. Nondum, inquit, accidit
 naufragium, sed adhuc tempestatem hoc parturientem
 cerno: propterea metuo, non despero. Vobis enim in
 manu est totum hoc corrigere, & ad pristinam redire
 tranquillitatem. Deinde ea tempestate iactatis manum
 porrigens, seipsum in medium profert dicens: *Estote
 sicut ego, quoniam ego sicut vos.* Hæc ad eos qui
 crediderant ex Iudæis, eoque semet in medium adfert,
 hinc illis persuadere cupiens, vt vetera relinquunt.
 Nam etiam si nullum alium haberetis pro exemplo, sufficiebat
 me tantum intueri, vt similem faciatis mutationem,
 facileque sumatis fiduciam. Ergo me intuemini. Nam &
 ego simili modo quondam fueram affectus, & quidem
 vehementer, & ardebam studio legis: attamen postea
 non veritus sum legem relinquere, nec ab illo vitæ
 instituto desiscere. Et hæc vos probè nostis, quod

Debitum ex promissio.

* 2727a id est curd aut sollicitudinem.

modo supra modum certarim pro retinendo Iudaismo, & quomodo postea maiore studio eum reliquerim. Ac recte quidem illud posteriore posuit loco. Siquidem vulgus hominum, etiam si innumeras inueniat rationes, easque iustas, tamen ab eo quod est cognatum, magis attrahuntur: cumque viderint alium hanc agentem, facilius haerent iisdem. *Fratres, rogo vos, nihil me lesistis.* Vide ut rursus honorifico nomine compellat illos, quamquam hoc ipsum submonet gratiae. Posteaquam enim illos acriter taxauerat vndique facta comparans, ostenderatque eos legem transgredi, denique omni ex parte in eos iacula torserat, rursus medicatur ac mitigat, vtens dictis mollioribus. Quemadmodum qui perpetuo mitigat in medicando, remissum hominem facit: ita semper asperis vti sermonibus, magis exacerbat hominem, coque bonum est vbi que moderatis vti. Vide igitur quomodo se postulat super his quae dixit, declarat quod non vulgi more infensus illis, sed curam illorum gerens dicat quae dicit. Etenim posteaquam altiore fecerat sectionem, deinceps hanc consolationem velut oleum infundit, ac declarans non ab odio nec a similitate profecta esse quae dicta sunt, commonefacit illos charitatis, quam illis exhibuerat, miscetque laudem excusationi. Ideo dicit: *Rogo vos, nihil me lesistis: sed scitis: quod in infirmitate carnis meae euangelizauerim vobis prius, ac meam tentationem quae erat in carne mea, non spreuistis.* Verum illud nihil adhuc magni est, in nullo laesisse. Neque vulgaris sane quisquam homo eum qui non fecit iniuriam, laedere vellet, frustra que & sine causa molestus esse. Vos autem non solum non laesistis, verumetiam multam & inenarrabilem exhibuistis benevolentiam: ac fieri nequaquam possit, vt quibus tantae curae fuisset, haec ex malevolentia loqueretur. Non igitur ob inimicitiam haec loquor. Quod si non ex malevolentia, reliquum est vt ex affectu ac sollicitudine: *Rogo vos, nihil me lesistis. Rogastis autem, quod in infirmitate carnis meae euangelizauerim vobis.* Nihil illa beata anima mansuetius, nihil dulcius, nihil amantius. Proinde nec illa superiora ab impotente iracundia, animique commotione fuerant profecta, sed ex abundantia sollicitudinis. Et quid dico non laesistis me? multam etiam ac sinceram sollicitudinem erga me exhibuistis. Nostis enim, inquit, quod ob infirmitatem carnis euangelizauerim vobis, & tentationem quae erat in carne mea, non spreuistis. Quid tandem est quod dicit? Eiciebar, inquit, flagellabar, innumeras mortes sustinebam praedicans vobis, ac ne sic quidem spreuistis me. Nam hoc innuit dicens: *Tentationem quae erat in carne mea, non spreuistis, neque respuistis.* Vides prudentiam spiritualem? In ipsa etiam purgatione, pudorem illis ingerit, ostendens quam multa pro illis passus fuerit. Attamen horum, inquit, nihil vobis fuit offendiculo, nec ob afflictiones & persecutiones meas auersati me fuistis. hoc enim vocat infirmitatem ac tentationem: *Sed velut angelum Dei excepistis me.* An non igitur absurdum sit, persecutionibus agitur, exilio propulsum, velut angelum Dei excipere, admonentem & hortantem ad vtilia non recipere? *Quae est igitur beatitudo vestra? Nam praebeo vobis testimonium, quod si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis, mihi que dedissetis.* Itaque inimicus factus sum vobis, vera loquendo vobis? Hic dubitat ac vehementer admiratur, cupitque ab ipsis mutationis causam discere. Quis enim, inquit, vos seduxit, ac persuasit, vt aliter sitis erga nos affecti? Nonne vos estis qui mihi inseruiebatis, qui mei curam gerebatis, qui me oculis chariorem habebatis? Quid igitur accidit? vnde inimicitia? vnde suspicio? An quia vera locutus sum vobis? Atqui hac de causa par erat, vt me magis in honore haberetis, maiorque studio prosequeremini. Nunc autem inimicus

factus sum, vera loquens vobis. Ego, inquit, aliam causam non noui, quam quod vera dixerim vobis. Et vide quanta submissione sese excusat. Neque enim ex officiis quae ipse in eos contulerat, sed ex iis qui illi in ipsum praestiterant, ratiocinatur fieri non posse, vt haec ex malevolentia dicantur. Non enim ad hunc modum verba fecit. Et qui conuenit, vt qui vestra causa flagellabatur, eiciebatur, innumera patiebatur mala, nunc de vobis mala cogitet: sed de quibus gloriari poterant illi, ab iis argumenta colligit, dicens: *Qui consentaneum est, vt qui a vobis sic honoratus est, qui vt angelus exceptus est, is diuersa rependat? Amulantur vos non bene, sed excludere vos volunt, vt ipsos emulemini.* Est enim bona emulatio cum quis sic amulatur, vt virtutem imitetur. Est & mala emulatio, cum quis ea facit, vt recte agentem depellat a virtute. Quod sane & isti nunc conantur, studentes vos a perfecta legitimaque virtute detrudere, & ad mutilatam ac notham deducere: non aliam ob causam, nisi vt ipsi quidem in loco magistrorum sedeant, vos autem qui nunc estis illis sublimiores, in classe discipulorum collocent. Hoc enim declarauit dicens, vt ipsos emulemini. Ego vero, inquit, contrarium opto, vt vos illos antecedatis, & perfectioribus exemplum efficiamini. Quod sane factum est cum apud vos essem: ob id subiunxit, *Bonum est amulari in bono semper, & non solum cum adsum apud vos.* Hic subnotat ipsius absentiam huius mali fuisse causam, idque beatum esse, si discipuli non solum praesente magistro mentem quam oportet, obtineant, verumetiam absente. Ceterum quoniam illi nondum ad hoc perfectionis peruenierant, omnia facit, vt in hoc illos instruat. *Filioli mei quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Vide commotum, vide turbatum. Fratres mei rogo vos, filioli mei quos iterum parturio. Matrem refert de liberis trepidantem: donec formetur Christus in vobis. Vides paterna viscera, vides anxietate apostolo dignam: vides qualem emittit eiulatum, multo tristiore, quam solet esse parturientium. Corruptis, inquit, imaginem, perdidistis generositatem, formam immutastis: opus est vt renascamini, vt que refingamini. Et tamen filios voco factus imperfectos & abortiuos. Verum huc in modum non loquitur, sed aliter: parcit enim illis, nec vult ferire, nec vulnera vulneribus addere: quemadmodum eruditi medici eos qui in longum incidunt morbum, non protinus ac semel, sed ex interuallo curant, ne despondentes animum, pereant: Sic & hic beatus. Nam & hi parturientis dolores hoc sunt acriores, quod maior erat affectus charitatis, & peccatum erat haudquaquam vulgare. Hoc enim semper dixi, nec dicere desinam quod pusilla quaequam transgressio, ingens detrimentum parere solet. Quod quidem & tunc accidit. Siquidem ab exiguis ortum in initis malum, totam ecclesiam peruaserat, totamque faciem ac formam vitiauerat. *Vellem esse praesens apud vos nunc, & mutare vocem meam.* Considera mihi sibi non temperantem, considera seruentem, considera non potentem talia ferre. Talis nimirum res est charitas. Vt non contentus est verbis, sed insuper quaerit praesentiam. *Vt, inquit, immutem vocem meam.* Hoc est, vt vertam eam in ploratum, vt moueam lacrymas, quod simul omnes ad lamenta pertraham. Per epistolam enim non licebat ostendere lacrymas, neque complorationem. Et hinc ardet praesentiam desiderans. *Quoniam confundor in vobis.* Non enim, inquit, habeo quod dicam, non habeo quid cogitem. Vnde hoc, vt qui prius ad ipsum caelorum culmen ascenderatis partim ob pericula fidei causa tolerata, partim ob signa que per fidem edidistis, nunc adeo repente ad tantam vilitatem deducti sitis, vt ad circumcisionem & sabbata pertrahamini,

Supra 1.

A.A. 10.

Gen. 16.

Ibid. 21.

hunc formauit.

trahamini, & Iudaizantibus adhaereatis? Ob id etiam initio dixerat, *Miror quod tam cito transferimini.* Et hic dixit. *Confundor in vobis, perinde quasi dixisset, Quid dicam? quid loquar? quid cogitabo? perplexus sum, vnde & plorem necesse est: quod quidem in rebus perplexis faciunt etiam prophetae.* Est autem & haec non leuis curandi ratio, si non solum consulas, verum etiam lamenteris. Nam hoc & Milesius loquens dicebat. Triennium cum lacrymis admonere vos non cessauit. Idem hic dicit, vt immutem vocem meam. Siquidem quoties rebus perplexis ac desperatis derepente obortis vincimur, deinceps ad lacrymas vertimur. Posteaquam igitur obiurgarat acriter, pudorem incusserat, ac rursus haec mitigauerat, deinde complorationem addit. Haec autem comploratio non solum habet castigationem, verum etiam blandiloquium. Neque enim exasperat, sicut castigatio: neque remissum facit, quemadmodum mitigatio, sed remedium est vtrinque mixtum, multamque vim habet ad exhortandum. Posteaquam igitur deplorauit, & eorum mentem emolliit, ac vehementius sibi conciliauit, denuo redit ad contentionem, maius proponens caput, & ostendens quod ipsa lex nolit se seruari. Tum quidem ab Abraham sumptum exemplum adduxerat, nunc vero legem ipsam inducit admonentem ne seruetur, sed vt ipsa iam secedat, quod erat vehementius. Itaque si legi parere vultis, inquit, discedite ab illa: nam hoc vult ipsa, verum hoc pacto non loquitur, sed alia ratione idem agit, admiscens etiam historiam. *Dicite mihi, qui sub lege vultis esse, legem non audistis?* Recte dixit, qui vultis. Neque enim hoc quod gerebatur, rerum congruitia persuasit, sed illorum intempestiua contentio. Legem autem hic vocat, librum conditi mundi, quod alias crebro facit, vetus omne testamentum sic appellans. *Scriptum est enim, quod Abraham duos filios habuit, unum ex ancilla, & alterum ex libera.* Rursus ad Abraham reuertitur, non eadem iterans, sed quoniam apud Iudaeos patriarchae nomen admodum erat celebre, declaratque, quod illinc figurae ceperint initium, quodque ea quae nunc fiunt, prius in illo fuerint depicta. Quumque prius demonstrasset Galatas esse filios Abraham, quoniam non eiusdem dignitatis erant patriarchae filij, quorum alter ex ancilla, alter ex libera susceptus erat, iam deinceps declarat eos non solum esse filios sed eo modo filios, quo fuit ille liber ac generosus. Tanta est fidei vis. *Sed is quidem qui ex ancilla, iuxta carnem natus est: qui vero ex libera, iuxta repromissionem.* Quid est, iuxta carnem? Quoniam dixerat quod fides nos iungit Abraham, idque videbatur audientibus esse incredibile, si qui ex illo nati non fuissent, eos vocaret filios illius, ostendit hoc quod videbatur incredibile, diuinitus esse factum. Nam Isaac non iuxta naturae ordinem, neque iuxta coniugiorum legem, neque iuxta carnis vires natus, & filius & germanus filius fuit, ex aridis corporibus satus, & a vulua illa emortua progressus. Neque enim caro conceptum, neque semen partum dedit. Siquidem bis erat emortua, & propter aetatem, & propter sterilitatem, sed Dei sermo haec praestitit. In seruo vero non itidem factum est, sed ille naturae legibus, & iuxta coniugiorum morem natus est. Attamen qui non erat secundum carnem natus, praelatus est ei qui secundum carnem fuerat natus. Itaque ne vos conturbet, quod iuxta carnem nati non estis. Nam ob hoc ipsum maximum est illius cognati vos, quod secundum carnem nati non estis. Quandoquidem secundum carnem esse natum, non solum non reddit honoratioris, verumetiam efficit minus honorabiles. Mirabilior autem magisque spiritalis est partus qui non est iuxta carnem, nimirum ex his qui coelitus nati sunt. Natus est enim iuxta car-

nem Ismael, sed seruus erat, nec id solum, verum etiam exactus est e patriis aedibus: Isaac vero iuxta repromissionem natus, tanquam verus, vt erat, filius & ingenuus, omnium dominus fuit. *Quae sunt per allegoriam dicta.* Abusuque figuram dixit allegoriam. Ceterum quod dicit, illud est, Haec historia non hoc solum declarat quod apparet, verum & alia quaedam altiora praedicat, vnde & allegoria dicta est. Quid autem praedicauit? Nihil aliud quam haec omnia quae nunc fiunt. *Haec enim sunt duo testamenta, unum quidem a monte Sina in seruitutem generans, qui est Agar.* Haec sunt. Quae haec? Matres puerorum illorum Sara & Agar. Duo vero testamenta] duae leges. Quoniam nomina foeminarum erant, in historia perseverauit Apostolus in appellatione generis, & ex ipsis nominibus multam ostendit congruentiam. Quomodo ex ipsis nominibus? *Agar enim mons Sina est in Arabia.* Agar dicta est ancilla. Mons autem Sina, ita sonat illius gentis lingua, vt omnes qui ex veteri testamento nati sunt, oporteat seruos esse. Nam mons ille vbi vetus testamentum datum est, commune nomen habet cum ancilla. Complectitur autem hic mos etiam Hierosolymam. Nam hoc est quod ait: *Qui coniunctus est ei quae nunc est Hierusalem:* Hoc est, vicinus est, contiguus est. *Seruit autem cum filiis suis.* Quid igitur ex hoc docet? Quod non solum illa fuit ancilla, ac seruos genuit, verum etiam haec, videlicet testamentum, cuius figura fuit ancilla. Siquidem Hierosolyma finitima est monti cognomini ancillae. In hoc autem monte etiam testamentum est datum. Vbi ergo est figura Sara? Audi: *Quae autem sursum est Hierosolyma, libera est, quae est mater omnium nostrum.* Non igitur qui ex ea nascuntur, serui sunt. Inferioris igitur Hierosolymae figura erat* Sara, nec dubium quin ex monte eius nominis: supernae vero typus est ecclesia. Attamen non est contentus figuris, verum & Esaiam adhibet testem his quae dicta sunt. Quum enim dixisset, supernam illam Hierusalem esse matrem nostram, & hanc vocasset ecclesiam, citat prophetam ipsi suo calculo suffragantem, *Scriptum est enim, Exulta sterilis, quae non parit, erumpe & clama quae non parturit, quia multi filij deseruere, magis quam eius quae habet virum.* Quae igitur sterilis, & quae deserta? An non perspicuum est, hanc esse ecclesiam ex gentibus, quae antehac Dei cognitione fuit priuata? Quae vero est illa quae habet virum? Nonne liquet hanc esse synagogam? Attamen hanc multitudinem liberorum superauit? Vidua, siquidem haec vnam duntaxat habebat gentem. Ceterum ecclesiae filij, Graeciam, Barbariam, terram, mare, denique orbem vniuersum implent. Vides vt factis quidem Sara, verbis autem propheta nobis futura subnotarint? Sed & illud considera. Sterilem appellauit Esaias, & hanc ostendit factam complurium liberorum matrem. Idem sub figura accidit in Sara. Nam & haec quum esset sterilis, numerosae sobolis mater est facta. Ceterum ne haec quidem Paulo sufficiebant, verum etiam quomodo sterilis mater sit facta disquirat, vt hinc etiam ad veritatem accommodet figuram, eoque subdit dicens: *Nos autem fratres, secundum Isaac repromissionis filij sumus.* Non enim sterilis tantum erat ecclesia, quemadmodum Sara, neque solum multorum liberorum mater facta est vt illa, sed & ita genuit, quemadmodum illa. Vt enim illam non natura, sed Dei repromissio fecit matrem (nam qui dixit, Secundum tempus hoc veniam, & erit Sara filius, idem ingressus in vterum infantem formauit) sic & nostra renascencia, natura quidem nulla est, ceterum verba Dei, quae norunt fideles, haec in aqua lauacro per sacerdotem pronuntiata, tanquam in vtero quodam formant ac regenerant eum qui baptizatur. Proinde si sterilis filij sumus, sumus & liberi. Et quoniam est ista liber-

* avra, id est haec, Sara: vt referri potest ad mulieres & ad testamenta. hae, quoniam? puerorum illorum matres, Sara & Agar: quid sunt duo testamenta.

Pro Sara Agar potius legendum videtur.

Esa. 54. & Luc. 23.

sterilis.

Gen. 18.

* N' avra, ob, siue propter: aut per, quod hic apud videtur: vt per infirmitatem, sit per afflictiones & in medijs perfectionibus.

tas, dixerit aliquis, quum Iudæi quidem constringerent ac flagellarent eos qui crediderant: illi verò qui putabantur esse liberi, persecutionibus affligerentur? Hæc enim accidebant quum arderet fidelium persecutio. Verum ne hoc vos perturbet, inquit, quandoquidem hoc quoque præcessit in figura. Nam & Isaac quum esset liber, à seruo persecutionem sustinuit, eoque subiungit dicens: *Sed quemadmodum tunc qui secundum carnem, natus erat, persequatur cum qui natus erat secundum spiritum: ita & nunc. Sed quid dicit scriptura? Eiecit filium ancillæ. Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ.* Quid igitur? Hæcine consolatio, demonstrasse liberos à seruis persecutionem perperit? Nequaquam, inquit. Neque enim hic subsisto, sed audi quæ sequuntur, & hanc accipies consolationem, quæ sufficiat leniendis pusillanimorum persecutionibus. Quænam igitur sunt quæ sequuntur? *Eiecit filium ancillæ. Non enim erit hæres cum filio liberæ.* Vis nosse quod sit autoramentum temporariæ tyrannidis, & intempestivæ insolentiæ? Eiectus est à paternis facultatibus puer, sitque exul & erro simul cum matre. Iam mihi considera quàm sapienter ista dicta sint. Non enim dixit, persequatur, & ideo eiectus est, sed ne fieret hæres. Neque enim ob temporariam persecutionem hanc de illo pœnam sumpsit. Nam id quidem leue erat, ac nihil ad eam rem, sed non permisit illum confortem fieri bonorum filio paratorum, significans quòd etiam sublata persecutione, hoc illi ab initio prius signatum esset, quæ res non ceperit initium à persecutione, sed à voluntate Dei. Nec dixit, non erit hæres filius Abrahæ: sed, filius ancillæ, à viliori genere illi cognomen addens. At Sara, inquit, sterilis erat: Ergo & ecclesia ex Gentibus congregata talis erat. Vides in omnibus seruari figuram. Sicut enim illa quum per omnes ætatis annos non peperisset, in extrema senectute fit mater: ita & hæc, ubi venit plenitudo temporis, parit. Hoc autem & propheta prædixerat, ita loquens: *Latere sterilis quæ non parit, erumpe & clama. quæ non parturiscit: quoniam multi filij desertæ, magis quàm eius quæ habet virum.* Hoc modo designans ecclesiam. Non enim nouerat Deum, tamen ubi cognouit, vicit numerosæ sobolis synagogam. *Itaque fratres non sumus ancillæ filij, sed liberæ.* Hæc omnia mouet verbatque, ostendere studens id quod factum est, non esse nuperum, neque recens, sed iam inde ab initio & ante multa sæcula præfiguratum. An non igitur absurdum, ante tantum sæculorum selectos, ac libertatis confortes, vltro semetipsos in seruitutis iugum tradere? Post hæc aliam addit causam quæ persuadeat eis vt in decretis perseuerent. *Libertate igitur qua Christus vos liberauit, state.* Num vos ipsos liberastis, quandoquidem rursum ad priorem recurritis dominatum? Ipse est qui vos liberauit, alius est qui pretium dedit pro vobis. Vides quot modis illos abducat ab errore Iudaico. Primum ostendens extremam demetiæ esse, eos qui pro seruis facti fuerant liberi, pro liberis velle fieri seruos. Deinde quòd erga benemeritum immemores & ingratos sese declaraturi sint contemnentem eum qui liberauit, & amantes eum qui in seruitutem pertraxit. Tertio loco, quòd hoc esset impossibile. Lex enim iam non habebat dominium, quum alter eos omnes semel ab illius dominatu redemisset. Quum verò dicit, *state, fluctuationem subindicat. Ac ne rursum iugo seruitutis implicemini.* Nomine iugi, negentij molestiam illis significat. At quum ait, rursum, ingentem illorum indicat stupiditatem. Nam si nõ fuissetis hanc experti molestiam, non eratis perinde grauiter inculandi. Verum si cum experimento cognitum habeatis quàm graue sit huius iugi pondus, post hæc denuò vos ipsos eidem submittitis, quam veniam mereri poteritis? *Ecce ego Paulus dico vobis,*

quòd si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit. Vide quàm atroces minæ. Merito, quandoquidem & angelos anathemati deuouit. At t̄ ciuilitate dixit quòd Christus eis nihil esset profuturus. Nam ipse hoc non probauit, sed pronunciauit quòd deinceps personæ auctoritas satis esset pro quauis probatione. Et ideo occupauit dicere, ecce ego Paulus dico vobis: quæ vox erat confidentis iis quibus loquebatur. Nos pro nostra virili ex nobis ipsis hoc ad demus, demonstrabimusque quomodo circumcisis profuturus sit Christus. Qui circumceditur, tanquam legem metuens circumceditur. Eam qui metuit, diffidit viribus gratiæ. Porro qui diffidit, nihil fructus capit ab ea cui diffidit. Rursum alio modo: Qui circumceditur legem facit dominam, & auctoritate polentem. Qui verò putat illam esse dominam, eamque ex maiore parte transgreditur, ex minore seruans, semetipsum subiicit execrationi. Qui verò seipsum submittit execrationi, libertatem quæ est in fide repellens, quomodo potest esse saluus? Nam si dicere fas est quiddam incredibile, hic neque Christo, neque legi fidit, sed in medio consistit, & hinc & illinc volens lucrum facere, eoque nec hinc nec illinc lucrū accipiet. Deinde postquam dixisset quòd nihil esset illis profuturus Christus, tectè ac paucis probationem adfert, ita loquens: *Testificor autem omni homini qui circumceditur, quòd debitor est totius legis implende.* Etenim ne putares hæc inimicè dici: Non vobis, inquit, solum dico, sed cuius homini, quisquis circumceditur, quòd debitor est totius legis implendæ. Legis enim præcepta inter se coherent. Et qui ex libero descriptus est in seruitutem, non amplius facit quæ vult, sed omnibus seruitutis legibus obstrictus est. Itidem accidit in lege, ubi pusillam aliquam legis partem receperis, tæque ipsum iugo submisseris, totum illius dominatum tibi accersisti. Idem sit in hæreditate mundana. Qui nihil attigit, ab omnibus liberatus est negotiis quæ sequuntur defuncti hæreditatem. Quòd si paulum aliquid attigerit, etiam si non acceperit omnia, omnibus tamen sese obstrinxit, qui partem attigit. Idem accidit in lege, non ob hunc tantum quem dixi modum, verum etiam ob alium quendam. Legis enim partes inuicem coherent. Circumcisio, vt exempli causa dicam aliquid, immolationem pecudum habet annexam, ac dierum obseruationem: immolatio rursus tum diei tum loci obseruationem habet annexam: locus innumerabiles purgationum ritus: purificationes examen quoddam obseruationum secum adferunt variarum. Non enim fas est impurum sacrificare, non sacra ingredi adyta, denique non aliquid quicquam eiusmodi rerum agere. Quapropter per vnicum præceptum multa lex attrahit. Itaque si circumcidaris, nisi circumcidaris octauo die: aut quum octauo quidem, sed non offertur sacrificium: aut quum sacrificium quidem offertur, sed non in loco præfinito: aut si in loco præfinito, non iuxta legis præscripta: aut si iuxta legis præscripta, sed non purus: aut si purus, non conueniente ritu purificatus, cuncta illa perent. Proinde dicit: *Debitor est totius legis implende.* Quòd si lex habet auctoritatem, noli partem implere, sed totam. Si non habet auctoritatem, ne partem quidem seruare velis. *Euacuati estis à Christo, quicumque in lege insistamini: à gratia excidistis.* Posteaquam argumentis rem probauit, deinceps pronunciat, eosque suspendit in extremo discrimine. Quum enim is qui decurrit ad legem, nec hinc possit salutem consequi, & à gratia exciderit, nihil superest nisi supplicium indeprecatibile; dum illa caret vigore, hæc non admittit hominem. Posteaquã igitur illis hoc pacto metum exaggerauit, ac mentem illorum perturbauit, posteaquam ostendit totum naufragium quod perperuri sunt, è propinquo patefacit illis

Gen. 12.

Est. 14. & Luc. 23.

CAP. V.

Suprà.

cit illis gratiæ portum, id quod vbi que facit, facillimam simul & tutissimam demonstrans illinc esse salutem. Eoque subdit dicens: *Nos autem per fidem in spiritu, iustitiæ spem accepimus.* Nihil, inquit, opus habemus illis legalibus. Sufficit enim fides ad hoc, vt donet nobis spiritum, & per hunc iustitiam, multaque insuper & magna bona. *In Christo enim Iesu neque circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur.* Vides vt eos iam maiore cum libertate aggreditur? Qui Christum induit, ne post, inquit, talium sit curiosus. At qui dixerat, noxiam esse circumcisionem, quomodo igitur eam facit indifferentem? In his hoc facit, qui iam ante fidem eam habuerant, non in his qui post fidem circumcidebantur. Vide verò quòd illam deiecerit, collocans eam cum præputio. Quod enim eorum facit discrimen, fides est. Quemadmodum igitur si qui athletas deligit, siue naso adunco, siue fimo, siue nigros, siue candidos eligat, nihil refert ad probationem, sed illud vnum spectandum est, vt validi doctique sint: ita qui adscribendus est in nouum testamentum, huic nihil nocent hæc omnia corporalia, si absint, quemadmodum neque iuuant si adsint. Quid autem est, *Quæ per dilectionem operatur?* Hic illis ingentem infixit plagam, significans hanc subreptionem inde natam, quòd charitas erga Christum in eis non egerit radices. Non enim credere solum est quod quæritur, verum etiam in charitate perseuerandum est, ac si dixisset: Si dilexissetis Christum, sicut oportuit, nequaquam confugissetis ad seruitutem: nequaquam cum qui vos redemit, deseruissetis: nequaquam contumelia affecissetis eum qui vos in libertatem afferuit. Tectè verò notat & illos qui Galatis insidiabantur, significans quòd si illi quoque charitatem habuissent erga Galatas, nequaquam ista facere sustinuissent. Vult autem hoc verbo vitam illorum corrigere: *Currebatis bene, quis vos impediuit?* Non hoc interrogantis est, sed deplorantis & anxij. Quomodo tantus curus interruptus est? Quis est qui tantum potuit? Qui omnibus quidem superiores, & in magistrorum eratis ordine, ne in discipulorum quidem classe mansistis. Quid accidit? quis tantum valuit? Hæc potius sunt exclamantis ac lamentantis, sicut & antea dicebat, *Quis vos fascinauit?* *Persuasio non est ex eo qui vocauit vos.* Non in hoc vos vocauit, qui vocauit vt ad istum vacillaretis modum. Non hanc legem vobis præscripsit, vt iudaizaretis. Deinde ne quis dicret, *Quid rem verbis attollis, & oratione reddis atrocem? vnicum tantum legis præceptum seruauius, & tantos cives tumultus?* Vide quomodo terrorem illis incutit, non ex præsentibus, sed ex futuris, loquens hunc in modum: *Exiguum fermentum totam massam corrumpit.* Sic & vos, inquit, hoc exiguum malum si nõ corrigatur, poterit in perfectum Iudaismum pertrahere, sicut fermentum consersionem. *Ego confido de vobis in Christo, quòd nihil aliud sentietis.* Non dixit, non sentitis: sed, non sentietis, hoc est, corrigemini. Vnde hoc nosti? Non dixit, scio: sed, confido. Confido, inquit, Deo, & illius opem inuoco t̄ ad vestri correctionem. Confido. Nec simpliciter dixit, confido de vobis, sed adiecit, in Christo. Vbi que enim laudem miscet accusationi. Quasi dixisset, *Noui meos discipulos, noui quàm sitis correctu faciles.* Confido partim ob Christum, qui non patitur quilibet etiam perire, partim propter vos, qui facile potestis reuocare vos ipsos. Simul autem & adhortatur, vt ipsi etiam studium adhibeant: tanquam non possint à Deo consequi, nisi pariter quod in ipsis situm erat, adhiberent. *Qui autem conturbat vos, portabit iudicium suum, quisquis fuerit.* Vtrinque delinit illos, tum ex eo quòd illis addidit fiduciam, tum ex eo quòd pseudoapostolos execratur, aut potius prædicat illis euentu-

rum supplicium. Tu verò iam illud mihi contemplator, vt nequaquam nomen edidit insidiantium, ne fierent impudentiores. Quod autem dicit, illud est: *Non quia vos nihil aliud sentietis, eò seductionis authores liberati sunt à supplicio, sed dabunt pœnas.* Non enim par est, vt aliorum probitas aliorum malitiam subleuet. Hoc autem facit, ne & alios rursus inuadant. Nec simpliciter dixit qui conturbat, sed exaggerauit sermonem, dicens: *quisquis fuerit. Ego autem fratres, si circumcisionem adhuc prædico, quid etiamnum persecutionem patior?* Quoniã traducebatur apostolus hoc nomine, quòd vbi que Iudaizaret, fideque prædicaret: vide quàm pure semet explicet à suspitione, ipsos appellans testes. Nam vos quoque scitis, inquit, istam fuisse persecutionem meam causam, quòd à lege iubeo desciscere. Itaque si circumcisionem prædico, cur persecutionem patior? Neque enim aliud crimen mihi possunt intendere qui ex Iudæis sunt, præterquam hoc solum. Nam si concessissem vt seruat maioribus ritibus crederent, haudquaquam mihi fuissent insidiati, nec ij qui crediderunt, nec ij qui non crediderunt: quum nihil ex ipsorum institutis labefactaretur. Quid igitur? An non prædicauit circumcisionem? An non circumcidit Timotheum? Circumcidit quidem, at non prædicauit. Quid igitur est quod hinc dicit? *Disce eius exactam in dicendo circumspeditionem.* Non dixit, non facio circumcisionem, sed non prædico: hoc est, non ita iubeo credere. Etenim ne hinc caperes dogmatum confirmationem, circumcidi quidem, sed non prædicauit circumcisionem. *Ergo euacuatum est scandalum crucis.* Hoc est, obstaculum impedimentumque sublatum est, si verum est quod dicitis. Neque enim perinde crux erat offendiculo Iudæis, vt quòd non pareremus patriis legibus. Etenim quum Stephanum perduxissent in consilium, non dixerunt, *Hic est qui crucifixum adorat: sed loquitur, inquit, contra legem & locum sanctum.* Idem crimen Christo impeggerat, quòd legem solueret. Propterea Paulus ait: *Si concessa est circumcisio, soluta est quam habent aduersum nos contentio: nulla iam inimicitia manet aduersum crucem & prædicationem.* Quòd si quotidie eadem exercent contra nos, quomodo hoc intèdunt nobis crimen? Me quidem propter hoc adorti sunt, quòd incircuncisum induxissim in templum. An igitur adeò stultus sum, inquit, vt quum permiserim circumcisionem, frustra & incassum tantum in me receperim mali, vt tantum offendiculum ponerem cruci? Videtis enim, quòd nullam ob causam æquè nobis sunt hostes, atque ob circumcisionem. Num igitur adeò vecors eram, vt pro re nihili & ipse affligeret, & aliis essem offendiculo? Porro crucis offendiculum vocauit, eò quòd etiam sermo crucis hoc imperabat, idque potissimum erat quod offendebat Iudæos, & vetabat ne crucem reciperent, videlicet quòd iuberetur à maioribus institutis discedere. *Vtinam & concidantur, qui vos conturbant.* Vide quàm hic est amarulentus in eos qui Galatas seduxerant. In initio torquebat accusationem in seductos, semel atque iterum eos appellans stultos: verum vbi illos rectè castigauit corripitque, deinceps in seductores fertur. Oportet autem nos & hanc apostoli sapientiam perspicere, quomodo hos tanquam proprios filios, & tanquam correctionis capaces admonet, & ad mentem reuocat: eos verò qui seduxerant, velut alienos & insanabili morbo laborantes refecat, partim quum ita dicit, *Portabit iudicium suum quisquis fuerit: partim quum imprecans ait, Vtinam & abscondantur, qui vos conturbant.* *Ac rectè dixit uacat vobis, hoc est statu mouent.* Complerant enim eos, vt propria patria, vt libertate, vt cœlesti cognatione relicta, alienam ac peregrinam persequerentur.

quomodo ipse Christus nihil est profuturus

Act. 16.

Ibid. 6.

Ioan. 5.

Suprà 3.

de vestri correctio ne bene sperans.

Suprà 3.

rentur, vt iam ab illa superna liberâque Hierosolyma exules, cogantur veluti captiui, solùmque vertere iussi, incertis vagari sedibus. Quapropter illis imprecatur. **Quod autem dicit, hoc est:** Nulla est mihi cura de illis. **Hæreticum enim,** inquit, hominem post vnam & alteram admonitionem deuota. Si volunt, non solùm circuncidantur, verùm etiam excutantur. Vbi nunc sunt, qui seipfos audent euirare, simul & apostolicam imprecationem sibi accersentes, & Dei opificium accusantes, & à Manichæis stantes? Nam illi quidem aiunt, corpus infidiosum esse, malèque materiè, hi verò factis suis, crudelibus illis opinionibus præbent ansam, dum membrum amputant velut infidians & inimicum. Itaque multò magis oportebat excæcare oculos, per oculos enim in animam descendit concupiscentia. Verùm nec oculus, nec vllum aliud membrum est in culpa, sed sola praua animi inductio. Quòd si non sustines, cur non & linguam ob blasphemias, cur non & manus ob rapinas, cur non & pedes ad malitiam currentes, denique cur non totum refecas corpus? Nam & aures delinunt tibia, frequenter effœminarunt animam: & nares accepto suauis odore imposuerunt menti, & ad voluptatem lympharunt. Itaque circuncidamus omnia, & aures, & manus, & nares. Verùm hæc extremæ sunt impietatis, ac satanicæ consilij. Tantùm oportet corrigere in cõditum mentis impetum. Isti verò sua refecant membra. Ita malus dæmon perinde quasi errauerit opifex, persuasit vt instrumenta perderent, semper gaudens cædibus. Qui fit igitur, dicit aliquis, vt saginato corpore efferuescat concupiscentia? Quoniam hoc ipsum rursus est animi delictum. Nam saginare carnem, nõ est carnis, sed animi. Nam si vellet extenuare, habet idem omnem potestatem. At tu perinde facis, quasi si quis videns aliquem accedentem ignem, ac lignis impositis domum incendere, omisso eo qui fecit incendium, flammam accuset, quæ correptis multis lignis in altum se sustulerit. Atqui culpa non est ignis, sed eius qui ignem accendit. Hic enim ad parandos cibos, ad præbendam lucem, adque alia id genus ministeria datus est, non ad conflagrationem ædium. Quemadmodum & concupiscentia ad liberorum procreationem vitæque conseruationem data est, non ad adulterium, scortationes ac lasciuas: vt pater fieres, non vt adulter: vt legitimè verferis cum vxore, non vt contra fas eam corrupas: vt relinquant tuum semen, nõ vt alienum vities. Siquidem adulterium non est naturalis appetitus, sed contumeliæ præter naturam. Siquidem appetitus ille tantùm desiderat mixturam, non talem mixturam. Hæc autem mihi non temerè dicta nunc sunt, sed præludimus ad disputationem quædam ac ceu velitatur in eos qui dicunt Dei opificium esse malum: omissa animæ fœcordia aduersus corpus infanientes, carnemque nostram calumniantes, de quibus & Paulus deinceps disserit, non carnem inculans, sed diabolicas cogitationes. *Vos autem fratres in libertate vocati estis, tantùm ne libertatem in occasionem carni.* Hic iam videtur exspatiari in sermonem moralem. Accidit autem illi quiddam nouum, quòdque in nulla cæterarum epistolarum accidit. Quum enim omnes in duas partes solitus sit partiri, sic vt primùm de dogmatibus, in fine de moribus disserat: hunc posteaquam incidit in sermonem de moribus, rursus admiscet disputationem de dogmatibus. Nam hic sermo vicissim hæret illi, illi inquam qui pugnat aduersus Manichæos. Sed quid est, Tantùm ne libertatem in occasionem carni? Liberavit, inquit, nos Christus à iugo seruitutis, liberum nobis esse voluit facere quicquid volumus, non vt hac potestate ad malitiam abutamur, sed vt ad maioris præmij sumamus occasionem, ad altiorè philosophiam progres-

si. Posteaquam enim passim legem appellat iugum seruitutis, & de gratia quæ liberat ab execratione meminit: ne quis suspicaretur ipsum ideo reuocare homines à lege, quòd liceret ex legem agere vitam, corrigit eam suspicionem, dicens, Non vt illegitima fiat vitæ ratio, sed vt legem transcendat philosophia. Soluta sunt enim legis vincula: atque idem ego dico, non vt deiciamur, sed vt erigamur ad altiora. Etenim tam is qui scortatur, quàm is qui in virginitate perseuerat, legis terminos excessit: verùm non eodem modo, sed hic quidem in deteriora prolapsus, ille verò ad meliora prouectus, sic vt alter prætergressus sit legem, alter supergressus. Hoc itaque dicit Paulus, Christus iugum vobis relaxauit, non vt exiliatis, aut calcitretis, sed vt absque iugo compositè incedatis. Post hæc ostendit modum, quo hæc facillè queant corrigi. Quis igitur modus? *Per charitatem,* inquit, *inuicem vobis seruite.* Rursus hic subindicat ambitionem, seditionem, dominandi studium, & insolentiam huius erroris illis fuisse causam, quippe hæreson mater est principatus cupiditas. Etenim quum dicit, *Seruite vobis inuicem,* ostendit hoc mali ex arrogantia fastuque cepisse exordium. Eoque malo respondens admoet remedium: Quoniam, inquit, dum alius alij vultis dominari, disiecti fuistis, seruite vobis inuicem: sic enim denuo in vnum redigemini. At peccatum quidem non explicat apertè, sed apertè refert emendationis modum, vt hinc etiam illud cognoscerent, perinde ac si quis lasciuienti non dicat quidem quòd lasciuat, tamen frequenter horretur ad pudicitiam. Nam qui proximum sicut oportet diligit, non grauat illi seruire submissus quàm quisquam seruus, quemadmodum enim ignis ad motus ceræ, facillè mollit eam: sic & amoris calor omnem fastum & arrogantiam vehementiùs quàm ignis soluit. Eoque non simpliciter dixit, *Diligite inuicem,* sed *seruite inuicem ac vehementem declarans amicitiam.* Etenim quum legis iugum detraxisset, ne subsilirent, aliud illis imponit iugum, nimirum charitatis, illo quidem validius, sed multò leuius, ac iucundius. Deinde quid boni præstet charitas, ostendit dicens: *Tota enim lex in vno verbo impletur, videlicet in hoc, Diliges proximum tuum vt teipsum.* Quoniam legem sùsque deque versauit, si vis, inquit, illam implere, ne circuncidaris, non enim circuncisione, sed dilectione impletur. Vide vt doloris sui non obliuiscitur, sed id quod dolet, identidem attingit, etiam ingressus moralein tractationem. *Quòd si inuicem morderis & comeditis, videte ne à vobis inuicem consumamini.* Non pronuntiat, ne grauet illos, nouerat tamen id fieri: verùm hoc ambigè profert. Non enim dixit, quoniam vos inuicem morderis, & quod sequitur consumili modo. nec enim illic rursus pronuntiat, sed obumbrat ac dicit, *Ne à vobis inuicem consumamini.* qui sermo est meruentis & consulèris vt caueant, non condemnantis. Ac dictionibus significaribus est vsus. Non enim tantùm dixit, morderis, quod sanè est commoti: sed addidit & *comeditis,* quod est in malitia perseuerantis. Nam qui mordet quod appetebat, iram expleuit: cæterum qui deuorat, extremæ feritatis & immanitatis specimen dedit. Morsus autem ac *deuorationes* non corporales dicit, sed eas quæ sunt his multò crudeliores. Non enim qui carnem gustauit humanam, tantum mali dedit, quantum is qui morsum fixit in animam. Siquidem quantò corpore præstantior est anima, tantò grauius est hanc læsisse. *Videte,* inquit, *ne à vobis inuicem consumamini.* Quoniam qui lædunt & insidiantur velut alios consumpturi, hoc animo veniunt: ideo dicit, *Videte ne res in vos reuoluatur.* Nam seditio & contentio corruptionem & consumptionem adfert, tum iis qui recipiunt ea, tum iis qui inuehunt, ac magis intus cor-

Tit. 3.

rumpit omnia quàm tinca. *Dico autem, spiritu ambulate, & concupiscentiam carnis non perficietis.* Ecce alteram indicat viam, quæ virtutem reddit facilem, ac præstat ea quæ dicta sunt, viam quæ gignit charitatem, quæque stricta redditur à charitate. Nihil enim, nihil inquam sic charitatem inserit nobis, vt si simus spirituales, nec alia res æque persuadet spiritui, vt apud nos maneat, atque vis charitatis. eoque dicit: *Spiritu ambulate, & carnis concupiscentiam non perficietis.* Quoniam expresserat, quæ res gigneret morbum, & remedium aperit quod adfert sanitatem. Quod autem est illud? Non aliud, quàm viuere spiritu. Vbi verò dixerat, *spiritu ambulate,* & carnis concupiscentiam non perficietis, subiicit: *Caro enim concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non quæcumque volueritis, ea faciatis.* Hic quidam adoriuntur nos dicentes, quòd Apostolus hominem in duo disseuerit, inducens eum velut ex contrariis naturis compositum, dum ostendit pugnam esse corpori aduersus animam. Verùm hæc non ita se habent, non ita se habent inquam. Neque enim hic carnem appellat corpus. Alioqui si hoc sentiret, quomodo consentaneum sit quod mox dicitur, *Concupiscit enim inquam, aduersus spiritum?* Atqui corpus non est de eorum numero quæ mouent, sed quæ mouentur: non de eorum numero quæ agunt, sed de eorum quæ aguntur. Quomodo igitur concupiscit, quandoquidem concupiscentia non carnis est, sed animi? Siquidem alibi dicit, *Concupiscit anima mea.* Et, *Quid desiderat anima tua? & faciam tibi.* Et, ne ambulantes iuxta desiderium animæ tuæ. Ac rursus, *Sic desiderat anima mea.* Quomodo igitur Paulus dicit, *Caro concupiscit aduersus spiritum?* Solet appellare carnem, non corporis naturam, sed prauam voluntatem: veluti quum dicit, *Vos non estis in carne, sed in spiritu.* Et rursus, *Qui verò in carne sunt, Deo placere non possunt.* Quid igitur? Tollenda est caro? Ipse verò qui hæc dicebat, an non carne circumdatus erat? Non carnis sunt ista, sed diaboli dogmata. Ille enim homicida erat ab initio. Quid igitur dicit? Carnem hic appellat cogitationem terrestrem, fœcordem & incogitantem. Hæc enim non corporis est accusatio, sed animæ negligentis crimen: siquidem huius instrumentum est caro. Instrumentum autem nullus auerfatur oditve, sed eum potius qui organum malè tractat. Neque enim ferrum, sed homicidam & odimus & punimus. Atqui dixerit aliquis, hoc ipsum est accusare corpus, animi peccata carnis appellare vocabulo. Ego verò fateor quidem carnem animam inferiorem esse, sed hanc quoque pulchram esse. Non enim quod pulchro inferius est, statim malum est, sed ipsum quoque bonum. Malum autem non est minus bono, sed contrarium. At tu si demonstrare potes malitiam è corpore proficisci, accusa carnem. Quòd si ex appellatione conaris struere calumniam, tempus tibi est vt simul accuses & animam: quandoquidem & animalis homo dicitur, qui veritate priuatus est. Et spiritus malitiæ dicuntur dæmonum multitudo. Rursus carnis vocabulo scriptura solet appellare mysteria, totamque ecclesiam, dicens eam Christi esse corpus. Quòd si vis etiam officia cernere quæ per carnem præstantur, hinc considera. Imaginare sensus extinctos esse, & videbis animam omni cognitione destitutam, neque quicquam eorum quæ nunc nouit, nosse. Etenim si potentia Dei dum ex opificio mundi per res conditas intelligitur, conspiciatur, quomodo videre poterimus absque oculis? Quòd si & fides ex auditu est, quomodo sine auribus audiemus? Prædicare verò & circumcurfare, linguæ pedumque constat adminiculo. Quomodo enim, inquit, prædicabunt, nisi mittantur? Et

scribendi munus peragitur manibus. Vides vt innumerabilium causa bonorum est carnis ministerium? Cæterum quum dicit, *Caro concupiscit aduersus spiritum,* de duplici loquitur cognitione, quarum altera alteri aduersatur, videlicet virtutis & malitiæ, non anima & corpus. Nam si hæc sibi inuicem aduersarentur, se ipsa tollerent, non aliter quàm ignem aqua, tenebræ lucem. Sin corporis curam agit anima, multaque sollicitudine illi prospicit, innumeræque patitur ne deserat illud, quum vi abrumpitur, obstitit, ac vicissim corpus animæ subferuit, [multarumque rerum ipsi cognitionem adfert] & ad illius operationem compositum est: quæ possunt hæc esse contraria, & inter sese pugnantia? Nam ego non solùm non contraria, verùm etiam magnopere concordia, seque vicissim tuentia conspicio ex ipsis factis. Non igitur de his loquitur, quòd si inuicem aduersantur, sed malarum ac bonarum cogitationum pugnam proponit. Velle enim & non velle animæ est. Ideo dicit, *Hæc autem aduersantur, ne fineres animam pergere in suis prauis affectibus.* Siquidem hæc loquutus est apostolus ceu pædagogus quispiam ac præceptor terrorem incutiens. *Quòd si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Quænam est hæc consequentia? Maxima quidem & euidentis. Etenim qui spiritum, vt oportet, habet: per hunc extinguit omnem prauam concupiscentiam. Porro qui liberatus est ab his, non eget legis auxilio, sed multò factus est præceptis illis sublimior. Nam qui non irascitur, quid opus habet vt audiat, non occides? Qui non intuetur intemperantibus oculis, quid opus habet eo qui doceat non esse mœchandum? Quis enim illi verba facit de fructu malitiæ, qui radicem malitiæ iam euulsit? Radix enim homicidij, ira: & adulterij radix, curiosus oculorum obtutus. Eapropter dicit: *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Hic autem mihi videtur magnas etiam & admirandas legis laudes retulisse. Quas illas? Quamquam, inquit, lex erat loco spiritus, iuxta suas vires, priusquam spiritus adueniret, non tamen ob id oportet manere in pædagogo. Tum quidem meritiò sub lege eramus, vt metu castigarem concupiscentias, nondum prodito spiritu. Nunc verò posteaquam venit gratia, quæ non solùm iubet ab illis abstinere, verùm & ad altiora prouehit, & ad perfectiorè vitæ rationem adducit, quid opus est lege? Etenim qui ex sese suo fungitur officio, huic quid opus pædagogo? Neque enim qui philosophus est, opus habet Grammatico. Quæ igitur vos ipsos redditis viliores? Quum prius vos exhibueritis spiritui, nunc assidetis legi. *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt, scortatio, adulterium, immundities, lasciuia, veneficium, simulachrorum cultus, inimicitia, contentio, emulationes, ira, concertationes, seditiones, hæreses, inuidia, cædes, ebrietates, comestiones, & his similia, quæ prædico vobis, quemadmodum & prædixi, quòd qui talia faciunt, non erunt hæredes regni Dei.* Hic iam mihi dicito tu qui carnis accusator es, & arbitraris hæc ob simultatem & discordiam esse dicta: Sit adulterium, & scortatio carnis, iuxta vestram opinionem: inimicitia, contentio, emulationes, concertationes, hæreses, & veneficia, cuius crunt? Nam hæc tantummodo sunt corruptæ voluntatis, nimirum vt cætera: quo modo igitur erunt carnis? Vides igitur, quòd hic non loquitur de carne, sed de terrestri cogitatione quæ humi serpit, eoque terrorem ingerit, dicens, *Qui talia faciunt, regni Dei non erunt hæredes.* Quòd si hæc essent naturæ malæ, non voluntatis prauæ, superfluè dixisset, faciunt: sed, patiuntur. Huius autem rei gratia etiam exulant à regno cœlorum. Neque enim ad ea quæ sunt naturæ, sed ad ea quæ sunt voluntatis, pertinent vel coronæ vel supplicia. Quapropter etiam hæc minatur Paulus: *Fructus autem spiritus, charitas, gaudium,*

Phil. 3. & 118. Ibid. 41.

Rom. 8. Ibidem.

Ioan. 3.

Leuit. & Mat. 11.

* morderis, id est comeditis, deuoratis, de consumamini, id est consumpturi.

Coloss. 1.

Rom. 10.

Ibidem.

diuina pax. Non dixit, opus spiritus: sed, fructus. Num igitur anima superuacanea est? Nam si de carne & spiritu verba fiunt, ubi anima? Num de inanimis loquitur? Siquidem ubi quæ mala sunt, carnis sunt: quæ bona spiritus: superuacanea est anima. Nequaquam. Nam huius est temperatura affectuum, & ad hanc pertinent. Ipsa in medio sita inter virtutem & vitium, si ad id quod oportet vitur corpore, reddit illud spirituale: sin recedit à spiritu, si seipsam præbet malis cupiditatibus, reddit illud magis terrenum. Vides eum non loqui de substantia carnis, sed de mala & bona voluntate. Quir autem vocat fructum spiritus? Quoniam mala opera ex nobis solis oriuntur, vnde & opera vocat. Bona vero non tantum eget nostra cura, verum etiam opus habent diuina benignitate. Igitur hæc disserturus prius radicem bonorum proponit, ita dicens: *Charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia, aduersus huiusmodi non est lex.* Quid enim aliquis præcipiat illi qui omnia in se habeat, etiam perfectam philosophiæ magistratam charitatem? Quemadmodum enim equi fræno morigeri, omniæque ex sese facientes, non opus habent scutica: sic & anima quæ impulsu spiritus recta facit, non eget admonitrice lege. Cæterum hic quoque legem valde mirabiliter deiecit, non vt malam, sed vt inferiorem philosophia, quam dat spiritus. *Qui vero sunt Christi, carnem crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Etenim ne dicerent, & quis est istiusmodi? ex factis ostendit qui sint qui talia præstant, rursus hic carnem appellans malefacta. Non enim sanè carnem sustulerant, alioqui quomodo viuerent? Nam quod crucifixum est, mortuum est & inefficax. Sed perfectam indicat philosophiam. Siquidem concupiscentiæ quauis obturbant, incassum rabiunt. Quoniam igitur tanta vis est spiritus, illi viuamus, illo contenti simus. Et hoc declarans subdit: *Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus.* Hoc est, contenti simus spiritu vi, neque requiramus legis accessionem. Mox ostendens eos qui circuncisionem inducebant, id ambitionis gratia facere, ait: *Ne efficiamur inanis gloriæ cupidi, quæ est causa omnium malorum, nos inuicem prouocantes.* Hoc in contetiones & concertationes dictum est. *Inuicem inuidentes.* Siquidem ex inanis gloriæ studio nascitur inuidia, rursus ex inuidia hæc innumera mala. *Fratres etiam si præuentus fuerit homo.* Quoniam increpationis prætextu vleiscebantur suas cupiditates, videbanturque id facere propter delicta corrigenda, quum re vera studerent suam dominandi cupiditatem stabilire, ait: *Fratres si etiam præuentus fuerit. Non dicit si fecerit: sed si præuentus fuerit, hoc est, si abreptus. Vos qui spirituales estis, inflaurate talem.* Non dixit, punite, aut condemnate: sed, instaurate, hoc est, corrigite. Ne hic quidem constitit, verum vt ostenderet eos vehemèter mites esse oportere erga eos qui supplantentur, ita subiecit: *In spiritu mansuetudinis.* Non dixit, in mansuetudine: sed, in spiritu mansuetudinis, declarans hæc etiam spiritui placere, quippe quum hoc ipsum posse cum humanitate corrigere peccantes, doni sit spiritualis. deinde ne qui corrigit alterum, efferatur animo, & ipsum eidem timori subiecit, ita loquens: *Considerans teipsum, ne & tu tenteris.* Quemadmodum enim diuites sportulas mittunt egentibus, quò si quado & ipsi in egestatem inciderint, eadem ab aliis consequantur: sic & nobis est faciendum. Quapropter & causam necessariam memorat, ita loquens: *Considerans teipsum, ne & tu tenteris.* Simul excusat eum qui peccauit: primum ita dicens: *Quauis præuentus fuerit. Deinde vox illa multam declarat infirmitatem, dum vsurpat pronomen, tu, ita loquens, ne & tu tenteris. Quod igitur dicit, tale est: Corrige fratrem si præ-*

ipsam magis terrenam. Nota contra Pelagianos.

CAP. VI.

uentus fuerit, sed cum mansuetudine, demonis incurfionem accusans magis quam animi negligentiam. *Alij aliorum onera inuicem portate.* Quoniam fieri non potest, vt homo viuat absque defectu, admonet ne rigidi sint expensores alienorum delictorum, sed tolerent etiam proximorum defectus, vt & ipsorum delicta tolerentur ab aliis. Sicut enim in structura domus non omnes lapides eundem habent locum, sed hic quidem in angulum est accommodus, ad fundamenta non item: ille contra, ad fundamenta commodus est, non item ad angulum: itidem sanè est in corpore, quod est ecclesia. Quin & in nostra carne licet idem cernere, attamen aliud membrum ab alio toleratur, nec ab omnibus omnia requirimus. Nam ex communi facta collectio, & corpus, & ædificium constituit. *Et sic adimplete legem Christi.* Non dixit *πληρώσατε*, id est, implete: sed *ἀναπληρώσατε*, hoc est, simul omnes implete, vos inuicem ferendo. Velut ille est iracundus, tu somnolentus. Tolerata igitur illius acrem impetum, vt vicissim ille tuam ferat legnitiam: Ita fiet, vt nec ille peccet, dum abs te toleratur: neque tu, dum in his in quibus molestus es, sustineris à fratre tuo. Ad hunc autem modum vobis inuicem, ubi lapsus imminet periculum, manum porrigentes, mutuis officiis implete legem, sic vt vnusquisque quod proximo deest, sua tolerantia suppleat. Porro nisi sic egeritis, sed quisque proximi vitam tendat excutere, nunquam inter vos fiet quicquam eorum que fieri decet. Vt enim in corpore si quis ab omnibus membris eundem postulet vsu, nunquam constiterit corpus: sic & inter fratres graue bellum erit, si ab omnibus omnia requirimus. *Etenim si quis videtur aliquid esse, quum nihil sit, seipsum decipit.* Hic rursus arrogantiam spectat. Qui sibi videtur esse aliquid, nihil est, primum suæ vilitatis argumentum edens, talem morum leuitatem. *Sed suum opus probet vnusquisque.* Hic ostendit quòd oportet nos vitæ nostræ expensores esse, nec leuiter, sed exacta cura probare quæ nobis gesta sunt: videlicet, fecisti boni quidpiam, cõsidera ne fortè propter inanem gloriam, ne propter necessitatem, ne in odium, ne per simulationem, ne ob aliam aliquam causam humanam. Sicut enim aurum videtur quidem esse splendidum priusquam mittatur in fornacem: verum ubi traditum fuerit igni, tum verò certò dignoscitur, eo quod adulterinum est, ab eo quod est syncerum, separato: Sic & nostra opera ubi diligenter examinaueris, tum euidenter reteguntur, videbimusque nos ipsos multis criminibus obnoxios esse. *Et tunc in seipso tantum gloriam habebit, & non in altero.* Hæc dicit non veluti legem præscribens vt fiat, sed illis obsecundans, perinde ac si dixisset, Absurdum quidem est gloriari: quòd si porro gloriari vis, ne glorieris aduersus proximum, vt ille Phariseus. *Lucif.* Nam qui hoc didicerit, is & ab illo facillè abstinabit. Quapropter etiam illud concessit, vt paulatim totum eximeret. Nam qui consuevit in seipso tantum habere gloriam, & non aduersus alios, statim & hunc defectum corrigit. Nam qui non existimat se cæteris meliorem, quandoquidem hoc est quod dicit, non in alterum, sed semetipsum apud sese examinat, etiam si gloriatur, desinet tamen id facere in posterum. Atque vt intelligas eum hoc velle docere, vide vt illum metu cohibet, superius dicendo: *Probet suum opus: hic addendo, vnusquisque enim suum onus portabit.* Videtur quidem proponere rationem quæ vetat gloriari aduersus alium, sed corrigit gloriantem, ne sibi placeat, reuocans illum ad propriorum delictorum considerationem, dum onus nominat, & sarcinæ gestationis meminit, premens illius conscientiam. *Communicet autem is qui instituitur sermone, et qui instituit in omnibus bonis.* Hic iam de doctoribus

1. Cor. 9. Num. 31. & 35. * presbiterus in odium & charitatis fundamētum. Quoniam enim e-

Deut. 8. Plal. 77.

* eorum quæ probata esse videntur.

1. Cor. 9.

Lucif.

bus loquitur. vult enim illos diligenter curari ab his quos instituunt. Et quamobrem Christus hoc ita præscripsit? (nam in nouo testamento lex hæc posita est, vt qui euangelium prædicant, ex euangelio viuant) & in veteri similiter multi prouentus erant Leuitis è subditis. Cuius igitur gratia sic hæc cõstituit, sed prius substrato modestiæ & charitatis fundamento? Quoniam etiam] doctoralis autoritas frequenter inflat ea præditos, cohibens doctoris spiritum, constituit illum in hac necessitate, vt opus habeat discipulis: & his rursus præbet occasionem, vt faciliores reddantur ad beneuolentiam, exercens eos per beneuolentiam erga doctores, vt & erga cæteros sint mansuetiores, quæ res non mediocrem charitatem excitauit in vtraque parte. Alioqui nisi hoc effet quod dixi, quam ob causam Deus, qui ingratos Iudæos manna aluit, Apostolos in mendicorum deiecit necessitatem? An non perspicuum est, quòd hinc magna pararet bona, modestiam & charitatem? Et ne puderet discipulos, sed subditos esse probro obnoxios.] Probrum enim esse videtur, petere. At iam non videbatur, quum idem palam omnique cum libertate facerent doctores. Itaque non mediocrem fructum & hinc tulere discipuli, dum per hæc docentur gloriam omnem despiciere. Idcirco dicit: *Communicet autem qui instituitur in sermone, ei qui instituit, in omnibus bonis.* Hoc est, omnem in illum exhibeat liberalitatem. Hoc enim innuens, dicebat in omnibus bonis. Nihil, inquit, discipuli proprium est, sed omnia communia, quippe qui maiora quam dat accipit, atque hoc maiora, quòd præstabiliora sunt cœlestia terrenis. Quod & alibi significas, ait: *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos vestra carnalia metamus? Eòque negotium hoc appellat communicationem, indicas fieri repensationem. Ex hoc verò charitas quoque redditur feruentior, multoque firmior. Itaque si doctor querit quod naturæ satis est, nihilo minus accipiens manet in sua dignitate: quandoquidem & hoc laudi dandum est, doctorem sic assiduam esse ministerio sermonis, vt cæteris egeat, altissimæque labore inopia, contemnens omnia quæ ad victus necessitatem pertinent. Quòd si modum transgressus fuerit, corruptum suam dignitatem, non eò quòd accipit, sed quòd præter modum. Post hæc ne doctoris improba vita segniores ad hæc redderet discipulum, eumque pauperem frequenter prætercurreret ob mores malos, pergit ac dicit: *Bonum autem facientes non defatigemur.* Hic ostendit discrimen ambitionis huiusmodi, & eius qui incumbit rebus temporariis, ita dicens: *Ne erretis, Deus non irridetur, quicquid enim seminauerit homo, hoc & metet. Nam qui seminat in carne sua, ex carne sua metet corruptionem. Qui vero seminat in spiritu, è spiritu metet vitam æternam.* Quemadmodum enim in semente, qui seminat, non potest ex hordeo metere triticum, eò quòd oporteat & sementem & messem eiusdem esse generis: sic & in operibus. Qui in carne deposuerit delicias, temulentiam, concupiscentiam absurdam, quæ hinc proueniunt, metet. Quæ autem sunt ista? supplicium, vltio, probrum, risus, corruptio. Siquidem mensarum sumptuosarum & condimentorum nullus alius prouentus est quam corruptio. Nam simul & ipsa corrumpuntur, & corrumpunt corpus. Quæ verò sunt spiritus, haud sunt eiusmodi, sed his omnibus omnino diuersa. Considera verò, seminasti eleemosynam, manent te thesauri cœlestes, gloriæque sempiterna. Seminasti pudicitiam, excipiet te honor & brabium, & ab angelis gratulationes, & ab agnotheta coronæ. *Bonum autem facientes ne defatigemur: tempore enim suo metemus non deficientes, ergo dum tempus habuimus, operemur quod bonum est in omnes, maxime verò erga domesticos fidei.**

Chrysof. tom. 4.

Ne quis arbitraretur, doctorum quidem habendam esse curam, eosque alendos, cæteros verò negligendos, ad generalitatem profert orationem, omnibusque patefacit ostium huius honoris ambiendi: tantæque vehementia id facit, vt in Iudæos etiam ac gentes, licet non eodem gradu, tamen eleemosynam conferre iubeat. Quis autem est ordo? Vt circa fideles maior habeatur sollicitudo: & quod in cæteris epistolis facere solet, hoc & hic facit, non modò loquens de danda eleemosyna, verum etiam de studiosè perpetuoque danda. Siquidem hæc voces, seminare, & non oportet defatigari, hoc innuunt. Ergo quoniã rem magnam exigebat, præmium quoque collocat in foribus, messis faciendo mentionem nouæ cuiusdam & admirabilis. Nam in agricultura non solum qui seminat, verum etiam qui metit multum sustinet laboris, cum squalore, cum puluere, cumque multa colluctans miseria. Tunc verò nihil, inquit, tale erit. Quod etiam explanans, dicit: *Tempore enim suo metemus non deficientes.* Et hinc quidem illos hortatur & allicit, ex altera verò parte vrget etiam, & compellit, dicens: *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* Quemadmodum non semper est in nostra potestate facere semetem, ita nec dare eleemosynam. Quum enim hinc fuerimus abducti, etiam si millies velimus, nihil effecerimus. Testes huius rei nobis sunt & virgines illæ, quæ quilibet promptam haberent voluntatem, tamen quoniã abierant non ferentes secum largam eleemosynam, exclusæ sunt à thalamo sponsi. Testis est & diues ille, qui Lazarum despexerat, qui quoniam hoc destitutus erat auxilio, & plorans & supplicans vehementer, nec à patriarcha, nec ab alio quopiã misericordiam impetrauit, sed citra veniam omnem mæsit in perpetuo flammæ cruciatu. Propterea dicit, dum tempus habemus, operemur bonum erga omnes, & hac ratione maxime subducit eos ab humilitate Iudaica. Nã illis omnia humanitatis officia erant erga cõtribules: at gratiæ philosophia, terrâ pariter & mare, ad beneficiæ mensam inuitat, quaquam erga domesticos copiosorem exhibet sollicitudinem. *Videlicet qualibus literis scripsi vobis manu mea. Quicunque voluit in carne placere, ij cogunt vos circuncidi.* Considera quantum dolor tenuerit illam beatam animam. Quemadmodum enim qui in luctum aliquem inciderunt, aut aliquem ex synceris amicis miserunt, aut alioqui malum aliquod subito obortum ferunt, neque noctu quietem agunt, neque interdium, luctu pectus illorum obdident: sic & beatus Paulus pauca loquens de moribus, denuò reuertitur ad superiora, quæ maxime discruciant ipsius animum, ita loquens: *Videte qualibus literis scripsi vobis manu mea.* Hic nihil aliud innuit, nisi quòd ipse totam scripserit epistolam: quod affectus mirè synceri erat argumentum. In cæteris enim epistolis subscribebat quidem ipse, cæterum alius scribebat, idque liquet ex ea quæ est ad Romanos epistola. Ibi siquidem sub calcem ait, Saluto vos ego tertius, qui scripsi epistolam. Hic verò totam ipse scripserat. Fecit autem hoc non temerè, sed admodum necessariò, non ob charitatem modò, verum etiam ad tollendam malam suspicionem. Quoniam enim traducebatur de iis factis, quibus affinis non erat, dicebaturque circuncisionem profiteri, dissimulans tamen quasi non profiteretur, ideo compulsus est epistolam suã manu scriptam mittere, deposito apud illos scripto testimonio. Quòd autè dixit, qualibus, mihi videtur non magnitudinem, sed deformitatem literarum significans hoc dicere. Nã propemodum illud dicit, quòd quum non nosset optimè scribere, tamen compulsus sit per seipsum scribere, vt calumniatoribus os obturaret. *Quicunque voluit placere in carne, hi cogunt vos circuncidi, tantum ne per crucem Christi*

Mait. 25.

Luc. 16.

Rom. vi.

sti persecutionem patientur. Neque enim qui circumciantur, ipsi legem seruant, sed volunt vos circumcidi, ut in vestra carne glorientur. Hic ostendit illos non sponte id facere, sed coactos pati, præbés illis occasionem redeundi, ac propemodum illos excusans, hortansque, ut citò resiliant. Quid autem est, placere in carne? Probari apud homines. Quoniã enim apud Iudæos probro dabatur, quòd à patriis consuetudinibus desciscerent: ne hoc, inquit, possit ipsis exprobari, volùt vos corrumpi, per vestram carnem illis satisfacturi. Hoc autem dicit, ut ostendat illos nequaquam propter Deum quæ faciebant facere. Perinde quasi dixisset: Quod sit, non innititur pietati: propter humanam ambitionem hæc omnia fiunt, ut placeant infidelibus, quòd fideles truncentur: & inducunt animum ut Deum offendant, modò placeant hominibus. Hoc enim est in carne placere. Post hæc ut ostendat & à diuerso eos esse prociui à venia, rursus illos redarguit, nò solum ob id, quòd aliis placere studerent, verùm etiam quòd suæ gloriæ causa hæc aliis præciperent. Eoque subiecit, *Vt in carne vestra gloriantur, tâquam qui discipulos habeant, sintque doctores.* Et vnde hæc probantur? *Non enim, inquit, ipsi legem seruant.* Maximè igitur etiam si seruassent, erant accusandi. Nunc & scopus illorum insyncerus est. *Mihi verò absti ut glorier, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi.* Attamen res videtur esse probrosa: verùm in mundo, & apud infideles. Cæterum in cœlis & apud fideles gloria est, & quidem maxima. Nam & paupertas probrosa est, sed nobis gloriosa. Item sperni apud vulgus ridiculum est, at nos eo gloriamur. Ita crux nobis est gloriandi materia. Nec verò dixit, ego non glorior, aut ego non volo gloriari, sed absti ut ego glorier, perinde quasi de re portentosa loquens abominatus est, & ad hoc præstandum diuinam opem implorauit. Et quid est quòd de cruce gloriatur? Quòd Christus mea causa formam serui accepit, & mea causa quæ passus est, pertulit: propter me inquam, qui seruus eram, qui inimicus, qui ingratus, sed sic me dilexit, ut seipsum exponeret. Quid huic possit æquiparari? Etenim si serui dum tantum laudantur ab heris, hisque eiusdem naturæ, vehementer sibi placent: an non gloriandum est, quum ille dominus, qui verus est Deus, non erubescit pro nobis crucem subire? Proinde ne nos quidem illius ineffabilis erga nos sollicitudinis pudeat. Illum non puduit tua causa crucifigi, & te pudet eius inenarrabilem profiteri dispensationem? Et interim perinde facis, ac si quis vinculis constrictus antè non erubescens de rege, postquam is astant ipsi in carcere vincula suis manibus detraxisset, ob hoc illius pudesceret. Verùm hæc extremæ fuerint dementia: ob hoc ipsum enim maximè gloriandum est. *Per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Mundum hîc appellat non cœlum, neque terram, sed res temporarias, laudem ex hominibus, famulitium, gloriam, opes. Hæc igitur omnia quæ vulgo videntur esse magnifica, mihi facta sunt mortua. Talem oportet esse Christianum, & hanc vocem semper habere in ore. Considera & hinc huius beati erga Deum charitatem. Non contentus est priore mortificationis modo, sed & alterum intulit dicens: *Et ego mundo.* Duplicem innuens mortificationem, ac dicens, & illa mihi mortua sunt, & ego vicissim illis. Nec illa me capere possunt, neque manibus iniectis captiuum ducere, quippe semel mihi mortua, neque ego illorum cupidine teneri, quippe mortuus illis. Nihil hac mortificatione foelicus. Hoc est beatæ vitæ fundamentum. *Neque igitur circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed noua creatura. Et quicumque hac regula incedunt, pax super eos & misericordia, & super Israël Dei.* Vides crucis potentiam, in quantam cellitudinem A-

postolum subuexerit. Non enim solum iam omnes mundi res illi mortuas reddidit, verùm etiam longè supra veterum institutum sustulit. Quid huic potentia par? Siquidem qui prius pro hac circumcisione occidebatur, & alios occidebat, huic persuasit crux, ut illa eodem loco relicta quo erat præputium, noua quædam & admiranda, ac cœlos transcendentia perquireret negotia. Hanc enim appellat nouam creaturam nostrum viuendi institutum, tum ob ea quæ nata sunt, tum ob ea quæ futura sunt. Ob nata quidem, quòd nostra natura, quæ inueterauerat senio peccati, repente baptisimi lauacro renouata est nò aliter, quam si denuò esset condita. Quapropter etiam noua ac cœlestis à nobis exigitur vitæ forma. Ob futura verò, quòd & cœlum & terra, & omnis denique creatura, in incorruptibilitatem transferetur vnà cum nostris corporibus. Proinde ne mihi posthac loquaris, inquit, de circumcisione, quæ nullam habet vim. Quomodo enim hæc extabit, quum omnia tantopere sint immutata? Quin potius res nouas quærite, nimirum gratiam. Hæc enim qui sectantur, hi & pace & Dei erga nos bonitate fruuntur. Qui propriè nomine Israël appellari possunt, quòd hi qui diuersa sentiunt, etiam si ex illo prognati forent, eiusque cognomen circumferrent: ex iis tamen omnibus exciderunt, & à cognatione, & ab ipso cognationis honore. Quippe qui regulam hanc seruant, hi sunt qui verè Israëlita possunt esse, qui à veteribus discedunt, & gratiam sectantur. *De cætro nemo mihi molestus sit.* Hic non quasi lassus, aut defatigatus hæc loquitur. Etenim qui omnia tum facere tum pati causa discipulorum induxerat animum, quomodo nunc fractus esset concidissetque? Qui dicit: *Insta opportune, importune: Qui dicit, Si fortè det illis Deus agnitionem veritatis, & respiciant à diaboli laqueis.* Quam igitur ob causam hæc dicit? Vt illorum scordem animum premat, & in maiorem coniciat terrorem, & leges ab ipso latas confirmet, nec sinat illos semper vacillare. *Ego enim notas domini nostri Iesu Christi in corpore meo porto.* Non dixit, habeo: sed, porto, tanquam aliquis de trophæis glorians, signisque regalibus. Quanquam hoc ipsum rursus probrosam esse videtur. Verùm hîc sua vulnera iactat, neque secus quàm solent milites vexilliferi, hîc exultat, vulnera circumferens. Sed quam ob causam hoc dicit? Quouis sermone, quauis, inquit, voce clarius per hæc me purgo. Hæc namque vocem tuba sublimiorem emittunt aduersus eos qui mihi cõtradiciunt, prædicantque me simulare dogma, & ad placandum homines aliquid dicere. Etenim si quis militem videret ex acie cruentatum prodisse, innumeris vulneribus saucium: num posset illum ignauitæ proditiõisque damnare, argumenta fortitudinis in ipso corpore gestantem? De me quoque igitur, inquit, similiter iudicate. Et si quis nolit meam excusationem audire, animumque meum cognoscere, spectet vulnera, quæ certiores exhibent probationem, quàm hæc verba, quàm epistola. Exordiens enim epistolam, ex subita sui mutatione, syncerum animum suum, fucique expertem euidenter ostendit: finiens verò declarat idem, ex periculis huius mutationis causa toleratis. Nam ne quis diceret, recto quidem animo mutatus est, verùm non perstitit in eodem proposito, testes allegat, se etiam perstitisse, nimirum tentationes, pericula, plagas. Deinde postquam se dilucidè purgauit de omnibus, declarauitque, quòd nihil eorum quæ dicta sunt, dixerit animo commoto, aut odij causa, sed propter immobilem erga illos charitatis affectum, rursus hoc ipsum confirmat, claudens orationem precatione, plena bonis innumeris, hunc in modum loquens: *Gratia domini*

domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro fratres. Amen. Hoc extremo verbo, cunctis quæ prius dicta sunt, signaculum addidit. Non enim simpliciter dixit, vobiscum, quemadmodum de cæteris, sed ait, cum spiritu vestro: auocans illos à carnalibus, & vbique demonstrans Dei beneficentiam, gratiæque commonefaciens quam acceperant, per quam poterat illos ab omni errore Iudaico reuocare. Nam & spiritum accepisse non erat legalis inopiæ, sed iustitiæ, quæ est secundum fidem: nec acceptum tenere, erat ex circumcisione, sed ex gratia. Eapropter admonitionem claudit deprecatione, spiritus simul & gratiæ mentionem refricans, & fratres alloquens, & Deum inuocans, ut his perpetuò fruantur, & duplici muro quæ prius dicta sunt communiens. Siquidem hæc ipsa precatio consummata doctrina est eorum quæ dicta sunt, duplicis muri vicem illis exhibens. Nam & doctrina commonefaciens illos quantum bonorum accepissent, magis continet illos in Ecclesiæ dogmatibus: & precatio gratiam inuocans, & in iisdem perferuar suadens, non finit spiritum ab illis discedere: quo quidem in illis manente, non aliter ac puluis, dispellebatur omnis eiusmodi dogmatum fallacia.

de duplici modo homines illos communiens. Quandoquidem iudæi, neque peccati & cõsummata doctrina duplici muro exhibet.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

Gentiano Herueto Aurelio Rhemensî Canonico interprete.

De Erostrato, viro de Strabonem, Plinium, Gellium, & alios.

1. Tim. 1.

Philosophi qui fuerint Ephesini.

PHESVS est quidem Asiæ Metropolis, erat autem dedicata Dianæ. & hanc Deam illic colebant maximè: & tanta eorum erat superstitio, ut ne eius quidem nomen qui eius templum combusserat manifestum esse vluerint. Fuerat enim combustum. Porrò autem beatus quoque Ioannes Euangelista plurimum illic est versatus. Nam & illic fuit relegatus & decessit. Timotheum quoque illic reliquit Paulus, sicut dicit ad ipsum scribens. Sicut rogavi te ut maneres Ephesi. & plurimi ex Philosophis, maximè ij qui in Asia floruerunt illic erant. Nam dicitur quidem & inde fuisse Pythagoras, quinetiam tota Ionica philosophia: Parmenidem quoque & Zenonem & Democritum, & multos nunc adhuc illic inueneris philosophos. Hæc autem non temerè dicta sunt à nobis, sed vt ostenderem multo studio opus fuisse Paulo ad eos scribenti. Dicitur autem profundiores quoque sensus eis credidisse, vt qui per catechesim fuissent instituti. Est autem epistola plena sublimibus sententiis & dogmatibus. Scribit autem epistolam Romæ vincus, sicut & ipse dicit: Orate pro me vt detur mihi sermo in apertione oris mei, cum fiducia notum facere mysterium Euangelij, pro quo legatione fungor in catena. Et admodum altis & eminentibus plena est sensibus. Nam quæ nusquam ferè est locutus, ea hîc dicit. vt quando dicit: vt innotescat principatibus & potestatibus in cœlestibus per ecclesiam variâ & multiplex Dei sapientia. Et rursus: Conuersuscitavit & confidere fecit nos in cœlestibus, & quod aliis generationibus non fuit cognitum, vt nunc reuelatum fuit Apostolis sanctis, Gentes esse cohæredes, & concorporales, & participes eius hereditatis in Christo.

Chrysof. tom. 4.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI IN EPISTOLAM SANCTI PAULI AD Ephesios commentarij.

ORATIO I.

Gentiano Herueto Aurelio, Rhemensî Canonico, interprete.



AVLVS Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, sanctis qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu, Gratia vobis & pax à Deo patre nostro & domino Iesu Christo. Ecce, per, dedit patri. Quid ergo, dicemùne eum minorem? Minimè. Sanctis, inquit, qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu. Ecce sanctos viros qui habent & filios, & vxores, & seruos, & hoc constat ex fine epistolæ, vt quando dicit: Mulieres viris suis sint subditæ. Et rursus, Filij obedite parentibus vestris: & serui obedite dominis. Cogitemus quanta nos tenet focordia, & quàm rara sit virtus, & quantus tunc esset prouentus bonorum virorum & virtute præditorum, vt etiam mundani seu seculares tunc sancti dicerentur & fideles. Gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & domino Iesu Christo. Gratiam dixit, & Patrem Deum vocauit. Illius enim gratiæ hoc est indicium. Quomodo? Audi cum alibi dicentem. Quoniam autem estis filij Dei, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra, clamantem Abba pater. Et domini nostri Iesu Christi. Propter nos enim Christus factus est, & factus est in carne. *Benedictus Deus, inquit, & pater domini nostri Iesu Christi.* Ecce Deus eius qui carnem suscepit, Quod si non vis, at Dei verbi est pater. *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* Iudaicam hîc tacitè notat benedictionem: Nam erat quidem benedictio, sed non spiritualis. vt, *Benedicat te Deus, Benedicat fœtus vteri tui, Benedicet introitum tuum & exitum tuum.* Hîc autem non sic. Sed quid? In omni benedictione spirituali. Quid enim adhuc tibi deest? Factus es immortalis: factus es liber: factus es filius: factus es iustus: factus es frater: factus es cohæres: simul regnas: simul glorificaris. Omnia tibi gratis donauit. Quomodo non etiam cum ipso, inquit, omnia nobis donabit? Primitiæ tuæ adorantur ab Angelis, à Cherubin & Seraphin. Quid adhuc deest? In omni benedictione spirituali. Nihil est hîc carnale. Propterea omnia illa exemit, dicens. In mundo pressuram habebitis, vt qui nos ad hæc duxerit. Nam quomodo qui habebant carnalia, spiritualia audire non poterant: ita qui assequuntur spiritualia, ea non possunt assequi, nisi prius discedant à carnalibus. Quid est benedictio spiritualis in cœlestibus? Non in terra, sicut apud Iudæos, Bona terræ comedetis. In terram fluentem melle & lacte. *Benedicet Deus terram tuam.* Hîc autem nihil tale. Sed quid? Qui diligit me, mandata mea seruabit, & Ego & pater ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui audit hæc mea verba, & ea fecerit, assimilabitur viro prudenti, qui ædificauit domum suam supra petram, & flauerunt venti, & venerunt fluij, & irruerunt in domum illam, & nò cecidit. Fundata enim erat supra firmam petram. Petra autem quanam est nisi res cœlestes, quæ sunt superiores quauis mutatione? Qui enim confessus me fuerit, inquit, coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui est in cœlis: & quicumque me negauerit, ego quoque cum

Sæci sunt etiam seculares & qui vxores duxerunt.

Gal. 4.

Num. 6.

Deut. 7.

Rom. 8.

Ioan. 16.

Iquit. 10.

Num. 13.

Deut. 15.

Psal. 84.

Ioan. 14.

Mact. 3.

Petra sūt res cœlestes.

Mact. 10.

Marc. 8.

COMMENT. D. IOAN. CHRYSOST. IN EPIST. PAVLI

903

Luc. 13. Mat. 5.

Phil. 3.

Heb. 3. Num. 12.

negabo. Et rursus. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et rursus. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Et rursus, Beati qui perfectionem patiuntur propter iustitiam, quoniam merces eorum copiosa est in cœlis. Vides vbique cœlos, nusquam terram, neque quæ sunt in terra. Et rursus, Nostra conuersatio est in cœlis, vnde etiam Saluatorem expectamus dominum Iesum. Et rursus non terrena sapientes, sed quæ sunt in cœlis. *In Christo Iesu.* Hoc est, quæ sunt per Christum Iesum. Non per Moysen erat hæc benedictio. Quare non solum qualitate, sed etiam intercessore excellimus. Sicut etiam dicit in epistola ad Hebræos. Et Moyses quidem fidelis in tota domo sua, sicut minister in testimonium eorum quæ erant dicenda. Christus autem tanquam filius super domum suam, cuius domus sumus nos. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius.* Hoc est autem quod dicit. Per quem nos benedixit, per eum etiam elegit. Ipse ergo nobis illic omnia illa donabit. Ipse est Iudex, & dicit, Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Et rursus, Vbi sum ego, volo vt hi quoque sint. Et in omnibus ferè epistolis studet hoc ostendere, quòd nostra non sunt recentia, sed ab altè petito principio efformata sunt & expressa: neque ex eo quòd Deum pœnituerit, sed ita fuerant dispensatæ & prædestinatæ. Hoc autem est multæ curæ. Quid est, Elegit in ipso? Per fidem in ipsum Christus hoc præclare gessit, priusquam facti essemus, imò verò priusquam constitutus esset mundus. Rectè autem constitutionem appellauit *καταβολή*, id est deiectionem tanquam à magna aliqua altitudine deiectum ipsum ostendens. Magna enim est, & quæ dici non potest, Dei altitudo, non loco, sed quòd superius euecta sit eius natura: & magnum est interstitium inter rem creatam & creatorem. Erubescant hæretici hæc audientes. Quid autem elegit? Vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius. Ne ergo existimes solum sufficere quòd fidem nostram elegit, vitam etiam addit. Propterea, inquit, nos elegit & iam ad hoc, vt essemus sancti & immaculati. Elegit etiam aliquando Iudæos. Quænam, inquit, est hæc gens? Elegit ex gentibus. Si autem homines eligentes quæ sunt optima & pulcherrima eligunt, multò magis Deus. Elektor quoque esse, est & Dei benignitatis ac clementiæ, & ipsorum virtutis indicium. Omnino enim si probos elegit, ipse nos fecit sanctos. Sed oportet manere sanctos. Sanctus enim est qui est participes fidei, qui est immaculatus, qui vitam habet in quam nulla cadit reprehensio. Sed non absolutè quærit sanctitatem, & vt nulli simus affines reprehensioni, sed vt coram ipso tales appareamus. Sunt enim sancti & immaculati, sed qui sic existimantur ab hominibus, qui sunt similes sepulchris dealbatis qui pelles habent ouium. Sed non quærit tales, verum quales dicit Propheta. Et secundum puritiam manuum mearum. Quænam? Quærit sanctitatem quæ est in conspectu oculorum eius, quam Dei videt oculus. Siquidem eorum sunt recta officia, & quæ virtute fiunt. Et rursus ascendit ad eius gratiam. Non enim fit à laboribus, sed à charitate: neque à charitate solum, sed à nostra virtute. Nā si à charitate sola, oporteret omnes esse saluos. Si autem rursus à nostra sola virtute, superuacaneus fuisset eius aduentus, & quæcunque facta sunt per dispensationem. Sed neque à sola charitate, neque à nostra virtute, sed ex vtriusque. Elegit enim nos, inquit. Qui autem eligit, scit quid eligat. In charitate enim, inquit, prædestinavit nos. Sed nullum saluum fecisset virtus, nisi esset charitas. Nam, dic mihi, quid profuisset Paulo, & quid effe-

Sancti qui non sint.

Mat. 23. Ibid. 7. Psal. 17.

904

cisset, nisi ipsum euocasset à superis, & dilectum ad se traxisset? Alioqui autem etiam tam multis eum esse dignatum, erat charitatis, non nostræ virtutis. Nam fuisse bonos & virtute præditos, & credidisse, & accessisse, fuit hoc quoque eius qui vocauit, sed nostrum quoque. Cùm autem accessissemus tam multis dignatum honoribus, vt cõfestim ab inimicitis duceret ad filiorum adoptionem, est re vera exuperantis charitatis. *Qui in charitate,* inquit, *prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum.* Vides quomodo nihil sine Christo? Quomodo nihil sine patre? Hic prædestinavit, ille adduxit. Et hæc ponit extollens quæ facta sunt, sicut etiam dicit alibi: Nam magna quidem sunt quæ data sunt, multò autem sunt maiora, quòd data sint per Christum, quòd nõ quempiam ex seruis miserit ad seruos sed ipsum vnigenitum. *Secundum propositum,* inquit, *voluntatis sue.* Hoc est, propterea quòd valde velit. Hoc est, vt ita dicam, eius desiderium. Vbique enim hoc enim vocabulum hîc vsurpat Paulus, est voluntas princeps & quæ præcedit. Est enim etiam alia voluntas. Vtputa, voluntas prima est, vt non pereant qui peccarunt. Voluntas secunda est, vt qui facti sunt mali pereant. Non enim eos castigat necessitas, sed voluntas. Id etiã videre licet in Paulo, vt quando dicit, Volo omnes homines esse sicut meipsum. Volo rursus iuniores nubere, filios procreare. *εὐδοκία* ergo, prima, inquit, voluntas, vehemens voluntas, voluntas quæ est cum desiderio, quæ est in nobis (non enim recusabo dictione vti recentiore, vt simplicioribus res sit dilucidior) quam, inquam, nos dicimus *πείσμα*, & *κατὰ τὸ ἡμῶν πείσμα*, & conuenienter nostræ persuasioni. id est valde cupit, valde desiderat nostram salutem. Cur sic diligit? A sola bonitate. Gratia enim est bonitas. Propterea dicit, Prædestinavit nos in adoptionem filiorum volēs, vt ostendatur gloria eius gratiæ. *Secundum propositum voluntatis sue,* inquit, *in laudem gloriæ gratiæ sue, in qua gratificauit nos in dilecto.* Vt ostendatur, inquit, gloria eius gratiæ, in qua nos gratos fecit in dilecto. Ergo si ad hoc gratos fecit, in laudem gloriæ gratiæ eius, & vt ostenderet eius gratiam manēs in ipso, dicit ad laudem gloriæ. Vt quisnam ipsum laudet? Vt quis ipsum glorificet? Nos? Angeli? Archangeli? Sed omnis creatura? Et quid hoc? Nihil. Deus enim nullo eget. Cur ergo vult à nobis laudari & glorificari? Vt in ipsum charitas sit in nobis feruentior. Ex nostris enim nihil aliud cupit quàm nostram salutem. Non ministerium: non gloriam, non aliquid aliud: & propter hoc facit omnia. Nam qui laudat & admiratur quæ in se facta est gratiam, attētor erit & diligentior. Qua gratos nos fecit, inquit. Nõ dixit *ἡ χάρις*, id est, quam gratis donauit: sed *ἐχαρίτωσεν*, id est gratos fecit. Hoc est, Nõ solum liberauit à peccatis, sed etiam fecit amabiles. Quomodo enim si quis acceptum quempiam scabiosum, & peste ac morbo senioque & paupertate ac fame confectum & perditum, statim formosum fecerit iuuenem, omnes homines pulchritudine vincentem, è genis quidem splendorem valde emittentem, & micantium oculorum ei iaculationibus fulgores occultantem. Deinde eum constituerit in ipso flore ætatis, & postea cum purpura induerit & diadema imposuerit, & omni ornatu ornarit, ita nostram instruxit & ornauit animam, pulchramque fecit, desiderabilem & amabilem. Cupiunt enim angeli talem aspicere animam, Archangeli, & sibi desiderabiles. Ita nos etiam fecit gratiosissimos, & sibi desiderabiles. Concupiscet enim, inquit, Rex tuam pulchritudinem. Vide enim quàm noxia antea loquentes, quanta plena gratia nunc loquamur. Non amplius admiramur diuitias: non amplius quæ hîc sunt, sed cœlestia

Rom. 4.

1. Cor. 1. Tim. 1.

Psal. 4.

905

Abrenunciatio in baptismo.

cœlestia, & quæ sunt in cœlis. Non puerum illum dicimus esse scitum & gratiosum, qui cum elegantia & decore corporis, multam etiam in verbis habet gratiam? Tales sunt fideles. Vides qualia loquuntur qui sunt initiati mysteriis. Quid fuerit illo ore gratiosius, quot verba emittit admirabilia, & mundo corde & mundis labris, eiusmodi mysticæ mensæ est particeps, cum multo splendore & fiducia? Quid verbis illis gratiosius per quæ diabolo abrenunciamus? Per quæ in Christi militum numerum adscribimur? confessione illa quæ fit ante lauacrum, & illa quæ post lauacrum? Cogitemus quàm multi baptisima corrupimus, & gemamus, vt id possimus recipere. *In dilecto,* inquit, *in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius.* Quomodo? Nõ solum est admirabile quòd filium dederit, sed quod etiam eodem dederit vt ipsum maceraret dilectum. Multa est hyperbole & multa exuperatio. Dilectum dedit pro iis qui habebatur odio. Vide quanti nos æstimet. Siquãdo ipsum habebamus odio, & eramus inimici, dedit suum dilectum, quid non deinceps faciet, cùm simus ei reconciliati per gratiam? *Remissionem peccatorum.* A supernis descendit ad inferiora, cùm prius dixerit filiorum adoptionem, & sanctificationem, & immaculatos, tunc quoque passionem non minuens, neque à magnis ad parua deducens orationem, sed à paruis ascendens ad magna. Nihil est enim æquè magnum atque Dei sanguinem pro nobis esse effusum? Et filiorum adoptione, & aliis donis hoc est maius, quòd ne filio quidem pepercerit. Magna res est remissa esse peccata, sed maius est quòd per sanguinem dominicum. Nam quòd hoc sit longè maius omnibus, vide quomodo hîc quoque exclamauit, dicens. *Secundum diuitias gratiæ eius quæ superabundauit in nobis.* Nam illæ quoque sunt diuitiæ, multò autem magis hæ. Diuitiæ enim sunt diuitiæ superabundantes, & eas dedit superabundanter. Diuitiæ superabundantes sunt non hominum, sed Dei. Quamobrem omninò fieri non potest vt eæ dicantur. *In omni sapientia, & prudentia, vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis sue.* Hoc est, cùm sapiētes fecisset & prudentes in ea quæ verè est sapientia, in ea quæ verè est prudentia. Papæ quanta amicitia! Nobis enim dicit sua mysteria. Nota nobis fecit quæ sunt in suo corde. Hoc enim est mysterium quod plenum est omni sapientia & prudentia. Quid enim quæris maius hac sapientia? Qui nullius erant pretij & nihil merebantur, eos inuenit vt prouheret ad diuitias. Quid potest æquiparati huic solerti facilitati? Qui erat inimicus, qui exosus, is repente sursum ascendit. Nec hoc solum, sed etiam in hoc tempore: idque erat sapientiæ, & quòd per erucem. Prolixa hîc se offert oratio ad ostendendum, quomodo hoc erat sapientiæ, & quomodo nos rursus effecit sapientes. *Secundum beneplacitum suum quod proposuit in ipso?* Hoc est, hoc cupiebat, hoc parturiebat, vt ita dixerim, nobis effari mysterium. Quòdnam? Quòd hominem vult apud superos sedere facere. Hoc autem vult, *In dispensationem plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt in ipso.* Abscissa fuerant, inquit, cœlestia à terrestribus, non habebant vnum caput. Nam quod attinet quidem ad rationem creationis, vnus erat Deus: quod autè ad rationem coniunctionis & proprietatis, nequaquam: nam errore gentium diffuso, abscissi erant ab eius obedientia. In dispensationem, inquit, plenitudinis temporum. Plenitudinem temporum ipsam appellauit dispensationem. Vide quàm exactè & accuratè loquatur. Et cùm ostendisset quidem à patre principium, propositum, consilium, primum incitamentum & impulsium: quæ autem per opera fit ad impletionem, per Christi

Chrysost. tom. 4.

stum, nusquam eum nominat ministrum. Nos elegit, inquit, in ipso, cùm nos prædestinasset ad filiorum adoptionem per Christum in ipso, & ad laudem gloriæ gratiæ ipsius, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, quam proposuit in ipso, in dispensationem plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, & nusquam eum dixit ministrum. Si autem & in & per sunt ministri, vide quòd res redeat. Nam statim in principio epistolæ dixit per voluntatem patris. Pater, inquit, voluit: filius est operatus. Sed nec quoniam pater voluit, filius est extra operationem. Neque quoniam filius est operatus, voluntate priuatus est pater. Sed patris & filij communia sunt omnia. Nam omnia mea tua sunt, inquit, & tua mea sunt. Plenitudo autem temporum erat eius aduentus. Nam postquam omnia fecit, & per Angelos, & per Prophetas, & per legem, & nihil proficiebat, & periculum erat ne temerè factus esset homo, ne temerè esset productus, imò verò suo malo, pereuntibus omnibus & magis quàm in diluuiio, hanc dispensationem inuenit quæ fit per gratiam, ne temerè & frustra esset factus. Hanc temporum plenitudinem dicit & sapientiam, quòd quando maximè erant perituri, tunc salui fuerunt. Instaurare autem Græcè est *ἀνακαταστάσειν*. Quid est *ἀνακαταστάσειν*? Coniungere. Caterum studemus quàm proximè accedere ad ipsam veritatem. Nam à nobis quidem, vt etiam in more est positum, dicitur *ἀνακαταστάσειν*, quæ prolixè dicta sunt, in breue contrahere, & omnia quæ prolixè dicta sunt compendiosè dicere. Nam hoc quoque ita habet. Quæ cui longo tempore dispensabantur, in ipso *ἀνακαταστάσειν*. Hoc est, in summam redegit & compendiuans. Verbum enim consummans, & in iustitia abbrevians, & illa comprehendit, & alia addidit. Hoc est, est *ἀνακαταστάσειν* & reductio in summam. Et est aliquid aliud quod significatur. Vnum omnibus posuit caput, quod ad carnem attinet, nempe Christum, & Angelis & hominibus. hoc est & Angelis aliud dedit principium, & hominibus. His quidem id quod est secundum carnem, illis autem Deum Verbum. Vt si dicas de domo, quæ partim quidem est marcidà ac debilis, partim autem valida & fortis, domum reedificauit. Hoc est fortiorem fecit, fortiorem imposuit basim & fundamentum: ita hîc quoque omnes vni subiecit capiti. Ita enim fiet vnio, ita accurata & perfecta fuerit coniunctio, quando omnia redacta fuerint sub vnum caput, supernè quoddam necessarium habentia vinculum. Tanto ergo dono dignati, tanto honore, tanta benignitate, ne dedecore afficiamus eum qui nos affecit beneficio, ne faciamus vt tanta sit nobis inanis gratia, vitam ostēdamus Anglicam, & Anglicam virtutem, & vitæ agendæ rationem. rogòque & quæso, ne hæc omnia sint nobis in iudicium & condemnationem, sed ad fruendorum bonorum perceptionem, quæ detur nobis omnibus consequi, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum patre & sancto spiritu, &c.

Christus nusquam a Paulo nominatus minister.

Ioan. 17.

Rom. 9.

Christus est vnum caput Angelis & hominibus.

ORATIO II.

In quo etiam nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue, vt simus in laudem gloriæ eius, nos, qui ante sperauimus in Christo. In quo & vos cum audissetis verbū veritatis, euangelium salutis vestræ, in quo & credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius. Vbique Paulus ineffabilem Dei in nos benignitatem studuit ostendere, quoad eius fieri potuit. Nam quòd exactè & accuratè non possit, audi quid ipse di-

Ff iij

Rom. 11.

cat. O altitudo diuitiarum, & sapientiae, & scientiae Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viae eius! Veruntamen ostendit quoad eius fieri potest. Quid ergo dicit? In quo & nos forte vocati sumus praedestinati. Dixit superius, Nos elegit: hic dicit, Sorte vocati sumus. Sed quoniam fors est casus, non liberi arbitrij & electionis, nec virtutis, adharet enim ignorantiae & fortuito casui, & sepe iis dimissis qui sunt virtute praediti, eos in medium producit qui indigni sunt quorum vlla habeatur ratio, vide quomodo id corrigat. Praedestinati, inquit, secundum propositum eius qui operatur omnia. Hoc est, non solum forte vocati sumus, sicut nec solum electi sumus. Deus enim est qui elegit. Neque solum forte vocati sumus: Deus enim est qui forte vocauit, sed secundum propositum. Hoc etiam in epistola ad Romanos scribens dicit, Qui secundum propositum vocati sunt sancti. Quos vocauit, eos & iustificauit. Quos autem iustificauit, eos & glorificauit. Cum prius dixisset, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti, simul etiam volens ostendere quanta sit eorum praesentia & excellentia si conferantur cum aliis, dixit etiam sortem: & ne liberum tolleretur arbitrium, & quod est in nostra potestate, id ponit quod magis est beatitudinis: Sors enim non est virtutis, sed casus. Quasi dixerit quispiam, aut perinde atque si diceret, facta forte nos elegit. Totum autem est, Ab animi instituto & libero arbitrio praedestinos, hoc est sibi electos destinavit ac seposuit. vtrputa, vidit nos. priusquam essemus forte vocati. est enim admiranda Dei praesentia, & quae omnia nouit priusquam ea fierent. Tu autem vide quomodo ubique ponit studium, vt ostendat, quod non ex poenitentia, sed ex ab alto petito principio res omnes ita sint efformatae, vt in hoc nihil simus Iudaeis minores, & ideo. pro hoc facit omnia. Quomodo ergo dicit ipse Christus, se non esse missum, nisi ad oues quae perierant domus Israel. & rursus dicebat discipulis, In viam gentium ne abieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne intretis? Porro autem ipse quoque Paulus dicebat: Vobis erat necesse primum loqui verbum Dei. Quoniam autem ipsum repellitis, & ipsos non iudicatis dignos vita aeterna, ecce conuertimur ad gentes. Propterea enim haec dicuntur, ne quis existimet haec fuisse remota a suo instituto. Secundum propositum, inquit, eius qui operatur omnia, secundum consilium voluntatis suae. Quamobrem non quoniam non attendebant Iudaei, propterea vocauit gentes, neque coactus, neque ex illis impulsus. Vt simus, inquit, nos in laudem gloriae eius, nos qui ante sperauimus in Christo. In quo & vos cum audissetis verbum veritatis, euangelium salutis vestrae. Hoc est, per quem. Vides Christum ubique esse auctorem omnium, & nullam esse nomen administrum, neque ministri. Sicut etiam dicit alibi scribens ad Hebraeos. Qui olim locutus patribus nostris in Prophetis, nouissimis temporibus locutus est nobis in filio. Hoc est, per filium. Verbum, inquit, veritatis non amplius Verbum figurae, nec imaginis. Euangelium salutis nostrae. Et recte ipsum vocat euangelium salutis, partim quidem ad legem, partim autem ad futuram punitionem significandam subobscurè loquens. Nihil est enim aliud praedicatio, quam euangelium salutis, quod non amplius perdit eos qui digni sunt qui pereant. In quo & credentes, signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostrae. Rursus magnum est indicium curae & prouidentiae, quod sint signati, non separati. Neque quod non solum sunt forte vocati, sed etiam signati. Quomodo enim si quis eos qui forte sibi obtigerunt manifestos fecerit, ita etiam Deus eos separavit ac secreuit

ad credendum. signauit ad hoc vt sint haeredes in futurum. Vides quemadmodum procedente tempore eos facit admirabiles. Nam quandiu fuerunt in praesentia, nulli fuerunt manifesti. Postquam autem fuerunt signati, fuerunt manifesti, sed non sicut vos. erant enim manifesti praeter paucos. Signati fuerunt etiam Israelitae, sed circuncisione, sicut oues, & bruta. Nos quoque sumus signati, sed sicut filij Spiritu. Quid est, Spiritu promissionis? Aut quod ex promissione ipsum accipimus. Duae enim sunt promissiones. Vna quidem per Prophetas: altera autem per filium. Per Prophetas, audi Ioel. 2. Effundam ex spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiae vestrae, & adolescentes vestri videbunt visiones, & seniores vestri somnia somniant. Audi autem rursus Christum dicentem. Et accipietis virtutem superuentis sancti spiritus super vos, & eritis mihi testes in Hierusalem, & tota Iudaea & Samaria, & vsque ad extremum terrae. Atqui oportebat ipsum tanquam Deum esse creditum. Sed de hoc non acriter contendit, sed examinat tanquam de homine, sicut in epistola ad Hebraeos dicens. Vt per duas res immobiles, in quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, ita etiam hic ex iis quae data sunt dicit argumentum futurorum promissionis. Propterea etiam arram vocat. Arra enim est pars totius. Emit quod ad nos quidem attinet, nostram salutem, & interim nobis dedit arram. Cur ergo non statim totum dedit? Quoniam neque nos totum fecimus. Credimus, Hoc est principium. dedit ipse quoque arram. Quando fidem per opera ostenderit, tunc addit totum. Imò verò aliud quoque dedit pretium, proprium sanguinem, & rursus aliud est pollicitus. Perinde ac si gentibus bellum esset aduersus gentes, dant obsequia. Ita Deus dedit filium suum pignus pacis & foederum, & Spiritum sanctum qui est ex ipso. Nam qui verè sunt spiritus participes, sciunt eum esse arram hereditatis. Talis erat Paulus, qui hic gustarat ea quae illic sunt, & ideo vrgebat & parturiebat vt quae hic sunt dimitteret, & gemebat. Aliis enim videbat oculis, vt qui mentem omnem illuc transfulisset. Rerum non es participes. Propterea etiam à verbis excidis. Si essemus omnes spiritus participes, vt participes esse oporteret, & celos videremus, & quis illic sit status. Cuiusnam rei est arra? Redemptionis, acquisitionis. Pura enim tunc fit redemptio. Nam nunc quidem & in mundo versamur, & multa humana nobis accidunt, & sumus cum impiis. Pura autem tunc est redemptio, quando nec sunt peccata, nec humanae affectiones, neque promiscuum sumus cum omnibus, Nunc autem est arra. Nam & nunc ab ipsis absumus, & conuersatio nostra non est super terram, & nunc sumus extra. Nam nunc quoque sumus aduenae. In laudem gloriae ipsius. Hoc ponit a se. Quam de causa? Vt quod satis sit ad faciendam fidem auditoribus. Nam siquidem nostra causa haec faceret, non esset sine dubio. Si autem propter se, & vt suam ostendat bonitatem, tanquam quoddam testimonium ponit causam quod haec non aliter facta sint, quae in Israelitis videmus & supra & infra dici. Fac nobis propter nomen tuum. Rursusque Deus ipse dicebat. Facio propter me. Et Moyses, Fac nobis propter nomen tuum, etiam si propter nullum alterum. Hoc enim certiores reddit auditores, & dimittit, vt qui didicerint quod propter suam bonitatem omnia sit facturus quae promittit.

MORALE.

SED dum haec audimus, ne simus pigri & otiosi. Nam setiam si propter se facit, sed tamen etiam nostra & nobis

Rom 8.

Praedestinos ex libero arbitrio sibi elegit ac seposuit Deus.

Matt. 5.

Ibid. 10.

Act. 19.

Heb. 1.

Circuncisione signati sunt Iudaei: Christi- ni spiritus.

Ioel. 2. Effundam ex spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiae vestrae, & adolescentes vestri videbunt visiones, & seniores vestri somnia somniant.

Heb. 6. Spiritus quo modo arra salutis.

Exod. 10. Deuter. 5.

Eccl. 3.

Amor non est necessitatis.

Redemptio quando fit pura.

Psal. 108.

Esa. 48. Ezech. 36.

1. Reg. 2.

Heb. 9.

Exod. 10. Deuter. 5.

Eccl. 3.

Amor non est necessitatis.

Pena nulla est necessitati contraria legibus.

nobis exigit. Nam si eos qui me glorificant glorificabo, inquit, & qui spernunt spernentur, cogitemus quod nostra quoque à nobis exigit. Laus est autem eius gloriae saluos facere inimicos: sed eos, qui postquam facti sunt amici, amici manent. Quod si ad priores redierint inimicitias, temerè & frustra fiunt omnia. Non est enim alterum lauacrum, neque secunda reconciliatio, sed terribilis quaedam expectatio iudicij, & aemulatio ignis exefuri aduersarios. Nam si cum eo semper gerentes inimicitias, non cessabimus ei esse inimici, & voluptati indulgere, & fieri deteriores, & orbi esse Sole iustitiae qui accessit. Non vides radium tuos aperientem oculos? Fac eos pulchros, sanos, perspicaces. Ostendit tibi lucem veram. si eam fugiens ad tenebras accurre- ris, quanam erit excusatio, quanam venia? Nulla amplius. Hoc est enim signum odij ineffabilis. Nam quando Deum quidem nesciebas, quod ei esses inimicus, vt- cunque aliqua tibi danda erat venia. Postquam autem benignitatem & mel gustasti, si iis dimissis ad tuum reuertaris vomitum, nihil aliud quam magna profers signa odij & contemptus. Non, inquit, sed necessitatem mihi affert natura. Atque Christum quidem diligo, cogor autè à natura. Si necessitatem & vim sustineas, tibi dabitur venia. Si autem ob socordiam cadis & negligentiam, minimè. Agè ergo hoc ipsum examinemus, peccatae fiant ex necessitate & violentia, an ex multa socordia & negligentia. Non occides, inquit. Quanam ergo necessitas? Quanam vis eò adigit? Vis est ergo occidere. Quis enim sua sponte elegerit intingere ens in gutture proximi, & cruentare dexteram? Nemo. Vides quod contra peccare est magis necessitas & violentia. Indidit enim Deus naturae nostrae quoddam amatorum, vt alter alteri inuicem diligamus. Omne enim, inquit, animal diligit simile sibi, & homo suum proximum. Vides quod ad virtutem femina habemus à natura? Vitium autem est praeter naturam. Si autem vitia magis dominantur, hoc est argumentum nostrae imbecillitatis & ignauiae. Quid verò, Quanam necessitas nos ducit ad admittendum adulterium? Certè, inquit, tyrannis libidinis. Quare dic quæso? Non licet tibi tua vt vxore, & libidinem sedare & compescere? Sed capior, inquit, quodam amore vxoris proximi. Nō est hoc vtique necessitatis. Non est enim amor necessitatis. Nemo amat necessitate, sed sponte & libera electione. Atque ad coitum quidem fortasse impellit necessitas: vt hanc autem aut illam ames, non est necessitatis. Neque ea res est desiderium coitus, sed inanis gloria, & contumelia, & quae modum excedunt deliciae. Nam vtrum magis est rationi consentaneum, eamne habere quae est desponsa, quae est socia filiorum procreationis, an eam quae non est cognita? Nescitis quod consuetudines pariunt amicitias? Quamobrem non est naturae. Noli aculeare concupiscentiam. Data est propter matrimonium, exhibitae est ad liberorum procreationem, non propter adulterium, neque propter stuprum. Sciunt etiam leges ignoscere peccatis quae sunt ex necessitate. Imò verò nullum est quod fit ex necessitate, sed omnia à contumelia. Non enim Deus sic fabricatus est naturam, vt necesse habeat peccare. Alioqui si ita esset non esset poena. De iis enim quae vi fiunt & necessitate, ne nos quidem exigimus rationem, nēdum Deus qui est ad eò clemens, benignus & bonus. Sed quid, furari est necessitas? Hoc enim facit paupertas. Imò verò paupertas affert necessitatem operandi, non furandi. Paupertas ergo facit contrarium. Furari enim est otij & desidia. Paupertas autem non solet parere otium & desidiam, sed laboris pauperum amorem. Quare illud quoque est segnitiae & socordiae. Idque sic didiceris. Quid enim dic quæso est difficilium,

quid iniucundius, noctesne obire vigilantem, & muros perfodere, & in tenebris ambulare, & animam habere in manibus, & instructum esse ad caedem, & tremere, & mori metu: an quotidianis operam dare laboribus, & in tuto esse cum securitate? Hoc est facile. & quia hoc est facile, plures hoc faciunt quam illud. Vides quod secundum naturam quidem sit virtus, praeter naturam autem vitium: sicut morbus & sanitas? Quid verò mentiri & peierare quamnam habeant necessitatem? Nullam: nec vim, sed lubèter ad id venimus. Nobis, inquit, fides non habetur. Quoniam volumus. Licebat enim nobis magis fidem haberi ex moribus quam ex iuramentis. Nam cur, dic mihi, aliis ne iurantibus quidem credimus: alios autem etiam iniuratos fide dignos censemus? Vides quod nequaquam opus sit iuramentis. Si hic aut ille, inquit, dixerit, credo etiam iniurato. Tibi autem, si iuraueris. Est ergo iuramentum superuacaneum, & hoc est magis argumentum incredulitatis quam fidei. Procliuem enim esse ad iurandum, non finit vt bona concipiatur opinio pietatis. Quare qui maximè iureiurando assidue vtitur, is iuramenti vsum nequaquam habet necessarium. Qui autem minimè vtitur, is eius vsu fruitur. Iuramento, inquit, opus est vt credatur. Videmus autem quod qui non iurant, iis maximè creditur. At contumeliosum esse est necessitatis. Certè, inquit. Mouet enim ira, & inflammat, nec finit vt quietus & tranquillus sit animus. Contumelia afficere, o homo, non est irae, sed pusilli & abieci animi. Si autem esset irae, omnes homines irascetes, non intermitterent contumelia afficere. Iram habemus, non vt proximos contumelia afficiamus, sed vt eos qui peccant couertamus, vt nos excitemus, ne simus ignaui & hebetes. Ira nobis inest tanquam quidam stimulus, vt aduersus diabolum dentibus stridamus, vt in eum simus vehementes: non vt alter in alterum stemus. Arma habemus, non vt nos ipsos bello imperamus, sed vt aduersus hostem vramur armatura. Esne iracundus? Sis talis aduersus tua peccata, increpa animum, flagella conscientiam. Sis vehemens iudex, & acerbus arbiter in tua peccata. Hoc est lucrum irae. Propterea Deus eam nobis indidit. At rapina est ex necessitate? Nequaquam. Quid enim est, dic quæso, necesse rapere? Quanam vis te impellit? Paupertas, inquit, & timor de rebus necessariis. Tu propterea quidem certè non debes rapere. Non sunt enim stabiles & firmæ eiusmodi diuitiae. Tu autem idem facis, atque si quis rogatur cur in arena domus fundamenta iaciat, dicat, Propter frigus & propter pluuiam. Propter hoc quidem certè non oportebat fundamenta iacere in arena. Ea enim citò euertunt & procellae & venti. Quare si vis esse diues, ne sis auarus, nec plura habendi cupidus. Si vis filiis tradere diuitias, posside iustas, si vllae sint tales: eae enim manent, stantque firmæ ac stabiles. Quae autem non sunt eiusmodi, citò pereunt & intereunt. Dic mihi, vis esse diues, & quae sunt aliorum accipere? Atqui hoc non est diuitiae, sed possidere quae sunt propria. Qui autem habet aliena, non fuerit diues. Nam sic etiam qui vendunt serica, & vestimenta ab aliis accipiunt, opulentiores & ditiores dici poterunt. Sed tamen eos non appellamus diuites. Quamobrem? Quoniam habent quae sunt aliena. Nam etsi eorum sunt vestimenta, non est tamen eorum pretium. Quod si etiam sit eorum pretium, non sunt haec diuitiae. Si autem qui dantur contractus, non faciunt diuites, propterea quod nos citò ab eis recedamus: quae sunt ex rapina quomodo faciunt diuites? Si autem vis omninò esse diues, neque enim ea res est necessitatis, quanam re vis frui ampliore? Vitae longiori? Atqui qui tales sunt, mox fiunt vitae breuis. Sape enim

Ira cur sit nobis datura.

Diuitiae quoniam sint firmæ & stabiles.

dant pœnas rapinæ & auaritiæ, quod morte immatura moriantur, & quod possessionibus non fruuntur nisi parum, & gehenna accepta excedant. Sape autem & ex deliciis, & ex laboribus, & ex solitudinibus morbis partis perierunt. Vellem scire quânam de causa studium ponunt homines in diuitiis. Atqui Deus propterea naturæ modum posuit & terminum, ne vllam habeamus necessitatem requirendi diuitias. vtpote veste vna aut altera iussit corpus indui, nec eo, quod est superuacaneum, opus est ad tegumentum. Quorsum vestes innumerabiles, & quæ excedunt à tinea? Ventricertus modus est constitutus, & quod vltra eum fuerit datum, necessariò perdit & corrumpit omne animal. Quorsum greges & oues, & carnum dissecciones? Vno recto opus habemus, quânam de causa sunt ambitus & ambulacra sumptuosaque & magnifica ædificia? Ut vultures & graculi habitent, pauperes exuis? Quantam merentur hæc gehennam. Et sæpe in locis quæ ne viderunt quidem, efficiunt columnas, & lapides valde pretiosos, & fulgurantia ædificia. Quid enim non sunt machinati? Et nec ipsi quidem viderunt, nec vlli alij. Solitudo enim non finit eos abire, & ne sic quidem deficiunt. Vides quòd nec hæc quidem vt rem faciant & augeant Sed horum omnium causa est amentia, & rationis defectus, & gloria inanis. Quam rogo vos vt fugiamus, vt alia quoque mala possimus fugere, & consequi bona promissa iis qui ipsum diligunt, in Christo domino nostro.

ORATIO III.



PROPTEREA & ego audiens fidem, quæ est in Christo Iesu, & dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, vt Deus domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ det vobis

spiritum sapientiæ & reuelationis in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hereditatis eius in sanctis, & quæ sit supereminens magnitudinis eius in nos qui credimus. Nihil fuit quod posset æquiparari visceribus Apostolicis: nihil fuit simile commiserationi & benevolentia beati Pauli, qui omnes suas fundebat preces pro ciuitatibus, pro populis. Et ad omnes hoc scribit, Deo gratias ago pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis. Cogitate quàm multos habuerit in mète, quorum erat etiam difficile meminisse. quàm multorum meminisset in orationibus, pro omnibus Deo agens gratias, tanquam ipse maximis afficeretur beneficiis. Propterea, inquit, hoc est propter futurum, & bona reposita iis qui rectè credunt & viuunt. Atque æquum quidem est & iustum gratias agere, & pro omnibus quæ ab ipso collata sunt humano generi, & antea & postea: æquum autem & iustum est etiam agere gratias pro fide eorum qui credunt. Audiens, inquit, fidem vestram quæ est in Christo Iesu, & dilectionem in omnes sanctos. Vbiq; coniungit & conglutinat fidem & dilectionem, bigam quandam admirabilem. Non solum dicit indigenas, sed etiam omnes. Non cesso gratias agens pro vobis, mentionem vestri faciens in orationibus meis. Quid petis & rogas? Vt Deus domini nostri Iesu Christi pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis. Vult eos duo discere, vt discere oportet, & propter quæ vocati sunt, & quomodo liberati sunt à prioribus. Dicit autem ipse ea esse tria. Quomodo ergo sunt tria? De futuris vt discamus. Nam à bonis quidem repositis, sciemus ineffabiles & quæ naturam superant diuitias. Ex eo autem quòd didicerimus, quânam cum essemus quomodo credidimus, eius potentiam. Et auctorita-

In diuitiis non ponendum studium.

Pauli quanta esset benevolentia & misericordia.

tem, eo quòd conuerterit eos qui tanto tempore fuerant alienati. Nam quod est Dei infirmum, est fortius hominibus. Ex eadem enim potentia, ex qua Christum suscitauit, nos quoque ad se traxit. Neque vsque ad resurrectionem solum est eius potentia, sed longè amplius. *Et sedere fecit ad dexteram suam, in caelestibus super omnem principatum & potestatem, & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur, & omnia subiecit sub pedibus eius. Et ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.* Magnorum re vera mysteriorum & arcanorum nos fecit participes. Nec ea aliter licet discere, quàm ab iis qui sancti spiritus sunt participes, & multa fruuntur gratia. Propterea Paulus quoque precatur. Pater gloriæ, inquit. Hoc est, Qui magna nobis dedit bona. Ab iis enim quæ sunt subiecta, eum semper vocat, vt quando dicit, Pater miserationum & Deus totius consolationis. Rursus Propheta. Dominus fortitudo mea & auxilium meum. Pater gloriæ. Ea suo nomine non potest explicare ac proferre, & vbiq; appellat gloriæ, quod quidem est apud nos nomen & appellatio omnium splendoris. Ecce pater gloriæ, Christi autem Deus. Quid ergo, estne filius minor gloriæ? Sed nemo, ne si insaniat quidem, hoc dixerit. Det vobis. Hoc est mentem extollere, & erigere. Hæc enim non licet aliter discere. Animalis enim homo non percipit quæ sunt spiritus. Sunt enim ei stultitia. Opus est ergo spirituali sapientia, vt spiritualia intelligamus, vt videamus quæ sunt occulta. Ipse omnia aperit & reuelat, Dei est narraturus mysteria. Mysteriorum autem Dei cognitionem solum nouit spiritus, qui etiam scrutatur eius profunda. non Angelus, non Archangelus, non vlla alia potestas creata. Hoc est, nobis charisma præbeat. Si autem hoc est reuelationis, non est rationum inuentio. Nam qui Deum didicit, & Deum nouit, non amplius de vilo dubitabit. Non dicit, Hoc potest fieri, hoc non potest, & quomodo hoc factum sit. Si Deum didicerimus vt scire oportet, si Deum didicerimus à quo discere oportet, nempe ab ipso spiritu, nõ amplius de vlla re dubitabimus. Propterea dicit, In agnitione eius illuminatos oculos cordis vestri. Qui didicerit quid sit Deus, non dubitabit de promissionibus: non de iis quæ facta sunt erit incredulus. Atque optat quidem eis dari spiritum sapientiæ & reuelationis. carterum ipse quoque confirmat rationibus quæcunque potest ex iis quæ iam fuerunt. Nam quoniam erat dicturus alia quidem quæ iam facta fuerant, alia autem quæ nondum contigerat: ex iis quæ facta sunt, fidem facit eorum quæ facta non sunt. cuiusmodi est hoc. Vt sciatis, inquit, quæ sit spes vocationis vestrae. Est adhuc, inquit, non manifesta. Sed non fidelibus. Et quæ diuitiæ gloriæ hereditatis eius in sanctis. Hoc quoque est ahuc non manifestum. Quid est autem manifestum? Quòd credidimus eum sua virtute Christum suscitasse. Est enim longè admirabilius persuasisse animis quàm suscitasse mortuum. Ergo autem tentabo hoc vobis persuadere. Audi enim. Christus dixit mortuo, Lazare veni foras, & statim obediit. Petrus dixit Tabithæ, Surge, & non contradixit. Ipse dicit in die vltimo, & omnes resurgent, & cum tanta celeritate, vt qui adhuc viuunt non sint præuenturi eos qui dormierunt, adeò vt omnia fiant in momento, & in ictu oculi. In credendo autem non ita fit. Sed audi eum rursus dicentem. Quoties volui congregare filios vestros, & nolulistis. Vides hoc esse difficilium. Quamobrem ex hoc probat vniuersum. Est enim multò difficilium humanis rationibus persuadere libero arbitrio, quàm operari naturam. Causa est autè quoniam ipse sic vult nos nostra sponte fieri bonos. Sic meritò dixit,

1. Cor. 10.

2. Cor. 1. Paul. 17. & 30.

1. Cor. 1.

1. Cor. 14.

Ex istis probantur quæ nondum facta sunt.

Ioan. 11.

Act. 9.

1. Cor. 15.

Luc. 11.

dixit, Supereminens magnitudo virtutis in nos qui credidimus. Quando enim Propheta nihil profecerunt, quando Angeli & Archangeli, quando omnis creatura aspectabilis, & non aspectabilis: aspectabilis quidem in medio propofita, & non valens deducere, multa autem in aspectabilis, tunc suum dispensauit aduentum, ostendens rem egere diuina virtute. Diuitias gloriæ. Hoc est, gloriæ ineffabilem. Nam quænam oratio poterit illam explicare gloriæ, cuius sancti tunc erant participes? Quænam oratio? Nulla. Sed re vera opus est gratia vt mens discat, & omninò paruū vtique radium excipiat. Aliqua autem etiam prius quidem noverant, volebat autem eos amplius discere, & nosse apertius. Vides quàm multa sit operatus. Christum suscitauit. Hoc ne paruū? Sed rursus vide etiam. Sedere fecit ad dexteram suam. Vllane oratio hoc poterit explicare? Eum qui fuit à terra, eum qui est magis mutus quàm pisces, qui factus est ludibrium dæmonum, vide quò extulerit. Re vera est supereminens magnitudo eius virtutis. Vide autem quò extulerit. In caelestibus eum fecit superiorem omni creata natura. Supra omnem principatum & potestatem. Supra omnem, inquit, principatum. Re vera spiritu opus est, & sapienter mente in agnitione eius, re vera opus est reuelatione. Cogita quantum interfit inter hominis & Dei naturam: & ab hac vilitate & abiectione, eum ad illum honorem sustulit. Non vnum aut alterum aut tertium gradum, sed supra. Nec solum dixit supra, sed supra omnem principatum. Supernis enim potestatibus Deus est superior. Ipsum itaque illuc extulit, & qui erat ex nobis eum ab extremis carceribus vsque ad vltimum duxit principatum, post quem non est honor alius. Omnem, inquit, principatum. non hunc quidem, illum autem non, sed omnem principatum, & potestatem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, si quod est in cælo, omnibus euasit superior. Hoc de eo qui est excitatus à mortuis: quod quidem dignum est admiratione. Nam de Deo Verbo nequaquam. Nam quod sunt culices ad homines, hoc est omnis creatura ad Deum. Si omnes homines reputabantur tanquam salua, & reputati sunt tanquam momentum stateræ: quæ sub aspectum non cadunt potestates pone tanquam culices. Sed de eo quidem qui fuit ex nobis, hoc est verè magnum & admirabile. Ab infimis enim terræ partibus eum extulit. Si omnes gentes tanquam stilla, vnus homo quota est pars stillæ? Sed eum fecit omnibus superiorem, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro. Sunt ergo potestatum quarundam nomina nobis non signata, neque nota. Et omnia subiecit sub pedibus eius. Non solum fecit superiorem vt eis honore præferretur, neque per comparisonem, sed tanquam seruis. Papæ res planè sunt stupendæ! Hominis facta est serua omnis potestas creata, propter Deum Verbum qui inhabitat. Potest enim esse vt sit aliquis supra: non habens qui obediat, sed qui honore præferatur. Hic autem non sic, sed omnia subiecit sub pedibus eius: & non solum subiecit, sed vltima subiectione, & postquam nõ est alia. Propterea dixit, Sub pedibus. *Et ipsum dedit caput super omnem ecclesiam.* Papæ quòd rursus sustulit ecclesiam! tanquam per quandam trahens machinam, eam in magnam sustulit altitudinem, & eam sedere fecit in illa sede. Vbi enim est caput, illic & corpus: & si caput, & corpus, nullo loco intermedio arcetur. Si autem arcetur, corpus non fuerit, non fuerit caput. Super omnia, inquit. Quid est, Super omnia? Aut Christum qui est super omnia quæ cernuntur & quæ apprehenduntur intelligentia. Aut supra omnia bona hoc fecit, quòd filium dederit caput, non Angelum, nõ Archangelum, non vllum alium dimisit superiorem. Non solum ratione nos honorauit, quòd eum qui erat è nobis in altum extulerit, sed quòd etiam fecerit vt totum commune genus illum sequeretur, illi adhæreret, illum affectaretur. *Quæ est corpus ipsius.* Nam ne audito capite caput solum existimes initium, sed etiam firmitatem & stabilitatem, non tanquam solum principem, sed tanquam caput corporis. *Et plenitudo,* inquit, *eius qui omnia in omnibus adimpletur.* Quid hoc est? tanquam hoc sufficeret ad ostendendam cognationem & propinquitatem, quid dicit? Plenitudo Christi ecclesia. Plenitudo enim capitis est corpus. plenitudo corporis caput. Vide quo ordine vsus sit Paulus, & quomodo nulli verbo parcat vt Dei ostendat gloriæ. Plenitudo, inquit, vtpote caput impletur à corpore. Hoc est, corpus consistit per omnia, & per vnumquodque non solum communiter. non ipsum inducit indignum. Nam si non simus quidem multi, & sit alius quidem manus, alius verò pes, alius autem aliqua alia pars, non impletur totum corpus. Per omnia ergo impletur eius corpus. Tunc impletur caput, tunc perfectum fit corpus, quando omnes simul fuerimus coniuncti & conglutinati. Vidisti diuitias gloriæ hereditatis. Vidisti supereminentem magnitudinem virtutis in eos qui credunt. Vidisti spem vocationis.

MORALE.

REVEREAMVR nostrum caput, cogitemus cuius capitis sumus corpus, cui omnia sunt subiecta. Hoc exemplo nos Angelis oportet esse meliores, & Archangelis maiores, vt qui iis omnibus sumus honore præpositi. Non Angelos apprehendit Deus, sicut dicit scribens ad Hebræos, sed semen Abraham. non principatum, neque potestatem, neque dominationem, neque vllam aliam virtutem: sed nostram naturam apprehendit, & supra federe fecit: Et quid dico, Sedere fecit? Sum fecit vestimentum, nec id solum, sed eius pedibus subiecit omnia. Quàm multas vis mortes ponere, & quàm multas animas, deciesne mille, & his longè plures? Sed nihil dices quod sit ei æquiparandum. Duo enim fecit maxima: & ipse ad summam venit humilitatem, & hominem sustulit ad magnam altitudinem. suo sanguine eum saluum fecit. Dixit illud primum, quòd se adeò humiliavit. Dicit hoc firmiter & solidius, id quod est magnum & summa rerum. Atqui si nullo dignati essemus, suffecisset. etiam si absque hoc dignati essemus, absque eo, inquam, quòd esset mactatus, suffecisset. Cum autem duo sint, quam dicendi facultatem non vicierit & superauerit? Non magna res est resurrectio, quando hæc reputauero. De hoc dicit, Deus domini nostri Iesu Christi, non de Deo Verbo. Reueremur propinquitatem cognationis. Timeamus ne quis abscondatur ab hoc corpore: ne quis excidat, ne quis appareat indignus. Si quispiam diadema nostro imposuerit capiti, si coronam auream, an non omnia iusserimus vt digni videamur inanimis lapidibus? Nunc autem non est nostrum capiti impositorium diadema, sed caput nostrum factus est Christus, quod quidem est maius, & eius nullam habemus rationem? Sed Angeli quidem ipsum reuerentur, & Archangeli, & omnes illæ virtutes: Nos autem cum etiam eius corpus sumus, neque propter hoc, neque propter illud reueremur? Et quænam est spes nostræ salutis? Cogita thronum regium. cogita summum honorem. Hoc nos, si velimus, magis nos poterit terrere quàm gehenna. Nam si non esset gehenna, tanto honore affectos inuentos esse indignos & malos, quam non haberet pœnam, quod non supplicium? Cogita prope quem sedeat tuum caput.

Ecclesia quomodo fit Christi plenitudo.

Heb. 2.

Homo Dei vestimentum.

Phil. 1.

Christus est caput nostrum, non corona.

put. hoc solum ad vniuersum suffecerit. Ad cuius sedeat dexteram, super omnem principatum, potestatem & virtutem. eius autem corpus conculcatur etiam a demonibus. Sed absit. Hoc non fuerit amplius corpus. Caput tuum venerantur serui frugi, & qui bonæ sunt existimationis: & corpus subiicis iis qui offenderunt? Quo non dignus eris supplicio? Si quis pedes regis canibus obiciat & in compedes iniiciat, an non erit obnoxius extremo supplicio? Tu totum corpus obiciis feris immanibus, & non horres? Sed quoniam agitur de corpore Domini, agè illius etiam meminimus, quod in crucem fuit actum, quod clauis confixum, & sacrificatum. Si es Christi corpus, fer crucem. Nam ille quoque tulit. Fer sputa, fer colaphos, fer clauos. Tale erat illud corpus. Corpus illud non fecit peccatum, nec est inuentus dolus in ore eius. Manus eius omnia agebant ad benefaciendum iis qui egebant. Os eius nihil emisit quod non decebat. Audiuit, Habes dæmonium, & nihil dicebat. De corpore a nobis agitur, & hoc quod ab illo nihil differt nec distat. Quicumque corporis sumus participes, quicumque gustamus sanguinem, cogitemus quod illius sanguinem gustemus, qui supra sedet, qui adoratur ab Angelis, qui propè accedit ad illam virtutem in quam non cadit interitus. Hei mihi quàm multæ viæ nobis patent ad salutem. Nos corpus suum fecit. Suo corpore nos impertiit, & nihil ex his nos auertit a malis. O tenebras, ô profundum abyssum, ô stuporem & sensus egestatem! Quæ sursum sunt sapite, vbi est Christus ad dexteram Dei sedens. Et post hæc quidam de pecuniis sunt solliciti: alij capiuntur ab animi perturbationibus. Non videbitis quod in nostro quoque corpore absconduntur & amputantur quæcunque sunt superuacanea & inutilia: & nullum lucrum attulerit id corporis, quando fuerit mutilatum, quando morte affectum, quando putrefactum, quando etiam corruerit reliquum. Ne ergo confidamus quod semel fuerimus corporis. Si autem hoc corpus cum sit naturale, tamen absconditur: si non maneat stabile & firmum animi institutum & propositum, quid non graue patietur? Quando non fuerit corpus huius alimenti particeps, quando obstructi fuerint pori, tunc morte afficitur: quando obturati meatus & fistulæ, tunc fit mancum & mutilum: Ita nos quoque quando aures obturauerimus, manca ac mutila nostra fit anima. Quando non fuerimus participes alimenti spiritualis: quando corruptorum humorum prauitates noxam nobis attulerint, hæc omnia morbum pariunt, morbum grauem, morbum qui tabem affert & consumptionem, & de cætero illo igne opus habebit, aut opus habebit vt diuidatur. Non enim patitur Christus cum tali corpore ingredi in thalamum. Si eum abduxit & expulit qui fordida veste erat indutus: ei qui corpori fordes adhibuerat, quid non faciet, quomodo eum afficiet? Multos video qui Christi corporis sunt participes inconsideratè & temerè, & magis ex consuetudine & ex præscripto, quàm ex cogitatione & consideratione. Si aduenerit, inquit, tempus sanctæ quadragesimæ; qualiscunq; fuerit quispiam, sit particeps sacramentorum, si aduenerit dies epiphaniarum. Atqui tempus ad ea accedendi non sunt epiphania, neque quadragesima facit dignos qui accedant, sed animæ sinceritas & puritas. Cum ea semper accede, absque ipsa nunquam. Quoties enim, inquit, hoc facitis, mortem domini annunciat. Hoc est, in memoriam reuocatis vestram salutem, mecum beneficium. Cogita qui veteris participes erant sacrificij, quanta utebantur frugalitate & abstinentia: quid non agebant, quid non faciebant? Vndique & semper expurgabantur & ex-

piabantur: tu autem accedens ad sacrificium quod ipsi stupent & venerantur Angeli, voluentibus temporum cursibus rem definis ac circumscribis? Et quomodo stabis ad tribunal Christi, qui pollutis manibus & labris ad id audeas accedere? & regem quidem ore malè olente deosculari nolueris: cæli autem regem foetenti & malè olenti anima ofcularis? Id planè est contumelia. Dic mihi, vellè sine ad sacrificium manibus illotis accedere? Non opinor. sed malle potius non profus accedere quàm fordidis manibus. Deinde cum in re parua sis adeò reuerens & religiosus, fordidam & immundam habens animam, accedis & audes tangere? Atqui ad tempus quidem tenetur manibus: in illam autem totus & integer resoluitur. Quid verò, an non vides vasa abluta, adeò nitida & splendida. His longè mundiores nobis oportet esse animas, his sanctiores, & splendidiore. Quare? Quoniam illa propter nos fiunt talia. Illa cum qui inest non participant, non sentiunt. Nos autem participamus & sentimus. Nunc autem vase quidem fordidò & immundo vti nolueris, fordidam autem & immunda accedis anima? Multam video rei inæqualitatem. In aliis quidem temporibus, cum ne mundi quidem sæpe sitis, acceditis: in paschate autem etiam si aliquod scelus a vobis sit admissum, acceditis. O consuetudinem, ô præsumptionem! Frustra est quotidianum sacrificium. Frustra adstant altari, nemo est qui participet. Hæc dico, vt non solum participetis, sed vt vos dignos reddatis. Non es dignus sacrificio, neque participatione? Ergo nec prece. Audis præconem stantem & dicentem. Quicumque estis in pœnitentia, abite. Omnes qui non participant, sunt in pœnitentia. Si es ex iis qui sunt in pœnitentia, nõ debes participare. Nam qui non participat, est in pœnitentia. Cur ergo dicit, Abite qui non potestis precari: tu autem stas impudenter? At non es ex his, sed ex iis qui possunt participare, & nihil curas? rem nihil esse putas? Considera quæso. Adest mensa regia, adsunt Angeli ministrantes, adest Rex ipse, & tu stas oscitans? Vestes tibi sunt fordidæ, & nulla a te huius habetur ratio? At sunt mundæ. accumbe ergo, & participa. Venit quotidie vt videat accumbentes, omnes alloquitur, & nunc in vestra dicit conscientia, Amici quomodo hinc stas non habentes vestem nuptialem? Non dixit, Cur accubisti? Sed ante accubitum & ingressum eum dicit esse indignum. Non dixit enim, Cur accubisti? sed cur intrasti? Hæc ergo nunc quoque dicit nobis omnibus, qui impudenter & inuerecundè stamus. Quicumque enim est qui nimis audacter. Qui sunt in peccatis propterea priores eiiciuntur. Quomodo enim cum Dominus adest in mensa, non oportet adesse famulos qui offenderunt, sed procul amandantur: ita hinc quoque cum effertur sacrificium, & Christus sacrificatus, & ouis dominica, quando audieris, Oremus omnes communiter, quando videris trahi quæ in ostiis sunt cortinas, tunc existima cælum supernè diduci, & descendere Angelos. Quomodo ergo nullum oportet adesse ex iis qui mysterijs non sunt initiati, ita nec ex iis qui sunt initiati & fordidis. Dic mihi si quis ad conuiuium inuitatus manus lauerit, & accubuerit, & ad mensam paratus fuerit, & deinde non fuerit eius particeps, an non contumelia afficit eum qui inuitauit? An nõ esset melius eum ne adfuisse quidem? Ita tu quoque adfuisi, hymnum cantasti, cum dignis omnibus te es professus, eo quod cum indignis non recesseris. Quomodo mansisti & mensæ non es particeps? Sum, inquit, indignus. Ergo illa quoque communionem & societate quæ est in precibus es indignus. Non enim solum per proposita, sed etiam

Corpus Christi crucifixum sacrificatur in Eucharistia. Ioan. 17.

Coloss. 3.

Anima quomodo fiat manca ac mutila.

Matt. 24.

1. Cor. 11.

Corpus Christi datur in manibus.

Mors duplex, corporalis & animalis.

etiam per cantica vndique descendit spiritus. Non vides mensam spongia lauanti, & domum mundanti, & discos mensæ imponentem? hoc fit per preces, per clamorem præconis, Tanquam spongia lauemus ecclesiam, vt in munda ecclesia sint omnia proposita, vt nulla sit macula, nulla ruga. Sunt & oculi indigni his spectaculis, & aures indignæ. Et si bestia, inquit, motem tangat, obruetur lapidibus, adeo nec digni quidem erant qui ascenderent. Atqui postea etiam accesserunt, & viderunt vbi steterat. Licet postea accedere, & videre. Sed quando adfuerit, abi, non enim tibi magis licet quam catechumeno. Non sunt enim paria sacramenta, nondum esse assecutum, & postquam fueris assecutus, & offenderis, despiciere, & ea re te indignum reddere. Licebat plura & terribiliora dicere, sed ne mentem vestram grauem, hæc sufficiunt. Nam qui his non castigantur nec modesti redduntur, ij nec pluribus. Ne ergo nobis maius faciamus iudicium, rogo quidem vos, non vt non adfatis, sed vt præsentia & aditu vos reddatis dignos. Dic mihi si rex iusserit & dixerit, Si quis hoc agit a mea mensa abstineat, an non pro hoc omnia fecerimus? In cælos nos vocauit ad mensam regis, magni & admirabilis, & recusamus, & cunctamur, & ad eam rem non accurrimus? Et quænam est nobis spes salutis? Non licet causari imbecillitatem, nec culpam conferre in naturam. Socordia solum & ignauia nos reddit indignos. Hæc quidem dicta sunt a nobis. Qui autem compungit corda, qui dat spiritum compunctionis, compungat corda vestra, & in profundum immittat semina vt ex timore eius cõcipiatis spiritum salutis, & cum fiducia accedatis. Filij enim, inquit, tui tanquam nouellæ plantationes in circuitu mensæ tuæ. Nihil vetus, nihil immite, nihil crudum. Huiusmodi enim nouellæ plantationes aptæ sunt ad fructum, fructum admitrandum, oleæ, inquam, fructum, & fortes sunt & validæ, vt sint omnes in circuitu mensæ, neque temerè & fortè fortuna conueniant, sed cum metu & timore. Sic enim & ipsum Christum illic videbitis cum fiducia, quam detur nobis omnibus consequi, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum patre, & filio & spiritu sancto, sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Exod. 19.

Psal. 127.

Cap. 11.



ORATIO IIII.
 T vos cum essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum seculum mundi huius, secundum principem potestatis aeris huius. Spiritus qui nunc operatur in filios diffidentie, in quibus & nos omnes aliquando conuersati sumus in desiderijs carnis nostræ, facientes voluntatem carnis, & cogitationum, & eramus naturæ filij ire, sicut & ceteri. Est quidem mortificatio corporalis: est autem & animalis. Et illius quidem esse participem, nec est crimen, nec periculum. res enim est naturæ non instituti animi & liberi arbitrij. Nam & orta est ex transgressione Protoplasti, & res deinde decidit in naturam. alioqui autem etiam citò solueretur. Ipsa autem mortificatio animalis, cum sit instituti animi & liberi arbitrij, crimen habet, & nullam solutionem. Vide ergo quomodo Paulus cum iam valde magnum ostendisset, & quod maius sit morte affectæ mederi animam quàm suscitare mortuos, nunc quoque sic ponit tãquam magnum. Et vos cum essetis, inquit, mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis, secundum seculum mundi huius, secundum principem potestatis aeris huius, spiritus qui nunc operatur in filios diffidentie. Vides Pauli mansuetudinem, & quomodo vbi que consolatur auditorem, eum non onerans? Nam quoniam dixerat eos ad extremum vsque vitium esse pro-

uectos, hoc enim est esse morte affectos, hæc eos valde grauaret (Nam pudore afficiuntur homines, cum priora mala afferuntur in medium, etiam si sint absoluta, & nullum habeant periculum.) dat eis adiutorem, ne existimaretur totum eis esse imputandum, & adiutorem fortem. Quænam? Diabolum. Sic etiam facit in epistola ad Corinthios. Nam cum dixisset, Nolite errare, neque fornicatores, neque idololatres: & reliqua omnia recensuisset, & subiunxisset, Regnum Dei non possidebunt, tunc quoque dicit: Et hæc quidem fuistis. Non dixit absolutè fuistis, sed *in vobis*, id est aliqui fuistis. Hoc est, Sic quodammodo fuistis. Hic hæretici hæc de Deo dicta esse acriter contendunt, & effrenatam linguam longè exerentes, hæc Deo adaptant quæ sunt folijs diaboli. Quomodo ergo os eis obstruimus? Ex ipsis verbis. Nam si est iustus, sicut dicitur, hæc autem gessit, hæc res non est iusti, sed valde iniusti & scelerati. Deus autem nunquam fuerit sceleratus. Cur autem dicit eum principem seculi huius? Quoniam tota ferè humana natura seipsum illi dedit, & omnes sua sponte ei seruiunt & ex libero animi instituto & arbitrio, & Christo quidem bona promittenti innumerabilia ne animum quidem adhibet quispiam, illi autem nihil tale pollicenti, sed ad gehennam transmittenti cedunt omnes. Sed principatus eius est in hoc seculo, & is plures habet quàm Deus, & ei magis cedentes quàm Deo, præter paucos, propter nostram socordiam. Secundum potestatem, inquit, aeris spiritus. Hoc rursus dicit, quod locum habet sub cælo. & spiritus rursus aeris sunt incorporeæ potestates eo operante. Nam quod secularis sit eius principatus, hoc est qui cum præsentis seculo dissoluitur, audi eum dicentem in fine epistolæ. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, & aduersus mundi retores tenebrarum huius seculi. Nam ne cum audieris, Rectores tenebrarum, dicas etiam ipsum esse increatum, alibi etiam nequam seculum vocat tempus peruersum, non dicens de creaturis. Mihi enim videtur, si fuisset princeps sub cælo, non fuisse casurus a principatu, etiam post transgressionem. Qui nunc operatur in filios diffidentie. Vides quod non vi inducit nec tyrannide, sed persuasione? Dixit enim *de re ista*. Vt si dicas deceptione & persuasione omnes attrahit, nec hoc solum eos consolatur quod dederit socium, sed etiam quod se cum illis ponat. In quibus, inquit, & nos omnes aliquando conuersati sumus. Omnes non enim licet dicere quod exemptus esset aliquis. In desiderijs carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum, & eramus naturæ filij iræ sicut & ceteri omnes. Hoc est, nihil spirituale sapientes. Sed ne carnem in inuidiam vocet & odium, neque magnum existimes delictum, vide quomodo sibi caueat. Facientes, inquit, voluntatem carnis & cogitationum nostrarum; hoc est, voluptatis affectiones & motus, Deum irritauimus & ad iram prouocauimus. Hoc est, iram fuimus, & nihil aliud? Quomodo enim si sit filius hominis, est homo naturæ, ita nos quoque sicut & ceteri. Deus autem quid dicit in misericordia. Nõ dixit absolutè misericors, sed diues in misericordia, sicut & alibi dicit. In multitudine misericordiæ tuæ, & alibi, Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos. Vndè nam nos dilexit? Hæc enim non merentur dilectionem, sed iram & extremum supplicium. & hoc ergo ex multa misericordia; Et cum essetis mortui in delictis, conuiuificauit in Christo. Rursus Christus est medius, & res est fide digna. Si enim primitiæ viuunt, & nos. Viuificauit & illum, & nos. Vides quod omnia dicta sint de eo quod est secundum

1. Cor. 6.

Diabolus cur dicitur princeps huius seculi.

Inf. 6.

Galar. 4.

Proou. 20.

Psal. 63. Ibid. 50.

carne. Vidisti exuperantem eius potentia magnitudinem in nos qui credimus, Mortuos & irae filios, nos viuificauit. Vidisti spem uocationis? *Conresuscitauit & considerare fecit.* Vidisti gloriam eius hereditatis? *Conresuscitauit quidem, est manifestum.* Considerare autem nos fecit *in caelestibus in Christo Iesu*, quomodo stat? *Vt illud Conresuscitauit?* Nullus enim adhuc est suscitatus, nisi quod cum caput resurrexerit, nos quoque sumus suscitati. Sicut illic quoque cum Iacob adorasset, vxor quoque adorauit Ioseph. Sic ergo fecit quoque considerare. Sedente enim capite sedet quoque corpus. Propterea enim subiunxit, *In Christo Iesu.* Aut si hoc non ita sit, sed conresuscitauit per lauacrum. Quomodo ergo considerare fecit? Nam si sustinemus, inquit, & conregnabimus. Si morimur, etiam simul uiuimus: spiritu re vera opus est & reuelatione ut intelligamus profundum horum mysteriorum. Deinde ne fidem non habeas, vide quid subiungat. *Vt ostenderet in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratiae suae. In bonitate super nos in Christo Iesu.* Nam quoniam dixit de Christo: *que autem dixit, ad nos nihil erant.* Nam quid ad nos si ille resurrexerit? ostendit id quoque ad nos pertinere, siquidem is nobis est vnitus, nisi quod seorsum dicitur quae ad nos pertinent. Et cum essemus mortui peccatis, conresuscitauit & considerare fecit. *Quamobrem, sicut dicebam, noli non habere fidem, accepta demonstratione, & ex prioribus, & ex capite, & ex eo quod velit ostendere suam bonitatem.* Quomodo enim, si hoc non factum fuerit? *Vt ostenderet in seculis superuenientibus. Quidnam? Quod magna sint bona & omnibus credibilia.* Nam nunc quidem quae dicuntur, incredulis videntur esse nugae, tunc autem omnes scient. *Vis discere etiam quomodo fecit considerare? audi ipsum Christum dicentem discipulis.* Sedebitis super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israel. Et rursus: *sedere autem a dexteris meis & a sinistris, non est meum dare, sed quibus paratum est a patre meo.* Est itaque paratum. Et recte dixit, *In bonitate in nos in Christo Iesu.* Sedere enim a dexteris, est honoris qui omnem superat honorem, & post quem non sunt alia. Hoc ergo dicit, nos quoque lesuros. Verè sunt exuperantes diuitiae, verè exuperans magnitudo eius virtutis, sedere cum Christo. Etiam si mille habeas animas, propter ipsum eas non perdis? Nam etsi in ignem esset intrandum, an non oporteret hoc promptè sustinere? Porro autem ipse quoque rursus dicit. *Volo ut vbi sum ego, ministri quoque mei sint.* Nam si oporteret quotidie dissecari, an non oporteret id pro eo prompto & alacri animo suscipere? Cogita vbi ille sederit. *Supra omnem principatum & potestatem.* Et cum quo confides? *Cum illo.* Quisnam cum sis? *mortuus: natura filius irae.* Et quid rectè gessisti? *Nihil.* Verè ergo est opportunum exclamare. *O profunditas diuitiarum, & sapientiae, & cognitionis Dei!* Gratia enim, inquit, estis saluati. Nam ne beneficiorum magnitudo te extollat, vide quomodo te coercet & comprimit. *Gratia enim, inquit, estis saluati. Per fidem.* Deinde rursus ne liberum perimeretur arbitrium, posuit etiam quae sunt nostra. Et rursus ipsum sustulit, & dicit. *Et hoc non ex vobis.* Ne fides quidem, inquit, est ex nobis. Nam si non venisset, si non vocasset, quomodo potuissemus credere? *Quomodo enim, inquit, credent, nisi audiuerint? Quare nec fidei donum est nostrum, sed Dei.* Non enim suffecisset, inquit, fides ad salutem. Sed ne nobis vacuis & otiosis det salutem, eam, inquit, Deus requisit. *Dixit quod saluos fecit fides.* Quoniam Deus voluit, saluos fecit fides. Alioqui quomodo saluos facit fides absque operibus? Hoc ipsum est Dei donum, ne quis gloriatur, ut

nos gratos efficiat in gratiam. *Quid ergo, inquit, prohibuit ipse iustificari ex operibus? Nequaquam.* Sed nullus, inquit, iustificatus est ex operibus, ut ostendatur Dei gratia & benignitas. Non repulit habentes opera, sed eos qui sunt proditi ab operibus, saluos fecit gratia, ut nullus de cetero possit gloriari. Deinde ne cum audieris, quod non ex operibus, sed fide totum gestum sit, fias otiosus, vide quid subiunxit. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quae preparauit Deus ut in illis ambulemus.* Vide quid ipse dicat: *regenerationem hic tacite significat.* Reuera alia est creatura, ex nihilo producti sumus ad hoc ut essemus. *Quod eramus prius, mortui sumus.* Hoc est, homo vetus. quod non prius eramus, facti sumus. Recens ergo est creatura, & alia melior & praestantior. Nam ex illa quidem, ut viuere: ex hac autem, ut bene viuere accessit. In operibus bonis quae preparauit Deus, ut in iis ambulemus. Non ut incipiamus, sed ut ambulemus. Perpetua enim nobis virtute opus est, & extensa vsque ad nostrum decessum. Neque enim si esset ingrediendum via quae fert ad urbem regiam, deinde cum maiorem eius partem confecissemus, circa ipsum finem ignaui & molles redditi sedissemus, nobis profuisset ipsa spes uocationis. In operibus enim bonis, inquit. Ea res ergo nihil nos iuuisset.

MORALE.

ITA hic quoque, non iubet ut vnum operemur, sed ut omnia. Quomodo enim nobis sunt quinque sensus, & omnibus ad id quod oportet utendum est; ita etiam omnibus virtutibus. Si quis autem sit modestus & temperans, sit autem immitis, aut misericors quidem, sed auarus, aut ab alienis quidem abstineat, sed suis non impertiat, frustra sunt omnia. Non enim sufficit vna virtus, ut cum fiducia sistamur ad tribunal Christi, sed multa, varia, & omnis generis, atque adeo omni virtute est opus. Audi enim eum dicentem discipulis. *Euntes docete omnes gentes, docentes seruare omnia quae mandauit vobis.* Et rursus. *Si quis soluerit vnum ex mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno caelorum.* Hoc est, in resurrectione, non enim intrabit in regnum caelorum. Nam ipsum quoque tempus resurrectionis vocat regnum caelorum. Si vnum, inquit, soluerit, minimus vocabitur. *Quamobrem nobis opus est omnibus.* Vide autem quomodo non sine eleemosyna licet intrare, sed etsi ipsa sola desit, abibimus in ignem. Abite, inquit, maledicti in ignem aeternum, paratum diabolo & angelis eius. Cur & quam de causa? *Quoniam esurij, & non dedistis mihi quod comedere: sitiui, & non dedistis mihi potum.* Vidisti quemadmodum nullius alterius accusati, propter hoc solum perierunt? Et virgines propter hoc solum eiectione sunt e thalamo, licet haberent temperantiam & castitatem, & ut dicit Paulus, sanctimoniam, sine qua nemo videbit dominum. Cogita ergo quod sine castitate quidem & temperantia non licet Deum videre. Non omnino autem cum castitate & temperantia potest videri. Saepe enim aliud impedit. Rursus si omnia rectè gesserimus, proximo autem nihil profuerimus, nec sic intrabimus in regnum. *Vndenam hoc constat? Ex seruis quibus credita fuerunt talenta.* Nam illic virtus omnis erat integra & sincera, & nihil fuerat praetermissum: sed quoniam piger fuit in operatione, merito fuit eiectione. *De turbari etiam potest quispiam in gehenam ex solo maledicto.* Nam qui dicit, inquit, fratri suo, *Stulte, est obnoxius gehennae ignis.* Etiam si quis omnia rectè gesserit, sit autem contumeliosus, non intrabit. *Nec quispiam Deum accuset crudelitatis, si eos qui lapsi sunt expellit*

Gen. 46.

2. Tim. 2.

1. Cor. 15.

Considerate quomodo nos fecerit Christus. Matt. 19. Ibid. 10.

Ioan. 17.

Rom. 11.

Ibid. 1.

Creatura alia efficiuntur per baptiz. mun.

Matt. 18. Ibid. 10.

Ibid. 10.

Heb. 11.

Iac. 1.

Matt. 23.

Ibid. 6. Deus est enim lapis qui punitur.

Deus non ideo non bonus, quod sit iustus.

Eccles. 5.

Rom. 2.

Ibidem.

Damnatorum peccata sunt diuersa.

Eleemosynae multae habentur apud Iudaeos.

Ibid. 6. Deus est enim lapis qui punitur.

ex regno caelorum. Nam si apud homines quispiam aliquid fecerit iniquum & praeter leges, a mandatur a conspectu regis, & si vnum ex iis quae sunt constituta sit transgressus: & si accusans sit calumniatus, perdit magistratum. & si adulterium commiserit & sit conuictus, redditur indignus, & quauis innumerabilia rectè gesserit, perit: & si caedem fecerit, & probatum fuerit, hoc quoque ad eum perdendum sufficit. Si hominum leges adeo exactè seruantur, multò magis leges Dei. At est bonus, inquit. Quousque hanc stultam dicimus orationem? *Stultam autem dixi, non quod non sit bonus, sed quod existimamus eius bonitatem ad haec nobis esse vtilem, & si innumerabilia de his saepe differuerimus.* Audi enim scripturam dicentem. *Ne dixeris, Miseratio eius est multa, multitudinè peccatorum meorum propitiabitur.* Non prohibet nos dicere multam esse eius misericordiam. Non hoc suadet: sed & nos vult hoc assidue dicere: & propterea omnia mouet Paulus, sed propter ea quae deinceps sequuntur. Ne ideo admireris Dei benignitatem ut pecces, & dicas, *Multitudinè peccatorum meorum propitiabitur.* Ideo enim tam multa differimus de bonitate, non ut ei confidentes agamus omnia, alioqui bonitas erit ad nostrè salutis exitium, sed ne desperemus in peccatis, verum agamus poenitentiam. Benignitas enim Dei te ducit ad poenitentiam, non ad plura vitia. Si autem malus & sceleratus fias propter benignitatem, tu eum magis in odium vocas & accusas apud homines. Multos enim videmus accusantes Dei lenitatem. *Quamobrem dabis poenas, ut qui ea non vtaris ut oportet.* Deus est benignus, sed est etiam iustus Iudex. Condonat peccata, sed etiam reddit unicuique secundum opera sua. *Translit iniquitates, & tollit peccata, sed ea quoque examinat.* Quomodo ergo sunt haec contraria? Non sunt contraria, si temporibus ea diuiserimus. Tollit hic peccata per lauacrum & poenitentiam. Facta illic examinat per ignem & tormenta. Si ergo, cum & mala fecero innumerabilia, & vnum ex iis eiecero, etiam a regno excido, cur mala non operor? *Ingrati serui est oratio: sed tamen hanc quoque dissoluemus orationem.* Ne mala opereris, ut tibi prosis. Nam a regno quidem omnes similiter excidemus: in gehenna autem non easdem poenas dabimus omnes, sed hic quidem maiores, ille verò mitiores. Nam si tu quidem & ille despexeris, & qui in multis, & qui in paucis, similiter e regno exciditis. Si autem non similiter despexeritis, sed alius quidem magis, alius verò minus, in gehenna sentietis differentiam. Cur ergo minatur iis qui non dederunt eleemosynam, eos esse abituros in ignem? *Non absolutè in ignem, sed qui paratus est diabolo & angelis eius.* Cur ergo & quam de causa? *Deum nihil aequè irrat, imò verò id praeter malis omnibus.* Nam si oportet diligere inimicos, qui etiam amicis affert interitum, & est in hoc deterior gentibus, quod non merebitur supplicium? *Quamobrem hic magnitudo peccati fecit cum abire cum diabolo.* Vnde enim ei qui non facit eleemosynam. Si hoc autem erat in veteri, multò magis in nouo. Si vbi erat concessum possidere pecunias, easque frui & eas procurare, tanta gerebatur cura opis ferendè pauperibus: quanto magis, vbi iubemur omnia eiecere? *Nam quid illi nò faciebant? Decimas & rursus decimas praebant orphanis, viduis, profelytis, sed mihi quidam de quopiam dicebat, hic aut ille dat decimas.* Quanto est hoc plenum probro & dedecore, si quod apud Iudaeos non habebatur in admiratione, hoc apud Christianos factum est admirabile? Si tunc erat periculum decimas non relinquere, cogita quantum nunc sit. Rursus ebrietas non habet hereditatem regni. Sed quid est quod dicitur a

multis? *Si ego & ille iisdem tenemur, non est parua consolatio.* Quid verò, maximè quidem non erit idem tuum & illius supplicium, alioqui autem nec hoc est consolatio. Tunc enim peffessionum societas habet consolationem, quando mala quae patimur fuerint symmetria & proportione congrua: quando autem exuperant, & ut mente excedamus effecerint, non amplius finunt vllam habere consolationem. *Dic enim ei qui per contumeliam flagris caeditur, & in ignem est iniectus.* Hic aut ille hoc patitur, ne sentiat quidem consolationem. *Nonne omnes simul perierunt Israelite, quamnam hoc eis attulit consolationem? An non hoc ipsum eos maiori dolore afficiebat? Et ideo dicebant, periimus, interiimus, consumpti sumus.* Quanam est ergo haec consolatio? *Frustra nos hac spe consolamur.* Vna sola est consolatio, in illum qui extingui non potest ignem non incidere: eis autem, qui incidere, non licet assequi consolationem: vbi est stridor dentium, vbi fletus, vbi vermis qui non moritur. *Omninòne vllam senties, dic quae sola, consolationem, cum sis in afflictione & angustia, & de cetero eris apud te.* Ne, quae so, & rogo, ne nos temere decipiamus, & his verbis consolemur, sed ea faciamus quae nos poterunt seruare. *Cum Christo concide: est tibi propositus, & tu de his exactè loqueris.* Nam si nullum esset aliud peccatum, pro his verbis quantum nos oporteret subire supplicium? *Quod simus adeo ignaui, miseri & socordes, ut tanto etiam proposito pretio haec dicamus.* Quando tu ne cogitaueris eos qui se rectè gesserunt, non magis contabescis? *Quando videris ex seruis & humili loco natis eos qui parum hic laborarunt, throni regij esse participes, non ea erunt tibi peiora punitione? Nam si nunc eos videns approbari & in bona esse existimatione, & nihil mali pati, ex eo magis peris quam ex quouis supplicio, & te ipsum luges & lacrymaris, & te mortibus mille dignum esse censens, quid tunc patieris? Nam si non esset gehenna, ipsa de regno cogitatio an non sufficeret ad perdendum & ad afferendum interitum? Quod autem res ita sit se habitura, satis disci potest ex rerum experientia. Ne nos ergo temere oblectemus & consolemur huiusmodi verbis, sed attendamus, & salutis nostrae curam geramus, & de virtute sumus solliciti, & ad bona & honesta gerenda nos excitemus, ut digni habeamur qui tantam assequamur gloriam, in Christo Iesu domino nostro.*

ORATIO V.

PROPTER quod memores estote quod aliquando vos eratis gentes in carne qui dicebamini *praeputium, ab ea quae dicitur circuncisio in carne manufacta: qui eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conuersatione Israel, & hostes testamentorij promissionis, spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo.* Multa ostendunt Dei benignitatem & amorem in homines. *Primum, quod per se saluos fecerit, & per se tali modo.* Secundo quod cum quales eramus saluos fecerit. Tertiò quod nos deduxerit. *Haec enim omnia per se maximam habent indicationem eius benignitatis.* Et haec omnia Paulus nunc scribens agit. *Dixit, quod cum essemus mortui delictis & filij irae nos saluos fecerit.* Nunc dicit quibus nos fecerit aequales. & ideo dicit, *Memores estote.* Solemus enim omnes quando ab humili admodum & abiectione conditione ad contrarium & ei ex aduerso respondentem aut etiam maiorem euecti fuerimus honorem, ne priorum quidem meminisse, ut qui in illa nutriamur gloria. Propterea dicit, *Propter quod memores estote.* Propter quod. *Quòdnam? Quòd creati sumus in operibus bonis.* Hoc autè sufficit ad nobis persuadendum ut curam geramus virtutis. *Memores estote.* Sufficit enim illa memoria ad

Marc. 9.

Gehenna sola cogitatio sufficit ad perdendum.

Hoc non est in Graeco.

Dei benignitas in homines quomodo ostendatur.

gratos & memores reddendos in benefactorem. Quod vos aliquando gētes. Vide quomodo ea deprimat quibus Iudæi præcellabant & erant superiores, & ea admiratur quibus gētes erāt inferiores ac minores, quæ quidem non erant huiusmodi vt inferiores ac minores eos redderēt, sed à modo & vita vtriusque persuadet. Qui dicebamini. In verbis erat honor. In carne erat prærogatiua. Nihil enim est præputium: nihil circumcisio. Ab ea quæ dicitur, inquit, circumcisio in carne manufacta. Quod eratis illo tempore sine Christo, alienati à cōuersatione Israël, & hospites testamentorum promissionis, spem non habētes, & sine Deo in mundo. Qui hoc vocamini à Iudæis. Cur autem cum esset ostēsurus in hoc eis collatum fuisse beneficium, quod eos fecerit societatem & cōmunionem habere cum Israël, rursus Israëliticam non deprimat dignitatem, sed eam rursus extollit in iis quæ sunt necessaria, in iis autem deprimat in quibus eis non fuit societas ac cōmunio. Procedens enim dicit, Estis ciues sanctorum & domestici Dei. Vide quemadmodum non deprimat. Hæc, inquit, sunt indifferentia. Ne existimeris, inquit, vos circumcisionem non esse cōsecutus, & eo quod estis in præputio, aliquā esse differentiam. Hoc est quod erat graue ac molestum, quod essent sine Christo, quod essent alienati à cōuersatione, seu à ciuili vitæ agēdæ ratione: hoc autem non est conuersatio, seu ciuili vitæ agēdæ ratio. Quod autē essent hospites testamentorum promissionis, quod non haberent spem futuram, quod essent in hoc mūdo sine Deo; hæc omnia erāt illorū. Dixit de rebus cælestibus: dicit etiā de iis quæ sunt super terrā. Quoniam de ipsis Iudæis magnā habebant existimationem & gloriam. Ita etiam Christus cōsolans discipulos, postquam dixit, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiā, quoniā ipsorum est regnum cælorum, ponit id quod est minus. Sic enim persecuti sunt Prophetas qui fuerunt ante vos. Nam hoc quidem, quod ad magnitudinem attinet, est minus. Si spectetur autem quod propè sint & crediderint, est magnum & sufficiens, & magnam vim habet. Hoc ergo erat habere conuersationem & ciuili vitæ agēdæ rationem. Non dixit, Separati, sed alienati à conuersatione & ciuili vitæ agēdæ ratione. Nō dixit, Non attendentes, sed, neque participātes & hospites. Magna est verborum emphasis magnam ostendens separationem. Nam etiam Israëlita erant extra cōuersationem, bonæque ac ciuili vitæ agēdæ rationem, sed non tanquam hospites, verūm tāquam pigri & desidiofi, & exciderunt à testamentis, sed non tāquam hospites. Quænam autem erant testimonia promissionis? Tibi & semini tuo dabo terram hanc, & quæcunque alia promissit. Spem, inquit, non habētes, & sine Deo. Atqui Deos adorabant, sed non erant. Idolum enim nihil est. *Nunc autem in Christo Iesu, vos, qui aliquādo eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceris soluens, inimicitias in carne sua.* Hoc est ergo, inquit, magnum, quod venimus in Iudæorum conuersationem vitæque ciuili agēdæ rationem? Quid dicis? Quæcunque sunt in cælis & quæ sunt in terra instaurauit & in vnā summam redegit, & nunc dicis de Israëlitis? Certè, inquit. Nam illa quidem fide oportet assumere, hæc autem etiam factis ipsis & operibus. Nunc autem in Christo Iesu, inquit, vos qui aliquādo eratis longè, facti estis propè ad conuersationem & ciuili vitæ agēdæ rationem. Nam illud longè & illud propè, est solius liberi arbitrij & electio-nis. Ipse est enim pax nostra qui fecit vtraque vnum. Quid hoc est, vtraque vnum? Non hoc dicit quod nos euexerit ad illam generis nobilitatem: sed & quod nos & illos ad maiorem. Sed maius est beneficium quo nos

affecti sumus. Nam illis quidem & promiserat, & erant propinquiores. Nobis autem nec promiserat, & eramus longius. Quamobrem dicit, Gentes autem pro misericordia glorificare Deum. Promiserat quidem Israëlitis, sed erāt indigni. His autem ne promiserat quidem. Sed hospites eramus: Nihil erat nobis cum ipsis commune, & nos fecit vnum, non vt qui nos illis coniunxerit, sed & nos & illos coniunxerit in vnum. Dicam autem exemplum. Ponamus esse duas statuas, vnam quidem ex argento, alteram verò ex plumbo. Deinde ambas solas & cōflatas prodiisse aureas. Ecce duas vnum fecit. Aut etiā aliter. Sit vnus quidem seruus, alius verò in filium adoptatus. Ambo autē eundem adorent, hic quidē abdicatus cum sit filius, ille verò fugitiuus, & qui ne patrē quidem nouit. Deinde fiant ambo heredes, & germani filij. Ecce ad vnum honorem sunt perducti. Duo facti sunt vnum, ille quidem cum venisset è longinquo, hic verò cum è propinquo, & magis est germanus quam antequam offenderet. Medium, inquit, parietem maceris soluens. Quis est medius paries? Inimicitias, inquit, in carne sua: legem mandatorum in decretis euacuans. Nonnulli quidem dicunt quod lex est medius paries inter Iudæos & Græcos, quod non sinat ipsos misceri. Mihi autem nō ita videtur, sed quod hic medius paries sit cōmunis nempe inimicitie in carne. Hic erat medius paries qui obsepiebat, sicut dicit Propheta: An nō peccata vestra separant inter me & vos? Medius paries, inimicitias erant, quæ ei intercedebant cum Iudæis & Græcis. Cum esset autem lex, non solum non soluebantur, sed etiam magis crescebat. Lex enim, inquit, iram operatur. Quomodo ergo illic dicens, lex iram operatur, non ei totum adscribit, sed subauditur, Quoniam transgressi sumus: ita hic quoque eam dicit mediū parietem, quoniam dum ei nō obeditur, faciebat inimicitias. Lex erat sepes: sed ea quidem erat vt tutos redderet, & ideo etiam nominata est sepes vt circumsepiret. Audi enim rursus Prophetam dicentem. Et sepem illi circumdedit. Et iterum: Abstulisti sepem, & vindemiant eam omnes qui transeunt per viam. Illic dicit tuitionem. Et rursus: Auferam sepem eius, & erit in conculcationem. Et rursus: Legem dedit in auxilium. Et iterum: Faciens misericordiam & iudicium dominus, notas fecit iustificationes suas Israël. Facta est autem medius paries, non eos tutos reddens, sed eos à Deo separans. Eiusmodi est medius paries qui est à sepe. Cuiusmodi autem est ea? Inimicitias, inquit, in carne sua. Quomodo? Vt qui circumsepserit & inimicitias illie soluerit, nec hoc solum, sed etiā eius obseruationem. Quid enim si liberati essemus à priori transgressione, rursus autem eam necesse haberemus seruare? Rursus idem esset. Sed eam quoque soluit: legem, inquit, mandatorum in decretis euacuās, seu abolens & reddens irritam. Papæ quantā benignitas! Dedit nobis legem seruandam. Quoniam autē non seruauimus, cum oporteret puniri, legē soluit: vt si quis cum puerum tradidisset pædagogo, quoniā nō obedit, etiam à pædagogo liberauerit & abduxerit. Quantæ est hoc benignitatis & clementiæ? Quid est. In decretis euacuans? Magnam, inquit, hic ponit differentiam mandati & decretorum. Aut fidem dicit, ipsam vocans decretum: à sola enim fide saluos fecit: aut præceptum, sicut dicebat Christus. Ego autem dico vobis, ne omnino irascamini: hoc est, si credideris quod Deus cum excitauit à mortuis, saluos eris. Et rursus: Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo. Ne dixeris: Quis ascendet in cælum, aut quis descendet in abyssum? aut quis ipsum sustulit è mortuis? pro vita fidem introduxit. Nam vt non temerè saluos faceret, & ipse fuit punitas, & fidem ab eis exegit per decreta. *Vt duos condat in semetipsum*

Honor in verbis.

Circumcisio & præputium sunt indifferentia.

Matt. 5.

Gen. 15.

Propè & longè esse in Christo est solius liberi arbitrij.

Iudæis gentes quomodo Christus in vnum coniunxit.

Esa. 59.

Lex et dicta in sepe.

Esa. 59. Matt. 23. Psal. 76. Esa. 59. Psal. 118.

Lex quomodo soluitur & eius obliuio.

Matt. 23. Exod. 34. Rom. 7.

Pro vita fides introduxit.

metipsum in vnum novum hominem. Vides quod nō Græcum factum Iudæum, sed & hunc & illum venientes ad alterum statum: non vt hūc alium faciat, sed duos condat ac creet. Et rectè vbique vsus est nomine condat. Nec dixit, mutet, vt ostēderet efficaciam eius quod factum est, & quod etiam si creatura cadat sub aspectum, illa tamen non est hæc minor, & quod de cætero non sit nobis resiliendum à rebus naturalibus: vt duos, inquit, condat in seipso: hoc est, per seipsum. Non alij hoc iussit, sed per seipsum, & cum hunc & illum fudisset & conlasserit, vnum produxit admirabilem, cum ipse hoc primum factus esset quod est maius priori creatura. Hoc est enim in seipso, cum ipse primus formam præbuerit & exemplar. Nam cum hinc tenuisset Iudæum, & illinc Græcum, & ipse fuisset medius, & eos commiscuisset, & quidquid eorum erat ab alienatum deleuisset, ex alto refinxit per ignem & aquam. Non vtique per aquam & terram, sed per aquam & ignem. Factus est Iudæus circumcisus, factus est maledictus. Factus est Græcus extra legem, etiā supra Græcos & Iudæos. In vnum nouum, inquit, hominem, *faciens eis pacem*, & cum Deo & inter se. Non enim manentes Iudæi & Græci essent cōciliati, & non à suo statu liberati vnusquisque venissent ad alium maiorem. Iudæus enim tunc Græco coniungitur, quando factus fuerit fidelis. vt si sint infernè duo habitacula, & supernè vnum admirandum & magnum, non se potuerint alter alterum videre donec fuerint superius. Faciens pacem: magis autem cum Deo. Quod enim sequitur hoc ostendit. *Quid enim dicit? Vt reconciliet ambos in vno corpore Deo per crucem.* Non dixit Conciliet, sed reconciliet, ostēdens quod antea humana natura erat ad cōciliandum facilis, vt pote in sanctis & ante legem. In vno corpore, inquit, suo, Deo. Quomodo fit hoc? Vt qui pœnam, inquit, quæ debebatur ipse subierit per crucem. *Interficiens inimicitias in seipso.* Nihil est his verbis magis proprium, nihil quod maiorem habeat emphasim. Mors eius interfecit inimicitias, fauciauit & perdidit, vt qui non alij imperauerit, neque solum egerit, sed etiam sit passus. Non dixit, Soluens: non dixit, tollens, sed quod est omnium vehementissimum, Interficiens, adeo vt ipsæ non amplius resurgant. Quomodo ergo resurgūt? A multo nostro vitio ac scelere. Quandiū manserimus in corpore Christi, quandiū fuerimus vniti, non resurgunt, sed iacent mortuæ. imò verò illæ nunquam resurgunt. Sed si alias pepererimus, non ex tunc amplius ex eo qui priores sustulit & perdidit, sed tu eas parturis. Nam prudentia seu potius cogitatio & spiritus carnis, inimicitias sunt aduersus Deum. Si nihil cogitemus ac sapiamus carnale, non nascentur aliæ, sed manebit pax illa.

MORALE.

COGITA enim quantum sit malum, cum Deus tam multa procurarit & effecerit vt conciliemur, nos rursus redire ad inimicitias. Has non amplius manet lacuacrum, sed gehenna, non remissio, sed examinatio & quæstio. Prudentia ac cogitatio carnis, sunt deliciae & indulgere voluptati. Prudentia carnis est avaritia & plura habendi cupiditas, & omne peccatum. Cur dicta est prudentia carnis? Atqui ea sine anima nihil fecerit. Non hoc dicit carnem vituperans. Nam & quando dicit, Animalis homo, non hoc dicit vituperans animam. Non enim per se sufficit nec corpus nec anima ad præclarum aliquid & magnum faciendum, si non supernum assequatur auxilium. Propterea animalia illa vocat quæ per se operatur anima: & carnalia illa quæ per se corpus. Non quoniam hæc naturalia, sed quoniam nisi inde præsidium acceperint, pereunt. Nam oculi quoque

Carnis prudentia quid sit.

Matt. 23. Exod. 34. Rom. 7.

Pro vita fides introduxit.

A sunt pulchri: sed sine luce mala faciunt innumerabilia, & ea sunt ipforum imbecillitatis. Si essent autem mala naturalia, nunquam iis ad id ad quod oportet vteremur. Nihil enim naturale est malum. Quid ergo sunt prudentiæ aut cogitationes carnales? Peccata. Quoniam quando ipsa, nempe caro, obtinuerit dominatum aduersus aurigam in altum elata, mala parit innumerabilia. Carnis enim virtus est subiectam esse animæ: vitium autem, animæ imperare. Quomodo ergo equus est pulcher & bonis tibiis, sed hoc absque auriga non apparet: ita etiam caro, quando eius exultantes spiritus amputauerimus. Sed neque auriga apparet absque scientia. Nam ipse quoque illis facit grauiora. Quamobrem oportet omni ex parte attendere. Spiritus ei attendens aurigam facit fortiozem. Is & animam ornat & corpus. Quomodo enim anima, dum inest quidem corpori, ipsum pulchrum ostendit. Quando autem ipsum à sua destituerit operatione, & abscesserit, perinde atque si pictor confundat colores, magna fit deformitas vnaquaque parte properate ad interitum & resolutionem: ita etiam quando spiritus, corpus solum reliquerit & animam, fit deterius, & maior est deformitas. Ne ergo quoniam corpus est minus anima, id vitupera. Nam nec ego patior vituperari animam, quoniam nihil valet absque spiritu. Si autem aliquid sit dicendum, maiorem reprehensionem meretur anima. Nam corpus nihil mali fecerit absque anima: sed anima multa absque corpore. Etenim dum illud tabescit & non exultat, hæc multa mala facit: sicut illi præstigiatores, magi, inuidi, venefici corpus attenuant & macerant. Alioqui autem nec deliciae sunt ex necessitate corporis, sed ex eo quod non attendat anima. Alimentum enim est ex necessitate corporis, non deliciae. Si velim frenum vehemens & asperum immittere, equum reprimam ac refrenabo. Corpus autem animum non potest cohibere in eius malis. Cur ergo eam vocat prudentiam carnis? Quoniam tota est carnis. Quando enim ipsa dominatum obtinuerit, tunc peccat, quando mentem ademerit, & animæ imperium. In hoc ergo consistit virtus corporis, quod cedat animæ. Nam per se nec est bona, neque mala. Quid enim per se fecerit corpus? Quamobrem coniunctione bonū est corpus propter subiectionem. Nam nec bonum est nec malum, ad hoc autē & illud aptum, ad vtraque est propèsum. Corpus concupiscit, sed nō scortationem, nec adulterium, verūm coitum. Corpus concupiscit: non delicias, sed nutrimentum; non ebrietatem, sed potum. Nam quod ebrietas non sit concupiscentia corporis, vide quomodo: non amplius retinueris quādo modum excesseris, & corporis terminos moueris. Nempe alia omnia sunt animæ, quando deicitur ad carnalia, quādo crassa euadit. Nam etsi bonum sit corpus, est tamen lōgè minus anima: sicut plumbum auro, sed tamen plumbo etiam opus est, quod conglutinet. Ita etiam animæ opus est corpore: quomodo puer ingenuus opus habet pædagogo. Sicut ergo res pueriles dicimus, non vituperantes ætatem, sed ea quæ sunt ex ea: ita etiam dicendum est de corpore. Sed licet non esse in carne, si velimus, sicut nec in terra: sed in cælis & in spiritu. Esse enim alicubi non tam dicitur situ ac positione quā affectione, quæ dicitur etiam dispositio. Multos quidem certè qui sunt alicubi, non esse dicimus, dicentes, Non eras hic. Et quid dico? sæpe dicimus, non es in te vel apud te: non sum in me vel apud me. Atqui quid hoc est magis corporale, quando ipse sibi est propinquus? Sed tamen dicimus ipsum nō esse apud se. Simus ergo in nobis seu apud nos, in cælo, in spiritu. Maricamus in pace & gratia Dei: vt liberati ab omnibus carnalibus, possimus assequi bona promissa

Nihil naturale est malum.

Corporis virtus in quo consistat.

Apud se esse quid sit.

in Christo Iesu domino nostro, cum quo patri simul A cum sancto spiritu, gloria, potentia &c.

ORATIO VI.

VENIENS evangelizavit pacem vobis qui longè fuistis, & pacem iis qui propè, quoniã per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu, ad patrem. Ergo iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici Dei: Super- edificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis edificatio constructa crescit in templum sanctum in domino. In quo & vos coedificamini in habitaculum Dei in spiritu sancto. Non per alium, inquit, misit, neque per aliquem alium hæc significauit, sed ipse per se. Nõ misit angelum, non archangelum, quandoquidem tam multa mala corrigere nullius erat alterius, sed eius præsentia, & annunciare ea quæ facta sunt. Ministri ac propemodũ famuli locum suscepit dominus, & venit, & pacem euangelizauit, id est pacis bonum & faustum nuncium annunciauit. vobis, inquit, qui longè fuistis, & qui propè. Iudæis, inquit, qui erant propè si cum nobis cõferantur. Quod per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu, ad patrem. Pace, inquit, Deo nos conciliauit. Ipse enim dicit: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Et iterum: Confidite, ego vici mundum, & : Quæcunque petieritis in nomine meo accipietis. Et rursus: Quoniam pater vos diligit. Hæc sunt signa pacis. Et præter hæc quomodo? Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu, non vobis minùs, illis autem amplius, sed vna gratia. Nam iram quidem soluit morte, patri autem nos fecit amabiles per spiritum. Ecce rursus In est per, hoc est, per se & spiritum adduxit nos ad ipsum. Ergo iam non estis hospites & aduenæ, sed ciues sanctorum. Vides quod non absolutè in Iudæorum, sed in sanctorum & magnorum virorum, nempe Abrahamæ & Moyse, & Eliæ eandem adscripti sumus ciuitatem, & in illam esse relati & insinuati euidenter indicamur. Nam qui hæc, inquit, dicunt, apertè ostendunt se patriam querere. Non amplius hospites sanctorum, nec inquilini. Nam qui cœlestia non sunt affecturi, sunt inquilini. Filius enim, inquit, manet in æternum. Et domestici, inquit, Dei. Quod illi, inquit, habebant ab initio per tam multos labores, hoc vobis rectè successit per Dei gratiam. Ecce spes vocationis. Super- edificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum. Vide quemadmodum omnia permiscet, Græcos, incredulos, Prophetas, Christum: & aliquando quidem ex corpore, aliquando autem ex edificio conjunctionem ostendit. Super-edicati, inquit, super fundamentum Apostolorum. Hoc est, fundamentum sunt Apostoli & Prophetæ. Et primum ponit Apostolos, qui tempore sunt vltimi. Num ergo hoc ostendens dicit, quod illi sunt fundamentum, vniuersum autem vnum est edificium, & vna radix? Cogita Græcos fundamentum habere Patriarchas. Hic ipsum magis dicit propriè quàm quando dicit, infertionem: & hic magis quàm illic tangit. Deinde dicit: Qui totum continet est Christus. Lapis enim angularis & parietes continet & fundamentum, in quo est vniuersum edificium. Vide quomodo ipsum cõiunxerit, vt qui aliquando quidem totum corpus supernè continet ac comprehendat, aliquando autem infernè portet edificium, & sit radix. Illud autem, Condidit in seipso in vnum nouum hominem, per hoc significauit, Per seipsum coniunxit vtrosque parietes, quoniam in ipso sunt creati. Et primogenitus, inquit, omnis creaturæ: hoc est, ipse portat omnia, in quo totum edificium est constructum. Siue tectum dixeris, siue parietes, siue quiduis aliud, totum portat. A-

Ioan. 14. Ioan. 16. Ioan. 14. Pacis signa quænam sunt.

Ciuitas sanctorum quænam sit.

Christus lapis angularis ecclesiæ vniuersum continet edificium.

Coloss. 1.

libi autem ipsum dicit fundamentum. Fundamentum enim, inquit, aliud nemo potest ponere præter id quod est positum, quod est Iesus Christus. In quo, inquit, omnis ædificatio constructa. Res ipsa accuratè & exactè considerata ostendit, quod non aliter poni potest, nisi exactè & accuratè rectè vixeris. Crescit, inquit, in templum sanctum in domino. In quo & vos coedificamini in habitaculum Dei in spiritu sancto. Coniunctè & cohæretè hoc dicit, In templum, in habitaculum Dei, in spiritu. Quid sibi vult autem ædificatio? Vt Deus in hoc templo habitet, & vnusquisque vestrum est templum, & omnes communiter, & tanquam in corpore Christi habitat, & tanquam in templo spirituali habitat. Accessum autem non dixit Græcè πρὸς τὸν, id est aditum, sed πρὸς τὸν, hoc est adductionem. Non enim à nobis ipsis accessimus, sed ab ipso adducti sumus. Nam nemo, inquit, venit ad patrem nisi per me. Et rursus: Ego sum via, veritas, & vita. Et rursus eos coniungit cum sanctis. Rursus ad prius redit exemplum, nequaquam sinens vt longius à Christo recedatur. Est ergo vsque ad aduentum hæc ædificatio. Propterea ergo dicebat Paulus: Vt sapiens Architectus fundamentum posui. Et rursus: Fundamentum est Christus. Quid hoc est? Vides quod pro rebus subiectis sit accipiendum: non absolutè. Hoc dico in exemplis, vt quando patrem dicit Agricolam, & seipsum radicem.

Huius rei gratia ego Paulus vinculus Christi Iesu pro vobis gentibus, si tamen audistis. Dixit magnam Christi curam & prouidentiam. De cætero ad suam quoque digreditur, quæ parua quidem est & planè nihil, si cum illa conferatur: quæ tamen ipsa quoque est idonea & sufficiens ad attrahendum. Propterea inquit, ego quoque vinculus sum. Si enim dominus meus propter vos est actus in crucem, multò magis ego vinculus sum. Non solum ipse fuit vinculus, sed etiam suos seruos permittit vinciri. Pro vobis gentibus. Magna emphasis. Vos de cætero non solum non abominamur, sed etiam propter vos, inquit, vincimur, & ego tantam adeptus sum gratiam. Si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei quæ data est mihi in vobis. Innuit prædictionem quæ de ipso Damasci facta est Anania: quædo dicabat: Vade, quoniam vas electionis mihi est iste, vt portet nomen meum coram gentibus ac regibus. Dispensationem gratiæ dicit reuelationem. Hoc est, non didici ab hominibus, & dignatus est, mihi, cum esse vnus, reuelare propter vos. Ipse enim, inquit, mihi dixit. Vade, quoniã te ad gentes procul amadabo. Erat enim magna dispensatio, eum qui minimè credebatur superis vocare & dicere: Saule Saule quid me persequeris? & arcana illa luce eum excæcare. Si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei quæ data est mihi in vobis, quod secundum reuelationem notum mihi factum est sacramentum, sicut supra scripsi in breui. Fortasse per aliquot significauit, aut scribebat propter multos. Hic ostendit quod vniuersum sit Dei, quod nihil attulimus. Quid enim, dic quæso: Nõ ipse magnus ille Paulus & admirandus, qui legem didicit, qui ad pedes Gamalielis exactè fuit eruditus, gratia fuit saluus? Est enim mysterium, quod gentes ad maiorem deduxerit nobilitatem quàm Iudæos. Sicut supra, inquit, scripsi in breui, id est paucis. Prout potestis legentes intelligere. Papæ. Nõ totum scribebat, neque quantum scribere oportebat. Sed hic quidem hoc faciebat rei natura: alibi autem vitium, sicut apud Hebræos, sicut apud Corinthios. Prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in ministerio Christi. Quomodo concepi, quomodo intellexi, aut quæ sunt huiusmodi quæ dixit Deus, aut quod sedet à dextris. Deinde etiam dignitatem. Nõ sic fecit Deus omni gèti. Et quænam est gens cui sic fecit Deus? Quod alijs generationibus, inquit,

1. Cor. 3. edificatio non crescit in Christo nisi rectè viuatur.

1. Cor. 6.

Ioan. 14. Ibid.

1. Cor. 1. Ibid.

Car. 11.

Prædicationem erit eum & dispensationem.

Act. 9.

Ibidem.

non est agnitus filiis hominum, sicuti nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius & prophetis in spiritu. Quid ergo dic mihi, non norant Prophetæ? Quomodo ergo dicit Christus, Moses & Prophetæ hæc de me scripserunt? Et rursus: Si credidissetis Moysi, credidissetis & mihi. Et rursus: Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere. Et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Aut hoc dicit, quod non omnibus fuit reuelatũ. Addidit enim, Quod alijs generationibus non est agnitus, filiis hominum vt nunc fuit reuelatum. aut quod nõ sic fuit cognitum rebus ipsis & factis, vt nunc reuelatũ fuit sanctis Apostolis eius & Prophetis in spiritu. Cõsidera enim. Petrus nisi audiisset à spiritu, non profectus esset ad gentes. Audi enim quid dicat: Dedit illis Deus spiritum sanctum sicut & nobis. Hoc est, In spiritu elegit eos Deus vt ipsi acciperent gratiam. Atque dicebant quidem Prophetæ: sed non adeo exactè nouerant, cum nec Apostoli quidem postquam audiissent: humanam enim rationem & spem longè superabant. Esse gentes cohæredes & concorporales & participes promissionis. Quid est, Cohæredes & concorporales? Hoc est magnum, vnum esse corpus, magna est propinquitas. Nam quod vocandæ quidem essent, nouerant, sed non adeo: hoc enim vocat mysterium promissionis. Participes erant Israelitæ, concorporales erant etiã gentes promissionis Dei. In Christo Iesu per euangelium. Hoc est, quod & ad ipsos missum sit, & quod crediderint. Non enim absolutè, sed per euangelium. Sed hoc quidem nihil est magnum, paruum enim est: & aliud maius nobis reuelat, quod non solum homines, sed nec angeli, nec archangeli, sed nec vlla alia potestas creata hoc nouerat: hoc enim erat mysterium, & non erat reuelatum. Prudentiam meam, inquit, intelligere. Fortasse quod eis dixit in Actis, quod est eius quædam intelligentia, quod etiam gentes vocet, hanc suam dicit prudentiam mysterij: quod dixit, quod in seipso condet in vnum nouum hominem. Didicit enim à reuelatione. A reuelatione enim didicit quod non oporteat gentes abominari, & ipse & Petrus: & hoc dicit in sua defensione. Cuius factus sum ego minister secundum donum gratiæ Dei, secundum operationem virtutis eius. Dixit se esse vinculum, sed rursus totum eius esse dicit. Secundum donum eius, inquit, secundum virtutem seu vim ac potestatem doni fuit dignitas eius honoris. Sed non sufficisset donum, nisi illi indidisset virtutem ac potestatem.

Ioan. 5. Ibidem.

Act. 10.

Supr. 2.

MORALE.

RE vera enim magnæ fuit virtutis ac potestatis: nec humana sufficiebat diligentia & industria. Tria enim attulit ad prædicationem: feruentem & audacem animi alacritatem, & ad quoduis sustinendum ac ferendum paratam animam, & intelligentiam ac sapientiam (non sufficiebat enim lubèter adire pericula) virtutem spiritus, & vitam in qua non cadebat reprehensio. Et id primum ex ipso contemplare. Audi eum scribentem, Vt non vituperetur ministerium nostrum. Et rursus: Exhortatio enim nostra, non ex errore, neque ex immunditia, neque in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ. Vidisti nõ esse quidquam affine reprehensioni. Et rursus: Prouidentes bona non solum coram domino, sed etiam coram hominibus. Deinde postea: Quotidie morior per nostram gloriationem quam habeo in Christo Iesu. Et rursus: Quis nos separabit à charitate Christi, afflictio, aut angustia, aut persecutio? Et rursus: In patientia multa, in tribulationibus, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis, in plagis, in carceribus. Deinde eius dispen-

1. Cor. 6.

1. Theff. 1.

Rom. 12.

1. Cor. 15. Rom. 8.

1. Cor. 9.

factio. Factus sum Iudæis tanquam Iudæus. Iis qui sub lege sunt quasi sub lege essem. Iis qui sine lege erant tanquam sine lege essem: Raditur etiam, & facit innumerabilia. Quod autem est caput omnium, in virtute spiritus sancti. Non enim audeo aliquid loqui corum quæ per me non effecit Christus in obedientiã gentiũ. Et rursus. Quid enim est quod minus habuistis præ cæteris ecclesijs? Et rursus. Nihil enim minus sum ab iis qui sunt supra modum Apostoli, tametsi nihil sum. Sine his enim non potest fieri. Non ergo propter signa facti sunt fideles. Non hoc enim faciebant signa, neque ex iis præclarè de se sentiri volebat, sed ex alijs. Oportet enim & non esse affinem reprehensioni, & dispensandi tenere artem, & ad pericula adeunda promptum, & ad docendum esse aptum. His plus rectè gerebat. Si hæc essent, nihil opus esset signis. Ipsum quidem certè videmus, etiam ante signa, innumerabilia eiusmodi rectè gessisse. Nunc autem nihil horum habentes, omnia volumus obtinere & efficere. Nam si alterum ab altero fuerit separatum, reliquum fit inutile. Quid enim iuuat esse propensum ad adeunda pericula, si sit vita obnoxia reprehensioni? Si enim lumen, inquit, quod in te est, sunt tenebræ, tenebræ quantæ sunt? Quid autem iuuat eius esse vitæ in quam non cadat reprehensio, esse autem hebetem, pigrum & somnolentum. Si quis enim non tollat crucem suam & sequatur me, non est me dignus, & : Nisi quis posuerit animam suam pro ouibus. Quid autem prodest esse vtraque hæc, & non esse aptum ad dispensandum, vt sciat quomodo oporteat vnicuique respondere. Si etiam signa non sint in nobis, hæc vtraque sint in nobis. Sed tamen hæc omnia ex se afferens, totum acceptum ferebat gratiæ. Hoc est grati famuli & memoris beneficij: nec vnquam didicissemus res ab eo gestas, nisi redactus esset necessariò ad rem gerendam. Dignine sumus qui Pauli vel meminerimus? Ille etiam habens quæ ei opem ferebat gratiam, non satis habuit, sed etiam mille quæ subiit sustulit pericula. Nos autem qui illa caremus fiducia, vndenam dic quæso expectamus nos conseruatuos eos qui nobis sunt crediti, aut eos accepturos qui nõdum acceperint? Nos, inquit, qui voluptatibus & deliciis expleri sumus meditati, & vndique otium & quietem quærimus, & pericula ne in somnis quidem ferre possumus, imò verò nolumus. à sapientia autem tantum absumus quantum cœlum à terra. Propterea & qui nostræ subiecti sunt administrationi, multum distant ab iis qui tunc erant: quãdoquidem qui tunc erant discipuli, iis qui nunc sunt magistri erant præstantiores ac meliores, vt qui in medijs populis & tyrannis intercepti, & vndique omnes habentes hostes, ne parum quidem attrahebantur & inflectebantur. Audi itaque quid dicat Philippensibus. Quoniam vobis donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed etiam vt pro ipso patiamini. Rursus autem Thessalonicensibus. Imitatores facti estis ecclesiarum Dei quæ sunt in Iudæa. Et ad Hebræos scribens dicebat. Et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. Colossensibus quoque fert testimonium, dicens. Mortui enim estis, & vita vestra absconsa est cum Christo in Deo. Et de iis quoque testatur quod multa subierint pericula. Et ad Galatas etiam scribens. Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa. Vides omnes huic rei vacasse, nempe vt benè facerent. Propterea tunc etiam non erat otiosa gratia. Propterea tunc viuebant in bonis & quæ ex virtute erant factis & operibus. Quid verò ad Corinthios scribat audi. Quos de multis reprehenderat, non de eis quoque fert testimonium, dicens. Sed æmulationem vestram, sed desiderium.

Rom. 15.

2. Cor. 12.

Matt. 6.

Ibid. 10. Ioan. 14.

Philipp. 1.

1. Theff. 2.

Heb. 10.

Coloss. 3.

Galat. 3.

2. Cor. 7.

rium? Et de hac re quæ ipsis dicit, ea ne videris quidem A nunc fieri in Magistris. Quamobrem pereunt & interierunt omnia. Causa autem est quod refrixerit charitas: quod qui peccant non castigantur. Audi enim eum scribentem ad Timotheum & dicentem. Peccantes, inquit, coram omnibus argue. Quod principes ægro- tent. Nam dum caput non est sanum, quomodo bene valens manserit reliquum corpus? Vide ergo quanta sit inæqualitas. Nam qui rectè viuunt, & quomodo eun- que habent fiduciam, mōtium cacumina occuparunt, & à medio recesserunt, tanquam ab hoste & alieno, sed non à suo corpore auulsi: exitiosi autem ac scelerati & referti malis innumerabilibus in ecclesias inuaserunt & insilierunt: venales autem fuerunt principatus. In- numerabilia hinc nascuntur, nemo est autem qui cor- rigit, nemo qui increpet. Sed viam quandam & conse- quētiam accepit autoritas. Peccauit quispiam, & fuit accusatus. Non in hoc suum ponit studium vt se ostendat non esse crimini affinem, sed vt inuenire possit fo- cios criminum. Quid agam, quod gehennæ minæ sunt intentæ? Credite mihi, nisi Deus illic nobis referuasset suppli- cium, videretis quotidie maiores tragedias quàm Iudaicarum calamitatū. Quid enim? sed nemo succen- seat, non dicam enim nominatim: si quis cum accessis- set ad ecclesiam, iis qui nūc sunt & qui vobiscum sunt adductis, eos examinaret, imò verò non nunc, sed si quis in die paschæ, omnes qui accedunt & lauantur postquam accessissent ad mysteria, exactè examinasset, eo accepto spiritu vt exactè nosset quæ ab eis gesta sunt, multa essent inuenta grauiora malis Iudaicis. In- uenisset enim qui diuinant auguriis, qui vti sunt venefi- cii, fortibus, & incantationibus, & qui sunt scortato- res, adulteri ebrij & maledici. Auaros autem & qui a- lienam inuadunt nolo dicere, ne tangam aliquem ex iis qui hīc sunt. Quid verò si scrutatus esset omnes qui in orbem terræ accedunt, quod non inuenisset delictum? Quid verò principes, non pecuniæ auidos, non imperia e- mentes & magistratus, non inuidos, non liuidos, non inani gloria laborantes, non lurcones & helluones, & seruos pecuniæ? Cum ergo tanta sit impietas, quid non graue est expectandum? Et vt sciatis quanto supplicio sint obnoxij qui horum conuincuntur rei peccatorum, cogitate vetera. Vnus homo miles sacras suffuratus est pecunias, & omnes perierunt. Scitis historiā. De Char- mi illo dico qui suffuratus fuerat anathema. Propterea dicebat etiam Propheta. Impleta est regio illorum for- tibus ac diuinationibus sicut terra alienigenarū. Nunc autem vbique malis plena sunt omnia, & nemo timet. De cætero timeamus. Nouit Deus etiam iustos punire cum impiis, vt accidit tempore Danielis, vt tempore Patriarcharum, & aliorum innumerabilium, vt etiam in bellis quæ nūc adhuc accidunt. Nam illi quidem etiam ipsam quantamcumque habent peccatorum gra- uitatem per id deponunt, hi verò non. Propter hæc om- nia nobis ipsis attendamus. Non videtis bella? Non auditis calamitates? Non his erudimini? Gentes & ci- nitates integræ absorptæ sunt & perierunt, tam multa millia seruiunt apud barbaros. Si gehenna nos non cas- tigit modestoque reddit ac sapientes, hæc saltem nos castigant & doceat sapere. Non hæc etiam sunt minæ, non res quæ euenerunt? Magnas illi dederunt pœnas, sed nos maiores dabimus, nisi sapiamus & fiamus mo- derati. Graue est & molestum quod dico: ego quoque id scio, sed quod lucrum affert si attēdamus. Non enim habet ea quæ dicuntur ad gratiam, imò verò nunquam, sed ea quæ magis possunt animam continere & mode- stam reddere. Hæc enim sunt nobis causæ futurorum bonorum, Quæ detur nobis omnibus consequi gratia

1. Tim. 5.

Monachi se separant à ma- lis.

Gehenna metus quid effi- ciat.

Iof. 7. & seq.

& benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum pa- tre & spiritu sancto, &c.

ORATIO SEPTIMA.

M IHI autem sanctorum omnium minimo data est gratia hæc, in gentibus euangelizare inuisi- gables diuitias Christi, & illuminare omnes que sit dispensatio sacramenti absconditi à seculis in Deo, qui omnia creauit, vt innotescat prin- cipibus & potestatibus in cælestibus per ecclesiam multiformis sapientia Dei, secundum præfinitionem seculorum, quam fecit in Christo Iesu domino nostro. Eis qui ad Medici veniūt officinā, non temere & inconsideratè illuc est eundum, sed vt discant curare & adhibere medicamenta: & nos quoque cum huc accesserimus, non hoc oportet teme- re facere & inconsideratè, sed vt discamus Pauli sum- mam humilitatem. Quid verò? Quoniam erat dicturus gratiæ Dei magnitudinē, audi quid dicat. Mihi omniū sanctorum minimo data est gratia hæc. Erat quidē hu- militatis, propter priora delicta, eaque deleta, lugere & eorum meminisse, & modestè se gerere, vt quando di- cit se blasphemum, & persecutorem, & cōtumeliosum, sed non est illud cum hoc conferēdum. Prius enim, in- quit, talis eram, & se vocat abortiuum. Post tot autē & tanta rectè & præclare gesta se modestè gerere, est mul- tæ & summæ modestiæ. Mihi, inquit, omnino omnium sanctorum. Non dixit Apostolorum. Quamobrem est illud quoque hoc minus. Illic enim dixit, Non sum dignus vocari Apostolus. Hic autem se etiam dicit om- nium sanctorum minimum. Mihi, inquit, omnium sanctorum minimo data est gratia hæc. Quanam? E- uangelizare gentibus imperuestigabiles diuitias Chri- sti, & illuminare omnes quæ sit dispensatio mysterij absconditi à seculis in Deo. Qui omnia creauit per Ie- sum Christum, vt innotescat principibus & potestati- bus in cælestibus per ecclesiam multiformis sapientia Dei. Esto hominibus non fuit reuelatum: & illuminas angelos & archangelos, & principatus & potestates? Certè, inquit. In Deo enim fuit absconditum, & Deo qui omnia creauit per Iesum, & audes hoc dicere? Et vnde hoc fuit manifestum angelis? Per ecclesiam. Ne- que solum dixit, varia Dei sapientia, sed valde varia. Quid hoc ergo est? Non nōrunt angeli. Nam si princi- patus non nōrunt, multò magis nec angeli nouerint. Quid verò, Nec archangeli nōrunt? Nec illi. Vndenam essent cognituri? Quoniam reuelante? Quando nos di- dicimus, tunc illi quoque per nos. Audi enim angelum dicentem Iosepho: Vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum à peccatis suis. Ipse enim missus fuit ad gentes, illi autem ad circuncisionem. Quamobrem (quod est admirabilius & stupendum.) Mihi, inquit, datum est qui sum minimus. Erat autem hoc quoque gratiæ quod paruo maiora sunt credita, vt esset eorum Euangelista. Nam qui maiorum fuit Euan- gelista, hac ratione est magnus. Euangelizare in gen- tibus inuestigabiles diuitias Christi. Si eius diuitiæ sunt imperuestigabiles, etiam postquam apparuit, mul- tò magis essentia, si est adhuc mysterium. Mysterium enim ipsum propterea vocat, quoniam nec angeli no- uerant, nec vlli alij erat manifestum. Et illuminare, in- quit, omnes quæ sit dispensatio mysterij absconditi à seculis in Deo qui omnia creauit per Iesum Christum. Angeli hoc tantum nōrunt quod factus sit portio do- mini populus eius. Et rursus: Princeps Perfarum resti- tit mihi. Quamobrem non est mirandum si hoc quo- que ignorabant. Nam si reditum ignorabant, hæc mul- tò magis. Est enim hoc euangelium. Qui saluum, in- quit, faciet populum suum Israël. Nihil de gentibus: sed de

Principi- bus ag- gels pri- cipibus.

Pauli sum- mam humi- litatem & co- desia.

Ad. Ti. 1. Cor.

Angeli per co- sum est scilicet: Dei sp- tia.

Matt.

Essentia Christi d imperue- stigabiles

Marc. 1.

sed de

sed de gentibus reuelat spiritus. Atque quod vocata A quidem essent, nōrunt, quod autem ad eadem, & sessu- ra essent in throno Dei, quis hoc expectasset, quis cre- didisset? Absconditi, inquit, in Deo. Hanc autem dif- pensationem apertius reuelat in epistola ad Roma- nos. In Deo, inquit, qui omnia creauit per Iesum Chri- stum. Rectè autem admonuit dicens, per Christum. Nam qui omnia fecit per ipsum, hoc quoque per ip- sum reuelat. Nihil enim absque eo fecit. Nam sine eo, inquit, factum est nihil. Dicens principatus & pote- states, dixit & superiores & inferiores. Secundum præ- finitionem seculorum. Nunc quidem factum est, in- quit, non nunc autem est præfinitum, sed multis retrò actis temporibus fuit antè constitutum. Secundum præfinitionem seculorum quam fecit in Christo Iesu domino nostro. Hoc est secundum præcognitionem seculorum, vt qui futura præsciuisset. Futura secula di- cit. Sciebat enim futura: & sic definiit. Secundum præ- finitionem seculorum, horū fortasse, quæ fecit in Chri- sto Iesu. Quod autem per Christum factum sit vniuer- sum. In quo, inquit, habemus fiduciam & accessum in confi- dentia per fidem eius. Non tanquam captiuus, inquit, ad- ducti sumus, neque tanquam dignati venia, neque tan- quam qui peccauimus. Etenim fiduciam, inquit, seu loquendi habemus libertatem (id enim est παρρησία) in confidentia, hoc est, confidendo. Vndenam? Per fi- dem eius. Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra. Quomodo est pro ip- sis? quomodo est gloria ipsorum? Quoniam ipsos sic dilexit Deus vt etiam pro ipsis daret filium, & seruos suos malè afficeret. Nam vt isti tam multa bona conse- querentur, Paulus erat in vinculis. Hoc est multæ Dei in ipsos charitatis. Quod etiam dicit Deus. Occidi eos in verbis oris mei. Quomodo autem deficiebant alio afflicto? Hoc est perturbabantur. Hoc etiam dicit scri- bens ad Thessalonicenses. Vt nemo moueatur in tri- bulationibus istis. Non solum enim non dolendum, sed etiam est lætandum. Si enim ex prædictione acci- pitis consolationem, prædicimus futurum vt hīc affli- gamur. Quamobrem? Quoniam dominus sic iussit. Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem domini nostri Ie- su Christi, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nomi- natur. Super pro ipsis precationis ostendit affectum. Non dixit solum precor, sed punctam ostendit præca- tionem ex eo quod flectat genua. Ex quo omnis pater- nitas. Non dicit secundum numerum angelorum, sed secundum eum qui fecit tribus supernas & infernas, non quales Iudaicæ. Vt det vobis secundum diuitias gloriæ sue virtutē corroborari per spiritum eius in interiori homine, Christum habitare per fidem in cordibus vestris. Vides cum quāta insatiabilitate eis bona precetur, ne labēt & cir- cumferātur. Quomodo autē fit hoc? Per spiritum san- ctum in interiori homine inhabitare Christū per fidē in cordibus vestris. Quomodo? In charitate radicati, vt pos- sitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, la- titudo, & sublimitas & profundum. Scire etiam supereminen- tem scientiæ charitatem Christi. Quod precatus est in prin- cipio, hoc nunc quoque. Quid est autem quod optauit in principio? Vt Deus domini nostri Iesu Christi pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hereditatis eius in sanctis, & quæ sit supereminens ma- gnitudo virtutis eius in nos qui credimus, idem nunc quoque dicit: Vt possitis comprehendere cum omni- bus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum. Hoc est, magnitudo charitatis Dei quo- modo in omnem partem extensa sit: & eam corporali-

Ioan. 1.

Osee 6.

1. Theff. 3.

Matt.

Charitatis Dei ma- gnitudo

Chrysof. tom. 4.

ter figuris descripsit, ostendens hominem: accepit quæ sunt supra, & quæ infra, & quæ ex transuerso. Diximus enim, inquit, non est autem meæ dicendi facultatis hæc docere, sed sancti spiritus, virtute, inquit, corroborari aduersus tētationes, & non labare & circūferri. Quam- obrem fieri aliter non potest vt corroboremur quàm per spiritum & tentationes. Quomodo autem Christus habitet in cordibus, audi Christum dicentem. Ego & pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus: In cordibus fidelibus quæ radices egerunt in eius chari- tate, quæ non circumferuntur. Vt possitis, inquit. Qua- re magnis opus est viribus. Vt adimpleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem qui potens est omnia facere supe- r abundantiam quàm petimus aut intelligimus secundum vir- tutem quæ operatur in nobis. Secundum virtutem. Quod autem abundantius quàm quæ petimus aut intelligi- mus fecerit, est perspicuum ex iis quæ ipse scribebat. Nam ego quidem, inquit, precor. Ipse autem etiam sine meis precibus maiora faciet quàm nostræ sint peti- tiones. Non solum maiora aut abundanter, sed super- abundanter: & est euident ex virtute quæ operatur in nobis. Neque enim hæc vnquam petimus, neque ex- pectauimus. Ipsi, inquit, gloria in ecclesia in Christo Iesu in omnes generationes seculi seculorum. Amen. Pulchrè cōclū- sit orationem precibus & glorificatione. Oportebat enim eum glorificari & benedici qui omnia præbuit. Quare est hoc quoque pars admirationis, & magnitu- dinis eorū quæ à Deo sumus adepti, glorificare, & per Iesum Christū. Gloria eius in ecclesia, rectè dixit. Ipsa enim sola scit manere in perpetuum. Quid sint paterni- tates necesse est dicere. Nā hīc quidē paternitates sunt genera, nepe gentes & cognationes. In cælo autē quo- modo, vbi nullus ex altero est genitus? An qui sunt illic cœtus, vocat πατριάs, id est gētes ac cognationes? sicut etiā licet inuenire positū in scriptura, πατριά ἀμνταπέ, vt pote à quo patres vocantur. Non totum autem à Deo postular, sed etiam ab ipsis fidē, charitatem. Non absolutè autem charitatem, sed radicatam & fundatā, vt neque vēti eam labefaciant, neque quidquam aliud eam deiiciat. Dixit afflictiones esse gloriam. Si autem meæ, multò magis vestra. Et rursus precatur:

MORALE:

Q VAMOBREM quod nos affligimur, non est eo- rum qui deserunt. Non enim hoc fecerit qui tam multa est operatus. Si autem vt discat Dei charitatem, Paulo opus est precatione & fulcro spiritus, quis Chri- sti sciet essentia, sequens rationes? Quamquā quidnam est difficilius quàm discere quod Deus nos diligit? Est admodū difficile, o dilecte. Nam alij quidē etiam hoc ignorant, vnde etiam dicunt innumerabilia mala otiri mundo. Alij autem ignorant quantum. Paulus autem non quærit quantum, neque vt dimetiatur. Quomo- do enim possit? sed quod hoc ipsum discere est summū & magnū: & dicit se ex hoc ipso posse ostendere, nem- pe ex cognitione qua nos dignati sumus. Atqui est a- bundantius quàm corroborari, Christum intus habere virtute. Magna, inquit, sunt quæ sunt petita: sed scit etiam facere quæ ipsa superant, adeo vt non solum dili- gamus, sed etiam valde. Hoc facere meditemur o dile- cti, vt Dei discamus dilectionem. Hoc magnum est: nihil nobis sic prodest, nihil nos ita compungit. Hoc magis est aptum & sufficiens ad nostras capiendas ani- mas quàm metus gehennæ. Vnde verò hoc sciemus? Et ex iis quæ dicta sunt, & ex iis quæ quotidie accidunt. Quam ob causam hæc facta sunt? Quid eis hoc opus fuit? Nihil. Siue sursum, siue deorsum spectes, causam semper ponit charitatem. Maximè autem illa est cha- ritas

extensa est in omnem partem.

Deus ma- iora nobis facit quàm petimus aut intelli- gamus

Dei chari- tatem scire est diffi- cillimum.

Diligere inimicos nos reddidit Deo similes. Matt. 5.

ritas, quando beneficium hominibus, cum nihil ab eis prius A sit profectum beneficij. Eum ergo nos quoque imitemur, benefaciamus inimicis, iis qui nos oderunt, iis qui nos auerfantur, ad eos accedamus: hoc nos Deo reddidit similes. Nam si amicum, inquit, diligas, quid inde lucraris? hoc etiam faciunt ethnici. Sed quod est indicium charitatis? Diligere eum qui oderit. Volo dicere aliquod exemplum. Ignoscite mihi: non inuenio in spiritualibus. Quamobrem dicam ex externis. Non videtis hos qui amant? Quam multis danis affecti, sunt affixi, ardentesque & vruntur, & eas magis amant quam suas animas, pernoctantes in illarum vestibulis? Illinc accipiamus exemplum: Non ut eas amemus, meretrices, inquam, sed ut ita diligamus inimicos. Nam dic mihi, non contumeliosius in eos se gerunt quam omnes inimici? Non dissipant facultates? Non in suis contumelias ingerunt, & eis seruilius imperant quam suis ministris? Sed tamen non abscedunt. Atqui nullus talis habet hostem qualem amator amatam. Illum enim ludificatur & dissimulans irridet, & eo sepe abutitur amica, & quod magis amatur, eo magis despicit. Atqui anima sic affecta quid est magis belluina? Illi tamen amant. Sed fortasse etiam in spiritualibus talem inueniemus charitatem, non ex iis quidem qui nunc sunt, refrixit enim, sed ex illis viris magnis & admirandis qui fuerunt olim. Beatus ille Moses hos quoque superauit qui amore capti amant. Quomodo? Primum quidem relicta regia, & que illic erant delicias: obsequiis, gloria & honore, maluit esse cum Israelitis. Atqui non solum non fecisset quisquam, sed etiam erubesceret alio arguente, quod apparuisset eum esse cognatum suorum seruatorum, & non solum seruatorum, sed qui etiam existimabatur esse scelesti. Eum vero non solum non puduit cognationis, sed etiam toto animo eos vltus est, & se pro illis coniecit in pericula. Quomodo? Videtis, inquit, quendam facientem iniuriam, vltus est eum cui fiebat iniuria, & occidit eum qui faciebat iniuriam. Sed nondum sunt haec pro inimicis. Magna quidem, sed non tam magna quam quae postea fecit. Sequenti ergo die vidit idem fieri, & illum vidit iniuriam facientem ei quem vltus fuerat: admonuit ut cessaret iniuriam facere. Ille autem inhumano plane & ingrato animo. Quis te, inquit, constituit magistratum & iudicem inter nos? Quem non incendiissent haec verba? Si ergo quod prius factum est factum esset aliqua animi indignatione & offensione, hunc quoque percussisset & de medio sustulisset. Non enim ille, propter quem factum fuerat, cum detulisset. Sed quoniam cognati erant haec dicit. Quando ei fiebat iniuria nihil tale est locutus. Cur hoc heri non dixit. Iniuria tua, inquit, & crudelitas, ipsa me constituit magistratum & Iudicem. Sed nunc vide quod Deo quoque haec dicunt quidam, ut in iis in quibus iniuria afficiuntur velint eum esse vehementem, & eius accusent lenitatem & patientiam. Quando autem iniuria afficiunt, non itidem. Sed tamen cum post haec mittitur ad ingratos & beneficij immemores, venit, & non recusat. Sed & post illa signa, & post miracula quae per ipsum facta sunt, sepe cum sunt conati lapidibus obruere, & euasit in manibus eorum. Et assidue murmurabant: sed tamen illos eo amore prosequatur, ut Deo dixerit cum graue illud peccatum admisissent. Si peccatum quidem dimittas, dimitte. Sin minus, me quoque deleat librum quem scripsisti. Malo, inquit, cum illis perire, quam absque illis esse saluus. Re vera est furor, re vera est magnus amor. Quid dicis? Coelum despicias? Na, inquit, eos enim amo qui fecerunt iniuriam. Petis ut delearis? Quid faciam, inquit? est enim amor. Quid vero quae postea sunt consecuta? Audi quid alibi dicat scriptura. Et malis affectus fuit Moses propter ipsos. Quo-

Moyse dilexit inimicos.

Exod. 2.

Num. 16. Moyse orat pro inimicis. Exod. 32.

ties eum probris & contumeliis affecerunt & fratrem? Quoties quaesierunt redire in Aegyptum: & post haec omnia excandescere & furebat, & pro ipsis perpeti erat paratus? Sic oportet diligere inimicos, laceratumque & afflictum, & nihil non facientem, & separatum, eorum desiderare salutem. Quid vero, dic mihi, Paulus, non etiam pro ipsis petiit gehennam? Sed ab ipso domino necesse est adducere exemplum. Nam ipse quoque sic facit dicens. Solem suum oriri facit super bonos & malos, a patre suo exemplum afferens: nos autem ab ipso Christo. Venit ad ipsos, ex dispensatione, inquam, propter ipsos factus est seruus, seipsum humiliavit, euacuauit, formam serui accepit, & cum aduenisset, neque ipse abiit in viam gentium & hoc imperauit discipulis: nec hoc solum, sed & circuiuit omnem morbum curans & omnem aegritudinem. Quid vero? alij omnes stupebant & admirabantur, & dicebant. Vndenam ei haec fiunt? Li autem quos afficiebat beneficiis, dicebant, Daemonium habet, & blasphematur, & insanit, & est plannus & impostor. Nunquid ergo eos repulit? Nequaquam, sed eos maioribus affecit beneficiis haec audies, & abiit ad eos qui ipsum erant in crucem acturi, ut eos solum saluos faceret. Et postquam fuit crucifixus quid dicit? Pater, ne statuas illis hoc peccatum. Et antea male passus, & postea male passus, ad extremum vsque spiritum pro ipsis omnia agebat, pro ipsis orabat. Et post crucem quid non pro eis fecit? Non misit Apostolos? non signa fecit? non quiduis mouit? Sic oportet diligere inimicos, sic imitari Christum. Sic fecit Paulus: lapidibus appetitus, patiens innumerabilia, pro ipsis agebat omnia. Audi eum dicentem. Voluntas cordis mei & obsecratio ad Deum sit pro illis ad salutem. Testimonium enim illis perhibeo quod emulationem Dei habent. Et rursus: Si tu ex naturali excisus es oleastro, quanto magis isti inferentur suae oliuae? Ex quanto amore haec verba dici existimas, ex quanta benevolentia? Non potest dici, non potest. Sic oportet inimicos diligere. Hoc est Deum diligere qui iussit, qui admonuit. Illum imitari est diligere inimicum. Cogita quod non Deo benefacis, sed tibi. Non illum diligis, sed Deo obedis. Haec ergo cum sciamus, confirmemus inter nos amicitiam, ut cum nos in ea exacte gesserimus, assequamur bona promissa in Christo Iesu domino nostro.

Psal. 109. Matt. 5. Phil. 2. Matt. 11.

Ioan. 10.

Luc. 11.

Rom. 10.

Ibid. 11.

ORATIO OCTAVA.

B SECRO itaque vos ego vincitus in domino, ut dignè ambuletis vocatione qua vocati estis cum omni humilitate & mansuetudine. Doctorum est virtus, non honorem, non gloriam quaerere ab iis quibus imperant, sed ipsorum salutem, & pro iis omnia facere. Nam qui illud quaerit, non fuerit doctor seu magister, sed tyrannus. Non enim Deus propterea te iis praefecit, ut tu magis colaris & obserueris, sed ut tua quidem negligantur, quae vero sunt illorum omnia aedificentur. Talis erat beatus Paulus qui erat quidem liber ab omni fastu, iste autem erat affectus ut esset quidem vnus ex multis, imò vero etiam eorum minimus. Propterea & se vocat seruum, & plurima tanquam supplicans loquitur. Itaque vide eum nunc quoque nihil scribere imperiosum, nihil quod praese ferat auctoritatem, sed quod sit contractum ac demissum. Obsecro itaque vos, inquit, ego vincitus in domino ut dignè ambuletis vocatione qua vocati estis. Quid rogas, dic quae? Ut ipse aliquid assequaris? Nequaquam, inquit, sed ut aliis salutem afferam. Atqui qui rogant, rogant quae assequi ipsorum interest. Et mea, inquit, hoc interest. Sicut etiam alibi scribens dicebat.

CAR. III.

937 dicebat. Nunc viuimus si vos stetis in domino. Semper enim valde desiderabat salutem suorum discipulorum. Ego vincitus in domino. Magna & quae vim magnam habet dignitas, & regno, & consulatu, & quibusuis aliis maior. Quod quidem dicit etiam scribens ad Philemonem. Cum sim Paulus senex, nunc autem vincitus in Christo: Nihil est enim aequè praclarum atque vincula propter Christum, atque catenae sanctis illis manibus impositae. Vincitum esse propter Christum est praclarior quam esse Apostolum, quam esse doctorem, quam esse Euangelistam. Siquis amat Christum, nouit quod dicitur. Si quis in dominum insanit & eius amore vratur, nouit vim vinculorum. Maluerit esse vincitus propter Christum quam habitare caelos. Quouis auro splendidiore eis ostendebat manus, & quouis regali diademate. Non enim tam splendidum facit caput vitta ex gemmis composita ei imposita, quam catena ferrea propter Christum. Tunc erat regis vincitorum carcer praclarior, atque adeo ipso caelo. Quid dico regis? habebat enim vincitum Christi. Si quis Christum diligit, nouit hanc dignitatem, nouit hanc virtutem. Nouit quantum generi hominum sit gratificatum, quod propter ipsum sit vincitus. Hoc fortasse est praclarior quam sedere a dextris: hoc est magnificentius quam sedere super duodecim sedes. Et quid dico de rebus humanis? Me pudet conferre diuitias & mundum aureum cum vinculis. Sed quod ad magna illa attinet, etiam si res nullam habeat mercedem, hoc solum est magna merces & sufficiens remuneratio, haec grauiam pati propter eum qui amatur. Sciunt quod dicitur qui amant, si non Deum, at homines: qui magis laetantur si male patiuntur ab iis quos amant, quam si honorentur. Hoc sancti chori solum est intelligere, Apostolorum, inquam. Audi enim beatum Lucam dicentem eos rediisse gaudentes a conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Atque aliis quidem videtur esse ridiculum: si probro & contumelia esse affectum, sit esse dignitatem assecutum, si probro esse affectum, sit laetari. Iis autem qui sciunt Christi desiderium, hoc est esse existimatum omnium beatissimum. Si quis mihi daret totum coelum, aut illam catenam, ego illam praferrem. Si quis me apud superos collocaret cum angelis, aut cum Paulo vincito, eligerem carcerem & vincula. Si quis me faceret vnus ex potestatibus quae sunt circa caelos, aut circa thronos, aut talem vincitum, potius optarem talis esse vincitus. Nihil est illa catena beatius. Vellem nunc esse in illis locis in quibus dicuntur manere illa vincula: & merito viros illos admirarer propter Christi desiderium. Vellem videre catenas, quas pertimescunt quidem & horrent daemones, reuerentur autem angeli. Nihil est melius quam male pati propter Christum. Non tam beatum existimo Paulum quod raptus sit in paradysum, quam quod coniectus sit in carcerem. Non tam enim censo beatu quod raptus sit in tertium coelum, quam eum censo beatum propter vincula. Nam quod haec illis sint maiora, audi quomodo ipse quoque nouerit. Neque enim dixit, Rogo vos ego qui verba audiui ineffabilia. Sed quid? Rogo vos ego vincitus in domino. Si hoc autem non omnibus adscribit epistolis, non est mirum. Non enim semper fuit vincitus, sed in quibusdam temporibus. Mihi est optabilius & magis eligendum male pati pro Christo, quam honorari a Christo. Hoc magnus est honor, hoc est gloria quae omnia exuperat. Si ipse qui propter me factus est seruus, & euacuauit gloriam, non adeo existimabat se esse in gloria, ut quando pro me agebatur in crucem, quid me non oportet pati? Audi enim ipsum dicentem. Glorifica me, inquit, tu pater. Quid dicebat.

1. Thess. 3.

Ad Phil.

Vincitum esse propter Christum quam esse apostolum.

Ad 5.

Petri & Pauli vincula accitiorum Romanorum.

2. Cor. 11.

Ioan. 17. Gloria Christi fuit esse crucifixus.

cis? In crucem ageris, ut execratorum mortem subeas cum latronibus, & sepulchrorum effossoribus. Es conspuendus, & colaphis cedendus, & haec vocas gloriam? Certè, inquit, haec enim patior pro iis quos diligo, & haec nunc gloriam existimo. Si qui miserabiles & miseros dilexit, eam rem vocat gloriam, neque in throno esse paterno, neque in gloria, sed in ignominia esse & dedecore erat gloria, & hoc illi praeferebat, multo magis ego haec debeo existimare gloriam. O beata vincula, o beatas manus quas ornauit illa catena! Non erant adeo honorandae Pauli manus, quae claudum qui erat Lystris exererunt & fecerunt surgere, ut quae induta A. 14. erant vinculis. Si ego fuisset illis temporibus, tunc maximè eas essem amplexus, & pupillis meis admouissem, non cessassem deosculari manus quae dignae sunt habitae quae pro domino meo vincirentur. Admiraris Paulum quando eius manum tetigit vipera, & nihil ei fecit. Ne mireris: reuerita enim fuit catenam, etiam totum mare eam reuerbatur: tunc enim erat vincitus. Si quis mihi dederit nunc ut suscitarem mortuos, non hoc elegerim, sed catenam. Si ab ecclesiasticis curis essem remotus, & esset mihi corpus sanum ac validum, non recusarem hanc suscipere peregrinationem, ut solum viderem catenas, ut carcerem in quo fuit vincitus. Atqui eius miraculorum multa multis in locis sunt signa, sed non sunt tam desiderabilia quam stigmatum. Et in scripturis non ita me delectat dum facit miracula, quam dum male patitur, flagris caeditur, raptatur ac discerpitur. Adeo, inquit, ut ab eius corpore ferrentur sudaria & semicinctia. Sunt haec re vera admirabilia, sed non vt illa. Cum eos cecidissent, & multas plagas eis imposuissent, miserunt in carcerem. Et rursus, & vinciti laudabant Deum. Et rursus, Lapidantes traxerunt eum extra ciuitatem, existimantes eum mortuum esse. Vultis scire quanta res sit catena ferrea propter Christum in corpus seruale iniecta, audite ipsum Christum dicentem, Beati estis. In quo? Quando mortuos suscitaueritis? Nequaquam. Sed in quo? Quando probris vos affecerint homines, & persecuti fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes, propter me. Si autem male audire sic beatus efficit, male pati quid non fecerit? ipso beato Paulo dicente alibi, In reliquo reposita est mihi corona iustitiae. Sed hac corona praclarior est vinculum. Eo me, inquit, dignabitur, & de illis non accuratè discepto. Ad omnem remunerationem mihi sufficit male passum esse propter Christum. Det mihi ut illud eloquar. Adimpleo ea quae defunt passionum Christi in carne mea, & nullius ego. Dignus quoque est habitus Petrus hac catena. Erat enim, inquit, vincitus & traditus militibus, & dormiebat. Adeo gaudebat, nec alterabatur, & profundus eum tenebat somnus: non dormiisset si in magna fuisset solitudine. Et erat inter milites, & venit ad eum angelus, & percussio eius latere eum excitauit. Si quis ergo mihi diceret, Quid malles, an esse angelus qui Petrum pupugit, an Petrus qui saluus euasit: malem essem Petrus propter quem venit Angelus. Illa mihi prodesse vincula. Quid ergo? Quomodo, inquit, precatur, tanquam liberatus magnis malis? Ne mireris. Precatur enim timens ne moriatur: timebat autem mori, propterea quod adhuc esset persequendum argumetum & materia. Audi itaque quid ipse dicat beatus Paulus. Dissolui & cum Christo esse multo magis melius: permanere autem in carne necessarium propter vos. Hoc etiam vocauit gratiam scribens, Vobis, inquit, donatum est a Christo ut non solum in eum credatis, G g iij

Ad 14.

Ad 13.

Ad 16.

Ad 14.

Matt. 5.

2. Tim. 4.

Coloss. 1. Ad 11.

Phil. 1.

Gratia & donum Dei est pati pro Christo.

sed etiam pro eo patiamini. Quamobrem hoc illo est maius. Donavit enim. Re vera est maxima gratia, & maior his omnibus, quam Solem & Lunam sistere: quam mundum mouere. Hoc maius quam vincere aut expellere demones. Non illi tam dolent dum fide expelluntur a nobis, ut quando viderint nos mali aliquid pati propter Christum, & vinciri: hoc enim maiorem dat libertatem & fiduciam. Non propterea bonum est vincitum esse propter Christum, quod ea res regnum conciliet, sed quod ea fiat propter Christum. Non propterea beata censo esse vincula quod transmittant in caelum, sed quod ea sint propter dominum caeli. Quanta est gloriatio scire quod propter Christum sit vincitum, quanta voluptas, quantus honor, quantus splendor? Vellem haec perpetuo effari: vellem haerere catenae, & si re ipsa sum priuatus, at ratione per affectionem animam ea circumdare. Terramotu concussus est carcer vincito Paulo, & sunt omnium relaxata vincula. Vidisti vinculorum naturam resoluentem vincula. Quomodo enim mors domini morte mortem affecit, ita etiam Pauli vincula vincitos soluerunt, carcerem concusserunt, portas aperuerunt. Atqui non est haec vinculorum natura, sed contraria, nempe vincitum tutum tenere in custodia, non ei aperire parietes. Sed vinculorum quidem non est absolute haec natura, sed vinculorum quae sunt propter Christum. Custos carceris procidit ad pedes Pauli & Silae. Sed neque hoc absolute faciunt vincula, ut eos qui vincerunt ducant ad pedes vincitorum, sed contra hos illis reddat subiectos. Nunc autem is qui erat solutus, probauerat ad vincitum pedes. Qui vincerat, rogabat vincitum ut solueretur metu. Non tu eum vincisti, dic mihi? Non tu eum in interiori coniecisti custodiam? Non tu compedibus in tuto collocasti pedes? Quid contremiscis? Quid tumultuaris? Quid lacrymaris? Quid strinxisti enssem? Nihil tale, inquit, vixi. Nesciebam tantam esse virtutem vincitorum Christi. Quid dicis, acceperunt potestatem caelos aperiendi, & carcerem non erant aperiendi? Soluebant eos qui vinciti erant a demonibus, & erat ferriculum eos superaturum? Non nosti viros, & ideo veniam es consecutus. Paulus est, ille vincitus quem angeli omnes sunt reueriti. Paulus est, cuius sudaria & semicinctia demones expellebant & morbos fugabant. Atqui ferro est multo magis adamatum, & quod frangi non potest, demonis vinculum. Nam hoc quidem animam, illud vero ligat corpus. Qui vincitas ergo soluit animas, corpus suum non poterit solvere? Qui demonum perfringit vincula, ferri non soluerit ligamen? Qui per suas vestes illos soluebat vincitos & liberabat a demonibus, ipse per se seipsum non soluerit? Propterea ipse primum fuit vincitus, & tunc soluit vincitos, ut discas quod Christi serui vinciti, longe maiorem vim habent quam soluti. Si solutus hoc fecisset, non tam fuisset mirum. Non erat itaque vinculum imbecillitatis, sed maioris potentiae. Sic enim sancti praclarior virtus ostenditur, quando etiam solutus dominatum obtinet in vincitos, cum etiam vincitus non solum seipsum, sed etiam vincitos soluit. Quid iuuant parietes? Quid prodest eum in interiori coniecere custodiam, cum etiam aperuerit exteriori? Cur id autem noctu, & cur cum terramotu factum est? Parum mihi concedite & permittite, ut dum a verbis abscesserim Apostolicis, & in factis Apostolicis me expleuerim deliciis, in Pauli catena conuerti: date mihi in ea paulo amplius versari. Apprehendi vinculum, nemo me abducat. Tutius ego nunc sum vincitus desiderio, quam ille tunc ligno. Hoc nemo soluit vinculum: est enim a Christi desiderio. Hoc neque angeli, neque regnum caelorum potest solvere. Licet audire ipsum Paulum dicentem, Neque angeli, neque principatus,

A. 12.

Paulo data erat potestas aperiendi caeli. A. 19.

In catena Pauli pulcherrima digressio. Rom. 8.

neque altitudo, neque profundum potest nos separare a charitate Christi. Quam ergo de causa factum est hoc media nocte? Quare etiam cum terramotu? Audite Dei dispensationem, & admiramini. Omnium sunt soluta vincula: & portae sunt apertae. Sed hoc solum factum est propter custodem carceris, non ad ostentationem, sed ad salutem. Nam quod vinciti nesciret se esse solutos, est perspicuum ex voce Pauli. Quid enim dicit, Clamauit voce magna dicens: Nihil tibi mali facias: omnes enim hic sumus. Non fuissent autem omnes intus, si cuiuissent portas esse apertas, & se solutos. Nam qui muros perfringunt, & fugundia transiliunt, & nihil non audet etiam cum vinculis, non tolerassent & vinculis solutis, & portis apertis intus manere, & dormiente ipso custode carceris. Sed pro ferreis vinculis erat eis somni vinculum. Quo factum est ut & id fieret, nec ex miraculo vlla noxa rediret ad custodem carceris qui erat saluus futurus. Et alioqui etiam maxime noctu ligantur qui sunt vinciti, non interdiu. Licebat ergo tunc diligenter videre rursus vincitos & dormientes. Si haec autem interdiu facta essent, magnus ortus esset tumultus. Cur ergo terramotu concussus fuit carcer? Ut surgeret custos carceris ad rei spectaculum. Is enim solus dignus erat salute. Tu autem mihi vide Christi summam gratiam. Nam inter Pauli vincula, Christi quoque gratiae meminisse pulchrum est & honestum: imo vero ea quoque erant Dei gratiae. Sunt enim qui reprehendunt quod saluus fuerit custos carceris, & pro quibus admirari oportebat Dei benignitatem & clementiam, ex iis ipsis vituperant. Nec mirum. Imbecilli enim & egroti sunt huiusmodi, qui etiam alimentum vituperant, quod oporteret admirari, & mel dicunt esse amarum: & qui caecutiunt, ex eo obtenebrantur ex quo deberet illuminari, cum haec accidant non ex rerum natura, sed ex imbecillitate eorum qui eis uti non possunt ut oportet. Quid ergo dicebant? Cum oporteret admirari quod cum cepisset qui ad extremum prolapsus erat vitiu, & fecisset meliorem, dicunt: Quomodo non arbitratus est eam rem esse praestigiarum & incantationis, & non eos magis retinuit, & non euilauit? Ad hoc multis vsus est coniecturis. Primum quidem quod audiuit eos Deum laudantes & hymnos cantantes: eiusmodi autem hymnos non cecidissent, si fuissent praestigiatores. Audiuit enim, inquit, eos Deum laudantes. Secundum autem quod ipsi non auferunt, sed etiam prohibuerunt ne se interficeret. Si autem prius exemisset. Magna autem est etiam eorum humanitas, prohibuerunt ne se interficeret, qui ipsos valide ac firmiter ligauerat. Et acriter, inquit, nos vincisti, ut ipse esses solutus ab acerbissimis vinculis. Catenis enim suorum peccatorum unusquisque constringitur. Nam illa quidem sunt execranda vincula, haec autem beata & valde optanda. Nam quod haec illa soluerint, ostedit ex sensibus. Vidisti eos solutos qui ferro fuerant vinciti? Videbis te quoque ipsum relaxatum ex aliis grauius vinculis. Haec vincula, vincitorum, inquam, vincula, non Pauli, faciunt illa vincula peccatorum. Erant duo genera eorum qui erant intus vinciti: ipse quoque custos carceris erat vincitus. Nam illi quidem ferro vinciti fuerant & peccatis: hic autem solis peccatis. Illos soluit Paulus, ut de hoc redderet certiores: erant enim aspectabilia vincula. Ita etiam fecit Christus, imo vero contra. Illic duplex erat paralyticus. Quam autem ea? Peccatorum & corporis. Quid ergo facit? Confide, inquit, fili, remittuntur tibi peccata. Prius soluit eam, quae verè erat paralyticus. Deinde ad hanc accedit. Quando enim quidam ex scribis dicebant apud se, Iste blasphematur, sciens Iesus eorum cogitationes, dixit, Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est

A. 16.

Aegroti carceris abhominatio, & conuictio eorum non fecerunt.

A. 16.

Man. 9.

facilius

facilius dicere, Remittuntur tua peccata, an dicere, Surge & ambula? Ut autem sciatis quod potestatem habet filius hominis remittendi peccata in terra, dicit Paralytico, Surge & tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Ex eo quod est sensibile, confirmauit id quod cadit sub intelligentiam, ut qui ex corporali fecerit id quod est in anima. Cur autem hoc fecit? Ut impleretur quod dictum est, Serue nequam ex ore tuo te iudico. Quid illi dixerunt? Nemo potest remittere peccata nisi solus Deus, neque angelus, neque archangelus, neque alia potestas creata. Vos hoc confessi estis. Quid ergo oportet dicere, si ostensum fuerit quod soluo peccata? Est perspicuum quod dicere oporteret me esse Deum. Sed non sic dixit. Sed quid? Ut sciatis quod filius hominis habet potestatem super terram remittendi peccata, tunc dicit Paralytico, Surge, & tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Quando ergo dicit se facturum quod est difficilium, est perspicuum quod eius quod est facile nullus relinquitur praetextus, nulla contradictio. Propterea ille prius fecit id quod cadit sub intelligentiam, quoniam multi erant qui contradicebant. Hic autem ab eo quod cadit sub intelligentiam, redegit ipsum ad sensibile. Lenitatis non erat fides. Vidit vincitos, & nihil mali vidit nec audiuit. Vidit id non fuisse factum praestigiis & incantatione. Deum enim laudabant. Vidit omnia facta esse multa humanitate: non enim eum vlti sunt etsi possent. Licet & seipsis & vincitis exemptis abire. Si non vincitis, saltem seipsis. Sed non fecerunt. Quamobrem eum sunt reueriti, non solum ob miraculum, sed etiam ob mores. Quomodo exclamauit, voce magna dicens, nihil tibi mali feceris, omnes enim hic sumus. Vides quam nihil sit inanis gloriae, quam nihil fastus, & quantus sit amor. Non dixit, Propter nos haec facta sunt, sed tanquam vnus ex vincitis dicit. Omnes enim hic sumus. Atqui etsi non prius, neque per miraculum se soluisset, at eis licuisset tacere, & omnes etiam vincitos soluere. Si enim siluissent, & non per magnam vocem eius manus cohibuissent, per guttur enssem transadegisset. Propterea etiam clamauit, quoniam in interiori carcerem erat coniectus. Contra te, inquit, hoc fecisti, interiori coniectis iis qui te erant liberaturi a periculo. Sed non sunt imitati quae ab illo facta fuerant. Illo autem mortuo omnes effugissent. Vidisti quod maluerint esse vinciti, quam illum pereuntem despiciere. Apud se autem cogitauit, si essent praestigiatores, omnes illos soluisset, & seipsum liberaissent a vinculis: est enim verisimile multos quoque tales fuisse iniectos. Alioqui autem cum multis tales accepisset praestigiatores, etiam nihil tale factum esse est miratum. Praestigiator non conuassasset fundamenta carceris, ut eius custodem excitarer, & efficeret ut sibi fuga esset difficilior. Sed iam videamus fidem custodis carceris. Petito, inquit, lumine introgressus est, & tremefactus procidit Paulo & Silae ad pedes, & producens eos foras, dicit, Domine, quid me oportet facere, ut saluus fiam? At illi dixerunt, Crede in dominum Iesum, & saluus eris tu, & domus tua. Hoc non est, inquit, praestigiatorem tale decretum tradere? Nusquam est hic memoria demonis. Vides quam sit ille dignus qui fiat saluus? Nam cum vidisset miraculum, & metu esset liberatus, non est oblitus eorum quae erant conducibilia, sed in eo periculo curam gerebat salutis animae, & accessit ad doctores ita ut oportuit accedere. Procidit, inquit, ad eorum pedes & locuti sunt ei verbum domini & omnibus qui erant in domo eius. Et tollens eos in illa nocte, lauit plagas eorum, & baptizatus est ipse & omnis eius domus continuò. Vides viri feruorem? Non distulit, non dixit, Fiat dies, videamus, consideremus. Sed magno feruo-

Luc. 19.

Marc. 8. Luc. 5.

re, & ipse & tota eius domus fuit baptizata. Non autem vt nunc, plurimi despiciunt & seruos & vxores & liberos mysteriis non initiatos. Sitis rogo vt custos carceris, non autoritate dico, sed instituto. Quid enim prodest autoritas, si voluntas & institutum sit imbecillum? Si qui erat crudelis, qui immitis, qui vivebat cum malis hominibus innumerabilibus, qui hoc semper meditabatur, adeo humanus, & tantam gerens curam & sollicitudinem repente euasit. Eorum, inquit, plagas lauit. Considera rursus etiam Pauli feruorem. Vincitus, flagellatus ita euangelizabat. O beatam catenam! Qualis fuit illa nocte eius parturitus? Quales peperit filios? Fieri autem potest vt de iis dicat, Quos genui in meis vinculis. Vides quomodo exulter, & vult filios qui nati sunt ex hoc esse splendidiore? Vides vinculorum quanta sit gloriae abundantia, cum non solum eum qui est illis circumdatus, sed etiam eos quos ille eo tempore peperit, reddat splendidiore? Habent aliquid amplius, qui nati sunt in vinculis Pauli: non dico in gratia, est enim eadem gratia, nec in remissione: est enim eadem omnium remissio: sed quod a proceris docetur eiusmodi rebus laetari & exultare. Et tollens, inquit, eos in illa hora noctis, lauit plagas eorum, & baptizatus est. De caetero autem vide fructum. Pro iis statim reddidit carnalia. Cumque perduxisset, inquit, eos in domum suam, statim apposuit eis mensam, & laetatus est cum tota domo qui crediderunt Deo. Quin erit laetaturus, caelo ei aperto cum ianuis carceris? Lauit doctorem, mensam apposuit, & laetatus est ac exultauit. Ingressa est in carcerem catena Pauli, & quaecumque illic erant fecit ecclesiam, & Christi corpus attraxit, & mensam apposuit spirituale, & eos factus est enixus quibus gaudet angeli. Num temere dicebam carcerem esse caelo splendidiorem? eius enim quae illic est letitia hic fuit causa. Si enim propter vnum peccatorem poenitentiam agentem gaudium est in caelis: Si vbi duo sunt congregati in nomine eius, illic est Christus in medio eorum: vbi est Silas & Paulus & custos carceris, & tota eius domus, & tanta fides, multo magis. Vide vehementiam fidei. Sed hic carcer mihi reuocauit in memoriam alium carcerem. Quemnam autem. Vbi erat Petrus. Sed illic nihil fuit eiusmodi. sed traditus fuerat custodiendus quatuor quaternionibus militum: & hymnos non canebat, nec vigilabat, sed dormiebat, & neque fuerat flagris caesus, sed maius erat periculum. Nam hic quidem totum iam erat confectum, & poenas dederant. Illic autem nondum. Quare etsi nondum erant plagae dolore afferentes, at futuri expectatio conturbabat. Vide etiam illic miraculum. Ecce Angelus Domini adstitit, & lumen refulsit in habitaculo: percussioque latere Petri excitauit eum dicens, Surge velociter. Et statim ceciderunt catena de manibus eius: ne existimaret rem esse solum lucis: & Petrum pupugit. Nemo autem videbat lucem nisi ipse solus, & existimabat esse visum. Sic qui dormiunt non sentiunt Dei beneficia. Dixit autem, inquit, ei angelus. Praecingere, & calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dicit ei. Circunda tibi vestimentum tuum, & sequere me: & nesciebat quod verum esset quod fiebat per angelum: existimabat autem se visum videre. Transeuntes autem primam & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quae ducit ad ciuitatem, quae vltro aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum vnum: & continuo discessit angelus ab eo. Cur hic non factum est id quod in Paulo & Sila? Quod illic quidem eos erant absolutori, propterea noluit eos sic solui. In beato autem Petro, ad mortem eos erant educturi. Quid vero, inquit, an non fuisset mirabilius, si eductus & traditus in manus Regis, tunc creptus esset ex ipsis mediis

Quales filios peperit Paulus.

Carceri Paulo factus ecclesia.

Luc. 15.

Marc. 18.

A. 14.

periculis, & nihil esset perpeffus? Sic enim neque periissent milites. Magna hic mota est quæstio. Deus suum, inquit, seruum seruauit cum aliorum cruciatus, cum aliorum interitu. Atque primùm quidem non eum seruauit cum aliorum interitu. Non enim fuit hoc ex rei administratione ac dispensatione, sed ex infania Iudicis. Quomodo? Deus enim sic rem administrat ac dispensauit, vt non solum hi non perirent, sed ille etiam saluus esset, sicut etiam hic quoque in custode carceris. **Ibidem.** Ille autem non est vsus dono vt oportuit. Facta autem die, inquit, erat non parua turbatio quidnam factum esset de Petro. Quid verò: Herodes rei facit examinationem, & de iis facta inquisitione iussit abduci. Nam siquidem non inquisisset, aliqua esset excusatio: nunc autē produxit, examinauit, didicit eum fuisse vinctum, carcerem esse clausum & tutum. Nec fuisse effossos parietes, nec vllum aliud esse signum sceleris ac maleficij. Ex hoc autem licebat Dei admirari potentiam, quæ ex medijs ipsum eripuit periculis, & adorare eum qui hæc potuerit. Quænam est ergo culpa hinc Deo imputanda? Nam si effecisset vt murus perfringeretur, & sic eiecisset, meritò existimasset id esse adscribendum eorum negligentia. Si autem rem sic administrat & dispensauit, vt ostenderetur eam non esse humani sceleris ac maleficij, sed diuini miraculi, cur hoc fecit? Si enim erat fugiturus, ita fugisset vt habuit catenas. Si erat fugiturus conturbatus, non tantæ ei fuisset curæ vt acciperet caligas, sed eas dimisisset. Nunc autem propterea dicit ei angelus. Præcingere caligas, vt discerent quòd eam rem non fecisset fugiens, sed in magno otio & quiete. Nam cum esset vinctus, & inter duos milites, non tatum ei fuisset otij vt solueret catenas, idque cum esset in interiori custodia. Iudicis ergo iniustitiæ est adscribendum custodum supplicium. Nam cur hoc non fecerunt Iudæi? Memini enim alterius carceris, illius quidem prioris qui Romæ, huius autem qui Cæsareæ, nunc autem eius qui fuit Hierosolymis. Nam cum pontifices & Pharisei audiuisent ab iis quos ipsi miserant ad educendum Petrum, se nullum intus inuenisse, sed portas clausas, & custodes stantes pro foribus, cur custodes non interemerunt, sed dubitabant quidnam de iis fieret? Si autem etiam aduersus eos cædem valde spirantes nihil tale cogitarunt, multò magis tu qui omnia facis ad illorum gratiam. Propterea eum statim insecuta est pœna. Si autem eius rei culpam in eum confers, confer etiam in eum culpam de iis qui in viis iugulantur, & de innumerabilibus alijs qui iniuste perimuntur, & de pueris etiam qui propter Christum sunt precepti. Nam vt illi quoque, vt tu dicis, perimerentur, Christus auctor fuit & causa. Imò verò non Christus, sed furor & tyrânis patris Herodis. Si autem dicis, Cur eum non rapuit è manibus Herodis? Hoc quoque poterat facere, sed ex eo nihil esset lucratus. Nam quoties euasit Christus ex manibus eorum? Quid hoc ergo profuit ingratias? At hinc ex iis quæ facta sunt ad fideles multa redit utilitas. Nam dum fierent monimenta, & ipsi inimici iis quæ gerebantur ferrent testimonium, minimè suspectum erat testimonium. Sicut ergo illic quoque, non aliunde eis fuit os obstructum, quam ex eo quòd qui venerant confiteretur ea quæ facta fuerant. Cur enim nihil eiusmodi fecit custos carceris. Atqui quæ vsuenerant Herodi non erant minora iis quæ huic vsuenerunt. Nam rescuisse quòd clausis ianuis vinctus exisset, quòd attinet ad stuporem incutiendum, non minus erat quam vidisse apertas ianuas. Atqui illa magis visa sunt esse visio, hoc autem non ita, dum accuratè & exactè renunciat. Quamobrem hic quoque si fuisset malus interfecisset Paulum sicut ille milites. Sed non erat. Si

quis autem dicat, Cur concessit Deus interfici, in prolixiorem inciderimus orationem, quam apud vos oportuit dici ab initio. Nunc autē Pauli catenæ multis actis gratis, finem imponemus orationi, quòd tam multorum bonorū fuerit causa, cum vos rogauerimus vt non solum non agrè feratis si quid passi fueritis propter Christum, sed etiã gaudeatis sicut Apostoli, & gloriemini vt dicebat Paulus, Lubentissimè gloriabor in infirmitatibus meis. Propterea audiuit, Sufficit tibi gratia mea. Paulus gloriatur propter vincula, & tu propter diuitias es elatus, & te magnificè circumspicis? Apostoli gaudebant quòd digni essent habitus qui flagris cederentur, & tu relaxatione & otium quæris & delicias. Quomodo ergo vis eadem quæ illi consequi, cum hic ingrediaris via eis cõtraria. Et nunc, inquit, vado Hierosalem alligatus spiritu, quæ in ea ventura mihi sunt ignorans: nisi quòd spiritus sanctus per ciuitatem mihi protestatur, dicens, quòd vincula & tribulationes me manent? Cur ergo vadis si vincula & afflictiones te manent? Propter hoc ipsum vt vinciar propter Christum: vt moriar propter ipsum. Non solum enim paratus sum vinciri, sed etiam mori pro nomine domini nostri Iesu Christi.

MORALE

Nihil est illa anima beatius. In quibusnam gloriatur? In vinculis, in afflictionibus, in catena, in stigmatibus. Ego stigmata Iesu Christi in corpore meo porto tanquam magnum aliquod trophæum. Et rursus, Propter Israël, inquit, catena hac circumdatus sum. Et rursus, In quo legatione fugor in catena. Quid hoc ergo est? Nò te pudet? Non extimescis, totum orbem terræ vinctus circumiens? Non metuis ne quis Deum tuum accuset imbecillitatis? Ne quis propterea nò accedat? Nò sunt, inquit, talia mea vincula. Sciunt etiam splendere in aulis Regū. Ita vt vincula mea manifesta fierent in Christo, in omni prætorio, & plures è fratribus in domino, confidentes in vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui. Magis vides vinculorum vim, quam resurrectionis. Me vinctum viderūt, & magis confidūt. Vbi enim sunt vincula, illic quoque; vt magni aliquid factū sit necesse est. Vbi afflictio, illic quoque; omninò est salus, omninò illic est relaxatio, illic omninò sūt præclara & ex virtute gesta facinora. Nā diabolus quando calcitrauerit tunc feritur. Quando vinxerit Dei seruos, tunc maximè crescit Verbum. Vide autē hoc vbiq; fieri. Vinctus fuit, & hæc vinxit in carcere. In ipsis enim, inquit, vinculis meis. Vinctus fuit Romæ, & plures induxit. Non enim ipse solus cõfidebat, sed etiã alij multi per ipsum. Vinctus fuit Hierosolymis, & vinctus concionans regem obstupescit, & timore affectus magistratū. Nā timore percussus, eū absoluit: nec eum qui vinxerat puduit à vincto discere de futuris. Vinctus nauigabat, & soluit naufragiū, & vinxit tēpestatē. Cū esset in vinculis, illum tetigit bestia, & eo minimè læso cecidit. Vinctus est Romæ, & vinctus concionans attraxit innumerabiles, pro omnibus hoc ipsum proiciens, nēpe catenā. Sed non licet nunc vinciri catenis, sed alia est catena si velimus. Quænam autē hæc est? Manus cõtinere: ad auaritiã & plura habendi cupiditatē non esse paratos. Hac catena nos ipsos vinciamus. Pro ferro sit nobis timor Dei. Soluamus eos, qui vincti sunt à paupertate, ab afflictione. Nò sunt paria aperire portas carceris, & inclusam relaxare animam. Non sunt paria, vinctorum soluere vincula, & cõtritos absoluere in remissione. Hoc illo est maius. Nam illius quidem nulla est merces proposita, huius autem innumerabiles. Longa fuit Pauli catena, & diu multumque; nos tenuit: est enim re vera longa, & quauis catena aurea honestior. Ipsa

Ipsa vinctos veluti quadam machina trahit ad cœlum, & tanquam catena aurea suspensa ad cœlum sursum trahit: & quòd est mirandum, infernè vincta vinctos sursum trahit. Atqui non est hæc rerum natura, sed quando Deus administrat ac dispensat, ne quæras rerum naturam, neque consequentiam, sed quæ sunt supra naturam, & consequentiam. Discamus in afflictionibus non deici nec agrè ferre. Vide enim hunc beatum. Flagris cæsus fuerat & valde cæsus. Multas enim, inquit, plagas ei imponentes. Et vinctus fuerat, idque rursus valde. In interiori enim custodia eum iniecit, idque firmiter & vt esset in tuto: & cum in tam multis esset difficultatibus, media nocte, quando etiã dormiunt qui valde sunt experrecti, imposito etiam maiori vinculo, nempe somno, canebant & laudabant dominum. Quid his animis fuerit magis adamantinum? Cogitabant quòd pueri quoque canebant in igne & in fornace. Fortasse reputabant dicentes, Nos nihil adhuc tale passi sumus. Sed rectè se gerens, oratio nos ad alia adduxit vincula & alium carcerem. Quid agas? Volo tacere, sed non possum. Alium inueni carcerem illo admirabiliorem, & qui maiorem affert stuporem. Sed nunc mihi exurgite tanquam nunc incipiat oratio, vegetisque firmis & recentibus nunc accedite animis. Volo cœptam interrompere orationem, ea verò non finit. Nam quomodo quispiam interim dumbibit non passus fuerit interrompi, quidquid ei renunciatur: ita ego quoque apprehenso admirabili carceris poculo eorum qui vincti sunt propter Christum, non possum cessare, non possum filere. Nam si ipse in carcere & nocte non siluit, nec in flagellis, ego filebo sedes cum sit dies, & in multo otio loquens & quiete, cum hoc non vsu venerit iis qui vincti erant, qui flagris cæsi fuerant, & noctu: Pueri non filebāt in fornace & igne, & nos non pudebit filere: Videamus ergo hunc carcerē. Hic quoque vincti sunt. Statim ab exordio ostendebatur quòd non essent vrendi, sed intraturi carcerem. Cur autem eos ligas qui sunt comburendi. Vincti erant sicut Paulus pedibus & manibus. Vincti erant non minori ira & furore. Nam & ille iniecit in interiori custodia, & hic iussit valde accendi fornacē. Sed videamus quæ sunt consecuta. Illis hymnos canentibus conquassatus est carcer, & apertæ sunt portæ. Et his hymnos canentibus soluta sunt vincula pedum & manuum, & apertæ sunt portæ fornacis. Sibilabat enim ros spiritus. Verumtamen me multa circumfluunt. Nescio quidnā primum dicam, quidnam secundum. Ne quis à me exigat ordinem, est enim rerū multa cognatio. Soluti sunt qui cum eis vincti fuerant, sed dormiebant. Hic autem pro iis aliquid aliud factum est. Combusti sunt qui eos iniiciebant, sed quod volebam dicere: vidit solutus Rex, & eis procidit. Vidit hymnos canentes, & quatuor vidit ambulantes, & vocauit eos. Quomodo ergo Paulus non exiisset, etsi posset, nisi qui iniecerat eum vocasset, & eduxisset: ita nec illi tres pueri exierunt, donec is qui iniecit iussit exire. Quid ex hoc discimus? Non festinare vt in vincula coniciamur, nec properare ad afflictiones: nec rursus in eis manere, si sint qui soluant. Sed ille quidem procidit ad pedes, poterat enim ingredi vbi erant sancti: hic autem procidit cum venisset ad ostium. Non poterat enim accedere ad eum qui intus erat carcerem, quem ipsis construxerat, per ignē. Contemplantur autem verba. Ille dicit, domini quid me oportet facere, vt sim saluus: Ille non cum tanta quidem humilitate, vocem autem emisit non minus iucundam. Sidrac, Misac, & Abdenago serui Dei excelsi, egredimini & venite. Magnus honor. Serui Dei excelsi, exite & venite. Quomodo egredientur o rex? Vinctos inie-

casti in ignem: tam longo tempore fuerunt in igne? Nam si fuissent adamantini, si materiæ metalliæ, qui totum illum canebant hymnum, non periissent? Propterea ergo salui fuerunt, quòd hymnos canebant. Animi eorum alacritatem reueritus est ignis. Postea etiam canticum illud admirabile & hymnos. Quomodo eos vocas? Prius dixi. Serui Dei excelsi. Omnia enim possunt Dei serui. Nam si sunt aliqui serui hominum, & in rebus illorum non minorem habent potestatem, imperium, & administrationem, multò magis serui Dei. Vocem vocauit iucundissimam. Sciebat se ea maximè ipsis assentari. Nam si vt serui Dei manerent, in ignem sunt ingressi, non erat alia vox hac iucundior. Non si eos vocasset Reges, non si dominos orbis terræ, non tanta eos affecisset voluptate, quanta cum eis dixit, Serui Dei excelsi. Et quid miraris? Ad magnam enim urbem, quæ orbis terræ obtinebat dominatum, & cui authoritas magnos faciebat spiritus, Paulus scribens hoc posuit, vt quòd dignitati ex æquilibrio responderet, imò verò & Consulatu & regno & orbis terræ imperio longè maius atque adeò incomparabiliter maius esset, Paulus seruus Iesu Christi. Serui Dei excelsi. Si enim, inquit, tantum ponunt studium vt sint serui, omninò eis hoc persuadebimus. Vide ergo etiam puerorum pietatem. Non succensuerunt, neque irati sunt, neque contradixerunt, sed egressi sunt. Nam si supplicium existimassent, quòd iniecti essent in fornacem, succensuissent ei qui iniecerat. Nunc autem nihil horum: sed ita exierunt tanquam qui prodirent è cœlo: & quòd de sole dicit Propheta, Tanquam sponus procedens è thalamo suo, hoc etiam qui de eis dixerit, non aberrarit. Sed eo sic procedente illi tunc processerunt splendidius. Nam ipse quidem procedebat, orbem terræ illustrans sensili lumine, illi verò aliter orbem terræ illuminantes, nempe eo modo qui cadit sub intelligentiam. Nam propter ipsos Rex statim misit decretum, quòd hæc verba continebat. Placuerunt coram me signa & prodigia, quæ fecit Deus nobis ostendere tanquam magna & fortia. Exierunt itaque splendidum emittentes radium, qui lætus quidem erat etiam in ipsis regionibus: maximè autem poterat vbi que extendi per litteras regias, & soluere tenebras quæ erant vbi que extensæ. Egredimini & venite. Non ausus est fornacem extinguere, sed hoc etiam eos maximè honorauit, quòd crediderit eos nò solum posse intus ambulare, sed etiam eo ardente egredi. Videamus autem, si videtur, verba quoque custodis carceris: Domini quid me oportet facere vt saluus fiam? Quid hac voce iucundius? Ipsa facit saltare angelos. Vt hanc audiret vocem, seruus quoque factus est Dei vnigenitus. Hanc Petro dicebant vocem qui crediderūt ab initio: Quid faciemus vt salui simus? Et quid dicit? Credite, & baptizemini. Lubenter etiam in gehennam cecidisset Paulus, vt hac vocem audiret à Iudæis, propter desiderium eorum salutis & obedientiæ. Vide autem, eis permittit totum, nihil curiosè inquit. Videamus autem quæ sequuntur. Hic non dicit, Vt saluus fiam, sed quauis voce clarior & euidetior extitit doctrina, & statim fit prædicator. Non opus habet vt catechesi instituat, vt custos carceris. Sed quid? Deum prædicat, & fatetur potestatem. In veritate noui, quòd Deus vester, ipse est Deus Deorum, & dominus dominorum, quoniam misit angelum suum, & liberauit vos à fornace. Et quid postea? Non vnus custos carceris, sed multi catechesi instituantur per litteras regias, per aspectum rerum. Nam quòd rex non esset mētutus, est cuius perspicium. Non enim voluisset captiuus hæc ferre testimonia: neque sua deicere ac deprimere. Noluisse tan-

Serui Dei quomodo possint omnia.

Rom. 1.

Psal. 18.

Dan. 3.

Act. 16.

Act. 2.

Catenam Christi- norū qualem esse oportet.

ta amentia prebere opinionem. Quamobrem nisi ve- ritatis multa fuisset perspicuitas, non hac scripsisset, id- que cum tam multi adessent. Videtis quanta sit vis vin- culorum, quanta virtus hymnorum cantationis qua fit in afflictione? Animum non desponderunt, neque deieci sunt, sed tunc erant vehementes, tunc eorum fuit maior animi alacritas. Merito hac cogitarunt. Res- tat adhuc vnum. Cur in carcere quidem, ij qui vinciti erant, sunt soluti: in fornace autem exusti sunt qui in- iiciebant. Atqui oportebat hoc pati Regem. Neque enim tantum peccarunt, nec qui vinciebant, neque qui iniiciebant, quantum is qui iubet hoc fieri. Cur ergo illi perierunt? Hic no valde opus est vt res accuratè di- sceptetur. Erant enim impij. Propterea hoc cõsilio id a- gebatur, vt ostèderetur visignis, & maius fieret miracu- lū. Si enim eos qui foris erant sic exedit, quomodo eos qui erant intus reddebat illa: flos & impatibiles? Vt ma- nifesta fieret Dei potetia. Nemo autem mireretur quod Regē in eodem ordine posui quo custodem carceris. I- dē enim fecit. Hic enim illo nihil erat præclarior. Am- bobus enim profuit. Sed sicut dixi, iusti dū sunt in affli- ctionibus, tūc sunt vehementiores quando sunt in vin- culis. Nā propter Christū aliquid esse passum, est quo- uis solatio iucundius. Vultis aliū quoque carcerē vobis reuocē in memoriam? Quēnam vultis? Hieremiāne, an Iosephi, an Ioānis? Pauli catenā gratia, quam mul- tos orationi nostrā aperuit carceres? Vultisne Ioannis? Vincitū fuit hic quoque aliquando propter Christum & legem Dei. Quid verò, fuitne otiosus cum esset in carcere? An non inde ex carcere missis dicebat suis di- scipulis, Tu es ille qui venturus es, an alium expecta- mus? Et cum illic esset, docebat. Non enim erat negli- gens. Sed an non Hieremias prædixit de Babylonio, quæcunque ipsius erant illic quoque faciens. Quid ve- rō Ioseph, nunquid vincitū erat tredecim annos? At- que ne illic quidem oblitus est virtutis. Cum adhuc v- nius vincula dixerimus, finem imponemus orationi. Vincitū quoque fuit dominus noster, qui orbem terræ soluit à peccatis. Vincitū sunt manus, quæ bona fece- runt innumerabilia. Vincitū enim, inquit, eum duxe- runt ad Caiphā. & vincitū fuit qui tam multa fecit miracula. Hæc cogitantes nunquam ægrè feramus, sed & si fuerimus vincitū, gaudeamus: & si non sumus in vin- culis, simus tanquam colligati. Vides quantum bonum sit vinculum. Hæc omnia cum sciamus, Deo gratias pro omnibus emittamus. In Christo Iesu domino no- stro, cui cum patre & sancto spiritu &c.

ORATIO IX.



B SECRO itaque vos ego vincitū in domino, vt dignè ambuletis vocatione qua vocati estis cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia, supportantes inuicem in charitate, solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Ostensa est catenæ Pauli magna virtus, & præ- clarior signis. Non temerè ergo nec frustra, vt videtur, eum profert, sed tanquam per ipsum pudorem suffu- rus. Dignè, inquit, ambulate vocatione qua vocati es- tis. Quomodo? Cum omni humilitate, cum mansue- tudine, & patientia, alter alterum sustinentes in chari- tate. Nō absolutè vincitū esse bonum est, sed propter Christum esse vincitū. Propterea dicit, Vincitū pro- pter Christum. Nihil ei potest æquiparari. Sed catena nos magis abstrahit & auellit à propositis, & non susti- nemus resistere, sed sponte trahimur & volentes & op- tantes. Et vtinam semper mihi liceret loqui de catena Pauli. Sed ne obtorpescatis. Adest enim nunc mihi tractanda quæstio. Nam quod se defendens apud A-

grippam dicebat, Opto apud Deum & in modico & in magno, non tantum te, sed etiam omnes qui me au- diunt hodie, fieri tales qualis & ego sum, exceptis vin- culis his, non hæc dicebat tanquam existimans rem ef- se deprecandam & execrandam, absit. Non enim si res esset abominanda, gloriaretur de vinculis, de carceri- bus, de aliis afflictionibus. Et scribens dicebat: Luben- ter gloriabor in infirmitatibus meis. Sed quid? Hoc i- psū erat indicium quod magni faceret vincula: quo- modo etiam dicebat scribens ad Corinthios. Lac vo- bis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis. Ita hīc quoque non poterant audire pulchritudinem, nec decōrem, nec vtilitatem vinculorum. Propterea dicit, Exceptis his vinculis. Apud Hebræos autem non ita, sed suadebat vt simul vincirentur cum vincitū. Pro- pterea & ipse lætabatur propter vincula, & vincieba- tur, & cum vincitū abducebatur in custodiam. Magna est vis catenæ Pauli. Sufficit pro omnibus hoc specta- culum, Paulum videre vincitū, & educi è carcere. Vi- dere vincitū & intus sedentem, qua voluptate nō est hoc maius? Quo pretio rem non aestimauimus? Non vi- detis reges & Consules curru gestari & aurum gesta- re, & satellites omnia habentes aurea, aureas lanceas, aureos clypeos, equos aureis ornatos ephippiis? Quan- tum est hoc spectaculum illo iucundius? Mallet semel videre Paulum è carcere exeuntem cum vincitū, quam millies illos deductos cum illa satellitum stipantium caterua. Quam multos existimatis angelos cum præ- cessisse quando sic educeretur? Quod autem non men- tiar, ex veteri quadam historia vobis faciā perspicuum. Eliæus Propheta, fortè autem quisnam sit scitis, cum rex Syriæ bellum gereret aduersus regem Israël, sedes apud se in medium proferebat quæcunque ille in inti- mis penetralibus consultabat cum iis quos adhibebat ad consilium, & regis consilia faciebat irrita, prædicēs arcana, & non sinens incidere in laqueos quos ille ten- debat. Hoc regem malè habebat, & animo anxius in magna erat perplexitate & hæsitazione, vt qui nō pos- set resciscere quisnam esset qui omnia proferret, & ten- deret insidias, irritasque redderet eius machinationes. Ei ergo dubitanti & causam quærenti dixit quidam ex satellitibus, esse quendam Eliæum Prophetam esse firmam & stabilem, sed omnia proferre. Is existimauit se totum inuenisse, sed eo nihil est miserius: cum oportet virum honorare, admirari, stupere, si tantam habet virtutem, vt sedens tam multis remotus stadiis, sciat quæcunq; sunt in regis penetralibus nullo renuncian- te. Hoc quidem non fecit, sed irritatus & ira percitus, coactis equitibus & armatis militibus, eos mittit Pro- phetam obsessuros. Erat autem Eliæo discipulus ad- huc in vestibulis prophetiæ, qui multum aberat vt di- gnatus esset consequi eiusmodi reuelationes. Accesserunt regis milites, tanquam vincitū hominem, imò ve- rò Prophetam. Rursus incidimus in vincula, & vndi- que hæc sic contexitur oratio. Cum autem vidisset di- scipulus militum multitudinem, obstupuit, timensque & tremens accurrens ad magistrū, renuntiauit calami- tatē vt putabat, & ineuitabile significauit periculum. Risit magister quod timuisset quæ non erant timenda, & hortatus est vt consideret. Ille autem vt qui esset im- perfectus, non credebat, sed visione adhuc percussus, o- tenebatur metu. Quid verò Propheta? Aperi, inquit, o- culos huius pueri, & videat esse plures nobiscum quam cum ipsis. & videt repente totum motem quem habi- tabat Propheta, esse plenum equis igneis & eiusmodi curribus: hoc autem nihil erat aliud quam structa acies angelorum. Si autem Eliæum pro hoc solo tanta se- quebatur

quebatur acies: quid Paulū? Hoc etiam dicebat Da- uid Propheta: Castra metabitur angelus in circuitu ti- mentium eum. Et rursus: In manibus tollent te, ne quando offendas ad lapidem pedem tuum. Et quid di- co angelos? Ipse dominus erat cum ipso egrediente. Non enim ab Abrahamo quidem videbatur, non erat autem cum eo. Ipse enim promisit dicens. Ego vobis- cum sum omnibus diebus vsque ad cõsummationem sæculi. Et rursus ab eo visus dicebat: Noli timere, sed loquere, & ne taceas propterea quod ego sum tecum, & nemo te inuadet vt tibi noceat. Porro autè in som- nis quoque ei adstitit dicens: Constas esto. Sicut enim testificatus es de me in Hierusalem, sic te oportet & Romæ testificari. Semper quidem sancti sunt admira- biles, & multa pleni gratia: maximè autem quando in periculo versantur propter Christum, quando sunt vin- cti. Quomodo enim miles fortis & strenuus est sem- per & absolutè iucundum cernentibus spectaculum, maximè autem quando iuxta ipsum regem steterit & in acie fuerit. Ita etiam cogita Paulum, quantum lice- bat videre docentem cum ipsis vinculis. Dicamne cog- itatum quod interim mihi venit in mentem? Beatus Babylas ipse quoque vincitū fuit ob eandem causam ob quam Ioannes, vt qui regem iniquè se gerentem ar- guerit. Ipse decedens mandauit vt vincula ponerentur cum suo corpore, & corpus sepeliretur vincitū: & nunc fiti sunt compedes cum cinere, tantum erat ei de- siderium vinculorum propter Christum. Ferrum per- transiit anima eius dicit Propheta de Iosepho. Iam ve- rò mulieres quoque acceptant horum vinculorum experientiam. At nos non ligamur: neque hoc suadeo, cum non sit nunc tempus. Neliges manus, sed men- tem. Sunt etiam alia vincula. Qui hæc non ferunt, fe- rent illa. Audi Christum dicentem: Ligatæ eius manus & pedes. Sed absit vt illorum vinculorum accipiamus experientiam, detur autem vt his impleamur. Propter- ea dicebat: Ego autem vincitū in domino rogo vos vt dignè ambuletis vocatione qua vocati estis. Caput, inquit, habetis Christum. Vos simul fuscitauit & con- siderare fecit, cum essetis inimici, & mala fecissetis innu- merabilia. Magna est vocatio, & propter magna. Non solum quod ab illis, sed quod etiam ad alia, & hoc mo- do. Quomodo autem dignè ambulatur? Cum omni humilitate. Qui est talis, dignè ambulat. Hoc est fun- damentum omnis virtutis. Si sis humilis, & cogites quisnam cum esses, saluus factus es, memoriam accipis occasionem ad virtutem. Neque vinculis extolleris, neque his ipsis quæ dixi, sed vt qui scias totum esse gra- tiæ, te ipsum contrahis & submittis. Qui est humilis, po- test esse seruus gratus & memor beneficij. Quid enim habes, inquit, quod non accepisti? Audi autem rursus eum dicentem. Amplius illis omnibus laboraui. Non ego autem, sed gratia Dei mecum. Cum omni, inquit, humilitate. Non ea quæ est in verbis, nec in rebus so- lis, sed & quæ est in habitu ac gestu & sermone: non in hunc quidem humilis, in illū verò audax. Sis in omnes humilis, siue sit amicus, siue inimicus: siue magnus, siue paruus: hoc est humilitas. Etiam in bonis actionibus & iis quæ rectè & ex virtute geruntur sis humilis. Au- di enim Christum dicentem. Beati pauperes spiritu, & hoc primum statuendum. Propterea ipse quoque di- cit. Cum omni humilitate, & mansuetudine, & pa- tientia. Nam potest esse vt sit aliquis humilis, sed acer & iracundus. Sed nihil prodest. Sæpe enim dum ab ira possidetur, perdit omnia. Sustinentes, inquit, inuicem in charitate. Quomodo potest sustineri si est iracundus, si accusans & maledicus? Dixit in charitate. Si propin- quum, inquit, non sustines, quomodo te sustinebit

A Deus? Si ipse non fers conferuum, quomodo te feret Deus? Vbi est charitas, ferri possunt omnia. Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Liga manus lenitate & mansuetudine. Rursus pulchrum est nomen, vinculum. Ipsum dimissimus, & ipsum rursus ad nos re- currit. Pulchrum est illud vinculum, pulchrum & hoc: & illud ex hoc nascitur. Te ipsum colliga cum fratre. Ii omnia facillè ferunt qui sunt colligati in charitate. Te ipsum illi alliga, & illum tibi. Amborum tu es do- minus. Nam quem volo facere amicum potero cum facilitate. Solliciti studentes, inquit. Non hoc fit teme- rē, nec est cuiuslibet. Studentes, inquit, seruare vnita- tem spiritus. Quid est vnitas spiritus? Sicut in corpore est vnus spiritus qui omnia continet, etiam si diuersis membris, ita hic quoque. Propterea enim datus est spi- ritus, vt eos vniat qui sunt disiuncti genere & moribus. Nam senex & iuuenis, & pauper & diues, puer & ephœ- bus, & vir, & omnis anima fit vnum quidpiam: & ma- gis quàm si esset vnum corpus. Hac enim coniunctio- ne illa est multo maior: & est maior hæc vnitas perfe- ctio. Anima enim coniunctio eò est accuratior & exa- ctior quò est simplex & formæ vnus. Quomodo au- tem ea conseruatur? In vinculo pacis. Fieri non potest vt ea sit in inimicitis & dissensione. Vbi enim est, in- quit, in vobis lis & æmulationes & dissensiones, an non carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Quomodo enim ignis, quando ligna quidem inuenerit sicca, omnia vnam efficit pyram: quando autem hu- mida, nec operatur, nec conglutinat. Ita hīc etiam ni- hil ex frigidis cum potest constringere, sed ex calidis vnum quodque maxima ex parte. Ex hoc ergo etiam nascitur calor charitatis. Ex vinculo charitatis vult nos omnes colligare. Quomodo enim, inquit, si velis te ipsum alteri alligare, non aliter poteris, nisi illum quoque tibi ipsi alliges. Quod si velis duplex facere vin- culum, illum quoque oportet tibi esse alligatum. Ita hīc quoque vult eos inter se esse alligatos, non solum in pace degere, nec solum diligere, sed omnes esse v- nam animam. Pulchrum est hoc vinculum. Hoc vin- culo & nos inter nos, & nos ipsos cū Deo colligemus. Non affligit nec comprimit colligatas manus hoc vin- culum, sed relaxat & in amplo ac lato finit esse spatium: & efficit vt qui sunt vincitū, sint latiores & animo magis tranquillo. Fortis etiam cum debili ligatus, & illum portat, & nō finit perire, & si cum segni & ignauro fue- rit alligatus, ipsum magis excitat. Frater enim, inquit, à fratre adiutus, est tanquam vrbs munita. Hæc catenam nō potest prohibere viarum spatium, non cœlum, non terra, non mors, neque aliud quidquam, sed est omni- bus potentior & validior. Ipsa etiam nata ex vna ani- ma, potest multos simul comprehendere. Audi enim Paulum dicentem: Non angustiamini in nobis, angu- stiamini autem in visceribus vestris. Dilatemini & vos. Quid ergo huic vinculo affert exitium? Amor pecu- niæ, imperij & honorum gloriæque cupiditas & alio- rum huiusmodi, eos laxos reddit & molles, ipsosque di- scindit. Quomodo ergo fit vt non discindantur? Si hæc ablata fuerint impedimenta, & nihil molestiam afferat ex iis quæ corrumpunt animam. Audi enim Christum dicentem: Quando abundauerit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Charitati nihil est æquè cõtrarium atque peccatum: nec dico solum charitati in Deum, sed etiam charitati in proximum. Quomodo erga la- trones, inquit, degunt in pace? Quando dic mihi de- gunt? Non quando latronum moribus vtuntur. Si enim in iis ipsis quibus diuidunt, non seruent leges iu- stitiæ, vt vnicuique quod iustum est tribuant, inuenies illos quoque esse in bellis & pugnis. Quamobrem nec

Hymno- rum can- tationis quanta fit vis in af- flictioni- bus.

Matt. 11. Luc. 7.

Matt. 26.

CAP. IIII.

AG. 26.

Psal. 33. Psal. 90.

Matt. 28. Act. 18.

Ibid. 23.

Psal. 104.

Matt. 22.

Humili- tas est fun- damentū omnis vir- tutis.

1. Cor. 4. Ibid. 13.

Matt. 23.

Vnitas spi- ritus quid sit.

1. Cor. 12.

Prou. 18.

1. Cor. 6.

Matt. 24.

Pax est v-
bique cu
iustitia &
virtute.

in malis quidem licet pacem inuenire. Vbiq[ue] autem
eam licet inuenire, cum iustitia & virtute. Atqui riu-
ales & æmuli in pace viuunt? Minimè. Sed quemnam
vis dicam? Auarus nunquam erit in pace cum auaro.
Nam si non essent inter eos iusti & æqui, & qui affi-
ciuntur iniuria, dissipatum ac dispersum esset eorum
genus. Quomodo duabus bestiis valde esurientibus,
nisi aliquid intercedat medium quod possit ab eis con-
sumi, se excedunt. Ita etiam esset inter auaros & malos.
Quamobrem fieri non potest vt sit pax, nisi fuerit actio
ex virtute. Nam dic quæso, Sit aliquis adulter. Quo-
modo erit alicui amicus? Construamus ciuitatem auarorū,
& qui pares sunt in honore, & nemo accipiat iniuriam,
sed omnes iniuriam inferant. At pax est adul-
terorum. Sed non inuenies, nec duos quidem concor-
des & consentientes. Quamobrem non est rursus alia
huius causa quam quod refrixerit charitas. Quod au-
tem refrixerit charitas causa est, quod abundarit ini-
quitas. Hoc enim ducit ad sui amorem, & diuidit, &
corpus scindit, emollitque & diuellit. Vbi autem est
virtus, facit contrarium. Nam qui est virtute præditus,
& pecuniis superior, etiam si innumerabiles degunt in
paupertate, potuerit esse pacificus. Auari autem, etsi
sint duo tantum, nunquam possunt esse in pace. Quam-
obrem si virtute simus præditi, non peribit charitas.
Virtus enim est ex charitate, & charitas ex virtute.
Quomodo? Dicam. Qui est præditus virtute, nõ præ-
fert pecuniam amicitia: non est memor iniuriæ acce-
ptæ, proximum nec iniuria afficit nec contumelia, om-
nia fert forti & generoso animo. Ex his constat cha-
ritas. Rursus qui diligit, hæc omnia suscipit. Sic ea sunt
huiusmodi, vt alterum alterum constituat. Et ex hoc
ostenditur quod charitas sit ex virtute. Dicere enim,
Quando abundauerit seu multiplicata fuerit iniquitas,
hoc significauit. Quod autem virtus ex charitate: Qui
diligat, inquit, proximum, legē impleuit. Quamobrem
ex duobus vnum esse oportet, aut valde diligentem &
dilectum, aut valde virtute præditum. Qui enim habet
vnum, necessariò quoque possidet alterum. Et contra
qui nescit diligere, multa quoque mala faciet. Qui ma-
la facit, nescit diligere.

Rom. 13.

MORALE.

PER SE QUAMVR ergo charitatem: est enim præsi-
dium ad hoc vt non permittatur nobis aliquid ma-
li pati. Nos ergo colligemus. Nihil sit apud nos dolo-
sum: nihil fraudulentum & insidiosum. Nihil enim in-
uenitur huiusmodi vbi fuerit amicitia. Hoc dixit vir
quoque alius sapiens: In amicum etiam si strinxeris en-
sem, ne desperes. est enim regressus ad amicum. Si os a-
perueris, ne despondeas animum. Est reconciliatio, præ-
ter exprobrationem, & arcanorum reuelationem, &
plagam dolosam. In his aufugit amicus, in arcanorum
reuelatione. Si simus itaque omnes amici, ne arcanis
quidem est opus. Quomodo enim nõ habet quisquam
ipse apud se vllum arcanum, neque ipse seipsum potest
celare, ita nec amicos. Cum igitur non sint arcana, fieri
non potest vt ex ea re sit offensus & disruptio. Arca-
na enim non habemus propter aliud, quam quod non
omnibus fidimus. Charitatis itaque refrigeratio fecit
arcana. Nam quod habes arcanum? Vis iniuriam fa-
cere proximo? aut prohibes ne sit alicuius boni parti-
ceps, & propterea eum celas? At nihil est horum, sed e-
rubescis. Hoc est ergo signum quod non fides. Si sit
ergo charitas, nõ erit detectio arcanorum. Sed nec ex-
probratio. Quid enim, dic quæso, animæ suæ quisquam
exprobrauerit? Quod si etiam fiat, sit propter lucrum.
Nam etiam pueris exprobramus volentes eos morde-

Ecd. 22.

Inter ami-
cos nullū
est arca-
num.

Inter ami-
cos nõ est
exprobra-
tio.

re. Christus quoque ciuitatibus tunc cœpit exprobra-
re, Væ tibi Corozaim, Væ tibi Bethsaida, vt eas li-
beraret à probris. Nihil enim animum ita potest tæge-
re, & eum magis excitare, & deiectum ac dissolutum e-
rigere. Neque nos absolutè alter alterum probris ap-
petamus. Quid enim, propter pecuniâsne probra in-
geres? Nequaquam, si quid quæ habes, possides com-
munia. At propter peccata? Ne hoc quidem, sed potius
corriges. Et plagâ, inquit, dolosam. Quid verò, seipsum
perimet? Quid verò, seipsum feriet? Nequaquam.
Persequamur ergo charitatem. Non dixit absolutè,
Diligamus, sed persequamur. Multo studio opus &
diligentia. Citò euanescit. velox est ad recedendum.
Tam multa in vita huic rei exitium afferunt. Si eâ per-
sequamur, non priùs recesserit, quam eam citò attraxer-
imus. Dei charitas cœlo terram coniunxit. Dei cha-
ritas hominem sedere fecit super thronum regium. Dei
charitas Deum ostendit super terram. Dei charitas do-
minum fecit seruum. Dei charitas fecit vt traderetur
dilectus pro inimicis, filius pro iis qui oderant, domi-
nus pro seruis, Deus pro hominibus, liber pro famulis.
Et nec ad id vsque constitit, sed nos vocauit ad maio-
ra. Non solum enim nos liberauit à prioribus malis,
sed etiam multò maiora se daturum est pollicitus. Pro
his actis Deo gratiis, omnem persequamur virtutem,
& in charitate in omnes nos rectè geramus, vt digni
habeamur qui consequamur bona promissa, gratia &
benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum patre
& sancto spiritu, &c.

Mat. 11.

ORATIO X.



VNUM corpus & vnus spiritus, sicut & vocati
estis in vna spe vocationis vestrae. Quando
ad magnum aliquid nos exhortatur Pau-
lus, vt qui sit valde sapiens & spiritualis,
facit exhortationem ab iis quæ sunt in

cœlis, vt qui hoc ipsum à domino didicerit. Sicut etiam
dicit alibi: Ambulate in dilectione sicut & Chri-
stus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. Et
rursus: Hoc & sentite in vobis quod & in Christo Iesu.
Qui cum in forma Dei esset, nõ rapinam arbitratus est
esse se æqualem Deo. Hoc etiam hinc facit. Quando e-
nim exempla proposita sunt magna, est æmulatio ve-
hemens & desiderium. Quid enim dicit nos adhortas
ad vnitatem? Vnum corpus & vnus spiritus, sicut & vo-
cati estis in vna spe vocationis vestrae. Vnus Deus: vna
fides: vnum baptisma. Quid est autem vnum corpus?
Qui sunt vbiq[ue] terrarum fideles, & fuerunt, & futuri
sunt. Rursus & qui ante Christi aduentum placuerunt,
sunt vnum corpus. Quomodo? Quoniam illi quoque
Christum nõrunt. Vndenam hoc constat? Abraham
pater vester exultauit vt videret diem meum, & vidit,
& gauisus est. Et rursus: Si crederetis Moysi, crederetis
forsitan & mihi. De me enim ille scripsit, & Propheta:
Non scripsissent autem, de quo ignorabant quæ dice-
bant. Cum ipsum autem nossent, etiam adorabant.
Quamobrem illi quoque sunt vnum corpus. Non est
disiunctum corpus à spiritu: alioqui non fuerit corpus.
Nos enim solemus in vnitatis, & quæ multam habent
consequentiã, dicere, est vnum corpus. Ita etiam nos
in vnione accipimus vnū corpus vno capite. Si est au-
tem vnum caput & vnum corpus, constat corpus ex
membris honestis & non honestis. Cæterum neque in
vilissimū insurgit id quod est maius, neque hoc illi in-
uidet. Atqui non eundem vsum nec eandem functio-
nem omnia afferunt, sed conuenienter rationi neces-
sitatis. & quia facta sunt omnia necessariò & ad diuer-
sos vsus, omnia sunt honore paria. Sunt autè alia qui-

Infr. 5.

Philipp.

Corpus
vni sunt
fideles o-
mnes.
Jan. 8.
Ioan. 5.

deca

In ecclesia
est caput
& pedes.
Prou. 1.

dem præstantissima & quæ maximè dominatum obti-
nent, alia verò minus. vt caput est totius corporis præ-
stantissimum & magis dominatum obtinens, vt quod
in se habeat omnes sensus, & animæ principatum, ne-
que absque capite viui potest. Pedibus autem amputa-
tis multi vixerunt longo tempore. Est itaq[ue] id illis non
solum situ præstantius, sed etiam operatione & ordine.
Quare verò hoc dico? Sunt in ecclesia multi, sunt &
qui sunt in altum erecti, vt caput, considerantes & spe-
culantes cœlestia, sicut oculi in capite, multum distan-
tes à terra, & qui cum ea nihil habent commune. Alij
autem tenent locum pedum, terram calcantes, sed pe-
dum sanorum. Nõ enim pedibus datur vitio quod ter-
ram calcent, sed quod ad malum currant. Nam pedes,
inquit, eorum currunt ad malum. Neque ergo, inquit,
Oculi extollantur & superbè se gerant aduersus pedes:
neque pedes oculis inuideant, alioqui vniciq[ue] sua
propria tollitur pulchritudo, & suus perfectus impedi-
tur vsus & sua functio. & qui insidiatur proximo, sibi
primum parat insidias. Nam & si pedes nolint portare
caput eò quod est egredi necessarium, sibi quoque inte-
ritum afferunt propter immobilitatem & pigritiam.
Et si caput nullam velit pedum curam gerere, ipsum
primum læditur. At illa quidem alterum in alterum
non insurgere est consentaneum. Sic enim ordinatum
est naturaliter. Sed quomodo fieri potest vt homo in
hominem non insurgat? Neque enim insurgit aduer-
sus Angelos, quoniam nec illi aduersus Archangelos.
Neque rursus bruta plus quam ego efferri & maiores
spiritus possunt concipere. Vbi autem par est honore
natura, & vnum donum, & iste plus quam ille nihil
habet nec superatur, quomodo non insurrexerit? Imò
verò propter hæc non debes insurgere in proximum.
Nam si omnia sunt communia, & alter plusquam alter
non habet, vndenam arrogantia? Eiusdem sumus na-
tura: participes, animæ & corporis similiter, eundem
spiramus aërem, iisdem vtimur alimentis, vndenam
insurrectio? At posse propter virtutem incorporeas su-
perare potestates, sufficit ad inducendam arrogantiã.
Imò verò non fuerit hoc arrogantia. Ego verò meri-
tò aduersus dæmonem extollor & valde extollor. Vi-
de autem quomodo Paulus quoque valde extolleba-
tur aduersus dæmonem. Quando enim magna & ad-
mirabilia de eo dicebat dæmon, ei os obstruxit, ne a-
dulantem quidem ferens. Nam cum illa ancillula, quæ
spiritum habebat Pythonis, diceret, Hi homines sunt
serui Dei excelsi, qui vobis annunciant viam veritatis,
eos valde increpans impudentem eius obstruxit lin-
guam. Et rursus alibi scribit dicens: Conteret Deus sa-
tanam sub pedibus vestris citò. Num fecit aliquid na-
tura diuerfitas? Vides quod nihil facit id quod interest
inter naturas. At propter liberam, inquit, electionem
& animi institutum. Sunt enim libero arbitrio & vitæ
nstituto peiores omnibus. Aduersus Angelum autem
non insurgo. Nam inter me & illum multum interest.
Atqui non debes magis aduersus hominem insurgere
quam aduersus Angelum. Nam Angelus quidem à te
distat natura, quod quidem neque laus illius fuerit nec
vitium. Homo autem distat ab hominum, non vtique
natura, sed libero arbitrio & animi instituto. & est et-
iam in hominibus Angelus. Quare si aduersus Ange-
los non insurgit, multò magis aduersus homines, qui
in hac natura facti sunt Angeli. Nam si qui in homini-
bus est virtute præditus, fuerit vt Angelus, is est te mul-
tò maior quam ille. Quamobrem? Quoniam quod ille
habuit à natura, hoc ipse rectè gessit ex libero arbitrio
& animi instituto: & quod Angelus loco quidem est à
te disiectus, & cœlum habitat: hic autem tecum ver-

Rom. 16.

Homo
virtute
præditus
est maior
Angelo.

A fatur, & dat tibi occasionem æmulationis. Atqui hic
est magis disiectus quam ille. Nostra, enim inquit, Phil. 3.
conuersatio est in cœlis. Quod autem hic sit magis
disiectus, audi vbinam sedeat eius caput, nempe in
throno regali. Quò est autem à nobis thronus remo-
tior, tantò est hic quoque. Sed video, inquit, eum ho-
nore fruentem, & moueor æmulatione. Hoc est quod
omnia sursum & deorsum agit, & non solum orbem
terrarum, sed etiam ecclesiam innumerabilibus implet tu-
multibus. & quomodo qui in tranquillum portum sæ-
ui & vehementes venti ex aduerso irruerint, eum red-
dunt periculosiorem quam quæuis rupes & quoduis
fretum. Ita si inuaserit amor gloriae, omnia euertit &
confundit. Interfuitis sæpe magnarum domorum
conflagrationi. Vidistis quomodo in cœlum ascendat
fumus, & nemine accedente ad malum extinguendum,
sed vnoquoque quod suum est spectante, ignis quietè
omnia depascitur: & sæpe quidem in orbem circumfi-
sit tota ciuitas. circumstant multi malorum specta-
tores, non ad opem ferendam focij & adiutores. Et li-
cet videre multos circumstâtes nihil facere, sed vnum-
quemque eorum manum extendere, & ei qui recens
ad locum venerit ostendere, aut per fenestram assidue
exilientem lampadem, aut trabes quæ deiciuntur, aut
integrum eorum quæ ædes fulciunt & sustentant am-
bitum aulsum, & in terram ruentem. Sunt autem et-
iam multi audaces & ad adeunda pericula præcipites,
qui audent prope ardētia ædificia accedere, non vt eis
manum porrigant & malū extinguant, sed vt sit iucun-
dus spectaculum, ex eo quod ipsi possint omnia propè
conspicari, quæ sæpe latent eos qui sunt foris. Quòd si
etiam fuerit splendida & magna domus, miserandum
videtur esse spectaculum & dignum multis lacrymis.
Et re vera licet videre spectaculum miserandum, co-
lumnarum capita in puluerem redacta: multas quoque
ex eis perfractas, alias quidem, igne id efficiente, alias
verò sæpe tradentibus manibus eorum qui ipsas ædifi-
carunt, ne igni præberent plus alimenti. Licet autem
etiam videre imagines quæ steterant cum magno or-
namento tecti impositi, detectas tecto ablato, & stan-
tes sub dio cum magna deformitate. Quid verò? Quis
recensuerit diuitias quæ erant intus repositæ: vestes
aureas, vasa argentea, & quo vix ingrediebatur domi-
nus cum sua coniuge, vbi multarum vestium, aroma-
tum, & pretiosarum gemmarum arcanum erat repositi-
torium, omnia vno rogo accenso viderunt & balnea-
tores, & stercorearii, & fugitiui, & omnes reliqui. & quæ
erant intus, erant omnia aqua, & ignis, & lutum, & pul-
uis, & ligna semiustulata. Cur autem hanc imaginem
extendi fusiis? Non volens solum domus describere
incendium. Quid enim est hoc mihi curæ? Sed volens
oculis vestris subiicere, quoad eius fieri potest,
mala ecclesiarum. Re vera enim tanquam incendium aut
fulmen aliquod ab alto cadens, irruit in ipsum tectum
ecclesiarum, & neminem excitat. Sed domo paterna ar-
dente, profundum quendam somnum & nihil sentien-
tem dormimus. Quem enim non tetigit hic ignis?
Quas non imagines quæ stant in ecclesia? Ecclesia e-
nim nihil est aliud quam domus ædificata per nostras
animas. Hæc autem domus non est tota par honore.
Sed ex lapidibus quidem, qui ad eius extructionem
conferunt, alij sunt splendidi & nitidi: alij verò illis
inferiores & obscuriores. Est autem multò melius ex
illis videre hic multos qui auri locum tenent, auri, in-
quam, quod ornat tectum. Licet etiã videre alios, qui
ornamentum exhibent quod existit ex imaginibus.
Multos licet videre qui stant tanquam columnæ. Scit
enim etiam homines appellare columnas, quæ non fo-

Ecclesia
quid sit.

lūm potestate, sed etiam pulchritudine multum præ-
 bent ornamenti, & quæ aurata habent capita. Vide-
 relicet etiam multitudinē, tanquam latè patens spa-
 tium & latitudinem ambituum & septorum. Magna en-
 nim multitudo tenet locum lapidum qui ædificat pa-
 rietes. Est autem magis veniendum ad splendidiorem
 imaginem. Hæc ecclesia est ædificata non ex his lapi-
 dibus, sed ex auro & argento & lapidibus pretiosis. &
 multum auri est vbique dispersum. Sed prohi dolor!
 Hæc enim omnia exussit tyrannis inanis gloria. Om-
 nia excedens est hæc flamma, & nemo eam rem supe-
 ravit. Sed flammam quidem flammam admirantes, ma-
 lum autem nondum valentes extinguere. Quod si et-
 iam ad breue tempus extinxerimus, post duos aut tres
 dies, tanquam ex quodam cinere accenditur scintilla
 quæ euertit omnia, & ea facit quæ prius. Sic etiam hic
 fit. Nam in incendio quoque solet hoc accidere. Cau-
 sa autem est. Ipsarum ecclesiæ columnarum sustenta-
 cula nos effugerunt, qui tectum sustinebamur, & prius
 continebamur omne ædificium, & igne circumdede-
 runt. Propterea ad cæteros parietes facilis fuit excur-
 sio. Nam in ædificiis quando ligna quidem apprehen-
 derit, magis armatur aduersus lapides. Quando autem
 columnas pessum dederit & humi deiecerit, non am-
 plius opus habet flamma vt cætera cōficiat. Nam cum
 ea decidunt quæ superiora sustentant & fulciunt, illa
 quoque ea sequuntur cum magna facilitate. Ita etiam
 nunc vsuuenit in ecclesia. Ignis omnia apprehendit.
 Honores quærimus ab hominibus, & amore gloriæ
 accendimur. Nec audimus Iobum dicentem: Si cum
 peccauerim, voluntariè auersatus sum multitudinem.
 Vidisti animam virtute præditam. Non me puduit, in-
 quit, coram vniuersa multitudine dicere voluntaria
 peccata. Si autem illum non puduit, multò magis nos
 oporteret hoc facere. Dic, inquit, prior iniquitates
 tuas, vt iustificeris. Magna fuit huius mali vehementia:
 omnia sunt euerfa & deleta. Honoris serui facti sumus
 Deo dimisso. Non amplius possumus increpare eos
 qui à nobis reguntur, cum ipsi quoque eadem febre te-
 neamur: & ipsi egemus medicina, quos Deus posuit vt
 aliis mederemur. Quænam autem iam restat spes salu-
 tis, cum ij ipsi qui medentur, aliorum manu indigent?
 Hæc non abs re dixi, nec temerè conqueror, sed vt om-
 nes communiter cum vxoribus & filiis, cinere asper-
 si & sacco induti, ieiunium intendamus. Deum roge-
 mus vt manum nobis præbeat & malum extinguat. Il-
 lius enim manu re vera est opus quæ est magna & ad-
 mirabilis. Maiora à nobis fieri oportet quàm quæ fe-
 cerunt Niniuitæ. Adhuc tres, inquit, dies, & Niniue e-
 uertetur. Terribilis prædicatio & multis plena minis.
 Quomodo enim non fuisset horrendum, post tres dies
 expectare urbem sibi ipsi fore sepulchrum, & perituros
 omnes vno genere supplicij? Si enim quādo cōtigerit,
 vno tēpore, in vna domo, duos filios perire, est malum
 intolerandum. Et si Iobo visum est perisiffi hoc ma-
 ximè omnium intolerabile, quod super omnes eius fi-
 lios tectum ceciderit, & sic sint interempti: quidnam
 fuisset videre, non vnam domum, neque duos filios,
 sed gentem centum & viginti duorum millium sub te-
 ctis infossam? Scitis quantum sit malum? Nam hęc quo-
 que nobis nuper intentata sunt minæ, non Propheta
 aliquo vocem emittente, neque enim digni sumus qui
 talem vocem audiamus, sed quauis tuba significantius
 minis nobis vociferātib. Sed sicut dixi, Adhuc sunt
 tres dies, & Niniue subuertetur. Terribiles planè minæ.
 Sed nunc nihil est tale. Non enim adhuc tres dies, ne-
 que Niniue subuertetur, sed multi sunt dies ex quo or-
 bis terrarum ecclesia, & est euerfa, & iacet humi, omni-

bus ex æquo malo oppressis, magis autem iis quorum
 est munus regere, quò etiam maior est eius necessitas.
 Nolite ergo mirari si suasi maiora facere quàm Nini-
 uitæ hac de causa. Imò verò non nunc solum prædi-
 co ieiunium, sed hoc etiam indicato medicamentum,
 quod illam cadentem erexit ciuitatem. Quòdnam au-
 tem est hoc? Nouit, inquit, dominus, quòd vnusquis-
 que recessit à viis suis malis, & cum pœnituit de malo
 quod dixit se facturum eis. Hoc agamus & nos & vos.
 Recedamus ab amore pecuniæ, ab amore gloriæ, ro-
 gantes Deum vt manum nobis porrigat, & membra
 quæ ceciderunt erigat. Neque enim sunt eadem nobis
 timenda. Nam tunc quidem casuri erant lapides & li-
 gna, & corpora erant interimenda. Nunc autem nihil
 horum: sed animæ sunt tradendæ igni gehennæ. Ro-
 gemus. Præterita confiteamur. Pro futuris ei gratias
 agamus. Petamus vt digni habeamur, qui ab hac cru-
 deli & immani bestia liberati, gratias emittamus beni-
 gno Deo & patri, cum quo filio simul cum sancto spiri-
 tu, gloria, potentia & honore nunc & semper & in sæcu-
 la sæculorum. Amen.

ORATIO XI.



NVM corpus & vnus spiritus, sicut & vocati
 estis in vna spe vocationis vestræ: vnus do-
 minus: vna fides: vnum baptisma. Vnus Deus
 & pater omnium, qui super omnes, & per om-
 nia, & in omnibus. Vnicuique autem no-

strum data est gratia secundum mensuram donationis Chri-
 sti. Charitatem quærit à nobis Paulus, non quamli-
 bet, sed quæ nos conglutinet, & efficiat vt alter in alter-
 um ita se habeamus vt diuelli non possimus, & quæ
 tantam & tam exactam præbeat vnionem, quanta est
 membrorum cum membris. Hæc enim est quæ magna
 operatur bona. Propterea dicit vnum corpus, & con-
 sensu, & quòd aliorum malis non feriamur, & quòd si-
 mul lætemur. Et cum omnia simul per hoc ostendit
 set, pulchrè dixit, Et vnus spiritus, ostendens quòd ab
 vno corpore erit vnus spiritus, aut quòd fieri potest vt
 sit quidem vnum corpus, nō vnus autem spiritus. Vt si
 quis sit amicus hæreticorum. Aut quòd ex illo eis pu-
 dorem incutit. nempe, Qui vnum accepistis spiritum,
 & ex vno fonte potati estis, non debetis dissentire. Aut
 spiritum hic dicit alacritatem animi. Deinde, Sicut &
 vocati estis, inquit, in vna spe vocationis vestræ. Deus
 vos, inquit, ad eadem vocauit, nihil alteri plus tribuit
 quàm alteri. Omnibus immortalitatem: omnibus vi-
 tam æternam: omnibus gloriam immortalem: omni-
 bus fraternitatem: omnibus donauit hæreditatem. Fa-
 ctus est commune omnium caput, omnes simul susci-
 tauit & considerare fecit. Qui ergo in spiritualibus habe-
 tis tantam honoris æqualitatem, Vndenam extollimini
 & superbitis? Quòd hic sit diues, quòd iste fortis. Et
 quomodo non sunt hæc ridicula? Nam dic mihi, Sirex
 aut imperator decē homines acceperit, & omnes pur-
 pura induerit, & in throno regali sedere fecerit, & eun-
 dem omnibus honorem dederit, aususne fuerit quis-
 piam exprobrare alteri, vt qui sit ditior, aut vt qui sit il-
 lustrior? Minimè. Neque adhuc totum dixi. Non tan-
 tum enim est discrimen in cœlis, etiam si inferius dista-
 mus ac differimus. Vnus dominus: vna fides: vnum ba-
 ptisma. Ecce spes fidei. Vnus Deus & pater omnium,
 Qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.
 Non enim tibi quidem maior, illi vero minor est in-
 uocatus. Num enim tu quidem ex fide, ille verò ex o-
 peribus factus est saluus? Num tibi quidem remissum
 est peccatum per baptismum, illi verò nihil? Vnus Deus
 & pater omnium, qui super omnes, & per omnia, & in
 omnibus

Ieiunium Niniuitarum.

Corporum: potest non vni spiritus.

Nobis Græcè etiam dicitur.

omnibus vobis. Super omnes. Hoc est dominus & su-
 perior omnibus. Et per omnia. Hoc est, prouidens, ad-
 ministrans. Et in omnibus vobis. Hoc est qui habitat.
 Atqui hoc dicunt esse filij. Quamobrem si esset hoc di-
 minutionis, non dictum esset de patre. Quid ergo, in-
 quit, vndē sunt diuersa charismata? Hoc enim sem-
 per ipsos & Corinthios, hoc quidem ad arrogantiam,
 illos verò deducebat ad animi ægritudinem & inui-
 diam. Propterea nunc quoque ostendit exemplum corporis.
 Propterea nunc quoque hoc posuit, quoniam facturus
 erat mentionem diuersorum charismatum. Atque hoc
 quidē persequitur exactius in epistola ad Corinthios.
 quoniam illic hic morbus maximè exercebat tyranni-
 dem. Nunc autem hic tantum tacitè innuit. Vide au-
 tem quid dicat. Non dixit, Secundum vniuscuiusque
 fidem, ne in animi angorem illos iniiceret, qui magna
 non erant assecuti. Sed quid? Secundum mensuram
 Christi. Quæ principem locum magis habent quàm
 omnia, ea sunt omnia communia, baptisma saluum
 esse per fidem, Deum habere patrem, eiusdem spiritus
 omnes esse participes. Si hic autem aut ille plus habet
 in charismate, ne doleas, quoniam illi plus est laboris:
 & ab eo qui quinque acceperat talenta exigebantur
 quinque. is autem qui duo accepit, duo tantum attulit,
 nec minus quàm ille habuit. Propterea hic ex eadem
 causa consolatur auditorem. Ad consummationē san-
 ctorum, inquit, in opus ministerij, in ædificationē cor-
 poris Christi. Propterea ipse quoque dicebat, Vt mi-
 hi si non euangelizauero, vt pote quòd Apostolatus e-
 iusmodi charisma accepisset. Sed propterea, Vt sibi di-
 cebat, quoniam acceperat. Tu autem liberatus es à pe-
 riculo. Secundum mensuram. Quid est liberandum men-
 suram? Hoc est, non pro nostris meritis: alioqui nemo
 accepisset quæ accepit, sed accepimus omnes à dona-
 tione. Cur autem hic quidem plus, ille verò minus ac-
 cepit? Hoc nihil, inquit, facit, sed res est indifferens. V-
 nusquisque enim confert ad ædificationē. & propter
 ea ostendit quòd non ex suis meritis, hic quidem plus,
 ille verò minus accepit, sed propter alios vt ipse mētus
 est. Nam alibi quoque dicit. Posuit autem membra, v-
 numquodque eorum sicut ipse voluit. Nō dicit autem
 rationem, ne auditorum spiritus deprimat ac deiiciat.
 Propter quod dicit, Ascendens in altum captiuam duxit ca-
 ptiuitatem, & dedit dona hominibus. Hoc est. Quid ex-
 tollis & te magnificè circumspicis? Dei est vniuer-
 sum, Propheta quidem dicit in Psalmo, Accepisti do-
 na in hominibus. Ipse autem dicit, Dedit dona in ho-
 minibus. Idem autem est. Quomodo idem? Quod au-
 tem ascendit quid est, nisi quod & descendit primum in in-
 feriores partes terræ. Qui descendit ipse est & qui ascendit su-
 per omnes cœlos vt adimpleret omnia. Hæc audiens, ne exi-
 stimes transitum. Nam quod in epistola ad Philippen-
 ses, hic quoque adstruit & confirmat. Quomodo illic
 suadens humilitatem, adducit Christū, Quod descen-
 dit in inferiores partes terræ. Nam nisi ita esset, super-
 uacaneum esset quod dicit, Obediens factus vsque ad
 mortem. Ex eo quòd ascendit, innuit descensum. Sic-
 ut etiam dicebat Iacob, Deducetis senium meum cum
 dolore ad inferos. Et rursus in Psalmo, Similis ero de-
 scendentibus in lacum. Hoc est, mortuis. Cur hunc lo-
 cum hic tractat? Quamnam dicit captiuitatem? Capti-
 uitatem diaboli. Tyrannum accepit captiuum, nempe
 diabolium & mortem, & execrationem, & peccatum.
 Vides prædam & spolia. Quod autem ascendit quid est,
 nisi quod & descendit? Hoc est aduersus id quod dicit
 Paulus Samosatenus. Qui descendit, ipse est & qui as-
 cendit super omnes cœlos vt adimpleret omnia. Ad
 inferiores, inquit, partes terræ descendit, post quæ non

Quænam charismata principem locum tenent.

Hic infra.

1. Cor. 9.

1. Cor. 11.

Psal. 37. Decit ali- quid.

Philip. 2.

Gen. 44. Psal. 42. Captiuos quosdam cepit Christus.

Iob. 9.

Esa. 43. Doctorū mala vita impedit dicendi libertatem.

Iob. 3.

Iob. 1.

funt alia. Et ascendit super omnia post quæ non est a-
 liquid aliud. Hoc est eius efficaciæ & dominatus. Nam
 hæc quoque omnia olim impleta fuerant. Et ipse dedit
 quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios
 verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores, in cōsum-
 mationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationē cor-
 poris Christi. Quod alibi dicit, Propter quod exaltauit
 illū, hoc hic quoque dicit, Qui descendit, ipse est & qui
 ascendit. Quòd descenderit ad inferiores partes terræ,
 nihil ei obfuit, nec impedit quo minus ascenderet su-
 pra cœlos. Quamobrem quò quis se humiliorem fe-
 cerit, eò magis extollitur. Quomodo enim in aqua
 quò magis eam infra detuleris, eò magis in altum ef-
 fertur. & quò ex maiori spatio fueris iaculatus, eò ma-
 gis assequeris. Ita etiam in humilitate. Sed quando de
 Deo dixeris ascensiones, necesse est primum cogitare
 descensum. Quando autem de homine, nequaquam.
 Deinde ostendit etiam eius prouidentiam & sapien-
 tiam. Deinde qui tam multa fecit, & qui tantum po-
 tuit, & ad inferiores vsque terræ partes pro nobis de-
 scendere non recusauit, non temerè fecit distributio-
 nes charismatum. Alibi autem dicit quòd hoc opera-
 tus est spiritus, sic dicens. In quo posuit vos spiritus
 sanctus Episcopus regere ecclesiā Dei. Hic autem
 dicit quòd filius. Alibi quòd Deus, & ipse dedit eccle-
 siæ, alios quidem Apostolos, alios autem Prophetas:
 In epistola autem ad Corinthios dicit, Ego plantaui,
 Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. Et
 rursus, Qui plantat autem & qui rigat vnum sunt. V-
 nusquisque autem propriam mercedē accipiet secundum
 suum laborem. Ita hic quoq; Quis enim si affers
 minus? tantum accepisti. Primum Apostolos. Hi enim
 habebant omnia. Secundò Prophetas. erant enim a-
 liqui qui Apostoli quidem non erant, erant autē Pro-
 phetæ, vt Agabus. Tertio Euangelistas, qui non omnes
 obibant regiones, sed euangelizabant, vt Priscilla & A-
 quila. Pastores & doctores, quorum fidei tota gēs erat
 credita. Quid ergo? Erant pastores & doctores inferio-
 res. Maximè quidem iis qui omnes obibant regiones:
 & euangelizantibus ij qui sedebant, & in vno loco e-
 rant occupati, vt Timotheus & Titus. Alioqui autem
 nec hinc fieri potest subiectio & honoris prælatio, sed
 ex alia epistola. Ipse dedit, inquit. Ne contradixeris.
 Aut Euangelistas dicit, eos qui scripserunt Euange-
 lium. Ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in
 ædificationem corporis Christi. Vides auctoritatem? Vnus-
 quisque ædificat: vnusquisque perficit & consummat:
 vnusquisque ministrat. Donec occurramus, inquit, omnes
 in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum,
 in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Ætatem hic di-
 cit perfectam agnitionem. Quomodo enim vir stat fir-
 mus ac stabilis, pueri autem mentibus circumferuntur:
 Ita etiam in fidelibus. In vnitatem, inquit, fidei. Hoc
 est, donec ostensum fuerit nos omnes vnam habere fi-
 dem. Hoc est enim vnitas fidei, quando omnes vnum
 sumus, quando colligationem omnes simul agnosci-
 mus. Vtque ad hoc tempus operari oportet, si propter
 ea accepisti charisma vt alios ædifices. Vide ne te ipsum
 euertas alij inuidens. Deus te honorauit, & posuit vt a-
 lium perficias ac cōsummes. Nam & Apostolus in hoc
 erat, & Propheta in hoc erat, prophetans & persuadēs,
 & Euangelista euangelizans, & pastor & doctor vnum
 opus susceperant. Ne mihi enim dixeris differentiam
 charismatum, sed quòd omnes vnum opus habeant.
 Nam quando omnes similiter credimus, tunc est vni-
 tas. Nam quòd hoc virum dicit perfectum, est perspi-
 euum. Atqui alibi nos dicit paruulos, etiam cum fir-
 mus perfecti, sed aliò spectans. Nam ibi quidem nos

Philip. 2.

Act. 18.

1. Cor. 12. Ibid. 3. Ibidem.

Euangeli- stæ quidā sint.

1. Cor. 13.

Heb. 5.

vocat paruulos ratione habita futuræ cognitionis. A modum artificiosè corpus situm sit oportet. Nam si è loco excesserit, non est amplius situm. Quare non oportet solùm vt sit vnitus corpori, sed etiam vt suum locum teneat. Quòd si exuperaueris, non es vnitus, neque spiritum suscipis. An non vides in ossium transpositionibus, quæ aliquo casu contingunt, quando os loco suo transmissò alium tenet, quomodo corpus lædit, & saepe mortem affert? & saepe etiam de cætero inuentum est indignum quod retineatur. Multi enim saepe eo exciso locum fecerunt vacuum. Sæper enim malum est id quod plus quàm par est redundat. Et in elementis quoq; quando sua relicta symmetriaplus quàm decet abundauerint, vniuersitati perniciem afferunt. Hoc est esse compactum & connexum, vt vnumquodque in suo loco maneat, & non in altero. Non excedere autem à loco sibi conueniente quantum sit cogita: Tu membra componis: ille desuper subministrat, ac suppeditat. Quomodo enim in corpore sunt eiusmodi instrumenta apta ad suscipiendum, ita etiam in spiritu, cum sit desuper vniuersa radix: vt cor est radix spiritus, iecur sanguinis, lien bilis, & alia alterius. Hæc autem omnia habent causam à cerebro. Sic Deus quoq; fecit hominem valde honorans, & nolens ab eo abesse, vt qui ipse quidem causam à se pendere voluerit, sibi autem adiutores constituerit: & illum quidem ad hoc, hunc verò ad illud posuerit. Vt Apostolus est vas omnium corporis opportunissimum, ab ipso omnia accipiens. Quamobrem tãquam per venas & arterias, per Verbum, inquam, facit ad omnes currere vitam æternam. Propheta prædicit futura, & ipse eadem adfruit. Componens membra, ipse eis vitam suppeditat ad perfectionem sanctorum: ad opus ministerij charitas ædificat, & efficit vt inter se conglutinentur, compingantur, & coniungantur.

Ster alteri adhæreamus. Nam duæ sunt diuisiones à corpore ecclesiastico. Vna quidem, quando refrixerimus in charitate. Secunda autem qua ausi fuimus ea facere quæ sunt indigna vt simus in illo corpore. Vtroque enim modo nos separamus à pleno illo conuentu. Quòd si collocati ac constituti sumus vt alios ad hoc ædificemus, qui prius scindunt quid non patientur? Nihil ecclesiam æquè potest diuidere, vt ambitio & amor imperij & gerendi magistratus. Nihil Deum æquè irritat atque diuisam esse ecclesiam. Etiam si bona fecerimus innumerabilia, non minores quàm qui eius corpus discindunt, pœnas dabimus, qui plenum ecclesiasticum conuentum conscindimus. Nam illud quidem factum est ad lucrum orbis terrarum, & si non eo animo. Hoc autem nullam vsquam habet vtilitatem, sed ex eo damni est plurimum. Hæc dicta sunt non solùm ad eos qui gerunt magistratus, sed etiam ad eos qui ab illis reguntur. Dixit autem vir quidam sanctus quiddam quod magnam præ se fert audaciam, sed tamen est elocutus. Quid hoc est autem? Dixit ne sanguinem quidem martyrij posse delere hoc peccatum. Nam dic mihi, quàmnam ob causam es martyr? An non propter Christi gloriam? Qui pro Christo animam prodegisti, quid popularis ecclesiam, pro qua Christus suam profudit animam? Audi Paulum dicentem, Non sum dignus vocari Apostolus, qui persecutus sum ecclesiam Dei, & eam sum depopulatus. Non est hoc minus damnum quàm quod affertur ab inimicis, sed multò maius. Nam illud quidem eam efficit clariorem: hoc autem etiam apud inimicos eam probro ac dedecore afficit, quando sui filij

lij eam bello appetit. Videtur enim magnum esse fraudis indicium apud eos, quòd qui in ea sunt nati & educati, & eius arcana exactè didicerunt, ij repente mutati, tanquam inimici in eam sunt affecti. Hæc à me dicta sint ad eos qui se dedunt indiscriminatim iis qui scindunt ecclesiam. Nam si dogmata quidem habent cõtraria, vel propter hoc ipsum non conueniebat cū illis misceri. Sin autem eadem sentiunt, multò magis. Quare? Quoniam est morbus ambitionis & amoris imperij & gerendi magistratus. Nescitis quid passi sunt Core, Dathan & Abiron? Num ipsi soli? An non etiam ij qui erant cum ipsis? Quid dicis, eadem est fides, illi quoque sunt orthodoxi? Cur ergo nõ sunt nobiscum? Vnus dominus, vna fides, vnum baptisma. Si res illorum rectè habent, nostræ malè. Si res nostræ benè, res illorum malè. Paruuli, inquit, fluctuantes, & qui circumferuntur omni vento. Existimat sine quæso, sufficere si dicatur quòd sint orthodoxi, pereat autem & intereat Rectorum electio? Et quid iuuat si ea non sit exacta & accurata? Sicut enim pro fide, ita etiam pro hac pugnandum est. Nam si cui libet licet suas implere manus, vt dicebant veteres, & fieri sacerdotes, accedant omnes, frustra fuit hæc ara ædificata, frustra est plenus ecclesiæ conuentus, frustra est sacerdotum numerus. Ea de medio tollamus & perdamus. Absit, inquit. Vos hæc ipsa facitis: & dicitis, Absit, cum ipsa facta sint. Ego hæc dico & testificor, non spectans id quod mea interest, sed vestram salutem. Si quis autem sit qui putet nihil referre, ipse viderit. Si cui autem ex his non est curæ, at nobis est, Ego plantaui, inquit, Apollo rigauit. Sed Deus dedit incrementum. Quomodo feremus Græcorum ritum & ludibrium? Nam si nobis crimini dant hæreses, de his quid dicent? Si eadem sunt dogmata, si eadem mysteria, quàmnam de causa alius Rector in aliam inuadit ecclesiam? Videte, inquiunt, quòd res omnes Christianorum plenæ sunt inani gloria. Apud eos est ambitio, fraus & dolus. Adime eis, inquit, multitudinem, & nihil sunt. Excinde morbum, & turbæ corruptionem. Vultis dicam quæ dicunt de nostra ciuitate? Quomodo nos arguunt de nimia facilitate? Licet, inquit, cuius volenti inuenire qui persuadeantur & credant: nec ij vnquam defuerint. O rem ridiculam! Quòdnam est hoc dedecus. Sed est aliud quoque ridiculum, & aliud probrum ac dedecus. Si qui ex vobis conuicti rerum turpissimarum, sint aliquam pœnam daturi, magnus est tremor, magnus vndique pavor. Ne resiliat, inquit, & deficiat, ne stet cum illis. Millies resiliat ac deficiat, & sit cum illis, non dico, Si quis sit ex iis qui peccarunt, sed et si quis sit nulli peccato affinis, & vult deficere, deficiat. Nam ego quidem & doleo, & desleo, & plango, & visceribus dissecor, vt qui prius proprio membro. Sed non ita doleo vt propter metum cogar aliquid facere eorum quæ non cõuenit. Non dominamur vestræ fidei o dilecti, nec domini more hæc imperamus. Doctrinæ verbi præfecti sumus: non est autem nobis mandatus magistratus, nec data auctoritas. Consiliarium admonentium locum tenemus. Consiliarius dicit quæ à se procedunt, non necessitatem afferens auditori: sed in eius potestate dimittit vt faciendâ eligat quæ dicta sunt. Culpæ tum demum est affinis, si non dixerit quæ ei sunt commissa. Hæc dicimus. Hæc loquimur: ne illo die liceat cuiquam nobis dicere, Nemo nobis dixit, nemo distinxit, ignorauimus, nullum existimauimus esse peccatum. Propterea dico & protestor, ecclesiam scindere nõ minus esse malum, quàm incidere in hæresim. Dic mihi si quis alicui Regi subiectus, ad alium quidem non defecerit, neque se alicui Regi dederit, sed illius acceptam & detentam purpu-

Quod plus quam par est abundat, malitè.

Hic sup.

De Reformatione magna est cura gerenda.

1. Cor. 11.

A corpora ecclesiastico dicitur sunt diuisiones.

Episcopi non gerunt magistratum sed cõsulant.

1. Cor. 15.

ram à fibula totam demiserit, & in multa fragmenta diruperit, nunquid minus punietur quàm qui ad alterum defecerunt? Quid verò, si cum eo ipsum quoque regem iugulo apprehensum interemisset, membratim discerpens eius corpus, quàmnam pœnas dedisset pro meritis? Si autem qui Regi conferuo suo hoc fecerit, maiora fecit quàm vt quas par est dare possit pœnas: qui Christum iugulat & membratim dilaniat, quam non merebitur gehennam? Hancne, cuius sunt intentatæ minæ? Ego quidem non arbitror, sed aliam longè grauiorem. Dicitote quotquot adestis, nam magna ex parte hoc est delictum mulierum, absentibus narrate hoc exemplum, eas terrete. Si qui existimant me dolore afficere & sic vlcersi, sciant se hæc frustra facere. Nam si nos vis vlcersi, ego tibi do modum, quo absque damno tuo vlcersi, imò verò non licet vlcersi absque damno, sed cum minori saltem damno possis vlcersi. Colaphos mihi impinge, conspue in publico occurrens, & plagas inflige. Horrescis hæc audiens, horrescis si dixerò, Colaphos mihi impinge, & domino tuo colaphos impingis, nec horrescis? Membra domini discerpis, & non cõtremiscis? Ecclesia est domus paterna, vnum corpus, & vnus spiritus. Sed vis vlcersi, ad me vsque confiste. Cur pro me Christum vlcersis? Cur aduersus clauos calcitras? Atque vlcersi quidem nequaquam est bonum nec honestum, altero autem iniuriam faciente, alterum cõtumelia afficere, est longè grauius. Iniuria es à nobis affectus: cur ei es molestus qui tibi non fecit iniuriam? Hoc est extremæ infantiæ. Non per ironiam dico quod sum dicturus, neque temerè, sed ita vt sentio & sum affectus. Vellem vnumquemque eorum qui vobiscum in nos vlcero sunt animo, & nobis malè volunt, & propter hunc suum animi dolorem seipfos lædunt, & aliò vadunt, nobis in ipsa facie plagas infligere, & nudatos flagris cædere, siue iure siue iniuria accuser, & iram in nos immittere potius quàm ea quæ nunc audent facere. Si hoc fieret, nihil esset hominem nihili & nullius æstimationis hæc pati. Alioqui autem ego iniuria & contumelia affectus Deum rogarem, & vestra peccata remitteret: non quoniam tãtam habeo fiduciam, sed quoniam qui est affectus iniuria, quando rogat pro eo qui fecit iniuriam, magnam habet fiduciam. Si in hominem, inquit, peccauerit quispiam, orabit pro ipso. Si autem non possem ego, alios sanctos quærerem, & rogarem, & hoc efficerent. Nunc autem quem rogabimus, Deo à nobis affecto contumelia? Vide inæqualitatem. Ex iis enim qui hæc faciunt in ecclesiam, alij quidem aut nunquam accedunt, aut semel in anno, & tunc temerè & quomodocunq; alij autem frequenter quidem, sed ipsi quoque temerè & leuiter discentes & de nihilo nugantes. Alij autem qui videntur ferriò agere, hi sunt qui sunt auctores huius calamitatis. Si ergo vos quoque propter eos ferriò agitis & studium vestrum ponitis, satius esset vos collocatos esse cum negligentibus. Imò verò satius esset, neque illos esse negligentibus, neque vos tales. Non vos dico qui adestis, sed illos qui resiliunt ac deficiunt. Ea res est adultarium. Si ergo hæc de illis dici non admittitis, ergo nec de nobis. Nam ex duobus alterum factum esse oportet præter leges. Si hæc ergo de nobis vos suspicamini, parati sumus cedere regendi munus cui voletis, modò vna sit ecclesia. Si nos autem legitime creati sumus, persuadete vt deponantur qui sedes præter leges ascendunt. Hæc dixi, non tanquam imperans, sed vos tutos reddens & certis muniens præfidiis. Quoniam vnusquisque habet ætatem, & de iis quæ gessit est redditurus rationem, rogo ne vniuerso in nos coniecto, existimetis vos ipsos non esse rationi reddendæ obnoxios, ne

Mulieres facile ab ecclesia decipiunt.

Iniuria affectus pro eo qui affectus Deum rogans, magnam habet fiduciam.

vos temerè decipientes plangatis. Reddemus enim rationem pro vestris animabus, sed quando deliquerimus, quando non rogauerimus, quando non admonuerimus, quando non fuerimus protestati. Post hæc autem, concedite vt ego quoque dicam, Mundus sum à sanguine omnium, & animam meam liberabit Deus. Dicitis quæ vultis, & iustam causam propter quam receditis & desciscitis, & ego respondebo. Sed non dicitis. Vos quoque iam rogo vt strenuè instetis, vt reducatis eos qui recesserunt: vt vnanimis gratiarum actionem Deo emittamus. Quoniam est ei gloria in sæcula. Amen.

ORATIO XII.



Hoc igitur dico & testificor in domino, vt iam non ambuletis sicut & gentes ambulantes in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum. Doctorem oportet instituere & dirigere animos discipulorum, non solum

consulendo & docendo, sed & terrendo, & Deo tradendo. Nam quoniam quæ ab hominibus dicuntur tanquam à conferuis, non sufficiunt ad tangendam animam, necesse est reliquum domino tradere. Hoc ergo Paulus quoque facit. Nam cum de humilitate differuisset, & vnique & quod non oporteat alterum contra alterum insurgere, audi quid dicat. Hoc ergo dico & testificor in domino vt iam non ambuletis sicut & gentes ambulantes. nimis enim pungit ea oratio. sed id ipsum quidem significauit, ab aliis autem duxit exemplum. Porro autem ad Theffalonicenses quoque scribens, hoc facit dicens. Non in passione desiderij sicut & cæteræ gentes. Ab illorum, inquit, dogmatibus dissentitis: sed hoc totum est Dei. ego autem ea quæro quæ à vobis sunt præstanda, vitam, & vitæ congruentem ambulationem. Hoc est vestrum, testem autem appello dominum eorum quæ à me dicta sunt, quod non reticui nec suppressi, sed dixi quemadmodum oporteat ambulare. In vanitate, inquit, sensus vestri. Quid est sensus seu mentis vanitas? Versari in rebus vanis. Quænam autem sunt vana, nisi omnia præsentia? De quibus dicit Ecclesiastes, Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Sed dicit quispiam, Si sunt vana & vanitas, quænam de causa facta sunt? Si Dei opera, quomodo sunt vana, & multa de iis verba sunt? Sed audi quod dilecte. Non Dei opera dixit vana, absit. Non est cœlum vanum, neque terra vana, absit. Non Sol, nec Luna, nec astra, nec corpus nostrum. Hæc enim omnia sunt valde bona. Sed quid est vanum? Audiamus ipsum Ecclesiasten dicentem, Plantaui mihi vineas. Feci mihi cantores & cantatrices. Feci mihi piscinas aquarum. Fecerunt mihi greges & armenta. Coëgi aurum & argentum, & vidi quod omnia vanitas. Sed vanitas vanitatum, omnia vanitas. Audi etiam Prophetam dicentem: Theaurizat, & ignorat cui congregabit ea. Hac ratione vanitas vanitatum, præclara ædificia, multum aurum & affluens, greges mancipiorum superbè in foro incidentes, fastus, & gloria inanis, & elatio mentis, & insolentia. Hæc enim omnia sunt vana. Non enim à Deo facta sunt, sed à nobis sunt fabricata. Cur autem vana? Quoniam nullum habent bonum finem. Pecuniæ sunt vanæ, quando consumuntur in delicias. Non sunt autem vanæ, quando disperguntur pauperibus. Quando autem eas consumpseris in delicias, videamus quænam sit earum finis. Pinguedo corporis, ructus, status, multitudo stercoris, crapula, carnis mollities, calorque & dissolutio. Vt si quis infundat in dolium perforatum, vanè laborat: ita etiam qui degit in deliciis, infudit in do-

lium perforatum. Vanum enim dicitur quod expectatum est quid fore vt in honore esset & pretio, non fuit autem. quod etiam dicunt inane & spes inanes, & id quod fit temerè & inconsideratè. Vanum enim dicitur quod ad nihil est vtile. Videamus ergo an non res humanæ sint eiusmodi. Edamus & bibamus. cras enim morimur. Quis est ergo, dic quæso, finis? Induamur, & vestiamur, & quis finis? Nihil. Hæc Græci sunt philosophati, sed vanè & frustra. Vitam ostentantur duram & asperam, sed temerè & inconsideratè non ad aliquem finem aspicientes vtilem, sed ad inanem gloriam, & honorem qui habetur à multis. Quid est autem honor qui habetur à multis? Nihil. Nam si ij etiã pereunt à quibus habetur honor, multò magis honor. Qui alij habet honorem, sibi prius debet habere. Si autem sibi non habet, quomodo habebit alteri? Nunc autem honorem querimus ab infamibus, ab hominibus vilibus, abiectis & ignominiosis. Cuiusmodi ergo est hic honor? Vides quod sint omnia vanitas vanitatum? Propterea dicebat, In vanitate mentis suæ. Sed nunc eorum religio est huiusmodi? Ligna & lapides. Fecit nobis Solem lucere pro lucerna. Quis suam adorat lucernam? At præbet lucem: sed quando ille non potest, lucerna potest. Quid ergo adoras lucernam? Certè, inquit, adoro ignem. O rem ridiculam, tantum probum! Et rursus alterum, Cur quod adoratur extinguis? Cur perdis? Cur Deum tuum de medio tollis? Cur non finis domum tuam eo esse repletam? Nam si ignis est Deus tuus, cur non corpori tuo tribuitur, non fundo ollæ & lebetis? Introduc in cellam penariã, introduc in vestes sericas. Tu autem non solum non introducis, sed etiam si casu aliquo fuerit ingressus, vndique eum abigis, omnia concludis, & perinde atque si ingressa sit fera aliqua, ita fles & ingemiscis, & hanc rem vocas calamitatem ingentem, quod Deus tuus adsit. Habeo ego Deum, & omnia facio vt eum pectore meo complectar, & meam existimo fœlicitatem, non quando domum meam inuisit, sed quando eum traxero ad cor meum. Tu quoque trahis ignem ad cor tuum. Hæc sunt ridicula & vanitas. Ignis res bona est ad vsum, non ad adorationem: ad ministerium & seruitium, & vt mihi seruiat, non vt in me obtineat imperium & dominatum. Ille propter me factus est, non ego propter ipsum. Si ignem adoras, cur ipse quidem iaces in lecto, coquo autem tuo iubes, vt sit prope ipsum? Ipse artem suscipe coquinariam, & pistor efficere, aut si maus, Faber ærarius. Nihil est enim his artibus honorabilius, cum Deus tuus eas inuisat & earum curam gerat. Quid probum ac dedecus existimas artem, vbi Deus tuus est frequens? Cur seruis iubes, ipse autem non dignaris? Bona res est ignis, quoniam boni est opificis, sed non Deus. Opus enim Dei, non Deus est appellatus. Non vides eius immodestiam & insolentiam? Quomodo quando domos apprehenderit. nusquam se sistat, sed si aliqua tenuerit, omnia diruat, & nisi fabrorum aut aliquorum aliorum manus furorem eius extinxerint, nō amicos nouit, non hostes, sed omnibus similiter vtitur? Hic ergo est Deus, nec vos pudet? Re vera pulchrè dixit, In vanitate mentis suæ. At Sol est, inquit, Deus. Dic mihi, Vnde id, & quare? Quoniam multam emittit lucem. Sed non vides cum vinci à nubibus, & seruire necessitati naturæ, & deficere, & abscondi à stella & nube? Atqui nubes est sole imbecillior, sed tamen sæpe in eum obtinet dominatum. & hoc est opus Dei sapientiæ. Deus debet esse omni ex parte sufficiens. Hic autem multis indiget. Hoc autem non est Dei. Aère enim indiget ad lucendum, eoque subtili. Nam qui est valde crassus, non sinit trāsire radium. Aqua quoque indiget, & alio quod eum contineat

contineat ne comburat. Nam nisi fontes, & lacus, & fluuij, & maria, & cætera omnia humorem quandam constituerent per vaporum emissionem, nihil vetaret quominus omnia ignescerent. Vides ergo, inquit, quod Deus. O insaniam, o rem ridiculam! Quoniam potest, inquit, lædere, Deus est. Atqui propter hoc non est Deus, quod in iis in quibus lædit nullo indiget: in quibus autem prodest, multis aliis habet opus. A Deo autem lædere quidem est remotum: prodesse autem est eius proprium. Cum ergo sit id quod est contrarium, quomodo Deus? Non vides quod quæ mortem afferunt venena lædunt, & nullo indigent? Quando autem profunt, multis. Propter te ergo est talis, & pulcher, & imbecillus. Pulcher quidem, vt agnoscat dominum. Imbecillus autem, ne eum dicas esse dominum. At nutrit, inquit, plantas & semina? Quid verò, num ideo quoque stercus est Deus? Nam illud quoque nutrit. Num ideo & falx, & manus agricolæ? Ostende mihi Solem nutrire solum, & non egere, neque terra, nec aqua, nec agricultura. Sed iaciantur semina, & immisso radio ostendat spicas. Si autem non est eius solius, sed etiam imbrum, cur non aqua quoque est Deus? Sed nondum de hoc agitur. Cur non etiam terra est Deus? Cur non & stercus, & ligo? Hæc ergo omnia, dic mihi, adorabimus? O nugæ & ineptias! Atqui magis sine Sole fuerit spica, quam sine terra & aqua. Et plantæ & alia omnia. Atque si terra quidem non sit, nihil horum apparuerit. Si quis autem in tegulam, vt faciunt pueri & mulieres, terra immissa sub tecto, eam posuerit multo stercore repletam, imbecillas quidem, plantas tamen edit. Quamobrem terra plus confert & stercus, & ea magis, quam illum, oportet adorare. Opus habet cœlo, opus habet aère, opus habet his aquis, tanquam quibusdam frenis cohibentibus eius virium ferociam, nec finitibus omnem in partem emittere radium tanquam ferocem equum. Dic verò mihi, vbinam est is noctu? Quoniam Deus est peregrè profectus? Non est enim hoc Dei, nempe includi & termino contineri. Re vera enim hoc est solum corporum. Sed est quædam, inquit, in ipso potestas, & mouetur. Ipsa ergo potestas, dic mihi, estne Deus? Cur ergo ipsa eget, & ignem non cohibet? Rursus enim eodem redit oratio. Quid verò illa potestas, estne illuminans, an per eum illuminat ipsa, nullius horum particeps? Sol ergo est ea maior. Quousque labyrinthum circumagimus? Quid verò aqua, non ipsa quoque Deus est? inquit. Hoc quoque rursus est ridiculum non vacans contentione. Non est, inquit, Deus quo ad tam multa vtitur? Et de terra rursus similitur. Re vera in vanitate mentis suæ, obscuratum habentes intellectum. Sed hæc nunc dicit de vita. Scortantur & adulteria admittunt Græci. Meritò. Nam qui tales Deos sibi describunt, consentaneum est eos hæc omnia facere. & si potuerint hominum oculos effugere, nullus est qui sit eos cohibiturus. Quid enim poterit id quod dicitur de resurrectione, cum eis videatur fabula? At id quod dicitur de iis qui sunt apud inferos? Sed hæc quoque sunt fabulæ. Vide autem cogitatum Satanicum. Quando eis quidem dicunt Deos esse scortatores, non dicunt esse fabulas, sed credunt. Quando autem loquuntur de supplicio, sunt, inquit Poætæ, & omnia fabulantur, vt bonæ vitæ status omni ex parte euertatur. At philosophi inuenerunt, inquit, quiddam planè præclarum, & his melius ac præstantius. Quomodo? Qui fatum inducunt, & dicunt omnia nulla geri prouidentia, & nihil cuiquam esse curæ, sed constare omnia ex atomis. Sed & alij dicunt Deum esse corpus. Sed quis? dic quæso. Qui humanas animas faciunt esse caninas, & persuadent hominibus quod

quidam aliquando fuit canis, & leo, & piscis. Quousque non cessatis nugari mentem habentes obscuratam? Nam vt qui sint in tenebris, omnia & dicunt & faciunt, tam quæ ad dogmata pertinent quam quæ ad vitam. Eorum enim quæ sita sunt in tenebris nihil videt is qui est circumfusus tenebris. Sed sæpe viso fune existimat sponte enatum serpentem. Rursus à sepe retentus, putat aut dæmonem aliquem aut hominem eum retinere. multusque est tumultus, multa perturbatio. eiusmodi omnia extimescunt. Timebant, inquit, vbi non erat timor. Quæ iure autem timebant, non extimescunt: sed sicut infantes gestati à nutricibus manus quidem in ignem ex improviso & in lucernam audacter immittunt, virum autem sacco indutum extimescunt. Sic isti quoque Græci, vt qui sint re vera infantes, sicut etiam quidam dixit apud eos, Græci semper pueri, timebant quidem quæ non sunt peccata, vt pote sordes corporis, mortui funus, cubile, dierum obseruationes, & quæ sunt huiusmodi. Quæ autem sunt verè peccata, pædicatus, adulterium, scortatio, eorum nullam habent rationem. Sed videris quidem eum à mortui tactu lauari, à mortuis autem operibus nequaquam. & pro pecuniis quidem multum ponere studium, existimare autem vno gallo totam esse compositam litem ac controuersiam: mente adeò sunt obscurata. Multis terroribus plena est eorum anima. Vt puta hic aut ille primus mihi occurrit domo exeunti, omnino contingere oportet mala innumerabilia. Nunc seruus execrandus dans mihi calceos, primùm porrexit partem sinistram, graues significantur calamitates, probra & contumelia. Ego ipse exiens sinistro priori processu pede. Hoc quoque est signum calamitatum. Et hæc quidem domi sunt mala. Foras autem egresso dexter mihi oculus infernè salit. Hoc est indicium lachrimarum. Porro autem mulieres quoque quando sonant calami ad texturæ recta ligna allisi, tunc cum ipsæ pectine discernunt, hoc pro signo habent. Rursus quando subtegmen pectine concutiunt, & id faciunt vehementius. Deinde qui sunt supernè calami ob intensum ictum edunt strepitum, allisi ad rectum texturæ lignum, hoc habent pro signo. & alia innumerabilia digna quæ rideantur. Et si afinus exclamauerit, & si gallus, & si quis sternutauit, & quoduis aliud, tanquam decies mille vinciti vinculis, vt dixi, tanquam qui teneantur in tenebris, omnia habent suspecta, & sunt magis seruales quam innumerabilia mancipia. Sed ne nos quoque ita agamus, sed cum hæc omnia irriserimus, vt qui viuamus in luce, & in cœlo versemur, & cum terra nihil habeamus commune, vnum existimemus esse terribile, nempe peccatum, & Deum offendere. Quod si hoc non sit, omnia alia irrideamus, & diabolus qui hæc intulit. Pro his Deo agamus gratias, studium ponamus ne vnquam tali capiamur seruitute. & si quis ex amicis nostris captus fuerit, vincula eius perfringamus, liberemus eum ab hoc grauissimo & ridiculo carcere. Reddamus eum expeditum ad currendum in cœlum. Pennas grauatas erigamus & propter vitam & dogma. Docæamus philosophari. Deo gratias agamus pro omnibus. Rogemus eum, ne nos appareamus indigni dono nobis dato: & ipsi cum his nostra studeamus afferre, vt doceamus non solum dicentes, sed etiam facientes. Ita enim poterimus assequi bona innumerabilia. Quæ datur nobis omnibus consequi gratia & benignitate domini nostri, &c.

Doctore quo modo discipulos instituere oporteat.

Theffal. 4

Præsentia omnia sunt vana. Eccles. 1. & 12.

Eccles. 2.

Psal. 30.

Vana sunt quæ non habent bonum finem.

Sol non est Deus.

contineat

Vanum quid sit.

1. Cor. 15. Vana Græcorum philosophia.

Venena velledant nullo indigent: vt profunt, multis.

Ignis non est adori. du.

Corporis solum est includi, & loco contineri.

Dij Græcorum sunt causa stuprum & adultærorum.

Græcorum vanæ opinionēs.

Vanæ obseruationes multæ, & vana omnia.

ORATIO XIII

Hoc igitur dico & testificor in domino, ut iam non ambuletis sicut & gentes ambulantes in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiam in operationem immunditiam omnis in auaritia. Hæc dicta sunt non solum Ephesiis; sed nobis quoque nunc dicuntur, & non à nobis, sed etiam à Paulo vel potius neque à nobis, neque à Paulo, sed à gratia spiritus. Tanquam ergo ipso hæc dicente nos oportet affici. Hoc igitur dico & testificor in domino, ut iam non ambuletis sicut cæteræ gentes ambulantes in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in ipsis propter cæcitatem cordis ipsorum. Si est ergo ignorantia, si excæcatio, cur criminari? Nam cum qui ignorat non malè pati nec accusari æquum est, sed dicere quæ ignorat. Sed vide quemadmodum eos statim eximit à danda venia. Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiam in operationem immunditiam omnis in auaritia. Vos autem non ita didicistis Christum. Hic ostendit eorum vitam fuisse causam excæcationis. Vita autem orta est ex eorum socordia & doloris vacuitate. Qui cum, inquit, de se desperassent & animum despondissent, seipsum tradiderunt. Quando ergo audis, Deum eos tradidisse in reprobum sensum, recordare huius verbi quod seipsum tradiderunt. Si enim seipsum tradiderunt, quomodo Deus tradidit? Si autem Deus eos tradidit, quomodo seipsum tradiderunt? Vides eam quæ esse videtur repugnantiam. Tradit ergo, idem est quod permisit, vel concessit. Vides quod ubi non est vita pura, ibi talium quoque dogmatum est argumentum. Quomodo? Nam qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem. Quomodo enim posset flagitiosus & impurus, & qui omnium mulierum corporibus magis polluitur & inquinatur, quam qui in cæno voluntatur, & amat pecuniam, & temperantiæ ac modestiæ nihil omnino appetit, hanc vitam suscipere? Hanc rem, inquit, statuerunt operationem. Inde est excæcatio: inde est caligo mentis. Post sunt esse tenebræ etiam si lux luxerit, quando imbecilli sunt oculi. Fiunt autem imbecilli, aut malorum humorum affluxu, aut defluxus redundantia. Ita hic quoque: quando multus impetus rerum quæ ad hanc vitam pertinent, obruerit perspicacem mentis nostræ facultatem, ea est in tenebris. & sicut in profundo iacentes in aqua, Solem videre non poterimus, multa aqua veluti quodam septo supernè imposita: ita etiam in mentis oculis fit cordis excæcatio, quando nullus timor animam concutit. Non est, inquit, timor Dei ante oculos eius. Et rursus: Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. Non aliunde autè fit excæcatio quam ex sensus defectu. Quando enim concreta defluxio in vnum locum cogitur, membrum fit mortuum & sensu defectu, & siue vsseris, siue seueris, siue quiduis feceris, non sentit. Ita etiam illi qui se semel dederunt impudicitiam, etiam si instar ignis, etiam si instar ferri orationem eis applicaris, nihil eos tangit, nihil ad eos peruenit. est enim planè mortuum eorum membrum. & nisi eis ademeris sensus vacuitatem, ut membra sana tangas, frustra facis omnia. In auaritia, inquit. Hic maxime abstulit eorum excusationem & defensionem. Licebat enim eis, si nollet, neque esse auari, neque impudici, neque ventri indulgere, & suas explere cupiditates, eisque frui. Licebat & pecuniæ, licebat & volu-

Aptatis & deliciarum moderatè esse participes. Sed quoniam iis immoderatè vsi sunt, omnia corruerunt. In operationem immunditiam, inquit. Vides quemadmodum eos priuat venia, dicens, Operationem immunditiam. Non casu, inquit, lapsi peccarunt, sed hæc graui fecerunt, & ea re meditata vsi sunt. In omni immunditia. In omni adulterio, scortatione, pædicatu, inuidia, omni libidine & intemperantia. Vos autem non ita didicistis Christum: si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas Iesu. Illud, si tamen illum audistis, non est dubitantis, sed etiam valde affirmantis. Sicut etiam dicit alibi: Si tamen iustum est apud Deum reddere retributionem iis qui vos tribulant. Hoc est, non propter hæc Christum didicistis, si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas in Christo Iesu. Deponere vos secundum pristinam conuersationem veterem hominem. Hoc est ergo Christum didicisse, rectè viuere. Qui enim improbè viuit, Deum ignorat, & ab eo ignoratur. Audi enim ipsum alibi dicentem. Deo confitentur se nosse, factis autem negant. Sicut est veritas in Iesu. Deponere vos secundum pristinam conuersationem veterem hominem. Hoc est, non his conditionibus pactum conuentum fecisti. Nam quæ sunt apud nos, non sunt vanitas, sed veritas. Sicut dogmata sunt vera, ita & vita. Peccatum enim est vanitas, & peccatum est mendacium & falsitas. Vita autem recta est veritas. Habet enim magnum finem. Intemperantia autem in nihil desinit. Qui corrumpitur, inquit, secundum desideria erroris sui. Sicut eius cupiditates & desideria corrumpuntur, ita ipse quoque. Quomodo ergo corrumpuntur eius cupiditates? Morte soluuntur omnia. Audi enim Prophetam dicentem: In illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Nec morte sola, sed etiam multis aliis. Ut puta, pulchritudo, cum aduenit morbus & senectus, cedit, moritur & interit. Robur virium rursus iisdem concidit. Deliciæ ipsæ nec eandem quidem habent voluptatem in senectute. Idque nobis est perspicuum ex Berzellai. Scitis omnes historiam. Aut alioqui cum ipsum rursus corrumpit & perdit cupiditas. Quomodo enim lana ab iis perditur ex quibus nascitur, ita etiam vetus homo. Amor enim gloriæ perdit, & sæpe perdunt voluptates, & decipit cupiditas. Non est enim ea res voluptas sed amaror, deceptio, simulatio, & imitatio scenica. & rerum quidem facies est splendida: res autem ipsæ non sunt aliud quam plenæ miseriæ, & iniucunditatis, & multæ paupertatis. & si personam abstuleris, & faciem ostenderis, videbis deceptionem. Deceptio enim est quando quid sit non apparet, sed quod non est ostenditur. Ita fiunt fallaciæ & paralogismi. Quatuor autem nobis homines hic describit. & ea iam demonstro. Hic quidem duos, sic dicens, Deponite veterem hominem. Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem. In epistola autem ad Romanos alios duos, ut quando dicit. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati quæ est in membris meis. Mens & caro: & isti cum illis habent cognationem. Vel potius sunt tres, nouus & vetus, & hic essentialis & naturalis. Renouamini, inquit, spiritu mentis vestræ. Ne quis existimet quod hominem introducat, dicens veterem & nouum, vide quid dicat, Renouamini. Renouari autem est, quando id ipsum quod consenuit renouatur, ut quod fiat aliud ex alio. Quo fit ut subiectum quidem sit idem, mutatio autem sit in accidente. Sicut corpus quidem est idem, mutatio autem est in accidente. Quomodo autem fieri poterit renouatio? In spiritu mentis vestræ, inquit. Qui ergo rem habue-

Quæ à Paulo dicitur, dicitur à gratia spiritus.

Rom. 1.

Ioan. 3.

Oculi imbecillitas causa ut in luce non videatur.

Psal. 13. Ibid.

1. Thess.

Ad Tit.

Psal. 146.

2. Rom.

Lanæ perditur ab iis ex quibus nascitur.

Rom. 7.

Tres homines, nouus & vetus, & naturalis.

Creatio, & deductio virtutis ad essentiam.

Mat. 5.

1. Ioan. 3. Iustus quis sit.

Psal. 50.

Sanctum quid est.

Psal. 108. Psal. 103.

Rit veterem, nihil operabitur. Non sustinebit enim spiritus veteres actiones. Spiritu, inquit, mentis vestræ. Hoc est spiritu qui est in domino. Et induimini nouum hominem. Vides quod vnum quidem sit subiectum, indumenta autem duo, nempe & id quo exiuit, & id quo induitur. Nouum hominem, inquit, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Cur autem virtutem appellat hominem, & cur hominem vitium? Quoniam homo non potest ostendi absque operatione. Quo fit ut hæc non minis quam natura, hominem ostendant, siue bonum, siue malum. Quomodo autem facile est exui, ita etiam licet videre in virtute & vitio. Iuuenis qui & nouus, est fortis, ergo nos quoque simus fortes ad operationem bonarum actionum. Iuuenis non habet rugam. Ergo nec nos quoque. Iuuenis non habet rugam, neque facile capi potest à morbis. Igitur nec nos quoque. Creationem seu creaturam vide quid hic dicat, Deductionem virtutis ad essentiam, ut quæ ex nihilo, ad hoc ut esset, sit deducta. Quid verò illa? Creatio seu creatura non est secundum Deum? Nequaquam, sed secundum diabolum. Ipse est creator peccati. Quomodo? Homo enim non ex aqua, nec ex terra de cætero est creatus, sed in iustitia & sanctitate veritatis. Quid hoc est? Statim creauit filium. Hoc enim sit à baptisinate. Ipsa est essentia in iustitia & sanctitate veritatis. Erat aliquando iustitia, erat & sanctitas in Iudæis. verum non veritatis, sed typi ac figuræ erat illa iustitia. Esse enim mundum corpore, munditia erat typus, non veritas munditiam. Iustitiæ erat typus, non veritas iustitiæ. In sanctitate, inquit, est iustitia veritatis. Et hoc dicit respiciens ad falsum. Quoniam multi sunt apud externos qui videntur esse iusti, sed sunt fallaces: Iustitia autem dicitur virtus quæ est vniuersè & in genere. Audi enim Christum dicentem, Nisi iustitia vestra magis abundauerit quam Scribarum & Phariseorum, non intrabitis in regnum cælorum. Et rursus, Iustus dicitur qui nihil habet quod reprehendatur. Nam in forasibus etiam iudiciis illum dicimus iustum qui iniuriam accepit nec reddidit. Si ergo nos quoque in horrendo iudicio potuerimus alter apud alterum videri iusti, poterimus aliquam assequi benignitatem. Nam ut apud Deum quidem videamur, non potest fieri, quidquid ostenderimus. Ipse enim iure semper est superior. Sicut etiam dicit Propheta, Et vinces cum iudicaris. Sed si quæ inter nos intercedunt iura non corruperimus, tunc iusti erimus. Quomodo autem eis indutis rursus dicit, Induimini? A vita, inquit, nunc & operibus. Tunc indumentum fuit à baptisinate: nunc autem à vitæ agendæ ratione & operibus: non amplius secundum concupiscentias deceptionis, sed secundum Deum. Sanctum autem quid est? Quod est mundum, quod debetur. Propterea eorum etiam qui decefferunt iusta dicimus. Hoc est, De cætero nihil eis debeo, non sum eis obnoxius. Sic solemus dicere, ἀπορωσθημεν, me expiaui & absolui, & quæ sunt huiusmodi, hoc est, nihil debeo.

MORALE

Nostræ ergo sunt partes ne exuamur vestimento iustitiæ, quod Propheta vocat vestimentum salutaris, ut Deo simus similes. Ipse enim indutus est iustitiâ. Hoc vestimento induamur. Indui autem nihil aliud significat, quam nunquam deponere. Audi enim Prophetam dicentem, Induit maledictionem sicut vestimentum, & veniet ei. Et rursus, Qui induitur lumine tanquam vestimento. Et rursus nobis mos est dicere de hominibus, Hic illum induit. vult itaque nos non vnum, nec duos, nec tres dies sed perpetuò esse in virtute, & hanc

Chrysof. tom. 4.

A vestem nunquam exuere. Hominem enim non adeò dedecet esse nudum corpore atque nudum virtute. Hic conserui cum aspiciunt indecorè se gerentem, illic autem dominus & Angeli. Si ergo videris quempiam nudum per forum progredientem, dic rogo non ægrefers? Quando autem tu curris hac veste nudatus, quid dicemus? Non vides hos mendicos, quos solemus vocare Lotargas, quomodo circumeant, quomodo etiam eorum misereamur? Sed tamen eis non datur vlla venia. Neque enim eis ignoscimus quando aleis ludentes suas perdunt vestes. Quomodo ergo nobis ignoscet Deus qui hoc vestimentum perdiderimus? Quando enim diabolus quempiam viderit nudum virtute, statim faciem fuligine illinit, maculatque & obscurat, sauciaturque, & ad magna cogit. Simus nudi pecuniis, ne nudemur à iustitia. Pecuniarum amictus hanc perdit vestem: est amictus spinarum. Tales sunt spinæ, & quò plures induerimus, eò magis nudamur. Impudicitia nudat hac veste. est enim ignis. Ignis autem consumit hæc vestem. Diuitiæ sunt tineæ. Sicut tineæ corrodit omnia, ita hæc quoque. Hæc ergo omnia deponamus, ut simus iusti, ut nouum hominem induamus. Nihil vetus, nihil quod apparet, nihil quod corrumpitur & interit, possideamus. Virtus non est laboriosa, non est difficile ut ex ea rectæ sint actiones. Non vides eos qui sunt in montibus? Illi & domos dimittunt & vxores & liberos, & omnem præfecturam & administrationem, & extra mundum ipsi à se positi, sacco induti, substrato cinere, collo suspensis alperis collaribus, cum in parua se concluderint domuncula, ne ad hæc quidem vsque consistunt, sed & iciniis & fame perpetua se affigunt. Atque si ego quidem hæc iuberem, non omnes resilliretis? Non diceretis non esse grauem & difficilem? Nihil tale dico vos oportere facere. Nam volo quidem, sed non fero legem. Quid ergo? Vtere balneis, & cura corpus, & vade ad forum, & habe domum, & tibi seruiant ministri, & cibus & potus. expelle semper auaritiam & plura habendi cupiditatem. Illa enim est quæ facit peccatum, & eadem res plus quam par sit abundans facta est peccatum. Non est itaque amor plura possidendi aliud quam peccatum. Vide autem, Animus cum plus quam par sit fuerit incitatus, tunc exiliens maledictis impetit, tunc iniuste facit omnia. Amor item corporum, pecuniæ, gloriæ, & aliorum omnium. Nec mihi dixeris illos potuisse. Multi enim te multò imbecilliores, & ditiores, & deliciores susceperunt illam duram & asperam vitam. Et quid dico viros? Puel læ nondum viginti annos nata, quæ in thalamis & in vita vmbatili totum tempus transegerant, & iacebant in thalamis refertis vnguentis & suffribus & in molli cubili, ipsæ & naturâ molles, & multa curatione effectæ molliores, quibus toto die nullum aliud erat opus quam vt ornarentur, & aurum gestarent, & omnibus fruerentur deliciis, quæ non ipsæ sibi ministrabant, sed multas habebant ancillas quæ assisteabant, & molles habebant vestes ipso corpore molliores, vt pote lineas subtiles & delicatas, & assidue agebant in rosis & huiusmodi suauibus odoribus: ipsæ verò repente à Christi igne correptæ, cum omnem illam exuissent mollitiem & naturam, educationis & ætatis oblitæ, tanquam strenui quidam Athletæ, mollibus illis exutæ, in media ingressæ sunt certamina. Et videbor quidem dicere incredibilia, sed tamen vera. Has quidem adeò molles puellas audiui se ad tantam redegisse vitæ duritiem & asperitatem, vt asperrimis ciliciis nuda sua corpora induerent, & molles illi calcanei nullis alligati essent calceis, & in toris cubarent gramineis. imò verò maiorem notis partem vigilarent, & nec vnguentū, nec quidquam

Lotargæ genus medicorum.

Monachorum qualis olim esset vita.

Hh iij

ex illis pristinis curarent, sed & caput quod prius ita curabatur & ornabatur, negligenter, temere & indiscriminatim ita vincitis capillis vt nihil incideret indecorum. Mensa autem est eis solūm vespertina. Mensa autem est neque olus, neque panis, sed simila, & faba, & cicer, & olea, & ficus. Perpetuum quoque est eis lanificium: & sunt earum opera longè grauiora quàm ancillarum domesticarum. Susceperunt enim eas curandas quæ laborant corpore, lectos portantes, pedes lauantes. Multæ quoque ex eis coquorum funguntur officio. Tantum potest ignis Christi. Ita naturam superat animi alacritas. Verum enim uero nihil tale à vobis exigo, quandoquidē vultis superari à mulieribus. Hæc saltem facite, quæ non sunt grauias & difficilia. Manum continete & impudicos oculos. Quid hoc, dic mihi, est graue, quid difficile? Iusta facite. nemini iniuriam inferte, neque pauper, neque diues, neque qui in foro versaris, nec qui es mercenarius. Potest enim etiam ad pauperes vsque peruadere iniustitia. Non videtis quàm multas isti cient pugnas, & euertunt omnia? Vtere matrimonio. Habe filios. Etiam Paulus eis præcipiebat & ad eos scribebat. Magnum est illud certamen, & altus scopulus, & cacumen est cælo propinquum, neque potes ad id quod magnum est peruenire. Minora ergo saltem sectare, & desiderare quæ sunt inferiora. Non potes pecunias effundere, saltem ea quæ sunt aliorum noli rapere, nec fac iniuriam. Non potes ieiunare, saltem ne progrediaris ad delicias. Non potes in toro herbaceo cubare. Ne mihi compares lectos argento ornatos, sed lecto vtere & stragulis, non factis ad ostentationem, sed ad requiem. Neque lectos eburneos, teipsum cōtrahe. Quid innumerabilibus quæ importari possunt nauem imple onerariam? Si sis moderatus & compositus, nihil timebis, non inuidiam, non latrones, non insidiatōres. Non es tam diues pecuniis quàm curis. Non ita abundas possessionibus vt angoribus & periculis, quæ tentationes inducunt & multa pericula. Hæc sustinent qui multa volunt possidere. Non dico, ministra laboranti: at saltem iube puero vt hoc faciat. Vides quàm non sit graue & molestum. Quomodo enim esset, cum teneræ puellæ longo spatio nos exuperent? Nos pudeat, rogo, quod in iis quæ ad mundum pertinent nusquam eis cedimus, non in bellis, non in certaminibus: in spiritualibus autem certaminibus plusquam nos ferunt, & maiora rapiunt præmia, & volant altius tanquam quædam aquilæ. Nos autem tanquam graculi infernè circa nidorem & fumum semper versamur, est enim re vera graculorum & liguritorum canum de mensæ structoribus & coquis cogitare. Audi priscas fœminas. Magnæ enim magnæ & admirabiles fuerunt fœminæ, vt pote Sarra, Rebecca, Rachel, Debora, Anna, & Anna etiam tempore Christi, sed viros nusquam sunt præteruectæ, sed locum tenebant secū dum. Nunc autem contra fœminæ nos prætereunt & obscuros reddūt. Quàm est hoc ridiculum & quàm pudendum? Nos locum tenemus capitis, & vincimur à corpore? Constituti sumus vt eis imperemus. non vt solūm imperemus, sed imperemus in virtute. Nam qui imperat, hoc maxime debet imperare quod vincat virtute. Sinautem superatur, nō amplius imperat nec tenet principatum. Vidistis quanta sit virtus aduentus Christi, quomodo execrationem soluerit & maledictionem. Plures enim sunt virgines apud mulieres: maior est apud illas temperantia & moderatio, plures viduitates. Nullū verbū obscœnum fœmina citò emiserit. Cur tu ergo, dic mihi, turpia & obscœna loqueris? Ne mihi enim dixeris fœminas deploratas. Est quidē genus mulierū nescio quomodo sui ornandi studiosum, & hoc est eius delictum. Sed in hoc

Seculares quomodo se gerentes salui fiunt.

Qui tenet locum capitis, debet imperare in virtute.

A quoq; vos viri vincitis, qui illis æquè delectamini atque ornatu proprio. Non enim existimo mulierē ita suis aureis ornari ornamentis, vt maritū vxoris. Non ita sibi placet ob zonam auream, quàm quod vxor aurum gesserit. Quare in vos quoque causa est conferenda qui scintillam excitatis & flammam accenditis. Alioqui autem non est tantum peccatum mulieris, quantum est in viro. Tu es constitutus vt illam componas, vbique vis habere primas partes. Ergo in hoc quoque ostende ex rebus tuis, quod illius superuacanei sumptus nulla tibi sit ratio. Est magis aptum & conueniens mulieri vt ornatur, quàm viro. Quando ergo tu non effugis, quomodo illa effugiet? Habet illæ etiam quādam inanem gloriam: sed hoc quoque est virorum commune. Sunt iracundæ, & hoc est commune. In quibus autem superant, ea nō sunt amplius communia. Grauitatem dico & honestatem, feruorē, pietatem, in Christum dilectionem. Cur ergo eis interdixit sede doctoris? Est hoc quoque signum quod multū interest inter eas & viros, & quod magnæ fuerint quæ tunc erant. Paulo enim, dic quæso, docente & Petro, & illis sanctis, mulierē me ad eam rem prosilire oporteret? Nunc autem eō venimus nequitie & improbitatis, vt etiam meritò queratur cur non docēt mulieres. Vsq; adeo deuenimus ad earum imbecillitatem. Hæc dixi, non quod velim eas extollere, sed nobis ipsis pudorem incutere, erudirēque & monere, vt imperium & principatum qui nobis conuenit suscipiamus, non ex eo quod simus maiores, sed ex eo quod provideamus & curam geramus, & ex virtute vitam instituamus. Tunc enim in eo statu in quo conuenit erit corpus, quando optimum principem qui ei imperet fuerit affectus. Faxit autem Deus vt & fœminæ & viri congruenter ei quod Deo videtur, omnes viuant, vt digni omnes habeamur in illo die terribili qui fruamur benignitate domini, & bona promissa consequamur, in Christo domino nostro, &c.

Virorum culpa nimis ornatur mulieres.

Mulierem docere cur vult Paulus.

ORATIO XIIII.

PROPTER quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo: quonia sumus inuicem membra. Irascimini, & nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram: Nolite locum dare diabolo. Cū de veteri homine vniuersè dixisset & in genere, de cætero eum describit etiam sigillatim. Hæc enim doctrina est facilior ad discendum, quando etiam discimus singulatim. Quid autem dicit? Propter quod deponentes mendacium. Quod mendacium? Num dicit idola? Non de iis dicit. Nam hoc quoque est falsum seu mendacium. Sed nunc nihil est eis commune cum ipsis. Sed de eo mendacio quod est eis inter se, nempe alteri cum altero. Hoc est id quod est dolosum & fraudulentum. Loquimur veritatem vnusquisque cum proximo suo, quonia sumus inuicem membra. Deinde quod etiam pudorem magis incutit. Quonia sumus inuicem membra, nemo decipiat proximum. Quod quidem dicit Psalmographus id sursum & deorsum agitans, Labia dolosa in corde, & in corde locutus est mala. Nihil est enim, nihil est quod æquè pariat inimicitias, atque decipi & falli. Vides quomodo eis vbique pudorem incutiat per corpus. Ne fallat, inquit, oculus pedem, neque pes oculum. Vt, si sit fossa profunda, & super terram positus arundinibus & terra opertis, in superficie præbeat oculis opinionem terræ solidæ, an non vtetur pede, vt sciat num sit inferius vacuum, an remittatur & resistat, num non fallat pes, sed quod est renunciet? Quid verò si serpentem viderit oculus, aut feram, num fallit pedem, non statim renunciat? Ille autem

Psalmista.

Membra se inuicē non fallit.

tem cū ab eo didicerit, non amplius pergit. Quid autem quando neque oculus, neque pes inuenerit quomodo discernat, sed id totum sit odoratus, vt vtrum sit venenum lethale an non, os non fallit odoratus. Quare? Nam seipsum quoque perdit si fallat: sed dicit quod sibi occurrit. Quid verò lingua, fallit ne stomachum? Nō cū amarum quidem viderit, reiecit: sinautem dulce, transmittit? Vide ministerium, & seruitutis remunerationem. Vide curam & providentiam ex veritate ortam, idque alacri & prompto, vt ita dicam, animo. Ita nos quoque ne mentiamur nec fallamus, si fumus alterius membra. Hoc est indicium amicitie: contrarium autem, inimicitiarum. Quid verò, inquit, si insidietur? Quod verum est, disce. Nam si insidietur, non est membrum. Dixit autem ne mentiamini aduersus membra. Irascimini, & nolite peccare. Vide sapientiam. Dicit & quomodo non irascamur, & eos qui non obediunt rursus non relinquit. Non enim dimittit viscera sua spiritualia. Quomodo enim medicus ægroto quidem dicit quæ sunt agenda. Quod si vt ea faceret non sustinuerit, non tamen eum despicit, sed persuadendo adhibens consilium, rursus curat. Ita etiam Paulus. Nam qui illud quidem facit, nempe qui despicit, gloriam solūm querit, & ægrè fert quod sit cōtemptus. Qui autem semper querit sanitatem laborantis, hoc vnum solum spectat vt iacentem restituat. Hoc quoque facit Paulus dicens, Nolite mentiri. Si quando autem orta sit ira ex mendacio, hoc quoque rursus curat. Bonum est enim non irasci. Sed si quis aliquando in eam inciderit affectionem, ne tamen sit diuturna. Sol, inquit, non occidat super iracundiam vestram. Vis ira impleri? Sufficit tibi vna hora, & altera, & tertia. Ne vobis relictis inimicus Sol recedat. Ortus est à bonitate: ne recedat cum luxerit apud indignos. Nam si Deus eum misit ex multa bonitate, & peccata tibi remisit, tu autem proximo non remittis, vide quantum sit malum. Cum hoc autem malo est aliud quoque. Timet Paulus, ne si nox cum qui est iniuria affectus in solitudine inuenit inflammatum, ignem accendat. Nam quandiu dum est dies multa excutis, licet tibi exfatari. Quando autem ventura est vespera, reconciliare, & recens malum extingue. Nam si nox apprehenderit, non poterit dies sequens, malum noctu quoque coactum & congregatum extinguere. Sed & si maiorem partem rescuerit, totum autem non possit, dat rursus sequenti nocti ex eo quod est relictum maiorem rogam facendum. & quomodo Sol, si quod est aëris in nubem coactum & condensatum per noctem, non potuerit calore diurno molire & dispergere, occasionem præbet tempestatis, dum nox reliquias apprehenderit, & cas rursus aliis vaporibus aluerit. Ita etiam in ira. Nolite locum dare diabolo. Inter se ergo bellum gerere, est locum dare diabolo. Nam cū oporteret omnes simul esse constipatos & condensatos, & aduersum illum stare, solutis quæ sunt nobis cum illo inimicitias, iubemus vt alter in alterum conuertantur. Nunquam enim locum sic habet diabolus vt in inimicitias. Hinc mala nascuntur innumerabilia. Et quomodo quandiu quidem sunt condensati & benè compacti lapides, neque quidquam habent vacuum, stant infracti: Sinautem contigerit folius arcus fieri perforationem aut rupturam, quæ vnus pili solum locum teneat, hoc omnia dissoluit & perdit. Ita etiam in diabolo, quandiu quidem fuerimus coniuncti condensati que ac benè compacti, nihil omnino infert ex iis quæ sua sunt. Quando autem nos parum laxauerit & mollierit, tanquam torrens quidam influit. Ei enim semper solo opus est initio. & hoc est quod difficulter ab eo geritur, nec facile ei succedit. Hoc autem facto i-

Ira crescit si non eo ipso die fiat reconciliatio.

ipse sibi omnia dilatat. Deinceps autem aures aperit calumniis, & iis qui falsa dicunt maior adhibetur fides. Nam disceptantes habent inimicitias, non iudicantem veritatem. Et quomodo si sit amicitia, etiam vera mala videntur falsa, ita etiam si sint inimicitie, etiam falsa videntur vera. Alia est mens, aliud iudicium, non ex æquo audiens, sed cum magna inclinatione & in alteram partem propensione. Quomodo enim in libra plumbum additum totum trahit: ita hinc etiam pondus inimicitiarū, cum sit plumbo grauius. Quamobrem rogo agamus omnia, vt ante Solis occasum extinguamus inimicitias. Nam si primo & sequenti die eas teneris, sæpe etiam ad annū vsque extendis, & de cætero ipsæ se ipsas augent inimicitie, nec aliquo indigent, & quæ aliter dicuntur aliter suspicari facientes, etiam gestus habitusque & quodlibet efferant, & efficiunt vt peius se habeant quàm furiosi, neque nomen dicere nec audire sustinentes, sed ex maledictis & conutiis loquentes omnia. Quomodo ergo animum molliemus? Quomodo flammam extinguemus? Si nostra ipsorum peccata mente versemus, quantum Deo debeamus & ad ei reddendam rationem simus obnoxij. Si cogitemus quod non vlciscimur inimicum, sed nos ipsos: si cogitemus quod diabolus lætitia afficimus, quod nostrum inimicum, qui verè est inimicus, propter quem membro nostro iniuriam facimus. Vis acceptæ iniuriæ esse memor, & inimicus? Sis inimicus, sed diaboli, non membri tui. Propterea nos animo & ira armauit Deus, non vt ensem in nostra corpora adigamus sed vt totum gladium in diaboli pectore immergamus. Illic include ensem vsque ad manubrium, si vis, & ipsum manubrium, nec vnquam euuleris, sed etiam adde alium. Hoc autem fit quando nobis ipsis parcimus, quando pacatè inter nos affecti sumus. Pereant pecuniæ, pereat gloria, & bona existimatio, meum membrum est mihi omnibus pretiosius. Hæc apud nos dicamus. Ne nostræ naturæ iniuriam faciamus, vt pecunias acquiramus, vt gloriam consequamur. Qui furatur, iam non furetur, inquit. Vides membra veteris hominis, mendacium, odium & acceptæ iniuriæ recordatio, furtum. Cur autem non dixit, Qui furatur, castigetur, torqueatur, sed, Non amplius furetur. Magis autem labore operando manibus suis, vt habeat unde tribuat necessitatem patienti. Vbi sunt qui dicuntur Cathari, id est mundi, qui omni forde pleni ita se audeant nominare? Potest enim potest crimen exui, non solum eo quod desistatur à peccato, sed etiam eo quod fiat bonum aliquod. Videtis quomodo oporteat exuere peccata. Furati sunt. Hoc est peccatum. Non furati sunt. Hoc non est peccatum soluere. Sed quomodo? Laborarunt, & aliis impertierunt. Sic soluerunt peccatum. Non vult absolute nos laborare, sed ita laborare vt aliis impertiamus. Nam etiam qui furatur operatur, sed malum. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat. Quis est sermo putridus? Is quem etiam dicit otiosum, detractio obscœnus sermo, scurrilitas, stultiloquium. Vides quemadmodum excindit iræ radices, mendacium, furtum, importunam & intempestiuam disputationem. Illud autem, Non amplius furetur, non tam dicit illis ignoscens, quàm mites & clementes eos reddens quibus facta erat iniuria, & suadens vt eo contenti quod non essent ea amplius passuri. Non solum enim rerum sed etiam verborum pœnas damus. Sed si quis bonus ad edificationem fidei vt det gratiam audientibus. Hoc est, hoc solum loquere quod edificat proximum, nihil autem superuacaneum. Propterea enim tibi os & linguam dedit Deus vt Deo agas gratias, vt proximum ædifices. Quod si ædificium destruas, melius est silere, Hh iij

Inimicitie quid faciant.

Cur ira & animo Deus nos armauerit.

Cathari.

Ira radices quas sunt.

Pal. II.

& nunquam loqui. Nam manus artificis, quæ pro con-
textendis muris didicerunt destruere, iure excinderen-
tur. Nam hoc quoque dicit Palmographus. Perdet do-
minus omnia labia dolosa. Hoc os est causa omnium
malorum, imò verò non os, sed qui eo malè vtuntur.
Hinc contumelia, maledicta, blasphemia, volupta-
tum fomites & incendia, cædes, adulteria, furta, o-
mnia ex eo nascuntur. Et quomodo, inquit, cædes? A
contumelia ad iram, ab ira ad plagas, à plagis ad cæ-
dem deuenisti. Quomodo adulterium? Hæc vel illa te,
inquit, amat, boni quidpiam de te est locuta, robor
tuum relaxauit. Deinde tibi sic quoque accenditur cu-
piditas. Propterea dicebat Paulus, Si quis bonus, Quo-
niam ergo verborum multa est profusio, meritò dixit
indefinitè, vt qui illa loqui iusserit, & formam dederit.
Quamnam? Si quis ædificat dicens, aut hoc dicit, vt
qui audit, tibi habeat gratiam. Vt puta, scortatus est
frater, ne gloriose & insolenter probro ac contumelia
afficias, nec delicatè ei insultes. auditori nihil prodes,
sed eum lædis meritò, vt qui clauum ei infixeris. Sed si
ei suadeas ea quæ sunt agenda, magnam das ei gratiam.
Si erudias vt os habeat quod bona verba eloquatur.
Si docueris vt neminem maledicto appetat, maximè
cum erudis, & ei das gratiam. Si loquaris de compun-
ctione, de pietate, de eleemosyna, hæc omnia molli-
liunt eius animum. Pro his omnibus fatebitur se tibi
habere gratiam. Sed si risum moueris, si turpe locutus
fueris, accendis. Si laudaris nequitiam, deijcis & per-
dis. Vt eos, inquit, reddat gratiosos. Quomodo enim
vnguentum dat gratiam iis qui sunt eius participes, ita
etiam sermo bonus. Propterea quidam etiam dicebat,
Vnguentum effusum nomen tuum, quod eos faciebat
spirare ex bono illo odore. Vides quòd quod semper
suadet, hoc quoque nunc dicit, vt qui mandet vniciui-
que ædificare proximum pro viribus. Qui ergo aliis
hæc suadet, multò magis sibiipsi. Et nolite contristare, in-
quit, spiritum sanctum. Horribilius hoc & terribilius:
quod quidem dicit etiam in epistola ad Thessalonicen-
ses. Illic enim quoque tale quid dicit. Nam qui spernit,
non hominem spernit, sed Deum. Ita hinc quoque: Si
verbum dixeris contumeliosum, si fratrem percusseris,
non hominem percussisti, sed spiritum affecisti tristitia.
Deinde est etiam accessio beneficij, vt maior sit accu-
satio. Et nolite contristare, inquit, spiritum sanctum:
In quo signati estis in die redemptionis. Is nos fecit gregem
regalem. Is nos abduxit à primis omnibus. Is non iuit
nos esse sitos cum iis qui sunt obnoxij iræ Dei, & tu
eum tristitia afficis? Vide quomodo illic quidem terri-
biliter dicit. Nam qui spernit, non hominem spernit,
sed Deum. Hic autem appositè ad pudorem incutiend-
um. Nolite contristare, inquit, spiritum, in quo si-
gnati estis.

Spiritus
sanctus
quid no-
bis fecerit.

MORALE.

Hoc signaculum sit in ore. ne sigilla sustuleris. Os
spirituale nihil tale loquitur. Ne dicas, Nihil est si tur-
pe dixerò, si hunc aut illum contumelia affecero. Pro-
pterea magnum est malum, quoniam nihil esse videtur.
Nam quæ nihil esse videntur, facillè contemnantur.
Quæ autem contemnantur, etiam augentur. Quæ au-
tem augentur, sunt incurabilia. Os habes spirituale?
cogita quod verbum dixeris primum quando es locu-
tus, quanta sit dignitas oris. Patrem vocas Deum, &
fratrem statim iniuria afficis? Cogita vndenam Deum
vocas patrem. A natura? Sed non potueris. A virtute?
Sed nec hoc. Sed vnde? A sola benignitate & clemen-
tia, à multa misericordia. Quando ergo Deum vocas
patrem, non solum hoc cogita quòd facis indigna illa

A generis nobilitate, contumelia afficiens: sed quòd et-
iam à benignitate & clementia habes nobilitatem ge-
neris. Ne eam ergo dedecore afficias, cum eam qui-
dem acceperis à benignitate & clementia: crudelitate
autem & sauitia vtaris aduersus fratres? Deum vocas
patrem, & eum contumelia afficis? Sed hæc non sunt
filij Dei, imò verò longè absunt. Quòdnam est opus
filij Dei? Inimicis remittere, pro crucifigentibus ora-
re, pro iis qui oderunt, sanguinem effundere. Hæc sunt
digna filio Dei, inimicos, ingratos, fures, impuden-
tes, insidiatores, eos fratres facere & hæredes, non
autem qui facti sunt fratres, eos tanquam mancipia af-
ficere contumelia. Cogita quænam verba locutus es
os tuum, quænam menta sit dignatum, quænam tan-
gat, quænam guster, quonam fruatur alimento. Te fra-
tri nihil graue facere existimas de eo maledicens? Quo-
modo ergo vocas fratrem? Si ergo non est frater, quomo-
do dicis Pater noster? Illud enim Noster, multas signifi-
cat personas. Cogita cum quibus stes tempore illorum
mysteriorum. Cum Cherubim. Cum Seraphim. Sera-
phim enim contumelia non afficiunt: sed os eorū vnum
solum implet munus, nempe Deum laudandi & glorifi-
candi. Quomodo ergo poteris cum illis dicere, Sanctus,
sanctus, sanctus, qui ore vsus es ad contumeliam? Dic
quæso, Si esset vas regium, regiis tuis referretur, & ad hoc
constitutum, deinde aliquis ex famulis eo vteretur ad
stercora, auderetne amplius reponere cū vasis quæ sunt
ad illa destinata, ipsum stercore repletum? Huiusmodi
res est maledicentia, huiusmodi res est contumelia. Pa-
ter noster. Et quid? Estne hoc solum? Audi etiam quæ
sequuntur. Qui es in cælis. Statim dixisti, Pater noster
qui es in cælis, & verbum te erexit, & mēti tuæ alas ad-
didit, & ostendit te patrem habere in cælis. Nihil agas,
nihil dicas ex iis quæ sunt in terra. In supernum illum
ordinem te retulit: in choro illo te inseruit. Cur te de-
orsum detrahis? apud thronum stas regium, & contu-
melia afficis? Nō extimescis ne Rex eam rem existimet
contumeliam? Sed si famulus quidem coram nobis qui
sumus conserui verberet aut contumelia afficiat, etiam-
si hoc iuste faciat, statim increpamus. Tu autem stans
apud thronum Regis, contumelia fratrem afficis? Non
vides hæc sancta vasa? Nunquid ad vnum eis semper est
opus? Num audet quispiam eis vti ad aliquid aliud? Tu
es his vasis sanctior, & multò sanctior. Cur ergo te ipsum
polluis & inquinat? Stas in cælis, & contumelia affi-
cis? Cum Angelis versaris, & contumelia afficis? Domi-
nico osculo dignatus es, & contumelia afficis? Deus
os tuum ornauit tam multis, hymnis Angelicis, alimen-
to non vtique angelico sed superangelico, sui osculo
& suis amplexibus, & contumelia afficis? Noli quæso.
Res causa magnorum malorum procul sit ab animo
Christiano. Dicendo non tibi persuademus, neque tibi
pudorem incutimus? Restat ergo vt te terreamus:
Audi enim Christum dicentem, Qui dixerit fratri suo,
Mans.

A contu-
melia ex-
uendum.

Qui in
cælis no-
stram
gignit & ex-
tollit.

Mans.

Apes in
vas in-
mundum
non in-
trant, aut
mox e-
molant.

Ira quo-
modo e-
vellitur
indici-
us.

namus. Et si habeamus amicos, & si quoslibet, & quem-
piam maledicto appetierint aut iniuria affecerint, po-
stula ab eo vt ab ipsis pœnas exigat. Discamus omninò
hoc esse peccatum. Nam si didicerimus, citò desiste-
mus. Deus autem pacis custodiat mentem & linguam
vestram, & muniat tuto muro, nempe sui metu, in Chri-
sto Iesu domino nostro, cum quo patri gloria simul
cum sancto Spiritu, &c.

ORATIO XV.

MNIS amaritudo & ira & indignatio & cla-
mor & blasphemia tollatur à vobis cum omni
malitia. Quomodo in vas & vestimentum
immundum nunquam se demiserit genus
apum. Propterea enim & suffitibus, & vn-
guentis, bonisque odoribus locum aspergunt qui harum
rerum sunt periti, vinisque suaue olentibus, & aliis o-
mnibus illinunt calathiscos in quibus sunt infessuræ ex-
euntes ex alucis, ne grauis odor & insuaus eas rursus
abigat: Ita etiam in sancto Spiritu. Vas quoddam &
quidam calathiscus est nostra anima referta ad excipi-
enda examina gratiarum spiritualium, sed si sit intus bi-
lis, & amaritudo, & ira, euolat examina. Propterea bea-
tus hic & sapiens Agricola, pulchre purgat vasa nostra
non falcem tenens, neque vllum aliud instrumentum
ferreum, & nos vocat examen hoc spirituale, & con-
gregans ipsum purgat precibus, & laboribus, & aliis o-
mnibus. Vide ergo quomodo expurgat & emundat cor
nostrum. Expulit mendacium, expulit iram. Ostendit
rursus quomodo malum radicitus euelli possit. Si men-
te quidem sumus amari, inquit, quomodo solet acci-
dere in bile quæ est amara: si fuerit aliquis paruus mo-
tus rupto receptaculo. Nam quando facta fuerit acrior,
quàm pro vehementia eius qualitatis, & vas quod eam
fulcipient & prius continebat eam ferens, tãquam ve-
hementi igne factò fuerit exesum, non potest eam am-
plius tegere & continere in definitis terminis, sed ab im-
modica diuulsum acrimonia dimittit eam egressam to-
tum corpus perdere. Et quomodo in urbem importata
quædam seuiissima & immanissima bellua, quãdiu qui-
dem continetur in factis carceribus, etiam si effertur &
vociferetur, neminem poterit lædere. Quando verò ire
dominatus inualuerit, per fractis quæ interiecta erant re-
pagulis, & poterit exilire, omni tumultu & cõturbatio-
ne replet ciuitatem, & omnes abigit. Ita etiam in bili,
quandiu quidem continetur suis finibus, nobis nullum
magnum facit malum. Postquam autem rupta quæ eam
cõtinebat membrana, nihil verat quominus de cætero
in vniuersam diffundatur naturã, tunc tunc, etiam si sit
res admodum parua in quantitate, propter exuperan-
tem in qualitate virtutem, omnia alia elementa suo in-
ficit vitio. Nam & inueto sanguine, qui est propinquus
& loco & qualitate, efficiens acriorem qui est in illo ca-
lorem, & quidquid est propinquũ, ab ea quæ est in hu-
more symmetria & moderatione terminos transfiliens,
& bilem reddens, his freta auxiliis deinceps etiam in a-
lia membra bellum gerit: & deinde cum omnibus suam
in diderit amaritudinem, mutum efficit hominem,
& facit expirare, animam expellens. Cur hæc à nobis
omnia ad eò exactè & accuratè dicta sunt? Vt cum ex
sensibili amaritudine, senserimus intolerabile vitium ama-
ritudinis quæ cadit sub intelligentiam, & quod toti quæ
eam parit animæ, primum affert interitum omnia sur-
sum & deorsum peruertēs, vitemus eius experientiam.
Nam quomodo ipsa totum elementum, ita illa incensis
cogitationibus, eũ qui captus fuerit abducit in gehen-
næ barathrum. Vt hæc ergo exactè perscrutantes hoc
malum fugiamus, & belluam frenemus, vel potius radi-

citius euellamus, pareamus Paulo qui dicit, Omnis a-
maritudo, non expurgetur sed tollatur à vobis. Quid
enim opus est vt eæ res mihi negotium exhibeant, & eas
teneam? Quid autem opus est vt custodiam belluam,
cum liceat ab anima amãdare, & procul abductam ex-
terminare? Pareamus ergo Paulo qui dicit, Omnis ama-
ritudo tollatur à vobis. Sed proh dolor, quæ nos tenet
peruerfitas? Cum oporteret propter hoc omnia facere,
sunt quidam adeò demètes, vt se quoque hac in re bea-
tos censeant, & in malo voluptatem accipiant & glori-
entur, & alij eos æmulentur. Hic aut ille, inquit, est ho-
mo acerbum & asper, est scorpius, est serpens, est vipera.
terribilem cum existimant. Quid ergo acerbum illum
& asperum times o homo? Ne me lædat, inquit, ne me
perdat. Sum, inquit, illius malitiæ imperitus, timeo ne si
me hominem acceperit simplicem, & quæ sunt eius ni-
hil præudentem, in suos iniiciat laqueos, & suis impe-
diat retibus ei paratis ad nos decipiendos. Nunc rideo.
Cur rides? Quoniam hæc sunt verba puerorum timen-
tium quæ non sunt timenda. Atque neminem quidem
ita oportet despiciere, neminem ita irridere vt homi-
nem acerbum & malum. Nihil est enim æquè imbecil-
lum atque acerbitas. Stultos facit & amentes. Non vi-
detis quòd res cæca sit vitium. Non adiuuistis quòd qui
vicino fodit foueam, sibi fodit? Quid verò, non est ti-
mendus animus plenus perturbatione? Si quidem tan-
quam dæmones & furiosos, oportet etiam acerbos ti-
mere, & tanquam stultos. Illi enim temerè & inconfi-
deratè omnia faciunt. Ego quoque id dico. Si autem vt
qui rectè intelligant quomodo sint res gerendæ, in hoc
non assentior. Nam ad res administrandas & dispen-
sandas nihil est æquè aptum atque prudentia. pruden-
tiam autem nihil æquè impedit atque prauitas & viti-
um, fraudisque & insidiæ. Non videtis biliosa corpora
quàm sint iniucunda, cum omnis flos in eis emarcue-
rit? Quàm sint imbecilla & gracilia & inepta ad omnia?
Tales etiam sunt huiusmodi animæ. Non est enim ani-
mæ alius morbus regius quàm vitium & prauitas. Non
ergo, non est res fortis ac valida vitium & improbitas.
Vultis rursus etiam in exemplo perspicuum faciam id
quod dico, adductis vobis imaginibus scelerati homi-
nis & hominis simplicis & non ficti? Sceleratus & ma-
lignus erat Absalon, & omnes in suam redigebat pote-
statem. Vide ergo quanta eius esset astutia & maligni-
tas. Circumiens, inquit, dicebat, Non est tibi iudicium,
volens vnumquenque sibi conciliare. Dauid autem e-
rat simplex & non fictus. Quid verò? Vide amborum fin-
nem, Vide quanta ille plenus fuit amentia. Nam quo-
niam ille non aliò spectabat quàm vt noceret patri, in
aliis omnibus erat excæcatus. Qui enim ambulat sim-
pliciter, ambulat confidenter, & meritò est eiusmodi
qui curiosè nihil querit, qui nullum malum molitur.
Pareamus ergo beato Paulo, & misereamur ac deslea-
mus homines acerbos & malos, & omnia agamus &
faciamus, vt ex eorum animis exhauriamus improbita-
tem. Nam quomodo non est absurdum, cum in nobis
insit bilis, et si vile sit elementum. nam absque bile fieri
non potest vt sit homo, hac, inquam, elementari. Quo-
modo, inquam, non est absurdum, hanc quidem eua-
cuare pro viribus, etiam si plurimum ab ea iuuemur: ei
autem quæ est in anima nihil facere, neque studium po-
nere vt euacuemus, cum minimè sit vtilis, sed etiã ma-
ximè lædit? Qui vult, inquit, inter vos esse sapiens, stul-
tus fiat vt sit sapiens. Audi rursus Lucam quoque dicen-
tem: Sumebant cibum cum exultatione & simplicitate
cordis, collaudantes Deum, & habebant gratiam ad
omnem plebem. An non videmus nunc quoque sim-
plices & non fictos communem honorem assequi ab
H h v

Vitium
res est
imbec-
illa.

2. Reg.
15.

Prou. 10.

1. Cor. 13.
A. 2.

omnibus. Nemo ei qui est huiusmodi inuidet, si res suas recte gerat. nemo ei insultat, si sint ei res aduersæ. Sed et si sint ei res secundæ, gratulantur: & si lapsus sit, miserentur. Sin autem homini acerbo successerint quandoque res secundæ, tanquam aliquod malum ei contigerit, omnes ingemiscunt. Sin autem ei rursus fuerint res aduersæ, omnes latantur. Eorum ergo misereamur. habent enim inimicos communes vndique circumcuntes. Iacob erat non fictus: sed vstrum & malignum viciit Esau. Nam in prauam & malignam animam non intrabit sapientia. Omnis amaritudo tollatur à vobis. Ne maneat quidem reliquia. Nam si hoc motum fuerit, scit tanquam ab aliqua scintilla integrum intus excitare rogam. Quid sit ergo amaritudo accuratè consideremus. Vtpote sit homo fraudulentus & insidiosus, dolosus, & ad malè faciendum paratus, suspiciosus. Ab eo semper nascitur ira & indignatio. Fieri enim non potest vt tranquillus sit eiusmodi animus. Sed iræ & indignationis radix est acerbitas & amarulentia. Nam qui est huiusmodi, est & ad grauem iram propensus, & nunquam remittit animum, vt qui sit semper cogitabundus, semper tristis. Nam ipsi, vt dixi, primi sua mala sentiunt. Et clamor, inquit. Curnam tollis etiam clamorem? Nam eum qui est mitis oportet esse talem. Clamor enim est equus ferens ascensorem, nempe iram & indignationem. Equum impedi, & euertere ascensorem.

MORALE.

Audiant hæc maximè mulieres, quæ in re qualibet clamant & vociferantur. In vno solo vile est clamare, nempe in prædicatione & docendo: nusquam autem alibi, neque in precatioe. Et si vis per res ipsas discere, Nunquam clames, & nunquam irascèris. Ecce modum iræ vacuitatis. Quomodo enim fieri non potest vt qui non clamat irascatur, ita fieri non potest vt qui clamat non irascatur. Ne mihi enim dixeris iracundum grauique ira percitum, acceptæque iniuriæ memorem, & qui est ipsa per se amarulentia & bilis. Nos loquimur de arreptione affectionis. Ad hoc itaque non parum confert erudisse animam, vt nunquam clamet & vociferetur. Iræ pennas amputas, si auferas clamorem: cordis tumorem comprimis. Quomodo enim fieri non potest vt luctetur, qui manus non contra quempiam sustulerit, ita fieri non potest vt qui non clamat pedes conferrat. Liga manus pugilis, & iube pugnare. Sed non poterit. Sic neque ira. Clamor autem etiam eam quæ non est excitat: & maximè hinc citò capitur genus mulierum, quæ quando irascuntur ancillis, totam domum implèt suo clamore. Sæpe autem si domus ædificata sit in angiportu, omnes qui adsunt, audiunt eam clamantem, & ancillam eiulantem. Quidnam fuerit turpius & magis indecorum quàm audire fletus & eiulatus? Quid verò illic factum? Et omnes statim prospicientes, Hæc aut illa, inquit, ancillam suam verberat. Quidnam hoc fuerit impudentius? Quid verò, non oportet verberare? Non hoc dico. Oportet enim. Sed nec assidue, nec supra modum, nec pro sibi factis iniuriis. quod semper dico, si in ministerio fuerit aliquid delictum: sed illius verberare oportet animam quæ lædit. Si pro hac causa eam verberes, laudabunt omnes, & nemo reprehendet. Sed si pro tuis, damnabunt omnes sæuitiam & crudelitatem. Et quod est omnium turpissimum, sunt adeo feræ & truces vt adeo flagris cedant, vt ne ipso quidem die extinguantur vibices. Nudatis enim puellis, & marito ad hoc vocato, ad læticias sæpe alligant. Hei mihi, non tibi eo tempore venit in mētem memoria gehennæ? sed nudam puellulam, & ostendis marito, & non vereris ne te condemnet, & eum magis irrites, & mina-

Clamare vbi sit vile.

ris te eam vincituram, cum miseram & infelicem prius innumerabilibus maledictis appetieris, Thessalam, fugitiuam, prostitutam eam appellans. Ira enim ne oriquidem suo finit parcere, sed vnum spectat quomodo eam vlscatur, etiam si seipsam probro afficiat, & post hæc omnia tãquam tyrannus quispiam præsidet, & vocat pueros, & cum stolidum maritum illic stiterit, eo tanquam lictore vtitur. Hæcne fieri oporteret in ædibus Christianorum? At est, inquit, prauum genus, audaxque & impudens, & quod non potest corrigi. Ego quoque id scio. Sed licet aliter componere ac corrigere, metu, minis, verbis, quæ illam magis possunt mordere, & te liberare à dedecore. Locuta es verba turpia, cum sis ingenua, & non magis illam quàm teipsam dedecoras? Deinde si oporteat venire ad balneum, sunt vibices in eius nudè tergo, & crudelitatis circumferis indicia. At est, inquit, seruorum genus intolerandum, si facta sit eis remissio. Ego quoque id scio. Sed aliter, vt dixi, eos cõuerte, non solum flagris, & metu, sed etiam blanditiis & beneficiis. Tua est toror si sit fidelis. Cogita quòd tu sis domina, & illa tibi ministret. Si sit ebriosa, aufer occasionem ebrietatis. Voca maritum, & admone. An non vides quàm sit turpe verberare mulierem? Qui aduersus viros latis legibus statuerunt innumerabilia, vstiones, quæstiones & tormenta, rarò mulierem suspendunt, sed ad impingendam vsque alapam aut colaphum iram sistunt. Tanta autem vsi sunt aduersus naturam verecundia, vt ne cum necessitas quidem postulat, sepe eam suspendunt quando est pregnans, est enim viro dedecus verberare mulierem. Si autem viro, multò magis ei quæ est eiusdem sexus. Hinc sunt viris exolatæ mulieres. Quid verò quando scortatur? Iunge eam matrimonio. amputa occasiones scortationis, ne sinas eam deliciis & luxu diffuere. Quid verò si furetur? Custodi & obserua. O hyperbolem! Ego ero, inquit, custos? O amentiam! Cur rogo non eris custos? Non eiusdem animæ, cuius tu, est particeps? Non eisdem à Deo est dignata? Non eadem mensa fruitor? Non tecum habet communem generis nobilitatem? Quid si est, inquit, maledicta & cõiuiatrix, loquaxque & ebriosa? Quot autem mulieres liberæ sunt eiusmodi? Omnia autem mulierum vitia & delicta ferre iussit Deus. Dummodo, inquit, non sit scortum, cætera omnia fer delicta & vitia. Etiam si sit ebriosa, etiam si maledicta, etiam si loquax, etiam si inuida, etiam si sumptuosa, etiam si consumens facultates, habes vitæ sociam. Compose vitam, est tibi necesse. Ideo tu es caput. Fac quod tuum est. etiam si maneat eiusmodi vt non possit corrigi. etiam si furetur, serua quæ sunt tua. Ne illam adò crucies. Si sit loquax, os ei obstrue. Hoc est summæ philosophiæ. Nunc autem quædam veniunt cò sæuitiæ & importunitatis, vt caput detegant, & ancillas trahant capillis. Cur omnes erubuitis? Non omnibus hæc dicuntur, sed iis quæ ad tantam trahuntur feritatem. Mulier, dic rogo, stat detecta? Tu autem omnino vides vitam? Quomodo te ipsam probro & contumelia afficis? Atque si tibi quidem nudo capite appareat, eam rem dicis contumeliam. Tu autem ipsam nudans, nihil graue esse dicis? Deinde, inquit, quid si non corrigatur? Virga & plagis eam castiga. Quot autem habes tu vitia & delicta, & non corrigis? Hæc à nobis nunc non dicta sunt pro illis, sed pro vobis quæ estis liberæ, vt nihil faciatis indecorum, neque turpe: ne vos ipsas lædatis. Si in his in ancilla fueris erudita, & sis mitis, & non grauis ac molesta, multò magis talis eris in marito. Nam si cum in tua sit potestate, perspicuum sit te nihil tale facere, multò magis nihil tale facies, quando est quod prohibet. Quo fit vt quæ in ancilla exercetur philosophia, mul-

phia, multum vos iuuet ad cõciliandam maritorum beneuolentiam. Nam qua mensura mensi fueritis, eadem rependetur vobis. Impone ori frenum. & si te exercueris vt forti & generoso animo feras ancillam molestam ac difficilem; nec eam quæ est tibi par honore, ne si sit quidem contumeliosa, ægreferes. Non ægreferens autem, te rectè in summa gesseris philosophia. Sunt autem etiam quædam quæ addunt iuramenta. Nihil est autem turpius quàm ea quæ sic irascitur. Quid verò, inquit, si se ornet & fuce vtatur? Hoc prohibe, & ego tibi assentiar. Prohibe autem à te incipiens, non tatum metu quantum exemplo. Sis in omnibus exemplar archetypum. Et blasphemia, inquit, tollatur à vobis. Vide quomodo procedat malum. Amarulètia peperit iram, ira indignationem, indignatio clamorem, clamor blasphemiam. Hoc est, maledicta. Blasphemia verò plagas, plagæ vulnera, mortem vulnera. Sed nihil horum voluit dicere Paulus, sed dixit, Cum omni malitia. In hoc definit. Sunt autem quidam sicut canes mordentes latenter, qui accedenti quidem non allatrant, neque eum ægreferunt, blandientes autem, & lenitatis & mansuetudinis ostendentes speciem, cum non sibi cauètes apprehenderint, eis dètes infigunt. Ij sunt grauiore quàm qui apertas suscipiunt inimicitias. Quoniam ergo sunt homines quoque canes, neque clamantes, neque irascientes, nec ægreferentes, minantur: sed clam dolos consuentes, & mala struentes innumerabilia, & rebus ipsis & factis vlscientes, hos quoque tacitè significauit. Tollatur, inquit, à vobis cum omni malitia. Ne verbis quidem parcas, factis autem vlscaris. Ego ideo linguam castigauit, & eius clamorem amputauit, ne vehementiorem rogam accenderet. Si autem etiam absque clamore eadem facis, & intus alis rogam & carbones, quid tibi prodest silentium? An nescis incendia illa esse grauissima, quæ cum intus alantur, non apparent singulis qui circumstant? & vulnera quæ non existunt & non apparèt superficie? & febres quæ interna adurunt? Ita etiam ira est grauior, quæ depascit animam. Sed ipsa quoque, inquit, tollatur cum omni malitia, & parua & magna. Ei ergo pareamus, & omnem tollamus amaritudinem & malitiam: ne tristitia afficiamus Spiritum sanctum. Auferamus radicem amaritudinem, eam abscindamus. Nihil boni oriri poterit ex amara anima, neque sani. Sunt omnia calamitates, omnia lacrymæ. Omnia lamentationes, luctus & eiulatus. Non videtis quomodo auersemur bestias quæ clamant? vtpote leonem, vrsum: sed non ouem. Non est enim illic clamor, sed vox quædam blanda & mitis. Porro autem ex instrumentis quoque musicis, quæcunque quidem clamant, sunt ad sonum iniucundiora, vt pote tympana & tubæ. Quæ autem non ita sonitum edunt, sed molliunt, ea sunt iucunda, tibia & cithara, & fistulæ. Sic nostram quoque constituamus & componamus animam vt non clamet, & ita poterimus etiam superare iram, & ea amputata ipsi primi fruemur tranquillitate, & ad tranquillum portum nauigabimus. Quem detur nobis omnibus consequi, in Christo Iesu domino nostro, cui cum Patre, &c.

Match. 7.
Domina sit ancillæ exemplum.

Intendia grauissima, quæ intus alantur.

Mulierum delicta omnia ferenda præter scortum.

ORATIO XVI.



MNIS amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia. Estote autem inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus donauit vobis. Non sufficit liberari vitio, si oportet assequi regnum cœlorum, sed etiam multa virtutum opus est operatione. Nam vt à gehenna quidem liberemur, abstinere oportet à scelere, vt autem re-

gnum assequamur, virtus est amplectenda. An nescitis quòd in externis etiam iudiciis, quando facta examinantur, & ad concionem conuenit tota ciuitas, ita fiat? In externis enim iudiciis vetus est mos vt corona coronetur aurea, non qui nihil mali fecit ciuitati, hoc enim solum sufficit ad non dandas pœnas, sed etiam qui magnis eam affecit beneficiis: Sic oportebat duci ad hunc honorem. Sed nescio quomodo propemodum me effugit, quod vobis maximè necesse est dicere. Huius enim diuisionis primam pono partem, parua quadam vsus correctione. Nam quoniam dixi, quòd ne cadamus in gehenam, sufficit nobis recessus à malo, interim dum dico, mihi venerunt in mentem quædam minæ terribiles, supplicium inferentes non iis qui mali quidpiam admiserunt, sed eos punientes qui boni aliquid prætermiserunt. Quænam autem eæ sunt, inquit? Nam cum aduenerit dies ille terribilis, quo se sistere oportet, in tribunali sedens Iudex, ouibus quidem statutis à dextris, hædis verò à sinistris, ouibus quidem dicit: Venite benedicti patris mei, possidete regnum vobis paratum à constitutione mundi. Esurij enim, & dedistis mihi ad comedendum. Hoc præclarè. Oportebat enim tantæ benignitatis hæc accipere remunerationem. Quod autem qui egentes non impertierunt iis quæ ipsi habebat, non hæctenus puniantur vt priuentur bonis, sed etiam ad ignem gehennæ transmittantur, hoc quàmnam habet rationem? Habet autem hoc quoque in speciem non minus pulchram quàm illud prius rationem. Nam per hoc erudimur, quòd qui bona quidem fecerunt, fruuntur bonis quæ sunt in cœlis. Ij autem in quos non cadit reprehensio quòd aliquid mali habeant, aliquid autem boni prætermiserunt, cum iis qui mala fecerunt, abducentur in ignem gehennæ. Nisi quis dicat quòd bonum nō fecisse est pars vitij. hoc enim est otij, otium autem est pars vitij, vel potius non pars, sed occasio & praua radix. Nam omne vitium docuit otium. Ne ergo insipienter has proferamus interrogationes. Qui nihil boni fecit, quènam locum accipiet? Nam bonum non fecisse, hoc est fecisse malum. Nam dic mihi, si quem habeas famulum, qui neque furetur, neque sit contumeliosus, neque contradicet, sed & ab ebrietate abstineat, & ab aliis omnibus, perpetuò autem sedeat otiosus, & nihil faciat ex iis quæ famulus debet adimplere domino, non eum cædes flagris, non torquebis? Atqui nihil mali fecit. Hoc ipsum ergo est malum. Deducamus autem orationem etiam ad reliquam vitam. Sit aliquis agricola qui nostris facultatibus nihil mali afferat, neque insidietur, neque furetur, solum autem vincetis manibus domi sedeat, neque seminans, neque sulcum præscindens, neque boues iungens, neque vitem colens, neque aliquid aliud opus faciens in terra colenda, an non eum castigabimus? Atqui nullam fecit iniuriam, neque habemus crimen cuius eum arguamus. Sed in hoc ipso fecit iniuriam. Nam communi ratione facit iniuriam, vt qui suum munus non conferrat. Quid verò si vnusquisque ex opificibus & artificibus nemini noceat ex iis qui sunt alterius, sed etiam ex iis qui sunt eiusdem artis, solum autem sit otiosus, an non sic nobis tota vita perit & interit? Vis etiam orationem extèdamus in corpore? Manus ergo caput non feriat, neque linguam excindat, neque oculum effodiat, neque aliquid aliud tale malum faciat, solum maneat otiosa, & suum munus toti corpori non impleat, an non præstat eam excindi, quàm circumferre otiosam, & toti corpori perniciem afferentem? Quid verò si os manum non excedat, neque corpus mordeat, quæ sunt autem ab ipso facienda omnia prætermittat, non est factus ipsum esse obstruatum? Si ergo & in famulis, & in

Math. 23.

Bonum non fecisse est malum fecisse.

opificibus, & in toto corpore magna est iniuria, non solum aliquid mali fecisse, sed etiam in bonis defecisse, multo magis hoc fuerit in corpore Christi. Propterea beatus quoque Paulus nos abducens a vitio & improbitate, deducit ad virtutem.

MORALE.

QVID enim, dic queso, iuuat quod omnes spine sunt amputate, si non sint deiecta bona semina? Ad idem enim damnum rursus redibit labor, si maserit imperfectus. Propterea Paulus quoque nostri curam gerens, non ad malorum vsque amputationem & ablationem sistit precepta, sed etiam hortatur ut cito fiat bonorum plantatio. Nam cum dixisset, Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia, subiunxit: Estote autem inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem. Hi enim sunt habitus & affectiones. Nec sufficit ab altero recessus, ut nos alterius habitum rursus constituamus. Sed rursus opus est quodam motu, & non minori incitatione in fugiendis malis, ut in bonorum sumus possessione. Et enim in corpore si niger fuerit liberatus ab hac qualitate, non protinus factus est albus. Imo vero non in naturalibus id quod dicitur agitemus, sed exemplum adducamus in iis quae fiunt ex animi instituto & libero arbitrio. Qui non est inimicus, non est omnino amicus: sed est aliquid medium, quod nec est inimicitiarum, neque amicitiae, in quo maxime sunt plures apud nos homines. Qui non lacrymatur, non etiam omnino ridet, sed est medius status. Ita hic quoque, Non qui non est amarus, est comis & benignus. Neque qui non est iracundus, est mitis & misericors. Sed alio rursus studio opus est, ut hoc bonum acquiramus. Vide autem quam conuenienter legi optima agriculturae, beatus Paulus terram sibi creditam ab agricola, expurgat & operatur. Sustulit femina adulterina, de caetero rogat ut veras & sinceras plantas teneat. Estote, inquit, benigni. Nam si spinis euulsis terra maneat otiosa, feret rursus herbas inutiles. Quamobrem eius quies & otium est praecipuum bonorum seminum & plantarum deiectione. Sustulit iram, posuit benignitatem. Sustulit amaritudinem, posuit misericordiam. Execuit vitium & blasphemiam: plantauit veniam. Hoc enim est illud, donantes inuicem. Estote, inquit, propensi ad ignoscendum. Hec enim gratia est maior quam quae est in pecuniis. Nam qui remittit pecunias ei qui ab ipso accepit sceleris, bonum quidem facit opus & admirabile. Sed peruenit ad corpus vsque gratia, etiam si sibi reddit remunerationem in donis spiritualibus & quae spectant animam. Qui autem condonat peccata, & suam iuuat animam, & illius qui veniam est affectus. Hoc enim modo non solum seipsum, sed illum quoque facit mitiorem & modestiorem. Non enim ita eos qui iniuriam fecerunt persequentes, ut eis condonantes, eorum mordemus animos, pudorem incutientes. Nam illo quidem modo neque nobis ipsis, neque illis profumus, sed vtrisque obsumus, ut qui non secus atque Iudaeorum principes, persequamur remunerationem, & quae est in illis iram accendamus. Sin autem lenitate & clementia rependamus iniuriam, soluta omni eius ira, apud ipsum sedere fecimus iudicium, pro nobis ferens sententiam, & grauius ipsum quam nos condemnans. Ipsum enim condemnabit, & omnem quaeret occasionem, per quam cum maiori mensura reddet lenitatem & patientiam partem quae sibi data sceleris: ut qui sciat quod si par quidem reddiderit, eo tamen est inferior quod non ipse ceperit, sed eo quod exemplum a nobis acceperit, minus ferens. Studium ergo ponet ut semina superet

Ephes. 4.

Mala sunt fugienda, & bona possidenda.

Remittite peccata maius est quam remittite pecunias.

mensura, ut detrimentum quod patitur ex eo quod secundus venerit ad remunerationem, tollat exuperatione remunerationis, & quod ex tempore factum est detrimentum eius qui prius male passus est, id commune faciat ex summa lenitate & clementia. Nam homines, quando sunt grati & memores beneficij, non tam ingemiscunt ob mala, quam ob bona quae acceperunt ab iis qui sunt affecti iniuria. Nam hoc quidem habet laudem, plausum & commendationem ab omnibus, quod male passus par pari non reddiderit. Propter hoc maxime mordentur. Quamobrem si velis vlscisci, hoc modo vlsciscere. Mala repende bonis, ut & cum reddas debitorem, & admirabili vincas victoria. Male passus es, bene fac: ita inimicum vlsciscere. Nam si illum quidem persequaris, omnes & te & illum similiter vituperant. Sin autem feras, aliter tibi quidem applaudent, & te admirabuntur: illum autem accusabunt. Quid autem maius fieri poterit inimico, quam videre inimicum esse in admiratione apud omnes & ei applaudi? Quid inimico acerbius, quam videre se probro & contumelia affici ab omnibus vidente inimico? Si ipsum vlsciscaris, & fortasse damnaris, & tu solus vlscisceris. Sin autem ei remittas, omnes pro te ipsum vlsciscuntur: quod quidem est grauius quam male pati, quod scilicet inimicus habeat tam multos qui ipsum vlsciscuntur. Si tu quoque os aperias, illi tacebunt. Sin autem tu taceas, non vti que vno ore, sed aliorum feris innumerabilibus, & magis vlscisceris. Et te quidem probro & contumelia appetentem, multi accusant. Dicunt enim esse verba affectus. Quando autem qui nulla affectus est iniuria in eum probra ingerit & contumelias, tunc vltio est maxime libera ab omni suspitione. Quando enim qui nihil graue sunt passi, propter summam tuam lenitatem & clementiam, tanquam iniuria affecti simul dolent & commiserantur, ab omni suspitione pura est vindicta & defensio. Quid vero, inquit, si nullus vlsciscatur? Fieri non potest ut homines sint lapidei, ut non admirentur videntes tantam philosophiam. Et si tunc non vlsciscantur, postea tamen id facient cum iudicandi munus fuerint sortiti. Perpetuo autem illum irrident & maledictis appetunt. Quod si nullus alius te admiretur, ille ipse te omnino admirabitur, etiam si non dicat. Eius enim quod bonum & honestum est iudicium, etiam si venerimus in ipsum vitij profundum, manet incorruptum, & quod non potest inflecti & perueri. Nam cur existimas dominum nostrum Christum haec dicere? Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebere illi & alteram. Non quoniam si quis fuerit lenis & patiens, eo magis & sibi & illi maximam attulerit vtilitatem? Propterea & aliam iussit obuertere, ut eius qui irascitur impleat cupiditatem. Quis enim est adeo ferus ut iam pudore non suffundatur? Canes dicuntur hoc facere. Si latrent & inuadant, is autem cui allatrant, se supinum abiecerit & nihil fecerit, totam iram extinguit. Si ergo illi eum qui ab ipsis paratus est pati reuerentur, multo magis genus humanum quod est magis particeps rationis. Sed operae pretium est non praeterire id quod nuper venit in mentem, & adductum est in testimonium. Quid hoc est? Dicebamus de Iudaeis & eorum principibus, quod arguerentur ut qui persequerentur similis poenae relationem & talionem. Atqui lex eis permittebat, oculo pro oculo, & dente pro dente. Sed non ut alter alterius oculos effoderent, verum ut metu patendi cohibita facienda audacia, neque aliquid mali faceret aliis, neque ipsi paterentur ab aliis. Propterea dixit, Oculum pro oculo: ut illius ligaret manus, non ut tuas contra educeret. Non ut solum arceret oculorum tuorum noxam, sed ut etiam illius oculos saluos conseruaret. Sed quod quae-

Vicissim dicitur rependo mala habet.

Math. 5. Luc. 6.

Canis dicitur se impinum abiecerit.

Leuit. 24. Deut. 19.

quod querebam, quam de causa cum eis concessa esset vltio, arguebantur qui ea vsi sunt? Quidnam hoc est? Hic dicit iniuriae acceptae memoriam. Nam concedit quidem ut qui passus est statim agat, illum, ut dixi, retinens ac reprimens. Non permittit autem iniuriae acceptae esse memorem. Non est enim id amplius irae, neque feruentis impetus, sed meditati sceleris. Deus autem iis ignouit quos arripuit insolentis contumelie insultus, & ad vltionem sunt incitati. Dicit itaque oculo pro oculo. Et rursus: Via eorum qui sunt iniuriae memores, sunt ad mortem. Si vero vbi licebat oculo eruere pro oculo, tantum proponitur supplicium iis qui acceptae iniuriae sunt memores, quanto magis iis quibus iustum est ut se praerberent paratos ad patiendum? Ne simus ergo iniuriae memores, sed iram extinguamus, ut digni censeamur qui eius consequamur misericordiam. Nam qua, inquit, mensura metimini, ea vobis rependetur, & in quo iudicio iudicatis, iudicabimini: ut & qui sunt in praesenti vita laqueos effugiamus, & die futuro ab eo veniam assequamur. Gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre, &c.

Math. 7.

ORATIO XVII.

STOTE autem inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit vobis. Estote ergo imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis. Praeterita maiorem vim habent quam futura, & videtur esse admirabiliora & credibiliora. Et ideo Paulus adhortationem ex iis facit quae fuerunt. Nam illa quidem maiorem vim habent propter Christum. Nam dicere: Remitte & remittetur tibi, & si non remiseritis, non remittetur vobis, si dicatur quidem viris philosophis & futura creditibus, multum potest. Paulus autem non ex his solum incutit pudorem, sed etiam ex iis quae fuerunt. Nam illud quidem est fugere supplicium, hoc autem esse boni alicuius participem. Imitare Christum. Hoc solum sufficit ad exhortationem ad virtutem, Deum imitari. Hoc autem est maius illo, nempe quod Solem facit oriri super malos & bonos, & pluit super iustos & iniustos. Non enim absolute dixit ut Deum imitemur, sed in iis in quibus beneficio afficimur, vult nos inter nos habere viscera patrum. Viscera enim haec dicuntur humanitas & miserationes. Nam quoniam fieri non potest ut cum simus homines, nec molestia afficiamus nec afficiamur, secundum inuenit medicamentum. Dicit itaque, Donate vobis ipsis. Atqui minime sunt paria. Nam si tu nunc quidem dones ac gratificeris, ille rursus tibi donabit & gratificabitur. Deo autem nihil donasti nec es gratificatus. Et tu quidem conseruo. Deus autem seruo & inimico & ei qui ipsum odit. Sicut & Deus, inquit, in Christo donauit nobis. Hoc quoque magnum habet aenigma. Non absolute, inquit, sine periculo nobis donauit, sed cum periculo filij. Ut tibi ignosceret, sacrificauit filium. Tu autem saepe videns condonationem & sine periculo & sine sumptu, non facis. Estote imitatores Dei sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis. Ne autem existimes rem esse necessitatis, audi quid dicat, Seipsum tradidit tanquam dominus. Tanquam dominus te dilexit, tu dilige amicum. Imo vero nec sic poteris, ceterum fac ut potes. Papae, quid hac voce poterit esse beatius? Etiam si regnum dixeris, etiam si quodlibet, non sunt paria. Deum imitaris, Deo assimilaris, quando illi condonaueris. Magis sunt condonanda peccata quam pe-

cuniae. Nam pecunias quidem si condonaris, Deum non imitaris. Peccata autem si condonaris, imitaris Deum. Sed quomodo poteris dicere, Sum pauper nec possum condonare, quando etiam quae potes condonare non condonas? Hincne est damnus, an non magis diuitiae, facultates, & copiae? Ecce alia quoque generosior exhortatio. Sicut filij charissimi, inquit. Aliam habetis necessitatem eius imitandi, non solum eo quod sitis affecti beneficiis, sed & quod facti sitis filij. Tanquam filij charissimi. Nam quoniam non omnes imitantur patres, sed qui sunt dilecti, propterea dicit, Tanquam filij dilecti. Ambulate in dilectione. Ecce omnium fundamentum. Haec si sint, non est ira, nec indignatio, nec clamor, nec blasphemia, sed sublata sunt omnia. Et ideo caput & summam ponit posterius. Vnde nam factus es filius? Quoniam fuit tibi condonatum. Ex eo fundamento ex quo dignatus es tanto honore, ex eodem etiam condona proximo. Dic mihi autem, Si quis te, cum esses vincens, & obnoxius malis innumerabilibus, adduxisset ad regiam. Vel potius hoc dimittamus: Si quis te febrientem & animo deficientem aliquo iuisset medicamento, an non ipsum praetulisses omnibus, & ipsum nomen medicamenti? Nam si in tempora & loca per quae accepimus vtilitatem ita affecti sumus sicut in nostras animas, multo magis in res ipsas. Sis amator dilectionis & charitatis, per ipsam affectus es salutem, per ipsam factus es filius: & si potueris alteri afferre salutem, non eodem vteris medicamento, & suadebis omnibus, Remittite, ut remittatur vobis? Hoc est gratorum animorum & beneficij memorum. Ita adhortari est ingenuorum & generosorum. Sicut & Christus dilexit nos. Tu parcis amicis: ille inimicis. Est ergo multo maius quod factum est a domino. Illud enim Sicut, vbi nam conseruatur? An non perspicuum quod si bene faciamus inimicis? Et tradidit semetipsum oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis. Vides quod passum esse pro inimicis est odor suauis, hostia grata & accepta & si fueris mortuus, tunc eris hostia. hoc est Deum imitari. Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. Dixit de amara affectione, nempe de ira: venit ad minus malum. Nam quod concupiscentia sit minus malum, audi etiam Moysen dicentem in lege, primum, Non occides, quod est ira: & deinde, Non moechaberis, quod est concupiscentia. Quomodo enim amaritudo, & clamor, & omnis malitia, & blasphemia ac maledicentia, & quae sunt huiusmodi, sunt animi & irascendi facultatis: ita concupiscentia facultatis, fornicatio, immunditia, & auaritia. Nam eadem re amamus pecunias & corpora. Sed quomodo illic amputauit clamorem, ut qui sit ira vehiculum, ita nunc quoque obscenum sermonem & scurrilitatem quae est vehiculum scortationis. Aut turpitudine, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quae ad rem non pertinent: sed magis gratiarum actio. Ne dixeris vrbana & scurrilia nec turpia, nec feceris, & flammam extinguas. Nec nomine, inquit, in vobis. Hoc est, ne vsquam quidem appareat. Hoc etiam dicebat scribae ad Corinthios. Omnino auditur inter vos fornicatio. Hoc est, sitis omnes mundi. Sermones enim sunt via rerum. Deinde ne videatur esse grauis & importunus, & excindere vrbaneitatem, subiunxit etiam causam, dicens: Quae ad rem non pertinent, inquit, sed magis gratiarum actionem. Quid prodest aliquid vrbane dicere? Solum moues risum. Dic mihi. Sutor facietne aliquid ex iis quae ad artem suam non pertinent, aut possidebit aliquod eiusmodi instrumentum? Nequaquam. Nam quae non sunt in vsu, & quibus non habemus opus, ea nihil ad nos.

Luc. 6.

Exod. 20. Deut. 5.

1. Cor. 5. Sermo- nes sunt viae rerum.

NVLLVS sit fermo otiosus. Nam ab otioso sermone in absurdos & importunos decidimus. Non est præfens tempus diffusæ lætitiæ, sed luctus, afflictionum, & eiulatus. Tu autem in dictis vrbanis & facietis tempus teris? Quis athleta stadium ingressus, missa solitudine decertandi cum aduersario, vrbana verba loquitur & facta? Instat diabolus, circuit quærens vt rapiat, omnia mouet, & in caput tuum vertit omnia, & molitur vt te è nido eiiciat, dentibus stridet, rugit, ignem spirat aduersus tuam salutem: & tu sedes vrbana & faceta verba dicens, & stulta loquens, & quæ ad rem non pertinent proferes? Rectè ergo poteris cum superare? Ludimus ò dilecti. Vis dicere quanam sit sanctorum vitæ agendæ ratio? Audi Paulum dicentem, Per triennium nocte & die non cessauit cum lacrymis monens vnumquenque vestrum. Si autem pro Milesiis & Ephesiis tanto vsus est studio, non vrbana loquens, sed cum lacrymis afferens admonitionem, quid de aliis dixeris? Audi etiam quid dicat Corinthiis. Ex multa tribulatione & angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas. Et rursus: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Audi etiam eum alibi dicentem. Nam & nos qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus quotidie, vt semel dicam, ex hoc mundo exire cupientes. Tu autem rides, & ludis? Est tempus belli, & tu ea tractas quæ sunt eorum qui ducunt choros? Non vides vultus eorum qui bellum gerunt, quàm sint tristes, quàm contracti, supercilium quàm sit terribile & plenum horrore? Vides oculum seuerum, cor excitatum, vibrans & exiliens, mætem contractam, trementem, sollicitam & anxiam. Multam modestiam apramque ac decoram moderationem, non dico vt nullum verbum dicat turpe, sed neque loquantur omnino, multum inter se silèrium eorum qui in castris instructam habent aciem. Nam si ij qui bellum gerunt aduersus hostes sensiles, & à verbis nihil læduntur, tanto vtuntur silentio, tu qui & in verbis bellum habes, & maiorem belli partem, hanc partem tibi finis esse nudam? An ignoras quòd hinc nobis plurimæ parantur insidiæ? Ludis, deliciaris, facietaque & vrbana dicitis, & risum moues, remque nihil existimas? A lepidis & vrbanis dictis quot periuria, quot damna, quàm multa verba turpia & obscena? At non sunt, inquit, eiusmodi dicta vrbana. Sed audi. Omnem vrbaneitatem & dicacitatem expellit tempus belli, & pugna, vigilia, custodia, armatura & aciei instruendæ. Nullum locum hic habere potest tempus risus: hoc enim est tempus mundi. Audi Christum dicentem. Mundus gaudebit, vos autem contristabimini. Christus in crucem actus est propter tua mala: tu autem rides? Impactæ sunt illi alapæ & colaphi, & tam multa passus est propter tuam calamitatem, & quæ te comprehenderat tempestatem: tu autem degis in deliciis. Et quomodo non eum magis irritas? Sed quoniam videtur quibusdam res esse indifferens, quam quidem cauere est admodum difficile, age de eo parum differamus, docetes quantum sit malum. Hoc est enim opus diaboli efficere vt despiciantur quæ sunt indifferencia. Atque primùm quidem si esset indifferens, ne sic quidem ipsum oporteret despiciere, scientem quòd ex eo multa nascantur mala, crescantque, & sæpe definat in scortationem. Quòd autem non sit indifferens, inde est perspicuum. Videamus ergo vnde nascatur: vel potiùs videamus cuiusmodi oportet esse sanctum, mitem, mansuetum, lugentem, lamentantem, afflictum. Qui ergo dicit vrbana & faceta, non est sanctus: etiam si sit Græcus, is est ridiculus. Iis solis qui

Asunt in scena hæc permittuntur. Vbi est turpitudine, illic est etiam vrbaneitas & dicacitas. Vbi est risus importunus, illic est etiam vrbaneitas & dicacitas. Hic audi Prophetam dicentem. Seruite domino in timore, & exultate ei in tremore. Nam vrbaneitas ac dicacitas mollem efficit animam, pigràmque attollit & excitat, multaque probra parturit & contumelias, & bella facit. Quid verò an non relatus es inter viros? Fac vt cessent quæ sunt paruuli. Sed famulum quidem tuum non vis in foro dicere quæ sunt inutilia. Tu autem qui dicit te esse Dei famulum, in foro loqueris vrbana & faceta. Præclare quidem agitur si in sobriam animam furtim non irrepatur. Lætitia autem diffusam quis non capiet & expugnabit? Ipsa à seipsa configetur, nec opus erit insidiis & insultu diaboli. Vt autem discas, vide etiam ipsum nomen. *Εὐπράπελος*, id est vrbaneus ac facetus, Græcè dicitur, qui est varius, versutus ac versipellis, instabilis, facilis ac leuis, & in omnes se vertens species. Hoc autem longè abest ab iis qui petre seruiunt. Is facile vertitur & mutatur. Oportet enim cum & figuram, & verbum, & risum, & incessum, & omnia imitari. Quinetiam oportet eum excogitare scommata & diçteria. Nam eo quodque ei opus est. Procul autem est à Christiano comicis dictis incessere: & necesse est ei qui vrbaneitas ac facietis dictis vitur, superuacaneas suscipere inimicitias eorum qui temerè vrbaneitas diçteriis irridentur, siue adsint, siue absentes audierint. Si res est pulchra & honesta, cur relinquitur mimis. Mimus euadis, & non te pudet. Cur quæ sunt ex vobis liberis hoc facere non permittitis? An non statuitis rem non esse morum honestorum & modestorum? Magna mala habitant in anima quæ verba vsurpat vrbana & faceta, magna effusæ lætitiæ dissolutio, & ironia ac simulatio, hiat compago, marcessit & putrescit edificium, exterminatur timor, abest pietas ac reuerentia. Habes linguam, non vt comicis dictis incessas, sed vt Deo agas gratias. Non vides Moriones, qui *γλωττοποιοι* dicuntur quòd risum moueant, & vulgo vocantur *Σαμαρῖτικοι*? Isti sunt *Εὐπράπελοι*, id est vrbaneitas, dicaces & faceti. Expellite rogo à vestrarum animarum finibus ingratam hanc gratiam. Res est parasitarum, mimorum, saltatorum. Procul sit ab anima libera, procul ab ingenua, & procul à seruis. Si quis est infamis, si quis turpis & obscenus, is est etiam *εὐπράπελος*, id est vrbaneus & facetus. Multis autem videtur hæc res etiam esse virtus: & est hoc lugendum. Quomodo enim concupiscentia paulatim deuenit ad scortationem, ita etiam vrbaneitas & dicacitas videtur esse res gratiosa. sed nihil est hoc minùs gratiosum. Audi enim scripturam dicentem: Ante tonitru properat fulgur, & pudentem præcedit gratia. Vrbano autem & dicaci nihil est impudentius. Quare os eius est plenum, non gratia, sed dolore. Hunc morem expellamus à mensis. Sunt etiam quidam qui pauperes hoc docent. O absurditatem! Vrbaneitas & dicaces esse faciunt qui sunt in afflictionibus. Vbi enim iam non est hic morbus? Iam etiam introducit in ecclesiam: iam etiam attingit scripturas. Dicamne aliquid vt mali ostendam exuperationem? Me quidem pudet, sed tamen dicam. Volo enim ostendere quod processit malum, ne videar de rebus pusillis agere, & de re aliqua parua differere, sed vt vel sic possim ab errore vos abducere. Nec me existimet quisquam fingere, sed dicam quæ audiui. Erat quidam apud quemdam ex iis qui de scientia gloriantur & sibi placent: & scio quidem futurum vt risum moueam, sed tamen dicam, & mensa apposita dicebat. Apprehendite pueri, ne quando irascatur venter. Et rursus alij dicunt: Væ tibi mammona, & ei qui te non habet. Et multa eiusmodi absurda introduxit vrbaneitas: vt quado dicunt, Modò non est

Ad. 20.

2. Cor. 2.

Ibid. 11.

2. Cor. 5.

Ioan. 16.

Vrbaneitas sitne indifferens.

988

Diçteria acquirunt inimicos.

Moriones in dicitur & facit.

Ecclesiæ.

Diçteria in dicitur & in ecclesiæ.

non est generatio. Dico aduersus absurditatem naturæ & malorum morum. Sunt enim hæc verba animæ defertæ à pietate ac reuerentia. An non fulminibus digna sunt hæc verba? Multa ab his etiam alia eiusmodi dici quispiam inuenit. Quamobrem rogo vt vndique malo hoc more expulso, illa loquamur quæ nobis conueniunt, & ne ora sancta loquatur verba infamiam & obscenorum. Quæ est enim iustitiæ participatio cum iniquitate? Quæ verò societas luci cum tenebris? Benè enim nobiscum agetur, si cum nos ab omnibus absurdis abduxerimus, bona promissa consequamur, nedum cum tam multa attrahimus, & mentis perfectioni per tam multa perniciem afferimus. Nam qui vrbane loquitur & faciet, citò erit maledicus. Maledicus autem etiam alia innumerabilia mala sibi accumulatur. His ergo duobus animæ generibus compositis, & rationi subiunctis, quæquam equis qui facile aguntur habenis, nempe cupiditate & ira, ita mentem præficiamus aurigam, vt accipiamus præmium supernæ vocationis. Quod deus nobis consequi in Christo Iesu domino nostro, cui cum Patre, &c.

Cor. 6.

Vrbaneitas citò fit malediculus.

ORATIO XVIII.



Oc enim scitote intelligentes quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis. Propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentie. Erat quidam, vt videtur, etiam apud nostros maiores, qui populi manus dissoluebant, & quod dictum est ab Ezechiele, ad opus deducebatur, imò verò quæ sunt Pseudoprophetarum faciebant. Qui pro pugillo hordei Deum vilipendebant coram populo eius. Hos ergo tacitè significas beatus Paulus, tunc quoque scribebat ad Ephesios dicens: Hoc enim scitote intelligentes quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, qui est cultor idolorum, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Deinde subiungit. Nemo vos deiciat inanibus verbis. Hæc verba sunt inania, quæ ad tempus habent gratiam, & minime ostenduntur in factis & operibus. Res enim ea est deceptio. Propter hæc enim venit ira Dei in filios inobediencie. Propter scortationem, inquit, propter auaritiam, propter immunditiam. Aut & propter hæc, & propter deceptionem, quoniam sunt deceptores. Filios inobediencie, eos qui sunt valde inobedientes, qui ei non obediunt. Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ: nunc autem lux in domino. Vide quàm sapienter eos est adhortatus. Primùm à Christo. quòd alter alterum diligitis, & nemini iniuriam facitis. Rursus adhortatur à supplicio & gehenna. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Quod quidem dicit etiam in epistola ad Romanos. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? & priorem prauitatem & vitium illis nunc reuocat in memoriam. Hoc est, cogitate quid vos aliquando fuistis, & quid facti estis. Ne recurratis rursus ad prius vitium, neque Dei gratiam afficiatis contumelia. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Hoc vobis fuit nõ ex vestra virtute, sed per Dei gratiam. Hoc est, Et vos aliquando iis digni fuistis, sed amplius non estis. Vt filij ergo lucis ambulat. Quid est autem filij lucis? Fructus enim lucis est in iustitia & bonitate & veritate. Probates quid sit beneplacitum Deo. In omni, inquit, bonitate. Hoc aduersus irascentes, aduersus acerbos & amarulentos. In iustitia, aduersus auaros. Et veritate, aduersus falsam voluptatem. Non illa, inquit, quæ dixi, sed cõtraria. In omni. Illud est fructum ferre spiritualem. Probantes quid sit beneplacitum

Ezech. 17.

Verba quoniam sunt inania.

Rom. 6.

tum domino. Illa ergo sunt mentis puerilis & imperfectæ. Et nolite communicare, inquit, operibus infructuosis tenebrarum: magis autem redarguite. Quæ enim in occulto sunt ab ipsis, turpe est & dicere. Omnia autem quæ arguuntur, à lumine manifestantur. Dixit, lux estis: lux autem arguit quæ sunt in lumine. Si vos sitis, inquit, virtute præditi & admirandi, non poterunt latere improbi. Quomodo enim si posita sit lucerna omnes illuminantur, & latro non poterit ingredi: Ita vobis lucente luce, conuincuntur redarguti improbi & scelerati. Oportet igitur arguere. Quomodo ergo dicit, Nolite iudicare? Arguere dixit, non condemnare, hoc est castigare. Et nolite iudicare, vt nõ iudicemini, dixit de minimis peccatis. Subiunxit quidem certè, Nam vides festucam in oculo fratris tui, in tuo autem oculo trabem non cernis. Quid est autem, inquit, quod dicit? Hoc est. Sicut vulnus, quando superne tectum delitescit, & currit per profundum, nullam accipit curacionem: ita peccatum quando quidem occultatur, tanquam in tenebris admittitur cum magna securitate. Postquam autem fuerit manifestatum, fit lux, non ipsum peccatum. Quomodo enim? Sed quando qui fecit in medium fuerit productus, quando admonitus, quando ductus penitentia, quando remissionem fuerit affectus, non expurgasti eius tenebras? Non curasti eius vulnus? Non infertilitatem euocasti ad fructum? Aut hoc dicit, aut illud, quòd vestra quidem vita cum sit manifesta, est lux. Nullus enim abscondit vitam in quam non cadit reprehensio. Quæ autem absconduntur, absconduntur propterea quòd sint offusa tenebris. Propter quod dicit, Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus dormientem: & mortuum dicit eum qui est in peccatis. Tetrum enim odorem spirat vt mortuus, nec potest operari vt qui dormit, & nihil videt vt ille, sed somniat & visione & phantasia apprehendit. Et tanges, inquit, Christum. Alij autem dicunt, Et illuminabit te Christus: & magis ita est. Discede à peccato, & poteris videre Christum. Nam qui mala agit, odit lucem, & non venit ad lucem. Qui autem non facit, venit. Et tanges Christum. Sed hoc nõ solum dicit de incredulis. Nam multi ex fidelibus non minùs sectantur vitium quàm infideles: & sunt etiam qui multò magis. Et ideo necesse est eis dicere, Expergiscere qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Hoc quoque conuenit eis dicere, Deus non est mortuorum, sed viuorum. Si ergo nõ est Deus mortuorum, viuemus. Quidam autem existimant esse hyperboles, si auarus est cultor idolorum. Sed nõ est hoc verbum hyperboles, sed veritatis. Quomodo? A Deo discedit auarus sicut & idololatra. Et ne existimes solummodo esse verbum: est Christi sententia quæ dicit, Non potestis Deo seruire & Mammonæ. Qui Mammonæ seruiunt, seipfos expulerunt à Dei seruitute. Qui autem eius negarunt dominium, & auro in animo seruiunt, est perspicuum eos esse cultores idolorum. At non feci, inquit, idolum, neque aram statui, neque oues sacrificauit, neque vinum libaui, sed ecclesiam sum ingressus, & manus extendi vnigenito Dei filio, & sum particeps mysteriorum, & precum habeo societatem ac communionem, & aliorum omnium quæ conueniunt Christiano. Quomodo ergo, inquit, adoro idola? Atque hoc quidem est & valde mirandum, quòd cum expertus esses & Dei gustasses benignitatem, & vidisses benignum esse dominum, benignum quidem dimiseris, crudelem autem Tyrannum admiseris ac susceperis: & præ te fers quidem te ei seruire, te vera autem te subiecisti duro & aspero iugo amoris pecuniæ. Nondum mihi dixisti quòd à te rectè sit factum, sed dona domini. Dic mihi vndenam iudicamus militem, an ex

Matt. 7.

Ibidem.

Luc. 6.

Vulnus tectum non curatur.

Qui est in peccatis est mortuus.

Luc. 16.

Miles veteris vndenam iudicatur.

eo quod ut fatelles stipat Regem, & ab eo alitur, & eius appellatur, an ex eo quod eius tuctur partes in eum bene affectus? Præ se ferre ab illius esse partibus & ab eo stare, & rebus eius fauere & ipsum defendere, inimicorum autem res gerere, grauius esse dicimus quam si abrupto iugo seruitutis se illis dedidisset. Et nunc Deum contumelia afficit tamquam idololatra, non vno ore tuo, sed innumerabilium, quibus facta est iniuria. At non est, inquit, idololatra. Quando autem dicunt Græci, Christianus iste, iste auarus, tunc non ipse solus probro & contumelia afficit per ea quæ facit, sed & eos quibus facta est iniuria sepe cogit hoc dicere. Quod si hoc non dicunt, illorum pietati & reuerentiæ hoc est imputandum. An non videmus res sic fieri? Quid est aliud idololatra? An non ipse quoque sepe adorat affectione & animi perturbationem? ut qui illi non imperet & ei dominetur: ut exempli causa, quando dicimus eum adorare idola. Non, inquit, sed Venerem, sed Martem. Et si dixerimus, Quænam est hæc Venus? Qui sunt ex eis grauiores & honestiores dicit, Voluptas. Et quis Mars? Ita etiam tu Mammonam. Si dixerimus, Quænam est Mammona? Auaritia: & tu eam adoras. Non adoro, inquit. Quare? Quoniam non te ipsum inflectis & incuruas? Multo magis adoras per facta & res ipsas. Hæc enim est maior adoratio: Et ut dicas, vide in Deo. Quinam eum magis adorât, ij ne qui solum stant in precibus, an qui faciunt eius voluntatem? Ita etiam in Mammona, qui faciunt eius voluntatem, magis eum adorant. Atqui illi qui adorant affectiones & animi perturbationes, sepe ab illis sunt remoti. Videris enim cultorem Martis, iram sepe vincere ac reprimere. In te autem non ita habet, sed te in seruitutem redigis tuæ affectionis & animi perturbationis. At oues non iugulas, sed iugulas homines & animas ratione præditas, has quidem fame, illos verò maledictis. Hoc sacrificio nihil est magis bacchicum, nihil magis insanum. Quis vnquam vidit iugulare animas? Exceranda est ara avaritiæ. Nam ad hanc aram idolorum si veneris, videris eam olere sanguinem caprarum & bouum: ad avaritiæ autem aram si veneris, videbis eam grauius spirantem humanum sanguinem. Si hic steteris, non videbis ardere alas auium, nec emitti vaporem & fumum, sed perire corpus humanum. Nam alij quidem se præcipites deiiciunt: alij aptant laqueum: alij per guttur enses transfadigunt. Vidisti crudelia & inhumana sacrificia? Vis his videre grauiora? Ego tibi ostendam, non hominum corpora, sed animas illic mactari. potest enim mactari anima ea cæde quæ illi conuenit: sicut est mors animæ. Anima enim quæ peccat ipsa moritur. Non est talis mors corporis, sed est longè grauior mors animæ. Nam illa quidem mors corporis, cum animam & corpus alterum ab altero dissoluerit, illi quidè affert requiem à multis curis & laboribus, hanc verò ad locum manifestum transmittit. Deinde cum tempore fuerit dissolutum & spiritu priuatum, rursus congregatur cum incorruptione, & suam recipit animam. Atque talis quidem est mors corporis. Mors autem animæ est horrenda & terribilis. Non enim si fuerit dissoluta, eam transmittit sicut corpus, sed eam rursus alligatam corpori in quod cadet interitus, eam immittit in ignem qui non potest extinguui. Hæc est ergo mors animæ. Quomodo ergo est mors animæ, ita est etiam cædes corporis. Quid est cædes corporis? Morte esse affectum, & abruptum esse ab operatione quæ est ex anima. Quid est cædes animæ? Ipsa quoque est mortificatio. Quid est autem mortificatio animæ? Sicut corpus tunc morte afficitur, quando anima id reliquerit desertum à sua operatione: Ita etiam tunc morte afficitur anima, quando eam à sua o-

peratione desertam reliquerit Spiritus sanctus. Hæc cædes & mactationes sunt maximè ad aram avaritiæ. Non fatiantur neque se sistunt vsque ad sanguinem hominum, sed nisi etiam ipsam sacrificaris animam, non impletur ara avaritiæ, & nisi vtriusque acceperit animas, nempe eius qui sacrificat & eius qui sacrificatur. Eum enim qui sacrificat oportet primum esse sacrificatum, & ita sacrificare, & mortuus sacrificat eum qui tunc viuit. Quando enim maledictis insectatur, quando probris & conuiciis appetit, quando succenset & indignatur, an non hæc plagæ animæ sunt incurabiles? Vides non esse verbum hyperbolicum? Vis etiam aliud audire, & discere quomodo avaritia sit idololatria & cultu idolorum grauior? Idololatræ adorant Dei creaturas. Et coluerunt, inquit, & seruiuerunt creaturæ magis quam creatori. Tu autem tuam adoras creaturam. Deus enim non creauit avaritiam, sed eam inuenit immoderatio tuæ inexplabilitatis. Vide autem insaniam & rem planè ridiculam. Qui idola adorant, etiam ea quæ adorant honorant, & siue quisquam quidpiam in ea dixerit, siue maledictis ea fuerit insectatus, ea defendunt. Tu autem tanquam præ quadam ebrietate rem adoras, quæ non solum non est libera à vituperatione, sed etiam est plena impietate. Quamobrem tu es eis longè peior. Neque enim defensionem afferre poteris quod non sit malum: & si illi maximè sint inexcusabiles, tu tamen multo magis, ut qui avaritiam millies accusas, & eos vituperes qui eam colunt, & ei seruiunt & ei morem gerunt. Si vultis autem examine inuenire vndenam sit ingressa idololatria. Dicit quidam sapiens quod quidam diues qui cruciabatur immaturo luctu filij, neque luctus vllam habebat consolationem, hac dolorem leniens, facta inanima imagine eius qui excesserat, perpetuo eam intuens, videbatur per imaginem eum perpetuo habere qui decesserat. Quidam autem adulator, quorum Deus venter est, in eius honorem colentes imaginem, eum morem perduxerunt ad idololatriam. Introducta est ergo ab imbecillitate animæ, à rationis experte consuetudine, ab immoderatione. Non sic autem avaritia. Nam ipsa quoque est introducta ab imbecilla anima, verum à peiore. Non amittit quisquam filium: neque luctus quarebat solatium, neque attrahebatur ab adulatoribus. Sed quomodo? Ego vobis dicam. Cain Deum fraudauit per avaritiam. Nam quæ illi dari oportebat iis apud se retentis, quæ ipsum habere oportebat ea illi obtulit, & malum à Deo incepit. Nam si nos Dei sumus, multo magis primitiæ nostrarum possessionum. Rursus ab avaritia orta est mulierum appetitio. Viderunt filias hominum, & deuoluti sunt ad concupiscentiam. Ab his rursus ad pecunias. Nam velle plus habere quam proximus, in iis quæ ad hanc vitam pertinent, non aliunde est ortum quam ex eo quod refrixerit charitas. Velle plus habere non aliunde oritur quam ex arrogantia, & odio hominum & contemptu. Non vides quanta sit terra, & quomodo aer & cælum sit multo maius quam opus sit. Nam ut Deus tuam exstingeret avaritiam, Deus res creatas ad tam magnam eduxit mensuram. Tu autem sic quoque rapis, & audis avaritiam esse idololatriam: & ne sic quidem horres? Vis esse hæres terræ, sed non habes in cælo hæreditatem. Studium ponis ut aliis relinquant hæreditatem, te ipsum autem priues? Dic mihi si quis daret tibi potestatem accipiendi omnia, nunquid nolles? licet ergo si velis. Atqui nonnulli dicunt se dolere, quod hæreditatem transmittant ad alios, & vellent magis esse qui eam exederent, quam videre alios eius dominos. Neque ego te libero ab hac imbecillitate, nam est hoc quoque imbecillæ & infirmæ

Qui Mammonæ seruit, adorat Mammonam.

Ezech. 18.

Mors corporis quid sit.

Rom. 1.

Sap. 4.

Ab avaritia orta est appetitio concupiscentiarum.

Nemo est qui peccati non sit sibi conscius.

infirmæ animæ. Sed tamen hoc quoque fiat. In testamento relinque Christum hæredem. Nam oporteret quidem viuentem. hoc enim esset rectè instituti liberi arbitrij: sed tamen vel à necessitate fias liberalior & magnificentior. Etenim propterea Christus iussit te dare pauperibus, ut nos viuentes redderet philosophos, ut persuaderet despicere pecunias, ut doceret terrena contemnere. Non est hoc pecunias despiciere, morientem & qui non est dominus, & huic & illi præbere. Non iam das ex tuis, sed ex ipsa necessitate. Morti est gratia, non tibi. Hoc non est benevolentia, sed violentæ incurfionis. Cæterum vel sic fiat: vel tunc solue vitium & malam animi affectionem.

Christus cur iussit dare pauperibus.

Hic supra.

MORALE.

COGITA quam multa rapueris, quam multa plus quam debebas per avaritiã possederis, redde quadruplum, ita apud Deum causam tuam defende. Sed sunt nonnulli qui eò veniunt infantiæ & cæcitatibus, ut ne tunc quidem videant quod oportet, sed tanquã studium ponant ut Dei iudicium sibi grauius efficiant, ita agunt omnia. Propterea hic beatus dicebat scribens, Tanquam filij lucis ambulate. Auarus autem maximè viuit in tenebris, & magnas in omnes spargit tenebras. & Nolite communicare infructuosis operibus tenebrarum: magis autem redarguite. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere. Omnia autem quæ arguuntur, à lumine manifestantur. Audite rogo quicumque non vultis temerè haberi odio. Rapit, & nõ arguis? At times odiũ. Atqui non est hoc temerè arguere, sed iuste arguis, & times odium? Argue fratrem: suscipe inimicitias propter tuã in Christum charitatem, propter tuam in ipsum dilectionem. Prohibe ne ipse abeat in barathrum. Nam mensæ esse participes, & benignorum verborum, & iucundæ allocutionis, & deliciarum, non est admodum amicitia. Ea nostris amicis dona largiamur, ut eorum animam ab ira Dei extrahamus. In vitij fornace videntes eos iacentes, erigamus & faciamus exurgere. At non corrigitur, inquit, sed factu quod tuum est, & apud Deum es excusatus. Ne occultes talentum. Propterea habes rationem, propterea linguam & os, ut corrigas proximum. Sola bruta non gerunt curam proximi, neque brutorum vllam habent rationem. Tu autem qui Deum vocas patrem, & proximum fratrem, videns eum mala facientem innumera, eius gratiam præponis ipsius vtilitati. Ne hoc facias rogo. Nullum est tatum amicitia indicium, quantum fratres peccantia non despiciere. Vidisti eos esse inimicos? reconcilia. Vidisti eos per avaritiam fraudare & plura acquirere? Prohibe. Vidisti iniuriã affici? eos defende. Non illis, sed tibi priori es gratificatus. Propterea sumus amici, ut proximus alter alteri. Aliter audiet ab amico: aliter quolibet. Quemlibet habebit forte suspectum: & doctorem similiter: amicum autem non itidem. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere, inquit. Omnia autem quæ arguuntur, à lumine manifestantur. Quid hinc vult dicere? Hoc dicit: Alia quidem peccata clam fiunt, alia autem manifestè. Illic autem non sic erit. Nemo enim est qui peccati non sit sibi conscius. Propterea dicit, omnia quæ arguuntur, à lumine manifestantur. Quid ergo hinc dicit ne de idololatria? Nequaquam. Sed de vita & peccatis verba facit. Omne enim quod manifestatur, inquit, lumen est. Quamobrem rogo, neque vos dubitetis arguere, neque agrè feratis si arguamini. Nam quandiu aliquid sit in tenebris, sit securius. Quando autem habet multos testes eorum quæ fiunt, illuminatur. Quamobrem omnia maximè agamus ut fratrum

Christi Jam. 4.

A nostrorum abigamus mortificationem, ut dispergamus tenebras, ut attrahamus Solem iustitiæ. Nam si multa sint luminaria, & virtutis via erit facilis, & qui sunt in tenebris, magis deprehendentur luce exorientem, & illas auferente. Sin autem contra, timendum est ne ipsi extinguantur, tenebrarum & peccatorum crassitudine lucem vincente, & abigente eus perspicuitatem. Sic ergo affecti simus ut qui nobis profusius. Ut per omnia gloriam emittamus benigno & clementi Deo, gratia & benignitate &c.

ORATIO XIX.



VIDETE itaque fratres quomodo cautè ambuletis: non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. Expurgat adhuc

radicem acerbatis & amarulentia, adhuc excindit occasionem iræ. Quid enim dicit? Videte diligenter & exactè quomodo ambuletis. Oves sunt inter lupos, & iubet eos esse tanquam columbas. Et eritis, inquit, simplices sicut columbæ. Cum ergo & sint inter lupos, & præterea est eis præceptum ne viciscantur, sed malè patiantur. Atqui satis erat prius ad eos reddendos imbecilliores. Cum autem duorum sit accessio, cogita hyperbolen. Vide ergo quomodo Paulus eos munit & tutos reddit. Integre ciuitates aduersus eos bellum gerebant, domos etiam ingressas esse hoc bellum. Pater aduersus filium, filius aduersus patrem, mater aduersus filiam dispersi erant ac diuisi. Quid verò, vndenam erant eæ diuisiones? Audi Christum dicentem. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Ne ergo existimarent eum bella & pugnas absolute introducere, quoniam magna ira erat exortura, si ipsi iudicio eos essent persecuturi, ea de causa dicit, videte diligenter & exactè quomodo ambuletis. Hoc est, præter prædicationem, non aliunde detis occasionem suscipiendarum aduersus vos inimicitiarum. Hæc sola sit causa & occasio inimicitiarum. Nemo rei alterius in vos crimen intendant. Sed & honorem, & omnem ostendite obedientiam. Quando nihil lædit prædicationem, quando nihil impedit pietatem, reddite omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal. Quando enim in aliis viderint vos esse æquos & bonos, pudore suffundentur & reuerentur. Non quasi insipientes, sed tanquam sapientes, redimete tempus. Non hæc suadet, volens nos esse varios & nos in omnem formas vertere. Sed quid dicit. Non est tempus vestrum. Nunc estis inquilini & peregrini, & hospites & alieni. Ne queratis honorem: ne queratis gloria: ne queratis potentiam, nec vltionem. Omnia ferte, & hoc tempus redimite, multa exoluite, atque ad eò quidquid voluerint. Cogita mihi quempiam qui domum habeat splendidam: Deinde ingredi aliquos ut eum perimant, & illum multa dare, & se eripere, tunc dicimus eum se redemisse. Ita tu quoque, domum habes magnam, & fidem veram. veniunt ut omnia accipiant: da quodcunque exegerit quisquam: solum serua sortem, fidem, inquam. Dies enim mali sunt. Quid est diei malitia? Diei malitia debet esse circa diem. Quid est malitia seu vitium corporis? Morbus. Quid est malitia animæ? Vitium seu prauitas? Quid est aquæ malitia? Amaror. Et vnus cuiusque malitia seu prauitas, est vitium circa illam naturam cuius est vitium. Si ergo vitium aut prauitas est circa diem, oportet esse circa diem, circa horas, circa lucem. & Christus dicit. Sufficit diei malitia eius. Ex hoc ergo illud quoque cognoscemus. Quomodo ergo dies vocat malos? Quomodo tempus ma-

Mat. 10.

Mat. 16.

Rom. 13.

Tempus quomodo redimendum.

Mat. 6.

lum? Non essentiam, neque res creatas, sed propter ea quæ fiunt in ipsis. Sicut nos quoque solemus dicere, Transégi diem malum & grauem. Atqui quomodo fuerit grauis, nisi ex iis quæ in ipso accidunt? Quæ autem in ea accidunt, sunt quidem bona à Deo: mala autem à malis hominibus. Malorum ergo quæ accidunt in temporibus fabricatores sunt homines: & propterea tempora dicuntur mala. Ita nos quoque mala vocamus tempora. Propterea, inquit, nolite fieri imprudētes, sed intelligentes quæ sit voluntas domini. *Et nolite inebriari vino in quo est luxuria.* Huius quoque immoderatio facit animos, audaces, præcipites, iracundos, grauesque & difficiles. Datum est autem vinum ad lætitiā, non ad ebrietatem. Nunc autem non inebriari, videtur res esse ignaui & pusillanimi, & quæ sit ridenda, vbi inebriari maximè omnium deberet esse ridiculum. Nam maximè quidem etiam priuatum procul ab ebrietate remotum esse bonum est: multò autem magis militem qui versatur in gladiis, in sanguine & cædibus, & multò magis quando ira aliunde irritatur, à potestate, à dominatu, ex eo quòd sit assiduè in insidiis & pugnis. Vis discere vbi vinum sit bonum? Audi scripturam dicentem, Date vinum merentibus, & siceram iis qui amaro sunt animo. Et meritò. Scit enim mollire id quod est asperum & triste, & auferre id quod est nubilosum. Vinum lætificat cor hominis. Quomodo ergo est ex vino ebrietas? fieri enim non potest vt operetur quæ sunt sibi contraria. Non est ergo ex vino ebrietas, sed ex immoderatione. Vinum non propter aliud datum est quàm propter sanitatē corporis, sed hoc quoque impedit immoderatio. Audi autem hunc quoque beatum scribentem & dicentem Timotheo. Modico vino vtere propter stomachum & frequentes tuas infirmitates. Propterea enim Deus fecit nostra corpora iusta symmetria prædita, & paucis satiari. inde nos iam erudiēs quod nos aptos fecerit ad alteram vitam. Et volebat quidem illam dare ab initio, sed quoniam nos illa reddidimus indignos, distulit: & eo tempore quo distulit, ne nos quidem fuit frui immodicè. Vini enim hemina & vnus panis sufficiunt ad implendum ventrem hominis. & eum qui in omnia bruta obtinet dominatū, fecit paucioribus indigere quàm ipsa habita proportione, & corpus breue, nihil aliud significās quàm quod ad aliam vitam properamus. Nolite, inquit, inebriari vino, in quo est luxuria. Nō enim conferuat, sed perdit, non solum corpus, sed etiam animam. *Sed implemini spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, psallentes & cantantes in cordibus vestris domino: gratias agentes semper pro omnibus, in nomine domini nostri Iesu Christi Deo & patri, subiecti inuicem in timore Christi.* Vis, inquit, lætari? Vis diem consumere? Ego do tibi potum spiritualem. Ebrietas enim benè significantem linguæ nostræ excindit vocem, vt balbutiamus efficiens, oculòsque, & omnia, vt semel dicam, peruertens. Disce psallere, & videbis rei voluptatem. Nam qui psallunt, impleunt spiritu sancto, sicut qui fatanica canunt cantica, spiritu immundo. Quid est, in cordibus vestris domino? Hoc est, sapienter animum adhibentes. Nam qui animum non adhibēt, temerè canunt verba loquentes, corde a libi vagante. Gratias, inquit, semper agentes pro omnibus in nomine domini nostri Iesu Christi, subiecti inuicem in timore Christi, petitiones vestræ cum gratiarum actione innotescant apud Deum. Nihil enim æquè Deum lætitia afficit, vt quando quispiam est gratus. Maximè autem possumus gratias agere, abducētes animum nostrum ab iis quæ prius dicta sunt, & eū expurgantes iis quæ dixi. Sed implemini, inquit, spiritu,

A Est ergo hoc in nostra potestate? Est certè. Quando enim mendacium, quando acerbiteriam & amarulentiā, quando scortationem, quando immunditiam, quando auaritiā à nostra anima abegerimus, quādo fuerimus benigni, misericordes, nobis ipsis gratificantes, quando nō adfuerit vrbānitas ac dicacitas, quando nos reddiderimus dignos, quid est quod prohibeat ne accedat & aduolet spiritus? Neque solum autem accedet, sed etiam implebit cor nostrum. Dum est autem intrinsecus lux tanta, non erit de cætero difficile se ex virtute rectè gerere, sed facile & expeditum. Gratias, inquit, semper agentes. Pro omnibus, inquit, quæ accidunt oportet gratias agere? Certè. Etiam si sit morbus, etiā si sit paupertas. Si enim in veteri suadebat quispiam dicens, Omne quod tibi applacitum fuerit lubēter accipe: & in mutationibus humiliationis tuæ esto longanimis, multò magis id fieri oportet in nouo. Etsi ergo rationem nescias, age gratias. hoc enim est vera gratiarū actio. Sin autem cū sis beneficiis affectus, opulentusque & locuples, rēque tuas benè geras, & omnia tibi prosperè succedāt, agas gratias, non est magnū, nec admirandū. Quod quaritur autem, est vt gratias agat qui est in afflictionibus. In doloribus & in rebus secundis nihil dicas ante hoc verbum, Gratias ago tibi domine. Et quid dico pro iis quæ hīc sunt afflictionibus? Pro ipsa gehenna oportet Deo agere gratias, pro pœnis & suppliciis quæ sunt illic. ea enim res valde iuuat eos qui animaduertunt. Pro fregno metus gehennæ imponatur cordibus nostris. Ne ergo pro manifestis beneficiis, sed etiam pro iis quæ non sunt manifesta, & quibus vel inuiti afficimur, agamus gratias. Multa enim nos nolentes, iam vobis rem faciam euidentem. Cogita enim. Scelerati & increduli Græci, non Soli omnia adscribūt & suis idolis? Quid verò an non eos quoque beneficio afficit? An non est illius prouidentia quòd ipsi viuunt & sint sani, & liberos procreent, & quæ sunt huiusmodi? Quid verò Marcionistæ qui dicuntur & Manichæi, non eum blasphemis appetunt & maledictis? Quid ergo, non eos quotidie beneficio afficit? Si autem beneficio afficit qui nesciunt, multò magis nos. Quod est enim aliud Dei opus quàm hoc, nempe hominum genus afficere beneficio, & per supplicia & per otium ac recreationem? Non solum ergo agamus gratias dum sunt nobis res secundæ. Non est enim hoc magnum. Et hoc nouit diabolus, ideòque dicebat: Num Iob gratias colit Deum? Non circunuallasti quæ sunt eius intus, & quæ foris? Aufer omnes eius facultates, certè in faciem tibi benedicet. Sed scelerato illi nihil ex eo lucri accessit, & absit vt de nobis ei lucri aliquid accedat. Sed & quando fuerimus in paupertate, & quando in morbis, & quando nobis insultabit maledictis & calumniis, tunc intendamus gratiarum actionem. Gratiarum, inquam, actionem, non verbis, neque linguis, sed rebus & factis, & cogitatione & corde. Tota anima ei agamus gratias. Magis enim nos diligit quā qui nos genuerunt, & quātum interest inter prauitatem & bonitatem, tanta est differentia dilectionis Dei à dilectione patrum nostrorum. Nec hæc verba sunt mea, sed ipsius Christi qui nos diligit. Audi eum dicentem: Quis est ex vobis homo, qui si filius ab eo petierit panē, num lapidem dedit ei? Si autem vos cū sitis mali, scitis bona data dare liberis vestris: quantò magis pater vester qui est in cælis bona dabit iis qui ab ipso petunt? Et rursus ahibi: Non obliuiscetur mulier misereri filiorum veri sui? Si autem eorum obliuiscatur mulier, ego tamen vestrū non obliuiscar, dicit dominus. Nam si non diligit, cur nos fecit? Num fuit ei necesse? Num aliquid

Tempora mala fabricantur homines.

Proti 11. Ibi. 30.

Ebrietas non est ex vino, sed ex immoderatio. 1. Tim. 3.

Philipp 4. Grauitudo Deum afficit lætitia.

Philipp 4. Grauitudo Deum afficit lætitia.

quid facimus quod ei sit opus, & ei fungimur ministerio? Num aliquo eget ex nostris? Audi Prophetam dicentem, Dixi domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Sed dicunt ingrati & nullo sensu præditi, Hæc ne sunt Dei bonitatis? Et fortasse dicet incredulus esse parem apud omnes honorem. Dic mihi homo ingrati, quænam dicis non esse Dei bonitatis, & quānam dicis honoris æqualitatem? Hic vel ille est orbatus filiis. Alius insanit & vexatur à dæmone. Alius qui ad extremam venit senectutem, totam vitam transegit in paupertate. Alius in morbis grauissimis. Hæc ne sunt opera prouidentia? Hic quidem est surdus: ille verò mutus. Hic est pauper, alius verò sceleratus atque adeò sceleratissimus, & plenus malis innumerabilibus, fruitur pecuniis, & alit meretrices & parasitos, præclarasque & magnificas ædes possidet, & vitam agit quietam & omni negotio vacuam. Multaque eiusmodi colligunt, longam contextentes orationem aduersus Dei prouidentiam. Quid ergo eis dixerimus? Quid verò, nullāne est rerum prouidentia? Si sunt quidem Græci, & dicant nobis mūdum ab aliquo administrari: rursus nos quoque eadem eis dicemus: Quid ergo, nulla est prouidentia? Quomodo ergo vos Deos colitis, dæmones & heroas adoratis? Nam si est prouidentia, ea præest omnibus & omnium curam gerit. Si sint aliqui qui non agrè ferant Christiani, vel etiam Græci, & qui labascant, quid eis dicemus? Tam multane dic quæso, casu facta fuerint bona, lux quotidiana, certus & benè dispositus ordo, & prouidentia, astrorū chorea, noctium & noctium curūs ex æquo consistens, naturæ consequentia & in plantis, & in animalibus, & in hominibus? Quis est dic quæso qui hæc administrat? Si nullus est qui præsit, sed casu constant omnia. Quis hunc tam pulchrum, tam magnū fornitem, nempe cælum, circumductum super terram, aut etiam super aquas stavit? Quis dat tempora ferendi fructus? Quis tantam vim poluit in seminibus & plantis? Nam quod sit casu est planè inordinatum. Quod autem est benè ordinatum, sit arte. Quid enim dic quæso, ex iis quæ apud nos quæ casu fiunt, non multa plenum est confusione, multoque tumultu & perturbatione? Nec dico solum casu, sed etiam faciente aliquo, verum faciente sine arte, vt exempli causa. Sint ligna & lapides, & sit calx, & iis acceptis homo ædificandi imperitus ædificet & operetur. An non omnia perdit & corrumpit? Rursus sit nauis absque gubernatore, quæ omnia habeat quæ oportet habere nauem præter gubernatorem, non dico non instructa, sed ne instructa quidem poterit nauigare. Et terra quæ est tanta, stans super aquam, absque aliqua quæ eam continet potestate, tãto tempore stat firma & stabilis? Hæc ne vllam habent rationem, & non hæc cogitare est mille modis ridiculū? Et si quidem etiam ferat cælum, ecce aliud onus. Si autem cælum quoque feratur in aqua, rursus alia quæstio. Sed opus est prouidentia. Nam quæ feruntur super aquas, non oportet esse incurua, sed concaua. Quare? Quoniam corpus quidem concaui totum immergitur in aquis tanquam in naue. Incurui autem, corpus quidē torum est supernè, extrema autem solum impendent & attingūt. Ei ergo opus est corpore duro & resistēte, & quod possit continere, vt ferat onus impositum. At aer fert cælum. Sed is est aqua multò mollior & laxior, & ne subtilissimum quidem quidquam potest continere, nedum tantam molem. Planè si velimus quæ sunt prouidentia & vniuersè & sigillatim, ac minutatim persequi, totum æuum nos deficiet. Interrogabo enim eum qui illa nunc quarit. Hæc ne sunt prouidentia, aut non

prouidentia? Non sunt prouidentia. Rursus eum rogabo. Quomodo erga facta sunt? Sed non potest aliquam dicere rationem. Multò magis non debes quærere nec curiosè indagare de rebus humanis. Quare? Quoniam homo est his omnibus præstantior & honorabilior: & hæc propter illum facta sunt, non ille propter hæc. Si ergo eius quæ de ipso est curæ & prouidentia nescis sapientiam & administrationem, quomodo scire poteris quæ sunt de ipso rationes? Dic mihi cur boreales & austrinae regiones sunt inhabitabiles. Cur eum fecit adeò paruū, & tantum distantem à cœli altitudine vt etiam de iis dubitet quæ in sublimi apparent? Dic mihi cur facta est nox hyeme quidem longior, æstate autem breuior? Cur tantum est frigus? Cur æstus? Cur corpus mortale? Et à te sciscitabor alia innumerabilia: & si velis, non cessabo te interrogare. & mihi dubitabis in omnibus. Quamobrem hoc maximè est prouidentia, quòd arcanae sint nobis rationes & ineffabiles. Re vera enim existimasset quispiam, hominem esse causam vniuersitatis, nisi hoc nostrā compressisset mentem & intelligentiam. At hic, inquit, & ille est pauper: & malum est paupertas. Quid verò morbus? Quid cæcitas? Nihil hæc sunt o homo. Vnum solum malum est peccare, & hoc solum debemus examinare. Sed eorum quæ verè sunt mala causas scrutari mittentes, alia curiosè inquirimus. Cur nemo nostrum vnquam examinat cur peccauit? sitne in mea potestate peccare, an non? Et quid opus est magna verborum vti circuitione? rem in me ipso quæram. Nunquid aliquando vici animum? Num aliquando vici iram, aut propter pudorem, aut propter humanum metum? Deinde postquam hoc fieri inuenero, inueniam esse in mea potestate peccare. Nemo hæc examinat, nemo de his curiosè inquirat: sed inconsideratè, vt est apud Iobum, homo natat in verbis. Quid est enim tibi curæ an hic sit cæcus, & ille pauper? Non te iussit Deus hoc considerare, sed quidnam tu agas. Nam si tu dubitas mundone præsit aliqua potestas, es omnium amentissimus. Sin autem hoc habes persuasum, quid dubitas quòd Deo placere oporteat? Gratias, inquit, semper agentes Deo pro omnibus. Dic mihi rogo, vade ad officinam medici, & videbis, quando fuerit inuentus aliquis habens vulnus eum secare & vrere. De te autem non dico: sed abi ad officinam fabri, nec ibi inquiris rationem. Atqui nihil scis eorum quæ fiunt: & multa tibi videntur esse dubia: vt quando lignū tornat, quando transformat & in aliā mutat figuram. Vel potius te ad aliā duco artē faciliorem: & illic caligabis. Vt in pictura: num tibi inconsideratè videtur facere quæ facit? Sunt lineæ, & earum circūductiones: sed si imposuerit colores, tūc tibi videtur ars pulchra: & ne sic quidē poteris exactè discernere. Quid autē dico de fabris, de pictoribus, & cōseruis? Apis quomodo facit fauos, dic rogo? & tūc dices de Deo. Formicarū disce operationē, araneæ, & hirūdinis, & tūc dices de Deo. Hæc mihi dicas, sed nō potes. Nō cessabis ergo o homo, quærere superuacanea? sunt enim re vera superuacanea. Nō cessabis curiosè scrutari? Nihil est hac ignoratione & imperitia sapientius, in qua qui profitetur quidē se nihil scire, sunt omnium sapientissimi. Qui autē curiosè scrutantur, sunt omnium amētissimi. Quare profiteri se scire nō est semper sapientiē: sed est etiam alicubi stultitia. Nā dic mihi, si ex duobus hominibus alter profiteretur se mēsurum aërem qui à terra peruadit ad cælum, extēsis funibus, alter autem irridens diceret se nescire, quem quæso ridebimus? eumne qui dicit se scire, an eum qui ignorat? Est perspicuum quòd eum qui dicit se scire. Qui ergo ignorat, est sapientior eo qui professus est se scire. Quid

psal. 15. Aduerfus prouidentiam quid dicatur.

Eccl. 1.

Pro eis magna gratia.

Caline res sunt an arte multum interit.

Gratiæ genitrix solūc bis solūc iustitiam.

Est.

Vnum solum malum est, peccare.

rursus si quispiam profiteretur se scire quot cyathos habeat mare, alius autem se ignorare, non rursus ignorantio est sapiētiōr cognitione? Maxime? Quandoquidem illa quoque ignorantio est intensa. Nam qui dicit quidem se nescire, scit partem aliquam. Quamnam? Quod homini sit incomprehensibile. Non est enim hoc paruum. Qui autem se dicit scire, ille maxime nescit quod se dicit scire, & propter hoc ipsum est ridiculus.

MORALE.

Hfrānare curiositatem & superuacaneam indagatōnem! nec sustinere sed vitam aliorum curiosē indagamus, utpote cur hic cæcus, ille verò pauper. Hac igitur ratione in alias etiam nugæ incidemus. Cur hæc sit fœmina, & non omnes viri, cur asinus, cur bos, cur canis, cur lupus, cur lapis, cur ligna, & ad infinitam prolixitatem decideret oratio. Propterea Deus nobis cōstituit terminos cognitionis, & iecit in natura. Contemplare autem mihi multam curiositatem, quod qui videntes tantam à terra ad cœlum altitudinem, minime afficimur nec mouemur: quando alta turri conscensa voluerimus deorsum aspiciere, si parum nos inclinauerimus, grauis nos inuadit vertigo & tenebræ. Dic mihi huius rei causam, sed non inueneris, cur maiorem vim habet oculus, & detinetur ab iis quæ sunt remotiora. Et id similiter videris in auditu. Non potuerit enim quispiam tantum clamare ut impleat aërem quantum poterit comprehendere oculus: neque audire ex tanto interuallo. Cur non omnia membra sunt honore paria? Cur non vnum acceperunt vsus, nec locum? Paulus quoque hoc est scrutatus, imò verò nō est scrutatus, erat enim sapiens, sed cum in hunc locum incidisset, dicit. Vnum quodque, inquit, eorum posuit sicut voluit. Voluntati eius solum vniuersum commisit. Gratias agamus pro omnibus. Propterea, inquit, gratias agite pro omnibus. Hoc est grati famuli, hoc sapientis, hoc intelligentis, illud loquacis, otiosi, & curiosi. Non vides inter famulos, quod qui sunt quidem abiecti & planè despuendi, nihilque & inutiles, sunt loquaces & nugatores, & curiosē inquirunt res dominorum, quas illi volunt celare: sapientes autem beneuolique structi & intelligentes, vnum solum spectāt vt suum ministerium impleant. Qui multum loquitur, nihil operatur: sicut qui multum operatur, nihil loquitur intempestiuum. Propterea dicebat Paulus loquens de viduis, Non solum otiosæ discunt domos circuire, sed etiam verbosæ & nugaces. Dic mihi, quid plus interest inter nostram ætatem & ætatem puerorum, an inter Deum & homines? inter nos & culices, an inter Deum & nos? est perspicuum. Cur ergo tu es adeò curiosus? Gratias age pro omnibus. Quid verò, inquit, si me interroget Græcus, quid respondebo? Vult ex me scire an sit providentia. Ipse enim dicit nullos esse qui provideant. Tu ergo cum contrā interroga. At dicit non esse providentiam. Quod sit quidem providentia, ex iis quæ dixisti est perspicuum. Quod autem non possit comprehendere, ex eo quod non inuenimus rationem. Nam si in iis quæ administrant homines, nescimus sæpe modū administrationis, quamquam multa ex iis nobis videntur esse absurda, & cedimus: quāto magis in Deo? Sed in Deo nihil est absurdum, neque videtur esse fidelibus. Et ideo pro omnibus gratias agamus. Pro omnibus glorificemus. Subiecti, inquit, inuicem in timore Dei. Si enim propter magistratum subiiceris, aut propter pecunias, aut propter pudorem, multo magis propter Dei metum. Sit

A seruitutis & subiectionis mutua remuneratio. Sic enim non erit seruitus. Non sedeat quidē ille in ordine & loco liberi, hic verò in loco serui. Sed melius est vt & domini & serui alter alteri seruiant. Multo melius est sic esse seruum, quā aliter liberum. Idque inde est evidens. Sit quispiam habens centum famulos, & eis nihil ministret. Sint aliqui alij centum amici inter se inuicem seruientes. Quinam melius viuēt. Quinam cum maiori voluptate, & maiori lætitia? Non est illic ira, neque indignatio, neque excaecitas, neque aliquid aliud eiusmodi. Illic autem est timor & metus: & illic quidem necessitatis: hinc autem sunt omnia instituti & liberi arbitrij. Et illic quidem cogentes & vim afferentes: hinc autem habentes gratiam, alter alteri seruiunt. Sic vult Deus. Propterea lauit pedes discipulorum. Imò verò si velis rem accuratè examinare, etiam in dominis est seruitutis mutua remuneratio. Quid enim si factus non finit vt appareat remuneratio? Quando enim hic quidem exhibet corporale ministerium, tu autem corpus nutris, & curas alimentis & indumentis & calceis, huic quoque exhibetur seruitus. Nam nisi tu illi tuum exhibeas ministerium, nec ille suum, & erit liber: nec vlla lex eum coget hoc facere nisi alatur. Si ergo hoc etiā fit in seruis, quid absurdum si hoc etiam fiat in liberis? Subiecti, inquit, in timore Christi. Quanta est gratia, quod etiam habeamus mercedē? At non vult tibi subiici, sed tu subiicere. Non solum obedias, sed etiam subiiciaris. Ita sis affectus tanquam aduersus omnes dominos. Ita enim citò habebis seruos in seruitutem redactos maxime tyrannica seruitutis potētia. Magis enim eos capies & expugnabis, quādo nihil ab eis ex iis quæ sunt eorum assequens, ipse quæ tua sunt eis præbebis. Hoc est illud: Subiecti inuicem in timore Christi: vt vincamus omnes animi perturbationes & vitia, vt Deo seruiamus, vt charitatem inter nos conseruemus, & tunc poterimus digni haberi qui assequamur Dei benignitatem, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum patre & c.

ORATIO XX.



MULIERES viris suis subditæ sint, sicut domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est ecclesie: ipse saluator corporis eius: sed sicut ecclesia subiecta est Christo: ita & mulieres viris suis in omnibus. Vir quidam sapiens cum in beatitudinum numerum multa retulisset, hoc vnum quoque posuit inter beatitudines. Et mulier, inquit, quæ cum viro conuenit: & consentit. Et rursus, alibi ponit cum beatitudinibus, quod vxor simul cum marito habitet cum concordia. Quinetiā ab initio Deus videtur magnam curam gessisse huius coniunctionis: & de ambobus tanquam de vno loquens, sic dicebat. Masculum & fœminam fecit eos. Et rursus, Nō est masculus, nec fœmina. Non est enim tanta viri cum viro necessitudo & coniunctio, quanta mulieris cum viro, si sit rectè coniugatus. Propterea vir quidam beatam summam significans dilectionem, & lugens quandam ex suis amicis & qui erant vnanimes, non dixit patrem, non matrem, non filium, non fratrem, non amicum. Sed quid? Cecidit dilectio tua super me, inquit, tanquam dilectio mulierum. Re vera enim re vera hæc dilectio est magis tyrannica quā quæuis tyrannis. Nam alie quidem sunt vehementes: hæc autem cupiditas habet & vehementiam, & quod non possit marcescere. Inest enim quidam amor in natura delitescens, & nos latens connectit hæc corpora. Propterea & ab initio ex viro mulier, & postea ex viro & muliere vir & mulier. Vides con-

coniunctionem & connexionem? Quomodo non fuerit aliam extrinsecus ingredi essentiam. Vide autem quā multa administrarit & dispensarit. Passus est ipsum suam sororem ducere vxorem, vel potius nō sororem sed filiam, vel potius non filiam sed plus quā filiam, nempe suam carnem. Totum autem fecit ab alto petita origine, sicut in lapidibus, eos cogēs in vnum. Non enim eam fecit extrinsecus, ne tanquam alienæ ei adhiberet animum. Neque rursus ad ipsum vsque stitit matrimonium, ne seipsum coercens & cogens separaretur à cæteris. Et sicut in plantis illæ sunt longè optimæ & præstantissimæ, quæ habent vnum stipitem & extenduntur ad multos. Quo fit vt si omnia temerè solum vertantur circa radicem, & multas etiam habeant radices, non est vitique arbor digna admiratione. Ita hinc quoque ex vno Adamo fecit vt plāretur vniuersum genus, id ad magnam redigens necessitatem vt non diuelleretur nec separaretur. Et magis contrahēs, fecit vt sorores & filia non amplius ducerentur vxores, ne rursus dilectionem in vnum contraheremus, & aliter separaremur à nobis ipsis. Propterea dicebat, Qui fecit ab initio, masculum & fœminam fecit eos. Magna enim ex his nascuntur mala, & magna bona, & domibus, & ciuitatibus. Nihil nostram vitā æquè conuicit atque agitat, vt amor viri & mulieris. Pro eo multi etiam arma induunt. Pro eo etiam produnt animam. Non enim inconsideratè nec temerè huius rei multam curam gessit Paulus, & in eo multum posuit studium, dicens. Mulieres viris suis subditæ sint sicut domino. Quamobrem? Quoniam si hi sint in concordia, & rectè aluntur filij, modestique sint famuli & ordinè non deserunt, & bono eorum odore fruuntur vicini, amicitie & cognati. Sin autem contrā, euertuntur & confunduntur omnia. & quomodo cum duces exercitus inter se pacem agunt, omnia suam seruant consequentia: & si rursus illi turbentur, sursum & deorsum aguntur omnia: Ita nunc quoque. Quid verò. Mulieres, inquit, viris suis subditæ sint, sicut domino. Papæ! Quomodo ergo dicis alibi, Nisi quis renunciauerit vxori & viro, non potest me sequi? Si enim subiici oportet tanquam domino, vel maxime propter dominum, non oportet discedere. Sed illud, Sicut, non est semper omnino aequalitatis. Aut hoc dicit, Sicut quæ sciat quod domino seruitis, quod etiam dicit alibi, quod si nō propter maritum, sed in primis propter dominum, quando cedis marito, vt domino seruiens. Nam si is qui his externis ciuilibus resistit magistratibus, Dei resistit ordinationi, multo magis quæ marito non subiicitur. Sic Deus voluit ab initio. Ponamus ergo virum quidem ordinem & locum tenere capitis, mulierem autem corporis. Deinde etiam à rationibus. Vir, inquit, caput est mulieris, sicut Christus caput est ecclesie, & ipse est saluator corporis. Sed sicut ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Deinde, vir, inquit, caput est mulieris, sicut & Christus ecclesie: & ipse est saluator corporis. Caput enim est salus corporis. Iam marito & vxori iecit tanquam fundamentum charitatem & providentiam, vnicuique locum tribuens conuenientem, marito quidem principatus & providentiæ, vxori verò subiectionis. Sicut ergo ecclesia subiecta est Christo. Quid est ecclesia? Viri & mulieres. Ita etiam mulieres maritis sicut Deo. Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam. Audiuiisti summam dilectionem. Laudasti & admiratus es Paulum, vt qui tanquam vir admirabilis & spiritualis nostram vitam constitueret. Rectè. Sed audi quæ à te exigit. Rursus enim eodem vtitur exemplo. Viri, inquit, diligite

Chrysof. tom. 4.

A te vxores vestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam. Vidiisti mensuram obedientiæ? audi etiam mensuram dilectionis. Vis tibi obedire vxorem, sicut Christo ecclesiam? Ipse quoque eius curam gere sicut Christus ecclesiam. Etiam si animam pro ipsa dare oporteat, etiam si millicies conscindi, etiam si quoduis sustinere & pati, non recusabis: & si hæc passus fueris, nihil adhuc tale fecisti quale Christus. Nam tu quidem iam coniunctus hæc facis: ille autem pro ipsum auersante & cum habente odio. Quomodo ergo ipse eam quæ ipsum auersabatur, oderatque & despiciatui habebat ac conspuebat, & per lasciuiam ei insultabat, magna sua cura suis subiecit pedibus, non minis, nec contumeliis, neque metu, neque vllō alio eiusmodi: Ita tu quoque te gere in tuam vxorem: etiam si eam videris despicientem, etiam si per lasciuiam insultantem, etiam si cōtemnentem, poteris multa eius cura & prouidentia, dilectione & amicitia eam tuis pedibus subiicere. Nihil est his vinculis magis tyrannicum, & maxime marito & vxori. Nam famulum quidem poterit quispiam metu alligare, imò verò ne illum quidem, fortasse enim resiliet & abibit: vitæ autem sociam, liberorum matrem, & quæ est causa & occasio omnis lætitiæ, non oportet metu & minis ligare, sed dilectione & affectione. Quænam enim est coniunctio, quando vxor exhorrescit maritum? Quænam autem voluptate fruatur ipse maritus, cum vxore habitans tanquam cum ancilla, & non tanquam cum libera? Et si quid pro ea passus fueris, ne exprobes. Neque enim Christus hoc fecit. Et seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret. Erat ergo immunda, erant in ea sordes & maculæ, erat turpis ac deformis, vilis erat & abiecta. Quancunque ergo acceperis vxorem, non talem accipies sponfam qualem Christus ecclesiam, neque quæ à te tantum absit quantum ecclesia à Christo. Sed tamen non est abominatus, nec eam odio habuit propter summam deformitatem. Vis audire eius deformitatem? Audi Paulum dicentem. Eratis enim aliquando tenebræ. Vidistis eius atrorem. Quid est atrius tenebris? Vidisti audaciam? In prauitate, inquit, & inuidia degentes. Vidisti immunditiam? Inobedientes, insipientes. Quid autem dico? Et stulta erat & maledica. Et tamen cum tam multa in ea essent, tanquam pro speciosa, tanquam pro dilecta, tanquam pro admiranda, ita seipsum tradidit pro deformi. Hoc mirans dicebat Paulus, Vix enim pro iusto quis morietur. Et rursus, Si cum nos adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis est mortuus. Et cum talem accepisset, eam ornat & lauat: & ne hoc quidem recusat. Vt illam sanctificaret mundans lauacro aque in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid eiusmodi: sed vt sit sancta & immaculata. Lauacro lauat eius immunditiam. In verbo, inquit. Quoniam? In nomine patris & filij & spiritus sancti. Nec solum eam ornavit, sed fecit gloriosam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid eiusmodi. Et nos ergo quæramus pulchritudinem: & poterimus eius esse opifices. Ne quæras ab vxore quæ non sunt eius. Vides quod à Domino omnia habuerit ecclesia? Ab ipso facta est gloriosa. Ab ipso facta est sine macula. Ne auerseris vxorem propter deformitatem. Audi scripturam dicentem: Parua in volucris apibus, & initium dulcedinum est fructus eius. Dei est figmentum. non illam contumelia afficis, sed eum qui ipsam fecit. Quid agat mulier, & tu illam laudabis propter formæ elegantiam. Impudicarum est & laus & illud odium, & ipsa dilectio. Quære animæ pulchritudinem, & imitare pulchritudinem sponsæ. Externa pulchritudo ple-

Pulchritudo animae est quæreda, non corporis.

na est multæ arrogantia & insolentia, & iniicit in zelotypiam, & sæpe te facit suspicari rem absurdam & turpem. At habet voluptatem vsque ad primum & secundum mensuram, aut plurimum vsque ad annum. Deinde non amplius, sed à consuetudine marcescit miraculum. Quæ verò propter pulchritudinem mala adueniunt, remanent: fastus, arrogantia, & contemptus. In ea autem quæ non est eiusmodi, nihil tale. Sed meritò amor incipiens valde permanet, quoniam est pulchritudinis animæ, non corporis. Dic mihi quid est cælo melius & præstantius? Quid melius & præstantius astris? Quodcumque dixeris corpus, non est adeò album. Quodcumque dixeris oculos, non sunt adeò lati & hilares. His autem creatis etiam Angeli sunt admirati: & nos quoque nunc miramur. Sed non sicut ab initio. Talis enim res est consuetudo. Non similiter stupefacit: multò magis in muliere. Sin autem morbus superuenit, tota statim euolat. Quæramus à muliere benevolentiam, modestiam, moderationem, lenitatem & benignitatem. Hæc sunt signa & notæ quibus cognoscitur pulchritudo. Non quæramus autem corporis elegantiam ac venustatem nec eam vituperemus propter ea quæ non habet in potestate, imò verò nec omnino vituperemus: audaciam enim id est, & temerarium. Neque fastidiamus, neque aegrè feramus. An non videtis quàm multi, qui cum formosis mulieribus habitarent, miserabiliter è viuis excesserunt. Quàm multi autem cum non valde formosis, cum multa voluptate ad extremam vsque senectutem peruenerunt? Sordes internas expurgemus: rugas quæ sunt intus euellamus, tollamus maculas quæ sunt in anima. Talem Deus requirit pulchritudinem. Deo non nobis eam reddamus pulchram. Non quæramus pecunias, nec externam, sed animæ nobilitatem. Nemo expectet ut ditetur à muliere: turpes enim & probrosæ sunt hæc diuitiæ. Neque omnino quærat quispiam hinc ditescere. Nā qui volunt sic esse diuites, incidunt in tentationem, & desideria inutilia & noxia, & in laqueos, & in exitium & interitum. Ab vxore ergo ne quæras copiam pecuniæ, & alia omnia faciliè inuenies. Quis, dic quæso, dimissis iis quæ sunt præcipua, minorum curam geret? Sed heu mihi, hæc nobis semper vsuueniunt, & ita afficimur: & si filium habeamus, non studium ponimus ut euadat bonus, sed ut ei diuitem accipiamus vxorē: non ut bonis sit moribus, sed ut abundet opibus. Et si vitæ institutum perfequamur, non quærimus ut sit nobis à peccatis liberum, sed ut magnum nobis afferat lucrum, & pecuniæ sunt omnia: propterea pereunt & corrupta sunt omnia, quoniam tenemur illo amore. Ita & viri debent diligere vxores suas, ut corpora sua. Quid hoc est? Tāquam ne ad maiorem imaginem venit & vehementius exemplum? Non ita, sed tanquam ad propinquius & manifestius, & quod aliam habeat iuris rationem. Nam illud quidem non erat admodum necessarium. Ille Christus erat & Deus erat, & seipsum tradidit. Alia iam ratione & methode id de cætero probat, dicens, Sic debent. Non est enim res grata, sed debitum. Ut sua corpora. Quare? Nemo enim unquā carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam. Hoc est, magno studio & diligentia eam curat. Quomodo est caro eius? Hoc nunc os ex ossibus meis, inquit, & caro ex carne mea. Facta enim est ex nostra materia. Nec hoc solum, sed etiam, Erunt, inquit, in carne vna. Sicut & Christus dilexit ecclesiā. Venit ad primum exemplum. Quia membra sumus corporis eius, de carne eius & ossibus eius. Hæc enim sunt quæ in nobis principatum tenent, carnes & ossa. Hæc quidem subiecta tanquam quædam carina, ille autem tāquam ædificium. Sed illud quidem est perspicuū: hoc autem

quomodo? Sicut illic tanta est propinquitas, ita, inquit, hæc quoque. Quid est, Ex carne eius? Hoc est, verè & germanè ex ipso. Et quomodo Christi membra sic sumus? Quoniam facti sumus sicut ipse. Et quomodo ex carne? Scitis quicumque estis participes mysteriorum. Quoniam os eius non conteretur, inquit, ex eo statim resingimur. Et quomodo? Rursum audi hunc beatum dicentem. Quoniam ergo pueri communicarunt carni & sanguini, similiter ipse quoque eorum fuit participes. Sed hinc ipse nobis communicauit, non nos ipsi. Quomodo ergo sumus ex carne eius & ex ossibus eius? Quidam dicunt sanguinem & aquam, sed non est, sed sicut ille absque coitu factus est ex spiritu sancto, nos quoque hoc sumus in lauacro. Vide quot exempla, ut credatur illa generatio. O amētiam hæreticorū! Quod iam natū est, ex aqua nascitur, verus factus, & corpus. Quomodo ergo ex carne eius & ex ossibus eius? Hoc est, ex tota eius essentia factus est Adam, natus est Christus. Quomodo? Ex latere eius accepit. In cruce facta est ab ipso nostræ quoque essentia susceptio. Habet in se Deum verbum, & nos. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Quid verò, ecce quoque ius tertium quod defendit mulierem, quod quispiam dimissis parētibus, & ex quibus est natus cum illa coniungitur, & de cætero caro est pater & mater & filius ex confuso vtriusque coitu. Etenim mistis feminibus rursus nascitur filius, adeo ut tres sint vna caro. Sed rursus fit vna caro per coitum. Rursus ipsa quoque multo magis ligat quàm filius. Quam obrem? Quoniam sic fuit ab initio. Ne mihi dicas eam esse talem & talē. Non vides quod etiam in carne multos habemus defectus? Hic quidem est claudus: ille verò peruersos habet pedes. Alius manus aridas: alius aliquod aliud membrum infirmum & inualidū. Neque dolet, neque id excindit, sed & ipsum sæpe præfert alij: & meritò, est enim eius. Quantam enim vnusquisque habet in se dilectionem, tantam vult nos habere in vxorem. Sumus vnus naturæ participes. At hoc ius amplius habemus aduersus mulierem, quod duo quidem sunt corpora, sed alterum est caput, alterum verò corpus: caput autem Christi Deus. Ego quoque hoc dico, quod sicut vnum corpus, ita etiam Christus & pater. Inuenitur ergo etiam pater esse nostrū caput. Duo ponit exempla, nepe Christi & corporis. Sacramentū hoc magnum est. Ego autē dico in Christo & ecclesia. Quid est magnum mysterium? Ipse dicit quod magnum quid & admirabile tacitè significauit beatus Moyses, imò verò Deus. Interim autē dicit, In Christo dico, quoniam & ipse dimisso patre descendit, & venit ad spōsam, & factus est in spiritum vnum. Qui adhæret domino est vnus spiritus. Et pulchrè dixit, Magnū est mysteriū. Perinde ac si diceret, Est allegoria. Cæterum allegoria non euertit dilectionem. Veruntamen & vos singuli, vnusquisque vxorem suam sicut seipsum diligit: vxor autem timeat virum suum. Re vera enim, re vera est mysteriū, & magnum mysteriū, eo qui procreauit, qui genuit, qui educauit, ea quæ concepit, quæ cum dolore peperit & afflictione, qui tot & tantis affecerunt beneficiis, cum quibus diuturnus fuit vsus & cōsuetudo, relictis, ei adhærere quæ ne visa quidem fuit, & cum eo nihil habet commune, & eam omnibus præferre, reuera est mysterium. Et parentes cum hæc fiunt non aegrè ferunt, sed potius aegrè ferunt si non fiant, & cum impenduntur pecuniæ, & fit sumptus, latratur. Re vera magnum est mysterium arcanam quandam habet sapientiam. Hoc multis retroactis sæculis prophetans dicit, In Christo & ecclesia. Sed non propter ipsum solū hoc dictum est. Sed quid? Ut ipsam tanquam propriā carnem

1. Tim. 6.

Gen. 2.

Metus quomodo sit cum charitate.

Ab. 4.

Gen. 2. Dilectio magis obtemperat dominum quam timor.

Sacramentum cum spiritu.

Matrimonium spirituale. Gen. 18.

1. Cor. 6.

Phil. 4.

nem foueat, sicut & Christus ecclesiam. Vxor autem timeat virum. Non amplius ponit quæ sunt solum charitatis. Sed quid? Ut timeat virum. Mulier est secundus principatus. Neque ipsa exigat æqualitatem honoris, est enim sub capite: neque ille eam despiciat tanquam subiectam: est enim corpus. Si caput corpus despiciat, ipsum quoque peribit, sed afferat dilectionē quæ tanquam in æquilibrio respondeat obedientiæ, ut puta, ministrent ei manus, pedes, reliqua omnia membra. Illud eis prouideat & eorum curam gerat, ut quod in se omnem habeat sensum. Nihil est hoc coniugio melius & præstantius. Et quomodo, inquit, fuerit dilectio si est metus? Maximè tunc fuerit. Nam quæ timet, etiam diligit. Quæ diligit, timet tanquam caput, diligit tāquam membrum. Nam caput quoque est membrum totius corporis. Propterea illam quidem subiecit, hunc verò præfecit & supra posuit, ut esset pax. Vbi enim est honoris æqualitas, pax nunquam fuerit, neque si domus populari regatur imperio, neque si omnes imperent, sed necesse est ut sit vnus principatus. Et hæc semper in corporalibus. Nam si sint viri spirituales, erit pax. Erant quinquies mille animæ, & nemo quidquam ex suis facultatibus dicebat esse proprium, sed inter se subiecti erant alteri. Hoc est indicium sapientiæ & timoris Dei. Atque ostendit quidem modum dilectionis, timoris autem nondum. Et vide quidem cum dilatare & amplificare quæ sunt dilectionis, de Christo narrātem, & de carne propria, & dicentem, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem: quæ sunt autem timoris non dilatare nec amplificare. Quānam de causa? Quoniam vult dilectionem magis obtinere dominatum. Nam si hæc sit, sequuntur omnia alia. Si ille sit, non omnino. Nam qui diligit vxorem, et si non admodum morigeram, omnia tamen sustinebit: adeo res est difficilis & ardua concordia, quando non fuerint colligati tyrannide dilectionis. Timor autem non omnino in hoc se rectè geret. Et ideo magis immoratur in eo quod est forte ac validum. Et mulier cui videtur afferri dānum quod iubeatur timere, lucratur. Viro enim est præceptum id quod est præcipuum & magis dominatur, nempe diligere. Quid verò, inquit, si non timeat vxor? Tu dilige, imple quod tuum est. Nam si non sequatur quæ præstanda sunt ab aliis, oportet ut sequantur quæ præstanda sunt à nobis, ut exempli causa dico. Subiecti estote, inquit, iniucem in timore Christi. Quid verò si alter non subiciatur? Tu pare legi Dei. Ita hinc quoque. Mulier quidem certè, & si non diligatur, timeat tamen, ne nihil ab ipsa fiat. Quando maritus non timeatur, vxor tamen diligatur, ut ipse in nullo deficiat. Vnusquisque enim accepit quod est proprium. Hoc ergo matrimonium est conuenienter Christo seu secundum Christum: matrimonium spirituale, & generatio spiritus. Generatio nostra non est ex sanguine, nec ex dolore partus. Talis est etiam Isaaci generatio. Audi scripturam dicentem, Et desiderunt Sarræ fieri eius muliebria. & matrimonium non ex animi perturbatione, nec ex corporibus, sed totum spirituale. Deo coniuncta anima coniunctione ineffabili, & quam ipse solus nouit. Propterea dicit, qui adhæret domino, est vnus spiritus. Vides quemadmodū ponit studium ut carnem carni vniat, & spiritum spiritui. Vbi sunt hæretici? Non fuerit matrimonium ex iis quæ vituperantur, damnantur, & cadunt sub reprehensionem. Sponsum & sponsam vocauit. Non adhortans illud adduxisset. Relinquet homo patrem & matrem, nec rursus subiunxisset. Dictum est, In Christo & ecclesia. De hac enim dicit etiam Psalmographus. Audi, filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populi tui, & do-

mus patris tui: & concupiscet Rex pulchritudinem tuam. Propterea Christus quoque dicebat, Ego exiui à patre, & venio. Sed quando dico eum reliquisse patrem, ne tale quid existimes, quale apud homines, locorum transitum & transmutationem. Tanquam exiuisse dicitur, non quoniam exiuit, sed propter carnem. Ita etiam illud, Reliquit patrem. Cur ergo non dixit de vxore, Adhærebit marito suo? Quānam de causa? Quoniam dicebat de dilectione, & loquebatur cum viro. Nam cum illa quidem loquens de timore, dicit, Vir est caput vxoris suæ: & Christus rursus caput ecclesiæ. De viro autem cum ipso loquens, & ei tradidit quæ sunt dilectionis, & de dilectione cum eo est locutus, eum constringens & conglutinans & faciens adhærere. Qui enim patrem dimisit propter vxorem, ea rursus dimissa & relicta quānam merebitur veniam? Non vides quantum honorem Deus eam velit consequi, quod te à patre abductum ei affixerit? Quid verò, inquit, si facta sint à nobis quæ sunt facienda, illa autem non sequatur? Si autem infidelis separatur, separatur. Non est seruituti subiectus frater aut soror in huiusmodi. Sed quando audis timorem, exige timorem qui conuenit liberæ, non tanquam ab ancilla. est enim corpus tuum. Nam si hoc feceris, te ipsum probro afficis, tuum corpus efficiens ignominia. Quis est autem timor? Ut non contradicas: ut non insurgas, ut primas partes non ames. Ad hæc vsque satis est timorem consistere. Sin autem diligis, ut est præceptum, etiam maiora facies, imò verò non utique timore hoc facies, sed ipsa etiam dilectio facit aliquid. Est sexus tuus quodammodo imbecillior, multo egens auxilio, multa sui demissione, ut tuæ infirmitatis habeatur ratio. Quid dixerint qui secundis coniunguntur nuptiis? Non dico condemnans, absit. Apostolus enim concessit. Sed tamen ad eius infirmitatem te demittens, ei omnia præbe. Pro illa gere omnia & patere, incumbit tibi necessitas. Hic non vult ex externis exemplis facere inductionem, quod sæpe facit. Sufficiebat enim Christi exemplum, ut quod sit magnum & vehemens, maximè autem ad rationem subiectionis. Et rursus, Relinquet, inquit, patrem & matrem. Ecce ex externis. Sed non dixit, Et cohabitabit, sed adhærebit seu agglutinabitur, exactam significans vnionem, dilectionem quæ est cum vehementia. Neque hoc fuit contentus: sed & inductione sic ostendit subiectionem, ut duo non amplius duo appareant. Non dixit, In spiritum, non dixit, In animam. Nam illud est manifestum, & hoc potest quilibet: sed sic ut sit in carnem vnam. Hic est secundus principatus, habens principatum, & multam in honore æqualitatem: sed tamē vir habet aliquid amplius. Hoc est maxima salus domus. Nam illud quidē quod est Christi accepit, non ad id solum quod oportet diligere, sed etiam ad moderandum & componendum. Vt sit, inquit, sancta & immaculata. Quod est autē carnis, ad diligendum: & etiam illud Adhærebit, ad diligendum. Nam si eam effeceris sanctam & immaculatam, sequuntur omnia. Quare quæ sunt Dei, & sequantur humana cum multa facilitate. Compone & moderare vxorem, & sic cōtemperatur domus. Audi Paulum dicentem. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Si domos nostras sic administremus, apti etiam erimus ad ecclesiæ præfecturam: etenim domus est parua ecclesia. Sic cum viri & vxores boni euaserint, licet omnes exuperare. Veniat tibi in mentem Abraham, Sarra, Isaac, trecēti decem & octo vernæ: quomodo tota domus constituta fuerit & composita, quomodo tota fuerit plena pietate & reuerentia, & præce-

1. Cor. 7.

Timor vxoris in quo consistat.

Gen. 2.

1. Cor. 14.

Domus est parua ecclesia.

Gen. 18.

ptum impleret Apostolicum. Audi enim ipsam dicen-
 tem. Nondum mihi factum est huc vsque. Dominus
 autem meus est senior: & ille ipsam sic diligebat, vt iu-
 benti omnia pareret: & puer erat virtute præditus, &
 vernæ ipsi quoque erant admirabiles, qui quidem non
 dubitarunt etiam periculum adire cum domino, non
 distulerunt, neque causam inquiserunt. Sed vnus ex iis
 qui præerat, adeo erat admirandus: vt eius fidei sit com-
 missum vnici filij matrimonium, & extra fines regio-
 nis peregrinatio. Quomodo enim quâdo sub duce bel-
 li rectè constitutus & compositus fuerit exercitus, bel-
 lum nulla ex parte ingruit: ita hic quoque quando ma-
 ritus & vxor & filij & famuli eadem curant, magna est
 domus concordia. Alioqui si non ita sit, sepe per vnum
 nequam seruum vniuersum euertitur & dissoluitur: &
 vnus sæpe vniuersum delet & perdit.

MORALE.

Est. 7.

MAGNAM ergo curam geramus & vxorum & libe-
 rorum & seruorum: scientes quod principatum
 nobis ipsis reddemus facilem: clemensque & benigna
 erit nobis rationis redditio, & dicemus. Ecce ego &
 pueri quos mihi dedit Deus. Si sit vir admirandus, &
 bonum caput, reliquum quoque corpus nullam vim
 patietur. Atque quomodo quidem rectè se habeant res
 vxoris & res viri exactè & accuratè dixit, vt qui illi qui
 dem suaferit vt timeat tanquam caput: huic autem vt
 diligat tanquam vxorem. Quomodo autem, inquit,
 hæc fient? Nam quod oporteat quidem, ostendit. Quo-
 modo autem, ego vobis dicam. Si pecunias quidem
 despiciamus: si vnum spectemus, nempe virtutem ani-
 mæ: si Dei metum habeamus ante oculos. Quod enim
 dicebat in iis quæ differebat apud seruos, Quodcum-
 que fecerit vnusquisque bonum aut malum, hoc recipiet
 à domino, hoc hic quoque. Non ergo propter il-
 lam tantum, quantum propter Christum oportet eam
 diligere. Hoc ergo tacitè quoque significauit, dicens,
 Tanquam domino. Tanquam domino ergo parens,
 & propter ipsum omnia faciens, sic gere omnia. Hoc
 sufficit ad inducendum & persuadendum, & non fi-
 nendum vt sit vlla lis & dissensio. Nullus sit fidelis ma-
 ritum apud vxorem calumnians. Sed neque vir leuiter
 & inconsideratè credat aduersus vxorem. Neque
 vxor leuiter & curiosè scrutetur ingressus & exitus.
 Sed nec maritus seipsum præbeat dignum suspensione.
 Cur enim, dic mihi, toto die te das amicis, vxori au-
 tem vespere? & nec sic ipsi potes satisfacere, nec amo-
 uere suspensionem. Et si te accuset vxor, ne ægrè feras:
 est id amicitia, non insolentia. Timet enim ne quis
 suffuretur suum cubile, ne quis in bonorum summa ei
 detrimentum afferat, ne caput auferat, ne lectum per-
 fodiat. Est aliud quoque argumentum & occasio pu-
 filli & abiecti animi. Nemo præter modum famulos si-
 bi vendicet, nec puellam maritus, neque vxor famu-
 lum: hæc enim satis sunt ad pariendas suspensiones. Mi-
 hi enim cogita iustos illos. Ipsa Sarra iussit Patriarchæ
 vt acciperet Agar: ipsa imperauit, vt quomodo coegit: nec
 eam inuasit maritus. Sed quamuis longum tempus pro-
 traxisset sine liberis, elegit potius nunquam esse pater
 quam esse molestus vxori. Sed tamen post hæc omnia
 quid dicit Sarra? Iudicet Deus inter me & te. An non si
 fuisset quispiam alius, motus esset ad iram? non etiam
 manus extendisset, propemodum dicens, Quid dicis?
 Nolebam ego consuetudinem habere cum muliere.
 totum à te est profectum: & rursus accusas. Sed ille ni-
 hil dixit eiusmodi. Sed quid? Ecce ancilla in manibus,
 ea vtere vt tibi placuerit. Dedit lecti sociam, ne Sarram
 molestia afficeret. Atqui nihil est hoc maius ad ratio-

Gen. 16.

nem benevolentia. Nam si mensa fuisse socios, efficit
 vt latrones sint vnanimis cum aduersariis, (& dicit
 Psalmographus. Qui simul dulces capiebas cibos:) v-
 nam iam factam esse carnem, hoc enim est cubilis esse
 sociam, multo magis sufficit ad attrahendum. Sed ni-
 hil eiusmodi cum potuit expugnare, sed eam tradidit
 vxori, ostendens nihil factum fuisse sua culpa: & quod
 est maius, eam emisit grauidam. Quis non esset miser-
 tus eius quæ ex ipso conceperat filium? Sed non flexus
 est ille iustus. Nam dilectionem in vxorem præferbat
 omnibus. Hunc nos quoque imitemur. Nemo proximo
 exprobrat paupertatem: nemo amet pecunias: &
 soluta sunt omnia. Neque dicat vxor marito, Ignaue
 & timide, torpore plene & hebetudine, piger & som-
 nolente, hic aut ille humilis & abiectus & humili loco
 natus, aditis periculis & susceptis peregrinationibus
 magnas parauit facultates, & vxor eius gestat aurum,
 & recta in curru mulorum alborum progreditur, in om-
 nem partem circumfertur, habet greges famulorum,
 & agmina Eunuchorum: tu autem metuis, frustra que
 viuus & inutiliter. Ne hæc dicat vxor, & quæ sunt his
 familia. est enim corpus, non vt imperet capiti, sed vt
 pareat & obediat. Quomodo ergo, inquit, feret pau-
 pertatem? Quomodo inueniet solatium? Eligat quæ
 sunt se pauperiores: reputet quot rursus puellæ nobi-
 les & nobili loco natæ, non solum à maritis nihil acce-
 perunt, sed etiam eis dederunt, & sua omnia consum-
 pserunt, Cogitet quæ ex his diuitiis nascuntur pericu-
 la, & amplectetur vitam otiosam & quæ nullis agita-
 tur negotiis. In summa, si sit in maritum beneuola &
 bene affecta, nihil dicet eiusmodi, sed magis eliget
 cum habere prope se nihil acquirentem, quam decies
 mille talenta, cum curis & sollicitudinibus quæ sem-
 per adsunt mulieribus ex peregrinationibus. Sed ne-
 que maritus hæc audiens, vt qui habet principatum,
 conuertatur ad contumelias & plagas, sed suadeat, ad-
 moneat, tanquam imperfectiori rationibus persuadeat,
 manus in eam non extendat. procul hæc sint à libera
 anima: sed nec contumelias, nec probra, nec maledicta
 ingerat, sed vt quæ sit insipientior eam componat &
 corrigat. Quomodo autem hoc erit? Si veras dicat di-
 uitias, si supernam philosophiam, nihil eorum damna-
 bit. Doceatur quod paupertas nullum sit malum. Do-
 ceatur non solum per ea quæ dicit, sed per ea quæ facit.
 Doceatur despiciere gloriam, & nihil huiusmodi dicet
 mulier nec concupiscent. Tanquam accipiens imagi-
 nem, ab illa vespere qua eam excipit thalamo, eam do-
 ceat temperantiam, modestiam, lenitatem: vt statim ab
 exordio, & ab ipsis vestibulis viuat, pecuniæ amorem
 deiiciens, & in philosophia erudiat, & suadeat ne sit
 ei aurum pendens ex auribus, nec eo induatur in genis
 & collo, nec id repositum habeat in thalamo, neq; ve-
 stes aureas & sumptuosas: sed sit quidem elegans orna-
 tus, sed non ad probrum & contumeliam recidat ele-
 gantia. Verum his dimissis histrionibus scenicis, orna-
 domum cum multa honestate ac decore, spirantem tem-
 perantiam, imò verò multum etiam bonum & suauem
 odorè. Ex hoc enim erunt duo aut tria bona. Primum
 quidè non dolebit sponsa, dum solutis nuptialibus tha-
 lamis remittitur ad singulos vestes & vasa aurea & ar-
 gentea. Secundò, quod sponsus non erit sollicitus ne
 pereant: & vt custodiatur quæ sunt comparata. His ac-
 cedit tertium, quod est summa bonorum. Ex his ipsis o-
 stendit mentem suam, nullo horum delectari, & se etiam
 cetera omnia dissoluturum, neque vnquam concessu-
 rum vt fiant saltationes & canatur impudica cantica. Et
 scio quidè me videri quibusdam esse ridiculum, qui has
 leges feram. Sed si mihi credideritis, procedente tem-
 pore,

Vxor
ueat
ne
marito
probra
gerat.

Vxor do-
cenda
despiciere
de
vitiis.

Erubescer
vxor si pu-
dens sit
maritus.

1. Cor. 7.

pore, & succedente rei vtilitate, tunc lucrum scietis: &
 effluet quidem risus, & irridebitis eam quæ nunc est
 consuetudinem: & videbitis quod quæ nunc sunt sunt
 puerorum insipientium & virorum ebriorum: quæ au-
 tem suadeo, sunt modestia, & philosophia, & supernæ
 vitæ agendæ rationis. Quid ergo dico oportere? Omnia
 turpia cantica quæ sunt Satanica, inhonestas cantile-
 nas, immundorum iuuenum circuitiones auferre à ma-
 trimonio. & hæc poterunt castigare sponsam & mo-
 destam reddere. Statim enim apud se considerabit:
 Papæ, qualis est hic vir! Est philosophus: hanc vitam
 nihili ducit: ad procreandos liberos & educandos me-
 domum duxit, & ad domum custodiendam. Sed hæc
 sponsa sunt iniucunda ad primum vsque & secundum
 diem, non autem deinceps: sed & maximam capiet vo-
 luptatem, se ab omni suspitione liberans. Nam qui ne-
 que tibias, neque saltantes, neque fractos cantus susti-
 nuerit, idque tempore nuptiarum, vix ipse in animum
 induerit vt turpe aliquid vnquam aut faciat aut dicat.
 Post hoc autem quando hæc omnia abstuleris à ma-
 trimonio, rectè te geras, pudorem quidem in lon-
 gum tempus extendens, & non citò dissolvens. Nam et-
 si inuerecundior sit puella, scit ad tempus silere, mariti
 mota reuerentia, & rerum quibus non assuevit nouita-
 te. Hunc ergo pudorè non citò dissoluas, quod faciunt
 viri impudici, sed extendas ad longum tempus: hoc enim
 tibi magnum afferet lucrum. Interim non accusabit,
 nec queretur de iis quæ tu statueris. Leges ergo consti-
 tue toto illo tempore, quo pudor tanquam quoddam
 frenum animæ impositus, non sinit de aliquo conque-
 ri & ea quæ sunt accusare. Nam quando fiduciam &
 dicendi libertatem apprehenderit, cum multa securi-
 tate omnia euertit & confundit. Quando ergo erit ali-
 ud tempus æquè aptum ad fingendam & formandam
 vxorem, atque illud quo reueretur maritum, & adhuc
 timet, & pudore suffunditur? Tunc ei impone leges om-
 nes, & parebit, & lubens & inuita. Quomodo autem
 non solues pudorem? Quando cerneris ipse quoque
 non minus quam illa erubescens, pauca quidem lo-
 quès, eaque cum magna grauitate & animaduersione.
 Tunc apud eam deponere & ei commenda verba de a-
 micitia: ea enim accipit anima. Ad pulcherrimum &
 optimum habitum, nempe pudorem, eam redige. Si
 vultis, etiam exempli causa dicam quanam & dicere
 oporteat. Nam si Paulus non recusauit dicere, Nolite
 fraudare inuicem, & pronubæ verba est locutus, imò
 verò non pronubæ sed spiritualis animæ, multo magis
 nos non recusabimus dicere. Quid est ergo ei dicen-
 dum? Cum multa gratia oportet ei dicere: Nos, o filio-
 la, te vitæ sociam accepimus, & te introduximus ad so-
 cietatem in iis quæ sunt præstantissima & maximè ne-
 cessaria, nempe in liberorum procreatione & domus
 cura & administratione. Quid ergo te rogamus? Imò
 verò antea loquere quæ pertinent ad dilectionem. Ni-
 hil enim æquè confert ad persuadendum auditori vt
 accepta ei sint quæ dicuntur, atque scire quod ea dicantur
 ex multa dilectione & benevolentia. Quomodo ergo
 ostendes dilectionem & benevolentiam? Si dixeris,
 Cum multas liceret accipere & ditiores & ex illustri
 genere natus, non eas elegi, sed amauit tuam vitæ agen-
 dæ rationem, honestatem, modestiam, temperantiam.
 Deinde statim ab his para viam ad dicendum de phi-
 losophia, & reprehende diuitias cum quadam ambage
 & circuitione. Nam si orationem solum extendas in
 vituperandis diuitiis, eris grauis & importunus. Sin ar-
 cepta occasione omnia efficias, videris enim id facere
 pro defensione & excusatione, non tanquam austerus
 quispiam, iniucundusque & illiberalis & sordidus: sed

quâdo ex iis quæ sunt eius, sumperis occasionem, etiam
 gaudebit: Dices ergo, necessaria enim rursus repeten-
 da est oratio: Cum liceret ducere diuitem & locuple-
 tem, nõ induxi in animum. Quamobrem? Non temerè
 nec inconsideratè. Sed rectè didiceram diuitias nullam
 esse possessionem, sed rem contemnendam & despi-
 ciendam, & quæ adest & latronibus & meretricibus, &
 sepuicrorum effossoribus. Propterea his missis veni ad
 tuam animæ virtutem: quam cuius auro præfero. Sapiens
 enim & ingenua puella, pietatis curam gerens, totius
 orbis terræ pretio est æquiparanda. Propterea & te
 sum amplexus, & te diligo, & meam etiam animam præfe-
 ro. Nihil est enim vita præsens, oroque, & hortor, & om-
 nia facio, vt nos ita digni habeamur qui præsentem a-
 gamus vitam, vt illic etiam possimus in futuro sæculo
 cum magna securitate simul versari. Nam præsens qui-
 dem tempus est breue, caducum & fragile. Sin autem di-
 gni fuerimus habiti vt cum Deo placuerimus ex hac
 vita excedamus, semper erimus & cum Christo & cum
 nobis inuicem cum plurima voluptate. Ego dilectionem
 tuam præfero omnibus: neque est quidquam mihi æquè
 molestum quam à te vnquam dissidere. Etiam me oporteat
 omnia amittere, etiam si Iro esse pauperiorè, & extrema
 subire pericula, & quiduis pati, mihi sunt omnia feren-
 da & toleranda, donec tu in me bene fueris affecta: &
 mihi tunc oprandi crunt liberi, quando tu beneuolè in
 me affecta fueris. Oportebit autem te quoque hoc fa-
 cere. Deinde admisce etiam verba Apostolica, quod
 Deus sic vult esse coniuncta inter nos benevolentiam.
 Audi enim scripturam dicentem. Propter hoc relinquet
 homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. Nul-
 la sit nobis sordium & illiberalitatis occasio. Valcant
 pecuniæ, & multitudo seruorum, & honores externi:
 hoc mihi est omnibus præferendum. Quo non auro,
 quibus non thesauris erunt hæc verba vxori magis de-
 siderabilia? Ne timeas ne quando dilecta aduersus te
 insoleat: sed consistere te eam diligere. Nam meretrices
 quidem quæ nunc cum hoc nunc cum illo coniunguntur,
 meritò extollentur aduersus amatores, quâdo
 hæc verba audierint. Mulier autem libera & puella in-
 genua his verbis nunquam extolletur, sed multo magis
 his inflectitur. Ostende te magni facere cum ipsa
 consuetudinem, & malle te domi esse propter ipsam
 quam in foro: & eam præponere omnibus amicis & libe-
 ris, quos ex ea suscepisti: & ipsi quoque à te propter ip-
 sam diligantur. Si boni quid fecerit, lauda & admira-
 re. Si quid contingat absurdum & tanquam iuvenile, sua-
 de & admone. Omni ex parte accipiam pecunias, & sum-
 ptus nimis magnificos: & doce eam ornatum quod
 existit ex decore & modestia, & quod ex grauitate &
 honestate: & assidue doce ea quæ conferunt. Sint præ-
 ces vobis communes: vnusquisque eat ad ecclesiam: &
 eorum quæ illic dicuntur & leguntur, & maritus ab
 vxore partem domi exigat, & illa à marito. Si premit
 paupertas, produc in medium sanctos viros Paulum
 & Petrum, qui in maiori fuerunt existimatione quam
 omnes Reges & diuites, & quomodo vitam egerunt
 in fame & siti. Erudi eam nihil in vita esse terribile
 præterquam Deum offendere. Si quis sic & propter
 hæc vxorem duxerit, monachis non erit valde minor:
 nec is qui vxorem duxit, iis qui non duxerunt. Si etiam
 facere prandia, & conuiuia celebrare velis, nihil sit in-
 honestum, nihil indecorum. Si sanctum quempiam
 inueneris qui possit domui vestræ benedicere, & pe-
 dum ingressu valeat vniuersam inferre Dei benedi-
 ctionem, eum voca. Dico etiam aliud. Nemo vestrum
 studeat vxorem ducere ditiores, sed potius pauperio-
 rem. Non enim ingrediatur afferens ex diuitiis tantam

Diuitiæ
nulla sunt
possessio.

Gen. 2.

Secularis
quomodo
potest esse
nõ minor
monacho.

occasione voluptatis, quātam introduxit molestiam A
 ex probris, ex eo quod plura exigat quā intulerit, ex
 contumeliis, ex magnis sumptibus & impensis, ex ver-
 bis molestis & importunis. Fortasse enim dicet: Nihil
 adhuc consumpsi ex tuis: meis adhuc induor, ex iis
 quæ mihi donarunt parentes. Quid dicis o mulier, tuis
 es adhuc induta? Et quid hoc verbo fuerit miserius?
 Corpus non habes amplius proprium, & pecunias ha-
 bes proprias? Non estis amplius duæ carnes post matri-
 monium, & facti estis in vnam: & duæ sunt facultates,
 non vna? O amor pecuniæ! Vnus homo, vnum ambo
 facti estis animal, & adhuc dicis mea? Execrandum
 hoc verbum & sceleratum à diabolo est inuictū. Deus
 omnia nobis fecit communia, quæ sunt his magis ne-
 cessaria: & hæc non sunt communia? Non licet dicere,
 lux est mea, Sol est meus, aqua mea. Quæ sunt maiora,
 omnia nobis sunt communia, pecuniæ autem non sunt
 communes? Pereant pecuniæ, imò verò non pecuniæ,
 sed animi instituta & voluntaria electiones quæ ne-
 sciunt uti pecuniis, sed eas omnibus præferunt. Et hæc
 doce cum aliis, sed cum multa gratia. Nam quoniam
 ipsa per se ad virtutem exhortatio, multum habet tri-
 stitiæ, maximè apud puellam teneram & iuuenulam,
 quando verba sient de philosophia, multam excogita-
 gratiam: & hoc maximè ex illius anima extermina &
 amanda, meum & tuum. Si dixerit mea, dic: Quænam
 dicis tua? Nescio enim, cum ego nihil habeam pro-
 prium. Quomodo ergo dicis mea, cum omnia sint tua?
 Condona ei hoc verbum. Non vides quod in paruis
 pueris hoc facimus? Quando nobis tenentibus aliquid
 puer rapuerit, & vult aliquid aliud accipere, concedi-
 mus & dicimus: Certè tuū est hoc & illud. Hoc etiam
 faciamus in muliere: est enim mens eius magis pueri-
 lis, & si dicat mea, dic, Omnia sunt tua, & ego tuus.
 Non est verbum adulationis, sed multæ prudentiæ.
 Sic potes eius iram reprimere, & extinguere animi a-
 gritudinem: est enim adulatio, quando propter malum
 aliquid feceris indecorum & illiberale. hoc est maxi-
 ma philosophia. Dic ergo, Ego quoque sum tuus, o fili-
 ola. Hoc mihi suavit Paulus dicens: Vir proprii corporis
 potestatem non habet, sed mulier. Si tui corporis
 non habeo potestatem, sed tu: multò magis pecuniæ.
 Sedabis eam si sic fueris locutus: flammam extingues:
 diabolus probro afficiet: ancillam magis eam facies,
 quàm quæ est empta pecunia. his verbis eam alligabis.
 Quamobrem ex iis quæ loqueris, doce eam nunquam
 dicere, meum & tuum. Nec eam tantum voces, sed cum
 blanditiis, cum honore, cum multa dilectione. Honora
 eam, & non opus habebit ut honoretur ab aliis: non e-
 gebit ab aliis danda gloria, si ea fruatur qua tu eam af-
 feceris. Eam præpone omnibus, propter omnia, &
 propter pulchritudinem & sapientiam, & eam orna-
 laudibus. Ita ei persuadebis ut nulli extraneo animum
 adhibeat, sed alios omnes irrideat. Doce Dei timorem,
 & omnia tãquam à fonte affluent, & erit domus refer-
 ta bonis innumerabilibus. Si ea quaramus in quæ non
 cadit interitus, ea quoque aduenient in quæ cadit.
 Querite enim, inquit, primum regnum Dei, & hæc
 omnia adiicientur vobis. Quales consentaneum est ef-
 se famulos talium dominorum? Quales eos qui illis ap-
 propinquant? An non continget eos quoque esse ple-
 nos bonis innumerabilibus? Nam maxima ex parte ex
 moribus dominorum serui mores suos componunt, &
 assimilantur eorum desiderijs: ea amant quæ didice-
 rint, eadem loquuntur, in iisdem versantur. Si sic nos
 ipsos componamus, & scripturis attendamus, plurima
 ab illis docebimur. Ita poterimus Deo placere, & to-
 tam vitam præsentem cum virtute transigere, & asse-

Meum, est
verbum
execran-
dum.

1. Cor. 7.

Honoran-
da est v-
xor, ne ab
aliis hono-
retur.

Mat. 6.

qui bona promissa iis qui ipsum diligunt. Quæ ut con-
 sequamur, detur nobis dignos haberi, gratia & beni-
 gnitate domini nostri Iesu Christi, cui cum patre &c.

ORATIO XXI.



ILLI obedite parentibus vestris in domino. CAP. VI.
 Hoc enim iustum est. Honora patrem tuum & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, ut bene tibi sit, & sis longæuus super terram.

Quomodo quispiam corpus fingens, primum quidem ponit caput, deinde collum, deinde pedes: ita etiã beatus Paulus procedit in sua oratione. Dixit de viro. Dixit de muliere, qui est secundus principatus. Deinde pergit ad tertium. Is autè est filiorum. Nam vxori quidè imperat maritus. Filiis autè & vir & mulier. Vide ergo quid dicat. Filij obedite parētibus vestris in domino. Hoc enim est primū præceptū in promissionibus. nihil hīc loquitur de Christo, nihil de excelsis. adhuc enim loquitur cum teneris mētibus: & ideo breuem facit exhortationem, utpote quod non possint pueri prolixam assequi orationem. Propterea nec aliquid dicit de regno. Non est enim illius ætatis hæc audire, sed quæ maximè cupit audire puerilis animus, ea dixit, nempe quod erit longæuus. Si quis enim inquit cur de regno non disseruit, sed eis posuit mandatum quod situm est in lege, dicemus eis id fecisse ut qui sint pueriliores, & ut qui sciat quod viro & muliere ita affectis conuenienter legi, quam tulit, nō est magni laboris filios subiicere. Quando enim res initium acceperit, & bonum fundamentum, validumque & honestū, omnia deinceps via & lege procedunt cum multa facilitate. est enim difficile iacere fundamentum, & basim subiicere validam. Filij, inquit, obedite parentibus in domino. Hoc est, congruenter domino. Deus enim, inquit, sic iussit. Quid verò si iusserint absurda & non honesta? Maximè quidem nunquam pater præcipit absurda & inhonesta, etiã si ipse sit minus honestus. Caterum sic quoque adhibuit cautionem, dicens, In domino. Hoc est, in iis in quibus Deum non offendas. Nam si sit Græcus aut hæreticus, non vtique parèdum est. res enim non est in domino. Quomodo autem dicit, Quod est primum mandatum? Primum est enim illud, Non Mœchaberis, non occides. Non ipsum dixit primum ordine, sed promissione. Illis quidem non proponitur merces, ut quæ constituta sint de malis, & de recessu à malis. In his autem, utpote quod sit bonorum operatio, ponitur etiam promissio. Vide autem quemadmodum basim admirabilem posuerit via virtutis, nempe in parentes honorem & reuerentiã. Cum abduxisset à malis actionibus, & bona esset ingressurus, hoc primum posuit, honorem in parētibus, quoniam & ante omnia ipsi post Deum fuerunt auctores vitæ. Quare meritò primi bonorum nostrorū fructum perceperint, & tunc alij omnes homines. Nam si quis hoc non habeat, nunquã erit bonus & æquus in extraneos. Cùm ergo filiis suavisset quæ oportebat, transit ad parentes, & dicit. Et vos patres nolite ad iram prouocare filios vestros: sed educate illos in disciplina & correptione domini. Non dicit, Eos diligite. Hoc enim eis vel inuitis natura attrahit: & superfluum esset de eis legem ferre. Sed quid dicit? Nolite prouocare ad iram filios vestros. ut multi faciunt eos exhæredantes & abdicantes, & eos grauantes & prementes, non tanquam liberos, sed tanquam mancipia. Propterea dicit, Nolite prouocare ad iram filios vestros. Deinde quod est caput & summa omnium, ostendit quemadmodum sint obedituri, tota causa deducta ad caput & initium, & quomodo ostendit maritū esse causam ut obediat vxor. & ideo multis cum

CAP. VI. Deut. 5. Exod.

Fundam-
tum iacere
est difficil-

Ibidem

Corre-
ptione
reuerentiæ
admonitione.

cum eo agit, adhortans ut eam attrahat tyrannide dile-
 ctionis: ita hīc quoque rursus ei causam tribuit, dicens:
 Sed educate illos in disciplina & correptione domini.
 Vides quod si sint spiritualia, sequentur etiam carna-
 lia? Vis filium esse obedientem? Ab initio eum educa
 in disciplina & admonitione domini. Ne existimes ef-
 se superuacaneum, quod ipse diuinas literas audiat.
 Nam illic hoc primum audiēt, Honora patrem & mat-
 rem. Quamobrem propter te hoc fit. Ne dicas, Hoc
 est monachorum. Num ego eum facio monachū? Non
 est necesse ut fiat monachus. Quid id times quod est
 multo lucro plenum? Fac eum Christianum. Maximè
 enim mundanis, nempe secularibus, necesse est discere
 quæ illic sunt documenta, maximè autè pueris. Multa
 est enim in illa ætate ignorantia, ignorantia autem fit
 accessio etiam ex scriptis externorum, quando didice-
 rint, qui illic sunt Heroes haberi in admiratione, cū
 sint serui animi perturbationum & vitiorū, & mortem
 timeant. vt Achilles quando eum pœnitet, quādo mori-
 tur pro concubina. quando alius est ebrius, & multa
 alia eiusmodi. Si ergo opus est his medicamentis. Quo-
 modo enim non est absurdum ad artes quidem mitte-
 re, & ad ludum literarium, & pro eo omnia facere: in
 disciplina autem & Dei admonitione eos non educa-
 re? Propterea nos primi fructus percipimus, audaces,
 intemperantes, immotigeros, sordidos, & illiberales a-
 lentes filios. Ne ergo hoc faciamus, sed huic beato pa-
 reamus suadenti. Educemus eos in disciplina & ad-
 monitione domini. Demus eis exēplum ab incunte æ-
 tate, facientes eos vacare lectioni scripturarum. Hei
 mihi hæc assidue dicens videor delirare. Veruntamen
 non cessabo facere quod est meum. Cur, dic mihi, non
 imitaris veteres? Maximè vos mulieres illas mulieres
 admiradas æmulamini. Peperisti filiū. imitare Annam.
 Disce quid illa fecerit. eum statim deduxit in tēplum.
 Quænam vestrū non maluerit suū filium esse Samuē-
 lem, quàm millicies Regē totius orbis terræ? Et quomo-
 do, inquit, fieri potest ut sit talis? Quare nō potest fieri?
 Quoniam non vis, nec eum tradis us qui possunt eum
 talē facere. Et quis is est, inquit? Deus. Nam ipsa illum
 ei tradidit. Neque enim Heli erat ex iis qui admodum
 possent eum fingere & efformare. Quomodo enim, qui
 nec suos potuit filios? sed fides mulieris & alacritas ani-
 mi totum effecit. Primum peperit & solum, & nec scie-
 bat an alios esset paritura. Neq; dixit, Expectabo dum
 crescat infans, ut vtatur rebus quæ ad hanc vitā pertinet.
 concedam ut ipse parū versetur in ætate puerili. Sed his
 omnibus propulsatis, in hoc solo fuit, quomodo ab i-
 nitio imago spiritualis Deo dedicaretur. Reuerentur
 viri mulieris philosophiã. cum Deo obtulit, & illic fuit.
 Propterea etiã splendidius factū est matrimoniū, quo-
 niã obtulit primitias, Propterea fertilis fuit eius vterus,
 & in mundo eū vidit florentē & in bona esse existima-
 tione, & alios fratres acquisiuit. Si enim homines hono-
 rati vicissim honorant, non multò magis Deus, qui
 etiam licet nō honoratus hoc facit? Quousque sumus
 carnes? Quousque in terram incuruamur? Omnia à nobis
 postponentur curæ filiorum, & eorū educationi in
 disciplina & admonitione domini. Si ab initio didice-
 rit esse philosophus, acquisiuit diuitias maiores qui-
 busuis diuitiis, & potentiorē gloriam. Nihil tantum
 efficiet docens artē & disciplinā externā per quam ac-
 quireret diuitias, quàm si enim docueris artē per quā de-
 spiciet diuitias. Est enim diues non qui multis eget di-
 uitijs, & multis est circumdatus, sed qui nullius indiget.
 Hoc doce filium, hoc erudi. Hæc maximè sunt diuitiæ.
 Ne quæras quomodo eum reddas florentem & magnę
 existimationis in doctrinis externis, & facias gloria in-

1. Reg. 1.

1. Reg. 2.

Diues
quādam
et.

signem: sed cura ut eum doceas despiciere huius vitæ
 gloriam. Inde fiet splendidior & gloria illustrior. Hæc
 non à doctore discit aliquis, neque per artē, sed per
 diuina eloquia. Non quæras ut longam viuat vitam,
 sed ut infinitam & quæ nunquam desinit. Magna illi
 largire, non parua. Audi Paulum dicentem, Educate
 eos in disciplina & admonitione domini. Ne studium
 ponas ut eum facias oratorem, sed erudi ut sit philoso-
 phus. Nam si illud quidem non sit, nihil est damni. Si
 hoc autem absit, nullum erit lucrum Rhetoricæ quan-
 tumuis multæ. Opus est moribus, non dicendi faculta-
 te: vitæ modestia, non orationis vehementia: factis, non
 verbis. Hæc regnum cōciliant. Hæc donant etiam quæ
 sunt verè bona. Ne linguam acuas, sed expurges ani-
 mam. Non hæc dico prohibens erudire, sed prohibens
 illis solis adhibere animum. Ne existimes quod solis
 monachis opus est his documentis quæ sumuntur ex
 scripturis. Maximè enim his opus est iis pueris qui ven-
 turi sunt ad hanc mundi vitam. Quomodo enim nauis
 instructione & gubernatore, & nautarum iusto & com-
 pleto numero, non æquè indiget qui perpetuò stat in
 portu, sed is qui semper versatur in mari: Ita etiã mun-
 danus seu secularis & monachus. Nam hic quidem est
 veluti in portu agens vitam nullis agitatam fluctibus, &
 procul à negotiis, & ab omni procella liberam. Ille au-
 tem perpetuò agit in pelago, & in medio mari versatur,
 cum multis iisque ingentibus pugnans fluctibus. Et si
 ipse non opus habeat, paratum tamen esse oportet ut a-
 liorum linguas obstruat. Quamobrem quò fuerit in
 hac vita maioris existimationis, eò magis ei opus est
 hac eruditione. Nam & si alatur in aula regia, multi sunt
 illic & Græci & philosophi, & ob præsentem gloriam
 tumidi, tanquam locus quidam repletus hydropicis.
 Tale quid est aula regia. omnes sunt inflati & tumidi.
 Qui autem non sunt, studium ponunt ut fiant. Cogita
 ergo quantum sit filium tuum illuc ingressum, ingredi
 tanquam optimum & præstantissimum medicum, cum
 instrumētis quæ possint vniuscuiusque tumorem com-
 primere, & ad vnumquemque accedere & disserere, &
 corpus quod laborat sanum facere, medicamenta im-
 pudentem ex scripturis, & philosophiæ infundentē ra-
 tiones. Monachus enim cū quo disleret? Cum muro &
 recto? An eum desertis & nemoribus? An cum auibus
 & arboribus? Eiusmodi ergo doctrina non est illi ad-
 modum necessaria. Conatur tamē hac in re se rectè ge-
 rere, non ut alios tantum erudiat, sed ut seipsum. Hæc
 ergo doctrina maximè opus est iis qui in hac vita ver-
 santur. Ille enim peccandi maiorem habet necessita-
 tem quàm ille. Si vis autem cognoscere, etiam in mun-
 do ipso erit aptior. Omnes enim ex verbis illis eum re-
 uerebuntur, quando viderint ipsum in igne nō vri, ne-
 que principatum concupiscere. Tunc etiam cōseque-
 tur quando non concupierit, & Regi erit magis reue-
 rendus. Non potest enim fieri ut is lateat. Nam inter
 multos sanos latebit is qui est sanus. Inter multos au-
 tem ægrotos quando fuerit vnus sanus, citò etiam fa-
 ma perueniet ad aures Regis, & præficiet eum multis
 gentibus.

Literæ
magis de-
scendit à
seculari
quàm à
monacho.

MORALE.

Hæc ergo sciētes educate filios in disciplina & ad-
 monitione domini. At est quispiā pauper? Sit ite-
 rum pauper. Sed nihilo est vilior & abiectior eo qui
 versatur in regia, cū non sit in regia: sed habebitur in
 admiratione, & citò veniet etiam ad principatum, qui
 est volūtarius, non autem qui datur electione. Si enim
 Græci cū sint viri triobolares & canes, hac suscepta
 triobolari philosophia, talis est enim Græca, imò verò

non ipsa sed eius nomine, induti pallio & alentes comam, multis pudorem suffundunt & inducunt reuerentiam: quanto magis qui est verè philosophus? Si falsus habitus, si philosophia vmbra apparens ita extollit: quid si veram & sinceram diligamus philosophiam, non omnes colent? non & domos & vxores & liberos iis qui sunt eiusmodi, tradent & committent cum multa securitate? Sed non est, non est nunc eiusmodi philosophus. Propterea nec exemplum licet inuenire. Nam sunt quidem inter monachos, inter mundanos autem seu seculares non sunt amplius. Et quòd sint inter monachos possunt multi produci, dicam tamen vnum ex multis. Scitis vtiq; & audiistis, & vidistis etiam nonnulli, virum quem sum dicturus. Iulianum dico illum admirandum. Hic erat rusticus, humilis, & humili loco natus, & nec externæ quidem eruditionis omnino peritus, sed non ficta & simulata philosophia repletus. Hoc ingrediente ciuitates, hoc autem raro fiebat, neque Oratoribus, neque Sophistis, neque vllò alio ingrediēte tantus fiebat concursus. Quid autem dico, non nomen eius nunc quoque clarius decantatur quàm quorumuis regum? Si autem hæc sunt in hoc mundo, in mundo in quo Deus nihil nobis boni promisit, in quo non dixit esse hospites: cogitemus in caelis quanta erunt bona reposita. Si vbi erant aduenæ & inquilini tantum acceperunt honorem: vbi sunt ciuitates, quantam consequentur gloriam? Si vbi promisit afflictionem, tantus est cultus: vbi bona verè est pollicitus, quanta erit quies? Sed vultis mundanos etiam seu seculares ostendamus. Nunc quidem non habemus. Nam sunt quidem fortasse mundani boni & probi, sed qui ad summam non perueniunt philosophiam. Quamobrem ex veteribus & sanctis dicam vobis exempla. Quam multi qui vxores habebant, & filios aiebant, nihil minus, nihil, inquam, minus habuerunt quàm qui dicti sunt? Sed nunc non licet propter instantem necessitatem, sicut dicit hic beatus. Quem ergo vultis dicam? Noë, an Abraham, an huius filium, an illius? An Ioseph? Sed vultis veniamus ad Prophetas? Mosem, inquam, Esaiam. Sed si vultis, orationem protrahamus ad Abraham, quem maximè omnes nobis semper afferunt? Non habebat vxorem? Non liberos? Ego enim hoc vobis dico, quod vos nobis. Habebat vxorem, sed non quoniam habebat vxorem, erat admirabilis. Habebat pecunias, sed non quia pecunias habebat, placuit Deo. Habebat filios, sed non quia filios habebat, censebatur beatus. Trecentos decem & octo habuit verbas: sed non ideo habebatur in admiratione. Sed vis scire vndenam haberetur? Ex hospitalitate, ex pecuniæ despiciētia, ex modestia & temperantia. Quid est enim, dic quæso, Philosophi? An non pecunias & gloriam despiciere? Inuidia & quavis animi perturbatione & ægritudine esse superiores? Agè ergo eum in medium adductum exuamus, & vobis ostendamus cuiusmodi esset philosophus. Primum ne existimabat quidem esse patriam. Egredere enim, inquit, ex terra tua & ex cognatione tua, & statim est egressus. Non fuit domui alligatus, re vera enim non esset egressus, non amicitiaē consuetudinis, non vlli alteri rei. Sed quid? Ille maximè omnium gloriam despexit & pecunias. Confecto enim bello suisque ac fugatis hostibus, cum rogaretur vt acciperet spolia, recusauit. Sed eius filius non rursus habebatur in admiratione propter pecunias, sed propter hospitalitatem: nō propter liberos, sed propter obedientiam: non propter vxorem, sed propter sterilitatem in vxore. Præsentem vitam nihili ducebant. Pecuniæ non studebant nec rem faciebāt: omnia despiciēbant. Nam, dic mihi, quæ-

nam sunt plantæ optimæ & præstantissimæ? non eæ quæ ex se habent vires, & nec imbribus, nec grandinibus, nec ventorum impetibus, neque vlla alia eiusmodi tempestatum læduntur inæqualitate, sed stant nudæ omnia despicientes, & neque vallis, neque maceris, neque septis indigent? Sed talis est philosophus, talis est ille Paulus. Nihil habet, & habet omnia. Omnia habet, & nihil habet. Murus enim non est intrinsecus, sed extrinsecus. Vallus non est natura, sed est extrinsecus. Quid verò, dic quæso, quòdnam corpus est validum, Id ne quod est sanum, & neque fame, neque repletione, neque frigore, neque æstu expugnatur: an quod aduersus hæc omnia, & mensæ structoribus, & textoribus, & venatoribus, & medicis indiget vt sit sanum? Ille est diues, ille est verè philosophus qui nullo horum indiget. Propterea dicebat hic beatus, Educate eos in disciplina & admonitione. Ne ergo vallos & septa extrinsecus circumponatis. Hoc enim sunt diuitiæ, hoc est gloria. Quando enim ea deciderint, decidunt autem, planta est nuda & expugnata facilis, vt quæ præterito tempore non solum nihil lucrum acceperit, sed etiam damno sit affecta. Illi enim valli & septa quæ prohibent quo minus deceret aduersus intultus ventorum, efficiunt vt nunc repente simul concidat. Magis itaque lædunt diuitiæ, vt quæ reddant imparatos & minime exercitatos aduersus vitæ iniquos casus. Tales ergo reddamus filios, vt possint aduersus omnia resistere, neque noua & aliena videantur quæ incurrunt. Sed educemus in disciplina & admonitione domini, magna nobis reponetur merces. Nam si homines qui Regum faciunt simulacra, & pingunt imagines, tantum honorem assequuntur: nos qui regiam ornatum imaginem, Dei enim imago est homo, non bonis fruemur innumerabilibus, id reddentes quod est ad similitudinem? Nam hoc est simile, virtus animæ, quando filios erudierimus vt sint boni, quando vt non sint ad iram prompti, quando vt non sint iniuriæ memores. Hæc omnia sunt Dei propria. Quando vt sint benefici, quando vt sint benigni: quando erudierimus vt nihili ducant præsentia. Hoc ergo nostrum sit opus, nos ipsos & illos fingere ac componere vt oportet. Alio qui qua fiducia stabimus ante tribunal Christi? Nam si indignus est episcopatu qui filios habet non subditos: multò magis regno cælorum. Quid dicis, Si habemus vxorem immodestam & si filios, reddendæ rationi erimus obnoxij? Maximè, nisi exactè & accuratè præstiterimus quæ sunt à nobis præstanda. Non enim propria virtus nobis sufficit ad salutem. Nam si qui vnum talentum infodiens nihil est lucratus, etiam sic punitur, est perspicuum quòd virtus propria non sufficit ad salutem, sed alterius etiam virtute opus est. Magnam ergo curam geramus & vxorum, & liberorum, & famulorum, & nostri ipsorum, & in nobis ipsis & illis componendis Deum rogemus, vt ad eam rem nobis opem ferat. Si viderit nos hoc curare & de hoc esse sollicitos, opem feret. Sin nullam habere huius rei rationem, manum non porriget. Non enim dormientibus nobis dat auxilium, sed ipsis quoque laborantibus. Nam adiutor non est otiosi adiutor, sed eius qui ipse quoque operatur. Potens est autem Deus opus per se ad effectum deducere, vt omnes digni habeamur qui bona promissa consequamur, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum patre, &c.

ORATIO

ORATIO XXII.

SERVI obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri sicut Christo: non ad oculum seruientes quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate seruientes, sicut domino, & non hominibus, scientes quòd vnusquisque quòdcunque fecerit bonum, hoc recipiet à domino, siue seruus, siue liber. Non solum itaq; maritus, neque vxor, neque filij, sed seruorum quoque virtus confert ad domum constituendam & administrandam. Propterea beatus Paulus ne hanc quidem partem neglexit. Sed postremò quidem ad eam accedit, quoniã dignitate quoque sita est postrema, multis autem cum eis agit, non rãquam cum filiis, sed multò perfectius. Non enim dat hic eis promissionem, sed in futuro. Scientes, inquit, quòd vnusquisque quòdcunque fecerit bonum vel malum, hoc recipiet à domino. Etiam docet philosophari. Nam etsi autoritate sunt minores filiis, sui tamen opinione & elatione sunt maiores. Serui, inquit, obedite dominis carnalibus. Mœrore affectam statim erexit animam, & statim est consolatus. Ne doleas, inquit, quòd minus habes quàm vxor & filij. Solum est nomē seruitutis. Carnale est dominium, temporale & breue. Quidquid enim est carnale est caducum & non diuturnum. Cum timore, inquit, & tremore. Vides quòd non eundem timorem exigit ab vxore & seruis. Nam illic quidem dixit absolute, Mulier timeat maritum. Hic autem cum intensione. Cum timore & tremore. In simplicitate cordis vestri sicut Christo. Hoc dicit in continenti. Quid dicis o beate Paule? Est frater, imò verò factus est frater, eadem est consecutus, est in eodem corpore. Factus est frater nō sui domini, sed filij Dei. Fruitur iisdem omnibus, & dicis, Obedite dominis carnalibus cum timore & tremore? Propterea enim, inquit, dico. Nam si iubeo, inquit, liberos inuicem esse subiectos propter timorē Dei, sicut dicebat superius, Subiecti inuicem in timore Dei: si iubeo vxorē timere maritum, etiamsi ea sit par honore, multò magis seruum. Non est enim hoc ignobilitas, sed prima nobilitas, scire esse inferiorē, & modestè se gerere, & cedere proximo. & liberi liberis cum multo timore & tremore seruiunt. In simplicitate cordis, inquit. Rectè dixit, Quoniam fieri potest vt seruiatur cum timore & tremore, sed non ex beneuolētia: sed vtrumque licet. Non animaduertitur enim multi multa prauè gerentes aduersus dominos, hanc quoque prauā tollit operationem, dicens, In simplicitate cordis vestri in domino. Non ad oculum seruientes, quasi hominibus placētes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum beneuolentia seruientes sicut domino, & non hominibus. Vides quàm multis opus habuerit vt hoc bonū & honestum infereret. Cum beneuolentia, inquit, & ex animo. Nam illud quidem videmus multos exhibere dominis, cum timore, inquam & tremore. & ad illud multa efficiunt minæ domini. Sed ostende, inquit, te seruire tanquam Christi seruum, non tanquam hominis. Fac vt quod à te geritur sit tuum, non necessitatis. Sicut ei qui ab alio malè patitur suadet, & docet per ea quæ deinde sequuntur, vt suum esse faciat quod rectè & ex officio geritur, & liberi sui arbitrij & instituti. Nam quoniam qui maxillam percussit, non ad hoc venit ex mēte eius qui est percussus, sed à sua prauitate, quid dicit? Præbe illi & alteram: ostēdens quòd non inuitus eam alapam sustineris. Nam qui ad id quod est malè esse passum affatim etiam supererogauit id quod non erat suum, suum esse fecit quòd maxillæ sit inflicta alapa, non solū quòd

atulerit. Hæc enim fortasse ostendet etiam esse timoris: illud autem multè Philosophiæ, & ostendisti quòd hoc etiam tuleris propter philosophiã. Quamobrem nunc quoque ostende quòd sponte feras hanc seruitutem. Qui studet hominibus placere, non est seruus Christi. Qui est autem seruus Christi, non studet placere hominibus. Quis enim cum sit Dei seruus, vult hominibus placere? Nam quoniam & in simplicitate seruire potest, & non prauè ac malignè, sed non totis viribus impleri quod debetur: propterea dicit, Ex animi alacritate non ex necessitate, ex libera electione non ex prauitate. Si sic seruias, non es seruus. Si ex libero arbitrio & instituto, si cū beneuolētia, si ex animo, si propter Christum. Hanc enim seruitutem seruit etiam Paulus ille liber, & clamat dicens, Non enim nos ipsos prædicamus, sed Christum Iesum dominum, nos autem ipsos seruos vestros propter Iesum. Vide quomodo tibi aufert ignobilitatem seruitutis. Quomodo enim is cui sunt ablata pecuniæ, si etiam alias dederit ei qui accepit, non referatur inter eos quibus est ablatum, sed inter liberales & magnificos: non inter eos qui malè sunt affecti, sed inter eos qui benè faciunt: & plus probri in eum congestit quòd donarit, quàm probro ipse sit affectus quòd ipsi sit ablatum. Ita hic quoque abundantia erogatione apparebit etiam maioris & excelsioris animi. ostēdens quòd rapinã non senserit, illum pudore afficit. Propter Christum seruimus dominis, Sciētes, inquit, quòd vnusquisque quod fecerit bonum, hoc recipiet à domino, siue seruus, siue liber. Nam quoniam erat verisimile multos dominos cum sint infideles pudore non affici, nec seruos remunerari propter obedientiam, vide quomodo eos sit consolatus, vt suspectam non habeat remunerationem, sed valde confidant de compensatione. Quomodo enim qui beneficio afficiuntur, quando non referunt gratiam benefactoribus, eis Deum faciūt debitorem: Ita etiã domini, si à te beneficio affecti tibi gratiam non referant, magis referunt, tibi debitorē Deum constituentes. Et vos domini eadem facite illis, Eadē. Quenam? Seruite cum beneuolentia. Sed non dixit, Seruite etiamsi dicens eadem, hoc significauerit. Nam dominus quoque seruit. Non tanquam studentes placere hominibus cum timore & tremore erga Deum, timentes ne quis vos accuset propter vestram in seruos negligētiã. Remittentes minas. Non importuni, inquit, & graues. Scientes quòd vester & illorum dominus est in caelis. Pape, quantam rem obscure significauit! Quomodo tetrui! Hoc est, Qua mensura metiris, eadē tibi reddetur mensura. Ne audias, Serue nequã, omne illud debitum remisit tibi. Et personarum acceptio non est apud eum. Ne existimes, inquit, quòd quæ in seruum sunt, remittet tanquam quæ sunt in seruum. Nam externæ quidem leges sciunt horum generum differentiam, vt quæ sint leges hominum. Lex autē domini communis nullam nouit differentiam, vt qui cõmuniter omnibus beneficiat, & omnes iisdem impertiat. Si quis autem roget vndenam seruitus, & cur nam ingressa est in vitam humanam. Scio enim multos & lubenter hæc rogare, & velle discere. Ego vobis dicam. Auaritia peperit seruitutem, sordidus & illiberalis quæstus, & infatigabilitas. Nam Noë non habuit seruum, neque Abel, neque Seth, nec ij qui fuerunt postea. Peccatum eam rem peperit, contumelia in parentes. Audiant filij se esse dignos qui fiant serui, quando in parentes fuerint ingrati. Qui est eiusmodi, sibi abstulit nobilitatem generis. Nam qui patrem contumelia afficit, non est amplius filius. Qui contumelia afficit eum qui verè est pater noster, quomodo erit filius? Descendit à generis nobilitate, naturam affecit contumelia. Deinde & bella

Iulianus monachus qui expert eruditionis, erat verus philosophus.

Philosophi quid sit proprium.

Plantæ quædam sunt optimæ.

Scruus Christi nō studet placere hominibus.

2. Cor. 4.

A seruis exigitur maior timor quam ab vxore.

Supr. 5.

1. Tim. 5.

Mat. 23.

Mat. 5.

Seruitus vnde sit orta.

& praelia ceperunt captiuos. At Abraham habuit seruos: sed non vsus est vt seruis. Vide quomodo omnia capiti tanquam appendens adaptet: & vxorem, vt eam, inquit, diligat: & filios, vt eos enutriat in disciplina & admonitione domini: & seruos, scientes quod vester quoque dominus est in caelis. Sic, inquit, vos quoque, vt qui sitis serui, sitis benigni & clementes & propensi ad ignoscendum. De cetero fratres confortamini in domino, & in potentia virtutis eius. Si autem vultis (prius audiistis quae spectant ad seruos) nunc audite quae ad pueros: Docere eos esse pios & religiosos: & omnino sequuntur omnia. Nunc autem ascendens quispiam in theatrum, & vadens ad balneum, secum trahit omnes pueros. In ecclesiam autem non itidem. Neque cogit eos adesse & audire. Quomodo autem audiet seruus te qui es dominus, cum aliis animum adhibeat? Emisti, comparasti seruum. Impera ei quae ex Deo sunt & ei congruunt, vt sit mitis in seruos, vt virtutis magnam habeat rationem. Vniuscuiusque domus est ciuitas. vniuscuiusque est princeps & rector suae domus. Et id quidem est euident in domo diuitum, vbi sunt & agri, & procuratores, & praefecti supra praefectos. Ego autem etiam domum pauperum dico esse ciuitatem. Sunt enim hic quoque principatus: vt puta, Maritus principatum obtinet in vxorem, Vxor in seruos, Serui in mulieres. Rursus viri & mulieres in pueros. An non tibi videtur esse veluti Rex quispiam, cum tot habeat sibi subiectos principes: & oportet eum esse omnium peritissimum administrandae domus & regendae ciuitatis. Nam qui scit variè & differenter his vt, scit aptos eligere principes, & eligit praefectos. Vt puta, vxor erit domi Rex alius, dempto diademate. Qui scit hunc regem eligere, alia omnia rectè reget & dispensabit. De cetero, inquit, fratres confortamini in domino. Quando finienda est oratio, hoc modo semper vtitur. An non rectè dicebam ab initio, quod vniuscuiusque domus sit integer exercitus? Ecce enim omnibus constitutis principatibus, eos deinceps armat, & educit ad bellum. Nam si nemo arripiat principatū, sed vniuscuique maneat in loco suo, omnia rectè habebunt. Confortamini, inquit, in domino. In spe in ipsum per eius auxiliū. Nam quoniā multa iussit quae fieri oportere, nolite, inquit, timere. spem in dominū conicite, & omnia reddet facilia. Et in potētia, inquit, virtutis. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli. Non dixit aduersus pugnas, neque aduersus bella. Neque enim incautè & apertè nobiscum bellum gerit inimicus, sed ex insidiis, quae dicuntur μεθοδία. Quid est autem μεθοδία? Μεθοδία est decipere, & cōpendiaria via ac ratione capere ac superare, quod quidē fit & in artibus, & in orationibus, & in factis, & in lucta in iis qui nos seducunt, vt, exempli causa dico: Nūquam aperta proponit peccata. Non dicit idololatriam seu cultum idolorum, sed aliter id instruit verum, via agens cōpendiaria & adoriens ex insidiis, hoc est probabilē reddens orationem, & vtens praetextibus. Hoc ergo nouerat, & in hoc excitauit milites, & effecit vt essent sobrii, quod persuaserit & docuerit praelium nobis in eundem aduersus rei bellicae peritum, & non incautè nec apertè bellum gerētem, sed ex insidiis & methodica ratione. Et primum ab eius arte: secundò à natura & multitudine excitat discipulos. Nolens milites qui secum stant aduersus ipsum deicere, sed excitare & erigere, dixit astutias & subtilia cogitata, & effecit vt sint sobrii. Nam si solum narratis eorum viribus constitisset, & finem imposuisset orationi, eos deiecisset. Si autem & antea & postea ostendit eum posse capi & expugnari, eos magis excitat. Nam vires aduersariorum quò à nobis apertius re-

Domus est ciuitas.

Diabolus quomodo insidietur.

autem ab eo

nunciatur nostris, eò nostros reddunt diligentiores. Quoniam, inquit, non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiae in caelestibus. Deinde à praemiis propolitis eos excitat. Quomodo? Cū dixisset hostes esse vehementes, subiunxit eos nos magnis priuare. Quibusnam? Pugna est in caelestibus. Non certatur pro pecuniis, non pro gloria, sed certatur ne redigamur in seruitutem & captiuitatem. Quamobrem inimicitiae sunt irreconciliabiles. Contentio & pugna est vehementior, quando pro rebus magnis suscipitur. Illud enim in caelestibus est pro eo quod est, Pro caelestibus. Non vt ipsi victoriam adepti aliquid consequantur, sed vt nos priuent. Vt si diceret, Pactum conuentum est in aliquo. Illud In est pro, & In est propter. Vide quomodo vires inimici nos excitant, & faciūt vt simus sobrii, eo quod sciamus de rebus magnis esse periculum. Studet enim nos è caelo eiicere. Quosnam dicit principes & potestates, & mundi rectores huius saeculi tenebrarum harum? Quarūnam tenebrarum? Nunquid noctis? Nequaquam, sed nequitiae. Erasmus, enim, inquit, aliquando tenebrae. Nequitiam dicens & prauitatem quae est in vita praesenti. Non habebit enim vterius locum, non in caelo, non in saeculo quod est postea futurum. Eos autem dicit mundi rectores, non vt qui in mundo obtineant dominatum, sed hunc mundum scit scriptura appellare secleratas actiones, vt quando dicit Christus, Vos non estis ex hoc mundo, sicut ego nō sum ex mundo. Non ergo erant ex mundo? Non carne erant circumdati? Non erant ex iis qui sunt in mundo? Et rursus. Mundus me odit: vos autem non potest odisse. Malas rursus dicens actiones. Ita mundum hic dicit malos homines. Daemones autem in eos magis dominatum obtinent. Contra spiritalia nequitiae, inquit, in caelestibus. Principes dicit & potestates, sicut etiam in caelestibus sunt throni, dominationes, principatus, potestates. Propterea, inquit, accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. Diem malū dicit vitam praesentem, & malum saeculum hoc dicit, ex malis quae in eo fiunt. Accipite armaturam. Hoc est, semper armemini. Et omnibus, inquit, confectis. Hoc est de uictis vitiis & animi perturbationibus, & improbis & nefariis desideriis, & omnibus quae nobis afferunt molestiam. Non dixit solum facere, sed ita facere vt conficiant, vt non solum de medio tollant, sed etiam stent postquam sustulerint. Nam multi hāc adepti victoriam rursus ceciderunt. Omnibus, inquit, confectis, non hoc quidem confecto, illo verò non. Stare enim oportet post victoriam. Deiecta sunt aliquando, sed quae deiciuntur reuiuiscunt nisi steterimus. Si autem resurgunt quae ceciderunt, quandiu steterimus ceciderunt. Quandiu non circumagimur, ille non resurgit. Induamur armatura Dei. Vides quomodo metum ademerit. Nam si fieri potest vt conficiamus & stemus, recensere vires inimicorum, non metum affert & timorem, sed ignauiam excutit & socordiam. Vt possitis, inquit, resistere in die malo. A tempore etiam consolatur. Tempus, inquit, est breue. Quare oportet stare, ne defessi sitis post caedem.

Praemia excitant pugnae.

Supra.

Ican. 1.

Ibid. 14.

Diem malū.

MORALE.

Si est ergo bellum, si tales sunt acies, si mundi rectores, si spiritalia nequitiae, quomodo, dic quāso, delictis indulges, quomodo es laxus & dissolutus? Quomodo incrimas superare poterimus? Hae vniuscuique sibi dicat quotidie, quando ei dominatur ira, quando cupiditas, quando quærit hāc mollem vitam lubricam & in-

Supra.

Luc. 10.

Rom. 8. Ibid. 16.

Ab. 16.

2. Cor. 1.

1. Theff. 2. Rom. 8.

& inconstantem. Audiatur Paulum dicentē, Non est nobis colluctatio aduersus sanguinem, & carnem, sed aduersus principes, aduersus potestates. Hoc bellum est sensibili grauius, pugna vehemētior. Cogita ergo quantum tempus iste luctatur. Nunc ergo, inquit, venit ad luctandum mecum. Hae loquuntur quidam socordes & ignaui. Cū oporteret o homo, te agere gratias quod si velis eum superes, contra etiam succenses, verba loquens cuiusdā desidis & somnolēti militis. Nosti, si velis, rationes quibus apprehēditur, vndique circūspice. te ipsum muni. Non est tibi solū pugna aduersus diabolū, sed etiam aduersus illius vires. Quomodo ergo luctabimur cum tenebris? Si lux facti fuerimus. Quomodo cum spiritalibus nequitiae? Si facti fuerimus boni. Bono enim contrarium est nequitia & prauitas. & lux expellit tenebras. Quod si ipsi quoque simus tenebrae, omnino capiemur & superabimur. Quomodo ergo ipsos superabimus? Si quod illi sunt à natura, effecti fuerimus ex libero arbitrio & animi instituto, nempe extra carnem & sanguinem, sic eos capiemus & vincemus. Nam quoniam est verisimile multos ab ipsis agitari, ne existimetis, inquit, quod ipsi nobiscum bellum gerant. Qui in ipsis operantur daemones, sunt qui bellum gerūt. Aduersus illos nobis est pugna. Duo autem ex his efficit, vt qui & ipsos reddat anteriores, irāque remittat & relaxet aduersus illos qui cum ipsis bellum gerunt. Et quānam de causa est à nobis pugna aduersus eos exorta? Quoniā in bello sociam & adiutricem habemus inexpugnabilem, nempe spiritus gratiā, eam artem didicimus, vt aduersus homines non possimus luctari, sed aduersus daemones. Si autem velimus, ne luctabimur quidem. Nam lucta est quoniam volumus. Nam eius qui in nobis inhabitat tanta est virtus, vt dicat: Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem potestatem inimici. Omnem nobis dedit potestatem, & luctandi & non luctādi. Sed quoniam nos sumus pigri & hebetes, cum eis luctamur. Nam quod Paulus non sit luctatus, audi eum dicentem. Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, aut angustia, aut persecutio, aut nuditas, aut periculum, aut gladius? Et rursus audi eum dicentem. Deus conteret Satanam sub pedibus nostris citò. Et ideo dicebat, Praecipio tibi in nomine domini Iesu vt ab ea exeat. Hoc autem nō est luctantis. Nam qui luctatur nondum vicit. Qui autem vicit, nō luctatur amplius. nam eum subiecit, & captiuum reddidit. Quinetiam Petrus quoque non luctabatur cum diabolo. Sed quod erat melius quā luctari, in fidelibus, in audientibus, in catechumenis ex magna superabundantia eo erāt superiores. Et ideo dicebat beatus Paulus, Non enim ignoramus cogitationes eius. Vnde etiam eum maximè superauit. Et rursus audi eum dicentem, Non est mirum si ministri illius transfigurantur tanquam ministri iustitiae. Ita nouerat omnem pugnam, & nihil eum latebat. &, Mysterium enim, inquit, iam operatur iniquitatis. Sed aduersus nos ipsos est colluctatio. Nam audi eum rursus dicentem, Certus sum quod neque Angeli, neque principatus, neque potestates, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque alia creatura poterit nos separare à dilectione Dei. Non dixit, A Christo. Nam multi sunt vtique vnti Christo, ipsum autem non diligentes. Non solum, inquit, non persuadebis vt negem, sed nec vt cum minus diligam. Si autem supernae virtutes non hoc potuissent, quis alius eum transmutasset? Non hoc autem dicit tanquam illae hoc aggrederebantur, sed per hypothēsim. Et ideo dicit, Certus sum, seu est mihi persuasum. Igitur non luctabatur, sed tamen timet eius astu-

1. Cor. 11.

Ibid. 4. 2. Tim. 4.

Rom. 16. Sup. 3.

Diabolus quomodo conculcetur.

arias. Audi enim eum dicentem, Timeo enim ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate quae est in Christo. Et dicit, & pro seipso vtitur hoc verbo dicens; Timeo enim ne fortè, cum aliis praedicauro, ipse reprobus efficiar. Quomodo ergo est tibi persuasum quod nemo te separabit? Vides quod hoc verbum sit humilitatis & modestiae. Ille enim iam caelum habitabat: & ideo dicebat, Nihil enim mihi conscius sum. & rursus, Curtum consummaui. Quare ad hae non ei impedimentum afferebat diabolus, sed ad ea quae erant discipulorum. Quamobrem? Quoniam non eos habebat in potestate solum: sed eorum etiam liberum arbitrium & liberam electionem. Illic euadebat eo superior: imò verò nec illic eo erat superior, sed socordia & ignauia eorum qui non attendebant. Nam si id quidem quod suarum erat partium non impleisset, aut propter segnitiam, aut propter aliquid aliud eiusmodi, eo fuisset superior. Si autem ipse quidem faciebat omnia, illi autem non parebant, non eum superauit, sed eorum inobedientiam. & morbus non superauit medicum, sed aegroti intemperatiam. Cū autem ipse quidem omnia parauerit, ille autem omnia corruperit, ille fuit superatus, non hic. Quamobrem Paulo nusquam fuit superior. Ceterum nobiscum bene agit quod possimus etiam luctari. Romanis quidem hoc non optat. Sed quid? Conteret Satanam sub pedibus vestris citò. Et his sic optat. Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus. Qui luctatur, adhuc tenetur. Sed bene cum eo agitur si non ceciderit. Tunc preclara est victoria quādo hinc excefferimus, vt, exempli causa, sit aliqua concupiscentia, admirabile quidem est & praeter opinionem, eam ne admittere quidem, sed extinguere. Si hoc autem fieri non possit, & luctemur & nos contineamus. Si luctantes excefferimus, vicimus. Non enim ita habet hic sicut in Athleticis. Nam illic quidem nisi deieceris, non vicisti. Hic autem vicisti si non fueris deiectus. Si non es deiectus, deiecisti, & meritò. Nam illic quidem ambo contendunt de victoria, & si alter fuerit deiectus, alter coronatur. Hic autem non sic, sed diabolus contendit vt vos superemini. Quando ergo id ei ademerit de quo contendit, vici. Non enim incumbit vt deiciat, sed vt simul deiciat. Iam est ergo victus. Ipse enim iam est deiectus, & est in perditione & interitu. Eius autem victoria non est in hoc vt coronetur, sed vt perdat. Quamobrem si non deiecerit, non fuero autem deiectus, vici. Quānam est ergo praecleara victoria? Ex superabundantia eum conculcare: vt faciebat Paulus, res praesentes nihil esse existimans. Nos quoque eum imitemur, & studium ponamus vt simus superiores, & nullam ei demus aniam qua nos apprehendat. Diuitiae dant ei aniam, pecuniae, inanis gloria, & saepe quidem eum erigunt, saepe autem ferum reddunt & immanem. Sed quid opus est lucta? Quid opus est vt concertemus & manus conferamus? Qui manus conferit, finem habet incertum: num ipse quoque sit superandus & capiendus. Qui autem conculcat, certam & manifestam habet victoriam. Conculcemus diaboli potentiam, cōculcatis peccatis omnibus, inquam, quae ad hanc vitam pertinent, ira, concupiscentia, arrogantia, omnibus animi perturbationibus & vitiis. Vt cū excefferimus, non inueniamur prodidisse potestatem quam nobis dedit Deus. Ita enim etiam futura consequemur. Si autē in hoc fuerimus mali, quis nobis maiora committet? Si enim eum qui offēdit, qui est ignominiosus, qui est contemptus, qui iacet sub pedibus, non potuimus conculcare: quomodo dabit nobis pa-

ter res paternas? Si eum qui est adeo subiectus non su-
perauimus, quamnam habebimus fiduciam ingredi-
di in domum paternam? Nam, dic mihi, si habeas ali-
quem filium, ille autem relictis famulis qui sunt hone-
sti & facie liberali, versetur cum iis qui tibi fuerunt mo-
lesti, qui in tesseriis & alea sunt occupati, & hoc faciat
perpetuo, non exheredabitur? Perspicuum est eum esse
exheredandum. Ita nos quoque si dimissis Angelis qui
Deo placuerunt, & qui nobis sunt praefecti, versetur
cum diabolo, omnino erimus exheredes. Absit, sed
bellum aduersus eum suscipiamus. Si quis habet inimi-
cum, si iniuria ab aliquo est affectus, si quis est effe-
ratus, omnem congregatam asperitatem & ferociam
effundat in caput diaboli. Hic ira res est bona & hone-
sta. Hic exandescencia & indignatio res est utilis: ini-
uriarum acceptarum recordatio & odium res est laudabilis.
Quomodo enim in externis iniuriarum acceptarum recorda-
ri est malum, ita hic iniuriarum acceptarum meminisse est bo-
num. Itaque si habes vitia & defectus, ea hic exerce, si
non potes ea deponere, aut cum membris tuis. Percussit
aliquis? Sis iniuriarum acceptarum memor & odio habe
diabolum, & nunquam ei reconciliare, nec aduersus
eum susceptas compone inimicitias. At non percussit.
Sic quoque sis memor acceptarum iniuriarum: & eum habe o-
dio, quod dominum tuum affecerit contumelia, quod
offenderit, quod fratribus noceat, & cum eis bellum
gerat. Sis semper inimicus, semper acerbus, semper
immitis & ferus. Ita ille erit humilis, sic erit despici-
bilis, sic captus facilis. Si nos simus in eum feroces, ille in
nos non erit ferus. Si nos simus clementes & benigni,
tunc ille erit ferus. Non sicut in nostris fratribus, ille
est inimicus & hostis, & vitae & salutis, & nostrae &
suae. Si seipsum non diligit, quomodo poterit nos dili-
gere? Struamus ergo aciem, & cum feriamus, cum ma-
gnam habeamus belli focium & adiutorem dominum
nostrum Iesum Christum, qui poterit efficere ut mini-
me capiamur eius laqueis, & nos bonis futuris digna-
bitur. Quae nobis omnibus detur consequi gratia &
benignitate domini Iesu Christi, cui cum patre, &c.

ORATIO XXIII.



STATE ergo succincti lumbos vestros in verita-
te. Cum exercitum hunc ordinasset, & eor-
um excitasset animi alacritatem (vtriusque
enim erat opus, & ut essent ordinati, & al-
ter alteri cederet, & ut excitaretur eorum
animus) & eis animum addidisset, & ut essent confiden-
tes & audaces effecisset, nam eo quoque erat opus, deinceps
eos armat. Nihil enim iuuat arma, si illi prius non
sunt ordinati, neque militis animus sit excitatus.
Oportet enim prius eum armare intrinsecus, & deinde
extrinsecus. Si hoc autem fit in militibus, multo magis
in his militibus qui cadunt sub intelligentiam: imò vero
in his ne licet quidem armare extrinsecus, sed omnia in-
trinsecus. Animum excitauit & inflamauit, audaciam
indidit, eos recte ordinauit. Vide quomodo etiam eos
armis induat. State ergo, inquit. Primum est eorum qui
in ordinata sunt acie, ut sciant recte stare. & ex eo multa
euenierunt. Propterea multa dicit de eo quod est stare,
alibi etiam dicens, State, vigilate. Et rursus, Sic state in
domino. Et rursus, Qui se existimat stare, videat ne ca-
dat. Et rursus, Ut possitis omnibus confectis stare. Non
ergo absolute aliquam dicit stationem, sed eam quae est
recte ordinata. & qui rei militaris sunt periti, sciunt
quatum sit scire stare. Nam si in pugilibus & iis qui lu-
tantur, hoc ante alia praecipit, nempe stare: multo ma-
gis in bellis, & in rebus militaribus. Qui stat rectus, stat
non profligatus & dissolutus, neque ad aliquid incli-

1. Cor. 16.
Philip. 4.
1. Cor. 10.

Stare qua-
tum iuuet
& quid ef-
ficiat.

natus. Accurata & exacta recitudo cernitur in statio-
ne. Quare qui sunt re vera recti, ij stant. Qui autem non
stant, non fuerint recti, sed dissoluti & profligati. Non
stat qui degit in deliciis, qui est lasciuus & libidinosus,
qui est auarus & pecunia cupidus, sed est inclinatus.
Qui scit stare, ex eadem statione, tanquam ex quodam
fundamento, quaeunque ad luctam pertinent habebit
facilia & expedita. State ergo succincti lumbos ves-
tros in veritate. Non dicit de zona sensili. Nam omnia
quae sunt in hoc loco ita dicit ut cadant sub intelligen-
tiam. Vide autem quomodo certa via procedat. Pri-
mum succingit militem. Quid hoc est autem? Eum qui
libidinibus distulit & est dissolutus, & humi repentes
habet cogitationes, per Zonam contrahit ac reprimat,
non finis eum impediri à vestibus quae tibiis implican-
tur, sed dimittens ut currat pedibus solutis & expeditis.
State ergo succincti lumbos vestros. Lumbos autem
hic dicit. Nam sicut in nauibus carina, ita etiam in nobis
subiectum totius corporis lumbi, sunt tanquam fun-
damentum, & super ipsos totum aedificatur, ut dicunt
medici. Nostrum ergo cōstringit initium, lumbos cingens.
Non enim hos dicit lumbos, sed ita loquitur ut ij
cadant sub intelligentiam & sicut eorum quae sunt su-
pra & infra lumbi sunt fundamentum, ita etiam in lum-
bis qui cadunt sub intelligentiam. Ij quidem qui saepe
sunt defatigati, illic positus manibus tanquam in funda-
mento, ita se portant. & zona propterea est in bellis, ut
fundamentum quod est in nobis comprimatur & conti-
neatur. Hoc ergo, inquit, fiat etiam in anima, & quiduis
facientes erimus fortes ac validi. Id enim maxime de-
cet milites. Maxime, inquit. Sed hos lumbos cingimus
loro coriaceo. Vos autem quoniam? Eo quod est caput
& summa cogitationum. Succincti, inquit, lumbos no-
stros in veritate nullum diligamus mendacium. res om-
nes tractemus & persequamur in veritate. Alter al-
teri non metiamur. & si sit gloria, quod verum est qua-
ramus: & si vita, veram. Hoc ergo nos circumuallemus.
Si veritate accingamur, nullus nos superabit. Qui qua-
rit decretum veritatis, non decidet in terram. Nam quod
quae vera non sunt, sunt ex terra, ex hoc est perspicuum
quod externi omnes seruiunt vitiiis & animi perturba-
tionibus, dum suas sequuntur rationes & cogitationes.
Quamobrem si simus sobrii in Graecorum libris & scri-
ptis, doctrina non egebimus. Quam sunt illi molles &
eneruati, ut qui de Deo nihil possint graue ac austerum
suscipere, quod humanam superet rationem. Non sunt
enim succincti in veritate. Quamobrem resoluti sunt
eorum lumbi, nempe facultas genitalia suscipiendi se-
mina, & vires rationum. Nihil est ergo his imbecillius.
Rursus autem vides Manichaeos quomodo ex propriis
rationibus omnia loqui audeant? Non poterat, inquit,
Deus mundum creare absque materia. Vnde nam hoc
constat? Haec humi dicunt & ex terra, & iis quae
sunt apud nos. Quoniam homines, inquit, non po-
tunt aliter facere. Rursus vide quid dicat Mareion. Non
poterat Deus assumpta carne manere mundus. Vnde nam
hoc constat? Quoniam nec homines quidem pos-
sunt, licet sint homines. Valentinus rursus humi serpen-
tes habet rationes, è terra loquitur, & Paulus Samosa-
tenus. Porro autem quid dicit Arrius? Non poterat
Deus generans generare impatibiler. Vnde nam hoc
audes dicere o Arri! Ex iis quae sunt apud nos. Vides
rationes omnium humi reperere? plane laxas esse & e-
neruatas, & terram spirare. Et ita quidem se habent
quod attinet ad dogmata. Rursus autem quod ad vitam.
qui sunt scortatores, pecuniae amantes, & gloriae, & a-
liorum omnium, humi repunt. Non habent ipsam fir-
mam & stantem ut defessi possint quiescere, sed si fue-
runt

Zona cur
in bellis.

Manichaei
loquuntur
omnia ex
propriis ra-
tionibus.

rint defessi, non admovent manum & stant, sed resol-
uunt. Qui autem est succinctus veritate, primū quidē
nunquam erit defessus. Secundō autē si fuerit defessus,
requiescet in ipsa veritate. Quid enim, dic mihi, pau-
per sine eum defatigabit? Nequaquam. Requiescit enim
super eas quae verē sunt diuitiae, & per paupertatē sciet
quae sit verē paupertas. At seruitus eū defatigabit? Mini-
mē. Scit enim quae sit verē seruitus. At morbus? Sed ne-
que hoc. Lumbi vestri, inquit Christus, sint succincti.
Lucernae ardentes, lux quae non potest extingui. Hoc
etiam est preceptum exeuntibus ex Aegypto. Nam cur
pascha comedebat accincti? Vis scire totam causam &
argumentum? Vis dicam iuxta historiam, an iuxta ana-
gogen? Sed vtrunque dicam. Vos autem retinere. Non
enim dico ut habeam orationem, sed ut verba mea in
opus exeant & deducantur ad effectum. Erant, inquit,
accincti, & baculi erant in eorum manibus, & calcei in
pedibus, & ita comedebat pascha. Sūt terribilia & tre-
mēda mysteria, & quae magnā habent profunditatem.
Si autem in typis & figuris sunt adeo terribilia, multo
magis in veritate. Excūt ex Aegypto, pascha comedūt.
attende. Pascha nostrū immolatus est Christus. Quare
sunt accincti? Est habitus viatorū. Nam habere calceos,
& virgas in manibus, & stantes comedere, nihil aliud
quā hoc significat. Vultis primū audire historiam, an
anagogen? Satius est historiam. Quid ergo sibi vult his-
toria? Obliviscerentur Iudaei beneficiorum Dei. Itaque
non tēpori solum alligauit Deus sua beneficia, sed etiā
habitu comedentiū. Propterea enim nunc comedunt
accincti & calceati, ut si rogentur, dicāt. Eramus parati
ad iter, & eramus exituri ex Aegypto in terrā promissio-
nis. Et quod effemus parati, hoc quidem est typus.
Haec autem veritas. Nos quoque pascha comedimus,
nempe Christum. Pascha enim nostrum Christus est,
inquit. Quid ergo? Nos quoque accincti & nos calceati
debemus comedere. Quare? Ut nos quoque simus pa-
rati ad exitū, & ad peregrinationē quae est hinc futura.

MORALE.

NEMO ex iis qui hoc pascha comedunt, aspiciat ad
Aegyptum, sed ad caelum, ad supernam Hierusalē.
Propterea accinctus, propterea calceatus comedis, ut
discas quod simul atque incepisti comedere pascha, de-
bes peregrinari & iter facere. Duo autem tacite signifi-
cat, & oportere egredi ex Aegypto, & manētes eos de-
inceps esse tanquam alienos. (Nostra enim, inquit, cōuer-
satio est in caelis.) & tota vita semper esse paratos, ut
vocati non differat sed dicant, Paratum est cor meum.
Sed poterat haec dicere Paulus, qui sibi nihil erat con-
fiscus, ego autem non ipsum dicere qui multo tempore
opus habeo ad poenitentiam. Quod autem accinctum
esse sit vigilantis animae, audi Deum dicentē illi iusto.
Sed tanquam vir accinge lumbos tuos. Ego autem te
interrogabo: tu vero mihi responde. Et rursus Pro-
phetis omnibus hoc Deus dicit, Accingere, & Moyse.
Porro autē ipse quoque apparet accinctus in Ezechie-
le. Imò verò ipsi quoque Angeli apparent nobis accin-
cti, ut qui sint milites. Ex eo enim quod accingatur, fit
ut stent generose & fortiter. Ita ex eo quod stent, fit ut
accingatur. Etenim nos quoque sumus exituri, & mul-
ta interim sunt grauias & difficilia. Quando hunc cam-
pum pertransierimus, statim insiluit diabolus, omnia
agens & machinās, ut qui seruati sunt ex Aegypto, qui
mare rubrum transierunt, qui à dæmonibus & à plagis
innumeralibus simul liberantur, eos capiat & perdat.
Sed si sobrii simus, habemus nos quoque columnam
ignis, si velimus, ne spiritus gratia. Eadem illuminat
& adumbrat. Habemus manna. Imò verò non manna,

Chryso. tom. 4.

sed quod est plusquam manna. Potus spiritualis non a-
qua exit è petra. Habemus & castra, nunc quoque de-
sertum habitātes. Re vera enim nunc quoque terra est
à virtute deserta, & magis quā illa. Cur autem fugiē-
dum erat illud desertum? Quoniam habebat in se scor-
pios & vipersas. In quo, inquit, non transit homo. Sed
non est illud desertum adeo sterile & non ferens fru-
ctus, ut natura humana. Nunc quot sunt scorpj, quot
viperarum in hoc deserto? Quot serpentes? Quot genimi-
na viperarum sunt hi quos recensimus? Sed ne timea-
mus. Huius exitus dux est, non Moyses, sed Iesus. Quo-
modo? Ne eadē nobis accidant, ut non eadem agamus,
& non eadem patiemur. Illi murmurabant. Illi fuerūt
ingrati. Ne eadem ergo nobis accidant. Quomodo ce-
ciderunt illi omnes? Nihili fecerunt terram desidera-
bilem. Quomodo nihili fecerūt? Atqui admirabantur:
Eo quod molles euaserint, & pro ea labores noluerint
suscipere. Ne ergo caelum nihili faciamus. Hoc est ni-
hili facere. E caelo fructus est ad nos delatus, non fru-
ctus qui portatur in amphoris, sed arra spiritus: vitæ a-
gendæ ratio & conuersatio quae est in caelis, quam do-
cuit Paulus & admirandi Agricola. Non Chalob filius
Iephoniae, neque Iesus filius Naue hos tulit fructus: sed
Iesus filius patris misericordiarū, filius eius qui est verē
Deus, omnem tulit virtutem, omnes qui inde sunt fru-
ctus, hymnos ad nos detulit caelestes. Nam quae apud
superos dicunt Cherubim, ea nobis quoque iussit dice-
re, Sanctus, sanctus, sanctus. Ad nos attulit virtutē An-
gelorum, Neque ducūt vxores, neque nubunt Angeli.
Hoc quoque hic plantauit bonum. Illi pecunias non a-
mant, neque alia. Hoc quoque nobis donauit, non est
amplius mors, sed somnus. Audi enim ipsum dicentē.
Lazarus amicus noster dormit. Vidisti fructus supernae
Hierusalem, & quod est admirabilis, bellum non est
decretum: sed ante promissionem nobis donauit haec
omnia. Nam illi quidem, etiam cum venissent ad terrā
promissionis, laborabant, imò verò non laborabant.
Nam si Deo parere voluissent, absque armis & instru-
cta acie omnes cepissent vrbes. Hiericho quidē certē,
choros ducentium magis quā bellantium habentes
habitum, expugnarunt & euerterunt. Nos autem post-
quam ingressi sumus in terram promissionis, hoc est in
caelum, non belligeramur, sed quādiu fuerimus in de-
serto, hoc est, in praesenti vita. Ingressus enim in requie
suam, fecit cessare à suis operibus, sicut Deus à propriis.
Ne ergo defatigemur quod bonum est facientes, pro-
prio enim tempore metemus, si non resoluamur & de-
ficiamus. Vide quomodo illos sic nos quoque duxerit.
Illic in manna dicit, & in solitudine. Qui multum, non
plus habuit: & qui parum, non minus. Hoc quoque no-
bis est preceptum, ne thesaurizemus super terram. Sin-
autem thesaurizemus, non amplius corrumpit & per-
dit vermīs sensilis sicut in manna, sed vermīs iustitiarū.
Omnia ergo conficiamus, ne vermīs paremus alimen-
tum. Nam qui multum, inquit, non plus habuit. Hoc
enim etiam in nobis fit quotidie. Nam omnes eandem
implemus ventris mensuram. Quod est autem super-
uacaneum, est accessio solitudinis. Nam quod iam e-
rat daturus, dicendo, Sufficit diei malitia sua, hoc iam
superius docuit, & nec sic susceperunt. Sed nos ne si-
mus inexplēbiles, non ingrati, ne aedes habitemus splē-
didas, Nam iter facimus, nō habitamus. Quamobrem
si quis nouit quod praesens vita sit quaedam via, & ut ita
dixerim, quod ab eis appellatur fossatum, non quarec
splendida aedificia. Quis enim, dic quæso, etsi sit valde
opulētus, sua sponte volet in fossato, quod dicitur, prae-
claras domos aedificare? Nemo: esset enim ridiculus, &
aedificaret inimicis, & ipsos attraheret. Quamobrem si

Castro
& deserti
in quo e-
rat Israe-
litarum alle-
goria.

Ioan. 17.

Heb. 4.

Galat. 6.
Exod. 16.
1. Cor. 8.
Matt. 6.

Matt. 6.

In fossato
non est a-
dificandū.

sapimus, à militia & fossato nihil differt vita præsens. **Quare rogo, omnia agamus vt nihil hic thesaurizemus.** Nam si venerit qui furatur, citò emigrabimus. **Vigilate, inquit, quoniam nescitis qua hora fur veniat, mortem sic vocans.** Priusquam ergo venerit, omnia amandemus in patria nostram. Ita autem simus accincti, vt possimus superare inimicos. **Quos detur nobis vt superemus gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre, &c.**

ORATIO VICESIMA QUARTA.

STATE ergo succincti lumbos vestros in veritate, & indui lorica iustitie, & calceati pedes in præparationem euangelij pacis, in omnibus sumetes scutum fidei, in quo positis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei. Succincti, inquit, lumbos vestros in veritate. Quidnam hoc sit, dictum est in ea quæ præcessit disputatione, & quòd oporteat esse compositos & expeditos, & currere, vt nihil sit impedimenti. Et indui, inquit, lorica iustitie. Sicut lorica est inuulnerabilis, ita etiam iustitia. Iustitiam autem hic dicit vitam catholicam, & quæ agit ex virtute. Eum qui est talis nemo vnquam poterit prosternere. Sed vulnerant quidem multi, nemo autem dissecat, non ipse diabolus. Quasi dicas, Res iustas pectore complexi. De his dicit Christus, Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Ad eò est fortis & tanquam lorica. Qui est eiusmodi, nunquam irascetur. Calceati pedes in præparationem euangelij pacis. Hoc dictum est minus dilucidè. Quid ergo est? pulchra nobis imposuit tibialia, seu ocreas. Aut ergo dicit, vt sint parati ad euangelium, & ad hoc vt atur pedibus, & ei viam præparent & muniant, aut si hoc non sit, vt ipsi sint parati ad exitum. Præparatio ergo euangelij quid est, nisi vita oprima? Quod quidem dicebat propheta, præparationem cordis sui attendat auris tua. Hoc est, vt sit paratum, munitum & instructum. Euangelij, inquit, pacis. Meritò id dixit. Nam quoniam belli & pugnae meminit, ostendit esse pugandum aduersus dæmones. Nam Euangelium est pacis. Illud bellum aliud bellum dissoluit, nempe quod est cum Deo. Si cū diabolo bellum gerimus, pacem cum Deo agimus. Ne timeas ergo ò dilecte, est euangelium bonus nempe nuncius, iam parta est victoria. In omnibus sumentes scutum fidei. Fidem hic dicit, non cognitionem. Non enim eam posuisset posteriorem: sed per quam signa fiunt. Meritò autem fidem nominat scutum. Quomodo enim scutum ante totum corpus ponitur veluti propugnaculum, vt quod sit murus: ita etiam fides. Omnia enim ei cedunt. In quo poteritis, inquit, omnia tela nequissimi ignea extinguere. Nihil enim potest huic scuto resistere. Audi enim Christum dicentem discipulis: Si habeatis fidem tanquam granum sinapis, dicetis huic monti, transi hinc illuc, & transibit. Quomodo autem habebimus fidem? Quando illa rectè gesserimus. Tela autem eius dicit & tentationes, absurdæque & nefarias cupiditates. Et dicit ignea. Tales enim sunt cupiditates. Nam si fides imperauit dæmonibus, multò magis animi perturbationibus. Et galeam, inquit, salutis assumite, vestrae, inquam, salutis. Eos enim circumuallat, protegit & munit. Et gladium spiritus, quod est verbum Dei. Aut spiritum dicit, aut in gladio spirituali. Per eum enim secantur omnia, per eum omnia scinduntur, & per eum amputamus caput draconis. Per omnem orationem & obsecrationem, inquit, orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes, in omni instantia & obsecratione pro omnibus sanctis & pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notu facere my-

Mat. 24.

Mat. 5.

Præparatio euangelij quid sit. Psal. 9.

Fidei scutum cur dicatur.

Mat. 17.

sterium Euangelij, pro quo legatione fungor in catena, ita vt in ipso audeam prout oportet me loqui. Nam sicut Dei verbu potest omnia, ita etiam qui gratiam habet spiritualem. Viuus est enim, inquit, sermo Dei & efficac, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Vide autem beati huius prudentiam. Armavit eos diligentissimè. Quid igitur deinceps oportebat? Regem inuocare, & rogare vt manum porrigeret. Per omnem orationem, inquit, & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu. Non est enim orare, quando quispiam proluxa & superuacanea vtitur oratione. Et in ipso, inquit, vigilantes, hoc est sobrii. Talem enim oportet esse eum qui est armatus, qui stat apud Regem, nempe vigilantem & sobrium. In omni instantia & obsecratione pro omnibus sanctis & pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei. Quid dicitis ò beate Paule, opus habes discipulis? Rectè autem dixit, In apertione oris mei. Non enim meditabatur quæ dicebat, sed sicut dixit Christus, Quado vos tradiderint, ne solliciti sitis quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Ita fide agebat omnia, omnia gratia. Cum fiducia notu facere mysterium Euangelij, hoc est, vt respondeam vt oportet. Circundatus es catenis, & aliis indiges. Maxime, inquit. Nam Petrus quoque erat circundatus catena: sed tamen oratio sine intermissione fiebat ab ecclesia ad Deum pro eo. Pro quo legatione fungor in catena, ita vt in ipso audeam prout oportet me loqui. Hoc est, vt cum fiducia & dicendi libertate, cum magni animi virtute, & cum multa prudentia respondeam. **Vt autè & vos sciatis quæ circa me sunt, quid agam, omnia vobis nota faciet Tychicus, charissimus frater & fidelis minister in Domino.** Quoniam autem meminit vinculorum, dimisit etiã aliquid Tychico quod de se dicat. Nã quæ pertinebant quidem ad dogmata & ad exhortationem, ea declarabat per epistolam: quæ autè ad solam renunciationem, ea relinquebat tabellario. Vt sciatis, inquit, quæ circa me sunt, hoc est, vt dicatis. Hoc & eius in ipsos ostendebat dilectionem, & illorum in ipsum. **Quem misi ad vos in hoc ipsum, vt cognoscatis quæ circa nos sunt, & consoletur corda vestra.** Nec hoc temerè dicit & inconsideratè, sed cum prius dixisset, Induti & succincti, quod quidem est indicium quòd semper progrediatur & sine intermissione. Audi enim Prophetam dicentem. Fiat ei sicut vestimentum quo induitur, & tanquam zona qua perpetuò præcingitur. Porro autem Propheta quoque dicit Deum esse thoracem seu lorica iustitie, per hoc nos erudiens, quòd semper, non ad breue tempus, hæc habere oporteat. Semper enim bello est opus. Iustus enim, inquit, incedit vt leo, & is qui est sic lorica indutus, fieri non potest vt instructam timeat aciem, sed in medios hostes est ei insiliendum. Speciosi, inquit, pedes eorū qui pacem annunciant. Quis non cucurrerit, quis huic rei non seruiert, quando pax annúciatur? pax, inquit, Dei cum hominibus, pax, cum homines minime laborauerint, sed Deus totum fecerit. Quid sit autem præparatio Euangelij, audiamus Ioannem dicentem, Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Et rursus est alia præparatio post baptismum, vt nihil agamus pace indignum. Nam quoniam vt plurimum sunt pedes vite symbolum, propterea admonens dicit, Videte quomodo exactè ambuletis, de vita loquens. Propterea, agamus & ostendamus quæ sunt digna euangelio, nempe vitam, & mundas actiones. Euangelio pax est annunciata, date viam paratam his bonis nunciis. Quòd si rursus facti fueritis inimici, non est amplius pacis præparatio. Sitis parati, & ne differatis accedere ad pacem. Sicut parati fuistis ad pacem & fidem, ita etiã permanete. Scutum est quod primum excipit insultus inimicorum

Non orat qui proluxa & superuacanea vtitur oratione.

Act. 11.

Pax dogmatum & clarior per epistolam.

Psal. 108.

Est. 11. Rom. 16.

Mat. 17.

inimicorum, & arma seruat inuulnerabilia. Multis autè de fide differit, maxime scribès ad Hebræos, & de spe. **Credite, inquit, bonis futuris, & nihil horum fauciabitur.** Nam in aduersis & in laboribus spem ex aduerso obitiens & fidem, illa seruabis illæsa. Ad Deum enim accedentem oportet credere quòd sit, & iis qui ipsum querunt sit remunerator. Fides est scutum, sin autè sint sophismata, & rationes, & reprehensiones ac reprobationes, non est scutum, sed nos impedit. Talis est fides vt vniuersum cõtegat & obumbret. Ne sit ergo breuis, vt nudos sinat pedes, aut aliquid aliud, sed sit scutu iustam habens symmetriam. Ignea. Sunt enim multæ disceptationes animam vrètes, multæ dubitationes, multæ quæstiones inexplicabiles. Sed reuera fides facit vt omnia cessent & conquiescant. Multa immittit diabolus nostram inflammans animam, & adducens ad ambiguitatem, vt quado dicunt aliqui, Nunquid est resurrectio? Nunquid est remuneratio? Nūquid est fides? Et extinguere, inquit, diaboli tela in fide. Inuasit libido & cupiditas: oppone ei fidem futurorum bonorum, & ne apparebit quidem, sed peribit. Omnia tela. Non hæc quidem extinguet, illa verò non. Audi enim Paulū dicentem. Existimo enim quòd non sunt condignæ passionis huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Non vides quàm multa tela tunc extinxerint iusti? An non videntur tibi tela esse ignita, quòd interno igne vreretur patriarcha filium offerès? Porro autem alij quoque iusti omnia eius tela extinxerunt. Siue ergo bellum gerant cogitationes, eam opponamus. Siue libidines & cupiditates, ea vtamur. Siue labores & ærumnæ, in ea conquiescamus: ea meritò est quæ conseruat arma omnia. Si eam non habeamus, illa citò perforabuntur & lædentur. In omnibus, inquit, sumentes scutu fidei. Quid est, In omnibus? Et in veritate, inquit, & in iustitia, & in præparatione euangelij. Hoc est, omnia hæc ea opus habet. Propterea subiunxit, Et galeam salutis assumite. Hoc est, per eã de cætero poteritis esse tuti. Galea salutis assumere, id est periculum effugere. Quomodo enim, galea exactè caput vndique regens, non sinit vt aliquid graue patiat, sed id conseruat: ita etiã fides est pro scuto, & pro galea salutis. Si enim eius tela extinxerimus, citò etiam suscipiemus rationes quæ conseruant, quæ non sinant vt facultas quæ tenet principatum aliquid patiat. Nam si hæc cõtrariæ rationes extinguantur: citò quæ non sunt tales, sed nos seruât, & efficiunt vt bonam spem habeamus, in nobis nascetur, & sicut galea in capite, inerunt in facultate quæ in nobis obtinet principatū. Nec hoc solum, sed etiam gladium accipiemus spiritus, vt non solum tuti simus à telis quæ mittuntur, sed ea etiam ipsum feriant diabolus. Anima enim quæ animum non despondit, neque tela ignita accipit, cū magna animi alacritate stabit aduersus inimicū, perfringet hoc gladio eius thoracem, per quem cõfregit eius cogitata & redegit in captiuitatem Paulus, draconemque conscinder, & eius caput amputabit. Aut iussum hic dicit verbum, aut adhortatione, aut quòd si in nomine Iesu Christi eius iussa faciamus, per ea de medio tollemus & occidemus ipsum draconem, tortuosum serpetem. Quoniam autem dixit, poteritis tela diaboli ignea extinguere, ne ipsos inflaret, ostendit eos maxime omnium Deo opus habere. Quid enim dicit? Per omnem orationem & obsecrationem. Hæc erunt, inquit, & totum rectè geretis orates. Nunquam autè accedens pro te solo roga, & sic Deum habebis propitium. Per omnem, inquit, orationem & obsecrationem orates in omni tempore in spiritu sancto, & ad hoc ipsum vigilantes in omni instantia, & obsecratione pro omnibus sanctis in spiritu sancto. Ne mihi

Heb. 11.

Rom. 8.

Fides quomodo sit pro scuto & galea salutis.

definias tempora dici. Audi enim quid dicat, In omni tempore. Sine intermissione, inquit, orantes. Non audiuit quemadmodum illa vidua superarit assiduitate? Non audiuit amicum illum media nocte sua perseuerantia pudorem immisisse? Non audiuit de Syrophœnissa, quomodo perpetua sua interpellatione Dominū euocauerit? Hi omnes effecerunt sua assiduitate. Orantes, inquit, in omni tempore in spiritu. Hoc est, quæ ex Deo sunt queramus, nihil mundanum, nihil quod ad hanc vitam pertineat. Non solum ergo, inquit, opus est vt oremus sine intermissione, sed etiam vt vigilantes, & ad id ipsum vigilantes. Siue hic dicat pernoctationes, siue etiam animæ sobrietatem, vt runque admitto. Vides quomodo vigilaret illa Chananaea, & Domino non respondente, sed etiam repellente, & eam canem appellate, illa diceret, Etiam Domine. Nam & catelli comedunt ex micis quæ cadunt ex mensa dominorum suorum: Nec destitit priusquam affecuta fuit petitionem. Et quomodo vidua illa clamauit, & tãdiu perseuerauit, donec pudore affecerit principem, qui neque Deum timebat, neque hominem verebatur, & quomodo amicus intempesta nocte perseuerauit, donec effecerit vt vigilaret, sua assiduitate incusso illi pudore. Hoc est vigilare. Vis discere vigiliam animæ? Vade ad Annam, & audi verba eius. Adonai Eloi Sabaoth. Imo verò audi quæ illa verba præcesserunt. Surrexerunt, inquit, omnes à mensa: illa verò non ad somnum est cõuersa, non ad quietem. Vnde mihi videtur etiam in mensa sedisse leuis, nec vllis cibis grauata, alioqui nõ tam multas emisisset lacrymas. Nam si nos cū sumus ieiuni vix oramus, imo verò ne sic quidem vnquam oramus: multò magis illa post mensam non orasset, nisi etiam in mensa fuisset similis ieiunantibus. Nos viros pudore suffundat hæc mulier. Nos pudeat qui pro regno supplicamus & oscitamus, quòd ea oret pro filio & fundat lacrymas. Et stetit, inquit, coram Domino, & quid dicit? Adonai domine, Eloi Sabaoth. Id est autem si interpreteris, Domine Deus virtutum seu copiarum. Linguam præcurrebant lacrymæ, his sperabat se Deum esse flexuram. Vbi sunt lacrymæ, omninò etiam illic est afflictio. Vbi autè est afflictio, illic quoque est multa philosophia & attetio. Si audiens, inquit, exaudias orationem ancillæ tuæ, & dederis mihi filium, dabo ipsum Domino toto tempore. Non dixit anno vno, aut duobus, sicut nos. Nec dixit, si dederis mihi filium, do pecunias, sed ipsum donum reddo integrum, primogenitum, orationis filium. Nam ipsa erat Abrahæ: ille autem rogatus eum dedit. Ipsa dedit etiam ante petitionem. Sed hinc etiam vide eius pietatem & reuerentiam. Vox eius, inquit, non audiebatur: labra autem eius mouebantur. Sic accedit qui vult impetrare, non mollis & ignauus, neque oscitans, nec dissolutus, neque fricās, neque torpens ac negligens. An non enim poterat dare Deus etiam absque oratione? An nesciebat etiam ante petitionem mulieris desiderium? Sed si dedisset ante petitionem, non apparuisset mulieris animi alacritas, non fuisset manifesta eius virtus, non tantam acquisiisset mercedem. Quamobrem dilatio non erat inuidiæ, sed curæ ac prouidentia. Quando ergo audieris scripturam dicentem, quòd conclusit eius vuluam, & quòd ipsam ad iram prouocabat eius æmula, cogita quòd velit ostendere mulieris philosophiam. Considera enim. Habebat maritum qui ei inseruiebat. Ei enim dicebat, Nõ ego tibi sum melior quàm decem filij: Et ipsam, inquit, ad iram prouocabat eius æmula. Hoc est, probris afficiebat, insultabat, & eam nunquam est vltæ, neque illi est imprecata, neque dixit, Quoniam me probris afficit æmula, me defende & vindica. Habebat illa filios: sed

1. Thef. 5. Oratio oportet sic assidua.

Mat. 7. Luc. 16.

Luc. 11. 3.

1. Reg. 17.

Vbi est afflictio, ibi est multa philosophia.

hæc habebat mariti dilectionem ex æquo ei respon- dentem. Hoc ergo etiam ipsam consolatus est dicens, Non tibi sum melior quàm decem filij? Sed rursus videamus mulieris philosophiam. Et existimavit, inquit, Heli eam ebriam. Sed vide quid ipsa ei dicat, Ne reputes, inquit, ancillam tuam filiam nihili, quoniam ex multitudine meditationis meæ liquefacta sum huc vsque. Hoc est verè contriti cordis, quando non sumus asperi in eos qui nos contumeliis afficiunt, quando non agrè ferimus, quando respondemus & nos excusamus. Nihil æquè facit animam philosophia præditam atque afflictio. Nulla res est æquè iucunda, atque luctus qui est ex Deo, est & ei conuenienter. Ex multitudine meditationis meæ, inquit, liquefacta sum huc vsque. Hanc omnes imitemur. Audite quotquot estis steriles, & audite quæcunque amatis filios, audite & viri & mulieres. Nam viri quoque sæpe contulerunt. Audi scripturam dicentem. Et orauit Isaac pro vxore sua Rebecca, quoniam erat sterilis. Magnas enim res potest oratio. In omni, inquit, instatia, & obsecratione pro omnibus sanctis, & pro me. Te ipsum ponis vltimum? Maximè, inquit, Vt detur mihi sermo in aperitione oris mei, cum fiducia notum facere mysterium euangely, pro quo legatione fungor in catena. Vbi fungeris legatione? Apud homines, inquit. Papæ, quanta Dei benignitas? Misit è cœlis qui pro ipso fungerentur legatione pro pace: & eos captos vincunt homines, & ne ius quidem publicum sunt reueriti, quo ei qui legatione fungitur nihil vnquam fit mali. Sed tamen ego legatione fungor in catena, ita vt in ipso audeam prout oportet me loqui. Vrget catena os obstruens loquendi libertatem, sed vestra preces os meum aperit, vt ea dicam ad quæ dicenda sum missus. Vt autem & vos sciatis quæ circa me sunt, quid agam, omnia vobis nota faciet Tychicus charissimus frater, & fidelis minister in Domino. Si est fidelis, nihil mentietur, sed omnia vera dicet. Quem misi ad vos in hoc ipsum. Vt cognoscat is, quæ circa vos sunt, & consoletur corda vestra. Papæ, quanta charitas. Ne liceat volentibus vos terrere, est enim verisimile eos fuisse in rebus aduersis & molestis. Illud enim, Consoletur corda vestra, hoc tacitè significat. Ne sinat, inquit, vos deiici. Pax fratribus & charitas cum fide à Deo patre, & Domino Iesu Christo. Optat eis pacem, & charitatem cum fide. Rectè autem dixit absolūtè habere rationem charitatis, & se admiscere cum iis qui sunt diuersæ fidei. Aut hoc, aut illud dicit, vt & ipsi fidem habeant, & de futuris confidant. Pax erga Deum & charitas. Nam si sit pax, erit etiam charitas. Si charitas, erit etiam pax. Cum fide. Nihil enim prodest charitas absque fide. Imo verò ne aliter quidem fuerit charitas. Et gratia cum omnibus qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christum in incorruptione. Amen. Cur hic diuisit, seorsum posita pace & gratia? In incorruptione, inquit. Amen. Quid est, In incorruptione? Aut in honestate & moderate ratione aut pro iis in quibus non cadit corruptio & interitus. Vt pote non in diuitiis, non in gloria, sed in illis in quæ nõ cadit corruptio & interitus. Illud in, est id quod per. Per incorruptionem, inquit, hoc est, per virtutem. Omne enim vitium est corruptio, & sicut virginè corumpi dicimus, ita etiam animam. Propterea dicebat Paulus, Ne corrumpanatur sensus vestri. Rursus & in doctrina dicit incorruptionem. Quid est enim, dic mihi, corruptio corporis? An non dissolutio corporis, & eius compositionis? Hoc enim fit in anima, in eam ingresso peccato. Pulchritudo enim animæ est temperantia, robur, iustitia. Sanitas animæ est magni & excelsi animi virtus, prudentia, bona habitudo. Nam & qui est turpis & inhonestus, est deformis, & qui est auarus pluramque habendi cupidus, & qui se dedit rebus malis, &

qui est timidus, ignauus, & imbecillus, est mala habitudinis. Præterea peccata operantur corruptionem. Faciunt enim turpes & imbecillos, & efficiunt vt laborèt & defatigentur. Corruptam enim esse virginem, etiam propterea propriè dicimus, non quòd corrumptur corpus solum, sed propter iniquitatem. Nam id quod fit est coitus. Si hoc autem esset corruptio, esset etiam matrimonium corruptio: sed peccatum est corruptio, ipsum enim probro & dedecore affecit. Domus autem quid magis fuerit corruptio, quàm dissolutio? Et vbi que corruptio est quædam in deterius mutatio, quæ fit in alium habitum, & ad deletionem eius quod erat prius. Audi enim scripturam dicentem, Corruptio enim omnis caro viam suam. Et rursus, In corruptione intolerabili. Et rursus, Homines corrupti mente. In corpus quidem nostrum cadit corruptio, sed in animam non cadit. Num autem ipsam quoque corrumptimus? Hoc fecit prius peccatum. Quod est autem post laucrum, potest etiam animam corrumpere, & efficere vt facile capi possit à verme immortalis. Non enim attigisset, nisi talem inuenisset animam vt in eam caderet corruptio. Ad amantem non attingit vermis, etsi attigerit, nihil efficit. Ne corumpas animam. Nam quod corrumptur plenum est fœtore. Audi enim Prophetam dicentem, Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Ipsa autem, inquit, corruptio inducitur incorruptionem. Hæc autem non itidem. Vbi est enim incorruptio, est corruptio. Quamobrè corruptio est eiusmodi vt in eam non cadat incorruptio, finem non habes, est mors immortalis, quod quidem futurum erat si corpus mansisset immortale. Quamobrè si hinc exiuerimus habentes corruptionem, habemus corruptionem in quam non cadit incorruptio, & non potest desinere. Vri enim & à verme perpetuò consumi, est corruptio in quâ non cadit incorruptio. Quod erat etiam in beato Iob. Corrumpebatur enim, & non peribat, sed semper stabat terræ gleba saniem eradens tempore procedente. Tale quid tunc patietur anima, eam circumstentibus & arrodentibus vermibus, non duos annos, nec tres, nec decem, nec centum, nec decies mille, sed qui nunquam finientur. Vermis enim, inquit, eorum non morietur.

MORALE.

TIMEAMVS ergo rogo, timeamus verba, ne in res ipsas incidamus. Auaritia & plura habendi cupiditas est corruptio, corruptio omnium grauissima, inducens ad idololatriam. Hunc quidem aut illum per auaritiam fraudasti & plura acquisiisti: quæ per auaritiam quidem sunt acquisita corrumptur, manet autem auaritia. Fitque corruptio causa incorruptionis. Transit quidem voluptas qua frueris, manet autem peccatum in quod non cadit corruptio & interitus. Graue est malum non in præterita vita omnia exuere. Magna est calamitas hinc excedere habentes magna peccatorum onera. Nam in inferno, inquit, quis confitebitur tibi? Illic est iudicium, non est tempus penitentia. Quomodo flebat diues, & nihil effecit? Quam multa dixerunt qui Christum non aluerunt? Sed tamè abducti sunt in ignem æternum. Quam multa dixerunt qui iniquitatem fecerunt, Domine, non in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus? & tamen non sunt cogniti. Omnia hæc quidem tunc fiunt, sed nihil iuuant nisi nunc facta fuerint. Timeamus ergo ne forte tunc dicamus, Domine, quando te vidimus esurientem, & non aluimus? Nunc ipsum nutriamus, non vno, aut duobus, aut tribus diebus. Eleemosynæ enim & fides te non deserant. Non dixit, fac semel,

Ibidem.

Afflictio afficit animam philosophia præditam.

Gen. 25.

Corruptio est in deterius mutatio. Gen. 6. 2. Tim. 1.

Psalm. 17. 1. Cor. 13.

Iob. 1.

Mar. 1.

Corruptio est in deterius mutatio. Psal. 6. Luc. 11.

Psalm. 6. Luc. 11.

Elemosynæ & fides te non deserant.

semel, neque bis. Nam virgines habebant oleum, sed non sufficiens. Quamobrè nobis multo opus est oleo, & nos tanquam frugiferam oleam oportet esse in domo Dei. Cogitemus ergo quàm multas peccatorum sarcinas habet vnusquisque nostrum, faciamusque benignitatis & clementiæ opera, quæ eis tanquam in æquilibrio respondeant, imo verò etiam longè plura. vt

non solum extinguantur peccata, sed etiam ad iustitiam nobis reputentur opera iustitiæ. Nam si non sint tam multa bona, & vt crimina exuamus, & ex iis quæ sunt relicta nobis imputentur ad iustitiam, nemo nos eximet à supplicio. A quo detur vt omnes liberemur, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto &c. Amen.

GREGORIO XIII. PONT. OPT. MAX. FLAMINIUS NOBILIVS sacrosanctos pedes osculatur.



VOD facere capitales, atque immanissimi hostes solent, vt si fontes, quibus aduersarij ad vitam tuendam vtuntur, auertere cuniculis non possunt, veuano insciant, ac pestilentes reddant: id tempestate nostra ab improbis, sceleratisque hominibus, qui bellum omni imbutum odio sanctæ Dei Ecclesiæ intulerunt, omniæque humana, ac diuina iura peruerterunt, haud paulo maiore in re videmus representatum. Monumenta enim sanctorum Patrum, è quibus salutaris, iucundissimisque animorum cibis peti & poterat, & solitus erat, quæ fidem confirmabant, quæ spem, pietatem, iustitiam, liberalitatem aiebant, quæ in secundis rebus humilitatem, in aduersis patientiam insillabant, quibus libidines minuebantur, magnæque fiebant virtutum omnium accessiones, cum nobis eripere heretici nequirent, ita aut deprauando, aut malè vertendo, aut scholiis obscurando, atque in alienos sensus detorquendo polluerunt, ac macularunt, vt sine magno discrimine tractari vix possent, idcircoque eorum lectio necessario prope modum Christianis populis interdiceretur. Qua tamen ex re, vt impuri illi, ac nefarij non tam nostri, quàm religionis, & pietatis hostes magnam voluptatem, magnamque sui consilij fructum capiebant, ita piorum hominum vulgò graues querelæ audiebantur desiderio tabescentium, optimoque illo & solatio, & pabulo se priuatos vix ferentium. Nec verò summi Pontifices, qui panem esurientibus frangere non minimam muneris sui partem esse intelligebant, huic rei desuerunt. Multos enim iam annos eorum in iussu aliquot S. R. E. Cardinalium, quorum præclara virtus, & eruditio lucet quasi diuinum aliquod lumen, aliorumque hominum doctrina, ac pietate præstantium in purgandis libris versatur industria. Ceterum cum propter voluminum multitudinem, ac varietatem res tardius procedere videretur, tu B. P. qui nullam de humano genere benemerendi occasionem remittis, omnibusque laborantis Reipublicæ partibus, quantum in te est, mederis, hac quoque in re nihil tibi omitte dum putasti, quò ad exitum quàm citissimè perduceretur. Itaque cum multa alia co pertinentia prouidisti: tum me, de cuius diligentia, vt cõsideres, amplissimorum Cardinalium Ioannis Moroni viri, & mea, & omnium laudatione longè maioris, Gulielmique Sirleri viri optimi, & optimarum artium principis testimonium fecerat, conduxisti: qui sanctorum Patrum varios codices legerem, conferrem, quæ aut deprauata, aut malè conuersa, aut scholiis peruersa deprehendissem, notarem, & ad amplissimos huic rei præpositos Cardinales referrem. Quod si maximis laudibus Pontifices illi sunt commendati memorie hominum sempiternæ, qui bona Ecclesiæ terrena ab iniustis possessoribus occupata recuperarunt: neque tu cerè mediocrem gloriam consequeris, qui hunc cælestem Ecclesiæ thesaurum iam prope alienatū restitueris. Ego verò quod pietati, ac religioni, quod sanctissimæ auctoritati tue, quod eorum officis, qui tibi de me testimonium dederunt, deberi putò: illud ausim polliceri, te si minius eruditionem (non enim me latet, quàm ea sit exigua) at cerè voluntatem, studium, conatusque meos probaturum. Cùmque ea quæ potero, attulero, quod non potero, tue te humanitati cõdonaturum spero: quæ quidem humanitas summæ integritati, innocentie, prudentie coniuncta nunquam non perfecta est: sed tamen in Pontificatu, tanquam optimo in lumine collocata totam se patefecit, mirabileque sui amores excitauit. Placuit verò iis, quos dixi, selectis Cardinalibus, vt primum in latissimo, ac feracissimo D. Io. Chrysostomi operum catalogo diligentia studiumque nostrum excurreret. Ea quinque voluminibus comprehensa circumferuntur, quorum operum nonnulla sunt B. P. quæ alium potius quemlibet, quàm virum illum sanctitate, eruditione, eloquentia præstantissimum auctorem habent. Huiusmodi est opus imperfectum in Euangelium Matthæi, & pleræque Homiliæ in psalmos: ac de aliis etiam argumentis, quæ incerto interpreti adscribuntur. Id cum ex eo, quod Græcè non habentur, tum ex sententiarum, stylique dissimilitudine, aliisque præterea firmis coniecturis deprehendi non difficulter potest. In his, præcipue autem in opere illo imperfecto, nonnullæ extant sententiæ, quæ fortasse, quod in eo nonnulla ab hereticis sint deprauata, ablata, inculcata partim hereticæ sunt, partim ab heresi non longè absunt: tamen si aliæ quædam & piæ & graues, atque à sanctis Patribus nonnunquam usurpata non paruum scriptis illis attulerint auctoritatè. De ceteris autè, quæ verè Chrysostomi sunt, ita sentio, aliquot quidè locis ea ab hereticis hominibus, qui in Latinum sermonem conuerterunt, de industria esse deprauata, sæpe verò interpretis inscitia sustinere omnem culpam: verum multa etiã in Græcis codicibus mutilata sunt, pluribusque & magnis referta mendis: quæ ex manuscriptis exemplaribus, potissimum Vaticanis, & iis, quæ illustrissimus Cardinalis Sylretus correxit, restituida erunt. Ego, quod mihi munus assignatū erat, omnia Chrysostomi opera perlegi: & quæcunque mihi in his aut heresim, aut absurdam sententiam præ se ferre videbantur, notavi: quas notiones cum ad eundè Cardinale, atque ad sacri palatij Magistrum insigni pietate, & eruditione virum attulissimè: visum ipsis est, interea dum noua omnium operum editio Romæ cõtinuatur, non inutiliter comunicari studiosis & piis hominibus posse: vt hinc qui vulgatas editiones habent, quid in illis emendandum, aut cauendū sit, intelligant. Ceterum si id præterea agitur, ac Sanctitati tuæ laudatissimi sui Pontificatus hoc quoque in sacrosanctam Dei ecclesiã præclarum munus extare cupit: vt optimus autor, quo nemo ad heresem euellendas, ad germanam fidem seruandam, ad pietatè, temperantiã, misericordiam, humilitatem, omnique Christianas virtutes in animis hominum inserendas, promouendasque aptior vnquã fuit, non modo sine periculo, sed longè etiam maiore, quàm antea cum emolumento, legi queat, idcircoque aliena segreganda, mutilata resarcienda, ea, quæ hucusque apud Latinos desiderantur, è Græcis manuscriptis codicibus cõuertenda, quæ ab hereticis sunt conuersa, catholici aliquando interpretis nomen præferre debere putas: ego verò omnem operi, omnia studia, omnes labores meos ad sanctitatem tuam ita libenter defero: vt si vita mihi ea in re profundenda sit, præclare mecū agi sim existimaturus: cuius voluntatis meæ specimen & duos ab hinc annos duo eiusdem auctoris opuscula Latina à me facta ad Sanctitatem tuam attuli, & nunc sermones in Epistolâ D. Pauli ad Philipenses afferro, longè pleniores, ne dicam emendatiores, quàm hæcenus, aut Græcè, aut Latine impressi legantur: breui etiam alia, si hanc Sanctitati tue operam probari cõgnouero, allaturus. Ea enim perpetuò heretico animo meo infixa cura, vt beneficiorum, quibus me quotidie afficis, aliquis posteritati extet fructus: præsertim cum hortator assiduus accedat Guido Ferrerius patronus meus Cardinalis nobilitate, ingenio, optimis

disciplinis, morum suauitate florentissimus, qui te ut unicum in terris Dominum veneratur, ut optimum Parentem colit, ut singulari sapientia, ac bonitate virum ita amat, ac suscipit, ut de Sanctitate tua finem cogitandi non faciat. Oro autem ego te per amplitudinem, per maiestatem, per Sanctitatem tuam; ut manu ista tua, cui tot, tantaque salutis nostrae credita sunt mysteria, in salutari illius crucis effigiem ducta, mihi, laboribusque meis bene omineris: neque illos, quos eximia tua liberalitate subleuare pergas, indignos putes. Vale diu felix Pontifex Optime Maxime.

AMPLISSIMO CARDINALI PHILIPPO VASTAVILLANIO FLAMINIUS NOBILIUS S. D.



VOD de caelesti illa, atque ab omnibus materiae sordibus longe seiuincta hierarchia sanctissimi, ac doctissimi Patres nostri monumentis maderunt, id in hac etiam Ecclesiastica, quae ad illius exemplar condita est, aptissime fit, ut quae infimū obtinent locum, per intermediarias personas ad summam adeant, & cum sua, quae possunt, offerant, tum vero ea, quibus egent, beneficia reporent. Longius à re mea non abiero. Non ego mea haec, exigua, sed tamen debita minimi clientis officia ad summam in terris Gregorij x i i i. Pontificis Opti. Max. auunculi tui maiestatem deferre auderem; nec vicissim, quae mihi in diem opus sunt, ab eo postulare; nisi tu mihi praesto esses, ita patronus amplissimus, ut humanissimum quoque internūcium apud illius Sanctitatem pro me, vbi vsus veniat, agere non graueris. Sed dabitur commodius tempus ad eximiam istam virtutem, ac benignitatem tuam, quam & mihi, & omnium hominum temporibus, commodisq; patere vis, praedicandam. Nihil enim maiori mihi cura est, quam ut ne ingratus iudicer. Nunc per eandem istam humanitatem tuam oro ego te, atque obsecro, ut consuetudinem tuam in me honestando serues; & hos meos labores Pontifici, cuius in beatissimo nomine apparent, offeras; eosque singulari ista tua vultus, atque orationis suauitate ornes, & charos reddas. Vale.

B. IOAN. CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI ARGUMENTUM Epistolae ad Philippenses. Flaminio Nobilio interprete.



PHILIPPENSES sunt ciues vnus ex Maedoniae ciuitatibus, quae Philippenses vocant à conditore ciuitatis coloniae, quemadmodum Lucas inquit. Hic Purpuraria conuersa est, mulier valde pia, atque attenda. Hic Archisynagogus credidit: hic Paulus vnà cum Sylā virgis caesus est: hic à magistratibus rogati sunt, ut exirent; ac timori illis fuerunt: splendidumque habuit Euangelij praedicationem principium. Multa verò, & magna de illis ipse quoque Paulus testatur, coronam suam illos vocans, & multa passos esse dicens. Vobis enim datum est, inquit, à Deo non solum, ut in eum credatis, sed vnam pro illo patiamini. Euenit autem: ut quo tempore ad eos scribebat, in vinculis esset: propterea inquit; ita vt vincula mea manifesta fierent in Christo in omni praetorio, praetorium vocans Neronis palatium: verum è vinculis, in quibus fuerat, dimissus est; idque ostendit ad Timotheum scribens, In prima mea defensione nemo mihi adfuit: sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur: Dominus autem mihi adstitit, & confortauit me. Vincula igitur illa significat, quae defensionem istam antecesserunt. Nam ipso quidem defensionis, ac liberationis tempore minimè affuisse Timotheum constat. Inquit enim, In prima mea defensione nemo mihi adfuit, idque etiam hoc ipso ostendit; quod hoc modo scribit: non enim illi per literas nunciasset, quod notum ipsi esse sciret. Quo autem tempore hanc scribebat epistolam, Timotheus vnà fecum aderat: idque verbis istis ostendit, Spero autem in domino Iesu Timotheum me citò mittere ad vos. & rursus, Hunc igitur spero me citò mittere ad vos, mox vt videro, quae circa me sunt. E vinculis enim dimissus est: atque in ea, postquam ad ipsos venisset, rursus coniectus. Quod enim inquit, Sed etsi immolar supra sacrificium, & obsequium fidei vestrae, Non ita dicit, quasi nunc fieret; sed quoniam si id eueniat, & quā docunquē eueniat, gaudeo, inquit, releuans illos errore, quem ex ipsius vinculis conceperant: nunc enim minimè mortem obiturum fuisse, ex illis verbis perspi-

cuum est. Confido autem in domino, quoniam, & ipse veniam ad vos citò. & rursus, Et hoc confidens scio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis. Miserant autem ad eum Philippenses Epaphroditum; qui pecunias ad ipsum afferret, & quo loco res ipsius essent, cognosceret. Nam peramanter affecti erga illum erant. Quod autem ab illis missus Epaphroditus fuerit; audi ipsam dicentem, Habeo autem omnia, & abundo; repletus sum, acceptis ab Epaphrodito, quae misistis, ob hanc igitur causam miserant; ut & illum consolarentur, & res illius cognoscerent. Nam quod & hoc cognituri miserant; in ipso statim epistolae initio ostendit, de suo statu scribens, ac dicēs. Scire autem vos volo, quia quae circa me sunt, magis ad profectum venerunt Euangelij. & rursus, Spero autem Timotheum me citò mittere ad vos; ut & ego bono animo sim, cognitis, quae circa vos sunt. Illud, vt & ego, perspicue hoc significat: vt quemadmodum vos, quod vobis animum expleretis, misistis ad mea cognoscenda: ita & ego bono animo sim rebus vestris cognitis. Quoniam igitur cum longo iam interuallo non misissent, tunc miserant, (id enim indicat illis verbis. Quoniam tandem aliquando restoruitis pro me sentire) audiebantque ipsum in vinculis esse (nam si de Epaphrodito mala valetudine audierat, hominis non valde clari, qualis quidem Paulus erat: multò magis de Paulo) & cōsentaneum erat ipsos perturbari: idcirco in ipso Epistolae proemio inducit consolationem pro ipsis suis vinculis, ostendens tantum abesse, vt inde perturbari oporteat: vt gaudendum potius sit: deinde consilium illis dat: vt cōcordiam, atque humilitatem colant, hoc illis tutissimū esse praesidium docēs, atque hac ratione facillè illos inimicis suis superiores fieri posse. Non enim doctoribus vestris molestū est in vinculis esse, sed discipulos inter se minimè concordēs videre. Illud enim vel ad prouehendum Euangelium facit: hoc verò ad disturbandum. Cum igitur illos ad concordiam esset cohortatus, concordiam verò ab humilitate proficisci docuisset, atque aduersus Iudaeos, qui Christianismū pretendentes omnibus modis dogmati officiebāt, inuectus esset, canes eos vocans, ac malos operarios, atque ab illis abstinendū esse suasisset, & quibus rebus studendū esset, admonuisset, multaque differuisset de rebus ad mores pertinentibus, eosq; cōposuisset, ac recreasset verbis illis. Dominus propè est: tū verò ea, quae ipsum decebat, prudentia, rerū etiam ad se missarū mentionē facit, atque ita magnam affert consolationem. Facillè autē animaduertere licet Paulum in scribendo hos potissimū honorificè tractare, nec quicquam

quam vsquam interire, quod obiurgandi vim habeat. Hoc verò magnum illorum virtutis argumentū est, nullam dedisse doctori occasionē obiurgandi, omniaque ad eos non reprehensionis, sed suasionis modo esse scripta. Verum, vt nunc etiam reperam, quod initio dicebam, magnam haec ciuitas ad fidem ostenderat propensionem, quando quidem custos ipse carceris (quam verò eiusmodi muneris administratio magna cum improbitate coniuncta esse solet, non ignoratis) ex vno statim signo, & accurrit, & baptizatus est cum tota familia sua. Ac signum quidem, quod factum est, ipse solus vidit, fructum verò, ac lucrum nō solus percepit, sed vnà cum muliere, atque vniuersa domo. Sed & magistratus ipsos, qui Paulum verberibus affecerūt, tumultu potius, & impetu quodam, quam improbitate id fecisse ex eo intelligitur: quod citò illum dimitti iusserunt, atque in metu postea fuerunt. Testimonium autem illis dat non solum fidei, & periculorum nomine, sed etiam beneficentiae, vbi inquit, quod & in principio Euangelij, & semel & bis in vsum mihi misistis, nemine alio id praestante. Nam, nulla mihi, inquit, ecclesia communicauit in ratione dati, & accepti. Quod si aliquando intermiserint, occasionem potius, quam voluntatem ipsis defuisse istis verbis ostendit. Sicut & sentiebatis: occupati autem eratis. Id verò magnū erga ipsos amoris stimulum praese fert. Quod enim vehementer eos dilexerit: hinc etiam manifestum. Neminem enim habeo, inquit, tam vnam in mem, qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit, & rursus, eò quod habeam vos in corde in vinculis meis.

MORALIS DIGRESSIO.

Hec igitur & nos intelligentes, ac tot habentes charitatis formulas, atque exemplaria, praebemus nos ipsos dignos huiusmodi exemplis, prompti, ac parati pro Christo pati. Etenim hoc tempore non est, qui Christianos insectetur, & vexet. Ergo, vt nihil aliud saltem efficacem, & vehementem illorum beneficentiam imitemur, neque vbi semel, atque iterū dederimus, omni officio perfunctos nos arbitremur. Etenim per omnem vitam id faciendum est. Non enim semel, sed perpetuò placere oportet. Qui currit, si decem circuitibus, quas Graeci vocat διαυλους, iam factis, postremam omittat: totum perdidit: ita & nos si ab incepto bonorum operum cursu defecerimus: totum perdidimus, totum corrupimus. audi perutilē admonitionem illis pronunciatam verbis: eleemosynae, inquit, & fides te non deserant. non dixit, semel facito, aut bis, aut ter, aut decies, aut centies: sed perpetuò: te non deserant, inquit: nec verò dixit, ipsas ne deserat: sed, ipsae te non deserant: ostendens nos esse, qui ipsarum egeamus, non ipsas nostri. docensque nihil nobis non faciendum esse: vt illas apud nos retineamus: circunda eas, inquit, gutturi tuo. Quemadmodum diuitum filij decus aureum circa collum gestant, illudque nunquam deponunt, quasi nobilitatis insigne circumferetes: ita & eleemosynam nobis ipsis circundemus oportet, declarantes nos esse misericordis illius filios, qui solē exoriri facit super malos, & bonos. At non credūt infideles? quinimò per haec credent, si nos haec praestiterimus. Nam si viderint nos omnium misereri, illumq; representare praepitorem: ad illius imitationem hoc à nobis fieri intelligent. Neque verò vtcūque fecisse satis est, sed cautio quaedam praeterea, ac munimentū requiritur. Eleemosyna, inquit, & fides sit tibi vera. rectè dixit, vera, non ex rapina, non ex furto. Hoc enim nō est fides, non est vera eleemosyna. Nam qui furatur, eum metiti, ac peierare necesse est: tu verò non ita: sed vnà cum

eleemosyna fidem quoque habeto, inquit. Circumdemus nobis istum ornatum. Torquem hunc aureum animae aptemus, eleemosynā dico: quamdiu scilicet hinc fuerimus. Nam cum aetas haec praeterierit: nō amplius illa vtemur: quid ita: non sunt ibi pauperes: non sunt ibi pecuniae: non est ibi mendicitas: quamdiu sumus pueri: ornatu hoc nos ipsos ne spoliemus. Quod enim in pueris euenit: vt cum ad virilem aetatem peruenerint, ista deponant, atque alium sibi assumant ornatū: idem quoque in nobis: Etenim illic non erit eleemosyna ista, quae pecuniis fit: sed alia quaedam longè maior. Ne igitur interea hac nos priuemus: operam demus, vt pulchram se spectandam praebat anima. Magnam eleemosyna bonum, atque honoratum est, magnum donum, imò verò magna est bonitas. Si didicerimus pecunias contemnere: etiam alia discemus. Vide enim quot hinc existant bona: qui dat eleemosynam, quomodo danda est: is discit pecunias contemnere: qui pecunias contemnere didicit: is malorum radicem excidit. quamobrem nō tam facit beneficium, quam accipit: non idcirco solum, quod eleemosynae constituta est merces, ac retributio: verum etiam, quod anima fit philosophica, excellēque ac diues. Qui eleemosynam dat, ad hanc disciplinam eruditur: vt pecunias, atque aurum minimè admiretur: qui verò hac disciplina instituit animum: nā ille praeclearum ascendēdi in caelum principium fecit: sexcentasque pugnae, contentionis, inuidiae, mœroris occasiones amputauit. Nostis enim profectò: nostis & vos, ex pecuniis mala omnia, ex pecuniis sexcenta bella solere existere. Quāobrem qui illas contemnere didicit: tranquillo in portu seipsum locauit: nec damnum posthac metuit. Ad hanc enim disciplinam illum eleemosyna erudiuit: non appetit posthac aliena (quomodo enim, cum sua etiam profundat, ac donet?) nulla posthac diuitis inuidia tangitur (quomodo enim, cum pauper fieri velit?) ipsūque animae oculum ab omni labe purum reddit. Atque haec quidem hinc: quorum verò ibi bonorum compos futurus sit, nulla vnquam oratio queat exponere: nō vnà cum stultis virginibus foris manebit: sed vnà cum prudentibus, vnà cum sponso ipso introibit, splendor habens lampades. Ita ob hanc ipsam eleemosynam, iis, quae in virginitate seruanda valde laborarunt, longè praestabit, expers ipse laborum illorum: tanta est eleemosynae virtus: alumnos suos magna cum libertate introducit: nota enim est caeli ianitoribus, qui sponsi fores custodiunt: nec verò nota solum, sed etiam huiusmodi, quam reuerentur: eosque, à quibus se cultam nouerit, magna cum libertate introduceret: ac nemo contradicet: sed omnes cedunt. Nam si Deū in terram adduxit, idque ipsi persuasit, vt homo fieret: multò magis hominem in caelum intromittere poterit: magna est ipsius potentia. Ergo si ex misericordia atque hominum amore Deus homo factus est, si eò, inquam, adductus est vt seruus fieret: multò magis seruos in domum introducet suam. Hanc amemus: hanc colamus, nō vno aut altero die, sed per omne tempus: vt ipsa nos benè notos habeat: nam si ea nos nouerit: & Dominus noscet: sin ignoret: Dominus etiam ignorabit, ac dicet, nescio vos. Verum absit, vt hanc nos vocem audiamus, sed beatam illam, Venite benedicti patris mei: possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi, quod vtinam nos consequamur in Christo Iesu domino nostro, cum quo Patri, vnàque sancto Spiritui gloria, imperium, honos nunc & semper, & in saecula saeculorum. Amen.

SERMO I. CAP. I.



AVLVs, & Timotheus serui Iesu Christi omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, coepiscopis, & diaconis, Gratia vobis, & pax à Deo patre nostro, & domino Iesu Christo.

Hic quasi ad aequali honore preditos scribens non ponit suum magisterij nomen, sed aliud quiddam, illudque magnum. quale verò istud: seruum seipsum nominat, non Apostolum. nam & hæc verè magna dignitas est, ac bonorum caput, seruum esse Iesu Christi, & non tantum dici. Qui Christi seruus est; hic à peccato liber est; & hoc ipso, quòd germanus, ac legitimus seruus est; nunquam committet, vt cuiusquam alterius seruus fiat: alioqui non esset Christi seruus, nisi ex dimidia parte. Ac sanè ad Romanos scribens, rursus ita inquit, Paulus seruus Iesu Christi. ad Corinthios verò, & Timotheum scribens, Apostolum seipsum nominat. quid ita? non ob eam certè causam, quòd isti meliores essent Timotheo; absque sed potius, quòd præ omnibus, ad quos scribit, istos potissimum honorat, & fouet: nam & magnæ virtutis testimonium ipsis dat. Præterea verò, cum ad illos scribenti multa essent constituenda, & disponenda: ideo Apostoli dignitatem præ se tulit. Hic verò nihil ipsis mandat præter ea, quæ etiam per se ipsi videbāt. Sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis. Quoniam verisimile erat Iudæos etiam seipsos sanctos nominare ex priore illo oraculo, vbi dicti sunt populus sanctus, & peculiaris. propterea addit, sanctis in Christo Iesu. Hi enim soli sancti, illi verò reliquo iam tempore prophani. Coepiscopis & diaconis. Quid hoc? an vnus ciuitatis multi erant episcopi? nequaquam, sed presbyteros isto nomine appellauit. Tunc enim nomina adhiere erant communia, atque ipse etiam episcopus vocabatur diaconus. idcirco ad Timotheum scribens inquit, Diaconiam id est ministerium tuum imple, cum tamen ille episcopus esset: Quod constat ex verbis illis ad eundem scriptis, Manus citò nemini imposueris. & rursus, quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterij: presbyteri verò episcopum non ordinassent. & rursus ad Titum scribens inquit, Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt constituas per ciuitates presbyteros: sicut & ego disposui tibi, si quis sine crimine est, vnus vxoris vir, quæ quidem de episcopo dicit. At quæ hæc cum dixisset, statim addidit. oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: nò superbum. Antiquitus igitur, quemadmodum dicebam, ipsi etiam presbyteri vocabantur episcopi, & diaconi Christi. Quocirca vel hodie multi episcopi ita scribunt, compresbytero, & condiacono. Procedente verò tempore proprium cuique distributum est nomen, vt hic quidem episcopus, ille verò presbyter appelletur. Coepiscopis inquit, & diaconis, gratia vobis, & pax à Deo patre nostro, & domino Iesu Christo. Hoc loco non iniurià quæret quispiam, quid causæ sit, quamobrem cum nusquam alibi ad clerum scribat, non ad eum, qui Romæ, non qui Corinthi, non qui Ephesi, sed generatim dicat, omnibus sanctis, vel fidelibus, vel dilectis, hic ad clerum scribat? nimirum, quoniam clerici ipsi fuerant, qui literas ad eum dederant, & fructum protulerant, ipsique ad eum miserant Epaphroditum: Gratias ago Deo meo, inquit, in omni memoria vestri semper. Alibi ita scripsit, Obedite præpositis vestris & subiacete; ipsi enim peruiolant quasi rationem pro animabus vestris redditori, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes. Si igitur gemere ex vitio discipulorum est, cum gaudio id

A facere, ex profectu erit. Hoc igitur est, quòd ait: Quotiescunque, inquit, vestri memoriã repeto, Deum glorifico. Id verò facit, quòd multorum illis bonorum conficius erat. Et glorifico, inquit, & precor. Non enim quoniam virtutis viam ingressi estis, finem precandi pro vobis facio, sed persto adhuc in oratione. Gratias, inquit, ago Deo in omni memoria vestri semper, in omni oratione mea pro omnibus vobis cum gaudio etiã deprecationem faciens semper, non solum, quando precor. Rectè autem addidit cum gaudio. est enim & cum mœrore id facere; quemadmodum alibi dicit, nam ex multa tribulatione & angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas, super communicatione vestra, inquit, in Euangelium à prima die vsque nunc. Magnum quiddam est, de quo illis testimonium hoc loco dat, & valde magnum: quòdque Apostolis, & Euangelistis dari solitum est. Non quoniam vna, inquit, ciuitas vobis commendata, ac credita est, illã solam curatis: sed nihil omititis, vt laborum meorum participes sitis, vbi que præsentis, vestramque operam, ac diligentiam vnã mecum in prædicatione collocantes. Nec verò semel, bisve, aut ter, sed semper ex eo tempore, quo credidistis vsque ad hunc diem, Apostolorum planè studium, atque alacritatem representastis. Vide eos quidem, qui Romæ erant, ab illo se se auertisse (audi enim illum dicentem, Scis hoc, quòd auersi sunt à me omnes, qui in Asia sunt, & rursus, Demas me reliquit, & in prima mea defensione, inquit, nemo mihi adfuit) hos autem etiam cum aberant, illius sibi incommoda communia duxisse: quippe cum & certos homines ad illum mitterent, & pro viribus, quæ opus erant subministrarent, omninòque nihil omitterent. Atque hoc facitis, inquit, nò solum nunc, sed perpetuò, omni ratione subsidium afferentes. Ergo subsidium ferre, hoc est communicatio in Euangelium. Et enim quando ille quidem prædicat, tu verò prædicantem foues, & adiuuas; illius coronæ communes tibi sunt. Nam & in externis certaminibus non ad illum certatum, qui certat, corona pertinet, sed etiam ad prædicationem, & ad ministrum, omninòque ad omnes illos, quicunque athletam instituerunt. Et enim qui illum confirmant, ac recreant; eos victoriæ quoque participes fieri æquum est. Itidem verò in bellis non solus ille, qui præclarum facinus edidit, sed omnes etiam, qui ei vilem operam dederunt, non iniuriã ad trophæorum, gloriæque partem vocantur: perinde ac diligens illa opera, & ministeriũ pars quædam, ac societas certaminis fuerit. Atqui sanctis inseruire, tantum abest, vt paruum quiddam sit, vt multum omninò valeat. Nobis enim communes facit repositas illis mercedes. Exempli causa, profudit quispiam magnã pecuniã vim propter Deum, assidue adhæret Deo, eximie virtutis officiis fungitur, magnam adhibens diligentiam, ne vel in verbis, aut cogitationibus ipsis, vllãve alia relabatur. In tua manu est, quamuis tantundem diligentie non adhibueris, repositas illi pro tot laboribus mercedes communes tibi facere. Quomodo? si illum cures, foueasque & sermone, & reipsa, si consolers cum suppeditas necessaria, tum in omni ministerio inseruiens. Tu enim is eris, qui asperam illam viam faciliorem ipsi facies. Quamobrem si admiramini illos, qui in eremo viuunt, qui vitæ rationem planè angelicam susceperunt, qui in Ecclesiis eadem, atque illi, virtutis obeunt munera: si admiramini, inquit, ac doletis tam longo vos interuallo ab illis abesse: licet vobis alia quadam ratione cum illis coire societate, id est inseruiendo, curando, ac fouendo. Nam & hoc Dei benignitatis est, eos etiam qui negligentiores sunt, nec duram illam, asperã, exquisitam viuendi rationem suscipere possunt, rursus per a-

Ro. 10.

Deut. 7. & 14.

2. Cap. 4.

1. Cap. 5. 1. Cap. 4.

Cap. 1.

Vide notaciones.

1. Cor. 12.

Heb. 13.

Vide notaciones.

1. Cor. 1.

1. Tim. 4. Cap. 4.

Rom. 15. 1. Cor. 9.

Luc. 16.

De gratia & libero arbitrio.

liam viam ad eundem, atque illos gradum prouehere. Atque hoc illud est, quòd Paulus communionem vocat: cõmunicant nobis, inquit, & impartiunt carnalia: & nos illis communicamus spiritualia. Nam quemadmodum Deus pro exiguis, ac nullius ponderis rebus regnum largitur: ita & illius serui pro exiguis, ac sensibus spiritualia impartiunt: imò verò ipse est, qui per hos, & hæc, & illa dat. non potes ieiuniũ ferre? non solitudinem? non humi cubare? non integras noctes vigilare: licet tibi harum omnium rerum mercedem accipere, si alia quadam ratione rem tuam gesseris: nempe si eum, qui istos labores capit, cures, recrees, foueasque assidue: & laborem, qui in illis certaminibus sustinetur, leuem reddas. Ille quidem stat pugnans, ac vulnera excipiens: Tu verò à certamine redeuntem cura, obuiis manibus suscipe, sudorẽ absterge, recrea, solare, lassam animam foue, ac refice. Profectu si tanta cum alacritate sanctis inseruiamus: participes mercedũ, quæ illos manent, erimus. Hoc & Christus docet, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt recipiãt vos in æterna tabernacula. Vides quomodo isti participes facti fuerint? à prima die, inquit, vsque nunc. ob hoc ipsum, inquit, gaudeo super communicatione vestra. Gaudeo autem nò de præteritis tantum, sed etiã de futuris. Nam ex præteritis de istis quoque coniecturam facio. Confidens hoc ipsum, inquit, quia qui cepit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Iesu Christi. Vide quomodo illos modestiam etiam tueri doceat. Etenim quoniam magnum quiddam erat, quòd de illis testatus fuerat, ne humani quid patiantur, protinus ipsos ita instituit, vt & præterita, & futura ipsi Christo accepta referant. quomodo? non dixit, confido, quemadmodum cepistis, ita etiam perfecturos. sed quid? qui cepit in vobis opus bonum, perficiet, neque ipsorum in rectè facta aliquas fuisse partes negat. Dixit enim, Gaudeo super communicatione vestra, nimirum tanquam ipsi rectè se gessissent: neque tamen ipsis duntaxat rectè facta assignat, sed principaliter Deo. Confido enim, inquit, quia, qui cepit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Iesu Christi. id est Deus. Nec verò solum de vobis, inquit: sed etiam de iis, qui ex vobis oriẽtur, hoc spero. Nam & hæc non exigua laus est, nempe Deum in aliquo operari. Et enim si ille personarum acceptator non est, quemadmodum certè non est, sed ad cuiusque propositũ spectans nobis in virtutis officiis obeũdis opitulatur: satis constat nos ipsos esse, qui occasionem demus cur ille nobis concilietur. Quare hac etiam ratione illos laudem esse promeritos minimè negauit: ceterum qui si absolute ageret, nihil sanè impedimenti erat, quominus & Graci, & omnes omninò homines agerentur, si inquam nos perinde ac ligna, & lapides moueret, neque partes etiã nostras desideraret. Quamobrem, cum inquit, Deus perficiet, & hoc rursus ad illorũ laudẽ pertinet, quippe qui Dei gratiam ita sibi conciliarint, vt ipsis cooperaretur ad naturæ humanæ conditionẽ experãdam. Atque alia etiam ratione hac in re laus inest, nimirum, quòd talia sint vestra rectè facta, vt minimè humana sint, sed diuino actu sit opus. Quòd si Deus perficiet, nò maximus capiendus erit labor: sed confidere oportet, facile à nobis omnia præstitum iri: quippe qui ab illo adiuuemur. Sicut est iustum me hoc sentire pro omnibus vobis, eò quod habeam vos in corde, & vinculis meis, & in defensione mea, & confirmatione Euangelij, quòd omnes vos vnã mecum participes estis gratia. Magnã interea desiderij vim hoc loco ostendit, siquidem illos in corde habebat, atque in ipsomet carcere vinculus Philippensium recordabatur. non vulgaris virorum laus, esse in memoria sancti huius. nò enim illius dile-

ctio ex incõsiderato quodam animi motu, sed iudicio, ac benè cogitata ratione existerat. Quamobrem diligere aliquem à Paulo adeò vehementer, satis argumenti est, magnũ esse illum, atque admirabilem. & in defensione, inquit, & confirmatione Euangelij. Et quid mirum, si in carcere illos in corde haberet? nam neque illo tempore, inquit, quo ad tribunal accedebam dicturus causam, ex animo meo effluxistis. Tanta enim violẽtia est amoris spiritualis, vt nulli cedat ille tempore, sed amãtis animã perpetuò cõplectatur, nullãque calamitate, aut dolore vinci sinat. Etenim quemadmodum in fornace Babylonica, cum tantum esset excitatum incendium, ros tamen erat beatis illis pueris: ita etiã amicitia, vbi semel amantis, Deo que accepti hominis animam apprehendit, omnẽ extinguit flammam, rotẽ inque admirabilem spargit. & confirmatione Euangelij, inquit. Ergo vincula erant confirmatio Euangelij: ergo erant defensio: ac iure quidem. Nam si vincula detretasset: imposturis omnino speciem prabuisset. Nunc verò omnia tolerans, & vincula, & calamitatem: planè demonstrat non se humanam aliquam ob causam hæc pati, sed propter Deum, qui mercedẽ reddere solitus est. Nemo enim fuerit, qui & mori, & tot adire pericula statuat: nemo qui tãti Imperatoris (Neronem dico) offensionem subeat: nisi alium multò maiorem Imperatorem intueretur. Erant igitur vincula confirmatio Euangelij. Vide quomodo, vt plenius, atque abundantius, quòd vult obtineat, omnia in contrariam partem cõuerterit. Quod enim infirmitatis, & criminis loco putabãt, id confirmationem vocat: vt nisi id euenisset, infirmitate laboratum fuerit. Deinde ostendit dilectionem non temerè, sed iudicio susceptam. vnde? Habeo vos, inquit, in vinculis meis, & in defensione, eò quod vnã mecum participes estis gratia. Quid hoc est? Hoc ipsumne erat Apostoli gratia, vinciri, iactari, sexcentas ferre acerbitates? maximè. Nã, sufficit tibi, inquit, gratia mea. virtus enim mea in infirmitate perficitur: propter quod placeo mihi, inquit, in infirmitatibus, in contumeliis. Quando igitur video vos factis ipsis virtutem ostendere, atque huius gratiæ esse participes, idque alacriter: non immeritò has coniecturas facio. Nã qui vos fuerim expertus, optimèque omniũ vos, & vestra benefacta nõrim, qui vel tanto à nobis interuallo seiuncti, omnem contrẽtionem adhibetis, ne in calamitatibus à nobis seiungamini, sed periculorum, quæ pro Euangelio subeunda sunt, participes sitis, & procul positi nihil minus me ipso habeatis, qui in certamina ipsa descendi: æquum planè est, vt hæc relinquam testata. Cur autem nò dixit participes, sed vnã mecum participes? Et ego ipse, inquit, alteri impertio: vt vnã fiam particeps Euangelij, id est bonorum, quæ pro Euangelio nos manent. Ac mirũ profecto est, omnes illos ita affectos animo fuisse, vt à Paulo vocari possent sui participes. Ita enim, inquit, quòd omnes vos vnã mecum participes estis gratia. Hęc igitur initia fidem mihi faciunt, vos vsque ad finẽ tales fore. Vix enim fieri potest, vt principium adeò splendidum extinguat, atque euanescat: sed magnos quoque, ac præclaros exitus præstat.

MORALIS DIGRESSIO.

QVO NIAM igitur alia quadã ratione licet esse participem gratiæ, & periculorum, & calamitatu: obsecro ergo vos, simus nos quoque participes. Quam multi ex iis, qui hic sunt, vellent? quinimò omnes velletis participes esse Pauli in repositis illi bonis. Atqui licet, si vultis, facile istud assequi. quomodo? si iis, qui ministeriũ illius repræsentant, iis, qui pro Christo male accipiuntur, velitis subsidium alacriter ferre, opitulari, manum porrigere. Vides periclitari fratrem? por-

1. Cor. 12.

De alendis sanctis.

Mat. 10.

Cap. 4.

2. Cor. 9.

1. Cor. 13.

rige manum. Vides præceptorem prælio appetitū? as-
fiste. At enim dicis? nemo est, qui Paulo comparari
queat. En subito animi elatio: subito iudicant. Ne-
minem propè ad Paulum accedere, ego quoque fateor.
Verumtamen, qui recipit, inquit, Prophetā in no-
mine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. Non
enim Philippenses ob eam causam admirabiles erant:
quod Paulum adiuuabāt: non, inquam, ob eam cau-
sam: sed quoniam communicabant ei, qui Euangelij
prædicationem susceperat. Propterea Paulus hono-
rè promerebatur; quoniam hæc patiebatur pro Christo.
Qualis Paulus, nemo quidem est, nemo qui ad beatum
illum vel propè accedat. Euangelium verò, quod ho-
die prædicatur, idem est, atque eo tēpore erat. Nec ve-
rò tantum, dum in vinculis erat, ei communicabāt, sed
etiā à principio. Audi enim ipsius verba, Scitis autem,
& vos Philippenses, quòd in principio Euangelij nulla
mihi Ecclesia communicauit in ratione dati, & ac-
cepti, nisi vos soli. Ac sanè ommissis etiam periculis, multas
& graues habet molestias præceptor, vigilias, dicendi,
ac docendi laborem, reprehensiones, accusationes,
querelas, obtestationes. Leuia hæc, dic mihi? sexcen-
tis se linguis exponere, cum liceret sua vnus curare?
Heu quid mihi animi est! Duabus rebus interclusus,
hæsitō, atque hæreo. Nam cum vos & admonere, &
cohortari cupio, vt sanctos Dei foueatis, omnique o-
pe iuuetis? tum verò metuo, ne cui alia quædam inci-
dat suspicio; nimirū hanc mihi orationem non vestri,
sed illorum causa esse susceptam. Verum scitote hæc à
me non illorum, sed vestra ipsorum causa dici; idque,
si mentè aduertere velitis, ipsæ vobis rationes persua-
debunt. Non æquale est lucrum, quod vos reportatis,
atque illi. Nam vos quidem si dederitis: ea dabit, quæ
paulò post, velitis nolitis, aliis resignaturi, & concessu-
ri estis. At quæ accipitis, permagna sunt, longè, inquam,
maiora. An non hoc animo estis, accipere vos, cum
datis? Ego verò, nisi hoc animo estis, ne detis quidem
velim, tantum abest, vt pro illis sermonem faciam. Ni-
si quis antea sibi persuaserit, accipere se magis, quàm
dare, ingens lucrū facere, beneficio magis affici, quàm
afficere: ille verò ne det: si ita putat, dare se beneficium
accipienti: ne det. Non enim id mihi nunc magnope-
re curæ est, vt alantur sancti. Nam nisi tu dederis: alius
dabit. Quam obrem quod volo, hoc est: vt vos pecca-
tis vestris lenem quandam medicinam faciatis. Qui
verò hanc in dando rationem non tenet: medicinam
non habebit. Non enim dare: sed alacrem dare, sed læ-
tum, sed gratias habentem accipienti, hoc est elemo-
synam facere. Inquit enim, Non ex tristitia, aut ex ne-
cessitate. & rursus, hilarem enim datorè diligit Deus.
Non det igitur, qui hoc modo non dat. Iactura enim i-
stud est, non elemosyna. Quare si vobis hoc explorat-
um est, vos esse, qui quæstum facitis, non illos: explora-
tum quoque illud sit, maius etiam lucrum vobis ac-
cedere. Nam illis quidem corpus alitur: vobis autem
splendescit anima: illis, cum accipiunt, nullū remittit-
ur peccatum: vobis verò multæ offensiones abolètur.
communicemus igitur ipsis in laboribus, ac certami-
nibus: vt in magnis quoque illis præmiis aliquando
cōmunicemus. Non defuerunt, qui reges sibi adopta-
rent, atque in eo nō magis se dare, quàm accipere pu-
tarent. Tu Christum tibi adopta, tuāque res in tuto
collocabis. Vis & Paulo communicare? non veto. Ec-
quid dico Paulo: vbi Christus ipse est, qui accipit? Vt
autè intelligatis, me non aliorum recreationi studen-
tē, sed vestra causa, hæc omnia & dicere, & facere: si
quis est ex præfectis Ecclesiæ, qui vitam non in opē ag-
gat, nullaque re egeat: etiā si sanctus sit, tamen nolo ei

des: sed huic præpone illum, qui eger, quamuis nō ad-
eò admirabilem. Quid ita? quoniam ipse etiā Christus
hoc ita vult: idque illis verbis indicat, Cum facis coc-
nam, aut prandium, noli vocare amicos tuos, neq; co-
gnatos, sed debiles, claudos, & cæcos. eos nimirum, qui
tibi par pari referre non possunt. Non enim temerè
sunt quilibet inuitandi, sed esurientes, sed sitiētēs, sed
nudi, sed peregrini, sed ij, qui ex diuitiis ad inopiā sunt
reducti: non enim absolutè dixit, aluistis me, sed addi-
dit, esurientem. Esurientem, inquit, me vidistis, & de-
distis mihi mādūcare. Quòd si quemuis esurientē nu-
trire opus est: multò magis cum ad cibi necessitatē vi-
ri sanctitas accesserit. Duplici enim nomine officiū iu-
stum est: quòd & in sanctum, & in esurientē cōfertur.
Ergo si quis sanctus quidem fuerit, sed nō egeat, nihil
ei dato: non enim hoc lucrum est: non enim hoc Chris-
tus præcepit: quoniam nō sanctus quidē ille fuerit, qui
cum abūdet, accipit tamē. Vides non turpis luci causa
hæc à me esse dicta, sed vestrę utilitatis. Ale esurientem:
vt ne alas gehennæ ignē: ille de tuis rebus comedens,
eā etiam partē, quę tibi relinquitur, sanctificat. Cogita,
quomodo vidua Heliam aluerit, ac nō magis aluerit
quàm alta sit: non magis dedit, quàm acceperit. Id
nūc etiā fit, & multò amplius. Nō enim hydria farina,
aut lecythus olei: sed quid? centuplū, & vita æterna hu-
iusmodi officiis proposita merces est. Misericordia Dei
propria est: alimentū spirituale vias, fermentū mundū.
Vidua erat illa: vrgebat fames: & nihil horum impedi-
mēto illi fuit: habebat filios: neq; hinc etiā se retardari
fuit: æquauit illā, quę misit duo minuta in gazophyla-
ciū: non secū ipsa dixit: Quę mihi utilitas ab hoc expe-
ctāda est? ipse mei eger: Si quid viriū haberet, non inci-
disset in famē: depulisset hanc siccitatē: non iisdē pre-
meretur malis. Forsitā & ipse in Dei offensionē incur-
rit. Nihil horū cogitauit. Vides quantū boni sit adhibe-
re simplicitatē in benefaciendo: nec nimis curiosè in
eū inquirere, qui beneficiū sit accepturus? profectò si
omnia voluisset nimia quadam diligentia expendere:
multa illius animū diuersè traxissent: nec fidē habuif-
set. Ita & Abrahā si curiosè agere voluisset: angelos nō
suscepisset. Fieri enim minimè potest: fieri in quā non
potest, vt qui tam tenuē singulis quibusque rebus ex-
aminādis diligentia adhibet, sancto homini aliquando
benignè faciat: sed omniū maximè incidit in imposto-
res. Et quo modo istud? ego dicā. Vir pius nō hoc affe-
ctat, vt pius videatur: neque hanc sibi personā vult im-
ponere: etiā si futurum videat, vt despiciatui habeatur.
Impostor autē, quippe qui rē hęc artis loco habet, exi-
mię cuiusdā pietatis speciē artificio ad deprehenden-
dū difficillimo præ se fert. Quā obrem fit, vt ille quidē,
qui etiā iis, qui nō vidētur pij, benignè facit, in pios inci-
dat: qui autē eos solos quærat, qui pij existimātur: inci-
datat per se in impios. Obsecro igitur ego vos, omnia
in simplicitate faciamus: Esto enim: qui ad nos accedit,
sit impostor: nō tamē iustus es hæc curiosè scrutari. Om-
ni enim, inquit, à te petēti tribue. & Qui trahitur ad
interitū, liberare ne cesses. quamuis multi eorum, qui
necantur, in criminibus deprehensi ea pœna multati
fuerint: sed, Ne cesses, inquit. Ita enim similes Deo, ita
admirabiles erimus: & immortalia bona cōsequemur:
quib' vtinā digni efficiamur gratia & benignitate, &c.

SERMO II.

EST I sibi Deus, quomodo vos omnes cu-
pnam in visceribus Iesu Christi, & hoc oro, vt
charitas vestra adhuc magis ac magis abundet
in scientia, & omni sensu: vt probetis potiora,
vt sitis sinceri, & sine offensa in diem Christi,
repleti fructibus iustitiæ per Iesum Christum in gloriam & laudem

Rom. 13.

Rom. 12.

Mat. 5.

Vide nota.

Vide nota.

laudem Dei. Non idcirco quòd sibi fides non habeatur:
restem citat Deum: sed ex animi affectu id facit: vt que
illis hoc sit persuasissimum. Nam quoniam dixerat, eos
sibi communicasse: ne ob hanc causam, id est ob ea,
quæ mittebant, putarent se ab ipso desiderari, minimè
verò, quòd ipsi per se amarentur: idcirco subiunxit, in
visceribus Christi. Quid hoc sibi vult? Idē ac si dixisset,
secundum Christum, quoniam fideles estis: quoniam
amatis Christum: propter dilectionem, quę secundum
Christum est: neque dixit dilectionem, sed, quod ar-
dētius est, viscera Christi: perinde atque ita diceret, vi-
scera eius, qui veluti pater vester effectus est per eā co-
gnationem, quæ est secundum Christū. Hęc enim est,
quæ nobis dat viscera, viscera calenta, & inflammata.
Germanis enim seruis suis viscera largitur. In illis, in-
quit, visceribus amo vos: ac si dicat, visceribus non na-
turalibus, sed iis, quæ ardentiora sunt, nimirum, quæ
Christi sunt. Quomodo, inquit, vos omnes cupiam: omnes
desidero: quoniam & omnes tales estis: modum desi-
derij nō possum consequi oratione: quando igitur ver-
bis exprimi non potest: propterea Deo cognoscendum
relinquo penetranti corda. Quòd si illis allentaretur:
minimè Deum citasset testem. Nō enim id tutum est.
Et hoc, inquit, oro, vt charitas vestra magis, ac magis abūdet:
rectè: insatiabile enim est bonum hoc. Vide, quomo-
do, cum ad eò amaretur, adhuc magis amari cupiebat.
Qui enim hoc modo amat: eum, quem amat, ita sibi
respondere vult: vt nullo in amoris gradu consistere
patiat. Nullus enim est huius boni modus, idcirco-
que Paulus semper deberi vult. Nemini, inquit, quic-
quam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Modus, &
mensura charitatis est, nusquam consistere. Vt charitas
vestra, inquit, adhuc magis, ac magis. Attende verborum
dispositionem. Vt adhuc magis, inquit, ac magis abundet in
scientia, & omni sensu. Non vnuerse quæuis amicitia,
quamuis charitatem admiratur: sed eam, quæ ex scien-
tia proficiscitur, id est vt non erga omnes eandē chari-
tatem adhibeatis. Id enim minimè charitatis est, sed
insultitatis. Quid est in scientia? adhibito iudicio, cogi-
tata ratione, delectu quodam, ac sensu. Non enim de-
sunt, qui inconsultò, ac temerè ament: ex quo etiā fit,
vt huiusmodi amicitia parum roboris habeant. In scien-
tia, inquit, & omni sensu, vt probetis potiora, & p̄p̄iora. i. e.
om̄ia p̄p̄iora. i. quæ utilia sunt: non mea, inquit, sed vestra
ipsorum causa hæc dico. Periculum enim est: ne quis
ab hereticorum amore corrumpatur. Hoc enim to-
tum significat: dum ita loquitur. Vide autē, quomodo
istud iniicit. non mea, inquit, causa isthęc dico, sed vt
sitis sinceri, id est ne spurium aliquod dogma prætextu
charitatis admittatis. Quæres, quomodo igitur alibi
dixit? Si fieri potest, cum omnibus hominibus pacem
habete, non sanè hoc docens, ita vobis amandum esse,
vt ex amicitia damnium reportetis. Nam si oculus tuus
dexter scandalizat te, inquit, erue eum, & proiice abs-
te. Sed illud faciendum esse, vt sitis, quod quidem ad
Deum pertinet, sinceri, quod verò ad homines, sine of-
fensa. Multis enim sæpe amicitia nocent. Nam etsi tibi
nihil nocet, inquit, attamen alius interea offenditur. in
diem Christi, id est, vt tunc reperiamini puri; quippe qui
nemini scādalo fueritis repleti fructibus iustitiæ, per Iesum
Christum, in gloriam, & laudem Dei, id est vnā cum do-
gmatis vitam quoque rectam habētes: nec quomodo-
cunque rectam esse satis est, & confertam fructibus
iustitiæ: est enim quædam iustitia, quæ non secundum
Christum est, vt vita illa, quæ virtutem quoquomo-
do colit: sed per Iesum Christum in gloriam, & laudem Dei.
Vides non me gloriam meam curare, sed gloriam Dei.
Sæpe autem elemosynam iustitiæ nomine appellat.

A Ne, inquit, officiat vobis charitas, quominus cognosca-
tis, quæ in rem vestram sunt: nec quoniam hunc, vel il-
lum amas, propterea collabaris. Cupio quidem vestrā
crescere charitatem: sed non adeò, vt inde damnium
feratis: nec quauis præcepta semel opinione vos mo-
ueri velim? sed cum perpēderitis, vtrum quæ dicimus,
rectè se habeāt: neque dixit, vt mea præponatis, sed vt
probetis: neque perspicuè dixit: ne cum isto vel illo fa-
miliariter versemini: sed velim charitas vobis ad utili-
tatem proficiat: minimè verò perinde affecti sitis, ac si
sensu carcat. Res enim stultitiæ plenissima est, iustitiā
operari aliam ob causam, quàm propter Christum, &
per ipsum. Ecce rursus illam loquendi formulam, per
ipsum. Num igitur vsus est Deo, tanquam famulo, qui
inferiorem in operando locum teneat? absit. Inquit igitur,
non vt ego lauder, ita loquutus sum: sed vt glorifi-
cetur Deus. Scire autem vos volo fratres, quia, qua circa me
sunt, magis ad profectum venerunt Euangelij, ita vt vincula
mea manifesta fierēt in Christo in omni prætorio, & in ceteris
omnibus. Verisimile erat illos, cum eum in vinculis esse
audissent, dolere: putarēque obstructam esse viam præ-
dicationi. Quid igitur facit? statim hanc suspicionem
rollit: atque ita inquit. Ea, quę mihi euenerūt, in Euan-
gelij progressum redundarūt. Est autem & hoc aman-
tis, suas illis res patefacere: vt pote quibus curæ sint.
Quid ais? in vinculis es: impeditus es: ecquo igitur
modo euāgelium ipsum progressum facit? ita vt vincula
mea, inquit, manifesta fierent, quę sunt in Christo, in omni
prætorio; idque non modò aliis silentium non imposuit,
neque timorem incussit: sed etiam hoc ipso fidentiores
sunt facti. Quòd si illi, qui in mediis periculis versan-
tur, non solum nihil dāni tulerunt, sed etiam plus ani-
mi, ac fidentia sumpserunt: multò magis vos fidatis
oportet. Nam si ille quidem, qui vincus est, id miseriæ
loco tulisset, ac tacuisset: consentaneum erat, illos quo-
que eodem modo affici. Nunc verò cum is, qui est in
vinculis, liberius, & fidentius agit: longè magis animū
illis addit, quàm si vincus nō esset. Sed quomodo vin-
cula ad progressum Euangelij fecerunt? Hoc, inquit,
gubernauit Deus: vt ne laterent mea vincula: vincula,
inquam, quæ in Christo, quę per Christum, in omni præ-
torio. Tunc enim hoc nomine regias appellabāt: neque
verò solum, inquit, in prætorio, sed etiam in vnuerfa
ciuitate. Et plures è fratribus in Domino confidentes in vin-
culis meis abundantius auerēt sine timore verbum loqui. His
verbis ostendit & antea fidenter illos egisse, ac liberè
differuisse, sed nunc multò magis. Ergo si alij propter
mea vincula fidenter agunt: multò magis ego. Si aliis
fidentia causa sum: multò magis mihi ipsi: & plures è
fratribus in domino. Quoniam magnum dictū erat, mea
illis vincula animum addidisse: propterea occupans
dixit, in domino. Vides necessitate etiam ipsi imposta
magnificè de se loquendi, quàm tamen modestiæ non
obliuiscatur: abundantius auerēt, inquit, sine timore ver-
bum loqui, dum inquit, abundantius; satis indicat, illos
iam pridem cœpisse: quidam quidem propter inuidiam, &
contentionem, quidam verò & propter bonam voluntatem
Christum prædicant. Operæpretium fuerit cognoscere,
quid hoc sit. Cum in vinculis detineretur Paulus: multi
ex infidelibus cupientes acre bellum ab Imperatore
aduersus illum excitare: ipsi quoque Christum prædi-
cabant: vt Imperatoris ira vehementior fieret, diffemi-
nari Euangelium animaduertentis: & in Pauli caput,
quicquid ille furoris cœcepisset, recideret. Itaque duæ
agēdi rationes ex vinculis meis, tanquam ex causa ex-
titerunt. Aliis enim illa multum animi addiderūt: alios
verò in spem pernicipi meę adducendo ad prædicandū
Christum inuitarunt. quidam quidem propter inuidiam: id

est mea invidentes gloria, & præclaris initiis, meque A
perditum cupientes, mecumque pugnant, adiuuant,
ac prouehunt actiones meas; vel ipsi quoque honoris
cupiditate ducti, ac putates fore, ut aliquid de mea glo-
ria decerpant. *quidam vero, & propter bonam voluntatem:* id
est sine simulatione, penitusque ex animo: *quidam quidem*
ex contentione Christum annunciant non sincere, id est non pu-
rè, atque integrè, non propter rem ipsam, sed cur; *existi-*
mantes pressuram suscitare vinculis meis: existimantes enim
ita mihi maius periculum creari, dolorem dolore cumu-
lant. ò crudelitate, ò diabolicum impetum! Vincum cer-
nebant, coniectumque in carcerè; & adhuc inuidebāt;
augere ipsius calamitates, vehementiorique iræ obno-
xiū reddere cupiebant. Ac rectè dixit, *Existimantes:* nō
enim id illis ex sententiā successit. Nam illi quidem hac
re putabant dolorem mihi afferre; ego verò Euangelij
progressu lætabar. Ita interdum est, cum opus bonum
non ex bono proposito fit; nec modò nulla illi merces
est proposita; sed supplicium manet. Nam quoniā ideo
Christum prædicabant, quòd Christi prædicatorem in
maiora pericula coniectū vellent; nō modò nullam ca-
pient mercedem, sed etiam supplicio erunt obnoxij, ac
pœnas dabunt. *quidam vero ex charitate, scientes, quoniā in*
defensionē Euangelij positus sum, id est hoc præstātes, ut ne
mihi in rationibus Deo reddendis valdè laborandū sit,
& quiddā mihi subsidij ad defensionē afferentes. Horū
verborum hæc sententiā est. Iussus sum prædicare; ratio-
nes mihi reddendæ sunt, ac defensio comparanda pro
imposito mihi officio; igitur, ut mea defensio sit faci-
lior, adiumento mihi sunt. Etenim si multi inuenti fue-
rint, qui catechesim acceperint, & crediderint, facilis
mihi defensio erit. *Quid enim, dum omni modo siue per oc-*
casione, siue per veritatē Christus adnuntiatur. Videte viri
philosophiā. Non in illos vehementer inuectus est; sed
factū ipsum narrauit. Quid enim mea, inquit, interest:
vtrum hoc, an illo modo? dum nihilominus, siue occa-
sine, siue veritate Christus interea annunciat? Non
dixit, adnūciatur, quasi legem ferens: sed primū qui-
dem euentū ipsum narrauit. Deinde etiā si legem ferēs
hoc dixisset: nō propterea hæresibus aditū patefecisset.
Rem enim ipsam, si liber, expendamus. Intelligentius
profectò, etiam si ad eum modum prædicare iussisset,
quemadmodū illi prædicabant: non tamē hac ratione
hæresim locum dari. quomodo? quoniam illi sanam qui-
dem doctrinam prædicabant: propositū verò, ac mens,
qua id faciebant, ita corrupta erat, ut non tamē doctri-
na prædicata variaretur: Sed ut eodem modo prædica-
rent, magna illis imposita necessitas erat. Quapropter?
quoniā, si aliter prædicassent, ac Paulus: si aliter docuis-
sent, atque ille; profectò Imperatoris iram nō auxissent.
Nūc verò hoc ipso, quòd illius prædicationē dilatabāt,
atque eadem docebant, & similes sibi, atque ille, disci-
pulos comparabant: Imperatorem ad bellum suscipiē-
dum irritare potuerant, tanta discipulorū multitudine
prodeunte in conspectum. Sed importunus quispiā, &
stolidus hunc locum reprehendens ita dicit: imò verò
illi contrariam rationē sequuti essent, si Paulum lædere
voluissent: non enim fidelium numerū auxissent: sed eos
potius, qui iam crediderūt, abegissent. Quid igitur nos
respōdebimus? Hoc vnū illos spectasse, ut Paulum præ-
sentibus periculis circuncingerent, ut ne illum dimitti
sinerent: atque hac ratione putabant maiorē se illi do-
lorem allaturos, atque Euangelium extincturos, quā
si illos abegissent: aliter enim faciendo & Imperatoris
iram sedassent, & Paulum exire, ac rursus prædicare si-
uissent. Hoc autē modo totam se rem euertere existi-
mabāt; cum ipsum, inquam, de medio sustulissent. Ne-
que verò multi huc penetrabāt, sed amari quidam ho-

mines, & improbi. Deinde *in hoc,* inquit, *gaudeo, sed*
& gaudebo. Quid hoc est *sed & gaudebo?* etiam si, inquit,
magis, ac magis id agant. Nam vel inuiti actiones meas
adiuant: & laborum, quos in hac re impendunt, ipsi
quidem pœnam, ego verò, qui eò nihil confero, mer-
cedem feram. Est ne quicquam diabolo scelestius hoc
agente, ut Euangelij susceptio iis, quibus suscipere
persuaserit, supplicium conciliet? Vide enim quantis
malis vndique suos perfodiat. Pœnam istis, & suppli-
cium ex ipsamet prædicatione, & laboribus in ea sulce-
ptis fabricatur. Ecquisnam alius inimicus, atque ho-
stis, quicquid ad illorum salutem faceret, ad eò conta-
minasset? intelligis nihil cum posse, qui aduersus veri-
tatem bellū gerit: sed potius seipsum vulnerare, quem-
admodum qui aduersus stimulum calcitrat. *Scio enim,*
inquit, *quia hoc mihi proueniet ad salutem per vestram ora-*
tionem, & subministrationem spiritus Iesu Christi.

MORALIS DIGRESSIO.

Nihil diabolo scelestius. Ita vbique infructuosus la-
boribus suos obruit, ac dilaniat: nec solū præmio-
rum compotes esse minimè sinit, sed etiam supplicio
nouit obnoxios facere. non enim solū prædicationē,
sed etiam eiusmodi ieiunia, ac virginitatem ipsis iniun-
git, quæ nō modò præmiis sit illos priuatura, verum etiā
magnam calamitatem iis, qui ipsam amplexi fuerint,
inuectura. De quibus & alibi inquit, Cauteriatam ha-
bentes suam conscientiam. Quam obrem hortor, pro
omnibus gratias agamus Deo, qui nobis & labores le-
ues fecit, & mercedes auxit. Quas enim mercedes
apud nos ij consequuntur, qui caste vtuntur matrimo-
nio: eas apud istos ne illi quidem, qui virginitatem ser-
uant, assequi possunt. Sed qui apud hæreticos virginita-
tem colunt: eandem, ac fornicatores, pœnam subeunt.
Vnde? quòd nihil bono consilio, ac proposito faciunt:
sed vt creaturas Dei, immensamque illius sapientiam
criminentur. Igitur ne torpeamus negligentia: mode-
rata nobis certamina Deus iniunxit, nullius ferè labo-
ris plena. Nec tamen propterea despiciamus. Nam si
hæretici inutilibus laboribus seipfos miserè afficiant:
quæ nobis excusatio reliqua erit: si neque tantò mino-
res, quibusque maxima est proposita merces, subire vo-
luerimus? Ecquod enim Christi præceptorum graue?
ecquod valde molestum est? non potes in virginitate
degere: licet tibi matrimonio iungi; non potes tuis te
rebus omnibus priuare: licet tibi ex bonis tuis alteri
suppeditare. *Vestra,* inquit, *abundantia illorum inopia*
suppleat. Nam ista quidem valde graua videri possint,
pecunias pro nihilo habere, & corpora cupiditate su-
periore esse. Alia verò, vt præstet: nullo sumptu, nul-
la violètia opus est. Quam enim tibi vim afferas opor-
tet: vt ne maledicas, nec crimineris temere: ne catero-
rum bonis inuideas? ne ambitione capiaris? Tormentis
subiici, nec de gradu deiici patientiæ est: in exercita-
tione philosophica se continere, patientiæ est: pauper-
tatem ferre: cum fame, ac siti luctari, patientiæ est. At
vbi nihil horum præstare cogaris: sed licet tibi bonis
tuis, quatenus Christianū decet, fruentem, alienis non
inuidere: quam adhibeas violentiam oportet? Certè in-
uidia aliunde nō existit, quā quòd ex præsentibus re-
bus pendemus: imò verò neque aliunde omnia mala.
Nam si pecuniam, & gloriam mundi huius pro nihilo
putes: neuti quā iis, quibus suppetunt, inuidebis. Sed
quoniam istis inhias, ista admiraris, ac stupes: idcirco
inuidiæ, idcirco inanis gloriæ stimulis agitaris: ac deni-
que omnia hinc proficiuntur: ex admiratione, in qua,
vitæ præsentis, rerūque ad illam pertinentium. Inui-
des illi, quem vides ditescere? At ille misericordia po-
tius

Imperii
diabolicum
existimac-
se, præce-
pta Chri-
stifacila.

Videntia-
tionis.
i. Tim. 4.

1. Cor. 4.

Ex amor-
reus præ-
sentiu or-
minia me
la existit.

Dicitur
inuidia
sed mis-
ericordia
dignitas.

tius, ac lacrymis dignus est. Sed continuò cum risu A
inquis; ego lacrymis dignus, non ille. Profectò la-
crymis dignus & tu: non idè quòd pauper es, sed
quoniam te ipsum miserum ducis. Eos enim, quibus
nihil mali adest, ac tamen ægro animo sunt; lacrymis
prosequimur, non quòd malè habent, sed quòd, cum
minimè malè habeant, habere se putant. Etenim dic
mihi, si quis à febre liber mœreat, valensque decum-
bat, atque in lectulo circumferatur, nōne iste lacry-
mis dignior, quàm febri laborantes? Tu quoque la-
crymis dignus, propterea quòd te ipsum miserabilem
ducis, minimè verò propter paupertatem: nam pau-
pertas ipsa vel beatissimum te faceret. Quid est, quòd
inuideas diuiti, quòd seipsum pluribus curis subiecit?
quòd difficiliori seruituti? quòd sexcentis catenis, ve-
luti canis quispiam, suis pecuniis illigatus est? Adu-
nit vesper, successit nox, huic verò solatij, ac requie-
ris tempus fit tumultus, tristitiæ, mœroris, solitudi-
nis tempus. Increpuit quid? continuò proripit se. A
latronibus spoliatus est quispiam? qui nullum da-
mnum fecit: maiore torquetur solitudine, quàm ille,
qui fecit. Nam ille quidem semel perdidit, ac dolo-
rem accepit, deinde verò curam deposuit, hic verò
perpetuò secum illam gerit. Aduenit nox, portus ma-
lorum nostrorum, nostrarum calamitatum solatium,
vulnerum medicamentum. Nam & illi, qui in luctu a-
liquo sunt, amicis quidem, & cognatis, & familiaribus,
ac sæpe etiam patribus consolationem afferentibus
non obtemperarunt, neque morem gesserunt, sed illo
ipso sermone ad iracundiam sunt prouocati, somno
autem quietem indicente, ne oculos quidem con-
tra attollere valuerunt. Nullus enim æstus est, qui æ-
què atque acerbitas doloris, animas nostras cruciet.
Quemadmodum igitur corpus valdè æstans, & sub
feruentioribus radiis fatiscens, diuersorio quasi cui-
dam multis irriguo fontibus, & ex leui aura solatium
afferenti commendare solemus, ita nox somno com-
mēdat animam nostram, vel potius neque nox, neque
somnia hoc præstat, sed omnia hæc à Deo profecta
sunt, qui miseram humani generis conditionem nouit.
Verum nos nulla nostri misericordia tågimur, sed per-
inde, ac nobis ipsis inimici sumus, tyrannidem natura-
li necessitate, & solatio superiorem nobis comparau-
mus, vigilias, inquam, quæ ex diuitiis existunt. Diui-
tiarum enim, inquit, cura aufert somnum. Ac vide
quanta sit Dei prouidentia. Solatium, & quietem
hanc non proposito, consilioque commisit; non som-
ni vsum electionis nostræ esse voluit; sed naturalis ne-
cessitatis vinculis adstrinxit, vt vel inuiti beneficium
accipiamus. Dormite enim naturæ est. Nos autem
quasi nos ipsos valde oderimus, quasi non nos, sed a-
licenos bello persequamur, ac vexemus, hac ipsa natu-
rali necessitate maiorem nobis tyrannidem imposui-
mus, illam nimirum, quæ ex pecuniis est. Dies illu-
xit, atque hic sibi metuit à lycophantis: nox successit,
timet latrones, imminet mors: non tantum ex ipsa
morte doloris capit, quàm quòd sua in aliorum manus
deuenient: puerulum habet? tunc verò tantò maior
cupiditas, tunc se pauperem putat: non habet? ægri-
tudine conficitur. Hunc igitur beatum iudicas, ad
quem nullo ex loco affluere potest voluptas? huic flu-
sibus iactato inuides, cum tu in tranquillo portu, pau-
perrate, inquam, conqueas? Verè & hæc infirmitas
est naturæ humanæ, bona generose nō ferre, sed ea, vn-
de nobis benè est, contumeliis incescere. Atque hæc
quidem in hoc mundo. Verum cum illuc abierimus,
audi, quid dicat diues ille innumerabilium bonorum
dominus, quemadmodum quidem tu dicis: neque e-

nim ego equidem bona dixerim, sed indifferentia. A
Hic igitur innumerabilium bonorum dominus, audi
quid dicat, & culus rei necessitate laborer. Pater, in-
quit, Abraham, mitte Lazarum, vt intingat extremum
digni sui in aquam, & refrigeret linguam meam,
quoniam crucior in hac flamma. Nam tametsi diues
iste nihil eorum malorum, quæ supra commemorā-
bam, perpeffus esset, tametsi omnem vitam sollicitudi-
ne, & cura liber placidissimè egisset, quanquam, quid
dico, omnem vitam egisset? vnicum illud momentum
(momentum enim est, vt vnicum, inquit, momentum
est omnis nostra vita, si cum illo infinito seculo conte-
ratur) tametsi igitur omnia illi ex sententiā fluxissent,
nōne ex his ipsis verbis, vel potius ex his ipsis rebus
miserabilis est? An non vino tua vndique mensa re-
dundabat? nunc verò ne guttam quidem aquæ in po-
testate habes, nunc cum maximè eges. An non paupe-
rem illum vlceribus deformatum respiciebas? nunc
verò postulas, vt ipsum possis aspicerè, ac nemo per-
mittit. Ad fores tuas iacebat, nunc verò in sinu Abra-
hæ conquefcit. Tu sub amplis laquearibus cubabas,
nunc verò in igne gehennæ. Audiant hæc diuites, vel
potius non diuites sed inhumani, & qui nullo miseri-
cordiæ sensu tanguntur. Non enim idcirco ille punie-
batur, quoniam diues erat: sed quoniam misertus non
est. Licet enim diuiti, dummodo misericordia se duci
sinat, cuiusvis boni esse compoti. Ac sanè ob hanc cau-
sam neminem iste alium vidit, quàm illum pauloan-
te ipsius egentem, vt hinc in memoriam rediens fa-
ctorum suorum, intelligeret iustè se huiusmodi pœnis
affici. An fortasse deerant sexcenti alij pauperes iusti?
sed, qui ad fores ipsius iacebat, is illi se spectandum
præbet, vnà erudiens ipsum, ac nos, quantum boni
sit, pecuniis non confidere. Nihil illi paupertas ob-
fuit ad regnum consequendum, nihil huic diuitiæ
profuerunt ad vitandam gehennam. Quousque pau-
peres? quousque mendici? Non est, non est pauper il-
le, qui nihil habet, sed qui multa cupit: non est diues,
qui multa possidet, sed qui nullius eget rei. Quid enim
prodest vniuersum quidem terrarum orbem posside-
re, nihilo verò iucundius iis viuere, qui nihil habent?
Electiones ipsæ & vitæ instituta sunt, quæ diuites, &
pauperes faciunt, non pecuniarum abundantia, aut
inopia. Vis tu ò pauper ditescere? si velis, licet tibi: ne-
mo est, qui prohibeat: contemne mundi pecunias: pro
nihilo illas habe, quemadmodum reuera nihil sunt,
abice diuitiarum cupiditatem: & factus es diues. Qui
ditari non vult, hic est, qui ditatur. Qui minimè vult
in paupertatem incidere, is incidit. Nam quemadmo-
dum is verè ægrotat, qui etiam in sanitate languet, se-
que afficitat, nō ille, qui morbum nihilo difficilius
fert, quàm integram sanitatem, ita etiam pauper est,
qui paupertatem ferre non potest, atque vndique af-
fluentibus diuitiis se præ omnibus pauperibus paupe-
rem putat, non ille, qui paupertatem facillimè ferens
hilarius viuit, quàm diuites. Hic enim longè diuor
est. Dic enim mihi, cur paupertatem times? cur tre-
mis? nōne propter famis periculum, nōne propter
periculum sitis, & frigoris? nōne ob alias huiusmo-
di causas? At nemo, nemo, inquam, est; cui his de cau-
sis desperandum aliquando fuerit. Respicite enim in
antiquas generationes, & videte. Quis credidit Deo,
& derelictus est, vel quis sperauit in ipso, & confusus
est? & rursus: Respicite volatilia cœli, quæ non ferunt,
neque metunt, neque congregant in horrea, & pater
vester cœlestis pascit illa. Non citò quisquam nobis
quempiam protulerit, qui fame aut frigore perierit:
Quid igitur causæ est, quam obrem paupertatem ti-

Diuitien8
funt bona,
sed indif-
ferentia.
Luc. 6.

Ecl. 2.
Vbi vulg-
re respici-
te huius na-
tionis ho-
minum
(& c.)
Matt. 6.

Videnota-
tionis.

Non esse
aditū dan-
dū hære-
sum disse-
minatio-
ni.

meas? nihil habes, quod respondeas. Nam si necessaria tibi suppetunt: cur denique illam times? quod non tibi adest famulorum multitudo? id verò nihil aliud est, quàm à dominis esse liberum, quàm perpetua quædam beatitudo, quàm curarum vacuitas, & libertas. An quod vas, lectos, suppellectilem non habes ex argeto fabricata? Et quid plus habet, quàm tu, quod ad fruendum pertinet, is, cui ista suppetunt? nihil. Vfus enim idem est, siue ex hac, siue ex illa materia consent. An quod multis non es terror? Absit, vt id tibi vnquam in mentem veniat. Quæ enim voluptas, esse qui te metuant, ac formident? An quod alios formidas? at licet non formidare. Vis enim, inquit, non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. At enim dicis: facile cõtemnimur, facile malis afficimur: quinimo id potissimum facit improbitas, non paupertas. Etenim cum multi pauperes vitam agant sine molestia: non defuerunt principes abundantes diuitiis, ac dynastæ: qui quouis facinoroso, & latrone, & sacrilego deterius multati discesserunt. Quod enim in te paupertas; id in illo diuitiæ faciunt. Nam qui malefacere volunt: quemadmodum tibi ex contemptu: ita diuiti ex inuidia, & liuore malefaciunt; atque hi magis, quàm illi: Hi enim validiore impetu ad malefaciendum impelluntur. Etenim qui inuidet, omnem animi vim & facultatem in agendo adhibet. At qui contemnit: sæpe etiam illius, quem contemnit, miseretur: atque hoc ipsum causa illi salutis fuit, pauperem, inquam, esse, nihil habere virium. Ita enim aduersus eum, qui pauperi imminet, dicere soliti sumus; magnum verò quiddam effeceris; si hunc sustuleris: si pauperem vnum interfeceris: en quanta, & quàm ampla consequeris præmia; atque his verbis furorẽ illius cohibemus. At aduersus diuites inuidia ita insurgit: vt non antè desinat, quàm quod vult, effecerit, suumque venenum euomerit. Vides non in paupertate, aut diuitiis sitam esse boni naturam, sed in nostra electione. Hanc igitur componamus; doceamusque philosophari. Si hæc benè se habuerit; neque diuitiæ nos excludere à regno poterunt: nec quicquam nobis adimet paupertas; sed æquo ipsam feremus animo, nullum ex ea detrimentum aut ad futura bona consequenda, aut in hac vita reportantes: quinimo & his fruemur, & cœlestibus illis potiemur bonis: quibus vtinam digni efficiamur gratia, & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri &c.

SERMO III.

Et in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Scio enim, quia hoc mihi proueniet ad salutem per vestram orationem, & subministrationem Spiritus Iesu Christi secundum expectationem, & spem meam: quia in nullo confundar, sed in omni fiducia, sicut semper, & nunc magnificabitur Christus in corpore meo siue per vitam, siue per mortem. Magnam & philosophicam animam nihil, quod in hac vita molestè accadat, lædere potest: non inimicitia, non accusationes, non calumnia, non pericula, non insidia. Nam, perinde atque in excelsum quoddam montis cacumen se receperit: nihil ad illam ex iis, quæ de inferiore loco, de terra, inquam, iaciuntur, peruenire potest. Talis erat Pauli anima: quouis fastigio altiore locum prehenderat, locum philosophiæ spiritualis, veræ philosophiæ. Nam ea, in quibus ethnici versantur, verba tantummodò sunt, & puero-rum lus. Verùm de his nunc nobis sermo non est; sed de Pauli rebus verba facimus. Beatus quidem ille & Imperatorem hostiliter sibi aduersantem habebat, & alios præterea inimicos; qui variis, & acerbissimæ calumniæ plenis modis ipsum vexabant. Et quid ait? non

modò propterea non doleo, neque animo cõcido: sed etiam gaudeo, & gaudebo: non ad tempus, inquit, sed semper de his gaudebo. Scio enim, quia hoc mihi proueniet ad salutem, nimirum eam, quæ futura est. Et quomodo non proueniat: quando & inimicitia, & zelus aduersum me susceptus Euangelicæ prædicationi adiumento est? Per vestram orationem, inquit, & subministrationem Spiritus Iesu Christi secundum expectationem & spem meam. Vide beati huius humilitatem: in certaminibus laborat: innumerabilia erant ipsius benefacta; iam iamque coronam ipsam tenebat; Paulus enim erat: Nam quid maius dici potest; ac tamen Philippensibus ad hunc modum scribit, per vestram orationem possum salutem consequi: ille, inquam, cui sexcenta benefacta salutem comparant. Et subministrationem, inquit, Spiritus Iesu Christi, id est si per vestras preces dignatus fuero gratia. Vox enim ista subministrationem hoc significat, si subministraretur, si mihi plus spiritus tributum fuerit. Illa autem ad salutem hoc valet, ad hoc, vt liberer: & ex præsentis periculo perinde atque ex primo eripiar. De primo enim dixi, in prima mea defensione nemo mihi adfuit; non illis imputetur: Dominus autem mihi adstitit, & confortauit me. Hoc igitur & nunc propheticè prædicat: per vestram orationem, & subministrationem Spiritus Iesu Christi secundum expectationem, & spem meam. Ita enim, inquit, spero: Nam, vt nos doceat, non ita totum committere precibus, quæ pro nobis funduntur, vt nihil ipsi afferamus: Vide quomodo exponat, quid ipse attulerit; nimirum spem omnium bonorum causam: quemadmodum Propheta inquit, Fiat misericordia tua domine super nos, quemadmodum sperauimus in te, quemadmodum & alibi alius, Respice in antiquas generationes, & videte: quis sperauit in domino, & confusus est? & rursus beatus hic inquit, Spes autem non confundit, secundum expectationem, inquit, & spem meam, quia in nullo confundar. Hæc est Pauli spes; sperare nusquam se confusum iri. Vides quantum valeat sperare in Deo. Quicquid, inquit, eueniat: non confundar; id est non hi me superabunt. Sed in omni fiducia sicut semper, & nunc magnificabitur Christus in corpore meo. Sperabant illi dolo suo veluti laqueo quodam hoc se efficere posse; vt Paulum quidem è medio tollerent, prædicationem verò extinguerent. Id igitur nunc futurum negat: non nunc, inquit, moriar, sed sicut semper, & nunc magnificabitur Christus in corpore meo. Quomodo? sæpe in pericula incidi: in quibus de nobis non modò alij, sed nos ipsi desperabamus. (Ipsi enim, inquit, in nobismetipsis responsum mortis habuimus) ac tamen ex omnibus nos eripuit Deus: ita & nunc magnificabitur in corpore meo. Verùm ne quis ita cogitet, ac dicat: quid si tu obieris, non magnificabitur? probè, inquit, noui: atque ideo non dixi, per solam vitam magnificari dominum: sed addidi etiam, per mortem. Sed interea, inquit, per vitam, non enim me tollent; quod si tollant: nihilominus ita etiam magnificabitur Christus. Quomodo? per vitam quidem: quoniam me eripuit, per mortem verò: quoniam neque mors, vt illum negarem, mihi persuasit: quoniam ille tantum mihi alacritatis largitus est, meque morte superiorem fecit: ibi quidem, quoniam me à periculis liberauit: hic verò, quoniam mihi me à mortis tyrannide metuere non sinit. Ita per vitam, & mortem magnificabitur. Hæc verò, inquit, non quod mortem esset obiturus; sed ne illi, vbi mortem obierit, humana quadam perturbatione tententur. Etenim ne putarent tanquam obiturum hæc dixisse, quod magna illos ægritudine affecisset: vide quomodo adhibeat consolationem, talibus propè verbis vsus. Hæc autem loquor, non quasi mihi

1053
mihi moriendum sit: propterea & in progressu illa adiungit, Et hoc confidens scio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis, quia in nullo, inquit, confundar, id est nullam mihi ignominiam, sed magnum lucrum afferet mors, perinde ac si diceret; immortalis quidè minimè sum; sed clarior ero, quàm si immortalis etiam essem. Non enim par laus est; si immortalis mortem contemnat, ac si mortalis. Quamobrem et si moriendū nunc mihi esset; nullum hinc subirem dedecus, veruntamè non moriar: in nullo confundar, neque si viuam, neque si moriar: vtrumque enim genorose feram: siue viuendum, siue moriendum sit, honestatem tueri hoc Christianæ animæ est. Sed in omni, inquit, fiducia: vides quomodo non confundar? Nam si quidem mortis timor meam mihi ademisset fidenciam; pudendum sanè fuisset mori. Nunc verò, cum illa impendens me nihil terruit; nullum profectò in ea dedecus esset. Sed siue viuam, ex vita non confundar (Prædico enim Euangelij prædicationem) siue moriar, ex morte non confundar: non enim cõtercet me timor: eandem enim fidenciam, atque animi libertatem præ me fero. Neque enim, quod vinculorum mentionem feci; rem istam turpem putetis. Tantorum mihi bonorum efficiencia fuerunt; vt cæteris etiam animis addiderint, quo confidunt. Non enim vincitū esse pro Christo, sed vinculorum metu prodere quippiam eorum, quæ ad Christum pertinent, id turpe est. Quandiu istud minimè accidet; firmiorem potius, atque audentiozem animum vincula faciunt. Non, quoniam sæpe ex periculis euasi (atque inde est, cur aduersus infideles glorier:) si quid simile accadat: iam vos confundi, atque ignominia notari existimetis. Nam & hoc etiam non minus vobis libertatis, ac fidenciam præbet, quàm illud. Vide, quomodo sub persona sua hanc rem pertractet: quod & sæpe alibi facit: quemadmodum erga Romanos. Non enim erubescio Euangelium, quemadmodum erga Corinthios, Hæc autem transfigurauit in me, & Apollo. siue per vitam, siue per mortem. Non hoc veluti ignorans dicit, nouerat enim minimè tunc sibi moriendum esse, sed in sequenti tempore. Attamen iam ipsorum animam præparat. Mihi enim, inquit, viuere Christus, & mori lucrum. Nam & moriendo, inquit, non moriar, vitam habens in me ipso. Tunc me sustulissent: si per metum potuissent ex anima mea fidem exturbare. Quandiu verò Christus mecum fuerit: etiam si mors ingrueret, viuam. Atque in hac etiam vita, non hoc mihi viuere est, sed Christus. Quod si dum hinc viuo: non hoc mihi viuere: quid in altero seculo futurum est? Quod verò nunc, inquit, in carne viuo, in fide viuo. Hoc & ibi dicit, Viuo autem iam non ego, viuunt verò in me Christus. Talem oportet Christianum esse: non viuo, inquit, communem vitam. Quomodo igitur viuus, beate Paule? non solem aspicias? non communem aërem respirando ducis? non iisdem, atque omnes, alimentis nutritis? non terram, quemadmodum nos facimus, calcas: non somni egess? non vestium? non calceorum? Quid inquis, non viuo? Quomodo non viuus? quid sibi vult iste verborum tumor? Non sunt hæc tumoris, & ostentationis. Etenim, nisi res ipsæ testimonium darent, meritò illa quispiam tumori, ac vanitati adscriberet. Nunc verò cum res ipsæ testimonium dant: quam ostentationis speciem habebunt? Discamus igitur, quomodo non viuat. Nam & alibi, inquit, Ego crucifixus sum mundo, & mihi mundus. Quomodo igitur dicit, Non iam ego viuo, & quomodo rursus mihi viuere Christus? Audiatis. Vitæ nomen multiplex est, dilecti: id est multa significat: quemadmodum mortis etiam nomen. Est vita hæc cor-

poris: est etiam vita quædam ipsius peccati: quemadmodum Paulus alibi dicit, Si enim mortui sumus peccato: quomodo adhuc viuemus in illo? Est igitur viuere peccati vitam: attendite, obsecro, diligenter, ne frustra laboremus. Est vita æterna & immortalis, quæ etiam cœlestis est. Nostra enim, inquit, conuersatio in cœlis est. Est etiam vita corporis, de qua dicit, Per ipsum viuimus, & mouemur, & sumus. Non igitur negat naturalem se vitam viuere: sed eam, quæ peccatorum est, quam viuunt omnes homines. Et meritò quidem negat. Nam qui præsentis vitæ cupidus non est: quomodo hanc viuunt? qui ad alteram, festinat: quomodo hanc viuunt? qui mortem contemnit: quomodo hanc viuunt? qui nihil ex iis quæ in mundo sunt, amat: quomodo hanc viuunt? Nam quemadmodum qui ex adamante constat: ne si millies quidem percutiatur, quicquam commouebitur: ita etiam Paulus: Viuo autem, inquit, non iam ego, id est non iam vetus homo: & rursus alibi, Miser ego homo, quis me liberabit ex corpore mortis huius? Ita qui nihil alimentum, nihil vestium, nihil vllius rei præsentis causa facit: quomodo hic viuunt? Hic profectò ne naturalem quidem vitam viuere dicendum est. Qui nihil eorum, quæ ad vitam faciunt, curat: is nec viuunt. Nos hanc vitam viuimus, qui pro hac omnia facimus: ille verò non vivebat, neque in rebus vllis inferioribus versabatur. Quomodo igitur viuere? Ita etiam de quibusdam dicimus: ille mihi non adest: vbi nihil agit, quod ad me pertineat. Ita etiam rursus, ille mihi non viuunt. Quod enim naturalem hanc vitam non reiiciat, alibi his verbis ostendit, Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit se ipsum pro me, id est nouam quandam vitam viuo, atque abvilitata longè diuersam. Hæc sanè omnia ad Philippensium consolationem dicit. Ne putetis, inquit, fore, vt hac vita spoliaretur: quandoquidem ne viuens quidem hanc vivebam vitam. Dic enim mihi, qui pecunias contemnit, qui cibum, qui famem & sitim, qui pericula, qui sanitate, qui salutem: is hanc vitam viuunt? qui nihil in terris habet, qui sæpe profundere ipsam cupit, si opus sit, neque reluctatur: is hanc viuunt vitam? neutiquam. Sed istud vobis quasi exemplo quodam perspicuum faciendum est. Esto quispiam diuitiis multis, famulis, auro abundans: nulla autem harum rerum vtatur: num is diuitiis istis diues erit? minimè. Sed videat præterea bona à filiis dissipari temerè circumcursantibus, nec quicquam curet: adde etiam si vis, percussus non doleat: at hunc dicemus in diuitiis esse? nequaquam: tametsi ipsius sunt diuitiæ. Ad hunc etiam modum se habebat Paulus. Mihi, inquit, viuere Christus; si meam vestigias vitam, ille est & mori lucrum: cur? quoniam maior mihi illius notitia erit: & familiarius cū ipso versabor, Quare hoc nihil aliud est, quàm moriendo ad vitam peruenire: Nihil mihi durius facient, qui interfecerint, ad meam me emittentes vitam, & ab hac quæ mihi apta non est, liberantes. Quid igitur? dum hinc es, Christi non eris? & valde quidem. Viuere autè in carne, hoc mihi fructus operis est, & quid eligam ignoro. Ne quis dicat: si igitur illud est vita: cur Christus hinc te manere sinit? fructus, inquit, operis est: quamobrem licet præsentem etiam vitam eò, quod oportet, vt: quomodo? si ipsam minimè viuamus eo modo, quo vulgus viuunt. Hoc ideo, inquit, ne putes vitam ipsam crimini dari: neque dicas, si igitur hinc nulla nobis comparatur utilitas, quid est, cur nos non è medio tollamus, & occidamus? neutiquam, inquit: Licet ex hac etiam mansionem lucrum reportare, si hanc vitam minimè viuamus, sed alteram. Ergo, si quispiam fortè Paulum interroget, hocne tibi fructum affert? certè, inquit: Vbi nunc hæretici? Audis

nunc, *viuere in carne hoc fructus operis*: operis enim, inquit: quomodo fructus operis? quod autem nunc uiuo in carne, in fide uiuo, hinc fructus operis. *Et quid eligam ignoro.* Papæ, quanta est philosophia? Quomodo præsentis uitæ cupiditatem abiicerat, nec tamen illam criminabatur: nam his quidem verbis, *mori lucrum*: cupiditatem abiiciebat; illis uero, *viuere in carne fructus operis*, ostendit præsentem quoque uitam esse necessariam; si ipsa, quod oportet, utamur: si fructum feramus. Etenim si infructuosa sit: neque uita amplius est. Nam & arbores quæ fructum non ferunt; itidem, atque aridas auersamur, & in ignem conuicimus. Rursus enim uita est ex earum rerum numero, quæ mediæ sunt, & indifferentes: bene autem, uel malè uiuere in nobis est situm. Igitur ne displiceat uita. Nam licet etiam honestè uiuere; ut si malè uita utamur, non etiam propterea ipsam accusare debeamus. quapropter? quoniam non ipsa causa fuit: sed electio eorum, qui malè ipsa sunt uis. Nam Deus quidem ideo te fecit uiuere; ut ipsi uiuas. Tu uero propter uitiositatem peccato uiuens, omnem in te hæere culpam uoluisti. Quid ais, quæso, Paule? ignoras, quid eligas? Hoc loco magnum patefecit mysterium. His enim uerbis ostendit, factam sibi esse potestatem decedendi. Quandoque enim hoc elegerimus; potestatem habemus. *Quid eligam*, inquit, *ignoro.* Ergo in te situm est; certè, inquit, si à Deo hanc postulare gratiam uolueris. *coarctor è duobus, desiderium habens.* Attende beati huius paternum affectum. Hac etiam ratione ipsos consolatur. Vbi enim intellexerint, id in ipsius uoluntate situm esse, neque ab hominum improbitate, sed à Dei cuncta disponentis prouidentia proficisci: non leue hoc erit ad consolationem accipiendam momentum. Cur ergo, inquit, mors uobis mærorem affert? multò satius erat iam pridem decessisse, *dissolui enim*, inquit, *& esse cum Christo multò melius, manere autem in carne magis necessarium propter uos.* Hæc præparabant ad futuram ipsius mortem generosè ferendam: hæc philosophiam docebant. Bonum, inquit, est dissolui, & esse cum Christo. Nam & ipsa mors in numero rerum indifferentium est: Non mors malum est; sed post mortem pœnas dare hoc malum est: neque uero bonum est mors; sed postquam decesseris, cum Christo esse, id bonum est: ita planè; ut quæ post mortem, ea demum sint uel bona uel mala.

MORALIS DIGRESSIO.

IGITUR non generatim eos, qui moriuntur, lugeamus, neque de uiuētibus generatim gaudeamus: sed quid? lugeamus peccatores non solum morientes, sed etiam uiuentes. De iustis gaudeamus non solum dum uiuunt, uerum etiam postquam mortui fuerint. Nam illi quidem etiam dum uiuunt, mortui sunt; hi uero etiam cum mortui fuerint, uiuunt. Illi etiam dum hinc sunt, omnium elicere misericordiam debēt; quoniam Deum offendunt: hi uero illuc etiam translati beati sunt: quoniam ad Christum sunt profecti. Peccatores, ubi ubi sunt: procul à rege sunt: propterea lacrymis digni. Iusti autem siue hic, siue ibi; cum Rege sunt: atque ibi quidem multò magis, ac propius, non quasi quodam interiecto uestibulo, non per fidem, sed faciem, inquit, ad faciem. Non igitur uniuersè ploremus mortuos: sed eos, qui in peccatis: hi lamentis digni, hi eiulatu, hi lacrymis. Quæ enim dic mihi, spes est uñ cum peccatis eò discedere; ubi peccata exuere non licet? Donec enim hinc erant: magna forsitan erat spes, fore, ut conuerterentur: ut meliores euaderent: at si in infernum abierint, ut nihil lucri ex pœnitentia reportari potest. (Nam, In inferno, inquit, quis confitebitur

tibi? quomodo non lamentis digni? lugeamus eos, qui hoc modo decedunt, non ueto: lugeamus: sed non præter decorum, non uellentes capillos, non brachia nudantes, non lacerantes faciem, non pullas vestes induentes: sed solum in anima lacrymas amaras quietè fundamus. Etenim sine hac etiam pompa est amarè flere, & non tantum ludere. Nam quæ à nonnullis fiunt: à pueros ludibus nihil differunt. Quoniam enim fletus illi forenses non ex dolore, quem quidam naturæ consensus attulerit, proficiscuntur, sed ex ostentatione, & ambitione, & uanæ gloriæ studio: ideo multæ inueniuntur mulieres, quæ huius rei artè exercent. A marè fleas: domi plures: nemine uidentè. Id misericordiæ fuerit: id tibi etiam profuerit. Nam qui illum hoc modo lugeat: multò magis ipse studium adhibebit, ne in eadem incidat mala. Terrorè tibi posthac peccatum incutiet: luge infideles: luge eos, qui nihil ab infidelibus differunt: qui sine illuminatione, sine signaculo decesserunt. Hi uerò lamentis digni, hi lacrymis. Extra regiam sunt uñ cum iis, qui pœnæ sunt obnoxij, uñ cum damnatis. Amen dico uobis, nisi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non introibit in regnum cœlorum, luge eos, qui in diuitiis sunt mortui: cum ex diuitiis nullum animabus suis solatium comparassent: eos, quibus abludè peccata sua potestas facta erat, & noluerunt. Hoc quidem nos omnes, & publicè, & priuatim lugeamus: sed ita, ut à decoro ne recedatur: ut grauitatem tueamur: ut ne nos ipsos ludibrio exponamus. Hos lugeamus non unum, aut alterum diem, sed per omne uitæ nostræ tempus. Lacrymæ hæc non sunt amentis perturbationis, ac veri, ac germani amoris: illæ uero amentis planè affectionis: propterea etiam citò ardescunt. Quæ enim ex Dei timore proficiscuntur: semper durant. Hos igitur lugeamus: opem pro uiribus feramus: aliquod ipsis auxilium comparemus, exiguum illud quidem, sed quòd tamen auxiliari queat. Quomodo, quæ uerè ratione: cum ipsi preces fundentes, tum alios, ut pro ipsis fundant, obsecrantes, ac pro ipsis perpetuò dantes eleemosynas pauperibus. Affert hæc res aliquid solatij. Audi enim Deum ita dicentem, Protegam urbem hanc propter me, & propter David seruum meum. Si sola iusti memoria tantum ualuit: ubi opera præterea pro mortuo fiant: quid non poterunt? Non frustra hæc ab Apostolis sunt legibus constituta: ut in uenerandis, inquam, atque horrificis mysteriis memoria eorum fiat, qui decesserunt. Nouerant hinc multum ad illos lucri accedere, multum utilitatis. Eo enim tempore, quo uniuersus populus stat manibus passis, ac cœtus sacerdotalis, & illud horrorem uenerationis plenum incutiens sacrificium: quomodo Deum non placabimus pro istis orantes? Atque id quidem de iis, qui in fide decesserunt. Catechumeni uero neque hac dignantur consolatione: sed omni auxilio sunt destituti, uno quodam excepto. Quale uero hoc: licet pauperibus pro ipsis dare, atque hinc aliquid percipiunt refrigerationis. Vult enim Deus, nos nobis mutuam auxilium afferamus. Ecce quid enim aliud causæ sit: quam obrem pro pace, & bono mundi statu precari iusserit? quam obrem pro omnibus hominibus? nam hic quidè inter omnes sunt etiam latrones, sacrilegi, fures, atque alij sexcentis scattentes malis: ac tamen pro omnibus precamur: erit enim fortasse quædam ipsorum cõuersio. Quemadmodum igitur pro uiuētibus istis precamur, qui nihil à cadueribus differunt: ita pro illis etiam precari licet. Iob pro filiis sacrificia faciebat: & ipsos à peccatis liberabat. Ne quid fortè, inquit, cogitauerint in cordibus suis. Hoc modo consulitur liberis. Non dicebat, quod plerique homines solent: opes illis relinquã: non dicebat,

Gal. 1.

Vita est ex numero rerum indifferentium.

Mors est in numero rerum indifferentium. Quæ post mortem, ea bona, uel mala.

1. Cor. 13.

Psal. 6.

Deiis, qui sine hi primo decedim, Ioan. 1.

4. Re. 11. Operis mortis.

Traditiones App. Holomæ.

Traditiones App. Holomæ sunt iustitiam à Deo.

Iob. 1.

goriam

gloriam illis comparabo; non dicebat, mercabor principatum; non dicebat, agros emam; sed quid? ne quid cogitauerint in cordibus suis. Quæ enim ex rebus illis utilitas, cum hinc restent? nulla. Illum, inquit, omnium regem propitium ipsis reddam; & nihil ipsis posthac deerit. Inquit enim, Dominus pascit me, & nihil mihi deerit. Hæc est magna opulentiâ; hic thesaurus est: si Dei timorem habeamus, nullius rei egemus; sin minus, tamen si regnum obtineamus, omnibus hominibus magis pauperes sumus. Nihil ei par inueniri potest, qui Deum timet. Nam, Timor, inquit, Domini super omnia se superposuit: hunc nobis comparemus: pro hoc omnia faciamus, etiam si reddèda anima sit, etiam si corpus trucidationi exponendum; non ideo refugiamus, omniâque faciamus, ut hunc timorem cõsequamur: hoc enim modo & omnibus erimus opulentiores, & futura consequemur bona in Christo Iesu Domino nostro, cum quo Patri, simul sancto spiritui gloria, imperium, honos nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IIII.

T quid eligam, ignoro, coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolui & esse cum Christo, multò magis melius: permanere autem in carne magis necessarium propter uos: & hoc confidens scio, quia manebo, & commanebo omnibus uobis ad profectum uestrum, & gaudium fidei; ut gloriatio uestra abudeat in Christo Iesu in me per meum aduentum iterum ad uos. Nihil Pauli anima beatius, quoniam nihil etiam magis generosum. Nunc uerò contra de omnibus dici potest. Nihil nobis infirmius, nihil miserius. Propterea omnes horremus mortem, partim quidè peccatorum multitudine grauari, quorum ego quoque unus sum, partim uerò uitæ cupidi, & mori miserum ducetes; quibus ego utinam nunquam adnumerer. Animales enim sunt, qui hunc timorem timent. Ergo hoc quod omnes horremus, ille optabat, eoque incubebat, ita dicens, *Dissolui multò magis melius, & quid eligam, ignoro.* Quid ais? Cum hinc abiens ad cælum sis migraturus, & cum Christo futurus, ignoras quid eligas? sed longè nos absumus à Pauli anima. Quis enim fuerit, cui si hæc uerè feratur conditio, non illam quamprimum arripiat? Certè, inquit, ignoro. Sed quemadmodum minimè nostrum est posse illud dicere, Cupio dissolui, & esse cum Christo; ita cum id assequi liceat, minimè nostrum est, hinc manere uelle. Sed utrunque Pauli est, & beatæ illius animæ. Quid est, quod dicis? nosti, ac pro comperto habes futurum te esse cum Christo, & hæsitans, ac dicis, quid eligam nescio? neque hoc tantum, sed etiam hinc manere eligis manere, in qua, in carne? Quid ita? nonne acerbam uitam ducebas; in uigiliis, in naufragiis, in fame & siti, & nuditate, in curis, & solitudinibus; cum iis, qui infirmabantur, infirmabar; propter eos, qui in scandalum incidebant, uerebaris. In multa, inquit, patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in ieiuniis, in castitate; quinquies quadragenas una minus accipit: ter uirgis caesus sum: semel lapidatus sum: nocte & die in profundo maris fui; periculis luminum, periculis latronum, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in falsis fratribus. Nonne cum tota Galatarum gens ad legis obseruationem reuersa esset, clamabas dicens, Qui in lege iustificamini, à gratia excidistis? Quem tunc luctum non haustisti? atque adhuc moribundam hanc uitam desideras? Nam tamen nihil horum tibi accidisset: & omnia quæcunque rectè funderis, quietè, & cum uoluptate functus esses: nonne tamen oportebat incerta futuri temporis pertimescentem ad portum aliquem contendere? Ecquis mercator nauis uetus in-

merabilium thesaurorum plenâ, si liceat subire portum, ac requiescere: mari adhuc iactari malit? Ecquis athleta, cum liceat corona potiri, adhuc certare postulat? Ecquis pugil, cum coronam possit induere, malit rursus in certamen descendere, & suum ipsius caput concidendum præbere? Ecquis dux, qui à bello cum gloria, & trophæis liberari queat, & cum Rege in Regia quietus degere, seque oblectare, adhuc & sudare præoptet, & in aciem prodire? Quomodo igitur ad eò acerbâ uitam uiuens adhuc vis in terris manere? an non tua sunt ista uerba? Timeo, ne fortè cum aliis prædicauerim, ipse reprobos efficiar: si nihil aliud præterea causæ fuisset, hæc satis erat, quo liberatio desideraretur: si in numerabilibus bonis præsens uita abundasset: ab hac tamè liberari optandum erat, ob Christum, quæ desiderabas. O Pauli animam! nihil illi par aut fuit, aut futurum est. Times, si in hac uita permanes, quid futurum sit: innumeris malis implicatus es, ac tamen recusas apud Christum esse? Reculo, inquit, idque propter Christum: ut quos illi paruuleros, firmius in illius amore stabiliam: ut ex agro, quem plantaui, fructus extare faciam. Non audisti, me non quærere, quod mihi uile est, sed quod proximis? Nō audisti, mihi in optatis fuisse anathema fieri à Christo: quò multi ad illū uenirent. Qui illud elegi: nō multò magis hoc eligam? ut damnū ipse ex hac mora, & dilatione faciam, quò illis aliqua ad salutem accessio fiat? Quis loquetur potentias tuas Domine, qui Paulum minimè latere siueris, qui talem uirū orbi ostenderis? laudaret scilicet te omnes angeli uno animo, cum astra fabricatus es, & solem: sed non perinde, atque eo tempore, quo nobis, totique orbi Paulum ostendisti. Hinc terra facta est splendidior cœlo. Pulchrior hic solis lumine, splendidiore emisit fulgore: latus effudit radios. Quantum hic nobis peperit fructū, non spicas pinguefaciēs, aut arbores nutriens, sed ipsum pietatis fructum & procreans, & ad vigorem adducens, & eos, qui concidebant, assidue recreas? Nam hic quidem sol, quod semel in arborum fructibus computruerit, restituere nequaquam poterit: Paulus autem eos etiam, qui sexcenta uulnera ex peccatis habebant, ad uitam reuocauit. Atque hic quidè nocti decessit: ille uero diabolo superior fuit. Nihil illum euerit: nihil superauit. Hic de sublimi loco dum fertur, radios deorsum emittit. Paulus uero de infero loco exorians, non cœli, ac terræ dimidium lumine compleuit: sed simulatque os aperuit, angelos etiâ ipsos magna referit uoluptate. Nam si uno homine pœnitentiæ agente gaudium existit in cœlis: cum Paulus à prima cõicione multos uenatus fuerit: quomodo fieri potuit, ut superas potestates gaudio non impleret? Ecquid dico quomodo? satis erat Paulū loqui: & hoc ipso cœli exultabat, & lætabatur. Etenim si Israëlitis ex Ægypto exeuntibus, mōtes exultarunt ut arietes: quādo homines ex terra in cœlū transferebantur, quāto gaudij putas fuisse? Propterea igitur *permanere in carne magis necessarium propter uos.* Et quæ nobis posthac relicta est excusatio? Fit enim perisæpè, ut quispiam paruam, ac pauperem ciuitatē nactus, abire tamè aliò nolit, cetera omnia præ sua quiete postputans, Paulo abeundum ad Christum erat: & non uoluit Christum, (Christum illū, quem ita desiderabat, ut pro ipso gehēnam etiam eligeret) sed adhuc uoluit manere, ac laborare in pugna pro hominibus. Ecquæ nobis erit excusatio? Verum est ne uniuersè tantum mentio facienda Pauli? Attende quid egerit. Dixit, melius esse abire, ne illi de ipsius morte dolerent: ostendit etiam, si maneat, idcirco manere, ut illis proficit: non enim id ex mala indiciantium mente succedere. Igitur ut illi facilius ad hoc credendum adducantur: causam apposuit. Nam si id necessarium est:

1. Cor. 9.

1. Cor. 10. Rom. 9.

Psal. 15.

Iob 38. vulgata autem paulo aliter habet. Paulus pulchrior sole.

Luc. 15.

Psal. 118.

omnino adhuc manebo; nec tantum manebo, sed etiam vobiscum manebo. Hoc enim sibi volunt verba illa *commanebo*; id est videbo vos. Quam ob causam ad profectum vestrum, & gaudium fidei. Hoc loco ipsos excitat; vt sibi attendant. Nam si propter vos, inquit, manebo; videte ne mansionem meam dedecoretis. Cum iam Christus mihi videndus esset; elegi propter vestrum profectum manere. Mea enim presentia, & ad fidem vobis facit, & ad gaudium: propterea elegi manere. Quid igitur? Philippensiumne tantum gratia mansit? non sane illorum tantum gratia mansit; Sed his verbis quandam illis adhibet lenem medicinam. Quomodo autem erant illi profecturi in fide? vt magis magisque vos confirmem: perinde ac pullos quosdam matris cura egentes; donec ipsis solidiores succrescant alae. Magnum hoc charitatis indicium. Ad hunc modum a nobis etiam quidam excitari solent; atque ita dicimus; tua causa mansit; vt te bonum redderem. *Vt gratulatio vestra, inquit, abundet in Christo Iesu in me per meum aduentum iterum ad vos.* Vides ista voce, *commanebo*, hoc, quod dicebam, significatum esse? Atqui considera humilitatem. Quoniam dixit, *ad profectum vestrum*; ostendit id sibi quoque vtilitatem afferre; quod etiam facit ad Romanos scribens his verbis, Id est simul consolari in vobis. Antea enim dixerat, Vt aliquid impertiar vobis gratiae spiritualis. Quid autem hoc est, *vt gloriatio vestra abundet?* id est, vt crescat id, quod erat causa gloriandi; hoc autem est corroborari in fide; haec enim est gloriatio in Christo, recte viuere. Ergo *gloriatio vestra in me per meum aduentum iterum ad vos?* maximè, inquit; quae enim est spes nostra, aut quae corona gloriationis? Nonne & vos? Vos enim estis gloriatio nostra, quemadmodum & nos vestra; id est, vt habeam quod in vobis maiorem in modum glorier. Quomodo? *Vt gloriatio, inquit, vestra abundet:* maiorem enim habeo gloriationis materiam; cum vos proficitis: *per meum aduentum iterum ad vos.* Quid igitur? num ad ipsos rediit? hoc vobis inquirendum relinquo, vtrum redierit. *Tantum dignè, inquit, Euangelio Christi conuersamini.* Vides omnia quaecumque dixit, huc spectasse; vt ipsos exhortetur ad maiores in virtute progressus faciendos? *Tantum dignè Euangelio Christi conuersamini:* quod, inquit, *Tantum*, idem valet, ac si diceret; Hoc solum est, quod requiritur; praeterea nihil. Si hoc adsit; nihil vobis molesti obtinget. *Vt sine cum venero, & videro vos, siue absens audiam de rebus vestris.* Non haec dicit; quasi mutarit sententiam, neque ad ipsos redire amplius velit; sed etiam si hoc accidat, inquit, absens quoque laetari possum. *Si audiero, quia stas in vno spiritu, & vna anima;* Hoc est, quod maximè fideles coniungit, & charitatem ipsam continet. Hinc illa Domini verba, Vt sint vnum. Nam, Et si regnum, inquit, in se diuidatur; non poterit stare. Propterea & Paulus multis vbique est in concordia suadenda; & Christus inquit, In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Ne igitur, inquit Paulus, mei aduentus expectatione pendentes interea obdormite; vt cum quod expectabatis, successerit, meque videritis, deinceps diligentiam remittatis, ac dissoluamini. Nam etiam ex auditu eandem capere voluptatem possum. Quid istuc est, *In vno spiritu?* id est, eadem illa gratia concordiae, alacritatis. Vnus enim est spiritus. Atque id ex eo ostenditur; quod saepe hoc modo dictum est; ita enim est & in vna stare anima, cum omnes vnum spiritum habemus. Vides vocem illam *μὴ ἑνωμένοι*, id est, vnanimis, concordiam esse significatam? Vides multas animas vnā dici? Ita se habebat antiquitus, Omnium, inquit, erat cor, & anima vna, *collaborantes fidei Euangelij.* Ergo tanquam fide laborante in certamine, mutuo, in-

quit, collaborantes. Non enim inter se pugnant; sed quod vult Paulus, hoc est; mutuum, inquit, vobis auxilium afferte; dum fides Euangelij in certamine versatur: *& in nullo territi ab aduersariis, quod quidem ipsi est argumentum perditionis, vobis autem salutis.* optimè dixit terri- ti: Talia enim sunt, quae ab aduersariis proficiuntur. Terrent tantummodo. Inquit igitur, *in nullo.* Quicquid euenerit, etiam si pericula proposita sint, etiā si insidia: hoc enim est rectè stantium. Illi enim terrere duntaxat possunt; praeterea nihil. Verisimile enim erat illos valde perturbari; cum animaduertent Paulum innumerabiles subire calamitates. Ergo non illud tantum, inquit, a vobis postulo; vt ne fluctuetis; sed etiā vt ne terramini; quod quidem valde cōtemnentium est. Nā si hoc modo animati sitis; hinc iam & ipsorum perditionē, & vestram salutē perspicuam facietis. Etenim cum viderint sexcenta se artificia comminisci, ac ne terrere quidem vos posse; certa sui ipsorum interitus argumenta capient. **B** Quotiescunque enim vexatores iis, quos vexant, superiores non euadunt, non insidiatores iis, quibus insidiantur, non potentes iis, quos in potestate habent; nonne ex hoc ipso perspicuè intelligent, se ad interitum ruere; nihil posse; sua esse inania, & infirma? *Et hoc à Deo, inquit, quia vobis donatum est pro Christo, nō solum, vt in eum credatis: sed etiam vt pro illo patiamini.* Rursus illos componit; vt de se modeste sentiant, totum Deo ascribens, & gratiam, & charisma, & donum esse dicens pati pro Christo. Itaque ne vos pudeat. Charisma enim & donum verè est longe admirabilius; quam cadauer ad vitam reuocare, ac caetera miracula facere. Nam ibi quidem ego sum debitor: hic verò debitorē habeo Christum: quare tantum abest, vt probrī loco id habendum sit: vt potius sit exultandum, ac gaudendum: quippe qui charisma habemus. Virtutes vocat charismata, & dona, non tamen eodem modo, atque alia. Illa enim tota Dei sunt: haec verò etiam nostra. Verum tamen quoniam & hic maior, ac potior pars Dei est: propterea totum ipsius esse, inquit, non voluntatis libertatem euertens, sed ipsos apparans, vt moderati, & grati sint. *idem certamen habentes: quale vidistis in me:* id est exemplum etiam habetis. Rursus hoc loco ipsos extollit. Vbique enim eos ostendit in iisdem, ac se, certaminibus versari, eosdem impetus ferre, priuatim etiam, atque apud seipsos: eò quod eandem, atque ipse, tolerant tentationes. Non dixit, audistis, sed *vidistis.* Nam & illic, id est in Philippensium vrbe certauerat. Hoc igitur magnae virtutis est. Quamobrem & ad Galatas scribens dicebat, Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa. & Hebraeis rursus scribens dicebat, Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinistis passionum, & in altero quidem opprobriis, & tribulationibus spectaculum facti, in altero autem socij taliter conuersantium effecti. Et rursus Macedonibus, id est Thessalonicensibus scribens dicebat, Ipsi enim de nobis adnunciant, qualem introitum habuerimus ad vos. & rursus, Nam & ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit, omninoque de omnibus id ipsum similiter testatur, certamina & pugnas. At minimè hoc nunc apud nos inuenietur. Nunc enim satis benè agitur: si quis vel in pecuniis quippiam detrimenti ferat: Ac sane in pecuniis quoque praclarum de illis testimonium dat Paulus. Nam de aliis quidem ita dicit, Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio susceperitis. De aliis verò, Probauerunt Macedonia, & Achaia collationem aliquam facere in pauperes, & iterum, *Vestra aemulatio prouocauit plurimos.*

MORALIS DIGRESSIO.

De misericordia.

VIDE s illius temporis virorum encomia: nos verò ne ad alas quidem, & plagas vsque patientiam adhibemus, non contumeliam, non pecuniarum iacturam ferimus. Illi iam omnes aemulatores erant, & martyres in certamen descendentes: nos verò charitatem in Christum refrigerauimus. Rursus cogor praesentem rerum statum accusare. Et qualem putatis esse animi mei sensum? nollem quidem, sed planè cogor. Nam si fieri posset, vt tacendo; nec quicquam ex iis quae gesta fuissent, commemorando, silentio ipso, ea quae geruntur, è medio tollerentur, tacèdum certè erat. Sin autem contra sit, & nobis tacetibus non modò non tolluntur, sed grauiora etiam fiunt, dicendum necessario est. Nam qui peccata accusat, vt nihil aliud praestet, certè longius illa progredi non sinit. Nulla enim est tam impudens anima, ac temeraria, quae si assidue se reprehendi audiat, non suffundatur pudore, non remittat aliquid de summa illa improbitate. Inest enim, inest etiam in impudentibus paululum quid verecundiae. Naturae enim nostrae Deus ipse pudorem iniecit. Etenim quando non satis poterat timor ad nos componendos, multas alias non peccandi rationes apparuit, quemadmodum reprehensiones hominum, metum humanarum legum, amorem gloriae, amicitiarum studium. Omnia enim haec eò nos adducunt, vt peccandum non putemus. Saepè enim quae propter Deum minimè fiebant, propter pudorem sunt facta, & quae Dei causa, vt velimus, non adducimur, ea timore hominum suscipimus. Quod enim petitur, hoc est, primum, vt discamus nō peccare: deinde verò illud etiam, vt Dei causa hoc agamus, consequemur. Alioqui quid causae fuisset, cur Paulus eos, quibus superandi aduersarij per patientiam erant, non à timore Dei cohortatur, sed inde, quod supplicium de illis sumpturi essent? Hoc enim faciens, inquit, carbones ignis congeres super caput eius. Interea enim hanc progressionem fieri vult ad virtutem. Inest igitur, quod antea dicebam, in nobis nescio quid verecundiae, multaque naturalia habemus bona ad virtutem, velut ad misericordiam omnes à natura ipsa mouemur, nec quicquam aliud in natura nostra aequè bonum est, atque hoc. Quamobrem merito etiam quispiam quaesierit, quam ob causam id potissimum nostrae naturae sit instum, vt frangamur lacrymis, haec tamur, omninoque ad misericordiam propens, ac parati simus. Nemo naturā strenuus est: nemo naturā ab inanis gloriae cupiditate liber, nemo naturā superior amulatiois. Sed misereri omnibus à natura inditū est, quātumuis crudelis sit quis & saeuus. Et quid mirū, si erga homines hanc animi inductionē ostendamus? ferarum etiā miseremur: adeò nobis redundanter indita est misericordia, vel leonis catulum aspicientes, non nihil commouemur. Quāto igitur magis erga id, quod eiusdem nobiscum generis est? Hem quot ceci, & corporibus mutilatis, saepe dicimus, nōn ignorantes id satis aptum esse, quod nos ad misericordiam adducat. Nihil aequè Deum delectat, ac misericordia. Quamobrem sacerdotes, Reges, Prophetae oleo vngebantur. Oleum enim pro simbolo Dei misericordiae habebant. Praeterea discabant in Principe plus misericordiae requiri, itēque ostendebatur, spiritum propter misericordiam venturum esse in hominem. Deus enim hominum miseretur, humanēque & benignè cum ipsis agit, propterea oleo inungebatur. Nam & sacerdotium ipsum ex misericordia instituit. Verum Reges etiam oleo inungebatur. Misereris enim omnium, inquit, quia omnia potes. Et si quis Principem laudet, nihil, quod aequè ipsum deceat, afferet, ac misericordiam. Principi-

A patus enim proprium est misereri. Cogita ex misericordia esse conditum mundum, & imitare dominum. Misericordia autem Dei super omnem carnem, siue peccatores, siue iustos protuleris, omnes egemus misericordia Dei, omnes ipsa fruimur, siue ipse sit Paulus, siue Petrus, siue Ioānes. Atque audi ipsorum verba, quid enim nostris opus est? Quid igitur, inquit, beatus hic? Sed misericordiam consequutus sum, quia ignorās feci. Quid? postea igitur non eguit misericordia? Audi quid dicat. Abundantius illis omnibus laboraui, non ego autem, sed gratia Dei mecum. Ac rursus de Epaphrodito inquit. Nam & infirmatus est vsque ad mortem, sed Deus misertus est eius, non solum autem eius, verum etiam & mei, ne tristitiam super tristitiam haberem, & rursus, Grauat; inquit, sumus super virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere. Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui de tantis mortibus eripuit nos, & eripiet, & rursus, Liberatus sum de ore leonis, & liberabit me dominus. Atque vbique ipsum inueniemus id gloriantem, quod misericordia salutem sit consequutus. Atqui Petrus etiam, eò quod in ipsum misericordia fuisset adhibita, talis erat. Audis enim Christū hoc ipsum Petro verbis illis significatam. Ecce Satanā expectiuit vos vt cribraret, sicut triticū, ego autē rogauit pro te, vt non deficiat fides tua. Et Ioannes super misericordia talis erat, atque omnes omnino Apostoli. Audi enim quid Christus dicat: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Omnes enim egemus misericordia Dei. Misericordia enim Dei, inquit, super omnem carnem. Quod si isti quoque egēbant misericordia Dei, quid tandem de ceteris dicendum erit? Eequid enim aliud, dic mihi, causae est, cur solē exoriri faciat super malos, & bonos? Quid? si vnum duntaxat annum pluiam cohibuisset, nonne omnes peremisset? Quid verò si imbres densasset? quid si pluisset ignem? quid si muscas immisisset? sed quid hoc assero? Si tenebras induxisset, quod aliquando fecit, nonne omnes perdidisset? si terrā concussisset, nonne periissent omnes? Opportunè nunc dixerō, Quid est homo, quod memor es eius? Si vel terrā mitteretur tantum, omnes vnum sepulcrum fient. Quasi stilla aequè de fitula, inquit, ita gentes coram ipso: quasi spuma reputantur, quasi momenta scaterē. Quemadmodum nobis facile est trutinam mouere: ita ipsi omnia perdere, ac de integro facere. Qui igitur tam nos in sua potestate habet, ac videt quotidie peccantes, nec tamen punit, nonne fert ex misericordia? sed vide etiam iumēta per misericordiam esse, & seruari. Homines enim, inquit, & iumēta saluabis domine. Respexit terram, & ipsam impleuit animalibus: quamobrem? propter te, te verò cur fecit? propter bonitatem. Nihil misericordia melius, o dilecte. Lucis causa est, & ibi, & hic. Tunc enim, inquit Propheta, exorietur mane lumen tuum, si misericordiam erga proximum praestiteris: ac meritò quidem: quemadmodum oleum hoc lucem praebet nauigantibus, ita & eleemosyna magnū illic, & admirabile largitur lumen. Talis olei magnā habebat rationē Paulus. Audio enim interdum quidem dicentem, Tantum vt pauperum memores essemus, interdum verò, Si dignū fuerit, vt ego eam, omninoque ipsum vides vbique omnibus modis hanc rem sollicitè curare. Et rursus, Discant autē & nostri bonis operibus praesse. & rursus, Haec enim sunt bona & vtilia hominibus. Audi verò & alium quēdam ita dicentem, Eleemosyna à morte liberat, & alium, Si misericordiam remoueris domine, domine quis sustinebit? & rursus, Ne intres, inquit, in iudiciū cum seruo tuo, & alius, Magnū quiddam homo, & praclarū vir misericors.

Rom. 8.

Ioan. 17. Marc. 3. Ioan. 13.

Act. 4.

Curto- rum Do accepit referant

Nihil in natura nostra aequè bonum, ac misericordia.

Galat. 7. Heb. 10.

1. Theff. c. i. & 2.

Heb. 10. Rom. 11. 1. Cor. 13.

Eccl. 18.

1. Tim. 2.

1. Cor. 15.

Philip. 2.

2. Cor. 1.

2. Tim. 4.

Luc. 12.

Io. 15. Eccl. 18.

Psal. 8.

Esa. 40.

Psal. 35. Alludic ad Psal. 103.

Esa. 3.

Galat. 2.

1. Cor. vlt.

Tir. 3.

Tob. 4.

Psal. 129.

Psal. 142.

Prou. 10. vbi vulgata [mul ti homines misericordes vocantur.]

hoc enim est hominem esse, vel potius hoc est Deum esse. Vides quanta diuinæ misericordiæ sit potentia. Hæc omnia fecit, hæc mundum condidit, hæc angelos perfecit; sola, inquam, bonitas. Propterea enim gehennam minatus est, vt regnum assequamur: nec verò aliunde cōsequimur regnum, quàm ex misericordia. Cur enim cum solus esset Deus, tot Deos fecit? nōne propter bonitatem? nōne propter benignitatē, atque humanitatem? si quæsieris, cur hoc, cur illud fecerit, vbi que inuenies bonitatem. Itaque proximorum misereamur, vt etiā in nos misericordia adhibeatur. Non magis illis, quàm nobis ipsis colligimus oleum hoc in diem illum. Vbi vehemēs fuerit flāma ignis, oleum hoc ignem quidem restinguit, lacis autē nobis causa est. Ita huius opera à gehēne igni liberabimur: cæteroquin vnde sua nobis viscera aperiet Deus? vnde miserebitur? ex charitate misericordia exoritur. Nihil adeo irritat Deum, atque immisericordem esse. Oblatus est ei quispiam, qui mille talenta debebat, & misericordia motus debitū remisit. At cum hic idē conseruum ob debitos sibi cētum denarios respirare nō sineret, tunc tradidit eū dominus tortoribus, quousque redderet debitum. Hæc audietes misericordes simus erga debitores in pecuniis, in peccatis; nemo iniuriarum sit memor, nisi in se ipsum velit esse iniurius. Nō enim tantum molestiæ illi afferet non remittēs, quantam sibi ipsi inferet iniuriā. Nam te quidem illum iudicio persequente, non persequitur Deus: te verò dimittēte, aut persequitur Deus, aut tua tibi dimittit peccata. Quomodo autem nisi tu remittas proximo, ad regnum aspiras? Quo quidem damno ne afficiamur, remittamus omnibus, nobis enim ipsis remittimus: cōdonemus, vt nobis cōdonet Deus peccata nostra: atque ita futuris potiamur bonis, gratia, & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri &c.

SERMO V. ac totus est moralis.

CAP. II.



I qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera, & miserationes; implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem charitatē habentes, vnanimes, id ipsum sapientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humanitate superiores sibi inuicem arbitantes, non quæ sua sunt, singuli considerate, sed & ea, quæ aliorum, vnusquisque. Nihil melius, nihil in amore tenerius doctore spirituali: quouis naturali patre maiorem benevolentiam præstat. Attende, obsecro, quàm suppliciter petat à Philippensibus ea, quæ è re ipsorum erant. Quid enim dicit ad concordiam omnium bonorum causam cohortans? & vide quàm copiosè, quàm vehementer, quanto cum animi illorum vicem solliciti sensu. Si qua ergo cōsolatio in Christo, inquit: id est si quid habetis consolationis in Christo, perinde, ac si quispiam diceret; si quam mei rationem habes, si qua tibi mei cura, si quid benè vnquā de te merui, hoc facito. Hac verò orationis figura in mouendo affectu vtimur, si quid postulādum sit, quod cæteris omnibus rebus præponamus. Nam nisi omnibus præponeremus, non eo vno impetrato omnium nobis exhaustam esse mercedem vellemus, nec per illud diceremus, quicquid nobis debebatur, esse representatū. Sed nos quidem carnalia beneficia commemoramus, vt si pater erga filium diceret, si quid tibi reuerentiæ erga patrem, si qua educationis, si qua pietatis erga me, si qua honoris, quem ex me es consequutus, si qua benevolentia memoria, rogo te, ne sis inimicus fratri, hoc dictū est, pro omnibus illis hanc exigo mercedem. Sed non ita Paulus: nihil enim, quod ad carnem pertineat, redigit ad memoriam; sed omnia spiritualia. Quod igitur, inquit, tale est: si quid mihi solatij vultis in tentatio-

nibus afferre, meque recreare in Christo, si quam consolationem charitatis, si quicquam eius communionis, quæ in spiritu est, vultis ostendere, si qua habetis viscera, & misericordiæ sensum, implete meum gaudium, si qua viscera, & miserationes. Miserationem sibi exhibitam vocat Paulus discipulorū concordiam, ostendens summum imminere periculū, nisi cōcordes fuerint. Si quid mihi, inquit, solatij à vobis expectandū est, si quid consolationis ex vestra charitate reportare licet; si pote est vobiscum communicare in spiritu: si cōmunicare vobiscum in Christo, si qua mihi à vobis misericordia, & commiseratio præstanda est, omnium harū rerum mercedem in charitate ipsa tuenda representate. Satis mihi à vobis factum esse, omniāque consequutum putabo, si inter vos amaueritis. implete gaudium meum, Ne, quæ dicit, admonitionis vim habere viderentur, quasi illi iam ab officio decessissent, vide ipsum non ita dicere, facite mihi, sed, implete, id est cœpistis iam in me serere, iā mihi dedistis, vt satis quietus sim, sed ad finem pervenire desidero. Quid desideras, dic mihi? vt te à periculis liberemus? vt tibi quippiā suppeditemus? nihil huiusmodi, inquit, sed vt vos idem sapiatis eandem habentes charitatem, in qua cœpistis. Vnanimes vnum sapientes. Hem quoties idem repetit ex magno quodam affectu. Vt idem sapiatis, inquit, imò verò vt vnum sapiatis. Hoc enim progrediens ostēdit verbis illis. Vnum sapientes, quod maius quiddam est, quàm idem sapere: eandem charitatem habentes, id est non tantum in nuda fide, sed in cæteris etiā omnibus rebus. Pote enim est & idem sapere, & charitatem nō habere: eandem charitatem habentes, id est æquè & amare & amari. Noli, cum magna aliorum in te charitate fruaris, minorem ipsis præstare, quasi hac etiam in re plus æquo tibi appetas, ac si nonnulli sunt, qui faciāt, tu id in te cadere nullo pacto feras: vnanimes, inquit, id est vni animæ omnium corpora quasi propria accommodantes, non quidem substantia ipsa, nam id fieri non potest, sed electione, & sententia, vt quasi ex vna anima omnia, inquit, proficiscatur. Quid est vnanimes? hoc declarauit addēs, vnum sapientes: vnicum enim vult esse omnium sensum: perinde ac si ex vna anima vnderent, nihil per cōtentionem: nō grauiatur præterea modū exponere, quo id fiat: nihil per cōtentionem vel inanem gloriam, inquit: quod quidem ipsum semper dico malorum omnium esse causam: hinc pugna & lites, hinc inuidia, & vincendi studium, hinc charitatis refrigeratio. Cum hominum gloriam amamus, cum honori, qui à multis exhibetur, seruiamus, tunc omnia hæc accidunt: minimè enim fas est gloriæ seruientem Dei etiā germanum esse seruum. Qua igitur ratione hoc inanis gloriæ studiū fugerimus? nondum enim illā exposuisti. Audi sequentia: sed in humilitate, inquit, superiores sibi inuicem arbitantes. Hem quomodo plenum philoſophiæ dogma, & ad nostram salutem mirabiliter conducens exposuit: si existimāris, inquit, illum te maiorem esse, idque tibi ipsi persuaseris, aut potius si nō solum dixeris, sed etiā persuasione istius plenus, honore quoque illū fueris prosequutus. Quod si tu ipse honorē tribuas, minimè succēsebis, si ipsi ab alio tributum videas. Igitur nō tantum existima illū te maiorem esse, sed etiā superiorem (voce enim ista *κατ'εξουχίαν* Paulus magnā quādam præstatiā voluit indicare) & nō admiraberis, neq; dolebis, si illū in honore esse videas, & si contumeliā intulerit, generosè feres: ipsum enim maiorem te existimasti, & si cōiucis appetierit, non excandesces, & si malefecerit, tacitus feres. quando enim semel hoc sibi anima penitus persuaserit, illū esse maiore: nō impellitur ad irā: si ab ipso malè accipiat, non ad inuidiam: iis enim qui valde præstant, nemo inuiderit. Hæc enim omnia præstantiæ illius esse putat

Omnium bonorum causa est humilitas. Phil. 50.

Ecd. 10.

Prima in gratia superbia est.

Gen. 40. quomodo ad Christum sententiam magis videtur facere verba c. 41.

Rom. 4.

putat consequentia. His igitur verbis te docet talem animam suscipere: quod si vicissim ille tanto abs te honore affectus, inquit, eundem erga te animum suscepit; facile iam est intelligere duplici quasi muro sultam esse æquanimitem & lenitatem. Quādiu enim vterque vtrumque honore dignos putatis; nihil vnquam accidere molesti potest. Nam si hoc vel ab altero duntaxat præstitum satis est ad omnem contentionem tollendam; quādo cūque ab vtrisque præstetur, quis hanc munitionem perumpet? ne ipse quidem diabolus. triplici enim & quadruplici muro, atque eo amplius sulta est arx. Omnium enim bonorum causa est humilitas. Quod vt ita esse discas, audi Prophetam dicentem, Quoniam si sacrificium voluisses, dedissem vti que: holocaustis non delectaberis: sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor cōtritum, & humiliatum Deus non despicias: Non absolutè quamuis humilitatem, sed intentionem quādam humilitatis ob oculos posuit. Nam quemadmodum in corporibus quod contritum est, nunquam solido corpori reluctabitur, sed quotquot grauiā patitur, prius ipsum interibit, quàm in alterum irruat, ita & in anima: eliget enim potius perpetuò malè accepta mortem etiam obire, quàm irrumperè, & vlcisci. Quousque spirabimus spiritus istos ridiculos? nā quemadmodū pueros si videamus sese efferre, & superbire, ridemus, quòd si etiam lapides capere, & proiicere, rursus ridemus, ita humana arrogantia puerilis mentis, infirmi animi proles est. Quid superbis terra & cinis? Magnos spiritus sumis homo? quapropter? quæ utilitas, dic mihi? vnde verò magnos spiritus sumis in eos etiam, qui eiusdem sunt ordinis? non eiusdem particeps est natura? non eiusdem anima? non eundem à Deo honorem accepisti? at sapiens es? Ergo gratias agere, non intumescere debebas. Prima ingratitude superbia est, aufert enim beneficentiæ donum: qui enim sese effert, is, quasi ipse id quod rectè factum est, confecerit, se effert. Qui autem omnia à se profecta putat, ingratus est aduersus eum, qui honorē dedit. quippiam boni habes? gratias age ei, qui dedit. Audi quid dicat Ioseph, quid Daniel. Nam cum Ægypti rex illum è carcere accecidisset, & in conspectu totius exercitus de eo negotio interrogasset, in quo defecerant Ægyptij, qui in huiusmodi rebus maximè pollebant: cum ipse iam se se illis omnibus superiorem ostensurus esset, longèque sapientior esset habēdus astrologis, vaticibus, præstigiatoribus, magis, philoſophis eius temporis omnibus, puer ipse ex captiuitate, & seruitute (tunc enim maior existit gloria, neque enim idem est hominem iam clarum lucere, atque præter expectationem, quare quòd præter spem id euenerit, admirabiliorem ipsum fecit) quid igitur iste? accedensne ad Pharaonem ita dixit, profecto noui? nihil minus, sed quid? nemine ipsum arguente, pro sua magna humilitate, & grati animi virtute, quid ait? Nunquid non per Deum interpretatio horum est? continuò gloriam Deo tribuit, propterea ipse quoque gloriam accepit. Nam & hoc ad gloriæ rationem non leue momentum habet, multò enim maius est, ipsi à Deo esse reuelatum, quàm ipsum per se hoc confecisse, præterquam quòd hinc etiam verbis suis fidem conciliabat, idque firmissimum est familiaritatis cum Deo argumentum. Nihil enim æquè bonum est, ac familiarem fieri Deo. Si enim ex operibus iustificatus est, habet gloriam, inquit, sed non apud Deum. Nam, & qui criminibus obnoxius gratiam est consequutus, gloriatur in Deo, nimirum, quòd ab illo amatur, sibi que peccata remissa sunt, & ille qui operatur, habet gloriam, sed nō apud Deum, vt ille. Nam hoc quidem magnæ infirmitatis nostræ est argumentum, at qui sapientiam à Deo

Chryso. tom. 4.

accepit, quāto erit admirabilior? gloriam Deo tribuit, & vicissim ab illo gloriam accepit. Glorificantes enim me, inquit, glorifico. Rursus pronepos huius, quo quidem nemo fuit sapiētior. Scriptum est enim, (Nunquid tu sapientior es Daniele?) Hic igitur Daniel, cum omnes, qui erant in Babylone sapientes, atque ipsi rursus astrologi, vates, magi, præstigiatores, atque vniuersa philoſophia, non modò conuicta iam esset, sed etiam è medio sublata (capitalis enim à Rege in sapientes lata sententia satis indicabat, antea quoque se ab illis deceptum fuisse) accedens ergo ad Regem, ipsius petitioni iam satisfacturus, neque ipse se magnificè circumspicit, sed primū omnia Deo refert accepta, & inquit, Mihi verò non in sapiētia quæ sit in me, plusquàm in cunctis hominibus, reuelatum est, o Rex: Tunc verò adorauit ipsum Rex, ac dixit, adoleantur thura. Vides humilitatē? vides gratū animum? vides mores à superbia remotos? Audi verò & Apostolorū verba, interdum quidem dicentium, Quid nos intuemini, quasi nostra virtute, aut pietate fecerimus hunc ambulare? Interdum verò, Et nos mortales sumus, similes vobis homines. Quòd si illi delatos sibi honores adeo repudiabant, homines, qui per eam humilitatē, quæ secūdum Christum est, ipsiusque potentiam maiora, quàm Christus ipse, opera ediderant. (Nam, Qui credit in me, inquit, maiora horum faciet, quæ ego facio.) quomodo nos non miseri, atque infelices sumus, qui ne culices quidē expellere possumus, ne dum dēmonas, qui ne vni quidem homini prodesse valemus, ne dum vniuerso orbi, ac tamen tantos nobis spiritus sumimus, quātos ne ipse quidem diabolus? Nihil æquè alienum ab anima Christiana est, ac superbia: superbiam dico, nō fidentiam, non virilis animi fortitudinem. Nam ista quidem cōuenientia sunt, longè enim ab illa differunt. Quamobrem aliud quidem est humilitas, aliud verò illiberalitas, & assentatio, & molles blanditiæ. Ac si vultis, horum omnium ego vobis exempla afferam. Vidētur enim quæ contraria sunt inter se, propè quodammodo esse posita, vt frumento zizania, & rosis spina: sed pueri quidem facillè fallatur: qui autem verè sunt viri, spiritualis agriculturæ periti, norūt vera bona à malis distinguere. Agè igitur exempla vobis ex ipsismet scripturis proponamus. Quid tandem est assentatio, & illiberalitas, & mollis blāditia? Si ba intempestiuè Dauidi est assentatus, suūque Dominum criminatus est: multò autē magis Achitophel Absaloni, At non talis Dauid, sed humilis. Qui enim subdoli sunt, assentatores sunt: quemadmodum cum Magi dicunt, Viue rex in sæcula. Rursus Magi, quàm sunt assentatores. † Ac de Paulo multa huiusmodi inuenimus in actis, cum Iudæis ita diserte, vt non assentetur, sed humiliter agat. Nouit enim & liberè, ac fidenter agere, vt cum inquit, Viri fratres nihil aduersus plebem faciatis, aut mores paternos, vincētis ab Hierosolymis traditus sum. Vt enim intelligas humilitatis fuisse hæc verba, audi, quàm ipsos obiurgat in sequētibus, ita dicens: Bene Spiritus sanctus loquutus est, aure audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non perspicietis. Vides fortitudinem. Sed Ioannis etiam Baptistæ fortitudinem considera, qua erga Herodem vltus est dicens, Non licet tibi habere vxorem Philippi fratris tui. Hoc fidenter est, hoc fortitudinis: at non verba illa Semei, Egredere vir sanguinum: quamquam & ille fidenter agebat. At non hoc fortitudo est, sed audacia, & contumelia, & linguæ intemperantia. Iezabel etiam conuicium fecit Iehu, dicens, Qui interfecit dominum suum, sed hoc audacia erat, non fidentia. Conuicium & Helias fecit, sed fidentia ac fortitudo erat, Non ego turbo populum, sed tu, & domus patris tui: Rursus

1. Reg. 2.
Ezech. 28.
Dan. 2.
Act. 3.
Act. 14.
Ioan. 14.
Ecd. 10.
Quo- modo humilitas distinguitur ab assentatione.
2. Reg. 16.
Dan. 2.
Videtur deesse exemplum, & fortasse ex eodem lib. cap. 3.
Act. 28.
Ibidem.
Marc. 6.
2. Reg. 16.
4. Reg. 9.
3. Reg. 18.

Ibidem.

1. Cor. 4.

1. Cor. 6.

Ioan. 19.

2. Cor. 4.

1. Reg. 25. & 25.

2. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

1. Reg. 4.

erga vniuersum populum fidenter agebat Helias dicēs: A Vique quo claudicatis vtrisque vestris poplitibus? Hoc igitur modo tangere fidentia erat, & fortitudo; idque Prophetæ faciebant; Illo autem audacia. Vis præterea humilitatis, ac libertatis audire verba? audi Paulum dicentem, Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die: sed neque me ipsum iudico: nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Huiusmodi spiritus Christianum decent: ac rursus: Audet aliquis vestrum, habens negotium aduersus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos? Vis amentium Iudæorum assentationem cognoscere? Audi ipsos dicentes, Nos non habemus regem, nisi Cæsarem. Vis cognoscere humilitatem? Audi rursus Paulum dicentem, Non enim nosmetipsos prædicamus; sed Iesum Christum dominum, nos autem seruos vestros per Iesum. Vis & assentationem, & audaciam videre? considera audaciam quidem Nabal, assentationem verò Ziphæorum; quomodo ille quidem maledicta iaciebat; isti verò, quatum ad ipsorum voluntatem, & consilium pertinet, Dauidem prodiderunt. Vis non assentationem, sed Philosophiam cognoscere? considera Dauidem intercepto Sauli parcentem. Vis assentationem cognoscere? considera eos, qui Memphibosthe interfecerunt; quos ideo etiam Dauid è medio sustulit: omnino autem, vt summam describamus, audacia quidem est; si quis irascatur, & cõuitium faciat nullam ob iustam, grauẽque causam, sed aut seipsum vlciscens, aut alio quouis modo iniuste efferuiscens; fidentia autem, & fortitudo; cum quis aduersus pericula, & mortem audet, amicitias, & inimicitias despicit pro iis rebus, quæ Deo probantur. Rursus assentatio quidem, & illiberalitas est, cuius inferuire non ob eas res, quæ opus sunt, sed aliquid, quod ad hanc vitam faciat, captantem, humilitas verò; si quis ob causas, quæ Deo probantur, id faciat; ideoque à gradu dignitatis suæ descendat; vt magnum quippiam, atque admirabile opus perficiat. Si hæc sciamus, ac præterea factis exprimamus; beati erimus. Non enim satis est scire, Non enim auditores legis, inquit; sed factores legis iustificabuntur. Quinetiam cognitio ipsa condõnna; si factis, virtutisque officiis caruerit. Itaque vt condemnationem vitemus; actiones ipsas obeamus; vt promissa consequamur bona in Christo Iesu domino nostro; quoniam ipsi gloria in sæcula. Amen.

SERMO VI.

Hoc enim sentiatur in vobis, quod & in Christo Iesu; qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens in similitudine hominum factus, & habitum inuentus, vt homo. Humiliauit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: Dominus noster Iesus Christus discipulos suos ad magna cohortans, seipsum, & patrem, & Prophetas pro exemplo proposuit: veluti cum dicit, Ita enim se gesserunt aduersus Prophetas; qui fuerunt ante vos, & rursus: Si me persequuti sunt, & vos persequantur. & Discite à me, quia sum mitis, & rursus, Estote misericordes, sicut & pater vester, qui in cœlis est. Id beatus etiã Paulus facit, Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset diues. Nihil enim excelsum, ac philosophum animum æquẽ ad bona opera obeunda excitat; ac si intelligat, hac re Deo se similem fieri. Quid enim æquẽ, atque hoc, ad cohortationem valeat: nihil. Quod sanè & Paulus sciens, istos ad humilitatem exhortans, primùm quidem obsecrauit, supplicauit: deinde quasi confundens, & pudorem eliciens,

Matth. 5. licet paulo aliter. Ioan. 19. Matth. 11. Luc. 6. 2. Cor. 8.

dixit, Quia statis in vno spiritu. dixit, Quod illis est argumetum perditionis, vobis autem salutis. Nunc verò tandem & hoc affert. *Hoc enim sentiatur in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens*: Attendite, obsecro, atque exurgite. Etenim quemadmodum machara quædam vtrinque acuta, quocunque acciderit, etiam si in sexcentas phalangas; facile ipsas perumpit, ac delet; eò quòd vndique acuta est, nihilque illius aciem ferre potest; ita planè & spiritus verba. Nam his ipsis verbis, & Arrij Alexandrini sectatores, & Pauli Samosateni, & Marcelli Galatæ, & Sabellij Lybici, & Marcionis Pontici, & Valentini, & Manetis, & Laodicensis Apollinarij, & Photini, & Sophronij, omnẽsque omnino hæreses prostrauit. Vt ad huiusmodi spectaculum inuitati, vt vna plaga tot phalangum ruinam visuri, excitamini, ne spectaculi iucunditas vos præteruolet. Nam si in curruum, atque equorum certaminibus nihil æquẽ spectatu iucundum est; ac cum quis totos currus vnã cum aurigis impulsu ipso prostrauerit, multique quadrigis resupinatis vnã cum insitẽtibus aurigis, solus ad metam, calcẽmque agonis contenderit; magnusque vndique plausus, & clamor ascenderit; ille verò ex læticia illa, & plausibus quasi volucris factus totum stadium equis cõfecerit; quanto maior hinc existet voluptas; cum omnium hæresum cuneos, & diabolica machinamenta vnã cum aurigis ipsis, Dei gratia, omnia simul, cõfertim prostrauerimus? Ac si libet; primùm hæreses ipsas ex ordine collocemus. Vultis igitur impietatis, an tẽporum ordinem? sed tẽporum sanè sequamur: etenim quænã impietate prior, vel posterior sit; difficile est iudicatu. Primus igitur prodeat Sabellius Lybicus. Quid iste, inquit? patrẽ, filium, & spiritũ sanctum nuda esse nomina vni personæ imposita. Marcion autem Ponticus negat Deum, qui omnia condidit, esse bonum, ac patrem Christi boni; sed alium quendam esse fingit, qui iustus sit, filiumque pro nobis lumpfisse carnem negat. Marcellus, & Photinus, & Sophronius verbum ipsum inquit energiã, & efficaciam operationis esse; atque hanc energiã inhabitare in illo, qui ex seminibus Dauid, minimè verò substantiã hypostaticam. Arius filium quidem fatetur; sed tantum nomine. Creaturam enim esse, inquit, & patre longè minorẽ. Ceteri verò negant habere animam. Vides stantes currus? considera igitur & illorũ ruinas; quomodo omnes simul propellens sternit, omnes, inquam, vna plaga atque impetu. Quomodo igitur sternit? *Hoc enim sentiatur in vobis, inquit, quod & in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*. Hinc & Paulus Samosatenus corruit, & Marcellus, & Sabellius. Inquit enim, qui cum in forma Dei esset: si in forma, quomodo ais tu, ò scelestè à Maria initium habuisse, atque antea non fuisse? quomodo verò tu rursus dicis energiã fuisse? Inquit enim *in forma Dei, & formam serui accepit*: forma serui, dic mihi, est ne energia serui, an natura serui? omnino natura serui, respondebis. Ergo & forma Dei, natura Dei est, non igitur energia. En & Marcellus Galata, & Sophronius, & Photinus corruerunt. Sed nihilominus etiam Sabellius. *Non rapinam, inquit, arbitratus est esse se æqualem Deo*. Æquale verò non in vna dicitur persona. Æquale enim alicui est æquale. Vides duarum personarũ hypostasim, nõ autem nuda nomina, quibus nullæ res subiectæ sint? Audisti existentiam vnigeniti ante sæcula. Verum hæc quidẽ aduersus illos. Sed quid iam aduersus Arium dicemus, qui alterius essentiaẽ filium facit? Dic mihi, quid hoc est, formam serui accepit? homo factus est, inquit. Ergo & in forma Dei existens

Sup. ca.

Phil. 144.

Phil. 146.

Ad Tit. 2.

Eph. 5.

Deus erat: nam & hic, & illic nomen formæ ponitur. Si hoc verum; certè & illud: forma serui, est natura homo: Ergo forma etiam Dei, natura est Deus. Neque hoc solum; sed etiam perinde ac Ioannes, de ipsius æqualitate testimonium dat; ostenditque nihilo ipsum patre minorem esse. *non rapinam, inquit, arbitratus est esse se æqualem Deo*: sed argutam illorũ orationem audiamus. At enim contrarium potius istis verbis ostenditur, inquit. Dixit enim, cum in forma Dei esset, non hoc rapuisse, vt esset æqualis Deo: Atqui si Deus erat; quomodo poterat rapere? & quomodo hoc non inconsideratè dictum fuerit? Quis enim vnquam dixerit, illum cum homo esset, non hoc rapuisse, vt esset homo? Qui enim fieri potest, vt quisquam rapiat id, quod est? Hoc igitur, inquit, sibi volebat Apostolus, filium, cum Deus minor esset, non hoc rapuisse; vt æqualis esset Deo magno, & maiori. Ergo paruus & magnus Deus est? & Græca in Ecclesiæ dogmata inducitis? Nam apud Græcos quidem est magnus Deus, & paruus: quòd si etiam apud vos; non audio. Nam in scripturis quidem nullibi inuenies; sed magnum quidem vbique; paruus verò nullibi. Etenim si paruus; quomodo etiam Deus? si non est paruus homo, & magnus nisi in eadẽ natura; & si quicquid in vna illa natura non conuenit, homo non est; quomodo fuerit paruus & magnus Deus; vbi eadem illa natura non est? Qui paruus est; Deus non est. Vbique enim in scriptura magnus dicitur, Magnus Dominus, & laudabilis nimis. Ecce etiam de filio. Vbique enim eum vocat dominum: Magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus solus. & rursus, Magnus dominus noster, & magna virtus eius, & magnificentia eius non est terminus. Sed hæc de Patre, inquit; filius verò paruus est. Ceterum tu es, qui hoc dicis. Scriptura verò contra, quod de patre, id etiam de filio dicit. Audi enim Paulum dicentem, Expectantes beatam spem, & perspicuum aduentum magni Dei. Nunquid autem de patre perspicuum aduentum dixit? Verum vt magis adhuc vos argueret; non illi satis fuit dicere, perspicuum aduentum, sed addidit magni Dei. Num igitur de patre id dictum est? neutiquam. Non enim id admittit additio illa, Et perspicuum aduentum magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi. En igitur & filius magnus est. Quomodo igitur dicis paruus, & magnum? Audi etiã Prophetam; qui ipsum vocat magni consilij angelum. Qui est magni consilij Angelus, an non magnus est? qui est Deus fortis; an non est magnus, sed paruus? Quid igitur impudentes isti, & nefarij verba ista vsurpant, cum esset paruus Deus? Sæpe illorum verba affero, vt magis ab illis refugiatis. Cum paruus, inquit, esset Deus: non hoc rapuit, vt eundem gradum cum magno obtineret. Quid enim, dic mihi (verum ne putetis hæc nostra esse verba) si de illorum sententia paruus erat, & paterna potentia longè inferior; qui hoc vnquam rapere potuisset, vt Deo æqualis esset? Natura enim minor nequaquam hoc rapere queat; vt euadat in magnã; quemadmodum homo nõquam hoc rapere queat; vt angelo equalis sit secundum naturam; neque equus hoc rapere queat, etiam si velit, vt homini equalis sit secundum naturam. Sed hoc omisso, illud etiam dicam. Quid hoc exemplo struit, ac molitur Paulus? omnino, respõdebis, Philippenses ad humilitatem adducere. Cur igitur, dic mihi, hoc in medium protulit? Nemo enim, qui ad humilitatem cohortari velit, ita loquitur: Esto humilis, ac minùs magnificè de te sentias, quàm de æqualibus tuis: Nam & Sofia cum seruus esset, non incubuit, neque seditionem mouit aduersus dominum, illum igitur imitare. At quis non videt minimè istuc humilitatis esse? neque enim aliter facere potuit, nisi demens, ac vecors

Quid fit animi humilitas.

Matt. 25.

Ephes. 4.

Matth. 5.

Matt. 11.

Io. 13.

maior quispiam minori obtemperans proferretur. Verum quoniam id in Deo non inueniebat, maiorem, inquam, & minorem; æqualitatem igitur statuit. Quod si minor fuisset filius; non aptum erat exemplum; unde Paulus ad animi humilitatem cohortaretur. Quapropter? quoniam non hoc animi humilitas est, non imperpetuum facere aduersus maiorem, non rapere principatum, obedire vsque ad mortem. Cæterum & illud prætere consideranda; quid allato exemplo subiungat, *humilitate superiores sibi inuicem arbitantes*: arbitantes, inquit. Nam, quando & secundum substantiam vnum estis, & secundum honorem à Deo acceptum; reliquum est, vt ipsa tantum existimatio locum ibi habere possit. At in maioribus & minoribus, non ita dixit; arbitantes: sed, Honorate eos, qui vobis præstantiores sunt, quemadmodum & alibi inquit. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Illic enim ipsa rei natura postulat subiectionem: hinc verò ex vestro iudicio proficiscatur oportet. *humilitate*, inquit, *superiores sibi inuicem arbitantes*: quemadmodum & Christus fecit. Et heretica quidè hoc modo euerfa sunt. Deinceps verò nostra afferenda sunt, si antea ad summam quandam ea, quæ aduersus illos faciunt, redegerimus. Hæc autem sunt. Cum Paulus ad animi humilitatem inuiteret; non eum, qui minor sit, ac maiori obediat, protulisset. Nam si seruis, vt dominis obedirent, suafisset; rectè id quidem. Sed si, vt liberi liberis; quid ad hanc rem facit serui erga dominum subiectio? quid minoris erga maiorem? non enim dixit, minores maioribus obediât; sed qui æqualem dignitatè obtinetis, vicissim vobis obedite. *Superiores*, inquit, *sibi inuicem arbitantes*: Ecquid verò causæ fuit, quamobrem muliebrem obedientiam non adduxerit, neque ita dixerit, quemadmodum mulier viro obedit, ita & vos obedite? Quod si illud, in quo inerat æqualitas, & libertas, nõ attulit; quoniam nõ nulla tamen in eo inerat subiectio; multò minus seruilem obtemperatorem protulisset. Verum & illud initio dixi, neminè id eo solere laudari, ac ne commemorari quidem; quod crimina nõ admittat: neque enim si quis aliquem temperantia nomine laudare velit, ita dicet, minimè illum esse mœchatum; sed hoc afferet, à propria etiã vxore se continuisse: omnino enim abstineret se tantum à prauis actionibus nunquam in laudatione ponimus; nisi ridiculi haberi velimus. Illud addidi, veram esse serui formam nihilque minus habere; quare & formam Dei perfectam esse, nihilque minus habere. Cur non dixit, in forma Dei factus, sed, *qui cum in forma Dei esset*? Tantundem valet hic loquendi modus, atque ille. Ego sum, qui sum. Forma, quatenus forma est, eandem adesse naturam demonstrat: nec fieri potest, vt quod alterius essentia est, eandem cum eo, à quo diuersum est, formam habeat; quemadmodum nemo hominum est, qui angeli formam habeat; nec brutum animal hominis habet formam. Quomodo igitur filius? Deinde in nobis quidè, quoniã ex pluribus naturis cõpositi sumus, forma ad ipsam corpus pertinet: At in eo, quod omnino simplex, nullòque modo coagmētatum est, ad ipsam sine dubio essentiam. Quod si ex eo, quod sine articulo dictum est *ἐν μορφῇ θεῶν*, contēdis nõ indicari patrē; multis aliis ego locis ostēdam tibi sine articulo dictū esse: Et quid dico multis aliis locis? In hoc ipso statim loco, *nõ rapinã arbitratus esse se æqualem* *θεῶν*: nõ enim dixit *τῶν θεῶν*; cum tamē de patre loqueretur. Vellè nostra etiã adiūgere; sed vereor, ne mentes vestras obruamus. Interea verò, quæ dicta sunt ad illos euertendos, memoria tenete. Interea spinas cuellamus. Tunc verò cum euulsæ fuerint spinæ, ac paululum quietis concessum terræ; bonam sementem faciemus, vt omni, quod inde contraxit, vitio de-

A posito, magna cum habilitate suscipiãt diuina semina, MORALIS DIGRESSIO. GRATIAS agamus pro iis quæ dicta sunt, Deo: potestatem ab ipso det nobis ea custodire, ac retinere, vt & nobis, & vobis gaudium obtingat, hæretici verò dedecore notati abeant. Illum obsecremus, vt ad ea etiam, quæ sequuntur, os nobis aperiat, vt nostra etiam pari diligentia statuamus. Ab eo precemur, vt vitam quoque ipsa fide dignam nobis præbeat, quò ad ipsius gloriam viuamus, ne ipsius nomen nostra causa blasphemis appetatur. Væ vobis enim, inquit, propter quos nomen Dei blasphematur. Etenim si nos filium habentes (quanquam quid filio nobiscum cõiunctus?) si filium, inquam, habentes, atque illius causa blasphemis appetiti, ipsum repudiamus, auersamur, nec nostrum dici volumus, quãtò magis Deus seruos, quos ingratos viderit, & à quibus se blasphemis, & cõtumeliis affici cognouerit, auersabitur, atque odio prosequetur? Què verò Deus oderit, atque auersatus fuerit, quis suscipiet, ac complectetur? nemo præter diabolum, ac demones. Quem verò demones ceperint, quam salutis spem habebit? quod vitæ solatium? quamdiu in manu Dei sumus, nemo rapere nos potest: Robusta enim & valens est: cum primùm verò de manu illa deciderimus, atque auxilium illud amiserimus, perimus, omnibus expositi ad rapinam sumus, omnibus ad conculcandum, tanquam murus inclinatus, & sepes concidens. Etenim cum murus est imbecillis, facile cuius patet ad irrumpendum. Neque enim quod dicturus sum, ad solam Hierusalem putetis pertinere, sed etiam ad singulos quoque homines. Quid verò de Hierusale dictum est? Cantabo dilecto canticum dilecti mei, vineam meam. Vineam factam dilecto in cornu, in loco pingui. Et sepiui eam, ac vallo circumdedi, & plantaui vitem Sorech, & ædificauit turrin in medio eius, & torcular extruxi in ea, & expectaui, vt faceret vnam, & fecit spinas. Nunc igitur viri Iuda, & habitatores Hierusalem iudicate inter me, & vineam meam. Quid est, quod vltra debui facere vineam meam, & non feci eideo expectaui, vt faceret vnam, fecit autem spinas. Et nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineam meam. Auferam sepem eius, & erit in direptionem; & diruam maceriam eius, & erit in conculcationem: derelinquam vineam meam; & non putabitur, & non fodietur, ascendent in eam perinde atque in terram incultam spinæ, & nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem. Vineam enim domini exercituum domus Israël, & vir Iuda germen dilectum. Expectaui vt faceret iudicium; fecit autem iniquitatem; & non iustitiam, sed clamorem. Id etiam de singula quaque anima dicitur. Nam cum omnia, quæ oportuerat impleuerit benignus Deus; illa verò pro vna, spinas fecerit; sepem auferet, & murum diruet, ac patebimus direptioni. Audi verò, & quanto cum fletu alius Propheta hæc dicat. Vt quid destruxisti maceriam eius; & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam? Exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam? Ibi quidem de Medo, ac de Babylonio loquitur; hinc verò nihil est, quod de illo dicatur; sed aper, & singularis ipse diabolus est, totaque illius manus. Singularem verò illum appellauit, vt ipsius ferociam, atque impuritatem ob oculos poneret. Nam scriptura, cum illius rapacitatem demonstrare vult, ita inquit, Tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem deuoret; Cum virus illud perniciosum, ac lethale, serpētem vocat, & scorpionem, calcate inquit super serpētes, & scorpiones, & super omnem virtutē inimici; Cum simul venenum, & robur; draconem nominat; quemadmodum eo loco, Draco iste, quem formasti ad illudendum

Heb. 13.

Exod. 3.

De vincendis inimicis potestatibus.

Esa. 11. & Rom. 2.

Esa. 5. vulgata autem paulo alter.

De avaritia & iudicia.

Esa. 40.

Psal. 79.

1. Pet. 5.

Luc. 10.

Psal. 109.

ad illudendum ei. Et draconem & serpentem tetuosum, & aspidem vbiq; ipsum vocat: tortuosa enim, ac varia bestia, & magnis pollet viribus, omnia mouet, omnia turbat, omnia sursum, ac deorsum agit. Verum ne timeatis; ne animum despondeatis. Tantum vigilete; & erit, vt passerculus. Calcate enim, inquit, supra serpentes, & scorpiones. Illum, si voluerimus, eò fecit Deus; vt nostris pedibus conculcetur. Vide igitur, quàm ridiculum, vel potius, quàm miserum sit eum, qui nobis datus est, ad calcandum, intueri stantem supra caput nostrum. Quomodo verò hoc fit? à nobis, si nos velimus; magnus est, si nos velimus; paruus fit: si nostri ipsorum curam geramus, stemusque vnà cum Rege nostro, contrahit se, ac nihilo plus paruo infante in pugna aduersus nos potest: sin à Rege desciuerimus, valde turget, fremit, dentes acuit: quippe qui nos magno illo auxilio destitutos nactus fuerit. non enim aggreditur, nisi permiserit Deus. Nam si in porcorum gregem inuadere ausus non est Deo non permittente; multò minus in animas hominum. permittit autem Deus, vel erudiens, vel pœnam exigens, vel clariore faciens. Vides illum non aggredi Iob, neque audere accedere, sed metuere, atque tremere. Et quid dico de Iob? Nam in Iudam inuadens non antè totum apprehendere, atque in ipsum ingredi ausus est; quàm illum Christus à sacro choro se creuisset. Extrinsecus quidem tentabat; sed intus irrumpere non audebat. Postquam verò à sacro illo grege abscissum vidit; quouis lupo vehementius impetum fecit; neque antè destitit, quàm illum duplici morte mactaret. Hæc ad nostram eruditionem sunt scripta. Nam si quæras; ecquid lucri sit nouisse Christum ab vno ex duodecim esse proditum, ecquid emolumentum, ecquæ utilitas? magnam respondebo. Etenim cum didicerimus; quæ illa causa impulsus, hoc exitiale consilium ceperit; cauebimus ipsi, ne ab eadem nos quoque auferamur. Vnde igitur ille huc descendit? ex avaritia: fur erat; idco triginta argenteis Dominum prodidit. Ita illum morbus iste ebrium reddiderat; vt orbis dominum triginta argenteis proderet. Quid hac insania deterius? nihil parci, quem tradidit: nihil tanti. Cui gentes si conferantur, Quasi nihilum reputatæ sunt ei; Hunc triginta argenteis prodidit. Grauis enim est avaritiæ tyrannis; quæque animam de suo statu deturbare queat. Non proinde quis ex ebrietate demens redditur; atque ex avaritia. Non æquè ex insania, ac stupore; atque ex argenti cupiditate. Ecquid enim aliud causæ fuit, dic mihi, cur proderes? obscurum atque ignotum hominem vocauit, vnumque ex duodecim fecit; doctrina impartiuit; innumera-bilia bona promisit: miracula faciendi potestatem dedit; mensæ, itinerum, consuetudinis, cõtubernij, rerum omnium æquè ac cæteri particeps eras. Hæcne satis non fuerunt quæ te cohiberent? quam igitur ob causam prodidisti, quid habebas; quod quereris scelereste? vel potius quoniam beneficio affectus non fueras? nouerat mentem tuam; non destitit, quæ ab ipso erant expectanda, præstare. Sæpè dixit, Quia vnus ex vobis tradet me: Sæpè notauit, ac tibi tamen pernicit; & cum talem te esse sciret, ex choro non eiecit; adhuc ferebat, adhuc vt legitimum, atque vnum ex duodecim, ita honorabat, ita diligebat. Denique, ô scelus, linteo etiam sumpto, puris illis manibus impuros pedes tuos lauit; neque id etiam te cohibuit; furabar ea, quæ pauperum erant; atque istud etiam, ne ad maius aliquod malum progredere, ferebat: sed nihil animum tuum mutauit. Nam etiam si fera esses, etiam si lapis; nonne beneficiis in te collatis, nonne miraculis, nonne illo docendi officio flecti te oportebat? Verum vsque adeò efferatum adhuc vocabat; & mirandis operibus alliciebat; quamuis la-

pidem ipsos vacuitate sensu exuperares: sed nihil horum fuit, quod te meliorem redderet. Forsitã miramini tantam proditoris amentiam. Metum igitur vobis incutiat illius vulnus. Argenti cupiditas, pecuniarum amor talem reddidit. Euelle hunc affectum: tales enim morbos parit; impios facit: atque eò nos adducit, vt etiam si sexcentis beneficiis afficiamur, Deum ignoremus. Euelle, obsecro; non est leuis morbus, sexcentas acerbissimas mortes afferre nouit. Vidimus Iudæ morbum; metuamus; ne ipsi quoque in eadem incidamus: ideo scripta sunt, ne iisdem nos quoque malis afficiamur: propterea ab omnibus Euangelistis id narratum est; vt nos temperantiam docerent: procul fuge: non hoc solum avaritia est, multas pecunias cupere, sed etiam pecunias omnino cupere. Grauis avaritia est plus poscere, quàm opus sit. Non enim talenta auri fuerunt; quæ proditorem in hanc mentem impellerent; sed triginta argentei. Triginta argenteis ipsum prodidit dominum, Ergo memoria tenere; quod antea dicebam; immoderatam habendi cupiditatem non in eo solum se ostendere; quòd magna accipiantur; sed etiam, quòd parua. En quantum scelus iste commisit pauculo auro adductus, vel potius non auro, sed argenteis. Nefas, nefas planè est hominem auarum vnquam intueri faciem Christi. Hoc est vnum ex iis, quæ fieri minimè possunt. Radix malorum avaritia est. Quòd si qui vel vni malo obnoxius est, gloriam illam amittit; qui radicem ipsam secum affert; vbi collocabitur? nefas est pecuniarum seruum, germanum esse Christi seruum. Christus ipse pronunciauit rem esse huiusmodi; quæ constare nullo pacto queat. Non potestis, inquit, Deo seruire, & Mammonæ. Et, Nemo potest duobus dominis seruire. Cõtraria enim præcipiunt. Christus inquit; parce pauperibus; Mammona inquit; exue illos etiam iis, quæ habent. Christus inquit, effunde quæcunq; habes: Mammona inquit, Ea etiam cape, quæ non habes. Vides pugnam? vides bellum? Vultisne ostendamus; quomodo vtrique nemo obtemperare potest; sed alterum contemnat oportet? an res ita clara est, vt minimè egeat oratione? cum id in rebus, & factis ipsis cernere liceat? An non hoc cernimus, Christum quidem contemni, Mammonam verò coli? sentitis, quàm vel ipsa verba aspera sint? Quòd si verba; multò magis res ipsæ. Verum in rebus, ac factis non æquè apparet ipsa asperitas; quoniam nos morbus occupat. Nam nunc quidem, & si non nimis valde ab hoc morbo se purgauerit anima; tamen dum in hoc ipso statu manet, potest rectè iudicare. At cum febri correpta est, & in ipsa rei voluptate versatur; facultatem iudicandi minimè puram habet, non incorruptum tribunal. Christus inquit, Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non est meus discipulus. Mammona inquit, Eripe esurienti panem. Christus inquit; Vesti nudum: hic verò; nudum etiam exue. Christus inquit, Domesticos feminis tui ne despicias. Mammona inquit, domesticorum feminis tui ne miseraris: etiam si matrem videris, etiam si patrem; sperne. Et quid dico patrem, & matrem? tuam quoque ipsius, inquit, animam perde; attamen audiat. Hei mihi, ei qui adeò sæua, & immitia, & fera mandata imponit, dicto audientes potius sumus; quàm illi, cuius leuia, nobisque salutaria iussa sunt? Hinc gehenna; hinc ignis; hinc fluuius ignis; hinc vermīs finem nesciens. Scio multos esse, qui nos hæc dicentes non iucundè audiant. Nam neque mihi sunt iucunda dicta, quid enim his dicendis consequor? Vellem vobis perpetuò ea, quæ regni propria sunt, narrare, requietem illam, aquam plenè reficientem, viridia, ac læta pasqua. Inquit enim, Super aquam refectiois educauit me, & in loco pasquæ ibi me collocauit. Vellem de loco illo dicere; vnde do-

Inc. 8. Cur Deus permittat nos tentari diabolo.

Mat. 6.

Luc. 14.

Esa. 68. secundum 70. Hic paulo aliter.

Ioan. 13.

Psal. 22.

lor, ægritudo, luctus abest. Vellem narrare voluptatem quæ Christo fruendo capitur; quanquam omnem orationem, omnem cogitationem superat. Verumtamen pro viribus in isto argumento versari vellem; sed quid agam? non licet ad eum, qui febri laborans malè habet, de regno verba facere. Etenim dum ita habet, de sanitate differendum est; dum pœnæ est obnoxius, non ei rectè de honore differitur. Tunc enim hoc vnum queritur, à pœna, & supplicio liberari: nisi hoc consequatur, quomodo illud consequetur? propterea de his assidue loquor; vt ad illa citius veniamus. Nam & Deus ipse ideo gehennam minatus est; vt nemo in gehennam decidat; vt omnes regnum assequamur. Et nos idcirco gehennæ perpetuò mentionem facimus; vt ad regnum vos incitemus; vt mentes vestras timore mollientes ad ea, quæ regno digna sunt, facienda appareamus. Ne igitur succenseatis verborum grauitati. Horum enim verborum grauitas leues reddit animas vestras à peccatorum pondere. Nam & ferrum graue est, & malleus grauis; ac tamen faciunt vasa aurea & argentea; & quæ distorta sunt, dirigunt; quòd nisi grauia essent, distortam materiam dirigere nequitiam possent. Ita etiam grauis sermo noster componere animam potest. Verborum igitur grauitatem plagasque ab illis factas ne fugiamus. Non enim ideo infertur plaga; vt animam frangat, ac laceret; sed vt corrigat. Scimus enim Dei munere, quis fit verberandi modus; & quam altè infligamus plagam; vt ne commandatur vas; sed vt poliat: vt dirigatur; vt aptum reddatur, quo vtatur Dominus; vt ex sanitate splendidum offeratur, benèque sculptum in illa die, in qua existet flumen ignis; vt offeratur pyræ illius, quæ ibi futura est, minimè indignū. Nam nisi dum hîc estis, vos inflammauerimus, illic omnino inflammemini necesse est, nec fieri aliter potest. Dies enim Domini in igne reuelatur. Satius est ad breue tempus nostris sermonibus vraminam quam perpetuò flamma illa. Id enim futurum omnino esse, perspicuum est: ac sæpe vobis rationes attuli; quibus contradici non potest: ac solas quidem scripturas plenam vobis fidem facere oportebat, sed quoniam nonnulli procliuus ad contètionem sunt, multa etiam ratiocinationibus mouimus. Nihil verò impedit quominus & nûc eandem afferamus. Quænam verò illæ erant? Iustus est Deus, omnes fatemur, & Græci, & Iudæi, & hæretici, & Christiani. At hinc multi, qui peccarant, abierunt impune: multi qui ex virtute vixerant tum demum abierunt, cum sexcentas subiissent calamitates. Ergo si iustus Deus: vbi nam his quidem præmia, illis verò supplicia tribuet, si non est gehenna, si nò est altera vita? Hanc igitur rationem & illis, & vobis ipsis semper canite, nec sinet vos de resurrectione dubitare. Qui verò de resurrectione non dubitat, is sedulo, atque attentè vitam suam curabit, vt sempiterna bona consequatur. Quæ vtinam nos omnes consequamur, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, &c.

SERMO SEPTIMVS.

Hoc sentiatur in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo: humiliavit semetipsum factus obediens vsque ad mortem; mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloriam Dei patris. Expõsita à nobis illa sunt quæ ad hæreticos pertinebant. Iam verò opportunum

est nōtra etiam afferre. Illi ita dicunt verba ista, *Non rapinam arbitratus est, idem valere, ac si dixisset, non rapuit.* Nos erò ostendimus ineptum id, atque absurdū futurum fuisse: Neminem enim esse, qui aut ex huiusmodi loco ad animi humilitatem cohortetur, aut Deum, hominemve hac ratione celebret. Quid igitur est dī dilecti? Attēdite ea, quæ nunc dicuntur. Quoniam magnam partem homines arbitrantur, si humiliter se gesserint, iore vt propriam amittant dignitatem, & minoris habeantur, atque ad humiliorem locum descendant, hunc metum adimens Apostolus, quid inquit? ostendens non ita nobis sentiendum esse, de ipso Deo inquit, Deum illum vnigenitum, qui in forma Dei est, qui nihil minus patre habet, qui ei æqualis est, non rapinam esse arbitratum esse æqualem Deo. Quid verò istud est? Percipe. Quod quisque rapuit, & præter æquum accepit, id deponere nequaquam audeat, veritus, ne amittatur, atque ex manibus elabatur, sed perpetuò apud seruetur: at qui naturalem quampiam dignitatem habet, is minimè metuit ab illa etiam dignitate descendere, certè enim scit nullum sibi illius amittendæ periculum imminere. Afferam exemplum. Absalon rapuerat tyrannidem, idcirco eam deponere non audebat. Sed aliud etiam exemplum proponemus. Quòd si exempla rem totam repræsentare nequeunt: ne molestè feratis. Exempla enim sunt huiusmodi, maiorem partem menti cogitandam relinquunt. In Regem quispian inuasit, regnumque eripuit. Hic deponere, aut dissimulare auctoritatem suam minimè audeat. Nam si semel dissimularit, statim illa amittitur: Quod exemplum aliis etiam ex rebus peti potest. Quicquid enim quisque rapuit, id perpetuò retinet. Nam cum primum illud deposuerit, amittet: omninoque quod quisque ex rapina habet, timet deponere, atque à se remouere, & non perpetuò illud retinere, quod occupauit. Abest verò hic timor ab iis, qui minimè ex rapina habent, quemadmodum homo dignitatem istam, vt rationis compos sit, ex rapina non habet: sed nò inuenio satis aptum exemplum. Non enim est apud nos principatus naturalis. Bonorū enim nullum nobis naturale est: quādoquidem omnia simul cum natura Dei coniuncta, illiusque propria sunt. Quid igitur Paulus ait? Dei filium veritum non esse de gradu dignitatis suæ descendere: quoniam non est arbitratus rapinam ipsam deitatem: quoniam non timuit ne quis ipse naturalem suam dignitatem eriperet. Quamobrem illam etiam deposuit, non dubitās se recepturum, atque abscondit, non ideo se minorem fieri arbitratus: propterea minimè dixit, non rapuit, sed, *non rapinam arbitratus est*: Non ex rapina habuit principatum, neque etiam ab alio sibi traditum, sed naturalem, stabilem, ac tutum. Ideo neque etiam satellitum cunctatur habitum sumere. Tyrannus metuit in bello purpuram deponere. Rex verò id fidenter ac tutò facit, cur? quia non ex rapina principatum habet. Non ergo veluti qui rapuisset non deposuit, sed vt qui naturalem haberet, eumque qui amitti nunquam posset, occultauit. Hoc inquam, esse æqualem Deo, non ex rapina habuit, sed à natura, quamobrem seipsum exinanivit. Vbi sunt, qui dicunt, illum subiisse necessitatem, ac subiectum fuisse? *Seipsum, inquit, exinanivit, seipsum humiliavit, obediens factus vsque ad mortem*: Quomodo exinanivit? *formam serui accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inuentus vt homo*: hoc loco spectās ad illud, quod antea dixerat, Superiores sibi inuicem arbitantes, hæc verba protulit *seipsum exinanivit*. Etenim si subiectus fuisset, ac non sponte, atque ex seipso hoc suscepisset, minimè res ista humilitatis nomine erat commendanda. Nam si id faciendum sibi omnino esse ignorauit, nōdum suam perfectionem, atque

atque absolutionē erit assequutus, sin autem cum mandari tempus nesciret, illud expectauit, igitur tempus ignorasse fatendum erit. Quòd si & faciendum esse, & quo tempore faciendum, sciuit, quænam causa est, cur illum subiectionem sustinuisse dicendum sit? Vt patris, inquit, præstantiam indicet. Istud verò minimè est patris præstantiam indicare, sed suam vilitatem. Patris enim nomen nonne satis est ad indicandum patris priorem in origine gradum? Hoc autem vno excepto, quòd pater non est, omnia eadem habet filius. Ac sanè neque aptus est hic honor, qui à patre perueniat in filium. Hoc autem excepto, quæcunque patris sunt, filio etiam sunt communia. Hoc loco Marcionistæ, quod dictum est, arripientes; ecce, inquit, non est factus homo. Non enim dixit Paulus, factus est homo, sed *in similitudine hominum factus*. Quomodo verò potest quis in similitudine hominum fieri? vmbra indutus? Igitur idolum istud est, ac tenuis imago, minimè verò hominis similitudo. Hominis enim similitudo alter homo est. Quid autem respondebis Ioanni ita dicenti, Verbum caro factum est? Verum & hic ipse beatus alibi inquit, In similitudine carnis peccati: *Et habitu inuentus vt homo*. Ecce inquit, & habitu, & vt homo. At esse vt hominem, & esse habitu hominem, hoc nequaquam est verè hominem esse. Habitu enim hominem esse, aliud est, ac naturā esse hominem. Videte quā ego ingenuè, & æquo animo ea, quæ ab aduersariis dicuntur, afferam. Tunc enim demum splendida, ac redundans victoria parta erit, cum illorum argumenta, quæ aliquid roboris videntur habere, minimè absconderimus. Abscondere enim, potius dolus est, quā victoria. Quid igitur inquit? rursus enim eadem repetamus. Aliud est habitu hominem esse, ac naturā: atque esse vt hominem, & in similitudine hominis esse, longè aliud est, atque hominem esse. Ergo vt formam serui accipere, aliud est, ac formā serui accipere. Secum igitur hoc ipsum pugnat, & quare tu non prior istud dissoluis? Nam quemadmodum hæc nobis aduersari existimas, ita & nos istud tibi aduersari ostendimus. Non enim dixit, vt forma serui, neque in similitudine formæ serui, neque in habitu formæ serui, sed, *formam serui accepit*. Quid igitur hoc est? subest ne aliqua in verbis pugna? nulla pugna, absit: sed operæpretium est frigidam & ridiculam illorum interpretationem animaduertere. formam, inquit, serui accepit, cum linteo circumcinctus discipulorum pedes lauit. Hoccine forma serui est? nequitiam forma serui est, sed opus serui. Aliud verò est opus serui esse, ac formam serui accipere. Cur enim non ita dixit, opus serui fecit, quod multò manifestius erat? Nusquam omnino in scriptura nomen formæ, pro opere est vsurpatum. Magna enim inter hæc differentia intercedit. Nam alterum quidem naturæ est, alterum verò functionis muneris, atque operationis. Nec verò vnquam in ipso etiam vsu loquendi formam pro opere dicimus. Quanquam apud istos ne opus quidem fecit, neque succinxit se. Etenim, si quod gerebatur, in visione ac spectro duntaxat consistebat, nulla suberat veritas. Si manus non habebat, quomodo lauit? si renes non habuit, quomodo se linteo succinxit? Ecquæ verò etiam vestimenta sumpsit? Nam, Accipit, inquit, vestimenta sua. Quemadmodum igitur nullum hîc opus, quod verè factum fuerit, reperitur: sed mera illusio, ita neque discipulorum pedes lauit. Nam si incorporea illa natura in carne non apparuit, neque in corpore fuit, quis igitur discipulos lauit? Cæterum quid rursus aduersus Paulum Samosatenum afferemus? Quidnam ille dicit? planè idem. Nos autem istud tenemus. Non hoc esse inanitionem, eum qui naturam habeat humanā, purusque homo sit, lauare con-

A seruos. Quæ enim aduersus Arianos diximus, valent etiam aduersus istos. Nihil enim inter eos interest, nisi breue quoddam temporis interuallum: vtrique enim creaturam statuunt Dei filium. Quid igitur aduersus ipsos dicemus? si homo homines lauit, non inaniuit, non humiliavit seipsum. Si cum homo esset, non hoc rapuit, nimirum esse se æqualem Deo, profectò nò est, cur laudetur. Nam eum quidem, qui Deus sit, hominem fieri, magna humiliatio est, quāque nulla oratio consequi narrando queat. Eum verò, qui homo sit, humana facere, quæ tandem humiliatio? Vbi verò, quod opus Dei est, appellatur forma Dei? Etenim si purus homo erat, atque ex operibus appellatur forma Dei, cur non & in Petro id facimus, qui maiora etiam opera edidit? Cur non & Paulum inquis Dei formam habuisse? cur non & seipsum ad exemplum proposuit Paulus, qui sexcenta ministeria seruilia obiuerat, ac nullum recusauerat? Inquit enim, Non enim nosmetipsos prædicauimus, sed Iesum Christum dominum, nos autem seruos vestros per Iesum. Deridicula, ac nugæ sunt, quæ ab istis afferuntur. humiliavit seipsum, inquit, Quomodo seipsum humiliavit, dic mihi? Ecquæ hæc inanitio? An quoniam miracula edidit? At hoc & Paulus & Petrus præstiterunt, quamobrem minimè hoc proprium, ac peculiare filij fuerit. Quid igitur sibi voluit verba illa *in similitudine hominum factus*? Multa ille quidē nostra habuit, multa verò non habuit, huiusmodi sunt, non esse natum ex commistione corporum, peccatum non admisisse. Hæc ipsius erāt propria, nullique hominum communia. Non hoc solum erat quod apparebat, sed etiā Deus. Etenim apparebat quidem homo, in multis verò non erat similis, tamen si carne similis erat. Hoc igitur ista verba indicant, non fuisse purum hominem: propterea inquit, *in similitudine hominum*. Etenim nos quidem anima, & corpus sumus: ille verò Deus, & anima & corpus. propterea inquit, *in similitudine*. Etenim ne audiens voces illas, *exinanivit semetipsum*, mutationem aliquam suspiceris, ac degenerationem, & iteritum, manens, inquit, quod erat, assumpsit, quod non erat, & caro factus perseueravit esse Deus verbum. Hac igitur ratione Paulus dixit, similem esse homini, atque illud præterea addidit, *vt habitu*: non enim natura degenerauit, neque confusio vlla facta est, sed habitu factus est. Nam cum dixisset formam serui accepisse, fidenter postea istud etiam protulit, nimirum cum illud nemini non os obstruxisset. Etenim & cum ita dicit, In similitudine carnis peccati, Non hoc dicit, carnem non habuisse, sed carnem illam nò peccasse, similem tamen fuisse peccatrici: Quatenus similis: secundum naturam, non secundum vitiositatem: Propterea similis animæ peccatricis. Quemadmodum igitur ibi similitudinis nomine vsus est, quoniam non omnia æqualiter se habebant, ita & hoc loco vtitur, eò quòd non omnia sunt æqualia, vtpote, quòd non ex cōmitione corporum, quòd sine peccato, quòd minimè nudus homo: ac pulchrè dixit, *Vt homo*. Non enim erat vnus ex multis, sed vt vnus ex multis. Non enim Deus verbum in hominem degenerauit, neque substantia est mutata: sed tanquam homo apparuit, non simulacris ac visis nos decipiens, sed erudiens ad animi humilitatem. Cum igitur ita inquit, *Vt homo*, hoc sibi vult: cæteroquin & hominē alibi ipsum vocat, vt cum dicit, Vnus Deus, & vnus mediator homo Christus Iesus. Ea etiam dixerimus, quæ aduersus istos dicenda erant. Deinceps verò aduersus eos, qui negant assumpsisse animam necessariò dicendum: Si forma Dei perfectus Deus est, certè & forma serui perfectus est seruos. Iterum contra Arianos ratio suppetit. *Cum in forma Dei esset, inquit, non rapinam arbitratus est esse se æqualem*

Aperitio orationis non succedendum.

1. Cor. 3.

Ratio ad probandā resurrectionem.

1. Tim. 2.

1. Tim. 2.

1. Tim. 2.

1. Tim. 2.

1. Tim. 2.

1. Tim. 2.

1. Tim. 2.

1. Tim. 2.

1. Tim. 2.

1. Tim. 2.

1. Tim. 2.

Cap. 1. Rom. 8.

2. Cor. 4.

Rom. 8.

1. Tim. 2.

Deo: hic de diuinitate loquens nusquam istis verbis utitur, factus est, aut accepit: *semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudine hominum factus*: hic de humanitate: quare audis ista verba, accepit, & factus est. Hoc factus est; hoc accepit: illud verò erat, ac subsistebat. Igitur nec confundamus, nec diuellamus. Vnus Deus, vnus Christus, qui filius Dei. Verum, cum vtor ista voce, vnus: vnionem dico, non confusionem: non enim natura hæc in illam versa degenerauit, sed vnita est. *Humiliauit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. En, inquit, sponte factus est obediens, cum ei minimè æqualis esset, cui obediuit. O stolidi, ac dementes; hoc de illo nihil detrahit; quando quidem nos etiam amicis obedimus, neque id tamen nos minores facit. Sponte filius patri obediuit, non quasi in seruilem conditionem decidisset; sed hoc ipso maximè seruans suspiciendam illam germani filij dignitatem, magnum, inquam, patri honorem exhibendo. Honorauit patrem; non vt ipsum propterea tu honore spoliaret, sed vt magis suspiceres, ac venerares: vt vel hinc germanum filium agnosceres, ac suspiceres: quòd omnium maximè patrem honorauit. Nemo Deum ita honorauit. Quantum habuit celsitatis; tantumdem vicissim humilitatis subiit. Quemadmodum omnibus maior est, ac nemo illi æqualis: ita in patre etiam honorando omnes vicit, non coactus, neque inuitus; sed hoc etiam virtutis ipsius fuit: aut potius desunt mihi verba, quibus vtar. Magnum omnino illud est atque inexplicabile, seruum fieri: sed mortem præterea subire, longè adhuc maius. Verum tamen, & aliud quiddam est hoc facto maius, magisque opinionem omnem exuperans. Quomodo? non cuiusque mortis eadem conditio est. Hæc verò, quam dominus pertulit, omnium turpissima habebatur: hæc plenissima ignominia: hæc, quam homines execrentur. Maledictus enim, inquit, omnis, qui pendet in ligno. Propterea etiam Iudæi hac ipsum morte afficere studuerunt, quòd infamem præterea redderent, vt nisi quis ab eo idcirco deficeret, quòd è medio sublatus esset, saltem ob hanc causam deficeret, quòd hoc modo sublatus. Propterea etiam inter duos latrones cruci affixus est, vt eadem de ipso, ac de illis existimatio esset, atque impleteretur, quòd dictum est. Et cum iniquis reputatus est: sed tantò magis elucet veritas, tantò illustrior redditur. Longè enim pulchrius, atque admiratione dignius spectaculum apparet: cum tot ab hostibus aduersus ipsius gloriam artificis, ac machinis adhibitis, splendet tamen illa, & fulget. Illi enim non solum, quòd interfecerant, sed etiam, quòd hoc modo interfecerant, talem se reddidisse putabant, quem homines detestarentur, ac maximè quidem detestarentur, nec tamen quicquam profecerunt. Erant verò ambo illi latrones adeò impuri, (nam postea quidem alter ipso- rum in bonam partem mutatus est) vt etiam dum in cruce essent, in ipsum probra iacerent, illorumque furor non conscientia suorum peccatorum, non supplicium, non eiusdem pœnæ perpeffio coerceret, quòd etiam vnus ipsorum vidit, atque alterum his verbis compefcuit. Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione sumus? Tanta erat illorum improbitas, sed nihil hinc quicquam detrimeti propriæ ipsius gloriæ allatum est: quamobrem inquit. *Et Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen*. Postquam Paulus carnis mentionem induxit: fidenter deinceps omnia illa commemorat, quæ humilitatem indicant. Quoad enim minimè dixerat, formam serui sumpffisse, sed de diuinitate differebat, vide quàm excelsè: excelsè, inquam, pro virium modo: nam illius quidem dignitatem non assequitur: minimè enim potest. *Cum in forma*

Deut. 21. & Gal. 2.

Esa. 53. & Marc. 10.

Luc. 23.

Dei esset, inquit, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: At postquam dixit hominem esse factum, fidenter deinde, quæ humilia sunt profert, hoc fretus, nullum diuinitati damnum propterea importari; quòd humilia de ipsius carne commemorantur istas suscipiente humilitates. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, & terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Christus Iesus in gloriam Dei patris*: Dicamus aduersus hæreticos. Si hæc de non incarnato afferuntur, si de Deo verbo, quomodo ipsum exaltauit? & hoc modo exaltauit: quasi plus aliquid ei dederit? Ergo hæc quidem ex parte imperfectus erat, & per nos obtinuit perfectionem. Etenim nisi nobis benefecisset, neuiquam honorem istum esset consecutus, & donauit, inquit, nomen: Hæc ne nomen quidem, quantum vestra fert opinio, habebat. Quomodo verò, si id, quod sibi debebatur, accepit, ex dono, & gratia accepisse tuebimur? *Et donauit nomen, quod est super omne nomen*. Verum, & quale sit istud nomen, videamus. *Vt in nomine Iesu Christi, inquit, genu flectatur*: Nomen isti gloriam interpretantur. Hæc igitur gloria omnem gloriam superat. Gloria autem omnino hæc apud vos est, flecti genua ac se ad illum prouoluere. Longè abestis à Dei magnitudine o vos, qui vobis cognitum esse Deum putatis, quemadmodum ipse seipsum nouit. Atqui vel istud satis indicat, quantum à bona mente, rectaque de Deo sententiâ absitis. Caterum hoc etiam indicabit: Hæc, dic mihi gloria est? Ergo antequam homines facti essent, antequam Angeli, antequam Archangeli, minimè erat in gloria. Etenim si hæc ea gloria est, quæ superat omnem gloriam (hoc enim significant illa verba, *quod est super omne nomen*), certè tamen si in gloria erat, at saltem in minore, quàm nunc sit. Huc igitur spectans, & ob hanc causam, vt gloriam assequeretur, res ipsas cõdidit, minimè verò bonitate adductus, sed indigus gloria, quæ à nobis proficeretur? Videte amentiam, videte impietatem. Itaque si hæc de incarnato dicantur, optima sanè ratione dicentur: finit enim Deus verbum de carne hæc dici: Non enim diuinam naturam tangunt, sed omnia in œconomia, id est in assumpta humanitate hærent, atque insistant. Nunc verò ad deitatem ista malitiosè accommodantibus nulla superest venia. Quamobrem, si quando dixerimus, hominem Deus fecit immortalem, etiam si de toto homine dicam, quid dicam, scio. Quid verò illa sibi verba volunt? *Caelestium, & terrestrium, & infernorum*: id est omnis mundus, & angeli, & homines, & demones: vel hoc significat, & iusti, & peccatores. *Et omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloriam Dei patris*, id est, vt omnes hoc dicant. Id verò gloria patris est. Vides vbi- que, cum filius glorificatur, glorificari patrem? itidem verò dedecorato filio dedecoratur etiam pater. Nam si apud nos hoc fit, vbi inter patrem, & filios multum interest, multo magis in Deo, vbi nihil discriminis, in ipsum & honor, & dedecus redundabit. Nam si orbis, inquit, fuerit subiectus filio: id gloria patris est. Ergo, & cum dicimus esse perfectum, non indigentem, nihilo minorem patre, hoc gloria patris est. Hoc & potentia ipsius magnum iudicium, & bonitatis, & sapientiæ, quòd filium talem genuit, quòd nihilo minorè, neque quòd ad bonitatem, neque quòd ad sapientiam attinet: Cum sapientem esse dico item vt patrem, & nihilo minorem, hoc magnæ patris sapientiæ iudicium est: cum dico potentem æquè esse, ac patrem, hoc potentia patris iudicium est: cum dico bonum esse item vt patrem, hoc bonitatis argumentum maximum, talem, inquam, genuisse, qui nequaquam ipso sit inferior, nequaquam minor, atque

Videntur inuere loci Pauli Cor. 14. & Hebr. 1.

atque indigus. Cum dico non esse minorem secundum essentiam, sed æqualem, neque alterius esse substantiæ: hinc etiam rursus Deum suspicio, & potentiam ipsius, & bonitatem, & sapientiam, qui alium ex se nobis cuiusmodi prompserit, hoc excepto, quòd pater non est. Quamobrem, quæcunque tandem de filio magna dixerò, omnia hæc in patrem redundabunt. Nam si exiguum istud, ac leue (exiguum enim ad Dei gloriam est, à mundo filium adorari) ad gloriam Dei pertinet, multò magis reliqua omnia.

MORALIS DIGRESSIO.

CREDAMVS igitur ad ipsius gloriam, & viuamus ad ipsius gloriam. Alterius enim sine altero nulla utilitas. Nam, cum illum rectè quidem glorificamus, sed non rectè viuimus, tunc maximè in ipsum contumeliosi sumus, quippe qui illum dominum, ac magistrum in inscriptione ipsa præ nobis ferentes, nihilominus cum contemnimus, nec terribile illud tribunal pertimescimus. Etenim Græcos quidem impurè viuere, neque mirandum est, neque tanto dignum supplicio. At Christianos tantorum mysteriorum participes, tantæque gloriae compotes adeò impuram vitam viuere, hoc mirum est, quòd omnem exuperat improbitatem, nullòque pacto ferendum est: id adeò mecum recognosce. Christus vsque ad vltima obedientiæ officia descendit: propterea ad excelsum illum honoris gradum peruenit, seruus factus est, propterea omniū factus est dominus, & Angelorum, & cæterorum omnium. Quamobrem nos etiam minimè de statu dignitatis nostræ deiici existimemus, cum nos ipsos humiliauerimus. Tunc enim potius verè in sublime ferimur: tunc maximè digni sumus, qui suspiciamur. Quòd enim sublimis sit humilis, humilis verò sublimis, sufficit ad fidem faciendam vel na Christi sententia hoc pronuncians. Verum tamen ipsam quoque rei naturam perpendamus: quid est humiliari? an non vituperari? an non accusari, & calumniis periri? Quid verò exaltari? nõnne honorari? laudari? in magna gloria esse? Videamus igitur, quomodo ad hæc perueniatur. Angelus erat Satan, seipsum exaltauit: quid igitur? nõnne omnium maximè est humiliatus? nõnne sedes ipsius terra est? nõnne ab omnibus accusatur? omniumque criminationi patet? Homo erat Paulus, humiliauit seipsum: quid igitur? an non suspicitur? an non laudibus, atque encomiis celebratur? an non Christi amicus est? an non maiora illis edidit, quæ Christus fecerat? an non sæpe diabolo tanquam mancipio imperauit? an non veluti lictorem circumduxit? an non ludibrio habuit? an non contritum illius caput suis subiecit pedibus? an non aliis etiam hoc idem magna cum fidentia à Deo precatus est? Quid hæc affero? extulit se ipsum Absalon, deiicit seipsum Dauid: vter tandem positus in excelso est? vter gloria circumfluxit? Quid enim verbis hisce humilior, quibus beatus hic Propheta erga Semei vsus est? cum ita diceret, Dimittite eum, vt maledicet mihi: Dominus enim præcepit ei. Humiliauit seipsum publicanus (quanquam ne animi quidem humilitas erat) sed tamen quàm modestè, & verecundè dicebat, quæ dicebat. Extulit seipsum Phariseus: sed, si libet, omiffis personis res ipsas examinemus. Statuantur duo aliqui, ambo & diuitiis, & honoribus abundantes, ac tum sapientiæ, tum potentia, & cuiusuis alius in mundanis bonis præstantiæ nomine de se ipsis magnificè sentientes. deinde alter quidem honores ab omnibus petat, & nisi accipiat, irascatur, & plusquàm opus est, exigat, ac seipsum extollat, alter verò totam rem despiciat, nemini hac de causa succenseat, delatùmque sibi honorem repudiet. Vter, dic mihi, maior est, an qui ho-

Non sufficit sola fides.

Humilitatem esse quæ nos in altum euehat.

Rom. 16.

1. Reg. 16.

norem non accipit, quamuis petat, an qui delatos etiam despicit? perspicue hic, qui contemnit: & iure quidem Gloriae enim consequendæ alia ratio non est, quàm gloriam fugere. Quamdiu enim ipsam persequimur, fugit nos, cum verò eam fugimus, ipsa nos persequitur. Si vis in gloria esse, gloriam ne concupiscas: si vis celsus esse, ne te ipse in sublime efferas. Atque alia etiam causa est: quamobrem homines colant honoris non appetentem, consecrantem verò auerferentur. Insitum enim hoc quodammodo est hominum generi contentionis esse cupidum, & cum aliorum desiderijs luctari. Itaque despiciamus gloriam: ita enim poterimus humiles fieri, vel potius celsi. Ne te ipsum extollas, vt ab alio extollaris. Qui à seipso extollitur, is ab aliis non extollitur: qui se ipsum deiicit, is ab aliis non deiicitur. Magnum arrogantia malum est. Satius est stolidum esse, quàm arrogantem: nam ibi quidem stultitia sola mentis infirmitas, atque inopia est, hic verò stultitia deterior est, & stultitia quidem cum furore coniuncta. Stolidus sibi ipsi nocet, arrogans verò aliorum etiam pernicius est. A dementia hic morbus procreatur: fieri minimè potest, vt quis de se magnos spiritus sumat, nisi stultus sit; qui verò valdè stultus est, is arrogans quoque est. Audi sapientem quandam ita dicentem. Vidi hominem sapientem sibi videri: magis verò illo spem habet insipiens. Vides non me temerè dixisse grauius esse hoc malum stoliditate? Magis enim, inquit, illo spem habet insipiens. Propterea Paulus etiam dicebat, Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. In corporibus, dic mihi, quænam valere dicimus? vtrum valdè tumida, ac multò intus referta flatu, & aqua? an depressa, & contractam habentia superficiem? sine dubio hæc. Ergo & in anima idem euenit: quæ tumet, grauiorem hydrope morbum habet: quæ verò depressa est, omni caret perturbatione. quot igitur bona parit nobis animi humilitas? Quid quæris? nõnne hinc ista existunt, malarum rerum esse tolerantem, iracundiæ expertem, humanum, sobrium, attentum, atque alacrem? Hæc, inquam, omnia bona ab humilitate proficiuntur: cõtraria verò ab arrogantia. Nam qui arrogans est, hunc & contumeliosum esse necesse est, & percussorem, & iracundum, & amarum, & tristem, omninoque feram potius, quàm hominem. Robustus es, ac superbis? Quin inde potius deprimi debueras? cur enim ex re, quæ nullius ponderis est, magnos tibi spiritus fumis? Etenim & leo te audacior est, & sus robustior, ac præ illis ne culex quidem es. Et latrones verò, & sacrilegi, & gladiatores, & famuli tui, fortasse verò, & qui inter ipsos hebetiores sunt, te robore, & viribus excellunt. Hoccine igitur laude dignum? ac non te ipsum præ pudore abdis, qui ideo superbas? At pulcher es, & in ætatis vigore. Cornicum hæc gloriatio est, non es pauone pulchrior, siue nitorè, siue penas spectes: Pennæ auis longè te vincunt, ipsa coma, ipsa nitorè. Atquiolor etiam valde pulcher est, aliæque aues multæ: quibuscum si te contuleris, despicias planè te ipsum. Sæpe verò, & viles pueruli, & virgines innuptæ, & famosæ mulieres, & molles homines hanc habent gloriationem. Hoccine igitur arrogantia dignum? Atenim diuitiis abundas? vnde, quibus rebus abundans? auro, argento, lapillis pretiosis? Hæc & latronum gloriatio est, & sectorum, & eorum, qui metalla effodiunt. Ergo quod damnatis labor est, id tibi gloriandi causa erit? At ornatu nites? equos etiam licet cernere pulchrè ornatos. Apud Persas verò camelos etiam videas mirificè comptos: inter homines autem eos omnes, qui excensena. Non pudet te has ob res magnos spiritus sumere, in quibus tecum communicant bruta animantia, & serui, & homicidæ, & molles, & latrones, & sepulchrorum

Gloriam consequimur fugiendo.

Prou. 26.

Rom. 12.

perfosiores? At aedes extruis splendidas: Et quanti hoc? multi graculi splendidius habitant, & magnificentiora habent domicilia. An non vides ab his ipsis, qui diuitiis ita immoriuntur, vt insaniant, in agris, ac solitudine extructas domos, graculorum esse domicilia? At vocis gratia superbis? Olore & luscinia nunquam poteris canere suauius? at artium multitudinem? Ecquid in his ape sapientius? Ecquis variegandi artifex, ecquis pictor, ecquis architectus istius imitari opera poterit? At subtilitate vestis? Ceterum hinc te araneque vincunt. At velocitate pedum? rursus primae brutis animantibus deferenda, lepori, damae: & quot iumenta velocitate pedum minime vincuntur? At mutas sedes? verum nihilo plus auiibus; he enim facilius peregrinantur, ac sedes mutant, non viatico, non iumentis egent: sed ad omnia illis ala satis est. haec nauis est, haec iumentum, haec vehiculum, haec ventus, & quidquid aliud postulari queat: at acute cernis? verum non equum, atque caprea, aut aquila: at acute audis? verum tamen asinus acutius. At bene olfacis? verum canis minime se abs te vinci patitur: at parandi victus artificis tenes? verum formicae cedis: at aurum gestas? verum non item atque indicae formicae. At sanitas te effert? multo melius brutis animantibus est; siue bonitatem habitus, siue parandarum rerum, quae ad vitam faciunt, facultatem spectes: non illa paupertatem timent, Respicite enim inquit, volatilia caeli, quae non terunt, neque metunt, neque congregant in horrea. Ergo, inquit, bruta ipsa nobis praestantiora Deus condidit. Vides quanta sit inconsiderantia? vides, quam negligenter res examinentur? vides, quantum illud sit, quod rerum ipsarum pondus examinatum nobis largitur? Ille qui pra omnibus hominibus magnos sibi spiritus sumebat, vel brutis ipsis vilior esse conuictus est. Sed nos ei parcamus, neque ipsum imitemur. Non enim, quoniam supra nostrae naturae conditionem de se magnifice sentit, deiectum illum infra brutorum ordinem iacere patiamur; sed inde ipsum extrahamus, atque euehamus, non quidem ipsius gratia (nam ille quidem qui huiusmodi conditionem subeat, dignus est) sed vt Dei humanitas, honorisque ab eo nobis tributus demonstraretur. Sunt enim, sunt omnino quaedam, in quibus quidem nihil brutis animantibus nobiscum commune est. quoniam haec pietas, & vita virtuti congruens. Hinc non potes in medium adducere scortatores, non molles, non homicidas. Longe enim ab illis distamus. Quid vero hoc est? Deum nouimus; ipsius providentiam agnoscimus; de immortalitate philosophamur. Hinc cedunt bruta: de huiusmodi rebus non haesitantes sobrie sentimus: Hinc nihil brutis commune nobiscum est. Nam cum omnibus illis inferiores simus; iis tamen imperamus: nam in hoc extat imperij magnitudo; quod ipsis inferiores regnum tamen in ipsa obtinemus; vt intelligas non te harum rerum esse causam; sed Deum, qui te condidit, & rationem largitus est: retia, & laqueos illis tendimus; in quos ipsa impellimus, & capimus: moderatio enim nobis adest, aequitas, lenitas, pecuniarum despicientia. Sed quoniam tu vnus ex arrogantibus es, nihilque horum habes, merito vel pra omnibus hominibus magnifice de te sentis, vel pra omnibus brutis humiliter. Talis enim est arrogantia, & audacia: vel praeter aequum sese effert, vel itidem se deiicit, nusquam modum seruans. Hac quidem re aequales sumus Angelis; regnum nobis promissum est, & chora cum Christo. Qui vere homo est, vapulat, & non succumbit; mortem despicit, non tremuit; non metuit; non appetit plura. Quamobrem qui tales non sunt, brutis sunt deteriores. Quando enim rebus quidem ad corpus pertinentibus alios homines vincis, eximius vero, atque excellentibus animi ornamen-

tis cares; quomodo brutis non es deterior? Age enim in medium adducamus eorum aliquem; qui cum vitio, qui minime congruenter rationi, qui in deliciis, & immoderata rerum abundantia viuunt. Isto equus est pu-gnator, sus robustior, lepus velocior, pauo formosior, olor vocis suauitate praestantior, elephas maior, aquila facultate cernendi acutior, omnes aues ditiores. Vnde igitur dignus es; qui brutis dominaris? ex ratione? minime id quidem. Quando enim illa, quod oportebat, non vteris; rursus illis es deterior. Quando enim ratione praeditus minus quam illa, congruenter rationi viuis; satius tibi erat neque initio factum esse rationis compositum. Non enim idem est, cum principatum acceperis, illum prodere; atque initio non accepisse. Regi satellitibus suis deteriori satius erat neque purpura se induisse. Idem hac in re euenit: intelligentes igitur vel brutis ipsis nos esse deteriores, nisi virtutem habeamus; huic exercendae operam demus, vt homines fiamus, vel potius angeli; promissisque bonis fruamur, quae vti nam nobis oiaibus consequi liceat, gratia, & humanitate domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri, simulque sancto Spiritui gloria, imperium, honos nunc, & semper, & in saecula saeculorum. Amen.

SERMO OCTAVVS.



TAQVE charissimi mei, sicut semper obedistis, non in praesentia mei tantum, sed & multo magis nunc in absentia mea cum timore, & tremore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis, & velle, & operari pro bona voluntate: omnia autem facite sine murmurationibus, & haesitationibus, vt sitis sine querela, & simplices: filij Dei sine reprehensione in medio nationis prauae, & peruersae, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo, verbum vitae continentes ad gloriam meam in diem Christi. Admonitiones laudationibus temperatae sunt. Nam hoc modo in bonam partem accipiuntur; cum eos, quos monemus, ad suam ipsorum imitationem prouocamus; quod nunc etiam Paulus fecit. Attende autem, qua ratione, & quam prudenter. Itaque charissimi mei, inquit: non hoc nudè, atque absolute dixit, obedite; sed postquam illos laudauit, atque ea verba praemisit, sicut semper obedistis, id est horrore, atque obsecro vos; vt imitemini non alios, sed vos ipsos. Non in praesentia mei tantum, sed multo magis in absentia mea: cur multo magis in absentia mea? cur? tunc quidem fortasse videbamini omnia facere pro vestra in me reuerentia, quodque mihi honorem haberetis: nunc vero non ita. Quod si nunc maiorem etiam animi contentionem, ac diligentiam ostenderitis; illud simul constabit, tunc quoque Dei causa, non mea vos adductos esse. Dic rogo Paule quid tibi vis? non vt me audiat; sed vt cum timore, & tremore vestram ipsorum salutem operemini. Nefas enim est eum, qui sine timore viuunt, praclarum quippiam, & admirandum edere. Neque tantum dixit, timore, sed addidit, & tremore, qui maior quidam, & vehementior timor est; nimirum id studens, vt illos attentiores reddat. Hunc habebat timorem Paulus; propterea etiam dicebat. Timeo, ne quo modo cum aliis praedicauiero, ipse reprobos efficiat. Nam si quae ad vitam hanc pertinent, sine timore rectè acquiri non possunt; multo minus spiritualia. Cedò enim, quis litteras sine timore didicit? quis artem tenuit sine timore? quod si vbi non imminet diabolus, sed sola negligentia impedimento est: tanto opus est labore, vt solam illam naturalem negligentiam vincamus; vbi tantum impendet bellum, tanta impedimenta; qui fieri vnquam poterit; vt sine timore salutem consequamur? sed qua ratione hic in nobis excitabitur timor? si illud in animo habuerimus,

Mat. 6.

Ephes. 6. Phil. 2.

Quomodo Deus operatur velle.

1. Cor. 4. De vultu te timore.

rimus, vbi que adesse Deum, omnia audire, omnia videre: non ea solum, quae fiunt, aut dicuntur, sed etiam quae in cordibus, & recessu mentis latent. Discretor enim est cogitationum & intentionum cordis. Si ita nos ipsos praeparauerimus; nihil cum improbitate coniunctum faciemus, nihil dicemus, nihil cogitabimus. Dic enim mihi, si tibi perpetuo in conspectu Principis standum esset; nonne cum timore stares? Et qui fit; vt cum Deo adites; rideas, & osciteris; nec timeas, neque contremiskas? Toleracione illius per contemptum ne abutitor: Ideo enim cunctatur; vt te ad poenitentiam adducat: neque cum quid vis tibi faciendum est, sine hac cogitatione facere adducaris, omnibus factis interesse Deum. Interest enim omnino. Ergo siue comedas, siue dormitias eas, siue irascaris, siue rapias, siue in deliciis agas, siue quiduis aliud facias; crede interesse Deum; ac nunquam in risum incidis, nunquam ira accenderis. Si hanc perpetuo retinueris cogitationem, perpetuo in timore, ac tremore eris; quippe qui in conspectu regis adites, aedificator, etiam si bene peritus sit, ac bonus artifex, cum timore tamen, ac tremore stat metuens, ne ab aedificio decidat. Ergo & tu, qui credidisti, multa virtutis officia functus es, ad excelsum quaedam gradum peruenisti; te ipsum in tuto contine, & cum timore sta, atque oculos aperi, ne inde decidas. Multa enim sunt spiritualia illa nequitiae; quae id student, vt te deiciant. Seruite, inquit, domino in timore, & exultate ei cum tremore. Et quamquam esse potest exultatio cum tremore? quin haec ipsa sola est exultatio. Nam cum aliquod virtutis officium, ac tale omnino quippiam praestiterimus, quale consentaneum est eos praestare, qui tremorem in faciendo adhibent; tum solum gaudemus. Cum timore, & tremore vestram salutem operamini. Non dixit tantum, ep-
y d' e o s, sed κατὰ φόβον: id est non quouis modo operamini, sed accurate, magnoque cum studio operamini. Quoniam vero dixit, Cum timore, & tremore, ac sollicitudinem iniecit; vide, quomodo illam mitiget. Quid enim inquit? Deus est, qui operatur in vobis. Ne illud tibi metum incutiat, quod dixi, Cum timore, & tremore: non enim ideo dixi, vt desperes; vt virtutem rem huiusmodi esse putes; quam consequi nullo pacto queas; sed vt mentem adhibeas; ac ne te ipsum remittas, ac quasi fatiscas. Si hoc attuleris; Deus omnia operabitur, tu confidito. Deus enim est, qui operatur in vobis. Ergo si ipse operatur; nos voluntatem ipsam penitus obsecundantem, non remissam, sed contentam, atque in sese collectam exhibeamus oportet. Deus enim est, qui operatur in vobis & velle, & operari. Si Deus est, qui in nobis hoc operatur, vt velimus; cur nos cohortaris? Nam si ipse est, qui vt velimus, facit, frustra nobis dicis, obedistis: non enim nos sumus qui obedimus: frustra dicis, in timore, & tremore. Totum enim Dei est. Minimè vero huc spectans, inquit, ista verba protuli, Deus est, qui operatur & velle, & operari, sed eò; vt vestram sollicitudinem fedarem. Si volueris; tunc operabitur, vt velis: non te iste metus angat. Et pro-pensionem voluntatis ipse nobis dat, & operationem. Etenim vbi voluerimus; de cetero augebit propensionem voluntatis: veluti, volo boni quippiam operari: hoc ipsum bonum ille operatur; & per hanc boni operationem operatur etiam velle. Aut ex abundantia pietatis hoc inquit; quemadmodum cum nostra rectè facta, charismata, ac dona appellat. Quemadmodum igitur illa nominans charismata non propterea nos deiicit de liberi arbitrij possessione; sed hanc ipsam liberam, ac sui iuris potestatem nobis permittit; ita cum inquit Deum esse, qui operatur in nobis velle; minimè nos libero arbitrio priuat: sed ostendit rectè faciendo magnam nos acquirere propensionem ad volendum. Nam quemadmodum facien-

do illud consequimur, vt faciamus; ita non faciendo hoc comparatur, vt non faciamus: dedisti eleemosynam? te ipsum magis incitasti ad dandum, non dedisti? magis te ad cessationem coparasti. Temperasti tibi vnum diem? habes incitamentum, vt & alterum temperes, temperare neglexisti? auxilium negligentiam. Impius enim, inquit, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Quemadmodum igitur, qui in malorum profundum descendit; contemnit, ac negligit; ita qui in profundum bonorum venit; studiosè agit. Nam vt ille desperatione negligentior fit; ita hic bonorum copiam secum cogitans, diligentior fit, ne totum perdat. pro bona voluntate inquit: id est propter charitatem; vt Deo placeatis; vt quae illi probatur, quaeque illius voluntati consentanea sunt, fiant. Hoc loco ostendit, & fidere nos facit, fore omnino, vt Deus operetur. Vult enim nostram nos ad illius voluntatem aggregare, atque ita vt vult, viuere. Quod si Deus vult; illud autem quod vult, ipse operatur; certè hoc quoque operabitur, ac praestabit; vt rectè viuamus. Hoc enim vult. Vides à Paulo minimè tolli arbitrij libertatem? haec omnia, inquit, facite sine murmurationibus, & haesitationibus. Diabolus vbi nos abducere minimè potuerit; quin rectè faciamus; alia quadam ratione molitur inanem reddere mercedem nostram. Nam vel vanae gloriae amorem, vel arrogatiam induxit, vel si nihil horum, murmuracionem, vel saltè haesitationem. Ac vide quomodo haec purget Paulus. Dixit de animi humilitate, quae-cunque iam audiuitis, arrogantiam abigens: dixit de inanis gloriae studio, comprimés tumorem, Non in praesentia, inquit, mei tantum: nunc verò nonnulla addit de murmuracione, & haesitatione. Ecquid verò causae est: quamobrem, cum Corinthiis adimeret hunc morbum, Israelitarum etiam mentionem fecit: hoc autem loco nihil huiusmodi attulit, sed simpliciter praecipit: nimirum quoniam illi ab hoc morbo iam fuerat occupati: quamobrem altius inferre vulnus necesse habebat, ac vehementius obiurgare: Hic verò, ne se occupari sinant, monet. Igitur erga eos, qui nondum peccarant, superuacuum erat durioribus verbis vt, quod sibi cauerent. Nam & animi humilitatem adducens non attulit exemplum illud ex Euangelio: vbi superbiorum supplicium narratur: sed ab exemplo Dei admonitionem duxit: ipsique omnino, vt ingenuis loquitur, vt legitimis filiis, non vt famulis. Etenim ad virtutem sequendam is, qui bona & generosa mente praeditus est, exemplo eorum, qui rectè se gesserunt, adducitur: is verò cui mala mens, ac malus animus: eorum exemplo, qui virtutis munera non obiterunt: ille honore, hic supplicio. Propterea ad Hebraeos etiam scribens Esau in medium adduxit, qui propter vnam escam vendidit primitiua, & rursus, Si subtraxerit se, non placebit animae meae. Atqui inter Corinthios quidem multi erant, qui scortati fuerant. Propterea dicebat, Ne iterum cum venero ad vos: humiliet me Deus meus: & lugeam multos ex iis, qui antea peccauerunt: & non egerunt poenitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt: vt sitis, inquit, sine querela, & simplices: id est nulli reprehensionum obnoxii, puri, atque integri. Non enim leuem maculam imponit murmuratio. Quid autem significat, sine haesitationibus? Vtrum bonum est, an minimè? ne in disputationem, inquit, rem adducatis: etiam si labor, etiam si molestia sit, quod proponitur. Non dixit, vt ne puniamini: quanquam isti etiam rei supplicium est propositum, quod in Epistola ad Corinthios indicauit: sed hic nihil eiusmodi dixit, sed vt sitis, inquit, sine querela, & simplices, filij Dei sine reprehensione, in medio nationis prauae, & peruersae, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo verbum vitae continentes ad gloriam meam in diem Christi.

Prou. 18.

1. Cor. 10.

Hebr. 12. ex Abac. 2 vbi vulgata habet, qui incredulus est, non erit recta anima eius in cineribus. 2. Cor. 12.

MORALIS DIGRESSIO.

Aduersus murmuratores.

VIDES hos à Paulo institui, ne obmurmurēt: Est enim iniqui, ac stupidi serui obmurmurare. Ecquis enim dic mihi filius est; qui in bonis paternis, ac sibi ipse laborem capiens obmurmuret? Cogita, inquit, te tibi ipsi laborare, tibi ipsi colligere. Illorum verò proprium est obmurmurare; qui aliis laborāt, aliis sudant: Qui autem tibi ipse colligit: cur obmurmurat? quod ipsius diuitiæ non crescunt? minimè id quidem. Qui sponte nulla imposta necessitate facit; cur obmurmurat? satius est nihil agere, quàm murmurando agere. Nam & hoc ipsum, quod sit, perit. An non vides in ipsismet domibus nostris hæc nobis semper in ore esse: satius est isthæc minimè fieri, quàm obmurmurando fieri? Ac sæpe malumus ministerio, quod nobis exhibetur, carere, quàm murmurantem ferre. Grauis enim res, grauis est murmuratio, ac propè ad blasphemiam accedit: alioqui cur tantum de illis supplicij fumptum fuisset? vitium istud crimen ingrati animi est. Qui murmurat, ingratus est erga Deum: qui verò erga Deū ingratus est, profectò blasphemus etiam est. Ac sanè eo maximè tēpore cōtinentes tētationes erant, & contexta pericula: nulla dabatur requies, nulla cessatio: vndique innumerabilia inguebant mala: nunc verò summa pax, ac tranquillitas. Cur igitur murmurat? quod pauper es? Iob illū cogita: morbo laboras? Quid igitur faceres, si tantorum tibi bonorum, ac sanctus ille, rectorūque factorum conscius in morbū incidisses? Rursus illum cogita. Ille quidem per diu erat, cum vermes scaturire, in stercore sedere, scabie fricare perfereret. Nam cum multum, inquit, temporis præcessisset, dixit ad eum mulier: quousque vtēris patientia ista, ac perges dicere: adhuc paulum quiddā temporis expecto? Dic verbum aliquod ad dominū, ac morere. At filius tibi obiit? quid igitur, si omnes amisisses, & acerba quidem morte: quemadmodum ille? Nostis enim, nostis, affidere egrotanti, os ori conferre, oculos claudere, cōtractare genas, suprema audire verba, quantum solatij afferat: quorū nullo dignatus est iustus ille: sed omnes simul obruti occubuerūt. Et quid hæc dico? si ipse iustus esses filium tuum interimere, & immolare, & ardentem spectare, quemadmodum beatus ille Patriarcha: quid fecisses? Ille verò & altare ædificabat, & ligna imponebat, & filium ligabat. At nonnulli sunt, qui te conuiciis consectentur? quid igitur tibi animi esset: si hæc eadem ab amicis, qui consolationis causa aduenissent, audires? Nam nūc quidem multa habemus peccata: iurēque probris afficimur. Tūc verò ille verax, iustus, pius, qui se ab omni crimine abstinebat, secus omnia ab amicis audiebat. Quid verò, dic mihi, si mulierem exprobrantem audires, ac dicentem, Ego quasi erratica quædam mulier, & famula locum ex loco, domum ex domo circumerrās, Solis aliquādo occasum expectans: vt à doloribus me vndique premētibus requiescam: cur ista inquis o stolidus? Non enim harum rerum tibi causa est vir, sed diabolus. Dic, inquit, verbum aliquod aduersus dominum, & morere. Ita ne? si decumbens hoc diceret, ac moreretur: tibi ne melius esset? Non est morbus illo grauior: etiam si sexcentos afferas. Talis, ac tantus erat: vt ne domi quidem, ac sub tecto manere posset: talis erat, vt omnes ab eo deficerent. Non enim, si vllam admisset medicinā: extra urbem sedisset: deteriori conditione, quàm illi, qui elephāti laborāt. Nam isti quidem & domos subeunt & inter se cōgregantur. Ille verò sub dio in stercore nudus pernoctabat: ac ne vestem quidem inducere poterat: quomodo enim? quin etiam fortasse creuisset dolor. Macero, inquit, glebas terræ saniem scalpens: carnes ipsius saniem, ac vermes scatu-

Iob 2. Vbi vulgata habet, dixit autem illi vxor sua, &c.

Ibidem, sic cepit paulo aliter.

Iob 7. vbi vulg. fordidus pulueris, &c.

Aricbant: idque assidue. Sentis, quàm quisque nostrum hæc audiens horrescat? Quod si ea sunt auditu intolerabilia: quantum magis perpeffus? Ac tamen perpeffus est iustus ille non vnum, aut alterum diem, sed per diu: nec peccatum quicquam in labiis suis. Ecquem huiusmodi morbum potes mihi afferre? tot refertum doloribus? an non iste cæcitate, ac membrorum mutilatione deterior erat? Fœtidus enim sētio cibos meos: neque hoc solum, sed neque etiam, quæ aliis solet recreationi esse, nox & somnus, huic quicquā solatij afferbat: sed quouis tormēto grauior erat: idque ex ipsius verbis cognosce. Cur terret me per somnia, & per visiones errore concutis? cum aduenit diluculum, dico, quādo adueniet vespera: ac tot, tantisque malis affectus non obmurmurauit. Neque verò id solum molesti inerat: sed etiam mala, quam multi de ipso conceperant, opinio. Nam ex calamitatibus, quæ illi acciderāt, sexcentorum iam criminum reum existimabant: quod & ei dicebant amici, minora peccatis tuis flagella passus es: quam obrem & ipse dicebat, & monēt me infimi homines, quos canibus pastorū meorum minimè dignos existimassē. Quot mortibus non erat istud grauius? Verum tamen tātis vndique fluctibus pressus, ac tam sæua vndique ingruente tēpestate in mediis nubibus, procellis, fulminibus, turbinibus, ac vorticibus mansit ipse immotus, tanta, tamque graui in tempestate, perinde atque in placido quodā portu quietus sedēs: neque obmurmurauit. Atque hæc ante gratia tēpus: antequam de resurrectione, de gehēna, de pœna, de supplicio quicquam dictum esset. Nos verò, qui & Prophetas, & Apostolos, & Euāgelistas audimus, & sexcenta cernimus exempla: atque ea, quæ resurrectionem nobis exploratissimam faciūt, didicimus: adhuc ægrè ferimus: quamuis nemo sit, qui tot ac tāta sibi mala accidisse queat dicere. Nā tametsi quis pecunias amisit: at non tot filios, filiāsque: ac si amisit, fortasse propterea, quod culpam admisit. Ille verò repēte in mediis sacrificiis, illo ipso tempore, dum deseruieret, & cultū tribueret Deo: quod si filios, ac diuitias simul tantas quod vix fieri potest: at non per totum corpus vlceribus scætat, ac saniem effundit. Quod si hoc quoque: at non insultantes nactus est, atque exprobrātes: quod quidem omnium maximè nos pūgere cōsuevit: magis que adeo, quàm calamitates ipsæ. Etenim, si vbi in malis adsunt, qui nos consolentur, ac dolorē leniant, bonāsque nobis spes iniiciant: tamen adeo frangimur, atque animum despondemus: cogita quātum illud fuerit, exprobrātes habere. Si illud, quod propheta conquerebatur, sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit: & qui cōsolaretur, & non inueni, graue, atque intolerabile erat: quantum tandem mali erit pro cōsolantibus incidere in exprobrātes? Consolatores, inquit, malorum omnes. Si hæc assidue versassēmus: si hæc effemus ratiocinati: nulla sanè præsentium rerum dolore nos affecisset, in illum intuentes athletam, in adamantinam illam animam, in mentem illam æneam, & quæ frangi minimè posset: perinde quasi ac æreo, vel lapideo corpore circumdatus esset, ita omnia generosè, ac patienter ferebat. Hæc cogitantes, omnia sine murmurationibus, atque hesitationibus faciamus. Boni quippiam facis, ac murmurat? cur? num fortè imposta tibi necessitas est? Noui, inquit Paulus, multos, qui circum vos sunt, vos penè cogere, vt murmurētis. Hoc enim significat illis verbis, in medio nationis præuæ & peruersæ. At hoc demum admirabile est, neque etiam cum pūgaris, atque impellaris, eò adduci. Nam & sydera in nocte fulgent, in tenebris emicant: tantūque abest, vt vllam pulchritudinis suæ iacturam faciāt, vt splēdidiora etiam appareant: vbi enim lux aduenerit, non eque apparent. Ita etiam tu, si inter peruersos homines, reclusus mæteris

Iob 1.

Ibid. 6. vbi vulgata, quæ prius non habebat, &c. Ibidem 7. licet paulo aliter.

Cap. 11. sic cepit paulo aliter. Cap. 10. vbi vulg. quæ non dignatur, &c.

Psal. 61.

Iob 14. vbi vulg. cōsolatores ostenduntur.

SERMO IX.



PERO autem in domino Iesu Timotheum meo mittere ad vos, vt & ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt. Neminem enim habeo tam vnanimem, qui sincera affectione pro vobis sollicitus futurus sit: omnes enim quæ sua sunt querunt, non quæ sunt Iesu Christi. Dixit quæ sibi euenerant, ad Euangelij progressum conduxisse, ita vt vincula mea manifesta fierent in omni prætorio. Addidit illa, sed etiam immolator supra sacrificiū, & obsequium fidei vestra, ipsolque per hæc cōfirmavit. Sed fortè suspicari poterant priora ista cōsolationis causa esse dicta. Quid igitur facit? & que modo suspicionem admittit? Timotheum, inquit, mitto ad vos. Auebant enim de Paulo omnia cognoscere: cur verò non dixit, vt mea cognoscatis, sed, vt ego cognoscam vestra? quomodo Pauli res Epaphroditus ante Timotheū nunciaturus erat: quam obrem progrediens inquit, necessariū autem existimaui Epaphroditum fratrem mittere ad vos, sed vestra, inquit, cognoscere cupio. Verisimile enim est diu illum mansisse apud Paulum ob corporis imbecillitatem. Quam obrem necessariò, inquit, vestra cupio cognoscere. Vide autem, quàm omnia ad Christū referat, & ipsam quoque Timothei missionem, ita dicens, spero autem in Domino Iesu, id est confido, vt hoc mihi Deus gratificetur, idque mihi ex sententia succedat. Vt, & ego bono animo sim, cognitis, quæ circa vos sunt. Quemadmodum, inquit, recreaui vos; dum ea audiui, quæ de me precati estis, nimirum Euangelij progressus fecisse, dedecus in illos recidisse, vnde mihi nocere putabāt, inde lætitiā attulisse, ita cupio de rerum vestrarū statu cognoscere. Vt & ego bono animo sim, cognitis, quæ circa vos sunt. His verbis ostendit gaudere illos debuisse de vinculis, eaque subsequi: Multum enim sibi voluptatis attulisse. Nam illud, Vt & ego bono animo sim, hoc significat, quemadmodū vos. En quanto Macedoniam amore complectebatur. Idem verò Thessalonicensibus quoque dicit, vt eo loco. Nos autē desolati à vobis ad tempus hora: hęc, spero, inquit, Timotheū mittere, vt de rerum vestrarū statu cognoscam, quod quidē maximam indicabat curam. Quādo enim ipse adesse non poterat, discipulos mittebat: ita res illorū sibi ignotas esse ne ad breue quidem tempus ferre poterat. Non enim spiritu omnia cognoscebat, idque iure fiebat. Etenim si hoc sibi discipuli persuasissent, impudentes facti essent: nunc verò cum sperarent latere, facilius corrigebantur. Hoc ipso verò illos potissimum attrētus reddidit, quod inquit, Vt & ego bono animo sim, illorumque; studij, ac diligentiā acuit, perinde ac tametsi Timotheus minimè venerit, aliū tamen inuenturus sit, qui ipsi renunciaret. Hac autem ipse etiā ratione perspicuè vltus est, suūque aduentum distulit, vt Corinthij cōuerterentur. Propterea etiā scribebat parcens vobis nondū veni Corinthū. Non enim hoc solo ostēditur charitas, quod sua nūciat, sed etiam, quod de illorū statu cupit cognoscere. Hoc enim animæ est valdè curantis, & satagētis, & in perpetua quadā sollicitudine versātis. Simul verò, & honore illos afficit Timotheū mittēs. Quid ais? Timotheū mittis? quapropter? sanè inquit, neminē enim habeo vnanimem, id est, qui eque atque ego vestra curet, qui sincera affectione pro vobis sollicitus futurus sit: neminem ergo secū habebat, qui eundem, atque ipse animum gereret, id est, qui æquè, atque ego vos curet, vobisque cōsulat. Nō facile, inquit, quispiam inueniatur, qui hac de causa tantum itineris velit conficere: Qui æquè, atque ego, vos amat, Timotheus est. Erant autem & alij, quos mitterem, sed nemo talis est. Ergo hoc est, vnanimem esse, discipulos item, atque ipse, amare. Qui sincera, inquit, affectione pro vobis sollicitus

lucis magis; lōgēque admirabilius erit, sine reprehensione esse. Ergo ne hoc afferat: occupans ipse id attulit. Quid est verbum vitæ cōtinentes? id est, qui ad vitam venturi estis; qui ex numero eorum estis, qui salutem cōsequuntur. Vide quāto continuo subiecerit præmia: luminaria, inquit, λόγος, id est rationem, ac facultatem lucis cōtinent: vos λόγος, id est verbum vitæ, in vobis habetis: hoc vocat verbum vitæ. Ergo cæteri omnes mortui. Id enim verbis istis indicauit: alioquin & alij verbum vitæ cōtinuissent. ad gloriā inquit meam. Quid hoc est? Et ego verò, inquit, particeps sum vestrorum bonorum. Tanta est vestra virtus; vt non solum salutem det vobis; sed me etiam clarum faciat. Quænam gloria o beate Paule? flagellis cæderis, expelleris, cōtumeliis afficeris nostra causa: propterea inquit, in diem Christi quia nō in vacuum cucurri; neque in vacuum laboraui: sed semper est, vnde gloriari me nō frustra cucurrisse: sed & si immolator: non dixit, etiā si moriar? quemadmodum neque ad Timotheum scribens. Nam & ibi eadem eloquutione vtitur, ita dicens, Ego enim iam immolator, partim cōsolans illos de sua ipsius morte, partim cōdocefaciens mortē pro Christo moderatè ferre. Victimam inquit quædā, & hostia euado: o beatam animam. Hostiam vocat introductionē illorū. Multò satius immolare animam, quàm bouem immolare. Quapropter si in hoc sacrificio me ipsum tradidero, inquit, quasi victimā: gaudeo, inquit, mea morte. Hoc enim ista verba significāt, supra sacrificium, & obsequium fidei vestra, gaudeo & congratulor omnibus vobis. Id ipsum autē, & vos gaudete, & congratulamini mihi. Quid cōgratularis? vides quomodo ostēdat gaudendum illis esse. Gaudeo igitur, inquit, me victimam fieri, cōgratulor autem me ita victimam fieri, vt simul quoque sacrificium offeram. Id ipsum autem & vos gaudete & congratulamini mihi, quod oblati sum. Cōgratulamini, inquit, mihi mea ipsius morte gaudenti. Non igitur lacrymis dignus est iustorum obitus, sed lætitia. Si ipsi gaudent, gaudendū cum ipsis est. Absurdū enim fuerit gaudentibus illis nos lugere: sed cōsuetudinem requirimus, inquit. Commēta isthæc sunt, prætextus. Vide, quid Paulus admoneat Philippenses, gaudete & congratulamini mihi: consuetudinem requiris? si tibi quidem ipsi hęc manendum sit, rectè dicis: sin autem paulò post ad illū qui abiit peruenturus es: quam requiris cōsuetudinem? Ille enim meritò requirat, qui ita ab aliquo diuellitur, vt perpetuò sit abfuturus. Sed si idem tibi iter cōficiendum est, quam consuetudinem requiris? Eos, qui peregrè absunt, cur non lugemus? nōne paucis emissis lacrymis cōsuetum post vnum, aut alterum diem à fletu cessamus? si cōsuetudinem requiris, tantum duntaxat fletu, quantum satis sit ad ostendendum, te naturā hominem esse: deinde verò gaude, quemadmodū Paulus, qui ita dicebat: nihil mihi molesti accidit, sed etiā gaudeo ad Christum abiens, & vos gaudete, inquit, & congratulamini mihi. Gaudeamus igitur & nos cum iustum viderimus interuisse, vel potius quādo aliquem etiā ex desperatis. Nam ille quidem discedit, laborū suorū mercedem accepturus, hic verò quippiam de peccatorum suorū numero detraxit. Sed fortasse, inquit, viuens vitā mutasset suam. At non illum rapuisset Deus, si vitā ille mutaturus fuisset. Etenim qui omnia pro salute nostra facit, ac disponit, cur non eum sinisset viuere, qui aliquādo talis futurus esset, vt placeret? si finit eos, qui non conuertuntur, multò magis eos, qui cōuertuntur. Vndiq; igitur fletus nobis amputatus sit, vndiq; lamēta sublata. Quæcūque eueniant, de omnibus gratias agamus Deo, omnia sine murmurationibus faciamus: latemur, atque in omnibus illi placeamus, vt futura etiā cōsequamur bona in Christo domino nostro, cū quo patri, simūlque; sancto spiritui gloria &c.

1. Tim. 4.

Non est lacrymis dignus iustorum obitus.

Nec despectatorū mors lugenda.

1. Thess. 4.

1. Cor. 26.

futurus sit, id est paterna. Omnes enim, quae sua sunt, quaerunt, **A** non quae Iesu Christi, id est iucunditatem suam, ac securitatem: quod etiam ad Timotheum scribebat. Sed cur isthaec conqueritur? nos condocerens, dum haec audimus, ne eodem prolabamur; condocerens auditores, ne oblectationem, ac quietem quaerant. Nam qui quietem quaerit, non quae Christi sunt, sed sua quaerit: oportet enim paratos nos esse ad quemvis laborem, ad quamvis miseriam subeundam: *experimentum autem*, inquit, eius cognoscite, quia sicut patri filius mecum servavit in Evangelium. Ne id a me temere dici putetis, vos quoque, inquit, hoc scitis; illum mihi item, ut patri filium, in Evangelium servasse. Merito hic Timotheum commendat; ut apud illos magno in honore habeatur. Hoc etiam ad Corinthios scribens facit istis verbis, ne quis illu spernat: opus enim Domini operatur; sicut & ego. non tam illi prospiciens, quam iis, qui ipsum recipiunt; ut magnam reportent mercedem. *Hic igitur*, inquit, *spero mittere, mox ut videro, quae circa me sunt*: id est ubi videro, quis sit status rerum mearum, quemque sint exitum habituram. *Confido autem in domino, quoniam & ipse veniam ad vos cito*. Non propterea illum mitto, quod ipse veterus non sim; sed, ut bono animo sim, cognitis, quae circa vos: ut ne interea etiam verber in vestrarum rerum ignoracione. *Confido autem*, inquit, *in domino*, id est, si Deus voluerit. Vide, quam ille omnibus in rebus de Deo pendeat. Nihil ex sua sententia pronunciat. *Necessarium autem existimavi Epaphroditum fratrem, & commilitonem meum*. Et hunc rursus iisdem, ac Timotheum encomiis ornatum mittit. Illum enim duobus his nominibus commendavit, quod & eos amat (dixit enim, *qui sincera affectione pro vobis futurus sit*.) & quod in Evangelio valde se probavit: hunc igitur & iisdem nominibus laudat: quomodo? quoniam appellare fratrem, & cooperatorem, neque hoc contentum addere etiam commilitonem, ostendit illi quoque secum communia fuisse pericula, atque eadem de illo, ac de se ipso testificantis. Quod inquit *commilitonem*, plus est, quam *cooperatorem*. Non nemo enim fortasse fuerit, qui in leuibis quidem negotiis socium se agendi praebeat, in bello autem, ac periculis non item. Dum vero dixit, *commilitonem*, hoc quoque significavit: *vestrum autem*, inquit, *Apostolu, & ministrum necessitatis meae mittere ad vos*, id est vestra vobis donamus, dum vel vestru hominē ad vos mittimus, vel eum qui vos docet. Rursus multa de illius charitate subiicit dicens, *quoniam quidem omnes vos desiderabat, & mortuus erat: propterea quod audieratis illum infirmatum. Nam & infirmatus est usque ad mortem, sed Deus misertus est eius; non solum autem eius, verum etiam & mei, ne tristitiam super tristitiam haberem*. Hoc loco, & aliud quiddam agit ostendens, Epaphrodito etiam valde exploratum esse, amari a vobis: Hoc vero non parum ad amadum solet allicere: quomodo? aegrotavit inquit, & coualuit, & vos mœrore liberavit, quem ex ipsius inualetudine capiebatis: nec tamen propterea ipse mœrore defuit: sed dolebat non se, cum conualuisset, vos vidisse. Hic & aliud agit, ad sui defensionem causam afferēs, quamobrem serius ad illos mittat: Nō enim id ex negligentia fieri: sed Timotheum quidem a se retineri, quoniam neminem habeat, (*Neminem enim*, inquit, *habeo unanimum*) Epaphroditum vero ob inualetudinem. Deinde ostendens longam, ac diuturnam fuisse, addidit. *Nam & infirmatus est usque ad mortem*. Vides quantum studij adhibeat Paulus, ne discipulis suis quicquam loci se vilis negligenciar, ac socordia in simulandū relinquat, neque suspicandi ideo, quod ipsos contemneret, non profectum esse? Nulla enim re quē allici discipulus potest, ac persuasione hac, curā se esse praceptoris, suāque causa illum mœ-

1. Cor. 6.

rere; quod exuberantis charitatis est. *Audieratis*, inquit, *illum infirmatum: nam & infirmatus est usque ad mortem*. Ac ne putes ista mihi per simulationem dici, audi sequentia. *Sed Deus misertus est eius*. Quid ais haeretic? Hoc loco misericordiam Dei vocat, retinere illum, qui abiturus erat & ad vitam reuocare. Quod si mundus esset in malis, non haec misericordia esset relinquere in malo. Cæterum aduersus haereticum quidem facile est dicere, erga Christianū autem quid dicimus? Nam hic fortasse haeritabit, ac dicet: Quid? si dissolui, & esse cum Christo multo prestabilius, cur inquit ipsum misericordiam esse cōsequutum? Ego vero dicam: Quid est, quod ipse inquit, magis necessarium esse manere propter vos? Nam quemadmodū Paulo hoc necessarium erat, ita & Epaphrodito, quippe qui amplioribus cum diuitiis maiorēque fidentia, ac securitate ad Deum abiturus esset. Etenim illud quidem etiā si paululū differret, futurum tamē omnino erat: lucrari vero animas, postquam illuc abiisset, nō poterat. Huc accedit, Paulū multa ex communi audietium sensu proferre, neque ubique philosophari. Ad mundanos enim homines sermo ipsi erat institutus mortem adhuc timētes. Præterea ostēdit, quanti Epaphroditū faceret: hincque illi reuerentiam quandam cōciliat, ut pote cuius salutem adeo sibi vtilem esse testetur, ut secum quoque ex illius incolumitate misericorditer actū putet. Præterea verò, ut hoc mittamus, bonum est presens vita. Nam nisi bonum esset, cur loco suppliciorum numeraret immaturas mortes? quemadmodum ubi inquit, idē inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Futura enim vita non praestat bonitate ei, quae mala est (cæteroqui bona minimē esset) sed ei, quae bona: itaque excellit melior bonam. *Ne tristitia*, inquit, *super tristitiam haberem*, ne ad mœrorem, quem ex ipsius inualetudine capiebam, accederet mœror ex morte. Ita quāti Epaphroditū faciat ostēdit. *Festinatius ergo misi illum*, quid est *σπουδαϊότερος*? id est festinatius, sine cūctacione, nulla interposita mora, iubēs omnia, quęcunque obstent, vincentem, quam citissime ad vos venire, ut mœrore liberet. Nō enim si eos, quos amamus, valere audiamus, æquē lætamur, ac si videamus: maximēque si id præter ipse eueniat, quemadmodum tunc in Epaphrodito euenerat, *Festinatius ergo*, inquit, *misi illum: ut viso eo gaudeatis, & ego magis sine tristitia sim*. Quomodo magis sine tristitia? quoniam si vos gaudeatis, & ego gaudebo, hic ipse de nostra voluptate gaudebit, & ego a mœrore liberior ero. Neque dixit, *sine tristitia*, sed *magis sine tristitia*, ut ostēdat nunquā animā suam mœrore vacuā esse. Qui enim ita dicit, *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scādalizatur, & ego nō vror?* quomodo sine mœrore & tristitia sit? Ergo mœrorem, inquit, istum deponam. *Excipite itaque illū in domino cum omni gaudio, in domino*, quod idē est ac spiritaliter, id est magno cum studio, vel potius hoc significat, tāquam a domino missum, id est Deo volēte, itaque illū excipite pro sanctorū dignitate, ut sanctos excipi par est. *Cum omni*, inquit, *gaudio*. Hęc omnia pro iis facit, ad quos mittit: Maius enim facit lucrū, qui beneficiū dat, quam qui accipit, *Ei eiusmodi homines cum honore habetote*, id est excipite illum pro eo, ac merentur sancti. *Quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradēs animā suā: ut impleret id, quod ex vobis deerat erga meū obsequiū*. Hic communiter a Philippensiu ciuitate missus fuerat, qui Paulo ministraret, aut fortasse etiam ideo venerat, ut quippiam afferret. Allatas enim ab illo esse pecunias, in extrema epistola ostēdit his verbis, *Acceptis ab Epaphrodito, quae misistis*. Verisimile igitur est illū cum Romam peruenisset, Paulū in magno hoc, grauēque periculo reperisse, ut qui adire illum vellent, ipsi quoque minimē

Philipp.

Paulus auditoris capiti se accomodat.

1. Cor. 11.

2. Cor. 11.

Multae occasiones mart. xij.

Cum sanctis quippiam damus, de vobis redi nō dicitur.

turō id possent facere, sed suo periculo accederēt, quod **A** euenire maximē cōsuevit magna commota tēpestate, atque ubi Regum ira maiorem in modum efferuiscit. Etenim cum quis, quod in regis offensionem incurrerit; in carcerem detruditur, arctaque custodię traditur, tūc vel famuli ipsi aditu prohibentur, quod quidem Paulo tunc accidisse verisimile est, Epaphroditū verò magno, atque excelso animo virum omnia contempnisse pericula, ut Paulum adiret, eique ministraret, atque omnia, quae opus erant, faceret. Duo igitur affert Paulus, ex quibus illi autoritatem, ac reuerentiam cōciliat: Vnum quidem, ubi dicit, ad mortem usque mea causa periclitatum esse; alterum verò, quod personam ciuitatis gerens hęc perpessus fuerit: ut in periculo illo iis, qui miserant, merces deberetur; perinde ac si ciuitas legatum misisset. Ergo excipere illum cum quodam obsequio, eique gratias agere de officiis suis, ratio quaedā erit, qua pericula, & facta nostra magis adhuc communia vobis facietis. Neque dixit, mea causa; sed orationi addēs autoritatem, ac fidem, inquit, *propter opus Dei*. Non enim mea causa facit, sed propter Deū, usque ad mortē accessit. Quid enim? tametsi minimē obiit, Deo id gubernante, ipse tamen nullā vitæ suae rationem habuit, ac tradidit se ipsum, & quicquid subeūdum fuisset, nō ideo tamen a praestando mihi ministerio fuerit cessaturus. Quod si ut Paulo ministraret, se ipsum morti exposuit, multo magis pro Evangelio id subiisset: imò verò pro Paulo mori, idem erat, ac pro Evangelio. Licet enim, non tantum ne idolis sacrifices, martyrij coronam cōsequi, sed huiusmodi etiā occasiones martyriū faciūt, ac si admirabile quiddam dicendū est, magis hęc, quam illæ. Nam qui minore de causa mortē subire audeat; multo magis factos in periculis versari viderimus, vitæ ne parcamus. Nefas enim est eum, qui nihil cum periculo experiri audeat praclarum quippiam facere, sed necesse est praesentis vitæ securitati cōsulentem amittere futuram: *ut impleat*, inquit, *id, quod ex vobis deerat erga meū obsequiū*. Quid hoc est? non aderat ciuitas, sed per illum omni erga me officio, ac ministerio functa est, nimirum quod illū misit. Quicquid igitur vestri ministerij mihi deerat, id ipse expleuit, ut hac etiam ratione dignissimus sit, qui multū honoris reportet: quoniam, quod omnes facere oportebat, hoc ipse pro vobis praestitit: atque ostēdit Paulus priora quoque officia ab ipsis, qui in tuto erant, exhibita periclitantibus, esse *λεϊτουργίαι*, id est obsequiū, & ministeriū quasi pro publico munere debitū. Nā hęc verba, *id quod ex vobis deerat erga obsequiū*, indicat respectū quendā ad prius illud obsequiū, & ministeriū. Vides solum animi, ac spiritū Apostolicū: is verò nō ex arrogātia proficisceretur, sed ex magna, quam illorum gerebat, cura. Etenim ne efferatur, sed modestiam tucantur, neque magnū quiddā se praebuisse existiment, sed ad humilitatem adducatur, officii illud his vocibus appellat *λεϊτουργία*, & *ὑπέρημα*, id est debitum ministeriū, & id quod deerat.

MORALIS DIGRESSIO.

Ergo neque nos magnos spiritus sumamus, cum sanctis aliquid praebemus, neque hac re nos illis beneficiū putemus dare. A nobis enim id debetur, nec quicquam illis donamus. Nam quemadmodum iis, qui in exercitu sunt, ac bellum gerunt, ab iis, qui domi in pace viuunt, debentur cibaria, & quicquid illis necessarium est in sumptum (illi enim pro his in acie stant): ita hac in causa, quis enim Paulum, nisi docēdi munus obiuisset, cōicisset in carcerem? quamobrem ministrare sanctis oportet. Qui enim nō absurdum sit, ei, qui terreno Imperatori militat, omnia suppeditare, & vestimenta & cibaria nō solum quantum necessitas postulat, sed etiam

plusquam satis est, ei verò, qui militat cœlesti Imperatori, atque in acie stat aduersus hostes longē grauiores (quoniam non est colluctatio nobis, inquit, aduersus sanguinem, & carnem) neque necessaria etiam suppeditare? cuius hoc iniquitatis est? quantum hoc ingrati animi vitium, & minuti, atque angusti? Cæterum, quāntum video, plus apud nos hominū metus potest, quam gehennæ, & futurorum suppliciorum. Propterea sanē omnia cōtra, quā debeat, se habent: ut ciuilia quidem negocia singulo quoque die diligentissimē administrantur, neque illa vnquam omitti videas, spiritalium verò nulla nobis ratio habeatur. Ita, quae necessitate nobis imposita, ac tormentis propositis, omninoque tāquam a seruis, & inuitis exiguntur: magna praestantur cum alacritate: quae verò a libentibus, atque ut a liberis, omnia omittuntur. Non hęc in omnes dico, sed in eos, qui huiusmodi sumptus facere recusant. An non poterat Deus necessitatem faciendi imponere? at non vult: nobis enim magis consulit, quā iis, qui aluntur. Ideo nō vult isthaec nos ex necessitate facere, quoniam nulla nos maneret merces. Ac tamen multi eorum, qui hęc sunt, Iudæis sunt inferiores, ac viliores. Cogita, quot erant, quae a Iudæis dabantur, decimæ, primitiæ, rursus decimæ, & rursus aliæ decimæ, & rursus aliæ decimæ: tertiar, & siclum: nec quisquam erat, qui diceret, sacerdotēs multa deuorare. Quāto illi plura accipiunt: rāto etiam tibi amplior merces: non dicebant, multa sumunt, ventri indulgent: quae nunc quosdam dicentes audio. Atque isti quidem, qui domos aedificant, atque agros emunt, nihil putant se habere: quod si sacerdos quispiam paulō splēdidiore veste indutus fuerit, aut necessario alimento nō egeat, aut famulū ideo habeat, ne ipse cogatur a decoro discedere: statim hoc illi diuitias nominant. Verē diuitiis abundamus, idque isti vel inuiti fatētur. Nos enim etiam si pauca habeamus: abundamus diuitiis: illi verò etiam si omnia colligant, sibi que cōparent, inopia laborāt. Quousque dementes erimus? Non satis vobis videtur ad supplicium vobis cōparandum, quod nullum opus editis, nisi damnum praeterca illud vobis cōtrahatis, quod de aliis detrahēdo fit? Etenim si tu etiā esses, qui ea que habet sacerdoti dedisses, tamē eo ipso mercedem perdidisses, quod ea in crimen vocares, quae tu ipse dedisses: Omninoque, si tu dedisti, quid criminaris? Atque antea quidem pauperem illum fuisse testaris, dum ita inquis, quae habet, ego dedi. Quid ergo criminaris? dandū minimē fuerat, si eras in crimen vocaturus. At cum alter dedit, ista dicis. Grauius sanē delictū, cum tu minimē dederis, alterius benefacta criminari. Quātam illos mercedē manere putas, qui isthęc æquo animo audiunt? Dei enim causa hęc patiuntur. Quid ita? Poterant, si voluissent, caupones fieri, tametsi nihil illis a maioribus relictum esset. Nam & hęc multos impudenter dicentes audio, si quando nos ita dicimus, hic, vel ille pauper est. Poterat, inquit, si voluisset, ad diuitias peruenire: deinde contumelias addunt, pater istius, auus, abauus tales fuerūt, hic verò nunc talis veste indutus est. Sed quid dic mihi: nudum ne illū circumire oportuit? Ergo ista quidē tu subtiliter, atque exiliter ad calculos reuocas: sed vide ne cōtra te ipsum hęc dicas: atque audi illā Christi admonitionem, nolite iudicare, & non iudicabimini. Poterat igitur, si voluisset, cauponariam, ac mercaturam exercere: omninoque non eguisset, sed noluit. Quid igitur, inquis, hęc rem quaerit? dic mihi, num sericis induitur vestibus? num scētatorum multitudinem per forum incedens circumducit? num equo vehitur? num aedes extruit, habens vbi habitat? si hęc facit, ego etiam reprehēdo, neque illi parco, sed sacerdotio indignum esse affirmo. Nā quo-

Ephef. 6.

In eos, qui de sacerdotibus detrahunt.

Matt. 7.

modo monere alios poterit, ne rebus istis inutilibus vacent, qui se ipsum monere non potest? Sin autem rebus tantum ad vitam necessariis non eget, hoc ipso crimen iniustitiæ in ipsum intendis? At ipsum circumire oportebat, & poscere? Nec quicquam te o discipule pude- ret? ac si carnalis pater id faciat, dedecus magnū putes: sin spiritualis eò descendere cogatur: non erubescas, ne- que te in tenebras abendum putes? dedecus enim, in- quit, filiorum pater sine honore. Quid ergo? pereūdum illi fame fuerat? verūm neque hoc pij hominis est, ne- que enim probatur Deo. Caterūm quādo hæc aduer- sus istos afferimus, quid subito philosophātur? scriptum est, inquit, Nolite possidere aurum, neque argentum, neque duas tunicas, neque æs in zonis vestris, neq; vir- gam. Hi verò terna, & quaterna habēt vestimēta, & lectos constratos. Hic mihi cogor ego nunc suspirare, ac nisi mihi decorum tuēdum esset, multas etiam profun- derem lacrymas: cur? quoniam in aliorū quidem festu- cas adeò diligēter, ac subtiliter inquirimus, nostras ve- rō trabes, quas in oculis habemus, ne scētimus quidem. Dic mihi, cur isthæc tibi ipsi non dicis? quoniam hoc, inquit, magistris duntaxat præceptū est. Ergo cūm Pau- lus inquit, Habentes alimenta, & quibus tegamur; his cōtenti simus, ad solos magistros verba facit? minimè; sed ad omnes homines: idque satis constabit, si à capite locū illum inspexerimus. Nam cum dixisset, est autem quæstus magnus pietas cum sufficiētia, ac deinde addi- disse, nihil enim intulimus in hunc mundum, haud du- bium quòd nec auferre quid possumus, continuo tunc ista subiunxit, Habentes autem alimenta, & quibus te- gamur, his cōtenti simus. Qui autem volunt diuites fieri, incidunt in tentationē & laqueum, & desideria mul- ta stulta, & nociva. Vides ad omnes orationem haberi?

Rom. 13. Quid verò, cūm rursus inquit, Carnis curam ne feceritis in desideriis, nonne omnibus generatim loquitur?

1. Cor. 6. Quid verò, cūm inquit? Esca ventri, & vēter escis; Deus autem & hunc, & has destruet. Quid verò, vbi inquit? quæ in deliciis est, viuens mortua est, de vidua loquēs? num fortasse & vidua magister est? An non ipse fuit, qui ita dixit? Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum. Quòd si vidua, vbi & ætas senilis (senectus enim magno eget obsequio) & natura ipsa (muliebre enim gen^o maiore eget solatio, quippe quod infirmum est): igitur, si vbi ætas, & natura obtabat, mini- mè tamen illam sinit delicatè, & molliter viuere, sed etiam mortuam esse inquit (non enim tantum dixit, ne delicatè viuatur, sed quæ in deliciis est, viuens mortua est) eamque è medio remouit (nam quæ mortua est, è medio sublata est): quam veniam habebit homo ea faciēs, quorum causa mulier vetula punitur? Verūm hæc nemo ne cogitare quidem aggreditur: hæc nemo examinat. Ego verò ista dicere coactus sum: non sanè id agens, vt sacerdotes criminibus liberem, sed vt vobis consulam. Nam illi quidem, si cum pecunia operam dent, iure ac merito ista audiunt: nullum à vobis detrimētum repor- tant: sed siue dixeritis, siue taceritis: rationem illic iudici reddent: quamobrem nihil illis vestra nocent ver- ba. Sin autem falsò à vobis dicūtur: illi quidem lucrum etiam reportant, sine causa cōtumeliis affecti: vos verò vobis ipsis hinc damnum inferitis. De vobis verò nō ita res habet: sed siue vera, siue falsa sint, quæ aduersus illos; hoc ipso, quòd illis maledicitis, vos ipsos læditis: quid ita? quoniam si vera quidem fuerint, vobis nihilominus nocetis, iudicium de magistris ferentes, & ordinem dis- turbantes: nam si de fratre iudicare non oportet; mul- to minus de magistro. Sin autem falsa, intolerabile om- nino supplicii, ac pœna. De omni enim verbo otio- so rationem reddetis. Quamobrem vestra causa omnia

Eccl. 3. & videtur textus Chryf. magis concordare cum Latina quam cū Græca vulgata. Matt. 10.

1. Tim. 6.

Rom. 13.

1. Cor. 6.

1. Tim. 5.

1. Tim. 2.

1. Tim. 5.

A facimus ac laboramus. Caterūm, quod dicebam, nemo hæc examinat: nemo in his curiosè satagit: nemo quicquam horum sibi ipsi dicit. Vultis & alia addam? Omnis ex vobis, qui non renunciat, inquit Christus, om- nibus, quæ possidet, nō est me dignus. Quid verò, vbi inquit? difficile est diuitem intrare in regnū cœlorum. Quid verò cūm inquit? vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram. Nemo hoc perpendit, nemo cogitat, nemo secum ipse rationes subducit, sed tantum in res alienas vehementes sumus. At hoc nihil aliud est, quàm participes criminum fieri. Verūm, vt præterea ve- stra causa, quibus criminibus affines esse sacerdotes di- citis, ea diluam, audite. Hanc enim de illis opinionem induisse, nimirum illos violare legem Dei, non leue ha- bet ad improbitatem momentum. Agē igitur, & illa expendamus. Dixit Christus nolite possidere aurum, neque argentū, neque duas tunicas, neque calceamen- ta, non zonam, non virgam. Quid igitur? dic mihi. Num Petrus contra præceptum faciebat? quomodo enim non, cum & zonam haberet, & calceamēta? Audi enim Angeli ad ipsum verba, præcingere, & calcea te caligas tuas: quamquam huiusmodi calceorum ne magna tūc quidem aderat necessitas: nam illo quidem tēpore vel nudis ire pedibus licet: hyeme tantum necessarium ha- bent vsum, ac tamen caligas habuit. Quid verò Paulus? cūm ad Timotheum scribens dixisset, Festina ante hye- mem venire, deinde mandata dat, atque inquit, penu- lam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum & libros, maximè autē mēbranas. En penulam inemorauit, nec cuiquam hoc in mētem venerit, aliam illi non fuisse, quam gestaret. Etenim si omnino solitus erat nō gestare, superuacaneū planè erat, vt hæc afferretur, iubere. Sin autē fieri nequit, quin gestarit: aliā quo- que illi fuisse manifestū est. Quid verò quòd integrum biennium in sua se arte, ac mercenario labore cōtinuit? Ergo repugnauit Christo vas illud electionis? ille qui dicebat, Viuo autē iam non ego, viuit verò in me Chri- stus: ille de quo restitutus est Christus, ita dicēs, Quo- niam vas electionis est mihi iste. Oportebat vos in hac dubitatione relinquere, nullamq; afferre quæstionis ex- plicationem, sed hæc à vobis pœnā exigere pro ea, qua in scripturis vtimini, negligētia. Inde enim omnia hæc existunt. Propterea & in aliorum peccatis acerbi inquit- itores sumus, de nostris autem ne cogitamus quidem, quoniam scripturas non tenemus, quoniam in diuinis legibus non erudimur. Erat igitur hæc à vobis pœna re- perenda. Sed quid agam? Pater sum. Multa etiam vltā, quàm oportet, filii gratificantur patres: dum paterna ipsorum incalecūt viscera: & si filium tristem, ac tabes- centē videant, ipsos quoque plus illo pungit dolor: nec quiescunt, donec mœroris causam sustulerint. Ergo & in nobis idem fit, licet paulisper vos mœrere siuerim ex eo quòd non acciperetis: nimirum, vt bene nunc acci- piatis. Quid igitur dicendum est? non repugnant, absit, sed valde cōsentiant cum præceptis Christi. Præcepta enim illa ad tempus erāt & non perpetua. Neque id ex coniectura, sed ex diuinis scripturis dico, quomodo? Narrat Lucas dixisse Christū discipulis, quādo misit vos sine sacculo, & pera, & zona, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? at illi dixerunt: nihil, ergo posthac vobis comparate. Sed quid factū opus fuit, dic mihi, vnam habere tunicam? Quid ergo? cūm lauanda hæc e- rat, domi nudum sedere oportuit? vel nudum circum- ire necessitate inuitate, nullamque decori habere ratio- nem? Cogita, cuiusmodi id fuisse, Paulum, qui orbem terrarum ideo peragrabat, vt tot præclara opera ederet, inopia vestis coactū domi sedere, ac tātis rebus impedi- mentū afferri. Quid verò si vehemēs ingruisset hyems,

Luc. 14.

Matt. 19. Luc. 6.

Matt. 10. Num. 31. posside- dum au- rum. Act. 11.

1. Tim. 4.

Gal. 4. Act. 9.

Luc. 11.

ac pluisset aut etiam cōglaciffet; quomodo eam sicca- re licuisset? num rursus nudum sedere oportuit? Quid verò, si frigidis vi corpus collaberetur; num tabescen- dū fuit, atque obmutescēdum? Ne enim putes adaman- tina illis cōstructa fuisse corpora: audi quid de Timotheo dicat, Modico vino vttere propter stomachū tuū, & fre- quētes tuas infirmitates, ac rursus de altero, Necessariū existimaui mittere ad vos vestrum Apostolum, & mini- strum necessitatis meæ: nam & infirmatus est vsque ad mortem: sed Deus misertus est eius: nō solum autē eius, verūm etiam & mei. Quamobrem cuius morbo, atque inualetudini erāt expositi: quid igitur? pereūdū ne illis erat? nequaquā. Quid igitur causē tunc fuit cur id Chri- stus præciperet? potētiam suam volebat ostēdere; idque in posterum etiā præstari à se posse; sed nō præstitit. qua- propter multò erāt hi admirabiliores Israēlitis, quorum tamen neque calcei, neque vestes vsu consumebantur: quāquam solitudinem illam peragrarent, vbi ardentio- res incidebāt solis radij, & qui vel lapides ipsos possent in cinerem vertere. Qua igitur de causa hoc fecit? tua causa. Nam quoniam futurum erat, vt nō perpetuò va- leres, sed vulnera acciperes, propterea facultatem tibi medicamētorum paradōrum præbuit: quod hinc satis cōstare potest. Dic enim mihi, an non ipse poterat illos nutrire? quomodo? qui tibi volūtatem suam offendenti dedit, Paulo non daret? qui Israēlitis dedit murmurato- ribus, scortatoribus, idololatriis, nonne multò magis Petro permetteret, qui omnia propter ipsum reliquerat? Qui sceleratis hominibus potestatem habēdi fecit, non multò magis Ioāni gratificaretur, qui eius causa patrem quoque ipsum reliquerat? Attamen noluit, sed per te ip- sos nutrit: vt tu sanctificeris: & animaduerte mihi be- nignitatis exuperātiā. Voluit discipulos suos viliores esse, vt tu aliquātulum respirares. Etenim si illos nullius indigos præstitisset, multò sanè admirabiliores futuri e- rant, multò clariore: sed saluti tuæ subsidiū detractum esset. Noluit igitur illos fieri admirabiles, sed maluit vi- les fieri, vt tu salutem cōsequereris: & viles illos esse pas- sus est, vt tu salutem cōsequi posses. Non enim æquē se venerandum præbet doctor, qui accipit: sed ille potissi- mum honore afficitur, qui non accipit: verūm interea non iuuatur discipulus, sed fructum amittit. Vides sa- pientiam benigni, atque hominum amanti Dei? Nam quemadmodum ipse propriam gloriam non quæsiuit, nec sua spectauit, sed cūm in gloria esset, voluit tua cau- sa vilis fieri, idem etiam in doctoribus seruauit, vt cūm eos venerandos prætare posset, maluerit abiectos esse tua causa, vt tu haberes, vnde lucrum ferres, vt tu habe- res, vnde ditiſceres, vt abūdāres in spiritualibus: propter- ea ille eget in iis, quæ ad hanc vitam pertinent. Potuisse igitur Deum illos nullius indigos præstare, multis argu- menti docui: tua tamen causa in egestate relicto esse similiter ostensum est. Hęc igitur cognoscentes, non ad accusationes, sed ad beneficia conferenda nos conuer- tamus: non aliorū mala curiosè scrutemur, sed nostram- met recogitemus: aliorum benefacta cogitemus, de no- stris autem peccatis recogitemus, atque ita placebimus Deo. Nā qui aliorū quidem peccata videt, & sua recta facta, duplex damnum reportat: quatenus enim hæc, in arrogantiā tollitur, quatenus illa, in negligentiam inci- dit. Dū enim cogitabit illū, atque illū peccasse, faciliè & ipse peccabit: dum cogitabit se benè officio functū, faciliè superbia efferetur. At qui sua quidem recta facta obliuioni mādāt, sola autē peccata aspectat, aliorū verò non peccata, sed virtuti cōsentaneas actiones studiosè scrutatur, multis modis lucrū facit: quomodo? audi. Nā cū illū vel illū rectè se gessisse viderit, æmulatione ad i- mitādū, seque illis æquandū prouocabitur: cūm se pec-

1. Tim. 5.

Phil. 1.

Matt. 10. Num. 31. posside- dum au- rum. Act. 11.

1. Tim. 4.

Gal. 4. Act. 9.

Luc. 11.

A casse animaduertit, demittet animū, ac modestiā tue- bitur. Hęc rationem si teneamus, atque hoc modo no- stra disponamus, promissa poterimus consequi bona; quibus vtinā nos omnes digni reddamur gratia, & hu- manitate & c.

SERMO X.



E catero fratres mei gaudete in Domino. Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autē tutum. Videte canes, videte malos opera- rios, videte concisionem, Nos enim sumus circumcisio, qui spiritui Dei seruimus, & gloria- mur in Christo Iesu, & non in carne fiduciam habentes. Mœ- rores & solitudines, cum præter modum animam di- strahunt, suo robore illam priuāt. Propterea Paulus etiam, cūm Philippēses in magno mœrore essent, eos ex- citat, & releuat. Mœrebāt autem, quòd quomodo se res Pauli haberēt, ignorabāt, mœrebāt, quòd quomodo obiiſse existimabāt: mœrebant ob Euāgelium, ob Epaphrodi- tum. Igitur de omnibus his rebus animum illis explens subiungit. De catero fratres mei gaudete. Non habetis, in- quit, posthac, cur mœreatis. Habetis Epaphroditū, ob quem dolebatis: habetis Timotheum: ego etiam adue- nio: Euāgelium procedit. Quid iam vos amplius angat? gaudete. Ac Galatas quidem filios vocat, hos autē fra- tres. Nā quotiescumque quidem vel corrigere aliquid vult, vel vehemētē amoris affectum ostendere, filios vocat: at cūm plus honoris iis, quibuscum verba facit, habendum est, fratres, De catero fratres mei, inquit, gaude- te in domino, rectè dixit, in domino, nō mundi modo. nam hoc nō est gaudere: arumne inquit, quæ secundū Chri- stum, ipsa gaudiū habēt, eadem vobis scribere mihi quidem nō pigrum, vobis autē tutum. Videte canes. Vides nō in ipso exordio inductā esse admonitionem, sed postquam il- los multis nominibus laudauit, postquam suscepit: tūc hoc facit, ac rursus etiam laudans. Videbatur enim hoc orationis genus esse molestius: quāobrem vndique le- nit, neque aculeos exstare patitur. Quos autē dicit ca- nes? Hic erant aliqui, quos in omnibus Epistolis signifi- cat, Iudæi, impuri, execrandi, turpis lucrī, & principa- tus cupidi, qui cūm multos ex fidelibus ad se allicere vellent, & Christianismū, & Iudaismū prædicabāt, cor- rumpentes Euāgelium. Quoniam igitur difficiles ad de- prehēdendum erant, propterea inquit, videte canes. Iam nō Iudæi sunt filij: olim isto canum nomine ethnici vo- cabātur, nunc autem illi. Cur quoniā quemadmodum Ethnici & à Deo, & à Christo alieni erāt, ita Iudæi nunc se abalienauerunt: atque hinc illorū impudentiā, & im- probitatē, magnamque à filiis disūctionē, ac dissidiū ob oculos ponit. Nā olim quidē ethnices vocatos esse canes, audi quid Chananæa dicat. Etiā domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadūt de mēsa dominorum suorum. Caterūm, vt neque hoc isti assequantur, vt ca- nes putētur huiusmodi, qui ad mēsam admitti queant, addit hæc, quibus ipsos omnino abigat. Videte malos ope- rarios. Ac mirificè dixit. Videte malos operarios, nam ope- rantur quidem, inquit, sed malam in partem: opūsque cessatione lōgè deterius est, dum, quæ rectè sunt cōsti- tuta, disiciūt. Videte, inquit, concisionē. Magnū quiddam, & maiestatis plenū erat apud Iudæos circumcisio, quā- doquidem & lex ei decedebat, & sabbatum circumci- sione vilius erat. Etenim vt circūcisio fieret, soluebatur sabbatū: nunquā verò vt sabbatū seruaretur, soluebatur circūcisio. Atque cōsidera mihi Dei aptam gubernati- onem, maiorem quàm sabbatū, habebat venerationem circūcisio, quippe cūm ipsa nullo tēpore omitteretur. Cūm igitur ipsa soluta sit, multò magis sabbatum. Pro- pterea Paulus ipsius nomē resecat, & inquit, Videte cōci- sionem. Neque dixit, malū est circūcisio, superuacua est circūcisio, ac viros istos pungeret, sed sapiētius idem

Cap. 1111

Matt. 23. Marc. 7.

molitur ac struit; à re quidem ipsa abducés, nomen autem illis gratificatus: vel potius rem quoque ipsam studiosius: Verùm non ita erga Galatas, sed longè secus. Nā quoniam ibi magnus erat morbus: aperta iam fronte magna cum autoritate scalpellum adhibet, ac fecat. Hic verò, quoniam nihil eiusmodi admiserāt, ipsis eam, quæ ex vocabulo, voluptatem gratificatur; canes inter ea illos abigens; & inquit. *Videte concisionem*, caute vobis à concisione, *nam nos sumus circumcisio*, quomodo? *Qui spiritu Deo seruiamus, & non in carne fiduciam habentes*, non dixit: examinemus concisionem illam, & hanc vtra sit melior, sed nec nomine quidem ipsam impartit: & quid inquit? circumcisio illa, cōcisio est. quapropter nihil enim aliud faciūt; quàm quòd carnem cōcidunt. Quando enim quod fit, legitimum non est; nihil aliud, quàm carnis sectio est: & concisio. Vel igitur ob hanc causam ita illā appellauit: vel quòd Ecclesiam cōcidere aggrediebātur. Nam, & nos concisionis nomine utimur in iis, qui temerè, & sine arte hoc faciunt. Nam si circumcisio quærenda est, inquit; apud nos eam inuenietis, *qui spiritu Deo seruiamus*, id est, qui spiritualiter seruiamus. Dic enim mihi, vtrum melius; anima, an corpus? euidenter anima, igitur & hæc circumcisio illa melior: quinimò hæc nunc sola circumcisio est. Etenim quandiu quidem typus manebat; meritò cōparationi locus erat, circumcidite, inquit, præputium cordis vestri, ita, & in Epistola ad Romanos ipsam tollit his verbis. Non enim qui in manifesto, Iudæus est, neque quæ in manifesto in carne, circumcisio, sed qui in abscondito Iudæus, & circumcisio cordis in spiritu, non litera. Nunc verò & nomine iam illam priuat: negatque circumcisionem esse. Nam typus quidem donec vettura est veritas, veræ rei nomine vocatur: postquam verò aduenit veritas, non amplius. Simile quiddam euenit in adumbrata pictura, descripsit quispiam regem adumbrans. Lineamenta illa adumbrata, quandiu pigmentorū flos & color verus se in cōspectum non dat, regem vocamus. at vbi iste color accessit, obscuratur veritate typus, neque apparet: tuncque dicimus, imo nunc est Rex: antea non erat. Minimè autem dixit, in nobis enim est circumcisio, sed *nos sumus*, ac meritò quidem. Hoc enim est homo: circumcisio virtuti cōgruens, hoc est verè homo: neque dixit, in illis enim est concisio, sed *videte concisionem*. Ipsi enim posthac versantur in interitu, ac viciositate. Deinde ostēdens non amplius in corpore fieri circumcisionē, sed in corde, inquit. *Et non in carne fiduciam habentes, quanquam & ego habeam confidentiam in carne: quid dicit hoc loco, confidentiam? & in carne?* nempe gloriationem, plenam fidentia, & granditatis orationem: ac scire istud addidit. Nam si, cum esset ethnicus, accuseret circumcisionem, neque circumcisionem solum, sed eos, qui intempestiuè ipsam reciperēt, videretur sanè ideo in illam irruere, quòd nobilitatis, quæ Iudaismi erat propria, expers esset, quòd præclara illa, & maiestatis plena ignoraret, neque ipsorum esset particeps. Nūc verò, qui particeps est, & reprehendit, certè non ita reprehēdit, tanquam is, qui non sit particeps, sed tanquam qui cōdemnauerit, non ex ignoracione: sed maximè ex eognitione. Vide igitur, quid dicat: Et in Epistola ad Galatas, cum incidisset in necessitatem magna de se ipso dicēdi, quam nihilominus animi humilitatem præ se ferat: Audiuitis enim, inquit, cōuersationem meam aliquando in Iudaismo, & rursus hic, *Si quis alius videtur eonfidere in carne, ego magis*, ac statim adiunxit, *Hebræus ex Hebræis*. Non hoc tanquam id quod sibi per se propositum esset, initio dixit, sed postquam dixerat, *si quis alius*, ostēdens necessitatem, illorūque causa hæc à se dici. Si cōfiditis, inquit, *ego magis*. Hoc nunc necessariò dico,

Vide notaciones.

Hier. 4. Rom. 2.

Gal. 1.

alioqui tacuissem. Attende verò, quomodo in arguēdo vitet odium, orationemque suam minimè molestè admitti faciat, dum non nominatim arguit. Id & illis locum se recipiendi dabit. *Si quis videtur cōfidere*. Et rectè dixit, *videtur*, vel quòd tantum fidentia non habent: vel quòd vera fidentia non esset: omnino enim hoc necessitatis est, nō electionis, *circumcisus octauo die*: primum ponit: quod maximè optabant, id est circumcisionem: deinde illud, *ex genere Israël*. Vtraque hæc ostendit, neque profelytum se esse, neque ex profelytis oriundum. Nam ex eo, quòd octauo die circumcisus sit, ostenditur nō esse profelytum: ex eo autem, quòd ex genere Israël: ostenditur, neque ex parentibus profelytis esse ortum. Deinde ne putes, *ex genere Israël*, hoc significare esse ipsum ex decem tribubus, inquit, *de tribu Benjamin*, perinde ac si diceret, ex probatiore parte. Nam quæ Sacerdotum erant, in sorte erant huius tribus. *Hebræus ex Hebræis*, hinc ostendit non se esse profelytum, sed antiquitus ex benè claris Iudæis. Poterat enim quis Israëlita esse, nec tamen Hebræus ex Hebræis. Multi enim iam & rem ipsam corruerant, & linguam non tenebant, aliis admisti gentibus. Vel hoc igitur, vel magnam nobilitatem hinc demonstrat, *secundum legem Phariseus*. Accedit deinde ad ea, quæ ad suam sectam, & institutum pertinebant: superiora enim omnia minimè erant consilij, atque electionis. Neque enim suum opus erat, circumcisum esse, aut ex genere Israël, aut ex tribu Benjamin, itaque neque his rebus excellere: quamuis, & in his potissimum non multos socios haberet: vbi igitur consistebat illud *magis*? certè quidem & in hoc excellēbat: quòd nō erat profelytus: quòd erat ex probatissima tribu: quòdque antiquitus id haberet à maioribus: quæ quidem non multi habebant: sed quoniam hæc omnia ab electione sua minimè profecta fuerant: accedit ad ea, quæ ipsius sectæ sunt: vbi elucet illud, *magis secundum legem Phariseus: secundum emulationem persequens Ecclesiam*. Addit hoc, quoniam illud solum non satis erat ad probandum illud, *magis*. Nam licet Phariseum etiam esse: nec tamen vehementi zelo affici. Cæterum & hoc addit, *secundum iustitiam*. Ecce, vbi situm est illud, *magis*. Est enim vel ex periculis contemptu, proiectaque audacia, vel ex principatus cupiditate id facere, quod sanè principes sacerdotum faciebāt. Ostēdens igitur nō se talem fuisse, *secundum iustitiam*, inquit, *quæ in lege est, conuersatus sine querela*. Ergo si & nobilitatis ergò, & studij, alacritatisque, & morum, & vitæ, omnes antecellebam, quid causæ fuit, quamobrem præclara illa dimiserim, inquit, nisi quòd ea, quæ Christi sunt, repererim maiora, ac longè quidem maiora, quæ obrem addidit. *Sed quæ mihi fuerūt lucra, hæc arbitratum sum propter Christū detrimēta*.

MORALIS DIGRESSIO.

PAVLVS quidem hanc vitæ rationem adeò exquisitam, & ab incunte ætate susceptam, tantam nobilitatem, tanta pericula, rãtos conatus, labores, studia proiecit, ac damna putauit (cum antea lucra essent) vt Christū lucraretur, nos verò neque pecuniam cōtemnimus, vt Christū lucrēmur, sed malumus faturæ vitæ iacturam facere, quàm præsentium rerum, quanquam hæc nihil aliud sūt, quàm damnum. Cedò enim sigillatim expendamus ea, quæ in diuitiis insunt. An non damnum censerī illud debet, quod laborem quidem habet, lucrum verò nullū? Quid enim, dic mihi, vtilitatis ex multis, ac preciosis vestibus? atque istis induiti quid lucri facimus? nihil planè, sed damnum dūtaxat reportamus: quomodo? quoniam & pauper vilem, tritamque vestem ferens in maximis caloribus nihilo deterius fert estū, quàm turquinimò ille facilius: trita enim, & vnica facilius sinit respirare, ac recreari corpora: quæ autè nouè cōfecta est etiam

De contemptibus diuitiis.

etiam si arancarum telis tenuior: non itè. Ac tu quidem A nimio elatus fastu, & binas, ternasque tunicas, sæpe verò & amiculū, & zonam, & subligacula habes: Illi verò nemo crimini dat, quòd vnica tegatur tunica, hincque facilius fert estum. Et diuites quidem videmus madentes sudore: pauperes verò minimè. Quando igitur homini eundè vel etiam potiorè vsum præbent vestimenta vilia, & nullo propè pretio empta: illa verò, in quibus necessariò multū auri effundendum fuit, nihil plus efficiūt: nōnne dānum est nimium illud, ac superuacuum? Nihil enim plus afferunt, quod ad vsum, & commodum pertinet: sed plus auri effusum tibi est. Eundem verò vsum, & cōmoditatem tu quidè diues centum, aut fortè etiam pluribus aureis emisti: pauper verò pauculo argēto. Vides damnum? sed fastus videre non sinit. Vis ne auri etiam, quod & equis, & mulieribus circundant, rationem subducamus? Ad alia enim diuitiarum mala hoc etiam accedit: quòd amentes faciūt. Eodem enim honore & mulieres, & equos dignantur: vnus est vtro- B rumque ornatus: atque ex iisdem rebus volūt mulieres splēdidiores apparere: ex quibus & vehicula, ex quibus & pelles cortinarum, in quibus vehuntur. Dic mihi, quid lucri est, mulum vel equum auro ornare? Mulier verò tāta auri, lapidūque mole circumdata; quid amplius habet? At enim aurea, inquit, nō cōsumūtur: quinimò & hoc illis accidere affirmāt, qui ista callent? atque in balneis, & alibi sæpe, & lapides, & aurea multum de pretio perdūt. Verùm sit ita sanè, vt vis: nihilque ledantur: cedò quid lucri? Quid? cum exciderint, ac perierint, an nō damnum esset? quid verò, cum inuidiam, atque insidias in se concitarint, nōnne damnum? Nam quādo quidem nihil profunt circumdata mulieri, inflammant verò inuidorum oculos, & latrones magis excitāt: nōnne damnum afferunt? Quid verò dic mihi, cum liceret viro his vt ad negotium magno cum emolumēto gerendū: nec tamè potest ob sumptuosæ mulieris luxum, cogitūque ipse cum fame consuetari, & in summas adduci angustias, illā verò spectare auro onustam: nōnne hoc damnum est? Propterea enim pecuniæ dictæ sunt *λεηναται*, id est vitilia, non vt ipsis sic nos vtamur, quemadmodum vtuntur aurificum prothecæ, sed vt ex illis honesti quippiam agamus. Quando igitur auri cupiditas id minimè permittit, an non res tota damnum est? Nam qui ipsis vti non audet, perinde ac si aliena essent, ita non vtitur: sublato autem vsu iam non sunt *λεηναται*, id est vitilia. Quid verò, cum ædes splēdidas, ac laxas ædificamus, ipsasque & columnis, & marmoribus, & porticibus, & ambulationibus, modisque omnibus exornamus, idola vbique & statuas collocātes? multi quidem ex his etiam dæmonas inuocant: sed omittamus nunc istud. Quid sibi vult & testū aureum? nōnne eundem vsum sua illi domus præbet, qui sibi aptam, ac modicam habet? at habet, inquit, magnam delectationem. sanè vnum aut alterū diem: exinde verò minimè. Nam si solem ipsum non valde admiramur, quòd ei videndo affluuimus, certè multò minus opera artis: sed nihilo magis quàm si lutea essent, attendimus. Quid enim, dic mihi, ad ædificationis commoditatem multitudo columnarum, & signorum pulchritudo, & aurum muris inspersum confert? nihil, sed omnia luxus, insolentia, eulationis nimia, ac dementia sunt. Vbique enim rebus necessariis, quibusque vtamur, danda opera est, non inutilibus. Vides rem istam damnum esse? vides superuacaneam, & inutilem? nam si neque maiorem vsum, neque delectationem affert (procedente enim tempore fatietatem parit) nihil aliud est, nisi dānum. Sed obstitas inanis gloriæ studiū facit, ne videamus. Ita Paulus quidem quæ lucra esse arbitrabatur, ea reliquit: nos verò

Chrysof. tom. 4.

neque ea, quæ damna sunt, præ Christo relinquemus? quousque tandem humi defixi hærebimus? Quousque ad cœlum non spectabimus? non videtis senes, quàm nullum rerum præteritarū sensum habeant? non videtis morientes, cum senes, tum iuuenes? non videtis eos, qui in vita ipsa suis rebus spoliati sunt? cur de rebus instabilibus pendemus? cur infirmis illigamur? quousque non persequemur manentes, ac stabiles? Quid non darent senes; quo liceret deponere senectutem? Ita neque isthæc dementia est, ad pristinam velle iuuentutem redire, atque huius rei consequendæ causa facilè omnia dare: cum verò liceat cōsequi iuuentutem, cui non succedat senectus, iuuentutem multis cum diuitiis cōiunctam, multoque viuaciorem, nec paulum quiddā velle dare: sed ea retinere, quæ etiam in præsentī nihil profunt? Ex morte eximere te non possunt: non morbum propulsare, nō propulsare senectutem, aut quicquam aliorum, quæ necessariò, & secundum naturæ legem accidūt: atque adhuc ad illa adhærescis? Ecquid lucri? dic mihi: hinc ebrietas, edacitas, obscenæ ac multiplices voluptates: quæ quidem magis, quàm amari domini nos ex cruciant. Hæc solum ex diuitiis lucrari pote est: aliud verò nihil: quando quidem ita volumus. Nam si liberet: cœlum sanè ipsum diuitiis cōsequeremur. Ergo bonum, inquit, diuitiæ. Non hoc diuitiæ præstant: sed possessoris consilium, atque electio. Electionem enim esse, quæ hoc faciat, vel hinc licet animaduertere, quòd etiam pauper cœli adire hæreditatem potest. Etenim, quod sæpè dixi, non mensuram rerū, quæ dantur, Deus spectat, sed animam dantium: licet & pauperi, & paucadanti totum consequi. Exigit enim Deus pro cuiusque facultate: neque diuitiæ regnum conciliant, neque paupertas gehēnam, sed vtraque bonus, & malus animus. Hunc igitur corrigamus, hunc componamus, hunc talem, qualem esse decet, præstemus: atque omnia erunt nobis facilia. Nā quemadmodum artifex, siue ferream, siue auream secutum habeat: æque ligna cedit, ac dolat, atque adeò facilius etiam in ferro: ita & hic longè facilius per paupertatem paratur virtus. Nā de diuitiis quidem, inquit, Facilius est camelū per foramen acus transire, quàm diuitem in regnum cœlorum. De paupertate nihil huiusmodi pronunciauit: sed potius contrā, Vede omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me. Perinde ac si ex venditione futurum esset, vt sequeretur dominum. Ergo paupertatem minimè fugiamus, tanquam malū: est enim conciliatrix regni: neque item persequamur diuitias vt bonū: Incautos enim perdūt: sed vbique oculos ad Deum intendentes, vtamur, quò conuenit, iis, quæ ab illo nobis tributa sunt, & corporis robore, & abundantia diuitiarū, cæterisque rebus omnibus. Absurdū enim planè est, cum ab ipso facti simus, nō ei, qui nos fecit, sed aliis isthæc vtēda præbere. Fecit tibi oculum? hūc ipsi præsta, præbe vtendum, non autè diabolo: quomodo autè Deo præbebis? opera ipsius cōsiderās, & ipsum glorificans, abducens verò à mulieris aspectu. Fecit tibi manus? Has ipsi possideto, nō diabolo: nō eas ad rapinas, ac prædas, sed ad mandata faciēda, ad beneficia cōferēda, atque ad preces assiduas extendēs, ad eos, qui ceciderunt, erigendos. Fecit tibi aures? has ipsi præbe, non infractis, ac mollibus cantilenis, non turpium sermonum auditioni, Omnis enim enarratio tua, inquit, in lege altissimi, & rursus, In multitudine, inquit, presbyterorum sta, & si quis sapiēs fuerit, ei te adiūge. Fecit tibi os? Ex hoc nihil prodeat, quod Deo non probetur: sed psalmodias, hymnos, odas canat spiritalis, vt det gratiā, inquit, audientibus, ad fulciendum, non ad euertendum, ad benedicendum, non ad maledicendum, non ad struendas insidias: sed contrā omnino. Fe-

Facilius paupertate quam diuitiis paratur regnum. Matt. 19. Ibidē, & Marc. 10.

Eccles. 9. Eccles. 6.

Ephes. 4.

cit tibi pedes, non vt properes ad vitiositatem, sed ad bona. Fecit tibi ventrem, non vt ipsum rumpas; sed vt philosophicam exerceas sobrietatem. Indidit cupiditatem ad liberorum procreationem; sed nō ad scortationem, & adulterium: Dedit tibi mentem, non vt blasphemiam in ipsum iacias; non vt sis conuiciator; sed vt benè dicas: Dedit & pecunias, vt quod oportet, ipsis utamur, eademque de causa vires dedit. Fecit artes, vt vita sustentetur, non vt à rebus ad spiritum pertinentibus nos ipsos auocemus, nō vt sordidis artibus operam demus; sed necessariis, vt nobis mutuam opem feramus, non vt infidiamur. Dedit rectum, eò duntaxat, vt arceat pluuiam, non vt ipsum quidem ornent auro, pauper verò pereat fame. Dedit vestes, vt tegamur, non vt ostentemus, non vt illæ quidem multò auro rigeant, Christus vero nudus pereat. Domum dedit, non vt solus habeas, sed vt aliis etiam præbeas. Terram dedit, non vt maiore illius parte ad te abstracta, in scorta, & psaltrias, & mimos, & tibicines, & citharcedos infumas Dei bona, sed in esurientes, atque egenos. Dedit tibi mare, vt nauiges, ne itinere faciendo labores, non vt curiosè illius fundum scrutaris, & lapides, & alia huiusmodi inde extrahas, non vt hoc tibi studio habeas. At enim, quamobrem ergo, inquit, sunt lapides? Quinimò dic tu mihi: Quam ob causam lapides illi in rãto pretio sunt? num facultate aliqua? num vsu? at certè qui è mari non sunt, vtiliores sunt. Etenim hi saltem ad ædificationem conferunt, illi verò nusquam. At illi, inquit, pulchritudinem afferunt: quomodo? totum id opinionis est: sunt candidiores? at non certè marmore valde candido? quinetiam neque ad illius candorem accedunt: at solidiores? ne id quidè: at vtiliores? at maiores? neutiquam. Vnde igitur suspiciuntur? non aliunde, quàm ex sola existimatione. Nam si neque pulchriores sunt (multos enim inuenimus illis lucidiores, & candidiores) neque vtiles, neque solidiores: vnde, inquam, adeò suspiciuntur? an non ex sola existimatione? Quam igitur ob causam illos dedit? non ipse dedit: sed tu magnum esse quippiam putasti. Quid igitur est, inquit, quod scriptura etiam eos celebrat? nimirum accommodatè ad tuam opinionem loquitur. Nam & præceptor ad puerulum verba faciens, eadem, atque ille, sæpe suspicit, vt illum sibi conciliet, ac paulatim subuehat. Quid pulchritudinem expetis vestium? Vestem tibi circunda, & calceos: his te orna: hæc tibi satis sint. Desiderabilia, inquit Dauid, super aurum, & super lapidem pretiosum multum, Iudicia Dei. Ferrena verò hæc pro nihilo sunt habenda: non sunt hæc, o dilecte, vtalia. Si vtalia essent, non iussisset contemnere: sed diuina scriptura ad existimationem nostram loquitur. Atque hoc etiam diuinæ benignitatis est. Quam igitur ob causam, inquit, purpuram & cætera huiusmodi? diuinæ magnificentia hæc sunt opera. Nam aliis quoque ex rebus suas voluit diuitias ostendere: alioquin & frumentum ipse dedit solum, tu verò ex hoc multa paras, placentas, bellaria varia, ac multa, magnam afferentia voluptatem. Voluptas, & inanis gloria amor hæc omnia inuexit. Videbatur enim hæc tibi omnibus rebus præferenda. Cæteroque, si peregrinus quispiam, aut agricola harum rerum imperitus te interroget, teque illa suspicietem videns dicat: cur ista suspicis, atque admiraris, quid habebis, quod respondeas? Pulchra esse aspectu? sed non ita est. Deponamus igitur hanc opinionem, verisque reapse bonis inhæreamus. Hæc enim minimè sunt, sed temerè accedunt tantum, instar fluminis dilabentia. Quamobrem, obsecro vos caueamus, ne faciliè circumferamus, sed super petram nos ipsos sistamus, vt futura consequamur bona, gratia & benignitate Domini nostri Iesu

Christi, cum quo Patri simul, & sancto spiritui, gloria, imperium, honos &c.

SERMO XI.



ED qua mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimentum. Veruntamen & existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & ar-

bitror quisquilias esse, vt Christum lucrificiam, & inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Iesu Christi, quæ ex Deo est, iustitiam in fide ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis eius. In certaminibus, quæ aduersus hereticos suscipiuntur, vegetam adhibere mentem oportet, atque assiduè in ea cogitatione defixam. Ita enim disturbare illorum ordines poterimus, & plenissimam reportare victoriam, nullum illis respirandi spatium dantes. Propterea cum velim vos ex scripturis ad huiusmodi certamina instruere, vt his etiam eos, qui contradicunt, obmutescere faciatis: huius, quæ nunc in manibus est, disputationis initium sumam à fini superioris. Quis autem erat ille finis? Cum collegisset Iudaica omnia, quæ gloriandi causam dabant, ea quæ à natura, ea, quæ à consilio, & electione addiderat. Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc existimo detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror quisquilias esse, vt Christum lucrificiam. Insultant hoc loco heretici. Nam & hoc sapietia est spiritus, spes illius victoriæ submittere, vt pugnam capefiant. Etenim si aperte loquutus esset, fecissent & in istis, quod in aliis fecerunt: deleuerunt enim literas, repudiarunt scripturam, cum aduersos illius radios ferre non possent. Sed quod in piscibus fit, vt illud, vnde sunt capiendi, non manifestò illis obiciatur, sed occultetur, vt accedere non veantur, id & hoc loco accidit, vbi à Paulo lex damnata dicta est. Sanè, quod Paulus, inquit, huiusmodi est: non licebat Christum lucrari, nisi hanc damnatum putassem. Hæc omnia alliciunt hereticos, vt locum recipiant, existimantes pro se facere. Quando verò receperunt, tunc illos digitis vndique constringit. Quid igitur isti dicunt insultantes? En lex est damnatum, en *οὐ βλαβή*, id est quisquilia: quomodo igitur ipsam Dei esse dicitis? Verum enim verò hæc omnia pro lege sunt, quomodo autem; hinc perspicuum fiet. Attendamus autem diligentes, quæ dicuntur. non dixit, lex est detrimentum, sed ipsam arbitratus sum detrimentum: & de lucro quidem loquens non dixit *arbitratus sum*, sed, *fuerunt lucra*: de damno autem dixit, *arbitratus sum*: meritò. Illud enim natura erat: hoc verò iam ex opinione nostra profectum est. Quid igitur? non est, inquit, damnatum lex: sed propter Christum putatur damnatum. Cur autem non dixit, putari lucrum, sed esse? Cogita quantum fuerit, homines efferatos iam naturã, ad humanam vitæ rationem adducere, nisi lex fuisset, neque etiam gratia data esset: quapropter? quoniam pontis instar fuit. Etenim quoniam minimè fas erat de infimo loco in excelsum ascendere, facta est scala. Et quamuis, qui isthuc peruenit, non amplius scalæ egeat, non propterea tamen illam spernit, sed potius ei gratias habet. Ipsa enim fuit, quæ illum eò adduxerit, vt sui posthac non egeat, ac tamen pro hoc ipso, quod illius non eget, beneficium se illi debere meritò fatetur: sine illa enim non ascendisset. Idem de lege dicendum est. Euexit nos in sublime: ergo lucrum erat: sed iam ipsam putamus damnatum: quomodo? non quoniam damnatum est: sed quoniam longè potior gratia. Nam quemadmodum fame laboras pauper, quantum quidem solum argentum habet, eo arceat famem; postquam

Rom. 10.

postquam verò aurum inuenerit, si vtrumque retinere non liceat, damnatum putat retinere argētum, atque illo dimisso aurum capit: dimittit autè, non quòd damnatum sit argentum (non enim est) sed quoniam vtrumque simul habere non licet, sed necessariò alterum est relinquendum: ita & hic. Non igitur lex est detrimentum, sed legi inhærentem deficere à Christo: quamobrem cum nos abducit à Christo, tunc damnatum est: quòd si adducat: non item. Propterea, inquit, propter Christum detrimentum. Si propter Christum, ergo natura non est detrimentum. Cur autem non finit lex ad Christum accedere? ac sanè eò, inquit, data fuerat. Plenitudo enim legis Christus, & finis legis Christus. Sinit, si dicto audientes esse velimus: sinit, si ipsimet legi obediamus, si attendamus: quòd si minimè attendamus, non finit: *veruntamen & existimo omnia detrimentum esse*. Quid hoc, inquit, de lege dico? nonne bonum est mundus? nonne bonum est præsens vita? veruntamen si abducant à Christo, pro damnis habeo: cur? propter eminentem scientiam Iesu Christi domini mei. Vbi enim sol illuxit, lychno inhæreere damnatum est. Itaque ex collatione damnatum fit, nimirum ob alterius præstantiam. Vides Paulum comparisonem facere? propter eminentem, inquit, non quòd alterum alienum sit. Nam quòd eminent, & excellit; rem, quæ eiusdem sit generis excellit. Vnde igitur per comparisonem, præstantiam alterius constituit: inde alterius etiam cognitionem, & similitudinem cognitionis demonstrat: Propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror quisquilias esse, vt Christum lucrificiam. Nondum quidem manifestum est quisquiliarum nomen de lege dici: verisimile enim est Paulu de mundanis rebus dicere. Nam cum dixisset, *quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimentum*, addidit, *veruntamen & existimo omnia detrimentum esse*: dum dicit omnia, significat, & præterita, & præsentia. Quòd si velis legem significari, neque ideò tamen contumelia afficitur. Quisquilia enim ex frumēto existunt, & quòd in frumento quasi robustius est, id *οὐ βλαβή*, id est quisquilia, & palea est: idem enim est, atque *ἀχρηστία*: quamobrem antequam frumentum existeret, vtalis erat illa palearum seges, & vnà cum frumēto ipsam colligimus: quòd si illa non fuisset, neque hoc exortum esset. Vides vbiq; non rem ipsam vocari damnatum, sed præ Christo, *veruntamen & omnia existimo detrimentum esse*. quam ob causam? rursus, propter eminentem scientiam, propter quem omnia detrimentum feci. quãobrem adiungit, *omnia existimo detrimentum esse, vt Christum lucrificiam*. Vides vbiq; inhærentem firmamento Christi? nec vsquam patitur nudari legem, ac plagam accipere, sed vndique ipsam munit: & inueniar in illo nō habens meam iustitiam, quæ ex lege est: si is, qui iustitiam habebat, quòd ea præ hac iustitia nihil esset, ad hanc accurrat, qui nullam habet: quomodo non multò magis accurrere debebunt? Et rectè dixit, *non habes meam iustitiam*, id est non illam, quam mihi meis laboribus, ac sudoribus cõparaueram, sed quam ex gratia inueni. Si igitur ille, qui virtutis officia obiuerat, ex gratia salutem est adeptus, multò magis vos. Quoniam enim verisimile erat illos dicere, maiorem esse iustitiam, quæ ex laboribus ostendit hæc præ illa paleam esse. Secus enim, non cum ad ipsam peruenissem, ea proiecta ad hanc alteram accurrissem: quæ nam verò hæc est? quæ ex fide Dei, id est hæc ipsa etiam à Deo data est: Dei est hæc ipsa iustitia. Donum penitus Dei est. Dei autem dona longo interuallo antecedunt vilitatem rectorum factorum, quæ ex nostro studio profecta sunt. Quid autè est, *in fide ad cognoscendum illum*? Ergo per fidem cognitio: nec sine fide illum cognoscere fas est: quomodo? per ipsam enim cognoscenda est

A virtus resurrectionis eius. Etenim quæ vnquam ratione resurrexerunt nobis demonstrabit? sed sola fides. Quòd si Christi secundum carnem resurrectio fide cognoscitur, quomodo generatio Dei verbi comprehendetur ratiocinationibus? generatione enim minor est resurrectio: cur? quoniã illius quidem multa exẽpla extiterunt, generationis nullum. Mortui enim multi resurrexerunt ante Christum (quamuis post resurrectionem rursus obierint) nemo autem vnquam fuit, quem virgo pareret. Ergo si illud etiam, quòd ortu secundum carnem vilius est, fide comprehendendum est; quòd multò maius est, & infinitè maius, ac ne comparabile quidem est, hoc quomodo ratiocinatione comprehendemus? Hæc faciunt iustitiam. Hoc enim oportet credere, fieri potuisse: quomodo verò potuerit, nō iam pote est ostendere. Ex fide enim fit, vt rerum molestiarum coire societatem velimus. Nisi enim credamus, neque etiã incommoda libebit subire: nisi credamus fore; vt vnà subeutes, simul etiam regnemus, nullo pacto ad subeunda incommoda adducemur. Ergo fide, & natiuitas, & resurrectio comprehenditur. Vides non nudam requiri fidem, sed cum operibus coniunctam? Is enim potissimum credit resurrexisse Christum, qui similiter se periculis exponit, qui ei se in perpeffionibus socium præbet. Fit enim socius ei, qui resurrexit, ei qui viuit. Propterea dicebat, *inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est, iustitiam in fide, ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis, & societatem passionum illius, configuratus morti eius, s; quo modo occurrat ad resurrectionem quæ est ex mortuis, configuratus*, inquit, *mortui eius*, id est particeps. Etenim quemadmodum ille ab hominibus malè acceptus est: ita & ego: propterea dixit, *configuratus*. & rursus alibi, Et adimpleo ea, quæ defunt passionum Christi in carne mea: id est vexationes, & calamitates huiusmodi, reddunt imaginem quandam illius mortis. Non enim quòd suum est quærebat: sed quòd multis prodesset. Quamobrè & vexationes, & incommoda, & angustia tantum abest, vt nos perturbare debeant: vt potius inde lætandum sit: quòd per hæc conformes reddimur morti eius: perinde ac si diceret ad illius similitudinem fingimur: quòd & alibi inquit, ita scribens, Mortificationem domini Iesu in corpore circumferentes. Et id verò ex magna fide fit. Non enim solum resurrexisse credimus: sed etiã post resurrectionem habere magnam potentiam. Propterea eadem via iter facimus, qua ille: id est hac etiam ex parte fratres illius efficiamur: perinde ac si diceret. Ex hac re efficiamur Christi quidam. En quanta est ærumnarum dignitas. Credimus cõformes nos fieri morti eius per ærumnas. Nam quemadmodum in baptismo, Cõsepulti sumus similitudini mortis eius: ita hic eidem morti conformes reddimur. Ibi meritò dixit, Similitudini mortis eius, non enim totam mortem obiuimus: non enim corpore & carne mortui sumus, sed peccato. Quoniam igitur mors vtròque dicitur: sed ille quidem corpore mortuus est, nos autem peccato: & illic homo mortuus est, quem ipse assumpserat, qui in corpore nostro spectari voluit: hic verò homo peccati: propterea ibi quidem, inquit, similitudini mortis eius: hic verò non iam quæ similitudini mortis, sed ipsimet morti. Paulus enim in vexationibus nō iam peccato mortuus est: sed ipso corpore: quamobrem eandem subiit mortem. *si quo modo occurrat, inquit, ad resurrectionem, quæ est ex mortuis*. Quid ais? omnes enim ad istam perueniunt. Nam, Non omnes quidem dormiemus, inquit, sed omnes immutabimur, neque resurrectionis solum omnes particeps erimus, sed etiam immortalitatis, hi quidem ad

Non sufficit nudas fides.

Coloss. 1.

1. Cor. 4.

Rom. 6.

1. Cor. 15. Apud Græcos.

honoré, hi verò ad occasioné supplicij. Ergo si omnes A ad resurrectionem perueniunt, neque ad resurrectionem solum, sed etiam ad immortalitatem, quomodo tanquam qui præcipuum quippiam adepturus esset dicebat, *si quo modo occurram?* Propterea, inquit, hæc sub eo, *si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis*: nisi enim mortuus fuerit; non resurges. Quid igitur hoc est, quod inquit? magnum quiddam hoc loco significat. Ad eò enim magum erat; vt neque asseuerare ausus fuerit; sed tantum inquit: *si quo modo*: credidi in ipsum, & ipsius resurrectionem: præterea propter ipsum patior: nec tamen adhuc possumus omnino confidere fore, vt resurgamus. Quam hoc loco resurrectionem dicit? nimirum eam, quæ ad ipsum ducit Christum. Dixi me credere in eum, & virtuti resurrectionis eius, & socium me esse passionum suarum, configuratumque me esse morti eius: veruntamen post hæc omnia nondum penitus confido: quod alibi dixit. Qui se existimat stare, videat ne cadat. & rursus, Timeo, ne fortè cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. *Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim; sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Iesu, non quòd iam acceperim.* Quid est, iam acceperim? brabium, inquit, quòd, si qui tanta perpeffus fuerat, qui vexabatur, qui mortificationem habebat, nondum de resurrectione illa fidenti, & securo animo erat: quid tandem dicemus nos? quid est, *si comprehendam?* quod antea dixerat, *si occurram in resurrectionem, quæ est ex mortuis*: si comprehendam, inquit, ac teneam ipsius resurrectionem, id est si tanta pati potuero, si ipsum imitari potuero, si conformis ipsi fieri, quemadmodum multa passus est Christus, sputis fœdatus est, virgis cæsus, ac demum mortem subiit. Hoc stadium est: per hæc omnia opus est ad illius resurrectionem vos peruenire, omnia certamina perferentes. Vel igitur hoc sibi vult, vel istud: si dignus factus fuero, qui assequar probatam illam resurrectionem, ac fidentiam plenam, qui ad ipsius resurrectionem perueniam. Nam si certamina, ac labores omnes perferre potero, illius quoque resurrectionem assequi potero, & cum gloria resurgere: nondum enim, inquit, dignus sum, *sequor autem si quomodo comprehendam.* Adhuc mihi vita in certamine versatur: adhuc à meta longè absum: adhuc à brabiis disto: adhuc curro, adhuc sequor, & non dixit, curro, sed *sequor*: ac meritò. Nam qui apud Græcos dicitur *διώκων*, id est qui sectatur, nostis, quantam contentionem insectando adhibeat: neminem intuetur: omnes quicumque cursum illius interrumpunt, magno impetu propellit: & mentem & oculos, & vires, & animam, & corpus contrahit, solum brabium spectans, præterea nihil. Quòd si Paulus tantus sectator, ac tanta passus adhuc, inquit, *si quo modo comprehendam*, quid dicemus nos? Deinde ostendens debitum hoc esse, inquit, *in quo & comprehensus sum à Iesu Christo.* Eram, inquit, ex perditorum numero: demergebar: pereundum mihi omnino erat: comprehendit me, ac tenuit Deus. Nam & ipse nos sectatus est fugientes ipsum magno cum studio, propterea omnia hæc illi accepta refert: His enim verbis, *comprehensus sum*, & studium Dei demonstrat nos comprehendere volentis, & nostrum longinquum recessum, atque errationem, nôsque omnino ab illo refugisse ostendit.

MORALIS DIGRESSIO.

Non fugiendum à Deo. **Q**VAMOBREM cum illud lacrymis dignum est, omnes ad pristinum statum relabi: tum verò hoc etiam: cum magno sumus debito obnoxij, neminem tamen lugere, neminem lacrymari, neminem suspirare. Ac ne putes ironicè isthæc à me dici. Nam quemad-

modum ante Christi aduentum à Deo fugiebamus: ita nunc ab ipso fugimus. Pote enim est fugere à Deo, non quidè loco (nam vbique est) sed operibus. Etenim loco quidem ab eo discedi nõ posse, audi prophetam dicentem, Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Quomodo igitur pote est à Deo fugere? eodem modo, quemadmodum pote est procul à Deo proficisci, ac longè abesse, Qui se elongant, inquit, à te, peribunt. & rursus, Nõne iniquitates vestræ diuiserunt inter me & vos? Quomodo igitur fit iste longinquus discessus? & quomodo intercedit interuallum? electione, & animo. Loco enim pote non est. Quomodo enim quis ab eo, qui vbique adest, fugiat? Peccator igitur fugit. Hoc est, quod scriptura inquit, Fugit impius nemine persequente. Valde fugimus Deum: tametsi semper ille sectatur nos. Apostolus cursum suum eò intendebat, vt propè ad illum accederet: nos eò intendimus, vt procul discedamus. Ergo non hæc digna lamentis? Quò fugis infelix, & miser? quò fugis à vita, & salute tua? si à Deo fugias, ad quem confugies? si à luce fugias, quò respicies? si à vita fugias, vnde posthac viues? Fugiamus hostem salutis nostræ. Cum peccamus, à Deo fugimus: fugitiuorum more erramus; ad alienam abscedimus terram: quemadmodum ille, qui comederat paterna bona, & abierat in alienam terram, qui totum patrimonium cõsumpserat, atque in fame vivebat. Habemus verò patrimonium & nos; cuiusmodi verò hoc? liberauit nos à peccatis: donauit nobis vires ad virtutis officia obeunda: donauit nobis alacritatè, patientiam in baptismo: donauit nobis spiritum sanctum. Si hæc absumpserimus: fame posthac laborabimus. Nã quemadmodum ægroti, quandiu quidem febribus agitatur, & succorum viciositate laborant: neque exurgere, neque suis muneribus fungi, neque agere quicquam possunt: quòd si quis eos à morbo liberet, & ad sanitatem adducat: nec tamen adhuc quicquam agant: iam id ex propria fœcordia fit: ita sanè & in nobis. Vexabat enim nos morbus grauis, ac febris vehemè: decubebamusque nõ in lecto, sed in ipsamet viciositate, perinde atque in stercore: in improbitate volutabamur, scateles vlceribus, fœtorem spirantes, squalidi, incurui, vmbra potius, quàm homines. Circũstabat nos improbi demones, princeps mundi huius ridens, insultans. Venit Dei vigenitus: emisit radios præsentis suæ: & caliginem confestim depulit. Venit ad nos ipse rex, qui erat in throno paterno, thronum relinquens paternum (quando autè reliquisse dico, ne id significare rursus putes, mutationem, ac transitum, cælum enim, terramque ipse implet: sed ob œconomiam id dico) venit ad hostem, qui ipsum odio prosequeretur, auerfabatur, neque vt ad eum oculos conuerteret, adduci poterat, blasphemis quotidie apperebat. Vidit in stercore iacentè, à vermibus exulceratum, à febris, & fame oppressum, nullo non morbi genere laboratè. Nam & febris vexabat (hoc enim est improba cupiditas) & inflammationes vrgebat (hoc enim arrogantia) & quædã insatiabilis fames occupabat (hoc enim auaritia) & sanies vndique (hoc enim scortatio) & cæcitas oculorũ (hoc enim idolatria) & surditas, & stupor. (hoc enim erat lapides, & ligna adorare, & cũ illis colloqui) & multa deformitas: hoc enim viciositas: triste nimirum quiddã, & morbus grauisimus. Vidit absurdus, quàm insaniètes soleant, loquētes, & lignum & lapidem Deum vocantes. Vidit in tanta viciositate: nec tamen abominatus est, non amarior factus, non auerfatus est, nõ odio prosequutus. Dominus enim erat: & opus suum non oderat. Deinde quid facit? Optimi medici more parat pretiosa pharmaca, eaque primus gustat. Virtutè enim ipse primus obiuit:

Contra inanè hęc reticorũ fiduciam.

1. Cor. 10. Ibid. 9.

Phil. 13.

Phil. 71. Efa. 39. li. cec. paulo aliter.

Pro. 11.

Luc. 17.

Serui à nobis possent data.

Benefici aduentu Christi.

ac

Optimus medicus postea parauit pharmaca, & primus gustauit. In baptismo omnem euomimus viciositatè.

Deus & peccata remittit, & vires dat.

Luc. 17.

ac deinceps nobis tradidit. Ac primum pharmacum, A quasi antidotum quoddã, lauacrum dedit. Ita omnem euomimus viciositatem. Ita omnia simul in fugam se dederunt, inflammatio cessit, febris extincta est, & sanies exiccata. Omnia enim & quæ ab auaritia, & quæ ab ira, & cætera omnia mala per spiritum euauerunt: aperti sunt oculi, apertæ aures: aptam vocem loquuta est lingua: vires acquisiuit anima, acquisiuit corpus pulchritudinem, & florem huiusmodi, qualem par est habere pulchritudinem Dei filium ex spiritus gratia procreatum: qualem par est habere gloriam filium nuper Regi natum, & in purpura eductum. Hei mihi quantam nobis donauit nobilitatem: nos verò erga eum, qui adeò nos amaui, ingrati esse perseueramus: peperit nos, nutriuit, beneficiis affecit: quid rursus fugimus ab eo, qui tanta tribuit beneficia? Ergo qui hæc omnia fecit, robur etiam dat: non enim dum morbus nos occupabat, ferendo oneri eramus: nisi ipse vires nobis dedisset, & peccata remisisset. Irritum fecimus donum: dedit nobis diuitias, eas dilapidauimus: omnia comedimus, atque exorbimus: dedit nobis vires, eas cõsumpsimus: dedit nobis gratiam, ipsam extinximus: quomodo? cõsumpsimus nulla in re quæ nobis prodesset, atque vilitatem afferret. Hæc nos perdididerunt, atque illud præterea, quod omnium grauissimum est, quòd in aliena degentes terra, & comedentes siliquas, non tamen dicimus, redibimus ad patrem, & dicimus, peccauimus in cælum & in te: idque, cum patrem adeò amantem, nostrique reditus valde cupidum habeamus. Dummodo ad ipsum redeamus, dummodo à viciositate discedamus, neque vt de præteritis nos obiurget, adduci potest. Satis enim apud illum excusationis est, rediisse. Ecquid dico, vt obiurget, adduci non potest? non solum ipse non obiurget, verum etiam si alius obiurget, silentium imponit: etiam si ille, qui obiurget, apripimè sibi acceptus sit. Redeamus: quotusque recedimus? sentiamus dedecus, sentiamus vilitatem. Viciosititas nos porcos facit: viciosititas famem affert animæ. Recuperemus nos ipsos, & respiscamus: eoque incumbamus: vt in pristinam restituamur nobilitatem, vt assequamur futura bona in Christo Iesu Domino nostro, cum quo Patri, simulque Sancto spiritui gloria, imperium, honos &c.

SERMO XII.



FRATRES ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem: quæ quidem retrò sunt, obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad brabium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Nihil æquè inania reddit benefacta, disperditque, atque eorum, quæ nos rectè fecimus, memoria. Duo enim parit mala, negligentiores facit, & in arrogatiam tollit. Quamobrem Paulus, quoniam nouerat naturam nostram ad fœcordiam valde esse procliuem, multis autem laudibus Philippenses affecerat: vide quomodo eorum spiritus comprimat, multis quidem aliis adhuc modis: præcipuè autem his nunc verbis, quid enim dicit? *Fratres ego me non arbitror comprehendisse*: quod si Paulus adhuc non comprehendit, neque fidenti animo de resurrectione, ac futuris rebus est: multò igitur minus illis, qui nec minimam illius benefactorum partem assequuti fuerant, id faciendum erat. Quod autem inquit, hoc est, nondum omnem me apprehendisse virtutem puto: ita de cursore dici solet: nondum apprehendit. Nondum, inquit, Paulus, totum confeci. Quòd si alibi, inquit, Bonum certamen certauit. hic verò, *nondum arbitror me comprehendisse*, qui vtrunque locum accuratè leget, pro-

1. Tim. 4.

bè causam illorum, & horum verborum cognosceret. Non enim assiduè oportet eadem versare: nôsque omnia docere, admonerèque, hæc multò antea dicta esse, illa verò sub ipsum obitum: *nondum arbitror*, inquit, *me comprehendisse*: sed in hoc vno totus sum, vt ad anteriora me extendam. Hoc enim sibi vult, dum, inquit, *quæ quidem retrò sunt, obliuiscens, ad ea verò, quæ priora sunt, extendens me ipsum ad destinatum persequor, ad brabium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.* Vide his verbis ostendere, quid illud sit, quod ipsum faciebat ad anteriora se extendere. Ergo qui iam se perfectum putat, nihilque sibi deesse ad virtutis absolutionem, is à cursu cessabit, quasi qui totum iam teneat. At qui se adhuc à meta abesse cogitat, is nunquam à cursu cessat. Hoc igitur & nos existimare semper debemus: etiam si sexcenta obiuerimus virtutis officia. Etenim, si Paulus post sexcentas motes, post tanta pericula hoc secum putabat, multò magis nos: nondum, inquit, animo concidi, quamuis post tantum cursum nondum peruenim, non ideo tamen desperari: sed adhuc curro: adhuc certo: hoc vnum specto, vt assiduè proficiam: Id nobis etiam faciendum est: obliuioni mandanda sunt benefacta, & omittenda, quæ retrò sunt. Nam & cursor, non quot spatia confecerit, cogitat, sed quot adhuc restent. Ita & nos, non quantum in virtute progressi sumus, cogitemus: sed quantum adhuc progrediendum restet. Quid enim nobis proderit, quod progressi sumus, nisi etiam quod restat, confecerimus? Neque dixit, non cogito, aut non memini, sed *obliuiscens*, ita nos attetiores reddens. Tunc enim valde vehementes sumus: cum omnem animi impetum in id, quod restat, coniecimus: cum præterita obliuioni mandauimus, *extendens*, inquit, *me ipsum*: nos autem antequam accedamus, capere volumus. Is enim extendere se dicitur, qui pedes licet currentes reliquo corpore anteuertere studet, seque inclinat in anteriora, manúsque protendit, vt aliquantò etiam plus spatij faciat. Id verò ex multo animi impetu, & magno ardore fit. Qui currit: hoc modo currat oportet tanto cum studio, tanto cum impetu, non autem remissè. Quantum autem inter hunc, qui hoc modo currit, & inter eum, qui iacet supinus interest, tantum inter Paulum & nos: Quotidie ille moriebatur: quotidie benè merebatur: nulla erat occasio, nullum tempus, in quo non aliqua illi ad cursum accessio fieret: non volebat capere, sed rapere. Ita enim fas est capere. Qui dat brabium, sursum stat, sursum positum est brabium. Vide quantum spatij sit propositum ad percurrendum: vide quàm celsus sit locus, quòd volandum est alis spiritus: aliter enim altitudo illa obtineri nequit. Cum corpore illuc ambulandum est, licet enim: Nostra enim, inquit, conuersatio in cælis est. Ibi palma est. Vides eos, qui currunt, quàm ex lege viuant? quàm nihil eorum, quæ vires enervant, attingant? quàm quotidie certent in palæstra sub magistro, & lege? Hos fac imiteris, ac potius maiorem prome impetum. Longè enim potior est palma, & multi sunt, qui impediunt: ex lege viue: multa enim sunt, quæ robur dissoluunt: bonum crus fac pedi tuo: non enim naturæ est, sed voluntatis: leuè hanc reddamus, ne celeritati pedum reliquum pondus officiat. Doce pedes esse cautos: solum enim multis locis est lubricus, ac si cadas, multa perdidisti: attamen, & si cecideris, exurge: licet enim & hoc pacto vincere. Nunquam lubricis rebus te committas: & non cades: super solidas, ac stabiles curre. Sursum caput habeas, sursum oculos: id & currentibus magistri præcipiunt. Ita consolidantur vires. Sin deorsum versum nutabis: concides, ac fatisces. Sursum specta, vbi palma est: hic palmæ aspectus auget studium voluntatis: spes adimit laborum

Phil. 4.

& molestiarum sensum. Longinquitas facit, ut bra-
 bium appareat exiguum. Quodnam illud est? non ra-
 mus palmae, sed quid? regnum caelorum, requies sem-
 piterna, gloria cum Christo, haereditas, fraternitas,
 innumerabilia bona; quae verbis exponi non possunt.
 Palmae illius pulchritudinem explicare nefas est: solus
 ille nouit, qui obtinet; & qui accepturus est: non est
 aureum, non ex lapidibus constat: multo istis est precio-
 sius. Aurum praeter illud lutum est: lapides preciosi praeter illa
 pulchritudine lateres sunt. Si ea potius in caelum iue-
 ris; magno illic cum honore poteris incedere: Angeli
 te reuerentur palmam illam ferentem: Fidenter ad
 omnes accedes: *In Christo Iesu*: Vides gratum animum:
 in Christo Iesu hoc, inquit, facio. Non enim sine illius
 impulsu tantum spatij conficere fas est, magno subsidio
 opus est: seque ille nobis in pugna focium praebeat, o-
 portet. Deorsum quidem te certare voluit, sursum vero
 coronat: non hic ubi certamen, est etiam corona illa;
 sed in splendido loco. Non videtis hic etiam ex athle-
 tis, & aurigis, quos maximo afficiunt honore, non
 deorsum in stadio coronari? sed sursum eos vocans
 Rex illic coronat. Ita etiam & tu hinc in caelum specta;
 ubi capies palmam, *quicumque ergo perfecti sumus*, inquit,
hoc sentiamus: & si quid aliter sapitis: & hoc vobis Deus reuelabit.
 Quid hoc est? nimirum quae retrò sunt, obli-
 uiscenda esse: ita ut perfecti hominis sit, non se existi-
 mare perfectum esse. Quomodo igitur dicis? *quicumque
 perfecti*. Dic enim mihi, hoccine vis sapiamus quod tu
 sapis? Nam si non assequutus es, si non es perfectus,
 quomodo iubes perfectos hoc sapere, quod & tu sapis,
 qui nondum perfectus? Hoc enim, inquit, perfectio est:
& si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus reuelabit: id est, si
 quis autem putat se totum recte esse assequutum: cauet
 nimirum illis, at non ita dixit, sed quid? *& si quid ali-
 ter sapitis, & hoc vobis Deus reuelabit*. Vides, quam vere-
 cundè: Hoc, inquit, vos Deus docebit: id est Deus vo-
 bis persuadebit, non tantum docebit. Nam docebat
 quidem Paulus, Deus autem iuducebat. Et non dixit,
 inducet, sed *reuelabit*, ut ignorantia videatur potius,
 quam improbitas. Non hæc de dogmatis dicta sunt, sed
 de perfectione vite, ut nemo de ipse existimet perfectum
 esse. Etenim qui omnia se putat consequutum, nihil habet.
*Veruntamen ad quod peruenimus, in eadem permaneamus re-
 gula: idem sapiamus, veruntamen ad quod peruenimus*, quid
 hoc est? interea, inquit, quod boni consequuti sumus,
 teneamus, charitatem, concordiam, pacem: hoc nobis
 recte confectum est, *ad quod peruenimus, in eadem perma-
 neamus regula, idem sapiamus, ad quod peruenimus*, id est hoc
 nobis iam recte confectum est. Vides Paulum hoc vel-
 le, præcepta esse regulam? regula neque additionem,
 neque detractionem capit: cæteroqui iam non est re-
 gula, *in eadem regula*, id est in eadem fide, in eadem con-
 stitutione, *imitatores mei estote fratres: & observate eos,
 qui ita ambulant, sicut habetis nos formam*. Dixit superius,
 Videte canes, hos ab illis abducēs: proponit nunc eos,
 qui sunt imitandi. Si quis, inquit, nos imitari vult, si quis
 eandem insistere viam, huic operam date: quamuis ego
 non adsum, nostis tamen incessus mei rationem, &
 modum, id est rationem vitæ, & morum. Non enim
 verbis solum docebat, sed etiam factis, quemadmo-
 dum in choro, & exercitu, choragum & ducem reliqui
 imitentur oportet, itaque ordinatè incedant. Nam fieri
 potest, ut ex illo etiam statu, qui in choro *estis*, dicitur
 ordo dissoluatur.

MORALIS DIGRESSIO.

Virtutem omnibus rebus bene uti.

Rogō Apostoli erant forma, & typus, speciem eam retinentes, quæ archetypi, & primarij cuiusdam

exemplaris instar esset. Cogitate, quam accurata esset
 illis vitæ ratio, ut ipsi propositi essent, quasi archetypus,
 & exemplar, & leges animatae. Quæ enim literæ dice-
 bant, hæc ipsi factis perspicua omnibus faciebant. Hæc
 optima est docendi ratio: ita discipulum impellere do-
 ctor poterit. Sin dicat quidem, ac verbis philosophetur,
 factis vero contraria representet, nondum doctor
 est. Nam vel discipulo hoc facile est, verbis philoso-
 phari. Sed illa admonitio, & persuasio accedat, oportet,
 quæ per opera fit. Nam hæc & doctore reuerentiæ
 conciliat, & discipulo propensionem ad parendum,
 quomodo? quoniam, ubi verbis quidem viderit philo-
 sophantem: secum dicet, ea quæ fieri non possunt,
 magister iste præcepit, id quæ ipse primus ostendit, qui
 ea non facit. Sin autem viderit virtutem factis ipsis ex-
 pressam, non habebit amplius, cur ista dicat. Veruntamen
 etiam si doctoris vita socordia plena sit: nobis ipsi
 attendamus, & audiamus prophetam dicentem,
 Erunt omnes docibiles Dei. & Non docebit vltra vir
 fratrem suum, dicens: cognosce Dominum: omnes enim
 cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum. Non
 habes doctorem virtute præditum: sed habes eum, qui verè
 doctor est: quem etiam solum doctorem appellare oportet.
 Ab illo discite. Ille dixit, Discite à me, quia sum mitis: non
 obserues magistrum istum, sed illum, illiusque disciplinas.
 Inde typum cape: habes effigiem optimam: ad quam te
 ipsum componas: sexcenta sunt proposita in scripturis
 vitarum cum virtute actarum imagines. Accede, si libet,
 post magistrum ad discipulos; inter quos hic quidem ex
 paupertate luxit, atque emicuit, ille verò ex diuitiis: exempli
 causa, Helias ex paupertate, Abraam ex diuitiis: vtram
 putas leuiorem, tibi que aptiorem, hanc tene. Rursus hic
 quidem ex matrimonio, ille verò ex virginitate. Abraam
 ex matrimonio, Helias ex virginitate: vtram libet, in-
 sistite: vtraque enim ad caelum ducit. Et Ioannes quidem
 per ieiunium: Iob verò sine ieiuniis. Rursus hic ipse,
 cum mulieris, & filiorum & filiarum, & domus cura
 ipsi gerenda esset, multisque abundaret diuitiis: Ioannes
 verò nihil possidebat præter vestimentum ex pilis confectum.
 Et quid dico domum, & diuitias, & pecunias, quando
 vel eum, qui regnum obtinet, fas est virtutem consequi?
 Nulla enim non priuata domo longè occupatior reperitur
 regia: ac tamen David fulsit in regno: neque illum dissoluit
 purpura, aut diadema: itemque alter, cui integri populi
 gubernacula commissa fuerant, Moyses, inquam: quod sanè
 difficilium etiam erat. Hic enim plus licentiæ erat, ideoque
 plus difficultatis, & molestiarum. Vidisti probatos in
 diuitiis: vidisti & in paupertate. Vidisti in matrimonio,
 vidisti & in virginitate. Contrà verò considera, & in
 matrimonio, & in virginitate, & in diuitiis, & in
 paupertate non defuisse, qui perierunt. Nam in matrimonio
 quidem multi homines perierunt: ut Sampson, non tamen
 ex ipso matrimonio: sed ex animo, electioneque sua in
 virginitate item, ut quinque virgines: in diuitiis, diues
 ille, qui Lazarum despiciebat: in paupertate, nunc quoque
 sexcenti pauperes pereunt. In regno, & in populi
 gubernatione multos possum ostendere, qui perierunt. Vis
 autem & in militari ordine videre, qui salutem sine
 consequuti? intueri Cornelium: vis & in rei familiaris
 administratione? intueri Eunuchum Æthiopiæ. Ita
 vndique perspicuum fit, si quod oportet diuitiis vtamur,
 nihil esse, quod nos perdat: sin minus, omnia: perdit
 nos regnum, perdit paupertas, perdit diuitia. Attento
 quidem homini nihil nocere poterit. Vis & quos nihil
 seruitus, & captiuitas læserit, videre? Cogita ipsum
 Ioseph seruum quidem factum, sed nihilominus vir-
 tutis

Officium boni doctoris.

Esa. 44. Hic. 31.

Matth. 23.

1. Cor. 6.

Act. 18.

Esa. 40.

tutis retinentem. Cogita mihi Danielem, & tres illos
 pueros, cum captiui esset, multo magis fulsisse. Vbi-
 que enim virtus lucet, neque expugnari, neque impediri
 vlla ratione potest. Quid dico paupertatem, & seruitu-
 tem? nec fames quidem, nec morbus quantumuis gra-
 uis nocere potest. Morbus enim seruitus est grauior.
 Talis erat Lazarus: talis Iob. Talis erat & Timotheus.
 crebro pressus infirmitate. Vides nihil esse, à quo superari
 virtus queat? non diuitias, non paupertatem, non impe-
 rium, non seruitutem, non rerum administrationem, non
 morbum, non ignominiam, non exilium? sed hæc omnia
 deorsum, atque humi relinquēs virtus ad caelum perue-
 nit. Tatum generosa sit anima, tunc prohibere nihil po-
 terit, quin virtutis sit compos. Vbi enim valet is, à quo
 actio promenda est, nullum externæ res impedimētum
 afferit. Nā & in artibus, ubi artifex bene peritus fuerit,
 & tolerans, vniuersamque artem tenuerit: etiam si mor-
 bus adueniat, ipsam retinet, etiā si in paupertatem inci-
 dat, ipsam retinet: siue instrumentum in manu habeat,
 siue non habeat, siue suo fungatur munere, siue non fun-
 gatur, nihil illi ex arte detrahitur. In ipso enim inest sci-
 entia. Ita & qui virtute præditus est, atque ex Deo pen-
 det, siue illū in diuitias coniciat, ostendit virtutē suam:
 siue in paupertatem, nihilominus, siue in morbum, siue
 in sanitatem, siue in gloriā, siue in infamiam: an non per
 ista omnia transierunt Apostoli? Per gloriam, inquit, &
 ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam. Hoc
 est athletam esse, nempe ad omnia esse accommodatum.
 Talis enim est virtutis etiam natura. Quod si dicas, præ-
 esse aliis non possum, solitaria mihi vita agenda est,
 iniuriam fecisti virtuti. Ea enim omnibus rebus uti potest,
 & vbi que splendet, dummodo insit in anima. Fames ad-
 est? adest annonæ copia? virtus suum præse fert robur:
 quemadmodum Paulus inquit, Scio & abudare, & pen-
 uriam pati: operandum erat? non erubescere: sed duos
 annos operam arti suæ dedit. Erat ferenda fames? non
 concidebat, nec vacillabat. Moriendum erat? non dei-
 ciebat animum: vndique generosum illum animum, at-
 que artem ostēdebat. Hūc igitur æmulemur, nec quic-
 quam causæ erit, cur mœreamus. Quid enim, dic mihi,
 tali viro mœriorem afferre poterit? nihil planè: quan-
 diu hanc nobis nemo eripuerit, omnibus hominibus e-
 rimus beatiore, & hic, & ibi. Sit enim quis virtutis cō-
 positus: tunc & vxorem habeat, & filios, & pecunias, & cir-
 cumsuatur gloria, in his omnibus similiter virtutem reti-
 nebit. Aufer hæc: nihilominus similiter virtutem reti-
 nebit, non calamitatibus obrutus, non ex prosperitate
 tumescens, sed perinde ac petra quædam maritima, siue
 turgeat mare, siue malacia existat, æquè manet immo-
 bilis: neque à fluctibus fracta, neque à malacia quicquā
 dampni passa: ita etiam solidus animus æquè stabilis per-
 stat in fluctibus, & in malacia. Et quemadmodum pueri-
 li nauigio vecti turbantur, gubernator autem sedet ri-
 dens, & immotus, & ex illorum trepidatione volupta-
 tem capit: ita animus philosophicus, dum cæteri omnes
 turbantur, aut vicissim ridet intempestiue in rerum mu-
 tationibus, ipse quasi ad elauum quendam pietatis se-
 dens perstat immotus. Quid enim, die mihi, animam
 piam perturbare potest? num mors? at hoc melioris vitæ
 initium: an paupertas? at hoc ipsam prouehit in virtutis
 via, an morbus? sed pro nihilo habet hæc vitæ: & quid
 dico morbum? pro nihilo æquè habet delectationes,
 atque ærumnas: Anticipauit enim, ac se ipsa iam afflixit:
 an ignobilitas? sed mundus ipsi crucifixus est: an amissio
 liberorum? sed non metuit: futuram enim sibi persuasit
 resurrectionem. Quid ergo euertere illam poterit? pro-
 fusus nihil quicquam: at diuitiæ extollunt? minimè: nouit
 enim pecunias nihil esse: at gloria? sed iam in hac disci-

plina eruditus est, omnem hominis gloriā esse veluti
 florem fœni: at deliciæ? sed audiuit Paulum dicentem,
 Quæ in deliciis est, viuens mortua est. Ergo cum neque
 tumescat, neque deprimatur, quid huic sanitati par in-
 ueniri poterit? Verum non tales sunt cæteræ animæ, sed
 crebrius, quam mare, & chamæleon, mutantur. Quam-
 obrem valdè ridicula est illarum conditio. Qui enim
 non rideas: cum videas eundem nunc ridentem, nunc
 flētem, nunc sollicitum, nunc præter modum remissum,
 ac torpentem? Propterea Paulus inquit, Nolite confor-
 mari huic seculo. In caelo enim degimus, & quasi ciues
 versamur: ubi nulla mutatio. Promissa sunt nobis præ-
 mia immutabilia: talem & nos vitæ rationem exhibea-
 mus: inde iam capiamus bona. Ecquid igitur nos ipsi in
 Euripum proiciamus? & in medios fluctus, & in procel-
 las, & turbines? ambo amplectamur, malaciam, & tran-
 quillitatem. Ea non ex diuitiis pēdet, non ex paupertate,
 non ex gloria, non ex ignobilitate, non ex morbo, non
 ex sanitate, non ex infirmitate: sed ex nostro cuiusque
 animo. Si hic solidus fuerit, ac rectè in virtutis disci-
 plina eruditus: omnia illi facilia erunt: atque hinc iam re-
 quietem cernet, portumque tranquillum, & illuc pro-
 fectus innumerabilia bona cōsequetur, quibus vti nam
 digni reddamur gratia Domini nostri Iesu Christi, cum
 quo Patri, simulque sancto Spiritui gloria, imperium,
 honos, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

1. Tim. 5.

Rom. 12.

SERMO XIII.



MULTI enim ambulant, quos saepe dicebam vo-
 bis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis
 Christi, quorum finis interitus, quorum Deus
 venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui
 terrena sapiunt. Nostra enim conuersatio in cae-
 lis est: vnde etiam Saluatorem expectamus dominum Iesum
 Christum, qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ, ut con-
 forme fiat corpori claritatis suæ, secundum operationem virtu-
 tis suæ, qua etiam possit subiicere sibi omnia. Nihil æquè dis-
 sentaneum est, alienumque à Christiano, ac quietem,
 & otium quærere: Nihil æquè à professione nostra, &
 militia, cui nomen dedimus alienum: ac præsentis vitæ
 defixum esse. Dominus tuus in crucem actus est: & tu
 quietem quæris? Dominus tuus clauis cōfixus est, &
 tu deliciaris? Hæcne militis generosi? Propterea etiam
 Paulus inquit, *multi ambulant, quos saepe dicebam vobis, nunc
 autem & flens dico, inimicos crucis Christi*. Quoniam erant
 nonnulli, qui Christianismum quidem simulabant, sed
 in otio, ac deliciis vivebant: id verò aduersatur crucis
 idcirco ita dicebat. Crux propria animæ est in acie stā-
 tis, mori cupiētis, nullam sibi oblectationem postulan-
 tis. Illi verò contrariā vitæ rationem sequuntur. Quam-
 obrem tamen dicat se Christi esse, inimici tamen sunt
 crucis: alioqui, si crucem amarent, id quoque studerēt,
 ut crucifixam vitam viuerent. Nonne in crucem actus
 est dominus tuus propter te? si illius modum nō potes,
 imitare alia ratione dominum tuum. Ipse te crucifige,
 etiam si nemo te figat. Cruci, inquam, te ipse fige: non
 ut ipse te interimas, absit (impium enim est) sed prout
 Paulus dicebat, Mihi enim, inquit, mundus crucifixus
 est, & ego mundo. Si dominum tuum amas: mortem il-
 lius morere: disce quanta sit crucis potētia, quot bona
 fecit, quot faciat, quam in tuto vitam collocet. Per hæc
 omnia perficiuntur: baptisma per crucem. Oportet enim,
 inquit, accipere signaculum: manuum impositio
 per crucem: omninoque, siue in via simus, siue domi,
 siue vbi vbi vis: magnum bonum est crux, salutis arma-
 tura, clypeus minimè peruius, sed reluctans diabolo.
 Cum hoc igitur si bellū geras, tunc gestas crucem: non
 tantum accepto signaculo, sed etiam, quæ crucis pro-

Gal. 6.

De Cruci-
cis po-
tentia.

Mat. 16. sed paulo aliter.

Gal. 6.

Esa. 22. & 1. Cor. 15.

Rom. 6.

pria sunt, subiens, ac patiens. Consuevit enim Christus A
 passiones nomine crucis appellare; vt cum inquit, Nisi
 quis tollat crucem suam, & sequatur me, id est nisi quis
 recte se comparauerit ad mortem. Isti verò degeneres,
 vitæ, & corporis amantes, profecto crucis sunt inimici:
 & quisquis deliciarum, mundanæque tranquillitatis a-
 mator est: inimicus est crucis, in qua Paulus gloriatur,
 quam complectitur, cui nititur interi, quod illa verba
 indicant, Ego crucifixus sum mundo, & mundus mihi:
 nunc verò, inquit, *nunc autem & flens dico*. Cur? quon-
 iam malum creuerat: quoniam tales qui sunt, hi la-
 crymis digni sunt. Verè lacrymis digni sunt, qui in de-
 liciis degunt, & indumentum quidem, id est corpus
 pinguefaciunt, futuri verò, quod ipsos manet, supplicij
 nullam rationem habent. Esto: delicatè viuus, esto: vi-
 no mades; hodie, cras, decem annos, & viginti, & tri-
 ginta, & quinquaginta, & centum: quod quidem nefas
 est: Verùm, si vis, demus ita esse: quòdnam extremum,
 quæ utilitas? nulla. Talem igitur vitam viuere, nonne
 lacrymis, & lamentis dignum est? Adduxit nos Deus
 in hoc stadium, vt coronet, & nos abimus nullo præ-
 claro edito facinore? Flet igitur Paulus, quibus de re-
 bus alij rident, seque oblectant: tanto alienarum cala-
 mitatum sensu tangitur: adeò omnes homines curat.
Quorum, inquit, *Deus venter est*. Propter hoc est Deus
 ipsis. Hoc illud est, Comedamus, & bibamus. Vides
 quantum malum sint delicia? Aliis quidem pecunia,
 aliis verò venter Deus est. Nonne hi etiam sunt idolo-
 latræ, & illis etiam deteriores, ac nequiores? & gloria,
 inquit, *in confusione ipsorum*: quidam circuncisionem
 his verbis significari volunt. Ego autem ita interpre-
 tor, ac si dictum esset, in quibus oportebat eos pudore
 suffundi, seque occultare, in his se efferunt. Hoc illud
 est, quod alibi inquit, Quem ergo fructum habuistis
 tunc in illis, in quibus nunc crubescitis? Graue enim
 malum est turpia facere, sed si te, cum facias, pudeat,
 quasi dimidium malum est: sin etiam inde te efferas, ac
 magnificè circumpicias: summus iam est animi stupor.
 Ergo de illis tantum hæc dicta sunt, & nemo eorum,
 qui hic adfuit, obiurgationi locum reliquit? nemo illi
 crimini est affinis? neque Deum ventrem habet? neque
 gloriam in confusione? Cupio, & vehementer cupio
 nihil eiusmodi ad nos pertinere. Vellem neminem nosse,
 cui ea, quæ dicta sunt crimini dari possent. Sed valde
 metuo, ne in nos magis, quam in illos conueniant.
 Etenim si quis omnem vitam in potationibus, & com-
 messionibus infumat, & in pauperes quidem aliquot
 obolos impendat, maiorem verò opum partem in
 ventrem effundat, nonne iure in istum etiam dicen-
 tur? Nihil his verbis ad pudorem eliciendum aptius,
 nihil ad obiurgandum vehementius, *quorum*, inquit,
Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, quoniam isti
 sunt? *qui terrena sapiunt*, qui dicunt, ædificemus domos:
 vbi? in terra, inquit: emamus agros, in terra rursum:
 adipiscamur imperium, rursum in terra: assequamur glo-
 riam, rursum in terra: diuitias comparemus, in terra: om-
 nia denique in terra. Hi sunt, quorum Deus venter
 est. Qui enim nihil spiritale cum animo suo cogitant,
 sed omnia sua hic habent, atque hæc sola curant, meri-
 to ventrem Deum habent, dicentes comedamus, & bi-
 bamus, cras enim moriemur. Et corpus quidem doles
 tibi terrenum esse, quamuis illud tibi, quod ad virtu-
 tem pertinet, nihil noccat, animam verò in terram de-
 primis, cum contrà corpus quoque spiritale reddere
 deberes? licet enim, si velis. Rides, dic mihi atque a-
 nimo es omisso? & qualem consequeris veniam, cum
 tanto te stupore affeceris? ventrem accepisti, vt nu-
 trias, non vt distendas: vt illi domineris, non vt do-

minum habeas, vt tibi inferuiat ad cæteras partes a-
 lendas, non vt tu illi inferuias, non vt fines transilias.
 Non tot malorum causa est mare fines supergressum,
 quot venter corpori, animæque nostræ. Omnem illud
 terram, in quam se effuderit, obruit; venter verò vni-
 uersum corpus. Pone illi terminum, quod natura satis
 est: quemadmodum mari Deus posuit litus. Ac si æ-
 stauerit, atque excanduerit, increpa illum potestate,
 quæ in te sita est. Vide quanto honore te affecerit De-
 us, vt ipsum imiteris? Tu verò minimè vis, sed vides
 illum erumpere totamque naturam corrumpere, atque
 obruere, nec tamen audes cohibere, ac moderari, *quo-
 rum Deus*, inquit, *venter est*. Videamus quomodo Pau-
 lus seruiet: Deo: videamus quomodo & edaces isti
 seruiant ventri: nonne isti sexcentas perferunt mor-
 tes? nonne, quæcunque ille iusserit, detrectare formi-
 dant? an non etiam in iis, quæ minimè fieri possunt,
 obediunt, eique ministrant? nonne mancipijs nequio-
 res sunt? At non Paulus talis: quamobrem dicebat,
 nostra conuersatio in cælis est. Non igitur hic quæ-
 ramus quietem, sed ibi velimus clari esse, vbi & vi-
 tam colimus. *Vnde etiam Salvatorem*, inquit, *expectamus
 dominum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus humili-
 tatis nostræ, vt conforme fiat corpori claritatis suæ*: paulatim
 nos euexit. De cælo, inquit, Saluator noster: à loco, à
 persona maiestatem demonstrans, *qui transfigurabit*, in-
 quit, *corpus humilitatis nostræ*. Multis modis nunc malè
 accipitur corpus nostrum, vincitur, vapulat, sexcentis
 malis afficitur. Verùm & Christi corpus hæc eadem
 passum est: Hoc ergo significauit dicens, *vt conforme
 fiat corpori claritatis suæ*: ergo idem quidem corpus est:
 sed induitur immortalitate, *transfigurabit*, inquit. Er-
 go & figura alia: aut ita mutationem minus propriè
 vocauit: dixit autem, *corpus humilitatis nostræ*: quo-
 niam nunc iacet in humilitate: quoniam interitui, ac
 dolori obnoxium est: quoniam vile videtur esse, nihil-
 que amplius cæteris habere, *vt conforme ipsum*, inquit,
fiat corpori claritatis suæ: Illinc, quod sedet in dextera
 patris? Hoc ipsum corpus conforme illi fit, quod ado-
 ratur ab angelis, illi, cui assistunt incorporeæ potesta-
 tes, illi, quod est supra omnem principatum, & virtu-
 tem, & potestatem, illi ipsi conforme fit. Ergo si vni-
 uersus orbis sumptis lacrymis, eos qui de hac spe deci-
 derunt, fleat: nonne merito flebit? quòd hoc promi-
 sso nobis proposito, fore vt corpus nostrum illi con-
 forme fiat, cum dæmonibus tamen abeat? Iam mit-
 to gehennam. Tantum mihi malum videtur, de tanta
 gloria decidisse: vt gehennam pro nihilo habeam præ
 hoc damno, ac ruina. Quid ais Paule? illi conforme fit?
 næ inquit. Deinde, ne diffidas: argumentum quoque
 adiunxit, *secundum operationem*, inquit, *virtutis suæ, qua
 etiam possit subiicere sibi omnia*. Potestatem, inquit, habet
 omnia sibi subiicendi: ergo & interitum & mortem:
 potius autem ex eadem ipsa potestate, hoc etiam facit.
 Quod enim, dic mihi, potentia maius opus est
 angelos, & archangelos, & Cherubim & Seraphim
 subiicere, ac dæmonas: an corpus facere immortale, &
 corruptelæ non obnoxium? illud sanè multò maius.
 Ostendit maiora opera potentia suæ: vt hæc etiam
 credas. Quamobrem tamen mundanos istos videritis
 exultantes lætitia, & gloria circumfluente: vos ni-
 hilominus stete. Non id vos de statu deiiciat, non tur-
 bet: spes huiusmodi quæ nobis proponuntur, aptæ
 sunt, quæ valde etiam socordem, atque oscitantem
 excitent, atque erigant. *Itaque fratres mei*, inquit, *cha-
 rissimi, & desideratissimi gaudium meum, & corona mea
 sic stete in domino charissimi sic*. quomodo? quemadmo-
 dum stetitistis, immoti: vide post admonitionem enco-
 mia,

Phil. 3.

Maiore est
pena di-
ni, quam
caulus.

CAP. III.

Al. glo-
uiz.

Inc. 10.

Rom. 16.

1. Cor. 16.

mia, *gaudium & corona mea*: non tantum gaudium, sed A
 etiam gloria: non tantum gloria, sed etiam corona.
 Quid huic virtuti par inueniatur? quippe cum Pauli
 corona sint? *sic stete in domino charissimi*, id est in spe
 Dei. *Euodiam rogo, & Sintychen rogo id ipsum sapere in do-
 mino. Etiam rogo, & te germane compar, adiuua illas*. Qui-
 dam dicunt Paulum his verbis, germane compar, v-
 xorem suam rogare, quod minimè verum est: sed
 quandam aliam mulierem, vel etiam virum alterius
 istarum hoc vocat nomine. *adiuua illas*, inquit, *quæ me-
 cum laborauerunt in Euangelio cum Clemente, & cæteris ad-
 iutoribus meis: quorum nomina sunt in libro vitæ*. Vides
 quantæ virtutis testimonium illis dat? quod quidem
 Apostolis dicebat Christus, in hoc nolite gaudere,
 quia dæmonia vobis subiiciuntur, sed quòd nomina
 vestra sunt scripta in libro vitæ. Hoc Paulus etiam de
 istis testificatur, dicens, *quorum nomina sunt in libro vitæ*.
 Videntur autem mihi hæc mulieres caput fuisse Ec-
 clesiæ, quæ ibi erat: easque commendat viro fortasse B
 admirabili, quem comparem etiam vocat: cui fortas-
 se commendare solitus erat, vt auxiliario, & commi-
 lioni, & participi, & fratri: Id verò & in Epistola ad
 Romanos facit, *Commendo*, inquit, vobis Phœben
 forem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ
 est in Cenchris. *Compar*, vel fratrem aliquem istarum,
 vel etiam virum alterius ipsarum ita vocat: perinde ac
 si diceret, nunc frater es germanus, nunc vir legitimus:
 quippe qui membrum factus es, *quæ mecum laboraue-
 runt in Euangelio*. Hinc sollicitudo, & cura erga illas,
 non ob amicitiam, sed ob benefacta, *mecum laboraue-
 runt*. quid ais? mulieres tecum laborauerunt? næ, in-
 quit. Non parum, & illæ contulerunt: quamuis enim
 multi essent, qui Paulo auxiliarentur, tamen inter
 multos, & istæ suas in agendo partes præstabant. Non
 parum igitur utilitatis tunc Ecclesiis afferebatur. Nam
 ex eo, quòd ij, qui probati erant cum viri, tum mulie-
 res, tanto à cæteris honore afficerentur: multa exis-
 tebant bona. Etenim primum quidem cæteri ad parem
 zelum adducebantur: deinde in eo etiam, quòd ho-
 norem deferebant, quæstum faciebant: tertio & illos
 ipsos alacriores atque ardentiores faciebant. Propter
 ea ubique vides id curantem Paulum, ac tales homi-
 nes commendantem: quod etiam in Epistola ad Co-
 rinthios inquit, qui sunt primitiæ Achaia. Quidam
 inquit nomen proprium illi fuisse, *σὺς*, id est com-
 par. Sed parum interest, siue hoc, siue illud sit: non
 hæc minuta diligentia adhibenda est: sed hoc admiran-
 dum est, magnum illis deferri honorem iussisse.

MORALIS DIGRESSIO.

CAP. III.
Quanta
sit pena
digni.

1. Thess. 4.

luctus respondere poterit. Etenim si sexcentas ge-
 hennas attuleris, nihil par afferes dolori illi, quo tunc
 angitur anima, cum vniuersus quatitur orbis, tubæ
 sonant, primus accurrit Angelorum ordo, deinde
 secundus, deinde tertius, deinde sexcenti ordines
 in terram se effundunt, tum Cherubim, & Sera-
 phim: multa autem, atque adeò infinita ista sunt, po-
 stremò ipsemet aduenit, gloria illa circumfluens, quæ
 nullis verbis exprimi potest, omnes verò festinant
 adducere in medium electos: & ij, qui Paulum sectati
 sunt, quique ita probati sunt, vt ad illum propè acce-
 derent, coronantur, prædicantur, à rege in conspe-
 ctu totius cœlestis exercitus honore afficiuntur. Nam
 tamen gehenna non esset, quantum tamen illud est,
 hos quidem honorem, illos verò ignominiam repor-
 tare? Intolerabilis res est gehenna, fateor, & valde
 quidem intolerabilis: attamen intolerabilis mihi vi-
 detur de regno decidisse. Cedò, enim, si quis rex, vel
 regis filius domo profectus multis bellis egregiè con-
 fectis, magnæque sui admiratione commota, vniuerso
 comitatus exercitu in ciuitatem aliquam ingrederet-
 ur cum vehiculo, cum trophæis, cum sexcentis mi-
 litum ordinibus auro onustorum, cum satellitibus, &
 apparitoribus omnibus aureos clypeos gestantibus,
 vniuersa autem ciuitas coronata esset, omnesque or-
 bis principes cum ipso, à tergo autem ipsum sequeretur
 omnis quoque ætas exterarum nationum captiua,
 tum verò coronam legatis, consulibus, dynastis, prin-
 cipibus omnibus, in præclara illa pompa obuiam sibi
 prodeuntes ciues amplexetur, osculetur, manum
 porrigat, omniæque de se illos sibi polliceri velit, at-
 que in omnium conspectu cum ipsis, vt cum ami-
 cis colloquatur, totumque illud iter ipsorum sibi
 causa susceptum dicat, atque hos quidem in regiam
 suam perducatur, alios verò quosdam derelinquat, quan-
 tum id omni supplicio maius est; etiam si illi suppli-
 cio non afficiantur? Quòd si apud hominem adeò
 amarum est de gloria illa decidisse, multò magis apud
 Deum, cum superæ potestates vnà cum Rege ad-
 sunt, cum dæmones victi, atque incurui, diabolus
 ipse manibus reuinctis agitur, omneque aduersario-
 rum robur, cum virtutes cœlorum, cum ipse in nu-
 bibus aduenit? Credite mihi, præ dolore, qui ani-
 mum meum ex hac narratione occupauit, orationem
 ad exitum perducere non possum. Cogitemus, quanta
 priuemur gloria, cum in nobis situm sit non priuari. Hoc
 enim est, quod maximè angit, hæc pati, cum in no-
 stra potestate sit non pati. Nam cum hos quidem am-
 plectitur, & mittit in cœlos ad patrem, illos verò o-
 mittit: Angeli verò quidam illos prehendentes in ge-
 hennæ ignem inuitos, flentes, incuruos traxerint, ac
 tum demum, cum vniuerso orbi spectaculo fuerint:
 quatum putas doloris hauriri? studium igitur adhibeamus,
 quandiu tempus est, nostramque ipsorum salu-
 tem sollicitè curemus: ne posthac huiusmodi quædam
 dicenda nobis sint, qualia diues ille dicebat: Si quis
 nunc nos sinat, statueremus ea, quæ in rem nostram
 essent, sed nullus sinit. Taliæque nos dicuros non so-
 lum ex illo, sed etiam ex multis aliis manifestum est:
 nam, vt hinc etiam discas, quot fuerunt, qui cum fe-
 bri laborarent, ita dixerunt, si pristinam valetudinem
 recuperemus, nunquam posthac in hæc eadem mala
 decidemus? multa huiusmodi tunc dicemus: sed au-
 diemus, quæ diues ille, magnum hiatum intercedere,
 hic nos nostra bona accepisse. Obsecro igitur, amarè
 fleamus: aut potius non tantum fleamus, sed etiam
 fungamur virtute. Lugeamus nunc ad salutem, ne
 ibi tunc frustra lugeamus: ploremus nunc, & tunc

Luc. 6.

non plorabimus ex improbitate. Fletus hic virtutis est; ille verò inutilis pœnitentiæ. Afflictemus nunc nos ipsos, ne tunc afflictemur. Multum interest hic afflictiari, & ibi. Nam hic quidem ad breue afflictiaris tempus: potius autem ne sensum quidem afflictiationis capis, exploratum habens, afflictiari te, vt bene tibi sit. Ibi verò longè durior afflictiatio: nulla enim spe recreatur, neque exitum inuenit, sed infinita ac perpetua est. Vtinam verò hinc liberati requietem illam consequamur. Sed quoniam, vt ne peccemus, cum assiduo studio, tum assiduis precibus opus est, precemur, & studeamus requietem illam cōsequi. Studeamus obsecro: nam si studeamus, & precemur, consequemur. Si assidue precabimur, dabit Deus. Sin autem neque ab ipso petamus, nec quicquam eiusmodi præstemus, omninoque nihil agamus; qui fieri vnquam potest, vt dormientes consequamur? planè non potest. Satis enim benè nobiscum agetur, si currentes, nōsque ipsos extendentes, & conformes facti morti eius, vt Paulus dicebat, consequi poterimus; tantum abest, vt dormientes. Si quomodo, inquit, occurram. Quòd si Paulus dicebat, si quomodo occurram, quid nobis dicendum erit? Dormientibus enim neque mundana vnquam negocia conficiuntur. Dormientes ne ab amicis quidem quicquam accipiunt, ne dum à Deo. Dormientibus ne patres quidem honorem habent, ne dum Deus. Paululum laboremus, vt in omne æuum requiescamus. Omnino ærumnis angamur necesse est, quòd si hic minimè angamur; id nos ibi manet. Cur non malumus hic vexari, vt ibi requiescamus? Vtinam verò nos omnes dignè Christo vitam degentes, & conformes facti ipsius morti, bona illa, quæ oratio assequi non potest, consequamur in Christo Iesu Domino nostro, cum quo Patri, simulque sancto Spiritui gloria, imperium, honos, nunc & semper in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XIII.



GAUDETE in domino semper: iterum dico gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Dominus prope est: nihil solliciti sitis, sed in omni oratione, & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestrae innotescant apud Deum. Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiet corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Iesu. Cum Christus dicat, Beati qui lugent, & vix ridentibus, quid nunc significans Paulus ita inquit, Gaudete in Domino semper? non sanè aduersatur Christo, absit. Vix enim Christus dixit ridentibus risum mundi huius, qui ex rebus præsentibus oritur: & lugentes beatos prædicauit, nō quouis modo lugentes ex familiaritū, ac rerum suarum amissione, sed eos, qui compunguntur, qui sua lugent mala, qui peccata sua expendunt, aut etiam aliena. Non est autem eiusmodi luctui contrarium hoc gaudium, quinimo à luctu illo gaudium hoc procreatur. Nam qui luget sua mala, & confitetur, is gaudebit. Præterea verò licet lugere quidem propter peccata sua, gaudere autem Christi causa. Quoniam igitur vexabantur rerum molestarum perpeffione. Vobis enim datum est, inquit, non solum, vt in eum credatis, sed vt etiā pro illo patiamini, propterea, inquit, in domino gaudete. Idem enim significat, ac si dixisset: Talem vitam rationem ostendite, vt gaudendum sit. Quando igitur, quæ ad Deum pertinent, nullum apud nos impedimentum habuerunt, gaudete. Ergo vel hoc inquit, vel vocula illa, in, valet idem atque, cum, idest cum domino semper: rursus dico gaudete: hoc valde si-

dentis est, atque ostendentis, ei, qui in Deo est, semper gaudendum esse, etiam si prematur, ac quiduis patiat, hic semper gaudet. Audi enim Lucam de Apostolis dicentem, Ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habitus sunt pro nomine Iesu verberibus cædi. Si verbera & vincula, quæ præ cæteris videntur molesta, gaudium pariunt, Ecquid tandem erit aliud, quod nobis asferre dolorem queat? rursus dico gaudete: rectè verba ista geminauit, quoniam rerum natura dolorem sanè pariebat: ergo ex ista repetitione ostendit, gaudendum omnino esse: *equitas vestra nota sit omnibus hominibus.* Dixerat paulò antè, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Quoniam igitur verisimile erat fore, vt hinc Philippenles erga improbos infensum animum susciperent, propterea ipsos iam monet, vt nihil erga illos commune habeant, sed magna cum equitate vtantur non fratribus solum, sed etiam inimicis, & aduersariis. *Dominus prope est, nihil solliciti sitis:* quid enim causæ est, dic mihi, cur concidere animo debeatis? an quòd in vos insurgunt, quòdque eos in deliciis degere videtis? Iam imminet iudicium: non longè erit, cum factorum suorum rationem reddent: at vos in angustiis laboratis, illi verò deliciis distuant? iam hæc finem habebunt: at insidiantur, ac minantur? at non isthæc ipsis perpetuò ex sententia succedent: iam imminet iudicium, tuncque omnia contrà erunt, *nihil solliciti sitis.* Iam instat tempus reddendæ mercedis: quòd si erga eos, qui vos molestiis afficiunt, æquitatem animi adhibueritis, omnia euanescent, etiam si paupertas, si mors, si quæuis alia grauis calamitas vrget, nihil solliciti sitis, *sed in omni oratione, & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestrae innotescant apud Deum.* Vna quidem consolatio illa est, Ero vobiscum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi, altera verò illa, *dominus prope est:* tertia rursus post istam, pharmacum, quod mœrorum omnem, & ægritudinem, molestaque omnia propullare potest: quænam hæc est? precari, gratias agere, quicquid nobis eueniat. Quamobrem preces nostras non nudam petitionem esse vult, sed coniunctam cum gratiarum actione pro iis, quæ accepimus: quomodo enim petet quis futura, qui de præteritis gratiam non habet? *sed in omni,* inquit, idest in omni re: *oratione & obsecratione.* Quamobrem de omnibus gratiæ habendæ sunt, etiam de iis, quæ videntur molesta. Id enim verè grati hominis est. Illud enim ipsa rerum natura postulat: hoc verò ab animo grato, valdeque erga Deum affecto, atque ex illo penitus pendente proficiscitur. Hæc preces agnoscit Deus, alias verò ne nosse quidem vult. Huiusmodi igitur res precemini, quæ agnoscantur. Omnia enim ad nostram vtilitatem administrat, tametsi id nos non percipiamus. Atque magnam illa nobis asferre vtilitatem id argumento est, quòd non percipimus: *& pax Dei, quæ exuperat omnem intellectum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Iesu:* Quid hoc est? pax Dei, inquit, quam cum hominibus fecit, omnem exuperat cogitationem. Quis enim expectauit, quis sperauit tanta aduentura bona? humanam omnem excedunt cogitationem, non tantum orationem, pro inimicis suis, pro iis, qui ipsum odio profquebantur, qui auersabantur, pro iis tradere filium vnigenitum non recusauit, vt pacem nobiscum faceret. Hæc autem pax est, idest liberatio, charitas Dei, *Custodiat corda vestra, & intelligentias vestras:* Hoc enim præceptoris est, non tantum monere, sed etiam precari, & per obsecrationem quoque auxiliari, vt neque à tentationibus obruantur, neque ab errore circumferantur; perinde ac si diceret, qui vos

ne peccemus, & precibus studio opus est.

Cap. 3.

Matt. 5. Luc. 6.

Phil. 1.

vos eo modo liberauit, quem neque mens ipsa assequi potest, is vos custodiat, & muniat, vt nihil patiamini. Vel hoc igitur significat: vel istud, pax illa de qua dixit Christus, pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, ipsa vos custodiet. Hæc enim pax superat omnem humanam mentem: quòd si quæras, quomodo? audi: quando iubet cum inimicis pacem habere, cum iis, qui iniuriam inferunt, qui nos bello persequuntur, qui infestum erga nos animum gerunt: quomodo hoc non superat humanam mentem? imò verò, si placet, hoc prius attendamus: *pax Dei, quæ exuperat omnem mentem:* si pax superat omnem mentem; multò magis Deus ipse, qui pacem dat, omnem superabit cogitationem nō solum nostram sed etiam angelorum, & superarum potestatum. Quid autem est, in Christo Iesu? In ipso custodiet, vt perseueretis, nec de ipsius fide decidatis. *De cætero fratres, quæcunque sunt sancta, quæcunque vera, quæcunque iusta:* quid significat, de cætero? id est omnia iam nobis sunt dicta. Verbum est properantis, & nihil cum rebus præsentibus cōmune habentis, *de cætero fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque sancta, quæcunque iusta, quæcunque pudica, quæcunque amabilia, quæcunque honesta & fama, si qua virtus, & si qua laus; hæc cogitate, quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me:* quid sibi vult, *quæcunque sunt vera.* Hæc enim meritò dicuntur vera; id est virtus ipsa: viciōsitas autem mendacium est: nam, & voluptas ipsius comes, & gloria mendacium est; & mundana omnia nihil aliud sunt, quàm mendacium: *quæcunque pudica:* hoc illi opponitur, quod antea dixit, qui terrena sapiunt; *quæcunque sancta:* hoc aduersus illud, quorum Deus venter est: *quæcunque iusta, quæcunque bona fama, si qua virtus, & si qua laus:* hoc loco vult ipsos ea etiam, quæ ad homines pertinent, curare: *hæc cogitate inquit.* Vides hoc Paulum agere; vt omnem prauam cogitationem ex animis nostris eiiciat. Ex cogitationibus enim prauæ quoque actiones existunt, *quæ & didicistis, & accepistis.* Hæc optima docendi ratio est, se ipsum in omnibus monitionibus formulam præbere; quemadmodum & alibi inquit, sicut habetis nos formam; & rursus hic, *quæ & didicistis, & accepistis:* idest quæ ego vos docui, & audistis, & vidistis in me; idest quantū pertinet ad verba, & actiones, & vitæ consuetudinem. Vides ipsum omni de re hæc præcipere? Quando enim minimè fas est de omnibus singillatim minuta quædam præcepta dare; de ingressu, de egressu, de verbo, figura, consuetudine familiari (omnia autem hæc Christiano curanda sunt) breuiter, & quasi summam dixit, *in me audistis, & vidistis:* perinde ac si diceret, & factis, & verbis vobis præiui. Nihil enim naturæ æquè inimicum est, ac viciōsitas: *Hæc agite,* non dicite solum, sed etiam facite: *& Deus pacis erit vobiscum;* id est si hæc seruaueritis, & cum omnibus pacem habueritis; in tranquillo, & tutissimo eritis loco; nihil molesti, quòdque minimè velitis, patiemini. Quandocunque enim nos cum Deo pacem habuerimus (habemus autem per virtutem) multò magis ipse nobiscum in pace erit. Qui enim ita nos amauit, vt vel ad refugientes accesserit; si accurrentes vadeat, nonne multò magis suam præ se ferret amicitiam?

MORALIS DIGRESSIO.

QVAM verò nobis inimica sit viciōsitas, & amica virtus, multis argumentis constat. Ac si vultis, primum id spectemus in vno ex iis, quæ contraria sunt, idest in scortatione. Scortatio nos dedecoris plenos, pauperes, ridiculos facit, ac tales reddit, qui ab omnibus contemnamur: Hæc verò facere inimicorum est. Sæpe

Autem hæc, & morbos, & pericula affert. Multi verò etiam scortorum causa perierunt, & vulnera acceperunt. Quòd si scortatio hæc affert; multò magis adulterium. Num igitur eodem modo eleemosyna: neutriquam, sed perinde atque tenera mater filiolo, magnam venustatem, decus, gloriam conciliat; facitque necessariis muneribus obeundis vacare: non finit nos languescere, neque à necessariis abducit; sed animum prudentiorem etiam reddit. Scortatoribus enim nihil imprudentius. Sed visne auaritiā inspiciamus? & hæc eodem modo erga nos affecta est, quo inimici solent: quomodo? odium & hæc nobis ab omnibus conciliat; facitque vt omnes nos execrentur non solum illi, qui iniuriam acceperunt, sed etiam, qui non acceperunt: nam & illorum vicem dolent, & sibi ipsis metuunt: quamobrem veluti communes quosdam hostes intuetur, veluti feras, veluti dæmonas. Sexcentæ vndique accusationes, insidiæ, obrectationes: quæ quidem inimicorum sunt. Contrà autem iustitia omnes amicos, omnes vsu coniunctos, omnes beneuolos nobis facit: ab omnibus preces pro nobis funduntur: ita status noster in tuto collocatur; nullum periculum, nulla suspicio: sed & somnus securitatis plenus aduenit, nulla sollicitudo, nullus eiulatus. Vides hanc longè meliorem esse? Quid? dic mihi, fatiūsne est inuidere; an gratulari, & alienæ lætitiæ participem fieri? Hæc omnia expendamus; ac sanè inueniemus virtutem quidem, vt matrem verè amantem asferre securitatem, atque in tuto collocare, viciōsitate vero conuicere in pericula: res enim omnino est periculorum plena. Audi prophetam dicentem. Firmamentum est dominus timentibus eum, & testamentum ipsius manifestabit ipsis. Neminem timet, qui nullius criminis sibi est conscius. Nemini contra fidit, qui cum improbitate viuat, sed famulos etiam meruit, eosque cum suspicione intuetur. Ecquid dico famulos? conscientia ipsius tribunal ferre non potest: nō solum quæ externa sunt, sed interna etiam ratiocinationes ipsam fodiant, nec quiescere vnquam sinunt. Ergo, inquit, ita oportet viuere, vt laudem spectes? non dixit Paulus, ad laudē spectas; sed fac laudabilia, nō spectans ad laudem: *quæcunque vera,* inquit, Mendacium enim ista sunt: *quæcunque sancta:* vox ista *σεμνὸν* idest grauitas, & sanctitas morum, indicat quid in externis etiā actionibus, ac moribus præstandum sit: pudicitia verò animæ propria est: nemini, inquit, date vllam offensionem, neque occasionem. Quoniam dixerat, *quæcunque bona fama,* ne existimes ad homines tantum spectasse; addit, *Si qua virtus, & si qua laus, hæc cogitate, hæc agite:* perpetuò vult nos in his esse, hæc curare, hæc cogitare. Nam si nobiscum ipsi pacem seruemus, Deus etiam nobiscum erit: sin bellū excitemus: Deus pacis minimè nobiscum erit. Nihil enim æquè hostiliter aduersatur animæ, ac viciōsitas; & nihil vicissim æquè illā in tuto collocat, ac pax, & virtus. Quamobrè incipiamus nostra præstare; tuncque Deum ad nos alliciemus. Deus non est belli, & pugnae Deus. Depone igitur bellum, & pugnam, cum erga Deū, tum erga proximū: pacificus esto erga omnes. Cogita qualis eum esses, salutem tibi Deus dedit. Beati, inquit, pacifici, quoniam ipsi filij Dei vocabuntur. quales sunt, perpetuò filium Dei imitatur: eundē tu quoque imitare: pacem serua: quātò enim magis oppugabit te frater; tantò maior erit merces. Audi Prophetam dicentem; cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: Hoc virtus est; hoc humana ratiocinatione maius: hoc nos prope Deū ponit. Nihil què Deū lætificat, atq; iniuriarū immemorē esse. Hoc te à peccatis liberat; hoc delet crimina: quòd si pugnemus, ac luctemur, longè à Deo abimus: ex pugna enim inimicitij existunt; inimici-

Ioan. 14.

Mundana omnia nihil aliud quam mendacium.

Philip. 3.

Hæc de suo loco dimota huc videntur ab imperio librario tral polita: cohererent autem factis apte initio digressio.

Nihil nobis æquè inimicum, ac viciōsitas.

Psal. 24.

1. Cor. 6.

Matt. 5.

Psal. 119. Nihil æque Deo acceptum, atque iniuriarū obliuisci.

citias sequitur iniuriarum memoria, & vlciscendi cupiditas. Excide radicem, & nō erumpet fructus: ita discemus ea, quæ ad præsentem vitam pertinent, despiciere. Non enim est, non est in rebus spiritualibus pugna: sed quicquid eiusmodi videas exoriri, vel pugnas, vel inuidiam, siue quidvis aliud; rerum ad hæc vitam pertinentium causa exoriuntur. Nam vel ab alieni cupiditate, vel ab inuidia, vel ab inanis gloriæ studio initium sumit omnis pugna. Quamobrè si pacem serauerimus, terrena etiã discemus. Eripuit quis pecunias? sed nihil læsit, inquit; dummodo superas illas diuitias ne eripiat: impediunt gloriã tuam? at non eam, quæ apud Deum est, sed leuem hanc, & nullius ponderis. Non enim hæc gloria est; sed nomē gloriæ, ac potius obscuritas; eripuit tibi honorem? imò non tibi, sed sibi ipsi. Nam quemadmodum qui iniuriam facit; nō facit, sed accipit: ita qui proximo insidias parat, seipsum primū perdit. Nam qui fodit proximo suo foueam, in ipsam incidit. Ergo non insidiemur alteri, vt ne nobis ipsi noccamus: cum alterius gloriam interuertimus; cogitemus nos ipsos esse, quibus noccamus, atque insidias tendamus. Nā ei quidem, si nos plus potuerimus, apud homines fortasse nocemus, nos autem ipsos apud Deum lædimus, ipsum irritantes. Itaq; non nobis ipsis noccamus. Nam quemadmodum iniuriam proximo faciēs, nobis ipsi facimus, ita ei benefacientes, nobis ipsis benefacimus. Cum tibi damnum attulit inimicus, cogitans beneficium potius, si sapias, tibi contulisse; non modo par illi damnum non inferes, sed etiam benefacias: at manet, inquit, vehemēter inflicta plaga: Fac igitur hoc tecum cogites, nō illum esse, cui benefacias; sed potius de illo quidem te supplicium sumere, tibi verò benefacere, ac citò huc adducēris, vt benefacias. Quid igitur? istū me in benefaciendo scopum, ac finem proponere tibi debes? non sane istum. Sed quando cor tuum aliter flecti non potest; vel hac ratione ipsum adducito; ac breui ipsi persuadebis deponere similitatem, & inimico posthac, tanquam amico benefacias; & futura consequēris bona, quibus vtinã nos omnes fruamur gratia, & humanitate Iesu Christi domini nostri, cum quo patri, simulque spiritui sancto gloria &c.

SERMO DECIMVS QVINTVS.



GAVISVS sum in domino vehementer, quoniam aliquando tandem restoruisistis pro me sentire, sicut & sentiebatis: occupati autem eratis: non quasi propter penuriam dico. Ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse. Scio & humiliari: scio & abundare: vbique & in omnibus institutus sum, & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia possum in eo, qui me confortat, Christo. Veruntamen benefecistis, communicātes tribulationi meæ. Sæpe dixi eleemosynam non accipientium, sed dātium causā introductam esse. Nam illi sunt, qui maximum quæstum faciunt. Hoc & nunc ostendit Paulus: quomodo? Miserāt ad eum quædam longo interuallo Philippenses; eaq; ipsa Epaphrodito ad ipsum perferenda dederant. Istum igitur cum hac Epistola remissurus, vide quomodo, & ipsos laudet, & ostendat non tam ad accipientium, quam ad dantium vtilitatem id redundasse: hoc autem facit, vt neque qui benefaciunt in superbiam extollātur, sed ad benefaciendum alacriores fiant; quippe cum se ipsos magis iuuent: & qui accipiunt, non licēter procurrant ad accipiendum, vt ne iudicium accipiant. beatum enim inquit, est magis dare, quam accipere. Quid ergo significat, dum dicit, gauisus sum autē in domino vehementer: non mundi, inquit, atque huius vitæ more gauisus sum; sed in domino, non quoniã ego respirauis; sed quo-

Phil. 7.

AA. 10.

niam vos profecistis. Hæc enim mea relaxatio est: propterea etiam inquit, vehementer; quoniam non erat corporeum gaudiū, neque pro sua ipsius relaxatione gaudebat, sed pro illorū profectu. Et vidē, quomodo cum illos non nihil de præterito tempore obiurgasset, continuo id occultauerit, condocfaciens assidue, & perpetuò versari in benefaciendo: quoniam tandem aliquando, inquit, illud tandem aliquando, longum tempus indicantis est: restoruisistis: quasi de arboribus germinatibus, deinde arefactis, ac rursus germinantibus. Hoc verò indicantis est, illos cum antea florerent, ac postea extabuissent, rursus vigere, ac germinare cœpisse: quamobrem vox ista, restoruisistis, & obiurgationem, & laudem habet. Nō enim parum est, cum extabuieris, restorere. Totum verò id ex negligentia illis accidisse ostendit: pro me sentire, sicut & sentiebatis. Hic ostendit consuesse illos huiusmodi rebus liberaliter se gerere: propterea addit, pro me sentire, sicut & sentiebatis. Ac ne putes ipsos etiam cæteris in rebus, cum promptiores esēt, postea extabuissent, sed in hac sola, vide quā huic loco cauet, ita dicēs, tandem aliquando restoruisistis pro me sentire; perinde ac si diceret: de hac sola re illud, aliquando tandem, accipi volo: in cæteris enim rebus non ita. Sed queret hic quispiam cur dicens: beatum est magis dare, quam accipere: & quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministrauerunt manus meæ: & rursus ad Corinthios scribens dicat, bonum est enim mihi magis mori, quam vt gloriam meam quis euacuet; nunc non curet gloriã istam suam euacuari, & ad nihilū recidere: quomodo? nimirū, dum accipit. Nam si gloria, inquit, mea hæc est, nihil accipere: quomodo nunc eò adducitur? Quid ergo est? ibi iure optimo non accipiebat (pseudapostolorū causa, vt in quo gloriantur, inquit, inueniatur, sicut & nos: non dixit sunt; sed gloriatur; hinc ostēdens illos accipere quidem solitos, sed clam: propterea dixit, in quo gloriantur. Accipiebat autē & ipse; tamen si non ibi: propterea ipsemet dicebat, non infringetur gloriatio mea; & non solum dixit non infringetur; sed exponit etiam, vbi; dicens, in regionibus Achaia: & rursus, alias Ecclesias expoliaui accipiens stipendia ad ministerium vestrum. Hoc enim indicātis est, se accipere solitum. Sed Paulus quidem meritò accipiebat, sicubi accipiebat, tantum operis habens. Sed qui nihil agunt; quomodo possunt accipere? at preces, inquit, fundo. Sed nō hoc est opus. Licet enim id etiam simul cum opere facere: at ieiuno: sed neque hoc opus est. Vide beatum hunc multis locis prædicantem, & operantem. Occupati enim eratis, inquit: quid est, occupati eratis? non id, inquit, vestrae negligentia erat, sed necessitatis: nō enim habebatis in manibus; non abudabatis: hoc enim significat, Occupati autem eratis: idq; ex cōmuni loquendi consuetudine accepit. Ita enim pleriq; dicunt, cū non sibi satis ampla res est, sed in angustiis versantur, non quasi propter penuriam dico, Dixi inquit, aliquando tandem, vólque obiurgauis, non quòd rem meam quærerem, neque idco, quòd egerem; non enim propterea quæreram. Sed vnde ostendes Paule hanc non esse magnificorum verborū pompam? Corinthiis quidem igitur ita dicebat, Non enim alia scribimus vobis, quam quæ legitis, aut etiam cognoscitis: Atque istis etiam non ita dicebat; vt refelli posset. Non igitur, si se magnificè iactare voluisset; hæc diceret: apud eos enim, qui norant: dicebat; vbi etiam argui turpius fuisset. Ego enim didici, inquit, in quibus sum, sufficiens esse. Ergo disciplinæ res est, & exercitationis, & curæ: nō enim facilis est ad consequendum: sed valde difficilis, ac multo cum labore coniuncta: in quibus sum, inquit, sufficiens esse: scio & humiliari: scio & abundare: vbique & in omnibus

AA. 10.

1. Cor. 3.

2. Cor. 11.

Ibidem.

2. Cor. 11.

Manibus institutus sum: id est & paucis cōtētus esse scio, & famē ferre, & egestatē, & abundare: ne inquiet quispiam sed hoc scientiæ non est, neque virtutis, abundare: imò verò maximè virtutis est, nec minus, quam illud: quomodo? quoniam quemadmodum egestas ad multa mala faciēda adducit; ita & abundantia. Multi enim sæpe, cum ad hanc rerum affluentiam peruenissent, socordes facti sunt, prosperitatēque ferre nescierunt. Multis rerum copia occasione cessandi dedit. Non ita Paulus. Nā cum acciperet, in alios infumebat, & effudebat, Hoc autē est scire vti re. Nō remittebat diligentia suã, non de abundantia sua lætabatur; sed eundem se præstabat in egestate, & abūdantia, neque inde oppressus, neq; hinc inflatus: scio, inquit, & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati. Multi sunt, qui nesciunt saturari: quemadmodum Israëlita. Illi enim comedebant, & calcitrabant: sed eandem, inquit, moderationem, ac decorum seruo. Ostendit neque nunc se voluptatem, neque antea dolorem cepisse, aut si ceperit, non sua ipsius, sed ipsorum causa. Ipse enim eodem se habebat modo. Vbiq; enim, & in omnibus institutus sum, id est in hoc longo tempore omnium rerum experientiam cepi, atque hæc omnia mihi benè processerunt. Sed quoniam id magniloquentiam redolebat, vide quo pacto quamprimū corrigat. Omnia, inquit, possum in eo, qui me confortat, Christo. Non hoc, inquit, meum benefactū est: sed eius, qui vires dat. Sed quoniam, qui benefaciunt, si videant eum, qui accipit, non valde affici, sed despiciere ea, quæ dantur; negligentiores fiunt (tunc enim libeter dant, cum putant se gratū accipienti facere, illumq; recreare) itaque si hoc solatiū despicit Paulus, necesse est & hos negligentiores fieri, igitur ne hoc accidat, vide quomodo rursus huic rei medeatur. Nam ex iis, quæ dixerat, ipsorum spiritus cōpresserat: in sequentibus verò alacritatem ipsorum incitat, atque inflammat dicens, veruntamen benefecistis communicātes tribulationi meæ. Vides, quomodo se ipsum segregauerit, & quomodo rursus coniunxerit? hoc germana, & spiritalis amicitia est. Non enim quoniã, inquit, necessitate minimè premebar, ideo putetis me rebus vestris nō eguisse: ego propter vos: quomodo igitur erumnarum ipsius participes fuerant: per hoc officium: quod etiã de vinculis, in quibus erat, dicebat, Socios gratiæ meæ omnes vos esse: gratia enim est pati pro Christo; quæadmodū & alicubi ipse inquit, Quia a Deo vobis gratia data est nō solū, vt in eum credatis, sed vt etiã pro illo patiamini. Quoniã enim illa nuda dicta, apta erāt, quæ ipsis dolorē facerēt: propterea fouet, & cōplectitur, & laudat: verum & hoc moderatè: non enim dixit, dantes sed communicātes, vndique ostendens ipsos etiã lucrū fecisse, quando quidem præmiorū facti erant participes. Non dixit leues reddentes ærumnas meas, sed communicātes tribulationi meæ: quod quidem grauius, ac decētius erat. Vides Pauli humilitatem? vides animū generosum? Postquam ostēdit se illorū opibus sua causa minimè egere, tunc iam sidenter humiliã etiam profert verba, atq; ad ea descendit, quibus mendici vtuntur, quæ tua est dādi consuetudo. Nihil enim recusat vel facere, vel dicere, dummodo, quod vult, rectè cōficiat. Quid autem hoc est? ne putetis, inquit, impudētia fuisse verba, quòd obiurgārim, ac dixerim, aliquando tandē restoruisistis, neq; etiam necessitatis: nō enim quòd egeam, hæc dico; sed quid? eo quòd vobis valde confidā, atque huius fidētiæ vos autores estis. Vides quomodo ipsos euret & leniat? in vobis, inquit, causa est; qui ante alios ad hanc rem accurritis, ac nobis fidentiã datis, vt res huiusmodi vobis in memoriam redigamus. Et vide grauitatē: dum non mittunt, minimè obiurgat, ne videatur suam causam a-

Maxima scientia est scire abundantiam ferre.

Philipp. 1. Ibidem.

Chrysostr. tom. 4.

Agere, postquã verò miserant, tunc eos de præterito tempore obiurgauit: atque illi æquo animo tulerunt. Iam enim minimè videbatur suum negotium gerere, scitis, inquit, & vos Philippenses, quòd in principio Euangeli, quando profectus sum à Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicauit in ratione dati, & accepti, nisi vos soli. En quātum encomium: quandoquidē Corinthij, itēmq; Romani, eò quòd isthæc ab ipso audissent, inuitantur: hi verò cum nulla adhuc Ecclesia cœpisset: inquit enim in principio Euang. tantam erga sanctū hunc ostenderūt animi propensionem, ac studiū, vt cum nullum exemplū propositum haberent, ipsi primi huic ferendo fructū initiū darent. Neque dicendū est hæc illos fecisse, quòd Paulus apud se maneret, atq; beneficiorum causa, quæ ab ipso acciperēt: inquit enim, quādo profectus sum à Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicauit in ratione dati, & accepti, nisi vos soli. quid est accepti? quid verò est, communicauit? cur nō dixit, nullam sibi ecclesiam dedisse, sed communicauit in ratione dati, & accepti? res enim hæc communicatio quædam est. Nam si nos, inquit, vobis spiritualia seminauimus, quid magnum, si nos carnalia vestra metemus? & rursus, vestra abundantia vt illorum inopiam suppleat. Vides, quomodo cōmunicauerint in ratione dati, dando carnalia, & in ratione accepti, accipiendo spiritualia? Etenim quæadmodum vendentes, & emētes inter se cōmunicant, alter ab altero vicissim accipiens, & dans (hoc enim est communicatio), ita sanè & in hac re. Nihil enim, nihil hac negotiatione & mercatura est quæstuosius: nam fit quidē in terra, perficitur autem in cælo. Et emptores quidem in terra sunt, emūt verò, & paciscuntur ea, quæ in cælis, terreno deposito pretio. Verum ne desperet quispiã: non sunt cælestia pecuniis proposita venalia: non illa pecuniæ emunt, sed electi; atque animus hominis pecunias proiciētis, sed philosophia, sed superiorē rebus ad hanc vitam pertinentibus esse, sed humanitas, sed misericordia: Cætero qui, si ar- gento emerentur, quæ duo minuta proiecit, nihil sanè magnū accepisset: nunc quoniam non argentū, sed electio hanc vim habebat, omnē illa certi animi propensionem afferēs, omnia accepit. Itaq; minimè dicamus, pecuniis venale propositū esse regnū: non enim pecuniis, sed electioni, ac deliberatæ rationi, quæ per pecunias patet. Ergo opus est, inquit, diuitiis: non diuitiis opus est, sed certa volūate. Si hæc habeas, vel duobus minutis poteris regnū emere, sin mittis, neq; mille auri talēta tantundē poterūt, ac duo minuta possunt. Cur? quoniam cum multa habens pauciora dedisti, eleemosynā quidem fecisti, sed non tantam, quantā vidua illa. Non enim tantam adhibuisti alacritatē, & animi propensionem, atq; illa. Illa enim omnia sibi abstulit, potius autē nō abstulit, sed omnia sibi ipsi donauit: nō enim aureo talento regnū pactus est Dens, sed animi propensione, non morte, sed electione: nō enim valde magnum est, animam dare. Quid enim est? vnum hominem dedit? vnum autem homo nō par pretium est: quia & Thessalonicam semel, & bis in vsus mihi misistis: rursus magnum encomium: quandoquidem, cum in metropoli esset, ab exigua tamen ciuitate alebatur. Et vidē, ne perpetuò se ex necessitate eximens, ipsos, quod antea dicebam, negligentiores redderet, cum tot modis ostēdisset se non egere; nunc ex hoc solo id manifestum fecit, ita nimirū dicens, in vsus: non enim dixit, meos, sed tantū, in vsus, grauitatis scilicet, & decori rationem habens; qui non ex hoc solo, sed etiam ex eo, quod sequitur. Nam quoniam id humile quiddā esse non ignorabat; rursus correctione quadã communit: Non quòd quæro, inquit, datum: quod antea dixerat: non quasi propter penuriam dico, idem significās; quanquam illud maius est, quàm hoc;

Quo pretio ematur cæli.

Luce. 11.

N a ij

aliud enim est, cum desit, non querere: aliud, cum desit: ne desse quidem putare: *non quod quero*, inquit, *datum: sed requiro fructum abundantem in rationem vestram, non meam*: vides fructum illis colligi? non mea, inquit, causa, sed vestra hæc dicit: ad vestram salutem. Ego enim dum accipio: nihil lucror. Gratia dantium est: dantibus enim illic est reposita merces: accipientibus vero hic consumuntur, quæ accipiunt: rursus cum encomio, & quodam egestatis sensu. Nam quoniã dixerat, *non quero*: ne rursus negligentiores faciat, inquit, *recepim autem omnia, & abundo*: id est per hanc dationem, quæ etiam ommissa fuerant, expleuistis: quod illorum maximè incitare alacritatem poterat. Nam qui benefaciunt: quanto maiores in philosophia progressus fecerunt: eo magis cupiunt eos, quibus benefecerunt, esse gratos: *recepim omnia, & abundo*, perinde ac si diceret: non solum quæ præterito tempore ommissa fuerat, expleuistis: sed etiam maiore in modum expleuistis: atque exuberastis. Deinde ne hoc illis exprobrare videatur: vide, quomodo locum munit: quoniam dixerat, *non quod quero datum, & tandè aliquando*: & ostèderat debitum id fuisse (hoc enim significat, *ἀπὸ τοῦ*, id est recipio quasi census, & fructus ex agro:) rursus ostendit ipsos supra ac deberent, præstitisse, & inquit: *recepim autem omnia, & abundo: repletus sum*: non absque causa, neque ex animi inductione hæc dico: sed quid accipis ab Epaphrodito, quæ misistis, odorè suauitatis, hostiam acceptabilem, placentè Deo. En quò istorum munus euexit: nõ ego, inquit, accipì, sed Deus per me: quamobrem tamen non egeat, non hoc tamen spectate: nam neque Deus egebat, ac tamen accepit: adeo vt diuina scriptura non reformidarit dicere, odoratus est dominus odorè suauitatis: quod sanè lætatis est: nostis enim, nostis, quantum ex odoris suauitate afficiatur anima nostra, quantum iucunditatis, & voluptatis capiat: non ergo recufauit scriptura verbum ad eò humanum, atque humile Deo tribuere: vt hominibus ostèderet accepta ipsorù dona fuisse: non enim nidor, neque fumus accepta faciebat, sed animus, qui offerebat: alioqui Cain etiam dona fuissent accepta. Dixit igitur lætatum quoque Deum esse, & quomodo lætatur? non enim aliter homines loqui didicerunt. Ergo qui nullius rei est indigus, dicit valde se lætari: vt ne ex eo, quòd non egeret, negligentès fiant. Cùm verò sequenti tempore cæteræ virtutis obliuisti, his solis hostiis confiderent; vide, quomodo rursus ipsos corrigit, dicens, Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinè hircorù potabo? Hoc & Paulus inquit, *Non quero*, inquit, *datum. Deus autem meus impleat omnem necessitatem vestram secundum diuitias suas in gloria in Christo Iesu*. Vides, quàm etiam pauperum more bene præcetur. Quòd si Paulus bene precatur dantibus, multò minus nos hoc facere erubescamus, cùm accipimus: nec verò accipiamus, tãquam ipsi egeamus; neque nostra causa gaudeamus, sed ipsorum dantium. Ita & nobis crit merces, & accipiètibus, si ipsorum causa lætemur: ita neque indignabimur, cùm non dederint; sed potius illorum vicem dolebimus: Ita etiã alacriores reddemus; si doceamus non nostra causa hæc à nobis fieri. *Deus autè meus*, inquit, *impleat omnem necessitatem vestram*, aliàs *πᾶσαν ἄσπην*, vel *πᾶσαν χρεῖαν*, id est omnem gratiam, vel omne gaudium. Ac si quidem legatur omnem gratiam; hoc significat non hæc solam elemosynam, quæ in terra; sed omne beneficium: fin, quòd magis puto omnem necessitatem; hoc est quòd significare vult: Quoniam dixerat, occupati eratis, subiungit hic, quòd etiam facit in Epistola ad Corinthios dicens, qui administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstet, & multiplicet semen vestrum, & augeat germina frugum iustitiæ vestræ. Nam & his

Gen. 8.

Psal. 40.

2. Cor. 9.

hoc precatur, vt abundant; & habeant; vnde seminant; & precatur, non vt quouis modo abundant; sed secundum diuitias suas: quamobrem & hoc moderatè fecit. Nam si Paulo similes omnino fuissent, adeò philosophi, adeò crucifixi; non hoc sanè fecisset: sed quoniam homines erant opifices, pauperes, vxores habebant, filios alebant, patresfamilias erant; atque ex tenuitate sua tamen hæc dederant; quadàmque rerum præsentium cupiditate minimè carebant: ita precatur, vt se ad illorum captum demittat. Iis enim, qui hoc modo vterentur, nihil absurdi tantum precari, quantum illis satis sit, atque vt abundet. Vide igitur, quid precetur: nõ dixit, faciat diuites, ac valde opulentos; sed quid? impleat omnem necessitatem vestram; vt ne egeatis; sed habeatis quæ vobis opus sunt; quoniam & Christus formulã nobis precandi tradès, hoc precatioem adiecit, docens ita dicere, panem nostrum quotidianum da nobis hodie. *Secundum diuitias suas*; id est, pro magnificentia sua, id est quæ ipsius potètia est; vt facillè & citò possit facere. Ac ne existimèt, quoniam dixit, *necessitatem*, fore, vt in angustias concludantur; propterea addidit, *secundum diuitias suas in gloria in Christo Iesu*. Ita abundant, inquit, vobis omnia; vt in gloria ipsius sitis habituri. Vel igitur hoc sibi vult, fore, vt nullius rei egeant. Gratia enim inquit, magna erat in omnibus illis; neque enim quisquam egès erat inter illos; velut ad ipsius Dei gloriam omnia faciant: vt ad ipsius gloriam copiis suis vtantur. *Deo autem & Patri nostro gloria in secula seculorù Amen*. Hæc autem gloria non filij solum, sed etiã patris est. Nam dum tribuitur filio gloria; tribuitur quoque patri. Etenim quoniã dixerat in Christi gloriam id fieri, ne quis putet ipsius tantum, addidit, *Deo autè, & patri nostro gloria*, hæc ipsa nimirum, quæ data est filio. *Salutate omnem sanctum in Christo Iesu*. Non leue, & hoc: magnæ enim beneuolentiæ est per literas etiam ipsos salutare. *Salutate vos, qui mecum sunt, fratres*. Attamen dicebas; Neminè habeo vnanimem, qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit: quomodo igitur nunc dicis, *qui mecum sunt fratres*? hos qui cum ipso sunt, fratres vocat, ostendens, vel quèd antea dixerat, Neminem habeo vnanimem, non ad eos pertinere, qui in vrbe erant (quæ enim illis necessitas imposita erat; vt Apostolica negotia susciperent?) vel neque etiã reculare, quin hos fratres vocet. *Salutate vos omnes sancti, maximè autem, qui de Cesaris domo sunt. Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis*. Erexit ipsos, & confirmauit, ostendens ad regiam etiam domum peruenisse prædicationem. Nam si, qui in regijs, omnia propter cælorum regè despexerant, multò magis id facièdum ipsis erat. Atque hoc etiã indicium erat Pauli charitatis, tam multa, & magna de ipsis narrare, vt hinc, qui in regia erant, ad eos salutandos amore adducerentur, quos nunquã viderant. Maximè enim; quoniam vexabantur fideles, magna tunc vigeat charitas: quomodo? nam qui longè inter se distabant; sibi tamè vicissim coniuncti erant: & qui procul aberant; perinde ac propè essent, inter se salutabant; & singuli erga singulos veluti erga sua membra afficiebantur: æquè pauper erga diuitem, ac diues erga pauperem; neque vlla agnoscebatur præstantia; quòd omnes æquè in odio essent, atque eicerentur; iudemque de causis. Quemadmodum enim, si ex diuersis ciuitatibus captiui quidam profecti, in eadem veniant ciuitatem, valde se inuicem complectuntur, communi illos confociante calamitate; ita etiam tunc societate incommodorum, & asperitatum eos coniungente, magnam sibi mutuò charitatem præstabant.

MORALIS DIGRESSIO.

AERVMNA enim, & tribulatio vinculum quoddam firmissimum est, charitatis accretio, compunctio- nis, &

Matt. 4.

AA. 4.

Gali.

Vide notationem.

nis, & pietatis occasio. Audi enim dicentem Dauidem, *Bonum mihi domine, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas: & iterum alium prophetam dicentem, Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua: & rursus, Beatus homo, quem tu erudieris domine: & alium quendam, Disciplinam domini ne despicias: & Accedens ad seruitutè domini, prepara animam tuam ad tentationem. Et Christus rursus discipulis suis dicebat, In mundo pressuram habebitis, sed cõfidite: & rursus, Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit: & rursus, Angusta, & arcta via. Vides vbiq; laudari tribulationem? vbiq; cõmendari, tãquam eam, quæ nobis sit necessaria? Nam si in mundanis certaminibus sine ea nemo coronam accipit, nisi & laboribus, & ciborum abstinentia, & tota victus ratione, & vigiliis, & sexcentis aliis incommodis se munierit: multò magis hic. Quem enim mihi afferes? regem neque neque ille vitam curis solutam viuunt, sed multis molestiis, atque angoribus refertam. Non enim ad diadema spectes; sed ad sollicitudinum procellam: vnde illi tumultus maximus exoritur: non ad purpuram, sed ad animã illa ipsa purpura nigriorem. Non æquè corona ligat caput, atque animam sollicitudo: nõ ad satellitum numerum spectat: sed ad ægritudinum multitudinem: nullam enim priuatam domum tot curis abundantem reperias, quot regiam. Mortes singulo quoque die imminentes à suis etiam ipsis: & ante mensam, & ante poculum ob oculos versatur sanguis. Noctu verò, dici non potest, quàm sæpe somniis, ac visis excitati profoliant: atque hæc in pace: quòd si bellum ingruat: eò magis sollicitudines intenduntur. Quid igitur tali vita fieri miserabilis potest? Adde quæ à suis, quos in ditione sua tenet: denique cognato sanguine redundat semper regale pauimentum. Ac si vultis, narrabo etiam quædam: & continuò id ita esse intelligetis. Ac potissimum quidem vetera dicam: quæ tamen adhuc memoria non exciderunt, sed & nonnulla, quæ nostris contingere temporibus. Quidam, vt aiunt, vxorè, de cuius adulterio suspicabatur, nudam alligauit montibus, ac feris exposuit, matrem iam sibi factam regum multorum. Quam illum putatis vitam vixisse? non enim nisi illum ægritudo exedisset, ad tantum supplicij sumendum descendisset. Hic verò idem suum ipsius filium interfecit: aut potius huius frater se ipsum cum filiis suis. Fertur autem hic & fratrem suum è medio sustulisse: atque hic quidem sibi ipse manus attulit à tyranno comprehesus: ille verò sobrinum suum vnã secum participem regni, quòd ipse illi tradiderat. Alius autè vxorem vidit medicamentis è medio sublata. Quoniam enim parere minimè poterat: mulier quædam infelix, & misera, (infelix enim, & misera est, quæ quod à Deo donandum erat, sua se credidit sapientia præstaturam) præbitis medicamentis, & reginam interemit, & ipsa simul interiit. Alius autem postea pharmanis venenatis sublatus est: poculumquè ipsi fuit non iam potus, sed mors. Et ipsius etiam filio oculi sunt effossi, metu sequentis temporis planè imminente. Alius verò neque quàm ob causam, nec quàm miserabiliter è vita excesserit, exponere satis honestum est. Eorum verò, qui successerunt, alter quidem perinde, atque infimus quidam, & ærumnosus homo esset, combustus est cum equis; & trabibus, cæterisque rebus omnibus: & vxorem viduam reliquit: quas enim molestias in vita habuerit: ne dici quidem potest, quas ex eo tempore, quo seditionem mouit, subire coactus est: Alter verò, qui nunc rerum potitur: nonne ex quo diadema gestat, perpetuò versatur in laboribus, in periculis, in molestiis, in mœroribus, in calamitatibus, in insidiis? Ar non huiusmodi cælorum regnũ: sed postquam*

Chrysof. tom. 4.

ipsum obtinueris, pax, vita, gaudium, lætitia. Ceterum, quòd dicebam, nulla hic vita est ærumnarum expertis. Quòd si in rebus etiam publicis tegalis illa conditio, quæ omnium beatissima videtur, tot redundat calamitatibus: quid putas in priuatis, ac domesticis? profectò quot alia mala existant, ne dici quidem potest: multæ hinc sæpe fabulæ compositæ sunt. Omnes ferè tragædiæ, & fabulæ, quæ aguntur in scena, ex regibus contextæ sunt. Pleraque enim, quæ in fabulis representantur, ex veris rebus constant. Ita & voluptatem habent Thyestæ conuiuia: omnisque illa domus calamitatibus euerfa est. Sed hæc quidem ex Ethnicorum libris cognouimus. Verum si vultis, scripturas etiã, quæ idem doccant, proferemus. Saul primus regnavit: nostis autè & hunc sexcètis pressum ærnis interiisse. Post illũ Dauid, Salomon, Abias, Ezechias, Iosias itidè multis modis vexati. Nefas enim omnino est vitã hanc sine laboribus, sine ægritudine, sine ærumnis ducere. Ergo & nos etiã molestiis afficimur: sed non iisdè ex rebus, ex quibus reges: sed vnde magnum etiã facere possumus questum: quæ enim secundum Deum tristitia est: pœnitentiam in salutem stabilè operatur. Pro his rebus mœrendum est: pro his dolendũ: pro his ægritudo suscipièda. Ita mœrebat Paulus: ita lugebat pro iis, qui peccabat. Ex multa enim, inquit, tribulatione, & angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas. Nam quando nihil erat, cur pro suis lugeret: pro alienis hoc faciebat: vel potius, quantum ad luctum hauriendũ pertinet, communia illa ducebat. Cæteri incidebant in scandalũ: & ipse vrebatur: cæteri languebat: languēbat & ipse. Bona est hæc ægritudo: hæc omni mundano gaudio potior. Eũ, qui ita lugeat, omnibus ego hominibus præpono: atque alienum dolorem, vt sibi communem lugent. Non æquè ego Paulũ ob pericula adita suspicio: suspicio quidem & ob illa ipsa, in quibus quotidie commoribatur: sed hoc, inquam, me magis euehit. Ab anima enim Dei amante, & tenera proficiscebantur: à charitate, quam Christus ipse querebat: ex quodã naturæ consensu fraterno, & patrio, ac potius vtriusque istis maiore. Hoc modo affici oportet: hoc modo flere. Huiusmodi lacrymæ magnò sunt refertæ gaudio. Huiusmodi luctus causa lætitiæ est. Ac ne mihi dicas, quid utilitatis afferunt meæ lacrymæ iis, pro quibus hoc facio? Nam etsi illis nihil profimus: at certè nobis ipsis proderimus. Nam qui sic pro alienis dolet: multò magis pro suis dolebit: qui aliena lugeat: is certè vitia, & prolapsiones suas non sine lacrymis abire sinet? ac potius haud citò peccabit. Nos verò, quòd omnium grauissimum est, iussi aliena peccata flere, ne in nostris quidem vllum pœnitentiæ signum damus: sed sine vllò doloris sensu cadimus: & omnia curamus magis: omnia magis expendimus, quàm peccata nostra. Ideo gaudemus gaudium hoc mundi inutile: quòd citò perit, quòd sexcentas parit ægritudines. Mœreamus igitur mœrorem gaudij auctore: & ne gaudeamus gaudium ægritudinis parentem. Emittamus lacrymas multum voluptatis seminantes: & non rideamus risum, qui stridorem nobis dentium gignat. Afflictemus nos afflictatione illa, vnde requies existit: & ne delicias queramus, ex quibus ærumna, & dolor. Ad breue tempus in terra laboremus: vt perpetuò nos oblectemus in cœlis. In caduca hac vita nos ipsi afflictemus: vt in infinita illa requietem consequamur: non diffuamus deliciis in hac breui: ne in illa infinita suspiremus. An non videtis quot homines hic etiam rerum ad hanc vitam pertinentium causa angantur? Existima te quoque vnum ex illis esse & fer ærumnam, ac dolorem spe futu-

Quæ laudanda.

rorum bonorum nutritus. Non tu es Paulo melior, A non Petro: quibus nunquam ocium datum est: qui in fame, & siti, & nuditate totam vitam confecerunt. Si eadem, atque illi, vis consequi: cur contrariam infistis viam? Si ad civitatem illam vis pervenire, qua illi digni facti sunt: illam persequere viam, quæ illuc fert. Non illuc ocij fert via, sed ærumnæ. Illa lata, hæc angusta est. Hac iter faciamus, vt consequamur æternam vitam in Christo Iesu domino nostro: Cum quo patri, simulque sancto spiritui gloria, imperium, honos, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

DEO GRATIAS.

FLAMINII NOBILII NOTATIONES QUÆDAM IN COMMENTARIOS D. Ioannis Chrysofomi in Epistolam ad Philipenses.



VI horum commentariorum manuscriptos codices accuratè contulerit, facile intelliget in exemplari ipso Chrysofomi multa in margine, atque inter lineas fuisse apposta: que aut adderentur, aut in aliorum locum sufficerentur: nimirum cum nondum constitisset, vtrum potius inductum, vel repositum vellet: neque

adhuc extremam operi manum imposuisset: ex quo factum sit, vt ab his, qui descriperunt, pro ipsorum captu nunc pauca, nunc plura ommissa, nonnulla in aliena locum transposita, interdum etiam simul ea, quæ delenda, & ea, quæ reponenda erant, in eandem orationis seriem conducta fuerint. Quod à me certissimis, vt puto, argumentis deprehensum fecit: vt nonnullis locis paulò fortasse audacior in quibusdam verbis transponendis fuerim: cum nullum sententis detrimentum afferri viderem, lectori autem gratum me facturum putarem: cuius antea cursum tanta, quantum ego sentiebam, perturbatione ordinis interruptum iri necesse esset. Quæ autem ista loca sint, in istis, quas adiungimus, notationibus indicabimus: vt lector suum adhibere iudicium: ac, si malit, quæ nos transposuimus, ipse in pristinum restituere locum queat. Cæteris quidem locis nihil ex coniectura mutauimus: sed Vaticanum præcipue codicem, qui reliquis multò & plenior, & emendatior est (Nam in Veronensi integræ nonnunquam pagina defuit) sequuti sumus: quamuis neque ille semper nobis animum expleret. Magnam verò tibi, vt puto, voluptatem nunciamus, fore vt breui omnes Chrysofomi in Pauli Epistolas sermones Græcè de integro impressos, atque innumerabilibus locis emendatos, & auctos habeas: hunc ubi thesaurum non solum procurante, sed etiam magnam partem promente clarissimo illo Ecclesie sancte lumine Cardin. Sirleto. Quæ etiam causa fuit, cur ego, quot in huius Epistolæ commentariis sententias restituerim, indicare minime necessarium putauerim. In ipsis scripturæ verbis, vulgatam Latinam editionem, quantum maxime licuit, retinimus, id est exceptis iis locis, in quibus Chrysofomi explanatio verbis scripturæ non respondisset: aut diuersa omnino Græcorum verborum sententia erat: quod in nonnullis veteris testamenti libris minime raro euenit: præsertim cum interdum Chrysofomus aut alia versione (multa. n. tunc erant, vt Aquilæ, vt Theodotionis, vt Symmachi, vt ea, quam communem vocabant) usus fuerit: aut memoriter recitans, nonnulla, vt fit, mutaret. Quæ etiam fortasse causa est: cur duarum, aut trium sententiarum ex iis, quæ in his commentariis citantur, auctorem reperire nondum potuerimus. Vale ingenie lector, & dum maiora paramus, hæc libenter accipe.

ACTORVM Cap. vi. mentio fit de Crispo Archidiacono non Philippis, sed Corinthi ad fidem conuerso. Quare aut codices Chrysofomi sunt deprauati, aut est ἀμαρτυρία μνημονίων: quod tamen Theophylactus quoque sequutus est: non autem Theodoritus. Nam argumentum huius epistolæ, quod apud Oecumenium Theodorito tribuitur, Theophylacti est.

QUANQUAM Chrysofomus, & qui illius explanationes in Epitomen redegerunt, id est quos supra nominavi, paulò obscurius de his vinculis loquuntur: tamen qui ipsorum verba accuratè perpendet, non dubitabit ita ab ipso distributa esse tempora: vt cum Apostolus Romam primò aduenit, biennio in vinculis, & in custodia fuerit: atque intra hoc tempus ad eum venerit Timotheus, & Epaphroditus à Philippensibus missus: rursusque vtrumque Apostolus à se dimiserit, primum quidem Epaphroditum cum hac epistola, deinde verò & Timotheum: quare cum extremo biennio absolutus est, Timotheum minime affuisse: quod verbis illis secundæ ad Timotheum epistolæ indicatur: In prima mea defensione nemo mihi adfuit. Appellat autem eo loco Apostolus primam defensionem: cum causa dicta absolutus est: alioquin & antea ad Tribunal se defensus accesserat: quod satis aperte significat Chrysofomus explanans verba illa: in defensione, & confirmatione Evangelij. Vincula igitur, in quibus erat, dum hanc scriberet epistolam, antecesserunt non quamcunque defensionem: sed illam, in qua absolutus est. Postquam verò liberatus est: multas adiit nationes, iisque Euangelium prædicauit. In quo itinere vtrumque Philippenses reuiderit, scribit Theophylactus incertum esse. Chrysofomus sermone quarto explanans ea verba: per meum adu. nium iterum ad vos auditoribus inquirendum relinquit. Hoc tamen loco in eam se propendere partem ostendit, venisse ad illos. Inquit enim, E vinculis enim dimissus est: atque in ea, postquam ad ipsos venisset, rursus coniectus. Corrigitur autem locus est apud Oecumenij Interpretem in argumento huius epistolæ, quod vt diximus, Theophylacti est. Hæc enim Interpretis verba sunt: post primam siquidem Apologiam, cuius meminit ad Timotheum, statim vinculis fuit, cum tamen longum interuallum intercesserit inter primam Apologiam, & posteriora vincula. Græcè est ἀδὴς ἐδέθη, atque hoc sibi voluit Theophylactus fuisse Apostolum in vinculis, cum hanc epistolam scriberet: nec tamen hæc fuisse illustria illa vincula, quorum finis martyrium fuit: Bis enim in vinculis fuisse, primum quidem ante illam defensionem: iterum verò longo interuallo post, cum & mortem subiit. Ita ergo vertendum est. Nam post primam defensionem, cuius meminit ad Timotheum, rursus postea in vincula coniectus fuit.

VIDETUR Chrysofomus ostendisse ex locis D. Pauli Episcopum solitum fuisse interdum appellari nomine diaconi, & presbyteri: non autem vicissim, quod nunc expectabatur, presbyterum solitum appellari nomine Episcopi, quare suspicor aliquid deesse. Auger suspicionem meam Theophylactus: qui hoc addit, presbyteros etiam episcopi nomen obtinuisse: quod & ipsorum munus sit ἐπισκοπῆν τῶν λαῶν, i. prospicere populo, & purgare, atque illuminare egentes. Huc verò, & Theodoritus in hunc locum, & D. Hieronymus Epistola 85. asserunt testimonium ex 20. capite Actorum.

GRÆCÆ in manuscriptis est, μέγιστος, ὁ καὶ ὁ δὲ ἰσχυροτάτος: quæ quidem sententia videtur mihi quodammodo hærete: neque illius vestigium vllum apud Theophylactum, Theodoritum, Oecumenium apparet. Hoc enim vnum inquirunt Paulum sibi velle: quotiescunque vestri recorder (recordor autem semper, & in omni precatione mea) gratias Deo ago. Verum tamen, si codices Chrysofomi non sunt deprauati, hic fortasse sensus est, quem ex Pauli verbis est: Gratias Deo ago pro vobis non solum in ordinariis, ac statis meis precibus, quas quotidie ex officio ad Deum fundo: sed etiam semper, id est quæcunque mihi de vobis cogitandi occasio se offerat. Animaduerti enim Græcos libenter nomen ἐκλόγην vsurpare in stas illis precibus, quæ in liturgia potissimum adhibebantur: & apud ipsos ἐκλόγιος idem est, atque apud nostros diuinorum officiorum ratio. Posset fortasse ex loco illo primæ Epistolæ ad Timotheum obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones aliqua alia sententia his Chrysofomi verbis aptari: sed mihi ista, quam attuli, videtur ferri posse.

CHARITAS cum à prudentia se disjungit, atque idcirco nocet: remanet charitas, vt affectus: minime autem vt vera virtus: quæ, vt inquit B. Augustinus, non potest haberi sine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus. Id paulò ante illis verbis significat Chrysofomus, vt ne erga omnes eandem charitatem adhibeatis: id enim minime charitatis est, sed insulsiat. Ita Ecclesiastes præcipit: Noli esse multum iustus: cum tamen iustitia quod maior, eò melior, in abundantia enim

iusiitia.

Pro. 15.

1. Eth. c. 3.

Ibidem.

Fol. 1047.

Fol. 1048.

Fol. 1099.

D. Hiero. l. 6. in Eia. ep. 15. D. August. cetera duas Pelagiorum ep. 17. Lib. 1. de Spirit. c. 6.

Fol. 1119.

Fol. 1091.

Fol. 1041.

Phil.

Luc.

Fol. 1041.

Trad. 87. in Joan.

Cap. 7.

iusiitia, inquit, virtus maxima. Sed hoc nimirum sibi voluit Ecclesiastes iustitiam, cum modo dum excedit, nomen tantum iustitiæ retinere, non rem ipsam. Ita etiam notatum à doctis hominibus est, dictum esse ab Aristotele fortitudinè obesse. Et Latinus Auctor, virtutè istam, veniet, inquit, tempus, cum grauius gemus. Vocabulum autem ἀμαρτυρία latissi mè patere nemo est, qui ignoret.

GRÆCÆ est ὁ μέγιστος, ὁ καὶ ὁ δὲ ἰσχυροτάτος, sed mihi omnino visa est superuacua vox ista, μεγαλοτάτος, nec quicquam ad rem propositam facere: Et apud Theophylactum, Oecumenium, Theodoritum ita dicitur, non ad gloriam meam, sed Dei. Ita paulò post Chrysofomus ἡ Χίμαιρα ἐγὼ, φησὶ, ἐπαυρόθω, ὅπως εἶπεν, ἀλλ' ἴνα ὁ θεὸς διδῆχθῃ. Quamobrem non dubitavi illam inducere: quanquam non longè absum ab ea suspitione transposita esse ista verba δέξαι, & μεγαλοτάτος, & huic esse Chrysofomi sensum: vides non me iustitiam meam querere, sed gloriam Dei, id est non me eleemosynam mihi conferri velle, sed gloriam afferri Deo: sæpe enim Paulus & ipsam eleemosynam iustitiæ nomine appellat, &c.

IN codicibus etiam antiquis tota hæc pars, cuius initium est, ita interdum est, cum opus bonum, &c. vsque ad illa Pauli verba, quidam verò ex charitate posita est post ea verba facili mihi defensio erit. Sed facile cognosci potest, quàm nunc magis oratio fluat.

IN codicibus etiam antiquis initium huius digressionis ducitur ab illis verbis. Quamobrem hortor pro omnibus. Sed nos omnino rectius procedere putauimus: si hinc ducatur.

RETINVI vulgatam lectionem qui spiritu Deo seruiamus, ei enim videtur conuenire Chrysofomi explanatio, πνεύματι ὁ πνευματικὸς κατ'εὐνοίας: ita etiam Theophylactus διὰ τοῦ πνεύματος, καὶ τοῦ νοῦ. Testatù tamè relinquere volui, & apud Chrysof. & apud Theophylactum in omnibus Græcis codicibus, quos vidi, legi hoc modo, πνεύματι θεῷ: quemadmodum etiam manifestò legit Athanasius in Epistola ad Serapionè de Spiritu sancto. Ita etiam apud Latinos D. Hieronymus, Spiritui Dei. D. August. narrat tribus modis legitur solitum esse, Spiritui Deo, Spiritui Dei. D. Ambrosius nostram hanc, quam retinimus, repudiat, contenditque legendum esse, Spiritui Deo: vt inde argumentum sumatur Spiritum sanctum esse verum Deum, quoniam illi seruendum: quod nihilominus ex ista lectione, Spiritui Dei, confici potest.

IN Græcis codicibus est, ἰπὸ πρῶτον διαφραπέσθαι: sed omnino legendum est πρῶτον. Nam in sequentibus verbis rationem huius euenti explicans, rursus hac voce vitur πρῶτος δέσσει. Puto autem indicari Eusebium Constantij vxorem. Item paulò post, vbi codices habent ὁ ἴσος αὐτῶν, emendandi ὁ ἴσος αὐτῶν: alioqui mira esset in verbis pugna. Ac facile significari potest Iouinianus filius Varonianus: quanquam quid illo factum fuerit, historici, quod meminim, non narrat. Similia quædam, ac propè eadem commemorat Chrysofomus in Epistola prima, quam nos vertimus, ad Viduam iuniorem: sed hic ea loquendi forma vitur, atque ita variant exemplaria: vt appareat variam tunc de his rebus famam fuisse: idcircoque Chrysofomus hoc loco sæpe mutasse verba. Quamobrem magnopere mirandum non esset: si his ea, quæ ab historicis narrantur, non vsquequaque conuenirent: maiorem quidem partem conueniunt.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI DE PROPECTV EVANGELII HOMILIA,

in dictum Apostoli: Sive occasione, sive veritate, Christus annunciat.



VM pridem Pharisei & Publicani mentionem facièdo, bigas duas, ex vitio scilicet virtutèque iugeremus, ostèdimus quàm sit utilis humilitas animi, & quàm damnosa mentis arrogantia. Nam arrogantia, licet iustitiæ societur, & ieiuniis, & decimarum solutioni, posterior fit. Humilitas autem licet peccato iungatur, præcurrit Pharisei biga: nec impeditur, quia improbù habet aurigà. Quid enim publicano de Chrysof. tom. 4.

terius? Tamen nihilominus, quoniã animam suã contriuit, & peccatorè se confessus est, præoccupauit Phariseum, & ieiunia, vt dicitur, habentè, & decimas dantem, àque malis omnibus liberatum. Quarènam hoc? Quia tamen ab auaritia & rapina fuerit alienus, matrè tamen malorù omnium inanem gloriã & arrogantiam habuit in anima profundius radicatã. Et idcirco Apostolus obsecrat, & dicit: Vnusquisq; opus suum probet, & tunc in semetipso tantum gloriationem habebit, & non in alio. Ille autem in mediù prorumpit, omnium qui in toto orbe accusatur, & omnibus se hominibus meliorem dicit. Non fuisset tolerabile, si se decem tantum, vel quinq; vel duobus, vel vni prætulisset. Nunc autem non solù paucis, sed & toti orbi se præposuit: vnde non mirù, quòd cursu posterior fuit. Et sicut naus, quæ multos fluctus trãsit, multasque tempestates effugit, in ipso autem portu tandè in scopulum impingit, iacturam totius in se reconditi thesauri facit: ita & phariseus ille postquam sustinuit labores ieiunij, aliasque virtutes omnes, quia linguam non coercuit, arrogantia sua in ipso portu naufragiù fecit. Nam abire cum tato detrimento à precipitiis, à quibus lucrum erat speradum, quid aliud est, quàm naufragium facere? Proinde dilecti, cum hæc sciamus, omnium nos postremos existimemus, etiam si in ipsum virtutis culmen conscēderimus. Scimus quoque quòd arrogantia ex ipsis cælis superbiètem deducere, & humilitas ex abyssis peccatorù, modestè agentem, in altù reducere potest. Humilitas phariseo publicanum præposuit. Arrogantia autè & superbia incorporeas virtutes, diabolum inquam à cælo deturbauit: humilitas & priorum peccatorù agnitio, latronem ante Apostolos in paradysum induxit. Igitur si qui sua cõfitentur peccata, tantã sibi metipsis fiduciam conciliat: qui multorum bonorum cõscij, animas suas humiliat: quantas non coronas assequuntur? Si enim humilitas peccatis sociata, tam expeditè currit, vt iustitiæ ipsam rectè iungas, quãdo eam iustitiæ coniunxeris, quò non peruenit? quos non trãssit cælos? Stabit planè fiducia magna inter angelos apud ipsum Dei thronum. Contrã, si cum iustitia copulata fuerit arrogantia, immodica sua grauitate etiam illius fiduciam detrahet: peccato autè iuncta, in quam gehènæ profunditatè non præcipitabit? Hæc dixerim, non vt iustitiam negligamus, sed vt arrogantiam fugiamus: non vt peccemus, sed vt modesti simus. Fundamentum enim philosophiæ nostræ est humilitas. Esto, multù ædifices, habeas eleemosynas, preces, ieiunia, virtutèque omnes, hac non præiecta, frustra, & in vanum erunt omnia, facileque ruet super arenam extructum ædificiù. Nihil est in omnibus nostris bonis operibus, quod hac nõ egeat: nihil est, quod sine hac stare poterit. Etiam si dicas continentiam, virginitatem, contèptum diuitiarum, & quæcunque libet, omnia profana, impura, & abominabilia sunt absque humilitate. Cum hac dicitur, edificemus: hæc in verbis, D in operibus, in cogitationibus, in omnibus præstemus. Sed de humilitate sufficiant hæc, non equidem vt virtutis postulat dignitas (nullus enim eam pro dignitate laudare potest) sed pro vestrè charitatis intellectu. Sciò enim quòd amplexabimini eã magno studio, licet paucis admoniti dictis. Quoniam autem Apostoli dictum hodie lectum, multis videtur ignauitæ ansam præbere, operæpretium vt ipsum clarius reddamus, quòd nulli frigidam defensionem in salutis suæ perniciem inde sumant. Igitur eò sermone slectamus. Quod autem hoc dictum? Sive occasione, inquit, sive veritate Christus annunciat. Hoc multi in ore habent, & simpliciter ac temerè circumferunt, neq; priora neque sequentia legentes, sed absecta aliorum membrorum conse-

Gal. 6.

Phil. 1.

quentia, in animarum perniciem ignauioribus proponentes. Attendant enim illos hac via à saniore fide abducere: deinde cum pauidos ac tremètes, & periculum suspicari vident, vt timorè illum ex animis eorum eximant, dictum hoc Apostoli in medium afferunt, dicentes: Paulus hoc admisit, inquit: Siue occasione, siue veritate Christus annuncietur. Verùm hæc neutiquam se ita habent. Primùm enim non dixit annuncietur: sed, annuncietur. Dicere enim, annuncietur, eius est qui legem statuit. Dicere autem, annuncietur, est annunciarum quod euenit. Quòd autem Paulus legem non statuat, vt fiant hærefes, sed abducat omnes ab hoc instituto, habes ex his. dicit enim, Si quis vobis euangelizauerit aliquid præter id quod audistis, anathema sit, etiam si ego, vel angelus de cælo. Non autem anathematizasset & seipsum, & angelos, si rem periculo carere sciuisset. Et iterùm dicit: Zelotypus sum erga vos Dei zelo. Aptauit enim vos vni viro, vt virginem castam exhibeatis Christo. Vereor autè, ne fortè vt serpens Heuam versutia sua decepit, ita corrumpantur sensus vestri à simplicitate, quæ erat in Christum. Ecce, & simplicitatem posuit, & veniam non dedit. Nam si condonasset, iam non erat periculum: & si periculum aberat, frustra timuit Paulus. Christus quoque non iussisset exuri zizania, si res indifferens esset, nunc illum audire, nunc alium, & omnes absque discrimine. Et quidnam est quod dicit? Repetam paulò altiùs historiam. Sciendum enim, in quo statu res Pauli erant cum hæc scriberet: Quomodo ergo tunc agebat? In carcere erat, in catenis, grauibùsque periculis. Vnde hoc manifestum? Ex epistola ipsa. Nam ante hæc dicit: *Scire autem vos volo fratres, quòd quæ mihi acciderunt, ad maiorem euangelij profectum euenere: ita vt vincula mea manifesta facta sint in Christo, in toto prætorio, ac cæteris omnibus, utq; plures ex fratribus in domino freti vinculis meis, vberius auerter impauide sermonem loqui.* Nero enim cum in vincula coniecerat. Quippe quemadmodum prædo aliquis domum cunctis dormientibus ingressus, vt auferat omnia, si quem viderit accendere candelam, illum mox interimit, & lumè extinguit, vt auferre & rapere alia absque metu possit: ita & Nero tunc latronem & furem quendam agens, dormientibus omnibus, profundòq; somno grauatis, omnium bona diripiebat, nuptias inuadebat, domos subuertebat, nullùmque malitiæ genus intermittebat. Proinde mox vt beatum Paulum vidit accedere in mundo candelam, & afferre sermonem doctrinæ, quo sua reprehendebatur iniquitas, quòd omnia facere licenter posset, curauit vt & extingueretur prædicatio, & interficeretur magister. Itaque vincum sanctum illum coniecit in carcerem. Et tunc hæc scripsit Paulus. Quis non admiraretur, & obstupesceret generosam illam animam cæli municipem? Vincum, constrictusque Philippensibus scribit. Scitis autem quanto interuallo distent Macedonia & Roma. Neque charitatem & memoriam discipulorum ex pectore eius vel viæ prolixitas, vel tæporis tanta intercapedo, vel negotiorum strepitus, vel modestiæ, vel quæcunque alia, abradebant: sed habebat omnes eos in mente. Neque ita catenis manus eius erant vincæ, vt amore discipulorum anima eius constricta: id quod etiam ipse in proximo Epistolæ declarat, dicens: Propterea quod habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defensione & confirmatione euangelij. Et sicut rex manè super thronum suum conscendens, & in regalibus aulis confidens plurimas vnde quaque literas accipit: ita & ille in carcere, quasi in regalibus palatiis sedens, multò plures & accipit, & misit: vnde quaque gentibus ad eius sapientiam confugientibus, & ad eum referentibus de omnibus

Gala. 1.

1. Cor. 11.

Gen. 3.

Matt. 13.

Phil. 1.

Philipp. 1.

quæ apud se fiebant. Et tantò plura quàm rex administrabat, quantò & maior principatus sibi conceditus erat. Nò enim eos solùm qui in Romanorum ditione, sed & barbaros omnes, Deus qui terram & mare continet, in manus eius dederat. Atque hoc manifestas Romanis dicebat: Nolo vos ignorare fratres, quòd sæpe propofuerã venire ad vos, licet præpeditus fuerim usque in hunc diem, quò fructum aliquem haberem inter vos quoque, sicut & inter reliquas gentes. Græcis simul ac barbaris, eruditis pariter ac rudibus debitor sum. Quotidie igitur curæ ei erat, quid Cotinthij, quid Macedones, quid Philippenses: quomodo Cappadoces, quomodo Galatæ, quomodo incolentes Pontum, quomodo omnes homines valerent. Et licet totius orbis curã suscepisset, nihilominus tamen non solùm pro gentibus integris, sed & pro vno homine sollicitus erat. Et nunc quidem propter Onesimum epistolam mittebat, & propter eum qui apud Corinthios stuprũ commiserat. Non enim hoc considerabat, quòd vnus esset qui peccauerat, & præsidio egeret, sed quòd homo esset. Homo dignissimum Dei animal, & propter quem nec vnigenito suo pater pepercit. Non enim mihi hoc dicas, quòd sit fugitiuus quispiam, vel latro, vel fur, vel facinorosus, vel quòd sit pauper, abiectus, vilis, & nullius frugis: sed cogites, quòd & pro ipso mortuus est Christus, sufficiatque tibi, vt pote idonea sollicitudinis causa. Cogita, quatum illum esse necessarium sit, quem tantus Christus ita appreciatus est, vt nec sanguini suo pepercit. Neq; enim opinor, si rex pro aliquo occidi veller, quæreremus argumentum aliud, num magnus quispiam ille sit, quem rex tanti facit. Non autem ego tantum opinor, sed sufficiens est mors eius, qui mortuus est, vt ostendat quantæ charitatis fuerit erga illum. Nunc verò, cum non homo, non Angelus, non Archangelus, sed ipse cælorum dominus, ipse vnigenitus Dei filius, carne vestitus tradit semetipsum pro nobis ad mortem: si non omnia fecerimus, & attæauerimus, vt homines tãto precio redemptos, in omni cura habeamus, qua nos tuebimur defensione? quam veniã impetrabimus? Et hoc ipsum Paulus indicas, dicebat: Ne cibo tuo perde illũ, propter quem Christus mortuus est. Volens enim eos qui despiciebant & contemnebant fratres infirmos castigare, & in officio continere, vt persuaderet eis habendam proximorum curam, hanc vnicam rationem pro omnibus dedit. Igitur sedens in carcere, per tantum spaciũ epistolam scripsit Philippensibus. Charitas enim erga Deum nullis humanis impeditur, vt pote supernè in cælis radicata. Et quid scribit? *Scire autem volo vos fratres.* Vidisti curam magistri pro discipulis? audi & curam discipulorum pro magistro: vt scias quòd hoc erat, quo fortes & inuicti fiebat, quòd quidem ita mutuũ inter se amore vincũ erat. Frater enim qui à fratre adiuuatur, est sicut ciuitas fortis, & multò magis tot ac tanti vinculo charitatis inter se iuncti, omnibus dæmonum restiterunt insidiis. Non opus est vltiori demonstratione & sermone, quòd Paulus discipulis deuinctissimus fuerit, qui & catenatus sollicitus pro eis erat, & quotidie moriebatur. Quòd autem discipuli Paulo vicissim magno studio deuincti fuerint, & non solùm viri, sed & mulieres, audi quid dicat de Phœbe: Commendo autem vobis Phœben sororem, quæ est ministra Ecclesiæ Cenchræensis, vt illam suscipiatis in Christo, sicut decet sanctos, & afflitis ei, in quocũque vobis egerit negotio. Nam & hæc cum multis affuit, tum & mihi. Et hæc quidem, quòd officiosè eum adiuuerit, magnũ accepit testimonium. Priscilla autem & Aquilas etiam mortem pro Paulo adierunt, de quibus sic scribens inquit: *Salutate Priscillam*

Rom. 1.

Ad Phil. 1. Cor. 1.

Rom. 14.

Proot. 11.

Rom. 16.

Ibidem.

scillam & Aquilam, qui pro anima mea suam ipsorum ceruicem supposuere. Et de alio quoque his ipsis scribens dicit, quòd appropriari vsque ad mortem, nò habita ratione vitæ, vt suppleret id quod in vestro erga me officio fuit diminutum. Vides quomodo amabant magistrum, quomodo suæ ipsorum animæ salutè illius præferebant? & propterea tunc nullus eorum superabatur. Hæc autem dico, non vt audiamus solùm, sed & vt imitemur: & non ad subditos solùm, sed & ad principes sermo noster se protendit: quò & discipuli frequentes in magistrum officium, & vicissim magistri eandem quam Paulus, erga discipulos amoris affectionem declarant. Etenim Paulus tam anxie omnium salutem curabat, perinde ac totus mundus sibi vnica domus foret, neglectisque suis vinculis, & plagis, & afflictionibus, & pressuris, considerabat & inquirebat quotidie, quomodo res discipulorum se haberent: & sæpe propter hoc ipsum solùm, misit nunc Timotheum, nunc Tychicum: nam de hoc quidè inquit, *Vt sciat & vos quæ ad me pertinent, quid agam: de omnibus certiores vos reddet Tychicus dilectus frater, & fidus minister in domino, quem misi ad vos in hoc ipsum, vt cognosceretis de rebus nostris. Et iterum aliis: De omnibus rebus meis certiores vos faciet Tychicus dilectus frater & fidus minister, & conseruus in domino, quem misi ad vos in hoc ipsum, vt cognoscat quid agatis, & consoletur corda vestra. De Timotheo autem: Quapropter & ego non amplius ferens, nisi ad hoc vt cognoscerem fidem vestram, ne quo pacto tentasset vos ille qui tentat, & inanis factus esset labor noster. Et Titum quoque aliò mittit, & alium iterum in aliũ locum. Atque ipse vinculorum necessitate in vno sæpe loco detentus, visceribus suis adesse non poterat, ita discipulis suis aderat. Itaque & tunc detentus in vinculis scribebat Philippensibus: Scire volo vos fratres. Discipulos fratres vocat. Tanta enim charitas est, vt abiiciat omnem inæqualitatem, nullamque vel eminentiam vel dignitatem sciat: sed & si quis omnibus sit sublimior, adusque humillimum omnium descendit: id quod & Paulus faciebat. Audiamus autem quid eos scire volebat: *Quæ mihi acciderunt, magis ad profectum euangelij euenere. Quo pacto, & quomodo dico? Num vinculis absoluebare? Num catenam deponere? Num impauide prædicabas in ciuitate, & in ecclesia multos & prolixos sermones faciebas de fide, susceptisque inde multis discipulis abibas? Num suscitabas mortuos, & admirationi eras? Num leprosos purificabas, & obstupesciebant omnes? Num demones fugabas? Nihil horum dicit, sed quid? & quomodo profectus euangelij factus est? ita vt vincula mea manifesta fierent in toto prætorio, & cæteris omnibus. Quid dicis? Hic profectus est, hoc incrementum, hoc prædicationis lucrum, quòd omnes didicerunt te vincum? Ita profectò, dicit. Audi ergo sequentia, vt discas quòd vincula non solùm non sunt facta obstaculum, sed & magnæ fidei materia: atque adeò, vt plerique fratrum in domino freti vinculis meis, vberius ausi fuerint loqui impauide. Quid dicis o Paule? Non anxietatem, sed fiduciam iniecerunt vincula: non timorem, sed amorem? non habent quæ sequuntur consequentiam: Scio & ego. Neque enim iuxta humanorum operum morem hæc contigerunt, air: sed super naturam fiebant, erantque diuinæ gratiæ opera, vt vnde alij anxij, inde illi fidentes redderentur. Nam si quis capit constringiturque ducem, & fit hoc manifestum aliis, vertitur in fugam omnis exercitus. Et si quis pastorem abducit ab ouili, absque timore abiguntur oues. Atqui hic non ita euenit, sed per omnia seculis. Dux vincum erat, &**

Eph. 6.

Colof. 4.

1. The. 3.

1. Cor. 8.

fiebant alacriores milites omnes, maioribusque animis & fiducia in aduersarios irrumpebant. Pastor constrictus erat, & oues neque auferebantur, neque dissipabantur. Quis vidit? quis audiuit è magistrorum aduersitatibus discipulos plus solatiij capere? Quomodo non timuerunt? quomodo non dixerunt Paulo, Medice cura temetipsum, libera teipsum à malis: & nobis quoque consultum erit? Quomodo non dixerunt talia? Quomodo? Erant edocti à gratia spiritus sancti, hæc non ex infirmitate, sed ex permissione Christi fieri, vt magis effulgeat veritas, quæ per vincula & custodias, & afflictiones, & angustias crescens, in altius fastigium erigitur. Etenim si vincula, Pauli mentem deiecerant, & timidiorem reddidissent: non mirum, si & ipse, & qui eum accessissent, fuissent anxij. Verùm quia plus afferebant fiduciæ, & ad maiore gloriam conducebant: magis obstupescendum est, & admirandum, quomodo per rem ignominie plenã, gloria doctore conciliatur, & per teiculamentum fiducia & consolatio discipulorum creuit. Quis non obstupesceret, videns illum catena circumdatum, & demones fugare? Non diadema regis caput tam decorat, vt illius manus catenæ: non sua quidem natura, sed gratia in ipsis efflorescente, quæ magis consolabatur discipulos, videntes quidem corpus vincum, linguam autem solutam: manus constrictas, sermonem verò liberum, & in totum mundum citius, quàm Solis iubar percurrentem. Magna sanè discipulorum consolatio erat, cum re ipsa discerent, nullam præsentium molestiarum grauiorem. Anima enim quando diuino amore & desiderio verè corripitur, ad nihil huius vitæ se conuertit: sed sicut mente moti, contemnunt ignem, & ferrum, & feras, & pelagus, & omnia: ita pji furore quodam, maximè spirituali ac honestissimo insaniant, deridentes omnia quæ vident. Et propterea discipuli videntes magistrum vincum, exultabant magis & gaudebant: re ipsa declarantes aduersariis, quàm sint vbique inuicti, & nullis mancipati. Itaque rebus sic se habentibus, æmuli quidam Pauli, grauius bellum excitare, & tyrannum contra eum crudeliter exasperare cupientes, simulabant & ipsi se esse prædicatores: prædicabantque rectam ac sanam fidem, ita vt & doctrina Pauli magis increpesceret. Hoc autem non ideo faciebant, quòd fidem rectam seminare vellent: sed vt audiret Nero prædicationem crescere, & doctrinam inualescere, vt inde exasperatus, quamprimum Paulum in profundum demitteret ac perderet. Itaque duæ erant tunc doctrinæ, vna discipulorum Pauli, altera inimicorum eius: illis ex veritate, his ex odio & contentione in Paulum, prædicantibus, & hoc manifestans docebat: Alij quidem, inquit, propter inuidiam & contentionem Christum prædicant, inimicis illis designatis: alij autem bona voluntate, quo discipulos suos intelligit. Deinde iterum de illis inquit: Alij quidem ex contentione, nempe inimici, non castè, non candidè prædicantes, sed existimantes addere se afflictionem vinculis meis: alij contra ex charitate, & hoc quoque de fratribus illis suis dicit, scientes quòd in euangelij defensionem constitutus sum. Quid ergo? Attamen quouis modo, siue per occasionem, siue per veritatem, Christus tamen annuncietur. Atque ita frustra & vanè verbum hoc pro hæresibus assumitur. Nam qui tunc prædicebant, non dogma corruptum prædicabant, sed fidem sanam & rectam. Quòd si adulteratam doctrinam prædicassent, & alia quàm Paulus docuerat, non vtique euenisset quod volebant. Non volebant autem aliud, quàm vt aucta fide & multiplicatis discipulis, Paulus à Nerone

in grauius periculum adduceretur. Quod si alia quam Paulus prædicasset, non utique discipulos Pauli multiplicasset: & si non plures fecissent, neque exasperassent tyrannum. Igitur hæc non dicit, quod corruptas doctrinas introducant: sed quod causa propter quam prædicabant, non fuerit sincera. Aliud enim est occasionem prædicationis non esse sanam: & aliud, non esse prædicationem sanam. Nam prædicatio quidem non fit sana, quando errores continent dogmata. Occasio autem non fit sana, quando dogma quidem sanum est, prædicantes autem non propter Christum prædicant, sed vel ad inimicitias, vel ad aliorum gratiam. Proinde non dicit, quod hæreses introduxerint, sed quod non ob rectam occasionem, neque ob pietatem prædicauerint id quod prædicauerunt. Quando quidem hoc non faciebant ad incrementum euangelij, sed ut Paulo infesti essent, & in maius periculum cum adducerent: & propterea illos arguit. Cæterum vide quomodo diligenter hoc posuit. Existimantes, inquit, afferre vinculis meis: non dixit, afferentes vinculis meis: sed, existimantes, hoc est putantes quod afferant: insinuat, quod licet illi sic opinentur, non tamen ipse sic afficiatur, quin potius ob euangelij incrementum gaudeat, unde adiecit, dicens: *Et in hoc gaudeo, quia & gaudebo.* Quid enim, si etiam semetipsum perdunt illi, ex odio mei hoc facientes, dummodo & quæ mea sunt inuiti augeant? Vides quæta erat Pauli virtus? quomodo nullis diaboli versutiis capiebatur, & non solum non capiebatur, sed & ipsum laqueis suis apprehendebat? Nam licet multiplex esset & diaboli versutia, & ministrorum eius malignitas, qui prædicabant quasi idem saperent quod Paulus, qui tamen sapientes in versutia sua apprehendit, non permittebat hoc fieri. Proinde Paulus hoc tunc declarans dicebat: *Manere quidem in carne, necessarium magis propter vos: & hoc certus scio, quod mansurus sum, & cum omnibus vobis permansurus, in vestrum profectum, & gaudium fidei.* Illi enim præfenti quidem vita eicere me cupiunt, & propterea sustinent omnia: Deus autem non permittit propter vos. Hæc igitur omnia diligenter seruate memoria, ut eos qui simpliciter, ac temerè scripturis, ac cum pernicie proximi vtuntur, omni cum sapientia corrigere possitis. Poterimus autem & dictorum meminisse, & alios corrigere, si ad preces semper confugimus: & oremus Deum, ut det sermonem sapientiæ, & intellectum auditus, certamque & inde prædabilem huius depositi custodiam. Sæpe enim contingit, ut quæ studio nostro corrigere non possumus, ea per preces efficere valeamus, per preces inquam perpetuas. Semper enim orandum est, & in afflictione & prosperitate, & tam ei qui in tribulationibus, quam qui in bonis. Et illi quidem, qui in bonis & prosperitate, ut immota hæc maneant, & non transferantur: huic autem, qui in angustiis, & afflictione, ut benignam eorum vicissitudinem sentiat. In tranquillitate es: ora Deum ut ipsa tibi tranquillitas stabilis maneat. Tempestatem vides grauem? ora Deum ut auertat ipsam, & ex ipsa tranquillitatem faciat. Ex auditus es? gratias age, quod ex auditus es. Non ex auditus es? persequera, ut exaudiaris. Et si differat aliquando dominus, non id odio facit, neque te auersatur: sed differendo, diutius te secum seruare vult. Sicuti & patres filios indulgentiùs amantes, quod illos diutius apud se detineant quos desides vident, dedita opera morantur aliquid daturi. Cæterum non opus tibi patronis apud Deum, neque multo discursu, ut blandiãre aliis: sed licet solus sis, patronoque careas, & per teipsum Deum preceris, omnino tamen voti compos eris. Neque enim tam fa-

cilè Deus annuit, cum alij pro nobis orant, ut cum ipsimet oramus, etiamsi plurimis pleni simus malis. Nam & hominum, quos valde exulcerauimus, iræ quiescunt, si diluculo & meridie, & vesperi apud eos comparemus, atque cum illis continua ac humili consuetudine conuerserur: & multò magis apud Deum, si frequens fueris: licet indignus sis, dignus tamen eris: quoniam & indignus diutina familiaritate dignus fieri potest. Porro tria hæc, nempe quod indignum frequens conuersatio dignum reddat: & quod Deus magis annuat, si per nos ipsos oremus, quam si alij orent: & quod dando sæpe differt, non ut nos vacuis manibus amandet, & animo hæsitabundo relinquat, sed ut bonorum maiorum nobis causa fiat. Tria hæc, inquam, ex parabola hodie nobis lecta, manifesta facere tentabimus. Accessit Chananæa Christum pro filia orans, quæ a dæmone agitabatur, & clamans cum tanta voce, ait: *Miserere mei domine, filia enim mea malè a dæmonio torquetur.* Ecce alienigena mulier & barbara, & extranea à Iudæorum iurisdictione. Et quid aliud erat, quam canis, & indigna quæ voti compos fieret? Non enim honestum est, inquit, ut accipiat panis filiorum, & obiciatur canibus. Attamen precum frequentia digna facta est, non solum ut inter filios recenseretur quæ erat canis, sed & ut multis laudibus honestata dimitteretur. Dixit enim: *O mulier, magna est fides tua.* Quoniam autem Christus dixit, *Magna est fides tua: nulla opus est demonstratione, & inquisitione vteriori de mulieris huius gloria.* Vides quomodo mulier, quæ indigna erat, ex assiduitate facta est digna? Vis discere, quod etiam per nos ipsos orantes apud Deum plus efficimus, quam dum alij pro nobis orant? Clamauit hæc: & ut accesserunt discipuli, dicunt: *Dimitte eam, quia clamat post nos.* Et ad illos quidem dixit: *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël.* Quando autem ipsamet accessit, & perseuerauit clamans, & dicens: *Domine, Etiam: Nam & catuli edunt de mensa dominorum suorum: tunc beneficium dedit, & ait: Fiat tibi sicut vis.* Vides, quomodo repulit, cum alij precarentur: vbi verò ipsamet orans pro dono clamauit, annuit? Illis enim, inquit, *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël: huic autem dicit, Magna est fides tua, fiat tibi ut vis.* Similiter ab initio & ad ingressum petitionis nihil respondit: vbi autem semel & iterum, & tertio accessit, tunc denique beneficium concessit. Et in fine docet, quod dare distulerit: non ut eam repelleret, sed ut patientiam mulieris omnibus monstraret. Nam si propter repulsam distulisset, neque tardè ei donasset: & nos minime agnouissimus mulieris ab initio vsque ad finem fortitudinem. Dimitte eam, inquit, quia clamat post nos. Vos auditis vocem, ego mentem video, scio quid dictura sit. Nolo thesaurum mentis suæ occultum permanere, sed exspecto & sileo, ut manifestetur, & omnibus clarus fiat. Cum hæc omnia non ignoremus, posthac, licet peccatores simus, & indigni in quos conferantur beneficia: licet soli simus, & intercessoribus careamus, ne deficiamus orando, ne despondeamus animum: scientes, magnum apud Deum patrociniū esse per semetipsum magna alacritate ad Deum contendere: quanuis autem differat, & cesset ut largiatur, neque sic recedamus: scimus enim, quod misericordiæ, magnæque erga nos clementiæ est ita differre & tardare. Si ita senserimus, animaque dolente & feruida, ac excitata & tali quali ad ipsum Chananæa accessit, etiamsi canes simus, grauibusque in peccatis, & nostra amollemur mala: tantumque fiduciæ accipiemus, ut aliis quo-

Philip. i.

quoque patrocinari possimus: quemadmodum Chananæa hæc, non solum ipsa fiduciam, & multas laudes consecuta est, sed & filiam intolerabilibus molestiis eripere potuit. Nihil enim, nihil inquam, precatione ignita & sincera validius est. Ipsa enim & præsentia mala dissoluit, & à futuris pœnis eripit. Ut igitur & præsentem vitam facilius transigamus, & ad iudicium fidentius migremus, multo studio, alacritateque sedula precibus vacemus. Nam sic & reposita bona obtinere poterimus: quæ nobis omnibus per gratiam & misericordiam suam concedat dominus noster Iesus Christus, cui cum patre, & sancto spiritu sit gloria, imperium, & honor, in sæcula sæculorum. Amen.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI Commentarius in epistolam ad Colossenses.

Gentiano Herueto Aurelio, Rhemensis Canonico, interprete.

CAP. I.

Edomino Iesu Christo, non est in Græco Chrysostomi.

Infr. 4.

Ad Philemonem

1. Tim. 4.

Infr. 4.

PAULVS Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater iis qui sunt Colossis sanctis & fidelibus fratribus in Christo Iesu, Gratia vobis & pax à Deo patre nostro & domino Iesu Christo. Sanctæ quidem sunt omnes epistolæ Pauli, aliquid autem habet amplius quæ eo vinculo mittuntur, cuiusmodi sunt epistolæ ad Ephesios, ad Philemonem, ad Timotheum, & hæc præfens. Nam ea quoque missa est cū esset in vinculis. Sicut scribens quoque dicebat. Propter quod etiam vincutus sum, ut manifestem illud ita ut oportet me loqui. Sed ea videtur esse posterior epistola ad Romanos. Nam illam quidem scripsit cū Romanos nondum vidisset, hanc autem cū iam esset cōspicatus, & iam esset in fine prædicationis. Illinc autem est perspicuum. Dicit enim in epistola ad Philemonem. Cū sis talis ut Paulus senex, & rogans pro Onesimo. In hac autem mittit ipsum Onesimum, sicut dicit, Cū Onesimo fideli & dilecto fratre, fidelem, & dilectum, & fratrem eum vocans. Quamobrem confidenter dicit in hac epistola, A Ipe Euangelij quod audistis, quod prædicatum est in vniuersa creatura quæ sub cælo est. Iam enim tempus habebat prædicatio. Hac ergo existimo esse antiquiorem epistolam ad Timotheum, & circiter eius mortem esse scriptam. Illic enim dicit, Ego enim iam delibor. Est ergo hæc epistola antiquior illa quæ scripta est ad Philippenes. Illic enim tunc erat, vinculorum quæ fuerunt Romæ habens initium. Cur ergo dico has epistolas plus habere quam alias? Propterea quod scriberet cū esset in vinculis. Ut si vir fortis scriberet, à cædibus interim desistens & trophæis, sic ipse quoque faciebat. Sciebat enim ipse quoque hoc esse magnum. Ad Philemonem enim scribens, dicit, Quem genui in vinculis meis. Hæc autem dicit, ne in rebus aduersis & asperis dolore afficiamur, sed etiam late mur. Hic erat apud eos Philemon. Etenim illic scribens dicit, Et Archippo commilitoni nostro. & hic, Dicit Archippo. Videtur autem huic fuisse mandatum aliquod munus ecclesiæ. Nec hos autem viderat,

neque Romanos, neque Hebræos, quando ad eos scribebat. Atque de illis quidem multis in locis id significat. De his autem audi eum dicentem. Et quicumque non viderunt faciem meam in carne. Et rursus, Et si absun carne, spiritu tamen sum vobiscum. Ita vbique nouerat rem magnam esse suam præsentiam, & se semper etiam absentem tanquam præsentem exhibet & sistit. & quando punit fornicatorem, vide quomodo se iudicio tanquam præsentem sistit. Nam ego quidem, inquit, tanquam absens corpore, præfens autem spiritu, iam iudicauit tanquam præfens. Et rursus, Veniam ad vos, & cognoscam non sermonem eorum qui sunt inflati, sed virtutem. Et rursus, Non solum dum adsum apud vos, sed multò magis dum absun. Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei. Operæ precium est autem dicere etiam argumentum quod inuenimus ex epistola. Quòdnam autem est hoc? Per Angelos ad Deum accedebant, obseruationes habebant multas & Iudaicas, & Græcas seu ethnicas. Hæc ergo corrigit. Propterea & in initio dicit, Per voluntatem Dei. Ecce rursus illud, Per, posuit. Et Timotheus frater, inquit. Ergo ipse quoque erat Apostolus. Consentaneum autem erat eum quoque fuisse notum sanctis qui erant Colossis. quæ quidem erat ciuitas Phrygiæ, idque constat ex eo quod sit propinqua Laodicea. Et fidelibus fratribus in Christo. Vndenam, dic rogo, factus es sanctus? Vndenam vocaris fidelis? Non quod per mortem fuisti sanctificatus? Non quod credis in Christum? Vndenam factus es frater? Non enim in opere, neque in sermone, neque in recta actione apparuisti fidelis. Vndenam sunt tibi, dic quæso, tam multa credita mysteria? Non propter Christum? Gratia vobis & pax à Deo patre nostro. Vndenam vobis gratia? Vndenam pax? A Deo, inquit, patre nostro. Atqui in hac non ponit nomen Christi. Dicam eis qui calumniis insectantur spiritum, Vndenam Deus pater? Quis ex seruis tam magna gessit & præclara? Quis te sanctum fecit? Quis fidelem? Quis filium Dei? Qui te fecit fide dignum, is quoque fuit causa ut tibi crederetur. Fideles enim vocamur, non solum propterea quod credamus, sed etiam propterea quod à Deo credita sint mysteria, quæ ne Angeli quidem ante nos nouerunt. Sed indiscriminatim hæc sic ponebat Paulus. *Gratias agimus Deo patri domini nostri Iesu Christi.* Mihi videtur omnia patri attribuire, ne statim eis addat verbum. *Semper pro vobis orantes.* Non solum per gratiarum actionem, sed & per perpetuam orationem, ostendit dilectionem, quod etiam quos non viderat semper apud se habebat. *Audientes fidem vestram in Christo Iesu, & dilectionem quam habetis in omnes sanctos.* Iam eos sibi conciliat & captat beneuolentiam. Est Epaphroditus qui hæc renunciat. Mittit autem epistolam per Tychicum, cū illum apud se detinisset. Et dilectionem, inquit, quam habetis in omnes sanctos. nō in hunc aut illum, ergo in nos quoque. *Propter spem quæ reposita est vobis in cælis.* Futura, inquit, bona. Hoc aduersus tentationes, ne hic quoque querant quietem & relaxationem. Nam ne quispiam diceret, Et quid lucri ad eos redit ex dilectione in sanctos, cū ipsi angantur & dolore afficiantur? Latamur, inquit, quod in cælis magna & præclara vobis conciliatis. Propter spem, inquit, repositam. Rem ostendit firmam & stabilem. Quam audistis in verbo veritatis. Hic est verbum eos pungentis, quod cū longo tempore eam haberent, desciuerint & sint mutati. *Quam prius, inquit, audistis in verbo veritatis.* Et merito ei fert testimonium veritatis, quod in eo nihil sit falsi. *Euangelij.* non dicit prædicationis, sed perpetuò vocat euangelium, eis in memoriam reuocans Dei beneficia, &

Cap. 4.

1. Cor. 5.

1. Cor. 4.

1. Cor. 15.

Colossis ciuitas Phrygiæ.

Fideles cur dicantur.

Spes prodest aduersus tentationes.

1. Tim. 4.

cum eos prius laudasset, ita eis reuocat in memoriam. *Quod peruenit ad vos sicut & in vniuerso mundo.* Iam eis gratificatur. Quod peruenit autem dicit metaphoricè. Non enim accessit & recessit, sed mansit & est illic. Deinde quoniam maximè confirmatur multi ex eo quòd multos habeant socios dogmatum, propterea subiunxit, Sicut & in vniuerso mundo. Vbi que adest, vbi que dominatum obtinet, vbi que stat. *Et fructificat, & crescit, sicut in vobis.* Fructificat per opera, augetur quòd multos assumat, quòd magis firmetur ac stabiliat. Tunc enim plantæ densæ fiunt, quando planta fuerit firmata ac stabilita. *Sicut in vobis.* Auditorem laudibus præoccupat, vt ne inuitus quidè recedat. Ex ea die qua audiuitis. Est mirabile quòd citò accessistis, & credidistis, & statim à principio fructus ostendistis. Et cognouistis gratiam Dei in veritate. Non in sermone, inquit, neque in deceptione, sed in ipsis factis. Hoc ergo dicit, id quod fructificat, seu signa & miracula, quòd simul accepistis, & gratiam Dei cognouistis. Quod ergo suam ostendit virtutem, quomodo non est difficile vt ei nunc non credatur? *Sicut didicistis ab Epaphra charissimo conseruo nostro.* Eum verisimile est illic prædicasse. Didicistis euangelium. Deinde ostendens eum esse fide dignum, dicit, Conseruo nostro. Qui est fidelis pro vobis minister Christi. *Qui etiam manifestabit nobis dilectionem vestram in spiritu.* Ne dubitetis, inquit, de spe futura. Videtis orbem terrarum conuerti. Et quid opus est dicere quæ fiunt inter alios? Quæ sunt inter vos ipsos, sunt ipsa quoque absque his fidelia. Cognouistis enim Dei gratiam in veritate, hoc est in factis. Quamobrem duo sunt hæc quæ sunt confirmanda, & quòd omnes crediderint, & quòd vos. Et non alia quidem facta sunt, alia autem dixit Epaphras, Qui est, inquit, fidelis, hoc est verax. Quomodo pro vobis minister? Quòd ad ipsum accesserit, & vobis, inquit, ostenderit vestram dilectionem in spiritu. Hoc est, spiritualement in vos. Si hic est Christi minister, quomodo dicitis vos adduci & conciliari per Angelos? Quod nobis quoque significas dicit, Dilectionem vestram in spiritu. Hæc est admirabilis firmaque & stabilis dilectio. Nam aliæ quidè solum habent nomen dilectionis. Sunt autem aliquæ nõ huiusmodi. Sed non est hoc amicitia. Quamobrem ea est facilè dissolubilis. Multa sunt occasiones efficientes amicitia: Et turpes quidem prætermittimus. Nemo enim nobis contradiceret illas non esse malas. Sed si vultis, in medium adducamus naturales & quæ ad hanc vitam agendam pertinent. Atque hæc quidem ad vitam agendam pertinent, vt, De aliquo quispiam est bene meritis, amicum parauit à maioribus. Fuit socius mensæ aut peregrinationis, aut est vicinus. Sũt he quoque pulchre & honestæ, aut est eiusdem artis. Atque hæc quidem nõ est sincera, habet enim æmulationem quandam & inuidiam. Naturales autem, vtputa patris erga filium, filij erga patrem, fratris erga fratrem, aut erga nepotem, matris erga filios. Si vultis autem, vxoris quoque erga maritum. Hæ enim omnes matrimoniales, sunt ad vitam pertinentes & terrestres. Atque hæc quidem videntur illis esse vehementiores. Videtur autem dixi, propterea quòd ab illis sæpe sunt superatæ. Et aliquando quidem apparuerunt amici melius & sincerius affecti quam fratres, & quam filij in parentes. Et qui fuit quidem genitus, non opem tulit. Qui autem eum nõ cognouit, adfuit & opem tulit. Dilectio autem spiritualis, est omnium suprema, veluti quædam regina, quæ in suos dominatum obtinet, honestaque est specie pulchroque & ornato habitu. Nihil enim terrestre cam parit sicut illam, non consuetudo, nõ beneficium, non natura, non aurum, sed à superis descendit è cælo.

Dogmata multos habere socios, multos confirmat.

Dilectio in spiritu est admirabilis & stabilis.

omnes vobis sunt socii.

Amicitia sepe est melior quam fratris.

A Et quid miraris si beneficio non eget vt consistat, cum ne si mali quidem quidquã accipiat eueratur? Quòd autem hæc sit illa maior, audi Paulum dicentem. Optarem ego ipse esse anathema à Christo pro fratribus meis. Quis hoc pater optauerit esse in malis? Et rursus, Resolui & esse cum Christo longè est melius: manere autem in Christo est magis necessarium propter vos. Quamnam mater hæc voluisset dicere, vt sua despiceret? Et rursus audi eum dicentem, Orbati enim à vobis ad tempus horæ, aspectu, non corde. Et hic quidem pater cõtumelia affectus, soluit amicitiam, illic autem, non itidem: sed & ad illos qui lapidibus appetebant abiit, eos beneficio affecturus. Nihil est enim æquè validum, vt vinculum spiritus. Qui enim propterea quòd sit beneficio affectus, euasit amicus, si non hoc fiat perpetuò, erit inimicus. Qui ex consuetudine cum esset indiuisus, interrupta rursus consuetudine extinxit amicitiam. Mulier rursus, si fuerit lis ac dissensio, dimittit maritum, & soluit desiderium. Filius si diu viuentem viderit patrem, ægrefert. In spiritu autem, ex his nihil est, nullo enim horum soluitur, quoniam ne ex his quidem constat. Neque tempus, neque vitæ longitudo, neque malè esse affectum, non ira, non contumelia, neque quidquam aliud inuadit, neque eam potest dissoluere. Et vt scias, lapidibus appetebatur Moses, & pro ipsis rogabat. Quis pater hoc fecisset pro eo qui lapidibus appetit, & nõ ipsum obruisset lapidibus? Has persequamur & quæramus amicitias quæ sunt ex spiritu. Sunt enim fortes & solutu difficiles: non eas quæ existunt ex mensis. Nam illuc quoque vetamur eos introducere. Audi enim Christum dicentem in Euangelio. Non inuitaueris amicos tuos, neque vicinos tuos, si feceris conuiuium, sed claudos & mancos, & meritò, est enim magna pro his merces. At non potes, nec sustines conuiuari cum claudis & cæcis: sed existimas hoc esse graue & molestum, & recusas. Maximè quidem nõ oportebat, sed non est necesse: & si non feceris eos tecum confidere, è mensa tua ad eos mitte cibum. Nam qui amicos inuitat, nihil magnum facit. Hic enim accepit mercedem suam. Qui autem inuitat mutilum & pauperem, habet Deum debitorem. Ne ergo ægreferamus quando non hic acceperimus, sed quando hic acceperimus. Similiter si homo reddiderit, Deus non reddit. Si is non reddet, tunc reddet Deus. Ne ergo illos quæramus beneficio afficere qui possunt nobis reddere. Neque hac spe eis beneficiamus: frigida est hæc cogitatio. Si amicum inuitaueris, ad vesperam vsque est gratia. Propterea eorum quæ soluuntur, citius quam temporis consumitur amicitia. Pauperem autem & mancum si inuitaueris, nunquam peribit gratia. Eum enim qui semper meminit, & nunquam obliuiscitur, ipsum habes debitorem. Quam pusilli autem & mollis, dic quælo, est animi, non posse confidere cum pauperibus? **D** Quid autem dicis? Est immundus & sordidus. Iaua eum, & duc ad tuam mensam. At sordida habet vestimenta, muta, & da mundam vestem. Non vides quantum sit lucrum? Christus per ipsum accedit, & tu eum nihili facis? Regem ad mensam inuitans, pro his times? Ponantur duæ mensæ. & altera quidem his repletur, & habeat cæcos, debiles & claudos, manibus & tibiis mutilatos, nudis pedibus & absque calceis, vna tunica indutos eaque detrita. Altera autem habeat potentes, exercitu ductores, toparchas, magnos principes, pretiosis indutos vestibus subrilibusque telis lineis zonisque cinctos auris. Rursus hic in mensa pauperum nec sit argentum, nec vini multum, sed quod satis sit & possit exhilarare. Pocula autem & vasa reliqua confecta sint ex vitro solo. Illic autem in mensa diuitum, vasa quidem

Rom. 9.

Philip. 1.

1. Thess. 1.

Dilectio spiritualis nõ dissoluitur.

Erod. 17.

Luc. 14.

Mensa pauperum & diuitum quàm distinetur.

dem omnia sint ex argento & auro, & ne vnus quidem ferat exhedram, sed duo adolescètes vix eam moueant, & ordine sitæ sint amphoræ lógè melius quam argentum, nempe auro splendètes. Sint autè exhedra molli stragula veste vndique strata. Rursus hic quidem sint multi ministri eorum qui accumbunt, non minus ornati vestibus & splendide amicti, & antaxyridas, seu quas braccas vocant laxas habentes, visu quidem pulchri, in ipso autem flore ætatis luxuriantes & bene curata cute, & bonæ habitudinis. Illic autem sint duo soli ministri, omnem hunc fastum cõculcantes. Et sint quidem illis cibi lauti & opipari: his autem quantum sit ad satandum appetitum & se recreandum. Satisne dixi, exactèque & accuratè structæ sunt ambæ mensæ? Deestne aliquid? ego quidem non opinor. Nam & inuitatos recensui, exposuique quàm preciosa & magnifica essent vasa, stragula, & cibaria. Sed & si quidpiam prætermisimus, in oratione progredientes id inueniemus. Agè ergo quoniam quòd oportuit & decuit decus & ornamentum accepit vtraque mensa, videamus vbinam accumbemus. Nam ego quidem vado ad mensam cæcorum & claudorum: plures autem ex vobis eligent hanc mensam ductorum exercitus, quæ est splendida & hilaris. Videamus ergo vtra sit maiori repleta voluptate: nõdum enim futura inquiramus. Nam in illis quidem hæc mea est superior. Quare? Quoniam hæc quidem Christum habet accumbentem: illa autem homines. Hæc dominum: illa seruos. Sed de his nõdum agitur. Sed videamus vtra maiorem habeat voluptatè in præsentia. Et in hac quidem maior est hæc voluptas. Nam cum rege accumbere maiorem affert voluptatè quàm cum seruis. Sed hoc quoque persequamur, & rem ipsam per se examinemus. Ego itaque & qui mecum hanc vitam elegerunt, cum magna libertate & animi tranquillitate & delectatione, & dicemus, & audiemus omnia. Vos autem trementes & formidantes, & eos qui accumbunt reuerentes, ne manum quidem audebitis extendere, tanquam in pædagogi ludum literarium ingressi non ad prandium, tanquam seruos dominos horrescentes. Sed non sic illi. At magna, inquit, res est honor. Atqui ego quidem in maiori sum honore. Nam vestra maior est vilitas & abiectio, cum etiam eiusdem mensæ participes, proferatis verba seruorum. Etenim tunc maximè apparet seruus cum accubuerit cum domino. Nam ille quidem est vbi ei esse non conueniebat, ex familiaritate non tantum habes honestamentum, quantum deiectionem. tunc enim valde humilis redditur & abiectus. Seruum enim per se videris esse splendidum, & per se splendidum esse pauperem, non quando ambulat cum diuite. Humile enim quando fuerit prope sublime, tunc apparet humile. & additio humile reddit humilior, non altius. Ita vos quoque humiliiores reddit & abiectiores cum illis accumbere, sed non nos. In duobus quidem illos superamus, nempe in libertate & honore, cum quibus nihil potest cõferri quod attinet ad voluptatem. Nam ego quidem malim solum panem sumere cum libertate, quàm innumerabiles cibos cum seruitute. Melius est vocari ad olera cum charitate, quàm ad vitulum saginatum cum odio. Nam quod illi dixerint necesse est vt qui adsunt laudent, vel offendant, se gerentes tanquam parasitos, imò verò illis peius. Nam eis quidem, & si cum probro & ignominia contumelia afficiantur, non deest tamen libertas loquendi. Vobis autem ne hoc quidem adest. Sed eiusmodi quidem esse vilitas & deiectio. extimescitis enim & trepidatis: nullus autem habetur honor. Ergo illa quidem omni voluptate est priuata, hæc autem plena est omni ami-

mi delectatione. Sed & ipsarum escarum naturam examinemus. Nam illic quidem necesse est, etiam si nolit, multo vino disrumpi. Hic autem licet non comedere, nec bibere si nolit. Quamobrem illic quidem quæ ex ciborum qualitate existit voluptatem, & præcedens adiimit dedecus, & quæ ex satietate ac repletionem oritur molestia. Non minus enim quàm fames; corrumpit nobis & dolore afficit corpora repletio & saturitas: imò verò grauius, & quemcunq; mihi dare volueris, eum facilius disrumpo repletionem quàm famem. re vera enim illa hæc est tolerabilior. quoniam famem quidem vel viginti dies quispiam tulerit: repletionem autem ne duos quidem. Et cum fame quidem assiduè luctantes qui ruri degunt, sani sunt, nec egent medicis. Hanc autem, repletionem, inquam, non tulerint nisi perpetuò accerant medicos: imò verò illorum quoque auxilium sæpe arguit huius tyrannis. Ergo & quod attinet quidem ad voluptatem, hæc primas habet partes. Nã si honor quidem est iucundior quàm probro & cõtumelia affici: & potestatem habere quàm esse subiectum: & confidere quàm tremere & timere: & frui iis quæ sufficiunt, quàm supra modum immergi in fluctus deliciarum: hæc mensa illa est melior, & quod attinet ad voluptatem. Quinetiam quod ad sumptu attinet, hæc quoque est melior. Nam illa quidem multum consumit, hæc verò nequaquam. Sed quid? num iis solùm qui accubant iucundior est hæc mensa, an etiam ei qui inuitat maiorem affert quàm illa voluptatem? Hoc enim est quod à nobis magis quæritur. Qui ergo illos quidem inuitat, multis antè diebus præparat: & necesse est vt habeat negotia, curas & sollicitudines: vt qui neque noctes dormiat, neque interdium quiescat, sed apud se multa confingat, loquès cum coquis, cum opsonatoribus, cum mestræ structoribus. Deinde cum ipse dies aduenerit, videris ipsum magis timetum quàm eos qui sunt pugnis decertaturi, ne quid fiat præter rationem, ne inuidia fascino feriat, ne inde accipiat multos accusatores. Hic autem est liber ab omni cura & negotio, mensam ipse per se parans, & non multis antè diebus de ea sollicitus. Et postea hic quidem statim amisit gratiam: ille autem habet Deum debitorem, & bona spe alitur, singulis diebus ex illa mensa conuiuans. Nam cibi quidem consumuntur, gratia autem non consumitur: sed quotidie magis lætatur & exultat quàm qui multo vino se ingurgitauerint. Nihil enim animam æquè nutrit atque bona spes, & bona expectare. Sed videamus ea quæ postea sequuntur. Illic quidem sunt tibiæ, & citharæ, & fistulæ. Hic autem nullus dissonans modus. Sed quid? Hymni, psalmodiæ. Illic quidem hymnis celebrantur dæmones. Hic autem Deus omnium dominus. Vides quidem quantæ sit hæc gratia, in illam autem quantum cadat ingrati animi vitium stupor: & sensus egestas. Dic enim mihi, te Deus aluit suis bonis, & cum oporteret Deo gratias agere cum sis nutritus, tu introducis dæmones. Nã quæ canuntur fidibus non sunt aliud quàm dæmonum cantica: & cum te oporteret dicere, Benedictus es domine, quòd me nutriisti ex bonis tuis: tanquam infamis quidam canis, ne meministi quidem, sed introducis dæmones: imò verò etiam canes, tam qui acceperunt quàm qui non acceperunt, blandiuntur domesticis. Tu autem non hoc facis. Canis etiam non accipiens blanditur domino. Tu autem etiam cum acceperis, aduersus eum latras. Rursus canis, etiam si alienus ei beneficiat, ne sic quidem definit ei esse inimicus, neque allicitur ad amicitiam. Tu etiam mala innumerabilia patiens à dæmonibus, etiam ad prædicia eos introducis. Quamobrem es duplo cane deterior. Rectè au-

Bona spes nutrit animam, & bona expectare.

Pro. 11.

tem in memoriam reuocari canes apud eos qui tunc solum agunt gratias, cum affecti fuerint beneficio. Reuerentiam rogo canes, qui etiam fame laborantes adulantur dominis. Tu autem si audieris quod daemone curavit quempiam, statim dimittis dominum, o ratione minus praedite quam canes. At meretrices dum aspiciuntur, voluptatem exhibent. Quam voluptatem? Quamnam autem non infamiam & ignominiam? Lupanar & prostibulum facta est tua domus, furorque & cestrum: nec te pudet ea vocare voluptatem. Atque si liceat quidem omni uti voluptate, maius est probrum ac dedecus, & quae ex ea accipitur molestia. Lupanar facis domum tuam, ut quae tanquam sues in caeno volutetur. Si autem non ulterius progrediatur quam ut appareat, ecce rursus maior est dolor. Aspectus enim non est voluptas, quando non fuerit usus, sed maius desiderium, & flamma vehementior. Sed vis scire finem? Illi quidem a mensa surgentes sunt infans similes & furore percitis, audaces, iracundi, etiam mancipiis ridiculi. Et famuli quidem discedunt sobrii: isti vero ebrii. O dedecus! Illic autem nihil eiusmodi, sed domum recedunt cum mensam concluderint gratiarum actione, laeti dormientes, laeti expergescentes, ab omni probro ac dedecore liberi, & nulli affines accusationi. Si vis autem videre eos etiam qui sunt inuitati, videbis hos quidem intus esse tales quales hi extrinsecus, nempe caecos, mutilos, claudos, & qualia sunt horum corpora, tales sunt illorum animae, aqua intercutit laborantes & inflammatione, eiusmodi enim res est insolentia & arrogantia. Nam post delicias fit mutilatio, res enim eiusmodi est repletio & ebrietas, claudos reddens & debiles. Et videbis hos quoque tales habere animas qualia isti corpora, splendidas, ornatas. Nam qui viuunt cum gratiarum actione, qui nihil amplius requirunt quam sufficientiam, qui sic philosophantur, in perpetua sunt laetitia. Videamus autem & hic & illic finem? Illic quidem est voluptas intemperas, risus effusus, ebrietas, scurrilitas, verborum obscenitas. Nam quoniam eos pudet loqui turpia, hoc fit per meretrices. Hic autem est humanitas, benignitas, & mansuetudo. Atque ei quidem qui illos inuitat adest, eum amans inanis gloria. Ei autem qui hic, humanitas, benignitas & mansuetudo. Nam illam quidem mensam constituit humanitas ac benignitas. Hanc autem inanis gloria & crudelitas, ex iniustitia & avaritia. Et illa quidem desinit in ea quae dixi, in arrogantiam, in mentis emotionem, in infamiam. tale enim est germen vanae gloriae. Haec autem in gratiarum actionem, & Dei gloriam. Porro autem huic quoque maior est laus quae datur ab hominibus. Nam illi quidem inuidet: hunc autem omnes habent tanquam communem patrem, etiam qui non sunt affecti beneficio. Quomodo vsuuenit iis qui sunt affecti iniuria ut simul cum iis doleant ij qui non sunt iniuria affecti, & fiunt omnes communes inimici. Ita etiam vsuuenit in iis qui sunt affecti beneficio: etiam qui non sunt affecti, laudant sicut qui sunt affecti, & in admiratione habent eum qui affecti. Et illic quidem multa est inuidia: hic autem multa geritur cura, & bene precatur homines. Et hic quidem res ita se habent: illic autem cum Christus aduenerit, hic quidem stabit cum magna fiducia, & audiet praesente toto orbe terrarum: Euriem me vidisti, & enutriisti: nudum, & induisti: hospitem, & hospitio excepisti, & quae sunt huiusmodi. Ille autem contra audiet, Serue male & ignaue. Et rursus, Vae qui molliter deliciantur in cubilibus suis, & qui dormiunt in lectis eburneis, qui bibunt vinum defecatum, & primariis vnguentis delibuti, tanquam stantia reputantur, & non tanquam fugientia. Haec a nobis non

Meretricis aspectus non est voluptas.

Mensa pauperum & mensa diuitum quis finis.

Mat. 15.

Mat. 6.

A temere dicta sunt, sed ut vestram mentem immutet, & vos nihil faciatis quod non lucrum afferat. Quid verò, inquit, quod & haec & illa facio? Hoc passim est in ore omnium. Et quid, dic quæso, necesse est, cum omnia liceat facere vtiliter, diuidere, & alia quidem in ea quae non est opus & temere consumere, alia autem vtiliter. Dic mihi, si seminās alia quidem iacces supra petram, alia autem in terram optimam, hoc ne tibi sufficeret, & diceret, Quid obest, si alia quidem temere, alia verò in terram optimam iecerimus? Nam cur non omnia in optimam? Sed videamus cur lucrum minuis. Et si pecunias quidem oporteat congerere, non hoc dices, sed vndique congeris. Illic autem non sic. Et si scenerari oporteat, non dices, Cur alias quidem pauperibus, alias verò dabimus diuitibus? sed illis omnes. Hic autem vbi est tantum lucrum, non hoc reputas? & cessabis tandem temere impendere & consumere? At habet, inquis, hoc quoque lucrum. Quodnam dic quæso? Auger amicicias. Nihil est frigidius hominibus qui ex his fiunt amici. Ex mensa & saturitate parasitorum hinc solum oriuntur amiciciae. Ne contumelia & probro affeceris rem ad eum admirabilem, nempe charitatem: neque dixeris hanc esse eius radicem. Ut si arboris aurum ferentis & lapides pretiosos, radicem non diceret quispiam esse talem, sed nasci ex putredine. Hoc tu quoque facis. Nam si hinc nata fuerit amicicia, nihil ea fuerit frigidius. Sed illa mensa conciliant amicicias, non apud homines, sed apud Deum, eamque intensam, cum fuerint intensae. Nam qui alia quidem hic, alia verò illic consumit, etiam si multa dederit, nihil magnum facit. Qui autem omnia hic consumit, etiam si pauca dederit, totum efficit. Nam quod quaeritur, non est, multa ne dederit an pauca, sed an non minus quam ferre possint vires. Cogitemus eum qui quinque lucratus est talenta, & qui duo. Cogitemus eam quae duos misit obolos. Cogitemus viduam quae fuit tempore Eliae. Non dixit illa quae duos misit obolos, Quid enim obest si vnum quidem obolum apud me retinuerim, vnum autem dederim? sed totas suas dedit facultates. Tu autem cum tanta tibi suppetant copia, es illa parcior. Ne ergo nostram negligamus salutem, sed inuadamus eleemosynam. Nihil est enim ea melius & praestantius: idque ostendet tempus futurum. Interim autem ostendit etiam praesens. Ad Dei ergo viamur gloriam, & quae ei placent ea agamus, ut digni habeamur promissis bonis. Quae detur nobis omnibus consequi gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, &c.

ORATIO II.



DEO & nos ex qua die audiimus, non cessamus pro vobis orantes, & postulantes ut impleamini agnitione voluntatis eius, in omni sapientia & intellectu spirituali. ut ambuletis dignè Deo, per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei. Ideo, id est propter id. Propter quid? Propterea quod audiuius fidem vestram & charitatem. Quoniam bonam spem habetis, bonam quoque spem habemus vt & de futuris postulemus. Quomodo enim in certaminibus illos maxime excitamus qui sunt propinqui victoriae. Ita etiam Paulus eos maxime horatur qui se amplius rectè gesserunt. Ex qua die, inquit, audiuius, non cessamus pro vobis orantes. Non vnum diem pro vobis oramus, aut duos aut tres. Hic etiam ostendit charitatem, & paulatim tacitè significat eos nondum peruenisse ad finem. Hoc enim, Ut impleamini, est eius qui hoc significat. Vide autem mihi huius beati

Ex mensa diuitum non augetur amicitia.

Mat. 25. Marc. 3. Reg. 3.

Hominum est qui se amant plus rectè gaudent.

Per filium, non per Angelos saluati sumus.

1 Cor. 5.

Gal. 1.

beati prudentiam. Nusquam dicit eos toto esse priuatos, sed vbi que eos deficere. Hoc significat illud vt impleamini. Et rursus, Per omnia placentes, In omni opere bono. Et rursus, In omni virtute confortati. Et rursus, In omni patientia & longanimitate. Illud enim Omni, est eius qui suo testimonio aliquid tribuit iis qui se rectè gerunt, etiam si non vniuersum. Ut impleamini, inquit. Non vt accipiatis (acceperunt enim) sed vt impleamini eo quod vobis deest. Ita & reprehensio non fuit grauis, nec finit encomium vt deiciant animum & reddantur supini, cum fuerit integrum. Quid est autem, vt impleamini agnitione voluntatis eius? Per filium vos ad ipsum adduci. non vti que per Angelos. Atque quod oporteat quidem adduci, nouistis. Restat autem vobis vt hoc discatis, cur miserit filium. Si enim per Angelos nos oporteret esse saluos, non tradidisset filium. In omni sapientia, inquit, & intellectu spirituali. Nam quoniam ipsos decipiebant philosophi, volo vos, inquit, esse in sapientia spirituali, non secundum sapientiam hominum. Si autem vt discamus voluntatem, spirituali opus est sapientia: vt essentia quid sit discamus, opus est continuis precibus. Et hic ostendit quod ex illo tempore erat Paulus, & nondum perfecit, nec desistit. Illud enim, Ex qua die audiuiistis, hoc significat. Illis autem affert condemnationem, si ex illo tempore etiam precibus adiuti se minimè recreauerunt & ad se redierunt. Et postulantes, inquit, cum magno studio. Hoc enim ostendit, cognouistis, sed oportet etiam aliquid agnoscere, Vt vos, inquit, ambuletis dignè Deo. Hic de vita dicit & operibus. Nam hoc quoque facit vbi que. Fidei semper coniungit vitæ agenda rationem. Per omnia placentes. Quomodo autem, per omnia placentes? omni opere bono, fructificantes & crescentes in agnitione Dei. Sicut enim se totum nobis reuelauit, & sicut tantam accepistis cognitionem, ita & vitæ vestrae institutionem ostendit fide dignam. ea enim opus habet magna vitæ agenda ratione, & longè maiori quam verus. Nam qui Deum nouit, & dignus est habitus qui Dei esset seruus, imò verò filius, vide quanta opus habeat virtute. In omni virtute confortati. Hic dicit de tentationibus & persecutionibus. Oramus vt impleamini corroborati: ne torpescatis, neque animum despondeatis. Secundum potentiam claritatis eius. Sed vt accipiatis eam animi alacritatem, quam eius gloriae fortitudini decet stare. In omni patientia & longanimitate. Quod dicit est huiusmodi. Breuiter, inquit, oramus vt vos vitam agatis ex virtute, dignamque vestro viuendi instituto, fortiterque ac firmiter steter corroborati, vt consentaneum est à Deo esse corroboratos. Propterea interim nondum attingit dogmata, & in vita versatur, vbi nihil habet quod reprehendat: & cum eos laudasset propter ea quae oportebat, tunc accedit ad accusationem. Hoc vbi que facit, quando scribit ad aliquos. Si habeat aliquid quod reprehendat, & aliquid quod laudet, prius laudat, & tunc descendit ad crimina. Prius enim sibi conciliat & beneuolum reddit auditorem, & accusationem liberat ab omni suspitione. & ostendit se quidem velle omnino laudare, sed ad ea dicenda impelli à necessitate. Hoc etiam facit in priori ad Corinthios. Nam cum eos plurimum laudasset vt qui ipsum diligenter, tunc ab eo qui fuerat fornicatus descendit ad accusationem. In epistola autem ad Galatas non ita, sed contra. Imò verò si quispiam examinauerit, illa quoque est ex laude accusatio. Nam quoniam nihil poterat dicere quod ipsi rectè gessissent, & crimen erat vehemens, & fuerant omnes corrupti, &

A ferre poterant cum essent fortes, incipit ab accusatione, dicens, Miror. Quamobrem hoc quoque est encomium. Postea autem eos laudat, non propter presentia, sed propter praeterita, dicens, Si fieri potuisset, oculos vestros erutos mihi dedissetis. Fructificantes, inquit, Hoc de operibus. Confortati, Hoc de tentationibus. In omni patientia & longanimitate. Longanimitate seu lenitate inter se. Patientia aduersus externos. Longanimis enim ac lenis est quispiam in eos quos etiam potest vlcisari. Suffert autem ac tolerat eos quos non potest vlcisari. Propterea in Deo quidem nunquam dicitur patientia, longanimitas autem & lenitas saepe dicitur. Sicut hic ipse quoque beatus scribit alibi dicens, An diuitias bonitatis eius & tolerantiae & longanimitatis contemnis? In omni. Non nunc quidem, postea autem non. In omni, inquit, sapientia & intellectu spirituali. Aliter enim non licet eius agnoscere voluntatem. Atqui existimabant se eius habere voluntatem. Sed non erat spiritualis sapientia. Vt ambuletis dignè Deo. Hoc enim est via optimi vitæ instituti & rectæ conuersationis. Nam qui Dei didicerit benignitatem (didicerit autem si viderit traditum filium) habebit maiorem animi alacritatem. Alioqui autem non solum oramus vt discatis, sed etiam vt in factis ostendatis. Nam qui nouit nec tamen fecit, est etiam puniendus. Vt vos, inquit, ambuletis. Hoc est semper, non semel, sed perpetuo. Sicut enim ambulare nobis est necessarium, ita etiam rectè viuere: & id semper vocat ambulationem. meritò ostendens hanc esse vitam quae est nobis propostita. Sed mundana non est huiusmodi. Magnam autem dicit esse laudem, vos dignè domino ambulare, & in omni opere bono, vt semper crescatis, & nusquam sistatis, & metaphoricè fructum ferentes & crescentes in agnitione Dei, quoad eius fieri potest ab homine. Per potentiam eius. Magna consolatio. Non dixit virtutem aut potestatem, sed imperium ac dominatum, quod est maius. Per imperium, inquit, seu dominatum gloriae eius. quod vbi que gloria imperium & dominatum obtinet. Rursus est consolatus, quod cum in probro & dedecore essetis, rursus ambulastis dignè domino. De filio dicit illud, quod ipse vbi que imperium & dominatum obtineat & in caelo & in terra, quod eius gloria vbi que regnet. Non dixit tantummodo confortamini seu corroboramini, sed vt par est eos qui domino tam forti seruiunt, in Dei agnitione. Simul etiam attingit rationem cognitionis. Deceptum enim esse, est Deum non vt oportet nosse. Aut vt crescatis, inquit, in Dei agnitione. Nam si qui filium nescit, nec patrem quidem scit, meritò opus est agnitione. Nam absque ea nil prodest vita. In omni patientia & longanimitate, inquit, cum gaudio gratias agentes Deo. Deinde eos exhortaturus, non meminit eorum quae sunt eis recondenda: sed hoc quidem in initio tacitè significauit, dicens in initio, Propter spem quae reposita est vobis in caelis. Hic autem meminit eorum quae iam fuerunt. Haec enim sunt causae illorum. Hoc autem facit in multis locis. Nam quae iam fuerunt, fidem faciunt, & magis excitant auditorem. Cum gaudio, inquit, gratias agentes Deo. Haec est consequentia. Non cessamus orare pro vobis, & gratias agere propter priora. Vides quemadmodum ipse aggrediatur loqui de filio. Nam si cum magno gaudio gratias agimus, magna sunt quae dicuntur. Nam & gratiae agi possunt propter solum metum. Possunt etiam agi gratia ab eo qui est in mœrore. vt puta, Iob quidem agebat gratias, sed dolore affectus: & dicebat, Dominus dedit, Dominus abstulit. Ne dicas non dolore cum affectis

Galat. 4.

Rom. 2.

1 Cor. 5.

Gal. 1.

Gratias agunt propter multa. Iob. 1.

ea quæ facta fuerant, neque cum iniecit in animi ægritudinem, ne iusti magnum auferat encomium. Cum autem hæc finit huiusmodi, non propter metum, neque propter dominum tantum, sed etiam propter ipsam rerum naturam, *Gratias agimus ei qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.* Magnum est effatus. Talia sunt quæ data sunt, inquit, ut non solum dederit, sed etiam fortes fecerit ad accipiendum. Quod autem dixit, Sufficientes fecit, magnum pondus ostendit. Ut si quispiam Rex factus fuerit, potest cui velit dare præfecturam, & hanc solum ei potest dare dignitatem, sed non cum reddere aptum & idoneum ad gerendum magistratum. Sæpe autem eum etiam ridiculum facit honor. Si autem eum dignitas aptum fecerit ad honorem, & idoneum ad administrationem, tunc ea res est honor. Hoc ergo hic quoque dicit, quod non solum nobis dederit honorem, sed etiam fortes fecerit ad accipiendum. Duplex ergo est hic honor, quod etiam dono aptos fecerit & idoneos. Non dixit solummodo, Qui dedit, sed etiam, Qui sufficiens & idoneos fecit in partem sortis sanctorum in lumine. Hoc est, Qui nos collocavit cum sanctis. Sed non solum dixit, Qui collocavit, sed etiam qui præbuit ut iisdem frueremur. Pars est enim illud quod unusquisque accipit. Potest enim esse ut quispiam sit in eadem ciuitate, non autem fruatur iisdem. Ut autem eandem habeat partem, & non fruatur iisdem, minimè esse potest. Fieri potest ut sit in eadem sorte, & non eandem habeat partem. Ut in sorte sumus omnes, sed non eandem habemus partem. Hic autem non hoc dicit, sed etiam partem cum sorte. Cur vocat sortem? Ostendens quod ex bonis suis actionibus & rectè factis nemo regnum assequitur. Sed quomodo fors est potius, boni euentus, ita hic quoque. Nullus enim ostendit talem vitæ suæ institutionem & gestionem ut dignus habeatur regno, sed totum est eius doni. Propterea dicit, Cum omnia feceritis, dicite, Serui inutiles sumus. Nam quæ debuimus facere fecimus. In partem sortis sanctorum in lumine. Et futuro dicit & præsentem, hoc est cognitionem. Videtur autem mihi simul dicere & de præsentibus & futuris. Deinde ostendit ea quibus digni sumus habiti. Sed etiam addendum est quoniam cum essemus, non sunt enim paria. Quod quidem facit etiam in epistola ad Romanos. Vix enim pro iusto quis morietur. Pro bono enim fortasse quis audeat mori. *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum,* inquit. Eius est vniuersum, & hæc dare & illa. Nusquam enim nostrum est quod rectè geritur. De potestate tenebrarum, inquit. Hoc est ab errore, à diaboli tyrannide. Non dixit, A tenebris, sed à potestate. In nos enim magnam habuit potestatem, & in nos dominatum obtinuit. est enim grave vel solum, esse sub diabolo. cum potestate autem, est hoc quoque grauius. *Et transtulit,* inquit, *in regnum filij dilectionis suæ.* Non ergo solum in liberatione à tenebris ostendit suam benignitatem. Atque magna quidem res est liberasse à tenebris, in regnum autem etiam introduxisse, est multò maior. Vide ergo quàm multiplex sit donum. Primum quod in imo iacentes nos liberauerit. Secundum, quod non solum liberauerit, sed etiam in regnum transtulerit. Qui eripuit nos, seu liberauit. Non dixit, eiecit, sed liberauit, ostendens magnam nostram afflictionem & miseriam, & illorum captiuitatem. Deinde potentiam Dei facilitatem. Et transtulit, inquit. Non dixit autem traduxit, neque transposuit. Totum enim fuisset eius qui erat transpositus, non eius qui transferat. Sed transtulit, inquit. Quamobrem & nostrum est, & eius. In regnum filij

dilectionis suæ. Non dixit solum regnum cælorum, sed splendidiorem & grauiorem reddidit orationem, dicens, Regnum filij. eo enim non est maius encomium. Quod etiam dicit alibi, Si sustineamus, & conregnabimus. Iisdem nos dignatus est quibus filium. Nec hoc solum, sed est etiam intentio, Dilecti. Eos qui erant inimici, qui obtenebrati, repente transtulit ubi erat filius, & in eundem in quo ille erat honorem. Nec hoc solo fuit contentus, ut magnum ostenderet donum. Non satis habuit dixisse regnum, sed addidit etiam, filij: nec hoc solum, sed etiam dilecti: nec hoc tantum, sed etiam honorè & decus natura. Quid enim dicit? Qui est imago Dei inuisibilis. Sed nõ statim ad id venit, sed interiecit collatum in nos beneficium. Nam ne audiens quod totum sit patris, existimes extrà esse filium, dat totum filio, & totum patri. Nam ille quidem transtulit, sed hic causam præbuit. Quid enim dicit? Qui eripuit nos ex potestate tenebrarum. Idem autem est, *In quo habemus redemptionem, remissionem peccatorum.* Si enim remissa non essent peccata, non essemus hinc translati, Ecce rursus hic illud in quo. Et non dicit Græcè *ἀπολύτρωσιν*, quod minus est, sed *ἀπολύτρωσιν*, id est plenâ & perfectam redemptionem. ne amplius corruamus, neque efficiamur mortales. *Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ.* In quæstione incidimus hæreticam. Propterea hodie differentes, eam cras oportet addere, vestris recentibus afferentes auribus. Si quid autem filij oportet amplius dicere, maius est opus filij. Nam illud quidem fieri non potest, ut manentibus in peccatis det regnum. Hoc autè est facilius. Quamobrem ad donum viam munit. Quid dicit? Ipse tibi peccata remisit: ergo te quoque adduxit. Iam prius tanquam fundamentum iecit radicem dogmatis. Interim autem cum illud dixerimus, finem imponemus huic orationi. Quidnam autem hoc est? Quod tantum assecuti beneficium, eius semper debemus meminisse, & Dei donum in nobis perpetuò versare, à quibusnam liberati, & quænam adepti sumus cogitare, & sic grati erimus. Sic charitatem in eum intendemus. Quid dicitis ô homo? Vocatus es ad regnum. Ad regnum filij Dei, hiis que totus & oscitas, fricas que & scalpis, & torpescis? Si enim vel in mille mortes te oporteret infilire quotidie, non essent omnia sustinenda? Sed ut magistratum quidem assequaris, nihil non facis: vnigeniti autem regni futurus particeps, non in mille enses infilis: non in igne te iniicis? Et hoc nõdum est graue, sed quod etiam excessurus, lamentaris: & hic lubenter versaris, cum sis amator corporis. Quid verò, etiã mortem censens esses terribilè? Huius rei causa sunt deliciae & otium. Nam qui vitã degit acerbã, vel alatus esse cuperet & hinc discedere. Nunc autè hoc ipsum nobis vsuenit quod pullis, qui molles redduntur & teneri in nido volentes manere perpetuò: sed quò diutius mãserint hoc sunt imbecilliores. Nidus enim est vita præsens, conglutinata ex paleis & luto. Etiã mihi magnas ædes ostèderis, & ipsas regias multo auro & gemmis fulgètes, existimabo eas nihil differre à nidis hirudinũ. Nã cum hyems aduenerit, omnia sua sponte fugient. Hyemem autè appello illum diem, quæ non est hyems omnibus. Nam Deus quoq; noctem & diẽ simul appellat, illud quidè, ad peccatores: hoc verò, respiciens ad iustos. Ita ego nunc quoque eũ voco hyemẽ. Si æstate non fuerimus bene enutriti, ut possimus volare cū hyems aduenerit, nõ accipient nos matres, sed nos fame sinet encari, aut nido cadente interire. Nã sicut nidũ, imò verò eo facilius, omnia tũc expurgat Deus, omnia destrues reparansque & cõponens. Inuolucres autè, & qui non possunt

Pars est illud quod unusquisque accipit.

Luc. 17.

Rom. 5.

Doni Dei est magnũ quod nos & liberauerit, & in regnum transtulit.

Nidus quid est vitæ præsens.

Si non sit iudicium, quod te sequantur absurdã.

possunt ei obuiam fieri in aere, sed adeò sordidè & illiberaliter sunt educati ut leues pennas habere non possint, ea patientur quæ consentaneum est eos pati qui sic sunt affecti. Atque hirundinum quidem nidus cum ceciderit, citò perit. Nos autem non perimus, sed perpetuò punimur. Hyems erit quod tunc erit tempus, imò verò hyeme grauius ac molestius. Non enim trahuntur torrentes aquæ, sed fluuij ignis. Non existunt tenebræ è nubibus, sed tenebræ indissolubiles, & luce penitus carentes: adeò ut neque cælum videant nec aërem, sed in maiores redigantur angustias quàm qui infossi sunt in terra. Hæc sæpe dicimus, sed non persuademus aliquibus. Sed non est mirum, si nobis qui sumus viles & abiecti homines hæc accidunt, cum hæc etiam acciderent Prophetis, non de his solum rebus differentibus, sed de bello & captiuitate: & Sedechias argueretur ab Hieremia, nec afficeretur pudore. Propterea dicebant Propheta: Væ qui dicunt, Appropinquant citò quæ faciet Deus ut videamus, & veniat consilium sancti Israël; ut cognoscamus. Ne hoc miremur. Nam & qui erant tempore arcæ, non credebant: sed crediderunt, quando nullum erat lucrum fidei. Neque qui erant Sodomis, expectarunt: sed ipsi quoque crediderunt, quando nihil eis profuit. Et quid dico de futuris? Quis expectasset ea quæ nunc fiunt in diuersis locis? Terræ motus, & vrbium euersiones. Atqui hæc erant illis magis credibilia, Quàm arca, inquam. Vndènam hoc constat? Quod illi quidem non potuerunt aliud exemplum aspicere, neque scripturas audierunt. Hic autem sunt innumerabilia, quæ & nostris facta sunt temporibus & præcedentibus. Sed vndènam processit eorum incredulitas? Ex molli & ignaua anima. Bibebant & comedebant, & propterea non credebant. Nam quæ vult quispiam, ea & putat, ea & expectat: qui autem contradicunt, sunt nugæ. Sed ne hoc nobis accidat, non enim erit amplius diluuium, neque ad mortem vsque punitio: sed suppliciorum initium est mors, non credentium quod sit iudicium. Et quis, inquit, hæc narravit, & hæc dixit? Si ludens quidem hæc dicit, ne sic quidem rectè. non est enim ludendum in rebus huiusmodi. Non enim ludimus in ludicris, sed in rebus periculosis. Si autem cum re vera ita te habeas, non existimas post hæc esse aliquid, quomodo dicit te esse Christianum? Nulla enim à me habetur ratio eorum qui sunt extrà. Cur lauacrum accipis? Cur ecclesiam ingredieris? Non enim pollicemur principatus & magistratus: tota spes nobis est in futuris. Quid ergo accedis? Si non credis scripturis: si non credis Christo. Non dixerim eum esse Christianum, absit: sed vel ethnicis deteriorum. Qua de re? Eo quod Christum existimans esse Deum, non credis tanquam Deo. Nam illi quidem consequentiæ adiuncta est impietas. Eum enim qui Christum non existimat esse Deum, necesse est nec credere. Ipsa autem impietas ne habet quidem consequentiam, Deum confiteri, & existimare eum non esse de fide dignum de iis quæ dixit. Ebrietatis sunt hæc verba, deliciarum & libidinosa intemperantia: Comedamus, & bibamus. cras enim morimur. Non cras, sed quando hæc dicitis, iam estis mortui. Nihil ergo differemus à porcis & asinis, dic quæso. Si enim non est iudicium, neque merces ac remuneratio, neque tribunal, quamobrem sumus hoc ornati dono, nempe ratione, & omnia habemus subiecta? Cur nos quidem imperamus, illa autem parent? Vides quemadmodum vndique vrget & incitat diabolus, ut nobis persuadeat Dei donum ignorare. Seruos miscet cum dominis, sicut quidam plagiarius, & seruus ingratus, nititur ingenuum ad eandem deducere vilitatem & abiectiõnem,

A ad quam deductus est is qui offendit: & videtur quidem de medio tollere iudicium, tollit autem quod sit Deus. Semper enim talis est diabolus. Fraudibus dolisque & insidiis, non directò proponit omnia, ut caueamus. Si non est iudicium, Deus non est iustus. Secundum hominem dico. Si Deus non est iustus, nec est Deus. Si Deus non est, temerè feruntur omnia, nihil est virtus, nihil vitium. Sed nihil horum dicit apertè. Satanicæ cogitationis vidisti animum? quemadmodum ex hominibus velit nos bruta facere, vel potius feras ac bestias, imò verò dæmones. Ne ergo persuadeamur. Est enim iudicium, ô miser & infœlix! Scio vndènam venias ad hæc dicenda. A te multa admissa sunt peccata. offendisti: non est tibi dicendi libertas & fiducia: existimas rerum naturam tuis esse verbis consequentem. Interim, inquit, non cruciabo animam gehennæ expectatione: & si sit, ei non esse persuadebo. Interim me dedam deliciis. Cur peccatis addis peccata? si cum peccatis credideris esse gehennam, abibis luens pœnam peccatorum. Sin autem hoc quoque impium addideris, & impietatis & huius cogitationis vltimum dabis supplicium, & quæ tibi frigida & vana fuerit consolatio, erit tibi argumentum perpetui supplicij. Esto, peccasti. Quid alios quoque hortaris ad peccandum, dicens non esse gehennam? Quid decepti simpliciores? Cur populi manus dissoluis & enervas? Quantum quidem in te est, omnia sunt euersa. Neque viri probi & ex virtute viuentes erunt meliores, sed ignaui ac desides: neque mali desistent à vitio. Nam si alios corrumpamus, non habemus veniam peccatorum. Non vidisti quemadmodum diabolus aggressus sit profertere & deicere Adam? An ei data est venia? Maior quidem certè hinc fuit occasio supplicij, ut non pro propriis, sed pro alienis peccatis puniatur. Ne ergo existimemus, quod alios conuertamus ad eundem qui est nobis paratus interitum, nos nobis mitius facere iudicium. Hoc ipsum quidem certè faciet grauius & asperius. Quid nos ipsos protrudimus & perdimus? Hoc totum est Satanicum. Homo peccasti. Benignum & clementem habes dominum, roga, supplica, lacrymare, ingemisce, & alios terre, & pete ne in eadem incidas. Dic mihi, si quispiam cum esset seruus eorum qui offenderunt, diceret filio suo, Fili, ego offendi Dominum: tu da operam ut ei placeas, ne eadem tibi accidat: non aliquam assequetur veniam? non frangat & fleat Dominum? Sin autem his missis verbis illa dicat: Quid existimas dominum de hoc sentire? Quod reddet vnique pro meritis: quod non temerè & bona & mala confundit? in hac domo nulla habetur gratia: is non peccatorum suorum maiores dabit pœnas? Meritò. Nam illic quidem excusabit animi motus & perturbatio, etsi debiliter. Hic autem nullus. Si ergo nullum alium, eum quidem certè imitare diuitem qui in gehenna dicebat, Pater Abraham, mitte ad cognatos meos, ne veniant in hunc locum, quoniam ipse abire non poterat, ne in illa ipsa incidant. Abstineamus ab his verbis Satanicis. Quid ergo, inquit, quando nos rogant Græci seu ethnici. Non vis illos curare? Sed cum Christianum inieceris in dubitationem, prætextu curandi Græci, vis dogma confirmare Satanicum. Nam quoniam ipse sola loquens anima de his non persuades, alios testes vis adducere. Si autem cum Græco oportet differere, non est hinc sumendum initium disputationis, sed An Christus sit Deus & Dei filius. An dæmones qui sunt apud illos, sint Dei. Sin hæc fuerint confirmata, omnia sequuntur alia. Priusquam autè positum sit principium, vanum est differere de fine. Priusquam prima elementa didiceris,

Esa. 5. Amos.

Incredulitas vnde procedat.

Luc. 16.

Græci credunt esse iudicium, sed anima à corpore separata.

est superuacuum & inutile ad finem venire. Non credit Græcus iudicio, & ei idem quod tibi accidit. Nam ipse quoque habet multos qui de eo sunt philosophati, etiam si hoc dixerint corpore separato ab anima: sed tamen constituit iudicium, & res est tam clara ut nemo ferè hoc ignoret: sed & poëta & omnes inter se consentiant, & de tribunali & de iudicio. Quamobrem ille quoque suis primis non credit: & Iudæus de his non dubitat nec omnis homo. Quid ergo nos ipsos decipimus? Quid Deo dices qui sigillatim finxit corda nostra, qui quæ sunt in cogitatione nouit omnia: qui uiuit & operatur. & magis incidit quàm quiuis gladius anceps? Nam dic mihi per veritatem, non tu te ipsum condemnas? Et quomodo casu orta est sapientia, ut ipse qui peccat seipsum condemnet? Hoc enim est magnæ sapientiæ. Tu te ipsum condemnas. Qui autem hanc tibi dat mentem & cogitationem, sinet omnia ferri temerè? Sit ergo hæc regula & definitio in genere, & vniuersè. Nullus ex iis qui uiuunt in virtute, non credit sermoni de iudicio, etiam si sit Græcus, etiam si hæreticus. Nullus ex iis qui in multo versantur vitio, præter paucos, admittit sermonem resurrectionis. Et hoc est quod dicit Psalmographus: Auferuntur iudicia tua à facie eius. Quare? Quoniam prophantur viæ eius in omni tempore. Comedamus enim, inquit, & bibamus: cras enim morimur. Vides quòd hæc dicere sit vilium & abiectorum. Ab esu & potu sunt hæc verba quæ euertunt resurrectionem. Non fert enim, non fert anima iudicium conscientia, & perinde est atque si parricida cum prius sibi suggesserit fore ut non capiatur, deinde sic occidat. Nam eum iudicante conscientia, non citò venisset ad audendum suscipere facinus. Et scit ergo, & præ se fert se ignorare, ne torqueatur à conscientia & metu. Re vera enim euassisset imbecillior ad cædem. Ita certè & qui peccant, & qui quotidie voluntantur in ipsis malis, nolunt scire, quamquam eorum obliuiscite conscientia. Sed ne illis attendamus. erit enim omnino iudicium & resurrectio. Neque tam multa opera frustra dimittit Deus. Quamobrem rogo, abstinentes à vitio, virtutem amplectamur, ut verum accipiamus sermonem in Christo Iesu domino nostro. Quamquam quid est facilius, admittere quod dicitur de resurrectione, an quod dicitur de fato? Hoc plenum est iniustitia, plenum insipientia & egestate rationis, plenum crudelitate, plenum inhumanitate. Illud est plenum iustitia, distribuens pro meritis: & tamen ipsum non admittunt. Causa autem est otium & segnitias. Nullus enim qui sapit, hoc admittit. Nam & inter Græcos, qui voluptatem definiens finem esse dicunt, illi ipsum admiserunt. Qui autem virtutem amauerunt, nequaquam: sed expulerunt, tanquam quod careat ratione. Si hoc autem ita habet inter Græcos, multò magis ita habet in ratione resurrectionis. Considera autem mihi contrà, quomodo duo contraria introduxerit: nempe ut virtutem quidem negligamus, necessitatem introduxit diabolus; & ut prompto & alacri animo colamus dæmones, per duo etiam contraria persuasit. Quamnam ergo poterit dare rationem, qui non credit rei adeò admirabili, & credit iis qui illa nugantur? Ne ergo, ne hæc te consolatio nutriat, quòd veniam assequeris: sed nos conuersos excitemus ad virtutem, & verè Deo viuamus. In Christo Iesu domino nostro, cum patre, &c.

Psal. 9.

1. Cor. 15.

Resurrectio facilius admittenda quam factum.

ORATIO III.
VI est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnium creaturæ: quoniam in ipso condita sunt vniuersa, in caelis & in terra, visibilia & inuisibilia. Siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt. Et ipse est ante omnia. & omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis ecclesie. Hodie necesse est reddere debitum, quod heri distuli, ut id recētibus ac vegetis vestris obijciā cogitationibus. De filij dignitate differens Paulus hæc dicit, sicut etiam ostendimus, Qui est imago Dei inuisibilis. Cuius ergo vis eū esse imaginem Dei. Est ergo immutabilis, qui est supra omnem magnitudinē. Nam si dixit quidē tanquā imago hominis, iam ab eo discedam tāquam ab insano. Sin autem tanquam Deus & Dei filius, Dei est imago, ostēdit immutabilitatem. Cur autem nusquam neque imago neque filius appellatus est Angelus, sed homo utriūque? Quamobrem? **Quoniam illic quidē naturæ sublimitas citò multos iniecit in hanc impietatem. Hic autē utilitas & abiectio spōdet rem fore in tuto, & ne volētes quidem finit tale quid suspicari, & sermonem deprimere. Propterea vbi multa quidē erat humilitas, confidenter scriptura ponit honorem. Vbi autē maior est natura, nequaquam. Eius qui est inuisibilis naturā, est ipsa quoque inuisibilis, & similiter inuisibilis. Nam imaginem, quatenus est imago, etiam apud nos oportet esse immutabilem, ut pote à characteribus & similitudine. Sed hic quidem hoc nequaquam potest fieri. ars enim humana sæpe non assequitur, imò verò nunquam, si accuratè examines. Vbi autem est Deus, ars nunquam excidit & aberrat, neque vllus vnquā est lapsus. Si autem est creatura, quomodo est imago eius qui creauit? Neque enim equus est imago hominis. Si eius qui est inuisibilis immutabilitatem non ostendit imago, quid prohibet etiam Angelos esse imaginem? Nam ipsi quoque sunt inuisibiles, sed non sibiipsis. At anima est inuisibilis. Sed ex eo quòd est inuisibilis, non est propterea absolutè imago, & non sicut ipse est, sunt etiam Angeli imagines. Primogenitus omnis creaturæ. Quid verò inquit, ecce est creatus? Vnde id colligis, dic quæso? Quoniam dixit Primogenitus. Atqui non dixit primocreatus, sed primogenitus. Deinde multa eum dici esset consentaneum. Nam & eum fratrem oportet dicere in omnibus, & ei adimere opificium, & eum neque auctoritate, neque vilo alio præcellere. Nam primogenitus non est dignitatis aut honoris, neque vllius alterius, sed solum temporis. Quid significat Primogenitus? Creatus est, inquit. Rectè. Si hoc ita est, habet etiam fratres. Ceterum qui est primogenitus, est eiusdem essentia, cuius ea quorum est primogenitus. Dixit enim, Omnis creaturæ. Ergo & lapidum & meus primogenitus est Deus Verbum. Alioqui, dic quæso, Primogenitus ex mortuis quid significat? Non quòd primus resurrexit. Non enim dixit mortuorum, sed primogenitus ex mortuis. Neque dixit eum primum esse mortuum, sed primogenitum surrexisse ex mortuis. Quamobrem nihil aliud significat, quàm cum fuisse primitias resurrectionis à mortuis. Ergo nec hinc. Deinde aggreditur ipsum dogma. Nam ne existimarent eum esse recentiorem, eo quòd olim quidem adducerentur per Angelos: nunc autem per ipsum, ostendit primum eos nihil potuisse. Non enim ipse abduxisset è tenebris. Secundum autem, quòd sit ante ipsos. Quòd autem sit ante ipsos hoc vtitur argumento, quòd ipsi per eum sint creati. Quoniam in ipso, inquit, condita sunt omnia. Quid hic dicunt asseclæ Pauli Samosatensis? Ea quæ sunt in caelis, de quo quidem erat dubium, primum posuit**

Imago Dei dicitur immutabilis.

Primogenitus sit.

Pauli Samosatensis hereticus ueracius.

Dei filius est vbi que primus.

posuit, & quæ sunt in terra. Deinde dicit, Visibilia, & inuisibilia, ut anima facta est in cælo. Visibilia, ut homines, Elias, Paulus. Siue throni, inquit: & id quidem de quo constat dimittit. Ponit autem id de quo dubitatur. Siue throni, inquit, siue dominationes. Siue principatus, siue potestates. Illud siue, & comprehendit vniuersum: sed & ostendit minora ex maioribus. Spiritus autem non est cum potestatibus. Omnia, inquit, per ipsum, & in ipso creata sunt. Ecce illud in ipso, est per ipsum. Nam cum dixisset in ipso, subiunxit per ipsum. Illud autem in ipsum, quid est? Hoc est in ipsum pendet omnium substantia. Non solum ipse ea ex nihilo ad hoc ut essent deduxit, sed ipse quoque ea nunc continet. Quamobrem si essent diuilla ab eius prouidentia, interiissent. Sed non dixit, Continet, quod erat crassius, sed quod est subtilius, in ipsum pendet. Solum ad eum annuere & inclinari, sufficit ad continendum & constringendum. Sic etiam primogenitus est tanquam fundamentum. Hoc autem non significat creaturas esse eiusdem essentia, sed in ipso esse omnia, & per ipsum. Nam Paulus quoque quando dicit, Fundamentum posui, non dicit de essentia, sed de operatione. Nam ne existimes ipsum esse ministrum, dicit ipsum ea continere, quod non est minus quàm fecisse. Quamquam in nobis est etiam maius. Nam illud quidem ars inducit: hoc verò nequaquam, neque continet quod interit. Et ipse est ante omnes, inquit. Hoc est Deo conueniens. Vbi est Paulus Samosatensis? Et omnia in ipso constant. Hoc est, in ipsum sunt condita. Assidue eadem versat, verborum continuatione, tanquam crebris quibusdam ictibus, perniciosum dogma euerrens radicatus. Nam si & tam multa dicta sunt, & post tantum tempus exortus est Paulus Samosatensis, multò magis, si hæc non fuissent prædicta. Et omnia, inquit, in eo constant. Quomodo constant in eo qui non est? Quamobrem & quæ per Angelos fiunt, eius sunt. Et ipse est caput corporis ecclesie. Deinde cum dixisset de dignitate, deinceps dicit de benignitate. Non dixit autem plenitudinis, idem quidem significans. Volens autem ostendere eum nobis esse coniunctiorem, quòd qui & sic est supra, & superior est omnibus, iis se coniunxit qui sunt infra omnia. Vbi que enim primus est supra. In ecclesia primus, est enim caput. In resurrectione primus. Hoc est, ut ipse sit primas partes tenens. Quamobrem in generatione quoque est primus. Et hoc est quod Paulus maxime itudet ostendere. Nam si hoc fuerit probatum quòd esset ante omnes Angelos, illud quoque simul inferretur, quòd quæ erant illorum ipse faciebat imperans. Et quod est admirabile, in posteriori generatione contendit ipsum primum ostendere. Atqui alibi primum, dicit Adam, sicut est re vera. Sed accepit ecclesiam pro vniuerso genere hominum, est enim ecclesie primus. Et hominum quidem tanquam creaturæ primus est secundum carnem. & propterea hinc ponit primogenitum. Quid est hic primogenitus? Qui primus est creatus, aut qui resurrexit ante omnes, sicut & illic, qui est ante omnes. Et hic quidem posuit primitias, dicens, *Qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit ipse primatum tenens.* Ostendens quòd alij quoque sunt eiusmodi. Illic autem non est primitia creaturæ. Et illic quidem est imago Dei inuisibilis, & tunc primogenitus. *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, & per eum reconciliare omnia in ipso, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in caelis sunt.* Quæcunque, inquit, sunt patris, ea quoque sunt filij, idque maiori studio, quòd & fuerit mortuus, & nobis se-

Chrysol. tom. 4.

ipsum vniit. Primitias autem dixit tanquam de fructu aliquo. Non dixit resurrectio, sed primitia, ostendens quòd nos omnes sanctificari, & tanquā sacrificium obtulerit. Plenitudinem. Alij quidē diuinitatis, inquit, sicut dicebat Ioannes, De plenitudine eius nos omnes accepimus. Hoc est, si quid erat filius, verbum illic habitauit. non operatio aliqua, sed essentia. Non potest vllam dicere causam nisi Dei voluntatem. Hoc enim est, in ipso complacuit, & per eum omnia reconciliare in ipso. Ne existimes quòd serui partes susceperit, in seipso, inquit. Atqui alibi dicit quòd Deo reconciliat. sicut in epistola ad Corinthios scribens, dicebat. Rectè autem dixit, Per eum reconciliare. Iam enim erant reconciliati, sed perfectè, ut non essent amplius ei inimici. Non enim data est solum reconciliatio, sed etiam modus reconciliationis. Pacificans per sanguinem crucis eius. Inimicitias quidem ostendit, Reconciliare. Bellum autem, Pacificans, per sanguinem, inquit, crucis eius in ipso: siue quæ in terris, siue quæ in caelis sunt. Magnum quidem est reconciliare. Per ipsum autem, maius. & eò maius est per sanguinem eius. Et non solum sanguinem, sed quòd est eò maius, per crucem. Quamobrem quinque sunt admirabilia, Deo reconciliauit, per seipsum, per mortem, per crucem. Papæ! quomodo rurius miscuit? Nam ne existimares vnum esse, neque crucem esse aliquid per se, dicit per seipsum. Quomodo sciunt hoc esse magnum, quòd non verbis, sed seipso dato pro reconciliatione, sic omnia effecit? Quid est autem illud, Quæ in caelis? Nam quæ in terra quidem sunt, meritò. Repleta enim erant inimicitias, & diuisa erant in multa, & vnusquisque nostrum secum dissidebat & cum multis. Quæ autem sunt in caelis quomodo pacificauit? Illic quoque erat bellum & pugna. Et quomodo oramus dicentes, Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra? Quid ergo est? Abscissa erat terra à cælo, bellum gerebant Angeli aduersus homines, videntes suum dominum probro & contumelia affectum. Dicit omnia instaurari in Christo, quæ sunt in caelis, & quæ sunt in terra. Quomodo ea quæ sunt in caelis? Illuc commigrare fecit hominem: inimicum qui odio habebatur illis reddidit. Non solum quæ sunt in terra fecit pacem agere, sed ad ipsos sustulit hostem & inimicum. Hoc pax profunda. Angeli de cætero rursus cernuntur in terra, quoniam homo quoque apparuit in cælo. Mihi autem videtur ea de causa fuisse raptus Pauli, & ut ostenderet quòd filius quoque illuc est assumptus. Nam in terra pax est duplex, & cum cælestibus, & inter se. In caelis autem simplex. Nam si propter vnum peccatorem poenitentiam agentem lætantur Angeli, multò magis propter tam multos. Hæc omnia effecit Dei virtus. Cur ergo, inquit, Angelis confiditis? Tantum enim abest ut illi vos adducant & accessum præbeant, ut etiam bellum gesserint, nisi vos Deus ipse illis reconciliaffet, pacem non egissetis. Quid ergo ad illos accurritis? Vis scire quantum Angelorum esset in nos odium, & quomodo nos semper auersantur? Mittuntur ad supplicium aduersus Israëlitas, aduersus Dauid, aduersus Sodomitas, aduersus vallem Iuctus. Sed non nunc. Sed contrà, in terra canebant valde lætantes, & hos deduxit ad ipsos: & homines illuc sustulit. Et mihi contemplare id quod est præter opinionem. Hos primos huc deduxit, & tunc hominem ad eos sustulit. Cælum facta est terra, quoniam quæ erant terræ cælum erat suscepturum. Propterea gratias agētes dicimus, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas. Ecce, inquit, apparuerunt etiam homines de cætero bene placentes. Quid est bene placitum? Reconciliatio.

Ioan. 1.

1. Cor. 15.

Ephes. 1.

Paulus cur raptus in cælo.

Luc. 2.

1159 DIVI IOANNIS CRYSTOSTOMI COMMENTARII

1160

Matt. 18.

Gen. 18. Dæmonē suum habet etiam quilibet fidelis.

Matt. 10. Luc. 10.

Ioan. 14. Pacem omnibus precatur is qui præest ecclesiæ.

Matt. 5.

Matt. 18. Ibidem.

Pax vobis & pax omnibus in iurgia.

Non est amplius cælum paries intermedius. Primò, A congruentes numero gentium erant Angeli. Nunc autem non congruentes numero gentium, sed congruentes numero fidelium. Vnde hoc constat? Audi Christum dicentem. Videte ne despiciatis vnum ex istis pusillis. Angeli enim eorum perpetuò vident faciem patris mei qui est in cælis. Vnusquisque enim fidelis habet Angelum. Nam etiam ab initio vnusquisque vir probus habebat Angelum, sicut dicit Iacob. Angelus qui pascit me & liberat me à iuventute mea. Si ergo habemus Angelos, modè est nos geramus tanquam nobis adsint quidam pædagogi. Nam adeest etiam dæmon. Propterea oramus, & dicimus petentes Angelum pacis, & semper pacem petimus. Nihil enim potest ei acquiparari. In ecclesiis pacem, in supplicationibus, in salutationibus, & semel, & bis, & ter, & sæpe eam dat is qui præest ecclesiæ dicens, Pax vobis. Quamobrem? Quoniam ipsa est mater omnium bonorum, ipsa est gaudij materia & argumentum. Propterea Christus quoque Apostolis domos ingredientibus hoc iussit statim dicere tanquam aliquod bonorum symbolum. Intrantes enim, inquit, domos, dicite, Pax vobis. Nam si ea non sit, omnia sunt superuacanea. Et Christus dicebat discipulis, Pacem dimitto vobis, pacem meam do vobis. Ipsa viam munit ad eharitatem. Et non dicit qui præest ecclesiæ, Pax vobis solummodo, sed pax omnibus. Quid enim, si cum hoc quidem pacem habeamus, cum illo autem bellum & pugnam, quid lucri referemus? Neque enim in corpore, si ex elementis alia quidè quiescant, alia verò seditionem agitent, fieri potest vt vnquam consistat sanitas, sed per bonum omnium ordinem, & consensum, & pacem: & si non omnia quiescant, & in suis maneant terminis, omnia euertentur. In nostra quoque mente nisi omnes quiescant rationes, pax non erit. Tale bonum est pax, vt filij Dei vocentur eius effectores & opifices. Et meritò. Nam Dei filij ideo quoque venit in terram, pacificaturus quæ in terra, & quæ in cælis. Si autem pacifici sunt filij Dei, qui res novas student facere, sunt filij diaboli. Quid dicit, Lites & pugnas immittis? Et quis est, inquit, adeò infelix? Sunt enim multi latantes malis, & Christi corpus magis diserpentes, quam milites id lancea dissecabant, aut Iudæi clauis dissoluebant. Illud hoc minus est malum. Illa membra dissecta rursus coaluerunt. Hæc autem auulsa, nisi hic rursus fuerint coniuncta, non coniungentur amplius, sed manent extra ecclesiæ plenitudinem. Cum voles cum fratre bellum gerere, cogita te belligerari cum membris Christi, & desine furere. Quid enim si is est abiectus, si vilis, si contemnendus? Non est, inquit, voluntas coram patre meo vt pereat vnus ex his pusillis. Et rursus, Angeli eorum perpetuò vident faciem eius qui in cælis est. Deus propter ipsum & seruus factus est, & fuit occisus. Tu autem eum nihil esse existimas. Tu ergo in hoc quoque cum Deo pugnas, contrariam ei ferens sententiam. Cum ingressus fuerit is qui præest ecclesiæ, statim dicit, Pax omnibus. Quando sermonem facit ac concionatur, Pax omnibus. Quando benedicit, Pax omnibus. Quando iubet salutare, Pax omnibus. Quando peractum fuerit sacrificium, Pax omnibus. Et rursus in intermedio, Gratia vobis & pax. Quomodo ergo non absurdum, si toties audientes habere pacem, inter nos bellum geramus? Accipientes & reddentes, cum eo qui dat pacem, bellum gerimus. Dicis, Et spiritu tuo, & eum foris calumniaris? Hei mihi, Quæ sunt ecclesiæ honesta ac veneranda, facta sunt figuræ tantum rerum, sed non aliqua veritas. Hei mihi, vsque ad verba manent symbola horum castrorum. Vnde etiam ignoratis cur

dicatur, Pax omnibus. Sed audite deinceps quid dicat Christus, In quamcunque autem ciuitatem aut vicum ingressi fueritis, intrantes domum salutate ipsam. Et si domus quidem sit digna, veniat pax super ipsam. Sin autem non sit digna, pax vestra ad vos reuertatur. Propterea nescimus, quia verborum figuram hæc esse existimamus, aut ne mente quidem assentimur. Num ego enim, ego do pacem? Christus est, per nos loqui dignans. Etiam si omni alio tempore sumus vacui gratia, non tamen sumus nunc propter vos. Nam si in alium & in vatem operata est Dei gratia propter dispensationem & Israëlitarum vtilitatem, est perspicuum quòd nec in nos recusabit operari, sed hoc quoque propter nos sustinebit. Nemo ergo dicat me esse imperfectum, vilèmq; & abiectum & nullius pretij, & ita me attendat & obseruet. Sum enim talis. Sed semper solet Deus propter multos iis etiam adesse qui sunt huiusmodi. Et vt rem sciatis ita habere. Dignatus est loqui cum Cain propter Abel, cum diabolo propter Iob, cum Pharaone propter Ioseph, cum Nabuchodonosor propter Danielelem, cum Baltasar propter eundem. Porro autem Magi quoque assecuti sunt reuelationem: & prophetauit Caiphas cum esset Christi occisor & indignus, propter dignitatem sacerdotij. Dicitur etiam Aaron propterea non fuisse lepra infectus. Nam cur, dic quæso, cum ambo murmurassent, illa sola dedit pœnas? Ne mireris. Nam si in externis dignitatibus, etiam si innumerabilium criminum accusetur quispiam, non prius ducitur in iudicium quàm deposuerit magistratum, ne ille simul cum ipso probro afficiatur: multo magis in magistratu spirituali, quicumque is sit, operatur Dei gratia, cum omnia perierint. Quando autem eum deposuerit, siue cum è vita excefferit, siue hic quoque, tunc tunc grauiore dabit pœnas. Quid hæc opus est à nobis dici? Dei est gratia quæ operatur in indignum, non propter nos, sed propter vos. Audite ergo quid dicat Christus. Si domus sit digna, veniat pax vestra ad ipsam. Quomodo autem sit digna? Si vos, inquit, susceperint. Sin autem vos non susceperint, neque sermonem vestrum audierint, amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij quàm illi ciuitati. Quid ergo prodest quòd nos suscipitis, & non auditis ea quæ à nobis dicuntur? Quid lucri ad vos redit si nos colitis, & non attenditis ea quæ vobis dicuntur? Ille est nobis honor, ille cultus est admirandus, qui vobis & nobis prodest, si nos audiat. Audite & Paulum dicentem, Nesciebam fratres quòd sit Pontifex. Audi & Christum dicentem. Omnia quæ dixerint vobis vt seruetis, seruate, & facite. Non me contemnitis, sed sacerdotium. Si me eo videris nudatum, tunc me contemne. Tunc nec ego sinor imperare. Quandiu autem in hac sede sedemus, quandiu habemus præsentiam, habemus & auctoritatem, & virtutem, etiam si sumus indigni. Si Moyfis thronus erat adeò venerandus vt propter illum audiretur: multò magis Christi thronus. Illum nos accepimus, ex eo loquimur, ex quo Christus quoque in nobis posuit ministerium reconciliationis. Legati, quicumque ij fuerint, propter dignitatem legationis, multum honorem assequuntur. Vide enim. Veniunt in mediam barbarorum regionem soli inter tot hostes: & quoniam magnam vim habet ius legationis, omnes eos honorant, omnes eos intuentur: omnes eos tutò emittunt. Et nos ergo suscepimus munus legationis, & à Deo venimus. Hæc est enim dignitas Episcopatus. Venimus ad vos legatione fungentes, rogantes vt bello finem imponatis, & dicimus quibusnam conditionibus, non ciuitates vobis daturus pollicentes, neque

que tot & tot frumenti modios, neque mæcipia, neque aurum, sed regnum cælorum, vitæ æternam, cum Christo cõsuetudinem, & alia bona quæ neque à nobis verbis possunt exprimi, neque à vobis audiri, quandiu fuerimus in hac carne & vita præsentis. Legatione ergo fungimur: honore autem frui volumus: non propter nos, absit, scimus enim quàm sit vilis, sed propter vos, vt vos quæ dicimus diligenter audiat: vt vtilitatem accipiat, vt non cum socordia & negligentia ea quæ dicuntur attendatis. Non videtis quomodo legatos cuncti circumstant & obseruant. Nos autem Dei legationis munus obimus apud homines. Qui hæc autem effecimus, non sumus nos, sed ipse Episcopatus: non iste aut ille, sed Episcopus. Nemo me audiat, sed dignitatem. Omnia ergo faciamus vt Deo videatur, vt viuamus ad Dei gloriam, & digni habeamur bonis promissis iis qui ipsum diligunt, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & sancto Spiritu &c.

ORATIO IIII.



vos cum essetis aliquando alienati & inimici sensu in operibus malis, nunc autem reconciliati in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos & immaculatos & irreprehensibiles coram ipso. Hic deinceps ostendit, quòd etiam cum essent indigni reconciliatione, eos reconciliauit. Dicere enim quòd essent sub potestate tenebrarum, ostendit calamitatem in qua erant. Sed ne cum audieris potestatem tenebrarum, existimes esse necessitatè, subiunxit, Et vos cum essetis alienati. Quamobrem videtur quidem idem dicere, non est autem idem. Non sunt enim paria, eum qui est necessitate perpeffus, & qui sua sponte & volens est passus, à malis liberasse. Nam ille quidem dignus est misericordia: hic autem dignus est qui odio habeatur. Sed tamen vos, inquit, non inuitos, nec necessitate compulsos, sed lubentes & voluntariè ab ipso resilientes, cum essetis indigni, liberauit. Et quoniam meminit eorum quæ sunt in cælis, ostendit omnes inimicitias hinc non illinc duxisse initium. Nam illi iam olim volebant, vos autem noluitis. Et omnino ostendit futurum fuisse vt in inferioribus temporibus nihil possent angeli, si mansissent inimici: & neque possent persuadere, neque persuasos liberare à diabolo. Neque enim persuasisse aliquid profuisset, si qui detinebat non fuisset ligatus. Neque esse ligatum aliquid profuisset, si qui detinebantur nolent redire. Sed vtrunque oportebat, quorum illi quidem nihil, Christus autem fecit vtrunque. Quamobrem erat admirabilius persuadere, quàm mortem soluere. Nam illud quidem totum erat eius, & erat in eius solius potestate, hoc autem non in eius solius potestate, sed etiam erat in nostra: facilius autem effecimus ea quæ sunt in nostra potestate. Vt quod sit ergo maius, id ponit postèrius. Neque solum dixit, Cum inimici essetis, sed etiam alienati. quod quidem est magnarum inimicitiarum. Neque solum alienati, sed neque expectantes reuerti. Et sensu vel mente ac cogitatione inimici. Deinde non vsque ad liberam electionem constitit alienatio. Sed quid? Et in operibus malis. Et inimici, inquit, eratis, & agebatis quæ sunt inimicorum. Nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos & immaculatos & irreprehensibiles coram ipso. Rursus ponit etiam modum reconciliationis. Quod in corpore non solum percussus, flagellatus, & venditus, sed etiam turpissima morte mortuus. Rursus meminit crucis: & rursus aliud ponit beneficium. Non solum enim liberauit, sed etiam quod superius dicit, Qui nos fecit

idoneos & sufficientes, hoc hic quoque tacitè significat. Per mortem eius, inquit, exhibere vos sanctos & immaculatos & irreprehensibiles coram ipso. Non solum enim liberauit à peccatis, sed etiam in proborum ac bonorum numerum retulit. Non enim hæc passus est solum vt nos liberaret à malis, sed etiam vt primas partes assequeremur. Vt si quis reum non solum liberaret à supplicio, sed etiam ad honorem eueheret. Et retulit in numerum non solum eorum qui nihil peccarunt, sed etiam eorum qui res gesserunt maximas & præclarissimas: & quod magnum est, dedit sanctitatem quæ est coram ipso, & esse irreprehensibilem, id est nulli reprehensioni affinem. Inculpati intentio est esse nulli affinem reprehensioni, quando neque ad condemnationem quidem vsque, neque vsque ad criminationem quidquam à nobis actum fuerit. Sed quoniam totum ei attribuit, quoniam per mortem hæc gessit. Quid verò dicit nobis? Nulla re egemus. propterea subiunxit. Si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles; & immobiles à spe euangelij. Eorum socordiam hic excindit: & non solum dixit, permanetis. Potest enim esse vt permaneat labans & seditionem agitans: potest etiam esse vt stet & maneat circumactus: sed, Si tamen permanetis, inquit, fundati & stabiles, & immobiles. Papæ! quanta vsus est metaphora ac translatione? Non solum, inquit, non labantes, sed ne moti quidem: Vide autem, nihil interim ponit graue nec laboriosum, sed fidem & spem, hoc est si maneatis credentes quòd vera sit spes futurorum. Nam hic quidem est quod potest fieri. In virtute autem non licet ne vel parum quidem labefactari: Ita non est graue. A spe, inquit, euangelij, Quod audistis, quod prædicatū est in vniuersa creatura quæ sub celo est. Quænam est autem alia spes euangelij quàm Christus? Ipse enim est spes nostra, & qui hæc omnia est operatus. Quamobrem qui eam aliis adscribit, est transfusus ac transmutatus. Omnia enim perdidit nisi credat in Christum. Audiuistis, inquit, & eos rursus citat testes. Deinde totum orbem terræ. Non dicit, Quod prædicatur, sed quod prædicatum, quod etiam fecit in principio: à multorum testimonio eos volens stabilire. Cuius factus sum ego Paulus minister. Et hoc quoque confert ad hoc vt sit fide dignus: Ego, inquit, Paulus minister, erat enim magna eius autoritas vt qui vbique iam celebraretur, & esset Doctor orbis terræ. Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea que desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est ecclesia. Et quænam est hæc consequentia? Videtur quidem adhuc pendere, sed magnam habet consequentiam. Et minister, inquit: pro eo quod est, Nihil à me afferens, sed quæ sunt alterius annuncians. Ita credo quòd & pro ipso patior: & nõ solum patior, sed etiam lætor patiens, ad spem futuram aspiciens: & patior non pro me, sed pro vobis. Et adimpleo, inquit, quæ desunt passionum Christi in carne mea. Videtur quidem magnum esse quod est locutus, sed non est arrogantia & insolentia, absit, sed magnæ in Christum benevolentia. Non enim vult esse suas, sed illius passiones, eos ipsi volens conciliare. Et quæ ego, inquit, patior, propter illum patior. Quamobrem non mihi, sed illi habete gratias: Vt si quis missus ad aliquem alium, roget dicens. Rogo te, pro me ad illum vade. Deinde ille dicat, propter hunc hæc facio. Quamobrem non crubescit has quoque eius appellare passiones. Non solum enim pro vobis est mortuus: sed etiam postquam fuit mortuus, paratus fuit pro vobis affligi: contenditque & acriter conatur ostendere ipsum quoque nunc periculum subire pro ecclesia per proprium corpus. Et ad illos verba dirigit, dicens, Non per nos adducimini & accessum habetis,

Persuadere admirabilis quàm mortem soluere.

Exhibere, id est, vt exhiberetur.

Medus reconciliationis.

sed per ipsum, etiam si nos hæc faciamus. Non enim nostrum opus suscepimus, sed opus illius. Et perinde est vt si quispiam exercitus, cui obtigisset dux belli qui eum defenderet ac protegeret, in bello staret. Deinde cum ille excessisset, eius vices gerens legatus illius vulnera fusciperet, donec peractum esset bellum. Deinde quod propter ipsum hoc facit, audi: Pro corpore eius, inquit. Aut hoc volens dicere, Non vobis gratificor, sed Christo. Nam quæ illum oportebat pati, ego pro ipso patior. Vide quàm multa probet & confirmet. Ostendit magnum amorem: Sicut in secunda epistola ad Corinthios dicebat (In nobis posuit ministeriū reconciliationis. Et rursus, pro Christo legatione fungimur tanquam Deo hortante per nos) hoc hinc quoque dicit, Pro ipso patior: vt ipsos magis attraheret: hoc est, etiã is qui vobis debet, abiit, ego tamen reddo. Propterea enim dicit etiam, Quæ defunt, quod nondum existimat ipsum totum pro nobis esse passum. Dicit etiam eum post mortem pati, siquidem adhuc manserunt quæ defunt. Hoc in epistola ad Romanos aliter facit, dicens. Qui etiam interpellat pro nobis, ostendens eum non sola morte fuisse contentum, sed etiam postea facere innumerabilia. Non ergo seipsum extollens hæc dicit, sed volens ostendere Christum eorum adhuc curam gerere. Et orationem facit fide dignam, subiungendo, Pro corpore eius. Nam quod ita se habeat, & non sit improbable, est perspicuum ex eo quod hæc fiant pro corpore eius. Vide quemadmodum nos sibi coniunxit. Cur ergo in medium angelos adducitis? Cuius factus sum ego, inquit, minister. Quid alios, inquit, introducit angelos seu nuncios: ego sum minister. Deinde ostendit se nihil fecisse, siquidem est minister. Cuius, inquit, factus sum ego minister secundum dispensationem Dei, quæ data est mihi in vobis, vt impleam verbum Dei. Dispensationem. Aut hoc dicit, quod sic voluit cum ipse abiisset, eos suscipere dispensationem, ne efficeremini tanquam deserti. Ipse enim est qui est passus, ipse qui legatione fungitur. Aut hoc dicit. Me qui omnium maximè eram persecutor, propterea fuit persequi: vt prædicans sim fide dignus. Aut dicit dispensationem, quoniam non quæsiuit opera, neque actiones, neque præclara facinora, sed fidem & baptisma. Non enim aliter verbum suscepisset. Vt impleam verbum Dei. Dicit de gentibus, ostendens eos adhuc labare, dicendo vt impleam. Nam quod gētes disiectæ potuerint dogmatum tantam suscipere altitudinem, non erat Pauli, sed Dei dispensationis. Nam ego, inquit, non potuissem. Cum vtique ostendisset quod maius est, suas persequiones esse Christi, tunc apertius subiungit, hoc quoque esse Dei, quod Verbum in eis impleuerit. Et hinc ostendit non manifestè, quod hoc quoque sit dispensationis, quod nunc dictum sit, Quod potestis audire, non autem negligentia: sed vt sitis capaces. Deus enim non repente facit omnia, sed vtitur sui demissione propter magnam suam humanitatem. Et hæc est causa quod nunc Christus aduenerit, non olim. Et propterea ostendit in euangelio quod seruos miserit primos, ne ad cædem filij venirent. Si enim ne filium quidem Dei sunt reueriti qui post seruos venerat, multo magis antea. Si minora præcepta non audierunt, quomodo maiora audiissent? Quid verò, inquit, non sunt nunc quoque Iudæi & Græci affecti imperfecti? Ea verò est summa fœcordia. Nam post tantum tempus, post tot documenta, adhuc manere imperfectos, est magnæ hebetudinis. Quando ergo dixerint Græci, cur nunc venit Christus, ne sinamus eos hoc dicere, sed rogemus num rectè se gessit. Quomodo enim si venisset ab initio, & se non rectè gessisset, non suffecisset tempus ad excusa-

2. Cor. 5. Ibidem.

Christus pro nobis nondum totus est passus. Rom. 8.

Deus fide requirit & baptisma.

Cur Christus non olim aduenerit.

tionem ac defensionem: Ita quoniam se rectè gessit, non est æquum vt temporis à nobis exigatur ratio. Neque enim à medico qui morbum curarit, & sanitati ægrotum restituerit, exigit quispiam rationem curationis: neque ducem exercitus victoria potitum examinat, cur in hoc tempore, & cur in illo vicerit. Nam si non rem rectè gessisset, erat interrogandus: cum autem rem rectè gesserit, est excipiendus. Quæ est enim, dic quæso, fide dignior, tuane ratiocinatio & calumnia, an rei perfectio? Vicine an non? hoc ostende. Superiõrne fuit an non? ad finemne perduxit quæ dixit, an non? Hæc sunt de quibus reddèda est ratio. Dic mihi Deum omnino fateris esse, si non Christum? Ex te autem sci-scitor. Deusne est sine principio? Dices sanè. Dic autem mihi. Cur non ante decies mille annos fecit homines? Vixissent enim lōgiori tempore. Nam si bonum est esse, multò magis esse diutius. Nunc autem damnūne acceperunt eius temporis quo non fuerunt an non geniti? Sed damnū non acceperunt. Quomodo autem ipse scit qui fecit. Rursus ex te quæro, cur non omnes repente & simul fecit? & illius quidem cum sit eius qui primus est natus, anima, tot habet annos, altera autem cum nondum sit facta, eo pauciores? Cur illum quidem priorem, hunc verò posteriorem fecit produci in hoc mundo. Et hæc quidem verè digna sunt de quibus quærat, non quæ curiosè indagentur. nam hocne est quidem quærere. Ego enim dicam causam quam dixi. Pone mihi quidem humanam naturam esse veluti quandam ætatem: & primis quidem temporibus adolescentis locum habere nostrum genus. iis autem qui sequuntur, iuuenis: iis autem qui sunt prope senium, senis. Iam verò cum in flore & vigore fuerit anima, laxatis membris corporis, & bello finito, tunc ducimur ad philosophiam. Atqui contrà, inquit, res se habet. Eos qui sunt adolescentes docemus, sed non magna dogmata, verum Rhetoricam & dicendi facultatem. Atque hæc quædo floret ætate. Vide autem Deum quoque hæc facere apud Iudæos. Iudæis enim tanquam pueris Deus Moysen præfecit literatorem: & tanquam pueris hæc fecit ille, adumbrans sicut nos elementa: Vmbra enim, inquit, habens lex futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem, sicut nos pueris & placentas eminus, & nummulos damus, vnum ab eis exigentes vt tunc eant ad ludum literarium. Ita Deus tunc quoque & diuitias dedit & delicias, multa concedendo vnum ab eis emens, vt audirent Moysen. Propterea dedit eos doctõri ac magistro, ne ipsum vt pote patrem beneuolum despicerent. Vide quod illum solum timuerint. Non enim dixerunt, vbi est Deus, sed vbi est Moyses? & cum solum adesset, erat terribilis. Quando quidem certè malefecerunt, vide quomodo eos punit. Nam Deus quidem volebat eos abdicare, ipse verò non permittit, imò verò totum fuit Dei, eo tanquam patre minante: magistro autem rogante ac deprecante, dicentēque, Mihi condona, & ab hoc tempore eum recipio. Sic desertum fuit ludus literarius. & sicut pueri cum in ludo literario fuerint longo tempore, volunt recedere: ita illi quoque tunc assidue quærebant Ægyptum, & flebant, dicentes, perimus, consumpti sumus, interiimus: & tabulam eorum contriuit Moyses, cum veluti quædam nomina eis scripisset. Quod etiam fecerit magister, cum accepta tabula eam viderit malè scriptam, ipsam quoque iacit tabulam, magnam iram volens ostendere: & si confregerit pater, non irascitur. Nam ipse quidem ei scribendæ incuberat: illi autem non ad eum aspicientes, sed aliò conuersi, se immodestè & insolenter gerebant: & sicut in ludo literario, se inter se pullant: ita tunc quoque se

Et est hinc manus genitricis.

Judæi: quæ pueris leu. Moyses. Hebr. ita.

Pueri: f. miles. ita. d. ei.

Exod. 16. Ibid. p.

Moyses doctõr, alior, & pedagõgus.

inter se iussit verberare & interimere. Et rursus sicut dans disciplinas, deinde exigens, & non inueniens, ita puniebat. Vt, quænam sunt literæ quæ Dei potentiam indicant? Quæ sunt, inquit, in Ægypto. Sed illæ literæ significabant plagas, & quod punit inimicos: & erant eis ludus literarius. Quid enim erat aliud punitio inimicorum, quàm vestrum beneficium? Alioqui autem vos quoque afficiebat beneficio, & perinde fuit, vt si quispiam dicit quidem se nosse literas, sparsim autem interrogatus, non inuenit, verberatur. Ita illi quoque dicebant quidem se nosse Dei potetiam, si sparsim autem ab eis exigeretur ipsa cognitio, ne præbebant quidem: & ideo verberabantur. Vidisti aquam, debes recordari aquæ quæ fuit in Ægypto. Nam qui ex aqua fecit sanguinem, potest ipse quoque hoc facere. Sicut nos quoque sæpe dicimus pueris, Cum videris in libro elementum, recordare quod id habebas in tabella. Vidisti famem? Recordare quod is ipse erat qui germina perdidit. Vidisti bellam? Recordare diluuij. Vidisti quod sint magni qui terram habitant, sed non maiores Ægyptiis. Qui ex eorum medio te exemit, non multò magis te cum sis extrà seruauerit? Sed non norant se de sparsis interrogari clementis: propterea verberabantur. Comederunt & biberunt & recalcitrarunt. Oportebat in manna non quærere alimentum, cum quod ex eo ortum est malum didicissent. Et idem faciebant quod puer ingenuus missus ad ludum literarium, qui quærit degere cum seruis, & eis ministrare, ita isti quærentes Ægyptum: & idem quod qui necessario accepto & homini libero conueniente alimento, & sedens in mensa patris, velit frui fœtida & tumultu ac perturbatione plena seruorum mensa. Et dicebant Moysi, Certe domine. Omnia quæcunque dixeris faciemus, & audiemus. Et quod sit in valde deploratis, patre eos volente interimere magister assidue deprecatur, id tunc quoque factum est. Cur hæc à nobis dicta sunt? Quod à pueris nihil differimus. Vis audire quod eorum quoque dogmata sunt puerorum? Oculum, inquit, pro oculo, & dentem pro dente. Nihil enim ad vltionem æquè incitatur atque pueri animus. Nam quoniam rationis egestatis est is animi motus ac perturbatio: magna autem egestas rationis, & considerationis magna defectio est in illa ætate, meritò ab iræ tyrannide opprimitur puer, & tanta tyrannide, vt sæpe cum ad terram se allierint & surrexerint, aut irascentes genu pulsant, aut scabellum euertant, & ita dolorem sedent & iram extinguant. Tale quid etiam Deus fecit, oculum pro oculo dans excindendum, & dentem pro dente, & Ægyptios perimens, & Amalecitas qui ipsos molestia affecerant, & talia eis promittit, vt si quis dicat, Pater, ille me percussit. Deinde dicat pater. Ille est homo malus, & eum habeamus odio. Ita etiam Deus. Eis qui tibi sunt inimici ero inimicus, inquit, & eos qui te oderunt odero. Et rursus quando precabatur Balaam, puerilis erat quæ ipsi facta est sui demissio. Sicut enim in pueris, quando timore affecti alicuius ex iis quæ non sunt terribilia, vt pote lanæ, vel alicuius rei eiusmodi, repente metuunt; ne metus in eis maneat, in manus illorum adducimus, & eas quid sit indicare facimus. Ita etiam fecit Deus. Quoniam vates erat terribilis, eius timorem conuertit in audaciam: & quomodo infantes qui abstantur, omnia habent in paruis calathis: ita illis quoque dabat omnia, & multas delicias. Sed sicut infans requirit mammam, ita isti quoque Ægyptum, & quæ illic erant carnes. Quamobrem non aberrauerit, qui Moysen & doctorem, & altorem, & pedagogum appellauerit, & eius magnam dixerit esse sapientiam. Non sunt enim paria viris iam philosophis præf-

Exod. 34.

Legis dogmata sūt puerilia. Deut. 19.

Pueri animi facile incitatur ad vltionem.

Chryso. rom. 4.

se, & pueris imperare, ratione minùs peditis. Et si alium quoque vultis audire. Sicut nutrix dicit infanti, Quando es egesturus, vestes tuas collige & compone, & quando confidebis. Ita etiam faciebat Moyses. Omnes animi motus & perturbationes tyrannidem exercent in pueris. Nondum enim habent aurigam. Inanis gloria, cupiditas, rationis egestas, inuidia, tanquam in pueris dominatum obtinebant. Conspuebant, Moysen verberabant: & sicut puer accipit lapidem, & omnes clamamus, ò ne icceris: Ita illi quoque lapides capiebant aduersus patrem: ille verò fugiebat. Et quomodo si ornamentum aliquod habeat pater, ab eo petit puer vt qui sit ornamenti cupidus. Ita etiam fecerunt Dathan & Abiron, insurgentes aduersus sacerdotium. Erant autem omnium maximè inuidi, pusillique & abiecti animi, & imperfecti in omnibus. Tunc ergo, dic mihi quæso, oportuit Christum apparere: tunc hæc præcepta dare philosophica? quando furebant libidine, quando erant equi in fœminas insanientes, quando seruiebant pecuniæ & ventri, sed effudisset documenta philosophiæ differens cum insipientibus: & neque hæc, neque illa didicissent: & sicut is qui ante elementa docet legere, nūquam ne elementa quidem docebit. Ita tunc quoque. Sed non nunc. Sed Dei gratia, multa mansuetudo & multa virtus vbique est plantata. Pro omnibus ergo gratias agamus, & ne simus nimium curiosi. Nam tempus nos nesciemus, sed effector temporis, & opifex sæculorum. Omnibus ergo illi cedamus: hoc est enim Deum glorificare, de iis quæ facit, rationem non exigere. Sic & Abraham dedit gloriam Deo: & persuasum habens, inquit, quod id quod promisit potens est etiam facere, ille ne de futuro quidem est sciscitatus. Nos autem etiam de præteritis rationem inquirimus. Vide quanta sit amentia, quantum ingrati animi vitium. Sed de cætero desistamus: nihil enim ex eo lucri accipitur, sed magnum damnū: & grato simus animo in nostro dominum: & Deo gloriam emittamus, vt pro omnibus offerentes gratiarum actionem, eius allequamur benignitatem, Gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum patre &c.

Num. 16.

Curiositas est vitia.

Ephes. 3.

Mysteriū quod nemo nouerit nisi Deus. Psal. 89.

ORATIO V.



MYSTERIVM quod fuit absconditum à sæculis, & generationibus: nunc autem manifestatum est sanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ sacramenti huius in gentibus, quod est Christus in nobis spes gloriæ.

Quem nos annunciamus, corripientes omnem hominem, & docentes in omni sapientia: vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu. Cum dixisset ea quæ sumus assecuti, & ostendisset Dei benignitatem, & honorem, magnitudine eorum quæ data sunt, rursus adducit aliam intensionem & amplificationem, nempe quod nec ante nos quispiam eum nouit. Quod etiam facit in epistola ad Corinthios, dicens. Neque angeli, neque principatus, neque vlla alia creata virtus, sed solus Dei filius nouit. Et non solum dixit conditum, sed etiam absconditum: & quod etiam si nunc factum est, est tamen vetus: & quod Deus hæc ab initio volebat, & sic erat constitutum. Cur autem nondum dicit. A sæculis, inquit, ab initio. Et mysterium iure vocat quod nemo nouerat nisi Deus. Et vbi absconditum? In Christo: sicut dicit in epistola ad Ephesios. Aut sicut quando dicit Propheta. A sæculo & vsque in sæculum tu es. Nunc autem manifestatum est sanctis eius, inquit. Quamobrem totum est Dei dispensationis. Nunc autem manifestatum est, inquit. Non dixit, factum est, sed manifestatum est sanctis eius. Quamobrem nunc

quoque adhuc absconditur, siquidem manifestatum A fuit solis sanctis: Ne illi ergo nos decipiant. Nesciunt enim cur solis. Quibus voluit, inquit. Vide quomodo vbique reprimat eorum interrogationes. Quibus voluit, inquit, notas facere. Eius autem velle non caret ratione. Eos gratiæ magis reddes obnoxios, quam si eos sineret de rebus à se rectè gestis gloriari, dixit. Quibus voluit notum facere quidnam sint diuitiæ gloriæ mysterij huius in gentibus. Grauitè dixit & præclare, & ex magna effectione pondus addidit, amplificationum quærens amplificationes: est enim hoc quoque amplificationis, indefinitè dicere, Diuitiæ gloriæ mysterij huius in gentibus. Nam maximè apparet in gentibus, sicut etiam dicit alibi, Gentes pro misericordia glorificare Deum. Nam apparet quidem etiam in aliis, multò magis autem in his magna gloria mysterij. Homines enim sensu minus præditos quam lapides, repente deduxisse ad dignitatem angelorum, solummodo per nuda verba, & fidem solam, absque omni operatione, re vera est gloria & diuitiæ mysterij. Vt si quis canem fame & scabie perditum, turpem & deformem, & qui ne moueri quidem posset sed iaceret, repente & hominem fecerit, & in sede regia ostenderit. Lapidem adorabant & terram, & didicerunt quòd & cælo & Sole sint meliores, & vniuersum mundum eis seruiant. Erant captiui, & in vinculis diaboli: repente fuerunt supra caput eius, eique imperabant, & eum flagellabant. Cùm dæmonum essent captiui & serui, facti sunt corpus domini angelorum & archangelorum. Qui ne quid esset quidem Deus sciebant, mox in eodem cum Deo throno confederunt. Vis videre innumerabiles ascensiones supra quas exilierunt? Oportebat primùm discere quòd lapides non sunt dij. Secundò autem, quòd non solum non sunt dij, sed etiam minores hominibus. Tertio autem, quòd & brutis. Quarto quòd & plantis. Quintò, quòd extrema simul collegerunt. Quòd non solum lapides, sed nec terra, nec animantia, neque plantæ, nec homo. Aut rursus contrà, quòd non lapides, non animalia, non plantæ, non elementa, non homo, non angeli, non archangeli, non aliqua alia ex supernis illis potestatibus, debet coli ab humana natura. Tanquam ex profundo aliquo haurientes discere oportebat, quòd qui est omnium dominus is est Deus: quòd eum solum oportet colere, quòd res pulchra & bona sit admiranda vitæ institutio: quòd mors præsens non sit mors: quòd vita non vita: quòd corpus resurgit, quòd id fiat eiusmodi vt non corrumpatur nec in id cadat interitus, quòd ascendat in cælos: quòd assequatur immortalitatem: quòd stet cum angelis: quòd transeat. Sed hunc qui illic erat in imo, cùm hæc omnia superasset ac transiisset, superius collocavit in throno, eo qui erat infra lapides, effecto superiore angelis & archangelis & thronis & dominationibus. Reuera hæc sunt diuitiæ gloriæ huius mysterij in gentibus. Quod est Christus in nobis. Rursus oportebat scire, quòd qui est superior omnibus, & imperat angelis, & in alias omnes potestates obtinet dominatum, descendit infra, & factus est homo, & passus est innumerabilia, & resurrexit, & est assumptus. Hæc omnia erant mysterij: & cum encomio id ponit dicens, Quod est Christus in nobis. Si est autem in vobis, cur angelos quæritis? Mysterij huius. Est enim aliud quoque mysterium. Sed hoc est re vera mysterium quod nemo nouit, quod est admirabile, quod est præter communem expectationem, quod abscondebatur. Quod est, inquit, Christus in nobis, spes gloriæ, quem nos annunciauimus, à superis eum ferentes. Quem nos, non angeli. Docentes & admonentes, non impe-

Rom. 15. Mysterij magna gloria quomodo appareat in gentibus.

Mysterij, quod nemo nouit, quod est admirabile.

ando, neque cum necessitate. Nam hoc quoque est Dei benignitatis, non adduci tyrannicè. Quoniam illud Docentes, erat magnum, subiunxit Admonentes, quod magis erat patris quam doctoris & magistris. Quem nos, inquit, annunciamus, admonentes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni sapientia. Quamobrè omni sapientia est opus: hoc est, omnia dicentes in sapientia. Talia enim posse discere non est quorumuis. Vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu. Quid dicis, Omnem hominem? Certè, inquit, nostrum studiū in eo ponimus. Quid enim si hoc non fiat? Studuit beatus Paulus perfectum facere. Igitur hoc est perfectio: illud autem res est imperfecta. Quo fit vt si quis non omnem habeat sapientiam, sit res imperfecta. Perfectum in Christo Iesu. Non in lege, neque in angelis. Illud enim non perfectum. In Christo: hoc est, in cognitione Christi. Qui scit quid Christus fecerit, plus sapit quam angeli. In Christo Iesu. In quo & laboro certando. Non leuiter nec quomodocunque, inquit, studeo, sed laboro decertans cum multo studio, cum multis vigiliis. Si ergo pro vestris bonis adeò vigilo, multò magis vos debetis. Deinde rursus ostendit rem esse diuinam. Secundum operationem eius quam operatur in me in virtute. Ostendit hoc esse opus Dei. Qui ergo me ad hoc facit fortem & robustum, est perspicuum quòd hoc velit. Et ideo dicit in initio, Per voluntatem Dei. Quamobrè non solum hoc posuit vtens modestia, sed & verè dicens, Certando. Hoc dicens, ostendit esse multos qui cum eo pugnant. Deinde rursus magna est beneuolentia. Volo enim vos scire qualem sollicitudinem habeam pro vobis, & pro iis qui sunt Laodicea. Deinde ne hoc videatur esse eorum imbecillitatis, coniunxit etiam alios, & nondum reprehendit. Sed quare? Et quicunque non viderunt faciem meam in carne. Diuine hic ostendit se eos assidue videre in spiritu. Suo autem testimonio eis tribuit multam dilectionem. Vt consolètur corda ipsorum, instructi in charitate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus in agnitione mysterij Dei patris & Christi Iesu: in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Iam dogma aggredi contendit & enititur: neque accusans, neque eos liberans ab accusatione. Certamen, inquit, habeo seu contendo & laboro. Quare? Vt sint compacti. Hoc est quod dicit, Vt stent firmi & stabiles in fide. Sed non sic ponit, verùm refecat quæ sunt accusationis. Hoc est, vt sint vniti cum charitate: neque cum necessitate, neque cum violentia. Nam sicut dixi, absque molestia eis semper mandat, & propterea angitur & laborat: Quandoquidem volo, inquit, cum dilectione, & voluntarios & lubentes. Non ore solum, neque temerè & inconsideratè fieri volo congregationem: sed vt corda eorum accipiant consolationem. Compactorum in charitate in omnes diuitias certæ persuasionis intellectus, hoc est, vt non de vlla re dubitent: vt de omnibus sint plenè persuasi. Certam autem & plenam persuasionem dixit eam quæ est per fidem: est enim etiam plena persuasio quæ est per rationes: sed illa nihili est æstimanda. Scio vos credere, sed volo vos esse plenè persuasos. Non in diuitias solum, sed in omnes diuitias. Vt sitis in omnibus & intensè persuasi. Vide autem beati huius prudentiam. Non dixit, Malè facitis quòd non plenam habetis persuasionem, & eos accusauit: sed, nescitis quomodo studeam, vt plenè persuasum habeatis cum intelligentia, non temerè nec leuiter. Nam quoniam dixit fidem, Ne existimetis, inquit, quòd temerè dixerim & inutiliter, sed cum intelligentia, cum charitate. In agnitione mysterij Dei patris & Christi. Quamobrè hoc est Dei mysterium. In quo sunt omnes thesauri

Perfectio est in cognitione Christi.

CAP. II. Sollicitudinem, certantem.

Persuasio per rationes nihil est æstimanda.

Theauri sapientiæ Dei absconditi etiam ab angelis.

Firmamentum quomodo fiat.

Deus est nusquam & est vbique.

Deus quomodo incorporeus.

fauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Si autem sunt in A ipso, sapienter quoque nunc venit. Cur ergo stulti quidam criminantur? Vide quomodo loquitur cum simplicioribus. In quo sunt omnes thesauri. Ipse nouit omnia. Absconditi. Nam ne iam existimetis vos habere vniuersum. Sunt enim absconditi etiam ab Angelis, non à vobis solis. Quamobrè sunt ab eo omnia petenda. Ipse dat sapientiam & cognitionem. Dicendo ergo thesaurum, ostendit multitudinem. Dicendo verò omnes, eum nihil ignorare. Dicendo autem absconditi, quòd solus sciat. Hoc autem dico, vt nemo vos decipiat in sublimitate sermonum. Vides, inquit, me hæc dixisse, ne quæritis ab hominibus. Decipiat, inquit, in probabilitate sermonis. Quid tum enim si dicit probabiliter? Nam & si corpore absens sum: sed spiritu vobiscum sum. Consequens erat dicere. Nam si carne absens, noui tamen deceptor. Nunc autem desiit in encomium. Gaudens & videns ordinem vestrum, & firmamentum eius quæ in Christo est, fidei vestra. Ordinem, bene constitutum dicit ordinem, moderationemque ac modestiam. Et firmamentum fidei. Hæc magis sunt laudis. Et non dixit fidem, sed firmamentum, tanquam militibus ordinatè firmiterque stantibus. Quod est firmum ac solidum non dolus labefactat, non tentatio. Non solum, inquit, non cecidistis, sed nec ordinem vestrum confudit aliquis. Se ipsi stitit ac exhibuit, vt timerent tanquam præsentem. Sic enim seruatur ordo, nempe id quod ex soliditate ac firmamento, est condensatum. Sic enim fit firmamentum quando multa coacta ac congregata densè & indiuulse conglutinaueris, vt fit in muro: hoc autem est opus charitatis. Eos enim qui per se sunt ac separati, quando exactè conglutinarit ac coniunxerit, fortes reddit ac solidos. Fides quoque rursus hoc ipsum facit, quando non sinit ingredi rationes. Nam sicut diuidunt & labefaciunt rationes, ita consolidat fides & facit concrefcere. Nam quoniam Deus nos maioribus affecit beneficiis quam quæ possit humana ratio assequi, meritò fidei dem introduxit. Fieri enim non potest vt sit firmus ac solidus, qui exigit rationes. Ecce enim quæcunque nostra, sunt egregia ac præclara, à rationibus quodammo- do deserta, soli adhærent fidei. Nusquam est Deus, & est vbique. Quid est hoc magis à ratione alienum? Vnumquodque per se est perplexum & refertum hesitatione. Non est enim in loco: neque est vllus in quo est locus. Non est genitus: non seipsum fecit, nec cepit esse. Quænam ratio hæc susceperit, si non sit fides? An non videtur esse ridiculū, & nullum habere finem magis quam ænigma? Atque quòd sit sine principio, & ingenitus, & incircumscribitus, & infinitus, ita est dubium & perplexum. Quòd sit autem incorporeus, videamus num possumus indagare ratione. Deus est incorporeus. Quid est incorporeus? Solum verbum nudum: mens enim nihil suscepit, neque sibi figuram impressit. Nam si figuram imprefferit, venit ad naturam, & ea quæ sunt efficientia corporis. Quamobrè dicit quidem corpus, sed quid dicat non nouit cogitatio, aut vnum solum, nepe quòd non sit corpus, hoc solum nouit. Et quid dico de Deo? In anima enim quid est incorporeum, quæ est facta, quæ inclusa, quæ circumscribitur? Dic, ostende: sed non potes. Est aër? Sed aër est corpus, etiam si non solidum, & ex multis constat quòd sit corpus laxum. Ignis est corpus: sed operatio animæ est incorporea. Quare? Si quidem omnia peruadit. Si ipsa est corpus, in loco est incorporeum. Ergo circumscribitur. Quod autem circumscribitur, est in figura. Figure autem ex linea. Lineæ autem sunt corporum. Rursus quod est expers figuræ quàmnam habet notionem? Non habet figuram: non formam: non locum. Vides quomodo mens caligat?

Rursus natura illa non est capax malorum, sed & sua sponte est bonus. Est ergo capax. Sed dici non potest, absit. Rursus ad hoc vt esset, volens deductus est an: o- lens? Sed nec hoc dici potest. Rursus circumscribit orbem terræ, an non? Si non circumscribit, ipse circumscribitur. Si autem circumscribit, est infinitus natura. Rursus circumscribit seipsum? Si circumscribit seipsum, non est ergo sibi sine principio, sed nobis. Non est ergo natura sine principio. Vbique videtur dare contraria. Vides quanta sit caligo, & quòd vbique opus sit fide. Ipsa est firma ac solida. Sed si vultis, veniamus ad his minora. Habet operationem illa essentia. Et quid est in eo operatio? Motusne aliquis? Non est ergo immutabilis. Nam quod mouetur, non est immutabile. Nam ex immobilitate mouetur, sed tamen mouetur, & nunquam stat. Quoniam autem motu, dic quæso? Apud nos enim sunt septem, sursum, deorsum, intra, foras, dextra, sinistra, circulariter. aut si non hoc, augmentum, diminutio, ortus, interitus, alteratio. Sed nullo horum, verùm eo motu quo mens mouetur. Sed nec hoc quidem: absit. In multis enim etiam nequiter & absurdè mens mouetur: Velle est operari. Omnes autem homines vult esse bonos & saluos. Quomodo non fit? Sed aliud est velle, aliud operari. Ad operationem ergo non sufficit velle. Quomodo ergo dicit scriptura, Omnia quæcunque voluit fecit? Et rursus leprosus dicit Christo. Si velis, potes me mundare. Vultis aliud quoque dicam. Quomodo ex iis quæ non erant, facta sunt quæ sunt? Quomodo in nihilum dissoluuntur? Quid est cælo altius? Illo autem rursus quid? Et illo quid? Et quid post illud? & hoc in infinitum. Infra terram est mare: & post ipsum quid? & rursus post illud? Sed in dexteris & sinistris eadem est dubitatio. Sed hæc quidem sub aspectum non cadunt. Vultis in iis quæ cernuntur deducamus orationem? In iis quæ iam euenerunt? Dic mihi quomodo bellua Ionam habebat in ventre, & non peribat? An non est expers rationis? An non temerè mouetur & inconsideratè? Quomodo iusto pepercit? Quomodo calor eum non suffocauit? Quomodo non putrefecit? Nam si in profundo solum esse, parit dubitationem, esse etiam in visceribus, & in illo calore, longè pariet maiorem. Si illinc spirabat aërem, quomodo duobus animantibus sufficiebat respiratio? Quomodo autem eum euomuit illæsum? Quomodo & loquebatur? Quomodo & apud se erat & precabatur? An non sunt hæc incredibilia si ratione exquiramus? Sin autem fide, valde credibilia. Dicam & quod est hoc amplius. Frumentum in sinu terræ corrumpitur & resurgit. Vide miracula cōtraria, & quæ alterum ab altero vincuntur. Est miradum quòd non putrerint, est miradum quòd putrefacta resurrexerint. Vbi sunt qui hæc nugantur, & nō credunt resurrectioni & dicunt. Hoc os quomodo huic conglutinatur, & eiusmodi fabulosa introducunt? Dic mihi Elias quomodo ascendit in curru ignis? Ignis solet vrere non sursum tollere. Quomodo viuit tantum tempus? In quo est loco? Quare hoc factum est? Quo autem translatus est Enoch? Eone cibo vescitur quoniam? Et quid vetat quo minus sit hic? At non vescitur: & cur fuit translatus? Vide Deum paulatim nos erudientem. Transtulit Enoch. hoc non est magnum. Hoc nos rursus docuit in Eliæ in altum euectione. Inclusit Noë in arca. Nec hoc quoque est magnum. Hoc nos docuit in Prophetæ inclusione in ceto. Sic vetera quoque præcursoribus opus habuerunt & figuris. Quomodo enim in scalis primus gradus transmittit ad secundum. A primo autem nō licet venire ad quartum: & iste ad illum, vt ille ad istum sit via. Neque ante primum fieri potest vt veniatur ad secundum: Ita hic quo-

Operatio quid fit in Deo.

Deus quomodo moueatur.

Psal. 115. Matt. 8.

Luc. 5.

Ionas, quomodo fuerit in ventre ceti.

4. Reg. 2. Elias quomodo in cælum ascenderit.

que & vide signa signorū : & videbis hoc in scalis quas vidit Iacob. Superius quidem firmus & stabilis stabat dominus : inferius autem angeli ascēdebant. & descēdebant. Prophetice dicebatur quod filium habebat pater. Oportebat hoc credi: vndēnam vis ostēdam signa? Ab alto infrā, ab imo suprā. Quod gignit impatibiler: propterea genuit primum sterilis. Imō verō ab alto peti- tum credi oportebat quod ex ipso. Quid verō hoc fit, sed obscurē, vtpote in vmbra & figura: sed fit : & procedens fit quodammodo manifestius. Ex homine solo est mulier, & ille manet integer. Rursus cōceptionis ex virgine oportebat esse aliquod signum. Parit sterilis, nō semel, sed bis & ter, & saepe. Generationis ergo ex virgine sterilis fuit quidam typus: & ea mentem transmittit ad fidē. Hoc rursus fuit typus quod solus Deus possit gignere. Si enim quod est præstantius homo, etiam absque eo paritur, multo magis generatur ex eo quod est præstantius. Est alia quoque generatio typus veritatis: nempe nostra ex spiritu. Huius rursus typus est sterilis, quoniam non ex sanguinibus. Ipsa verō supernę generationis. Atque illa quidem ostendit eius impatibilitatem. Hęc verō ex solo posse generari. Est Christus apud superos in omnes dominatum obtinens. Oportebat hoc credi. Fit hoc in terra in homine. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, vt brutis omnibus imperet. Ita non verbis sed rebus nos docuit. Naturę separationem significabat paradysus, & omnium optimum & præstantissimum esse hominem. Christus erat resurrecturus. vide iā quot signa. Enoch. Elias. quę facta sunt in deserto. Ionas. quę facta sunt in fornace. quę tempore Noë facta est inundatio, semina. plantę. nostra, & omnium animalium generatio. Nam quoniam in eo omnium agebatur periculum, hoc maxime omnium multas habuit figuras. Quod omnia sunt huiusmodi vt de iis sit Dei cura & prouidentia, ex iis quoque quę apud nos fiunt potest conici. Nullū enim manet eorum cuius non geratur cura & prouidentia. Sed & greges, & alia omnia opus habēt vt regantur. Et quod casu non fiant omnia, ostendit gehenna: ostendit etiam diluuium quod fuit tempore Noë. ignis, demer- sio Ægyptiorum: quę facta sunt in deserto. Oportebat & baptismum multa præcedere, atque adeo innumera- bilia, vt quę facta sunt in veteri, quę in piscina : quod qui sanus nō erat mundabatur. ipsum diluuium, & quę- cunque facta sunt in aqua. baptisma Ioannis. Oportebat credi, quod filium suum tradit Deus : hoc prius fecit homo, Abraham Patriarcha. Horum ergo omnium typos si velimus inuenimus, si quęramus in scriptura. Sed ne defatigemur, verū in his nos componamus. Firmam & stabilem habeamus fidem : exactam & accuratam ostēdamus vitę nostrę institutionem. Vt cum per hęc Deo gratias egerimus, digni habeamur bonis promissis iis qui ipsum diligunt, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre, &c.

ORATIO VI.



ICVT ergo accepistis Iesum Christū dominum nostrum, in ipso ambulate, radicati & super- edificati in ipso, & confirmati in fide, sicut & didicistis, abundātes in illo in gratiarum actio- ne. Prius illos proprio præuenit testimo- nio, dicens, Sicut accepistis. Nihil alienum, inquit, in- troducimus neque vos. In eo ambulate. Ipse enim est via quę adducit ad patrem. Non in angelis, non illuc ducit hęc via. Radicati. Hoc est fixi ac stabiles, non ali- quando quidem hęc, aliquando verō illac. Sed radica- ti. Quod est autem radicatum seu quod radices egit, non poterit transmoueri. Vide quā proprias & appo-

fitas ponit dictiones. Et superedificati, inquit, hoc est mente ad ipsum pertingentes. Et cōfirmati in ipso: hoc est ipsum tenentes, tanquam super fundamentum adifi- cati. Ostendit eos cecidisse. Hoc enim est illud, Edifi- cati. Re vera enim adificium est fides: & opus est & for- ti fundamento, stabilique & tuta adificatione. Nam si quis in tuto non adificauerit, labascit. Et si in tuto, & non steterit, non stat amplius. Sicut & didicistis. Rursus sicut. Abundantes, inquit, in illo in gratiarum actio- ne. Hoc est enim eorum qui sunt grati & memores benefi- cij, non solum, inquam, gratias agere, sed cum magna abundātia : plus quā didicistis, si fieri potest cum ma- gna animi contentione præclarę ac magnificę. *Vide- dete ne quis vos decipiat.* Vides quomodo ostenderit esse furem, & alienum, & sensum ingredientem. Iam enim statuit ipsum ingredientem. Et pulchrē dixit *ολαρωσαν*, deprædari ac suffurari : vt si quippiam aggerem infernē suffodiens, sui sensum non præbeat, ille verō dormiter, ita vos quoque videte. Hęc sunt enim illius partes ne sensum quidem sui præbere. *Per philosophiam.* Deinde quoniam veneranda videtur esse philosophia, addidit, *Et inanem fallaciam.* Est enim bona quoque deceptio & bonus dolus quo multi sunt decepti, quem ne fallaci- am quidem aut deceptionem oportet dicere. De qua dicit Hieremias, Decepisti me domine, & deceptus sum : ego autem non persuadear. Nam quod est huius- modi, ne deceptio quidem dicēdum est & dolus. Nam & patrem suum decepti Iacob, sed non erat deceptio, verū dispensatio. Per philosophiam, inquit, & inanem fallaciam, *secundum traditionem hominum, secundum ele- menta mundi, & non secundum Christum.* Iam attingit re- prehensionem dierum obseruationis, elementa mundi dicens tolem & lunam. Sicut etiam dicebat in epistola ad Galatas, Quomodo conuertimini ad infirma & ege- na mundi elementa? Et nō dixit dierum obseruationes, sed totius mundi præsentis: vt ostendat quā sit resvili- lis & abiecta. Nam si mundus nihil est, multo magis ele- menta. Cū ergo prius ostendisset quā multis affecti fuerint beneficiis, tunc assert accusationem, vt magis mordeat & arguat auditores. Hoc etiam semper faciūt Prophetę, prius ostendunt beneficia, & tunc augent ac- culationes. Sicut dicit Esaias, Filios genui, & exaltaui, i- psi verō me spreuerant. Et rursus, Popule meus quid feci tibi, aut in quo te dolore affeci, & tibi molestus fui? Et Hieremias, & David, vt quando dicit, Exaudiui te in abscondito tempestatibus. Et rursus, Aperi os tuum, & implebo illud. Et vbique sic inuenies. Atque si maxime quidem quidquam dicerent, non persuaderi oportet: nunc autem etiam absque beneficiis illa oporteret fugere. Et non secundum Christum. Nam etsi maxime quidem esset vt ex dimidio possidetis & huic & illi seruire, ne sic quidem oporteret. Nunc autem non sinunt il- la vos esse secundum Christum: ea vos inde abducunt. Cū Gręcas labefactasset obseruationes, tunc etiam euertit Iudaicas. Nam & Gręci & Iudęi plura obserua- bant. Sed illi quidem ex philosophia : hi verō ex lege. Prius ergo accedit ad eos apud quos maiora erant ac- cufanda. Quomodo non secundum Christum? *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter : & estis in illo repleti. Qui est caput omnis principatus & pote- statis.* Vide quomodo in eorum accusatione illud con- fudit, prius ponens solutionem, & tunc obiectionem: minime enim suspecta est hęc solutio, & eam magis admittit auditor, vtpote quod qui dicit, non ad id stu- dium conferat. Nam illic quidem etiam contendit ne vincatur: hęc autem minime. Quia in ipso habitat. Hoc est, quia Deus in ipso habitat. Sed ne existimes eum esse conclusum tanquam in corpore, dicit, Omnis pleni- tudo

Scala Iacob quid sibi velit.

Quod Deus solus possit gignere, signum quod sit.

Genes. 1.

Dei prouidentia signa.

Fides est adificium cui firmo opus est funda- mento.

Hierem. Gen. 27.

Galat. 4.

Psal. 8.

Gręcorum obseruationes ex philosophia & legem.

Psal. 113. Rom. 11. Totum dicitur plenitudo.

Ephes. 1. 2. Tim. 2. Rom. 8.

Expoliatione corporis peccari est vetus via.

Baptismus & circumcisio dicitur & sepulchrum.

Non opera operibus, sed opera ad- duntur fidei.

tudo diuinitatis corporaliter: & estis in illo repleti. Alij aiunt eum dicere ecclesiam ab eius diuinitate repletā, sicut alibi dicit, Qui omnia implet in omnibus. Corporaliter autem est, tanquam corpus in capite. Quomodo ergo non subiunxit, Quę est ecclesia, de patre? Quidam aiunt eum dicere diuinitatis plenitudinem in ipso habitare. Primum quidem, quod habitare non proprie dicitur de Deo. Secundō quod plenitudo non est quę suscipitur. Nam domini est terra, & plenitudo eius. Et rursus Apostolus, Donec plenitudo gentium aduenerit. Totum dicitur plenitudo. Deinde quid sibi vult illud corporaliter? Cur autem rursus idem dicit, Et estis in illo repleti? Quid ergo est, Quod nihil minus habetis quā ille? Sicut in illo habitauit, ita etiā in vobis. Semper enim contendit Paulus vt nos adducat prope Christum: vt quando dicit, Qui conresuscitauit, & confedere fecit in cœlestibus: & Si sustinuerimus, & conregnabimus: & Quomodo non etiam cum ipso omnia donabit, vocans etiam cohæredes. Deinde de dignitate, B Et ipse est caput omnis principatus & potestatis. Qui est superior omnibus, & causa omnis principatus & potestatis, an non est eiusdem cuius pater essentię? Deinde admirabile subiunxit beneficium, & multo admirabilius eo quod est ad Romanos. Nam illic quidem dicit, Circumcisio cordis in spiritu, nō litera: hęc autem in Christo. *In quo & circumcisus estis circumcisioe non manu facta, in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisioe Christi.* Vide quomodo proximē ad rem accedit. Dicit in expoliatione, non dixit in spoliatione. Expoliationem corporis peccatorum, veterem dicit vitam. Eadem assidue & diuersē versat, sicut superius dicebat. Qui eripuit nos à potestate tenebrarum, & ab alienatos reconciliauit vt essemus sancti & inculpati. Non amplius, inquit, in gladio & circumcisioe, sed in ipso Christo. Non enim manus infert sicut illic hęc circumcisioem, sed spiritus. Non partem, sed totum hominem circumcidit. Corpus est & hoc, & corpus est illud. Sed illud quidem carne, hoc verō spiritualiter circumciditur, sed non sicut Iudæi. Non enim carnem, sed peccata exuimus. Quando & quomodo? In baptisate. Et quod vocat circumcisioem, vocat etiam sepulchrum. Vide quomodo transit ad iustificaciones. Peccatorum, inquit, carnis, quę fecerunt in carne. Dicit maius circumcisioe. Non enim iecerunt id quod est circumcisum, sed perdiderunt, sed corruerunt. *Consepulti, inquit, ei in baptismo in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis.* Sed non est solum sepulchrum. Vide enim quid dicat, In quo & conresurrexistis per fidem operationis Dei. Qui suscitauit illum à mortuis. Rectē dixit: totum enim est fidei. Credidistis quod Deus potest suscitare: & ita suscitati estis. Deinde & quod est fide dignum. Qui suscitauit, inquit, illum à mortuis. Iam ostendit resurrectionem. *Et vos cum mortui essetis in delictis & pręputio carnis vestrę, cōiunxit cum illo.* Eratis enim morti obnoxij. Quod si etiam mortui essetis, D vtili morte essetis mortui. Vide quomodo rursus ostendit quānam erant meriti, per ea quę subiunxit. *Donans vobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis. Et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians principatus & potestates traduxit confidenter palām, triumphans illos in semetipso.* Donans vobis, inquit, omnia delicta, quę efficiebant mortalitatem. Et quid? Siuētne ea manere? Nequaquam, sed deleuit, non solum expunxit vt non apparerent. In decretis, inquit, seu dogmatibus. In quibusnam? In fide. Sufficit credere. Non operibus opera, sed opera fidei addidit. Et quid postea? Remissioni rursus subiungit deletionem. Et ipsum, inquit, tulit de me-

dio. Et ne sic quidem seruauit, sed & id dirupit affixum cruci. Expolians principatus & potestates traduxit confidenter palām, triumphans illos in semetipso. Nusquam locutus est tam magnificē. Vides quātum posuerit studium vt deleteretur chirographum? vtpote eramus omnes obnoxij peccato & pœnæ. Ipse punitus soluit & peccatum & pœnam. Punitus autem fuit in cruce. Illic ergo, ipsum affixit: tanquam qui haberet potestatem ipsum dirupit. Quodnam chirographum? Aut id dicit quod dicebant Moysi, Quęcunque dixit Deus, faciemus & audiemus. Aut si non hoc, quod Deo debemus obedientiam. Aut si non hoc, id quod tenebat diabolus, chirographum quod Deus fecit Adamo dicens, Quo die è ligno comederis, morieris. Hoc ergo chirographum tenebat diabolus: nec id nobis dedit Christus, sed ipse id scidit. Quod quidem est eius qui lætus remittit. Expolians principatus & potestates. Diabolicas dicit potestates. Quoniam ergo eas induerat humana natura: aut quoniam eas habebat tanquam ansam, homo factus amouit ansam. Quid est traduxit? Rectē dixit traduxit. Nunquam tam turpiter & indecore se gessit diabolus. Nam cū cum se habere expectaret, etiam quotquot habuit perdidit: & corpore affixo mortui resurgebant. Illic vulnus accepit diabolus, cum id certum & lethale accepisset à corpore mortuo: & quomodo Athleta existimans se percussisse aduersarium, certum vulnus accipit: ita etiam hęc ostendit quod liberē, securē & confidenter mori est probum & dedecus diaboli. Ille enim omnia fecisset si potuisset, vt persuaderet hominibus eum nō esse mortuum. Nam quoniam totum quod postea futurum erat tempus, erat signum & indicium resurrectionis: mortis autem, si non illud fuisset, non futurum erat vllum tempus, propterea mortuus quidem est publicē omnibus vidētibus. Non resurrexit autem publicē, vt qui sciret tēpus quod postea erat futurum, veritati laturum testimonium. Nam quod mundo vidente suprā in ligno occisus sit serpens, hoc est admirabile. Quid enim non fecit diabolus vt clam moreretur? Audi Pilatum dicentem: Tollite ipsum vos & crucifigite: ego enim nullam inuenio in eo causam. Et rursus ipsi dicebant Iudæi: Si filius Dei es, descende de cruce. Iam verō quoniam lethale vulnus accepit, & non descendit, propterea etiam mādatus est sepulturę: quoniam fieri poterat vt statim resurgeret, vt res crederetur. Atqui in morte quidem priuatorum, licet eam imputare animi deliquo: hęc autem non ita. Milites enim non fregerunt eius crura sicut aliorum, vt manifestum esset eum esse mortuum: & manifesti sunt qui eius corpus sepelierunt: & propterea ipsi Iudęi cum militibus obsignāt lapidem. Hoc enim erat in quo maxime omnium ponebatur studium, ne id adumbraretur ac tegetetur, & vt essent testes ab inimicis, nempe à Iudæis. Audi ipsos dicentes Pilato: Dixit seductor ille adhuc viuens, Post tres dies resurgam. Iube ergo à militibus custodiri sepulchrum. Audi ipsos quoque postea dicentes Apostolis. Vultis inducere super nos sanguinem viri huius. Ipsi crucis modum non fuit probro & contumelia affici. Nam quoniam Angeli nihil tale sunt passi, propterea pro ea facit omnia: ostendens quod rem magnā & præclaram mors gesserit. Ea enim fuit tanquam singulare certamen. Percussit Christus mortem: sed Christus percussus eam postea sustulit. Mortuo corpore dissoluta est quę videbatur esse mors: & hoc vidit orbis terrę. Et quod est admirabile, hoc alteri non commisit: sed factum est rursus aliud chirographum, non tale quale prius. Videte ergo ne ex eo arguamur & conuincamur, postquam dixerimus Abrenunciamus tibi Satana, & tibi nomē damus & in tuo-

Christus in cruce punitus soluit peccatum & pœnā. Exod. 24.

Genes. 2.

Diabolus à corpore mortuo certum & lethale vulnus accepit.

Ioan. 19.

Mat. 27.

Mat. 27.

Act. 5.

Christi & mortis fuit veluti singulare certamen.

Abrenunciatio fatanae.

rum militum numerum adscribimus Christe. Vel potius non est hoc vocandum chirographum, sed foedus & pactum conuentum. Est enim chirographum quando quispiam est reus debendi. Hoc autem est foedus & pactum conuentum, non continet poenam, neque dicit, Si hoc, si non hoc, quod dixit Moyses asperges sanguinem testamenti. Hoc Deus quoque vitam promisit aeternam. Haec omnia sunt pactum conuentum. Illic seruus agit cum domino, hic amicus cum amico. Quo die, inquit, comedes morieris. statim minae. Hic autem nihil huiusmodi. Aduenit Deus, & hic nuditas, & illic nuditas. Sed illic quidem cum peccasset nudatus fuit, quoniam peccauit: hic autem nudatur ut liberetur. Exiit tunc ille gloriam quam aliquando habuit. Nunc veterem exiit hominem: & priusquam ascendat tam facile exiit quam vestimenta. Vngitur sicut athleta stadium ingressuri. Simul enim nascitur, & non sicut primus ille, qui paulatim, sed statim. Non sicut olim sacerdotes solo capite, imò verò amplius. Nam ille quidem capite, aure dextera, manu, ut & ad obedientiam, & bona opera eum excitaret. Hic autem totus vngitur. Non solum enim venit ut doceatur, sed etiam ut deceret & exerceatur. Ad alteram reducit creaturam. Nam quando confessus fuerit vitam aeternam, confessus est aliam creaturam. Accepit puluerem à terra, & finxit hominem. De caetero autem non puluerem, sed Spiritum sanctum. Hoc fingitur: hoc componitur. Sicut & ipse in vtero virginis. Non posuit in paradiso, sed in caelo. Non enim quoniam subiecta est terra, existimes esse in terra. Illuc translatus es in caelum. Illic haec fiunt, inter angelos. Sursum animam tuam sumit Deus, sursum eam componens & concinnans. Te sistit ad sedem regiam. Fingitur ac formatur in aqua, animae respondentem accipit spiritum. Postquam autem fuerit formatus, non ducit ad eum bestias, sed daemones, & eorum principem: & dicit, Calcate super serpentes & scorpiones. Non dicit, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Sed quid? Dat eis filios Dei fieri. Sed ex Deo, inquit, nati sunt. Deinde ne audias serpentem, statim doceris dicere: Abrenuncio tibi, pro eo quod est, Quidquid dixeris, tibi non audiam. Deinde ne per alios te expugnet, dicit, Et pompae tuae, & cultui tuo, & angelis tuis. Posuit eum ut non amplius custodiret paradysum, sed ut versaretur in caelo. Cum primum enim ascenderit haec verba loquitur: Pater noster qui es in caelis, fiat voluntas tua sicut in caelo & in terra. Non in faciem cadit puer. Non lignum vides, neque fontem, sed ipsum dominum statim amplecteris, commiseris cum corpore, conspergeris cum corpore quod supra situm est, quo diabolo non licet accedere. Non est mulier ut accedat, & decipiat tanquam imbecilliorum. Non est enim, inquit, foemina, nec masculus. Nisi tu ad ipsum descenderis, non poterit vbi es ascendere. Tu enim es in caelo. Caelum autem non patet diabolo. Non habet lignum quod cognosci potest boni & mali: sed solum lignum vitae. Non amplius à latere tuo mulier, sed omnes vnum sumus à latere Christi. Nam si qui sunt vincti ab hominibus, nihil patiuntur à serpentibus, neque tu patieris aliquid quandiu fueris vinctus, ut possis serpentem tenere & suffocare, calcare super serpentes & scorpiones. Sed sicut magna sunt dona, ita quoque magnum est supplicium. Non licet ei qui cecidit à paradiso, habitare ex aduerso paradisi, neque reuerti eo vnde excidimus. Sed quid postea? Gehenna & vermis non desinens. Sed absit ut quisquam ex nobis sit obnoxius huic supplicio: sed ex virtute viuentes, studeamus ea agere quae ei recta videntur & sunt grata. Deo placeamus, ut possimus & à supplicio liberari, & aeterna bona

Genes. 2.

Qui baptizatur, tanquam athleta futurus vngitur.

Luc. 10.

Abrenunciare satanae & pompis eius quid significet. Marth. 6.

consequi, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre, &c.

ORATIO VII.



Nemo ergo vos iudicet in cibo aut in potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniae, aut Sabbatorum, quae sunt umbra futurorum, corpus autem Christi. Nemo vos seducat volens in humilitate & religione angelorum, quae non vidit ambulans frustra inflatus sensu carnis suae: & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexum & coniunctiones subministratum & constructum crescit in augmentum Dei. Cum prius dixisset enigmaticè, Videte ne quis vos decipiat secundum traditionem hominum: & rursus superius, Hoc autem dico ut nemo vos decipiat in probabili sermone, & praecupasset animu, & effecisset sollicitum: Deinde interposuisset beneficia, & id amplificasset, tunc postea subiungit reprehensionem, & dicit, Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniae, aut Sabbatorum. Vides quomodo ea deprimat. Si ea, inquit, assecuti estis, cur vos paruis redditis obnoxios? Et extenuat dicens, Aut in parte diei festi. Non enim tenebant omnia priora. Aut Neomeniae, aut Sabbatorum. Non dixit, Ne ergo seruetis: sed, Ne quis vos iudicet. Ostendit ipsos transgredi & soluere: in alios autem crimen transtulit. Ne sustineatis, inquit, eos qui iudicant: sed ne hoc quidem. Verum cum eis solum differit, non eis os obstruens ac eos reprimens, dicendo, non debetis sciscitari & quarere. Sed haec non attigit. Non dixit, In mundis & immundis. Neque dixit in scenopegiis & azyms & Pentecoste, sed in parte diei festi. Non enim audebant totum seruare. Et si seruabant, non ut festum agerent. In parte, inquit: ostendens quod magna ex parte sit solum. Nam etsi sabbatum agebant, non tamen exactè & accuratè. Quae sunt umbra futurorum. Noui, inquit, testamenti: Corpus autem Christi. Alij quidem sic puncto distinguunt. Corpus autem, Christi. Alij autem, Corpus Christi brabium nemo vobis interuertat, seu intercipiat. *καταλαλεω* enim, quo verbo Paulus vtitur, est quando aliorum quidem est victoria, aliorum verò brabium, seu praemium, quando victoriam assecuto insultatur. Itas supra diabolum & peccatum, quid peccato te rursus subiicis? Propterea dicebat cum esse debitorem legis implenda. Et rursus, Num inuentus est Christus minister peccati, quod dicebat scribens ad Galatas. Quando eis iram mouit, dicendo praemium interuertat, tunc incipit. Volens, inquit, in humilitate & religione angelorum. Quae non vidit ambulans frustra inflatus sensu carnis suae, aut quomodo in humilitate, aut quomodo inflatus? Ostendit totum esse inanis gloriae. Quid est autem omnino quod dicitur? Sunt quidam qui dicunt non oportere per Christum adduci, sed per angelos. Illud enim est maius quam ut id possimus assequi. Propterea Iusque deique veritat quae facta sunt à Christo per sanguinem crucis eius. Propterea dicit eum pro nobis esse perpassum, & dilexisse nos: & rursus nos in eo ipso esse cofixos. Non dixit autem adductionem seu conciliationem sed religionem. Quae non nouit ambulans. Non enim nouit angelos, sed ita fuit affectus tanquam nosset. Propterea dicit, inflatus sensu carnis suae. Temerè, neque propter rem aliquam veram, neque propter dogma fuit inflatus: & humilitatis praefert speciem. Ob mentem carnalem, non spiritualem, humana est cogitatio. Et non tenens caput. Ex quo totum corpus habet, ut sit, & ut rectè sit. Quid dimisso capite haeres membris? Si illinc excideris, periisti. Ex quo totum corpus. Quicumque sit, non solum inde habet ut viuatur, sed

Testamentum nouum conferunt cum veteri.

Galat. Galat.

Humana cogitatio est ob mentem carnalem non spiritualem.

Lex post tempus est doctrina homini.

Lex post tempus est doctrina homini.

Cap. III.

Vita haec praesens non est vita.

Vita nostra est abscondita cum Christo.

viuat, sed etiam ut illi coniungatur & viuatur. Vniuersa ecclesia quandiu habuerit caput, augetur. Non enim arrogantiæ & vanæ gloriae est affectio, inuentum humanae mentis. Ecce illud. Ex quo, dicitur de filio. Per nexum & coniunctiones, inquit, subministratum & constructum, crescit in augmentum Dei. Quod est secundum Deum, inquit, & optimæ vitæ institutionis. Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi. Medium illud ponit, & quod est vehementius vtrinque. Si mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi, quid tanquam viuentes in mundo dicernitis? Non habet consequentiam. Oportet enim dicere, Quomodo tanquam viuentes subiicimini elementis? Sed hoc dimisso, quid dicit? *Ne tetigeritis, neque gustaueritis, neque contrectaueritis. Quae sunt omnia in interitu ipso vsu secundum praecepta & doctrinas hominum.* Non estis, inquit, in mundo: quomodo subiicimini elementis? Quomodo hominum observationibus? Et vide quomodo eos ludificatur: Ne tangas, inquit, ne contrectes, ne gustes, tanquam dans eos etiam à quibusdam magnis abstinere. Quae sunt omnia in interitu ipso vsu. Multorum deiecit tumorem, & subiunxit. Secundum praecepta & doctrinas hominum. Quid dicis? Etiam legem dicit? Eane iam est doctrina hominum? Post tempus. Aut quod eam adulerant ac deprauabant. Aut tacitè significat ea quae sunt Gregorum. Totum, inquit, est dogma seu decretum humanum. *Quae sunt rationem quidem habentia sapientiae in superstitione & humilitate, & non ad parcendum corpori, ad saturitatem carnis.* Verbum, inquit, non vim, non veritatem. Quamobrem etiam si verbum habeas sapientiae, auersamur. Nam videtur aliquis esse pius & modestus, & corpus despiceret. Non in honore aliquo ad repletionem carnis. Deus enim dedit honorem. Ipsi autem non vsi sunt in honore. Sic quado fuerit dogma seu decretum, id scit vocare honorem. Dedicere, inquit, afficiunt carnem, eam priuantes, & potestatem adimentes: non permittentes ut voluntariè dominetur Deus carnem honorauit. *Igitur si surrexistis cum Christo, quae sursum sunt querite.* Eos conciliat, cum superius confirmasset eum esse mortuum. Propterea dicit. Igitur si surrexistis cum Christo, quae sursum sunt querite. Non est illic observatio. *Quae sursum sunt querite, ubi Christus est in dextera Dei sedens.* Papae! Quo mentem nostram euexit? Quomodo eos magno impleuit spiritu? Non satis habuit dixisse, Quae sursum sunt. Sed quid? In dextera Dei sedens. Illinc de caetero effecit ut terram non aspiciat. *Quae sursum sunt sapite, non quae super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Vita, inquit, non est haec vestra, est quaedam alia vita. Iam vrget ut eos transferat, & contendit ostendere eos sedere supernè, etiam si sint mortui, ex vtriusque probans ne esse querenda quae hic sunt. Nam siue mortui estis, non debetis querere. Siue estis supra. non debetis querere. Neque apparet Christus, neque vita nostra. In Deo est apud superos. Quid ergo? quando viuemus? Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc gloriam querite, tunc vitam, tunc delicias. Haec sunt quibus iter munit & se preparat, ut eos abducatur à deliciis otioque & requie. Hic est mos eius, ut alia probans & confirmans, ad alia transiliat. Ut de iis loquens qui cenam anticipabant, repente delapsus est ad observationem mysteriorum. Magnum enim quidpiam habet reprehensio, cum facta fuerit citra suspicionem. Abscondita est, inquit, à vobis: tunc vos quoque cum eo apparebitis. Quamobrem nunc non apparetis. Vide quomodo eos transfert in ipsum caelum. Nam sicut dixi, semper contendit ostendere eos eadem habere quae

Christus. Et per omnes suas epistolas hoc agit ut ostendat eos societatem & communionem habere in omnibus. Propterea & caput dicit & corpus: & omnia facit, ut hoc representet & exhibeat. Si ergo tunc apparebitis, ne doleamus quando honorem non assequimur. Si haec vita non est vita, sed est abscondita: tanquam mortui debemus hanc vitam viuere. Tunc & vos, inquit, cum ipso apparebitis in gloria. In gloria dixit, non abs re nec inconsideratè. Nam & margarita est abscondita quandiu fuerit in ostreo. Siue ergo cotumelia & probro afficiamur, ne doleamus: siue quoduis patiamur. Non est enim nostra vita haec vita. Hospites enim & peregrini sumus, Mortui enim, inquit, estis. Quis adeo desipit ut mortuo corpori sepulto aut seruos emat, aut domos aedificet, aut pretiosas vestes comparet? Nullus. Nec nos ergo. Sed sicut vnum solum quærimus, ne simus nudati: ita hic quoque vnum quæramus. Sepultus est noster primus homo, sepultus est non in terra, sed in aqua: non morte ipsum dissolvente, sed eo qui mortem dissoluit, ipsum sepeliente: non lege naturae, sed iussu fortiore quam sit & natura et dominium. Nam quae facta sunt à natura, dissoluerit etiam quispiam. Quae autem ab eius iussu, nequaquam. Haec sepultura nihil est beatitatis qua omnes lætantur, & angeli, & homines, & dominus angelorum. Huic sepulturae non opus est vestibus, non loculo, nec vlla re alia eiusmodi. Vis videre symbolum seu signum? Ostendam tibi piscinam, in qua alius quidem est sepultus, alius verò resurrexit. In mari rubro demersi sunt Aegyptij, ascenderunt & peruaserunt Israëlitæ. Res eadem alium quidem sepeliat, alium verò generat. Ne mireris si ortus & interitus sit in baptisate. Nam dic mihi, soluere & coglutinare non sunt contraria? Cuius est perspicuum. Hoc facit ignis. Nam ceram quidem dissoluit & perdit: terram autem metallicam coglutinat, & aurum facit. Ita hic quoque. Ceram statuat cum vis ignis deleuerit pro ea aurum reddit. Sumus enim planè lutei ante lauacrum, aurei autem postea. Vnde hoc constat? Audi ipsum dicentem. Primus homo è terra terrenus. Secundus homo dominus è caelo. Ego quidem dixi quantum inter sit inter lutum & aurum: inueni autem maiorem differentiam caelestis & terreni. Non tantum autem interest inter lutum & aurum, quantum inter terrena & caelestia. Cerei eramus & lutei. Nos enim liquefecit flamma cupiditatis, multo magis quam ceram ignis: & quavis nos confregit tentatio, multo magis quam luteos lapis. Et si vultis, describamus vitam praesentem, ut videamus num omnia essent terra & aqua, & quae essent huiusmodi ut instar Euripi fluerent & refluere, essentque veluti puluis, planè instabilia & diffluentia. Et si vultis, exanimemus non priora, sed praesentia. Quid enim, vis nos dicere magistratus & principatus? nihil enim in hac vita videtur esse magis amulandum. Sed magis inuenis puluerem in aère stantem, quam haec nunc maximè. Cui enim non sunt subiecti? Iis qui ipsos amant, Eunuchis, iis qui pecunia: gratia faciunt omnia, iræ populi, potentiorum indignationi. Qui heri sublimis in tribunali, habebat praecones alta voce clamantes, & multos praecurrentes, & in foro superbè & gloriosè incedentes, est hodie vilis, humilis, abiectus, ab omnibus illis desertus, & nudus, tanquam puluis euentilatus, tanquam vnda quae praeteriit. Sicut autem puluis excitatur à nostris pedibus, ita etiam pariuntur magistratus & principatus ab iis qui versantur in pecuniis, & in tota vita locum & ordinem habent pedum: & sicut puluis quidem cum extollitur, magnam partem tenet aëris, ipse autem est modicus: ita etiam principatus, & magistratus. & sicut puluis excæcat oculos, ita etiam fastus principatus orbat

Nos eadem habere quae Christus, Paulus contendit ostendere.

Primus homo noster sepultus est in aqua.

Exod. 14.

Baptisatus & generat & corrumpit.

1. Cor. 15.

Nostra omnia fluunt & refluunt instar Euripi.

Pulueri assimilatur magistratus.

mentis oculos. Sed quid: vis examinemus rem valde A optandam, nempe diuitias. Agè, eas sigillatim exami- nemus. Habent delicias: habent honores: habent po- tentiam. Atque primùm quidem, si vis, examinemus delicias. An non eæ sunt pulvis? Imò verò citiùs pul- uere transeunt. Nam ad linguam vsque pertingit volu- ptas deliciarum. Cùm autem impletus fuerit venter, ne ad linguam quidem vsque. At ipsi honores, inquit, sunt res suavis & iucunda. Et quid est illo honore insuauis, cùm habeatur propter vsum pecuniæ? Cùm non habeatur ex libera electione, neque ex aliqua animi alacrita- te, non tu fruieris honore, sed diuitiæ. Quamobrem hoc ipsum facit diuitem maximè omnium inhonoratum. Nam, dic quæso, si te habentem amicum omnes hono- rant, faterentur autem te quidem nullius esse pretij, necesse autem esse vt propter illum te honorent, quo- modo te ignominia aliter magis affecissent? Quamobrem ignominia causa sunt nobis diuitiæ, vt quæ ipsis possessoribus sint magis honoratæ, & imbecillitatis in- dicium potiùs quam potentie. Quomodo ergo non est absurdum, terra & cinere, hoc enim est aurum, nos non existimari esse dignos, sed nos propter illud honorari? & meritò. Melius est enim non honorari quàm sic hono- rari. Nam dic quæso, si quis tibi diceret, Nullo te ho- nore dignum esse existimo, sed propter famulos tuos te honoro, nunquid hac ignominia potest quidquam esse peius? Si autem propter seruos turpe est honorari, qui sunt participes eiusdem cuius nos animæ & naturæ: multò magis propter ea quæ sunt his viliora, domorū, inquam, parietes, & atria, & vala aurea, & vestes. Hæc re vera sunt ridicula & pudenda. Melius est mori quàm sic honorari. Si te in hoc fastu periclitatem vilis quispiam & despuèdus ab hoc periculo vellet liberare, quidnam hoc esset peius? Quod autem de ciuitate inter vos dicitis, volo vobis dicere. Eum qui rerum potiebatur ali- quando offendit nostra ciuitas, & iussit eam cuerti fun- ditus, cum viris, pueris, & domibus. Tales enim sunt iræ regum. Potestati quantum volunt indulgent: tantum malum est potestas. Erat ergo in extremis periculis. Hæc autem vicina ciuitas maritima rogauit pro nobis imperatorem. Qui autem nostram habitabant ciuitatē, dicebant hoc esse peius quàm dirui ciuitatem. Ad eò sic honorari peius est quàm ignominia affici. Vide enim vndenam radices agat honor. Coquorum manus faci- unt vt vos honorem. Quamobrem illis debetis ha- bere gratiam. Et subulci lautam præbentes mensam, & textores, & lanifici, & qui metalla operantur, & qui pla- centas condiunt, & mensas sternunt. An non ergo me- lius est non honorari, quàm agnoscere se pro honore debere illis habere gratiam. Præter hæc autem quòd dis- cedere plenū sit ignominia, ego apertè conabor osten- dere. Turpem facit animam. Quid est autem hoc igno- miniosus? Nam, dic quæso, si corpus esset speciosum, & omnes superans pulchritudine, accedentes autem diui- tiæ pollicerentur se id turpe facturas, & pro sano quidem ægrotum, pro benè autem composito tumidum & in- flammatum: & omnibus membris intercute repletis in- flassent quidem faciem, & omni ex parte fecissent tu- mescere, pedes quoque inflassent & trabibus fecissent grauiore, inflassent & ventrem, & effecissent maiorem quouis dolio. postea ne iis quidem qui vellent curare se permissuras profiteretur, ea enim est nimia potestas & licentia: sed se tantam daturas esse libertatē, vt si quis accederet ad ipsum liberadum à noxiis, eum essent pu- nituræ. Dic ergo quæso, sic discere, cùm hæc faciat ani- mæ, quomodo pulchrum fuerit & honestum? Sed nimia potestas & licentia est ipso morbo grauior. Ægro- tantem enim ne medicorum quidem parere legibus,

Honor quam sit insuauis & iniucundus.

Honores vnde agant radices.

Potestas nimia & licentia est ipso morbo grauior.

est grauius quàm ægrotare. Quod quidem habent diui- tiæ, facientes omni ex parte intumescere & inflammari animam, & prohibentes medicos accedere. Quamobrem propter nimiam potestatem & licentiam ne eos beatos pronunciemus, sed eorum misereamur. Neque enim si aqua intercute laborantem iacentem viderim quempiam, & neminem vetantem quominus potui iu- pleatur quantum velit, & noxiis carnibus, cum beatum dixerim propter eam potestatem & licentiam. Potestas enim & licentia non est semper bona, sicut certè nec ho- nores. Nam eæ quoque ingètes faciunt spiritus, super- biæque implent & arrogantia. Si autem nolles corpus morbum suscipere cum diuitiis, quomodo despicias ani- mam, non hoc solum, sed aliam quoque suscipietem punitionem? Vndique enim aestuat febribus & inflam- mationibus. Febrem autem illam nemo potest extin- guere: non sinunt enim diuitiæ, vt pote quæ detrimenta persuaferint esse commoda: vt pote neminem sustinere, & per summam licentiam omnia agere. Non enim ali- am inuenies animam tam multis & tam nefariis ple- nam desiderijs, vt eorum qui volunt ditescere. Quas e- nim nugas non sibi describunt, magis quàm qui Hip- pocentaurus effingunt & Chimæras? Et serpenti pedes, & Scyllas, & monstra videris eos effingentes. Et si quis velit eorum vniam effingere cupiditatem, nihil vide- bunt, nec Scylla, nec Chimæra, neque Hippocentauri, si cum portento illo conferantur: sed videbis illam habere omnes simul belluas. Et fortè existimabit quis- piam me fuisse in multa diuitiarum copia, vt qui in iis quæ dicuntur tam sim verus. Fertur quidam, prius enim confirmabo orationem ex iis quæ canuntur apud Gre- cos, fertur, inquam quidam rex apud eos in deliciis eò venisse luxus & tam probrosi, vt auream sibi fecerit platanum, cælumque supernè, & ita sedisse, idque cùm bellum gereret aduersus belli peritos. An non est hæc cupiditas Hippocentaurorum? An non Scylla? Alius rursus iniecit homines in bouem ligneum. An non hoc est Scylla? Quidam autem ex prioribus ex viro fecit mulierem, ex Rege militem: ex muliere, quid dicam? bestiam rationis expertem, & his adhuc peius. Bestiæ enim etsi sint sub arboribus, suam sustinent naturam, & nihil quærunt amplius. Iste autem etiam ferarum natu- ram longè superauit. Quid ergo diuitibus fuerit insipi- entius? Hoc autem fit ex nimia desideriorū vi & abun- dantia. At nōne multi eum admirantur? Fiunt itaque sicut ipse ridiculi. Hoc non ostendebat diuitias, sed a- mentiam. Aurea illa platano quantò est terrestris, pla- tanus melior & præstantior? Nam quæ sunt secundum naturam, sunt iucundiora iis quæ sunt præter naturam. Quid tibi volebat cælum aureum ò fatue? Vides quo- modo insanientes faciant diuitiæ? quomodo intume- scant & æstuent. Existimo ipsas etiam mare non nosse, & fortasse velle etiam in ipso ingredi. An non hæc sunt Chimæra? An non Hippocentaurus? Sed sunt nunc quoque qui ab ipso nihil distat, sed sunt etiam his mul- tò insipientiores. Quid enim, dic quæso, ab aurea plata- no differunt quod attinet ad amentiam, qui amphoras faciunt aureas, & ollas, & alabastra? Quid verò mulie- res, (pudet quidem, sed tamen necesse est dicere) ma- tulas facientes argenteas? Oporteret vos pudere quæ hæc facitis. Christo esuriente tu ita indulges deliciis, imò verò desipis? Quasnam hæc luent pœnas? Deinde rogas cur latrones, cur parricidæ, cur mala, cùm diabo- lus vos ita ageret ac discerpat? Nam mensas quidem & discos habere argenteos ne hoc quidem animo conue- nit philosophico, sed totum est planè deliciarum. Im- munda autem vasa facere argentea, nunquid est delicia- rum? Non dixerim deliciarum, sed insaniam, imò verò peius insa-

Anima eorum qui volunt ditescere, est plena nefariis desiderijs.

Rex Persarum barbam habebat auream.

Ioan. 6.

Mulieres matulas facientes argenteas.

peius insaniam. Scio multos me propter hoc habere ludi- brio. sed nō curo, modò aliquid profim. Re vera amen- tes & furentes faciunt diuitiæ. Si tantæ essent copiæ, vellent & terram esse auream, & parietes aureos, fortas- se & cælum & aërem ex auro. Quis furor, quæ amentia, quæ febris? Alius perit frigore qui est factus ad Dei ima- ginem. Tu autem hæc fabricaris? O fastum & arrogan- tiam. Quid amplius fecisset insanus? Excrementa tanti facis vt ea argento excipias? Scio vos audientes obtor- pescere, sed obtorpescere debent quæ hæc faciunt, & viri qui morbis huiusmodi deseruiunt. est enim hoc in- temperantia, & crudelitas, & inhumanitas, & feritas, & petulantia. Quæ Scylla, quæ Chimæra, quis draco, vel potius quis dæmon, quis diabolus hoc fecerit? Quid prodest Christus? Quid prodest fides, cùm toleratur a- liquis ex gentibus, imò verò non ex gētibus, sed ex dæ- monibus? Si caput non est ornandum auro & margari- tis: qui argento vtitur ad tam immundum ministerium, quānam assequetur veniam? Non sufficiunt reliqua, quamuis nec illa sunt toleranda: cathedræ & scabellæ ex argento omnia. Atqui hæc quoque sunt amentia. Sed vbique est fastus superuacaneus: vbique inanis gloria. Nusquam vsus habetur ratio, sed vbique sunt superua- canea. Ego vereor ne ab hac insaniam procedens sexus muliebris, monstrorum formam suscipiat: verisimile est eas cupere pilos quoque habere aureos. Aut fatea- mini vos eo quòd dictum est nihil esse affectos, & exci- tatos, & incidisse in concupiscentiam, & nisi pudor re- tinuisset, non recuauissetis. Nam si audetis ea quæ sunt his absurdiora, multò magis existimo eas pilos aureos esse desideraturas, & labra, & supercilia, & toto auro li- quefacto se eo velle illinere. Si autem non creditis, & existimatis me ridentem dicere, ego narrabo quod au- diui, imò verò nunc quoque est. Rex Persarum barbam habet auream, iis qui harum rerū sunt periti, veluti sub tegmine, illius pilis auri laminas inuoluentibus. Sed ia- cet tanquam mostrum. Gloria tibi Christe, quā mult- tis nos impleuisti bonis, vt sani essemus, à quā multis monstris & amentijs liberauisti? Ecce prædico: nō am- plius suadeo, sed impero, & denuncio: audiat qui velit. Qui non vult autem, non pareat: quòd si pergatis hæc facere, non tolerabo, neque vos excipiam, neque sinam vt hæc limina trāscatis. Quid enim mihi opus est ægro- tantium multitudine? Quid verò si vos erudiens non prohibeo quæ non sunt superuacanea? Atqui Paulus prohibuit aurum & margaritas. Ridemur à Græcis: res nostræ videntur esse fabulæ. Et viris hæc suadeo. Acce- dis ad ludum literarium, philosophiam discens spiri- tualem? Aufer illum fastum. Hæc & viris suadeo & fe- minis. Et si quidpiam aliter facias, non amplius patior. Duodecim crant discipuli: & audi quid Christus eis di- cat. Num & vos vultis abire? Nā si omnino adulemur, quando vos recreabimus, quādo proficiemus? At sunt, inquit, aliæ hæreses, & transmutantur ad easque defici- unt. Frigida est hæc oratio. Melior est vnus faciens vo- luntatem domini, quàm mille iniqui. Nam tu quoque, dic mihi, vtrum malis, millène habere seruos fugitiuos & fures, an vnum beneuolum? Ecce suadeo & iubeo vt & faciei ornamētum, & eiusmodi vasa conteras, & des pauperibus, & ne sic insanias. Qui vult resiliat. Qui vult accuset & reprehendat: nullum patior. Quando sum iu- dicandus stans ad tribunal Christi, procul vos statis. & quæ à vobis existit gratia, me reddente rationem? Hæc verba omnia corrumpunt. Ne discedat, inquit, & ad a- liam hæresim deficiat, est imbecillus, te demitte & te ei aliquantisper accomoda. Quo vsque? Semel, & bis, & ter, non perpetuò. Ecce rursus denuncio, & congruen- ter beato Paulo protestor, quòd si rursus venero, non

A parcam. Quando autem vos rectè gesseritis, tunc scie- tis quantum lucrum, quanta sit vtilitas. Certè rogo, & obsecro, & ne genua quidem vestra dubitem appre- hendere, & pro eo supplicare. Quæ est hæc mollities, quæ delicia, quæ contumelia (cōtumelia enim est, non delicia.) Quæ amentia? Quæ insaniam? Tot pauperes cir- cumsistunt ecclesiam: & tam multos filios habes eccle- sia, tam diuites, nulli pauperi potest opem ferre: sed ali- us quidem esurit, alius verò est ebrius: alius quidem in argento egerit: alius autem ne panem quidem habet quo vescatur. Quanam est hæc insaniam: quanam tanta feritas? Absit vt sit nobis faciendum periculum perse- quendorum eorum qui non obediunt, & indignatio- nis subeundi iudicij, sed lubentes & patientes hæc om- nia obeamus. Vt in gloriam Dei viuamus, & à suppli- cio quod illic est liberemur, & bona assequamur promissa iis qui ipsum diligunt, gratia & benignitate Do- mini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Filio & Spiri- tu sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

1. Cor. 13.

ORATIO VIII.



MORTIFICATE ergo membra vestra quæ sunt supra terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam, quæ est idolorum seruitus: propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis: in quibus ambulastis aliquando cùm viueretis in illis. Scio mul- tos esse offensos ea quæ hanc præcessit disputatione. Sed quid agam? Audiuitis quid iusserit dominus. Num ego sum causa? Quid faciam? Non videtis quo- modo qui quod debetur exigunt, si rei debendi sint in- grati, eos in vincula coniiciunt? Audiuitis quid hodie exclamarit Paulus. Mortificate, inquit, membra vestra quæ sunt supra terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam quæ est idolorum seruitus. Quid est ea avaritia deterius? Hoc est grauius eo quod dicebam, nempe insaniam & insipi- entiam aduersus argentum. Et avaritiam, inquit, quæ est idolorum seruitus, nempe idololatria. Videtis vbinam malum desinat. Ne agrè feratis: non enim lubes neque temerè volo habere inimicos. Sed velim vos eò venire virtutis, vt ego de vobis audirè quæ oporteret. Quam- obrem non sunt quæ dixi autoritatis, neque imperij, sed tristitiæ & doloris. Ignoscite, ignoscite: nolo me inde- core gerere de eis differēs: sed necesse habeo. Non pro dolore pauperum hæc dico, sed pro vestra salute. Per- ibunt enim, peribunt qui Christum nō aluerunt. Quid enim si alis pauperem? Sed quando sic luxui & deliciis indulges, sunt omnia superuacanea. Non enim quæri- tur multane dederis, sed num minus dederis quàm fe- rant facultates: hoc enim est ludentis. Mortificate ergo, inquit, membra vestra quæ sunt supra terram. Quid di- cis? Non tu dixisti. Sepulti estis, consepulti estis, circun- cisi estis, exuimus corpus peccatorum carnis. Quomo- do ergo rursus dicis, Mortificate? Ne ludas. Hæc dicis tanquam hæc sint in nobis. Non est contradictio. Vt si quis cùm à fordibus absterfisset statuam, vel potius eam denuò sudisset & conflasset, eamque deintegro fulgen- tem reddidisset & nitidam, dicat quidem esse exesam & periisse rubigine, suadeat autem rursus operam dare vt deponatur rubigo, non vtitur contradictione. Non enim quam asperfit rubiginem, sed quæ postea adnasci- tur, suadet deponere. Sic neque priorem dicit mortifi- cationem. Neque illas fornicationes, sed quæ postea accedunt dixit. Quoniam non est hæc vita nostra, sed alia quæ est in cælis. Dic autem mihi, Quoniam dixit, Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, ergo terra quoque incurrit in reprehensionem. Deinde su-

Panperibus dan- da est ele- mosyna modo facul- ratum.

per terram ipsa vocat peccata. Fornicationem. Immunditiam, inquit. Res prætermisit quas ne honestum quidem est dicere: & per immunditiam, omnia ostendit. Libidinem, inquit, concupiscentiam malam. Ecce totum dixit in genere. Omnia enim complectitur mala, cupiditas, inuidiam, iram, tristitiam. Et avaritiam, inquit, quæ est idolorum seruitus. Propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis. Per multa eos abduxit. Per ea quæ fuerunt beneficia. Per mala futura à quibus sumus liberati, quinam cum essemus, & quamobrem: & omnia illa, vtpote quinam fuerimus, & in quibus: & quod ab eis sumus liberati, quo pacto & quomodo & propter quæ. Hæc sufficiunt ad auertendum. Sed hoc est omnium vehementissimum, dictu quidem iniucundum, non tamen inutile, sed etiam vtile. Propter quæ, inquit, venit ira Dei super filios incredulitatis. Non dixit. Super vos: sed super filios inobedientia. In quibus ambulastis aliquando cum viueretis in illis. Incutiendum pudorem, Cum viueretis, inquit, in illis, & cum laude, & qui nunc non viuunt sicut tunc viuebant. *Nunc autem deponite & vos omnia.* Et vniuersè semper dicit & sigillatim. Hæc sunt autem affectionis. *Iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Nolite mentiri iniucem.* Turpem sermonem, inquit, ex ore vestro, cum emphasi, quoniam id maculat & polluit. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum cum qui renouatur in agnitionem Dei, secundum imaginem eius qui creauit eum.* Operapretium est hic querere cur membra, & hominem, & corpus vocet vitam corruptam & deprauatam: & rursus idem, vitam quæ rectè & ex virtute agitur. Et si homo sunt peccata, quomodo dicit, Cum actibus suis. Semel enim dixit veterem hominem, ostendens quod hoc non sit homo, sed illud. Liberum animi arbitrium & libera electio magis obtinet principatum quam essentia: & hoc magis est homo quam illud. Non enim essentia iniicit in gehennam, neque inducit in regnum, sed ipsum liberum arbitrium & libera electio: & neminem amamus, neque odimus quatenus est homo, sed quatenus est talis, aut talis homo. Si ergo corpus quidem est essentia, ipsa autem in vtrisque nõ est rea nec obnoxia reddenda rationi, quomodo ipsum dicit esse malum? Quid verò dicit, Cum suis actibus? liberum arbitrium cum operibus. Veterem autem ipsum vocat, eius volens ostendere turpitudinem, & deformitatè, & imbecillitatem. Et induite nouum, pro eo quod est. Ne expectetis futurum vt ei idem accidat, sed cõtrà: Nam quò magis processerit, non tendit ad senium, sed ad maiorem priore iuuentutem. Nam quando maiorem acceperit cognitionem, maiora quoque consequitur, & magis viget, & maiorem vim habet, non solum ob iuuentutem, sed etiam ob formam ad quam refertur. Ecce optima vitæ institutio dicitur creatura. Ad imaginem Christi. Hoc enim est, ad imaginem eius qui creauit ipsum. Nam nec Christus venit ad senium, sed erat adeo pulcher vt dici non possit. *Vbi non est masculus nec femina, gentilis & iudeus, circumcisio & præputium, barbarus & Scythæ, seruus & liber, sed omnia, & in omnibus Christus.* Ecce tertium huius viri encomium, quando nec gentis, nec autoritatis, neque maiorum ingreditur discrimen cum nihil habeat externum, neque his opus habeat: talia enim omnia sunt externa. Circuncisio, & præputium, seruus, liber, Græcus, hoc est profelytus, & Iudæus à maioribus. Si hunc solum habeas, eadem assequeris quæ alij qui habent. Sed omnia, inquit, & in omnibus est Christus. Omnia sit nobis Christus, & autoritas, & genus, & in vobis omnibus idem. Aut aliud dicit, nõpe, Omnes vnus Christus facti estis, cum sitis eius corpus. *Induite vos ergo*

Cupiditas omnia mala complectitur.

Liberum arbitrium magis obtinet principatum quam essentia.

Institutio vitæ optima dicitur creatura.

sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordie. Ostendit facilitatem virtutis, vt & eam perpetuò habeat, & vt virtus tanquam maximo vtantur ornamento. Et est cum laude suasio. Tunc enim vim habet maximam. Fuerunt enim sancti, sed non electi. Nunc autem & electi, & sancti, & dilecti. *Viscera misericordie.* Nõ dixit misericordiam, sed cum maiori emphasi per duo. Et non dixit, Tanquam fratribus, sed tanquam filiis patres. Ne mihi enim dixeris quod peccauit. Propterea dixit viscera. Et nõ dixit misericordiam, ne eos vilipenderet, sed viscera misericordie. *Benignitatem, humilitatè, modestiam, patientiam, supportantes iniucem: & domantes vobismetipsos, si quis aduersus aliquem habeat querelam. Sicut & dominus donauit vobis, ita & vos.* Rursus dicit per species. Nam à benignitate oritur humilitas, & ab ea lenitas. Supportantes, inquit, iniucem. Hoc est sustinentes, & alter alteri dimittentes. Et vide quemadmodum, ipsum nihil esse ostenderit, vt qui vocari querelam. Et dixit, Sicut & dominus donauit vobis. Magnum exemplum, quod semper facit, à Christo ipsos adhortans. Querelam dicit. Illic quidem paruum esse ostendit. Quando autem adduxit exemplum, persuasit quod etiam si de magnis possimus accusare, oportet cõdonare. Illud enim, Sicut Christus, hoc significat. Nec hoc solum, sed etiam quod ex toto corde. Nec hoc solum, sed etiam quod oportet diligere. Christus enim in medium adductus hæc omnia adducit. Et quod etiam si sint magna, etiam si prius eos nulla affecerimus iniuria. Et si nos quidem magni, illi verò pusilli, etiam si sint nos postea affecturi contumelia: & quod anima pro ipsis sit ponenda. Illud enim sicut, hæc postulat, & quod nec ad mortem vique solum stare oporteat, sed si fieri possit, etiã postea. *Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Vides quod hoc dicit. Nam quoniam fieri potest vt qui condonet non diligit, certè, inquit, oportet etiam diligere: & ostendit viam per quam fieri potest vt condonetur. Fieri enim potest vt sit aliquis benignus, & mitis, & humilis, & lenis, & nullo moueatur affectu. Quamobrem in principio dixit Viscera misericordie, & misericordiam. Super omnia autem hæc charitatem, quæ est vinculum perfectionis. Hoc est autem quod vult dicere. Illa nihil profunt. Dissoluuntur enim illa omnia, nisi fiant cum charitate. Ipsa omnia illa cõstringit. Quodcumque bonum dixeris, si ea absit, nihil est, sed diluit. Et quomodo in nauis, etiam si magna sint instrumenta, & non sint quæ eam succingant tabulata, nihil prodest: & in domo si non sint cõtignationes: & in corpore, etiam si magna sint ossa, non sint autem ligamenta, nihil iuuat. Cuiusmodique enim quispiam bona habeat opera & rectè facta, euanescent omnia nisi sit charitas. Non dixit autem fastigium, sed quod est maius, vinculum: hoc enim est magis necessarium quam illud. Nam fastigium quidem est intentio perfectionis. Vinculum autem est complexus & comprehensio eorum quæ perfectionem efficiunt, tanquam radix. *Et pax Christi exultet in cordibus vestris: in qua & vocati estis in vno corpore, & grati estote.* Pax Dei est ea quæ est firma & stabilis. Si propter hominem quidè pacem habeas, ea citò dissoluitur. Sim autè propter Deum, non itidem. Quamquam dixit quod est vniuersè, charitatem, rursus tamen venit ad id quod est singularè: est enim etiam immoderata charitas. Vt quãdo quispiam ex multa charitatè temerè accusat, depugnatque, & auersatur. Non dicit, Hoc nolo, sed sicut Deus vobiscum fecit pacem, ita vos quoque facite. Quomodo fecit? Cum ipse voluisset, nulla re à nobis accepta. Quid est, Pax Dei præmium distribuat in cordibus vestris? Si pugnent duæ cogitationes, ne statuas iram, nec violentiam & insultationem tenere brabium & præmium,

Virtus tanquam maximo vtantur ornamento.

Nõ condonet solum oportet et toto corde, sed etiam diligere.

Gratus quomodo & qui ipsi.

Matt. 18.

Fornicationis vitium maxime dominatur. 1. Tim. 4. Heb. 12.

Vinculum plus est quam fastigium.

Pax Dei est firma & stabilis.

& præmium, sed pacem. Vt, sit quispiã iniuste affectus contumelia. A contumelia enatæ sunt duæ cogitationes, Vna quidem iubens vlscisci, altera verò tolerare: & inter se luctantur. Si steterit pax Dei præmium distribuens, dat præmium ei qui iubet tolerare, & illum pudore afficit. Quomodo? Persuadens Deum esse pacem, & pacem nobiscum fecisse. Non abs re nec temerè ostendit rei magnum esse certamen. Ne ira, inquit, præmium distribuat, non contentio, non pax humana. Pax enim humana fit ex eo quod non vlsciscamur, ex eo quod nihil graue patiamur. At non hanc, inquit, volo, sed illam quam ipse reliquit. Stadium intrus fecit in cogitationibus, certamenque & præmij distributorem. Deinde rursus adhortatio. In qua & vocati estis. Hoc est, propter quam vocati estis. Reuocauit in memoriam quam multorum bonorum causa fit pax. Propter eam te vocauit, eius causa vocauit, vt fide dignum acciperes præmium. Nam cur vnus fecit corpus? Non vt ipsa dominatam obtineret? Non vt in pace degendi haberemus occasionem? Cur omnes sumus vnus corpus? Quomodo autem sumus vnus vnus corpus? Propter pacem vnus vnus corpus sumus, & propterea quod sumus vnus vnus corpus, in pace agimus. Cur autem non dixit, Pax Dei vincat, sed præmium distribuat? Eam effecit fide digniorem: non fuit vt cum ea luctaretur mala cogitatio, sed staret inferius: & nomen præmij excitauit auditorem. Nam si dederit præmium bonæ cogitationi, quantumcumque illa, nempe mala, sit impudens, de cetero nihil proderit. Alioqui autem sciens illa quod quidquid fecerit, præmium non sit acceptura, quidquid spirarit, & vehementius irruere aggressa fuerit, vt quæ inutiliter labore, desisteret. Rectè autè addidit, Et grati estote. hoc est enim esse gratum, & ad incutiendum pudorem valde appositum, vt conferuis similiter vtatur, sicut ipso Deus. Domino cedat, pareat, pro omnibus gratias agat, seu contumelia affecerit quispiam, seu percusserit. Qui enim Deo agit gratias pro iis quæ passus est, non cum qui fecit vlsciscetur. Nam is quidem qui vlsciscitur, non agit gratias. Sed ne simus sicut ille qui centum debebat denarios, ne audiamus, Serue nequam. Hoc enim ingrati animi vitio nihil est peius. Quamobrem sunt ingrati qui vlsciscuntur. Cur autem ad primam venit fornicationem? Nam cum dixisset, Mortificate membra vestra quæ sunt supra terram, statim dicit, Fornicationem: & hoc ferè facit vbiq;, quoniam hoc vitium maxime dominatur. Scribens enim in epistola ad Thessalonicenses, hoc fecit. Et quid mirum, cum etiam dicat Timotheo, Te ipsum castum custodi. Et rursus alibi, Pacem sectemini cum omnibus & sanctificationem, sine qua nullus videbit dominum. Mortificate, inquit, membra vestra: Quod est mortuum quale sit non ignoratis, exosum, abominandum, diffuens. Si mortificaueris, nõ manet mortuum, sed statim corrumpitur & interit sicut corpus. Extingue ergo calorem, & manet mortuò. Ostendit ipsum hoc facere quod Christus in lauacro. Propterea etiam membra vocat, tanquam aliquem virum fortem introducens, & ad maiorem deducens emphasim. Et rectè dixit, Quæ sunt supra terram: hic enim manent, & hic multò magis corrumpuntur & intereunt quam hæc membra. Quamobrem non est sic corpus supra terram, sicut peccatum est terreste. Nam corpus aliquando quidem pulchrum cernitur: illa autem nunquam: & omnia quæ sunt supra terram concupiscunt hæc membra. Si talis sit oculus, non videt quæ sunt in cœlis. Si auris, si manus, si quoduis membrum dixeris. Oculus videt corpora, & pulchritudines, & figuras has quæ sunt ex terra. His delectatur. Auris mol-

li modo, cithara & fistula, & turpi sermone. Hæc autem sunt circa terram. Postquam ergo superius eos collocarit iuxta thronum, tunc dicit, Mortificate membra vestra supra terram. Non enim licet stare superius cum his membris. Non est enim illic in quod ea operari oportet: & hoc lutum est illo peius. Nam illud quidem lutum fit aurum. Nam oportet, inquit, corruptibile hoc induere in corruptionem. Hoc autem lutum, non potest rursus fundi & conuari. Quamobrem hæc magis sunt supra terram quam illa. Propterea non dixit, Quæ sunt è terra, sed quæ supra terram: fieri enim potest vt hæc non sint è terra. Nam hæc quidem necesse est esse super terram. Illa autem nequaquam est necesse. Nam auris quidem cum ex iis quæ hic dicuntur nihil audit, sed ex iis quæ sunt in cœlis: Quando oculus nihil videt ex iis quæ sunt hic, sed quæ supra, non est super terram. Quando os nihil loquitur ex iis quæ hic sunt, non est super terram. Quando manus nihil fecerit ex iis quæ sunt mala, non est ex iis quæ sunt supra terram, sed ex iis quæ sunt in cœlis. Hoc etiam dicit Christus. Si oculus tuus dexter te scandalizet, hoc est, si aspicias impudicè, excinde eum, hoc est malam cogitationem. Mihi autem videtur fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam, hoc dicere fornicationem, per hæc omnia nos ab ea re abducens. Id enim est re vera animi passio, affectio, seu morbus: & quomodo corpus patitur, aut febricit, aut vulneratur, ita hæc quoque affectio. Et non dixit, Reprimite, sed mortificate, vt de cetero non possit resurgere, & auferre. Vt, si calli sint in corpore, corpus est mortuum, & id auferimus. Sed si viuum quidem secteris, afferet dolorem. Sin autem morte affectum, ne dolemus quidem. Ita etiam in animi passionibus seu affectionibus & morbis, ea animam efficiunt immundam, & patibilem reddunt animam quæ est immortalis. Quomodo idololatria seu idolorum cultus dicta sit auaritia sapius diximus. Quæ enim in humanum genus tyrannidem maxime exercent, hæc sunt, auaritia, & intemperantia, & concupiscentia mala. Propter quæ venit ira Dei super filios inobedientia. Filios dicit inobedientia, eos priuans venia, & ostendens eos in his esse, propterea quod non paruerint. In quibus, inquit, & vos ambulastis aliquando, & passi estis. Ostendit eos adhuc esse in iis, & laudat dicens. Nunc autem deponitis & vos omnia, itam, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem. Sed orationem deducit ad alios. Passiones & blasphemias dicit maledicta & conuitia: sicut ab ira dicit malitiam. Alibi autem ad incutiendum pudorem appositè, dicens, Alter alterius membra sumus, eos facit hominum veluti opifices, alterum quidem repellentium, alterum verò suscipientium. Eius hic vniuersa dicit membra, cor iram, os blasphemiam, oculus fornicationem, auaritiam pedes & manus, mendacium cogitationem ipsam & mentem veterem. Vnam habet formam regiam, nempe Christi. Videbantur isti mihi magis esse ex gentibus. Quomodo enim terra, cum sit arena, etiam si sit alia quidem magis, alia verò minus, sua prius perdita forma, postea fit aurum. & lanæ, qualescunque sint, alteram formam accipiunt, & priorem occultant, ita etiam fidelis. Supportantes, inquit, iniucem. Ostendit quod iustum est. Tu illum patere, & ille te. Quod quidem dicit in epistola ad Galatas. Alter alterius onera portate. Et grati, inquit, estote. Maxime enim vbi que hoc querit, vt quod sit summa bonorum. Gratias ergo agamus in omnibus quidquid euenerit: hoc enim est gratiarum actio. Atque in rebus quidem secundis hoc agere, non est magnum:

1. Cor. 15.

Auris & oculus quomodo non sunt super terram, osque & manus.

Matt. 5.

Passiones animæ animam reddunt immundam, & patibilem faciunt quæ est immortalis.

Ephes. 4.

Fidelis priore forma amissa aliam accipit.

Gal. 6.

ipsa enim rerum natura nos ad hoc impellit. Quando autem cum ad extrema ventum est, gratias agimus, tunc est admirandum. Quando enim propter ea quae alij maledictis insectantur & aegre ferunt, gratias agimus, vide quanta sit philosophia. Primò Deum exhilaras. Secundo diabolum pudore afficis. Tertio & quod factum est nihil esse pronuntias. Simulatque enim tu gratias agis, & Deus dolorem amputat, & recedit diabolus. Nam si aegre ruleris, is vt qui quod volebat effecerit adest, & Deus, vt qui sit blasphemia & maledicto affectus, relinquit, & malum intendit & auget. Sin autem gratias egeris, vt qui nihil proficiat recedit: & Deus, vt qui sit honore affectus, honorem rependit. Nec fieri potest vt homo qui propter mala agit gratias, mala sentiat. Lætatur enim anima, vt quae recte se gerat: statim læta est conscientia, & suis gestit & exultat laudibus. Quae læta est autem, non potest esse tristis. Illic autem cum calamitate vrget etiam flagellās conscientia. Hic autem coronat & tanquam praconio proclamat: Nihil est anima illa sanctius, quae in malis Deo agit gratias. Re vera ea nihil distat ab anima Martyris. Similiter & ipsa & ille coronatur. Nam eam quoque vrget licitor, qui cogit Deum negare per blasphemiam: instat & diabolus cogitationum vrgens carnificinis, & tenebras offundens animi aegritudinibus. Si ergo dolores tulerit, & gratias egerit, coronam accipit martyrij. Vt infans aegrotat, & Deo agit gratias. Quo tormento non est deterior animi aegritudo? Sed ea non cogit verbum acerbum emittere. Moritur, rursus agit gratias. Facta est filia Abrahami. Nam etsi propria manu non occidit, sed tamen lætata est propter sacrificium, quod par est: non succensuit cum donum auferretur. Rursus aegrotavit: non fecit amuleta, reputatur ei martyrium, mente enim sacrificauit filium. Quid enim, si illa nihil profuit, sed sunt imposturae & ludibria? Sunt tamen qui suadent ea prodesse. Et maluit infantem videre mortuum, quam pati idololatriā. Quomodo ergo ipsa est martyr, siue in seipsa, siue in filio hoc faciat, siue in marito, siue in aliquo qui est ei charissimus: ita altera est cultrix idolorum, est enim perspicuum quod diis sacrificasset, si licuisset sacrificare. Imò verò iam fecit quod est sacrificij. Amuleta enim, etsi de iis millies philosophentur qui ex iis rem faciunt, dicentes, Deum inuocamus, & nihil amplius facimus, & quae sunt huiusmodi, & Christiana est, inquit, vetula & fidelis, ea res est idololatria. Es fidelis, signa te, dic, hæc arma habeo sola, hoc medicamentum: aliud autem nescio. Dic mihi, si quis acceperit medicus, & medicinae dimissis medicamentis incantet, eumne dicemus medicum? Nequaquam. Medicinae enim non videmus medicamenta. Ita nec hic Christianismi. Alij autem rursus applicant nomina fluuiorum, & alia ad eum innumerabilia. Ecce dico & praedico vobis omnibus, quod si quisquam fuerit deprehensus, non parcam iterum, siue amuletum, siue incantationem, siue huius artis aliquid aliud faciat. Quid verò? morietur, inquit, infans. Si sic vixerit, tunc morietur. Sin autem absq; illis mortuus fuerit, tunc viuunt. Nunc autem si videris quidem filium versantem cum meretricibus, optas eum in terra infossum & dicis, Quid ei prodest viuere? Vidēs autem eum venire in periculum salutis, vis videre eum viuum? Non audiisti Christum, dicentem, Qui perdidit animam suam, inueniet eam, Qui autem inuenit, perdet eam? Credis iis quae dicta sunt, an tibi videntur esse fabulæ? Dic mihi, si quis dixerit. Duc in templum idolorum, & videri, patieris? Non inquit. Quare? Quia cogit colere idola: hic autem non est idololatria, sed solum, inquit, incantatio. Hæc est cogitatio Satanica,

Gratias agere in rebus aduersis est magna philosophia.

Amuleta sunt imposturae & ludibria.

Crucis signum arma Christiani.

Ioan. 12.

Incantatio est idololatria.

hæc sunt diabolicæ insidiæ, tegere imposturā, & in meliore dare venenum. Quoniam nouit se illa non persuadere, hac via est ingressus ad amuleta & aniles fabulas. Et crux quidem affecta est ignominia: litera autem in maiori honore sunt habitæ. Christus fuit eiecctus, & introducit anus ebria & delirans. Conculcatum est nostrum mysteriū, & choros ducit fraus diaboli. Cur ergo non arguit, inquit, Deus? Quod ab iis datur auxilium saepe arguit, & non tibi persuasit. De cætero te dimittit errori. Tradidit enim, inquit, ipsos Deus in reprobum sensum. Hæc ne ethnicus quidem, qui sapit, tolerauerit. Dicitur quidam orator & Dux populi Athenis aliquando hæc sibi applicasse. Deinde cum quidam Philosophus illius magister, eum vidisset, reprehendisse, conquectus esse, momordisse, esse ludificatus. Adeo enim miserè affecti sumus, vt his credamus. Cur non sunt, inquit, qui mortuos suscitant, & curationes peragunt? Cur non dico. Cur nunc non sunt qui vitam despicunt præsentem? Mercede Deo seruiamus. Quando imbecillius affecta erat humana natura: Quando oportebat plantari fidem, erant multi huiusmodi. Nunc autem non vult nos pendere ab his signis, sed paratos esse ad mortem. Cur ergo vitæ præsentem inhæres: cur futura non aspicias? & pro hac quidem etiam idola colere sustines, pro illa autem ne subire quidem aliquam animi aegritudinem? Propterea non sunt nunc tales, quoniam turpis & ignominiosa vita est illa vita, si quidem pro illa quidem nihil agimus: pro hac autem nihil recusamus perpeti. Quid verò aliud quoque ridiculum, cinis, & fuligo, & sales: Et rursus in medium prodit anicula, res planè ridicula & pudenda. Et oculum, inquit, rapuit infans. Quo vsque hæc Satanica? Quomodo non ridebunt Græci? Quomodo non sublānabunt, quando eis dicemus magnam esse virtutem crucis? Quomodo id eis persuadebitur, cum videant nos opus habere iis quae ipsi irrident? Propterea Deus dedit medicos & medicamenta. Quid verò si illi non curent, sed puer excedat? Quod abit, dic quæso infelix & miser? Ad dæmonesne abit & ad tyrannum? An non abit in cælum? An non ad suum dominū? Quid ergo doles? Quid fles? Quid luges? Quid infantem magis diligis quam dominum? Nō propter illum eū quoque habes? Cur es ingratus, qui donū plus ames quam illum qui dedit? At sum, inquit, imbecillus, & non fero Dei timorem. Nam si in malis corporalibus maius tegit minus, multo magis in anima timor soluit timorem, & dolor dolorem. Erat puer pulcher, sed cuiusmodi quæ esset, non erat Isaac pulchrior: erat ille quoque vnicus. In senectute tibi natus est? & ille. Sed est venustus & elegans: verum cuiusmodi quæ sit, non est Moyses venustior & elegatior, qui etiam barbaricos oculos illexit ad sui desiderium: idque eo tempore atatis, in quo nōdum apparet venustas & elegantia. Sed tamen eum dilectū in fluuium iecerunt parentes. Tu quidem & vides iacentem, & mandas sepulturæ, & abis ad monumentum. Illi autem nesciebant quidem num piscibus esca esset futurus, an canibus, an alicui alij bestiae ex iis quae pascuntur in mari. Et hæc faciebant cum nihil adhuc scirent de regno, neque de resurrectione. At non est vnicus, verum ipse quoque post multos excessit. Sed non tam repentina & tam accumulata tristitiaque fuit calamitas quam quæ Iob accidit: non tecto deieccto, non inter prandendum, non calamitatibus prius annuntiatis. At à te diligebatur. Sed non magis quam Ioseph deuoratus à bestia: sed tamen tulit calamitatem, & quæ post illam exiit, & quæ post hanc. Patenter fleuit: sed non impiè se gessit: luxit, sed non se affixit,

Rom. 1.

Amuleta abhorrentur enim Gentilibus.

Oculum rapuit infans, id est, fuit fatuus, nauus.

In malis maiore tegit minus.

Exod. 1. De monte filij cæli latio.

Job. 1.

Gen. 41.

xit nec intoleranter tulit, sed vsque ad hæc verba confititur, dicens, Ioseph non est, Symeon non est, & Benjamin accipietis. In me facta sunt hæc omnia. Vides quomodo illi perhaerit famis tyrannis vt filios despiceret, apud te autem non tantū potest Dei merus quantum famis. Lacrymare non vero, sed nihil blasphemum dixeris nec feceris. Cuiusmodi quæ sit filius, non est cum Abele conferendus. Sed nihil tale dixit Adam. Atqui grauis est calamitas quod frater fratrem interfecerit. Sed enim aliorum quoque fratricidarum mihi venit in mentem. Vt & Absalon Ammon interfecit primogenitum, & Dauid rex amabat puerum, & in sacco quidem iacebat & cinere. Sed neque adduxit diuinares, neque incantatores: quanquam tunc erant, idque ostēdit Saul. At Deo supplicabat. Tu quoque id fac. Quod Iustus fecit, fac tu quoque. Eadē dic verba quando mortuus fuerit infans. Ego ad ipsum abibo, ipse verò non veniet ad me. Hoc est philosophiæ hoc est benevolentiae. Vt ames infantem, non tantum amas quantum ille tunc, etiam si esset natus ex adulterio: tenebatur autem tunc ille beatus summo matris desiderio. Sunt autem factus amoris parentum participes: & tantus erat amor, vt & si propter eum malè audiret, vellet tamen eum viuere. Sed tamen Deo egit gratias. Quomodo affectam existimas fuisse Rebeccam quando Iacobo minatus est frater? & maritum non affecit molestia, sed iussit eum amandare? Cogita quæ sunt his peiora, cum graue aliquid pateris, & sufficientem habebis consolationē & apud te reputa. Quid si in bello esset mortuus? Quid si in igne? Et si iis quæ passi fuerimus grauiora cogitemus, sufficientem habebimus consolationem. Et eos qui grauiora passi sunt consideremus: & si ipsi grauiora aliquando passi sumus. Sic etiam hortatur Paulus, vt quando dicit, Nondum vsque ad sanguinem restitisti aduersus peccatum decertantes. Et rursus, Tentatio vos non apprehendit nisi humana. Iis ergo quæ passi fuerimus grauiora consideremus: inueniemus enim & sic erimus grati. Ante omnia autem, propter omnia assidue gratias agamus. Sic enim & hæc cessabunt, & nos ad Dei gloriam viuemus, & bona promissa assequemur. Quæ detur nobis assequi gratia & benigne domini nostri Iesu Christi, cui cum patre, &c.

2. Reg. 13.

2. Reg. 12.

Gen. 27. Peiorum cogitatio adest consolatione.

Heb. 12. 1. Cor. 10.

ORATIO IX.



VERBUM Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia docentes & commomentes vos ipsos in psalmis, hymnis, & canticis spiritalibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine domini nostri Iesu Christi, gratias agentes Deo & patri per ipsum. Cum suauissimè esse gratos, hanc quoque viam ostendit de qua nos vobiscum prius differuimus. Quid dicens? Verbum Christi habitet in vobis abundanter. Imò verò non hæc solum, sed etiam aliam. Nam ego quidem dixi quod oportet eos etiam recensere qui grauiora passi sunt, & nos animo versare eos qui sustinuerunt ac tolerauerunt grauiora quam nos, & gratias agere quod illa non euenerint. Ipse verò quid dicit. Verbum Christi habitet in vobis abundanter. Hoc est doctrina, dogmata, admonitio, in quibus vitam præsentem nihil esse dicit, neque eius bona. Si hæc viderimus, nulli ex iis quæ sunt aspera & difficilia cedemus. Inhabitet, inquit, in vobis abundanter. Non solum dixit, Habitete, sed etiam cum magna abundantia. Audite quicunque estis mundani, & vxori præestis & liberis, quomodo vobis quoque maximè man-

det legere scripturas & nō leuiter, nec temerè, sed magno studio ac diligentia. Nam sicut qui est diues in pecuniis, ferre potest damnum & condemnationem: ita etiam qui est diues in dogmatibus philosophiæ, facile ferre potest non solum paupertatem, sed etiam alias calamitates, etiam illo facilius. Nam illic quidem dum damnum exoluitur, necesse est vt qui est diues detrimentum accipiat, & arguatur. Et si hoc ei saepe acciderit, non poterit amplius ferre. Hic autem non sic. Non enim sanas & rectas consuetudines cogitationes ac rationes, cum ferre oporteat aliquid quod nolimus, sed manent perpetuò. Vide autem huius beati prædicationem. Non dixit, Verbum Christi sit in vobis, solummodo sed quid? Inhabitet abundanter & copiose. In omni sapientia docentes, & commomentes vosmetipsos. Virtutem dicit sapientiam, & humilitas est sapientia, & elemosyna, & quæcunque sunt huiusmodi sunt sapientia. Sicut quæ sunt contraria, sunt insipientia & amēntia: est enim crudelitas ex insipientia. Vnde multis in locis omne peccatum vocat insipientiam. Dixit enim, inquit, insipiens in corde suo non est Deus. Et rursus, putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Quid enim dic quæso est eo stultius, qui vestimentis quidem vestitur, fratres autem suos despicit nudos? Qui canes quidem alit, Dei autem imaginem in fame contemnit? Cui planè est persuasum nihil esse res humanas, & eis est affixus, tanquam cæ sint immortales? Sicut nihil est eo sapientius qui ex virtute se rectè gerit. Vide enim, inquit, quomodo sit philosophus. Facultates suas impertit, est misericors & benignus, agnouit communè esse naturam, agnouit vsus pecuniæ nullam esse habendam rationem, suis corporibus magis esse parcendum quam pecuniis. Quam obrem quicunque gloriam despicit, est sapiens. Nouit enim res humanas. Diuinarum & humanarum rerum cognitio est philosophia. Ergo nouit quidem quæ sunt res diuinæ, & quæ humanæ & ab his quidem abstinet, illas verò exercet & operatur. Scit autem etiam in omnibus Deo agere gratias. Vitam præsentem nihil esse existimat: propterea nec lætatur rebus secundis, neque propter aduersas dolore afficitur. Neque alium expectes doctorem ac magistrum, habes Dei eloquia. Nullus te docet sicut illa. Nam isti quidem saepe inuidetur & propter vanam gloriam & propter inuidiam. Audite quæso vos omnes, quibus curæ sunt quæ ad hanc vitam pertinent, & parate vobis libros medicamentorum apothecam aspice, illinc mali accipe consolationem. Si damnum, si mors, si tuorum amissio. Imò verò non aspice, sed omnia suscipe, & ea mente tene. Hoc est omnium malorum causa, nescire scripturas. Absque armis imus ad bellū. & quomodo oportet esse saluos? Præclare nobiscum agitur si cum his saluifimus, tantū abest vt absque his salui esse possimus. Ne omnia in nos congeratis. Oues estis, sed non rationis expertes, verum ratione præditæ. Multa vobis mandat Paulus. Qui docentur, non semper tempus terunt in discendo, quoniam non docentur. Si semper discas, nunquam discas. Ne ita accedas tanquam futurum sit vt semper discas, alioqui nunquam scies, sed tanquam discendū finem affecturus, & aliū docturus in artibus. An non definita tēpora in disciplinis expectat omnes, & in omnibus, vt semel dicam, artibus? Sic omnes certum tēpus definimus. Sin autem semper discas, est signum quod nihil didiceris. Hoc Deus exprobrauit Iudæis, Qui tolluntur ex vtero, & eruduntur vsque ad

Scripturæ diligenter legendæ ab iis qui habent vxorem & liberis.

Psal. 19. Psal. 36.

Sapientia est qui se ex virtute rectè gerit.

Nonnumquam à populo legendum.

Eccl. 46.

senium. Si non semper hoc expectauissetis, non sic omnia retrò abiissent. Si res ita haberet ut alij quidem didicissent, alij verò essent erudiendi, opus nobis profecisset, & alijs cessissetis, & nobis opem tulissetis. Dic mihi quæso, si aliqui irent ad literatorem, deinde manerent semper discentes elementa, an non magistro multum laboris sunt exhibiturus? Quo vsque vobiscum de vita differemus? Apud Apostolos non ita erat, sed assidue transliebant eos qui prius discebant, constituentes magistros aliorum qui discebant: Sic potuerunt obire orbem terræ, quod vni loco non essent alligati. Quam multos nostros fratres qui sunt in agris, & eorum magistros existimatis egere doctrina? Sed vos me tenetis affixum. Nam priusquam caput rectè sit affectum, est superuacaneum ire ad reliquum corpus. Omnia in nos congeritis. Oporteret vos à nobis solum discere: vxores autem à vobis, Filios à vobis, sed nobis omnia relinquitis. Propterea magnus est labor. Docentes, inquit, & commententes vosmetipsos in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus. Vides quam non importunus & molestus sit Paulus. Quoniam lectio est laboriosa & valde molesta & grauis, non dedit ad historias, sed ad psalmos, ut simul & animu oblectes canens, & furtim subducas à laboribus. Hymnis, inquit, & psalmis spiritualibus. Nunc autem Satânica quidem cantica, & saltationes vestri deligunt pueri, sicut coqui, & opsonatores, & qui choros agunt. Nemo autem nouit psalmum: sed res videtur esse pudenda, ridicula, & subsannanda. Illinc conseruantur omnia mala, in quali enim terra steterit planta, talem fert fructum. Si in arenosa & falsa, talem. Si in dulci & pingui, rursus similem. Sic fons quidam sunt documenta. Doce eum canere psalmos illos plenos philosophia: utpote statim de moderatione & temperantia, imò verò ante omnia de consuetudine non habenda cum malis, statim ab ipso initio libri. Propterea enim hinc quoque incipit Propheta, dicens, Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum. Et rursus, Non sedit cum concilio vanitatis. Et rursus, nihili factus est in conspectu eius malignus: timentes autem dominum glorificat. De consuetudine habenda cum malis, & hæc & multa alia ibi inuenies. De ventri imperando, de continendis manibus, de intemperantia. Quod esse auarum, & plura habendi cupiditate teneri non oporteat. Quod nihil sint pecuniæ, nec gloria, & quæ sunt huiusmodi. Quando ab ineunte ætate eum his eduxeris, paulatim duces etiam ad altiora. Psalmi habent omnia, hymni autem rursus nihil humanum. Quando in psalmis didicerit, tunc etiam sciet hymnos, utpote rem diuiniorum. Superiores enim potestates hymnum canunt non psallunt. Non est enim, inquit, speciosus hymnus in ore peccatoris. Et rursus, Oculi mei super fideles terræ, ut ipsi mecum sedeant. Et rursus, Non habitat in medio domus meæ qui facit superbiam. Et rursus, Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat, adeo ut non solum cum amicis, sed ne cum seruis quidem se misceat, sed sibi caueant. Sunt enim mala innumerabilia liberis hominibus, quado seruos corruptos eis præfecerimus. Si enim patris fruente tanta & beneuolentia & philosophia, vix sunt salui: quando eos tradiderimus minimè parcenti seruorum inhumanitati, eis vtuntur tanquam inimicis, existimantes mitius & clementius, esse eorum dominum, si eos effecerint stultos & improbos, & nihili faciendos. Ante alia ergo omnia hæc curemus, & his operam demus. Dilexi, inquit, eos qui diligunt legem tuam. Hoc ergo nos quoque æmulemur & hos diligamus. Ut rursus autem temperantes & moderati sint pueri, audiant Prophe-

Ephes. 5.

Cantica Satânica dicuntur à pueris.

Psal. 1. Psal. 52. Psal. 14.

Ecc. 15. Psa. 100. Ibidem. Ibidem.

Psal. 37.

tam dicentem: Lumbi mei impleri sunt illusionibus. Et rursus: Perdes omnes qui fornicantur abs te. Et quod ventri oporteat imperare, rursus audiant: Et occidit, inquit, plures eorum, cum esset adhuc esca in ore eorum. Et quod oporteat non vinci à muneribus: Diuitiæ si affluent, nolite cor apponere. Et quod gloriæ sit dominandum: Neque cum eo descendet post ipsum gloria eius. Quod maligni non sint æmulandi: Nolite æmulari in malignantibus. Quod principatus & potestates nihil oporteat existimare. Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat. Quod præsentia nihili sint facienda: Beatum dixerunt populum cui hæc sunt. Beatus est populus, cuius est Deus adiutor. Quod non impune peccamus, sed est remuneratio: Tu redde vniqueque secundum opera sua. Cur autè non reddidit quotidie? Deus iudex iustus, & fortis, & patiens. Quod bonum sit humilitas, Domine, inquit, non est exaltatum cor meum. Quod malum sit superbia: Propterea, inquit, tenuit eos superbia in finem. Et rursus: Dominus superbis resistit. Et rursus: Egredietur tanquam ex adipe iniquitas eorum. Quod bonum sit elemosyna: Disperdit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum. Quod laudandum sit misereri: Bonus est vir qui miseretur & cõmodat, & his longè plura illic inuenies in philosophia dogmata: ut, quod non sit maledicendum: Detrahentem, inquit, clanculum proximo suo hunc persequebar. Quis sit hymnus supernorum, sciunt fideles. Quid supernè dicunt Cherubin. Quid dicebant Angeli. Gloria in excelsis Deo. Propterea post psalmodias hymni, utpote res quædam diuinior. In psalmis, inquit, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Aut hoc dicit, quod propter gratiam hæc nobis dedit Deus, aut canticis quæ sunt in gratia. Aut admonentes nos ipsos & docetes in gratia. Aut quod in gratia habebant hæc dona, hæc est explicatio. A gratia, inquit, spiritus sancti, cantantes in cordibus vestris Deo. Non solum, inquit, ore, sed cum attentione. Hoc enim est Deo canere, illud verò æri. Vox enim temerè diffunditur. Non ad ostentationem, inquit. Etiam si sis in foro, potes te ipsum conuertere, & Deo canere nemine audiente. Nam sic quoque orabat Moyses, & fuit auditus. Dicit enim, Quid ad me clamas? Atqui nihil dicebat, sed mente clamabat. Quamobrem Deus solus exaudiit, cum corde cõtrito. Nihil enim vetat quominus & ambulans corde oret, & sit sursum. Omne quodcunque facite, inquit, in verbo aut in opere, omnia, inquit, facite in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo & patri per ipsum. Nã si sic faciamus, nihil erit scelestum, nihil immundum, vbi Christus inuocatur. Si comedas, si bibas, si vxorem ducas, si peregrè proficiscaris, in nomine Dei fac omnia, hoc est, eum vocans adiutorem. In omnibus eum prius orans, res aggredere. Vis aliquid loqui, hoc præpone. Et ideo nos quoque in epistolis nomen Domini præponimus. Vbi fuerit nomè Domini, omnia sunt fausta & felicia. Nam si consulum nomina efficiunt ut firmæ & validæ sint literæ, multò magis nomen Christi. Aut hoc dicit, Secundum Deum omnia & dicite, & agite. Nolite Angelos introducere. Comedis, Deo age gratias, & itidem postea id facturum. Dormis, age gratias, & itidè postea id facturum. Vadis ad forum, fac idem, nihil mundanum, nihil quod ad vitam præsentè pertineat. Fac omnia in nomine domini, & omnia rectè succedent. Vbi quocumque positum fuerit nomè, omnia sunt fausta & felicia. Si Dæmones expellit, si morbos propulsat, multò magis rebus affert facilitatem. Quid est, facere in verbo

Psal. 77. Psal. 77. Psal. 77.

Ibi. 47. Ibi. 48.

Ibid. 36.

Ibi. 44.

Ibid. 61.

Ibi. 101. Ibi. 130.

Psal. 71.

Iac. 4.

Psal. 71.

Ibi. 111. Ibi. 100.

Hymni sunt post psalmodias.

Luc. 1.

Exod. 14.

1. Cor. 10.

Nomen domini præponitur in epistolis.

bo aut in opere? Vel orantem, vel quiduis facientem. Audi quomodo Abraham famulum suum in nomine Dei miserit: Dauid in nomine Dei Goliath interemerit. Admirabile est nomen eius & magnum. Et rursus Iacob filios suos mittens, dicit: Deus autem meus det vobis gratiam coram homine. Nã qui hoc facit, Deum habet adiutorem, sine quo nihil ausus est facere. Qui ergo fuit honoratus ut qui sit vocatus, vicissim honorauit, eo quod rebus attulerit facilitatè. Inuoca filium, gratias age patri. Nam dū inuocatur filius, inuocatur & pater, & dum ei aguntur gratiæ, filio quoque gratiæ aguntur. Hæc discimus non verbis tenuis, sed per facta implere. Huic nomini nihil potest æquiparari. Hoc vbi que est admirabile. Vnguentum, inquit, effusum nomen eius, statim bono odore fuit repletum. Nemo potest dicere dominum Iesum nisi in spiritu sancto. Hoc nomè tam multa operatur. Si dixeris, In nomine patris & filij & spiritus sancti cum fide, hæc perfecisti. Vide quam multa fecisti. Creasti hominem, & alia omnia operatus es ex baptisate. Sic morbis imperans nomen fit terribile. Propterea Diabolus introduxit ea quæ sūt Angelorum, nobis honorem inuidens. Dæmonum tales sunt incantationes. Etiam si sit Angelus, etiam si Archangelus, etiam si Cherubin, ne patiaris. Nam ne hæc quidem potestates excipient, sed excutient cum viderint dominum contumelia affectum. Ego te honoravi, inquit, & dixi, Tu me inuoca, & tu cum dedecore afficis. Si hoc carmen cum fide cantaueris, & morbos & Dæmones fugabis. & si morbum non propulsaeris, non id fit propter imbecillitatem, sed eo quod expediat. Secundum magnitudinem tuam, inquit, sic & laus tua. Per hoc nomen orbis terræ fuit conuersus. Fracta est tyrannis, conculcatus fuit diabolus, aperti sunt cæli. Nos per hoc nomè fuimus regenerati. Si hoc habeamus, resplendemus. Hoc & martyres facit & cõfessores. Hoc pro magno dono teneamus, ut in gloria viuamus, & Deo placeamus, & digni habeamur bonis promissis iis qui ipsum diligunt, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum patre, &c.

Gen. 24. 1. Reg. 17.

Nomen domini vbi que admirabile. 1. Cant. 1. Cor. 12.

Angeli non adiuuandi ad inuocatio nem trinitatis.

ORATIO X.

MULIERES, subdita estote viris, sicut oportet in domino. Viri, diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas. Filij, obedite parentibus per omnia. Hoc enim placitum est in domino. Patres, nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant. Serui, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Deum. Quodcunque faciis, ex animo operamini sicut domino, & non hominibus, scientes quod à domino accipietis retributionem hereditatis. Domino Christo seruite. Qui enim iniuriam facit, recipiet id quod inique gessit. & non est personarum acceptio apud Deum. Domini, id quod iustum est & æquū seruis præstate, scientes quod & vos dominum habetis in cælo. Cur non vbi que & in omnibus epistolis hoc præcipit, sed hic, & in epistola ad Ephesios, & in epistola ad Timotheum, & ad Titum? Quoniam est verisimile in his ciuitatibus fuisse seditiones: aut verisimile est eas in alijs se rectè gessisse, ad eò ut oporteret eas de his audire. Vel potius quod eis dicit, dicit omnibus. Magnam autem similitudinem habet hæc epistola cum epistola ad Ephesios in his quoque. Aut quod ad viros iam pacem agentes, quos oportebat sublimia, quæ eis adhuc decantant, dogmata discere, non oportebat de his scribere: aut quod cum cõsolationem iam accepissent in temptationibus, superuacaneum erat de his audire. Quam-

Epistola ad Colossenses magis habet similitudinem cum epistola ad Ephesios.

Chrysof. tom. 4.

obrem conicio hic iam firmam & stabilem esse ecclesiam, & hæc dici in fine. Mulieres, subdita estote viris, sicut oportet in domino. Pro eo quod est, Subdita estote propter Deum. quoniam hoc, inquit, vos ornat, non illos. Non enim dominicam subiectionem, neque eam solum quæ est à natura, sed eam etiã dico quæ est propter Deum. Viri, diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas. Vide rursus quomodo suaferit quod alteri ab altero inter se est præstadium. Sicut illic ponit metũ & charitatem, ita hic quoque. Potest enim esse, ut qui diligit sit acerbus. Hoc est ergo quod dicit. Ne pugnetis. Nihil est enim hac pugna acerbius, quando viri fuerit pugna aduersus vxorem. Nam quæ aduersus personas quæ diliguntur sunt pugna, eæ sunt acerbæ, & ostendit hoc fieri ex magna acerbitate, cum alicui aduersus suum membrum est diffidium. Atque diligere quidem est virorum, illarũ verò cedere. Si ergo vnusquisque quod suum est afferat, stant omnia firma & stabilia. Ex eo ergo quod diligatur, fit mulier amica & beneuola. ex eo autem quod sit subdita, vir fit mitis & clemens. Vide autem quod hoc quoque naturã sic fit comparatum, ut vir quidem diligit, mulier autem obediatur. Nam quado is qui imperat, diligit eum qui parat imperio, tunc consistunt omnia. Non tam ab eo qui parat imperio quæritur dilectio, quã ab eo qui imperat aduersus eum qui parat, ab illo enim est obedientia. Nam quod mulieri est pulchritudo, viro autem cupiditas & desiderium, nihil aliud ostendit quàm quod sic fiat propter dilectionem. Ne ergo quoniam subiecta est mulier, sis insolens: neque tu, quoniam vir diligit, intumescere. Neque viri amicitia extollat mulierem: neque mulieris subiectio inflet virum. Propterea se ipsam tibi subiecit, ut magis diligatur. Propterea te fecit amari o mulier, ut facile feras quod sis subiecta. Et enim qui amat esse subiectum, nullam habet difficultatem. Ne timeas amans. habes enim ipsam cedentem. Non aliàs ergo esset vinculum. Habes necessariam à natura imperium. Habe etiam vinculum quod est ex charitate. eam enim quæ est imbecillior, finit esse tolerabilem. Filij, obedite parentibus per omnia. Hoc enim placitum est in domino. Rursus posuit in domino, & leges ferens obedientiæ, & pudorem incutiens, & deprimens. Hoc enim, inquit, est placitum domino. Vide quomodo non ex sola natura, sed ante eam, ex iis quæ Deo placent, vult nos omnia agere, ut etiam mercedem habeamus. Patres, nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant. Ecce hic quoque rursus est subiectio & amor, & non dixit, Diligite filios, esset enim superuacaneum, ipsa enim cogit natura: sed correxit quod oportuit, quod & amor hic esset vehementior, quoniam & maior est obedientia. Nusquam enim ponit exemplum viri & mulieris. Sed quid? Audi prophetam dicentem: Sicut pater miseretur filiorum, miseretur dominus timentium eum. Et rursus dicit Christus: Qui est ex vobis homo, à quo si petierit filium panem, num lapidem dabit ei? & si petierit piscem, num serpentem dabit ei? Patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, ne pusillo animo fiant. Quod sciebat futurum vt maximè eos morderet, hoc posuit. & amantius dixit eis imperans, & nusquam ponit Deũ. Fregisset enim parentes, inflctens eorum viscera. Hoc est, ne reddite eos cõtètiofiores. est enim, vbi debetis eis aliquid cõcedere. Deinde venit ad tertiu imperiu. Est hic quoque amor quidã, sed non ita naturalis sicut superius, sed consuetudinis & ab ipso imperio, & à factis. Quoniã ergo hic quidem id quod est amoris est succisum ac diminutũ, quod est autem obedientiæ intentum & amplificatũ, in eo volens immo-

Psal. 103.

Matth. 7. Luc. 11.

Amor seruorum in dominos non est naturalis, sed est cõsuetudinis.

rari, quod primi habent à natura, hoc eis dare eligit ex obedientia. Quamobrem non pro dominis cum solis loquitur famulis, sed etiam pro ipsis, ut se dominis redant desiderabiles. Sed non hoc ponit aperte: re vera enim eos effecisset servos. Servi, inquit, obedite per omnia dominis carnalibus. Vide autem quomodo semper ponit nomina, mulieres, filij, servi, mox ius obediendi quod debetur. Sed ne doleret, subiunxit, Dominis carnalibus. Quod est tui, inquit, optimū & præstantissimum, est liberum: ad tempus est servitus. Illud ergo subiunxit, ne necessitatis amplius esset servitus: Non ad oculum servientes tanquam hominibus placentes. Fac, inquit, servitutē quæ est ex lege, esse ex metu Christi. Nam etsi illo non vidente facis quæ oportet, & quæ pertinent ad honorem domini, est perspicuum quod id facis propter oculum qui sopiri non potest. Non ad oculum, inquit, tanquam hominibus placentes. Quo fiet ut vos damnum subeatis. Audi enim Prophetam dicentem, Dissipavit dominus ossa eorum qui hominibus placent. Vide ergo quomodo eis parcat, & eos componit. Sed in simplicitate, inquit, cordis timentes Deum. Nam illud quidem non est simplicitas, sed hypocrisis & simulatio; aliud in animo habere, & aliud facere. Alium quidem videri præsentem domino, alium verò absente. Non dixit ergo solummodo, In simplicitate cordis, sed, Timētes Deum. Hoc enim est timere Deum, quando nemine vidente nihil mali facimus. Sinautem facimus, non Deum sed homines timemus. Vide quomodo illos componit. Quodcumque facitis, inquit, ex animo operamini, sicut domino, & non hominibus. Non solum ab hypocrisi, sed etiam ab otio & desidia eos vult liberari. Eos liberos fecit pro servis, cum non opus habeant ut adsint, & eos urgeant domini. Hoc enim est illud, Ex animo, cum benevolentia, non cum servili necessitate, sed liberè & ex animi instituto. Et quanam est merces? Scientes quod à domino accipietis retributionem hereditatis. Domino Christo servite. Ab ipso enim, inquit, accipietis mercedem. Et quod domino servitis ex hoc est perspicuum. Qui enim, inquit, iniuriam facit, recipiet id quod iniquè gessit. Hic confirmat quod prius dictum est. Nam ne viderentur verba esse assentationis, Recipiet, inquit, id quod iniquè gessit. Hoc est, luet poenas. Et non est personarum acceptio apud Deum. Quid enim si es servus? non te pudeat. Atqui oportebat dominos hoc dicere, sicut etiam in epistola ad Ephesios. Sed hic mihi videtur tacite significare Græcos dominos. Quid enim si ille quidem Græcus, tu autem es Christianus? Non personæ, sed res examinantur. Quamobrem sic quoque cum benevolentia, & ex animo est servendum. Domini quod iustum est & æquum servis præstare. Quid est autem iustum? Quid æquum? Efficere ut sit eis rerum omnium abundantia, & non sinere ut aliis egeant, sed pro laboribus eos remunerentur. Non enim quia dixi eos à Deo habere mercedem, propterea tu eos prius.

D Alibi autem dicit, Remittentes minas, volens eos facere mitiores. Illi enim erant perfecti. Hoc est, Quamēsurā mensi fueritis, remittetur vobis. Et illud, Non est personarum acceptio, illis dictum est. Illis autē tribuitur, ut hi hoc excipiant. Quando enim alteri dixerimus quod alteri congruit, non tantum illam corrigemus quantum eum qui est reus. Et vos cum illis, inquit, Hic communem effecit servitutem. Sciētes, enim, inquit, quod & vos dominum habetis in cælo. Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarū actione. Nam quoniam orationi instare & in ea perseverare, sæpe reddit pigros & ignavos, propterea dicit Vigilantes. Hoc est, sobrii, non vagantes & errantes. Scit enim, scit dia-

A bolus quantum bonum sit oratio, & ideo grātiter eam premit. Scit etiam Paulus quod multi qui precātur sint desides & segnes. Quamobrem dicit, Orationi instate, tanquam de re laboriosa, Vigilantes in ea in gratiarum actione. Hoc, inquit, sit vestrū munus & officium, in precibus agere gratias, & pro manifestis, & pro non manifestis, & pro iis quæ volentibus, & pro iis quæ inuitis benefecit, & pro regno, & pro gehenna, & pro afflictione, & pro recreatione. Sic enim mos est Sanctis orare, & gratias agere pro cōmunibus beneficiis. Scio ego quendam virum sanctum sic orasse. Ante hoc verbum nihil dicebat, nempe, Gratias agimus pro omnibus beneficiis tuis, quæ à primo die vsq; ad præsentem diem nobis indignis sunt collata: pro iis quæ scimus & nescimus, pro manifestis, pro non manifestis, quæ opere facta sunt, & quæ sermone, quæ voluntariè facta sunt & inuoluntariè, pro omnibus quæ facta sunt nobis indignis, pro afflictionibus, pro recreationibus, pro gehenna, pro supplicio, pro regno cælorum. Rogamus ut conserues animam nostram sanctam, puram habentem conscientiam, sinem dignum tua clementia. Qui sic dilexisti nos ut vnigenitum filium dares, dignare nos esse dignos charitate. Da in sermone tuo sapientiam, & in timore tuo vnigenite Christe, tuam inspira fortitudinem. Qui pro nobis dedisti vnigenitum, & sanctum tuum emisisti spiritum in remissionem peccatorum nostrorum, si quid volentes vel inuiti peccauimus, condona, & ne reputes. Recordare omnium qui inuocant nomen tuum in veritate. Recordare omnium qui benè & secus nobis volunt. Omnes enim sumus homines. Deinde adiecta fidelium oratione, veluti quadam coronide, & pro omnibus colligatione, facta prece, hic cessat. Multa enim nobis bona facit Deus etiā inuitis, multa atque adeo plura nescientibus. Nam quando contraria precamur, ipse autem facit contraria, est perspicuum quod facit etiam nescientibus. Orantes simul & pro nobis. Vide humilitatem, post illos seipsum ponit. Ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi. Aditum, inquit, & loquendi libertatem. Papæ tantus Athleta, non dixit, ut liberer à vinculis, sed cum esset in vinculis, alios rogabat, & propter rem magnam rogabat, nempe ut acciperet loquendi libertatem. Res duæ magnæ, nempe & personæ qualitas, & rei. Papæ! quanta auctoritas. Mysterium, inquit, Christi. Ostendit nihil esse sibi desiderabilius quàm hoc loqui. Propter quod etiam vincētus sum, ut manifestem illud, ita ut oportet me loqui. Cum magna, inquit, fiducia & dicēdi libertate, nihil reticentem. Vincula eum manifestū reddunt, non in obscuro collocant & abscondunt. Cum multa, inquit, fiducia & dicēdi libertate. Dic mihi, tu vincētus es, & alios consolaris? Maximè, maiorem loquēdi libertatem dant mihi vincula. Sed Dei rogo auxilium. Audiui enim Christum dicentem. Quādo vos tradunt, nolite esse solliciti, quomodo, aut quid loquamini. Et vide quomodo dixit metaphoricè, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis? Vide quàm sit à fastu alienus, & cū esset in vinculis quomodo loquatur. Hoc est, ut molliat corda ipsorum. Non sic autem dixit: sed ut nobis det fiduciam & loquendi libertatem. sic dixit, humiliter & modestè se gerens: & id quod habebat rogat ut accipiat. Ostendit autem in hac epistola, cur tūc non venerit Christus, eo quod illa vmbra vocārit. Corpus autem, inquit, Christi. Quamobrem oportebat eos vmbra assuescere. Simul etiam suæ in eos charitatis maximum indicat argumentum. Ut vos, inquit, audiatis. Ego autē vincētus sum. Rursus vinculum adducit in medium, quod valde amo, quod cor meū excitat,

Deus nō inuitis & nescientibus multa bona facit.

Matth.

Sup. cap.

citatur, & desiderium semper affert viuendi Paulum in vinculis, & scribentem, & prædicantem, & baptizantem, & catechesi instituentem. Omnium quæ vbiq; erant ecclesiarum ad eum referebatur cura & sollicitudo. Vincētus supra modum ædificabat. Tunc magis erat solutus. Audi enim eum dicentem, ut plures è fratribus confidentes in vinculis meis, abundantius audeant sine timore verbum Dei loqui. Porrò autem ipse quoque rursus hoc confitetur dicens. Quando enim infirmior tunc potēs sum. Propterea dicebat etiam, sed Verbum Dei non est alligatum. In vinculis erat cū maleficis ac sceleratis, cum captiuis, cum parricidis, sicariis, & qui cædem fecerant, doctor orbis terrarum. Qui in tertium ascendit cælum, qui verba audiuit arcana & ineffabilia, erat vincētus. Sed tunc velocior erat eius cursus. Qui erat vincētus, erat solutus: & qui non erat vincētus, erat vincētus. Nam ille quidē agebat quod volebat. Hic autem ipsum non prohibebat, neque suum implebat propositum. Quid facis o stolide? Nō est cursor corporalis, non in stadio quod est apud nos certat. In cælis versatur, cum qui currit in cælo, non possunt ea quæ sunt in terris alligare & retinere. Non vides hūc Solem? Radiis iniice vincula. Siste eius cursum. Sed non poteris. Nec ergo Paulum, & multò magis hunc quàm illum: maiorem enim Dei curam ac prouidentiam est hic, quàm ille consecutus, ut qui nō nobis talem, sed veram ferret lucem. Vbi sunt qui nihil volunt pati propter Christum? Quid autem dico pati, cum ne pecunias quidem velint profunderere? Vinciebat quoque aliquando Paulus, & coniciebat in carcerem. Sed postquam factus est Christi seruus, non quod agat gloriatur, sed quod patiat. Et hoc est miraculum prædicationis, quando per ipsos patientes, non autem per malè agentes, sic excitatur & augetur. Vbi nam vidit quispiam eiusmodi certamina? Qui malè patitur, vincit: & qui malè agit, vincitur. Ille hoc præclarior, prædicationem introduxit per vincula. Non erubescit, inquit, sed etiam glorior. & crucifixum, inquit, prædico. Sic autem cogita: Vniuersus orbis terræ iis dimissis qui sunt soluti, accedit ad vincētos, eos qui vinciunt auersans, honorat eos qui sunt circumdati catenis, eos odio habens qui in crucem egerunt, adorat crucifixum. Neque solum est mirandum quod prædicatores erant piscatores & rudes, sed etiam quod alia impedimēta naturæ erant impedimenta, & maior facta est accessio. Non solum nihil impediit ruditas & imperitia, sed etiam hoc ipsum effecit ut manifesta fieret prædicatione. Audi enim Lucam dicentem, Et cū comperissent, inquit, quod homines essent illiterati & rudes, mirabantur. Non solum nihil prohibebant vincula, sed ea ipsa efficiebant eos confidentiores. Non adeo confidebāt discipuli cum Paulus esset solutus quàm cū vincētus. Ut abundantius, inquit, audeant sine timore sermonem Dei loqui. Vbi sunt qui contradicunt diuinam non esse prædicationem? Ruditas & imperitia non sufficiebat ad efficiendum ut ipsi condemnarētur. Oportebat ergo eos hic quoque terruisse. Scitis enim his duobus animi motibus teneri multitudinem, inani gloria & pusilli abiectique animi vitio. Ruditas & imperitia non sinebat eos suffundi pudore. Pericula eis debebant iniicere timorem. At faciebant, inquit, miracula. Creditis ergo eos fecisse miracula. At nō faciebāt? Hoc est maius miraculum quàm facere, si adducebantur homines absque miraculis. Vincētus etiā fuit apud Græcos Socrates. Quid verò, an non statim fugerunt discipuli? Maximè. Non enim admiserunt quæ dicebantur de immortalitate. Sed hic vide. Vincētus est Paulus, & magis confidebant discipuli. Et meritò. Vi-

Philip. 1.

1. Cor. 12. 2. Tim. 2.

1. Cor. 12.

Prædicatione augetur per patientes, non per agentes.

Act. 4.

Philip. 1.

Prædicatione est diuina.

A debant enim nequaquam impediri prædicationem. Non potes enim impedire linguam: per eam currit maximè. Quomodo enim cursoris nisi pedes vinxeris, à cursu eum non prohibueris: ita etiam Euangelistæ nisi linguam ligaris, non prohibueris quo minus is currat. Sed quomodo si lumbos ligaris, magis currit & portatur, ita hic quoque magis prædicat, liberiusque & confidentius. Extimescit vincētus quando solum fuerit vinculum. Qui autem mortem despicit, quomodo fuerit ligatus? Perinde faciebant atque si Pauli vmbra vinxissent, & os eius obturassent. erat enim pugna vmbra. Nam & suis magis erat desiderabilis, & inimicis magis reuerendus: ut qui magni & fortis animi ferret præmia, nempe vincula: & corona ornat caput, nō pudore afficit, sed etiam præclarum efficit. Inuiti eum coronabant catena. Nam dic mihi, possētne ferrum eum vincire qui audebat adamantinas frangere mortis portas? Veniamus o dilecti, ad vincolorum horam zelum & æmulationem. Quæcumque mulieres aurea induistis monilia, Pauli desiderate vincula. Non sic vobis circa collum fulget collare, ut in eius anima fulgebat ornamentum aureorum vincolorum. Si quispiam illa desiderat, hæc odio habeat. Quid enim est commune ignauitæ & socorditæ cum magni & excelsi animi virtute? corporis ornamento cū philosophia? Illa vincula reuerentur Angeli: hæc verò etiam ludificantur. Illa vincula solent à terra ad cælum tollere. Hæc vincula à cælo deducunt ad terram. Re vera enim hæc sunt vincula, non illa. Hæc cum corpore animam quoque opprimunt. Illa cum corpore ornant etiam animā. Vis scire quod illa quoque sint ornamentum? Dic mihi, eos qui vident qui magis attraxerit tu an Paulus? Quid te dico? Ipsa imperatrix tota auro circumdata eos qui vident nō magis attraxerit. Sed si contigerit & Paulum eo tempore vincētum, & Imperatricem ingredi ecclesiam, omnes ab illa in eum conuerterint oculos, & meritò. Videre enim hominē humana natura superiorem, & qui nihil habet hominis, sed est Angelus in terra, est admirabilius quàm videre ornatum mulierem. Nam hæc quidem licet videre & in spectaculis, & in pompis, & in balneis, & vbiq;. Hominem autem circumdatum vinculis, & existimantem se maximum habere ornamentum, & vinculis non cedentem, fieri non potest ut qui cernit, terræ videat spectaculum, sed cælis dignum. Qui est hic circumdatus animus, circūspicit quis viderit, quis non viderit: est factu plenus, curis tenetur & sollicitudinibus, vincētus est aliis innumerabilibus animi perturbationibus. Qui est autem illis circumdatus, est expers fastus, exultat animus, & liber est ab omni sollicitudine, lætus & erectus cælum suspicit. Si quis mihi daret optionem, malleme videre Paulum è cælo descendentem, & vocem emittentem, an ex carcere: malleme ex carcere. Nō enim è cælo ad ipsum veniunt cū sit in carcere. Colligatio prædicationis sunt vincula Pauli. Fundamentū est illa catena. Vincula illa desideremus. Et quomodo, inquit, licet? Si hæc cōtrierimus & perfregerimus. Nullus vsus, sed potius damnus est nobis ex his vinculis. Hæc nos illic ostendent vincētos. Pauli autem vincula illa soluent vincula. Quæ est his hic vincēta anima, immortalibus quoque illic vincētas habebit manus & pedes. Quæ Pauli vincēta fuerit vinculis, habebit veluti ornamentum ei tunc circumdatum. Solue & te ipsum à vinculo, & pauperem à fame. Cur peccatorum catenas connectis? Quomodo, inquit? Quando tu aurū gestas, alius autem perit. Quando tu quidem ut inanem assequaris gloriam tantum auri accipis, alius autem non habet quod edat, num peccata connectis? Indue Christi-

Vincula sunt ornamenta meliora quam ornamenta mulierum.

Christus nostrum est indumentum.

Galat. 3. Rom. 13.

Indumenta mulieris quæ esse debent.

Galat. 3.

stum, & non aurum. Vbi est mammona, illic non est Christus. Vbi est Christus, illic non est mammona. Non vis indui ipso Rege vniuersorum? Si quispiam tibi daret purpuram & diadema, non id potius acciperes quam quoduis aurum? Ego non tibi do ornamentum regium, sed ipsum tibi regem præbeo quo induaris. Et quomodo, inquit, Christo induitur quispiam. Audi Paulum dicentem, Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Audi Apostolicam admonitionem. Carnis, inquit, curam ne feceritis ad concupiscendum. Si quispiam Christo induitur, si carnis curam non gerat ad concupiscendum. Si Christo induaris, ipsi te formidabunt demones. Si autem auro, etiam homines iridebunt. Si Christo induaris, etiam te reuerentur homines. Vis videri pulchra & decora? Tibi sufficiat formatio creatoris. Quid aurea inducis ornamenta, tanquam id quod Deus effinxit correctura? Vis videri decora? Induere elemosyna, induere benignitate, induere modestia & temperantia, & a te absit fastus. Hæc omnia sunt auro pretiosiora. Hæc etiam speciosam reddunt magis decoram. Hæc etiam non formosam efficiunt formosam. Quando enim quispiam cum virtute coniunctam viderit formam, ex charitate fert sententiam: prauitatem autem, ne si sit quidem pulchra, potest quispiam dicere pulchram. Sauciatu enim animus non rectam fert sententiam. Ornata quondam fuit Ægyptia. Sed ornatus quoque fuit Ioseph. Vter erat formosior, non dico quando illa erat in regia, hic autem in carcere. Videtur deesse, sed etiam antea, vel aliquid tale. Hic erat nudus, sed erat indutus vestimentis temperantia & continentia. Illa erat, induta, sed nuda turpior, non habebat enim temperantiam. Quando te impense ornaris o mulier, tunc nuda facta es turpior, exiisti enim modestiam. Erat etiam Eua nuda, sed quando fuit induta, tunc erat turpior. Nam quando erat nuda, gloria Dei fuerat ornata. Quando autem induit vestem peccati, tunc erat turpis. Et tu cum indueris desiderio superflui & immoderati ornatus, tunc appares turpior. Nam quod nimius sumptus, & luxus non sufficiat ad ostendendam pulchritudinem, sed fieri possit vt induta minus sit honesta quam nuda, ego dicam. Si quando induisti vestimenta tibicinis aut chorauli, an id non erat inhonestum & indecorum? Atqui indumenta sunt aurea, sed propterea est dedecus ac turpitudine quod sint aurea. Scena: enim sumptus ac luxus conuenit tragædis, histrionibus, mimis, saltatoribus, & iis qui pugnant cum bestiis. Fideli autem mulieri alia dantur a Deo vestes, nempe ipse vniuersus Dei filius. Quotquot enim, inquit, in Christum baptizati estis, Christum induistis. Dic quaeso, si quis regiam dedisset vestem, tu autem mercenarij vilem vestem accepisses, & eam supra ipsam posuisses, an non cum eo quod te turpior geris & indecorum, etiam punireris? Cæli & Angelorum dominum indutus es, & circa terram versaris? Hæc a me dicta sunt, vt ostendam quod per se magnum sit malum nimius ornamentorum appetitus & desiderium, etiam si nullum aliud inde enaceretur, sed citra periculum id liceret habere. Nam ad inanem gloriam fastumque parat & instruit. Nunc autem multa etiam alia mala nascuntur ex nimia ornandi sui cura, manifestæ suspensiones, sumptus intempestiui, blasphemie, auaritie & plura habendi cupiditatis occasiones. Quid enim, dic quaeso, ornaris? Vt placeas marito? Hoc ergo fac domi. Hic autem sit contrarium. Nam si tuo vis placere marito, noli placere aliis. Si autem placeas aliis, marito tuo placere non poteris. Quamobrem omnem mundum oporteret deponere cum vadis ad forum, cum is ad ecclesiam. Alioqui autem ne ex iis placeas marito

A ex quibus & meretrices, sed ex eo potius ex quo mulieres libera. In quo enim dic quaeso differt vxor a meretrice? Quod hæc quidem vnum solum spectat, vt corporis pulchritudine alliciat eum quem amat. Illa vero & præest domui, liberorumque & aliorum omnium habet societatem. Habes filiolum? Vide ne damnum accipiat. Solent enim mores componi ex educatione, & matrum mores imitari. Sis filia exemplum modestia & temperantia. Illo ornato ornare: & vide vt huc despicias. Re vera enim illa sunt ornamentum. Hæc vero magis dedecus afferunt quam ornant. Sufficiunt quæ dicta sunt. Deus autem qui mundum fecit, & nobis dedit mundum animæ, nos mudet & exornet, & sua gloria induat. Vt omnes in bonis operibus resplendentes, & ad eius gloriam viuentes, gloriam emittamus patri, & filio, & spiritui sancto.

ORATIO XI.

N sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redimentes. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuique respondere. Quod Christus dicebat discipulis, hoc nunc quoque monet Paulus. Quid autem dicebat Christus? Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Sitis ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae. Hoc est, cauti estote, nullam eis aduersus vos dantes ansam & occasionem. Propterea autem adiicitur, Ad eos qui foris sunt, vt discamus quod aduersus nostra membra non tanta nobis opus est cautione, quanta aduersus extraneos. Non sunt enim paria, esse inter inimicos & hostes, & inter amicos. Deinde postquam terruit, vide quomodo rursus eis addit animum. Tempus, inquit, redimentes. Hoc est, præsens tempus est breue. Hæc autem dicebat, non quod vellet eos esse varios & hypocritas ac simulatores. Hoc enim non est sapientia, sed amentia. Sed quid? In iis, inquit, in quibus non laudant, nullam eis dante ansam nec occasionem. Quod etiam dicit ad Romanos, Reddite omnibus debita, cui debetis tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui honorem, honorem. Propter prædicationem solum esto, inquit, tibi bellum. Nullum aliud initium accipiat hoc bellum. Nam si etiam propter alia essent nobis cum eis gerenda inimicitia, neque nobis esset merces, & ipsi futuri essent deteriores, & viderentur nos iure accusare. Vt si vectigalia non solueremus, si honores quos conuenit non redderemus, si non essemus humiles. Vides quantum se demittat Paulus vbi nihil lædit prædicationem. Audi enim ipsum dicentem Agrippæ. Beatum me existimo hodie apud te causam acturus, qui es maximè peritus consuetudinum & quaestionum quæ sunt apud Iudæos. Si autem existimasset oportere contumelia afficere Principem, omnia euertisset. Audi & beatum Petrum quam leniter & mansuete respondet Iudæis, dicens: Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Atqui homines qui animum desponderant, & vitæ spem abiecerant, potuissent contumelia afficere, & quiduis facere. Sed non propterea animum desponderant, & vitæ spem abiecerant, vt inanem gloriam captarent, hoc est enim inanitas gloria: sed vt prædicarent, & vt liberè & confidenter omnia loquerentur. Illud autem, nempe inanem captare gloriam, est immodestia. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus. Hoc est, ne sermonis gratia & lepor eò deueniat, vt eo vtantur citra discrimen. Licet enim, licet vrbane & lepidè loqui, sed cum ea qua par est honestate & decore. Vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuique respondere. Quamobrem non oportet similiter loqui cum omnibus,

Vxorino quo differat a meretrice.

Matt. 10.

Rom. 13.

Act. 13.

Act. 13.

1. Thess. 3.

Eph. 6.

Ad Philemonem.

mnibus, cum Græcis, inquit, & fratribus. Nequaquam. Hoc enim est extremae amentia. *Quæ circa me sunt omnia, vobis nota faciet Tychicus charissimus frater, & fidelis minister, & conseruus in domino.* Papæ: quanta est Pauli sapientia. Non omnia inserit in epistolis, sed quæ sunt necessaria & vrgentia. Primum quidem nolens eas in nimiam extendere longitudinem. Secundò autem, eum qui proficiscitur reddens magis reuerendum, vt habeat aliquid quod narret. Tertio, ostendens quantum in eum sit affectus, non enim aliàs ei hæc mandasset. Deinde erant quædam quæ non oportebat significari literis. Charissimus, inquit, frater. Si charissimus, sciuit omnia, & eum nihil celabat. Et fidelis minister & conseruus in domino. Si fidelis, nihil mentitur. Si conseruus, fuit socius & particeps tentationum. Vndique ergo collegit id quod fidè faceret. *Quem misi ad vos ad hoc ipsum.* Hic multam ostendit dilectionem, siquidem cum ideo misisset, & ea fuit causa cur peregrè sit profectus. Quod etià dicebat scribens ad Thessalonicenses. Propter quod non sustinetes amplius, placuit nobis remanere Athenis solis, & misimus Timotheum fratrem nostrum. Ad Ephesios quoque eum ipsum mittit, & propter eandem causam. *Vt cognoscat quæ circa vos sunt & consoletur corda vestra.* Vide quid dicat. Nō vt vos res meas discatis, sed vt ego vestras. Ita nusquam quod suum est ponit. Ostendit eos quoque esse in tentationibus, dicendo. Vt consoletur corda vestra. *Cum Onesimo charissimo & fideli fratre qui ex vobis est. Qui omnia quæ hic aguntur nota facient vobis.* Hic est Onesimus, de quo ad Philemonem scribens dicebat, Quem ego volueram mecum detinere, vt pro te mihi ministraret in vinculis euangelij. Sine consilio autem tuo nihil volui facere. Addit etiam encomium ciuitatis, vt etiam gloriarentur, non solum non afficerentur pudore, dicens, Qui est ex vobis. Qui omnia quæ hic aguntur nota facient vobis. *Salutat vos Aristarchus concaptiuus meus.* Hoc encomio nullum est maius. Hic est qui cum ipso abductus fuit Hierosolymis. Maius dixit quam propheta. Nam illi quidem seipfos dicunt hospites aduenas & peregrinos: hic autem etiam captiuus. Tanquam captiuus sic agebatur & ferebatur, & ad malè patiedum sic erat omnibus propositus. Imò verò illis peius. Nā illos quidem postquam cepissent hostes, eos valde colebant & obseruabant. Hunc autem tanquam hostem & inimicum omnes agebant & ferebant, verberantes, flagris cedentes, contumeliis afficientes, calumiantes. Hoc illis etiam erat consolatio, cum in his quoque esset præceptor. *Et Marcus consobrinus Barnabæ.* Hunc quoque iam laudauit ex cognatione. erat enim Barnabas vir magnus. *De quo accepistis mandata. Si venerit ad vos, suscipite illum.* Quid verò, Non suscepissent? Maximè. Sed cum magno, inquit, studio. & hoc magnum virum ostendit. Vndè nam autem acceperint mandata, non dicit. Et Iesus qui dicitur Iustus. Iste fortasse erat Corinthius. Deinde dat omnibus comune encomium, cum dixisset quod dicitur *est vniuscuiusque proprium. Qui sunt ex circumcissione. Hi soli sunt adiutores mei in regno Dei: qui mihi fuerunt solatio.* Postquam dixit, Concaptiuus, ne auditorum animum simul deiiciat, vide quomodo hoc ponit, & eos excitet: *Adiutores, inquit, mei ad regnum Dei. Quamobrem cum sint socij tentationum, sunt etiam regni socij. Qui fuerunt mihi solatio. Ostendit eos esse magnos, siquidem Paulo fuerunt solatio. Sed videamus Pauli prudentiam. In sapientia, inquit, ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redimentes. Hoc est, Non est vestrum tempus, sed illorum. Nolite ergo dominium & auctoritatem vobis vendicare, sed tempus redimite. Neque dixit solummodo, Emite, sed redimite, aliter ipsum ve-*

strum efficientes. Summæ enim fuerit amentia, bellorum & inimicitiarum excogitare pretextus & occasiones. Nam ad hoc quod pericula sustinemus superflua, & quæ nihil habent lucri, aliud quoque damnum accedit, quod ad nos Græci non accedunt. Nam quando fueris inter fratres, merito confidis: foris autem non sic oportet. Vides quemadmodum vbiq; eos qui sunt foris dicit Græcos. Propterea dicebat etiam scribens ad Timotheum. Oportet ipsum & ab iis qui foris sunt bonum habere testimonium. Et rursus. Quid enim mea refert de iis qui foris sunt iudicare? In sapientia, inquit, ambulate ad eos qui foris sunt. Foris enim sunt, etiam eundem quem nos mundum habitent, vt qui sint extra regnum & domum patris. Simul etiam eos consolatur, illos vocans extraneos. Quod quidem dicebat superius, Vita vestra absconsa est cum Christo in Deo. Tunc, inquit, gloriam quaerite, tunc honores, tunc alia omnia. Nunc autem nequaquam, sed illis præbere. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuique respondere. Vt non sit plenus hypocriti & simulatione. Hoc enim non est gratia: neque sale est conditum. Vtpote si absque periculo colere oporteat, ne recuses. Si tempus sit placidè loquendi, ne cam rem existimes assentationem. Fac omnia quæ ad honorem attinent, absque eo quod lædatur pietas. Non vides quomodo Daniel hominem colit impium? Non vides quemadmodum pueri cum sapientia se gerant, & animi ostendentes fortitudinem & confidentiam ac dicendi libertatem, non autem temerariam audaciam & asperitatem. Hoc enim non est loquedi libertatis & fiducia, sed inanis gloria. Vt sciatis, inquit, quomodo oporteat vos vnicuique respondere. Aliter enim Principi, aliter ei qui alterius parer imperio. Aliter diuiti, aliter pauperi. Quamobrem? Quoniam diuitum & Principum animi sunt imbecilliores, vt qui tumeant & disfluant. Quo fit vt se magis demittere & accommodare oporteat. Pauperum autem & eorum qui sunt subiecti alteri, solidiores & prudentiores. Quare & hic vtendum est maiori loquendi libertate, vnum spectando, nempe edificationem. Non quoniam hic quidem est pauper, ille verò diues, ille quidem plus honoretur, hic verò minus, sed propter imbecillitatem hic quidem feratur, ille verò non item. Vt, si causa non sit, Græcum ne voces sceleratum & execrandum: neque sis contumeliosus. Sed si de dogmate quidem rogeris, responde id esse execrandum & impium. Si nemo autem roget, neque cogat, non leuiter nec temerè est dicendum, ne suscipias inimicitias. Quid enim necesse est superuacaneas sibi comparare inimicitias? Rursus si quempiam catechesi instituas, dic vt postulat subiectum argumentum: alioqui tace. Si sermo sit sale conditus, & in disfluentem inciderit animam, mollem restringit & flaccidam: & si in asperam, leuigat duritiem. Si sit lepidus ac facetus, nec sit grauis ac molestus, nec rursus mollis, sed & austeritatem habeat & voluptatem. Nam & si sit supra modum austerus, magis lædit quam prodest. Sin autem sit supra modum lepidus & vrbaneus, magis est molestus quam iuuat. Quamobrem oportet vbiq; esse modum. Nec sis tristis & fronte caperata, est enim iniucundum: neque diffusus ac dissolutus, est enim abiectum & conculcatum: sed vtriusque accepta virtute, fuge vitium, sicut apis, huius quidem lætitiæ & alacritatem: illius verò carpens seueritatem. Nam si medicus non similiter omnibus vtitur corporibus, multo magis magister. Atqui non conuenientia medicamenta magis trahunt corpora, quam anima sermonem. Vt accedit Græcus, & tibi sit amicus, de eo cum ipso nihil differueris, do-

1. Tim. 3. 1. Cor. 5.

Cum diuite & cum paupere quomodo loquedū.

Redimere tempus quod est.

nec cum eo tecum magna fuerit amicitia, & cum fuerit, paulatim. Vide & quando Paulus venit Athenas, quomodo cum eis diserebat. Non dicebat, o scelerati & plane execrati. Sed quid? Viri Athenienses, vos per omnia video esse tanquam superstitioniosos. Rursus quando probris oportebat afficere, non recusavit, sed cum magna vehementia dicebat Elyma: Plene omnino dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iniustitiae. Nam sicut illos probro affecisse fuisset inhumanitatis, ita hunc non affecisse fuisset pusilli & abieci animi. Rursus; ad magistratum es adductus propter negotium? exhibe quos par est honores. Omnia, inquit, quae hic sunt vobis nota facient. Cur non, inquit, simul venerim. Quid est autem, Omnia vobis nota facient. Hoc est, vincula, & alia omnia quae me retinent. Non ergo qui vos opto videre, & mitto alios, ipse tardassem, si non me magna retineret necessitas. Atqui non erat hoc insimulatum. Imò verò valde insimulatum. Discere enim quod & inciderit in tentationes, & eas fortiter & generose tulerit, eius erat qui rei fidē faciabat, & erigebat eorum animos. *Cum Onesimo*, inquit, *charissimo & fideli fratre*. Servum Paulus dicit fratrem. Et merito, cum & ipse se servum nominet fidelium. Deprimamus omnes fastum, cōculcemus arrogantiam. Servum se nominat Paulus, qui es instar orbis terrarum & caelorum innumerabilium, & tu tibi places & te extollis? Qui omnia ut volebat, agebat & ferebat: Qui in regno caelorum primas tenebat, qui fuit coronatus, qui in tertium ascendit caelum, servos fratres vocat & confersus. Vbi est infania? Vbi arrogatia? Adeo fide dignus fuit Onesimus vt haec ei crederetur: *Et Marcus*, inquit, *consobrinus Barnabae*. De quo accepisti mandata, *Suscipite illum*. Fortasse à Barnaba madata acceperat. *Qui sunt ex circumcissione*. Comprimit tumorem Iudaeorum, erigit eorum animos, quod pauci essent ex circumcissione, plures autem ex gentibus. Qui fuerunt, inquit, mihi solatio. Ostendit se esse in magnis tentationibus. Quomobrem non est hoc paruum, quando sanctos, consolamur & praesentia, & sermone, & assistendo, quando simul cum eis affligimur. Cum vincitis enim, inquit, tanquam simul vincitis. Quando illorum perpeffiones nostras esse ducimus, in coronis quoque socij erimus. Non es tractus in stadium. non descendisti ad certamen: alius ad luctandum se exiit, alius luctatur. Sed si velis, tu quoque eris socius. Vnge illum certaturum, eius sis amicus & studiosus. Foris magna voce acclama, excita vires, recrea animum. Haec in aliis omnibus fieri est consentaneum. Paulus enim non opus habebat, sed illos excitās dicebat haec omnia. Tu ergo in aliis omnibus, eorum qui volunt vituperare ora obstrue, procura vt sint qui eum ament. exuntem officiose & diligenter excipe. Sic eris particeps ac socius coronarum eius gloriae, etiam si nihil aliud egeris, laetatus sis autem ob ea quae facta sunt, sic quoque non parum fuisti socius. attulisti enim charitatem quae est summa bonorum omnium. Nam si qui flent, videntur esse luctus participes, & iis qui lugent multum gratificantur, & doloris multum adimunt; multo magis etiam qui laetantur, maiorem afferunt voluptatem. Quantum enim sit malum non habere qui simul doleant, audi Prophetam dicentem, Expectavi si quis contristaretur, & non fuit. Propterea Paulus quoque dicit, Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus. Auge laetitiam. Si videbis fratrem esse in vna existimatione, ne dixeris, Est illius bona existimatio, cur ego gaudeam? Haec non sunt verba fratris, sed hostis. Si velis, non sunt illius, sed tua. Est in tua potestate eam facere maiorem, si nō sis mœstus, sed laeteris, si fueris alacris, exultesque & gestias.

Act. 17.

Ibid. 13.

Paulus servum vocat fratrem, & se servum fidelium.

Psal. 68. Rom. 12.

Quod hoc autem ita se habeat, illinc est perspicuum. Qui invident, non illis solis invident qui in bona sunt existimatione, sed iis etiam qui bona illorum existimatione laetantur. Ita sciunt quod hi quoque sint in bona existimatione: & ij sunt qui maxime se iactant & gloriantur. Nam ille quidem etiam erubescit cum valde laudatur: iste etiam cum multa voluptate gloriatur. Nō videtis quemadmodum Athletarum alter quidem coronatur, alter verò non coronatur? Dolor autem & laetitia est eorum qui amant & eorum qui oderunt. Illi saltant, illi tripudiant. Vide quanta res sit nō invidere. Alterius est labor, & alterius est voluptas. Alteri imponitur corona, & tu saltas, tu gloriaris. Nam dic mihi quæso: alius vicit, tu quid saltas? Sed illi quoque recte sciunt quod commune sit quod factum est. Propterea hoc quidem non vituperant, qui invident: tentant autem deprimere victoriam, & audis eos haec verba dicentes, Te delevi & deieci: etsi sit opus alterius, tua tamen est laus. Si ergo in externis tatum bonum est non invidere, sed aliorum bona sibi accommodare & sua ducere, multo magis id spirat in nostra de diabolo victoria, vt qui magis laetetur. Etsi sit sceleratus & acerbus, exacte novit hanc magnā esse voluptatē & laetitiam. Vis eum molestia afficere? gaude & laetare. Vis eum exhilarare? esto tristis. Qui ex victoria fratris ei accidit, dolorē levas per tuam animi aegritudinē. Cum illo stas à fratre abscessus, maius quam ille malū facis. Non sunt enim paria, cum sis inimicus, facere quae sunt inimicorum, & cum sis amicus, stare cum inimicis. Iste est inimicus peior & scelerator. Si frater sibi bonam paravit existimationē, vel dum agit causas, vel dum laudatur, vel aliquid recte gerit, esto particeps laudis & bonae existimationis. Ostende eum esse tuum membrum. Et quomodo, ait? ego enim non sum bonam affecutus famam & existimationem. Ne hoc verbum dixeris. Si prope me esses tu qui haec loqueris, imposuissem manum labris tuis, ne audiret inimicus. Saepe inter nos intercedunt inimicitiae, & inimicis non ostendimus. Tu verò ostendis diabolo. Ne hoc dixeris, ne hoc cogitaveris. Sed contra, est meū membrum. ad corpus transit gloria. Quid verò quod inquit, non ita sunt affecti qui sunt foris? Quoniam tu es causa. Nam cum viderint te eius laetitiam alienam esse ducentem, ipsi quoque alienantur. Quod si viderint te eam ducentem esse propriam, non audent. Sed tu quoque es similiter clarus & illustris. Non es dicendo laudem affecutus, sed tu dum ei gratularis, maiorem es laudem adeptus quam ille. Si enim charitas est res magna, & caput omnium, tu eam quae ex ipsa paratur accepisti coronā. Ille eam quae acquiritur ex arte dicendi, tu ea, quae acquiritur ex vehementi amore. Ille ostendit vim verborum: tu per facta deiecisti invidiam, & cōculcasti liuorem. Quomobrem multo magis quā ille fueris coronatus. certamen tuum est praclarium. Non solum cōculcasti invidiam, sed etiam aliquid aliud fecisti. Ille vnam solum habet coronā, tu autem duas, & duas illas vna splendidiores. Quanam sunt haec? Vnam suscepisti aduersus invidiam: altera est qua fuisti redimitus ex charitate. Non enim collatari solum est indicium quod sis mundus ab invidia, sed etiam quod habeas charitatem quae radices egerit. Illi saepe molestiam exhibet humana aliqua animi perturbatio, vtpote inanis gloria. Tu autē es mundus ab omni perturbatione animi. Nam si inani gloria laborares, non laetareris propter bona alterius. Ercxit, dic quæso, ecclesiam, coetum amplificavit. Rursus lauda. Habes duplices coronas, deiecisti invidiam, charitate es redimitus. Rogo & obsecro, vis etiam tertiam audire coronā? Et applaudunt qui infernē sunt homines, tibi autem qui

Deest hic aliquid in exemplari Veronē.

Laudis. tris quomodo possunt esse participes.

Non invidendo & laudando triplex corona.

Qui invidet, pugnat cum Deo, non cum illo cui invidet.

qui supernē sunt angeli. Nō enim sunt paria, pulchram & elegantem ostendere dictionem, & motus animi superare. Haec laus est temporalis, illa verò aeterna. Hic est ex hominibus, ille ex Deo. Hic aspicitur coronatus, tu autem in occulto coronaris vbi pater tuus te videt. Si dissecto corpore liceret vniuscuiusque videre animam, ostendissem tibi hunc esse honestiorem & magis resplendentem. Invidia stimulos proteramus: nobis ipsis profimus, o dilecti: ipsis nobis coronam imponamus. Qui invidet, cum Deo pugnat, non cum illo invidet. Nam cum illum videt habere gratiam, & dolet, & vult detrahere ecclesiae, non pugnat cum illo, sed cum Deo. Nam dic quæso, si quis ornaret puellam Regis, & in bona esset existimatione eam exornans, decoramque reddens & honestam, vellet autem aliquis eam se turpiter & indecorē gerere, & ipsum non posse eam ornare, cuiam insidiaretur, huicne, an illi & eius patri? Ita nunc quoque tu invidens pugnas cum ecclesia: cum Deo bellum geris. Nam quoniam cum fratris laude & existimatione connexa est utilitas ecclesiae, si haec corruat, vt ille quoque corruat necesse est. Quomobrem in hoc opus facis Satanicum, vt qui corpori Christi insidieris. Aduersus eum dolore stimularis, qui tibi nullam fecit iniuriam: multo autem magis aduersus Christum. Quam tibi fecit iniuriam, quod nō finis eius corpus ornari pulchritudine? Quod non finis sponsam decorari? Considera autem mihi quantum sit supplicium. Inimicos tuos laetitia afficis: & illum ipsum qui est in bona existimatione, quem vis molestia afficere, magis exhilaras, & invidens magis ostendis eum laudari & bene audire: nam alioqui non inuidisses: vel potius ostendis quod crucieris. Atque me quidem pudet ex his adhortari. Sed quoniam tanta est nostri animi imbecillitas, vel ex his castigati & eruditi, ab hoc pernicioso vitio liberemur. Doles quod laudetur & in bona sit existimatione. Cur ergo invidēs auge eius laudem & bonam existimationem? Vis eum cruciare? Cur ergo ostendis te dolere? Cur de te ipso prius exis pœnas, quam de eo quem non vis laudari & in bona esse existimatione? Ei inde est duplex voluptas & laetitia, & tibi cruciatus: non solum quod magnum eum ostendis, sed etiam quod alteram ei procreas voluptatem & laetitiam, te ipsum crucians. Et rursus de iis de quibus doles, ille laetatur te invidente. Vides quam graues nobis plagas infligimus, & non sentimus? Est inimicus. Atqui cur inimicus? quam tibi fecit iniuriam? Sed tamen inimicum reddimus illustriorem, & nos ipsos magis punimus. Hoc rursus nos ipsos cruciamus, si fenserimus quod ille cognouerit. Nam ille quidem fortasse non laetatur. nos autem putantes eum laetari, rursus propterea dolemus. Cessa ergo invidere, tibi ipsi imponis vulnera. Haec cogitemus o dilecti, nempe duplices coronas eorum qui non invident: laudes scilicet ab hominibus, & laudes à Deo, & mala quae oriuntur ex invidia, & sic feram poterimus extinguere, & coram Deo laudari, & in bona esse existimatione, & eadem assequi quae ij quorum est bona existimatio. Fortasse enim assequemur. Quod si fortasse non assequamur, non assequemur propterea quod non expediat. Et sic poterimus, cum ad Dei gloriam vixerimus, bona promissa consequi iis qui ipsum diligunt, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum patre & sancto spiritu, &c.

ORATIO XII.



SALVAT vos Epaphras qui ex vobis est, servus Christi Iesu, semper sollicitus pro vobis in orationibus: vt stetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei. Testimonium enim illi perhibeo quod habet multum laborem pro vobis, & pro iis qui sunt Laodiceae, & qui Hierapoli. Etiam in initio epistolae, virum commendavit à charitate. Charitatem autem ostendit, & quod laudet. Quod quidem dixit ab initio. Qui etiam manifestavit vobis charitatē vestram in spiritu. Dilectionem autem ostendit, & facit vt ametur, quod pro aliis oret. Ipsum autem commendat, aperiens ostium sermone eius. Nam quod reuerendus sit magister, id est vtile discipulo. Et rursus quod dixerit, Et vobis, vt etiam de viro glorientur, vt qui tales viros ferant. Et semper, inquit, sollicitus pro vobis in orationibus. Non solum dixit, Orans: sed sollicitus, tremens, & timens. Testimoniū enim, inquit, illi perhibeo quod habet zelum pro vobis. Est testis fide dignus. Quoniam habet, inquit, multum zelum pro vobis. Hoc est, vos valde diligit, & magno vestri flagrat amore. Et pro iis qui sunt Laodiceae, & qui Hierapoli. Illis quoque eum commendat. Sed hoc vnde erant scituri? Maxime quidem audiuerant, sed etiam dum epistola legeretur discabant. Facite enim, inquit, vt & in Laodicensium ecclesia legatur. Vt stetis, inquit, perfecti. Simul & eos reprehendit, & non acerbē eos admonet & consulit. Fieri enim potest vt & quispiam sit perfectus & nō stet. vt si quispiam quidem omnia nouerit, adhuc autem labascit. Fieri potest etiam vt non sit perfectus, & stet. Vt si quis sciat quidem partem, stet autem non firmiter. Sed hic vtrunque optat, Vt stetis, inquit, perfecti. Vide quomodo eos rursus admonuerit sermonis de Angelis, & de vita. Et pleni, inquit, in omni voluntate Dei. Non enim solum sufficit facere Dei voluntatem. Cui enim est plene aliquid persuasum, non finit aliam in se esse voluntatem: alioqui nō plene haberet persuasum. Testimonium, inquit, illi perhibeo quod habet multum zelum. Et zelum, & multum, vtrunque augeat & amplificat. Sicut & ipse dicit scribers ad Corinthios, *Emulor enim vos Dei zelo*. *Salutat vos Lucas medicus charissimus*. Hic est ille Euangelista. Non eum autem deprimens ponit vltimum, sed illum extollit, vt Epaphroditum. Verisimile est fuisse etiam alios qui vocarentur hoc nomine. *Et Demas*. Cum dixisset, *Salutat vos Lucas medicus, adiecit charissimus*. Hoc quoque non paruum est encomium, sed valde magnum, esse Paulo charissimum. *Salutate fratres qui sunt Laodiceae, & Nympham, & qua in domo eius est ecclesia*. Vide quomodo eos conglutinat, & inter se coniungit, non solum quod salutauerit, sed etiam quod epistolas reddiderit. Deinde rursus gratificatur, eum seorsum appellans. Hoc autem facit non temerē, sed alios ad eandem adducens aemulationem. Neque enim est paruum quod non connumeratur cum ceteris. Vide quidem certē quam magnum eum ostendit esse virum, siquidem domus eius erat ecclesia. *Et cum lecta fuerit apud vos epistola, facite vt & in Laodicensium ecclesia legatur*. Mihi videtur esse quaedam ex iis quae illic scripta sunt, quae hos etiam oportebat audire. Et his maior erat utilitas, cum aliis reprehensis sua peccata agnoscerent. *Et ea quae Laodicensium est, vobis legatur*. Quidam dicunt non Pauli ad ipsos missam, sed quae ab ipsis ad Paulum. Non enim dixit, *Eam quae est ad Laodicensis, sed quae scripta est à Laodicea*. *Et dicite Archippo*. Vide ministerium quod accepisti in domino, vt illud impleas. Cur non scribit ad ipsum? Fortasse non opus erat, sed sola nuda admonitione, vt fieret di-

Discipulo est vtile quod reuerendus sit magister.

Perfectus potest esse quispiam, & non stare.

1. Cor. 11.

Cuius domus est ecclesia, est vir magnus.

ligetior. *Salutatio mea manu Pauli.* Hoc est indicium sinceritatis & amicitiae, quod & viderent literas, & in eas essent affecti. *Memores estote vinculorum meorum.* Papae! quanta consolatio. Hoc enim sufficit ad eos ad omnia adhortandos, & ad reddendos eos fortiores ad certamina. Sed & eos reddebat magis familiares. *Gratia domini nostri Iesu Christi vobiscum. Amen.* Magnum encomium, & maius aliis omnibus, dicere de Epaphrodito, Qui est ex vobis seruus Christi, & ministrum ipsum pro ipsis dicit, sicut & se dicit ministrum ecclesiae. Vt quando dicit, Cuius ego fui Paulus minister. Ad eandem dignitatem virum effert, & conferuum eum superius vocat, & hic seruum. Qui ex vobis est, inquit, tanquam cuius matre differens, & dicens, Qui est ex tuo utero. Sed invidiam attulisset hoc encomium. Propterea non ex his solis eum commendat, sed & ex iis quae ad ipsum pertinent, & illic soluit invidiam, & hic, Semper, inquit, pro vobis sollicitus. Non nunc solum apud nos, vt nobis ostendat, neque apud vos solum vt vobis ostendat. Magnum ostendit animi studium & alacritatem dicendo, Sollicitus. Deinde ne videretur eis blandiri, subiunxit, Habet multum zelum pro vobis, & pro iis qui sunt Laodicarum, & qui Hierapoli. Et illud, Vt stetit perfecti, non est assentationis, sed reuerendi praceptoris. Et repleti, inquit, & perfecti. Illud quidem dedit, hoc autem dixit deficere. Et non dixit, Vt non laberis, sed vt stetit. Quod autem a multis salutentur, hoc eos recreat, quando non solum qui sunt ex eis familiaritate & necessitudine coniuncti, sed etiam alij eorum meminere. Et dicite Archippo. Vide ministerium quod accepisti in domino. Eos maxime ipsi subiicit. Non potuerunt enim amplius illum arguere ipsos increpantem, quando ipsi vniuersum susceperint. Non est enim rationi consentaneum, vt discipuli dicant de praepatore. Sed eis os obstruens hoc dicit: dicite, inquit, Archippo. Vade. Hoc verbum semper est terrētis: vt quando dicit, Videte canes. Videte ne quis vos seducat. Videte ne aliquo modo ista vestra libertas sit officiculum infirmis. Et semper sic dicit, quando terret. Vide, inquit, ministerium quod accepisti in domino, vt illud impleas. Neque sinit eum esse dominum, sicut ipse dicebat. Si enim volens hoc facio, mercedem habeo. Si autem inuitus, dispensatio mihi est credita. Vt ipsum impleas. Rursus illud In, est per dominum. Ipse tibi dedit, non nos. Et illos ei subiicit, quando ostendit id ei fuisse traditum a domino. Memores estote vinculorum meorum. Gratia vobiscum. Amen. Soluit metum. Etsi enim doctor est in vinculis, gratia tamen eum soluit. Et hoc quoque est gratiae, concedere vt ipse sit vincus. Audi enim Lucam dicentem, Reuertebantur Apostoli a facie concilij gaudetes, quod digni essent habiti pro nomine ipsius contumeliam pati. Re vera enim dignum esse habitum est & contumeliam esse passum, & vincum esse. Si quis enim habens quempiam quem amat, lucrum esse putat si propter illum sit passus quidpiam, multo magis propter Christum. Ne ergo aegerferamus afflictiones propter Christum, sed vinculorum Pauli nos quoque simus memores. Et hoc est nobis adhortatio. Vt, suades aliquibus pauperibus dare propter Christum? Reminiscere vinculorum Pauli, & te & illos pronuncia miseris, si ille quidem & corpus dedit vinculis propter ipsum: tu autem ne cibum quidem impertiris. Es elatus propter bene facta? recordare vinculorum Pauli, & quod nihil tale sis passus nec adhuc patiaris. In desiderijs aliorum bonorum proximi, memento vinculorum Pauli, & videbis quam sit absurdum illum quidem esse in periculis, te autem in delicijs. Rursus deliciarum teneris desiderio: tibi veniat in mentem car-

cer Pauli: es illius discipulus, es illius commilito. Quomodo est rationi consentaneum, vt commilito quidem sit in vinculis, tu autem in delicijs? Es in afflictione, existimas te esse derelictum? audi verba Pauli, & videbis quod esse in afflictione, non est indicium derelictionis. Vis vestes ferre sericas? Recordare vinculorum Pauli, & ea videbuntur viliora pannis fordidis & coenosis. Vis aureis indui? Tibi veniant in mentem vincula Pauli, & nihilo tibi videbuntur melius affecta quam vetus iuncus. Vis capillos ornare, & videri pulchra? cogita squalorem Pauli in carcere, & ad illam accendens pulchritudinem, & hoc existimabis esse deformitatem, & acriter ingemiscas, illa vincula cupies. Vis tritos fucos & pigmenta tibi illinire, & quae sunt huiusmodi? cogita illius lacrymas: triennium noctu & diu non cessabat flere. hoc mundo orna tuas genas: haec lacrymae eas reddunt splendidas. Non dico vt pro alijs fleas. Volo quidem & hoc, sed hoc est altius, sed suadeo vt hoc facias pro tuis peccatis. Iussisti vinciri puerum, & iratus es & irritatus? Memeto vinculorum Pauli, & statim sedabis iram. Reminiscere nos esse ex iis qui vinciti sunt, non ex iis qui vincunt. ex iis qui sunt contriti corde, non autem ex iis qui conterunt. Diffusa es, & magnum edidisti cachinnum? Tibi veniant in mentem illius fletus, & ingemisce: multo splendidiorem te reddunt haec lacrymae. Vidisti se delicijs dedentes & saltantes? Recordare eius lacrymarum. Ex quoniam fonte tanta emanarunt fluentia, vt ex illius oculis lacrymae? Memores estote, inquit, lacrymarum sicut hic vinculorum. Et merito illis haec dicebat, cum eos Epheso Milesum accersiuisset. Dicebat enim doctoribus: Quamobrem ab illis quidem exigit etiam vt congregent, ab his autem solum vt pericula subeant. Quemnam fontem vis comparare cum his lacrymis? Eumne qui est in paradiso, qui irrigat vniuersam terram? Sed nihil dices aequale. Hic enim fons lacrymarum, animas irrigabat non terram. Si quispiam nobis ostenderit Paulum lacrymantem & gementem, non multo esset melius eum videre, quam innumerabiles choros eleganter & belle coronatos? De vobis non loquor. Sed si quis a teatro & a scena abducto aliquo incontinente & impudico, qui amore corporum flagrat & bacchatur, ostenderet puellam virginem in ipso flore aetatis, & quae in alijs superet aequales, & vultu supra omnia membra, & quae teneros mollisque habeat oculos, leniter insidentes, leniter voluentes, flexibiles, mites, serenos, subidentes, & multo quidem pudore compositos, & multa gratia, nigris palpebris, inferne autem & supernae sit coronata, & animatam, vt ita dicam, habeat pupillam, nitidam frontem, inferne autem genam ad summum ruborem venientem, instar marmoris subiectam planam & aequam. Deinde mihi ostenderit Paulum lacrymantem, ea dimissa ad ipsum spectandum exilirem, ab eius enim oculis resplenderet pulchritudo spiritualis. Nam illa quidem facit iuuenem euolare animos, accenditque & vrit. Haec autem contra comprimit. Huius qui videt oculos, oculus animae efficit pulchriorem, ventrem comprimit, replet philosophia & multa commiseratione, & adamantinam mollire potest animam. His rigatur philosophia. His lacrymis plantantur animae. Etiam si sit ignis, haec lacrymae possunt extinguere, & sensibilem & corporalem. Haec lacrymae agitas maligni ignitas extinguunt. Meminerimus ergo eius lacrymarum, & irridebimus omnia praesentia. Has lacrymas Christus beatas pronuntiabat, dicens, Beati qui lugent, & beati qui flent, quoniam ipsi ridebunt. Has lacrymas emittebat & Esaias & Hieremias. Et ille quidem dicebat, Dimittite me, flebo amarum. Hic autem dicebat,

I. Cor. 9. In domino, id est per dominum.

A. 5.

Vinculorum Pauli esse memores ad quam multa profert.

Fons lacrymarum Pauli fuit per totam vitam.

Mat. 5.

Eph. 22. Hier. 9.

Luc. 15.

Mat. 10.

Rom. 9.

Lacrymae Timothei quales. 1. Tim. 1.

Mat. 6.

dicebat, Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontes lacrymarum, vt pote quod non sufficiat fons naturalis. Nihil est his lacrymis iucundius. Quouis risu sunt haec iucundiores. Sciunt qui lugent, quantam haec res habeat consolationem. Ne existimemus rem esse deprecandam, sed etiam valde optandam. Non vt alij peccent, sed vt ipsis peccantibus nos conteramur. Harum ergo recordemur lacrymarum: horum vinculorum. Ergo & super vincula descendebant lacrymae. Quae autem ex vinculis percipitur, voluptatem, non sinebat sentire mors eorum qui vinciebant percuntium. Pro illis enim dolebat, erat enim discipulus illius qui flebat sacerdotes Iudaeorum, non quod ipsum essent in cruce acturi, sed quod ipsi periret. Nec ipse solus hoc facit, sed etiam alios sic exhortatur, dicens, Nolite, inquit, flere super me filiae Hierusalem. Viderunt paradisum isti oculi, viderunt tertium caelum: sed eos non tam cenfeo beatos propter hoc spectaculum, quam propter lacrymas per quas viderunt Christum. Hoc quidem vera est beatum. Nam ipse quoque de eo gloriatur, dicens: Non Iesum Christum dominum nostrum vidi? Sed est beatus quod fleuerit. Sic illius spectaculi multi fuerunt participes, & eos qui non fuerunt participes, rursus beatos pronunciat Christus, dicens, Beati qui non viderunt & crediderunt. Hoc autem non multi sunt assecuti. Si enim hic manere propter Christum, est magis necessarium quam dissolui vt sit cum ipso, propter aliorum salutem: ergo & propter ipsos ingemiscere, est magis necessarium quam ipsum videre. Nam si propter ipsos esse in gehenna, est magis desiderandum quam esse cum ipso: & propter ipsos est magis desiderandum ab ipso separari quam esse cum ipso. Hoc enim est quod dicebat: Optare ipse ego anathema esse a Christo. multo magis & non cessauerim, inquit, propter ipsum flere, cum lacrymis vnumquemque admonens. Quamobrem? Non timens pericula, sed vt si quis aegrotanti assidens, & nesciens morbi finem, lacrymetur propter desiderium, metuens ne a vita excedat: Ita ipse quoque cum videret infirmum, nec posset increpare, de caetero lacrymabatur. Hoc quoque fecit Christus, vt vel reuererentur lacrymas. Vt peccabat aliquis, increpabat. Conspuebat eum & resilliebat qui increpabatur, lacrymabatur, vt vel sic attraheret. Meminerimus harum lacrymarum. Sic nostras educemus filias, sic filios cum viderimus esse in malis. Quicumque volunt amari, meminerint lacrymarum Pauli, & gemant. Quaecumque beatam censemini, quaecumque estis in thalamis, quaecumque in voluptate, earum recorderimini. Quicumque estis in lectu, lacrymas lacrymis commutate. Ille non lugebat mortuos, sed eos qui peribant & viuebant. Dicam etiam alias lacrymas. Flebat quoque Timotheus. erat enim eius discipulus. Et ideo ad eum scribens dicebat. Memor lacrymarum tuarum vt gaudio adimplear. Multi etiam deflent ex voluptate. Ita etiam res est voluptatis, eiusque valde intesa. Ita non sunt graues ac molestae lacrymae quae proficiuntur ex hoc mero, sed multo meliores illis quae sunt propter mundanam voluptatem. Audi Prophetam dicentem, Audiit dominus vocem fletus mei: audiit vocem deprecationis meae. Vbi non sunt vtilis lacrymae, in precibus, in admonitionibus. Nos autem eas reprehedimus, vt qui non vtamur ad ea ad quae datae sunt. Quando fratrem peccantem consolamur, lugentem & ingemiscentem. Quando alicui suademus, ille autem mentem non adhibet, sed recedit, flendum est. Haec sunt lacrymae philosophiae. Quando autem quispiam fuerit factus pauper, quando fuerit in morbo corporali, quando fuerit mortuus, nequaquam. Haec enim non sunt di-

gna lacrymis. Sicut ergo risum reprehendimus, eo importune vtentes: sic etiam lacrymas, importune eas vsurpantes. Tunc enim cernitur vniuersiusque virtus, quando ducitur ad aptam sui muneris functionem: quando autem ad alieni, nequaquam. Vt, vinum datum est ad laetitiam, non autem ad ebrietatem: panis ad nutritionem, coitus ad liberorum procreationem. Sicut ergo ea vituperantur, ita etiam lacrymae. Lex feratur vt in solis precibus & admonitionibus iis vt liceat, & vide quomodo res erit etiam optanda. Nihil ita purgat peccata, vt lacrymae, & pulchram ostendit faciem, eamque corpoream. eum enim qui videt attrahunt ad misericordiam. Eam nobis faciunt grauem & honestam. Nihil est iucundius oculis qui sunt lacrymati. Hoc enim est membrum omnium in nobis nobilissimum, & speciosissimum, atque adeo ipsius animae membrum. Tanquam ergo ipsam videntes desentem animam, ita flectimur. Haec vobis non temere dicta sunt, sed vt vos nec nuptijs, nec saltationibus, nec choris aditis Satanicis. Vide enim quid inuenerit diabolus. Nam quoniam a scena, & iis quae illic sunt turpia & indecora, ipsa natura abduxit mulieres, quae sunt theatri abduxit in gynaeceum, molles, inquam, seu pathicos & meretrices. Hanc pestem inuexit lex nuptialis, imo vero non lex nuptialis, absit, sed lex nostrae mollitiei. Quid facis o homo? Nescis quid agas. Mulierem ducis ob temperantiam & liberorum procreationem. Quid ergo tibi volunt meretrices? Vt sit, inquit, maior laetitia. Atqui non sunt ista intemperantiae & insipientiae? Probros afficis sponsam, probros afficis inuitatos. Nam si his delectatur, res est probrum & contumelia. Nam si videre meretrices se turpiter & indecore gerentes aliquam affert magnificentiam, cur non attrahis sponsam vt illa quoque spectet? Omnino turpe est & indecorum, viros molles & saltantes, & omnem pompam Satanicam domum introducere. Memores estote, inquit, vinculorum. matrimonium est vinculum. Vinculum a Deo constitutum. Solutio est meretrix & dissolutio. Licet aliis exhilarare nuptias, vt pote lautis mensis & copiosis vestimentis. Haec non amputo, ne videar esse valde agrestis. Quamquam Rebecca suffecit solum theistrum. Sed non amputo. Licet exhilarari vestibus. Licet praesentia venerandorum virorum, & reuerendarum mulierum. Quid ludibria illa, quid monstra inducis? Dic quae audis ab ipsis. At erubescis dicere? Cur erubescis, & illos cogis facere? Si pulchrum est & honestum, non ipse quoque facis? Si autem est turpe, cur alium cogis? Omnia oportet esse plena temperantiae ac modestiae, grauitate & honestate. Contrarium autem video, saltantes tanquam camelos, tanquam mulos. Virgini solus est aptus thalamus. At est, inquit pauper. Quoniam est pauper, debet etiam esse modesta & honesta. Habeat mores pro diuitijs. Non potest dare dotem. Cur eam etiam alias reddis contemnendam ex hac peruersione? Laudo quod adsint uirgines aequalem suam honorantes, quod adsint mulieres eam honorantes, quae in suum numerum est relata. Hoc recte est constitutum. Sunt enim hi duo chori: chorus virginum, & chorus earum quae nupsere. Illae tradunt, haec suscipiunt. Sponsa est inter eas, neque virgo, neque mulier. Nam illinc quidem egreditur, in hanc autem accedit classem. Quid autem meretrices? cum oporteret eas pra pudore tegi cum essent nuptiae, cum oporteret eas infodi. matrimonij enim corruptio est scortatio. Nos autem eas ducimus ad nuptias. Et quando aliquid quidem facitis, etiam verbis tenus contraria omnia deprecamini: vt quando feminas, quando vinum hauris ex torcularibus, ne responderis quidem quae vappam significat. Hic autem cum sit moderatio & temperan-

Lacrymae purgant peccata.

Virgini solus est aptus thalamus.

Virgini solus est aptus thalamus.

Scortatio est corruptio matrimonij.

Matrimo-
nium est
vnguen-
tum.

Hic locus
est cornu-
ptus.
Reg. 5.
Galat. 3.

Ephes. 5.

Vnionis
vis est ma-
gna.

Gen. 1.

Gen. 2.

tia, vappam introducitis. hoc enim est scortatio. Quan-
do vnguentum componitis, nihil malè olens finitis ap-
propinquare. Matrimonium est vnguntum. cur cœni-
fœtorem inducis in compositionem vnguenti? Quid
dicis? Saltat virgo, & nō eam pudet suæ æqualis? oportet
enim ipsam hac esse honestiorem & grauiorem, ex
vna enim egressa est, non ex palæstra. Non oportet e-
nim omnino virginem apparere in nuptiis. Non vides
quod in regia qui sunt quidē honorati, sunt intus circa
Regem: ij autem quorum non est tam bona existima-
tio, sunt foris. Sis itaque intus circa sponsam, sed casta
mane domi. Ne transuchas & in pompam ducas virgi-
nitatem. Adstat vterque chorus: ille quidem qualem
det ostendens: hic autem, vt eam conferuent. Cur de-
decore afficis virginitatem? Nam si tu es talis, & talia
sunt illius, si tu velis amari, ea sunt hylarum & oleum
venditricis, & opificis. An non sunt hæc probum &
dedecus? Sunt. Probrū enim est & dedecus se indecore
gerere, etiam si sit filia Regis. Num enim prohibet pau-
peritas? Num vitæ studium & institutum? Etiam si serua
fit virgo, maneat in pudicitia & cōtinentia. In Christo
enim Iesu non est seruus, nec liber. Theatrum enim
non est matrimonium. est mysterium seu sacramētum,
& rei magnæ typus: & si ipsum non reueraris, reuerere
id cuius est typus. Sacramentum, inquit, hoc magnum
est. ego autem dico in Christo & ecclesia. Ecclesiæ est
typus & Christi, & meretrices introducis? Si ergo, in-
quit, neque virgines saltant, neque quæ nupserunt, quis
saltabit? Nullus. Saltationis enim quæ nā est necessitas?
In mysteriis Græcorum sunt saltationes. In nostris au-
tem, silentiū, honesta grauitas, pudor & modestia. Ma-
gnum peragitur mysteriū, foras meretrices, foras pro-
phani. Quomodo est mysteriū? Conueniunt, & duo faci-
unt vnum. Cur quando ingreditur quidem, non est
saltatio, non sunt cymbala, sed multum silentium, mul-
ta quies. Quando autem conueniunt, non inanimatam
imaginem, nō alicuius ex iis quæ sunt in terra, sed ipsius
Dei facientes imaginem & similitudinem: tantum in-
troducis tumultum, & eos qui sunt turbas, & dede-
core animam afficis & conturbas? Veniūt futuri vnum
corpus. Ecce rursus mysteriū charitatis & dilectionis.
Si duo non facti fuerint vnum, non faciunt multos,
quandiu duo manserint: quando autem venerint ad
vnitatem, tunc faciunt. Quid ex hoc discimus? Quod
vnionis magna sit vis. Solers Dei artificium vnum in
duo diuisit ab initio. Et volens ostendere quod etiam
postquam sit diuisus manet vnum, non finit vnum suf-
ficere ad generationē. Non est enim vnus qui nondum
est, sed dimidium vnus. & perspicuum est quod filios
non procreat sicut prius. Vidisti mysterium sacramen-
ti. Fecit ex vno vnum, & rursus cum hos duos fecisset
vnum, sic facit vnum. Quāobrem ex vno quoq; nasci-
tur homo. Mulier enim & vir non sunt duo homines,
sed homo vnus. Idque potest probari ex multis: ex Iaco-
bo, ex Maria matre Christi, ex eo quod dicat, Mascu-
lum & fœminam fecit eos. Si hic quidem est caput, ille
verò corpus, quomodo duo? Propterea hæc quidem
discipuli, ille verò locum tenet magistri. Ille quidem
principis, hæc verò eius qui parat principi. Porrò autem
ex ipsa quoq; corporis formatione videris esse vnum.
Facta est enim ex latere, & tanquā duo ex dimidio dis-
secta. Propterea eam quoque vocat adiutricē, vt osten-
dat eos esse vnū. Propterea & patri & matri præfert cō-
iunctionem & cohabitationem, vt ostendat quod sunt
vnum. Et pater similiter lætatur & filia & filio iunētis
matrimonio, vtpote quod corpus properet ad suum
membrum. Fitque tantum sumptus, & pecuniæ detri-
mentū, & tamen non finit videre non iunctum matri-

monio. Tanquam enim ipsa abscessa carne, vterque est
imperfectus ad liberorum procreationem: vterque est
imperfectus ad præsentis vitæ constitutionē. Propter-
ea dicit etiam Propheta, Defectus spiritus tui. Quomo-
do autē sunt etiam in carne vna? Quomodo si auri ad-
meris quod est purissimum, & alteri auro admiscueris:
ita hic quoque, id quod est pinguisimum, tāquam fun-
dente voluptate, suscipiens mulier alit & fouet, & cum
ea quæ sunt sua contulerit, viro reddidit. Et est infans
instar pontis. Quamobrem tres sunt vna caro, infante
vtrinque vtroq; coniungēte. Quomodo enim si cum
duæ sint ciuitates, & fluuius eas omnino diuidat, vna
fit ciuitas ponte vtrinque cōiungente: Ita est hic quo-
que, & magis, quando ipse pons est ex vtriusque essen-
tia, ea ratione vt corpus & caput sunt vnū corpus, collo-
enim diuiditur, sed non magis diuiduntur quā con-
iunguntur. Nam cum sit medium, vtrinque cōiungit,
& perinde fit vt si chorus sit distractus, vna quidē eius
parte hinc accepta, altera autem à dextera, vnum fecerit.
Aut sicut qui fuerint in vnum contracti, etiam ma-
nus extendentes sunt vnum. Manus enim extensæ non
sunt esse duos. Propterea exactē & accuratē dixit: nō,
Erunt vna caro, sed in vnam carnem, nempe infantis,
coniuncti. Quid verò quando non fuerit infans, non
erunt duo? Hoc enim facit coitus. confundit & com-
mifcet amborum corpora. & sicut qui in oleum iniecit
vnguentum, totum facit vnum: ita hic quoque. Scio
multos pudore affici iis quæ dicuntur. Causa autem eor-
um quæ dixi est libido & impudicitia. Quod sic fiant
nuptiæ, quod corruptur & deprauentur, id rem red-
dit odiosam. Nam honorabiles sunt nuptiæ, & cubile
immaculatum. Quid te pudet eius quod est honorabi-
le? Quid erubescis ob id quod est immaculatum? Hæc
sunt hæreticorum. Hæc sunt eorum qui introducunt
meretrices. Propterea volo ipsum expurgare matri-
monium, vt reducam ad suam nobilitatem, vt obtu-
rem ora hæreticorum. Probro affectū est Dei donum,
radix nostræ generationis. Nam multum fimi & cœni
iniectum est radici. Hoc ergo ratione expurgemus.
Sustinete ergo parum. Nam & qui cœnum tenet, fœ-
torem sustinet. Volo ostendere quod non propter hæc
oporteat pudore suffundi, sed propter ea quæ facis.
Deum ergo condemnas qui sic decreuit. Dicam quo-
modo? Est sacramentum ecclesiæ sicut Christus venit
ad ecclesiam, sicut ex ipso est orta, & cum ea congreg-
sus est congressu spirituali. Despondi enim vos, inquit,
vni viro virginem castam. Quod autem ex ipso sumus
& ex membris eius, & ex carne eius dicit. Hæc autem
omnia mente versantes, ne tantum mysterium pudore
afficiamus. Christi præsentis typus est matrimoniū:
tu verò inebriaris? Dic mihi, si Regis videres imagi-
nem, num eam probro afficeres? Nequaquam. Viden-
tur quidem res esse indifferens quæ sunt circa matri-
monium. Sunt autem causæ magnorum malorum. Om-
nia sunt plena iniquitate. Turpitudine, & stultiloquiū,
& scurrile verbum, inquit, ex ore vestro non exeat. Om-
nia autem illa sunt turpitudine & stultiloquiū & scur-
rilitas, non leuiter, sed cum intentione. Ars enim est
hoc, & magnam affert laudem iis qui eam exercent.
Ars facta sunt peccata. Non leuiter & temerē ea tra-
ctamus, sed adhibito studio & scientia. & de cætero
diabolus est harum rerum Dux & Imperator. Vbi est
enim ebrietas & lasciuia, vbi sermo obscœnus, adest
diabolus sua afferens. Cum his conuiuans, dic quælo,
Christi mysterium peragis, & diabolus inuocas? Me
fortē existimatis grauem & importunum. Nam hoc
quoque est multæ peruersitatis, quod qui increpat lu-
dibrio habetur tanquam austerus. Non auditis Pau-
lum di-

Psal. 141.
& 142.

Infans est
instar pon-
tis.

Duo con-
iuncti in
vnam car-
nem, nem-
pe infantis.

Hebr. 13.

Christi ip-
sitalis co-
gressus cō-
ecclesiæ
sponsæ.
1. Cor. 11.

Peccata
ars sunt
ita.

lum dicentem, Quidquid faciatis, siue comedatis, si-
ue bibatis, siue aliquid faciatis, omnia ad gloriam Dei
facite, Vos autem ad maledicentiam & ignominiam.
Non auditis Prophetam dicentem, Seruite domino in
timore, & exultate ei in tremore. Vos autem diffundi-
mini & luxu diffultis. An non verò licet etiam tutò
lætari? Vis audire pulchros modos? Maximè quidem
ne oporteret quidem. Sed me demitto, & me tibi ac-
commodo. Si velis, non audias Satanicos modos, sed
spirituales. Vis videre saltantes? Vide chorum Ange-
lorum. Et quomodo fieri potest vt videam? Si hæc
abegeris, veniet Christus quoque ad has nuptias. Si
adest autem Christus, adest etiam chorus Angelorum.
Si velis, nunc quoque faciet miracula sicut & tunc.
Faciet nunc quoque aquam vinum, & multò admira-
bilis. Diffluentem & dissolutam conuertet lætitiā
& cupiditatem, & transferet ad spirituales. Hoc est
ex aqua vinum facere. Vbi sunt tibicines, nequaquam
est Christus. Sed & si fuerit ingressus, eos primū eiicit,
& tunc facit miracula. Quid Satânica pompa est
iniucundius? Vbi sunt omnia articulis non distincta, il-
lic sunt omnia non signata nec notata. Si quid sit au-
tem articulis distinctum, rursus omnia turpia, omnia
iniucunda. Nihil est virtute iucundius, nihil modera-
tione suauis, nihil honestate desiderabilis. Facit
quispiam nuptias quales ego dico, & videbit volupta-
tem. Quales autem nuptias attendite. Primū quidem
virum quære virginem, qui verè sit vir tutorque eius &
defensor, tanquam corpori caput impositurus, vt qui
non mancipium sed filiam ei sis traditurus. Ne quæras
pecuniam, non generis splendorem, non patriæ magni-
tudinem, sunt hæc omnia superuacanea: sed animi pie-
tatem, mansuetudinem, veram prudentiam, Dei timo-
rem, si vis filiam viuere cum voluptate & lætitiā.
Quærens enim ditiores, non solum eam non iuuabis,
sed etiam lædes, seruam facies pro libera. Non tanta
enim ex aureis fructur voluptate, quanta molestia ex
feruitute. Sed hæc ne quæras, sed eam quidem quæ sit
paris conditionis. Si fieri autem possit, pauperiorem
magis quàm ditiores, si non domino vendere, sed ma-
rito vis tradere filiam. Quando viri virtutem exactē
examinaueris, & eam es traditurus, roga Christum vt
adit, non enim illum pudebit. mysterium quidem est
suæ præsentis. Atque maximè quidem tunc roga vt ta-
lem det sponsum. Ne sis seruo Abrahamæ deterior, qui ad
tantam missus peregrinationem, vidit quod esset con-
fugiendum, & ideo omnia est consecutus. Quando tu
es sollicitus, & virum quæris, precare: dic Deo, quem
tu velis prouide, rem totam ei trade & committe. Hoc
autē a te ornatus honore, te remunerabitur. Duo certè
oportet facere, nempe & ei mandare ac committere,
& talem quære qualem ipse vult, nempe probum &
honestū. Quando es facturus nuptias, ne domos obeas,
specula & vestes commodato accipiens. res enim non
fit ad ostentationem, neq; filiam adducis ad pompam:
sed iis quæ in ea sunt domū exhilarans, voca vicinos, &
amicos & cognatos. Quos nosti quidē bonos & pro-
bos, eos voca, & vt iis quæ adfunt cōtenti sint admone.
Ex iis qui sunt ex orchestra adsit nullus. Illic enim est
sumptus superuacaneus & indecorus. Ante alios omnes
voca Christū. Scis per quem cum vocabis. Qui fecerit,
inquit, vni ex minimis, mihi fecit. Ne putes re esse gra-
uem & molestam, pauperes vocare propter Christum.
Res est grauis & molestia vocare meretrices. Pauperes
enim vocare, ea res est occasio & adminiculum diuitia-
rum, illud autē euersionis & exitij. Orna sponsam non
aureis ornamentis, sed mansuetudine & pudore, & cō-
suetis vestibus. Pro quouis mūdo aureo, & implicatu-

aris & intexturis, induens pudorem & verecundiam, &
quod illa non quærat. Nullus sit tumultus, nulla pertur-
batio. Vocetur sponsus, accipiat virginem. Prandia &
cœnæ non sint plena ebrietate, sed satietate cum volu-
ptate. Vide quā multa ex hoc sunt bona, quando vi-
derimus ea quæ sunt illorum. Ex iis autem quæ nunc
sunt nuptiis, si nuptiæ & non potius pompæ sunt di-
cendæ, quot mala? Soluta sunt cotinacula, statim ince-
dit cura & metus, ne quid interciderit ex iis quæ acce-
pta erāt commodato, & voluptatem excipit intolera-
bilis animi ægritudo. At hic angor & hæc molestia est
eorum qui sunt affines? Imò verò ne ipsa quidem spon-
sa est ab his libera. ea quidem certè quæ succedūt post-
ea sponsæ sunt omnia. Videre enim dissolui omnia, sunt
argumentum tristitiæ & animi ægritudinis. videre do-
mum desertam. Illic Christus, hic Satanas. Illic tristitia,
hic cura. Illic voluptas, hic dolor. Illic sumptus, hic
nihil tale. Illic probum & dedecus, hic modestia. Illic
inuidia, hic nulla planè est inuidia. Illic ebrietas, hic
sobrietas, hic salus, hic temperantia. Hæc autem omnia
cogitantes, hæcenus malum sistamus, ac cohibeamus
vt Deo placeamus, & digni habeamur qui consequa-
mur bona quæ sunt promissa iis qui ipsum diligunt,
gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui
cum patre, & filio, & sancto spiritu, &c.

FINIS.

DIVI IOANNIS
CHRYSOSTOMI AR-
CHIEPISCOPI CONSTAN-
tinopolitani Commentarius
in epistolam primam ad
Thessalonicenses.

Gentiano Herueto Aurelio, Rhemensis
Canonico, interprete.

ORATIO I.



AVLYS & Sylluanus & Timotheus ec-
clesiæ Thessalonicensiu in Deo patre no-
stro, & domino Iesu Christo, gratia vo-
bis & pax. Gratias agimus Deo semper
pro omnibus vobis, memoriā vestri fa-
cientes in orationibus nostris, sine inter-
missione, memores operis fidei vestre, &

laboris, & charitatis, & sustententis spei domini nostri Iesu
Christi, ante Deum & patrem nostrum. Quāmnā ob cau-
sam ad Ephesios quidem scribens, & secum habēs Ti-
motheum, cum secum non coniuixit, etsi eis esset no-
tus, & haberetur in admiratione: Experimentum enim
eius cognoscitis, inquit, quod sicut patri filius mecum
seruiuit. Et rursus, Neminē habeo tam vnanimem, qui
sincera affectione pro vobis sit sollicitus. Hic autē eum
sibi cōiungit. Mihi videtur quod statim eum esset mis-
surus, & superuacaneum esset vt is scriberet qui literas
erat comprehensurus. Dicit enim, Hunc spero mittere
ad vos. Hic autem non ita. Sed statim erat reuersus.
Quamobrem meritò scribebat. Nam cum nuper, in-
quit, ad vos venisset Timotheus à nobis. Cur autem ei
præponit Sylluanum, etiam si suo testimonio innume-
rabilia ipsi bona tribuat, & omnibus eum præponat?
Fortè quidē quod ipse ob magnam humilitatem hoc
vellet & rogaret. Nam cum videret magistratum adeò
se humiliter gerere, vt secum coniungeret discipulum,
multò magis hoc ipse quæserit & contenderit. Paulus

Philip. 2.

enim, inquit, & Sylvanus, & Timotheus ecclesie Thessalonicensium. De se hic nihil ponit, Non Apostolus, non seruus. Mihi videtur non ponere dignitatem, propterea quod ij essent catechisi recens imbuti, & nondum accepissent ipsius experientiam, & apud ipsos adhuc esset initiu[m] predicacionis. Ecclesie, inquit, Thessalonicensium. Pulchre. Verisimile enim erat eos esse paucos, & nondum consistere. Propterea eos consolatur per nome[n] ecclesie. Nam ubi multum tempus preterierat, & magnus erat coetus ecclesie, non hoc ponit. Quoniam autem nomen multitudinis est plurimum nomen ecclesie, & coetus iam collecti & consistentis, propterea eos sic vocat. In Deo, inquit, patre & domino Iesu Christo. Ecclesie, inquit, Thessalonicensium quae est in Deo. Ecce rursus illud In Deo, dictum est in patre & in filio. erat enim multa ecclesie & Iudaica & Graeca. Sed illi, inquit, quae est in Deo. Magna est dignitas, & cui nihil est aequale, si est in Deo. Faxit ergo Deus vt haec quoque ecclesia sic vocetur. Vercor autem ne longè sit ab hac appellatione. Nam si quis est seruus peccati, nõ potest dici in Deo. Gratia vobis & pax. Vidisti proœmium epistolæ statim esse à laudibus. Grãtias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriã vestri faciẽtes in orationibus nostris. Nam pro ipsis Deo agere gratias, est eius qui suo testimonio eis tribuit multum profectum, quando non solum ipsi laudatur, sed Deo quoque aguntur gratiã, vt qui ipse omnia operetur. Docet eos quoque se modestè gerere, propemodum dicens vniuersum esse Dei virtutis. Atque gratias quidem agere est propter rectè facta. meminisse autem in orationib[us], est suã in ipsos dilectionis. Deinde quod multis in locis facit, vt nõ solum meminerit in orationibus, sed etiam absque orationibus. Sine intermissione, inquit, memores operis fidei vestrae, & laboris charitatis, & sustinentiæ spei domini nostri Iesu Christi ante Deum & patrem nostrum. Illud, Sine intermissione memores, dicitur vel memores ante Deum & patrem, vel laboris charitatis memores ante Deum & patrem nostrum vel absolutè. Sine intermissione memores vestri. Nam illud quidem ne existimes absolutè dictum esse, Sine intermissione memores vestri, subiunxit, Ante Deum & patrem nostrum. Hoc autem dicit, quoniam nullus hominum laudabat quæ fiebant, nemo reddebat mercedem. Coram Deo, inquit, laboratis. Quid est, Operis fidei? Institutum vestrum & instantiam, nemo flexit. Hoc est enim opus fidei. Si credis, omnia patere. Si autè non pateris, non credis. An non enim sunt, eiusmodi quæ sunt promissa, vt vel mille mortes pati electurus sit qui credit? Propterea regnũ cælorum, & immortalitas, & vita æterna. Qui ergo credit, omnia patietur. Num ergo fides per opera ostenditur? Merito quis dixerit, eam non absolutè, sed per opera ostendi, per instantiam, per animi alacritatem. Et laboris charitatis. Quisnam est labor absolutè diligere? Nullus labor. Germanè autem & sincerè diligere, multus est labor. Quando enim, dic quæso, mouentur innumera bilia quæ nos volũt abducere à charitate, nos autem omnibus resistimus, an non est labor? Quid enim non passi sunt isti vt à charitate non discederent? Non ad Pauli hospitem venerunt, qui bellum gerebant cum predicacione: & cum eum non inuenissent, ipsum Iasonem trahebant ad magistratus ciuitatis? Hic ne est, dic quæso, paruus labor, cum femina nondum conceuissent, tantam ferre tempestatem, tantas tentationes? Et cautionem ab eo exegerunt. Qua data emisit Paulum. Est ne hoc paruus, dic quæso? Non se ipsum pro illo subiecit periculo? Hunc laborem dicit charitatis, quoniam sic fuerunt alligati. Vide autem, pri-

Ecclesie
quæ est in
Deo ma-
gna est di-
gnitas.

Vides ostē-
ditur per
opera.

mum dicit quæ illi rectè gesserunt. Deinde quæ ipse, ne videretur de se loqui magnificè, neque eos anticipando diligere. Et sustinentia, inquit, id est tolerantia. Neque enim vno tempore fuit illa persecutio, sed perpetuè. Neque solum bellum gerebant cum Paulo magistro, sed & iam cum discipulis. Si enim ita erant affecti in eos qui faciebant miracula, viros planè reuerendos: quomodo existimas fuisse affectos in eos qui cum ipsis habitabant, eorumque ciues erant, & repente defecerant? Quod quidem de ipsis quoque testatur, dicens, Imitatores fuistis ecclesiarum Dei quæ sunt in Iudæa, Spei, inquit, domini nostri Iesu Christi. Hæc enim omnia sunt à fide & spe. Quamobrem non solum fortis & magni animi virtutem ostendebant quæ fiebant, sed etiam quod cum certa persuasione credebant premiis repositis. Propterea permittebat Deus vt statim fierent persecutiones, ne quis diceret casu & adulatione constare predicacionem: & vt ostenderetur eorum seruos: & quod non esset humana persuasio, sed Dei virtus quæ credentium persuadebat animis, vt vel ad mille mortes essent parati. Quod quidem non fuisset, nisi statim in profundo coaluisset, & confirmata esset predicatio, & stetit immobilis. *Scientes fratres dilecti à Deo, electionem vestram, quod euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed & in virtute, & in spiritu sancto, & in plenitudine multa: sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos. Quid scientes? Quomodo fuerimus inter vos. Hic etiam tangit quæ à se rectè gesta, sed rectè & adumbratè. Vult enim primùm eorum laudes persequi. Quod autem dicit est huiusmodi. Sciuimus quod sitis ex fortibus & magnis viris, & quod ex electis. Propterea nos quoque propter vos omnia sustinemus. Illud enim, Quales fuerimus in vobis, est significantis, quod cum magna animi alacritate, & multa vehementia, parati essemus animas nostras dare propter vos: huiusque non est nobis habenda gratia, sed vobis, quod sitis electi. Propterea alibi quoque dicit. Et hæc patrior propter electos. Nam pro Deo dilectis quid non patiaris? Et cum dixisset quod surum erat, dicit propemodum. Si enim estis, inquit, & dilecti & electi, omnia merito sustinemus. Non enim laudando eos solum confirmabat eisque animam addebat, sed etiam reuocando in memoriam, quod ipsi ostendissent virtutem & fortitudinem eorum animi alacritati respondentem. Dicit itaque, *Et vos imitatores nostri facti estis, & domini, excipientes verbu[m] in tribulatione multa, cum gaudio spiritus sancti. Papa!* quantum encomium? Discipuli repente facti sunt magistri. Non solum audierunt verbum, sed etiam ad idem peruenerunt fastigium ad quod Paulus. Sed hoc nihil est. Vide enim quomodo eos extollat. Imitatores facti estis domini. Quomodo? Excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio spiritus sancti. Non absolutè cū tribulatione & afflictione, sed cum multa. Hoc autem licet discere ex actis Apostolorum, quomodo excitarunt in eos persecutionem. Conturbauerunt, inquit, magistratus ciuitatis, & ciuitatem concitauerunt in ipsos. Neque dici potest, quod afflictio quidem estis & credidistis, sed dolentes. Imò verò gaudentes. Quod quidem faciebant etiam Apostoli, gaudentes quod digni essent habitati pro nomine Christi cõtumelia affici. Hoc enim est admirabile. Si ne illud quidem est parum, quomodocunque ferre afflictiones, hoc iam est eorum qui humanã naturã superant, & habent corpus tanquam impatibile. Quomodo autem fuerunt imitatores Christi? Quoniam ipse quoque multas sustinuit perpeffiones, sed gaudebat. Lubens enim & spontè eò veniebat. Propter nos se ipsum exinanit. erat conspuendus, colaphos passurus, in crucem agendus. &*

Persecu-
tiones cur
Deus sta-
tim fieri
permittit-
bat.

2. Tim. 2.

AA. 17.

AA. 1.

Christus
gaudens
patieba-
tur quæ
passus est.

1. Cor. 17.

Daniel 3.

Animi
sternas
hæc cõ-
scie o-
mnia.

1. Cor. 17.

Quod o-
rationes
pro aliis
profuit.

us, & adeo gaudebat hæc patiens, vt patri diceret, A Glorifica me. Cum gaudio, inquit, spiritus sancti. Ne quis diceret, Quomodo dicitis Tribulatione? Quomodo Gaudio? Quomodo possunt vtraque conuenire? subiunxit, Cum gaudio spiritus sancti. Afflictio est in corporalibus, & gaudium in spiritualibus. Quomodo autem ea quidem quæ fiunt sunt molesta: quæ autem ex eis existunt, nequaquam? Non finit enim spiritus. Quamobrem fieri potest vt & patiens non lætetur, quando patitur quispiam pro peccatis: & flagris cæsus lætetur, quando patitur quispiam propter Christum. Hoc est enim gaudium spiritus: pro iis quæ videntur esse graui & molesta, educit lætitiã. Affixerunt vos, inquit, persecuti sunt: sed vos ne in illis quidem dimisit spiritus. Sicut in igne rore aspergebantur tres pueri, ita vos quoque in afflictionibus. Sed quomodo illic non est naturæ ignis rore aspergere, sed sibilantis spiritus, ita hic quoque. Non est enim naturæ afflictionis gaudium procreare, sed propter Christum perpeffionis, & rore perfundentis spiritus, constituentisque in quiete & recreatione per fornacem tentationum. Cum gaudio, inquit, non absolutè, sed multo. Hoc enim est spiritus sancti. *Ita vt facti sitis forma omnibus in Macedonia & Achaia.* Atqui postremo venit ad eos. Sed ita, inquit, respicendistis, vt fieretis doctores & magistri eorum qui præcesserant. Et hoc est Apostolicum. Non enim dicit, Vt facti sitis forma ad credendum, sed iis qui iam credebant facti estis forma. Quomodo oporteat in Deum credere vos docuistis, qui ab exordio ad certamina descēdistis. Et in Achaia, inquit, hoc est, in Hellade. Vides quanta res sit animi alacritas. Non eget tempore, neque cunctatione, neque dilatione: sed sufficit se solum exhibere, & confecta sunt omnia. Sic quidem cum posteriores accessissent ad predicacionem, fuerunt priorum doctores & magistri: Nemo enim despondeat: etiam si multo cõsumpto tempore nihil effecerit, licet ei vel paruo tempore tantum efficere, quantum ne priori quidem tempore. Nam si qui nondum credidit, tantum in initio respicendit, multò magis ij qui iam crediderunt. Nullus rursus hoc cogitã sit piger & segnis, vt qui didicerit quod liceat breui tempore totu[m] parare. Futurum enim est incertum: & fur est dies domini, repente inuadens nos dormientes. Sed si non dormiamus, nos tanquam fur non inuadit, neque abducat imparatos. Nam si vigilamus & sobrii simus, non amplius tanquam fur nos inuadet, sed tanquam Regis nuncius nos vocans ad bona nobis parata. Sin dormiamus, tanquam fur accedit. Nullus ergo dormiat, nullus sit piger ad virtutem. Hoc enim est somnus. Nescitis quando dormimus, quàm nostra non sunt in tuto, quàm facile eis parentur insidiæ? Quando autem vigilamus, non opus est nobis tanta custodia. Quãdo dormimus, etiam cum multa custodia sæpe perimus. Sunt & ostia, & veetes, & custodes, & vigiles: & tamen fur ingreditur. Cur hæc dico? Quoniam si vigilamus, non egebimus aliorum auxilio. Sin autè dormiamus, nõ multum nobis prodest aliorum auxilium, sed etiam cum illo perimus. Bonum est frui sanctorum precibus: sed cum ipsi quoque fuerimus intenti operi. Et quid mihi, inquit, opus est aliorum precibus cum fuero intentus operi? Ne te eò redigas, vt opus habeas. Nec ego quidem hoc volo: sed opus semper habemus si sapiamus. Paulus nõ dicebat, Quid mihi opus est precibus, etiam si qui precabantur non erant eò digni, imò verò ne pares quidè. Et tu dicis, Quid mihi opus est precibus? Petrus non dixit, Quid mihi opus est precibus. Oratio enim, inquit, fiebat sine intermissione ab ecclesia ad Deum pro eo. Et tu dicis, Quid mihi opus est precibus? Propterea

tibi opus est, quoniam existimas te non opus habere. Etiam si fueris, sicut Paulus, opus habes precibus. Ne te extollas ne reddaris humilis. Sed, vt dixi, si simus quidè intenti operi, ipsi efficiunt, & quæ fiunt ab ipsis pro nobis preces. Audi Paulum dicentè, Scio enim quod hoc mihi proueniet ad salutem per vestram orationem & subministrationem spiritus Iesu Christi. Et rursus, Adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis. Vt ex multis personis eius quæ in nobis est donationis per multos gratiã agantur pro nobis. Et tu dicis, Quid mihi opus est oratione? Sin autem simus pigri, nemo nobis prodesse poterit. Quid profuit Hieremias Iudæis? Non ter ad Deum accessit: & ter audiuit, Ne preceris, nec roges pro populo isto, quoniam nõ te exaudiam. Quid Sauli profuit Samuël? Non eum luxit vsque ad extremum diem, non solum pro eo orauit? Quid profuit Israëlitis? Nonne dicebat, Absit vt peccem intermittens orare pro vobis? Non omnes perierunt? Nihil profuit, inquit, preces. Imò verò valde profuit, sed quando nos quoque aliquid agimus. Nam simul agunt preces & opem ferunt. Simul autem agit quispiam & opem fert ei qui ipse operatur. Sin autem maneat piger & otiosus, ex eis non magnam accipies utilitatem. Nam si valeret preces nos otiosos in regnum intrudere, cur nõ omnes Græci fiunt Christiani? Non oramus pro toto mundo? Non hoc quoque faciebat Paulus? Non rogamus vt omnes conuertantur? Cur mali non fiunt boni, si nihil à se afferat? Valde ergo profunt preces, cum nos quoque à nobis quæ sunt nostra attulerimus. Vis scire quãtum profunt preces? Audi Cornelium. Tabitham. Audi etiã Iacob dicentè Labano? Nisi timor patris mei esset mihi, vacuum me dimisisses. Audi autem Deum quoque rursus dicentem, Protegam hanc ciuitatè propter me, & propter Dauid seruum meum. Sed quãdo? Tempore Ezechie qui erat iustus. Nam si valuerunt preces etiam tempore valde sceleratorum, cur non etiam quãdo venit Nabuchodonosor, hoc dixit Deus, sed tradidit ciuitatem? Quoniam plus valuit scelus & vitium. Rursus hic ipse Samuël orauit pro Israëlitis, & impetrauit. Sed quando? Quando ipsi quoque Deo grati erant & accepti, fugarunt & propulsarunt inimicos. Et quid opus, inquit, alterius precibus, quando ego Deo sum gratus? Ne hoc dixeris o homo. Opus est, & valde opus est. Audi enim Deum dicentem de amicis Iobi. Iob. 4. Et orabit, inquit, pro vobis, & dimittet vobis peccatum, quoniam peccarunt quidem, sed nõ magnum admiserant peccatum. Sed hic ipse iustus, qui per preces tunc seruauit suos amicos, in tempore Iudaico, nõ potuit seruare Iudæos pereutes. Et vt id scias, audi Deum dicentem per Prophetam. Si steterit Noë, & Iob, & Daniel, non eripiet filios suos & filias, quoniam præualuit vitium. Et rursus, Si steterit Moyses & Samuël. Et vide quomodo hoc dicitur duobus Prophetis: quoniã ambo pro ipsis rogarant, & non erant assecuti. Dicit enim Ezechiel, Hei mihi domine! Deles tu reliquias Israëlitis? Deinde ostendens quod hoc iuste faciat, ostendit ei peccata ipsorum: & ostendens quod non ipsos contemnens non habet acceptam quæ pro ipsis sit supplicationem. Atque hæc quidem sufficiunt, inquit, ad persuadendum, quod non ipsum contemnens, sed propter multa eorum peccata non acceptam habet supplicationem: sed tamen subiungit & dicit, Si steterit Noë & Iob, & Daniel: & merito illi magis hæc dicit, quoniam ipse est qui est multa passus. Iussisti, inquit, mihi vt super stercora comederem, & comedi. Iussisti, & sum rãsus. Iussisti mihi, & dormij super vnum latu[m]. Iussisti vt onustus exirem per foramen, & exij. Accepisti vxorem meam, & iussisti mihi ne lugerem, & non luxi, sed

Ab. 12.
Phil. 1.

1. Cor. 15.

Hier. 3.
1. Reg. 15.

1. Reg. 12.

Ab. 10.
Gen. 9.
4. Reg. 19.

1. Reg. 7.

Iob. 4.

Ezech. 14.

Hiere. 15.

Ezech. 9.

Ezech. 14.
Hiere. 15.

Ezech. 14.
Ezech. 4.

tuli fortiter. Innumerabilia alia feci propter ipsos. Ego quoque te pro ipsis rogo, & non persuaderis. Non quoniam, inquit, te contemnam hoc facio, sed & si Noë & Iob & Daniel pro filiis orauerint, non persuadeor. Hieremias quoque qui pauciora quidem patiebatur à Dei iussis, plura autem ab eorum vitio & scelere, quid dicit? An non vides quid isti faciunt? Certè, inquit, faciunt, sed fac propter me. Propterea dicit ei. Si steterit Moyses primus legislator, qui primus ipsos eripuit à periculis, qui dixit, Si dimittas quidem peccatum, dimitte. Sin minus, me quoque dele. Si hic ergo nunc esset, & hæc diceret, non impetraret. Et si rursus Samuël qui ipse quoque eos eripuit, qui ab incunte ætate habitus fuit in admiratione: De illo enim dixit, quòd tanquam amicus cum amico est locutus, & non per ænigmata. De hoc autem dixit, eum in prima ætate ei esse visum, & per eos placatum exclusam aperuisse philosophiam. Etenim verbum, inquit, erat pretiosum: & non erat visio distincta. Si isti ergo steterint, nihil proficiunt. Et dicit de Noë, Iustus perfectus in generatione sua. Et de Iob, Irreprehensibilis, iustus, verus, pius. Et de Daniele, quem etiam Deum existimant. Cùm hæc ergo sciamus, neque preces sanctorum contemnamus, neque totum in eas coniciamus, tum ne pigri simus & focordes, & temerè insidiis circumueniamur, tum ne à magno lucro excidamus: sed & hortemur ad orandum & ad manus pro nobis porrigendas: & ipsi virtutem sectemur, vt bona possimus allequi promissa iis qui ipsum diligunt, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum patre & sancto spiritu, &c.

ORATIO SECVNDA.



VOBIS enim diffamatus est sermo domini: non solum in Macedonia & in Achaia, sed & in omni loco fides vestra qua ad Deum profecta est, ita vt non sit nobis necesse quidquam loqui. Ipsi enim de nobis annunciant qualem introitum habuerimus ad vos: & quomodo conuersi estis ad Deum à simulacris, seruire Deo viuo & vero, & expectare filium eius de cælis, quem suscitauit ex mortuis, Iesum: qui eripuit nos ab ira ventura. Quomodo benè olens vnguentum non in se conclusum bonum habet odorem, sed procul emittit, & aërem odoris illitum sic etiam immittit in sensus propinquorum. Sic etiam viri præclari & admirandi, non in se conclusam tenent virtutem, sed per famam suam iuuant plurimos. A vobis enim inquit, resonat sermo domini: non solum in Macedonia & Achaia, sed & in omni loco fides vestra quæ in Deum profecta est. Eruditione ergo impleuistis omnes proximos: miraculo autem orbem terræ. Hoc enim est illud in omni loco. Neque dixit, Vulgo iactata est fides, sed resonuit. Sicut tuba clarè resonante repletur totus locus, ita præclara vestra fortis & magni animi virtutis fama, sicut illa resonans, sufficit ad implendum orbem terræ, & pari sono perueniendum ad omnes qui sunt vbique. Nam res magnæ, vbi quidem gesta fuerint, canuntur clariùs. Procul autem canuntur quidem, sed non aded. A vobis autem non sic: sed expressus & benè significans sonus exiit per totam terram. Et quomodo, inquit, non sunt hæc verba hyperbolica? Hæc enim gens Macedonum ante Christi aduentum erat insignis, & vbique canebatur magis quàm Romanorum: & Romani propterea sunt admirandi quòd eos ceperunt. Nam quæ gessit Rex Macedonum superarunt omnem dicendi facultatem: vt qui à parua quidem profectus est ciuitate, occupauit autem totum orbem terræ. Propterea & Pardum volucrè eum videt propheta, significans velocitatem & vehementiam &

ardorem, & quòd repente totum orbem terræ peruolaret cum trophæis & victoria. Aiunt autem quòd etiam cùm quendam philosophum audisset dicentem, infinitos esse mundos, vehementer ingemuerit. Siquidem cùm sint infiniti, ne vnum quidem vicisset. Aded magni & excelsi erat animi, & vbique canebatur. Simul autem cum fama Regis, gentis etiam ascendebat gloria. Dicebatur enim Alexander ille Macedo. Quamobrem meritò quæ illic gesta fuerant, vbique canebantur. Nihil enim insigne potest latere. Nò minùs autem erant insignes res Macedonum quàm Romanorum. Hoc autem existit ex eorum vehementia. Tanquam enim de re aliqua animata loquens, sic dixit, Exiit. aded erat vehemens & efficax. Ita vt non sit nobis necesse quidquam loqui. Ipsi enim de nobis annunciant, qualem introitum habuerimus ad vos. Non expectant vt de vobis audiant, sed eos qui aderant & res à vobis præclare gestas viderant, ij qui non aderant nec viderant, præoccupabant, aded vbique erat euidentis auribus. Quo fit vt non sit nobis opus vestra narrando, eos ad parem deducere zelum & æmulationem. Nam quæ ipsos oportebat à nobis audire, ea ipsi priores dicunt. Quamquam in iis quæ sunt huiusmodi sape est inuidia. Sed hoc quoque vicit exuperatio: & ipsi sunt præcones vestrorum certaminum: & quanuis ipsi sint inferiores, ne sic quidem tacent, sed præueniunt. Nobis autem cùm tales simus, iubent non credere. Quid est, qualem introitum habuerimus ad vos? Quòd plenus fuit periculis. Quòd miraculis innumerabilibus. Quòd nihil ex his vos conturbabat, sed tanquam nihil accidisset, ita nobis adhærebatis, tanquam mali nihil perpessi, sed bona assecuti innumerabilia, ita nos excepistis postea. Secundus enim hic fuit ingressus. Abierunt Berthæam: passi sunt persecutionem: & postea cùm venissent, eos ita exceperunt, vt & ab ipsis honorarentur, & animas suas pro ipsis ponerent. Illud ergo, qualem introitum habuerimus ad vos, est coniunctum & horum & ipsorum encomium. Sed ipse id conuertit in laudem ipsorum. Et quomodo? Conuersi, inquit, estis ad Deum à simulacris, vt seruiatis Deo viuo & vero. Hoc est, facile, & magna vehementia: neque multo opus habuistis negotio vt seruiretis Deo viuo & vero. Hic etiam intulit adhortationem: quod est minùs graue. Et vt expectaretis filium eius de cælis, quem suscitauit ex mortuis, Iesum, qui liberat nos ab ira ventura. Et vt expectaretis, inquit, filium eius de cælis, qui in crucem fuit actus, qui sepultus. Eum, inquit, expectatis è cælis, quem suscitauit è mortuis? Vidistis simul omnia, & resurrectionem, & ascensionem, & secundum aduentum, iudicium, iustorum remunerationem, malorum supplicium: Iesum, inquit, qui nos eripuit ab ira ventura. Et hoc est solatium, consolatio, & adhortatio. Nam si excitauit è mortuis, & est in cælo, & illinc venit, & ei credidistis. (Nisi enim ei credidissetis, non essetis tam multa perpessi) sunt hæc quoque sufficiens consolatio. Isti, inquit, dabunt pœnas. Quòd quidem in secunda quoque dicit epistola. Et vos habebitis consolationem non paruam. Et vt expectetis, inquit, filium è cælis. Quæ sunt graua quidem & aspera, sunt in manibus: Quæ autem bona, in expectatione, quando Christus veniet è cælis. Vide quanta spe sit opus. Quòd Christus in crucem actus, sit suscitatus. Quòd assumptus sit in cælos. Quòd veniat ad iudicandos viuos & mortuos. Nam & ipsi scitis fratres introitum nostrum ad vos, quòd non inanis fuit, sed antè passi multa, & contumelias affecti, sicut scitis, in Philippis fiduciam habuimus in Deo nostro loqui ad vos Euangelium multa sollicitudine. Magna quidem & præclara sunt quæ gessistis: sed nec nos humano sermone vsi sumus. Sed

Exod. 32.

1. Reg. 33. Gen. 6.

Iob. 1.

Alexander Rex Macedonum quæta gesserit.

2. Thess. 1.

Mala sunt in manibus, bona in expectatione. CAP. II.

Sed id quod superius, hic quoque dicit, quòd vtrinque ostenditur prædicatio, & ex signis, & ex eorum qui prædicant instituto, & ex seruore & studio eorum qui suscipiunt. Ipsi enim, inquit, scitis & nostrum ad vos introitum, quòd non fuit inanis: hoc est, non humanus, neque fortuitus leuisque ac vulgaris. A magnis enim erepti periculis & mortibus & plagis, incidimus rursus statim in pericula. Sed antè, inquit, passi multa, & contumelias affecti, sicut scitis, fiduciam habuimus in Deo nostro. Vides quomodo rursus totum Deo attribuit. Ad loquendum, inquit, ad vos euangelium Dei in multa sollicitudine. Dicit non potest quòd illic in periculo fuimus, hic verò non. Scitis enim & vos quantum fuerit periculum, cum quanta sollicitudine fuerimus apud vos. Quod ad Corinthios quoque scribens dicit, In infirmitate, & labore, & in timore & tremore multo fui apud vos. Exhortatio enim nostra, non de errore, neque de immunditia, neque in dolo: sed sicut probati sumus à Deo vt crederetur nobis euangelium, ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo qui probat corda nostra. Vides quòd, sicut dixi, ex eorum instantia sumit argumentum, quòd diuina sit prædicatio. Nam si hoc non ita esset, si esset deceptio, non tam multa passi essemus pericula, quæ ne concedebant quidem vt respirarem. Quidnam est ergo? Si non futurorum, inquit, aliquid nos excitaret, si nõ persuasum nobis esset quòd bona sit spes. Quis enim eligeret pro his quæ hic sunt tam multa sustinere, & vitam viuere sollicita & laboriosa, & plena periculis? Cuiam enim persuaserint? Nam hæc ipsa non sufficiunt ad perturbandos discipulos, cùm præceptores videant in periculis? Sed hoc nobis non accidit. Exhortatio enim nostra, hoc est doctrina, non est de errore. Non est, inquit, res dolus, neque deceptio, vt cedamus. Non est pro rebus odiosis & execrandis, vt pote præstigiatoribus, & magis, & immunditia. Neque in dolo, neque in seditione, quòd fecit Theudas. Sed sicut probati sumus à Deo, vt crederetur nobis Euangelium, ita loquimur. Non quasi hominibus placentes, sed Deo. Vides quòd non sit inanis gloria. Sed Deo, inquit, qui probat corda nostra. Nihil, inquit, agimus vt hominibus placeamus. Quamnam enim de causa hoc fecissemus? Deinde cùm ipsos laudasset, dicit, Non tanquam volentes hominibus placere, neque honores quærentes ab hominibus: sed sicut probati sumus à Deo, vt crederetur nobis euangelium Dei. Nisi nos nouisset liberos ab omni re quæ ad hanc vitam pertinet, non nos elegisset. Quales ergo probauit, tales manemus, sicut à Deo probati. Videnam nos probauit, & credidit euangelium? Deo nos probi visi sumus. Sic manemus. Eorum virtutis signum est & argumentum, quòd sit creditum euangelium. Non, si quid malum fuisset in nobis, Deus nos probauisset. Illud autem probauit, hic non est scrutatus. Sed quòd nos agimus probando, hoc ipse absque probatione. Hoc est, sicut nos inuenit probos, & credidit, ita loquimur. Sicut consentaneum est eos qui à Deo sunt probati, & crediti sunt esse digni euangelio, sic loquimur. Non quasi hominibus placentes. Hoc est, non propter vos omnia hæc facimus. Quoniam prius ipsos laudauit, ne quòd dicit vocaret in suspicionem, dicit: Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut nobis: neque in occasione avaritiæ, Deus testis est: neque quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis, cùm possemus esse oneri tanquam Christi discipuli. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, inquit. Hoc est, non adulati sumus. Quòd quidem est eorum qui decipiunt, qui volunt possidere & dominatum obtinere. Non potest dici, Adulati sumus vt dominatum obtineamus. Neque propter pecuniam ed

venimus. Porro autem huius quòd est euidentis ipsos citat testes. An adulati, inquit, simus, vos scitis, inquit. Quòd autem non erat euidentis, an per modum avaritiæ, Deum citat testem. Neque quærentes ab hominibus gloriam. Neque à nobis, neque ab aliis, cùm possemus esse oneri, tanquam Christi discipuli. Hoc est, neque honores quærentes, neque gloriantes & nos iactantes, & stipati satellitibus. Quamquam si hoc fecissemus, nihil fecissemus alienum. Nam si quidam missi à regibus, sunt tamè in honore, multò magis nos quoque. Neque dixit, contumelia affecti sumus, neque honorem non sumus consecuti, quòd quidem fuisset eius qui ipsis expròbat: sed, Non quæsiuimus. Qui ergo non quæsiuimus cùm licet quærere, hoc etiam exigente prædicatione, quomodo fecissemus aliquid propter gloriam? Quamquam etiam si quæsiuissemus, ne sic quidem essemus accusandi. Equum est enim vt qui à Deo missi sunt ad homines, tanquam à cælo nunc venientes legati, magno frueretur honore. Sed ex abundantia nos horum nihil fecimus, vt obstruamus ora aduersariorum. Neque dici potest quòd aduersus vos quidem sic, aduersus alios autem non sic nos geramus. Ita enim ad Corinthios quoque scribens dicebat. Sustinetis enim si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit. Et rursus, Præsentia verò corporis infirma, sermo cõtempribilis. Et rursus. Donate mihi hanc iniuriam. Illic quoque ostendit quòd valde esset humilis, ex eo quòd tam multa conculcasset. Hic autem dicit etiam de pecuniis. Cùm possemus vobis esse oneri vt Christi discipuli. Sed facti sumus paruuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foueat filios suos, ita desiderantes vos, cupidè volebamus tradere vobis, non solum euangelium Dei, sed etiam animas nostras: quoniam charissimi nobis facti estis. Sed facti sumus, inquit, paruuli: nihil importunum, nihil molestum, nec graue, neque quòd fastum habeat ostendimus. Illud autem in medio vestrum, est vt si quis dicat, non ex vobis locum superiorem, & eminentiorem accipientes conditionem. Tanquam si nutrix foueat, inquit, filios suos, ita oportet esse doctorem. Num nutrix adulatur vt gloriam consequatur? Num pecuniam petit à paruulis pueris? Num est grauis & molesta? An non sunt benigniores & mitiores quàm matres? Hic ostendit amorem & beneuolentiam. Ita desiderantes vos, inquit. Ita vobis deuincti sumus, inquit: & non solum nihil accipimus, sed si oporteat etiam ipsas impertiri animas, non recusauerimus. Hòcne est, dic quæso, humanæ mentis? Et quis aded desipit vt hoc dicat? Cupidè volebamus tradere vobis, non solum euangelium Dei, sed etiam animas nostras. Quamobrem hoc est illo maius. Et quòdnam est lucrum? Ex euangelio quidem lucrum. Dare autem animam, quòd ad difficultatem attinet, est illo maius. Non sunt enim paria prædicare & dare animam. Nam illud quidem est honorabilius, hoc autem est maioris difficultatis. Vellem, inquit, si liceret, etiam animas vobis effundere. Quoniam ergo laudauit & laudat, propterea, inquit, non pecunias quæretes, non vobis adulantes, non gloriam appetentes hoc facimus. Vide enim: multa confecerant certamina, & admirabiliter ac præter opinionem oportebat eos laudari & haberi in admiratione, vt fierent fortiores & firmiores. Habebat laus suspicionem. Propterea hæc omnia dicit, amouēs suspicionem, & dicit pericula. Et rursus ne putetur pericula dicere, tanquam pro ipsis laborans, & tanquam ab ipsis pro ipsis rursus debens honorari, oportebat enim ipsum dicere pericula, subiunxit. Quoniam charissimi nobis facti estis, animas nostras lubenter vobis dedissemus, eo quòd vobis valde sumus deuincti.

Quod agimus pro his, hoc Deus agit absque probatione.

Missi à Deo vt magno honore fruatur æquum est.

1. Cor. 11.

Ibi. 10. & 12.

Doctore oportet esse tanquam nutricem.

Atque euanglium quidem, quoniam Deus iussit, annunciamus, tantum autem vos diligimus, ut si liceret, etiam animas dedissemus. Sic oportet diligentem diligere, ut si ab eo petatur anima, & fieri possit, non veter. Non dico si petatur solum, imò verò ut ipse ad hoc donum accurrat. Nihil enim, nihil huiusmodi amore fuerit iucundius: nihil illic contigerit molestum. Fidelis amicus re vera est vitæ medicamentum. Fidelis amicus, est re vera validum tegumentum. Quid enim non fecerit verus & germanus amicus? Quam non attulerit voluptatem? Quam non utilitatem? Quam non securitatem? Etiam si thesauros dixeris innumerabiles, nihil vero & germano amico potest æquiparari. Primum autem dicamus quantam voluptatem habet amicitia. Gestit gaudio eum videns & diffunditur. Cum eo coniungitur quadam coniunctione, quæ ineffabilem animo habet voluptatem. Et si solum eius meminerit, mente assurgit & attollitur. De germanis loquor amicis, qui sunt vnanimes, & qui pro amicis mori elegerint, & qui ardentem amant. Ne mihi cogitantes eos qui leuiter amant, & sunt mensæ socij, & amici nomine, existimetis arguere id quod dicitur. Si quis habet amicum qualem dico, verba agnosceret, & si eum quotidie viderit, non satiatur. Eadem ipsi quæ sibi ipsi optat & precatur. Noui ego quendam qui pro amico viros sanctos rogans rogabat ut pro ipso primum orarent, deinde pro se. Tanta res est bonus amicus ut & loca & tempora propter ipsos amentur. Quomodo enim à splendidis corporibus flos emanat in loca vicina, ita etiam amici, ad loca ad quæ accesserint suam emittunt gratiam: & sæpe cum absque amicis in illis locis fuerimus, stemus recordantes dierum in quibus cum illis versati sumus, & gemimus. Verbis explicari non potest quantam affert voluptatem & lætitiã præsentia amicorum. Soli autem sciunt qui experiuntur. Et gratiam petere, & gratiam accipere ab amico licet citra suspicionem. Quando nobis imperant, tunc eis habemus gratiam. Quando dubitant & verentur, tunc tristitia afficimur. Nihil habemus quod non sit illorum. Omnia quæ hinc sunt sæpe despicientes, propter illos nolumus hinc recedere. Illi sunt etiam magis desiderabiles. Re vera ipsa quoque luce est amicus desiderabilior: loquor de sincero & germano. Nec mireris. Melius enim est ut Sol nobis extinguatur, quàm ut priuemur amicis. Melius est degere in tenebris, quàm amicitis priuari. Et quomodo? Ego dico. Multi solem videntes sunt in tenebris. Abundantes autem amicis, ne fuerint quidem in afflictione. De amicis loquor spiritualibus, qui nihil præferunt amicitia. Talis erat Paulus, qui & animam suam libenter dedisset, etiam si à se non esset petita, & in gehennam libenter cecidisset. Ita ardenti diligendum est affectione. Volo dare exemplum amicitia. Patres & filios superant amici: amici, inquam, secundum Christum. Ne mihi enim nunc dicas, quòd cum aliis hoc quoque bonum recessit. Cogita enim quòd tempore Apostolorum, non loquor de coryphæis & principibus, sed de iis qui crediderunt. Omnium, inquit, erat anima vna, & cor vnum, & nemo quidquam ex iis quæ habebat dicebat esse proprium, & distribuebatur singulis prout opus habebant. Non erat meum & tuum. Hoc erat amicitia, ne quis quæ sua erant sua existimaret, sed quæ erant proximi: quæ autem sua, aliena, ut illius animæ æquè parceret atque suæ, & ille similiter. Et ubi, inquit, fieri potest ut talis inueniatur? Quoniam nolumus, fieri non potest. Potest enim fieri. Nam si fieri non posset, ne iussisset quidem Christus, nec tam multa dixisset de charitate. Magna res est amicitia, & quàm sit magna, nulla ora-

tio nec discere, nec explicare potest, præter ipsam experientiam. Hoc fecit hæreses: hoc Græcos fecit esse Græcos. Qui diligit, non vult imperare, nec magistratum gerere, sed maiorem habet gratiam si obediat & iussa exequatur. Vult magis gratificari quàm gratiam accipere. Diligit enim & non tanquam exfatiato suo desiderio, sic afficitur. Non tam lætatur beneficium accipiens quàm benefaciens. Mauult enim eum habere sibi obnoxium quàm ipsi debere. Mauult autem & ipsi debere, & ipsum habere debitorem: & vult gratificari, & non vult videri gratificari, sed esse potius debitor. Multos fortè ex vobis existimo ignorare quod dictum est. Et vult prior beneficio afficere, & non videri: prior beneficio afficere, sed reddere. Quod quidem Deus quoque fecit in hominibus. Erat filium suum pro nobis donaturus, sed ne videretur nobis donare, sed nobis debere, iussit Abraham dare filium suum: ut rem magnam faciens, nihil magnum videretur facere. Nam quando non fuerit quidem amicitia, & exprobramus beneficia, & parua extollimus. Quando autem fuerit amicitia, & ea celamus, & quæ sunt magna parua volumus ostendere: ne videamur amicum habere debitorem, sed ipsi esse debitores, in eo quòd eum habeamus debitorem. Scio multos non intelligere quod dicitur. Causa autem est. Loquor de re quæ nunc cælum habitat. Quomodo ergo si dicere de aliqua planta quæ nascitur in India, cuius ne habuit quidem quisquam experientiam, ne posset quidem rem explicare oratio, etiam si infinita dicerem: Ita etiam quæcunque nunc dixerò, temerè & frustra dicam: nemo poterit scire. In cælo plantata est hæc planta, ramos habens non onustos margaritis, sed vita quæ ex virtute agitur, quæ est his multò iucundior. Quàmnam vis dicere voluptatem, & turpem & honestam? Sed omnes exuperat voluptas amicitia, etiam si mellis voluptatem dixeris. Nam id quidem affert satietatem, amicus autem nunquam dum fuerit amicus: sed augetur potius desiderium, & satietatem nunquam affert voluptas. Vita quoque præsentia amicus est iucundior. Multi quidem certè post mortem amicorum, ne optârunt quidem amplius viuere. Cum amico etiam exilium tulerit quispiam. Absque amico autè ne suam quidem patriam habere voluerit. Cum amico etiã paupertas est tolerabilis. Absque eo autem & sanitas, & diuitia sunt intolerabiles. Alterum habet seipsum. Angor quòd non possim exemplo rem ostendere. Re vera enim planum fecissem, quòd quæ dista, sunt multò minora quàm oporteat. Et hæc quidem hinc ita habent. A Deo autem tanta est merces amicitia, quanta ne dici quidem potest. Nobis dat mercedem ut alter alterum diligamus, rei autem non debemus mercedem. Ora, inquit, & accipe mercedem. Pro quo mercedem debemus, quòd bona petimus. Pro eo quod petis, inquit, accipe mercedem. Ieiuna & accipe mercedem. Pro eo quod petis, inquit, accipe mercedem. Si virtute præditus, & accipe mercedem, etiam si mercedem debeas. Sed sicut parentes quando fecerint ut filij viuant ex virtute, tunc etiam eis dant mercedem: sunt enim debitores, quòd eos constituerunt in voluptate. Ita etiam Deus: Mercedem, inquit, accipe si sis virtute præditus. Nam patrem lætitia afficis, & huius tibi debeo mercedem. Sin autem malus, nequaquam: irritas enim eum qui te genuit. Ne itaque Deum irremus, sed lætitia afficiamus, ut regnum cælorum assequamur. In Christo Iesu domino nostro, cui cum patre & sancto spiritu &c.

Amicitia multi præclari effectus.

Gen. 32.

Voluptates omnes superat voluptas amicitia.

Deus dicit nobis mercedem pro eo pro quo debemus mercedem.

Quam voluptatem habeat amicitia.

Propter amicum amentur loca & tempora.

Solem extingui est melius quàm priuari amico.

A. 4.

ORATIO TERTIA.



MEMORES enim facti estis fratres, laboris nostri & fatigationis, nocte & die operantes, ne quem vestrum grauauerimus, predicauimus in vobis euangelium Dei. Vos testes estis, & Deus, quàm sanctè & iustè & sine querela vobis qui credidistis sicut scitis, qualiter vnumquemque vestrum, sicut pater filios suos, deprecantes vos & consolantes, testificati sumus ut ambularetis dignè Deo, qui vocauit vos in regnum suum & gloriam. Doctorem nihil oportet grauare facere eorum quæ tendunt ad salutem discipulorum. Nam si beatus Iacob noctu & diu laborabat in ouium custodia: multò magis eum cui creditæ sunt animæ, etiam si sit opus laboriosum & vile, omnia oportet facere, vnum solum spectantem, nempe salutem discipulorum, & quæ inde Deo existit gloriam. Vide quidem certè. Et Paulus homo præco, Apostolus orbis terræ, tali suscepto honore, operabatur manibus, ne grauaret discipulos. Memores enim estis, inquit, fratres, laboris nostri & fatigationis. Prius dixit quòd poterant grauare tanquam Christi Apostoli, quod etiam dicit in epistola ad Corinthios: Nescitis quòd qui sacris operantur, è sacro comedunt? Sic & Christus constituit ut qui euangelium annunciant, ex euangelio viuant. Sed ego, inquit, nolui, sed laboraui. Neque solum operabatur, sed cum multo studio & diligentia. Vide quidem certè quid dicat. Memores, inquit, estis, non beneficiorum meorum, sed laboris nostri & fatigationis, noctu & diu operantes ne quem vestrum grauauerimus, sic predicamus vobis euangelium Dei. Corinthiis autem aliud dicit. Alias ecclesias expoliaui, accipiens stipendium ad ministerium vestrum. Atqui illic quoque operabatur, sed hoc non reuocauit in memoriam, sed aliud posuit quod magis pungeret. Perinde atque si diceret, Ab aliis sum nutritus vobis inseruiens. Hic autem non sic. Sed quid? Noctè & die operantes. Et illic quidem dicit, Et cum essem apud vos & egerem, nullum grauavi, & accepi stipendium ad ministerium vestrum. Hic ostendit eos esse in paupertate: illic autem nõ ita. Propterea assidue eos adducit testes. Vos enim, inquit, testes estis, & Deus. Deus est fide dignus. Sed hoc eos maximè reddebat certiores. Nam illud est incertum ignorantibus. Ne quæras enim an esset Paulus qui hæc diceret, ex magna abundantia vult eos certiores facere. Propterea dicit, Vos testes estis & Deus, quàm sanctè & iustè & sine querela vobis fuimus qui creditis. Oportebat eos rursus laudare. Propterea ea proponit quæ satis erant ad persuadendum. Nam qui illic, inquit, laborabam egestate, & non accepi, multò magis nunc. Quàm sanctè & iustè & sine querela fuimus vobis qui creditis. Sicut scitis, Qualiter vnumquemque vestrum. Sicut filios suos vos deprecantes & consolantes. Cum superius dixisset id quod est educationis, hic dicit quod est charitatis, quod maius est. Sicut pater filios suos, deprecantes vos & consolantes & testificantes ut ambuletis dignè Deo, qui vocat vos in regnum suum & gloriam. Quando dicit, Et testificantes, tunc meminit patrum. Sed & si testificati sumus, hoc quoque non vehementer, sed sicut pater, vnumquemque vestrum. Papæ: in tanta multitudine neminem prætermisit, non paruum, non magnum, non diuitem, nec pauperem. Hortantes, inquit, ad ferendum. Et consolantes & testificantes. Hortantes: non ergo quærebant gloriam. Et testificantes: non ergo adulabantur. Ut ambularetis dignè Deo qui vocauit vos in suum regnum & gloriam. Vide rursus quomodo narrans & docet & consolatur. Si enim vocauit ad regnum, oportet omnia ferre. Hortamur vel rogamus, non ut nobis aliquid do-

Doctorem nihil grauare facere eorum quæ tendunt ad salutem discipulorum.

1. Cor. 9.

1. Cor. 11.

Sine querela & sine querela fuimus vobis qui creditis.

Testificantes & consolantes.

netis, sed ut regnum cælorum assequamini. Ideo & nos gratias agimus Deo sine intermissione, quòd cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut est verè, verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidistis. Non licet, inquit, dicere, quòd nos quidè agimus sine culpa ac reprehensione, vos autem facitis indigna vestra conuersione. Non enim nos audientes affecti estis tanquam audientes homines, sed tanquam ipso Deo admonente ita attendistis. Quomodo enim, quòd non in adulatione, neque in inani gloria prædicauerit, ostendit ex suis tentationibus, & illorum testimonio, & iis quæ agebat: ita etiam quòd illi verbum rectè acceperint, à tentationibus. Quomodo enim, inquit, nisi tanquam Deum dicentem audiuissetis, talia ferretis pericula? Vide autem autoritatem. Vos enim imitatores facti estis fratres, ecclesiarum Dei quæ sunt in Iudæa in Christo Iesu, quia eadem passi estis & vos à contribulibus vestris, sicut & ipsi à Iudæis, qui & dominum occiderunt Iesum & Prophetas, & nos persecuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduersantur, prohibentes nos gentibus loqui ut salua fiant, ut impleant peccata sua semper. Peruenit enim ira Dei super illos usque in finem. Vos enim, inquit, imitatores facti estis ecclesiarum Dei quæ sunt in Iudæa. Magna est consolatio. Non est, inquit, mirum si ipsi hæc vobis faciant, cum hoc etiam faciant suis contribulibus. Hoc autem non paruum quoque est iudicium quòd vera sit prædicatio, cum & omnia quæ Iudæi, ferre sustinuerunt. Quia eadem passi estis & vos à contribulibus vestris, sicut & ipsi à Iudæis. Plus aliquid habet in eo quòd dixerit, Et illi. In Iudæa, inquit, ostendit eos vbique lætari, ut qui decertassent. Dicit ergo, vos quoque eadem passi estis: Et quid mirum si vobis quoque fecerunt, cum eadem quoque eos sciamus fecisse domino. Vides quomodo hoc induxerit quod magnam habet consolationem, & hoc versat assidue: & in omnibus propemodum epistolis hoc inuenis, accuratè examinans, quomodo in tentationibus semper Christum diuersè afferat. Vide quidem certè quomodo hinc quoque accusans Iudæos, eos reuocat in memoriam domini, & domini perpressionem. Sic nouit rem maximam habere consolationem. Qui & dominum occiderunt. Sed fortasse cum ignorauerunt. Maximè quidem nouerunt. Quid verò, an non etiam suos Prophetas occiderunt, & lapidibus obruerunt, quorum etiam libros circumferunt: & hæc fecerunt non propter veritatem? Non est ergo solum consolatio in tentationibus, sed etiam admonitio, ne existimemus quòd hæc faciant propter veritatem, & ideò conturbemur. Et nos, inquit, persecuti sunt. Et nos, inquit, passi sumus mala innumerabilia. Et Deo non placent, & omnibus hominibus aduersantur, prohibentes nos gentibus loqui ut salua fiant. Omnibus, inquit, hominibus aduersantur. Quomodo? Si enim toti orbi terræ loqui oportet, isti autem vetat, sunt communes inimici orbis terræ. Christum occiderunt, & Prophetas: Deum contumelia afficiunt, sunt orbis terræ communes inimici: nos expellunt qui ad salutem accessimus. Quid mirum si in nos quoque ita se gesserint, cum etiam in Iudæa hoc fecerint. Prohibentes nos gentibus loqui ut salua fiant. Est ergo inuidia, omnium impedire salutem. Ut impleant peccata sua semper. Peruenit autem super illos ira Dei usque in finem. Non sunt amplius talia qualia erant priora. Non est amplius reditus: non amplius finis. Sed propè assistit ira. Vnde id patet? Ex eo quod prædixit Christus. Non hoc enim solum habet consolationem, quòd acceperint socios afflictionum, sed & quòd eos qui affligebant audierunt puniri. Si autem molestia afficit dilatio, consoletur quòd non amplius

Enim Græcè autem.

redeant & sursum aspiciant. Imò verò dilationem quoque contraxit, dicendo, ira, rursus ostendens eam debere, esseque præstituram & prædictam. *Nos autem fratres, desolati à vobis ad tempus horæ, aspectu, non corde abundantius festinauimus faciem vestram videre cum multo desiderio.* Non dixit separati. Superius dixit de adulatione, ostendens se non adulari, non querere gloriam. Hic dixit de charitate. Quoniam superius dixit, sicut pater filios, sicut nutritrix: hinc aliud dicit, Orbat, quod est filiorum patres querentium. Quid verò, illine erant orbat? Non, inquit, sed nos. Nam si quis desiderium examinauerit, sicut parui pueri, quorum nullus curam gerit, immaturam subeuntes orbitatem, in magno sunt parentum desiderio, non solum propter ipsam naturam, sed etiam propter solitudinē: Ita nos quoque. Ex hoc quoque ostendit suam animi ægritudinem, in qua erat propter separationem. Et hæc, inquit, non licet dicere quòd multum tempus expectauimus: sed ad tempus, idque facie, non corde. Semper enim vos habemus in mente. Vide quanta sit dilectio. Quamuis autem eos haberet perpetuò in corde, quærebat tamen eorum in aspectu seu facie præsentiam. Ne quis mihi superuacaneam hanc dicat philosophiam, hoc planè est ardentis dilectionis, videre, & audire, & dicere: & hoc multum contulerit. Abundantiùs, inquit, festinauimus. Quid est, abundantius? Num, vt est verisimile. Cùm hora abfuissemus, studuimus videre faciem vestram? Vide beatum Paulum, cùm per se non posset suum implere desiderium, hoc facere per alios. Sicut cùm mittit Timotheum ad Philipenses, & eundem rursus ad Corinthios: per alios cum eis versans, cùm per se non posset: erat enim amans furore correptus, & cuius impetus ad amicitiam cohiberi & sustineri non poterat. *Quoniam volumus venire ad vos. Quod quidem est dilectionis.* Etiam si, inquit, nullo alio mihi opus est quàm vt vos videamus. *Ego quidem Paulus, & semel & iterum, sed impediuit nos Satanas.* Quid dicis, Satanas impedit? Certè. Non enim hoc erat opus Dei. Ad Romanos quidem dicit Deum prohibuisse. Et alibi dicit Lucas. Spiritus prohibuit ipsos venire. Corinthiis autem dicit opus esse spiritus: hinc autem solum Satana. Quamnam autem dicit fuisse Satanae impeditionem? Inexpectatas quasdam & vehementes tentationes. Nam cùm ei fuissent structæ à Iudæis insidiæ, retentus est in Hellade tres menses. Aliud autem est certo consilio & propter dispensationem manere, & lubentem ac sua sponte. Nam illic quidem dicit, Quare non amplius locum habens in his regionibus, & vobis parcens, nondum veni Corinthum. Hic autem nihil tale. Sed quid? Satanas impediuit. Ego quidem, inquit, Paulus & semel & bis. Vide quantum se iactat & gloriatur, volens ostendere se eos maximè diligere. Illud, Ego quidem Paulus, pro eo quod est, Et si non alij, inquit. Et illi quidem volebant, ego autem aggressus sum. *Que est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloria? Nonne vos ante dominum nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius?* Macedones sunt, dic quæso, spes tua ò beate Paule? Non ij, inquit, soli. Propterea subiunxit, An non vos quoque? Quænam est, inquit enim, nobis spes aut gaudium, aut corona gloria? Agnoscat sine verba esse mulierum visceribus valde incalescentium, loquentium cum infantibus? Et corona, inquit, gloriationis. Non sufficiebat enim coronæ nomen ad ostendendum splendorem, sed etiã addidit gloriationis. Quanti est hoc ardoris? Nūquam pater & mater si simul essent congressi, & suum miscuissent desiderium, potuissent ostendere suum desiderium ex æquo respondens Paulo. Gaudium, inquit, & corona. Magis, inquit, exulto propter vos quàm

propter coronam. Cogita enim quantum sit integram adesse ecclesiam quæ à Paulo fuit plantata, & egit radices. Quis non exultet propter tam bonam & numerosam prolem? Quamobrem nec hoc est adulationis. Non dixit enim, Nos, sed vos cum aliis. *Vos enim estis gloria nostra & gaudium.* Propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis solis. Placuit, id est elegimus. *Et misimus Timotheum fratrem nostrum, & ministrum Dei in euangelio Christi.* Et hoc dicit, non Timotheum extollens, sed ipsos honorans, tãquam aliorum adiutorem & ministrum. Quasi diceret, auulsum ab operibus misimus ad vos ministrum Dei, & cooperatorem seu adiutorem nostrum in Euangelio Christi. *Ad confirmandos vos & exhortandos vos pro fide vestra, vt nemo moueatur in tribulationibus istis.* Quid autem hic dicit? Quoniam magistrorum tentationes conturbant discipulos, tunc autè in multas incidit tentationes, vt & ipse dicit quòd eum impediuit Satanas, hoc semper dicit: Et semel & bis volui venire, & nò potui, quod quidem magnæ erat violentiæ: erat autem verisimile hoc eos conturbasse: non tam enim suis quàm magistrorũ conturbatur tentationibus: neque enim miles adeò conturbatur suis tentationibus, vt quando viderit sauciarum Ducem exercitus. Ad confirmandos vos, inquit, pro fide vestra, non tanquam quibus fidei desit aliquid, neque vt qui debeatis aliquid discere. Et exhortandos vos pro fide vestra, vt nemo moueatur in tribulationibus istis. *Ipsi enim scitis quòd in hoc positi sumus. Nam & cùm apud vos essemus, prædicebamus vobis, passuros nos tribulationes, sicut & factum est & scitis.* Non oportet, inquit, conturbari. Nihil enim nouum & alienum, neque præter spem accidit: quod quidem satis erat ad ipsos excitandos. Vides quod propterea Christus quoque prædicebat discipulis. Audi enim cum dicentem. Et nunc dixi priusquam fiat, vt cùm factum fuerit credatis. Magna enim, magna res est verè ad aliorum desolationem, audire quæ facta sunt à ministris. Quomodo enim egrotans, si à medico audiuerit quòd hoc fiat & illud, non valde conturbatur. Sin autem ex inopinato aliquid euenerit, vt pote quòd & ille fuerit dubius ac perplexus, & morbus attem superet, tristitia afficitur & cõturbatur: ita hinc quoque. Quæ quidem præsciens Paulus, prædixit eis futurum vt affligerentur, sicut & factum est: & sciunt. Non quòd hoc factum sit solum dicit, sed quòd multa prædixerit & euenerint. In hoc positi sumus. Quamobrem non solum de præteritis non oportet perturbari, sed neque de futuris, si tale quid contigerit. In hoc enim positi sumus. Audiant quibus sunt aures ad audiendum. In hoc positus est Christianus. In hoc positi sumus. De omnibus dicit fidelibus. In hoc positi sumus: & quasi in otium & requiem simus traditi, nouo quodam & alieno modo afficimur. Imò verò quàmnam de causa nouo & alieno modo afficimur? Neque enim tempus afflictionis, neque tentatio apprehendit nisi humana. Opportunum est vobis quoque dicere: Nòdum ad sanguinem vsque restitistis decertantes. Imò ne opportunum quidem est hoc vobis dicere. Sed quid? Nondum pecunias despexistis. Nam illis quidem qui sua omnia perdiderat, meritò hæc dicebantur. Iis autem qui sua habent, hoc, Cuinam sunt rapræ pecuniæ propter Christum? Cui sunt impacti colaphi & alapæ, vsque ad verba, inquam. Vndenam est gloriatio? Vndenam potes habere fiduciam? Tam multa passus est Christus propter nos qui eramus inimici. Quidnam possumus ostendere quod propter ipsum passi sumus? Quod passi quidem sumus nihil est. Sunt autem bona innumerabilia quibus ab ipso afficimur. Vndenam erit nobis illo die fiducia? Nescitis

Dilectum non satis est habere in mente, sed eius etiam queritur præsentia.

Rom. 15.
Aq. 16.
Aq. 19.
2. Cor. 16.

CAP. III.

Que et inopinatio euenerint, conturbant.

Ad patendum pro Christo debemus semper esse parati. Heb. 11.

Nescitis quòd miles quando mille plagas & vulnera ostendit, tunc poterit esse illustris apud regem. Sin autè nihil possit ostendere rectè & fortiter gestum, etiam si nihil offenderit, inter extremos collocabitur. At non est, inquit, tempus belli. Nam si esset, dic quæso, quis decertasset? Quis ad pugnam profiliisset? Quis phalangem succinxisset? Fortasse nullus. Nam cùm videro te propter Christum pecunias non despiciere, quomodo tibi credam futurum vt plagas despicias? Dic mihi, fortiterne fertis eos qui probro & contumelia vos afficiunt, & eis benedicitis? Hoc non facis, & non obedis. Quod nihil habet periculi non facis, & plagas, dic quæso, feres, in quibus multum est tristitiæ & doloris? Nescitis quòd in pace se ad bellum oportet exercere? Non videtis hos milites, qui etiam nullo urgente bello, & vel in summa pace, absterfis armis, cum magistris qui struere aciem & ordines collocare eos docet, in patentes & latos campos quotidie exeuntes, rem militarem exercent accuratissime? Quis hoc facit militum spiritualium? Nullus. Propterea in bellis molles sumus & ignaui, & ab omnibus facile capimur & expugnatur. Quam hebetis autè & obtusi est ingenij, existimare præiens tempus non esse belli, cùm clamet Paulus, Omnes autem qui volunt piè viuere in Christo Iesu, persecutionem habebitis, & rursus beatus Paulus clara voce clamet & dicat, Non est nobis lucta aduersus sanguinem & carnem. Et rursus, Stetis succincti lumbos vestros in veritate. Quid nos armas, dic quæso, cùm non sit bellum? Cur nobis temerè negotia exhibes? Lorice induis milites, cùm quiescere liceat & recreari? Sed dixerit: Maximè quidem, etsi non esset bellum, oporteret de bello curam gerere & sollicitudinem. Nam qui in pace de prælio est sollicitus, erit terribilis in tempore prælij. Qui autem est rei bellicæ imperitus, etiam in pace magis cõturbabitur. Quamobrem? Quoniam flebit pro iis quæ habet: & tristitia afficietur quòd pro iis non possit pugnare. Timidi enim & imperiti & pugnae ignari sunt bona & possessiones omnium fortium & qui sciunt bellare. Quamobrem propterea primum vos armo. Deinde verò belli quoque tempus, est totum tempus vitæ nostræ. Quomodo & quàmnam ratione? Imminet & instat diabolus. Audi quid dicat. Circuit rugiens vt leo, volens arripere. Innumerabiles coporis affectiones nos inuadunt, quas quidem necesse est recensere, ne nos temerè decipiamus. Quid enim, dic quæso, non nobiscum bellum gerunt diuitiæ, pulchritudo, delicia, potestas, inuidia, gloria, insolentia? Non solum enim nostra bellum gerit gloria, prohibens ne nos demittamus ad humilitatem, sed aliorum quoque gloria educens nos ad inuidiam. Sed quid contrarium? paupertas, ignominia, despici, abiici, nullas habere vires. Hæc quidem in nobis. Quæ autem sunt ab hominibus, prauitates, insidiæ, doli, calumniæ, mille circunventiones. Quæ sunt à dæmonibus, principatus, potestates, mundi rectores, tenebrarum huius seculi. Spiritualia nequitia. Alij sumus latantes: alij dolentes: vtraque sunt declinatio, aliud sanitas, aliud infirmitas. Vndenam non peccabit quispiam? Vultis vt & ab ipso Adamo incipiens, dicam statim ab initio? Quid protoplastum cepit & expugnauit? Voluptas, & cibi, ambitioque & imperandi desiderium. Quid illius filium qui eum est secutus? Inuidia. Quid eos qui fuerunt tempore Noè? Corporum voluptates, & quæ ex eis nascuntur mala. Quid eius filium? Petulantia & nimialicentia. Quid Sodomitas? libido & salacitas & panum saturitas. Sæpe autem hoc quoque facit paupertas. Propterea dicebat quidam sapiens. Diuitias & pau-

peratè ne dederis mihi. Imò verò nec paupertas nec diuitiæ, sed quod his vtrisque vt non potest liberum arbitrium. Agnosce, inquit, quòd tranlis in medio laqueorum. Admirabiliter dixit beatus Paulus. In hoc positi sumus. Pro eo quod est, Ad hoc nati sumus. Hoc est nostrum munus & officium: hæc est vita nostra, & tu quæris quietem & recreationem? Non instat licetor latus lacerans, & cogès sacrificare, sed instat vehemens pecuniæ cupiditas & auaritia, nobis effodiens oculos. Nullus miles nobis accendit rogam, nec nos imponit craticulæ, sed corporũ inflammatio magis quàm ille accendit animam. Non adest rex bona promittès innumerabilia, & pudore afficiens, sed adest insanus amor gloriæ quæ plus quàm ille titillat & allicit. Magnū re vera bellum, & valde magnum si sapiamus & simus sobrij. Præiens quoque tempus habet coronas. Audi Paulum dicentem. De cætero reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi iustus iudex, non solum autem mihi, sed & omnibus qui dilexerunt aduentum eius. Quando amiseris tibi dilectum vnicum filium, in magnis nutritum opibus, & qui bonam de se spem prebebat, & tibi solus futurus erat hæres, noli lugere, sed Deo age gratias, & glorifica eum qui accepit: & in hoc, Abrahamo nihilo eris deterior. Quomodo enim ille Deo dedit qui iusserat, ita tu, cùm ipse accepisset, non genuisti. In morbum grauem incidisti, & multi adsunt qui cogunt, alij quidem incantationibus, alij verò amuletis, alij verò quibusdam aliis sedare malum: tu verò propter Dei metum forti & magno tulisti ac immobili, & maluisti quiduis pati quàm sustinere vt aliquid ageres ex iis quæ pertinent ad cultum idolorum. Hoc tibi affert coronam martyrij. Nec dubita. Quomodo aut quàmnam ratione? Ego dico, quòd sicut ille magno & forti animo fert dolores tormentorũ, vt non adoret simulachrum, ita tu quoque fers dolores morbi, adeò vt nullo opus habeas eorum quæ ille præbet, neque facias quæ iubet. At sunt dolores illi vehementiores. Sed isti lōgiore. Quamobrem par est eorum exitus & terminatio. Sæpe autem sunt etiam vehementiores. Quid enim, dic quæso, cùm ardens febris, nempe caufon, te intus vexat & vrit, & aliorum suadentium excutis incantationē, an non es redimitus corona martyrij? Rursus amisit quispiam pecuniam. Multi sunt qui suadent vt eat ad diuinatores, maluisti propter Dei metũ, quoniam est veritum, pecunias non accipere, quàm Deo nò obedire: parem habes mercedem atque ille qui eas erogauit pauperibus, si iis amissis gratias egeris, & cùm posses ire ad diuinatores, sustinuiti eas potiùs non accipere, quàm sic accipere. Nam sicut ille propter Dei metum eas effudit in egenos, ita tu quoque propter Dei metum, cùm illi rapuissent non recepisti. In nostra est potestate vt vel nos ipsos iniuria afficiamus, vel nò: in nullius autem alterius. Et si vultis, in ipso furto rem agitemus. Fur murum perfregit: thalamum est ingressus, vasa exportauit aurea magni pretij, & gemmas auro pretiosiores, & vt semel dicam, integrum amouit thesaurum: nec fuit comprehensus. Graue quidem est quod factum est: & damno esse res videtur, nondum est autem. Sed in te situm est vt id sit tibi vel damno vel lucro. Et quomodo, inquit, potest hoc esse lucro? Ego tentabo ostendere quomodo. Te volente erit magnum lucrum, & si nolueris, maius damnum quàm quod fuit. Nam sicut in artificibus, subiecta materia, is quidè qui est peritus artis, ea vt oportet vitur. Imperitus autè perdit & corrūpit, & vt sibi damno sit efficit: ita etiam in rebis. Quomodo ergo erit lucrum? Si Deo gratias egeris. Si non lugeas nec eiules. Si lobi verba dicas, Dominus dedit, dominus abstulit. Nudus egress-

In pace ad bellum se oportet exercere.

2. Tim. 4.

Ephes. 6. Ibidem.

Vita nostra quoque modo in bello.

Eccle. 9.

2. Tim. 4. Præiens tēpus habet etiam suas coronas martyrij.

Morbum fere fortiter, dat coronam martyrij.

Expecta nia furto subiecta quomodo ad eum qui amittit redit lucrum. Job. 1.

sus sum ex vtero matris mee, nudus etiam abibo. Quid dicitis, Dominus abstulit. Et quomodo poteris, inquit, dicere, Dominus abstulit? Ne mireris. Etenim Iob quæ diabolus abstulit, ea, dixit, Dominus abstulit. Et quomodo quæ fur accepit dicit abstulisse dominum? Quæ miraris, dic quæso, eumne qui sua effudit in pauperes, an Iobum propter hæc verba? Nam ille qui tunc non dedit non minus habet quam qui dederunt. Ne dicas, non habeo gratiam. Ex mei animi sententia res non fuit: me nec sciente nec volente fur accepit. Quænam erit mihi merces? Neque sciente nec volente Iob hæc accepit? Quomodo enim? Sed tamen decertavit. Licet autem tibi tantam accipere mercedem, quænam si eas tua sponte abiecisses. Et merito hunc magis admiramur qui iniurias grato fert animo, quam eum qui dat sua sponte. Quamobrè? Quoniam hic quidem laudibus alitur & conscientia, & bonam habet spem, & cum pecuniæ privationem prius fortiter tulisset, tunc eam abiecit: ille verò, cum eis adhuc esset alligatus, vi fuit spoliatus. Non sunt autem paria, & cum prius fueris persuasus ut à pecuniis discederes, eas ita effudisse, & cum eas adhuc desiderares eis esse privatum. Si hæc verba dixeris, accipies multiplicatas, & longe plures quam Iob. Nam ille quidem hic accepit duplicatas. Tibi autem Christus hic pollicitus est centuplum. Non blasphemasti propter metum Dei: non vñs es diuinatores: gratias egisti malis affectus: es similis ei qui despexit, etenim hæc non fiunt nisi prius despexeris. Non sunt autem paria, multo tempore meditari despiceret pecunias, & ferre damnum quod repente acciderit. Sic damnum efficitur lucrum, & nihil te lædet, sed etiam tibi proderit diabolus. Quomodo autem fit etiã graue damnum? Quando damnum acceperit anima. Dic mihi. Fur te priuauit pecuniis: tu te ipsum autem prius salute. Quare? Dolens propter mala quæ passus es ab aliis, ipse te in plura mala iniicis. Ille te fortasse coniecit in paupertatem: tu te autem improbè lædis in præcipuis. Ille te tuis externis priuauit facultatibus, & quæ vel te inuito sunt postea resilituræ: tu autem diuitias æternas tibi ipsi adimis. Te diabolus molestia affecit ablatis pecuniis. Ipsum tu quoque molestia affice. Ne eum lætitia afficias. Si eas ad diuinatores, lætitia afficis. Si Deo agas gratias, certam & lethalem plagam ei infligis. Vide autem quid fiat, neque ipsas inuenies si iueris ad diuinatores. Non potest enim esse ut illi sciãt. Quod si etiam casu dixerint, & animam præterea perdis, & à fratribus tuis irrideberis, & eas rursus perdes. Dæmon enim sciens te non æquo animo ferre damnum, sed pro his etiam Deum tuum negare, rursus dat pecunias, ut habeat occasionem te rursus decipiendi & efficiendi ut deficias. Quod si etiam dicant diuinatores, ne miremini. Dæmon est incorporeus, omnes obit orbis partes. Ipse armat latrones. Nō enim hæc fiunt ab illo dæmone. Si ergo eos armat, & scit vbi sunt repositæ, non ignorat suos ministros. Non est autem mirum si te viderit damnum agrè ferentem, & alterum afferat. Si te viderit irridentem & despicientem, ab hac via recedet. Quomodo enim nos molestia afficimus inimicos iis quæ sunt molesta: sin autem viderimus eos non dolere, deinceps desistimus, ut qui non possimus mordere. Ita etiam diabolus. Quid dicitis? An non vides eos qui in mari nauigant, quomodo pecunias non curent si orta sit tempestas, sed etiam suas abiciant facultates? Quid dicitis o homo? Tu tempestati opem fers & naufragio. Priusquam fluctus tibi ademerit diuitias, tu tuis manibus hoc facis? Cur ante naufragium te in naufragium iniicis? Sed hæc quidem dixerit rusticus, & maris tentationum ignarus. Rei autem nauticæ pe-

ritus, & qui exactè scit & accuratè quid efficiat tranquillitatem, quid tempestatem, eum qui hæc dicit etiam irridebit. Propterea enim, inquit, iacio, ne fluctus obruant. Ita etiam rerum & tentationum quæ in hac sunt vita peritus, cum viderit imminere tempestatem, & spiritalia nequitia quæ volunt facere naufragium, abiicit quod est reliquum pecuniæ. Admissum est in te furtum, fac eleemosynam, & leuius reddis nauigium. Rapuerunt latrones, tu Christo da reliquias. Sic quæ prius extitit solaberis paupertatem. Leuius redde nauigiū: ne retineas ea quæ manserunt, ne scapha obruat. Illi ut seruent corpora, eiiciunt suppellectilem, nec expectant dum ingruens fluctus euertat scapham. Tu ut serues animas, non reprimes naufragium? Periculum facite rogo, si non credatis. Periculum facite, & videbitis gloriam Dei. Quando tibi aliquid molesti contigerit, da statim eleemosynam, gratias age quod contigerit: & videbis quantum subit gaudium. Lucrum enim spirituale, etiam si sit paruum, tantum est ut abscondat & obcuret omne damnum corporale. Quamdiu habes quod des Christo, es diues. Dic quæso, tibi spoliato Rex accedens manum tendit, rogans ut à te aliquid accipiat, an non te existimaueris omnium ditissimum, si ne post tantam quidem paupertatem tui pudeat Regem? Ne abripiaris, te solum supera, & superabis insidias diaboli. Licet tibi magna lucrari, despicias diuitias, ne despiciamus animam. Quomodo autem despexeris? Non videtis præclara corpora, & eos qui capti sunt eorum amore, quamdiu quidem sunt in conspectu, accenditur ignis, exurgit flamma: postquam autem quispiam ea procul abduxerit, extincta sunt omnia & sopita. Ita etiam in diuitiis. Nemo aurum sibi comparet. Nemo lapides pretiosos: Nemo torques & monilia: ea dum videntur inescant oculos. Si vis esse diues ut veteres, non in auro, sed in rebus necessariis, ut etiam parata aliis habeas, ne ornamentis delecteris, eiuismodi diuitiæ patent insidiis latronum, & nobis præbent sollicitudines. Non vasa aurea & argentea: sed sint apothecæ, frumētī, vini & olei. Sint, non ut rursus vendite pecuniam conficiant, sed ut erogentur egentibus. Si nos abduxerimus ab illis superuacaneis, assequemur bona cœlestia. Quæ nobis omnibus detur assequi, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui gloria cum patre & sancto spiritu in secula seculorum. Amen.

ORATIO QVARTA.

PROPTEREA & ego amplius non sustinens, misi ad cognoscendam fidem vestram, ne forte tentauerit vos is qui tentat, & inanis fiat labor noster. Nunc autem veniente ad nos Timotheo à vobis, & annunciante nobis fidem & charitatem vestram, & quod memoriam nostri habetis semper desiderantes nos videre, sicut & nos quoque vos. Ideo consolati sumus fratres in vobis, in omni necessitate & tribulatione nostra per fidem vestram: Quoniam nunc viuimus si stamus in domino. Proponitur nobis hodie quæstio quæ à multis quæritur, & ex multis colligitur. Quænam est autem quæstio? Propterea & ego, inquit, amplius non sustinens misi Timotheum ad cognoscendam fidem vestram. Quid dicitis? Qui tam multa scit, qui audiuit verba arcana, qui ad tertium vsque cœlum ascendit, is non nouit idque cum sit Athenis, nec magnum intercedat interuallum, neque ita pridem ab eis sit separatus. Orbati enim, inquit, à vobis ad tempus horæ, non nouit res Thessalonicensium, sed necesse habet mittere Timotheum ad cognoscendam fidem eorum? Ne fortè tentauerit vos is qui tentat, & inanis fiat labor noster. Quid quod dixerit quispiam non omnia nosse sanctos? Id autem

Iob 42.

Ad diuinatores non eundem.

Pecuniæ dando eleemosynam facienda est iactura.

Amotus pecuniis sopitur earum desiderium.

Id autem ex multis didiceris, nempe & à primis, & ab iis quæ sunt postea consecuta. Sicut Elyseus ignorauit de muliere. Sicut Elias dicebat Deo, Ego relictus sum solus, & quærunt animam. Propterea audiuit à Deo, Reliqui mihi septem millia virorum: & Samuel rursus quando missus fuit ad Dauid: Dixit, inquit, ei dominus. Neque attendas eius speciem, neque habitum magnitudinis eius, quoniam eum nihili feci: quoniam non tanquam homo videbit Deus. Homo enim vultum aspiciet, cor autem Deus. Hoc autem fit magna Dei cura & prouidentia. Quomodo & quanam ratione? Et propter ipsos sanctos, & eos qui ipsis credunt. Quomodo enim ipse permittit fieri persecutiones, ita etiam ipse permittit eos multa ignorare, ut coërceantur ac comprimantur. Propterea Paulus quoque dicebat, Datus est mihi stimulus, nempe carni, Angelus Satan ut me colaphizet, ne nimium extollar. Et rursus ne alij magna de eis visione apprehenderent. Si enim ex signis eos esse Deos existimauerunt, multo magis si perpetuo mansissent scientes omnia. Et ipse rursus dicit, Ne quis de me cogitet supra id quod videt esse me, aut ex me audit aliquid. Et rursus audi Petrum dicentem quando curauit claudum. Quid nos fixis aspiciatis oculis, tanquam nostra virtute aut pietate fecerimus eum ambulare. Si autem his hæc dicentibus & facientibus, vel ex paruis sic oriebantur prauæ suspiciones, multo magis ex magnis. Porro autem propter aliud hæc quoque permittebantur. Nam ne quispiam posset dicere, quod quæ rectè gesserunt, ea gesserunt, ut qui non essent homines, & ita fierent desides & supini. Propterea ostendit eorum imbecillitatem, ut ingrati animi & impudentiæ omnem amputet occasionem. Propterea ignorat. Propterea etiam cum sæpe proposuisset venire, non venit, ut discant eum multa nescire. Rursus ergo ex hoc multum capiebatur lucrum. Re vera enim etiam sic erant adhuc quidam dicentes, hunc esse magnam Dei virtutem, & alij eum esse hunc & illum. Si hæc non facta essent, quid non existimassent? Videtur autem hic quidem esse quædam eorum reprehensio, sed multo magis indicat eos esse admirabiles tentationum exuperatio. Quomodo? Attende. Nam si eis prius dixisti, In hoc positi sumus, & Nemo conturbatur, cur rursus mittis Timotheum, timens ne quid fiat ex iis quæ non vis? Nam hoc quidem facit ex dilectione. Nam qui diligunt, etiam quæ sunt tuta suspecta habent ex magno feruore: hoc autem est ex multis tentationibus. Nam dixi quidem, in hoc sum positus, exuperatio autem malorum me terruit. Quamobrè non dixit, ut qui vos condemnarim, mitto, sed non amplius sustinens, quod magis erat amicitia. Quid est, Ne fortè tentarit vos is qui tentat? Vides quod in tentationibus labare est diabolicum, & eius auersionis. Nam quando nos ipsos non potuerit, aliter per nos labefacit imbecilliores: quod quidem est maximè imbecillitatis, & quæ nullam habet excusationem. Sicut fecit in Iob, incitata vxore, Dic, inquit, aliquod verbum domino, & morere. Vide quomodo ipsam tentauerit. Cur autem non dixit, labefecerit, sed tentauerit? Quoniam tantum, inquit, suspicatus sum vos esse tentatos. Non enim eius tentationem vocat commotionem. Nam qui eius admittit incursum & irruptionem, is est labefactatus & commotus. Papæ: quanta est Pauli beneuolentia. Non fuerunt ei curæ afflictiones, nec insidias. Opinor enim eum tunc illic mansisse. Sicut dicit Lucas eum in Hellade mansisse tres dies, cum ei fuissent structæ insidias à Iudæis. Non ergo ei curæ erant pericula, sed discipuli. Vides quod quemuis patrem exsuperauit naturalem. Nam nos quidem in afflictionibus & periculis,

memoriam omnium expellimus. Ipse autem de filiis adeo timebat & tremebat, ut quem consolatorem solum habebat Timotheum, & socium, & adiutorem, eum ad ipsos in ipsis mitteret periculis. Et inanis fiat labor noster. Quare? Nam etsi euerfi essent, non tua culpa, non tua socordia id accidisset: sed tamen harum quoque omnium inanem fuisse existimo mihi laborem ex multo fraterno amore. Ne fortè tentauerit vos is qui tentat. Tentat autem nesciens an sit prostraturus. Deinde ille quidem, etiam non tanquam sciens aggreditur. Nos autem scientes quidem quod vel longè eum superabimus, non fumus sobrii & vigilantes. Quod autem nesciens nos aggreditur, in Iob ostendit. Deo enim dicebat malignus ille dæmon, Non tu res eius quæ & intus & foris sunt muniisti? Aufer eius facultates, re vera in faciem tibi benedicet. Tentat. Si viderit quid imbecillum, inuadit. Si validum, recedit. Et inanis fiat labor noster. Audiamus omnes quomodo laborauerit Paulus. Non dixit, Opus, sed labor. Non dixit, Et vos peribitis, sed labor vester. Quamobrè si aliquid accidisset, erat verisimile. Quoniam autem nō accidit, valde est mirandum. Hæc quidem, inquit, expectauimus, euenerunt autem contraria. Non solum enim nullam afflictionis accessionem à vobis accepimus, sed etiam consolationem. Nunc autem veniente Timotheo ad nos à vobis, & annunciante nobis fidem & charitatem vestram. Cum annunciasset, inquit. Vides magnam Pauli lætitiã. Non dixit ἀπαγγέλλαντος, id est cum renunciaisset, sed εὐαγγελισσαμένως, id est, factum & felix nuncium nunciaisset, tantum existimabat bonum illius affirmationem. Et charitatem. Necesse est enim illa firma manente & stabili, hanc quoque esse firmam ac stabilem. Lætabatur autem & propter ipsorum charitatem, quod ea esset signum fidei. Et quod, inquit, memoriam nostri habetis semper bonam, desiderantes nos videre, sicut & nos quoque vos. Hoc est cum laudibus, non quando aderam, neque quando miracula faciebamus: sed nunc quoque quando procul absumus, & flagris cædimur, & mala patimur innumerabilia, memoriam nostri habetis bonam. Audite quomodo in admiratione habentur discipuli, de magistris bonam habentes memoriam, quomodo beati censentur: eos imitemur. Nos enim iuuabimus, non eos qui diliguntur. Desiderantes nos, videre sicut & nos vos. Hoc quoque ipsos lætitia afficiebat. Nam quod qui diligit, didicerit eum qui diligitur hoc nosse, nempe se diligi, magna est cōsolatio & recreatio. Ideo consolati sumus fratres, in vobis, in omni necessitate & tribulatione vestra, per fidem vestram: quoniam nunc viuimus, si vos statis in Domino. Quid Paulo possit æquiparari, qui propinquorum salutem existimabat esse suam. Tanquam verè aduersus membra, sic aduersus omnes affectus. Quis nunc poterit in hanc vocem erumpere? Imò verò quis poterit sic vnquam sentire & cogitare. Nolebat eos ipsi habere gratiam pro susceptis pro ipsis tentationibus: sed eis habebat gratiam, quod non labauerant propter eius tentationes. Quasi diceret, vobis magis quam nobis damnum accidit ex tentationibus. Vos magis quam nos tentati estis: vos qui nihil passi estis, quam nos qui passi sumus. Postquam, inquit, hæc nobis annunciauit Timotheus, nihil molestum sentimus, sed consolationem accepimus in omni afflictione, non hac solum. Bonum enim magistrum nihil de cætero offenderit, quando res discipulorum ei processerint ex sententia. Per vos, inquit, consolationem accepimus. Nos vos confirmastis & corroborastis. Atqui erat contrarium. Nam quod passi non cessarint, sed fortiter restiterint, sufficit ad confirmandos

rauit quæuis patre naturalis.

Diabolus nos aggreditur nesciens an sit superaturus.

Charitas est signum fidei.

Paulus propinquorum salutem suam esse dicebat.

discipulos. Sed totum facit contrarium, & laudem in illos conuertit. Vos, inquit, nos vixistis & instruxistis. Vos nobis dedistis vt respirarem. Vos non permisistis vt sentiremus tentationes. Neque dicit respirauimus, neque consolationem accepimus. Sed quid? Nunc viuimus, ostendens quod & tentationem & mortem nihil aliud existimat quam illorum offensionem. Vbi quidem certè illorum profectum existimat esse vitam, quomodo vllus alius, aut dolorem propter discipulorum imbecillitatem, aut gaudium significauerit? Non dixit latamur, sed viuimus vitam futuram. Quamobrem absque hoc ne viuere quidem esse existimamus. Sic affectos oportet esse magistros. Sic discipulos: & nihil vnquam erit absurdum. Deinde hoc molliens vide quid dicat. *Quarum non gratiarum actionem possimus Deo retribuere pro vobis, in omni gaudio quo gaudemus propter vos, ante Deum nocte & die abundantius orantes, vt videamus faciem vestram, & compleamus ea quæ defunt fidei vestra.* Non solum, inquit, fuistis nobis vitæ autores & causa, sed etiam multi gaudij, & tanti, vt ne possimus quidem, vt par est, Deo gratias agere. Quod nos rectè gessimus, Dei, inquit, donū esse existimamus, nos talibus affectis beneficiis, vt existimemus ea esse Dei, vel potius etiam esse Dei. Neque enim humanus animus nec studium & industria hæc potest concipere. Nocte, inquit, & die abundantius orantes. Hoc quoque est signū gaudij. Quomodo quispiā Agricola audiens agros a se cultos esse refertos fructibus, desiderat coram tantam videre lætitiā: ita etiam Paulus Macedoniam abundantius orantes. Vide hyperbolē. *Vt videamus faciem vestram, & compleamus ea quæ defunt fidei vestra.* Hic existit magna quæstio. Si enim nunc viuus quoniam stant, & Timotheus tibi annunciauit ipsorum fidem & charitatem, & tanta es plenus lætitiā, vt ne possis quidem, vt par est, Deo agere gratias, quomodo hinc dicis esse fidei defectus? An non sunt illa verba adulationis? Nequaquam, absit. Nam prius testatus est eos multos sustinuisse labores, & non peius esse affectos quam ecclesiæ in Iudæa. Quid ergo est. Non omnem perceperant doctrinam: neque didicerant quæcunque oportuit discere: & hoc significat in fine. Fortasse quærebatur ab eis de resurrectione: & multi erant qui eos conturbabant, non amplius tationibus nec periculis, sed simulantes se esse doctores & magistros. Hoc dicit defectus fidei. Et non dixit, vt confirmemini vel stabiliamini: sed vbi de ipsa quidem fide timuerat, Misi, inquit, Timotheum ad confirmandos vos. Hic autem, ad complendū defectus seu ea quæ defunt: quod magis est doctrinæ quàm confirmationis. Sicut & alibi dicit, Vt sitis perfecti ad omne opus bonū. Perfectum autem est, cui parum quid deest: hoc enim perficitur. *Ipsè autē Deus & pater noster, & dominus noster Iesus Christus dirigat viam nostram ad vos. Vos autem dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem vestram inuicem.* Hoc est summæ dilectionis, nō solum apud se optare, sed etiam votum epistolæ inserere. Hoc est feruentis animi, & qui planè nō potest cohiberi. Hoc est etiam indicium precum quæ illic factæ fuerant, & simul excusatio ac defensio, quod non lubentes, nec per socordiam non adfint. Quasi diceret, ipse autem Deus amputet tentationes quæ nos in omnem partem trahunt, vt rectā ad vos veniam. Vos autem dominus multiplicet, & abundare faciat. Vides dilectionis furorē qui non potest cohiberi, qui quidem verbis ostenditur. Multiplicet, inquit, & abundare faciat. Pro eo quod est, augeat. Quasi dixeris, ex superabundantia quodāmodo desiderat ab eis diligi. Quemadmodū & nos, inquit, in vobis. Nam iam quidem est nostrum, volumus autem vt fiat vestrū: Vides quòd vult

extēdi charitatem, non inter nos solum, sed etiam vbi que. Nam hoc planè est charitatis, quæ est secundum Deum, omnes complecti. Si autem hunc quidem diligis, illum verò minimè, est amicitia secundum hominem. Sed nostra non est huiusmodi. Quemadmodum & nos in vobis. *Ad confirmanda corda vestra sine querela in sanctitate ante Deum & patrem nostrum in aduentu domini nostri Iesu Christi cum omnibus sanctis eius.* Ostendit dilectionem eis afferre lucrum, non iis qui diliguntur. Volo, inquit, abundare hanc charitatem, vt nulla sit reprehensio. Non dixit, Ad vos confirmandos, sed corda vestra. Ex corde enim exeunt malæ cogitationes. Fieri enim potest vt qui nihil agit sit malus: vt si habeat inuidiam, incredulitatem, dolum, lateatur malis, non sit propens ad amandum, dogmata habeat peruersa. Hæc omnia sunt cordis. Hoc verò est sanctitas, ab his esse puros. Nā propriè quidem dicitur sanctitas, temperantia quæ est per excellentiam: quoniam immunditia est fornicatio, & adulterium. In summa autem omne peccatū est immunditia, & omnis virtus puritas & mundities. Beati enim, inquit, mundi corde. Mundos dicit eos qui omni ex parte sunt mundi. Nōrunt enim alia quoque inquinare, & nō minus. Nam quòd vitium polluat animam, audi Prophetam dicentem, Abluc à vitio cor tuum Hierusalem. Et rursus, Lauamini, mundi estote, Auferte prauitates ab animis vestris. Non dixit, fornicationes. Quamobrem non fornicatio solum, sed etiam alia inquinant animam. Ad confirmanda, inquit, corda vestra sine querela in sanctitate coram Deo & patre nostro, in aduentu domini nostri Iesu Christi cum omnibus sanctis suis. Iudex ergo tunc erit Christus. Non ante ipsum autem, sed ante patrem aditamus dum iudicamur. An hoc dicit, nulli reprehensioni esse affines ante Deum: quod quidem semper dicit coram Deo. Ipla enim virtus est pura & sincera. Caritas ergo efficit nulli affines reprehensioni: re vera enim efficit nulli reprehensioni affines. Et cum ego aliquando cuidam narrarem & dicerem, quòd charitas reddit nulli affines reprehensioni, nec finit quæ cum proximo intercedit amicitia, subire aliquod delictum, & alia omnia recenserem & verbis persequerem, quidam ex meis familiaribus respondens & se ingerens dixit, Quid verò scortatio? An non licet & amare & scortari? Et hoc quidem fit ex amicitia. Atque auaritia quidem & adulterium & inuidia & insidia, & quæ sunt huiusmodi, possunt reprimere & impedire à propinquorum dilectione. Scortatio autem, inquit, quomodo? Ego verò dixi, quòd hoc quoque potest reprimere & impedire charitas. Nam si quis amet mulierem quæ scortatur, ab aliis viris eam tentabit abducere, non ipse quoque peccato accedere. Quamobrem est eius qui valde odit scortantem, cum ea scortari: eis autem qui valde diligit, est eam abducere ab illa abominanda actione. Nec est, nec est vllum peccatum, quod non tanquam ignis consumit vis charitatis & dilectionis. Facilius enim resistit vile sarmentum magno ignis rogo, quàm natura peccati potestati charitatis. Hanc ergo plantemus in nostris animis, vt stemus cum omnibus sanctis. Illi enim omnes placuerunt & accepti fuerunt ex dilectione proximi. Vnde accidit quòd interemptus sit Abel, & non interemerit? Ex eo quòd fratrem valde diligeret: neque sustinuit vt vlla eiusmodi ei in mentem veniret cogitatio. Vndenam inuidiæ perniciem suscepit Cain? Non enim eum de cætero dixerim fratrem Abelis. Quoniam apud eum non factis firmiter & stabiliter erant iacta charitatis fundamenta. Vndenam boni & probi sunt existimati filij Noë, an non quoniam patrem diligebant: neque sustinuerunt

Defectus fidei quoniam dicit Paulus.

Perfectus est cui parum quid deest.

Amicitia secundum hominem est hunc vel illum diligere.

Mate. 15. Qui nihil agit, potest esse malus.

Mat. 5.

Hier. Eia.

Ante patrem aditamus dum iudicamur.

Charitas reprimet & impediet scortationem.

Gen. 9.

stinuerunt eius videre nuditatem? Vndenam autem alter diram perpeffus est execrationem, an non ex eo quòd non diligeret? Abraham autem vnde est affectus laudem & existimationem? An non vt qui ex dilectione, fratris sui filij res confecerit, & quæ spectabant ad eius supplicationem pro Sodomitis. Valde enim, valde amantes erant sancti & propensi ad commiserationem. Cogita enim, Paulus ille qui vel aduersus ignē erat audens, ille adamantinus, ille firmus, solidus & immobilis, ille omni ex parte constans & compactus, ille timore Dei confixus, ille inflexibilis. Quis enim, inquit, nos separabit à charitate Dei? afflictio, an angustia, an persecutio, an fames, aut nuditas & periculum, & gladius? ille qui aduersus hæc omnia summa erat audacia, & aduersus terram & mare, qui adamantinas inferorum portas irridebat, cui nihil omnino resistebat, is postquam vidit quorundam sibi dilectorum lacrymas, adeò contractus & contritus fuit ille adamas, vt ne animi quidem celaret motum, sed statim diceret, Quid facitis flentes, & cor meum conterentes? Quid dicis quæso, animum illum adamantinum conterere potuit lacryma? Certe, inquit. Omnibus resisto præter charitatem, ea me superat, & in me obtinet dominatum. Hoc Deo placet. Abyssus aquarum eum non conterit, & exigua conterunt lacrymæ. Quid facitis flentes & cor meum conterentes? magna est enim eius potentia. Non vides rursus eum flentem? Quid fles, dic quæso? Triennium nocte & die, inquit, non cessauit cum lacrymis admonere vnumquemque vestrum. Ex multa charitate verebatur ne aliqua intraret pernicietas. Et iterum, Ex multa afflictione, & angustia cordis scripsi ad vos per multas lacrymas. Quid verò, dic quæso, fortis ille Ioseph, qui in tanta collocatus fuerat tyrannide, qui aduersus tantam amoris pyram se fortis & excelsi animi ostenderat, qui tantam dominæ suæ insaniam ita prostrauerat & exuperarat. Quid enim non tunc delinisset decora facies, fastus dignitatis, vestium elegantia & magnificentia, aromatum fragrantia, etenim sciunt hæc quoque emollire animum: verba omnium mollissima. Scitis enim, quòd quæ amabat, & tam vehementer amabat, nihil abiectum & humile esset recusatura supplicis suscepto habitu, adeò enim facta erat mulier aureas gestas vestes, & quæ erat collocata in dignitate regia, vt ad serui captiui genua forte procubuerit, & forte etiam flens rogarit & tangens genua. Neque id semel aut bis, sed etiam sæpius tentarit. Licebat etiam tunc videre oculum maximè fulgentē: non est enim verisimile eam se leuiter & vt cunque, sed curiosè ornasse, vt quæ multis retibus vellet agnum Christi capere. Hic quoque mihi adiunge multas magicas incantationes. Sed tamen ille inflexibilis, ille fortis ac rigidus, & quauis petra solidior, postquam vidit fratres qui vendiderant, qui in cisternam iecerant, qui tradiderant, qui volebant occidere, qui fuerant causæ carceris & honoris, postquam ab eis audiuit quomodo affectus esset pater (diximus enim, inquit, quòd vnus fuisset à fera deuoratus,) fractus fuit, mollitus, & contritus: & animi motum non ferens, ingressus se continuit, hoc est absterfit. Quid fles o Ioseph? Atqui præsentia non sunt digna lacrymis, sed ira & indignatione, magno supplicio, & vltione. Habes in manibus inimicos, fratricidas, potes animum exatiare. Quanquam ne hoc quidem est iniustitia, nō enim prior inferis manus iniustas, sed eos vlcisceris qui te iniuria affecerant. Nam ad tuam ne mihi aspexeris autoritatem, non id ex eorum factum est animi sententia, sed à Deo qui tibi effudit gratiam. Quid fles? Sed dixerit. Absit, vt qui

A in omnibus in bona fuerim existimatione, illa omnia euertam per hanc iniuriæ acceptæ recordationem, lacrymarum verè est tempus. Non sum à ratione alienior quàm feræ. Illæ cum natura scædus in eunt, quodcunque mali passæ fuerint. Fleo, quòd hæc omnino sic me affecerint. Hunc nos quoque imitemur, & lugemus eos qui iniuriam fecerunt, Ne eis irascamur. Sunt enim re vera digni lacrymis, quòd seipfos reddant obnoxios supplicio & damnationi. Non ignoro quomodo nunc fleatis, & quomodo gaudeatis, & Paulum admirantes & Ioseph stupentes, & beatum pronuntiantes. Sed si quis habeat inimicum, eum nunc in memoria habeat, cum mente agiter, vt dum adhuc viuunt in memoria, possit cor sanctorum iræ soluere duritiem, mollirique asperitatem & rigorem. Scio quod postquam hinc abieritis, postquam ego cessaro loqui, etiā si quid remanserit caloris & feruoris, non tantum est quantum nunc dum auditis. Si quis ergo, si quis sit frigore concretus, soluat pruina. Pruina enim re vera & glacies est iniuriæ acceptæ recordatio. Sed inuocemus solem iustitiæ, rogemus eum vt immittat radios: & non erit amplius crassa pruina, sed aqua potabilis. Si ignis solis iustitiæ nostram tetigerit animam, nihil relinquet concretum, nihil durum, nihil quod vim habeat vrendi, nihil quod fructu careat. Omnia ostendet matura, omnia dulcia, omnia plena multa voluptate. Si alter alterū diligamus, veniet ille quoque radius. Date mihi rogo, vt cum prompto & alacri animo hæc dicam. Facite vt audiam vos his verbis aliqui profecisse, & quod abiens quispiam protinus inimicum sit complexus, ambas conferuerit manus, ei circumfusus sit, osculatus, & illacrymatus. Etiam si ille sit fera, etiam si lapis, etiam si quoduis, ab hac benignitate mitigabitur & manuescet. Nam cur est tuus inimicus? Te contumelia affecit, sed nullam fecit iniuriam. Sed propter pecunias despicias fratrem gerentem inimicitias? Ne facias rogo. Omnia soluamus: nostrum est tempus: eo vtamur vt oportet. Funes peccatorum cōcidamus. Priusquam abeamus ad iudicium, ipsi alter alterum iudicemus. Sol, inquit, ne occidat super iracundiam vestram. Nemo differat. Dilationes pariunt moras & cunctationes. Si hodie distuleris, magis erubescis. Et si crastinum addideris, maior est pudor. Et si diem tertium, adhuc maior. Ne nos ipsos pudore afficiamus, sed remittamus, vt nobis remittatur. Si autem remissum fuerit, omnia bona consequemur in Christo Iesu domino nostro, cui cum patre & sancto spiritu &c.

Feræ etiam natura scædus in eunt, quid sine passæ.

Iniuriæ acceptæ recordatio est pruina & glacies.

Ephes. 3.

ORATIO QUINTA.



De cætero ergo fratres, rogamus vos & obsecramus in domino Iesu, vt quemadmodum accepistis à nobis quomodo oporteat vos ambulare & placere Deo, sic & ambuletis vt abundetis magis. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per dominum Iesum. Hæc est autem voluntas Dei sanctificatio vestra. Cum iis quæ vrgent & quæ sunt in manibus fuerit immoratus, & est ea aggressurus quæ deinceps sunt continua, & quæ continenter audire oportet, præmittit hoc verbum, De cætero. Hoc est, semper quidem & perpetuò vos rogamus & obsecramus in Domino. Papæ! ne ad rogandum quidem se dicit esse fide dignum. Atqui quæ erat adeò fide dignus? sed Christum assumit. Per Deum, inquit, vos rogamus & obsecramus. Quod etiam dicebat ad Corinthios. Deus, inquit, vos obsecrat per nos, vt quemadmodum accepistis à

CAP. IIII.

Sic & ambuletis, nō est in Graeco.

1. Cor. 5.

nobis. Illud accepistis : non est solum verborum, sed etiam rerum. Illud, **Q**uomodo oporteat vos ambulare, in hoc ostendit omnem vitæ conuersationem. Et Deo placere ut abundetis magis, hoc est, ut ex maiori abundantia non consistatis vsque ad mandata, sed ea exuperetis: hoc est enim illud, ut abundetis. Nam in præcedentibus, solidæ eorum fidei gratum & acceptum habet miraculum: hic autem vitam componit. Hoc enim est profectus, etiam exuperare mandata & constitutiones. Non enim amplius ex doctrinæ necessitate, sed ex liberi arbitrij electione fit vniuersum. Quomodo enim terram non solum oportet ferre ea quæ sunt deiecta, sic etiam animam oportet non consistere vsque ad ea quæ sunt deiecta, sed etiam exuperare. Vides quod merito dixit exuperare. Nam in hæc duo diuisa est virtus, nempe & in id quod declinetur à malo, & in id quod fiat bonum. Non enim sufficit recessus à malo ad adeptionem virtutis, sed est quidem via & initium illuc ferens: opus est autem nobis etiam magna animi alacritate. Atque quæ sunt quidem fugienda eis dicit tanquam præcepta, & merito. Nam hæc quidem si fiant, afferunt supplicium. Si non fiant autem, nullam laudem. Quod est autem virtutis, ut effundere pecunias, & quæcunque sunt huiusmodi, non sunt, inquit, tanquam præcepta. Sed quid? Qui potest capere, capiat. Est ergo verisimile eum cum multo timore & tremore eis præcepisse, & per has literas eis in memoriam reuocasse illam pietatem. Quamobrem ea non ponit, sed illis reuocat in memoriam. Scitis enim quæ præcepta vobis dederim per dominum nostrum Iesum Christum. Hæc est autem voluntas Dei, sanctificatio vestra. Vide autem quomodo de nulla re alia tam vehementer obscure & ænigmaticè loquitur, quàm de hac re. Sicut etiam alicubi scribens dicit, Pacem sectemini cum omnibus, & sanctificationem, sine qua nemo dominum videbit. Et quid miraris si discipulis de hoc vbique scribit, cum etiam ad Timotheum scribens diceret, Te ipsum castum custodi? In secunda quoque epistola ad Corinthios scribens, dicebat, In tolerantia multa, in ieiuniis, & sanctitate. Et multis in locis hoc inueniris, & in epistola ad Romanos, & vbique, & in omnibus epistolis. Re vera enim omnibus exitium affert hoc malum: & sicut porcus luto plenus, quocunque ingressus fuerit omnia implet fetore, & sensus implet stercore: ita etiam scortario est malum quod difficiliter potest elui. Quando autem hoc etiam faciunt aliqui qui habent vxores, quanta est absurditas? Hæc est autem, inquit voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis à fornicatione. Multa sunt enim genera intemperantiæ, multiplices & variæ voluptates lasciuix & libidinis, quas ne dicere quidem est tolerabile. Cum autem dixisset, ab omni fornicatione, eam relinquit iis qui nõrunt. **Vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore: non in passione desiderij, sicut & gentes quæ ignorant Deum.** Ut sciat, inquit, vnusquisque vestrum vas suum possidere. Res est ergo disciplinæ, atque adeo magnæ, ne lasciuiamus & demus operam libidini. Nos ergo id possidemus, quando fuerit mundum. Quod autem est immundum, peccatum, & merito. Non enim facit quæ volumus, sed quæ illud imperat. Non in passione, inquit, desiderij. Hic ostendit etiam modum quo oportet esse moderatus & temperans, ut amputentur motus desiderij. Deliciæ enim, & diuitiæ, & socordia, & segnitias, & otium,

& hæc omnia, nos ad absurdum & prauum deducunt desiderium. Sicut & gentes, inquit, quæ ignorant Deum. Nam illæ quidem sunt tales, quæ non expectant futurum ut dent pœnas. *Et ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum.* Ne supergrediatur, inquit, & detrimento afficiat in negotio fratrem. Vnicuique Deus tribuit vxorem: naturæ constituit terminos, nempe cum vna concubitu. Quamobrem qui est cum altera, concubitus est transgressio, & latrocinium, & quod per auaritiã & plura habendi cupiditatem infertur damnum: imò verò est grauior quouis latrocinio. Non enim adeo dolemus si nostræ exportentur pecuniæ, ut si nostrum matrimoniale perfodiatur cubile. Fratrem vocas, & per auaritiã damno afficis, etiam in iis in quibus non oportet. Hic loquitur de adulterio. Superius autem etiam de omni scortatione seu fornicatione. Nam quoniam erat dicturus fratrem non esse supergrediendum, neque per auaritiã damno afficiendum. Ne existimes, inquit, quod hæc solum dicam de fratre. Sed neque aliorum vxores, neque eas quæ carent maritis, neque communes habere oportet. Ab omni fornicatione abstinere oportet. Et ideo dicit. *Quoniam vindex est dominus de his omnibus.* Rogauit eos primùm, & pudorem incussit, dicens, Sicut & gentes. Deinde rationibus quàm sit res praua & absurda ostendit, quod per auaritiã frater damno afficiatur. Deinceps subiungit id quod est caput & summa rei. Quoniam vindex est dominus de his omnibus, *sicut prædiximus vobis & testificati sumus.* Neque enim impune hæc agimus, neque tanta fruimur voluptate quantum subimus supplicium. *Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.* Quoniam dixit fratrem, & subiunxit Deum esse vindicem, ostendens quod etiamsi hoc passus fuerit infidelis, pœnas dabit is qui facit, dixit: Non illum vindicans te punit, sed quoniam ipsum contumelia affecisti, & ipse te vocauit: eum qui te vocauit affecisti contumelia. Propterea subiunxit: *Itaque quæ hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit spiritum suum sanctum in nobis.* Quamobrem seu reginam corrueris, seu ancillam tuam quæ viro nupsit, par est crimen. Quare? Quoniam non personas quæ iniuria afficiuntur vlciscitur, sed seipsum. Tu enim similiter es pollutus. Deum similiter affecisti contumelia. Nam & hoc & illud est adulterium. Nam & hoc & illud est matrimonium. Etiamsi non adulterium admiseris, sed sis scortatus, etiamsi maritum non habeat mulier, Deus tamen vindicat, quoniam seipsum vindicat. Non enim tam illum quàm Deum despiciens hoc facis. Ex illo autem est perspicuum quod illum quidem latens facis, Deum autem non videre præ te fers. Nam dic mihi, si quis purpura ab imperatore dignatus, & alio honore plurimo, & iussus viuere pro honoris dignitate, recedens aliquam vitiaisset mulierem, quænam affecisset contumelia, illamne, an imperatorem qui dedit? Nam illa quoque affecta fuit contumelia, sed non similiter. Quamobrem rogo caueamus hoc peccatum. Sicut enim nos vxores punimus, quando nobiscum habitantes seipsas aliis dederint, ita nos quoque punimus, si non à legibus Romanorum, à Deo quidem certè. Etenim hoc quoque est adulterium. Adulterium enim est, non solum si viro coniuncta mœchetur, sed et si alligatus vxori. Exactè enim attende quod dico. Etiamsi quod dicitur multis sit graue ac molestum: necesse est tamen dicere ut de

Exuperata & constitutio est profectus.

In pauperes pecunias effundere, est consilium non præcepti. Matt. 19.

aut enim.

Heb. 12.

1. Tim. 5. 2. Cor. 6.

Fornicatio est malum quod difficiliter potest elui.

Libidini non dare operam res est magnæ disciplinæ.

Ab omni fornicatione abstinenti.

Adulterium non minus committitur cum ancilla quam cum regina.

de cætero corrigatis. Hoc non solum est adulterium quando viro coniunctam corrumpimus mulierem, sed et si liberam & solutam ipsi alligati vxori, ea res est adulterium. **Q**uid enim si quæ mœchatur non est alligata, tu verò es alligatus, legem es transgressus: iniuria affecisti carnem tuam. Nam cur, dic mihi, vxorem punis si scortata fuerit cum soluto, & qui non habet vxorem? **Q**uoniam est adulterium. **Q**uamobrem? Atqui qui cum ea est scortatus, non habet vxorem? Sed ipsa viro est alligata. Ergo tu quoque alligatus es vxori. **Q**uamobrem & quod à te fit, est similiter adulterium. **Q**ui dimisit, inquit, vxorem suam præterquam fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam ducit, mœchatur. Si is qui dimissam ducit vxorem, mœchatur: qui est cum sua vxore, & eam nempe dimissam, corrumpit, est perspicuum quod committit adulterium. Sed vobis quidem viris hæc satis dicta sunt. Nam de iis qui sunt huiusmodi Christus quoque dicit. Vermis eorum non morietur, & ignis non exstinguetur. Propter iuuenes autem apud vos quoque dicere est necesse. Non enim illis sed vobis quoque hæc sunt conuenientia. Et quomodo? Iam dicam. **Q**ui non didicit scortari, ne adulterium quidem sciet admittere. **Q**ui cum illis autem, nempe cum meretricibus, volutatur, ad hoc quoque citò veniet, etiamsi non cum viro coniunctis, sed cum solutis stupri habeat consuetudinem. **Q**uid ergo suadeo? **Vt radices excindatis, quicunque filios habetis iuuenes, & ad mundanam vitam eos educitis. Citò eos subiungite iugo matrimonij. Nam quando adhuc iuueni molestiam exhibent desideria, eo quidem tempore quod præcedit matrimonium, eos continete admonitionibus, mims, terroribus, promissis, & aliis innumerabilibus: in tempore autem matrimonij nemo vobis differat, (ecce loquor verba pronuba) Filios coniungere & copulare. Sed me non pudet hæc dicere. Nam nec puduit Paulum dicere, Ne fraudetis vos iuuenem, quod videtur maiorem quàm hoc afferre pudorem. Sed cum non puduit. Non enim verba attendit, sed res & facta quæ à verbis corriguntur. Cum puer creuerit, antequam sectetur militiam, & vllum aliud vitæ genus, de eius matrimonio curam gere. Et si ille viderit quod sponsam citò ad eum adducis, & quod breue tempus intercedat, fortiter poterit ferre flammam. Sin autem in mentem ei venerit quod sis focors & negligens, cuncterisque & expectas dum magnos prouentus sis possessurus, & tunc ei parabis nuptias, ob temporis longitudinem animum despondens, citò labetur ad scortationem. Sed hei mihi, radix malorum est hic quoque auaritia. Nam quoniam nulli est curæ quomodo temperans & modestus fiat filius, sed tenentur omnes infano auri amore, hac de causa huic rei nemo studet. **Q**uamobrem rogo primùm ut eorum animos componatis. Si ad castam, sponsam accesserit, si illa solum corpus viderit, & vehemens erit desiderium, & maior Dei metus, & verò honorabile matrimonium, munda & impolluta corpora suscipiens: & quæ nascuntur erunt plena multa benedictione: & alter alteri cedent sponsus & sponsa. Nam cum morum alienorum vtrique sint imperiti, subiiciuntur alter alteri. Iunior autem incipiens lasciuire & se dedere libidini, & morum meretriciorum accipere experientiam, vsque ad primam quidem & secundam vesperam laudabit suam vxorem: postea autem citò dilabatur ad illam lasciuiam ac petulantiam, ad risum**

A effusum & immodestum, quærens verba multa illiberalitate plena, molles & fractos gestus, & omnem aliam turpitudinem: quam ut dicamus, minimè est tolerandum. Ingenua autem non sustinet hæc exhibere, neque seipsam inquinare. Ad vitæ enim societatem, & liberorum procreationem viro fuit desponsa, non ad turpitudinem & risum: ut domum custodiat, ut illum quoque erudiat esse honestum & grauem, non ut ipsi exhibeat fomenta scortationis. At iucundi tibi videntur gestus meretricij. **Scio.** Nam hoc quoque dicit scriptura: *Mel distillat à labiis meretricis.* Propterea enim hæc omnia facio, ne illius mellis capias experientiam. In fel enim statim vertitur. Et hoc quoque dicit scriptura. *Quæ ad tempus tuum guttur impingat: postea autem felle amarius inuenies, & ancipiti gladio magis acutum.* **Q**uid dicis? **Ferte me aliquid etiam immundum, ut ita dicam, loquentem, & impudenter me gerentem, pudorẽque & ruborem exuentem.** Non enim lubens hæc patior: sed propter eos quos rerum non pudet, cogor verba dicere. Multa autem alia videmus eiusmodi etiam in scripturis. Nam Ezechiel quoque Hierusalem exprobrans multa dicit eiusmodi, nec erubescit: & merito. Non enim ea dicebat ex sua animi affectione, sed ex cura & prouidentia. Nam et si verba videantur esse indecora, non est tamen scopus indecorus, sed etiam valde conueniens ei qui vult expellere animi immunditiam. Nam nisi ipsa verba audierit impudens animus, pudore non suffunditur. Etenim medicus volens ei cere putredinem, digitos prius immittit in vulnus, & nisi prius inquinet manus quæ medentur, non poterit mederi. Ita ego quoque nisi prius os inquinem quod vestris medetur vitiis, non potero vobis mederi. Imò verò nec hoc inquinatur, nec illæ manus. **Q**uamobrem? **Q**uoniam non est naturalis immunditia, neque ex nostro corpore, sicut nec illic ex manibus illius, sed ex alienis. Si autem vbi est alienum corpus, non recusat ille suas manus tingere: vbi nostrum, dic quæso recusabimus? Corpus enim nostrum estis vos, imbecillum quidem & immundum, sed tamen nostrum. **Q**uid est ergo quod dico? & cur hanc feci admonitionem? **Vestem quidem quam habet seruus, nunquam ferre in animum induxeris, eam abhorrens propter sordes. Sed malueris esse nudus quàm illa vti. Corpore autem immundo & sordido, & quod non solum tuo puero, sed etiam aliis innumerabilibus est vsui, abuteris, & non abhorrebis? Pudore affecti estis audientes, sed in factis pudore afficimini, non in verbis. Alia omnia prætermitto: mores peruersos & impuros: aliam vitæ agendæ seruilem & illiberalem rationem. Dic mihi tu candem inis & seruus tuus, & vtinam solus seruus, sed non etiam licitor. Et licitoris quidem manus tenere non tuleris: eam autem quæ vnum cum illo corpus facta est amplecteris & exocularis, & non horres, non extimescis, non pudore afficeris, non erubescis, non angeris ac conturbaris? Dixi quidem parentibus vestris ut vos citò ducerent ad nuptias. Sed tamen nec vos quidem estis non obnoxij supplicio. Nam si non alij essent multi adolescentes pudicè & castè viuentes, & olim, & nunc, esset vobis fortasse aliqua excusatio ac defensio. Si autem sunt, quomodo poteritis dicere non potuisse vos cohibere flammam cupidinis? Illi vos accusant qui potuerunt, quod sint eiusdem naturæ participes. **Audite Paulum dicentem. Sectemini pacem & sanctificatio-****

Prou. 5.

Medicus volens eicere putredinem, in vulnus manus immittit.

Meretricibus publicæ abhorrendæ.

Heb. 12.

Mat. 5.

Mat. 9.

Scortatio ne vitæ mutetur ad adulterium.

1. Cor. 7.

Auaritia radix malorum.

Qui meretricibus moribus alienis, non ferre facit morum pudicæ conuicti.

nem, sine qua nemo videbit dominum. Non suffi- A ciunt hæc minæ ad vos terrendos? Vides alios per- petuò esse pudicos, castèque & honestè degere, & tu ne ad iuuentutis quidem tempus te fortiter geris? Vides alios cum voluptate esse millies colluctatos: & tu ne semel quidem sustines? Si vultis dicam cau- sam. Non enim causa est iuuentus: alioqui omnes iu- uenes futuri erant impudici & incontinentes. Sed nos ipsos in rogum iniicimus. Quando enim in thea- trum ascenderis, & federis nudis mulierum mem- bris pascens oculos, ad tempus quidem lætaris, pos- tea autem illinc magnam alis febrem, cum videris mulieres tanquam in specie corporis apparentes, & spectacula, & cantica, quæ nihil aliud habent quàm amores nefarios. vt pote, Illa, inquit, hunc amavit, & non est potitus, & se suffocauit, & ad matres nefarios deuolutos esse amores: Quando & auribus hæc acceperis, & per mulieres, & per gestus, habitus & figuras, iam verò etiam per viros senes (multi enim personis sibi impositis illic agunt mulieres) quomo- do poteris de cætero esse pudicus & temperans, cum illa spectacula, illæ auditiones animum tuum occu- pent ac detineant, & de cætero talia somnia exci- pant. A natura enim est insitum vt animus multa eiusmodi visione apprehendat, cuiusmodi interdum vult & concupiscit. Cum ergo illic & res obscenas videas, & verba audias obsceniora, & vulnera qui- dem accipias, medicamenta autem non imponas, qui fieri potest vt non merito augeatur putredo, & morbus non intendatur, & multo magis quàm in nostris corporibus. Leuius enim, si vellemus, quàm corpora, liberum arbitrium susciperet correctionem. Nam illic quidem & medicamentis & medicis, & tempore opus est. Hic autem sufficit, si volueris & bonus esse & malus. Quamobrem morbum magis ac- cepisti. Quando ergo ea quæ lædunt quidem conge- rimus, eorum autem quæ iuuant nullam ducimus rati- onem, quando erit vlla sanitas? Propterea Paulus quoque dicebat, Sicut gentes quæ Deum non no- runt. Pudore suffundamur, terrore afficiamur, si gen- tes quæ Deum non norunt sæpe sunt pudicæ & tem- perantes, erubescamus cum illis fuerimus deterio- res. Facile est in pudicitia & temperantia nos rectè gerere, si velimus, si nos ipsos abducamus ab iis quæ lædunt: Alioqui nec scortationem facile est fugere, si nolimus. Quid est enim facilius quàm non ire ad forum? sed ob nostram ignauiam & mollitiem fit dif- ficile, non solum in feminis, sed etiam in viris. Quid est facilius quàm dormire: sed hoc quoque effeci- mus difficile. Multi quidem certè diuites tota nocte circumaguntur, eo quòd non expectent vsu somni, & nunc dormiant. Et in summa nihil est difficile, si nos velimus: nihil facile, si nolimus. Omnia enim sunt in nostra potestate. Propterea dicit quoque scriptura, si velitis & me audiat. Et rursus, Si nolitis, nec me audiat. Totum ergo situm est in eo quod est velle & nolle. Propterea & punimur & lau- damur. Faxit autem Deus, vt cum fuerimus ex iis qui laudantur, assequamur bona promissa, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum pa- tre &c

ORATIO SEXTA.

De charitate autem fraternitatis non habui- mus necesse scribere vobis. Ipsi enim vos à Deo didicistis vt diligatis inuicem. Etenim illud facitis in omnes fratres in vniuersa Macedonia. Quamnam ob causam cum

de temperantia & pudicitia tam vehementer disse- ruiisset, & quòd oporteat operari esset disceptaturus, & quòd non oporteat dolore affici ob eos qui exce- serunt, quod bonorum omnium est caput, nempe charitas, hoc ponit omnibus derelictis. Non necesse, inquit, habuimus, vel non necesse habemus ad vos scribere. Idque ex multa prudentia & spirituali do- ctrina. Hic enim duo indicat. Vnum quidem quòd res est ad eòd necessaria vt ne doctrina quidem egeat. Nam quæ sunt valde magna, sunt omnibus manifesta. Magna sunt o- mnibus manifesta.

Secundum autem, eis maiorem pudorem inquit, quam si admonuisset hoc dicens. Nam qui existimat eos se rectè gessisse, & ideo non admonet: si se non rectè gessissent, magis induxisset. Vide autem, non dicit de charitate in omnes, sed de charitate in fra- tres. Non opus habemus ad vos scribere. Oporteret ergo silere, & nihil dicere si non opus esset. Nunc au- tem dicendo, Non opus est, plus fecit quàm dixit. B Ipsi enim vos à Deo didicistis. Vide autem cum quanta laude Deum eius ipsis doctorem constituit. Non opus est, inquit, vt vos discatis ab homine. Quod propheta quoque dicit: Et erunt, inquit, omnes à Deo docti. Vos, inquit, omnes à Deo didici- stis, vt diligeretis inuicem. Etenim illud facitis in omnes fratres, & eos qui sunt in tota Macedonia. Et in omnes alios, inquit. Hæc valde pudorem incu- tiunt ad hoc vt id faciant. Et non abs re dico quòd à Deo didicistis, sed noui ex iis quæ facitis. De hac re cis multa præbet testimonia. Rogamus autem vos fra- tres vt abundetis magis, vt operam detis vt quieti sitis, & vt vestrum negotium agatis, & operemini manibus ves- tris, sicut præcepimus vobis, vt honestè ambuletis ad eos qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis. Ostendit quàm multorum malorum causa sit otium, quàm multorum autem bonorum operatio, idque efficit manifestum ex iis quæ sunt apud nos, quòd facit multis in locis. Et prudenter sanè. His enim magis inducuntur plures, quàm spiritualibus. Est enim charitatis in proximos, non ab illis accipere, sed illis præbere. Vide autem, cum eiset rogaturus & admoniturus id quod rectè fit ponit in medio, vt & à priori admonitione respirent & à minis, quando dicebat: Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit sed Deum, & vt hac ratione ne resiliat. Hoc autem fit ex operatione, vt neque accipiant, neque sint otiosi, sed operantes aliis præbeant. Beatus est enim, inquit, dare quàm accipere. Et ope- remini, inquit, manibus vestris. Vbi sunt qui quæ- runt opus spirituale? Vides quomodo eis omnem ademerit eius rei occasionem, dicens, manibus ves- tris. Ieiuniumne operatur aliquis manibus? Num nocturnas vigilias? Num humi cubationes? Nemo hoc dixerit. Sed etiam de opere dicit spirituali: est enim re vera spirituale, operantem aliis præbere: & nullum opus ei potest æquiparari. Vt honestè, in- quit, ambuletis. Vides quomodo eos tangat. Non dixit, Ne inhonestè vos geratis mendicantes: sed idipsum quidem tacitè significauit: mitius autem hoc ponit, vt & pungat, & non vehementer hoc faciat. Nam si ij qui sunt apud nos his offenduntur, multò magis externi, inuenientes mille accusandi & reprehendendi ansas, quando vident hominem sanum, & qui sibi potest sufficere, mendicare, & aliis opus habere. Et ideo nos appellant Christem- poros, hoc est Christi mercatores: Propterea, in- quit, blasphematur nomen Dei: sed nihil horum posuit, sed id quod maximè eos poterat tangere, nempe

Liberum arbitrium facilius corrigitur quam corpus.

Somnus aliquibus eorum culpa redditur difficultis.

Difficile nihil est si velimus. Efat. r. Ibidem.

Magna sunt omnibus manifesta.

To. 6. Efat. 147.

Charitas in proximos, non ab illis accipere, sed eis præbere.

A. 120.

Spirituale est opus operantem aliis præbere.

1245 nempe dedecus & turpitudinem. Nolumus autem vos ignorare fratres, de dormientibus, vt non contristemini sicut & ceteri qui spem non habent. Hæc duo maximè eos perdebant, paupertas & animi ægritudo, & quòd etiam omnibus faciunt hominibus. Vide autem quomodo ea curet. Paupertas autem ex eo extitit, quòd fuerint raptæ eorum pecuniæ. Si autem eos quorum pecuniæ rapiebantur propter Christum, iubet operantes ali, multò magis alios. Nam quòd raptæ fuerint eorum pecuniæ hinc liquet. Socij, inquit, fuistis ecclesiarum Dei. Quomodo autem illis fuerint socij dicit. Et rapi- nam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis: Hic autem de resurrectione agit sermonem. Quid verò, an non de eo cum ipsis disseruerat? Sed hic tacitè quoddam alterum significat myste- rium. Quòdnam autem hoc est? Quòd nos qui viuimus, qui residui sumus, inquit, in aduentu domini, non præueniemus eos qui dormierunt. At- que nobis quidem sufficit sermo resurrectionis ad eum consolandum qui cruciatur dolore. Sufficit autem quod nunc dicitur, maximè fide dignam faciens resurrectionem. Primum autem illud dicamus. Nolumus vos ignorare, fratres, inquit, de dormientibus, vt non contristemini sicut & cæteri qui spem non habent. Vides quàm hic quoque loquatur leniter & placidè. Non dixit, Estis adeò stulti, sicut & ad Corinthios, insipientes, quòd cum sciatis resurrectionem, sicut ij qui non credunt, dolore afficiamini, sed admodum placidè, aliam eorum virtutem reuerens. Et non dixit de mortuis, statim à prociis iaciens funda- mentum consolationis. Vt non contristemini, inquit, sicut ceteri qui spem non habent. Plange- re ergo propter eos qui excefferunt, non est eorum qui spem habent. Anima enim quæ nihil scit de resurrectione, sed hanc mortem, mortem esse putat, meritò plangit, & lamentatur, & luget intolerabiliter tanquam de iis qui perierunt. Tu autem qui expectas resurrectionem, cur luges & lamentaris? An non lugere est eorum qui spem non habent? Audite ò mulieres, quæ luben- ter lamentamini, quæ estis procliuës & propen- sæ intolerabiliter ad luctus, quòd ea facitis quæ ethnici. Si autem dolere propter eos qui exceffe- runt, est ethnicorum, plangere & genas lacera- re quorumnam est, dic quælo? Cur lamentaris, si credis eum esse resurrecturum? si credis eum non petiisse: si eam rem esse somnum & dormitionem? Propter consuetudinem, inquit, tutelamque ac defensionem, & rerum curam, & omne aliud of- ficium. Quando ergo amiseris filium in immatura ætate, qui nondum potest aliquid agere, cur lamentaris? quid requiris? Bonam, inquit, spem ostenderat, & sperabam fore vt mei curam gere- ret. Propterea quæro virum: propterea filium. Propterea plango & lamentor, non quòd non credam resurrectioni, sed quòd sim destituta ab auxilio, & amiserim curatorem & defensorem, qui mecum habitabat, qui rerum omnium erat socius, qui me consolabatur. Hæc lugeo. Scio fore vt resurgat. Sed intermediam non fero separationem: affluit multa rerum turba: sum exposita iniuriæ omnium qui voluerint. Qui prius timebant famu- li, nunc despiciunt & insultant, si quisquam est oblitus eius beneficiorum, si quis ab eo malè affe-

A ctus, recordatur iniuriæ, iram in me conuertit. Hæc non sinunt me ferre viduitatem, nec placidè lugere. Propterea plango. Propterea lamentor. Quomodo ergo eas consolabimur? Quid dicemus? Quomodo earum luctum arcebumus? Primum eas conabor conuincere, quòd non est horum verborum lamentatio, sed inconsideratæ animi perturbationis. Si enim hæc luges, oporteret eum qui excessit perpetuò lugere. Si autem cum annus præterierit, obliuisceris perinde atque si nihil accidisset: non eum qui excessit lamentaris, nec eius tutelam & defensionem. At non fers separationem, & consuetudinis interruptionem? Quid dixerint quæ admodum lubenter ad secun- das conuolarunt nuptias? Non enim priores re- quirunt & desiderant. Sed ne orationem ad eas dirigamus, sed ad eas quæ iis qui excefferunt con- seruant beneuolentiam. Cur luges infantem? Cur maritum? Quoniam illo quidem frui non est concessum: hoc verò expectaui fore vt amplius fruerer. Hoc autem quantæ est infidelitatis, existima- re quòd aut maritus aut infans te in tuto collo- cet, non autem Deus? Quomodo non putas te eum irritare? Propterea enim eos sæpe accipit, ne eis ita sis affixa, vt ab illis spem abducas. Deus enim est zelotes, & maximè omnium vult à nobis diligi: idque quoniam nos valde diligit. Scitis enim hunc esse morem eorum qui insano capti sunt amore. Sunt enim valde zelotypi, & maluerint animam prodigere, quàm ab vilo ex- suis rivalibus existimatione & laude superari. Pro- pter hæc Deus eum accepit, propter hæc, in- quam, verba. Nam cur, dic quælo? Non fue- runt olim viduitates, nec immaturæ orbitates? Cur Abraham & Isaac fuit viuere longum tem- pus? Quoniam eo etiam viuente Deum prætulit. Dixit quidem certè, Occide, & occidit. Cur Sarram ad tantum prouexit senium? Quoniam ea etiam vicia Deum magis audiuit quàm ipsam. Propterea dicebat ei Deus. Audi Sarram vxorem tuam. Neque propter mariti amorem, ne- que propter vxoris, neque propter infantis cura- ram Deum quisquam ad iram prouocabat. Nunc autem quoniam adeò deorsum tendimus & delabi- mur, & mariti vxores plusquam Deum diligi- mus, & vxores maritos Deo præferimus, ideo nos vel inuitos ad sui trahit desiderium. Ne dili- gas maritum plusquam Deum, & nunquam senties viduitatem. Imò verò etiam si acciderit, eius nullum sensum capies. Quare? Quoniam defen- sorem habes immortalem qui magis diligit. Si Deum magis diligis, ne lugeas. Nam qui magis diligitur est immortalis: nec sinit vt accipiat sensus eius qui minus diligitur. In exemplo faciam hoc te tibi facere. Si habeas maritum omnia facientem ex animi tui sententia, qui est in bona existimatione, estque clarus vbique & illu- stris, & qui minimè est contemnendus, & com- mendatur apud omnes, estque sapiens & intelli- gens, & te diligit, & propter eum beata reputa- ris, & cum eo parias quoque filium. Deinde priusquam ad maturam veniat ætatem, excedat, senties ne luctum? Nequaquam. Nam is qui magis diligitur, illum obscurat & abscondit. Et nunc si Deum quidem plus ames quàm maritum, maxi- mè quidem eum citò non accipiet. Quòd si etiam

Mulieres quæ luges quomodo consolandæ.

Cur viduitates & orbitates frequentius nunc inducat Deus quàm olim. Gen. 22.

Gen. 21.

acceperit, eius luctus sensum non habebis. Propterea beatus quoque Iob nihil est graue passus, cum repentinam & simul illatam audisset mortem filiorum: quoniam Deum plus amabat quam ipsos. Eo ergo viuente qui diligitur, illa eum nullo erant dolore affectura. Quid dicis o mulier, maritus & filius te defendebant, & tui curam gerebant: Deus autem tibi non parcat? Eum ipsum quis tibi dedit? Non ipse? Te autem quis fecit? non ipse, qui ex nihilo ad hoc ut esses adduxit, & animam inspirauit, & mentem indidit, & sui cognitionem tibi largiri dignatus est, & filio suo vnigenito propter te non pepercit. Tibi non parcat, conferuus autem parcat? Quam non iram excitant haec verba? Quid tale habuisti a marito? Nihil potes dicere. Nam etiamsi te aliquo affecit beneficio, sed id fecit, cum tu prior incepissis: De Deo autem nihil tale dixerit quisquam. Non enim Deus nobis benefecit, ipse prius beneficio affectus. Sed cum nullius egeat, ex sola bonitate benefacit hominum generi. Regnum tibi est pollicitus, dedit vitam immortalem, gloriam, fraternitatem, filiorum adoptionem, fecit cohaeredem vnigeniti. Tu autem post tot & tanta bona adhuc meministi mariti? Quid ille donauit eiusmodi? Solem suum fecit oriri, pluuiam dedit, annuis paciscit alimentis. Vae mihi quam est ingratus tuus animus. Propterea tuum maritum accipit, ut eum non quaeras. Tu autem eum qui excessit, adhuc sectaris? Deum vero dimittis cum oporteret gratias agere, cum oporteret vniuersum in ipsum coniacere. Quid enim est quod accepisti a marito? Partus dolores, labores & contumelias, & saepe maledicta, & increpationes, & indignationes. Non haec omnia a maritis? Sed sunt adhuc, inquit, bona alia. Quanam haec? Me splendidis & pretiosis ornauit vestimentis, faciei aurum imposuit: me fecit omnibus reuerendam. Sed si velis, longè meliori te ornabit ornamento quam is qui excessit. Facit enim longè admirabiliorem quam aurum eam quae habet, honestas, grauitas & temperantia. Habet hic rex vestes, non tales, sed longè meliores ac praestantiores. Illis, si velis, induere. Quanam autem sunt ex? Est vestitus aureas habens simbrias: eo si velis indue animam. At effecit ut non contemptui habereris ab hominibus. Et quid hoc magnum? Viduitas quidem certè non finit ut contemptui habeatis a demonibus. Tunc dominatum obtinebas in tuos famulos, si modò omninò obtinebas. Nunc autem pro famulis dominatum obtines in incorporeas virtutes, principatus, potestates, rectores huius mundi. Molestias autem non dicis, in quibus simul cum eo versabaris, si quando vexabat metus magistratum, si quando vicinorum melior existimatio. Ab his omnibus nunc es liberata, a terrore & metu. Sed sollicita es quis relictos tibi nutriet filios. Pater orphanorum. Quis enim ipsos dedit, dic quæso? Non audis Christum dicentem in Euangelio, Nonne anima est plus quam esca, & corpus quam indumentum? Vides lamentationem non esse ex consuetudine, sed ex incredulitate. At filij non sunt æquè clari & illustres, cum pater decesserit. Quare? Deum habent patrem, & non sunt æquè clari & illustres? Quam multos tibi ostendam a viduis educatos, qui fuerunt viri probi & bonæ existima-

tionis? Quam multos autem a patribus, qui perierunt? Si enim eos educaas ut oportet a prima ineunte ætate, maiori fruuntur beneficio quam curæ paternæ. Quod enim hoc sit viduarum munus, nempe filios alere, audi Paulum dicentem, Si filios educauit. Et rursus, Saluabitur autem per filiorum generationem. Non dixit, per maritum. Si permanferint in fide & charitate & sanctificatione cum temperantia. Indite eis Dei timorem ab ineunte ætate, & is eos magis custodiet quam quiuis pater. Hic erit murus infractus. Quando enim intus fuerit residens custos, nihil nobis externis opus est munitionibus. Si autem non sit, temerè fiunt quæcunque externa. Hoc erit eis & diuitiæ, & gloria, & ornamentum. Hoc eos faciet claros & illustres, non in terra sed etiam in cælis. Ne mihi enim ad illos aspexeris qui cincti sunt zonis aureis, nec ad eos qui vehuntur equis, nec ad eos qui splendent in regia propter patres, nec ad eos qui affectas habent & pædagogos. Hæc enim fortasse faciunt viduas plangere propter orphanos, sic cogitantes. Hic meus filius, si pater ei fuisset superstes, tantam adeptus esset beatitudinem: nunc autem est in mœnore & contemptione, & in nulla existimatione. Ne hæc cogites o mulier, sed cogitatione aperiri cæli portas, discere eam quæ illic est regiam, vide eum qui illic sedet regem: reputa an ij qui sunt in terra, possint esse clariores filio tuo qui illic est, & tunc suspira & ingemisce. An autem in terra sint aliqui laudati & qui habentur in existimatione, eius nulla est habenda ratio, licet si velis ipsum militare in cælis, in illius exercitus numerum eum referre. Nam qui in illum numerum referuntur, non equis vehuntur, sed feruntur in nubibus: non humi ingrediuntur, sed rapiuntur in cælum. Non habent famulos qui ipsos præcedunt, sed ipsos angelos: non assistunt regi mortali sed immortalis: regi regum, & domino dominantium. Non habent circa lumbos zonam pelliceam, sed gloriam illam ineffabilem, & regibus fiunt splendidiores, & iis qui aliquando fuerunt in honore & existimatione. In illa enim regia non quaeruntur diuitiæ, neque nobilitas, neque quidquam aliud, sed solum quaeritur virtus: & si ea adsit, nihil deest ad primas partes obrinendas. Nihil est nobis difficile si velimus philosophari. Suspice in cælum, & vide quantò regum fastigio hoc sit præclarus. Si autem supernorum regum pauimentum est inferiorum regum pauimento tantò magnificentius, ut hoc præ illo cœnum existimetur? si quispiam dignus sit habitus qui exactè & accuratè videat regiam, quam non erit dignus beatitudine? Quæ autem, inquit, est verè vidua & desolata, sperat in Deum. Hoc quibusnam a me edictum est? Iis quæ habent filios, quod maior sit earum laus & existimatio, & maiorem habent occasionem placendi Deo, quod eis omnia relaxata sint vincula, nemo sit qui retineat, neque qui cogat illas trahere catenas. Separata es a viro, sed vnita es Deo. Non habes conferuum tecum habentem consuetudinem, sed habes dominum. Quando oras, non cum Deo loqueris, dic quæso? Quando legis, audi eum tecum loquentem. Quid autem dicit? Verba viri

Viduarum est filios alere. 1. Tim. 5. Ibid. 1.

Cælestes honores sunt longè superiores & excellentiores terrestribus.

1. Tim. 5.

Si Deus amicitur plus quam maritus, non est cur lugeatur.

Matt. 6.

verbis multò magis desiderabilia. Nam vir quidem, et si aduleatur, non magnus est honor: est enim conferuus. Quando autem dominus seruo aduleatur, tunc magna est cura & obseruatiua. Quomodo ergo nos curat & obseruat? Audi per quem hæc facit. Venite, inquit, ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Et rursus per Prophetam clamat, dicens: Num obliuiscetur mulier misereri foetuum ventris sui? Quod si etiam oblita fuerit mulier, sed ego non obliuiscar, dicit dominus. Quanti amoris sunt hæc verba? Et rursus. Conuertimini ad me. Et rursus alibi. Conuertere ad me, & saluus eris. Si quis autem etiam ex canticis velit eligere, audiat, ipsa magis mystica accipiens, Pulchra mea, columba mea, cum vnaquaque ei conueniente anima differentem. Quid his verbis iucundius? Vides Dei cum homine sermonem. Quid autem, dic quæso, non vides quam multi beatarum illarum mulierum filij excesserunt, & sunt in sepulchris. Quantò grauiora passa sunt, & cum maritis filios quoque amiserunt? His attendamus: de his simus solliciti: & nihil erit nobis molestum, sed totum tempus peragemus degentes cum gaudio spirituali, & bonis fruemur æternis. Quæ nobis omnibus detur consequi gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & sancto Spiritu in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO VII.

OLVMVS autem vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini, sicut & ceteri qui spem non habent. Multæ res sunt nobis molestæ ex sola ignorantia. Quod si eas rectè didicerimus, dolorem propulsa-

Caro non est reicienda ut quæ non resurgat.

Coloss. 1.

1. Cor. 15.

Chrysof. tom. 4.

cum resurrexisset. Hic autem, eos qui dormierunt. Quomodo autem per Iesum? An qui dormierunt per Iesum, an per Iesum adducet? Illud quidè, qui dormierunt per Iesum, hoc est, fideles. Hic hereticis significari dicitur eos qui sunt baptizati. Illud verò sic, quomodo cõsistit? Iesus enim non dormiuit per baptismum: Cur ergo dicit, Qui dormierunt? Quamobrem non de generali, sed de singulari seu particulari loquitur resurrectione. Eos qui dormierunt per Iesum, inquit, & multis in locis ita dicit. Hoc enim vobis dicimus in verbo domini, quod nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentu domini, non praueniemus eos qui dormierunt. Loquens de fidelibus, dicit, Eos qui dormierunt. Deinde ab eo non solum agitur de resurrectione, sed & de resurrectione & honore in gloria. Atque resurrectione quidem omnes fruuntur, inquit: non omnes autem erunt in gloria, sed qui in Christo. Quoniam ergo ipsos vult consolari, non ex hoc solum cõsolatur, sed & ex multo honore & velocitate, quoniam illud sciebãt. Nam quod ex honore ipsos vult cõsolari, dicit procedes, Et semper cum domino erimus, & in nubibus rapiemur. Quomodo autè fideles per Christum dormiunt? hoc est, Christum in se habentes. Illud autem, Adducet cum eo, ostendit adduci ex multis locis. Hoc enim vobis, inquit, dicimus in verbo domini. Hoc nouum & inauditum erat dicturus, propterea efficit ut sit fide dignum. A verbo, inquit, domini. Hoc est, cum non a nobis sed a Christo didicerimus, dicimus, quod nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentu domini, non praueniemus eos qui dormierunt. Quod quidem dicit in epistola ad Corinthios, In momento temporis, in ictu oculi. Hic quoque fide dignam constituit resurrectionem ex modo. Nam quoniam videbatur res esse difficilis, sicut est, dicit esse facile ut qui viuãt sustollantur. Sic etiam ij qui excesserunt. Illud autè Nos, non de seipso dicit. Non enim erat matura usque ad resurrectionem: sed dicit fideles. Propterea dicit, Qui sunt residui in aduentu domini, non praueniemus eos qui dormierunt. Quasi diceret, Ne existimes esse aliquam rei difficultatem. Deus est qui facit. Qui tunc viuunt, non praueniunt eos qui sunt dissoluti, qui putrefacti, qui sunt mortui plus quam decem ab hinc annorum millibus. Sed quomodo est facile adducere illos qui sunt perfecti & integri, ita etiã eos qui sunt dissoluti. Sed sunt quidam qui re nõ credunt, quoniam Deum nesciunt. Quid enim est, dic quæso, facilius, an ex nihilo ad hoc ut sint deducere, an dissoluta excitare & restituere? At quid dicunt? Ille passus est naufragiũ, & cum cecidisset, multi eum exceperunt pisces: & quilibet piscis membrum comedit. Deinde ex his ipsis alius quidam in hoc sinu, alius verò in illo est comprehensus, & ab alio deuoratus: & isti rursus in aliis locis sunt mortui, & ipsi fortasse a belluis exesi qui comederunt pisces qui virum exederant. Cum tanta autem fuerit cõfusio & dispersio, quomodo vir ille iterum resurget? Quis puluerem reduxerit? Cur hoc dicis, o homo? & nugarum contextis catenam, & tãquam rem ponis planè inexplicabilem & cuius nullus detur exitus? Nam dic mihi, si nõ in mare ceciderit, si piscis eum non comederit, neque rursus fuerit piscis deuoratus ab hominibus innumerabilibus, sed iustis factis fuerit vir ille positus in vrna, & neque vermes, neque aliquid aliud ei fuerit molestum, quomodo resurget quod fuit dissolutum, quomodo puluis & cinis conglutinabitur, vndenam erit reliquus flos & vigor corporis? Hoc autem nõ est inexplicabile, & cuius non detur exitus. Si sint quidem Græci qui de his dubitant, eis dicemus innumerabilia. Quidnam? Sunt enim apud ipsos qui animas ad plantas deducunt, ad frutices, & canes. Dic mihi, quid est facilius, suũ corpus accipere,

Dormire per Iesum dicuntur ij qui sunt baptizati.

Fideles per Christum dormiunt, hoc est, Christum in se habentes.

Resurrectio astringitur ex iis quæ dicuntur a Græcis.

an alienum? Alij rursus dicunt ab igne consumi, vesti-
umque & calceorum in integrum fieri restitutionem,
& non irridentur. Alij dicunt atomos. Sed aduersus il-
los nulla est nobis disputatio. Fidelibus autem, si fideles
sunt appellandi qui interrogant, dicemus tamen illud
Apostolicum, Omnis vita à corruptione & interitu na-
scitur, omnes plantæ, omnia semina. Non vides quan-
tum truncum habeat ficulnea, quot stipites, quot folia,
quot ramos, quot frondes, quot radices tantum spatij
occupantes & se insinuantes. Ipsa quæ est tanta & talis
ex illo nascitur grano, quod fuit deiectum, ipsumque
primo corruptum interiit: & nisi fuerit putrefactum &
dissolutum, ex his nihil erit. Dic mihi vnde hoc fit? Por-
rò autem ipsa quoque vitis, quæ & ad videndum & ad
fruendum tam est pulchra, nascitur ex illo tam deformi
acino. Quid verò, dic quæso, an nò est aqua illud vnum
quod defertur à superis? Quomodo autem in tam multa
mutatur? Hoc enim est admirabilis resurrectione.
Nam illie quidem idem subiectum est semen, & eadem
plata, & magna est cognatio. Hic autem, dic mihi, quo-
modo vnam habens qualitatem, & vnam naturam, in
tam multa vertitur? In vinea fit vinum: non solum vi-
num, sed & folia, & succus. etenim non solum botrus,
sed & quod reliquum est vineæ, in ipsa alitur. Rursus in
olea oleum, & quæcunque sunt alia, & quod est mira-
bile, hic humidum, illic siccum, hic dulce, illic acre, illic
acerbum & adstringens, alibi amarum. Quomodo, dic
quæso, vertitur in tam multa? Dic rationem, sed nò po-
teris. In teipso autem dic quæso, est enim hoc proprius.
Semen quod deicitur, quomodo in oculos, quomodo
in aures, quomodo in manus, quomodo in cor, quo-
modo in tam multa cōcinnatur & efformatur? An non
in corpore innumerabiles sunt differentiæ, figurarum,
magnitudinum, qualitatum, situum, facultatum, nume-
rorum & harmoniarum: nerui, & venæ, & carnes, & of-
sa, & membranæ, & arteriæ, & articuli, & cartilagine, &
quæcunque sunt his plura, de quibus medici exactè &
accuratè differunt, quæ nostram cōtinent naturam, eaq-
ue ab vno semine. An non hoc videtur tibi esse multò
perplexius & inexplicabilius, quomodo quod est hu-
midum & molle, concreuit in os durum & frigidum.
Quomodo in calidum & humidum, nepe sanguinem,
vnitum? Quomodo in frigidum & molle, nempe ner-
uum? Quomodo in frigidum & humidum, nempe arte-
riam? Quomodo de his quæso, quomodo de his nò du-
bitas? Non vides quotidie resurrectionem & mortem
feri in ætatibus? Quo abiit iuuentus? Vndenam venit
senectus? Quomodo qui cōsenuit, seipsum quidem non
potest iuuenem facere, infantem autem procreat maxi-
mè iuuenem? & quod sibi præbere non potest, præbet
alteri? Hoc licet videre & in arboribus, & in animantibus.
Quæquam quod præbet alteri, sibi prius debet præ-
buisse. Sed hoc postulat humana ratio. Quando autem
Deus est opifex, cedant omnia. Si hæc sunt adeò inex-
plicabilia, & summè inexplicabilia, venit mihi in men-
tem eorum qui insaniunt, & de incorporea filij genera-
tione curiosè inquirunt. Ea quæ quotidie fiunt, & sub-
iecta sunt manibus, etià millicies quæ sita nemo vnquam
potuit inuenire. Quomodo ergo de illa ineffabili & in-
explicabili generatione, dic quæso, curiosè inquirunt?
An non est vestesta mens auditorum? An non est in mil-
le conuersa vertigines? An non planè hæret & stupet?
Et tamen ne sic quidem castigantur. Cùm de visis & fi-
cibus ne possint quidem dicere, de Deo curiosè inue-
stigant. Nam dic mihi quomodo acinus ille resoluitur
in folia, & stipites? Quomodo in eo antea non erant nec
cernebantur? At non est, inquit, hoc acinus, sed totum
est terræ. Et quomodo absque eo ipsa ex se nihil fert?

Sed ne desipiamus, nec grani quidem est quod fit, sed
eius qui est dominus & terræ & seminum. Propterea &
absque his & cum his fecit vt hæc gignerentur, partim
quidem suam ostendens potentiam, quando dicebat,
Producat terra herbam fœni; partim autem cum eo
quod suam ostendit potentiam, nos quoque erudiens
vt simus laboriosi & lubèter operemur. Cur autem hæc
à nobis dicta sunt? Non abs re neque temerè: sed vt &
credamus resurrectionem: & quando aliquid volentes
rationibus comprehendere, non inuenerimus, non æ-
greferamus, neque succenseamus, sed cogitationem
prudenter auertentes ac reprimentes, ad hoc confugiamus
quòd nihil sit quod Deus non possit & non facilè
faciat. Hæc ergo cùm sciamus, cogitationes nostras, re-
frenemus, neque terminos transgrediamur, & modos
nobis datos cognitionis. Nam si quis, inquit, putat se
scire aliquid, nondum aliquid nouit quomodo scire o-
porteret. Non de Deo, inquit, dico, sed de re qualibet.
Quid enim vis de terra dicere? Quid nosti, dic mihi?
Quanta sit mensura, quænam magnitudo, qualis situs,
quænam essentia, qualis locus, vbinam stet, & cui inni-
tatur? Nihil ex his poteris dicere. Sed quòd sint qui-
dem frigida & siccæ & nigra, hæc poteris dicere, vlti-
us autem nihil. At de mari. Sed similiter incidet in per-
plexitatem, ex qua te nulla ratione poteris extricare: vt
qui nescias vbinam incipiat, vbi desinat, cui innixum
feratur: Quid fundum eius portet, quænam est eius locus,
vtrum post ipsum sit terra continens, an in aquam desi-
nat & aërem. Sed & ex iis quæ in ipso sunt quid nosti?
At de aëre dicam: sed quid? Relinquam elementa. Vis
ex plantis id quod est minimum eligamus? Gramen il-
lud nullum fructū ferens quod scimus omnes, dic quo-
modo nascatur? An non eius subiectum est aqua, & ter-
ra, & simus? Quid est quod facit vt appareat tam pul-
chrum, & colorem habeat admirabilem? Vndenam illa
marcescat pulchritudo? Non est aquæ, non terræ opus.
Vides quòd vbique fide sit opus. Quomodo producit
terra: quomodo parturit dic quæso? Sed nihil horum
potes dicere. Erudiaris o homo in iis quæ sunt infra, &
in iis quæ hic sunt. & nec curiosè scruteris nec inuesti-
ges cœlum. Atque vtinam cœlum, & non cœli domi-
num. Terram nò nosti, dic mihi, ex qua & in qua es nu-
tritus, in qua habitas, quam calcas, sine qua ne respirare
quidem potes; & de iis quæ sunt adeò remota es curio-
sus? Re vera, homo est vanitas. Nam qui talis est, est vani-
tas. Et si quis quidem iubeat te descendere in profun-
dum & inuestigare quæ sunt in fundo maris, iussum non
feres. Nemine autem cogente, ipse vis comprehendere
abyssum quæ nequit inuestigari. Ne hoc facias rogo.
Sed in superficie nauigemus, non natemus. citò enim
defatigabimur, & vndis obruemur. Sed diuinis vtentes
scripturis, tanquam aliquo nauigio, pandamus vela fi-
dei. Si in his nauigemus, gubernator nobis aderit ser-
mo Dei. Sin autem in humanis natemus rationibus, ne-
quaquam. Cuiam enim ex iis qui natat adstat guber-
nator? Quamobrem duplici de causa est periculum, &
quòd nò sit nauigium, & quòd absit gubernator. Nam
si in periculo est scapha absque gubernatore, quando
abest vtrunque, quænam est spes salutis? Neque nos in
manifestum coniciamus periculum, sed tutò ingrediamur,
à sacra nos suspendètes anchora. Sic enim in transi-
tuum portum nauigabimus, & cum magnis copiis,
& planè securissimè ac tutissimè, & assequemur bona
reposita iis qui ipsum diligunt. In Christo Iesu domino
nostro, cui cum Patre & sancto Spiritu in sæcula sæculorum.
Amen.

ORATIO VIII.



Hoc enim vobis dicimus in verbo domini, quòd
nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentu
domini, non præueniemus eos qui dormierunt.
Quoniam ipse dominus in iussu & in voce Ar-
changelij, & in tuba Dei descendet de cælo: &
qui mortui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui
viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubi-
bus obuiam Christo in aëra, & sic semper cum domino erimus.
Prophetæ quidem, volentes ostendere quàm sint fide
digna quæ dicuntur, ante alia omnia hoc dicunt. Visio
quam vidit Esaias. Et rursus, Verbum domini quod fa-
ctum est ad Esaiam. Et rursus, Hæc dicit dominus, &
quæ sunt huiusmodi. Multi autem ipsum quoque vide-
bant sedentem Deum, quoad eius fieri poterat vt vide-
rent. Paulus autem cùm non vidisset sedentem, sed in
seipso haberet Christum loquentem, pro eo quod est,
Hæc dicit dominus, dicebat, An experimentum quæ-
ritis eius qui in nobis loquitur, nempe Christi? Et rursus
Paulus Apostolus Iesu Christi. Apostolus enim ea lo-
quitur quæ sunt eius qui misit, ostendens nihil esse suum.
Et rursus, Puto enim quòd ego quoque spiritum Dei
habeam. Atque illa quidem spiritu loquebatur omnia.
Hoc autem quod nunc dicit, dilucidè & disertis verbis
à Deo audiuit. Sicut enim illud quod dicebat differens
cum senioribus Ephesiorum, Beatius est dare quàm ac-
cipere, secretò audierat. Videamus itaque quid nunc
quoque dicat. Hoc enim vobis dicimus in verbo do-
mini, quòd nos qui viuimus, qui residui sumus in ad-
uentu domini, non præueniemus eos qui dormierunt.
Quoniam ipse dominus in iussu & voce Archangelij, &
in tuba vltima descendet de cælo. Tunc enim, inquit,
virtutes cœlorum mouebuntur. Quare autem in tuba?
Etenim in monte Sinai hoc videmus, & illic quoque
Angelos. Quid autem sibi vult vox Archangelij? Sicut
dicebat de virginibus, Exurgite, venit spòsus. Aut hoc
dicit, aut quòd sicut fit in Rege, ita etiam tunc erit, Ar-
changelis ministrantibus ad resurrectionem. Dicit e-
nim, Resurgant mortui, & sit opus, non Angelis ad hoc
vim habentibus, sed verbo eius, tanquam Rex iusserit
& dixerit. Excant qui sunt conclusi, & ministri educat,
non vtrique hoc iam faciunt ex sua virtute, sed ex illa
voce. Hoc alibi quoque dicit Christus, Mittet Angelos
suos cum tuba magna, & congregabunt electos ipsius
à quatuor ventis, ab extremis cœlorum vsque ad ex-
trema. & vbique vides discurrentes Archangelos. Ar-
changelum ergo arbitror esse eum qui præest, & hoc
clamat iis qui missi sunt, Facite vt sint omnes parati.
Adest enim iudex. Quid est, in vltima tuba? Hic osten-
dit multas esse tubas: & in vltima descendere iudicem.
Et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Dein-
de nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur
cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra. Et sic
semper cum domino erimus. Itaque consolamini inui-
cem in verbis istis. Si est descensurus, cur rapiemur?
Honoris causa. Rege enim ciuitatem ingrediente, qui
sunt quidem honesti & bonæ existimationis, exeunt
obuiam: qui sunt autem rei & condemnati, intus ex-
pectant iudicem. Et cùm beneuolus quidem aduentu-
rit pater, filij quidem, & qui digni sunt vt sint filij, in
curru educuntur, vt videant & exosculètur. Qui autem
offenderunt famuli, eum intus expectant qui fertur in
vehiculo patris. Etenim ipse eum excepit in nubibus, &
nos rapiemur in nubibus. Vides quantus sit honor. & ei
descendenti obuiam procedimus, & quod est omnium
beatissimum, sic cum eo erimus. Quis loquetur potèti-
as domini, auditas faciet omnes laudationes eius? Quàm

A multis bonis dignatus est genus humanū? Primi resur-
gunt qui excefferunt, & sic simul fiet occurfus. Abel qui
ante omnes deceffit, tunc simul ibit obuiam cum omni-
bus. Quamobrem in hoc aliis nihil erant superiores.
Sed qui interiit, qui tot annos fuit in terra, cum illo ibit
obuiam, & omnes alij. Nam si illi quidè nos expecta-
sent vt coronaremur, sicut alibi dicit scribens, Deo pro
nobis aliquid melius prouidente, vt nò sine nobis con-
summarètur, multò magis nos quoque illos. Vel potius
illi quidem expectarunt, nos autem minimè. In momen-
to enim fit resurrectio, in istu oculi. Quod autem dici-
tur quòd congregatur, vbique quidem resurgunt, con-
gregantur autem ab Angelis. Atque illud quidè est Dei
potentiæ iubentis terræ vt dimittat depositum, nec est
vllus qui inferuiat, sicut tunc vocauit Lazarum, Lazare
veni foras. Adducere autem & cōgregare est ministror-
um. At si congregant & discurrunt Angeli, quomodo
ipsi hic rapiuntur? Rapiuntur postquam descenderint,
postquam fuerint congregati. Hoc enim simul fit scien-
te nemine. Nam quādo viderint terram moueri, pulue-
rem misceri, ex aquo vndique excitari corpora, nemi-
ne ad hoc inferuiente, sed iussu sufficiente ad terram re-
pletam exinanendam, (cogita enim quātum sit omnes
ab Adamo vsque ad eius aduētum tunc illic stare cum
vxoribus & filiis. Quando, inquam, in terrā tantum vi-
derint tumultum, tunc scient. Quomodo ergo in ea quæ
secundum carnem fuit dispensatione nihil præuiderat,
ita & tunc. Quādo ergo hæc facta fuerint, tunc erit & vox
Archangelij præcipientis Angelis & clamantis, & tubæ,
vel potius tubarum sonitus. Qualis ergo tremor, qualis
metus inuadet eos qui viuēt in terra? Vna enim rapitur,
& vna dimittitur, & vnus assumitur, & vnus dimittitur.
Quis erit eorum animus, cùm illos quidè in altum tol-
li, se verò dimitti viderint? An non quauis gehenna ter-
ribilius poterunt hæc perterere? Ponamus ergo verbis
iam hoc adesse. Si enim mors repentina, vel in vrbibus
terræ motus, & minè ita nostros afficiunt animos: quan-
do viderimus effractam terram, & illis omnibus reple-
tam: quando tubas audierimus: Quando Archangelij vo-
cem quauis tuba clariorem: quando viderimus cœlum
contrahi: quādo ipsum adesse omnium Regem, Deum,
quis erit nobis animus? Horreamus rogo, & extimesca-
mus, tanquam hæc iam fiant. Ne dilatione & mora nos
ipfos cōsolemur. Nam cùm omnino fieri oporteat, ni-
hil iuuat dilatio. Quantus tunc est tremor, quantus me-
tus? Vidistis aliquādo eos qui abducuntur ad mortem.
Quo animo eos esse putatis ingrediētes viam vsque ad
portam, quot mortibus non peiores? Quid non eli-
gant & agere & pati vt ab illa liberentur caligine & nu-
be? Ego multos audiui qui Imperatoris clemētia post-
quam abducti fuerant erant reuocati, quòd nec homi-
nes viderint tanquam homines, adeò erat turbatus &
stupefactus & emotus animus. Nam si nos ita terret
mors corporalis, quando aduenerit æterna, quomodo
erimus affecti? Et quid dico de iis qui ad mortem ab-
ducuntur, tunc eos circumstilit turba, plures ipsos igno-
rantes. si quis tamè illorum animos circumspexerit, ne-
mo est adeò læuus, nemo adeò audax, nemo tam forti-
& magno animo, qui non ipsam habeat animam consternatam ac deiectam, & metu & agritudine dissolu-
tam. Si autem aliis hanc mortem suscipientibus quæ à
somno nihil differt, ita afficiuntur qui eius nò sunt par-
ticipes: quādo nos ipsi in maiora inciderimus, quomo-
do nos habebimus? Nò potest, nò potest, credite, verbis
explicari quomodo afficiemur. Certè, inquit. Sed Deus
est clemens & misericors, & horum nihil erit, sed vsque
ad minas solum procedet, vt sapiamus sobriūq; & mo-
desti euadamus. Si ergo non sapiamus sobriūq; & mo-

Cor. 15. Ficulnea ex quanto grano nascitur.

Vitis ex quantulo oritur acino.

Resurrectio, & mors quotidie videtur in ætatibus.

Genesi.

Nihil est quod Deus non faciat id. que facit. 1. Cor. 8.

Homo est vanitas.

Heb. 11.

Ioan. 11.

Marc. 2. 4. & Luc. 17.

Dilatio nihil iuuat quando fieri oportet aliquid.

deſti non euadamus, ſed mali eſſe pergamus, non inferet, dic mihi, ſupplicium? Ergo nec bonos remunerabitur? Certè, inquit. Illum enim decet etiam ſupra merita afficere beneficiis. Quamobrem illa quidem vera & omnino erunt. Quod ad ſupplicia autem attinet, non erūt omnino, ſed ſunt ſolum propter minas & metum. Quemadmodum ſim vobis perſuaſurus neſcio. Si dixerō quòd vermīs eorum non morietur, & ignis non extinguetur. Si dixerō quòd diſcedēt in ignem æternum. Si adduxero diuitem qui iam punitur, minas ea eſſe dicetis omnia. Quomodo ergo vobis perſuadebo? Hæc eſt enim Satanica cogitatio, ſultam præbens gratiam, ignauſque reddens & deſides. Quomodo cam eximemus? Quæcunque dicemus ex ſcripturis, ea dicetis eſſe minas. Sed hoc quidem dixeris de futuris: ſed de iis quæ euenerunt & ad finem peruenerunt, minimè. Audiuiſtis de diluuiō. Num illa quoque dicta ſunt propter minas? An non & euenerunt & facta ſunt? Eiuſmodi multa illi quoque dicebant, & cū cētum annorum ſpatio fabricaretur arca, & compingerēt ligna, & iuſtus clamaret, nemo erat qui credebat. Sed quoniam non crediderunt minis quæ fiebant verbis, rebus ipſis ſubierūt ſupplicium. Hoc ipſum quoque nobis accidet ſi non crediderimus. Propterea eius quoque aduētum comparat diebus Noë, quoniam ſicut illi diluuiō quidem non crediderunt, ita etiam diluuiō gehennæ. Illæne ſunt minæ, an nō re vera facta ſunt? Deinde qui tam repentè intulit ſupplicium, nō multò magis nunc quoque inferet? Non enim quæ nunc ſunt ſunt minora iis quæ tunc fiebāt. Quomodo? Tunc ingreſſi, inquit, ſunt filij Dei ad filias hominum: & res grauis & non ferenda erat concubitus. Nunc autem nullum eſt genus vitij & ſcleris quod non admittatur. Creditiſne fuiſſe diluuium, an id vobis videtur eſſe nugæ? Atqui & montes in quibus ſtetit arca, id teſtantur, montes, inquam, Armeniæ. Sed ex multa quæ mihi ſuppedit copia, ad alterum quoque hoc manifeſtius deducam orationem. Peregrinatūſne eſt ex vobis quiſpiam vnquam in Palæſtina? Iam enim non amplius verba dicam, ſed facta. Quamquam priora erant rebus euidentiora. Nam quæ dixerit ſcriptura, ea ſunt iis quæ videntur credibilia. Peregrinatūſne eſt ergo ex vobis quiſpiam in Palæſtina? Ego quidem opinor. Quid ergo, vos qui illa loca vididiſtis, ferte mihi teſtimonium apud eos qui illic non fuerunt. Non ſupra Aſcalonem & Gazam, vbi deſinit Iordanis fluuius, eſt magna regio & fertilis, imò verò erat. nunc enim nō eſt. Ipſa ergo quæ erat vt paradifus (vidit enim, inquit, Lot vniuerſam que erat Iordanem regionem, & erat irrigua ſicut Dei paradifus.) Ipſa ergo quæ erat ad eò florida, & cū omnibus certabat regionibus, quæ fertilitate antecellebat Dei paradifum, eſt nunc quibuſuis deſertis deſertior. & ſtant arbores, & habent fructum. Fructus autem eſt iræ Dei monumentum. Stant enim mala punica: lignum, inquam, & fructus, quæ præclaram, habēt ſpeciem & exteriorem ſuperficiem, & ignorant præbent bonam ſpem. Si ſumptæ autem fuerint in manus, fractæ nullum quidem fructum, ſed multum oſtendunt puluerem & cinerem intus repositum. Talis eſt vniuerſa terra: & ſi inueneris lapidem, inuenies oppletum cinere. Et quid dico lapidem, & ligna, & terram, cū & aër & aquæ ſint participes calamitatis? Sicut enim exuſti corporis, figura quidem & typus manet in aſpectu ignis, & magnitudo & proportio, virtus autem minimè. Ita hîc quoque terram quidem licet videre, ſed quæ nihil habeat terræ, ſed omnia cinerem? Arbores & fructus, ſed quæ nihil habeant arborum & fructuum, aërem & aquam, ſed quæ nihil habeant aëris nec aquæ. Quamquam ea quoque ſunt oppleta cinere.

Atqui quomodo aër potuerit aliquando comburi, & aqua quomodo, manens aqua? Nam vti quidem poſſunt ligna & lapides: aër autè & aqua minimè poſſunt. Nobis quidem nō poſſunt: ei autem qui ipſa fecit, poſſunt. Nihil eſt ergo aliud aër quàm fornax, fornax aqua, omnia inſrugifera, omnia non genitalia, omnia ad ſupplicium: iræ quæ præceſſit, imagines futuræ indicia. An hæc quoque ſunt minæ verborum? Nam mihi quidem neque priora ſunt incredibilia, ſed ſimiliter atque quæ videntur, quæ non videntur ſunt credibilia. Infideli autem hæc quoque fatiſ ſunt ad faciendam fidem. Si quis non credit gehennam, cogitet Sodoma, veniat ei in mentem Gomorra, ſupplicium quod fuit & adhuc manet. Hoc eſt indicium quòd æternus ſit cruciatuſ. Grauia ſunt hæc. illa autem non ſunt grauia, quādo dicitur non eſſe gehennam, ſed Deum ſolummodo eſſe minatum? Quando manus populi relaxas ac diſſoluis, me hæc cogis dicere qui non credis. Si verbis Chriſti credidiſſes, non neceſſe habuiſſem ex rebus fidem facere. Quoniam autem illa reſugiſti, velis nolis illis iam perſuadeberis. Quid enim habes quod dicas de Sodomis. Vis etiam ſcire cauſam propter quam hæc tunc facta ſunt? Vnum erat peccatum, graue quidem & execrandum, ſed tamen vnum. Puerorum inſano capti erant amore, ij qui tunc erant: & propterea has dederunt pœnas. Nunc autem innumerabilia, & paria, & his maiora admittuntur peccata. Deinde qui pro vno peccato tantam eſſundebat iram, & neque preces Abrahami reſpexit, neque Lot incolam, qui pro honore quem eius habuit ſeruis, ſuas filias probro afficiendas permiſit, cū tot ſint peccata parceret? Hæc planè ſunt ridicula, nugæ, & error, & impoſtura diabolica. Vis alium quoque ſubiungam? Pharaonem audis Regem omnium Ægyptiorum. Noſti ergo & quas dedit pœnas: quomodo cum curribus & equis & toto exercitu demerſus fuit in rubro mari. Vis etiā alia diſcere? Ille quidem fortaffe erat impius, imò non fortaffe ſed re vera erat impius. Vis videre etiam ex iis qui Deo credebant, & Deum quidem ſequebantur, non erat tamen recta eorum vitæ inſtitutio, aliquos punitos? audi Paulum dicentem, Neque fornicemur, ſicut quidam eorum ſunt fornicati, & ceciderunt vno die xxij. millia. Neque murmuremus ſicut quidam eorum murmurarunt, & perierunt ab exterminatore. Neque tētemus Chriſtum ſicut quidam eorum tentarunt, & perierunt à ſerpentibus. Si autem tantum potuit ſcortatio, ſi murmuratio, quid noſtra non efficiēt? Si autem non ſtatim ſumit pœnas, ne mireris. Nam illi quidem non norant gehennam, ideo è veſtigio afficiebantur ſupplicio. Tu autem quidquid peccāris, etiam ſi nullas des pœnas, illic lues omnia. Deinde illos quidem qui erant pueriliores, & tam multa peccata non amiſerant, tam grauius punit, nobis autem parceret? Non eſt rationi cōſentaneum. Nam etiam ſi eadem quæ illi peccata admittamus, maiorem pœnam mereamur. Quamobrem? Quoniam maiorem gratiam ſumus aſſecuti. Quando autem maiora & plura quàm illi peccata admittimus, quas non luemus pœnas? Illi, neque verò quis exiſtimit me aut eos admirantem, aut eis ignoſcentem hoc dicere, abſit. Quando enim Deus punit, qui contrariam fert ſententiam, hoc mēte facit diabolica. Non ergo eos laudans, neque eis ignoſcens hoc dico, ſed noſtrum oſtendens vitium. Nam illi quidem eſt murmurabant, veniebant in deſertum. Nos autem cū & patriam habeamus, & ſimus in noſtris aëdibus, murmuramus. Illi autem eſt ſcortabantur, id tamen faciebant cū recens diſceſſiſſent ab Ægyptiacis moribus, & hæc legem non audiſſent. Nos autè à maioribus acceptis ſalutarib⁹ decretis, maius meremur ſuppliciuſ. Vis etiam

Diluuiō probatur gehenna.

Gen. 6. & 7.

Ex Sodoma & Gomorra ſupplicio credi poſſe gehenna.

Exod. 14.

1. Cor. 10.

Gen. 13.

Vis etiā alia audire quæ paſſi ſunt in Palæſtina, famem, peſtem, bella, captiuitatē, tam apud Babylonios, quàm apud Aſſyrios, mala quibus ſunt affecti, à Macedonibus, ab Adriano, & Veſpaſiano. Volo tibi o dilectè aliquid enarrare, ſed ne reſilieris. Imò verò ante hoc dicam aliud. Fuit aliquando famas. Rex ambulabat ſuper murum. Deinde accedens mulier hæc illi dixit verba. Rex, hæc mulier dixit mihi, Aſſamus filium tuū hodie, & comedamus, & cras meum, & aſſauimus, & comedimus, illa verò ſuum nondum dedit. Quid eſt hac calamitate grauius? Rurſus alibi dicit Propheta. Manus mulierum miſericordium coxerunt filios ſuos. Iudæi quidem has dederunt pœnas: nos autem non maiores his dabimus? Vis etiam eorum aliam audire calamitatem? Lege Iosephum, & diſces totam illam tragœdiam. Ex hiſne tibi perſuadebimus eſſe gehennam? Cogita enim, ſi illi puniebantur, cur nos non punimur? aut quomodo eſt conſentaneum nos non puniri, qui grauius quàm illi delinquimus? Num ſcilicet propterea quòd repositum ſit nobis ſupplicium? Si vis autem, dicam etiam in qualibet perſona quomodo ſunt puniti. Fratrem occidit Cain. Graue quidè peccatum. Quis neget? Sed dedit pœnas, & graues, & quæ ſunt millies inſtar mortis, & pro quibus mallet mori millies. Audi enim cum dicentem, Si me eiicias à terra, & abſcōdar à facie tua, & erit, vt omnis qui me inueniet occidet me. Dic mihi ergo, Non eadem nunc multi faciunt quæ ille? Quando enim non carnalem ſed ſpiritualem fratrem interemeris, non idem feciſti? Quid tum enim ſi nō enſe, ſed alio modo? Quando cū poſſis ſedare famem, neglexeris? Quid verò, nullus inuidit fratri? Nemo coniecit in pericula? Sed hic non dederunt pœnas, verum dabunt. Deinde qui non legem quidem audiit ſcriptā, neque Prophetas, neque magna ſigna eſt conſpicatus, tantum dat ſupplicium: alter autem qui eadem fecit, & neque tam multis caſtigatur exēplis, abibit impunè? Et vbi eſt Dei iuſtitia? Vbi Dei bonitas? Rurſus quidam qui ſabbato ligna collegerat, lapidibus eſt obrutus. Qui autem ſæpe innumerabilia amiſerunt contra leges, abibunt impunè? Si ergo non eſt gehenna, vbi eſt iuſtitia? Vbi eſt quod dicitur, non eſſe reſpectum perſonarum? Atqui multorum eiuſmodi eos inſimulant quòd ſabbata non cuſtodiant. Rurſus quidam alius Acham filius fuit Charmi anathema ſuſturatus, cum toto genere obrutus fuit lapidibus. Quid verò, nemo ex illo tempore fuit ſacrilegus? Saūl rurſus qui præter id quod Deo videbatur pepercit, tantum ſuſtinuit ſupplicium. Nullus ergo ab illo tempore pepercit? Vtinam quidem ita eſſet, & non nos magis quàm ſeræ, alter alterum comederemus, contra quam Deo placeat, & nemo in bello cecidiſſet. Rurſus filij Eli quoniam comedebant ante incenſum, grauiſſimas pœnas dederunt cum patre. Nullus ergo pater fuit negligens & indulgens in filios: neque filij improbi & ſcelerati? At nemo dedit pœnas. Quando ergo dabunt, ſi non ſit gehenna? Rurſus potueris recenſere innumerabilia. Quid verò Ananias & Sapphira, quoniam ſuſfurati erant ex iis quæ Deo obtulerant & conſecrarant, puniti ſunt. Nullus ergo hæc fecit ex illo tēpore? Quomodo ergo non caſdem luerunt pœnas? Tibiſne perſuademus eſſe gehennam, an pluribus tibi opus eſt exemplis? Veniemus ergo etiam ad ea quæ non ſunt ſcripta, quæ nunc ſunt. Neceſſe eſt enim hâc notionem vndique nobis colligi, ne temerè nobis indulgētes, noſipſos laudamus. Non vides multos in calamitatibus corporibus mæcos ac mutilatos, mala pati innumerabilia: alios autè florere & in bona eſſe exiſtimatione? Quare? Alij quidem dant pœnas cædis: alij verò non. Audi Paulum dicentem, Quorundam hominum peccata manifeſta

ſunt, præcedentia ad iudicium: quorundam autem ſubſequentur. Quàm multi euaserunt qui eadem fecerant? Quàm multi ſepulchrorum effoſſores? Sed hæc miſſa ſiant. Quot ſunt quos non vides graui puniri ſupplicio? Alij quidem graui morbo traditi ſunt affligēdi: alij verò perpetuis tormentis: alij autem malis innumerabilibus. Quando ergo videris quempiam, qui eadem quæ ipſi amiſerit, & multò plura, & non dat pœnas, an non vel inuitus gehennam ſuſpicaberis? Elige eos qui hîc ante te ſunt grauius puniti: cogita quòd Deus perſonas non reſpicit, nec earum habet rationem: & quòd cū mala feceris innumerabilia, nihil eiuſmodi paſſus es, & tibi in mentē veniet gehenna. Ita enim nobis Deus eam inſeuit, vt nemo vnquam hoc ignorauerit. Nā & poëtæ, & philoſophi, & fabularum ſcriptores, & omnes, vt ſemel dicam, homines, de remuneratione quæ illic fit ſunt philoſophati: & multos dixerunt puniri apud inferos. Si illa autem ſunt fabulæ, ſed non ea quæ ſunt apud nos. Hæc dixi non vos temerè volens terrere, non enim veſtros grauare animos, ſed moderatos & leniores reddere. Vellem ipſe quoque, nō eſſe ſupplicium, & maximè omnium ego. Quamobrem? Quoniā vnuiquiſque quidem ex nobis de ſua timet anima. ego autem ſum obnoxius reddendæ rationi huius curæ & adminiſtrationis. Quamobrem fieri non poteſt vt omnium maximè ego eſſugiam. Sed fieri non poteſt vt non ſit gehenna & ſupplicium. Quid agam? Vbi eſt ergo, inquit, Dei clemētia & benignitas? Vbi que, ſed magis de eo diſſeram alio tempore, ne ſermonem qui ſit de gehenna confundamus. Interim autem non eſt uat quod lucrati ſumus. Non eſt enim parum lucri de gehenna certam habere perſuaſionem. Horum enim verborum memoria, tantum paruum aliquod medicamentum omne vitium poterit abſtergere, menti noſtræ aſſiduè inſidens. Eo ergo vtamur, vt mundum cor habentes digni habeamur, qui videamus quæ neque oculus vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis aſcenderunt. Quæ detur nobis omnibus aſſequi gratia & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui cum Patre & ſancto Spiritu, &c.

Gehenna nam eſſe nemo ignorat.

Epico-pus eſt obnoxius reddendæ rationi de omnibus.

ORATIO IX.

De temporibus autem & momentis non indigetis vt ſcribam vobis. Ipſi enim diligenter ſcitis, quia dies domini, ſicut fur in nocte ita veniet. Nihil, vt videtur, eſt æquè curioſum, & ad ea quæ ſunt obſcura & occulta ediſcenda cupidum, atque humana natura. Hoc autem ei ſolet accidere, quando habet mētem minus accuratam & nondum abſolutam. Pueri enim ſimpliciores nō ceſſant obtundere educatores & parentes crebritate quaſtionum, in quibus nihil eſt aliud, quàm quādo hoc eſt, & quādo illud. Hoc autem accidit, & ex eo quòd viuatur in deliciis, & ex eo quòd nihil habeant quod agant. Atque multa quidem iam diſcere & comprehendere contendit mens noſtra, maximè autem tēpus conſummationis. Et quid mirum ſi hoc nobis accidat? Nam etiam ipſi illis ſanctis hoc omnium maximè accidit. Et ante Chriſti quidem perpeſſionem accedentes Apoſtoli dicunt Chriſto. Dic nobis quando hæc erunt? & quod eſt ſignum tui aduentus & conſummationis ſeculi? Poſt perpeſſionem autem & reſurrexerunt ad mortuos, dicebāt ipſi, Dic nobis an in hoc tempore reſtituitis regnum Iſraël? & nihil ante hoc ipſum rogarunt. Sed non ſic poſtea. Nam quando ſancto ſpiritu digni ſunt habiti, ipſi non ſolum interrogāt, neque ægreferunt ignorantiam, ſed eos etiā reprimūt qui hac laborant intrepeſtiua curioſitate. Audi ergo qualia nunc dicit beatus Paulus. De temporibus autem aut momentis Fratres, non in-

CAP. V.

Matt. 24.

Act. 1.

digetis vt scribamus vobis. quoniam illos quidē sic ma-
 iori affecisset molestia. Sic autem consolatus est dicēs:
 Illud enim, Non indigetis, & tāquam superuacaneum,
 & tanquam inutile non finit quærere. Quid enim, dic
 quæso, hinc lucri sit? Ponamus esse consummationem
 post viginti annos, post triginta, post centum. Quid
 hoc ad nos? Non vnus cuiusque consummatio est finis
 vitæ suæ? Quid de inani sine curiosè es sollicitus & ve-
 luti parturis? Sed quod in aliis, in hoc quoque id nobis
 accidit. Quomodo enim in aliis, propriis dimissis, cura-
 mus communia, dicentes, Ille est scortator, hic est adul-
 ter, ille rapuit, alius fecit iniuriam. rerum autem suarum
 nullam habet rationem, sed omnia curat magis quàm
 sua. Ita hic quoque, mittentes vnusquisque suum finem
 curare, volumus cōmunem scire dissolutionem. Quid
 enim tibi est cum illa commune? Si hunc finem rectè
 præparaueris, ab illo sine tibi graue nihil accidet. Sit
 longè, sit propè, hoc nihil ad nos. Propterea non dixit
 Christus, quoniam non expediebat. Quomodo non
 expediebat, inquit? Ipse qui celauit, nouit cur non ex-
 pediret. Audi enim ipsum dicentem Apostolis. Non
 est vestrum nosse tempora & momenta quæ pater po-
 suit in sua potestate. Quid curiosè scrutamini? Hoc Pe-
 trus audiit cum suis. Petrus, inquam, qui erat Apostolo-
 rum princeps & Coryphæus, vt qui desiderarent maio-
 ra quàm eos decebat. Maximè, inquit, sed sic licebat
 ora Græcorum obstruere. Quomodo, dic quæso? Quo-
 niam illi dicunt hunc mundum esse Deum. Si sciremus
 tempus dissolutionis, ora eorum obstrueremus. Hoc
 enim est illorum ora obstruere, discere quòd aliquan-
 do dissoluitur. Si didicisse quando dissoluitur, hoc eor-
 um ora obstruit, Dicite eis cum finem habiturum. Si
 hoc non credant, neque illud credent. Audi Paulum
 dicentem: Ipsi enim diligenter scitis, quòd dies domi-
 ni sicut fur in nocte ita veniet. Non communis solum
 sed etiam proprius. Ipse enim illum imitatur, quoniam
 idem est & cognatus. Quod enim ille simul & acerua-
 tim, hoc hic facit sigillatim. & tempus consummati-
 onis ab Adamo accepit initium. Tunc autem erit finis
 consummationis. Nam nunc quoque non errauerit,
 qui dixerit consummationem. Nam cum quotidie mo-
 riantur innumerabiles, & illum diem expectent, & an-
 te illum nullus resurgat, non est opus illius? Si vultis au-
 tem scire cur ipse sit occultus, & cur tanquam fur veni-
 at in nocte, ego dicam, vt ipse rectè se habere existi-
 mo. Nemo vnquam virtutis per totam vitam curam
 gesserit, sed cum sciuerit diem suum extremum, in-
 numerabilibus admisis sceleribus, cum tunc ad bap-
 tismum accesserit, excedit. Nam si nunc cum diei incerti
 metus omnium concutit animos, omnes, præcedente
 vita in vitiis consumpta, in extremo halitu se dant bap-
 tismati: si eum sibi esse extremū planè habuissent per-
 suasum, quis vnquam curam gessisset virtutis? Multi ex-
 cefferunt absque illuminatione, nempe baptisate, &
 ne hic quidem metus eos erudiit, vt curam gerant eor-
 um quæ Deo placent. Si etiam ablatus esset metus,
 quis vnquam esset modestus? Quis bonus & æquus?
 Nemo. Porro autem alium rursus nunc continet & re-
 primit metus mortis, & amor vitæ. Si autem sciret vn-
 usquisque futurum, vt cras moreretur, nihil ante eum
 diem recusaret facere, sed & interficeret quos vellet, &
 se recrearet vliscens inimicos, & alia scelera faceret
 innumerabilia. Homo enim impurus & sceleratus, qui
 huius vitæ spem abiicit, ne eius quidem habet ratio-
 nem qui est indutus purpura. Qui ergo habet persua-
 sum fore vt omnino excedat, & vliscetur inimicum, &
 suo prius satiato animo sic mortem accipit. Dicam et-
 iam aliquid tertium. Qui viuendi sunt cupidi, & quæ

sunt hic valde appetunt, animi ægritudine & dolore
 perierunt. Si quis enim iuuenis sciret se extremum di-
 em clausurum ante senectutem, sicut debilissima &
 languidissima animalia, postquam fuerint comprehen-
 sa, ea sunt eiusmodi finem expectantia, sicis ad hoc
 fuisset affectus. Neque viri fortes habuissent mercedem.
 Si enim scirent quòd omnino post tres annos o-
 porteret excedere, nec ante illos posset fieri, quàmnam
 haberent mercedem, si res graues & asperas auderent
 aggredi? Eis enim quispiam dixerit, Quoniam pro tri-
 bus annis bono & fidenti estis animo, propterea aditis
 pericula. Qui enim expectat fore vt ex quouis periculo
 moriatur, & scit fore quidem vt viuatur, si non præceps
 & temerarium capiat consilium, vt moriatur autem, si
 ea temerè & audenter aggrediatur, maximum protu-
 lit indicium animi sui alacritatis, & quòd hanc vitam
 despiciat. Exemplo autem hoc vobis faciam manife-
 stum. Si patriarcha Abraham præsciens fore vt filium
 non occideret, eum sursum duxisset, habuissetne ali-
 quam mercedem? Quid verò si Paulus cum præsciui-
 set fore vt non moreretur, despexisset, quonam modo
 fuisset admirandus? Sic enim vel ignauissimus in i-
 gnem desiluerit, si aliquem fide dignum haberet spon-
 sorem quòd tutus sit futurus. Sed tres pueri non sunt
 eiusmodi, verum audi eos dicentes, Est Deus in cælo
 qui nos eripiet è manibus tuis, & ex hac fornace. Daniel. 3.
 Quòd si non, tibi notum sit quòd diis tuis non serui-
 mus, & auream statuam quam statuisti non adorabi-
 mus. Vide quàm multa sint lucra, & his plura, ex co-
 quòd ignoretur decessus? Interim autem sufficit hæc
 didicisse. Propterea tanquam fur sic venit in nocte, ne
 nos in vitium præcipites demus, ne in socordiam, ne
 mercedem nobis amputet. Ipsi enim, inquit, exactè
 & accuratè scitis. Quid ergo curiosè scrutamini, si id
 est vobis persuasum? Quòd autem futurum sit incer-
 tum, discite ex iis quæ dixit Christus. Quòd enim pro-
 pterea hoc dixerit, audi quid dicat, Vigilate ergo, quo-
 niam nescitis qua hora fur veniat. Propterea Paulus
 quoque dicebat: *Cum enim dixerint, Pax & securitas,*
tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in utero
habentis, & non effugient. Hic tacite aliquid significa-
 uit, quod etiam in secunda epistola. Nam quoniam
 isti quidem erant in afflictione, illi autem in otio & de-
 liciis qui cum illis bellum gerebant: subinde mala præ-
 sentia consolatur hoc sermone de resurrectione. Illi
 insultabant ex auorum loquentes cogitationibus, &
 dicebant, Quando erit? Quod quidem dicebant etiam
 Propheta. Væ, dicentes, citò appropinquent quæ faci-
 ciet dominus vt videamus. & veniat consilium sancti
 Israël vt cognoscamus. Et rursus, Væ qui desiderant
 diem domini. Non enim absolutè dicit eos qui desi-
 derant, sed eos qui desiderant ex eo quòd non cre-
 dant. Et, Dies domini, inquit, tenebræ, & non lux.
 Vide ergo quomodo eos consolatur Paulus, quasi diceret.
 Non ex eo quòd in voluptate viuunt & deliciis,
 coniciant quòd non adueniat iudicium. Nam sic quo-
 que aduenit. Operæpretium est autem illud quoque
 quærere, Si Christus venit, & Elias venit, quomodo
 quando dicunt esse pacem & securitatem, tunc eis
 repentinus superuenit interitus. Hæc enim non sinunt
 diem clam irrepere cum sint indicia eius aduentus. Sed
 non hoc tempus vult esse tempus Antichristi, & to-
 tum diem. quoniam illud erit signum eius aduentus,
 ipse autem non habebit signum, sed repentè veniet &
 ex inopinato. At enim prægnanti, inquit, tempus
 clam non superuenit, scit enim post nouem menses
 partum futurum. Imò verò planè clanculum. Nam
 aliæ quidem pariunt septimo mense, aliæ verò nono.
 Alioqui

Act. 1.

Petrus Apostolorum Coryphæus.

Cur diem suum extremum cuiilibet ignotum Deus esse voluerit.

Magni animi virtus cessabit, si sciatur quando sit futurus vltimus dies vite.

Daniel. 3.

Mat. 24.

Esa. 5.

Amos 5.

Ibidem.

Christi aduentus non est signum.

Alioqui autem & dies, & hora est incerta, exactaque &
 accurata est similitudo. Non sunt enim multa partus in-
 dicia. Nam multæ etiā in viis pariunt & extra domum,
 cum non præsciuerint. Non solum autè hic innuit tem-
 pus incertum, sed etiam doloris acerbiteratem. Quomo-
 do enim illa ludens, ridens, nihil omnino præuidens, re-
 pentè inexplicabilibus arrepta doloribus, in pariendo
 labore discerpitur: ita etiam animæ illæ, cum dies adue-
 nerit. Et non effugiet, inquit, quod quidem nunc dice-
 bat. *Vos autem fratres nō estis in tenebris, vt vos dies ille tan-
 quam fur comprehendat.* Hic tenebricosam & impuram
 dicit vitam. Quomodo enim impuri & scelerati homi-
 nes non omnia nocte faciunt, omnes latētes, & se in te-
 nebris includentes? Nam dic mihi, non vesperam ob-
 seruat adulter, & non fur noctem? & qui sepulcra effo-
 dit, non nocte id totum operatur? Quid verò, non tan-
 quam fur eos comprehendit? Non eis clanculum adue-
 nit, sed præsciunt? Quomodo ergo dicit, Non indigetis
 vt scribamus vobis? Hic dicit non respiciens ad incer-
 tum tempus, sed ad calamitatem. Hoc est, nō veniet ad
 eorum malum. Nam obscurè & clam eis etiam veniet:
 sed eos in nullam coniciet molestiam. Vt non, inquit,
 vos tanquam fur comprehendat. Nam apud eos qui vigi-
 lant & sunt in luce, etiam si ingressus fuerit latro, nihil
 damni afferre poterit. Ita etiam in iis qui rectè viuunt:
 sed illis qui dormiunt, omnibus spoliatis & nudatis re-
 cedit, iis, inquam, qui his quæ hic sunt cōfidunt. *Omnes enim vos,*
inquit, filij lucis estis, & filij diei. Et quomodo fi-
 eri potest vt sint filij diei? Vt sunt filij perditionis, vt filij
 gehennæ. Propterea Christus quoque dicebat Phari-
 sæis, Væ vobis, quoniam circuitis mare & aridam vt faci-
 atis vnum profectum, & cum factus fuerit, facitis eum
 filium gehennæ. Et dicebat Paulus, Propter quæ venit
 ira Dei super filios inobedientiæ. Hoc est, qui quæ sunt
 gehennæ faciunt, qui quæ sunt inobedientiæ. Ita etiam
 filij Dei, qui agunt quæ Deo placent. Ita etiam filij diei
 & filij lucis, qui agunt quæ sunt lucis. *Non sumus noctis
 neque tenebrarum. Igitur non dormiamus sicut & ceteri: sed
 vigilemus & sobrii simus. Qui enim dormiunt, nocte dormi-
 unt: & qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. Nos autem qui diei
 sumus, sobrii simus.* Hic ostendit quòd in die esse sit no-
 strum. Nam hic quidem in hoc die & nocte non est no-
 strum, sed vel nobis inuitis venit nox, & nobis nolentibus
 adest somnus. In illa autem nocte & somno non est
 ita: sed licet perpetuò vigilare, licet perpetuò diem age-
 re. Nam animæ claudere oculos, & a vitio somnum in-
 ducere, nō est naturæ, sed liberi arbitrij. Sed vigilemus,
 inquit, & sobrii simus. Licet enim ei qui vigilat dormi-
 re, nihil boni agendo. Propterea subiunxit, Et sobrii si-
 mus. Etenim in die si quis vigilet, non sit autem sobrius,
 in mala incidet innumerabilia. Quamobrem vigilie
 intensio est sobrietas. Qui dormiunt, inquit, noctu dor-
 miunt: & qui inebriantur, noctu inebriantur. Ebrieta-
 tem hic dicit, non eam solum quæ est à vino, sed eam
 etiam quæ est ab omnibus malis. Ebrietas enim animæ
 sunt diuitiæ, & pecuniæ cupiditas, & amor corporum,
 & quodcunque dixeris, est ebrietas animæ. Cur autem
 vitium vocauit somnum? Quoniam primū quidem
 qui est eiusmodi, caret omni actione virtutis. Deinde
 visione & phantasia apprehēdit, nihil verum videt, sed
 est plenus somniis. Si quid autem boni viderit, nihil
 habet firmum nec solidum. Talis est vita præsens: est
 plena somniis & visione. Diuitiæ sunt somnium & glo-
 ria, & quæcunque sunt huiusmodi. Qui dormit, ea quæ
 sunt & quæ verè consistunt non videt. Quæ autem non
 sunt, tanquam quæ sunt visione apprehendit. Tale est
 vitium, & quæ in vitio agitur vita. Non videt quæ sunt,
 hoc est quæ sunt spiritualia, cœlestia, manentia: sed

quæ fluunt & auolant, & citò à nobis resiliunt. Non fa-
 tis est autem vigilare, & esse sobrium, sed etiam oportet
 armari. Nam & si quis sit vigilans & sobrius, non habet
 autem arma, latrones cum citò conficiunt. Cum ergo
 nos oporteat & vigilare, & esse sobrios, & armari, simus
 autem inermes & nudi, & dormiamus, quis vetabit
 quominus in nos defigat enslem? *Induri lorica fidei, &
 charitatis, & galeam spem salutis.* Fidei, inquit, & charita-
 tis. Hic vitam innuit & dogma. Ostendit quid sit vigi-
 lare & esse sobrium, nēpe habere lorica fidei & cha-
 ritatis. Non quamuis, inquit, fidem, sed sicut lorica
 nihil facillè diffecuerit, sed est validus & firmus murus
 pectori, ita etiam tu fidem & charitatem adige animæ,
 & nullum ex ignitis telis diaboli poterit infigi. Vbi e-
 nim armis charitatis protecta & munita fuerit vis ani-
 mæ, omnia temerè ac frustra struunt & parant qui insi-
 dianur. Neque enim malitia, nec inimicitia, nec inuidia,
 non assentatio, non hypocrisis, ac simulatio eius-
 modi animam poterit attingere. Non absolutè dixit
 charitatem, sed tanquam lorica validam, & galeam
 spem salutis. Sicut enim galea conseruat id quod est
 præcipuum eorum quæ sunt in nobis, nempe caput am-
 plectens & vndique tegens, ita etiam spes, non finit ra-
 tionem concidere, sed facit stare rectam tanquam ca-
 put, nihil externum in ipsum sinens cadere. Quamdiu
 autem nihil in eam cadit, nec ipsa labitur. Is enim qui
 est his armis munitus, fieri non potest vt cadat. Manent
 enim fides, spes, charitas. Deinde cum dixisset, Indui-
 te & circumponite, deinde ipse quoque constituit vn-
 denam nata sint arma, fides, spes, & charitas, & fiant
 fortia. *Quoniam non pesuit nos Deus in iram, sed in acqui-
 sitionem salutis per Dominum nostrum Iesum Christum, qui
 mortuus est pro nobis.* Quamobrem non ad hoc inclina-
 uit vt perderet, sed vt seruaret. Quòd autem hoc ve-
 lit, vndenam constat? Filium suum dedit pro nobis.
 Adeò desiderat vt nos salui simus, vt filium suum de-
 derit, & non solum dederit, sed dederit ad mortem.
 Ex his cogitationibus & considerationibus spes nasci-
 tur. Ne de te enim desperes o homo, ad Deum veni-
 ens, qui propter te ne filio quidem suo pepercit. Ne
 propter mala præsentia animum despondeas. Qui vni-
 genitum dedit vt te seruaret, & eriperet à gehenna,
 cuienam de cætero parcer pro tua salute? Quamobrem
 oportet omnia bona sperare. Si enim iremus ad iudi-
 cem nos iudicaturum, & qui pro nobis tantam ostendit
 dilectionem vt filium suum mactaret, non extime-
 sceremus. Bona ergo speremus & magna. Caput e-
 nim & summam accepimus si credimus. Vidimus e-
 nim exemplum: diligamus, extremæ enim esset amen-
 tiæ, eum non diligere qui ita est affectus. *Vt siue vigile-
 mus, siue dormiamus, simul cum illo viuamus. Propter quod
 consolemini inuicem & edificate alterutrum, sicut & facitis.*
 Et rursus siue vigilemus, siue dormiamus. Alterum illie
 dicit somnum, & hic alterum. Hic enim, siue dormia-
 mus, mortem dicit corporalem. Hoc est, pericula ne
 formidatis, etiam si mortui fuerimus, viuemus. Ne de-
 speres, quoniam es in periculo: habes pignus certum &
 validum. Si non nostri amore valde arderet, filium su-
 um non dedisset. Quamobrem etiam si mortuus fueris,
 viues. Nam ipse quoque est mortuus. Siue ergo mor-
 tui fuerimus, siue viuamus, cum ipso viuemus. Hoc est
 indifferens. nihil mea refert viuamne an moriar. cum
 illo enim viuemus. Omnia ergo agamus pro illa vita:
 omnia operemur ad illum aspicientes. Tenebræ est vi-
 tium o dilecte, mors est, nox est, nihil videmus eorum
 quæ oportet: nihil agimus eorum quæ conuenit. Quo-
 modo mortui sunt deformes & fœtidi, ita animæ eor-
 um qui sunt in vitio, sunt plenæ multa immunditia.

Fides & charitas est vita & dogma.

1. Cor. 13.

Fidei, spei & charitatis arma vnde nata.

Vita & mors est indifferens viuenti in Christo.

Clauſi ſunt eorum oculi: os eſt compreſſum, immobiles manent in lecto vitij. Imò verò ſunt miſerabiliores iis quibus hæc acciderunt. Nam iſti quidem ad vtraque ſunt mortui. Illi autem ad virtutem quidem nullo ſunt ſenſu præditi, viuentes autem ad vitium. Mortuum ſi quis percufferit, non ſentit, nec vlciſcitur: ſed ſicut lignum aridum, ita etiam anima re vera eſt arida, vt quæ vitam amiſerit. Innumerabilia quotidie accipit vulnera, & nihil ſentit, ſed nullo dolore afficitur ad omnia. Non aberrauerit ſi quis eos comparet furioſis, ebriis & delirantibus. Hęc autem omnia habet vitium, & omnibus adhuc grauiora. Furioſo multum ignoſcitur à videntibus: non laborat enim morbo liberi arbitrij, ſed folius naturæ. Ei autem qui degit in corde, quomodo ignoſcetur? Vnde ergo vitium? Vnde fit quòd plures ſunt mali? Dic mihi vndenam eſt vitium morborum? Vndenam eſt phrenetiſis? Vndenam eſt grauis ſomnus? An non ex ſegnitiæ & ignauiæ? Si morbi naturales habent initium ab eligente voluntate: multò magis qui ſunt liberi arbitrij. Vnde ebrietas? An non ex animi intemperantiæ? Phrenetiſis, an non ex nimia febris exuperatione? Febris autem, an non ex clementiſis quæ abundant in nobis? Eorum autem quæ ſunt in nobis nimia elementorũ abundantia, an non ex ſegnitiæ & ex eo quòd non attendatur? Quando enim vel defectu vel exuperatione eduxerimus humorum noſtrorum immoderationem, ignem illum accendimus. Rurſus ſi accenſam flammam pergamus deſpicere rogam in nobis efficiamus, quem ne poſſumus quidem extingueri. Ita etiam fit in vitio, quando ipſum incipiens non prohibemus, nec excindimus, neque ad finem eius deinceps poſſumus peruenire, ſed id noſtras vires ſuperat. Quamobrem rogo omnia ita agamus vt nunquam dormitemus. Non videtis quòd cum cuſtodes ſæpe ſomno ſe parum dederint, eis magna cuſtodia nihil profuit. Nam per illud paucum, vniuerſum perdiderunt, magna data licentia ac ſecuritate ei qui voluerit ſuffurari. Nam ſicut nos non ita videmus fures ſicut illi nos, ita etiam diabolus omnium maximè inſtat & inſidiatur & ſtridet detibus. Ne igitur dormitemus. Ne dicamus, nihil mali ex hoc accidit, nihil ex illo. Vnde non expectauimus, ſæpe ſumus ſpoliati. Ita etiam in vitio, vnde nò expectauimus periiimus. Omnia diligenter & accuratè circumſpiciamus, ne inebriemur, & ne dormiamus. Ne nos expleamus deliciis, & non dormiemus. Ne ad ea quæ ſunt externa inſaniamus, & perſeueremus in ſobrietate. Nos omni ex parte componamus, & ſicut eos qui ſuper funem intenſum ingrediuntur, ne parum quidem licet eſſe ſocordes. (Nam quòd parum eſt, magnum affert damnum, euerſus enim ſtatim eſt, præcipitatus & periit.) Ita nec fieri poteſt vt nos ſimus ſocordes & deſides. Anguſtam ingredimur viam præcipitiis vndique circumdatã, quæ ſimul duos non capit pedes. Vides quanta ſit nobis opus diligentiã. Vides quòd ij qui cuiuſmodi vias ingrediuntur, nò ſolum pedes muniunt, ſed etiam oculos. Nam etſi alibi videatur attendere, & pes firmo hæreat veſtigio, à profundo caligans oculus vniuerſum deiicit. Sed ſibi oportet & ſuo ingreſſui attendere: propterea dicit, Neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Magnum eſt vitij profundum, magna præcipitia, magnè inferius tenebrę, anguſtias obſeruemus, cum timore & tremore ambulemus. Nullus via cuiuſmodi ingrediens eſt in riſum effuſus, neque grauatur ebrietate, ſed in ſobrietate & ieiunio ea via ingreditur. Nullus hac via incedens, aliquid affert ſuperfluum. Præclare enim cum eo agitur ſi ſuccinctus & expeditus poſſit euadere. Nullus ſuos impedit pedes, ſed liberos dimittit & ſolutos. Nos autem cum nos ipſos curis alligemus innumera-

Viciorum quænam ſit origo.

Neque ad dexteram ire, neque ad ſiniſtrã.

bilibus, & onera innumerabilia quæ ad hanc vitam pertinēt geſtemus hiantes & effuſi, quomodo expectamus anguſtam hanc viam ingredi? Non autem abſolutè dixit, Eſt anguſta: ſed cum admiratione, Quam anguſta eſt illa via, hoc eſt, valde anguſta. Hoc nos quoque facimus in iis quæ habentur in magna admiratione. Quam auſta eſt, inquit, via quæ ducit ad vitam, & rectè dixit. Quando enim & verborum, & cogitationum, & actionum, & omnium debemus rationem reddere, re vera eſt anguſta. Anguſtior em eam facimus, dum nos ipſos extendimus & dilatamus, & pedes effundimus. Nam quæ eſt anguſta quidem, eſt cuiuſlibet difficilis: maximè autem ei qui eſt obcuſus. Nam qui ſeipſum quidem liquefacit & macerat, ne ſentit quidè anguſtias. Quamobrem qui meditatus fuerit comprimi & aſligi, ne ægrè quidem feret ſi comprimatur. Ne ergo expectet quiſpiam fore vt in otio & quiete cœlos videat. Fieri enim non poteſt. Nemo ſperet cum deliciis vitam anguſtam ingredi, non poteſt enim hoc eſſe. Cum videris balneas, menſam ſumptuoſam ac magnificã, aut quempiam cuiuſmodi magno ſtipatum ſatellitio eſſe in deliciis, ne te illerum pronuncies quòd ea tibi non ſuppeditant, ſed illum deſte quòd perdita via ingrediatur. Quid enim prodeſt hæc via, cum deſinat in afflictionem? Quid autem lædunt illæ anguſtiæ, cum veniant ad quietem & animi relaxationem. Dic queſo, ſi quiſpiam vocatus ad regiam per anguſtos ingrediatur angiportus & præcipitia, alius autem quiſpiam abductus ad mortem trahatur per medium forum, quem beatum cenſebimus? quem deſtebimus? An nò cum qui per viam anguſtam ingreditur? Ita nunc quoque non eos beatos pronunciemus qui viuunt in deliciis, ſed eos qui nò viuunt. Hi properant ad cœlum, illi ad gehennam. Et fortaſſe quidem multi ex ipſis etiam ridebunt quæ à nobis dicuntur. Ego autem maximè propterea deſteo & lugeo, quòd neſciant propterea quænam ridere oporteat, & pro quibus maximè oporteat flere & lamentari, ſed omnia confundunt & conturbât. Propterea ego ipſos deſteo. Quid dicis o homo? eſ reſurrecturus, & eorum quæ geſſeris rationem redditurus, & vltimum daturus ſupplicium: horum autem nullam habes rationem, meditariſ autem ventri indulgere & inebriari, & ad hæc rides? Sed ego te deſteo, vt qui ſciam quæ mala te maneat, & ſupplicium quod te eſt excepturum, & propterea deſteo quòd tu rides. Luge mecum, tua mala mecum deplora. Dic mihi, ſi quis ex tuis neceſſariis tibi perierit, non eos qui propter eius deceſſum rident, & auerſaris, & inimicos reputas: eos autem qui ſlent & ſimul tecum lugent, diligis? Deinde ſi propoſita quidem fuerit vxor mortua, riſum auertis: tibi autem morte affecta anima, lacrymantem auerſaris, ipſe autem rides? Vide quemadmodum nos affecterit diabolus, vt nobis ipſis ſimus inimici & hoſtes. Tandem reſpiſcamus & ſobrij ſimus, circumſpiciamus, vigilemus, vitam æternam apprehendamus, profundum ſomnum excutiamus. eſt iudicium, eſt ſupplicium, eſt reſurrectio, eſt examinatio eorum quæ geſta ſunt. Dominus venit in nubibus, ignis in conſpectu eius ardebit, & in circuitu procella vehemens: fluuius ignis ante ipſum trahitur, vermis qui non moritur, ignis qui non extinguitur, tenebrę exteriores, ſtridor dentium, etiam ſi millies hæc ægreferatis, ego non ceſſabo dicere. Nam ſi lapidibus appetiti Prophetæ non ſilebant: multò magis ferendæ ſunt inimicitia: & non eſt vobisicum loquendum ad gratiam, ne ſi vos deceperimus, ipſi diuidamur. illic eſt ſupplicium immortale, cuius nullum afferri poteſt ſolatiū nec remediū, nullus eſt qui ſit deſenſurus. Quis miſerebitur, inquit, incantatoris morſi à ſerpente? Cum nos

Mat. 7.

Cum deliciis nemo poteſt vitam ingredi.

Pater ſcilicet ino imperio vitur in filijs.

Mat. 23.

Luce 11.

Eccleſia: Cum nos

Cum nos noſtri ipſorum non miſereamur, quis, dic quaſo, miſerebitur? Si videris quempiam ſe enſe tranſadigetem, cine poteris vnquam parcere? Nequaquam. Multò magis cum adſit rectè gerere, & non rectè gerere, quis nobis parcat? Nemo. Noſtri miſereamur cum Deum precemur, dicentes, Miſerere mei domine, nobiſiſpis dicamus, & noſtri ipſorum miſereamur. Eſt in noſtra poteſtate, vt Deus noſtri miſereatur. Ipſe hoc nobis donauit. Si agamus quæ ſunt digna miſericordia, quæ digna ſunt eius benignitate & clementia, Deus noſtri miſerebitur. Si autem noſtri ipſorum non miſereamur, quis nobis parcat? Miſerere proximi, & Deus ipſe tui miſerebitur. Quam multi quotidie accedunt dicentes, Miſerere mei, & ne conuerteris quidem. Quot nudi, quot manci & mutilati, & non inſectimur, ſed amandamus eorum ſupplicationes? Quomodo ergo vis miſericordiam conſequi, cum ipſe nihil facias dignum miſericordia? Simus clementes & benigni. Simus miſericordes, vt ſic Deo placeamus, & aſſequamur bona promiſſa iis qui ipſum diligunt, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cui cū Patre, & Spiritu ſancto ſit honor, & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

ORATIO X.

ROGAMUS autem vos fratres, vt noueritis eos qui laborant inter vos, & præſunt vobis in domino, & monent vos, & habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum: pacem habete cum eis. Neceſſe eſt vt qui præeſt, multas habeat occaſiones deprimendi & deiicendi animi, ſicut medici neceſſe habent in multis eſſe moleſti laborantibus, & cibos & medicamenta parantes quæ voluptatem quidem non habent, ſed multam vtilitatem, & ſicut patres crebrò filiis ſunt moleſti: ita etiam doctores, & multò magis. Nam medicus quidè etiam ſi ab agrotis habeatur odio, ei tamen benè volunt qui ad eum attinent, qui & ipſi non ſunt ingrati, & ſæpe ei qui agrotat. Porro autem pater quoque tam natura quàm externis fretus legibus magna facilitate vtitur ſuo in filios imperio, & ſi inuitum caſtigauerit & increpauerit, nemo eſt prohibiturus. ſed nec ille ipſe eum audebit ex aduerſo aſpicere. In ſacerdote autem magna eſt difficultas. Atque primum quidem debet imperare ac præeſſe volentibus ac lubentibus, & qui ei gratiam habeant quòd imperet. Fieri autem non poteſt vt hoc citò accidat. Nam qui arguitur & reprehèditur, cuiuſmodiunque ſit, omnino mittès habere gratiam, eſt inſenſus. Similiter faciet & is cui ſuadetur, & qui monetur & rogatur. Si itaque dixerò, pecunias tuas effunde in egentes, dixi quòd graue eſt & moleſtum. Si dixerò, ſeda iram, animi extingue furorem, nefariam cõpeſce libidinem, ex deliciis aliquam partem amputa, ſunt omnia grauiã & moleſta. Et ſi caſtigauerò ſocordem & ignauum, aut abduxero ab eccleſia, aut ei communibus precibus interdixerò, dolet, non quòd ab iis exciderit, ſed propter commune probrum ac dedecus. Nam hoc quoque eſt morbi incremētum, quòd prohibiti à ſpiritualibus, non dolemus propter bonorum tantorum priuationem, ſed propter eorum qui vident pudorem, rem ipſam non horremus nec extimeſcimus. Propterea de his Paulus multa ſuſque deſque diſſerit. Et Chriſtus quidem eos cum tanta ſubiunxit neceſſitate vt diceret, Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi. Quæcunque ergo vobis dixerint vt ſeruetis, ſeruate. Secundùm opera autem eorum nolite facere. Et rurſus quando curauit leproſum, dicebat. Vade, oſtende te ſacerdoti, & offer munus tuum quod præcepit Moyſes eis in testimonium. Atqui tu dicis, Facitis cum filium gehennæ

A duplo magis quàm vos. Propterea dixi, inquit, Quæ faciunt nolite facere. Omnem ergo excluſit prætextum & occaſionem ei qui eſt ſubiectus imperio. Ipſe autem ad Timotheum quoque ſcribens dicebat, Qui rectè præſunt preſbyteri, duplici honore digni habeantur. Ad Hebræos quoque ſcribens dicebat, Obedite præpoſitis veſtris, & eis cedite. Et hic rurſus, Rogamus autem vos fratres, vt noueritis eos qui laborant inter vos, & præſunt vobis in domino. Nam quoniam dixit, Edificate alterutrum, ne exiſtimarent quòd ad doctoris dignitatem eos prouexerit, ſubiunxit, Sed videte quòd vobis permiferim alter alterum edificare. Fieri enim non poteſt vt doctor dicat omnia. Eos qui laborant, inquit, inter vos, & præſunt vobis in domino. Quomodo ergo, inquit, nò eſt abſurdum? Si homo quidem patrocinium ſuſcipiat & te defendat apud hominem, omnia agis, & omnem ei habes gratiam. Hic autem apud Deum tui patrocinium ſuſcipit & te defendit, & ei non habes gratiam? Et quomodo, inquit, me defendit? Quoniam pro te precatur, & dono quod per baptiſmum datur tibi inſeruit, viſitat, hortatur & monet, & media nocte ſi vocaueris venit. Is verò nihil aliud quàm perpetuò tibi eſt in ore, & quæ tu in eum congeris fert maledicta. Quænam cum preſſit neceſſitas? Rectène fecit an male? Tu quidem & habes vxorem, & te exples deliciis, & vitam ſectaris deditã mercaturæ. Sacerdos autem in hoc ſuum contulit negotium. Nulla eſt ei alia vita quàm vt verſetur in eccleſia. Vt habeatis, inquit, illos abundantius in charitate propter opus illorum. Et pacem habete cum ipſis. Vides quomodo nouerit quæ ſunt animi deiectiões. Non dicit abſolutè diligite, ſed abundantius, ſicut patres filios. Per eos enim generati eſtis æterna generatione. Per ipſos eſtis regnum aſſecuti. Per manus ipſorum ſunt omnia. Per ipſos vobis portæ cœleſtes aperiantur. Nemo ſeditionem agitet: nemo contendat. Qui Chriſtum diligit, cuiuſmodiunque ſit ſacerdos, eum diligit, quòd per eum ſit veneranda aſſecutus ſacramenta. Dic mihi, ſi velles videre regiam multo auro ſplendentem, & gemmarum fulgore coruſcantem, inueneris autem eum qui habet clauis, ille autem rogatus ſtatim aperuerit & intromiſerit, an non ipſum omnibus proponeres, non æquè atque oculos amares, non oſculareris? Hic cœlum tibi aperuit, & non oſcularis, non amplecteris. Si vxorem habeas, non eum maximè deſideras qui eam tibi conciliauit? Ita ſi Chriſtum diligis, ſi diligis regnum cœlorum, agnoſce per quos id habueris. Propterea, inquit, propter opus illorum pacem habete cum eis. Rogamus autem vos fratres, corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite inſirmos, patientes eſtote ad omnes. Hic alloquitur eos qui præſunt. Admonete, inquit, inordinatos. Ne ex poteſtate, inquit, increpate, nec ex arrogantia. Cum admonitione conſolamini puſillanimes. Suſcipite inſirmos, patientes eſtote ad omnes. Nam qui eſt auſterus & de ſe deſperat, ſit audacior deſpiciens & increpans. Propterea oportet admonitione dulce reddere medicamētum. Quinam autem ſunt inordinati? Ij planè qui agunt præter quod Deo videtur. Eſt enim militari ordine ipſe eccleſiæ ordo congruentior & conueniētior. Quamobrem & maledicus eſt inordinatus, & ebriofus inordinatus, & auarus, & omnes qui peccant. Non enim ordinatè incedunt in acie, ſed prauè & peruerſè. Cæterum eſt aliud quoque genus malorum, non tale quidem, ſed ipſum quoque vitium, nempe puſillanimitas. Nam ipſa quoque ſimiliter perdit atque ſocordia & ſegnitiæ. Qui non fert contumeliã, eſt puſilli animi. Qui non fert tentationem, eſt puſilli animi. Hic eſt qui ſupra petram eſt ſeminatus. Eſt & aliud genus, nempe inſirmitatis, Suſcipite, inquit, in-

1. Tim. 5.

Hebr. 13.

Per facerdores quænam allequatur populus.

Eccleſiæ ordo eſt militari conueniētior.

firmitas. Infirmas autem est circa fidem. Sed vide quomodo non sinat eos haberi despiciatui. Porro autem alibi quoque scribens dicebat, Infirmos in fide suscipite. Etenim in nostris corporibus infirmam partem non sinimus perire. Patientes, inquit, estote ad omnes, maxime aduersus inordinatos. Nullum enim medicamentum doctori magis quam hoc conuenit: nullum est magis aptum ei qui parer. Planè potest pudorem incutere ei etiam qui est omnium ferissimus & impudentissimus. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat. Si malum pro malo non est reddendum, multo magis malum pro bono. multo magis si nullum prius fuerit malum, non est malum reddendum. Iste, inquit, est improbus, & multis affecit molestiis. ne ei par pari referas. Sine abeat impunè. Satisne est huc vsque? Nequaquam. Sed semper quod bonum est sectamini inuicem, & in omnes. Hæc maior est philosophia, non solum mala malis non rependere, sed bonis. Hæc enim re vera est vltio, & illi damnum asferens, & tibi vtilitatem. imò illi quoque magnam, si velis, vtilitatem. Et ne existimes quod hoc dictum de fidelibus solum, propterea dicit & inuicè, & in omnes. Semper gaudete. Hoc de tentationibus quæ habent afflictionem. Audite quicumque incidistis in paupertatem, & qui in res aduersas. ex his enim nascitur gaudium. Quando enim hoc sumus animo vt nullum vliscamur, sed omnes afficiamus beneficio, quomodo quæso poterit subire stimulus molestiæ? Qui enim dum malè afficitur sic lætatur, quomodo de cætero poterit in cerere affici? Et quomodo potest, inquit, hoc fieri? Si velimus, fieri potest: Deinde etiam viam ostendit. Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei semper gratias agere. Hoc est animi philosophici. Passus es aliquid mali: Sed si velis, non est malum. Age Deo gratias, & mutatur malum in bonum. Dic tu quoque sicut Iob, Sit nomen domini benedictum in sæcula. Quid enim, dic mihi, tale passus est? Inuasit morbus, sed non est nouum nec alienum. est enim nobis corpus mortale & patibile. At tibi accidit egestas pecuniæ? Sed ea & acquiri & amitti potest, & hic manet. At tibi insidias parant inimici, & te sunt calumniati. Sed nos in his iniuriis non accipimus, sed illi qui fecerunt. Anima enim, inquit, quæ peccat, ipsa morietur. Peccauit autem non qui malè est passus, sed qui malè fecit. Eum ergo qui est mortuus non oportet vliscisci, sed pro eo orare, vt ipse à morte liberetur. Non videtis quod apis in stimulo moriatur? Per hoc animal nos erudit Deus ne propinquos molestia afficiamus. Ipsi enim prius mortem accipimus. Illos quidem fortasse parum molestia affecimus: ipsi autem non amplius viuimus, sicut nec illud animal. Atqui scriptura id laudat dicens. Quam operatrix est apis, cuius opus Reges & priuati ad lanitatem adhibent. Sed nihil eam protegit vt non moriatur, sed omnino pereat oportet. Si eam autem malè facientem non liberant reliqua quibus præcellit, multo magis nos. Nos enim re vera facit esse ex feris seuisissimis, quod cum nullus te iniuria afficiat, tu prior iniuriam facis, imò verò ne ex feris quidem. Nam si illas siueris pasci in solitudine, & non in angustum adductas adegeris ad necessitatem, nunquam te lædent, neque accedent, neque mordebunt, sed viam suam abibunt. Tu autem cum sis homo ratione præditus, tantòque imperio, honore, & gloria ornatus, feras imitaris in eos qui sunt eiusdem generis, & fratrem iniuria afficis, & excedis. Et quomodo te poteris defendere? Non audis Paulum dicentem, Cur non potius iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed vos iniuriam facitis & fraudatis: & hoc fratribus. Vide quod in malè faciendo sit malè pati, & in malè patiendo beneficio affici. Nam dic quæso, si

Rom. 14.

Mala bonis rependere est summa philosophia.

Iob. 1.

Ezech. 18.

Qui iniuriam priores faciunt, sunt feris peiores.

1. Cor. 6.

quis maledicto appeteret magistratus, si quis contumelia afficeret eos qui dominatum obtinent, cuiam facit iniuriam? Sibine, an illis? Est perspicuum quod sibi faciat. Deinde qui magistratum quidem afficit contumelia, non illum sed seipsum contumelia afficit: Qui autem Christum contumelia afficit, illum per illum afficit contumelia. Nequaquam. Qui autem imagines appetit lapidibus, quosnam appetit lapidibus? an non seipsum? Deinde si is quidem qui Regis terrestris imaginem lapidibus appetit, seipsum appetit lapidibus: qui Christi autem imaginem contumelia afficit, est enim homo Dei imago: Qui, inquam, hominem contumelia afficit, non seipsum afficit iniuria? Quandiu pecunias amabimus, nõ cessabo aduersus eas clamare. eæ enim sunt omnium causæ. Quousque nulla nos capit satietas inexplebilis huius cupiditatis? Quidnam pulchri boniue habet aurum? totus planè stupeo, hoc planè quædam sunt prestigia, aurum & argentum à nobis in tanto honore haberi. Atque animarum quidem nostrarum nos nullam habemus rationem, in animas autem imagines valde colimus. Vndè nam orbem terræ inuasit hic morbus? Quis eum poterit exterminare? Quenam ratio immanem hanc beluam excindere & penitus delere poterit? Instructa est in animis hominum cupiditas, etiam eorum qui videntur esse pij ac religiosi. Euangelicorum nos pudeat præceptorum: Verba ista sunt solum in scriptura, factis autem nusquam apparent. At specie quidem pulchrum est quod dicitur à multis. Habeo, inquit, filios, & metuo ne ipse veniam in necessitatem famis & egestatis, ne aliis egeam: pudet me mendicare. Propterea ergo facis vt alij mendicent? Non possunt, inquit, esurire. Propterea alios in famem conicis? Scis quàm graue sit mendicare, quàm graue fame perire. alios autem non vereris perimere? Atqui esurire quidè nec probum habet nec crimen: in ea autem alios conicere, non solum affert probum, sed etiam vltimum supplicium. Hæc omnia sunt prætextus, verba & nugæ. Nam quod filiorum causa hæc non facitis, testantur qui filios quidem non habent, nec habebunt, non secus tamen vexantur & affliguntur, & tantas complectuntur diuitias, quantas, si eas relicturi essent mille filiis. Nõ est sollicitudo de filiis quæ reddit pecuniæ auidi, sed morbus animi. Propter eum & multi qui non habent filios, laborant infano amore pecuniæ. alij autem numerosam habentes sobolem, etiam quas habent facultates despiciunt. Illi in illo die te accusabunt. Nam si susceptorum filiorum necessitas vim afferret ad colligendas pecunias, oporteret illos idem habere desiderium, eandem cupiditatem. Si autem non habemus, furimus, nõ propter filiorum multitudinem, sed propter avaritiam & pecuniæ cupiditatem. Et quoniam sunt, inquit, qui cum filiis pecunias despiciunt? Multi, & crebro. Si vis autem, dicam etiam de veteribus. An non Iacob habuit duodecim filios? An non vitam egit mercenarij? An non iniuria afficiebatur à focero? An non ipse cum sæpe spreuit & fessellit? Num magnus liberorum numerus coegit eum quod non debuit capere consilium? Quid verò Abraham, an non cum Isaac alios quoque multos habuit filios? Quid verò, an non ea quæ habebat peregrinis possidebat? Vides quod non solum iniuriam non faciebat, sed suis etiam bonis cedebat, non solum bene faciens, sed etiam sua spote iniuria affectus à filio fratris. Nam propter Deum ferre, dum tua tibi rapiuntur, multo est maius quam benè facere. Quare? Nam hoc quidem est fructus animi & liberi arbitrij. Vnde etiam fit facile. Hoc verò est insultus & violentia, & facilius quispiam sua sponte decies mille prodegerit talenta, & existimabit se nihil graue esse passum, quàm si ei inuito rapti fuerint tres oboli, placidè

Imaginè lapidibus appetens non illum sed seipsum lapidibus appetit.

In avaritiam inuadit.

Filij sunt prætextus avaritiæ.

Gen. 13.

Filios curat Deus.

Diuitiæ non sunt honoris: tum gloria sed avaritiæ.

Pecunia per avaritiam quomodo exauatur.

Luc. 19.

placidè feret. Quamobrem hoc est magis animæ philosophia. Hoc autem videmus Abrahamo vsuenuisse. Vidit enim, inquit, Lot circumcirca sitam regionem, & irigabatur sicut paradysus Dei, & eam elegit. Ille autem non contradixit. Vides quod non solum non faciebat iniuriam, sed etiam iniuria afficiebatur. Quid tuos filios accusas o homo? Nõ propterea nobis Deus dedit filios, vt aliena raperemus. Vide ne hoc dicens Deum irrites. Nam si dicis eos esse tibi auctores & causas rapinæ, & quod propter eos pecuniæ colligendæ inhies, timeo ne eis priueris, vt qui lædant & insidientur. Deus dedit tibi filios vt tui curam gerat in senectute, vt virtutem à te discant. Nam propterea genus hominum ita Deus voluit consistere, duo maxima comparans. Vnum quidem, patres magistratos & doctores constituens. alterum autem, magnam ingeneras & inferens dilectionem. Si enim temerè gigneretur homines, nullus aduersus alium vllam haberet habitudinem. Nam si nunc cum sint patres & filij & nepotes, multi multos non curant, multo magis tunc. Propterea filios tibi dedit Deus. Ne accuses ergo filios. Si autem ij quibus sunt filij nullam habent defensionem & excusationem, ij qui nullos habent, & cruciantur in colligendis diuitiis, quidnam habent quod dicant? Sed ij quoque dicunt aliquid quod caret omni defensione. Quidnam autem hoc est? Vt pro filiis, inquit, monumentum habeamus diuitias. Planè res est valde ridicula. Pro filiis, inquit, diuitiæ erunt immortalis memoria meæ gloriæ. Non tuæ gloriæ o homo, sed tuæ avaritiæ erit memoria. Non vides quomodo nunc multi præclaras domos obeuntes hæc dicunt inter se: Quàm multa iste nefariè circūueniendo acquisiuit, quàm multa rapuit vt hanc domum ædificaret? Et nunc ille quidem factus est puluis & cinis: ipsa verò hæreditaria forte alij obtigit. Non tuæ ergo gloriæ, sed avaritiæ relinquis memoriam. Et corpus quidem tuum humi est cõditum, avaritiæ autem memoriam, quæ diuturnitate temporis latere poterat, non finis, sed vt eruatur & effodiatur per domum effcis. Quandiu enim ea steterit à te habès denominationè, & quæ tua esse dicatur, planè necesse est vt omnium ora aduersus te sint aperta. Vides quod melius sit nihil habere, quàm talem subire accusationè. Et hæc quidem hic: illic autem, dic quæso, quid faciemus? Tam multorum dominium hic affecuri, ex iis autem quæ habemus, vel nihil, vel pauca admodum impertiti, quomodo quæ iniuste & per avaritiam à nobis sunt acquisita exuemus? Nam qui vult iniquè & avarè parta exuere, non pauca dat ex multis, sed multis partibus plura iis quæ rapuit, & desistit rapere. Audi quid dicat Zacchæus, Et eorum quæ rapui reddo quadruplum. Tu autem decies mille rapiens talenta, si pauca dederis drachmas, te totum reddidisse existimas, & ita es affectus tanquam plura dederis, idque vix. Quamobrem? Oportet enim & illa ipsa reddere, & ex iis quæ domi tuæ sunt alia addere. Quomodo enim fur non illa sola reddens se defendit, sed etiam sæpe addens animam, sæpe autem transigit longè pluribus datis: ita etiam avarus. Avarus enim est fur & latro, illo multo sæuior & immanior, quod etiam magis accedit ad naturam tyranni. Nam ille quidem, quod & clanculum & noctu aggrediatur, ex audacia sceleris multum amputat, vt qui & erubescat & timeat peccare. Ille autem omnem exuès pudorem, nudo capite in medio foro bona omnium rapit, vt qui simul sit fur & tyrannus. Non muros fodit, nõ lucernam extinguit, nec cistellam aperit, nec signacula resignat & euertit. Sed quid? Ea facit quæ sunt his iuueniliora. Is videtibus iis quibus fit iniuria, per portam eicit, cum libertate & fiducia omnia aperit, cogit hos ipsos sua exponere: adeo vehemens & exuperans est eius violentia. Ille est illis longè

A impurior ac sceleratior, quod est impudentior & magis tyrannicus. Nam qui dolo quidè aliquid est passus, dolet quidem, sed non paruum habet solatium, quod ille ipse qui iniuria afficit extimescat. Ille autem postquam est malè passus, etiam despectui habitus, vim ne ferre quidem poterit: magis enim irridebitur. Dic mihi, si quis clanculum cum muliere admitteret adulterium, alius autem vidente marito hoc fecisset, quis maiori dolore affecisset, & ad mordendum fuisset aptior? Nam hic quidem cum eo quod malè fecit etiã illum habuit despectui: ille autem, si nihil aliud, ostendit se timuisse eum qui fuerat affectus iniuria. Ita etiam in pecuniis, qui clam quidem accepit, eo ipso honorauit, quod clam acciperet. Qui autem apertè & publicè, cum damno probum etiam intulit & dedecus. Cessemus ergo aliorum bona rapere & pauperes & diuites. Non solum enim hæc loquor diuitibus, sed etiam pauperibus. Nam ipsi quoque eorum bona rapiunt qui sunt se pauperiores, & ditiores & potentiores opifices eos venundant qui sunt egentiores & pauperiores, caupones caupones, & omnes qui sunt in foro. Non enim in mēsurā eorum quæ rapiuntur & furto auferuntur, sed in furantis voluntate & arbitrio consistit iniuriam faciētis maleficium. Quod autem isti sint magis fures, & plura habendi cupiditatis magis laborent vitio ij, qui nec parua despiciunt, scio & memini me apud vos dicere, si vos meministis. Sed de his nihil exactè & accuratè dicamus. Sint ij quoque perinde atque diuites. Erudiamus animum vt deinceps non maiora concupiscat, quod est amplius non appetat. In cœlestibus verò nõquam habeat terminum, eius quod est amplius desiderium, sed plus semper vnusquisque appetat. In terra verò ad vsum & sufficientiam consistat vnusquisque, & nihil quærat amplius, vt sic possimus quæ verè bona sunt assequi, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum patre, &c.

Adulter manifestus peior est nõ manifestus.

Ephes. 5. Hiccupit.

ORATIO XI.

SPIRITVM nolite extinguere, prophetias nolite spernere. Omnia autem probate, quod bonum est tenete. Ab omni specie mala abstinete vos. Crassa quædam caligo, tenebræque & nubes offusa est vniuersæ terræ, idque significans dicebat Paulus, Fuimus enim aliquando tenebræ. Et rursus, Vos fratres, non estis in tenebris, vt dies vos tanquam fur comprehendat. Quoniam ergo nox est, vt ita dicam, luna carens, & in hac nocte ambulamus; dedit nobis Deus præclaram lampadem, vt qui Spiritus sancti gratiam in nostris animis accenderit. Sed hanc lucem alij quidem acceptam splendidiorem fecerunt lætæque & hilarè, vt pote Petrus, vt Paulus, vt omnes illi sancti. Alij autem etiam extinxerunt, vt quinque virgines, vt illi qui circa fidem fecerunt naufragium, vt qui Corinthi est scortatus, vt Galatæ auersi. Propterea dicit Paulus, Spiritum nolite extinguere, hoc est gratiam. ita enim mos est ei vocare, & gratiam spiritus. Eam autem extinguit vita immunda. Quomodo enim si quispiam in hanc lucernæ lucem & aquam & terram infuderit, lucernam extinguit, et si nihil horum fecerit: sed oleum tantum exemerit. Ita etiam in charismate seu dono gratiæ. Nam si terrena, & diffluentium rerum curas insperferis, spiritum extinguis. Et si nihil tale feceris, alicunde autem adueniens irruerit tentatio vehemens tanquam spiritus aliquis, & flamma non sit vehemens, aut multum habens olei, aut foramen non obstruxeris, aut ostium non claueris, pereunt omnia. Est autem quoddam foramen, sicut in lucerna, ita etiam in nobis, oculus & auris. Ne sinas vt in eos irruat vehemens spiritus nequitia, quoniam lucernam extinguit, sed ob-

Narratio
quædam de
muliere
quæ celsit
admiratio-
nem.

Admiratio
no, Ita
Christum
vidit in
cæcitate.

Admiratio
per pul-
chritudi-
nem.

spicimus? Vultis rem vobis narrem, quam ipse audiui, neque enim rem fingens dico, sed auditam a viro fide digno. Ancilla quædam cuidam viro improbo & impuro fugituo coniuncta, ipsa, cum vir eius multum peccasset, & à domina esset vendendus, maiora enim erant peccata quam vt ei dari posset venia, & mulier erat vidua, & eum castigare cum eius domum perderet non poterat, sed statuerat videri, deinde esse nefarium existimans domina virum ab vxore separare, maluit illam mulierem quanuis frugi & vtilem simul cum eo vendere, quam illam separationem. Videns ergo puella se esse redactam in magnam animi perplexitatem, veniens ad reuerendam personam dominæ suæ familiarem, quæ & mihi narrauit, & genua prehensens, & multum lacrymans & eiulans, rogauit vt suam dominam pro ipsa oraret, & multis verbis consumptis postea hoc quoque addidit, tanquam ei maximè persuasura, quoddam maximè horrendum inferens iusiurandum. Erat autem hoc iusiurandum, Ita Christum videas in die iudicij, ne meas preces despicias, & cum hæc dixisset abiit. Quæ verò fuerat rogata, cum quædam incidisset sollicitudo de iis quæ ad vitam pertinent, vt accidit in domibus, oblita est. Deinde repente in crepusculo pomeridiano recordata est maximè horrendi illius quo adacta fuerat iusiurandi, & vehementer fuit compuncta, & abiens enixè & diligenter rogauit, & rem confecit. Illa autem nocte cæcos repente vidit apertos, & ipsum Christum. Vidit autem vt videri potest à muliere. Quoniam autem de iure iurando fuit sollicita, quoniam timuit, hac visione digna fuit habita. Hæc autem dixi, ne despectui habeamur adiurationes, maximè cum de rebus bonis & honestis nos quidam rogauerint, maximè pro eleemosyna, pro benignitate & clementia. Nunc autem sedent pauperes pedibus manci ac mutilati, videntes te prætercurrentem: deinde quoniam pedibus te non possunt assequi, sperant se veluti quodam hamo adiurationis metu te retenturos, & manus extendentes adiurant vt vnum aut duos solos des obolos: tu autem prætercurtis per tuum adiuratum dominum, & si te adiurauerit quidem per oculos aut mariti peregrè profecti, aut filij, aut filia, statim cedis, & salit animus, & incalescis. Sin autem per dominum adiurauerit, prætercurris. Ego autem multas noui quæ audito domino prætercurrerunt: de pulchritudine autem laudata ab accedentibus, lætitia sunt effusa & emollita, & manum porrexerunt. Eò itaque miseros adigunt pauperes vt risum moueant. Nam quoniam verbis vtentes vehementibus & acerbis, non tangunt animum, ad hanc viam deueniunt per quam maximè delectantur: & cum qui est in calamitate, & fame cruciatur, cogit nostra improbitas pulchritudinis dicere encomium. Et vtinam hoc solum, sed alterum quoque genus hoc acerbius, nempe præstigiatores cogit esse pauperes, scurras, & parasitos risum mouentes. Quando enim calices, hederaceas pateras, & pocula digitis inserens & imponens ludit cymbalis, & fistulam habens, turpia cantica & amore plena per eam cantat & voce clamat: Deinde multi circumstant, & alij quidem frustum panis, alij verò obolum, alij verò aliquid aliud præbent, & diu retinent, & delectantur & viri & mulieres, quid est hoc grauius? An non sunt hæc valde deploranda? parua quidem sunt, & parua existimantur, nostris autem moribus magna ingenerant peccata. Quando enim dictus fuerit quidam obscenus & dulcis modus, mollit animum, & illam ipsam corrumpit animam. & pauper quidem Deum inuocans, & bona vobis precans innumerabilia, à vobis nihili aestimatur: qui autem pro his inducit iuuenilia, habetur in admiratione. Quod autem nunc mihi venit in mentem apud vos dicere,

A hoc dicam. Quidnam hoc est? Quando in paupertatem & morbum incideris, si non aliunde, à medicis quidem certè qui per compita & angiportus ingrediuntur disce domino agere gratias. Isti enim totam vitam in mendicando consumentes, non irascuntur, nec ægreferunt, sed omnem suam mendicitatem recensent cum gratiarum actione, Deum magnum facientes clementem: que & benignum. Qui fame quidè perit, vocat benignum. Tu autem qui viuus in maxima rerum omnium copia, nisi res omnium acceperis, vocas crudelem. Quando est ille melior? Quomodo nos condemnabit? Nobis communes calamitatum doctores, & consolationem per vniuersum orbem terræ Deus dimisit, pauperes. Passus es aliquid quod nolebas, sed nihil conferendum cum eo quod ille passus est. Orbatus es oculo: sed ille ambo- bus. Laborasti morbo diuturno: sed ille incurabili. Amisisti pedes: sed ille etiam sanitatem sui corporis. Magnum accepisti damnum: sed nondum eò es redactus vt alius egeres. Deo age gratias. Vides illos in fornace paupertatis, & ab omnibus quidem petentes, à paucis autem accipientes. Quando defessus es orando & nihil accipis, cogita quoties pauperem audieris vocantem, & non exaudieris: ille autem nec succensuit, nec te contumelia affecit. Atqui tu hoc quidem facis ex crudelitate: Deus verò etiam ex benignitate facit quod non audiat. Si ergo tu cum conferuum non audias ob crudelitatem, non æquum censet, vt reprehendaris: dominum serui, qui propter benignitatem non exaudis, reprehendis? Vides quanta sit inæqualitas, quanta ini- quitas & iniustitia. Hæc perpetuò cogitemus, & inferiores, & eos qui in maioribus sunt calamitatibus, & ita poterimus Deo agere gratias. Multis eiusmodi exemplis plena est vita: non paruam autem habet doctrinam qui est sobrius, & vult attendere, vel ex domibus orationis. Propterea enim & in ecclesiis & in martyriis ante vestibula sedent pauperes, vt nos ex illorum aspectu magnam capiamus vtilitatem. Cogita enim quod in terrenas regias nobis ingredientibus nihil licet videre eiusmodi: sed viri graues, honesti & magnifici, præclarique diuites & intelligentes quoquo versus excurrunt. In verè autem regias, ecclesias, & Martyrum domos oratorias ingredientibus obuerlantur dæmoniaci, manci & mutili, pauperes, senes, cæci, & qui sunt peruersis membris. Quamobrem? Vt ex horum aspectu erudiaris. Primum quidem, vt si ingressus fueris extrinsecus aliquem fastum attrahens, cum illos aspexeris, & animi elationem deposueris, & cor contriueris, ita ingrediaris, & audias quæ dicuntur. Fieri enim non potest vt audiatur, qui precatur cum fastu. Vt quando senem videris, non efferaris & tibi placeas ob iuuetutem. Nam isti quoque senes fuerunt iuuenes. Vt quando propter militiam & potestatem regiam te valde iactaris, cogites quod ex his sunt qui in aulis regis præclari & illustres euaserunt. Quando in sanitate corporis fueris confidens, hos attendens tuam comprimas insolentiam. Etenim qui huc assidue ingreditur, qui est quidem sanus, non valde sibi placebit de sanitate corporis: qui autem laborat, non leuem accipiet consolationem. Non propter hoc autem solum hic assident, sed vt te quoque reddant misericordem, & flectaris ad misericordiam: vt Dei admireris benignitatem. Si enim Deum illorum non pudet, sed eos statuit in vestibulis: multo magis nec tu, ne propter terrenas regias insolescas & superbias, erubescas si voceris à paupere: & si accesserit, si genua prehenderit, ne repellas. Sunt enim isti canes quidam admirandi aularum regiarum. Non enim eos probro afficiens vocaui canes, absit. sed etiam valde laudans. Aulam seruant regiam. eos ergo nutri: honor enim

A mendicis discendum Deo agere gratias.

Basilicæ ades factæ.

Canes aularum.

tura timore Dei. Os est ostium: claude & obfera, vt & lucem præbeat, & externam repellat irruptionem. Vt, exempli causa, te contumelia affecit, maledicto appetiuit. Os claude. Nam si aperueris, ventum excitat & ventilas. Non vides in ædibus, quando ex aduerso & directè steterint duæ ianue, sitque ventus vehemens, si alteram claueris, & aduersus non fuerit flatus, nihil potest ventus, sed magna pars eius virium præciditur: Ita nunc quoque duæ sunt ianue, os tuum, & eius qui te contumeliis afficit & conuitiis. Si tuam claueris, & flatum aduersum non dederis, extinguis totum spiritum. Sin autem aperueris, non potest cohiberi. Ne cum ergo extinguiamus. Sæpe autem contingit, vt etsi nihil irripat, extinguitur flama, cum defecerit oleum. Quando eleemosynam non facimus, extinguitur spiritus. Etenim ad te venit à Dei eleemosyna & misericordia. Deinde videt apud te non esse hunc fructum, & non manet apud te immisericordem. Exincto autem spiritu reliqua scitis qui ambulastis in nocte in qua non lucet luna. Si autem viam quæ fert à terra in terram noctu ire est difficile, quomodo est tutum ingredi via quæ à terra ducit in cælum? Nescitis quàm multi sint demones in hoc spatio: quàm multa fera, quàm multa spiritalia nequitia? Atque si illam quidem habeamus lucem, nihil nos poterit lædere. Sin autem illam extinxerimus, nos citò consumunt, citò omnia nostra auferunt. Nam latrones quoque extincta lucerna latrocinantur. Nam illi quidem videt in hac luce, quoniam agunt quæ sunt tenebrarum: nos autem nos sumus affucti illi luci. Ne ergo eam extinguiamus. Omnis mala actio extinguit hanc lucem: & maledictum, & contumelia, & quidquid dixeris. Quomodo enim in igne, quidquid est ab eo alienum, eum perimit. id autem eum accendit quod est illi cognatum: si quid est siccum, si quid calidum, si quid ignitum, id accendit flammam spiritus. Nihil ergo frigidum inferamus, nec humidum. Hæc enim ea perimunt. Est autem etiam alia expositio. Multi apud ipsos, alij quidem verè prædicebant, alij verò falsum dicebant. Hoc etiam dicit in epistola ad Corinthios, dicens eum propterea dedisse discretionem spirituum. Nam cum sceleratus esset diabolus, voluit per hoc donum prophetiæ euertere vniuersitatem ecclesiæ. Nam quoniam ambo futura prædicebant, & demon & spiritus, sed ille quidem falsum dicens, hic verò verum: & nusquam poterat accipi signum & indicium, sed nec poena, nec rationi reddenda obnoxij dicebant vtrique, vt Hieremias & Ezechiel. Sed cum venisset tempus, fuerunt probati & deprehensi, dedit etiam discretionem spirituum. Quoniam ergo tunc quoque apud Thessalonicenses multi prophetabant, quos etiam innuit dicens, Neque per sermonem, neque per epistolam, tanquam per nos, quasi inisset dies domini, hoc hic dicit. Hoc est, non quoniam sunt apud vos aliqui pseudopropheta, hos quoque prohibeatis, & hos auersemini. Nolite eos extinguere, hoc est, prophetias nolite spernere. Vides quod hoc sit quod dicit, Omnia probate. Quoniam autem dixit prophetias nolite spernere, ne existimarent eum omnibus aperuisse suggestum, Omnia, inquit, probate. Hoc est, eas quæ verè sunt prophetiæ. Quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete. Non ab hac aut illa, sed ab omni. Omnia probate & vera & falsa, vt cum examinatione discernatis, & ab illis abstinatis, his verò adhæreatis. Ita enim & illorum vehemens erit odium, & horum amor, quando non leuiter & citra considerationem & examinationem, sed exactè & accuratè omnia fecerimus. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, & integer spiritus vester & anima, & corpus sine querela in aduentu domini nostri Iesu Christi seruetur.

A Vide doctoris beneuolentiam. Post admonitionem preces quoque subiungit, non solum sermone, sed etiam in literis. Opus est enim & consilio & precibus. Propterea nos quoque prius consulentes, tunc pro vobis preces fundimus, & hoc sciunt qui sunt sacris initiati mysteriis. Sed Paulus quidem meritò hoc faciebat, magnam apud Deum habens fiduciam & loquendi libertatem. Nos autem & pudore suffulti sumus, & fiduciam non habemus, nec loquendi libertatem. Sed quoniam ad hoc constituti & ordinati sumus, hoc agimus, cum indigni quidem simus & adfistere, & vel vltimorum discipulorum locum tenere. Quoniam autem etiam per indignos operatur gratia, non propter ipsos, sed propter eos quibus sunt profutura, nostra asserimus. Sanctificabit vos, inquit, per omnia, & integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentu domini nostri Iesu Christi seruetur. Spiritum quid hic dicit? Charisma seu donum gratuitum. Nam si recesserimus splendidas habentes lampades, ingrediemur in sponsi thalamum. Sin autem extinctas, nequaquam. Propterea dicit, Integer noster spiritus. Illo enim manente integro, & is manet, & anima, inquit, & corpus. Neque enim ipsa aliquid malum accipit, nec illud. *Fidelis est qui vocauit vos, qui etiam faciet.* Vide humilitatem. Nam quoniam precatus est, Ne existimetis, inquit, quod hoc fiat ex meis precibus, sed ex proposito quo vos vocauit. Si enim vocauit ad salutem, est autem verus, omnino salutem dabit cum velit. Fratres orate pro nobis. Papæ! quanta humilitas. Sed ille quidem hoc dicebat propter humilitatem; nos autem non propter humilitatem, sed propter multam vilitatem, & ex vobis magnum aliquod lucrum volentes accipere, dicimus, Orate etiam pro nobis. Nam etsi non magnam nec admirandam à nobis accipitis vtilitatem, sed tamè propter ipsum honorem, propter ipsam appellationem. Habuit quispiam aliquando filios, & tamen etiam si ipse eos nihil iuuerit, sed tamen quoniam fuit pater, hoc fortè eis impropere, dicēs, Vno die non sum à vobis vocatus pater. Propterea nos quoque dicimus, Orate etiam pro nobis, non temerè hoc dicens, sed vestras preces valde desiderans. Si enim sum obnoxius omnium vestrum curam gerere, & sum redditurus rationem: multo magis debeo vestras assequi preces. Propter vos sum magis obnoxius reddendis rationibus, & vos ergo mihi debetis maius dare auxilium. *Salutate fratres omnes in osculo sancto.* Papæ! quantus ardor, quæ mens & quis animus. Quoniam cum esset absens, hoc osculo eos salutare non poterat, per alios eos salutat. vt quando dicimus, Pro me eum osculare. Ita vos quoque tenete ignem charitatis, non enim sustinet locorum interualla, sed etiam per medias vias seipsam extendit, & adest vbique. *Adiuuro vos per dominum, vt legatur epistola hæc omnibus fratribus.* Hoc quoque maximè est desiderij, non adeò doctrinæ. Vt illos quoque, inquit, alloquar. *Gratia domini nostri Iesu Christi vobiscum.* Amen. Non leuiter præcepit, sed adiurans, & hoc quoque ex feruenti animo, vt etiam si ipsum despexerint, propter adiurationem faciant quod fuerit præceptum. eius enim rei magnum habebunt metum: nunc autem hoc quoque est conculcatum. Et sæpe contingit vt puer flagris cadatur, & Deum adiuret & Christum eius, & dicat, Ita Christianus moriaris, & nemo attendat, nemo aduertat & curet. Sin autem per proprium adiuret filium, statim & inuitus & stridens dentibus, iram remittit. Alius rursus dum trahitur, & in medio foro abducitur, adstantibus & Græcis & Iudæis, maximè horrèdis eum qui abducit adiurat sacramētis, & nemo attendit. Quid non dicent Græci, quando fidelis adiurat fidelem & Christianum, & nulla eius habetur ratio, sed etiam despicimus?

Gratia operatur etiam per indignos.

Deus à populo oratus pro episcopo.

Si non fiat eleemosyna, extinguitur gratia spiritus.

Gratiam spiritus extinguit quicquid est ei contrarium.

1. Cor. 12.

1. Thess. 2.

Examinedi sunt spiritus exactè & accuratè.

ascendit ad Regem. Illic omnia sunt fastus & superbiam, in regis, inquam, quae sunt super terram. Hic omnia sunt humilitas. Quod nihil sint res humanae, ex ipsis maxime discis vestibulis. Quod diuitiis non delectetur Deus, doceris, ab iis qui ante ipsa sedent. Eorum enim sessio & congregatio est propemodum admonitio ad omnium hominum naturam, claram vocem emittens & dicens, Nihil sunt res humanae nisi umbra & fumus. Si bonum essent diuitiae, Deus non fecisset pauperes sedere ante sua vestibula. Si autem admittit etiam diuites, ne mireris. Non enim ideo admittit ut maneant diuites, sed ut discedant a fastu & elatione animi. Audi enim quid eis dicat Christus. Non potestis Deo seruire & mammonae. Et rursus, Diues difficile intrabit in regnum caelorum. Et rursus, Facilius est camelum intrare per foramen acus, quam diuitem in regnum caelorum. Propterea excipit diuites, ut haec verba audiant, ut aeternas desiderent diuitias, ut concupiscant ea quae sunt in caelis. Et quid miraris si non dedignatur ut in sedeant in vestibulis, non dedignantur enim vocare ad mensam spiritua-

Matt. 6. lem, & illos eo impertiri conuiuio. Sed & claudus & mutilus, senex & pannis obfusus, sordidus & mucosus, simul cum pulchro iuueni, & qui se induit purpura, & cui redimitum est caput diademate, venit mensae participes futurus, & dignus censetur spirituali conuiuio, & iisdem fruuntur vtriq; & nulla est differentia. Deinde Christus quidem non dedignatur eos simul cum Rege vocare ad mensam: ambo enim simul vocantur. Tu autem fortasse dedignaris videri dare pauperibus, aut etiam eos alloqui. Papae! quanta est insolentia, quantus fastus. Vide ne eadem nobis accidant quae diuiti. Dedignabatur ille vel aspicere Lazarum, & ne domus quidem tecto cum impertiebatur, sed foris erat abiectus in vestibulo. Sed nec verbis quidem eum est dignatus. Sed vide quemadmodum cum eius opus haberet auxilio, id non sit affectus. Si enim nos eorum pudet, quorum Christum non puduit, Christi nos pudet, dum nos pudet eius amicorum. Impletur mensa tua claudis, mancis ac mutilis. Per eos aduenit Christus, non per diuites. Fortassis rides audiens. Ne ergo existimes meum esse verbum, audi ipsum Christum dicentem, ut non rideas, sed ut horrescas. Quando, inquit, facis prandium aut coenam, ne voces amicos, neque fratres tuos, neque cognatos tuos, neque vicinos diuites, ne & ipsi te vicissim inuident, & fiat tibi retributio. Sed quando facis conuiuium, voca mendicos, mancos, claudos, caecos, & beatos eris, quia non habent unde tibi retribuunt: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum. Est autem hic quoque maior gloria, si quidem eam amas. Nam ex illis quidem est inuidia, accusationes, & maledicta, & metus plurimus ne quid praeter hoc fiat, & ita adsistis tanquam seruus domino, & si sint maiores, timens eorum querelas & ora. In his autem nihil est huiusmodi, sed quaecumque eis obtuleris libenter accipiunt: & magnus est plausus, splendida gloria, maior admiratio. Sed non illis ita applaudunt, sicut his, omnes qui audiunt. Si autem non credis, fac periculum tu diues qui vocas duces & principes, voca pauperes, & his imple mensam, ut videas num ab omnibus tibi applaudatur, num diligaris ab omnibus, num te omnes tanquam patrem sint habituri. Nam illarum quidem coenarum nullum est lucrum: pro his autem repositum est caelum, & bona quae sunt in caelis. Quae omnia nobis omnibus detur consequi gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum patre, &c.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI Commentarius in epistolam secundam ad Thessalonicenses, argumentum.

Gentiano Heructo Aurelio, Rhemenfi Canonico, interprete.

ORATIO I.



M in priori dixisset epistola, Optimus nocte & die vos videre: & Non sustinemus, sed Athenis remansimus soli, & nisi Timotheum, per haec omnia significans desiderium quod habebat ut ad eos veniret. Cum ergo fortasse nondum potuisset assequi ut ad eos veniret, & quae eorum fidei decerant suppleret, ea de causa hanc secundam ponit epistolam, ut quod a praesentia reliquum erat faciendum, suppleret per litteras. Nam quod non abiit, hinc licet coniecere. Dicit enim scribens, Rogamus autem vos per aduentum domini nostri Iesu Christi. Nam in priori epistola dicebat, De temporibus autem & momentis non indigetis, ut scribamus vobis. Quare si aduisset, non opus fuisset, ut scriberet. Quoniam autem dilata fuit quaestio, ideo addit hanc epistolam. Nam sicut dicit in epistola ad Timotheum. Quorundam fidem subuertunt quidam, dicentes resurrectionem iam esse factam, ut cum deinceps nihil magnum aut praecelaram sperassent fideles, ad suscipiendos labores despicerent animum. Nam quoniam spes eos erigebat, nec sinebat ut praesentibus cederent, veluti quandam ancoram volens excindere diabolus, quoniam non potuit persuadere falsa esse quae erant futura, alia via est ingressus, & emissis quibusdam perditis & exitiosis hominibus, aggrediebatur decipere credentes, eis suggerens quod magna illa & praecelara finem acceperant. Atque tunc quidem dicebat illi iam factam esse resurrectionem. nunc autem dicebant instare iudicium & Christi aduentum: ut & ipsum Christum mendacio redderent obnoxium, & cum ostendissent quod non est deinceps remuneratio, nec iudicium, nec poena, nec supplicium iis qui ipsis malefecissent, & illos redderent audaciores, & hos humiliores & abiectiores: & quod erat omnium grauissimum, aggrediebantur alij quidem verba solum mittere, tanquam quae dicebantur a Paulo: alij autem etiam fingere epistolas tanquam ab eo scriptas. Propterea omne iter eis intercludens, dicit, Ne terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos missam. Neque per spiritum, inquit, innuens pseudopphetas. Unde ergo sciemus, inquit? propterea adiecit, Salutatio mea manu Pauli. quod est signum in omni epistola. Ita scribo, Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Non hoc dicit quod hoc sit signum, est enim verisimile alios quoque hoc esse imitatos. sed, salutationem mea manu scribo. sicut nunc quoque sit apud nos. Nam ex subscriptione manifestae sunt litterae eorum qui mittunt. Admonet autem eos a malis valde infectos, & a praesentibus laudans, & a futuris adhortans, & a supplicio, & a remuneratione bonorum eis paratorum: & dilucidius locum tractat, ipsum quidem tempus non celans, temporis autem signum significans,

Signa aduentus Christi quoniam ant.

Matt. 24. Ibid.

Ioan. 5.

Infr. 2. Supr. 3.

2. Tim. 2.

1. Tim. 3.

Initium peccati quomodo exuperat.

Infr. 2.

Ibid. 2.

Initium superbiae quomodo se non nosse deum.

cas, Antichristum. Tunc enim imbecillus maxime certus fit animus, non si solum audiuerit, sed etiam aliquid amplius didicerit. Porro autem Christus quoque magnam de eo curam gerit, & in monte sedens omnia accuratè suis discipulis de consummatione. Quare? Ne locum habeant qui Antichristos introducant & pseudochristos, & ipse quoque multa eis ponit signa, vnum etiam dicens vel maximum, Quando fuerit praedicatum in omnibus gentibus euangelium. Alterum quoque, ne errent de eius aduentu, Tanquam fulgur, inquit, veniet. Non in aliquo angulo latens, sed vbique resplendens, non eget aliquo qui sit indicaturus, sicut nec fulgur eget indicaturo. Dicit autem alicubi etiam de Antichristo, cum diceret: Ego veni in nomine patris mei, & non recepitis me. Si alius venerit in nomine proprio, illum accipietis. Frequentes quoque & quae explicari non possunt calamitates eius esse dicit signum, & quod Eliam oportet venire. Atque dubitabant quidem tunc Thessalonicenses: nobis autem utilis fuit illorum dubitatio. Non enim illis solum, sed nobis quoque sunt haec utilia, ut a fabulis puerilibus & ab anilibus deliriis liberemur. An non saepe audiuitis cum pueri essetis, quosdam multa dicentes de Antichristo, & de genu flexione. adhuc enim teneris vestris animis haec inferit diabolus, ut simul crescat dogma, ut possit decipere. Non haec ergo praetermississet Paulus de Antichristo disserens, si fuisset utilia. Ne haec ergo quaeramus. Non enim sic veniet inclinans genua, sed se efferens super omne quod Deus dicitur, aut colitur: adeo ut in templo Dei tanquam Deum se collocet, ostentantem se esse Deum. Quomodo enim diabolus cecidit ex arrogantia, ita etiam qui in ipsum operatur instructus ad arrogantiam. Quamobrem rogo studeamus omnes remoti esse ab hoc vitio, ne in illius iudicium incidamus, ne eidem poenae sumus obnoxij, ne simus socij eiusdem supplicij. No neophytum, inquit, ne inflatus incidat in iudicium diaboli. Inflatus ergo eandem poenas dabit quas diabolus. Initium enim superbiae est, non nosse dominum. Initium peccati est superbia, primus impetus & motus ad malum, & fortasse quidè & radix & basis. Initium enim aut primum significat impetu ad malum, aut mali constitutionem & consistentiam. ut si dicas, Initium continentiae & castitatis est abstinere a malo spectaculo, hoc est primus impetus. Sin autem dicamus, Initium castitatis est ieiunium, hoc est fundamentum & constitutio. Ita etiam peccati initium arrogantia: ab ea enim incipit omne peccatum, & ex ea conflatur. Nam quod quaecumque bona egerimus, non sinat id vitium ea manere, & non excidere, sed sit veluti quaedam radix, quae non finit ut non labefiant, illinc est perspicuum. Vide quam multa fecerit Pharisaeus, sed nihil ei profuit. radicem enim non excidit, sed ipsa omnia perdidit & corruptit. Radice manente, ex arrogantia existit despicientia pauperum, pecuniae cupiditas, amor principatus, multae gloriae desiderium. Qui est huiusmodi, est propensus ad vlciscendam contumeliam. Nam qui est arrogans & elatae mentis, ne a maioribus quidem sustinet contumelia affici, nedum a minoribus, neque quidquam mali pati sustinet. Vide quomodo initium peccati sit superbia. Quomodo autem initium superbiae, est non nosse dominum? Merito. Qui enim nouit Deum ut nosse oportet, qui nouit quod filius Dei ad tantam se demisit humilitatem, non extollitur. Qui autem haec non nouit, extollitur. Ad arrogantiam enim instruit & parat superbia. Nam dic mihi, qui sit quod isti qui aduersus ecclesiam bellum gerunt, dicunt se nosse Deum? Ab arrogantia. Vide non nosse Deum, eos in quantum impellit praecipitium. Si enim spiritum contritum Deus diligit, contra

A superbis resistit, humilibus dat gratiam: Nullum est ergo malum quod conferri possit cum superbia. Hominem efficit daemone contumeliosum, blasphemum, perierum. Facit ut appetatur caedes. Superbus semper viuunt in doloribus & molestiis, semper irascitur, semper est tristis. Nihil est quod hac animi perturbationem possit fatiare. Etiam si viderit Regem se submittentem, incuruam & adorantem, non est satiatus, sed magis est accensus. Quomodo enim auari, quod plura accipiunt eo pluribus indigent: Ita etiam qui sunt elatae mentis, quatacunque fruuntur gloria, tanto maiorem expectant: augetur enim eis affectio: est enim affectio: affectio autem non nouit modum: sed tunc demum sistitur, quando occiderit eum qui ipsam habet. Non vides quod ebrius semper sitians? affectio enim est, non naturae desiderium, sed peruersus morbus. Non vides quod quae vocat *βελματων*, id est summe famelicis, semper esuriant: est enim affectio, ut dicunt medici. Naturae fines exuperant. Curiosi & otiosi indagatores, quaecumque passi fuerunt, non consistunt. est enim affectio, nec habet terminum. Rursus qui delectantur stupris & scortationibus, nec ipsi se sistunt. Scortatori, inquit, omnis panis est dulcis, non cessabit donec fuerit deuoratus, est enim affectio. Sed sunt quidem affectiones, non tamen immedicabiles, sed quae admittunt curationem, & multo magis quam corporales. Nam si velimus, eas possumus extinguere. Quomodo ergo potest extingui arrogantia? Si Deum agnoueris, si ea oritur ex eo quod Deus non cognoscatur: si eum cognouerimus, expellitur omnis arrogantia. Veniat tibi in mentem gehenna, veniant in mentem qui te sunt meliores. Veniat in mentem quam multorum tibi sunt luenda poenae. Si haec cogitaueris, cito animum contraxeris, cito eum flexeris. At non potes haec facere? es imbecillior? Cogita res praesentes, cogita naturam humanam & quod nihil sit homo, cum videris in foro ferri mortuum, filios orbos sequentes, viduam quae plangit vxorem, famulos lamentantes, amicos tristes & moerentes, reputa quam nihil sint res praesentes, & quod ab umbra & somniis nihil differant. At hoc non vis. Veniant in mentem diuites, & ij qui in bellis temere perierunt, considera virorum magnorum & illustrium aedes, quae nunc sunt dirutae & solo aequatae, cogita quantum potuerunt, & nunc eorum ne restat quidem memoria. Singulis enim diebus, si vis, inuenies horum exempla, successiones principum, diuitum bonorum publicationes. Multi tyranni humi sedent. is autem quem nemo suspicabatur, gestat diadema. Non sunt haec quotidie? Non sunt nostra rotae similia? Lege si vis & nostra & exter. Nam illa quoque plena sunt his exemplis. Si nostra despicias, idque ex arrogantia: si admiraris quae sunt philosophorum, ad eos quoque accede. Illi te docebunt, veteres narrantes calamitates, & poetae, & oratores, & sophistae, & omnes scriptores. Vndique si voles inuenies exempla. Si autem horum nihil vis, considera nostram naturam, & unde constet, & quomodo desinat. Considera quanti sis, quando dormis. Nonne vel parua bestia te poterit interimere? Multis enim saepe est tecto delapsum paruum animalculum, vel oculum ademit, aut alicuius alterius periculi causa fuit. Quid vero an non es inferior omnibus bestiis? Sed quid dicis te eis praestare ratione? Sed ecce non es ratione praeditus. egetis enim rationis argumentum est superbia. Sed de quonam quaelo omnino effertis, & tibi places? Propter bonam corporis habitudinem? Sed bruta eius palmam ferunt, victoriam consecuta. Hoc est apud latrones, & sicarios ac parricidas, & sepulchrorum efflores. At ob prudentiam. Sed non est prudentiae, insolere & sibi placere. Hoc quidem certe primo te priuas, ut non sis

Commentariorum prioris epistola ad Thessalonicenses, finis.

prudens. Cohibeamus ergo insolentes nostros spiritus & superbiam. Simus modesti, & humiles, mitisque & placidi. eos enim prae omnibus beatos pronunciauit Christus, dicens, Beati pauperes spiritu. Et rursus clamabat dicens, Discite a me, quoniam mitis sum & humilis corde. Propterea pedes lauit discipulorum, nobis praebens exemplum humilitatis. Ab eo omnia lucrificamus, vt possimus assequi bona promissa iis qui ipsum diligunt, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre, & Filio, & sancto Spiritu, in saecula saeculorum. Amen.

ORATIO II.



PAVLVS & Sylvanus, & Timotheus ecclesiae Thessalonicensium in Deo patre nostro & domino Iesu Christo. Plurimi homines nihil non agunt & moluntur, vt & apud magistratus, & eos qui sunt his maiores, aliqua valeant gratia, & magnum hoc esse ducunt, & beatos se esse existimant, si id consecuti fuerint, cuius studio tenentur. Si autem gratiam apud homines consequi est adeo magnum, a Deo gratiam inuenire quantum fuerit? Propterea hoc semper suae praeponebat epistolae, & hoc precatur, vt qui sciat quod si hoc sit, de caetero nihil crit molestum, sed soluentur omnia quaecunque fuerint graua & difficilia. Et vt hoc discatis: Ioseph erat seruus, iuuenis, imperitus & simplex, & repente ei fuit mandata domus administratio, & viro Aegyptio eorum quae gerebat reddebat rationem. Scitis autem quam sit gens illa summè ad iram procliuis, & quae minimè ignoscat. Cum autem accesserit principatus & potestas, maior est ira quae excitat a potestate. Perspicuum autem est vel ex iis quae fecit postea. Domina enim accusante passus est. Atqui non erat eorum qui tenebant vestimenta vim pati, sed eius qui fuerat ipoliatus. Oportebat enim dicere, Si vocem tuam sustulisses, fugisset: & si sibi fuisset conscius, non expectasset aduentum domini. Sed tamen nihil eiusmodi illi venit in mentem, sed cum absque ratione irae totum permisisset, coniecit in carcerem, adeo erat inconsideratus. Atqui poterat etiam ex aliis de viri beneuolentia & prudentia facere coniecturam, sed tamen quoniam valde egens erat rationis, nihil eiusmodi considerauit. Qui ergo & adeo improbum habebat dominum, & cui fuerat credita totius domus administratio, & erat hospes, & desertus, & imperitus, postquam Deus multam in eum effudit gratiam, quasi ne essent quidem tentationes, ita omnia pertransiit, & dominae calumniam, & mortis periculum, & carcerem, & postremo venit ad sedem regalem. Vidit ergo hic beatus quanta esset Dei gratia. & propterea eam ipsis precatur. Porro autem aliud quoque struit, volens eos reddere beneuolos ad ea quae scribenda erant in epistola: vt si eos & reprehendat & increpet, non resiliant. Propterea ante omnia eos admonet gratiae Dei, cor eorum leniens, vt si sit afflictio, recordantes gratiae qua fuerunt conseruati a maioribus, in minoribus animum non despondeant, sed illinc habeant consolationem. sicut etiam alibi scribens dicebat, Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati salui erimus in vita ipsius. Gratia vobis, inquit, & pax a Deo patre & domino nostro Iesu Christo. Gratias agere debemus semper Deo pro vobis Fratres, ita vt dignum est. Magnae humilitatis magnum est signum. dedit enim eis reputandum & cogitandum, quod si alij pro iis quae a nobis recte gesta sunt, non nos primum admirantur sed Deum, ita nos quoque. Alioqui autem eorum quoque extollit animos, quod ea patiantur quae non sunt digna lacrymis

nec lamentationibus, sed gratiarum actione in Deum. Si autem Paulus agit gratias ob bona aliena: quid iis fiet qui non solum gratias agunt, sed etiam tabescunt inuidia? Quoniam supercreuit fides vestra, & abundat charitas vniuscuiusque vestrum inuicem. Et quomodo potest, inquit, augeri fides? Hoc est, quando pro ea graue aliquid patimur. Atque magnum quidem est, esse firmum & stabilem, & a cogitationibus non labefieri ac dimoueri: Quando autem venti irruunt, irrumpunt imbres, vndique attollitur grauis tempestas, crebrique & densi sunt fluctus, deinde non labamus nec vacillamus, nullius alterius rei est indicium, quam quod creuerit & supercreuerit & altior facta sit. Quomodo enim in diluuiio omnia quidem lapidea & humilia cito sunt suffocata, quae erant autem supernè ea non attigit; Ita etiam fides quae alta fuerit, non deprimitur nec deturbatur. Propterea non dixit Crescit, sed supercreuit fides vestra, & charitas vniuscuiusque vestrum in inuicem. Vides quod hoc conferat ad afflictiones, esse confertos & compactos, & inter se coherere. Ex hoc ergo fit etiam magna consolatio. Atque imbecillam quidem charitatem & fidem labefactant afflictiones: fortem autem reddunt fortiolem. Nam qui in dolore quidem est animus, cum fuerit infirmus & debilis, nihil ei accesserit. Qui est autem firmus & validus, tunc maximè. Vide autem charitatem: non hunc quidem diligebant, illum verò minimè: sed erat aequalis ab omnibus: hoc enim tacitè innuit dicendo, vniuscuiusque vestrum in inuicem, quod ea sit in aequilibrio veluti vnus corporis. Nam nunc quoque inuenimus esse apud multos charitatem & dilectionem, sed hanc charitatem & dilectionem esse causam dissensionis. Nam quando bini aut terni fuerimus coniuncti, & duo quidem aut tres aut quatuor valde inter se fuerint colligati, a ceteris autem seipsos abstrahentes, eo quod ad illos possunt confugere, & illis in omnibus confidere, hoc est dissensio, non dilectio. Nam dic mihi, si oculus quam habet totius corporis curam, in manum conferret, & se ab aliis membris auertens, illi soli attendat, nunquid perdit vniuersum? Merito. Ita nos quoque si charitatem, quae extendi debet in totam Dei ecclesiam, in vnum & alterum contrahamus, & nos ipsos & illos & vniuersos perdimus. haec enim non sunt charitatis, sed dissidij, scissurae & auulsa ruptura. Nam etiamsi a toto homine auulsam accepero partem, ipsa quidem scissura sibi est vnita, & est continens & conglutinata, caeterum sic quoque est scissura, quoniam reliquo non est vnita corpori. Quid enim prodest quod hunc aut illum valde diligis? Humana est charitas & dilectio. Si autem non est humana, sed propter Deum diligis, omnes dilige. Deus enim sic iussit etiam inimicos diligere. Si autem iussit diligere inimicos, quantum magis eos qui te nulla affecerunt molestia? At diligo, inquis: sed non ita, imò verò ne diligis quidem. Nam quando accusas, quando inuides, quando insidiaris, quomodo diligis? At hoc, inquis, non facio: sed quando malè audiente fratre maledicentis os non obstruis, & iis quae dicuntur credis, & ea non comprimis, cuiusnam amicitiae est hoc indicium? Et abundat, inquit, charitas vniuscuiusque vestrum in inuicem: Ita vt & nos ipsi in vobis gloriemur in ecclesiis Dei. In priori epistola dicit omnes ecclesias Macedoniae & Achaiae resonasse audita eorum fide: Ita vt non sit, inquit, nobis necesse quidquam loqui. Ipsi enim de nobis annunciant qualem introitum habuerimus ad vos: hic autem dicit, vt nos gloriemur. Quid est ergo quod dictum est? Illic dicit, Nostra non egent doctrina. Hic autem non dicit, Nos eos docemus, sed gloriemur, Si ergo nos de vobis & Deo gratias agimus, & gloria-

Cur pedes discipulorum lauit Christus. Math. 5. Ibid. 11. Ioann. 13.

In Iosepho quid effecerit Dei gratia.

Rom. 5.

Fides quomodo augetur.

Charitas & dilectio est aliquando causa dissensionis.

Dilectio debet in omnes extendi, et in inimicos.

Matth. 6. Luc. 6.

1. Thess. 1.

& gloriemur apud homines, multo magis vos hoc facere oportet de nostris bonis. Si enim quae a vobis rectè gesta sunt, dogma sunt vt alij gloriantur, vt apud vos lamentatione digna sint, quomodo dici potest? Ita vt & nos ipsi, inquit, in vobis gloriemur in ecclesiis Dei pro patientia vestra & fide. Hic ostendit multum praeteriisse temporis: a multo enim tempore apparet patientia, non in duobus aut tribus diebus. Non absolutè autem dicit patientiam. Patientiae quidem certè est & bonis promissis non frui: nunc autem maiorem dicit patientiam. Quamnam? Eam quae existit per persecutiones. Pro patientia, inquit, vestra & fide, in omnibus persecutionibus vestris & tribulationibus quas sustinetis. Nam perpetuo vitam agebant cum hostibus qui vndique eos conabantur laedere, firmamque & immobilem ostendebant patientiam. Erubescant qui propter magistratum quem gerunt homines, transeunt ad dogmata. Nam cum adhuc esset initium praedicationis, homines pauperes, & ex quotidiano opere victum sibi parantes, aduersus eos qui gerebant rempublicam, & primi erant ciuitatis suscipiebant inimicitias; cum nec rex, nec magistratus vquam esset fidelis, & bellum subibat implacabile, & ne sic quidem credebant. In exemplum iusti iudicij Dei. Vide quomodo eis parat consolationem. Dixit, Deo gratias agimus. Dixit, Gloriamur apud homines. Sicut haec quidem bona & honesta. Sed quod maximè quaerit is qui dolore afficitur, id est liberatio a malis, & supplicium eorum qui in ipsum malè sunt affecti. Nam quando imbecillus est animus, haec maximè requirit. Nam qui est philosophus, ne hoc quidem. Quid ergo dicit, In exemplum iusti iudicij Dei? Vtrunque tacitè innuit, & eorum qui malè agunt punitionem, & eorum qui benè, remunerationem. Quasi diceret, vt quando vos quidem coronat, illos autem punit, ostendatur Dei iustitia. Simul etiam eos consolatur, ostendens quod & ex propriis laboribus & sudoribus, & conuenienter rationi iustitiae coronantur. Sed prius ponit id quod ad eos pertinet. Nam etiamsi quispian valde appetat vindictam, prius tamen desiderat praemia. Propterea dicit, Vt digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini. Non hoc ergo fit hoc quod sint potentiores qui faciunt iniuriam, sed ex eo quod sic oporteat regnum ingredi. Per multas enim, inquit, afflictiones oportet vos intrare in regnum Dei. Si tamen iustum est apud Deum reddere retributionem iis qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini requiem nobiscum, in reuelatione domini Iesu de caelo cum angelis virtutis eius. Illud, Si tamen, hic positum est pro, sed. Quod quidem ponimus in iis de quibus valde constat vt contradici non possit. Pro eo quod est valde iustum, Si iustum est, inquit, apud Deum eos vlcisci, omnino vlciscitur. Quasi diceret, Si res Deo sunt curae. Si Deus curat. & non ex sua ponit sententia, sed ex iis de quibus constat, vt si dicant: Si Deus odio habet malos, vt eos cogat dicere quod odio habeat. Sunt enim eiusmodi sententiae minimè dubiae, vt pote quod & illi ipsi sciant quod iustum sit. Nam si hoc iustum est apud homines, multo magis apud Deum. Retribuere, inquit, retributionem iis qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini, requiem. Quid ergo, estne aqua retributio? Nequaquam. Sed video per ea quae sequuntur esse vehementiorem, & requiem multo maiorem. Ecce etiam alia consolatio, & eisdem habere socios afflictionum: & in remuneratione, eos qui innumerabilia fecerunt maiora, coniungit socios in coronis. Deinde & tempus addit, & per descriptionem mentes eorum sursum extollit, verbo caelos propemodum aperiens, & eorum oculis subiiciens, & circa ipsum statuit angelicum exercitum, & ex loco, & ex

iis quae sunt ex ipso, latiore faciens imaginem, vt ipsi parum respirent. Et vobis qui tribulamini requiem nobiscum, in reuelatione domini Iesu de caelo cum angelis virtutis eius, in flamma ignis vindictam iis qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt euangelio domini Iesu. Si, qui euangelio non obediunt, eant poenas: qui praeterquam quod non obediunt vos etiam affligunt, quid non patientur? Contemplare autem eius prudentiam. Non hic dixit, Qui vos affligunt, sed qui non obediunt. Quo fit vt etiam non propter vos, propter seipsum necesse sit eos punire. Atque hoc quidem dictum est, vt eos reddat certiores, quod eos omnino puniri oporteat. prius autem rursus, quod eos quoque omnino oporteat honorari, quoniam propter eos haec patiuntur. Nam illud quidem eos facit omnino credere de supplicio: hoc autem, laetari, quod pro iis quae in ipsos facta sunt haec patiuntur. Haec illis quidem dicta sunt, sed nobis quoque conueniunt. Quando ergo fuerimus in afflictionibus, haec reputeamus. Ne aliorum laetemur supplicio, tanquam de quibus sumpta sit vindicta, sed vt qui sumus liberati de tali supplicio & poena. Quid enim nos iuuat quando alij fuerint puniti? Ne sint quales, tales nostri animi. A regno incitemur ad virtutem. Nam qui est bonus & virtute valde praeditus, neque a timore, neque a regno inducitur ad virtutem, sed propter ipsum Christum, sicut faciebat Paulus. Sed nos seu cogitemus bona quae sunt in regno, & mala quae sunt in gehenna, sic nos quoque componamus, & erudiamus: sic nos ipsos inducamus ad ea quae sunt agenda. Quando videris aliquid bonum & magnum in praesenti vita, cogita regnum, & id nihil esse existimabis. Quando terribile, cogita gehennam, & irridebis. Quando te inuaserit cupiditas corporalis, reputa ignem, reputa & ipsius peccati voluptatem: quod nullius sit pretij, quod ne habeat quidem voluptatem. Si enim legum, quae hic sunt latae, metus tantam vim habet vt nos a prauis abducant actionibus, multo magis futurorum memoria, supplicium immortale, poena sempiterna. Si metus Regis terreni a tam multis nos abducit malis, quanto magis metus aeterni Regis? Quomodo ergo poterimus assidue metum habere? Si perpetuo audiamus scripturas. Nam si mortuus, si solum videatur, animus nostrum ita reprimit: quanto magis gehenna & ignis qui nequit extingui? Quanto magis vermis qui non moritur? Si gehennam semper cogitemus, non cito in eam incidemus. Propterea supplicium minatus est Deus. Si eam cogitare non magnum aliquod haberet lucrum, non eam iam minatus esset Deus: sed quoniam eius recordatio valet ad res magnas rectè gerendas, propterea tanquam salutare aliquod medicamentum, eius minas nostris iniecit animis. Ne despiciamus tantum lucrum quod inde nascitur, sed eam assidue versemus, in prandiis, in ceteris. Nam de rebus quidem iucundis sermo nihil iuuat animam, sed eam reddit imbecilliolem. Sermo autem de rebus tristibus & molestis, amputat quicquid eius diffunditur & diffluit, eamque dissolutam conuertit & contrahit. Qui de theatris & mimis disputat, nihil ei prodest, sed magis incendit, magisque temerariam reddit & petulantiolem. At verborum times importunitatem. Num si filceas, gehennam extinxeris? Num si dixeris, accenderis? Seu dixeris, seu non dixeris, exardescet ignis. De ea dicatur assidue, vt nunquam in eam incidas. Fieri non potest vt anima de gehenna sollicita cito peccet. Audi enim optimam admonitionem. In memoriam reuocauisti tua, & in aeternum non peccabis. Fieri non potest vt anima quae timet de reddendis rationibus, ad delicta non sit tarda. Metus enim vigens in cogitatio-

Patientia magna est, quae existit per persecutiones.

1. Thess. 1. Ibid. 2.

Iustitia Dei ostenditur in poenis & poenis.

Act. 14.

Matth. 6. Luc. 6.

1. Thess. 1.

De aliorum supplicio non laetandum, nisi quatenus sumus liberati de tali supplicio.

Cogitatio gehennae efficit vt nihil fiant voluptates.

Anima de gehenna sollicita non cito peccat. Eccl. 7.

ne, in ea nihil dimittit mundanum. Nam si quæ de ea verba fiunt, eam ita deiiciunt & comprimunt; ratio & cogitatio quæ perpetuò habitat in animis, an non magis purgat animam quàm quiuis ignis? Regni non ita meminerimus vt gehennæ. Metus enim maiorem vim habet quàm promissio. & scio quòd multi bona despiciati essent innumerabilia, si liberati essent à supplicio: cum nunc quoque mihi sufficiat non esse punitum, non esse castigatum. Nullus ex iis qui gehennam habet ante oculos, incidet in gehennam. Nullus ex iis qui gehennam despiciunt, effugiet gehennam. Quomodo enim apud nos, qui timent quidem iudicia, non comprehenduntur à iudiciis: qui autem illa despiciunt, ij sunt qui in ea maximè incidunt. Ita hîc quoque. Si non euerfionem timuissent Niniuitæ, fuissent euerfi. Quoniam verò timuerunt, non fuerunt euerfi. Si temporibus Noë timuissent diluuium, non fuissent obruti diluuiò. Et si timuissent Sodomitæ, non fuissent exusti. Magnum est malum minas negligere. Qui despicit minas, per res ipsas sentiet experientiam. Nihil est æquè vtile atque de gehenna differere. Quouis argento puriores nobis efficit animas. Audi enim Prophetam dicentem, Iudicia tua coram me sunt semper. Porrò autem Christus quoque de ea differit. Nam etsi molestia afficit auditorem, ei tamen prodest maximè. Talia enim sunt omnia quæ profunt. Nam & medicamenta & cibi ægroto prius sunt molesti, & tunc afferunt vtilitatem. Si autem non ferimus verborum grauitatem, est perspicuum, fore vt feramus per rerum experientiam. Si nemo fert verba quæ fiunt de gehenna, est perspicuum quòd si comprehenderit persecutio, aduersus ignem & ferrum nemo restiterit. Aures nostras exerceamus ne molliamur. Inde enim etiam ad res veniemus. Si assuescamus audire terribilia, etiam terribilia ferre assuescemus. Sin autem simus adeò dissoluti & enervati vt ne verba quidem feramus, quomodo rebus resistemus? Vides quomodo quæ sunt hîc omnia, crebræque & densa pericula despiciat beatus Paulus? Quare? Quoniam meditatus erat etiam gehennam despiciere pro iis quæ Deo placent. Ille ne gehennæ quidem experientiam aliquid esse putabat propter Christi desiderium. Nos pro iis quæ nobis conferunt, ne verba quidem de ea patimur? Atque nunc quidem paucis auditis disceditis. Rogo autem vos, si qua est in vobis charitas, vt quæ de his verba fiunt perpetuò verferis. nihil poterunt nocere, etsi non profint: certò autem scio quòd proderunt. Nam ex sermonibus qualitatem suscipit anima. Corruptunt enim bonos mores colloquia praua. Profunt ergo bona colloquia. Modestos ergo & temperantes reddunt colloquia terribilia. est enim anima veluti quædam cera. Nam si frigidis quidem induxeris colloquutiones, callum obdlexeris & induraueris. Sin autem ignitas, mollieris. molliam autem ad quodcunque vis formaueris & effinxeris, & regiam imaginem insculpsieris. Obstruamus ergo aures ad temerarios sermones. Non est paruum malum: ex eo nascuntur mala omnia. Si meditata esset mens nostra attendere diuinis sermonibus, non attenderet aliis. Non attendens autem aliis, neque res malas aggredetur. Ad facta enim via est sermo. Primùm cogitamus. Deinde loquimur. Deinde agimus. Multi sæpe etiam frugi & moderati à turpibus verbis venerunt ad turpes actiones. Non enim anima nostra naturà est bona nec mala, sed libero arbitrio & animi electione, & hoc fit, & illud. Quomodo ergo velum quocunque spirauerit ventus illuc defert nauem, vel potius sicut clauus transfert nauem si ventus sit secundus: ita etiam cogitatio, si bona verba secundo vento ferantur, nauigabit absque

Qui gehennam habet ante oculos, eam effugiet.

Psal. 17. Quæ molesta & amara, sicut vitia.

1. Cor. 15. Anima est veluti quædam cera.

Sermo est via ad facta.

periculo. Si autem contraria, sæpe etiam submergent cogitationem. Quod enim nauigiis sunt spirantes venti, hoc animis sunt verba. Quocunque vis ipsam traducis & conuertis. Propter ea dicit quidam admonens, Omnis narratio tua fit in lege altissimi. Propter ea rogo, à nutrice acceptos infantes ne Græcis fabulis assuesfaciamus, sed ab ineunte ætate discant quòd sit iudicium. Quòd sit supplicium, infigatur eorum animis. Hic metus si radices egerit, magna bona facit. Anima enim quæ ab ineunte ætate didicerit ea expectatione concuti, hunc metum non citò amouebit. Sed sicut equus quidam qui freno facillè regitur, habens infidentem gehennæ cogitationem, ordinatè ingrediens, & loquetur & dicit vtilia: & neque iuuentus, neque diuitia, neque orbitas, neque quidquam aliud ei nocere poterit, cum adeò validam habeat rationem, & quæ potest omnibus resistere. His verbis & nos ipsos componamus, & uxores, & seruos, & filios, & amicos, & si fieri potest, etiam inimicos. Cum his enim verbis possumus multa peccata reserare, & melius versari in rebus molestis quàm in iucundis. Est autem illinc perspicuum. Nam dic mihi, si veneris in domum in qua celebrantur nuptiæ, aliquantisper quidem spectaculo es delectatus: postea autem cum recesseris, dolore extabescis, quòd tam multa non habeat. Sin autem ingressus fueris domum lugentium, etiam si sint valde diuites, cum recesseris magis quiesces: non enim inde accepisti inuidiam, sed consolationem ob tuam paupertatem. Per res ipsas vidisti quòd nullum bonum sint diuitiæ, nullum malum paupertas, sed res sint indifferentes. Ita nunc quoque si loquaris de deliciis, magis feris animam, vt quæ fortè non habeat quòd deliciis indulgeat. Quando autem aduersus delicias, etiam de gehenna sermones in medium inieceris, res te delectat, & magnam pariet voluptatem. Quando enim cogitaueris quòd deliciae aduersus illum ignem nihil poterunt opis ferre, eas non requires. Sin autem reputaueris quòd ipsum quoque magis solent accendere, non solum non requires, sed etiam auersaberis & repelles. Ne fugiamus sermones de gehenna, vt gehennam fugiamus. Ne fugiamus pœnæ mentionem, vt non puniamur. Si diues ille illum ignem cogitasset, non peccasset. Quoniam autem eius nunquam meminit, ideo in eum incidit. Dic mihi o homo, cum sistendus sis ad tribunal Christi, quæuis potius quàm de eo loqueris: & cum sit tibi lis apud Iudicem, sæpe verbis tenuis, non noctu, non interdiu, non aliquo temporis momento, non hora aliqua aliquid aliud loqueris, sed perpetuò de re illa. De tota autem tua vita rationem redditurus & iudicium subiturus, ne eos quidem toleras, qui hoc iudicium tibi in mentem reuocant? Propterea ergo omnia perierunt & sunt perdita ac profligata, quòd ad humanum tribunal sistendi, pro rebus quæ ad hanc vitam pertinent, omnia mouemus, quemlibet rogamus, assiduè de eo sumus solliciti, omnia pro eo agimus: ad Christi autem tribunal non multò post venturi, nihil nec per nos, nec per alios agimus. Iudicem non rogamus, quamuis nobis longum det diem præstitutum, & nos non rapiat in mediis peccatis, sed permittat vt ea exuamus, & nihil eorum quæ ad ipsum pertinent prætermittat illa bonitas & benignitas. Sed nihil amplius efficit. Propterea maius est supplicium. Sed absit vt sit. Propterea rogo vt in præsentia respiciamus, gehennam ante oculos habeamus, cogitemus illam incuitabiliter reddendam rationem: vt hæc reputantes, & vitium fugiamus, & virtutem eligamus, & possimus assequi bona promissa iis qui ipsum diligunt. Gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum patre &c.

Verba sunt animis id quod venti nauigiis. Eccl. 9.

Quid dicitur ab ineunte ætate.

In domo lugentium melius est venire quàm ad nuptias.

Ad Christi tribunal sistendus de eo debet cogitare & loqui.

ORATIO III.

Vi panas dabunt in interitu aternis à facie domini & à gloria virtutis eius, cum venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt. Sunt multi homines qui bonam spem habent, non in eo quòd abstineant à peccatis, sed in eo quòd existiment gehennam non esse vehementem sicut dicitur, sed mitiorem quàm eam cuius minæ intentantur, & esse temporalem, non aternam, & de eo multum philosophantur. Ego verò non solum quòd sit mitior quàm cuius minæ intententur, sed multò vehementior, ex multis possum ostendere, & colligere ex ipsis verbis de gehenna. Cæterum nullam nunc agito ex his rationibus. sufficit enim vel ex solis verbis metus, etiam si eorum sententiam minimè explicauerimus. Quòd autem non sit temporalis, audi Paulum nunc dicentem de iis qui Deum non norunt, neque credunt Evangelio, quòd pœnas dabunt, exitium aternum. Quòd autem est aternum, quomodo temporale? A facie, inquit, domini. Quòd hoc sit, facile est, inquit, videre. Nam quoniam tunc ingentes erant eorum spiritus, magno, inquit, non opus est negotio, sed sufficit si adsit Deus & vitus fuerit: & sunt omnes in pœna & supplicio. Solum eius præsentia, aliis quidem est lux, aliis verò supplicium. Et à gloria, inquit, virtutis eius, cum venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt. Deum glorificatur? Certè, inquit, in omnibus sanctis suis. Nam quando, inquit, ij qui sunt tumidi, & quorum ingentes sunt spiritus, viderint eos qui ab ipsis flagellantur, qui despiciuntur, qui irridentur, esse prope ipsum, est eius gloria, vel potius eorum gloria, & eorum & eius. Eius quidem, quòd eos non reliquerit, sed præclaros reddiderit & illustres: eorum autem, quòd tanto dignati sint honore. Quomodo enim eius sunt diuitiæ, quòd sint fideles: ita etiam eius est gloria, quòd sint qui bonis eius sint potituri. Gloria boni est habere quos suis imperiati beneficiis. Et admirabilis, inquit, fieri in omnibus qui crediderunt. Hoc est, per eos qui crediderunt. Ecce rursus, In, idem est quod per. Per illos enim redditur admirabilis, quando eos qui erant miserabiles, & miserii, & mala passi erant innumerabilia, & crediderant, ad tantum deducit splendorem. Eius virtus tunc ostenditur, quòd etiam si maximè videantur derelicti, sed tamen magna illic fruuntur gloria. Tunc maxime ostenditur omnis Dei gloria & virtus. Quomodo. Qui creditus est testimoniū nostrū super vos in die illo. In quo etiam oramus semper pro vobis. Hoc est, quando adducti fuerint in medium qui mala passi sunt innumerabilia vt à fide desciscerent, & non cesserunt sed crediderunt, glorificatur Deus; tunc ostenditur etiam eorum gloria. Nam ante mortem, inquit, nomen beatum dixeris. Propterea, inquit, in illo die ostenduntur qui crediderunt. In quo etiam oramus, inquit, semper pro vobis. Vt dignetur vocatione sua Deus, & impleat omnem voluntatem bonitatis suæ & opus fidei in virtute. Vt dignetur, inquit, vos vocatione. Non enim fuerunt vocati. Propterea subiunxit, Et impleat omnem voluntatem bonitatis suæ. Nam is quoque qui sordidis erat indutus vestibus fuit vocatus, sed non mansit in vocatione, sed propterea magis eiectus fuit à vocatione in thalamum sponsi. Nam quinque etiam virgines fuerunt vocatae. Surgite, inquit, sponsus venit, & paratae erant, sed non sunt ingressæ. Significans ergo quàmnam dicat vocationem, subiunxit. Et impleat omnem voluntatem bonitatis suæ, & opus fidei in virtute. Hanc quæ-

Gehenna non est temporalis, sed aterna.

Deus quomodo glorificatur.

Per credentes Deus redditur admirabilis.

Matt. 22. Vocati non fuerunt per manent in vocatione.

rimus vocationem, inquit. Vide quomodo sensim eos cohibet & comprimit. Ne enim efferantur laudum exuperatione, vt qui res magnas gesserint, pigrius & ignaui euadant, ostendit quòd eis adhuc deficit quantum fuerint in hac vita. Quòd etiam ad Hebræos scribens dicebat. Nondum ad sanguinem vsque restitistis, aduersus peccatum decertantes, Omnem, inquit, voluntatem. Hoc est, beneplacitum, & quòd est persuasum certumque ac statutum. Hoc est, vt fiat quòd Deo certum est ac persuasum. Vt nihil vobis deficit: vt sitis ita vt vult. Et opus fidei in virtute. Quid hoc est? Tolerantiam persecutionum. Ne dissoluamur, inquit, & eneruemur ac deficiamus. Vt glorificetur nomen domini Iesu Christi in vobis, & vos in illo, secundum gratiam Dei nostri & domini Iesu Christi. Dixit illic gloriam, dixit hîc quoque. Dixit quòd ipsi quoque glorificatur vt & gloriantur. Dixit quòd est longè amplius, quòd Deū quoque glorificat. Dixit quòd recipient illam gloriā. Sed & hic quoque dicit. Nam dum glorificatur dominus, serui quoque glorificantur. Nam qui dominum glorificant, multò magis ipsi glorificantur, & hoc ipso, & absque eo. Gloria enim est afflictiō quæ propter Christum suscipitur, & vbique eam rem vocat gloriā: & quò magis aliquid turpe & ignominiosum passi fuerimus, eò sumus clariores. Deinde ostendens quòd hoc ipsum quoque est Dei, dicit, Secundum gratiam Dei nostri & domini Iesu Christi. Hanc gratiam ipse nobis dedit, vt glorificetur in nobis, & nos glorificet in ipso. Quomodo glorificatur in nobis? Quoniam nihil ei præferimus. Quomodo glorificatur in ipso. Quoniam ab ipso accepimus virtutem, vt non cedamus malis quæ inferuntur. Nam quando tentatio acciderit, simul & Deus glorificatur, & nos. Ipsum enim glorificant quòd nos sic corroborant: nos admirantur, quòd nos ita comparauerimus vt simus digni. Hæc autem omnia sunt à Dei gratia. Rogamus autem vos fratres per aduentum domini nostri Iesu Christi & nostræ congregationis in ipsum, vt non cito moueamini à sensu vestro. Quando erit quidem resurrectio, non dixit. Quòd autem nunc non erit, dixit. Nostræ, inquit, congregationis in idipsum. Non est hoc quoque paruum. Vides quomodo sit etiam suasio cum laude & adhortatione. Quòd omnino nobiscum ipse appareat, & sancti omnes, dicit de eius resurrectione, & nostra congregatione: hæc enim simul erunt. Erigit mentem eorum, vt non citò, inquit, laberis & vacilletis. Neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per nos missam, quasi instet dies domini. Ne quis vos seducat illo modo. Quoniam nisi venerit discessio primū, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne quòd dicitur Deus, aut quòd colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. De antichristo hîc disserit, & magna aperit mysteria. Quid est discessio? Eam ergo vocat discessionem, vt qui multos sit perditurus: & vt deficiant, inducturus: adeò vt scandalizentur, inquit, si fieri potest, etiam electi. Vocat autem eum hominem peccati. Faciet enim, inquit, innumerabilia, & procurabit vt alia faciat terribilia. Dicit autem eum filium perditionis. Quòd ipse quoque pereat. Quis est autem iste? Nunquid satanas? Nequaquam. Sed homo quidem suscipiens eius operationem: est enim homo. Et qui extollitur supra omne quòd dicitur Deus, aut quòd colitur. Non enim illos inducet ad cultum idolorum, sed erit quidam Dei aduersarius. Dissoluet & destruet omnes Deos, & iubebit ipsum pro Deo adorare. Et sedebit in templo Dei, non quòd est Hierosolymis, sed in templo ecclesiæ. Ostendens, inquit, seipsum. Non dixit, dicentem, sed tentan-

Deest illi quid fuerit in hac vita. Heb. 12.

Deus quomodo glorificatur in nobis, & nos in ipso.

Cap. 12.

Matt. 24.

tem ostendere. Faciet enim magna opera, & signa ostendet admirabilia. *Non retinetis quod cum adhuc essem apud vos hæc dicebam vobis?* Vides quod necesse sit assidue hæc dicere, & verbis infundere? Ecce enim & præsentem audierunt hæc dicentem, & rursus opus habuerunt admonitione. Quomodo enim cum audissent de afflictionibus (etenim quando eramus, inquit, apud vos, prædicebamus quod essemus affligendi) oblitati tamen erant, & rursus per literas eos confirmat: ita etiam cum audiissent de aduentu Christi, rursus opus habebant literis, quæ eos componeret & moderarentur. Eis ergo reuocat in memoriam, ostendens se nihil nouum & alienum dicere, sed ea quæ semper dicebat. Sicut enim apud agricolas semina quidem semel deiiciuntur, non manent autem perpetuo, sed magna opus habent quæ eis adhibeatur cultura & curatione: & nisi terra proficilla contexerint ea quæ deiiciuntur, seminarentur auibus semina legentibus. Ita nos quoque nisi continua recordatione protexerimus ea quæ sunt deiecta, in aërem omnia proiciamus. Diabolus enim rapit, & nostra perdit negligentia, & sol exsiccat, & imber obruit, & spinæ suffocant. Quamobrem non sufficit cum semel deieceris discedere, sed magna opus est assiduitate aues abigendo, spinas excindendo, petriosa multa terra replendo, omne quod damnatum affert arcendo, & amoliendo, & tollendo. Sed in terra quidem vniuersum est agricolæ: illa enim iacet anima, ad patendum solum parata. In hac autem terra spirituali nequaquam. Non est vniuersum doctorum ac magistrorum. Sed si non est pars maxima, dimidium quidem certè est discipulorum. Atque nostrum quidem est sementem deiicere, vestrum autem est facere quæ dicuntur: memorie per facta fructus ostendere: spinas radicibus euellere. Spinæ enim sunt re vera diuitiæ, nullum habentes fructum, visu deformes, & ad vsum iniucundæ, eos qui tangunt molestia afficientes, non solum ipsæ fructum non ferentes, sed id etiam quod germinat impediens. Tales sunt diuitiæ: non solum ipsæ fructum non ferunt æternum, sed eos etiam qui ipsum volunt possidere impediunt. Rationis expertium camelorum nutrimentum sunt spinæ. Ignis sunt esca, & sumptus ad nihil vtilis nisi ad succendendum fornacem, ad illum diem accendendum qui ardet vt clybancus, ad alendas rationis expertes animi perturbationes, odium, iniuriæ acceptæ recordationem, & iram. Talis enim etiam Camelus qui rodit spinas. Dicitur enim ab iis qui hæc norunt, in iumentis nullum esse æquè iracundum, & quod iræ sit grauioris, & acceptæ iniuriæ magis memor quam Camelus. Tales sunt diuitiæ, alunt rationis expertes motus animi: qui sunt autem rationis participes, pungunt & fauciant. Sicut vsuuenit in spinis. Durum quid & asperum est hæc planta, ea sua sponte nascitur. Videamus quomodo nascitur, vt ipsam excindamus. Nascitur in locis præruptis, lapidosis, aridis, vbi nullus est humor. Quando ergo est aliquis asper, præruptus & præceps, hoc est immisericors, in eo nascitur spina. Sed quando eas volunt excindere agricolæ, non hoc ferro faciunt. Sed quomodo? Ignem immittentes sic omne terræ vitium extrahunt. Nam quoniam non sufficit supernè scindere, radice inferiùs manente. Sed neque radicem eximere, ex vitio enim in terra, sicut cum pestis aliqua in corpus incubuerit, manent reliquæ: omnem illius humorem, nempe spinarum, ignis supernè hauriens, tanquam virus quoddam per calorem ex terræ lumbis ignis extrahit. Sicut enim imposita cucurbitula omne vitium ad se attrahit: ita etiam ignis omne vitium quod ex spinis extitit exhaurit, & ipsam puram reddit.

A Quam autem ob causam hæc dixi? Quod oportet vndique expurgare omnem ad diuitias animi consensionem. Est & apud nos ignis, qui hoc vitium ex animo extrahit: nempe ignis spiritus. Si eum immiserimus, non solum spinas, sed & qui ex eis extitit humorem poterimus exsiccare. Quod si fuerint infixæ, frustra sunt omnia. Vide enim. Huc ingressus est diues, seu vir, seu mulier, non curat quomodo se ostentabit, quomodo cum fastu sedebit, quomodo cum multa gloria: quomodo sit alias superatura vestium magnificentia, habitumque visu & incessu se reddet magis ornatum ac venerandam, totaque eius cura ac sollicitudo in hoc versatur, num hæc aut illa vidit: Nunquid est admirata? Num rectè sum ornata? vt, non putrescant vestes, vt non dirumpantur: & tota eius in hoc consistit cura. Similiter vir quoque diues ingreditur se pauperi ostentaturus, & ei timorem incussurus per amicum vestium, propterea quod multos habeat pueros. Stant autem turbam arcentes & abigentes. Ille autem præ nimio fastu ne hoc quidem dignatur facere, sed eam rem scit esse adeo indignam homine libero, vt licet sit valde tumidus & elatus, non sustinet eam facere, sed mandat seruis: hoc enim facere est planè seruire morumque impudentium. Deinde sedentem statim subeunt curæ domesticæ trahentes in omnem partem, circumfuit factus qui obsidet animam: existimat se gratificari, & nobis, & populo, & fortassis etiam Deo quod intrat in domum Dei. Qui autem adeo est inflatus, quomodo poterit vnquam curari? Dic quæso, si quis accesserit in officinam medici, & a medico gratiam non petit, sed existimat se ei gratificari, & mittens postulare medicamentum vulnere applicandum, occupetur circa vestes, aliquidne boni adeptus recesserit? Non sanè arbitror. Horum autem omnium causam dicam si vultis. Existimant se ad nos intrare quando huc intrant: existimant se à nobis audire quæ audiunt: non attendunt, non cogitant quod ad Deum ingrediuntur: quod ipse cum eis loquitur. Quando enim lector cum surrexerit dicit, Hæc dicit dominus, & cæc. & stans Diaconus silentio indicto omnibus os obstruit, non lectori honorem habens hoc facit, sed ei qui per illum cum omnibus loquitur. Si scirent quod sit Deus qui hæc dicit per Prophetam, omnem fastum abiicerent. Nam si loquentibus cum eis magistratibus, non sustinent foris habere animum, multo magis Deo loquente. Nos ministri sumus o dilecti. Nos non nostra dicimus, sed quæ sunt Dei. E cælo quotidie venientes leguntur epistolæ. Dic autem quæso, si quispiam, dum omnes nos adsumus, ingressus esset zonam habens auream, erectaque ceruice superbè que incedens & se efferens, diceret se esse missum à rege terreno, & ad totam ciuitatem afferre epistolam de rebus necessariis, an non omnes cõuerteremini? An non etiam non iubente Diacono magnum adhiberetis silentium? Ego sanè arbitror. Nam hic etiam audiui legi epistolam Regis. Deinde si quispiam quidem veniat à Rege, omnes attenditis. A Deo autem venit & è cælis loquitur Propheta, & nemo est qui attendat. An non creditis quod hæc quæ dicuntur sunt à Deo? Et ipsæ epistolæ à Deo missæ sunt. Ingrediamur ergo ecclesias cum eo quo par est honore, & cum timore audiamus quæ dicuntur. Cur, inquit, ingredior, si non audio aliquem verba facientem? Hoc omnia perdidit & corrupit. Quid enim opus est aliquo qui verba faciat & sermonem habeat? Ex nostra focordia hoc vsuuenit. Quid enim opus est sermone? Omnia sunt dilucida & recta quæ sunt in diuinis scripturis:

Semina doctrinæ sunt assidue recordatione protegenda.

In terra vniuersum est agricolæ.

Diuitiæ sunt spinæ.

Spinæ sunt nutrimentum camelorum.

Camelus est animal iracundum.

Spina quomodo excindatur.

Eos qui cõditiones audire nolunt, inanis prætextus & excusatio.

Diues cur verbi Dei prædicatione non curetur.

Diaconus indicat silentium.

Prædicator non esse opus.

pturis: manifesta sunt, quæcunque sunt necessaria. Sed A quoniam estis auditores delectationis, propterea hæc etiam quæritis. Nam dic quæso, quo orationis fastu dicebat Paulus? Sed tamen conuertit orbem terræ. Quoniam autem Petrus qui erat illiteratus? At nescio, inquit, quæ sita sunt in scripturis. Quare? Num enim Hebraica, num Romana, num alia lingua dicta sunt? An non græcè dicuntur? Sed obscure, inquit. Quænam ea obscuritas, dic quæso? An non sunt historia? Nosti ne quæ sunt clara & dilucida, vt de iis quæ sunt obscura perconteris? Historiæ innumerabiles sunt in scripturis. Dic mihi vnâ ex illis. Sed non dicis. Prætextus hæc sunt & verba: licet, inquit, eadem audire quotidie. Quid verò, dic quæso, in theatris non eadem audis? In stadiis & equorum curriculis non eadem vides? Res autem omnes non sunt eadem? Non idem Sol semper oritur? Non iisdem vtimur alimentis? Vellem autem ex te sciscitari, quoniam eadem dicis te audire quotidie. Dic mihi, cuius prophetæ est locus qui fuit lectus? & cuius Apostoli, aut cuius epistolæ. Sed non potes dicere, imò videris audire noua quædam & aliena. Atque quando vis quidem te dedere otio & focordiæ, eadem esse dicis. Quando autem fueris interrogatus, ita es affectus vt qui nunquam audieris. Si sunt eadem, oporteret eadem scire. Tu autem ignoras. Dignæ sunt res præsentis quæ lugeantur, quæ iugeantur, inquam, & desceantur, quod frustra laborat qui cudit argentum. hoc ipso maxime oporteret attendere, quod sint eadem, quoniam nullum vobis laborem exhibemus, neque peregrina aliqua diuersaque & immutata dicimus. Quid verò, quoniam illa eadem esse dicitis, nostra autem non sunt eadem, sed semper noua dicimus & peregrina, eisne attenditis? Nequaquam. Sed si dixerimus, Cur ne hæc quidem retinetis? Semel, inquit, audimus & quomodo fieri potest vt retineamus? Si dixerimus, Cur illa non attenditis? dicitis, Semper dicuntur eadem. & vndique sunt hæc verba focordiæ & prætextus. Sed non perpetuo procedunt, sed tempus erit quando temerè & frustra lamentabimur. Quod absit, sed potius fiat vt cum pœnitentiam egerimus, & cum prudentia pietatèque ac religiosa attentione iis quæ dicuntur attendamus, ad bona etiam opera agenda properemus, & exactissimè vitam nostram corrigamus, vt possimus assequi bona promissa iis qui ipsum diligunt, Gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cui cum patre &c.

ORATIO IIII.



*E*t nunc quid detineat scitis, vt reueletur in suo tempore. Nam mysterium iam operatur iniquitatis: tantum vt qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat. Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui: & destruet illustratione aduentus sui, cuius est aduentus secundum operationem Satanæ. Merito quæsierit quispiam quid est illud quod detinet, & postea velit discere cur tam obscure hoc ponat Paulus. Quid est ergo quod detineat vt reueletur ipse, hoc est quod prohibeat ne reueletur? Alij quidem dicunt gratiam spiritus. Alij autem Romanum imperium. Quibus ego maxime assentior. Quare? Quoniam si voluisset dicere spiritum, non dixisset obscure sed aperte, quod nunc quoque eum detineat gratia spiritus, hoc est charismata seu dona gratuita. Alioqui autem oporteret eum iam aduenisse, siquidem esset aduenturus cum defecissent charismata seu dona gratuita. Nam iam olim defecerunt. Quoniam autem hoc dicit de Romano imperio, merito etiam ænigmaticè & adumbratè est locutus.

Charismata quamdiu ab hinc defecerunt.

Chrysost. tom. 4.

Neque enim volebat superuacaneas suscipere inimicitias & inutilia pericula. Nam si dixisset futurum iam vt paulo post Romanum euerteretur imperium, eum protinus tanquam exitiosum & pestiferum hominem infodissent, & fideles omnes, vt qui sub eo viderent & militarent: & si dixisset citò futurum, quamquam semper idem dicit. Sed quid? Vt reueletur, inquit, ipse in suo tempore. Nam mysterium iam operatur iniquitatis. Neronem hic dicit, vt qui sit typus Antichristi. Ille enim volebat existimari Deus. Rectè autem dixit mysterium: hoc est, non aperte sicut ille, neque omni exuto pudore. Si enim ante illud tempus inuentus, inquit, fuit, qui in vitio non multum absuit ab Antichristo, quid mirum si iam erit? Neque cum voluit reddere manifestum: non propter timorem, sed nos erudiens ne superuacaneas suscipiamus inimicitias, cum nihil sit quod vigeat. Ita hic quoque dicit. Tantum vt qui tenet nunc teneat, donec è medio fiat. Hoc est, quando Romanum imperium de medio fuerit sublatum, tunc ille veniet. Et merito. Quandiu enim fuerit metus huius imperij, nemo citò subiugetur. Quando autem hoc fuerit euersum, vacans inuadet imperium, hominumque & Dei imperium aggredietur rapere. Quomodo enim euerfa sunt quæ ante id fuerunt regna, vtpote Medorum à Babylonis, Babyloniorum à Persis, Persarum à Macedonibus, Macedonum à Romanis: ita hoc quoque ab Antichristo, & ille à Christo, & non amplius retinebit. Et hoc cum magna euidencia nobis tradit Daniel. Et tunc, inquit, reuelabitur iniquus. Et quid postea? Propè est consolatio. Quem dominus, inquit, Iesus interficiet spiritu oris sui: & destruet illustratione aduentus sui. Cuius est aduentus secundum operationem Satanæ. Sicut enim ignis si tantum inuasit parua animalcula, ante suum aduentum, etiam si sint procul, facit torpescere & consumit: ita Christus quoque, iussu solo & præsentia. Satis est eum adesse, & hæc omnia perierunt. Sistet errorem, si vel tantum apparuerit. Iam verò quis hic est, cuius est aduentus secundum operationem Satanæ? *In omni virtute, & signis & prodigijs mendacibus.* Hæc prædixit, ne decipiantur qui tunc erunt. Hoc est, omnem ostendet virtutem ac potentiam, sed nihil verum, sed ad deceptionem. In prodigijs, inquit, mendacibus, seu falsis & inducentibus ad falsum. *In omni seductione iniquitatis iis qui pereunt.* Cur ergo, inquit, permisit Deus vt is esset? & quodnam est eius consilium, & quodnam lucrum percipitur ex eius aduentu, cum sit exitium nostræ generationis? Ne timeas o dilecte, sed audi ipsum dicentem. Vim habet in iis qui pereunt, qui etiam si ille non accessisset, non credidissent. Quodnam est ergo lucrum? Quod iis qui pereunt os obstruetur. Quomodo? Siue ille venisset, siue non venisset, Christo non credidissent. Venit ergo eos conuicturus. Nam ne sint dicturi, Quoniam se Deum dicebat esse Christum, etiam si nusquam id dixit aperte, sed quoniam qui postea fuerunt, prædicarunt, non credidimus. Quoniam audiuiimus quod sit Deus ex quo omnia, non credidimus. Hunc ergo eorum prætextum tollet Antichristus. Nam quando ille venerit, & nihil bonum & rectum, sed omnia iniqua & legibus contraria imperanti, ex solis falsis signis credetur, ora eorum obturabit. Nam si Christo non credis, multo magis non oportebat credere Antichristo. Nam ille quidem dicebat se missum esse à patre: iste autem contrarium. Propterea dicebat Christus. Ego veni in nomine patris mei, & me non susceperunt. Si alius venerit in nomine suo, illum suscipietis. At vidimus, inquit, signa. Sed multa quoque & magna facta sunt à

Nero typus Antichristi.

Regnotu euerfio.

Dan. 11.

Ex Antichristi aduentu quod lucrum percipitur.

Ioan. 5.

Christo. Multo magis ergo ei oportuit credere. Atqui de hoc quidem multa fuerunt predicta, nempe quod iniquus, quod filius interitus, quod esset eius aduentus secundum operationem Satanæ. De illo autem contraria, quod seruator, quod multa bona afferat. *Eo quod charitatem veritatis non acceperunt ut salui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio: ut iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* Ut iudicentur. Non dixit, ut puniantur, erant enim antea puniendi, sed ut condemnentur, hoc est in iudicio terribili: ut sint inexcusabiles qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. Charitatem veritatis vocat Christum. Propterea enim, inquit, quod charitatem veritatis non acceperunt: vtraque enim erat, & vtraque accesserat, & homines diligens, & pro veris rebus. Sed consenserunt, inquit, iniquitati. Venit enim ad exitium hominum, eos iniuria affecturus. Quid enim tunc non faciet? Omnia mouebit: omnia perturbabit: & propter iussa & timorem erit vndique terribilis, à potestate, à crudelitate, à iussis iniquis. Sed ne timeas. Vim habebit in iis qui pereunt. Nam & Elias tunc veniet fideles confirmans: & hoc dicit Christus. Et veniet Elias, & restituet omnia. In virtute & spiritu Eliæ propterea dictum est. Neque enim fecit signa & miracula sicut Elias. Nam Ioannes quidem, inquit, nullum fecit signum. Omnia autem quæ dixit Ioannes de eo vera erant. Quomodo ergo in virtute & spiritu Eliæ? Hoc est, idem suscipiet ministerium: & sicut Ioannes fuit præcurator prioris aduentus, ita ille quoque erit præcurator secundi & gloriosi aduentus, & ad id seruatur. Ne ergo timeamus. auditorum concussit animum, nequaquam autem fecit ut res præsentis sint graues & terribiles: sed dignæ, de quibus agantur gratiæ. Et ideò subiunxit, *Nos autem debemus gratias agere Deo semper, pro vobis fratres dilecti à Deo, quod elegerit nos Deus primitias, ad salutem in sanctificatione spiritus & fide veritatis. Quomodo ad salutem?* Ut nos sanctificaret per spiritum. Hæc enim sunt quæ nostram salutem continent. Nusquam ab operibus, nusquam à rectè factis, sed per fidem veritatis. Ecce, in, rursus est, per. Et sanctificatione spiritus, inquit. *In quam & vocauit vos per euangelium nostrum, in acquisitione gloriæ Domini nostri Iesu Christi.* Non est hoc quoque paruum. Si suam gloriam Christus nostram dicit esse salutem, benigni enim & clementis est gloria esse multos quibus detur salus: magnus est ergo dominus noster. Si autem nostram salutem ita desiderat spiritus sanctus, cur non prius dixit fidem? Quoniam etiam post sanctificationem ea multa opus habemus, ne labefactemur. Vide quomodo nihil ostendit esse eorum, sed totum Dei. In quam & vocauit vos per euangelium nostrum, in acquisitione gloriæ domini nostri Iesu Christi. Itaque fratres state, & tenete traditiones quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Hinc est perspicuum quod non omnia tradiderunt per epistolam, sed multa etiam sine scriptis: & ea quoque sunt fide digna. Quamobrem ecclesiæ quoque traditionem censemus esse fide dignam. Est traditio: nihil quæras amplius. Hic ostendit multos esse qui labant. *Ipse autem dominus noster Iesus Christus & Deus & pater noster qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratia, exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere & sermone bono.* Rursus precatio post adhortationem: hoc enim est re vera opem ferre. Qui dilexit nos, inquit, & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratia. Vbi nunc sunt qui filium dicunt esse minorem, quoniam post patrem nominatur in gratia lauacri? Ecce enim hic est contrarium. Qui dilexit nos, inquit, & dedit consola-

Luc. 7.

Luc. 10.

Ioannes fuit præcurator primi aduentus, Elias secundum.

Salus nostra non ab operibus, sed per fidem veritatis.

Nostrum nihil est, sed totum Dei.

Traditio ecclesiæ est fide digna.

tionem æternam. Quamnam autem eam? Spem futurorum. Vides quomodo loco precatio mentes eorum excitat, ineffabilis Dei curæ pignora ponens & signa. Exhortabitur, inquit, corda vestra in omni opere & sermone bono. Hoc est per omne opus & sermonem bonum. Christianorum enim hæc est adhortatio ut aliquid boni faciant, & quod Deo placeat. Vide quomodo eorum reprimat fastum & insolentiam. Qui dedit, inquit, consolationem, & spem bonam in gratia. Simul etiam efficit ut bonam spem habeant de futuris. Si enim tot & tanta dedit in gratia, multo magis futura. Ego quidem certè, inquit, dixi. Totum autem est Dei, confirmare & corroborare, ut non labemus neque inclinemur: hoc enim est & nostrum & ipsius, & propter dogmata & propter actiones, hoc enim est exhortatio, confirmari. Nam quando quispiam non dimouetur & vacillat, quidquid acciderit, cum magna lenitate tolerat & patientia. Quod si dimotus & labefactatus fuerit animus, de cætero nihil efficiet bonum & præclarum: sed non secus atque si cuiuspiam remissæ & luxatæ fuerint manus, ita etiam labasset animus, quando non fuerit ei persuasum quod ad bonum aliquem finem sit peruenturus.

De cætero fratres orate pro nobis, ut sermo Dei currat & glorificetur sicut & apud vos. Ipse quidem pro iis precatus est ut confirmarentur: nunc autem ab ipsis petit rogans ut pro eo orent: non ut non periclitetur, in eo enim erat positus, sed ut sermo domini currat & glorificetur, sicut & apud vos. Petitio est coniuncta cum laude. Sicut, inquit, & apud vos. *Et ut liberemur ab importunis & malis hominibus. Non est enim omnium fides.* Hoc est etiam eius qui sua significat pericula, quod eos maxime consolabatur. Ab importunis, inquit, & malis hominibus. Non est enim omnium fides. Nunquid de iis dixit qui repugnabant prædicationi, an de iis qui resistebant & pugnabant cum dogmatibus: hoc enim tacite significauit, dicens, Non est enim omnium fides. Nô autem hic mihi videtur significare pericula, sed eos qui contradicebant & impediabant, sicut Alexander ararius. Valde enim, inquit, restitit verbis nostris. Tales autem sunt ij quibus datum est: ut si de paterna diceret sorte, Non est omnium militare in regia. Simul autem eos quoque excitat. Si ij autem tantam habent apud Deum fiduciam, ut possint etiam doctorem liberare à periculis, & ei facilem & expeditam reddere prædicationem, & nos ergo eadem dicimus? Nemo nos tantæ damnet arrogantia, neque ex immodica humilitate tanto nos priuet auxilio. Neque enim eodem animo dicimus quod dicebat Paulus. Nam ille quidem hæc dicebat volens consolari discipulos. Nos autem, ut magnum quid & bonum consequamur: & valde credimus, si velitis omnes vnanimiter ad Deum manus extendere pro nostra paruitate, futurum ut omnia vobis rectè succedant. Ita enim armatos ita oppugnabant veteres, multo magis sic sunt oppugnandi ij qui sunt inermes. Ita Ezechias fugauit Assyrium: Ita Moyses Amalec: ita Ascalonitas Samuël: ita Israël triginta duos Reges. Si vbi opus erat armis, & acie, & prælio, missis armis confugiebant ad preces; vbi precibus solum res oportet confici, quomodo non multo magis est orandum? At illic, inquit, qui præerant rogabant pro populo, tu autem vis populum precari pro duce. Ego quoque id scio. Nam tunc qui parebant, erant quidem miseri, viles & abiecti. Quamobrem à fiducia in Deum, & à sola virtute eius qui ducebat exercitum, eis dabatur salus. Nunc autem cum etiam in iis qui parent alterius imperio, incrementum acceperit Dei gratia, & inuenimus multos, vel potius plures,

Et Dei est & nostrum propter dogmata & actiones confirmari.

Cap. III.

Oratio nis quantum sit virtus.

Non solus rectores orant pro populo, sed etiam populus pro rectoribus.

plures, eo qui imperat magna ex parte esse superiores, A ne nos hac ope priuetis. Erigite manus vestras, ne resoluantur: aperite os vestrum ne obstruatur. Deum rogate: propter hæc rogate. Atque id quidem quod fit est pro vobis. Pro nobis autem est vniversum. Quod enim quod est vobis vtile sumus collocati, & de rebus vestris sumus solliciti. Rogate vnusquisque & priuatim & publicè. Vide Paulum dicentem. Ut pro dono nobis dato per multos à nobis agantur gratiæ: hoc est, ut multis det gratiam. Si apud homines, reos condemnatos, & qui ad mortem abducuntur, accedens populus postulauit, & multitudinem respiciens & reuerens Imperator, sententiam reuocauit: multo magis vestram respiciet & reuerbitur, non multitudinem, sed virtutem. Acrem enim & vehementem habemus hostem: vnusquisque enim vestrum res suas curat & de eis est sollicitus: nos autem simul omnium. Stamus in ea parte belli quæ laborat. Aduersus nos diabolus armatur vehementius. In bellis enim, ante alios omnes belli duces sternere conatur aduersarius. Propterea illuc omnes currunt coniunctis clypeis. Propterea magnus est tumultus, vnoquoque conate eum de medio tollere, clypeis illum circumtegunt ac muniunt, illius caput volentes conseruare. Audite quid Dauidi dicat totus populus. Non Dauidi incipiens conferens hæc dico: non ita infansio, sed populi aduersus principem ostendere volens beneuolentiam. Ne egrediaris, inquit, ad bellum nobiscum; ne extinguatur lucerna Israël. Quam parcebant seni? Vestris precibus valde egeo. Nemo me ut dixi, ex immodica humilitate hac priuet ope & auxilio. Si res nostræ floreat & sint in bona existimatione, vestra quoque erunt splendidiore. Si nobis prosperè fluat doctrina, ad vos transibunt diuitiæ. Audi Prophetam dicentem. Non seipfos pascunt pastores. Vides Paulum has preces poscentem assidue. Audi quod Petrus quoque sic ereptus est è carcere, quoniam assidue pro eo fiebat oratio. Planè credo futurum ut vestra preces multum osint, quæ cum tanto consensu fiunt. Quantam existimationis nostram exuperare paruitatem, pro tanto populo ad Deum accedere & rogare? Nam si ipse tantam non habeo fiduciam ut pro me precer: multo magis ut pro aliis. Hoc est eorum qui sunt vitæ probæ & bonæ existimationis: & Deum rogare ut sit aliis benignus ac propicius, est eorum qui ipsum sibi reddiderunt beneuolum. Qui autem ipse quoque offedit, quomodo rogabit pro alio? Sed tamen quoniam paternis vos complector visceribus, quoniam omnia audeo charitas, non solum in ecclesia, sed & domi ante alia fundo preces pro vestra sanitate animæ & corporis. Nullæ enim aliæ preces sacerdoti æquè conueniunt, atque pro bonis populi Deum adire & apud eum intercedere. Nam si Iob statim surgens tam multa faciebat pro filiis carnalibus, quantum magis nos debemus facere pro spiritualibus? Cur autem hæc dico? Quod si nos pro vobis omnibus preces fundimus & oramus, D est tantum absumus à rei magnitudine, multo magis iustum est ut vos hoc faciatis. Nam vnum quidem rogare pro multis, magne est audaciæ, & quod multa eget fiducia: multos autem, cum simul conuenerint, pro vno precari, non est graue nec importunum. Non enim suæ virtuti credens hoc facit vnusquisque, sed multitudini & consensui quem semper maxime respicit Deus, & eo mouetur ac placatur. Vbi enim fuerint duo aut tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum. Si vbi sunt duo aut tres congregati est in medio: multo magis apud nos. Quod enim per se precas quispiam non potest accipere, hoc accipiet precans cum multitudine. Quamobrem? Quoniam etsi non virtus pro-

1. Reg. 21.

Pro Apollolis orabat populus.

Ezech. 24. Act. 11.

Oratio in ecclesia est vis magna. Matt. 8.

pria, sed tamen consensus magnam habet vim: Vbi fuerint, inquit, duo aut tres congregati. Cur dixit duo. Nam si vnus fuerit in nomine tuo, cur nõ es illic? Quoniam volo omnes simul esse, & non esse diuisos. Nos ergo alter alterum condensem ac constitemus, charitate coniungamus ac colligamus. Nemo nos separaret. Si quisquam accusat, si quisquam molestia est affectus, ne id verfer animo, seu apud proximum, seu apud nos. Hanc à vobis peto gratiam, ut accedatis, & expostuletis, & excusationem à nobis accipiatis. Argue, inquit, ne fortè non dixerit. Argue, ne fortè non fecerit: & si fecerit, ne addat amplius. Aut enim excusamus: aut condemnati veniam petimus: & de cætero tentamus ne in eadem incidamus. Hoc & nobis confert & vobis. Nam eos quidem absque ratione fortè accusantes, cum ignorantem peccasse, & corrigimus. Vobis quidem non prodest. Nam illis quidem constituta est pœna qui verbum otiosum emittunt. Nos autem crimina tam vera quam falsa repellimus. Falsa quidem, falsa esse ostendentes: vera autem, ea non amplius facientes. Omnino necesse est ut cui tam multa sunt curæ, & ignoret, & peccet ex ignorantia. Nam si vnusquisque vestrum habens domum, vxoremque & filios & seruos quos regat, alius quidem plures, alius verò pauciores, in tam paucis tamen & numeratu tam facilibus, multa peccare non ut vult cogitur, aut nesciens, aut volens aliquid corrigere: multo magis nos qui tanto præsumus populo. Et vos adhuc multiplicat dominus, & vos benedicat paruos cum magnis. Nam etsi ex multitudine magna nascitur sollicitudo, non cessamus tamen optare ut ea nobis crescat, & augeatur hæc multitudo, fiatque multiplex & infinita. Nam patres quoque, etsi numerosa soboles eos sæpe cruciet, nullum tamen volunt amittere. Omnia vobis & nobis sunt æqualia, & eadem sunt bonorum capita. Non ego quidem maiori copia, vos autem minori sacre sumus mensæ participes, sed vtrique eam similiter tangimus. Si autem ego prior, non magni refert. Nam & inter liberos maior natu prior manum extendit ad epulas, sed ex eo tamen nihil accrescit: sed sunt nobis omnia æqualia. Salutaris, & quæ animas nostras continet, vita, cum eodem honore datur vtrisque. Non ego quidem alterius ouis, vos autem alterius, sed eiusdem sumus participes. Idem baptisma habemus vtrique: vno dignati sumus spiritu. Ad idem regnum vtrique contendimus. Fratres Christi similiter sumus: omnia sunt nobis communia. In quonam ergo exupero? In curis, in laboribus in solitudinibus, in eo quod pro vobis doleo. Sed nihil est hoc dolore suauius. Nam & mater dolens pro filio, dolore delectatur: de suis natis est sollicita. Lætatur solitudinibus. Atqui sollicitudo quidem per se res est amara: sed quando ea fuerit pro filiis, multam habet voluptatem. Multos ex vobis genui, sed postea fuerunt dolores partus. Nam apud patres quidem corporales, prius sunt dolores, & tunc est partus. Hic autem ad vltimam vsque respirationem sunt dolores, ne etiam post partum sit aliquid abortiuum, idque ego desidero. Nam etiam si alius genuit, ego tamen curis dilanior. Neque enim ex nobis generamus, sed totum est Dei gratiæ. Si autem ambo parimus per spiritum, non aberraueris, si & eos qui ex me nati sunt, illius, & eos qui ex illo nati sunt, meos appellaueris. Hæc omnia cogitate, & manum porrigite, ut sitis nostra gloriatio, & nos vestra, in die domini nostri Iesu Christi. Quem detur omnibus nobis videre in Christo Iesu Domino nostro &c.

Qui populo præsumunt sæpe peccat ex ignorantia.

Sacerdos eucharistiæ prior communicat.

Episcopi maior est labor quam cæterorum.

ORATIO V.



FIDELIS autem Dominus est, qui confirmabit vos, & custodiet à malo. Confidimus autem de vobis fratres in domino, quod quæ præcepimus & facitis & facietis. Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei & in patientia Christi.

Neque totum sanctorum precibus permittendo, nos ipsos oportet esse otiosos, & ad vitium currere, & nihil præclarum aggredi: neque rursus bona operando hanc opem despiciere. Multum enim potest, & magna est, quæ pro nobis fit oratio, sed tum demum quando nos quoque operamur. Propterea Paulus quoque pro ipsis orans, cum rursus rem fecisset fide dignam ex promissione, dicit. Fidelis autem est dominus, qui confirmabit vos, & custodiet à malo. Nam si vos elegit ad salutem, non mentitur, neque finit perire. Ne autem per hæc duceret ad fœcordiam, & totum esse Dei arbitrati ipsi dormirent, vide quomodo ab eis quoque exigit vt cooperentur, dicens: Confidimus autem de vobis fratres in domino, quod quæ præcepimus & facitis & facietis. Fidelis quidem, inquit est Deus, & promittens salutem dare, omnino dabit, sed vt promisit. Quomodo autem promisit? Si velimus, & cum audiamus, non absolutè, neque tanquam lignis & lapidibus otiosis. Rectè autem potuit & illud. Confidimus in domino. Hoc est, credimus eius benignitati & clementiæ. Rursus eos deprimit, totum inde pendere statuens. Nam si dixisset quidem, Vobis autem credimus, esset quidem magna laus: sed non ostendisset eos statuere omnia à Deo pendere. Si autem dixisset, Confidimus autem in domino, quod vos custodiet, & non addidisset de vobis, & illud, quæ præcepimus & facitis & facietis, eos fecisset pigriores, in Dei potestatem vniuersum coniciens. Oportet enim nos in ipsum totum conicere, sed ipsos quoque operantes, labores subeuntes, & suscipientes certamina: & ostendit quod etiam si sufficeret solum virtus ad nobis dandâ salutem, oportet tamen ipsam esse & perpetuam & nobis adesse vsque ad extremum vitæ spiritum. Dominus autem, inquit, dirigat corda vestra in Charitate Dei & patientia Christi. Eos rursus laudat & precatur suam eorû curam ostendens. Nam quoniam ad eos increpandos erat accessurus, eorum corda his prius lenit ac mitigat, & dicendo, Confido vos audituros, & ab eis petendo preces, & rursus eis bona precando innumerabilia. Dominus autem dirigat, inquit, corda nostra ad Dei charitatem. Multa enim sunt quæ auertunt à charitate, & multæ semitæ quæ inde declinât. Primum quidem semita mammonæ, tanquam impudentes qualdam manus in nostram immittens animam, & mordicis apprehensos vel inuitos inde vellit & trahit. Deinde inanis gloria, & sæpe etiam afflictiones & tentationes auertunt. Propterea tanquam quodam spiritu, Dei ope opus habemus, vt nobis velum tanquam ab aliquo vehementi spiritu trãsmittatur ad Dei charitatem. Ne mihi enim dixeris, diligo ipsum etiam plusquam meipsum. Hæc sunt verba, ostende factis. Si ipsum diligis plusquam teipsum, dilige plusquam pecuniam: & tunc te credo ipsum diligere plusquam teipsum. Qui autem pecunias non despicias propter Deû, quomodo teipsum despicias? Quid autem dico pecunias? Qui auaritiã & plura habendi cupiditatem non despicias, quod etiam absque Dei iussis oporteret facere, quomodo teipsum despicias? Et ad patientiam Christi, inquit. Quid est, Ad patientiam? Vt patiamur sicut ille passus est: aut vt illa agamus, aut vt etiam eum expectemus cum patientia, hoc est, simus parati. Nam quoniam multa promisit, & ipse venit ad

A iudicandum viuos & mortuos, vt eum expectemus & sustineamus. Vbi autem dicit patientiam, omnino tacitè innuit afflictionem. Hoc enim est Deum diligere, sustinere, & non conturbari. Denunciamus autem vobis fratres, in nomine domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem quam acceperunt à nobis. Hoc est, non nos hæc dicimus, sed Christus: hoc enim est in nomine Domini nostri Iesu Christi. Ostendit quàm sit terribilis denuntiatio. Per Christum, inquit. Non ergo iussit Christus nos vsquam esse otiosos. Vt subtrahatis vos, inquit, ab omni fratre. Ne mihi dicas diuitem, Ne pauperem, ne sanctû: hoc est immodestia & dissolutio. Ambulante, inquit, hoc est viuente, & non secundum traditionem quam acceperunt à nobis. Traditionem ait quæ fit per opera, & dominus hanc semper dicit traditionem. *Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos. Quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducauimus ab aliquo.* Quanquam etiam si comedisset, gratis non comeditisset. Dignus est enim, inquit, operarius mercede sua. *Sed in labore & fatigatione, nocte & die operantes, ne quem vestrum grauaremus. Non quasi non habuerimus potestatem: sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam & cum essemus apud vos, denuntiabamus vobis, quod si quis non vult operari, nec manducet.* Vide quomodo in priori quidem epistola mitius de hoc differit, vt quando dicit, Rogamus autem vos fratres vt abundetis magis & contendatis: & nutquam, denunciamus: neque, in nomine domini nostri Iesu Christi, quod quidem est terribile & habet periculum. Sed vt abundetis, inquit, & contendatis, quod est adhortantis ad virtutem. Vt, inquit, honestè ambuletis. Hic autem nihil huiusmodi, sed si quis non vult operari, non manducet. Nam si Paulus cui non erat necesse, sed in cuius erat potestate esse in otio, & tantum opus susceperat, operabatur tamen, & non solum operabatur, sed die ac nocte operabatur, vt posset etiam aliis opitulari, multo magis alios oporteret hoc facere. *Audiuimus enim inter vos quosdam ambulantes inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes.* Hoc quidem hic: illic autem in priori, Vt honestè, inquit, ambuletis ad eos qui foris sunt. Quamobrem? Fortasse nihil adhuc erat tale. Nam alibi quoque admones dicebat, Beatius est dare quàm accipere: illud autem, Honestè ambulante, non est de immodestia & dissolute. Et ideo subiunxit, vt nullo egeatis. Hic autem aliam quoque ponit necessitatem, vt quod bonum est & honestum, faciant apud omnes. Procedens enim dicit, Nolite deficere bonum facientes. Planè enim necesse est vt qui est otiosus & potest operari, sit curiosus. Eleemosyna autem iis solis est data, qui ex operatione manuum sibi non possunt victum suppeditare: aut iis qui docent, & sunt penitus occupati in negotio docendi. Non enim alligabis, inquit, os boui trituranti: & Dignus est operarius mercede sua. **D** Quare nec hic quidem est otiosus, sed operæ eiusque magnâ mercedem accipit. Otiosum autem orare & ieiunare non est opus manuum. Operationem enim hic dicit eam quæ fit per manus. Et vt nihil tale suspiceris, subiunxit: Nil operantes, sed curiosè agentes. *Iis autem qui eiusmodi sunt, denuntiamus & obsecramus in domino Iesu Christo.* Quoniam eos valde tetigit, mitiorem volens reddere orationem, subiunxit per dominum Iesum Christum: & rursus probabilitatem & terrorem afferens dixit: *Vt cum silentio operantes panem suum manducet.* Cur autem non dixit, Si fiat autem immodesti & dissoluti, alantur à vobis? sed vtrunque exigit, vt & sint in silentio, & operentur. Suum, inquit, panem comedant non alienum. *Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes.*

Oratio pro nobis tum demum est bona quando nos quoque operamur.

In Deum omnia oportet conicere, sed ipsos quoque operantes.

Semitæ multæ declinant à charitate.

Traditio per opera.

Matt. 10. Luc. 10. & 1. Tim. 5.

1. Thess. 4

Act. 10.

1. Cor. 9. & 1. Tim.

fratres quomodo inuicem punit.

Membrum non sunt contumelia afflicti.

Qui contumelia afficit pauperes, inquit eum qui ipsum facit.

benefacientes. Vide quomodo statim fracta sunt paterna viscera. Non potuit ulterius prosequi increpationem, sed rursus eorum est misertus. Vide autem cum quanta prudètia. Non dixit, sed eis ignoscite donec corrigantur. Sed quid? Vos autem nolite deficere benefacientes. Subtrahite, inquit, vos ab ipsis, & eos increpate: ne tamen eos fame intereuntes despiciat: Si verò, inquit, à nobis habens abundantiam maneat otiosus, benignum quoddam medicamentum dicit. Quid ergo dicit? Si eam quæ est à nobis trahens abundantiam, maneat otiosus, in eo, inquit, placidum ac benignum dixi medicamentum: nempe subtrahite vos ab ipso, hoc est ne ei deris fiduciam & loquendi libertatem: ostendite, vos ei succentere. Non est hoc paruum. Talis fit ad fratres increpatio, si verè eos volumus corrigere. Non ignoramus modos increpationis. Nam dic quælo. Si fratrem haberes carnalem, eumne despiceres fame percutentem? Non sanè opinor. Sed fortè etiam corrigeres. *Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam.* Non dixit, Qui non obedit, mihi non obedit. *Hunc notate.* Non est parua hæc castigatio. *Et non commisceamini cum illo.* Deinde rursus. *Vt confundatur.* Nec finit ulterius progredi. Quomodo enim cum dixisset, Si quis non operatur, nec manducet, veritus ne fame interirent, subiunxit, Vos autem nolite deficere benefacientes. Ita cum dixisset, Subtrahite vos, & non commisceamini cum illo, deinde veritus ne hoc ipsum eum excinderet à fraternitate. Nam qui despondit animum, citò peribit, cui non datur fiducia & libertas loquendi, subiunxit. *Et nolite quasi inimicum existimare, sed corrigite vt fratrem.* Per hæc vtrunque ostendit, nempe quod & in eum magnum statuit supplicium, eo quod cum prius fiducia & loquendi libertate. Nam si esse cum multis accipientem est pudendum: quando & prauauerint increpantes, & se subtraxerint, quatum est hoc probum, & quantum ad mordendum sufficit animum? Nam si ij qui dant tardius, aut murmurant, eos incendunt qui accipiunt, ne mihi enim dixeris de impudètibz mendicis, sed de fidelibus) si qui dant essent increpaturi, quid non facerent, quod non mererentur supplicium? Non sic nos, sed tanquam maxima affecti iniuria, eos qui mendicant afficimus contumelia, & auersamur. Non das, cur etiam es molestus? Admonete, inquit, vt fratres, non cõtumelia afficite tanquam inimicos. Qui fratrem admonet, non hoc facit publicè, non probum in publicû traducit, sed hoc facit priuatim, & cum magna attentione, & dolens, & agrè ferens, & lacrymans & lamentans. Fratrem ergo animo præbeamus, fraternam voluntate admoneamus: Non tanquam dolentes eo quod demus: sed tanquam dolentes propterea quod ille transgrediatur mandatum. Quid enim lucraris? Nam si postquam dederis contumelia afficis, perdis voluptatem distributionis. Quando autem nec dederis & contumelia affeceris, quid mali non fecisti illi misero & calamitoso? Accessit tanquam aliquid à te accepturus, recessit autem lethali accepto vulnere, & magis est lacrymans. Nam cum propter egestatem necesse habeat mendicare: propterea quod mendicat, contumelia afficitur. Vide quantum sit supplicium eorum qui afficiunt contumelia. Qui contumelia afficit, eum irritat qui ipsum fecit. Nam dic mihi, ipse eum propter te finit esse egenum: & tu eum contumelia afficis qui propter te est egenus. Quantæ hæc sunt prauitatis? Quam ingrati animi est hoc factum? Admonete, inquit, vt fratres. Etiam postquam dederis iussit admonere. Quando autem etiam cum non dederimus contumelia afficimus, quænam erit nobis defensio ac excusatio? *Ipsè autem Deus pacis det vobis pacem sempiternam in*

omni loco. Vide quemadmodum postquam narravit quæ sunt agenda, ea obfignet precatione, veluti quædam signacula eorum quæ sunt deposita preces ponens & supplicationem. Det vobis, inquit, pacem in omni loco. Nam quoniam est verisimile pugnas ex his exorturas, cum & illi euadant asperiores, & hi non vtrique similiter illis præbeant, meritò hoc nunc est precatus. Det, inquit, vobis pacem semper. Hoc est enim quod quæritur, vt eam semper habeant. Quid est, in omni loco? Vt nullo ex loco habeant occasionem contentionis. Vbi que enim pax est res bona cum etiam res bona sit apud eos qui sunt foris. Audi enim eum alibi dicentem. Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Ad ea enim quæ rectè gerere volumus nihil est adeò aptum, vt esse pacificum, & non turbulentum, & liberum esse ab inimicitiiis, & nullum habere inimicum. *Dominus cum omnibus vobis. Saluatio mea manu Pauli: quod est signum in omni epistola ita scribo. Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen.* Hoc dicit se scribere in omni epistola, vt nemini liceat eas adulterare, cum appositum sit veluti magnum signum subscriptionis. Salutationem autem appellat precationem, ostendens quod & tunc omnia agebant spiritualia, & quando salutare oportebat, res erat cum lucro, & quod precatio esset, non solum symbolum amicitia. Ab ea incipiebat, & in eam definebat, magnis manibus muniens quæ vtrinque dicebantur, firmaque & solida ponebat fundamenta, firmumque & tutum finem imponebat. Gratia, inquit, vobis & pax. Et rursus, Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen. Hoc etiam Christus præcepit discipulis, dicens, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Sed hoc fit quando nos volumus. Non enim erit omnino nobiscum, quando nos procul remouerimus. Vobiscum, inquit, ero perpetuo. Ne ergo gratiam abigamus, subducite vos, inquit, ab omni fratre inordinatè ambulante. Hoc tunc magnum erat à pleno cœtu fratrum esse auulsos, hoc quidem certè pœnas sumit de omnibus. Sicut etiam alibi ad Corinthios scribens dicebat: Cum huiusmodi ne conuesci quidem iubet. Sed non hoc magnum nunc plerique existimât: sed sunt omnia confusa & corrupta, cum adulteris, cum scortatoribus, cum auaris temerè & sine discrimine commisceamur. Si ab eo qui otiosè alebatur se subducere oportebat, quantò magis ab aliis? Et vt discas quàm sit terribile separari à conuentu fratrum, & quantum lucrum afferat iis qui benignè & beneuolè suscipiunt reprehensionem, audi quomodo ille qui peccato erat inflatus, qui ad extremum vitium erat prouectus, qui talem admisit fornicationem, qualis nec inter gentes nominatur, qui vulnus suum non sentiebat, hoc enim est summa perversitas, iste inquam, qui talis erat, ita fuit inflexus reductus & compositus, vt diceret Paulus, Sufficit illi qui est eiusmodi, increpatione hæc quæ fit à pluribus. **Q**uamobrem confirmate in ipsum charitatem. Tunc enim ita erat, vt membrum à reliquo corpore auulsam. Causa autem, & vndenam erat hoc tunc terribile? Quoniam esse cum eis tunc magnum bonum existimabatur. Quomodo enim qui vnam domum habitât, & sunt in vnius patris potestate, & vnius mœxæ sunt participes, ita tunc habitabant in vnaquaque ecclesia: à tanta ergo excidisse charitate quantum erat malum? Nunc autem nihil videtur esse magnum, propterea quod nec magnum quidpiam esse existimatur, quando simul inter nos fuerimus coniuncti, sicut tunc erat in instar supplicij: hoc autem vsuenerit propterea quod valde refrixerit charitas: & hoc nunc fit absque supplicio, & temerè alter ab al-

Pax vbi que est res bona. Rom. a.

Vt sit Christus semper nobiscum est in nostra potestate.

1. Cor. 5.

2. Cor. 6.

In ecclesia erant fideles tanquam in vna domo.

tero separatur, idque præ algore charitatis. Malorum enim omnium causa est quod non sit charitas. Hoc omnia ecclesie bona honesta ac præclara, propter quæ exultare oporteret, destruxit & deleuit. Magna est doctoris fiducia, quando à rebus rectè à se gestis potest increpare discipulos. Quamobrem Paulus quoque dicebat: Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos, & magis debet esse doctor vitæ quàm sermonis. Nemo autem existimet hoc esse gloriose iactantia: ad necessitatem enim redactus hoc dixit, & ad id quod confert in communi. Quoniam non fuimus, inquit, inordinati & dissoluti inter vos. Ex hoc non vides humilitatem, quam donationem vocat modestiamque ac moderationem. Non fuimus, inquit, inter vos inordinati, id est insolentes ac dissoluti, neque gratis panem manducauimus. Ostendit eos hic quoque fortè esse pauperes. Nec mihi dixeris quod fuerunt pauperes. Loquitur enim de pauperibus, & quibus non aliàs necessarium suppetit alimētum quàm ex operatione manuum. Non dixit enim, vt à patribus habeant, sed vt operantes panem suum comedant. Nam si ego præ doctrinæ verbi timui vos grauare, multò magis is qui vobis nihil prodest, hoc enim planè est grauare. Grauari autem est quando quispiam non dat cum magna animi alacritate: sed hoc non innuit, sed vt qui facile non habeant. Cur enim non operaris? Deus ad hoc tibi dedit manus, non vt ab aliis accipias, sed vt aliis præbeas. Dominus autè, inquit, vobiscum. Hoc ipsum quoque licet nobis precari, si agamus quæ sunt domini. Audi enim Christum dicentem discipulis, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæ mandauit vobis, & ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, si ista omnino faciatis. Nam quod illis solùm non sit promissum, est perspicuum ex eo quod dixit, vsque ad consummationem seculi; sed illis etiam qui eius vestigijs insistant. Quid ergo illis dicit qui non sunt doctores? Vnusquisque vestrum si velit potest esse doctor, si non alterius, sui saltem. Doce te ipsum primum. Si docueris omnia quæ mandauit vt seruares, etiam per hoc multos habebis qui æmulentur. Sicut enim lucerna quando ipsa fuerit lucida, accendere potest innumerabiles: extincta autem ne sibi quidem præbebit lumen: ita etiam de vita pura, si quæ est in nobis fuerit lucida, efficiemus innumerabiles & discipulos & doctores. Neque enim verba mea iis qui audiunt ita prodesse poterunt, vt nostra vita. Esto enim vir quidam Deo charus & virtute resplendens, & habens vxorem, licet enim vxorem quoque habenti & liberos & seruos, & amicos Deo piacere non is omnibus multò magis poterit prodesse quàm ego? Nam cum me in mense semel aut bis, aut ne semel quidem, & quæ audierint, fortasse vsque ad limen ecclesie seruaerint, statim abiiciunt: illius autem vitam videntes assidue, multum lucrantur. Quando enim contumelia affectus non vicissim contumelia affecerit, an non suæ lenitatis & mansuetudinis pudorem in animo eius qui contumelia afficit insigit & insculpit? Quod si non statim fateatur quam accepit vitilitatem, aut ira præpeditus, aut rubore suffusus, aut pudore affectus, sensum tamen statim accipit: & fieri non potest vt homo contumeliosus, etiam si sit bestia, si cum homine leni & patiente fuerit versatus, non magno accepto lucro recedat. Bona enim etsi non agamus, laudamus tamen omnes & admiramur. Mulier rursus si viderit virum placidum & modestum, multum lucratur semper cum eo versans, & puer itidem. Licet ergo vnicuique esse doctorem. Adificate enim, inquit, alterutrum, sicut

& facitis. Nam dic quæso, domui tuæ aliquod damnum accidit: conturbatur vxor vt quæ sit infirmior, & magis mundana, sumptuosiorque, & sui ornandi cupidior: maritus si sit philosophus, & damni accepti irrisor, & illam consolatur, & persuadet vt generoso & forti ferat animo. An non dic quæso ei magis proderit quàm ipsi nostri sermones? Nam dicere quidem est facile: agere autem, cum opus fuerit, cuius est difficile. Propterea ex factis humana natura magis solet corrigi & componi: & tanta est virtutis excellentia, vt seruus toti domui saepe profuerit cum domino. Non enim frustra nec temerè eis assidue iubet Paulus vt virtutem exerceant, & vt obediant dominis, non tantam curam gerens vt ministrent dominis, quantum ne verbum Dei & doctrina blasphemetur. Quando autem non blasphematur, citò etiam habebitur in admiratione. Scio etiam multas domos multum lucrificasse ex virtute seruorum. Si autem seruus qui est in potestate, potest dominum corrigere, multò magis dominus seruos. Vos hoc ministerium mecum quæso distribuite. Ego cum omnibus loquor in communi. Vos seorsum vnicuique, & vnicuique proximorum aggrediatur procurare salutem. Quod enim oporteat eis qui sunt patresfamilias domus suæ præesse, & eorum curam in his gerere, audi quò mulieres transmittat Paulus. Si quid autem velint discere domi viros suos interrogent. Nec eas adducit ad doctorem. Nam quomodo in ludis literarijs sunt etiam inter discipulos doctores & magistri, ita etiam in ecclesia. Vult enim non ab omnibus molestiam exhiberi doctori. Quare? Quoniam magna sic erunt bona: non solùm quoniam leuis erit labor doctori, sed etiam quoniam vnusquisque discipulus cum fuerit sollicitus, citò potest euadere doctor & magister, hanc habens sollicitudinem. Vide enim quantum ministerium affert mulier. Domum custodit, & curam gerit omnium quæ domi sunt, ancillis instat & eas vrget ad opus: vestit suis manibus, efficit vt voceris pater filiorum, te liberat à prostibulis, dat auxilium ad modestiam & temperantiam: sedat æstrum naturæ. Sed tu eam quoque beneficium affice. Quomodo? In spiritualibus ei manum porrige. Quæ audieris vtilia, ea non secus atque hirundines ore portas, affer & pone in ore matris & puellorum. Quomodo enim non est absurdum te in alijs quidem primas velle obtinere, & locum tenere capitis, in doctrina autem ordinem deserere? Eum qui imperat, iis qui parent, oportet excellere, non in honoribus, sed in virtutibus: Nam illud quidem eorum qui parent, hoc verò eius qui imperat est officium. Si multo honore fruaris, hoc nihil ad te: accepisti enim ab alijs. Si multa virtute refulgeas, hoc totum est tuum. Es caput vxoris, concinna, corrige & compone reliquum corpus. Non vides quòd caput non tantum loco superat reliquum corpus, quantum cura & prouidentia, vt quod ipsum regat ac dirigat tanquam gubernator. In capite enim & corporis & animæ sunt oculi. Illinc ad eos affluit vis perspicendi, illinc vis regendi quæ tenet principatum. Et reliquum quidem corpus constituitur ad ministrandum: hoc verò collocatum fuit ad imperandū. Omnes sensus illinc habent principium & fontem: illinc instrumenta emittuntur vocalia, facultas videndi, facultas orandi, tactus vniuersus: Illinc orta est radix neruorum & ossium. Vides quòd prouidentia magis excellit, quàm honore? Ita nos etiam imperamus mulieribus: eas vincimus, non quòd plus honoris quæramus, sed quòd ipsæ à nobis maiori afficiantur beneficio. Ostendi eas non paruis nos afficere beneficijs, sed si velimus eas remunerari spiritualibus, nos vincimus. Nam in corporalibus non possumus aliquid afferre quod eis ex

Doctor magis esse debet doctor vitæ quàm sermonis. Hic infra. Ibidem.

Grauari quid sit.

Matt. 28.

Vnusquisque potest esse doctor si velit.

Bona etsi non agamus, laudamus omnes.

1. Theff. 1.

Ex factis solet humana natura corrigi.

1. Cor. 14.

Mulier docenda à marito.

Caput nō tantum loco superat, quantum cura & prouidentia.

In solis spiritualibus vincitur à viro mulier.

Qui docet alium dicendo computatur.

1. Theff. 4.

Hæc oratio primum edita est anno 1570.

1. Cor. 4.

1. Cor. 4.

æquo respondeat. Quid enim affertis? multas pecunias? Sed illa seruat. Ipsa autem illius prouidentia propendit ex æquilibrio: & adeò ea opus habet, vt multi qui multa possidebant, quoniam non habebant qui seruaerent, omnia perdiderunt. Sed propter liberos est inter ambos societas. Par quoque est vtriusque beneficium, imò verò illa in his laboriosius obit ministerium, vt quæ perpetuò ferat foetum, & partus vexetur laboribus. Quamobrem in solis spiritualibus eam potes vincere. Ne curemus vt sint nobis pecuniæ, sed vt quæ nobis creditæ sunt animæ, eas cum fiducia coram Deo sistamus. In illis enim corrigendis & concinnandis nobis quoque multum profuerimus. Nam qui alium docet, si nihil aliud, in dicendo compungitur, dum videt seipsum iis esse obnoxium de quibus alios reprehendit. Quoniam ergo & nobis ipsis & illis profuimus, & propter illas domui, & hoc Deo est gratum, in primis ne nos pigeat & nostræ, & eorum qui nobis ministrant animæ curam gerere. Vt pro omnibus accipiamus remunerationem, & cum multis diuitijs perueniamus in sanctam ciuitatem matrem nostram Hierusalem cælestem. A qua absit vt vnquam excidamus, sed cum resplenduerimus in optima vitæ institutione, cum magna fiducia digni censeamur videre Dominum Iesum Christum, cum quo patri simul & sancto spiritui gloria & potentia nunc & in omnia sæcula sæculorum. Amen.

centem audiuitis: De dormientibus nolo vos ignorare, vt ne lugeatis quemadmodum reliqui, qui spem non habent. Ille Euangelij de Lazaro sonus fuit, hæc vox est Apostoli, sed vnus est concentus. Nam in illius parabole explanatione multa de resurrectione & de iudicio, quod tum fiet, multa disputauimus: & nunc ipsa oratione in idem argumentum delapsi sumus. Itaque si locum Apostoli defodiamus, eundem in eo thesaurum inueniemus. Etenim tota oratio nostra tuum eò festinabat, vt doceremus auditores, nihil in hac vita splendidum existimandum, sed spe vltius progrediendum, ac animo quotidie reputandum, quæ illic ferrentur sententiæ, quàm formidabile iudicium: & iudicem huiusmodi esse, quem nemo decipere posset. Hoc idem verbis illis quæ lecta sunt, Paulus consulit. sed animum aduertite. De dormientibus nolo vos ignorare fratres, vt ne lugeatis, quemadmodum reliqui qui spem non habent. Sic enim credimus Iesum mortuum esse, & à mortuis excitatum: ita Deus per Iesum dormientes ducet cum eo. Hoc autem primum dignum est, cui insistamus ac disquiramus, cur, cum de Christo sermo habetur, mortem eam Apostolus appellet, qua ille ex mundo sublatus: hominum autem interitum, somnum, non mortem vocet? Nam de mortuis non dixit, sed de dormientibus. Et paulò inferius: Sic & Deus eos qui per Iesum dormiunt, non eos qui per Iesum mortui sunt, ducet cum illo. & rursus: Nos qui viuimus qui relictus sumus ad aduentum Christi non iis anteuertemus qui dormierunt. Nec hic quidem mortuos dixit, sed cum mortis hominum ter eo in loco meminerit, toties eam somnum appellauit: de Christo autem mentionem faciès non item, vt in hoc loco: Si enim credimus Iesum mortuum esse, vbi somni verbum non vsurpauit, sed mortis. Sed quæ causa est, cur Christi mortem, nostram verò somnum vocauit? Haud enim temerè & sine delectu aliquo, sed grande quiddam ac doctum apparans, his vocabulis vsus est. Etenim de Christo loquens, mortem dixit, vt passionem confirmet: de nobis verò cum sermo fit, somni nomine vitur, vt dolorem leniat. Mortem enim eam sine dubitatione appellauit, cui resurrectio successit: vt intelligas mortem velut causam resurrectionis esse. Vbi autem rei spes ostenditur, somnum appellat ipsa nimirum appellatione nos consolans ac bonam spem ostentans. Qui enim dormit omnino exurget, vt nihil aliud mors sit, quàm longus somnus. Neque mihi hic dixeris, neque defunctos videre, neque audire, neque loqui, neque sentire, cum dormientes ipsi haud meliore conditione sint, imò (vt admirabilius aliquid dicam) dormientis anima quodammodo dormit, mortui verò vigilat. At, inquires, mortuus putrescit ac corrumpitur, puluisque & cinis fit. Quid tum inde amice? Hoc nimirum illud est quod maxime lætandum. Etenim si quis veterem domum ac conuassatā ædificaturus est, primum eius incolas ex illa eicit, deinde domum ipsam diruit, & eam magnificentius reædificat. Quod quidè lætandū potius quàm dolendū ei est, qui ex vetere habitatione eiectus est. Non enim præsentem ædium demolitionem spectat, sed domū antequam videatur animo concipit ac comprehendit. Ad eundè modum facturus Deus, corpus nostrum demolitur, & animū in eo habitantē antè, vt ex domo aliqua, eicit, vt cum aliam magnificentiore ac præclariore opere reædificarit, illum maiori cū gloria in eam introducat. Ne igitur in demolitione intueamur, sed in futurum splendorem. Si quis adhæc statuum rubigine ac tempore exesam, magnaque ex patre detritam habet, eam confringit ac in fornacē coniicit, vt fufurā splendidiorem reddat. Quemadmodum igitur statua, quæ

1. Theff. 4.

Ibidem. Vide not. fol. 1309. Ibidem.

1. Theff. 4.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI ORATIO IN DICTVM ILLVD D. PAULI Apostoli: De dormientibus nolo vos ignorare fratres, &c. interprete Iacobo Goupylo.



IES quatuor in explicanda vobis Lazari parabola consumpsimus, thesaurumque adeò exhaustimus, quem inuenimus in corpore vulneribus scatente: thesaurum, inquam, in quo non aurum quidem, non argentum, non lapilli & gemmæ latebant, sed Philosophia ac religio, multa tolerantia laborum, & malorum patientia. Quemadmodum enim thesauri aspectabilis superficies, spinis, tribulis, ac terra asperiore obtegitur, tamen si quis terram defoderit altius, multæ opes ac diuitiæ apparent: sic Lazaro vsuuenit, vt fors ei vlcera erumpant, magnas verò intus conditas diuitias habeat. Corpus quidem fluxum ac resolutum est, sed animus generosus ac alacer, vt in eum Apostoli illud aptissime quadrat: Quantum externus homo corrumpitur, tantum internus reuouatur. Ac mihi quidem & hodierno die parabolam hanc tractare licebat, & cum hæreticis pugnare, qui vetus testamentum vituperant, Patriarchas accusant, & linguam in Deum mundi parentem exacuunt: sed ne fatietatem ac fastidium oratio vobis afferat, disputationem hanc in aliud tempus seponemus. Agè nunc ad aliud argumentum orationem conuertamus. Cum igitur simplici cibo extructa mensa satietatem faciat, varijs verò edulijs opulenta assiduam appetentiam præstet, vt idem in hac auditione vsuueniat, ad D. Paulum longo iam interuallo reuertamur. Etenim locus ex eo à nobis hodie commodè ac oportunè lectus est; & quæ nunc dicturi sumus, maxime iis consentanea sunt, quæ iam diximus: Paulum igitur hodie personantem ac di-

Simile.

in fornace confringitur, haud deletur, sed renouatur: A
 sic cum corpus nostrum moritur, non perit, sed instauratur. Cum igitur videris statuam in fornace liquefcen-
 tem, ne committe vt in huius rei inspectione conquis-
 cas, sed tantisper expecta dum ea * coflata fuerit: quan-
 quam ne hac quidem † mensura contentus esse debes,
 quin longius cogitando progrediendum est. b Etenim
 statuarius corpus aliquod ex are, in fornacem cum ini-
 iicit, auream tibi ac immortalem ex are imaginem effi-
 cit. & verò Deus ipse ex fictili ac mortali corpore in
 fornacem iniecto, auream ac immortalem statuam ef-
 fingit. Tellus enim cum corpus caducum ac fato ob-
 noxium acceperit, immortale ac nulla fata subiens
 postea reddit. Ne igitur intueri in eum qui clausa iam
 habet lumina, & sine voce iacet, sed in eum qui ex
 morte * excitatus est, gloriámque incredibilem, stu-
 pendam ac admirabilem † recepit. Cogitationes tuas à
 rerum praesentium statu ad futuram spem conuerte.
 Atque consuetudinis eius desiderium non fers, & ob id
 dolere conficeris ac luges? Sed hoc quam fit absurdum
 vide. Si sponso alicui filiam in matrimonium colloca-
 ueris, quam is postea secum in longinquam regionem
 abducat, vbi in magna rerum omnium abundantia vi-
 uat, nequaquam id molestè laturus es, sed dolorem
 quem ex longa eius absentia capis, prosperitatis ac se-
 cundarum eius rerum famà demulces. Nunc autem
 non homine aliquo, non conseruo, sed domino, quod
 suum est accipiente, mœres ac excruciaris. At homo
 cum sim, ais, non possum non dolere. Neque id ego à te
 exigo. c Tristitiam enim non tollo, sed animi sollicitu-
 dinem. Nam mœror naturalis, sed supra modum mœ-
 rere, infani, amentis ac muliebrem animum gerentis
 est. Mœre, lacryma, at vide ne stomacheris, ne impa-
 tienter mortuum requiras. Quin Deo gratias age, qui
 eum acceperit, vt ex vita decedentem honores, hone-
 stèque amici funeri iusta persoluas. Si indignè fers, ei
 dedecori es, & Deum accipientem exacerbans, tibi que
 damno es: sin gratias egeris, honestas illum, & Deum
 qui eum acceperit laude afficis, tibi que ipsi vtilitatem
 affers. Lacryma, sed * vt Dominus Lazarum luxit, qui
 nobis regulam modúmque ac fines dolori constituit,
 quos egredi non licet. Ad eum modúm Paulus ait: Mœ-
 re, sed non ita vt Ethnicus, de resurrectione spem abi-
 iciens, & de futura vita desperans. † Erubescio, mihi
 credite, cum per forum praeteriens mulierularum
 ineptientium conuentus video, capillos vellentium,
 brachia dissecantium, genásque carpentium, idque in
 conspectu Ethnicorum. Quid non illi dicent de quos
 de nobis sermones habebunt? Hinc sunt qui de Resur-
 rectione philosophantur? Sanè quidem. At † decretis
 facta eorum non consentiunt. Resurrectionem enim
 esse cum defendant, de ea desperantibus tamen con-
 uenienter agunt. Nam si resurrectionem esse confide-
 rent, talia non agerent. Si enim sibi persuaderent in
 vitam meliorem eum introiisse, haud lugerent. Hæc
 & alia plura impij homines dicunt, cum luctum au-
 diunt. Pudcat igitur nos, placatiúsque ac moderatius
 res humanas feramus, ne nobis ipsis atque aliis tanto
 damno simus. Quid tandem eum, qui ita ex hac vita
 abiit, desles? An quod malus esset? Atqui hoc nomi-
 ne Deo gratias agere conuenit, quod eius vitia inter-
 rupta ac præcisâ sint. At frugi & bonus erat. Ob id
 ipsum lætari conuenit, quod ex hac vita antè sublatus
 fit, quam eius mentem vitiositas occupasset: & in eum
 locum abierit, in quo deinceps in tuto agat, & aliquam
 rerum esse mutationem, ne suspicari quidem possit.
 Sed iuuenis erat. Ob id Deum gloria affice, quod citò
 cum in meliore statu collocauerit. Quod si senex erat,

eadem tibi gratias Deo agendi causa est. Hunc efferen-
 di modum erubescere. Psalmorum cantiones, patrum
 conuentus, ac tanta fratrum multitudo est, non vt
 fleas, mœreas & indigneris, sed vt Deo gratias agas,
 qui eum acceperit, qui effertur. Quemadmodum enim
 eos qui magistratum aliquem incunt, fausta acclama-
 tione profectui solemus, ita sanctos ex hac vita dece-
 dentes & ad maiores honores ascendentes, bonis o-
 mnes verbis deducimus. Mors quies est laborum; &
 curarum, quibus in hac vita vrgemur, vacuitas. Cum
 igitur aliquem ex propinquis tuis ex hac vita abeun-
 tem videris, ne inique fer, sed * si quis dolor pungit,
 ad te redi, conscientiam tuam in consilium adhibe, ac
 considera tibi haud multò post ex hac vita migran-
 dum esse. Moderatior sis ac ex alterius morte timere
 disce. Omnem ignauiam ac socordiam ex animo tuo
 præcide, facta tua expende, errata corrige, optimam
 fac morum mutationem. Hoc ab impiis differimus,
 quod aliter atque illi de rebus ipsis iudicemus. Impius
 cœlum intuetur ac illud adorat: Deum enim illud cre-
 dit esse. Terram aspicit, ac ei honores tribuit, & iis,
 quæ in sensus cadunt, inhiat. Nos verò non ita, sed
 cœlum ita aspiciamus, vt eius opificem admiremur,
 nõ enim illud Deum esse credimus, sed Dei opificium.
 Video omnia quæcunque à Deo procreata sunt, atque
 ita ad ipsum mundi parentem velut manu deducor.
 Diuitias ille videt ac iis inhiat obstupescitque. Ego ve-
 rò eas cum video, rideo ac pro nihilo duco. Paupertatem
 ille videt ac flet, ego verò exulto. Alio ego modo
 atque ille res ipsas inspicio. Ita & in morte à nobis fit.
 Videt ille defunctum ac nihil quam cadaver esse pu-
 tat: ego itidem video, sed mortem illam somnum esse
 iudico. Et quemadmodum in literis vsuuenit, vt om-
 nes æquè eas cernamus, docti iuxta ac indocti: at
 non eadem omnes mente: stulti enim ac ignari cum
 eas vident, nihil aliud quam literas esse putant: intel-
 ligentes verò magna arte reconditum sensum eruunt.
 Ad eundem modum & in ipsis rebus iisdem omnes o-
 culis, quæ accidunt videmus, at non eadem mente.
 An igitur qui in omnibus aliis rebus ab illis discrepa-
 mus, in iis quæ ad mortem spectant, his consentiemus?
 Cogita ad quem abierit, & consolationem accipe.
 † Vbi est Paulus? Vbi est Petrus? vbi vniuersus Sancto-
 rum chorus? Cogita quomodo à morte excitabitur,
 quantaque cum gloria ac splendore. Hoc etiam ani-
 mo reputa, nihil te sciendo ac lugendo profecturum,
 neque ea quæ euenerunt, fletu te emendaturum, quin
 potius lacrymas multo tibi damno futuras. Cogita
 quorum hominum exemplo id facias, & coniunctio-
 nem cum peccato fuge. d Quos igitur imitaris? Qui
 nullam spem habent, quemadmodum D. Paulus ait,
 vt ne mœreatis, vt reliqui nullam spem habentes. Sed per-
 pende, quam accuratè dictum illud sit. Non enim di-
 xit; Qui nullam spem resurrectionis habent, sed sim-
 pliciter protulit, qui spem non habent. Qui enim spem
 non habet iudicij, quod illic fiet, nullam omnino spem
 habet, non diuinæ modò in rebus humanis prouidentia-
 tiæ, sed ne iustitiæ quidem eius, qui omnia videt, quæ-
 cunque vbi que fiunt. Qui autem neque intelligit, ne-
 que iudicat, beluâ qualibet magis rationis expers est,
 legesque, iudicia, iura ac bona omnia ex suo animo
 eiicit. Qui enim non sperat se suorum factorum
 rationem redditurum, viam virtutis deserit & vi-
 tia amplectitur. Hæc igitur animaduertentes stulti-
 tiámque ac amentiam Ethnicorum quibuscum lügen-
 do communicamus, animo reputantes, ne committamus
 vt illis consentiamus. Itaque Paulus eorum memi-
 nit, vt dedecus in quod incurris reputans, ne cum

* τὴν ἀνα-
 χύρωσιν
 τῆς ψυχῆς
 καταστά-
 σεις
 μέτρα
 ἡμετέρας
 μέτρῃ
 ἐκείνης
 ἐκείνης
 ἐκείνης

* excita-
 tur.
 † recipit.

* δὸς δὲ
 οὐκ ἐπι-
 στήμη
 τῆς
 ἀθανά-
 τῆτος
 ζωῆς

* Pudet
 me, mihi
 credite,
 erubescio.

† τὸν δὲ
 νόμον
 τῆς
 ἀθανά-
 τῆτος
 ζωῆς

* ἡ δὲ ἀνά-
 χύρωσις
 τῆς ψυχῆς
 ἐκείνης
 ἐκείνης
 ἐκείνης

† C. vna
 ἀνάχρωσις
 τῆς ψυχῆς
 ἐκείνης
 ἐκείνης
 ἐκείνης

1. Theff. 4

cum iis amplius conspires ac consentias, sed teipsum A
 colligas & ad propriam generositatem redeas. Neque
 hic solum, sed sæpe & assidue id facit. Cum enim nos
 admonet, vt à peccatis desciscamus, ostendit quibus-
 cum nobis communicatio sit, per ipsa peccata, vt mori-
 bus personarum puncti, societatem iis renuntiemus.
 Et ad Theffalonicenses scribens ita dicebat: Vnusquis-
 que vestrum possideat corpus suum in honore & san-
 ctificatione, non in passione ignominia, vt gentes, quæ
 Deum non nouerunt. & rursus: Non quemadmodum
 reliquæ gētes ambulant in vanitate cordis sui. Sic & in
 hoc loco: *Nolo vos ignorare fratres de dormientibus, vt ne
 lugeatis, quemadmodum ceteri, qui spem non habēt.* Non enim
 rei ipsius natura, sed animi nostri constitutio dolorem
 nobis asserre solet, neque illius mors, qui ex hac vita
 excedit, sed lugentium infirmitas: quandoquidem res
 praesentes tantum dolorem pio homini dare non pos-
 sunt, sed ante futura bona, in hoc etiam vitæ curricu-
 lo longè ab impiis distat, * mediocria bona percipiens
 ex philosophia Christiana, maximaque ex ea fruens
 tranquillitate ac gaudio perpetuo. Quare Paulus ait:
 Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. Ita-
 que & ante resurrectionem ipsam non vulgarem hunc
 fructum percepinus, quod in graui mala non inci-
 damus, sed futurorum spe consolationem accipiamus.
 Quemadmodum igitur vtrinque lucrum facimus, ita
 vtrinque impius damnum facit, tum quod pœnas da-
 turus sit suæ infidelitatis: tum quod praesenti calamitate
 affligatur, vt nihil posthac boni speret. Non solum igitur
 Deo gratias propter resurrectionem agere debe-
 mus, sed etiam propter spem quam de ea cepimus, vt
 quæ dolorem, qui animæ accidit, consoletur, ac per-
 tuadeat nobis vt confidamus defunctos à morte exci-
 tatum iri ac nobiscum fore. Nam si mœrere conuenit
 ac flere, lugendi hi sunt, qui in peccato viuunt, non i-
 tem hi qui cum virtute moriuntur. Sic & Paulus fecit.
 In epistola enim ad Corinthios ita ait: Ne quando ad
 vos venientem Deus humiliet, & multos lugeam. Non
 multos ex mortuis dixit, sed ex his qui antè cum pec-
 cauerint, eos tamen insolentia ac vitæ impurè actæ
 non pœnitent. Hos, inquam, lugere conuenit, quemad-
 modum alius admonet his verbis: Desse mortuum,
 eum enim lumen deficit: desse stultum, deficit enim
 illum intelligentia: parum desse mortuum, quia re-
 quieuit: stulti autem morte vita est deterior. Quod si
 intelligentiæ expers dignus est quem luctu protequa-
 mur, multò magis qui iustitia vacat & qui spem in Deo
 non constituit, hos lugeamus. Ex hoc enim luctu lu-
 crum facimus: & cum istos lugeamus, sæpe * emenda-
 mus. Excedentes autem ex hac vita deslere non inuti-
 le modò est, sed damnosum. Ne igitur ordinem inuer-
 tamus, sed peccatum tantum lugeamus. Omnia verò
 alia, siue paupertas, siue morbus, siue mors intempe-
 stiuâ, siue calumnia, siue exagitemur ab aliis, siue quod-
 cunque mali aliud genus nobis acciderit, infractò ani-
 mo feramus. Hæc enim mala si moderati & temperati
 fuerimus, maiorem nobis coronam pollicentur. f At-
 qui, inquis, fieri non potest, vt homines cum simus do-
 lore non afficiamur. At ego contrarium quero, qui fie-
 ri potest vt rationis particeps aliquis, & spem in futu-
 ris bonis constitutam habens, lugeat? Sed quis est, ais,
 qui hac perturbatione non afficiatur? Multi vbi que
 tum nostro tum superioribus temporibus fuerunt hac
 perturbatione vacui. Atque Iob audi, cum omnes
 liberi eius mortui essent dicentem: Dominus dedit,
 Dominus abstulit, vt Domino placuit ita factum est.
 Auditum quidem hæc admirabilia. At si ea accuratè ex-
 penderis admirabilia multò tibi erunt. Cogita dia-

bolium non liberorum dimidium ei abstulisse, & dimi-
 dium reliquisse: neque plures reliquisse, pauciores ab-
 stulisse, sed totum fructum demouisse, non tamen ar-
 borem deiecit: fluctus omneis maris concitauisse,
 nauem tamen non submersisse: copias omnes eduxisse,
 turrim tamen non disturbasse. Et si enim vndique im-
 petitus est, immotus tamen mansit: telorum velut nu-
 bes quædam in eum coniciebatur, at non attingeba-
 tur. Animo reputa quanti sit tam multos liberos in ore
 ac oculis parentis mori. An non hæc vehemens causa
 erat doloris vno omnes fato atque die rapi, idque in
 ipso adolescentiæ ac ætatis flore, & cum iam egregium
 dedissent virtutis specimen, hoc supplicio vitam finire?
 At nullam importuniorem cladem acceperit, quam
 quod vt liberorum amatissimus, ita desiderium eo-
 rum difficilimum ei ad ferendum erat. Cum enim per-
 ditos liberos amittimus, non ita acer morsus doloris
 est, vt qui morientium improbitate molliatur: sed cum
 virtute præditi sunt, vulnus fixum est, memoria im-
 mortalis, malum omnem consolationem vincit. Du-
 plex enim stimulus doloris est: alter quidem à natura
 admotus, alter à virtute eorum qui vita defuncti sunt.
 Virtute autè eos præstitisse ex eo intelligi potest, quod
 magnam eorum pater curam suscepisset, vt bene edu-
 carentur, hostiâque pro illis mactasset, veritus ne in
 illis abdita quædam peccata laterent, atque ei nihil hoc
 studio antiquius erat. Quæ res non modò adolescen-
 tum rectam educationem ostendit, sed patris erga eos
 amorem. Cum igitur pater fuerit liberorum amatissimus,
 specimenque dederit amoris, non naturâ solum
 ingentem, sed à pietate proficiscentem: & cum ingimia
 quædam virtus iam in illis esset, qui ex vita excede-
 bant, triplici doloris velut face eorum pater vrebatur.
 Præterea, cum fato aliqui tantum ex numerosa familia
 eripiuntur, aliquam quidem consolationem hoc ma-
 lum habet, quandoquidem qui relictî sunt, dolorem
 quem in aliorum morte capimus, obscurant. At cum
 vno tempore vniuersi moriuntur, quem postea parens
 aspecturus est, qui multis antè liberis auctus erat, nunc
 verò omnibus orbis est? At hic quintam cladem re-
 censere licet, quam tandem? quod vniuersè omnes in-
 terierint. Si enim cum quatuor aut quinque diebus
 moriuntur, mulieres & propinqui omnes hoc maximè
 deplorant ac queruntur, quod vita defuncti derepen-
 te ac de improviso ex eorum conspectu sublati sint,
 multò vehementior ei dolendi causa est, cui liberos om-
 nes * vna hora eriperit. Malû enim prouisum etsi ad
 tolerandum difficile est, ipsa tamen expectatione le-
 uis est: quod verò inopinatum ac improvisum, ad pa-
 tiendum difficile est. Cum igitur aliquid per se graue
 fuerit, & inopinatum præterea acciderit, cogita quam
 ad tolerandum difficile sit. Vis sextam calamitatem
 audire? Liberos omnes tum amisit, cum in flore æta-
 tis essent. Scis quomodo nos mors immatura mordet
 variòque luctu nos afficit. At mors illa non immatura
 modò erat, sed violenta, vt hæc sit clades septima.
 Non enim in lecto animam eos efflare vidit, sed do-
 mus ruina oppressos interire. Cogita qualis vir erat qui
 cumulum illum lignorum ac lapidum effodit, qui nunc
 lapidem, nunc pueri membrum aliquod extrahit, nunc
 manum alteram pateram adhuc tenentem, nunc alteram
 patinæ impostam videt, corpúsque totum deforma-
 tum, naso nimirum contrito, capite contuso, ex-
 sculptis oculis atque turpiter scedatis, cerebro huc at-
 que illuc dissecto ac dissipato, & vt vno verbo comple-
 ctar omnia, forma ipsa ac specie conturbata: vt varia
 vulnera liberos à parente ex eorum desiderio laboran-
 te, agnosci non sinerent. Hæc autem cum auditis con-

1. Theff. 4

1. Theff. 4

* ἀναχύρωσις
 τῆς ψυχῆς
 ἐκείνης
 ἐκείνης
 ἐκείνης

1. Theff. 4

1. Cor. 11.

* ἀναχύρωσις
 τῆς ψυχῆς
 ἐκείνης
 ἐκείνης
 ἐκείνης

1. Iob. 1.

* adde δ
 Gr. nō tres
 dies, aut
 duo aut v-
 nus, sed
 vna h.

turbamini ac fletis. Cogitate quid parenti acciderit, A cum hæc videret. Si enim tam longo interuallo sine lacrymis tragœdiam hanc audire non potestis, et si aliena calamitas narratur, quis erat adamantinus ille non in alienis, sed in suis malis tam moderatus ac temperans? Non indignabatur, neque verbum hoc vnquam ei excidit. Quid hoc tandem est? hæccine benevolentia ac benignitatis meæ remuneratio? Num ob id omnibus domus mea hospitalis fuit, vt ea liberorum sepulchrum esset? Num ideo in omni virtutum genere educati sunt, vt hac morte occuberent? Horum nihil non modò non dixit, sed ne cogitavit quidem: tulit enim omnia equo animo ac infractò. Quemadmodum enim peritus statuarius aureas imagines effingens, multa cura ac diligentia figurat, ita & ipse suam mentem composuit. Quemadmodum laboriosus agricola palmarum ac olearum stirpes rigat, munit & sepit: ita & ille non prius destitit, quàm liberis suis virtutum incrementa attulisset. At cum stirpes mali generi impetu conuulsas ac in terram prostratas, & miserabili vitæ exitu extinctas vidit, omnibus tamen maledictis se abstinent, & Deo gratias agens, diabolo magnum vulnus infligit. At, ais, multos hic liberos habuit: alius autem sæpe vnicum filium habens, eum amisit, neque tamen simili dolore affectus est. Rectè quidem, atque id facile tibi assentior: multò enim maior dolor quo Iobus affligitur. Quæ est enim sobolis numerosa utilitas? Maiorem enim calamitatem & acerbiorem dolorem vulnus à pluribus acceptum excitat. Quòd si alium videre sanctum virum lubet, vnicum filium habentem, parique animi magnitudine vsum, animum attende ad Abrahamum patriarcham, qui Isaacum quidè filium morientem non videbat, sed quod funestius erat, pater gnatù interficere iubebatur, & mandatù ipse exequutus erat, neque molestè ferebat. Nemo enim hæc vnquam de eo audiuit: An ob id me patrè esse voluisti, vt me filij homicidam faceres? Melius fuisset omnino non dedisse, quàm eum hoc modo sustulisse. Eùmne habere vis? Cur eum à me iugulari imperas & meam manum sanguine eius contaminari? An non pollicitus eras me per hunc puerum totum orbem impleritur? Quales tandem fructus expectandi auulsæ radice? Quos nepotes promittis, si filium mactari vis? Quis talia audiuit vnquam? deceptus sum ac circumuentus. Haud restitit imperanti, non poposcit facti rationem. Sed cum audiisset hæc verba: Accipe charissimum filium, quem diligis Isaacum, ac eum in vno ex montibus, quem tibi ostendero, * offer: magna alacritate mandata effecit, vt plura etiam, si imperata fuissent, exequutus fuisset. Nam vxorem de hoc celauit & seruos, còsque cum ad montis radicem manere iussisset, solam secum hostiam abduxit ac montem conscendit, neque inuitus, sed multa alacritate mandata Dei perficiebat. Animaduerte itaque quo tandem pacto affici par erat parentem, dum solus cum solo filio colloqueretur nemine presente, tum cum viscera commouentur maxime amorisque impetus acrius urget: idque non vnus, aut aliter, sed plurimum dierum spatio. Nam si è vestigio fecisset quod imperatum erat, ingens quidem illud fuisset facinus & admirabile: sed non adeo tamen admirabile ac cum per multos dies examinata & exercitata mente eius nihil visus est pati quod humanum affectum redoleret. Hanc quippe ob causam longiore illi carceris, ampliore arcem, & stadium spatiosius illi proposuit Deus, in quo eius virtus excurrere cognoscique posset, vt commodius athletam perspiceres & spectares. Verè enim athleta hic fuit qui non cum homine decertabat, sed cum ipsius nature tyrannide luctabatur. Quæ tandem oratio tantam fortitudinem posset exprimere? deduxit filiolum, deuisit, lignis imposuit, ense arripuit, iam tètù adiecturus

erat: quo pacto eloquar, aut quam ratione, haud scio: solus ille nouit qui ista perfecit: nulla quippe oratio exprimere poterit. Qui fieri potuit vt manus non obtorpesceret? vt neruorum firmitas non solueretur? vt non eum desideratus filij aspectus percelleret? Sed & ipsum Isaac admirari conuenit, vt enim ille Deo, ita hic parenti parcat: & vt ille Deo iubente vt sacrificaret non exegit rationem, ita neque iste patre vinciente atque ad aram deducente se dixit, qua de causa ist hæc facis? sed paterne dextere subiacebat. Videre erat eundem patrem factum & sacerdotem, & sacrificium sine sanguine oblatum, holocaustum sine igne, mortis & resurrectionis figuram ad altare stantem. Etenim filium immolauit, & non immolauit. Non immolauit manum, sed propositio mentis. Quandoquidem & ipse Deus idcirco imperauit, non quod sanguinem spectare vellet, sed propositum mentemque ostendere studens, generosumque illum in medio vniuersi terrarum orbis predicare, ac deinde omnes posteros admonere ac docere, diuina madata debere nos & liberis, & nature legibus, & bonis omnibus, atque ipsa etiam anima & vita habere potiora. Descendit itaque vniuum abducens martyrem Isaac. Quam igitur veniam huius rei impetrabimus, quam defensionem afferemus, si huc tam præclarum virum tãta cum alacritate videmus Deo paruisse, ac omnibus in rebus illi cessisse, nos hoc ipsum molestè feremus? Non igitur luctum, non calamitatis magnitudinem afferas, sed illud considera, tanto dolore superiorem illum fuisse. Satis autem fuit quòd illius mentem mandatum conturbauit, quòd perplexum atque anxium reddidit, quòd fidem eius præteritis rebus exagitauit. Quis enim pater Abrahamum ipsum, non putasset verba ac imposturam ea omnia esse, quæ de multitudine generis & nepotum à Deo narrabantur? Modestiam autem Iobi, & animi in tanta clade moderatorem nihil minus quis admirari debet, quòd homo tanta virtute, post tam multam benignitatem ac humanitatem, cum nihil sibi, nihil liberis ipsis mali conficeret, cum tantam calamitatem, tam nouam, tam inopinatam ne sceleratissimis quidem hominibus còtingere videret. Itaque duos hos sanctos viros non laudare modò, sed eorum virtutem imitari oportet. At admirabiles, ais, viri erant. A nobis tamen maior queritur religio, quàm ab illis, qui antiquam viuendi formam sequebantur. Nisi enim abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Phariseorum, non ingrediemini in regnum cœlorum. Omnino igitur moderatione vtamur, & hæc atque ea quæ de resurrectione & de sanctis istis dicta sunt, animo reputantes, perpetuò mentes nostras in tranquillo collocemus, non modò cum mœror nobis obiectus est, sed etiam cum ab omni dolore vacui sumus. Ego itaque cum nemo molestia aliqua angitur, nunc verba de iis feci, vt quando in calamitatem aliquam inciderimus, horum recordatione freti per magnam consolationem capiamus. Milites enim in pace res bellicas meditantur, vt pugna ingruente & temporibus, peritiam artis bellicæ desiderantibus, opportunè artificium suum demonstrent, si in rebus tranquillis se diligenter exercuerint. Nos igitur tum arma tum medicinam rebus iam pacatis præparemus, vt si quando perturbationes rerum graues vel ærumnæ vel dolores inuadunt, aduersus omnes diaboli impetus stitpati multa cum peritia illum depellamus, & recta ratione, verbo Dei, bonorum exemplis, omni denique via nos muniamus. Sic enim poterimus & præsentem vitam cum tranquillitate degere, & in regni cœlorum cum Iesu Christo partem admitti, cui cum patre & spiritu sancto sit honor, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

* adde & Gr. omni ratione colere non cessat.

Gene. 21.

ἀνάγει ἐπὶ τὸν ἀβελ.

Hæc ad dita sunt ex Oxoniens. codice. 1387.

Hæc verba, huius rei absunt à Græco, vt illa, hoc ipsum.

Mat. 5.

a sic & Deus eos qui per Iesum] Vt in 2. tomo quatuor de Lazaro homilias ex cõrentione facta cū Oxoniensi Græco exèplari recognouimus, ita & in hac quæ cum illis excusa typis est, quæ libebit, mica faciemus, quæ implicata explicare dabitur, cõtedemus. Hæc quidem ita restituenda sunt. Sic & Deus eos qui dormierunt per Iesum adducet cum eo: neque dixit eos qui mortui sunt. Et rursus: Nos qui & c. Perperam additum est per Iesum mortui, præsertim si illud, per Iesum, referas ad verbum adducet, vt qui ita hunc locum interpretantur, adducet per Iesum Deus tanquam per mediatorem Dei & hominum. b Etenim statuarius] Cum dixit antea nos hac exempli mensura cõtentos esse non debere, maius quiddam perfici à Deo innuit quàm à statuario, qui scilicet immortalem statuum non efficit, nisi forte is sit nouus aliquis Prometheus. Græca sic lego. ἡλικὸν ἐμ- ἑκατὸν ἑκατὸν, ἢ χελοῦν καὶ ἀδυνατοὶ σοὶ δὲ δριάντα, ἀλλὰ ἡλικὸν ἐμ- ἑκατὸν ἑκατὸν. ὁ δὲ θεὸς ἕλ. ἕως, corpus aliquod æreum cum iniecerit, non auream tibi ac immortalem statuum, reddidit sed æream rursus cõstat. Deus verò non ita, sed ex fictili & mortali. &c. c Tristitiam enim non tollo.] Gr. εἰδὲ τὴν ἀδύμιαν, ἀλλὰ τὴν δῆπαιαν τῆς ἀδύμιαν ἀιαιρῶν. Non enim ego tristitiam sed tristitia tollo vehementiam: Nam marere natura est, at supra modum &c. d Quos igitur imitatus?] Græca fusius, πῶς ἐν μιμῆ καὶ ἡμοίῳ τῆς ἀπίστου, ἢ ἐξ ἄλλου ἐλπίδα. Quos igitur imitatus, & emulatus? nimirum infideles & Ethnicos, qui spem non habent. Ita paulò ante ἀλλὰ μὴ ὡς ὁ ἐλλῶ, sed non vt Græcus, & Ethnicus. Sequebatur in Græco post illa ἡδύμιαν ἐπίδα ἕλ. ἕδ. ὅτι θεὸς ἕλιν οἶδεν, ἢ δὲ ὅτι ἀπονοεῖ ἅπῃ παρόντων ἀπορῆμα- τῶν, nullam omnino spem habet, neque Deum esse nouit, neque eum res humanas prouidentia sua regere, neque hæc omnia inspicere iustitiam quandam diuinam. Qui autem hæc non intelligit &c. e Quòd in grauiora mala non incidamus.] Imò maxime premuntur boni, non opprimuntur. Gr. καὶ τὸ μὴ ἐκείνην ἐπὶ μὲν ἐπὶ συμ- πλοῦνται δινῶν, ἀλλὰ τῆ ἡδὲ μὲν ὄντων ἐλπίδα. quòd cum in grauiora mala incidimus, in nullus tamen animo concidamus, sed futurorum spe multam consolationem accipiamus. Itidem paulò post aberrauit à mente Chrysothomi interpretes, cum vertit, cum pœnas daturus sit sue infidelitatis &c. Gr. ὅτι καλὰ εἶδος ὑπερον ἡδὲ τῆς ἀναισθησίας ἀπίστου, ὅτι καπατῆρ ἐπὶ οἷς παρόντων ἀπορῆμασι, ἡδὲ τὸ μὲν ἀποδοῦναι μὲν ἑαυτῶν χελοῦν, tum quòd puniatur, quia resurrectionem non crediderit, tum quòd in præsentibus casibus animo concidat, quippe qui nulla rei posthac bonæ aut felicitis expectatione sustentetur. f Atqui, inquis, fieri non potest.] Omnino hæc per interrogatio- nem efferenda sunt, vt cõueniant cum sequentibus, & cum Græcis καὶ πῶς ἐπὶ ἀδύμιαν οἶδεν, φησὶ μὴ ἀλγῶν; At qui fieri potest vt, cum homo sit, non dolore afficiatur aliquis? Item paulò post, illa verba, telorum velut nubes, sic amplificanda sunt è Græco libro καὶ νηφῶδες ἐπέ- ροντο βελῶν, καὶ ἢ ἐπὶ ἡλίω. μὲλλον δὲ ἐπιμνησθῆναι, ἢ ἐπιπροσποῦν δὲ. Tela instar huius confestim in eum ferebantur, at ille non ferebatur, quin potius mittebantur illa quidem, at non vulnerabant. Item illud quod proxime hæc sententiam excipit, In ore ac oculus parentis mori fortasse melius veritas, vidisse mortuos, nō enim moriētes præsens intuebatur. g Ita & ipse suam mentem] Gr. ἕτω καὶ αὐτῆς παρὲς ἐκείνων ἐπὶ δύμιαν ἡδὲ τῆς ἀπίστου καπατῆρ. Ita & ipse illorum animos componebat, informans illos, & exornans. In altera porro similitudine adde quædam è Græcis, ita & ille non destitit, tanquam oleam quandam ad fructus ferendos, illorum animos ad maiora virtutum incrementa, melio- rémque frugem urgere. h Modestiam autem] Truncata est magna sui parte hæc sententia, quam ita explere potes è Græco ἢ ἐπὶ τῶν ἐπὶ πῶν, ἢ δὲ ἀδύμι- ον ἀδύμιαν ἢ τῶν ἀπὲρ τῶν, ἢ δὲ κακῶς &c. contingere videret, non ita affectus est vt vnus aliquis è vulgo, neque infructuosam virtutem arbitratus est, neque se malè antea rebus suis consuluisse: ita vt ob vtraque hæc illos non admirari modò cõueniat, sed emulari etiam & imitari eorumdem virtutem. Neque mihi quisquam dicat, Admirabiles quosdam magnosque viros fuisse illos, à nobis quippe maior requiritur religio, quàm ab us omnibus qui in veteri testamento vixerunt.


D. IOANNIS CHRYSOTOMI, EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI, IN epistolam beati Pauli apostoli ad Timotheum priorem argumentum: incerto interprete.



NVS ex apostoli discipulis Timotheus fuit, Attestatur autè & Lucas in Actibus apostolorum, mirabilis eum fuisse in dolis iuuenem, cui à fratribus qui Lystris, atque Iconij morarentur, testimoniū perhibebatur probitatis atque virtutis, qui vnà & discipulus fuit, & magister euasit: atque adeò prudentia, sapientiæque præclarus, vt cum audiret Paulum absque circuncisione

prædicantem, comperissetque, vt ille obstiterat Petro eius rei gratia, eligeret non modò contrarium nihil prædicare, verum id etiam pati. Circumcidit enim eum, inquit, in eiusmodi ætate, atque ita illi omne protinus ministerium credidit. Sufficere quidem poterat affectus apostoli, mirâque dilectio virum indicare cuiusmodi fuerit. Quippe & alibi ipsi testimoniū perhibet, scribens ac dicens: Experimentum eius noscitis, quoniam tanquam patri filius, mecum seruiuit in euangelio. Corinthiisque rursus cum scriberet ait: Misi vobis Timotheum, qui est filius meus charissimus & fidelis in domino. & iterum: Videte ne quis eum contemnat: opus enim domini operatur, sicut & ego. Hebræis quoque scribens, ait: Cognoscitis fratrem Timotheum dimissum. Plurimæque multis ex locis, qui diligenter exquiret, inueniet benevolentia ac dilectionis indicia, ea etiam quæ nunc vsque fiunt miranda, ipsius confidentiam ac virtutem ostendere facillimè possunt. Verum enim si quis curiosè perquirat, quid sit cur Tito ac Timotheo tantum ex omni discipulorum numero scribat, cum Silas & Lucas probati quoque, ac mirabili virtute præditi fuerint. Ait nanque ipse cum scriberet: Lucas solus est mecum: sed & Clemens vnus ex comitibus eius fuisse colligitur, cum de ipso scribat: Cum Clemente & cæteris coadiutoribus meis: [non id quidem ab re, aut incongruè faciet.] Cuius ergo rei gratia Tito ac Timotheo tantummodo scribit? Quòd his iam ecclesiæ gubernacula, curamque tradiderat: illos verò secum adhuc circumducebat. Adeò verò erat virtutis excellens in signe, vt neque adolescentia ipsa impedimento esset, idcirco etiam scribens ait inter cætera: Nemo adolescentiam tuam contemnat. & rursus: Adolescentulas, inquit, tanquam sorores. Vbi enim virtutis certa argumenta præluxerint, omnia * quadrant.] nihilque impedimento esse poterit. Nam & cum de episcopis loqueretur, multaque dixisset, quæ essent in episcopo necessariò requirenda, nusquam cernitur leges de ætate tulisse. Quòd si dixerat, filios habentem subditos, & vnus vxoris virum: non idcirco ait: quasi necessarium sit & vxorem habere, & filios: cæterum si quando fortè contigerit ex seculi hominibus aliquem ad huiusmodi ordinem prouehi, talem esse præcepit, quæ & domui præesse, & filiis & omnibus reliquis sciret. Nam qui secularis cum esset, in eis inutilis repertus, quæ ad hanc rem familiarem necessariò pertinent, quo pacto illi ecclesiæ cura, regimèneque permittitur? Cur autem discipulo, qui iam in magistri transferat ordinem, hanc epistolam scribit? Nonne antea perficiendus erat, quàm præficiendus ecclesiæ? quòd si iam perfectus erat, superfluo hanc epistolam scribit: sed enim doctrina illi opus erat, non eadem qua discipuli instruebantur, verum quæ magistro præceptorique congrueret. Videas denique illum per totam epistolam, doctori congruam inferre doctrinam, statimque ex ipsis initiis nō ait, Ne intendas his qui aliter te docent: sed quid? Vt eis denunciare non docere aliter.

HOMILIA I.



AVLVS apostolus Iesu Christi secundum imperium Dei saluatoris nostri, & Christi Iesu spei nostre, Timotheo charissimo filio in fide: gratia & misericordia, & pax à Deo patre, & Christo Iesu domino nostro. Sicut rogavi te vt remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam, &c. Magna erat profecto apostoli dignitas, magna atque mirabilis, & vbi que cernimus Paulum dignitatem suæ adiacentem causas, non quasi sibi met vsurpet honorem, sed veluti traditum, necessariò exercere cogatur: nam cum dicat

Galat. 2. Act. 16.

Phil. 2.

1. Cor. 4.

Heb. 13.

1. Tim. 4.

2. Tim. 4.

Phil. 4.

Deest in Veronensi.

1. Tim. 4.

Ibid. 5.

* excellen- tia.

1. Tim. 3.

1. Tim. 2.

1. Cor. 9.

seipsum vocatum, ac per voluntatem Dei: & rursum alio in loco: Necessitas mihi incumbit. Cumque se in hoc segregatum assueveret, ista profecto omnia ambitionem omnem excludunt, omnemque iactantiam. Nam quemadmodum is qui non sibi traditum a Deo honorem usurpare presumat, culpari dignissimus est: ita & qui traditum sibi repellere, & a se arcere molitur, aliorum est criminum reus, infidelitatis scilicet atque inobedientiae: hoc denique & nunc in principio epistolae ad Timotheum ostendit Paulus, sic dicens: Paulus apostolus Iesu Christi secundum imperium Dei.

Act. 17.

Non dixit hic, Paulus vocatus apostolus, sed secundum imperium Dei: ne quid enim humanum Timotheus fortasse pateretur, putaretque illum sibi aequum vel aliis discipulis loqui, idcirco sic coepit. Vbi vero hoc illi imperavit Deus? Inuenimus nempe spiritum sanctum dixisse in Actibus apostolorum: Separate mihi Saulum & Barnabam. Porro ubique dum scribit, apostoli nomen adiungit, ut auditores erudiat, ne humana esse existiment, quae dicuntur. Qui enim mittitur, quod apostolus sonat, nihil proprium loquitur: & cum dixisset apostolum, protinus auditoris animum ad eum qui se miserat, dirigit. Idcirco in omnibus epistolis istud praeponebat, ut fidem verbis ac doctrinae hinc faciat, dicens: Paulus apostolus Iesu Christi secundum imperium Dei saluatoris nostri. At qui pater nunquam illi hoc imperasse deprehenditur, sed ubique Christus ipsum alloquitur, dicens: Vade, quoniam ego in gentes longe emittam te. & rursum: Caesari te oportet assistere. Sed profecto quaecumque filius praecipit, haec patris esse imperia dicit: quemadmodum & quae spiritus iubet, ea ad filium quoque referuntur. Ecce enim ad * patrem missus est, & separatus est a spiritu, & hoc inquit imperium esse Dei. Quid igitur? Nunquid filij imminuit potestatem, dum se apostolum eius, & secundum imperium patris mitti assueverat? Nequaquam. Vide nanque ut ipsam potestatem patris ac filij dixerit esse communem: nam cum dixisset, Secundum imperium Dei saluatoris nostri: protinus addidit, Et Christi spei nostra. Vide quam proprie, quam signanter haec cognomenta posuerit. Certum enim Psalmista hoc de patre ait, dicens: Spes omnium finium terrae: Et iterum Paulus in alio loco: In hoc enim, inquit, laboramus & exprobramur, quoniam speramus in Deo viuo & vero. Necessario qui doctoris fungitur munere, pericula sustinet, & multo plura quam discipuli. Percutiam enim, inquit, pastorem, & dispergentur oves. Quoniam igitur ista rei natura est, diabolus vehementius aduersus eos armatur, maiori- que fertur insania: quippe cum ex eorum caede, gregis quoque * detrimenta sequuntur. Nam qui ovem iugulat, gregem quidem imminuit. Porro qui pastorem ipsum de medio tulerit, totum simul gregem * dissipabit: itaque minori cum labore maiora detrimenta molitur, atque vna anima cuncta simul perdere, atque vastare contendit, atque ideo illis acris imminet: quocirca statim ab ipsis iniitiis ipsius erigit animum. Saluatorem, inquiens, habemus Deum, & Christum spem nostram. Patimur multa, sed magna nitimur spe, pericula insidiasque perpetimur, sed saluatorem habemus, non hominem, sed Deum. Neque igitur qui saluat, infirmus est: Deus quippe est, & quantacumque pericula fuerint, nos superare non poterunt: neque spes nostra confunditur, Christus enim est. His igitur duobus iam adminiculis maximis freti, pericula ferimus, quod scilicet aut celeriter liberamur atque saluamur: aut meliori spe nutriti, facile cuncta toleramus. Quid autem causae est, quod nusquam patris se apostolum dicit, sed Christi? O-

Act. 22. Ibi d. 23.

* spiritu habet rationem, for- se Christo legendum.

Psalm. 64. 1. Tim. 4.

Zacch. 13. & Matth. 26. & Marc. 14.

* διανοη- τικῶς δι- σπέρω σε- quatur. * ἀλυψία τῆς ψυχῆς.

omnia communia facit. Euangelium quoque ipsum Dei esse dicit. Quaelibet, inquit, patiamur, nihil sunt praesentia omnia. Timotheo * charissimo filio in fide. Et hoc plenum consolationis est: nam si tantum fidei ostenderat, ut Pauli filius fieret: neque id simpliciter, sed charissimus filius, futurorum quoque maximam fiduciam capit. Quippe fidei hoc proprium est, quantumlibet contraria promissis facta contingant, nunquam penitus decidit aut omnino turbatur. Sed ecce, inquit, & filium, & charissimum filium dicit, nec tamen eiusdem substantiae est. Quid quae? Nunquid brutum animal erat? Sed non erat, inquit, ex Paulo genitus. Non ideo tamen alterius erat substantiae? Nihil minus: cum enim dixisset, filium, idcirco adiecit, in fide, ut quid vellet, apertius exponeret. Id quippe insinuat, illum & charissimum fuisse, & ex se genitum: b nulla prorsus apparebat in fide diuersitas. Seruabat per omnia similitudinem, quod in humanis quoque contingere solet. Nempe enim est filius simili patri, verè longè amplius ac dignius ea similitudo in Deo seruatur. Quippe in hominibus, etsi eadem substantia est, sed alius plurimis differunt, colore, habitu, prudentia, tempore, voluntate, animi ac corporis motibus exterioribus, atque aliis plurimis. Longèque plura sunt, quae illos abinuicem disiungunt, quam quae inuicem iungant. Porro in Deo nihil eiusmodi impedimentorum est, nihil quod intercipiat omnino eam similitudinem. Quod autem ait, secundum imperium, maioris longè efficaciae esse videtur, quam cum dicit, vocatus. Quemadmodum & alio in loco ait: In Christo Iesu ego vos genui: hoc est, in fide: * charissimum vero idcirco addidit, ut diligentissimam ipsius ad se similitudinem ultra ceteros panderet, & charitatem quam erga illum habebat, ac vehementer prorsus affectum. Charissimo, inquit, filio in fide. Iam verò inspicere laudis eminentiam, quemadmodum ipsum non modo filium suum, verumetiam charissimum filium dixit, Gratia, misericordia & pax, inquit, a Deo patre nostro, & Christo Iesu domino nostro. Quenam verò ratio est, cur in ceteris epistolis nusquam misericordiam imprecatus esse deprehenditur? At id quidem ex nimia indulgentia, & ex nimio amoris affectu. Quippe plurima imprecatur filio, vereturque ac timet illi omnia: ita nanque veretur, ut quod nusquam alibi fecit, etiam de salubritate corporea ad eum scriberet, dicens: Vino modico vtere propter stomachum tuum & tuas frequentes infirmitates. Nempe enim doctores longè maxima misericordia indigent. A Deo, inquit, patre nostro & Christo Iesu domino nostro. Et haec rursum verba plena solatii, maximaque consolatione referta. Nam si pater Deus est, filiorum profecto curam habiturus est: audi enim dicentem Christum, Quis in vobis homo est, quem si petierit filius panem, nunquid lapidem dabit ei? Quemadmodum, inquit, orauit te, ut remaneres Ephesi, cum irem in Macedonia. Audi quam grate, quam placide, quomodo non magistri vtitur voce, sed supplicis fermè. Neque enim dixit, praecipit, neque iussi, neque admonui: sed quid? Quemadmodum, inquit, orauit te. Non tamen ad omnes discipulos passim affectus iste seruandus est, verum ad eos qui & mansuetudine & virtute sunt praediti: ceterum ad eos qui non sunt huiusmodi, neque charissimi appellari possunt, alia ratione affici necesse est: quemadmodum & ipse scribens ait, Argue eos cum omni imperio. & hic vide quid ait: Vt denunciare quibusdam, non ut orares: sed ut denunciare non aliter docere. Quid hoc quae? sibi vult? ita non sufficiebat Pauli epistola, quam Ephesius scripserat? Nunquid literas fortè contempserat? An

* vltima, i. germano, vero, non adulterino, & ita in sequentibus hic repetit. tu annota. bu.

Vide not. fol. 136.

1. Cor. 4. * germano.

Mat. 7. & Luc. 11. Ioh. 5.

* aedificatio- nem dispensa- tionem.

Mat. 7.

ad Tit. 1.

An verò ante illas literas discipulo ista mandauit? Nempe & ipse in ciuitate hac plurimū temporis fuerat, in qua Dianae erat templū: hinc nempe magna illa notaque certamina perpeffus est: vbi postquam solutum est theatrū conuocatis, exhortatisque discipulis, ita demum inde profectus est, & rursum ad eos postmodum venit. Dignum verò inquisitione est, an modo illic Timotheum praesulem constituerit: ait enim, Vt denunciare quibusdam non aliter docere. Nō eos notat ex nomine, ne aperta reprehensione impudentiores fierent. Erant autem in ea ciuitate ex Iudaeis quidā falsi apostoli, qui fideles rursum ad legem conabantur attrahere, quod fere in omnibus epistolis illis pro crimine obiicit. Faciebant autem hoc, non quasi conscientia impulsī, sed inani gloria inducti, quod vellent hinc habere discipulos, atque aduersus beatū Paulum contenderent, zeloque ac liuore duce- rentur: & hoc est quod ait, Aliter docere. Neque intendere, inquit, fabulis & genealogiis interminatis. Non hic legē significare voluit, absque sed falsas traditiones, pernicio- saque dogmata. Quippe ex hoc colligitur, plerosque ex Iudaeis in his quae inutilia sunt, sermonem omnem con- sumere solitos, auos & proauos dinumerātes, ut scilicet peritiā multā atque scientiae opinionem sibi conquire- rent. Vt denunciare, inquit, quibusdam non aliter docere, ne- que intendere fabulis, & genealogiis interminatis. Quid est interminatis? Finem scilicet nullū nullamque vtilitatem habentibus, aut perceptu difficilibus. Vidisti quomodo huiusmodi quaestiones culpāt, ac refecare contendit? Vbi enim fides est, nulla quaestio- nis necessitas est. Vbi nihil oportet curiosè perquirere, quid opus est quaestio- ne? Quae nō fides tollit. Qui enim quaerit, nondum inuenit. Qui quaerit, credere difficile potest: idcirco inquit, Non vacemus huiusmodi quaestionibus: nam si quaerimus, id fides non est. Fides enim animum cogi- tationemque facit conuiescere. Sed inquit, Quomodo igitur Christus? Quae nō, inquit, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis: & scrutamini scripturas, quoniam in eis putatis habere vitam aeternam? Nempe illic quod ait, Quae nō, postulationes intelligi vult, vehementique desiderium. Porro quod ait, Scrutamini scripturas: non quarendi labores inferre voluit, sed potius arcere: ait enim, scrutamini scripturas: hoc est, ut illarū per omnia diligentiam exactissimā discerent. Scrutari nanque ius- sit, nō ut semper quaeramus, sed ut inquirere desinamus, & ritè ait, Vt denunciare quibusdam non aliter docere, neque intendere fabulis & genealogiis interminatis. quae praesentia quaestiones magis quam aedificationem Dei, quae est in fide. Congruè t̄ dispensationē Dei appellauit. Magna nēpe sunt, quae dare nobis voluit Deus, sed non capit anima dispensationem ipsius magnitudinē. Fide igitur ad istud opus est: ea enim animarum medicamentum maximum ac saluberrimum est. Quae nō igitur Dei dispensationi contraria esse perhibetur. Quid enim fides ipsa efficit, ac molitur in nobis? ut scilicet ipsius beneficia gratè suscipiamus, euadamusque meliores. Non permittit de re vlla contendere aut ambigere, sed requiem ab his omnibus praestat. Quae enim fides peragit atque aedificat, ea quaestio prorsus euertit. Cur id quae? Quia in- quirendi nullum finem facit, & fidem prorsus eliminat. Neque intendere, inquit, fabulis & genealogiis interminatis. Sed dices, Quid, quae, genealogiae nocere poterunt? Admonuit Christus per fidem oportere saluari, illi contra quaestiones mouebant dicentes hoc non ita se habere. Quia enim sententia praesentis temporis erat, e- uentus verò sententiae futuro seculo reseruetur, fide o- pus erat. At verò illi legalibus obseruationibus pra- uenti, fidei impedimento erant. Arbitror autem il- lum hoc in loco etiam gentiles significare voluisse,

cum dicit: Fabulis & genealogiis. quippe cum illi deo- rum suorum seriem enumerarent.

MORALE.

NON igitur intendamus quaestionibus: fideles enim ideo vocati sumus, ut his quae dicuntur, sine vlla haesitatione credamus, ut nihil omnino dubitemus: nā si humana essent quae dicuntur, oporteret ea merito discuti: quod si diuina sunt, honoranda solummodo atque credenda censentur: sin verò non crediderimus ea, neque Dei esse sciemus. Quo enim pacto nosti, quia Deus est, cum ab eo causas rationelque requiras? Nam quod Deum nouerimus, istud primum argumentum est, si omnibus quaecumque ille dixerit, absque argumētis probationibusque credamus: hoc & gentiles nouerunt. Credebant enim diis, & certè sine argumento ac proba- tione dicentibus. Quid quae? illi credebant? Deorū scilicet esse nepotes. Vides ut & gentiles hoc nouerint? Et quid me dicere necesse est de Deo, diuinisq; rebus? In homine quoque eos hoc fecisse manifestū est, sedu- ctore atque mago, Pythagorae scilicet, hoc ille dixit: atque in templis supernè silentium inscriptum est, con- tinebātque digito os, & labia comprimēbar, praetereū- tes omnes silentij admonens. An verò illa honestiora, quam nostra sunt, ut in illorum comparatione ridicula esse nostra putentur? Gentilium nempe inuenta, atque instituta merito discutiuntur: eiusmodi enim sunt, quae pugnas cogitationum, & concertationes disceptatio- nelque indicant. At verò nostra ab his omnibus longis- simè remota sunt, & t̄ nimium quidem consequenter: illa enim humana adinuenit sapientia, haec autem gratia spiritualis edocuit: illa fatuitate atque amentia plena sunt, haec autē sunt verissimae sapientiae dogmata. Illic neque discipulus neque magister est, verū omnes quaestionibus certant, siue discipulus ille, siue magister sit. A quo igitur illi discere possunt? Nempe enim qui addiscere cupit, obtēperare debet, non corrixari: credere, non ratio- cinari. per fidē enim veteres omnes Deo placuisse do- centur: absque illa cuncta soluuntur in nihilum. Et quid de caelestibus dicam? etiam si terrena scrutemur, in- ueniemus ea fide tanquam vinculo contineri: neque enim commercia vlla, neque artes, neque aliud quip- piam sine illa esse potest. Sin verò hic, vbi mēdaciū plena sunt omnia, ea opus est: multo magis in illis, quae diuina sunt. Hanc igitur arripiamus omnes, huic studea- mus: ita enim omnia perniciofa dogmata ex anima nostra procul eliminabimus, genesin scilicet ac fatum. Si enim resurrectionem credideris atque iudicium, omnia huiusmodi ex animo euicere poteris. Crede Deum esse iustum, nec credes esse iniustam genesin. Crede Deum esse, qui cuncta prouideat: nec credes esse genesin, quae cuncta contineat. Crede supplicium esse & regnum, & credere desistes esse aliquid genesin, quae liberum ar- bitrium tollat, & nos violenter necessitati subiciat. Ne semines, neque plantas, neque milites, neque aliud om- nino quid agas. Prorsus enim velis nolis, ventura sunt quae genesin ipsa praefixerit. Quid iam nobis orare opus est? Quid Christianus effici cupis, si genesin est? Neque enim nisi sis, crimini eris obnoxius. Vnde igitur artes? A genesin? Ita sanè, inquit. Sed illi fato praefixum est, ut sapiēs cum laboribus fiat. Ostendas igitur aliquem, qui absque laboribus didicerit artem: adeo non sunt ista genesin, sed laboribus adscribenda. Vnde igitur ille di- ues est? inquit, quia sceleribus ac nequitiiis plenus, pa- ternae haereditati successit. Alius verò, cum quodam die in- numeris laboribus exerceatur, in extrema perdurat ino- pia. Haec enim iugiter exercent omnes, solis de diuitiis & paupertate verba mouentur, nihil de vitiis atque vir- tutibus. Verum hoc interim omittamus, illud potius o-

Deum esse cre- demus.

ἀνὴρ ἄσπας.

* haec tria verba ab- sunt à Graeca sententia.

stende, an aliquis studiosus ac probus per diligentiam A...
cualiferit malus, siue negligens quispiam bonus per desidia...

lus, si quid habeat puerile, idque rebus necessariis praefert, pater ipsum puerilibus priuat, vel ut inuitum ad...

Et si a Philippo Montano pridem hic tomus 4. cum Veronen-

a sed non erat, inquit,] Graeca sic habent, αὐτὸν ἔκ τῆς Παύλου προνοίας, Vide fol. 131a.

b Nulla propositus at parvitas] ἵδεν ἐπιπλακῶ, καὶ τὴν πύξιν τῆς ἐμφορῆς; ἔχον...

c sed supplicis fermē.] Veronenſis editio, αὐτὸν ὀκνεῖν ὁρῶν sed pe-

d Ceterum ad eos qui non sunt] πῶς δὲ τὸς διερχομένους καὶ μὴ γινώσκους...

e scilicet, hoc ille dixit: Graeca ita corrigenda sunt, καὶ ματὴρ Ἰσθα-

f A quo igitur illi discere possunt?] Nemo non videt haec ἀναλόγη...

g An verò ista Dei opera] Hoc membrum in Graeca editione nō...

HOMILIA II. INIS autem praecipi est charitas ex corde pu-

illos non magnificat.

Mat. 18. Ibid. 24.

1. Tim. 1.

Rom. 10.

prois. gnois. pteas. lous 3.

Mat. 23. Gal. 6.

lex i. gnois. peccare illos di. cis. pro. pteas. quod le. gis docer. ne mun. sibi viter. pteas. rti. etis quod. charitatē. detestere. pteas.

& non subditis, impiis & peccatoribus, sceleratis & contami- natis, patricidis & matricidis, homicidis, fornicariis, masculo- rum concubitoribus, plagariis, mendacibus & periuris, & si quid aliud sane doctrine aduersatur, quae est secundum euangeli- um gloriae beati Dei, quod creditum est mihi. Nihil ita humano generi nocere consuevit, ut amicitiam contem- nere, neque eam magno cum studio & tota obseruatione seruari: sicuti e contra nihil est quod ita res humanas moderetur ac dirigat, ut hanc omnibus viribus persequi: quod profecto Christus insinuans aiebat: Si duo ex vobis consenserint in vnum, quicquid petierint, accipiet: & rursus, cum abundauerit iniquitas, refrigeret charitas seruetur. Eiusmodi profecto contemptus omnes haereses genuit, quippe ex eo quod non diligerent fratres, se- cundis eorum successibus inuidebant. Ex ea autem inuidia, dominationis ambitu tenebantur: porro ex ea ambitione haereses nascebantur, idcirco & Paulus cum dixisset, ut denunciaret quibusdam non aliter docere: modum etiam suggerit, quo id fieri possit. Quinam verò hic est? Charitas. Quemadmodum denique dixit, Finis legis Christus, hoc est impletio: ita & praecceptum istud charitati coniungitur, atque ex ea dependet. Medicinae nempe finis sanitas est: itaque cum adest sanitas, curatio- ne multa nihil opus est: etiam si adsit charitas, praeciptum non est opus. Charitatem verò cuiusmodi dicit: Syncreta, & quae non verbis tantum, sed quae ex sententia, & inti- mo cordis affectu, proximorumque miseratione proueniat. Ex corde (inquit) puro, siue de recta conuersatione, siue de charitativa amicitia intelligendum sit: quippe & vita impura schismata facit. Omnis enim qui male operatur, odit lucem. Nam & in malis dilectio inuenitur: puta latrones latrones amant, & homicidae homicidas: verum non est ea dilectio ex conscientia bona, sed mala: neque ea ex puro corde, sed ex impuro proficitur, neque ex fide non ficta. Fides enim quod verum est, indicat, & ex sincera fide charitas gignitur. Qui enim veraciter in Deum credit, nunquam prorsus ab ea desistere poterit. A quibus, inquit, quidam aberrantes, conuersi sunt in vaniloquium. Recte ait, aberrantes. Quippe arte opus est, ne quis incastum iacula dirigat, neu extra signum sagittas intorqueat, ut necessarium opus sit spiritus gratia. Sunt enim plurima, quae a recto itinere nostros frustrantur conatus, cum ad vnum signum intentio tota dirigenda sit. Volentes, inquit, esse legis doctores. An- maduerte & aliam ambitionis causam, idcirco & Christus aiebat: Vos autem neminem vocetis rabbi. & rursum: Neque enim ipsi legem custodiunt, sed vt in carne vestra gloriantur. Ambiant, inquit, dignitatis titulos, atque ideo oculos a veritate detorqueunt. Non intelligentes, inquit, neque quae dicunt, neque de quibus affirmant. Hic iam illos arguit imperitiae cum nesciant destina- tionem legis, ac tempus ignorent, quatenus ea rata futura erat. Quo igitur pacto, si ex ignorantia peccant, dicis eos legis doctores esse velle? idcirco profecto, quia charitatem deseruere:] nam ex hoc ignorantia gignitur. Nam cum anima seipsam negociis carnalibus obtunditur. Vbi enim a charitate deciderit, necessario ad contentiones deuoluitur studia, iamque mentis acies nihil aliud quam rixas conspici potest. Nempe enim is, qui aliqua huiusmodi rerum temporalium concupiscentia detinetur, eiusmodi vitio ebrius, nequaquam de iniustitia] integrum atque illibatum valet proferre iudicium. Nescientes, inquit, de quibus affirmant. Valde enim fieri poterat, ut de lege loquerentur, & plurima de purgationibus, aliisque corporalibus rebus tumide & cum ambitione differerent. Deinde illa arguere o- mittens, ut quae nihil essent, vmbraeque potius spiri-

tualium rerum praesignarent, id potius ait quod gratius futurum erat. Hoc autem cuiusmodi est? Laudat legem tantum, decem scilicet praeccepta legis extol- lens, quippe ex his] & illa elicere intendit. Nam si haec ipsa quae transgressores etiam puniunt, nobis inutilia sunt, longè magis illa quae minus in se auctoritatis habent. Scimus autem, inquit, quia bona est lex, si quis ea legitime vtatur,] scientes hoc, quia iusto lex non est imposita. Quod si quis ea minus legitime vtatur, non idcirco bona non est, sicut quoque bona erit. Verum quod ait, huius- modi est: laudat eam ex operibus. id quippe significat, si quis ea legitime vtatur. Sunt enim qui hac minime vtatur legitime: puta cum eam verbis exponunt, operibusque transgredi non verentur. Id autem est ea vti non legitime. Vtuntur enim & isti, sed non ad utilitatem propriam. Aliud autem ex eo elici potest, quod ait, legitime. Siquidem tunc ea legitime vtatur quispiam, cum illum transmittit ad Christum. Tota enim legis intentio, omniaque illa sacramenta carnalia, ac figurae omnes Christum loquuntur, Christum nobis insinuant: enim- uero cum legis destinatio sit iustificare hominem, neque id possit, ad eum transmittere studet, qui potest. Alio modo legitime vtatur lege, cum scilicet magna eam intentione seruamus. Quid est, magna intentione? Quemadmodum, inquit, frater legitime vtatur non is equus, qui lasciuit, neque qui mordet, sed qui illo pulchre agitur: ita & is lege vtatur legitime, non qui literae necessitate sobriè ac iuste viuere cogitur. Quis autem illa legitime vtatur? Qui hoc nouit, quod ipsa non indiget. Nam qui ad id virtutum culmen euasit, ut non legis metu rectè factis insistat, sed virtutis tantum gratia: hic ea legitime atque securè vtatur. Si quis ea ita vtatur, ut non metuat eam, neque penitus timeat, sed futurum magis supplicium semper ante oculos voluat: hic ea itidem legitime vtatur. propterea iustum hoc in loco ap- pellat eum qui virtutis actibus pollet: ille quippe rectè lege vtatur, qui ab ea erudiri opus non habet. Quemad- modum enim literarum apices pueris proponuntur: porro qui eas docet, non ex ipsis excellit, verum aliunde peritia gloriam promeretur, atque ex ea eruditione praestantius vtatur literis: ita & qui legem transcendit, nihil opus habet doceri lege. Qui enim non metu ipsam exequitur, sed ex virtutis desiderio, hic illam dignius caeteris ac praestantius implet: neque enim pari condi- tione is qui supplicium veretur, & qui honorem appetit, legem implet. Non similiter eam seruat, qui sub lege, & qui supra legem est: nam supra legem viuere, id tandem est ea legitime vti. Ille enim ritè ea legitime vtatur, qui maiora quam ipsa praecipit, perficit: qui ab ea erudiri non patitur. Lex enim vt plurimum circa sce- lerum interdicta versatur. Ad id iustum neminem facit, sed sola bonorum operum exercitatio. Quicumque igitur seruatorum more a malis abstinent, hi legis destina- tione frustrantur: idcirco enim ea imposita est, ut puniat transgressores. Illi itaque non ea vtuntur, nisi tantum ne poenas exoluant. Vis enim, inquit, non timere potesta- tem? Bonum fac: ac si dixerit, lex enim malis supplicio- rum denunciatrix est. Ceterum ei, qui coronis digna peregerit, ad quid erit vtilis lex? Ad nihil profecto, quemadmodum & medicus, confecto vulneribus, non sano, neque bona valetudine praedito. Iniquus autem, inquit, & non subditis, impiis & peccatoribus. Iniquos Iu- daeos vocat, & non subditos. Lex, inquit, iram operatur. Quid igitur ad eum, qui meretur honores? Per legem, inquit, peccati cognitio. Quid ergo ad eum qui iustus est? Cur iusto lex imposita non est? Quia ille crucia- tu superior est: neque a lege, quae sint gerenda, discere expectat, cum habeat intrinsecus dictantē spiritus gra-

agit. legē hīc decalogū vocans, quippe ex hoc. sciens.

Rom. 13.

Ibid. 4. Ibid. 3.

supplicio non est obnoxius.

Creditum, inquit, mihi est euangelium. Hoc iam ipsius recte factum, ipsiusque dignitas est, verum non ipsius totum. Nam protinus subdit: *Gratias ago ei, qui me confortauit, Christo Iesu.* Hoc profecto iam Dei est. Deinde rursus quod suum erat, adiecit: *Quoniam fidelem me existimauit.* Profus id, quia ex semetipso intulerat aliquid. *Ponens, inquit, in ministerio, qui prius eram blasphemus, & contumeliosus, & persecutor: sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Vides ut etiā quod tuum est, & quod itidem Dei, cautē proponat. Dei scilicet prouidentia plurimum semper attribuens, sua verō recte facta supprimens semper, atque occultans: ita tamē, ut dixi, ne libertatem arbitrij tolleret. Quid autem sibi vult quod ait, qui me confortauit? Onus ingens subierat, plenūque periculi, & quod superno adiutorio plurimum indigeret. Considera denique quibus erat opus viribus aduersus quotidianas contumelias, iniurias, maledicta, insidias, pericula, iurgia, probra, mortēque persistere, neque lassescere, neque referre pedem: sed innumeris vndique telis diebus singulis lacessit, & intentis ad superna luminibus fortiter stare, nullūque omnino terroribus cedere. Id profecto non humanarum virium erat, neque itidem diuini tantum adiutorij, verum & ipsius propositi voluntatis. Quia enim quidnam futurus esset, ipsum præsciuerat Deus, audi quid de ipso testetur, antē scilicet quā officium prædicationis attingeret: *Quoniam, inquit, vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram gentibus & regibus.* Quemadmodum enim hi, qui in bello regia signa circumferunt, ut moris est, magnis laboribus indigent & viribus, maximaque peritia, uti ne id hostibus prodant: ita & qui Christi nomen portant, non in bello solum, verum etiam in pace summis viribus indigent, ne id maledicis linguis exponant, sed id strenuē ferant, ut vexillo crucis armati. Ingētī enim profecto opus est robore, ut quis dignē portet Christi nomen. Nā qui indignum aliquid vel dixerit, vel fecerit, aut etiam cogitauerit, Christi nomen non legitimē portat, neque habet in semetipso Christum. Porro qui id congruē portat, is profecto triumphat, non in foro, sed in cælis, omnēque illi adstant Angeli circumdantes illum, atque admirantes. *Gratias, inquit, ago ei qui me confortauit Christo Iesu domino nostro.* Vide, ut etiam eorum quæ ad ipsum pertinent, ei gratias agat, quod scilicet ipsum vas electionis effecerit. At id quidem tuum est o beatissime Paule, neque enim personarum acceptor est Deus: hoc autem est, quod dignum me fecit hoc ministerio, hoc indicio, quod me fidelem existimauerit. Quemadmodum enim in domo patrisfamilias dispensator illi non modò gratias agit, quod sibi crediderit substantiam suam, verum & quod illi hoc imposuerit signum, aliisque fideliorum arbitratus sit: eodem modo & hic intelligendum est. Deinde diligenter inspicere, quomodo Dei misericordiam, ac benignitatem prædicet, & verbis extollat, priorem suam exponēs vitam: *Qui prius, inquit, fui blasphemus, & contumeliosus, & persecutor.* Nempe cum de Iudæis loquitur, qui eatenus erāt infideles, pressiore vitur verbo, semperque de culpa subducit. Testimoniū enim, inquit, reddo, quod zelum Dei habēt. De se autē, *Qui, inquit, prius fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus.* Intuere diligentius quāto se deiciat studio, quā nō sit amator sui, quā non se palpet, utque humilem possideat mentem. Non sufficiebat se appellasse blasphemum, nisi etiam persecutoris sibi crimen iniungeret, rursūque id ipsum persecutionis augeret malum. Non enim, inquit, satis erat mihi me ipsum ledere, neque blasphemare suffecerat, verum etiam piē viuere volētes persequeretur. Magna blasphem

nia vastania est. *Sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Cuius ergo rei gratia Iudæi quoque alij misericordiam consecuti non sunt? Quia non ex ignorantia, verum ex proposito malo, scientes, prudentēque peccauerunt: atque ut id diligentius noueris, Euangelistam audias licet, dicentem, quod plurimi ex Phariseis & Iudæis credebant quidem, verum confiteri minimē audebant. Dillexerunt enim gloriam hominum magis, quā Dei. Et Christus iterum ad ipsos ait: *Quomodo potestis credere, gloriam ab inuicem inquirentes? & rursus: Hæc, inquit, dixerunt parentes cæci propter Iudæos, ne extra synagogam fierent. Et ipsi item Iudæi alio in loco dicebant: Videtis, quia nihil proficimus, ecce mundus totus post ipsum vadit. Vbique enim ipsos dominationis vana perturbabat ambitio, nempe illi ipsi dixerunt: Nemo potest peccata dimittere, nisi solus Deus: statimque ille, quod ipsi signum Dei esse dixerant, fecit. Nō igitur ex ignorantia ista faciebant: Vbinam verō tunc Paulus erat? fortasse illum ad pedes Gamalielis fuisse quis dixerit, nihilque commune cum turbis seditiosis habuisse. Vbinam verō Gamaliel ipse debebat? Erat vir ille ab hoc ambitionis fastu penitus remotus. Quomodo igitur post hæc Paulus inter turbas furentes fuisse deprehenditur? Aspiciebat dogma nostrum indes augeri, iamque obtinere, plurimōque temperare cælestibus monitis. Nam sub Christo quidem interdum ipsum audierat, interdum verō doctores legis adibat: tūc autem rebus in seditionem versis, cum diuisa esset penitus de Christo plebis opinio, tunc iam non veluti reliqui ambitionis causa, sed zeli agebat, quæ egisse cognoscitur. Cur igitur Damascum proficerebat? Luem quandam, ac pestem esse prædicationem dogmatis nostri existimabat, [ac metuebat ne passim ista prædicatio diuulgaretur.] Verum enim Iudæi non eodem ducebantur zelo, non vtilitate multitudinis, sed ambitionis fastu gerebant omnia. Denique intueri quid dixerint: *Ne fortē veniant Romani, & tollant locum nostrum & gentem.* Eiusmodi eos concutiebat humanus metus. Illud verō meritō quisque quaesierit: Cur Paulus, cum diligentissimus circa legis studium fuerit, veritatem rei eatenus ignorauerit. Ipse est nempe qui ait: *Quod antea repromisit per prophetas suos.* Quomodo igitur ipse non nouerat, qui æmulator fuerat paternæ legis, ad Gamalielis pedes eruditus? Sed hi quidem qui ex piscatione, ac telonio vocati sunt, protinus accurrerunt, fidemque promptē susceperunt: tu autē persequeris, hæc tenus legis studiosus, idcirco semetipsum redarguit, dicens: *Non sum dignus vocari Apostolus.* Idcirco ignorantiam confitetur, quam infidelitas parit: ideo ait, misericordiam consecutus sum. Quid est autem, fidelem me existimauit? Nihil penitus prodit ex his, quæ domini sunt: omnia ipse esse ait, etiam propria, cunctaque refert ad gloriam Dei. Audi denique ipsum & alio in loco dicentem: *Viri quid nobis intenditis? Nos enim homines sumus & similes vobis passibiles: hoc est, fidelem me existimauit.* Namque & alio in loco ait: *Abundantiū eis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei, quæ mecum est.* Et rursus. *Qui operatur in nobis & velle, & posse.* Ostendit semetipsum fuisse supplicio dignum: quippe misericordia huiusmodi hominibus solet inferri. Certē & alibi ait: *Cæcitas ex parte in Israël contigit: sed gratia, inquit, Dei superabundauit cum fide & dilectione, quæ est in Christo Iesu.* exaggerat delicta, ne fortē cum audis, Misericordiam cōsecutus sum, rem simpliciter accipias. *Blasphemus, inquit, eram, & persecutor, & contumeliosus.* Igitur & supplicio dignus: verum non pœna affectus, *Sed misericordiam**

Ioan. 12.

Ibid. 5. Ibid. 9.

Ibid. 11.

Luc. 5.

Ioan. 11.

Rom. 1.

Aa. 22.

Aa. 14. 6. iud. 1. 1. Cor. 15. Phil. 2.

Rom. 11.

addit è or. mndè dicitur quæ prolabi.

Aa. 9.

Vide not. fol. 1327.

crucemque possent.

δορυφορέτες.

Rom. 10.

sum consecutus. Ergone hoc solum Dei misericordiam prædicat, quod supplicia non intulerit? Minimè id quidem, verum & alia plurima & magna: neque enim solum imminente pœna nos eripuit Deus, sed & istos fecit, & fratres, & filios, & amicos, & heredes, & cohæredes. Idcirco, inquit, *Superabundauit gratia.* Excessit, ait, misericordia modum: quippe ista non miserentis, sed amantis sunt ac desiderantis, & nimia vi dilectionis affecti. Cum itaque plurima, & magna de Dei benignitate dixisset, quod scilicet se cum esset blasphemus, & contumeliosus, & persecutor, fuisset miseratus: neque id solum, verum & plurimis aliis, magnisque muneribus persecutus esset: Rursus infidelium gratia dogma communiuit, ne dicerent liberum arbitrium esse sublatum. Denique addidit, *Cum fide & charitate, quæ est in Christo Iesu.* Id solum, inquit, intulimus nos, quia credidimus Christum nos posse saluare.

MORALE.

DILIGAMVS igitur ipsum propter Christum, ipse enim se nobis tradidit. Vides quā nobis Christus intulerit bona, & quæ item lex? Nō simpliciter ait, abundauit gratia: sed, superabundauit. Re enim vera superabundasse dicitur, quæ innumeris suppliciis dignos, in adoptionem filiorum repetē traduxit. Vides iterum, in idem significare quod, Per. Neque verō fide solum opus est, sed etiam charitate: nam plurimi nunc vsque sunt, qui Christum Deum quidem esse credunt, sed ipsum tamē non diligūt, neque charitatis iura custodiunt. Ipsi nempe cuncta præferunt, pecunias scilicet, genensim, fatum, obseruationes, auguria, & vaticinia, & cætera Christianæ religioni prius aduersa: & quæ dilectionis nostræ argumenta præferimus, qui in ipsius iniuriam viuimus? Habet quispiam amicum, quem ardenti amplectatur affectu: vel sic saltem Christum diligat, vel sic diligat eum, qui pro inimicis suum tradidit filium, nempe cum nulla meritorum nostrorum indicia præcessissent. Et quid dicam, meritorum? imò cum per innumera scelera corruissemus, & per nefaria quælibet temeritate illicite diffluxerimus, post innumera beneficia, post ingentem dispositionis suæ prouidentiam eatenus ingratos, ne sic quidem abiecit, aut repulit: verum tum maximē filiū tradidit, cum maiora nostra feruebant scelera. Nos autem cum tam ingentibus beneficiis fructuri essemus, postquam ad amicorum euasimus dignitatem, postquam bonis omnibus per ipsum perfrui meruimus, ipsum ne ut amicum quidem diligemus? Et quæ iam nobis erit salutis spes? Fortassis ad hæc verba exhorrescitis, sed vtinam rem potius exhorrescatis. Et quoniam, inquit, modo Christum neque ut amicos diligimus? Ego tibi conabor ostendere. Et cupio quidem atque oro, ut ea quæ dixerō, deliramenta potiū, quā veritas sint. Sed vereor planē, ne verbis ipsis consentiant res. pro his qui re vera amici sunt, plurimi sapenúmero damna perpeti elegerūt: pro Christo autem non dixerim sustinere detrimenta, verum præsentibus contenti esse bonis vix pauci tolerant: pro amico sapius & contumelias & inimicitias suscipimus, Christi verō gratia nullas inimicitias suscipit. Amicum fame confectum nunquam omnino despiciamus: Christum verō quotidie venientem ad nos, neque pane dignamur: idque quum crapula distenti ruetemus, ventrique omnino inferuiamus & hesternum spiremus vinum, atque deliciis soluamur: plurimūque ex nobis meretricibus largiamur, alij parasitis, assentatoribus alij, alij item monstris, & fatuis, & nanis: quippe & hi naturæ defectus sunt quibus pro delectatione vtimur. Amicis, qui verē amici sunt, nūquam inuidemus: nunquam illorum felicitate mordemur: at in Christo

hoc patimur, plūsque amicitiam valet, qui diligenter inspicat, animaduertet, quā timorem Dei: Namque simulator, & fascinator, & inuidus homines plus quā Deum reueretur. Quo pacto? iam dicam, quod scilicet cum Deus inspicat cor, fraudes concinnare non desinit: sin verō hominem se intueri peruiderit, pallet, erubescit, atque confunditur. Rursus ad amicum cum aliqua afflictione vexatur, solliciti perginus: at si modicum distulerimus, reprehensionem expauescimus. At verō cum Christus sæpe in carcere in suis membris moriatur, eum ne visitamus quidem. Ad amicos autem fideles, non ideo quod fideles sint, sed quia sunt amici, proficiscimur. Vides, ut nihil Dei metu, nihilque ipsius amore perpetretur à nobis, sed omnia partim amicitia, partim consuetudine facimus? Amicum peregrē cum proficisci cernimus, lugemus, ingemiscimus, illacrymamur: & si mortuum videre contigerit, plangimus, & quidem cum certē nouerimus ipsum à nobis non perpetuò esse separandum, propter resurrectionis sacramentum. Enimuero cum Christus quotidie separaretur à nobis, imò cum ipsem diebus singulis à nostro arceamus ingressu, neque dolemus, neque aliquid & acerbum nos pati arbitramur. Carterum cum illum afficiamus iniuriis, cum eum contristemus iugiter, atque iritemus, & contra quā ille iusserit faciamus omnia, neque ingemiscimus, sed insensibiles nō secus ac lapides permanemus. Ne id quidem horrois satis est, si eo non saltem ut amico vtimur: ego enim ostendam nos illo uti veluti inimico. Quomodo, inquit? Prudentia, inquit, carnis inimica est Dei. Atqui hanc circumsferimus semper, illum fugamus si nobis velit accurrere, atque ex ianuis arceamus nostris. Mala namque opera hoc faciunt, authores ipsi sumus, ut quotidie contumeliis exagitetur auaritiæ nostræ, rapinæque causa. Laudatur quispiam virtute probatus, quæ ad sanam pertinent doctrinam loquens, & ecclesiam verbo prædicationis ædificans, nos huic protinus inuidemus: quia quæ Dei sunt, gerit. Videmurque inuidere illi quidem, verum liuor ipse noster transit in dominum maiestatis, dem ædificationem illam non per alios, sed per nos fieri volumus: non propter Christum, sed nostri gratia. Nam si Christi vrgeret affectus, siue id per nos siue per alios fieret, nihil moueretur. Dic enim, quæso, si quispiam medicus filium habens cæcitati proximum, ipse nihil remedij adhibere posset: alium verō fortasse reperiret, qui hoc posset, num illum repulisset? Nequaquam. Sed ipsi quodammodo ita loqueretur: Siue per te sanitas, siue per me contingat, nihil refert. Cur id? Quia non quæ sua sunt, quærit: sed quid filio expediat, studiose persequitur. Ita & nos si Christum toto animi affectu amaremus, diceremus profecto: siue per nos, siue per alios quolibet, quod expedit fiat, nihil ad rem: siue veritate, siue occasione, inquit, Christus annunciat. Audi denique, dicentem sanctum Moysen ad eos qui eum irritare volebant, cum Eldad & Medad prophetare nunciarentur: *Nolite, inquit, pro me æmulari: quis mihi det, ut omnis populus domini propheta? Nempe ista omnia ex gloriæ vanitate procedunt: nōne hæc inimicorum atque hostium sunt? Maledixit te quispiam, tu illum dilige. Et quo pacto, inquit, id fieri potest? Poteris certē si velis. Quod si benedicentem diligas, nulla tibi gratia est: neque enim propter Christum id facis, sed propter laudē tuam. Legit te quispiam, tu illum beneficiis refoue. Quod si beneficiis beneficiis remunerare volueris, nihil magni fecisti. Iniurias & detrimenta maxima perpeffus es, tu contraria operari stude. Ita quæso, ita disponamus nostra omnia, desinamus iniurias inferre, atque odisse inimi-*

Rom. 8.

tantū nos ita loqueretur.

Phil. 1.

Num. 11. 1. iud. 1.

non modo re aliqua magna, sed neque pane.

cos. Ipse nempe dominus noster inimicos diligi iussit. Nos ipsum quoque persequimur nostris tam studiosum amatorem: absit, inquit, hoc verbo omnes loquimur, ceterum contraria factis ostendimus. Ea est peccati obsecratio, ut quae ne dicto quidem tolerabilia sunt, ea facta tolerabilia sint. Deseramus tandem ea quae salutem nostram laedunt, ac penitus violant, ut eis perfruamur bonis, quibus frui amicos decet. Volo enim, inquit, ut ubi sum ego, & discipuli mei sint, ut videant gloriam meam. Qua nos omnes frui contingat in Christo Iesu domino nostro, cum quo est patri gloria, vna cum sancto spiritu, in saecula saeculorum. Amen.

Ioan. 17.

Vide fol. 1323.

a Magnis laboribus indiget] Decepit interpretem aut medosum exemplar, aut insolens vocabulum λαβροί, sic enim habet Veron. πρὸ σημείων τῶν λαβροῦν τῶν σαυρῶν λέγουσιν, πολλὰς δὲ οὐκ ἔχουσιν, qui in bello regium illud vexillum ferunt, quod labarum solet appellari, multo robore indiget. Existimo enim illud vexillum indicari de quo Prudentius contra Symmachum. Christus purpureum gemanti textus in auro signabat labarum. Nisi malis vertere, quod laborum dicitur, nam & apud Sozomenum legitur de Constantino l. i. c. 4. ἐκείνου χρυσῶν καὶ λιθοῦς πέτρῶν εἰς ταυρῶν σύμβολον μετασκευασαὶ τὸ ἄστρο. Ρωμαίοις καλούμενον λαβροῦν, & Gregor. Nazian. orat. in Iulianum illud καμάτων λυτῆραον vocat, quod in eam partem aciei quae laborabat inferretur: vnde in Codice titulus de praepositis laborum.

b Hoc indicio, quod me fidelem] Graeca sic lege. τὸ πρὸς τὸν εἶνα σημεῖον. Hoc enim indicio est, me fidelem esse. item paulo post, verum quod illi hoc imposuerit. Gr. ἀλλὰ καὶ τὸ σημεῖον ἦτοσι τὸ πρὸ αὐτῶν ἕξ ἄλλων ἡγῆται πιστότερον, verum et hoc constituit argumentum, se illum fideiorem ceteris arbitrari.

c Vbinam verò Gamaliel] Haec verba absunt à Graeco, sic. n. habet. ὁ δὲ Γαμαλιὴλ ἀπὸρ πρὸς τὸν εἶνα ἔειπεν ἐνέκεν πινάν. Gamaliel autem vir fuit qui nihil ambitionis causa faciebat. Quomodo igitur. Item paulo post. cūctaque refert ad gloriam Dei. Gr. ἕξ ἑσπερεῖς τὸ πρὸ τῶν θεῶν δόξαν. Dei gloriam sibi non vindicabat.

d Neque charitatis iura custodiunt] Gr. ἕξ ἀγαπῶντες, ἕξ τῶν φιλοῦντων ἀγαπῶντες. Sed ipsum tamen non diligunt, neque ea faciunt, quae eos docent qui diligunt. In Veronenſi lege, καὶ δὸνισμὸς, οἰασημὸς.

HOMILIA IIII.

FIDELIS sermo, & omni acceptione dignus, quoniam Christus Iesus venit in mundum peccatores saluos facere, quorū primus ego sum. Sed idcirco misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Iesus omnē patientiam, ad confirmationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam aeternam. Adeo magna sunt beneficia Dei, atque in tantum humanā omnem expectationem, ac spem transcendent, ut ea sepe vix credatur. Quae enim nūquam humanus animus aut cogitare, aut sperare potuit, ea nobis cūcta largitus est: ut fermē apostoli plurimū laborauerint, ut nobis persuaderent credere dona à Deo nobis indulta. Quemadmodū enim in excellentibus quibusque bonis hoc patimur, ut dicamus: putāsne hoc somniū est? propterea quod non credamus, ita & in diuinis profectō muneribus. Quid igitur erat, cui difficilis habebatur fides? quod inimici, quod peccatores, quod hi qui in lege non iustificabatur, neque per opera, hi continuo ex fide sola primas partes meritorum consecuti sunt. Plurima igitur & in epistola ad Romanos de huiusmodi loquitur, plurima itē hīc differit. Fidelis, inquit, sermo, & omni acceptione dignus, quoniam Christus Iesus venit in mundū peccatores saluos facere, quorū primus ego sum. Quia enim Iudaei hoc maximē attrahebantur, persuadet eis nō intendere legi, quasi possibile nō sit absque illa saluari, cum sine fide quis saluus esse nō possit. In hoc igitur tota eius versatur intentio. Incredibile enim esse videbatur, siquidē homo, qui omnē priorem vitā frustra atque inaniter consumpſisset, duxissetque per mala opera, postmodum ex fide sola saluandus diceretur: idcirco ait, Fidelis sermo. Verum quidā non modō nō credebāt, sed etiā culpabāt, id quod modō facere non desinunt, dum

Vide not. fol. 1333.

dicunt: faciamus mala, ut veniant bona. Postquā enim dixerat, ubi abūdauit peccatū, superabūdauit & gratia: quid aiunt? Faciamus mala, ut veniant bona: ista enim maximē gentiles obiiciunt, carpētes nostra: nam cum illis de gehenna differimus, & quo pacto, inquit, ista Deo digna sunt? Si quidem homo seruum nactus, qui multa peccauerit, dimittit liberum, veniamque largitur: Deus autē immortaliter punit. Rursum cum illis de sacro regenerationis lauacro, ac de remissione peccatorū loquimur, quae nobis baptismi salutaris gratia condonatur: protinus, quā, inquit, hāc digna sunt Deo, ut qui innumeris sceleribus fuerit pressus, criminibus absoluerit? Vides ubique animi ac sententiae peruersitatem semper cōtentionibus deseruire? Nempe si malum remissio est, bonum ergo cruciatus erit: quod si poena bonum nō est, bona sit remissio necesse est (illorū nunc more loquor) nam iuxta fidei veritatem bona vtraque sunt, quod alio tempore ostendendum reseruamus: neque enim praesentis temporis est, cum profundum valde sit, ac ideo operosius perscrutandum. Suo igitur tempore vestra hoc dilectioni proponere institui. Vnde igitur fidelis est sermo, & ex praeteritis simul, & ex futuris apparet. Vides ut praeparet animū, atque suspendat, eamque rem, ut dignum erat, diutius verſet. Nam profectō quod ait, blasphemum se, ac persecutorem, & contumeliosum misericordiam cōsecutum, hoc praeparantis. Nec modō miseratus est, inquit, verum etiā fidelem fecit. In tantum, ait, fides deneganda non est, quod etiam misertus sit. Nemo enim intuens eum qui vincētus fuerat in regia conuersari, misericordiam consecutum ambigere poterit, quod in Paulo cernere in proptu erat, rursumque ex semetipso haec indicia colligit. Non enim erubescit seipsum vocare peccatorē, sed inde potius gloriatur, quod cum peccator esset, tanta meruerat circa se diuinā benignitatis indicia: ita enim vel maximē Dei summam prouidentiam commendare potest. Et quomodo, inquit, alio in loco cum de se loqueretur, secundum iustitiā, quae in lege erat, sine querela se fuisse testatur: hīc verō peccatorem se, & peccatorū omnium primum esse asseuerat? Quia ad eam iustitiam, quam Deus operatus est, & quae veraciter quaeritur, peccatores & illi erant, qui in lege iusti videbatur. Omnes enim peccauerunt, & indigent gloria Dei: hanc autem non simpliciter iustitiam dixit, sed addidit, quae in lege erat. Quemadmodum enim is, qui multum pecuniarū possidet, diues quidē esse videtur: ceterum thesauris regis cōparatus pauper esse, atque inops primus cernitur: ita & hīc dum angelis conferuntur, peccatores esse etiam iusti deprehenduntur. Quod si Paulus qui iustitiam legis fuerat operatus, primus peccator est, qui ex omnibus aliis iustus meritō vocari possit. Neque enim se ideo peccatorem ait, quasi vitā carperet suā, ut impudicē actam & per fornicationes, cupiditatēque, foedatā: Absit: verum iustitiā illam huic conferēs, non solum nihil esse monstrauit, sed peccatores illos, qui in illa gloriarentur, ostēdit. Sed idcirco, inquit, misericordiam cōsecutus sum, ut in me primo ostēderet Christus Iesus omnē patientiā ad confirmationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam aeternā. Vides ut semetipsum rursus humiliet, ac penitus comprimat, alia etiā viliori adiecta causa? Nam quod prius ignorantiae veniā misericorditer cōsecutus sit, non nimis illum indicat peccatorem, neque omnino reprehensibilem. Ceterum idcirco misericordiam fuisse consecutum, ut nemo iam peccator quibuslibet sceleribus pressus de se desperet, imō eādem se consecuturum veniam hoc exemplo praesumat. Magnum valde ac re vera ingēs est. Itaque cum dixisset, Primus peccatorū ego sum & blasphemus, & persecutor, & non sum dignus vocari apostolus,

Rom. 3.

Phil. 3.

Rom. 1.

quis ex omnibus aliis iustus meritō vocari possit.

Conformationē.

propter ignorantiam misericordiam consecutus sit.

apostolus, & quaeque alia in hūc sensum dixit: nihil profectō tam humile locutus est. quod ex subiecto exemplo manifestius fiet. Sit enim, verbi gratia, ciuitas quaedam populosa, cuius ciues omnes mali sint, alij plus, alij minus, omnes tamen * peccatis obnoxij: vnus autem inter ceteros sit sceleribus clarus, ac pra omnibus suppliciis dignus, quippe qui omne genus nequitiae exercuerit: si igitur dixerit quispiam regē omnibus culpas velle dimittere, non ita verbis fides adhibebitur, sicuti si videant eum, qui plus omnibus, grauiusque deliquit, venia fuisse donatū. Nulla enim iam ambiguitas remanere poterit, quin omnibus ignoscere velle existimetur rex, qui eum absoluerit, qui erat pra ceteris peccatoribus insignis, hoc & Paulus ait: Cum, inquit, veller Deus certiores homines facere, quod omnia illis peccata donauit, elegit eū, qui plus omnibus deliquerat, cui scelera cūcta dimitteret. Me enim potito venia, nemo iam de se dubitare permittitur, quemadmodum etiam habet cōsuetudo loquēdi. Si huic * ignouit Deus, neminem punit: ut per id ostēdatur, ipsum venia quidem dignum non fuisse, verum eā aliorum pro salute meruisse. Nullus igitur ambigat, inquit: nullus de se desperet, quando quidē ipse saluatus sum. Et, quae diligeētius intuere beatissimi viri prorsus humilē mentem. Non dixit, ut in me ostenderet patientiam, sed, omnem patientiam, ac si apertius diceret. Nullus est, in quo maior habenda sit patientia, neque inueniri facile potest peccator, qui tanta abundantia miserationis indigeat. Omnē, inquit, ostendit in me patientiam, non partem, quemadmodum his qui * modica deliquerunt. Ad confirmationem, inquit, illorū, qui credituri sunt ei in vitam aeternam. Hoc est, ad exhortationem, ad profectum incitamentūque virtutis: quoniam verō magnū quiddam de filio fuerat locutus, quod scilicet tantā vim dilectionis ostenderet, ne quis fortē putaret patrem ab ea charitate remoueri, & ipsi gloriam refert: cum pro tunc addidit: Regi autem saeculorum immortalis, inuisibili, soli sapienti Deo honor & gloria in saecula saeculorum. Amen. Pro his, inquit, non tantum filio, sed & patri referimus gloriam. Interrogemus haereticos, ecce, soli Deo, dixit: Num igitur filius Deus nō est? Et, soli immortalis: Nonne igitur & filius immortalis est? Et quod nobis postmodum dabit, ipse nō habet? Ita sanē, inquit, & Deus, & immortalis est filius: sed non talis, qualis est pater. Quid sibi vult, non talis? Minoris, inquit, substantiae est, minoris igitur etiā immortalitatis erit. Quid autē est, immortalitas minor? Nempe immortalitas nihil aliud est, quā morte non tangi, neque corrumpi. Gloria quidē maior, ac minor est: immortalitatis verō maior aut minor esse non potest: sicuti neque sanitas maior aut minor: aut enim morbo tentamur, aut nō. Quid igitur, inquit? Immortalitatem nos ita ut Deus habemus? Absit ut id quispiam sentiat. Cur id? Quoniam ipse hanc per naturam habet, nos autem * per gratiam. Sed nunquid ita & filius? Minimē verō, verum & ipse hanc per naturam habet. Cuius igitur rei gratia huiusmodi differentia inferitur? Quia ipse, inquit, à nemine talis factus est, filius autem à patre natus est. Et nos hoc ipsum gratē confitemur: neque enim negamus ex patre filium immortaliter natum, Et huius rei gratia, inquit, patrem glorificamus, quia talē genuit filium. Vides quod tunc maximē glorificetur pater, cum magna peregerit filius. Ad ipsum enim filij cuncta referuntur, itaque & cum fortem genuerit, & eiusmodi qualis ipse est, non gloria filij magis, quā patris est. Cum item temperantem, cum sibi ipsi sufficientē, cum non imbecillū, nullo minor est patris quā filij gloria. Regi autē saeculorū: & ista de filio dicta intelligi possunt, per quae fecit &

A saecula: idem est hoc loco. Nepe enim apud nos vtraque distincta res est, aliudque ministerium officium est, & aliud iubentis imperium: atque alius quidem cōstruit, laborat, fatigatur, alius autem imperat. Cur id? Quia is qui ministrat, inferior est: verum nō ita in diuinis personis accipiendū est. non est ibi alterius creatio, & alterius dominatus: neque enim cum audio, per quem fecit & saecula, patrem denego condidisse: neque itē cum audio patrem regē saeculorum, à filio dominatū tollo. Communia enim ista sunt & patris & filij vtraque: condidit enim Deus, qui opificem genuit, regnat filius, quod sit creaturā dominus: neque enim mercede operatur, quemadmodum apud nos: neque alteri obreperās, sicut item sit apud nos, sed bonitatis ac benignitatis tantum propter gratiā. Quid autem filius? Visus est aliquando? Nemo id tutō dicere potest. Quid est ergo, immortalis, inuisibilis, soli sapienti Deo? Quid itē sibi vult, cum dicit: Neque enim est nomē aliud in quo nos saluari oportet, & non est in alio aliquo salus: Honor, inquit, & gloria in saecula saeculorum, amen. Honor & gloria illi non verbis redditur, quia & ipse nos non verbis honorauit, sed rebus ac per opera, sic & nos ipsum honoremus per opera. Et certē hic quidem honor nos tangit, nobisque confert plurimum: noster autem honor illum minimē tangit, neque enim nostris indiget, sed nos potius illo indigemus. Itaque et si illum honoremus, nos ipsos magis honoramus: quemadmodū enim is qui apertis oculis solis intuetur lucē, sibi ipsi prodest, admirans pulchritudinem syderis, neque illi aliquid confert: quippe clariorē facere ipse admirando non potest, sed permanet idem solis fulgor: ita multō magis in Deo. Is qui Deum admiratur, eumque honorat, sibi ipsi acquirit salutem, maximāque emolumenta lucratur: quippe ex hac glorificatione virtutis sua praemia promeretur. Ego enim, inquit, glorificantes me glorificabo. Quomodo igitur ipse glorificari se dicit, qui nihil ex huiusmodi officio nostro lucratur? Eadē profectō ratione, qua & esurire, & sitire se dixit. Omnia enim quae conditionis nostrae sunt, propria sua esse facit, ut vel sic nos ad se attrahere possit, siue honores, siue contumelias in se perpeti dixit: ut hoc veluti fræno coerciti timeamus, atque ad illum prompti accurramus.

Gr. ἡδὴ μισθία ἐστὶν ἡ κτλ.

A. G. 4.

Mar. 10.

MORALE.

GLORIFICEMUS igitur Deum, portemus Deū in corpore & in spiritu nostro. Et quomodo, inquit, glorificat quispiā in corpore Deum, quomodo item in spiritu? Spiritū hīc appellat animam, ad distinctionem scilicet corporis. Quis igitur Deum glorificat in anima quis item in corpore? In corpore glorificat qui non se libidini subiicit, qui minimē inebriatur, qui ventri ac gutturi non studet, qui exteriorē non quaerit ornatum, qui tantum curae circa se ostendit, quantum ad sanitatem sufficere potest, qui non mœchatur: quae vnguētis delibuta non pergit, quae faciem nequaquam fucis atque coloribus pingit, quae Dei contenta opificio, nihil ex se addere quasi arte molitur. Quid enim studium tuum, quid artem consummato à Deo opificio adiuuere praesumis? Non tibi sufficit diuina formatio? An verō veluti excellentior opifex diuinum opificem corrigrere impia moliris audacia? Atque ad aucthoris iniuriam ornaris, ut post te greges iuuenum trahas? Et quid, inquit, ipsa facere possum? Neque enim ego hęc volo, sed viti gratia facere ista cōpellor. Ad amari non potest quae non vult. Pulchram te condidit Deus, ut in hoc ipse laudetur, admirationique sit opificium suum, non ut iniurias patiat. Noli ipsi huiusmodi referre vicem, verum pudicitia atque verecundia te ornare contende. Pulchram idcirco te creauit Deus, ut virtutis

ἐπαύρω ἀματόρ.

tibi adderet præmia : neque enim idem est, speciosam & quæ amari à plurimis possit, studere pudicitia: & quæ huiusmodi careat, nullique sit expetenda, castitatem servare. Audi denique quid de Ioseph scriptura dixerit. Erat, inquit speciosus ac decorus aspectu. Quid nobis profuit audire decorum fuisse Ioseph? ut scilicet ipsius magis admiremur speciem, honestatēque laudemus. Speciosam te creavit Deus: quid igitur te ipsam deformē facis? Velut enim si quis aureæ statuæ illinat lutum, ita sunt quæ fucis vtuntur, terrā tibi illinis partim candidam, partim rubicundam. At, inquit, hoc merito faciunt quæ deformes sunt. Cuius rei gratia? Ut scilicet deformitatem occultent. At profectō in cassum laborant. Quando enim id quod naturale est, cuiusvis opificis studio atque arte superatur? Cur autem deformitas ipsa mœrori sit, si probro careat? Audi deniq; sapientis cuiusdam viri sententiā: Ne vituperes, inquit, virum in aspectu suo, neque item laudaveris virum in specie sua. Deum igitur admirare solum opificem optimum, nō illius opus, neque enim pulchrū ipse se fecit. Quid enim lucri decor eiusmodi parit? Nihil profectō, verum certamina magis intēdit, maiorēq; calumnias, atque pericula, suspiciōēque quāplures. Ea denique quam non huiusmodi decor illustrat, suspiciōe carebit: quæ verō formosa est, nisi magno studio : & nimia vtatur continentia atque honestate, opinioni protinus pessimæ locum dabit, virque ipse eiusmodi semper zelo mordetur. Quo quid dici grauius possit? Neq; enim tantum ex aspectu ipso voluptatis habet, quantum ex ex suspiciōe mœroris. Illa enim cōsuetudine solet extingui, at verō vbi lasciuia, libertatis, atque impudicitia opinio manare cœperit, ipsius quoq; animæ intima penetrat, atq; penitus in istis sordibus squalescit indes. Ecce quibus in eōsmodi pulchritudo subiecta est. Porro eam quæ decore caruerit, impedimentis plurimis liberam facile inueniemus: neque enim illi infesti sunt eiusmodi pulchritudinis aucupes, sed veluti agnus simplex in quiete atque in silentio pascitur, lupo nullo perturbate ipse ociū, sed semper sibi affidente pastore, & ab huiusmodi incurfibus protegēte: ita nihil profectō habet amplius quæ formosa fuerit, quā deformis: neq; hāc illa vllō priuilegio superat, sed ea merito plus habere dicitur, quæ merito virtutis excellit. Nam, quæso, quænam oculorum virtus est? Num quod liquentes, atque versatiles, rotundique ac cærulei sunt, siue potius quod acutissimo vigeant lumine? Hoc equidem reor, quod inde constabit. Quænam oro lucernæ virtus, quod clarè fulgeat, omnēque illustret domum, an quod pulchrè facta atque rotunda? At nemo hīc dubitat, lucis que claritas iudicio omnium obtinet: cætera enim media sunt, atque communia: idcirco etiam semper ancillulæ dicere solemus, cui lucernæ concinnadæ officium sit: lucernam malè præparasti, adeo lucernæ illuminare proprium est: itaque & oculus qualiscūque fuerit, si officij sui ministeriū implere sufficiat, differentia nulla est. Sicuti etiā malus oculus dicitur, cum obtusi aspectus fuerit, & naturalem cōpositionem minimè perfectam in se habuerit. Quippe & eos qui apertis oculis non vident, malis esse oculis dicimus, malum enim omnē quod proprium non implet officium appellare conuenimus, atque ista de oculis. Quænam verō narium virtus est? An quod rectè, atque ad lineā veritatis formate sint, suaque proportionē non careant: an quod olfactu vigeant, interrogo, ac cerebro subministrant? At nemo qui dubitet: nam vt exemplo vitæ, ea instrumenta quibus aliquid rapimus, quænam dicemus optimè fuisse condita: eane quæ diligenter rapere, atq; continere possint, an quæ decore fuerint fabricata? Il-

la scilicet quæ vsui commodiora sunt. Quid autē dentes, quales esse dicemus optimos, eōsne qui mādere & concidere cibum facile possint, an eos qui pulchrè, atque ad lineam compositi sunt? Illos scilicet, qui rectius, quod sui est muneris faciunt: prorsūque in toto corpore, qui diligētē inquirat, candē sequetur rationem, inueniuntq; omnes sanos, pulchros merito dici, dum membra singula possunt propria officia persequi: ita & vasa singula, & animalia, & arbores, non ex forma, aut ex colore prædicamus, verum ex ministerio, atque ex officio proprio: ita & seruum vocamus pulchrū eum, qui nobis aptè ministrat, non qui speciosus atque molis est. Vides quomodo pulchra possit euadere. Cum igitur his quæ sunt maxima & præstātissima, pariter & formosa fruatur, atq; deformis, nihil altera plus quā altera possidet: puta mundum hūc similiter cernimus, solem, lunam, stellas, spiramus pariter aërem, humoris atque nutrimenti pariter participes sumus, siue formosi fuerimus, siue deformes. Imò vt aliquid mirabilius loquar, saniores sunt quæ forma huiusmodi carent, quā speciosæ. Ille enim vt quibus speciē seruare studium sit, se ipsas minimè laboribus tradunt: sed ocio, atque deliciis, quibus ex rebus mœborum officia obtusiora penitus sunt: hæc verō vt quæ nulla huiusmodi distendantur cura, passim laborare non desinunt, atq; ob id saniores vegetiorēque fiunt. Glorificamus igitur Deum, portemus ipsum in corpore nostro, non exteriorem quæramus ornatum. Superfluum id quidē studium, atque inutile est: non erudiamus viros solas intendere facies. Nā si huiusmodi ornatus deseruias studio, citō vir tuus huiusmodi amare faciem consuetus, vultu meretricio capietur. Quod si illum docueris amare in vxore mores, venustamque dignitatem, non facile conuolabit ad scorta: neque enim hæc in meretrice reperiet, sed contraria penitus. Noli docere virū risu suauitate decipi, neque fracto, solutoq; incessu capere, ne aduersus te ipsam illi arma ministres, instrue illum castitate gaudere: poteris autem id, cum huiusmodi habitum præfers. Nam si leuis inconstans, ac lubrica fueris, quomodo verbum honestum & graue proferre poteris? Quis te non rideat atque subsannet? Quomodo autem etiam in spiritu portare possumus Deum? Si virtutem vbique tenemus, si animæ studeamus ornamentis, quippe ille minimè prohibetur ornatus. Ita glorificamus Deum, si omnibus ex partibus fuerimus boni: glorificabimur autem & nos in die illa, non sanè similiter, sed multo dignius, multoq; excellentius. Existimo enim, inquit, quod non sunt condignæ passionēs huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: cuius nos omnes contingat participes fieri in Christo Iesu domino nostro.

a Non intendere legi,] Veronenſis editio sic habet πῶς αὐτῶν τῶν ὀφθαλμῶν ἀποστέλλῃ, ὡς ἐκ ἐνὸν γὰρ εἰς ἑαυτὴν ἀποστέλλῃ, πῶς ἴσως ἀποστέλλῃ. Quæ sine dubio mendosa, sic in emendato codice legimus, πῶς ἴσως ἀποστέλλῃ ὡς ἐκ ἐνὸν δι' ἑαυτῶν ο. π. γ. persuadet eis, vt animos ita defigant, vt intendant in legem, quasi non liceat per illam saluum fieri sine fide. In hoc enim tota eius, &c.

b Nullo minor est patris quam filij gloria.] Hæc verba in Veronenſi libro non reperio expressa, & videntur omitti posse.

c Quippe ex hac glorificatione] Gr. πῶς ὅτι τῶν ἀρετῶν μετῄχηται παρ' αὐτῶν δόξασται. Quo tandem pacto quippe qui, eo quod virtutē exercet, ab ipso glorificetur. Ego enim.

d sure honores, sine contumelias] Græcorum sententia diuersa non nihil videtur. καὶ τῶν ἰμῶν, καὶ τῶν ὑπερήμων, ἵνα κἀν ἴπῳ φανθῶμεν, καὶ ἐν ἴπῳ ἐφῆραμεθα. Item honores, & contumelias (nempe proprias facit) vt ita timore percellamur, Et tamen ne sic quidē attrahi possimus.

e Vt virtutis tibi adderet præmia.] Hæc lacuna est in Veronenſi, quam ita expleo ex codice nostro emendato, ἵνα σοὶ τῶν καὶ κοσμοποτικῶν ἀθλοῦ ἀποστέλλῃ, vt tibi honestatis certamina auget. τὸ ἀθλοῦ πρῶτον ἐκταμίαις, ὁ ἀθλος certamen: ita paulo post ἐδὲν ἀπ' ἀρετῶν πρῶτον, verum

verum certamina magis intendit. *Cætera enim media sunt*] Gr. ἄλλα τὰ μετὰ τὸ ἀδύνατον, τὸ δὲ ἰσχυρότερον ἐστίν. an quod pulchrè facta, atque rotunda illud, opinor potius respondebitur. hoc enim commune est, & indifferens, illud vero quod potissimum requiritur: idcirco, putidam, & obscuram lucernam præparasti, semper ancillulæ dicere solemus, c. l. c. officium sit, adeo lucernæ &c.

An quod olfactu vigeant] Gr. ἢ τὸ ὄσφρασμα ὀσμῆς ὀσμῆς ἐστίν, καὶ διὰ τὸν ὄσφρασμα τῶν ἐνερῶν καὶ τῶν ἀνπλαστικῶν, an quod ad olfactum apte sint, & commoda, possintque facile ad cerebrum transmittere, & celeriter quævis apprehendere? Hoc tertium omiserat interpres quod cum consequenti comparatione bellè cōuenit, ab instrumentis ducta quibus quid comprehendimus. Item paulo post corrigendus est ex nostro emendato locus qui in Veronenſi Græcè perperam legitur. εὐφροσυνὴν πᾶσα τὴν ὄσφρασμα καὶ καλὰ, εὖς αὐτῶν μ. α. τὸ οὖν οὖν ἴσως ἐκαστον. inueniemus que omnia sana, pulchræque dici, dum possunt propria munera exequi membra singula.

HOMILIA V. *o c præceptum commēdo tibi fili Timothee secundum præcedēs in te prophetias, vt milites in eis bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam. Quam quidam repellentes circa fidem naufragium fecerunt, &c.* Doctores, sacerdotisque dignitas magna est, atque mirabilis, & quæ re vera diuina sententiā comprobanda sit, vt quis ea dignus adducatur in mediū: ita & pridem fiebat, ita nūc quoque sit, quoties absque humana passione huiusmodi electiones celebramus. cum nihil omnino sæculare, nihil temporale intuentes, neq; ad gratiam, neq; ad odium facimus. Nā & si tanta nobis spiritus plenitudo non adest, sufficit voluntas optima, vel sola, Deum vt ordinationi nostræ cōcurrat attrahere: quippe ne apostoli quidē tunc spiritus gratiā adepti erant, cum Mathiam elegerunt: sed orationi negotiū permittentes, ipsam apostolorū numero adiecerunt: neq; enim intuebantur humanæ amicitia gratiā: ita nobis quoque faciendum est: enimvero vbi ea quæ certa sunt, omnibusque manifesta negligimus, quo pacto nobis Deus reuelabit incerta? Si in modico, inquit, fideles nō fuistis, quod magnū & verum est, quis dabit vobis? Tunc autem quia nihil fiebat humanū, sacerdotes etiā ex prophetia veniebāt. Quid est, ex prophetia? Ex spiritu sancto. Quippe munus est prophetia, non modò futura prædicere, verum & præsentia dicere: quoniam & Saül prophetia ostēdit est, qui inter vasa latebat. Deus enim reuelat iustis. Prophetia itidem fuit, cum dicit spiritus sanctus: Separate mihi Saulū & Barnabā: ita & Timotheus electus est. Prophetias autem hīc plurimas dicit, fortassis & illā per quam ipsum acceperat, quādo eum & circumcidit, atque ordinauit, quemadmodum & ipse scribit: Noli negligere gratiam, quæ est in te. Igitur vt illum excitaret, sobriūque ac vigilantem faceret, admonet eum quis illum elegerit, atq; ordinauerit: ac si apertius dicat, Deus ipse te elegit, ipse tibi ecclesiā credidit, nō te iudiciū promouit humanū: noli igitur sententiā Dei probro afficere, neque confundere. Deinde quoniam præceptum, inquit, grauius fortasse videbatur, adiecit: *Hoc præceptū cōmēdo tibi fili Timothee.* Tāquam filio charissimo præcepit, neq; enim autoritate propria, neq; dominationis fastu, neq; sua veluti libertate: sed fili, inquit, Timothee. Quod autē ait, cōmēdo, custodia diligentia signat, nihilq; nostrum nos inferre significat. Nō enim nos eam tē acquisiuimus, sed Deus hanc nobis largitus est & fidē, & bonam conscientiam. Quæ igitur dedit, ipsa seruemus: nisi ipse venisset, neq; fides huiusmodi inueniretur, neque vlla vitæ mūditiā, quā à parua ætate suscipimus: ac si dicat: Non ego sum, qui præcipio, sed is qui te elegit Deus: id quippe significat quod ait: *Secundum præcedentes in te prophetias:* Illas audi, illis obtempera. Quid autē præcepit Deus? Vt milites in ipsis bonam militiā, illa te elegerūt, in his quibus

A electus es, milita bonam militiam. Est enim & militia mala, de qua alio in loco ait: Sicut enim exhibuistis membra vestra arma peccato & immunditiæ. Illi sub tyranno militant, nos æterno regi militamus. Cur autem eam rem militiā vocat? indicat profectō bellū excitatū esse vehemens & atrox cum cæteris, tū maximè ei qui doctoris fugitur munere. In quo nobis armis opus est validis, sobrietate scilicet, tēperantia, precibus, perpetuisq; vigiliis, quia non aduersus sanguinē pugnare pergimus, quia prælia nobis cum atrocissimis hostibus conferenda sunt, vt nullum hīc locum habeat blāda & pernicioſa mollities. *Vt, inquit, in eis milites.* Quemadmodum enim in castris, non omnes eundē seruant militiæ locum, sed variis distribuuntur ordinibus: ita & in ecclesia, alius quidem magistri obtinet ordinem, alius autem discipuli, alius item rudis, tu verō doctoris fugeris munere. Ac ne quis istud sufficere existimet, vide quod sequitur: *Habens fidem & bonam conscientiam.* Magistrum quippe prius oportet docere seipsum: quæ admodum enim dux, nisi antea miles optimus fuerit, ne dux quidem esse aliquādo poterit: ita & doctor, hoc & alio in loco ait: Ne fortè alius prædicans, ipse reprobus efficiat. Habens fidem & bonā conscientiā, vt sic cæteris præesse dignius possis. Hęc nos ex eplo maiorum non aspernemur monita, etiāsi doctorum fungamur vice. Nam si Timotheus, cuius nos meritis lōgē impares sumus, & monita suscipit, & libenter addiscit, idque cum in doctoris ordinem trāsisset, multo magis id nos face-re conuenit. *Quam quidam repellentes, inquit, circa fidem naufragium fecerunt.* Et merito sanè. Nam vbi vita reprehensibilis fuerit, dogma itē huiusmodi sit necessarium est, ac videas plurimos in profundum malorū corruisse, atque ad gentilē ritum fuisse cōuersos. Ne enim futurorum metu, & expectatione crucientur, persuadere sibi omni studio curant, falsa esse omnia quæ nostra religio cōtinet, atque à fide quidā peruertuntur, dum rationibus omnia colligere quærūt. Naufragium quippe huiusmodi ratiocinatio gignit, fidēq; veluti nauis tutissima est. Igitur qui ex illa deciderint, necesse est naufragium facere: quod exemplo quoque perspicuū facit, quom dicit: *Ex quibus Hymeneus est, & Alexander: Vt horum ex eplo nos corrigat.* Videtis vt illis quoq; temporibus nō defuerint, qui peruerso docerent, qui secreta diuina temeraria curiositate disquirerent, qui à fide longè discederent, qui rationibus propriis mysteria venēra rimari præsumerent. Qui naufragium facit, nudus, omnibusq; destitutus euadit: ita & qui ex fide exciderit, nihil iā habet vbi figatur, nō habet vbi se ipsum recipiat, non habet vitā quæ ipsi prodesse valeat: Quippe capite perdito, atque corrupto, quæ nā reliqui corporis vtilitas est? Si enim fides absq; operibus mortua est, multo magis absque fide nihil proderunt opera. Si Deus propter nos quæ sua sunt despicit, longè magis nos oportet nostra ipsius gratiā spernere: ita enim est, cum quis exciderit fide, nusquam consistit, sed aliās aliter natat, donec rursus in profundo mergatur. *Quos tradidi, inquit, satanae, vt discant nō blasphemare.* Vides vt blasphemā sit, rationibus diuina velle discutere: ita nihil commune habet humana ratio collata diuinis. Quo autē modo ipsos satanas nō blasphemare docet? Nempe enim si alios docet, multo magis se ipsum docere debuerat: si autem se ipsum hactenus docere nō potest, ne alios quidem. Non ait, vt doceat illos non blasphemare, sed vt discant non blasphemare: nō ille hoc agit, sed hic euentus accidit: quemadmodū igitur & alio in loco ait de eo qui fuerat fornicatus, tradere huiusmodi hominē satanæ in interitum carnis, non vt spiritū saluet, sed vt spiritus saluus sit: hīc autē nulla persona no-

Gen. 39.

Eccl. 11.

1 Cor. 9.

1 Re. 19.

1 Cor. 13.

1 Tim. 4.

1 Cor. 9.

1 Cor. 9.

1 Cor. 9.

Rom. 6.

1 Cor. 9.

Vide not. fol. 1333.

Iacob. 2.

1 Cor. 9.

tatur. Quomodo igitur istud cōtingit? Nempe quem-
admodū carnifices innumeris sceleribus pleni, casti-
gant alios: ita & hīc de nequissimo dæmone dicitur. Et
cuius rei, inquit, gratia, non illos ipse punisti, quem-
admodū Bariesum, sicuti Petrus Ananiam, sed eos sa-
tanæ tradidisti? Non ut puniantur, inquit, sed ut discāt.
Et certè ipsi non deerat autoritas puniendi, sicut cum
dicit: Quid vultis, in virga veniam ad vos? Et rursus:
Non ut nos probati simus, sed ut vos quod bonum est,
faciatis. Atque iterum: Non in euerfionem, sed in ædi-
ficationem. Quid igitur satanæ ad supplicium vocas?
Ut scilicet vnā cum vehemētia atq; cruciatu esset con-
tumelia maior, imò verò infideles quidē ipsi docebant:
eos verò qui à fide auersi essent, satanæ tradere consue-
uerāt. Cur igitur? Propter infideles namque. Ananias
infidelis erat, qui tentabat adhuc. ut igitur fideles] di-
scerēt se latere nō posse, idcirco per seipfos illos punie-
bant: eos verò qui postquā ista didicerāt, à fide aberrab-
ant, satanæ tradiderunt: ut per istud ostenderēt, quòd
non propriis viribus, sed ipsorum custodia cōtineban-
tur, quicumque se in arrogantia tumorem extulissent:
quæ admodū in regibus cernimus, qui hostes quidem
etiam suis manibus iugulāt, subditos verò carnificibus
tradunt. Indicat autem istud propter apostolorum cu-
stodiam fieri: præterea non minimum erat posse impe-
rare diabolo, ex eo quippe monstratur, illum apostolis
vel inuitum seruire, ac cedere solitum. Istud itaque par-
ui non erat momenti. Quomodo autem illum tradide-
rit, audi: Cōgregatis, inquit, vobis, & spiritu meo, cum
virtute domini Iesu Christi tradere huiusmodi homi-
nem satanæ. Eiiciebatur nempe à communi fidelium
cœtu, absceidēbatur à grege, fiebat nudus, atq; ita de-
stitutus, atque ita lupis patebat, & prodebat incurfi-
bus: sicuti enim dudum nubes Hebræorum castra te-
gebat, ita & ecclesiā protegebat sancti spiritus gratia.
Si quis igitur extra ecclesiā fieret, cōburebatur: fiebat
autē extra ecclesiā apostolorū iudicio: ita & dominus
Iudam tradidit satanæ, continuò enim post buccellam
introiuit in illum satanas. Et hoc itē dicere possumus,
quòd eos quidē quos corrigi volebant, non ipsi pœna
plectebant: qui autē emendationē admittere nolēbāt,
eos ipsi supplicio subdebant, vel certè quia terribiles
magis ipsi videbantur, cum ipsos aliis traderēt punien-
dos: ita & Iob satanæ traditus est, verum ille non deli-
ctorum causa, sed ut maiora referret virtutis præmia.

MORALE.


PLVRIMA eiusmodi nunc quoque contingūt. Quia
Penim sacerdotes ignorāt eos qui peccatis obnoxij,
indignè mysteria veneranda percipiūt: Deus sēpius fa-
cit, eosque satanæ tradit. Quoties deniq; morbi, quo-
ties detrimēta, quoties luctus, calamitatēsq; cōtingūt,
& alia quælibet huiusmodi, huius rei gratia fiūt: id Paul-
lus quoque signanter expressit. Ideo inter vos, inquit,
multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Et quo-
modo, inquit, ista perpetimur, cum semel tantū per an-
num ea sacramenta sumamus? Hoc nēpe est quod vni-
uersa perturbat, quia non mūditiā animi, verum inter-
uallo temporis longiore cōstare meritum putas, sum-
māque arbitraris reuerentiam, ac religionem esse, si
non sēpius cœlestem illam adeas mēsam: ignoras quo-
niam indignè accedere, etiā si semel tantū fiat, te sup-
plicio tradit: dignè verò etiā si sæpe accedas, salutē in-
de cōquiris? Nō est audaciæ sapius ac cedere ad domi-
nicam mēsam, sed indignè accedere, etiā si semel tan-
tū quispiā toto vitæ tempore accedat. At nos adeò
stolidi, adeò insensati sumus, ut cum innumera per to-
tum annū scelera perpetremus, nihil ea curemus exue-
re: ceterum satis esse arbitramur, si nō assiduè præsuma-

amus atque contumeliosè Christi corpus attingere, ne-
que intelligimus miseri, quòd hi qui cruci Christū af-
fixerunt, semel tantū id fecerunt. Non igitur quia se-
mel crucifixerūt, minus idcirco delictū est: & qui Chri-
stum prodidit, semel tantū prodidit: nunquid ergo
hoc illum supplicio cripiuit? Quid igitur hāc rem tem-
poris lege metimur? Tempestiuum accedendi tempus
munditiā consciētiae faciat, nihil habet amplius quod
in Pascha consummatur mysterium, eo, quod cōtinuò
celebratur. Vnum quippe atque idem est, eadem est san-
cti spiritus gratia, semper Pascha est. Nostis profectò
qui initiati estis, id quod dicimus, siue sexta feria, siue
sabbatò, siue dominica die, siue in celebritate marty-
rum, eadem litatur hostia, idem sacrificium cōsumma-
tur. Quotiescunque enim, inquit, māducabitis panem
hunc, & calicem biberitis, mortem domini annuncia-
bitis. Nulla obseruatione temporis sacrificium circū-
scribere voluit. Cur igitur, inquit, tunc solum dicitur
Pascha? Quia tūc pro nobis Christus mortuus est. Ne-
mo igitur illo tempore aliter accedat, & aliter nunc. V-
na virtus est, vna dignitas, vna gratia, vnum atq; idem
corpus. Non illud hoc sacratius, neque istud illo infe-
rius est: atque hoc vos etiam nostis, qui nihil nouitatis
inspicitis, præter secularia ista velamina, & multitudi-
nem solito lætiores. Habent aliquid amplius dies illi,
quòd scilicet ex illis initium cepit salus nostra, quia in
ipsis immolatus est Christus: iam verò quod ad sacra-
mentum attinet, nihil amplius habent, nullam dignita-
tem, nullum priuilegium. At tu cum carnalem cibum
sumpturus accedis, os antea ac faciem lauas: cum verò
ad spiritualem mensam accessurus es, animam lauare
diffimulas, atque immunditiā plenus accedis. Sed non
sufficiūt, inquit, quadragesimæ sanctæ ieiunia fordem
illam nostrorum diluere peccatorum? Et quænam ob-
secro vtilitas est, cum quis voluerit vnguenta depone-
re, si prius emundet locum, deinde cum parum aliquid
odoris iniecerit, etiā sterco adiciat? Nōne fragran-
tia illa omnis abscedit? ita profectò & nobis cōtingit.
Digni fortassis euasimus, cū pro viribus munditiæ stu-
deremus, sed postmodū rursus nosmet inquinare per-
reximus: hoc & de his qui possunt intra quadraginta
dierū numerū peccata diluere diximus: ne, quæso, ne-
gligamus salutem nostram. Homo enim, inquit, qui a-
uerfus fuerit à peccato suo, & rursus pergens eadem fe-
cerit, veluti canis est, qui ad suum reuertitur vomitum.
Curemus quantum possumus, ne sit labor noster ina-
nis: ita enim præmia illa cōsequi poterimus, quæ finem
nullum habent: quibus nos omnes perfrui contingat,
gratia domini nostri Iesu Christi, cum quo est patri, v-
nā cum sancto spiritu gloria, imperium & honor, nunc
& semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

a Hæc nos exemplo maiorum] Gr. ὡς τὰ ἀκρότερα μὴ ἀπαξιοῦσθαι τὰς
τῶν μείζονων ποσειδωνίας. Hæc audientes ne maiorum, seniorū mne monita
aspserunt, licet doctores simus.
b Sicuti enim dudum nubes] Veronensis editio, ὡς τὸ γὰρ ἡ νεφέλη τὸ
σπαρτῆρον τῶν ἐβραίων, ὅπως τὴν ἀκαθαρσίαν ἐγνώριζεν. quæ fortasse māca
sunt, sequitur paulò post, Qui autem emendationem admittere nola-
bant, quod fortean melius veritas ex Græco τὸς δὲ ἀδωροῦτος ἀπὸ
ἐπιμαροῦτος, eos vero qui nulla ratione corrigi poterāt, ipsi supplicio ple-
ctebant. Neque enim opinor in aliis, quos per alios plectebant, id
spectabant, an vellent emendationem admittere, sed utrosque vel
inuitos puniebant.
c Constat meritum putas] Gr. ἀπὸ διαστήματι χρόνου τὴν ἀξίαν διορίζε
τῆς ποσειδωνίας, verum temporis intervallo dignitatem accessus definit.
Ita ad verbum sonant Græca. hoc est existimas te digniorem
qui ad sacram mensam accedas, non quòd mundo sis animo, sed
quòd ante multos menses non accesseris. Item illud proximum,
te supplicio tradit, est Gr. ἐκκαθάρσει te commaculat. Post pauca, myste-
rium quod continuo celebratur, malim ad verbum, mysteriū quod sin-
gulis diebus immolatur. Postremò illa, Quod scilicet ex illis initium ce-
pit

pit salus nostra ὅτι ἀπὸ αὐτῶν ἀρχὴν ἔλαβεν ἡ σωτηρία ἡμῶν. Quòd
scilicet ab illis initium duxit salutaris dies nostra, quòd in illa immolatus
est Christus.

HOMILIA VI.



B SECRO igitur primū omnium fieri obse-
craciones, orationes, postulationes, gratiarum a-
ctiōnes, pro omnibus hominibus, pro regibus, &
pro omnibus qui in sublimitate sunt constituti.

Quasi communis quidā totius orbis pa-
ter, sacerdos est: dignum igitur est, ut omnium curā a-
gat, omnibūque prouideat: sicut & Deus, cuius mini-
sterio seruit, & fungitur vice, idcirco ait: *Obsecro igitur
primū omnium fieri obsecraciones & orationes.* Duo enim
hinc præcipua oriūtur bona, quòd odium omne quo
alios prosequimur, deponimus. Nemo enim aduersus
eum inimico esse animo potest, pro quo obsecraciones
facit, & illi ipsi meliores fiunt. Nihil enim ita doctri-
nam commēdat, nihil magis eius vires insinuat, quàm
huiusmodi charitas. Considera denique cuiusmodi sit
eos diligere, qui insidiis appetunt, qui flagellant, qui
vndiq; exagitant, qui denique necant, dum hi qui ista
patientur, Deum pro his ipsis qui se ita afficiunt, inten-
tissimis orationibus pulsant. Vides ut superiorē omni-
bus Christianum euadere velit? Quemadmodū enim
in infantibus pueris, cum is qui à patre portatur infan-
tulus, patris cæciderit faciē, nihil ex hoc obtūdetur di-
lectionis affectus: ita & nos cum ab his qui extra sunt,
cedimur, nihil ex priore beneuolentia remittere omni-
no debemus. Quid autem sibi vult quod ait primū om-
nium? * In obsequio scilicet quotidiano, perpetuòq;
diuinæ religionis ritu. Atque id nouerūt fideles, quo-
modo diebus singulis manē & vesperē orationes fun-
dātur ad dominum, quomodo pro omni mundo, & re-
gibus, & omnibus qui in sublimitate sunt positi, obse-
craciones ab ecclesia fiant. Sed fortè quis dixerit, pro
omnibus quod ait, tantū fideles intelligi voluisse. At
id verum non esse, quæ sequuntur, ostendunt. Denique
ait, pro regibus: neque enim tūc reges Deum colebant,
verum multis postea temporibus in infidelitate, quam
per seriem successiōnis acceperant, persisterūt. Deinde
ut omnis assentationis suspicio tolleretur, cum præmi-
sisset, pro omnibus: tūc demum, pro regibus, addidit.
Si enim tantū pro regibus dixisset, fortassis nō dees-
set qui adulationis gratia illum ita scripsisse putaret.
Quoniam verò consequens esse cernebat, ut Christiani
animus ad ista torpesceret, neque huiusmodi adimit-
teret monita, siquidem pro gentili sacramentorū tem-
pore preces oporteret offerri, vide quid secutus adiun-
xit, ut ex consideratione lucri admonitionem facilius
libentiūque susciperent. *Ut quietam, inquit, & tranqui-
lam degamus vitam.* Ac si dicat, in illorum salute secu-
ritas nostra cōsistit. Quemadmodum & in epistola ad
Romanos, cū eos hortaretur obedire principibus, ait:
Non propter necessitatem, sed propter conscientiam.
Deus enim pro vtilitate communi huiusmodi princi-
patus instituit. Quàm igitur absurdum est, cum illi id-
circo militent, & arma circumferāt, ut nos in tranquilli-
tate, atque ocio simus, nos pro periclitantibus, ac nostri
causa labores subeuntibus, preces effundere detrectē-
mus? Non igitur assentadi gratia huiusmodi mandatum
dedit, verum iustitiæ seruauit leges: nisi enim illi serua-
rentur, atque inter bella & hostes prosperè agerent, ne-
cessariò & nostra omnia turbis, tumultibūq; plena es-
sent. Nam nos aut militare opus fuisset, ac per nosmet
eadem subire pericula cōcisis illis, aut fugere vagòsque
per orbem terrarum ferri. Sunt enim, inquit, huiusmodi
veluti obices quidā hostibus oppositi, per quos nos in
pace seruemur. *Deprecationes, inquit, orationes, interpella-*

ationes, gratiarū actiōnes. Deo quippe oportet referre gra-
tias, etiam pro successiōnibus aliorū: quòd scilicet Solē
ori facit super malos & bonos, & pluit super iustos
& iniustos. Vides ut ille nō modò per orationis studiū,
verum etiam per gratiarum actiōnes nos coniungat, at-
que conglutinet? Qui enim necessariò cogitur Deo re-
ferre gratias pro felicibus proximorum successibus, i-
psum quoque amare cōpellitur, sibi que familiaris iun-
gi: quòd si pro felicitatibus proximorum gratiæ agen-
dæ sunt, quantò magis pro his, quæ in nos siue clam, siue
manifestè proueniūt: pro his etiam quæ nobis inferun-
tur ad salutē nostram, etsi illa etiam tristitia esse videātur?
Deus quippe ad vtilitatem nostram cuncta dispenfat,

MORALE.

OMNIS igitur oratio nostra gratiarum actiōne non
careat. Si autem & pro his qui nobis familiaritate
iungūtur orare iubemur, nō fidelibus solum, sed etiam
infidelibus, cōsidera quantum malum sit aduersus fra-
tres orare. Ille nēpe te orare pro inimicis iussit, tu etiam
aduersus fratrem oras: non aduersus illum, sed aduersus
te ipsum orare conuinceris. Deum enim ad iracundiam
prouocas, dum verba penitus stolidia loqueris, ac dicis
Deo: ita illi fac, retribue ei, percutere illum. Ista quippe à
Christi discipulis mansuetis ac mitibus longè remota
sunt, neque illo digna ore, quod sacris instructionibus
deditum sit. Nihil amarum, nihil durum ea lingua pro-
ferat, quæ diuinis rebus assueta est: nihil ex illo ore pro-
deat crudele, quod dominico corpore sēpius saginatur,
Mundam seruemus linguam, non per eam maledicta,
non verba atrocita proferamus. Si enim maledici regnū
Dei non possidebunt, quātò magis hi qui cōtra proxi-
morum salutem orant? Necesse est enim eum qui con-
tra aliquem orat, etiam contumelias inferre. Contume-
lia autem & oratio multum ab inuicem distant: maledi-
ctum item, atque oratio multum ab inuicem distant.
Accedis ad Deum ut illum tibi propitiū facias, & con-
tra alium oras? Nisi ipsi dimiseris, nec tibi omnino di-
mittetur. At verò tu non modò non dimittis, verum etiam
Deum ne dimittat deprecaris. Vide ad quæ mali-
tiæ prærupta accesseris, si ei qui non dimittit non dimit-
titur, ei etiā qui dominū ne dimittat precatur, quomo-
do dimittetur? Nō illi profectò nocet, sed tibi ipsi: nam
etsi pro tuis orans delictis fortassis audiendus eras, facit
pessima intētiō, qua cōtra fratrem oras, ut neque pro te
ipso audiri merearis: quippe impuro & cōtaminato ore
preces offers. Nam re vera immūdum huiusmodi os re-
ctè cēsetur, atque omni fœtore, omni que spurcitiā ple-
num: nēpe enim cum debueras pro tuis metuere sceler-
ibus, & omni conatu, ut remissione potireris orare, ac-
cedis ad Deū, ut eum cōcites aduersus fratrem tuum: itā-
ne obsecro paues ac trepidas, & pro tuis culpis sollicitus
es? Non vides quātum tibi incommodi parias? Imitare
vel pueros, qui scholis tradūtur, ac liberalibus discipli-
nis, qui cum viderint socios & cōtubernales suos ratio-
nem reddere cogi eorum quæ didicerint, eosq; qui ne-
gligentiōres fuerint cedi, ac per singulos discuti, concidi-
que verberibus, admonentur quid de se sperare de-
beant, & penè præ timore moriuntur: & si quis ex sociis
eos crebro pulsauerit, nequaquam irascuntur, cum me-
tus ille animum penitus occupauerit: neque magistrum
interpellare habent, sed vnum tantū intuentur quo
pacto scilicet egredi, atq; elabi absque verberibus pos-
sint: solumque id tempus semper versatur ante oculos,
& cum excefferint ianuas, eo iam metu liberi, maxima
tenentur voluptate: Tu verò stans, ac pro tuis sceleribus
deprecans, non exhorrescis aliorum peccata animo
voluere? Et quo pacto Deū exorare poteris? Nempe
enim dum contra proximos oras, aduersus temet-

A&S.

1. Cor. 4.
2. Co. 13.
Ibid. 10.

Quidā
autem, in-
fideles?
quando-
quidem
Ananias
infidelis
erat ad-
huc cum
tentaret:
ut igitur
infideles.

1. Cor. 5.

Exod. 40.

Ioan. 13.

Iob. 1. & 2.

1. Cor. 11.

Nota.

1. Cor. 12.

Pro. 26.

CAP. II.

Vide not.
fol. 134.

irritat.
fol. 134.

Rom. 13.

Mat. 5.

1. Cor. 6.

Mat. 6.

ipsum illum amplius prouocas, nec permittis eum indulgentiam tuis prestare criminibus. Nam, dicit tibi Deus, Quo pacto vis, ut ea quae in me peccasti dimittam, qui illorum quae in te deliquit proximus, cupis atque oras ut ultor existam? Discamus tandem esse Christiani. Si orare nescimus, quod facillimum est, quid aliud nos scire putemus? Discamus orare, ut conuenit Christianis. Gentilium illa preces sunt. Iudaeorum huiusmodi orationes esse censentur: Christianis vero contra penitus iustum atque imperatum est, his qui in eos peccauerint, indulgentiam facilem dare, atque ut eis a Deo ignoscatur tota intentione deprecari. Maledicimus, inquit, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus. Audi quid oras Stephanus dicat: Domine ne statuas eis hoc peccatum. Non modo contra eos, verum & pro eis orabat. Tu vero non solum non pro eis oras, qui te laeserunt, sed contra eos preces emittis. Quemadmodum igitur ille mirabilis est, sic tu contra nequissimus. Quem vero admiramur omnes, quem dignum laudibus ducimus? esse pro quibus orauit, an eum qui pro eis preces effudit? Hunc scilicet, qui opus tam grandis charitatis exerceuit, idque diuino magis, quam nostro iudicio comprobatur. Vis inimicum percuti? pro illo ora: verum non huiusmodi animo, neque illi quicquam huiusmodi penitus impreceris: hoc quippe illi contingit. Ceterum tu bonum hoc ea intentione ne facias. Nempe enim beatissimus ille iniuste omnia patiebatur, ac pro eis ipsis, a quibus patiebatur, orabat: nos autem & saepe quidem ab inimicis iusta persequimur. Quod si is, qui iniuste patiebatur, contra eos orare minime ausus est, imo tutum sibi fore arbitratus non est, nisi & pro eis oraret: nos qui cum iusta patiamur, non modo pro eis, a quibus patimur, preces effundimus, verum & contra eos oramus: quibus non mereamur supplicii traditi? Videris quidem illi dum oras, intendere vulnus, re autem vera contra te ipsum gladium impellis. Non permittis iudicem tecum in tuis sceleribus mitius agere, dum illum aduersus alterum prouocas. Nam qua mensura mensi fueritis, remetietur, inquit, vobis: & quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Simus igitur ad veniam faciles, ut nobis Deus quoque eiusmodi fiat. Ista vos non solum audire cupio, & oro, verum etiam seruare diligenter. Ceterum, quod dolens dico, verba solum memoria tenetis, imo forte nec verba. Quod ex eo constat, quod saepe cum hinc discesseritis, si forte quispiam ex his, qui non affuerunt, quid dixerimus interrogare perrexit: alij quidem nihil dicunt, quippe quibus omnia exciderint: alij vero qui scire videntur, quam solum materiam tractauerimus, vix summis labiis proferunt: hortatus est, dicunt, iniurias obliuisci, ac pro inimicis orare, omittuntque ea referre, quae in eam rem dicta sunt: neque enim ea memoria tenent, vix quae pauca meminerunt. Quocirca moneo, si nihil ex verbis nostris refertis lucris, ne ad audiendum quidem conueniatis: quid enim utilitatis inde consequimini? Maius inde vobis iudicium sit, grauioribusque cruciatus promeremini, si post innumeras admonitiones nostras in eisdem persistatis malis. Idcirco nobis orationem constituit Deus: ideo orare iussit, ut nihil seculare, nihilque humanum postulemus. Noctis qui fideles estis, quam in oratione petenda sunt, quam communis esse debeat omnis oratio. At forte dicturus est aliquis, pro infidelibus orandum non est. Quia orationis vim omnino nescitis, ideo nec altitudinem, thesaurumque ipsius agnoscitis. Nam si quis eam diligenter euoluat, inueniet & hoc in ipsa orationis formula nobis diuinitus tradita positum. Nam cum quispiam orans dicit, Fiat voluntas tua sicut in caelo & in terra: nihil

aliud omnino significat. Quippe in caelo, infidelium nullus est, nullus qui offendat. Si igitur de fidelibus tantum diceretur, rationi profecto consentaneum non esset. Nam si fideles voluntatem ipsius facerent, infideles autem non: iam non, ut in caelo, ita in terra voluntas ipsius fieret. Nam quemadmodum in caelo nemo malus: ita & in terra ut nemo sit malus, optandum est. Sed plane per illa orationis verba sic loquimur: Omnes ad timorem tuum pertrahe, omnes homines angelos fac, siue illi inimici nostri, siue persecutores sint. Non vides quot diebus singulis Deus blasphemis impetitur? quot iniurias sustinet & a fidelibus & infidelibus, verbis simul atque operibus? Quid igitur? Num idcirco Solis extinxit radios? Num ideo lunam solito cursu coercuit? num dirupit caelum, & terrae fundamenta concussit? Nunquid exiccavit mare, ac fontes aquarum arefcere fecit? Num aera & caetera elementa permiscuit? Nequaquam. Sed contra penitus, & Solem oriri facit, & pluias imbrisque largitur, atque ex humo annua alimenta ministrat insensatis, blasphemis, sceleratis, persecutoribus, non vno tantum die, vel duobus, aut tribus, sed per omnem penitus vitam. Hunc igitur imitare, hunc pro humanis viribus aemulare. Non potes Solem oriri facere? maledictis abstinere: non potes largos imbres effundere? conuiciis desistere: non potes alimenta indigentibus ministrare? violentiam fuge, sufficit si haec Deo offeras munera. Dei nempe beneficia per opera in hostes ipsius emanant: tu vel verbis hoc facito, pro inimicis ora: ita patri tuo, qui in caelis est, similis fies. Millies iam huiusmodi monita dedimus, neque ea repetere vnquam desistimus, modo aliquis profectus eueniat. Nos quidem neque torpescimus, neque lassescimus, neque haec vobis dicere defatigamur: reliquum est, ut vos dum haec auditis, non ea moleste admittere videamini. Videtur autem quispiam ea moleste suscipere, cum non ea facit quae dicimus. Nam qui ea opere exequitur, ea iugiter audire cupit: quippe a quibus nihil molestiarum, & laudis plurimum se referre arbitratur, quod non consequuntur nisi qui ea quae dicimus faciunt: alias quippe qui dicit, onerosus est. Si quis denique eleemosynam faciat, dum audit de eleemosynis differenter, non modo non lassescit auditu, sed exultat potius, audiens recte sua dici, atque praedicari. Nos autem quoniam nullum patientiae studium habemus, neque eam rem virtute quaesiuimus, idcirco cum de his verba fiunt, ea moleste videmur admittere. Quod si ei rei studeremus, nunquam profecto lassescere, cum de illa verba fiunt, possemus. Igitur si nos minime molestos esse atque onerosos cupitis, sic facite, rebus ipsis, quae dicimus, implere curate. Nam nunquam eadem vobis repetere desinemus, donec penitus insinuentur cordibus vestris, atque in opus erumpant. Nam summo profectio affectu, & eximia benevolentia in vos istud agimus, partim etiam ob id quod nobis periculum imminet. Quippe tubicinem, etsi nemo ad bellum profecturus sit, tuba tamen canere oportet, suumque munus implere. Non itaque ut vobis maiorem cruciatum praeparemus, si negligatis, hoc facimus: sed ut & nostrum periculum euitemus, & charitatis debito vestris commodis consulamus. Nam discerpuntur quodammodo viscera nostra, & nimio angore tabescimus, si quid eiusmodi fiat: sed absit id penitus. Non sumptibus opus est, non peregrinatione longiori, non aliquo eiusmodi ad ea implenda quae dicimus: velle tantum oportet, verbo solummodo opus est, atque integerima voluntate. Seruemus os nostrum, ianuam illi ac veteres apponamus, ut nihil ex his quae Deo grata non sunt, loquamur. Nostris prospicimus comodis, dum pro inimicis oramus,

non

Matt. 5.

1. Cor. 4.

Ad. 7.

Matt. 7.

Matt. 6. & Luc. 11.

non his pro quibus preces effundimus. Hoc semper versemus animo, quod qui inimicum benedicit, seipsum benedicit: & qui illi maledicit, in seipsum maledicta detorquet. Et qui pro inimico orat, pro se magis, quam pro illo orare cognoscitur. Ita poterimus huiusmodi virtutem consequi, & his quae nobis promissa sunt bonis sempiternis perfrui: quibus nos omnes potiri contingat gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, Amen.

File. fol. 157. a Odiū omne quo alios prosequimur,] Gr. ἔχθος ὁ αὐτοῦ πρὸς ἕξω ἔχθος. Odiū quo profanos & Gentiles prosequimur. Notum est Graecos Patres πρὸς ἕξω καὶ ἑξωθεν, Gentiles & Paganorum res appellasse.

b Et illi ipsi meliores fiunt.] Veronensis liber hanc sententiam sic explet auullam a superiori. ἀπὸ πρὸς ἐκεῖνοι βελτίους γίνονται τῶν ἐν γὰρ ἑσθλῶν ἡμεῶν, πῶτε μὴ ἐκείνοι αὐτοῦ ἡμῶν. Illi ipsi quoque meliores fiunt cum quod preces pro ipsis fundantur, tum quod in nos minime effertur. Sequitur ratio. Nihil enim tam ad doctrinam capeffendam allucit, quam amare & amari. Considera vero quantū id momenti fuerit, ut audirent ij, qui insidiabantur, qui flagellabant, qui exagitabant, qui necabant, eos qui eiusmodi mala patiebantur, pro iis qui ista faciebant, preces apud Deum summa contentione fundere. Haec quia paulo aliter ab interprete reddita sunt, omillis Graecis, addere voluimus.

c Et cum excefferint ianuas,] Graecorum multo concinnior sententia. καὶ ἐξέλθῃ, εἴτε πληρὰ λαβῶν, εἴτε μὴ λαβῶν, ἕδὲ εἰς τὴν ἐκεῖνα λοιπὴν βλάβειν τῶν πρὸς ἡμῶν. Et si egressus fuerit quis, siue flagris caesus fuerit, siue non fuerit, iam non amplius subeunt eius mentem illa, praenimia voluptate.

d At forte dicturus est aliquis,] Gr. ἀλλ' ἐκ ἐπιτηναι φρονεῖ ἡσθλῶν ἀπὸ πρὸς ἐκεῖ. At ibi, inquit, dictum non est pro infidelibus orandum esse. Hoc est nulla ex parte dominicae orationis constat pro Gentilibus preces fundendas esse. Itaque paulo ante vertendum fortasse fuit, quo modo communis omnis illa sit oratio. ut intelligatur illa quam nobis constituit Dei filius.

e Sufficit si haec Deo offeras] Gr. ἄρκυ ἡμῶν αὐτῶν εἰ δὲ δέξῃ. Sufficit, si haec a te dona promanent.

f Qui dicit, onerosus est.] Hic multa in Graeco desunt, quorum sententia in Latino libro expressa est: verum ista postrema non nihil diuersa sunt. ὡς ἐδεδάμοθεν πρὸς γίνεται, ἀλλ' οὐ πρὸς μὴ πικρῶν καὶ ἐκείνων, ἐκείνων καὶ ὁ δέσποντος φοβῶντος. Itaque non ex alia causa id oritur, nisi ex eo quod non fiunt, quae dicuntur, hinc etiam fit, ut onerosus ille sit qui verba facit.

HOMILIA VII.



tranquillam vitam degamus in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum & acceptum est coram saluatore nostro Deo, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Quia communia cupit bella dissolui, & pugnas agitationisque, & armorum fremitus, atque ideo & pro regibus, & pro principibus sacerdotem offerre preces hortatur: longè magis & in priuatis bellis id necessarium sibi faciendum meminit. Quippe tria sunt bellorum genera grauiora. Vnum quidem commune: hoc, cum exercitus nostri aduersus Barbaros pugnant. Secundum, cum etiam pacis tempore nos inuicem oppugnamus. Tertium, cum vnusquisque aduersum se bella seditionisque concitat: hoc quippe omnium acerbissimum bellum est: nam profectio bellum quod excitarur a Barbaris, nihil ferè nos laedere potest. Nam etiam hostes nos perimant, ac iugulent, nullum tamen ad animas periculum migrat, neque salutem illam sempiternam violare possunt: nec secundum illud belli genus, si velimus, quippiam nobis nocere poterit: quantumlibet enim alij contra nos pugnent, ipsi tamen esse pacifici possumus. Audi denique quid propheta dicat: Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam, & rursus: Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus, ac deinceps, impugnabam me gratis. Porro tertium illud belli genus absque periculo vix effugere possumus. Vbi enim corpus aduersus animam diffidens, seditiones, turbasque commouet, molestasque concupiscentias excitat, & voluptates corporum armat, ita, atque inuidiae,

non possumus, nisi hoc soluat bellum, promissis perfrui bonis, verum necesse est, eum qui huiusmodi seditionem comprimere & pergit, & cadere, & excipere vulnera, quae mortem illam sempiternam pariunt. Magna igitur nobis cura, ingenti que sollicitudine quotidie opus est, ut huiusmodi nobis bellum minime excitetur: aut si forte excitatum fuerit, non permaneat, sed prematur protinus, atque sedetur. Nam quoniam oro, utilitas est, si pacato orbe, magna que quiete ubique; terrarum obtinente, tu aduersus te ipsum excitare bella non desinas? Huic igitur intempe ac penitus insite paci omnino studendum est: eam si habuerimus, nihil nos extrinsecus laedere aut violare poterit. Confert autem non parum ad eam conquirendam etiam communis omnium pax, idcirco ait: *Ut quietam & tranquillam vitam degamus.* Quam vero ille infelix est, qui profunda pace ubique regnante turbatur? Vides ut hanc pacem intelligi velit, quam tertio loco constituit. Idcirco sane cum dixisset, ut quietam & tranquillam vitam degamus, non haec tenus substitit, sed continuo adiecit: *In omni pietate, & castitate.* Enimvero pietate atque castitate perfrui, nisi pax illa quaesita fuerit, fas omnino non est. Nam ubi discipationes, inuilesque quaestiones nostram perturbant fidem, quoniam in nobis pax esse potest? Nam uti ne existimes illud hoc de temporali pace dixisse, cum dixisset, *Ut quietam & tranquillam vitam degamus:* adiecit, *In omni pietate, & castitate.* Quomodo, inquit, fieri potest, ut quietam & tranquillam vitam degant gentes quoque & intemperates, ac deliciis impudicitiaeque soluti? ne istud forte suspiceres esse quod dixit, atque ea pace huiusmodi homines perfrui posse, idcirco subiecit: *In omni pietate ac castitate.* Nam vita illa gentilium atque huiusmodi turpium hominum, insidias atque rixas quotidie gignit, cum anima perpetuis vulneribus afficiatur ex cogitationum turbis atque tumultibus. Non igitur huiusmodi vitam intelligi voluit, sed eam que in omni pietate, & castitate ageretur. Omne, inquit, dogma, non solum pietate, verum etiam vite integritate perficitur: nanque pietas & in ea parte quaerenda est. Nam quid conferre potest, si seruata fidei pietate, operibus impius sis? Nempe enim quod vita, atque operibus violari pietas possit, audi beatissimum hunc virum alio in loco rursus dicentem: Confitentur verbis se nosse Deum, factis autem negant: & iterum, Fidem abnegauit, & est infideli deterior: ac rursus, Si quis frater appellatus fuerit fornicator, aut cupidus, quod est idolorum seruitus, huiusmodi non honorat Deum: Rursusque, Qui fratrem suum odit, ignorat Deum. Vides quot sint impietatis species? Idcirco ait, *In omni pietate & castitate.* Impudicus enim est, non modo fornicator, verum & auarus quoque, & impudicus, & intemperans merito dici potest: quippe est ea concupiscentia, carnali libidine minime inferior. Qui igitur non illa temperat, intemperas dicitur. Ex eo enim quod huiusmodi cupiditate minime abstinere, eo censentur nomine. Ita firmè & iracundum intemperantem equidem dixerim, & inuidum atque auarum, & simulatorem, & omnem penitus peccatis obnoxium, turpem in honestum, atque impudicum. *Hoc enim bonum & acceptum est,* inquit, *coram saluatore nostro Deo.* Quid illud est? Orare pro omnibus, hoc suscipit Deus, hoc iubet. *Qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Imitare Deum tuum, si omnes ille vult saluos fieri, merito pro omnibus oportet orare. Si omnes ipse saluos fieri cupit, illius & tu cõcorda voluntati: quod si & ipse vis ora, quippe voluntatum est orare. Vides ut omni ex parte animam inducat ad orandum, etiam pro gentilibus ipsis? Nempe enim quid hoc pariat lucris, indicat eum subiungit, *Ut quietam & tranquillam vitam degamus.* Et quod hoc longè ma-

negligit.

ad Tit. 1. 1. Tim. 5. 1. Cor. 5.

id est idololatra.

1. Ioan. 2.

Filem. 119.

Filem. 108. 119.

ius est, quia Deo id gratum est, ac per hoc illi euadimus A
similes, dum quæ ipse vult, eadem volumus. Sufficere &
ista poterant ad exorandum quamlibet immanem belu-
am. Igitur pro gentibus orare non metuas, quandoqui-
dē hoc ipse vult: time magis cōtra illos orare, quoniam
hoc ipse non vult. Porro si pro gētilibus oportet orare,
constat profectō quōd & pro hæreticis ipsis, pro omni-
bus quippe hominibus orare necesse est. Hoc autem &
alia ex ratione bonum honestūque est, quod scilicet
eiusdem nos naturæ participes sumus, Deusque huius-
modi benevolentiam & laudat & suscipit, amplectitur-
que affectum in alterutrum magnum. Si ergo, inquit,
Deus ipse dare vult, quid hoc me orare necesse est? Mul-
tum hoc omnimodis confert. ^d Nam per huiusmodi o-
rationis studium, te ad eum diligendum trahit, neque fi-
nit offerari, sufficiūt & hæc illos attrahere ad fidem. Plu-
rimi nāque mortalium dum aduersus homines proter-
uē contenderent, à Deo discesserunt. Salutem autem
hæc modō appellauit, quæ ex huiusmodi oratione con-
staret. Qui omnes, inquit, homines vult saluos fieri, &
hæc veraciter salus est. Nam sine hac magnum nihil af-
sequimur, solūque salutis nomen, & nuda appellatio
reliqua erit. Et ad agnitionem, inquit, veritatis venire. Ve-
ritatem, fidem in Christum synceram atque integram
dicit. Nam in præcedentibus dixerat, præcipe non ali-
ter docere: ne eis veluti inimicis intenderet, neu rixas
ex huiusmodi occasionibus quæreret: omnes, inquit,
homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis ve-
nire: ac protinus intulit: Vnus enim Deus, & vnus mediator
Dei & hominū. Et ad agnitionē veritatis venire, inquit. O-
stēdit per hoc orbem tunc in veritate non esse: & item,
vnus enim Deus, non plurimi, vt isti putant, qui omnes
saluos fieri vult, misitque mediatorem filium suum.
Quid ergo filius nōnne Deus est? Nulli profectō dubi-
um. Quomodo igitur, inquit, vnus? Ad distinctionem
scilicet idolorum, non ad filium retulit: nam de veritate
& errore omnis illi sermo erat. Enimuerō mediator v-
trisque eis debet societate coniungi, quorum mediator
est. Id quippe mediatoris est proprium, vtrorūque par-
ticipem fieri, quorum fuerit mediator. Quōd si vnum
quidē societate contingat, ab alio verō fuerit separatus,
mediator iam dici non potest. Nisi igitur conuersus sit pa-
ternæ naturæ, mediator profectō non est, quippe cum à
patris sit substantia separatus. Quemadmodum enim
humanæ naturæ consortium accepit, quando ad homi-
nes venit: ita & à Dei substantia non abscessit, quoniam
à Deo venit. Nam quia duarum naturarū medius fuit,
ambarum oportuit esse participem. Quemadmodum e-
nim loci cuiuslibet medium vtranque partem contin-
gat necesse est: ita & naturarum ambarum medium o-
portuit vtrasque naturas contingere, atque connectere.
Quemadmodum igitur homo factus est, ita etiam Deus
erat. Homo quippe purus mediator nunquam penitus
ficeret: oportebat enim huiusmodi mediatorē cum Deo
colloqui. Deus item solus mediator esse non posset, ne-
que enim ipsum suscepissent hi quorum mediator acce-
deret. Quemadmodum illic ait: Vnus Deus pater, & vnus
dominus Iesus Christus: ita & hic, vnus & vnus. Nō
ponit duos: quia enim aduersus multorum deorum di-
scerebat errores, ne quis duorū numero, deorum mul-
titudinem putaret inferri, vnus, inquit, & vnus. Vides
quanta diligentia, quantaque vigilantia, scriptura huius-
modi collocet verba? Vnus quippe & vnus duo sunt. At
nō istud dicimus, etsi ratio suggerat. Non dicis vnus &
vnus duo, quemadmodum neque cogitatio suggerit vt
dicas, si gemit passus est. Vnus enim, inquit, Deus, vnus
& mediator Dei & hominū Christus Iesus, qui dedit semet-
ipsum redemptionem pro omnibus testimonium tēporibus suis.

Nunquid etiam pro gentilibus? Nemo id ambigit. Et
Christus quidē etiam pro gentilibus mortuus est, tu pro
illis orare nō sustines? Et quo pacto, inquit, illi non cre-
diderunt? Quia noluerunt: suas tamen ille partes execu-
tus est, dum pro eis in cruce penderet. Venit enim vt
testimonium perhiberet paternæ veritati, atque occu-
sus est. Itaque non illi tantum pater testimonium per-
hibet, verum etiam & ipse patri: Ego enim, inquit, veni
in nomine patris mei. & iterum, Vt cognoscant, te ve-
rum & solum Deum: & item, Spiritus est Deus. Vsq̄
ad mortem igitur testimonium perhibuit, temporibus
propriis, id est, congruentibus. In quo positus sum ego præ-
dicator & apostolus. Veritatem dico, non mentior. Doct̄or gen-
tium in fide & veritate. Quando igitur & ipse pro geni-
bus passus est, & ego doct̄or gentium constitutus sum,
cuius rei gratia tu pro ipsis orare detrectas? Rectē hoc in
loco fidem facere oportuit, quia gentiū doct̄or, inquit,
constitutus sum. Valde enim ad hoc apostoli diffide-
bant. Deinde adiecit, doct̄or gentium in fide & verita-
te. In fide iterum ait. Verum noli putare, quoniam in fi-
de dixerit, aliquid latere fallaciæ. Etenim protinus in
veritate subiunxit, vt omnem suspicionem mendacij
prorsus auferret. Vides gratiam vbique diffusam? Iudeis
nempe pro huiusmodi orare, solenne non erat. At nunc
gratia propagata est. Doct̄or, inquit, gentium in fide & ve-
ritate. Qui dedit, inquit, semetipsum redemptionem. Quo-
modo igitur à patre traditus est? Magna profectō atque
immensæ benignitatis huiusmodi precium fuit. Nam
profectō ex cruciari illi merebantur, prorsūque perituri
erant: sed pro ipsis suum tradidit filium, vt prædicatio
crucis excreseceret.

MORALE.

S VFFICERE profectō ista poterant ad omnes attra-
hendos ad fidem, atque ad Christi dilectionem il-
lam ineffabilem ostendendam, Est enim ipsa magna
profectō, atque inenarrabilis: litauit semetipsum pro i-
nimicis, pro his qui se oderant, pro auersis à se. Id quod
neque pro amicis, neque pro filiis, neque pro fratribus
faceret quispiam, hoc fecit pro seruis dominus, atque
pro huiusmodi Deus. Deus enim pro hominibus, pro
mortalibus immortalis, pro temporalibus sempiternus,
pro inimicis denique Dei filius. Nam si illi antea con-
uersationis merito ac virtute placuissent, minis mira-
bilis charitas illa videri potuisset. Et certē ad illam i-
psam nulla humana dilectio posset accedere. Quod e-
nim in hominibus eiusdem substantiæ non fit, vt pro
se inuicem moriantur, tunc profectō magno excessu
bonitatis factum est: & tamen nos cum tanta ceperi-
mus summæ illius charitatis indicia, tanta benevolen-
tia potiti simus, torpescimus, atque negligimus, neque
amamus Christum. Ipse pro nobis semetipsum offerre
dignatus est, nos illum necessariō indigentem cibo
miseri aspernamur, infirmūque ac nudum nec visi-
tare dignamur: quanta hæc ira plectenda sunt? Qui-
bus cruciatibus, quibus incendiis obnoxia sunt? Nempe
enim si nihil aliud ille pro nobis egisset, vel hoc i-
psum solum, quōd humanas passiones sibi assumere vo-
luit, ac dicere dignatus est, Esurio ac sitio: omnes pro-
fectō ad se vehemēter amandum prouocare sufficeret.
Sed o infelix pecuniarum, nimisque violenta domina-
tio: imō verius, o nequitia singularis eorum qui spontē
pecuniis seruiunt! Nam illæ profectō non nimis habent
virium, verum nos nimium dissoluit, lasciuque sumus,
nos deiecti in humum, atque terreni, nos carnales, nos
stolidi atque insensati: illarum enim non nimia vis est.
Quid enim obsecro, possunt? Stolidæ sunt atque insensi-
biles. Si diabolus nihil præualet omnino, si impurus dæ-
mon,

mon, qui ita nequam est, vt cuncta permisceat, omniāq;
cōfundat, nihil aduersus nos habet viriū: quid pecuniar
ipse iam possint? Si argentum videris, stannum esse arbi-
trare. At nō potes, quod est, id veraciter esse puta, quōd
scilicet terra est. At neq; fortassis hæc suscipis rationem.
Confidera quōd nos etiam quærimus, quod plurimi
ex his qui possedere diuitias, nihil ferē emolumentum ex
ipsis retulerūt. Quōd innumeri qui in his gloriabantur,
in cinerem pulueremque cōuersi sunt, nūcque pœnas
extremas expendunt, his qui testa & vitro vtūtur, longē
& miserabilis affecti, atque his etiā pauperiores. Et hi
qui in stratis cburneis dormiūt, eis multo infeliciores,
qui in stercore iacent, esse cōprobantur. Ac fortasse ob-
lectat obtutus? Sūt quidem plurima, quæ maiorem vim
oblectandi in se habeant. Namque enim & flores, & lu-
cidus aër, serenūque cœlum, & Solis iubar, longē am-
plius mulcet, gratiūque delectat. Habet quippe argen-
tum sæpe & rubiginem. Vnde & plurimi nigrum ipsum
esse definierūt, quod cōstat ex imaginibus vetustate ni-
gratis. Enimuerō in Sole obscurū nihil est, nihil in cœlo
atque syderibus, quod offendat obtutus: longē gratior
in huiusmodi floribus aspectus est, quā in colore illo.
Nō ergo flos est qui oblectat, sed auaritia atque iniusti-
tia: hoc nempe oblectat animas hominū, non argētum
illud. Eūc huiusmodi concupiscentiam ex animo, &
protinus aspicias quod preciosum esse putabatur, igno-
bilis cœno. Eiusmodi perturbationē prorsus elimina-
na. Nam & qui febrium ardore fatigantur, etiam cum cœ-
num viderint, illud ac si fontes purissimos appetūt. Qui
verō vt congruit, sani sunt, neque aquam quidem sæpe
concupiscūt. Morbū abs te arcere cōtende, resque ipsas
inspicias, vt sese habent. Atque vt discas me ista non
mēdaciter prosequi, plurimos equidē ostēdere possum,
qui hoc fecerunt. Eiusmodi extingue ignem, & aspicias
huiusmodi omnia floribus esse viliora. Bonū est aurum,
verum si indigentibus erogatur: bonum, si ex ipso pau-
peres nutriantur: bonum, nisi eo quispiam inutiliter vt
velit, nisi domi seruare velit, atque humo subruere: ita
enim profectō inutile est, plenūque detrimenti. Nec
minis, cum manibus ac pedibus, capitiūq; , quasi pro
ornamento dependet. Non ideō aurum effossum est, vt
eo diuinam vinciamus effigiē, sed vt vincētōs potius ab-
soluamus. Ad hoc auro vttere, vincētū solue, non solum
vincere contendas. Cur enim, quæso, rem abiectissimam
tanto honore dignam putas? Non enim quia aurum est,
vinculū idcirco nō est. Neque enim materia vinculum
facit, siue aurum, siue ferrū sit. Idem profectō est, quan-
quam & hoc illo sit grauius. Verum quid est, quod eam
rem leuem existimari facit? Inanis scilicet gloria. Cum
scilicet gaudet infelix mulier, vincētā se ab omnibus
cerni, vnde potius erubescere debuit. Nā vt hoc verum
esse cognoscas, si illi huiusmodi circūdederis vincula,
atque in solitudine vbi nullus inspector sit, manere per-
miseris, grauabitur vinculo; molestissimūq; putabit,
atque à se quāprimū excutiet. Timeamus dilectissimi,
ne verba illa terribilia audire contingat. Ligatē ipsi ma-
nus & pedes. Quid hoc tibi infelix mulier iam conspi-
caris, manūq; & pedes vinciri permittis? Nemo ex vin-
culatorū numero manus pedēque vincitur. Quid caput
etiā obligas? Non sufficit manus pedēq; vinxisse? Quid
ceruicibus quoque innumera imponis vincula? Omitto
solicitudinē, quam ista secum inuehūt, metum, anxietate-
m, rixāq; cum viro, si quādo ipsis indigeant, mortem
quam sustinent, si quid ex his perire cōtingat. Hæcine
obsecro voluptas est? Vt alius oblectetur aspectu, tu te
ipsam & vinculis & curis, atque periculis, & angoribus,
quotidianisq; corrixationibus subiicis? Quā oro istud
reprehensibile est? Ne igitur, quæso, ita faciamus, verum

A soluamus omnē obligationē iniquitatis, frāgamus esu-
riētī panē, & alia omnia studiose agamus, quæ fiduciam
nobis ad Deū præstare possint, vt promissis bonis per-
frui mereamur, in Christo Iesu domino nostro. Amen.

a Longe magis in priuatis bellis] Gr. πολλὸ μᾶλλον καὶ τῆς ἰδιωτικῆς πολέμου καὶ πλεον, multo magis conuenit vt id faciant priuati. At interpres
verit̄ quasi esset ἰδιωτικῆς, verū opponit Chrysol. πρὸς ἰδιωτικῆς
quasi in sacro magistratu constitutus, priuato, ceu laico ἰδιωτικῆς.

b Pax esse potest?] Adde è Gr. Veronen. ὅταν ἀσεβείας πνεύματα, πῶς
εἰρήνη; vbi lasciuia spiritus, quæ pax esse potest? Ac merito additur, vt
sit ἀντίθετον alteri membro oppositū: nam vt discertationes impe-
diūt, ne in pietate, ita imper̄ libidini, ne in castitate vita ducatur.

c Ex cogitationum turbis] Gr. τὰς ἐν τῷ ἑρῷ θῶν ἰδιωτικῆς
malim verti, ex tumultibus ratiocinationum vt antea, λογισμῶν ἰδιωτικῶν
reddidit, discertationes.

d Nam per huiusmodi orationis] Gr. ὡς ἀπὸ πλῶν αὐτῶν ἔλαβεν, ὅτι πάλιν
ἐκ ἀφ᾽ ἑνὸς ἐπιπέτασθαι. Nam ad amandum ipsos alluit, te rursus non finit
efferrari, sufficiunt & c. Ex interpunctionum diuersitate immutata
erat sententia. verum haud scio an rectē hic legeretur ὡς ἐκ πάλιν
vt efferrari referatur ad Gentiles, nam & de iis superiore homilia
dixit τῶν μὴ ἐκ τῆς ἀρχῆς ὡς ἐκ ἡμῶν.


e In nomine patris mei.] Adde è Gr. καὶ πάλιν, τὸν ἰδὸν ἑδὲς ἐὼς ἐλα-
πῶσθαι. Et rursus, Deum nemo vidit vnquam. Locus est Ioannis i. c.

f Magna profectō] Hic quoque perturbata interpunctio sen-
tentiam labefactauit. Gr. ἀεὶ ἐν τῆς αὐτῆς ἀγαθότητος ἕνεκα. ἀλλ᾽ ὅτι,
ὡς ἐστὶν ἐμὴ ἀγαθότης αὐτοῦ. Nempe hoc ex eius bonitate factum est. Re-
demptionem, quid est hoc? nimirum ipsos puniturus erat, prorsusque & c.

g Atque pro huiusmodi Deus] Hoc membrum sequebantur alia,
quæ subnectemus, in Græco libro, sed hoc quoque diffidendum
non est, ea quæ inter hæc, & illa verba, Quod enim in hominibus, in-
teriecta sunt in Latino, abesse à Veronen. verum hunc locum
abque subsidio manuscripi codicis restituere vix posset. Gr. δὲ
αὐτοῦ ὡς τῶν ἐπιπέτων, ἀσεβείας ἢ πονηρίας οἱ δὲ λαοὶ, ἀπὸ τῆς αὐτῆς ἀνθρώπων,
ἢ δὲ ἐυδελεινῶν. Hoc fecit dominus pro huiusmodi, sed legendum cen-
seo ὡς ἰδιωτικῶν, non, ὡς τῶν, pro seruis, dominus non eiusmodi, cuiusmo-
di erant serui, sed Deus pro hominibus, atque adeo hominibus, qui merito
suo placere non poterant.

h Considera quōd nos etiam] Gr. ἐπιπέτων δὲ ἀποπέμματα καὶ ἡμῶν. Con-
sidera nos quoque perituros. Interpres videtur legisse ἀποπέμματα. Se-
quitur post pauca, in cinerem pulueremque conuersi sunt.

HOMILIA VIII.

 O Igitur viros orare in omni loco, extolletes
puras manus absque ira & discertatione. Simi-
liter & mulieres in habitu ornato cū verecun-
dia, & pudicitia, seipsas ornare, nō in tortis cri-
nibus, aut auro, aut margaritis, aut veste precio-
sa, sed quod mulieres decet pollicētes pietatem per opera bona.
Cum oratis, inquit saluator, nolite fieri sicut hypocrite. ^{Matt. 6.}
Amāt enim in tynagogis & angulis platearum stātes o-
rare, vt videātur ab hominibus. Amen dico vobis, rece-
perūt mercedem suam. Tu autem cum oraueris, intra in
cubiculum tuum, & clauso ostio tuo ora patrē tuum in
abscondito, & ipse reddet tibi in manifesto. Quid igitur
Paulus sibi vult, qui ait: Volo orare viros in omni loco, extol-
letes puras manus, absque ira & discertatione? Nū enim do-
mino suo cōtraria imperat? Abiit, imō illius dictis per o-
mnia cōcors esse deprehēditur. Quōnam autem modo?
Tūc demum apertius innotescet, cum prius explicauerim
quid sit, intra in cubiculum tuum. Nam profectō
plenū absurditatis erit, si istud simpliciter acceperimus,
quasi non liceat omnibus in locis, atque in ecclesia ipsa
orare, vbi fideles in primis orationis causa conueniunt:
ne in alia quidē domus parte etiā, nisi in cubiculo tātum
preces effundere. Quid igitur hoc sibi vult? Euitandam
prorsus inanem gloriam, stultissimamque iactantiam, o-
mni studio Christus admonuit, dum non modō clam,
verum & in abditiori domus parte vota atq; preces af-
ferendas admonuit. Sicut enim cum dicit, Nesciat fini-
stra quid faciat dextera tua: non de manibus simpliciter
differit, sed magnitudinem vanitatis iugulare cōtendit:
ita & hoc in loco cubiculi nomine, secretū intimi cordis
expressit. Non igitur vnus loci orationem angustiis
^{Ibidem.}

Sup. i.

1. Cor. 8.

Ὁλιβίας
cautione.

genuit.

testimo-
nium pas-
sionem
dicit.
Ioan. 1.
Ibid. 17.
Ibid. 4. &
2. Cor. 3.

Ὁλιβίας
obscure
barr.

Charitas
Dei im-
mensa.

Matt. 5.

no 544
inspicias.

Matt. 10.

clausit, verum id solum imperavit, fugiendam stultissimam vanitatem, oradumque omnibus in locis patrem ex intimo cordis affectu. At vero Paulus, ut Iudaicę observationis in orando demetiam confutaret, ait: *In omni loco extollentes puras manus.* Id nempe Iudais fas servare non erat, neque enim licebat, nisi vno in loco ad Deum accedere, atque litare hostias, & cetera obsequia legis inferre: atque ad ipsum locum vndique ex toto orbe concurrere necesse erat, omnemque expiationis ritum in templo perficere. Contrariam igitur adversa fronte observantiam infert, atque ea necessitate nos liberat: non, inquit, eiusmodi nostra sunt, cuius Iudaica esse noscuntur. Nam quemadmodum pro omnibus orationes fieri iubet, quippe cum & pro omnibus Christus mortuus sit: ita & omnibus in locis orare optimum est, ut iam huiusmodi observatio non in locis sit, verum in ipso orationis affectu. Vbiq; igitur ora, inquit, vbiq; puras attolle manus: hoc enim est, quod in quaestione versatur. *Puras, inquit, manus:* Id est, mudas, non aqua lotas, verum cupiditate, rapina, caedibus, mundas, absque ira & disceptatione. Quid, oro, hoc sibi vult? Quis enim irascitur orans? Ceterum ire nomine prophanam iniuriarum memoriam significare voluit. Munda, inquit, sit orantis intentio, huiusmodi memoriae peste, vitio omni atque perturbatione libera excedat ad eum: nullus adeo audax sit, ut inimicitias exerces, ad Deum pergat oradum. Nemo cum angore animi, ac disceptatione orans, exaudiri se putet. Quid sit autem disceptatio, intentius accipite. Non licet prorsus ambigere, si puras ad Deum leuemus preces, nos exauditum iri. Quaecunque enim petieritis, inquit, credentes accipietis, & rursum, Cum statis ad oradum, dimittite, & dimittetur vobis. Hoc nempe est absque ira & disceptatione orare. Et quo pacto, inquit, credere possum petitione potiturum? Si nihil ex eis postulaveris, quae illius voluntati, tuaque saluti contraria sunt. Si maiestate tanta nihil indignum, si nihil omnino mundanum, si spiritualia omnia, si absque ira accesseris ad orandum, si mundas extuleris manus, si sanctas. Sanctae quippe manus sunt, quae eleemosynas faciunt. Si ita instructus accesseris, voti omnino compos eris, & quicquid postulaveris, impetrabis. Si enim vos, inquit, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester qui in caelis est? Disceptationem, ut dixi, ambiguitatem intelligi vult. Similiter, inquit, & mulieres orare volo absque ira & disceptatione, purasque in caelum manus intendere, non propria desideria sequi, non diripere, non studere avaritiae. Quid enim refert, si ipsa non rapias, & viri tui studio & manibus id facias? Plus aliquid diligentiae tui mulieribus expetit Paulus. Id autem cuiusmodi est? *Cum verecundia, inquit, & pudicitia in habitu ornato seipsas ornare, non in tortis criminibus, aut auro, aut margaritis: sed quod decet mulieres pollicentes pietatem per bona opera.* Habitum profecto tunicam vndique honestam, compositam significare voluit. Ornatum non exquisitum intelligas, sed moderatum. Hic enim ornatus habitus est, ille autem etiam foedus. Quid dicis? Deum precatura pergis, & ornamenta aurea circumfers, flauosque crines, & ipsos auro compositos? An vero saltatura ad ecclesiam pergis? Numquid hic nuptias & lasciviae oblectamenta conquiris? Num ut tui spectaculum prebeas aduenisti? num tibi nunc instruendus est thalamus? Illic nempe monilia, illic ornamenta aurea, illic ornatus crinium, illic preciosa vestis locum aliquando fortassis habeat. At vero nunc nullo tibi huiusmodi ornatu atque apparatu opus est. Accessisti ut Deum pro peccatis tuis suppliciter depreceris, ut tuis in illum sceleribus veniam cum gemitu ac lacrymis petas, accessisti, ut dominum tibi propitium facias: quid te ipsam ornari improbo at-

Matt. 12. Marc. 11.

Matt. 7. & Luc. 11.

Morale

que intemptiuo studio contendis? Non iste supplicis habitus. Quo enim pacto ingemiscere potes, ac lacrymas fundere, atque intetissimè ut decet orare, quae eiusmodi ornatu compta procedis? Nam etsi lacrymas funderis, risum cernentibus huiusmodi lacrymae mouebunt. Neque enim auro amicta debet incedere, quae lacrymas pro peccatis profundere intendit. Est enim potius scena quaedam atque simulatio, si ex eodem animo, ex quo tanta sumptus magnificentia, tantaque ambitio prodiit, inde etiam profundi lacrymas viderint. Amputa omnem eiusmodi simulationem, circuncide abs te omnem illum scenae atque histrionum gestum. Deus enim profecto non irridetur. Ista mimis & saltatoribus, & his qui in scena versantur, relinquenda sunt: sobria atque ornatae mulieri nihil eiusmodi congruit. *Cum verecundia, inquit, & pudicitia.* Noli igitur eas imitari, quae meretricio feruntur incessu. Namque illae per exteriorem cultum atque habitum, plurimos post se trahunt amatorum greges, atque hinc plurimae pessima saepius suspitione non carent: nihilque prorsus eiusmodi lucrantur ornatu, immo & plurimis ex ea opinione nocuerunt. Nam quemadmodum impudica, etiam si pudica videatur, nihil ex huiusmodi opinione lucratur, cum iudex ille noster occulta omnia tunc in mediū producturus sit: ita ne pudica quidem, si per habitum studeat adulterij opinione notari, quicquid ex pudicitiae opinione lucrata est. Plurimos enim & ipsa ex hac opinione violauit. Verum quid agam, inquit, si alius de me pessimè suspiceret? Tu huic suspitioni, per habitum, per incessum atque aspectum, & omnem corporis motum fometa ministras. Quocirca & Paulo ingens cura est, huiusmodi superfluum ornatum ad honestiorem modum componendi: ac tuendo pudori plurimum studij impendit. Quod si ea quae opum tantum indicia sunt, tanto studio circuncidit, aurum scilicet, margaritas, & vestimenta preciosa: quanto magis ea quae immodico studio & arte quaruntur, cuiusmodi sunt purpuris vultus inficere, & stibio oculos pingere, fracto incedere gressu, vocem formare molliorem, lasciuum obtutum, & qui libidinis iaculetur incendia, superfluam pallij ac tunicae iactationem, cingulum exquisita arte studioque cōfectum: stridentes foccos, & cetera irritamenta lasciuiae? Haec enim omnia vno verbo signauit, cum diceret, in habitu ornato, & cum verecundia ornare se. Ista quippe & a verecundia remotissima sunt, & plena dedecoris turpitudinisque censentur. Sed quae feratis aequanimiter. Nam idcirco ista aperta ac liberiori voce deproplsumus, non ut feriant, neque ut merore conficiant: verum ut quod alienum est, a nostro grege omne simul amputetur. Enimvero si his quae sub viro sunt, quae in deliciis viuunt, quae diuitiis circumfluunt, interdicit: quanto magis eis, quae virginitate professa sunt? Et quanam, inquit, virgo monilia aurea, tortumque crinem circumfert? Atqui tanta est reliqui] habitus cura, tamque exquisita diligentia, ut omnem illum aureum cultum facile transcendere videatur. Licet enim etiam vilibus pannis, eiusce compositionis opinione notari, nec minus quam si aureas amicaretur vestes. Vbi enim pulla tunica fuerit, & pectori cingulo diligenter adstricta, ad eum instar, quae in scena saltant, ut neque nimium turgens in latum excedat, neque tenue, altriciumque immodicè contrahatur, verum seruato medio inter vtrumque, modò rugas circa pectus intendant pariles, quam sericæ vestis illecebram hac arte non superet? Quid autem cum calceus ipse pullæ vesti subiectus, maiorem sui decorem cernentibus praefert, atque ad imitationem antiqua picturae in acumen venustius desinat? Quid item cum faciem fucis quidem ornare non pergis, sed eam nimio studio diligentia-

Galat. 6.

tenent.

ligentiaque circumluis, atque supernè a fronte velum facie candidius suspēdis, ac demum palliū imponis, ut sub nigro colore facies decentior videatur, & gratior? Quid item oculorū illos innumeros iactus? Quid item de collo, quod nunc quidē operitur, nunc autem de industria denudatur? Quid item de strophio, quod mamillis constringendis apponitur? & hoc enim sepe numero nudat, ut cingendi magis appareat diligentia, dum pallium omne circa caput agitur. Manus autem quemadmodum tragœdi, ita accuratè manicis induunt, ut naturaliter ita efficta videatur. Quid memorem tractā humi tunicam, incessumque; infractum, & huiusmodi cetera studia, quibus longè magis quam auri monilibus intuentes capi solēt? Timeamus dilectissimi, ne nos quoque ea audiamus, quae propheta Hebraeis mulieribus huiusmodi ornatu exteriori gloriantibus cōminatur, dicens: Pro zona funiculo cingēris, & pro ornamento capitis tui caluicium habitura es. Adeo autem plus ista, quam aurum, ad lasciuia illecebrā valent, ut etiam scorta plurima ad hoc omni studio intendāt, ut per aspectum sui capiāt intuentes. Non minimum istud peccatum est, sed magnū prorsus, ut quidem ipsum Deum irritare ad iracundiā possit, omnemque virginitatis laborem absumere, gloriāque corrumpere. Christum habes sponsum, quid amatores post te homines trahis? Meritò tunc te ille adulterij damnat, quod ornatum sibi gratū atque charum tibi conquirere negligis, verecundiam scilicet, pudorem, honestatem, habitumque; ornatum: hic nempe habitus adulter est, atque adeo foedus, ut meretrices ac virgines ferè discernere nequeamus. Intuere huiusmodi virgines, ad quantam turpitudinem deuolutae sunt. Simplicem esse, neque accuratè compositam virginem decet, negligentique potius, quam eiusmodi curae notari. Quippe eiusmodi exterior ornatus, ornamenta intima demolitur. Is enim qui eiusmodi fuerit studiosus, interioris ornatus negligens sit necesse est: quemadmodum & is qui exteriorem aspernatur, studium omne, omnemque diligentia, ad cōponenda sua intima trāsfert. Nec velim dicas, me miseram, attritum pallium fero, abiectisque calceolos, nullius pretij tunicā: cuiusmodi hic ornatus est? Noli te ipsam fallere: licet, ut dixi, etiam per huiusmodi vilia magis ornari, quam per aurea illa monilia, & exquisitissimas vestes. Quippe per attritū pallium corpori decenter astrictū, impudētiam praefers magis, ac pulchritudinis gloriā aucuparis. Ista mihi nunc loqueris. Ceterum Deo quid dictura es, qui mētis rimatur arcana, nouitque qua ista intentione facias? Sed esto, non ista causā libidinis facias, neque ut post te gregem adolescentum trahas. Cur quae id facis? Ut admirationi habeatis? Non erubescis infelix, neque pudore suffunderis in rebus huiusmodi admirationem humanā & gloriā quarens? Sed dictura es, Simplici animo ista circumfero. Nouit profecto Deus, quae loqueris nobis: neque enim mihi rationē redditura es, sed illi qui & modò tuis omnibus actibus, & animi motibus adest, & tūc ista diligenti examinatione discutiet. Illi, inquam, cui nuda & aperta sunt omnia. Haec idcirco nos dicimus nunc, ut vos praenis illis quae eiusmodi rebus sunt propositae, eripiamus. Et pedibus, inquit, simul ludentes, magnum profecto certamen subistis: pugnare hic congruit, non ornari: luctari cōuenit, non in molliem solui. Non aspicias pugiles atque luctatores, ut illis nequaquam cura sit incessus & habitus: Verum his omnibus amissis, vestem oleo madidam induant, atque ad vnam tantum rem intenti sint, quo pacto scilicet & aduersarios feriāt, & ipsi illorum ictus eludāt. Stat ecce diabolus dentibus stridēs, ac modis omnibus te prosternere cupiens, dum tu circa huiusmodi diabolicum prorsus ornatum versaris attonita. Piget nunc de

ibid.

Hebr. 4.

ibid.

voce referre, cui maximo studio plurimae seruiunt. De vnguentis itidem, ceteraque mollitie. Nempe idcirco irritat vos seculares mulieres; quod honestissimū virginitatis nomen & insigne pulcherrimum perdidistis. Nemo iam virginem digno honore prosequitur, quippe seipsas huiusmodi honore priuarunt. Nonne eas oportuit ita in ecclesia esse venerandas, atque mirabiles ac si de caelo descenderent? At nunc despectae penitus sunt sui vitij causa. Nā cum viderit te, cuius professio est crucifixam esse mundo, ea quae virum habet & liberos, & regimen domus, mundū muliebrem maiori studio persequi quam se: quid mirum, si irrideat, & abiectam prorsus ac despicabilem putet? Aspice quātum studij, quantumque curę superfluae assumis, dum vilibus vestibus preciosè amictam superare cōtendis: maioriq; ambitu ornari queris, quam illa quae auro & gemmis cōpta procedit. Quae tibi cōueniunt, ea minimè cōquiris: quae autem a proposito tuo sunt remotissima, ea tota intentione sectaris, dum solis bonis operibus operam te dare conueniat: idcirco nempe secularibus foeminis ignobiliores virgines euaserunt, quod indigna professione sua agere deprehenduntur. Ista non ad omnes dicimus, immo verius ad omnes, ut quae huiusmodi reatu tenentur astrictae, resipiscant: & quae infontes sunt, emendare illas omni studio & tota cura cōtendant. Sed agite queso, ut huiusmodi correptio in opus erūpat. Neque enim ut vos merore afficeremus, diximus: sed ut a culpa reuocemus, utque in vobis, ac de vestra emendatione gloriemur. Proueniat autem nobis ex superno munere, ut omnes quaeque Deo grata sunt, agamus, atque in ipsius gloriā, honorēque viuamus, ut etiam promissis bonis perfrui mereamur, in Christo Iesu domino nostro, cum quo est Patri gloria, &c.

HOMILIA IX.
MULIER silentio discat in omni subiectione. Mulieri autē docere non permitto, neque dominari viro, sed in silentio esse. Adam enim primus formatus est, deinde Heua: & Adā non est seductus, mulier autē seducta in prauaricatione fuit: saluabitur autē per filiorū procreationē, si permanserint in fide & charitate, & sanctificatione cum sobrietate. Magnā prorsus a mulieribus beatissimus Paulus verecundiā exigit, summamque honestatem, dum eas non modò ad habitum vsque, amictumque cōponit, verum & silere perpetuò imperat. Nihil, inquit, loquatur in ecclesia mulier. Id quod & ad Corinthios scribens dixit: Turpe est enim mulieribus in ecclesia loqui, & rursus alio in loco: Lex, inquit, eas subditas fecit. Si quid autem discere volūt, domi viros suos interrogent. At nunc ingens vbiq; tumultus, maximus clamor, colloquutio plurima atque cōfusa, neque vsquā alibi tantum loqui mulieres, neque in foro, neque in balneis, quantum intra ecclesiā videas, quasi ob hoc ipsum eò cōueniant, ut quae velint, licitè loqui possint, ita inutilibus fabulis occupatae sunt omnes: idcirco permixta sunt omnia, ordōque confusus est. Neque intelligūt misere, non se aliter vtile quippiam discere posse, nisi quietem agāt. Nā cum sermo doctoris incassum effunditur, nec est qui his quae dicuntur, intēdat: quid inde lucri prouenire possit? Adeo autē, inquit, oportet illam studere silentio, ne non modò de secularibus rebus, verum ne de spiritualibus quidē loquendum sibi in ecclesia nouerit. Hic nempe ornatus, hic verecundiā cultus, eam longè dignius ornare, quam preciosa vestis cōsuevit. Si se ita cōposuerit, atque ad hanc direxerit normam, poterit etiam magna cum facilitate vota Deo ac preces exoluere. *Mulier, inquit, docere non permitto.* Quam, oro, hoc in loco his verbis consequentiam seruat? Profecto summā. De silentio diserebar, de honestate, de pudore.

1. Cor. 14. Ibidem.

Dixerat, loqui eas nolo. Vnde igitur cupiens loquacitatis occasione penitus tollere, ne doceant quidem, inquit, sed obseruent discentium ordinem. Ita enim ex silentio ipso, quod sint subiectæ monstrabunt. Est quippe fermè loquax muliebris sexus, idcirco omni ex parte fluëtem restringit ac comprimit. *Adam enim, inquit, primum formatus est, deinde Heua, & Adam non est seductus, mulier autè seducta in prauaricatione fuit.* Quid igitur hæc ad nostri tēporis mulieres plurimum sanè. Sed maiore virilis sexus honore potitus est, quia primum formatus, & alio item loco huiusmodi primatū ostendit, dicens. Neque enim propter mulierē factus est vir, sed mulier propter virum. Cuius autem rei gratia ista commemorat? Primum quidem, vt ex his eius primatum doceret. Secundò, ex his quæ iam cōtīgēre, commonuit mulierem esse, quæ virum initio, cunctaq; peruerterat, atque fecerat inobedienciæ reū: idcirco ipsam subdidit Deus, quia honoris parilitate principiō sibi indulta, pessimè vīa fuerat. Ad virum, inquit, tuum erit conuersio tua: antehac autem nihil huiusmodi dictum fuerat. Quoniam verò modo Adam non est seductus? Ergo neque inobediens fuit, si quidem seductus non est? Nempe mulier quidem crimè excusans, ait: Serpēs decepit me. Adā verò non ait, mulier decepit me: sed, dedit mihi de ligno, & comedi. Par autem profectò nō est, ab ea, quæ sibi generis societate iungeretur decipi, & à bestia, quæ seruituti hominis fuisset addicta. Illud igitur seductio potius ac verius dici potest. Ad cōparationem ergo mulieris, dicit illum nō fuisse seductum. Illa quippe ab irrationali animante decepta est, hic autem à libera muliere, & sibi naturæ copulata ratione. Rursum nō dicitur de Adam, vidit lignum, quia bonum ad comedendū est, sed de muliere tantummodo. Comedit enim, inquit, & dedit viro suo. Non igitur iste concupiscentiæ cedens, sed obtemperans mulieri, simpliciter prauaricatus est. Idcirco & Paulus semel, inquit, mulier docuit, & cuncta peruertit, idcirco vltra non doceat. Sed dices: Quid igitur ad ceteras pertinet, si illa hoc passa est? Plurimum sanè. Est enim sexus ille infirmus ac leuis, quod iam in cōsequentiis differens, dum de sexu generaliter loquitur, ostendit. Non enim dixit, Heua autem seducta: sed, mulier, quod cōmune est nomen sexus potius quam proprium Heuæ, Quid igitur? Non sexus omnis muliebris per illam in prauaricationē factus est? Nempe quemadmodum ait de Adam, in similitudinem prauaricationis Adæ, qui est forma futuri: ita & hīc muliebris sexus prauaricatus dicitur. Quid ergo? Num ideo salute caret? Minimè id quidē. Quam verò salutē habiturus est? *Per filiorū scilicet procreationem.* Quod profectò de Heua nō dicitur. *Si permanserint, inquit, in fide & charitate, & sanctificatione cum sobrietate.* Quānam fide, qua charitate, qua sanctificatione? Ac si apertè dicat, nolite tristes esse mulieres, quod sexus vester probro & calumniæ pateat. Deus ecce vobis & aliam occasionem salutis cōfert, filiorum scilicet educationem: vt non modò per vos ipsas salutem inueniatis, verum per alia quoque, salutis administracula capiatis. Vides quā multa hoc in loco quærenda dimiserit? Mulier autem, inquit, seducta, in prauaricatione fuit. Quænam illa? Heua scilicet: hæc igitur saluabitur per filiorum generationem, neque ipsa modò, verum & omnis fœmineus sexus inde saluabitur: prauaricata quidē illa est, verum muliebre genus omne per filiorum generationem salutem consequetur. Cur enim non etiam virtutis propriæ merito? Nunquid enim illa ceteris quoque præiudicat? Quid ergo ad virgines? quid ad steriles? quid item ad viduas, quæ priusquam parerēt, viros amiserunt? Ergone illæ periēre, omnique spe salutis destitutæ sunt? Certè enim virgines maxima in glo-

1. Cor. II.

Gen. 3.

Ibidem.

Semel docuit mulier, & cuncta peruertit. Idcirco inquit.

Rom. 5.

ria, summòque in culmine constitutæ sunt. Quid igitur? His verbis significare voluit, quemadmodum à prima formatione genus omne subiecit, per ea quæ prima mulier prauaricata est. Quia enim Heua secundò formata est, & reliquos, inquit, sexus subditus sit. Ita igitur quia etiam prauaricata est, & sexus itidem omnis in prauaricatione fuit. At illic quidem diuino muneri omnia accepta referuntur, hoc autem ex mulieris peccato in ceteras fluxit. Nempe idcirco, inquit, omnes mortui sunt, quia vnus antè peccàrit, hoc est mulier. Nihil igitur doleat mulier, dedit illi Deus solatium haud minimū, parere filium. At natura istud, & illud itidem naturæ est. Neque enim naturæ tantum iura, verum & liberorum educatio diuinitus datur. *Si enim, inquit, permanserint in fide & charitate, & sanctificatione cum sobrietate.* Hoc est, si ipsos postquam genuerint, ad ista curauerint promouendos, maxima mercede donabuntur, quod scilicet athletas nutrierint Christo. *Si permanserint, inquit, in fide & charitate.* Rectè profectò vitæ exprimit normā, quod ex sequentibus patet, dum sobrietatem honestatēque subinfert. *Fidelis sermo.* Istud quidem ad superiora refertur, non ad ea quæ de episcopis protinus addit. Quia enim hoc videbatur ambigū, idcirco ait, fidelis sermo. Neque enim omnibus passim persuaderi posset, parètes filiorum virtute salutem promereri, si illos ritè in fide instituerint. Quid igitur, si mater pessima fuerit, atque innumeris sceleribus plena, ex hac liberorum educatione lucrabitur? Nempe eos sibi similes necessariò faciet. Ceterum de ea, quæ virtutibus polleat, ista apostolus dixit, ingentem illi remunerationem, mercedēque fore testatus.

MORALE.

AVDITE ista parentes, ac prorsus aspiciate huiusmodi educationē, magnorū præmiorū causam fore. Hoc denique etiam in consequētibus ait, dum matrem admonet testimoniū in bonis operibus habere, Si enutriti filios: id quippe & inter cetera posuit. Neq; enim parui meriti est, indultos nobis à Deo liberos, ad ipsius exercere militiam, eique ab ipsis infatigā panis dedicare. Nam si eiusce educationis fundamenta iecerint, maximis efficiendi sunt præmiis: quemadmodum si neglexerint, grauissimis cruciatibus. Nēpe enim & Heli propter filios periit: illos quippe cū acrius coercere debuisset, verbis tandem lenibus monuit. Quocirca dum illis molestus esse seuera increpatione recusat, & illos & seipsum vnā perdidit. Audite hæc patres, vestrosque filios in disciplina & correptione domini erudite summa cū diligentia. Est enim iuuentus fera, plurimisque indiget institutoribus, magistris, pedagogis, affeclis, atque nutritoribus. Votique res est, post ad eam exactam diligētiam, eam cōtinere posse, non secus quā equus quidam indomitus, veluti fera belua. Huiusmodi quippe iuuentus est. Si igitur illi ab ipsis statim initiis, atq; à prima etate leges optimas imponamus, minimū posthac laborabimus: verum cōsuetudo ipsa virtutis in legem trāsiet. Nihil eos agere permittamus ex his quæ noxiè iucūda sūt, neque illis vt pueris indulgeamus: atq; ante omnia illos in pudore & sobrietate seruemus, quippe huic inimica libido omniū maximè huiusmodi turbat atarē. Ad hoc igitur vitium compescēdum, magnis nobis sudoribus, magnāq; intētionē opus est, maturè illos matrimonio iungamus, vt munda atq; integra illorum corpora spōse admoucantur. Huiusmodi quippe amores feruentiores sunt. Atq; is qui ante nuptias pudicitia studuit, longè magis postea pudicus erit. [qui autè assueuerit ante nuptias scortari, etiā post nuptias istud faciet.] Viro enim, inquit, fornicario omnis panis suavis est, idcirco quippe coronæ imponuntur capiti, vt victoriæ signa sint: quod

CAP. III.

1. Reg. 1. & 4.

HOMILIA X.

quod scilicet antea libidini impenetrabiles, ita demum cubiculum ingrediantur, quia scilicet à voluptate superari nō sunt. Quod si libidine superatus quispiā seipsum scortis addixerit: cuius iam rei gratia coronatus incedat, qui tam fœdæ libidini colla subdiderit? Admonemus igitur illos, corripiamus, terreamus, minasque intēremus, & modò istud, modò illud faciamus. Magnum habemus, preciosūque depositum filios, ingenti illos seruemus cura, atque omnia faciamus, ne fur id nobis astutus auferat. At verò nunc contrā penitus facimus. Nam vt fundus quidem sit optimus, cuncta molimur, eumque fideli viro magno cum studio tradimus, & agasonem atque mulionem, procuratorēque ac dispensatorem, qui nobis magna beneuolētia afficiatur, inquirimus: ceterum quod nobis charissimum omnium est, omnino negligimus: neque curamus, quo pacto filiū nostrum fideli cuiuspiam viro permittamus, qui ipsius tueri ac seruare pudicitiam possit. Et certè nulla nobis possessio, nullus fundus æquè nobis gratus atque charus esse debet: quippe hæc omnia filiis quærentur. Igitur maior nobis possessionum cura est, quam eorum, quorum illæ gratia cōparantur: quod profectò absurdissimum atque stolidissimum est. Exerceamus igitur ad virtutem atque pietatem molles filiorū animos, cetera omnia secundo loco quæramus. Nam si quidem illi improbi fuerint, nihil eis pecuniæ proderunt: sin autem probi, nihil ex paupertate lædentur. Vis filium relinquere diuitem? Bonum illum ac benignum esse doce: ita enim etiam rem familiarem auctiorem facere poterit. Quod si tenuis illi substantia fuerit, nihil deteriori in loco erit, quā hi qui plurima possident. Quod si malus ille fuerit, etiam si infinitam illi substantiam relinquant, non illi custodem reliquisti, sed longè deteriore conditione fecisti, quā si ad extremam deuenisset inopiam. Quippe filiis non ritè institutis præstat pauperes esse, quā diuites. Paupertas enim vel inuitos coercet, atque intra virtutis limites continet: opes verò ne volentes quidem pudicè temperantēque viuere sinunt: verum exorbitare faciūt, atque peruertunt, malisque innumeris subiūgunt. Matres item filiarum vobis curam assumite, est ea cura vobis perfacilis. Curate sollicitè, vt domi iugiter sint. Ante omnia piæ esse, religiosæque docere, aspernari pecunias, exteriorisque ornatus contemptrices esse: atque ita demum nuptiis tradite, eas si ita institueritis, nō ipsas modò seruabit, verum & viros qui illas ducturi sunt, neque viros tantum, sed etiam filios atque nepotes. Quippe ex radice optima surculi prodeūt firmiores, ac semper in meliora proficiunt, horūque omnium merces vobis reddenda est. Non igitur tanquam vnus animæ commodis prospicientes, sed vt plurimis per vnā cōsulescentes, magno cum studio omnia faciamus. Ita nēpe paterna domo decet progredi virginē, ac matrimonio iūgi, quemadmodum ex palæstra luctatorem, vt omnem diligentissimè rei familiaris peritiam habeat: sitque veluti fermentum, quod massam omnem in suam transfert pulchritudinem. Filij quoque ad eam verēdi sint præ morum honestate, & singulari pudicitia laude, vt ab hominibus, & à Deo laudes mereantur. Discant cōtinere ventrem, abstineant à superfluis sumptibus, & omni magnificentia apparatus, dispensare sua probè nouerint, dij in parentes sint, subiecti, & dicto obtemperantes esse discant: ita enim & parētibus ipsis ingentes præmiorū adiicient cumulos: atque ita omnia in Dei gloriam, salutēque nostram fiet: cuius nos omnes compotes esse cōtingat, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, cum quo est patri gloria & imperium & honor, vnā cum sancto Spiritu, nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

A



S quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet igitur episcopum irreprehensibilem esse, vnus uxoris virum, sobriū, pudicum, ornatum, hospitalitatis amatorem, docibilem, non vinolentum, non percussorem: sed mansuetum, non litigantem, non auarum, domui suæ bene presidentem, filios habentem subditos cum omni castitate. Dicitur de episcopatus officio, cuiusmodi esse episcopum deceat, indicat. Neque id quasi Timotheum admonens dicit, sed vt omnibus simpliciter loquens, ac per illum quid conueniat omnibus, dictans. Quid autem ait? *Si quis, inquit, episcopatum desiderat.* Non culpo, non improbo, opus quippe regiminis est. Si quis hunc idcirco appetit, non principatus ac dominationis fastu, verum cura regiminis & charitatis affectu, nō improbo, inquit: bonum quippe desiderat opus. Quippe & Moses eam rem appetisse cognoscitur. Verum ille huiusmodi potentiam, ambitumque dominandi nequaquā quæsiuit, sed eam rem ita cupiuit, vt illi diceretur: Quis te constituit principem, & iudicem super nos? Si quis igitur ita desiderat, desiderat benè. Episcopatus enim ex eo dicitur, quod omnes inspiciat, cunctaque speculetur. *Oportet igitur episcopum irreprehensibilem esse, vnus uxoris virum.* Non hoc veluti fanciens dicit, quasi non liceat absque vxore episcopum fieri, sed eius rei modum constituens. Iudæis quippe licitum erat etiam secundo matrimonio iungi, & duas itidem habere simul vxores: honorabilis enim nuptiæ. Quidā verò hoc ita intelligunt, vt scilicet ad episcopatum is assumatur, qui vnus fuerit vxoris vir. *Irreprehensibilem.* Hoc vnico verbo genus omne virtutis expressit. Itaque qui sibi vel leuis culpæ cōsciū est, malè profectò facit, eam rem appetens, qua indignum se per opera fecit. Non enim decet huiusmodi regere, sed potius regi. Eum quippe qui regendos alios suscipit, tanta decet gloria virtutis excellere, vt instar Solis ceteros veluti stellarū igniculos, in suo fulgore obscuret. Debet huiusmodi vitam habere immaculatam, atque cōpositam, vt omnes in illum & in eius vitam, veluti in exēplar aliquod excellens intueantur. Facit autem hoc Paulus non absq; ratione, qui huiusmodi monitis vitur: verum quia & Timotheo ipsi cura incubebat episcopos ordinandi, sicuti & Tito, quem etiā de huiusmodi admonet. Et quia par erat, plurimos eius rei desiderio allici, idcirco tanta illū diligentia pingit, vt qui se ad eam rem præparare vellent, ad quantam virtutis celsitudinē sibi euadendum esset, agnoscerēt. *Sobriū, inquit, atque vigilantem.* Hoc est clarissima mentis acie præditum, innumerisque habet omnem ex parte oculos, quibus acutissimè cūcta prospiciat. Sunt quippe plura, quæ incidat, & mentis hebetent aciem: puta concupiscentiæ, quotidianæ curæ, ferūmq; perturbatio, & plurima id genus vndique imminet. Vigilantem igitur esse necesse est illum, qui non tantum sui curā habet, verum etiā reliquorum. Decet esse peruigilem eum, qui eiusmodi est, ac spiritu viuere, & affectus sui flammam operibus ipsis ostēdere, ducēq; omnes sollicitudine atque industria superare, vt die noctūque exercitū & castra perlustret, labore, & sui officij munus diligentissimè impleat, atque omnium curam ac sollicitudinem gerat. *Pudicū, inquit, ornatum, hospitalitatis amatorem.* Ista & in subditis plerūque videas. Verum quoniam oportet eum, & quæ sunt rectoris habere: idcirco subiūxit, Aptum ad docendum: hoc quippe à subditis nequaquam exigitur, ceterum illi ante omnia adesse debet, qui huiusmodi suscepit officium. *Non vinolentū.* Hoc in loco non ebriosum, verum contumeliosum atque elatum significare voluit. *Non percussorem.*

Post, non percussorem, Veronem. plus habet, non turpiter lucri cupidum.

Exod. 3.

Tit. 1.

Neque hic manibus violenter vitem profecto significat: sed quid? Sunt nempe qui improbe nimium fratrum conscientiam feriunt, quos mihi nunc significasse videtur. Sed mansuetum, inquit, sine litibus, sine auaritia, domui suae bene praesidentem, filios habentem subditos cum omni castitate. Si igitur qui vxorem duxit, sollicitus est quae sunt mundi: episcopus autem huiusmodi sollicitudine tangi minimè conuenit: quomodo superius dixit, Vnius vxoris virum? Quidam, vt dixi, illū, qui post vxoris obitum constitueretur episcopus, significasse intelligunt. Alio qui licet eum qui vxorem habeat, quasi non habentem esse. Tunc nempe istud ritè concessit pro tempore, ac pro rei natura, quae tunc inerat. Licet enim eam rem honestè ac licitè capere, si quis velit. Quemadmodum enim diuitiè difficile in regnum caelorum introducunt, saepe tamen id diuites plurimi ingressi sunt: ita & nuptiae, licet difficillimum in se plurimum habeant, ita tamen assumi possunt, vt perfectiori vitae impedimento non sint. Verum id planè perquam rarè atq; difficile. Verum dicit fortasse quispiam: Quid sibi quæso vult, quod de episcopo differens, ipsum oportere non ebrium esse dixit, sed hospitalem, cum longè excellentiora pro castitudine gradus exigere debuisset videtur? Cur enim non ait, Oportet autem episcopum angelum esse, nulli humanae perturbationi, vitiove subiectum? Cur non item magna Christi illa praecepta ab episcopo requirit, quae etiam subditis necessario inesse debent, scilicet circumferre crucem suam, atque in manibus habere animam semper pro fratribus exponendam? Pastor enim, inquit, bonus, animam suam ponit pro ouibus suis. & rursus: Nisi quis acceperit crucem suam, & secutus fuerit me, non est me dignus. Ceterum his omnibus omissis, oportere ait non esse vinolentum. Praeclara sanè spes, si de huiusmodi episcopum oporteat admoneri. Cur enim non dixit, Oportet autem ipsum iam ex terra migrare, humanisque rebus euadere celsiorè? Verum quae secularibus iussit, ea episcopo implenda non iubet. Quid enim illis ait? Mortificate membra vestra quae sunt super terram. & iterum: Qui autem mortuus est, iustificatus est à peccato, ac rursus: Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt. Et Christus item: Nisi quis renūciauerit omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus. Cur igitur haec in episcopo requirenda non dixit? Quia perpauca huiusmodi inueniri fas erat, episcopis autè plurimis tunc opus fuit, qui per singulas ciuitates magistri constituerentur. Ne igitur ecclesiae negotia fructuque perirent, idcirco moderatam virtutem proposuit inquirèdam, non supremam illam atque caelestem. Quippe sobrium ac pudicum & honestum esse, multorum commune erat. Filios, inquit, habentem subditos cum omni castitate. Oportebat nempe vt ex vicino atque re domestica, virtutis suae praeberet indicia. Quis enim crederet illum alienos quosque subiectos habiturum, qui filios non habuerit subditos? Suae, inquit, domui bene praepositum. Hoc & externae sapientiae auctores aiunt, vt qui rem familiarem suam ritè administrauerit, rei quoque publicae conuenienter possit cōtrectare negotia. Est enim ecclesia veluti domus quadam: ac sicuti in domo vxor est, & filij ac serui, omniumque cura ac regimen incūbit viro: ita ferè & in ecclesia videas, nihil ibi est aliud quàm filij & vxores & serui. Quod si administrationis habeat socios ecclesiae rector, habet & domi vir vxorem consortem curarum suarum. At verò in ecclesia viduarum, ac virginum alendarum sollicitudo est: habet & domi vir & seruos, & filios. Est autem longè facilius domum, quàm ecclesiam regere. Qui igitur rem, vt dixi, familiarem dispensare congruè nescit, is quo pacto ecclesiae praesse conuenienter posse putandus est? Si quis autè, inquit, domui suae praesse non nouit, quomodo

do ecclesiae Dei curam habiturus est? Non neophytum, inquit. Hic tamen atatem adolescentiae significare noluit, sed eum qui nouiter esset instructus, veluti quadam nouella plantatio. Ego enim, inquit, plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Nā profectò si adolescentiam signare voluisset, nihil dicere prohibebat, non adolescentem. Ne ipse quidem cum ad Timotheum scriberet, atatem in episcopo summopere inquirendam mouit, cum dicit: Nemo adolescentiam tuam contemnat. Quia enim ex gentilibus tunc plerique ad ecclesiam accedebant, ac baptizabatur, cauendū admonuit, ne continuo nouiter imbutum ecclesiae sacramētis, ad huiusce principatus onera ferèda prouheret. Si enim antequā discipulus esset, magister assumere, quàm primum attolleretur in arrogantia factum: si priusquam subiici diceret, in rectorum ordine locaretur, citò intumesceret: idcirco subiungit. Ne elatus in iudiciū incidat diaboli. Hoc est, ne in eandem incurrat damnationem, quam ille per arrogantiam pertulit. Oportet autem ipsum & testimonium habere bonū ab his qui foris sunt, ne in opprobrium incidat, & laqueum diaboli. Quippe ab eis illi imminent probra, si quid in se reprehensibile notari posset. Idcirco ait, vnius vxoris virum: cum certè alio in loco dixerit, Volo omnes homines esse sicuti & meipsum, cōtinentiè scilicet ratione. Igitur ne in angustum nimis eam concluderet rem, si exactissimam virtutem expetisset, idcirco moderatiore admonitione maluit vt, ne ex desperatione perfectae illius inueniendae virtutis, ecclesiae sine episcopis esset. Oportebat enim, vt antea dixi, per singulas ciuitates constitui praefules. Audi denique quid ipse ad Titum scribat: Vt constitueres per ciuitates presbyteros, quemadmodum ego tibi praeecepi. Quid igitur si testimonium habeat bonū, bonamque famam & ipse huiusmodi non sit? At id quidè in primis difficile est. Vix enim obtineri potest, vt & qui boni sunt, apud inimicos bonum habeat testimonium. Ceterum hoc ipse nunc quoque cauit. Neque enim ait, oportet autem eum testimoniū habere: sed, oportet autem ipsum & testimonium habere bonum, vt cum ceteris, quae in illo requiruntur, ne istud quidem desit. Neque enim solum testimonium sufficit. Quid ergo, inquires, si illum frustra, ac per inuidiam maledictis, probisque respererint, cum maximè gentiles sint? At id quidem fieri non potest, quippe eum, qui irreprehensibilem duxerit vitam, & illi ipsi reueretur. Quoniam, inquires, modo? Audi ipsum dicentem alibi: Per infamiam, & bonam famam: neque enim profectò ipsorum carpebant vitam, sed praedicationis derogabant, idcirco ait, per infamiam. Denique praedicationis causa, tanquam seductores, ac magis calumnias sustinebant. Ipsorum autè vitam nemo ferè vnquam fuit qui vituperare praesumeret. Quocirca nullus vnquam apostolis, aut fornicationis, aut impudicitiae, aut auaritiae crimen obiecit: sed tantummodo seductores appellati sunt, quod solum ad dogma refertur. Qui enim fuerit vitae fulgore conspicuus, & illis verendus sit necesse est: quippe veritas ipsi quoque ora obstruit inimicis. Quo autem pacto in laqueū incidit? dum scilicet in eadem scelera incurrit, quibus & ille implicatus est. Nam si eiusmodi sit, protinus & alium illi laqueum diabolus parat, continuo ipsum repellunt illi. Quod si ab hostibus habere testimonium conuenit, multò magis ab amicis ipsis. Nempe enim, quod eos maledictis & probis impeti fas non sit, qui irreprehensibiliter viuunt, audias licet dicentem Christum: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificet patrem vestrum qui in caelis est. Quid ergo, inquires, si casu aliquo probro ille, & calūnia pateat? Fieri quippe & hoc facile potest. Non is in medium adducendus est, neque episcopus eligendus,

eligendus, qui eiusmodi fuerit: nocet enim plurimū praecedens pessima, falsa licet, opinio. Oportet ergo, inquit, ipsum habere & bonum testimonium. Luceant enim opera vestra. Quemadmodum denique nemo obscurum diceret Solem, ne si caecus quidè fuerit, erubescit quippe opinionibus omnium aduersari: ita & cum, qui nimio fuerit decore conspicuus, atque morum honestate illustris, nullus profectò culpae praesumit. Ceterum, vt dixi, dogmatum quidem gratia detractionis in eum saepe gentiles spicula intorquent, vitae verò munditiam nulla ex parte libare audent, verum vnā cum ceteris admirationi ac stupori habent.

MORALE.

ITA igitur viuamus, ne nomen Dei blasphemetur à gentibus, neque verò humanam aucupemur gloriam, neque iterū, vt pessima opinione careamus, quod bonū ac rectum est faciamus, verum in vtroque modum honoremus. In quibus luceatis, inquit, quasi luminaria, in mundo. Idcirco nempe nos ille elegit, vt simus quasi luminaria, vt veluti fermentum euadamus, vt magistri ceterorum efficiamur, vt veluti angeli cum hominibus versetur in terris, vt tanquam viri cum infantibus pueris, quasi spirituales cum animalibus, vt ex cōtubernio nostro ingentia illi lucra conquirant, vt semina simus, vt fructum latissimum afferamus. Nihil opus esset verbis, si in hunc modum vita nostra sanctitatis luce fulgeret. Nihil magistris opus esset, si virtutis probos actus praefereamus. Nemo profectò gentilis esset, si ipsi, vt oportet, Christiani esse curarem: si Dei monitis, ac scitis obtemperarem: si iniurias perpeffi, vicem non referrem: si maledictis laecessit, benedicerem: si pro malis bona redderem. Nemo esset ita fera belua, vt non statim ad cultum verae religionis accederet, si videret haec ab omnibus fieri. Atque vt discas ita esse, vnus profectò erat Paulus, & tā multos ad Dei attraxit notitiam. Si omnes essemus huiusmodi, quot terrarum orbis trahere & ipsi possemus? Ecce enim plures Christiani, quàm gentiles sunt. Nempe in reliquis artibus centum simul pueros vnus docere sufficeret. Hic autè cum plurimi magistri sint, atque ideo discipuli longè plures esse deberent, nullus tamen accedit, nullus attrahitur. Quippe discipuli semper doctorum vitam intuentur. At si quidem viderint nos quoque eadem secum appetere, eadem concupiscere, honoris atque primatus ambitum querere, quando illi Christianam religionem poterunt admirari? Vident ecce reprehensibilem Christianorum vitam, terrestres animos atque in humum abiectos, pecunias non secus quàm se admirari, imò & longè amplius, mortem similiter perhorrescere, paupertatem pariter metuere, morbos eadem impatientia tolerare, claritatem atque potentiam non minus quàm se amare, auaritia gratia seipfos concidere, tempori obsequi. Vnde ergo credere illi poterint: fortasse ex signis? At ista modo non fiunt. An verò ex sanctitate vitae? Sed illa planè periit. Num verò charitatis causa? At nusquam aliquod ipsius vestigium cernitur. Quocirca non modò peccatorum nostrorum, verum & alieni incommodi, cuius ipsi causa sumus, rationè profectò reddemus. Respicamus tandem, euigilemus quæso, caelestem in terris cōuersationem praefereamus. Dicamus cum apostolo: Quia conuersatio nostra in caelis est, certamen in terris atque pugna subeamus. At fortasse inquires, Fuerit magni apud nos viri. Sed occurrit gētilis & dicit: Vnde id credam? neque enim vos eadem gerere video, quae illos fecisse praedicatis. Nam si huiusmodi narrationibus passim credere oportet, possumus & ipsi philosophos adducere in mediū, magnos atque mirabiles vitae ac morum gratia.

admittimus, vt mala opinione notentur. Philip. 2.

1. Cor. 3.

1. Tim. 4.

1. Cor. 7.

Tit. 1.

1. Cor. 6.

in que & illi.

Mat. 5.

Ceterum ostende mihi Paulum, aliumque Ioannem. Nunc enim vel pro obolo occidi, atque occidere parati singuli estis: pro terrena gleba innumeras excitatis lites, pro morte filij miscetis omnia, & cuncta confunditis. Alia quippe referre omitto, lacrymis ac gemitibus digna, auidia scilicet, vaticinia, obseruationes, genescim, signa, ligaturas, diuinationes, atque incantationes, & cetera huiusmodi, quae omnia magno profectò scelere praesumuntur: denique iram prouocare conlucuerunt, atque eò magis, quod post ingentis beneuolentiae & insignis miserationis indicia, postquam ille filium suum pro redimendis hominibus misit, haec nefario ausu admittimus. Quid ergo faciendum est? Ingemiscendum scilicet. Vix enim orbis minima pars seruatur, omnesque ferè sunt aeternae mortis periculo expositi. Ceterum quid agunt hi, qui sensum omnino doloris amiserunt? Exultat dum ista audiunt, quod non solum perirent, sed perditionis suae plurimos habeant socios. Verum id gaudium execrabile omnino est, ipsiusque vnā cum sceleribus ceteris persoluent poenas. Neque enim velim existimes, quemadmodum hic fieri solet, ita & in futura vita contingere, vt scilicet solatium aliquod ferat, socios habere miseriae. Vnde id constat? Ex subiecto scilicet exemplo. Dic enim, quæso, si quis damnatus ignibus, filium quoque suum vnā intueatur, nidoremque ex ipsius carne ascendentem hauriat naribus, nonne morietur? Nam si hi quoque qui sani sunt, dum haec fieri vident, penè resoluuntur: multò magis id passuri sunt, qui ea clade vexantur. At ne ista mireris, audi quid dicat sapiens quidam: Et tu captus es quemadmodum & nos, & in nobis computatus es. Est enim ferè ad misericordiam prouum humanum genus, aliorumque calamitatibus facile commouemur. Nam quo pacto pater filium in eadem damnatione positum videns, solatium capiat? Contra penitus, poena illa ex ea societate auctior fiet. Eadem profectò ratione, si vir vxorem cōsortem damnationis aspiciat, & homo itidem hominem, solatij nihil, sed supplicij plurimum accipiet cumulū. At tunc longè magis ista patiemur quàm nunc: neque enim similes sunt cruciatus vtriusque temporis, sed tunc profectò erūt duriores. Erit quippe tunc gemitus omni consolatione destitutus, cum omnes se inuicem in suppliciis videbunt, omnesque mugitum pariter dabunt. Quippe & hi qui fame tabescunt, non solatium capient, si calamitatis suae socios habeant: et si item filij parentes, vel parentes itidem filios, vel vxorem vir, aut virum vxor, eadem clade secū affici viderint, num consolari poterunt? neque si amicos quidem aspiciamus nobiscū vnā poena torqueri, vllum capiemus omnino solatiū: imò ex ea societate cruciatus noster augetur. Praeterea clades nonnullae sunt, quae licet communes cum plurimis sint, praecerbitate tamen nihil consolationis admittunt. Nam exempli causa: Sit quisquam igni impositus, & alius vnā vratur: quo pacto isti se mutuo solari poterunt? Experti nempe id sumus, si quādo vehementioris febris ardore tenemur, tunc nempe nos omne solatiū deficit: & meritò sanè. Vbi enim ea inualuerit peffis, difficile iam animus aliquid consolationis admittit. An non vides eas quae amiserunt viros, licet plurimas enumerare mulieres possint idè perpeffas: nihilo tamen segnius luctu ac mœrore se cōficere? Non igitur ea tam detestabili nutriamur spe, verum vnico vtamur solatio, vt scilicet eorum quae peccauimus, poenitentiam agamus, atque iter illud rectum arripiamus, quod nos ferat ad caelum, vt caelesti regno perfrui mereamur: gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, cum quo est Patri & Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc & semper, & in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XI.

DIACONOS *similiter pudicos, non bilingues, non vino multo deditos, non turpis lucri appetitores, habentes mysterium fidei in conscientia munda. Et hi autem probentur primum, deinde ministrent, si absque crimine sunt.* Postquam de episcopis dixit, eosque formauit, quidnam illos habere conueniat, à quo item abstinere necesse sit dictans, omisso interim presbyterorum ordine ad diaconos transit. Cur id, quæso? Quia scilicet inter episcopum atque presbyterum interest fermè nihil. Quippe & presbyteris ecclesiæ cura permessa est: & quæ de episcopis dixit, ea etiam presbyteris cõgruunt: sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantum, plus quam presbyteri habere videtur. Diaconos verò habere eadem monuit, vt scilicet irreprehensibiles sint, pudici, hospiales, modesti, non litigiosi, nõ auari, non bilingues: hoc est, non simulatores, non dolosi. Nihil enim fermè nos ita degenerare à spirituali nobilitate facit, vt fraus atq; dolus, nihilque in ecclesia nocet magis, quam veruta simulatio. *Non vino, inquit, multo deditos, nõ turpis lucri appetitores, habentes mysterium fidei in conscientia munda.* His profectò verbis irreprehensibiles debere esse significat. Iam verò intuere, quomodo & hinc neophytum arceat. Nam cum dicit, Et hi autem probentur primum, sicuti & de episcopo dixerat: ita connexionẽ protinus addidit. Nihil enim mediũ inest, atque ideo & illic dixit, nõ neophytum. Perquam enim ineptum & absurdum est, si cum emptitiũ seruũ introducimus domum, non prius illi aliquid domesticæ supellectilis tradimus, quam longo experimento sententiã suã atque voluntatis plurima indicia dederit: in ecclesia Dei non eadem vtamur diligentia, ceterum nouitium adhuc in primo statim constituimus ordine, antequã fidei suæ atque vitæ dederit documẽta. *Mulieres ministras similiter, inquit, castas, non bilingues, sobrias, fideles in omnibus.* Plerique volũt apostolum hoc de mulieribus simpliciter præcepisse, verum non ita est. Quid enim consequentiã haberet inter ea, quæ de episcopis atque diaconis monuit, mulierum vllam facere mentionem? Sed de his profectò ait, quæ ministerij dignitate sunt præditæ. *Diaconi sint vnus vxoris viri.* Eadem & ministris mulieribus congruunt, id est nimium necessarium, atque vtile in ecclesia. *Diaconi, inquit, sint vnus vxoris viri.* Vides vt eandem & ab his virtutem requirat? Et si enim episcopi atque diaconi impar dignitas est, pari tamen ratione vtrunque esse irreprehensibilem decet, atque eadẽ sanctimonia vitæ conspicuum. *Filios, inquit, bene regentem, & proprias domos: qui enim bene ministraverint, gradũ bonum sibi acquirunt, & confidentiam magnam in fide, quæ est in Christo Iesu.* Vbi que filiorum curam diligentissimam ponit, ne ex hoc reliqui scandalum capiant. *Qui enim, inquit, bene ministraverint, gradũ bonum sibi acquirunt:* profectum scilicet & cõfidentiam magnam in fide. Nempe enim qui in his quæ inferiora sunt, diligentiam suam vigilantiamque monstraerint, facile & ad ea quæ sunt superiora atque excellentiora peruenient. *Hæc scribo tibi, speras ad te venire celeriter. Si autem tardauero, vt scias quomodo oporteat in domo Dei conuersari, quæ est ecclesia Dei viuientis, columna firmamentumque veritatis.* Ne ex eo quod illi de huiusmodi scripserat, discipulum fortè mœrore conficeret, ait, non idcirco hæc scribo, quasi non iam venturus sim, veniam enim profectò: ceterum si tardare contigerit, vti ne molestè id feras. Huic quidem leuandi causa mœroris hæc scribit, verum aliis alia ratione, vt scilicet eos vigilantiores, studiosioresque faciat. Nam & ipsius præsentia multum poterat vel promissa. Nihil enim est cur admireris, si qui

A spiritu cuncta prauidebat, hoc se ignorare fateatur, dicens: Spero venire, si autem tardauero: hoc enim ignorantis est. Quia enim spiritu, non propria voluntate ducebatur, & spiritus sententia gerebat omnia, idque meritò ignorasse putatur. *Vt scias, inquit, quomodo oporteat in domo Dei conuersari, quæ est ecclesia Dei viuientis, columna ac firmamentum veritatis.* Non quemadmodum illud Iudaicum templum: hoc enim est, quod fidem continet ad prædicationem, quippe veritas ecclesiæ & columna & firmamentum est. *Et reuera, inquit, magnum est pietatis mysterium, Deus manifestatus est in carne, iustificatus est in spiritu.* Quibus profectò verbis dispensatio pro nobis assumptæ carnis exprimitur: nec velim mihi tintinnabula illa obiicias, neque sancta sanctorum, neque pontificem. Columna est orbis ecclesia. Animaduerte mysterium, & venerationis horrore moueberis. Mysterium est, magnumque mysterium, & pietatis sacramentum, & re vera absque vlla quæstione, indubitatum quippe est. Quia enim de sacerdotibus differens, nihil eiusmodi statuit, cuius in Leuitico præceperat lex, ad altiora profectò nos subuehit, quod scilicet in carne manifestatus est conditor. *Apparuit, inquit, in carne, iustificatus est in spiritu.* Siue hoc intelligi vult, quod iustificata est sapientia à filiis suis, siue quia dolum non fecit, vt propheta testatur, dicens: Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Apparuit, inquit, angelis: ergo & angeli nobiscum viderunt filium Dei, quem antea non videbant. Re vera magnum mysterium est, vbi que terrarum auditum atque creditum est. Ne enim existimes verba esse simplicia. *Assumptus est, inquit, in gloria.* Nempe enim huic, quem assumptum mortaliū deduxerunt, accesserunt angeli, & ministrabant ei. In omnem terram exiuit sonus eorum. *Assumptus est, inquit, in gloria, dum scilicet in nubibus ferretur in cælum.* Intuere autem sapientiam Pauli. cum enim eos monere pergeret, qui huius ministerij dignitatem accepissent, non passim indulgere vino: non ait, non ebriosos: sed, neque vino multo deditos. Nam si illi, qui in templo illo carnali ministrabāt, à vino penitus abstinebant: quanto magis hos esse decet abstemios? Nam vini vsus immodicus in amentiam deiicit, ac nisi ebrietatem inducat, animæ tamen robur exoluit, omnemque illius virtutem, ac substantiam debilitat, & prorsus enervat. Intuere autem quomodo omnibus in locis dispensationis assumptæ pro nobis carnis, mysterium vocat. Neque enim est omnibus hominibus cognitũ, imò ne angelis quidem ipsis manifestum fuit. Quo enim pacto, cum ipsis per ecclesiam manifestatum sit? Idcirco ait, re vera magnum est, nam profectò verissimè magnũ prædicatur. Homo enim factus est Deus, & Deus homo: homo apparuit absque peccato, homo assumptus est, prædicatus est in mundo, viderunt eum angeli nobiscum, mysterium igitur est. Caueamus propalare mysterium, neque ipsum vbi que proferamus. Digni tanto mysterio viuere studeamus. Hi nempe, quibus mysteria creduntur, magni vtique sunt. Nam si rex nobis tẽporalis mysterium crederet, nõne id singularis amicitia ac familiaritatis indicium, certumque argumẽtum haberemus? At nunc Deus nobis mysterium credidit. Et quomodo, inquires, mysterium dicitur, quod est omnibus notum? Sed id antea erat incognitum, nũc autem singularis gratiæ merito manifestatum est.

MORALE.

STUDEAMVS igitur digni fieri, quibus credatur tantæ custodia sacramenti. Ipse enim nobis mysterium tantæ excellentiæ credidit, nos illi neque pecunias credimus. Ceterum cum ille hortetur ac dicat, Mihi vestra omnia

omnia seruanda permittite, nemo ea diripiet, neque tinea demolietur, neque latro suffodiet, ac centuplum se daturum polliceatur, ne sic quidem obtemperamus. Et certè dum apud aliquos quidpiam deponimus, nihil accipimus amplius, gratiasque agimus, si vel totum quod deposuimus, receperimus: & si fur aliquid furetur, nostro cum detrimento id faciet: at verò cœlestis ille depositi nostri saluator dicitur tibi non est, Latro accepit, neque corrofit tinea: sed & hic centuplum reddit, & illic æternam adiicit vitam, & nemo tamen apud illum deponere studet. At, inquires, serò mihi ista restituit: & istud illius magnifici muneris signum profectò maximum est, quod hic ista non reddit, in hac scilicet vita, fluxa, & mortali: imò verò & hic centuplum reddit. Nam, quæso, Paulus, nõne hic artis instrumenta reiecit? nõne Petrus calalum retèque dimisit? nõne telonium Matthæus reliquit? & tamen orbis totus illis longè magis quam regibus, maiorque cum securitate patebat. Nõne ad pedes ipsorum omnes pecunias deponebant? nõne illos rerum suarum dispensatores, ac dominos faciebant? nõne & animas suas in ipsorum manibus deponebant? nõne toti ex illorum consilio ac voluntate pendebant? nõne & se ipsos illorum seruos magna animi libertate fatebantur? Quid autem? nõne nunc etiam huiusmodi plura fieri cernimus? Nempe enim complures sæpe obscuro loco nati, & qui victum antea manuū suarum labore quærebant, necessariisque alimentis egebant, cum se ad monachorum vitam contulissent, illustriores omnibus euatere, atque à regibus ipsis honorati sunt. Num parua ista putabimus? Sed considera ista pro additamento esse, ceterum spei nostræ summam futuro tempore seruari. Contemne pecunias, si pecunias habere vis: si ditari cupis, pauper efficere. Huiusmodi quippe diuina sunt munera, omnemque transcendunt spem. Non vult ille proprio studio, sed gratia sua diuitem fieri. Mihi, inquit, ista permittite, tu spiritualium tantum rerum curam habe, vt meam potentiam discas. Seruile pecuniarum iugum fuge, quippe si illas tenere volueris, inops eris: sin autem eas aspernatus fueris, duabus ex partibus diues euades. Tunc tibi omnia vndique affluent, ex eo maximè, quod nihilo eorum indigeas, quibus plurimi egent. Neque enim possidere plurima, sed plurimis non indigere, diuitem facit. Itaque quandiu rex aliquo indiger, nihil meliore in loco, quam pauper est: quippe indigere aliis, ea tandem paupertas est. Itaque neque reges ipsi ea ratione paupertatis nomen effugiunt, quia subditis indigent. At non ita qui se crucifixerit mundo, nihilo enim indiget, sufficiuntque ei ad victum manus suæ. Mihi enim, inquit, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Ista ille dicebat, qui alio in loco: Quasi nihil habentes, & omnia possidentes. Ille, inquam, ista dicebat, qui Deus ab his qui Lystris morabantur, existimatus est. Si cupis his, quæ in mundo sunt, frui, cælum quære: si vis etiam præsentia consequi, toto illa studio despice. Quærite enim primum, inquit, cœlorum regnum, & hæc omnia adiicientur vobis. Quid parua ista miraris? Quid ad ea quæ abiectissima sunt, inhias? Quandiu inops eris? quandiu pauper esse persistes? In cælum intende aciem, cœlestique diuitias animo versa, aurum irride. Disce cuiusmodi sit illius vsus, quandiu nobiscum duret: vsque ad præsentem tantum vitam fragilem, atque mortalem, illius vsus extenditur. Quantum denique arena, imò verò quantum stilla ab immenso abyssio distat, tantum vita præsens ab æternis atque immortalibus bonis. Non est hæc vera possessio, vsus est, nec ipse quidem satis proprius. Quo enim pacto? quando quidem te expiran-

te, velis nolis, alij tua omnia accipiunt, & ipsi rursus aliis tradunt, & illi iterum aliis. Omnes enim peregrini atque aduenæ sumus, atque dominus domus fortè magis est mercenarius domus. Sæpe enim illo defuncto hic permanet, plus quam dominus fruitur domo. Quod si iste mercede conducit domum, & prior ille mercede item ædificauit, magnoque cum labore & ærumna construxit, verbo tantum ea dominatio est: re autem vera omnes alienarum rerum domini sumus. Illa tantum nostra sunt, quæ illuc præmittere cautè studemus: quæ autem hic sunt, non nostra, sed viuentium sunt, imò viuentes sæpe derelinquunt. Illa sola nostra sunt, quæque virtutis animæ propria sunt, elemosyna scilicet, ac pia in pauperes miseratio. Porrò ista exteriora dicuntur etiam apud ipsos externæ sapientiæ authores, quippe quæ extra nos sunt: ea igitur iuris nostri faciamus. Neque enim possibile est hinc pecunia accepta migrare, sed planè possibile elemosyna data proficisci: imò verò ipsa etiam præmittamus, vt nobis in æternis mansionibus tabernaculum præparent. Pecuniæ enim à Græco vocabulo ab vsu dicuntur, non quod propriæ sint, imò & possessiones ipsæ, vsus, non dominatio sunt. Dic enim quæso, villa quælibet quot habuit dominos? quot item habitura est? Dicitur quoddam vulgo prouerbi- um, & sapienter quidem. Neque enim passim contemnenda sunt, quæ vulgo dicuntur, si quid in se recti habent. Ager, inquit, quàm multos habuisti, & quàm multos habiturus es dominos? hoc & ad domos & ad pecunias ritè dici potest. Sola igitur virtus nobiscum migrare consuevit. Virtus sola ad æternam vitam pertransit. Euigilemus tandem, pecuniarumque extingua- mus appetitum, vt desiderium nostrum omne ad æterna transferre possimus. Non possunt duo isti amores simul habitare, vnumque possidere animum. Aut vnum, inquit, diliger, & alterum odio habebit: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Si videris virum clientum stipatum multitudine in forum erumpere, sericis amictum vestibus, atque equo vectum: noli stupescere, sed potius ride. Ac sicuti cum pueros videris constituto inter se principe ludere, risum tenere non potes: ita & hic facito. Nihil hoc illo deterius est, imò hoc longè gratius: quippe quod à puerili ætate magna cum simplicitate & innocentia geritur. Hic nempe risus voluptati permixtus est: contra, ille ridiculus, ac turpitudine plenus. Deo gratias age, quod te huiusmodi scena fasti- que turgido eripuit. Nam siquidem ipse volueris, humili tu loco natus, celsior eo euades, qui vehiculo fertur. Quo pacto? Quod ille scilicet corpore quidem humo modico superior est, ceterum animo terræ affixus est. Adhæsit enim, inquit, virtus mea carni meæ. Tu verò mente in cælo verlaris. At clientes ille plurimos habet se deducentes: at incertum est, magis ille, an equus honoretur. Quid autem hac stoliditate deterius? Sequuntur homines, vt iumentum facilius transeat. At fortè equo vehi inter appetenda ducatur? Sed seruis istud quoque commune est. Quid autem dici irrationabilius possit, quam velle ex equorum ac preciosæ vestis clientumque apparatu putari illustrem? Quid ea gloria dici vilis atque abiectius potest, quæ in equis consistit, ac famulis? Virtutis studiosus es? nullo istorum vtere, proprias habeto diuitias, propriumque ornatum. Hæc enim & nequam homines, ac scelerati & rustici, latronesque omnes, qui diuites sunt, habere valent. Mimi item, atque saltatores feruntur equis, famulosque habent, qui ante se currant: mimi tamen atque saltatores sunt, & ex equis ac famulis nihilo honestiores euascunt. Quoties enim eis qui huiusmodi sunt, nulla est animi virtus: frustra & incassum hæc extrinsecus appo-

nuntur. Et quemadmodum caduco parieti, aut nimirum fragili corpori quaelibet quisque apposuerit, in sua imbecillitate perdurat: ita & hic nullum anima emolumentum ab his quæ sunt extrinsecus sumit, sed eadem permanet, quantalibet ei quisque forinsecus ornamenta circumdet. Non ista miremur attoniti, cæterum animos à temporalibus, ac fluxis rebus, ad æterna ac digniora transferamus, cœlestium tangamus desiderio, spiritualia tantum consecremur, quæ nos re vera honestos faciunt, ac verendos, ut etiam futuris perfruamur bonis in Christo Iesu domino nostro, cum quo est Patri & Spiritui sancto gloria, imperium & honor in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XII.

CAP. III.

SPIRITVS autem manifestè dicit, quòd in nouissimis temporibus recedent quidam à fide, intendentes spiritibus erroris, & doctrinis demoniorum in hypocrisis falsa loquentium, & cauteriatam habentium conscientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creauit ad sumendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognouerunt veritatem: quia omnis creatura Dei bona est, nihilque reiciendum, quòd cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Quemadmodum hi, qui fide subnixi sunt, in tuto nauigant: ita & qui illa exciderunt, nusquam possunt consistere, sed longo errore circumacti, postremò in ipsa perditionis prærupta feruntur. Quod quidem etiam antè signauerat, cum quosdam diceret circa fidem fecisse naufragium. Et nunc item. Spiritus autem manifestè dicit, quòd in nouissimis temporibus recedent quidam à fide, intendentes spiritibus erroris. De Manichæis & Encratistis, & Marcionistis, omnique illorum officina hic loquitur, quòd scilicet recedent quidam à fide. Vides ut malorum omnium sit causa, à fide discedere: Quid sibi vult, manifestè? Planè, apertè, indubitato. Ne, inquit, igitur miretis, si modo quidam à fide discedentes, adhuc Iudaica superstitione detinentur. Tempus erit cum hi qui fidei particeps sunt, istud maiore cum execratione facient, cum non modò ad cibos vsque perniciosum consilium inferent, verum nuptias quoque, & huiusmodi cuncta damnabunt. Non de Iudæis hæc dicit: quo enim pacto locum haberet quod sequitur, In nouissimis temporibus? & illud item, Recedent quidam à fide? Verum de Manichæis, ac de huiusmodi erroris ducibus ea profecit. Spiritus autem erroris merito ipsos appellauit, quippe eiusmodi spiritibus afflati, ista loquuti sunt. Quid est autem, in hypocrisis falsa loquentium? nempe ipsa quæ mentiuntur, non per ignorantiam, neque inscij, sed simulando loquuntur. Cum certè veritatem non ignorent, verum cauteriata conscientia, hoc est, vita flagitiosa sint. Cur autem solos istos hæreticos fore prædixit? cum Christus de aliis quoque prædixerat, dicens: Necessè est ut veniant scandala, rursumque futura zizania prænucliauit? Tu velim Pauli prædictionem admireris, quippe ante tempora quibus ista futura erant, ipsum indicat tempus. Noli igitur mirari, inquit, si modò quado initium accepit fides, ista quidam clam inferre conantur perdita dogmata: quandoquidem longo post tempore cum firmissimis illa radicibus in-nixa fuerit, plerique à fide recessuri sunt: Prohibentium, inquit, nubere, abstinere à cibis. Quid oro? Num alias quoque hærefes tacuit? Et ipsas profecit signauit, dicens: Spiritibus erroris, & doctrinis demoniorum. Neque enim iam tunc ista voluit humanis inferere animis, sed id tantum aperuit, quod iam initium ceperat, abstinere à cibis, Quos Deus, inquit, creauit ad sumendum si-

A delibus, & agnoscentibus veritatem. † Infidelibus verò necdum infideles erant, quando per leges sibi horum vsus interdicebatur. Quid ergo? Nonne deliciae prohibita sunt? & nimis id quidem. Cur id, si ad sumendum condita sunt? Quia & panem creauit Deus, & tamen vsus prohibetur immodicus: & vinum creauit itidem, atque eo immoderatè vti prohibuit. Non itaque delicias tanquam immundum aliquid cauere iubet: sed ut quæ, si deseratur modus, vigorem animi soluant. Quia omnis creatura Dei, bona est, inquit, nihilque reiciendum, quòd cum gratiarum actione percipitur. Si creatura Dei bona est: omnia enim bona valde, eo quòd creaturam Dei dixit, edulia cuncta signauit. Iamque tunc hærefim iugulauit eorum, qui materiam ingenitam introducunt, atque ex illa facta esse hæc dicunt. Si igitur bona est, quid est quod ait, Sanctificatur per verbum Dei, & orationem? Non quia immundum est, ideo sanctificatur, absit: verum hoc in loco illos alloquitur, qui cõmunia quædam ex ipsis esse arbitrantur. Duo igitur capita ponit, vnum quidem, quòd creatura nulla communis est: secundò, quòd etsi communis sit, medicamentum in promptu est. Signum illi crucis imprime, gratias age, Deo gloriam refer, & protinus immunditia omnis abscessit. Num verò, inquires, & quod idolis immolatum fuerit, eadem possumus ratione mundare? Licet, siquidè nescias idolothytum esse: sin verò sciens ac prudens illud percipias, immundus iam eris: non ideo quia idolothytum est, sed quòd cum tibi imperatum sit non communicare demoniis, per id communicasse conuinceris. Itaque neque illud naturam huiusmodi est, verum ex sententia tua atque inobedientia immundum sit. Num suilla caro immunda est? non, si cum gratiarum actione percipitur, crucisque signaculo, nec aliud quicquam immundum est. Sola quippe voluntas erit immunda, quæ gratias non exhibet Deo. Ista fratribus dicens, bonus eris minister Christi Iesu, innutritus verbis fidei, bonæque doctrinæ, quam assequutus es. Quænam verò ista sunt? quòd scilicet mysterium magnum est, quòd his abstinere demonum est, quòd per verbum & orationem Dei cibi mundantur. Innutritus, inquit, verbis fidei, & doctrinæ quam assequutus es: prophanas autem & aniles fabulas deuota, exerce autem te ipsum ad pietatem. Ista suggerens, inquit. Vides ut nusquam hoc in loco autoritate imperantis, sed sola condescensione vtatur? Suggestens inquit non ait, Imperans: non dixit, admonens, sed, suggerens. Ac si dicat, consulens hæc suggerere, verbique de fide ac religione moue. Innutritus, inquit: perpetuam intentionem, & quasi diuinarum rerum habitum indicat. Nam quemadmodum carnales cibos diebus singulis ex necessitate requirimus: ita & fidei pietatisque doctrinam semper accipimus, eaque iugiter enutrimur. Innutritus, inquit, hoc est, diuina eloquia perpetuò ruminans, & infatigabiliter animo versans, eaque intentissimè quotidie meditans. Quippe ista non minimum animorum alimentum sunt. Prophanas autem & aniles fabulas deuota. Quas hoc loco fabulas dicit? Iudæorum profecit inepas obseruationes, & nimirum id quidem congruè. Nam sunt re vera fabulis etiam deteriores. Siue idcirco fabulas appellat, quia intemptiue fiunt. Quod enim suo tempore sit, perutile est: sin verò intemptiue fiat, non modò inutile, verum & noxium est. Nam exempli gratia: Si quispiam post vigesimum ætatis annum vberibus inhiet infantum more, quàm ridiculus erit? Vides ut hæc immunda & anilia dixerit? partim quia antiquata sunt, partim quia impedimento fidei fiunt. Nam vel sub metum legis inducere animam, quæ legalia cuncta transcenderit, & ad celsitudinem veræ gratiæ ac libertatis euaserit, & execrabile simul & immundum est.

Exerce

Exerce autem te ipsum ad pietatem. Hoc est ad fidem puram, vitamque rectam. Id quippe significat pietatis nomen. Exercitatione igitur nobis opus est, sed digna, sed spirituali. Corporalis enim, inquit, exercitatio ad modicum utilis est. Quidam hoc apostolum de ieiunio aiunt dixisse, sed profecit errant: neque enim est corporalis exercitatio ieiunium, sed spiritualis. Nam si corporalis esset, corpus profecit nutrirer: cum autem illud maceret & extenuet, macièq; cõficiat, corporalis dici omnino non potest. Igitur de corporis exercitatione ait inutili illa, & quæ nihil afferat lucri, soloque corpori accommodata sit. Spiritualem igitur exercitacionem nomine pietatis insinuat, quæ lætissimos fructus in futuro seculo reddit, & hic atque illic recreat. Fidelis sermo. Hoc est, verus: quoniam in hoc seculo & in futuro huius sacræ exercitacionis nobis præmium redditur. Vides ut omnibus in locis hoc inferat? Nullo indiget apparatu, nihil persuasione opus habet, sed absolute sententiam fert: quippe ad Timotheum illi sermo erat. Ergo & in hoc seculo iam præstantissima nutrimur spe. Nam is qui nihil sibi mali conscius est, plurimisque virtutibus ornatus incedit, & hic iam lætus exultat, ac spei suæ fructibus pascitur. Sicut è contra malus quisque ac reprobus, non in futuro tantum, verum & in præsentis seculo cruciatur, dum metu perpetuò agitur: & neminem aspicere fidenter aude, dum tremat iugiter, pallet atque anxius est. An verò non huiusmodi sunt etiam cupidi quique, ac fures, qui his quæ habet, fidere nequaquam possunt? Adulteri item atque homicidæ, nonne molestissimam viuunt vitam, qui Solem ipsum absque metu atque suspicione non hauriunt? Hæcne igitur vita dicenda est? Minimè verò, sed acerbissima mors. In hoc enim, inquit, laboramus & exprobramur, quia speramus in Deo viuente, qui est saluator omnium, maximèque fidelium. Cuius, inquit, rei gratia nos ipsos affligimus, atque cõcidimus, nisi futurorum recreemur spe? Cur omnes exprobrant nobis? Num frustra, inquit, ista perpetimur, qui iniurias, contumelias, maledicta, & mala quotidie innumera sustinemus? Si in Deo viuente minimè speramus, cuius rei gratia hæc patimur? Quòd si infideles hic saluat, quanto magis illic fideles seruari præsumitur? Quam verò salutem dicit æternam scilicet. Qui est, inquit, saluator omnium hominum, maximèque fidelium: hoc est, longè plus studij circa fideles ostendit, interim & huius temporis salutem dicit. Et quomodo, inquires, fidelium saluator est, si præsentis temporis salus accipienda sit? Imò & hac in vita fideles suos protegere ac seruari non desinit. Nam nisi ille saluator esset, quomodo fideles sui obistere possent, cum impugnarètur ab omnibus, & non magis in interitum deuenirent? His verbis discipulum etiam animat ad perferenda pericula, ne lassescat, neu soluat metu, cum saluatorem huiusmodi habeat Deum, alienaque protectione non egeat, quibus profecit ad ferenda omnia fortiter atque constanter accenditur. Nam & hi qui temporalibus commodis inhiant, spe quæstus incitati, negociationis labores atque pericula constantius subeunt. Iam igitur nouissimum imminet tempus. In nouissimis, inquit, temporibus recedent quidam à fide, intendentes spiritibus erroris, doctrinisque demoniorum, in hypocrisis falsa loquentium, & cauteriatam habentium conscientiam, prohibentium nubere. Quid igitur? Nos, inquires, nubere non prohibemus? Absit ut volentes prohibeamus, etsi nubere nolentes ad virginitatis celsitudinem consecrandam hortemur. Aliud quippe est prohibere, & aliud suæ voluntatis dominium relinquere. Nam alius quidem prohibet, atque id totis viribus nititur: alius verò ad virginitatè, veluti digniorum hortari pergit, neque id nubere prohibens facit,

A sed celsioris virtutis merita sectanda proponit. Prohibentium, inquit, nubere, abstinere à cibis, quos Deus creauit ad sumendum cum gratiarum actione fidelibus, atque agnoscentibus veritatem. Pulchrè ait, agnoscentibus veritatem, quippe vetera illa ac priora, omnia figuræ erant: nihil enim naturaliter immundum est, verum ex conscientia sumentis efficitur ut immundum sit. Cuius ergo rei gratia ciborum plurima genera illis per legem interdixit? Ea scilicet ratione, ut delicias amputaret immodicas. Cæterum siquidem diceret apertius, delicias fugite, atque ab his cibis ideo abstinete, nunquam profecit tolerassent, neque obtemperassent: at nunc illos necessitatis lege constringit, ut maiori metu ab his sumendis arceret. Nam quòd suilla carne piscis immundior sit, omnibus profecit liquet: & tamen cum illa interdicta sit, carni non piscium interdicitur vsus. Quòd verò perniciosè delicias solui populus ille solitus sit, Mosem audias dicentem: Comedit, & impinguatus atque incrassatus, ac deliciatus est, & recalcitrauit dilectus. Est autem & alia causa: Ut enim angustati per legem iam boves mactandos acciperent, ouèque immolarèt, meritò propter Apim ac vitulum à reliquis arceret: quippe ille immundus, ingratus, scelestus, prophanus, impurus est. Ista suggere, hæc meditare. Hoc quippe est quod ait, Innutritus verbis fidei, ea non modò aliis meditanda propone, verum & ipse in eis perpetua exercitacione versare. Innutritus, inquit, verbis fidei, ac bonæ doctrinæ quam assequutus es: prophanas autem & aniles fabulas deuota. Cur, quæso, non ait, Sustine: sed, Deuita? Ne scilicet huiusmodi sibi exercitacionem sumeret aduersus eiusmodi friuolas obseruationes dimicandi. Neque enim fieri potest, ut qui contra peruersæ sententiæ homines pugnat, aliquid lucretur vnquam. Cæterum si quando damnum aliquod ex nostra taciturnitate metuimus, quasi propter infirmitatem defectumque rationis mentibus nobis aduersus eos subire conflictum, tunc necessariò rerundenda illorum improbitas est. Exerce autem te ipsum ad pietatem. Pietas autem rectissima vitæ norma est, & conuersationis optimæ disciplina. Porro qui exercetur, etiam si tempus luctaminis deest, ipse tamen anxietate non vacat, & quasi in procinctu certaminis positus, omnia gerit, ab omnibus abstinet, totisque in certamine est, & puluere semper, sudorèque respersus. Exerce autem, inquit, te ipsum ad pietatem: corporalis, inquit, exercitatio ad modicum utilis est, pietas verò ad omnia utilis est, repromissionem habens vitæ præsentis ac future. Cuius, inquires, rei gratia corporalis exercitacionis mentionem fecit? ut scilicet ex collatione huius ostenderet eminentiam. Illa enim cum labores inferat plurimos, nihil habet lucri: hæc autem perpetua atque copiosissima emolumenta largitur. Sicuti cum dicit, mulieres seipsas ornare, nõ in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste preciosa: sed quod mulieribus conuenit, profitentibus pietatem per opera bona. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, in hoc enim laboramus & exprobramur.

MORALE.

PAULVS afficiebatur probris, & tu ea grauer atque indignanter fers? Paulus laborabat, & tu delicias quotidie meditaris? At profecit nunquam ille tam excellenti laude, æternisque bonis potiretur, si vitam in deliciis agere maluisset. Nam si secularia commoda, cum sint mortalia & corruptibilia, homines non absque laboribus ac sudoribus assequuntur, multò minus illis spiritualia ac digniora proueniunt, ocio desidiaque torpentibus. Sed inquires, At plurimis ista sæpe hæreditario iure proueniunt, Etsi sic illa proueniunt, horum

Infideli-
bus verò
nõ quomodo in-
fidelibus
quando
per leges
à talibus
seiplos
arcent.

Deu. 32.

Sup. 2.

tamē custodia laboribus perpetuis, angoribusque non vacant: verum laborare illos, atque in arumnis agere necesse est, & quidem non minus, quam qui illa initio quaesierunt. Omitto enim interim referre, vt plurimi post labores plurimos, & arumnas, spe sua frustrati sunt, in ipso portus ore vento contrario aliqua ex parte irruente, atque inter medias spes inferente naufragia. Verum enim apud nos nihil huiusmodi est. Deus enim pollicetur, spesque non confundit. An verò ignoratis & vos, qui negotiis secularibus inuetsamini, quam multi post labores innumeros, fructus omnes studiorum suorum amiserunt: cum autem morte præcepti sunt, aut rerum mutatione delapsi, aut morbo longiore vexati, aut calumniis inuidorum, atque aduersantium pressi, aut quoslibet casus alios perpeffi sunt, cuiusmodi saepe mortalibus obuenire necesse est? Ex quibus profectò omnibus id fit, vt vacuis proficiscantur manibus. Cæterum tu mihi contra eos numerare perges, qui minimis laboribus multa bona quaesiere. Quænam ista bona sunt? pecuniæ scilicet copia, magnificentia domus, soli infinita iugera, mancipiorum greges, argenti atque auri pondus immensum. hæc tu appellare bona non erubescis, neque suffunderis, homo cum sis, cui de cœlestibus philosophari fas sit? Non inquam, erubescis terrenis solum rebus, & commodis inhiare mortalibus, cui ad fruendum patet, si volueris, cœlum: eaque appellas bona quæ indignissima, simul atque vilissima sunt? Nempe enim si bona hæc dicimus, & eos qui ea possident, bonos itidem vocare debemus. Nam qui bonum aliquod habet, quomodo potest ipse non esse bonus? Quid ergo? Si qui ista possident, immodica habendi cupiditate aliena diripiant, num eos dicemus bonos? Si enim bonæ diuitiæ sunt, hæc verò ex cupiditate, iniquisque cõpendiis oriuntur: quanto illæ auctiores sunt, tanto qui eas possidet, melior fieri putandus est, atque ea ratione ille erit optimus, qui cupidissimus fuerit. Si autem diuitiæ bonæ sunt, quæ ex cupiditate incrementa suscipiunt, eò quisque bonitate præstabit, quò plura possederit. Quod quam sit absurdum, quamque à ratione dissentiat, omnibus perspicuum est, nisi fortè absque cupiditate opes cõgeri possent, atque innoxia possideri. Sed id profectò fieri nulla ratione potest, vt perniciosissima hæc perturbatio innoxia sit, atque id Christus dicens, definit sua sententia: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Quid igitur, inquires, si patri hæres quisque successerit? In iustè profectò coactas accepit opes: neque enim ex Adam maiores sui traxere diuitias, fierique potest, vt & alij plures ætate præcesserint, atque inter plurimos inuentum esse quempiam, qui iniuste aliena susceperit. Quid ergo dicemus, inquires, de Abraham? num iniquas ille possedit opes? Quid item de Iob, qui innocens, qui iustus, qui verax, qui Dei cultor, qui à malis omnibus abstinentis prædicatur? Opes illis non in auri argentique talentis, non in præclaris ædibus, sed in pecoribus erant. Quæ profectò diuitiæ, & innocuæ, & diuinitus permixtæ sunt. Nam quòd ex pecore illæ constarent, inde manifestum est. Cum enim is, qui illius gesta conscripsit, ea quæ illi contigerant, enumerasset, dixissetque camelos, & equas, & asinas mortuas esse, non addidit auri quoque talenta direpta fuisse. Præterea Abraham quoque familiarum diues fuisse memoratur. Quid ergo, inquires, has ille non emit? Nequaquam: quod scriptura signauit dicens, vernaculos illi fuisse trecentos decem & octo, & oues, ac boues. Vnde igitur aurum Rebecca transmissit? ex Ægypto id dono perceperat, nemine violato, aut iniuria affecto. Dic enim, quæso, vnde tu diues es? vnde ille? ex auita, inquires, hæreditate, alius

Luc. 16.

Gen. 14.

itidem ex hæreditate paterna: potène longam generis feriem repetens opes istas probare crimine carere iniustitiæ? Nunquam profectò id poteris, verum necesse est harum initium ac radicem ex aliqua iniquitate manasse. Vnde id constat? ex eo scilicet, quòd Deus ab initio non fecit alium quidem diuitem, alium pauperem: neque huic thesauros effodiendos ostendit, illum hac inuestigatione priuauit, sed eandem omnibus aperuit humum. Quo igitur pacto, quum illa communis sit, tu illius permulta iugera possides, proximus verò nec vnius glebæ possessione lætatur? Pater inquires, mihi ista reliquit: ille autem à quo ea suscepit? A maioribus scilicet. Sed necesse profectò est, per successionis lineam ascendendo inuenire principium, id autem iniustitia vacare non potest. Diues fuit Iacob, verum laboris sui mercede ditatus est. Sed mittamus planè ista, neque ea diligentiori scrutemur examine. Sint iustæ diuitiæ, & omni rapinæ crimine liberæ. Neque enim tu eris obnoxius, quæ pater quaesuit iniquo fortè compendio. Et si enim quæ habes, ex rapina collecta sunt, non tu tamen ea rapuisti. Verum vt concedamus, ne illum quidem rapuisse, sed effossum humo habuisse thesaurum: quid tandem? num idcirco sunt bonæ diuitiæ? Minimè id quidem. Sed neque, inquires, malæ sunt, nisi fuerint ex avaritia & cupiditate congestæ. Non malæ sunt, si egenis fuerint distributæ: sin verò huiusmodi officiis pietatis non inseruiat, & malæ, & perniciose sunt. Quandiu enim quisque malum non facit, malus non est. Quid verò si bonum non fecerit, bonus erit? An verò id malum non est, solum dominicas possidere diuitias? solum frui his quæ communia condita sunt? nonne domini est terra & plenitudo eius? Si igitur communis domini sunt nostra omnia, nostrorum quoque conferuorum non minus debent esse quàm nostra. Quæ enim domini sunt, omnia communia sunt. An verò non videmus & in magnis domibus hæc ita constitui? puta omnibus æqualiter esca diuiditur, quippe ex thesauris dominicis promitur, communisque omnibus est: & æqua ratione patet domini domus. Cõmunia sunt omnibus itidem & regalia omnia, communes vrbes, plateæ, porticus omnibus sunt, æquumque ius in his omnibus est, nec alius plus alio possidet, quæ vsui publico patent. Tu velim Dei dispositionem consideres omnino mirabilem: fecit quædam esse cõmunia, vt vel ex ipsis genus misceretur humanum: puta aërem, Solem, aquam, terram, cœlum, mare, lucem, sydera: hæc omnia veluti fratribus omnibus ex æquo partitur, eisdem omnibus oculos condidit, corpus idem, eandem animam, similem per omnia cunctis effigiem, ex humo produxit omnia, atque ex vno homine molitus est omnes. Cæterum horum nihil inclusit, fecit & alia pleraque communia: vt puta, lauacra, vrbes, plateas, porticus, & cætera huiusmodi. Et intuerere quæso, vt in his quæ communia sunt, nullæ resonant lites, sed pacata sunt omnia: ex quibus si quis aliquid vsurpare conetur, ac proprium facere, tunc iam continuo excitantur lites, veluti natura ipsa indignè ferente, quòd cum Deus nos vndique colligat, nos è contra ipsos diuidere nitimur, ac discerpere omnino contendimus: dum nobis communia vsurpare conamur, ac dicere: Hoc tuum, hoc meum est. Ex hoc enim contentio omnis, atque omnis occasio mœroris oritur: vbi autem hoc non est, nulla lis, nulla contentio gignitur. Magis igitur communis rerum, & æqua possessio, quàm proprietatis illa hæreditario iure prouenit, magisque secundum naturam est. Vt quid enim nemo vnquam de fori proprietate contendit? Quia commune omnium est. At verò de domus possessione omnes certare videmus, & de pecuniis itidem. Et ea quidem quæ

Psal. 113.

quæ necessaria sunt, nobis communia proponuntur: nos verò ne in his quidem quæ minima sunt, foedus seruamus societatis humanæ, dum ea communicare negligimus. Et certè illa idcirco communia fecit, vt ex his discamus & ista possidere communiter. At nos ne sic quidem discere volumus: verum vt dixi, bonus esse nò potest, qui diuitias possidet solus: sed tunc bonus efficitur, si eas aliis quoque communiæet. Si illas non habet, bonus erit: si & aliis tribuat, erit itidem bonus: cæterum quandiu eas habuerit solus, bonus profectò non erit. Hoc igitur bonum dicendum, quod dum tenetur, malos ostendit: dum deponitur, bonos. Non igitur habere pecunias bonum est, verum non habere, videri bonum facit. Non igitur sunt bonæ diuitiæ: cæterum si eas dum licet accipere, renuas, bonus itidem eris. Si igitur cum eas habentes communicamus egentibus, & oblatas spontè renuimus, tunc boni sumus: sin verò eas vel oblatas sumpserimus, vel soli possidere velimus, boni non sumus: qua ratione diuitiæ bonæ dicendæ sunt. Noli igitur eiusmodi appellatione falli, nec bonas dixeris, quæ bonæ non sunt. Idcirco nempe bono, quod verum est, cares: quia bonas diuitias putas, quia illas miraris attonitus. Purgare animum stude, iudiciumque diligentius adhibe: tunc profectò bonus eris, cum iudicio minimè aberraueris. Discere que vera sint bona. Quænam verò ista sunt? Virtus scilicet, atque benignitas, eadem profectò norma si misericors fueris. Quandò ea re excellis magis, tantò melior eris, atque putaberis: non sic autem, si fueris diues. Ita igitur boni esse studeamus, vt boni veraciter simus, futurisque perfruamur bonis in Christo Iesu domino nostro, cum quo est patri gloria &c.

HOMILIA XIII.



RACIPE hæc & doce. Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed forma esto fidelium, in sermone, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Dum venio, vaca lectioni, exhortationi, doctrina. Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij. Sunt quædam in rebus humanis, quæ doctrina indigeant, sunt item quæ imperio. Si igitur peruerso ordine, vbi docere necesse est, imperare malueris: ridiculus profectò eris. Eadem ratione, si docere pergas, vbi imperio vt conuenit, hoc ipsum similiter patieris. Verbi gratia: Malum non esse, docere minimè conuenit, sed imperare, & magna vi autoritatis prohibere: Iudaicis item non intendere fabulis similiter imperandum est. Cæterum si quidem substantias pauperibus distribuere, virginitatemque seruare opus sit, ac de fide differere, hic iam doctrina & exhortatione agendum est. Idcirco vtrunque posuit Paulus. Præcipe, inquires, ac doce. Puta si quis ligaturas inanes, aut aliud quidpiam eiusmodi, sciens ac prudens sequitur, præcepto atque imperio tantum arcèdus est: sin verò ignarus in ea inciderit, docendus est. Nemo, inquit, adolescentiam tuam contemnat. Vides vt imperare sacerdotum necesse sit, summæque cum autoritate differere, non semper docere. Nempe enim quoniam adolescentia ex præsumpta opinione communi fermè contemptibilis existimatur, idcirco ait: Nemo adolescentiam tuam contemnat. Oportet enim eum qui doctoris officium suscipit, ita se agere, vt despici contemni que non possit. Sed fortasse dicturus es: Vbi modestia ac mansuetudo sacerdotis eluceat, si semper in honore sit, neque contemptui pateat? In his quidem, quæ ad se pertinent, si contemnatur sanè, constantissimè ferat: ita enim per patientiam virtus prædicationis ostenditur. Verum in

his, quæ aliorum tangunt salutem, contemptui omnino non pateat. Id quippe non mansuetudinis est, sed stultitiæ. Nam si quidem iniurias in se, si maledicta, si iniurias vlcisci velit, ritè omnino culpabitur. Verum vbi aliena salutis negotium agitur, imperio vtatur, atque ex culmine autoritatis, ne quid noxium imminet gregi, summa cura prouideat: neque enim hoc in loco mansuetudine, sed autoritate opus est, vt ne ecclesiæ utilitas pereat. Aut fortè hoc significare voluit, dicens: Nemo te adolescentia causa contemnat. Si enim ætatis defectum, indolis magnitudine, morumque maturitate suppleueris, nullus iam te adolescentiæ causa contemnet, verum admirabitur magis. Sed forma, inquit, esto fidelium, in sermone, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate, in omnibus te ipsum præbens bonorum operum formam. Hoc est, exemplar vitæ, atque morum ipse esto tanquam imago, propositus, tanquam animata lex, veluti regula, ac norma bene recteque viuendi. Huiusmodi quippe doctorem esse necesse est. In sermone, inquit, vt faciliè instruere per doctrinam possit: in conuersatione, vt ecclesiæ sit propositus ad imitandum: in charitate, in fide, in integerrima castitate, in sobrietate, cæterisque virtutibus, ex quibus norma sumitur bene beatæque viuendi. Dum venio, inquit, lectioni vaca, & exhortationi atque doctrina. Timotheum ecce admonet lectioni operam dare. Audiamus omnes intentius, atque discamus diuinarum meditationem scripturarum minimè negligere. Dum venio, inquit, Prouidentissimè omnino id posuit, solaturque discipulum. Fieri enim necessariò debuit, ne desertum se, ac parente destitutum ille putaret, nisi ille suum polliceretur aduentum. Dum, inquit, venio, lectioni vaca diuinarum scripturarum, exhortationi mutue doctrinaeque ad omnes. Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam. Doctrinam hic intelligi voluit. Cum impositione manuum presbyterij. Non de presbyteris hoc in hoc loco, sed de episcopis loquitur. Neque enim profectò presbyteri ipsum ordinarat. Ista meditare, in his esto. Intuere quæso diligentius, vt illum eadem de re sapius moneat, id profectò ostendere volens, quòd eum qui doctrinæ ministerium sumit, in his maximè omnium studere necesse sit. Attende, inquit, tibi ipsi, atque doctrinæ, & permanc in ipsis: hoc est, attende tibi, & reliquos doce: hoc enim faciens, & te ipsum seruabis, & eos qui te audiunt. Nam qui doctrinæ innutritur ministerio, prior sibi, inde aliis emolumenta conquirat. Dum enim alios admonet, seipsum quoque compungit. Ista profectò Timotheo dum loquitur, omnes salubriter admonet. Quòd si ei qui mortuos excitabat, hæc monita edidit: quid iam nos miseri dicturi sumus? Sed & Christus cum qui proferret de thesauro suo & noua & vetera, homini patrifamiliæ similem dixit. Et Paulus iterum alio in loco: Vt per patientiam, inquit, & consolatione scripturarum, spem habeamus. Id quippe ipse maximè omnium egisse deprehenditur, qui ad pedes Gamalielis paterna instructus est lege, ac postmodum lectioni intentissimè operam dedit. nam prior ipse fecit, quod alios monuit. Denique videas illum iugiter prophetarum vt testimoniis, recòditisque in illis erucere sensus. At verò Paulus lectioni intendit, ex qua emolumentum sciebat non minimum elici posse. Nos contra negligimus, & somno desidiæque torpemus. Vt profectus, inquit, tuus manifestus sit omnibus. Vides vt in hoc quoque illum magnum fieri velit, atque mirabilem, ex quo scilicet ecclesiæ commoda prouenire sciebat. Vt profectus, inquit, tuus manifestus omnibus sit. Non modò in vitæ rectitudine, ac sanctimonia, verum in synceritate atque vbertate doctrinæ. Seniores, inquit, non incre-

Mat. 13.

Rom. 15.

Act. 22.

1371 COMMENT. D. IOANNIS CHRYSOSTOMI IN EPIST. PAULI 1372

CAP. V. *pauers.* Non equidem reor hoc in loco illum de dignitate dixisse, sed de ætate senili. Quid ergo, inquires, si & ille emendatione opus habet? *Tanquam patrem*, inquit, *suscipe.* Et modestè alloquere, mixtæque quadam reuerentia admone. *Anus*, inquit, *ut matres, iuuenes ut fratres, adolescentulas ut sorores, in omni castitate.* Ea quippe rei natura est. Graue quiddam ac molestum, inquit, est argui, idque tunc maximè, cum senex arguitur, atque ab adolescente. Triplex temeritatis notatur effigies, quam profectò solatur modò hac lenitate. Possumus quippe ita delinquentes arguere, vt non grauitur, non molestè audiamur, si nos in hoc exercere velimus. Est enim illud magnæ prudentiæ, neque passim omnibus patet. *Iuuenes*, inquit, *ut fratres.* Cuius rei gratia & hic illum lenitatis admonuit? vt scilicet ætatis frænaret audaciam, faceretque leniter admonentem libentius suscipi. Oportet enim & hic molestiam rei, mansuetudinis temperamento lenire. *Adolescentulas*, inquit, *ut sorores.* Et addidit, *In omni castitate.* Non modò ait, obsceni congressus vitium caue, verum omnem suspicionis vel obscuræ aditum claude. Quia enim adolescentularum colloquia turpi suspitione difficilè carent, oportet autem episcopum & illas alloqui, idcirco ait: *Cum omni castitate.* Quid verò, hoc sibi vult? Istane Timotheo imperas? Ista sanè, inquit: per ipsum enim orbè alloquor vniuersum. Sin verò ista Timotheo præcipit, consideret iam quisque cuiusmodi debeat esse, vt scilicet nullum suspicioni præbeat locum, ne vmbra quidem occasionis calumniari volentibus det. *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt.* Cur obsecro, nihil de virginitate differuit, neque ait, virgines honora? Vt equidem reor, virgines tunc fortasse non erant, siue etiam proposito virginitatis exciderant. Iam enim, inquit, quædam retrò conuersæ sunt post fatanam. *Viduas*, inquit, *honora, quæ verè viduæ sunt.* Ergo datur intelligi, fieri posse, vt aliqua sit quæ virum non habeat, nec vidua tamen sit. Quemadmodum enim virginem non hoc facit, viti ignorare concubitum, sed & aliis virtutibus plurimis illi opus est ad promerendam veræ integritatis laudem, vt scilicet sine querela sit, & diuinis rebus intenta, domino semper affideat: ita & in viduitate magno honore necessariò indigent. Quia enim viros non habent, ea res probro esse plerisque videtur, atque ideo illam à sacerdote iubet maiori cum studio honorari, neque ob eam tantum rem, verum quia etiam digna est. *Si qua autem vidua filios aut nepotes habet, discat primum domibus suis cum pietate præesse, & vices parentibus reddere.* Intuere prudentiam Pauli, quomodo plerisque in locis ex humanis rationibus admonet, & ex his quæ plana atque perspicua sunt. Neque enim magnum aliquid ac sublime hoc in loco proponit: sed quod, vt dixi, planum apertumque est: & vices, inquit, parentibus reddere. Quonam modò? Educarunt te illi, atque ad incrementa perduxerunt, magnòque honore profecuti sunt. Migrarunt illi ex vita, nec vicem eis reddere potuisti: non enim & ipsa illos vicissim genuisti: neque enutristi: hoc saltem nepotibus exhibe, vicèque redde. *Discant*, inquit, *primum domibus suis cum pietate præesse.* Hoc in loco beneficentiam intelligi voluit. Hoc enim, inquit, bonum & acceptum est in conspectu Dei. Postquam autem dixerat, quæ verè viduæ sunt: quanam sit veraciter vidua, signanter expressit dicens: *Quæ autem verè vidua est, & desolata, sperat in Deo, & perseverat in obsecrationibus & orationibus nocte ac die: quæ autem in deliciis est, viuens mortua est.* Ea, inquit, quæ secularem penitus abiicit vitæ, atq; in viduitate persistit, verè vidua est: quæ in Deum, vt cõuenit, sperat: quæ obsecrationibus & orationibus intèta, permanet in eis nocte ac die. Hęc

nampe vidua est, atq; ab illa longè discreta, quæ filiorum solatio nititur. Et illam quippe collaudat, quæ filios nutrit, vt decet: cæterum ea, vt diximus, veraciter vidua est, quæ liberis destituta sola persistit. Deinde eam ipsam consolatur, carentem filiis, dicens hoc esse, quod maximè viduam faciat, si non modò viri solatio, verum filiorum quoque priuata sit: habet enim illorum vice omnium Deum. Neque enim filiis orbata, minus aliquid habet, cum ipsorum absentiam suppleat veræ, vt diximus, solatium viduitatis, ac meritum. Noli, inquit, molestè ferre, dum audis oportere filios educare, cum ipsa filiis carcas, quasi ex hoc minus dignitatis habitura sis. Tunc enim veraciter vidua es, cum eo solatio destituta, ex Deo solo pendes, rebûsque diuinis. *Quæ autem in deliciis est, viuens mortua est.* Quia enim plurimè idcirco viduitatem eligunt, nõ vt laxioris vitæ occasiones amputent, sed vt eas magis incendiant, vt scilicet maiori cõ autoritate omnia gerant, liberiûsque seipsas voluptatibus tradant, ideo ait: *Quæ autem in deliciis est, viuens mortua est.* Quid oro, hoc sibi vult? Etiamne mulier vidua deliciis arcenda est? Et nimium quidem necessaria. Si igitur vbi & ætas, & sexus infirmior est, delicia ita prohibentur, quippe quæ mortis authores sunt, & mortis æternæ: quid dicturi sunt viri, qui se deliciis soluiunt? Congruè profectò ait, quæ autem in deliciis est, viuens mortua est. Discamus planè, quòdnam sit viuentium opus, quod etiam mortuorum: vt scire possimus, vbi hanc statuere debeamus. Viuentes profectò, quæ sunt futuræ vitæ, quæ sola verè vita est, gerunt. Quenam verò futuræ vitæ opera sunt in quibus nos iugiter oporteat exerceri, audi dicentè Christum: Venite, percipite præparatum vobis regnum à constitutione mundi: esuriu enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere. Viuentes non eo solum à mortuis differunt, quòd Solem atque aërem cernunt, sed eò quòd boni aliquid faciunt. Id quippe nisi assit viuentibus, nihilo defunctis meliores erunt. Atque vt id manifestius noveris, audi quomodo mortuos quoq; idem ipse redemptor noster viuere prædicet. Deus, inquit, non mortuorum, sed viuentiũ est. Sed istud quoque, inquires, ænigma est: igitur vtrunque soluamus. Mortuus est quisque viuens, cum in deliciis degit. Quonam modo? Venti solummodo viuunt, sensibus cæteris mortuus: neque enim aspicit quæ aspicienda sunt, neque audit quæ necessariò audire conuenit, neque ea loquitur, quæ decet loqui, nihilque in se viuere præter solam ventris ingluuiem indicat: ceterum quemadmodum mortuus quispiam in lectulo iacens, complosis palpebris, clausisque luminibus, nullum omnino sensum habet: ita & hic, imò longè hic deterius quàm ille affectus est. Ille enim bona æquè ac mala eadem ratione non sentit: hic autem malorum tantum non amittit sensum, sed nihil boni penitus sentit. Nihil illum ex his quæ in futura vita seruantur, mouet, sed ad omnia perstat immobilis, atque ita mortuus est, quemadmodum in cuniculum quendam obscurum, & tenebrosum antrum præcipitatus, atque immunditia omni plenus, intimis & opacis vitiorum finibus conditus, semper in tenebris instar mortuorum degit. Nam cum per omne tempus, partim prædiis occupatus, ac cœnis, partim ebrius durat, nõne in tenebris est? nõne mortuus est? Ne tum quidem cum vigilare videtur, nisi dormire conuincitur, cum necdum præteritæ noctis digesserit vinum, & futuræ potationis immodica cupiditate teneatur. Videtque illum serò, manè, meridie, semper cœnas cõeffationesque versare, noctesque totas, & auroræ plurimam partem profundo sopore detineri. Hęcine igitur inter viuos statuere, ac numerare quispiam audeat? Iam verò quis

1373

quis possit dignè tempestatem illam ingentem eloqui, quæ ex huiusmodi pernicioso deliciarum vsu in animam simul & corpus irrumperit? Quemadmodum enim vasta, ac perpetua nubium densitas radios Solis nunquam finit vim sui fulgoris ostendere: ita & vini, ac deliciarum euaporationes cerebrum non secus, quàm scopulum nactæ, illumque crassa nube tegentes, non permittunt liberè vsquam se intendere: verum in tenebris perpetuis detinent eum, qui sic miserabiliter iacet affectus. Neque explicari potest omnino, quanta intus tempestate iactetur. Quemadmodum enim sepe cum inundatio vehementior facta fuerit, aquarumque vis officinarum aditum occupauerit, turbati eos qui intus sunt cernimus, & discos atque amphoras, & spongias, & alia plurima ad exhauriendum aquam excogitata deferre, vt ne violatis fundamētis atque cõmotis, omnis posthac suppellex inutilis fiat: ita & anima quoties nimis deliciis oppressa fuerit, perturbatur omnis intrinsecus ratio. Cæterum quod iam coactum est, cum exhaurire difficillimum sit, quod rursus aliud è vestigio ingrediatur, incredibile est quanta perturbatio, quantumque fluctus imminet. Neque enim velim lætæ, subridētēque faciem cernas, verum ad intetiora transgredere, eaque diligenti examinatione perpende. Aspicias ea ingenti mœstitia plena. Ac si quidem liceret animam exutam corpore subiicere oculis intuendam, videres profectò huiusmodi delicioforum animas deiectas, mœstas, tristes, fœdas, macièque confectas. Quantò enim corpus pinguedine, crassitudinèque distenditur, tantò illa extenuatur magis, atque imbecillior fit, tantò item magis obruitur, atque sepelitur. Ac sicuti in oculorum pupilla siquidem exterius impositas tuniculas crassiores effeceris, cernendi vim emittere ex se nequit, & clarius intueri, cum radius ille oculorum ex ea pinguedine obtundatur, ac tenebris plena sint omnia: ita & corpus cum fuerit obesum, animam quoque obtusiorē eadere necesse est. At mortui, inquires, in putredinem tabemque vertuntur, ingentemque ab eis sanies defluit. Id profectò & in ea quæ deliciis soluitur, fieri videas: quippe rheuma, pituita, purgamenta narium, ructus ac vomitus ex ea profluunt: cætera enim omitto, quæ dictu turpia sunt. Tantum enim habent delicia virium, vt quæ ne eloqui quidem ipsi possumus, ea delicias sibi perferre suadeat. Quonam modo? Defluit vndique corpus, & imbecillius fit. At comedit, ac bibit. Non est id humanæ vitæ argumentum, quippe & muta animalia hoc ipso funguntur munere. Cum igitur mortua iaceat anima, quid ex eo cibo emolumenti, potuque percipitur? Neque enim si iaceat cadauer exanime pulchra veste contactum, ex eo flore vestis proficiet quippiam: ita neque anima mortua venustiori amicta corpore aliquid ex eo decore lucrabitur. Nam cum omnis illi cura, omnisque sermo, de cocis, & instructoribus mensæ, atque pistoribus sit, nihilque pium sentiat aut loquatur, nõne mortua est? Videamus certè quid homo sit. Definunt illum externæ sapientiæ authores, animal esse rationale, mortale, rationis ac disciplinæ capax. Nos ab illis hominis definitionem nequaquam mutuabimur. Sed vnde? ex diuinis scilicet literis. Vbi nam igitur quid sit homo illæ definiunt? Homo, inquit, fuit iustus, verax, pius, abstinens ab omni opere malo, hoc nempe homo est. Et alibi iterum: Magnū quiddam est homo, & preciosum viri misericors. Cæteros verò qui eiusmodi non sunt, quantumlibet rationis participes fuerint, disciplinæque capaces, non nouit scriptura appellare homines, sed canes & equos, & vperas, & serpentes, & vulpes, & lupos, & si quid etiam hisce feris ignobilius est. Si igitur hoc homo est, quod

scriptura definiuit: qui in deliciis soluitur, homo profectò non est. Quo enim pacto: cum nihil ex eis curæ sit, quæ hominem faciunt? Neque enim possunt delicia, atque sobrietas in eodem habitare domicilio. Hęc enim se inuicem perimunt, sicuti etiam externæ sapientiæ authores dicunt. Nam venter pinguis non gignit sensum tenuem. Moris etiam scripturæ est homines inanimos dicere, cum carnales eos significare vult, & certè illis non deerat anima, sed mortua illa erat. Quæ admodum enim de his, qui virtute clari sunt, licet habeant corpus, dicere tamen solemus, totus anima est: ita & de carnalibus, licet illis per vitam nõ desit anima, dicimus totus caro est. Sic & Paulus aiebat his, qui carnis opera non perficiebant, vos autem non estis in carne. Pari profectò ratione & qui in deliciis viuunt, non in anima, neque in spiritu, sed in carne sunt. Quæ autem, inquit, in deliciis viuunt, viuens mortua est.

MORALE.

AVDITE vos ista, quæ tempus omne in comestationibus, & ebrietatibus teritis, quæ pauperes fame tabescere, atque emori cernitis, & negligitis, cum ipsæ iugiter deliciis intentæ moriamini. Gemine quippe mortis authores estis, dum & eos qui fame vexatur, mori permittitis, & vobis ipsi mortem per delicias spontè consciscitis, simulque & vos & illos occiditis, dum modum seruare contemnitis. Nam si abundantiam vestram illorum indigentiam misceritis, duplicem profectò vitam viueretis. Quid quæso, vè trem satietate distenditis? Quid inopem contemnis inedia? Considera, quæso, diligentius, quisnam sit escarum finis, quis ciborum exitus, in quod illi vertantur, quid fiant. Nõne vel ad solum indignis auditum? Quid igitur, vt stercora plura conficias, elaboras? Nihil profectò aliud est ciborum illa superflua cura, quàm exaggeratio stercoris. Habet quippe natura modos suos, quos si quis excedat, & amplius quàm illa velit, vitiat: non iam cibum ille alimētum, sed pernicius fit. Enutri sanè corpus, non eneca. Idcirco enim alimenta hæc dicimus, non vt eis corpus perimamus, sed vt alamus. Ideo vt reor, esca ipsa sine tam abiecto concluditur, ne simus deliciarum amatores. Nam nisi illa hoc sine desineret, neque in perniciem corporis immodicam verteretur, etiam inuicem vorarem. Si enim totum capere quod immitteretur, venter tutò posset, atque inde corpori subministrare vires: quis esset bellorum, pugnarumque finis? Nam si modò quoque cum partim in stercus egeritur, partim in sanguinem inutilem pituitamque conuertitur: sic quoque deliciis insistimus & sæpe substantias integras vna mensa consumimus: nisi huiusmodi deliciarum finis esset, quò non erumperet nostra vafania? Maiore nos indices fœtore implemus, cum deliciis magis instamus, corpore nostro instar vtris defluente: & dum quispiam huiusmodi satietate distentus, crebris ructibus etiam cerebrum violat, vapores vndique ex corpore terri exhalant, veluti ex fornace quadam calore intrinsecus feruescente, vt est sapientum sententia. Quòd si & hi qui forinsecus sunt, ita indignantur, & grauitur ferunt: quid pati existimas cerebrum intrinsecus, dum iugiter eiusmodi vaporibus quatitur? Quid item feruentis sanguinis riuos, nec euaporare valentis? quid lacunas illas, iecur ac lienem? quid ipsa receptacula stercoris? Et quod deterius est, latrinas cautè curamus, vt ne obstruantur, sterçusque ad superiora exhalet, atque omnia huius rei gratia facimus, impellentes contis & instrumentis reliquis ad id negocij accommodatis: ventris autem nostri latrinas non emundare curamus, verum obstruimus atque oppilamus, & fumo ipso ad superna ascendente, vbi rex ipse sedem

Mat. 15.

Exod. 5.
& Mat.
22. &
Mat. 12.Definitio
hominis.

quis

habet, cerebrum scilicet, desideremus, nullaque moue-
mur cura. Cur id? quæso. Nempe quia ipsum non ut re-
gem honestum ducimus, sed veluti immundum quem-
piam canem. Idcirco nanque Deus membra illa longè
secreuit, ne qua ex eis pernicietas emanaret: sed minime
permittimus nos, qui omnia, modum non seruando,
corrumpimus. Taceo enim incommoda reliqua. Nempe
enim si latrinarum meatus obstruas, pestem videbis
protinus gigni. Quòd si extrinsecus imminens fœtor
prestem gignit, qui intrinsecus est, & vndique obstru-
ctus angustis corporis, non habet vnde euaporet: non
innumeros & animæ, & corpori morbos inducet?
Quòdque acerbissimum omnium est, non desunt, qui
in Deum contumelias referant, dicentes: Quidnam
hæc est? Stercoris non receptacula fecit, cum ipsi id po-
tius augeant. At ideo Deus ita constituit, ut vel sic deli-
ciarum vsu arceret in modico, ut vel ita persuaderet nõ
affigi secularibus rebus. Cæterum nos ne sic quidem
deliciis temperamus, sed ad fauces vsque, & vsque ad
mentem tempus, imò neque tandiu voluptate perseue-
rante, deliciis tamen dediti sumus. An verò non simul-
atque præterit linguam atque fauces, voluptas omnis
extincta est? Sensus quippe omnis in gustu est. Cæte-
rum post hæc vbi voluptas illa pertransiit, magna pro-
fus tristitia relinquitur, siue stomacho per cruditatē op-
presso, siue qualibet alia difficultate laccessente. Merito
igitur ait, Quæ in deliciis est, viuens mortua est. Nihil
enim vel loqui, vel audire conuenienter potest deliciis
obfessa anima: efficitur namque mollis, ignaua, imbecilla,
illiberalis, timida: interdum verò audaciæ assentationis,
imperitiæ plena: indignationis, iracundiæ maiorumque
omnium receptaculum, bonis virtutibusque omnibus destituta.
Quæ in deliciis, inquit, est, viuens mortua est. Et hæc præcipe, ut irreprehensibiles sint. Vides uti
hoc legis iure constituat, non proprio permittat arbi-
trio? Præcipe, inquit, non vacare deliciis, quasi pro con-
fesso malum, perniciosumque habeatur: quasi nefas sit,
cum qui deliciis studeat, mysteriorum esse participem.
Et hæc, inquit, præcipe, uti irreprehensibiles sint. Vides
ut peccati ea res sit? Nam quod in voluntate consistit,
etiam si omitatur, nihil prohibet irreprehensibile esse.
Et nos itaque Paulo obtemperantes, præcipimus deli-
ciis viduas abstinere. Nam si miles lauacris ac spectaculis
vacans, intentusque negociis, veluti desertor militiæ,
iure damnatur: multo magis viduæ, quæ deserto munere
suo deliciis student. Non ergo quæramus hinc requiem,
ut in futuro seculo illam inuenire possimus. Fugiamus
huius vitæ delicias, ut veras æternæ vitæ delicias mereamur,
delicias inquam æternas, ignaras mali, bonisque immo-
talibus plenas: quibus vti nam simul omnes perfruamur
in Christo Iesu domino nostro, cui est cum patre, &c.

HOMILIA XIII.



Si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem abnegauit, & est infideli deterior. Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educauerit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est. Plerique virtutem suam sibi satis esse ad salutem putant: & si vitam suam ritè disponant, deesse sibi nihil arbitrantur, sed hi profectò falluntur. Idque aperte satis indicat seruus ille, qui talentum vnum sibi à domino creditum fodit in terram. Neque enim imminutum illud, sed integrum, & huiusmodi quale acceperat, retulit. Euidenter & beatus Paulus hoc in loco id ipsum af-

Mat. 25.

ferit, dicens: Si quis autem suorum curam non habet, Curæ nomine, prouidentiam animæ corporisque significat: & hæc enim cura est. Qui verò suorum, & maxime domesticorum, hoc est genere ad se pertinentium curam nõ habet, infideli, inquit, deterior est. Idem fermè Efaías quoque prophetarum eximius admonet, dicens: Domesticos feminis tui ne despexeris. Nam si quis propinquos genere, atque affinitate coniunctos aspernerit, quo pacto erit in alienos clemens? Nonne vanitati, iudicio omniũ erit obnoxius, si alienos beneficiis fouens, propinquos summa immanitate despiciat? Quid item si illos de fide instruat, hos in errore iacere permittat, quibus benefacere iure suo facilius, & comodius possit, quantæ istud immanitatis erit? Quam latè patet de-
tractionis locus, dicentibus gentibus, Christianos sine affectione esse qui despiciant suos. *Et est, inquit, infideli deterior.* Cur id? Quia ille & si alienos despiciat, propinquos tamen nequaquam aspernatur. Diuinas planè leges violat, & iura naturæ, qui negligit suos. Porro si is, qui suorum non habet curam, fidem abnegauit, & infideli deterior est: qui suos etiam violat, vbi constituitur? Cum quibus assistet? Quomodo autem fidem abnegauit? Deum, inquit, verbis se scire contentur, factis autem negant. Quid autem præcipit is, cui credimus, Deus? Domesticos feminis non despiciendos. Quomodo autem huiusmodi credit, qui Deum abnegauit? Cogitemus ista; qui pecuniis parcimus, propinquosque despiciamus. Deus nempe idcirco vincula propinquitatis instituit, ut multiplex subesset occasio nos mutuò diligendi, beneficiisque confouendi. Quando igitur quod infidelis facit, tu facere negligis, nonne fidem abnegasti? Non igitur in sola confessione, sed multo magis in effectu operis fides ostenditur. Possunt singuli, per omnia & credere, & fidem abnegare. Postea enim quàm verba de deliciis fecit, non inquit, in eo solum periit, quòd deliciis vacat, verum & quòd propinquos despiciere cogit. Merito qui vètri viuuit, ac per id periit, fidem abnegasse dicitur, & infideli esse deterior. Neque enim idem est, proprium, alienumque aspernari, sed longè maioris est criminis, notum, quàm ignotum: amicum, quàm qui nõ sit iunctus amicitia spernere. *Vidua eligatur nõ minus annorum sexaginta, quæ fuerit vnius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens.* Dixerat, discant primùm domum suam bene regere, & vices parentibus reddere. Dixerat, quæ in deliciis est, viuens mortua est. Addiderat, infideli deterior rem esse, nisi domesticorum haberet curam. Quæ omnia nisi haberet, viduarum catalogo indigna esset: iam quid habere oporteat, dicit. Quid ergo? Num illam annorum metimur numero? Ad id cuius meriti est? Neque enim in ipsa est, sexagesimum impleffe annum. Nõ igitur sola ætas inspicienda est, imò si sexagenaria quoque sit maior, & bonis operibus careat, eligenda non est. Quid igitur tanta diligentia designat ætatem? Causam postea ponit, non à seipso, sed à viduis ipsis inuectam. Interim quid sequatur, audiamus: *In operibus, inquit, bonis testimonium habens.* Quibus operibus? *Si filios enutriuit.* Non parui profectò momenti est enutrire filios. Id verò non de alendis tantum filiis dicitur, sed sicuti oportet alendis, sicut superius dixit, si permanserint in fide, & dilectione, & sanctificatione. Vides ut omnibus in locis beneficentiam in suos præferat? Primùm enim si filios enutriuit ponitur, & tunc si suscepit hospitio, si sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus necessaria ministravit, si omne opus bonum assecuta est. Quid oro, si pauper illa sit? Ne sic quidem hæc muneribus omnibus fungi desistat: neque enim est illa pauperior, quæ duos obolos sacris thesauris ingessit. Nam licet pau-

Esa. 9.

Anna. Luc. 4.

ad Tit.

1. Tim. 3.

Hic sup. Ibidem.

Mat. 10.

Gen. 18.

Sup. 2.

Mar. 11. & Luc. 11.

cer pauper sit, habet tamen domum, non enim sub diuo manet. *Si sanctorum, inquit, pedes lauit.* Cuius istud impensa est? si omne opus bonum assecuta est. Corporale ministerium est omne quod præcipit. Sunt enim mulieres huiusmodi obsequiis in primis idoneæ, lectulū sterneræ, ac fouere ministerio. O quantum diligentia requirit à vidua. Tantum profectò, ut ab episcopo plus ferè nihil exigat. Si, inquit, omne opus bonum assecuta est: etsi enim id exequi ipsa non potuit, particeps tamen accessit, & ministerij confors. Denique, ut delicias omnes abscinderet, curam suorum ac prouidentiam habere imperauit, & orationibus semper insistere. Huiusmodi & antè illa de euangelio fuit. Vides ut à viduis plus ferè diligentia, quàm à virginibus poscat, licet ab illis eximiam exigat, exactissimamque virtutem? Nam quod ait, ad id quod honestum sit, & facit sine distractione vlla domino semper assistere, summam virtutem fermè comprehendit omnem. Inspice diligentius, ut non secundis abstinere nuptiis viduam faciat, sed aliis quoque plurimis illi opus sit. Cur enim, quæso, secundò matrimonium non quæsiuit? An quòd reprehensibile existimaret? Absit, id quippe hæreticorum est, sed ut se iam spiritualibus deuoueret rebus, & virtuti instaret attentius. Neque enim immundæ sunt nuptiæ, sed occupationibus patent. Quippe & cum dicit, ut vacet: non ait, ut purgetur. Ingentis enim planè occupationis occasio matrimonium est. Si igitur idcirco non nubis, ut timore Dei vaces, & vacare detrahis, nihil tibi ea res profuit. Obsequium igitur omne super hospites, & sanctos debes ostendere: quod si facere negligis, matrimonio idcirco abstinuisse conuinceris, quòd reprehensibile existimaueris. Ita fermè & virgo, nisi summa diligentia crucifixa sit mundo, cõnubium ideo repudiasse videbitur, quòd velut immundum, impurumque exhorruerit. Vides ut peregrinorum susceptionem, non simplicem humanitatem, sed præcipuo studio, & tota animi voluntate, summæque alacritate, ac deuotione, tanquam re vera ipsi Christo exhibitam, signet? Neque enim permittit huiusce in sanctos obsequia ancillis imperari, sed ipsas per se illis ministerium ferre iubet. Si enim ego, inquit, laui discipulorum pedes, multo magis vos debetis inuicem facere. Quantumlibet denique fueris impulenta, & in summa dignitate constituta, ac præcipua generis gloria fulgeas, nõ tanto harum rerum interuallo eos, quibus obsequeris, superas, quanto discipulos Christus. Si illos ut Christum suscipis, nihil est cur erubescere debeas, imò ingens tibi gloria inde conquiritur: sin verò nõ ut Christum suscipis, ne suscipis quidem. Qui enim, inquit, suscipit vos, me suscipit. Quòd si non ita suscipis, mercede cares. Prætereuntes homines viatores, ut putabat Abraham suscepit hospitio, neque tamen permittebat seruis omnia, sed vxori misceri farinam imperabat, & quidem cum trecetos haberet & decem & octo venaculos, quorum vxores itidem habuisse famulas dubium non est. Sed ipse cum vxore mercedem sibi comparare festinat, non impensa tantum, verum ministerij quoque. Ad hanc regulam hospitalitatis iura seruanda sunt. Nos ipsos cuncta inferre oportet officia, ut ipsi sanctificari mereamur, ut benedicantur manus nostræ [etsi pauperi dederis, ne respuas tuis ipsius dare manibus.] Christo enim, non pauperi tribuis. Quis verò sit adeo infelix, ut erubescat manum Christo porrigere? Istud re vera hospitalitas est, istud verè de amore Dei proficiscitur: cæterum si superbè cæteris inferre ministerium imperes, quantalibet hospites humanitate foueantur, nequaquam hospitalitas ea res est. Ingenti nempe hospes eget obsequio, & ne sic quidem ille fiduciam sumit. Ea quippe rei natura est, ut erubescat cui infertur hospi-

Anna. Luc. 4.

1. Tim. 3.

Mat. 10.

Gen. 18.

Sup. 2.

Mar. 11. & Luc. 11.

talitatis officium, nimiròque ad eam tollendam verecundiam est opus obsequio, ut & signo, & verbo ostendamus inter ista officia beneficium nos non inferre, sed referre, plùsque longè recipere, quàm demus. In hunc modum, ex alacritate nostra quod agimus, incrementa suscipiet. Sicut enim qui detrimeti nomine, id officium censer, omnia perdit, & qui beneficium se putat inferre, mercedis multum amittit: ita & qui se accipere beneficium dum exhibet, existimat, fecundioribus successibus gaudet. Hilarem enim datorem diligit Deus. *2. Cor. 9.* Gratias magis pauperi debet, quia dignatur accipere. Nisi enim essent pauperes, peccatorum difficilè sarcinam poneres. Medici illi sunt vulnerum tuorum, manus eorum tibi medicamenta præstant. Non ita medicus, ut medicamenta imponat, extendens manum, curationem exhibet, ut pauper abs te ut accipiat, porrigens manum. Dediti pecuniam, & peccata simul exuisti. Huiusmodi & sacerdotes: Peccata enim populi comedunt. Maiora igitur recipis, quàm lagiris, beneficiumque potius accipere, quàm ferre probaris, Deoque non hominibus fœneraris, diuitiasque non minuis, sed auges: minuis autem illas nisi eroges, nisi indigentibus des. *Si, inquit, hospitio suscepit, si sanctorum pedes lauit.* Quorum obsecro? eorum scilicet, qui in tribulatione sunt, non sanctorum simpliciter: possunt enim esse sancti, summòque obsequio ab omnibus foueri. Noli hos prosequi copia rerum affluentes, sed afflictos, incognitos, & qui à multis ignorantur. Qui fecerit, inquit, vni ex his minimis, mihi fecit. *Mat. 25.*

B

C

D

MORALE.

NOLI præfule ecclesiæ ista tribuere partienda, ipse potius ministra, ne solius impendij, verum obsequij percipias præmium: propriis eroga manibus, tu sulcum fere pietatis. Non hic figendum est aratrum, non iungendi boues, non expectandum tempus, non profcindenda humus, non cum algeris inclementiore cælo luctandum, omni huiusmodi cura semen istud liberum est: quippe in cælum seris, vbi neque frigus, neque hyems, neque aliud quippiam est. In animas spargis, vbi nemo quod ferit, tollit: sed tenacissimè inhæret, magnæque diligentia, & summo studio colitur. tu fere: quid te ipsum mercede priuas? Magna profectò merces est, posse etiam aliena disponere: non solum dare, merces est: sed & quæ data sunt, benè, prudenterque dispensare. Cur ipse huiusmodi non occupas præmium? Nam quòd huic quoque operi merces dabatur, attende. Constituerunt, inquit, apostoli Stephanum ad ministerium viduarum. Esto ipse quoque tuarum dispensator rerum. Ipsa humanitas, Dei quoque te ordinat timor: istud & vanitate vacat, istud animas recreat, istud sanctificat manus, istud inflatos animos deprimit: istud philosophiam docet, istud promptum atque alacré facit: istud te benedictionibus replet, proficiscitur caput tuum plenū benedictionibus viduarum. Studioli ad orationis opus accurre sollicitè, & sanctos viros inquire, qui re vera sancti sunt, qui in solitudinibus sedet, qui mendicare non valent, qui Deo semper ac iugiter vacant: in longinquam abi peregrinatione, per te ipsum eroga. Multum enim, si dederis, emolumenti consequeris. Vides tabernaculum, ac diuersoriū, cernis desertum, inspicis solitudinem: sitque, ut sæpe dum pecunias distribuere pergis, animam Deo integram offeras capiaturque te amor quietis, & socius sancti certaminis fias, atque cum illo vnà valefacias sæculo. Multum confert pauperum ipse quoque conspectus. Bonum est, inquit, ingredi domum luctus, quàm domum risus. Hic enim animus intumescit. Nam dum prouocaris ad risum, si-

2. Cor. 9.

1. Cor. 4.

Mat. 25.

Aa. 6.

Vita monachor.

Ecd. 7.

mul deliciarum lenocinio caperis. Vbi verò risus abest, tristitia patet. At in domo luctus nihil eiusmodi est, verum et si defunt deliciae, dolore non caperis: sin verò adfint, disciplinae rigore te contines. Verè domus luctus monasteria sunt, vbi cinis, atque cilicium, vbi solitudo, vbi risus nullus, nullus negotiorum secularium strepitus, vbi ieiunia, vbi terrenorum duritia leculorum: ibi munda sunt omnia, nullus ibi nidoribus locus, absunt procul sanguinis riui, perturbationes, curæ, tumultus, tranquillo in portu nauigant, ac veluti luminaria sunt, sublimi de loco nauigantibus fulgore suo iter aperientes. In littore placido sedent, omnes ad quietem suam inuitantes, ac pertrahentes, neque naufragium pati finentes eos, qui se intuentur, non permittunt in tenebris degere eos, qui suas aspiciunt sedes. Perge itaque ad illos, quare, hospitio suscipe, accede, tange sacros pedes. Longè enim honorabilius est illorum pedes, quàm aliorum caput attingere. Nam, quæso, si statuarum pedes plerique tenent, quòd effigiem habeant regiam: tu illi, qui Christum ipsum in se habet, pedes non tenebis vt saluus fias? Sancti sunt pedes, etiam si viles sunt: at verò profanorum ne caput quidem honorabile. Sanctorum enim pedes virtutis eximia sunt: idcirco etiam cruciant, quando pedù excutiunt puluerem. Cùm sanctus apud nos fuerit, nihil illius verecundia nobis esse putemus. Sancti verò omnes sunt, qui fidem rectam sanctitati vitæ coniunctam habent: & si signa illi non faciant, neque eiiciant demones, sancti sunt. *Si sanctorum pedes lauit*, inquit. Quasi enim de terra in cœlum, ita ad sancti cuiuslibet viri monasterium de propriis domibus itur. Non ibi conspicias ea quæ domi: mundus est locus ille, alta ibi quies, atque silentium est. Meum & tuum inde prorsus eliminatum est. Illic vel si diem vnum, aut duos manseris, tunc verò voluptatis maiore sensu perfrunderis. Lucefcit, imò ante lucem gallus emittit vocem, non vbi velut in secularium domibus stertit familia, clausæ sunt ianuae, omnes alto sopore prostrati, mortuis similes sunt, mulio tintinnabula quatit, nihil illic eiusmodi est: verum omnes cum reuerentia, discusso sopore consurgunt, à præfule excitati suo, adstantque sacro instituto choro, protinusque expansis manibus sanctos concinunt hymnos. Neque enim illi vt nos, vt excutiant somnum horis plurimis indigent. Nos quippe simulatque surreximus, diutius occupamur, imus ad requisita natura: deinde manus lauamus & facie, postea calcementa sumimus, ac vestes, multumque in his temporis terimus: ibi nihil huiusmodi videas. Nullus illic famulù vocat, quisque enim sufficit sibi, non eget vestibus plurimis, nihil opus habet excutere somnum: simul enim atque oculos aperit, diutius vigilasse viderur: quod illi sobrietatis ratione cõtingit. Nisi enim cor pregraue cibus infrà mergatur, leui salubriq; somno expergiscitur facile: móxq; precum repetit vices, manus puræ téduntur, quia somnus præcessit honestus atque moderatus. Nemo stertentes audit hic, aut hiantes somno: nullus iactari quempiam per soporem videt, neque nudari: sed dormiunt, honestius vigilantibus compositi. Hoc autem totum ex animi disciplina & honestate proficiscitur. Isti profectò sunt sancti, atque inter homines angeli. Sùmus nanque Dei timor non sinit hos profundo sopore demergi, animumque à suo vigore laxari, sed fermè in superficie est, ipsòque reficit solùm. Huiusmodi illorum quoque sunt somnia, nò phantasia, aut portentosas imagines referunt: sed vt dixi galli cantu continuo [præpositus] assistit, pulsâtque modicè pede iacentem, sicque omnes vnà protinus excitat: neque verò nudos ibi dormire fas est. Inde vbi surrexere, diuinis laudibus instant, hymnòque propheticos canunt, magno

A suauisque concentu, & canticis numerosis. Non fistula, non cithara, non vllum aliud instrumentum musicum tam dulces efficit modos, quàm sancti illi summa in solitudine & quiete psallentes. Ipsa quoque illorum cantica, conuenientissima sunt, & amorem Dei, diuinarumque rerum studium spirant. In noctibus, inquit, extollite manus vestras ad Deum. Et rursus: De nocte manè vigilat spiritus meus ad te Deus, quia lux præcepta tua sunt in terra. Cantica item Dauidica fontes mouetia lacrymarum. Cùm enim psallit, dicens: Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Et iterum, *Quia cinerem tanquam panem manducabam*. Item: *Quid est homo, quòd memor es eius?* & *Homo vanitati similis factus est.* & illud, *Dies nostri sicut vmbra transeunt.* & *Ne timearis cùm diues factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius.* Et iterum: *Qui habitare facit vnus moris in domo.* & *Septies in die laudem dixi tibi super iudicia iustitia tua.* Ac rursus: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super iudicia iustitia tua.* & *Deus libera animam meam de manu inferi.* & *Si ambulauero in medio vmbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Itémque, *Non timebo à timore nocturno, à sagitta volate in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurfù & demonio meridiano.* & *Æstimati sumus vt oues occisionis.* Quando cum angelis canunt, nam & angeli tunc etiam psallunt, *Laudate dominum de cœlis: nobis oscitantibus, prurientibus, atque stertentibus, siue etiam supinis iacentibus, & fraudes innumeras cogitantibus: quæle est illos noctis totius spatium in Dei laude consumere.* Vbi verò lux diei iam vicina est, pausant illi pusillù, & quum opera nos aggredimur, illi quietis sibi vendicant tēpus. Iam verò vbi illuxit, quisque nostrum alium vocat, sermonemque de impediis texit, inde irrumpit in forum, magistratui adstat, tremat, ac supplicia metuit. Alius in scenam abit, alius ad opus suum proficiscitur: illi contra matutinis precibus, hymnòque peractis, ad sanctarum scripturarum studia se conuertunt. Sunt & qui libros scribere didicerunt. Vnusquisque verò præstitum habens domicilium, silentio perpetuo studet. Sicque nemine rextente nugas, aut aliud aliquid loquète, tertiam, sextam, nonam, vespertinamque consummant synaxin: quippe quatuor in partes diem scindentes, impletis partibus singulis, psalmodiis atq; laudibus honorat Deum: cæterisq; prandentibus, ridentibus, ludentibus, ciboque distentis immodico, hi laudibus vacant. Minima his instruendæ mensæ cura, & omnium quæ sensui subiacent: post cœnam rursus diuinis inseruiunt laudibus, sicque sobrij somnum capiunt. At seculares quidem & die dormiunt: hi noctu quoque peruigiles durant, vt re vera lucis filij. Et illi vbi somno plus indulgere, grauari prodeunt: contra, hi semper sobrij sunt sine cibo persistentes, & hymnis intendentes. Ad vesperam rursus inclinante die illi ad lauacra & requiem properant: hi verò à seipsis laborem spiritualis exercitij laxates, cibum sumunt, non famulorum excitantes gregem, non domum discurrentes, turbasque & tumultus commouentes, neque preciosas dapes & coquorum arte laboratas apponentes: sed alij panem tantum, & sal, alij & oleum sumunt, plerique infirmiores olera atque legumina in cibum accipiunt. Inde vbi paululum sederint, tempus omne hymnis concludentes, singuli thoris requiescunt, ad quietem solùm, non ad delicias factis. Nullus ibi principum terror, nulla arrogantia dominorum, non seruorum timor, non turba mulierum, non paruulorum inquietus clamor, non scriniorum multitudo, non vestis superflua, non aurum, non argentum, nulla custodia;

stodia, non fiscus, non aliud huiusmodi quicquam: sed omnia orationibus feruent, hymnis omnia resonant, omnia spiritali fragrantia redolent. Nihil ibi carnale est, non latronum illic timetur incurfus: neque enim habent quod eis possit auferri, pecuniis carent, corpus tantum & animam possident. Ea qui tulerint, non modo læserunt nihil, verum & plurimum profuerunt. Mihi enim, inquit, viuere Christus est, & mori lucrum. Absoluerunt nexibus corporis: profectò enim, Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum. Non illic auditur vlulatus & gemitus, vacant his omnibus tecta illa scelicia, his tristibus, his clamoribus libera. Moriuntur quidem & in ipsis, neque enim corpore sunt immortales: cæterum mortem illi nec ducunt, nec existimant mortem, cum hymnis prosequuntur abeuntes, eamque rem non elationem funeris, sed pompam, & præmisionem vocant. Denique vbi quisquam nunciatus fuerit mortuus, magna oritur exultatio, ingensque voluptas omnium. Imò ne mortuum quidem aliquis appellare præsumit, sed consummatum. Inde gratiarum actio sequitur, & gloria, ingensque lætitia, singulis orantibus se hoc sine donari, sic exire certamine, & à laboribus sudoribusque quiescere, Christumque videre. Quòd si quis infirmatus fuerit, non lamenta, non lacrymæ, sed perpetuæ funduntur preces: non ibi medicorum operatur manus, sed fides sæpe sola sanauit infirmum. Nempe & si opus fuerit medicis, magna & hic ostenditur philosophia, ingensque ostenditur tolerantia. Non adstat solutis crinibus vxor, nò parui pupillarum incommodi, quæ necdum contigere mala descentes, non familia expirantem importunis precibus pulsans vt se cuiquam tutò commendet: sed his impedimentis omnibus exutus animus, vnum inspicit solùm, quo pacto maiore cum gratia extremù Deo spiritum fundat. Sed & si contigerit morbus, non ex gula prodiit vitio, non ex vinolètia, sed ipsæ quoq; morborum occasiones plenæ sunt laudibus, non criminibus vllis obnoxia. Aut enim ex vigiliis iugibus, aut ex continuato ieiunio, aut ex aliquibus huiusmodi infirmitas nascitur: quocirca etiam facile liberantur. Satis enim illis est ad euadenda languoris incommoda, si vel modicè de pristino rigore relaxent. *Si sanctorum, inquit, lauit pedes.* Et in ecclesiis eiusmodi quid inuenias, neque enim quoniam illorum exposuimus vitam, eorum qui intra ecclesiam sunt instituta despiciamus. Plurimi sæpe huiusmodi & in mediis ecclesiis sunt, sed delitescunt. Non enim quia circumcunt domos, quia subeunt forum, ideo despiciendi sunt. Et hoc Deus imperauit: *Iudicate, inquit, pupillo: & iustificate viduam.* Complures sunt virtutis viæ, quemadmodum denique vnionem magna differentia est, licet omnes appellentur vniones: sed vnus quidem candens est, atque omni ex parte rotundus, alius verò huiusmodi specie caret, cæterum alio decore nitescit. Nanque ad imitationem coralij veluti quadã arte effictam, oblongam præfert lineam, angulosque tornatos, habetque quiddam albo colore venustius, prasinum scilicet, omni virore iucundius: alius coloris amœnitate præfert sanguinis speciem, alius mare colore cœruleo superat, alius purpurei fulgoris est emulus. Solis quoq; colores inuenies: huiusmodi & sancti sunt. Nam alij quidem seipfos exercent, alij & ecclesias secum. Si sanctorum, inquit, pedes lauit, si in tribulationibus subministravit: percurramus hæc opera, vt vbi gloriarì possimus: quòd sanctorum lauamus pedes. Certè si sanctorum oportet lauare pedes, multò magis & pecunias illis porrigere manu. Nesciat, inquit, sinistra tua quid faciat dextra tua. Quid mille aduocas testes? ne seruus quidè si fieri potest, neque vxor aspiciat: Multæ sunt artes hostis callidi. Sæpe fit, vt quæ

A nunquam impedimento fuit, tunc impedire contédatur, siue vanitatis, siue alterius cuiuslibet perturbationis instinetu. Quippe & Abraham miræ licet fidei haberet vxorem, cum tamè filium offerre institueret, celare eam maluit: & quidem cùm ignoraret quod futurum erat, putaretque illum ab se abique cunctatione litandum. Quid putas dixisset, si quis ex vulgo cenfor accederet? nòne illum vt summæ immanitatis & feritatis arguisset? Quòd ne videre quidem filium vxor digna fuisset, neque extremam eius audire vocem, non aspicere palpitantem, sed veluti captum belli lege mactasset? At nihil huiusmodi iustus ille cogitauit, diuini amoris affectu ebrius. Nihil enim aliud, quàm quod sibi iustum fuerat, intuebatur, idque studebat compendio exequi. Non erat in illius animo filius, non vxor, imò neq; ipse rei sciebat euentum: sed modis omnibus hostiam puram Deo curabat offerre, non lacrymis illam, aut contradicitione vlla inquinare. Denique cùm diceret ad illum Isaac, *Ecce ignis & ligna, vbi est ouis? ait pater: Deus prouidebit sibi ouem in holocaustum filii.* Dixit & hoc prophético spiritu, quòd filiù sibi Deus prouideat fore holocaustum, is denique & tunc rei fuit euentus. Cur obsecro, & ipsum iugulandum quid velis facere celas? Vereor, inquit, ne lassescat, aut deficiat animo, timeo ne per id videatur indignus. Vidisti quanta cum diligentia gesserit omnia, vt scriptura ait: *Nesciat, inquit, sinistra tua, quid faciat dextra tua.* Hoc est, quantumlibet quempiam habeamus vt proprium membrum, non illi, nisi summa necessitas sit, aperiamus quid facere velimus: multa enim inde gignuntur incommoda. Nam facile inaniter gloriamur, & aliquo impedimento prohibemur, nisi clam ista fecerimus. Quocirca & nos ipsos, si fieri potest, lateamus: vt promissis bonis perfrui mereamur, in Christo Iesu domino nostro.

HOMILIA XV.

DVLESCENTVLAS autem viduas deuota. *Cum enim fornicatae fuerint, in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Simil autem & ociose addiscunt, circumuehentes domos: non solum autem ociose, sed & nugaces, & curiose, loquentes quæ non oportet. Volo igitur adolescentulas viduas nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia. Iam enim quedam conuersæ sunt retrò post satanam. Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, vt non grauetur ecclesia, vt his quæ verè viduæ sunt, sufficiat. Qui bene præsent presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim scriptura: Non alligabis os boui trituranti: & dignus est operarius mercede sua. Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Peccantes coram omnibus argue, vt & ceteri timorem habeant.* Postquam de viduis multa disputauit Apostolus & definita ætate non minorem sexagenaria dixit eligendam, & cuiusmodi esse oporteat viduas, docuit dicens: si filios enutriuit: si suscepit hospitio, si sanctorum lauit pedes: Rursus adiecit, *Adolescentulas autem viduas deuota.* De virginibus autem, licet ea res maioris ponderis sit, nihil tale signauit. Maximum quippe virginitas est, & à maiori mente proficiscitur. Nam quod hic ait: Si hospitio suscepit, si sanctorum lauit pedes, & huiusmodi cætera, illi opposuit, quod dixerat, & faciat domino semper assistere. & item: *Quæ autem inuupta est, cogitat quæ domini sunt.* Quòd si de ætate nihil diligentius disputat, noli mirari: & illud enim ex hoc maximè patet, quod superius dixi, virginitatem illas maiore mente elegisse. Præterea hoc in loco iam quidam contigerant lapsus, hique occasio-

Phil. 1. Phil. 107.

Psal. 113.

Psal. 6.

Ibid. 101.

Ibid. 8.

Ibid. 147.

Ibid. 107.

Ibid. 43.

Psal. 67.

Ibid. 118.

Ibidem.

Ibid. 48.

Ibid. 22.

Ibid. 95.

Ibid. 41.

Ibid. 143.

Phil. 51.

Mat. 6.

Gen. 22.

Gen. 22.

Mat. 6.

Deut. 25.

& 1. Cor.

Luc. 10.

1. Cor. 7.

fuerint
aduersus
Christum,
nubere
volunt.

*Depōdi.
2. Cor. II.

nem praestiterant huiusce ferendae legis. Illic verò nihil tale reperis. Nam quòd quaedam antè corruerint, ex coliquet quòd sequitur: *Cum fornicatae fuerint, nubere volunt in Christo.* Et paulò post: *Iam enim quadam abierunt retrò post satanam.* Adulescentulas, inquit, viduas deuota. Cur id? *Quia cum fornicatae fuerint, nubere volunt.* Quid est, cum fornicatae fuerint? Cum in lasciuia fuerint, deliciasq; resolutae. Ita fermè & viro cuiilibet modesto diceretur: Dimitte illam, alterius enim fuit. Ostendit ergo illas & viduitatem simpliciter, & absque iudicio villo elegisse. Et vidua igitur Christo in viduitatis professione consentit. Ego, inquit, praceptor eram viduarum, & pupillorum pater. Insinuat vt neque viduitatem ritè elegerunt, sed fornicantur, & tamen fert. Nanque alio in loco ait: * Optaui vos vni viro virginem castam exhibere Christo. *Cum, inquit, illi se deuouerint, nubere volunt, habentes damnationem: quia primam fidem irritam fecerunt.* Fidem, pactum dicit. Contra veritatem mentitae sunt, inquit, ipsum irritauerunt, & foedera violauerunt. *Simul autem & ociosae addiscunt.* Non itaque solis, vt operentur, praecipit viris, verum mulieribus quoque. Omnè enim maliciam docuit ociositas: non huic damnationi tantum obnoxiae sunt, sed & criminibus aliis. Si igitur circumire domos mulieri non congruit, multò sanè minus competit virgini. *Non solum autem, inquit, ociosae addiscunt, sed & nugaces & curiosae, loquentes quae non decet.* Volo igitur iuniores nubere, filios gignere, matres familiis esse. Quidni loquaces, ociosae, curiosaeque fiant, quando viri cura decedente, Dei diuinarumque rerum nõ succedit cura? Qui enim sua non curat, aliena non curabit omnino: sicuti cui sua cura sunt, alienorum nulla ratio subest, cura nulla alterius obstreptit. *Loquentes quae non decet.* Nihil minus conuenit foeminae, quam aliorum facta curiosè disquirere, neque mulieri solum, sed etiam viro: quippe impudentiae singulis potissimum id argumentum est. Volo igitur, quia & ipsae volunt, volo & ego, adulescentulas nubere, filios gignere, matres familiis fieri, domi residere: longè enim praestat haec facere, quam illa. Oportebat quippe sollicitè curare quae Dei sunt, fidemque seruare: quoniam verò illa non fiunt, melius est ista fieri quam illa. Neque enim Deus irritatur, neque mala ista discuntur: quippe viduitas illa nihil parit boni, ex nuptiis verò plurima bona prodeunt: & illud ante omnia, quòd negligetiae illarum, & animo resupino consultitur, dum viris se subditas norunt. Cur ergo non dixit, quoniam viduae exciderunt? Magna oportet illas prudentia diligentiaque tractari, ne illa quae dixi patiantur. An verò matrimonium praecipit? absit, sed ne prohibet quidem. *Nullam, inquit, occasionem, dantes aduersario, maledicti gratia, neque causam vllam.* Quaedam enim, inquit, conuersae sunt retrò post satanam. Prohibet igitur ab huiusmodi viduas, atque deterret, nõ quòd adulescentulas esse viduas nolit, sed quòd adulteras fieri vetet: nolens ociosas esse, loquentes quae non decet, atq; ociosas, nolens diabolo occasionem dari. Ea causa sublata, non prohibet iuniores viduas esse. *Si quis autem vir aut mulier fidelis habet viduas, subministret illis: & non grauetur ecclesia, vt his quae verè sunt viduae subministret.* Veras iternum viduas illas dicit, quae desolatae sunt, nullaq; ex parte solatiu habent: haec nempe doctrina saluberrima est, ex qua duo maxima bona proueniunt. Et illae enim occasionem beneficentiae accipiunt, & istae congruè nutriuntur, ecclesiaeque non grauetur. Pulchrè autem addidit, si quis vir fidelis, aut mulier. Infidelium enim viduas ab illis nutrirì minimè decebat, ne illis indigere viderentur. Et vide quam prouidè, non magnificentiam vllam indixit, sed suppetentiam solum. Subministret, inquit, illis, vt ecclesia veris viduis subministret. Merce-

dem sibi & hac ex parte cõquirat, dum iuuat ecclesiam: neque illa solum adiuuat, sed viduas quoque, dum eas nutrirì larga ope permittit. Volo adulescentulas: quid vacare deliciis? in lasciuia solui? nihil eiusmodi: sed nubere, generare filios, matres esse familiis. Quoniam modo? ne putes ipsum ad delicias eas hortari: audi quid sequitur: *Nullam occasionem dantes aduersario, maledicti gratia.* Oportebat quidem ipsas secularibus euadere cellis, quia verò humiliorem locum elegerunt, vel in ipso permancant. *Presbyteri qui bene praesunt, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina.* Dicit enim scriptura: *Boui trituranti os non infranabis.* & *Dignus est operarius mercede sua.* Honorem hoc in loco obsequium dicit, & necessarium reru largitionem. Nam quòd sequitur, non infranabis os boui trituranti: & dignus est operarius mercede sua, hoc signat. Itaque & cum honore viduas ali praecipit, ad necessarium victum referat, vt his quae verè viduae sunt, ministrare sufficiat. & rursus, honora viduas veras, hoc est in paupertate constitutas: quantò enim pauperior est, tantò magis est vidua. ponit testimonium legis, apponit & Christi, ambòque sibi omnino consentiunt. Nam lex ait: Non infranabis os boui trituranti. Vides quomodo vult laborare doctorem? non sanè est labor alius illi conferendus. addit & Christi testimonium: Dignus est enim, inquit, operarius mercede sua: non ergo solum intueamur mercedem; verum & modò praecipit audiamus. Dignus, inquit, est operarius mercede sua. Itaque si quis delicatus, aut remissus fuerit, dignus profectò non est. Nisi quis fuerit bos triturans, & contra gelu & spinas iugum sustinens traxerit, neque antè discesserit, dignus non est. Oportet ergo doctoribus necessarium victum affatim ministrari, ne deficiant, neque soluantur, neque minimis occupati, magnis seiplos atque alios priuent, vt spiritualia operentur, nullam secularium habentes rationem. Huiusmodi Leuitae erant, qui nullam secularium rerum habebant curam, quemadmodum laici. ipsis quoque Leuitarum erat cura permessa, & lege illis constituti fuerant reditus, decimae, aurum, primitiae, vota, & alia plurima: verum illis lege ista meritò permittebantur, praesentia tantum & terrena quarentibus. Ego ecclesiae praesules audenter dixerim nil praeter victum & vestitum habere oportere, ne ad ista trahantur desiderio. Quid est autè duplici honore? putamus dictum, duplici, quòd ad viduas & ministros extenditur: an duplici pro eo positum, quòd est magno? Non ergo id inspicimus tantum, quòd eos duplici honore dignos dixit: sed quòd addidit multò magis attendamus, qui bene praesunt. Quid est autem bene praesesse? audi dicentem Christum: Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus. Bene igitur praesesse, hoc est nulli parcere illorum regiminis gratia. *Maximè, inquit, qui laborant in verbo & doctrina.* Vbi modò sunt, qui dicunt sermone ac doctrina opus non esse? quandoquidem tanto studio Timotheum Paulus admonet dicès: *Ista meditare, in his esto.* Et iterum: *Vaca lectioni, cõsolationi: hoc enim faciens, & te ipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.* Et hos omnium maximè iubet honorari, causamque addit, dicens: *Multum enim laborem sustinent.* Quam verò id iustè. Cum enim alius non vigilet, neque curis maceretur, sed passim securus, & quietus in quotidianis fabulis, & confessibus sit: hic autem concidatur solitudine, & meditationi perpetuò insistat, idque maximè si exterioris disciplinae sit rudis: quis non videat, quanto sit ceteris honore praefendus: quippe qui seipsum tot laboribus & ærumnis exposuit. Est enim linguis innumeris propositus ad lacerandum: alius culpat, alius laudat, alius detrahit, alius memoriam, alius compositionem in ius trahit,

Supr. 4.

Num. 15.

Deut. 17.

& Hier. 19.

Supr. 1.

trahit, magnaque illi constantia ad ista toleranda opus est. Multum enim omnino ad ecclesiae aedificationem confert, si praesules doctrinae gratia polleat: quae nisi adfit, plurima ecclesiastica disciplinae peribunt. Idcirco postquam dixerat, oportere doctorem esse hospitalem, mansuetum, irreprehensibilem, istud quoque connumerat, additque doctorem. Vt quid enim doctor appellatur, nisi vt doceat? Sed fortè dices, vt philosophiam vitæ doceat exemplo. Friuola haec sunt: est enim necessarium verborum quoque magisterium, ideo & Paulus ait: maximè qui laborant in verbo & doctrina. Cum enim de dogmatibus differitur, quem hic locum vitæ sanctitas habet? Quid habet virium? Neque verò cum sermonem laudauerim, qui fastu tumidus, externae peritiae iactantiam sequitur: sed qui virtutis, ac succi habeat plurimum, qui sensibus grauis sit, & sapientia plenus. Non ergo apparatus illi opus est, ac pompa dicendi: sed intelligentia ac viribus, ad id quòd sentit eloquendum idoneis. *Contra presbyterum, inquit, accusationem non suscipias, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Num contra iuniorum, aut quemlibet omnino accusatio est sine testibus admittenda? Nonne cum summa diligentia semper sunt exercenda iudicia? Quid est ergo quòd dicit? Ne contra alios quidem, inquit, minimè verò aduersus presbyterum. Porro presbyterum hic non ex dignitate, sed ex ætate vocat. Quippe quòd facilius iuuenes delinquant, quam seniores, liquet. Verum quia Timotheo credita ecclesia fuerat, imò gès ferè tota Afiatica, idcirco illum & de senioribus admonet. *Peccates, inquit, coram omnibus argue, vt & ceteri metum habeant.* Hoc est, non citò decide, sed omnia diligenti inquiras indagare: vbi verò aperte didiceris, vehementer inuehere, ita vt alij respiciant. Vt enim temerè & indiscussè iudicare perniciosum est: ita manifesta peccata non persequi, viam aperit ad audenda facinora. *Argue, inquit, non vt cunque, sed seuerè: ita enim & alij metuent.* Et quomodo Christus ait: *Vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum, si peccauerit in te?* Verum illum quoque permittit in ecclesia corripi. Quid ergo? Nonne maius scandalum facit, coram omnibus arguere? Minimè id quidem: magis enim scandalizantur, si peccata non ignorantes, nullum inferri videant cruciatum. Sicut enim si impunè peccetur, plurimi delinquant: ita si peccata puniantur, complures virtuti student. Ita & Deus fecisse deprehenditur. Nam Pharaonem, & Assyriorum regem, & alios plures poena multauit. Sed & homines, & ciuitates poenam dedisse videmus: vult ergo episcopi omnes habere metum, ipsumque omnibus praeficit. Quia enim multa saepe ex suspitione fiunt: oportet, inquit, adesse testes, qui ipsum iuxta veterem arguant legem. In duobus enim, aut tribus testibus manet omne verbum. *Aduersus presbyterum, inquit, accusationem ne recipias.* Nõ ait, noli condemnare, sed ne accusationem, inquit, recipias, neque ad iudicium sedeas. Quid ergo, inquit, si duo quoque mentiantur? Istud quidem raro contingit, liquebit autem si iudiciorum inspicatur forma. Peccata nanque satis est si vel duos habeant testes, quòd ea clam, & absque arbitris fiant: hoc ergo profectò magnae probationis indicium est. Quid ergo si peccata quidem indubitata erunt, sed testibus careant, solaque inualescat opinio? Dixi inquit, superius, oportere illum testimonium & ab his qui foris sunt, habere bonum. Cum timore igitur Deum diligamus: iusto enim lex posita non est. At plures virtutem quoque necessitate, non voluntate eligentes, magnū ex timore percipiunt fructum, dum suas concupiscentias frant: idcirco ergo de gehenna textitur sermo, vt ex ea comminatione ac metu lucremur plurimum. Si enim traditurus aeternis ignibus

peccatores ea incendia non intentasset, plures profectò in illa incidissent. Nam si modò quoque quado gehennae horror nostros concutit animos, non desunt, qui tam facillè delinquant, ac si nulla eius mentio fieret: si nihil huiusmodi praedictu esset, nulla praecessisset comminatio, quò non erupisset nostra effrenata vaesania? Non ergo minus, quòd semper dico, Dei prouidentiam gehenna cõmendat, quam promissio regni. Quippe huic illa cooperatur, dum metu ad id cõpellit homines: nec est sanè cur eam rem immanitatis, aut atrocitatis esse putemus, sed misericordiae potius, ineffabilisque clementiae, prouidentiae, & singularis in nos benevolentiae signum. Nisi enim sub Iona cõminatio euersionis praecessisset, proculdubio secuta esset euersio. Nisi dixisset subuertendam Niniuem, Niniae profectò non staret. Nisi gehenna intentata esset, omnes in gehennam laberemur: nisi praesset ignis, nemo euasisset incendium. Praedicit contraria quae vult agere, vt quae cupit, efficiat. Non vult mortem peccatoris, & eam fore praedicit, ne praecipitemur in mortem. Non dixit verbo solum, verum & opus ostendit, vt caueamus. Porro ne quis eam rem comminationem esse arbitretur, sed re eam esse veraciter credat, & quae hic contingere admonendus est. An non videtur tibi gehennae esse indicium, diluuium illud quo vniuersa periere?

MORALE.

QVEM AD MODVM enim, inquit, in diebus Noë nubebant, & ad nuptias tradebāt, ita & tunc: praedixerat ante multos annos, & modò praedicit. Iam quadringentesimus annus excessit, & nemo applicat animum. Fabulam esse plerique putant, ac rident, nullus timore corripitur, nemo lacrymas fundit, nullus percutit pectus. Fluuus ignis ebullit, flamma succenditur, & nos risui deliciisque vacamus, ac sine villo metu peccamus. Nulli vnquã dies illa in metem venit, nullus transire praesentia cogitat, non cõsiderat esse peritura: & quidem cum res quotidie clament, & tuba clariorem emittant vocem. Intempestivae mortes, mutationes rerum, quae viuentibus nobis contingunt, nequaquam erudiunt nos: infirmitates, & reliquos non attendimus morbos: non modò autem in corporibus nostris, verum in ipsis quoque elementis mutationes videre est. Denique per singulas aetates quotidie desuere cõspicimus mortem, & in omnibus vbiq; rebus ipsis inconstantia instabilitaque signatur, nunquam hyems perstat, nunquam aestas figitur, fugit verna temperies, autumnusque dilabitur: currunt, labuntur ac desuunt. Quid dicam flores? quid dignitates? quid reges, qui modò sunt, & cras esse desistunt? quid diuites? quid splèdida aedificia? quid noctem ac diem? quid solem? quid lunam? nõne & ista patitur detrimenta? Ipse num sol saepe deficit? num obscuratur? num tegitur nube? Vllane res visibiles permanet semper? Nulla profus. Sola ex his quae in nobis sunt, anima perpetua est, & eam negligimus: eorū verò quae mutantur, quasi mansura sint, curam ingentem habemus: cum sempiternè manentis animae, ac si praetereuntis, nulla nobis ratio sit. Ille potens est, sed in crastinum vsque, postea verò peribit. Constat id ex his, qui fuere maiore potentia praediti, & modò nusquam apparent. Scena quaedam est vita praesens, ac somnium. Sic enim in scena sublato velamine, varia illa soluuntur, vt somnia: vbi solis illuxit radius, abuolant omnia: ita & modò consummatione propinqua, & omnium & singulorum cuncta soluuntur atque euanescent. Ac arbor quidem abs te plantata permanet, & domus abs te condita durat: opifex verò, & agricola proficiuntur, ac pereunt. Hisque ita contingentibus, ne sic quidem reue-

Eccles. 2.

Ibid. 1. & 12.

1. Cor. 1.

remur, neque erubescimus: sed velut immortales hæc omnia præparamus, in luxum deliciisque resoluti. Audi denique quid dixerit Salomô, qui præsentium rerum periculum fecerat: *Ædificavi mihi domos, inquit, plantavi hortos atque pomaria, vineas & piscinas aquarum, argentum & aurum congregavi mihi, feci mihi cantores & cantatrices, greges & armenta possedi. Nullus unquam tam in deliciis affluxit, nullus adeo fuit illustris, nullus tam sapiens, nullus maiore principatu, nullus cui tam ad vota cuncta succederent. Quid ergo? Nullum ex his retulit fructum. Sed quid ait post ista omnia? Vanitas vanitatum, inquit, & omnia vanitas. Non ait simpliciter, vanitas, sed magnitudinem vanitatis expressit. Credamus illi sanè, qui cuncta erat expertus, & illuc animos transferamus, vbi non vanitas, sed veritas est: vbi omnia firma, fixa, stabilia, vbi supra petram omnis structura consurgit, vbi senectus non est, neque transitus, vbi omnia florent, omnia vigent, vbi nihil vetustate senioque conficitur. Diligamus Deum, quæso, toto affectu cordis, non gehennæ metu, sed desiderio regni. Quid enim, oro, visioni Christi conferendum est? nihil ac immortalibus frui? quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se. Studeamus illis perfrui, ista contemnamus: nõne sapissimè ista reprehendimus, humanam vitam nihil esse dicentes? Quid tanto studio, quod nihil est quæris? quid labores pro nihilo sustines? At splendida ædificia conspicias, eorumque te fallit aspectus. In cælum protinus attolle oculos, aversumque à lapidibus & columnis obtutum, ad illam pulchritudinem dirige: animaduertes formicarum ista esse, & culicum opera. Sapienter intuitum ad digniora conuerte, ascende cælestia animo, inde præclaras istas intuere structuras, videbis nihil aliud esse, quàm paruulorum ludicra. Vidisti vt subtilior, vt leuior, vt nitidior, vt que illustrior sit semper aer, quantò illius celsiora penetraveris? Ibi qui elemosynas largiti sunt, domicilia sibi, tabernaculaque construxere. Ista omnia in resurrectione soluentur, imò etiam ante resurrectionem, tempore omnia defluunt, pereunt, atque solvuntur. Et ante ipsam verò vetustatem, quantò maiorem sui gratiam cernentibus præbent, tantò repentino motu terræ prostrata sunt, aut incêdio conflagrant. Non solum enim in ætatibus hominum, verum & in structuris ædificiorum immatura mors furit. Et fit sæpius, vt quæ vetustate cariola sunt, concussa humo immota perdurent: quæ verò insigni fulgore nitent, fixaque ac nuper instructa sunt, solo tonitruo agitata ruunt, Deo, (vt reor) disponente, ne structurarum molibus intumescamus. Vis alia quoque ex parte vacare tristitia, perge ad ædificia ipsa communia, quorum æqua tibi fors est: neque verò domus aliqua est, multum licet splendida, publicis ædificiis clarior: quatumvis temporis illic remorare, tua illa sunt vnà cum cæteris, communiæque, non propria sunt. Sed non oblectant: primùm quidem cõsuetudo in causa est, postea verò cupiditas quoque. Itane cupiditas, non pulchritudo delectat? An habet cupiditas oblectationem, & velle quæ omnium sunt, sui iuris efficere? Quandiu istis affigimur? quousque terræ inharemus, vt vermes, atque in luto versamur? Corpus nobis finxit Deus in terra, ipsum quoque subuehamus in cælum, non vt per ipsum animam detrahamus in terram. Terrenum illud est, sed si voluero cæleste sit. Vide quãto nos afficit honore, huiusmodi nobis potestate permessa. Feci ego, inquit, cælum & terram: eadem conditionis facultate te dono, vt terram facias cælum, potes enim. Qui facit omnia, & transfert ea, de Deo dictum est: hanc & hominibus po-*

testatem dedit, veluti quispiam indulgentissimus pater pictura illustris, non ipse solus eam gloriam vult, sed filium quoque ad eandem peritiam cupit adducere. Feci ego, inquit, corpus pulchrum, do tibi præstantioris officium, fac tu animam pulchram. Dixi ego, producat humus herbam fœni, & omne fructiferum lignum: dic tu quoque, producat hæc terra fructum suum, & prodibit quodcunque operari volueris. Facio ætatem & nebulam, firmo tonitruum, & creo spiritum, finxi draconem, illudo ei, diabolo scilicet, neque tibi hanc inuidi potestatem: illude illi tu quoque, si vis: potes enim eum vt passerem capere. Oriri facio Solem super bonos & malos: imitare illum tu, bonaque tua bonis malisque cõmunica. Iniurias tolero, & iniurias beneficiis foueo: imitare tu quoque, nam potes. Benefacio, non redhibitionis obtentu, imitare tu quoque: neque vt vicissitudinem capias, beneficium præstes. Accendi in cælo luminaria, accende & tu clariora illis, nanque potes: his qui in errore sunt, lucem veritatis accende. Maius istud beneficium est, me scire, quàm Solem intueri: hominem facere non vales, at iustum, gratumque Deo potes efficere. ego substantiam feci, tu exorna propositum. Vide quàm te diligam, qui maiora faciendi tibi tribuo potestatem. Attendite dilectissimi, quãto honore dignatur: & audent quidam stulti & ingrati conqueri, & dicere: Cur sumus liberi arbitrij conditi? hæc omnia, quæ diximus, cum Deo esse nobis communia, nisi esset liberum arbitrium, nõquam possemus imitari. Dominor, inquit, angelorum ego, tu quoque per primitias itidem. In sede regia sedeo, & tu mecum per primitias sede. Conresuscitauit, & confedere nos fecit in dextera Dei. Adorant te omnes Cherubin & Seraphin, omnis virtus angelica, principatus, potestates, throni, dominationes, primitiarum causa, noli insimulare: quis tanto frui meretur honore, quod virtutes incorporeæ tremunt? Verum enim non his, quæ dixi solum, affectum mei in te amoris ostendo, sed in his quæ sum passus. Propter te spura & alapas pertuli, gloria exutus, dimisso patre ad te veni, odientem atque aversantem me, neque audire volentem nomen meum, persecutus sum vt tenerem te, vniui te mihi atque coniunxi, dixi: me comede, me bibe: & in cælo te habeo, & tibi in terra connector. Non tibi satis, quod primitias tui in cælo habeo? non istud consolatur affectum? Rursus ad inferiora descendi, non vtcunque commisceor tibi, sed connector, comedor, & in frustra concidor, vt summa coniunctio, & commixtio, atque vnio fiat. Quæ enim vniuntur, in suis terminis manent. Ego tibi contexor, nihil iam esse medij volo, vtraque vnium esse decerno. Ista itaque scientes, cuiusque ineffabilem erga nos charitatem amplexantes, omnia sollicitè agamus, quæ nos illius singularibus donis non indignos ostendere valeant: quibus nos omnes vtinam perfrui mereamur in Christo Iesu domino nostro, cù quo est patri, vnà cum sancto Spiritu gloria, imperium, & honor, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVI.



ESTIFICOR coram Deo, & Christo Iesu & electis angelis, vt ista custodias, absque præiudicio nihil facies in alteram partem inclinando. Manus cito nemini imponas, neque communices peccatis alienis. Te ipsum castum custodi. Noli iam aquam bibere, sed vino utere modico, propter stomachum tuum, & tuas frequentes infirmitates. Quorundam hominum peccata manifesta sunt, precedentia ad iudicium, quorundam autem subsequuntur. Similiter & facta bona manifesta sunt, & que aliter se habent, abscondi non possunt. Quicumque sunt sub iugo serui, dominos omni honore dignos arbitrentur,

vt ista custodias absque præiudicio, nihil facies in alteram.

Hunc locum, vno modo, &c. habes vltimo, hominibus, ad populum, Antioch. pulchre explicatum.

1. Cor. 12.

CAP. VI.

arbitrentur, ne nomen domini & doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant quia fratres sunt, sed magis seruiant quia fideles sunt & dilecti, qui beneficij participes sunt. Dixerat supra de episcopis, de diaconis, viris ac mulieribus, de viduis, de presbyteris, de aliis omnibus, ostēderatque quorum est episcopus dominus, & cum de iudicio disputaret, adiunxit: *Contestor coram Deo, & Christo Iesu, & electis angelis, vt hæc sine præiudicio serues, nihil facies in alteram partem inclinando.* Terribiliter profectò iam admonet. Nõ enim quod Timotheus filius esset dilectus, idcirco reueritus est. Qui enim de se ipso non erubuit dicere, Timeo ne aliis prædicans, ipse reprobis efficiar: multò magis de Timotheo veritus non est, neque erubuit dicere. At patrem & filium ritè assumit in testimonium: electos angelos cur? Per summam id modestiam: sic enim & Moyse ait: *Contestor vobis cælum & terram, ob ingentem modestiam domini, & rursus: Audite valles fundamenta terræ. Vocat autem eorum quæ dicta sunt, testem patrem & filium, in extremo examine rationem illis redditurus, si quid præter debitum fieret, quòd omnia dixcrit. Vt ista, inquit, custodias absque præiudicio, nihil facies in alteram partem declinando.* Hoc est, vt communem & æquum te his, qui iudicandi sunt, præbeas, vt te nullus anticipet, nemo conciliet. Quinam verò sunt electi angeli? quasi verò nõ sint quidam eiusmodi, & Iacob Deum assumit testem, & collem. Ita & nos interdum magnas, minimasque personas in testimonium sumimus: adeo magna res testimonium est: ac si diceret: Testem voco Deum, cuiusque filium, ac seruos eius, quòd ista præceperim tibi. Coram ipsis præcipio tibi: Discipulum terret. Vbi verò hæc dixit, illud intulit, quod omnium maximè periculosum est, & in primis ecclesiam continet, de ordinationibus scilicet. *Manus, inquit, cito nemini imponas, neque communices peccatis alienis.* Quid tibi vult, cito, non ex prima statim probatione, nec secunda, nec tertia, sed vbi consideratio diuturna præcessit, exactissimaque discussio, tunc imposito manus. Neque enim ea res periculo caret: eorum enim quæ ille peccauerit, tu quoque pœnam dabis, qui initium dedisti etiam præcedentium delictorum. Qui enim improbè prima remisisti, etiam futuris eris obnoxius, quòd ipse quasi author extiteris præteritorum: quia ea flere non sciueris, vt possent per compunctionis gratiam relaxari. Quemadmodum enim rectè factis, ita peccatis quoque communicas. *Te ipsum castum custodi.* De pudicitia illi sermo est. *Noli iam aquam bibere, sed vino utere modico, propter stomachum tuum, & crebras infirmitates tuas.* Si autem viro vsque adeo ieiuniis dedito, & in tantum aquæ affucto, vt infirmaretur, & crebras morborum molestias pateretur, pudicitiam præcepit, neque ille monita renuit: quantò magis cum à quouis de huiusmodi moneatur, æquanimiter ferre debemus? Cur itaque illius stomachum nõ oratione firmavit? cuius enim vestes mortuos suscitabant, & hoc vtique facere poterat. Quãnam ergo ratione? Vt si quoque viderimus viros magnos, & virtute præclaros infirmari, nihil moueamur: & illud enim fiebat vt iliter. Si enim illi datus est angelus satanæ, ne extolleretur: multò magis Timotheo oportuit dari. Poterant signa illum in arrogantiam tollere. Idcirco medicinæ legibus illum inferuire permittit, vt & ipse humilior sit, & ceteri non scandalizentur, discantque quòd cum naturæ nostræ illi essent, virtutes tamen exercere quas legimus. Videtur enim mihi aliàs quoque infirmus fuisse, per id quod ait, Propter crebras infirmitates tuas. Licet autem ille & stomacho lassesceret, & aliis quoque morbis esset obnoxius: non tamen ipsum vino permittit impleri, sed ad sanitatem, non ad

delicias præcipit bibere. *Quorundam hominum peccata manifesta sunt, precedentia ad iudicium: quosdam verò sequuntur.* Dum de ordinationibus diceret, ne cõmunicet, inquit, peccatis alienis. Quid ergo, inquires, si ignorare contingat? *Quorundam, inquit, hominum peccata manifesta sunt, precedentia ad iudicium: quosdam verò sequuntur.* Quorundam, inquit, peccata aperta sunt, quia præcedunt: quorundam non, sed sequuntur. Similiter & opera bona manifesta sunt, & quæ se aliter habent, abscondi non possunt. *Quicumque sunt sub iugo serui, suos dominos omni honore dignos existiment, ne nomen Dei & doctrina blasphemetur.* Omni, inquit, honore dignos arbitrentur. Non enim quia fidelis es, liberum te esse putes: hoc enim libertatis documentum est, seruire magis. Quippe infidelis si viderit fidei causa illos superbire, blasphemabit dogma nostrum, tanquam seditionis causam: cum verò obtemperantes attenderit, citius credet, ac facilius quæ dicuntur, admittet: alioquin & Deus, & prædicatio ipsa blasphemabitur. Quid ergo, inquires, si infideles sint domini? Sic quoque credere oportet, pro diuini nominis gloria. *Qui enim fideles, inquit, habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt: sed magis seruiant, quonia fideles sunt atque dilecti, qui beneficium sumunt.* Si enim, inquit, tato honore digni fuistis, vt dominos haberetis fratres, idcirco maximè cedere debetis. Præcedentia, inquit, ad iudicium: hoc est, quia malorum operum alia latet, alia non: illic verò neque bona, neque mala latere queunt. Quid est, præcedentia ad iudicium? cum scilicet quis peccauerit, quæ illius iam conscientia damnat, cum quis corrigi renuit, cum qui emendationem pollicitus est, opere implere non vult. Cur ergo istud dictum est? quia & si hic lateant quidam, ibi tamen latere non poterunt, vbi nuda sunt omnia. Est autem hæc ritè agentibus per magna consolatio, postquam dixerat, nil facies in alteram partem inclinando. *Quicumque, ait, sunt sub iugo serui.* Qui hoc ad episcopum pertinet? Multum planè, vt admoneat. Videmus illù vbi que seruis magis, quàm dominis imperat. Illis quidem, vt cum magna mansuetudine seruiat dominis, maximamque huius rei habentem curam. Dominis autem remittentes, inquit, minas. Cur id? Infidelibus quidem ratio est. Nam his qui non intenderent, non debuit loqui: in his autem qui fideles sunt, cuius rei gratia? quia maiora longè à domino seruis inferuntur, quàm à seruis domino. Illi nempe sunt, qui aurum impendunt & pro rebus ad vitium necessariis comparandis, & pro indumentis, & cæteris omnibus, vt maiorem illis seruitutem seruis prestare dubium non sit. Idque significat dicens: quoniam fideles sunt & dilecti, qui beneficium sumunt, & laborant pro quiete vestra, & in ærumnis sunt. Non ergo multum honoris accipere à seruis debent?

MORALE.

SI autem seruis ita imperat obedire dominis, intuemini quo nos animo in dominum nostrum esse conuenit, qui nos de nihilo vt essemus effecit, qui nutrit, qui vestit. Et si ergo non aliter, saltem vt famuli nobis nostri, ita illi seruiamus. Nõne vitam illi omnem in hoc exponunt, vt nobis requiem parent? hoc illis opus est, istud studium, vt dominos curent. Nõne illi, quæ domini sunt, tota die curant, sua verò diei vix exigua parte? Contra verò nos, nostra quidem semper: quæ verò sunt domini, neque minima curamus temporis parte, istudque cum ille obsequiis non egeat nostris, sicuti domini famulorum, sed hæc omnia nostris commodis cedant. Illic enim ministerium famuli domino prodest, hic autem serui obsequium domino nihil, seruo autem plurimum cõfert. Bonorum enim, inquit, meorum, non

Dan. 2.

Supr. 5.

Ephes. 6.

Pal. 15.

eges. Dic enim, quæso, si ego iustus sum, Deus quid inde lucratur? quid perdit, si fuero iniustus? Nonne immortalis illa natura est? nonne inuiolabilis, & omni superior labe? Serui nihil habet proprium, sed omnia domini sunt, quæ tumlibet illi diuites fiant: nos plurima habemus propria. Neque absque ratione à rege omnium tantum honoris accepimus. Quis vnquam dominus pro seruo filium tradidit suum? nullus certe, sed omnes pro filiis seruos dare eligent. Contrà, hic filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, pro omnibus inimicis odientibus se. Serui, si graua illis quædam imperentur, ne sic quidem indignatur, maximè si grati illi sint: nos autè grauius plurima ferimus. Seruis dominus nihil tale promittit, quale nobis Deus, sed quid? Libertatem præsentem, omni sæpe seruitute duriolem. Sæpe enim vbi fames inualuit, libertas hæc omni seruitute acerbior fuit, idque pro summo munere habetur. Apud Deum verò mortale nihil, nihil corruptibile est: sed quid? Non vos, inquit, dicam seruos, vos amici mei estis. Erubescamus dilectissimi, atque timeamus, si vt nobis famuli seruiunt, ita nos domino seruire studeamus, imò nos minimam quidem partem seruitutis ostendimus. Illi philosophantur necessitate coacti, victum solum ac vestitum habet: nos inter ipsas quoque delicias iniuri sumus. Certè, si nulla alia ex parte, vel ab illis philosophiæ normam capiamus. Quippe nouit scriptura, non modò ad seruos, verum ad mutas animantes homines mittere: puta cum apes nobis, formicæque proponit imitandas: ego vel seruos admonere imitari: quæ illi ob nostri metum faciunt, ea nos timore Dei faciamus: non enim vos facere ita comperimus. Illi ob metum nostrum contumeliis afficiuntur innumeris, philosophosque omnes silentio superat. Iuste & iniuste anguntur iniuriis, & non contradicunt, sed deprecantur, & quidem cum nihil sæpe deliquerint. Nihil plus accipiunt, quàm necessarium victum, plerumque etiam minus, contentique sunt thoro seruii, dormientes, & pane solo vescentes, vitamque reliquam summa cum vilitate ducentes: non criminantur illi, neque indignè ferunt ob metum nostri: pecunias, si eis credantur, integras reddunt: neque verò tu mihi seruos nequam velim adducas in medium, sed eos, qui non valde sunt mali. Si intentemus minas, protinus contrahuntur. Ergo non ista philosophiæ plena sunt? Neque tu quòd necessitate ista faciunt, dicas, & tibi non incumbit gehennæ necessitas? & ne sic quidem respiscis, neque tantum honorem Deo tribuis, quantum à seruis propriis accipis. Habet quilibet seruus cõstitutum habitaculum, nec proximi intrat domicilium, neque maioris substantiæ appetitu corrumpitur. Et ista videas à seruis dominorum timore seruari: raròque videre est seruum, quæ sunt socij rapere vel demoliri. Apud homines liberos contraria his penitus fieri cernas, mordemus inuicem atque deuoramus, non timemus dominum, quæ conseruorum sunt rapimus atque furamur, percutimus vidente ipso: hoc non faceret seruus, sed siue cædat, non vidente domino: siue conuicietur, non audiète ipso id facit. Nos verò Deo audiente cuncta, & cernente ista præsumimus: domini timor ante illorum semper versatur oculos, Dei ante nostros oculos nunquam idcirco permixta sunt omnia, cuncta confusa atque corrupta, & ipsi quidem peccata nostra neque cogitare volumus: cum verò serui nostri delinquant, diligenter omnia & parua disquirimus. Ista dicimus, nõ vt supinos seruos faciamus, sed vt supinum animæ nostræ conuertamus, negligentiamque excitemus, vt vel ita Deo seruiamus, sicuti famuli nobis: ita creatori nostro sicuti cõsubstantiales serui nobis, qui nihil humilmodi à nobis habet, natura & ipsi sunt liberi. Domi-

nètur piscibus, etiam illius dictum est: non est ista naturalis seruitus, & tamè ingenti nos honore prosequuntur. Nos verò in eis quidem ministerij nostri gratia semper imminemus, Deo autem neque minima parte ministramus, idque cum eius operis in nobis redundet vtilitas. Quantò enim maiore studio Deo seruerimus, tantò magis nobis ipsi emolumenta conquirimus, maioræque lucra capiemus. Non ergò nos ipsos tanta vtilitate priuamus: Deus enim sibi ipsi sufficit, nulliusque egens est: remuneratio verò, & lucrū redit ad nos: quasi ergo Deo, sed nobis ipsi obsequentes, ita sumus affecti, & ei cum timore ac tremore seruiamus, vt promissis bonis perfruemur, in Christo Iesu domino nostro, cum quo patri gloria, vnà cum sancto Spiritu, nunc, & semper, & in secula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVII.

Hæc doce & exhortare. Si quis alterius doctrina est, & non accedit sanis sermonibus domini nostri Iesu Christi, & ei que secundum pietatem est doctrina, inflatus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones, & verborum pugnas: ex quibus oriuntur inuidia, contectio, blasphemia, suspiciones male, constitationes hominum mente corruptorum, qui veritate priuati sunt, arbitantes quæstum esse pietatem. Discede ab huiusmodi: est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possumus. Non solum autoritate doctore opus est, sed etiam lenitate multa: sicuti non sola lenitate, sed autoritate summa indiget. quæ omnia nos docet apostolus, dum aliquando dicit, Præcipe ista, & doce: aliquando verò, hæc doce & exhortare. Si enim medici infirmos exhortantur, non vt ipsi potiantur sanitate, sed vt illos ægritudine liberent, iacentesque subleuent: multò magis nos ea regula vti debemus, & eos exhortari, quos docere debemus. Neque enim seruus illorum esse refugit beatissimus Paulus, dicens: Non enim prædicamus nosmetipsos, sed Christum Iesum: nos autem seruos propter Christum. Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollonius: seruitque hanc seruitutem omni libertate digniorem. Ille enim, inquit, seruus est, qui facit peccatū. Si quis aliter docet, & nõ accedit sanis sermonibus domini nostri Iesu Christi, & doctrina que secundum pietatē est: inflatus est, nihil sciens. Non igitur scientia in superbiā attollit, sed ignorantia potius. Nam qui sermones pietatis scit, hic omnium maximè humilis est. Qui sanā doctrinam nouit, ille non infirmatur. Quod enim in corporibus tumor, hoc in animabus superbia est. Denique sicut illic, quod immodicè turget, sanū nõ efficit: ita & tumidos carere sanitate dicimus. Est igitur & aliquid sciētē nihil scire. Qui enim ignorat, quæ oportet scire? Quod autem ex ignorantia fastus oriatur, hinc liquet. Christus semetipsum exinanauit: qui hoc scit, quando superbire poterit? Quid enim habet homo, quod à Deo nõ accipit? nõ ergo superbiat. Quid enim habes quod nõ accepisti? Ipse pedes discipulorū lauit: qui hoc nouit, quādo superbiat? Idcirco ait: Cum feceritis omnia, dicite, serui inutiles sumus. Publicanus sola ex humilitate cõplacuit, Phariseū iactantia perdidit: qui ergo inflatus est, nihil horū nouit. Ipse iterum Christus, Si malè, inquit, locutus sum, testimoniū perhibe de malo: si autem bene, cur me cædis? Sed languens, inquit, circa quæstiones. Ergo languere, quærere est. Et verborū pugnas. Meritò sanè. Quando enim anima cogitationum vritur febre, quādo ambiguitatis iactatur fluctu, tunc quærit: cum verò illa sana est, nõ quærit, sed fideliter credit. Nam ex quæstione & concertatione verborū inueniri nihil potest. Quæ enim fides proficitur sola, succedens quæstio neque ostendit;

Rom. 3.

Ioan. 15.

Prou. 6.

Gen. 1.

non Deo.

Supr. 4.

2. Cor. 4.

Ioan. 8.

Ioan. 18.

qui enim ignorat quæ scite oportet, nihil scit. Phil. 2. 1. Cor. 4. Ioan. 15. Luc. 17. Ibid. 13.

ostendit, neque permittit intelligi. Neque enim si quis a clausis oculis quærat, inuenire quid poterit, sicut ite si a pertis illis seipsum humo obruat, auerfatūque; Solem ibi inquirat, inuenire aliquid nequaquam poterit. Ad eò sine fide nihil inuenire potest, eaq; absente pugnas nasci necessariò cõtingit. Ex quibus oriuntur blasphemia, suspiciones male. Hoc est opinionēs, & peruersa dogmata ex quæstione ducuntur. Deniq; de Deo quæ nõ oportet opinamur, cū in quæstiones incidimus, cõfricationes, siue demorations: id est, otium & mora, siue cõfricationes ita intelligendæ sunt. Quemadmodum, inquit, scabiosa oves si cõfricentur cæteris, etiam quæ sanæ sunt, morbo tentantur: ita & hi homines nequam, si simplicioribus quibusque inuertentur, veneno eos suæ malignitatis inficiunt. Qui veritate priuati sunt, inquit, arbitantes quæstum esse pietatem. Vides quàm multa ex verborū pugnis dixerit nasci? Nefariū quæstum, ignorantiam, superbiam: quippe inscitia superbiā gignit. Discede, inquit, ab his. Hæreticum, inquit, hominē post vnam & secundam correctionem deuita. Ostendit eos non modò ignorates esse, verum & ipsam eorum ignorantiam ex negligentia gigni: homines denique pecuniarum causa pugnantes, quando persuadere poteris? Non sanè persuadebis huiusmodi, nisi quod cupiunt dederis, & ne sic quidem illorum satiare appetitum quibus. Auari enim, inquit, nõ impletur oculus: qui ergo corrigi nolunt, deuitandi sunt. Enimvero si eum cui erat summa pugnandi necessitas admonet non præcipitem ferri:] quantò magis nos, qui adhuc erudimur, qui in discipulorum ordine sumus? Cū autem dixisset, arbitrantur quæstum esse pietatem, protinus addidit: Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia: non si pecunias habeat, sed si non habeat. Ne enim in tristitia causa paupertatis incidere, excitat eum, atque erigit. Arbitrantur, inquit, quæstum esse pietatem. Est quidem quæstus, non tamen ita, sed excellentiori modo. Inde cum prius illam deiecesset, istam extulit laudibus. Quòd enim nihil sit huiusmodi quæstus, hinc perspicuum est, quòd hac in vita maneat, neque nobiscum migret, neque comitetur abeūtes. Vnde id constat: Quia nihil habentes in mundū venimus, nihil item habentes proficiscimur. Nuda nanque natura nostra prodiit, nuda discedit: non ergo superfluis opus habemus, si nihil intulimus, neque habentes aliquid proficiscemur. Habentes, inquit, escas & operimenta, his contenti erimus. Tanta comedere oportet, ac talia, quæ nos nutrire sufficient: & ea induere, quæ nos ab iniuria nuditatis tueatur, nõsque contegant solum, & nihil amplius. At istud quidem vestitus omnis conferre potest. Deinde volēs adhuc magis à præsentibus animos nostros auertere, Qui autem, inquit, volunt diuites fieri. Non dixit, diuites autem: sed, qui volunt fieri diuites. Sunt & qui pecunias habentes, eas ritè dispensent, ac aspernentur, easque pauperibus diuidat: profectò non eos qui sunt huiusmodi, sed cupidos notat. Qui autem, inquit, volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & desideria multa stulta & nocetia, quæ mergunt homines. Bene ait, mergunt, ad eò vt emergere, & respiscere nequeant. In interitum, & perditionē, & huius temporis & futuri. Radix enim omnium malorū est auaritia, quā quidam appetentes, aberrauerunt à fide, & seipos immiscuerunt doloribus multis. Duo ponit extrema: sed quod illis maximè durū videbatur, hoc secundo posuit loco, videlicet doloribus multis. Quod illi in primis norūt, qui diuitibus vicini sunt, audiuntque strepitu, lamentatione & ploratu sæpe cuncta resonare. Tu autē, o homo Dei. Magna laus ac dignitas. Omnes quidē sunt homines Dei, ab eo scilicet cõditi: sed iusti proprie, qui non modò conditionis, verum familiaritatis quoque iure illi coniuncti sunt, Dei homines meren-

tur appellari. Si homo, inquit, Dei es, noli superflua quærere, & quæ ad Deum non ducunt. Sed fuge, perse- quere autem iustitiam. Vtrunque magna cum intentione posuit. Non ait, discede, & accede: sed, fuge & perse- quere iustitiam, ne habendi immodica cupiditate capi- aris, pietatem (dogmatum scilicet) fidem quæstui contrariam. Charitatem, patientiam, mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei, apprehende eternam vitam. Ecce & præmium ponit. Ad quam vocatus es, & confessus es bonam confessionem, in spe vite eterne, inquit, coram multis testibus: hoc est, noli confundere illam confidentiam. Quid frustra laboras? Quam verò tentationem, aut quæ laqueum dixit pati eos, qui volunt fieri diuites? Ea res illos à fide aberrare facit, exponit periculis, minūque audentes facit. Desideria, inquit, stulta, rectè sanè. An nõ stulti, qui fatuos, qui nanos habent, oblectationis, non clemētia gratia, qui pisces includūt atrijs, qui feras nutriunt, qui canibus student, qui equos ornant phaleris, horūque non secus ac paruuli affectu rapiuntur? hæc omnia inutilia sunt, atque superflua, nihil in his necessarium, nihil vtile. Desideria, inquit, stulta & nocetia. Quam verò noxia hæc sunt, quando amoribus insanis studēt, proximorū substantiam appetunt, insistant deliciis, ebrietati deseruiunt, aliorūque cedere ac perniciē moliantur? multi denique tyrannidem sibi consciscere insanè cupientes, periere. Pulchrè autē ait, aberrauerūt à fide: non enim finit cupiditas iter aspicere, oculos in se attrahens, & sensim subducēs. Sicut enim cum quis recto itinere gradiēs, si in aliud aliquid intendat animum, pergit quidē, sed sæpe dum nescit, vrbem illam pertrā- lit, ad quā properabat, pedesque frustra sui ministerij præbet: ita fermè & in cupiditate contingit. Et circum- dederunt seipos doloribus multis. Vides quid significare voluerit? Spinarū, inquit, in morem, quacūque ex parte tangantur, cruentant manus, & vulnera infligunt. Qui- bus enim curis angūtur auari, quibus doloribus cruciā- tur, quis explicare queat? Idcirco, inquit, Fuge ista, per- sequere verò iustitiā, pietatem, fidem, dilectionem, patientiam, mansuetudinem. Ex dilectione quippe mansuetudo oritur. Hic iam ipsius confidentiam, fortitudinēque cõmen- dat, quia cum fiducia coram omnibus confessus est, in- quit. Admonet eū primæ instructionis, ac fidei. Appre- hende, inquit, eternam vitam. Non itaque sola confes- sione opus, verum tolerantia quoque vt semper in con- fessione permaneat, & certamine vehemētī, infinitisq; sudoribus, ne à recto auertatur itinere: sunt enim of- fendicula plurima quæ impediunt: angusta nāque & ar- cta via est. Omni igitur ex parte sollicitè oportet circū- spicere, accinctūque & expeditum ad certamen sem- per occurrere. Varia se vndiq; voluptatis aperit facies, quæ in se animæ oculos rapiat. Hinc amoris illecebra sese ingerit, inde pecuniæ sollicitat animum, alia ex parte delicia molliunt, negligentia soluit, blanditur gloria, ira præcipitat, potentia atque principatus studium pro- uocat. Videtur harum omnium blandus & gratus aspe- ctus, & qui carnales quosque, neque studiosos veritatis amatores ad se possit illicere. Illa enim seuera est, nihil- que habet mortalis iucunditatis seu oblectationis. Cur id? Quia voluptatem omnē in seculo futuro pollicetur. Prætendunt hic iam ille honores, delectationes, quietē: verum in se nihil habent veri, nihil solidi, sed ficta atque fucata omnia. Si igitur quisquam delicatus est, ignauus, ac mollis, quòd laborū minimè patiens sit, eis protinus manus dabit. Ita fermè in exterioribus certaminibus, ei qui coronatur amore, & quidem vehementer nõ capi- tur, fas est conuiuiis, se ac temulentia dederit: sic deniq; & timidi atque ignaui pugiles faciunt. Porrò qui coro- nari votis omnibus cupiūt, innumeris cedunt icibus,]

quæstio- ni.

nullis cedunt icibus.

& libentissimè tolerant omnia : spe enim futurorum aluntur, atque excitantur:

MORALE.

FUGIAMVS itaque malorum radicē, & omnia vitibimus. Radix autē ea cupiditas est: Paulus loquitur, imò in eo loquitur Christus. Videamus planè an ipsa quoque rerū experimenta testentur. Quid enim mali nō pecuniæ faciunt, imò non pecuniæ quidē, sed mala voluntas ipsis vti nescientium? Fas enim est pecuniis sicut oportet vti, & licet per ipsas regnū cœlestē possidere. At nunc quæ in vsum pauperum, in nostrorū remedia peccatorum, ad promerendā gratiā Dei collatæ sunt nobis, eis nos contra inopū miseriam, imò verius cōtra nostras animas in offensionem diuinæ vtimur maiestatis. Nam qui pecunias tulit, alteriusque inopiæ est author, sibi ipsi mortem conscituit. Et illum quidem impræsentiariū vexat inopia, seipsum verò supplicio exponit æterno. Nū vlla est vtriusque rei comparatio? Cuius ergo mali illa causa non sunt? Nōne harū gratia concupiscimus? nō rapimus? nō eiulatu perstrepiamus? non inimicitias subimus? nōne illæ ad mortuos vsq; impias extēdere manus? nōne inter parētes & fratres sauerunt? nōne iura naturæ ac præcepta Dei, & omnia prorsus violarunt, qui illarū tenentur desiderio? nōne harū causa iudicia sunt instituta? Tolle itaq; pecuniarū studium, & omnia mala sublata sunt. Conquieuit bellum, cessauit pugna, inimicitia in gratiā redeunt, sedata sunt hæreses & cōtentiones omnes. Oportebat huiusmodi veluti corruptores ac lupos, cōmunēq; perniciem orbe toto pelli. Quemadmodum enim aduersi quidam ac furentes vēti, si in mare placidum irruant, ipsum funditus vertunt, adeò vt arena profundi supernis misceatur vndis: ita & pecuniæ cupidi omnia penitus miscent: neminē, qui huiusmodi est, amicū nouit. Quid autem amicū dicimus? ne ipsum quidem scit Deum, ea rabie detentus insanit: nō aspicietis ferro accinctos prodire Titanas? Sunt illa figmenta vesaniae. At qui sunt huiusmodi, vera potius insania furiant, atque excedunt. Denique si nudam illorum animam inspicere liceat: si instructam inuenies, non vno aut duobus, sed mille præcinctam gladiis: nullum agnoscere, sed æquē furere in omnes, omnibus insipientem, & contra omnes oblatrantem, non canes, sed humanas animas necantem, atque impiè in cœlum ipsum blasphemantem: hi sunt qui peruerterunt atque perdiderunt omnia, pecuniarum concitati rabie: quos enim alios insimulem, nescio: adeò hæc pestis omnes infecit, alios plus, alios minus, vt nullus fermè sit insons. Sicut enim flamma vehemens, vbi in syluam incidit, peruertit omnia, & desolat: ita & ista orbem destruxit vniuersum. Reges, principes, priuati, pauperes, mulieres, viri, pueri, omnes æque hac luce detinentur: ac veluti caligo quædam orbem totum obsederit, nemo est qui respiciat: etsi innumeris quotidie auaritiā infectetur maledictis, nullus tamen emendare vitium studet. Quid ergo fieri oportet, vt huiusmodi extinguamus incendiū? Possimus nempe, etiam si ad cœlum vsque pertingat. Voluisse solum, superasse est flammā. Sicut enim voluntate nostra aucta est, ita nihilominus nostra voluntate destruitur. Nōne hanc nostra succedit electio? eandem prorsus extinguere poterit, si modò velimus. Vnde autē nobis huiusmodi velle proueniet? Si quàm sit inanis & superflua videamus. Denique non valet comitari ex vita abeuntes, & hic quoque nos sæpe dimittit, & quidem cum hic ipsa permaneat. Porro vulnera quæ nobis infligit, nusquam deserunt nos. Si inspicimus quàm sit ingēs illic diuitiarum copia, quibus mor-

tales istas conferentes, cœno abiectiones facillimè deprehendemus. Si attendamus innumera his inesse pericula, momentaneamque voluptatem, eamque tristibus sæpe permixtam: si diuitias illas æternæ vitæ intenta cogitatione voluamus: tum demum has contemnere dabitur, si cogitemus nihil nobis prodesse illas, nō ad gloriam, non ad sanitatem, non ad aliud quicquam, sed cōtra nos in interitum mergere, pœnāque perpetuam. Hic diues es, plurimòsque in tua potestate habes? at illic desertus eris, destitutus, & nudus: si hæc perpetua meditatione versemus, aliòsque docētes audiamus, erit & fortassis salubritas quædam, euademusque sempiternos illos cruciatus. Cādore lucentis margaritæ attrahe-ri? cogita maris esse aquam, & in eius sinibus antè iacuisse deiectam. Rapit animum auri fulgor, & nitor argenti: cogita & terram ac cinerē & fuisse prius, & modò esse. Placet preciosa & serica vestis: at vermium ille cōtextus est, opinio est, & humana præsumptio, nihil habet in se naturalis pulchritudinis. Nam quæ sunt per naturam pulchra, admonitore opus non habent. At tu si videas æreum numum inauratum, admiratione primū fului metalli raperis, aurumque appellas: vbi verò peritiores quique in huiusmodi, te erroris admonuerit, & miraculum vnā & error abiit. Vidēs vt in natura nō habeat speciem? Eadem argenti ratio est. Nam si stannum videas, veluti argētum admiraris, opusque doctore habes, ne te rerum species fallat, adeò non sufficit ad ea dignoscenda oculus. Non huiusmodi profectò sunt flores, sed illis longè præstant. Rosam enim aspiciens, absque doctore per te ipsum odorē speciemque discernis: ita & violas, & lilia, & flores reliquos. Sola igitur opinio istis pretium facit. Nanque si Imperatori visum fuerit argentum auro pretiosius statuere, per leges continuo miraculū affectūque transfertur: adeò auaritiæ opinio nique seruiamus. Quod verò ita se habeat res, rarū quoque omne pretiosum est, & qui fructus apud nos vilissimi sunt, in Cappadocia sunt pretiosi, ac lōgè his, qui apud nos habentur in pretio, chariores. In Syria item prouincia abundè indumēta ista, in aromatum ferace Arabia, & India pretiosis lapidibus plena plurima inuenire est. Adeò præsumptio, & humana opinio inualuit, nihilque iudicio agimus, sed temerè ac passim omnia. Respicimus igitur tandem ex huiusmodi temulētia, videamus quod verè bonum est, quod natura pulchrum est, pietatem scilicet atque iustitiam, virtutēque reliquas, vt promissis perfruamur bonis: quæ vtinam consequi nos omnes contingat, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, cum quo patri gloria, vnā cum sancto Spiritu nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

HOMILIA XVIII.

PRÆCIPIO tibi coram Deo, qui viuificat omnia, & domino Iesu Christo, qui testificatus est sub Pontio Pilato bonam confessionem, vt serues mandatum immaculatum irreprehensibile, vsque ad aduentū domini nostri Iesu Christi, quem temporibus suis ostendit beatus & solus potens, rex regum, & dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominū vidit, neque videre potest, cui honor & imperium æternū. Amē. Rursus Deum adducit testem, & quidē cum paulò antè hoc fecerit, simul vt metum augeat, & discipulum tutiori in loco constituat: ostendatque non humana esse præcepta, vt ea veluti ab ipso domino accepta custodiat, semperque testem ante oculos habens, sub quo hæc audit, cōmoueat animo. Præcipio tibi, inquit, coram Deo, qui viuificat omnia. Hic & contra pericula solatiū est, & resurrectionis admonetur auditor. Et Christo Iesu, inquit,

quit, qui testificatus est sub Pontio Pilato. Iterū ad magistri prouocat imitationē, sicut ille testificatus est, inquit, & nos vestigiis eius imitemur bonam confessionem. Hoc & Hebræis scribens, ait: Intuentes ad fidei authorem, & consummatorē Iesum, qui propositi sibi gaudij vice sustinuit crucē, confusione contēpta, & sedit ad dexterā sedis Dei. Recogitate enim eū, qui talē passus est à peccatoribus in seipsum cōtradictionem, vt nō deficiatis animabus vestris resoluti. Ita & nūc discipulū admonet: ac si dicat, Noli timere mortem, Dei enim seruus es, qui omnia viuificare potest. Ego, inquit, veni, vt testimoniū perhibeā veritati. Quanam verò est bona cōfessio? Dicente Pilato: Ergo rex es tu. Ego, inquit, in hoc natus sum. Ecce isti me audierūt. Illi autem filiū, inquit, te ipsum Dei facis, & alia plurima testatus atq; cōfessus est. Vt serues, ait, mandatum immaculatum irreprehensibile, vsque ad aduentum domini nostri Iesu Christi. Hoc est, vsque ad consummationē tuam, vsq; ad exitum. At non ita dixit, sed vsq; ad aduentū ait, vt illum magis exuscitet. Quid est, vt serues mandatum immaculatum? Vt neque vitæ, neq; dogmatū gratia aliquid maculæ contrahas. Quem tēporibus, inquit, suis ostendit beatus & solus potens, rex regū, & dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, lucemque habitat inaccessibilem. De quo ista dicta sunt? De patre, an de filio? De filio scilicet, quæ suis, inquit, temporibus ostendit beatus & solus potēs. Et hoc rursus ad solatiū discipuli, vt ne admiretur, neq; metuat mortales reges: quem tēporibus suis, id est, congruis, debitis, ne ferat grauior, quod nondū venerit. Ostendit verò, qui solus est potens, ostēdet beatus, imò beatitudo ipsa. Nihil ibi triste, nihil iniucundum est, inquit, vbi beatus & solus potens est. Ad differentiam hominum dicitur, siue quia ingenuus est: quod & nos rursus de hominibus dicimus: qui solus, inquit, habet immortalitatem. Quid ergo? filius hanc non habet? nōne ipse immortalitas est? Lucem habitat inaccessibilem. Aliud ergo lux est, aliud qui inhabitat lucē? ergo loco circumscribitur Deus? Vides vt cum magnum aliquid loqui gestit, linguæ deficit vsus. Quem nemo, inquit, hominum vidit, neque videre potest, cui honor & imperium æternum. Amen. Conuenienter omnino, ac necessariò hoc in loco de Deo plura desseruit: quia enim ipsum adduxerat testē, plurima de testis dignitate proloquitur, vt eum discipulus amplius reuēretur. Ipsi, inquit, honor. Hoc est, gloria, hoc solū dicere possumus, hoc solū facere: neq; enim quis sit, curiosè debemus inquirere. Si igitur æternum eius imperium est, noli metuere: etsi enim modò non appareat, semper illi honor, semper imperiū est. Diuitibus huius seculi præcipe non alitū sapere. Aptissimè huius seculi, dixit: sunt enim & alij in futuro seculo diuites. Nihil enim ita superciliū attollit, nihil ita superbiam & arrogātiā gignit, vt opes: atque ideo protinus ab illis auertit, adiiciens: Neque sperare in incerto diuitiarum. Ex eo enim in primis arrogātia nascitur, sicut cōtra qui in Deū sperat, à fastu semper alienus est. Quid in eo speras, quod repētē transfertur? Id quippe diuitiæ sunt: quid in illis spem ponis, quibus confidere omnino non potes? Quomodo verò cauere superbiā poterunt? Si viderint quàm infirmæ illæ, quàm instabiles sint: si attenderint quàm omnes opes exuperet firma in Deum spes, si intelligant harum etiam auctorem esse Deum. Sed in Deo, inquit, viuo, qui præstat nobis omnia affluenter ad fruēdum. Pulchrè dixit, affluenter omnia, cōuersiones annuas, vicēque significans, aërem, aquam, lucem, & cætera omnia. Vides vt affluenter præstet omnia cum ineffabili copia? Si opes inquiris, illas quære quæ permanent, quæ firmæ perdurant, quæ ex operibus bonis oriuntur. Quibus? Benefacere, inquit, diuites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare. Aliud opum,

A aliud charitatis est. Communicare, sociales esse, placidos, lenes intellige. Theaurizare sibiipsis fundamentum bonum in futurum. Vbi nihil incertum est, vbi stabilia fundamenta sunt, nihil infirmum, sed firma omnia, inconuulsa, perpetua, fixa. Vt apprehendant, inquit, æternam vitam. Bonorum enim operum actus, vt ea perfruamur, efficere potest. O timothee depositum custodi. Cauere ne minuas, non enim tua, sed aliena sunt quæ seruanda accepisti, nihil imminuas. Deuitans, inquit, profanas vocū nouitates, & obiectiones falsi nominis scientia. Rectè omnino: vbi enim fides non est, ne scientia quidem. Quando aliquid propriis cogitationibus gignitur, scientia non est. Ita enim quidam seipfos tūc fore gnosticos, id est, scientes appellabant, quasi qui plus aliquid cæteris nossent. Quam quidam profitentes circa fidem exciderunt. Vides vt rursus admoneat, non cum huiusmodi passim conferendas manus? Deuitans, inquit, obiectiones. Sunt igitur obiectiones, quibus neque respondendū est. Cur id? Quia deiiciunt à fide, neque fortiter ac firmiter stare permittunt.

MORALE.

HIS itaque omissis, fidē teneamus, quæ petra fixa & infracta est. Neque enim flumina, neq; venti si irruant, nobis officere aliquid poterunt, supra petrā quippe inconcussi stamus: ita & in vita ista, si verum illud fundamentum elegerimus, absque vllō detrimento persistemus: qui illas diuitias eligit, nihil aduersi patietur: qui gratiam, qui gloriam, qui honorem, qui voluptatē illam, euadet innocuus. Omnia ibi fixa & firma sunt, nullam omnino mutationem admittentia presentia cūcta variantur, & mutationi obnoxia sunt, omnia migrant atque dilabuntur. Quæris gloriam? At non descēdet, inquit, cum eo gloria eius. Sæpe viuentes etiam deserit. Enimvero non ea virtutis conditio est, sed imò ea durant omnia. Qui præsentī magistratu inclutus est succedente alio fit ignobilis, vnūque de vulgo. Qui diues, aut latronum impetu, aut potentiorum insidiis repente fit pauper. Non ita contingit in nobis, Nam qui pudicus est, si attēdat sibi ipsi, nullius insidiis pudicitiam perdet. Principem qui sibi ipsi dominetur, priuatum facere nemo qui possit, nemo subicere. Nam quod iste illo sit maior principatus, adhibito diligenti examine discas. Quid enim oro, iuuat integris gentibus dominari, si serui perturbationum sumus? Quid nocet nulli hominum principari, si vitiorum tyrannide celsiores sumus? Istud summa libertas, istud imperium, istud regnum atq; potestas: illa verò omnia misera seruitus, quantumlibet coronas innumeras quis habeat. Quando enim illi intus dominorum multitudo imperat, auaritia scilicet, ira, libido, & perturbationes reliquæ, diadema quid prodest? Acriore tutior] tyrannide premitur, quando illum quod minus subditus sit, corona neque eripere. Quemadmodum si apud Barbaros detineretur seruus quispiam rex, & illi ad maioris seruitutis indicium, neque purpuram, neque diadema auferāt, sed cū illis insignibus & aquas ferre, & coquere, & alia inferre ministeria iubeant, ad maiorem & sui honorem, & ignominiam illius: ita Barbaris omnibus immanius vitia ista imminent nobis. Nam qui ista cōtemnit, Barbaros quoque irridebit: qui verò succumbit, longè ditiora ab his quàm à Barbaris patietur. Quippe Barbari cum præualent viribus, concidunt corpus: hæc verò animam cruciant, & omni ex parte dilaniant. Barbarus victor temporali tradit neci, hæc autem in æternā præcipitant mortem. Solus ergo liber est ille, qui libertatē intrinsecus habet: sicut ille seruus est, qui succumbit irrationabilibus vitiis, Nullus quantumlibet dominus

ad eò crudelia & indigna præcipit. Incaustum, inquit, & sine causa confunde animam tuam, Deum offende, ignora naturam ipsam: siue pater, siue mater omni verecundia deposita, te aduersus illos instrue: huiusmodi sunt auaritiæ præcepta, immola, inquit, mihi non vitulos, sed homines. Sacrificate, ait propheta, homines, vituli enim defecerunt. Non sic ista, sed cum adsint vituli, immola homines: macta eos qui te nihil violarunt, etiam si beneficiis affectus sis, iugula, omnibus esto aduersarius, communisq; inimicus, omnes circumueni, naturam ipsam atque Deum: aurum collige, non vt fruaris, sed vt serues, vt maiore cruciatus torquaris. Neque enim frui auarus potest congregatis, dum semper ne minuat aurum timet, dum metuit sollicitus, ne thesauri deficiant. Esto, inquit, vigil, omnes suspectos habe, & seruos, & amicos. Esto alienorum custos: si pauperem videas fame deficere, caue miserearis: imò si potes, ipsam illi detrahe cutem, periura, mentire, iura, maledictis insectare, calumnias strue, etiam si in ignes eundum sit, si mille subire oporteat mortes, si fame corrumpi, si morbo confescescere, noli ab instituto resilire: nonne huiusmodi leges auaritia statuit? Esto impudens, inuerecundus, temerarius, audax, impurus, nequam, ingratus, sentium omnem & affectum amicitia pone, parricida, & fera magis quam homo esse contendere, amaritudine serpentes omnes transcede, rapina lupos, omnemq; feritatem magnitudine immanitatis exupera: & si ad demonis malignitatem peruenire opus sit, noli retrahere pedem, ignora beneficium: nonne ista & suadet, & audit? Deus vero contraria præcipit: Amicus esto omnibus, sis bonus, sis modestus, & qui diligaris ab omnibus, neminem sine ratione offendas, honora parentes, opinione optima frueri, esto non homo, sed angelus, nihil inuerecundum, nihil indecens non modo non facias, sed ne cogites quidem. Opem egentibus feras, noli rapere, ne tibi molestias aggres, noli iniuriosus esse, atque audax: neque tamen auditur. Ergo nonne iuste gehena deservit? nonne ignis æternus, & vermis qui qui nunquam moriatur merito intentatur nobis? Quousque in spinis incedimus? Quousque nosmet clavis affigimus? atrocibusque, quibus tubamur tyrannis, gratias agimus, dulcemq; dominum deum tamus, qui nihil molestum dicit, nihil onerosum, nihil barbarum aut inutile præcipit: sed vitia omnia, mutumque nobis lucri & emolumenti conferret? Euigilemus tandem obsecro, & deserto crudeli & immanissimo tyranno conuertamur ad mitissimum dominum & regem nostrum: obtæperemus præceptis illius & monitis, cuius & suaue iugum est, & onus leue: vt promissis ab eo æternæ vitæ bonis perfruamur, qui cum patre & Spiritu sancto viuunt & regnant in secula seculorum. Amen.

IN SECVNDAM AD TIMOTHEVM EPISTOLAM

HOMILIA I.



PAVLVS apostolus Iesu Christi, per voluntatem Dei secundum promissionem vitæ, quæ est in Christo Iesu, Timotheo charissimo filio gratia, & misericordia, & pax à Deo patre, & Christo Iesu domino nostro. Gratias ago Deo meo, cui seruo à progenitoribus meis in conscientia pura, quod sine intermissione habeam tuam memoriã in orationibus meis nocte ac die, desiderans te videre: memor lacrymarum tuarum, vt gaudio implear: recordationem accipiens eius fidei, quæ est in te non ficta, quæ & primò habitauit in auia tua Loide, & matre tua Eunice. Quid sibi vult, quod secundam quoque ad Timotheum epistolam scribit? Dixerat, Spero celerius ve-

nire ad te. Frustratus ille fuerat spe & expectatione sua, consolatur cum literis, corporalis præsentia vice, fortassis ob hoc ipsum merentem, & quod iam gubernationis subiisset onus. Quantalibet enim quique animi virtute polleat, cum tamen clauum & ecclesiæ gubernacula suscipit, insperatis fluctibus quatitur, & variis vndique negotiis actus, penè submergitur. Quod cum semper alias ferè contingit, tum in ipso prædicationis initio necessariò fiebat, cum omnia essent plena periculis, cum maria vndique, & vndique cælum, cum persecutionibus & inimicitis cuncta feruerent, cum omnia simul obsisterent, cum præterea ex Iudæis obseruationibus hæreses inchoarent, quas & in priore signauit epistola. Non modò autem ipsum solatur literis, verum & ad se aduocat, dicens: Festina venire ad me celeriter, & veniens affer libros, maxime membranas. Videtur autem tunc scripsisse epistolam, cum esset proximus fini. Ego enim, inquit, iam delibor. Et iterum, In priore mea defensione nullus mihi astitit. His igitur ita præmissis, ad ipsam iam epistolam veniamus. Consolatur discipulum ex tationibus propriis, dicens: Paulus apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, secundum repromissionem vitæ, quæ est in Christo Iesu. Ex ipsis statim initiis ipsius erigit animum. Noli, inquit, metuere presentis vitæ pericula: hæc enim æternam nobis pariunt vitæ, sine qua nihil eiusmodi est: vbi aufugit dolor, tristitia, & gemitus. Non enim ideo, inquit, nos Apostolos fecit solùm, vt periclitemur, verum etiam vt moriamur, vt talia patiamur: alioqui proprias enumerare clades non modò nihil consolationis afferret, verum mæroris adiceret plurimum. Confestim igitur ab ipsis exordiis solatium infert, dum dicit, Per repromissionem vitæ quæ est in Christo Iesu. Si autem hæc repromissio est, noli eam hic querere. Spes enim quæ videtur, non est spes. Timotheo charissimo filio. Non modò filio, sed charissimo filio: possunt enim esse filij non charissimi. At tu nequaquam talis es, inquit, quocirca te non modò filium, sed & charissimum filium voco. Nempe enim Galatas appellat filios, pro quibus tamen adhuc mæret. Filioli, inquit, mei, quos iterum parturio. Magnum verò virtutis illi, & eximie indolis testimonium ita illum appellando perhibuit. Nam cum ea charitas à natura non proficiscitur, ex virtute omnino materiam sumit. Qui enim ex nobis nati sunt, non virtutis tantum gratia, sed etiam ex naturæ necessitate charissimi sunt. Porro qui ex fide sunt geniti, nullam aliam ob causam, quam ob virtutem solam charissimi sunt. Nam vnde essent aliunde? Idque cum apud nos, tum apud Paulum in primis, qui nullo mortali tenebatur affectu. Ostendit igitur se non iratum discipulo, neque illum aspernatum, non odisse, cum dicit, charissimo filio. Gratia, misericordia, & pax à Deo patre, & Christo Iesu domino nostro. Quæ in priori epistola, hæc eadem illi in secunda imprecatur: & vide vt protinus rationem reddat, quod non ad illum ierit, neque viderit ipsum. Nam antea dicendo, Dum venio, & festino ad te venire celeriter, vt mox affuturam illius præsentiam speraret effecerat. Ad hoc ergo antè respondet, neque tamen continuo causam, cur non venerit, dicit, vti ne illum maiori dolore cõficeret. Erat autem illa, quod victus detineretur à Cæsare. Cæterum illam prope finem apposuit, cum illum ad se accersiret, tuncq; quid erga se ageretur, apertius posuit: sed in initio statim nihil triste proposuit, verum spem dedit, fore vt ab ipso videretur: dicens: Desidero te videre, & iterum: Festina venire ad me celeriter. Mox igitur illum exordiis in spem erigit, ac tum cætera cum laude protequitur. Gratias, inquit, ago Deo, cui seruo à progenitoribus in conscientia munda, quod

da, quod indeficientem memoriam tu habeo, in obsecrationibus meis, nocte ac die desiderans te videre: memor lacrymarum tuarum, vt gaudio implear. Gratias, inquit, ago Deo, quod memor tui sum, ita te diligo. Hoc enim excellentissimæ charitatis indicium est cum quis ex amicitia ornari se putat. Itaque Deo gratias ago, inquit, cui seruo. Quomodo? In conscientia munda à progenitoribus. Nihil enim habebat noxium, nihil subdolum ipsius conscientia: & aliter hoc in loco de vitæ munditia dixisse intelligi potest. Vbique enim conscientiam vitam dicere illi moris est: siue hoc dicit, quod nihil ex his quæ concupiuit bonis, causa nulla humana impulsus, prodidi, ne tum quidem quando persequebar ecclesiam. Idcirco enim ait: Sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate mea: ac si dicat, noli eam rem malitiam] arbitrari. Per quam sanè rationabiliter suum commendat institutum, vt fidem faciat excellentiæ charitatis, nihilque sibi mentiri persuadeat, quasi aliud loquatur, aliud in corde habeat. Quippe vt in Actibus Apostolorum legitur, & sæpe seipsum laudare compulsus, cum illum vt seditionis, nouarumque rerum authorem insinularent, dicens: Et ait Ananias ad me: Deus patrum nostrorum præordinauit te scire voluntatem suam, & videre iustum, & audire vocem ex ore eius, quoniam testis illi eris ad omnes homines, eorum quæ vidisti & audisti. Ita fermè & hic, ne putaretur alienus ab amoris gratia, conscientiaque munditia, oblitusque discipuli, meritò seipsum laudat ac dicit: Quod indeficientem tuam memoriam habeo: neque id simpliciter, sed in obsecrationibus meis: hoc est, per omne tempus, iugiter, nocte ac die. Quocirca orabam Deum cupiens te videre. Vides immensum feruoris affectum? vidisti dilectionis insaniam? vidisti humilitatis magnitudinem, per quam se discipulo purgat, rationemque cur non venerit, affert? quæ quam sit plena rationis, etiam supra monstrauerat, sed & in consequentibus indicat, dicens: Memor lacrymarum tuarum. Fieri enim potuit, vt gratus discipulus à magistro separatus fieret, ac lamentaretur non secus quam infans distractus ab vberibus matris, atque lactis alimonia destitutus. Vt, inquit, gaudio implear, desidero te videre. Nunquam itaque me ipsum tanta voluptate spõre priuasssem, etiam si vehementer absque sensu, crudelique ac immanis essem, lacrymæ illæ tuæ, cum redirent in memoriam, flectere eiusmodi rigorem potuissent, atque in mansuetudinem, lenitatemque conuerrere. At non huiusmodi sum, sed seruo Deo purè, atque ideo multa me ad te necessariò pertrahunt. An verò adhuc persistit in fletu? & aliam apponit causam, ipsamque plenam consolationis. Reminiscens, inquit, fidei quæ in te est sine simulatione. Deinde & aliã adiecit laudem, quod scilicet non ex gentilibus, neque infidelibus, sed ex ea esset domo, quæ dudum Christo seruisset. Quæ, inquit, inhabitauit in auia tua Loide, & matre tua Eunice. Erat enim, ait, filius mulieris Iudææ fidelis. Quo pacto? Ex Iudæis illa fidelis erat, non ex gentilibus. Nam de patre eius quod gentilis fuerit, scribitur: ac propter Iudæos, qui in illis locis erant, assumens circumcidit eum. Vides vt iam tunc lex ceperit solui, cum huiusmodi contra illius vetitum commixtio fieret? Vide quàm multa congestit. Ego, inquit, seruo Deo, bonamq; habeo cõscientiam, & tu lacrymas: non autem te lacrymarum causa diligo tantum, sed & propter fidem: es enim amator verus, [nihilque doli in te est. Cum igitur & tu te talem præstes, qui diligi merearis, atque ad eò ad pietatè pronus tanquam fidelis discipulus Christi: cumque & ipse non inclemens, & absq; affectu sim, sed Deo in veritate seruire studeam,] quid me venire ad te prohibere potuisset? Confido, autem, inquit, quod & in te. Habes, inquit,

hæreditarium, & à maioribus fidei bonum, accepisti ab eis pius hæres fidem absque simulatione. Maiorū quippe merita, cum eorum studuerimus esse participes, nostra etiam sunt: si non verò ab illis aberauerimus, non modò nihil ornamentum, sed dedecoris ac damnationis plurimum ex illis acquirimus. Idcirco subiunxit: Confido autem quod & in te. Non, inquit, conicio, sed confido, certumque sum. Si igitur te ad hoc humanum nihil adduxit, nihil te immutare poterit. Ob quam causam admo-neo te, vt excites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Ostendit ex his profectò, magna illum doloris mærorisq; vi detineri. Nò igitur, inquit, existimes quod te despexerim, cæterum scias apertius, t me tui obliuisci nequiuisse. Et si alium neminem, at auiam, matremque confidera. Idcirco quoniam fidem tuam integerrimam non ignoro, alacritate tibi opus, vt excites gratiam Dei. Quemadmodum ignis indiget lignis: ita & gratia alacritate nostra opus habet, vt feruere perpetuò possit. Admo-neo te, vt excites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Hoc est, gratiam Spiritus, quam accepisti ad ecclesiæ institutionem, ad perpetrandam miracula, ad omne religionis obsequium: quippe hæc vel extinguere, vel excitare in nobis est. Idcirco & alibi ait: Spiritum nolite extinguere. Is enim angore animi, & negligètia extinguitur: vigilantia verò & intentione suscitatur. Inest quidem intra te, cæterum tu vehementiorem illum efficere stude: hoc est, maiorem indies assume confidentiam, ampliorique gaudio & exultatione profunderi. Persiste viriliter. Neque enim dedit nobis Deus formidinis spiritum, sed fortitudinis, charitatis, ac sobrietatis: Id est, idcirco accepimus spiritum, non vt pauidi simus, aut cõtrahamur metu, sed vt celsiores per virtutem cõscientiamq; euadamus. Plurimis quippe dat formidinis spiritum, vt in regum voluminibus legimus. Et cecidit super eos, inquit, spiritus formidinis: hoc est, metum illis iniecit: sed tibi contra penitus charitatis in se spiritum dedit: & hoc gratia est, [non autem simpliciter gratia] sed cum nos quoq; studia voluntatis ostendimus. Qui enim clamare nos facit, Abba pater, ipse quoque amoris sui nobis largitur affectum, charitatemque cum proximis inserit. Vt diligamus inuicem, inquit. Quippe ex virtute, abiectioneq; formidinis, charitas provenit. Nihil enim fermè ita charitatem soluere consuevit, vt formido, & proditiõis opinio. Neque enim, inquit, dedit nobis Deus spiritum formidinis, sed virtutis & charitatis, ac sobrietatis. Sobrietatem, siue sanitatem mētis atque animæ dicit, siue per quam ipsi resipiscimus, cum quid aduersi contingit, quod & castiget nos, & nostra superflua amputet.

MORALE.

NON itaque in his quæ contingunt tristitia, feramus grauius: quippe illa nostra eruditio sunt. Ne festines, inquit, in tempore inductionis. Cõplures enim domi habent quæ ferant tristitia. Accedamus doloris socij, miserationis affectu. Non sunt casus omnes communes omnibus, ceterum alius ex vxore, alius ex filio, ex seruo alius, alius ex amico, alius ex inimico, alius ex vicino, alius ex quouis detrimento causam mæroris ducit. Plurimæq; sunt doloris causæ, atque differentes, prorsusque neminem inuenies tristitiæ ac doloris exortem, et si alius magis, minusque alius doleat. nò itaque feramus grauius, neque nos tantummodo tristitia pati arbitremur. Neque enim fas est, vt homo qui sit, mortalèmq; hæc agat vitam, doloris angorisq; sit expers. Sed nisi hodie, cras se ingeret mœstitiæ causa: quod si non cras, postea certè mœstitia. Quemadmodum denique fieri non potest, vt qui nauigat, absque cura sint: ita & qui vitam hanc fra-

Mar. 6.

Mat. 10.

Rom. 8.

Gal. 4.

1. Tim. 3.

1. Tim. 4.

veritas scilicet sim.

me contemneret te aut tui obl.

1. Thes. 5. exaudiq. incuria. et attentione prosequi.

1. Thes. 5. exaudiq. incuria. et attentione prosequi.

Exod. 15.

adde d. Gr. priores. Ioan. 13. & 1. Thes. 4.

1. Thes. 5. exaudiq. incuria. et attentione prosequi.

Eccles. 2.

quoniam tu veritatem operaris.

1. Thes. 5. exaudiq. incuria. et attentione prosequi.

gilem viuunt, absque sollicitudinis angore esse non possunt. Nam siue quisquam diues sit, plurimae illi mortificationis occasiones causaque non desunt: siue rex, curis destinatur innumeris. Neque enim vel illi omnia ex sententia proueniunt, sed plurima quae minime velit, perpeti cogitur. Ille uero in primis est, qui contra voluntatem suam gerit omnia, habetque qui accipere parati sunt, quaecumque illius sunt. Considera denique quanta illi suppetat mortificationis causa, cum uelit quidpiam, neque agere ualeat, siue metus obstat, siue suspicio, siue hostes, item siue amici impedimentum sinit. Sape item etiam cum aliquid agere nititur, pro uotoque succedit: omnem tamen actus illius uoluptatem obscurat aduersantium multitudo. At uel illos fortasse putas mortificationis exortes, qui uita curis ac negotiis uacuum elegerunt? Minus quidem illi quam reliqui perturbantur, non tamen penitus uacare possunt, sicuti immortalem esse hominem possibile non est. Quantum uero molestiarum, hi qui seculo addicti sunt, perpeti cogantur, quis explicet? Solum profecto id nouerunt qui patiuntur. Quam multi saepe inter illas opes, atque diuitias mori optauerunt: neque enim uel ipsae deliciae mortore penitus uacant, immo & innumeris quotidie doloris, morborum, ac mortificationis occasiones gignunt. Nam cum animus in huiusmodi transierit habitum, etiam si nulla causa subsistat, consueuit doloribus affici. Aiunt denique & medici, ex dispositione stomachi dolores intempestiuos gigni. An uero id non apud nos quoque contingit, cum dolemus, neque ullam materiam doloris aspiciamus? Neminem itaque prorsus inuenies dolore ac mortificatione uacantem. Quod si qui minorem habere uideatur doloris causam quam nos: ita enim quisque arbitratur, magis incommotis nostris, quam alienis afficiatur: quemadmodum enim hi, quibus pars aliqua corporis dolet, putant se plus dolere, quam proximis: & qui oculus dolet, nullum putat sibi aequari posse dolorem. Rursus qui stomachi languore tenetur, illum putat dolores omnes excedere: singulisque quibus detinentur incommotis, omnia uisus magnitudinis transcendere existimant: Ita & in angore animi ac mortificatione contingit, ut quo quisque premitur, eum putet ceteros sua acerbitate superare, quippe qui hoc suo experimur diiudicat. Sicuti qui filios non habet, nihil ea infecunditate putat esse molestius: & qui inter paupertatis angustias filii angitur, nihil aequum atque eam liberorum multitudinem execratur. Et qui item unum habet filium, hoc plenum doloris existimat, cum ille hinc & negligentior fiat, & patrem summo in mortore constituat: quippe qui, quia illi unicus, charissimus sit, neque patiatur conuerti ad meliorem frugem. Qui item habet uxorem eximia pulchritudinis, nihil ea re putat esse deterius, cum ea pulchritudo suspensionem atque insidiis maximam praebet locum. Et qui de formi coniungitur, pari ratione vexatur, putatque eam rem esse molestissimam: si rex quisque ac priuatus, nihil ea uita inutilius suspicatur aut uilius. Miles nihil militia laboriosius, nihil periculosius putat: meliusque arbitratur pane tantum & aqua in cibum uti, quam tantas perferre molestias. Qui in principatu est constitutus, nihil esse durius autumat, quam aliorum necessitates curare. Qui uero subditus persistit, nihil indignius censet, nihil abiectius, quam alienae ditioni subiici. Qui uxorem duxit, nihil uxoriam cura dicit esse molestius. Qui non duxit, nihil liberali uiro ducit indignius, quam uxoris carere solatio, familia, quieteque destitui. Negotiator agricolam, quod in tuto res illius sit, beatum praedicat: ille hunc est contra, opum gratia felicissimum putat. Prorsus uero perdifficile hominum genus ubi acquiescat, inueniet, cum semper ad querimonias, indignationisque sit pronus. Quan-

do omnes homines simul reprehendit quis, tunc dicit, nihil est homo, in utroque scilicet sexu, nisi animal infelix, laboribus & aerumnis expositum. Complures saepe senectutem admirantur, alij est contra iuuentutem laudibus efferunt, ita ne in ipsis quidem aetatibus deest mortificationis occasio. Nam cum aetatis gratia, in culmine nos uidemus positos, senes tunc esse malle: quum uero iam canis caput aspergitur, iuueniles suspiramus annos, innumeramque se doloris causam uindicte ingerunt. Una igitur & sola uia est hanc inaequalitatem euadendi, ea scilicet, quae ad uirtutem ducit: quamquam ne ipsa quidem tristitia uacet, sed quae utilis sit, & lucra utilitatemque paruriat. Nam si qui post peccatum tristitia, ac dolore compunctus, scelerum diluit sordes, salubriter profecto tristatus est. Si quis item lapsus fratri condoluit, ingenti inter mercede donatur. Quippe illorum dolere uicem, qui calamitatum premuntur angustiis, magnam nobis apud Deum fiducia parit. Audi quanta de illo uiro beato Iob diuina scriptura studiosè recenseat. Audi denique quid Paulus dicat: Flete cum flentibus, & humilibus consentientes. Solet enim societas eorum qui mortificationis nostri participes sunt, doloris maximam partem auferre. Quae admodum enim cum quis ferendo oneri accedit socius, cum qui solus ferebat, leuasse dicitur: ita & in aliis omnibus huiusmodi societas ex miseratione profecta, uim maximam alleviationis habet. At uero nunc peruerso ordine, si quis ex propinquis nostris defunctus fuerit, plurimi affident, ut consolentur lugentes, lapsumque asinum saepe erigimus: amicorum uero nostrorum lapsas animas plus quam asinum spernimus, atque negligimus. Neque si quem foedè cauponam ingredi cernimus, rugamus frontem: neque si uiderimus ebrietati studentem, prohibemus, neque si quid aliud turpiter agerem, coercemus, sed cooperamur in omnibus. Idcirco sane Paulus ait: Non solum qui ista faciunt, sed & qui consentiunt facientibus. Societates item potus & ebrietatis inueniunt plurimi. Couerte homo ad praestantiora id studium, ponendamque ebrietatis ini potius foedera. Ad eos qui uincti sunt, & qui variis premuntur angustiis, humanitatis studia transfer. Eiusmodi quiddam etiam Corinthiis imperat Paulus: Ne cum uenero, inquit, tunc collectae fiant. At nunc pro ebrietate, lasciuia, atque deliciis cuncta molimur, omnia agimus, dumque his fruamur, & communem lectum, & mensam communem, commune uinum, sumptumque patimur habere communem: ut autem eleemosynam faciamus, in commune ista conferre detrectamus. Huiusmodi nempe tam amica gratiaque communio sub apostolis erat, quando omnes in medium facultates conferebant. Et quidem non omnia, sed partem aliquam conferri iubeo. Quodcumque enim cuique placuerit, ac definerit, per uiam sabbatorum, pro septem omnibus diebus in medium inferat ac deponat. Etiam ita eleemosynam det, siue parum, siue multum. Non apparebis enim, inquit, coram Deo uacuum. Iudaeis ista dicebantur, quanto magis nobis? Idcirco nempe pauperes ante fores astant, ut nemo uacuum ingrediatur, ut misericordia comite securus introeat. Intras ut misericordiam consequaris, prior ipse miserere: qui autem posterior uenit, amplius debet. Nam cum coepimus nos, secundus amplius ponit. Fac tibi debitorem Deum, & ita demum tillum exige. Foenerare primum, tunc repetere, ut cum usura recipias. Uult sane ita Deum, nec foenus soluere renuit. Si cum eleemosyna postules, gratias agit: si cum eleemosyna repetas, foeneraris, usurasque accipis. Ita obsecro faciamus. Non sola ac simplici extensione manuum exaudimur. Expande manus tuas, non in caelum modò, uerum ad pauperum manus: si ad pauperum manus extendas manum, ipsum caeli cardinem attigisti. Nam qui illic sedet,

coemini nos uidemus.

Rom. 12.

fratrum.

auaritia uobis, uobis, uobis.

Rom. 1. Non solum qui ista faciunt, sed & qui consentiunt facientibus.

2. Cor. 13.

Exo. 17. & 1. Deu. 16.

ab illo.

det, eleemosynam accipit: quod si steriles manus extendas, nihil penitus proficis. Dic enim quaeso, si accedens ad te rex purpuratus aliquid peteret, nonne promptè & alacriter omnia dares? Non ergo in extensione manuum, neque in uerborum multitudine, sed in operis exhibitione nos exaudiri meminerimus. Audi nanque quid propheta dicat: Si extendideritis manus uestras, auertam oculos meos a uobis: & si multiplicaueritis preces, non exaudiam. Tacere quippe illi conuenit, neque in caelum aciem intendere, qui misericordia indiget. Sedenim, quid ait scriptura? Iudicate pupillo, & humili, & iustificate uiduam, & discite bonum facere. Ita exaudiri merebimur, quantum uoluerit manus infra habeamus, etiam nihil loquamur, nihilque postulemus. Ista ergo imitari, haec amulari studemus, ut promissis bonis frui mereamur, in Christo Iesu domino nostro, cum quo est patri, & spiritui sancto gloria, imperium, nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

Epist.

Gal. 2.

1. Cor. 13.

a Ad ipsam iam epistolam ueniamus. Hae sunt à Veronensi libro, ex quo haec sententia sic efferunt. His igitur omnibus ita dispositis uoluntatibus discipulis, & adhortatur ex propriis suis afflictionibus, atque Paulus etc.

b Noli, inquit, metuere. Gr. μη μοι τὸς ἐχθρὰς κινδύνους ἐπιπείσῃ. Ne mihi pericula dixeris, inquit, quae hic patimur, haec nobis uitam parant aeternam, ubi nihil est eiusmodi, ubi aufugit etc.

c Apud Paulum in primis. Gr. ὡς ἐπὶ πάλω τῶ μὲν πεινῆ καὶ πείσῃ κινδύνου. ubi forte legendum. καὶ πείσῃ κινδύνου. ut de D. Paulo uerba faciens Chrysostomus Pauli uerbis utatur: sic enim loquitur 1. ad Timoth. 5. μὲν πεινῆ καὶ πείσῃ κινδύνου, quod uulgata editio uertit, nihil faciens in alteram partem declinando. Suidas πείσῃ κινδύνου, ἐπιπείσῃ κινδύνου. ubi διαπερὶ τὸν κινδύνον καὶ ἐχθρὰς, ἢ καὶ πείσῃ κινδύνου. ut cum iudices non iure caussa, sed animi propensione, & inclinatione uoluntatis, aut delectu habito personarum alteri ex litigatoribus fauent. Ita proditiis est haec mutatio ut & apud ipsum Apostolum legatur πείσῃ κινδύνου in quibusdam libris mendosus, & apud D. Basilium homil. in principium Prouerb. in eo loco qui citatur ab Antonio ferm. 7. Melitae secunda parte, ut ibi monuimus. Hic ergo uertere potes, ut ad Paulum uerba, qui nihil facit in alteram partem declinando.

d Offendit se non uacuum. Integra non est expressa sententia ab interpret. Gr. ἀδικῶν ἴσθω ὅτι ἐν ἐχθρῶν κινδύνου ἀπὸ τῆς ἐξουσίας ἀντιπαραστήσῃς ἀπὸ τοῦ παρρησιαστέου. Declarat igitur se non quod esset uacuum, non quod eum contemneret, non quod eum despicendum censeret idcirco non aduenisse. Atque hoc ipsum indicauit cum dixit, charissimo filio. In ipso quippe initio monuit Chrysostomus Paulum consolari Timotheum merentem, quod cum scripsisset Apostolus se uenturum, spe fuerat ipse frustratus.

e Hoc enim est excellentissima. Hae neque mentem D. Chrysostomi, neque uerba integra exprimitur. ὁ δὲ κενὸς οὐκ ἐστὶν τῆς φιλίας ἐκ τῆς ἐπιπείσῃ κινδύνου. Cum quis ex ipsa se amicitia ornari putat, dum alterum amore singulari prosequitur. Illud potro indicat Paulum se putare amicitia ornari, qua Timotheum prosequitur, quod gratias agit Deo, quia memor est; meminit autem, quoniam diligit.

f Nam de patre eius. Scribitur istud quidem Actorum Apost. cap. xvj. sed aliter se habent Graeca uerba Chrysost. ὁ δὲ τῶν πατέρων ἀπὸ τῆς ἐκείνου ἐπιπείσῃ κινδύνου, καὶ ὁ δὲ τῶν Ἰουδαίων τῶν ὄντων etc. Veruntamen propter patrem eius, etiam enim Gentilis, & propter Iudaeos qui in illis locis erant etc. Eadem quippe causa proditor in illo Actorum loco, sciebant enim omnes quod pater eius erat Gentilis. Nam ut ait D. Augustinus epistola apud Hieronymum. 97. ne uideretur detestari circumcisionem D. Paulus Timotheum circumcidit. Et Iudaei, cum scirent eum patre natum Gentili, sciebant utique patrem non permisisse eum antea circumcidi. Quod si Iudaei ignorassent eum patre natum esse Gentili, aut putassent, quod matrem haberet Iudaeam, iam circumcisum fuisset, fortasse non circumcidisset.

g Ut in regum uoluminibus. Adde et Reg. 22. ὁ δὲ τῶν πατέρων ἀπὸ τῆς ἐκείνου ἐπιπείσῃ κινδύνου. Ut bellorum tempore in regis accidit, siue in libris Regum. Sed frustra fortasse quaeras hunc locum aut Exodi 15, ut quidam in margine notauit, aut etiam in libris Regum: quoniam alia opinor Bibliorum uersione usus est Chrysostomus. Neque ea loca sunt afferenda in quibus dicitur cecidisse spiritus formidinis in hostes populi Dei, sed in ipsos Iudaeos, qualis hic est 1. Reg. xj. ubi cum accingeretur ad praelium Saul scribitur ita. Inuasit ergo timor Domini populum. 1. xx. Graecè habent, καὶ ἐπιπείσῃ κινδύνου, ut hic Chrysost. καὶ ἐπιπείσῃ κινδύνου.

h Mortificationis occasiones gignunt. Adde et Graeco καὶ χυδαὶ τῶν ἀντιπείσῃ κινδύνου. Atque adeo licet alioquin nulla causa suppetat. Sequitur huius rei aetologia, Nam cum animus.

A i Pro septem omnibus diebus. Omnis interpret eleganter similitudinem ὡς ἂν πᾶσι τοῖς ἡμέραις, tanquam tributum quoddam tribuat offerat. Ut scilicet hoc quasi uestigal sit totius hebdomadis quod Regi Regum pendatur.

k Tacere quippe. Gr. δὲ τῶν ὄντων καὶ πολλὰ φησὶ λέγει. Nam cum eum, qui misericordia indiget tacere potius oporteret, ac ne in caelum quidem aciem oculorum intendere, is qui tanta cum libertate loquitur, etiam uerborum multitudinem addit.

HOMILIA II.

OLI ergo erubescere testimonium domini nostri, neque me uinctum ipsius: sed collabora euangelio, secundum uirtutem Dei qui saluauit nos, & uocauit uocatione sua sancta: non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam quae data est nobis in Christo Iesu, ante tempora secularia: manifestata est autem nunc per apparitionem domini nostri Iesu Christi. Nihil esse deterius potest, quam uelle diuinas res humana ratione discernere, atque metiri. Ita enim ex fidei fundamento quisque decidit, & longo errore iactatur uagus, atque a luce deseritur. Si enim qui solis radios corporis cupit haurire luminibus, non modò quod quaerit, non efficit, neque quod instituit, peraget: uerò ipso quoque quo uiget, priuabitur lumine, innumeramque sustinebit incommoda: multò sanè magis, qui in aeternam illam lucem defigere obtutus quaerit, eamque rationibus cōsequi mortalibus, hoc patitur. Denique si Marcionè, & Manetem, & Valentinum, & ceteros qui impias haereses perniciosasque dogmata ecclesiae Dei inuenerunt, consideres humana rationibus diuina metitos: ita demum diuinae incarnationis, dispensationisque mysterium erubuisse cōperies. Et certè illa in se nihil habet quod erubescendum sit, uerò potius ob quod gloriantur. Nam ut de cruce Christi loquar, quid est, quaeso, quod illius clementiam commendare excellentius possit? Nempe enim neque caelum, neque mare, neque terra, neque rerum omnium creatio, neque aliud omnino aliquid, ita ut crux illa uenerabilis, diuinae bonitatis magnitudinè predicat. Quocirca Paulus quoque in ipsa gloriatur, dicens: Mihi autè abest gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. Sed enim animales quique, & qui Deo nihil amplius quam hominibus tribuunt, decidunt, & erubescunt. Idcirco iam dudum admonet discipulum, ac per illum omnes: Noli, inquit, erubescere quod crucifixum praedicas: hoc enim testimonium est, mors scilicet Christi. Nam ista quidem si per se cogitetur, mors, carceres, uincula, cōfusione ac probro digna sunt: ceterum si quis apposita causa, & discussoque mysterio, singula decenter edoceat, plenissima gloriae, diuinaeque honestatis causa cognoscet. Mors enim illa pereuntis seruauit orbem, mors illa caelestibus terrena coniunxit, mors illa diaboli prostragauit tyrannidem, hominesque angelos ac Dei filios fecit. Mors illa mortalitatis nostrae naturam ad solium caeleste ac regale prouexit. Vincula ista soluerunt plurimos, & ad fidei gratiam conuerterunt. Noli igitur, inquit, erubescere testimonium domini nostri, neque me uinctum eius, sed collabora euangelio.

Vide not. fol. 1411.

Gala. 6.

Mysterium uirtutis intellexit. Ista uerba non sunt ad mortuos.

omnes non potest sonare τὸ ἐκείνου λόγος. i. simul affligere eum euangelio.

supplicat largitur.

delicias.

qui priuatus, uiuit.

ego hec vincula erubescere debeo? Et cogruè sanè, cum illum hortaretur nò erubescere, primùm illi crucis ad-

nihil vobis ista nocebūt, sed conferent plurimum. Eius profectò depositi fructū Timotheus ostendit. Vides ut mala pressurāque non sentiat, ob discipulorum spem?

Ephes. 3.

Rom. 5.

Gen. 13.

1. Reg. 6.

Matt. 10.

Num. 16.

Matt. 19.

Matt. 23.

MORALE.

ELIUS MODI doctorē esse conuenit, atq; ita discipu-

1. Thef. 3. Ibid. 2.

Vides quā sit circa ista sollicitus, nō minus sollicitus res curat discipulorū, quā domesticorum. Heb. 13.

quod si non facit in hoc seculo, quē tempus postulat, perdit ipsam in futuro.

1. Reg. 2.

Matt. 10.

Num. 16.

Matt. 19.

Matt. 23.

Sacerdos est angelus domini.

Nam

Nam si nihil per illum operatur Deus, neque lauacrū habes, neque mysteriorū particeps es, neque benedictionibus frueris. Non ergo Christianus es. Quid ergo? Deus omnes ordinat, etiam indignos? Non omnes quidem ille ordinat, per omnes tamen ipse operatur, salutem populi moliens, non illorum intuens merita. Nam si per A sin a os, si per Balaam scelestum hominem, populi causa locutus est: multò magis loquitur per sacerdotē, plebis suæ gratia. Quid enim non agit Deus, salutis nostræ causa? quid non loquitur? per quem non operatur? Si enim per Iudam operatus est, & per prophetas quibus dicturus est: Non noui vos, discedite à me qui operamini iniquitatem: perque illos qui dæmones in nomine suo eiecerat: non magis per sacerdotem diuino ministerio famulātes operabitur? Nanque si prapositionorū vitas discutere pergitimus, ipsi doctores nostros ordinare cōtendimus, peruersoque ordine naturali, quæ supra sunt, infra esse volumus, ut superius pedes, inferius verò sit caput. Audi quid Paulus dicat: Mihi autē pro minimo est, ut à vobis iudicer, aut ab humano dic. & iterū: Tu quid iudicas fratrem tuum? Si fratrem iudicare non expedit, quātò minus magistrum? Nam si quidem hoc statuit Deus, bene facis, peccāque ni facias: sin verò cōtraria præcepit, noli præsumere, neque ea coneris quæ super te sunt. Insurrexerit aduersus Aarō, post vituli formatam effigiem, Chore, Dathan, & Abiron. Quid ergo? Nōne illi periēre? Quilibet, quæ ad se pertinent, sollicitè curet. Nam si quidem fidei dogma peruerat, etiam si angelus sit, obaudire noli: sin verò recta docet, noli vitæ, sed verbis intendere. Habes Paulū verbis te operibūque moderātem. Non distribuit pauperibus, inquires, non bene dispensat ecclesiæ res. Vnde tibi id constat? Noli illum culpāre, antequā discas. Reatum caue. Plurima quippe ex simplicis suspitione iudicatur. Imitare Deum tuum, audi ipsū dicentē: Descendens videbo, si secundum clamorem suum consummantur: sin autē, ut sciam. Quod et si didicisti, & examinasti, & vidisti, iudicem sustine. Noli præripere Christi iudicis ordinem: illius est munus ista discutere, non tuum. Tu seruus vltimus, non dominus es. Ouis ipse es, Pastorem noli curiosè discutere, ne eius quoque criminis reus tenearis, quòd illum accusare præsumis. Et quomodo, inquires, id mihi dicit, quòd ipse non facit? Nō tibi ipse dicit: nā si illi obtēperas, mercede priuaris: Christus hæc admonet. Quid aliquid dicam, ne Paulo quidē obedire oportet, si quid dixerit propriū, si quid humanū, sed apostolo Christū in se loquentē circumferenti. Non igitur aliena iudicemus, sua quisque discutat, vitāque diiudicet suā. At debet ille, inquires, melior esse quàm ego. Cur, te obsecro? Quia sacerdos est. Et quid nō habet ille amplius, quàm tu? Non labores, nō angores, non ærūnas? Debet esse te melior? Quid ergo? Nisi sit melior, te ipsum perdis ac perimis? Sunt verba ista plena arrogantia. Vnde enim nosti illū te non esse meliorē? Furatur, inquires, & sacrilegus est. Vnde hoc nosti, o homo? Cur te ipsum per præcipia impellis? Nēpe si quis dixerit, ille purpurā habet, quāuis id scias, aures obstruis: et si arguere possis, protinus resilis, teque scire dissimulas, nolēs gratis subire periculum. Quid ergo hoc in loco periculum minimè necessarium suscipis? Non carēt reatu hæc verba. Audi quid dixerit Christus: Dico autem vobis, quòd omne verbum otiosum quodcunque loquuti fuerint homines, reddēt rationem de eo in die iudicij. Cur te ipsum quouis arbitraris esse meliorem? Cur non ingemiscis magis, ac peccus tūdis, atque in humum respicis, imitādo scelicem Publicanum? Et si enim melior sis, hæc scæda existimatione tua cūcta perdidisti. Melior es: tace, ut persistas esse melior: quòd si loquaris, omnia

exinanisti. Si te putas esse, desisti: si non putas, multū sanè profecisti. Si enim qui peccator adueniat, vbi confessus est, iustificatus descendere meruit: qui peccator non est, & esse se putat, quid oro nō lucrabitur? quantū ex ea humilitate suis adiiciet cōmodis? Vitā tuam diligētius discute. Fur nō es, at rapis, at violas, at innumera huiusmodi perpetrās: neque id ut furtū probē, dixerim. Absit: imò illud valde execror, & eū qui est huiusmodi defleo: nam dici nō potest, quā sit sacrilegiū malum. Sed vobis parco. Nolo enim virtutem vestram alios accusando minuere. Quid oro Publicano deterius? At quum esset innumeris peccatis obnoxius, Phariseūque id solum diceret, Non sum sicut Publicanus iste, omnia perdidit: ru de sacerdotē dicis, nō sum sicut iste sacrilegus, & nō omnia prorsus amittes? Ista necessariò dicere, ac plurimis verbis profequi cogor, non sacerdotum tantū gratia, sed vestri. Nā vereor ne hac elatione virtus exhauriatur vestra, in iudiciūque decidatis. Audi denique quid dicat admonēs Paulus: Opus autē suum prober vnusquisque, & tunc in semetipso tātum habebit gloriā, & non in altero. Nam dic oro, si faucius proficiaris ad medicū, num omiſsa cura vulneris tui, studioſè medicū percūctaris, vulnus ille habeat, necne? An verò et si ille sit faucius, vulnus tuū idcirco nō curas, dicisque, sanū illum esse oportuit, medicus cum sit? Quādo verò sanus medicus non est, abscedo, vulnus mecū insanabile referens? Nunquid enim si sacerdos malus sit, inde solatiū capiet subditus? Nihil minus. Ceterū dabit ille quidē scelerum suorū debitas pœnas: dabis autē & tu tuorū criminū pœnas. Etenim magister solum iā ordinem implet. Erunt enim, inquit, omnes docibiles Dei: neque dicent, Agnosce dominū. Omnes enim agnoscent me à minimo vsque ad maximū eorū. Cuius ergo rei gratia, inquires, præſidet? Cur præpositus est? Ne quæſo doctores nostros maledictis impetamus, uti ne nosmet potius lædamus. Nostria, ut dixi, omnia discutiamus, & neminē penitus maledicemus. Reueremur diē illam, qua illuminati ab illis sumus. Patrē qui habet, et si mille patiat incommoda, omnia patris reuerētia cōreget. Noli enim, inquit, gloriari in ignominia patris tui, neque enim tibi tā gloria, quàm probrū est. Et si sensum amiserit, veniā habe: longè hæc magis in patre spiritali dicenda sunt. Reuerere illum, quòd tibi diebus singulis diuina ministrat, scripturas relegi facit, tui gratia exornat domum, propter te vigilat, propter te vota perſoluit, pro te apud illum religio, cultusque & obsequiū est, pro te ista omnia. Reuerere hæc ergo, atque cōsidera, accede ad ea summa cum reuerentia. At malus ille est, & hoc ad te quid? Nūquid enim qui malus non est, ipse tibi magna ista & diuina largitur? Absit. Fides enim tua ad omnia valet, neque tibi iustus quispiā proderit, nisi ipse fidelis: neque nocebit malus, si fueris ipse fidelis. Per vacas in arca operatus est Deus, cum populū saluare vellet: nū enim sacerdotis vita, non virtus tantum cōferre potuissent? Non possunt quæ Deus ipse largitur, velut sacerdotali virtute perfici: omnia quippe diuinæ sunt gratiæ. Huius tātum munus est aperire os, ceterū Deus cūcta operatur: symbolū iste tantūmodo implet. Intuere quantum inter Ioannem & Iesum interest, & audi dicentē Ioannem: Ego opus habeo à te baptizari. & Non sum dignus soluere ipsius corrigiā calceamenti. Sed tamē cum tantum interesset discriminis, descendit spiritus, quē non habebat Ioannes. De plenitudine enim, inquit, ipsius nos omnes accepimus. Prius tamen quàm baptizaretur, non ille descendit, neque Ioannes ipsum descendere fecit. Cur ergo istud fit? Ut scias sacerdotem symbolum implere tātummodo. Nemo homo

Num. 22.

Gal. 6.

1. Cor. 4. Rom. 14.

Num. 16.

Gen. 13.

1. Reg. 6.

Matt. 10.

Num. 16.

Matt. 19.

Matt. 23.

Matt. 23.

Sacerdos est angelus domini.

Nam

Luc. 18.

Galat. 6.

Esa. 54. & Ioan. 6. Hierc. 31.

Eccle. 3. & 1. Reg. 6.

1. Reg. 6.

Matt. 23. Ioan. 1.

Ioan. 1.

tantum distat ab homine, quantum à Christo Ioannes. A Descendit tamé spiritus, vt discas Deum omnia operari, Deum omnia facere. Volo quiddam adicere planè mirabile, & nolite mirari, neque turbemini. Quid verò istud est? Sacra ipsa oblatio, siue illam Petrus, siue illam Paulus, siue cuiusvis meriti sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse discipulis, quàmque sacerdotes modò quoque cõficiunt. Nihil habet ista quàm illa minus. Cur id? Quia non hanc sanctificat homines, sed Christus qui illam ante sacrauerat. Quemadmodum enim verba quæ locutus est Christus, eadem sunt quæ sacerdotes nunc quoque pronuntiant: ita & oblatio eadem est, eademq; baptisimi ratio est, ad eò omnia in fide consistunt. Cornelium spiritus repente repleuit, quia prius ipse alacritationem voluntatis ostenderat, fidemque plenissimam deuotionis obtulerat. Et hoc igitur Christi corpus, & illud est: qui autè hoc illo minus aliquid habere putat, ignorat Christum esse, qui nunc etiam adest atque operatur. Ista vobis non absque certa ratione diximus, sed vt sententiam vestram, sensumque corrigamus, cautioreque in posterum faciamus. Verum vos ea seruate quæ diximus. Nam si semper audimus, & nunquam audita perficimus, nihil ex his quæ dicuntur, emolumenti percipimus. Attendamus ergo nobis ipsis quæso diligenter, & quæ dicta sunt, magno studio implere curemus. Describamus ea mentis nostræ tabulis, conscientieque affixa teneamus, ac iugiter gloriam referamus patri, & filio, & Spiritui sancto, nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

* si quod... Sic appellat... charitatis mysterium.

a Hoc patitur. Adde de Veronensi, καὶ ὅτι τὸ πρῶτον τὸν θεὸν δοξαζῶν, Et Dei donum contumelia afficere videbitur.

b Noli inquit. Hæc vitio interpunctionis aliter conuersa ita restitue de Græco. Noli frangi animo, in afflictionibus meis conuulsi sunt, infraclique nerui mortui. Et paulo post legimus, ἐκ ἀδύνατος μοι ἔσται. Ecce depono vos apud dominum, hoc est, non infructuosa mihi erunt ista. Eius profecto depositi. De sua enim loquitur consolatione, non aliorum, ex discipulorum scilicet fructu.

c Non minus sollicitudine res. Quæ in margine adiuncta sunt de Veronensi edit. Græca non videntur exprimere. ἢ ἥλον ἑβὲ οὐκ ἔστιν ἡμῶν μαθητῶν, Non minus sollicitudine curat res discipulorum, quam proprias. Vt pote qui gloriam illorum, suam reputet. Et post pauca adde de Gr. διὰ τὸ ἀποστόλου ἔστι, oportet ardentiores esse: sed & filios nihilo minori amore affici erga ipsos spirituales patres conuenit.

d Neque ea coneris quæ super te. Gr. μή δὲ τὰς ἐξ ἀκαμμένην ὀνησίαν, Prouerbum Græcum esse, τὰς ἐξ ἀκαμμένην πηδαῖα, in eos qui limites sibi præscriptos transgrediuntur, eaque nihil quæ ad se attinent, curant, a fossa ductum circi, monuimus in homiliis de Lazaro. Paulo post vbi de publicano agit. Et eum qui est eiusmodi desteo, adde de Græcis. si quis forte sit eiusmodi: non enim esse vllum credo. Item his, Quid oro publicano deterius, adijcienda ista quibus innuit eum ipsa sua conditione vitæ peccatis obnoxium fuisse. Publicani quippe tributis exigendis plebem vexabant, aut plerique gentiles. διὴ δὲς λέω, ὅτι καὶ τῶν ἁγίων λέω, καὶ μωλιον ἑνοχος κακῶν. Re vera pressimus erat, & quod publicanus, & quod sexcentis criminibus obstrictus esset.

HOMILIA III.



FORMAM habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide & charitate, quæ est in Christo Iesu. Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui inhabitat in nobis. Nosti hoc, quod auersati sunt omnes qui sunt in Asia, ex quibus est Philetus & Hermogenes. Det misericordiam dominus Onesiphori domui, quoniam sapius me recreauit, & catenam meam non erubuit: sed cum venisset Romam, studiosius me requisuit, & inuenit. Det illi dominus inuenire misericordiam apud Deum in illa die: & quanta mihi Ephesi ministravit, ipse melius nosti. Non modò per literas, sed etiã verbis discipulo, quæ essent agenda, dictauit: quod plurimis & aliis in locis ostendit, dicens: Siue per verbum, siue per epistolam, quasi per nos missam. Hoc & hinc multò magis fecit: ne igitur minus aliquid doctrinã habere putemus

* Phylgelus.

2. Thef. 2.

plurima illi absque scripto tradidit, quæ illi modò ad memoriã reuocans, dicit: Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti. Quid autem hoc sibi vult? Pictorum, inquit, more imaginè tibi virtutis impressimus, & omnium quæ Deo grata sunt, veluti normã, priuatamque formã, tuæ indidimus animæ. Hæc igitur habeto firmiter, & siue de fide, siue de charitate, siue de castitate opus sit aliquid loqui, ac definire, inde tibi exëplaria accipe. Non tibi necesse erit ab aliis mutuari virtutis imaginè, cum intra te omnia posita serues. Bonum depositum custodi. Quoniam modo? Per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis. Neque enim humanæ animæ, humanæque virtutis est tam multa deposita dignè posse seruare. Cur id? Quia seruèt cuncta latronibus, densissimæ imminet tenebræ. Instat præterea diabolus, atque insidiatur, nescimus qua hora, quo immineat tempore. Quomodo igitur, inquit, custodire sufficimus? Per Spiritum sanctum: hoc est, si Spiritum habeamus apud nos manentem. Aderit autem, nisi gratiã repellamus. Nisi enim dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam: & Nisi dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilant qui custodiunt eam. Hic nobis murus est, hoc præsidium atque refugium. Si igitur inhabitat, & ipse profectò custodiet. Quid ergo præcepto opus? Vt ipsum scilicet teneamus, vt seruemus intra cordis nostri hospitium, ne illum malis actibus effugemus. Deinde tètationes exponit, non discipuli animum deiicere intendens, sed magis erigere: vt si quando & ipse in eadem inciderit, non rei nouitate turbetur, magistrum intuens, & quæ illi cõrigere memoria repetès. Quid ergo ait? Quoniã fieri poterat, vt eisdem & ipse cõprehensus desereretur, atq; nullius humanitate, nullius ope aut auxilio niteretur, verum ab ipsis quoque fidelibus amicisque; proderetur, audi quàm sua signatè enumeret. Nosti, inquit, quod me auersati sunt omnes qui sunt in Asia. Erant forte tunc Romæ plerique Asiatici: sed nemo, ait, astitit mihi, nullus me recognouit, omnes à me alieni effecti sunt. Et videas, quælo, ipsius sapientissimum animum. Dixit quod factum erat illis quemadmodum imprecatus est: atque eum quidem qui ritè erat operatus, laudat, bonaque illi imprecatur omnia, illis autè nequaquam maledixit: sed quid ait? Ex quibus est Philetus & Hermogenes. Det misericordiam dominus Onesiphori domui, quia sapius me recreauit, & catenam meam non erubuit: sed cum venisset Romam, studiosius me requisuit, & inuenit. Intuere quomodo vbique cõfusionis verbum, non periculum ponit, ne discipulum trepidet. Et certe ea res erat plena periculis. Infensum enim tunc habebat Neronem, quod quendam ex familiaribus eius fidei religionique iunxisset. Sed cum venisset, inquit, Romam, non modò non refugit colloqui meum, sed etiã requisit me, atque inuenit. Det illi dominus inuenire misericordiam apud dominum in die illa: & quanta Ephesi ministravit, ipse melius nosti. Tales esse fideles decet, vt neque minis, neque metu, neque confusione vlla prohibiti, sibi inuicè cooperentur, scèque mutuo foueant, ac veluti in bello sibi assistant inuicem, & opem ferant. Neque enim plus periclitantibus, quàm sibi met profunt, dum pietatis instinctu illis accedunt socij, coronarumque participes fiunt. Verbi gratia: in pressura cõstitutus est aliquis eorū qui Deo se deuouerunt, aduersusque plurimis quatitur, magnaque tolerantia colluctatur: tu nunquam eiusce certaminis experimeta cepisti, licet tibi, si velis, & præter studium, coronarum, quæ illi debentur, participem esse, si illi assistas, si iniungas, si horteris, si assidue excites. Atque vt hoc ita se habere discas, audi quid alio in loco dicat apostolus: Veruntamè bene fecistis cõmunicantes tribulationi meæ, & iterum, Thessalonica quoque & semel, & bis in vsum mihi misistis. Et quomodo qui non aderant, absenti

* impetum facturus sit tempore.

Psal. 126. Ibidem.

* dixit quod deuenerat, non autè ipse est male imprecatus. Vide not. fol. 1416.

* Timotheus.

* etiam in studiū ipsum non fueris ingressus. Philip. 4. Ibidem.

fenti in pressuris communicarunt? Quia misistis, inquit, A mihi necessaria & semel, & secundo. Et rursum de Epaphrodito: Quoniam, inquit, appropinquauit vsque ad mortem, non parcens animæ, vt suppleret defectum ministerij vestri aduersum me. Nã si in regibus fieri solet, vt non modò qui pugnat, sed & qui vasa custodiunt, honoris participes sint: sepe cõtingit vt paria bellatoribus acciperet præmia, quamuis non scdassent cruore manus, neque arma cepissent, immo ne prælium quidem aspexissent: multò magis id in tribulationibus fit. Qui enim athletam fame confectum cibo recreauerit, qui illi astiterit, & verbo fuerit hortatus, qui obsequia reliqua intulerit, pari cum illo mercede donabitur. Neque enim velim Paulum aspicias inuictum atque insuperabilem pugilem: sed alium quemuis ex multis, qui nisi magno solatio & magna consolatione frueretur, fortè cõcideret, neque vnquam certaret omnino. Sæpe igitur fit, vt qui extra certamen sunt, illi qui certamen ingreditur, sint causa victoriæ. Qui verò victoriæ fuerint causa, eos coronas quoque victori præparatas promereri certum est: & sanè nihil est cur admireris, si stantibus quisque cõmunicans, atque certantibus, eadè meretur præmia: quandoquidem & vita functis victoribus coronatis nihilo egentibus licet, si velimus, virtutum atque meritòrum accedere socios. Audi denique quid dixerit Paulus: Memoriis sanctorum communicantes. Quoniam, inquit, modo? Quando cuiusquam admiraris virtutem, quãdo illum imitaris, & ex eis aliquid studes æmulari, quæ illum clarum illustrèque faciunt, præmiorum profectò atque coronarum accedis cõsors. Det illi dominus inuenire misericordiam apud dominum in die illa. Misertus est mei, inquit: igitur & retributionem habebit in die illa terribili atque metuenda, quando misericordia nimirum omnes egebimus. Det illi, inquit, dominus inuenire apud dominum misericordiam. Duo ergo domini? Absit: Sed nobis vnus est dominus Iesus Christus, & vnus Deus. Hoc in loco, qui Marcionis laborant morbo, ex hoc verbo hæresim suam se tueri putat: sed discant vsitatum esse in scripturis hoc dicendi genus. Sæpe enim cum fuerit de aliquo facta mentio, ea locutione vtitur: vt cum dicit, Et ait Abraham, quoniã non ingreditur Abraham: & cætera in hunc modum. Neque verò ait, Det illi dominus aliud quicquam: sed misericordiam.

Ibid. 2.

* 2. vilg.

1. Cor. 8.

Ephes. 4.

* Dicit dominus domo.

Matt. 7. Ibid. 25.

Luc. 16. Matt. 22. Ibid. 25.

1. Cor. 2.

Eccl. 13.

MORALE.

ENIMVERO si Onesiphorus, qui sese periculis obiecerat, misericordia saluus fit: quantò magis nobis misericordia necessaria est? Terribiles nepe illæ pœnæ sunt, & nimium illa metuenda supplicia, magnaque egeamus diuinæ misericordie largitate, ne horroris plenã sententiam audiamus: Discedite, nõ noui vos, qui operamini iniquitatè, & Discedite à me maledicti in igne æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius, & illud item: Chaos magnum inter nos & vos est, itèaque: Tollite illum, & mittite in tenebras exteriores, atque illud: Serue male & piger. Horrendum quippe est, nimisque metuendum extremi iudicij examen. Et certè Deus mansuetus est, lenis est, placidus est: Deus enim misericordiarum dicitur, & pater totius cõsolationis, & bonus, & benignus, & mitis, & multæ misericordie. Et nõ vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Vnde igitur quæso, vnde dies illa sic anxia, sic plena terroris? Igneus nempe fluuius ante illius faciem ducitur. Aperiuntur operum nostrorum libri, dies illa vt ardens clibanus est. Discurrunt angeli, fornaces succensæ & paratæ sunt multæ. Quomodo ergo clemens, quomodo misericors, quo pacto bonus est? Sic quoque plenus clemetie ac bonitatis est, immo ex hoc maxime discitur ipsius clemetie magnitudo. Nã ex istis terrorem incutit no-

Chrysof. tom. 4.

bis, vt vel ita coacti metu, ad æterni regni desiderium excitemur. Iam verò inspice, quàm locuples Onesiphoro testimoniũ præstet, dum ait: Quoniã sapius recreauit me: ac si athletam, inquit, æstu, pressurisque fatigatum recreauit, atque roborauit. Et quanta Ephesi ministravit, ipse melius nosti. Nõ modò, inquit, Ephesi, verum & hic. Huiusmodi enim oportet vt sit sobrius quisque, vigilans, & excitus non semel, aut secundo, aut tertio, sed per omnem vitam illi operandum est. Quemadmodum enim corpus nostrum non si semel nutriatur, habet totius vitæ substantiam, sed quotidiano indiget cibo: ita & in religione atque pietate diebus singulis operum egemus auxilio. Magna nanq; nobis miseratione opus est: propter peccata enim nostra Deus omnia illa facit, cum sit summè bonus ac benignus, imò bonitas ipsa atque benignitas, cum sanè ipsis nihil indigeat, salutis nostræ causa cuncta molitur: ob hoc enim cuncta nobis exposuit, omnia enunciauit: neque enunciauit modò, verum & operibus ipsis asseruit, dignus planè cui fides habeatur, etiã dicere tantum. Cæterum ne quis fortasse verba existimaret terrendi aut cõmandandi solum causa desequire, rebus ipsis, quæ dixit, asseuerat: dum priuatim ac publicè pœnas inducit: atque vt id apertius discas rebus ipsis certis, Pharaonem quãdoque cruciauit, aliàs aquarum generalem illam induxit illuuiè, per quam omnia perderet, aliàs verò imbrem igneum cœlitus demisit, quo scelestos extingueret. Modò item cernimus plerosque malos cruciari, & pœnas exoluere: quæ profectò omnia gehennæ nobis exëpla exposita sunt. Ne enim obdormiamus, ne desidie languore teneamur, obliuiscamurque verborum, ipsi nos rebus excitat, admonet, ostenditque & in hac vita iudicia, supplicia, multas, variæque pœnarum genera perterredis malis constituta. Quod si apud homines tanta iustitiæ seruandæ cura est, Deo qui has cõstituit leges, nulla erit iustitiæ ratio? Quis non videat quàm id absurdum, quàm impium sit? Nempe enim & in priuata domo, & in foro, & omnibus omnino in locis leges ac iudicia videas. In domo paterfamilias seruos quotidie iudicat, pœnasque peccatis infert, peccatamque partim punit, partim remittit. In villa rursus villicus & vxor diebus singulis iudicia exercent. In nauis gubernator de vectoribus iudicat, in castris dux milites discutit, plurimamque in hunc modum iudicia inuenies. In artibus magister iura discipulis dicit. Omnes denique & seorsum & cõmuniter se inuicem iudicant. Nusquam videas iuris rationem non haberi, sed omnes vbique pœnas scelerum dare. Si verò hinc tanta cura & diligentia per ciuitates, per domos, per singulos denique ius ita disseminatum est, vt eius tuèdi gratia omnia fiant: illic vbi iustitia plena est dextera Dei, & iustitia eius sicut montes Dei: illic inquam, nulla erit iustitiæ ratio? Et quomodo erit Deus iudex iustus, fortis & patiens, si feratur vt nõ peccatorum exigat pœnas? Habes hinc causam quod patiens est. Expectat patienter, vt te ad pœnitentiã attrahat: sin verò peccare persistas, secudum duritiã tuã, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram. Si ergo iustus est, secundum merita reddit: neque patitur, vt qui hinc aduersa patiuntur ab impijs, immunes sint. Foris autem est, qui etiã post mortem iuste retribuit: id quippe virtutis est, & in resurrectione item. Et patiens, inquit. Si igitur patiens est, nõ perturbemur, neque dicamus, cur hinc non supplicijs afficit? Quippe si hoc fieret, iam dudum præreptum esset mortaliu genus: si diebus singulis eorū, quæ peccamus, pœnas à nobis exigeret, vix vel paucis annis viuere permisi essemus: neque enim dies vlla omnino pertrãsit nostris sceleribus vacua, sed innumeris quotidie modis offendimus, & nemo nostrum ætatis vigesimum attingeret annum, nisi ingès esset patientia,

* Onesiphorus.

Psal. 47.

Psal. 7.

Rom. 2.

* inolei sunt.

Xy ij

summaque benignitas, quæ nobis penitentiæ spatium daret, vt peccata diluere valeamus. Vnusquisque igitur ingrediatur conscientia suæ cubiculum, & quæ à se gesta sunt cuncta dispiciat, vitamque suam omnem discuties animaduertet innumeris se pœnis ac suppliciis dignum. Et cum illi cogitatio impia dixerit, curnam ille mille sceleribus plenus non pœnas luit: ex suorum consideratione factorum desistet indignari. Illa enim ideò videntur magna, quia palam sunt: cæterum si sua illis conferat, plura & maiora fortassis inueniet. Quippe rapere, & cupidum esse, idem ferme est, siue aurum, siue argentum quisque diripiat: eodem enim ex animovtrunque proficitur, & is qui minora diripit, maiora quoque diripere non detrectabit, si se illi occasio obtulerit: quòd si desit occasio, non tamè pessimum institutum, etiam sine effectu operis, vacat à culpa. Si pauperiore se pauper iniuriis violat, diuitem quoque si posset, violare non desinet. Verum obstat infirmitas, non deest malitia voluntatis. Ille, inquit, princeps est, & subiectorum fortunas diripit. Quid ergo ipse non rapit? Neque enim velim dicas, ille auri talenta diripit: tu vel si decem obolos rapias, eiusdem eris criminis reus. Totum quippe in voluntate consistit. Nam & eleemosynis dandis, alij aurum offerebat, paupercola vidua duo minuta in gazophylaciū misit, nihilque minus diuitibus intulit. Cur id? quia voluntas propositumque discernitur, non datum ipsum. Enimvero cum in eleemosynis erogandis Deum vis ita iudicare, vt nil minus reddat tibi, si duo minuta distribuas, quam his qui mille auri talenta distribuunt: in auaritia verò, & rapina non idem censes? Nonne omni ratione id caret? Quemadmodum denique vidua illa, quæ duo minuta miserat, pro alacritate voluntatis, nihil minus diuitibus intulit: ita & tu si vel duo minuta diripias, nihilo meliori in loco es, quàm hi qui multa diripiunt: imò vt mirabilius aliquid loquar, illos iniquitate transcendis. Sicut enim quisque, siue regis violaret vxorem, siue pauperis, siue serui, pari ratione adulter est: cum peccatum non personarum differentia, verum ex voluntate improba id scelus admittentis iudicetur: ita & hic. Imò equidè illum magis adulterum dixerim, qui quamlibet ex vulgo, quàm qui reginam ipsam violauerit: illic enim plurima irritamenta sunt: puta opes, elegantia formæ, & eiusmodi cætera, quorum hic nihil inuenias: eadem profectò ratione illum magis ebriū dixerim, qui quolibet vino, quàm qui optimo inebriatur: ita & cupidum eum potissimū censo, qui ne minima quidem rapere omittit. Nam qui maxima diripit, minima fortasse cõtemnet: qui autem parua nō despiciat, quomodo his maiora despiciet? Fur igitur hic magis, quàm ille est. Nam qui nō aspernatur argētum, nunquam profectò aurum aspernabitur. Itaque cum principes insimulamus, nostra nobiscum reputemus: inueniamus nos ipsos plus auaritiæ rapinæque studere, quàm illos, si ista non re, sed voluntate metiamur. Ita enim discernere ac iudicare debemus. Dic enim, quæso, si quis rem pauperis furto sustulisse deprehenditur, alius verò diuitis substantiam expilat: nonne simili vterque plectitur pœna? Quid item homicida? nonne perpetrati homicidij æque pœnas dabit, siue ille debilem ac pauperem, siue diuitem valētēque necarit? Cum igitur in mentem venerit, quòd ille huius prædium rapuit, nos ipsos, nostraque omnia diligentius inspiciamus, atque ita alios damnare desinamus, Deique longanimitatem admirabimur: neque indignè feremus, quòd iudicium super illos mittere differat, ipsique ad malè operādum segniores tardiorēque reddemur. Nam cum nosmet eisdē obnoxios teneri animaduertimus, nō iam indignabimur: verum ipsi potius

peccare desistemus, futurisque perfruemur bonis: quæ vtinam nos omnes consequi mereamur, in Christo Iesu domino nostro, cui est cum patre & Spiritu sancto gloria, imperium, honor, nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

a Qui ritè operatus erat.] Græcorum sententia planior erit si veritas hæc, *ὁ γὰρ πρὸν μὲν ἀεὶ ἐλάττωτο, καὶ ἐπὶ λέωνος.* Sed eum quidem qui hoc fecerat, laudat, & c. Id est, eum qui sibi astiterat, Onesiphorum nēpe. Dixerat enim, Nemo mihi aluitit.

b Ex quibus est Philetus] Interpres secutus est quosdam codices qui in Latina editione sic habent. Veronensis liber *ὁν δὲ φύλακος, καὶ Ἐρμούλου.* Quo confirmatur varia lectio Lucæ Brugensis, qui & in commentariis apud D. Ambrosium Phygelus legi monet, & apud Syros, Pongelous. Aade hunc D. Hieronymi locum Epist. 128, ad Fabiolam tom. 3. *Iam tunc reijcebantur Phygelus & Hermogenes.* Nec distimile est quod legunt Aymon & Beda, alij legunt Phygellus. Phileti nomen substitutum erat in locum Phygeli, quod proximè sequenti capite reperitur. Ex quibus est Hymenæus & Philetus. Cæterum Phygelum Ephesiorum fuisse episcopum prodidere quidam, Hermogenem Megarensium, vtrūque ad heresim declinasse.

c si stantibus quisque communicans.] Interpres legit, vt habet Veronensis *εἰ τῶν ἐστῶτων κοινωνῶν.* Tu lege ex nostro libro emendato, *εἰ τῶν ἐπὶ τῶν κειμένων.* Cur mireris, eum qui adhuc viuentibus communicat, atque decerantibus, eadem mereri præmia, quandoquidem *ἡ γὰρ ψυχὴ, ἡ τὰ σπύλα, ἡ τὰ ὀστά, ἡ τὰ ὀνόματα, ἡ τὰ ὀνόματα, ἡ τὰ ὀνόματα.* Cur mireris, eum qui adhuc viuentibus communicat, atque decerantibus, eadem mereri præmia, quandoquidem *ἡ γὰρ ψυχὴ, ἡ τὰ σπύλα, ἡ τὰ ὀστά, ἡ τὰ ὀνόματα, ἡ τὰ ὀνόματα, ἡ τὰ ὀνόματα.* Cur mireris, eum qui adhuc viuentibus communicat, atque decerantibus, eadem mereri præmia, quandoquidem *ἡ γὰρ ψυχὴ, ἡ τὰ σπύλα, ἡ τὰ ὀστά, ἡ τὰ ὀνόματα, ἡ τὰ ὀνόματα, ἡ τὰ ὀνόματα.*

d Et ait Abraham.] Hæc absunt à Græco Veronensi, verum eorum loco additur locus è Psal. 109, quem in margine scripsit Metanus. Videntur tamen ista etiam apud Chrysostomum fuisse in libro quo vtebatur interpres. Occumenius quidem certè qui è Chrysostomo multa sumit vtrūque locum affert, eius Græca adscribam illustrādo huic loco, si minus restituendo. *εἰ δὲ Μαρκίου φρονουῦται: ἐστὶν ἡ ἀποκρίσις τῆς ἡραφῆς ὡς δύο κωλύον ὅτιον.* deinde post pauca, *ὡς ἐκεῖ, εἶπεν Ἀβραάμ, ὃ μὴ εἰσέλθῃ Ἀβραάμ, ὡς ἐῖρα, ἀλλ' αὐτὸ ὡς κωλύει ἐκεῖ, ὡς παρ' αὐτῶν, εἰ δὲ καὶ πρὸς τὰς καὶ πρὸς τὸν ἀλλοθῆναι ἐλάττωτο, ὡς δὲ τὸ πρὸς ἀπὸν, καὶ ὁ πατὴρ ἰδὲ καὶ ὁ υἱὸς κωλύει, καὶ τὸ πρὸς κωλύει, ἀλλ' εἰς κωλύει τῶν πρὸς ἀπὸν ἐμπαρομένους, εἶπεν ὁ κωλύει τὸ κωλύει μὲν.* Vt ibi dixit Abraham, Non ingrediatur Abraham, quasi diceret, præbeat illi dominus inuenire misericordiam apud ipsum. Si verò & patrem & filium hic significari admiseris, ne hoc quidem absurdum: Et enim est & pater dominus, & filius, & spiritus dominus, sed vnus tamen est dominus tribus personis demonstratus. Duobus itaque modis respõdetur Marcionis sectatoribus: Priori, det dominus innenite mis, apud dominum, id est apud ipsum, estque phrasîs Hebræa, quòd soleant Hebræi loco pronominis reciproci repetere nomen personæ, vt Gen. 19. Phat dominus ignem, & sulphur à domino, id est à seipso, quem locum etiam profert Theophylactus: Posteriori, vt de duabus Trinitatis personis intelligatur locus hic, quemadmodum ille Psal. 109.

HOMILIA IIII.

v ergo fili mi confortare in gratia, quæ est in Christo Iesu: & quæ audisti à me per multos testes, ea commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Tu ergo collabora vt bonus miles Iesu Christi. Nullus militas Deo, implicat se negotiis secularibus, vt ei placeat qui se elegit. Sed & si certauerit quis, non coronabitur, nisi legitime decerter. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus sumere. Intellige quæ dico. * Dabit enim tibi dominus in omnibus intellectum. Memor esto dominum Iesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid secundum euangelium meum, in quo laboro vsque ad vincula quasi malè operans: sed verbum Dei nō est alligatum. Ideo omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu cum gloria celestis. Fert magnum discipulo in mari solatium, magnamque fiducia, cum meminit magistrū ferè naufragiū fecisse, & fuisse seruātū. Neque enim arbitratur iā fluctus illos, atque tempestates ex propria imperitia inscitiæque, sed ex ipsius rei natura contingere. At id permagnum est ratione solatij. Fert item in bellis tribuno, vel cuius-

uis agminis duci, maxima incitamenta virtutis, quum Imperatorem viderit vulneratum primò, tum demum euadere ex vulnere: ita & fidelibus quibusque multum affert solatij, quòd apostolum cernunt tolerasse plurima. Quippe ille hac intentione quæ fuerit perpeffus, enuntiat. Nam audiens Timotheus quòd is qui potentissimus fuerat, orbemque subegerat omnem, haberetur in vinculis atque pressuris: neque ferebat indignè, aut grauitè, quòd à suis fuisset desertus: profectò si & ipse eadem perpeffus esset, eam rem infirmitatis humanæ esse nunquam putauisset: licet esset ille discipulus, atque inferior Paulo, quandoquidem & magister eadem tolerasset: verum & diuinæ dispositioni, & rei naturæ ascriberet omnia. Et ipse enim hoc fecit, atque ideo ita exposuit, vt roboraret discipulum, atque recrearet: vt scilicet intelligens ille sui gratia hoc eum facere, suâque pressuras ac tentationes recensere, meliore esset animo. Atque ideo ita adiecit: *Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Iesu.* Quid dicitis: itane metum nos liberat? Dixerat te vincum esse, pressurâque pati, atque ab omnibus fuisse desertum, & quasi nihil te passum dixisses mali, aut ab vllis esse derelictum, ita demum addis: *Tu ergo, fili mi, confortare.* Meritò sanè ita facio, quoniam ex his plus roboris accipis, quàm si nihil passus fuisset. Nā si Paulus ego ista patior, multò magis ea pati tu debes: si magister, longè discipulus magis. Summo verò affectu eam admonitionem infert, dum dicit, fili: neque id tantum, sed adiecit, fili mi. Si filius es, inquit, patrem imitare: si filius es, ex his confortare, quæ dixi: neque ex his tantum, sed ex gratia Christi. *Confortare,* inquit, *in gratia, quæ est in Christo Iesu.* Hoc est, per gratiam Christi, ac si dicat, persiste fortiter, præliū non ignoras, quod alio in loco significantius positum est ab eo, cum diceret: Nō est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem. Neque tamen ob id deterruit auditores, verum excitauit magis. Et hoc itaque in loco: Sobrius esto, inquit, & vigila, * habes adiuuantem gratiam Dei, vnâque certantem. Magna propositi alacritate, magna constantia voluntatis tuum munus aggredere. Et quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus. Fidelibus, inquit, non quæstiones ratiocinationēque sequētibus: fidelibus, qui prædicationis non prodant gratiam. Quæ audisti, non quæ disculisti. Nam fides ex auditu, auditus autem per verbum. * Christi] Quid est autem, per multos testes? Non ea, inquit, clam audisti, neque in secreto, sed palam astantibus omnibus. Neque ait, dic & ipse, sed commenda veluti thesaurū regium, qui tuto loco deponitur. Rursus autem ex superioribus, & ex consequentibus discipulum terret, non solum ait, fidelibus commēda. Nam quænam esset vtilitas, si fidelis quispiam sit, nec tamen possit docere alios? Si item ipse non * prædicat] fidem, neque tamè alios sui similes efficere possit. Duo itaque magistro necessariò inesse debēt, vt & fidelis sit, & docere alios possit: idcirco ait, Qui idonei erunt & alios docere. *Tu ergo labora, vt bonus miles Iesu Christi.* Quanta verò dignitas est esse militem Christi! considera terrenos reges, vt magnum quiddam putent, qui sub eis militant. Si ergo laborare, regij militis est: non laborare, militis non est. Non itaque grauitè, aut molestè ferre militem labores decet, sed contrā, penitus gratè ac libenter, ac tum magis dolere, cum non laborat. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus. Nam & qui certat, non coronabitur, nisi legitime decerter.* Dicta sunt quidem ista ad Timotheum, dicuntur autem per illum quoque magistris omnibus, atque discipulis. Nullus ergo episcopatu præditus, hæc audire detrectet, sed agere ea planè detrectet. Nā & qui certat, non coronatur,

nisi legitime decerter. Quid est legitime? Non sufficit, inquit, si quis in certamen tantummodo descendar, si solum vngatur, aut congregari tantum, sed nisi per omnia certaminis seruauerit legem, * vt sobrius, grauis, constansque sit, omniâque profus obseruet, quæ certantibus congruunt, nunquā profectò coronabitur. Et in tuere quæso sapientiam Pauli: certaminis ac militantiū mentionē facit, partim vt promptos atque alacres ad cædes, sanguinem ac mortem suaderet fidei: partim vt constanter ac fortiter omnia perferre hortaretur, ac semper in exercitatione esse. *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus sumere.* Dixerat de se, dixerat & de magistro: dicit iam & de his, quæ cõmuniter accedunt decertantibus atque militibus, apponitque rebus singulis præmia: dum de altero loquitur, vt ei placeat qui se elegit, de altero dicit, vt coronetur. Addit autem & tertium exemplar sibi maximè congruum. Nam illud militis atque athletæ, subditis conuenit: agricolæ verò, magistro solum modo: vt non tantum sicut miles & athleta, verū & vt agricola sit. Quippe agricola non sui ipsius curam habet, sed fructuum terræ: hoc est, nō minimam laborū retributionem capiet agricola. Hoc in loco Deum nihilo egentē, doctrinâque præmia, ostendit, dum rem cõmunem dicit. Quemadmodū, inquit, agricola non absume vtilitate laborat, verum prior ipse ante omnes laborū suorum percipit fructum: ita & doctorem frui laboribus suis consentaneum est. Siue hoc fortasse de honorandis doctoribus dicit, * quod tamen ratione non caret.] Cur enim nō simpliciter dicit agricolam, sed laborantem agricolam: neque vtrunque laborantem, sed acri intentione laborantē, aduersus eos, qui morē impatientes sunt. Ac ne quis, inquit, molestè ferat præmiorum moram, iam hîc ea recipere incipit, siue quia in ipso labore retributio est: postea verò quæ exempla proposuit militum, athletarum, agricolarum, eaque omnia figurat: Nullus, ait, coronatur nisi legitime decerter. Cumque dixisset, *Laborantem agricolam primum oportet de fructibus capere:* protinus addidit, *Intellige quæ dico. Dabit enim dominus in omnibus tibi intellectum.* Cuius] rei gratia hæc in prouerbiis similitudinibusque dicta sunt? Deinde affectum suum indicās, non desinit bona illi imprecari, quippe veluti charissimo filio metuēs, & ait, *Memor esto Iesum Christū à mortuis resurrexisse, ex semine Dauid secundum euangelium meum, in quo & laboro vsque ad vincula, quasi malè operans.* Cur hoc in loco sic admonet? Maximè quidem hæreticos iugulat, simul autē & discipulum recreat: ostendens passionū lucra, quandoquidem ipse quoque magister noster Christus passionē suâ prostrauit mortem. Hoc, inquit, recole, vt cõsolationem cumulatiorē habeas. *Memor esto,* inquit, *Christum Iesum resurrexisse ex mortuis, ex semine Dauid.* Ita enim tunc cœperant quidam mysteriū diuinæ dispensationis euertere, magnitudinem diuinæ bonitatis * nō capiētes.] Talia quippe in nos beneficia cõtulit Deus, vt ea homines Deo applicare erubescerent, neque illū ad infirma nostra descendisse, eaque suscepisse crederent, *Secundum euangelium meum,* inquit. Vbi que per epistolâ hoc vtitur nomine, dicens, *Secundum euangelium meū,* cui scilicet, obtemperare & credere oportet. Erāt enim & qui alia euangelizaret, quos alio in loco notat ac reprobat. *In quo laboro,* inquit, *vsque ad vincula, quasi malè operans.* Rursus ex seipso solatium infert, rursus hortatur, dum nihil ex pressuris detrimenti prouenire, & emolumentum plurimum indicat. Multum enim profectò confert ad irritamenta virtutis, magistrum luctantem indefinenter aspicere, nec cedentem. *Sed verbum,* inquit, *Dei non est alligatum.* Nam si quidem, inquit, seculi milites essemus, si bella

Mar. 12. & Luc. 11.

Epist. 6.

Ep. habet.

Rom. 10.

Dei.

prodilecti.

nursus. ceteri Deo.

Vide not. fol. 1422.

* sed hoc absurdum est. Theophylactus hanc reicit interpretationem.

* Huius] sine interrogatione.

* pudori ducentes.

1. Cor. 15. & 1. Ti. 1. Phil. 1.

Paulo post duobus locis ubi eadem trophaorum mentio fit in-terpres refugisse videtur hanc vocem. Item illa post pauca: *terra marisque postebatur* Græcè ita sunt concepta *γῆς καὶ θαλάσσης δεσποτῆς* Terræ marisque dominus audiebat. Erat quippe quoddam in ipso domini nomine *ἀξίωμα*, ut in illo Martialis. Terrarum domini pone supercilium. Quos autem *ὑποτακτοὺς* vocat, interpretes propugnatores, ij propriè protectores domestici dicebantur, qui scilicet Imperatorum erant *συνασπυλάκας*.

F *Ut de presentium rerum statu* Gr. *μὴ εἶμι μοι καὶ μετὰ τῶντα εἶπης, ἀλλὰ πῶς δεῖνα ἐξέτασον.* Neque enim mihi eorum, quæ consequuta sunt, *statis* commemorare, velim, sed eorum quæ tum gerebantur expendas *conditionem*. Non modò si alterius seculi vitam spectes, sed etiam si huius, foeliciorem fuisse Paulum Nerone vult.

G *vidisti quanta* Veronenfis ita idè ἐν αὐτοῖς τοῖς δεσμοῖς, quæ sic corrigenda sunt *εἰ δὲ ἐν αὐτοῖς τοῖς δεσμοῖς τῶντων ἢ λαμψέστες, ἢ αἱ ἄλλαι εἶποι καὶ μετὰ τῶντα*; si verò inter ipsa vincula tantus splendor, quid de eo, quem post hanc vitam consequutus est, dici possit?

H *illa illa caelestia* Gr. *διὸν καὶ ὄντως εἶπεν.* Ex vngue laudavi, cum oportuisset ea commemorare, quæ te vera sunt. *Quanam illa verò sunt? nimirum caelestia.* Quomodo ille cum imperatore, &c.

I *Imò si fuerit his* Ab hoc loco ad finem vsque homiliae hæc tantum reperio in Græco quæ nonnihil diuersam sententiam præ se ferunt. *μᾶλλον δὲ καὶ τῶντων ὀπίπετοῦσθα δὲ δεῖνα, πῶς περιουμένους ἔσθα ὁ σκῆνος δεῖνα ὀπίπετοῦσθα, ὃν ἤρῳτο πῶς ἡμᾶς ἀξίωθῆναι.* Imò hæc quomque per illa consequamur, tantummodo primarius hic nobis sit propositus scopus, ut illa adipiscamur, quæ nobis aliquando tandem contingant. Possumus enim, & dum vitæ caelestis causa quid facimus, in hac mortali laudari, sed in illa tamen acquiescere sola animus noster debet, & ad eam quasi ad scopum collimare, non ad hominum gloriam.

HOMILIA V.



FIDELIS sermo. Si enim commortui sumus, & conuiuemus: si suscinemus, & conregnabimus: si negauerimus, & ipse negabit nos. Si non credimus, ille fidelis permanet. Negare enim se ipsum non potest. Hæc admonere, testificans coram Deo. Noli verbis contendere, ad nihilum enim vile est, nisi ad subuersionem audientium. Plerique infirmiores fratres ad fidei robur, non assurgunt, neque spei dilatione patiuntur, presentiaque inquirunt tantum, & ex his futura coniciunt. Quoniam igitur quæ hic ille tolerabat, mors erat, & supplicia & vincula, ipse autem vitam pollicebatur æternam: fidem verbis eius difficilè quis habuisset, diceretque: In morè animalium morior, & quum fuero mortuus, viuam? In terra nihil mihi polliceris, & in cælo dabis? Quæ sunt parua non exhibes, & majora præstabis? Ne quis igitur ambigeret, istaque secum cogitaret: se ad id cõparat, ut omne tollat ambiguum, atque hinc iam illos præstruit, argumentaque colligit. Nam quod ait, Memor esto, Christum Iesum resurrexisse ex mortuis: hoc est, quia post mortem resurrexit. Fidelis ergo sermo est, quod is qui vitam affecutus est caelestem, æternam quoque consequetur. Vnde verò fidelis? Si enim commortui sumus, inquit, & conuiuemus. Si enim in hisque tristitia sunt, laborisque plenissima, comunicamus illi, in his quæ plena foelicitatis sunt, non comunicabimus? At id ne homo quidem faceret, ut qui secum mori affligitur delegisset, si quando quiete ac secudis rebus frueretur, eum nollet foelicitatis habere cõsortem.

Vbi autem cõmortui sumus? Eam dicit profectò mortem, quæ per lauacrum, & quæ per passiones fit, ait enim: Mortificationem domini Iesu in corpore circumferentes: & Consepulti sumus ei per baptismum: & Verus homo noster simul crucifixus est: & Conformes facti sumus similitudini mortis eius. Hic autem tètationum dicit potius mortem. Propter ipsum mortui sumus, nõ viuemus æquè per ipsum: nihil ambigi potest. Si suscinemus, inquit, & conregnabimus. Non satis est semel mori, diebus singulis beatus iste moriebat: sed tolerantia opus est magna, eaque in primis Timotheo erat necessaria, deinceps omnibus semper ac iugiter. Deinde alia

2. Cor. 4.

Rom. 6. Ibidem.

A ex parte ad toleratiam prouocat, non scilicet ex bonis, verum ex malis. Nam si eadem cum bonis consequerentur & mali, nulla esset cõsolatio, & si qui sustineret, conregnaturi essent: qui verò non sustinerent, hoc solum passuri dicerentur, ut non cõregnarent: graue quidem & hoc esset, sed plurimos tamè minimè angeret idcirco quod est terribilius addit? *Si negauerimus eum*, inquit, & ipse negabit nos. Bonis itaque & malis digna pro meritis vicissitudo reddetur. Quem verò ille in regno suo negauerit, quid pati consentaneum sit considerate. *Tibi me, inquit, negauerit, negabo ipsum & ego.* Non tibi videtur æqua retributio? Deinde nihil ei nocemus, si non credimus: fidelis quippe ille manet: negare se ipsum non potest. [Hoc est si non credamus quod resurrexerit, nihil ex hoc læditur.] Verax ille est, firmus est, siue ipsi hoc dicamus, siue non. Si igitur nihil noceri à nobis potest cum illum negamus, nullam aliam ob causam confessionem exigit nostram, nisi vtilitatis nostræ gratia. Ille enim idem manet, siue ipsi negemus, siue non, negare se ipsum non potest. [Hoc est, non esse.]

Et si res ita se habeat, cum sit illi per naturam esse, non potest ad id venire, ut non sit. Semper manet, sempiterna illius substantia est. Non itaque ut gratificantes illi, ita affecti simus, aut violare aliqua ex parte nolentes, sed ut veritati inhærentes. Deinde ne putaret quispiam Timotheum his indigere monitis, addidit: *Admone testificans coram domino, noli verbis contendere: ad nihilum enim vile est, nisi ad subuersionem audientium.* Plenù profectò terroris est, hoc sub Deo teste tunc dicere, ac discipulo tradere. Nam si testimonium hominis dicimus plenissimam fidem quæ ex verbis fit, idque irritum facere nemo præsumit: quãtò magis Dei? Verbi gratia: Si quis fœdus inierit, aut testamenti tabulas scripserit, testes adhibet, quibus semper habeatur fides: putãne audebit quispiam id violare, aut aliàs prodere? Minimè id quidem, etiam si velit, arguetur enim testium fide.

Testem igitur eorum quæ dicuntur aut geruntur, Deum vocat. *Noli verbis contendere: ad nihilum enim vile est, nisi in subuersionem audientium.* Non modò, inquit, lucri nihil est, verum & detrimenti plurimum est: & si illi contempserint, Deus eos iudicabit. Est enim ea res illecebris plena, sempèrque gestit humanus animus rixari, atque litigare. *Festina te ipsum probatum exhibere Deo, operarium inconfusum, rectè tractantem verbu veritatis.* Omnibus in locis ut non erubescat hortatur. Quid oro, tanta illi verecundiæ calcadæ cura est? Videbatur ferme metuendum, ne plures erubescere inciperent, & Paulum ipsum, utpote sutorem pellium, & prædicationis verbu, cum prædicatores periclitaretur, ac perirent. Christus cruci fuerat affixus, Paulus capite truncandus erat, * Petrus itidem agendus in crucem:] idque ab hominibus improbis, scelestis, impuris. Quoniam igitur hi rerum potiebantur, Noli, inquit, erubescere, nihil ex his quæ pertinent ad pietatem ac religionem agere verearis, siue seruire opus sit, siue quodlibet aliud pati. **Q**uo autè modo fit quisque probatus operarius? Si erubescere nõ nouerit. Operarius enim nihil erubescit operari, ita neque euangelij minister: omnia nanque tolerare debet. *Rectè tractantem verbum veritatis.* Complures enim illud vndique lacerant, atque discerpunt, plurimaque illi imminet noxia germina. Non ait dirigentem, sed rectè tractantem: ac si dicat. Amputa quæcunque adulterina oriuntur, & cætera huiusmodi summa cum vehementia incumbe ut rescentur, atque veluti in loris atque corrigiis superflua quæque, atque ad prædicatione aliena, gladio spiritus absconde. *Prophanas autem vocum nouitates deuota.* Neque enim eatenus subsistent. Nam cum quid noui fuerit inuentum, semper noua id parru-

Matt. 10.

Vide not. fol. 142.8.

* Petrus deorum in crucem fuerat subactus.

3. Reg. 19. 17. rectè tractantem.

rit, infinitusque sit error eius qui tranquillam fidemque stationem littoris egressus, per deuia cõperit vagari. *Amplius enim proficiet impij, & sermo eorum ut cancer serpit.* Morbus utique horrendus, & qui medicina contineri nequit: sed omnia indies corrumpit ac perimit: ideo nullum ei remedium valet adhiberi. Ostendit per hæc eos corrigi emendarique non posse, qui sponte à veritate aberrarunt. *Quorum est, inquit, Hymeneus & Philetus, qui circa veritatem aberrauerunt, dicentes resurrectionem iam factam esse, & peruerentes quorundam fidem.* Et rectè ait, amplius proficiet. * Nam cum hoc solum incommodum sit, vide quàm multa ex eo nascatur incommoda. Nam si iam resurrectio facta est, nõ modò hoc afficimur detrimento, quod magna illa priuamur gloria, verum & iudicij metus excluditur. Quippe si resurrectio facta est, meritorum quoque retributio tollitur. *Gratis itaque iusti pressuras dolorisque tolerarunt.* At id ita falsum est, ut contra penitus hac etiam in vita & boni spe sua nutriantur, & æternæ foelicitatis percipiãt gustum, sereno semper tranquillòque animo perseverantes: & mali conscientie suæ flagellis exagitati, quod semper passuri sunt, hinc iam incipient pati. Melius fuerat pro erroris magnitudine, dicere non esse resurrectionem, quàm iam factam esse.

Et peruertunt, inquit, quorundam fidem. Non omnium, sed quorundam. Nam si resurrectio non est, fides nostra omnis euauit, si resurrectio non est, inanis est prædicatio nostra, si non est resurrectio, neque resurrexit Christus, quod si nõ resurrexit, neque natus est, neque in cælum ascēdit. Vides ut cum solam resurrectionem videatur euertere, plurima fidei fundamenta cõcutiat? Quid igitur? Nihil ne igitur contra molliendum est? Nempe Christi stabile fundamentum nutare non potest, quod huiusmodi est signaculo præditum: *Novit dominus qui sunt eius.* Et, recedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen domini. Ostenditur ex his, eos qui peruersi sunt, antea stabiles nõ fuisse. Neque enim primo statim impulsu euerfi fuissent: sicut neque Adam ante insultum stabilis fuit. Qui enim firmi in fide & fixi sunt, non modò nihil ab huiusmodi seductoribus violantur, verum ipsa sua constantia admirationi habentur magis. *Et stabile, inquit, est fundamentum.* Ita tenenda est fides, huiusmodique signaculum cautè seruandum: *Novit dominus qui sunt eius.* Ex Deuteronomio huiusmodi testimonium sumpsit, ac si dicat, Stant fixæ atque immobiles constantes animæ. Vnde verò illæ noscuntur? Ex eo scilicet, quod huiusmodi testimonium in suis operibus præferunt, quod à Deo noscitur, quod non simul percutit, quod ab iniquitate discedunt. *Et recedat, inquit, ab iniquitate omnis qui nominat nomen domini.* Hæc indicia fundamenti sunt, quæ non secus quàm fundamentum firma perdurant: atque veluti lapidi sunt incidenda, ut sint nobis literarum vice. Porro hæc literæ operibus ostenduntur. *Habens, inquit, signaculum istud affixum.* *Omnis, inquit, qui inuocat nomen domini, recedat ab iniquitate.* Igitur cum quis fuerit iniustus, alienus à fundamento est, cum & hoc proprium signaculi sit, iniqua non gerere.

Quæ nota sunt in hoc solo incommodum.

1. Cor. 15.

MORALE.

CA V E A M V S itaque ne signaculū regiū perdamus, Cne salutis deponamus indicium, ne non signati simus, neu stultitiæ & inconstantia denotemur. Studeamus fundamenta esse, & fundamenta firmissima, uti ne circumferamur omni vento doctrinæ. Hoc nempe eos qui Dei sunt indicat, & qui ab iniquitate discedunt. Nã quo pacto quis Dei esse potest qui iustus est, cum sit ipse iniustus, & iniqua operetur, atque aduersus eum ope-

Ephes. 4.

A ribus pugnet, ipsumque per actus illicitos irriter? Sed ecce nos dum aduersus iniustitiã loquimur, plurimos in nosipos concitamus. Quippe hæc pestis cõctorum animas, tyrãni in morem occupauit: quodque grauius est, non id necessitate, aut vi, sed suadendo ac blandiẽdo effecit, ut illi gratas habeant huiusmodi seruitutes. Nam si quidem vi non amore tenerentur, quamprimù ab ea seruitute resilirent: quocirca eis iucunda esse videtur ea res, quæ amarissima est; & amara iustitia, quæ dulcissima est, si intimo sensu hauriatur. Ea quippe ratione & mel amarum quidam esse putarunt, & aliud quodlibet noxium cum volupate perceperunt. Causa verò non ex rerum natura, verum ex peruersitate sententiæ ducitur. Laborat enim morbo nostræ rationis iudicium. Sicuti etiam statera, si lancem loco motam habeat, pòdera iustè non iudicat: ita & anima nisi habeat rationis lancem stabilem, ac firmiter vi diuini timoris affixam, res syncerè diiudicare non valet, sed circũferatur iugiter atque deprimitur. Nam si quis diligẽter inquirat, aspiciet ingetem iniquitati amaritudinè inesse, eamque nõ modò patientibus, verum & agẽtibus, imò his maximè esse perniciosissimã. Nihil modò de futuris, sed de præsentibus interim loquimur. Nõne huius germina sunt lites, rixæ, iudicia, reprehensiones, accusationes, inuidiæ? Quid verò his omnibus dici amarius potest? Nõne hæc inimicitias, bella, odia gignit? Nõne conscientiam, quæ nos iugiter flagellis cædat ac mordeat? Vellem, si fieri posset, iniqui animam corpore exutam, cernendã omnibus in conspectum dare: videres eam profectò pallidam, trementem, rubore & cõfusione plenam, anxiam, semetipsam cõdemnantem. Quãlibet enim quis ad ipsa vitiorum profunda corruerit, animi iudicium nõquam corrumpitur, atque inuolabile perstat. Nullusque est qui dum malum operatur, bonum id esse putet, sed occasiones fingit, & omnia facit: cæteru ille etsi verbis crimen fortassis diluat, conscientiam tamè ipse suam effugere nequaquam poterit. Nã hinc quidem & oratio arguta, & callida, & inconstantia principum, & assentatorum greges, ius fortè obnubere queant: intra verò conscientiam nil horum admitti potest. Non adulescentes adfunt, non pecuniæ, quæ iudicia corrumpunt, insitum quippe nobis est à Deo naturale iudicium. Id verò cum à Deo collatū sit, nihil eiusmodi patitur, sed ipsi quoque somni inquieti & terræ rerum imagines, & iugiter animum cædens mali memoria, quietem intercipit nostram. Puta, domū quispiam ab aliquo per nefas abstulit: nõ is modò cui sublata est, gemit, verum & qui eam tulit: siquidem futurum credit esse iudicium, imò is maximè ingemiscit, ac lamentatur: in verò futuris derogat fidem, sic quoque confusus erubescit. Sed planè nullus est, siue Gẽtilis, siue Iudæus, siue hæreticus sit, qui futuram retributionem non metuat, & expauescat. Nõne quàm sepe cernimus in nos variis modis supernam animaduersionem desæuire, siue cum ad extremam deuenimus in opiam, siue cum filios & charos amittimus, siue cum corpore aut animo lædimur, quàm multa huiusmodi sæpe infert Deus? Quia enim resurrectionis fides, ac iudicij æterni metus omnes cõercere non potest, & hac in vita iusti iudicij sui plurima nobis argumenta præstat, & in medium affert. Ille cum opes congessisset innumeras, absque liberis moritur: hic in bello moritur, alius corpore debilis fit, alius amisit vnicum filium: ista cogitat, hæc mente pertractat, perpetuòque metu agitur. An verò ignoratis, quàm multa patiantur iniqui? An hæc amaritudinè plena non sunt? Et si nihil illis huiusmodi cõtingat, nõne iniquum hominem omnes carpunt, omnes oderunt, detestantur omnes, ac beluis omnibus stultio-

Tuæ nota sunt in hoc solo incommodum.

Quæ nota sunt in hoc solo incommodum.

tem immaniorémque arbitrantur etiam iniqui ipsi? Nam si seipfos conscientia impulsu damnant, multò magis alium eiusdem criminis reum, raptorem illum & cupidissimum, perditumque appellantes. Quid ergo habet ille amplius? Nihil profectò aliud, quàm solitudinis cumulum, & molestissimam curam, ad ea seruanda quæ rapuit. Quàto enim quis pecuniarum plus acqviserit, tantò maiores sibi vigilias, acriorémque solitudinem parat. Quid illorum maledicta memorem, qui opprimuntur iniuriis? Quid angorum per singula cumulum? Porro si morbus ingruerit, quanto curarum absorbebitur barathro? Neque enim potest quauis impiissimus non sollicitè versare animo futura, quando iam nihil operari potest. Nam quãdiu quidem hinc sumus, anima voluptatum illecebris delinita, tristitia ægrè admittit animo: cum verò migratura ex corpore est, tunc iam maiore continetur metu: quippe quæ ad ipsa iudicij peruenerit limina. Ita fermè & latrones quandiu in carcere viuunt, absque metu degunt: ubi verò ad velum fisti cœperint, soluuntur metu. Cum enim pulsare animã metus mortis incipit, ignis instar præsentis vitæ omnia succidens, philosophari eam cogit, & futura sollicita mente versare. Nullus iam pecunia stimulat libido concubitus. ⁶ Hæc igitur, vt dixi, ubi præteriere, iudicium esse liberum gratia] sinunt, succedente mœrore, duritiãque molliente. Nihil enim æquè vt delicia, philosophiã aduersatur: sicut è contra presura ad philosophiam accommodatissima est. Inspice quæso, quidnam tunc auarus erit. Afflictionis, inquit, tempus obliuionem facit abundantis voluptatis. Quo animo futurus est, cum eos cogitabit quorum diripuit bona, quos affectit iniuriis, quos immodica cupiditate prædatus est: quãdo alios cernet auaritia frui, seipsum verò è vicino pœnas exigendum. Neque enim fieri potest, vt morbo quis detentus, non ista conspicatur. Sepe nanque ipsa in semet vertitur anima, fit anxia, pauida, tremès. Porro id quàm sit mœroris atque amaritudinis plenum, quis eloquatur? Hæc autem per singulos morbos fieri necesse est, & ista quidem hinc. Quæ verò futuri temporis sunt, explicari omnino nequeunt, pœnæ illæ, supplicia, cruciatus, tormenta, quæ cogitationem omnem fugiunt. Ista nos assiduè dicimus: Qui habet aures audiendi, audiat. Idcirco autem ea assiduè dicimus, quia cogimur. Nam gratissimum esset, si nulla nos hæc vel semel dicere necessitas cogeret: quoniam verò id datum non est, cupimus vel hoc medicaminis genere vos eripere morbo, sanitatiquè restituere. Quod si in morbo perstiteritis, dissolutæ prorsus, atque obrusæ, imò crudelis immanisquè animæ erit, vel medicinæ artem repellere. Si enim cum medici corporum, charos nostros desperauerint, eos tamen oramus, ne curate omitterent, sed vsque ad extremã respirationem, omnem artium adhibeant diligentiam: non multò magis eadem in nobis ipsis vtremur diligentia? Fortassis enim postquã ad ipsas inferni ianuas, ipsaque nequitia peruenerit limina, respiscere quis poterit, & recreari, & cõualescere, atque capeßere æternam vitam. Quàm multi enim cum sapius auditorium spirituale frequentarent, nullumque eorum quæ dicuntur, perciperent sensum, repente vnico doctoris verbo conuersi sunt? imò non vnico illo. Etsi enim nullum præteriti studij perceperat sensum, lucrati tamen sunt, fructumque persequantia sue repente ostenderunt. Nam sicuti arbor cum plures factus acceperit, & vno postmodum repente corruerit, non vni illi tantum, sed cæteris pariter imputatur: quod ille animaduertit, qui radicem intuetur. Qui enim ex alto conspicit, nihil tale valet conspicari: ita & hic. Et

* sincerè.

* Auaritia partis.

Luc. 8.

medici sæpe plurimi, cum plura medicamenta ægrotò obrulissent, nihil profecerunt, cum demum repente quispiam accedens totum perfecit: non est autem ea curatio illius tantum munus qui postremus accessit, verum illorum etiam qui remedia priores morbo adhibuerunt. Igitur etsi modò percepta doctrinæ minimè afferimus fructum, eum postmodum asseremus. Cuius profectò rei certa omnino tenemus indicia. Neque enim fieri potest, vt flagrantissimum hoc vestrum decedat studium, quo ad audiendum Dei verbum tanto affectu atque amore concurritis: absit id penitus. Præstet autem omnipotens Deus gratia suæ cumulum, vt eius monitis obtemperantes, æternæ felicitatis præmia cõsequi mereamur, in Christo Iesu domino nostro. Amc.

a. *Etsi res ita se habeat.*] Prius ita corrigenda sunt Græca *ἡμεῖς λέγομεν ὅτι οὐκ ἔστιν, εἰ καὶ μὴ τὸ ἀπολύτως ἔχῃ. ἢ ἐξ ἄλλου μὴ ἔῃ. ἢ διωρατῶν.* ^{1424.} *ἢ τὸ ἐπὶ εἰς τὸ μὴ ἔῃ αὐτῶν χωρῖσται.* deinde ita vertenda. Nos quidem dicimus ipsum non esse, licet ita res se non habeat: non habet naturam vt non sit, et fieri nequit; hoc est, vt ipsum non esse illum capiat. Sequitur pauca in interiectis. Non itaque vt gratificantes, ita affecti simus, aut vt inuicem inferentes. Deinde ne putaret, &c. Sic & hæc & superiora reddenda esse constat ex Theophylactò, & Occumenio.

b. *Quo autem modo fit quisque.*] Vitiose interpunctiones sententiam perturbant. *πῶς δὲ γίνεται ὡς δοκίμος; ἐργάτης ὢν ἀνεπαίσχυντος.* Quo modo fit quisque probatus? si operarius sit inconcusus, operarius enim &c. Itaque interpretandum fuisse constat ex Theophylactò & ex editione vulgata, quam contra dum sequitur interpres, paulo antè à Chrysoſtomi mente excidit: sed ita reddendum fuit, Non contendere verbis ad nihil vtile. Non hoc tantum, sed ad subuersionem audientium: non modò lucri nihil est, sed & detrimenti plurimum. Hoc est, etsi contemnant (vel vt est apud Occumeniũ, etsi te contemnant) Deus eos iudicabit. Item paulò post, *Amplius enim proficient impij, ὅτι πλείον ἀπολύτως ἀνομιῶν.* Maiores progressus facient in impietate.

c. *Gratis itaque iusti.*] Quæ sequuntur ab his verbis ad illa D. Pauli. Et pervertunt quorundam, aliter efferuntur Græcè *ὅτι οὐκ ἀπαιτῶν μὲν οἱ ἀγαθοὶ τῶν βλαβερῶν, &c.* quæ si cum Theophylactò conferas, rectè ita conuertit posse videntur. Ergo boni quidem fruebantur hic calamitatibus & doloribus, mali verò puniebantur, rectè sanè, num enim dum in multis delicijs versabantur? Satius erat dicere non esse resurrectionem, quam iam factam esse.

d. *Nempe Christi stabile.*] Hæc verba sunt D. Pauli non D. Chrysoſtomi. Itemque post pauca pro, *huiusmodique signaculum caute seruandum,* scribe, *habens signaculum hoc.* Quidam cum hæc verba non reperirent in Latina editione, putarunt alludere D. Paulum ad illa Numerorum 16. *Notum faciet dominus, qui ad se pertineant.* Vbi LXX. eadem verba habent, quæ sunt hic apud D. Chrysoſtomum, *ἔργα κλέος τοῦ ὄντος αὐτοῦ.*

e. *Ex eo scilicet, quod huiusmodi.*] Gr. *ὅτι τὸ ἡράματα ὡσαύτως ἔχον ὅτι τῶν ἀπολύτως, quod literas suas habeant in operibus sitas.* Item post, *ὡς αὐτὸς ὅτι ἡσὸν ὁππρὸς ἕνα, ἢ καὶ τὰ ἡράματα σημαίνοντα.* Hæc indicia fundamenti sunt, quemadmodum fundamentum firmum ostenditur, vt si quis in lapide inscripsisset, quò literæ illud indicarent. Similitudine vitur sumpta ab inscriptionibus lapidum. Occumenius, *οἱ τὸ ἀπολύτως, ὡς τὸ σῆμα ἕνα ἐμψυχοῦ ἰσχυροῦ, ὡσαύτως ὅτι οὐκ ἔστιν ἔργον φέροντες τὰ ὁππρὸς ἕνα.*

f. *Quocirca eis incunda.*] Græca ita legenda sunt & conuertenda *καὶ πῶς ἴδω τὸ ἀπολύτως ἔῃ δοκί, &c.* Vnde autem fit vt ea res videatur dulcis, quæ admodum amara est? vnde vt amara iustitia, quæ dulcissima? nimirum prout affecta sunt sensuum nostrorũ organa. Ea quippe ratione.

g. *Hæc igitur vt dixi.*] Gr. *ὡς τὸ αὐτὸ νέφην ὡσαύτως παρῆδοντα.* Hæc igitur quasi nubes ubi præterierint. Interpres legisse videtur, *ὡς τὸ αὐτὸ ἔῃ.*

h. *Et ista quidem hic.*] In Græco hæc præcedebant, quæ à Latino ab sunt. *εἰ δὲ καὶ καταλείψουσιν ἴδω, εἰ δὲ καὶ ἀποβήσονται, τὸ ἔῃ πῶς ται; Si verò eos qui puniuntur viderit si eos qui moriuntur, quid non patiemur? Et ista quidem hic fieri necesse est.*

HOMILIA VI.

In magna autem domo non sunt tantum vasa aurea & argentea, sed & lignea, & fictilia, & alia quidem in honorem, alia verò in contumeliam. Si quis emundauerit seipsum ab his, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile domino in omne opus bonum præparatum. Plerosque mortalium ea cogitatio sæpe turbabat, cur mali permanent, & non penitus pereant. Eius autem rei & aliæ causæ plurimæ afferri



afferri possunt: puta, vt conuertantur, & pœnitentiam agant: ac nisi respiscant, pœna sua postmodum cæteros imoneant. Hic autem plenam rationis causam Paulus affert dum dicit: In magna domo esse vasa non modò argentea & aurea, sed etiam lignea & fictilia, ac si dicat: Quemadmodum in maiori domo necessaria est magna differetia vasorum, ita & in orbe toto. Non enim eam similitudinem ad ecclesiam refert, verum ad mundum vniuersum. Quippe in ecclesia nullum vult esse vas lignæum, aut fictile, sed argentea omnia & aurea. Ibi enim est corpus Christi, virgo casta, non habes maculam, neque tugam. Noli, inquit, perturbari, si sunt homines nequam, & scelerati. In magna enim domo sunt vasa huiusmodi. Sed non eodem, inquit, honore fruuntur, verum alia in honorem, alia in contumeliã sunt. Ita sanè, sed vasa illa vilia licet, ministeriũ tamen aliquod in domo implent, vltimque sui præstant: in mudo verò non his ipsis ad alia vtitur Deus? Verbi gratia: Inanis gloria cupidus plurima ædificat: cupidus item negotiator, caupo, princeps. Sunt quædam in mundo opera quæ illis congruunt. Porro aureũ vas nihil huiusmodi est, sed circa regiam versatur melsam. Non itaque inter necessarias res malitia est. Quo enim pacto? Sed mali quoque ipsi suum implent munus. Nam si argentei & aurei fuissent omnes, nihil eis profectò opus esset. Denique si omnes laborum ærumnarumque patientes essent, nihil opus haberemus ædificiis: sed delicias singuli aspernamur, ac frustra varia ciborum genera præclarasque ædes inquireremus, cum earum tantum rerum, quæ essent ad victum necessaria, curam haberemus omnes. Si quis ergo, inquit, seipsum* his emundare studeat, erit vas in honorem sanctificatum. Vides vt non naturæ, carnalisve necessitatis sit, aureum esse vel fictilem, sed nostræ tatummodo voluntatis? Ibi nempe neque fictile vas aureum fieri poterit, neque hoc in illius* naturam conuertit. At verò hinc magna huius mutationis & emigrationis facultas volenti datur. Vas erat fictile Paulus, sed euasit in aureum: vas fuit aureum Iudas, sed in fictile conuersum est. Sunt igitur fictilia immunda, luxuriosus, nepos, auarus, fictiles erunt. Et quomodo alio in loco ait: Habentes thesaurum hunc in vasis fictilibus: Naturam hinc nostrorum corporum significauit, quæ fictilia vocauit vasa, ac si dicat, Vas fictile corpus nostrum est. Sicut enim fictile vas nihil est aliud, quàm coctũ lutum: ita & corpus nostrum nihil aliud est, quàm lutum animæ calore solidatũ. Huiusmodi denique si sapius decidat, defuit atque cõteritur. Quid enim ossa, quæ ad eò valida sunt & arida, à testa figuli differunt? Quid à luto carnes? nonne æquè ex humore materiam trahunt? Carterum, vt dixi, illic de natura, quam minimè vituperat loquitur: hic de voluntate, quæ in vitio est. Si quis ergo, inquit, emundet seipsum, non simpliciter ait, mundet, sed emundet: hoc est, penitus purget, erit vas in honorem sanctificatũ, & vtile domino. Illa ergo inutilia sunt, & si vsum quendam sui præbeant, sed non in omne opus bonum. Quod autem in honore est, in omne opus bonum vtile dicitur præparatum: & si non operetur, idoneum tamè est, & præparatum. Oportet igitur ad omnia paratum esse, siue ad mortem, siue ad martyrium. Prompto animo ad omnia esse necesse, siue sit amplectenda virginitas, siue genus aliud quodlibet virtutis, gloriosiquè laboris subeundum. Iuuenilia verò desideria deuia. Iuuenilia desideria, non ea modò quæ ad libidinem pertinet, sed quæque castigari conuenit dixit. Audiens senes quàm sibi fugienda sunt iuuenilia omnia. Siue enim quis iniurius sit, siue potentia studeat, siue pecuniarũ aut corporũ amore teneatur, iuuenile desiderium est, ac stolidũ, cordisquè necdum satis constantis, sensuque

1. Phil. 5.

* Iuxta 2. Tim. 2. 22. emundare vt ab his.

* 2. Tim. 2. 22. emundare vt ab his.

1. Cor. 4.

A parum firmi, & qui non altis radicibus fixus sit, sed feratur leuis & vagus, certum documentũ. Hæc ergo, inquit, fuge, persequere autem iustitiam, fidem, charitatem, pacem cum his qui inuocant dominum ex mundo corde. [Iustitiam dicit quamlibet virtutem, pietatem scilicet, quæ in recta vita consistit, fidem, charitatem, mäsuetudinem cum inuocantibus dominum ex mundo corde.] Hoc est, illis solùm cõfide non qui temerè, sed absque dolo & simulatione inuocant, quibus nihil inest fraudis, qui cum pace ad inuocandum pergunt, qui non litigant: illis itaque tantum accede socius, & cum eis preces misce, à cæteris abstine. Mansuetum esse oportet, atque pacificum. Ceterum ea mäsuetudo ita seruanda est, vt non ex ea pietas fidisque ledatur: quam qui violare querunt, durius corripendi sunt. *Stultas autem & imperitas quæstiones deuia.* Vides vt vbique illum quæstionibus arceat, non quòd ille idoneus nõ fuerit eas euertere: alioqui dixisset, cura idoneus fieri ad eas euerendas, sicuti cum dicit: Intè de lectioni, hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt. Verum nouerat esse prorsus inutile huiusmodi subire certamina, nullumque finè habitura, nisi rixas, odia, iniurias, maledicta: has ergo, inquit, quæstiones deuia. Sunt autè aliæ perutiles quæstiones de scripturis, de aliis necessariis, à quibus ille nos minimè prohibet: sed ita, vt in conquirèdo cessent lites, iurgia, rixæ. Procul enim ista esse debent ab eo qui Dei pacis seruus est. *Seruum, inquit, domini non oportet litigare, sed mixem esse ad omnes.* Quomodo ergo dicit: Argue eos cum omni imperio? & Nemo adolescentiam tuam cõtemnat? Et rursus: Argue eos durè: quia & hoc mansuetudinis est. Nam vehemès reprehensio quando ita fit, vt à mansuetudine non discedatur, ea maximè est quæ operari consuevit egregiè quod suum est. Licet enim profectò acrius cum mäsuetudine carpere, quàm cum audacia & feritate cõfundere. *Doctorem.* Ad omnes, qui discere cupiunt. Hæreticum enim, inquit, hominè post vnam, & secundam correptionem deuia. *Patientem.* Id quippe prorsus necessariũ est, alioqui cætera incassum fiunt. Si enim piscatores cum sæpe die tota frustra iactauerint retia, non tamen desistunt, neque desperant: multò magis nos id facere conuenit. Et vide quàm id vtiliter fiat. Sæpe fit, vt dum assidua doctrinæ fructus illabitur animo, vitium quo ille perturbatur excidat. Prorsus enim qui millies audierit aliquid, patietur: nam fieri non potest, vt qui iugiter cœlestis doctrinæ excipit verba, nihil patietur. Interdum igitur is cui persuadere persistèdo poteramus, desperatione nostra totum perdit. Non secus, quã si quis imperitus agricola, ubi plantauit vitè, priore illam anno diligenter curret, & fodiat: secundo verò ac tertio fructum se percepturum speret: idque nisi obuenerit, desperans, quarto iam anno quo laborum suorum præmia percipere poterat, curam vitis omittat. *In mansuetudine, inquit, corripientè eos qui contradicunt.* Hoc enim in primis mansuetè magistrum facere oportet. Neque enim potest anima quæ opus habeat discere, si corrixando, & altercando doceatur, quippiam vtile ac necessarium quantalibet intentione vtatur conspicari, nihilque inde referet, præter mœrorem atque tristitiam. Expedi hoc illi ante omnia, qui vtile aliquid addiscere vult, vt gratè magistro afficiatur. Nisi enim hoc præstetur, nihil commodè, nihil vtiliter fieri poterit. Gratè verò illi affici, qui se iniuriis audaciter impetat, nemo fermè potest. Quomodo igitur ait: Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuia? Hoc de illo monet, quæ corrigi non vult, quem insanabili morbo detineri viderit. *Neforè, inquit, det eis dominus respiscere à diaboli laqueo.* Ac si dicat, fortassis aliqua sequetur emèdatio. Fortassis autem

1. Tim. 4.

Tit. 2.

Infra 4. Tit. 1.

Tit. 3.

in rebus dubiis ponitur. Igitur ab illis solis discedendū est, de quibus apertam possumus ferre sententiam, certique sumus quantalibet fiant, eos nunquam ad veritatis viam esse reuocandos. *In mansuetudine*, inquit, *corripientem eos qui contradicunt*. Vides ut hi qui addiscere cupiunt, ita gratē & intentē accedere debeant, ut ante demonstrationem minimē à disputatione resiliant? *A quo*, inquit, *captiui tenentur pro illius voluntate*. Benē ait, captiui: interim enim in errore natant. Intuere quā cautē illum de se humilia sentire moneat. Non ait, ne fortē possis, sed quid? Ne fortē det illis Deus respiscere, ut si quid fiat, ad dominum cuncta referantur. Tu plantas, tu rigas: ille seminat, & fructus parere facit, atque ad incrementum perducit. Nunquam igitur ita simus affecti, ac si ipsi cuiquam persuaserimus, etiam si ille nobis obaudiat, sed ad Deum referamus omnia. *Et captiui*, inquit, *ab ipso tenentur ad ipsius voluntatem*. Hoc autem non modō de dogmatibus, sed etiam de vita intelligitur. Voluntas eius est rectē viuere. Sunt autem quidam in laqueo diaboli, vitæ quoque gratia. Itaque ne in huiusmodi quidē lassescere debemus animo: ne fortē, inquit, respiscant capti ab eo ad ipsius voluntatē. Quod ait, Ne fortē, magna patientiæ indicium est. Nā voluntatem Dei non facere, laqueus profectō diaboli est. Quemadmodum enim auis etsi non toto corpore, sed vno tantū pede capta teneatur, in potestate eius est, qui laqueum tetendit: ita & nos, cum & vitæ & fidei perueritate capi valeamus, si vita solū oberrauerimus, in ius diaboli labimur. Non enim omnis qui dicit mihi, Domine domine, inquit, intrabit in regnum cælorū. Et rursus: Nescio vos, discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Vides ut nullum sit fidei lucrū, quādoquidem dominus nos ignorat. Virginibus quoque hoc ipsum ait, nescio vos. Quid ergo virginitas profuit, cæterique sancti certaminis labores, quando ignorantur à domino? plurimis denique in locis reperies solo ex vitæ reprobæ, non ex fidei merito, plerōque damnari. Sicut alibi quoque sola ex perueritate dogmatum, absque vlla vitæ culpa alios plecti. Hęc nepe sibi inuicem coherent. Itaque cum voluntatem Dei non facimus, sub laqueo diaboli sumus. Neque modō ex vita tota, verū ex vno tantū defectu solo, in gehennam mittimur, nisi alia suppleant bona. Quippe & virginibus non incestus, non adulterij, non inuidiæ, nō liuoris, non ebrietatis, non infidelitatis aut perueriæ fidei crimen inuritur, sed olei tantū defectus, quia scilicet misericordiam non exercuerant, neque eleemosynas fecerant: id quippe significat oleum. Et illi item qui supremę damnationis sententiam luent, quibus dicitur: Discedite maledicti in ignē æternū, solū quod Christum nō pauerint, crimine exagitantur, nullaque cæterorum mentio fit.

MORALE.

VIDES certē ut eleemosyna sola neglecta gehennę ignibus tradat? Ad quid enim eris utilis, qui non facis eleemosynam? ieiunas quotidie? at virginibus nihil profuit eiusmodi studium, oras? at sine eleemosyna infructuosa erit oratio: absque illa immunda sunt omnia, & intilis, maiorque pars virtutis exciditur. Qui non diligit, inquit, fratrem suum, ignorat Deum. Illum quomodo diligis, qui ne minima quidem ista, & vilia pateris eis tecum esse communia? Sed castē ac temperatē vitis. Cuius rei gratia id facis? num supplicij metu? minimē id quidem, sed quodam bonitate naturæ. Nā si id agis timore supplicij, tantām que incendij vim, ac libidinis tyrannidem superas, multō magis studere eleemosynis debes: neque enim idē labor est, pecunias

cōtemnere, atque frænare libidinem, sed longē maior hic labor est. Cur id? quia voluptas illa naturalis est, nostrisque insita & innata corporibus, nō sic autē cupido pecuniæ. Solū denique pietatis ac miserationis est studium, quo Deo æquales euadere possumus: quo si careamus, cūcta simul amissimus. Non enim ait, si ieiunaueritis, aut virginitatē obseruaueritis, aut oraueritis, patri vestro similes eritis: nihil enim huiusmodi in Deū cadit, neque aliquid tale operatur Deus. Sed quid? Esto, inquit, misericordes sicut pater vester, qui in cælis est, istud Dei opus est, hoc si desit, quid habes? Misericordiam volo, & non sacrificium. Fecit Deus cælum, fecit terrā, mare: magna profectō ista sunt, Deique sapientia digna: verū nihil horum ita naturam attraxit humanā, ut illius misericordia & suprema benignitas. Ea profectō cum in cæteris elucet, quæ ille potentissimē, optimē, clemētissimē nostri gratia fecit: tum in eo maximē, quod propter nos seruus fieri dignatus est. Nihil itaque Deum nobis ita propitiū, ut misericordiæ studium facit: plurimāque de hoc vltro citroque propheta dixerunt. Misericordiam autem non eam dico, quæ de rapina fit: neque enim est ea misericordia, neque spinæ radix aliquando oleum gignit, sed oliuæ tantum. Ita neque auaritiæ radix, neque iniustitiæ, neque rapinæ misericordiam parit. Noli eleemosynā suā honestate nudare, noli eam omnium probris exponere, nam si ideo rapis, ut eleemosynā facias, nihil est ea miseratione deterius. Quicquid ex rapina prouenerit, nō est id misericordia, immanitas illa est, & cōtumelia, atque crudelitas: neque simpliciter, sed in Deū. Denique si Cain, qui deteriora ex suis obtulit, ita offendit: qui aliena offert, quātō magis offenderet? Oblatio nihil aliud, quā sacrificium est. Cūque sordidis manibus orare non audeas, sordes ipsas atque immunditiam offerens ex rapina, nihil graue esse putas? manus ipsas non finis impleri immunditia, sed eas primū abluens ita demū offers: & certē cum illæ sordes crimine careāt, sed sola immunditia animi in culpa est. Non itaque inspiciamus quā mundis manibus hostias precēsque offeramus: sed id potius curemus, ut quæ offerimus, munda sint semper, alioqui ridiculam rem faciemus. Veluti si quis dilutam diligentius tabulam immūdis muneribus impleat, nōne hæc scæda esset irrisio? Sint mūdæ manus, non eas aqua solū diluamus, sed iustitia prius emundare studeamus, hæc vera mūdatio manuum est: quod si pleni iniustitiæ sumus, quamuis eas millicies abluas, nihil inde lucraberis. Lauamini, enim, inquit, mūdies tote. Num ait, pergite ad fontes, ad balnea, ad stagna, ad flumina? nihil horum dixit. Sed quid? Auferte malitias vestras ab animabus vestris, hoc est mundum esse, hoc est ab iniquatione euadere liberum, hæc vera munditia est. Illa enim minimū prodest, hæc autem fiduciā nobis ad Deum, confidentiāque largitur. Illam & adulteri, & fures & homicidę habere possunt: mollēsque ac lasciuī, nepotēsque ac fornicarij, huiusmodi munditiæ in primis studiosi sunt: quippe qui ante omnia corpus diligentissimē curant, vnguenta spirantes, corpūque perpetua cura tergentes. Eis quippe corpus sepulchrum est, animam habens intrinsecus mortuam. Hęc ergo munditiam & illos consequi fas est: ad eam verō quæ intima & vera est, aspirare penitus nequeūt. Nihil egisti magnum, si corpus abluas. Iudaica illa purgatio est, inanis ac prorsus inutilis, interior si munditia desit. Sit quispiā putredine plenus, absque vulneribus, quantūlibet circumluat corpus, nihil proficiet, nullūque erit casti laboris finis. Quod si purulentum corpus nil iuuare potest, cum exterior cutis circumluitur, assidueque respergitur: quando fuerit putredo animæ insita, quid nobis

nobis proderit munditia corporis? Nihil profectō. Orationibus nobis opus est mundis. Illæ verō quo pacto mūdæ esse possunt, cum anima ex qua prodeunt, ipsa immunda sit? Porro nihil animam ita immūdā facit, ut auaritiæ ac rapinæ labes. At sunt qui cum per diē innumera admiserint scelera, vespere lauāt, nimiumque fidenter ac temerē ingrediuntur ecclesiam, manūque ad orationem extendunt, quasi sordes animi aquarum diluerint lauacro: quod si verum esset, quotidiano hoc lauacro multū profectō lucraremur: ne ipse quidem aliquando desisterem balnea frequens adire, si mūdōs efficere, ac peccata diluere possent. Sed ridicula ista, & deliramēta atque ludibria, puerorum sunt ludus. Non execratur Deus corporum sordes, sed immunditiam animorum. Audi denique ipse quid dicat: Beati mundo corde, non ait simpliciter, mundi, sed addit, corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Propheta quoque: Cor mundum, inquit, crea in me Deus. Et rursus: Ablue à malitia cor tuum. Multum profectō confert bonis assuescere. Vide quā sint ista modica & inutilia: & tamen cōsuetudine inducta anima ea non deserit, neque ad orandum pergere sustinet, nisi ea prius impleuerit. Puta assuescimus nos lauare, & orare, & quasi id non liceat illotis manibus facere, non libenter oramus, nisi ante lauauerimus: perinde ac Deum offensuri, violaturique conscientiæ bonum, nisi ita faciamus. Si modicum istud tantum habet virium, ut quasi necessariō diebus singulis impleatur: quis iam ambigat, si dandis eleemosynis itidem assuescimus, neque ingredi orationis domum vacuis manibus cōstituissemus, id quoque effecturos? Multum quippe & in bonis & in malis valet consuetudinis vis. Non iam laborabimus, si illa nos ceperit. Plerique consuetudinem fecerūt seipsos assidue signandi, neque ad moneri opus habēt, sed animo quoque alibi sæpe occupato, ipsa consuetudine veluti quodam animato magistro impellente, manus sponte formant ad salutaris impressionem signi. Assuescerunt se quidam non iurare, nūquam illi nec sponte nec inuiti hoc facient: assuescimus nos quoque eleemosynis dādis, & id citō peragemus. Quātis laboribus nobis opus esset, ut hic medicamentum reperire possemus tam salubre, tam potens? Nam quæso, nisi esset eleemosynæ solatium postea quā innumeris sceleribus supplicio nos fecissemus obnoxios, nonne multū ingemisceremus, multisque suspitiis optarem pecuniis posse peccata redimere? Nōne illas omnes prompto exhaustissemus animo, cunctāmque omnino substantiam impēdissemus, ut superni iudicis iram possemus effugere? Nam si hoc in morbo facimus: atque impēdente morte dicimus, Si mortem redimere fas esset, bona ille sua dedisset omnia: multō magis id in illa inuitabili necessitate fieret. Et vide quātō quanta sit diuina clemētia, non tibi dedit ut temporalem mortem, sed æternā redimere posses. Noli, inquit, breuem hanc redimere vitam, sed æternam tibi cōparare stude. Illam tibi vendendo, non istam: non illudo tibi, hæc si acceperis, nihil accepisti, ego noui illam quantū sit precij. Non ita cauponēs, mortalisque vitæ negociatores faciunt, illi enim si quos fallere queant, vilia quæque carius vendunt: at ego non sic. Nam dic obsecro, si profectus ad negotiatorem quempiam, duabus propositis gemmis, vili vna, alia preciosissima, precij pro vili poneres, preciosamque susciperes, num illum rideres? Absit, imō admirareris magis, & gratias ageres: ita & nunc duæ vitæ propositæ sunt, tēporalis alia, alia æterna: vedit illas Deus, cæterum æternā nobis vili precio dare mauult. Quid indignamur infantium more stultorū: quod eam quæ preciosior est, pro vilissimo accepimus? Et potest, in-

quies, vita pecuniis emi? Potest, si nostra, non aliena in precij demus. At mea, inquit, sunt. Non sunt tua quæ diripis, sed aliena, quantumlibet illorum te dominum dicas: neque enim si depositum accipias, eo tempore quo abest scilicet qui deposuit, tua illa esse dicis, licet penes te sint. Si igitur quæ volentibus & agentibus gratias eis qui deposuerūt, nostra non sunt ne illo quidem tempore quo ea habemus: multō minus ista quæ inuitis ac nolētibus rapimus. Ille nanque eorum dominus est, cui direpta sunt, quamuis penes te sint condita: illa enim verē nostra sunt, quæ nobiscum perpetuō durant, eiusmodi virtutes sunt, nam pecuniæ ne nostræ quidē, nostræ sunt, nedum alienæ: sed hodie nostræ, cras verō non nostræ. At verō virtus semper nostra est, neque enim hæc illarum more minuitur: sed cum adit omnibus, integra permanet. Hanc ergo nobis comparare studeamus, pecuniāque despiciamus, vt veris æternisque bonis frui mereamur, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, cui est gloria in secula seculorum. Amen.

HOMILIA VII.

HOC autem scito, quia in nouissimis diebus instabunt tempora grauiā: & erunt homines sui amatores, cupidi, elati, superbi, blasphemii, parentibus non obediētes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immittes sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, voluptatis amatores magis quā Dei, habentes speciem pietatis, virtutem autē eius abnegantes, & hos deuota. Ex his enim sunt qui penetrant domos, & captiuas ducūt mulierculas oneratas peccatis, que ducuntur variis desideriis & voluptatibus, semper discētes, &c.

In priori epistola dixerat spiritum manifestē dicere, quod in nouissimis temporibus recedent quidam à fide, & rursus alibi in ipsa epistola prædicit tale quiddā postea futurum, atque hoc ipsum hic facit dicens:

Hoc autem scito quod in nouissimis diebus instabunt tempora grauiā. Neque id ex futuris tantum, verū ex præteritis indicat, dicens: Quemadmodum Iannes & Iambres restiterunt Moysi. Et ex rationibus item cum dicit: In domo autem magna non sunt tantūmodō vasa aurea, & argentea. Hoc autem cur facit? ne scilicet turbetur Timotheus, nec quispiam nostrū, si sint homines mali: quandoquidem sub Moysi illi fuerunt, & postea futuri sunt. Nihil ergo mirum si nostra quoque ætate sunt. *In nouissimis diebus*, inquit, *instabunt tempora grauiā*. Hoc est, pessima. Quomodo autem erūt tempora grauiā? Non dies profectō, neque tēpora, sed homines qui tunc futuri sunt carpit: quippe & nos ita loqui consueuimus, cum tempora vel mala, vel bona ex his quæ in illis cōtingere, appellamus. Causam quoque malorum omnium atque radicem, ac fontē protinus addidit, vnde alia gignuntur omnia: cum nō ea quæ proximi, sed quæ sua sunt, singuli quærunt: ex quo fit, ut vtrūque pariter negligāt, ita enim ne sua quidem aspiciunt: sicut enim qui ea quæ proximi sunt querit, suā quoque ritē disponit: ita & si quæ illius sunt, negligit, suā quoque despiciet. Nam si sumus inuicē membra, proximi salus non illius tantum est, sed & corporis reliqui: illiusque detrimentum non ad ipsum pertingit solū, sed & corpus omne doloribus occupat. Si ædificatio sumus, si qua patitur pars, reliqua constructio titubat: sin verō firma, & inuolabilis durat, structurā ferre reliquam potest: ita & in ecclesia, si fratrē despicias, te ipsum neglexisti. Quo pacto? Membrum tuum iacturam haud exiguam pertulit. Si qui pecunias connumerare non vult, in gehennam mittitur: qui in rebus necessariis periclitantem vi-

det, manumque non porrigit: nonne multo magis, quam ille hoc patitur, atque eò amplius, quò de maioribus detrimentum id fiet? *Erunt enim*, inquit, *homines sui amatores*. Qui seipsum amat, ille in primis est, qui se non amasse conuincitur. Qui verò diligit fratrem, hic maxime seipsum amat. Ex hoc auaritia nascitur: charitatē enim quæ per naturā lata est, & vbi que diffunditur, cōtrahit atque constringit hæc pestis: mediocres quoque ac tenues auaritia subigit: ex eo elatio gignitur, ex elatione superbia, cuius proles blasphemia est, ex qua arrogātia prodit quæ non obtēperandi est. Qui enim contra homines se effert, facilē in Deū ipsum impius est: ita neque peccata noscuntur, vt sapius ab inferioribus ad superna conscendat. Qui fuerit in homines pius, multo magis in Deum erit: qui in socios, atque conseruos erit mansuetus, quantò magis in dominum? Qui verò aspernatur conseruos, ad hoc sensim pertinget, vt ipsum quoque despiciat dominum.

MORALE.

NON ergo despiciamus inuicem. Ea quippe doctrina pessima est, quæ Deum nos cōtemnere docet, si inuicē contemnimus,] cum ille iusserit in alterutrum nos esse studiosos: aliter quoque, si vultis, exēplo scilicet hoc perspicuum faciam. Contempsit fratrem Cain, cōtempnit continuò & Deum. Quoniam id modo? Vide quam cōtumeliosè responderit Deo: Nunquid custos fratris mei sum? Despexit item Esau fratrem, despexit & Deum. Idcirco dicit Deus: Iacob dilexi, Esau autē odio habui. Ideo & Paulus ait: Ne quis fornicator, aut prophanus sicut Esau. Spreuerunt Ioseph fratres eius, spreuerunt Deū quoque. Israelitæ quoque; Mosē aspernati sunt, atque ideo Deū * offenderūt: Iita & filij Heli cum negligenter & peccare facerent populum, in Deū impij fuere. Vis id ex aduerso etiam inspiciamus? Abrahā peperit fratris filio, obediuit & Deo, constatque id ex obedientia, quam ostēdit in filio, & reliqua virtute eius. Rursus Abel mansuetus erat in fratrem, pius item erat in Deum. Non ergo cōtemnamus inuicē, ne Deum quoque contemnere discamus: honoremus nos mutuò, vt discamus & Deum honorare: qui in homines temerarius est, in Deū quoque erit temerarius. Vbi verò auaritia, & amor proprius, & arrogātia cōeunt, quid iam deesse ad interitū potest? Omnia simul perire, peccatorumque labe ac cœnū plurimū influit. *Ingrati*, inquit. Quo pacto enim auarus gratus esse iam possit? Cui habitus est gratiā? Profectò nemini. Omnes arbitratur inimicos, omnia querit accipere: & si omnem illi substantiam tribuas, nullas refert gratias: indignatur, quòd nō plus habueris, multorumque eum feceris dominū: ne si orbis quidem totius, te donante potiatur, vllas tibi gratias agat: nihil enim se accepisse putat. Est quippe pestis huius inexplebilis appetitus, neque à morborum concupiscentia dissimilis est: talia enim sunt aegrotorū desideria. Denique is qui febris caloribus vratur, impleri nunquā potest, sed semper in desiderio est. Ebrius item nunquam mero satiatur, sed siti semper anhelat: ita & qui pecuniarum infano tenetur studio, desiderium suū exariare nulla opum poterit copia: quantalibet illi præstes, nullas vnquam tibi habebit gratias, Habebit autē ei tantum, qui sibi quæta voluerit, dederit: id autem facere poterit nemo: neque enim habet modum cupiditas eius, estque immensa habendi voluntas, nulli igitur gratias ager. Nihil æquē ingrātū vt auarus, nihil ita absque vllō gratitudinis sensu est, vt pecuniæ cupidus: orbis ille totius inimicus est, indignatur quòd vlli sint homines. Cupit enim deserta esse omnia, vt omnium ipse potiatur solus, & multa secum talia cogitat: Vtinam vi terræ motus concussa & euersa ciuitate, cunctisque op-

* siquidem alios contemendo, Deum ipsum contemnimus. Gen. 4.

Rom. 9. Hebr. 12.

* spreuerunt. 1. Reg. 2.

Gen. 14. & 22. Ibi 4.

pressis, solus ipse relinqueretur, vt fortunas accipere omnium posset: vtinam pestis præter aurum absumeret omnia, vtinam terræ hiatus, aut inundatione maris perirent omnia: & alia in hunc modum innumera cogitat, nihil boni versat animo, solos terræ motus, & * flumina,] & bella atque pestilētiās reputat, & huiusmodi cætera cōtingere cupit, atque orat. Dic age infelix, atque miserrime, & mæcipiis omnibus viliores, si cuncta aurum essent, num sacram ideo auri euaderes famem? Nonne vel * peste] cōfectus interires? Si terræ motu agitatibus, funditus euerteretur, non ideo perniciosi hac concupiscentia liber euaderes? Nam nisi homo esset in terris, vnde tibi necessaria vitæ suppeteret? Ponamus sanè omnes repētē orbe toto deletos esse mortales, aurumque illorum & argentum in tuum ius migrasse, quamquam fatua planè & inepta cōfector, opelque illas, aurum, vestē, in tuas spontē venisse manus, quid inde lucrare? Ita enim te maxime inuaderet mors eis destitutum, qui panem conficerent, amotis agricolis, feris cuncta vastantibus, dæmonibusque metu concutientibus animam tuam, quam quidem nunc etiam possidēt, & plurimi quidem: tūc autem te in stuporem quoque amentiamque perduxissent, siue etiam prorsus perdidissent. At vellem, inquires, & agricolas, & pistoros esse superstitēs: enimvero illi si tecū superessent, opes illas tecum partiri vellent: sed non id patienter admitteres, adeò inexplebilis est cupido huiusmodi. Quid verò his dici ridiculosus possit? Vidisti summā rerum difficultatem. Vult quispiam ministros habere quamplurimos, nec patitur eos vel necessariū habere victum, quasi per id ipsius opes imminuātur. Num quæso lapideos vis esse homines? Quam sunt irrisione ista dignissima, quæ fluctus, & procellas, & tempestates ac turbines, ingentemque perturbationem animis excitant! An verò non istos miserabimur, atque lacrymis gemitibusque prosequemur, qui semper esuriunt, semperque sitiunt? Atqui corporibus humanis acerrima hæc lues est, quæ à medicis pro insatiabili appetitu * σβαλυσία] Græco vocabulo dicitur, cum quis ciborū nimietate distentus, ne sic quidem fame liberatur: huiusmodi nempe lues in animabus auaritia est, quæ quantalibet immittas, nunquam prorsus impletur, sed semper cupiditati vastior laxatur sinus, nempe si elleborum sumere, aut quodlibet & grauius perpeti opus fuisset ad eam euadendam pestem, nonne ferre omnia præpto animo oportuit? Nulla profectò multitudo pecuniarum inexplebilem * vterū] implere potest. Non pudet cum plerique adeò circa opes insaniant, nos in Deum ne minimam quidē partem huiusce dilectionis ostendere, Deumque apud nos viliores esse pecuniis? Auri nanque gratia, & vigilias, & peregrinationes, & altera pericula, & odia atque insidias, & omnia denique tolerant homines, nos pro Deo ne verbum quidem vel tenue perferre volumus, odiāque subire. Cæterum si cui oppresso opem ferre opus sit, potentium inimicitias vitamus, atque pericula, prodinūque miserum, cumque vim opitulandi à Deo acceperimus, ipsam prorsus amittimus, dū odia & inimicitias perferre nolumus. At id continuò obiiciunt plurimi, frustra odium querere consilij non fuerit. Frustrā ne id quæso facis? Et quid hoc præstantius odio? Quippe amicitiam ex Deo fœderatā longè antecellit ipsius gratia susceptum odium. Nam si propter Deum diligamur, honoris impēs debitores illi sumus: sin verò eius causa odio habemur, debitor ipse fit nobis. Quātumlibet nēpe aurum diligant avari, nullum eius dilectionis recipiēt modū: nos si quid vel parum egerimus, omnia perfecisse arbitramur. Non ita nos Deum, vt illi aurum, diligimus, ne minima quidē ex parte: multum illi

* flumina.

* fame.

* σβαλυσία.

* animum.

illi reprehensionem parent, quòd circa aurum ita vehementer insaniant: nos culpa vacabimus, qui in Deum non eundem feruorē charitatis ostendimus? Non quantum illi terræ (quippe aurum terra effusa est) tantum nos omnium domino honoris impendimus. Erubescamus sanè, dum illorum intuemur insaniam. Quid enim est si nos auri non rapiat amor, neque tamen omni studio preceamur, atque ambiamus Deū? Hi etenim homines, vxorem, ac liberos, & omne patrimonium, postremò salutem ipsam contemunt, idque cum nec sciant, an incrementa percepturæ sint illorum opes. Sæpe nanque inter medias spes animā quoque posuerunt, frustra que laborasse deprehensi sunt. Nos cum nouerimus eo quē amamus potituros, siquidem illum vt oportet dilexerimus, ne sic quidem ad amorem exardescimus, atque ideo vtraque in nobis charitas planè refrixit, proximi scilicet ac Dei: dum enim à proximi dilectione frigeamus, ad hoc sensim pertingimus, vt diuinæ etiam dilectionis in nobis feruor extingatur. Neque enim fieri potest, vt qui amare nescit, quicquam illustre concipiat animo, virilique mente sit præditus: quippe Bonorum omnium amicitia aptissimum instrumentum est. In hoc, inquit, pendent lex & prophetæ. Sicut enim ignis vbi syluam occupauerit, omnia purgare cōsuevit: ita & charitatis feruor, quocūque inciderit, omnia perimit, atque perit, quæ diuinam segetem demoluntur, emundatque humum suscipiendis atque fouendis altè feminibus. Vbi charitas est, omnia sublata sunt mala: non est ibi auaritia, malorum radix, nulla ibi elatio est. Quid enim aduersus amicum se quispiam extollat? Nihil itaque sic humilē facit vt charitas, per quam seruorum ministeria amicis impēdere non erubescimus, imò & gratias illis pro huiusmodi seruitute referimus: per hanc pecunias largè profundimus, corporibusque ipsis postremò non parcimus, per quam enim sæpe pro amico periculis se quisque exposuit. Nulla denique inuidia, nullum crimen locum habet, vbi fuerit vera & germana dilectio: nō modò enim amicis non detrahimus, verum & si qui detrahere velint, eis silentium imponimus. Omnia in charitate sunt leuia, suauia, mitia: litis aut cōtentionis nullum ibi vestigium cernitur, pacisque plena sunt omnia. Plenitudo enim legis est charitas: cuncta nempe scelera, quæ pacem perturbent: vt sunt, auaritia, rapina, inuidia, accusatio, arrogātia, periurium, mendacium, vbi charitas fuerit, soluuntur: periurat enim quisque vt rapiat. Quis autē eum quem diligit, diripere queat? cui contra sua quoque largitur libes, gratiasque illi magis, quàm si ab eo accipiat referet? Nostris ista profectò quicunque amicos habetis, non solo nomine, neque simplici appellatione: sed si quis ita dilexerit, sicut diligere oportet. Si quis amoris vinculo cōnexus alicui est, hoc nouit: qui verò experti nō sunt, ab his qui experti, discāt. Exponam vobis de scripturis amicitia profectò mirabilē. Dilixit Ionathas Saulis filius sanctū Dauid, & colligata est illi anima ipsius: quod indicat illa eius lamētatio, qua defunctum prosecutus est, dicens: Cecidit super me dilectio tua, sicut dilectio mulierū. In mortē vulneratus es mihi. Quid ergo, num illi inuidit? Minimè, cū certè inuidendi necessitas indicta videretur ex rerū euetu: cernebat enim regno illū potiturum, quod sibi per successionum seriem debebatur, nihilque tale passus. Non ait, hic est, qui me patrio priuabit regno, sed imperij quoque cooperatores accessit, patrique amici gratia non pepercit: verum enim nemo illum patricidam arbitretur. Non enim ille in aliquo patrem violauit, sed insidias tantum eius iniustitiamque cohibuit, ac per id pepercisse magis, quàm læsisse censetur, dum illum non permisit ad inuidiam

Min. 12.

Rom. 13.

1. Reg. 18. & 20. 1. Reg. 1.

prorumpere iniustam: voluit sapius pro illo etiam mori. Non accusauit, sed patrem quoque prohibuit. Non inuidit, imò (vt dixi) imperij quoque cooperatores accessit: nō modò illi opes præstitit, verum salutem quoque seruaui, animamque pro illo posuit suam. Nihil parētem reueritus est amici gratia: ille enim iniqua moliebatur, hic autem nihil eiusmodi sibi conscius erat. Ea fuit Ionathæ cum iusto amicitia, talisque coniunctio. Videamus qualis fuerit Dauid in referēda gratia, non licuit illi vicem reddere: quippe qui ante imperium quidem morte præreptus est, peritque priusquam ille perueniret ad regnum, quem beneficiis fouerat: in his quæ tamen facere potuit, libet inspicere, cuiusmodi se in amando præstiterit. Bonus, inquit, mihi Ionathas, in mortem vulneratus es mihi. Putas hoc solum reperimus eius amoris indicium? non istud quidem est minimum, sed alia quoque non desunt: nam & filium eius, & nepotem eripuit sepe periculis, ob gratiam patris, ac iugiter veluti filij cuiusdam natos saluare perstitit. Huiusmodi ergo amicitiam omnes habere cupio, & in viuos, & in defunctos. Audiant ista mulieres, maxime quæ secundas appetūt nuptias, ac defuncti viri maculat thorum, quæque priorem dilexerūt virum. Non ista nunc loquor, quòd secundas prohibeam nuptias, aut immundas esse putem, neque enim permittit Paulus, qui orio meo frānum impulsit, dicens: Si autem & nupsit, nō peccauit, cæterū beatior erit, si sic permanferit, hoc est, multo istud excellentius est quàm illud, multis ex causis. Nam si non nubere, multo melius quàm nubere est: pari ratione melius est id semel tantum facere, quàm sæpius. At non tulerunt, inquires, quidam viduitatis incommoda, sed in varias calamitates inciderunt: non enim quid sit viduitas nouerūt, quæ profectò in eo non constitit, si secundas nuptias non appetant: sicuti neque virginitas hoc tantum est, viri experimenta non noscere: sed quid? Quemadmodum virginem facit honestam habitus, orationisque perseuerantia: sic & viduam indicat desolatam esse, perseuerare in obsecrationibus, abstinere à deliciis. Quæ enim, inquit, in deliciis est, viuens mortua est, si vidua permanes, eundē apparatus eandemque pompam habitura es, quæm viuente adhuc viro habuisti, melius est nubere: neque enim mala est coniunctio illa connubij, sed curiositas habetur in crimine. At tu quod malum non est, non agis: quod verò crimini tenetur obnoxium, id agere sustines: idcirco quædā reuerfæ sunt retrò post satanam, quia viduitatē ritè seruare nescierunt. Vis noscere quæ sit viduitas, & quod viduitatis insigne? Audi apostolum: Si filios, inquit, educauit, si suscepit hospitio, si sanctorū pedes lauit, si his qui in tribulatione sunt, subministravit, si omne opus bonum secuta est. Nam si mortuo viro ingentem opus præferas fastum, viduitatem congruè non fers. Transfer in cœlum diuitias tuas, & erit tibi tolerabile viduitatis onus. Quid ergo, inquires, si liberos habeam paternæ hæredes substantiæ? Doce & illos aspernari pecunias, illuc quæ tua sunt transfer, eisque quantum sit satis impertiens, erudi & illos opibus suis superiores esse. Quid si circumfluunt mancipiorum greges, si negotiorum examen imminet, si argentum, si aurum? quo pacto sufficere possum ad ista seruanda, nisi ad sit viri gubernatio? Simulas ista, occasioneque inquiris: quod multis ex locis constat: Si enim pecuniarum non teneris affectu, neque opes tuas augere cupis, leuis tibi fit sarcina. Est enim profectò multo grauius atque onerosius ostentare, quàm custodire diuitias. Si igitur huiusmodi amputes ostentationes, & ex his quæ habes indigentibus tribuas, Deus suā tibi portiget manum, atque te proteget: quòd si veraciter

Ibidem.

1. Cor. 7.

1. Tim. 5.

Ibidem.

Ibidem.

pupillorum prospiciens hereditati, hæc loqueris, non occasione cumuladæ pecuniæ: nouit qui scrutatur corda, in tuto illorum seruare diuitias, qui filios educare præcepit. Neque enim fieri omnino potest, ut ea domus, quæ pauperum miseratione fundata sit, mali quippiam patiatur: imò si quid fortè perpeffa fuerit, melior eam euentus excipiet, idque erit familiæ ac domui pro clypeo, & hasta. Audi quid de Iob diabolus ait: Nonne tu circumdedisti eum interiùs, & exteriùs? Cur id? Audi & ipsum Iob dicentem: Oculus, ait, eram cæcorum, pes claudorum, & pupillorum pater. Quemadmodum is, qui se ab alienis cladibus minimè auertit, ne in suis quidem aliquid vnquam patiatur aduersi: ita & qui alienæ tristitiæ consors fieri renuit, in suis casibus acrius afficietur: ac sicut in corpore, putrescente pede, manus ni compatiatur, expurgatque vulnus, & imponat medicamentum, ac diluat saniem, hoc ipsum in suis patiatur malis: & quæ ministrare alteri noluit, cū esset morbo libera, morbo ipsa quoque erit obnoxia: quippe serpens inde malum ad ipsam quoque peruenerit, iamque non de officio, ac ministerio, sed de cura & euasione periculi erit illi ratio: ita sanè & hîc, qui condolere aliis negligit, ipse dolebit. Circunuallasti, inquit, cum interiùs & exteriùs, neque audet irrumperè. Sed dura, inquit, ille perpeffus est: nempe dura illa & graui, ingentium illi bonorum fuere causa. Duplicata substantia est, merces auetior, iustitia cumulatior facta est. Clarissimis coronis, & amplissimis præmiis affici meruit, spiritualia denique & corporalia omnia largissimis incrementis profecere. Filios perdidit, recepit non eodem, sed alios illorum vice illis ipsi sibi in resurrectione seruat. Nam si eosdem recepisset, numerus ille esset imminutus: nunc autem quia alios pro illis ei dedit, & illos in resurrectione restituet. Hæc omnia idcirco illi cõtigere, quia promptus ad eleemosynas fuit: quod nos quoque omni studio implere curemus, ut eisdem cumulatis præmiis affici mereamur, cum gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi. Amen.

HOMILIA VIII.

Hoc scito, quod in nouissimis diebus instabunt tempora grauiora: erunt enim homines sui amatores, cupidi, elati, superbi, blasphemii, parentibus non obediens, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, voluptatis amatores magis quam Dei, habentes formam pietatis, uirtutem autem eius abnegantes. Si quis nunc indignatur quod hæretici sint, cõsideret eos à principiis atque primordiis fidei erupisse, diabolo semper ueritati mēdacium clam inferere moliente. Promiserat inquit Deus primis hominibus bona, accessit diabolus promittens itidem bona: plantauerat paradysum Deus, pollicitus est hic, dicens: Eritis sicut dii, & qui rebus nihil poterat, uerbis promittit ingentia: huiusmodi quippe seductores sunt. Post fuerunt Cain & Abel, deinde filij * & Dei] & filia hominũ, postea Cham & Iaphet, Abraham & Pharao, Jacob & Esau, Moses, & magi, propheta & pseudo-propheta, apostoli & pseudoapostoli, Christus & antichristus: & prius igitur atque ab ipsis incunabulis mundi, & apostoli temporibus ista contigere: tunc enim Theudas & Simon, & apostoli, & Hermogenes ac Philetus. Nunquam igitur fuit quin mendacium ueritati se laterer infereret. Non itaque feramus grauius, iam dudum ista prædicta sunt, unde hîc dixit: Scito, quod in nouissimis diebus instabunt tempora grauiora: erunt enim homines sui amatores, cupidi, elati, superbi, blasphemii, parentibus non obediens, ingrati, scelesti, sine affectione. Ingratus ergo scele-

stus est: & merito sanè. [qui enim erga beneficium ingratus est, qualem se erga alios præstabit? qui ingratus est, idem sine pace, sine affectione est. Criminatores, hoc est, maledici.] Qui enim sibi ipsis nihil boni conscij sunt, ueluti solatij cuiusdam uice, aliorum opinionem violare nituntur, ac per id innumeris se peccatis, atque sceleribus implicant. Incontinentes. Scilicet lingua, uentris, cæterorumque omnium. Immites. hinc profectò crudelitas, hinc immanitas surgit, cum quis auarus, & cupidus, sui que amator, ingratus, lasciuusque fuerit. Absque benignitate, proditores, proterui. proditores, cuius? Amicitia scilicet. Proterui. hoc est, nihil habentes fixum, ac solidum. Tumidi. arrogantia pleni. Amatores voluptatis magis quam Dei, habentes formam pietatis, uirtutem autem eius abnegantes. In epistola quoque ad Romanos ita ferè ait: Habentes formam scientia ac ueritatis in lege. Quod quidem illic in laudis parte constituit, hîc autem peccatis omnibus grauius id scelus ostendit. Cur id? Quia hoc utrobique non in eodem sensu accepit, sicut imaginem interdum pro similitudine, interdum pro re inanimata accipimus: sicut & ipse alio in loco scribit, dicens: Vir non debet uelatum habere caput, imago & gloria Dei cum sit. Et rursum propheta: Veruntamen in imagine pertransit homo. Leonem quoque interdum pro regio accipimus fastu. Dormisti enim, inquit, ut leo, & catulus leonis, quis excitabit eum? Interdum pro rapina. Ut leo, inquit, & rapiens, & rugiens: ita & nos facimus, quia enim negocia sunt composita & varia, conuenienter multiplices imagines, atque exempla sumuntur. Vt pote cum speciosam mulierem admirari uolumus, picturis illam comparamus: & cum item pictam prædicamus, dicimus, spirare ac loqui uidetur. Non autem utrunque pari ratione accipiamus, sed alterum quidem, quia prope similitudinem accessit: alterum, quia pulchritudini quam dicimus, appropinquauit: ita ferè & in forma dicimus: illic quidem, quia figura & imago & doctrina, primitiuumque pietatis exemplar est: hîc autem, quia rem inanimatam, ac mortuam figuram, & simulationem insinuat. Fides ergo sine operibus, figura solum absque uirtute est: rectè ergo pulchro & uenusto corpori uirtute destituito, picturæque * assimilari,] fides recta absque operibus comparatur. Esto autem, quispiam his omnibus uitiis sit inquinatus, rectè que credat, ac sentiat: quid ex fide uera lucrabitur, si nihil habet ex his quæ debet habere Christianus? Si nihil agat quod exprimat pietatem, gentilesque potius impietate transcendat, si ad intuentium, sociorumque perniciem, si ad Dei blasphemiam uiuat, si operibus religionis cõtaminet dogma? Quid ergo de huiusmodi facere oportet? Et hos, inquit, deuota. Si ergo in nouissimis temporibus homines huiusmodi futuri sunt, quomodo ait, & hos deuota? Intelligi profectò datur & tunc huiusmodi fuisse quosdam, et si non tam multos, fuisse tamen: sed uerius fortasse dicimus, per illum admoneri omnes, ut hos deuotent. Ex his enim, inquit, sunt qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur concupiscentiis uariis, semper discentes, & nunquam ad agnitionem ueritatis uenire ualentes.

Vides ut antiqui seductoris astu & arte utantur, armæque arripiant, quibus & diabolus usus est aduersus Adam. Qui, inquit, penetrant domos. Quam signatè hoc uerbo impudentiam expressit singularem, ignominiam quoque, fallaciam, atque blanditias. Et captiuas ducentes mulierculas. Eiusmodi & in uirili sexu est, qui facile fallitur: quippe mulierum est falli. * Non autem ait mulieres, sed mulierculas.] Oneratas peccatis. Vides unde illæ quoque faciles ad fallendum sint? A peccatis, ex

ris, ex eo scilicet, quod nihil boni sibi sunt conscia. Et satis quidem propriè dixit, Oneratas, ut peccatorum commendaret multitudinem, & inconstantiam, atque confusionem. Quæ ducuntur concupiscentiis uariis. Non accusat hîc sexum: neque enim simpliciter ait, mulieres: sed, tales mulieres. Quid sibi uult, Variis? Plurima hoc uerbo signauit, delicias, turpitudinem, atque lasciuam. Variis, inquit, concupiscentiis. Hoc est, pecuniarum, gloria iactantia, honoris, deliciarum: fortassis & foediores alias concupiscentias signat. Semper discentes, & nunquam ad agnitionem ueritatis uenire ualentes. Non ista illis parcens, sed ea uehementer insinuans dicit. Quia enim seipsas desiderijs illis & peccatorum opprellere molibus, excæcata est illorum mens. Quemadmodum autem, inquit, Iannes & Iambres restiterunt Moysi: ita isti ueritati, homines mente corrupti. Quinam isti sunt? Magi scilicet, & qui signa in Ægypto fecisse leguntur. Quomodo autem nusquam alibi ipsorum nomina inueniuntur? Ea uel ex traditione, uel ex spiritu Pauli didicisse fas fuit. Ita, inquit, & isti resistent ueritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem, sed non proficient amplius. Quippe illorum amentia cunctis perspicua erit, sicuti illorum fuit. Sed non proficient. Et quomodo alibi dicit: Et proficient amplius in impietate: hîc uerò, non proficient? Illic ita locutus, quia hi qui nouitatibus student, nusquam erroris finem inuenient, sed noua semper commenta, & corruptum dogma proferent: ea est enim erroris uis, ut fisti non queat. Hîc autem dicit, non fallent, neque secum rapient: licet inuitò quosdam decepisse uideantur, sed facillimè deprehendentur: quod ex consequentibus patet. Eorum enim, inquit, amentia cunctis erit perspicua, sicuti & illorum fuit. Quamuis enim omni ex parte uideatur error inualefcere ad tempus, ad finem tamen usque non permanet: huiusmodi quippe sunt, quæ per naturam bona non sunt, sed bona esse uidentur: ad tempus florent, sed citò deprehenduntur. At natura] talia non sunt, horumque tu testis es. Absit enim à nobis error omnis. Quis enim uelit pro errore mori? Tu autem affectus es meam doctrinam. [Itaque fortis esto, ac uirum te præbe. non enim simpliciter accessisti, sed affectatus es. hic multo ipsum tempore adfuisse significat, ex eo quod dicit, affectatus es doctrinam. Id autem] de uerbo prædicationis intellige. Institutionem, de uita loquitur. Propositum. De prompta uoluntate, & alacritate animi dicit. Non enim, inquit, ista locutus sum, & opere minimè impleui, neque uerbis tantummodo philosophatus sum. Fidem, longanimitatem. Quo pacto? Nihil me, inquit, horum perturbauit. Charitatem. Quam profectò isti non habuerunt. Patientiam. Non hoc ipsum significat, quod supra, dum longanimitatem dixit. Magna, inquit, aduersus hæreticos longanimitate usus sum, patientia aduersus persecutiones, Persecutiones, passiones. Duo enim ista in primis doctoris animum perturbant, hæreticorum scilicet multitudo, & impatientia passio: sed de his multa iam diximus, quod dudum fuerint, & futura postmodum sint, nullumque tempus his vacuum est: & quod nobis nocere nil poterunt, quodque in mundo uasa aurea & argentea sunt. Iam uerò intuerè illum de pressuris differentem suis. Quælibet mihi facta sunt Antiochia, Iconij, Lystris. Cur autem hæc pauca ex plurimis dixit? Nota erant discipulo reliqua, & fortassis ista ut recentia omissis prioribus memorat: neque ista per species numerat: non enim gloria, honorisque cupidus est, quippe ad consolationem discipuli, non ad iactantiam loquitur. Antiochiam Pisdia dicit, Lystram, ex qua Timotheus erat oriundus. Quales persecutiones sustinui. Vtraque consolationis ple-

na sunt, quod alacritatem eximiam præstiti, neque derelictus sum. Nec dici potest quod me prodiderit Deus, sed coronam mihi texuerit clariorem. Quales persecutiones, inquit, sustinui, & ex omnibus eruit me dominus. Et omnes qui pie uivere uolunt in Christo Iesu, persecutionem patientur. [Quid autem de me dico? omnes qui pie uivere uolunt in Christo, persecutionem patientur.] Persecutiones hîc dicit pressuras, dolores. Neque enim fas est hominem pergentem uirtutis uiam, tristitia, pressuris, doloribus, tentationibus immunem esse. Quo enim pacto, cum arctam pergat uiam, audiaturque, in mundo pressuram habebitis? Si ætate sua dicebat Iob, Tentatio est uita hominis super terram: quanto magis tunc? Mali autem & seductores, inquit, homines in deteriora proficient, fallentes atque falsi. Nihil, inquit, horum te perturbet: siquidem illi in quiete, tu in tentationibus uiuis. Ea quippe rei natura est: ex me discere potes, non esse possibile, ut uir qui malis indixerit bellum, pressuris careat: non est ille profectus. Nemo itaque certam requiem quærat: nemo amplectatur quietem. Nefas est pugilem Dei vacare delicijs, non licet epulari luctantem. Luctamen quidem uis præsentia omnia, certamen, bellum, pressura, angustia, stadium. Aliud est quietis tempus, hoc ærumnis deputatum est, atque sudoribus: nullus ubi ad certamen se exiit, uictusque est, requiem quærit. Si enim inquis requiem, quid te exuisti? Cur iactasti manum? Qua enim ratione hîc requiem speres, cum libidinibus indixeris bellum, atque aduersus naturam pugnare perrexeris? Tu uerò in his permane que didicisti, & que credita sunt tibi, sciens à quo didicisti: & quia ab infantia sacras literas nosti, que possunt te instituere ad salutem per fidem, que est in Christo Iesu. Quod autè propheta Dauid admonuit: Noli, inquit, æmulari in malignantibus: hoc & Apostolus admonet, dicens: Tu autem permane in his quæ didicisti, que credita sunt tibi. non tantum ea didicisti, sed & credita sunt tibi: hoc est, credidisti hanc esse uitam; Si igitur in præsentiarum contraria his quæ credidisti, euenire perpexeris: noli turbari. Nam & Abraham contraria promissis euenire cernebat, neque tamen aliquid patiebatur. Audierat, In Isaac uocabitur tibi semen. & ipsam Isaac immolare iussus, nihil perturbatus est; aut impeditus quo minus id tota deuotione patraret.

MORALE.

NVLIVS itaque in malis scandalum patiat, hoc nam pridem scriptura præmonuit. Quid ergo, inquit, erit, & si hîc boni latioribus in rebus sint, mali uerò crucientur? Alterum ex his fieri potest, alterum non. Nam malos quidem cruciari possibile est, bonos uerò semper latari non sic. Nemo Paulo æqualis erat, qui omnem ætatem in pressuris uixit, in lacrymis, in gemitibus nocte ac die. Triennium cum lacrymis corripere diu noctumque non destitit. Instantia, inquit, mea quotidiana. Non erat illi uicissitudo mœroris & gaudij, ut nunc istud, nunc illud adesset, sed quotidie mœrens perstitit. Quomodo ergo, inquit, mali in deterius proficiet? Non ait, fruatur quiete, sed in deterius proficiet: erit quippe profectus ipse deterius: non ait, in rerum abundantia erunt: quod si illi cruciatur, ideo hoc patitur, ut ne tu existimes impunita esse peccata: quia enim gehennæ metus non sufficit nos à malo coercere, parcens nobis, excitat & suberigit nos. Si nullus malus supplicio afficeretur, nemo putaret Deo humanarum rerum curam imminere: si omnes puniretur, nullus resurrectione speraret futuram, quod quasi merces hîc omnibus redderetur: idcirco hîc punit quosdam, plerosque non punit. Ideo hîc premuntur iusti, quia peregrini & aduenæ sunt, atque aliena in patria uiuunt. Iusti ergo probationis

Iob. 1. Ibid. 29.

Rom. 2.

1. Cor. 11. Psal. 38.

Deu. 31. Ezech. 22.

* adimili.

* seduxit. Gen. 3.

* Seth.

Ioan. 16. Iob. 7.

Psal. 36.

Gen. 21. Ibid. 22.

Act. 20.

* immo non mulierculas sed mulierculas.

causa hęc tolerat, audi deniq; dicentē ad Iob Deū: Pu-
tas me aliter tibi respondisse, quā ut appareres iustus?
peccatorū pœnas expendit. In omnibus igitur gratias
agam Deo, siue sic, siue sic faciat. Vtraq; enim pro no-
stra vtilitate molitur, nihil odiēs, aut auersans nos, sed
curā nostri ac prouidentia gerēs. Scies, inquit, quod ab in-
fantia sacras literas nosti. Hoc est, à prima statim ætate sa-
cras literas didicisti. Quid sunt, sacræ literæ? Scripturæ
diuinæ. In his, inquit, educatus es, vt per eas quoq; ma-
ior tibi fidei virtus accesserit, adeoq; inualuerit, vt nihil
iacturæ possit incurrere, altissimis radicibus nixa, longo
tēpore solidata. Quæ possunt, inquit, te instruere ad salutē.
Hoc est, nō permittent in te vllū stultitiæ locum, vt ple-
risq; cōtingit. Qui enim scripturas ita scit, vt sciri oportet,
nullo rerū euentu vllū scandalū patitur, fert omnia
constanter & fortiter, partim fidei committens, partim
incōprehensibili dispensationi Dei adscribens, quorū-
dam verò rationes noscens, & exempla in scripturis in-
ueniens. Nam nolle omnia [curiosè inquirere, & non
cupere omnia] scire, magnum præclaræ scientiæ argu-
mentum est: placet exemplo vti. Sit flumen, imò sunt
flumina, nō sunt æqualis omnia profunditatis: sed alia
minus, alia maius habent profundum, & quod suffoca-
re ignaros possit: hęc vndarum vortices sunt, ibi non
sunt. Nolle omnia æquē tentare, prudentiæ fuerit:
profundaque omnia scire nolle, scientiæ non paruum
argumentum est: sicut qui omnes fluuij partes æquē
transire vult, hic maximè fluminum proprietates igno-
rat, & sæpe dum nimis præsumit secreta penetrare
omissis planioribus locis, perit temeritate sua: Ita & in
Deo qui scire omnia vult, & cuncta improba teme-
ritate rimari, hic qui sit Deus, ignorat. Quemadmo-
dum igitur in fluminibus maior pars tuta est, pauci-
que sunt fluctus, atque profunda: ita in Deo pars ma-
ior occulta est, neque inuestigari possunt opera ipsius.
Quid ergo te ipsum præcipitare moliris? Hoc solum sci-
to quod Deus omnia prouidet, quod liberij arbitrij cō-
diti sumus, quod alia quidē operatur, alia verò permit-
tit: quod nihil mali vult fieri, quod non ex sola ipsius
volūtate fiunt omnia sed ex nostra quoq;: mala omnia
ex nostra tantummodo fiunt, bona omnia ex volunta-
te nostra, & ipsius adiutorio, quod nihil ipsum later:
non tamen quia nihil ipsum later, idcirco omnia ope-
ratur ipse. Hęc sciens, quanam sint bona, quæ mala,
quæ media disce: vt puta bonum virtus, nequitia ma-
lū: media verò, diuitiæ, paupertas, vita, mors. Cū ista
didiceris, adde quod ideo premuntur iusti, vt coronē-
tur: peccatores verò, vt pœnas exoluant. Non autē o-
mnes peccatores hęc pœnas dāt, ne resurrectioni pleri-
que non credant. Non omnes vexantur iusti, ne malū
putes esse laudabile: idque loco virtutis accipias: hęc
tibi sit norma, hęc regula, & sub ipsa molire quod vis,
& periclitari non poteris. Quemadmodum enim sub
Grammaticis nunc etiam est sex millium numerus, vt
sub illum ducantur omnia, cunctaque diuidi ac multi-
plicari possunt in sex millium regula, & per hęc nume-
rum cuncta vertuntur: quod non ignorant, quicumque
literas didicerunt: ita regulas istas, quas rursus breuiter
exponam, qui probè tenuerit, nunquam scandalizari
poterit. Quanam istæ sunt? Quod bonum est virtus,
malūque vitium: quod media sunt, morbus, inopia,
insidiæ, calumniæ, & cætera huiusmodi: quod iusti hęc
premuantur angustiis: si qui verò non patiantur, ideo
fit, ne odiosa videatur virtus: quod mali lætantur, vt il-
lic puniantur: si qui verò & hęc cruciantur, ideo ne vi-
tiū bonum esse videatur, neu impunita quis existimet
scelera: quod si non omnes patiuntur, neq; exultant o-

mnēs, ideo ne resurrectioni derogetur fides. Nam sunt
pleriq; boni, qui mali aliquid habent admixtum, quod
hęc deponūt: & mali itidem qui bonorum aliquid ope-
rū habeant, quorū hęc recipiant vices, vt illic eternè pu-
niantur: quod incōprehensibilia sunt pleraq; Dei ope-
ra, quod multū inter nos & illū interest, tātūmq; quan-
tū exprimi sermone nō possit. Si hęc omnia nobiscum
reputauerimus, nihil nos ledere poterit, aut perturbare.
Si scripturas sanctas assidue audierimus, reperiemus
huiusmodi exempla permulta. Quæ, inquit, instruere te
possunt ad salutē. Quippe & quæ agenda sunt, docēt scri-
pturæ, & quæ nō agenda. Audi deniq; quid alibi hic
idem apostolus dicat, Confidis te ipsum ducē esse cæ-
corum, lumen corū qui in tenebris sunt, eruditorem in-
fipientiū, doctorē infantium. Vides vt lux in tenebris
sit, is qui literas docet? Si lux litera est quæ occidit, quid
erit spiritus, qui lucem facit? Si vetus testamentum
lux est, quid putamus nouum, vbi tanta referata sunt?
Velut enim si quis nihil aliud scientibus quā terram,
aperiret cælum, & quæ in eo sunt omnia conspicanda
proponeret: tanta est vtriusque instrumenti differētia,
de gehenna, de regno didicimus, de iudicio: nō itaque
credamus irrationabilibus rebus, fallacia sunt illa o-
mnia. Quid ergo, inquires, si quæ illi prædicunt eueniāt?
ideo eueniunt, quia tu credis, si tamen eueniunt. Cap-
tium te ille accepit, vitæ tuæ dominus est, ipse dispē-
sat vt vult. Nam dic oro, si quis latronum princeps re-
gis filium ad se in solitudinem fugientē, illiusq; socie-
tatem cupientē, sub iure suo, ac potestate accipiat, dice-
re illi num poterit, vtrum victurus, an moriturus sit?
Poterit sanē. Quid ergo? Num ideo quia futura præsci-
uit? Nihil minus, sed quia vtriusque rei constitutus est
dominus, perdendi scilicet puerū, atque seruandi, illo
sibi hanc de se potestatē permittente, vt vtrumuis face-
re possit, cū sponte in illius iura concesserit. Siue illi
dicat, diues eris, aut pauper, vtriusque rei ipse dominus
est: ita & maior mundi portio diaboli manibus se sub-
iecit. Præterea vbi consueuerit homo his fidē adhibe-
re, multum ipsis deductoribus confert. Nemo cū sal-
luntur, attendit: sed solū si quid verè prædixerint, aspici-
t: cæterum si quam habent prænoscenti vim, eos ad
me qui fidelis sum, affer. Non magniloquentiūs ista
profiteor, quippe hisce liberare nihil magnum est: sed
licet peccatis plenus sim, consilij non fuerit hac in re
humiliari. Omnes huiusmodi præstigias, Christi gra-
tia irrideo: adduc ad me magum, si quam habet præ-
ficiendi vim, dicat quid mihi cras eueniet, quid mihi
erit: at id profectō non dicet. Sum enim sub ditio-
ne regis: neq; habet ille in me vllum imperij ius, procul
ab eius cuniculis ac speleis sum: regi milito Christo. Il-
le, inquit, furatus est, & ille cum nunciauit, ac prodidit.
At id quidem nō vbiq; verū est, sed mendax irrisio, ni-
hil enim norunt: nam si quid nossent, quæ ad se perti-
nent, scire ac prædicere magis debuerunt. quomodo
scilicet multa donaria simulachrorum furto sublata
sunt, quomodo auri plurimum liquatum est. Cur autē
ista sacerdotibus suis non prædixere? Nihil ergo noue-
runt, neque saltem seruandarum opum gratia prædica-
re valent, quando incendio sua conflagratura sunt pha-
na, multique ex eis vnā perituri, vt ne illorum quidem
parcant salutem: enimvero fortè potius fit, si quid ex his
quæ prædixerunt, emergat. Sunt propheta apud nos,
sed illi nunquā falluntur, vt aliud prænuantur, aliud
veræ præscientiæ indicium est. Verum desistite quæso à
tali insania, si quidem creditis Christo: si verò non cre-
ditis, quid vos frustra seducitis? Quandiu claudicabitis
vtroque poplite vestro? Cur, quæso, accedis? Cur inter-
rogas?

Rom. 2. Vides vt lumē corū qui in tenebris versantur, sit ipsa lex? Quod si lumen sit qui literā declarat, licet inquam occidit: quid erit spiritus ille viuificans.

Stenim hoc nobis producere, nega-
quam no-
bis Deus
inuidi-
strenu-
quam per
hoc enim
edat, et
quæ cele-
stia ape-
rit. Iam. 15. Ibidem.

rogas? Simul atque accessisti, simul ac rogasti te ipsum
seruum constituisti: quippe vt credens rogasti. Non,
inquires, credens vera illos prosequi, sed tentans an ve-
ra prosequerentur, accessi. Non est hoc creditis certō
eos fallere, sed ambigentis. Cur enim quid erit inter-
rogas? Nam si quidem dicat, hoc erit, hoc age, & effu-
gies: ne sic quidem oportet simulachris credere, sed ad
vteriora procedit amentia. Si enim quid futurum sit,
verè prædicunt: nihil inde lucraris, nisi mœrorem su-
perfluum: cūque nullus futurus euentus sit, rem ta-
men mœroris ipse iam sustines, tēque ipsum inani
dolore concidis. Non nobis inuidet Deus, nullo li-
uore tangitur, qui cœlestia nobis aperuit. Quæcun-
que enim audiui, inquit, à patre meo, nota feci vobis:
& omnia quæ audiui à patre meo, annunciaui vobis:
& non dicam vos seruos, sed amicos: vos amici mei
estis. Cur igitur ista nobis non dixit? Quia ea nobis cu-
ræ esse non vult. Nam quod non inuideat, antiquis ista
dicebantur, & de asina, & de aliis quibusdam, quia
paruuli erāt. Nobis autē, quia ista curæ esse prohibuit,
ne nota quidem facienda putauit. Sed quid ipsi disci-
mus? quæ illi addiscere non meruerunt. Minima profec-
tō erāt illa omnia: quæ verò nos discimus, eximia sunt.
Quod resurgimus, & immortales efficitur, quod in-
corruptione vestimur, quod vita illa finem nullum ha-
bitura est, quod transibunt omnia, quod rapiemur in
nubibus, quod mali pœnas exoluent, & præter hęc in-
numera alia, in quibus nulla falsitatis species est. Nō-
ne multò melius est hęc nosse, quā quod inuentæ
sunt asinæ perditæ? Quid enim lucri inde refers? Nō-
ne eas alio quoque modo perditurus es? Et si enim te il-
læ minimè relinquunt, tu eas tamen in morte dimissu-
rus es: cæterum quas modò diximus res, si tenere veli-
mus, nobiscum perpetuò habebimus. Illa ergo perse-
quamur, illa apprehendere studeamus, quæ fixa & sta-
bilia sunt: non vates, nō diuinos, nō oracula, aut respō-
sa dæmonum quæramus, sed soli intendamus, qui no-
uit omnia, qui habet scientiam omnium: atque ita scie-
mus omnia, quæ scire oportet, bonisq; fruemur omni-
bus in Christo Iesu domino nostro, qui cum patre &
spiritu sancto viuut & regnat in secula seculorū. Amen.

HOMILIA IX.

Scriptura diuinitus inspirata, est vt vi-
lis ad docendum, ad arguendum, ad corrigēdū,
ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit ho-
mo Dei ad omne opus bonum instructus. Testi-
ficor coram Deo & Iesu Christo, qui iudicatu-
rus est viuos & mortuos, & per aduentum ipsius & regnum
eius, prædica verbum, in sta opportune importune, argue, obse-
ra, increpa in omni patientia & doctrina. Erit enim tempus,
cum sanam doctrinam non suslinebunt, sed ad sua desideria
conceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate
quidem auditum auercent, ad fabulas autem conuertentur.
Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac euangelista, mini-
sterium tuum imple, sobrius esto: Ego enim iam delibor, &
tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cur-
sum consummaui, fidem seruauit: in reliquo reposita est mihi
corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iustus
iudex. Non solum autem mihi, sed & his qui diligunt ad-
uentum eius. Postquā illum vndique exhortatus,
consolatusque est, infert & ex scripturis solatia o-
mnibus perfectiora: iustè autem omnino tanta illi eius
exhortandi & consolandi cura est, quia magnum
quiddam ac triste dicturus est. Nam si Helisæus ad ex-
tremum vsque magistro coniunctus, illumque intuens
nouo ac peregrino modo mundo excedentem, sci-
dit vestimenta sua: quid hunc passurum putas, cū au-
Chrysof. tom. 4.

diret quem ita diligebat, & à quo sic amabatur, ma-
gistrum ex vita migraturum, & quod ipso ne vicino
quidem mortis tempore frui meruisset, quod omnium
maximè vel mœrissimum est? Non enim ita præterito
tempore gratificamur contuberniis, sicut grauer fer-
rimus, cum defunctis propinqua mortis hora destitui-
mur: idcirco vbi affatim illum consolatus est, tunc de
morte proxima loquitur, neque id facit temerè, sed
eis vocabulis vtitur, quæ illum maximè solari possint,
& gaudio implere, dum sacrificium cam rem potius ar-
bitratur esse, quā mortem, peregrinationemque &
ad meliora transitum. Ego enim, inquit, iam delibor.
Ideo scribit, dicens: Omnis scriptura diuinitus inspirata, est
vtilis ad docendum, ad arguendum, ad corrigēdum, ad eru-
diendum. Omnis scriptura, sacra scilicet, de qua dixerat,
quod ab infantia sacras literas nosti. Omnis ergo huius-
modi scriptura vtilis & diuinitus inspirata est, nihil er-
go dubites. Est vtilis, inquit, ad docendum, ad arguendū ad
corrigēdum, vt sit perfectus homo Dei, ad omne opus bonum
instructus. Ad docendum, si quid vel discere, vel igno-
rare opus sit, illic addiscemus: si arguere falsitatem, in-
de hauriemus: si corrigi, si castigari ad exhortationem:
ad solatium si quid desit, & oporteat adipisci, ex ea ni-
hilominus discimus. Vt perfectus sit homo Dei. Non ergo
sine illa perfici potest. Pro me, inquit, scripturas ha-
bes, si quid addiscere cupis, hinc poteris. Si autem Ti-
motheo ista scribit, sancto spiritu pleno: quantò magis
nobis dicta putare debemus? Ad omne opus bonum in-
structus. Non simpliciter particeps, sed diligenter in-
structus. Testificor ergo coram Deo & domino nostro Iesu
Christo, qui iudicaturus est viuos & mortuos. Siue pecca-
tores dicit & iustos, siue mortuos atq; superstites, quod
multi viui relinquendi sunt. Terruerat illum in priori
epistola, dicens: Præcipio tibi coram Deo, qui viuificat
omnia. hęc autem etiam terrori addidit, dicens: Qui iu-
dicaturus est viuos & mortuos. Hoc est, qui rationem exa-
cturus est. Et aduentum ipsius in gloria & regnū eius. Quā-
do iudicaturus est? In aduentu suo, qui erit cum gloria
& regno. Non ita veniet, vt antea venit in humilitate,
sed in gloria & regno. Siue testificor tibi aduentum
ipsius & regnum, testem illum voco, quod & horum te
admonui. Prædica verbum, in sta opportune importune, ar-
gue, increpa, obseca in omni patientia & doctrina. Quid est,
opportune importune? tempestiue intempestiue: hoc
est, nullum habeas definitum tempus, semper tibi tem-
pus sit, non solū in pace & quiete, neq; in ecclesia tantū
sedens, verum & inter ipsa pericula, siue carceri inclu-
sus, siue catena constrictus, siue mortis lata sententia
ad mortem properes, ipso etiam tempore argue, neque
increpare dissimules. Tunc enim increpationi tempus
etiam est, cū arguendo profeceris, cū opus ostensum
fuerit. Obseca, inquit. Ita fermè in medicis dicimus:
Vulnus infixit & secuit, medicamentumque intulit:
nam quodlibet horum desit, alterum inutile fit. Nam
si absque argumentis increpes, temerarius esse videbe-
ris, nullūque te perferet: vbi verò præcessit probatio,
tunc & increpationem facilius suscipit, alioquin im-
pudens fiat. Quod si arguas vehementer, & increpes,
obsecrationemque subducas, rursus omnia perdis.
Quippe reprehensio per se intolerabilis est, nisi habeat
admixtam obsecrationem: sicut & sectio, salutaris licet
sit, nisi plurima dolorem consolentur, non eam susti-
net languidus: ita fermè & hęc. In omni, inquit, patientia
& doctrina. Itaque & qui arguit, patientia & longani-
mitate opus habet, ne temerè, & passim credat. Et in-
crepatio, & obsecratio, & doctrina, inquit, cum pacien-
tia sunt exercenda, ne quasi irascens, neque vt aduer-
sans, neque vt immodico fruens impetu, aut inimicum
Zz ij

In Deo vero.

R. & sic deinceps. Cap. iiii.

Reg. 2.

reputans, id facias: verum his omnibus omisiss, quasi amans & dolens, magis quam ille ipse lugens, atque in illius casibus tabescens, cuncta exequaris. *In omni*, inquit, *patientia*. Non in qualibet, sed in omni, ut nihil patientia desit. *Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt*. Priusquam t nudentur & pateant,] omnes ipsos anticipa: idcirco opportunè importunè dixit, hoc est, omnia age, ut hab eas obtemperantes, atque discentes. *Sed iuxta sua desideria coaceruabunt sibi magistros*. Nihil dici significantius potuit: quippe dum coaceruabunt ait, indiscretam, confusamque doctorum significauit multitudinè, ex eo itè quòd à discipulis ad magistrorù ordinem promouendo aperuit. *Coaceruabunt*, inquit, *sibi magistros pruriètes auribus*. [Voluptatis gratia loquētes, & auditum oblectantes.] *Et à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur*. Hæc idcirco prædixit, non ut in mærorum præcipit audientes, sed ut paratior ad perferenda constaret omnia, cum cōtigerit, faciat: sicut & Christus fecisse cognoscitur, cum ait: Tradent enim vos, & flagellabunt, & ad synagogas ducent propter nomen meum. Et alibi autem beatus idem apostolus ait: Ego enim scio, quia post recessum meū intrabunt in vos lupi graues, non parcentes gregi. Ista illis dicebat, ut vigilantiores redderet, & eos excitaret, ut præsentī tempore prouidè vterentur. *Tu verò vigila in omnibus*. Vides ut huius rei gratia ista prædicat, nāq; & Christus ait: In fine erūt pseudochristi, & pseudo prophetæ: ita & hic quando erat magistraturus, ista dicebat: *Tu verò vigila in omnibus, & labora*. Hoc est, præuenire luè illā stude, atque in tuto oues cōstitue: t quādiu lupi ubiq; adsunt, labora. *Opus fac euangelistæ, ministeriū tuum imple*. [Igitur hoc opus est euangelistæ, ut affligatur tum à seipso, tum ab aliis. *Ministerium tuum imple*.] Ecce & alia laborandi necessitas. *Ego enim iam delibor*, inquit, *& tempus meæ resolutionis instat*. Non ait, mei sacrificij, sed quod maius ac dignius est. Nam hostia quidem non tota Deo offertur, libamen verò totum. *Bonū certamen certauit, cursum consummauit*. Sæpe ego cum apostolū in manibus sumerè, & locum istū inspicerè, hærebam ambigens, cuius rei gratia sic magnificè loquitur Paulus, ut dicat, *Bonum certamen certauit*. Nunc Dei gratia causam mihi inuenisse videor, per quam tunc loqui sic maluit. Mærorè profectò discipuli solari cupit, bono illum esse animo iubens, quasi ipse ad coronam pergat, omnibusque ritè peractis, præclarum repererit finem. Gaudendum, inquit, non dolendum est. *Cur? Bonum enim certamen certauit*. Veluti si quis indulgentissimus pater, paruulū sibi assidentem, & orbitatem non ferentem consoletur, ac dicat: Noli flere fili, benè enim viximus, peruenimus ad senectutem, atque in ea ætate relinquimus te. Fuit irreprehensibilis vita nostra, cum gloria hinc proficiscimur: t eris & ipse minutulus pro his,] que gesta sunt à nobis. Sæpe rex ipse nobis gratias egit: ac si diceret, trophæa sæpe retulimus, hostesque superauimus, non ista magniloquentiæ studio, sed ut crigeret puerum, laudibusque crudiret orbitatis suæ calum leuius ferre, meliorèq; esse iam spe prosequeretur, ne putaret eam rem molestam esse atque grauem. Est enim re vera perquam dura ea separatio. Audi denique quid idem apostolus dicat: Nos autem destituti à vobis ad tempus horæ, facie, non corde. Si igitur ipse cum à discipulis separaretur, ita affectus erat animo, quid putas Timotheum passum esse, si viuente illo ad tempus separatus, ita lacrymabatur, ut diceret: Memor lacrymarum tuarum ut gaudio implear: quantò magis vita functo? Hæc itaque consolandi eum gratia scribit, totaque epistola consolatione plena est, quam sibi ille testamenti cuiusdam vice seruaret. *Bonum certamen*

† corrūpantur.

Mat. 10. & Marc. 13.

Act. 20.

Matt. 24.

quandiu lupi non adsunt, vbique labora.

poteris & ipse admiratio- ni esse obca.

1. Thef. 2.

Sup. 7.

certauit, cursum consummauit, fidē seruauit. Certamē, inquit, bonum: & tu ergo ipsum apprehende. Itāne vbi catena, vbi vincula, vbi mors denique, ibi certamē bonum est? Ita sanè, pro Christo enim fiunt omnia, coronas habent eximias. *Certamen bonum*. Nihil hoc certamine melius, nihil illustrius, nullo corona hæc sine concluditur, non ea ex oleastri floribus textitur, non habet editorem munerum hominem, neque homines spectatores. Ex angelis conflatum est theatrū. In certaminibus seculi laborant dies plurimos, & in ærumnis degunt, vnus horæ momento accepta corona, protinus voluptas omnium emarcuit: hinc autem non sic, sed semper claritas, semper gloria, semper honor augetur. Iā gaudere oportet, quia ad requiem propero, t ad stadium exeo.] Audisti quia dissolui, & cum Christo esse fit melius. *Cursum consummauit*. Et certare enim oportet, & currere: illud tribulationes perferendo, hoc non absq; ratione, sed ad vtile aliquid t faciendo.] Bonum profectò certamē, quod non modò voluptatem, verum utilitatem quoq; spectantibus præstat. *Cursum ille non in nihilum desinit, neq; roboris ostentatio, vel occupatio gloriæ est, sed omnes ad cælum subuehit*. *Cursum hic Sole purior est, quem Paulus currebat in terra, plusque illustrat orbem, quàm Solis igneum iubar: quomodo autem cursum consummauit? Orbè totum peruagatus est, incipiens à Galilæa & Arabia, & vsque ad fines terræ progrediens. Ut à Hierusalē, inquit, & in circuitu vsque Illyricum impleuerim euangeliū Christi, omnemque orbem peruolans, vlueris cuiusdā instar, imò voluere omni pernicius, atque vehemētius. Nam siquidē auis fuisset, simpliciter peruolasset: nō sic autē ille egit, sed pennis spiritus præditus innumera impedimenta tranlliit, mortes, calamitates, insidias, fuitq; omni, ut diximus, aue pernicios: si fuisset auis, quandoq; delapsa caperetur, quia vbi in sublime ferebatur à spiritu, veluti auis igneis suffulta alis, retia omnia & impedimenta transcēdit. *Fidē, inquit, seruauit*. Plurima illū violare cupiebant, non modò amicitie hominum, verum & comminationes, & mortes, & alia innumera: verū his omnibus restitit. Quo pacto? Sobrius scilicet, ac periuigil durans: sufficere quidē & ista poterant discipulis cōsolandis, sed ipse præmia quoq; subiecit. *Quenam verò illa sunt? De reliquo repõta est, inquit, mihi iustitiæ corona*. Iustitiam hinc totam simul virtutem dixit. Nō ergo dolendū, inquit, est, quòd proficiscor percepturus coronā quā imponat capiti meo dominus Iesus Christus: quòd si exciderè, ac perirem, dolendū profectò, & ingemiscendum esset. *Quam reddet mihi iustus iudex. Non solum autem mihi, sed & omnibus qui diligunt aduentum eius*. Ex his item illū erigit verbis: nam si omnibus, multò magis Timotheo. Non ait, & tibi, sed, omnibus: multò magis & tibi.*

MORALE.

QUONIAM autem modo quis diligit aduentū Christi? Si de eius præsentia gaudet: qui verò in eius gaudet præsentia, digna gaudio facit. Opes omnes si opus sit, atque ipsam animam ponet, ut bonis fruatur æternis, ut secundum ipsius aduentum congruo habitu mereatur aspicere cum fiducia, cum gloria, cum claritate: hoc est, diligere aduentum eius. Qui illius aduentum diligit, omnia faciet, ut ante vniuersalem illū singularis fiat ad eum quidā saluatoris aduentus. Quis verò iste est? Audi dicentem ipsum dominum nostrum: Qui diligit me, madata mea seruabit: & veniemus ego & pater, & mansionem apud eum faciemus. Considera quā magnum, quā singulare sit eum qui cōmuniter omnibus adueniet, singulariter nobis aduentum suum polliceri. Veniemus enim, inquit, & mansionem apud eum

à stadio exeo. Philip. 1.

currēdo.

Rom. 15.

Phil. 68.

Ibid. 39.

Ioan. 14.

eum faciemus. Si quis diligit aduentum eius, omnia agat, ut ipsum ad se inuitet & habeat, ut illi perpetuum luceat lumē, nihil in nobis resideat præsentia tantè maiestatis indignum, & continuò ad nos veniet, nobiscumque morabitur. Dicitur autē aduentus iste Græco vocabulo ἐπιφάνεια, quòd scilicet appareat desuper, & supernè oriatur. Inquiramus ergo quæ fursum sunt, & radios illos celeriter ad nos attrahamus: nullus qui ad inferiora defigat obtutus, ac seipsum in humum suffodiat, Solis lucem aspicere poterit. Nemo qui seipsum seculi negociis inquinat, intendere aciem valebit in liquidissimum iustitiæ Solem, nulli ex his lucis suæ largitur gratiam, qui in hisce versatur: respice parumper, & ex huiusmodi profundo, atque ex seculi turbine & tēpestate te recipe, si Solē intueri cupis, si superni aduentus grātiā appetis: si hoc interim suauissimo fruaris aduentu, magna postmodum fiducia illum aspicias. Nunc itaque philosophare, atque contendere, ne sit apud te arrogantia spiritus, ne te vehementer colaphis cædat atque deiciat. Non sit tibi lapideum cor atque tenebrosū, ne illic allidas plenam mercibus nauem, non aliquis in te lateat dolus: quippe & scopuli & cæca saxa, naufragia grauissima operantur. Caue nutrire feras belluas, vitia scilicet, ac perturbationes, quæ feris omnibus immaniores sunt. Noli fluxis rebus confidere, ut possis firmiter subsistere: nullus in aqua stet, sed in saxo omnes securè ac firmiter stent. Aqua enim secularia negotia indicat fluxa, mortalia. Venerunt enim, inquit, aquæ vsque ad animam meam, quasi torrens præterfluens. Petra spiritualia sunt: in petra enim, inquit, exaltasti pedes meos. Cœnum ac lutum sunt secularia omnia: euellamur ab istis, ita enim frui poterimus aduentu Christi: feramus quodcunque superuenerit fortiter, atque constanter: summa in omnibus consolatio est hoc ipsum, quod propter Christum patimur: huiusmodi carmen [diuinum] voluamus iugiter, omnisque vulneris cessabit dolor. Et quomodo inquires propter Christum? Iniuria te quispiā lacessit non propter Christū, si fortiter, si gratè perferas, si pro illo ores, hæc omnia propter Christū facis: si maledicas, si feras grauior, si iniuriam coneris vlscisci, non modò propter Christum ista non pateris, verum & detrimētum pateris, fructūq; te per impatientiam priuas. In nobis enim est ex aduersis lucrari, iacturamq; perferre: non hoc facit tristium euentuum natura, sed nostra volūtas. Exempli causa: Quam multa pertulit Iob, gratè sustinuit omnia, iustificatus est, non quia passus est, sed quia constanter tulit. Alius eadem passus, imò non eadem, nemo enim talia passus est, sed multò minora: blasphemauit, indignè tulit, maledixit, in mundum omnem atque aduersus Deum commotus est: iste iudicatus atque damnatus est, nō quia passus est, sed quia blasphemias protulit: blasphemauit autem non vlla vi necessitatis impulsus. Nam si id aduersorum casuum necessitas faceret, Iob quoque necessariò blasphemasset. Quòd si ille diriora passus, nihil tale patrauit, non necessitate vlla, sed voluntatis infirmitate ista contigere. Forti igitur, ac robusto animo opus est, & nihil graue nobis, durumque videbitur: sicut è contra, si ille infirmus sit, nihil erit quod non grauissimum videatur. Ex nostro itaque proposito ac voluntate, & tolerabilia, & intolerabilia videntur. Hanc itaque muniamus, & cuncta feremus constanter ac fortiter. Nam & arbor cum in altum radices miserit, ne vehemens quidem illam procella agitare poterit: si verò superficie tenus fibras porrexerit, neq; ad profunda descenderit, paruus licet venti flatus irruat, eam à radicibus euulserit: ita & in nobis, si affixerimus diuino timore carnes nostras, nihil mouere

ἐπιφάνεια ἐστὶν ἐπιφάνεια ἐστὶν ἐπιφάνεια

nos poterit: si autem verbo tantum diuinæ religionis sacramenta percepimus, exigua impulsio totum perimit ac perdit. Quocirca moneo magna cum alacritate cuncta feramus, prophetamque imitemur, dicentem: Adhæsit anima mea post te. Non tantum appropinquauit, sed etiam adhæsit, ac sitiuit te, non desiderauit solum. Et confige, inquit, timore tuo carnes meas. Si ita Deo appropinquauerimus, si illi affigamus nos, si ipsius sitiamus desiderio, omnia fient nobis quæcunque volumus, futurisque fruemur bonis: in Christo Iesu domino nostro, cum quo est patri, & spiritui sancto gloria, imperium & honor, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

Phil. 62.

Ibid. 118.

HOMILIA X.



FESTINA venire ad me celeriter. Demas enim me reliquit diligens seculum, & abiit Thessalonicam, Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam, Lucas est mecum solus, Marcum assumens adhuc tecum: est enim mihi utilis in ministerio. Tychicū autem misi Ephesum. Penulā quam reliqui Troade apud Carpum veniens affer, & libros, maximè membranas. Quæri meritò potest, quomodo Timotheum ad se vocet, cui ecclesiæ gentisque totius crediderat gubernacula? Nihil hinc arrogatiæ est: ipse enim ad illum ire paratus erat, audi denique quid ipse dicat: Si autē tardauero, ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conuersari. Cuius autem rei gratia id fecit? Necessitate constringebatur ingenti, pergendi huc atque illuc facultas illi non erat, habitabat carcerem, à Nerone scilicet inclusus: idcirco illum vocat ad se, cupiēs antequam excederet vita, plurima fortassis illi cōmendare, idcirco ait: Festina ante hyemem venire ad me. Demas me deseruit diligens hoc seculum. Non dicit, ut te videam prius, quàm de hac vita migro, quod certè maximo illi mærori erat: sed quia solus sum, inquit, neminè habeo adiutorem in euangelio. Demas me deseruit diligens hoc seculum, & iuit Thessalonicam. Hoc est, quietem & requiem amans, & esse in tuto absque periculo: maluit domi deliciis frui, quàm mecum ærumnas pati, præsentiaque perferre pericula: huic soli detrahit, non derogandi illi, sed confirmandi nos studio, ne inter pericula, laboresq; mollescamus: hoc est enim quod ait, *Diligens hoc seculum*. Simul autem & discipulum attrahere volens. *Crescens*, inquit, *abiit in Galatiam, Titus in Dalmatiam*. His iam nihil derogat, nanque & Titus erat virtute mirabilis, adeo ut insulam pergrādem ei crediderit, totam Cretam scilicet. *Lucas est solus mecum*. Is quippe distrahi ab illo, auellique non poterat, qui & euangelium scripsit, & Apostolorum Actus, summx vir industriæ, discendi studiosus, patientissimūque laboris. De quo alio in loco ait: Cuius laus est in euangelio per omnes ecclesias. *Marcum assumens adduc tecum*. Cur id? *Est enim mihi utilis in ministerio*. Non in suam dicit requiem, sed in euangelij ministeriū: nāque & inter vincula prædicare nunquam euangelium destitit. Itaque & Timotheum, non sui causa, sed euangelij vocat, ut nullam in ipsius morte fideles perturbationem paterentur, cum adessent plerique ex discipulis eius, turbatque prohiberent, eoque consolarentur, qui illius necem æquanimiter ferre non poterant: quippe eos qui Romæ crediderant, singulares esse, memorabilisque crediderim. *Penulam quam reliqui Troade apud Carpum veniens affer, & libros, maximèque membranas*. Pallium hinc penulam dicit: alij oculos putant, in quibus libri cōdebantur. Quid autem illi libris opus erat, cum esset migraturus ad dominum? At tunc eis maximè egebat, ut eos fidelibus commendaret habendos, atque seruandos ab his doctrinæ illius vice. Nanque fideles

1. Tim. 5.

2. Cor. 8.

quidem omnes maximum in illius morte vulnus accepisse fas est, sed eos in primis qui [illi morienti] aderat, tuncq; ipso fruebatur. Penulam quaerit, ne hanc ab aliis accipere sit opus. Vides enim eum magno id studio curantem, cum alibi dicit, Ephesiis loquens: Scitis quia necessitatibus meis, & his qui mecum erant, subministraverunt manus istae. & rursus: Beatum est dare magis, quam accipere. Alexander ararius multa mihi mala ostendit, reddet illi dominus secundum opera ipsius. Hic rursus temptationem meminit, non ut illum culpet solum, aut accuset, verum ut discipulum ad certamina vngat ferenda constanter: quilibet humilis conditionis sint, qui tentationes admouent, quilibet viles atq; inhonori. Multa mihi mala ostendit. Affixit me, inquit, variis modis. Qui enim a magno aliquo premitur, non nihil solatij videtur admittere, quod persona sit eminens, a qua id patitur. Qui autem a vili atque abiecto, maiore afficitur molestia, sed hac illi impunè minimè, inquit, succedet. Sicut enim scribens paulò superius dixit: Quales persecutiones sustinui, & ex omnibus me eruit dominus: ita & hic dupliciter discipulum consolatur, & quia malè & iniuste patitur, & quia ille recipiet vicem. Non quod sancti pœnis delinquentium gaudeant, sed quod prædicationi opus sit, ut infirmiores quique etiã ex hac parte solatium capiant. Quem & tu, inquit, denota: valde enim resistit sermonibus nostris. Hoc est, aduersatur, & bella excitat. Neq; verò ait, puni, crucia, afflige, exagita, cum certè posset licitè per gratiam facere: sed his omnibus omiſſis, cedere eum humiliter iubet, Deoque permittere cruciatum: & ad infirmorum consolationem istud valet, quod prophetia est, dum dicit: Reddet ei Deus secundum opera sua. Porro quod confortandi discipuli gratia hæc dicat, etiam ex consequentibus liquet. Iam verò aspice, ut alias quoque suas tentationes enumeret. In priorè, inquit, defensione mea omnes me reliquerunt, non eis imputetur. Vides quomodo familiariter parcat, durè licet in ipsum peccauerint: neque enim id est, ab his qui extrã sunt, & a domesticis despici. Intuere incredibilem molestia vim: dicere non potest, licet ab extraneis oppugner, habeo tamen solatium & obsequium, atque auxilium meorum, & illi enim me prodiderant. Omnes me reliquerunt, inquit. Non igitur paruū istud crimen est: nam si is qui in bello periclitantem deserit, & seipsum hostili subducit manui, a suis digna increpatione, & multa plectitur, quasi omnia corruperit atque perdiderit: multò magis in prædicatione id fit. Quam verò dicit primã defensionem? Neroni iam adstitit, & illæsus effugerat: vbi verò pincernam eius instituit, ac fidei sacramentis instruxit, tunc iam ipsum capite truncauit. Rursus autem discipulum ex consequentibus consolatur, dicens: Sed dominus mihi adstitit, & confortauit me. Quippe eum qui ab hominibus relinquitur, durum aliquid pati non sinit Deus. Et confortauit me, inquit: Hoc est, fiduciam dedit, neque concidere omnino permisit, ut per me impleatur prædicatione. Et inspice illius altissimam humilitatem: non tanquam dignum ipsius munere confortauit me, inquit, Sed ut prædicatione impleatur, quæ mihi credita est: ac si quis purpuram, & diadema regis insigne ferens, per ipsum feruetur. Et audiant, inquit, omnes gentes. Ut omnibus manifesta sit gentibus, prædicationis eximia lux, prouidentiaque ipsius in me dispositio. Et eripuit me de ore leonis, & liberauit me dominus ab omni opere malo. Ecce quasi fuit ipsi proximus morti, & in ipsas penè leonis decidit fauces. Leonem Neronem ait, pro feritate & imperij robore summæque potentia. Et eruit me, ait, dominus, & eruet. Si eruet rursus: quomodo ait, Ego enim iam delibor? Sed attende quid dixerit: Eripuit me, inquit, de ore

leonis. Et rursus eripiet, non iam ex ore, sed quid? Ex omni opere malo. Tunc enim me periculis eruit. Quando verò satis euangelio factum est, eripiet me iterum de omni peccato: hoc est, non permittet vlla cum reprehensione proficisci. Nam posse vsque ad sanguinem stare aduersum peccatum, nec cedere, ab alio leone, videlicet diabolo, erui est: maior itaque ista salus quam prior est, quando videtur exponi, atque ad mortem dari. Et saluabit in regnum suum caeleste, cui gloria in secula seculorum. Amen. Hæc est igitur salus, quando ibi fulgebimus. Eripiet me, inquit, ab omni peccato, ibique custodiet: hoc est enim saluum fieri in regnum, si hic illius gratia moriamur. Qui enim, inquit, odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodiet eam. Ecce hoc ad gloriam pertinet filij. Saluta Priscillam & Aquilam, & Onesiphori domum. Ipse enim Romæ tunc erat, sicut alibi dicit: Det ei dominus inuenire gratiam a domino in die illa. hac autem salutatione promptiores eius domesticos facit ad patrisfamilias virtutes imitandas. Saluta, inquit, Priscillam & Aquilam. Hi sunt quorum assiduè meminit, apud quos hospitatus est vnà cum Apollo. Præmittit autem vxorem, ut mihi quidem videtur, quod feruentior fuerit atque fidelior, & ipse quippe tunc Apollo ipsum assumpserat, siue hoc indifferenter facit: non modica autem his erat consolatio ex ista salutatione, verum honoris atque charitatis indicia, magnamque gratiæ communionem præferbat: sufficit enim vel sola tanti viri salutatio, magna gratia implere eum qui ita salutatur. Erastus mansit Corinthi, Trophimum autem reliquit Mileti infirmum. Videamus in actibus apostolorum, quinam cum illo ex Iudæa nauigauerint, aliquid fortassis operantes. Trophimum autem, inquit, reliquit Mileti infirmum. Cur, obsecro, non illum sanasti? Cur reliquisti? Nonne omnia apostoli poterant? Nonne per gratiam omnia dispensabant? Ne quis existimaret supra id quod videretur: hoc in veteribus iustis contigisse videmus, sicut in Mose, erat gracili voce. Cur non in vocis transiit firmitatem? Sape dolore, molestiaque contabuit, quod in terram promissionis minimè ingressurus esset. Plurima enim permittebat Deus huiusmodi fieri, ut infirmitatem naturæ mortalis ostenderet: nam si iis quoque contingentibus, dicebant Iudæi: Vbi est Moses, qui eduxit nos de terra Ægypti? quid non putassent, si illos in terram quoque promissionis induceret? Nisi permisisset illum Pharaonis metu constringi, nonne ipsum Deum existimassent? Ita de Paulo & Barnaba eos qui in Lystris morabantur, sensisse videmus, deosque putasse illos, quando illi scissis vestibus exilientes, in turbis clamabant, dicentes: Viri quid ista facitis? Nos homines similes vobis passibiles sumus. Et Petrus item quando claudum a natiuitate curauit, stupentibus omnibus in eo quod factum fuerat, respondit dicens: Viri Israëlitarum, quid admiramini in hoc, aut quid nobis intenditis, quasi propria virtute aut potestate cum ambulare fecerimus? Audi item dicentem beatissimum Paulum: Et datus est mihi stimulus carnis, ut non extollar. Non ita est, non enim idcirco datus est stimulus: hic enim humilia sentiens dixit, sed multas ob causas. Denique vide ut non hoc illi dixerit Deus, Ne extollaris: sed quid? Virtus enim inquit, in infirmitate perficitur. Duo igitur vnà fiebant, & aperta enim quæ fiebant, ostendebantur, & totum Deo adscribebatur: idcirco & alibi dixit, Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus: hoc est, in corporibus infirmis, & passionibus subditis. Cur hoc? Ut excellens magnitudo virtutis sit Dei, & nõ ex nobis. nepe nisi essent subiecta passionibus corpora, illis omnia adscribebatur. Et alio itè in loco videmus in aliena infirmitate morientem,

rentem, Nam de Epaphrodito ait: Etenim infirmatus est vsque ad mortem, sed Deus misertus est eius. & alia pleraque ignorasse vtiliter pro sua, discipulorumque salute conspicimus. Trophimum, inquit, reliquit Mileti infirmum. Mileto Epheso vicina est: aut igitur in Iudæam nauigans reliquit illum, aut cum fuisset Romæ rursus in Hispaniam profectus est. An autem inde iterum ad has partes venerit, ignoramus. Vides ut vndique desolatus sit. Demas enim, inquit, me deseruit, Crescens abiit in Galatiam, Titus in Dalmatiam, Erastus mansit Corinthi: Trophimum autem, inquit, reliquit Mileti infirmum. Festina, inquit, ante hyemem venire. Salutat te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia. Hunc Linum apertum quidam, secundum post Petrum Romanæ ecclesiæ episcopum fuisse. Et Linus, inquit, & Claudia. Adeo mulieres quoque feruebant circa fidem, ardentisque erant: ut fuit Priscilla, ut hæc Claudia, iam crucifixæ mundo, iamque ad omnia subeunda etiam paratæ. Quid autè hoc sibi vult, quod cum tam multi fideles essent, horum tantum meminit? quia iam mundana omnia exceſſerant animo, maiorisque virtutis luce fulgebant. Neque enim a fidei virtute infirmior sexus excluditur: imò id quoque diuini muneris est, quod hic etiã sexus seculi curis minimè a virtutis proposito impediatur: neque enim minimam in rebus humanis administrationis partem mulier suscipit, domi sedulè residens, cum absque illa nulla respublica constare possint: nam si res familiaris turbis, tumultibusque misceatur, quisque ciuium domi se continebit, atque ita respublica pessimè habebit: itaque nihil minus habet honoris, ac rationis, neque in seculi curis, neque in spiritualibus rebus. Ne ab ipsa quidem martyrij gloria hic sexus prohibetur. Plurimæ namque pro fidei confessione gloriosissime coronatæ sunt. Pudicitiam quoque seruare magis quam viri possunt: quippe quas nõ æquè, ut viros libidinis flamma sollicitat: modestiam item, ac sobrietatem perferre, ac sanctificationem, sine qua nemo videbit Deum: pecunias autem si velint, æquè contemnere, & reliqua omnia. Festina, inquit, ante hyemem venire. Urget illum valde, neque tamen rem tristitia subiicit, ut dicat, antequam moriar, sed ante hyemem, ne te illa impediatur. Salutat te, inquit, Eubulus & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes. Nominatim illos memorat, quos nouerat magis in fide feruere. Dominus Iesus Christus cum spiritu tuo. Nihil hac oratione præstantius. Noli morerere, inquit, quia discendo: dominus tecum est: neque simpliciter tecum, sed cum spiritu tuo. Duplex auxilij gratiæ cõmendatur, cui spiritus opitulatur, ac Deus: præterea nobiscum Deus esse non potest, nisi adsit gratia spiritualis. Nam si ab illa deseramur, quomodo nobiscum erit? Gratia vobiscum. Amè. Iam sibimet quoque imprecatur: hoc est, ut semper grati illi simus, ut gratiam cum dono habeamus. hæc enim si adsit, tristitia cuncta dissiliunt. Sicut enim is qui regi adstat, gratiamque apud illum habet, nihil triste sentire potest: ita etsi nos amici deserant, etsi in aduersa queque incidamus, nihil sentiemus ingratum, gratia illa sua præsentente & nos muniente.

MORALE. ENIMVERO gratiã hanc promereri quomodo possumus? Si quæ sunt Deo grata, faciamus, eique in omnibus obtemperemus. An verò non in maiore domo cernimus, ut illi famuli gratiam adipiscantur, qui non ea quæ sibi, sed quæ dominis placent tota animi alacritate sectantur, neque dura imperij necessitate, sed libera ingenuitate, atque affectione præcipua in domo omnia ritè disponunt? Cum semper alacres aduolant, cum semper adsunt illorum obtutibus, cum

versantur domi, cum nihil proprium quaerunt, cum dominorum commoda propria deputant. Qui enim sua omnia domini sui esse constituit, non sua illius, sed illius planè omnia sui iuris effecit, & æquè ut dominus illius, omnium potitur, atque illius omnibus imperat: seruorū etiam plurimi hunc maximè timent: quodque ille dixerit, ab eo non iste dissentit, omnesque iam inimici in metu consistunt: quod si in rebus mundanis, is qui contemptis comodis propriis, domini comoda quaerit, non sua despicit, sed maiora cõsequitur: multò magis in spiritualibus rebus. Contemne tua, si quæ Dei sunt assequi cupis: vult ipse hoc. Despice terras, ut caeleste diripias regnū: in caelis sit cõuersatio tua, non hic: inde, nõ hinc poteris esse terribilis, inde si terribilis fueris, non hominibus modò, verum & dæmonibus, ipsiq; diabolo metuendus eris: quod si ex terrenis opibus metui velis, & illis eris despectui, & hominibus item saepe cõtemptui. Quæcunque in terris acquiris, seruilis sunt: sin illa despicias, in regia eris illustris. Huiusmodi apostoli fuerunt, qui sprete seruili domo, calcatisque diuitiis, domini sui imperio potiti sunt. Ille, aiebant, morbo liber euadat; ille dæmonibus: illum liga, hunc solue: in terris fiebant ista, sed è caelis proficiebantur. Quæcunque enim ligaueritis super terram, erunt ligata & in caelo. Maioremque illis dedit potestatem, quodque mentitus non fit, ipsum audias dicentem: Qui credit in me, maiora his faciet, quæ ego facio. Cur id quæso? Quia sic quoque honor omnis redundat in dominum: quia in nostris quoque rebus quod fuerit potentior famulus, eò maiori admirationi dominus est. Si enim tâta seruus potest, quanta serui dominus poterit? Quod si qui neglecto seruitio domini, vxoris suæ ac filij & serui curam habeat, velitque ditari, & vel furto, vel fraude, quæ domini sunt, consciscere: citò seipsum vnà & pecunias perdet. His igitur exemplis instructi, ne quæso quæ sunt nostra, curemus, ut sic maiorem illorum curam habeamus: despiciamus ea, ut maiori illa quiete possideamus. Si ea ipsa despiciamus, Deus illa curabit: si ea nos curare velimus, ipse illa contemnet. In his quæ Dei sunt, non in nostris, imò in nostris lassissimus, atque deficiamus: quippe illius omnia nostra sunt. Non caelum dico, non terram, non ea quæ in mundo sunt: hæc enim indigna illo sunt, hæc nobis fidelibus atque infidelibus communia sunt. Sed quid? Gloriam illam regnūque caeleste, hæc ipsius & nostra per ipsum sunt. Quomodo? Si commortui sumus, inquit, & viuemus: si sustinuerimus, conregnabimus, cohæredes facti sumus, & fratres dicimur. Quid nos ipsos ad inferiora deiicimus, cum nos ipse ad iuperna, & ad seipsum pertrahat? Quædiu pauperes, quædiu inopes sumus? Caelum nobis proponitur, & circa terrena versamur: patet caelorum regnum ad diripiendum, nos terrenam malumus paupertatem. Immortalis aperitur vita, & nos circa ligna & lapides villasque consumimur. Esto diues, hoc enim & ipse volo, posside, affatim diripe, nulla hic culpa est: hic non abundare, crimen est: hic non diripere, culpa est. Quid ergo istud est? Regnum caelorum, inquit, vim patitur, & violenti diripiunt illud. Esto illic violentus, esto rapax, non minuitur quod rapitur: neque enim scinditur virtus: non minuitur neque pietas, neque caelorum regnum: tunc virtus augetur, dum rapis: tunc minuuntur temporalia, dum diripis, quod inde constabit: Sint in ciuitate decem millia viri, hi siquidem virtutè omnes, iustitiamque rapiant, vberiore illam fecere: quippe in decem millibus sit, & decem millia viri sunt iusti: enimvero nisi rapiant, minuitur, nusquam enim apparet. Vides ut bona dum rapiuntur, abundant magis: terrena verò dum fuerint direpta, minuitur. Non itaq;

Act. 20. Ibidem.

Suprà 3.

Ioan. 12.

Sup. 1.

Act. 18.

2. Co. 11.

Exo. 4.

Num. 16.

Act. 14.

Act. 1.

2. Co. 12.

Ibid.

2. Co. 4.

Hic sup.

sed tanquam in caelis proficiebantur. Mar. 18. Ioan. 14.

1. Tim. 2.

Mat. 11.

DIVI IOANNIS
CHRYSOSTOMI, EPISCOPI
CONSTANTINOPOLITANI,
in epistolam beati Pauli ad Titum
explanatio, Ambrosio Ca-
maldulensi interprete.

HOMILIA I.



AVLVS seruus Dei, Apostolus autē Iesu Christi, secundum fidem electorū Dei & agnitionē veritatis, quae est secundū pietatem in spe vitæ æternæ, quā repromisit is, qui non mentitur Deum, ante tēpora secularia: manifestauit autem temporibus suis verbum suum in predicatione, quae

confenscamus inopia, sed diuitias ambiamus. Diuitiae Dei sunt, si plures sint, qui caelesti regno fruuntur. Diues, inquit, in omnes qui inuocant eum. Augere illius opes contende: augebis autem si abundas, si inferas vim. Vi enim re vera opus est. Cur id? Quia plurima sunt impedimenta, vxores, liberi, curae, mundana negotia, atque vna dæmones, & diabolus ipse dæmonum princeps. Vi ergo opus est & tolerātia, qui viribus agit, in laboribus est: quippe omnia sustinet, atque aduersus necessitatem stat. Quo pacto? Fermē impossibilia conatur: huiusmodi ergo sunt veri, felicitēque violenti, nos ne possibilia quidem conamur. Quomodo itaque conatus nostri potiemur effectu? Quando ea quae cupimus, consequemur? Violenti, inquit, rapiunt caelum. Violentia & rapina opus, neque enim in promptu atque ad manus est caelorum regnum. Raptor huiusmodi semper sobrius, vigilque perdurat, & in cura, cogitationibusque versatur, vt rapere opportunē possit. Nonne aspicitis, vt qui in bello rapere aliquid cupit, noctem totam peruigil duret in armis? Si igitur qui secularia rapiunt, noctem in armis & vigiliis ducunt: quanto studio egemus nos, qui molimur spiritualia, quae sunt dignissima, rapere? At contra, quibus caelestia consequi propositum est, etiam die media dormimus ac stertimus, semperque nudi & inermes sumus. Qui enim peccatis inuertatur, inermis & nudus est: sicuti qui iustitiam fouet, armatus. Non eleemosynis munimur, non nobis accensas lampades praeparamus, non vndique tegimur armis: non iter quo illuc pergatur, addiscimus: non sobrii, vigilantēque persistimus, atque ideo nil rapere possumus. Si quis regnum inuadere nititur, nonne innumeratas ante sibi mortes proponit? nonne cum sese instruxerit armis, cum rei bellicae peritus euaserit, cum omnia huius rei gratia compararit, ita demum inuadere pergit? Non ita nos agimus, sed dormitantes rapere volumus, atque ideo vacuis manibus abimus. Non vides raptorem quomodo fugiant, quomodo currat, quomodo omnia impedimenta dirumpant? Curū opus est: nam protinus aduersum te diabolus currit: & his qui praecesserint, tenere te iubet: sed si fortis, si excitus fueris, omnia abieceris, omnes auis instar euasisti: ac licet hinc iam proficiscaris, siue forum, forensēque trāscendas tumultus, seculum scilicet praesens, etiam ad ea quae superiora sunt, pertinges, quod est futurum seculum: nam veluti in solitudine nullus ibi tumultus, nemo qui perturbet, nemo qui tentet, conquiesces: cum rapueris, minimum laborabis ne tibi parca tollantur. Si ita curamus, vt nil eorum quae nostris sunt obiecta luminibus, inspiciamus: si nil curemus aliud, quam impedimentum conatus euadere, poterimus quae diripiimus, tuto possidere. Rapuisti pudicitiam, ne sistas gradum, fuge, longē post te diabolus relinque: si viderit quod te deicere nequeat, ne persequetur quidem: ita ferē & nos facimus, qui cum raptores nostris se subduxerunt oculis, quasi desperantes, neque ipsi insequimur, neque alios ad eos tenendos hortamur, sed abire permitimus: sic tu quoque initio vehemēti vtere cursu: cum longē à diabolo discesseris, nihil iam contra conabitur, sed in tuto eris, bonisque frueris aeternis: quibus nos omnes vtinam potiri contingat, in Christo Iesu domino nostro, cum quo est patri & spiritui sancto gloria, imperium & honor, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

Matt. 11.

2. Cor. 10.

Bmo filio secundum communem fidem, gratia, misericordia, & pax à Deo patre & Christo Iesu saluatore nostro. Vnus ex Pauli sociis hic fuit vir probatus: neque enim profectō illi integram insulam permisisset, neque ea quae deerant praecipisset implenda: ait enim vt quae delunt, corrigas: & tam multorum episcoporum iudicium commisit, nisi multum illi consideret. Aiunt autem quidam hunc iuuenem fuisse, idcirco quod ad eum scribens Paulus eum filium vocet: sed hoc sanē non satis manifestum est. Arbitror autem ipsius etiam in actibus Apostolorum fieri mentionem. Erat autem fortasse Corinthius, nisi alius aliquis apud eos fuerit eodem nomine: & Zenam quidem ad se aduocat, atque Apollo mitti cupit, hunc autem non: namque coram Cæsare plus illis fortitudinis atque virtutis fore testatur. Videntur autem mihi tempora quaedam media intercessisse: Paulumque dū ista scriberet, in libertate fuisse. Nihil enim de tentationibus loquitur, ceterum assidue Deo gratias versat, quae creditibus erat sufficiens consolatio ad incitamentum virtutis: namque cum discerent, quae suis meritis deberēt, & ad quae per gratiam vocati essent, quae etiam ex gratia meruissent, non minimum ex hoc solatium capiebant. Inuehitur etiam aduersus Iudaeos: quod si in gentem totam inuehitur, nihil est quod admireris: & hoc enim ipsum scribens ad Galatas facit, O insensati, inquit, Galatae. Porro hoc non contumeliosū erat affectus, sed interrogando ista dicebat. Nam si sui gratia istud fecisset, merito quis illi crimen inureret: sin verō ignitus, & zelo fidei feruens, & gratiam praedicationis insinuans, ita loquitur, non iniuriosē id facit. Namque & Christus multa, & saepenumero phariseis, ac scribis criminatur: verum non sui ipsius gratia, sed ideo quod omnes alios perderent. Breuem scribit epistolam, merito: quod virtutis testimoniū fuit ipsius Titi: neque enim is ille erat, cui verbis plurimis opus esset, sufficiebatque illum tantum breuiter admoneri. Videtur autem mihi eam praecedere, quam ad Timotheum scripsit: illam enim cum iam finisset, proximē scripsit: hic autem liber & absolutus esse deprehenditur. Nam quod ait, Decreui hyemare Nicopoli: certum argumentū est quod necdum fuerit in vincula coactus, illic autem vincitum se assidue vocat. [Videamus igitur quid hic dicit: Paulus seruus Dei, Apostolus autē Iesu Christi secundum fidē electorum Dei. Vide quā ista indifferēter ponit, dum se interdū quidem Dei seruum, & Christi apostolū dicit: aliās verō Christi se appellat seruū dicens: Paulus seruus Iesu Christi, adeo nullam inter patrē & filium differentiam nouit. Secundum fidem electorū Dei & agnitionem veritatis, quae secundum pietatem est. Secundum fidem electorum Dei, quid est? Vtrum quod ipse credi-

Cap. 1.

Act. 18.

Ex ista. vide not. fol. 146.

Galat. 3.

sed amoris proprietas.

illam enim in fine morte scripsit. Tit. 3.

Rom. 1.

Credita est mihi per saluatorem nostrum Deum: Tito charissimo filio secundum communem fidem, gratia, misericordia, & pax à Deo patre & Christo Iesu saluatore nostro. Vnus ex Pauli sociis hic fuit vir probatus: neque enim profectō illi integram insulam permisisset, neque ea quae deerant praecipisset implenda: ait enim vt quae delunt, corrigas: & tam multorum episcoporum iudicium commisit, nisi multum illi consideret. Aiunt autem quidam hunc iuuenem fuisse, idcirco quod ad eum scribens Paulus eum filium vocet: sed hoc sanē non satis manifestum est. Arbitror autem ipsius etiam in actibus Apostolorum fieri mentionem. Erat autem fortasse Corinthius, nisi alius aliquis apud eos fuerit eodem nomine: & Zenam quidem ad se aduocat, atque Apollo mitti cupit, hunc autem non: namque coram Cæsare plus illis fortitudinis atque virtutis fore testatur. Videntur autem mihi tempora quaedam media intercessisse: Paulumque dū ista scriberet, in libertate fuisse. Nihil enim de tentationibus loquitur, ceterum assidue Deo gratias versat, quae creditibus erat sufficiens consolatio ad incitamentum virtutis: namque cum discerent, quae suis meritis deberēt, & ad quae per gratiam vocati essent, quae etiam ex gratia meruissent, non minimum ex hoc solatium capiebant. Inuehitur etiam aduersus Iudaeos: quod si in gentem totam inuehitur, nihil est quod admireris: & hoc enim ipsum scribens ad Galatas facit, O insensati, inquit, Galatae. Porro hoc non contumeliosū erat affectus, sed interrogando ista dicebat. Nam si sui gratia istud fecisset, merito quis illi crimen inureret: sin verō ignitus, & zelo fidei feruens, & gratiam praedicationis insinuans, ita loquitur, non iniuriosē id facit. Namque & Christus multa, & saepenumero phariseis, ac scribis criminatur: verum non sui ipsius gratia, sed ideo quod omnes alios perderent. Breuem scribit epistolam, merito: quod virtutis testimoniū fuit ipsius Titi: neque enim is ille erat, cui verbis plurimis opus esset, sufficiebatque illum tantum breuiter admoneri. Videtur autem mihi eam praecedere, quam ad Timotheum scripsit: illam enim cum iam finisset, proximē scripsit: hic autem liber & absolutus esse deprehenditur. Nam quod ait, Decreui hyemare Nicopoli: certum argumentū est quod necdum fuerit in vincula coactus, illic autem vincitum se assidue vocat. [Videamus igitur quid hic dicit: Paulus seruus Dei, Apostolus autē Iesu Christi secundum fidē electorum Dei. Vide quā ista indifferēter ponit, dum se interdū quidem Dei seruum, & Christi apostolū dicit: aliās verō Christi se appellat seruū dicens: Paulus seruus Iesu Christi, adeo nullam inter patrē & filium differentiam nouit. Secundum fidem electorū Dei & agnitionem veritatis, quae secundum pietatem est. Secundum fidem electorum Dei, quid est? Vtrum quod ipse credi-

credideris, an quod tibi ea fides credita fuerit? Quātum ego conicio, electos Dei sibi creditos dicit: ac si dicat, non ex rectē factis, neque ex laboribus, ac sudoribus hanc cepi dignitatem: sed totum eius, qui mihi haec crediderit beneficij est. Deinde ne irrationabilis gratia fieret, neque totum ipsius esset, cur non hanc & aliis crediderit, idcirco subiunxit, Et agnitionem veritatis, quae est secundum pietatem: ex hac creditus sum, imō & hoc ex ipsius gratia mihi creditum est, & huius enim dignitatis ille author est. Quocirca & Christus ipse dicebat: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Et ipse idem beatus apostolus alibi ait: Cognoscam sicuti & cognitus sum. Et rursum: Si quo modo apprehendam, in quo apprehensus sum à Christo Iesu. Prius ipsi cogniti sumus, & postremō cognouimus: prius vocati sumus, & tunc demum obediimus. Quod autem dicit, secundum fidem, hoc totum illis acceptum refert: quod si illorum gratia esset apostolus, non quasi hoc ipse mereatur, sed electorum causa: quod etiam alio in loco dicit, Omnia enim vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo. Et agnitionem quidem veritatis, quae est secundum pietatem. Quippe & rerum veritas est, sed non secundum pietatem: puta rei rusticarum peritiam nosse, scire artem aliquam veraciter, haec scire dicuntur. Verum ea secundum pietatem veritas est tantum, quae secundum fidem creditur, quemadmodum reliqui electi, qui etiam veritatis notitiam habuerunt. Ex fide igitur agnitio in spe vitæ æternæ, dixit praesentem in gratia Dei, dicit etiam & futuram in spem vitæ æternæ, nobisque praemia proponit, in his etiam beneficiis, quae ab ipso consecuti sumus: quia enim credidimus, & taqueos erroris euasimus, coronari nos cupit. Intuere, obsecro, quā istud exordium beneficiis Dei refertū sit, totaque prorsus epistola huiusmodi est. Qua ex re sanctum illum vultū excitat magis ad labores pro fide ac pietate subeundos: nec ipsum modō, verum & eos qui ab eo docerentur. Nihil enim fermē ita nobis vile est, vt meminisse iugiter beneficiorū Dei, siue quae cōmuniter omnibus, siue quae seorsum singulis tribuit. Si enim cum ex amico beneficium aliquod sumimus, siue cum verbum aliquod gratum, placidumque audimus, in amorem exardescimus: quātō magis cum viderimus quibus periculis impliciti fuimus, ex quibus omnibus nos eruit Deus, promptiores ad obedientiam erimus? Et agnitionem veritatis. Veritatem autem hoc in loco ad figuram refert, & illa enim agnitio erat, & pietas erat: non tamen veritas, neque item mendacium, sed figura atque imago in spe vitæ æternæ, illa in spe vitæ praesentis. Qui enim ea fecerit, inquit, viuet in eis. Vide quā ex ipsis initiis iam indicet gratia legitique distantiam, illi non electi, sed nos: nam & ipsi aliquando dicebantur electi, iam huiusmodi gratiam amiserunt. Quam repromisit is qui non mentitur Deum ante tēpora secularia: Hoc est, non modō ex poenitentiae remedio prouenit, sed olim, atque ab ipso principio ista praefixa sunt. hoc ipsum plurimis in locis posuit, puta cum dicit: Se-gregatus in euangelium Dei. Et rursum: Quos praesciuit & praedestinavit. Ostenditur profectō ex his nobilitas nostra, quod non nuper, sed olim, atque ab ipsis initiis dilecti sumus. [Neque enim hoc parui ducēdum, quod iam olim diligamur, & ab initio.] Quam repromisit, inquit, is qui non mentitur Deum. [Si is non mentitur, prorsus erunt quae promisit is qui non mentitur: neque est] cur ambigere debeamus, etiam si post mortem pollicitis perfruamur. Ante tēpora secularia. Etiam ex eo, quod ait ante tempora secularia: promissum commendat immobile, dignissimumque cui fides adhibeatur. Et quoniam, inquit, ante tempora secularia non prodiere Iudaei, idcirco haec ita se habent, sed quia ista supernē, at-

Ios. 15. 1. Cor. 13. Iud.

quasi

Ibid. 3.

Ex fide v. tunc agnitio haec est, non à rationationibus. In spe vitæ æternæ.

an' ex aliis, non tamen veritate ni. mēda. q.

Rom. 1. Ibid. 8.

No equidem, inquit, haec ita se ha-

que à principio praefigurata erant. Itaque audi quid ait: Manifestauit autem temporibus suis. Quānam igitur huius ratio dilationis est? Prouidentiae profectō gratia, & vt omnia opportunē, ac suis temporibus fierent. Tempus enim, inquit propheta, faciendi domine. Quod enim ait, suis, idem profectō est, ac si diceret, competentibus, debitis, congruis. Manifestauit, inquit, temporibus suis verbum suum in predicatione, quae credita est mihi. Haec est praedictio. Omnia enim euangelium continet, & praesentia & futura, honorem, pietatem, fidem, simul omnia praedicationis verbo conclusit. [In predicatione: Hoc est, aperte cum magna loquendi libertate, hoc vtique est, in praedicatione.] Sicut enim praeco praesentibus omnibus in theatro praedicat: ita & nos, inquit, publicē praedicamus ea ratione, vt nihil addamus, sed ea tantum quae audiuius, praedicemus. Ea quippe virtus praecōnis est, veraciter quae sibi credita sunt, omnia proficere, non aliquid addere aut immutare, aut auferre. Si igitur praedicare oportet, magna id fiducia atque constantia faciendum est: alioqui nulla erit praedicationis virtus. Idcirco & Christus non ait, Dicite in auribus: sed, praedicate super tecta. Nempe & ex dicendi modo, & ex loco praedicationem apertam, atque illustrem oportere esse commendat. Quae mihi credita est, secundum imperium saluatoris nostri Dei. Et ex eo quod ait, credita est, & ex eo quod addidit, secundum imperium, dignam esse praedicationem, cui fides adhibeatur, ostendit: vt nullus iam superfit, qui indignē ferat, siue negligenter admittat, siue ad verba praedicationis obtorpeat. Si igitur imperium est, non iam ego huiusce rei sum dominus, quippe imperium impleo. Nam quae agenda sunt, alia sunt in nostra potestate, alia non. Et ea quidem quae imperans dicit, non in nostra potestate sunt: quae verō permittit, in nostrum ius cadūt: puta si quis dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennae ignis: hoc iam imperium est. Rursusque cum obtuleris munus tuum ad altare, & ibi agnoueris quod frater tuus habet aliquid aduersum te, dimitte ibi munus tuum ante altare, & vade, ac reconciliare fratri tuo, & tunc venies offer munus tuum: & hoc imperantis est. Et eum qui prauaricatus fuerit, necesse est supplicis subdi. Cum verō dicit: Si vis perfectus esse, vende substantias tuas. & iterum: Qui potest capere, capiat: non iam imperantis vtitur voce: quippe auditorē exequendorum constituit dominum, & quae agenda sunt, in eius arbitrio ac voluntate constituit. Haec enim & facere, & omittere in nostra potestate est: ceterum quae imperantur, omittere nobis minimē tutū est: sed necessariō aut ea facienda sunt, vel si non fecerimus, nobis supplicium imminet. Hoc igitur & alio in loco Paulus insinuat, cum dicit: Necessitas enim mihi incumbit, vā autē mihi est, si non euangelizauero. Quid autem hoc sibi velit, apertius eloquar, vt euidēs omnibus fiat. Is quidem cui ecclesiae principatus est creditus, quique dignitate episcopatus ornatus est, nisi populo quae agenda sunt, diceret, non erit innoxius: at laicus quidem nulla huiusmodi necessitate constringitur. Quid igitur ait Paulus? Secundum imperium saluatoris nostri Dei. [Et vide quā bene posteriora ad id quod dixi, quadrent. Superius enim dixerat qui non mentitur Deus: hic autem secundum imperium saluatoris nostri Dei.] Si itaque saluator est, ipseque studio, ac voluntate saluandi ista praecipit, non itaque officium huiusmodi ambitionis est res: fides enim est & imperium est: idque & Dei saluatoris. Tito charissimo filio. Sunt enim etiam nō huiusmodi filij, quemadmodum is, de quo idem apostolus ait: Si quis quum frater appelleretur, sit fornicator, aut auarus, aut idolis feruens, aut maledicus, aut ebriofus, cum isto neque edere. Ecce & filius est, nec tamen huiusmodi filius, qui

bent quod Iudaei nō nunc accessere: Psal. 118.

domino.

Matt. 10.

Matt. 5. Ibidem.

Ibid. 19. Matt. 19.

1. Cor. 9.

1. Cor. 9.

Homiliarum decem sancti Ioannis Chry-sostomi, super epistolam Pauli ad Timotheum secundam, finis.

charissimus dici mercatur. Filius nempe est, ideo quod semel susceperit gratiam, ac regeneratus sit: sed profecto charissimus non est, qui à patris dignitate degenerat, atque ad alterum tyrannū spōte deuoluitur. Nam in naturalibus quidem filiis charissimum facit vtriusque parentis affectus, hic autem non sic. Verum ex proposito vnusquisque id munus assequitur. Fieri enim potest, vt quis charissimus fuerit, nec tamen in ipsa suæ dignitatis prerogatiua permanserit: fieri item, vt qui charissimus nō est, virtutis merito huiusmodi fiat: neque enim sub naturæ necessitate cōclusa sunt, sed ex arbitrij libertate depēdent, vnde & subinde mutantur. Fuerat Onesimus charissimus filius, verum eandem amiserat dignitatem, ideo quod factus esset inutilis: sed rursus charissimus factus est filius, adeo vt ipsum sua viscera vocaret apostolus. *Tito charissimo filio secundum communem fidem.* Quid sibi vult, secundum communem fidem? Cur obsecro, postquam dixerat charissimo filio, atque in patris transferat ordinem, huiusmodi minuit, & contrahit dignitatem? Audi, & secundum communem fidem intulit, ac si aperte dicat: Secundum fidē nihil habeo equidem amplius, quā tu. Communis quippe est, ac per eandem & ego sum genitus, & tu. Qua ergo ratione ipsum filium vocas? Non ideo vt affectum solum patris ostenderes, an quia superior in predicatione præcesseras, an quia per te ipse lumen fidei ac veritatis acceperat? Hinc profecto & filios, & fratres vocare non requit, quoniam ex eadem fide sunt geniti, fratres: filios autem quia per illius ministerium regenerati. Quod ergo ait, secundum communem fidem, fraternitatis signauit affectum, *Gratia, misericordia, & pax à Deo patre, & domino Iesu Christo saluatore nostro.* Quoniam dixerat, filium, pulchrē intulit, à Deo patre, vt ipsius animum ad celsitudinem deitatis erigeret, dum disceret cuius esset filius. Nō igitur dicendo communem fidem, sed inferendo patris nostri, parilitatem honoris insinuat. Intuere autē quā multa & magna discipulis, & plurimis imprecatur, ea profecto talia sunt, quæ videntur cōuenire doctoribus: hi quippe huiusmodi precibus indigent, ac longē plus cæteris, vt quibus necessitatis plus imminet, plūsq; periculi diuinæ offensionis incumbat. Nam quātō fuerit celsior dignitas, tantō sacerdotis maiora sunt pericula. Sufficit quippe vel vnum episcopatus rectē factum authorē suum in cœlum attollere, vnumque peccatum in ipsum iniicere gehennæ profundum. Cæterum vt alia omnia omittā, quæ diebus singulis incidunt, si quando contingat, vt quempiam, siue amicus, siue alterius cuiuslibet occasio gratia indignum, ad episcopatus promoueat apicem, & magnum illi permittat regimen ciuitatis, quantis se ignibus facit obnoxium? Neque enim animarum pereūtium solum, quas perdit à religione & timore Dei alienus, verum & omnium, quæ ab illo geruntur, ipse pœnas exoluet. Nam qui in ordine priuato parum religiosus erat, multo profecto magis id patitur cum ecclesiæ gubernacula regēda suscepit. [Votis itaque omnibus optandum, vt qui antea pietate præditus fuerit, talis permaneat suscepto munere administrationis.] Quippe tunc & inanis gloria vehementius imminet, & pecuniarum amor & fastus: cum principatus ipse prætet licentiam offensionis & contumeliæ, atque maledicta, & alia prorsus innumera. Si quis igitur, vt antea dixi, parū religiosus fuerat, multo crit irreligiosior, huiusmodi adminiculis nixus. Tum igitur huiusmodi ecclesiæ, omniumque quæ ille peccauerit, & quæ subiecta plebs offenderit, erit obnoxius. Quod si is, qui vnam animam scandalizat, expedit ei, vt mola asinaria suspēdatur circa collum eius, & demergatur in profundum maris: qui tot animas scandalizat, & vrbes inte-

gras, & plebes, viros, mulieres, pueros, ciues, rusticos, incolas suæ ciuitatis, aliarumque urbium, quæ illi subiectæ sunt, quid pati merebitur? Nempe verò si plura triplo, quā diximus addas, nihil diciturus es, adeo vehemens pœna atque cruciatus huiusmodi hominibus imminet. Hic itaque longē maximē Dei gratia & pace opus habet: nam nisi hac subnixus regere populum studeat, omnia pereunt, ac prorsus intereunt. *Quantumlibet enim fueris peritus gubernādi, nisi inter huiusmodi gubernacula gratiam habeas, & pacem quæ à Deo est: & nauiculam simul atque nauigantes procella inuoluet, mergētque profundo.* Quocirca magna me tenet admiratio eorum, qui huiusmodi onera appetunt. Infelicissime hominum atque miserime, non alpicis cuius rei desiderio teneris? Nam si solus ac priuatus sis, & ignobilis atque obscurus, quantumlibet multa peccaueris, vnus abs te animæ ratio exigenda erit, huiusque tantummodo neglectæ ac perditæ pœnas exolues. At verò si ad huiusmodi regimen promouearis, considera quot capitum tibi pœna debetur. Audi denique dicentem Paulum: Obedite præpositis vestris, & subiacete illis, quoniam ipsi inuigilāt pro animabus vestris, quasi rationem reddituri. Honoris ac principatus dulcedo te allicit? Et quānam, obsecro, huiusmodi honoris voluptas esse potest? Omittam enim interim dicere, possibile non esse huiusmodi dici veraciter principē. Cur obsecro? Quia in potestate subiectorum positum est obedire, vel non. At si quis rei veritatem diligenter exploret, nō ad principatum promouetur, qui huiusmodi est, verum potius ad seruendū innumeris dominis, qui contraria cupiunt semper & dicūt. Nam quod laudabit ille, culpabit alius: rursumque quod iste vituperabit, alius admirabitur. Quem igitur audire magis, cuiue potius obtemperare oporteat, discernere facile non est. Et seruus quidem emptitijs, etiam si contraria dominus imperauerit, vel indignari, & ferre grauitate potest: tu verò si multis dominis contraria imperantibus, quō te veritas non habeas, mutūque sis, huius quoque rei dabis pœnam, ora in te omnium aperiens. Hoccine, quæso, honor existimatur, hoc principatus, hoc potestatis insigne? Agē, imperat episcopus sibi pecunias inferri: si noluerit, non solum non id seruus exequitur, verum ne videatur istud causa defidiæ facere, accusat iubentis imperium, atque ad maledicta conuersus, furatur, inquit, diripit, deuorat pauperum res, absorbet substantias inopum. Parce, obsecro, maledictis: quousque ista prosequeris? Non vis inferre pecunias? nullus cogit, nullus impellit. Cur etiam in admonentem atque consulētem intorques maledicta? Necessitate quispiam detinetur, nō porrigis manum, siue id nequeas, siue alia occupatione distentus, nulla dabitur venia: sed rursum crimina peiora prioribus. Istud, quæso, principatus appellari potest? nec sanè potes vlcisfi, viscera quippe tua sunt: ac sicuti cum intumuerint viscera, dolorēque ingesserint, [& capiti, &] reliquo corpori, vlcisfi minimē audemus, neque ea gladio assumpto discindimus: ita & subiectorum si quis huiusmodi fuerit, molestiasque nobis intulerit, atque huiusmodi maledictis fuerit infestus, minimē audemus vlcisfi: quippe id à paterna indulgentia longissimē remotum est, sed ferre oportet, atque torbere huiusmodi stultitiam hominum, donec illi planē respiscant. Habet emptitijs seruus opus quodpiā imperatum, id vbi perfecerit, iam sui dominus est. At verò iste per multa discinditur, atque ea ab eo exiguntur, quæ sæpe vires exuperant, ac nisi dicendi peritus fuerit, hinc rursus maledictis impetitur. Si verò id fuerit cōsecutus, inanis illi gloriæ crimen inuritur, & nisi excitet mortuos, nullius ferē momenti existimabitur. Continuē huiusmodi voces

γρηγοριος

germanum

ad Phil.

οτις πολλοις επιουχισται.

inimicitiarum.

οταν εν αυτον επιουχισται, οτις εν αυτον επιουχισται, οτις εν αυτον επιουχισται.

adde τω αυτω τον αυτω δε εν αυτω * fuerit * habeat

Hebr. 13.

Agē, obsecras esse pecunias dixit Episcopus, si noluerit, non modo non contulit, verum ne etc.

1.Tim. 5.

ces exaudit. Ille religiosus atque perfectus est: hic verò noster non ita est. Quod si modico ac sobrio fruatur cibo, rursus crimina resonant: Oportebat, inquit, illum cibo suffocare. Si lauātem viderit quispiam, plurima in eum intorquentur conuitorum spicula. Indignus protinus iudicatur, qui aspiciat Solem, quādoquidem illa gerit, quæ ille. Atque ille lauat, inquit, vt ego, comedit, bibit, vestimentis operitur, domus curam gerit atque familiæ: cuius ergo rei gratia ille mihi prælatus est? Sed & famulos habet, qui illi ministrant, & afello vehitur: cur præesse mihi debet? Vide, quæso, quanta rerum absurditas? num ille debet carere ministro vt sibi necesse sit & incendere ignem, & aquas afferre, & ligna perfringere, atque in forum sæpe necessariò ingredi? Et potest esse maior perueritas, maiorque confusio? At sancti quidem illi viri apostoli, eum qui doctrinæ insistet, neque ad viduarum ministerium applicari voluerunt: verum id opus illi indignum arbitrati sunt. Tu verò ipsum etiam in famulorum ordinem atque officium redigis. Cur igitur tu qui talia imperas, non tuam impendis operam, & ipse ea implet? Nōne longē maius, ac dignius ille tibi ministerium infert? Ille tibi spiritualia prouidet, tu illi vel corporalia exhibe. Cur ipse nō vel seruum mittis tuum, qui huic tui vice ministret? Christus discipulorum lauit pedes, tu scilicet vel obsequium magistro exhibens, magnum aliquid te facere putas? Verum enim neque ipse præstare obsequium vis, & ipsum sibi illud parare veras? Quid ergo? Num è cœlo vitam ille ducere debet? At non ita vult Deus. Sed inquires, Nunquid apostoli liberos homines qui sibi seruirent, habuerunt? Vis nosse quemadmodum se apostoli habuerint, dum essent in vita? Peregrinationes obibant, & viri nobiles, illustrēque mulieres, pro illorum refrigerio & quiete, & animas suas & capita sua sæpe porrigebant. Audi denique quid beatissimus iste commoneat. Huiusmodi, inquit, in honore habetote, quoniam propter opus Christi vsque ad mortem appropinquauit, non parcens animæ suæ, vt impleret quod ex vobis deerat aduersum me in ministerio. Diligenter, obsecro, ista considera: vide quā honorabiliter habendos censeat eos, qui doctrinæ deseruiunt. Contrā tu pro patre ne verbum quidem proferre, vt non dicam subire periculum, sustines. At, inquires, lauare minimē oportet. Cur obsecro? Vbinam hoc prohibitum est? neque enim sordes honesta est. Nunquam talia cernimus siue crimini data, siue admirationi habita. Alia enim sunt, quæ episcopis habenda præcepit. Iubet hunc esse sine crimine, sobrium, ornatū, hospitalem, docibilem: hæc apostolus exigit. Ista tu quoque in ecclesiastico principe inquire, & nihil vlterius. Non es tu Paulo diligentior, imò verò ipso spiritu, qui loquebatur in Paulo. Si percussor fuerit, si ebriosus, si crudelis, atque immittis, accusa, indigna hæc profecto episcopo sunt. Si delictis inseruit, & hoc licitè culpāre poteris. Porrò si corpus curat, vt ministerium tibi exhibere possit: si curam eius habet, vt tibi sit vtilis: huius rei gratia culpandus profecto non est. An ignoras corpoream imbecillitatem non minus, quā animæ infirmitatem nobis nocere, & ecclesiæ intercipere emolumenta? Eius sanè rei gratia eiusmodi imbecillitatem Paulus emendare cupiebat, dum Timotheo discipulo scriberet: Modico vino vttere propter stomachum tuum, & tuas frequentes infirmitates. Nam si quidem sola anima virtutis opus exequi posset, corporis cura minimē necessaria videretur. Quod si eius cura plurimum confert? nōne est extremæ dementiæ illud omnino negligere? Sit autem vir aliquis episcopatu honoratus, cui ecclesiæ totius cura credita sit, atque is quidem virtute clarus, omniāque

A habeat, quæ habere congruit sacerdotem, verum præ nimia ægritudine semper lectulo decumbat, quid iste prodesse aut proficere poterit? Quam subire peregrinationem? Quo pacto visitare ecclesias? Cui intentare terrores? Quem omnino corripere? Hæc dixi, vt discatis non passim culpāre pastores, eosque potius cum beneuolentia suscipiatis. Præterea vt & si quis huiusmodi principatus desiderio tenebitur, dum accusatorū multitudinem, & criminum cōgeriem conspiciat, huiusmodi omnino extinguat appetitum. Magnum enim re vera periculum est, & quod Dei maximē indigeat gratia & pace, quam vt nobis imprecamini obsecro. Nos enim eam vobis vicissim imprecamur, vt omnes simul virtute consummati, ita demum promissis perfruamur bonis, in Christo Iesu domino nostro, cum quo est patri & Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

B a Deo gratias versat] Verbum verbo è Græco περιεργασθη τὸ θεὸν τὴν χάριν καὶ τὴν ἰκανὴν ὑπὸν ἀποδοχῆν τοῦ θεοῦ ἀρετῶν Dei beneficium circumfert & versat huc & illuc, quæ sufficiens est us qui crediderunt ad virtutem cohortatio. Item paulo post, non minimum ex hoc solatium cap. ἡ μικρὰ ἀποδοχὴ non mediocre erat illud incitamentum.

b Prius ipsi cogniti] Hunc locum & in Latino & in Græco libro mutilatum sic partim ex emendato nostro, partim ex coniectura restituendum censemus ἀποδοχὴν ἐπιμαρτυροῦμεν καὶ ὑστερον ἐπίγνωμα. ἀποδοχὴν κατελήθημεν, καὶ τότε κατελάβομεν. ἀποδοχὴν ἐκλήθημεν ὅτε ὑπέκνωσαμεν. Prius ipsi cogniti sumus, & postea cognouimus. prius apprehensimus tumque apprehendimus, prius vocati sumus, & tum demum obediuimus.

c Ad labores pro fide] In Græcis hæc tantum reperio ἀποδοχὴν τῶν ἰσχυρῶν καὶ μαθητευομένων ad labores exantlados eorum causa qui ab eo docerentur. Nihil enim etc.

d Hoc est, non modo] τὸ πρὸς τὸν θεὸν ἢ καὶ μετὰ τοῦ θεοῦ, ἀλλ' αὐθιγὴν τὰ πρὸς ἀλλοτρίους Hoc est non iam ex penitentia, sed iam inde à longo tempore hæc præstituta sunt. Significat non subito mutata voluntate hæc Deum facere, sed quæ olim definita erat, atque firmata prouidentia sua infinita & æterna.

e Tito charissimo] Græcum nomen γρηγοριος hic & multis aliis locis perperam reddidit interpres per charissimum, quod germanum ac genuinum significat, itaque in iis quæ sequuntur, alterum alterius in locum substituendum est.

f Sunt enim non huiusmodi] ἔστι καὶ γὰρ καὶ γνήσια τέκνα αὐτοῦ. Possunt enim & filij non germani esse.

g Nam in naturalibus quidem] τὸ γνήσιον ἀπὸ τῶν ὁρίων, καὶ τὸ ἀειπόρου ἀφῆρται. Nam in naturalibus quidem filius vt quis sit germanus aut non sit, ab ea, quæ cum dolore peperit, & ab eo, qui genuit, id profectum est.

h An quia per te ipse] Gr. ἢ τὸ δι' αὐτὸν περὸν αὐτοῦ verbum autem hoc apud Græcos patres sumi ἀπὸ τοῦ βασιλεῦσαι obseruat I. Billius l. i. c. 20. obseruat. ita hic forte melius reddas, An quia à te fuerat baptizatus? sequitur etiam paulo post, quia per illius ministerium regenerati. Gr. ἐπιπὴν εἶπε τὸ εὐαγγέλιον χριστῶν, τέκνα. quia per eius manus regenerati, filij.

i Necessitatis plus] Montanus videretur nō aduertisse verumque esse in Græco ὁμοῦ καὶ πλείους ἔχοντας ἔχει, ὁμοῦ πλείους ἀνάγκας τὸ ἀποδοχὴν τῶν πῶ plus inimicitiarum subeundum sit, plusque necessitatis offendendi Deum incumbat.

k Et potest esse] Veronenfis habet καὶ πῶς τὸ ἀδικῶν γίνεται, noster emendatus, καὶ ἡ σὴ ἀδικῶν γίνεται: Et hoc non esset tibi pudori, ac ignominia?

HOMILIA II.

VIVS rei gratia reliqui te Crete, vt qua deerant corrigeres, & constitueres per ciuitates presbyteros, sicut ego tibi constitui. Si quis est sine crimine, vnus uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxurie, aut non subiectos. Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucrī cupidum, sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt ar-

quere. Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & se-
ductores, maxime qui de circumcissione sunt, quos oportet redar-
gui, qui vniuersas domos subuertunt, docentes que non oportet,
turpis lucri gratia. Antiquis quidem viris vita omnis erat
operosa, totaque in labore, atque in certamine: nobis
autem non sic, sed tempus omne per negligentiam du-
cimur. Nouerant profecto illi, ideo se in hunc mundum
fuisse deductos, ut placita ei, qui se condiderat, gererent,
illique per bona opera placere studerent: nos quasi id-
circo fuerimus conditi, ut comedamus & bibamus; ac
deliciis operam demus, ita nullam spiritualium rerum
rationem habemus. Non autem de solis apostolis lo-
quor, verum & de his, qui post illos fideles euasere: de-
nique eos omnes inspicias: presentem vitam viatorum
more percurrere, idque sibi opus peculiare fecisse, ut
semper veluti peregrini atque hospites essent, non ha-
bentes in terra ciuitatem. Audi nempe quid beatus hic
dicat: *Huius rei gratia reliqui te Crete.* Veluti domum v-
nam, orbem totum inter se distribuentes, ita vniuersa
officia peragebant, ut omnium qui essent vbique terra-
rum, curam gererent: dum hic quidem hanc orbis par-
tem, ille aliam acciperet disponendam. *Huius rei gratia,*
inquit, *reliqui te Crete, ut qua deerant supercorrigeres.* Non
imperantis iure vtitur, sed interim admonet. Ut super-
corrigeres, inquit. Intuere quales, animam omni inui-
dia liberam, & omnibus in locis discipulorum vtilitati
consulentem, nec satis curantem, siue id per se siue per
alium fiat. Nam ea quidem in quibus periculi plurimum
& difficultatis erat, presens ipse peragebat: que vero ho-
noris magis quam laboris habebant, locum discipulo
permittibat, episcoporum scilicet ordinationes, & cæ-
tera talia, quæ aliqua correctione indigebant, atque, ut
ita dixerim, perfectione maiore. Quid istud, oro, sibi
vult? Num ipse quæ egeras, correctione opus habent?
An vero non eam rem turpem esse arbitraris, & tibi ve-
recundiam ferre? Minime sane, nam commune tantum
intueor lucrum: id siue per me, siue per alterum fiat, ni-
hil mea interest: ita pastorem affici necesse est, nec ho-
norem proprium quærere, sed communem vtilitatem
prosequi debet. *Et constitueres,* inquit, *per ciuitates presby-
teros.* Episcopos hic intelligi vult, quemadmodum alias
sæpius diximus. *Vt ego tibi constitui, si quis est sine crimine.*
Per ciuitates, inquit. Neque enim profecto volebat in-
fulam totam vni viro permitti: sed vnicuique propriam
curam ac sollicitudinem indicere: ita enim sibi laborē fore
leuiorem sciebat, & subditos maiori diligentia guber-
nandos, siquidem doctor non multarum ecclesiarum
regimine distraheretur, sed vni tantum regendæ vaca-
ret, eamque componere moribus atque ornare stude-
ret. *Si quis,* inquit, *est sine crimine, vnius uxoris vir, filios ha-
bens fideles, non in accusatione luxurie, aut non subditos.* Cu-
ius rei gratia etiam huiusmodi homines in medium ad-
ducit? Obstruere prorsus intendit hæreticorum ora, qui
nuptias damnant, ostendens eam rem culpa carere, imò
ita esse preciosam, ut cum ipsa etiam possit quispiam ad
sanctum episcopatus solium subuehi. Castigat hoc ipso
etiam impudicos, dum non eos permittit post secundas
nuptias ad ecclesiæ regimen, dignitatēque pastoris
assumi. Nam qui defunctæ uxori benevolentiam nul-
lam seruasse deprehenditur, quo pacto hic ecclesiæ præ-
ceptor esse optimus poterit? Imò quibus criminibus
non subiicietur indies? Nostis enim profecto omnes,
quod etsi per leges secundæ nuptiæ permittuntur, mul-
tis tamen ea res accusationibus patet: nullam ergo oc-
casionem præbere subiectis præfulem vult. Quocirca
hic ante omnia posuit, *Si quis est sine crimine:* Hoc est, si
vita illius omnis immunis à culpa, si mores eius nemo
carpere potuit. Audi denique dicentem dominum no-

† prefe-
ctus

strum: Si enim lumen, inquit, quod in te est, tenebræ
sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? *Filios habens fideles, non
in accusatione luxurie, aut non subiectos.* Inspiciamus, oro,
diligentiùs, quàm multa de educandis liberis prouider.
Nam qui filiorum suorum magister esse nō potuit, quo
pacto alios docere posse putandus est? Si quos ab initio
secum semper habuit & nutriuit, perueriti permisit, &
quorum sibi & per leges, & iure naturæ potestas omnis
indulta erat, eos regere, moderarique non potuit: quo-
modo alienis prodesse valebit? Nam nisi summa esset
negligentia patris, nunquam profecto quorum sibi ab
initio regendorum facultas omnis fuit, eos neglexisset,
aut malos fieri sineret. Neque enim vlla ratione fieri
potest, ut qui ab ipsis initiis magna cum diligentia sum-
mò que studio fuerit educatus, malus euadat: neque en-
im naturalia sunt peccata, ut tantum curæ, tantumque
diligentiæ superare præualeant. Quod si secundo in lo-
co filiorum habuerit curam, pecuniisque congerendis
potius studeat, plùsque huic rei diligentia, quàm edu-
candis filiis impertiatur, & hic ut indignus sacerdotio,
est remouendus. Nam si in his rebus, in quibus vrgebat
naturalis affectus, ita negligens fuit, atque ita stultus, ut
pecuniariæ rei plus studeret, quàm curæ filiorum: quo
iure hic ad episcopalem thronum promoueatur, tan-
tumque subeat regimini onus? At forte nequiuit. Ma-
gnum profecto desiderij id supremæque stultitiæ crimen
est. Si verò id studij non adhibuit, ingens duritiæ atque
impietatis indicium. Qui igitur proprios filios negligit,
quomodo alienorum, ut antè iam diximus, habebit cur-
ram? Nec simpliciter ait, luxuriosos, verum eos huius-
modi carere calumnia voluit, neque pessimæ opinionis
esse permisit. *Oportet enim,* inquit, *episcopum sine crimine
esse, quasi Dei dispensatorem, non elatum, non iracundum, non
ebriosum, non percussorem.* Nam is, qui exteriore ac mun-
dana potestate subnixus est, quoniam lege imperat, ac
necessariò illi obtemperatur: ^{meritò} sapius contra
subiectorum voluntatem atque sententiā dominatur.
Porrò is, qui volentibus atque hortantibus, & gratias
agentibus præesse vult, si ea lege præsumit, ut consilio
proprio tantum omnia faciat, quasi nemini rationem
redditurus: tyrannicè potius quàm populariter huius-
modi exercet officium. *Oportet enim,* inquit, *esse sine cri-
mine, quasi Dei dispensatorem, non elatum, non iracundum.*
Nam qua hic ratione docebit alios hoc vitio tempera-
re, qui seipsum antè non docuit? Quippe plurima in
dies huiusmodi principatus parit crimina, molestum-
que & ingratum facit, etiam si quis modè stultissimus fue-
rit, innumerisque quotidie necessitates iracundiæ sug-
gerit. Nisi igitur quisque ad hoc longè præmeditatus
accesserit, molestissimus erit, plurimamque corrumpet ac
perimet ex his quæ sui muneris sunt. *Non ebriosum, non
percussorem.* Hoc in loco contumeliosum significare vo-
luit. Nam corripiendo potius, quàm percutiendo, aut
inferendo contumelias, omnia agere oportet. Quid en-
im obsecro, iniuria opus est? gehennæ comminatione
terrere oportet, atque huiusmodi emendare terroribus.
Nam cui infertur contumelia, audacior, atque impu-
dentior fit: & eum qui se ita affecerit, ut contemnat ma-
gis inducitur. Nihil fermè ita contemptum facit, sicuti
contumelia & iniuria: neque enim huiusmodi contu-
meliosum finit esse venerabilem, & eam quam decet à
subditis reuerentiam assequi. Magna necesse est huius-
modi cum religione loquantur: omnisque illorum ser-
mo diuina sapientia conditus, peccantes terrere debet
memoria futuri illius supremique iudicij: vacare enim
iniuria sermonem huiusmodi decet. Sin verò fortasse
fuerint aliqui, qui prohibeant ea, quæ sunt nostri munc-
ris exequi, magna cum [†] austeritate tractanda ea res est.

Vide nota-
tiones fol.
1468.authorita-
re.

Non

Non percussorem, inquit. Medicus quippe est animarum A
doctor: porrò medicus minimè percutit, ^b verum & si
fortè se æger percussisset, corrigat, emédât & curat. *Non
turpis lucri appetitorem, sed hospitalem, benignum, pudicum,
iustum, sanctum, continentem, possidentem eum qui secundum
doctrinam est, fidelem sermonem.* Vidisti quantum culmen
expetit virtutis? Non turpis, inquit, lucri cupidum, hoc
est, ut magnum pecuniarum contemptum præferat. *Hospi-
talem, benignum, sobrium, iustum, sanctum.* Bona sua
scilicet omnia indigentibus impertiēt. *Continentem.*
Non enim cum qui ieiunio studeat, hic significare vo-
luit, sed qui vitium omne superauerit, & linguam & ma-
num, impudicosque castigauerit oculos. Hæc quippe est
continentia, nulli vitio subiici. *Obtinentem eum qui se-
cundum doctrinam est, fidelem sermonem.* Fidelem hic ve-
racem dixit, qui nobis per fidei gratiam traditur, neque
argutis conclusiunculis indiget, neque inanibus quæ-
stionibus seruit. *Obtinentem, id est curantem, hoc est
summo opere moliēt. Quid ergo si secularis eloquen-
tiæ fuerit imperitus? Nihil inde penitus læditur, idcirco
ait: Eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermo-
nem. Ut potens sit exhortari, & contradicentes arguere.* [Non
itaque illis fastuosis verbis, sed] summa illa opus est pe-
ritia scripturarum, ut absconditos sensus, intelligenti-
que rimetur. Non vides ut Paulus orbem conuerterit
vniuersum, longèque maiora perfecit quàm Plato, &
omnes huiusmodi cæteri? At fortè dicurus es, signo-
rum gratia hoc illum potuisse peragere. Non ex signis
tantum hoc ille potuit: nam si apostolorum euoluas Ac-
tus, sapius illum vi doctrinæ obtinuisse comperies,
quàm virtute signorum, eademque iugiter vtitur. Ut
possit exhortari in doctrina sana, hoc est ad suorum cu-
stodiam, & euersionem hostium. *Et contradicentes argue-
re.* Nam nisi hoc possit, omnia pereunt: nisi quis aduer-
sus hostes pugnare didicerit, & captiuare omnem intel-
ligentiam in obedientiam Christi, cogitationēque de-
struere. Qui, inquit, ignorat rectam, sanamque doctri-
nam, ut oportuerit tradere, longè à sede episcopali ar-
ceatur. Nam alia quidem & in subditis inuenire facile
est: puta, esse sine crimine, filios habere subiectos, hospi-
talē esse, iustum & sanctum. cæterum hoc est quod ma-
ximè doctorem exprimit, posse scilicet verbis instruere,
& confutare aduersarios: cuius rei nullam fermè nunc
curam haberi videmus atque ingemiscimus. *Sunt enim
plerique non subditi, loquaces, merium deceptores, & hi maxi-
mè, qui ex circumcissione venerunt, quorum os oportet obstruere.*
Vide quàm signanter expressit, vnde huiusmodi sunt.
Nolūt, inquit, regi, sed regere, illud quippe intelligi vo-
luit. Cum igitur persuadere nequiueris, huiusmodi
ne paucas neque formides, sed eos ob aliorum vtilitatem
argue, eisque silētium impone. Quod ergo lucrum hinc
referes, si non subditi sunt? Cuius rei gratia illorum os
obstrui præcipis? *Quia domos,* inquit, *totas peruertunt, do-
centes que non oportet, turpis lucri gratia.* Nam siquidem
doctrinæ quis percipit gratiam, non autem sufficiens est
illis obfistere, neque eis silentium imponere qui adeò
impudentes sunt, percuntium in se attrahit damna, ac
per singulos author perditionis erit: nā si rectè quidam
admonet, dicens: Ne quæras fieri iudex, nisi valeas in-
iustitiam tollere, longè profecto digniùs hoc in loco
quisque admonebitur. Noli quærere magister fieri, si
virtutem eius rei à te alienam esse consideras: verum &
si traharis, inde resiliere contende. Vides ut vbique do-
minandi amor, turpisque lucri appetitus his causa sit, ut
subiici nolint? *Docentes,* inquit, *quæ non oportet tur-
pis lucri gratia.*

Nihil est, quod huiusmodi vitia, perturbationes
que non [†] perimat.] Cæterum quemadmodum
veteri quidem feri & immanes, cum in serenum irruerint
pelagus, ipsum totum à fundo perturbant, adeò ut & a-
rena sæpius vndis immisceatur: ita & hæc perturbatio-
nes, cum in animam irruerint, cuncta permiscunt, &
quæ superiora erant ad infima detrahunt, excæcantque
mentis clarissimum lumen, atque in primis gloriæ va-
fana cupido. Nam pecunias quidē facile quisque con-
temnet, dum id instituerit. Porrò honoris esse negli-
gentem, laudēque non affectare multorum, maximo
labore indiget. Magnæ philosophiæ, & animæ cuius-
dam angelicæ, & quæ ipsum verticem cardinis celestis
attigerit, certum argumentum. Nullum enim profecto
perniciosius vitium est, nulla magis violenta perturba-
tio, & quæ ita fermè omnibus in locis obtineat, alibi
amplius atque alibi minus, vbique tamen. Quomodo
igitur ipsam superare poterimus, & si nō penitus, tamen
ex parte aliqua? Si in cælum semper nostros defigamus
obtus, si Deum habeamus ante oculos, si cogitatio-
nes, sensumque nostrum terrenis omnibus celliorē fa-
cere studuerimus. Quoties te gloriæ desiderium tan-
git, finem considera, & eam nihil esse reperies. Inspice
quantum in se habeat detrimenti, quantis qualibetque
priuet bonis. Nam labores quidem subisti, & pericula,
dum eam consequeris: cæterum fructibus, præmiis-
que caruisti. Intuere quòd ingens sit turba malorum,
eorumque gloriæ despicere, vnumque turbae recogita
quisnam sit, & videbis ridiculam penitus rem: animadu-
ertes eam confusionem potius esse, quàm gloriam.
^d Post hoc in cælum attolle animum, atque ad cœlestes
choros cogitatione subuehere, & cum boni aliquid a-
gis, animaduerte quòd & hominibus id oportet inno-
tescere, vtilitatis ipsorum gratia, non ipse tamen id ap-
petas, quòd & hominibus id oportet innotescere. Et
quos, oro, inquiris inspectatores operis tui? Quoties vi-
deri cupis, attende quòd hæc Deus omnia inspicit, &
protinus omnis illa concupiscentia extinguitur. Attol-
lere ab humo, cœleste versa animo theatrum. Homines
etsi in præsentiarum laudent, post modicum vituperab-
unt, inuidebunt, carpent: & si hoc minimè fecerint, ni-
hil tamen illi penitus proderunt, quem laudant. At non
ita Deus, gaudet ille profecto cum iustitias nostras ac-
tūsque collaudat. Dixisti aptè, plausibūisque exceptus
es, quid inde obsecro lucri retulisti? Nam si quidem hu-
iusmodi laudatores inde vtilitatem consecuti sunt, ege-
runtque pœnitentiam, & ad meliorem frugem euase-
runt, prioraque mala deseruerunt, meritò gaudendum
est: non ideo quòd ipse laudatus sis, sed quòd mutatio
illa præclara, atque admirabilis inde secuta sit. Cæte-
rum si illi quidem perpetuò laudēt, turbasque excitent,
& plausibus perstrepan, nullum vero inde referant fru-
ctum: dolendū potius est, quòd illi hoc ad iudicium sibi
damnationis potius fecerint. At verò ex religionis ha-
bitu actūque gloriaris? Siquidem reuera religiosus fue-
ris, nihilque tibi mali conscius sis, gaudere cōuenit, non
quòd huiusmodi videaris, sed quòd huiusmodi sis. Por-
rò si multitudinis gloriam aucuparis, bonūque ac reli-
giosus videri appetis, cum non sis, considera huiusmodi
homines laudatores tuos die illo iudicij non fore iudi-
ces tuos, sed eum qui occulta diligentissimè nouit. Quòd
si tibi conscius peccatorum, bonus religiosusque pura-
ris, non solum inde gaudere non decet, verum & dole-
re plurimum, acriterque ingemiscere, diem illam per-
petua meditatione versando, in qua reuelantur omnia,
in qua [†] occulta quælibet illustrantur à lumine. Honore

viciat.

+ occultis
tenebris

perfrueris? Abiice illum, atque ex animo profus elimina, non ignorans ex huiusmodi te fieri debitorem. Nemo tibi honorem impendit? At in eo quidem gaudendum est, neque enim tibi inter cetera huiusmodi quoque honorem Deus obicit. An non vides, vt inter cetera beneficia & hoc Deus enumeret per prophetam? Assumpsi, inquit, de filiis vestris in prophetas, & ex adolescentibus vestris in sanctificationem. Vel istud ergo lucraberis, quod maiori supplicio non eris obnoxius: nam is quidem, qui in praesenti saeculo honore caret, magisque despicitur, atque vilis ab hominibus existimatur, iniuriis affligitur, respuitur, exagitur, abiicitur: & si nihil aliud lucretur, vel istud certe consequitur, quod reus non erit honoris ab omnibus praesentis: plurimaque lucratur, aliaque emolumenta virtutis: contrahitur, premitur, humiliatur, neque si velit magnum aliquando sapere permittitur, sed magis sibi ipsi semper intendit. Qui enim fruitur honore mortali, ingentemque ab hominibus consequitur gloriam: praeter id quod maioribus debitis obnoxius sit, in arrogantia saepe tumorem, & inanem gloriam tollitur, efficiturque hominum seruis. Deinde cum huiusmodi dominatus increuerit, plurima iam agere cogitur, quae non vult. Sciens igitur hoc illo esse praestantius, longaeque nobis plura conferre, non quaramus honores: imo eos cum oblatis fuerint, repellamus, & abiiciamus a nobis, & huiusmodi concupiscentiam extinguere modis omnibus studeamus. Ista nos & ad principes, & ad subditos dicimus. Anima omnis quae honoris tenetur appetitu, & gloria ab hominibus quaerit, non videbit caelorum regnum. Non mea haec ratio est, a meipso ista non loquor. Haec verba Dei spiritus profert. Non videbit gloriam Dei, qui huiusmodi est, etiam si virtutis opus exerceat: receperunt enim, ait, mercedem suam. Qui igitur ista non ceperit, consequenter caelorum fructur regno. Non prohibeo gloriam appeti, sed illa volo ambiatur gloria, quae vera est, quae ex Deo est. Cuius, inquit, laus non ex hominibus, sed ex Deo est. In occulto, abditoque religiosus, timoratusque persistens, non tibi inanem fastum, serpentiamque simulationem circumdes. Abiiciamus ouinam pellem, ipsi potius oues simus. Nihil profecto humana gloria vilis, nihil abiectius. Dic enim obsecro, si videre contingat multitudinem paruulorum, eorum scilicet qui subiecti vberibus sint: nunquid ab his gloriam cupis? ita te necesse est gloriae causa ad omnes homines affici, idcirco nempe ea res inanis gloria dicitur. Non aspicias vt in scena sibi personas imponit histriones, quam preclaram, quam honestam, quam ad extremam, quam ad exactissimam formam diligentiam efficitas? Poterne huiusmodi aspectum mihi verum esse monstrare? Minimè sane. Quid igitur. Non eas aliquando adamasti? Non. Cur id? Quoniam inanes sunt imitanturque decorem, sed nullus sibi solidus decor: ita & gloria inanis est, imitanturque gloriam, non vera gloria est. Illa quippe sola permanet, quae naturalis est, quae in intimis conditur: porro haec quae extrinsecus adhibetur, & obtulit saepius facultate, sed id apud homines, & vsque ad vesperam. Ceterum soluto theatro, sublatiisque personis, vnusquisque quod est, id quoque videtur. Non igitur veluti in scena atque ludo, veritatem arripiamus. Dic enim, queso, quid in se praecleari habet, a multitudine inspicit? Inanis est haec gloria, nihilque in se habet solidi, atque veri. Nam vbi te receperis domum, solusque fueris, id omne profus effluxit. Irrumpe in foru, auerfare praesentes: quid amplius? Nihil: extincta est penitus eiusmodi gloria; abcessit, atque in fumum resoluta est. Rem igitur adeo instabile amare quo pacto inducimur? quam magna est istud amentia, quanta stultitia? Vnum igitur in-

tuemur solum, ad id tota nostra dirigatur intentio, quo scilicet pacto Dei mereamur ore laudari. Si hoc intente inspicimus, humana semper omnia nihil existimabimus, vt non dicam non appetemus, parati semper ea si adsint despiciere, non secus quam lutum in auri comparatione renuentes. Non laudat te ille aut ille, nihil inde amittis: & si vituperet quispiam, nihil omnino te laesit: siue enim laus, siue vituperatio, ex Deo tatum aut emolumentum habet, aut detrimentum. Ceterum humana omnia, sunt profus inania, atque in hoc Deo aequales euadimus. Ille quippe mortali non indiget gloria. Gloriam, inquit, ab hominibus non accipio. An parum id tibi videtur? Quoties difficile existimas contemnere gloriam, ista tecum versa: Si hanc despexero, Deo aequalis efficiar: protinusque subibit contemptus ex animo. Neque enim fieri potest, vt homo mancipium gloriae, non sit omnium seruus: imo omnibus seruis abiectior: neque enim talia nostris imperamus seruis, qualia illi his qui amore gloriae capiuntur. Turpia, foeda, confusioque plenissima, & loqui, & facere, & perpeti iubent, idque magis cum eos sibi obedire perpexerint, iubent profus impia: & quod illi obtemperarint magis, eò imperant confidentius. Fugiamus igitur, obsecro, fugiamus huiusmodi seruitutem. Quo autem pacto eam poterimus effugere? Si de praesentibus, atque mortalibus vera sapiamus, si animaduertamus, praesentia omnia somnium esse & vmbra, nihilque aliud: illam cum omni facilitate superabimus, & nec parua nec magna nos capient: ceterum ea nisi in his quae parua sunt, despiciere discamus, in ea quoque quae maxima sunt, facile incidemus: longè igitur illius laqueos reiciamus. Sunt autem illi amentia, abiectusque animus: quod si ad mentis celsitudinem euaserimus, nulla difficultate multitudinis negligemus honores, inanemque repudiabimus gloriam, atque ad caelum animum dirigemus, vt caelestibus bonis, gaudiisque fruamur: quibus nos omnes vtinam perfrui contingat in Christo Iesu domino nostro, cum quo est Patri & Spiritui sancto gloria, & imperium, & honor in saecula saeculorum. Amen.

a Merito saepius contra] Gr. εις αὐτὸς ἢ πολλὰ καὶ τὰς ἀπὸ ἀρχαίων γὰρ μὴς καινοῦ. merito in multis sententia subditorum pariter non fit. Deinde post pauca, quasi nemini rationem redditurus. Gr. καὶ μηδὲν μὲν διὰ τοῦ λόγου. & nulli sermonem communicet de rebus gerendis. In vtroque enim loco principes viros, qui consilia non consociant cum sapientibus optimatibus, arguit.

b Verum et si forte] ἀλλὰ καὶ πολλὰ γὰρ διαφύεται, καὶ ἡδραπίει, non percutit, sed ea quae percussa sunt, restituit & curat.

c Quoties te gloria] Græca ampliora sunt, ἀπόστολος δὲ αὐτὸς ἐπέτι- χος, καὶ μὴ τὸ τέλος. Qu. i. g. desyd. tangit, Cogita te eam esse consequentum, & finem perspicere, tum nihil inuenies.

d Post hoc in caelum] At hic ampliora Latina sunt Græcis quod mentem auctoris ex mendoso forte libro non cepit interpret. καὶ μετὰ ταῦτα ἀνάγει τὸν λογισμὸν ἐπὶ τὸ ἀνω θεῶν, ὅταν ἀναθῶν ἢ παρὰ τὸν ἄνω, ὅτε δὲ καὶ ἀνθρώπων δέξεται, καὶ ἡναι ἐπιτυχῆς θεατὴς τὸ παράδοξον, καὶ ὠδίνος, ὡς ἐφ' ἑαυτῶν. Postea verò mentem erige ad supernum illud theatrum, quotiescumque edito aliquo praeclearo facinore cogitas oportere, vt illud hominibus pateat, & quoties spectatores illius rei quæris, ac laboras vt videaris, attende quod haec Deus est.

e Parati semper] ἀλλὰ καὶ ἕσονται, καὶ ἀφροσύνην καὶ ἀλαστομίαν, εἰς ἀλύουσαν. Sed, etsi suppeditetur, despiciemus, irridebimus, respiciemus, sic afficiemur vt si nobis aurum appetentibus, lutum quis porrigeret.

HOMILIA III.

IXIT quidam ex ipsis proprius ipsorum propheta, Cretenses semper mendaces, mala bestiae, ventres pigri. Testimonium hoc verum est: ob quam causam argue eos dure, vt sani sint in fide, non attendentes Iudaicis fabulis & mandatis hominum auersantium se a veritate. Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatae

inquinatae sunt eorum & mens & conscientia. Confitentur se nosse Deum, factis autem negat, cum sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi. Plurima hoc in loco quaerenda sunt: Primum quidem, quis hoc dixerit. Secundò, quam ob causam Paulus huiusmodi testimonii sit vsus. Tertio, cur testimonium adduxit in medium quod non rectè se habeat. Agè ergo & aliqua adiciamus, ac tum demum opportunam absolutionem inferamus. Cùm aliquando Athenienses alloqueretur, inter concionandum ait, Ignoto Deo, & cetera. Et rursus: Huius enim & genus sumus, sicut & quidam vestrorum poetarum dixerunt. Quis ille & vnde fuerit, qui hoc dixerit, necessariò ad vos dicendum est. Ea est autem huius dicti occasio: Cretenses sepulchrum habent Iouis ita inscriptum: Hic iacet Iupiter. Poeta igitur ait: Etenim sepulchrum o rex Cretenses fabricati sunt tuum, tu autem minimè obisti, es enim semper. Si ergo hoc testimonium verum est, intueri quantum periculi suboriatur: nam si poeta vera profectus est, dicēs mentitos esse Cretenses, qui Iouem mortuum esse dixerunt, vt ait Apostolus, periclitatur veritas ipsa. Attendite dilectissimi magna cum diligetia, poeta mentitos esse Cretenses ait, qui defunctum dixere Iouem. Eius testimonium Apostolus approbat, & sua autoritate confirmat. Ergo, inquit, iuxta Apostolum immortalis est Iupiter? Huius enim, inquit, testimonium verum est. Et quomodo huiusmodi soluemus nodos? Non istud ait Apostolus, verum simpliciter testimonium accepit, ac protulit propter consuetudinem metiendi, quibus Cretenses notauit. Cur enim non addidit: Nam tuum o rex sepulchrum Cretes fabricati sunt? Non igitur hoc dixit Paulus, verum id tatum approbavit testimonium, quo Cretenses semper mendaces esse dicuntur. Vnde igitur probamus Deum non esse Iouem? At id quidem & aliis plurimis ex locis probare per facile est: neque enim ex Cretensium testimonio probandum id nobis est. Praeterea non eos in hoc dixit esse mendaces, sed ex generali testimonio coniciendum reliquit, in eo quoque fuisse mentitos: [etenim alios deos existimabant, propterea ipse eos dixit esse mendaces.] Verum hoc omisso quod quaestione non indiget, illud potius inquiramus, quam obrem gentium testimonia producit in medium. Sed haec profecto ratio est, quod illos his maximè reuincimus, cùm suorum in eos torquemus maledicta, quoties eos qui apud eos fuere mirabiles, accusatores illorum constituimus, idcirco & alio in loco his testimoniis vtitur dicens: Ignoto Deo. Athenienses nanque quoniam ab initio Deos omnes non acceperunt, verum per tempora illorum sacra vrbem ingressa sunt, sicuti quae ex Hebraeis allata referuntur, sicuti Pan ex Arcadia, sicuti parua quaelibet, ac magna mysteria: coniciunt ex hoc fieri posse, vt esset & alius Deus, qui ab ipsis nesciretur, vt etiam illi seipfos deuouerent, eam aram instituerunt, quam inscriberent, Ignoto Deo: [prope modum id significantes, & si quis ignotus sit Deus.] Ex hac igitur inscriptione sumpta materia, dicit Apostolus: Quem ergo vos ignorantes colitis, hunc ego vobis annuncio. Verum testimonium aliud, videlicet: Huius enim & genus sumus, de Ioue dictum est [ab Arato.] Nam cùm dixisset poeta, Iouis omnia plena: post paululum intulit: huius enim & genus sumus. Haec sunt quae in ea concione Paulus ex gentibus protulit. Quomodo igitur quae de Ioue dicta erant, ea ad Deum omnium refert? At iustissimè id quidem: nam quae Dei sunt propria, cum Ioui peruersè omnino, nec propriè adscripta essent, Deo ipse restituit, nam & Dei nomen ipsis tatum est, atque idolis peruersè imponitur. Quid ergo? Num ex prophetis sibi sumenda erant testimonia, cùm genti-

les alloqueretur? At nunquam illi credidissent, quippe & Iudæis nihil ex euangelio loquitur, sed prophetarum testimonia semper adducit in medium: idcirco inquit, Factus sum Iudæis tanquam Iudæus: his qui sine lege erant, tanquam sine lege essem: & his qui sub lege, quasi sub lege sim. Fecit hoc & Deus in Magis, non illos per angelum ducit, non per prophetam admonet, non Apostoli, non Euangelistae ministerio vtitur, sed stellæ illis signum quo ducerentur, ostendit. Quippe in huiusmodi doctrinis, atque artibus periti erant, faciliusque vernaculo signo admoniti sunt. Rursus in arca Dei cùm fuisset ab alienigenis capta, maximisque plagis gens illa diuinitus percussa esset, dum remittendi consilium inirent: si hanc, inquit, semitam vaccae perrexerint, vera est Dei indignatio, quemadmodum suggererant vates. Num verò vates vera prosequuntur? Absit. Sed Deus eos suo ore corripuit, atque redarguit: hoc ipsum & in Pythonissa muliere dicendum est: quia enim ei fidem adhibebat, idcirco per hanc Saül audire fecit, quae se deprehensa essent mala. Cuius ergo rei gratia, demoni silentium Paulus imposuit, dicenti, Isti verè serui Dei altissimi sunt, qui annunciant nobis viam salutis? Cur & Christus dominus prohibet daemones loqui? Merito id quidem: signa nanque illic praecesserant, & hic iam non stella erat, sed ipse seipsum Dei filium praedicabat: [daemones autem non se prosternebant. Non etenim idolum erat locutum vt prohiberetur. Et Balaam itidem permisit benedicere, nec prohibuit: adeo vbique & in omnibus cõdescendit. Et quid tibi mirum est, cùm de seipso opiniones erroneas, suaque maximè indignas maiestate is permittat adstrui? Veluti, quod corpus prius erat, quod visibilis. Hac nanque gratia dicit, quia spiritus est Deus. Rursus, quia gaudet victimis, quod vtique ab ipso erat profus alienum: quodque sermones profert dissonos & profertioni suae minime consentientes, & alia id genus per multa. Nusquam enim ad suam respicit dignitatem: quod vtique totum ad fidei nostrae robur communiendum apprimè vtile est. Nam si pater nullam habet suae maiestatis rationem, sed cum puerulis suis lingua torta balbutit quæuis, & alimoniam quidem & edulia, pocula quoque vocabulis appellat non elegantibus & doctis, sed puerili nescio qua, atque peregrina profus loquutione: multò magis Deus. Et exprobrat clementer eò se demittens, cùm per Prophetam dicit: Si mutabunt gentes deos suos. Huius condescensionis diuinae argumenta inuenire liceat in sacris literis, tum verba tum res ipsas. Itaque ait, Increpa eos dure: vt sani sint in fide. Eòque sic loquitur, quod istis sint mores admodum impudentes, subdoli & profligati. Haec autem & alia innumera superstitionum mala mordicus tenebant. Quando autem ad confingenda mendacia dolosque necandos sunt promptissimi, praeterea ventri atque inertis ocio supra modum addicti: opus est acris atque obiurgatorio sermone. Neque enim qui istiusmodi moribus praeditus est, ad imperium facile reducitur. Increpa igitur ipsos. Hoc loco non alienos vtique, sed qui peculiariter sibi crediti erant, hoc est Cretenses indicat. Dure. Profundiorum, inquit, inflige plagam. Neque enim pari eodemque modo omnibus infligendum est vulnus increpationis, sed discretim, variè, & habita vniuscuiusque subditorum ratione. Nequaquam praesenti loco consolatoriis vtitur verbis: nam quemadmodum qui mansuetum & ad opera pietatis strenuè durius increpat, ipsum vtique perimit ac perdit: sic qui blandius eum demulcet, qui opus habet verborum acrimonia, vtique illum corrumpit, nec finit ad meliorem vitae frugem exurgere. Vt sani sint in fide. Et hoc vtique sanitas, nihil illegiti-

Amos. 2.

Matt. 5. & 6.

Rom. 2.

occulit deformitatem.

Irrupisti in forum, praesentiu oculos in te conuertisti.

A. 17. Ibidem. Vide not. fol. 147. Epimenides igitur est qui hoc protulit, Cretensium & ipse: verum qua ratione motus id dixerit, necessarium est vobis rem planius explicare. Res autem sic habet: Cretenses habent Iouis sepulchrum, ita inscriptum: Hic iacet Ioue appellatur. Propter hanc igitur inscriptionem poeta eos mendaciam perfringens, turpis iustitiam, augens magis concionam.

1. Thess.

illa his qui ab ipsa capti sunt. Turpia consuetudinisque plenissima & loqui, & facere, & perpeti iubet: ac tum maxime intendit augetque mandata, cum eos sibi obedire perperit.

Vide fol. 1464.

Hyperbolicis.

A. 17.

1. Cor. 9.

Matt. 2.

1. Reg. 6.

1. Par. 10.

Marc. 1. & Luc. 4.

καλωθὴν prohibetur. Num. 23.

Ioan. 4. & 2. Cor. 3.

ἢ ἡ ἀλύουσαν.

Rom. 14.

num, nihil item alienum inducere. Quod si hi qui ci- bos obseruant, iam non sani sunt, sed valde infirmi: (infirmos enim, inquit, in fide suscipite, non in disceptationibus cogitationum.) quid de illis dicemus, qui cum illis vnà ieiunant, simul sabbata celebrant, ad loca illis dedicata conueniunt, eum scilicet qui in Daphne est, atque ad speluncam, quæ Matronæ dicitur, & eum locum Ciliciæ, qui Saturni appellatur? Quo autem pacto isti sani dicendi sunt? Quocirca vehementiori illis flagello opus est, atque alio tempore hæc materia referuanda. Cur igitur hoc in Romanis non facit? Quia non huiusmodi illi erant moribus, sed longè nobiliori ingenio, mentisque ingenuitate pollebant. Non attendentes, inquit, Iudaicis fabulis. Dupliciter fabula dici possunt Iudaica omnia, siue quum simulatè fiunt, siue quum intempestiue. Nam si fiant quando facienda non sunt, & facta nocet: fabula inutilis & noxia sunt. Quemadmodum igitur illis obtemperare non expedit, ita nec istis quidem. Neque enim salubritas fidei seruetur. Si enim credis fidei, cur alia infers, quasi fides iustificare non sufficiat sola? Quid te ipsum spontaneæ subiecti feruituti, & legis iugo collum submittis? Non fides gratiæ? Id profectò infidelitatis atque diffidentiae indicium est, id infirmi atque increduli & infidelis certum argumentum. Nam fides præcipua animi virtus in eo est, vt non ambigas: ambigit autem, qui eiusmodi est. Sunt quidem, inquit, omnia munda mundis. Vides quid sibi hoc dictum velit? Inquinatis verò, inquit, & infidelibus nihil mundum. Non igitur per naturam munda aut immunda sunt, sed ex accipientium voluntate, atque proposito. Et inquinata sunt, inquit, illorum & mens, & conscientia. Deum se scire fatentur, & factis negant. Abominabiles atque inobedientes, atque ad omne bonum opus penitus reprobi. Num igitur & suilla caro munda est? Vtique. Cur ergo quasi immunda lege prohibetur? Non per naturam immunda est, omnia quippe munda sunt. Nam nihil immundius pisce, vbi humana atigerit corpora, sed quia permissus est, mundus esse videtur. Rursus, gallina nihil immundius, vermes enim comedit. Nihil item ceruo, qui ab eo quod serpentes comedit, apud Græcos nomen accepit. Sed tamen hæc omnia fas erat per legem manducare. Cuius ergo rei gratia suem, & alia quædam ex animantibus interdicit? Non idcirco quod immunda essent hoc fecit, sed deliciarum partem maximam amputare contendit. Cæterum si quidem hanc obiecisset causam, nunquam omnia persuasisset: nunc autem immunditiæ eos terrore coercuit. Quid item, si diligentius inquiramus, immundius vino? Quid aqua impurius, qua maximè mundabantur? Mortuum cadauer verabatur attingere, & mortuo mundabatur. Quippe quod mactabatur in sacrificium, profectò mortuum erat: atque idcirco præstabat, quod ex eo expiabantur: adeò puerilis erat ista doctrina. Inspice item vinum ipsum, nonne ex stercore constantiam habet? Quemadmodum enim ex humo attraxit vitis humorem, ita ex adiacente stercore. Prorsusque si omnia discutere diligentius velimus, immunda erunt. At nihil immundum [si non accuratius curiosiusque discutiamus,] sed omnia munda. Nihil enim Deus fecit immundum, sed peccatum solum est quod inquinat omnia, & facit immunda: quippe animam tangit, & penetrat, eamque foridibus inquinat. Hoc autem humanæ electionis est vitium. Inquinatis verò, & infidelibus nihil mundum, sed eorum immunda & mens, & conscientia. Quo pacto enim in his t quæ immunda sunt, reperitur mundum? Qui animo infirmus est, omnia inquinat. Nam si ista discutiat, & quid sit mundum & immundum vt requirat, nihil penitus tanget. omnia enim, vt

Leuit. 11. & Deut. 14.

ελαφος.

Leuit. 19. & 21.

quæ munda sunt, reperitur immundum?

suprà monstrauius, immunda erunt. Inquinata sunt, inquit, eorum & mens, & conscientia. Sed nunquid inquinata sunt omnia? Absit. Non hoc ille dixit. Sed quid intrant in os omnia. Nihil enim, inquit, immundum est, sed ipsi tantum, & mens illorum, atque conscientia: horum quippe nihil mundum est: sunt autem Dei opera: mala tantum voluntas immunda est. Confitentur se nosse Deum, factis autè negant. Abominabiles, & inobediētes, atque ad omne bonū opus reprobi. Tu autem loquere quæ decet sanam doctrinā. Hoc est, isti quidem immundi sunt, cæterum tu eorum causa ne taceas: etsi illi non suscipiant, inquit, tu tamen quod tui est muneris, perforce: & si illi non obtemperent, tu admone, consule. Hic amplius illos infumat. Nam qui detinentur his malis, nihil consistere putant. Verum id non ex eorum quæ cernuntur natura, sed intuentium infirmitate contingit. Quia enim illi instabiles sunt pauore attoniti, & oculos vertentes, terram quoque verti sub pedibus suis iugiter putant. At non vertitur illa: sed stabilis firmaque persistit, quippe ex illorum vitio suspicio huiusmodi gignitur, non id facit elementi vlla mutatio: ita firmè & hinc, quoties anima fuerit immunda, omnia etiam immunda arbitrat. Itaque non eiusmodi obseruatio, munditiæ argumentum est, verum cuncta præsumere. Nam qui per naturam mundus, omnia omnino præsumit: qui verò inquinati sunt foridibus, nihil. Hoc & aduersus Marcionē nobis dicendum est. Vidēsne signa munditiæ? Ea profectò sunt omni forde euadere celsiorem, nullamque immunditiam tangere. Istud & in diuina dispensatione animaduerti facillimè potest. Ille quippe humanam assumpfit carnem, hoc profectò est supremæ munditiæ. Nam si veritus fuisset immunditiam carnis, nunquam eam omnino cepisset. Nam qui ea quæ videntur esse immunda non comedit, ille immundus atque infirmus: qui verò comedit omnia, mundissimus est. Non igitur eos mundos appellamus, qui huiusmodi sunt, hi quippe immundi potius dicendi sunt. Qui verò cuncta præsumit, ille mundus est. Huiusmodi quippe obseruantiam religionis in his quæ animam inquinant, ostendere oportet. Id quippe immunditia, id sordes est: at hinc nihil tale cōspicitur. Nam & hi qui qui os putidum habent, quæ offeruntur, omnia putere arbitrantur: id verò oris vitio adscribendum est. Quid ergo? Eorum quæ immunda sunt, natura omnino noscenda est. [Quid igitur est immundum?] Peccatum, nequitia, cupiditas, & huiusmodi cætera veraciter immunda sunt. Lauamini, inquit, & mundi estote, auferte nequitas vestras de manibus vestris. Cor mundum crea in me Deus. Exite de medio eorū, & separamini, inquit, & immundum nolite rāgere. Nempe obseruationes illæ veræ præcesserunt signa munditiæ. Mortuum, inquit, nolite tangere: At peccatum eiusmodi est, mortuum prorsus, ac putridū. Leprosus, ait, immundus est. At nulla lepra deterior quam peccatum est. Id quippe varium, ac multiplex cernitur. Nam quod hoc ista significent, ex consequentibus liquet. Si enim lepra semper & per omne corpus fuerit, mundus habebitur: sin autem in parte, censetur immundus. Vide vt varietas illa, atque mutatio habeatur immunda. Rursus qui fluxum feminis patitur, immundus in anima est: huiusmodi existima, qui diuini verbi semina, quantum in se est, perire permittit. Item qui circumciscus non fuerit, immundus est. Et ex hoc inspicere non allegorias ista, sed figuras esse. Qui, inquit, non circumciderit nequitiam animi sui, immundus est. Qui operatur in sabbato, lapidari præcipitur: hoc est, qui Deo non iugiter vacat, hic perit. Videamus quàm multi sint immunditiæ modi. Quæ in menstruis est mulier, immunda est, inquit. Cur obsecro?

Totius rei summam in ipsos contorfit, immundum.

CAP. II.

Etenim qui future corripitur.

Moralis

Esa. 7. Psal. 50. Esa. 5.

Leuit. 19. Num. 19. Leuit. 14.

Leuit. 12. & 15.

cro? Nonne & semen, & generationem ipse constituit? Cuius rei gratia immunda est mulier? sed aliud profecto significat. Quid verò illud est? Metum animæ indidit, ac longè à fornicatione remouit. Nam si ea quæ peperit, immunda est, longè magis quæ fuerit fornicata. Si vxori propriae congrederi mundum valde non est, aliena misceri, quantò erit immundius? [Qui à conuittio immundus est, inquit, multò magis qui à bello.] Plurima insuper immunditiæ genera, qui quærit, inueniet: quæ omnia altiori intelligentia indigent. Verum non huius est temporis omnia prosequi, sufficit vt sola animæ immunditia vitanda teneatur. Corporales autem figuræ idcirco præcesserunt, quia corpora nobis propinquiora, magisque familiaria sunt, atque ideo ex ipsis facilius ad altiora dirigimur. Sed non modo corporalia ista quærenda sunt, neque enim figuris insistendum est, neque circa vmbas inuersandum: verum arripienda est veritas, eaque omnino retinenda. Immunditia verò peccatum est, hoc nitamur effugere, ab eo modis omnibus abstinere. Si, inquit, accesseris ad illam, suscipiet te. Nihil profectò auaritia fœditus, nihil immundius. Vnde id constat? ex rebus ipsis scilicet. Quid enim illa non inquinat? Manus, animamque ipsam, cui infidet, omnino commaculat. At Iudæis id nihil esse videtur. Et certè Ioseph ossa patris tulit, & Moyse: & Sampson ex maxilla bibisse describitur. Atque ex leonis cadauere comedit. Helias item à coruis & vidua muliere nutritur. Quid obsecro, si omnia diligenter inquiras, nonnæ membranæ librorū vel sanctissimæ] appellari possunt? At ex mortuis animalibus & ipsæ confectæ sunt. Non igitur solus fornicator immundus est, verum & alij plurimi. Et adulter item immundus, verum neuter concubitus causa. Nam eadem ratione, & qui vxori propriae congredditur, immundus profectò diceretur: sed ob violatum ius, & propter auaritiam, quia scilicet fratrem in his quæ summè sunt necessaria, superare contendit. Vides vt nequitia immunda sit sola? Nam is qui duas habuisset vxores, non erat immundus. Et Dauid cum haberet plurimas, immundus non erat. Vbi verò vnam violato iure quæsiuit, immundus prorsus est habitus. Cur id? Quia nequitia dederat manus, quoniam plus habere voluerat, quàm ex lege liceret. Itaque & quisque fornicator concubitus causa immundus non est, sed modus ipse facit immundum, qui scilicet mulierculam violat: & se inuicem lædunt, qui mulierem fecere cōmunem, naturæ peruertentes leges: vnus quippe ipsam esse oportuit coniugem. Masculum, inquit, & fœminam creauit Deus, & dixit: Erunt duo in carne vna. [non plures, ait, sed duo.] Et hic igitur nequitia in causa est, quod malus sit actus ille concubitus. Ita ira cum excesserit modum, immundum hominem facit. Cuius rei non ira ipsa, sed modus in causa est. Nam & illud adiectum est, dicente domino: Qui irascitur sine causa. Neque enim simpliciter dixit, irascitur: sed, sine causa protinus addit. Atque omnibus in locis immoderatus appetitus immundus est. Quippe ex auaritate insanabili ea res gignitur. Vigilemus itaque obsecro, & sobrii simus, mundique efficiamur vera munditia, vt Deum videre mereamur, ipso domino dicente: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: in Christo Iesu domino nostro, cui & patri vnà cum sancto spiritu, gloria, imperium & honor, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Gen. 1.

Matt. 5.

Psalm.

Vide fol. 1469.

a Hic iacet, quem Iouem] Hæc in margine addita sunt à Philip. Montano è Græco Veronenſi qui sic habet. Εν τῷ θνα τῷ καί τῶν, ὅτι δια κικλίσθησαν. Hic iacet Z. A si uue Iuppiter quem Iouem appellant. Vt enim anomalum est Latinis Iuppiter ita τῶν siue ἰδὲ Græcis. Hæc ergo dicitur inscriptio fuisse in Epitaphio Cretensis Iouis. At aliam confingit interpres Callimachi, quod cum inscriptum esset in se-

pulchro Minois Μίνως τοῦ διὸς ἑταῖρος, τῷ χροῖν τῷ τοῦ μίνως ἀπὸ κλειφθῆναι, διὸς ἑταῖρος. b Etenim sepulchrum d Rex] Versus Epimenidis Poëtæ Græci quo vsus est D. Paulus hic est ex eius libro τοῦ χρησιμῶν de oraculis κρήνης αἰὲ ψύσαι, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί. At hæc quæ nunc profert D. Chrysoſtomus Callimacho tribuit Epiphaniū hæresi x. l. i. vbi dixit Epimenidem fuisse φιλόσοφον, καὶ μίτρα ποσειδῶν κρήνην εἰδωλῶν, ἀφ' ἧσθε καὶ κακίμαχος ὁ λίθος πλὴν μέρουσαν εἰς εἰσὼν σπυρανεύειν. Deinde subiicit carmina quæ hic Chrysoſtomus. Epimenidi tribuit κρήνης αἰὲ ψύσαι, καὶ τῷ ἑταῖρον ὁ αἰὼν σπῖο κρήνης ἐτεκπιλάω. σὺ δ' ἔδανες, εἰσὶ τῷ αἰεῖ. Idem & ab Athenagora legat. pro Christianis proferuntur, hodiè que extant in r. Callimachi hymno in Iouem, cuius interpres Latinus ea sic reddidit. Cretenses semper vani, tibi namque sepulchrum extruxere Deus, qui semper viuus, & vsque es. At Theodoretus illud etiam Epimenidis carmè Callimacho tribuit. Ideo Hieronym. in hunc locum ait eos qui putat id à Callimacho sumptum non errare aliqua ex parte, quod scilicet hemistichium illud prius ab eo sumptum Callimachus, verum integrum sumptum de Epimenide ab Apostolo sumptum. Vide apud eundem Hieronymum multa huic D. Chrysoſtomi loco similia. c Sicuti Pan ex Arcadia.] Græcus Veronenſis ὡς πᾶ τοῦ πινός, ὡς ἀπὸ μωσθῆμα Tu lege ex nostro libro emendato ὡς πᾶ τοῦ πινός, ὡς πᾶ μικρὰ ὡς πᾶ μεγάλα μωσθῆμα. Ita videtur & legisse interpres, itaque vertere debuit, vt sacra Panis, vt parua, vt magna Mystera. Sacra Panis qui in Arcadia potissimum colebatur ea occasione Athenas inuecti, qua erecta fuit ara Ignoto Deo. narrat Oecumenius etiā in cap. 17. Actorum. Mystera porro sacra Cereris Eleusinia dicta nemo nescit, quæ vt scribit Diodorus Siculus lib. 1. Erectheus ab Ægyptiis translata docuit Athenienses: sed duplicia ea fuisse reperio apud Aristophanis interpretem in Plutum μωσθῆμα διὸ πλεῖστα τοῦ εἰσῶντος τῆ δημιτελῆ καὶ κῆρη τῶ μικρὰ καὶ τῶ μεγάλα, καὶ ὅτι τῶ μικρὰ ὡς τῶ μεγάλων καὶ τῶ ἀνεύροισι τῶ μωσθῆμα. d Iouis omnia plena:] Hæc interpres ex Ecloga Virgilij 3. quæ accedunt ad Arati verba, non vsquequaque exprimit, quæ assert Chrysoſtomus μετὰ δὲ διὸς τῆ ἀργυρῆ μετὰ δὲ δαίκασα plena iouis omnia computa, plenum verò mare: post paululum intulit: huius enim est genus sumus, quibus adice è Græco δεικνύς οἶμα κικλίσθης, ὅτι γαστέρας αἰεῖ τῶ. πῶς ἐν ὁ πάλιν, significans & ipse, opinor, nos ex Deo genitos esse. Quomodo igitur &c. e Quasi fides iustificare non sufficiat sola?] Vox sola abest à Græco, ne forte hinc arripiant anam tuendam suæ nouæ & ignauæ opinionis Caluinitæ de sola fide sine operibus iustificante. ἐν τῷ πινός τῆ πῆς, ἢ ἐπεὶ ἐπιστάγεις, ὡς ἐκ ἀριστερῆς τῆς πῆρας δικησῶσαι; Si enim credis fidei, cur alia infers, quasi fides non sufficiat ad iustificandum? f ex leonis cadauere comedit] καὶ τῶ λῖοντες μὲν ἔφαγε & ex Leone mel comedit. post pauca noster emendatus liber τῶ βελίον ἀπὸν ἀπῶν τῶ ἀργῶντες, membranæ librorum sacrorum, vel Bibliorum, omnibus rebus sanctiores erant, non vt in Veronenſi ἀργῶντες, idem que post pauca corrigendus est vbi habet τῶ παλακῆς ἔχων ὁ δαβῖδ noster emendatus, vt & interpres legisse videtur καὶ πινός, ἔχων. & multas habens.

HOMILIA IIII.



ENES vt sobrii sint, pudici, casti, sani in fide, in charitate & patientia. Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non vino multo seruientes. Quod bonum est docentes, vt sobria sint cas esse, castas, domus curam gerentes, benignas, subditas viris suis, ne verbum Dei blasphemetur. Iuuenes similiter horrare, vt sobrii sint. In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate. Verbum sanum irreprehensibile, vt is qui ex aduerso est vereatur, nihil habens malū dicere de vobis. Seruos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes: sed in omnibus fidem bonam ostendentes, vt doctrinā saluatoris nostri Dei ornent in omnibus. Habet senectus vitia quædam propria, & morbos quibus iuuentus caret. Et ipsa quippe senectus morbus est, inest illi tamen præterea segnities quædam, ac traditas, obliuio profunda, & obtusio sensuum, atque iracundia. Quocirca de his admonens Paulus: Senes, inquit, admone vt sobrii sint. Sūt enim plurima, vt dixi, quæ in huiusmodi atate vix fieri patientur. Primum quod obtusio vndiq; sensibus sit, difficilè que excietur, & cum labore mouatur: idcirco ait, Honeſti, prudici. Hic prudentes intelligi vult, quippe Græco verbo σωφροσύνη inde prudētia dicitur, quod animū seruet: sunt

*Quo possunt moderatas reddere adolescentulas, vt maritos suos diligant.

σωφροσύνη, ἢ τῶ φροσύνη σωφροσύνη.

enim & inter ipsos senes, qui rabie ferantur immodica, A atque in ipsam precipitentur amētiam, partim quidem ex vino, partim ex rabie: quippe senectus pusillanimes facit. *Sanos, inquit, in fide & charitate, & patientia.* Rectissime omnino subiunxit, Et patientia, id quippe maximè senibus cōuenit. *Anus similiter in habitu sancto:* Videlicet vt ex ipso habitu, atque amictu interior ostēdatur ornatu. *Non crinimatrices, non vino multo seruiētes.* Idem quippe mulierum, atque senectutis propriè vitium est. Nam quod atate frigeat, magno potationis inseruiunt studio. Quocirca eas hinc maximè admonet, vt omnibus ex partibus ebrietatis vitium amputet, eas ab hoc morbo esse remotissimas cupiēs, atque irrisionem, quæ hinc exurgit effugere. Nanque facilius vapores ex infimis ad superiora feruntur, ac cerebrum occupat, & caput hinc læditur, [eò quod iam atate cōfectæ sint ipsæ,] atque inde maximè ebrietas fit. Habet quidem vino opus hæc ætas, cum maximè infirma sit, ceterum tēperato. Eadem admonitio adolecentulas tangit, verum non eadem ex causa, sed ideo quod ex vini potatione vehemens libidinis incenditur flamma. *Quod bonum est docētes.* Et certe mulieres docere prohibuit. Qua ratione igitur docēdi ministerium eis hoc loco permittit, cum alibi dicat: Mulieri docere non permitto? Sed audi quod sequitur: Neque præesse viro. Viris nempe docere permittitur & viros, & mulieres. Ceterum mulieri domi tantum exhortationis permittit verbum, nunquam tamen præsidere concedit, nec prolixum omnino sermonem intendere. Idcirco subiunxit, neque præesse viro. *Vt adolecentulas moneant.* Vides quanta cura connectit, & cōgregat populum, quomodo adolecentulas subiiciat mulieribus atate prouectis? Neque enim de filiabus hinc loquitur, verum simpliciter pro ætate. Anus quolibet, inquit, adulescentulam moderetur, ac regat. *Amare viros.* Præcipuum illud est domesticæ pacis, ac bonorū omniū fundamentum, si vxor viro per omnia cōsentiens sit. Nam vbi hoc fit, nihil triste cōtingere poterit. Quo pacto enim, cum caput corpori connexum, cōiunctumque sit, vlla ibi feditio, vlla dissentio possit exoriri? Necessariò profectò reliqua omnia in pace sunt. Principibus namque pacatis, qui iam pacem diuidere possit, atque discindere? Quem admodū è contra his inuicem dissentientibus, nihil salubre esse poterit, totaque simul nutabit familia. Nihil igitur hac re maius, nihilque magis necessarium, verum præstat id & pecuniis, & ingenuitati, atque potentia, & ceteris omnibus longè vtilissimum est. Neque enim ait simpliciter, in pace esse: sed, amare viros. Ea quippe dilectionis est vis, vbi cūque illius fragrantia odor aspirat, nihil omnino triste, nihil ingrātū irrumperè poterit. Ex hac enim & reliqua oriuntur bona. *Amare, inquit, filios.* Quæ enim radicem diligit, multò magis & fructus amatura est. *Pudicas esse, castas, domus curam gerentes, benignas.* Hinc (vt iam dixi) omnia proueniunt bona: etenim benignæ & curatrices domus, ex charitate & amore viri facillimè fiunt. *Subiectas propriis viris, ne verbū Dei blasphemetur.* Nempe enim quæ virum cōtemnit, etiam rei domesticæ negligēs erit: ex ea autem dilectione viri etiam pudicitia nascitur. Ex ea charitate omnis cōtentio tollitur. Et si ille gentilis sit, facillimè obtēperabit, & pronus ad redamandū erit. Si verò Christianus, citò ad meliorem euadet frugem. Intuere, quæso, Pauli summā cōformitatē, ineffabilēque diligentia: is qui omnia gerit, & cūcta molitur, vt nos penitus à secularib⁹ negotiis & tumultib⁹ auferat, domesticæ rei magnā nūc ostēdit curā, magnāque prouidētia facit. Quippe ea ritè disposita, spiritalis quoque gratia locū habitura est, alioquin omnia simul intereunt. Vxor enim quæ domus curā habet, pudica quoque sit, necesse est, huiusmodi dispēlationi & cu-

Tim. 2.

ra inseruiēs, nunquā vel circa delicias, vel circa intēpētiosos improbosque; processus, aut aliud aliquid huiusmodi se occupabit. *Ne verbū Dei, inquit, & doctrina blasphemetur.* Vides vt principaliter prædicationis ei cura sit, nō secularium rerum. Denique ad Timotheū etiam scribēs ait: Vt quietam & tranquillam vitā agamus in omni pietate & honestate: hic autem, Ne verbū Dei ac doctrina blasphemetur. Nā si cōtingat, vt fidelis mulier infideli viro coniuncta sit, & virtutis non deseruiat studiis, blasphemia protinus in Deū trāsmitti cōsuevit. Quod si fuerit ornata virtutibus, prædicationis gloria in crementa cōquirat ex merito illius, & carū, quæ ab illa gestæ sunt rerū. Audiāt mulieres quæque, quæ malis, aut infidelibus cōiunctæ sunt viris, audiant atque discant moribus probis ac virtutis operibus eos ad Dei cultū, religionēque adducere. Quod si nihil aliud lucrata fueris, neque virum ad cōsortium fidei rectorūque; dogmatū traxeris, illius tamē ora obstruxisti, neque blasphemare permisisti Christianæ religionis honorem. Hoc autem non minimum est, sed maximū, atque omnino mirabile, si cōuersationis vestræ gratia religio quoque; admirationi infidelibus sit. *Adulescentes similiter hortare, vt sobrii sint.* Vides quomodo vbi que doctrinæ seruet decorem? Nā docendas mulieres mulieribus magna ex parte permisit, anus adulescentularum magistras esse cōstituens. Porro virilis sexus instruedi curam omnem ipsi permittit. Nihil enim ita difficile, tamque; durum atati huic esse potest, vt superare noxias, ac mortiferas voluptates. Neque enim aut pecuniarū amor aut gloriæ studiū, aut cuiuslibet rei alterius cōcupiscētia, ita hanc perturbat atatem, sicuti corporū amor, vaſanaque libido. Idcirco omnibus aliis omissis, circa id quod vrgebat magis plūsq; erat necessariū, versatur admonitio, deinde nec cetera negligit: sed quid ait? *In omnibus te ipsum præbe formam bonorū operum.* Doccant quidem, inquit, anus adulescentulas. Tu ipse adulescentes hortare, vt pudici sint. Sit omnibus doctrina, exemplarque virtutis tuæ speculū vitæ, quod omnibus proponitur ad imitandū, veluti primitiua quædam imago, omnia in se habēs, quæ bona atque honesta sunt: quæ magna cum facilitate volētibus aliquid sui decoris imitari, exempla semper præbere parata sit. *In doctrina, inquit, copiam, honestatem, sermonem sanū, irreprehensibilem, vt is qui ex aduerso est, reuereatur, nihil habēs mali, quod de nobis dicat.* Quid ait ex aduerso? significare diabolum voluit, omnemque illi obsequentem. Nam cum & vita claruerit, & sermo cōueniens fuerit, modestus, mansuetus, ac placidus, nihilque aduersarios læserit, magnū inde atque ineffabile conquiritur emolumentum. Magna igitur huiusce * mysterij,] vtilitas, cum ex ore prædicatoris verbum resonat, non qualecunque, sed probatum atque irreprehensibile, & quod nullā vlla ex parte volentibus præstet occasionem. *Seruos suis dominis subiici, in omnibus beneplacentes esse.* Vides quod antea dixerit, vt is qui ex aduerso est, reuereatur nihil habēs de nobis dicere mali. Dignus est igitur reprehensione, qui vxores à viris occasione cōtinētia separat, atque distūgit, seruōsq; à dominis itidē auferit religionis obtētu. Nō est eius sermo, atque doctrina irreprehensibilis, † qui plurima etiā infidelibus detrimēta molitur: Hæc omnia sunt quæ eorū aduersum nos aperiunt ora, linguasque relaxant. *Seruos, inquit, dominis suis subiici, in omnibus gratos esse, nō contradicentes, non fraudantes, sed omnem fidē ostendentes, vt doctrinā saluatoris nostri Dei in omnibus ornent.* Cōuenientissimè enim alio in loco dixit: Quasi Deo seruientes, & non hominibus. Nam si domino cum beneuolētia seruias, eius tamen seruitutis occasio à Dei timore proficiscitur: qui igitur cum timore eiusmodi ministrat domino, maximis omnino præmiis potietur. Nā si manū

1. Tim. 2.

* integritatem.

* minime.

† qui magis etiam infidelibus cōturbandi.

Eph. 6. & Coloss. 3.

non

neque vberem continentia fructum præ se ferre,] summāque cum modestia, atque beneuolentia dominis ministrare: profectò vim prædicationis, ac religionis nostræ mirabitur. Neque enim ex verbis dogmata, verum ex ipsis rebus, atque vita gentiles iudicare consueverunt. Sint igitur illis & vxores, & serui in magisterium rectissimæ conuersationis norma. Quippe & apud eos, & vbi que terrarum istud pro confesso habetur, seruorum genus impudens ferme esse, formatūque difficile, lasciuum, lubricum, parūque idoneum ad virtutis doctrinam capeſſendam. Non id quidem naturæ causa, absit, verum propter conuersationis, vitæque negligentiam. Solent enim huiusmodi in his quæ mores tangunt à dominis negligi. Nihil enim ferme aliud curant hi, in quorum potestate sunt, quàm ministerium suum. Quod si mores illorum aliquando componere studeant, & hoc sui gratia tantum faciunt, ne istis negotia præbeant, molestique sint, si fornicationi, furto, aut ebrietati deseruiant: cum itaque sic negligantur, neminemque habeant, cui componendi illos, ac formandi studium sit, meritò ad ipsa nequitia prærupta, atque præcipitia deuoluuntur. Si enim vbi pater instat, & mater, & pædagogus, ac nutricius, & magister, & æquales, ipsaque libertatis opinio, & alia plurima, perdifficile quispam malorum contubernia, consortiaque deuitat: quid putas his omnibus destitutos, qui quotidie scelestis commiscuntur hominibus, & quibus volunt licenter congregantur, cum sit nento qui ipsorum amicitias sociatēsq; disquirat? Quid, inquam, arbitraris huiusmodi homines fore? Nōne ad supremos sceleros vertices euasuros? Idcirco profectò difficile est seruum fieri bonum. Præterea neque doctrinæ adminiculo perfruntur, neque externa, neque nostra erudiuntur sapientia. Non cum viris liberis educantur, & honestate præstantibus, & quibus opinionis suæ, ac gloriæ magna sit cura. Ex his omnibus datur intelligi, difficile esse, atque mirabile, vt seruus aliquando bonus atque vtilis fiat. Cum igitur perspexerint genus adeò impudens, adeò illiberum, veluti fransis impositis ex religionis nostræ cultu honestius omnibus euasisse, atque modestius, etiam si valde stolidi fuerint, atque irrationabiles domini magna profectò concipient de fidei ac religionis nostræ dogmatibus. Constat enim resurrectionis ipem, ac iudicij metum, & omnium [post mortem] reliquorum, quæ apud nos in studio sunt, prius illos altius imbuisse animos, atque ita nequitiam ab se arcece voluisse, timorem quendam vitiosis voluptatibus opponendo, animabus suis penitus inferendo. Non igitur simpliciter neque absque certa ratione omnibus in locis de his multa præcepit, & magna cura disposuit. Quantò enim deteriores illi fuerint, tantò magis si conuertantur ad bonam frugem, virtus prædicationis eminebit. Nam & medicum tunc in primis admiramur, cum desperatum ab omnibus, & omni auxilio destitutum, neque ab improbis concupiscētiis se continere valentem, verum illis ipsis inuolutum atque inuerſantem, ad sanitatem reuocauerit, morbūque correxit. Et vide, quæso, * quid ab ipso] exigat: Ea profectò quæ omnium maximè dominis quietem præstent, pariāntque tranquillitatem. *Nō contradicentes, inquit, neque fraudantes.* Id est profectò & magnam in his rebus, quæ sibi creditæ fuerint, beneuolentiam ostendere, atque aduersum dominos eximia bonitate præstare cedentes imperiis.

Chrysoſt. tom. 4.

NE igitur existimetis me temerè post hæc hunc trāſſire. Iā etenim ad seruos ipsos sermo dirigitur. Nō igitur inspicere qui eiusmodi es, quod homini seruias, sed Deo te seruire existima, prædicationique esse ornamento, & omnia facillè patieris obtēperans domino, indignantēque ferens, atque intempestiuè irascentem. Considera semper te non illi præstare gratiam, sed Dei imperiis obsequi, & omnia facillimè tolerabis. Nempe quod sæpe iam dixi, & semper dicere propositum est, si spiritalium rerum nobis cura erit, profectis vitæ necessaria tribuentur. Eadem profectò ratione seruus qui eiusmodi fuerit, adeò beneuolum, adeò obsequentem, atque modestum, non modò suscipiet Deus, coronisque donabit, & præmiis sempiternis: verum ipse quoque dominus, etiam si belua fuerit, etiam si lapideus, immanis atque atrox, laudabit & admirabitur, ac cæteris omnibus in honore præferet, & præficiet reliquis, etiam si ipse gentilis fuerit. Porro quod gentilibus dominis seruus huiusmodi oporteat subiici, ac præ se ferre virtutis exempla, ex consequentibus addiscetis. Ioseph profectò ille castissimus, coquorum principi veditus est, alteriusque erat fidei religionisque quàm dominus. Quid ergo ille? Cum videret adoleſcentem actibus virtutis illustrem, differentiam religionis minimè cogitauit: sed ipse illum diligebat, amabat, mirabatur, rerūque omnium suarum potestatem illi, omnem dispositionem permiserat, nihilque nouerat domesticæ rei suæ, quod non is gubernaret, ac regeret omnia, secundūque esset dominus: imò & ipsius domini dominus. Siquidem ille quidem ignorabat quæ sua erant, hic autem melius omnia nouerat, quæ ad ditionem domini pertinebant. At mihi quidem videtur etiam postmodum, quando illi mulierculæ credidit nequissimam illam, impudentēque calumniam aduersus pudicum adoleſcentem concinnanti, priori ex reuerentia & honore iustum honorasse, dum iram solum ad carcerem seruire vsque permisit. Nam nisi vehementer reueritus fuisset virum, atque ex prioribus ipsius operibus admirationi habuisset, * onerasset] illum protinus, & ferro furorū satisfecisset. Plenus enim, inquit, zelo furor viri, nulla redemptione inimicitiam soluet, neque soluetur muneribus plurimis. Porro si cuiuslibet viri talis est zelus, longè magis illius qui & Ægyptius erat, & ab eo quem honorauerat, iniuriis se affectum existimabat. Nostis enim profectò omnes, vt nos non similiter mordeant illarū nobis contumeliæ, sed multò vehementiùs angunt, acriusque conficiunt, quas ab eis patimur, qui maiori nobis, beneuolentia coniuncti videbantur, multique nobis beneficiis coniuncti erant. Non cogitauit ille apud semetipsum, neque dixit: Seruum hunc accepi, omnem rei domesticæ suppellectilem illi tradidi, liberum feci, ac meipso maiorem: tales verò ille mihi restituit vice? Nihil horum penitus dixit, adeò ipsius animum prior reuerentia continebat. Et quid mirum, si domi tanto honore perfrui meruit? In ipso etiam carcere intuerè quanta libertate fruatur, quantaque agatur prouidentia. Nostis quippe, vt hi, quibus carceris custodia permisa est, ad supremam atrocitatem atque immanitatem sese exercere sint soliti, atque fructum ex aliena calamitate percipiunt: & quos dii afflictos miserantur, & nutriunt, ab eis isti lucra exigunt, plurimis lacrymis digna, feris profectò omnibus immaniores. Qui vnde carceri addictos maximè miserari debuerant, lucra inde sectantur. Porro eos qui ita crudeles sunt, non hac tantum ex parte pēsemus, verum id etiam

Gen. 37. & 39.

* accidisset. Prou. 6.

Aaa ij

cogitemus, quod hi non similiter omnibus vincu-
 latis vtuntur. Nam eos qui calumniae causa, vel leuis
 cuiusque facinoris vinciti sunt, fortasse misericordius
 tractant: eos vero qui turpissimis immanissimisque sce-
 leribus obnoxij, detenti illic fuerint, innumeris quo-
 tidie caedibus laniant. Itaque non modò ex more, at-
 que instituto crudelis futurus erit ille carcerum custos,
 verùm & causa ob quam fuerat in vincula coniectus.
 Quis enim non fuisset aduersus adolescentem magno
 furore concitatus, qui cum ita fuisset honoratus à do-
 mino, in suspitionem venisset adulterij, dominamque
 suam violare tentauisse putaretur, ac huiusmodi vices
 domino reddidisse? Ita considerans carcerarius ille,
 & eius qui eum iniecerat, honorem, causamque, ob
 quam ille iniectus erat, nonne omni fera immanius a-
 dolescente illo vsus esset? Sed profectò his omnibus
 superior fuit spes in Deum firma atque inuolabilis,
 adeò virtus animæ feras quoque immites mansueface-
 re consuevit. Nam eadem modestia, qua dominum ce-
 perat, atque in suum studium, amorémque conuer-
 rat, eadem etiam carcerarium ipsum: rursumque prin-
 ceptis euaserat Ioseph, atque in carcere aequè, vt in do-
 mo dominus erat. Quia enim ad regiam prouehendus
 erat dignitatem, meritò prius didicit subiici, quo tum
 in gradu domus, carcerisque præfectus est. Nam si ab
 eo qui ad ecclesiæ regimen trahitur, hoc expetit Pau-
 lus, dicens: Si enim quis propriæ domui præesse non
 nouit, quomodo ecclesiæ Dei curam habebit? & qui
 fuerat ad imperium promouendus, cum prius optimum
 præsidem domus fuisse necesse erat. Præfuit domui,
 præfuit carceri, non tanquam carceri, sed veluti do-
 mui. Omnium quippe calamitates ipsè leuabat, & eorum
 qui intus clausi tenebantur, non secus curam habebat,
 quam si mèbra sua essent, necnon ipsorum calamitates
 curiosius perquirebat, & consolabatur. Verùm & si tri-
 stem quempiam vidisset, causam protinus sciscitaba-
 tur, mœstum vel leuiter videre non patiens: neque an-
 tea desistebat, quam illum angustiis mœroris absolue-
 ret. Tale profectò studium, vel erga filios rarus admo-
 dum est, qui deprehendatur ostendere. Ex his denique
 bonorum illi omnium initium fluxit: oportet enim
 prius quæ nostra sunt nos inferre pro viribus, & tunc
 Dei præstolari opem. Nempe enim quòd erga vincitos
 tam diligens, tamque sollicitus fuerat, ex consequenti-
 bus patet. Vidit, inquit, eunuchos à Pharaone inclusos,
 pincernarum principem, atque pistorum, & ait: Cur
 tristes sunt hodie vultus vestri? neque ex hoc solum,
 sed ex his quæ illi fecerunt, virtutem viri addiscere pos-
 sumus. Non enim vt regis ministri illum respuerunt,
 non quasi in mœrore constituti repulerunt: verùm tan-
 quam fratri charissimo, & qui condolare nouisset, om-
 nia reuelarunt. Hæc autem idcirco dixerim, vt osten-
 derem quòd siue in seruitute, siue in captiuitate, siue
 in carcere, siue sub terram ipsam fuerit virtutis studio-
 sus, nihil omnino ipsum superare ac deicere potue-
 rit. Hæc mihi ad seruos ideo dicta sunt, vt norint quòd
 etiam si bestias habuerint dominos, sicuti Ægyptium
 Ioseph: siue crudeles, sicut ipsè custodem carceris, eos
 facile capere poterunt: etiam si illi gentiles fuerint,
 quemadmodum & isti, facillimè eos mulcere, atque
 obtinere valebunt. Nihil quippe virtute suauius, nihil
 probis actibus dulcius, nihil iucundius mansuetudine,
 atque modestia, & obedientia. Omnibus utilis est,
 omnibus aptus, qui eiusmodi fuerit. Non verentur, qui
 tales sunt, seruitutis iniurias, non pauperem fugiunt,
 non infirmum atque imbecillum. Omnia nanque supe-
 rat virtus, omnia obtinet. Quòd si in conditione seruili
 ea res tantum virium habet, quanto magis in homini-

bus liberis? Ad hanc igitur omnes exerceamur, & serui
 & liberi, & mulieres ac viri: ita enim erimus & Deo &
 hominibus chari, non modò probis ac virtute præcla-
 ris, sed etiam ipsis pessimis, imò illis maximè: hi quip-
 pe sunt qui virtutem velint nolint, honorare, reuereri-
 que coguntur. Nam quemadmodum modestos domi-
 nos subditi maximè tremunt, ita & impudici quilibet
 & intemperantes, eos qui virtute sunt clari, scientes
 quibus ipsi exciderunt. Quoniam igitur tantus, talisque
 est virtutis fructus, hanc prosequamur omnes, hanc
 arripiamus, hanc studiis omnibus tenemus. Si hanc se-
 ctari voluerimus, nihil iam nobis graue videbitur. Le-
 uia erunt omnia, cuncta facilia, & si per ignem & aquam
 nobis transeundum sit: quippe virtuti cedunt omnia,
 atque concedunt, & ipsa etiam mors. Eam igitur votis
 omnibus æmulemur, vt futuris quoque bonis perfrui
 mereamur, in Christo Iesu domino nostro. Amen.

HOMILIA V.

P PARUIT enim gratia Dei & saluatoris no-
 stri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abne-
 gates impietatem, & secularia desideria, sobriè,
 & iustè, & piè viuamus in hoc seculo, expectan-
 tes beatam spem, & aduentum gloriae magni
 Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro
 nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, & mundaret sibi
 populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Hæc lo-
 quere & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te con-
 temnat. Postquam à seruis magnum virtutis exegerat
 studium: est enim reuera ingētis operis doctrinam Dei,
 & saluatoris nostri ornare in omnibus, nullamque do-
 minis vel in minimis rebus præbere occasionem, cau-
 sam profectò intulit iustam, † per quam huiusmodi af-
 sequi debeant homines. Quænam verò hæc est? Appa-
 ruit enim gratia Dei & saluatoris. † Qui Deo magno
 promeruerant perfrui, quid mirum si tales euaserant, †
 quales nuper ipsè descripsi, quibus innumera fuerant
 remissa delicta? Nostis certè vt inter cætera illud quo-
 que non mediocriter hortetur, premat, & comprimat
 animam: cum ipsa innumeris peccatis obnoxia, non so-
 lum pœnas non dederit, verùm & venia potita fuerit, ac
 bonis innumeris. Nam si quis seruum nactus, qui in
 multis offenderit, illum non flagris cæciderit, verùm
 peccatis indultis, futura vitare monuerit, atque cauere
 in posterum ne in eadem decidat, magnis quoque mun-
 neribus præterea illustrauerit, ac beneficiis fouerit:
 quænam obsecro futura est tam perfida mens, tam in-
 grata anima, quæ huiusmodi gratia non ad meliora
 lectada prouocari sufficeret? Cæterum nolite existima-
 re huiusmodi gratiam solum in priorum peccatorum
 remissione consistere, verùm nos & in futurum illa præ-
 munit: & id quippe singularis est gratiæ. Nam si in ma-
 lis operibus persistentibus semper pœna non plesteret,
 non esset ea res gratiæ, sed incitamentum quoddam, ir-
 ritamentumque nequitia. Apparuit enim, inquit, gratia
 Dei & saluatoris nostri erudiens nos, vt abnegates impietatem
 & secularia desideria, sobriè, iustè, ac piè viuamus in hoc seculo,
 expectantes beatam spem, & aduentum gloriae magni Dei, & sal-
 uatoris nostri Iesu Christi. Intuere obsecro, vt virtutè præ-
 miis iungat. Etenim illud est gratiæ, cum à secularibus
 cupiditatibus liberamur, atque ad cælum digni subuehi-
 mur. Duos in hoc loco ostēdit aduētus: duo enim reue-
 ra sunt, gratiæ prior, sequēs vero retributionis atque iu-
 stitiæ. Vt abnegates, inquit, impietatem & secularia desideria.
 Ecce virtutis totius argumentum. Non ait, vt abnege-
 mus: sed, vt abnegantes. Abnegatio quippe huiusmo-
 di magnam distantiam indicat, ingens interuallum, plu-
 rimam execrationem, vt videlicet quanto studio idola
 auersati



† ob quam
 tales esse
 debeant
 serui.
 † Qui di-
 uinum illi
 præcepto-
 rem sicut af-
 secuti, quo-
 modo non
 tales meri-
 to esse de-
 bebant.

auerfati sumus, cum tanto secularia itidem desideria
 fugiamus. Et hæc enim idola nuncupauit, quippe
 auaritiæ idolorum seruitutem esse dixit: & quæque
 in præfenti seculo vtilia esse videntur, secularia deside-
 ria sunt: quæque item in hoc seculo deficiunt, atque
 dilabuntur, secularia desideria sunt. Nihil igitur nobis
 sit commune cum seculo. Venit Christus vt abnege-
 mus impietatem, peruersa scilicet dogmata, & secularia
 desideria, hoc est, scelestam atque improbam vitam. So-
 briè, & piè, & iustè viuamus in hoc seculo. Vides, quod sem-
 per dicere soleo: sobrietas non modò abstinentiam for-
 nicationis indicat, verùm perturbationum quoque re-
 liquarum: igitur & qui pecunias amat, sobrius non est.
 Nam sicut est corporum amor, ita & pecuniarum: imò
 longè hic impotentior, qui non tantam habet vim,
 qua possit impellere. Nanque & auriga ille impotens
 diceretur, non qui superbum, aut infrenem equum non
 cōtineret, sed qui malfuatiorem subiicere moderarique
 non posset. Sed vnde, inquires, pecuniarum concupi-
 scentia, amore corporum minor atque inferior est? At
 omnibus constat: Primum quidem, quia corporum
 concupiscentia necessariò nobis inserta est. Quod au-
 tem huiusmodi est; constat proculdubio quòd maiore
 cum labore corrigitur, quippe quod naturæ est in-
 situm. Secundò quòd pecuniarum quidem apud vete-
 res non magna habebatur ratio, mulierum verò magna
 omnino pudicitia gratia, atque cum qui vxori legitime
 congregaretur ad senectutem vsque, nemo culparet:
 qui verò pecuniis congerendis instaret, execrabilis om-
 nibus esset. At plurimi quidem ex philosophis pecu-
 nias contempserunt, mulieres non ita: adeò amor iste
 violentior, quam ille est. Cæterum quoniam ad eccle-
 siam nobis sermo est, non extrinsecus quæramus exem-
 pla, sed ex scripturis ipsis. Hoc igitur etiam ex parte
 præceptum beatus Paulus fermè constituit, sic dicens:
 Habentes cibos & tegumenta, his contenti simus. De
 virginibus verò quid ait? Præceptum domini non ha-
 beo. Ac rursus ad ipsum reuertimini, plurimisque in lo-
 cis videatis ipsum de concubitu legitime ferre leges,
 eaque voluptate perfrui sinere. Secundas quoque per-
 mittit nuptias, & magnam vbique huius rei curam o-
 stendit, atque diligentiam, ac nusquam ipsius gratia
 supplicia infert. Qui verò pecuniarum tenetur appeti-
 tu, illum locis omnibus damnat. Et de pecuniis quidem
 Christus multa sæpe præcipit, vt ea labes vitari cautius
 possit: non sic autem de abstinentia congressus, & re-
 scissione concubitus. Audi nanque quid de pecuniis
 ait: Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non
 potest meus esse discipulus. Nisi quis renunciauerit v-
 xori, nusquam eum dixisse reperies. Nouerit enim pro-
 fectò quanta esset naturæ huiusmodi inserta violentia.
 Et beatus hic itidem, honorabiles, inquit, nuptiæ, &
 cubile immaculatum: nec tamen ait, honorabilem esse
 pecuniarum concupiscentiam, sed contra penitus di-
 cens: Qui autem diuites esse volunt, incidunt in ten-
 tationem, ac laqueum diaboli, & desideria multa, &
 noxia. Non dixit plus habere, sed diuites esse. Carce-
 rum, vt discatis etiam ex communi sensu atque iudicio
 ista discernere, [necessarium est, vel hunc eundem ser-
 monem in medium adducamus.] Is quidem, qui pecu-
 niis omnino caruerit, ea concupiscentia non ferè tur-
 batur. Nihil enim ita pecuniarum desiderium infert, vt
 pecuniarum ipsa possessio. Non sic autem in corporum
 amore contingit, verùm & plurimi ex his, qui abscissi
 sunt, interiorem tamen cupidinis flammam non amisc-
 runt. Nanque ea concupiscentia in aliis instrumentis
 posita est, ac naturæ penitus insita. Cuius ergo rei gra-
 tia ista nos dicimus? quia scilicet avari & cupidi forni-

catoribus frædiore atque impotentiores sunt, ex eo
 maximè, quòd † maiori] concupiscentia exagitantur, †
 imò verò nec concupiscentia quidem illa dicenda est,
 sed negligentia potiùs quædam. Nam mulieri quidem,
 etiam si quis minimè appropinquauerit, natura tamen
 quod suum est facit, atque operatur: illic verò nihil ta-
 le contingit. Et piè, inquit, viuamus in hoc seculo. Et quæ-
 nam est spes? quod laborum præmium? Expectantes, in-
 quit, beatam spem, & aduentum gloriae magni Dei. Reuera
 nihil illa felicius, nihil beatius, nihil cui maiori deside-
 rio studendum sit. Et hæc quidem sermo nullus expli-
 care sufficeret: exuperant enim mentem atque omnem
 intelligentiam nostram. Expectantes, inquit, beatam spem,
 & aduentum gloriae magni Dei, & saluatoris nostri. Vbi sunt
 qui patre minorem filium dicunt? Magni, inquit, Dei
 & saluatoris. Qui inimicos proprios seruauit, quid
 non faciet, cum eos acceperit, qui malæ erant opinio-
 nis? Magni, inquit, Dei:] Magnus in Deo cum dicitur,
 non relatiuè ad aliquid, sed absolutè omnino dicitur
 magnus, post quem magnus ritè nemo dicitur: non e-
 nim ad aliquid dicitur: quòd si ad aliquid diceretur, per
 comparisonem, non per naturam magnus esset: ac
 nunc magnus incomparabiliter dicitur. Qui dedit, in-
 quit, semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniqui-
 tate, & mundaret sibi populum acceptabilem. Immutatum
 scilicet, nihilque habentem commune cum cæteris.
 [Sectatorem bonorum operum.] Vides vt non simpliciter
 à nobis opera virtutis exigantur? addidit nempe secta-
 torem, hoc est magna cum alacritate, atque ingenti
 studio & animo virtutis opera capeffentem, qua in re
 vehementia quædam adfit necesse est omnino lauda-
 bilis. Nam eos quidem, qui malis pressi sunt, atque de-
 sperabiliter languent, eripere, illius benignitatis est pro-
 prium: quæ verò sequuntur opera, profectusque virtu-
 tis, nostra simul atque illius sunt. Hæc loquere & exhor-
 tare. Vides quomodo Timotheo quidem præcipit di-
 cens, argue, obsecra, increpa: hic autem, hæc, inquit,
 loquere & exhortare, & argue cum omni imperio. Quia
 enim horum ingenium pigrius erat, idcirco & seuerè,
 & cum omni imperio præcipit arguendos. Sunt enim
 peccata quædam, quæ etiam imperiis arcere oportet:
 vtputa, vt pecunias contempnant, homines admonen-
 do persuadere oportet. Modestia item & mansuetu-
 do, & cætera huiusmodi, sola admonitione verbo-
 rum indigent. Porrò adulterum, [fornicatorem,]
 & pecuniæ cupidum, omni cum imperio corripere
 necesse est: [insuper & auguria obseruantem, consu-
 lentemque diuinaculos, cæteraque id genus tractan-
 tem:] neque simpliciter cum imperio, sed cum omni
 imperio. Vides quanta cum autoritate atque licen-
 tia hæc illic imperanda permittit? Nemo te contemnat.
 Sed admone eos principibus ac potestatibus subijci. Ne-
 minem conuitiis laceffere, sine rixa ac pugna esse.
 Quid igitur? malis operibus insignes, maledictis in-
 cessere fas non est? minimè: eos corripere ac salubriter
 coerceri satis est. Sed ad omne opus bonum paratos esse.
 Neminem blasphemare. Quicumque ille fuerit, inquit,
 neminem omnino insectemur maledictis. Audiamus
 quid nos salubriter moneat. Neminem, inquit, bla-
 sphemare. Oportet os nostrum seruare mundum à
 maledictis, atque conuitiis. Siue enim vera male-
 dicta sunt, ea non nostra interest dicere, sed iudici
 examinanda permittere. Tu enim, inquit, quid iudi-
 cas fratrem tuum? Siue illa vera non sunt, cernis pro-
 fectò ingens imminere periculum. Audi dicentem la-
 tronem ad socium criminis, qui conuitia intulerat do-
 mino maiestatis: Nam & ipsi, inquit, in eadem da-
 mnatione sumus, idem omnino certamen habemus. Si

1. Tim. 3.

Gen. 40.

1. Tim. 6.
1. Cor. 7.

Luc. 14.

Heb. 13.

1. Tim. 6.

1. Tim. 4.

Cap. III.

Rom. 14.

Luc. 23.

aliis exprobras, eadem in te continuo intorquebuntur, A idcirco beatus hic admonet dicens: Qui se putat stare, videat ne cadat. *Non pugnant, inquit, modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.* Gentiles, Iudæos, malos atque nequissimos. Atque illic quidem ex futuro incerto præmonuit, quod etiam in epistola ad Galatas facit. Itaque qui se putat stare, videat ne cadat. hic autem non ex futuris, verum ex præteritis id suadere molitur. Nemini, inquit, exprobraueris: cuiusmodi enim eras & tu. *Fuimus enim & nos, inquit, insensati, increduli, errantes, seruientes concupiscentiis & voluptatibus* † inuidia- variis, in malitia & † cade] degentes, odibiles, inuicem odientes. Tales igitur ad omnes esse oportet, & mansuetudinem modestiamque seruare. Nam qui eiusmodi antea fuerat, eo errore liberatus, eos qui sunt eiusmodi probris afficere non debet, sed pro illis orare, & gratias referre Deo, qui & sibi & illis dedit, vt liberi prioribus malis euaderent. Nemo gloriatur, omnes quippe peccauimus. Quoties igitur cuiquam exprobrare volueris, te ipsum prius, priorumque tuam inspice vitam, incertumque futuri considerans, impetum contine. Etsi enim à prima statim ætate cum virtute vixisti, habes tamen peccata plurima. Quod si fortè non habes, vel potius habere te non putas, animaduertas id opus non esse tuæ virtutis, sed diuinæ potius gratiæ. Nisi enim maiores tuos, proauosque vocasset, & ipse profectò infidelis atque incredulus perstitisset. Vides quomodo omnem profus exclusit malitiam, omnem arrogantiam ac præsumptionis aditum profus obstruxit? Nonne, inquit, innumera per prophetas, sanctosque omnes Deus nobis ostendit benevolentiam signa, nec tamen audiimus? *Eramus enim & nos errantes aliquando. Cum autem benignitas & humanitas apparuit saluatoris nostri Dei.* quomodo? *Non ex operibus, inquit, iustitiæ, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti.* Vides vt ipsi malis immergi eramus, adeo vt non purgatione, sed renouatione opus esset: id quippe regeneratione signat. Quemadmodum in domo vetere putredine carieque consumpta, nemo † pulchra] supponit, neque antiquis structuris connectit: verum à fundamentis euersam, demum illam de nouo erigere, atque renouare contendit: ita & ipse fecit in nobis. Non ille superædificauit nos, sed prius euerit, quod pessimè steterat: hoc enim est quod ait, per renouationem Spiritus sancti nouos iterum fecit: Quomodo? per Spiritum sanctum, quod consequenter ostendit, cum diceret: *Quem effudit in nos abundè per Christum Iesum saluatorem nostrum.* Nimirum nobis opus est huiusmodi spiritu. *Vt iustificati, inquit, ipsius gratia.* Rursus gratia, non debito, inquit. *Heredes simus, secundum spem vite æternæ.* Ex his profecto verbis & humilitatis studium, & futurorum spem elicere possumus. Si enim adeo desperatos, vt denuò oporteret nasci, & saluari gratia necesse erat, cum nihil boni haberemus, saluare dignatus est: multò magis hoc in futuro faciet. Nempe enim ante aduentum Christi nihil erat humana feritate deterius. Omnes quippe aduersus se inuicem, velut inimici aque hostes, feralia exercebant inter se odia. Filios mactabant parentes, atque in ipsa viscera sua per summam insaniam ferebantur. Nihil tum erat stabile ac firmum: non naturalis ac conscripta lex arcendis sceleribus quicquam habebat momenti, sed peruersa erant omnia, vbique feruebant adulteria, cædes, & si quid grauius dici & excogitari potest. Furta nempe, vt ait quidam, virtutis habebantur loco, & nimium quidem id congruo, quandoquidem huiusmodi Deum venerantur. Mone-

bant quotidiana oracula illum atque illum perimi. Dicam aliquid ex illius historia temporis admonendi causa? Androgeus quidam Minois filius, cum Athenas profectus esset, atque in luctaminis contentione vicisset, exoluit pœnas, atque interemptus est. Apollo igitur malum maiore malo curare pergens, bis septem pueros pro eo abduci iussit, ac perimi. Quid hac tyrannide grauius? quid ea immanitate dici potest acerbius? at id factum est, atque homo dæmonis insaniam concitatus, vt oraculo obtemperaret, abiit necauitque viros. Vides quàm necessariò error inualuit? Quid enim non præsumerent homines? quid non iniquitatis admitterent, qui tam scelestos, inuentoresque malorum colerent Deos? Nam siquidem ea ludicra iustè fierent, prohibenda non erant: quòd si iniusta, vt re vera nequissima, & ne initio quidem fuerant imperanda. At infœlix hominum genus, vbi luctatores ac pugiles coluit, bella perpetua, & cædes variæ per vrbes, per vicos, per domos gerebantur indices. [Pueros lasciuè amabant.] Fuit quidam apud illos præclari nominis, opinionisque philosophus, qui leges tulit, ne seruo liceret amare pueros, aut cute arida inungi, quasi ea res virtutis esset, magnoque in honore haberetur. Apertè denique, ac in publico plerisque cum vxoribus congregari legitimum erat. At si quis illorum cuncta profecti velit, inueniet illos in ipsam naturam impie fuisse contumeliosos. Et cum tantis errorum tenebris orbis obitus esset, nemo contra ferebat leges, nemo prohibebat: sed omnia illorum poemata his sceleribus plena sunt, adulteriis, impudiciis, puerorumque violationibus omnia feruent, pernoctationes execrandæ fiebant, mulierisque ad ea spectacula vocabantur. O scelestum illud nocturnum, funestumque spectaculum. In theatro fiebat ea pernoctatio, & virgo inter adolescentes insanos, atque ebriam turbam federe cogebatur. Tenebrosa profectò celebritas, & execranda omnino opera, quæ ab ipsis in ea celebritate gerebantur, idcirco ait: *Fuimus aliquando & nos insensati, increduli, errantes, seruientes concupiscentiis, & voluptatibus variis.* Amauit, inquit, ille nouercam, & illa priuignum suffocauit. Nam puerorum amores quos illis pædica vocare moris est, neque dicere licet, ac dignis lamentationibus profecti. Quomodo igitur non isti vehementer erubescunt? Vifne scelestos audire omnino cum matre concubitus? At istud apud eos, & quidem sæpe reperies, & gemitu lacrymisque dignissimum est, ex ignorantia veri tantum scelus præsumebatur impune: neque id ipsorum Deus prohibebat, verum despiciebat naturam, cum illa tanta violaretur insaniam, idque ab his, qui videbantur insignes. Quòd si hi (quos si nihil ob aliud, certè vel ob multitudinis opinionem, gloriàmque captandam operam dare virtuti decuit) adeo præcipites ferebantur in vitia: quid vulgus ignobile, cuius erat obscura operatio, fecisse putandum est? Quid obsecro ea libidine durius? Amauit illa illum, reuertentem iugulat virum adulterij gratia. Fortè non defunt ex vobis plurimi, quibus hæc nota sunt. Adulterum necauit interfecti filius, illamque insuper interfecit: postmodum & ipse in insaniam versus est, & furiarum tedis ardentibus agitatus: deinde hic ipse vafanus occidit alterum, illiusque duxit vxorem. Quid, oro, his calamitatibus dici deterius possit? Huius rei gratia ex eorum literis ista perstrinxi, vt Gentiles animaduertent, quantaque tunc mala, quantaque flagitia orbem occupauerint. Certè si vultis, & ex nostris id probare pergam. Immolauerunt, inquit, filios suos, & filias suas dæmoniis. Sodomitæ item ob nullam perierunt aliam causam, nisi quòd in pueros vafano amore ferebantur.

Sed

Sed rursus nonne inter ipsa quoque diuinæ prædicationis exordia, dum Dei filius illuxisset terris, regis filia in medio conuiuio saltauit inter homines ebrios? Nonne saltationis præmium prophetæ caput accepit? Quis loquetur potentias domini? *Odibiles, inquit, sunt qui odierunt inuicem.*] Omnino necesse est cum animæ liberæ voluptatis fræna laxamus, magnum inde conflare odium. Cur id? Quoniam quoties charitas virtuti coniuncta est, nemo aliquid iniuriis afficit. Vide quid & Paulus dicat: Nolite errare, neque fornicatores, neque idololatræ, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque auari, neque maledici, neque ebriosi regnum Dei possidebunt. Et hoc quidem eratis. Vides vt omnis nequitiae species inundabat, ingensque & atra nebula cuncta possederat, iusque omne & fas violabatur. Si enim hi, qui prophetia perfrui digni habiti sunt, & tam multa hostibus, ac sibiipsis mala, tantisque clades contigisse cernebant vitiorum suorum ac scelerum causa, nec sic tamen se continebant, sed innumera quotidie agebant mala, quid alij fecisse putandi sunt? Nempe apud illos nudas quippe virgines luctari iubebant in virorum conspectu. Magnas vobis gratias habeo, bonaque imprecor omnia, quòd nec verbum quidem huiusmodi patienter audire potuistis, cuius opus philosophi non erubescerent. Alius autem apud eos philosophus omnium facilè princeps, eas ad bella etiam armat, communisque esse iubet, vt qui planè leno deterrimus fuerit perductorque. *In malitia, inquit, & inuidia degentes.* Si enim hi qui apud eos philosophiæ studiis eminebant, eiusmodi ferebant leges, quid de illis dicturi sumus, quibus minor inerat authoritas? Si illi qui proluxa barba erant, pallioque circumdati, ista sanxerunt, quid de aliis dicere possumus? Non ideo facta est mulier, o homo, vt communiter omnibus esset exposita. O nimium peruersi homines, qui cuncta euerititis, & maribus non secus, quam scæminis commiscemini, scæminisque vt viros ad bella producit: hoc profectò diaboli opus, atque inuentum est. Omnia ille confundere ac peruertere studet, & eos terminos commouere, qui ab initio positi sunt: metasque transferre, quas naturæ imposuit Deus. Nanque mulieri quidem domi sedere præcipit, viro autem tractare negotia publica. Tu autem caput in pedes conuertis, & pedes in caput, mulieres armas, neque erubescis. Cæterum ista cur dico? Introducunt * apud eos mulieres ac pueros,] neque verentur, neque erubescunt adeo scelestas eiusmodi fabulas in hominis aures inferre. *Quando autem, inquit, benignitas & humanitas apparuit saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ qua fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè, per Christum Iesum saluatorem nostrum, vt iustificati illius gratia heredes simus secundum spem vite æternæ.* Quid est, secundum spem? Quemadmodum, inquit, sperauimus, ita perfruemur: [aut quòd iam heredes etiam estis.] *Fidelis sermo.* Quia enim de futuris, non de præsentibus loquimur, ideo intulit, fidelis sermo: quòd scilicet hæc vera sint etiam ex præteritis constat. Qui enim nos tanta iniquitate, tantisque malis eripuit, liquet profectò quòd futura quoque nobis bona omnia largietur, in ea quam præstitit gratia * præseruans. Quippe eadem prouidentia, eademque cura cuncta operatur.

MORALE.

AGAMVS igitur gratias Deo, nihilque aliis probro, nihil crimini demus: sed exhortemur omnes, ac pro illis magis oremus, consulamus, moneamus, hortemur, etiam si illi in nos contumeliosi fuerint, [etiam si calcitrarint:] tales enim insanos esse manifestum est. Cæ-

Chryso. tom. 4.

terum hi, quibus illorum sanitas curæ est, omnia ferunt, omnia faciunt, vt illi salute potiantur, etiam si nihil forte proficiant: certè illis negligentiæ crimen impingi non poterit. Num ignoraris quòd sæpe medicus postquam desperauit infirmum, alius quispiam ex coniunctis ita illum hortatur: Rursum curam adhibe, ac nihil omittas, vt nullus contra me detur crimini locus, vt nemo queratur, atque ipse culpæ non pateam. Non videtis quanta sit hominibus seculi necessarii cuiuslibet cura, quanta prouidentia, quàm multa quotidie gerant? Orant medicos, pecunias impendunt, assident semper infirmis, atque in ea diligentia perseverant. Nos vel eos, qui sunt eiusmodi imitemur, quanquam non pro eisdem rebus est cura: multum enim inuicem differunt. Lanquet ecce corporaliter filius, nemo erit qui longinquam peregrinationem subire detrectet, vt illū absoluat morbo. Infirmatur anima, nullus est cui ea res curæ sit, verum omnes desidemus, omnisque negligimus: vxores, filios, ac nos ipsos morbo tabescere videmus, atque negligimus, atque vtinam vel serò respiciamus. Considerate quàm turpe, quàmque ridiculum sit postmodum dicere: non expectabamus, neque sperabamus hoc fore. Nec modò turpe est, verum etiam graue, plenumque periculi. Nam si & in hoc seculo stultorum, atque amentium est non prouidere futura, multò sanè magis ille in suam perniciem stultus erit, qui ea quæ ad salutem conferant, prospicere negligit. Nam & nunc audimus plurimos admonentes, plurimosque consulentes quæ agenda sunt, vel quæ vitanda dicentes. Arripiamus igitur, & teneamus illam spem, salutisque nostræ curam habeamus, atque in omnibus precemur Deum, vt manum porrigat conatibus nostris. Quandiu, quæso, negligimus? quandiu torpore detinemur? Quandiu nos ipsos, nostrisque conseruos stolidi immanitate despiciamus? Abundè effudit in nos Spiritus gratiam. Consideremus igitur quantum gratiæ saluandis nobis ostendit: dignum studium ostendamus, imò dignum equidem possibile non esset ostendere, vel minus saltem præferre conemur. Nam si etiam post huiusmodi gratiam insensibiles sumus, maior nos pœna suscipiet. * Nisi enim, inquit, non venissem, & locutus eis non fuisset, Ioan. 5. peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent. Sed auertat Deus, vt nobis ista dicantur, concedatque gratiam, vt nos omnes mereamur perfrui bonis, quæ diligentibus cum repromissa sunt, in Christo Iesu domino nostro, cum quo est patri, vnà cum Spiritu sancto gloria, imperium & honor, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VI.



ET de his volo affirmare: vt curent bonis operibus præesse, hi qui crediderunt Deo. *Ista sunt bona, & vtilia hominibus. Stultas autem questionibus, & genealogias, & contentiones, & pugnas legales deuota: sunt enim inutiles, & inanes.* Hereticum hominem post vnā & secundam correptionem deuota, sciens quoniam peruersus est qui huiusmodi est, & peccat, cum sit à seipso damnatus. *Cum misero ad te Artemam, aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim. Ibi enim statui hyemare. Zenam legisperitum, & Apollo sollicitè præmitte, vt nihil illis desit. Discant autem & vestri] bonis operibus præesse ad vsus necessarios, vt non sint instructuosi. Salutant te qui mecum sunt omnes. Saluta eos qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vobis, Amen.* Postquam de Dei benignitate, atque ineffabili eius erga nos differuit prouidentia, docuitque nos quales antè fuerimus, qualisque ipsius effecerit gratia, subiunxit, & ait: Et de his volo te affirmare, vt curent bonis operibus præesse hi, qui

Aaa iiii

crediderunt Deo. Hæc loquere, atque ad eleemosynam impendendam hortare. Non enim ea quæ dicta sunt, ad id tantum pertinent, siue id solum admonent, vt humiles simus, neque extollamur, aut aliis exprobremus: verum & vt ad omnem aliam virtutis speciem indefesso studio, & labore exercemur. Ita nempe & Corinthios cum alloqueretur: Scitis, inquit, quoniam dominus pauper factus est, cum diues esset, vt nos illius inopia ditaremur. Cum itaque diuinam prouidentiam, excellentissimamque clementiam commendasset, eos ad studium impendendæ miserationis hortatur, neque id simpliciter, neque otiosè: sed quid? Vt curent, inquit, bonis operibus præesse. Hoc est, & oppressis iniuria ferre opem, non pecuniis tantum, sed etiam exhortatione, salubrique doctrina: sed viduis idem, ac pupillis auxilium ferre, omnibusque, qui in afflictione, aut angustia sunt, prospicere miserationis affectu. Id quippe est bonis operibus præesse. *Hæc enim, inquit, sunt bona & utilia hominibus. Stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones legales deuia: sunt enim & inutiles, & inanæ.* Quid sibi volunt genealogiæ? nanque & in epistola ad Timotheum eo vsus est verbo dicens, Fabulas & genealogias interminatas. Contentiones autem aduersus hæreticos dixit esse vitandas, quando nullum fuerit lucrum. Quoties enim quisque peruersus fuerit, ac decreuerit animo, quodcumque contigerit, non mutare sententiam, cur eius gratia frustra laboras, atque inter saxa feminare contendis? Quanto vtilius laborem hunc docendi tuis membris impenderes, eis de eleemosyna, cæterisque virtutibus disserendo? Quomodo igitur alio in loco ait: ne fortè Deus illis det pœnitentiam: cum hinc dicat, *Hæreticum hominem post vnam, & secundam correctionem deuia, sciens quoniam peruersus est huiusmodi, & peccat, cum sit à seipso damnatus?* Nempe illic de his loquebatur, de quibus corrigendis supererat spes, ac de his qui simpliciter reluctabantur, non aduersandi affectu, sed studio dicendæ veritatis. Vbi verò manifestus fuerit omnibus, atque conspicuus aduersarius veritatis, cur obsecro pugnas incassum? Cur aërem cædis? Quid verò est quod ait, cum sit à seipso damnatus? Quia scilicet profectò dicere non potest, nemo corripuit. Cum ergo post admonitionem in ea infidelitate persisteret, ex seipso damnatus efficitur. *Cum misero ad te Artemam, aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim.* Quid sibi hoc vult, cum iam eum præfeceras insulæ, & rursus ad te ipsum vocas? Non, inquit, hoc ago, vt illum à suo remoueam studio, atque ministerio, sed vt à me instruetior doctiorque discedat. Nam quòd illum non idcirco ad se vocet, vt secum circumducatur, & vbique comitem habeat, audi quid sequitur: *Illic enim hyemare decreui.* Nicopolis Thraciæ ciuitas est. *Zenam legisperitum, & Apollo sollicitè præmitte, vt nihil eis desit.* His necdum credita fuerat ecclesiastici cura regiminis, sed illius tantum comites erant. Fuit autem Apollo vehementior, potens in scripturis, & eloquiis diuinis. Si ergo ille legis erat peritus, nihil aliena instructione illi opus erat: verum hoc in loco legisperitum ait Iudaicæ legis peritia clarum. Præmitte, inquit, eos: hoc est, vt vberiore doctrina perfruantur, nihilque eis desit. *Discant autem & vestri bonis operibus præesse in vsus necessarios, & vt non sint instructuosi.* *Salutant te hi, qui mecum sunt omnes: saluta eos, qui nos diligunt in fide.* Amatores, inquit, suos, aut fideles scilicet viros. *Gratia Dei cum omnibus vobis, Amen.* Quomodo igitur ipse iubet contradicentes arguere, si cauendos hos admones? Quoties, inquit, * in subuersione omnium] cuncta facere deprehensi fuerint, & nullum lucrum inde sequitur, id quod præcipue intenditur, vitandi huiusmodi sunt. Neque enim eos lucrari

2. Cor. 8.

1. Tim. 7.

2. Tim. 2.

Act. 18.

* nostri.

* in suam ipsorum perniciem.

vnquam poterimus, qui peruersi sunt, peccantque non ex ignorantia, verum ex peruersitate sententiæ. Quid si isti alios quoque doctrinæ suæ venenis infecerint? Stare ex aduerso oportet, atque pugnare, eosque magnacum fortitudine atque autoritate reuincere. Si igitur huiusmodi fuerit indicta necessitas, videris que alios huiusmodi tabe corrumpi, iam caue ne taceas, sed ora istis obstrue, curam pereuntium gerens. Prorsus verò fas non est, vt is cui studium est piè & ritè viuendi, pugnae & contentionibus operam det. Cæterum vt dixi per omnia facito, quietique stude. Quippe ex otio, & vberiore philosophia id consequeris, scrutandisque intelligentiis scripturarum te occupari tantum decet. Nanque ex locutione superflua detrimenti plurimum nascitur, cum potius docere, aut orare, aut gratias referre oporteat. Neque enim plus debemus pecuniis temperare, quàm verbis: imò maior hinc habenda est cura, exactiorque diligentia, vt non passim nos ipsos omnibus exponamus. Quid autem est, vt curent bonis operibus præesse? ne scilicet expectent dum se inopes adeant. Verum illud per se studiose requirant, eos qui suo auxilio indigent. Id quippe curare rectissime dicitur, ita enim diligenter, & magno cum studio istud operabitur. Nanque ea res non tantum emolumentis eis parit, qui beneficium sumunt, quantum eis qui impendunt: quippe confidentiam illis ad Deum vberissimam præstat, & lucra acquirit ingentia. Illic verò pugnae fructus nullus est: hæreticum enim dicit difficile corrigi. Quemadmodum verò magnæ desidiæ, magnæque socordiae est, eos despiciere, quos immutandos in melius non desperamus: ita eos qui desperabiliter languent curare contendere, stultitiæ ingentis est, atque extremæ demetiæ. Quippe ex hoc plus illis audaciæ, ac temeritatis adiiicitur. Discant autem, inquit, & vestri bonis operibus præesse in vsus necessarios, ne sint instructuosi. Vides vbique vt illorum magis, quàm accipiendum beneficium illi curæ sit. **C** Licebat enim, inquit, illos fortassis multis ex partibus enutriti, sed nostrorum curam habeo. Quanam, quæso, vtilitate? Nempe enim si thesaurum effodientes, doctores alij enutrient, his nihil emolumentum acquireretur: infructuosi enim permanerent. Nam poterat Christus, qui ex quinque panibus tam multos fecerat, atque ex septem item innumeros multiplicauerat, nutrire seipsum, & eos qui secum erant. Cur igitur à mulieribus pascebatur? Sequebantur enim eum, inquit, nonnullæ mulieres, quæ illi ministrarunt: vt nos profectò doceret, se illorum in primis curam gerere, qui beneficia inferrent. Non poterat Paulus, qui & aliis manuum suarum ministerio victui necessaria suppeditabat, vllis aliis ex locis accipere? At vides ipsum & accipientem, & exigentem. Sed audi quare: quærit enim non datum, sed fructum. Et in ipsis quoque initiis fidei, cum fideles omnia sua venderent, & ad pedes Apostolorum pretia ponerent, vide vt apostoli ipsorum magis, quàm accipientium habuerint curam. Si enim tantummodo pauperum curam habuissent, nullam profectò Sapphiræ, & Ananiæ vltionem expetissent, quando illi pecunias fraude subdlexerant, nunquam prohibuissent iniuste quæsitâ suscipere, nunquam præcepisset Paulus, dicens: Non ex tristitia, aut ex necessitate. Quid dicis Paule? Num pauperum beneficentiam impedis? Absit. Non enim, inquit, quæ illorum sunt hinc confidero, sed largitatem præstatum. Intuere autem & prophetam cum Nabuchodonosor regi consulere, optimamque illi sententiam promerere, non pauperum tantum curam habuisse: neque enim dixit simpliciter, Pauperibus da: sed, peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas miserationibus pauperum. Pecunias, inquit, exhauri non

Ioan. 6.

Marc. 15.

Mora-
le.

Act. 17.

Act. 5.

2. Cor. 9.

Dan. 4.

Marc. 19.
Luc. 10.
Luc. 18.
* idcirco præcepit, vt Christum sequeretur?
Luc. 6.

* Officia vitem in multorum vtilitatem collata longè sunt præstantiora, quàm quæ in vnum contrahuntur.
Act. 4.

Ibidem.

* fructum.

Marc. 12.

Luc. 27.

non vt alij nutriantur solum, sed libereris ipse supplicio. & iterum ipse Christus: Vende, inquit, quæ tua sunt, & da pauperibus, & veni sequere me. Vides vt illic quoque * necessario intelligendum relinquatur. Quia enim pecuniæ impedimenta sunt, idcirco dandas pauperibus iussit. Docet animam clementem esse & misericordem. pecunias contemnere admonet, instruit à cupiditate discedere. Qui enim didicerit non habenti dare, tempore ipso docebitur ab his, qui habent, minimè accipere. Hoc denique Deo similes facit. Et certè virginitas plus habet laboris, ieiuniumque, & reliqua sancti propositi austeritas: verum nihil tantum habet virium ad extinguenda peccatorum incendia, quantum eleemosyna. Hæc nempe maior est omnibus, & ad ipsum regis solum amatores constituit suos. Et meritò sanè: virginitas nanque & ieiunium, & terrenus lectulus facienti solummodo prodest, neminem verò alium saluat: at verò eleemosyna ad omnes vsque pertingit, membræque complectitur Christi. * Porro eorum, quæ vbique vagantia complectitur in vnum, maior longè virtus est.] Hæc enim charitatis est mater: charitatis inquam, quæ est proprium Christianæ religionis insigne, per quam discipuli Christi noscuntur. Hæc nostrorum scelerum medicina est, hæc animæ nostræ sordes emundat, hæc scala, quæ in cœlum vsque porrigitur, hæc Christi connectit corpus. Vultis nosse quantum hæc in se habeat boni? Sub Apostolis ipsis vendentes hæc omnia quæ sua erant, distribuiebant vniciquæ secundum quod opus habebat: vt interim futura omittamus, nec de cœlesti regno verba faciamus, ceterum secundum præsens seculum communi quodam sensu iudicemus. Dic obsecro, qui sunt qui lucrantur? Qui dant, an qui accipiunt? Illi nempe murmurant, & corrixantur adinuicem: hi verò vnam animam habent. Erat enim, inquit, cor vnum, & anima vna, & gratia erat in omnibus illis, magnoque & profectu & vtilitate viuebant. Vides quòd & hinc illi potius lucrabantur. Dic agè, quorum ipse esse velis, ex numero eorum, qui sua abiiciunt, & nihil habent, an qui aliena suscipiunt? Intuere eleemosynæ * materiam.] Quæ antea disincta erant conuenere, atque impedimenta omnia sublata sunt, & cōtinuò ipsorum animæ coniunctæ, atque connexæ sunt. Omnium, inquit, erat cor vnum, & anima vna: ita etiam sine eleemosynæ fructu, exinanire pecunias non minimum in se habet lucri. Ista interim dixi, vt qui hæreditatem à maioribus per successionis seriem non acceperunt, minus doleant, minisque tristes sint, quasi minus aliquid quàm diuites habeant: longè quippe, si velint maiora habituri sunt. Nanque & eleemosynam facilius erogant, quemadmodum & illa euangelica vidua dedit duo minuta, & nulla aduersus proximum illis inimicitiarum occasio subest, suntque omnibus liberiores. Nullus ei, qui huiusmodi est, bonorum publicationem intentare poterit, quippe celsior euasit, quàm vt id peti queat. Et quemadmodum eos, qui nudi effugiunt, nemo facillè tenere potest: qui verò vestimenta post se trahit, eum quilibet citò apprehendit: eadem ratione & diues, & pauper existimandus est: nam ille quidem etiam si capiatur, diffugere facillimè poterit: hic autem & si non teneatur, suis compedibus irretitur, curis innumeris, desiderijs, ac perturbationibus reliquis: quippe omnia ista obruunt animum: neque ista solum, verum & alia plurima, quæ ex diuitijs oriuntur. Nanque & difficilium diues modestus erit, quàm pauper: & simplicem agere vitam, atque iram euadere longè hic facilius poterit, quàm ille. Sed fortasse, inquires, maiorem hunc mercedem habiturum: absit. Cur id? Quia istas ipse sibi difficultates imposuit. Neque enim imperatum est

diuitem fieri, sed contra penitus. Si igitur ipse innumera scandala, & impedimenta quæsuit, alij non modò pecunias deponunt, verum & corpus vt plurimum mactant, vt angustam incendant viam: tu autem præter illas difficultates, etiam vitis fomenta ministras, & alia tibi circumdas. Latam igitur ingrediaris viam: illa enim est, quæ huiusmodi suscipit. Porro angusta eos accipit, qui premuntur, qui angustantur, qui nihil oneris ferunt. Cæterum hæc sola onera per ipsam transire fas est, eleemosynam, benignitatem, humilitatem, mansuetudinem. Si ista comportes, facillè ingredi poteris. Quòd si tumorem animi, & spinarum sarcinam, diuitias scilicet inferre volueris, magna tibi latitudine opus erit. Neque enim in turbam irrumpere poteris, quin alios ferias, si huiusmodi premaris oneribus, magnoque intervallo necesse est vt distingaris à cæteris. Etenim qui aurum & argentum defert, non virtutes scilicet, & actus probos, hic non modò non fugientes proximos offendit, sed sponte propinquantes, atque vnà seruare studentes. Porro si diuitiæ ipsæ spinæ sunt, quid cupiditas erit? Cuius rei gratia eam tecum infers? Vt maiorem incites flammam, & ignis fomenta ministres. Quæso, non sufficit gehennæ ignis? Considera tres pueros, quomodo fornacis incendia superauerunt, ignem illum puta fuisse gehennam, angore & pressura circumdati in eam insilierunt. Vinciti erant, atque compediti, sed plurimam intus inuenerunt latitudinem. Non ita sanè qui extrinsecus prope fornacem astabant. Eiusmodi profectò quidem & hæc vita parturiet. Si volumus aduersus tentationes persistere fortiter, atque viriliter, si intendamus in Deum spem omnem, atque in eum animum dirigamus, erimus nos quasi in latitudine: qui verò nos in huiusmodi pressuras iniecerint, ipsi peribunt. Qui enim fodit foueam, ait, incidit in eam. Siue illi manus, siue pedes vinxerint, pressura nos absolueret potest. Intuere, quæso, miraculum: quos homines vinxerant, eos ignis absoluit. Quemadmodum enim si quis amicorum seruis commendauerit aliquos, illi amicitiam reueriti domini, ipsos non modò non lædunt, sed maximo honore prosequuntur: ita & ignis ille, postquam domini sui amicos esse cognouit pueros illos, & eorum dirupit vincula, & ipsos absoluit, atque dimisit: ipse illis paupum metum fuit, atque ab eis calcabatur. Et nimium id quidem conuenienter. Nam pro gloria Dei in illum fuerat coniecti. Quicumque igitur inter pressuras fumus, hoc teneamus exemplum. At illi, inquires, pressura liberati sunt, nos autem non. Dignissimè omnino. Quia enim illi non ita in fornacem immisi erant quasi liberandi, sed omnino morituri. Audias enim eos licet dicentes: Est Deus in cœlo, qui eruct nos: & si non, notum sit tibi rex quòd Deos tuos non colimus, & imaginem auream, quam statuisti, non adoramus. Nos autem veluti curiosè agentes, Dei disciplinam discutere audemus, tempusque pressuris præfigere, dicentes: Nisi vsque ad id temporis misertus fuerit, idcirco minimè liberamur. Nempe enim & Abraham non quasi incolumem filium recepturus, Dei monitis obtemperare pergebat: sed vt re vera illum Deo libaturus, atque ideo præter spem, incolumem recipere meruit. Et tu igitur cum in pressuras incidere, ne festines in tempora eductionis, præpara animam tuam ad omnem tolerantiam, & citò ea pressura liberaberis. Idcirco enim hanc inducit Deus, vt erudiat. Cum igitur ab ipsis initiis ferre absque mœrore didicerimus, remittet iam, requiemque præstabit, quasi omnibus consummatis. Volo vobis exempli gratia narrare aliquid vtile, nimirumque necessarium. Quid igitur hoc est? Cum persecutio aliquando serueret, bellumque immane, atque vehemens aduersus ecclesiam

Ecc. 10.

Dan. 3.

concitatum esset, duo comprehensi sunt viri: ex his alter quidem paratus, ac promptus erat omnia perpeti: alter quidem & ipse sibi abscindi quidem caput alacriter passurus erat: ceterum tormenta alia metuere, ac tremere videbatur. Intuere, obsecro, diuinæ bonitatis ineffabilem dispositionem. Cum iudex pro tribunali sedisset, cum quidem, qui paratus erat subire tormenta omnia, capite truncari iussit: illum verò, qui trepidaturus ad tormenta videbatur, attolli in sublime, & vngulis laniari præcepit. Neque id semel, aut secundo, sed per omnes ferè ciuitates, cum eum vinctum secum iugiter duceret. Cur id, quæso, permissum est? Vt scilicet animi ipsius negligentiam, atque socordiam per tormenta fugaret: vt formidinem, omnemque excluderet metum, vt iam non trepidaret, aut tremere, fortiorque per quotidianas persecutiones euaderet. Ioseph item cum carcerem egredi properaret, tunc maximè illic immorari permissus est. Audi nanque ipsum dicentem: Et ego furto sublatus sum de terra Hebræorum, & memento, inquit, mei apud regem. Meritò & ipse hoc passus existimatur, quoniam dixit, memento mei: vt diceret, hominibus non esse confidendum, sed spem omnem in Deum dirigendam. Ista igitur scientes, gratias agamus Deo, & omnia faciamus, quæ expedire cognoscimus, vt futuris bonis perfrui mereamur in Christo Iesu domino nostro, cum quo est patri, & spiritui sancto gloria, & imperium, & honor, in sæcula sæculorum. Amen.

Gen. 4.

Explanationis beati Ioannis Chrysostomi in epistolam beati Pauli apostoli ad Titum, finis.

AD PHILEMONEM ARGUMENTVM.

PRIMUM necessariò dicendum quod sit epistolæ huius argumentum: tum ad ea quoque veniendum, quæ in quæstione sunt. Id igitur est: Philemon quidam vir fidelis ac nobilis. Quod enim fuerit virtute mirabilis, ex eo in primis constat, quod domus quoque eius omnis fidelis erat, atque adeò fidelis, vt ecclesia etiam appellaretur. Quocirca scribit ad illum Apostolus: Saluta & ecclesiam, quæ est in domo tua. Attestatur autem & illi singularis obedientiæ meritum, & quod in eo viscera sanctorum quieuerunt: ipse quoque in hac epistola admonet, vt sibi hospitium pareret: idè mihi videtur illius domus sanctorum fuisse diuersorium. Huic igitur viro virtute præstanti seruus erat Onesimus, qui fugerat dominum, quibusdam rei domesticæ compilatis. Nam quod furatus quædam sit, audias Apostolum sic dicentem: Si quid autem te læsit, aut debet, ego persoluam. Hic ergo profectus Romam, cum Paulum carcere inclusum inuenisset, doctrina firmatus Apostoli, baptismatis quoque illic promeruit gratiam. Quod enim baptisma ibi suscepit, ex eo liquet, quod ait: Quem genui in vinculis meis. Scribit itaque Paulus, commendans illum domino, vt * omnium gratia,] quæ in se fuerat admissa, dimitteret, cumque vt nuperrimè regeneratum gratè susciperet. Sed enim quia non desunt, qui hæc epistolam superfluo adiectam putent: quandoquidem pro re adeò parua, pro viro vno scilicet conscripta est: discant planè qui huiusmodi sunt, innumeris se criminibus dignos. Non modò enim tam paruas epistolas, & pro rebus adeò necessariis

Ad Phil.

Ibidem.

Ibidem.

* omnium gratia.

oportuit scribi: sed vtinam non defuisset, qui nobis Apostolorum historiam diligentissimè traderet, non tantum quid scripserint, quidve locuti sint, sed vt sese per omnem vitam habuerint, quid & quando comederint, quando sederint, quò ierint, quid diebus singulis gesserint, & in quibus partibus vixerint, quam introierint domum, quò nauigauerint, vbinam applicuerint, atque omnia diligenter exponeret, adeò illorum omnia eximia vtilitate referta sunt. Verum quoniam ignorant plurimi, quantum hinc lateat lucri, idcirco culpæ contendunt. Si enim cum loca tantum cernimus vbi sederunt, seu vincti sunt, loca inquam inanima, illuc sæpe dirigamus animum, virtutesque illorum conspiciamus, & expergiscimur, & promptiores euadimus: multò id profectò magis fieret, si verba illorum, & reliqua gesta audire contigisset. Certè de amico perlibenter quis interrogat, vbinam degit, quid facit, quò procedit? non longè dignius de communibus orbis magistris id fieri decuit? Ceterum quòd hæc epistola nimium necessariò conscripta sit, hæc præterea ratione discetis. Cum quis enim spiritualiter viuit, huius habitus ipse, & incessus, & verba, & actus, & omnia prorsus audientibus profunt, nihilque id impedit, aut prohibet fieri. Verum quam necessariò hæc epistola missa sit, hinc iam animaduertite, quantumque in se habeat vtilitatis. Primum quidem nihil negligere hoc momentum exemplo. Si enim Paulus pro fugitiuo fure, pro seruo tantum prouidentie ostendit, nec dubitat illum cumulatim tot laudibus mittere, nihilque veretur: quantum magis nos conuenit in huiusmodi quoque non esse negligentes? Deinde seruilem conditionem desperandam non esse, etiam si vitiis omnibus dederit manus, quandoquidem fur iste, atque fugitiuus adeò virtutibus claruit, vt illum voluerit & Paulus habere socium, scribensque ad dominum, dixerit, vt pro te mihi ministret: quantum magis liberos non esse desperandos? Tertio, seruos à dominis non oportere abstrahi. Nam si Paulus, qui ita Philemoni confidebat, Onesimum sibi adeò vtilem & necessarium ad ministerium tenere noluit præter sententiam domini: multò sanè magis id nobis quoque seruandum est. Si enim seruus virtute clarus est, idè in primis oportet illum in seruitute durare, dominatumque recognoscere, vt omnibus qui sunt in domo commodo & vtilitati esse possit. Quid enim lucernam de candelabro sub modium redigis? Vtinam & eos, qui solitudines habitant, intra vrbes possemus includere, vt ex eis exempla salutis liceret haurire. Quid verò, inquires, si & ipse malus fiat? Cur, quæso, fiet malus? Nempe qui intra domum malus est, extra domum deterior fiet. Nam qui sub cura domini virtutem seruare nequit, longè illam minus seruaturus est, cum à cura solertis domini euaserit liber. * At verò domi seruire munus à maioribus illis, dignioribus] fortassis abducat. Audi beatissimum Paulum optimè sibi consulentem, cum dicit: Seruus vocatus es, noli curare: si autem etiam potes liber fieri, magis vttere: hoc est, in seruitute persiste, vt id sequatur, quod est summè necessarium: id est, ne verbum Dei blasphemetur, sicut & ipse ait: Quicumque sunt sub iugo serui, dominos suos honore omni dignos arbitrentur, ne nomen Dei, ac doctrina blasphemetur. Dicturi enim & gentiles sunt, quòd possit seruus placere Deo: aliàs enim illis necessitas fermè induceretur blasphemandi, ac dicendi, Christianæ religionis cultum ad euertenda omnia in hanc vitam fuisse inuectum, cum serui auferentur à dominis, & nimium quidem violenter. Addam & aliam huius epistolæ vtilitatem, docet nos seruos non erubescere, si probi sint. Nam si Paulus, excelsior, atque excellentior omnibus, tanta de seruolo

* domi- quidem à rerum necessarii cura liber est, hero de illis prospicient, foris verò istarum cura à magis necessarii & spiritualibus ipsam.] 1. Cor. 7. 1. Tim. 6.

seruolo loquitur, multò sanè magis nos de nostris id facere conuenit. Cum ergo tam multa nobis commoda largiatur epistola, & certè necdum omnia diximus, aude quis adhuc superfluam dicere? Quantæ istud, quæso, temeritatis est? Intentè igitur audiamus obsecro, quæ Paulus scribit. Si enim tanta in ipso vestibulo lucrati sumus, plura profectò ex ipsa lectionis lucrabimur serie.

A immutarent, idque tunc maximè, cum pro seruo rogatur, cum illi fortassis in primis aduersus cum irritauerint dominum. Non ita permittit eos dare inuidiæ manus, dum eadem appellatione, qua dominos honorati, sed ne dominum quidem indignari sinit, dum illos nominatim appellare omisit. Nam si seruos quoque notasset ex nomine, fortè indignationis causa domino non defuisset. Et vide quanta sit vsus prudentia, vt illos memorando ita honoraret, vt dominus nihil haberet, quod succensere posset. Nanque non finit ecclesiæ nomen indignari dominos, si seruis connumerantur. Non enim nouit ecclesia domini ac serui differentiam. Ceterum ex probis & improbis actibus vtrunque discernit. Si igitur ecclesia est, noli ferre indignè, quòd tecum appellatus est seruus. In Christo enim Iesu non est, Galat. 3. seruus, neque liber. Gratia vobis & pax. Admonet illum per hæc peccatorum suorum. Considera, inquit, quæra tibi donauerit Deus, quomodo gratia saluus effectus sis, imitare dominum tuum. Dimittere ille debitoribus, Matt. 6. nostris in oratione nos docuit, si volumus ab ipso & nostra nobis dimitti. Si igitur imitari illum studemus, permanet in nobis gratia: sin autem, illam amittimus. Nam & seruus ille quandiu immitis in conseruum non fuit, neque centum denarios exegit, permansit dominica in eo gratia: vbi verò debitum summa improbitate requisit, tunc iam sublata gratia tortoribus traditur. Ibid. 18.

HOMILIA PRIMA IN epistolam ad Philemonem.

PAVLVS vinctus Iesu Christi & Timotheus frater, Philemoni dilectissimo, & cooperatori nostro, & Appie sorori charissima, & Archippo commilitoni nostro, & ei quæ in domo tua est ecclesie, gratia vobis, & pax à Deo patre nostro, & domino Iesu Christo. Pro seruo hæc ad dominum scribit, in quibus ab ipso statim exordio illius prudèntiam suscipit, nec finit erubescere. Extinguit iram, vinctumque seipsum vocans, compungit & contrahit, atque ad cognitionem sui penitus reuocat, præsentiaque omnia nihil æstimare persuadet. Si enim iniecta pro Christo vincula, non pudori, sed gloriæ sunt: quantum minus seruitus probro erit? Hæc autem loquitur, non vt se ipsum prædicaret, aut merita suæ virtutis extollat, sed vt illius commodis consulat. Ostendit dignitatem suam, non sui gratia, sed vt gratiam facilius referat, ac si dicat: Propter vos hæc vincula tolero, quemadmodum & alio in loco dicit. Verum illic prouidentiam, curamque monstrat: hinc autem dignum se, cui fides haberetur, ostendit. Nihil ea gloriatione sublimius. Ego enim, inquit, Christi stigmata porto. Vinctus Christi. Propter ipsum quippe fuerat vinctus. Quis iam non reueretur? quis non exhorreat, Christi audiens vincula? quis non & animam poneret huiusce reuerentia nominis, nedum seruulum vnum? Et Timotheus frater. Assumit & alterum secum, vt à pluribus oratus facilius cedat, & gratiam tribuat. Philemoni charissimo, & cooperatori nostro. Si charissimus, non audaciæ, neque temeritatis est fidere, sed amicitia singularis indicium. Si cooperatur itidem est, nec pro huiusmodi exorari facile debet, verum & gratias agere. Nam sibi ipsi profectò largitur, cum commune, atque idem ædificet opus, vt etiam si non rogeris, alia te necessitas vrgeat præstare quod posceris. Si enim euangelio vtilis est, cum tu euangelij minister sis, non rogari, sed rogare debet. Et Appie dilectissima. Vxor Philemonis, quantum ego arbitror, hæc fuit. Intuere diligèntius humilitatem Pauli. Timotheum assumit secum precatorem, nec modò virum deprecatur, sed etiam vxorem, & alium quendam necessarium. Et Archippo commilitoni nostro, inquit. Non ista imperio, & autoritate impetrare vult, & quidem cum iure suo possit: neque dedignatur, si non continuo sibi parcatur, verum ac si ignotus ignoto scriberet, & alios item rogat, vt se pro seruolo precantem iuuent. Non modò enim à plurimis rogari, verum & ad plurimos offerri preces multum habet virium ad impetrandum. Idcirco ait: Et Archippo commilitoni nostro. Si militiæ socius es, in his quoque te socium exhibeas necesse est. Archippus autem iste est, de quo scribit Colossensibus, dicens: Dicite Archippo, vide ministerium, quod accepisti in domino, vt illud impleas. Videtur autem mihi inter ceteros ecclesiastici ordinis viros fuisse numeratus: hunc itaque assumpserat secum, & commilitonem vocat, vt opem pro viribus ferat. Et ecclesie quæ in domo tua est. Nec seruos quidem hinc omittere voluit. Sciebat enim sæpe fieri vt seruorum verba domini sententiam

animi prociatam detrahit.

Phil. 1. 1. Tim. 2.

Galat. 6.

Coloss. 4.

MORALE.

ISTA cogitantes, misericordes esse studeamus, & his, qui in nos peccant, ignoscere faciliè assuescimus. Centum quippe denarij sunt, quicquid in hoc seculo admitti in nos potest: quæ verò in Deum peccauimus, ipsa decem millia talenta sunt. Nostis enim peccata etiam pro personarum qualitate discerni. Exempli causa: Non enim æqualiter peccat, qui priuatim, & qui principem iniurijs violat, eò quòd maior offensa fit, quò is qui contumelias patitur, principibus ceteris eminet, ac longè grauior, si is fuerit rex. Atqui iniuria quidem eadem est, ceterum augetur pro dignitate personæ. Quòd si is, qui in regem iniurius est, pro excellentia personæ merito intolerabiliter cruciatur: qui in Deum peccat, quantis afficiendus est pœnis? Itaque & si eadem in Deum peccauimus, quæ in homines, ne sic quidem vlla peccati parilitas est: sed tanta est vtriusque culpæ differentia, quantum inter Deum & hominem distat. At nunc plura esse peccata comperio, * non tantum dignitate personæ, sed numeri quoque ipsa cumulatione.] Et licet terribile nimium sit, paucendumque quod dicimus: necessariò tamen dicendum est, vt animum nostrum cõcutiat, & magis magisque perterreat. Longè enim magis hominem, quam Deum & metuerè, & honorare conuincimur, quod ita considera: Qui adulterij scelus admittit, Deum se videre non ambigit, sed eum sanè contemnit. Sin autem homo aliquis videat, libidinis impetum cohibet: nonne præfert homines Deo? non impiè in Deum est contumeliosus? At quod multò sanctius est, contemnit istum, illos reueretur. Nam si quidem ab illis videri se putat, concupiscentiæ continet flammam, imò non flamma illa, sed contumelia dicenda est. Si enim * mulieri congressi esset licitum, meritò ea res flamma diceretur: at nunc infamia, & contumelia veriùs dicitur. Videt igitur homines, & infamia desistit: Dei autem patientiam spernit, longanimitatemque non curat. Alius autem furari pergit, sceleris sibi conscius est, & homines quidem fallere nititur, purgare se criminibus pergit, ac defensionem suæ probabilis faciem adicit. Deum verò quem fallere nequit, non curat, neque honorat, neque reueretur. At

Galat. 3.

Matt. 6.

Ibid. 18.

* quæ non tantum ob personæ dignitatem insignis sint, sed etiam ipsa natura.

* non licet mulieri vi.

siquidem iusserit rex alienis abstinere pecuniis, imò no-
 stras exponere, omnes promptè ac libenter obtempe-
 ramus: iubet autem Deus aliena non rapere, nec pare-
 mus. Vides vt homines Deo in honore præferimus?
 Graua sunt hæc, audituque molestissima: sed opere o-
 stendite, quàm graua sint, criminèque horrendum vita-
 re curate. Alioqui quo pacto vobis credere possum, di-
 centibus verba ista: Metuimus, & aggrauas nos. ipsi vos
 magis prægrauatis criminum onere: nam verba non
 grauant. At ego, si quidem verbis annuncio, quæ vos
 factis ostēditis, indignè & grauitè fertis: id verò quàm
 fit iniquum, cernitis. Atque vtinam ego ista mendaci-
 ter prosequar: cupio nempe ipse in die illa mihi crimen
 impingi, quòd vos frustra culpauerim, quàm cernere
 tanti criminis reos. Nò solùm autem ipsi homines præ-
 fertis Deo, verùm & alios cogitis. Nam & seruos pleri-
 que compulerunt & liberos. Alij quidem matrimonio
 nolentibus copulauerunt, alij verò ministeriis pessimis
 obsequi, & impuris amoribus, rapinis, ceterisque sceleribus
 cogunt, ac duplici se onerant crimine, vt iam ne-
 que necessitatis præsidio se tueri possint. Nam si ipse
 perperam inuitus facias, principis quoque imperiis ob-
 sequens, ne sic quidem erit iusta defensio: sin verò co-
 gas alios perpetrare eadem, peccatum longè grauius ac
 funestius fit. Quam enim iste iam sperare veniam po-
 test, qui alienæ etiam perditionis author est? Hæc dix-
 rim, non damnare aliquem volens, sed ostendere, quàm
 multa Deo debeamus. Si enim cum pari honore homi-
 nem, Deumque prosequimur, iniuriam facimus Deo:
 quantò magis cum illi homines in honore præferimus?
 Quòd si ea quoque peccata, quæ in homines fiunt, * in
 Deum potius admissa noscuntur: quantò magis pecca-
 tum ipsum, quo in Deū peccamus, mole sua nos obruit?
 Scipsum quisque si diligētè examinet, inueniet se cun-
 cta hominum gratia facere. Quàm verò felices esse-
 mus, quàm beati, si quanta propter homines gerimus,
 tanta propter Deum ageremus? & ibi certè nihil aliud
 querimus, quàm gloriam, reuerentiam, fluxa omnia, &
 temporalia: ex Deo autem nihil nisi æternum, nisi im-
 mortale referimus. Si igitur Deo tam multa debemus,
 dignum est, vt tota animi alacritate his, qui nos læserint,
 peccata donemus, vt maiorem inde gratiam referamus.
 Pellatur ex animo rancor omnis, malorumque memo-
 ria perpetua obliuione deleatur. Nanque ad impetran-
 dam nostris sceleribus veniam, non pecunias impende-
 re, nec aliud aliquid huiusmodi facere necesse est: sola
 sufficit bonæ voluntatis integritas. Non opus est in lon-
 ginq̄a peregrinando transire, nec ad remotissimas ire
 nationes, non pericula, nec labores tolerare, sed velle
 tantummodo. Quam ergo excusationem habituri su-
 mus in his, quæ videntur esse difficilia, quando rem tan-
 ti lucri, tantæque vtilitatis, nulliusque laboris perpetra-
 re negligimus? Non potes pecunias contemnere? Non
 potes egenis res tuas distribuere? non potes boni ali-
 quid velle? non vales remittere in te peccanti? Nam si
 tantorum non esses scelerum reus, solùmque iuberet
 Deus in te peccanti dimittere, nonne protinus obtem-
 perare debueras? Nunc autem cum tanta debeas Deo,
 proximo dimittere negligis, iubente Deo. Si fortè nos
 venerimus ad debitorem nostrum, omni ille nos officio
 suscipit, honorat, & largissimè officia humanitatis im-
 pendit: idque cum à fœnore non absoluitur, vt nos sci-
 licet morans ad prorogandum sibi huiusmodi officii
 prouocet. Tu qui tam multa Deo debes, dimittere iu-
 beris, vt plura recipias, & detrectas? Cur id, quæso? Me
 miserum, quanta est in nos benignitas Dei? quanta nos
 ingratitude signa præferimus, quàm tepidi, quàm se-
 gnes sumus? Facillima profectò virtus est: non hinc vi-

ribus corporis, non opibus, non pecuniis, non potentia,
 non amicitia, non alia quavis re opus est, solùm velle
 sufficit, resque tam vtilis, tamque necessaria protinus
 mandatur effectui. Contristauit te quispiam, & probris
 ac iurgiis affecit, cogita quàm multa similia tu in alios,
 atque in ipsum dominum admiseris? sicque eris ad ve-
 niam pronior. Considera quid orans loqueris: Dimitte,
 inquis, nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus
 debitoribus nostris. Animaduerte quo te pacto con-
 stringas. Nisi dimittas, dicere hoc tutè non præuales.
 Porro si dimiseris, hoc quasi debitum repetis, non ex
 natura rei, sed ex bonitate donantis. * Et vbi non illu-
 xit æqualis benignitatis indicium, vt qui conferuis di-
 mittit, eorum quæ ipse peccauit in dominum, veniam
 referat? Hac tamen tam singulare benignitate nos
 fruimur, quia creditor noster diues est in misericordia,
 & miserationibus. Ceterùm vt ostēdam tibi, & absque
 his, etiam si non remissione potiaris, multum te solum
 remittendo lucrari: cogita qui huiusmodi est, quàm
 multos habeat amicos, vtque per ora omnium eiusce
 versentur laudes. Quàm bonus vir, quàm ad reconcilia-
 tionem & misericordiam facilis, iniurias obliuisci glo-
 riosum existimat: simul atque vulnus excipit, curatus
 est huiusmodi vir: si quis fortè casus & tristis euentus
 excipiat, quis non misereatur? quis non peccanti pro-
 tinus indulgeat? quis pro aliis petenti gratiam denegat?
 quis tam boni animi amicus, atque obsequens esse non
 cupiat? Ita obsecro, cuncta huius causa faciamus, neq;
 modò in amicos & proximos, verùm & in famulos
 quoque misericordes simus. Remittentes enim, inquit,
 minas, scientes quia & vester dominus in cælis est.
 Nempe enim si proximis nostris peccata dimittamus, si
 faciamus elemosynas, si humiles simus, quippe & hoc
 nos peccatorum onere leuigat: si enim publicanus cum
 diceret solùm, Deus propitius esto mihi peccatori, iu-
 stificatus descendit: & nos quoque si humiles, contriti-
 que fuerimus, magnam diuinæ pietatis promerebimur
 gratiam, si confiteamur peccata nostra, nòsque ipsos
 reprehendere non desistamus. Si inquam, hæc omnia
 fecerimus, multum scelerum ac sordium nostrarum dilu-
 emus. Sunt enim plurimæ quæ nos expurgant viæ.
 Omni igitur ex parte diabolum expugnare studeamus.
 Nihil difficile dixi, nil graue, nil molestum. Remitte ei
 qui te læsit, egeno miserere, humilia animam tuam.
 Quamlibet maximus peccator sis, audeo dicere, cœle-
 sti regno donaberis, cum per huiusmodi opera & ipsa
 expies crimina, & omnium scelerum maculam diluas.
 Contingat vtinam nos omnes, enudata per confessio-
 nem conscientia, omnique deterfa criminum labe, re-
 promissis illic perfrui bonis, & benignitate domini no-
 stri Iesu Christi, cum quo sit Patri sanctoque Spiritui
 gloria, honor, imperium, nunc & semper, & in sæcula
 sæculorum. Amen.

HOMILIA II.



GRATIAS ago Deo semper, memoriam tui fa-
 ciens in orationibus meis, audiens charitatem
 tuam, atque fidem, quam habes ad dominum Ie-
 sum, & in omnes sanctos, vt societas fidei tue
 efficax sit in agnitione omnis boni, quod in vo-
 bis est in Christo Iesu, &c. Non statim ab exordio, ipsiusque
 principiis gratiam flagitauit, sed antea virum admira-
 rus, eiusque virtutes dignis prosequutus laudibus, cum
 charitatis in eum suæ non paruum addidisset argumen-
 tum: quòd semper in orationibus suis eius meminisset,
 dixissetque quòd multi in eo requiescerent, quòdque
 in omnibus obtemperaret & cederet: tunc & ipsam po-
 stremò postulat gratiam, eo ipso facilem sibi aditum pa-
 rans.

rans. Nam si alij ex illo, quæ postulant, consequuntur,
 longè id magis debuit Paulus. Si ante alios veniens au-
 diri meruerat, multò sanè magis cum aliis, & post alios
 pergens, cum in primis non pro se rogaret, sed pro alio.
 Deinde ne videretur huius tantum gratia scribere, qua-
 si non aliàs scripturus, nisi Onesimus impelleret: vide
 quàm prudenter & alias epistolæ adiecit causas. Pri-
 mum quidem ipsius charitatem insinuat, deinde parari
 sibi etiam iubet hospitium. *Audiens*, inquit, *charitatem*
tuam. Non vulgaris hæc laus est, sed insignis planè, ma-
 iorque quàm si coram se vidisset. Constat enim hanc
 virtutem, nisi in eo fuisset eximia, non ad eò potuisse in-
 notescere, vt ad eius quoque aures perueniret, cum tan-
 ta vtrique terræ marique intercedo dirimeret. Nam
 hic, vt mihi quidem videtur, in Phrygia fuit: cuius rei
 indicium Archippus est, de quo scribit Colossensibus.
 Quippe Colossenses Phryges sunt, ad quos scribens A-
 postolus, ait: Cum lecta fuerit apud vos epistola, facite
 vt & in Laodicensium legatur ecclesia, & eam quæ * ad
 Laodicenses] ipsi legatis. Porro hæc Phrygiæ ciuitas
 fuit. Oro, inquit, vt societas fidei tuæ efficax sit. Vides vt
 antequam gratiam postulet, maiorem longè ipse præ-
 stiterit: *Vt*, inquit, *societas fidei tue efficax sit in agnitione*
omnis boni, quod in vobis est in Christo Iesu. Hoc est, vt om-
 nem virtutis speciem impleas, nihilque tibi deesse pa-
 tiaris. Ita enim fides efficax est, si habeat opera. Nam si-
 ne operibus fides mortua est. Nec ait, fides tua: sed, So-
 cietas fidei tuæ: illum sibi ipsi coniungens, & vnum cor-
 pus ostendens, atque hoc ipso illum maximè, aptissimè-
 que * conueniens.] Si socius, inquit, es in fide, debes esse
 & in cæteris socius. *Gaudium enim habemus, & multam con-*
solationem in charitate tua: quoniam viscera sanctorum re-
quieuerunt per te frater. Nihil ita mouere eius animum po-
 test, vt beneficia in alios communicata retexere, maxi-
 mè cum eis hic longè dignior, & venerabilior sit. Non
 quidem ait, cum hæc aliis facias, quantò magis mihi de-
 negare non debes, quod cæteris præstas: sed hoc ipsum
 tamen aliis verbis admonuit, lenius id quodammodo,
 & gratius expetens. Tu mihi, inquit, dedisti fiduciam
 postulandi ex his quæ in alios contulisti. *Et multam*, in-
 quit, *consolationem*. Id est, non solùm lætamur, sed etiam
 consolamur: membra enim nostra illi sunt. Si igitur tan-
 tam oportet esse concordiam, consonantiàmque mem-
 brorum, vt in aliorum requie, hi quoque qui in tribula-
 tione sunt, quietis exortes, illorum tamen gratia exul-
 tent, quasi in totum corpus manante quietis beneficio:
 quantò magis & tu nobis requiem tribuisti? Neque ve-
 rò ait, quoniam cædis, quoniam obtemperas: sed multò
 quidem vehemētius, atque expressius: *Quoniam*, inquit,
viscera sanctorum per te requieuerunt. Ac si enim paruulus
 charus nimium, atque amabilis parentibus sit: ita chari-
 tas & affectio, & indulgentia liberalis, eum indicat à
 sanctis nimium fuisse dilectum. *Idcirco*, inquit, *magnam*
habens in Christo fiduciam. Inspice, quæso, quàm cautus
 incedat. Ne quid enim, maxima licèt vi charitatis ex-
 pressum, auditorem fortè feriret, atque ideo grauitè
 ferret: ideo antequam diceret, imperandi tibi, quia id
 graue videbatur, ac licèt ex charitate prolatum curare
 potius posset, ex abundantia tamen magis secura præ-
 munuit, dicens fiduciam habens: quod profectò Phile-
 monem magni esse meriti indicantis est, ac si dicat: fi-
 duciam tu nobis dedisti, neque hoc solùm, sed in Chri-
 sto. Non ideo quòd sis in seculo clarior atque potētior,
 de te ista præsumimus: sed propter fidem, quam habes
 in Christum. Sicque demum addit, *Imperandi tibi*: etiam
 ne id quidem solùm, sed etiam quod expedit: hoc est, ratio-
 nabilem rem. Et inspice obsecro, quàm multis ex locis
 sibi ad cor eius aditum parat. Alios, inquit, & me ipsum

A beneficiis foues, & propter Christum: & quia res ratio-
 nabilis est, & quia charitas dat, *Propter quam magis obse-*
cro. ac si dicat: Scio quidem quòd etiam imperans facile
 efficiam quod intendo, quòd ex præcedentibus tuis o-
 peribus colligo: sed quia mihi huius rei inagnum studi-
 um est, obsecro. Vtrunque simul ostēdit: quòd & * sibi]
 consideret, quia imperauit, & quòd ea cura vehementer
 sibi cordi esset, obsecrat enim: *Talis*, inquit, *† existens vt*
Paulus senex. O ineffabilem bonitatem! quàm variis hinc
 modis aggreditur? quot ex partibus exorare pergit? ex
 personæ qualitate, Paulus enim: ex ætate, quia senex: ex
 eo quòd omnibus iustius, potentiùsque persuadet, *Quo-*
niam vincetus Iesu Christi. Quis oro, huiusmodi athletam
 tam innumeris victoriis clarum non obuiis exciperet
 manibus? Quis intuens vincetum pro Christo, non ei in-
 numeras deferret gratias? Cum itaque tam multis mo-
 dis illi præparasset, ac mitigasset animum, non cōtinuò
 adiecit nomen: sed post huiusmodi ad eò insignem ad-
 monitionem differt adhuc. Nostis quippe dominorum
 aduersus fugitios seruos indignationem, & maximè si
 re familiari expilata diffugerint: quamlibet illi mites
 fuerint, ex accepto detrimento ira succrescit. Hanc igitur
 tur modis omnibus lenire contendit. Ac primùm per-
 suadens omnia, quæcunque illa sint alacriter submini-
 strare. Cum iam animum ipsius ad omnem parasset o-
 bedientiam, tunc iam quid velit, adiungit, & dicit: *Ob-*
secro te. Et adiecit laudes, cum infert, *Pro filio meo, quem e-*
go genui in vinculis meis. Rursus vincula quæ placandi ad
 exorandi vim habent, & tum demum nomen apponi-
 tur. Non modò enim extinxit iram, verùm & magna
 iucunditate repleuit. Nequaquam, inquit, illum voca-
 rem filium, nisi esset valde approbatus, & vtilis. Illum
 denique, ac Timotheum eodem appello nomine. Vbi
 verò plurimis in locis suum declarasset affectum, ex-
 paratus quoque tempore sui reuerentiam indicit. *Vin-*
ctus, inquit, *illum genui: vt ex hoc amore dignior ho-*
nore censeatur, quòd esset inter ipsa certamina, & in
ipsis pro Christo tentationibus editus. Onesimo, qui tibi
aliquando inutilis fuit. Vide quàm prudenter ipsius deli-
 ctum confitetur, vt eo ipso extinguat iracundiam do-
 mini. Scio, inquit, quòd inutilis fuerit, *Nunc autem &*
tibi & mihi vtilis erit. Non ait, nunc autem tibi vtilis e-
 rit, ne ille non crederet: sed personam quoque introdu-
 xit suam, vt ex hoc ille dignius sperare meliora potuis-
 set. Nunc autem, inquit, & tibi & mihi vtilis. Si enim
 Paulo futurus est vtilis, qui tantam virtutis & perfectio-
 nis diligentiam exigit, quantò amplius domino? *Quem*
remisi ad te. Et hac ex parte iracundiam mitigat, cum il-
 lum in manus domini tradit. Tunc enim maximè do-
 mini indignari solent, cum sibi pro absentibus preces
 porriguntur. Hoc igitur ipsum in primis est, quod eius
 animum, furorèque compefcit omnem. *Tu autem*
ipsum suscipe † vt] viscera mea. Et hinc rursus non simplici-
 ter posuit nomen, sed etiam vocem adhortantis adie-
 cit, quæ longè plus habet virium, quàm si filium dice-
 ret. Dixerat filium, dixerat, quem in vinculis genui, vt
 ex eo maximè videretur amabilis, quòd esset in pressu-
 ris & in tentationibus genitus. Quòd enim illis maxi-
 mè filii afficiamur, quos inter pericula, vel etiam post
 euitata pericula gignimus, testimonio scripturæ com-
 probatur, quæ Benjamin delicatum patri Iacob filium
 ex eo manifestat, quòd hunc moriens mater edidit,
 appellauitque Benjamin: hoc est, filium doloris mei.
 Tu autem ipsum, inquit, † vt] viscera mea suscipe. Et ex
 his verbis magnitudinem charitatis ostendit. Non ait,
 recipe: non dixit, ne irascaris: sed, suscipe: hoc est, non
 modò veniam, sed honorem quoque promeretur. Est e-
 nim Pauli filius effectus. *Quem ego volebam pro te retinere,*

* in Deum
 admissa
 multò ma-
 iora esse o-
 stendantur:
 quòd ma-
 gis tunc, cū
 etiam pec-
 catum ipsa
 qualitate
 maius est?

Matth. 6.

* Et vbi
 nam.

Coloss. 4.

* ex Laod-
 dice est.

Luc. 2.

* placans
 ex oras.

Ephes. 6.

Luc. 18.

* ipse.

† miseris
 or, id est
 tum tunc
 sis, vel, cum
 talis sim, in
 prima per-
 sona: vt
 Chryf. ac-
 cipit atque
 etiā Theo-
 phil.

† hoc est.

Gen. 35.
 † hoc est.

* praestruxerit, & tunc in domini honorem perduxerit
† ipsi

ut ministraret mihi in vinculis euangelij. Vides quam multa * perstrinxerit, vt illum domino venerabilem faciat? Et inspice, quæso, quam id sapienter efficiat. Inuenisti, ait, quo pacto mihi per illum ministrare possis. Ostendit his verbis † sibi potius, quam seruo prospicere, cum se illo nimis egere significat. *Sine consilio autem tuo nihil volui facere.* Istud est quod in primis dominum fleuit, quædo & res utilis est, & sine illius tamen sententia non attentatur: & addit, *Vt ne veluti ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.* Sciebam enim, inquit, quod si non fuisses præmonitus, sed repente factum cognouisses, ne sic quidem ægrè, aut indignè ferres: verum te malui ex abundantia commone, vt ne veluti ex necessitate bonum tuum esset. *Forſitan ideo discessit ad tempus, vt in æternum illum reciperes, non iam vt seruum.* Rectè, Forſitan, posuit, vt facilius crederet dominus. Quia enim ex elatione, aut peruerso corde, nec ex voluntatis rectitudine fuga illa processerat, dicit, Forſitan: neque ait, ideo fugit: sed, ideo separatus est, honestiori vsus vocabulo. Neque seipsum separauit, dixit. Non enim hoc ille molitus est, vt huius rei gratia discederet. Quod & Ioseph cum fratre alloqueretur, eorumque causam ageret, ait, Deus huc me misit: hoc est, malitia vestra bene vsus, atque utiliter: ideo, inquit, ad horam separatus est. Et tempus contrahit, & peccatum confitetur, illudque in dispensationem vertit. Vt in æternum illum reciperes, ait. Non in præſenti tantum sæculo, sed in futuro etiam. Vt eum semper habeas iam non vt seruum, sed vt seruo longè chariorem. Seruus quidem est, sed maiori illum beneuolentia fouebis, quam si frater esset. Itaque & temporis, & qualitatis ratione lucratus es: iam enim abs te vltra non resiliit. *Vt in æternum, inquit, illum recipias, iam non vt seruum, sed † pro seruo charissimum fratrem, maximè mihi.* Seruum ad modicum amiseras, & fratrem perpetuò reperisti, fratrem nõ modò tuum, sed etiam meum. Magnum ex hoc eximia virtutis testimonium. Si meus, inquit, frater est, profectò non erubescas & tu illum habere fratrem. Ex eo igitur quod hunc filium dixit, singularis affectus indicium dedit: ex eo autem quod fratrem appellauit, magna illum beneuolentia, & pari se cum honore dignum profectò declarauit.

MORALE.

ISTA nõ sine certa ratione scripta sunt, sed vt ne seruos peccantes despiceremus, † neque illis domini nimis immineant: sed crimina discamus ignoscere eis, qui sunt huiusmodi, ne semper seueri, semper asperissimi simus, ne seruitutis prætextu, si boni fuerint, socios illos in omnibus assumere erubescamus. Si enim Paulus non erubuit huiusmodi appellare filium, & viscera, & fratrem, atque charissimum, cur, obsecro, nos erubescamus? Et quid dicam Paulus? Pauli ipse dominus non erubescit seruos nostros fratres suos appellare, & nos erubescimus? Vide quanto honore nos prosequitur. Seruos nostros vocat fratres suos, & amicos, & cohæredes. Ecce, vbinam res deducta est? Quid nos fecisse putabimus, dum cuncta gesserimus? Nihil omnino promouimus, sed quantumlibet nos humiliauerimus, magna ipsius virtutis pars adhuc reliqua erit. Cur id quæso? Quia tu quæcunque gesseris, erga seruos facis: at verò dominus seruis omnia facit. Audi & exhorresce, & nunquam de humilitate eleueris. Fortè ridetis, quia diximus humilitatem attollere, sed desinite mirari. Extollit illa, nisi vera & germana fuerit: quoniam id modo? Est ea ars profectò diabolica, vt quemadmodum plures, eò quod inanem gloriam vicerunt, gloriantur inanius: ita & quia se humiliauerunt, extolluntur. Verbi gratia: Venit quispiam frater, aut etiam seruus, suscepisti eum, lauisti pedes, continuò magna sapere cœpisti. Fe-

Gen. 45.

† supra seruum.

Matt. 12. & Ro. 8.

* de seruis peccantibus desperamus.

A cisti quod nemo, humilitatem consecutus es. Ea te cogitatio extollit, imò ex alto potius deiecit. Vnde igitur possit quis solidè in humilitate persistere? Si præceptum domini semper animo verſet, quo ait: Cum feceritis omnia, dicite, serui inutiles sumus. Et rursus si orbis magistram dixisse meminerit: Ego me non arbitror comprehendisse. Ille solus humilitatem animi verè cõsecutus est, qui sibiipsi persuasit, quantumlibet peregerit, nihil se magnum gessisse, qui nec ad finem peruenisse arbitratur. Complures ex humilitate in superbiam elati sunt, sed nos ne obsecro id patiamur, fecisti aliquid humile, noli magnum sapere, alioquin omnia perdidisti. Eiusmodi fuit pharisæus ille elatus, intumuit quòd pauperibus decimas daret totumque amisit. Non sic publicanus ille, qui quoniam se humiliter agnoscebat, iustificari præ illo meruit. Audi rursus dicentem Paulum: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Vides quam se non extulerit, sed modis omnibus preferit, atque humilior euaserit, idque cum ad supremum virtutis culmen peruenisset? Tres etiam pueri ignibus iniecti, quid in media fornace dicebant? Peccauimus cum patribus nostris, iniquitatem fecimus. Istud contriti cordis indicium est, idcirco dicere poterant: Sed in corde contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur. Ita & cum in fornacem incidissent, humiliores, quam antea fuerant, * claruerunt. Nam postquam miraculum illud circa se paratum viderunt, seipſos salute indignos arbitantes, ad humilitatem protinus cõuersi sunt. Nam vbi penitus hæserit animo nos multa præter meritum percepisse beneficia, tunc maximè angimur, si fuerimus grati. Sed enim illi quid vltra meritorum perceperunt modum? Seipſos fornacis incendiis tradiderunt: peccantibus aliis, ipsi in captiuitatem fuerant abducti: iuuenes adhuc, nec murmurauerunt, non irati sunt, neque dixerunt: Quid putas? hæccine ex diuino famulatu lucrati sumus? regi impio, & crudelissimo traditi sumus, nihil profecimus, debitam illi cultus impendentes reuerentiam, vnà cum idololatriis ab impiissimo rege torquemur, in captiuitatem deuenimus, excidimus patria liberate, atque omni ritu patrio priuati sumus, captiui & serui facti sumus, immiti ac barbaro seruimus domino. Nunquid huiusmodi aliquid dixerunt? Non. Sed quid? Peccauimus, iniquitatem fecimus. Nec pro se tantum, sed pro aliis fundunt preces, & dicunt: quia regi immitissimo, & iniquissimo traditi sumus. Daniel item secundò in lacum leonum iniectus, ait: Recordatus est enim mei Deus. Cur obsecro, Daniel, tui recordatus nõ esset? Nonne illum glorificasti coram rege, dicens: Et ego non in sapientia, quæ est in me? Nonne ideo in lacum missus es, quia nequissimo illi decreto non obtemperasti? Nonne ipsius gratia nunc quoque in lacum iniectus es? Ita sanè, inquit, sed multorum tamen illi debitor sum. Quid iam nos dicturi sumus, qui multis peccatorum ruderibus pressi, humilitatis tamen gratiam, & singulare præsidium occupare negligimus? Audi quid & David dixerit: Quòd si dixerit mihi, nolo te, ecce ego, faciat mihi quod acceptum est coram se. Poterat certè sua plurima rectè facta proferre, sed humilia sentire & dicere maluit. Heli etiam, dominus, inquit, est: quod gratum est coram se faciat. Istud satis congruit fidelibus seruis, non modò inter beneficia, sed in ipsis quoque suppliciis & cruciatibus Deo gratias agere, eique omnia accepta referre. Quam verò inepti sumus nos, qui cum dominos seruis plagas inferre viderimus, parcere illis cum sint iuris sui non ambigimus: Deum verò his, in quibus fuerit castigandis seuerior, iustis parciturum dubitamus? Hoc sanè Paulus significas ait: Siue viuimus, siue morimur, domini sumus. Non vult sibi

Luc. 17.

Phil. 3.

Luc. 18.

1. Cor. 4.

Dan. 3.

* euaserunt.

Dan. 14.

Ibid. 2.

1. Reg. 15.

1. Reg. 3.

Rom. 8.

† oper.

sibi quis † opus] imminui, nouit quo hunc verberis genere cadat, filium huic, spem posteritatis, tollit. Nemo nostrum sibi met illo amplius parcat, qui cum non effemus, nos esse cõstituit: qui Solem oriri facit, & pluit, qui inspirat animam, qui filium suum pro nobis dedit. Verum vt ad id redeam, vnde digressus sum, & cuius gratia hæc omnia dixi. Si humiles simus, vt decet, si mites ac mansueti, vt oportet, non fit nobis ea humilitas elationis occasio. Humilis es & cunctis abiecior, noli idcirco inflari, neque exprobres cæteris, ne perdas gloriam tuam: ideo nempe te humilias, vt arrogantiam fugias. Quòd si per hanc in arrogatiam corruas, melius fuerat non humiliari. Audi enim quid apostolus dicat: Et per ipsum, inquit, mihi operatur mortem, vt fiat nimium peccans peccatum per mandatum. Quoties tibi subrepat elata cogitatio, quod quasi humilitatis culmen occupaueris: considera quoniam vnde descenderit dominus tuus, & tunc desines teipsum admirari & laudare: imò te, & tua omnia ridere cogaris, cum ex collatione dominicæ humilitatis, nihil te omnino profecisse cognoueris, debitorem te semper existimans. Quæcunque operatus fueris, illam semper parabolam animo verſa: Quis ex vobis habens seruum, inquit, qui ingresso dicat, recumbe, non dico vobis, sed sta, & ministra mihi: nõ quid gratias habemus seruis nostris ministrantibus nobis? At verò Deus nobis gratias habet, non seruientibus sibi, sed quod expedit nobis agentibus. Veruntamen non ita afficiamur, aut hac illi intentione famulemur, vt nobis ille gratias habeat, sed vt quod est muneris nostri impleamus, debitumque persoluamus. Nam re vera omnia, quæ agimus nos, ac si debitum Deo tenemur exoluere. Nã si cum seruos pecunia emimus, semper illos nobis viuere volumus, & iuris nostri esse quæ habuerint omnia: quantò magis is, qui nos ex nihilo cõdidit, & esse qui antè non fuimus, fecit, qui postmodum proprio nos ac pretiosissimo redemit sanguine: tantumque se deiecit nostri gratia, quantum nemo pro filiis charissimis faceret: qui de summa cœli arce, ac paternis sinibus ad nostra infirma descendit, qui sanguinem effudit suum, sui nos iuris esse vult? Si igitur mille haberemus animas, easque pro illo poneremus omnes, putâne dignum aliquid illius charitati retribuere possemus? Minimè id quidem. Cur, quæso? Quia cum ille nihil deberet nobis, hoc fecit ex gratia: nos autè ex hoc illi debitores sumus. Atque ille Deus cum esset, seruus factus est, neque morti obnoxius in mortem venit, carnis suscepta. Nos verò, etsi pro illo animas non poneremus, naturæ lege posituri eramus, ac etiam inuiti paulò post excessuri ex vita. Eadem & in pecuniis ratio. Has enim etsi illius gratia non demus, mortis tamen necessitate linquemus. Ita & de humilitate sentiendum. Nam etsi ipsius gratia humiliari renuimus, pressuræ nos, & clades, potentiorumque metus vel inuitos humiliabunt. Vides gratiæ singularem eminentiam? Non dicit, quid enim magnum faciunt martyres, & si pro meo nomine non moriantur, omnino morituri sunt. Sed magnas illis gratias habet, quia sponte deponunt, quod paulò post naturæ iure deponerent. Non ait, quid enim magni agunt, qui pecunias sponte dispergunt, quas velint nolintve, relicturi sunt: sed multam his quoque habet gratiam, neque erubescit fateri coram omnibus, quòd à seruis cibatus fuerit dominus. Est enim & hoc ad gloriam domini, si seruos habeat gratos, & illum sic diligant serui: quod item quæ illorum sunt, sui iuris efficiat, idque coram omnibus non erubescat confiteri. Reueremur immensam charitatem Christi, incaleſcat animus, excitetur affectus. Audiuius quòd nos ille maximè omnium dili-

Rom. 7.

Luc. 17.

gat, accendatur & nos ad amorem eius. Honoremus illum præ omnibus, reddamus vel ex parte amori eius vicem. Dominus noster nos adeò diligit, & torpore frigidescimus, nec expergiscimur. Ne, quæso, simus adeò defides circa nostrarum salutem animarum, sed totis viribus illum diligamus, omniaque pro illius dilectione impendamus, animam, pecuniam, gloriam, & alia omnino omnia, gaudentes, gestientes, prompti, alacres, non quasi illi, sed vt nobis ipsis præbituri; quæ illius amore gesserimus. Ea quippe est amantium lex, vt se tum demum foelices putent, cum aduersa pro his quos diligunt, sustinet. Ita igitur & nos erga dominum nostrum afficiamur, vt futurorum bonorum participes esse mereamur, in Christo Iesu domino nostro, cum quo est patri, sanctoque spiritui gloria, & honor, & imperiũ, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA III.

Igitur habes me socium, suscipe illum sicut & me. Si quid vero te læsit, aut debet, hoc mihi imputa. Ego Paulus scripsi manu mea. Ego reddam vt ne dicam tibi, quod & teipsum mihi debes. Ita frater ego te fruor in domino: refice viscera mea in Christo. Confidens in obedientia tua scripsi tibi, sciens, quoniam & super id quod dico facies. Simul & para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis. Salutat te Epaphras concaptiuus meus in Christo Iesu, Marcus, Aristarchus, Demas, & Lucas, coadiutores mei. Gratia domini nostri, Iesu Christi cum spiritu vestro. Amen. Nihil tantam imperandi vim habere solet, quantam non simul omnia petere. Vide enim post quantas laudes, post quantum apparatus, magnum hoc posuit. Cum dixisset illum filium suum & euangelij socium, cum sua eum appellasset viscera, & dixisset, vt fratrem illum recipere, & vt fratrem illum habere: tunc addidit, Sicut & me. Nec istud erubuit Paulus: quia enim fidelium seruus non erubescit appellari, nec modò erubescit, verum id & liberè, & gratis confitetur: multò minus ita profiteri de se renuit. Id autem est: Si mecum eadem sentis, si eandem curris viam, si amicum arbitraris, suscipe illum, quem & ego meum suscepi. Et vide quam cautè postremò addidit culpam. Quia enim maximè rei pecuniariæ iactura angustia homines solènt, ne quid huiusmodi obiceret, cõsumpta quippe fortè erat pecunia furto sublata, non ait, Si quid furatus est, sed, si quid te læsit. Simul & peccatum cõfiteatur, & non veluti serui peccatũ, sed quasi amici ad amicum, iniuriæ magis vsus, quam furti nomine. Hoc, inquit, mihi imputa: id est, à me debitum exige. Quanta verò cum spiritali gratia id agit? Ego, inquit, Paulus scripsi manu mea. Gratè nimium illi verecundiam inuitit, siquidem ipse illum detrectaret admittere, pro quo Paulus literas huiusmodi scribere non renuisset. Atque ex eo quod sequitur, omnem ab eo sensum iracundiæ repulsi manu, inquit, mea scripsi. Nihil hisce visceribus gratius, vel vehemētius, nihil quod maiorem vim studij, & alacritatis ostendat. Pro viro vno quam eximiam ostendit prouidentiam? Vt non dicat, inquit, quod & teipsum mihi debes. Deinde ne putaretur contumelia in eum, qui rogabatur admitti, si pro furto non ausus esset orare, & quod orabat cõsequi desperasset, quam pulchrè & istud consolatur: vt non dicam, inquit, quod & teipsum mihi debes, nõ modò tua, sed & teipsum. Et hoc ex charitate, & ex amicitia lege, & quòd illi valde confideret, dixit. Et inspice quam vbiq; vtriusque rei curam gerat, & quòd magna cum fiducia roget, & vt hoc vehementis fiducia illius argumentum sit. Ita frater. Quid sibi hoc vult? suscipe eum. Omisso interim grato illo verborum vsu, ad priora rursus ac seria vertitur, quanquam & ista seria sunt. Quæ enim sancti protulerunt, grata licet ac dulcia,



B

C

seria sunt. Ita, inquit, frater ego te fruar in domino, respice viscera mea in Christo. Hoc est, non mihi, sed domino gratiam des. Confidens de obedientia tua scripsi tibi. Quem lapidem ista non flecterent, non emollirent? Quam immanem licet beluam hæc non in mansuetudinem verterent, ipsūque humanissimè suscipere persuaderent? Cū tanta virtutum testimonia illi præstitisset, non renuit etiam denuò causam ipsius tueri. Neque verò imperio vsus, atque autoritate hæc scribo, sed confidens de obedientia tua scripsi tibi; quod etiam in principio dixerat, fiducia habens, hoc & modò, cū signaret epistolam. *Sciens, quoniam & super id quod dico facies.* Habent ista magnam hortandi atque exorandi vim. Erubesceret enim profectò, & si ob nihil aliud non id faceret quòd admonet, vel ex eo certè, quòd hanc ille de se habet opinionem, super quam diceret ipse esse facturū. *Simul autem & para mihi hospitium, spero enim per orationes vestras donari me vobis.* Et hoc vehementer confidentis erat indicium, imò & pro Onesimo in primis faciebat, ne illi negligenter: sed scientes illum omnino venturum atque auditurum, vt sese habuerint aduersus eum, omnem iniuriæ memoriæ deponerent, & promptiores ad gratiam essent. Grandis enim erat præsentis Pauli honor & gratia: Pauli, inquam, post atatem senectutis expressam, post commendata sæpius vincula. Rursus hoc ipsorum charitatis argumentum est, vt orent ipsum sibi iterum dari. Etsi enim, inquit, modò in periculis sum, tamè si oratis videbitis me. *Salutat te Epaphras concaptiuus meus in Christo Iesu.* Hic fuerat à Colossensibus missus, vt ex hoc etiam cõstet inde fuisse Philemonem. Concaptiuum etiam vocat, ostendens & ipsum in multa esse pressura. Itaque & si non propter illum ipsum, propter hunc saltem debuit audiri. Qui enim in afflictione positus seipsum negligit, vt aliorum prospiciat commodis, omnino meretur audiri. Præterea & ex hoc illi verecundiam adducit, si cuius eius & concaptiuus simul affligitur, ipse verò pro seruo rogatus, gratiam præstare nolit. Addit concaptiuus meus in Christo Iesu: ac si dicat propter Christum. *Marchus, Aristarchus, Demas, Lucas, cooperatores mei.* Quid ergo Lucam extremum ponit in ordine? Nempe alibi dicit: Lucas solus est mecum. Et Demas quid hic ponitur, vnus ex his qui reliquerant eum, & præsens seculum dilexerunt? Hæc autem etiam alio in loco dicta sunt: indiscussa enim dimitti minimè oportet. Neque enim simpliciter, aut fortuito posita sunt. Quo pacto autem illum eos salutare dicit, qui se deseruerat? Erastus enim, inquit, mansit Corinthi. Epaphram vt eis cognitum, & inde oriundum addidit: Et Marcum itidem qui erat & ipse mirabilis. Sed Demas quid? Fortassis postmodum negligentior factus est, cū pericula plurima cerneret. Lucas itaque qui vltimus erat, factus est primus. Et ex his ergo illum salutat, vt ad dandam gratiam pronior sit. Cooperatores autem vocat, vt ei ad id stimulos addat. *Gratia domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro. Amen.*
Epistolam oratione conclusit.

MORALE.

EST autem magnum quoddam, & salutare bonum oratio, animarumque nostrarum firma custodia, tutissimūque præsidium: sed ita demum si dignè vixerimus, neque nos per mala opera omni merito ac virtute priuemus. Et tu igitur cū accesseris ad sacerdotem, illèque dixerit, miserebitur tui Deus fili: noli verbo solo confidere, verum opera adice, fac opera misericordia digna. Benedicet te Deus, fili, si quidem digna benedictione peregeris: benedicet, si pauperi elemosynam tribuas. Nam quæ à Deo consequi volumus, ca

prius proximis debemus impendere. Quòd si proximis opem denegamus, quomodo Dei imploramus auxilium? Beati enim, inquit, misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Si enim homines miserentur eorum qui sunt huiusmodi, multò magis Deus: eis verò qui non miserentur, non sic. Iudicium enim absque misericordia ei, qui non fecit misericordiam. Bona res misericordia, cur igitur hanc non exhibes alteri? Vis tibi ignosci delicta, quid ergo in te peccanti ipse non ignoscis? Accedis tu ad Deum, regnum cœlorum postulas, cū ipse pecuniam deneges postulanti. Idcirco misericordiam minimè consequimur, quoniam non miseremur. Sed dices: At istud quoque ad misericordiam pertinet, eis qui non miserentur misereri. Cur id quæso? Nempe qui crudelem & immitem, & qui proximum mille affecerit in commodis, humanitatis officiis fouet, quo quo pacto misericors erit? Quid ergo, inquires? Nonne & lauacrum nos innumeris peccatis obnoxios abluit atque saluauit? Eripuit nos illis quidem, verum non ideo, vt malum faciamus. Si enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo. Quid ergo? Peccabimus, quia non sumus sub lege? Absit. Idcirco te illis eripuit, vt non ad eam ignominiam redeas. Quippe & medici, febre laborantes eo incendio liberant, non vt sanitate abutantur in malum atque in perniciem suam. Nam præstaret morbo consecrere, quàm ea ratione sanum fieri, vt in lectum deterius decidat: sed vt discentes infirmitatis incommoda & mala, non iam in eadem incidant, vt sanitatem charius amplexi, omnia gerant, quæ ad eam conferre possint. Vbi est igitur, inquires, Dei illa infinita clementia, nisi & malos? Sæpius saluet? Audio enim] plerisque ista dicere: Quia benignus est, omnino saluabit omnes. Ne itaque nos frustra fallamus, memini quippe hæc de re locuturum aliàs fuisse pollicitum, agè hinc hodie verba faciamus. Superioribus diebus ad vos de gehenna disserui, differens in aliud tempus de Dei clementia loqui, hodie debitum reddere conuenit. Quòd itaque gehenna sit, satis, vt reor, ostendimus, diluuium in medium adducto, malisque prioribus, cū diceremus possibile non esse, vt qui illa intulisset, peccantes modò impunitos esse permetteret. Si enim eos, qui ante legem peccabant, tanta seueritate puniuit, eos qui post gratiam deteriora peccarunt, qua ratione impunitos dimissurus est? Quærebamus igitur, quomodo igitur bonus, quomodo clemens diceretur: semonemque distulimus, ne prolixitate nimia vestras obrueremus aures. Hodie ego reddamus quod discutere promissimus, quomodo sit bonus Deus, atque vnde bonus, si quidem cruciat. Nanque & aduersus hæreticos hic sermo conuenit. Itaque intentè accipite. Cū nihil nostri indigeret Deus, sola bonitate condidit nos. Quòd enim nullo egeret, ex eo liquet, quod postremò creauit hominem. Nam si nostri eguisset, profectò longè antè fecisset. Si autem & sine nobis prius erat, nos autem sumus posterioribus temporibus conditi, nos vtique cū nostri non egeret, fecit. Cœlum quoque, terram, mare, & quæ in eis sunt, propter nos condidit omnia. Quantæ hoc benignitatis indicium? Plura quidem in hanc partem dicere possemus, sed breuitatis causa paucis contenti erimus. Qui Solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, nonne supremæ bonitatis? Non inquit. Nam cū aliquando cum quodam Marcionita contenderem, eumque ita compellarem: asseruit hoc bonitatis illius indicium videri posse, si peccatorum rationem minimè exigeret: si autem hanc exigit: non esse illa bonitatis indicia. Non ille quidem modò adest.

Agè

Agè ergo, quæ tunc dicta fuere repetamus, atque illis etiam plura. Ego enim ex abundanti ostendam illum, nisi rationem exigeret, non esse bonum: atque ideo in primis esse bonum, quia hanc exigit. Dic enim quæso, nisi ille à nobis rationem exigeret, essetne vita humana? Nonne feris quoque ipsi immaniores euaderet homines? Si enim metu quoque pœnarum ac iudiciorum imminente, pisces transgressi sumus inuicem deuorantes, leones ac lupos quoque transcendimus, dum singuli quæ sunt aliena diripimus, nisi rationem à nobis exigendam pro indubitato teneremus, quanta confusio res humanas inuolueret? Quis iam labyrinthus mûdanas perplexitates posset æquare? Quàm plena omnia iniquitatis ac temeritatis vidisses? Quis esset reueritus patrem? Quis pepercisset matri? Quis vllum voluptatis, vllum vitij genus omisisset? Quòd autem hæc ita se habeant, ex vestra sola domo conabor ostendere. Si seruis alicuius vestrum, qui ista proponitis, persuadeatur, qualibet in vos patrauerint, siue illi iugum dominationis excutiant, siue in corpora ipsorum dominorum effrænata ferantur audacia, siue asportent omnia, siue singula moueant loco, & vniuersa cõfundant, & deteriora etiam hostibus faciant, illi non intentabunt minas, nec cruciatus admouebunt, nec digna plectent pœna, nec verba quidem molesta audient: num ista bonitatis esse videntur? At ego summæ immanitatis esse monstrabo, non modò per hanc planè insulam benignitatem vxores ac filios prodere, verum illos ipsos præ cæteris perire permittere. Nanque & ebriosis, & impudici, ac petulantes, & iniuriosi, bestiisque omnibus stolidiores euadent. Hæccine, oro, benignitas est, ingenuam pessundare animam, & nos ipsos atque alterutrum perdere? Vidène vt pœnas repeteret, id tandem clementiæ plenum sit opus? Et quid seruos dicam per huiusmodi impunitatem ad scelera promptius currere? Et filios si quis impunè permittat cuncta præsumere, neque castiget errantes, ad quæ non prærupta vitiorum euasuri sunt? Quòd si coram hominibus ea castigatio meretur laudem, ac bonitatis insigne est, esset autem non castigare crudelitatis: quanto magis id

in Deo erit? Igitur quoniam supremè bonus est, idcirco gehennæ præparauit incendia. Vultis & alia ex parte diuinam agnoscere benignitatem? Non modò eo metu coërcet improbos, verum & qui boni sunt, non eos finit fieri malos. Nam si nulla esset meritorum discretio, neque secundum opera cuique præmia recompensarentur: omnes profectò mali fierent. At nunc quoque istud non mediocriter consolatur bonos. Audi denique quid propheta testatur: Lætabitur iustus cū viderit vindictam impij, manus suas lauabit in sanguine peccatoris. Non gratulando insultant, absit: sed metuens, ne patiatur eadem, emendare intima sua, vitamque omnem corrigere studet. Quantæ verò istud solertiæ, quantæque prudentiæ est? Ita sanè, inquires, sed si tantummodo comminatus esset, non etiam supplicia inferret, satis esse poterat. Si modò, quando supplicia inferret, minas tamen esse arbitraris, atque ideo negligentior sis: si reuera tantummodo minatus esset, tunc omnino desidia manus dedisses. Niniuitæ si scissent minas sibi tantum intentari, nunquam profectò pœnitentiam egissent. Quoniam verò pœnituerunt, ad verba vsque minæ illæ peruenerunt. Si vis eas minas sistere, in tua potestate est. Melior euade, & ad verba vsque minæ desæuiet: si autem contemnis minas, quod absit, rem ipsam experieris. Hi qui sub diluuium fuere, si minas timuissent, nunquam ad experimentum rei peruissent. Et nos itaque si timuerimus minas, facta non sustinebimus. Præstet omnipotens & misericors Deus, vt nos omnes ita hic respiscamus, atque ita pœnitentiæ præsidium arripiamus, vt bonis illis sempiternis frui mereamur: quibus vtinam nos digni inueniamur, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, cum quo est Patri, sanctoque Spiritui gloria, imperium, & honor, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Expositionis Diui Ioannis Chrysostomi episcopi Constantinopolitani, in epistolam beati Pauli apostoli ad Philemonem, Ambrosio Camaldulensi interprete, finis.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI

ENARRATIO IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS, EX ANNOTATIONIBUS & COMMENTARIIS IPSIUS, POST EIVS OBITUM À CONSTANTINO PRESBYTERO ANTIOCHENO EDITA, MUTIJ SCHOLASTICI INTERPRETATIONE AD GRÆCAM VERITATEM RECENS COLLATA.

P R A E F A T I O.



BEATVS Paulus ad Romanos scribens dicit: Quatenus ego sum gentium apostolus diligenter ministerio meo persungor, si quo modo ad emulandum prouocem carnem meam. Et rursus alibi: Nam qui efficax fuit in Petro ad apostolatam circuncisionis, efficax fuit & in me erga gentes. Si igitur gentium apostolus erat: nanque & in Actis ad ipsum dicit Deus, Vade, quia ad gentes longinquas mittam te: quid ei negocij cum Hebræis fuit? aut cur etiam ad ipsos epistolam misit? præsertim cū illis exosus esset, vt ex multis locis perspicuum est. Audi enim quid Iacobus ad eum loquatur: Et hi omnes audierunt de te, quòd defertionem doceas à lege: & multa sepe questiones ea de re sunt ei exhibitæ. Roget igitur aliquis, cū legis esset peritus, utpote ad pedes Gamalielis edoctus, & magno erga eam zelo affectus, ac proinde valde idoneus ad confundendum aduersarios, cur non ad Iudeos à Deo missus sit; nempe quòd eo nomine præcipue ipsi erant insens. Non enim te ferent, inquit ad eum Deus, sed proficiscere ad gentes longinquas, quia non accipient testimonium tuum de me, tum ille. Etiam domine ipsi sciunt, quòd ego vinciebam & verberabam per synagogas credentes in te, & cū effunderetur sanguis Stephani testis tui, ego quoque aderam approbans eam cedem, custodiens vestes interimentium illum. atque hoc ait signum esse & argumentum, quòd non credituri sint sibi. Sic enim se res habet. Quando quis à gente quapiam defecerit, si sit ex infimis & nullius existimationis, non admodum molestum est his quos deseruit. quòd si idem faciat eximius aliquis & suspiciendus, quique res eorum probè calear, id verò illos

Bbb

malè habet, & supra modum mæore conficit, ut quod maximè illorum opinionem apud vulgus conuallat. Quin & aliud quiddam ei inerat. Quidnam hoc? quod Petrus & reliqui cum Christo conuixerant, & prodigia eius ac miracula viderant. huic autem nihil tale contigit, sed cum esset in partibus Iudeorum repente transfugit ad nostros, id quod valde res nostras confirmant. illi enim vel ad gratiam testimonium ferre videri poterant, quasi ob magistrum desiderium attestarentur talia. nunc vero rediuiui testis, vocem solam eius audierat. quapropter vides eos huic ex animo infestos, seditiones concitantes, & nihil non in perniciem eius molientes. Caterum incredulos Iudeos hæc causa abalienauerat, credentes vero quænam? Quia necesse habebat gentibus prædicare Christianam religionem, & quoties in Iudeorum regione versaretur, nihil eos curabat. Petrus enim & Socy, ut qui Hierosolymis prædicabant, ubi legis seruens studium erat, necesse habebant eam iubere seruari. at hic noster multa libertate vivebat, & plerique ex gentilibus erant professione Iudæi, qui quod apud externos degerent, non tanta legis religione tenebantur, eoque facilius se ab illa absoluebant, Paulo omnia pura predicante. Et hoc est quod ei obijciunt, multitudinis reuerentiam incutientes. Vides, inquit, frater quot millia huc conuenerint? qui ob hoc hominem oderant & auersabantur, quod audiuissent eum defensionem à lege docere. Cur igitur Iudæis scribit, cum non sit eorum doctor: aut quoniam ad eos epistolam mittit? Mea opinione Hierosolymam & in Palestinam. Sed quomodo scribit? Quemadmodum & baptisabat, non habens mandatum ut baptisaret. ait enim se non missum ad baptisandum. Nec tamen vetitus erat, sed opere auctarium hoc fecit. Et qui poterat his non scribere, pro quibus vel deuoueri volebat? Quapropter dixit: Nolitis fratrem Timotheum soluti, cum quo si maturus venerit visam vos. Non dum enim cõprehensus erat. Cum igitur bienniu Romæ exegisset in vinculis, tandem dimissus est: deinde in Hispanias profectus inuenit illic Iudeos quoque: ac tum fortasse Romæ reuersus est, quando & supplicium iussu Neronis perulit. proinde epistola ad Timotheum antiquior hac apparet. illic enim dicit: Nam ipse iam immolor. Et rursus: In prima mea defensione nemo mihi adfuit. Multum autem certaminu ubique erat, quemadmodum & Thessalonicensibus scribit: Imitatores facti estis ecclesiaru Iudææ. quin & ipsis scribens, Cum gaudio, inquit, direptione facultatum vestraru decessistis. Vides eoru certamina. Quod si apostolos ita tractabat, nõ in Iudæa modo, sed ubicunque inter gentiles debebat, quid non facturi erant ceteris fidelibus? quam ob rem vides eum horu curam gerere precipuã. Cum enim dicit: Proficiscor ministraturus sanctis Hierosolyma: & rursus cum adhortatur Corinthios ad beneficentiam, scribens Macedonas iam collatione fecisse, addens se quoque si opus sit profecturum: hoc ipsum dicit: Et cum dicit. Tantum ut pauperum memores essemus, id quod diligenter curari: idem dicit. Rursum dicens dextras dederunt sociatis mihi & Barnabæ, ut nos quidem ad gentes, ipsi autem ad circuncisos: idem dicit. At non sic de pauperibus illic agentibus, sed vult nos participes esse erga illos beneficentia. non enim quemadmodu predicandi sic pauperum curam ita inter se cõparauerunt, ut hi gentilibus, illi Iudæis prospicerent. Vides quã sollicitus? Et merito. Aliud enim erat apud ceteras gentes, ubi Iudæi cum Græcis promiscue versabantur, in Iudæa vero quoniam etiam tum quedam libertatis species manebat, nec vetabantur suis legibus. viuere, nondum Romanis ad plenum subditi, non mirum si quandam sibi vindicabant tyrannidem: quando & in alienis urbibus, sicut Corinthi pulsabant archisynagogum ante ipsum tribunal proconsulis, Gallione quasi rem nihil ad se pertinentem dissimulante. Vides igitur quomodo in externis urbibus apostolos ad magistratus adducunt, & profanorum opem contra eos postulant: domi vero nihil tale faciunt, sed ipsi conuocato concilio in quoscunque libuerit animaduertunt. Sic Stephanum interfecerunt, sic apostolos flagris castigauerunt inconsultis præsidibus. Sic & Paulum occisuri erant, nisi tribunus eis se obieciisset. Hæc enim fiebant manente adhuc autoritate pontificum, incolu in templo cum suis ceremoniis. Aspice ipsum Paulum iudicio sacerdotis subijci, dicentem, nesciebam esse pontificem: idque in prouincia Romana. Tanta illis tum erat licentia. Cogita igitur quã misera fuerit tunc fidelium Hierosolyma ceteramque Iudæam habitantium conditio. Quare nil mirum si is qui deuoueri pro incredulis cupiebat, & de conuersis ad fidem tam erat sollicitus, ut si ita res posceret, profectiorem non detrectaret ad ministrandum eorum necessitatibus, dignatur eos consolatione per literas, & labantes fulcit suis adhortationibus. Intantum enim opprimebantur, ut penè deficerent: id quod circa epistole finem his verbis indicat. Quapropter manus remissas & genua soluta surrigite. Et rursus: Adhuc perpusillum temporis, & qui venturus est veniet, & non tardabit. Et iterum: Si alieni estis à castigatione, igitur spurij estis, non filij. Quoniam enim Iudæi erant, & à patribus suis didicerant, in hac vita expectandas esse malorum & bonorum vicissitudines: tunc vero spe bonorum post mortem dilata, mala tantum erant in manibus, non immerito post longam tolerantiam quidam reddebantur pusillanimes: ad quos presentem sermonem dirigit. Sed hæc suo tempore differemus prolixius, nunc satis sit indicasse, quod necesse illi fuerit ad eos scribere, de quibus erat tantopere sollicitus. Licet enim certis de causis ad ipsos missus non sit, nihil tamen vetabat eum scribere. Quod autem ad pusillanimitatem vergebat, indicat his verbis: remissas manus & soluta genua surrigite, & gressus rectos facite. Et iterum. Non enim iniustus est Deus ut obliuiscatur operum vestrorum & charitatis. Nam anima ipsorum crebris quassata tentationibus dimouebatur à soliditate fidei. Quamobrem confirmat eos talibus adhortationibus, ne sint corde incredulo, atque hæc est causa cur in hac potissimum epistola multa de fide differat: ubi circa finem ostendit, patribus quoque non representata quæ promissa sunt. Quamobrem confirmat eos talibus adhortationibus, ne sint corde incredulo, atque hæc est causa cur in hac potissimum epistola multa de fide differat: ubi circa finem ostendit, patribus quoque non representata quæ promissa sunt. Quamobrem confirmat eos talibus adhortationibus, ne sint corde incredulo, atque hæc est causa cur in hac potissimum epistola multa de fide differat: ubi circa finem ostendit, patribus quoque non representata quæ promissa sunt.

DIVI

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI, IN EPISTOLAM PAULI AD HEBRÆOS commentarij.

ORATIO I.



VLTI FARIAM multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula. Re vera ubi ab iudauit peccatum, superabundauit & gratia. Hoc quidè certè hic quoq; in proœmio tacitè significat beatus Paulus, scribens ad Hebræos. Nam quoniam erat verissimile ipsos cruciatos & à malis vexatos, & res ex his iudicantes, existimare se ipsos omnibus aliis minores, ostendit hac ratione eos potius maiorem assecutos esse gratiam, & valde exuperantem, ex ipso exordio orationis excitans auditorem: Propterea dicit, Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, in nouissimis his diebus locutus est nobis in filio. Cur nõ se ipsum opposuit Prophetis? Atqui erat illis longè maior, quò etiam maiora fuerant ei credita. Sed hoc non facit, primùm quidem magna de se dicere recusans. Secundò autem, propterea quòd nondum perfecti essent auditores. & tertio, eos magis volens extollere, & ostendere magnam esse excellentiam. Quasi diceret: Quid magnum est quòd Prophetas misit ad patres nostros? Ad nos enim misit filium suum vnigenitum. Pulchrè autem sic incepit, Multifariam multisque modis. Ostendit enim quòd ne ipsi quidem Prophetæ Deum viderunt. Illud enim Multifariam multisque modis, hoc est, diuersè & variè. Ego enim, inquit, multiplicauit visiones, & in manibus Prophetarum sum assimilatus. Quamobrem non in hoc solum est exuperatio, quòd ad illos quidem missi sunt Prophetæ, ad nos autem filius: sed etiam quòd illorum quidem nullus vidit Deum, vidit autem filius vnigenitus. Et hoc quidem non statim ponit, probat autem per ea quæ deinceps sequuntur. Nempe quando dicit de humanitate. Cui enim angelorum dixit: Filius meus es tu, & Sede à dextris meis? Vide autè magnam eius prudentiam. A Prophetis primùm ostendit exuperationem. Deinde cum illud cõfirmasset tanquam de quo constaret, pronunciat quòd illis quidem locutus est per Prophetas, nobis autem per vnigenitum. Deinde illis per Angelos. Et hoc rursus merito confirmat. Nam Angeli quoque collocti sunt cum Iudæis. Sed in hoc quoque illos tantum excellimus, quòd nobiscum quidem Dominus, cum illis autè serui, & Prophetæ conferui. Pulchrè autem dicit, In nouissimis diebus. Nam hoc quoque ipsos excitat, & consolatur iam defessos. Quomodo enim dicit alibi: Dominus propè est, nihil sitis solliciti. Et rursus: Nunc enim propior est nostra salus, quàm quando credidistis. Ita hic quoque. Quid est ergo quod dicit? Qui in certamine est consumptus & exhaustus, postquam audierit finem certaminis, parum respirat, ut qui sciat illius quidem esse finem, initium autem quietis. In nouissimis diebus locutus est nobis in filio. Ecce rursus In filio, Per filium, inquit, aduersus eos qui dicunt id cõuenire Spiritui. Vides quod illud In est Per. Et illud Olim, & illud In nouissimis diebus, aliquid aliud innuit. Nèpe cum multum temporis intercessisset, ex quo eramus castigandi, ex quo defecerant charismata, ex quo non erat spes salutis, ex quo expectabamus fore ut detrimento vndique

Chrysof. tom. 4.

Afficeremur & damnum acciperemus, tunc maius nobis obtigit emolumentum. Vide autem quàm prudenter hoc dixerit. Nõ enim dixit, Deus locutus est, quoniam ipse erat qui fuit locutus. Sed quoniam imbecilliter erant eorum animi, nec quæ de Christo dicenda erant adhuc audire poterant, dicit, Deus per ipsum locutus est. Certè, Cur ergo non nunc ostendis excellentiam? Hic enim ostendisti & nouum & vetus esse vnus & eiusdem, quod quidem magnæ non est excellentiæ. Propterea hoc verbum persequitur & exponit, dicens: Locutus est nobis in filio. Atqui non est ei locutus, sed Apostolis, & per ipsos multis. Sed ipsos extollit, & ostendit quòd eis quoque sit locutus. Et nec Iudæos quidem attingit. Nam omnes fere quibus locuti sunt Prophetæ, scelerali erant & execrandi: & nondum de his verba fiunt. Interim autem loquitur de donis quæ à Deo illi sunt collata. Quem constituit hæredem vniuersorum. Hic dicit carnem. Sicut & Dauid dicit in secundo psalmo, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Non est enim amplius pars domini Iacob, neque fors eius est Israël, sed omnes: hoc est, fecit eum dominum omnium. Quod etiam Petrus dixit in Actis, Et dominum & Christum eum fecit Deus. Hæredis autem nomine vsus est, duo significans, nempe quòd proprius & germanus esset filius, & quòd ab eo auelli non posset dominium. Hæredem vniuersorum, hoc est, totius mundi. Ad id quod est prius refert orationem. Deinde rursus, Per quem fecit & secula. Vbi sunt qui dicunt, Erat quando non erat? Deinde vbi gradibus, dixit id quod est longè maius. Qui cum sit splendor gloria, & figura substantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis sue, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis: tanto maior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditauit. Papæ quanta est apostolica sapientia, imò verò non Pauli, sed spiritus est admiranda gratia. Non enim ex suo sensu hæc est locutus, & sic inuenit sapientiam. Qui enim ex cultro & pellibus, aut ex officina? Sed diuina erat operatio. Non enim hæc cogitata pariebat eius intelligentia, quæ tunc quidem erat adeo vilis & abiecta, ut nihil haberet amplius quàm plebeij qui in foro versantur. Quomodo enim plus haberet, quæ in contractibus & pellibus perpetuo versata & consumpta fuerat? Sed spiritus gratia per quos vult suam vim ostendit. Quomodo enim si quis paruum puerum in altum quendam locum, & qui ad ipsum pertingat cœli verticem, velit deducere, sensim & paulatim hoc facit, per gradus qui sunt infernè eum deducens. Deinde postquam eum supra statuerit, & iusserit ad inferiora animum aduertere, videritque caligantem, conturbatum & circumfusum tenebris, eum accipiens ducit inferius, & concedens ut respiret. Deinde postquam ipsum recrearit, rursus sustollit, & rursus deorsum ducit. Ita etiam fecit beatus Paulus, & in Hebræis, & vbi que, ut qui hoc à Magistro dicerit. Etenim ipse quoque sic fecit. Aliquando quidem in altum sustulit, aliquando autem infra demisit auditores, non finens ut longo tempore morarentur. Vide quidem certè, quod cum ipsos in altum eduxisset gradibus, & statuisset in ipso vertice pietatis, priusquam caligarent, & grauibus circumfusi essent tenebris, quomodo eos rursus deducit inferius, & concedens ut respirent, dicit, Locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum. Nomen enim filij interrim est commune. Vbi enim intellectus fuerit proprius & germanus, est superior vniuersis. Interim autem quomodocunque sit, astruit quòd sit è superis. Vide autem quomodo hoc dicit. Quem constituit, inquit, hæredem vniuersorum. Illud, Constituit hæredem, est

Bbb ij

Deus locutus est, quando Christus est locutus.

Quæ bona à Deo sunt Christo collata. Psal. 2.

Act. 2.

In Arrianos inuenitur.

Paulus nõ est locutus ex suo sensu, sed ex diuina operatione.

Paulus auditoris aliquando in altum extollit, aliquando demittit.

humile & abiectum. Deinde in superiori gradu eum constituit, subiungens, Per quem fecit & sæcula. Deinde in altiori, & post quem non est alius. Qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius. Re vera duxit ad lucem inaccessibleem, ad ipsum splendorem. Vide quomodo rursus eum sensim demittit, dicens, Portantque omnia verbo virtutis suæ, cum per seipsum fecisset purgationem peccatorum nostrorum, sedit ad dexteram maiestatis. Non dixit absolutè sedit, sed post purgationem sedit: Apprehendit enim incarnationem. Et rursus loquitur humilia. Deinde rursus cum magnū quid esset elocutus, Ad dexteram enim, inquit, maiestatis in excelsis, reuertitur ad id quod est humile. Tantò melior Angelis factus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit. Hic deinceps loquitur de eo quod pertinet ad carnem. Illud enim, Factus melior, paternam non significat essentiam: illa enim non est facta, sed carnalem essentiam, ipsa enim est facta. Sed non nunc agitur de essentia. Sed sicut Ioannes dicit, Qui post me venit, ante me factus est, hoc est, honoratior & melioris existimationis, ita hic quoque, Tantò melior Angelis factus, hoc est, probior & melioris existimationis, quantò excellentius præ illis nomen hæreditauit. Vides quod agitur de eo quod pertinet ad carnem: hoc enim nomen, Deus, verbum semper habuit, non postea accepit hæreditariū: neque postea melior angelis factus est, quādo fecit purgationem nostrorum peccatorum, sed fuit semper melior, & melior incōparabiliter: hoc enim dictum est de eo quod ad carnem pertinet. Sic quidem certè nobis quoque mos est loquētibz de hominibus, & alta & humilia dicere. Nam quando dicimus, Homo nihili, homo terra, homo cinis, ab eo quod est deterius totum vocamus. Quando autem dicimus, immortale animal homo, & cognatus supernorum, ab eo quod est melius rursus totum vocamus. Ita etiam in Christo, aliquando quidem ex eo quod est minus, aliquando autem ex eo quod est melius & fortius loquitur Paulus, & dispensationem volens constituere, & docere de natura, in quam non cadit interitus.

MORALE.

QUONIAM ergo peccatorum nostrorum fecit purgationem, maneamus puri & mundi, & nullam suscipiamus maculam: sed quam nobis indidit pulchritudinem & decorem conferuimus impollutum & mundum, ne sordem quidem habentem, aut rugam, aut aliquid eiusmodi. Sordes sunt & ruga etiam parua peccata, utpote maledictum, contumelia, mendacium. Imò verò ne ea quidem sunt parua, sed etiam valde magna, adeò vt etiam priuent regno cœlorum. Quomodo? Qui fratrem suum vocat fatuum, est obnoxius, inquit, gehennæ ignis. Si autem qui vocat fatuum, quod videtur omnium esse leuissimum, & lusus puerilis, qui vocat malignum, & maleficum, & inuidum, & innumerabilibus aliis probris appetit, quas non luet pœnas castigationis? Quid est hoc horribilius? Sed sustinete quæso quod dico. Si enim qui facit vni ex minimis, ipsi facit, quomodo non idem est in laude & vituperatione? Qui fratrem suum contumelia afficit, Deum afficit contumelia: & qui fratrem suum honorat, honorat Deum. Erudiamus ergo linguam, vt benedicat & bona verba effectur.

Compesce enim, inquit, linguam tuam à malo. Non enim ideo eam dedit Deus, vt maledictis & contumeliis appetamus, vt nos inuicem calumniemur, sed vt Deum laudemus, vt ea loquamur quæ dant gratiam audientibus, quæ sunt ad ædificationem, quæ sunt ad vtilitatem. Maledicto quempiam es insectatus, quid lucraris, qui teipsum quoque cum illo damno implicas?

Angelis quomodo melior est Christus.

Ioan. I.

De hominibus dicuntur aliquando alta, aliquando humilia.

Sordes sunt eris parua peccata.

Mat. 5.

Mat. 25.

Psal. 33.

A ex eo enim es consecutus vt reputeris maledicus. Nullum enim, nullum est malum quod se sistat ad illum vsque qui patitur, sed eum quoque qui facit comprehendit: vt, inuidus quidem videtur alteri insidiari, ipse autem prior fructum accipit peccati, vt qui tabescat & corrumpatur, & ab omnibus odio habeatur. Auarus alium priuat pecuniis, sed sibi quoque aufert aliorum amorem, & efficit vt omnes eum maledictis insectentur. est autem fama longè melior pecuniis: nam illam quidem non est facile abstergere, has autem facile est acquirere. Atque adeò, quod est amplius, illæ quidem si non adsint, nihil lædunt eum qui non habet: hæc autem si non adsint, efficit vt sit probrosus, & ridiculus, omnibzque hostis & inimicus. Iracundus rursus prius seipsum cruciat, se lanians ac discerpens, & tunc illum cui irascitur. Ita maledicus se priore probro & dedecore afficit, & tunc eum quem maledicto appetit. Aut ne hoc quidem fortè potest: sed abit quidem maledicus, nactus existimationem quod sit sceleratus & execrandus, efficiens vt cui ingessit maledictum magis ametur. Quando enim malè audiens, non par pari referet, sed laudabit & admirabitur, non illum laudabit sed seipsum. Nam sicut prius dixi, quæ in proximos torquentur maledicta, ea prius attingunt eos qui insidiantur. Ita etiam quæ in propinquos cōferuntur bona, eos qui operantur prius delectant & gaudio afficiunt. Nam qui bonum parit & malum, eo meritò prior ipse fruitur. Et quomodo aqua & salsa, & potabilis, & vasa implet eorum qui afferunt, & fontem non minuit ex quo emanat: ita etiam & vitium & virtus, illum vnde exit & delectat, & perdit. Et hæc quidem hic ita habent. Quæ autem illic sunt, quænam explicabit dicendi facultas, vel bona, vel mala? Nulla. Nam bona quidem vel omnem exuperant intelligentiam, non solum orationem. Mala autem dicta quidem sunt nominibus quibus assueuimus. Nam illic, inquit, est ignis, & tenebræ, & vincula, & vermis qui non definit. Neque hæc solum ostendunt quæ dicta sunt, sed alia grauiora. Et vt intelligas, hoc primū statim considera. Nam si est ignis, quomodo sunt tenebræ? Vides quod ille ignis sit hoc grauior. Non habet enim lucem. Si est ignis, quomodo semper vrit? Vides quod hoc sit grauior. Non enim extinguitur: nam propterea dicitur inextinguibilis. Cogitemus ergo quantum sit malum vri perpetuò, & esse in tenebris, & innumerabiles emittere eiulatus, & stridere dentibus, & ne audiri quidem. Si quis enim ex iis qui liberaliter sunt educati hic in carcerem iniectus, fœtorem solum, & iacere in tenebris, & in vinculis esse cum homicidis, quauis morte dicit esse grauius, cogita quid sit quando vrimur, cum huius orbis terræ homicidis, & neque videmus, nec videmur, sed in tanta multitudine solos esse existimamus. Nam si tenebræ, & lucis defectus non permittit vt vel eos qui propè sunt discernamus, sed vnusquisque ita erit affectus, tanquam solus hoc patiens. Si autem nostros animos per se premunt & conturbant tenebræ, quid erit quando cum tenebris tam multi fuerint dolores & conflagrationes? Quamobrem rogo vt hæc apud nos perpetuò versemus, & quæ à verbis affertur, molestiam toleremus, ne qui per res ipsas suscipitur, cruciatum patiamur. Omnino enim erunt hæc omnia, & eos qui iniusta admiserunt, nullus illinc eximet, non pater, non mater, non frater. Frater enim non redimit, redimet homo? etiamsi multam habeat fiduciam, etiamsi multum valeat apud Deum. Ipse enim est qui reddit vnicique secundum opera sua, & ab eo licet & seruari, & puniri. Faciamus ergo nobis amicos ex mammona iniquitatis: hoc est, faciamus eleemosynam. Pecunias in eos effundamus,

Maledictus se probro & dedecore afficit.

Vitium & virtus illi vnde exit & perdit & delectat.

Ignis qualis sit in futuro seculo.

Psal. 48.

Luc. 16.

effundamus, vt illum ignem exinamiamus, vt ipsum extingamus, vt illic habeamus fiduciam. Etenim illic non sunt isti qui nos suscipiunt, sed nostrum opus. Quod enim non absolutè quod nobis sint amici, id nos possit seruare, vide additamentum. Cur enim non dixit, Facite vobis amicos vt vos excipiant in æternis suis tabernaculis, sed modum etiam adiecit. Nam dicens, Ex mammona iniquitatis, ostendit quod sola nos non defendet amicitia, nisi habeamus bona opera, nisi iniuste collectas diuitias iuste effundamus. Hoc autem quod de eleemosyna dicimus, non solum conueniet diuitibus, sed etiam pauperibus. Et si quis sit qui mendicando alitur, ad eum quoque hæc dirigitur oratio. Nemo est enim adeò pauper, etsi sit valde pauper, qui non habeat duo minuta. Licet ergo vel ex paucis pauca danti, superare eos qui plura possident plura dantes, sicut illa vidua. Non enim ex eorum quæ dantur mensura, sed ex vi & potestate, & eorum qui dant instituto & prompta voluntate, iudicatur magnitudo eleemosynæ. Vbiq; enim instituto opus est & libera promptaque voluntate: vbiq; in Deum charitate. Si cum ea omnia agamus, etiamsi pauca habentes pauca dederimus, faciem suam Deus non auertet, sed accipiet tanquam magna & admiranda. Attendit enim liberam & promptam animi voluntatem, non ea quæ dantur: & si illam viderit esse magnam, ei suum fert suffragium & conuenienter ei iudicat, & æternorum bonorum facit participes. Quæ detur omnibus nobis assequi gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo sit Patri vnà cum sancto Spiritu &c.

Mat. 12. Eleemosyna non indicatur ex quantitate eorum quæ dantur, sed ex instituto & prompta voluntate.

ORATIO II.

Græcè, per se purgatione facta peccatorum nostrorum.

Philip. 4.

Deus quomodo sit vbiq; nescimus.

VI cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis suæ purgationem peccatorum faciens. Vbiq; quidem pia & religiosa mente est opus, maxime autem quando de Deo aliquid dicimus & audimus, quando quidem neque lingua dicere, neque cogitatio aliquid audire de Deo potest pro dignitate. Neque enim mens quæ hæc longè superat, potest aliquid exactè comprehendere, quando de Deo volumus aliquid eloqui. Nam si pax Dei exuperat omnem mentem & intelligentiam, & quæ sunt parata iis qui ipsum diligunt, in cor hominis non ascenderunt, multo magis ipse Deus pacis, vniuersorum opifex, nostram exuperat rationem. Oportet ergo omnia suscipere cum fide & pietate, ac religione. & quando imbecilla fuerit ratio, nec possit exactè & accuratè explicare & ostendere quæ dicuntur, tunc magis Deum glorificare, quod talem habemus Deum qui mentem nostram superat & intelligentiam. Multa enim ex iis quæ de Deo mente versamus, ne possumus quidem eloqui: aut multa eloquimur, non possumus autem intelligere: utputa, Quod Deus vbiq; sit scimus: quomodo autem, non vtique intelligimus. Quod sit vis quædam incorporea, omnium bonorū causa, scimus. Quomodo autem sit, aut quænam sit nescimus. Ecce dicimus, & non intelligimus. Dixi esse vbiq; sed non intelligo. Dixi esse sine principio, & non intelligo. Dixi genuisse ex seipso, & nescio quomodo rursus intelligam. Sunt ergo quædā quæ nec dici possunt: vt exempli causa. Intelligit cogitatio, sed non potest dicere. Et vt scias Paulum quoque esse imbecillum, & exempla non exactè dicere, & contremiscas, neque vltius aliquid quæras, audi. Nam cum dixisset filium, opificemque posuisset & creatorem, quid dicit? Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, hoc piè est

accipiendum, & abscindenda quæ sunt absurda. Splendor gloriæ, inquit. Sed vide ad quid hoc sit accipiendum, & ita accipe, quod ex ipso, quod impatibiliter, quod eo non diminuto, nec effecto minori: quoniam sunt quidam qui quædam absurda ex exemplo accipiunt. Splendor enim non est in se consistens, sed quod sit habet in alio. Ne hoc ergo accipias, o homo, neque labores morbo Marcelli & Photini. E propinquo enim tibi medetur, ne in illum morbum incidas: nec permitit vt deturberis in perniciosam illam ægritudinem. Quid autem dicit? Et figura substantiæ eius, nempe, Sicut ipse est per se consistens, nullius indigens, ita etiam filius. Hic enim hoc dicit, ostendens non esse diuersitatem, nec vllam dissimilitudinem, & propriam esse figuram & characterem exemplaris, & quod per se consistat. Nam qui dixit superius quod per ipsum fecit omnia, hic dat ei authoritatem. Quid enim subiungit? Portantque omnia verbo virtutis suæ, vt ex eo accipiamus nō solum figuram substantiæ, sed etiam quod omnia gubernet cum autoritate. Vide ergo quemadmodum quod est proprium patris, hoc tribuit filio. Nam propterea non dixit absolutè, Portantque omnia, neque dixit virtute sua, sed verbo virtutis suæ. Sicut enim nobis nuper paulatim ascēdebat & descendebat, ita nunc quoque tanquam gradibus ascendit in altum. Deinde rursus deorsum ducit, per quem fecit & sæcula. Vide quemadmodum hic quoque duabus viis ingreditur: vna quidem, nos abducens à Sabellio, altera verò ab Arrio: vt nec ipse existimetur esse sine principio, quod ipse sūsq; deque agitat, neque à Deo alienus. Nam si etiam post tam multa, sunt quidam qui dixerunt eum esse alienum, & alterum ei dederunt patrem, ipsum quoque dicentes cum eo bellum gerere: si non hæc dixisset, quid non essent locuti? Quomodo ergo hoc facit? Quando necesse habet his mederi, tunc etiam necesse habet loqui humilia: utpote, Constituit hæredem vniuersorum, & per ipsum fecit sæcula. Ne autem aliam partem destruat, eum rursus deducit ad autoritatem, & ostendit eum esse in eodem honore quo pater, & adeò in eodem honore, vt multi existiment eundem esse patrem. Vide autem magnam eius prudentiam. Illud prius ponit, exactèque & accuratè id confirmat, & cum hoc fuerit ostensum, quod sit Dei filius, quod ab ipso non alienus, tutò deinceps quæcunque vult alta loquitur. Nam quoniam quod magnum aliquid de eo dixerit, multos ad hanc deduxit sententiam, de humilibus prius locutus, tunc tutò quantum vult in altum procedit: & cum dixisset, Quem constituit hæredem vniuersorum, & quod per ipsum fecit sæcula, tunc subiungit, Portantque omnia verbo virtutis suæ. Nam qui verbo solo gubernat omnia, non opus habuerit aliquo ad omnia producenda. Quod hoc autem ita sit, vide quomodo rursus procedens dat ei authoritatem, etiam illud, Per quem eximens. Nam quoniam per ipsum quod voluit est operatus, ab eo de cætero discedens, quid dicit? In initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Nusquam illud, Per quem, neque quod per ipsum fecit sæcula. Quid verò, an non ab ipso facta sunt? Maximè. Sed non sicut tu dicis, neque vt tu existimas, per instrumenta, neque tanquam non fuisset factururus, nisi manum ipsi præbuisset pater. Quomodo enim neminem iudicat, & dicitur iudicare per filium, quatenus iudicem genuit: ita etiam dicitur operari, quatenus genuit opificem. Si enim pater eius est causa & autor, multo magis eorum quæ per ipsum facta sunt. Quando ergo vult ostendere quod ex ipso, necessariò loquitur humilia. Quando autem vult al-

Christus quomodo splendor gloriæ.

Marcelli & Photini hæresis.

Figura, character.

Sabellij & Arrij hæresis.

Manichæorum hæresis. Sap. 7.

Psal. 107.

Pater quomodo creet per filium.

ta loqui, aniam arripit Marcellus & Sabellius. Sed amborum excessum fugiens ecclesia, via media est ingre-
 fa. Neque enim manet in humilitate, ne locum occu-
 pet Paulus Samosatenus. Neque semper remanet in al-
 tis: & rursus ostendit magnam eius propinquitatem ne
 rursus infiliat Sabellius. Dixit filium, statim virget Pau-
 lus Samosatenus, dicens ipsum esse filium, sicut multos.
 Sed certum ei vulnus infixit, dicens heredem. Sed ad-
 huc impudenter se gerit cum Arrio. Nam illud Consti-
 tuit ipsum heredem, ambo tenent. Ille quidem dicens
 esse imbecillitatis: hic autem adhuc infurget conas per-
 cellere eo quod deinceps sequitur. Nam cum dixisset,
 Per quem fecit & secula; supinum quidem prostravit
 impudentem Samosatenum. Arrius autem adhuc vide-
 tur esse fortis. Sed vide quomodo cum quoque pro-
 strauerit, dicens, Qui cum sit splendor gloriae eius. Sed
 ecce rursus insultat Sabellius, & Marcellus, & Photinus.
 Sed illis quoque omnibus vnam infligit plagam, di-
 cens, Et character substantiae eius. Portansque omnia
 verbo virtutis suae. Hic rursus Marcionem quoque feri-
 rit, non admodum quidem fortiter, ferit tamen. Nam
 per totam epistolam cum eis pugnat. Sed sicut dixit
 splendorem gloriae, audi ipsum quoque Christum di-
 centem, Ego sum lux mundi. Propterea dicit splendo-
 rem nempe *ἀπὸ τῆς ἀγάπης*, ostendens quod illud ita di-
 ctum sit, tanquam lumen à lumine. Non hoc autem so-
 lum ostenditur, sed etiam quod nostras illuminavit a-
 nimas: & patrem ipse significavit, & per splendorem es-
 sentiam, ostendit propinquitatem. Cogita subtilitatem
 eorum quae dicta sunt, vnam accepit essentiam, & hypo-
 stasim, (id enim est substantia,) ad duas ostendendas hy-
 postases. Quod etiam facit in scientia spiritus. Quomo-
 do enim dicit vnam esse scientiam Patris & Spiritus, vt
 quae vera sit vna, & à se nihil differat; ita etiam vnum
 quidpiam apprehendit ad duorum hypostasim, seu vt
 duo consistant. Et subiunxit, Et character seu figura. Fi-
 gura enim seu character est alius ab exemplari prototy-
 po & primario. Alius autem non omnino, sed in eo
 quod in se consistat. Nam hic quoque character ostendit
 nullam esse diuersitatem, sed planè in omnibus per-
 fectam similitudinem eius cuius est character & figu-
 ra. Cum ergo ipsum vocet formam & characterem,
 quid dicent? At homo, inquit, dictus est etiam imago
 imaginis. Quid verò, num ita vt filius? Non, inquit: sed
 quod imago non ostendit similitudinem. Atqui quate-
 nus homo dictus est imago, ostendit similitudinem vt in
 homine. Nam quod Deus est in caelo, hoc est homo in
 terra, quod, inquam, attinet ad principatum: & sicut ho-
 mo dominatum obtinet in omnibus quae sunt in terra,
 ita Deus dominatum obtinet in omnibus quae sunt in
 caelo & in terra. Ceterum homo non dictus fuit chara-
 cter, non dictus fuit forma: quod quidem indicat essen-
 tiam, aut & essentiam, & similitudinem quae est in essen-
 tia. Quomodo ergo forma serui nihil aliud exprimit
 quam hominem in nullo differentem: ita etiam forma
 Dei nihil aliud exprimit quam Deum. Qui cum sit, in-
 quit, splendor gloriae. Vide quid faciat Paulus. Cum di-
 xisset, Qui cum sit splendor gloriae, subiunxit rursus: Se-
 det ad dexteram maiestatis. Maiestatis usus est nomi-
 nis, nusquam inuento nomine essentiae. Neque enim
 maiestas, neque dextera ostendit nomen quod vult di-
 cere, sed nomen non potest inuenire. Hoc est enim quod
 dicebam ab initio, aliqua cogitamus & intelligimus, &
 non possumus eloqui. Nam neque Deus nomen est es-
 sentiae, neque illius essentiae potest nomen omnino in-
 ueniri. Et quid mirum si in Deo, cum nec in Angelo in-
 ueneris nomen, quod significet essentiam? Fortasse au-
 tem nec in anima. Non enim mihi videtur hoc nomen,

Pauli Sa-
mosatenu
haeresis.

Marcio-
nis haere-
sis.

Ioan. 8.
& 9.

Patris &
Spiritus
vna est
scientia.

Homo non
ita dictus
est imago,
vt filius i-
mago pa-
tris.

Character
& forma
quid si-
gnificent.

Deus non
est nomen
essentiae.

A nempe *ὁ λόγος*, eius ostendere essentiam, sed refrigerandi.
 Eandem enim & animam, & cor, & mentem vocari vi-
 deris. Cor enim, inquit, mundum crea in me Deus, & spi-
 ritum multis in locis videris eam appellari. Portansque
 omnia verbo virtutis suae, Dic mihi. Dixit, inquit Deus,
 fiat lux. Pater, inquit, iussit, filius autem obediit. Sed ec-
 ce hic quoque ipse verbo facit. Nam, portansque, in-
 quit, omnia, hoc est, gubernans quae cadunt, continet.
 Non est enim minus continere, quam mundum fecisse.
 Sed etsi mirabile aliquid oportet dicere, est etià maius.
 Nam illud quidè est ex nihilo aliquid producere. Quae
 facta sunt autem, ad hoc vt non sint recedentia, conti-
 nere, & inter se dissidentia coniungere, hoc est illud ma-
 gnum & admirabile, & indicium magnae virtutis. Dein-
 de ostendens facilitatem, dixit, Portans, seu ferens. Non
 dixit gubernans, à metaphora eorum qui digito solum-
 modo aliquid mouet, & efficiunt vt circumferatur. Hic
 ostendit magnam etiam molem esse creaturam, & id quod
 magnum est ei nihil esse. Deinde rursus ostendit quod
 id faciunt citra laborem, dicens, Verbo virtutis suae. Re-
 ctè dixit Verbo. Nam quoniam Verbum apud nos vi-
 detur esse exile & tenue, ostendit id non esse exile & te-
 nue in Deo. Quomodo autè Verbo portet, nequaquam
 adiecit: neque enim sciri potest. Deinde subiunxit de e-
 ius maiestate. Sic enim fecit etiam Ioannes. Nam cum
 dixisset quod sit Deus, subiunxit opificium creaturae.
 Quod enim ille tacitè innuit, dicens, In principio erat
 verbū, & Omnia per ipsum facta sunt, hoc Paulus quo-
 que per verbum ostendit, & dicendo, Per quem fecit &
 secula. Etenim cum ostendit & opificem, & esse ante om-
 nia secula. Quid verò cum de patre quidem dicat
 Propheta, A seculo & vsque in seculum tu es: de filio
 autem quod sit ante omnia secula, & omnium opifex,
 quid dixerint? imò verò quando quod de patre diceba-
 tur, Qui est ante secula, hoc videris etiam dictum de fi-
 lio? Et sicut dicit Ioannes, Vita erat, significans vim ac
 potestatem continendi creaturam, quoniam ipse est vi-
 ta omnium; ita Paulus quoque, Portansque omnia ver-
 bo virtutis suae: non sicut Graeci, & ipsa creatione, & pro-
 uidentia, quod ad ipsos attinet, ipsum priuantes, ad lu-
 nam vsque eius concludentes potentiam. Per se, inquit,
 facta purgatione peccatorum nostrorum. Cum dixisset
 de illis admirandis & magnis quae sunt suprema, de cæ-
 tero dicit etiam de cura eius in homines. Et maximè
 quidem erat illud generale & vniuersa complectens,
 Portansque omnia: verum enim uero hoc quoque est
 multò maius. Nam hoc quoque est generale & vniuersa
 complectens. Nam quod ad ipsum spectat, omnes
 crediderunt. Etenim Ioannes quoque cum dixisset vi-
 tam, prouidentiam quoque significans, rursus dicit, Et
 lux erat. Per se, inquit, facta purgatione peccatorum
 nostrorum, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.
 Duo hic ponit maxima eius curae indicia, & quod à
 peccatis nos purgauerit, & quod per se id fecerit. Et
 multis in locis vides eum de hoc gloriari, non solum
 de reconciliatione erga Deum, sed etiam quod hoc
 factum sit per filium. Etenim reuera magnum donum,
 etiam maius factum est, per hoc quod per filium.
 Nam cum dixisset, Sedet ad dexteram, & per se pur-
 gatione facta peccatorum nostrorum, & crucem re-
 uocauit in memoriam, citò subiunxit sermonem
 de resurrectione & ascensione. Vide autem pruden-
 tiam eius ineffabilem: Non dixit, Iussus est sedere, sed
 sedet. Deinde rursus ne existimes eum stare, subiun-
 git, Ad quem autem Angelorum dixit aliquando, Sede à
 dextris meis? Sedet ergo, inquit, ad dexteram maiesta-
 tis in excelsis. Quid est in excelsis? Deumne loco
 concludit? Absit. Sed sicut dicens. Ad dexteram, non
 eum

Psal. 50.

Gen. 1.

Mundum
continere
non est mi-
nus quam
mundum
tenere.

Verbum
Dei non est
exile &
tenue.

Ioan. 1.

Psal. 89.

Filius quo-
modo sit
vita.

Reconci-
liatio facta
est per fi-
lium.

eum figurauit, sed ostendit eum in eodem esse hono-
 re quo pater. Ita eum dicens in excelsis, non eum illic
 inclusit, sed ostendit id quod est omnium altissimum,
 & quod omnia transcendit. Hoc est, peruenit ad ipsum
 thronum paternum. Quomodo ergo pater est in ex-
 celsis, ita etiam ipse. Confessus enim nihil aliud indicat
 quam in eodem esse honore. Si autem dicunt eum di-
 xisse, sede, eos rogemus. Quid verò, dixitne stanti? Sed
 non dixit quod iusserit aut imperarit: sed dixit, Sede,
 non propter aliud quam ne existimes eum esse absque
 principio & sine causa. Nam quod propterea sic dixe-
 rit, est perspicuum ex loco sessionis. Nam si voluisset si-
 gnificare diminutionem, non dixisset, A dextris, sed à
 sinistris. Tandò, inquit, melior Angelis effectus, quanto dif-
 ferentius præ illis nomen hereditauit. Illud effectus, hic est
 pro declaratus vel demonstratus, vt ita dicam. Deinde
 aliqua ratione id confirmat ex nomine. Quomodo? Vi-
 des quod nomen filius scit significare proprietatem &
 germanitatem? Et certè si non est proprius & germa-
 nus filius: proprium autem & germanum nihil est aliud
 quam ex ipso, quomodo ex eo confirmat? Nam si est
 gratia filius, non solum est Angelis præstantior, sed et-
 iam minor. Quomodo? Quoniam homines quoque
 iusti vocati sunt filij: & nomen filij, nisi sit filius proprius
 & germanus, non potest ostendere excellentiam. Et
 significans quod est quaedam differentia creaturarum
 & opificis, vide quid dicat. Cui enim dixit aliquando
 Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et
 rursus, Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium. Illud
 autem, Filius meus es tu, ego hodie genui te, nihil ali-
 ud significat quam id ex quo est Deus. Sicut enim di-
 citur *ὁ υἱός*, id est, Qui est, à præsentem tempore, hoc enim i-
 psi magis conuenit, ita etiam illud hodie, mihi videtur
 dictum esse de carne. Nam quando eam apprehende-
 rit, de cætero omnia effatur securè: Caro enim est parti-
 ceptus aliorum, sicut & diuinitas humilium. Nam qui et-
 iam homo fieri non est dedignatus, & rem non recusa-
 uit, quomodo verba recusauerit?

Christus
non est fi-
lius Dei
gratis, sed
proprie-
tate.

Hodie di-
ctum est
de carne
suscepta.

MORALE.

HÆC ergo cum sciamus, minimè nos pudeat, neque
 animis efferamur, nobisque placeamus. Nam si i-
 pse cum Deus esset, & dominus, & Dei filius, non recu-
 sauit serui formam suscipere, multò magis nos oportet
 omnia facere, etiam si sint abiecta & humilia. Nam vn-
 denam, dic quæro ò homo, efferis & tibi places? Ex se-
 cularibus & iis quae ad hanc vitam pertinent? Sed ea
 prætercurrunt priusquam apparuerint. At ex spirituali-
 bus? Sed hoc quoque est bonum opus spirituale, non e-
 lato esse animo, nec sibi placere. Cur ergo elato es ani-
 mo & tibi places? Quod te rectè geris? Audi Christum
 dicentem, Quando feceritis omnia, dicite, Serui inuti-
 les sumus. Nam quae debebamus facere, fecimus. At ef-
 ferris & tibi places propter diuitias? Non vides eos qui
 te præcesserunt nudos excessisse & desertos? An non nu-
 di ingressi sumus in hanc vitam, & nudi abibimus? Quis
 habens aliena, effertur & sibi placet? Nam qui ea ad suos
 vsus conuertere, & iis frui volunt, ipsi eis vel inuiti pri-
 uantur, sæpe etiam ante mortem: in morte autem om-
 nino. At nos viuentes, inquit, eis vt volumus vtimur.
 Maximè quidem neminem citò videris vt vult vti fa-
 cultatibus. Quod si quisquam etiam vt vult vtatur, ne
 hoc est quidè magnum: breue est enim præsens tempus
 si conferatur cum sæculis quae non finiuntur. Efferris, ò
 homo, & gloriaris quod sis diues? Cur, quamobrè? Hoc
 enim adest & latronibus, & furibus, & parricidis, &
 mollibus, & scortatoribus, & sceleratis. Cur ergo tibi
 places & efferis? Nam si eo rectè, & vt oportet vsus es,

Luc. 17.

A non debes elato esse animo, & tibi placere, ne violes
 mādatum. Sin autem non rectè & vt oportet, ideo ma-
 ximè non debes: quod pecuniarum factus sis seruus &
 possessionum, & ea in te dominatum obtineant. Num,
 dic quæro, si quis febricitans multum aquae ebiberit,
 quae breui quidem tempore extinguat sitim, postea au-
 tem accendat flammam, ex eone debet efferri & sibi
 placere? Quid verò si quis temerè plures suscipiat curas
 & sollicitudines, proptereane debet sibi placere?
 Cur dic quæro? Quoniam multos habet dominos? Quo-
 niam multas curas & sollicitudines? Quoniam multi tibi
 adulantur? eis enim seruis. Et vt intelligas, audi aper-
 tè. Ex iis quae in nobis sunt animi affectionibus, aliæ qui-
 dem sunt quandoque vtilis, vt ira sæpe est vtilis. Nam
 ira, inquit, iniusta non erit innocens. Quamobrem li-
 cet etiam iustè irasci. Et rursus, Qui irascitur fratri suo
 temerè, erit obnoxius gehennae. Vt rursus zelus & cu-
 piditas, hæc quidem cum existit in liberorum procrea-
 tione. Ille verò, quando habet æmulationem ad ea quae
 bona sunt & honesta. Sicut etiam dicit Paulus. Bonum
 autem est emulari in bono semper. & Emulamina autem &
 insolentia nusquam est bona, sed vbiquæ est inutilis &
 noxia. Ceterum si efferri & sibi placere oportet, pro-
 pter paupertatem sibi placere oportet, non propter di-
 uitias. Quamobrem? Quoniam qui paucis potest viue-
 re, est multò maior & melior eo qui non potest. Nam
 dic mihi, si aliquibus vocatis in urbem regiam, ex iis a-
 lij quidem, nec iumentis opus habeant, nec famulis, nec
 vmbellis, nec diuerforiis, nec calceis, neque vasis: sed
 eis sufficit habere panem, & aquam sumere ex fontibus:
 alij autem dicant: Nisi dederitis vehicula & stratum
 molle, non possumus adeste. Nisi etiam multos habea-
 mus qui nos sequantur. Nisi assidue liceat quiescere,
 non possumus. Si non vtamur iumentis. Si non etiam
 paruam dici partem ambulemus. Opus est autem no-
 bis etiam pluribus aliis. Quosnam admirabimur, illos,
 an hos? Hos scilicet qui nullo indigent. Ita hic quoque
 illi quidem ad huius vitæ viam multis indigent: hi ve-
 rò nullo. Quamobrem oporteret eos ob paupertatem
 magis efferri & sibi placere, si sibi placere oporteret. At
 pauper, inquit, est despicibilis. Non ille, sed qui eum
 despiciunt. Cur enim ego eos non despicio, qui nesciunt
 admirari ea quae oportet? Sed si sit quidè pictor quispiam,
 eos qui ipsum ridet irridebit, quando fuerint rudes &
 imperiti, & neque conuertitur ad ea quae ab illis dicuntur,
 sed contentus est suo ipsius testimonio: & nos pendebi-
 mus à vulgi opinione? Propterea digni sumus qui con-
 temnamur, quod eos non despiciamus, qui nos despiciunt
 propter paupertatem, & non eos censemus miseros. Et
 prætereo quidem quot peccata nascuntur ex diuitiis,
 quot autem bona ex paupertate. Imò verò nec diuitiæ,
 nec paupertas per se sunt bonum, sed prout sunt qui iis
 vtuntur. Probus Christianus magis cernitur in pauper-
 tate quam in diuitiis. Quomodo? Erit à fastu alienior,
 modestior, honestior, prudentior. Qui autem manet in
 diuitiis, ad hæc multa habet impedimenta. Videamus
 ergo quænam sunt quae facit diues, vel potius is qui di-
 uitias malè vtitur. Ille rapit, fraudat, circumuenit, vim
 affert. Amores turpes & inhonestos, concubitus nefa-
 rios, præstigias, veneficia, alia tetra & graui non inue-
 nies nasci ex diuitiis? Non vides quod in paupertate
 facilius est virtutem exercere, quam in diuitiis. Ne
 enim quoniam pœnas hic non dant diuites, existimes
 eos non peccare. Nam si facile esset diuitem dare pœ-
 nas, iis plenus inuenires carceres. Sed inter alia hoc
 quoque malum habent diuitiæ, quod qui eas in vitio &
 scelere possidet, impune peccans nunquam desistet

Matt. 5.

Gal. 4.

1. Cor. 12.
Arrogan-
tia semper
est inuti-
lis.

Pauper
non est
despicibi-
lis.

Virtus fa-
cilis exer-
cetur in
paupertate,
quam
in diuitiis.

hoc facere, sed accipiet vulnera absque medicamentis: neque ei quisquam imponet frænum. Si quis autem velit, inueniet paupertatem nobis ad voluptatem plura dare adminicula. Quomodo? Quoniam liberata est à sollicitudinibus, odio, pugna, lite, & à malis innumerabilibus. Ne ergo queramus ditescere: nec semper æmulemur eos qui multa possident. Sed qui habemus quidem, diuitiis vtamur vt oportet. Qui autem non habemus, ne propterea doleamus, sed Deo agamus gratias, quod efficiat vt nos in paruo labore, eandem quam diuites, aut etiam maiorem, si velimus, accipiamus mercedē: & magna ex paucis lucrabimur. Nam & qui duo attulerat talenta, æquē in admiratione & honore est habitus atque qui quinque attulerat. Quamobrem? Nam duo eius fidei credita sunt talenta, sed quæ à se præstanta erant impleuit omnia, & quæ sibi fuerant credita attulit duplicata. Quid ergo studemus vt multa nobis credantur, cum per pauca liceat eosdem fructus aut etiam maiores percipere? cum labor quidem sit minor, merces autem multò amplior. Facilius enim à suis pauper abscedet, quàm diues multa & magna possidens. An nescitis quòd quo plura quispiam fuerit cõplexus, eo plura desiderat? Ne hoc ergo nobis accidat, ne queramus diuitias, neque ægrè feramus paupertatem: neque contendamus ditescere: & qui habemus, eis ita vtamur vt iussit Paulus. Qui habent, inquit, sint tanquam non habentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtentes: vt assequamur bona promissa. Quæ detur omnibus nobis consequi gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo patri vnà cum sancto Spiritu, &c.

ORATIO III.

T cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus: & ministros suos flammam ignis. Ad filium autem: Thronus tuus Deus in sæculum sæculi. Dominus quidem noster Iesus Christus suum in carne aduentum vocat egressum vel exitum: vt quando dicit: Exiit qui seminatur ad seminandum. Et rursus: Ego à patre exiui, & venio. Et multis in locis hoc videris. Paulus autem id vocat ingressum, dicens: Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicens introductionem hanc carnis susceptionem. Cur ergo his verbis vtitur? Quæ significantur sunt manifesta, & de quoniam dicta sint. Christus quidem meritò vocat exitum: eram enim extra Deum. Quomodo enim in regia qui sunt in vinculis, & Regem offenderunt, stant foris. Qui vult autem eos reconciliare, non ipsos introducit, sed ipse foras egrediens eos alloquitur, donec ipsis dignis effectis conspectu Regis, eos introducat. Ita etiam fecit Christus. Ad nos egressus, hoc est, cum carnem suscepisset, & quæ à Rege mandata fuerant retulisset, ita nos introduxit, & à peccatis purgatos & reconciliatos. Propterea ipsum vocat exitum. Paulus autem eum nominat ingressum, à metaphora eorum qui sunt hæredes, & aliquam accipiunt possessionem. Dicere enim, Cum autem introduxerit primogenitum in orbem terræ: hoc est, cum ei tradiderit orbem terræ. Tunc enim eam totam possedit, quando fuit cognitus. Non hæc autem dicit de Deo verbo, sed de eo incarnato. Nam si erat in mundo, vt ait Ioannes, & mundus per ipsum factus est, quomodo aliter introducit quàm in carne: Et adorent eum, inquit, omnes Angeli Dei. Quando enim magnum & excelsum aliquid dicitur, id præmunir, & efficit vt faciliè excipiat, eo quòd fecerit pa-

atrem introduxisse filium. Dixit superius eum non esse nobis locutum per Prophetas, sed per filium, quoniam filius est melior prophetis. Hoc quoque probat & confirmat ex nomine. Hic autem deinceps etiam ex re alia. Quænam autem ea est? Ex adoratione: & ostendit quantum sit melior, nempe quantum dominus seruo. Vt si quis aliquo in domum introducto, eos qui illi præfunt statim ipsum iubet adorare, Verbum dicens quod carnem suscepit. Et adorent eum omnes Angeli Dei. Num Angeli solùm? Nequaquam. Audi enim quæ sequuntur. Et ad Angelos quidem dicit. Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Ad filium autem, Thronus tuus Deus in sæculum sæculi. Ecce maxima differentia, quòd illi quidem sunt creati: hic autem increatus. Ad Angelos suos, inquit, dicit, Qui facit. Ad filium autem suum cur non dixit, Qui facit? Atqui licebat sic dicere differentiam. Ad Angelos quidem suos dicit, Qui facit Angelos suos spiritus: ad filium autem, Dominus creauit me, siquidem dominum ipsum, & Christum Deus fecit. Sed neque illud dictum est de Christo domino filio: neque hoc de Deo Verbo, sed de eo quod carnem suscepit. Vbi enim voluit veram significare differentiam, non amplius comprehendit solùm Angelos, sed omnem supernam potestatem administratoriam. Vide quomodo & quàm dilucidè diuidat creaturas & creatorem, ministros & dominum, verumque ac proprium hæredem ac filium, & seruos. Ad filium autem dicit, Thronus tuus Deus in sæculum sæculi. Ecce regni signum. Virga æquitatis, virga regni tui. Ecce rursus aliud quoque signum regni. Deinde rursus de eo quod est carne indutum. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem. Propterea vnxit te Deus, Deus tuus.* Quid est Deus tuus? Nam quoniam magnum est locutus, id rursus lenit ac mitigat. Hic & Iudæos, & Pauli Samosatani asseclas, & Arrianos, Marcellumque & Sabellium feriit, & Marcionem. Quomodo? Iudæos quidē, ostendens duas personas, & Deum & hominem. Alios autem, Pauli, inquam, Samosatani asseclas, quòd hæc dicat de æterna substantia, & increata essentia. Nam ad discernendum & ex aduerso distinguendum illud Fecit, hoc opposuit, Thronus tuus Deus in sæculum sæculi. Aduersus Arrianos autem, & rursus hoc ipsum, & quòd non sit seruus. Si autem creatura, seruus. Aduersus Marcellum autem & alios, quòd sint duæ personæ diuinae per hypostasim. Aduersus Marcionistas autem, quòd diuinitas non vngitur, sed humanitas. Deinde, *Participibus tuis*, inquit. Quinam autem sunt participes, nisi homines? Hoc est, Christus accepit spiritum, non ad mensuram. Vides quemadmodum sermoni de natura increata, coniungit etiam sermonem de dispensatione. Quid est hoc dilucidius? Vides quemadmodum non sit idem creatura, & id quod est genitum. Non enim diuisisset, & ad ex aduerso distinguendum illud fecit, subiunxisset, Ad filium autem dixit, Thronus tuus Deus in sæculum sæculi. Neque nomen, Filius, appellasset differentius, id est, excellentius, si est eiusdem signum. Quænam est enim differentia? Nam si idem est creatura & id quod est genitum, illi autem sunt facti, quid est differentius seu præstantius? Ecce rursus illud Deus, Græcè est *θεός* cum articulo. Et rursus dicit, *Et tu domine in principio terræ fundasti, & opera manuum tuarum sunt celi. Ipsi peribunt, tu autem permanebis: & omnes vt vestimentum veterascent. Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Ne cum audieris, Cum autem introducit primogenitum in orbem terræ, existimes esse tanquam donū prius ei datum, hoc & superius prius correxit, & rursus corrigit, dicens, In principio: non nunc, sed iam olim. Ecce rursus cer-

Filius præstantior ex adoratione.

Thronus est signum regni.

Psal. 101.

Paupertas ad voluptatem plura habet adminicula.

Matt. 25.

1. Cor. 7.

Psal. 96. Psal. 103.

Matt. 13. Ioan. 16.

Ioan. 1.

to percutit vulnere, & Paulum Samosatenum, & Arrium, iis quæ dicuntur de patre, adaptatis filio. Et postea aliquid aliud hoc quoque maius, aliud agendo tacite significauit. Mundi enim transfigurationem præterea ostendit, dicens: Tanquam vestimentum veterascent, & tanquam amictum conuoluet eos, & mutabuntur. Quod etiam dicit in epistola ad Romanos, nempe quòd transfigurabit mundum. Et facilitatem ostendens subiunxit, Tanquam si quis conuoluet amictum, conuoluet, & mutabit. Si autem quæ sit in melius & præstantius transfigurationem & opificium tam faciliè operatur, in minori opificio aliòne indigebat? Quousque non vos pudet? Simul etiam hoc est maximà consolatio, nosse quòd res non sic erunt, sed omnia accipient mutationem, & omnia mutabuntur. Ipse autem manet perpetuo viuens, & infinitè viuens. *Et anni tui*, inquit, *non deficient.* Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: *Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?* Ecce rursus eis addit animum, si sint superandi eorum inimici: & inimici eorum ijdem sunt qui inimici Christi. Hoc rursus est regni, hoc eiusdem honoris, hoc, inquam, est honoris, non imbecillitatis, patrem irasci de iis quæ facta sunt in filium. Hoc est magni amoris in filium, & honoris tanquam patris erga filium. Qui enim pro ipso irascitur, quomodo est ab ipso alienus? Quod quidem dicit etiam in secundo psalmo. Qui habitat in cælis iridebit eos, & dominus subsannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. Et rursus ipse dicit. Eos qui noluerunt me regnare super ipsos, adducite eos coram me, & interficite. Nam quòd sint eius verba, audi quid etiam alibi dicat. Quoties volui congregare filios tuos, & noluitis? ecce dimittitur vestra domus deserta. Et rursus: Auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius. Et rursus: Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur. Super quem autem ceciderit, conteret eum. Alioqui autem qui est eos illic iudicaturus, multò magis hic eis ipse reddidit. Quamobrè est solius honoris in filium illud, Quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. *Nonne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis?* Quid mirum, inquit, si ministrant filio, cum etiam ministrant ad nostrā salutem? Vide quomodo eorum excitet spiritus, & multū Dei in nos honorem ostendat, si quidem constituit vt Angeli, qui sunt nobis superiores, hoc habeant pro nobis ministerium. Vt si dixerit quispiam. Eis, inquit, ad hoc vtitur. Hoc est munus Angelorum, ministrare Deo ad nostram salutem. Quamobrem hoc est Angeli opus omnia facere ad fratrum salutem, imò verò est opus ipsius Christi. Nam ipse quidem dat salutem vt dominus, ipsi autem tanquam serui: & nos etiam si serui, sed conserui Angelorum. Quid, inquit, Angelos hiantes suspicitis? Sunt serui filij Dei, & in multa loca propter nos mittuntur, & ad nostram ministrant salutem. Quamobrem sunt nostri conserui. Cogitate quemadmodum nō dat creaturis magnam differentiam. Quanquam multum interest inter Angelos & homines, eos tamen prope nos deducit, propemodum nobis dicens, Propter nos laborant, circa nos cursitant, & vt dixerit quispiam, nobis seruiunt. Hoc est eorum ministerium, propter nos in omnes mitti partes. His exemplis plenum est vetus, plenum est nouum testamentum. Nam quando Angeli pastoribus bonum afferunt nuntium, quando Mariæ, quando Ioseph, quando sedent in monimento, quando mittuntur ad dicendum discipulis, Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum, quando Petrum soluunt ex carcere, quando alloquuntur Philippum,

Mundi transfiguratio quæ faciliè fiat.

Psal. 109.

Psal. 2.

Luc. 19.

Luc. 13.

Matt. 21.

Angeli nobis superiores Deo ministrant ad nostrā salutem.

Luc. 2. Ibid. 1. Matt. 28.

Act. 1. Ibid. 12. Ibid. 10.

cogita quantus sit honor. Quando Deus Angelos mittit ministros tanquam ad amicos, quando Angelus apparet Cornelio, quando omnes Apostolos eicit è carcere, & dicit: Euntes stete, & loquimini in templo populo verba vitæ huius. Porro autem Paulo quoque ipsi loquitur Angelus. Vides ipsos propter Deum ministrare, & ministrare in rebus maximis. Propterea dicit Paulus, Omnia sunt nostra, siue vita, siue mors, siue mundus, siue præsentia, siue futura. Porro autem missus quoque est filius, sed non sicut minister, neque tanquam qui aliquo fungeretur munere, sed tanquam filius & vnigenitus, & qui eadem vult quæ pater. Imò verò ne fuit quidem missus: non enim à loco in locum transit, sed carnem suscepit. Angeli verò loca mutant, & prioribus in quibus sunt dimissis, ad alia veniunt, in quibus non erant. Iam verò hoc quoque eis addit animum, dicens, Quid timetis? Angeli nobis ministrant. Et cum dixisset de filio, & quæ pertinent ad dispensationem, & quæ ad creationem, & quæ ad regnum, & ostendisset eum esse in eodem honore, & quòd tanquā dominus dominatum obtinet, non in solos homines, sed etiam in Angelicas potestates, eos de cætero exhortatur, ita instituta oratione, quòd nos oportet animum adhibere iis quæ sunt audita.

Propterea abundantius oportet obseruare nos ea quæ audiuntur. Cur abundantius? Hic dixit, abundantius quàm legem, sed hoc siluit: idque indicat in confirmatione, non in consilio, nec in exhortatione. Sic enim erat melius. *Si enim qui per Angelos, inquit, dictus est sermo factus est firmus, & omnis prauaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Quæ cum initium accepisset enarrandi per dominum, ab eis qui audierunt in nos confirmata est.* Cur nos oportet abundantius animum adhibere iis quæ audita sunt? Non & illa, & hæc sunt Dei? Aut ergo dicit quòd abundantius quàm legem, aut quod magnopere non comparans, absit. Nam quoniam ob longum tempus habebant magnam de veteri testamento opinionem, hæc autem tanquam noua habebantur contèptui, ostendit quòd ex abundantia his magis animum adhibere oporteat, quodammodo propemodum dicens, Dei quidem sunt hæc & illa: sed nō similiter, & hoc postea ostendit. Interim autem hoc minus profundè astruit, postea autem manifestius, dicens, Nam si illud prius culpa vacasset, & multa alia eiusmodi. Nam quod antiquatur & senescit est prope interitum. Sed nondum audet quidquam eiusmodi dicere in proœmiis, donec auditorem pluribus preoccuparit & detinuerit. *Ne forte, inquit, perefluamus.* Hoc est, neq; pereamus, neque exidamus. Et hic ostendit quā sit grauis casus: quoniā est difficile vt id quod effluxit reuertatur, quando quidem hoc accidit ex socordia ac negligentia. Dictionem autem accepit ex prouerbiis. Fili, inquit enim, ne prefluas: ostēdens & quàm facillimè sit lapsus, & quàm grauis interitus. Hoc est videlicet, quòd non sine periculo est non obedire. Et per ea quidem quæ astruit ostendit maius esse supplicium. Ipsum autem rursus dimittit inquirendum, nec cōcludit. Hoc enim est minus molestam reddere orationem, non ex se vbique inferendo iudicium, sed relinquendo in potestate auditoris, vt ipse ferat sententiā, quòd quidem reddit magis beneuolum. Hoc ipsum autem facit etiā in veteri Nathan Propheta, & in Mattheo Christus dicens, Quid faciet agricolis illius vineæ? & ipsos cogens ferre sententiā: hoc enim est maxima victoria. Deinde cum dixisset, *Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, non subiunxit, Multò magis autē is qui per Christū. Sed hoc quidē dimisit, dixit autem quod*

1. Cor. 3.

CAP. II.

Nouo testamento magis veteri est adhibendus animus.

Infra 8.

2. Reg. 12. Matt. 21.

est minus. Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Vide autem quomodo faciat comparisonem. Si enim qui per Angelos, inquit, dictus est sermo. Illic per Angelos: hic autem per dominum. Et illic quidem sermo: hic autem salus. Deinde ne dicat quispiam. Quæ tu dicis, o Paule, ea sunt Christi? fide dignum & credibile id ostendit, & quod ea ab illo audierit, & quod ea nunc à Deo dicantur, non solum voce per aërem emisit, sicut factum est in Mose, sed signis quæ fiebant, & rebus testantibus. Quid autem est, si enim qui per Angelos dictus est sermo? Nam & in epistola ad Galatas sic dicit: Disposita per Angelos in manu mediatoris. Et rursus: Accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis, & ubique eam dicit dari per Angelos. Nonnulli quidem dicunt Moysen tacite significari: sed non est consentaneum. Multos enim hic dicit Angelos. Porro autem hic quoque Angelos eos dicit qui sunt in celo. Quid ergo est? Aut decalogum dicit solū. Illic enim Moyses loquebatur, & Deus respondebat: aut hæc dicit de omnibus quæ dicta sunt & facta sunt in veteri, utpote quod societatem in his habuerint Angeli. Quomodo autem dicit alibi quod lex data fuit per Moysen, hic autem per Angelos? Dicit enim, Et descendit Deus in caligine. Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus. Quid est firmus? Verus ut ita dicam, & fidelis in tempore conuenienti, & euenerunt omnia quæ dicta sunt. Aut hoc dicit, aut quod vim & dominatum obtinuit, & minæ ad effectum sunt deductæ, aut sermonem dicit iussa. Multa enim sine lege iusserunt Angeli à Deo missi: sicut in Iudæa quæ tempore iudicum fuit in Samone. Nam propterea non dixit, lex, sed sermo. Mihi autem hoc magis forte videtur dicere ea quæ sunt dispensata per Angelos. Quid ergo dicemus? Aderant tunc Angeli quibus gens fuerit credita, & ipsi tubis canebant, & alia faciebant, nepe ignem, & caliginem. Et omnis, inquit, preuaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem. Nō hæc quidem, illa autem nequaquam, sed omnis. Nihil mansit inultum, sed accepit iustam mercedis retributionem, pro eo quod est castigatio & pœnam. Cur autem sic dixit? Ita solet Paulus dictionem non magnam habere rationem, sed in discriminatim etiam in rebus bonis ponere ea quæ malam habent significationem. Sicut etiam dicit alibi, In captiuitatem redigentes omnem intelligentiã ad obediendum Christo. Et rursus mercedis retributionem posuit pro punitione: & hic supplicium vocat mercedem. Rursus alibi: Si iustus est, inquit, apud Deum reddere retributionem iis qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini requiẽ. Hoc est, non interiit & corrupta est iustitia, sed Deus eam est executus, & pœnas conuertit in eos qui peccauerunt: etiam si non omnia peccata in apertum proferantur, nisi sint violata ea quæ sunt constituta. Quomodo ergo inquit, nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Per hæc significauit illam nō magnam fuisse salutem. Pulchrè etiam addidit tantam. Non enim, inquit, nos nunc seruabit à bellis: neque præbebit terram, & bona quæ sunt in terra: sed mortis erit deletio, sed diaboli interitus, sed regnum cœlorum, sed vita æterna. Hæc enim omnia compendio ostendit, dicens, Si tantam neglexerimus salutem. Deinde subiungit id quod efficit ut sit credibile & fide dignum. Quæ cum initium accepisset enarrandi per dominum. Hoc est, ab ipso fonte accepit initium. Non homo eam traiecit in terram, nō creata potestas, sed ipse vnigenitus. Ab eis qui audierunt, in nos confirmata est. Credita fuit, aut euenit: nam habemus, inquit, arrham: hoc est, nō est extincta, non desit, sed dominatum obtinet & superat. Causa autem est. Diuina

Lex data est per Angelos, euangelium per Christum.

Gal. 3. Act. 7.

Ioan. 1. Exod. 16.

In lege data sunt omnia dispensata per Angelos.

1. Co. 10.

Salus in euangelio data quænam sit.

A virtus operatur: hoc est, ij qui à domino audierunt, ipsi nos confirmarunt. Magnum est hoc & fide dignum. Quod quidem Lucas quoque dicit in initio euangelij. Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis. Quomodo ergo fuit confirmata? Quid si ij qui audierunt, inquit, sinxerunt? Hoc ergo refellit, & ostendit non esse humanam gratiam. Non, si finxissent, Deus eis tulisset testimonium. Subiunxit enim, Contestante Deo. Testimonium quidem illi ferunt, fert autem Deus quoque testimonium. Quomodo fert testimonium? Non sermone, neque voce. Nam esset quidem hoc quoque credibile. Sed quomodo? Signis & portentis, & variis virtutibus. Pulchrè posuit illud, Variis virtutibus, gratuitorum donorum, seu charismatum significans abundantiam. Quod quidem nō factum est in prioribus, neque tot signa & tam differentia. Hoc est, Non temerè ac leuiter illis credidimus, sed per signa & portenta. Quamobrem non illis credimus, sed Deo. Et spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem. Quid quod & præstigiatores signa faciunt, & Iudæi cum in Beelzebub dicebant eiicere dæmonia? Sed non faciunt eiusmodi signa. Propterea dixit, Variis virtutibus. Illa enim non sunt virtus & potentia, sed imbecillitas, sed visio ac phantasia, & res inanes. Propterea dixit, Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem.

Lucas in præfat.

Luc. 11.

Charisma ta omnia procedunt à Dei consilio & voluntate. 1. Cor. 12. Ibidem.

Humilis fit melior quando charisma accepit.

MORALE.

Hic mihi videtur etiam aliquid aliud tacite significare: est enim verisimile non esse illic multos qui habeant charismata, ea autem defecisse, utpote quod facti essent ipsi hebetiores. Vt ergo eos & in hoc consoletur, & non sinat deiici animo, totum tribuit Dei consilio. Ipse enim nouit quid cui conferat, & ita gratiam distribuit. Quod quidem facit etiam in epistola ad Corinthios, dicens: Deus posuit vnumquemque nostrum sicut voluit. Et rursus: Vnicuique autem manifestatio Spiritus datur ad vtilitatem, & eius voluntatem. ostendit quod charisma est ex voluntate patris. Sæpe autem etiam propter vitam immundam & fœcordem ac ignauam multi non acceperunt charisma. Nonnunquam autem & qui bonam habent vitam & puram, nō acceperunt. Quamobrem? Ne superbiant, ne intumescant, ne fiant segniores, ne plusquam par sit extollantur. Nam si etiam absque charismate ipsa puræ vitæ conscientia sufficit ad extollendum: multo magis quando etiam adest gratia. Quamobrem magis dabantur charismata humilibus & simplicibus, & maximè simplicibus. Nam in simplicitate, inquit, & exultatione cordis. Hac enim ratione ipsos magis est exhortatus, & si erant segniores & negligentiores, pupugit. Humilis enim, & qui visione ac phantasia magna de se non apprehendit, fit diligentior & melior, quando charisma accepit, tanquam qui præter dignitatem accepit, nec se existimat esse dignum, arbitrans se eo nomine esse obligatū. Quamobrem Deus hoc vtiliter dispensat. Quod quidẽ videris etiam euenire in ecclesia. Nam alius quidem habet sermonem accommodatum ad docendum, alius autem nec potest aperire. Ne is ergo, inquit, propterea dolore afficiatur. Vnicuique enim datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Nam si homo paterfamilias nouit quid cui tradat, multo magis Deus qui scit mentem hominum, qui nouit omnia priusquam orta sint. Vnum est solum de quo merito est dolendum, nempe peccatum, nihil autem aliud. Ne dicas, Cur non habeo pecunias? Aut si haberem, darem pauperibus. Nescis an si haberes, magis esses auarus. Nam nunc quidem hæc dicis: sed si rei fecisses periculū, esses alius. Nam etiam

quando fuerimus satiati, existimamus nos posse ieiunare. Quando autem paruum intercesserit spatium, alia nos subit cogitatio. Rursus quando fuerimus extra ebrietatem, existimamus nos posse hoc vitium superare. Quando autem ea nos ceperit, non vti que. Ne dicas cur non habui charisma seu gratiam docendi? Si habere, edificarem innumerabiles. Nescis si haberes, num id esset tibi in iudicium, num inuidia, num pigritia efficeret ut talentum absconderes. Atque nunc quidem es liber ab his omnibus, nec si frumenti non dederis mensuram, tibi datur vitio. Tunc autem esses obnoxius innumerabilibus. Alioqui autem nec nunc es alienus à charismate. Ostende in paruo qualis esses, si illud haberes. Si enim, inquit, in paruo fideles non fuistis, quomodo quod magnum est vobis dabit aliquis? Ostende sicut vidua, illa habebat duos obolos, & totum quod habuit immisit. Queritis pecunias? Ostende quod paucas despicias, ut etiam de multis tibi credam. Si autem ne has quidem despicias, multo magis nec illas. Rursus in sermone ostende te rectè vsum esse admonitione & consilio. Non habes externam facundiam, non tibi affatum suppetunt sensus & sententiæ. Sed scis tamen hæc communia. Filium habes, vicinum habes, coniugem habes, domesticos habes & necessarios. Etiam si non possis in Ecclesia prolixa vti oratione, eos potes priuatim admonere & hortari. Hic arte dicendi non est opus, neque fusa oratione. In his ostende, quod si dicendi haberes facultatem, non neglexisses. Si autem in paruo non adhibes studium & diligentiam, quomodo in magno tibi credam? Nam quod vnusquisque hoc possit, audi quid dicat Paulus, & quod hoc permiserit. Laicis. Edificate, inquit, alterutrum sicut & facitis, & consolamini inuicem in his sermonibus. Nouit Deus quomodo vnicuique distribuatur. Num tu es Moyses melior? Audi quàm ægrè & moleste ferat. Num ego, inquit, possum eos portare, quod dixisti mihi, Tolle eos sicut nutrix lactantem? Quid verò Deus? Exemit de eius spiritu, & dedit aliis, ostendens quod neque quando eos portabat, eius erat charisma sed spiritus. Si haberes charisma, sæpe fuisses elatus, sæpe fuisses euerfus. Tu te ipsum non nosti, ut te Deus nouit. Ne dicamus ad quid hoc, & cur hoc? Quando Deus dispensat, ne rationem ab eo exigamus: hoc enim est impietatis extremæ & arrogantia. Serui sumus, & serui multum distantes à domino, ne ea quidem scientes quæ sunt præpedibus: ne curiosè scrutemur Dei consilium, sed quod dedit hoc seruemus, etiam si sit paruum, etiã vltimum, & planè erimus probi & in bona existimatione. Imò verò ex Dei donis nullum est paruum. Doleres quod non habeas donum doctrinæ. Dic mihi, quid tibi videtur esse maius, donum doctrinæ, an donū expellendi morbos? Non tibi videtur esse maius, cæcis dare visum? Non tibi videtur esse maius, mortuos excitare? Quid verò, dic quæso, vmbri & sudariis hoc facere non tibi videtur esse maius, quàm verbo? Quid ergo vis, dic quæso, vmbri & sudariis excitare mortuos, an habere donum doctrinæ? Dices omnino, vmbri & sudariis mortuos excitare. Si ergo tibi ostendero, quod alterum donum est hoc longè maius, & cum tibi liceat accipere, nō accipis, nō iuste es eis priuatus? Et hoc donū non vni & alteri, sed omnibus habere licet. Scio vos stupere & admirari, si estis audituri quod liceat vobis habere maius donū quàm suscitare mortuos, & visum dare cæcis, & illa facere quæ fiebant tempore Apostolorū: & fortasse hoc videtur vobis incredibile. Quod est ergo hoc donum? Caritas. Sed mihi credite, non est meus sermo, sed Christi loquentis per Paulū. Quid enim dicit? Amulamini charismata me-

A charisma nemo est penitus alienus. Luc. 16.

1. The. 5.

Nullum Deidoni est paruum.

liora, & adhuc summam viam vobis ostendo. Quid est adhuc summam? Quod dicit est eiusmodi. Corinthij se valde iactabant, & sibi placebant propter charismata, & qui linguas habebant, quod est minimum donum, inflabantur aduersus ceteros. Dicit ergo, vultis omnino charismata? Ego ostendo viam charismatum, non solum excellentem, sed etiam summam. Deinde dicit, si linguas loquar Angelorum, nihil sum. Si habeam fidem ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Vidisti charisma: æmulare hoc charisma, hoc maius est quam mortuos excitare, hoc aliis omnibus est longè melius. Et quod hoc ita habeat, audi quid dicat Christus loquens Discipulis. In hoc scient, quod Discipuli mei estis, si vos inuicem diligatis. Non dixit miracula. Et rursus dicit patri: In hoc scient quod tu me misisti, si sint vnum. Ipse quoque dicebat discipulis: Mandatum nouum do vobis, ut diligatis inuicem. Iis ergo qui mortuos suscitant, hic est honestior & præclarior: & meritò. Nam illud quidem est totum Dei gratia: hoc autem est etiam studij & diligentia. Hoc est reuera Christiani. Hoc ostendit Christi discipulum, qui est crucifixus, qui nihil habet commune in terra. Absque hoc ne martyrium quidem potest quidquam prodesse. Et ut discas, hoc vide dilucide. Duo vel potius tria virtutum cacumina sumpsit beatus Paulus, quæ sunt in signis, quæ in cognitione, quæ sunt in vita: & absque hoc hæc nihil esse dixit. Quomodo autem hæc nihil sunt? Ego dico. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habeam, nihil est. Fieri enim potest ut qui facultates in cibos distribuatur, non sit charitate præditus, & profundat pecunias. Et de his quidem satis à nobis dictum est in loco de charitate: & illuc transmittimus lectores. Interim autem sicut dixi, æmulemur charisma: alter alterum diligamus, & nullo altero indigebimus ad nos rectè gerendos ex virtute, sed erunt nobis omnia facilia absque sudoribus, & multo studio & diligentia rectè geremus omnia. Sed ecce nunc quoque, inquit, alter alterum diligimus. Nam ille quidem habet duos vel tres amicos: hic verò quatuor. Sed hoc non est diligere propter Deum. Non habet hoc initiū charitatis: sed qui est eiusmodi, afficietur in omnes tanquam in fratres, eos quidem qui sunt eiusdem fidei diligens tanquam germanos fratres: hæreticos autem, & Græcos, & Iudæos, qui secundum naturam quidem sunt fratres, mali autem sunt & inutiles, miserās, & pro eis tabescens & lacrymans. In hoc erimus Deo similes, si omnes diligamus, etiam inimicos: non si signa faciamus. Nam Deum admiramur quidem etiam cum facit miracula: multo autem magis quando est benignus, clemens, & patiens. Si ergo etiam in Deo illud est valde mirandum, multo magis in hominibus hoc est perspicuum, quod hoc nos reddit admirados. Hoc ergo æmulemur, & Petro, & Paulo, & iis qui innumerabiles mortuos excitarunt, nihilo erimus inferiores, etiam si febrem non possimus expellere. Absque illa autem, etiam si maiora faciamus signa quàm Apostoli, etiam si mille periculis nos obiciamus pro fide, nobis nihil prodest. Et hæc non ego dico, sed hæc ipse scit qui est alumnus charitatis. Illi ergo pareamus. Sic enim poterimus assequi bona promissa. Quæ quidem detur nobis omnibus consequi, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo patri sit gloria, vnà cum sancto Spiritu, &c.

1. Cor. 12.

Ibid. 13.

Ioan. 15. Ibid. 17. Ibid. 31.

Martyriū nō prodest absque charitate.

Ibid. 13.

Diligenti sunt etiã inimici propter Deum.

ORATIO IIII.

ON enim Angelis subiecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur. Testatus est autem in quodam loco quis, dicens. Quid est homo quod memor es eius? aut filius hominis, quoniā visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis. Vellem apertè scire, an aliqui cum eo quo par est studio audiant quæ dicuntur: ne iuxta viam iaciamus femina. Sic enim promptiori & alacriori animo trademus doctrinam. Dicemus enim, etiamsi nemo audiat, propter metum qui impendet à Scrutore. Contestare enim, inquit, huic populo: & si non audierint, ipse non eris culpæ affinis. Si autem mihi esset persuasum de vestro studio & diligentia, non solum dicerem propter metum, sed hoc etiam facerem cum voluptate. Nunc enim etiamsi nemo audiat, etiamsi res mihi sit absque periculo meas partes implenti, sed tamen absque voluptate labor suscipitur. Nam quid prodest quando in me quidem nulla confertur culpa, nemo autem iuuatur? Si qui autem sint animum adhibitori, non tantam capiemus vtilitatem ex eo quòd non puniamur, quantum ex vestro profectu. Quomodo ergo hoc sciam? Cum obseruauero ex vobis aliquos qui animum adhibent, tunc seorsum conueniens eos rogabo: & si inuenero retinentes aliqua ex iis quæ dicta sunt, non dico omnia, non est enim hoc vobis facile, sed vel pauca ex multis, est perspicuum quòd de cæteris de cætero non dubitabo. Et oportebat quidem nos, cum non prædixissemus, ex improviso vos aggredi. Cæterum bene vobiscum agatur si vel sic possitis assequi. Imò verò sic quoque possum vos incautos aggredi. Nam prædixi quidem quòd vos sim interrogaturus. Quando autem sim interrogaturus, nondum aperio. Fortè enim hodie, fortè cras, fortè autem post viginti aut triginta dies, fortè autem post pauciores, fortè autem post plures. Sic etiam diem mortis nobis Deus fecit incertum: neque nobis aperuit an hodie, an cras, an post totum annum, an post multos annos sit adfuturus, vt propter incertam expectationem, nos in virtute perpetuò contineamus. Et dixit quidem quòd simus excessuri, quādo autem, minimè. Ita ego quoque dixi me rogaturū, quando autem, non addidi, volens vos esse perpetuò sollicitos. Nec dicat quispiam ante quatuor, aut quinque, aut etiam plures hebdomadas hæc audiui, neque possum retinere. Neque enim cum qui audit volo sic retinere, vt non obliuiscerent nec euanidam habeat memoriam, nec despuat quæ dicuntur. Volo enim vos retinere, non vt mihi dicatis, sed vt vos lucremini, & hoc est quod magnæ est mihi curæ, & de quo valde laboro. Ne quisquam hoc dicat. Necessè est autem de cætero incipere consequentiam. Quid ergo nobis hodie propositum est dicere? Non enim, inquit, Angelis subiecit orbem terræ futurum, de quo loquimur. Nunquid de aliquo alio orbe terræ loquitur? Fieri non potest, sed de hoc. Propterea enim addidit, De quo loquimur, ne finat mentem aberrantem alium querere. Quomodo ergo eum dicit futurum? Sicut etiam dicit alibi, Qui est figura futuri. De Adamo dicens & Christo in epistola ad Romanos, habita ratione temporum Adami, futurum vocans Christum secundum carnem: erat enim futurus. Ita nunc quoque, quoniam dixit, Et cum iterū introducit primogenitum in orbem terræ, ne existimares eum dicere alium orbem terræ, ex multis id probat, & ex eo quòd dixerit ipsum futurum. Futurus enim erat orbis terræ: filius autem Dei semper fuit. Hunc ergo qui erat futurus, non subiecit Angelis, sed Christo. Quòd autem ad filium dictum sit, est manifestum. Nā

Psal. 8.

Docendus est populus propter Dei metū, etiam minimè attendat. Ezech. 3.

Populus de doctrina audita à concionante Episcopo examinandus.

Auditorum quæ audiunt à concionatore recitent, vt lucrentur.

Rom. 5.

A neque illud quispiam dixerit, quòd dictum sit ad Angelos. Deinde etiam alterum adducit testimonium, & dicit: Testatus est autem in quodam loco quis, dicens. Cur non dixit nomen Prophetæ, sed occultauit? Hoc autem facit etiam aliis testimoniis, vt quando dicit: Cum autem iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, Et adoret eum omnes Angeli Dei. Et rursus: Ego ero ei in patrem. Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus, & tu in principio, Domine, terram fundasti. Ita hic quoque, Testatus est autem in quodam loco quis, dicens. Hoc ipsum autem opinor etiam esse occultantis, & ostendere eos esse valde peritos scripturarum, quòd non ponat eum qui dixit testimonium, sed introducat; vt quod vulgò circumferatur & sit manifestum. Quid est homo quòd memor es eius? aut filius hominis quòd visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis. Gloria & honore coronasti eum. Omnia subiecisti sub pedibus eius. Hæc autem etiamsi dicta sint de communi humanitate, magis propriè tamen conuenerint Christo secundum carnem. Illud enim, Omnia subiecisti sub pedibus eius, magis est illius, quàm nostrum. Dei enim filius nos, cum nihil essemus, visitauit, & cum id quod nostrum est suscepisset, & sibi vniisset, factus est omnibus superior. In eo enim quòd omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei. Quòd autem dicit est huiusmodi. Quoniam dixit, Donec ponā inimicos tuos scabellum pedum tuorum, erat verisimile eos adhuc angere & tristitia affici. Deinde postea paucis interiectis, hoc subiunxit, testimonium illud confirmans. Nam ne dicerent, Quomodo inimicos posuit sub pedibus suis, cum nos tam multa passi simus? Satis quidem & in præcedentibus hoc ipsum tacitè significauit. Illud enim Donec, non quòd statim fit significabat, sed quòd fit in tempore. Hic autem ipsum pertractat & persequitur. Ne enim, quoniam, inquit, non sunt subiecti, existimes nec subiici. Nam quòd subiici quidè oporteat est perspicuum. Etenim propterea dicta est prophetia. In eo enim, inquit, quòd omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei. Quomodo ergo non sunt omnia ei subiecta? Quoniam sunt subiicienda. Nam si cum finis quidem aduenisset, & omnia essent subiecta, hæc patereris, meritò doleres. Nunc autem nondum videmus omnia ei subiecta. Rex nondum purè dominatum obtinuit. Quid ergo conturbaris malè patiens? Nondum omnes superauit prædicatio. Nondum est tempus vt perfectè subiiciantur. Deinde rursus alia consolatio, siquidem is qui est omnes habiturus subiectos, ipse quoque est mortuus, & innumerabilia perpeffus. Eum autem, qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis. Deinde rursus subiunxit quæ sunt bona. Gloria & honore coronatum. Vidisti quemadmodum ei omnia adaptauerit? Nam illud modico, cui magis quàm ipsi congruerit, qui tres dies solus fuit apud inferos, sed non nobis qui diu interimus & corumpimur. Et illud, Gloria & honore, illi longè magis, quàm nobis conueniet. Rursus crucem eis reuocat in memoriam, duo faciens: nempe & curam eius in nos ostendens, & suadens vt omnia generoso & forti animo feramus, ad magistrum aspicientes. Nam si is qui adoratur, inquit, ab Angelis, sustinuit quiddam minus habere quàm Angeli propter te: multò magis tu qui es minor Angelis, debes omnia ferre propter ipsum. Deinde ostendit quòd crux sit honor & gloria, quomodo quidem certè & ipse eam semper vocat, dicens: Vt glorificetur filius hominis. Si ergo ille vocat gloriam eam quæ passus est propter seruos: multò magis tu ea quæ pateris propter Dominum. Vides quantum sit fructus crucis

Psal. 96. 2. Reg. 7. Psal. 101. Ibid. 101.

Psal. 2.

Donec, non quòd statim fit significat, sed quòd fit in tē. pore.

Christus tres dies solus fuit apud inferos.

Crux est honor & gloria. Ioan. 11. Ioan. 13.

crucis. Rem formida. Tibi quidem videtur res esse tristis, parit autem bona innumerabilia. Ex his ostēdit vtilitatem tentationis. Deinde dicit: Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. Vt gratia Dei, inquit. Et ille quidem passus est propter Dei in nos gratiam. Qui proprio filio, inquit, non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit ipsum. Quānam de causa? Non hoc nobis debebat, sed fecit gratia. Et rursus in epistola ad Romanos dicit: Multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abūdauit. Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. Non pro fidelibus solum, sed pro vniuerso orbe terræ. Nam ipse quidem mortuus est pro omnibus. Quid tum autem, si nō omnes crediderunt? Ipse quod suum erat impleuit. Et propriè dixit, pro omnibus gustaret mortem. Nō dixit, moreretur. Nā vt qui reuera mortē gustasset, cum in eadeo paruo fuisset interuallo, statim surrexit. Atque dicendo quidè per passionem mortis, veram significauit mortem. Dicendo autem, Melior Angelis, ostendit resurrectionem. Quomodo enim medicus, cum non sit necesse vt gustet cibos ægroto paratos, propter curā illius quæ gerit, ipse prior gustat, vt persuadeat ægroto vt confidenter audeat cibum sumere: ita quoniam omnes homines mortem extimuerant, eis persuadēs vt in eam essent audaces, ipse quoque eam gustauit, cum non esset ei necesse. Venit enim, inquit, princeps mundi huius, & in me nihil inuenit. Sic & quod dicit, gratia, & illud, vt pro omnibus mortem gustaret, hoc constituit. Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gratiam adduxerat, authorem salutis eorū per passionem consummare. De patre hic dicit. Vides quomodo rursus ei adaptat illud, Per quem. Hoc non fecisset si id esset diminutionis, & filio solum conueniret. Quòd autem dicit est eiusmodi. Fecit, inquit, quæ digna erant sua benignitate, quòd omnibus illustriorem fecerit primogenitum, & vt tanquam fortis Athleta, & alios exuperans, aliis esset exemplar. Authorem salutis eorū: hoc est, causam salutis. Vides quantum intersit. Et hic est filius, & nos filij: sed ipse quidem seruat, nos seruamur. Vidisti quomodo nos coniungat & conciliet, & distinguat ac separet. Qui multos, inquit, filios in gloriam adduxerat. Hic conciliauit authorem salutis eorum: & rursus distinxit & disiunxit. Per passiones consummare. Passiones ergo sunt perfectio & causa salutis. Vide quòd malè esse passum, nō est eorum qui sunt derelicti. Si ergo Deus hoc primum eum honorauit, quòd per passiones deduxerit, carnem suscepisse, eaque suscepta passum esse, est longè maius quàm reuera mūdum fecisse, & ex nihilo produxisse. Et est hoc quidem benignitatis, illud verò lōgè amplius. Et hoc ipsum ipse quoque ostendens, dicit: Vt ostenderet in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ, in bonitate super nos, & contrefuscitavit & considere cum eo fecit in cœlestibus in Christo Iesu. Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gratiam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummare. Oportebat enim, inquit, eum qui curā gerit, & omnia ad hoc vt essent deduxit, tradere filium pro salute reliquorum, vnum pro multis. Sed non sic dixit, sed per passiones consummare. Ostēdit quòd qui pro aliquo est passus, non solum illi prodest, sed etiam ipse fit præclarior & perfectior. Hoc autem dicit fidelibus, eis animum addens, & reddens audaciores. Etenim Christus tunc fuit glorificatus, quādo est passus. Quādo autem dixit, fuit glorificatus, ne existimes ab eo assumptam esse gloriam: illam enim naturæ gloriam semper habuit nullo assumpto. Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes, Propter quā

Rom. 8. Rom. 5.

Christus pro vniuerso orbe terrarum est mortuus.

Ioan. 14.

Per quæ, non solum filio, sed patri etiam conuenit.

Passiones sunt perfectio salutis.

Epist. 2.

A causam non confunditur fratres eos vocare. Ecce rursus quomodo eos conciliat ac coniungit, & honoras, & consolans, & eos faciens fratres Christi, ex eo quòd sint ex vno. Deinde rursus rem comuniens, & ostendens se dicere de eo quòd est secundum carnem, subiunxit: Qui enim sanctificat, Christus: & qui sanctificatur, nos. Vides quantum intersit. Ille quidem sanctificat, nos vero sanctificamur, & superius eum dixit auctorem salutis. Vnus est enim Deus ex quo omnia. Propter quam causam non erubescit eos vocare fratres. Vides quomodo rursus ostendat excellentiam. Dicere enim, Non erubescit, ostendit totum esse, non rei naturæ, sed eius qui non erubescit benevolentia & multæ humilitatis. Nam etiamsi simus ex vno, ille quidem sanctificat, nos autem sanctificamur. Multum autem interest. Et ille quidem ex patre, tanquam verus & proprius filius, hoc est, ex eius essentia. Nos autem tanquam creatura, hoc est, ex nihilo. Multum itaque interest. Quamobrem dicit, Non erubescit ipsos vocare fratres, dicens: Nuntiabo nomen fratribus tuis. Nam carne indutus, induit etiam fraternitatem, & simul etiam ingressa est fraternitas. Sed hoc quidem meritò adducit: illud autem, Ego ero cōfidens in eum, quid sibi vult? Nam & quòd postea quidè sequitur, meritò: Ecce ego & pueri quos mihi dedit Deus. Sicut enim hic seipsum ostendit patrem, illic fratrem. Annuntiabo, enim, inquit, nomen meum fratribus meis. Et rursus ostendit multam excellentiam, & quòd multum intersit, per ea quæ deinceps sequuntur. Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini. Vides vbi sit similitudo, nempe secundum carnem. Similiter ipse quoque eorundem fuit particeps. Erubescant omnes heretici. Præ pudore se abscondant qui dicunt eum aduenisse visione & opinione, non ipsa rei veritate. Non solum enim dixit, Eorum fuit particeps, & tacuit. Quanquam etiā sic dixisset, satis esset: sed aliquid aliud maius posuit, nempe, Similiter, non visione & opinione, sed veritate ostendens esse fraternitatem. Deinde affert etiam causam dispensationis. Vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, hoc est diabolus. Hic ostendit quòd est mirabile, nempe quòd per quam vicit diabolus, per eam victus fuit, & quæ erant ei arma valida aduersus orbem terræ, nempe mors, per eam ipsum Christus ferit. Hic eius qui vicit magnam indicat potentiam. Vides quantum bonum mors fecerit. Et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti. Cur, inquit, horretis? Quid timetis eam, quæ est abolita planeque & inanis & otiosa? Non est amplius terribilis, sed est conculcata, contempta, vilis & abiecta, & planè nullius pretij. Quid est autem, Timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti? Quid hoc est? Quòd qui mortem timet, est seruus, & sustinet omnia ne moriatur. Aut illud, quòd omnes erant serui mortis, & quòd ea nondum esset abolita, eius dominatu tenebantur. Aut quòd in perpetuo metu viuerent homines, semper expectantes se morituros, & mortem formidantes, nullius voluptatis sensum poterant accipere, cum hic semper eis adesset metus. Hoc enim tacitè significauit, dicens per totam vitam. Hic ostendit eos qui affliguntur, qui expelluntur, qui priuantur patria & fortunis, & aliis omnibus, iucundius degere, quàm ij qui olim degabant in deliciis, quàm ij quibus nihil acciderat eiusmodi, quā quibus erant res secundæ: siquidem illi quidem per totam vitam erant huic metui obnoxij & serui. Ipsi autem erant ab eo liberati, & irridebant quòd illi horruerant. Idem enim nunc est. Vt si quispiam eum qui est vinculis ducendus ad mortem, & hoc semper expectat, multis impinguet deliciis: tale quidpiam mors erat olim. Nunc autem vt si quis metu illo cieto cum

Christus sanctificat, nos sanctificamur. 1. Cor. 8.

Christus est frater noster secundum carnem.

Diabolus fuit à Christo victus per mortem per quam vicit.

Mortis metus qualis olim esset.

deliciis, denuntiet esse certandum, & proponat certamen, vt non amplius ad mortem, sed ad regnum adducat, ex quibusnam esse molieris? Ex iisne qui in carne impinguntur, interea quotidie proferendam expectantes sententiam: an ex iis qui multum decertant, & lubentes laborant vt sint redimiti regni diademate? Vides quomodo eorum crexit animum, eosque suspensos tenuit & excitauit. Ostendit autem non solam cessasse mortem, sed per eam illum quoque qui aduersum nos semper bellum gerit implacabile, Diabolum, inquam, esse fractum & prostratum. Nam qui mortem non timet, est extra diaboli tyrannidem. Si enim pelle pro pelle, & omnia dabit quis pro anima sua, quando etiam ipsam ausus fuerit despiciere, cuiusnam iam erit feruus? Nullum timet, nullum formidat: est omnibus superior, & omnibus magis liberalis. Qui enim animam suam despicit, multo magis alia. Quando autem talem animam inuenit diabolus, nihil ex iis quae sua sunt in ea poterit efficere. Quid enim, pecuniae minabitur detrimentum, & infamiam, & exilium a patria? Sed haec sunt apud eos, qui ne animam quidem suam habent pretiosam, vt ait beatus Paulus. Vides quod mortis expulsa tyrannide, simul etiam confregit vires diaboli? Nam qui de resurrectione scit plurimum philosophari, quomodo timet mortem, quomodo horret de caetero?

MORALE.

N ergo tristitia afficiamini, dicentes: Cur haec & illa passi sumus? Sic enim fit clarior victoria: nec fuisset clara, nisi morte mortem fregisset. Hoc est autem quod est admirabile, quod per ea ipsum vicerit per quae erat fortis & potens, vbique ostendens quanta sibi suppetat facultas, & ad res gerendas solertia & acumen. Ne prodamus donum quod nobis fuit datum. Non enim accepimus, inquit, spiritum timoris, sed spiritum virtutis, & charitatis, & modestiae. Stemus ergo fortiter mortem irridendo. Sed mihi venit in mentem acerbe ingemiscere, reputando quoniam Christus nos adduxerit, & quoniam nos dimiserimus. Nam quando video qui sunt in foro planctus, & eiulatus propter e viuis excedentes, vluatufque & lamentationes, & alia quae sunt indecore: credite, me pudet Graecorum & haeticorum qui vident, & nos omnes, vt semel dicam, propterea irrident. Nam quidquid de caetero dixerero, frustra dicam philosophans de resurrectione. Quamobrem? Quonia non quae a me dicuntur attendunt Graeci, sed quae a vobis fiunt. Statim enim dicens. Quando poterit ex his quisquam mortem despiciere, qui ne potest quidem alium videre mortuum? Pulchra sunt quae dicta sunt a Paulo, & digna caelis Dei quae benignitate. Quid enim dicit? Et liberabit eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti. Sed non finitis nos haec cernere, per ipsa facta vobiscum pugnantem, etiam si Deus aduersus hoc multa dederit munimenta, vt hanc prauam tolleret consuetudinem. Nam, dic mihi, quid sibi volunt clarae lampades? An non eos tanquam Athletas deducimus? Quid autem hymni? An non Deum glorificamus & gratias agimus, quod eum qui excessit iam coronauerit? Quod a laboribus liberauerit? Quod eiecto metu cum apud se habeat? Non ideo sunt hymni? Non ideo psalmodiae? Haec omnia sunt latantium: est enim quispiam, inquit, laeto & alacri animo, psallat. Sed hos non attendunt Graeci. Ne mihi enim, inquit, dixeris eum qui ab animi metu remotus philosophatur. Hoc enim nihil est magnum, nec admirabile. Ostende mihi eum qui in ipso motu animi, & in eo quod accidit philosophetur, & tunc credam resurrectioni. Et quod hoc faciant quidem mulieres quae in huius vitae curis versantur, non est mirum, quanquam

Job. 1.

Diabolus fuit victus per ea per quae erat fortis & potens. Rom. 8.

Cur lampades, cerei & hymni in funeribus mortuorum.

A hoc quoque sit malum & graue. Nam ab iis quoque eadem exigitur philosophia. Quamobrem Paulus quoque dicit. De dormientibus autem nolo vos ignorare fratres, vt non contristemini, sicut & caeteri qui spem non habent. Non haec scribebat Monachis, nec iis quae semper sunt virgines, sed iis etiam quae versantur in mundo, quae dicuntur seculares. Sed non est hoc adeo malum & graue. Quando autem vel mulier aliqua, vel vir quispiam dicens se esse mundo crucifixum, hic quidem vellit capillos, illa vero valde eiulat, quid est hoc turpius & magis indecorum? Credite mihi dicenti: Si fieret vt oporteret, oporteret eos qui sunt huiusmodi, longo tempore arceri a liminibus ecclesiae. Qui enim sunt digni vt ita luceantur, ij sunt qui mortem adhuc timent & horrent, qui non credunt resurrectioni. At non sum, inquit, ego is qui non credam resurrectioni, sed requiro consuetudinem. Cur vero, dic mihi, quando vadis peregre, & longam suscipis peregrinationem, non eadem facis? Sed tunc quoque fleo, inquit, & lamentor requirens. Sed illud quidem reuera est eorum qui requirunt consuetudinem. Hoc autem est eius quae desperat de reditu. Cogita quid psallas illo tempore. Conuertere, inquit, anima mea in requiem tuam, quia dominus benefecit tibi. Et rursus: Non timebo mala, quoniam tu mecum es. Et rursus: Tu es mihi refugium a tribulatione quae me circumdat. Cogita quid sibi voluit hi psalmi: sed non attendis, verum es a luctu ebrius. Vel in aliorum exequiis diligenter considera, vt in tuis inuenias medicamentum. Conuertere anima mea in requiem tuam, quoniam dominus benefecit tibi, dicitis & lacrymaris. At non haec sunt ludus & histrionica simulatio? Nam si reuera credis iis quae dicitis, superuacane lucet & lamentaris. Si autem ludis, & simulas, & haec putas esse fabulas, cur psallis? Cur etiam eos qui adsunt pateris? Cur non eos qui psallunt abigis? At hoc, inquit, est furentium. Illud autem multo magis: Atque interim quidem admonco: procedente autem tempore hanc rem persequar vehementius. Valde enim timeo ne hoc modo grauis aliquis morbus subeat ecclesiam. Atque planctus quidem postea corrigam, interim autem denuntio, diuitesque & pauperes & mulieres valde obtestor. Contingat quidem vobis omnibus vt absque luctu e vita excedatis, & ea qua par est lege, patres qui consenuerunt deducantur a filiis, & matres a filiabus, & nepotibus, & pronepotibus in bona & profunda senectute, & nusquam sit mors immatura. Hoc ergo contingat, & hoc opto & precor: praesidesque & vos omnes rogo & hortor vt Deum alter pro altero oretis, & commune hoc fit vestrum votum. Si autem, quod absit, neque accidat, acerba mors aliqua euenerit, acerba, inquam, non natura, neque enim est de caetero mors acerba, a somno enim nihil differt, sed si nostra spectetur affectio, acerba mors euenerit, & aliquis has quae lamententur conduxerit, mihi credite dicenti: non aliter enim dico, quam sum affectus, qui velit irascatur, eum longo tempore arcebimus ab ecclesia, tanquam idololatram. Nam si Paulus auarum vocat idololatram: multo magis eum qui super fidelem ea introducit quae sunt idololatrarum. Quanam enim de causa, dic quae, vocas presbyteros eos qui psallunt? Non vt consolentur? non vt eum honores qui excessit? Cur ergo eum contumelia afficiat? Cur traducis? Cur autem ludis tanquam in scena? Nos venimus de resurrectione philosophantes: omnes erudientes, etiam eos qui nondum sunt icti, per honorem qui illi habetur, vt si quid eiusmodi contigerit, fortiter ferant. Tu autem eos adducis, qui, quod ad ipsos spectat, nostra destruunt. Quid hoc risu & hac ludificatione

Ab ecclesia arcedi qui lugent.

Psal. 14. Ibid. 31.

Mors non est acerba natura, sed nostra affectio.

Coloss. 1.

Mores perniciosi in ecclesia non admittendi.

Matt. 18. Luc. 17.

Matt. 10. Ioan. 20.

Amicus inuehens est ferendus.

tionem est peius? Quid est grauius hac inaequalitate? Erubescite & pudore suffundimini. Si non vultis, nos perniciosos eiusmodi mores non sinimus in ecclesiam inducere. Peccantes enim, inquit, coram omnibus argue. Porro autem illis quoque infelicibus & miseris mulieribus per vos prohibemus, ne vnquam ingrediantur ad fidelium funera quae efferuntur, ne reuera ipsas cogamus sua mala deslere, & erudiamus eas non in alienis hoc facere, sed suas potius deplorare calamitates. Etenim pater quoque beneuolus, quando habet insolentem & immodestum filium, non illi soli suadet ne consuetudinem habeat cum improbis, sed illos quoque terret. Ecce ergo nos quoque & vos, & illas per vos hortamur, vt nec vos illas vocetis, neque illae accedant. Et faxit quidem Deus vt sermo aliquid efficiat amplius, & valeant minae. Sin autem, quod absit, contemptui sumus habiti, necesse habemus de caetero minas deducere ad effectum. Vos quidem erudientes legibus ecclesiasticis: illas autem vt illis conuenit. Si quis autem arroganter & insolenter se gerens despicit, audiat Christum nunc quoque dicentem, Si peccauerit in te, vade, argue eum inter te & ipsum solum. Si autem non pareat, accipe tecum vnum aut duos. Si autem etiam sic contradicat, dic ecclesiae. Si autem ecclesiam quoque non audiat, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus. Si autem eum qui in me peccat, cum non paruerit, sic iubet auersari, in eum, qui in se peccat & in Deum, quomodo me gerere debeam, vos iudicate. Vos enim nos condemnatis, qui tam molliter & leniter vobiscum agimus. Si quis autem contemnit quae sunt apud nos vincula, eum rursus Christus erudiat, dicens: Quaecunque ligaueritis supra terram, erunt ligata in caelo: & quaecunque solueritis supra terram, erunt soluta in caelo. Nam etsi nos sumus miseri & nihili, & digni qui despiciamur, sicut reuera digni sumus, non tamen nos vlciscimur, neque iram referimus, sed salutis vestrae curam gerimus. erubescite quae & pudore suffundimini. Nam si quis fert amicum qui vehementius quam par sit inuehitur, examinans eius scopum & institutum, & quod hoc animo facit beneuolo, non per arrogantiam: multo magis ferre debetis magistrum increpantem, & magistrum, qui nec ipse haec dicit ex auctoritate, neque instar principis, sed instar curatoris. Neque enim haec dicimus volentes ostentare potestatem. Quomodo enim, qui optamus vt nec ad eorum veniat experientiam, sed de vobis dolentes & plangentes. Ignoscite, & nemo vincula contemnat ecclesiastica. Non est enim homo qui ligat, sed Christus, qui nobis dedit hanc ligandi potestatem, & efficiens vt homines in sua potestate habeant tantum honorem. Nam nos quidem vt volumus potestate ad soluendum. Imo vero vellemus ne hoc quidem nobis esse necesse. Nullum enim volumus esse apud nos vinculum. non adeo sumus infelices & miseri, etiam si sumus plane nihili. Sed si necesse habuerimus, ignoscite. Non enim lubentes nec volentes, sed magis quam vos vinciti dolentes, vincula iniicimus. Si quis autem ea contemnat, adueniet tempus iudicij quod ipsum doceat. Quod restat nolo dicere, ne vestram mentem feriam. Nam nos quidem primum non optamus vt necesse habeamus. Sed si necesse fuerit, nostrum munus implemus, vincula iniicimus. Si quis autem ea perfrigerit, ego quod meum est feci, & sum de caetero nulli culpae affinis. De eo autem erit tibi disceptandum cum eo qui mihi iussit ligare. Neque enim si Rege praesidente, ex astantibus satellitibus iussus sit quispiam vincire aliquem ex cohorte, & ei vincula iniicere, ille autem non solum eum repulerit, sed etiam vincula cotriuerit, estne satelles qui affectus est contu-

melia, non autem multo magis Rex qui iussit? Si enim quae fiunt in fideles ipse sibi facta reputat, quando contumelia afficitur cui impositum fuit munus docendi, multo magis afficietur tanquam ipse affectus contumelia. Sed absit vt quispiam ex iis qui sunt in hac ecclesia, ad hanc veniat necessitatem suscipiendi vincula. Nam quomodo bonum est non peccare, ita est vtile ferre reprehensionem. Feramus ergo increpationem, & studeamus non peccare. Sed si peccauerimus, feramus reprehensionem. Quomodo enim bonum quidem est non feriri: sed si hoc acciderit, imponere plagae medicamentum. Persuasa enim sunt nobis de vobis meliora, etiam si sic loquimur. acrius autem & vehementius sumus locuti pro maiori cautione. Melius est enim vt vos me suspicemini audacem, saeuum, & arrogantem, quam vos faciatis ea quae Deo non placent. Deo autem credimus hanc reprehensionem non futuram vobis inutilem, sed vos ita mutandos, vt hi sermones in vestris consumantur encomiis & laudibus, vt omnes digni habeamur qui consequamur bona quae Deus promisit iis qui ipsum diligunt in Christo Iesu domino nostro, cum quo patri vna cum sancto Spiritu gloria imperium, &c.

Reprehensionem ferre est vtile.

ORATIO V.

V S QVAM enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus similari. Volens Paulus ostendere multam Dei benignitatem & charitatem, quam habuit in genus humanum, postquam dixit, Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem, hunc locum explicat & persequitur. Ne enim leuiter attendas quod dictum est, neque nudum & quod nihil habeat latens aliquid esse existimes, quod ipse carnem nostram susceperit. Non enim hoc donauit Angelis. Non enim, inquit, Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ. Quid est quod dicit? Non Angeli, inquit, apprehendit naturam, sed hominis. Quid est autem Apprehendit? Non enim apprehendit, inquit, illam Angelorum naturam, sed nostram. Cur autem non dixit, Suscepit, sed vltus est hac dictione Apprehendit? A metaphora eorum qui persequuntur auersos, & omnia faciunt vt fugientes comprehendant, & resistentes apprehendant. Ab ipso enim fugientem humanam naturam, & procul fugientem, longe enim eramus, persecutus, comprehendit. Ostendit eum id fecisse sola motum benignitate, charitate, & quam nostri gerit cura. Quomodo ergo quando dicit, Nonne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis, ostendit ei magnae esse curae humanam naturam, & Deum eius multam habere rationem, ita etiam hic ostendit quod est multo maius a comparatione. Non enim, inquit, apprehendit Angelos: est enim reuera magnum, & admirabile, & plenum stupore, quod quae est ex nobis caro se deat apud superos, & adoretur ab Angelis & Archangelis, & Seraphim, & Cherubim. Hoc saepe mente versans, stupeo & mente excedo, & magna de genere humano visione apprehendo. Video enim magna & praecleara praemia, & nostram naturam Deo esse magno studio. Et non dixit solum, homines apprehendit, sed volens ipsos extollere, & ostendere ipsorum genus esse magnum & honorandum, dicit, Sed semen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus similari. Quid est per omnia fuit? Fuit, inquit, partu editus, & nutritus, & creuit, & passus est omnia quae oportuit, & tandem est mortuus. Hoc est, per omnia assimilatum esse fratribus. Nam quoniam multa dixit de eius maiestate

Cur humanam naturam apprehendit se a Paulo dicitur Christus.

& superna gloria, de cætero verba facit de dispensatione. Vide autem cum quæta vi, & quomodo ipsum ostendat magnum adhibere studium vt nobis assimiletur, quod quidem erat magnæ curæ & prouidentia. Nam cum dixisset superius, Quia pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem, hic quoque dicit per omnia similitudinem esse fratribus, pro modo dicens. Qui est adeo magnus, qui est splendor gloria, qui est character substantia, qui fecit secula, qui sedet ad dexteram patris, is voluit, & studium posuit vt frater noster fieret in omnibus, & ideo dimisit Angelos & supernas potestates, & ad nos descendit, & nos apprehendit, & bona fecit innumerabilia: mortem fregit, à diaboli tyrannide nos eripuit, à seruitute nos liberauit: non solum fraternitate honorauit, sed etiam aliis innumerabilibus. Voluit enim esse noster Pontifex apud patrem. Subiungit enim: Vt misericors fieret & fidelis Pontifex ad Deum. Propterea, inquit, carnem nostram suscepit, propter benignitatem solum & clementiam, vt nostri misereretur. Non est enim alia dispensationis causa quam hæc sola. Vidit enim nos humi abiectos, percuntes, & à mortis oppressos tyrannide, & miseratus est. Vt repropitiaret, inquit, delicta populi. Vt misericors fieret, & fidelis, & Pontifex. Quid est fidelis? Verus, potens. Pōtifex enim fidelis est filius, qui potest liberare à peccatis eos quorum est Pontifex. Vt ergo offerat hostiam quæ possit nos mundare & expiare, propterea factus est homo. Subiunxit ergo, Ad Deum. Erasmus, inquit, Dei inimici, condemnati, probro & ignominia affecti. Nemo erat qui pro nobis oblaturus esset sacrificium. Vidit nos in hoc esse statu, & est miseratus, non nobis constituens Pontificem, sed ipse factus Pōtifex. Quomodo fidelis? Subiunxit, Vt repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo passus est ipse tentatus, potens est & eis qui tentantur auxiliari. Hoc est valde humile & abiectum, & Deo indignum. In quo enim passus est, inquit, ipse, hic dicit de incarnato. Et dictum est ad certiores reddendos auditores, & propter eorum imbecillitatem. Hoc est, inquit, venit per ipsam experientiam eorum quæ passi sumus. Nunc nō ignorat nostras perpeffiones. Non solum scit vt Deus, sed etiam cognouit vt homo per eam, qua passus est, experientiam. Multa passus est, scit compati & misereri, quanquam Deus est impatibilis. Sed hic narrat quæ sunt incarnationis. Quasi diceret: Ipsa quoque caro Christi multa passa est graui. Nouit quid sit afflictio: nouit quid sit tentatio, non minus quam nos qui passi sumus: nam ipse quoque est passus. Quid ergo est, Potens est & iis qui tentantur auxiliari? Quasi dixeris: Magna animi alacritate manum porriget, commiserabitur. Nam quoniam magnum volebant, & amplius quid habere quam qui erant ex gentibus, ostendit eos in hoc habere amplius, in quo nihil læsit eos qui erant ex gentibus. In quoniam? Quod ex ipsis est salus. Quod illos primum apprehendit. Quod ex illis carnem suscepit. Non enim Angelos, inquit, apprehendit, sed semen Abraham apprehendit. Per hoc honorat etiam Patriarcham, & ostendit. Et quid est semen Abraham? Eis reuocat in memoriam promissionem quæ ipsis facta est, dicentem, Tibi & femini tuo dabo terram hanc. Per hoc autem ostendit propinquitatem, quod ex vno sint omnes. Sed non magna erat illa propinquitas. Rursus venit ad eam, & de cætero immoratur in dispensatione quæ est secundum carnem, & dicit. Erat quidem ipsum etiā voluisse fieri hominem, magnæ curæ & charitatis. Nunc autem non hoc est solum, sed etiam sunt bona immortalia, quæ per ipsum nobis sunt exhibita. Vt repropitiaret, inquit, delicta populi. Cur non dixit, Orbis terræ,

sed populi? Nam omnium portauit peccata, quoniam tunc ab eo de ipsis Hebrais verba fiebant. Nam Angelus quoque dicebat Iosepho. Vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum. Hoc enim oportebat primum fieri. & propterea venit vt eos saluos faceret, & tunc per hos, illos, etiam si contrarium euenerit. Hoc Apostoli quoque dicebant ab initio. Vobis suscitans filium suum misit eum benedicentem vobis. Et rursus: Vobis missum est verbum salutis. Nobilitatem hic ostendit Iudaicam, dicens, Ad expianda peccata populi. Interim sic dicit. Nam quod ipse sit qui omnium peccata dimisit, ostendit & in Paralytico, dicens: Dimittuntur tibi peccata. Et in baptisate. Dicit enim discipulis: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. Cū autem carnem apprehenderit, Paulus omnia de cætero loquitur abiecta & humilia, nihil veritus. Vide enim quid iam dicat. Vnde fratres sancti vocationis celestis participes, considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Iesum: qui fidelis est ei qui fecit illum, sicut & Moyses in omni domo eius, Eum Moysi præpositurus per comparationem, ad legem sacerdotij deduxit orationem. Nō enim de Moysē paruam habebant omnes opinionem. Et iam primum deicit semina excellentiæ. Atque incipit quidem à carne: ascendit autem ad diuinitatem vbi non erat amplius comparatio. Inccepit interim à carne ponere æqualitatem, & dicit: Sicut & Moyses in omni domo eius, & non ab initio ostendit excellentiam, ne resliret auditor, & aures protinus obstrueret. Nam etsi erant fideles, in eorum tamen conscientia adhuc valde residebat Moyses. Qui est, inquit, fidelis ei qui fecit eum. Quidnam fecerat? Apostolum & Pontificem. Nihil hic dicit de essentia, neque de diuinitate, sed interim de humanis dicit dignitatibus. Sicut & Moyses in omni domo eius. Hoc est, in populo, aut in templo. Hic autem dicit, In domo eius. Perinde ac si dixeris, De iis qui sunt in domo. Tanquam procurator quispiam & dispensator domus, sic erat Moyses populo. Nam quod populum dicat domum, subiunxit, Cuius domus sumus nos. Hoc est, sumus in eius possessione. Deinde excellentia. Amplioris enim gloriæ iste præ Moysē dignus est habitus. Rursus de carne, Quanto ampliore honorem habet domus qui fabricauit illam. Et ipse erat, inquit, de domo. Et non dixit, Iste enim erat quidem seruus, ille verò dominus: sed hoc latenter indicauit. Si populus erat domus, ipse autem erat ex populo: & ipse ergo erat de domo. Nam nobis quoque mos est sic dicere, Hic est ex domo illius. Hic autem dicit domum non templum. Non enim Deus ipse construxit, sed homines. Qui fecit ipsum Deus est. Dicit Moysē. Vide autem quomodo latenter ostendit excellentiam. Fidelis, inquit, erat in tota domo eius, cū ipse esset de domo, hoc est, de populo. Maiorem habet honorem artifex, quam opera, sed & qui domum construxit, quam domus. Qui autem construxit Deus est. Vides quod non dicat de templo, sed de toto populo. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius, tanquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant. Ecce alia quoque differentia quæ est à filio & seruis. Vides quod tacite significat proprietatem & veritatem per appellationem filij? Christus verò tanquam filius in domo sua. Vidisti quomodo distinguit ac separet opera & effectorem. Quomodo seruus & filium. Et ille quidem in res paternas ingreditur tanquam filius, hic verò tanquam seruus. Quæ domus sumus nos: si fiduciam & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus. Cuius, nempe Dei. Hic rursus eos hortatur vt fortiter resistant, & non cadant. Domus enim, inquit, erimus Dei, quod erat Moyses, si fiduciam & gloria-

Christus voluit nobis assimilari, & esse frater in omnibus.

Christus non constituit nobis Pontificem, sed ipse factus est Pontifex.

Gen. 13.

Ad expianda peccata populi.

Luc. 1.

Act. 1. Ibid. 13.

Marc. 2. Matt. 2 & 4.

Cap. 111.

Moyfes erat populi tanquam domus dispensator.

Qui est miles, non gloriatur.

Psal. 13. Gen. 18. Ibid. 6.

Es. 7. Mich. 6.

In spe bona sunt omnia.

Rom. 8.

Ibidem.

riationem vsque ad finem firmam retineamus. Qui dolore quidem, inquit, afficitur in tētionibus, & animo concidit, non gloriatur. Qui pudore suffunditur & se abscondit, non habet fiduciam. Qui est tristis, non gloriatur. Deinde eos quoque laudat, dicens. Si fiduciam & gloriationē spei vsque ad finem firmam retineamus: ostendens quod cœperunt. Fine autem est opus, & non solum oportet stare, sed etiam firmam & stabilem habere fidem in certitudine fidei, minimè labefactos à tentationibus. Si enim de patre qui carnem non suscepit dicit scriptura, De cælo prospexit dominus, & vidit omnes filios hominum, hoc est, omnia exactè & accuratè didicit. Et rursus: Descendens videbo, an secundum clamorem eorū fiant. Et rursus: Non potest Deus ferre vitia hominum, scriptura, inquam, diuina iræ ostendens multitudinem: multò magis de Christo qui est in carne passus hæc dicuntur. Nam quoniam multi homines existimant experientiam esse omnibus fidiorem ad cognitionē, vult ostendere quod qui est passus, nouit quid patiatur humana natura. Vnde fratres sancti. Vnde dicit pro propterea. Vocationis celestis participes. Nihil hic quæritis. Si illuc vocati estis, illic est merces, illic remuneratio. Quid verò est, Considerate Apostolum, & Pontificem confessionis nostræ Iesum Christum: qui fidelis est ei qui fecit illum, sicut & Moyses in omni domo eius. Quid est, Qui est fidelis ei qui fecit illum? Qui prouidet, qui suis præest & defendit, & non finit vt temerè ferantur & agantur. Sicut & Moyses in omni domo eius. Hoc est, cognoscite quis & cuiusmodi sit Pontifex, & non opus habebitis alia consolatione, nec adhortatione. Apostolum autem propterea quod sit missus, & Pontificem confessionis nostræ, hoc est, fidei, & huic sicut illi fuit commissa populi præfectura & administratio, sed maior, & in rebus maioribus. In testimonium eorum quæ dicenda erant. Quid dicit? Testimonium hominum Deus accipit? Maximè. Si enim cælum testatur, & terram, & colles, dicens per Prophetam. Audi cælum, & ausculta terra, quoniam dominus locutus est. & Audite valles fundamenta terre, quoniam iudicium est domino ad populum suum: multò magis homines. Hoc est, vt sint testes, quando ipsi se impudenter gesserint: Christus verò tanquam filius. Nam ille quidem curat aliena: hic verò sua. Et gloriationem spei. Rectè dixit spei, quoniam in spe bona erant omnia. Sic autem eam oportet retinere, vt iam gloriemur tanquam ob ea quæ facta sunt. Propterea dicit, gloriationem spei, & subiungit, Ad finem firmam retineamus. Nam spe salui facti sumus, & per toleratiam expectamus. Ne propter præsentia mœrorum afficiamur: neque iam quæramus quæ postea sunt promissa. Spes enim, inquit, quæ videtur, non est spes. Nam quoniam bona sunt magna, hic ea non possumus accipere in vita fluxa & in quam cadit interitus. Quam ergo de causa ea nobis prædixit, eum hic ea non sit daturus: Vt promissione recreet animos, vt animi alacritatem cōfirmet ac corroboret pollicitatione: vt mentem nostram erigat & excitet. Propterea hæc omnia facta sunt.

MORALE.

NE ergo turbemur: nemo videns malos bene rem suam gerere conturbetur. Neque vitij, neque virtutis est hic remuneratio. Si quando autem fiat & vitij & virtutis remuneratio, non tamen fit pro meritis, sed solummodo tanquam gustus iudicij: vt qui resurrectioni minus credunt, hic quoque castigentur. Quando ergo viderimus sceleratum ditatum, ne animo concidamus. Quando viderimus bonum malè patientem, ne conturbemur. Nam illic sunt coronæ, illic supplicia. A-

Chrysof. tom. 4.

Alioqui autem fieri non potest, vt & malus sit omni ex parte malus, sed potest ipse quoque habere bona aliqua: & bonus sit omni ex parte bonus, sed potest etiam ipse habere aliqua peccata. Quado ergo rem suam bene gerit sceleratus, hoc euenit in malum eius capitis. Vt enim paucorum illorum hic accepta remuneratione, illic deinde perfectè puniatur, ea de causa hic accipit. Et ille est maximè beatus qui hic punitur, vt omnibus depositis peccatis probatus hinc abeat, & purus & nulli culpæ affinis. Et hoc nos Paulus quoque docens, dicit: Propterea in vobis multi ægroti & infirmi, & dormiunt permulti. Et rursus: Tradidi huiusmodi hominem Satanæ. Et Propheta dicit: Accepit è manu domini duplicia peccata. Et rursus Dauid: Vide inimicos meos quia multiplicati sunt supra me, & odio iniquo oderunt me, & dimitte omnia peccata mea. Et rursus alius: Domine Deus noster, pacem da nobis: nam omnia reddidisti nobis. Sed hæc quidem sunt ostendentis bonos hic pœnas luere pro peccatis. Quod autem mali hic accipientes bona illic perfectè puniantur, audi Abraham dicentem diuiti: Recepisti bona tua, & Lazarus mala. Quam bona? Dicens, Hic recepisti, non autem accepisti, ostendit vtrunque fuisse affectum pro debito, & illum cui fuerunt res secundæ, & hunc cui aduersæ: & dicit, Propterea hic consolationem hic accipit. Vides enim eum esse mundum à peccatis, & tu dolore conficeris. Ne ergo tristes simus, cū viderimus peccatores hic bonis affici: sed quando nos ipsi malè patimur, lætemur: ea enim res est peccatorū exolutio. Ne quæramus remissionem: Christus enim afflictionē promissit suis discipulis. Et Paulus dicit, Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Nullus fortis Athleta in certamine quærit lauacra, & mensam repletam cibis & vino. Hoc non est Athletæ, sed viri mollis & effœminati. Nā Athleta pugnat cum puluere, oleo, calore radij, cum multo sudore, afflictione, & angustia certaminis. Hoc est tempus pugnandi. Ergo & vulnera accipiendi, & sanguinem effundendi, & dolendi. Audi quid dicat beatus Paulus. Sic pugno, non tanquam aërem verberans. Existimemus totam vitam esse ad certamen constitutam, & nunquam quæramus requiem. Nūquam si affligamur, aliquid noui & alieni nobis accidisse putabimus: siquidem neque pugil aliquid noui & alieni sibi putat accidisse, quando est in certamine. Aliud est tempus remissionis: per afflictionem nos oportet perfici. Etiam si nō sit persecutio, nec afflictio, sunt tamen aliæ afflictiones, quæ nobis quotidie accidunt. Si hæc autem non ferimus, vix illas tulerimus. Tentatio, inquit, vos nō apprehendat, nisi humana. Deum ergo oremus ne intremus in tentationem. Sin autem intrauerimus, eas forti animo feramus. Nam illud quidem est virorum sapientum & moderatorum se in pericula non temerè iniicere. Hoc autem fortium & philosophorum. Neque ergo nos temerè proiciamus: est enim audaciæ & temeritatis. Neque si ducamur, nos rebus vocantibus cedamus: est enim timiditatis. Sed si vocet quidem prædicatio, non recusemus. Sed si non sit causa, nec vsus postulet, nec necessitas conuenienter pietati nos vocet, non temerè procurramus: ea enim res est ostentatio, & inanis & superuacanea honoris appetitio. Sin autem quidpiam factum fuerit quod lædat pietatem, etiam si oporteat mille mortes subire, nihil recusemus. Ne pro uoces tentationes si ex voto tibi procedat pietas. Cur superuacanea attrahis pericula, quæ lucri nihil afferunt? Hæc dico, volens vos seruare leges Christi, qui iubet orare ne intretis in tentationem, & iubet accepta cruce eum sequi. Hæc quidē non sunt contraria, sed valde

1. Cor. 11. & 5. Esai. 40. Psal. 24. Esa. 26.

Luc. 16.

Lætedum est quado hic malè patimur. Ioan. 16.

2. Tim. 3.

1. Cor. 9. Tota vita est certamen constitutum.

1. Cor. 10.

Marc. 6.

Mar. 8.

congruunt ac conueniunt. Nam tu quidem, cum A
 ranquam miles fortis te pararis & instruxeris, esto affi-
 duè in armis, sobrius, vigilans, hostem semper expe-
 ctans: bella autem non procrees. Hoc enim non est
 militis, sed seditiosi. Sin autem te vocarit tuba pietatis,
 illico egredere, & animam despice, & cum magna ani-
 mi alacritate certamina aggredere, perfringe aciem
 aduersariorum. Diaboli vultum conscinde, trophæum
 erige. Sin autem nihil lædatur pietas, neque quisquam
 nostra populetur dogmata, quòd, inquam, atinet ad a-
 nimam, neque quidquam cogaris facere ex iis quæ
 Deo non placent, ne superuacaneus sit labor tuus. O-
 portet Christiani vitam esse plenam sanguine, sangui-
 ne, inquam, non in fundendo alieno, sed in eo quòd sis
 paratus tuum effundere. Cum tanta ergò animi ala-
 critate proprium sanguinem effundamus, quando hoc
 fuerit pro Christo, cum quanta quisquam aquam effu-
 derit. Etenim aqua est sanguis qui corpus circumfluit,
 & cum tanta facilitate carnem exuerimus, cum quan-
 ta vestem. Hoc autem erit si non simus alligati pecu-
 niis, si non pendeamus ab edibus, non à voluptate, non
 ab omnibus. Si enim qui hanc vitam degunt milita-
 rem, omnibus subiiciuntur, & quo bellum vocauerit
 illic adsunt, & iter ineunt, & alacri animo omnia tol-
 rant: multò magis nos, qui sumus Christi milites, ita
 paratos & instructos esse oportet, & aciem struere ad-
 uersus bellum vitiorum. Non est nunc persecutio, &
 absit vt sit vnquam, sed est aliud bellum cupiditatis pec-
 uniarum, bellum inuidiæ, bellum animi perturbatio-
 num. Hoc bellum narrans dicit Paulus: Non est nobis
 colluctatio aduersus carnem & sanguinem. Hoc bel-
 lum semper instat. Propterea vult nos stare semper ar-
 matos. State ergo, inquit, succincti. Quod ipsum quo-
 que est præsentis temporis, & ostendit quòd oporteat
 semper armari. Magnum enim est bellum per lin-
 guam: magnum per oculos. Hoc ergo cohibeamus.
 Magnum est bellum cupiditatum. Propterea illinc in-
 cipit armare militem Christi. State enim, inquit, suc-
 cincti lumbos vestros, & subiunxit, In veritate. Quare
 in veritate? Est enim cupiditas illusio & mendacium.
 Propterea dicit Propheta. Lumbi mei impleti sunt il-
 lusionibus. Non est ea res voluptas, sed umbra volupta-
 tis. Succincti, inquit, lumbos vestros in veritate. Hoc
 est, in vera voluptate, modestia, honestate. Propterea
 hæc suadet, videns peccati absurditatem, & volens om-
 nia membra nostra esse circumquaque munita. Ira
 enim, inquit, iniusta non erit infons. Et vult nos indui
 lorica & scuto. Ira enim est fera facilè insiliens: & mil-
 le nobis vallis & septis opus erit ad eam superandam
 & cohibendam. Et propterea maxime quidem hanc
 partem ædificauit nobis Deus ex ossibus, tanquam ex
 quibusdam lapidibus, fulcro & munimento ei circum-
 posito, ne his aliquando diruptis & dissectis totum pe-
 rimeret animal. Ignis est enim, inquit, & magna tem-
 pestas, & non aliud membrum hanc vim sustinuerit. Por-
 rò autem dicunt etiam medici ea de causa cordi sub-
 stratum esse pulmonem, vt ipsum cor, cum sit in molli,
 tanquam in aliquam insiliens spongiam, requiescat,
 non autem in resistens & durum pectus, lædatur impe-
 tu sanguinis. Opus est ergo nobis lorica valida, vt hoc
 animal perpetuo conseruet in quiete. Opus est autem
 nobis etiam galea. Nam quoniam illic est facultas rati-
 ocinandi, & ex hoc potest vel saluū esse, quando fiunt
 quæ oportet, vel perire, propterea, inquit, Et galea salu-
 tis. Nam cerebrum quidem natura est molle: & ideo
 quãdam veluti testa supernè tegitur bregmate. Est au-
 tem nobis causa omnium bonorum & malorum, siue
 iis quæ oportet cognitis, siue iis quæ non sunt huiusmo-

Sanguis pro Christo quomodo effundendus.

Ephes. 6.

Arma aduersus libidinem.

Psal. 37.

Pulmorum cordi substratus.

di. Iam verò pedes quoque & manus nobis armis indi-
 gent. Non hæc manus, neque hi pedes, sed rursus pedes
 & manus animæ. Hæc quidem quæ oportet meditâtes,
 illi autem vt eant quòd decet. Sic ergo nos armemus, &
 poterimus hostes superare, & corona redimiri, in Chri-
 sto Iesu domino nostro, cum quo patri sit gloria, vnâ
 cum sancto Spiritu, &c.

Arma manu & pedum.

ORATIO VI.



VAPROPTER sicut dicit Spiritus sanctus,
 Hodie si vocem audieritis, nolite obdurare cor-
 da vestra, sicut in exacerbatione secundum diem
 tentationis in deserto, vbi tentauerunt me pa-
 tres vestri, probauerunt & viderunt opera mea

quadragesima annis. Propter quod offensus fui generationi huic,
 & dixi: Semper errant corde. Ipsi autem non cognouerunt
 vias meas. Quibus iuravi in ira mea, si introibunt in requiem
 meam. Cum de spe differuisset Paulus, & dixisset quòd
 domus eius sumus, si fiduciam & gloriationem spei ad
 finem firmam retinuerimus, iam ostendit quòd oportet
 fimiter expectare, idque probat ex scripturis. At-
 tendite autem. Dixit enim difficilior & ad comprehē-
 dendum obscurior. Quamobrem oportet, cum quæ
 nostra sunt dixerimus, & totum argumentum vos bre-
 uiter docuerimus, ita deducere orationem ad ea quæ
 scripta sunt. Nobis enim non amplius egebitis, si sco-
 pum & institutum didiceritis Apostolicum. Ab eo de
 spe agebatur, & quòd futura sperare oporteat, & quòd
 iis qui hinc laborauerint erit merces aliqua, & fructus,
 & requies. Hoc ergo ostendit ex Propheta. Et quid di-
 cit? Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus. Hodie si
 vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, si-
 cut in exacerbatione secundum diem tētationis in de-
 serto, vbi tentauerunt me patres vestri, probauerunt
 me, & viderunt opera mea quadragesima annis. Propter
 quod offensus fui generationi huic, & dixi: Semper er-
 rant corde. Ipsi autem non cognouerunt vias meas. Qui-
 bus iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.
 Dicit tres esse quietes. Vnam Sabbati, in qua Deus qui-
 euit ab operibus suis. Secundam Palestinæ, in quam in-
 gressi Iudæi erant quieturi à multa afflictione, & labori-
 bus. Tertiam, quæ verè est quies, nempe regnum cæ-
 lorum, quam assecuti verè quiescunt à laboribus & af-
 flictionibus. Trium ergo hinc meminit. Et quãnam de
 causa de vna loquens trium meminit? Vt ostenderet
 Prophetam de hac loqui. Nam de prima, inquit, non
 dixit. Quomodo enim de ea quæ fuit olim? Sed nec de
 secunda quæ fuit in Palæstina. Quomodo enim? Non
 enim, inquit, introibunt in requiem meam. Restat vt
 iam sit hæc tertia. Necesse autem est historiam quoque
 explicare, vt dilucidior reddamus orationem. Nam
 postquam ex Ægypto egressi, multa via confecta, &
 Dei virtutis innumerabilibus acceptis indiciis, & in
 Ægypto, & in mari rubro, & in deserto, voluerunt miter-
 ere speculatores, naturam terræ speculatos. Illi autè
 egressi redierunt, regionem quidem admirâtes, & præ-
 stantium fructuum feracem esse dicentes, sed inexpugnabilem
 viro-
 rum & fortium esse regionem: ingrati autem & nullo sensu præditi Iudæi, cum oporteret eos
 priorum meminisse beneficiorum, & quomodo eos
 interceptos in medio tantorum Ægyptiacorum exerci-
 cituum eripuit à periculis, & eorum effecit potiri spo-
 liis, & rursus in deserto petram rupit, & aquarum do-
 nauit abundantiam, & manna præbuit, & alia effecit
 mirabilia, & Deo credere, eorum quidem nihil eis ven-
 nit in mentem, tanquam nihil omnino factum esset,
 sed attoniti & stupefacti, Volumus, inquiunt, reuerti
 in Ægyptum. Eduxit enim, inquebant, nos huc Deus,
 vt nos

Psal. 94.

Psal. 94.

Tres sunt quietes.

Num. 10.

vt nos de medio tolleret cum filiis & vxoribus. Deus
 ergo irascens, quòd eorum quæ facta fuerant tam citò
 amississent memoriam, iurauit generationē illam quæ
 hæc dixerat, non ingressuram in requiem: & omnes
 perierunt in deserto. Nam Dauid, inquit, postea, & post
 illorum generationem loquens, dicebat: Hodie si vo-
 cem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra sicut
 in exacerbatione, ne eadem patiamini quæ maiores
 vestri, & priuemini requie. Nam si accepissent, inquit,
 requiem, quãnam de causa eis rursus dicit: Hodie si vo-
 cem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra sicut
 in exacerbatione: Quænam est ergo alia requies quàm
 regnum cælorum, cuius imago & typus est sabbatum?
 Deinde cum vniuersum posuisset testimonium, hoc
 autem est, Hodie si vocem eius audieritis, nolite ob-
 durare corda vestra sicut in exacerbatione. Secundum
 diem tentationis in deserto, vbi tentauerunt me patres
 vestri, & viderunt opera mea quadragesima annis. Pro-
 pter quod offensus fui generationi illi, & dixi: Semper
 errant corde. Ipsi autem non cognouerunt vias meas.
 Quibus iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam,
 tunc subiungit: Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum
 cor malum incredulitatis discedendi à Deo viuo. Ex duritie e-
 nim fit incredulitas: & quomodo corpora quæ occal-
 luerunt & duritie contraxerunt, non cedunt mani-
 bus medicorum, ita etiam indurata animæ non cedebant
 verbo Dei: est enim verisimile quosdam iam non
 credere, tãquam non vera sint quæ facta sunt. Propter
 ea dicit: Videte ne forte sit in aliquo vestrum cor ma-
 lum incredulitatis discedendi à Deo viuo. Nam quoniam
 sermo de futuris nõ est adeò credibilis, vt qui est
 de præteritis, eis historiam reuocat in memoriam, in
 qua fide egerunt. Nam si patres vestri, quoniam non
 sperauerunt vt sperare oportuit, hæc passi sunt, multò
 magis vos: ad eos enim hæc verba fiunt. Illud enim, hodie,
 inquit, semper est quandiu mundus constitit.
 Quamobrem adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec
 hodie cognominatur. Hoc est, ædificate vos alterutrum,
 erigite vos ipsos vt non fiant eadem. Vt nõ obduretur quis
 ex vobis fallacia peccati. Vides quòd peccatum faciat in-
 credulitatem. Nam quomodo incredulitas malam parit
 vitam, ita etiam anima cum in profundum malorum
 venerit, contemnit. Contemnēs autem ne sustinet qui-
 dem credere, vt se à metu liberet. Dixit enim, Non vi-
 debit dominus, nec intelliget Deus Iacob. Et rursus:
 Labia nostra à nobis sunt. Quis noster dominus est? Et
 rursus: Cur irritauit impius Deum? Et rursus: Dixit in-
 sipiēs in corde suo, Nõ est Deus. Corrupti sunt, & abomi-
 nabiles facti sunt in studiis suis. Non est timor Dei
 ante oculos eorum. Quoniam dolosè egit in conspectu
 eius, vt inueniat iniquitatē eius & oderit. Porro autem
 Christus quoque hoc ipsum dicit: Omnis qui malè ag-
 git odit lucem, & non venit ad lucem. Deinde subiun-
 git, Participes Christi effecti sumus. Quid est, participes
 Christi effecti sumus? Vnum effecti sumus nos & ipse:
 siquidem ipse quidem caput, nos autè corpus, cohæ-
 res, & concorporales. Vnum corpus sumus ex carne
 eius, & ossibus eius. Si tamen initium substantiæ eius usque
 ad finem firmum retineamus. Quid est, Initium substantiæ
 eius? fidem per quam cõstituitur, & geniti sumus, & vt
 ita dicam consubstantiam. Timeamus ergo ne forte relicta
 pollicitatione introeundi in requiem eius, existimetur aliquis
 ex nobis deesse. Etenim nobis annũciatum est, quemadmodum
 & illis. Dum dicitur, Hodie si vocem eius audieritis. Illud e-
 nim hodie semper est. Deinde, Sed non profuit illis sermo
 auditus non admissus fidei ex iis quæ audierunt. Quomodo
 non profuit? Deinde volens eos tertere, hoc ipsum o-
 stendit per ea quæ dicit, Quidam enim audientes exa-
 cerbauerunt. Sed non omnes qui profecti sunt ex Æ-
 gypto per Moysen. Quibus autè infensus est quadra-
 ginta annis? Nõne illis qui peccauerunt, quorum ca-
 dauera proiecta sunt in deserto? Quibus autem iurauit
 nõ introire in requiem ipsius, nisi iis qui increduli fue-
 runt? Et videmus quòd non potuerunt introire in re-
 quiem ipsius propter incredulitatem. Cum dixisset
 rursus testimonium, subiungit etiam interrogationem,
 quod quidem clarum efficit orationem. Dixit enim,
 inquit, Si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda
 vestra sicut in exacerbatione. Quorumnam, inquit,
 meminit qui sunt indurati? Quorumnam qui non cre-
 diderunt? Non Iudæorum? Quod autem dicit est hu-
 iusmodi. Audierunt illi quoque sicut nos audimus. Sed
 nihil illis profuit. Ne ergo existimetis quòd futurum
 sit vt iuuemini audiendo prædicationem. Nam illi quo-
 que audierunt, sed nihil illis profuit, quoniam non cre-
 diderunt. Chaleb autem & Iesus quoniam non cõsen-
 serunt iis qui non crediderunt, illis illatum effugerunt
 supplicium. Et vide quòd admirabiliter nõ dixit, Non
 consenserunt, sed non commisit sunt. Hoc est, extra se-
 ditionem sunt separati, cum illi vnus & eiusdem fuis-
 sent sententiæ. Hic mihi videtur etiam tacitè innuere
 seditionem. Ingrediemur enim, inquit, in requiem qui cre-
 didimus. Vndenam autem hoc pateat subiunxit. Quæ-
 admodum dixit, Sicut iuravi in ira mea, si introibunt in re-
 quiem meam. Et quidem operibus à constitutione muni-
 di perfectis. Atqui hoc non significat nos ingressuros,
 sed illos non esse ingressos. Quid ergo interim stu-
 det ostendere? Quòd sicut illa requies non prohibet
 aliam dici requiem, ita nec hæc requies cælorum. In-
 terim ergo vult ostendere, quòd illi non sunt assecuti
 requiem. Vt scias autem quòd hoc dicat, dicit. Dixit e-
 nim quodam loco de die septima sic: Et requieuit
 Deus die septimo ab omnibus operibus suis. Et in isto
 rursus: Si introibunt in requiem meam. Vides quo-
 modo hæc non prohibeat illam esse requiem. Quo-
 niam ergo, inquit, superest introire quosdam in illam,
 & ij quibus prioribus annuntiatum est, non introie-
 runt propter incredulitatem, iterum terminat diem
 quendam hodie, in Dauid, dicendo: Post tantum tem-
 poris, sicut supra dictum est. Quid est autem quod di-
 cit? Quoniam debent, inquit, aliqui introire, omnes
 illi non introierunt. Quòd autem oporteat introire, &
 aliquos introire oporteat, audiamus vnde hoc pateat.
 Quoniam post tot, inquit, annos rursus dicit Dauid,
 Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra si-
 cut in exacerbatione. Si enim Iesus eos fecisset quiescere,
 nõ de alio die postea loqueretur: est perspicuum quòd
 hæc dicat tanquam nobis assecutus aliquam remun-
 rationem. Itaque relinquatur sabbatismus populo
 Dei. Vnde? Ex præcepto, Nolite obdurare corda ve-
 stra. Nam si non esset sabbatismus, non eis præcipere-
 tur, nec iuberetur ne eadem facerent, ne eadem pat-
 rentur, si non eadem essent passuri. Quomodo autem
 eadem erant passuri qui tenebant Palæstinam, si non
 esset alia requies? Pulchrè autem conclusit orationem.
 Non dixit enim requies, sed sabbatismus, nomen pro-
 prium, & quo lætabantur, & ad quod currebant, Sab-
 batismum regnum vocans. Quomodo enim in Sabba-
 to ab omnibus quidem malis iuberet abstinere, illa au-
 tem sola fieri quæ pertinent ad cultum Dei, quæ qui-
 dem peragebant sacerdotes, & quæcunquē iuuant a-
 nimam, & nihil aliud: ita tunc quoque. Sed ipse non
 sic dixit. Sed quid? Qui enim ingressus est in requiem eius, et-
 iam ipse requieuit ab operibus suis, sicut Deus à propriis. Sicut
 Deus requieuit, inquit, ab operibus suis, ita qui est in-
 gressus in requiem eius. Nam quoniam eis loquebatur

Sabbatum est figura & typus regni cælorum.

Peccatum facit incredulitatem.

Pron. 8. Psal. 91. Ibid. 11. Ibid. 9. Ibid. 13.

Ioan. 3.

CAP. III.

Sabbatismus regni cælorum.

de requie, & hoc cupiebant audire quando esset futurum, in hoc conclusit orationem. Illud autem hodie dicitur, ne desperent. Adhortamini, inquit, vos quotidie. Hoc est, etiamsi peccauerit, quando est illud hodie, habet spem. Nemo ergo desperet quando uiuit. Atque maximè quidem, inquit, ne sit quidem cor malum incredulitatis. Quod si etiam fuerit, nemo desperet, sed se recreet. Nam quando sumus in hoc mundo, illud hodie, habet tempus. Hic autem non solum dicit incredulitatem, sed etiam murmurationes. Quorum, inquit, cadauera prostrata sunt in deserto. Deinde ne quispiam existimet quod solummodo priuabuntur requie, subiungit etiam supplicium, dicens. *Viuus enim est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis.* Hic loquitur de gehenna & de supplicio. Peruadit, inquit, in occulta cordis nostri, & dissecat animam. Hic non est, membra esse prostrata, neque terra esse priuata, sicut illic, sed regno cælorum, & æternæ tradi gehennæ, & immortalis pœnæ & supplicio. *Sed adhortamini uosmetipsos.* Vide mansuetudinem & lenitatem, Non dixit increpate, sed adhortamini. Ita nos oportet gerere in eos qui premuntur afflictione.

1. Thef. 5. Hoc etiam dicit scribens ad Thessalonicenses. Admonete inquietos. Pusillanimes autem non sic. Sed quid? Consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Hoc est, ne desperetis, ne animum despondeatis. Nam qui non consolatur eum qui premitur afflictione, eum reddit duriores. Ut non obdureretur, inquit, quis ex uobis fallacia peccati. Aut dicit fallaciam diaboli. Deceptio enim est nihil expectare de futuris, existimare non esse reddendam à nobis rationem, & eorum quæ hinc à nobis gesta sunt non daturus pœnas, nec futuram resurrectionem. Aut aliter deceptio est, nihil dolere, aut desperatio. Dicere enim, Quid verò, semel peccauit, nulla est mihi spes me recreandi, est deceptio. Deinde eis spem immittit, dicens: Participes Christi effecti sumus, propemodum dicens: Qui nos ita dilexit, qui nos tanti fecit ut suum corpus faceret, non despiciet pereuntes. Cogitemus, inquit, quibusnam dignati sumus. Nos & Christus unum sumus. Ne ergo ei non credamus. Et rursus tacitè significat illud quod alibi dictum est, Si sustinemus, & conregnabimus. Hoc enim est, Facti sumus participes: eorundem sumus participes, quorum est Christus. Adhortatus est ab iis quæ sunt bona & utilia. Participes enim, inquit, sumus Christi. Deinde rursus à tristibus & molestis, Timeamus ne fortè relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, existimetur aliquis ex nobis deesse. Illud enim est perspicuum, & de quo constat, Probauerunt me, & viderunt opera mea quadraginta annis. Vide quod non oporteat à Deo exigere rationem, sed siue nos defendat, siue non, ei credere. Huius enim eos nunc in simulat, quod Deum tentaauerunt. Nam qui vult accipere probationes, eius aut potestatis, aut prouidentia, aut curæ, nondum credit eum esse potentem, nec in homines benignum & clementem. Hoc etiam ad hos scribens tacitè significat, iam volens fortasse eius potestatis, curæque ac prouidentie quam coram gerit, examinationem & probationem accipere in tentationibus. Vides quod ex incredulitate semper est irritatio & ad iram prouocatio? Quid ergo dicit? Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei. Vide autem quomodo totam orationem perspectam ratiocinando collegit. Iurauit, inquit, patribus, eos non ingressuros in requiem, & non ingressi sunt. Deinde post illos longo tempore loquens cum Iudæis, dicit,

Desperandum non est quando uiuimus.

Fallacia peccati in quo consistat.

Deo est credendum, nec ab eo exigenda ratio.

Nolite indurare corda uestra, sicut patres uestri. Vnde est perspicuum quod sit alia requies. Nam de tua quidem Palæstina non possumus dicere: nam eam habebant. De septimo die autem dici non potest: non enim de eo loquebatur, qui olim fuit. Aliam ergo innuit, quæ verè est requies.

MORALE.

REVERA enim est illa requies, ubi aufugit dolor, tristitia, & gemitus: ubi neque curæ, neque labores, neque angor, neque metus animam percellens & quatiens, sed solus Dei metus plenus voluptate. Non est illic, In sudore vultus tui velceris pane tuo, neque sunt spinæ, neque tribuli. Non est amplius, In doloribus paries filios tuos, & ad virum tuum conuersio tua, & ipse tibi dominabitur. Omnia sunt pax, gaudium, lætitia, voluptas, bonitas, mansuetudo. Non est illic æmulatio, & inuidia, non morbus. Non hæc mors corporis, non illa mors animæ. Non sunt tenebræ, neque nox. Omnia sunt dies: omnia lux: omnia sunt mitia ac mansueta, omnia splendida. Non potest, non potest capi fatietas. Semper erimus in perpetuo bonorum desiderio. Vultusne dem etiam aliquam imaginem eius qui illic est status? Fieri non potest: veruntamen quoad eius fieri poterit, imaginem vobis aliquam tentabo ostendere. Suscipiamus cælum quando nulla nube interurbante suam ostendit coronam. Deinde cum longo tempore immorati fuerimus in pulchritudine eius aspectus, consideremus quod solum quoque habebimus, non quidem tale, sed quod est tantò pulchrius, quantò tectis luteis est aureum pulchrius, & post illud, tectum rursus superius. Deinde Angelos, Archangelos, infinitos populos incorporearum potestatum, ipsam Dei regiam, thronum paternum. Sed non potest, ut dixi, oratio vniuersum repræsentare & explicare. Opus est experientia, & cognitione quæ existit per experientiam. Quomodo, dic mihi, existimatis Adamum esse in paradiso? Multò melior quàm illa est hæc vitæ degendæ ratio, quod cælum est terra melius. Cæterum aliam quoque inquiramus imaginem. Si contingeret eum qui nunc obrinet imperium, rotius orbis terræ tenere dominatum: deinde nec bellis vexari, nec sollicitudinibus, sed solum honorari, & degere in deliciis, & multa quidem habere vectigalia, aurum autem vndique ad eum affluere, & esse suspiciendum, qualem eius animum futurum esse putatis, si vbique terrarum videret bella cessasse? Tale quid erit. Imò verò necdum illam assecuti sumus imaginem. Quamobrem oportet adhuc alia inquirere. Itaque cogita. Quomodo enim infans Imperatoris, quando quidem fuerit in vtero, nihil sentit. Sin autem contigerit illum repente egressum, ascendere thronum Imperatorium, & non paulatim, sed simul & repente omnia accipere, sic erit hic & ille status. Aut si quis qui erat in vinculis, mala passus innumerabilia, repente ad sedem raptus esset regiam. Sed neque sic imaginem sum exactè assecutus. Nam hic quidem bonorum quæ fuerit assecutus, etiamsi ipsum dixeris regnum, primo die, & secundo, & tertio, vigens habet desiderium: procedente autem tempore, manet quidem in voluptate, sed non tanta: desinit autem ob cõsuetudinem qualiscunque sit. Illic autem non solum minuitur, sed etiam crescit. Cogita enim quantum sit animam, cum illuc abierit, non amplius expectare finem illorum bonorum, nec mutationem, sed incrementum, & vitam quæ non habet finem, & est ab omni quidem periculo libera, & ab omni animi egritudine & sollicitudine, est autem in medio animi tranquillitatis & bonorum innumerabilium.

Requies regni cælorum describitur. Gen. 3.

Ibidem.

Status regni cælorum qualis sit.

lum. Si enim in campum exeuntes, ubi videmus militum tabernacula tapetibus confixa, & lanceas, & galeas, & clypeorum umbones resplendentes, stupentes & suspensos nos tenet admiratio. Si autem contigerit videre Regem in medio currentem, aut etiam cum armis aureis equum agentem, nihil nobis deesse existimamus: quid putas, quando viderimus æterna sanctorum tabernacula fixa in cœlis: suscipient enim, inquit, vos in æterna tabernacula, quando videris vnumquodque resplendentem plusquam radij solis, non ex ære & ferro, sed ex illa gloria, quorum fulgores non potest videre humanus oculus? Et hæc quidem in hominibus. Quid verò dixeris multa Angelorum millia, Archangelorum, Cherubim, Seraphim, thronorum, dominationum, principatum, potestatum, quorum pulchritudo omnem superat intelligentiam. Sedenim quousque non desistam ea persequi quæ non possunt comprehendi? Neque enim oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt quæ Deus præparauit iis qui ipsum diligunt. Nihil est ergo miserabilius iis qui non assequuntur, neque beatius iis qui assequuntur. Simus ergo nos ex beatis, ut bona æterna consequamur, in Christo Iesu domino nostro, cum quo patri vnà cum sancto spiritu, gloria, & imperium, & honor nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

Luc. 16.

1. Cor. 2.

GRATIO VII.

ESTINEMVS ergo ingredi in illam requiem: ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad diuisionem animæ & spiritus, compagumque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo. Fides res est magna & salutaris, & abique ea fieri non potest ut salui simus. Vnde ideo Paulus quoque eos admonet qui iam sunt dignati mysteriis, dicens: Festinemus ingredi in illam requiem. Festinemus, inquit, ac studeamus, utpote quod fides non sufficiat, sed etiam debeat vita adiici, & magnum adhiberi studium. Reuera enim multo opus est studio ut ascendamus in cælum. Si enim terra non sunt dignati qui tantas miseras & calamitates perpassi sunt in deserto, & terram non potuerunt assequi, quoniam murmurarunt, & quoniam sunt fornicati: quomodo nos reuo cælorum digni habebimur, qui vitam inconsideratè ignauèque & segniter agimus? Multo ergo nobis opus est studio. Vide autem quod non damnum eoufque constituerit, quod non ingrediamur. Non enim dixit, Studeamus ingredi in illam requiem, ne à tantis bonis excidamus: sed id addidit quod homines magnopere excitat. Quidnam est hoc? Ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. Hoc est, ut illic habeamus mentem, spem, expectationem, ne similiter excidamus. Nam quod excidimus, significat exemplum. Ut ne in idipsum, inquit. Deinde ne audiens, In idipsum, existimes idem esse supplicium, audi quid subiungat, Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad diuisionem animæ & spiritus, compagumque & medullarum, & discretor cogitationum cordis. Hic quoque ostendit quod illa quoque fecit ipse Dei sermo, & viuit, & non est extinctus. Ne ergo quoniam audiisti sermonem, id solummodo audias. Est enim, inquit, penetrabilior gladio. Vide quomodo se demittat, & hinc considera quanam de causa opus fuit etiam Prophetis

Fides non sufficit, sed vita est addenda.

Supplicium à sermone Dei inferitur.

Chrysof. tom. 4.

ut dicerent gladium, & arcum, & rhomphæa. Nisi conuerfi, inquit, fueritis, gladium suum vibrauit, arcum tui tetendit, & parauit ipsum. Nam si nunc post tantum tempus & cõsummationem, non potest nomine sermonis tantum terrere, sed his etiam verbis indiget, ut comparationis ostendat exuperationem: multò magis tunc. Pertingens usque ad diuisionem animæ & spiritus. Quid hoc est? Significauit aliquid terribilius, aut quod spiritum diuidit ab anima, aut quod etiam ipsa peruadit incorporea, nõ quemadmodum gladius solum corpora. Hic ostendit quod & anima punitur, & quod quæ sunt intima scrutatur, totum penitus peruadens hominem. Et discretor cogitationum & intentionum cordis. Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. Hic eos maximè terruit. Non enim, si adhuc, inquit, in fide statis, sed non cum certa & plena persuasione, confidatis. Ipse iudicabit quæ sunt in corde: eò enim peruadit & puniens & examinans. Et quid dico, inquit, de hominibus. Nam etsi dicas Angelos & Archangelos, & Cherubim & Seraphim, & quancunque creaturam, omnia illi oculo sunt aperta, omnia clara & manifesta. Nihil est quod possit eum latere. Omnia sunt nuda & aperta oculis eius, ad quem nobis sermo. Aperta autem Græcè dicitur τετραπλοῦν, id est resupinata, à metaphora pellium quæ extrahuntur à victimis. Quomodo enim quado quispiam illis iugulatis pellem à carne abstraxerit, omnia quæ sunt intus aperit, & nostris oculis reddit manifesta, ita etiã Deo clara & manifesta proposita sunt omnia. Tu autem mihi considera quomodo corporeis semper opus habet imaginibus, quod quidem erat auditorum imbecillitatis. Nam quod essent imbecilli, ostendit, dicens eos esse hebetes, ut qui opus habeant lacte, non solido cibo. Omnia sunt nuda & aperta oculis eius ad quem nobis est sermo. Quid verò est, In idipsum incredulitatis exemplum? Ut si quis dicat, Cur non viderunt illi terram? Acceperunt arham Dei potentia, & cum oporteret credere terrori, magis cedentes, & nulla de Deo magna apprehensa visione, pusillique & abiecti animi effecti, perierunt. Potest etiã aliquid aliud dici, nempe quod cum viam maiorem partem cõfecissent, cum essent ad ipsas portas, in ipso portu sunt submersi. Hoc de vobis quoque timeo, inquit. Hoc est, in ipsum exemplum incredulitatis. Nam quod ipsi quoque passi sunt, eis ipsos fert testimoniũ, dicens, Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum. Nemo ergo sit pusilli & abiecti animi: neque in fine animũ despondens concidat. Sunt enim, sunt qui in principio quidem prompto & alacri animo aggrediuntur, postea autem toti parum nolentes adiacere, totum perdidit. Sufficiunt, inquit, maiores ad vos erudandos ne in eadem incidatis, neque eadem patiamini quæ passi sunt. Hoc est, In ipsum incredulitatis exemplum. Ne dissoluamur, inquit, & eneruemur. Quod etiam dicit in fine, Remissas manus & genua soluta erigite. Ut ne in idipsum, inquit, quis incidat incredulitatis exemplum. Hoc enim est reuera cadere. Deinde ne cum audiisses quod quis in idipsum exemplum cadat, eandem mortè existimes quam illi obierunt, vide quid dicat. Viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Quouis enim gladio grauius in eorum animas irruit sermo, graues plagas inferens, certasque dat sectiones. Neque verò opus est ut eorum adducat demonstrationem, neque ut ea probet ac confirmet, cum adeò terribilem habeat narrationem. Nam quodnam, inquit, bellum illos perdidit? quis gladius? An non planè sua sponte ceciderunt? Neque verò quoniam non eadem sumus per-

1. Cor. 7.

Sermo Dei peruat etiam ipsa incorporea.

Dei oculo omnia sunt aperta.

Infra 10.

In fine nõ est despondendus animus.

Cap. 12.

pepsi, simus securi. Quoad dicitur hodie, licet nobis recreari & refici. Ne autem audientes quæ sunt animæ, ignavi simus & socordes, addit etiam quæ sunt corporis. Tunc enim ita, ut cum Rex aliquis principes suos, qui magna quædam peccata admiserunt, primum priuat militia, ablatoque cingulo & auctoritate & præcone, tunc punit: ita hic quoque facit gladius Spiritus. Deinde loquitur de filio, Ad quem nobis est sermo, inquit. Quid est, Ad quem nobis est sermo? Cui debemus reddere rationem eorum quæ gessimus. Maxime. Quomodo enim non redderemus? Atque ne cadamus quidem, nec animum despondeamus, sufficiunt etiam illa quæ dicta sunt ad nos erudiendos. Habemus autem etiam Pontificem magnum qui penetravit cælos, Iesum filium Dei. Quod enim propterea id adiecerit, subiunxit. Non enim habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris. Propterea dicebat superius. In eo in quo passus est ipse, & tentatus, potens est eis qui tentantur auxiliari. Vide ergo quemadmodum hoc ipsum hinc quoque facit. Quod autem dicit est huiusmodi. Eandem, inquit, quam nos viam inuit, imò verò asperiorum. Nam omnium rerum humanarum accepit experientiam. Dixit illic, Non est creatura inuisibilis in conspectu eius, diuinitatem tacite significans. Deinde postquam suscepit carnem, loquitur rursus submissius & humiliter. Habentes ergo Pontificem magnum qui penetravit cælos, & maiorem eius ostendit curam, & quod eos tanquam suos defendit & protegit, nec vult ut ipsi cadant. Nam Moyses quidem, inquit, non ingressus est in requiem, ipse autem est ingressus. Quod autem hoc nusquam posuerit, est admirabile, ne videantur inuenire defensionem. Ipsum autem comprehendit: & ne virum videretur accusare, hoc non dixit aperte. Nam si cum nihil horum dictum sit, hæc obiciebant, dicentes, Ipse dixit aduersus Moysen & aduersus legem, multo magis si dixisset, Non est Palæstina, sed cælum, his maiora dixissent. Sed non vniuersum tribuit sacerdoti, sed etiam quæ à nobis sunt præstanda requirit, confessionem inquam. Habentes enim, inquit, Pontificem magnum, qui penetravit cælos, Iesum filium Dei, teneamus fidei confessionem. Quamnam dicit confessionem? Quod sit resurrectio. Quod sit remuneratio. Quod bona sint innumerabilia. Quod Christus sit Deus, Quod sit fides recta. Hæc confiteamur: hæc teneamus. Quod autem hæc vera sint, est perspicuum ex eo quod intus sit Pontifex. Non excidimus, confiteamur. Etiam si res non adsint, nos tamen confiteamur. Si modò adessent, falsum esset. Quamobrem hoc quoque verum est quod differantur: etenim Pontifex noster est magnus. Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris. Non est, inquit, qui res nostras ignoret, sicut multi Pontifices qui nesciunt eos qui sunt in afflictionibus, neque quidnam sit afflictio. Nam apud homines fieri non potest vt eius qui malis vexatur, norit vexationem is qui non fecit periculum, & non transit per sensibilia. Omnia enim sustinuit noster Pontifex. Nam propterea primum sustinuit, & tunc ascendit, vt posset commiserari. Tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Vide quomodo etiam supra posuit simile, & hic pro similitudine. Hoc est, passus est persecutionem, fuit consputus, accusatus, irritus, calumniis appetitus, cinctus, postremò cruci affixus. Pro similitudine absque peccato. Hic etiam aliud tacite significat, nempe quod fieri potest, vt qui est in afflictionibus, eas perferat absque peccato. Quamobrem etiam quando dicit, In similitudine carnis, non hoc dicit, quod accepit carnis similitudinem, sed car-

nem. Cur ergo dixit, In similitudine? Quoniam dixit de carne peccatrice: erat enim nostræ similis. Nam natura quidem erat eadem quæ nostra, peccato autem nequaquam eadem. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Quemnam dicit thronum gratiæ? Thronum regium, de quo dicit. Dixit dominus domino meo: sede à dextris meis. Quid est, adeamus cum fiducia? Quoniam habemus Pontificem nulli peccato affinem, qui superauit orbem terræ. Confidite enim, inquit, ego vici mundum. Hoc enim est omnia esse passum, mundum autem esse à peccato. Etsi enim, inquit, nos sumus sub peccato, sed ipse tamen non est peccato obnoxius. Quomodo accedamus cum fiducia? Nunc est sedes gratiæ, non sedes iudicij. Propterea cum fiducia, vt accipiamus misericordiam qualem querimus. Munificentia enim res est, donum regale. Et gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Bene dicit, In auxilio opportuno. Si nunc, inquit, adiueris, accipies & gratiam, & misericordiam. Sin autem tunc adiueris, nequaquam: importunus enim est tunc aditus. Non est enim tunc thronus gratiæ. Eousque enim est sedes gratiæ, quousque fedet dans gratiam. Quando autem est consumptio, tunc excitatur ad iudicium. Exurge enim, inquit, Deus, iudica terram. Adeamus cum fiducia. Aut rursus illud dicit, Nullius rei malæ nobis conscij. Hoc est, non dubitantes. Nam qui est eiusmodi, non potest accedere cum fiducia. Propterea dicit, Tempore opportuno exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Nam quod nunc quoque qui post lauacrum peccant, inueniant penitentiam, est gratiæ. Ne autem audiens Pontificem existimes cum stare, statim ducit ad sedem. Sacerdos autem non sedet, sed stat. Vides, quod ipse factus sit Pontifex, non esse naturæ, sed gratiæ, & demissionis, & exinanitionis. Hoc nobis quoque opportunum est dicere, Adeamus cum fiducia petentes. Solùm fidem offeramus, & dat omnia. Nunc est tempus doni, nemo de spe desperet. Tunc est tempus desperationis, quando clausus fuerit thalamus, quando Rex fuerit ingressus ad videndos eos qui accumbunt: quando finis Patriarchæ sunt accepturi eos, qui iis sunt dignandi: nunc autem nondum. Adhuc enim consistit theatrum, adhuc instat certamen, adhuc pendet præmium.

MORALE.

FESTINEMVS ergo. Paulus enim dicit, Sic curram non quasi in incertum. Cursu opus est, eoque vehementi. Qui currit, nullum videt ex omnibus, etiam si ingrediatur per prata, etiam si per loca arida & aspera. Qui currit, non aspicit ad spectatores, sed ad præmium, etiam si sint diuites, etiam si pauperes, etiam si quis irrideat, etiam si laudet, etiam si contumelia afficiat, etiam si lapidibus appetat, etiam si domum diripiat, etiam si viderit filios, etiam si vxorem, etiam si quodlibet, in hoc solum est vt currat, vt præmium accipiat. Qui currit, nusquam stat: nam si vel parum segnis fuerit & deses, totum perdet. Qui currit, non solum nihil aufert ante finem, sed etiam tunc maxime cursum intendit. Hoc à me dictum est ad eos qui dicunt, in iuuentute nos exercuimus, in iuuentute ieiunauimus, consenuimus. Nunc maxime oportebat pietatem intendere. Ne mihi enumeres quæ olim à te rectè sunt gesta, nunc te præbe iuuenem florentemque & vegetum. Nam maxime quidem qui corporalem hunc currit cursum, postquam eum apprehenderit canities, non potest æquè currere. Nam

Thronus gratiæ quis dicitur. Psal. 109.

Ioan. 16.

Sedes gratiæ nunc est non iudicij.

Psal. 72.

Esa. 4.

Sacerdos non sedet, sed stat.

Cor. 9.

Currenti quæ nauis accidant.

Anima maxime roboratur & viget in senectute.

Anima febricitat in iuuentute.

Mortis & iudicij expectatio senes redit modesteiores.

Psal. 24.

Canities non est reuerenda quæ senem habet pueri.

Nam quidquid est certaminis, est in corpore. Tu autem quanam de causa cursum minuis? Anima enim hic opus est, anima excitata & erecta. Anima autem roboratur in senectute, tunc maxime viget, tunc exultat. Quomodo enim corpus, quando quidem tenetur febribus, crebrisque & sibi inuicem succedentibus morbis, etiam si sit forte & robustum, est tamen afflictum: postquam autem fuerit liberum ab illa obsidione, suas vires recuperat: ita etiam anima febricitat in iuuentute, & eam maxime tenet amor gloriæ, & deliciarum, & rei venere, & multarum aliarum visionum. Cum aduenerit autem senectus, ea expellit hæc omnia quæ sunt corporis, partim quidem propter fatietatem, partim autem propter philosophiam. Intensus enim robur corporis deprimens senectus, ne his quidem viuentem finit animam: sed tanquam omne genus hostibus compressis, eam constituit in loco puro à tumultibus, & magnam efficit tranquillitatem, & maiorem affert timorem. Si enim nullus, inquit, alius, at senes quidem certè norunt se mori, & se morti omnino esse propinquos. Quando igitur quæ ad hanc vitam pertinent recedunt cupiditates ac libidines, subit autem expectatio iudicij, peruehaciam molliens & inobedientiam, an non sit attentior si velit? Quid verò, inquit, quod videmus senes iuuenibus deteriores? Summam mihi dicis, vitij exuperatione. Nā & furiosos videmus nullo impellente se dare præcipites. Quando ergo vel senex laborat morbis iuuenum, id summum est vitium: nec qui est huiusmodi, excusationem habuerit in iuuentute. Non potest enim dicere, Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Nam qui manet idem in senectute, ostendit quod etiam in iuuentute, non propter ignoracionem, neque propter imperitiam, neque propter ætatem fuerit eiusmodi, sed propter socordiam. Ille enim potest dicere, Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris, qui facit quæ seni conueniunt, qui mutatur in senectute. Si autem etiam in senectute eadem admittit probra & dedecora, quomodo par est vt is nominetur senex, qui ne ætatem quidem reueretur? Nam qui dicit, Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris, hæc dicit tanquam in senectute se rectè gerens. Ne ergo propter ea quæ fiunt in senectute, te ipsum priues etiam venia peccatorum quæ admisisti in iuuentute. Quomodo non est id quod sit absurdum, & peius quam vt mereatur veniam? Senex fedet in cauponis. Senex properat ad equorum curriculum. Senex ascendit in theatrum, tanquam pueri currens cum vulgo. Verè est pudor & res ridicula, extrinsecus quidem ornari canitie, intrinsecus autem sensum habere pueri: & si quispiam iuuenis eum contumelia affecerit, statim obiicit canos. Tu eos prior reuerere. Si tu autem tuos non reuereris, idque cum sis senex, quomodo æquum censet vt iuuenis tuos reueretur? Non reuereris canos, sed eos probro & dedecore afficis. Deus te honorauit candore pilorum: magnam tibi dedit prærogatiuam: cur prodis honorem? Quomodo te reuerbitur iuuenis, quando es eo longè proteruior & lasciuior? Canities enim tunc est reuerenda, quando agit quæ sunt canitie. Quando autem agit quæ sunt iuuenum, magis erit ridicula quam iuuenes. Quomodo ergo poteritis hæc suadere iuuenibus, vos senes temulenti ob immodestiam? Non senes accusans hæc dico, sed iuuenes. Nam qui hæc agunt, etiam si ad annum centesimum peruenerint, mihi sunt iuuenes. Sicut iuuenes, etiam si sint parui pueri, sint autem modesti & temperantes, sunt meliores senibus. Nec meum est quod dicitur, sed hanc quoque discretionem nouit scriptura,

A Senectus, inquit, non quæ est multorum annorum: & ætas senectutis vita immaculata. Canos enim honoramus, non quia album colorem nigro præferimus, sed quia est signum vitæ quæ ex virtute agitur, vel videntes internos canos ex eo coniciimus. Sin autem ea gerunt quæ canitiei sunt contraria, propterea magis fiunt ridiculi. Nam & Regem honoramus, & purpuram, & diadema, quoniam sunt signa imperij. Sed si eum viderimus cum purpura conspui, à satellitibus conculcari, suffocari, dicerpi ac conuelli, nunquid reuerbimur purpuram aut diadema, non etiam ipsum habitum deplorabimus? Ne velis ergo honorari propter canitiem, cum tu ipse ei facias iniuriam. Nam ipsa quoque de te debet pœnas sumere, quod habitum adeò splendidum & pretiosum probro afficias. Non hæc contra omnes dicimus, nec absolute à me verba fiunt aduersus senectutem: non sum adeò infans, sed aduersus iuuenilem animam, quæ dedecore afficit senectutem. Neque de iis qui consenuerunt hæc dolentes dicimus, sed de iis qui canitiem dedecorant. Senex enim est Rex si velit, & eo qui est indutus purpura magis regalis, si imperet animi perturbationibus, & vitia tanquam satellites sibi subiiciat. Si autem trahatur & à sede deiiciatur, & pecuniæ, amoris, gloriæ inanis, & fucatæ elegantie, deliciarumque & ebrietatis, & iræ, & rei venere fiat seruus, & pilos infucet oleo, & ostendat ætatem à libero animi arbitrio contumelia affectam, quo non fuerit is dignus supplicio? Sed vos iuuenes ne sitis tales. Neque enim vobis ignoscitur si peccetis. Quamobrem? Quoniam licet esse senem in iuuentute, sicut sunt iuuenes in senectute, ita & contrà. Sicut enim illic pilus dealbatus neminem seruat, sic nec hic niger impedit. Nam si hæc quæ dixi senem reddunt inhonestiorem, multo magis iuuenem. Sed tamen nec iuuenis liber est à reprehensione. Nam iuueni tunc solum danda est venia, quando vocatur ad rerum administrationem, cum sit imperitus, cum tempore opus habeat & experientia. Quando autem oportet ostendere virilitatem temperantiæ, nequaquam, neque quando oportet pecuniis imperare. Est enim vbi iuuenis magis reprehenditur quam senex. Nam senex quidem multa opus habet curatione, cum eum imbecillum reddat senectus. Iuuenis autem cum possit si velit sibi sufficere, quamnam assequetur veniam, quando magis rapit quam senex, quando acceptæ magis est memor iniuriæ, quando non magis defendit quam senex, quando multa loquitur importunè, quando contumelia afficit, quando maledicto appetit, quado inebriatur? Si autem in temperantia & continentia existimat se non posse reprehendi, vide eum hic quoque multa habere adiumenta si velit. Nam etsi cupiditas & libido ei magis sit molesta quam seni, sunt tamen multa quæ poterit magis facere quam senex, & illam incantare bestiam. Quenam ea sunt? Labores, lectiones, vigilia, ieiunia. Cur autem hæc nobis dicis qui non sumus monachi? Hæc mihi dicis? Dic Paulo, quando dicit: Vigilantes in omni patientia & oratione. Quando dicit: Carnis curam ne feceritis in concupiscentiis. Non enim hæc solum scripsit monachis, sed omnibus qui sunt in vrbibus. Non debet enim mundanus seu secularis plus habere quam monachus, nisi in hoc solum, quod cohabitatur cū vxore: hic datur ei venia, in aliis autem minimè, sed omnia eum oportet facere æquè atque monachum. Iam verò & beatitudines quæ à Christo dictæ sunt, non dictæ sunt solum monachis, nam periisset totus orbis terræ, & accusarem Deum crudelitatis. Si autem beatitudines dictæ sunt solis monachis, & fieri non potest vt eas re-

Sap. 4. Esai. 9.

Senex velit esse Rex.

Coloff. 4. Rom. 13.

Beatitudines non dictæ sunt solis monachis.

Cur Moysem non esse ingressum requiem non scripsit Paulus.

Fidei, non est in Græco Chryso.

et viuendo consequatur mundanus: ipse autem permissit nuptias: ipse ergo omnes perdidit. Si enim fieri non potest vt cum matrimonio faciat quæ sunt monachorum, perierunt, & ad interitum redacta sunt omnia, & coacta est virtus in angustias. Quomodo autem sunt honorabiles nuptiæ, & cubile immaculatum, quod nobis tantum affert impedimentum? Quid ergo? Fieri potest, atque adeo valde fieri, vt qui habemus vxores, virtutem sectemur & exerceamus si velimus. Quomodo? Si habentes vxores simus tanquam non habentes. Si non lætemur ob possessiones, si mundo vtamur tanquam non vtentes. Si qui autem impediti fuerunt à nuptiis, sciant quòd nuptiæ non sunt impedimēto, sed liberum arbitrium quod malè vsus est nuptiis. Nam neque vinum facit ebrietatem, sed malum animi institutum, & eo vti supra modum. Moderatè vtere nuptiis, & eris primus in regno cælorū, & frueris bonis omnibus. Quæ detur nobis omnibus consequi, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo patri vnā cum sancto Spiritu gloria, imperium, & honor, nūc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

ORATIO VIII.

CAP. V. **M**NIS enim Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Qui condolere possit iis qui ignorant & errant: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate: & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis. Vult deinceps ostendere beatus Paulus, quòd hoc testamentum est longè melius & præstantius veteri: procul rationes prius iaciens tanquam fundamentum. Nam quoniam nihil erat corporale, neque quod apprehendatur visione, & phantasia, vtpote non templum, non sancta sanctorum, non sacerdos tantum habens apparatus, non legales obseruationes, sed excellentiora omnia, & perfectiora, & nihil ex rebus corporalibus: erat autem vniuersum in rebus spiritualibus. Spiritualia autem infirmiores non æquè inducunt atque corporalia, totum hoc dicendi argumentum verfat & agitat. Vide autem eius sapientiam. Initium primò ducit à sacerdote, & continentem eum appellat Pontificem, & ab ipso primo ostendit differentiam. Propterea primò definit quid sit sacerdos, & ostendit si qua habeat sacerdotis, & si qua sint symbola, & signa sacerdotij. Ei autem occurrebat & obstabat, quòd neque esset ex genere, neque ex tribu sacerdotali, neque sacerdos super terram. Quomodo ergo, inquit, sacerdos? Et quomodo in epistola ad Romanos, cum tractandum suscepisset argumentum non probabile, si hoc operetur fides, quòd non valuit labor legis, & in vita instituenda & agenda sudor, confugit ad Patriarcham, & vniuersum reduxit ad illud tempus. Ita hinc quoque alteram sacerdotij viam secut, proponens ex iis quæ præcesserunt. Et sicut in punitione non solum adducit gehennam, sed ea etiam quæ contigerunt tempore patrum: ita hinc quoque primò confirmat à præsentibus. Nam oportebat quidem terrestrium fidem fieri ex cælestibus, sed cum imbecilli essent auditores, fit contrarium. Atque interim quidem prima ponit ea quæ sunt communia: & tunc ostendit quòd exuperet. Sic enim fit exuperatio per comparisonem, quando in aliis quidem est inter eos communio & societas, in aliis verò exuperat. Sin minus, non fit amplius per comparisonem. Omnis sacerdos ex hominibus assumptus. Hoc est Christo commune, pro hominibus constitui in iis quæ ad Deum pertinent, & illud, vt offerat dona & sacrificia pro populo, & hoc

Testamentum nouum est melius veteri.

Rom. 4. Neque sacerdos super terram.

non totum, quæ restant autem, nequaquam. Qui condolere possit iis qui ignorat & errant. Hic iam est exuperatio. Quoniam ipse circumdatus est infirmitate, & propter eam quemadmodum pro populo, ita etiam & pro seipso offerre pro peccatis. Deinde alia quoque. Fit, inquit, ab alio, & ipse non inuadit. Hoc quoque est commune. Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo, quemadmodum Aaron. Deinde aliquid aliud rursus affert quod ei fauet, nempe quòd à Deo sit missus. Quod quidem cum Iudæis assidue differens dicebat Christus: Qui misit me, maior me est, &: A me ipso non veni. Hic mihi videtur etiam tacitè Iudæorum innuere sacerdotes, qui inuadebant, & legem violabant sacerdotij. Sic & Christus non semetipsum glorificauit vt Pontifex fieret. Vbi ergo fuit institutus & ordinatus? Aaron enim sæpe fuit institutus & ordinatus, vt in virga, & quando ignis descendit, & eos qui inuadebant sacerdotium è medio sustulit. Hic autem contra, non solum eis nihil accidit, sed in bona sunt existimatione. Vnde nam ergo? Hoc ostendit ex prophetia. Nihil habet sensibile nec aspectabile. Propterea hoc confirmat ex prophetia & ex futuris. Sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quid hoc ad filium? Maximè, inquit, hæc est præcedens confirmatio & comprobatio quòd sit à Deo institutus & ordinatus. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es sacerdos in æternū secundum ordinem Melchisedec. Cui autem hoc dictum est? Quis est secundum ordinem Melchisedec? Nullus alius. Omnes enim erant sub lege. Omnes obseruabant sabbata, omnes circumcidebatur. Non potest quispiam alium dicere. Qui in diebus carnis sue, preces supplicationesque ad eum qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Et quidem cum esset filius Dei, didicit ex iis quæ passus est obedientiam. Vides quòd nihil aliud facit, quàm quòd ostendit quam gerit curam, & summam charitatem. Quid enim sibi vult illud, Cum clamore valido? Nusquam hoc dicit Euangelium: neque quòd orans sit lacrymatus: neque quòd clamorem ediderit. Vides quòd hoc erat sui ad nostrum captum demissio. Non enim satis habuit dicere quòd sit precatus, sed etiam quòd cum clamore valido. Et exauditus, inquit, pro sua reuerentia, etiam si esset filius, didicit ex iis quæ passus est obedientiam. Et consummatus factus est omnibus obtemperantibus ei causa salutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex iuxta ordinem Melchisedec. Esto cum clamore. Cur etiam valido? Et cum lacrymis, inquit, offerens, exauditus est pro reuerentia. Quid dicit? Erubescant hæretici. Exaudiebatur filius Dei pro reuerentia. Et quid de Prophetis plus dixeris. Quænam autem est consequentia dicere: Exauditus pro reuerentia, etiam si esset filius, didicit ex iis quæ passus est obedientiam? Hæcne de Deo dixerit quispiam? Et quis adeo insanierit? Quis autem emotæ mentis hæc fuerit locutus? Exauditus, inquit, pro reuerentia, didicit ex iis quæ passus est obedientiam. Quam obedientiam? Qui vsque ad mortem antea obediit, tanquam patri filius, quomodo postea didicit? Vides hoc dictum esse de carne? Quod autem dicit est huiusmodi. Dic mihi, opusne habebat patre vt seruaretur à morte, & propterea erat tristis, & dicebat: Si possibile est, transeat à me calix iste? pro resurrectione autem nusquam orauit patrem, sed contra ipse pronunciat, dicens: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo ipsum. &: Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo rursus recipiendi eam. Nullus tollit eam à me, sed ego eam pono à me ipso. Quid est ergo? Quamnam ob causam precabatur? Et rursus dicebat: Ecce ascendimus Hierosolymam,

Christus non offerre pro seipso pro peccatis.

Ioan. 8.

Exod. 9. Num. 16. & 17.

Christus quomodo dicitur precatus & exauditus.

Mat. 16.

Ioan. 2. Ibid. 10.

Mat. 20.

mam, & filius hominis tradetur Pontificibus & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget, & non dixit, Pater me faciet resurgere. Quomodo ergo de eo precabatur? Sed pro quibus precabatur? Pro iis qui in ipsum crediderunt. Quod autem dicit est huiusmodi: Facile exauditur. Nam quoniam de eo nondum habebant quam par erat opinionem, dixit eum fuisse exauditum, sicut ipse quoque discipulos consolans dicebat, Si me diligereis, gauderetis vtique, quoniam ad patrem meum vado, & pater meus maior me est. Quomodo autem non seipsum glorificauit, qui seipsum exinaniit, qui seipsum tradidit? Tradidit enim, inquit, seipsum pro peccatis nostris. Et rursus: Qui dedit seipsum redemptionem pro peccatis nostris. Quid ergo est? Vides quòd propter carnem de se loquitur humilia. Ita hinc quoque, Etiam si esset filius, exauditus fuit pro sua reuerentia, vult ostendere id quod gestum est magis esse opus suum quàm Dei gratiæ. Tanta, inquit, fuit eius reuerentia ac pietas, vt ideo eum reuereretur Deus. Didicit, inquit, Deo obedire. Hic rursus ostendit quantum sit lucrum perpeffionem. Et consummatus, inquit, factus est, omnibus obtemperantibus ei causa salutis. Si autem ille, cum esset filius, ex perpeffionibus lucratus esset vt obediret, multò magis nos. Vides quàm multa dicat de obedientia, vt ipsi persuadeantur & obediant. Videntur enim mihi esse immorigeri & habenas excutere. Ex iis quæ passus est, inquit, continenter didicit Deo obedire, etiam consummatus perpeffiones. Hoc est ergo consummatio seu perfectio, & per hoc venire oportet ad perfectionem. Non solum enim ipse saluus euasit, sed hoc etiam fuit aliis copia salutis. Appellatus, inquit, à Deo Pontifex secundum ordinem Melchisedec. De quo nobis grandis sermo & ininterpretabilis ad dicendum. Deducturus orationem ad differentiam sacerdotij, prius eos increpat, ostendens quòd tā magna sui demissio erat lac, & propterea quòd sint infantes, magis est immoratus in humili qui est secundum carnem sermone, & loquitur tanquam de quodam iusto. Vide autè quòd nec verbum omnino præterit silētio, neque dixit. Nam illud quidem fecit vt mentem eorum erigeret, & persuaderet vt essent perfecti, & magnis non priuarentur dogmatibus. Hoc autem, ne obrueret eorum intelligentiam. De quo nobis grādis sermo & ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. Quoniam illi non audiunt, propterea est oratio difficilis ad interpretandum. Quando enim alicui res est cum hominibus qui non assequuntur, nec intelligunt quæ dicuntur, is nō potest eis rectè interpretari. Sed fortè quispiam ex vobis, qui hinc stas, caligat, & contumeliam probrumque rem esse existimat, si ipse propter Hebræos fuerit impeditus ne sermonem loqueretur perfectiorem. Atque fortè quidem hinc quoque, præter paucos, multos opinor esse tales, vt hoc quoque de vobis dicatur: propter paucos autem dicam. Nunquid ergo eum silentio præterit, aut eum rursus sumpsit in iis quæ deinceps sequuntur: & idem fecit quod in epistola ad Romanos? Nam illic quoque cum os prius obstruxisset contradicentibus, & dixisset, O homo tu quis es qui respondes Deo? tunc subiungit solutionem. Ego autem puto neque ipsum omnino silentio præterit, neque dixisse, vt auditores inducat in desiderium. Nam cum admonuisset, & dixisset magna quædam esse sita in sermone, vide quomodo cum laude eos increpet. Hoc enim semper est Pauli sapientiæ difficilia ac molesta misce-

Christus pro quibus precabatur.

Ioan. 14.

Gal. 1. 1. Tim. 2.

Per passio nevenitur ad perfectionem.

Rom. 9.

re cum benignis. Quod etiam facit in epistola ad Galatas, dicens: Currebatis bene: quis vos impediuit? Et: Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa, &: Ego de vobis confido in domino. Quod his quoque dicit, Confidimus de vobis meliora, & viciniora salutis. Duo ergo hæc facit. Neque finit eos concidere. Nam si aliorum exempla sufficiunt ad excitandum auditorem, & ad adducendum ad æmulationem: quando quispiam habet à seipso exemplum, & iubetur seipsum æmulari, iam simul inducitur id quod potest fieri. Et hoc ergo ostendit, neque finit eos tanquam valde damnatos concidere, nec vt qui semper sint mali: sed quod etiam aliquando fuerunt boni. Etenim cum deberetis esse magistri propter tempus, inquit. Ostendit hinc eos longo antè tempore credidisse. Ostendit autem quòd etiam alios debent instituere & erudire. Vide ergo eum assidue parturire, vt introducat sermonem de Pontifice, & semper differre. Audi enim quomodo incepterit. Habentes Pontificem magnum qui penetravit cælos, & cum prætermisisset dicere quomodo magnum, rursus dicit: Omnis enim Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum. Et rursus: Sic etiam Christus non seipsum glorificauit vt fieret Pontifex. Et rursus cum dixisset, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Rursus differt, dicens: Qui in diebus carnis sue preces supplicationesque obtulit. Quoniam ergo toties fuit depulsus, veluti respondens & se excusans, dicit: In vos causa est conferenda. Papæ, quanta differentia? Cum deberent alios docere, sunt quidem non solum discipuli, sed etiam vltimi discipuli. Etenim cum deberetis esse magistri propter tempus, rursus indigetis vt vos doceamini quæ sunt elementa exordij sermonum Dei. Hic dicit humanitatem. Quo modo enim in externis literis primò oportet discere elementa, ita hinc quoque primò docebantur de humanitate. Vides quænam sit causa cur loquatur humilia. Ita etiam fecit Paulus differens cum Atheniensibus, & dicens: Et tempora quidem huius ignorantæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus vt omnes vbique pœnitentiam agant, eo quòd statuit diem in quo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis. Propterea si quispiam quidem dicit excelsum & sublime, hoc dicit breuiter: humilia autem dispersa sunt in multis locis epistolæ, & sic ostenditur id quod est excelsum & sublime. Nam quod est valde humile, non finit vt de diuinitate hæc suspicemur. Ita hinc quoque quod tutum est seruabat, & cautionem adhibebat. Quid autem hanc efficiat tarditatem & hebetudinem, hoc maximè significabat in epistola ad Corinthios, dicens: Cum enim fuerit inter vos zelus & contentio, nōne carnales estis? Vide autem multam eius prudentiam: nempe quàm congruenter & conuenienter se gerat in subiectas ægritudines & affectiones. Nam illic quidem imbecillitas magna ex parte existerat ex peccato, vel potius ex peccatis: hinc autem non ex peccatis, sed ex continentibus afflictionibus. Et ideo vsus est etiam dictionibus quæ possint ostendere differentiam, non dicens, Carnales facti estis, sed hebetes & imbecilles. Illic carnales: hinc autem maior dolor. Illi enim non potuerunt ferre, vt qui essent carnales: isti autem potuerunt. Dicere enim, Quoniam imbecilles facti estis ad audiendum, est significantis quòd olim fuerunt sani, & fortes, animique alacritate feruentes, & postea hoc de eis restatur. Et facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. Semper lac vocat humilem sermonem, & hinc & illic. Cum deberetis, inquit, esse magistri propter tem-

Gal. 5. Ibid. 3. Heb. 6.

Supr. 4.

De Dei humanitate que dicuntur, sunt elementa sermonum Dei.

Act. 17.

1. Cor. 3.

Et vocat Paulus humilem sermonem.

pus. Propter quod maxime dissoluti & supini facti estis, propter id maxime debetis esse fortes, nempe propter tempus. Lac autem vocat, propterea quod conueniat simplicioribus: hoc autem est contrarium perfectioribus, & est noxium in iis immorari. Quamobrem non oportebat nunc inferri legalia, neque ex his fieri comparisonem: quia Pontifex & sacrificauit, & orauit cum clamore & supplicatione. Vide ergo quomodo hæc nobis obfunt: sed ea illos tunc nutriebant, cum nunquam eis obessent. Verum ergo nutrimentum sunt Dei eloquia. Dabo enim, inquit, eis non famem panis, nec sitim aquæ, sed famem audiendi verbi domini. Lac vobis potum dedi, non escam. Non dixit, Nutrij, ostendens id non esse nutrimentum, sed id esse sicut infantibus, qui non possunt nutriri pane. Iis enim non datur potus, sed est eis nutrimentum pro potu. Et non dixit, Opus habetis, sed facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo, hoc est, vos voluistis, vos ipsos eò redegistis, & ad hanc compulistis necessitatem. *Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ: paruulus enim est.* Quid est sermo iustitiæ? Hic mihi videtur etiam vitam tacite significare. Quod quidem Christus quoque dicebat, Nisi abudauerit vestra iustitia plusquam Scribarum & Phariseorum. Hoc ipse quoque dicit, Imperitus sermonis iustitiæ, hoc est, imperitus philosophiæ supernæ, non potest suscipere vitam perfectam & exactam. Aut iustitiam hinc dicit Christum, excelsumque & sublimem de eo sermonem. Atque dixit quidem quod hebetes & imbecilli facti sint, vnde nam autem non addidit, ipsis id sciendum dimittens, & molestam ac grauem nolens reddere orationem. In Galatis autem & miratus est, & dubitauit: quod quidem maius est ad consolationem, ut qui nunquam expectasset fore ut hoc fieret. Hoc enim est dubitatio. Vides aliam esse infantiam. Vides aliam esse perfectionem. Efficiamur perfecti hac perfectione. Licet, etiam si simus pueri & iuuenes, ad illam venire perfectionem. Nō est enim natura, sed virtutis. *Perfectorum autem est solidus cibus: eorum qui pro ipsa consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali.* Non habebant illi sensus exercitatos, neque sciebant bonum & malum. Ab eo nunc non agitur de vita, quando dicit, Ad discretionem boni & mali. Hoc enim potest quilibet scire, & est facile, sed de rectis & sublimibus dogmatibus, & de prauis humilibusque & abiectis. Infans non potest malum & bonum cibum distinguere. Sepe quidem certè & puluerem in os iniicit, & quod est noxium accipit, & omnia facit citra discretionem. Sed non est eiusmodi id quod est perfectum. Sunt qui omnia temerè attendunt, & citra vllum discrimen aures præbent: & eos reprehendit ut qui temerè circumferantur, & nunc quidem his, nunc verò illis se dedant. Quod etiam in fine tacite significauit, dicens, Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci, hoc est, ad discretionem boni & mali. Nam guttur quidem gustat cibos: anima verò sermones.

MORALE.

Nos quoque hoc discamus. Si audieris quod non sit Græcus, nec Iudæus, ne protinus existimes eum esse Christianum, sed etiam alia omnia examines. Nam & Manichæi, & ceteræ hæreses hanc personam inducunt, ut sic decipiant simpliciores: sed si habeamus animi sensus exercitatos ad discretionem boni & mali, possumus eos discernere. Quomodo autem fiunt sensus nostri exercitati? A continua auditione, à scripturarum peritia. Quando enim proposuerimus eorum errorem, & hodie audieris, & cras non rectè habere probaueris, totum didicisti, totum cognouisti: & si ho-

die non comprehendisti, cras comprehendes. Eorum, inquit, qui sensus habent exercitatos. Vides quod aures nostræ sint exercendæ diuinis auditionibus, ut non dicantur peregrina. Exercitatos, inquit, ad discretionem: hoc est esse peritum. Alius quidem dicit non esse resurrectionem. Alius autem ex futuris nihil expectat. Alius alium dicit Deum. Alius à Maria eum habere principium. Vide autem protinus quemadmodum omnes sunt lapsi ex immoderatione, cum alij quidem plus, alij verò minus habuerint. Ut, prima quidem omnium hæresis est Marcionis. Illa alium introduxit Deum, qui non est. Ecce hic est plus. Post illam, hæresis Sabellij, quæ dicit filium, & Patrem, & spiritum vnum esse. Deinde Marcelli hæresis & Photini, quæ ipsa quoque hæc ipsa asserit & prædicat. Et Pauli Samosatani hæresis, dicens eum habuisse initium ex Maria. Deinde hæresis Manichæorum. Hæc est enim omnium recentissima. Post illas hæresis Arrii. Sunt autem etiam aliæ. Et ideo fidem accepimus, ne necesse habeamus ad innumerabiles hæreses accedere, vexarique & molestia affici, sed quod ei vel addiderit, vel ademerit quispiam, id existimemus esse adulterium. Nam quomodo qui dant regulas, non necesse habent mensuras innumerabiles curiosè inquirere, sed illam quæ data fuit iubent tenere: ita etiam in dogmatibus. Sed nemo vult attendere scripturis. Nam si attenderemus, non solum attenderemus errori & deceptioni, sed etiam deceptos liberaremus, sed etiam extraheremus à periculis. Nam miles fortis non sibi solum potest sufficere, sed etiam qui est iuxta eum socium conseruare, & ab hostium noxia liberare. Nunc autem nec quod sint quidem scripturæ norunt aliqui. Sed sanctus quidem Spiritus tam multa gessit & administravit ut ex custodirentur. Videte autem vsque ab ipso repetentes initio, ut Dei discatis benignitatem & clementiam. Moysen inspirauit, tabulas insculpsit, quadraginta dies eum tenuit in monte, & rursus totidem ut daret legem. Postea autem misit Prophetas mala perpeffos innumerabilia. Ingruit bellum, omnes sustulerunt, consciderunt, exultæ fuerunt tabulæ: alium rursus virum inspirauit admirabilem, ut eas exponeret, Esdras, inquam, & fecit ut componerentur ex reliquiis. Postea autem curauit ut septuaginta eas interpretarentur. Illi eas sunt interpretati. Aduenit Christus, eas suscipit. Apostoli eas in omnes disseminant. Christus fecit signa & miracula. Quid verò? post tam multa tam exactè & accuratè gesta, scripserunt etiam Apostoli, sicut etiam dixit Paulus: Scripta sunt autem ad nostram admonitionem, ad quos fines seculorum peruenerunt. Et dicebat Christus: Erratis nescientes scripturas. Et rursus dicebat Paulus: Per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Et rursus: Omnis scriptura diuinitus inspirata est utilis. & Verbum Christi habitet in vobis abundanter. Et Prophetas: In lege eius meditabitur die ac nocte. Et rursus alibi: Omnis narratio tua sit in lege altissimi. Et rursus: Quam dulcia gutturi meo eloquia tua. Non dixit auribus, sed gutturi meo. Super mel & fauam ori meo. Et Moyses: Meditaberis, inquit, in eis semper, surgens, sedens, cubans. Sra, inquit, in eis: & de eis dixeris innumerabilia. Sed tamen post tam multa sunt aliqui qui ne sciunt quidem quod sint scripturæ. Propterea à nobis nihil sit sanum, nihil rectum, nihil vitale. Sed si velit quidem quispiam artem discere militarem, necesse est ut leges dicat militares. Et si quis velit discere scientiam gubernandi, aut fabricandi, aut si quid aliud, necesse est ut discat quæ sunt artis. Hic autem nihil volunt eiusmodi, idque cum hæc scientia

Amos 8.

Matt. 5.

Perfectio nō est nature, sed virtutis.

Auditorū quædā est diuersitas. Infra 13.

Scripturis est attendendum.

Exod. 31.

Rom. 15. Matt. 22. Rom. 15. 2. Tim. 3.

Coloss. 3. Psal. 1.

Ecl. 9. Psal. 118. Deut. 6.

Scripturarum ignorantia quid mali inueniat.

ria multis opus habeat vigiliis. Nam quod hoc quod sit ars indigens doctrina, audi Prophetam dicentem: Venite filij, audite me: timorem domini docebo vos. Verè ergo doctrina opus habet Dei timor. Deinde dicit: Quis est homo qui vult vitam? Dicit vitam quæ illic est. Et rursus: Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum: declina à malo, & fac bonum: quære pacem, & persequere eam. Scitissime quisnam Propheta hæc dixerit, aut historiographus, aut Apostolus, aut Euangelista? Ego quidem non opinor præter paucos. Atque rursus iis ipsis, si adduxerimus aliunde testimonium, idem quod vobis eueniet. Ecce enim dicam idem dictum aliis verbis: Lauamini, mundi estote, auferte prauitates vestras ab animabus vestris coram oculis meis. Discite bonum facere, exquirite iudicium. Cohibe linguam tuam à malo, & fac bonum. Discite bonum facere. Vides quod virtus egeat doctrina. Nam ille quidem dicit, Timorem domini docebo vos: hic verò, Discite bonum facere. Scitissime vbi hæc sita sint? Ego quidem non opinor præter paucos. Atqui singulis hebdomadis hæc vobis bis vel ter leguntur: & cum lector ascenderit, dicit primum cuius sit liber, nempe huius vel illius Prophetæ, & tunc dicit quæ dicit, ut ea magis signetis & obseruetis, & non solum sciatis quæ illic sita sunt, sed & causam eorum quæ scripta sunt, & quisnam ea dixerit. Sed omnia frustra fiunt, omnia temerè. Nam totum vestrum studium est effusum in ea quæ ad hanc vitam pertinent, spiritualium verò nulla habetur ratio. Propterea nec illa vobis verbo congruenter eueniunt: sed illic quoque multæ sunt difficultates. Nam Christus quidem dicit: Petite regnum Dei, & hæc omnia adiacent vobis. Et hæc quidem dicit danda pro accessione: nos autem ordinem inuertimus, & terram quærimus tanquam illa sint danda pro accessione. Propterea nec hæc habemus, nec illa. Tandem ergo respiscamus, & futura concupiscamus. Sic enim hæc quoque sequuntur. Fieri enim non potest, ut qui ea quærit quæ Deo congruunt, humana quoque non assequatur. Hæc est sententia ipsius veritatis hoc dicentis. Ne ergo aliter faciamus, sed Christi consilium teneamus, ne ab omnibus excidamus. Deus autem est potens nos compungere, & meliores, facere in Christo Iesu domino nostro, cum quo patri vnà cum sancto Spiritu gloria, imperium, honor, nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

ORATIO IX.

CAP. VI.



QUAPROPTER intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur: non rursus iacentes fundamentum penitentiae ab operibus mortuis, & fidei ad Deum baptismatum doctrina, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, & iudicij æterni. Et hæc faciemus si quidem permiserit Deus. Audiuitis quantum reprehenderit Hebræos volentes semper de iisdem discere: & meritò. Nam cum deberetis esse magistri propter tempus, rursus opus habetis ut vos doceamini, quænam sint elementa initij eloquiorum Dei. Vereor ne hæc quoque vobis dicere sit repestiuum, quod cum deberetis esse magistri propter tempus, ne discipulorum quidem locum teneatis: sed semper eadem & de iisdem audientes, tanquam nihil audientes ita affecti sitis. Et si quis vos interroget, nemo possit respondere præter admodum paucos, eosque numeratu faciles. Hoc autem non est paruum damnum. Sæpe enim doctorem volentem ulterius progredi, & quæ sunt magis mystica & altiora tangere, non sinit eorum qui discunt

ignauia & negligentia. Nam sicut in magistris ludi literarij, si elementa semper audiat puer, & ea non teneat, necesse erit eidem puero eadem semper insonare & repetere: nec prius desistet docere, quam illa accuratè potuerit discere: est enim multæ amentia, prioribus non rectè inditis, ad alia eum ducere. Sic etiã in ecclesia, si nobis eadem dicentibus nihil amplius discatis, non cessabimus eadem dicere. Si ostentationis quidem & honoris cupiditatis à nobis haberetur ratio, oporteret semper transilire & transire, vestrum nullam gerentes curam, sed solos vestros plausus appetere. Sed quoniam non in hoc studium posuimus, sed nos pro vestra vtilitate omnem laborem suscipimus, non cessabimus de iisdem vobis dicere, donec ea rectè gesseritis. Nam multa dicere poterimus & de gentium superstitione, & de Manichæis & Marcionistis, & per Dei gratiam validas eis plagas infligere. Sed non est nunc de eis dicendi tempus. Nam iis qui sua nondum exactè norunt, & qui nondum didicerunt quod malum sit plus quam par est habere, quis talia verba dixerit, & ad alia duxerit ante tempus? Atque nos quidem non cessabimus eadem dicere, siue vobis persuaserimus, siue non. Veremur autem ne eadem continenter dicendo, si non audiat, iis qui perperam audiuimus maiorem efficiamus condemnationem. Non sunt autem hæc à me omnibus dicenda. Scio enim multos iuuari à suo in hunc locum ingressu, qui iure aduersus illos exclamauerint, ut qui per suam discendi segnitiam & negligentiam sibi insidiantur. Sed ne sic quidem eos oppriment insidia. Assiduè enim eadem audire iis etiam qui sciunt est vtile. Nam cum id quod scimus sæpe audierimus, rursus compungimur. Scimus quod res bona sit humilitas, & quod Christus sæpe de ea sit locutus. Sed quando & ipsa verba audierimus, & quæ de iis sunt contemperationes, magis afficimur, etiam si milles audiuerimus. Quamobrem est opportunum ut nos quoque nunc vobis dicamus. Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur. Quæ sit inchoatio, & quod initium sermonis, ipse deinceps ponit, dicens. Non rursus, inquit, iacentes fundamentum penitentiae ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptismatum doctrina, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, & iudicij æterni. Si hoc autem est initium, quid est aliud nostrum dogma quam penitentiam agere ab operibus mortuis, & per spiritum accipere fidem resurrectionis mortuorum, & iudicij æterni? Quid est autem initium? Nihil aliud quam hoc dicit initium, quando non adest vita exacta & perfecta. Quomodo enim eum qui venit ad discendas literas, oportet primum audire elementa: ita etiam Christianum hæc exactè scire, & de his nihil dubitare. Si autem doctrina rursus indigeat, nondum habet fundamentum. Quod enim est firmum & stabile, fixum esse oportet, & stare, & non transmutari. Si quis autem catecheli institutus, & baptismo tinctus, post annos decem de fide rursus est auditurus, & quod oporteat credere in mortuorum resurrectionem, nondum habet fundamentum. Christianissimi rursus quærit initium. Nam quod fides sit fundamentum, reliquum autem ædificium, audi ipsum dicentem, Ego fundamentum posui, alius superædificat. Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam. Non rursus, inquit, iacentes fundamentum penitentiae ab operibus mortuis. Quid est autem, Ad perfectionem feramur? Deinceps, inquit, procedamus ad ipsum fastigium, hoc est, vitam habeamus optimam. Quo-

Qui quærit vitam, humana etiam assequitur.

Matt. 6.

Qui quærit vitam, humana etiam assequitur.

Eadē sæpe audire iis etiam qui sciunt est vtile.

Doctrina quærit initium qui vitam nō habet perfectam.

1. Cor. 3.

Abſque fi- de nec vi- ta poteſt eſſe pura, nec quicquam eſt Chriſtiani- us.

Supr. 5.

Legis non eſt tranſ- ſatio & tranſ- mutatio. Rom. 7.

Nihilominus nō eſt in Graeco.

modo enim in elementis A totum continet, & fundamentum totum ædificium: ita etiam vitam puram certa in fide perſuaſio. Abſque ea autem fieri non poteſt vt ſis Chriſtianus: quomodo nec ædificium poteſt eſſe abſque fundamentis, neque fieri poteſt vt abſque elementis ſis peritus literarum. Sed ſi quis ſemper verſetur circa elementa, ſi quis circa fundamentum, non circa ædificium, nondum erit ei quidquam amplius. Tu autem ne exiſtmes detractum eſſe fidei, propterea quod ea ſit vocata per elementa: ea enim eſt tota poteſtas. Nam quando dicit, Omnis enim qui lactis eſt particeps, eſt imperitus ſermonis iuſtitia: eſt enim infans, non eam vocat lac iuſtitia: ſed de his adhuc dubitare, eſt mentis imbecilla, & quæ multis indiget rationibus. Hæc enim ſunt dogmata quæ ſunt recta & ſana. Illum enim vocamus perfectum, qui cum fide rectam habet vitam. Si quis autem fidem quidem habet, ſcelera autem admittit, & de hac ipſa dubitat, & doctrinam probro afficit, merito eum dicemus infantem, vt qui ad ipſum recurrerit initium. Quamobrem etiam ſi mille annos egerimus in fide, & in ea non ſumus firmi & ſtabiles, ſumus infantes, quando non oſtendimus vitam ei conuenientem, quando adhuc iacimus fundamentum. Eos autem ſimul cum vita, alterius quoque inſimulat, vt qui ſunt labefacti & emoti, & opus habent vt fundamentum iaciant pœnitentiæ ab operibus mortuus. Eum enim qui ab aliquo tranſmouetur ad alterum, & illud quidem dimittit, hoc autem eligit, ipſum prius oportet vt condemnet, & ab eo recedat affectione, & tunc veniat ad alterum. Si autem priori rurfus eſt adhæſurus, quomodo attinget ſecundum? Quid ergo, inquit, de lege? Eam condemnauimus, & rurfus ad ipſam recurrimus. Hoc non eſt tranſlatio & tranſmutatio: etenim hîc habemus legem. Legem ergo, inquit, deſtruimus per fidem? Abſit, ſed legem ſtatuimus. Ego autem dicebam de rebus malis. Nam qui eſt ad virtutem tranſiturus, debet prius condemnare vitium, & tunc ad eam accedere. Non enim valebat pœnitentia eos mundos reddere. Propterea ſtatim baptizabantur, vt quod per ſeipſos non poterant efficere, id fieret per gratiam. Neque ergo ſufficit pœnitentia ad emundationem, ſed oportet baptiſma aſſumere. Oportebat ergo ad baptiſma accedere, prius damnatis, & atro calculo notatis peccatis quæ admiferat. Quid eſt autem baptiſmatum doctrinæ? Non quod multi ſint baptiſmi, ſed vnus. Cur ergo id dixit pluraliter? Propterea quod dixit, Non rurfus iacientes fundamentum pœnitentiæ. Nam ſi eos rurfus baptizaret, & de integro catecheſi inſtituiſſet, & rurfus ab initio baptizati docerentur quæ ſunt agenda, erant perpetuò manſuri incorrecti. Impoſitionis quoque manuum. Sic enim accipiebant ſpiritum, cum Paulus eis, inquit, impoſuiſſet manus. Ac reſurrectionis mortuorum. Hoc enim ſit in baptiſmo, & confirmatur in confeſſione. Et iudicij æterni. Cur autem hoc dicit? Quoniam erat verifiſimile eos vel cum iam credidiſſent labare, aut malè & diſſolutè viuere. Dicit ergo Expergiſcimini & attendite. Non licet dicere, Si diſſolutè & negligenter vixerimus, rurfus baptizabimur, catecheſi rurfus inſtituemur, accipiemus rurfus ſpiritum: & ſi à fide nunc exciderimus, rurfus poterimus baptizati peccata abluere, & eadem aſſequi quæ prius. Erratis, inquit, hæc exiſtimantes. Impoſſibile enim eſt eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt ſpiritus ſancti guſtauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque futuri ſeculi, & prolapſi ſunt rurfus renouare ad pœnitentiam, rurfus crucifigentes ſibi metipſis filium Dei, & oſtentui habentes. Vide autè quàm

apud incipiat ad pudorem ſuffundendum & prohibendum. Ne amplius, inquit, expectes quod nō poteſt fieri. Non enim dixit, Nō decet, neque expedit, neque licet, ſed eſt impoſſibile, vt eos omnino iniiciat in deſperationem. Si omnino, inquit, ſemel illuminati eſtis. Deinde ſubiungit, Guſtauerunt etiam donum cœleſte, hoc eſt, remiſſionem. Et participes facti ſunt ſpiritus ſancti, & guſtauerunt bonum Dei verbum. Hic dicit doctrinam. Virtutesque ſeculi venturi. Quasnam dicit virtutes? Vel facere miracula, vel arham ſpiritus. Et prolapſi ſunt rurfus renouare ad pœnitentiam, rurfus crucifigentes ſibi metipſis filium Dei, & oſtentui habentes. Renouare dicit ad pœnitentiam: hoc eſt, per pœnitentiam. Quid ergo, eiecta eſt pœnitentia? Non pœnitentia, abſit: ſed quæ rurfus fit per lauacrum renouatio. Non enim dixit, Impoſſibile eſt renouari ad pœnitentiam, & tacuit: ſed cum dixiſſet, Impoſſibile eſt, ſubiunxit, Rurfus crucifigentes renouari, hoc eſt, nouum fieri. Nouos enim facere eſt ſolius baptiſmi: Renouabitur, inquit, ſicut aquilæ iuuentus mea. Pœnitentiæ autem eſt, eos qui noui facti ſunt, deinde à peccatis inueterauerunt, liberare à vetuſtate, ſolidosque reddere: ad illum autem ſplendorem non licet reducere. Illic enim totum eſt gratia. Rurfus crucifigentes, inquit, ſemetipſos filium Dei, & oſtentui habentes. Hoc eſt autem quod dicit, Baptiſma eſt crux, & crucifixus eſt verus noſter homo. Conformes enim facti ſumus ſimilitudini mortis eius. Et rurfus Conſepulti cum eo ſumus per baptiſmum in mortem. Sicut ergo fieri non poteſt vt iterum crucifigatur Chriſtus: hoc enim eſt eum traducere. Nam ſi mors eius non amplius dominabitur: ſi reſurrexit, reſurrectione morte factus potentior: ſi per mortem mortem deuicit ac proſtrauit, & deinde iterum in cruce agitur, fabulæ ſunt illa omnia, & traductio ac irriſio. Ita qui rurfus ſeipſum baptizat, rurfus ipſum crucifigit. Quid eſt autem rurfus crucifigentes? Ab initio eum rurfus crucifigentes. Nam quomodo Chriſtus mortuus eſt in cruce, ita nos in baptiſmate, non carne, ſed peccato. Vide mortem & mortem. Ille mortuus eſt carne noſtra. Vetus homo ſepultus eſt, & reſurrexit nouus factus, conformis ſimilitudini mortis eius. Si ergo neceſſe eſt baptizari, neceſſe eſt eum ipſum rurfus mori. Baptiſma enim nihil eſt quàm eius qui baptizatur perſeptione, & illius excitatio. Et præclare dixit, Rurfus crucifigentes. Nam qui hoc facit, tanquam prioris gratia oblitus, ignauèque & diſſolutè vitam ſuam agit, ſic omnia gerit tanquam ſit aliud baptiſma. Quamobrè eſt attendendum & adhibenda eſt cautio. Quid eſt, Guſtauerunt etiam donum cœleſte? Hoc eſt remiſſionem peccatorum: hoc enim ſolius Dei eſt donare, & gratia. Quid ergo, manebimus in peccato vt abundet gratia? Abſit. Si autem ſemper ſalui futuri ſumus gratia, nunquā erimus boni. Nam ſi vbi vna eſt gratia, ſic quoque ſumus ignaui, ſocordes, & diſſoluti: ſi ſciremus abluenda rurfus eſſe peccata, ceſſaremus à peccatis? Ego quidè minimè opinor. Multa hîc oſtendit dona: & vt intelligas, Dignati, inquit, eſtis tata remiſſione. Nam qui ſedebat in tenebris, qui inimicus, qui hoſtis, qui alienatus, qui Deo inuiſus, qui perditus, is repente illuminatus, ſpiritu dignatus, dono cœleſti, adoptione in filium, regno cœleſti, aliis bonis, arcanis myſteriis, & ne ſic quidem melior effectus: ſed cum ſit quidem dignus qui pereat, ſalutem aſſecutus & honorem tanquā qui præclare ex virtute ſe geſſiſſet, quomodo rurfus potuerit baptizari? Duobus ergo modis rem dixit non poſſe fieri: & eum qui eſt firmior & validior poſuit poſterius. Vno quidem, quod non eſt dignus qui eſt rebus cuiusmodi dignatus, & omnia quæ ſibi ſunt donata prodidit,

Renouare, ſeu nouos facere eſt ſolius baptiſmi. Pſal. 20.

Rom. 6. Coloſſ. 2.

Qui rebaptizatur, Chriſtum rurfus crucifigit.

Baptiſmus cur non iteretur.

didit, vt rurfus renouetur: neque fieri poteſt vt ipſe rurfus crucifigatur: hoc enim eſt oſtentui habere, ſeu traducere. Non eſt ergo, non eſt ſecundum lauacrum. Si eſt autem, eſt tertium & quartum. Prius enim ſemper diſſoluitur à poſteriori, & hoc ſemper ab alio: idque in infinitum. Et guſtauerunt, inquit, bonum Dei verbum. Nec id aperit. Virtutesque ſeculi venturi. Viuere enim tanquam Angelos, & ex iis quæ hîc ſunt nullius indigere, nobis conciliat & efficit, vt ſciamus futurum, vt fruamur futuris ſeculis. Hoc licet ſcire per ſpiritum, & adyta illa ingredi. Quasnam ſunt virtutes futuri ſeculi? Vita æterna, Angelica vitæ inſtitutio. Horum iam arham accepimus per fidem à ſpiritu. Dic ergo, ſi in regiam eſſes introductus, & quæ ſunt illic omnia tibi eſſent credita, deinde prodidiſſes omnia, eāne tibi rurfus crederentur?

MORALE.

QVID ergo, inquit, non eſt pœnitentia? eſt pœnitentia, ſed non eſt ſecundum baptiſma. Eſt autem pœnitentia, & magnam habet vim, & quæ poteſt eum qui eſt peccatis immerſus, ſi velit, liberare ab onere peccatorū, & eum qui eſt in periculo, in tuto collocare, etiam ſi venerit in ipſum vitij profundum. Id autem ex multis eſt perſpicuum. Num, inquit, qui cadit non reſurgit, aut qui eſt auerſus non conuertitur? Poteſt, ſi velimus, Chriſtus in nobis rurfus formari. Audi enim Paulum dicentem. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis: attingamus tantum pœnitentiam. Nam vide Dei benignitatē & clementiam. Oportebat nos omni modo puniri in initio, quod, cum & legem accepiſſemus naturalem, & adepti bona eſſemus innumerabilia, & dominum ignorauimus, impuramque & immundam vitam viximus: & non ſolum nō puniit, ſed etiam bonis impertiit innumerabilibus, idque perinde atque ſi res magnas & præclaras geſſiſſemus, iterum lapſi ſumus, & ne ſic quidem punit, ſed dedit medicamentum pœnitentiæ, quod ſufficit ad delenda & abſtergenda omnia noſtra peccata, ſi modò viderimus cuiuſmodi ſit medicamentum, & quomodo id ſit applicandum. Cuiuſmodi ergo eſt medicamentum pœnitentiæ, & quomodo coſcitur? Primum eſt ex ſuorum peccatorum condemnatione, & ex confeſſione. Delictum, inquit, meum cognitum tibi feci, & peccatum meum non abſcondi. Pronūtiabo contra me iniquitatem meam domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei. Et iterum: Dic peccata tua prior, vt iuſtificeris, & iuſtus eſt ſui accuſator in primo ſermonē. Secundò ex multa humilitate. Eſt enim veluti quedā catena aurea, & ſi initium acceperit, ſequuntur omnia. Nam ſi peccatum fueris confeſſus vt oportet confiteri, ſit humilis anima: eam enim verſans & agitans conſcientia, efficit vt ſit cōtracta. Oportet autem alia quoque addere humilitati, ſi talis ſit qualem beatus Dauid habebat, dicēs: Cor contritum & humiliatū Deus non deſpiciet. Nam quod eſt contritum, non exurgit, non ferit, ſed eſt paratum ad malè patiendum, ipſum autem non exurgit. Talis eſt cordis contritio, etiam ſi malè paſſa, quieſcit, nec concitatur ad vindictam. Poſt humilitatem verò, opus eſt intēſis precibus, multis lacrymis, & interdii, & noctu. Lauabo, enim inquit, per ſingulas noctes lectum meum: lacrymis meis ſtratam meam rigabo. Laboraui in gemitu meo. Et iterum: Quoniam cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam. Et poſt orationem adeò intēſam, multa opus eſt eleemoſyna. Hoc enim eſt quod reddit admodum validum medicamentum pœnitentiæ: & quomodo in medi-

Pœnitentia quam vim habet.

Hier. 8.

Gal. 4.

Pſal. 7. Confefſio. Pſal. 37.

Eſai. 58. Pro. 18.

Contritio cordis qualis ſit. Pſal. 50.

Pſal. 50.

Ibid. 101.

corum adiumentis, eſt medicamentum quod multas quidem capit herbas, ſed vnā quæ obtinet principatum: ita etiam in pœnitentia, ipſa eſt herba quæ principatum magis obtinet, & ipſa fuerit vniuerſum. Audi enim quid diuina dicat ſcriptura: Date eleemoſynam, & omnia erunt vobis munda. Et iterum: Eleemoſynis & fide mundantur peccata. & Ignem flammam extinguet aqua, & eleemoſyna cōpeſcet magna peccata. Deinde non irarſci, neque iniuriæ acceptæ meminiffe, omnibus peccata remittere. Homo homini, inquit, reſeruat iram, & apud dominū quarit medelam? Remittite, inquit, vt remittatur vobis. Et fratres ab errore conuertere. Vade, inquit, & conuertere fratres tuos, vt remittantur tibi peccata tua. Et ſc in ſacerdotes vt conuenit gerere. Et ſi fecerit, inquit, quiſpiam peccata, remittetur ei. Eos tueri ac protegere quibus ſit iniuria. Itā non habere. Omnia placidè & moderatè ferre. An non priuſquam didiciſſetis, quod per pœnitentiā abluī poſſunt peccata, eratis anxij, vt qui ſciretis non eſſe aliud lauacrum, & de vobis ſpem abieceratis? Nunc autem cum ea didiceritis, per quæ rectè agitur pœnitentia & remiſſio, & quod omnia poterimus effugere, ſi ea vtamur vt oportet, quānam aſſequemur veniam, ſi ne in mentē quidem nobis veniāt noſtra peccata? Nam ſi hoc eſſet, omnia eſſent cōfecta. Nam ſicut qui oſtium eſt ingreſſus, eſt intus: ſic qui propria mala cogitat ac ſupputat, omnino veniet ad eorum curationē. Sin autem dicit, Sum peccator, ea autem per ſpecies nō cogitat ac ſupputat, & non dicit, Hoc & illud peccatum admifi, nunquam ceſſabit, ſemper quidem cōfitens, curam autem nullam gerens correctionis. Nam ſi cæperit, omnino etiam ſequentur alia, ſi in vno oſtenderit initium. Semper enim principium & exordia ſunt difficilia. Hæc ergo iaciamus tanquam fundamenta, & expedita erunt omnia & facillima. Incipiamus ergo rogo. Alius quidè, intenſis vtendo precibus. Alius verò aſſiduè lacrymando. Alius autem mœrēdo. Nam ne hoc quidem quod eſt adeò paruum, eſt inutile. Vidi, inquit, quod mœrere eſt affectus, & ambulauit triftis, & curauit vias eius. Omnes autem eleemoſyna, & proximis remittendo peccata, & iniuriæ acceptæ non recordando, nec vlciſcendo, humiles noſtras reddamus animas. Si aſſiduè cogitemus ea quæ peccauiſmus, nihil ex rebus externis nos poterit extollere: non diuitiæ, non potentia, non principatus & imperium, nō honor. Sed & ſi in ipſo Regis curru ſederimus, acerbè ingemifcemus. Nam etiam beatus Dauid erat Rex, & dicebat, Lauabo per ſingulas noctes lectum meum. Nec ex purpura & ex diademate fuit læſus, nec ſuperbia elatus. Sciebat enim ſe eſſe hominem: & quoniam erat contritus corde, lamentabatur. Quid enim ſunt res humanæ? Cinis & puluis, & tanquam puluis ante faciem venti, fumus & vmbra, & folium quod circumfertur, & flos, & ſomnium, & narratio, & fabula, ventus, & aer mollis temere diffluens, penna non conſiſtens, fluentum prætercurrens, & quæ ſunt quàm hæc magis nihili. Quid enim, dic quæſo, magnum exiſtimas? Quānam putas magnam eſſe dignitatem? Conſulis? Nam hac dignitate nullam exiſtimat vulgus eſſe maiorem. Eo ergo qui in tanto fuit ſplendore, qui fuit in magna habitus admiratione, is qui non eſt Conſul nihil habet minus. Et hic & ille eſt in eadem dignitate. Similiter vtrique ſunt paulò poſt. Quando fuit? Quanto tempore dic mihi? Duorum dierum? Hoc etiam ſit in ſomnis. Sed eſt, inquit, ſomnium. Et quid tum? Quod enim ſit interdii non ſomnium. Dic mihi, cur non hæc magis dicimus ſomnium? Quomodo enim ſomnia, cum dies acceſſerit, nihil eſſe conuincuntur: tantum-

Luc. 17. Tob. 4.

Eccl. 3.

Eccl. 2. Luc. 6.

Ibid. 25.

Iac. 5.

Peccatorū ſuorum cogitatio & per ſpecies enumeratio.

Reg. 21.

Pſal. 6.

Res humanæ quid ſint.

dem enim temporis & nox, & dies accipiunt, & totum tempus ex æquo diuidunt. Quomodo ergo iis quæ noctu facta sunt non lætatur quisquam interdium: ita nec fieri potest ut noctu fruatur iis quæ interdium facta sunt. Fuisti consul: & ego noctu. Sed ego noctu, & tu interdium. Quid tum? Ne sic quidem plus habes quàm ego. Nisi forte hunc vel illum dici Consulem, & quæ ex verbi existit habere voluptatem, plus habere efficit: ut exempli causa, id enim dicam apertius. Si dixero, hic vel ille est Consul, & donauero hoc nomen, non simul dictum est & abiit? Ita res quoque. Simul apparuit Consul, & non est amplius. Ponamus autem annum, & duos annos, & tres, & quatuor. Vbi sunt decem qui fuerunt Consules? Nusquam. Sed non sic Paulus. Nam fuit etiã perperuò viuens, non vnum diem, nec duos, neque decem, nõ viginti, nec triginta: neque annos decem, nec viginti, nec triginta: sed & est mortuus, & quadringentesimus annus iam præterit: & adhuc nunc quoque est clarior, & multò clarior quàm quando viuebat. Et hæc quidem in terra. Sanctorum autem claritatem, quæ est in cœlis, quænam explicari oratio? Quamobrem rogo hanc quæramus claritatem, hanc persequamur, ut assequamur. Hæc enim est, quæ est verè claritas. De cætero discedamus ab iis quæ ad hanc vitam pertinent: ut inueniamus gratiam & misericordiam in Christo Iesu domino nostro, cum quo patri vnà cum sancto Spiritu, gloria, imperium, &c.

ORATIO X.

TERRA enim sæpe venientem super se bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illi à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem spinas & tribulos, reprobata est, & maledictio proxima, cuius consummatio in combustionem. Cum timore audiamus Dei eloquia: cum timore & multo tremore. Seruite enim, inquit, Deo in timore, & exultate ei cum tremore. Si autem & gaudium nostrum, & exultatio nostra debet esse cum tremore, quando etiam ea quæ dicuntur sunt terribilia, ut nunc, quo supplicio non sumus digni, si ea quæ dicuntur non audiamus cum tremore? Nam cum dixisset fieri non posse ut qui lapsi sunt iterum baptizentur, & quæ sunt à baptismo accipiant remissionem, & ostendisset quàm sit res horrenda, subiungit. Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illis propter quos colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem spinas & tribulos reprobata est, & maledictio proxima. Cuius consummatio in combustionem. Timeamus ergo o dilecti. Non sunt hæc minæ Pauli: non sunt verba hominis: sunt Spiritus sancti, sunt Christi, qui in ipso loquitur. Estne ergo aliquis mundus ab his spinis? Quod si etiam essemus mundi, ne sic quidem confidere oporteret, sed timere & tremere, ne in nobis germinet spinæ. Cum autem toti penitus simus spinæ & tribuli, vnde nam, dic quæso, confidimus, & supini ignauique reddimur? Quid est quod nos facit ignauios & socordes? Si is qui videtur stare, debet timere ne cadat. Nam qui videtur, inquit, stare, videat ne cadat: Qui cecidit, quàm debet esse sollicitus ut resurgat? Si Paulus timet ne cum aliis prædicauerit, ipse fiat reprobus, qui est adeo probus: nos qui iam facti sumus reprobi, quàmnam assequemur veniam, cum nihil timeamus, sed tãquam consuetudinem Christianismum impleamus, & eo leuiter defungamur? Timeamus ergo, o dilecti, reuelatur enim ira Dei de cælo. Timeamus. Reuelatur enim non solum aduersus impietatem, sed etiam aduersus omnem iniquitatem, & paruam, & magnam. Hic ta-

Psal. 2.

1. Cor. 10.
1. Cor. 9.

Rom. 1.

citè significat Dei benignitatem & clementiam. Imbrem autem dicit doctrinam, & quod superius dicebat, Cum deberetis esse magistri propter tempus, id hic quoque dicit: & multis in locis scriptura doctrinam dicit imbrem. Mandabo enim, inquit, nubibus ne ipsam pluant imbrem, loquens de vinea. Quod quidem alibi vocat famem panis, & sitim aquæ. Et iterum: Fluuius Dei repletus est aquis. Terra enim, inquit, sæpe venientem super se bibens imbrem. Hic ostendit quòd & verbu accepertint, & simul biberint, & id sæpe sint affectu, nec id tamen eis profuerit. Si Agricola, inquit, opera non fuisset cultus, si imbribus non esses irrigatus, non esset tantum malum. Nam si non venissem, inquit, & eis non fuisset locutus, peccatum non habuissent. Sepe bibisti & accepisti, cur profectibus alia produxisti? Expectaui, inquit, ut faceret vnam, fecit autem spinas. Vides quòd scriptura vbique spinas vocat peccata. Nam & Dauid dicit: Couersus sum in ærumnam dum mihi infixæ est spina. Non solum enim ingreditur, sed etiam infigitur, & si parum eius remaneat, & non totum ipsum exemerimus, parum illud æquè infert dolorem, atque in spina. Et quid dico ipsum parum: Etiam postquam fuerit exemptum, diu immittit plagæ dolorem, & multa medicina opus est & curatione, ut perfectè liberemur. Neque enim peccatum solum eximere, sed etiam oportet curare locum percussum. Sed timeo ne quæ dicuntur, nobis magis dicantur, quàm aliis. Terra, enim inquit, sæpe super se venientem bibens imbrem. Semper bibimus, semper audimus, sed humorem statim perdimus Oriente Sole, & propterea spinas producimus. Quænam sunt ergo spinæ? Audiamus Christum dicentem, quòd sollicitudo huius seculi, & fallacia diuitiarum suffocat Verbum, & sit infrugiferum. Terra enim, inquit, sæpe venientem super se bibens imbrem, & germinans herbam opportunam. Quoniam nihil est adeo aptum & conueniens, ut vitæ puritas. Nihil adeo numerosum ac concinnum, ut vita optima. Nihil adeo congruens & opportunum, ut virtus. Et germinans, inquit, herbam opportunam illis propter quos colitur, accipit benedictionem à Deo. Hic dicit Deum esse autorem omnium, Græcos sensim feriens, qui virtuti terræ ascribunt fructuum generationem. Neque enim sunt, inquit, manus agricolarum quæ ipsam terram excitant ad fructus ferendos, sed Dei iussus. Propterea dicit: Accipit benedictionem à Deo. Vide autem quod in spinis nõ dixit, Pariens spinas, neque hoc vtili vsus est nomine. Sed quid? proferens spinas. Quasi dicas, faciens erumpere & expellens. Reprobata est, inquit, & maledictio proxima. Vides quantam habet consolationem quod dicitur. Est, inquit, maledictio proxima, non maledictum. Qui autem nondum incidit in maledictum, sed prope est, etiam procul esse poterit. Nec hoc solum est consolatus, sed eo etiam quod deinceps sequitur. Non enim dicit, Reprobata est, & maledictio proxima quæ conburetur. Sed quid? Cuius finis est in combustionem. Si permaneat, inquit, vsque ad finem. Quamobrem si spinas exciderimus & exusserimus, poterimus frui bonis innumerabilibus, & probi effici, & esse participes benedictionis. Merito autem peccatum appellauit tribulum, dicens: Proferens autem spinas ac tribulos. Nam vnde id tenueris ferit & mordet, & visu etiam est deformis & tetrum. Cum ergo eos satis tetigisset, & tenuisset, ac pupugisset, rursus curat ac medetur, ne eos plus quàm par sit deiiciat, ignauiosque reddat ac supinos. Nam qui segnem ferit ac desidem eum reddit segniorem. Neque ergo omnino blanditur, ne reddat segniorem: neque omnino ferit, sed paucillum iniiciens quod feriat,

Supr. 5.

Esa. 5.
Amos 8.
Psal. 64.

Ioan. 15.

Esa. 5.

Peccata
vocantur
spinæ.
Psal. 31.Luc 8.
Mar. 4.Deo non
virtuti ter-
ræ tribu-
da est fru-
ctuum pro-
ductio.Peccatum
merito di-
citur tri-
bulus.

feriat, multum adhibet quod curet ac medeatur per ea quæ subiungit. Quid enim dicit? Non hæc dicimus tanquam qui vos condemnauerimus, nec ut qui existimemus vos esse plenos spinis, sed ut qui timeamus ne hoc accidat. Melius est enim vos verbis terrere, ne re ipsa doleatis: & hoc maximè est Pauli prudentiæ. Et non dixit, existimamus, nec conicimus, nec expectamus, nec speramus. Sed quid? *Confidimus autem de vobis dilectissimi, meliora & viciniora saluti, tamesi ita loquimur.* Quod etiam dicebat scribens ad Galatas. Confido autem de vobis in domino, quòd nihil aliud sapietis. Non dixit, Sapitis, sed sapietis. Hic autè à præsentibus. Confidimus autè de vobis meliora, etsi sic loquimur. Et quoniam à præsentibus non multa habebat quæ diceret, à præteritis constituit consolationem, & dicit: Non enim iniustus est Deus, ut obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministratis. Papæ quomodo eorū recreat & confirmat animam, res veteres reuocans in memoriam, & redigens ad necessitatem non expectandi Deum esse oblitum. Necessè est enim ut ille peccet, qui non certam & plenam habet de spe persuasionem, & dicat Deum esse iniustum. Quamobrem eos omnino coëgit expectare illa quæ erant futura. Eum enim qui ex rebus præsentibus desperauit & animum despondit, ex futuris poterit quispiam corroborare, sicut ipse quoque ad Galatas scribens dicebat: Currebatis bene. Et iterum: Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa. Quomodo autem hic cum increpatione laudem ponit, dicens: Cum deberetis esse magistri propter tempus: ita illic quoque: Miror quòd tam citò transferimini, laus est cum increpatione. Nam de rebus magnis quando exciderint miramur. Vides in accusatione & reprehensione absconsam esse laudem. Nec de se solum hoc dicit, sed etiam de omnibus. Non enim dixit, Confido, sed confidimus de vobis meliora. Bona, inquam, dicit. Aut hæc autem dicit de bona vitæ ægendæ ratione, aut de remuneratione. Deinde cum dixisset superius quòd est reprobata & maledictio proxima, & quòd erit in combustionem: *Non omnino, inquit, de vobis hæc dicimus: nõ enim iniustus est Deus ut obliuiscatur operis vestri & dilectionis.* Cur ergo hæc diximus? Cupimus autem vnūquenque vestrum eandem ostendere sollicitudinē ad expletionem spei vsque in finem, ut non segnes efficiamini, verum imitatores eorum qui fide & patientia hæreditabant promissiones. Cupimus, inquit. Non solum ergo studemus, nec ad verba vsque hoc volumus. Sed quid? Cupimus vos adherere virtuti, non tanquàm priora condemnantes, sed de futuris timentes. Et non dixit, Tanquam priora condemnantes, sed presentia. Estis enim dissoluti, facti estis segniores: Sed vide quàm placidè id ostendit, & non ferit. Quid enim dicit? Cupimus autè vnumquenque vestrum eandem ostendere sollicitudinē vsque in finem. Hoc enim Pauli prudentiæ est admirabile, quòd non ostendit eos cessisse, & factos esse remissiores. Dicere enim, Cupimus vnumquenque vestrum, hoc est perinde ac si dicas, volo te semper studere, & qualis prius eras, talem esse & nunc, & in posterum. Hoc enim mitiorem facit reprehensionē, & non ægrè admittendam. Nec dicit, Volo, quod erat docendi auctoritatis, sed quod paternæ erat benevolentia magis, quàm velle, Cupimus: propemodum dicens, Ignoscite si quid molestum & graue dixerimus. Cupimus vnumquenque vestrum eandem ostendere sollicitudinē ad expletionem spei vestra vsque in finem. Spes, inquit, portat: ipsa recreat: ne affligamini, ne desperetis, ne sit vestra spes superuacanea. Nam qui bona operatur, & bona sperat, & nunquam de se desperat. Ut non segnes

Gal. 5.

Galat. 5.
Ibid. 3.

Gal. 1.

efficiamini. Adhuc efficiamini. Atqui dicebat superius, Quoniam imbecilli facti estis ad audiendum. Sed vide quemadmodum segnitiam ad auditum vsque statuerit. Hic autem ipsum tacitè significat, pro eo quod est, Ne permaneat, inquit. Sed id rursus ad futurum tempus profert, quod culpæ non est affine, dicens, ut non segnes efficiamini. Illius enim quod nondum est, non fuerimus culpæ affines. Nam is quem quis hortatur ut in præsens tempus sit diligens & sollicitus, ut qui sit socors & negligens, erit etiam pigrior & negligentior. Quem autem in futurum, non ita. Cupimus autem, inquit, vnumquenque vestrum. Multa benevolentia & magnorum & paruorum similiter curam gerit, & nouit omnes, & neminem despiciat: sed in vnumquenque eandem gerit curam, & parem in omnes honorè. Vnde etiam magis persuadebat, ut verborum susciperent molestiam & alperitatem. Ut non segnes, inquit, efficiamini. Nam quomodo etiam dedit corpus, ita etiam à bonis otium & cessatio animam supiniorem reddit, & ignauiorem & imbecillam. Imitatores autem, inquit, eorum qui per fidem & patientiam hæreditant promissiones. Et quoniam hi sunt deinceps dicit. Prius dixit, Imitamini ea quæ prius à vobis rectè gesta sunt. Deinde ne dicat, Quænam? eos deducit ad patriarcham, eorum quidem quæ rectè gesta sunt, è domo eis exempla afferens, eius autem quòd putarent se esse desertos, à patriarcha, ne existimarent quòd contempti, ut quorum nulla haberetur ratio, essent deserti, sed possent scire quòd virorum valde generosorum & fortium sit hoc, nempe viam ingredi per tentationes, & quòd viris magnis & admirandis sic vsus sit Deus. Oportet autem, inquit, omnia ferre cum patientia: hoc enim est etiam credere. Si autem dicat quòd det, & statim acceperis, cur etiam credidisti? Non est, inquit, amplius tuæ fidei, sed meæ, inquit, qui dedi. Sin autem dicat, do, & post centum annos dabo, tu autem non desperaueris, tunc me existimasti fide dignum, tunc habes de me eam quam par est opinionem. Vides quòd sæpe nascitur incredulitas, non solum ex spei egestate, sed etiam ex pusillanimitate, & ex eo quòd non sis leni & patienti animo, & non ex eo qui promissit. Non est enim, inquit, iniustus Deus, ut obliuiscatur dilectionis vestrae & sollicitudinis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministratis. Adhuc quoque nunc eos curat, ut qui subiunxerit, Et qui ministratis, & eos excitat ostendens quòd non illis fecerint, sed Deo. Quam ostendistis, inquit: & nõ dixit, In sanctos, sed, in Deum. Hoc enim est, In nomine ipsius. Propter nomen eius, inquit, omnia fecistis. Qui ergo, inquit, tanquam à vobis accipit sollicitudinē & dilectionem, vos nunquam despiciet, neque vestri obliuiscetur.

Supr. 5.

Benevolentia multa omnium curam gerit.

Incredulitas vnde nascatur.

Omnis fidelis est sanctus. 1. Cor. 17.

Sancti vita & fide.

MORALE.

HÆC audientes rogo ministremus sanctis. Omnis enim fidelis est sanctus, quatenus est fidelis: etiã si quis sit mundanus & secularis, est sanctus. Sanctificatus enim, inquit, est vir infidelis in vxore, & vxor infidelis in viro. Vide quomodo fides facit sanctificationem. Si ergo mundanum viderimus in aliquo infortunio, manum ei porrigamus. Ne in eos solum qui sedent in mortibus nostrum studium ostendamus. Nam illi quidem sunt sancti & vita, & fide. Sancti autem sunt hi quoque fide, multi autem etiam vita. Ne, si monachum viderimus in carcere, tunc ingrediamur. Sin autem mundanum, non ingrediamur. Est hic quoque sanctus & frater. Quid verò, inquit, si sit immundus & sceleratus? Audi Christum dicentem, Nolite iudicare, ut non iudicemini. Tu fac propter Deum. Et quid dico? Etiam si

Gal. 6.

Eleemo-
fynafacie-
da erim
iniufiit.

Luc. 10.

Egenti &
malè pa-
tienti (uc-
currendu,
nihil fcrui-
tando.

Amos 6.
Prou. 24.

2. Tim. 2.

ex gentibus quempiam viderimus in infortunio, oportet ei benefacere, & vt semel dicam, omnem hominem cui aduersi aliquid accidit: multò autem magis mundano fideli. Audi Paulum dicentem, Bonum facite ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Sed nescio vnde hoc sit introductum, & vndenam hæc inuaserit consuetudo. Nam qui eos solùm quærit qui vitam agunt solitariam, & vult illis benefacere, & de illis rursus curiosè scrutans & non miserens, & si non sit dignus, si non sit iustus, si non faciat signa, manum non porrigit, eleemosynæ plurimum detrahit, quinetiam hoc ipsum quoque tempore procedente rursus perimet. Atqui illa est eleemosyna quæ fit in peccatores, quæ in reos. Hoc enim est eleemosyna, non eorum qui bona fecerunt opera, sed eorum qui peccarunt, misereri. Et vt scias, audi parabolam. Descendit, inquit, quidam ab Hierosolymis in Hiericho, & incidit in latrones: & cum eum verberassent, reliquerunt in via semimortuum sauciatum. Venit autem quidam Leuita, & eum visum præterit. Venit autem quidam Samaritanus, & multam eius curam gessit, alligauit vulnera, infudit oleum, imposuit asino, duxit eum in diuersorium, dixitque præfecto diuersorii, curam eius gere. Et vide magnam liberalitatem & munificentiam. Et ego, inquit, dabo tibi quidquid impenderis. Quis est ergo, inquit, eius proximus? Qui fecit, inquit, misericordiam. Vade ergo, inquit, & tu, & fac similiter, Et vide qualem dixit parabolam. Non dixit, quòd Iudæus fecerit in Samaritanum, sed quòd Samaritanus omnem illam ostenderit liberalitatem. Hæc ergo omnia cum audierimus, ne domesticorum fidei solùm curam geramus, alios autem negligamus. Sic ergo tu quoque si videris aliquem malè patientem, nihil amplius scruteris. Habes quo iustè tuum tucaris auxilium, nempe quòd ipse malè sit passus. Nam si asinum, quem videris suffocari, erigis, nec cuius sit scrutaris, multò magis non oportet scrutari cuius sit. Dei est, siue fit Græcus, siue Iudæus, Sed indiget auxilio. Nam si examinare quidem & iudicare tibi esset permissum, rectè hæc diceret. Nunc autem calamitas non sinit hæc examinare. Nam si nec de sanis nos oportet scrutari, nec de aliorum rebus esse curiosos, multò magis de malè patientibus. Alioqui verò quid? Vidisti eum rebus vti secundis, & gloria florere, & in bona esse existimatione, dic eum esse malum & improbum. Si autem videas malè patientem, ne dicas eum esse malum & improbum. Nam quando est quidem fama celebris, & magna est eius existimatio, hæc rectè dicimus. Quando autem est in calamitate, & eget auxilio, non oportet dicere eum esse malum: hoc enim est crudelitatis, & inhumanitatis, & arrogantia. Quid, dic quæso, fuit Iudæis iniquius? Sed tamen Deus eos punit, & iure, atque ad eò iure optimo. Et tamen eos qui ipsorum miserebantur, habuit acceptos: eos verò qui ipsorum calamitati insultarunt & lætati sunt, punit. Nihil, inquit, patiebantur ob cõtritionem Ioseph. Et rursus dicit: Redime eos qui occiduntur, ne parcas. Non dixit, Scrutare, & quære quis sit. Atqui magna ex parte mali sunt qui abducuntur: hoc enim maximè est eleemosyna. Nam qui amico benefacit, nõ id planè facit propter Deum. Qui autem ignoto, is purè & sincerè facit propter Deum. Ne parcas pecuniis, etiam si omnes oporteat effundere, da. Nunc autem videntes suffocari, lamentari, mille mortibus grauiora pati, & sæpe iniuste, parcimus pecuniis: non parcimus fratribus: rerum inanimatarum curam gerimus, animam autem negligimus. Atqui dicit Paulus: In mansuetudine crudire eos qui aduersantur. Ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & re-

Aspiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem. Nunquid vides, inquit, quanta patientia plenum est verbum? Eum nos quoque imitantes de nemine desperemus. Etenim piscatores cum sæpe iecerint, nihil sunt assecuti. Cum postea autem iecissent, totum acceperunt. Ita nos quoque expectamus, quòd totum simul repente nobis ostendatis fructum maturum. Nam & agricola postquam seminauerit, primum diem & secundum præstolatur, & longo tempore expectat: & repente videt vndique fructus simul germinantes: hoc in nobis quoque futurum expectemus gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui cum patre vnà cum sancto Spiritu gloria, imperium, honor, nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

ORATIO XI.

BRAHÆ enim promittens Deus, cum neminem haberet per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum, dicens. Nisi benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo te. Et sic longanimiter ferens adeptus est repromissionem. Homines enim per maiorem sui iurant: & omnis controuersie finis in confirmationem est iuramentum. Cum Hebræos vehementer & fortiter tetigisset, & eos satis terroisset, primum quidem eos consolatur laudibus, secundo autem, quod est etiam fortius, quòd ea quæ sperantur sint omnino consecuturi. Et consolatur, non à præsentibus, sed à præteritis: quod quidem eis magis persuadebat. Quomodo enim in supplicio per illa magis terret, ita etiã in præmiis per hæc consolatur, Dei morem ostendens. Is autem est, non statim exhibere promissiones, sed longo post tempore. Hoc autem facit, & suæ potentia magnum proferens indicium, & nos inducens ad fidem, vt qui viuunt in afflictionibus, & nec promissa accipiunt, nec mercedes, ad labores non deficiant: & omnes dimittens, licet haberet multos, dixit Abraham. In medium ergo eum adduxit, & propter viri auctoritatem, & propterea quòd id maximè in eo euenit. Quanquã dicit in fine epistolæ, quòd isti omnes cum eas procul vidissent & amplexi essent nõ acceperunt promissiones, ne absque nobis consummarentur. Abraham enim, inquit, promittens Deus, cum neminem haberet per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum, dicens. Certe benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo te. Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem. Quomodo non accepit? Quomodo non est adeptus? Non de iisdem hic & illic dicit. Sed duplicem facit consolationem. Promisit Abraham: & quæ hic quidem sunt dedit longo post tempore: quæ autem illic, nondum: & sic longa vsus patientia, promissionem est adeptus. Vides quòd non sola promissio totum effecit, sed etiam longa patientia. Hic eos terret, ostendens quòd sæpe interruptitur promissio per pusilli animi vitium. Et hoc quidem ostendit per populum. Nam quoniam pusillo & abiecto fuerunt animo, propterea nequaquam sunt adepti promissionem: cõtrarium autem ostendit per Abraham. Deinde in fine facit etiam aliquid amplius, nempe quòd etiam cum longa vsu patientia non essent adepti, ne sic quidam sunt tristitia affecti. Homines enim per maiorem iurant: & omnis controuersie finis in confirmationem est iuramentum. Deus autem cum nullum haberet maiorem per quem iuraret, iurauit per semetipsum. Rectè. Quis est ergo qui iurauit Abraham? Non filius? Non inquit. Maximè quidem ipse, sed non contendo. Quando ergo ipse iurat, Amen, amē dico vobis, idem iurat iuramentum. Non ideo scilicet, quòd non habet maiorem per quem



Heb. 10.

Abrahæ
duplex fa-
cta est à
Deo pro-
missio.

Patris &
filij idem
iuramen-
tum.

Ioan. 11.

Homines
iurit per
se maio-
rem, non
Deus, per
se iurans.

Per spem
sanctus iã
in cœlis.

Matt. 7.

quem iuret? Quomodo enim iurauit pater, ita etiam filius iurat per se dicens, Amen, amen dico vobis. Hic ipse reuocat in memoriam Christi quoque iuramentum, quod dicebat assidue. Amen, amen dico tibi, qui credit in me, non morietur in æternum. Quid est, Et omnis controuersie finis in confirmationem est iuramentum? Pro eo quod est: Ex hoc soluitur omnis controuersia dubitatio: non huius, aut illius, sed omnis. Atque oportebat quidem etiam sine iuramento Deo credere. In quo, inquit, abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum. Hic comprehendit etiam fideles. Propterea meminit etiam huius promissionis, quæ prior facta est communiter. Interposuit, inquit, iusiurandum. Hic rursus dicit filium fuisse intercessorem. Vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri. Per quãnam res? Per hoc quòd dixit ac promisit, & per hoc quòd promissioni adiecit iusiurandum. Nam quoniam apud homines hoc videtur esse credibilis, nempe, iuramentum, propterea ipsum quoque addidit. Vides quòd non suam spectat dignitatem, sed quomodo hominibus persuadeat, & de se indigna dici sustinet, vt qui velit plenam & certam asferre probationem. Et in Abrahamo quidem ostendit totum esse Dei, non illius diuturnæ patientia, siquidem sustinuit etiam addere iuramentum, si per quem iurant homines, Deus quoque per ipsum iurauit, nempe per seipsum. Sed illi quidem tanquam per maiorem, hic autem non tanquam per maiorem: & tamen fecit. Non sunt enim patria, hominem per se iurare, & Deum. Homo enim non habet sui potestatem. Vide quòd hoc non magis Abraham dictum sit quàm nobis. Fortissimum, inquit, solatium habeamus qui confugimus ad tenendam propositam spem. Hic quoque rursus longa vsus patientia, assecutus est promissionem. Nunc, inquit, & non dixit: Quoniam iurauit. Quid sit autem iuramentum, ostendit, dicens, nempe iurare per maiorem. Sed quoniam est incredulum genus hominum, ad eadem quæ nos se demittit. Quomodo ergo iurat propter nos, etiam si eo sit indignum quòd non credatur: ita etiam dictum est illud, Didicit ex iis quæ passus est: quoniam existimant homines hoc esse magis fide dignum, assequi per experientiam. Quid est, Propositam spem? Ex his, inquit futura conuicimus. Nam si hæc post tantum tempus euenerunt, omnino illa quoque. Quamobrem quæ facta fuerunt Abraham, nobis quoque fidem faciunt de futuris. Quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis: vbi præcursor pro nobis introiit Iesus secundum ordinem Melchisedec, Pontifex factus in æternum. Cum adhuc simus in mundo, & è vita nondum excefferimus, ostendit iam esse in promissis. Nam per spem iam sumus in cœlis. Expectate, inquit: omnino enim erit. Deinde plenam & certam asferens persuasionem, dicit, Magis autem spe. Et non dixit, Sumus intus: sed ipsa est ingressa: quòd quidem est verius & probabilius. Sicut autem anchora naui appensa, non sinit eam circumferri, etiam si eam venti quatiant innumerabiles, sed appensa firmam reddit & stabilem: ita etiam spes. Vide autem quàm valde congruentem inuenerit imaginem. Non enim dixit fundamentum quod discrepasset, sed anchoram. Nam quod est in salo & fluctu maris, & non videtur esse admodum firmum & stabile, stat super aquam tanquam supra terram, labascitque & non labascit. Nam in iis quidem qui sunt valde firmi solidique & philosophi, illud consentaneè posuit Christus, dicens: Qui ædificauit domum supra petram. In iis autem qui sunt defessi, & debent spe portari, conuenienter hoc posuit Paulus. Nam fluctus quidem &

magna tempestas scapham labefacit: spes autem non sinit circumferri, etiam si eam venti agitent innumerabiles. Quamobrem si eam non habuissimus, iam olim essemus demersi. Non solùm autem in spiritualibus, sed etiam in iis quæ ad hanc vitam pertinent, magnam eius vim inueneris: vt, verbi causa, in mercatura, in agricultura, in militia, nisi quispiam eam statim proposuerit, ne opus quidem attigerit. Anchoram autem non dixit absolutè, sed firmam & stabilem, quæ non labefactur, quæ ingreditur interiora velaminis, id est, quæ peruadit vsque ad cœlum. Deinde fidem quoque subiunxit, vt non solùm sit spes, sed etiam valde vera. Nam post iusiurandum ponit etiam aliam per res ipsas demonstrationem, nempe quòd præcursor pro nobis introiit Iesus. Præcursor autem est aliquorum præcursor, sicut Ioannes Christi. Et non dixit solùm introiit, sed vbi præcursor pro nobis introiit, vt pote quòd nos quoque debeamus eò peruenire. Non est enim multum interstitium inter præcursores & eos qui sequuntur. Nam alioqui non esset præcursor. Nam & præcursores, & eos qui sequuntur, oportet esse in eadem via, & consensu. Secundum ordinem Melchisedec, Pontifex in æternum factus. Ecce alia quoque consolatio, si quidem supra est noster Pontifex, & multò melior iis qui sunt apud Iudæos, non solùm modo, sed etiam loco, & tabernaculo, & testamento, & persona. Dicitur est autem de eo quòd est secundum carnem.

MORALE.

OPORTET ergo & eos quorum est Sacerdos longè esse meliores, & quantum inter Aaronem & Christum interest, tantum interesse inter nos & Iudæos. Ecce enim in superis habemus victimam, in superis sacerdotem, in superis hostiam. Eas offeramus hostias quæ in illa ara possint offerri: non amplius oues & boues, non amplius sanguinem & nidorem. Hæc omnia sunt abolita, & pro eis est introductus cultus rationalis. Quid est autem cultus rationalis? Quæ per animam offeruntur, quæ per spiritum. Spiritus, inquit, est Deus, & eos qui ipsum adorant, in spiritu & veritate oportet adorare, quæ non opus habent corpore, non opus habent instrumentis, non locis quibus ipse. Quid sunt victimæ? modestia, temperantia, eleemosyna, tolerantia, lenitas & patientia. Hæc sacrificia videris etiam multis retro seculis præfigurata. Sacrificate, inquit, Deo sacrificium iustitiæ. Sacrificate sacrificium laudis. & Sacrificium laudis glorificabit me. & Sacrificium Deo spiritus cõtritus. Et quid à te requirit dominus nisi vt ipsum audias? Holocausta & pro peccato non tibi fuerunt accepta. Tunc dixi, Ecce venio vt faciam Deus voluntatem tuam. Et rursus: Quid mihi thus affertis ex Saba? Amoue à me sonum canticorum tuorum: & psalmum instrumentorum tuorum non audiam. Sed pro his misericordiam volo, & non sacrificium. Vides quibus sacrificiis placatur Deus? Vides & multis iam retro seculis illa quidem excessisse, hæc verò eorum loco subiisse? Hæc igitur offeramus. Nam illa quidem sunt diuitiarum, & eorum qui ipsa habent: hæc autem virtutis. Illa sunt extrinsecus: hæc intrinsecus. Illa vel quilibet operari potuerit: hæc autem pauci. Quò enim oue homo est melior & præstantior, eò hoc illo sacrificio. Hic enim animam tuam offers hostiam. Sunt autem alia quoque hostiæ verè holocausta, nempe martyrum corpora: illic & anima, & corpus. Illa magnum habent odorem sua uolentia. Potes tu quoque si velis tale offerre sacrificium. Quid enim si igne corpus non combufferis? Sed potes alio igne: vt puta igne paupertatis uoluntaria, igne afflictionis, licere enim delicate lautèq;

Spri-
po-
tam
ipri-
alibus.
quam
tempo-
ralibus.

Cultus
rationalis.
Ioan. 14.

Victimæ
& sacrificia
Christiano-
rum.

Psal. 4.
Ibid. 106.
Ibid. 49.
Ibid. 50.
Mich. 6.
Psal. 39.
Hier. 6.
Amos 5.
Osce 6.

Martyrū
corpora
sunt verè
holocausta.

& splendide vitam agere: laboriosam autem & acerbam vitam eligere, & corpus morte afficere, an non est oblatio holocausti? Corpus tuum morte affice, & crucifige, & ipse quoque accipies coronam huius martyrij. Nam quod illic operatur ensis, hoc hic faciat prompta animi alacritas. Non vrat, neque detineat amor pecuniarum, sed vtratur, & extinguitur ipsa turpis & nefaria cupiditas igne spiritus: concidatur gladio spiritus. Hoc est pulchrum sacrificium, quod inferne quidem peragitur, supernum autem cœlestium ascendit. Nonne admiramur quod olim ignis descendens omnia consumebat? potest fieri ut ignis quoque nunc descendat illo longè admirabilior, & omnia quæ sunt proposita consumat, imò verò non consumat, sed omnia in cœlum tollat. Id enim non facit cinerem, sed Deo offert dona. Tales erant Cornelij orationes. Orationes enim, inquit, tuæ & eleemosynæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Vides optimam coniugationem? Tunc audimur, quando ipsi quoque audimus accedentes pauperes. Qui obstruet, inquit, aures suas ne audiat pauperem, preces eius non exaudiet Deus. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die malo liberabit eum dominus. Quis est autem malus, nisi ille dies pauperibus? Quis est qui intelligit? Qui mente versat quid sit pauper, qui eius discit afflictionem. Nam qui eius didicit afflictionem, omnino eius miserebitur. Si videris pauperem, ne prætercurras, sed statim cogita quisnam es, si tu ille es. Quid non velles omnes facere? Quod, inquit, intelligens, cogita quod est æquè liber atque tu, & est eiusdem cuius tu communionis, & omnia tibi possidet communia: & sæpe ne par est quidem tuis canibus, sed illi quidem satiantur, hic autem sæpe dormit esuriens: & qui est liber, sæpe tuis seruis factus est vilior & abiectior. At illi tibi præstant operam. Quænam ea est quam præstant? Bene tibi seruiunt. Quid si tibi ostendero hunc longè maiorem tibi præstare operam, quàm illi? Tibi enim aderit in die iudicij, & te ab igne eripiet. Quid eiusmodi tibi faciunt omnes serui? Quando mortua est Tabitha, quis eam suscitavit? Serui circumsistentes, an mendici? Tu autem ne liberum quidem vis seruo parem facere. Est magnum frigus, & iacet pauper pannosus, emortuus, stridens dentibus, & qui aspectu & habitu te potest commouere. Tu autem calens & ebrius præteris, & quomodo vis ut Deus te eripiat, quando es in calamitate? Sæpe autem hoc quoque dicis: Ego si essem, & multa peccantem aliquem accepissem, eum dimissem, & Deus non dimittit. Ne hoc dixeris. Eum qui in te nihil peccavit, non potes liberare. Hunc despicias, & quomodo te qui in ipsum peccas dimittet? An non hæc merentur gehennam? Et quid mirum? Corpus sæpe mortuum, nullo sensu præditum, honorem non amplius sentiens, innumerabilibus variisque & aureis ornas vestibus: Id autem quod dolet, laceratur, & torquetur, & à fame & frigore cruciatur, despicias, & inani gloriæ plus largiris, quàm Dei timori. Atque vtinam hæcenus. Sed protinus accedentem accusas? Cur enim, inquis, non operatur? Cur verò otiosus alitur? Dic mihi. Tu autem operans habes quæ habes: non autem accepta hæreditate paterna? Quod si etiam operaris, propterea alij exprobras? Non audis Paulum dicentem. Nam postquam dixit: Qui non operatur, nec manducet, dicit: Vos autem bonum facientes non deficiatis. Sed quid dicis? Est impostor. Quid tu dicis? Homo? Propter vnum panem & vestem eum appellas impostorem? At statim id vendit, inquit. Tu autem omnia tua rectè administras? Quid verò, omnésne sunt pauperes propter otium? Nemo propter naufragium: nemo propter iudicium: ne-

mo propter furtum: nemo propter pericula: nemo propter morbos: nemo propter alium casum? Sed si audierimus aliquem hæc deplorantem, & valde vociferantem, & nudum in cœlum suspicientem, & promissam comam alentem, & pannis oblitum, statim eum impostorem, planum, & simulatorem appellamus? Non te pudent? Quænam vocas impostorem? Nihil dederis, & ne eum accuses. Sed habet, inquit, & simulat. Hoc est tui, non illius accusatio. Scit sibi rem esse cum crudelibus, cum beluis magis quàm cum hominibus, & quod etiam si verbum eloquatur miserabile, neminem poterit attrahere: & ideo necesse habet se miserabiliore habitu induere, ut tuum frangat animum. Et si viderimus quempiam in liberali habitu accedentem, iste, inquit, est impostor, & ut videatur honesto loco esse natus, ita accedit. Si viderimus in habitu contrario, eum etiam vituperamus. Quid iam facient? ô sævitiam, ô insolentiam! Cur membra aperiunt mutilata? Propter te. Si essemus misericordes, non esset eis opus his artibus. Si à primo accessu persuasissent, non tam multa essent machinati. Quis est adeo miser, ut tantum velit vociferari, ut se velit indecorè gerere, ut velit publicè desere & lamentari cum nuda vxore, cum filiis conspergi cinere? Hæc sunt quavis paupertate deteriora. Sed propter hæc nos non solum eorum non miseremur, sed etiam eos accusamus. Et adhuc succensēbimus quod Deum rogantes non exaudimur: & adhuc ægrè feremus, quod orantes non persuademus? Non horrescimus, ô dilecti? At sæpe, inquit, dedi. Tu autem non semper comedis? Pueros autem sæpe petentes num abigis? ô impudentiam, ô insolentiam! Pauperem vocas impudentem. Et tu quidem rapiens non es impudens: ille autem rogans ut des panem est impudens. Non cogitas quanta sit ventris necessitas? Non propter ipsum facis omnia? Non propterea negligis spiritualia? Non propositum est cœlum & regnum cœlorum? Tu autem illius timens tyrannidem omnia sustines, & illum non despicias: hæc est impudentia. Non vides senes mancos & mutilos. Sed ô delirium! Hic, inquit, tot aureos dat scœnori: ille autem tot, & mendicat. Paruorum puerorum narratis fabulas, nugæque & deliria. Non hoc persuasum habeo, non credo, absit. Fœneratur aliquis, & cum abundet opibus mendicat. Quamobrem dic quæso? Quid est turpius & magis indecorum quàm mendicare? Satius est mori, quàm mendicare. Quousque erimus sæui & inhumani? quid verò, omnésne scœnantur, omnésne sunt impostores? Nemone verè pauper? Certè, inquit, sunt multi. Cur ergo illis non fers opem, cum sis eorum vitæ exactus & accuratus examinador? Hæc sunt prætextus & excusatio. Da omnia te petenti, & eum qui velit mutuo accipere ne auerferis. Extende manum tuam, ne sit contracta. Non sumus vitæ examinadores, alioqui nullius ita miserebimur. Cur quando Deum rogas, dicis, Ne memineris peccatorum meorum. Quamobrem etiam si ille sit valde peccator, hoc in ipso quoque reputa, & ne memineris illius peccatorum. Benignitatis & clementiæ est tempus, non accuratæ & exactæ examinationis; misericordiæ, non ratiocinationis. Vult nutriri. Si vis quidem da. Sin minus, amanda, nihil hæsitans & disceptans cur sit miser, cur infelix. Cur nec ipse misereris, & eos qui volunt auerteris? Nam quando hic vel ille à te audierit, quod iste quidem est deceptor, ille verò hypocrita & simulator, iste autem scœneratur, neque his dat, & neque illis. Suspiciatur enim omnes esse tales. Scitis enim quod quæ sunt mala facilè suspicamur: quæ autem bona, nequaquam. Simus misericordes, non absolutè, sed ut pater noster cœlestis. Ipse nutrit

Sacrificiū in cœlum ascendens oratio & eleemosyna. Act. 10. Prou. 21. Plal. 40. De vito paupere quid cogitandū. Act. 20. Corpus mortuū sæpe oratur, pauper negligitur. 2. Theff. 3. Qui pauperes vocant impostores, arguuntur.

Ventris quanta sit necessitas. Luc. 6. In paupere vita non est examinanda.

nutrit adulteros, & scortatores, & præstigiatores: & quid dico? eos qui laborant omni genere vitij. Nam necesse est ut in hoc mundo multi sint tales: sed tamen omnes nutrit, omnes induit: nemo vnquam fame periit, nisi quis fortè sua sponte. Ita simus misericordes, & si egeat, & sit in necessitate, ei fer opem. Nunc autem venimus ad tantam rationis egestatem, ut non solum hoc faciamus in pauperibus qui ambulant per compita & angiportus, sed etiam in monachis. Hic vel ille, inquit, est impostor. Non hoc primò dicebam, quod si omnibus quidem demus indiscriminatim, semper miserebimur: sin autem cœperimus esse curiosi, nunquam miserebimur. Quid dicis? Ut panem accipiat est impostor. Si peteret quidem talenta auri & argenti, aut vestes pretiosas & magnificas, aut mancipia, meritò eum vocares deceptorem. Si autem nihil horum, sed alimentum & tegumentum, quæ sunt philosophiæ, cessemus ab hac importuna, satanica & perniciosa curiositate. Nam si se in cleri quidem numerum dicat esse relatum, aut si se nominet sacerdotem, diligenter inquire, & sis curiosus. Nō est enim expers periculi quæ citra examinationem illic fit communio. De rebus enim magnis est periculum. Non enim das, sed accipis. Sin autem egeat alimento, nihil scruteris. Exquire si vis, & scrutare quomodo Abraham exhiberet hospitalitatem in omnes qui accedebant. Si de iis qui ad ipsum confugiebant curiosè esset scrutatus, hospitio non excepiisset Angelos. Fortassis enim non existimans eos esse Angelos, cum Angelis alios quoque expulisset. Sed quoniam omnes excipiebat, excepiit etiam Angelos. Non enim ex vita eorum qui accipiunt tibi mercedem dat Deus, sed ex libero animi instituto, ex multa liberalitate & munificentia, ex benignitate & bonitate. Hæc sint, & omnia bona assequeris. Quæ detur omnibus nobis consequi gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri vnà cum sancto Spiritu, gloria, imperium, honor, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Monachus peccans panem non est impostor. Gen. 18. Hebr. 13. Abraham non scrutatus pauperes, excepiit Angelos.

ORATIO XII.

IC enim Melchisedec Rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obuiauit Abraha regresso à cæde Regum, & benedixit ei. Cui & decimas omnium diuisit Abraham: primùm quidem interpretatur Rex iustitiæ. Deinde autem & Rex Salem, quod est Rex pacis, sine patre sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens: assimilatus autem filio Dei, manet sacerdos in perpetuum. Veteris & noui volens Paulus ostendere differentiam, multis in locis id disseminat, præluditque, aurisque auditorum explorat & prius exercet. Nam & statim ab initio hoc tantam fundamentum iecit, dicens. Illis quidem locutus est in Prophetis, nobis autem in filio. Deinde cum de filio quisnam esset differuisset, & quid fecisset, & ei parere suauisset, ne eis eadem acciderent quæ Iudæis, & dixisset eum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedec, & sæpe voluisset hanc ingredi differentiam, & multa prius dispensasset, eosque tanquam imbecillos increpasset, & rursus curasset & recreasset ut confiderent, tunc auribus iam vigentibus & vegetis affert rationem differentiæ. Nam qui deiecto est animo, non facilè audierit. Et id ut scias, audi scripturam dicentem. Et non audierunt Moysen propter pusillanimitatem. Propterea cum prius multis & terribilibus & placidis ac benignis eorum exinaniisset animi ægritudinem, tunc de cætero descendit ad rationem differentiæ. Et quid dicit? Hic enim Melchisedec Rex Salem, sacerdos Dei summi, & quod est mirabile, in ipso typo ostendit mul-

Sup. 1. Exod. 34.

tam esse differentiam. Nam sicut dixi, à typo semper fidem facit veritatis ex præteritis, propter imbecillitatem auditorum. Hic enim, inquit, Melchisedec Rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obuiauit Abraha regresso à cæde Regum, & benedixit ei. Cui & decimas omnium diuisit Abraham. Cum breuiter totam posuisset narrationem, eam mysticè est contemplatus. Et primùm à nomine. Primùm quidem, inquit, interpretatur Rex iustitiæ. Sedec enim dicitur iustitia, Melchi autem Rex. Vides etiam in nominibus accuratam diligentiam. Quis est autem Rex iustitiæ nisi dominus noster Iesus Christus? Deinde etiam Rex Salem, à ciuitate. Hoc est Rex pacis: quod rursus est Christi. Hic enim nos fecit iustos, & pacificauit quæ sunt in cœlis, & quæ in terra. Quis homo est Rex iustitiæ & pacis? Nullus est nisi solus dominus noster Iesus Christus. Deinde aliam quoque subiungit differentiam. Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque vitæ finem habens: assimilatus autem filio Dei manet sacerdos in perpetuum. Quoniam ergo ei aduertebatur quod dictum est. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec, ille autem erat mortuus, & non fuit sacerdos in æternum, vide quomodo hoc sit contemplatus. Et quis hoc de homine dixerit? Non re ipsa, inquit, dico. Hoc est, Nescimus quænam patrem habuerit, aut quam matrem. Nunquam accepit initium: nunquam est mortuus. Et quid tum, inquit? Non enim quoniam nescimus non est mortuus, nec habuit parentes? Rectè dicis, & mortuus est, & habuit parentes. Quomodo ergo sine patre & matre? Quomodo neque initium dierum, neque finem vitæ habens? Quomodo? Eò quod non asseratur. Et quid hoc est? Quomodo hic, quoniam non recensetur genealogia, ita Christus ipsa rei natura. Ecce initium non habens, ecce non habens finem. Sicut huius nescimus, neque initium dierum, neque vitæ finem, propterea quod non scripta sint: ita Iesu nescimus, non quod non scripta sint, sed propterea quod non sint. Nam ille quidem est figura, & ideo propterea quod non sit scriptus: hic verò veritas, & ideo quod non sit. Sicut etiam in nominibus. Nam hic quidem erant appellationes, Rex iustitiæ & pacis: illic autem rerum veritas. Ita etiam hic quoque sunt appellationes, illic autem rerum veritas. Quomodo ergo habet initium? Vides filium esse sine initio: non quod non habeat causam, hoc enim non potest fieri: habet enim patrem. Nam alioqui quomodo filius? sed quod non habeat initium vitæ, neque finem. Assimilatus autem filio Dei. Vbi est similitudo? Quod & huius & illius finem ignoramus & initium. Sed huius quidem, ex eo quod non sint scripta: illius verò, ex eo quod non sint. Hic est similitudo. Si autem vbique futura esset similitudo, non vtique essent typus & veritas, sed ambo essent typus. Sicut etiam in imaginibus est aliquid quidem simile, aliquid verò dissimile. Nam linearum quidem & characterum est quædam similitudo: impositis autem coloribus, tunc manifestè ostenditur differentia, & hoc quidem simile, illud verò dissimile. Intuemini autem quantus sit hic, cui & decimas dedi de præcipuis Abraham Patriarcha? Iam adaptauit figuram. De cætero ostendit eam esse præclariorem veris rebus quæ erant apud Iudæos. Si autem qui typum habet Christi, est adeo præstantior ac melior, non solum sacerdotibus, sed ipso etiam principe generis sacerdotum, quid dixeris de veritate? Vides quàm abundè ostendat exuperationem. Intuemini, inquit, quantus hic cui & decimas dedi de præcipuis Patriarcha? A xpo. dicuntur spolia. Nec dici potest quod illas ei dederit, ut qui esse

Christus rex iustitiæ. Christus est rex pacis. P sal. 109. Christus quomodo sine patre & matre.

Filius nō habet initium, et si habeat causam.

focius belli. Propterea enim dicit, Obuiauit regresso ex A
cæde Regum. Domi, inquit, sedebat, & dedit ei primiti-
as eorum quæ suis laboribus acqviserat. *Et ex filiis
quidem Leui sacerdotum accipientes, mandatam habent deci-
mas sumere à populo secundum legem, id est, à fratribus suis:
quoniam & ipsi exierint de lumbis Abrahæ.* Tanta sacer-
dotij, inquit, est exuperatio, vt qui honore sunt pares à
maioribus, & habet eundem sui generis principem, sint
multò meliores & præstantiores aliis. Decimas quidem
certè ab illis accipiunt. Quando ergo inuentus fuerit a-
liquis ab his ipsis decimas accipiens, an non hi quidem
locum tenent laicorum, ille autem est inter sacerdotes?
Nec hoc solum, sed ne iis quidem erat par honore, sed
ex alio genere. Quamobrem non dedisset decimas alieni-
genæ, nisi multus fuisset honor? Papæ quid effecit?
Maius quàm vt credi possit agitans, declarauit in epi-
stola ad Romanos. Nam illic quidem & nostræ, & Iudaicæ
viuendi rationis & instituti principem & primum
patrem dicit esse Abraham. Hic autem aduersus eum
audet admodum, & ostendit præputiatum eo esse me-
liorem & præstantiorem. Quomodo autem ostendit?
Quòd Leui decimas dederit. Abraham, inquit, dedit.
Et quid hoc ad nos? Maximè quidem ad vos. Non enim
contenditis Leuitas esse præstantiores & meliores
Abrahamo. *Cuius autem generatio non annumeratur in eis,
decimas sumpsit ab Abraham.* Deinde non leuiter pertransiit,
sed addidit, *Et hunc qui habebat repromissiones benedi-
xit.* Quoniam hoc erat eis omni ex parte præclarum &
splendidum, ostendit illum eis esse honestiorem & præ-
clariorem ex communi omnium iudicio. Sine vlla autem
contradictione, *Quod minus est à meliore benedicatur.*
Hoc est, omnibus videtur id quod minus est benedici
à præstantiore. Igitur melior & præstantior est typus
domini, etiam eo ipso qui habebat promissiones. *Et hic
quidem decimas morientes homines accipiunt. Ibi autem con-
testatur quòd uiuit.* Sed ne dicamus, quoniam sursum
abis, dic nobis, inquit. *Et, vt ita dictum sit, per Abraham &
Leui, qui decimas accepit decimatus est.* Rectè hoc appella-
uit, Per Abraham & Leui, qui decimas accepit decima-
tus est. Quomodo? *Adhuc enim in lumbis patris erat, quan-
do obuiauit ei Melchisedec.* Hoc est, Leui erat in ipso,
etiam si nondum erat natus. Non dixit autem Leuitæ, sed
Leui. Vidisti excellentiam. Vidisti quantum interfuit in-
ter Abraham & Melchisedec, qui fert typum nostri
Pontificis, & ostendit excellentiam fuisse potestate, non
necessitate. Ille enim dedit decimam, quod quidem est
sacerdotis: hic benedixit, quod quidem est melioris ac
præstantioris. Hæc excellentia transit etiam ad nepo-
tes. Admirabiliter & cum præclara victoria res Iudaicas
foras expulit. Propterea dicebat: Imbecilles facti
estis: quoniam hæc volebat iacere fundamenta, ne ipsi
resilirent. Ea est enim Pauli sapientia. Primum præmu-
niens, deinde ad ea quæ uult aggreditur. Est enim ge-
nus hominum difficile ad persuadendum, & multa cura
indigens, & maiori quàm plantæ. Nam illic quidem est
natura corporum, & cedens manibus Agricolæ: hic
autem est libera eligendi voluntas, quæ multas suscipit
mutationes, & nunc quidem hoc, nunc autem illud eli-
git. Ipsa enim est propensa ad vitium.

MORALE.

QVAMOBREM oportet nos semper custodire,
ne dormitemus. Ecce enim non dormitabit, in-
quit, neque dormiet qui custodit Israël. Et ne des in
commotionem pedem tuum. Non dixit, Ne commo-
uearis, sed ne des. Dare ergo est in nostra potestate, non
in alicuius alterius. Nam si uelimus stare firmi, stabiles,
& immobiles, non commouebimur. Quid ergo? Ni-

Psal. 116.
Ibidem.

Qui dat
decimas,
est laicus:
qui acci-
pit, sacer-
dos.

Minus be-
nedicitur
à maiore
& præstā-
tior.

A Leui
decimas
accepit
Melchi-
sedec.

Sup. 5.

hilne est in Dei potestate? In Dei quidem potestate sunt
omnia, sed non ita vt nostrum liberum lædatur arbitri-
um. Si ergo, inquit, est in nostra potestate, cur in nos
confert culpam? Propterea dixi, Ita vt non lædatur nos-
trum liberum arbitrium. Est ergo & in nostra, & in eius
potestate. Oportet enim nos primùm bona eligere, &
tunc affert quæ sua sunt. Non præuenit nostras volun-
tates, ne perdat nostrum liberum arbitrium. Quando
autem nos elegerimus, tum nobis multum affert auxi-
lium. Quomodo ergo dicit Paulus, Non uolentis, si est
etiam in nostra potestate: neque currentis, sed misere-
rentis Dei? Primùm quidem non tanquam suam intro-
duxit sententiã, sed id collegit & ex eo quod erat pro-
positum, & ex eo quod præmissum. Nam cum dixisset:
Scriptum est, Misereror cuius misereror, & commise-
rator cuius misereror, dicit: Non ergo uolētis, nec
currentis, sed miserētis est Dei. Dices autem mihi, Quid
adhuc quæritur? Secundùm autem illud licet dicere,
quòd cuius est id quod est amplius, eius dicit esse totū.
Nam nostrum quidem est præeligere & uelle: Dei au-
tem est perficere, & ad finem deducere. Quoniam ergo
quod plus est, est illius, totum illius esse dicit, dicens cō-
uenienter humanæ consuetudini. Nam nos quoque sic
facimus. Vt exempli causa dico. Videmus ædes pulchrè
ædificatas, & dicimus totum esse artificis. Quoniam
non totum sit eius, sed & operariorum, & domini qui
præbet materiam, & multorum aliorum. Sed tamen
quoniam ille quod plus est attulit, illius totum esse di-
cimus. Ita hic quoque. Et rursus in multitudine, ubi
sunt multi, omnes esse dicimus: ubi autem pauci, ne-
minem. Sic etiam dicit Paulus, Non uolentis, neque
currentis, sed miserentis est Dei. Hic autem duo magna
& præclara efficit. Vnum quidem ne efferamur. Etiam-
si curras, etiam si studium ponas, inquit, ne tuum esse
existimes quod rectè gestum est. Nam nisi à superis o-
pem adipiscaris, frustra erūt omnia. Sed est perspicuum
fore vt assequaris id in quo ponis studiū, quādiu curris,
quādiu vis. Non hoc ergo dicit, quòd frustra currimus,
sed quòd frustra currimus, si totum esse nostrum existi-
mamus, si non plus Deo tribuimus. Nō enim suum esse
totum uoluit Deus, ne uideretur nos temere coronare.
Neque rursus nostrum, ne incidamus in arrogantiam.
Nam si cum minore habeamus partem, efferimur, &
præclare de nobis sentimus: quid faceremus, si totum
esset in nostra potestate? Multa enim fecit Deus vt no-
stram amputaret arrogantiam. Et præterea excelsa ma-
nus quàm multis nos circumdedit casibus, vt sublimes
& elatos refecet spiritus: quàm multis in orbem cinxit
bestiis? Quando enim dicunt aliqui. Quid hoc? Quor-
sum hoc? hæc dicunt præter id quod Deo uidetur. In
tanto te statuit metu, & ne sic quidem de te humiliter
sentis: sed si quando aliquis faustus tibi euenit succes-
sus, & rem tuam bene geras, ad ipsum vsque cœlum e-
latus tuus peruenit spiritus. Propterea celerimæ fiunt
mutationes, conuersiones, & casus: & ne sic quidem
castigamur. Propterea frequentes mortes & immaturæ,
nos autem tanquam immortales superbè de nobis sen-
timus, tanquam nunquam morituri. Ita rapimus, ita in
aliorū bona auarè inuadimus, tanquam nunquam red-
dituri rationem. Ita ædificamus tanquam hic semper
manentes, & neque Dei uerbum quod quotidie in no-
stris insonat auribus, neque res ipsæ erudiunt. Non licet
videre diem nec horam, in qua nō assiduè uideri possint
multa efferri funera. Sed frustra omnia, nec quidquam
ad nostrā pertingit duritiē. Neq; in alienis casibus pos-
sumus effici meliores, imò uerò nolumus. Et si soli luge-
mus, tunc cōtrahimur: & si Deus manu remisit, rur-
sus nos manū extollimus. Nemo mente agitatur que sunt
cœlestia,

cœlestia, nemo despicit terrena, nemo ad cœlum aspi-
cit, sed sicut porci proni terram spectant, in ventrem in-
clinati, in cœno uolutati: ita etiam multi homines te-
rerrimo cœno se inquinantes, non sentiunt: melius e-
nim est immundo luto pollui, quàm peccati. Nam qui
illo est inquinatus, breui tempore abluitur, & redditur
ei similis, qui nec ab initio in illam incidit voraginem.
Qui autem cecidit in barathrum peccati, accipit in-
quamentum quod aqua non mundatur, sed multo eget
tempore perfectæque pœnitentiæ, lacrymisque & plan-
ctibus, maiorique & uehementiori lamentatione quàm
quæ propter charissimos ostenditur. Nam hæc quidem
fordes ad nos extrinsecus adueniunt, & ideo eas citò
deponimus: illæ autem oriuntur intrinsecus, & ideo uix
eas abluentes emundamus. Ex corde enim, inquit, ex-
eunt cogitationes malæ, fornicationes, adulteria, furta,
falsa testimonia. Et ideo dicebat Propheta. Cor mun-
dum crea in me Deus. Alius autem: Ablue à uicio cor
tuum Hierusalem. Vides quòd nostrum sit & Dei. Et
rursus: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uide-
bunt. Efficiamur mundi pro nostris uiribus: absterga-
mus nostra peccata. Quomodo autem possint abster-
gi, docet Propheta, dicens: Lauamini, mundi estote,
auferte uitia ab animabus uestris coram oculis meis.
Quid est coram oculis meis? Quando quidem uidentur
quidem aliqui esse uitij expertes, sed hominibus: Deo
autem sunt manifesti. Sepulchra sunt dealbata. Et ideo
dicit: Auferte sicut ego uideo. Discite bonum facere,
exquirite iudicium. Humilem & pauperem iustificare,
& uenite & discitemus, dicit dominus. Et si sint pec-
cata uestra sicut purpura, sicut niuem dealbabo. Si
sint autem sicut coccinum, tanquam lanam dealbabo.
Vides quòd oportet nos priores mūdare, & tunc Deus
mundat. Nam cum prius dixisset: Lauamini, mundi
estote, tunc subiunxit: Ego dealbabo. Nemo ergo ex
iis qui ueniunt ad summum uicium, de se desperet. Nam
etsi intraris, inquit, ad habitum, & propemodum ad
naturam ipsius uitij, ne timeas. Propterea non exilibus
& euanidis acceptis coloribus, sed qui sunt propè in
eadem quæ subiecta essentia, eos dicit uenturos in sta-
tum contrarium. Non solum enim dixit lauare, sed tan-
quam niuem, & tanquam lanam dealbare, vt bonam
spem nobis præbeat. An non est magna vis pœnitenti-
æ, si quidem nos facit tanquam niuem, & dealbat tan-
quam lanam, etiam si quod prius inuasit peccatum no-
stras læserit animas. Studeamus ergo fieri mundi, nihil
grauè iussit & molestum. Iudicate orphano, & uiduæ
quod est iustum facite. Vides quomodo ubique apud
Deum magna habetur ratio misericordiæ, & defensionis
eorum qui afficiuntur iniuria. Hæc bona aggrediamur
opera, & poterimus Dei gratia bona etiam futura
consequi. Quibus nos omnes contingat dignos fieri.
In Christo Iesu domino nostro, cum quo patri vnà cum
sancto spiritu gloria, imperium, honor, nunc, & semper,
& in sæcula sæculorum.

ORATIO XIII.

Ergo consummatio per sacerdotium Leuiticum
erat: populus enim sub ipso legem accepit: quid
adhuc necessarium fuit secundum ordinem Mel-
chisedec alium surgere sacerdotem, & non secū-
dum ordinem Aaron dici. Translato enim sacer-
dotio necesse est ut & legis translatio fiat. In quo enim hæc dicitur,
de alia tribu est, de qua nullus altari preste fuit. Manife-
stum est enim quòd ex Iuda ortus sit dominus noster, in qua
tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est. Si ergo con-
summatio per sacerdotium Leuiticum erat, cum dixisset
de Melchisedec, & ostendisset quantum esset Abra-
Chrysof. tom. 4.

hamo melior & præstantior, & magnam pronuntiasse
differentiam, hinc deinceps demonstrat quid interfuit
inter testamentum, & quod illud quidem est imperfec-
tum, hoc uerò perfectum. Et nondum ad res ipsas ac-
cedit, sed interim depugnat ex sacerdotio & taberna-
culo. Hæc enim incredulis erāt magis credibilia, quan-
do ex iis quæ prius accepta fuerāt & credita, sit demon-
stratio. Ostendit quòd Leui & Abrahamo longè esset
melior, & præstantior Melchisedec, qui in ordine sacer-
dotum fuit apud eos. Ex alio rursus argumētatur. Quid-
nam hoc est? Cur non dixit, inquit, secundum ordinem
Aaron? Et mihi contemplare exuperationem. Ex quo
enim erat uerisimile eum ex sacro expellere sacerdotiū,
quoniam non erat secundum ordinem Aaron, ex eo
hunc quidem statuit, illos uerò eiicit. Hoc ipsum enim
dico, inquit. Cur non fuit secundum ordinem Aaron.
& illud, Quid adhuc opus fuit, magnam habet empha-
sim. Nam si esset quidem Christus, quod ad carnem at-
tinet, secundum ordinem Melchisedec, deinde fuisset
lex, & quæ erant Aronica, uerisimiliter dici posset,
hæc, vt quæ sint perfectiora, illa dissolueret, vt quæ su-
peruenissent. Si autem Christus est posterior, & alium
accipit typum sacerdotij, est perspicuum id fuisse, vt
pote quòd illa essent imperfectiora. Ponamus enim, in-
quit, uerbi causa, omnia fuisse impleta, & nihil esse im-
perfectum in sacerdotio. Quid ergo opus erat vt dice-
retur secundum ordinem Melchisedec, & non secun-
dum ordinem Aaron? Cur dimisso Aaron alterum in-
duxit sacerdotium, nempe Melchisedecicum, si con-
summatio ac perfectio erat per Leuiticū sacerdotium,
nempe si rerum, & uitæ dogmatum perfectio per Leui-
ticum erat sacerdotium? Vide autem quomodo recta
via progrediatur. Dixit quòd secundum ordinem Mel-
chisedec, ostendens quòd sit melius id quod est secun-
dum ordinem Melchisedec: est enim multò melius. De-
inceps hoc etiam ostendit ex tempore, quòd scilicet sit
post Aaronem is qui est melior & præstantior. Et quid
sibi uult quod deinceps sequitur? Populus enim sub i-
pso legem accepit. Quid est sub ipso? Per ipsum ingre-
ditur, per ipsum gerit omnia. Non potest dici quod aliis
sit datum. Populus sub ipso legem accepit. Hoc est, ea
uisus est. Non potest dici quòd perfectum quidem esset,
populo autem non profuerit. Sub ipso legem accepit.
Hoc est, ipso uisus est. Quid ergo opus erat alio sacerdo-
tio? Translato enim sacerdotio, necesse est vt legis tran-
slatio fiat. Si autem necesse est vt sit alius sacerdos, uel
potius aliud sacerdotium, aliam quoque legem esse ne-
cesse est. Hoc ad eos qui dicunt, Quid opus erat nouo
testamento? Nam poterat quidem etiam ex prophetia
dicere testimonium: Hoc est testamentum quod dispo-
situm est patribus uestris. Interim autem pugnat quod sacerdo-
tio. Et uide quomodo dicit superius. Dixit, secundum
ordinem Melchisedec. Hoc eiicit sacerdotiū Aaronis.
Non enim dixisset secundum ordinem Melchisedec, si
ipsum esset melius. Si ergo introductū fuit sacerdotium,
alterū quoque oportuit esse testamentum. Neque enim
fieri potest vt sit sacerdos absque testamēto, & legibus,
& præceptis: neque vt alio accepto sacerdotio, illo uita-
tur. Deinde quod obiici poterat, quomodo fuerit sac-
cerdos, qui non est Leuita? Hoc cum per superiora ue-
luti quoddam fundamentum prius icisset, ne uult qui-
dem soluere, sed tanquam prætercurrendo hoc indu-
cit. Dixit, inquit, translatum esse sacerdotium. Ergo &
testamentum. Transtulit autem non solum modo, ne-
que præceptis, sed etiam tribu. Oportebat enim etiam
tribu. Quomodo? Translato sacerdotio à tribu in tri-
bum, à sacerdotali ad regalem, vt eadem esset & regalis
& sacerdotalis. Vide autem mysterium. Primum
Ddd iij

Si Leuiti-
cum per-
fecisset
sacerdotiū,
nō super-
uenisset
Christus
sacerdos
secundum
ordinem
Melchi-
sedec.

Act. 3.

Sacerdos
non est
absque
testamē-
to, legi-
bus &
præce-
ptis.

quidem erat regalis, & tunc facta est sacerdotalis. Si-
cut etiam in Christo. Nam semper quidem fuit Rex,
factus est autem sacerdos quando carnem suscepit,
quando sacrificium obtulit. Vides mutationem, & quæ
erant obicienda, hæc adducit. Tanquam hæc postu-
let rerum consequentia. In quo enim, inquit, hæc di-
cuntur, de alia tribu est. Et ego quoque, inquit, scio
quod nihil habuit sacerdotij: est enim translatio. Ego
autem, inquit, etiam aliam ostendo differentiam: non
solum à tribu, neque solum à persona, neque à modo,
neque à testamento, sed etiam ab ipso typo. *Qui non se-
cundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum vir-
tutem vite insolubilis.* Factus est, inquit, sacerdos, non se-
cundum legem carnalis mandati. Lex enim illa in mul-
tis erat non legitima. Quid est, mandati carnalis? Cir-
cuncide, inquit, carnem, vnge carnem, lava carnem,
munda carnem, tonde carnem, alliga carnem, nutri car-
nem, otiare carne. Et bona rursus quænam? lac & mel
carni, pax carni, alimentum carni. Ab hac lege sacerdo-
tium accepit Aaron: Melchisedec autem non ita. Et
amplius adhuc manifestum est, si secundum similitudi-
nem Melchisedec exurgat alius sacerdos. Quid est ma-
nifestum? Quantum interlit inter vtrunque sacerdoti-
um, & quanta sit differetia, & quantum sit melior & præ-
stantior, qui non factus est secundum legem mandati
carnalis. Quis? Non hic est Melchisedec? Non, sed
Christus. Sed secundum virtutem vitæ insolubilis.

Christus quando factus est sacerdos.
Mandatum carnale quale est.
Psal. 109.
Infr. 9.
Præcepta legis non sunt vitiosa, sed iustitia.
Lex quid profuerit.

A rando. Vides quod hic sic fuerit iuramentum necessa-
rium. Quamobrem superius tam multa est philoso-
phatus, quod Deus iurauerit, & iurauerit ut esset cer-
tior & plenior persuasio. Introductio autem melioris
spei. Nam illa quoque spem habebat, sed non talem.
Sperabant enim, si Deo placuissent, se terram habitu-
ros, & nihil graue passuros. Hic autem speramus, si Deo
placuerimus, nos non terram possessuros, sed cælum
potius, quod est hoc melius & præstantius: speramus fo-
re ut simus prope Deum, ad ipsam sedem veniamus pa-
ternam, ei ministraturi cum Angelis. Et vide quomodo
ea ponit paulatim. Nam illic quidem dicit, Ingredi-
entem usque ad interiora velaminis: hic autem, per quam
approximamus ad Deum; & quantum est non sine iu-
re iurando. Quid est, Et quantum est non sine iure iuran-
do? Hoc est, Ecce etiam alia differentia. Neque hæc tem-
ere & leuiter sunt promissa, inquit. *Alij quidem sine iu-
re iurando facti sunt: hic autem per iurandum per-
eum qui dixit ad illum: Iuravit dominus & non penitebit eum.*
*Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. In-
tantum melioris testamenti sponsor factus est Iesus.* Duas ponit
differentias, quod non habet finem sicut legale. Id
autem facit à Christo, qui id suscipit, & eo fungitur,
nam secundum virtutem, inquit, vitæ insolubilis. Id
autem facit etiam à iuramento quod iuravit, & à re ipsa:
siquidem quoniam erat imbecillum, illud est eiectum;
hoc autem stat & manet, quoniam est potes & validum.
facit autem hoc etiam ex sacerdote. Quomodo? Quo-
niam est vnus: & non esset vnus, nisi immortalis. Quo-
modo enim multi sunt sacerdotes propterea quod sunt
mortales: ita vnus, propterea quod sit immortalis. Tãd
melioris testamenti sponsor factus est Iesus, quod iura-
uerit eum semper futurum, nõ hoc facturus si non esset
vnius. *Vnde & saluare in perpetuum potest accedens per semet-
ipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis.*
Vides quod hoc dicit, id spectans quod attinet ad car-
nem. Quando enim ut sacerdos, tunc etiam interpellat
& intercedit. Nam qui ut vult suscitatur mortuos, & viuif-
cat, quomodo vbi oportet seruare, interpellat & inter-
cedit? Qui omne habet iudicium, quomodo intercedit?
Qui mittit Angelos, ut alios quidem iniiciat in fornacem,
alios autem seruent? Vnde dicit, Et potest saluare.
Propterea ergo seruat, quoniam nõ moritur. Quoniam
non moritur, non habet, inquit, successorem. Si autem
non habet successorem, potest etiam omnes defendere,
& eorum esse patronus. Nam hic quidem Pontifex,
etiam si admirabilis, erat usque ad illud tempus in quo
erat, ut Samuël, & quicumque erant huiusmodi, postea
autem non erant amplius: mortui enim fuerant. Hic
autem nõ sic, sed seruat in perpetuum. Quid est in per-
petuum? Tacite significat aliquid mysterium. Non hic
solum, inquit, sed illic quoque eos seruat qui per ipsum
ad eum accedunt. Quomodo seruat? Semper viuens ad
interpellandum pro ipsis. Vides humanitatem. Non enim
dicit ipsum forte fortuna hoc affecutum, sed semper,
& quando opus fuerit pro eis interpellare in perpetuum.
Quid est in perpetuum? Non solum ad tempus, sed etiam
illic in vita futura. Semper ergo opus habet ut precetur?
Et quomodo fuerit consentaneum? Et sæpe quidem homines
iusti ex vna petitione totum confecerunt: Ipse autem semper
precatur. Cur ergo confidet? Vides quod hoc sit sui demissio.
Ne timeatis, neque dicatis, Certè nos quidem diligit, & fiduciam habet
apud patrem, sed non semper viuunt: semper enim viuunt.
*Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens,
impollutus, segregatus à peccatoribus.* Vides quod totum di-
ctum sit de humanitate. Quando autem dico humani-
tatem, eam dico quæ habet diuinitatem: non diuidens,
sed

1580
Psal. 109.
Christus semel factus est munere sacerdotali.
Christus cur pro se non oblaterit.
Vnum est sacrificium, non multa.
Christus nõ habet successorem in sacerdotio.
Christus nõ habet successorem in sacerdotio.

A sed finens ut quæ decet intelligas. Vidisti differentiam
Pontificis. In summam redegit quæ dicta sunt. Tenta-
tus in omnibus secundum similitudinem absque pec-
cato. Talis, inquit, decebat ut nobis esset Pontifex, san-
ctus, innocens. Innocens quid est? Non malus. Quod
alius dicit Propheta, Dolus non est inuentus in ore eius.
Hoc est, non fraudulentus. Quis hoc de Deo dixe-
rit, & non erubescit dicens Deum non esse dolosum &
fraudentum? De eo autem quod est secundum car-
nem, dicere est consentaneum, Sanctus, impollutus.
Nec hoc de Deo dixeris: eam enim habet naturam
quæ non polluitur. Segregatus à peccatoribus. Hicne
ergo solum ostendit differentiam, an etiam ipsum sacri-
ficium? Quomodo? *Qui non habet necessitatem quotidie,
quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offer-
re: hoc enim fecit semel se offerendo.* Hoc faciens hic facit
veluti quoddam proœmium ac præludium excellentiæ
spiritualis sacrificij. Dixit quid interlit inter sacerdo-
tem, & quid inter testamentum. Non totum quidem,
dixit tamen. Hic iam facit veluti præludium ipsius sacri-
ficiij. Ne ergo cum eum audieris sacerdotem, existi-
mes cum semper fungi sacerdotio. Semel enim factus
est munere sacerdotali, & deinceps sedit. Ne existimes
eum stare apud superiores, & esse ministrum, ostendit rem
esse dispensationis. Nam quomodo fuit seruus, ita et-
iam sacerdos & minister. Sed quomodo cum factus
esset seruus, non mansit seruus, ita etiam cum factus es-
set minister, non mansit minister. Non est enim mini-
stri sedere, sed stare. Hoc ergo hic tacite significat ma-
gnitudinem sacrificij, si vnum cum esset sufficit, & se-
mel oblatum tantum potuit, quantum non potuerunt
omnia. Sed de his nondum. Hoc enim, inquit, fecit?
Quodnam? Quod necessarium, inquit, habeat aliquid
quod offerat. Non pro seipso. Quomodo enim pro se
offerret? sed pro populo. Quid dicis? Et hoc potest?
Certè, inquit. *Lex enim homines constituit sacerdotes infir-
mitatem habentes.* Et non opus habet ut pro se offerat?
Non, inquit. Nam ne existimares illud, Fecit semel, de
ipso quoque dictum esse, audi quid dicat: Lex enim
homines constituit sacerdotes habentes infirmitatem:
& ideò etiam pro se semper offerunt. Potens autem ille,
& qui non habet peccatum, cur pro se offerat, aut sæpe
pro alijs? *Sermo autem iurandi qui post legem est, filium
in æternum perfectum.* Quid est perfectum? Non ponit
Paulus proprias quæ opponuntur distinctiones. Nam
cum dixisset, Habentes infirmitatem, non dixit filium
potentem, sed perfectum, hoc est, potentem. Quasi di-
cas, Non vides quod nomen filius dictum sit, ut eum
seruo opponat & ab eo distinguat. Infirmitatem autem
aut peccatum dicit aut mortem. Quid est autem in æ-
ternum? Non solum nunc nulli peccato affinem, sed
semper. Si ergo est perfectus, si nunquam peccat, sed
semper viuunt, cur pro nobis multa offeret sacrificia? Sed
interim quidem hoc non asserit, sed quod pro se nõ of-
ferat affirmat. Quoniam ergo talem habemus Pontifi-
cem, eum imitemur, eius insistamus vestigijs. Non est
aliud sacrificium: vnum nos purgauit. Postea autem
ignis & gehenna. Propterea enim hoc susque deque
versat, dicēs, vnum esse sacerdotem, vnum sacrificium,
ne quisquam existimans esse multa, securè peccet.

Innocens quid sit.
Christus semel factus est munere sacerdotali.
Christus cur pro se non oblaterit.

quando quisquam ideò peccat, ut sanctum baptisma
accipiat in extrema respiratione, sæpe non assequetur.
Mihicredite. Non vos terrens dico quod sum dicturus.
Noui multos quibus hoc accidit, qui propter illumina-
tionis quidem expectationem multa peccabant: in
fine autem decessus exceperunt inanes. Deus enim
propterea dedit baptisma, ut solueret peccata, non ut
peccata aueret. Si quis autem eo vtatur ut securè ma-
gis peccet, hoc est causa scordix & negligentix. Nam
si non esset lauacrum, tutius viuerent, ut qui non habe-
rent remissionem. Vides quod id quod dicitur, Facia-
mus mala ut veniant bona, nos sumus qui facimus ut
dicatur. Quamobrem rogo vos, o qui non estis myster-
rijs initiati, expergiscimini. Nemo tanquam mercena-
rius, nemo tanquam ingratus ad virtutem accedat: ne-
mo eam aggrediatur tanquam rem grauem & mole-
stam. Ad eam ergo accedamus alacri animo & læti.
Nam etiam si merces non esset proposita, oporteret esse
bonum. Sed tamen etiam cum mercede sumus boni. Et
quomodo nõ est hoc probrum & maximum dedecus?
Si mihi, inquit, non dederis, non sum modestus & tem-
perans. Audeo itaque aliquid dicere, Nunquam fueris
temperans & modestus, etiam quando es eiusmodi, si
hoc facis mercede. Virtutem nihil existimas, si cam-
non amas. Sed Deus propter nostram imbecillitatem,
eam etiam mercede voluit fieri. Nos autem ne sic qui-
dem eam aggredimur. Ponamus autem, si velis, quod
homo quidam excedit malis perpetratis innumerabili-
bus, & baptismo dignatus, quod existimo non citò e-
uenire: quomodo, quæso, illuc abibit pro iis quidem,
quæ fecit non accusatus, sed non habens fiduciam, id-
que meritò? Nam quando, cum centum annos vixerit,
nullum aliud bonum ostendit, nisi quod non peccarit,
imò verò ne hoc quidem, sed gratia potius sola est ser-
uatus, alios autem videt coronatos, præclaros, & in bo-
na existimatione, etiam si in gehennam non occide-
rit, ferènt dic quæso angorem & animi ægritudi-
nem? Ut autem exemplo hoc planum faciam: Sint duo
milites, & alter quidem furetur, faciat iniuriam, & alie-
na inuadat: alter verò nihil horum faciat, sed fortiter
se gerat, præclara edat facinora, in bellis trophæa sta-
tuat, hostium sanguine cruentet dexteram. Deinde ad-
ueniente tẽpore, ab illa dignitate in qua etiam fur erat,
repente educatur ad sedem regiam, & induatur purpura:
hic autem illic maneat vbi erat, solummodo clementia
regia non det pœnas eorum quæ admisit, sit autem in
loco vltimo, & sub Rege collocetur: ferènt, dic quæso,
angorem & animi ægritudinẽ? quãdò viderit cum qui-
dem qui erat cum iplo, ascendisse ad ipsum dignitatum
fastigium, & euasisse adeo præclarum, & orbis terræ te-
nere principatum, se autem infra manere, & nec ipsum
quidem quod non luerit supplicium habere cum honore,
sed à gratia & clementia Regia? Nam etsi Rex eum di-
miserit, & à criminibus absoluerit, viuet tamen pudore
affectus & ignominia. Non enim etiam alij eum admi-
rabuntur. Nam in eiusmodi condonationibus non eos
admiramur qui accipiunt, sed eos qui donant: & quò
maiora dona dederit, eò maioris pudore afficiuntur qui
accipiunt, quando magna admittuntur ab eis peccata.
Quibus ergo oculis is intueri poterit eos qui sunt in re-
gia, illis sudores innumerabiles & vulnera ostendentibus,
cum ipse nihil possit ostendere, sed & quod saluus
sit habeat à sola Dei benignitate & clementia? Quo-
modo enim si quis homicidam, furem, adulterum ad
supplicium capitis abducendum donari sibi postula-
uerit, & eum esse iusserit in vestibulis regix: ille de cæ-
tero nunquam poterit eum ex aduerso intueri, etiam si
sit liberatus à supplicio: Ita etiam hic quoque. Non

Bonũ esse oportet etiã mercede non proposita.
De duobus militibus pulchra similitudo.
Ddd iiii

MORALE.

Quicumque ergo dignati sumus signaculo, qui-
cunque percepimus fructum sacrificij, quicumque
immortalis mensæ sumus participes, maneamus no-
stram seruantes nobilitatem & honorem. Non est enim
lapis expers periculi. Quicumque autem his nondum
sunt dignati, ne ij quidem propterea confidant. Nam
Chrysof. tom. 4.

In regia non sunt omnes in eodem honore.

enim quoniam regia dicitur, existimetis omnes eadem A
 assequi. Nam si hic sunt & Præfectus, & omnes qui Re-
 gi assistunt, & qui sunt his longè inferiores, & tenent
 locum eorum qui dicuntur Decani, sunt in regia, et-
 iam si multum intersit inter Præfectum & Decanum:
 multò magis hoc erit in superna regia. Et hoc non ex
 me dico. Nam & aliam his maiorem differentiam pon-
 nit Paulus. Quàm multæ enim, inquit, differentiæ sunt
 à Sole vsque ad Lunam, & stellarum, & minimæ stellæ,
 tam multæ sunt etiam eorum qui sunt in regia. Et quòd
 longè maior sit differentia Decani qui dicitur, & So-
 lis, & Præfecti, & minimæ stellæ, est omnibus perspici-
 um. Nam Sol quidem totum orbem terræ simul illu-
 strat, & exhilarat, lunamque abscondit & stellas. Hæc
 autem sæpe non apparet, idque in tenebris. Multæ en-
 im sunt stellæ quas non videmus. Quando ergo vide-
 mus alios fieri Soles, non autem minimarum stella-
 rum, & quæ ne apparent quidem locum tenere, quæ-
 nam erit nobis cõsolatio? Ne rogo, ne simus adeò tardi,
 nec adeò pigri & ignavi, ne Dei salutem ita exerceamus
 vt eam conuertamus ad otium, sed mercaturam ex ea
 exerceamus, & eam multiplicemus. Nam etsi quis sit
 Catechumenus, attamen nouit Christum, nouit fidem,
 diuina audit eloquia, non est procul à diuina cogniti-
 one, nouit domini sui voluntatem. Cur differt, cur cun-
 ctatur & moratur? Bona vita nihil est melius & hîc, &
 illic, & in iis qui illuminantur, & in iis qui catechesi in-
 stituuntur. Nam quid quæso nobis est præceptum gra-
 ue & intolerandum? Habe, inquit vxorem, & sis tem-
 perans & continens. Hõcne est difficile? Quomodo,
 cum absque vxore multi se cõtineant, non solum Chri-
 stiani, sed & Græci? Id in quo Græcus excellit propter
 inanem gloriam, tunc hoc quidem seruas propter Dei
 timorem? Da, inquit, pauperibus ex tuis facultatibus.
 Hõcne est graue & intolerandum? Sed hîc quoque nos
 accusant Græci, qui omnes suas effuderunt facultates
 propter inanem gloriam. Ne verba loquaris obscena.
 Hõcne est difficile? Etiam si non esset præceptum, an
 non oporteret nos ita gerere, ne hoc nobis esset pro-
 bro? Nam quòd contrarium sit difficile, verba inquam,
 loqui obscena, est perspicuum ex hoc, quòd pudore
 afficitur & erubescit animus, si adductus fuerit vt tale
 quid dicat, & neque lætatur, nisi sit ebrius. Cur enim
 in foro sedens, etiam si domi facias, illic non facis? Pro-
 pter eos qui adsunt. Cur si adsit vxor tua, protinus id
 non facis? Ne eam contumelia afficias. Quod ergo
 propter vxorem non facis, Deum contumelia afficiens
 non erubescis? Adest enim vbique & audit omnia. No-
 li, inquit, inebriari. Nam etiam hoc ipsum per se non
 est supplicium? Non dixit, Distende corpus tuum. Sed
 quid? Ne sic illud præcipites, vt auferatur principatus
 animæ, sed ne curam geras eius concupiscentiæ. Ne rap-
 ias quæ tua non sunt: ne per auaritiã inuadas aliena:
 ne peieres. Quibusnam egent hæc laboribus, quibus-
 nam sudoribus? Ne crimineris, inquit, ne calumnieris.
 Contrarium quidem certè est labor. Nam quando ma-
 ledictis appetieris, statim es in periculo, in suspitione, ne
 fortè audierit is de quo dixisti, siue sit magnus, siue par-
 uus. Nam si sit quidem magnus, statim re ipsa venies in
 periculum. Sin paruus, par pari referet, atque adeò gra-
 uiora rependet, & te maioribus appetet maledictis. Ni-
 hil difficile, nihil graue nobis est præceptum, si velimus.
 Sin autem nolimus, etiam quæ sunt facillima, nobis ap-
 parebunt graua. Quid est facilius quàm comedere?
 Sed propter multam molliem multi id quoque ægrè
 ferunt. Multos autem audio dicentes quòd etiam com-
 edere est labor. Nihil horum est laboriosum, si velis.
 Nam præter gratiam supernam in voluntate sita sunt

Ex Dei salute exercenda mercatura.

Tob. 4.


Dandum pauperibus propter Deum, non propter inanem gloriam.

Ephes. 5. Obscenis verbis non est Deus contumelia afficiendus.

Etiam comedere nolenti est labor.

omnia. Velimus ergo bona, vt etiam bona consequa-
 mur æterna, gratia & benignitate domini nostri Iesu
 Christi, cum quo patri vnã cum sancto spiritu gloria,
 imperium, honor, nunc, & semper, & in sæcula sæculo-
 rum. Amen.

ORATIO XIII.



APITVLYM autem super ea quæ dicuntur.
 Talem habemus Pontificem, qui consedit in
 dextera sedis magnitudinis in cœlis, sanctorum
 minister, & tabernaculi veri, quod fixit Deus,
 & non homo. Humilia sublimibus admiscet

C A 7. VII.

Paulus, qui semper suum imitatur magistrum, vt humi-
 lia viam muniant ad sublimia, & per ea ad illa deduca-
 mur, & cum ad magna peruenerimus, discamus ea fuisse
 suæ demissionis ad captum nostrum. Hoc ergo hîc
 quoque facit, dicens quòd se obtulerit: & cum Ponti-
 ficem eum esse ostendisset, dicit: Capitulum autem su-
 per ea quæ dicuntur. Talem habemus Pontificem, qui
 consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis. Atqui
 hoc non est Pontificis, sed eius, cui oportet fungi mu-
 nere sacerdotis. Sanctorum minister. Nec absolutè mi-
 nister, sed sanctorum minister. Et tabernaculi veri quod
 fixit dominus, & non homo. Vides sui demissionem.
 An non paulò antè distinxit, dicens: Nõne omnes
 sunt administratorij? Et propterea dicit: Sede à dextris
 meis, vtpote quòd non sit minister qui sedet. Quo-
 modo ergo dictus est hîc minister, & minister sanctorum?
 Tabernaculum enim hîc dicit. Vide quomodo
 erexit animos eorum qui crediderunt ex Iudæis: est
 enim verisimile eos visione apprehendisse nos non ha-
 bere tale tabernaculum. Ecce, inquit, sacerdos & ma-
 gnus, & illo multò maior, & admirabilius obtulit sacri-
 ficium. At nunquid hæc sunt iactantia & animi oble-
 tatio? Propterea rem prius facit credibilem ex iure-
 iurando, deinde etiam ex tabernaculo. Nam erat qui-
 dem hæc quoque aperta differentia. Ipse verò aliam
 quoque excogitat. Quod fixit, inquit, Deus, & non ho-
 mo. Vbi sunt qui dicunt moueri cœlum? Vbi sunt qui
 pronunciant id esse sphæricum? Vtraque enim hîc sunt
 sublata. Capitulum autem super ea quæ dicuntur. Cap-
 ut semper dicitur id quod est maximum. Rursus de-
 mittit orationem: & cum dixisset quod est sublime, de
 cætero loquitur securè. Deinde vt scias quòd illud, Mi-
 nister, dicit de humanitate, vide quomodo rursus hoc
 significet. *Omnis enim Pontifex, inquit, ad offerendum mu-
 nera & hostias constituitur. Vnde necesse est & hunc habere
 aliquid quod offerat.* Ne, quoniam audis eum sedere, exi-
 stimes esse nugas quòd dictus sit Pontifex. Nam illud
 quidem est Dei autoritatis, nempe sedere: hoc autem
 multæ in homines benevolentia, & magna curæ quam
 nostri gerit. Propterea hoc lenit, & in eo diutius immo-
 ratur: timuit enim ne illud euerteret. Propterea ad hoc
 rursus deducit orationem, quoniam quærebant aliqui,
 Quare est mortuus, cum esset sacerdos? Sacerdos au-
 tem non est absque sacrificio. Oportet ergo eum quo-
 que habere sacrificium. Alioqui autem cum dixisset
 quòd sit apud superiores, dicit & ostendit vndique quòd
 sit sacerdos, ex Melchisedec, ex iuramento, ex eo quòd
 offerat sacrificium. Ex hoc de cætero etiam aliam con-
 textit syllogisum. *Si ergo esset, inquit, super terram, nec
 esset sacerdos, cum essent sacerdotes qui offerrent secundum le-
 gem munera.* Si ergo est sacerdos, sicut certè est, oportet
 ipsum quærere alium locum. Nam si esset quidem super
 terram, non esset sacerdos. Quomodo enim? Non ob-
 tulisset, non functus esset munere sacerdotali: & meri-
 tò, erant enim sacerdotes: & ostendit quòd nec fieri
 quidem potuit vt esset sacerdos super terram. Quidni?

Qui sedet non est minister.

Christus non est sacerdos super terram.

Hymni celestes in Eucharistia.

Ioan. 20.

Exod. 25.

Ecclesia est celestis, & nihil aliud quàm cœlum.

Sup. 7.

Fuisset, inquit, insurrectio. Hîc necesse est mentem eri-
 gere, & Apostolicam contemplari prudentiam. Rursus
 enim ostendit differentiam sacerdotij. *Qui exemplari,*
inquit, & vmbra deseruiunt cœlestium. Quænam hîc dicit
 cœlestia? Spiritualia. Nam etsi mysticè fiant super ter-
 ram, sunt tamen digna cœlestibus. Quando enim do-
 minus noster Iesus Christus proponitur mactatus &
 immolatus, quando aduenit spiritus, quando hîc adest
 qui sedet ad dexteram patris, quando fiunt filij per la-
 uacrum, quando sunt ciues eorum qui sunt in cœlis,
 quando illic habemus patriam & ciuitatem, & ex ciui-
 tatis instituto vitæ agendæ rationem, quando ab iis quæ
 hîc sunt sumus peregrini & hospites, quomodo non
 sunt hæc cœlestia? Quid verò, non sunt hymni cœles-
 tes? Non quæ apud Iuperos canunt chori virtutum in-
 corporearum, ea nos quoque qui infra sumus loqui-
 mur illis consonantia? Nunquid & ara est cœlestis?
 Quomodo? Nihil habet carnale. Sunt spiritualia om-
 nia quæ sunt proposita. Non in cinerem, non in fu-
 num, nõ in nidorem diffunditur sacrificium, sed splen-
 dida lætioraque efficit quæ sunt proposita. Quomodo
 autem non sunt, quæ fiunt mysticè, cœlestia? Nam
 quando dicit, Si quorum retineant peccata, sunt reten-
 ta, si quorum remiserint, remittuntur, & clauis habent
 regni cœlorum, quomodo non sunt omnia cœlestia?
 Qui exemplari, inquit, & vmbra deseruiunt cœlestium,
sicut responsum est Moysi cum consummaret tabernaculum. Vide,
inquit, omnia facito secundum exemplar quod tibi ostensum
est in monte. Quoniam auditus noster est ad discendum
 tardior quàm visus. Non enim quæ audierimus simili-
 ter animo mandamus atque quæ viderimus, ostendit ei
 omnia. Aut hoc ergo exemplo ostendit & vmbra, aut
 de templo. Subiunxit enim, Vide, inquit, omnia facito
 secundum exemplar quod tibi ostensum est. Nunquid
 vidit solum de constructione templi, an de sacrificiis, &
 de aliis omnibus? Imò verò nec peccauit qui hoc dix-
 rit. Cœlestis enim est ecclesia, & nihil aliud quàm cœ-
 lum. *Nunc autem melius sortitus est ministerium, quando &*
melioris testamenti mediator est. Vides, inquit, quanto mi-
 nisterio melius est ministerium, siquidem illud quidem
 est exemplar & figura, hoc verò veritas. Sed hoc nihil
 proderat audientibus, neque eos afficiebat lætitia. Pro-
 pterea dicit id quod maxima lætitia eos afficiebat. *Quod*
in melioribus repromissionibus sanctum est. Cum id extulisset
 à loco, & sacerdote, & sacrificio, tunc ponit & quid
 intersit inter testamentum. Antea quoque diximus,
 quòd esset imbecillum & inutile. Et vide cuiusmodi
 ponit ea quæ ipsum muniunt, cum ipsum esset accusa-
 turus. Nam cum illic dixisset, secundum virtutem vitæ
 insolubilis, tunc dixit quòd sit reprobatio præcedentis
 mandati. Deinde etiam postea magnum quid posuit,
 dicens: Per quod Deo appropinquamus. Hîc autem
 cum nos in cœlum sustulisset, & ostendisset quòd pro
 templo cœlum habemus, & quòd illa erant figuræ re-
 rum nostrarum, & per hæc extulisset ministerium, dein-
 cept etiam meritò extollit sacerdotium. Sed sicut dixi,
 id ponit quod eos maximè afficit lætitia, dicens: Quod
 in melioribus repromissionibus sancitum est. Vnde hoc
 constat? Ex eo quod ipsum quidem est eiectum, illud
 verò eius loco introductum. Propterea enim domina-
 tum obtinet quòd sit melius. Nam sicut dicit. Si per
 ipsum erat consummatio, quid adhuc opus fuit secun-
 dum ordinem Melchisedec alium surgere sacerdotem:
 ita hîc quoque vsus eodem est syllogismo, dicens: *Nam*
si illud prius culpa vacasset, non vtrique secundi locus inquire-
retur. Vituperans enim eos dicit. Hoc est, Si eos effecisset
 nulli culpæ affines. Nam quia de hoc dicit, non dixit,
 Vituperans enim ipsum dicit, sed vituperans ipsos di-

A cit. *Ecce dies venient, dicit dominus, & consummabo super domum Israël, & super domum Iuda testamentum nouum, non secundum testamentum quod feci patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra Aegypti, quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit dominus.* Maximè: & vnde constat quòd finem acceperit? Ostendit quidem & ex Sacerdote. Ostendit autem nunc quoque dilucidius disertis verbis, ipsum esse eiectum. Quomodo? In melioribus repromissionibus. Vbi enim, dic quæso, est inter cœlum & terram æqualitas? Tu autem considera quomodo illic quoque dicit, in promissionibus: ne tu id quoque accuses. Etenim illic, Per quam spem Deo appropinquamus, inquit, meliorem, ostendens quòd illic quoque sit spes, & hîc meliorem promissionem: tacitè significans quòd illic quoque promiserit. Quoniam autem semper accusabant, Ecce enim, inquit, dies veniet, dicit dominus, & consummabo super domum Israël, & super domum Iuda testamentum nouum. Non vetus aliquod testamētum. Nam ne hoc possent dicere, tempus quoque præscripsit. Non enim absolutè dicit. Secundum testamentum quod feci patribus eorum, ne id dicas quod factum fuit Abrahamo, aut quod factum fuit Noë. Sed quòdnam inquit? Non secundum testamentum quod feci patribus eorum, qui erant in exitu: & ideo subiunxit, In die qua apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra Aegypti, quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit dominus. Vides primùm mala à nobis incipere. Ipsi, inquit, primùm non permanserunt, & apud nos est negligentia. Bona autem ab ipso. Beneficia, inquam. Hîc ponit tanquam defensionem, ostendens causam propter quam eos relinquit. *Quoniam hoc est testamentum, inquit, quod disponam domui Israël post dies illos, dicit dominus. Dabo leges meas in mente eorum: & in corde eorum scribam eas, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Sic hæc dicit de tabernaculo, quia dicit, Non secundum testamentum quod feci. quænam autem est alia quàm hæc differentia? Si quis autem dicat non in hoc esse differentiam, sed quod data sint in cordibus eorum, id non præceptorum ostendit differentiam, sed modum dandi. Non erit, inquit, testamentum in literis, sed in cordibus. Hoc aliquando factum ostendat Iudæus. Sed non inueniet. Rursus enim factum fuit in literis post reditum à Babylone. Ego autem ostendo Apostolos nihil accepisse scriptum, sed suscepisse in cordibus per Spiritum sanctum. Quamobrem Christus quoque dicebat. Ille cum venerit, omnia vobis reuocabit in memoriam, & docebit vos. *Et non docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce dominum. Quoniam omnes scient me à minore vsque ad maiorem, quia propitius ero iniquitatibus eorum: & peccatorum eorum iam non memorabor.* Ecce aliud quoque signum. A paruo, inquit, vsque ad magnum eorum me scient, & non dicent, Cognosce dominum. Quando factum est hoc, nisi nunc? Nam quod nostrum quidem est, est manifestum: quod autem est illorum, nequaquam est manifestum, sed angulo inclusum. Nouum tunc dicitur quando fuerit aliud, & ostendit si quid plus habet quàm vetus. Ecce, inquit, hoc quoque est nouum, quædo eius alia quidem fuerint ablata, alia verò non. Vt si quis domus veteris, quæ minatur ruinam, relicto vniuerso, fundamentum consarcinaret, cõfestim dicimus, Eam fecit nouam, cum alia quidem exemerit, alia verò eorum loco induxerit. Nam cœlum quoque dicitur nouum, quando non fuerit amplius æneum, sed dederit pluuiam, quando non amplius fuerit infœcundum, non quando fuerit mutatum: non quando alia quidem

Hier. 31. Testamētū vetus finem accipit.

Mala à nobis primùm incipiunt, bona autē à Deo.

Ioan. 14.

Nouum est quod eius aliquid ablatum, aliud verò non.

cius fuerint ablata, alia verò maneat. Quamobrem & testamentum, inquit, nouum benedixit. Vt ergo ostendam quòd illud testamētum factum sit vetustius, quòd nullum faciat fructum, & exactè discas, lege quid dicat Aggæus, quid Zacharias, quid Angelus, quid Esdras inculcet. Quomodo igitur eum excepit? Quomodo autem nullus rogat dominum, quando & ipsi sunt transgressi, & ne ipsi quidem norunt. Vides quomodo tuum sit violatum: ego autem pono meum, nempe quòd hoc propriè dicatur nouum. Alioqui autem ne illud quidem concedo de hoc esse dictum, quod erit nouum cœlum. Cur enim dicens in Deuteronomio, quòd erit cœlū æreum, non hoc posuit in distinctione? Sin autem audieritis, erit nouum? Atqui propterea dicit se aliud daturum testamentum, quoniam non permansit in priori. Hoc ego ostendo per ea quæ dicit: Nam quod impossibile erat legis, in quo infirmabatur per carnem. Et rufus: Quid tentatis Deum imponere iugum super collum discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos potuimus ferre. Sed illi quidem non permiserunt, inquit. Hic ostendit quòd nos dignatur maioribus & magis spiritualibus. In omnem enim, inquit, terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Hoc est, non dicit vnusquisque proximo suo, Cognosce dominum. Et rufus: Implebitur terra cognitione domini, sicut aqua multa operuit mare. Dicendo autem, inquit, nouum, veterauit prius. Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est. Vide quemadmodum quod erat occultatum aperuit ipsam mentem Prophetæ. Honorauit legem, & noluit eam dicere nominatim veterem, veruntamen hoc dixit. Nam si illud esset nouum, non hoc quoque postea appellasset nouum. Quamobrem & aliquid dans amplius, & alterum, inquit, inueterauit. Ergo dissoluitur & interit, & non est amplius. Accepta à Propheta fiducia, magis id insectatur, vt iliter ostendens quòd nostra nunc florēt: hoc est, ostendit esse vetus. Deinde accepto nomine vetustatis, & alio à se addito, nempe senij, quod restabat ex aliis accepit, & dicit, Prope interitum est. Non ergo nouum absolutè abrogauit & cessare fecit vetus testamentum, sed vt quod consenuerit, vt quod sit inutile. Propterea dicebat: Propter infirmitatem & inutilitatem, & nihil ad perfectum adduxit lex, & quòd si primum culpa non vacaret, non quæreretur secundi locus. Culpa vacans, hoc est, vitale. Non quòd sit obnoxium criminibus, sed quòd non sufficiat. Rudius est locutus, vt si quispiam dicat, Culpa non vocat domus, hoc est, in ea est vitium, & non est firma & solida. Culpa non vacat vestis, hoc est, diffluit. Non ergo hic dicit quòd sit malum, sed quòd in eo sit quod reprehendatur, defectusque & vitium.

MORALE.

ITA nos quoque noui sumus, vel potius fuimus noui: nunc autem inueterauimus. Propterea sumus prope interitum. Quomodo hoc senium amouebimus & abrademus? Lauacro quidem non possumus, sed possumus pœnitentia. Si quid sit in nobis vetustum abiiciamus: si qua ruga, si qua macula, si qua sordes, abluamus, & pulchri reddamur, vt concupiscat Rex pulchritudinem nostram: licet, etiamsi in extremam deciderimus deformitatem, rursus illam acquirere pulchritudinem, de qua dicit Dauid, Concupiscet Rex pulchritudinem tuam. Audi filia, & vide, & obliuiscere populi tui, & domus patris tui, & concupiscet Rex pulchritudinem tuam. Atqui obliuio non facit pulchritudinem, pulchritudinem, inquam, animæ. Quænam est ergo obliuio? Obliuio peccatorum. Alloquitur enim ecclesiam

Angelum vocat Machiam.

Deut. 18.

Rom. 8.

Act. 15.

Psal. 15.

Abac. 2.

Sup. 7.

Pœnitentia eluitur peccatorum vetustas & macula.

Psal. 33.

quæ est ex gentibus, ei suadens vt parentum non meminerit, nempe eorum qui sacrificabant idolis: ex iis enim fuit collecta. Et non dixit, Ne accedas, sed quod est amplius, ne eorum quidem veniat in mentem. Quod etiam dicit alibi: Non recordabor nominum eorum per labia mea. Et rufus: Vt non loquatur os meum opera hominum. Nondum hoc est magna virtus. Nam est magna quidem, sed non talis. Illic enim quid dicit? Non dixit, Non loquaris quæ sunt patrum, sed nec eorum recorderis, nec tibi in mentem veniant. Vides quanto intervallo vult nos abesse à vitio. Nam qui non meminit, nec cogitabit. Qui non cogitat, nec loquitur. qui autem non loquitur, nec ager. Vides quàm multis spatiis viæ nos arceat, & quàm multis intervallis nos remouit. Ergo nos quoque audiamus, & malorum nostrorum obliuiscamur, peccatorum, inquam, quæ admisimus. Memeto enim, inquit, tu prior, & ego non meminero. Vt exempli causa: Non recordemur rapinæ, sed etiam priora reddamus. Hoc est obliuisci vitij, & rapacem expellere cogitationem, & ipsam nunquam admittere, sed & quæ à nobis peccata sunt delere. Vnde nam autem nobis orietur malorum obliuio? Ex recordatione bonorum Dei. Si Dei perpetuò meminerimus, non poterimus etiam illorum meminisse. Si memor fui tui, inquit, super stratum meum, si in matutinis meditabar in te. Atque semper quidem, maximè autem Dei tunc oportet meminisse, quando in silentio & quiete nostra est cogitatio, quando per illam memoriam se potest condemnare, quando in memoria tenere. In die enim quo fuerimus recordati, ingressæ aliæ sollicitudines & tumultus eam expellunt. Noctu autem perpetuò possumus meminisse, quando in tranquillitate & quiete fuerit anima, quando in portu, quando in serenitate. Loquimini, inquit, in cordibus, & in cubilibus vestris compungimini. Nam oportebat quidem etiam interdum hanc habere memoriam. Quoniam autem semper estis solliciti, & distrahimini in iis quæ ad hanc vitam pertinent, etiamsi tunc Dei in cubili meministis, in matutinis meditemini in ipso. Si in matutinis hæc meditemur, tutò procedemus ad negotia. Si interpellatione & supplicatione primum nobis Deum fecerimus propitium, ita procedetes nullum habebimus inimicum. Sin autem habeas, irridebis, Deum habens propitium. Bellum est in foro, pugna sunt res diurnæ, sunt fluctus, sunt tempestas. Nobis ergo opus est armis: magna autem arma sunt preces. Per secundos ventos oportet discere omnia, vt dici longitundinem conficias, absque naufragiis & vulneribus. Multi enim sunt singulis diebus scopuli, quinetiam sæpe in eos impingit scapha & obruitur. Propterea precatione nobis opus est maximè matutina & nocturna. Multi ex vobis sæpe spectarunt Olympia: nec solum spectarunt, sed etiam eorum qui decertabant fuerunt fautores & admiratores, & alter quidem huius, alter verò illius. Scitis ergo quòd certaminū illos dies & noctes tota nocte præco nihil aliud cogitat, de nullo alio est sollicitus, quàm ne egressus is qui certat se indecorè gerat. Nam illi qui assident tubicini, suadent ne loquatur quidem alicui, ne spiritum consumens sit ridiculus. Si igitur qui coram hominibus est certaturus tantam curam gerit: multò magis nobis conueniet assidue esse sollicitos & cogitare, quibus tota vita est certamen. Tota ergo nox sit nobis perpetuæ vigiliæ, & solliciti simus ne è die egressi simus ridiculi, & vtinam tantum ridiculi. Nunc autem sedet ad dexteram Patris Agonotheta, diligenter audiens ne quid loquamur quod dissonet, & ne quid quod modò non conueniat. Non est enim solum iudex rerum, sed etiam verborum. Totam noctem per-

Psal. 15. Ibid. 16.

Peccatorum obliuio vnde nascatur. Psal. 62.

Noctu maximè Dei recordamur. Psal. 4.

Preces sunt magna arma.

De certamine in hac vita debemus esse solliciti.

Agonotheta non sedet ad dexteram patris.

peruigilemus, ô dilecti. Habemus nos quoque fautores si velimus. Vnicuique nostrum assidet Angelus. Nos autem tota nocte stertimus. Multi autem etiam multa faciunt flagitiosa: alij quidem euntes ad ipsa prostibula, alij autem suas ædes prostibula facientes, quòd illuc ducant meretrices. Ita sanè. Non sunt enim solliciti vt rectè certēt. Alij sunt ebrii & perperam loquuntur, alij tumultuantur, alij totam noctem malè peruigilant, iis etiam qui dormiunt peius dolos neçtentes. Alij numerant vsuras, alij curis cruciantur, & omnia magis faciunt quàm quæ cõueniunt certamini. Quamobrem rogo vt missis omnibus vnum solum spectemus, vt primum accipiamus, corona simus redimiti, & omnia agamus per quæ bona promissa possumus assequi. Quæ nobis omnibus detur consequi gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo patri, & sancto spiritui gloria, imperium, honor, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO XV.

CAP. IX.



ABVIT quidem & prius iustificationes culturæ, & sanctum seculare. Tabernaculum enim factum est primum: in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum quæ dicitur sancta: post velamentum autem secundum tabernaculum, quod dicitur sanctum sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam testamenti circumtectam omni ex parte auro, in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabula testamenti, superque eam Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium. De quibus non est modo dicendum per singula. Ostendit ex sacerdote, ex sacerdote, ex testamento, quòd illud finem sit habiturum. De cetero ostendit ex figura ipsius tabernaculi. Quomodo? Ea quidem est sancta, & sancta sanctorum. Atque sancta quidem sunt symbola & signa prioris temporis. Illic enim fiunt omnia per sacrificia. Sancta autem sanctorum, huius nunc præsentis temporis. Dicit autem sancta sanctorum cœlum, & velum cœli, & carnem quæ ingreditur in interiora veli: hoc est, per velum carnis eius. Bonum est autem vt dicamus hunc locum altius repetentes. Quid ergo dicit? Habuit quidem & prius. Quid prius? Testamentum? Iustificationes culturæ. Quid est iustificationes? Symbola, aut ritus qui tunc erant. Tanquam quod nunc, inquit, non habeat. Ostendit ipsum iam huic cessisse. Tunc enim, inquit, habuit. Quare nunc, etiamsi steterit, non est. Et sanctum seculare. Seulare seu mundanum dicit, quoniam permittebatur omnibus ingredi: & manifestum erat in eadem domo, vbi stabant Sacerdotes, vbi Iudæi, Proselyti, Græci, Nazaræi. Quoniam ergo ad id patebat aditus etiam gentibus, ipsum vocat mundanum. Iudæi enim non erant mundus. Tabernaculum enim factum est primum, quod dicitur sancta, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum. Hæc sunt mundi symbola. Post velamentum autem secundum. Non erat ergo vnum velum, sed etiam extrà erat vnum velum, nempe tabernaculum quod dicitur sancta sanctorum. Vide quemadmodum vbique vocet tabernaculum, ex eo quòd illic degatur tãquam in tabernaculo. Aureum habens thuribulum, inquit, & arcam testamenti, circumtectam omni ex parte auro, in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabula testamenti. Hæc omnia erant magnifica & præclara ingrati Iudæorum animi monimenta: & tabulæ testamenti: eas enim confregerunt, & manna: nam murmurarunt, & propterea memoriam transmittens ad posteros, iussit eam reponi in urna aurea, & virga Aaron quæ fronduerat. Super eam autem Cherubim gloriæ.

Quid est autem Cherubim gloriæ? id est, gloriosa, aut quæ, inquit, sub Deo obumbrant propitiatorium. Alioqui autem hæc quoque verbis extollit, vt maiora esse ostendat quæ sunt postea. De quibus non est, inquit, modò dicendum per singula. Hic tacitè innuit quòd non erant quæ videbantur, sed erant quædam ænigmata. De quibus non est, inquit, nunc dicendum sigillatim, fortasse vt quæ proluxa opus habeant oratione. His verò ita compositis, in prius quidem tabernaculum semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes. Hoc est, erant hæc quidem, his autem non fruebantur Iudæi, non ea videbant. Quamobrem non magis erant illis quàm quibus prædicebantur. In secundum autem semel in anno solus Pontifex, non sine sanguine, quem offerret pro sua & populi ignorantia. Vides typos tanquam fundamentum prius iactos. Nam ne dicerent, Quomodo vnum sacrificium? ostendit id fuisse multis antè seculis, siquidem quod erat sanctius, erat vnum & reuerendum. Et quomodo? Sacerdos semel offerebat. Et rectè dixit, Non sine sanguine. Et pulchrè dixit, Non sine sanguine. Non sine sanguine quidem, non tamen hoc sanguine. Non erat enim tantum quod agebatur negotium. Ostendit autem futurum sacrificium, quod non igne consumatur, sed à sanguine magis ostendatur. Nam quoniam sacrificium vocauit crucem, quæ nec habet ignem, nec ligna, neque sæpe offertur, sed semel oblata est in sanguine, ostendit quòd vetus quòque sacrificium esset huiusmodi. Semel offerebat in sanguine. Quem offerret pro se & populi ignorantia. Non dixit, peccatis, sed ignorantia, ne nimis sibi placerent, & essent elatiores. Nam etiamsi non lubens peccasti, sed tamen inuitus ignorasti, & ab hoc nemo est purus. Et vbique quod suum est ostendit, nempe quòd Christus longè est melior & præstantior Pontifex. Si enim à nostris peccatis fuit separatus, quomodo pro se obtulisset? Cur ergo, inquit, hæc dixisti? Hoc enim est melioris. Nusquam est hic contemplatio. Deinceps autem contemplare: & dicit, Hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatum esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum. Propterea, inquit, hæc ita sunt constructa, vt disceremus quòd ad sancta sanctorum, hoc est ad cœlum, nondum pateat aditus. Ne ergo, inquit, quoniam ipsum non ingredimur, ea necesse quidem existimemus, quoniam nec sancta ingressi sumus. Quæ parabola est temporis instantis. Quòdnam? Quod est ante aduentum Christi. Nam post Christi aduentum, non est amplius tempus instans. Quomodo enim esset, cum aduenerit & finem habeat? Porro autem aliud quoque indicans, hoc dicit, Quæ parabola est in tempore instans. Hoc est, factus est typus. Iuxta quam munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem. Vidisti quid sit, Nihil ad perfectum adduxit lex, & non erat prius testamentum vacans culpa & reprehensione. Quomodo? Iuxta conscientiam. Nam sacrificia non amouebant sordes ab anima, sed adhuc erant circa corpus iuxta legem mandati carnalis. Non poterant enim dimittere adulterium, neque cædem, neque sacrilegium. Vides, hoc quidem comedas, illud non comedas: quæ quidem sunt indifferentia. Solummodo in cibis & in potibus, & in variis baptismatibus. Hoc, inquit, bibisti. Quamquam de potu nihil erat constitutum. Sed hæc dicit, vilipendens & extenuans. Et variis baptismatibus, & iustitiis carnis, vsque ad tempus correctionis impositis. Hæc est enim iustitia carnis. Hic sacrificia deiçit, ostendens ea nullam habuisse virtutem, & fuisse vsque ad tempus correctionis, hoc est, expectasse tẽpus quod omnia corrigit. Christus autem assistens Pontifex futuro-

Cherubim gloriæ quæ non essent.

Ab ignorantia nec mo purus.

Post Christi aduentum non est amplius tempus instans.

rum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum. Carnem hic dicit. Rectè autem dixit maius & perfectius, siquidem & Deus verbum & vniuersa operatio spiritus in eo habitat. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Perfectius autem, vt & in quod non cadat reprehensio, & quòd maiora rectè gerat. Id est, Non huius creationis. Ecce quomodo maius. Non esset enim ex spiritu, si homo ipsum construxisset. Nec est huius creationis, hoc est, non & ex his rebus creatis. Vides quomodo & tabernaculum, & velum, & cælum vocet corpus? Per maius & perfectius tabernaculum, per velum, hoc est, carnem suam, & rursus: In interiora veli, & rursus: Ingredientem in sancta sanctorum, vt appareat vultui Dei. Cur ergo hoc facit? Iuxta aliud & aliud significatum. Vt puta, Velum cælum est. Sicut enim velum veluti quodam muro sancta separat, caro occultans diuinitatem, & diuinitatem similiter habens tabernaculum. Et tabernaculum rursus cælum, Illic enim est intus Pontifex. Christus autem, inquit, cum accessisset Pontifex. Non dixit *γάρωμνος*, id est, cum factus esset, sed *παράγάρωμνος*, id est, cum accessisset, hoc est cum hoc ipsum venisset, non alteri successisset. Non prius accessit, sed simul venit. Et non dixit, Cum accessisset Pontifex eorum quæ sacrificantur, sed bonorum quæ fuerunt vel facta sunt, vt pote quòd non posset vniuersum explicare oratio. *Neque per sanguinem hircorum aut vitulorum.* Omnia sunt immutata. Sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta. Ecce hic vocauit cælum. *Semel, inquit, introiuit in sancta, æterna redemptione inuenta.* Et illud inuenta, est ex iis quæ sunt valde dubia, & ex iis quæ sunt præter expectationem, nempe quomodo per vnum introitum æternam inuenit redemptionem. Deinde sequitur id quod est credibile & afferens fidem. *Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitule aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti?* Si enim, inquit, carnem potest mundare sanguis taurorum, multo magis fordes animæ absterget sanguis Christi. Nam ne cum audieris sanctificat, magnum quid existimes, adnotat & ostendit quid interfit inter vtramque sanctificationem, & quemadmodum hæc quidem est sublimis, illa verò humilis: & dicit meritò id ita esse, siquidem ille quidem est sanguis taurorum, hic autem Christi. Nec fuit contentus nomine, sed etiam modum ponit oblationis. *Qui per spiritum sanctum, inquit, semetipsum obtulit immaculatum Deo.* Hoc est, hostiam immaculatam, mundam à peccatis. Hoc enim est per spiritum sanctum, non per ignem, non per aliqua alia. Emundabit, inquit, conscientiam nostram ab operibus mortuis. Rectè dixit, Ab operibus mortuis. Si quis enim tetigisset mortuum, polluebatur, & hic si quis tetigerit opus mortuum, polluitur per conscientiam. Ad seruiendum, inquit, Deo viuenti & vero. **Hic ostendit, quòd fieri non potest vt qui mortua habet opera, seruiat vero & viuenti Deo. Illa enim sunt & mortua, & falsa: & merito.**

MORALE.

NVLVS igitur habens opera mortua huc ingrediat. Si enim cum qui mortuum corpus tangebat, non oportebat ingredi, multo magis eum qui opera habet mortua: est enim pollutio grauissima. Mortua autem sunt opera omnia quæ vitam non habent, quæ retrum spirant odorem. Quomodo enim corpus mortuum ad multum sensum est vtile, sed etiam molestia afficit eos qui appropinquant: ita etiam peccatum statim

Tabernaculum, & velum, & cælum vocatur Christi corpus & caro.

Leuit. 17. Deut. 14.

Opera mortua quæ vitam non habent.

fecit facultatem ratiocinandi, & nec ipsam quidem mentem finit quiescere, sed etiam ciet tumultum, & eam perturbat. Dicitur autem pestis quoque enata corrumpere corpora. Tale est etiam peccatum. A peste nihil differt, non aërem primum corrumpens, deinde corpora, sed statim in animam insiliens. Non vides eos qui peste laborant, quomodo inflammantur, quomodo agitantur & circumuoluuntur, quomodo fetore & terro odore sunt pleni, quàm turpis est eorum aspectus, quàm toti sunt immundi? Tales sunt etiam qui peccant, etiam si non videant. Nam dic mihi, non quouis febri citante est deterior, qui pecuniæ aut corporum captus est desiderio? Non his est impurior, qui omnia turpia probroque ac dedecore plena agit & patitur? Quid est enim viro turpius qui tenetur amore pecuniæ. Nam quæcunque meretrices, quæcunque scenicæ mulieres non recusant facere, ea nec iste. Imò verò est verisimile illas magis quàm hunc recusare. Res patitur feruile, adulans ita vt non oportet: audax rursus & confidens est vbi non oportet: vbique inæqualis. Viris sceleratis, & senibus sæpe corruptis ac prauis, longè ipso & pauperioribus & abiectionibus affidet assentans, & aliis bonis & virtute præditis insultans, & maledictis ac contumeliis appetens. Vidisti vtrinque probum dedecusque & impudentiam: est humilis abiectionisque præter modum, arrogansque & insolens. Sed domi stant meretrices, & hoc est earum crimen, quòd corpus vendant pecuniis. Sed paupertas, inquit, cogit & famas, est maximè ne hoc quidem sufficiat ad excusationem: poterant enim ali operantes. Hic stat avarus, non domi, sed in media ciuitate, non corpus sed animam diabolo prostituens, vt & coëat, & ad ipsum ingrediatur, & omni eius impleta libidine exeat, & videt tota ciuitas, non duo aut tres viri. Hoc autem est etiam proprium meretricum, quòd eius sunt qui dat aurum: & licet sit seruus, licet monachus, licet quilibet, porrigat autem mercedem, excipiunt: liberos autem, etiam si sint omnium nobilissimi, sine pecunia non admittunt. Hoc hic quoque isti faciunt. Rectas quidem cogitationes, cum pecuniam non habeant, auerfantur: cum sceleratis autem & impiis coeunt propter aurum, inhonestèque & turpiter coeunt, & perdunt animæ pulchritudinem. Nam quomodo illa natura quidem deformes & nigra, agrestesque, & crassa, & informes, & non rectæ figuræ, & omni ex parte turpes: ita istorum quorum sunt animæ, quæ ne externis quidem illitis fucis deformitatem possunt contegere. Nam quando extrema fuerit deformitas, quidquid excogitarint, ne possunt quidem dissimulare & vtrunque imitari ac referre. Nam quòd impudentia efficiat meretrices, audi Prophetam dicentem: Impudens facta es ad omnes, tibi fuit facies meretricis. Hoc etiam dici potest auaris. Impudens factus es ad omnes, non ad hos & illos, sed ad omnes. Non patrem, non filium, non vxorem, non amicum, non fratrem, non seruum, neminem, vt semel dicam, reuocetur qui est eiusmodi. Et quid dico amicum, & fratrem, & patrem? Ne ipsum quidem veretur Deum, sed omnia ei videntur esse fabula, & ridet à multa cupiditate ebrius, & ne auribus quidem quidquam admittens eorum quæ possunt ei prodesse. Sed, ò absurditatem, quænam loquuntur? Væ tibi mammona, & ei qui te non habet. Ira dissecor. Væ enim iis qui hæc dicunt, etiam si ridendo dicant. Nam dic mihi. Tales minas Deus intenuit, dicens: Non potestis duobus dominis seruire. Tu autem minas dissoluis. Non eam dicit Paulus esse idololatram, & avarum vocat idololatram? Tu autem stas hæc ridens, & huius vitæ studio deditis mulieribus quæ sunt in scena risum mouens.

Auarus quàm sit pestilens.

Auari meretricibus impudentiores.

Hicere.

Matt. 6. Ephes. 5.

Hoc omnia euerit, hoc deiicit. Res nostræ effectæ sunt risus, ciuilitas, & vrbalitas. Nihil stabile, nihil graue. Non hæc solum dico viris huius vitæ studio deditis, sed scio quos innuo. Rifu enim impleta est ecclesia. Si quispiam vrbantum quid dixerit, inter ridentes statim nascitur risus: & quod est mirabile, ne in ipso quidem precum tempore cessant multi ridere. Vbique choros ducit diabolus, omnes induit, in omnes dominatum obtinet. Christus contemptui habetur, extruditur, nihili ducitur ecclesia. Non auditis Paulum dicentem: Turpitudine, & stultiloquium, & scurrilitas tollatur à vobis. Cum turpitudine ponit scurrilitatem. Tu autem rides. Sunt stultiloquium ea quæ nihil habent vtile. Tu autem omnino rides, & vultum diffundis, qui es monachus, qui cruci fixus, qui luges. Rides dic mihi. Vbi vidisti Christum hoc facientem? Nusquam: sed sæpe quidem tristem. Etenim quando vidit Hierusalem, fleuit: & quado de proditore cogitauit, fuit turbatus: & quando fuit Lazarum suscitaturus, fleuit. Tu autem rides? Si qui propter aliorum peccata non dolet, dignus est qui accusetur: qui pro suis nullo tangitur dolore, & ridet, quænam est dignus venia? Luētus est tēpus, & afflictionis, castigationis & in seruitutem redactionis, certaminum & sudorum. Tu autem rides, & non vides quomodo increpata fuit Sarra? Non audis Christum dicentem, Væ qui rident, quoniam plorabunt. Hæc psallis quotidie. Quid enim dicis, dic quæso? Dicisne, Rifu? Nequaquam. Sed quid? Laborauit in gemitu meo. Sed fortasse quidam sunt adeò dissoluti mollésque & effœminati, vt etiam in hac increpatione rideant, quoniam de risu hæc dicimus. Eiusmodi enim res est furor & mentis stupor. Ne sentit quidem increpationem. Stat Deo sacerdos omnium offerens precationem: tu autem rides, nihil veritus. Et ille quidem tremens pro te offert preces: tu autem despicias. Non audis scripturam dicentem, Væ vobis contemptores. Non horrescis? Non te ipsum contrahis? Et regiam quidem ingrediens, & habitu, & aspectu, & incessu, & omnibus aliis te ornas & componis. Hic autem verè est regia, & planè hic sunt talia qualia cœlestia, & rides? Atque scio quidem quòd tu non vides. audi autem quòd vbique adsunt Angeli, & maximè in domo Dei assistunt Regi, & omnia sunt impleta incorporeis illis potestatibus. Eadem à me ad mulieres quoque habetur oratio: quæ, cum adsunt quidem viri, non tam citò id audent facere: & si faciant, non semper, sed tempore recreationis ac relaxationis: hic autem semper. Operis, dic mihi, caput, & rides, ò mulier, sedens in ecclesia? Ingressa es vt peccata confitereris, vt Deo procideres, vt rogares & supplicares pro delictis quæ à te malè sunt admissa, & cum risu hoc facis? Quomodo ergo eum poteris placare? & quod malum est, inquit, risus? Non malum est risus, sed malum est id quod est præter modum, id quod est intempestiuum. Insitus est nobis risus, vt quando viderimus amicos post longum tempus, hoc faciamus: quando aliquos percussos & territos, vt subridendo eos recreemus & relaxemus, non vt cachinnos edamus, & semper rideamus. Animo nostro insitus est risus, vt aliquando relaxetur animus, non vt diffundatur. Nam & nobis est insita corporum cupiditas, & non propterea quòd est insita, omnino ea vti necesse est, aut vti immoderatè, sed ei imperamus & eam continemus, nec dicimus, Quoniam inest vtamur. Deo serui cum lacrymis, vt possis abluere peccata. Scio quòd multi nos irrideant, dicentes, Statim lacrymæ, propterea tempus est lacrymarum. Scio etiam quòd malè oinantur & imprecantur ij qui dicunt: Comedamus & bibamus, cras enim morimur.

Ephes. 5.

Matt. 23. Ioan. 11. Ridentes increpantur.

Gen. 10.

Psal. 6.

Sacerdos offert omnium precationem. Tob. 13.

Risus cur nobis insitus.

A Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Non ego dico, sed ipse qui rerum habuit experientiam, omnia hæc dicit: *Ædificauit mihi domos, plantaui mihi vineas. Feci mihi aquarum piscinas, pocillatores & pocillatrices. Et quid tandem dicit post hæc omnia? Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Lugeamus ergo, ò dilecti, lugeamus, vt verè rideamus, vt verè lætemur in tempore synceræ lætitiæ. Nam hæc quidem lætitia est omnino admista tristitiæ, nec eam licet inuenire puram. Illa autem est syncera, fraudis & doli expers, nec quidquam habens insidiarum, neque quidquam admistum. Illa lætemur lætitia, illam persequamur. Alia autem ratione non licet eam assequi, quàm ex eo quòd hic eligamus, non quæ sunt iucunda, sed quæ vtilia, & parum affligamur lubentes, & cum gratiarum actione feramus omnia. Sic enim poterimus regnum cœlorum assequi gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo Deo patri gloria, vnà cum sancto spiritu, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

1. Cor. 11. Eccles. 5.

Lugendū hic vt postea lætemur.

HOMILIA XVI.



Eideo noui testamenti mediator est, vt morte intercedente in redemptionem earum præuentionum, quæ erant sub priori testamento, re-promissionem accipiant qui vocati sunt, æterna hereditatis. Vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis est confirmatum. Alioquin nondum valet dum viuunt qui testatus est. Erat verisimile multos ex infirmioribus, ex eo etiam quòd mortuus esset Christus, maximè fidem non habuisse promissis. Paulus ergo ex abundantia hoc ponit ex communi sumptum consuetudine. Quòdnam? Propter hoc ipsum, inquit, oportet confidere & bono esse animo, quòd non viuuntibus, sed mortuis iis qui sunt testati, tunc firma & valida sunt testamenta, & robur accipiunt. Et ideo dicit, Noui testamenti mediator est. Testamentum fit in vltimo die mortis. Tale est autem testamentum: alios quidem habet hæredes, alios verò exhæredatos. Ita hic quoque. Volo vt vbi ego sum, inquit Christus, & hi sint. Et rursus de exhæredatis audi eum dicentem: Non pro omnibus rogo, sed pro iis qui credunt per verbum eorum in me. Rursus testamentum alia quidem habet eius qui est testatus, alia verò eorum qui suscipiunt: vt ipsi alia quidem capiant, alia verò faciant. Ita hic quoque: postquam enim promissit innumerabilia, ab eis quoque exigit, dicens: Mandatum nouum do vobis. Rursus testamentum debet habere testes. Audi ipsum rursus dicentem: Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso. & Testimonium perhibet de me qui me misit. Et rursus: Ille testimonium perhibebit de me, dicens de paracleto. Et duodecim Apostolos misit, dicens: Testificamini coram Deo. Et propterea dicit: Noui testamenti mediator est. Quid est autem mediator seu intercessor? Mediator seu intercessor non habet in potestate rem cuius est intercessor. Sed alia quidem res est, alius verò intercessor. Vt matrimonij est intercessor, non qui iungitur matrimonio, sed qui opem fert ei qui est ducturus vxorem. Ita hic quoque filius fuit intercessor patris, & noster. Nolebat pater nobis relinquere hanc hereditatem, sed nobis irascatur, & erat sauius & asper vt qui essemus alienati. Noster ergo fuit & eius intercessor, & ei persuasit. Et quomodo fuit intercessor? Verba attulit & retulit, quæ à patre erant, ad nos transmittens, & mortem adiiciens. Offenderamus: mori debebamus. Pro nobis est mortuus, & fecit nos dignos testamento. Hoc est firmum & stabile testamentum,

Testamentum confirmatur iis qui sunt testati mortuis.

Ioan. 17. Ibid. 8. & 13.

Testamentum debet habere testes.

Ioan. 15. Mediator seu intercessor quid sit.

quod de cætero factum est in non indignos. Atque ab initio quidem testamentum fecit tanquam pater in filios: sed quoniam indigni sumus redditi, non amplius testamento opus erat, sed supplicio. Quid ergo, inquit, de lege gloriaris, & ingentes concipis spiritus? Nam in tantum nos redegit peccatum, ut nunquam salui essemus futuri. Nisi dominus noster pro nobis esset mortuus, lex nequaquam potuisset: est enim imbecilla. Nequaquam autem amplius hoc confirmat ex sola consuetudine, sed ex iis etiam quæ euenerunt in veteri: quod quidem maximè eos induxit. Nullus illic erat qui esset mortuus. Quomodo ergo illud firmum & stabile? Per eundem, inquit, modum. Quomodo? Etenim illic sanguis, sicut & hic sanguis. Si autem non esset Christi sanguis, ne mireris: erat enim typus. Vnde dicit: Vnde nec primum quidem, inquit, sine sanguine dedicatum est. Factum est firmum, stabile & ratum. Vnde propterea, inquit, oportebat esse symbolum testamenti & mortis. Quamnam enim de causa, dic mihi,

Exod. 14. liber aspergitur? Dicit enim. Lecto enim omni mandato legis à Moyse uniuerso populo, accipiens sanguinem vitulorum & hircorum cum aqua & lana coccinea & hyssopo, ipsum quoque librum & omnem populum asperxit, dicens: Hic sanguis testamenti quod mandauit ad vos Deus. Quamnam ergo de causa, dic mihi aspergitur liber testamenti & populus, quam quod pretiosus sanguis multis retrò actis seculis figurabatur? Cur hyssopo? Et densum & continens. Quid verò aqua? Ostendit etiam eam quæ fit per aquam mundationem. Quid verò lana? Et hæc quoque ut contineatur sanguis. Idem hic ostendit & sanguis & aqua. Baptisma enim est eius etiam passio. *Etiam tabernaculum, & omnia vasa ministerij sanguine similiter asperxit. Et omnia penè in sanguine secundum legem mundantur. & sine sanguinis effusione non fit remissio.* Cur illud penè, cur id sic correxit? Quoniam illa non erat perfecta mundatio, neque perfecta remissio, sed semiperfecta, & in minima parte. Hic autem, Hic est, inquit, sanguis noui testamenti, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Vbi igitur liber? Emundauit illorum mentes? Ipsi itaque erant libri noui testamenti. Vbi autem vasa ministerij? Ipsi sunt. Vbi autem tabernaculum? Ipsi sunt rursus. Inhabitabo enim, inquit, in illis, & inambulabo. At lana coccinea & hyssopo non aspergebatur. Quamobrem? Emundatio enim non erat corporalis, sed spiritualis, & sanguis spiritualis. Quomodo? Non ex corpore fluxit per verba? Fluxit, sed ex corpore quod constructum fuit à Spiritu. Hoc sanguine nos non Moyse, sed Christus asperxit per verbum quod dictum est: Hic est sanguis noui testamenti in remissionem peccatorum. Hoc verbum pro hyssopo sanguine intinctum, omnes aspergit. Et illic quidem corpus extrinsecus mundabatur: erat enim mundatio corporalis. Hic autem quoniam spiritualis est mundatio, mundatio ingreditur animam, non solum aspergens, sed etiam instar fontis irrigans. Sciunt quæ dicuntur ij qui sunt initiati mysteriis. Et in illis quidem ipsam aspergebat superficiem, & qui aspergebatur rursus abluebatur: non enim semper obibat cruentatus. In anima autem non sic, sed ipsi essentia admiscetur sanguis, ipsam reddens robustam & castam, & deducens ad ipsam quæ explicari non potest pulchritudinem. Deinceps autem ostendit mortem non confirmationis solum esse causam, sed etiam emundationis. Nam quoniam mors videbatur esse res execranda, & maximè ea quæ suscipiebatur per crucem, dicit eam emundasse, idque petiosa emundatione, & quæ erat in rebus maioribus. Propterea præcesserunt sacrificia, propter hunc sanguinem: propterea agni:

Baptisma est Christi passio.

Matt. 26.

1. Cor. 6.

Sanguis Christi admiscetur essentia animæ.

propterea facta sunt omnia. *Necesse est ergo, inquit, exemplaria quidem cælestium his mundari, ipsa autem cælestia melioribus hostiis quam istis.* Et quomodo sunt exemplaria eorum quæ sunt in cælis? Quomodo autem vocat nunc ea quæ sunt in cælis? Num cælum? Aut Angelos? Nihil horum. Sed nostra. Nostra ergo sunt in cælis, & nostra sunt cælestia, etiam si peragantur in terra. Nam Angeli quoque sunt in terra, sed dicuntur cælestes, & Cherubim apparuerunt in terra, sunt tamen cælestia. Et quid dico apparuerunt? In terra quidem certè degunt, utpote in paradiso. Sed ne hoc quidem. Sunt enim cælestia. Et nostra conuersatio est in cælis, quamuis hic versemur. Ipsa autem cælestia, hoc est eam quæ est apud nos philosophiam, qui illuc sumus vocati. Melioribus, inquit, hostiis quam istis. Quæ sunt ergo meliora semper fuerunt bona, & exemplaria eorum quæ sunt in cælis, non mala fuerint exemplaria. Nam illa quæ essent mala quorum sunt exemplaria.

Phil. 3.

MORALE.

Si ergo sumus cælestes, & talem affecti sumus essentiam, pertimescamus: non amplius maneamus in terra. Licet enim ei qui nunc velit, non esse in terra. Nam ut simus & non simus in terra, certo fit modo & animi instituto. Ut exempli causa: Deus dicitur esse in cælo. Quamobrem? Non loco exclusus, absit: neque terram relinquens desertam à sua presentia, sed quadam habitudine, familiaritateque & coniunctione quæ est illi cum Angelis. Si ergo nos quoque simus prope Deum, sumus in cælo. Quid enim mihi curæ est cælum, quando video dominum cæli? quando ipse factus fuero cælum? Veniemus enim, inquit, ego & pater meus, & mansionem apud eum faciemus. Animam ergo faciamus nobis cælum. Cælum est natura iucundum & lætum: neque enim in tempestate fit nigrum. Non mutat enim faciem, sed cõcurrentes nubes ipsum operiunt. Cælum habet Solem: habemus nos quoque solem iustitiæ. Dixi licere fieri tanquam cælum: & video quod etiam cælo liceat fieri meliorem & præstantiorem. Quomodo? Quando cæli dominum habuerimus, cælum est omni ex parte purum & immaculatum. Non hyeme, non nocte mutatur. Ne hoc ergo nobis accidat, nec afflictionibus, nec diaboli insidiis: sed maneamus immaculati & mundi. Cælum est excelsum, & à terra longè remotum. Hoc nos quoque faciamus. A terra nos abducamus, & ad illam extollamur altitudinem, & quoniam terrarum nos abducemus? Cælum & imbres & tempestates superat, & à nullo capitur. Hoc nos quoque poterimus si velimus. Sed hoc quidem patitur, ipsum tamen non patitur. Nec nos ergo patiamur, etiam si videamur pati. Nam quomodo in hyeme multi quidem non norunt eius pulchritudinem, sed existimant ipsum esse mutatum: Philosophi autem sciunt eum nihil esse passum: ita etiam nobis vsuuenit in afflictionibus. Multi quidem existimant nos esse commutatos, & afflictionem corda nostra tetigisse. Quod autem nos non tetigerit, norunt philosophi. Nos ergo cælum efficiamus: ascendamus in illam altitudinem, & ita videbimus homines nihil differre à formicis, non solum, inquam, pauperes & diuites: sed et si sit Præfectus, si Rex, nec Regem, nec priuatum videbimus. Nesciemus quid sit aurum, quid argentum, quid vestis serica aut purpurea. Omnia videbimus tanquam muscas, si sederimus in illa altitudine: nullus illic tumultus, nec perturbatio, neque clamor. Et quomodo, inquit, fieri potest ut ad tantam extollatur altitudinem qui ambulat in terra? Verbis quidem non dico, sed rebus ipsis ostendo eos qui ad illam peruenerunt altitudinem. **Qui-**

Qui sunt in terra, possunt etiam hic esse in cælo.

Ioan. 14.

Cælo possumus esse meliores.

In afflictionibus non patimur nec commutamus.

ORATIO XVII.

nam ij sunt? Paulus & eius asseclæ, qui cum essent super terram, versabantur in cælo. Et quid dico in cælo? Erant cælo altiores, & alio cælo, & ad Deum ipsum ascenderunt. Quis enim nos separabit, inquit, à charitate Dei, tribulatio, an angustia, an fames, an persecutio, an nuditas, an periculum, an gladius? Et rursus: Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Vides quod nec ea quidem quæ hic sunt videbat? Ut autem tibi ostendam quod cælis erat altior, audi eum dicentem: Certus sum enim quod nec mors, neque vita, neque presentia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque vlla alia creatura, poterit nos separare à charitate Christi. Vides quemadmodum ratio, omnibus prætercurtis, cum effecerit superiorem? Non hac solum creatura, non his cælis, sed & si qui sint alij? Vidisti mentis altitudinem? Vidisti qualis fuerit tabernaculorum contextor quando voluit, qui totam vitam in foro transegerat. Nullum enim est, nullum est impedimentum quo minus omnes superemus si velimus. Nam si artes quæ vulgi captum superant, adeo rectè discimus & exercemus, multò magis id quod non eget tanto labore. Quid enim, dic mihi, est grauius & difficilius quàm per funem extensum ingredi, tanquam in plano solo, & in alto ambulantem se induere & exuere tanquam in lecto sedentem, & res videtur nobis esse adeo horrenda, ut ne velimus quidem spectare, sed timeamus, & ad ipsum aspectum contremiscamus. Quid autem est, dic mihi, grauius & difficilius quàm in facie contum suscipere: deinde puero ei imposito facere innumerabilia, & oblectare spectatores? Quid grauius & difficilius quàm in ensibus sphaera ludere? Quid autem est, dic mihi, grauius quàm scrutari profundum maris? Et alias artes innumerabiles potueris dicere. Sed his omnibus est virtus faciliior si velimus, & in cælum ascendere. Hic enim solum oportet velle, & sequuntur omnia. Non licet enim dicere, Non possum, nec accusare opificem. Nam si nos fecit imbecillos & impotentes, sui est accusatio. Quomodo ergo, inquit, multi non possunt? Quomodo ergo multi nolunt? Nam si volunt, possunt omnes. Propterea Paulus quoque dicit: Volo omnes homines esse sicut meipsum, quoniam sciebat omnes posse esse sicut erat ipse. Neque enim hoc dixisset, si fieri non posset. Vis fieri? Solum apprehende initium. Nam dic mihi, in omnibus artibus, si velimus eas assequi, sufficitne nobis velle, an etiam res aggredimur? Ut exempli causa: vult aliquis esse gubernator, non dicit, Volo, & hoc ei sufficit, sed etià rem aggreditur. Vult peregrè proficisci, & nō dicit, Volo, sed etià rē aggreditur. Deinde in omnibus nō sufficit solum velle, sed factū quoque est addendum. Volens autem in cælum ascendere, dicis solum, Volo? Quomodo ergo, inquit, dicebas quod sufficit velle? Velle cum factis, quod ei qui laborat ad rem gerendam fert opem. Habemus enim Deum adiuuantem & opem ferentem: solum eligamus, solum ad rem tanquam ad opus accedamus, tantum simus solliciti, tantum mentem adhibeamus, & sequuntur. Sin autem dormiamus, & stertentes expectemus cælum ingredi, quando poterimus hæreditatem cælorum apprehendere? Velimus ergo, rogo, velimus. Cur ad hanc vitam omnia mercamur, quam cras deseremus? Eligamus ergo virtutem quæ nobis in omne seculum sufficiat. In quo perpetuò erimus, & bonis aternis perpetuò perfruemur, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri, vnà cum sancto Spiritu sit gloria, imperium, honor, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Rom. 8.

1. Cor. 4.

Rom. 8.

Artes quædam dicuntur multo labore.

1. Cor. 7.

Velle eum factis sufficit, quoniam Deus fert opem.



Non enim in manufacta sancta Iesus introiit exemplaria verorum: sed in ipsum cælum ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. Neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno. Alioqui oportebat eum frequenter pati ab origine mundi. Nunc autem semel in consummatione seculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit. Valde sibi placebant & efferebant Iudæi propter templum & tabernaculum. Et ideo dicebant, Templum domini, templum domini. Nusquam enim terrarum constructum fuit eiusmodi templum, nec quod attinet ad sumptum ac magnificentiam, nec quod ad pulchritudinem, nec quod ad quoduis aliud. Deus enim qui constituerat, iussit ipsum fieri cum multa magnificentia, quoniam inducebantur illi & attrahebantur corporalibus. Latere enim aureos habebat in parietibus, & licet volenti id discere in secundo Regum, & apud Ezechielem, & quot auri talenta tunc fuerint consumpta. Secunda autem edificatio fuit præclarior, & propter pulchritudinem, & alia omnia. Nec propterea solum erat magnificentum & venerandum, sed etiam propterea quod esset æquale. Nam à finibus terræ illuc veniebant, siue à Babylone, siue ab Æthiopia. Et hoc significans Lucas dicebat in Actibus: Erant illic habitantes Parthi, & Medii, & Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphiliam, Ægyptum, & partes Libyæ quæ est circa Cyrenem. Qui ergo erant in toto orbe terræ illuc conuenerant, & templi multum erat nomen. Quid ergo facit Paulus? Nam sicut in sacrificiis, ita hic quoque. Sicut illic ex aduerso sacrificiorum posuit mortem Christi, ita hic quoque totum cælum ex aduerso templi ponit. Nec hanc solum ostendit differentiam, sed etiam quod adiecerit sacerdotem factum esse Deo popinquinorem. Dicit enim apparuisse vultui Dei. Fecit itaq; rem præclaram & magnificam, non solum propter cælum, sed etiam propter introitum. Non solum enim sicut hic per symbola, sed ipsum Deum illic videt. Vides quod ut se demittat & accommodet vbique omnia dicta sint humilia. Quid verò iam miraris quod intercedat, cum ipsum statuatur tanquam Pontificem? Neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex. Nō enim in manufacta sancta Iesus introiit exemplaria verorum. Illa ergo sunt vera, hæc verò typi. Templum enim ita est constructum, ut cælum cæli. Quid dicis, Nisi cælum fuerit ingressus, non apparet qui adest vbique & implet omnia? Vides quod hæc omnia sint carnis. Dicit apparuisse vultui Dei pro nobis. Quid est pro nobis? Ascendit, inquit, cum sacrificio quod potest placare patrem. Quid vero, dic mihi, ipse erat inimicus? Angeli erant inimici, ipse non erant inimicus. Nam quod Angeli fuerint inimici, audi quid dicat, Pacificauit quæ sunt in terra & quæ in cælis. Est itaque ipse cælum nunc ingressus, ut vultui Dei appareat pro nobis. Nunc apparet, sed pro nobis. Neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno. Vides quàm multæ sint differentiæ. Semel differt à sæpe. Quod in sanguine intrarit proprio, differt ab ingressu in alieno. Multum interest. Ipse ergo est & sacrificium, & sacerdos, & hostia. Nam si hoc non esset, & multa offerre oporteret sacrificia, sæpe oporteret crucifigi. Alioqui oportebat eum frequenter pati ab origine mundi. Hic etiam quiddam abscondit: Nunc autem semel in consummatione seculorum. Quamobrem in consumma-

Hier. 7. Templum domini quàm esset magnificentum Hierosolymis. 2. Reg. 12. Ezech. 4.

Act. 2.

Cælum Paulus opponit templo.

Apparet Christus Dei vultui per carnem. Ephel. 1.

tione seculorum? Post multa peccata. Si enim facta fuissent ab initio, nemo autem credidisset, non oporteret autem iterum mori, omnia fuissent inutilia. Quoniam autem postea multa fuerunt peccata, merito tunc apparuit. Quod quidem dicit etiam alibi. Vbi abundavit peccatum, superabundavit & gratia. Nunc autem semel in consummatione seculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit: & quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium. Deinde dicit etiam cur semel est mortuus: nempe quoniam unius mortis fuit pretium redemptionis. Statutum est, inquit, omnibus hominibus semel mori. Hoc ergo est, semel mortuus est pro omnibus hominibus. Quid verò, an non adhuc morte illa morimur? Morimur quidem, sed in ea non manemus, quod nec est quidem mori. Mortis enim tyrānis, & verè est illa mors, quando mortuo non est amplius concessum ut redeat ad vitam. Quando autem vivit post mortem, idque vita meliore, hoc non est mors, sed dormitio. Quoniam ergo futurum erat ut mors omnes detineret, propterea est mortuus ut nos liberaret. Sic & Christus semel oblatus est. A quo oblatus? A seipso scilicet. Hic non solum eum dicit sacerdotem, sed & hostiam & sacrificiū. Propterea oblatus. Ad multorum exhaurienda peccata. Cur multorum, & non omnium? Quoniam non omnes crediderunt. Pro omnibus quidem est mortuus, quantum ad ipsum attinet. Mors quidem illa ex æquo respōdebat omnium interitui, non exhaustit autem & sustulit omnium peccata, propterea quod ipsi noluerunt. Quid est autē tollere peccata? Sicut in oblatione sustollimus peccata, & dicimus: Siue volentes, siue inuiti peccavimus, condona. Hoc est primū ipsorum meminimus, & tunc petimus ut condonentur. Hoc ipsum hīc quoque fit. Vbi hoc fecit Christus? audi ipsum dicentem: Et pro ipsis sanctifico me ipsum. Ea abstulit ab hominibus, & patri obtulit, non ut aliquid aduersus ipsos statueret, sed ut ipsa remitteret. Secundò sine peccato apparebit omnibus expectantibus eum in salutem. Quid est autem sine peccato, utpote non peccat. Neque enim ut qui mori deberet est mortuus, neque propter peccatum. Sed quomodo apparebit? Punicens, inquit. Sed hoc non dixit, verū id quod est letum & iucundum. Sine peccato apparebit iis qui ipsum expectant ad salutem, ut de cætero non amplius opus habeant sacrificio, ut salui sint, sed ex operibus hoc faciant. *Vmbra* enim, inquit, *habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* Hoc est, non ipsam veritatem. Nam quandiu quidem tanquam in pictura circumagit quispiam colores, est quædam vmbra. Postquam autem florem quispiam deleuerit, & colores illiuerit, tunc fit imago. Tale quidpiam lex quoque erat. *Vmbra* enim, inquit, *habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, hoc est sacrificij remissionis. Eisdem ipsis hostiis quas offerunt indefinenter, nunquam potest accedere perfectos facere. alioqui cessassent offerri, ideo quod nullam haberent ultra conscientiam cultores sæpe mundati. Sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit. Impossibile est enim sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum, dicit: Hostiam & oblationem nolui: corpus autem aptasti mihi. Holocausta & pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam. Superius dicens, quod hostias, & oblationes, & holocausta, & pro peccato nolui, nec placita sunt tibi quæ secundum legem offeruntur. Tunc dixi: Ecce venio, ut faciam Deus voluntatem tuam. auferit primum, ut sequens statuat. Vides rursus abundantiam. Vna est inquit, hæc hostia: illæ autem multæ. Ideo enim nec validæ, quia sunt multæ. Quid enim, dic quæso, opus e-*

Rom. 5.

Mortis quantum sit tyrānis.

Ioan. 17.

Lex quomodo sit vmbra bonorum futurorum.

rat multis, cum vna sufficiat? Propterea multæ, & quod semper offeruntur, ostendunt eos nunquam mundari. Quomodo enim medicamentum, cum fuerit validum, & efficiēs sanitatis, & valens omnem morbum propulsare, semel impositum efficit vniuersum. Quomodo ergo si semel impositum confecerit vniuersum, vim eius ostendit, quod non amplius imponatur, & hoc est eius opus, quod non amplius imponatur. Sin autem semper imponatur, est perspicuum quod sit signum quod nullam vim habuerit: est enim virtus medicamenti, semel imponi, & non sæpe. Ita hīc quoque cur tandem iisdem semper curantur hostiis? Nam si essent liberati ab omnibus peccatis, non offerrentur hostiæ quotidie: erant enim constitutæ ut semper offerrentur pro populo vniuerso, & vespere & interdiu. Erat itaque id quod fiebat, peccatorum accusatio, non solutio: accusatio infirmitatis, non ostensio virtutis. Nam quoniam prima nihil valuit, alia quoque offerrebat: & quoniam ipsa nihil efficiebat, rursus alia: & ideo ea est peccati coniunctio. Atque quod offeratur quidem, arguit peccata. Quod autem semper, arguit imbecillitatem. In Christo autem contra semel est oblatus. Exemplaria ergo solum habet typum, non virtutem. Quomodo in imaginibus figuram hominis habet imago, non virtutem. Quo fit ut verum & figura habeant inter se aliquid commune: par est enim figura, virtus autem nequaquam. Ita etiam in cælo & in tabernaculo: erat enim par typus, erant enim sancta: virtus autem, & alia non eadem. Quid est, Ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit? Quid est destitutio? Abrogatio, abolitio, contemptio, non habet amplius fiduciam. Destitutum enim est peccatū, quod quidem debebat pœnam suscipere, non suscepit autem. Hoc est, vim est passum. Quando expectabat fore ut omnes de medio tolleretur, ipsum est de medio sublatum. Per hostiam suam apparuit, hoc est, manifestatus est, ad Deum accessit. Non enim quoniam sacerdos hoc sæpe facit in anno, ideo de cætero frustra fit si fiat. Quid enim opus esset medicamenti si non essent vulnera? Propterea iussit, inquit, semper afferri, propter infirmitatem, & ut peccata reuocarentur in memoriam. Quid verò nos non quotidie offerimus? Offerimus quidem, sed eius mortem reuocamus in memoriam: & ipsa vna est, non multæ. Quomodo vna est, non multæ? Quoniam semel fuit oblata, illa illata fuit in sancta sanctorū. Hoc est figura illius, & ipsa illius. Eundem enim semper offerimus: non nunc quidem alium, sed semper eundem. Quamobrem vnum est sacrificium propter hanc rationem. Quoniam multis in locis offertur, multine sunt Christi? Nequaquam, sed vnus vbique Christus: qui & hīc est plenus, & illic plenus, vnum corpus. Quomodo ergo multis in locis oblatus vnum est corpus, & non multa corpora: ita etiam vnum est sacrificium. Pōtifex noster ille est qui illam obtulit hostiam, quæ nos mundat. Illam nunc quoque offerimus quæ tunc fuit oblata, quæ non potest consumi. Hoc fit in recordationem eius quod tunc factum est. Hoc enim facite, inquit, in mei recordationem. Nō aliam hostiam sicut Pontifex, sed eandem semper facimus, vel potius hostiæ seu sacrificij facimus recordationem.

Medicamento vno opus est, si sit validum & efficiēs sanitatis.

Verum & figura quid habeant inter se commune.

Sæpe offererentur hostiæ, ut peccata reuocarentur in memoriam.

Luc. 22.

MORALE.

SED quoniam memini huius sacrificij, volo pauca vobis dicere, qui mysteriis estis initiati, quæ mensura quidem sunt pauca, magnam autem habent vim & vtilitatem. Non enim sunt nostra, sed diuini Spiritus quæ dicuntur. Quid est ergo? Multi huius sacrificij semel toto anno sunt participes: alij autē bis: alij verò sæpe.

pe. Ad omnes ergo habetur oratio, non solum ad eos qui hīc sunt, sed ad eos etiam qui sedent in deserto. Nā illi semel in anno sunt participes, sæpe etiam post duos annos. Quid verò, quoniam erūt nobis magis accepti, an qui semel, an qui sæpe, an qui rarò? Nec hī, nec illi: sed ij qui cū munda cōscientia, qui cū mundo corde, qui cū vita quæ nulli est affinis reprehensionī. Qui sunt huiusmodi, semper accedant. Qui non sunt huiusmodi, ne semel quidem. Quāobrem? Quoniam sibi sumunt iudicium, & cōdemnationem, & pœnā, & supplicium. Nec mireris. Sicut enim nutrimentum quod natura vim habet nutriendi, si in eum inciderit qui malis cibis & humoribus est plenus, omnia perdit & corrumpit, & morbi fit occasio. Ita etiam hæc veneranda mysteria. Fructus mensa spiritali, mensa regali, & iterum os tuum luto inquinat: Vngis vnguento, & rursus implet fœtore? Dic mihi, cum post annum es particeps communionis, existimāsne quadraginta dies tibi sufficere ad emundationem peccatorum totius temporis: & cum rursus præterierit hebdomada, te dedis prioribus? Dic mihi, si cum quadraginta diebus a longo morbo conualueris, rursus te dedas cibis illis, qui morbos procreant, nō etiam priorem perdis laborem? Nam si mutantur quæ sunt naturalia, multò magis quæ nostri sunt instituti & liberi arbitrij. Ut, exempli causa, natura videmus, & sanos habemus oculos: sed sæpe a mala habitudine læditur nostra videndi facultas. Si ergo mutantur naturalia, multò magis quæ nostri sunt instituti & liberi arbitrij. Quadraginta dies tribuis sanitati animæ, fortassis autem nec quadraginta, & te Deum placasse expectas? Iocarisne, dic mihi? Hæc dico, non ab vno eodemque annuo accessu vos arcens, sed volens nos perpetuò ad sancta accedere. Propterea acclamat etiam diaconus, tunc sanctos vocans, & per hanc vocem in omnibus ea quæ sunt reprehendenda considerans. Quomodo enim in vno grege, in quo multæ quidem oues sunt sanæ, aliæ autem plene sunt scabie, necesse est autem eas quoque arceri a sanis: ita etiam in ecclesia: quoniam aliæ quidem oues sunt sanæ, aliæ verò malè affectæ, per hanc vocem has arceat ab illis, in omnem partem obiēs, per hanc vocem valde terribilem sacerdos sanctos vocans & trahens. Nam quoniam fieri non potest ut homo norit quæ sunt proximi: Quis enim, inquit, ex hominibus nouit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in homine? emittit hanc vocem postquam peractum fuit sacrificium, ut nemo incōsideratè nec temerè ad hunc fontem accedat spiritalē. Etenim in grege, (nihil enim vetat quo minus eodem vtamur exemplo) morbidas quidem intus includimus, & detinemus in tenebris, & eis aliud damus nutrimentum, non permittentes ut purum hauriant aërem, neque ut herba vescantur sincera, neque ut a fonte qui est foris bibāt. Ergo hīc quoque vox ipsa est instar cuiusdam vinculi. Non potes dicere, Nesciebam, ignorabam hanc rem sequi periculum. Atq; maximè quidem hoc protesta- tus est Paulus. At dices: Non legi. Hoc nō est excusatio, sed accusatio. Quotidie ingrederis ecclesiā, & hoc adhuc ignoras? Cæterum ne hoc possis uti prætextu, ea de causa magna voce, terribili clamore, tanquam præco, manum tollens in altum, stans excelsus, & omnibus manifestus, & in tremendo illo silentio vehementer vociferans, alios quidem vocat, alios verò arceat sacerdos: non hoc manu faciens, sed lingua clarius & apertius quā manu. Nam vox illa in nostras aures incurrens, tanquam manus, alios quidem expellit & eiicit, alios autem introducit & sistit. Dic mihi rogo, in olympicis certaminibus non stat præco magna & alta voce clamans, & dicens: Nunquid aliquis cum accusat,

Communicadūne sit semel in anno, an sæpius.

Sancta sanctis, cur alta voce dicat Diaconus.

1. Cor. 2.

Nō excusantur qui dicunt se scripturæ aliquid nō legisse.

sitne seruus, aut fur, aut malis moribus? Atqui illa certamina non sunt animi, nec morum, nec mentis, sed corporis. Si ergo vbi est exercitatio corporum, instituti & voluntatis magna fit inquisitio, multò magis hīc vbi tota est animi decertatio. Stat ergo nūc quoque qui est apud nos præco, non vnum quēque capite tenens & adducens, sed omnes simul interno capite detinens, non alios ipsis adhibet accusatores, sed ipsos sibiipsis. Non enim dicit: Num quis cū accusat? Sed quid? Num quis seipsum accusat? Nam quando dicit: Sancta sanctis, hoc dicit: Si quis non est sanctus, non accedat, Nō solum, inquit, a peccatis purus, sed etiam sanctus. Sanctum enim non facit solū liberatio a peccatis, sed etiam præsentia Spiritus, & bonorum operum copiam. Nō solum, inquit, volo vos a cæno esse liberatos, sed albos esse & speciosos, Nam si rex Babylonis iuuenes eligens ex captiuitate, elegit pulchros specie & vultu decoros, multò magis eos qui astant mensæ regiæ, pulchros esse oportet specie animæ, mundum habentes aureum, mundum vestimentum, regales calceos, formosum animæ vultum, cingulum veritatis. Qui talis est, accedat, & pocula tangat regiæ. Si quis autem panis oblitus, sordidus, & squalidus ad mensam regiam velit ingredi, vide quanta patietur, cum non sufficiant quadraginta dies ad abluenda quæ omni tempore sunt admixta delicta. Nam si non sufficit gehenna, licet sit æterna, idcirco enim est æterna, multò magis hoc breue tempus. Non enim validā, sed imbecillam suscepimus pœnitentiam. Eunuchos maximè oportet Regi astare. Eunuchos dico, qui mente sunt candida, qui nullam habent sordem, nec maculam, qui mente sunt excelsa, animi oculo placido & mansueto, acrique ac perspicaci, agilique, severo ac volubili, non autem somnolento & supino, multa libertate pleno, remoto autem ab omni impudentia & confidentia, vigilantissimo, sano, nec admodum mœsto ac tristi, nec nimis diffuso & hilari. Hunc oculū possumus nobis architectari, visūque acrem efficere & pulchrū. Quando enim non ad fumū, neque ad cinerē deduxerimus, tales enim sunt omnes res humanæ, sed ad auram subtilem, & aërem tenuem, ad ea quæ sunt excelsa & sublimia, & multa quiete plena, & puritate, & delectatione, ipsum statim recreabimus & confirmabimus tanti spectaculi voluptate perfusum. Vidisti malè partas & multas diuitias, ne tuum oculum cōstollas: ea res est cœnum, est fumus, & malus vapor, tenebræ, & multa angustia, & curarum suffocatio. Vidisti hominem exerceantem iustitiam, suis contentum, & cui est magna latitudo remissionis, qui de iis quæ hīc sunt nullam gerit curam, nec de iis est sollicitus. Illic eum fige & extolle, & efficias eum multò pulchriorē & splendidiorem, non terræ floribus eum pascens, sed virtutis temperantia, moderatione, & æquitate, & cæteris omnibus. Nihil enim æquè turbat oculum, atque mala conscientia. Turbatus est, inquit, ab ira oculus meus: nihil æquè offundit tenebras. Eum libera ab hac offensione, & reddes lætum, alacrem, & fortem, & qui bona sepe semper nutrietur. Detur autem nobis omnibus, ut & cum, & alias eiusmodi animæ operationes comparemus, cuiusmodi vult Christus: ut nobis imposito capite digni effecti eo quo vult abeamus. Dicit enim, Volo ut vbi ego sum, illi quoque sint mecum, ut meam gloriam videant. Quam detur nobis omnibus frui, In Christo Iesu domino nostro, cum quo patri vnā cum sancto Spiritu, gloria, imperium, honor, nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

Sanctam quidnam faciat.

Gehenna cur sit æterna.

Eunuchi quales sint oportet qui regi astant.

Conscientia mala turbat oculum. Psal. 6.

Ioan. 17.

Ecc

CAP. X.



UPERIUS dicens, Hostias, & oblationes, & holocausta pro peccato noluisse, nec placita sunt tibi que secundum legem offeruntur, tunc dixi: Ecce venio ut faciam Deus voluntatem tuam, aufert primum, ut sequens statuat. In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. Et omnis quidem sacerdos prelo est quotidie ministrans, & eadem sepe offerens hostias, que non possunt auferre peccata. Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, de cetero expectans, donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius. In iis quae praecedunt ostendit inutilia esse sacrificia ad perfectam puritatem & munditiam, & esse typos ac figuras, & multum deficere. Quoniam ergo hoc ei occurrebat, si sunt typos ac figurae, quomodo non cessarunt cum advenit veritas, nec cesserunt, sed peraguntur? Hoc ergo, hoc nunc hic agit, ostendens quod non amplius peraguntur, nec ut figura quidem & typus: ea enim Deus non admittit. Idque rursus non ex nouo ostendit, sed ex Prophetis firmissimum ab alto petatum adducens testimonium, quod cessant & desinunt, & temere omnia agant, semper sancto Spiritui resistentes. Ostenditque ex abundanti ea non nunc cessasse, sed statim in ipso Christi aduentu, & quemadmodum ea non tandem soluit & aboluit Christus, sed prius fuerunt soluta & abolita, & tunc ipse aduenit. Nam ne dicant, Etiam absque hoc sacrificio potuimus placere Deo, expectauit ut etiam per illos ipsa redarguerentur, & tunc ipse aduenit. Sacrificium enim, inquit, & oblationem noluisse. Omnia per haec sustulit, ut qui in genere dixerit & in specie, Holocausta pro peccato non tibi placuerunt. Oblatio autem est quidquid est ex facultatibus. Tunc dixi, ecce venio. De quoniam hoc dictum est? De nullo alio quam de Christo. Hic nullam confert culpam in eos qui offerebant, ostendens quod non propter eorum improbitatem & vitium, ea non habet accepta, sicut dicit alibi, sed propterea quod de cetero sit probatum, & deprehensam eam rem nihil habere virium, neque tempus conueniens. Quid hoc autem ad hoc quod sepe offerentur sacrificia? Non ex eo solum quod sepe offerentur, dicit esse perspicuum quod essent imbecilla, & nihil prodesse, sed etiam ex eo quod Deus ea non admitteret tanquam inutilia, & quae nihil iuuarent. Et dicit alibi: Si voluisses sacrificium, dedissem. Per hoc ergo etiam significat se nolle. Non sunt ergo sacrificia voluntas Dei, sed sacrificiorum abolitio. Igitur praeter voluntatem sacrificant. Quid est, ut faciam voluntatem tuam? Ut me ipsum, inquit, tradam, haec est Dei voluntas. Et quid miraris si non sit nunc Dei voluntas, cum nec eius esset voluntas ab initio? Quis enim haec, inquit, requisit ex manibus vestris? Quomodo ergo iussit ipse? Se ad eorum captum demittens. Sicut enim dicit Paulus: Volo omnes homines sicut me ipsum esse in continentia. Et rursus dicit: Volo iuniores nubere, filios procreare. Duas ponit voluntates, sed non ambae sunt eius, etiam si iubeat: sed haec quidem est eius, & ideo eam ponit seorsum. Illa autem non est illius, etiam si velit, & ideo adiecta est cum causa. Nam cum prius eas accusasset, quod contra Christum essent luxuriatae, tunc dicit, Volo iuniores nubere, filios procreare. Ita hic quoque, non erat eius princeps voluntas quod fierent sacrificia, sicut etiam dicit se nolle mortem peccatoris, sed ut ipse conuertatur & viuat. Dicit autem alibi se non solum voluisse, sed etiam desiderasse. Atqui imperata voluntas est contraria. Quomodo ergo non vis? Quomodo alibi desideras, quod quidem signum est quod valde velis? Ita hic

Offerens pro peccatis cum oblatione.

Psal. 39. Oblatio est quidquid est ex facultatibus.

Psal. 50.

Sacrificia Deus nec ab initio quidem voluit.

1. Cor. 7. 1. Tim. 5. Duae voluntates.

Ezec. 18.

A quoque. In qua voluntate sanctificati sumus, inquit. Quomodo sanctificati? Quomodo? Per oblationem corporis Iesu Christi semel. Et omnis quidem sacerdos praesto est quotidie ministrans, & eadem sepe offerens hostias. Stare ergo signum est ministrandi. Sedere vero signum est quod ministretur. Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, de cetero expectans donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius. Vna enim oblatione consummauit in aeternum sanctificatos. Contestatur autem nos & spiritus sanctus. Dixit illas non offerri, & collegit ex non scriptis. Alioqui autem dictum quoque adduxit propheticum, dicens, Sacrificium & oblationem noluisse. Dixit quod peccata remiserit. Rursus hoc quoque probat ex scripto testimonio. Contestatur autem nos & Spiritus sanctus. Postquam enim dixit, Hoc autem testamentum quod testabor ad illos. Post dies illos, dicit dominus, dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas: & peccatorum & iniquitatum eorum iam non recordabor amplius. Vbi autem horum remissio, iam non est oblatio pro peccato. Remisit ergo peccata, quando dedit testamentum. Testamentum autem dedit per sacrificium. Si ergo remisit peccata per vnum sacrificium, non est amplius opus secundo. Sedit in dextera Dei de cetero expectans. Quanam de causa est dilatio? Ut ponantur inimici eius sub pedibus eius. Vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos. Sed dixerit fortasse quispiam: Cur non statim posuit? Propter fideles qui erant nascituri & generandi. Vnde nam autem constabit quod ponentur? Per hoc quod dixit eum sedisse. Rursus reuocauit in memoriam testimonium illud quod dicit, Donec ponat inimicos sub pedibus eius. Inimici autem eius sunt iudaei. Deinde quoniam dixit, Donec ponantur inimici sub pedibus eius, valde autem vrgebant, ea de causa ponit omnia quae sequuntur, quaecumque dicit de fide. Quinam autem sunt inimici? Infideles omnes, daemones. Magnam autem subiectionem tacite significans, non dixit, subiiciantur, sed ponantur sub pedibus eius. Ne simus ergo ex inimicis. Non soli enim inimici sunt illi infideles, sed etiam qui immunda vita sunt pleni. Prudentia enim carnis est Deo inimica. Legi enim Dei non est subiecta, neque potest. Quid ergo, inquit, non est hoc crimen? Et maxime quidem est crimen. Malus enim, quandiu est malus, non potest subiici: mutari autem potest, & bonus fieri.

Peccatorum remissio per vnum sacrificium in nouo testamento.

Inimici Christi qui sunt.

Rom. 8.

Carnalis quam sint.

Matt. 5.

Prou. 30.

MORALE.

ETIAMVS igitur cogitationes & sensus carnales. Quae sunt autem carnalia? Quaecumque faciunt quidem corpus florere & bene esse affectum, animam autem male afficiunt. Ut, exempli causa, diuitiae, deliciae, gloria. Haec omnia sunt carnis: amor corporum. Ne ergo amemus habere plus quam alij: sed paupertatem semper prosequamur. Ipsa enim est magnum bonum. At humilem, inquit, vilemque facit & abiectum. Hoc enim nobis est opus. Nam hoc nobis multum confert. Paupertas, inquit, hominem reddit humilem. Et rursus Christus: Beati pauperes spiritu. Propterea ergo doles quod viam habes quae ducit ad virtutem? Nescis quod ea nobis multam dat fiduciam? At sapientia, inquit, pauperis nihil penditur. Et rursus alius dicit: Paupertatem & diuitias ne dederis mihi, & a fornace paupertatis libera me. Quomodo autem rursus, si diuitiae & paupertas sunt a Domino, malum est paupertas aut diuitiae? Quanam ergo de causa haec dicta sunt? Haec dicebantur in veteri, vbi diuitiarum magna habebatur ratio:

Matt. 8. & 10.

1. Cor. 6.

Act. 3. Pauperes habebantur in admiratione etiam in veteri.

Gen. 28.

Matt. 6.

1. Reg. 18.

Diues facit capitur non pauper.

Matt. 19.

Ibidem.

Paupertas est deductio ad viam quae ducit in caelum.

ratio: vbi paupertatis magna erat despicientia: vbi haec A los. Paupertatem ergo conseruemur: ea enim est magnum bonum sobriis, & iis qui sapiunt. Fortasse aliqui ex iis qui audiunt auersantur, & male ominentur. Facile credo. Magnus est hic morbus apud plurimos homines, & tanta est tyrannus pecuniae, vt nec verbis tenus eius ferant reculationem, sed ei etiam male ominentur. Procul haec sint a Christi anima. Nihil enim est ditius eo qui paupertatem sua sponte eligit, & cum magna animi alacritate. Quomodo? Dico, & si vultis, cum qui sua sponte paupertatem eligit, ipso Rege ditiozem esse pronuntio. Nam ille quidem eget multis, & est sollicitus, & timet ne ei deficiat militaris comitatus: hic autem omnia habet affatim, & de nullo timet, nedum de tam multis. Quis ergo, dic quae, est diues, isne qui quotidie est sollicitus, & cogitat & studium ponit vt multa colligat, & timet ne aliquando deficiat: an is qui nihil colligit, & cui abunde omnia suppeditant, & nullo indiget? virtus enim & Dei metus dat fiduciam, non pecunia. Illae enim etiam in seruitutem redigunt. Xenia enim, inquit, & dona excacant oculos sapientum, & quasi stratum in ore, auertunt correptiones. Considera quomodo pauper ille Petrus Ananiam illum diuitem puniit. Non hic quidem erat diues: ille vero pauper? Sed vide illum quidem loquentem cum auctoritate, & dicentem: An agrum tanti vendidisti? Hunc vero dicentem cum submissione, Certum tanti. Et quis, inquit, mihi dedit vt sim sicut Petrus? Licet tibi esse sicut Petrus, si velis quae habes abdicere. Disperge, da pauperibus, Christum sequere, & eris talis. Quomodo? Ille, inquit, fecit signa. Hocne est, dic quae, quod Petrus fecit admirabilem, an fiducia quam est consecutus ex vitae institutione? Non audis Christum dicentem, Nolite gaudere quod daemonia vobis obediunt? Si vis esse perfectus, audi quid dicat Petrus: Aurum & argentum non est mihi. Quod autem habeo, hoc tibi do. Si quis habet aurum & argentum, illa non habet. Quid vero, inquit, quod multi nec illa habent, nec ista? Quicumque lubentes & sua sponte sunt pauperes, habent omnia bona. Nam et si nec mortuos, nec claudos excitant & erigunt, sed tamen quod est est maius his omnibus, habent apud Deum fiduciam. Audient illo die beatam illam vocem, Venite benedicti patris mei. Quid est isto melius? Possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis quod comederem: sitiui, & dedistis mihi quod biberem. Hospes eram, & me collegistis: nudus eram, & me induistis: infirmus eram & in carcere, & me visitastis. Possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Fugiamus ergo auaritiam & plura habendi cupiditatem, vt assequamur regnum caelorum. Nutriamus pauperes, vt Christum nutriamus, vt eius simus coheredes, in Christo Iesu Domino nostro, cum quo patri vna cum sancto Spiritu gloria, imperium, honor, nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen.

Pecuniae tyrannus.

Ecc. 10.

Act. 5.

Luc. 16.

Matt. 13.

ORATIO IX.



ABENTES itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam inuauit nobis viam nouam & viuientem, per velamen, id est, carnem suam, & sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, & abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem. Cum ostendisset interesse inter Potificem & sacrificia, & tabernaculum, & testamentum, & promissionem & multum interesse, siquidem illa quidem sunt temporalia, haec vero non temporalia: illa quidem prope apparatus, Ecce ij

hæc verò manentia: illa quidem imbecilla, hæc verò perfecta: illa quidem typos ac figuras, hæc verò veritatem. Non enim secundum legem mandati, inquit, carnalis, sed secundum virtutem vitæ insolubilis. Et tu es sacerdos in æternum. Ecce sacerdotis perpetuitatem. Et de testamento, illud, inquit, est vetus. Quod enim antiquatur & senescit, propè interitum est. Hoc autem novum & habens remissionem peccatorum. Illud autem nihil tale. Nihil enim lex adduxit ad perfectum, inquit. Et rursus: Sacrificium & oblationem noluit. Illud quidem manufactum, hoc autem non manufactum. Illud quidem habens sanguinem hircorum, hoc verò Domini. Illud quidem stantè sacerdotem, hoc verò sedentè. Quoniam ergo omnia illa minora, hæc autem maiora, propterea dicit, Habentes itaque fratres fiduciam. Fiduciam vndenam? Sicut peccata, inquit, efficiunt & afferunt pudorem, ita fiduciam affert & facit, quòd omnia sint nobis remissa: & quòd facti simus cohæredes, & tantam simus assecuti charitatem. In introitu sanctorum. Quid hîc dicit introitum? Cælum, & progressum ad spiritualia. Quam in initiauit, hoc est, quam construxit, & à qua inceptit. Initiatio enim seu dedicatio est de cætero initium vsus. Quam construxit, inquit, & per quam ipse est ingressus. Viam novam & viuentem. Hîc ostendit spei plenitudinem. Recentem, inquit. Contendit ostendere nos omnia habuisse maiora, siquidem nunc aperta sunt portæ cælorû, quod nec Abrahami quidem tẽpore contingit. Nã prima via erat mortis, ducens ad inferos, hæc autem vitæ. Et non dixit vitæ, sed eam appellavit viuentem. Hoc est, præcepta. Per velamen, inquit, per carnem suã. Ipsa enim caro ei prima illam viã secuit. Ipsam ei ininitiauit seu dedicavit qua est ingressus. Velamen autem meritò vocavit. Quãdo enim sublatus fuit in altum, tunc apparuerunt ea quæ sunt in cælis. Accedamus, inquit, cum vero corde. Quinam accedamus? Si quis sanctus, fide & spiritali adoratione. Cum verò corde, in plenitudine fidei. Quoniam nihil est aspectabile, neque sacerdos, neque sacrificium, neque altare. Quamquam nec ille quidem sacerdos erat aspectabilis, sed ipse stabat intus, illi autem extra omnes, nempe totus populus. Hîc autem non solum hoc factum est, quoniam sacerdos intrauit in sancta, sed quoniam nos quoque intramus. Propterea, inquit, in plenitudine fidei. Fieri enim potest vt etiam credat dubitans: vt multi sunt qui etiam nunc dicunt, nonnullorum resurrectionem, nonnullorum autem non esse. Hoc non est fides. In plenitudine, inquit, fidei. Equè oportet credere, atque de his quæ videntur, & multò amplius. Nam hîc quidem errari potest in ijs quæ videntur: illic autem nequaquam. Hîc quidem sensui permittimus: illic verò spiritui. Aspersi corda à conscientia mala: Ostendit, quòd non solum fides, sed vita quoq; queritur, quæ ex virtute agatur, & sibi nullius rei malæ esse concium. Non enim cum plenitudine suscipiunt sancta eos qui non sunt sic affecti. Sunt enim sancta & sancta sanctorum. Hîc autem homo nullus intrat profanus. Illi in corpore aspergebantur, nos in ipsa conscientia. Quam obrem nunc quoque licet ipsa aspergi virtute. Et abluti corpus aqua munda. Lauacrum, inquit, nõ est hîc mundans corpora, sed animam. Fidelis enim est qui promissit. Quidnam verò promissit? Quòd hinc oportet decedere, & regnum intrare. Nihil ergo curiosè scrutare, neque rationes exige. Res nostræ egent fide. Et consideremus, inquit, inuicem in prouocationem charitatis & bonorum operum, non deferentes collectionem nostram, sed consolantes, & tantò magis, quanto videritis appropinquantes diem. Et rursus alibi dicit: Dominus propè est. Nihil solliciti sitis. Nunc enim propinquior est nostra salus.

Quid est, Non deferentes congregationem nostram? Nouit ex conuentu & ex congregatione multam esse vim. Vbi enim sunt, inquit, duo aut tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum. Et rursus: & omnium erat anima vna, & cor vnum. Non hoc autem solum, sed etiam quod augetur charitas per congregationem. Si augeatur autem charitas, necesse est vt etiam augeantur quæ sunt Dei. Et oratio, inquit, fiebat sine intermissione à populo. Et rursus: Vt sint vnũ sicut nos. Sicut consuetudinis est quibusdam. Hîc nõ solum est hortatus, sed etiam reprehendit. Et consideremus inuicè in prouocationem charitatis & bonorũ operũ. Nouit hoc quoque fieri ab eorũ congregatione. Quomodo enim ferrum ferrum acuit, ita etiam conuentus auget charitatem. Nam si lapis lapidi attritus ignem emittit: quantò magis anima animæ admixta? Sed non dicit ad æmulationem, sed ad prouocationem charitatis, vt magis diligant & diligantur: & bonorum operum, vt capiant æmulationem. Facere enim maiorem vim habet ad docendum, quàm dicere: Multos vos quoque habetis doctores, hoc in multitudine facientes per opera. Quid est, Accedamus cũ vero corde? Hoc est, absque hypocrisis & simulatione. Væ enim, inquit, cordi timido, & manibus dissolutis ac remissis. Nullum, inquit, sit in nobis mendacium. Ne alia quidem dicamus, alia verò sentiamus. Hoc est enim mendacium. Neque simus pusilli animi: hoc enim non est veri cordis. Ex eo enim quòd non credamus, efficitur vt simus pusilli animi. Quomodo autem hoc erit? Si nobis certò persuadearmus per fidem. Aspersi corda. Cur non dixit, Mandati? Volens ostendere differentiam eorum quæ aspergunt, alterum quidem dicit esse Dei, alterum verò nostrum. Abluere enim conscientiam & aspergere est Dei. In veritate autem accedere, & cum certa ac plena per fidem persuasionem est nostrum. Deinde etiam fidei dat virtutem ex veritate & eo qui promissit. Quid est. Et abluti corpus aqua munda? Quæ mundos efficit, aut quæ non habet sanguinem. Deinde addit id quod est perfectum, nempe charitatem. Non deferentes collectionem nostram, sicut cõsuetudinis est quibusdam. Quod quidã faciunt, & sciunt concilia ac conuentus. Frater enim à fratre adiutus, est sicut vrbs munita. Sed cõsideremus inuicem in prouocationem charitatis: vt pote si quis sit virtute præditus, eum imitemur, eum aspiciamus, vt diligamus & diligamur. Nã à charitate fiunt bona opera. Magnum bonum est conuentus ac congregatio. Ipsa enim eam charitatem reddit ardentior, & ex ipsa omnia nascuntur bona. Nullum est enim bonum, quod non sit charitatis.

MORALE.

EAM igitur inter nos confirmemus. Plenitudo enim legis est dilectio. Non est nobis opus laboribus, neque sudoribus, si nos alter alterum diligamus. Via est quæ sua sponte ducit ad virtutem. Quomodo enim in via publica, si quis inuenit initiũ, ab ipso ducitur, nec duce opus est: ita etiam in charitate, solum apprehende initium, confestim ab ipso duceris & dirigeris. Charitas proximo malum non operatur: malum non cogitat. Cogitabit quispiam ipse apud se, quemadmodum in se sit affectus. Sibi non inuidet. Omnia bona sibi precat: se præponit omnibus: pro se vult omnia facere. Si ergo in alios quoq; sic afficiamur, omnia soluta sunt vincula: non sint inimicitia. Nõ est auaritia & plura habendi cupiditas. Quis enim vt plus habeat se voluerit fraudare? Nemo. Sed contra communia omnia possidebimus. Nec cessabimus nos ipsos congregare. Et si hoc

ORATIO XX.



VOLUNTARIE enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quaedam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. Quæcunq; arbores

plantatæ, & alia quoque adhibita diligentia agricolarũ manibus & laboribus excultæ fructus ferendi nullum præbuerint ingressum, iaciuntur in ignem. Tale quid fit etiam in illuminatione, nempe baptismate. Nam postquam Christus plãtarit, & spiritualemente perceperimus irrigationem, deinde nullum fructum ostenderit, nos expectat ignis gehennæ, & flamma quæ non potest extinguì. Paulus ergo cum adhortatus esset ad charitatẽ, & ad ferendos fructus bonorum operum, incitatos à melioribus & benignioribus, quænam ea sunt? Quòd introitum habemus, in sancta, quam ininitiauit nobis viã recentem, hoc ipsum rursus facit etiam à tristioribus & molestioribus. Nam cum dixisset: Non deferentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolantes, & tantò magis, quanto videritis appropinquantem diem, eum quoque ponit sufficientem ad consolationem: Opus est, inquit, bonis operibus. Opus est, & valde opus est. Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia. Fuit initiatus ac renouatus, liberatus es à criminibus, factus es filius. Si ergo reuertaris ad priorem vomitum, rursus manet abdicatio & ignis, & quæcunque sunt huiusmodi. Non enim secunda hostia. Hîc rursus nos adoriuntur qui tollunt penitentiam, & quicunque cunctantur venire ad baptismum. Hi quidem dicunt non esse eis tutum venire ad baptismum, siquidem non est secunda remissio. Illi verò dicunt non esse tutum eos qui peccarunt impertiri mysterijs, siquidem non est secunda remissio. Quid ergo dicemus vtriusque? Quòd hic non tollit penitentiam, nec eam quæ per penitentiam fit placationem: neque expellit & deicit per desperationem eum qui est lapsus. Non est vsque aded inimicus nostræ salutis, sed secundum aufert lauacrum. Non enim dixit: Non est amplius penitentia, neque est amplius remissio: sed non est amplius hostia, hoc est, non est amplius crux secunda: hoc enim vocat hostiam. Vna enim, inquit, hostia consummavit in perpetuum eos qui sanctificantur, nõ sicut Iudaica. Propterea enim tam multa susque deque differuit de hostia, quòd sit vna & vna: aut hoc volens ostendere, quòd in hoc differt à Iudaicis: quinetiam vt reddat securos, vt congruenter legi Iudeorum non amplius aliam expectent hostiam. Voluntariè enim peccantibus nobis, inquit. Vides quàm sit propensus ad ignoscendum? Voluntariè, inquit, peccantibus nobis. Ignoscitur itaque inuoluntariis. Post acceptam notitiam veritatis, aut Christi dicit, aut omnium dogmatum. Iam non relinquitur pro peccatis hostia. Sed quid? Terribilis autem quaedam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. Non dicit infideles, sed eos etiam qui faciunt contraria virtuti, aut quòd idem ignis apprehendet etiam domesticos, qui aduersarios. Deinde significans quàm sit edax, cum veluti animauit, dicens: Ignis æmulatio quæ est excusa aduersarios. Quomodo enim fera irritata & efferata, non cessauerit donec aliquem comprehenderit & exederit: ita etiam ille ignis, tanquam quispiam punctus æmulatione, quem apprehenderit, non dimittit, sed rodit & dilacerat. Deinde etiam subiungit rationem minarum, quòd id meritò & iure fiat. Quod quidem confert ad fidem, quando ostenderit quòd iure fiat. Irritam quis facies legem Moysis sine vlla mi-

Baptizatus, si non facit bona opera, in ignem mittitur.

Penitentia non tollitur, etiam non iteretur baptismus.

Peccatis inuoluntariis ignoscitur.

hoc faciamus, locum non habebit iniuriæ acceptæ recordatio. Quis enim in animam induxerit seipsum odisse, & à se sibi illatæ iniuriæ meminisse? Quis voluerit sibi ipsi irasci? Nunquid omnium maximè nobis ipsis ignoscimus? Si sic etiam affecti fuerimus in proximos, nunquam erit iniuriæ acceptæ recordatio. Et quomodo, inquit, fieri potest vt quispiã proximum æquè diligat atque seipsum? Sic hoc alij non fecerunt, rectè existimas hoc fieri non posse. Sin autem fecerunt, est perspicuũ quòd hoc à nobis non fiat propter nostrã ignauiam & locordiam. Alioqui autem nihil præcipit Christus quod non possit fieri, cum etiam multi eius præcepta superarint. Quis autem hoc fecit? Paulus, Petrus, totus sanctorum chorus. Sed si dixerò quidem quòd dilexerunt proximos, nihil dicam magnum. Inimicos ita dilexerunt, vt eos qui sunt vnanimis nemo magis dilexerit. Quis enim elegerit ire in gehennã pro iis qui sunt vnanimis? Nullus. Sed Paulus hoc elegit pro inimicis, pro iis qui eum lapidibus appetierunt, pro iis qui flagris cum cæciderunt. Quænam ergo nobis dabitur venia, quænam excusatio, si ne minimam quidem partem dilectionis, quam in inimicos suos ostendit Paulus, nos in nostros amicos ostendamus? Beatus quoque Moyses ante eum, pro inimicis qui ipsum lapidibus appetierant voluit deleri de libro vitæ. David quoque videns eos qui ipsi resisterant interiim, dicit: Ego pastor peccauit: isti autem quid fecerunt? Saulem quoque cum haberet in manibus, noluit de medio tollere, sed seruauit, idque cum ipse venturus esset in periculum. Si autem hæc facta sunt in veteri, quàmnam assequemur nos veniam, qui in nouo vitam agimus, & nec ad eam quidem quã illi perueniamus mensuram? Nam si iustitia nostra non abundauerit plus quàm iustitia Pharisæorum & Scribarum, non intrabimus in regnum cælorum. Cum autem etiam minùs habeamus quàm illi, quomodo intrabimus? Diligite, inquit, inimicos vestros. Dilige ergo inimicum. Nõ enim illum beneficio afficis, sed te ipsum. Quomodo? Par Deo efficeris. Ille si à te fuerit dilectus, non multum lucrifecit. Fuit enim dilectus à consuetu. Tu autem si cõseruam dilexeris, magnum fecisti lucrũ: efficeris Deo similis. Vides quòd illi gratificaris, non tibi. Nam præmium tibi non illi proponit. Quid verò, inquit, si sit malus? Tantò maior est tua merces, & de improbitate illi debes habere gratiam, etiam si innumerabilibus sit affectus beneficiis. Nam nisi valde fuisset malus, non tibi valde creuisset merces. Causa itaque non diligendi, nempe dicere quòd sit malus, eadem est causa diligendi. Tolle aduersarium, nempe antagonistam, & coronarum tollis occasionem. Non vides quomodo Athletæ decertant calathidis arena impletis? Tibi autem non opus est in hoc studium ponere. Vita est plena iis quæ te exercent, fortèmq; reddunt ac robustum. Nõ vides quòd etiam arbores quò magis ventilantur & agitantur à ventis, eò fiunt fortiores & densiores? Et nos quoque si simus lenes & patientes, eximus etiam fortes & validi. Nam vir, inquit, patiens & longanimis multus est in prudẽtia. Qui est autem pusilli animi est valde insipiens. Vides huius quanta sit laus, illius quanta accusatio. Valde insipiens, hoc est, admodum. Non simus ergo pusilli inter nos animi. Non sit enim hoc ex inimicitijs, sed ex eo quod pusillo simus animo. Quod si fuerit fortis, omnia facillè feret, neque quidquam poterit eum demergere, sed ad tràquillos deducet portus. Quos cõtingat nobis omnibus consequi gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, cum quo patri vnã cũ sancto Spiritu gloria, imperium, honor, nunc, & in secula seculorum. Amen.

Diligere alterũ vt seipsum est possibile.

Moyse, Paulus, & David dilexerunt inimicos.

Exod. 32. 1. Reg. 24. 1. Reg. 24

Matt. 5.

Beneficio seipsum afficit qui inimicum diligit.

Fortis est & magni animi qui inimicum diligit.

Matt. 18. Act. 4.

Act. 12. Ioan. 17.

Facit magis docet quã verba.

Mendacium est aliud dicere, aliud facere.

Dei est abluere conscientiam.

Prou. 18.

Charitatis sunt omnia bona opera.

Rom. 15.

Ibidem.

Sup. 7. Plat. 39.

Sup. 8.

Initiatio seu dedicatio est initium vsus.

Dubitans nõ potest credere.

Sancta sanctorũ nullus intrat profanus.

Phil. 4. Rom. 13. 1. Cor. 7.

seratione, duobus vel tribus testibus moritur. Sine vlla misericordiam, inquit. Quare nulla venia, nulla est illic misericordia? Atqui lex est Moysis. Ipse enim multa constituit. Quid est, duobus vel tribus? Si duo, inquit, vel tres testimonium tulerint, statim dant poenas. Si ergo in veteri vbi lex Moysis fit irrita, tantum est supplicium: *Quando magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, & spiritui gratiae contumeliam fecerit?* Et quomodo conculcat quispiam filium Dei? Quando qui est eius particeps in mysteriis, peccatum, inquit, fecerit, non eum conculcauit? non eum despexit? Quomodo enim nullam habemus rationem eorum quae conculcantur: ita etiam qui peccant, nullam Christi habent rationem, & sic peccant. Factus es corpus Christi, & das te diabolo conculcadum. Et sanguinem, inquit, pollutum duxerit. Quid est communem? Hoc est immundum, aut nihil amplius habere quam caetera. Et spiritui gratiae contumeliam fecerit. Nam qui beneficium non accipit, eum qui benefecit afficit contumelia. Fecit te filium: tu autem vis fieri seruus. Venit, apud te habitauit: tu autem ad te introduxisti malas cogitationes. Christus voluit apud te stare & collocari: tu autem ipsum conculcas per crapulam, per ebrietatem. Audiamus qui indignè sumus participes mysteriorum. Audiamus qui indignè ad mensam illam accedimus. Nolite, inquit, dare sancta canibus, ne quando ea conculcent suis pedibus. Hoc est, ne aliquando despiciant nec respuant. Sed haec non dixit, sed quod est terribilius. Nam ex eo quod est terribile, constringit animas. Hoc enim sufficit ad conuertendum non minus quam consolatio, & simul ostendit differentiam & supplicium, & eis dimittit iudicium, utpote quod res sit manifesta. Quomodo magis putatis deteriora mereri supplicia? Hic mihi videtur etiam tacite significare de mysteriis. Deinde subiungit etiam testimonium, dicens. *Horrendum est incidere in manus Dei uiuentis. Scriptum est enim: Mihi vindictam, & ego retribuam. Et iterum, Iudicabit dominus populum suum.* Incidemus, inquit, in manus domini, & non in manus hominum. Sed si non agatis poenitentiam, in Dei manus incidetis. Illud est terribile: hoc nihil, in manus hominum incidere. Quando viderimus, inquit, aliquem hic puniri, ne timeamus, neque propter futura horreamus. Nam secundum misericordiam eius ita & ira eius. Et super peccatores requiescet furor eius. Simul etiam aliud hic tacite innuit. Mihi, inquit, vindictam, ego autem retribuam. Hoc dictum est de inimicis qui male faciunt, non de iis qui male patiuntur. Hic etiam eos consolatur dicens promodum: Perpetuo manet Christus & uiuit. Quamobrem etiam si non nunc receperint, postea recipient. Illos, non nos oportet ingemiscere. Nam nos quidem incidemus in manus illorum: illi autem in manus Dei. Neque enim qui passus est male patitur, sed qui facit. Neque qui beneficio est affectus beneficio afficitur, sed qui beneficio afficit. Haec ergo cum sciamus, tolerantissimus ad male patiendum, prompti ad benefaciendum. Haec autem erunt si pecunias despiciamus & gloriam. Qui has animi affectiones exuerit, erit omnibus hominibus liberalior, & coipso qui purpuram indutus est ditior. Non vides quot mala fiant propter pecunias? Non dico quae fiunt propter auaritiam & plura habendi cupiditatem, sed quae in ipsa quae ex iis existit affectione: ut exempli causa, si quispiam amiserit pecunias, uiuit vitam quauis morte grauiorem. Quid doles, o homo, quid lacrymaris? Quod te Deus a superuacanea liberarit custodia? Quod non fideas tremens & timens? Deinde si quis te alligari thesauro, iubens illic sedere perpetuo, & vigilare pro alienis, do-

les, & aegre fers. Tu autem cum teipsum alligaris grauissimis vinculis, quoniam a seruitute liberatus es, doles? Reuera anticipatae opinionis sunt dolores & gaudia. Eas enim sic custodimus, tanquam habentes aliena. Nunc verba a me habentur ad mulieres. Saepe habet mulier aliqua vestem ex auro contextam, & eam concutit, lino inuoluit, diligenter custodit, de ea timet & ea fruitur. Aut enim moritur, aut fit vidua, aut etiam si nihil horum accidat, ne frequenti vsu eam consumat verita, seipsam priuabit. Alioqui seipsam priuat parsimonia. At ea alteri concedit. Sed neque est hoc euidens. Si autem concesserit, ea quoque illa rursus similiter vertur. Et si quisquam scrutetur ea quae sunt in aedibus, inueniet vestes maximè pretiosas, & alia excellentia, maiori honore coli tanquam dominos animatos. Neque enim eis assidue vtitur, sed timet & tremir, tineas & alia quae solent exedere abigens, & plura ponens in vnguentis & aromatibus, neque permittens omnibus vt ea illorum oculis pateant, sed ipsa saepe cum marito ea diligenter componens & concinnans.

MORALE.

NON iure, dic mihi, idololatriam vocauit Paulus auaritiam? Quem enim illi honorem exhibent idolis, cum isti quoque vestibus, & iis quae sunt ex auro. Quouisque coenum mouemus? Quousque luto & lateribus affixi sumus? Quomodo enim illi laborabant Aegyptiorum Regi, ita etiam nos laboramus diabolo, & flagris caedimur multo grauioribus. Quomodo enim anima est corpore praestantior, tanto grauioribus curarum vibicibus flagellamur quotidie. Timemus solliciti & trementes. Sed si velimus ingemiscere, si velimus ad Deum suspicere, mittit ad nos non Moysen, neque Aaron, sed verbum suum & compunctionem. Ipse cum venerit & animos nostros occupauerit, liberabit nos ab acerba seruitute, educet nos ex Aegypto, a studio inutili & frustra laborante, & a seruitute quae nihil habet lucri. Atque illi quid est egressi aureis acceptis, mercede aedificationis. Nos autem nihilo. Atque vti nam nihil. Etenim nos accipimus non vasa aurea, sed Aegypti mala peccata, poenaeque & supplicia. Discamus igitur utilitatem accipere. Discamus iniuria affici: hoc est Christiani. Despiciamus vestes aureas. Despiciamus pecunias, & non nostram despiciamus salutem. Despiciamus pecunias, & non despiciamus animam. Ea est enim quae punitur: ea est quae cruciatur. Illa enim hic manent, ea vero illuc abit. Dic mihi cur te laceras, & non sentis? Haec dico auaris, qui plura habendi laborant auaritate. Bonum est etiam iis dicere qui ab auaris fraudantur & circumueniuntur. Ferte fortiter vobis ab auaris allata detrimenta. Illi seipsos, non vos perimunt. Vos quidem priuant pecuniis, se autem Dei beneuolentia & auxilio. Qui est autem illa nudatus, etiam si totius orbis sit diuitias complexus, est omnium pauperissimus. Sin eam habeat, est omnium ditissimus. Dominus, enim inquit, pascit me, & nihil mihi deerit. Dic mihi, si virum habeas aliquem magnum & admirabilem, qui te valde amat, & tui curam gerit: deinde scias eum perpetuo victurum, nec te ante eum morituram, & eum omnia tibi praebiturum, vt eis securè tanquam tuis fruaris, velle sine aliquid possidere? Nam si omnibus nudata esses, non existimares te omnium esse ditissimam? Cur ergo luges? Quod non habes pecunias? Sed cogita quod tibi sit ablata peccatorum occasio. At quod sis priuata facultatibus: sed acquisuisti Dei beneuolentiam. Et quomodo, inquit, acquisuisti? Dixit, Cur non iniuriam patimini? Dixit esse beatos qui pro omnibus agunt gratias. Cogita igitur quanta fruèris beneuolentia, si eam per-

Mulierum timor inanis de vestibus suis pretiosis.

Auaritia cur Paulus vocat idololatriam.

Pauperum qui ab auaris fraudantur & circumueniuntur.

Psal. 92.

Pecunia est occasio peccati. 1. Cor. 6.

facta ostēderis. Nam vnum solū quaeritur ab omnibus, vt in omnibus Deo agamus gratias, & omnia habebimus affatim, vt exempli causa. Perdidisti decies mille libras auri? Cōfestim Deo age gratias, & acquisuisti cēties mille libras per vocē illam & gratiarum actionem. Nā dic mihi, quando Iob beatum pronuntias, quando habuit tot camelos, tot greges, & tot armēta, an quādo illam emisit vocem, Dominus dedit, dominus abstulit? Etenim diabolus propterea nos damno afficit, non vt auferat pecunias, scit enim eas nihil esse, sed vt per ea nos cogat dicere aliquid blasphemū. Ita etiam de beato Iob, non ad hoc solū studium ponebat vt eum faceret pauperem, sed etiam vt enuntiaret blasphemiam. Quando certē eum nudauit omnibus, vide quid ei dicat per vxorem. Dic aliquid aduersus Deum & morere. Atqui, o execrande, eum spoliasti omnibus. Sed non ad hoc, inquit, ponebam studium. Nam propter quod omnia feci, nondum confeci, vt eum Dei nudarem auxilio. Propterea eum etiam nudauit pecuniis. Hoc est quod volo: illud autem nihil est. Si hoc non adsit, non solū nulla affectus est iniuria, sed etiam ei profuit. Vides quod sciat malus ille dæmon quantum sit eius rei damnum. Vides eum per vxorem struere insidias. Audite quotquot habetis vxores pecuniae amantes, & vos cogentes in Deum blasphemare. Recordemini Iobi. Sed videamus eius multam, si videtur, mansuetudinem, qua eius os obstruxit. Cur, inquit, velut vna ex insipientibus mulieribus ita es locuta? Reuera corrumpunt bonos mores colloquia praua. Semper quidem certē, maximè autem in calamitatibus, tunc qui mala suadent vim habent. Nam etsi animus ex se fatis sit promptus ad indignationem & fastidium, quanto magis quando est etiam qui consulit, an non deturbatur ad barathrum? Magnum bonum est mulier, sicut est etiam magnum malum. Nam quoniam magna res est mulier, vide vnde nam vult fortem murum perfodere. Non eum expugnauit pecuniae iablatio. Nihil magnum effecit damnum. Propterea dicit, Si non in faciem benedicet tibi. Vides quo & spirabat? Si ergo grato animo feramus, ea etiam recipiemus: & si non receperimus, maior erit merces. Quando enim fortiter & strenuè decertauit, tunc etiam haec ei dedit. Est enim huiusmodi. Quando Deus viderit nos non esse affixos iis quae ad hanc vitam pertinent, tunc nobis ea dat. Quando viderit nos praeterire spiritualia, tunc etiam praebet carnalia: non autem prius, ne abrumpamur a spiritualibus. Nobis autem parcens non dat carnalia, vt vel inuitos ab iis abducatur. Non, inquit, sed si accepero, repleor, & magis ago gratias. Falsum est, o homo, tunc enim es magis socors & ignauus. Quid autem, inquit, quod dat multis? Vnde constat quod ipse ipse dat? Sed quis, inquit, dat alius? Eorum auaritia & rapina. Quomodo ergo concedit haec fieri? Sicut caedem, furta, & vim quae infertur. Quid verò, inquit, de iis dicis qui a patribus accipiunt haereditatem, ipsi referti bonis innumerabilibus? Quid tū? Quomodo, inquit, finit Deus ea accipere? Sicut & fures, inquit, & eos qui caedes faciunt, & caeteros maleficos. Non est enim nunc tempus iudicij, sed optimaē vitae institutionis. Quod autem iam dixi, hoc quoque nunc dico: Ij maiores dabunt poenas, quando etiam bonis omnibus perceptis, ne sic quidem euadant meliores. Non enim omnes similiter punientur: sed ij qui etiam post accepta beneficia mali manent, magis cruciabuntur. Qui autem in paupertate, non ita. Quod autem ita sit, audi quid dicat Dauidi. Nonne dedi tibi omnia domini tui? Quando ergo videris iuuenem absque laboribus paternam ac-

Iob quādo fuerit beatus a Deo pronuntiat.

Iob. 2. 1. Cor. 15.

Mulier magnum bonū, & magnum malum. Iob. 1.

Deus nō semper dat diuitias, licet concedat esse diuites.

1. Reg. 9.

Chrysof. tom. 4.

cepisse haereditatem, & mansisse malum, certō scias quod ei augetur poena, & intenditur cruciatus: quando autem in paupertate, non ita. Ne hos ergo amulemur, sed si quispiam successerit virtuti, si quis acquiserit diuitias spirituales. Vae enim inquit, iis qui confidunt in suis diuitiis. Beati qui timent dominū. Ex quibus, dic mihi, vis esse? Ex iis certē qui beati dicuntur. Hos ergo amulare, non illos, vt etiam consequaris bona quae sunt eis reposita. Quae etiam detur nobis omnibus consequi gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo patri vna cum sancto Spiritu, gloria, imperium, honor, nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

Psal. 48. Ibid. 17.

ORATIO XXI.



MEMORAMINI autem pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinistis passionum, & in altero quidem opprobriis & tribulationibus spectaculum facti, in altero autem socij taliter conuersantium effecti. Nam & vinctis compassi estis: & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam. Praestantissimi medici cum profundam fecerint incisionem, & per plagam doctorem intenderint, id quod laborat consolantes, turbatamque fouentes & recreantes animam non amplius aliam exhibent incisionem, sed & datam mitibus leniunt medicamentis, & quae doloris multum possint adimere. Hoc nunc quoque fecit Paulus, cum eorum concussisset animos, & facta mentione gehennae eos compunxisset, & eis fidem fecisset, quod eum omnino perire oportet, qui Dei gratiam affectit contumelia, & ex Moysis legibus hoc ostendisset quod sint peritura, & magis etiam aliis obsignasset testimoniis, & dixisset horrendum esse incidere in manus Dei uiuentis: ne multo metu in desperationem adducta anima, dolore absorberetur, eos consolatur per laudes & adhortationē, & eis domesticam offert amulationē. Rememoramini enim, inquit, pristinos dies, in quibus illuminati multū certamen sustinistis passionum. Magna est quae per facta sit consolatio. Eum enim qui rem inchoat, oportet progredientem facere incrementum. Quasi diceret, Quando initiabimini, quando cratis loco discipulorum, ostendistis tantam animi alacritatem, tantam generositatem: nunc autem non amplius. Et qui sic hortatur, maximè hortatur a domesticis. Neque dixit solū certamen, sed addidit magnum. Nec dixit tentationes, sed certamen, quod est nomen encomij, & laudum maximarum. Deinde etiam recenset sigillatim, amplificans orationem, & multas laudes efficiens. Quomodo? Et in altero quidem opprobriis & tribulationibus spectaculum facti. Magna enim res est opprobrium, & sufficiens ad peruertendum animum, & ad rationi offendendas tenebras. Audi enim quid dicat Propheta. Dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus? Et rursus, Si inimicus mihi exprobrasset, sustinuissem utique. Quoniam enim inanis gloriae amore laborat genus humanum, propterea etiam ab hoc capitur, Nec solū dixit opprobriis, sed id quoque cum magna intentione, Spectaculum facti. Nam quando aliquis quidem per se probris appetitur, est quidem molestum, sed multo magis quando coram omnibus. Nam dic quae so, quantum erat malum cum ab humilitate Iudaica desciuissent, & tanquam ad vitam optimam transissent, & res paternas despexissent, a suis male pati domesticis, & nullam habere defensionem? Non possum, inquit, dicere quod haec quidem passi estis, sed doluistis, imò verò etiam valde letati estis. Et hoc significauit, dicens, Socij facti eorum qui sic patiuntur: & ipsos Apostolus. Eec iij

Increpatio alpera lenienda est consolatione.

Certamen, nomē encomij & laudum.

Psal. 47. Ibid. 14.

Probris appeti coram omnibus est molestum.

Matt. 7.

Deut. 32. & Rom. 12. Psal. 137.

In manus Dei incidunt qui male faciunt, nō qui male patiuntur.

los adducit in medium. Non solum, inquit, vos puduit propter familiares & domesticos, sed aliorum etiam, qui hac passi sunt, fuistis socij. Hoc est etiam consolantis & adhortantis. Non dixit, Fertis meas afflictiones, mihi estis socij, sed vestras estis reueriti, & mea vincula estis commiserati. Vides quod de se dicat & alijs vincetis. Vtique adeo non existimastis vincula esse vincula, sed tanquam fortes & strenui Athletæ stetitistis: quoniam non solum in vestris opus non habebatis consolatione, sed etiam alios estis consolati. Et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. Papæ quædam certa & plena fidei persuasio. Deinde affert etiam causam, non solum eos adhortans ad certamina, sed etiam ut à fide non labent. Videntes, inquit, vestras diuitias diripi, tolerastis: eas enim quæ nondum apparebant vidistis tanquam quæ apparerent, quod syncera erat fidei: & factis ipsis eam ostendistis. At rapere quidem erat fortasse violentiæ eorum qui rapiebant, nec potuisset quispiam prohibere. Quamobrem nondum est hoc perspicuum, quod propter fidem passi estis rapinam. Atqui hoc quoque est perspicuum. Licebat enim si voluissetis non pati rapinam, si non credidissetis. Sed quod est hoc longè maius, fecistis, nempe ut ea etiam ferretis cum gaudio. quod quidem erat totum Apostolicum, & dignum magnis illis animis, qui flagellati gaudebant. Reuerfi sunt enim, inquit, à facie concilij gaudentes, quod digni sint habiti qui pro nomine Iesu afficerentur contumelia. Qui autem fert cum gaudio, ostendit se habere mercedem aliquam, & quod ea non sit damnum, sed proventus. Et illud suscepistis, ostendit voluntariam eorum tolerantiam. Elegistis, inquit, & suscepistis, cognoscentes vos habere in cœlis meliorem & manentem substantiam. Manentem, id est, firmam ac stabilem, non ita sicut hæc pereuntem. Deinde cum eos laudasset, dicit: Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Quid dicis? Non dixit, Amisistis, & rursus acquirite, sed quod efficiebat ut essent firmiores & robustiores. Eam, inquit, habetis. Nam id quidem quod est amissum rursus acquirere, maiori opus habet labore: quod autem possidetur non perdere, non ita. Galatis autem dicit contrarium: Filioli quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus, Nam illi quidem erant supiniore & ignauiores. Vnde opus habebant oratione quæ magis pungeret. Isti autem erant animi magis pusilli & abiecti. Vnde magis opus habebant oratione quæ curaret ac recrearet. Nolite ergo, inquit, amittere confidentiam vestram, quoniam erat multa eorum apud Deum fiducia. Quæ magnam, inquit, habet remunerationem. Et quando ea, inquit, recipiemus? Ecce quæ à vobis præstanda erant extiterunt omnia. Propterea eos præoccupavit ea quam ipsi habebant opinione, propemodum dicens: Si in cœlo cognoscitis vos habere substantiam, id est, facultates, sed meliorem, nihil hic querite. Patientia enim vobis opus est, non additamento, ut in iisdem maneatis, ne quod est vobis traditum abiiciatis. Nullo alio vobis est opus. Sed ita state ut instetis, ut cum ad finem peruenieritis, accipiatis promissionem. Patientia enim, inquit, vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Vno solo vobis opus est, ut expectetis dilationem, non ut rursus certetis. Ad ipsam, inquit, iam estis coronam, omnia tulistis certamina, vincula, afflictiones: raptæ sunt vestra facultates. Quid ergo? De cætero ad hoc statis, ut coronemini, hoc solum ferre, coronæ futuræ dilationem. O magnitudo consolationis. Ut si quis dicat Athletæ qui omnes prostravit & expugna-

uit, neque vllum habet aduersarium cum quo deceret, & deinde sit coronandus, & non ferat illud tempus quo venit Agonotheta, & imponit coronam: ille autem non tolerans vult exire & fugere, ut qui non ferat sitim & æstum. Ipse ergo hoc tacite significans quid dicit? Adhuc enim modicum aliquantulumque, qui venturus est veniet & non tardabit. Nam ne dicerent, Et quando veniet? eos consolatur ex scripturis. Etenim quando dicit alibi, Propius est nostris salus, eos consolatur, utpote quod restet parū temporis. Nec hoc ex se dicit, sed ex scripturis. Si enim ab illo tempore dicebatur, Adhuc modicum aliquantulumque, qui venturus est veniet, & non tardabit, est perspicuum quod nunc sit propinquior. Quamobrem & expectare non parua est merces. Iustus autem, inquit, ex fide viuet. Quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ. Hæc magna est consolatio, cum ostendat eos qui totum rectè gesserunt, id ipsum per socordiam amittere. Nos autem non sumus subtractionis filij in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ. *Est autem fides sperandarum substantiarum rerum, argumentum non apparentium. In hac enim testimonium consecuti sunt senes.* Papæ quali dictione est vsus, dicens, Argumentum non apparentium, id est, eorum que non videntur. Argumentum enim est in iis quæ sunt valde manifesta. Fides ergo, inquit, est aspectus eorum quæ non sunt manifesta, & ea quæ non videntur deducunt ad eandem certam ac plenam persuasionem, ad quam quæ videntur. Neque ergo in iis quæ videntur licet fidem non habere: neque rursus, si de iis quæ non cadunt sub aspectum, non apertius fuerit quispiam persuasus, quàm de iis quæ videntur, non potest esse fides. Nam quoniam quæ sunt in spe videtur esse huiusmodi ut non possint consistere, fides eis donat substantiam, id est, ut consistent, vel potius non donat; sed ipsum est eorum essentia: ut, exempli causa, non aduenit resurrectio, neque est in substantia, id est non consistit, sed spes facit ut ea consistat in nostra anima. Hoc est rerum substantia. Si est ergo argumentum eorum quæ non videntur, quid ea vultis videre, ut à fide excidatis, & ab eo quod iusti sitis, siquidem iustus ex fide viuet? Vos autem si ea vultis videre, non estis amplius iusti. Laborastis, inquit, decertastis: ego quoque hoc dico. Sed expectate. Hoc enim est fides, nolite vniuersum hic querere.

MORALE.

HÆC dicta quidem sunt ad Hebræos: est autem communis admonitio etiam ad multos ex iis qui hic sunt cōgregati. Quoniam modo? Ad eos qui sunt pusilli & abiecti animi, & ad eos qui non sunt patientes. Nā quando viderint malos res suas bene gerere, si autem suas malè, dolent, tristitia afficiuntur & ægreferunt, quod illorum non videant supplicium & vitionem, & quod laborum suorum expectent mercedem. Adhuc enim modicum aliquantulumque, qui venturus est veniet, & non tardabit. Et nos ergo hæc dicamus ignauis & socordibus. Omnino erit punitio, omnino veniet. Iam est in foribus resurrectio. Vndenam, inquit, constat? Non dico ex Prophetis. Non enim ad Christianos solum nunc à me verba fiunt: sed et si sit Græcus, confido planè, & certas probationes affero, & cum docebo. Quomodo? inquit. Multa prædixit Christus. Si illa non euenerunt, nec hæc credideris. Sin autem euenerunt, quid dubitas de reliquis? Atqui minus esset probabile, si nihil euenisset, de illis credere, quàm quoniam euenerunt omnia, eis non credere. Magis autem exemplo rem reddam manifestam. Dixit dominus futurum ut caperentur Hierosolyma, eiusmodi captiuitate, ut nulla vnquam fuerit

Act. 5.

Elegistis, non est in Græco.

Galat. 4.

Cōsolatio ab expectatione non futuræ coronationis.

Rom. 13.

Abac. 2.

Ibidem.

Cap. xi.

Fides quid sit.

Expectanda est & malorum punitio, & bonorum remunerationis.

Luc. 19. Hierosolyma capta, ut prædictum fuerat.

Matt. 11. Luc. 13.

Matt. 19.

Ioan. 16.

Ibid. 14. Prædicatum est euangelium omnibus ferè gentibus.

Psal. 48. Ibid. 44. Quod fecimus vim habet: illic autem nequaquam. Dic quæso, si quis nos in ardenti ignis fornace paruo tempore statuerit, non omnia sustinebimus pro liberatione, etiam si pecunias oporteat profundere, etiam si feruiturem subire? Quam multi in graues morbos inciderunt, & parati erant dare omnia si proponeretur eis optio? Si ergo morbus breui durans tempore ita nos vexat & molestia afficit, quid illic faciemus, quando nullus erit vsus pœnitentiæ? Quam multis nunc pleni sumus malis, & non sentimus, alter alterum mordemus, alter alterum edimus, iniuriam faciētes, accusantes, calumniantes, proximorum gloriam ægreferētes. Et vide quod est graue. Cum voluerit quispiam lædere proximo existimationem, dicit: Hic vel ille hoc dixit. Deus hoc mihi condona: ne me examines, reddenda est à me ratio quod audiuerim. Cur ergo omnino dicis, si non credis? Cur dicis? Cur multo rumore facis ut sit credibile? Cur sermonem transmittis qui non est verus? Tu non credis, & Deum rogas ut non examinet? Noli ergo dicere, sed tace, & ab omni metu liberare. Sed nescio vnde hic morbus incidit in homines. Sumus nugatores, in anima nostra nihil remanet. Audi quendam sapientem admonētem & dicentem: Audiisti verbum, in te moriatur, confide, non te rumpet. Et rursus: Audiit verbum stultus, & parturiit tanquam à facie infantis ea quæ parit. Sumus prompti ad accusationes, parati ad condemnationes, etiam si nullum aliud malum factum esset à nobis, hoc fati esset ad nos perdendos, & abduccendos in gehennam. Hoc nos implicat & inuoluit malis innumerabilibus. Audi Prophetam dicentem: Scendens, inquit, aduersus fratrem tuum loquebaris. At non ego, inquit, sed ille. Imò verò tu. Si tu enim non dixisses, ille non audiisset. Quod si etiam erat auditorus, sed tu non fuisses auctor peccati, cum oporteat proximi delicta velare & tegere. Tu autem prætextu probitatis ea traducis, & non es accusator, sed nugator, delirus, & non sentis? Vide autē quot mala hinc nascantur. Deum irritas. Non audis Paulum dicentem de nugis mulic-

Nugatores sunt homines.

Eccles. 19. Ibidem.

Psal. 49.

fuerit eiusmodi, & ea nunquam esset excitanda: & ad effectum deducta est prædictio. Dixit magnam futuram afflictionem, & euenit. Dixit tanquam sinapi extendendam esse prædicationem: & eam videmus quotidie totum orbem terræ peruadere. Dixit futurum ut qui patrem, aut matrem, aut fratres, aut sorores reliquerint, patres & matres habeant: & hoc videmus re ipsa impleri. Dixit, In mundo afflictionem habebitis, sed confidite, ego vici mundum. Hoc est, Nemo vos superabit. & hoc videmus re ipsa euenisse. Dixit fore ut inferorum portæ aduersus ecclesiam non essent præualitura, quanuis persecutionem patiatur, & neminem extincturum esse prædicationem, & huic prædicationi testimonium fert rerum experientia. Atqui tunc cum hæc diceret non erat admodum fide dignus. Quare? Quoniam omnia erant verba, & eorum quæ dicta fuerunt nondum vllam præbebat probationem. Quamobrem nunc sunt multo credibilia. Dixit cum prædicatum fuerit euangelium omnibus gentibus, tunc finem esse venturum. Ecce ad finem iam peruenimus. Fuit enim prædicatum maiori parti orbis terræ. De cætero ergo instat finis. Horreamus, o dilecti. Quid verò, dic mihi? De fine tu es sollicitus? Ipse quidem iam propè adest. Vniuscuiusque autem vita & mors est propinquior. Dies enim, inquit, nostrorum annorum in ipsis septuaginta anni. Si verò in potentatibus octoginta anni. Propè est dies iudicij, timeamus. Frater non redimit, redimet homo? Propterea dicit, Præueniamus faciem eius in confessione. Hoc est, eius aduentum. Nam hic quidem id quod fecerimus vim habet: illic autem nequaquam. Dic quæso, si quis nos in ardenti ignis fornace paruo tempore statuerit, non omnia sustinebimus pro liberatione, etiam si pecunias oporteat profundere, etiam si feruiturem subire? Quam multi in graues morbos inciderunt, & parati erant dare omnia si proponeretur eis optio? Si ergo morbus breui durans tempore ita nos vexat & molestia afficit, quid illic faciemus, quando nullus erit vsus pœnitentiæ? Quam multis nunc pleni sumus malis, & non sentimus, alter alterum mordemus, alter alterum edimus, iniuriam faciētes, accusantes, calumniantes, proximorum gloriam ægreferētes. Et vide quod est graue. Cum voluerit quispiam lædere proximo existimationem, dicit: Hic vel ille hoc dixit. Deus hoc mihi condona: ne me examines, reddenda est à me ratio quod audiuerim. Cur ergo omnino dicis, si non credis? Cur dicis? Cur multo rumore facis ut sit credibile? Cur sermonem transmittis qui non est verus? Tu non credis, & Deum rogas ut non examinet? Noli ergo dicere, sed tace, & ab omni metu liberare. Sed nescio vnde hic morbus incidit in homines. Sumus nugatores, in anima nostra nihil remanet. Audi quendam sapientem admonētem & dicentem: Audiisti verbum, in te moriatur, confide, non te rumpet. Et rursus: Audiit verbum stultus, & parturiit tanquam à facie infantis ea quæ parit. Sumus prompti ad accusationes, parati ad condemnationes, etiam si nullum aliud malum factum esset à nobis, hoc fati esset ad nos perdendos, & abduccendos in gehennam. Hoc nos implicat & inuoluit malis innumerabilibus. Audi Prophetam dicentem: Scendens, inquit, aduersus fratrem tuum loquebaris. At non ego, inquit, sed ille. Imò verò tu. Si tu enim non dixisses, ille non audiisset. Quod si etiam erat auditorus, sed tu non fuisses auctor peccati, cum oporteat proximi delicta velare & tegere. Tu autem prætextu probitatis ea traducis, & non es accusator, sed nugator, delirus, & non sentis? Vide autē quot mala hinc nascantur. Deum irritas. Non audis Paulum dicentem de nugis mulic-

rum. Non solum autem otiosæ, inquit, discunt, sed & nugatrices, & curiosæ, circumeuntes domos, & loquentes quæ non decet. Quamobrem etiam quando crederis iis quæ dicuntur aduersus fratrem, ne sic quidem oportet dicere: nēdum si non credas. At quod tuum est semper spectes: time ne te Deus examinet. Time ergo ne de tuis nugis examineris. Hic enim non potes dicere, Ne me Deus examinet pro nugis: planè enim res ipsa est nugæ. Cur eas traduxisti? Cur malum amplificasti? Hoc nos potest perdere. Propterea dicebat Christus. Nolite iudicare, ut non iudicemini. Sed à nobis nulla eius habetur ratio. Nec quæ Pharisæo acciderunt, nos castigant modestosque reddunt ac moderatos. Ille rem veram dicebat, Non sum sicut iste Publicanus, & dicebat nullo audiente, & fuit condemnatus. Si qui verum dixit fuit condemnatus, & dixit nullo audiente: qui falsa, & de quibus non sunt certi, in omnes partes transmittunt, sicut nugatrices & verbosæ mulieres, quid non mali patientur? quid non sustinebunt? Ori nostro deinceps ostium imponamus & vœtem. Ex nugis enim nascuntur mala innumerabilia: euertuntur domus, dirumpuntur amicitia, & innumerabilia alia mala oriuntur. De rebus proximi, o homo, ne sis curiosus. At es loquax, & hoc laboras vitio, tua ad Deum loquere. Non erit amplius vitium nec detrimētum, sed commodum. Dic tua amicis, & iustis, & quibus confidis, ut orent pro tuis peccatis. Si quæ sunt aliorum dixeris, nihil tibi prodest, neque lucraris, sed etiam peris. Si tua Deo e-nuntiaueris, multam habes mercedem. Dixit enim, inquit, pronūtiabo aduersum me iniquitatem meam domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. Vis iudicare? Tua iudica. Nemo te accusat si te ipsum condemnes. Accusat autem si non iudices. Accusat si te ipsum non arguas, accusat stuporis. Vides quempiam irasci, irritari, aut aliquid aliud facere graue & indignum; statim etiam tu quoque cogita quæ sunt tua, & ita nec illum valde condemnaabis, & à peccatorum onere te libera-bis. Si sic vitam nostram componamus, si eam sic exerceamus, si nos ipsos condemnemus, non multa fortè peccata admitemus, multa autem bona & præclara faciemus, si mites simus & modesti, & fruemur omnibus quæ sunt promissa iis qui Deum diligunt. Quæ detur nobis omnibus consequi gratia & benignitate domini Iesu Christi, cum quo Patri vnà cum sancto Spiritu gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO XXII.

IDE intelligimus aptata esse secula verbo Dei, ut ex inuisibilibus visibilia fierent. Fide plurimam hostiam Abel quàm Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur. Fidei generosa nobilitas & iuuenili opus habet anima, & quæ omnia exuperet sensilia, & humanarum rationum pertranseat imbecillitatem. Fieri enim non potest ut aliter sit fidelis, nisi qui se extulerit supra omnem communem consuetudinem. Quoniam ergo euaserant imbecillæ Hebræorum animæ, & cœperant quidem à fide, à negotiis autem, ab animi, inquam, perturbationibus & afflictionibus effecti erant pusilli & abiecti animi, & labascebant, primum quidem eos ab iis ipsis consolatus est & exhortatus, dicens: Rememoramini pristinos dies. Deinde à scriptura, quæ dicit: Iustus autem ex fide viuet. Deinde ex rationibus, dicens: Est autem fides rerum quæ superantur substantia, argumentum rerum quæ non videntur. Nunc autem rursus à maioribus, magnis illis viris & admirabilibus, propemodum dicens: Si vbi præ pedibus sunt

2. Tim. 5.

Matt. 7. Luc. 18. Non iudicandum temerè.

Consistentis peccatis merces. Psal. 31.

Gen. 1. Ibid. 4.

Supr. 16. Abac. 1.

bona, omnes salui fuerunt fide, multo magis nos. Quando enim caridem perfectionum socium inuenit anima, requiescit & respicit, hoc & in fide & in afflictione licet videre. Vt sit, inquit, vobis consolatio per eam quae est inter vos inuicem fides. Est enim admodum infidèle genus humanum, & sibi non potest considerare, & timet pro iis quae se habere iudicauerit, & est magna eis cura de multorum opinione. Quid ergo Paulus? Eos consolatur & exhortatur à patribus, & antea ab iis quae sunt in communi notione. Nam quoniam fides reprehenditur, vt quae sit res quae probari & demonstrari non possit, & quae sit potius fallacia, propterea ostendit quod res maximae per fidem rectè fiunt, non per ratiocinationes. Et quomodo hoc ostendit, dic quæso? Est, inquit, perspicuum, quod ex iis quae non sunt Deus fecit ea quae sunt, ex iis quae apparent ea quae non apparent, ex iis quae non consistunt ea quae consistunt. Vndènam? Quod hoc verbo fecit. Nam ratio quidem nihil tale suggerit, sed contrarium, quod ex apparentibus sint quae apparent. Propterea philosophi maxime nihil esse dicunt ex nihilo, vt qui sint animales, & nihil tribuant fidei. Conuincuntur autem ipsi quoque, quando aliquid magnum & præclarum dixerint, id tribuere fidei: vt est principio carens & ingenuus. Ratio enim non hoc suggerit, sed contrarium. Considera autem mihi multam stultitiam. Deum dicunt esse sine principio, quod est longè admirabilius quàm quod sit ex nihilo. Nam dicere quod sit sine principio, quod sit ingenuus, quod neque ex se, neque ex alio sit genitus, est magis dubium, quàm dicere, quod Deus ea quae sunt fecerit ex nihilo. Nam hic quidem multa sunt credibilia, vtpote quod fecerit aliquid, quod id quod sit habuit initium, quod omnino factum est. Illic autem, per se & sua sponte ingenuus, neque initium habuit, neque tempus. Hæc, dic mihi, non egent fide? Sed hoc non posuit quod est longè amplius, sed quod minus. Vndènam, inquit, constat quod Deus hæc fecerit? Ratio non suggerit, nullus aderat quando facta sunt. Vndènam constat? Perspicuum est id esse opus fidei. Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei. Quare fide? Quoniam ex non apparètibz facta sunt quae apparent. Hoc enim est fides. Cum autem dixisset id quod est commune, id de cætero agit in personis. Vir enim inclytus & gloria insignis est instar orbis terræ. Hoc quidem certè tacitè postea significauit. Postquam enim in centum aut ducentis personis hoc ex aduerso statuit, deinde vidit numerum quantitate esse paucum, dicit de cætero. Quibus dignus non erat mundus. Vide autem quem primum ponit, eum qui malè est passus, idque à fratre, erat autem eis propria & conueniens hæc perpessio. Etenim vos quoque eadem, inquit, passi estis à vestris contribulibus. Et à fratre nulla iniuria affecto, sed propter Deum iniuso, ostendens quod eis quoque inuideatur. Ille Deum honorauit, & mortuus est propterea quod honorauit. Et nondum est assecutus resurrectionem. Sed manifestum quidem fuit promptum & alacre eius animi studium, & quae ab ipso facta sunt: quae sunt antè à Deo faciendæ, nondum sunt in eum collata. Hostiam autem hic dicit, quae erat honorabilior, quae præclarior, quae magis necessaria. Nec possumus, inquit, dicere quod non fuerit accepta. Fuit accepta. Et dixit ad Cain, Non si rectè obtuleris, rectè autem non diuiseris. Abel ergo & rectè obtulit, & rectè diuisit. Sed tamen pro his quàmnam accepit remunerationem? Occisus fuit à manu fratris: & cõdemnationem quam pater subiit propter peccatum, eam primus suscepit qui se rectè gesserat, & eò grauiora est passus, quod & à fratre, & primus. Et hæc rectè gessit, ad nullum aspiciens, Ad

quem enim aspexit, & sic Deum honorauit? Ad patrem & matrem? Sed illi pro beneficiis eum affecerunt contumelia. At ad fratrem? Sed ipse quoque eum affecit ignominia. A se itaque bonum adinuenit. Et qui tanto honore erat dignus quid patitur? Interimitur. Quomodo autem aliter quoque accepit testimonium quod sit iustus? Dicitur ignis descendisse & assumptisse eius hostias. Nam pro eo quod est, Ad Abelem aspexit, & ad eius sacrificia dominus, incendit, dixit. Qui ergo verbis & factis iusto tulit testimonium, videns eum propter ipsum de medio sublatum, non eum vindicauit, sed dimisit. Vestra autem non ita se habent. Quomodo enim, qui & Prophetas habetis, & exempla, & innumerabiles consolationes, & signa, & facta miracula? Quamobrem erat illud verè fides. Quænam enim vidit miracula, vt crederet sibi futuram bonorum remunerationem? An non ex sola fide elegit virtutem? Quid est, Et per illam defunctus adhuc loquitur? Ne ipsos in multam iniiceret desperationem, ostendit eum ex parte accepisse compensationem. Quomodo? Magna, inquit, eius habetur cura & consideratio, & adhuc loquitur. Hoc est, eum sustulit, sed non cum eo sustulit gloriam & honorem. Non est ille mortuus. Nec vos ergo moriemini. Quod enim grauiora quis passus fuerit, eò est maior eius gloria. Quomodo adhuc loquitur? Hoc est & signum viuendi, & quod ab omnibus canatur, in admiratione habeatur, & beatus censeatur. Qui enim aliis suadet vt sint iusti, loquitur. Non tantum enim efficit oratio, quantum illius perpessio. Quomodo enim cælum solummodo apparès loquitur, ita etiam ille, dum habetur in memoria, non si prædicasset, non si mille linguas habuisset, & viueret, in tanta esset, vt nunc, admiratione. Hoc est, hæc non fiunt impune, nec temere, nec prætereunt. *Fide Enoch translatus est ne videret mortem: & non inueniebatur, quia tulit illum Dominus.* Hic maiorem ostendit fidem quàm Abel. Quamobrem? Quoniam et si post illum fuerit, sed quae illi facta fuerant sufficiebant ad eum auertendū. Quomodo? Præsciuerat Deus quod esset periturus. Dixit enim ad Cain. Peccasti, ne amplius adieceris. Ab ipso fuit honoratus, & ipsum non est vltus. Et nec hoc eum iniicit in aliquam animi ægritudinem. Non dixit apud se, Quis vsus est laborum & periculorum? Abel Deum honorauit, & ei opem non tulit. Ei enim qui exceperat, quid profuit supplicium quod damnatus fuit frater? Quomodo autem fieri potest vt ipse inde aliquam acceperit vtilitatem? Ponamus eum graues dedisse pœnas. Quid ad eum qui est de medio sublatus? Nihil tale dixit, nec cogitauit, sed his omnibus prætermisissis, cognouit quod si est Deus, planè est etiam remunerator. Quanquam nondum quidquam sciebant de resurrectione. Si autem qui de resurrectione nihil adhuc sciebant, & hic videbant contraria, sic Deo placuerunt: quanto magis nos? Neque enim illi sciebant de resurrectione, neque ad exempla poterant aspicere. Atque hoc quidem ipsum fecit eum placere, quod nihil receperit. Sciebat enim quod esset remunerator. Abeli enim, inquit, reddidit. Quamobrem alia suggestit ratio, fides autem contraria eorum quae videbantur. Et si ergo vos, inquit, videatis vos hic nihil recipere, ne perturbemini. Quomodo fide translatus fuit Enoch? Quoniam translationis causa fuit quod Deo placuerit. Quod autem Deo placuerit causa fuit fides. Nam si nesciuisset quod accepturus esset remunerationem, quomodo Deo placuisset? Sine fide autem impossibile est placere Deo. Quomodo enim crediderit quispiam esse Deum, & remunerationem esse habiturum ac compensationem? Ex eo quod Deo placeat. Qui sit autem vt Deo placeatur? Credere enim oportet accedentem

Abel ex sola fide legit virtutem.

Gen. 5. Eccl. 4.4. Dominus Deus.

Eccl. 11.

Enochi tempore nihil sciebatur de resurrectione.

Deus fecit ea quae sunt ex iis quae non sunt.

Vir inclytus & gloria insignis est instar orbis terræ.

1. Theff. 2.

Abel enim Deus hic nondum est remuneratus. Gen. 4.

accedentem ad Deum quod est. Non quid est, sed quod est. Opus enim habet fide, & non rationibus. Quid sit, fieri non potest vt comprehendatur ratione. Si quod sit, & sit remunerator, fide opus habet, & non rationibus: quomodo quae sunt essentiae comprehendere possunt ratiocinatione? Quænam enim ratiocinatio ea potest assequi? Quidam enim dicunt casu esse omnia. Vides quod si in omnibus non credamus, non solum in remuneratione, sed etiam in hoc ipso quod sit Deus, pereunt nobis omnia. Multi autem quærunt quomodo translatus sit Enoch, & cur translatus, & cur non sunt mortui, neque ipse, neque Elias, & si adhuc viuunt, quomodo viuunt, & in quo habitu. Sed superuacaneum est hæc quærere. Nam quod ille quidem, nempe Enoch, sit translatus: hic verò, nempe Elias, sit assumptus, dixerunt scripturæ. Vbi autem sunt, & quomodo sunt, non itidem adiecerunt. Non amplius enim dicunt quàm quae sunt necessaria. Nam hæc quidem translatio facta fuit statim ab exordio animae humanae, spem accipientis, quod & mors dissolueretur, & diaboli tyrannis deleteretur. Translatus enim fuit, non mortuus, sed ne videret mortem. Propterea addidit: Viuus est translatus, quia placuit Deo. Quomodo enim pater quispiam minatus filio, vult quidem minas remittere, quando fuerit minatus, sustinet autem & constanter perdurat, vt interim eum castiget & admoneat, stabiles & firmas finès manere minas. Ita etiam Deus, more ferè dixerim humano, non sustinuit & constanter perduravit, sed statim ostendit quod mors sit soluta, & primum finit esse mortem, per filium volens terrere patrem. Volens enim ostendere quod reuera est firma & stabilis sententia, non statim malos, sed etiã eum qui ipsi placuit subiecit supplicio, beatum, inquam, illum Abelem, & penè statim post illum transtulit Enoch: & non illum suscitauit, ne protinus nimium considerent: sed hunc transtulit viuentem, per Abelem quidem terrenis, per hunc autem dans zelum & emulationem vt Deo placerent. Quo fit vt Deo non placeant, qui omnia casu agi & ferri dicunt, & non expectant remunerationem, vt gentes. Iis enim, qui ipsum inquirunt per opera, & cognitionem, est remunerator.

Quod sit Deus fide comprehenditur.

Vbi sit Enoch & Elias non est scriptum.

Dens quibus sit remunerator.

MORALE.

CVM ergo habeamus remunerationem, omnia faciamus, ne priuemur mercede quae datur ob virtutem. Est enim multis prosequendum lacrymis talem despiciere remunerationem. Quomodo enim iis qui ipsum quærunt est redditor mercedis, ita iis qui ipsum non quærunt, contrarium. Quærite, inquit, & inuenietis. Quomodo autem potest inueniri dominus? Cogita quomodo inuenitur aurum, cum multis laboribus. Manibus, inquit, meis noctu contra eum, & non sum deceptus. Hoc est, sicut quærimus quod perit, ita Deum quæramus. An non totam mentem illuc conuertimus? An non omnes examinamus? An non peregrè proficiscimur? An non pecuniam pollicemur: vt, exempli causa, perierit nobis aliquis filius. Quid nõ agimus? Quam terram, quod mare non obimus? An non pecunias, & domos, & omnia denique huius inuentione posteriora ducimus? Et si inuenerimus, detinemus, constringimus, non relinquimus: & inuenturi omnia gerimus, vt inueniamus id quod quærunt. Multo magis id in Deo est faciendum, eum quærendo tanquam aliquid ex necessariis. Imò verò non ita, sed multo magis. Sed quoniam sumus imbecilli, sicut tu quærīs pecunias, aut filium, quære Deum. Pro eo non peregrinamur. An non pro pecuniis es aliquando peregrè profectus? An non omnia curiosè scrutaris? An non quando inuenieris tunc

Matt. 7.

Dominus quomodo inueniatur. Psal. 76.

A confidis: Quærite, inquit, & inuenietis. Nam quae quæruntur, magna egent sollicitudine, in Deo maxime. Nam multa sunt quae prohibent, multa sunt quae offundunt tenebras, multa sunt quae sensum nostrum arcent. Sicut Sol est manifestus, & omnibus in medio proponitur, nec opus est vt eum quæramus. Sin autem nos ipsos infodiamus, & omnia inuertamus, multo labore nobis opus est vt Solem intueamur. Ita hic quoque si in profundo malorum peccatorum, si in tenebris animi perturbationum, & rerum quae ad hanc vitam pertinent nos infoderimus, vix sursum aspiciamus, vix nos erigimus. Qui est infernè in solus, quò magis sursum aspexerit, eò magis venit ad Solem. Puluerem ergo excutiamus, nobis impositam caliginem perfringamus. Densa est & constipata, & non finit nos sursum aspiciere. Quomodo autem, inquit, perfringitur ea nubes? Si attraxerimus radios Solis qui cadit sub intelligentiam. Eleuatio, inquit, manuum mearum sacrificium vesperinum. Cum manibus mentem quoque sustollamus. Scitis quae dico, vos qui mysteriis estis initiati, fortasse agnoscitis quod dictum est, & conspiciatis quod tacitè innui. Sursum tollamus nostram cogitationem. Noui ego multos viros à terra ferè pendentes, & vltra modum manus extendentes, & ægrè ferentes quod non possit fieri vt sint in aère sublimes, & ita precantes cum magna animi alacritate. Sic vos volo semper esse tales. Sin autem non semper, saltem sæpe. Sin rarius, saltem mane, saltem vesperi. Nam dic mihi, manus non potes extendere, extende quantum vis liberam animi voluntatem. Eam extende vsque ad ipsum cælum, etiam si velis ipsum tangere fastigium, & superius ambulare, tibi licet. Quauis enim aue leuior & altior est mens nostra. Quando autem etiam acceperit eam quae à spiritu datur gratiam, papæ quàm est velox, quàm acris, vt omnia obit, vt non fertur deorsum, neque humi cadit? Has pennas nobis comparemus, per eas poterimus præteruolare etiam pelagus fluctuum huius mundi. Aues pernicissimæ, & montes, & saltus, & maria, & scopulos breui momento temporis illasæ præteruolant. Talis est etiam mens cum fuerit alata, quãdo abscesserit ab iis quae ad hanc vitam pertinent, nihil eam potest apprehendere, omnibus est altior, etiam ignitis iaculis diaboli. Non tam rectè telum coniecit diabolus, vt possit hanc attingere altitudinem: sed iacula quidem emittit: est enim impudens, non autem assequitur, sed telum ad ipsum inane reuertitur, & non solum inane, sed etiam in caput ipsius reuertitur. Feriat enim omnino oportet id quod ab ipso mittitur. Quomodo ergo quod iactum est ab hominibus, aut ferit eum aduersus quem mittit, aut auem, aut parietem, aut vestem, aut lignum, aut ipsum secat aërem: ita etiam iaculum diaboli. Feriat quidem omnino oportet. Si autem illum quem petit non percussit, omnino ferit eum qui emittit. Et ex multis quidem hoc potest intelligi, quod quando nos non fuerimus percussi, ille omnino percussit. Vt, exempli causa: Insidiatus est Iobo: eum non feriit, sed ipse fuit ictus. Insidiatus est Paulo: ipsum non feriit, sed ipse fuit fauciat. Et hoc, si sapiamus, licet videre vbique fieri. Quando enim percussit, feritur. Multo autem magis, quando cum nos aduersus illum ensibus & scuto fidei armauerimus & munierimus, tutò custodimus ne capiamur & expugnemur. Iaculum autem diaboli est mala cupiditas. Ira maxime est ignis, est flamma, arripit, tollit, incendit. Nos verò lenitate & patientia eam extinguemus. Quomodo enim candens ferrum aqua tinctum ignem perdit, ita ira si in lenem & patientem incidit, patientem nihil lædit, sed magis iuuat, & ipse euadit magis continens. Lenitati enim & patientiæ ni-

Psal. 140.

Extensio manuum in precibus.

Mens nostra quauis aue inferior.

Quae sine tela diaboli.

hil potest æquiparari. Nam qui est eiusmodi, contumelia nunquam afficitur. Sed sicut non faciuntur corpora adamantina, ita nec huiusmodi animæ. Sunt enim superiores iaculis. Excelsus enim & adeo excelsus est is qui est lenis & patiens, ut ne plagam quidem à plaga accipiat. Quando ille efferatur, tu ride: ride autem non aperte, ut non irrites, sed in anima seu apud te ride propter te. Etenim de pueris quando nos cum ira percusserint, tanquam se vilescentes, ridemus. Si ergo riseris, tantum inter te & illum intererit, quantum inter puerum & virum. Sin autem effereris, factus es puer. Puer enim insipientioribus sunt qui irascuntur. Si quispiam puerum viderit efferatur, nonne irridet? Qui autem pusilli, inquit, est animi, est valde insipiens. Qui est igitur insipiens, est puer: & qui est, inquit, lenis & patiens, est multus in prudentia. Hanc igitur multam persequamur sapientiam, ut assequamur bona nobis promissa, In Christo Iesu domino nostro, cum quo Patri vnà cum sancto Spiritu gloria, imperium, honor, in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO XXIII.

FIDE, Noë responso accepto de iis que adhuc non videbantur, metuens aptauit arcam in salutem domus sue, per quam damnatum mundum: & iustitie que per fidem est instituta. Fide, responso, inquit, accepto Noë. Sicut filius Dei de suo loquens aduentu dicebat, Sicut in diebus Noë nubebant & nuptum dabant. Propterea Apostolus quoque eis conuenientem in memoriam reuocauit similitudinem. Enoch enim exemplum erat solum exemplum fidei: Noë autem exemplum etiam incredulitatis. Ea autem est perfecta consolatio & exhortatio, quando non solum qui crediderunt inueniuntur probari & in bona esse existimatione, sed etiam qui non credunt, pati cõtraria. Quid dicit, Fide responso accepto? Hoc est, cum fuisset ei prædictum. Nam alibi quoque dicit: Fuerat ei responsum à Spiritu sancto. Et rursus: Et quid dicit responsum? Vides parem honorem Spiritus. Quomodo enim Deus responder, ita etiam Spiritus sanctus. Cur autem sic dixit? Prophetia dicitur responsum. De iis quæ adhuc non videbantur, inquit. Hoc est, de pluuia veritus, & sibi cauens, construxit arcam. Ratio quidem nihil tale suggestit. Nuptum enim dabant & nubebant: aer erat purus, signa non erant, sed tamen ille est veritus. Fide, Noë responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens, construxit arcam in salutem domus sue. Quomodo? Per quam condemnauit mundum. Ostendit eos dignos supplicio. Qui nec per illam quidem constructionem corrigebantur nec respicebant. Et iustitia quæ per fidem est, hæres est instituta. Hoc est, ex eo iustus apparuit, quod Deo credidit. Hoc enim est animæ sincerè in eum affecta, & quæ iudicat nihil esse eius verbis credibilis: sicut contrarium incredulitas. Est autem perspicuum, quod fides operatur iustitiam. Quomodo enim nos responsum accepimus de gehenna, ita ille quoque. Atqui tunc irridebatur, tunc probis afficiebatur & subfannabatur, sed tamen ad nihil horum aspexit. Fide qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem, & exiit nesciens quò iret. Fide demoratus est in terra repromissionis tanquam in aliena, in casellis habitado cum Isaac & Jacob coheredibus repromissionis eiusdem. Quem enim vidit, dic mihi, ut eum emularetur? Patrem habuit Græcum & idololatram. Non audierat Prophetas. Nesciebat quò iret. Nam quoniam adeo aspicebāt qui crediderant ex Hebræis, ut qui bona percepissent innumerabilia, ostendit quod nullus adhuc quidquam

A accepit, omnes sunt à præmio immunes, nullus adhuc vllam habuit remunerationem. Excidit ille & à patria, & à domo, & exiit nesciens quò iret. Et quid mirum si ipse, cum eius quoque semen sic habitavit? Videns quidem certè conuinci promissionem, dixit enim: Tibi dabo terram hanc, & semini tuo, vidit filium illic habitantem, & nepos rursus ipsum vidit habitantem in aliena, & non est turbatus. Nam quod ad Abraham quidem attinet, id fuit satis consentaneum, utpote quod promissio ad effectum postea esset deducenda in genere ipsius, quâquam ipsi dictum est, Tibi & semini tuo. Non per semen tuum tibi, sed tibi & semini tuo: & nec ipse, nec Isaac, nec Iacob adepti sunt promissionem. Nam hic quidem mercede seruiuit: alius verò est expulsus: alius verò etiam timens excidit, & alia quidem bello cepit, alia autem periissent, nisi Dei ipsi adfuisset auxilium. Propterea dicit: Cum hæredibus eiusdem promissionis. Non ipse, inquit, solus, sed etiam eius hæredes. Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus. Operæpretium est hic duo quærere, quomodo cum dixerit quod trãstulit Enoch, ut non videret mortem, dicit: Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti. Et rursus cum dixerit: Non acceptis promissionibus, dicit Noë accepisse mercedem in salutem domus sue, & Enoch esse translatum, & Abel adhuc loqui, & Abraham accepisse terram, & dicit: Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis promissionibus. Quid ergo est? Necessè est primum soluere. Deinde secundum. Iuxta fidem mortui sunt, inquit, omnes isti. Omnes hîc, non quoniam omnes sunt mortui, sed quoniã illo excepto omnes isti sunt mortui, quos scimus esse mortuos. Illud autè, Non acceptis promissionibus, est verũ. Non hoc enim futurum erat Noë promissio. Quas autè dicit promissiones? Isaac quidem & Iacob acceperunt terræ promissiones. Noë autem, Abel, & Enoch quasnam acceperunt promissiones? Aut ergo dicit de his tribus, aut etiam de illis. Non hoc erat promissio, quod Abel fuit habitus in admiratione: neque quod Enoch fuit translatus, neque quod seruatus fuit Noë. Sed hæc quidem eis euenerunt propter virtutem, erant autem quidam gustus futurorum. Deus enim cum sciuisset ab initio genus humanum opus habere ut ad eius captum fieret demissio & accommodatio, non solum futura, sed & quæ hîc sunt nobis donat. Ut quod Christus dicebat discipulis: Qui dimisit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, & matrem, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Et rursus: Quærite regnum Dei, & hæc omnia adiciuntur vobis. Vides hæc quoque in parte accessionis ab eo esse data, ne defatigemur. Nam quomodo Athletæ, etiam quando decertant, fruuntur quidem curatione, sed non tunc omni requie & relaxatione viuentes sub lege, sed postea fruuntur vniuersa: sic Deus non dat hîc ut simus participes omnis quietis & relaxationis. Nam hîc etiam dat quidem. Sed eas à longè aspicientes & salutantes. Hîc mysticum quidpiam tacitè innuit: nempe quod acceperunt omnia quæ dicta sunt de resurrectione, de regno cœlorũ, de aliis, de quibus Christus cum venisset prædicauit. Has enim dicit promissiones. Aut hoc dicit, aut quod eas quidem non acceperunt, certa autem de eis concepta fiducia excefferunt. Sola autem fide certam de eis conceperunt fiduciam, procul eas videntes ante quatuor generationes. Nam post tot generationes ascenderunt ex Ægypto. Et salutantes, inquit, & lætati. Tam certa de ipsis erat eis persuasio, ut eas etiam salutarent, à metaphora nauigantium, & procul videntium ciuitates quas desiderant, quas priusquam in ipsas ingressi fuerint, compellatione captus sibi attribuunt. Expectabat enim fundamenta habentem

Trascentes ridendi tanquam pueri.

Gen. 6. & Eccl. 44.

Matt. 24.

Luc. 2. Rom. 11.

Prophetia dicitur responsum.

Iustitia fidei quid sit.

Nec Abraham, nec semen eius adeptum est promissiones. Gen. 15.

Matt. 19. & 16.

Athletæ decertantes non omni fruuntur requie.

Promissio nes certa spe & fiducia sunt acceptæ. **bentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus.** Vides quòd illud acceperunt; est expectare, & de eis confidere. Si ergo confidere est accepisse, nobis quoque licet accipere. Isti enim, etsi iis non sunt potiti, desiderio tamen eas contemplabantur. Cur autem hæc fiunt? ut nos pudeat, quòd illi quidem, cum promitterentur quæ sunt in terra, non attendebant, sed futuram ciuitatem quærebant: nobis autem Deus sùsque de que de superna loquitur ciuitate, & eam quæ est hic quærimus. Dixit eis: Dabo vobis quæ sunt in præsentem: Quoniam autem vidit, vel potius seipsum ostenderunt dignos esse maioribus, tunc non amplius finit hæc accipere, sed illa maiora. Volens nobis ostendere quòd digni sunt maioribus, ut qui noluerint his alligari, ut si quis intelligenti polliceretur puerilia, non ut accipiat, sed eius ostendens philosophiam, illo petente maiora. Hoc enim est ostendentis quòd tanto studio abstinebant à terra, vbi nec quæ dabantur accipiebant. Propterea ergo accipiunt nepotes, ipsi enim erant digni terra. Quid est autem, fundamenta habentem ciuitatem? Hæc enim non sunt fundamenta, si conferantur cum ea, cuius artifex & conditor est Deus. Papæ, quale est encomium illius ciuitatis? Fide & ipsa Sarra. Aptè hic cœpit ad pudorem suffundendum, siquidem apparuerint animi magis pusilli & abiecti quàm mulier. Sed dixerit quispiam: Quomodo fide, quæ risit? Risus quidem certè est ex incredulitate: metus autem à fide. Dicere enim, Non risit, factum est à fide. Propterea ergo exinanita incredulitate ingressa est fides. Fide & ipsa Sarra sterilis virtutem in conceptione seminis accepit, etiam præter tempus ætatis peperit. Quid est, Ad deiectionem seminis? Ad semen retinendum, ad susceptionem virtutem accepit, quæ morte affecta erat, quæ sterilis: Duplex enim erat defectus, vnus quidem ex tempore, reuera enim consenuerat, alter à natura, erat enim sterilis. Propter quod etiam ab vno orti sunt, tanquam sydera cœli in multitudinem, & sicut arena quæ est ad oram maris innumerabilis. Propter quod etiam ex vno orti sunt omnes. Non dicit eam genuisse, sed tam multorum fuisse matrem, quàm multorum nec fœcundi vteri. Tanquam sydera, inquit. Quomodo ergo eos sæpe numerat, etiam si dixerit, Quemadmodum non numerabuntur sydera cœli, ita nec semen vestrum. Aut dicit per hyperbolen, aut eos qui semper generantur. Potèstne enim fieri, dic mihi, ut hic huius aut illius numeret maiores?

Est. 1.

Puerilia promittuntur petenti maiora.

Gen. 21.

Saræ duplex erat defectus, ætas & sterilitas.

MORALE.

Hic tales sunt Dei pollicitationes, hîc tam expedita & tam ad parandum facilia sunt Dei promissa. Si autè quæ pro additamento promissit sunt ad eò admirabilia, opinionem ad eò superantia, ad eò magnifica & splendida, cuiusmodi erunt illa cuius hæc sunt additamenta, quorum hæc sunt ex superabundantia? Quid ergo beatius est iis qui assequuntur, quid miserius iis qui non assequuntur? Si enim eius qui est à patria eiectus omnes miserentur, & qui amisit hæreditatem videretur omnibus miserabilis: qui à cœlo excidit, & de bonis que illic sunt reposita, quàm multis plorari debet lacrymis? Imò verò nec plorari. Ploratur enim quispiam quando aliquid ei acciderit cuius ipse non est causa. Quando autem libero suo arbitrio seipsum vitio quispiam confixerit, nec lacrymis, sed lamentationibus, atque ad eò luctu tunc erit dignus. Nam dominus quoque noster Iesus Christus Hierusalem, licet impiè se gerentem, luxit & fleuit. Innumerabilibus re vera ciulatus, innumerabilibus lamentationibus digni sumus. Si vniuersus orbis terræ, & lapides, & ligna, & arbores, & feræ, & aues, & vt semel dicam, totus orbis terræ, voce accepta

Ploratur quid amittit, cuius ipse non est causa.

Luc. 19.

A nos defleat, qui à bonis illis excidimus, nihil, vt par est, deflebit, nihil lamentabitur. Nam quæ dicendi facultas, quæ intelligentia poterit explicare illam beatitudinem, & virtutem illam, voluptatem, gloriam, lætitiã, splendorem, Quæ oculus non vidit, quæ auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt? Non dixit solum exuperare, sed nec vllam vnquã intellexisse quæ Deus parauit iis qui ipsum diligunt. Cuiusmodi enim bona consentaneum est esse ea quæ Deus præparat & instruit? Si enim cum non fecisset, statim nulla re adhuc à nobis peracta, tanta est largitus, paradysum, cum ipso colloctionem, immortalitatem est pollicitus, vitam beatam & à curis liberam: iis qui tam multa fecerunt, qui ad eò strenuè decertarunt, & pro ipso sustinuerunt, quid non donabit? Vnigenito pro nobis nõ peperit: germanum ac proprium filium propter nos ad mortem dedit qui eramus inimici; quoniam nos non dignabitur qui facti sumus amici? Quoniam non impertietur, cum nos sibi reconciliarit? Est supra modum diues, & desiderat & studet nostram assequi amicitiam. Nos non itidem studentes, o dilecti. Quid dico, Non studentes? Nolumus planè eius bona assequi, ut vult ipse. Quòd autem magis velit, id quod fecit ostendit. Nam nos quidem pro nobis ipsis vix parum auri despiciamus. Ipse autem pro nobis etiam suum dedit filium. Utamur vt oportet Dei dilectione, fruamur eius amicitia. Vos enim, inquit, amici mei estis, si faciatis quæ dico vobis. Papæ, inimicos qui infinitis partibus ab eo erant disiuncti, à quibus in omnibus incõparabili distabat exupratione, & fecit, & vocauit amicos? Quid ergo non est à nobis lubentèr patiendum pro hac amicitia? Pro hominum amicitia sæpe pericula adimus. Pro Dei autem amicitia nec pecunias profundimus. Reuera luctu dignæ sunt res nostræ, luctu, & lacrymis, & euolationibus, & lamentationibus, & planctu. A spe nostra excidimus, à nostra altitudine deiecti sumus. Dei honore indigni apparuimus. Immemores & ingrati euasimus etiam post beneficia, bonis omnibus nos spoliavit diabolus. Qui digni fueramus habiti vt essemus filij, fratres & coheredes, ab eius inimicis nihil differimus, qui ipsum afficiunt contumelia. Quenam erit nobis de cætero consolatio? Ipse nos vocauit ad cœlum: nos nos ipsos detrudimus in gehennam. An non & mendacium, & furtum, & adulterium diffusum est super terram? Alij quidem sanguinem miscent sanguine. Alij autem res gerunt deteriores sanguine. Multi ex iis qui iniuria afficiuntur, multi qui per avaritiam detrimentum patiuntur, mille mortes magis optât, quàm hæc pati, & nisi Dei timorem veriti essent, sibi mortem cõsciuisissent, ad eò cupiunt mortem sibi afferre. An non sunt hæc peiora sanguine? Hei mihi anima, perit vir pius à terra, & in hominibus non est qui faciat bonum. Nunc autem nos quoque de nobis ipsis primùm clamabimus: sed ad lamentationem vos mihi ferte opem. Fortassis quidem malè imprecantur & rident. Propter hoc autem intendenda est lamentatio: quòd ad eò furimus & despimus, & nos ne furere quidem scimus, sed propter ea ridemus, propter quæ oporteret nos gemere. Ruelatur, o homo, ira è cœlo, super omnem impietatem & iniustitiam hominum. Deus manifestè veniet. Ignis ante ipsum præcedet, & circum tempestas valida. Ignis in conspectu eius ardebit & inflammabit in circuitu inimicos eius. Ignis domini tanquam clibanus ardens: & nemo hæc mente agit, sed magis quàm fabulæ despiciatui habentur res ad eò horrendæ. Qui audiat nemo est: qui autem rident & subfannant, omnes. Quanam datur nobis via qua nos expediamus? Vndenam inueniemus salutem? Perimus, consumpti sumus. Ludibrio nos habent inimici, & nos

1. Cor. 2.

Rom. 8.

Bona Dei nolumus assequi.

Ioan. 15.

Ingratissimus do hominis in Deum.

Rom. 1. Psal. 49.

substantiant & gentes, & demones. Ingentes spiritus nunc concipit diabolus, gloriatur, exultat, & lætatur. Pudore & tristitia afficiuntur Angeli, quibus nos sumus crediti. Nemo est qui conuertatur. Omnia temere sunt cõsumpta, & nos vobis videmur nugari. Opportunum est nunc quoque vocare cœlum, quoniam nemo est qui audiat testari elementa. Audi cœlum, & auribus percipe terra, quoniam dominus est locutus. Date, porrigite manum, qui nondum estis obruti, iis qui perierunt ab ebrietate. Qui sani estis, laborantibus: qui sapitis, furentibus, & qui circumagitur. Nemo, obsecro, quidquam præferat salutem amici: & obiurgatio & reprehensio vnum solum spectet, nempe eius vtilitatem. Quando febris inuaserit, etiam serui imperium obtinent in dominos. Nam quando illa quidem vrget animam conturbans, adest autem agmen mancipiorum, nullus legem agnoscit dominicam in damnum domini. Bella quotidiana, submersiones, innumerabiles circumcirca interitus, & ira Dei nos vndique circumdat. Nos autem sumus omnes tam securi, & tam metu vacui, quàm si Deo placeremus. Manus paramus omnes ad plura habenda per avaritiam: nemo ad opem ferendam. Omnes ad rapinam: nemo ad defensionem. Vnusquisque studium suum ponit quomodo facultates suas reddat ampliores: nemo quomodo opem ferat egeno. Vnusquisque est valde sollicitus quomodo suis addat pecuniis: nemo quomodo suam seruet animam. Vnus omnes tenet metus, ne simus, inquit, pauperes. Ne in gehennam incidamus, nemo angitur & horrescit. Hæc digna sunt lamentationibus, hæc accusatione, hæc reprehensione. Sed hæc nolebam dicere, verum dolor me cogit. Ignoscite, cogit me luctus multa dicere quæ nolebam. Video graues minas, calamitatem cui afferri non potest consolatio. Maiora nos occuparunt mala quàm vt possit inueniri solatium: periiimus. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, vt lamentor. Fleamus, ô dilecti, fleamus, ingemiscamus. Sûnt fortasse quidam qui dicunt. Nihil aliud nobis dicit quàm lamentationes, nihil aliud quàm fletus. Nollem, credite, nollem, sed laudes persequi & encomia. Nunc autem est horum tempus. Non est graue, ô dilecti, lamentari, sed facere quæ sunt digna lamentationibus. Non est auersandum deslere, sed ea agere quæ sunt digna fletibus. Ne puniatis, & non lugeo. Ne moriatis, & non defleo. Sed si corpus quidem iacet mortuum, omnes hortaris vt commiserentur, & eos qui non lugent vocas immisericordes: pereunte autem anima iubes non lugere? Sed non possum esse pater si non fleam, pater sum amans & beneuolus. Audite quomodo clamet Paulus. Filioli, quos iterum parturio. Quænam mater prægnans æquæ acerbas voces mittit atque ille? vtinam liceret videre ipsum ardorẽ mentis, & videres quòd magis vror quàm quæuis mulier, & quæuis puella quæ immaturam passa est viduitatem. Non ita luget illa suum maritum, neque pater filiũ, vt ego hanc quæ est apud nos multitudinem, nec vllum video profectum: conuertuntur omnia in calumnias & criminationes. Nullus suum ducit esse officium vt Deo placeat, sed de hoc, inquit, & de illo malè dicamus. Ille est indignus qui sit clericus, hic turpiter viuuit & inhonestè. Cum deberemus mala nostra lugere, alios iudicamus, cum nec quando mundi sumus à peccatis deberemus hoc facere. Quis enim te discernit, inquit? Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Tu autem quid iudicas fratrem tuum, cum ipse sis plenus malis innumerabilibus? Quædo dixeris, ille est malus, & perniciosus, & sceleratus, de te cogita, & tua diligenter inquire & examina, & te pœnitebit eorum quæ dixisti. Non est

Esa. 1.

In febre domini serui in domini dominati obtinent.

Hier. 9.

Gal. 3.

In calumniis & criminationes omnia conuertuntur.

1. Cor. 4. Ibidem.

Rom. 14.

enim, non est vlla talis adhortatio, qualis est peccatorum recordatio. Si hæc duo apud nos versemus, poterimus consequi bona promissa: poterimus nos emundare & abstergere. Solum id nobis veniat in mentem, & de hac re simus solliciti, ô dilecti. Hic doleamus animo, ne illic doleamus supplicio, sed bonis fruamur æternis, vbi fugit dolor, luctus, & gemitus, vt bona consequamur quæ mentem exuperant humanam, in Christo Iesu domino nostro. Ipsi sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Peccatorum cogitatio bona est adhortatio.

ORATIO XXIIII.



Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes & salutantes, & confitentes quòd peregrini sunt & hospites super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent de qua exierunt, habebant vti que tempus reuertendi. Nunc autem meliorem appetunt, id est, cœlestem. Ideò non confunditur Deus vocari Deus eorum. Prima est virtus, atque adeò vniuersa virtus, esse huius mundi hospitem & peregrinum, & cum iis quæ hic sunt rebus & negotiis nihil habere commune, sed ab eis pendere tanquam ab externis, sicut beati illi, de quibus dicit: Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egètes, angustiat, afflicti, quibus dignus non erat mundus. Atque illi quidem dicebant se esse hospites & peregrinos. Paulus autem dicit longè quid amplius. Non enim se esse dixit hospitem & peregrinum, sed mundo mortuum, & ipsi mundum. Mihi enim, inquit, mundus crucifixus est, & ego mundo. Sed nos hic omnia gerimus tanquam ciues, & planè viuentes tanquam ciues: & quod iusti erant mundo, nempe hospites & mortui, nos hoc sumus cælo. Quod autem erant illi cælo viuentes & ibi rationem viuendi instituentes, hoc nos sumus mundo. Propterea mortui sumus, quòd quæ verè est, vitam abnegauimus, & hanc temporalem elegimus. Propterea Deum irritauimus, quòd cum nobis esset propositum frui iis quæ sunt in cælis, ne ab iis quidem quæ sunt in terra volumus discedere, sed non secus ac quidam vermes à terra in terram, & rursus ab hac in illam circumagimur, & planè ne parum quidem volumus emergere, neque nos à rebus humanis abducere, sed veluti à quodam veterno, & somno, & ebrietate obruti, obstupescimus visâ apprehendentes: sed sicut ij qui suauiter tenentur somno, non solum noctu, sed etiam cum ipsum mane aduenerit, & clarus fuerit dies, iacet in lecto: nec eos pudet indulgere voluptati, & tempus operandi & studendi facere tempus somni & inertie ac hebetudinis. Ita nos quoque die appropinquante, nocte procedete,

Gen. 22. Eccl. 44.

Infr. 16.

Paulus mundo mortuus, & ipsi mundus. Gal. 6.

Mortui sunt qui hanc vitam eligunt, & veram vitam abnegant.

Ioan. 9.

Mali est irridere eos quorum sunt mores tibi let.

& ipsi mali seipfos condemnant: & si quispiam eos id quod sunt vocauerit, eos pudet id esse quod sunt, contumelia afficiuntur, & rem eam dicunt esse contumeliam. Ita si non factis, verbis certè condemnant quæ faciunt per conscientiam, imò verò etiam factis. Cum enim clanculum & in occulto faciunt, sententiæ quam de re habent maximum proferunt indicium. Est enim vitium adeò manifestum, vt omnes eius sint accusatores, etiam ij qui ipsum vsurpant. Tanta autem res est virtus, vt in admiratione habeantur etiam ab illis, qui eam non æmulantur. Nam & scortator laudabit temperantiam & continentiam, & avarus condemnabit iniustitiam: & iracundus admirabitur patientiam, & vituperabit pusilli animi vitium, & lasciuus lasciuiam. Quomodo ergo, inquit, hæc vsurpat? Ex multa socordia, cum non esse bonum iudicauerit. Alioqui eum rei non pudisset, neque negasset alio accusante. Multi autem etiam præoccupati, dedecus non ferentes se suffocant. Honesti & decori tantum nobis inest testimonium. Ita quæ bona sunt & honesta, sunt ipso Sole splendidiore, & quæ sunt eis contraria, sunt omnium deformissima. Hospites & peregrini erant sancti. Quomodo autem, & quanam ratione? Vbi autem consistetur Abraham se esse hospitem & peregrinum? Fortasse quidem ipse quoque est confessus. Confessus autem est etiam ipse David se esse hospitem & peregrinum. Et quomodo? Sicut omnes, inquit, patres mei. Nam qui habitabat in tabernaculis: Qui pecunia etiam emebant sepulchra, est perspicuum eos fuisse hospites & peregrinos, vt qui ne haberent quidem vbi suos sepelirèt. Quid verò dicebant ne se esse hospites illius terræ quæ est in Palæstina? Nequaquam, sed totius orbis terræ. Et meritò. Nihil enim in eo videbatur, eorum quæ volebant, sed externa omnia & aliena. Ipsi quidem certè volebāt exercere virtutem: hic autem erat multum vitium, & apud eos erant res omnes externæ & alienæ. Nullum habebant amicum, nullum propinquitatem & necessitudinem cõiunctum præter paucos. Quomodo autem erant hospites? Eorum quæ hic sunt nullam gerebant curam, idque ostendebant, non verbis, sed rebus ipsis. Quomodo? Dixit Deus Abrahamo, Dimitte quæ videtur patriam, & veni ad alienam: suosque & domesticos non est complexus, sed eo affectu eam dimisit, vt si esset dimissurus alienam. Dixit ei, offer mihi filium, & eum ita obtulit perinde atque si non haberet filium, & tanquam natura non indutus eum ita obtulit. Possidebat pecunias communes omnibus accedentibus, & rem nihili existimabat: patiebatur mala innumerabilia. Non ædificabat domos splendidas, neque indulgebat deliciis & voluptatibus, neque curâ gerebat vestium, quæ sunt omnia ex iis quæ hic sunt. Sed omnia gerebat quæ pertinent ad eam quæ illic est ciuitatem. Ostendebat hospitalitatem, in fratrem dilectionem, misericordiam, patientiam, pecuniæ despicientiam, & gloriæ præsentis, & aliorum omnium. Eius quoque filius erat huiusmodi. Cum ageretur, bello impeteretur, cedebat & locum dabat, vt qui esset in aliena. Hospites enim quæcumque passi fuerunt patiuntur, vt qui non sint in patria. Et cum auferretur vxor, hoc quoque ferebat tanquam hospes & peregrinus: quæ superna autem sunt gerebat omnia, modestiam ostendens, honestatẽque & temperantiam. Nam postquam procreauit filium, non habuit amplius consuetudinem cum vxore: & cum præterisset vigor iuuentutis, tunc eam duxit, ostendens se non hoc facere propter libidinem, sed Dei promisso seruientem. Quid verò Iacob, an nõ quærebat solum panem & vestem, quæ planè sunt petitiones hospitum qui ad extre-

Virtus etiam à malis habetur in admiratione.

1. Par. 29.

Hospites & peregrinos quomodo se vocaret veteres.

Veteres quomodo essent hospites. Gen. 12.

Ibid. 22.

Itaque quomodo hospes & peregrinus.

mam deuenere paupertatem? An non pulsus & agitur cedebat tanquam hospes? Non erat mercenarius? Non innumerabilia vbique patiebatur mala tanquam hospes? Hæc autem arguebant eos suam quærere patriam. Papæ quanta differentia! Illi quidem quotidie parturiebant, volentes hinc discedere, & redire ad suam patriam. Nos autem contra, si febris irruerit, omnibus dimissis, tanquam paruuli infantes plorantes mortem pertimescimus. Et hoc meritò nobis accidit. Nam quoniam non tanquam hospites hic degimus, & non tanquam ad patriam festinamus, sed sumus tanquam cunctes ad supplicium: propterea dolemus quòd rebus non vt oportuit vsi sumus, sed ordinem euertimus. Propterea horremus sicut ij qui hominum cædes fecerunt, sicut prædones & eorum duces, sistendi iudicio, & quæcumque fecerunt animis reputantes, propterea timent & contremiscunt. Illi autem non erant eiusmodi, sed festinabant. Paulus autem etiam ingemuit. Et nos, inquit, qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati. Talis erat Abraham & qui erant ipsius. Hospites, inquit, erant totius orbis terræ, & quærebāt patriam. Quænam autem ea est. An quam dimiserunt? Nequaquam. Quid enim obstabat quominus redirent si vellent, & essent ciues? sed quærebant illam quæ est in cælis. Ita properebant hinc excedere, & adeò Deo placebant vt non erubesceret vocari eorum Deus. Papæ, quanta dignitas! gratum illi fuit & acceptum vt vocaretur eorum Deus. Quid dicis? Vocatur Deus terræ & cœli, & tanquam magni aliquid posuisti quòd nõ erubescat eorum Deus vocari? Magnum & reuera magnum est hoc, & plenum multa beatitudine. Quomodo? Quòd vocatur quidem Deus cœli & terræ, sicut & gentium, quatenus ea creauit & est fabricatus. Illorum autem sanctorum non ita, sed sicut aliquis germanus amicus. Exemplo autem vobis hoc reddam perspicuum. Sicut in iis qui sunt in magnis ædibus, quando aliqui ex iis qui præsumunt familiar, sunt in magna exultatione, & omnia administrant, & apud dominos magnam habent fiduciam, ex ipsis vocatur dominus, & multos inuenieris sic appellari. Quid autem dico? Sicut dici poterat Deus non gentium, sed totius orbis terræ, ita etiam dici poterat Deus Abraham. Sed nescitis quanta sit hæc dignitas, quoniam nec eam assequimur. Quomodo enim nunc dicitur dominus Christianorum omnium, & tamẽ hoc nomen nostram superat dignitatem: si autem vocatus fuerit vnus Deus, cogita quanta sit magnitudo. Deus orbis terræ non erubescit vocari trium Deus. Et meritò. Non enim orbis terræ, sed innumerabilium eiusmodi instar sunt sancti. Melior est enim vnus faciens voluntatem domini, quàm decies mille iniqui. Quòd autem seipfos sic vocabant hospites est perspicuum. Sed esto, isti se sic vocabant hospites propter alienam: Quid verò David, an non erat Rex & Propheta? An non in sua degebat patria? Cur ergo dicit: Hospes & peregrinus ego sum? Quomodo es hospes & peregrinus? Sicut omnes patres mei. Vides quòd illi quoque erant hospites & peregrini. Habemus, inquit, patriam, sed eam quæ verè est patria. Quomodo autem es tu hospes? Terræ. Ergo illi quoque terræ. Sicut enim, inquit, illi, ita & ego: & sicut iste, ita & illi. Simus ergo nos quoque nunc hospites, ne erubescat Deus vocari noster Deus. Pudor est enim ipsi quando vocatur malorum Deus, & ipsum eorum pudet, sicut glorificatur, quando bonorum & proborum, & virtutem colentium. Si enim nos recusamus vocari domini malorum nostrorum seruorum, & eos dimittimus: & si quis accedens dixerit, Hic vel ille mala facit innumerabilia, nunquid est seruus tuus? statim dicimus, Nequaquam, probrũ propulsautes. Est enim

2. Cor. 5. Patria sanctorum quænam sit.

Deus quomodo dicitur cœli & terræ.

Eccl. 16.

1. Par. 9.

feruo ad dominū habitudo & relatio, ignominia ab illo ad hunc transit. Sed illi erant adeo præclari, & tanta pleni fiducia, vt non solum non erubesceret ex illis vocari, sed etiam de se diceret, Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.

MORALE.

SIMVS ergo nos quoque, o dilecti, hospites, ne Deū nostri pudeat, pudeat, inquam, & nos tradat gehennæ. Tales erant illi qui dicebant, Domine, nonne tuo nomine prophetauimus? & tuo nomine multas virtutes fecimus? Sed vide quid illi dicat Christus. Nescio vos: quod quidem fecerint malorum seruorum domini, ad eos accurrentium, probrum volentes propulsare. Nescio vos, inquit. Quomodo ergo punis quos nescis? Nescio aliter dixi: hoc est, vos nego & recuso. Sed absit vt nos audiamus hanc vocem exitiosam & terribilem. Nam si qui dæmones eiiciebant, & prophetias proferebant, abnegati sunt, quoniam vitam non habebant conuenientem, quanto magis nos? Et quomodo, inquit, fieri potest vt qui prophetias ostenderunt, & signa fecerunt, & dæmonia eiecissent, sint negati? Est verisimile eos postea fuisse mutatos & euasisse malos. Vnde nec prior virtus illis quidquam profuit. Non solum enim exordia oportet habere præclara, sed finem etiam præclariorem. Nam dic mihi, an non orator studet ea facere præclara quæ sunt in fine orationis, vt cum plausu recedat? Non quæ in muneris publici exitu sunt, ostenduntur splendidiora? Athleta si non certamina ostendat præclariora, & ad finem vsque vincat, si vel omnibus victis fuerit victus ab vltimo, nunquid omnia sunt ei inutilia? Gubernator si totum mare transmiserit, naue in portu fracta, nonne totum priorem laborem amittit? Quid verò medicus, si ægroto liberato, cum eum perfectè esset liberaturus, tunc interitum afferat, an non totum perdidit? Ita etiam in virtute, qui non initio consequentem finem imposuerunt, consonantemque & conuenientem, planè perierunt. Tales sunt qui ab ipsis quidem carceribus præclari superbique & elati profilierunt, postea autem dissoluti ignauique & remissi fuerunt. Quamobrem & præmio sunt priuati, & a domino non sunt agniti. Hæc audiamus qui amore capti sumus pecuniæ, ea est enim maxima iniustitia. Nam radix omnium malorum est amor pecuniæ. Audiamus qui quas habemus facultates maiores & ampliores volumus efficere. Audiamus, & tandem cessamus à plura habendi cupiditate, ne ea quæ illi audiamus. Nunc hæc audiamus, & caueamus, ne tunc audiamus. Nunc cum timore audiamus, ne tunc ea audiamus cum supplicio: Discedite à me, nunquam noui vos, ne tunc quidem quando prophetias ostendebatis, & dæmones expellebatis. Verisimile est eum hinc quoque aliquid aliud tacitè significare, nempe quòd tunc quoque erant malæ vitæ, in initio autem etiam per indignos operabatur gratia. Nam si operata est per Balaam, multò magis per indignos propter eos qui erant lucrifacaturi. Si autem & signa & prodigia non potuerunt liberare à supplicio, multò magis etiam si quis sit in dignitate sacerdotali, etiam si ad summū honorem peruenerit, etiam si ad manuum impositionem operata sit gratia, & ad alia omnia propter eos qui egent defensione & patrocinio, ipse quoque audiet, Nunquam te noui, ne tunc quidem quando in te operata est gratia. Papæ, quanta est illic vitæ mundæ inquisitio? Quomodo ipsa per se sufficit ad nos in regnum adducendos, si absit autem, virum prodit, etiam si possit ostendere mille signa & prodigia. Nihil enim Deum tanta afficit lætitia quanta vitæ bona

Exod. 1.

Matt. 7.

Exordium frustra est bonum si finis non sit similis.

Virtutis finis initio consequens & congruens sit oportet.

1. Tim. 6.

Matt. 7.

Num. 24.

A institutio. Si diligitis me, inquit, non dixit, Signa facite. Sed quid? mandata mea seruate. Et rursus: Amicos vos dico, non quando dæmonia eiecistis, sed si sermones meos seruaueritis. Nam illa quidem sunt doni Dei: hæc autem post donum Dei, sunt etiam nostri studij, curæque & diligentia. Studemus esse amici Dei, & ne inaneamus inimici. Hæc semper dicimus, horum semper admonemus & nos ipsos & vos: sed nihil amplius efficiamus, nec quidquam prodest. Et ideo timeo. Et vellem quidem siluisse, ne vobis augeam periculum. Nam cum sæpe audias, ne sic quidem facere, est dominum irritare. Sed ipse quoque timeo aliud periculum silentij, si sim taciturnus, cum sit mihi commissum Verbi ministerium. Quid ergo faciemus vt salui simus? Incipiamus ex virtute viuere, dum tempus habemus. Virtutes nobis distribuamus, sicut agriculturam agricolæ. In hoc mense expugnemus maledictum & contumeliam, iram iniustam, & nobis imponamus legem, & dicamus: Hodie hoc rectè faciemus. Et in hoc mense nos ipsos doceamus patientiam, & in alio aliam virtutem, & cum ad huius virtutis peruenerimus habitum, veniamus ad aliam, sicut in disciplinis ea quæ sunt acquisita seruantes, & alia assumentes. Post illam veniamus ad cõtemptum pecuniæ. Primùm manus contineamus ab auaritia & plura habendi cupiditate, & tunc faciamus eleemosynam. Non omnia temere confundamus, iisdem manibus & rapientes & dantes eleemosynam. Postea ad aliam virtutem, & ab illa ad aliam. Turpitudine, & stultiloquium, & scurrilitas ne nominetur quidem apud vos. Hæc interim rectè geramus. Non parantur hæc sumptu, non labore, non sudore. Sufficit velle, & confecta sunt omnia. Non est opus magnam viam ingredi, neque magnum mare transmittere, sed studium adhibere, & esse prompto & alacri animo, & linguæ frænum imponere. Importunas contumelias, iras, impuras libidines, delicias, sumptus nimios, pecuniæ cupiditates, periuiria & iuramenta assidua à nostra expellamus anima. Si nos sic colamus, spinas quæ prius erant euellentur, & semen cæleste iniucientes, poterimus bona promissa consequi. Veniet enim agricola, & nos reponet in horreum, & bona omnia consequemur. Quæ detur nobis omnibus consequi gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri vnà cum sancto Spiritu gloria, imperium, honor, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Joan. 14. Ibid. 15. Verbi Dei ministro non est silendum.

Eph. 5.

Ad virtutem sufficit velle.

ORATIO XXV.

IDE obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, & vnigenitum filium offerere, in quo suscepit re promissiones, ad quem dictum est: In Isaac vocabitur tibi semen, arbitrans quòd & a mortuis suscitare potens est Deus. Vnde eum & in parabolam accepit. Reuera magna res est fides Abraham. Nam in Abele, & Noè, & Enoch solarū rationum erat pugna, & humanas rationes oportebat superare. Hic autem non solum oportebat superare humanas rationes, sed etiam aliquid amplius ostendere. Nam quæ Dei sunt videbantur pugnare cum iis quæ sunt Dei, & fides pugnabat cum fide, & iussus cum promissione: vt exempli causa dico. Dixit: Egredere è terra tua, & è cognatione tua: & dabo tibi terram hanc, & ne passum quidem pedis ipsi dedit in ea. Vides quomodo quæ facta sunt pugnabant cum promissione. Rursus dicit: In Isaac vocabitur tibi semen, & credidit. Et rursus dicit: Sacrifica mihi hunc, qui erat impleturus vniuersum orbem terræ ex semine suo. Vidisti pugnam iussorum & promissionis? Iussit contraria promissis: & neque sic caligauit

Gen. 22. Ibid. 21.

Abrahæ fides maior fide ceterorum.

Gen. 22.

Ibid. 21. Ibid. 22.

ligauit iustus, neque dixit se esse deceptum. Nam vos quidem non poteritis, inquit, hoc dicere quòd pollicitus sit requiem, & dederit afflictionem, hic enim facit ea quæ est pollicitus. Quomodo? In mundo, inquit, afflictionem habebitis. Qui nõ acceperit crucem suam, & me fuerit secutus, non est me dignus. Qui non odit animam suam, non inueniet eam. &: Qui non renunciat omnibus bonis suis, & me sequitur, non est me dignus. Et rursus: Ante Reges & præfides decertabitis propter me. Et rursus: Inimici hominis domestici eius. Quies autem & remissio illic est, nempe in vita futura. In Abraham autem contrà, iuebatur facere contraria promissionibus: & ne sic quidem turbatus est, neque caligauit, neque existimauit se esse deceptum. Vos autem nihil sustinetis quòd sit extra promissionem, & turbamini. Ille audiuit contraria eorum quæ est pollicitus ab eo ipso qui erat pollicitus, & non turbabatur, sed ea faciebat tanquam conuenientia. Erant enim conuenientia: contraria quidem humanis rationibus, conuenientia autem ex fide. Et quomodo? Ipse Apostolus vos docuit, dicens: Arbitrans quòd & a mortuis suscitare potens est Deus. Ex eadem, inquit, fide qua credit quòd donauit quæ non erant, ex eadem etiam mortuum suscitauerit: & persuasum habuit quòd maclatum erat suscitaturus. Erat enim æquè dubium, humana, inquam, ratione, & ex matrice emortua, senioque confecta, & ad liberorum procreationem iam planè inutili dare filium, & suscitare occisum: sed futura præcesserat fides quæ præterierat. Vide autem, bona quidem sunt prima, molesta autem & graua sunt posteriora in senectute. Nobis autem, inquit, contrà, quæ sunt quidem tristitia & molesta sunt prima: quæ autem bona, vltima. Hoc ad eos qui audent dicere quòd post mortem promittit nobis bona. Nos fortasse decepti, ostendit quòd etiam ex mortuis suscitare potens est Deus. Si autem ex mortuis suscitare potens est Deus, omnino reddet omnia. Si autem Abraham ante tot annos credidit quòd Deus sit potens suscitare ex mortuis: multò magis nos id debemus credere. Vides quòd sicut prius dixi, mors nondum intrarat, & eos statim traxit in spem resurrectionis, & ad tam certam deduxit persuasionem, vt etiam iussi suos maclarent filios, ex quibus expectabant se impleturos orbem terræ. Porro autem aliud quoque ostendit per hoc quòd dixit, Tentauit Deus Abraham. Quid verò, nesciebātne Deus cum esse virum fortem & probum? Cur ergo cum tentabat? Non vt ipse disceret, sed vt aliis ostenderet, & omnibus manifestam eius redderet magni animi virtutem. Et hic etiam ostendit causam tentationum, ne existimarent se tanquā a Deo derelictos hæc pati. Nam hic quidem etiam necesse est tentari, quòd multos habeant qui persequuntur, multos qui insidiantur: illic autem quæ erat ei necessitas quæ non sunt excogitare tentationes? Atque perspicuum quidem est quòd hæc tentatio fiebat eo iubente. Atque aliæ quidem fiebant eo permittente, hæc autem etiam iubente. Si ergo adeo probatos efficiunt tentationes, vt etiam si non sit causa, Deus suos exerceat athletas; multò magis nos eas oportet ferre fortiter. Cum magna autem emphasi hic dixit, quòd fide obtulit Isaac, dum tentatur. Nulla enim erat alia offerendi causa, quàm hæc. Deinde sententiam persequitur. Non poterat, inquit, quispiam dicere quòd alium haberet filium, & expectaret fore vt ex illo impleretur promissio, & ideo confidenter eum obtulerit. Et vnigenitum, inquit, filium offerebas, qui susceperat promissiones. Quid dicis vnigenitum? Quid verò, Ismaël vndenam erat? Vnigenitum dico, inquit,

Joan. 16. Matt. 10. Joan. 12. Luc. 14. Marc. 13. Mich. 7.

Cur Deus tentauit Abrahā.

Chrysof. tom. 4.

quod attinet ad rationem promissionis. Propterea enim cum dixisset Isaac, addidit vnigenitum, ostendens, inquit, quòd propterea dictum est, In Isaac vocabitur tibi semen, hoc est ex ipso. Vides quomodo admiraretur quòd factum est à Patriarcha. In Isaac, inquit, vocabitur tibi semen, & offerebat filium maclatum. Deinde ne existimaret quispiam quòd cum desperasset hoc facit, & per hoc iustum illam eiecit fidem, sed disceret quòd reuera hoc quoque sit fidei, dicit quòd illam quoque habebat fidem, quanquam cum ea videretur pugnare, sed non pugnabat. Non enim humanis rationibus metiebatur Dei virtutè, sed omnia permittebat fidei. Vnde non est veritus dicere, quòd etiam ex mortuis suscitare potens est Deus. Vnde eum & in parabolam accepit. hoc est in exemplo: in ariete, inquit. Quomodo? Ariete enim, inquit, maclato, hic fuit saluus. Quamobrem accepit eum per arietem, vt qui illum pro illo maclauerit. Hæc autem erant quidam typi. Hic enim est filius Dei maclatus. Mihi autem considera quanta sit benignitas. Nam quoniam hominibus quædam magna erat danda gratia, volens id non facere ex gratia, sed tanquam debitor, efficit primum vt homo det suum filium pro re Dei: vt nihil videretur magnum facere dans suum filium, siquidem ante eum homo hoc fecit, ne existimaretur hoc facere ex gratia, sed ex debito. Nam quos diligimus, hoc quoque volumus eis donare, vt cum quidpiam exiguum ab eis acceperimus, videamur sic eis dare vniuersum: & magis gloriemur quòd acceperimus, quàm quòd dederimus. Et non dicimus, Hoc ei dedimus, sed hoc ab ipso accepimus. Vnde & eum, inquit, accepit in parabola, hoc est, tanquam in ænigmatè. Erat enim aries veluti parabola aut similitudo Isaac: aut veluti in typo ac figura. Nam quoniam voluntate & animi instituto perfectum fuerat sacrificium, & occisus Isaac, propterea cum donat Patriarchæ.

Ibid. 21.

Filius Dei in typo maclatus, nempe in ariete.

MORALE.

VIDES hoc nunc quoque ostendi, quòd semper dico. Cum enim mentem nostram exhibuerimus perfectam, & ostenderimus nos res terrenas despiciere, tunc quoque nobis donat res terrenas, & non antè: ne accepisse nos eis alligatos adhuc alliget. Solue te, inquit, primum à seruitute, & tunc accipe, vt non amplius accipias tanquam seruus, sed tanquam dominus. Despice diuitias, & eris diues. Despice gloriam, & eris gloriosus. Despice vltionem inimicorum, & tunc eam assequeris. Despice quietem & remissionem, & tunc eam accipies: vt cum acceperis, non tanquam vinctus eam accipias, neque tanquam seruus, sed tanquam liber. Sicut enim in paruis pueris, quando puer quidem desiderat ludicra puerilia, propter admodum ea occultamus, vt pote globum, & cætera huiusmodi, ne impediatur à necessariis. Quando autem ea despexerit, & non amplius ea desiderat, ipsum eis securè impertimur, vt qui sciamus inde nullam deinceps ei esse noxam, cum illud desiderium non amplius possit eum abducere à necessariis. Ita Deus quoque cum viderit non amplius cupere quæ hic sunt, de cætero finit nos eis vti: ea enim habemus tanquam liberi & viri, non tanquam pueri. Nam quòd si cõtempseris vltionem summere de inimicis, tunc assequeris: audi quid dicat. Si es furit tuus inimicus, ciba illum. Si sitit, da ei potū: & subiunxit. Hoc enim faciens, congeres carbones super caput eius. Et rursus quòd si despexeris diuitias, tunc eas assequeris: audi Christum dicentem, Omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, aut domum, aut fratres, cen-

Cum terrenas res despexerimus, eas nobis datur.

Vltionem summere contemnens, et assequitur. Rom. 12. Matt. 19.

FFF

tuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Et quod si despexeris gloriam, tunc eam assequeris, audi ipsum rursus Christum dicentem, Qui vult inter vos esse primus, sit vester minister. Et rursus: Qui se humiliaverit, exaltabitur. Quid dicis? Si do cibum inimico, tunc cum punio? Si facultates diuisero, tunc eas habeo? Si me ipsum humiliauero, tunc ero excelsus? Maximè, inquit. Ea est enim mea potentia, vt contraria præbeam per contraria. Sum locuples & copiosus, & ad res agendas mihi suppetit facultas. Ne timeas. Voluntatem meam sequitur rerum natura: non ego sequor naturam. Ego omnia operor, non ab illis agor. Quamobrem ego eas possum transmutare & transformare. Et quid miraris si in his? Hoc ipsum enim inuenies etiam in aliis omnibus. Si iniuriam facias, affectus es iniuria. Si facta est tibi iniuria, tunc non es iniuria affectus. Si vltus fueris, tunc non es vltus, sed te ipsum es vltus. Qui enim, inquit, diligit iniquitatè, odit animam suam. Vides quod non es iniuria affectus, sed iniuria afficis? Propterea dicit etiam Paulus: Quare non magis iniuriam accipitis? Vidisti quod hoc non sit iniuria affici? Quando contumelia affeceris, tunc affectus es contumelia. Et hoc ex parte sciunt multi: vt quando dicunt inter se, Hinc discedamus, ne te ipsum afficias contumelia. Quamobrem? Quoniam multum interest inter te, & illum. Nam quantiscunq; affeceris contumeliis, ille gloriam existimat. Hoc in omnibus cogitemus, & contumeliis euadimus superiores. Quomodo? Ego dico. Si est nobis pugna aduersus eum ipsum qui est indutus purpura, eò quod contumelia eum afficimus, existimamus nos ipsos iniuria afficere. Nam digni sumus qui probro afficiamur. Quid dicis, dic quæso? Cùm sis ciuis cælorum, & supernam habeas philosophiam, cum eo qui res terrenas mente agitatur probris te ipsum appetis. Nam etsi pecunias possideat innumerabiles, & sit in principatu & potestate, nondum tamen scit bonum tuum. Noli te ipsum contumelia afficere, illum afficiens contumelia. Tibi parce, non illi. Te ipsum honora, non illum. An non est huiusmodi proverbium: Qui honorat, se ipsum honorat. Et meritò. Non enim illum honorat, sed se ipsum. Audi quendam sapientem dicentem: Fac animæ tuæ honorem iuxta eius dignitatem. Quid hoc est? Per avaritiam & plura habendi cupiditatem fraudauit: ne per avaritiam fraudaueris: affecit contumelia, ne contumelia affeceris. Dic mihi, quæso, si quis pauper lutum iacens è tua aula acceperit, num propterea eum vocaris in iudicium? Nequaquam. Quamobrem? Ne te contumelia afficias: ne te omnes condemnent. Hoc nunc quoque fit. Diues enim est pauper: & quod est ditior, eò magis vera laborat paupertate. Lutum est aurum, in aula iacens, non domi tuæ situm. Cælum enim est domus tua. Si propterea ergo litem moueas & iudicio contendas, an non te condemnabunt superni ciues? non te eiciant è sua patria, qui es adeò humilis, adeò vilis & abiectus, vt pro modico luto velis pugnare? Nam si mundus esset tuus, deinde ipsum accepisset aliquis, curare oporteret. Nescis quod si decies posueris orbem terræ, & centies, & decies milies, & bis tantum, ne est quidem ad minimam partem eorum quæ sunt in cælis? Qui ergo ea quæ hinc sunt miratur, illa afficit contumelia, siquidem hæc digna existimat in quæ studium conferatur, quæ ab illis tanto distant intervallo. Imò verò nec poteris quidem illa admirari. Quomodo enim, cùm ad hæc obstupescens inhies? Dissecemus funes & laqueos: hoc enim sunt res terrenæ. Quandiu infernè incuruabimur, & deorsum aspiciemus? Quandiu nos alter alteri insidiabimur,

Luce 14. & 18.
Natura rerum sequitur Dei voluntatem. Psal. 10.

1. Cor. 6.

Qui honorat, se ipsum honorat.

Aurum est lutum.

Terrenis inhians cælestia non admiratur.

A sicut feræ & sicut pisces? Imò verò feræ non parant altera alteri insidias, sed iis quæ sunt diuersi generis. Vtputa vrsus vrsum non confestim interimit: neque serpens de medio tollit serpentem, vt qui reuereatur quod sit eiusdem generis. Tu autem eum qui est eiusdem generis, & cum quo iura habes innumerabilia, cognationem, rationem, Dei cognitionem, vim naturæ & alia innumerabilia, & qui est eiusdem naturæ particeps, perimis, & in mala iniicis innumerabilia. Quid tum enim, si gladium non adigis, neque in collum dexteram immergis? Alia facis hoc grauiora, in perpetua iniicis molestias. Nam si hoc fecisses, à perpetua liberalles sollicitudine. Nunc autem iniicis in famem, seruitutem, aegritudines, & multa peccata. Hæc dico, & non cessabo dicere, non vos incitans ad cædem faciendam, neque adhortans vt ad malum illo minus veniatis, sed ne confidatis tanquam pœnas non sitis daturi. Nam cui victus adimitur, & qui pœnam petit. Contineamus tandem apud nos manus, imò verò non contineamus, sed eas rectè extendamus, non ad plura acquirenda per avaritiam, sed ad eleemosynam. Ne habeamus manum infertilem, nec aridam. Nam quæ non facit quidem eleemosynam, est arida. Quæ autem etiam plura acquirit per avaritiam, est execranda & impura. Nemo comedat cum eiusmodi manibus, est enim contumelia eorum qui sunt vocati. Nam, dic quæso, si quis cùm nos fecisset accumbere super tapetes, & molle stragulum, & auro intextas vestes lineas, in domo splendida, magnamque & multam famulorum astare fecisset multitudinem, deinde mensam parasset ex auro & argento, & multis impleset, lautisque & sumptuosus omne genus cibus, nos cogeret comedere, an solum ferremus eum cæno manus vngentem, & stercore humano, & ita simul accumbentem, hancne pœnam sustineret quispiam, & non hanc rem duceret esse contumeliam? Duceret sanè opinor, & statim resiliat. Nunc autem non vides manus eo quod verè est cœnum oppletas, atque adeò ipsos etiam cibos, & non resiliat? Non fugis? non reprehendis? Sed si sit quidem in potestate & autoritate rem magnam esse statuis, & tuam perdis animam, vescens talibus. Quouis enim cæno peior est avaritia, animam enim inquinat & corpus, & efficit vt difficiliter possit clui. Tu autem videns hoc cæno quidem illitum eum qui accumbit, & manus, & oculos, domum quoq; & mensam eo repletam, (stercoribus enim, & si quid est his immundius, sunt illi cibi spurciores & oblectiores) ita afficeris quasi honoratus, & tanquam futurus in deliciis, & nec Paulum quidem vereris, qui ad mensam Græcorum, si velimus, citra impedimentum nobis permittit accedere: ad avarorum autem, & eorum qui damnis ditantur alienis, ne volentes quidem finit. Si quis enim, inquit, frater nominatur inter vos. fratrem hinc dicens absolutè quemuis fidelem, non eum qui est monachus. Nam quid est quod facit fraternitatem? Lauacrum regenerationis, posse Deum patrem vocare. Quamobrem catechumenus quidem etiam si sit monachus, non est frater. Fidelis autem etiam si mundanus sit, seu secularis, est frater. Si quis, inquit, frater nominatur. Nam nec vllum quidem tunc erat monachi vestigium. Sed mundanis seu secularibus hæc omnia dicebat hic beatus. Si quis, inquit, frater nominatur, & sit fornicator, aut avarus, aut ebriosus, cum huiusmodi nec cibum sumere. Sed non ita cùm agit de Græcis seu gentilibus. Si quis vocat vos infidelium & vultis ire, omne quod vobis apponitur comedite. Si quis, inquit, frater nominatur, & sit ebriosus. Papæ quæ exactè

Deest aut. quid.

Avaritia est peior quouis cæno.

1. Cor. 5. Monachi nullum erat vestigium tempore dicit Pauli.

1. Cor. 10.

exactè loquitur & accuratè! Nos autem non solum non fugimus ebriosos, sed etiam eos adimus, eorum quæ ab ipsis apponuntur futuri participes. Propterea omnia sùsque de que sunt agitata, omnia sunt confusa, euerfa, & perditata. Nam dic mihi, si quis eorum qui sunt huiusmodi, te inuitarit ad conuiuium, te qui existimaris pauper, vilisque & abiectus, deinde à te audierit: Quoniam quæ apponuntur parta sunt ex avaritia, non patiar meam polluere animam, an non fuerit reueritus, an non pudore affectus? Hoc solum sufficeret ad corrigendum, & efficiendum vt se quidem miserum duceret propter diuitias: te autem admiraretur propter paupertatem, si se videret à te tanto studio despici. Sed facti sumus nescio vnde serui hominum, cùm Paulus sùsque de que clamet, Nolite fieri serui hominum. Quando quidem prius facti sumus serui ventris, & pecuniæ, & gloriæ, & aliorum omnium, prodidimus libertatem qua nos donauit Christus. Quid ergo manet eum qui factus est seruus, dic mihi? Audi Christum dicentem. Seruus non manet in domo in æternum. Habes perfectam & absolutam sententiã, quod nunquam in regnum ingreditur. Hoc enim est domus. Nam in domo, inquit, patris mei mansiones multæ sunt. Seruus ergo non manet in domo in æternum. Seruum illum dicit seruum peccati. Qui autem non manet in domo in æternum, in gehenna manet in æternum, nullam habens cõsolationem. Sed enim res ad eam redierunt improbitatem & vitium, vt etiam ex ipsis faciant eleemosynas, & multi accipiant. Propterea amputata est nostra libertas, & neque possumus aliquem increpare. Sed nunc de cætero fugiamus noxam quæ inde oritur, & vos qui hoc lutum voluitis, cessate ab hac pernicie, & cohibete vestrum appetitum ab huiusmodi conuiuio, si aliquo modo possumus saltem nunc Deum placare, & bona consequi promissa: Quæ detur nobis omnibus assequi gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri, vnà cum sancto Spiritu gloria, imperium, honor, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Serui hominum sunt serui vitiorum.

Ioan. 8.

Ibid. 14.

Luce 10.

Iusti inueniunt omnia hæc futura.

Gen. 47.

ORATIO XXVI.

FIDE & de futuris benedixit Isaac Jacob & Esau. Fide Jacob moriens singulos filiorum Ioseph benedixit, & adorauit fastigium virgæ eius. Fide Ioseph moriens de professione filiorum Israël memoratus est, & de ossibus suis mandauit. Multi, inquit, Prophetæ & iusti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Nunquid omnia futura nouerunt iusti? Maximè. Nam si ideo non reuelabatur filius propter imbecillitatem eorum qui non poterant ipsum suscipere, iis qui virtute resplendebant meritò reuelabatur. Hoc etiam dicit Paulus, quod sciebant futura, nempe Christi resurrectionem. An non hoc dicit? Sed fide de futuris: non de futuro sæculo, sed de iis quæ hinc sunt futura. Quomodo enim homo sedens in terra peregrina tales daret benedictiones? Sed rursus assecutus est benedictionem, & eam non accepit. Vides quod licet dicere id quod dixi in Abrahamo, quod non potuit sit benedictione, sed benedictiones exierunt ad posterum. Ipse autem fide futura est assecutus. Inuenimus enim fratrem iis magis esse potitum. Nam ipse quidem & in seruitute, & in vita mercenaria, & in periculis, & in insidiis, & in deceptionibus & timoribus toto tempore perpetuò est versatus: & à Pharaone interrogatus, dicit: Pauci, inquit, & mali fuerunt dies mei. Ille verò in securitate vixit & magna auctoritate: & postea fuit

Chrysof. tom. 4.

ei terribilis. Vbi ergo euenerunt benedictiones nisi in futuro? Vides quod multis retroactis temporibus, rebus quæ hic sunt potiti sunt mali. Iusti autem contra: non tamen omnes. Ecce enim Abraham erat iustus, & ea quæ hic sunt ei fruenta suppeditabant, sed cum afflictione & tentationibus: etenim solæ ei erant diuitiæ, alioqui erant eius omnia plena afflictionibus. Neque enim fieri potest vt non affligatur iustus, etiam si sit diues. Nam quando vult suarum rerum accipere detrimentum, iniuria affici, & alia pati, necesse est vt affligatur. Quamobrem etiam si fruatur diuitiis, fruitur non absque molestia. Quare? Quoniam est in afflictione, & dolore. Si autem iusti tunc erant in afflictione, multò magis nunc. Fide & de futuris, inquit, benedixit Deus Iacob & Esau. Atqui Esau erat maior natus: sed propter virtutem præponit Iacob. Vides quanta esset fides. Vndè nam pollicebatur filiis tam multa bona? Ex eo quod omnino Deo crederet. Fide Iacob moriens singulos filiorum Ioseph benedixit. Hic ponendæ sunt totæ benedictiones, vt & fides, & prophetia eius sit manifesta. Et adorauit, inquit, fastigium virgæ eius. Hic, inquit, non solum dixit, sed etiam adeò confidebat futuris, vt etiam re ipsa ostenderet. Nam quoniam surrecturus erat rex alius ex Ephraim, propterea, inquit, etiam adorauit ad fastigium virgæ eius. Hoc est, etiam si esset senex, iam adorabat Ioseph, significans totius populi adorationem ei futuram. Et hoc quidem iam euenit quando eum adorarunt fratres eius, postea autem erat etiam euenturum per decem tribus. Vides quemadmodum prædixit ea quæ postea erant futura. Vides quantam haberent fidem, quomodo crederent de futuris. Nam alia quidem quæ sunt hinc presentia, sunt exempla patientiæ, & malè patienti, & nullius boni fruendi: vt accidit in Abrahamo & in Abele. Alia autem, sunt exempla fidei, vt in Noè, quod sit Deus, quod sit remuneratio. Nam hæc est fides multiplex, quod & sit remuneratio, & quod non in iisdem eadem maneat, & quod certandum sit ante præmia. Quæ autem in Iacob euenerunt, sunt solius fidei, quod promiserat Abrahamo, nempe quod fuerat pollicitus, Tibi dabo, & semini tuo terram hanc. Audiuit Ioseph: & cùm esset in terra aliena, & necdum videret euenisse prædictionem, ne sic quidem despondit animum, sed ita credidit vt etiam diceret de exitu, & de suis mandaret ossibus. Non ergo ipse solus recedit, sed etiam alios induxit ad fidem, vt semper recordantes, quod non mandasset de ossibus, nisi id sibi certò fuisset persuasum, expectarent exitum. Quamobrem cùm dicunt aliqui: Ecce etiam iusti curam gesserunt monumentorum, eis dicamus quod ideo curam gesserunt. Sciebat enim quod Domini est terra & plenitudo eius. Non hoc ergo ignorauit qui in tanta vixit philosophia, qui toto tempore vixit in Ægypto. Atqui licebat ei si vellet reuerti, non lugere, nec egrè ferre & plangere. Sed cùm patrem illum reduxisset, cur ossa quoque sua illinc abduci iussit? An non scilicet propterea? Quid verò, dic mihi quæso, ipsius Moysis ossa an non sita sunt in terra aliena? Num & Aaronis, & Danielis, & Hieremiæ? Apostolorum autem multorum nescimus vbi sita sint. Nam Petri quidem & Pauli, & Ioannis, & Thomæ manifesta sunt sepulchra, aliorum autem cùm sint tam multi, nusquam sunt nota. De eo ne plangamus, neque adeò pusillo & abiecto simus animo. Nam ubicunq; fuerimus sepulti, Domini est terra & plenitudo eius. Id planè sit quod fieri oportet. Lugere autem, & plangere, & deslere eos qui excesserunt, existit ex pusillo & abiecto ani-

Iustus affligitur etiam si sit diues.

Exempla patientiæ.

Exod. 50.

Moyse ossa iacent in terra aliena.

mo. Fide Moyses natus occultatus est tribus mensibus à parentibus suis. Vides quòd hinc sperabat in terra quæ post mortem erant futura, & multa euenerunt post mortem eorum. Hoc ad id quod quidam dicunt, Hæc post mortem illis fiebant, quæ non sunt assecuti viuentes, neque credebant post mortem. Et non dixit Ioseph: Mihi viuenti non dedit terram, neque patri meo, neque auo meo, cuius etiam oportebat reuereri virtutem. Hos autem sceleratos iis dignabitur quibus illos non est dignatus? Nihil horum dixit, sed fide omnia vicit & superauit. Dixit de Abele, de Noë, de Abrahamo, de Iacob, de Ioseph, qui sunt omnes gloria insignes & admirabiles. Rursus auget consolationem, rem deducens ad viles personas. Nam quòd admirabiles quidem personæ hæc sint passæ, & quòd illis minores apparuerint, non est adeò graue. Quòd autem minores visi sint iis qui nulli sunt nominis, hoc verò est graue: & incipit à parentibus Moysis, qui minimè erant insignes, & nihil tale habebant quale filius. Et ideo procedens quoque auget absurditatem, recensens mulieres meretrices & viduas. Fide enim, inquit, Rhaab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace. Et non solum fidei, sed etiam infidelitatis ponit mercedem, vt in Noë. Interim autem necesse est dicere de parentibus Moysis. Omnes masculos Pharaon iussit interfici, & nullus effugit periculum. Vnde ergo separarunt ij fore vt seruarent infantem? Ex fide. Ex qua fide? Viderunt, inquit, elegantem & scitum infantem. Ipse aspectus eos attraxit ad fidem. Ita statim ab initio, & ex ipsis fasciis iusto multa infusa erat gratia, non hoc efficiente natura. Considera enim. Statim natus infans pulcher apparuit, non deformis. Quid hoc effecit? Non natura, sed gratia, quæ & barbaram illam excitauit mulierem Ægyptiam, & corroborauit, & eum accepit, & attraxit. Quamquam fides in his non satis amplum habuit argumentum. Quid enim ex fide credi poterat? Sed vos, inquit, ex rebus creditis, etiam multa habentes fidei pignora. Nam cum gaudio suscipere bonorum directionem, & quæcunque sunt huiusmodi, fidei erat & tolerantia. Sed quoniam isti crediderunt, deinde pusillo & abiecto fuerunt animo, ostendit quòd illorum quoque fides multum extendebatur, qualis fuit fides Abrahamæ, etiamsi res viderentur pugnare. Et non timuerunt, inquit, Regis edictum. Atqui illud operabatur: hoc autem erat planè nuda quædam expectatio. Et hoc quidem erat parentum. Ipse autem Moyses quid attulit? Deinde rursus ei conueniens affert exemplum, vel potius illo maius. Fide, inquit, Moyses grandis factus negauit se esse filium filia Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improprium Christi. Aspiciebat enim in remunerationem. Tanquam si eis diceret: Nemo vestrum dimisit regiam, eamque præclaram, neque cuiusmodi thesauros, neque cum liceret esse filium Regis, hoc despexit, sicut fecit Moyses. Et quòd non temerè ac leuiter dimiserit, significauit, dicens: Negauit. Hoc est, odit, auersatus est. Cælo enim proposito erat superuacaneum admirari regiam Ægypti. Et videte quàm admirabiliter hoc posuerit Paulus. Non dixit, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum, cælum, & quæ sunt in cælis. Sed quid? Opprobrium Christi. Nam propter Christum probris affligi melius existimauit, quàm esse in quiete & animi remissione. Ita etiam hoc ipsum per se erat merces. Magis eligens affligi cum populo Dei. Nam vos quidem

pro vobis ipsis patimini. Ille autem pro aliis elegit, & lubens ac volens seipsum coniecit in tam multa pericula, cum ei liceret & piè agere & frui bonis. Quàm temporalem, inquit, peccati habere iucunditatem. Peccatum dixit, nolo cum aliis affligi. Hoc, inquit, peccatum existimauit. Si ergo ille peccatum existimauit non prompto & alacri animo cum aliis affligi, magnum ergo bonum est afflictio, in quam se coniecit è regia. Hæc autem faciebat quædam magna præuidens. Maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improprium Christi. Hoc est, eis probris affligi, quibus vos affligimini. Opprobrium quod Christus sustinuit: aut quoniam propter Christum sustinuit, Petra enim erat Christus, ita probris sicut vos affligi. Quid est improprium Christi? Quòd bonis patriis euertimur, probris affligimur, quòd malè patimur ad Deum confugientes. Verisimile erat illum quoque probris affligi quando audiit: Num me vis interficere, sicut heri interfecisti Ægyptium? Hoc est improprium Christi, ad finem vsque, & ad extremum vsque spiritum malè pati: sicut ipse probris affligebatur, & audiebat: Si filius Dei es, ab iis pro quibus in crucem agebatur, ab eorum contribulibus. Hoc est improprium Christi, quando quispiam à suis, quando ab iis quos beneficio affligit, probris affligitur. Ille enim ab eo patiebatur qui erat affectus beneficio. Hic eos excitauit, ostendens quòd Christus quoque hæc patiebatur, & Moyses, duæ claræ & insignes personæ. Quamobrem hoc improprium est magis Christi, quàm Moysis, quoniam à suis hæc passus est. Sed neque ille fulmina emittebat: neque hic aliquid est passus, sed probris affligebatur, & ferebat omnia, illis mouentibus capita. Quoniam ergo est verisimile eos quoque hæc audire, & desiderare remunerationem, dicit Christum & Moysen talia esse perpeffos. Requit ergo & remissio est peccati. Probris autem affligi, Christi. Quid ergo maius improprium Christi, an requiem & animi remissionem? Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem Regis. Inuisibilem enim tanquam videns sustinuit. Quid dicis? Non timuit. Atqui hoc dicit scriptura, quòd cum audiisset timuit, & ideo fuga suæ salutis consuluit, & aufugit, & furtim se subduxit, & postea erat meticulous. Attende diligenter & accuratè ei quod dictum est. Illud, Non veritus iram regis, dixit respiciens ad id quod postea astiterit. Timentis enim erat non attingere rursus defensionem & patrocinium, neque rem aggredi. Rursus autem attingere, erat eius qui Deo omnia committebat. Non enim dixit: Quærit me, & anxie indagat, nec rursus fero vt eadem attingam. Erat itaque fidei fugere. Cur ergo non mansit, inquit? Ne in præuisum se iniceret periculum. Hoc enim iam erat tentantis, in media proflire pericula, & dicere, videamus an me seruet Deus. Hoc etiam Christo dixit diabolus, Mitte te deorsum. Vides quòd hoc sit diabolicum, temerè & inconsideratè se in pericula coniecere, & tentare an Deus conseruet. Eis enim præesse & eos amplius defendere non poterat, cum tam ingrati essent animi qui affligebantur beneficio. Fuisset ergo stultitia & mentis vecordia illic manere. Hæc autem omnia facta sunt, quòd ita tolerabat tanquam videns eum qui non cadit sub aspectum.

MORALE.
S i ergo Deum mente semper videamus, si in eius recordatione semper nostram versemus cogitationem, nobis omnia semper videbuntur ferenda, omnia tolerabilia,

Mortuos desere est pusilli & abiectissimi.

Mosis parentes. Exod. 1.

Gratia non natura scitum & elegantem effecit Moysen.

Afflictio est magna bonum.

1. Cor. 10.

Exod. 1.

Christi opprobrium quodnam vocet Paulus.

Timor Dei adst, nihil erit molestum. Act. 18.

Act. 14.

Mat. 4.

lerabilia, omnia facillè feremus, erimus omnibus superiores. Si quis enim videns dilectum, vel potius eius recordans, exurgit animo, & mente fit sublimi, & omnia fert facillè, ex eius memoria capiens voluptatem: qui versat in cogitatione eum qui nos verè dignatus est amare, & eius meminit, quando vel molestum aliquid sentiet, vel aliquid terribile & periculosum extimefcet? Quando autem erit pusillo & abiecto animo? Omnia enim nobis videntur difficilia, quòd Dei nullam habemus memoriam vt habere oportet, quòd non eum in cogitatione perpetuè circumferimus. Meritò enim nobis dixerit, Oblitus es mei: ego quoque tui obliuiscar: & duplici ratione fit malum, quòd & nos eius obliuiscimur, & ipse nostri. Hæc enim duo sunt inter se quidem complexa, sunt autem duo. Nam magnam quidem rem facit Dei memoria: magnam etiam & quòd nos eum habeamus in memoria. Hoc bona facit eligere, illud perficere, & ad finem deducere. Propterea dicit Propheta: Memor ero tui de terra Iordanis, & Hermonij à monte modico. Hæc dicit populus qui erat in Babylone, Memor ero tui. Ergo & nos quoque, vt qui sumus in Babylone. Nam etsi non sedeamus inter hostes, sumus tamen inter inimicos. Nam alij quidem sedebant tanquam captiui: alij autem ne sentiebant quidem captiuitatem, vt Daniel, vt tres pueri, qui etiam cum essent in captiuitate, eo ipso Rege qui eos abduxerat in captiuitatem, erant in illa ipsa regione clariore: & captiuos adorant is qui abduxit in captiuitatem. Vidisti quanta res sit virtus? Etiam cum essent in captiuitate adorabat tanquam dominos. Ille ergo magis erat captiuus quàm ipsi. Non fuisset æquè mirandum, si cum essent in sua patria, ille veniens eos adorasset, & si cum illic essent Reges. Mirandum est autem quòd cum eos vinxisset, & captiuos accepisset, omnibus videntibus non puduit eum adorare, & Manac libere. Videtis quòd res Dei sunt reuera præclaræ, res autem humanæ sunt vmbra. Ignorabat ergo se sibi dominos adducere, & quos erat adoraturus in fornacem iniecisse. Sed hoc illic erat instar somnij. Timeamus, o dilecti, timeamus Deum: & licet simus in captiuitate, sumus omnium clarissimi. Adsit timor Dei, & nihil erit molestum, siue dixeris paupertatem, siue morbum, siue captiuitatem, siue seruitutem, siue quiduis molestum. Sed & illa ipsa nobis opem ferent ad contraria. Ipsi erant captiui, & Rex eos adorauit. Tabernaculorum contextor erat Paulus, & ei sacrificabant tanquam Deo. Hic oritur quæstio, cur Apostoli quidem prohibuerunt sacrificia, & sua vestimenta confregerunt, & à cæpto abduxerunt, & fleuerunt dicentes: Et nos mortales sumus similes vobis homines. Daniel autem nihil fecit huiusmodi. Nam quòd ipse quoque esset humilis, & non minus quàm ipsi, Deo offerret gloriam, ex multis quidem est perspicuum, maximè autem etiam ex eo quòd à Deo diligeretur. Non enim ipsum Dei honorem sibi vsurpantem fuisset viuere, nedum esse in honore & existimatione. Secundò autem quòd cum multa libertate dicebat & fiducia, Mihi quoque, o Rex, non in sapientia quæ est in me, reuelatum est hoc mysterium. Et rursus: In lacu eram propter Deum: & quando quidem cibum ad eum attulit Propheta, Recordatus est, inquit, mei Deus: adeò erat humilis & contritus. In lacu erat propter Deum, & se indignum existimabat vt eius recordaretur, & vt exaudiretur. Nos autem cum innumerabilia execranda audeamus admittere, & simus omnium sceleratissimi & maximè execrandi, si non à prima precatione fuerimus exauditi, recedimus. Reuera multum inter illos & nos interest, quan-

tum inter cælum & terram, & si quid est amplius. Quid dicis, post tam multa rectè & præclare gesta, post miraculum in lacu factum, adeo humilem te esse existimas? Certe, inquit. Nam quæcunque fecerimus, serui inutiles sumus. Ipse præoccupans impleuit euangelicum præceptum, & se nihil existimabat. Deus, inquit, mei est recordatus. Eius rursus oratio quanta plena est humilitate? Et rursus tres pueri sic dicebant. Peccauimus, iniquè egimus: & vbique suam ostendunt humilitatem. Atqui Daniel habebat innumera-biles sui extollendi occasiones, sed sciebat, quòd hæc omnia ei aderant ex eo quòd non extolleretur, nec thesaurum corrumperet. Nam apud omnes homines & in vniuerso orbe terrarum, non propter hæc solum decantabatur, quòd Rex in faciem prociderit & ei libauerit, & Deum existimauerit is qui vbique terrarum tanquam Deus honorabatur. Nam ipse in vniuersam terram obtinebat dominatum. Idquæ est perspicuum ex Hieremia. Qui terram, inquit, induit tanquam vestimentum. Et rursus: Ego eam dedi Nabuchodonosor seruo meo. Et ex iis rursus quæ in suis scribit literis, & quòd non solum illic vbi erat habebatur in admiratione, sed etiam vbique, & maius erat, quàm si præfentes eum vidissent omnes gentes, quando etiam literis seruitutem confessus est, & miraculum. Sed tamen habebatur etiam in admiratione propter sapientiam. Num tu es, inquit, sapientior Daniele? Et post hæc omnia adeò erat humilis, qui millies propter dominum erat mortuus. Cur ergo cum esset adeò humilis, non repulit, neque regis adorationem, neque libamina? Hoc non dicam, mihi enim sufficit solum dicere quæstionem: quòd reliquum est autem vobis dimitto, vt vel sic mentem vestram excitet. Illud quidem certè præcipio & moneo vt omnia propter Dei timorem eligatis, cum talia habeatis exempla, & quòd reuera ea quoque quæ hinc sunt assequemur, si futura germanè & sincère apprehendamus. Nam quòd hoc non fecerit superbia & insolentia, est perspicuum ex eo quòd dixerit, Dona tua sint tibi. Etenim est hæc quoque alia quæstio, quomodo verbis repellens, re ipsa & factis ipsis honorem suscepit, & torquem gestauit. Et Herodes quidem cum audisset, Est vox Dei, & non hominum, quoniam non dedit gloriam Deo, crepuit, & effusa sunt viscera eius. Hic autè etiam Dei admisit honorem, non verba tantum. Sed necesse est dicere quidnam hoc sit. Illinc quidem homines in maiorem cadebant idololatriam. Hinc autem non itidem. Quomodo? Nam quòd hic existimatus esset talis, ad Dei honorem pertinebat. Nam propterea prius dixit. Mihi autem non in sapientia, quæ est in me. Alioqui autem nec cernitur admittere libamina. Dixit enim, inquit, quòd oportet libare: minimè autem fuit manifestum quòd res deducta sit ad effectum. Illic autem adduxerunt tauros vt immolarent: & vocabat alterum quidem Iouem, alterum verò Mercurium. Torquem autem admisit, vt se redderet manifestum. Libamen autem cur non videretur repellere? etenim illic non fecerunt, sed aggressi sunt, & prohibuerunt Apostoli. Quamobrem hic quoque oportebat statim repellere. Et illic totus erat populus: hic autem Tyrannus. Cur ergo eum ab illa re non abduxit? Dixit antea, quòd non libabat tanquam Deo ad euertendam religionem, sed ad maius miraculum. Quomodo? Propter Deum fecit edictum. Quamobrem eius honorem non auferebat. Illi autem non sic, sed ipsos putabant esse Deos. Propterea repellabant. Hic autem cum adorasset, tunc hoc facit. Non enim eum adorauit tanquam Deum, sed tanquam hominem sapientem. Sed

Omnia difficilia quidnam faciat.

Psal. 41.

Virtus facit vt Rex adoret captiuos.

Timor Dei adst, nihil erit molestum. Act. 18.

Act. 14.

Dan. 2.

Ibid. vi.

Danielis humilitas.

Luc. 17.

Dan. 3.

Nabuchodonosor vbique terrarum tanquam Deus honorabatur. Hier. 17.

Act. 12.

Dan. 2.

Dan. 3.

Balthasar est nomen Dei Babyloniorum.

nec est manifestum quod libauerit. Quod si etiam libauit, libauit id non suscipiente Daniele. Quid, quod etiam ipsum vocauit Balthasar? est autem hoc eius Dei nomen. Ita Deos suos nihil magnum existimabant miraculum, cum etiam captiuum sic vocaret, qui omnes iubebat variam & multiplicem adorare imaginem, & qui colebat Draconem: & erant Babylonij longe amentiores iis qui erant Lystris. Quamobrem non licebat eos statim ad hoc inducere. Multa dici possunt, sed interim hæc sufficiunt. Si ergo volumus omnia bona consequi, quæramus quæ ad Deum pertinent. Quomodo enim qui quæramus quæ sunt mundi, & ab his, & ab illis excidunt: ita qui præponunt quæ ad Deum pertinent, vtraque assequuntur. Ne hæc quæramus, sed illa: ut etiam bona promissa consequamur, in Christo Iesu domino nostro, cum quo Patri, vna cum sancto Spiritu, &c.

ORATIO XXVII.



FIDE celebravit pascha, & sanguinis effusionem, ne qui vastabat primitiua, tangeret eos. Fide transferunt mare rubrum, tanquam per aridam terram. Quod experti Aegyptij, deuorati sunt. Fide muri Hiericho corruerunt, circuitu dierum septem. Fide Rhaab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace. Multa solet Paulus interiecta probare ac confirmare, & est creber sententiis, talis enim est gratia Spiritus. Non in verborum multitudine continet sensus, sed in verborum breuitate multam & magnam indit intelligentiam. Vide ergo, cum instar adhortationis de fide differeret, cuius figuræ & mysterij admoneat, cuius habemus veritatem. Fide, inquit, celebravit pascha, & sanguinis effusionem, ne qui vastabat primogenita eos tangeret. Agnus sacrificabatur in ædibus, & sanguis illinebatur postibus, & hoc erat amolito Aegyptij interitus. Si ergo sanguis agni in medio Aegyptiorum, vel in tanto exitio illæfos custodiebat Iudæos, multo magis nos conseruabit sanguis Christi, illitus, non postibus, sed nostris animis. Etenim nunc quoque qui vastat & perdit, in hac media nocte circuit. Sed armemur illo sacrificio. Vnctionem vocat effusionem. Ex Aegypto enim nos eduxit Deus, è tenebris, ex idololatria. Atque quod factum quidem fuit, nihil erat. Quod autem rectè & perfectè gerebatur, res magna. Nam quod factum quidem fuit erat sanguis: quod autem rectè & perfectè gerebatur, salus, & obstatulum, ac prohibitio interitus. Timuit sanguinem Angelus, sciebat enim cuius esset typus, horruit, mortem domini cogitans. Propterea non tangebatur postes. Dixit Moyses: Vngite, & vnixerunt, fueruntque confidentes & securi. Vos autem ipsius agni habentes sanguinem, non confiditis? Fide transferunt mare rubrum, tanquam per aridam terram. Rursus totum populum comparat populo, ne dicant, Non possumus esse sicut sancti. Fide, inquit, transferunt mare rubrum, tanquam per aridam terram, quod experti Aegyptij fuerunt submersi. Hic eis reuocat in memoriam ea quæ perpeffi sunt in Aegypto. Quomodo fide? Quoniam sperarunt se per mare transitorios, & ideò orabant: imò verò erat Moyses qui orabat. Vides quòd vbiq; fides humanas rationes exuperat, & imbecillitatem, & humilitatem. Vides, simul & credebant, & supplicium extimuerunt, & in sanguine ostiorum, & in rubro mari. Et hoc declarabat fuisse aquam, per eos qui ceciderunt, & in ea fuerunt suffocati, & non fuisse visionem. Sed quomodo qui fuerunt consumpti à leonibus, ostendebant rerum veritatem: & qui combusti fuerunt in fornace: ita nunc

Paschatis Iudaici nostro Paschatis adapatatio.

Fides vbi que humanas rationes exuperat.

A quoque vides res easdem, illis quidem fuisse salutis & gloriæ, illis verò exitio. Tantum bonum est fides: & quando ad tantam venerimus perplexitatem, ut nullus inueniatur exitus, tunc liberamur, etiam si ad ipsam mortem venerimus, etiam si res nostræ sint planè desperatæ & deploratæ. Quid enim restabat aliud? Aegyptij & mare eos circundabant inermes, & vel oportebat eos suffocari fugientes, vel incidere in manus Aegyptiacas, sed tamen à rebus adeò dubiis & perplexis eos liberavit ac conseruauit. His idem mare quidem stratum fuit sicut terra, illos autem obruit & submersit tanquam mare. Illic quidem obliuiscatur naturæ: hic etiam aduersus ipsos armabatur. Fide muri Hiericho corruerunt, circuitu septem dierum. Non enim sonus tubarum potest muros deiicere, etiam si mille annos sonuerit: sed fides potest omnia. Vides eam vbiq; mutari, non consequentia, nec lege naturæ, sed omnia fieri præter expectationem. Ergo hic quoque præter expectationem fiunt omnia. Nam quoniam sùlque deque dicebat credendum esse spei futuræ, hoc totum quod dicitur mouit, ostendens quòd non nunc solum, sed etiam ab initio omnia miracula acta sunt & perfectæ. Fide Rhaab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace. Turpe est ergo si etiam meretrice appareatis magis increduli. At qui illa viros audiuit annuntiantes, & statim credidit. Finis ergo est consecutus. Nam cum omnes periissent, sola fuit salua. Non dixit apud se, ero cum multis qui sunt mei. Non dixit, Ego ne possum esse prudentior his viris intelligentibus qui non credunt, & ego credo? Nihil dixit eiusmodi, sed credidit iis quæ facta sunt: quod quidem erat consentaneum fore ut eis acciderent. Et quid adhuc dicam? Deficiet me tempus enarrantium. Non amplius de cætero ponit nomina, sed cum desisset in meretricem, & eos pudore affecisset per qualitatem personæ, non amplius dilatat historias, ne videatur nimis prolixa uti oratione: non tamen eas dimittit, sed admodum sapienter percurrit vtrunque, & satietatem fugiens, & sententiarum crebritatem non perimens. Neque omnia siluit: neque dicens attulit molestiam. Vtrunque enim facit. Nam quando quispiam vehementer contendit, si pergat contendere, enecat auditorem persuasum, de cætero molestia afficiens, & præbens de se opinionem quòd sit ambitiosus & honoris cupidus. Oportet enim se accommodare vtilitati. Et quid adhuc dicam? inquit, Deficiet me tempus enarrantem de Gedeon, Barach, Sampson, Iephte, Dauid, Samuel, & Prophetis. Quidam Paulum reprehendunt, quòd Barach, Sampson, & Iephte in his ponat locis. Quid dicis? Cum meretricem posuerit, hos non ponet? Ne mihi aliam eorum vitam dixeris, sed num non crediderunt, & fide resplenderunt? Et Prophetis, qui per fidem vicerunt regna. Vides quòd non ferat hic testimonium de vita præclara: non enim erat id quod quærebatur, sed fidei erat examinatio. Nam dic mihi, an non fide vnuersum confecerunt? Per fidem, inquit, vicerunt regna, nempe Gedeon. Operati sunt iustitiam, Quinam hi sunt? Benignitatem & humanitatem hic dicit. De Dauide arbitror eum dicere. Adepti sunt repromissiones, Quasnam eas? De iis de quibus dicebat, quòd semen eius sessurum sit super sedem eius. *Obsurauerunt ossa leonum: extinxerunt impetum ignis: effugerunt aciem gladij.* Vide quomodo erant in ipsa morte, Daniel circundatus à leonibus, tres pueri qui degebant in fornace, Abraham, Isaac, Jacob in diuersis tentationibus, & ne sic quidem desperarunt. Hoc enim est fides quando res in contrarium exeunt, tunc oportet

Cōstendē vehementer auditore enecat, molestia afficiens.

ΑΠΟΤΥΜΑ- ΠΑΥΙΣΜΟΣ quid sit.

Fidei duo miracula.

Ecc1.6.

Iof. 10.

oportet credere quòd nihil euenit contrarium, sed omnia consequentia. Effugerunt aciem gladij. Existimo eum rursus dicere de tribus pueris. *Conualuerunt de infirmitate: fortes facti sunt in bello: castra verterunt exterorum.* Hic tacite significat quòd factum est à reditu à Babylone. De infirmitate: hoc est, de captiuitate. Quando res Iudaicæ iam erant desperatæ, quando à mortuorum ossibus nihil differebant, quis sperasset futurum ut redirent à Babylone, & non solum redirent, sed etiam fortes fierent, & verterent ac fugarent castra exterorum? At nobis, inquit, nihil tale accidit: sed hæc sunt typi futurorum. *Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos.* De Prophetis hæc dicit, nempe de Eliseo & Elia: mortuos enim suscitauerunt. *Alij autem dissentunt sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem inuenirent resurrectionem.* At nos non assecuti sumus resurrectionem. Sed possum, inquit, ostendere etiam illos fuisse redemptos, sed redemptionem non suscepisse, ut meliorem assequerentur resurrectionem. Cur enim, dic mihi, cum liceret viuere, noluerunt? An non ergo vitam expectabant meliorem: & qui alios suscitauerunt, ipsi mori elegerunt, ut meliorem assequerentur resurrectionem, non talem qualem pueri mulierum? Hic mihi videtur & Ioannem innuere, & Iacobum. *ΑΠΟΤΥΜΑ- ΠΑΥΙΣΜΟΣ* enim, id est, dissentio, est capitis amputatio. Licebat eis videre Solem. Licebat non arguere, & maluerunt mori, & qui alios suscitauerunt, ipsi maluerunt excidere, ut meliorem assequerentur resurrectionem. *Alij verò ludibria & verbera experti, in super & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt.* In iis desinit, in iis, inquam, quæ erant coniunctiora & magis familiaria. Hæc enim maximè afferunt consolationem, quando ex eadem causa fuerit ortus dolor. Alioqui etiam si vehementius dixeris, non sit autem ex eadem causa ortus dolor, nihil efficit. Propterea in hoc finiit orationem, dicens vincula, carceres, verbera, lapidationes, ea innuens quæ acciderunt Stephano & Zachariæ, & ideo subiunxit: *In occisione gladij mortui sunt.* Quid dicis? Alij quidem effugerunt aciem gladij: alij autem mortui sunt in occisione gladij. Quid est? Vtrum laudas? Vtrum admiraris? Hoc, an illud? Maximè, inquit, hoc tanquam vobis coniunctum & familiare: illud autem, quoniam etiam in ipso valuit fides, & est typus futurorum. Duo sunt enim miracula fidei, quòd & magna efficit, & magna patitur, & se nihil pati existimat. Nec potes, inquit, dicere quòd essent peccatores & nihili. Nam etsi totum mundum illis ex aduerso statueris, inuenio illos in statera præponderare, & esse maioris pretij. Quid ergo hic erant accepturi? Hic eorum mentem erigit, erudiens ne sint affixi præsentibus, & ut maiora animo agitent omnibus quæ sunt in vita præsentis. Si quidem totus mundus non est iis dignus. Quid ergo vis hic accipere? Probrum est & contumelia si hic mercedem acceperis. Ne mundana ergo mente agitemus, neque hic quæramus remunerationem, neque simus adeò pauperes. Nam si totus mundus non est his dignus, quid partem quæris? & meritò. Sunt enim amici Dei. Mundum ergo hic dicit multitudinem, aut ipsam creaturam. Vtrunque enim scit dicere scriptura. Si vnuerfa, inquit, creatura posita fuerit cum suis hominibus, nondum æquabunt eorum pretium. Et meritò. Sicut enim decies mille pondo pæleæ & scæni, non æquauerunt pretium decem margaritarum, ita nec illi. Melior est enim vnus faciens voritatem domini, quàm decies mille iniqui. Decies mille non multos dicens, sed infinitam multitudinem. Cogita quanta res sit vir iustus. Dixit Iesus Nauc, Stet

A Sol contra Gabaon, & Luna contra vallem Halon: & factum est. Veniat ergo vnuerfus orbis terræ, imò verò duo, & tres, & quatuor, & viginti orbis terræ, & dicant, & hoc faciant. Sed non poterunt. Dei autem amicus, amici imperabat creaturis: imò verò amicum suum rogauit, & cedebant quæ seruiebant, & inferior imperabat supernis. Vides quòd ea facta sunt in seruitutem, cursum constitutum implentia. Hoc est magis quàm quæ facta sunt à Moysè. Quare? Non sunt enim paria, imperare mari, & iis quæ sunt in cælo. Nam illud quoque est magnum & valde magnum, sed non par. Quamobrem? Iesu nomen erat typus. Propterea ergo, & propter ipsam appellationem verita est creatura. Quid verò, alius non vocatus fuit Iesus? Sed iste propterea vocatus est in figura. Nam dicebatur etiam Aules: propterea mutatum fuit nomen, prædictio enim erat & prophetia. Ipse populum introduxit in promissionem, sicut Iesus in cælum: non lex, sicut nec Moyses, sed mansit extrà. Non potest lex introducere, sed gratia. Vides figuras multis retro actis temporibus prius describi? Imperauit creaturæ, imò verò certæ parti creaturæ, deorsum stans ipso capite, ut quando videris in figura hominis Iesum hæc dicentem, ne perturberis. Ipse etiam viuente Moysè fudit & fugauit hostes. Hic etiam viuente lege omnia administrat, sed non apertè. Sed videamus quanta sit virtus sanctorum.

Exod. 14.

Iesus Nauc typus Christi.

4. Reg. 20

Ioan. 14.

Christus orans orat ut nos edoceret orandum instituat & inducat.

Vigilare quid sit.

MORALE.

S i hic talia operantur, si hic ea faciunt quæ Angeli; quid illic, quantum habent splendorem? Fortasse vnusquisque vestrum vellet esse huiusmodi, ut posset imperare Soli & Lunæ. Hic ij qui cælum dicunt esse sphæram, quid dixerint? Cur non dixit, Stet Sol, sed addidit, Stet contra vallem Halon, hoc est, diem faciat maiorem. Hoc etiam factum est in Ezechia, Sol retrocessit. Sed hoc est illo admirabilius, nempe contraria via rursus ingredi, cum cursum suum nondum confecisset. Sed his maiora assequemur si velimus. Nam quænam nobis promisit Christus? Non fore ut Solem sistamus, neque Lunam, neque Solis retrogradationem. Sed quid? Veniemus, inquit, ad ipsum ego & pater meus, & mansionem apud eum faciemus. Quid mihi opus est Sole, & Luna, & his miraculis, cum ipse omnium dominus ad me descendat, & apud me firmus maneat & stabilis? Hoc mihi non est opus. Quid enim mihi vllò horum opus est? Ipse erit mihi in Solem & lucem. Nam, dic mihi, quid malles, regiam ingressus, an aliquid transmutare eorum quæ fixa sunt, an Regem tibi tanta coniungere familiaritate, ut ei persuadeas ut ad te deueniat? Multo magis hoc, quàm illud. Quid autem mirum, si quæ homo imperat, hæc quoque Christus? Sed Christus, inquit, non rogat patrem, sed sua facit autoritate. Rectè. Primum ergo consistere quòd patrem non rogat, & sua facit autoritate, & tunc ex te sciscitabor: Oratio estne sui demissionis & dispensationis (non est enim Christus minor Iesu Naue) & ex eo quòd nos potest docere? Quomodo enim magistrum audiens balbutientem, & elementa recensentem, non dicis ipsum ignorare: & quando interrogat: Vbi est hoc elementum, scis quod non ignorans interrogat, sed discipulum volens instituire: ita etiam Deus non oratione indigens orabat, sed te volens inducere ut assidue sis attentus orationi, ut eam facias sine intermissione, ut sobriè, & cum multa vigilantia. Vigilare autem non dico solum non

Quæ expurgis, sed etiam interdum sobrium esse in precibus. Is enim appellatur vigilans. Potest enim esse ut & quis noctu orans dormiat, & interdum orans vigilet, quando animus fuerit ad Deum intentus, quando cogitat cum quo disserat, apud quem verba faciat, quando ei in mentem venerit quod Angeli astant cum tremore & timore, ipse autem accedit oscitans & se fricans. Magna arma sunt preces, si cum ea qua par est mente fiant. Et ut earum vires intelligas, impudentiam & iniquitatem, crudelitatem & importunam audaciam vincunt assidue preces. Audite enim quid dicat iudex iniquitatis, & rursus vincunt desidia: & quod non fecit amicitia, hoc assidua fecit interpellatio: & si non propterea quod sit eius amicus, inquit, dabit ei; sed tamen propter eius impudentiam, surgens dabit ei, & eam quæ erat indigna, dignam fecit assiduitas. Non est, inquit, bonum accipere panem filiorum, & dare canibus. Etiam, inquit, domine. Nam & catuli comedunt è mensa dominorum suorum. Attendamus orationi. Sunt magna arma preces, si fiant attentè & cum extensione, si absque inani gloria, si cum puro & sincero animo. Oratio bella evertit. Oratio gentem integram & indignam beneficio affecit. Audiui, inquit, gemitum eorum, & descendi ad eos liberandos. Oratio est pharmacum salutare, & prohibens peccata, & medicamentum delictorum. In ea erat assidua vidua illa relicta sola. Nam si oremus cum humilitate, si peccatus pulsantes, ut Publicanus, si illa quæ ille loquentes, si dicamus, Esto propitius mihi peccatori, omnia consequemur. Nam etsi non sumus peccatori, habemus alia peccata illius peccatis non minora. Ne mihi dixeris te in quadam parua re peccasse: res enim eandem habet naturam. Quomodo enim similiter dicitur homicida, & qui paruos pueros interemit, & qui virum: ita etiam est avarus, & qui in multis, & qui in paucis fraudat quempiam: & odium iniuriæque acceptæ recordatio, non est paruum, sed magnum peccatum. Eorum enim qui iniuriæ acceptæ sunt memores, viæ sunt ad mortem: & qui irascitur fratri suo sine causa, est obnoxius gehennæ: & qui vocat fratrem suum fatuum & insipientem, & alia innumerabilia. Reuerendorum etiam & stupendorum sacramentorum participes sumus indignè, & inuidemus, & maledictis appetimus. Quidam autem ex nobis sæpe etiam sunt inebriati. Horum autem vnumquodque ipsum per se sufficit ad expellendum è regno. Quando autem simul congeruntur, quamnam habebimus consolationem? Multa, o dilecti, nobis opus est penitentia, multa oratione, multa tolerantia, multa assiduitate ut bona nobis promissa possimus assequi. Dicamus ergo nos quoque, Propitius esto mihi peccatori, imò verò non solum dicamus, sed etiam sentiamus ac cogitemus, & si alius nos sic vocet, ne irascamur. Sin autem ipsi quidem dicamus nobis mala innumerabilia, non est hoc utique humilitas, neque confessio, sed ostentatio, & inanis gloria. Ostentatio est, inquit, seipsum vocare peccatorem? Maximè. Humilitatis enim à nobis gloria & existimatio quaeritur: in admiratione habemur, laudibus extollimur. Si autem de nobis dixerimus contrarium, despiciamur. Quamobrem hoc quoque facimus propter gloriam. Quid est autem humilitas? alio probra ingerente ea ferre, peccatum agnoscere, ferre maledicta? Ne hoc quidem fuerit humilitatis, sed candidi animi & ingenui. Nunc autem nos quidem dicimus peccatores, indignos, & alia innumerabilia. Sed si quis alius nobis vnum ex his obiiciat, ægrè ferimus, efferamur. Vides quòd hoc non sit con-

Orationis quantæ sine vires.

Luc. 18.

Matt. 15.

Preces sūt magna arma. Exod. 2.

Luc. 18.

Ibidem.

* Defunt in Græco aliquot litteræ.

Zach. 7. Matr. 5.

Odiū est magnum peccatū.

Humilitatis est maledicta patienter ferre.

A fessio, neque animi candor & ingenuitas. Dixisti te ipsum esse talem, ne irascaris, dum ab aliis id audis & argueris. Nam tibi sic leuia redduntur peccata, quando alij exprobrant. Nam sibi quidem onus imponunt, te autem inducunt ad philosophiam. Audi quid dicat beatus David quando eum execrabatur Semei. Dimittite eum, inquit. Dominus ei mandauit, ut videat humilitatem meam: & reddet mihi dominus bona pro eius execratione quæ fuit hodie. Tu autem de te dicens summa mala, si non ab aliis audias magnorum virorum & iustorum laudes & encomia, efferaris. Vides quòd ludis in rebus non ludicris? Laudes enim repellimus aliarum laudum desiderio, ut iterum maiora assequamur encomia, ut in maiori habeamur admiratione. Nos itaque non admittentes laudes ut eas augeamus, hoc facimus, & omnia à nobis fiunt ad gloriam, non ad veritatem. Propterea sunt omnia inania, omnia dubia. Quamobrem rogo ut nunc saltem abstinere à matre malorum inani gloria, & viuatis ut Deo placet: ut futura quoque bona consequamur, in Christo Iesu domino nostro, cui cum Patre & sancto Spiritu gloria, honor, & imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

2. Reg. 15.

ORATIO XXVIII.

CIRCVIERVNT in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, & in cauernis terre.

Semper quidem, maximè autem quando cogitauerimus res rectè & ex virtute gestas sanctorum, tunc mihi venit in mentem de nobis desperare & animum despondere, quòd nec in somnis quidem accepimus eorum experientiam, in quibus viri illi toto tempore sunt versati, non peccatorum poenas luentes, sed res bonas ex virtute gerentes, & semper afflicti. Nam cogita mihi Eliam, ad quem hodie redit oratio. Ipsum enim hinc dicit, & in eum desinunt ipsius exempla. Quod quidem erat illis proprium & familiare. Et cum dixisset de Apostolis quod in occisione gladij sunt mortui, sunt lapidati, redit rursus ad Eliam, qui eadem quæ ipsi passus est. Nam quoniam erat verisimile eos de Apostolis nondum tantam accepisse opinionem, ab eo qui fuit assumptus, & in maxima habitus est admiratione, affert exhortationem & consolationem. Circuierunt enim, inquit, in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus non erat dignus hic mundus. Ne vestem quidem, inquit, habebant propter summam afflictionem, non ciuitatem, non domum, non habitaculum: hoc quod Christus dicebat, Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Quid dico, Non habitaculum? Ne stationem quidem. Nam cum venissent in solitudinem, ne quietem quidem agebant. Non enim dicit, Sedebant in solitudine, sed & cum illic essent, fugiebant, & illinc expellebantur, non solum ex terra quæ habitatur, sed etiam ex inhabitabili: & in memoriam eis reuocat loca in quibus sederunt, sed & res quæ illic factæ sunt. Deinde vos, inquit, accusant propter Christum. Quid verò habebant cuius Eliam accusarent quòd cum expellebant, & persequebantur, & cum fame conficiari cogebant? Quod hi quoque tunc patiebantur. Deceuerunt, inquit, mittere eis qui affliguntur ex discipulis, quantum suppetunt alicui facultates. Statuerunt vnusquisque eorum mittere in ministerium iis qui habitant in Iudæa fratribus, quod horum quoque erat. Afflicti,

Sancti afflicti non propter poenas peccatorum, sed bona facientes opera.

Luc. 9.

Rom. 15.

Afflicti, inquit, id est, malè patientes, in viis, in periculis. Circuierunt autem quid est? In solitudinibus, inquit, errantes, & montibus, & in speluncis, & cauernis terræ. Tanquam fugitiui, inquit, & qui è suis migrant sedibus, tanquam qui turpissimorum scelerum sunt conuicti, tanquam nec digni quidem Solem inueneri, nec ex solitudine quidem inuenerunt effugium, sed semper oportebat fugere, oportebat latibula quaerere, oportebat se viuos in terram infodere, semper esse in metu. Quæ est ergo merces tantæ vicissitudinis? Quæ remuneratio? *Nondum acceperunt*, sed adhuc expectant: & cum in tanta decesserint afflictione, nondum illi acceperunt. Tot sunt anni ex quo vicerunt, & nondum acceperunt. Vos autem dum adhuc certatis, mœsti estis. Cogitate vos quoque quid & quantum sit, sedere Abraham & Paulum Apostolum, expectantes quando tu fueris consummatus, ut tunc possint accipere mercedem. Nam nisi quoque adfuerimus, prædixit eis seruator se non daturum. Sicut pater beneuolus dicit probis filiis & qui opus confecerunt, se non daturum quod edant, nisi venerint eorum fratres. Tu autem ægrè fers quòd mercedem nondum acceperis. Quid ergo faciet Abeli, qui ante omnes vicit, & sedet non coronatus? Quid verò Noë, & quid iis, qui illis fuerunt temporibus, quod te & eos qui post te erunt expectant? Vides quòd illis sumus superiores & melior sit nostra, quam illorum conditio? De nobis enim, inquit, aliquid melius præuidit Deus. Ne viderentur esse melioris quam nos conditionis si primi coronarentur, definiit omnibus vnum tempus coronarum. Etiam qui tam multis ante te annis vicit, tecum accipit coronam. Vides Dei curam & prouidentiam. Non dixit, Ne sine nobis coronentur, sed ut non sine nobis consummarentur. Itaque tunc quoque apparent perfecti. Præcesserunt in certaminibus, sed non præcesserunt in coronis. Ipsi enim fratres expectant. Nam si omnes sumus vnum corpus, existit huic corpori maior voluptas, quando communiter coronatur, & non singularim. Etenim in hoc quoque sunt iusti admirabiles, quòd lætantur bonis fratrum tanquam suis. Quamobrem hoc quoque illis cedit ex animi sui sententia, quòd cum propriis membris sint coronati. Quod enim simul sint glorificati, magna est voluptas. *Ideoque & nos tantum habentes impostam nubem testium.* Scriptura sæpe accipit consolationem in malis è rebus quæ accidunt: ut quando dicit propheta: Ex æstu, & duritie, & imbris. Hoc etiam hinc dicit, quòd illorum sanctorum recordatio, sicut nubes quæ vratur à calidiore radio, ita excitat & recreat animam quæ malis laborat. Et non dixit, In altum super nos elatam, sed nobis impostam: quod quidem erat illo amplius, ut simus magis securi. Quamnam nubem testium? Meritò dicit testes, non eos solum qui sunt in nouo, sed eos etiam qui sunt in veteri. Nam ipsi quoque tulerunt testimonium de Dei magnitudine: utpote tres pueri, & Elias, & Prophetæ omnes. Deponentes omne pondus. Deposita omni mole. Quamnam? Somno, negligētia, vilibus & abiectis cogitationibus omnibus humanis. *Et circumstant nos peccatum.* Et circumstanti nos peccato. Aut quod nos facile circumstifit, aut quod facile pati potest ut circumueniatur & circundet. Hoc autem potius. Facile enim, si velimus, possumus superare peccatum. *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.* Non dixit, pugnemus, neque luctemur, neque bellum geramus: sed quod erat omnibus leuius, nempe cursum in medium attulit. Neque dixit, Cursum adiiciamus, sed in eo ipso sustineamus & persistamus, ne simus dissoluti & enervati.

Coronas simul accipiunt omnes sancti qui non simul decertant.

CAP. XII.

Consolatio in malis è rebus quæ accidunt.

Peccati potest facile superari si velimus.

Curramus, inquit, cursum propositum. Deinde consolationis & exhortationis caput, quod est & primum, & vltimum, ponit Christum. *Aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Iesum.* Quod ipse quoque Christus assidue dicebat suis discipulis, Si patrem familias Beelzebub appellarunt, quanto magis domesticos eius? Et rursus: Non est discipulus supra magistrum, neque seruus super dominum suum. Aspicientes, inquit, nempe ut dicamus currere. Sicut enim in omnibus artibus & certaminibus, ad magistros aspicientes, in mente artem imprimimus, per videndi facultatem quasdam sumentes regulas. Ita hinc quoque si velimus currere, & disce-rectè currere, aspiciamus ad Christum auctorem fidei, & consummatorem Iesum. Quid hoc est? Id est, ipse nobis fidem indidit. Dicebat enim discipulis: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Porro autem Paulus quoque dicit: Tunc cognoscam sicut & cognitus sum. Ipse nobis imposuit principium: ipse quoque nobis finem imponet. *Qui propositio sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.* Hoc est, licebat ei nihil pati si voluisset. Neque enim peccatum fecit, neque inuentus est dolus in ore eius, sicut ipse quoque dicit in Euangelis: Venit mundi princeps, & in me non habet quidquam. Erat ergo ei promptum si voluisset non venire ad crucem. Potestatem enim, inquit, habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo rursus accipiendi eam. Si ergo qui minimè necesse habebat crucifigi, propter nos fuit crucifixus: quanto magis par est ut nos omnia fortiter feramus? Qui pro proposito, inquit, sibi gaudio sustinuit mortem, probro contempto. Probrosam, inquit, elegit mortem. Esto enim, inquit, est mortuus, cur ignominiosè? Non propter aliud, quam nos docens ut gloriam quæ ab hominibus datur nihil ducamus. Propterea cum non esset ei subiectus, eam elegit, erudiens nos ut aduersus eam simus audaces, & eam nihili faciamus. Quare non dixit tristitia, sed confusione seu probro ac dedecore? Quoniam non hæc ferebat cum tristitia. *Quis autem finis? Atque in dextera Dei sedet.* Vides præmium certaminis quod Paulus quoque scribens dicit: propter quod & Deus illum super exaltauit, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur. Dicit id quod est secundum carnem. Atque maximè quidem etiam si nullum esset propositum præmium certaminis, sufficeret exemplum ad persuadendum ut omnia nostra sponte sustineremus. Nunc autem nobis etiam proponuntur præmia, non quælibet, sed magna & ineffabilia. Quamobrem nos quoque cum aliquid tale passi fuerimus, ante Apostolos Christum cogitemus, quòd tota eius vita plena fuit contumeliis. Semper enim malè audiebat, ut qui vocaretur seductor & præstigiator: & aliquando quidem dicebant Iudæi: Non, sed seducit turbas. Et rursus: seductor ille dicebat adhuc viuens, post tres dies resurgam. Præstigiatorum quoque, & magicæ artis cum acculabant, dicentes: In Beelzebub eiicit dæmonia, & quòd insaniret & haberet dæmonium. Non benè dicebamus, inquit, quòd habet dæmonium & insanit? Et hæc ab illis audiebat, cum eos beneficiis afficeret, miracula faceret, Dei opera ostenderet. Nam si quidem nihil faciens hæc audiret, nihil esset adeò mirum. Si autem docens quæ pertinent ad veritatem, audiebat se vocari seductorem: & dæmones eiiciens, audiebat se probro appeti quòd haberet dæmonem: & quæcunque erant contraria evertens, dicebatur præstigiator. Horum enim cum assidue accusabant. Si vis autem audire ludificationes & irrisiones quas in eum emittebat, quod nostros maximè morderet

Matt. 10. Ibid.

Christus fidè nobis indidit.

Ioan. 15. 1. Cor. 13.

Efa. 53. Ioan. 14. Ibid. 10.

Christi certaminis quodnam fuit. præmium Philip. 3.

Ioan. 7.

Matt. 27.

Luc. 11.

Ioan. 7.

animos,audi primū à genere. Non est hic, inquit, fili-
Matt. 13. us fabri,cuius nos nouimus patrem & matrem? Non
Ibid. 21. ne fratres eius omnes apud nos sunt? Et à patria cum
Ican. 7. ludificant dicebant eum esse ex Nazaret. Et rursus:
Interroga, inquit, & vide quòd ex Galilæa non surgit
Ibid. propheta:& ferebat cūm his appeteret calumniis. Et
rursus dicebat:An non dicit scriptura quod ex Beth-
leem vico venit Christus? Vis etiam audire irrisiones
Mich. 5. quibus in eum utebantur? Venientes, inquit, ad ipsam
cruce[m] adorabant eum, & percutiebant, & colaphos
Matt. 26. impingebant.Si filius Dei es,descende de cruce, & dic
nobis,quis te percussit?Præterea seruus quoque Ponti-
Marc. 15. ficis dedit ei alapam,& dicit,Si malè locutus sum, testi-
monium perhibe de malo.Si bene, quid me cædis? Et
Ioan. 18. irridentes imposuerunt ei chlamydem, & spuerunt in
eius faciem,& tentationes ei semper adhibebant, eum
Matt. 27. tentantes.Vis etiam videre accusationes,quæ clam,quæ
palam,quæ etiam ab ipsis fiebant discipulis? Num &
Ioan. 6. vos,inquit,vultis abire? Et dæmonium habes, iam dice-
batur ab iis qui crediderant. Non ipse quoque sem-
per fugiebat,aliquando quidem in Galilæam,aliquan-
do autem in Iudæam? Non ab ipsis incunabilis fuit
Matt. 22. multa qua est appetitus tentatio? Non eum cūm esset
infans mater accepit & deduxit in Ægyptum? Propter
hæc omnia dicit, Aspicientes in authorem fidei &
consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sus-
tinuit cruce[m]: confusione contempta, atque in dex-
tera sedis Dei sedet.

MORALE.

Ad eum ergo aspiciamus,& ad eius discipulos,legē-
2. Cor. 6. tes quæ perpeffus est Paulus, & audientes eum di-
centem:In multa patientia,in tribulationibus,in neces-
Paulus
quoniam
fit perpef-
fus.
1. Cor. 4. sibus,in persecutionibus, in angustiis, in plagis, in
carceribus. Et rursus: Vique ad hanc horam esurimus,
& sitimus,& nudi sumus,& colaphis cædimur, & instabi-
C biles sumus, & laboramus operantes manibus nostris.
Maledicimur,& benedicimus:persecutionem patimur,
& sustinemus:blasphemamur, & obsecramus. Passū-
ne est quispiam vel minimam horum partem? Tan-
quam seductores,inquit, tanquam infames, tanquam
2. Cor. 11. nihil habentes.Et rursus: A Iudæis quinquies quadra-
genas,vna minūs accepi,ter virgis cæsus sum, semel la-
pidatus sum.Nocte & die in profundo maris fui, & in
itineribus saepe, afflictionibus,angustia, fame. Et quòd
hæc Deo placerent, audi eum dicentem. Propter hoc
2. Cor. 12. dominum rogaui,& dixit mihi,Sufficit tibi gratia mea.
Virtus enim in infirmitate perficitur.Propter quod pla-
ceo mihi in infirmitatibus meis, in afflictionibus,in ne-
cessitatibus,in angustiis, in plagis, in carceribus, vt in
me inhabitet virtus Christi. Audi autem ipsum quo-
Ioan. 16. que Christum dicentem:In mundo afflictionem habe-
bitis.Recogitate enim, inquit, eum, qui talem sustinuit
à peccatoribus aduersus ipsum contradictionem: vt ne
defatigemini animis vestris deficientes. Nam si prox-
imorum nos excitant perpeffiones, ipsius Domini per-
peffiones quantam nobis iam præbebunt animi alacri-
tatem? Quid nobis non facient. Et prætermittens om-
nia dicere, per contradictionem totum significauit:
& prætermittens etiam addere eam esse talem, nem-
pe ictus in genis, risum, contumelias, exprobrationes,
irrisiones,hæc omnia indicauit per contradictionem:
sed & quæ fuerunt in vniuersa vitæ doctrina. Magnum
enim reuera, magnum sunt solatium, & Christi perpef-
siones, & perpeffiones Apostolorum. Adeo enim scie-
bat hanc viam virtutis esse meliorem, vt & ipse, qui ea

non egebat, eam sit ingressus: adeo nobis sciuit con-
ferre afflictionem,vt quæ magis sit causa quietis & re-
missionis.Audi enim ipsum dicentem: Si quis non tol-
lat cruce[m] suam,& me sequatur, non est me dignus. Si
Christus
magister
noster est
imitan-
dus.
1. Cor. 4. es,inquit, discipulus,imitare magistrum. Si autem ipse
quidem venit per afflictionem, tu autem per quietem
& remissionem, non eadem via ingrederis qua ille est
ingressus, sed alia. Quomodo ergo sequeris non sequens?
Quomodo eris discipulus, non sequens magistrū? Hoc
Paulus quoque dicit. Nos infirmi: vos autem fortes.
Vos nobiles: nos autem ignobiles. Aut quomodo est
rationi consentaneum nos æmulari: & vos quidem esse
discipulos, nos autem magistros? Magna ergo res est af-
flictio, o dilecti: duo enim efficit, eaque maxima: & pec-
cata delet, & facit fortes & robustos. Quid verò, in-
quit, si euerterit & perdiderit? Non hoc facit afflictio,
sed nostra ignauia. Quomodo, inquit? Si sobrius fu-
mus, si Deum rogemus vt non sinat nos tentari plus-
quam ferre possimus. Si ei semper hæreamus, fortiter
stabilimus, & aciem dirigemus. Quandiu eum habueri-
mus adiutorem, etiam si omnibus ventis vehementius
spirarint tētationes, erunt nobis palea, & folium quod
leuiter & temere fertur. Audi Paulum dicentem: In his
omnibus superamus. Et rursus: Existimo quòd non sunt
Rom. 8. condignæ passionis huius temporis ad futuram gloriā
quæ reuelabitur in nobis. Et rursus: Id quòd in præsen-
ti est momentaneum & leue tribulationis nostræ su-
pra modum, supra modum æternæ gloriæ pondus o-
peratur in nobis. Vides quanta pericula, naufragia, fre-
quentes afflictiones, & quæ sunt huiusmodi vocat le-
uia. Æmulare hunc adamantem hoc corpore leuiter &
temere indutum. Es in paupertate, sed non in tanta
quanta Paulus, qui cum fame, siti, & nuditate conflicta-
batur. Non enim vnum diem hoc est passus, sed per-
petuò hoc patiebatur. Vnde hoc constat? Audi eum
dicentem: Vique in hanc horam esurimus, & si-
1. Cor. 4. timus, & nudi sumus. Papæ quantam gloriā iam asse-
cutus in prædicatione, tam multa ferebat, & iam viginti
annos in ea cōfecerat quādo hæc scribebat? Scio enim,
2. Cor. 12. inquit, hominē ante annos quatuordecim, siue in cor-
pore, siue extra corpus nescio. Et rursus: Post tres an-
nos, inquit, ascendi Hierosolymam. Et rursus audi eum
dicentem: Bonum est mihi magis mori, quā[m] vt glo-
riam meam quis euacuet. Nec hoc solum, sed etiam rur-
sus scribens dicebat: Sicut purgamenta mundi facti su-
mus. Quid fame grauius? Quid frigore, quid insidiis à
fratribus, quos etiam appellat falsos fratres? Non vo-
cabatur orbis terræ perniciēs, non impostor, non euer-
sor? Non conscindebatur flagris cæsus. Hæc nobis ve-
niant in mentem, o dilecti, hæc cogitemus, hæc me-
minerimus & nunquam dissoluemur & eneruabimur,
etiam si iniuria afficiamur, etiam si bona nostra diripian-
tur, etiam si mala patiamur innumerabilia. Detur no-
bis vt in cælis in bona simus existimatiōe, & sunt om-
nia tolerabilia. Detur vt illic res nostras bene gera-
mus, & eorum quæ hinc sunt nulla erit ratio, cuiusmodi-
cunque fuerint. Hæc sunt vmbra & somnium. Illorum
quæ sperantur & expectantur, nihil est nec natura, nec
tempore. Quid enim vis cum illis grauibus & atrocibus
conferamus? Quid cum igne qui non potest extingui?
cum verme qui non moritur? Quid ex iis quæ hinc sunt
potes dicere par esse stridori dentium, vinculis, tene-
bris exterioribus, itæ, afflictioni, angustia? At tempo-
re. Et quid sunt decies mille anni ad secula infinita, &
quæ non desinunt? Non quantum parua gutta ad abyf-
sum infinitum. At conferentur cum bonis. Sed illic ma-
ior est exuperatio. Oculus, inquit, non vidit, nec auris
1. Cor. 2. audiuit,

audiuit, & in cor hominis non ascenderunt. Et hæc rur-
sus erunt in seculis infinitis. Pro his ergo non bonum
est millies conscindi, interim, exuri, mille subire mor-
tes, quoduis graue & asperum & verbis & rebus ipsis
sustinere? Nam si fieri possit vt in igne vltus viueret, an
non oporteret omnia perpeti vt bona illa promissa af-
sequeremur? Sed quid hæc dico apud homines qui ne
pecunias quidem eligant despiciere, sed tanquam im-
mortales eas affectantur & eis adherescunt. Et si ex mul-
tis pauca dederint, totum se existimant fecisse? Non est
hoc elemosyna. Elemosyna est illius viduæ elemo-
syna, quæ vniuersas suas profudit facultates. Si autem
in te non cadit vt tantum eroges quantum illa vidua,
eroga saltem quidquid est superuacaneum, habe quæ
sufficiunt, non quæ superflua sunt. Sed nemo est qui erogat
ne ea quidem quæ superflua sunt & sunt superuacanea. Nam
quandiu habes multos famulos, & vestes sericas, hæc
omnia sunt superuacanea. Nihil est necessariū nec vsui
feruiens. Sine quibus viuere possumus, ea sunt super-
uacanea, & vt semel dicam, extrā sunt posita. Quid sit
ergo id sine quo non possumus viuere, videamus si vi-
deatur. Etsi solos duos habeamus famulos, possumus
viuere. Nam vbi vltus aliqui qui viuunt absque famu-
lis, quam habemus nos excusationem si non sumus con-
tenti duobus? Possumus etiam ex lateribus habere do-
mum constructam trium habitaculorum. Et hoc suffi-
ceret nobis. Non sunt aliqui qui cum liberis & vxore
vnam habent domum? Sint autem si velis etiam duo
famuli. Et quomodo, inquit, non est pudor ingenuam
incedere cum duobus famulis? Non est pudor ingenuæ
incedere cum duobus famulis: sed pudor est proce-
dere cum multis. Fortasse ridetis hæc audientes. Cre-
dite, hoc est pudor. Sicut qui oues vendunt, aut sicut
cauponatores mancipiorum, magnum quidpiam exi-
stimatis procedere cum multis famulis. Hoc est fastus
& inanis gloria: illud est philosophia & honestas. Nam
ingenuam apparere non oportet ex multitudine eorum
qui sequuntur. Nam quæ est virtus multa habere man-
cipia? Hoc non est animæ. Quod autem non est ani-
mæ, non ostendit libertatem. Quando est paucis con-
tenta, tunc verè est ingenua. Quando autem eget mul-
tis, est ancilla & deterior mancipiis. Dic mihi, Angeli
non soli orbem terræ obeunt, & non egent aliquo qui
sit eos secuturus? Num propterea sunt nobis qui ege-
mus deteriores ij qui non egent? Si ergo ne omnino
quidem egere assecla vel pedissequo est angelicum,
quænam magis accedit ad vitam angelicam, eâne quæ
multis indiget, an quæ paucis? Non est hoc pudor. Pu-
dor est aliquid turpe facere & absurdum. Dic mihi,
quænam ad se conuertit eos qui sunt in foro, eâne quæ
multos secum ducit, an ea quæ paucos? Hac autem quæ
paucos ducit, an non ea magis quæ sola apparet non
præuisa? Vides quòd illud sit pudor. Quænam in se con-
uertit eos qui sunt in foro, eâne quæ pulchras gestat
vestes, an quæ simpliciter est vestita & nullo compara-
to cultu & ornamento? Quænam rursus magis ad se
conuertit eos qui sunt in foro, eâne quæ multis vehitur
& inauratis stragulis, an ea quæ simpliciter & quomo-
docunque, sed decorè & honestè incedit? An hanc ne
viderimus quidem & aspeximus, illam autem non so-
lūm vt videant vrgent aliqui, sed etiam rogant quænam
sit, & vnde. Mitto autem dicere quanta hinc oriatur
inuidia. Quid ergo, dic mihi, est turpe, videri, an non
videri? Quando est maior pudor, quando omnes ad
eam aspexerint, an quando nullus? Quando omnes de
ea quænam sit discunt, an quando ne curant quidem?
Vides quòd non propter pudorem, sed propter inanem

A gloriam omnia agimus? Sed quoniam hoc fieri non po-
test vt nos abducamus, sufficit mihi interim vt vos dis-
catis hoc non esse pudorem. Solum peccatum est pu-
dor, quod nemo existimat esse pudorem, sed quiduis
magis quā[m] ipsum. Vestimenta sint ea quæ sunt vsui,
non autem superuacanea. Cæterum ne in nimias vos
concludam angustias, illud admoneo & denūtio, quòd
non sit vobis opus aureis ornamentis, neque subtili-
bus telis. Et hæc non ego dico. Nam quòd mea nō sint
verba, audi beatum Paulum dicentem, & mulieribus
præcipientem vt se ornent, non tortis crinibus, aut au-
ro, aut margaritis, aut vestibus pretiosis & magnificis.
Sed dic quomodo vis vt ornentur, o Paule? Fortassis e-
nim dicent sola aurea esse pretiosa & sumptuosa. Pre-
tiosa autem & sumptuosa non esse serica. Dic ergo quo-
modo vis vt ornentur? Habentes autem alimenta &
1. Tim. 2. quibus tegamur, iis contenti simus. Eiusmodi sit vestis
vt solūm tegat. Propterea enim nobis eam dedit Deus
B vt tegamus nuditatem. Hoc autem potest facere vesti-
mentum etsi sit vilis pretij. Fortasse ridetis quæ vestes
gestatis sericas. Reuera enim oportet ridere. Quid
præcepit quidem Paulus? Quid nos verò facimus?
Non autem à me solūm verba fiunt ad mulieres, sed
etiam ad viros. Cætera enim omnia quæ habemus
sunt superuacanea. Soli pauperes non possident su-
peruacanea. Fortasse autem illi quoque propter ne-
cessitatem. Nam si liceret, ne illi quidem abstinerent.
Verūm illi, sine prætextu & occasione, sine rei veri-
tate, non habent superuacanea. Talia ergo gestemus
vestimenta quæ vsū implcant. Quid enim sibi vult
multum aurum? Scenicis hæc conueniunt: hæc ab il-
lis sunt gestanda. Hæc sunt meretricum, quæ omnia
faciunt ad hoc vt spectentur. Ornetur illa quæ est in
scena, illa quæ in orchestra. Vult enim omnes ad se
attrahere. Quæ autem proficitur Dei pietatem, non sic
ornetur, sed aliter habet ornatum illo maiorem. Ha-
bes & tu theatrum: ad illud theatrum te orna: illo tu
mundo induere. Quòdnam est tuum theatrum? Cæ-
lum: populus Angelorum. Non dico solūm virginum,
sed etiam mundanarum seu secularium. Quæcunque
Christo credunt, habent illud theatrum. Talia loqua-
mur vt illos oblectemus spectatores. Talibus induere,
vt illos lætitia afficias. Nam dic mihi, si meretrix dimi-
sis ornamentis aureis, sumptuosisque vestibus, & risu, &
verbis vrbanis & obscænis, vili veste induatur, & illa-
borato cultu composita ingrediatur, & verba loquatur
pia & religiosa, & differat de temperantia & pudicitia,
& nihil turpe dicat, an non omnes surgent? non hoc
dimittetur theatrum? non eam eiicient vt quæ nesciat
congruere populo, & quæ dicat aliena ab illo teatro
Satanico? Ita tu quoque si illius vestimentis amicta in-
grediaris theatrum cælorum, te eiicient spectatores.
Illic enim non opus est his vestimentis aureis, sed aliis.
Quibūsnam? Cuiusmodi dicit Propheta: in simbris
aureis circumdanda, variegata. Non vt corpus reddas cā-
didum & resplendens, sed vt ornes animam: ea est enim
quæ illic contendit & decertat. Omnis gloria filia Regis
intrinsicus, inquit, iis induere. Nam & ab innume-
rabilibus aliis malis te liberaueris, & maritum à sollici-
tudine, & te à cura. Sic enim eris marito reuerenda,
quando paucis egueris. Solent enim homo quilibet dissi-
mulare, & eos despiciatui habere, qui ipso indigent.
Quando autem viderit non opus habere, factum de-
primit & insolentiam. Quo fit vt pari tecum honore
differat. Quando viderit maritum te in nullo eius egere,
& eius dona despiciere, etiam si sint ingētes eius spiritus,
& magna animi elatio, tunc te magis reueretur, quā[m]

Marginal notes on the left side of the page, including references to various biblical passages and authors like Paulus, Iohannes, and Mattheus.

Marginal notes on the right side of the page, including references to various biblical passages and authors like Paulus, Iohannes, and Mattheus.

Marginal notes on the far right side of the page, including references to various biblical passages and authors like Paulus, Iohannes, and Mattheus.

indutam aureis ornamentis. Nec eris amplius eius ancilla. Nam quorum egemus, necesse habemus nos eis submittere. Sin autem nos abduxerimus, non erimus amplius obnoxij. Sed scit quod propter Dei timorem ei aliquam tribuimus obedientiam, non propter ea quæ ab ipso proficiuntur. Nam nunc quidem ut qui magna nobis donet, quantumcunque honorem fuerit affecutus, non existimat se totum esse affecutum. Tunc autem etiam si paruum fuerit affecutus, habebit gratiam. Non exprobrat: nec ipse cogetur propter te per auaritiam alios bonis fraudare. Quid enim est à ratione alienius, quàm aurea ornamenta ad hoc cõparare ut ponantur in balneis & in foris? Sed in balneis & foris non est fortasse mirum. In ecclesiam autem etiam eo habitu ornata procedere, res est valdè ridicula. Nam cur hic ingreditur aurea gestans ornamenta, quæ debet ingredi ut audiat oportere se ornari, non auro, nec margaritis, neque veste sumptuosa? Cur ergo ingredaris, o mulier? Nunquid tanquam cum Paulo pugnans, & ostendens quod etiam si millies hæc dicat, non conuertèris? Sed num tanquam nos doctores volens conuincere hæc frustra dicere? Nam dic mihi, si quis Græcus & infidelis vxorem habens fidelem, cum audierit legi hunc locum, ubi hæc dicit beatus Paulus, viderit quod cultus & ornatus magnam habet rationem, & aurea sibi imponit ornamenta, ut procedat in ecclesiam, & audiat Paulum præcipientem, ut neque auro, nec margaritis, neque veste pretiosa & sumptuosa se exornent, an non dicat apud seipsum, videns eam hæc apud se rectè componentem & disponentem. Quid intus expectat mulier in cubiculo? Quid cunctatur? Quid aurea imponit ornamenta: Quod vult abire? In ecclesiam? Quare? Ut audiat, non in veste sumptuosa, non ridebit? non cachinnabitur? non rem ludicram & deceptionem res nostras esse existimabit? Quamobrem rogo & suadeo ut aurea ornamenta pompis dimittamus, scenis, & additamentis quæ sunt in officinis: Dei autem imago non his ornetur, Ornetur ingenua liberalitate. A liberalitate autem abest fastus & ornatus indecorus. Quod si etiam velis ab hominibus gloriam consequi, eam sic assequèris. Diuitis enim hominis vxorem non ita admirabimur auro contextas gestantem vestes, & sericas, (hoc est enim commune omnium) ut quando fuerit induta veste communi & simplici, & quæ solum contexta sit ex lana. Hanc omnes admirabuntur, & in ea plaudent omnes. Nam in illo quidem mundo ex auro contextarum & sumptuosarum vestium multas habet focias: & si hanc superat, superatur ab alia: & si omnes superauerit, ab ipsa quidem certè regina vincitur. Hic autem vincit omnes, etiam ipsam vxorem Regis & Imperatoris. Sola enim in diuitiis elegit quæ sunt pauperum. Quamobrem etiam si amemus gloriam, hic est maior gloria. Non solum dico viduis & diuitibus, hic enim necessitas viduitatis videtur hoc facere: sed iis etiam quæ sunt viro coniunctæ. At marito, inquit, non placeo. Non vis placere marito, sed multitudini paupercularum mulierum, imò verò non placere, sed eas tabefacere & dolore afficere, & earum maiorem facere paupertatem. Quàm multa propter te dicuntur blasphemæ? Ne sit, inquit, paupertas. Deus odio habet egenos. Deus non diligit eos qui sunt in paupertate. Nam quod non velis placere marito, nec ea de causa ornaris, omnibus reddis perspicuum ex iis quæ ipsa facis. Nam cum limen thalami transferis, confestim deponis omnia, & vestes, & ornamenta aurea, & margaritas: maximè autem ea domi non gestas. Si autem vis omnino placere marito, sunt per quæ sis placitura, per

1. Tim. 2.

Dei imaginis quæ nam sunt ornamenta.

lenitatem, per mansuetudinem, per honestatem & temperantiam. Nam crede mihi, o mulier, etiam si maritus tuus sit millies ad inferiora propensus, hæc magis eum attrahent, lenitas, mansuetudo, temperantia & moderatio, à fastu esse alienam, non esse sumptuosam: sed humilem & demissam. Nam etsi mille talia excogites, impudicum & incontinentem non continebis. Hoc sciunt quæ tales habent maritos. Nam quomodocunque te exornes, ille, ut qui sit incontinens & impudicus, abit ad aliam: cum autem qui est temperans & pudicus, non his capies, sed contrariis. His autem etiam es ei molesta, ut quæ ei de te hanc suggeras opinionem, quod tenearis amore ornamentorum & mundi. Quid enim si reueritus maritus, ut qui sit modestus, non dicat: intus tamen apud se te condemnet, inuidiam autem non comprimat: an non de cætero omnem expelles voluptatem, ut quæ aduersus te ipsam excites inuidiam. Ægrè fortasse auditis quæ dicuntur & succensetis, dicentes: Iste maritus irritat aduersus vxores. Hæc dico non irritans maritos: sed volo à vobis lubentibus & vestra sponte hæc fieri, propter vos, non propter illos: non ut illos liberem ab inuidia, sed ut vos liberem à phantasia & visione rerum huius vitæ. Vis videri pulchra: ego quoque hoc volo, sed pulchritudine quam Deus quærit, quam Rex concupiscit. Quænam vis habere amatorem? Deum, an homines. Si sis pulchra illa pulchritudine, Deus tuam concupiscet pulchritudinem. Sin autem hac absque illo, ille quidem te abhorrebit: erunt autem tui amatores viri execrandi & scelesti. Nullus enim est bonus, qui amat mulierem iunctam matrimonio. Hoc etiam cogita in mundo externo. Nam ille quidem mundus, mundus, inquam, animæ, Deum attrahit: hic autem viros sceleratos. Vides quod vestri curam gero, quod de vobis sum sollicitus, ut sitis pulchræ. Verè pulchræ, & gloriosæ: vera, inquam, gloria gloriosæ: ut pro viris sceleratis habeatis amatorem Deum omnium dominum. Quæ autem illum habet amatorem, cui erit similis? Choros ducet cum Angelis. Nam si quæ à Rege amatur, supra omnes beata ducitur: quæ à Deo multo amore diligitur, quanta erit eius dignitas? Etiam si dixeris vniuersum orbem terræ, nihil erit dignum illa pulchritudine. Hanc ergo exerceamus & colamus pulchritudinem. Hoc mundo ornemur, ut ad cælos perueniamus, in cœnacula spiritualia, in thalamum sponsi, in quem nullus cadit interitus. Nam hæc quidem pulchritudo ab omnibus expugnatur, & quando etiam pulchrè manserit, & neque morbus, neque sollicitudo eam vexauerit, quod quidem fieri non potest, non permanet annos viginti. Illa autem semper floret, semper viget. Non est illic quod metuas mutationem. Nō irruens senectus inducit rugam. Non ingruēs morbus flaccidam efficit & marcidam. Non ex animi ægritudine profecta cura eam corrumpit: sed est his omnibus superior. Hæc autem priusquam apparuerit recedit. Et cum apparuerit, non multos habet admiratores. Nam qui sunt quidem modesti & temperantes, non admirantur: qui autem admirantur, cum libidine admirantur & lasciuia. Ne hanc ergo colamus, sed illam: illi ad hæc amamus, ut cum præclaris lampadibus in sponsi thalamum veniamus. Non enim virginibus solum est hoc promissum, sed animabus quæ sunt virgines. Nam si hoc esset absolutè virginum, quinque non fuissent exclusæ. Hoc ergo est omnium quæ sunt animæ virgines, quæ sunt liberatæ ab huius vitæ cogitationibus: animas enim corrumpunt hæc cogitationes. Si ergo maneamus integri & synceri, illuc ibimus, & illic excipiemur. Respondi enim vos, inquit, vni viro virginem castam exhibere

Mulier quomodopla-ceat marito.

Pulchritudo que nam sit quæ Deum concupiscit.

Christi-

Christo. Hæc non dicebat virginibus, sed cœtui vniuersæ Ecclesiæ. Nam cuius est anima incorrupta, ea est virgo, etsi habeat maritum, virgo, inquam, ea quæ verè est virginitate, & quæ est admiranda. Nam corporis quidem virginitas est illius comes & vmbra. Vera autem virginitas est illa. Hanc colamus, & ita poterimus læto vultu videre sponsum, & cum splendentibus ingredi lampadibus, si oleum nobis non deficiat, si aureis ornamentis fufis & conflatis eiusmodi oleum confecerimus, quod splendentes reddit lampades. Illud autem oleum est charitas in homines. Si alios nostris impertierimus facultatibus, ipsum oleum conficiemus. Tunc nos proteget & defendet. Et non dicemus in illo tempore: Date nobis oleum, quoniam lampades nostræ extinguuntur, neque aliis egebimus, neque euntes ad eos qui vendunt, excludemur, neque audiemus vocem illam terribilem & horrendam, pulsantes ostium, Nescio vos; sed nos agnosceret, & cum ipso intrabimus, & in spiritualem sponsi ingressi thalamum fruemur bonis innumerabilibus. Si hic ad eò elegans & nitidus est sponsi thalamus, ad eò splendida cœnacula, ut nemo attendens fatietur, quantò magis illic? Thalamus est cœlum, & sponsi thalamus cœlo melior. Illud ingrediemur. Si autem sponsi thalamus est ad eò pulcher, quis erit ergo sponsus? Et quid dico ut depositis aureis ornamentis, ea impertiamus egentibus? Nam si oporteret vel vos ipsas venumdare, si vel liberis fieri ancillas, ut possent cum illo esse sponso, illa frui pulchritudine, & solum illum vultum intueri, non oporteret cum omni alacritate animi hæc suscipere? Regem qui est in terra videmus & admiramur. Quâdo autem videris & regem & sponsum, & sponsum & regem, vtraque, multò magis id alacri animo oporteret suscipere. Reuera hæc quidem sunt vmbra: illa autem veritas. Quando autem videris & regem & sponsum in cælis, & te dignum haberi qui præcedas cum lampadibus, & sis prope ipsum, & perpetuò sis cum ipso, quid non oporteret facere, quid non agere, quid non tolerare? Rogo vos capiamus aliquod illorum bonorum desiderium: desideremus illum sponsum. Simus vera virginitate virgines. Animæ enim virginitatem requirit Dominus. Cum ea cœlum intremus, ut non habeamus maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi: ut assequamur bona promissa. Quæ detur nobis consequi gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo patri gloria, vnà cum sancto Spiritu, in secula seculorum. Amen.

Oleum in lampadibus virginum, est charitas in homines. Matr. 25.

Consolationis duæ species.

Sup. 10.

ORATIO XXIX.



NONDUM enim vsque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum repugnantes: & obliuistis consolationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam domini: neque fatigeris dum ab eo corripis. Quem enim diligit Dominus, castigat. Flagellat autem omnem filium quem recipit. Duæ sunt species consolationis, quæ videntur esse inter se contrariæ, simul autem secum magnam vim afferunt, quas hic posuit ambas. Vna quidem est quando dicimus aliquos multa esse passos: requiescit enim animus quando habet multos testes suarum perpeffionum: quam quidem supra posuit dicēs: Rememoramini autem pristinos dies in quibus illuminati magnum certamen sustinistis passionum. Altera autem, quando dicimus, Non es passus aliquid magnum. Illa quidem facit ut afflicta & vexata quiescat. Hæc autem ignauam socordemque & super-

nam conuertit, & de fastu & animi elatione detrahit. Nam ne ex illo testimonio eis nasceretur fastus & insolentia, vide quid facit. Nondum, inquit, vsque ad sanguinem restitistis aduersus peccatum repugnantes: & obliuistis consolationis. Nec statim subiunxit quæ sequuntur: sed cum eis ostendisset omnes qui ad sanguinem vsque restiterant: deinde subiunxisset, gloriationem esse Christi perpeffiones, tunc faciliè cætera est perfecutus. Hoc etiam scribens ad Corinthios, dicit: Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. hoc est, parua. Hoc enim sufficit ad excitandum & erigendum animum, quando cogitauerit quod non ad totum ascendit, & sibi persuaserit ex iis quæ præcesserunt. Hoc est, nondum mortem passi estis. Vsque ad pecunias processit vestrum damnum, vsque ad gloriam, & coufque vt expelleremini. Christus autem pro nobis fudit sanguinem: vos autem etiam pro vobis ipsis. Ipse ad mortem vsque decertauit, bellum gerens pro veritate: vos autem nondum venistis ad pericula mortem minitanti. Et obliuistis consolationis. Hoc est, & manus remisistis, & dissoluti estis. Nondum, inquit, vsque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum repugnantes. Hic ostendit & peccatum vehementer spirare, & ipsum esse armatum. Illud enim restitistis, dictum est relatum ad eos qui stant. Quæ vobis tanquam filiis loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam domini. Neque fatigeris dum ab eo corripis. Consolationem & exhortationem facit ex rebus ipsis, affert etiã ex verbis, ab hoc testimonio. Neque fatigeris, inquit, dum ab eo corripis. Sunt ergo hæc Dei. Nam hoc quoque est non paruum ad consolationem, cum didicerimus quod Dei est opus ut hæc soluantur illo concedente: sicut etiam dicit Paulus: Dixit mihi, sufficit tibi gratia mea. Nam virtus mea in infirmitate perficitur. Ille enim concedit. Quem enim diligit Dominus, castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. Non potes dicere quod sit aliquis iustus absque afflictione, etiam si sic appareat. Sed nos nescimus alias afflictiones. Quamobrem necesse est ut qui iustus veniat per afflictionem. Est enim Christi sententia, quod via lata & spatiosa abducit ad interitum: arcta autem & angusta ad vitam. Si ergo inde licet venire ad vitam, aliunde non licet: per angustam ergo viam omnes venerunt, qui venerunt ad vitam. Si disciplinam, inquit, sustinestis, non ad pœnam, neque ad supplicium, neque ad hoc ut malè patiamini. Vide, unde, inquit, existimabant se esse derelictos, dicit se ex his credere quod non sint derelicti. Quasi diceret: Quoniam tam multa mala passi estis, existimatis quod Deus vos dimiserit & oderit. Sed si non passi essetis, tunc oporteret hoc suspicari. Nam si flagellat omnem filium quem recipit, qui non flagellatur, fortasse nō est filius. Quid verò, inquit, mali non malè patiuntur? Patiuntur quidem. Quomodo ergo non dixit, quod quicumque flagellatur est filius, sed omnis filius flagellatur? Sed non potes hoc dicere. Sunt enim qui flagellantur multi etiam mali, ut homicidæ latrones, præstigiatores, sepulchrorum efflores. Sed illi suorum scelerum dant pœnas, & non flagellantur tanquam filij, sed puniuntur ut scelerati. Vos autem tanquam filij. Deinde rursus à communi consuetudine. Vides quomodo vndique id, de quo agit, agitatur? A rebus quæ sunt in scriptura, à verbis, à propriis notationibus, ab exemplis quæ sunt in vita. Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulterini, & non filij estis. Vides quod dixit id quod dicebam, quod non possit esse filius qui non castigatur. Nam quomodo in familiis adulterinos filios despiciunt patres, etiam si

1. Cor. 10.

Prou. 1.

1. Cor. 12.

Prou. 13.

Matt. 7.

Filius nō est qui nō castigatur.

nihil discant, etiam si non sint gloria insignes: de legitimis autem filiis timent ne se dedant otio & socordia. Si est ergo adulterinorum non erudiri, gaudere oportet ob disciplinam, siquidem ea adhibetur in germanis & legitimis filiis. Tanquam filiis vobis se offert Deus. Propter hoc ipsum. *Deinde patres quidem carnis nostrae eruditores habuimus, & reuerentur eos.* Rursus à propriis perpeffionibus, ab iis quæ ipsi patiebantur. Sicut enim illic dicit: Rememoramini pristinos dies, ita hinc quoque: Deus, inquit, nobiscum agit tanquam cum filiis. Nec potestis dicere, Non possumus facere. Et tanquam cum charis filiis. Nam si patres carnales illi reuerentur, quomodo patrem cœlestem non reuerbimini? Quamquam non ex hoc solum est differentia, non ex personis, sed & ab ipsa causa, & ex re ipsa. Non enim propter eadem & hic, & illi erudiunt: sed illi quidem prout eis videtur. Hoc est sæpe implentes voluptatem, non semper spectantes id quod est conducibile. Hic autem non potest hoc dici. Non enim hoc facit propter aliquod suum, sed propter vos & vestram solam utilitatem. Illi ut & ipsi sitis viles, sæpe autem etiam temere. Hic autem nihil est huiusmodi. Vides quod hoc quoque affert consolationem. Nam cum illis maxime benevolentia coniungimur, quando viderimus quod non propter aliquid suum, aut iubent, aut suadent, sed propter nos totum ab eis ponitur studium. Hoc enim est sincera dilectio & verè dilectio, quando cum nihil simus viles ei qui diligit, ab eo diligimur: non ut accipiat, sed ut det. Erudit, omnia facit, omne studium confert, ut reddamur suorum bonorum capaces. *Et illi quidem in tempore paucorum dierum secundum voluntatem suam erudierunt nos: hic autem ad id quod vtile est, in recipiendo sanctificationem eius.* Quid est, ad participandam sanctitatem eius? Hoc est, puritatem, ut pro viribus simus eo digni. Ille ponit studium ut accipiatis, & omnia facit ut det vobis. Vos non studium ponitis ut accipiatis. Dixi, inquit, Domino meo: Dominus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Deinde patres quidem carnis nostrae eruditores habuimus, & reuerentur eos: non multo autem magis obtemperabimus patri spirituum, & viuemus? Patri spirituum, aut charismatum, aut orationum, aut potestatum incorporearum. Si sic moriamur, tunc viuemus. Nam illi quidem ad paucos dies erudiebant, prout eis videbatur. Non enim semper quod videtur est vtile. Hic autem ad id quod vtile.

MORALE.

Ergo disciplina participatio sanctitatis? Maxime. Nam cum expellit socordiam, cum malam cupiditatem, cum amorem rerum quæ ad hanc vitam pertinent, cum conuertit animam, cum efficit ut cuncta quæ hinc sunt damnemus, hoc enim est afflictio, an non fit sancta? Non attrahit gratiam spiritus? Cogitemus vnde nam iusti omnes effulserunt. An non ex afflictione? Enumeremus, si velis, à multis retro seculis, & ab initio. Abel, ipse Noë. Fieri enim non potest ut non affligeretur qui erat in tam multa malorum multitudine. Noë enim, inquit, cum esset solus perfectus in generatione sua, Deo placuit. Nam mihi cogita, si nunc cum habeamus innumerabiles quorum virtutem æmulemur, pueros & magistros, sic affligimur, quomodo est contentaneum illum fuisse affectum solum inter tam multos? Sed dicamne de pluuia illa aliena & planè admirabili. Sed dicamne de Abrahamo, de crebris eius peregrinationibus, de raptu vxoris, de periculis, de bellis, de fame? Sed de Isaac quàm multa passus sit grauia, vndique

pulsus, & frustra laborans, & aliis operam impendens? Sed de Jacob? omnia enim eius recensere non est necesse, testimoniū autem afferre est cōsentaneum, quod ipse dicebat Pharaoni: Dies, inquit, mei pauci sunt & mali, & non peruenerunt ad dies patrum meorum. Sed dicamne de Ioseph, sed de ipso Mose, de Iesu Naue, de Dauide, de Elia, de Samuele? Sed visne dicam de omnibus prophetis, non inuenies omnes euasisse claros ex afflictionibus? Dic ergo mihi, visne esse clarus ex otio, quiete, & deliciis? Sed non poteris. Sed dicamne de Apostolis? Sed hi quoque omnes superauerunt. Christus quoque hoc dicit: In mundo afflictionem habebitis. Et rursus: Vos plorabitis & lugebitis: mundus autem gaudebit. Et quod arcta sit & angusta via quæ ducit ad vitam, dicit ipse viæ dominus: tu autem quæris latam? Et quomodo non est hoc absurdum? Propterea vitam non assequeris qui alia ingrederis, sed interitum: eam enim elegisti quæ fert illuc. Vis dicam, & in medium adducam eos qui vitam egerunt in deliciis? Ab vltimo ascendamus ad primos. Diues ille qui ardebat in camino, qui ventri viuunt Iudæi, quorum Deus venter est, qui in solitudine semper quærebant otium & requiem, cur perierunt? Sicut & qui degebant Sodomis, propter ingluuiem. Et qui erant tempore Noë, non propterea quod vitam elegerunt lautam & dissolutam? In saturitate enim panis, inquit, lasciuiebāt: de iis dicit, qui agebant Sodomis. Si autem saturitas panis tantum malum fecit, quid dixerimus de aliis placentis & bellariis? Esau an non erat in quiete & otio? Quid verò illi ex filiis Dei qui dederunt vxores, & deturbati sunt per præcipitia? Quid verò ij qui in masculos insaniebant? Omnes autem Reges gentium Babylonicarum & Ægyptiorum, an non malè in deliciis vixerunt? an non sunt in tormentis? Sed quæ nunc sunt, dic mihi, non sunt huiusmodi? Audi Christum dicentem: Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt: qui autem non talibus vestiuntur, in cœlis. Nam vestis mollis etiam fortem dissoluit & frangit animum ac diffundit: & licet corpus acceperit asperum & durum, id molle reddat & imbecillum. Nam vnde nisi ex hoc putatis mulieres esse adeo molles, dic quæso? Non ex solo sexu? Nunquam: sed ex viuendi ratione & educatione. Nam in vmbra educatio, otium, lauacra, vnguenta, multitudo aromatum, cubilis mollities eas tales efficit. Et ut id scias, animaduerte ad id quod dico. Accipe mihi plantam ex hortis qui sunt in deserto, & pulsantur à vêtis, & pone eam in loco humido & vmbroso, & inuenies illam indignam eo loco ex quo sumpta ab initio. Quod autem hoc sit verum, vide. Mulieres quæ aluntur in agris, sunt fortiores viris qui in vrribus habitant: & multos eiusmodi illæ in lucta prostrauerunt. Nā cum corpus factum fuerit mollius, necesse est ut anima quoque damni sit particeps. Nam magna ex parte eius operationes simul afficiuntur cum illius affectione. Et enim in morbis sumus alij, propterea quod emolliamur: & cum sani sumus, rursus alij. Sicut enim in chordis cum fuerint soni molles & non rectè extensi, artis quoque virtus præciditur, coacta seruire vitio chordarum: ita etiam in corpore multa damna ab eo accipit anima, multas necessitates. Nam cum multa egeat curatione, illa acerbam sustinet seruitutem. Quamobrem rogo, id reddam forte & robustum, nec faciamus valetudinarium. Non solum loquor cum viris, sed etiam cum mulieribus. Cur ipsum assidue dissoluis deliciis, exilique & flaccidum facis, o mulier? Quid vires corrumpis adipem? Adeps est ei etiam mollities, non robur. Sin autem his dimissis tunc aliter te geras, tunc & pulchritudo corporis procedit ex sententia, quando & vires adfuerint, & bona habitudo. Sin autè ipsum mille morbis obsideas, nec erit flos corporis, nec bona aliqua habitudo. Semper enim eris in tristitia. Scitis autè quod sicut pulchram domum, cum ei aer ariserit, reddit splendidam: ita etiam speciosum vultum, si animæ alacritas accesserit, reddit meliorem. Sin autem sit in tristitia & mœrore, fit deformior. Tristitiā autem morbi faciunt & ægritudines. Morbos autem facit, quod corpus factum sit mollius à multis deliciis. Quamobrem hac etiam ratione fugite delicias, si mihi credatis. At voluptatem habet, inquit, indulgere genio & deliciis: sed non tot quot molestias. Alioqui autem voluptas est vsque ad gulam, vsque ad linguam. Mensa autem ablata & cibo deuorato, perinde es atque si non fueris eius particeps: imò verò longè deterior, ut qui inde auferas grauedinem, distensionem, & pandiculationem, & crapulam, & somnum morti similem, sæpe verò etiam vigiliam ex saturitate, & obstructione spiritus, & cruciatione. Et millies quidem ventrem potueris execrari, cum execrari oporteat intemperantiam & immoderationem. Ne corpus ergo impinguemus, sed audiamus Paulum dicentem: Carnis curam ne gesseritis ad concupiscentias. Quomodo enim si quis cibos acceperit, & in cloacam proiecerit, ita etiam qui in ventrem ingerit: imò verò non ita, sed longè peius. Nam hinc quidem cloacam facit absque suis malis: illic autem & morbos procreat innumerabiles. Nam quod nutrit est sufficientia, quod etiam potest conficere & concoquere. Quod autem vsum superat, & est plus quam par sit, non solum non nutrit, sed illud quoque affert noxam: sed nullus hæc videt propter anticipatam opinionem & intempestiuam voluptatem. Vis corpus nutrire? amputa quod redundat, da quod sufficit, & quantum potest confici & concoqui. Noli ipsum grauare, ne obruas. Quod sufficit est & alimentum, & voluptas. Nihil enim adeo efficit voluptatem, ut cibus rectè confectus & concoctus. Nihil adeo efficit voluptatem, nihil adeo acumen sensuum, nihil est quod morbum æquè propulset. Nam quod sufficit est & alimentum, & voluptas, & sanitas. Quod verò est plusquam par sit, est & damnum, & molestia, & morbus. Nam quæ facit morbus, & facit etiam saturitas, atque adeo grauiora. Nam ille quidem paucis diebus abducit & liberat hominem: hæc verò corpus arrodens & putrefaciens, longo tradit morbo, & deinde morti grauissimæ. Nos autem famem quidem rem ducimus abominandam: ad saturitatem verò & nimiam repletionem currimus. Vnde hic morbus? Vnde hæc infania? Non dico ut nos cruciemus, sed ut tantum comedamus, quod & voluptatem habeat, quæ verè est voluptas, & possit corpus alere, & id reddere aptum & concinnatum, cōpactumque rectè & compositum ad animæ operationes. Quando autem fuerit nimium in id ingestum nutrimentum, non potest, ut ita dicam, clauos & commissas compages retinere propter redundantiam. Ingressa quippe redundantia totum dissoluit & diffundit. Carnis, inquit, curam ne gesseritis ad concupiscentias. Rectè dixit. Alimentum enim est materia obscœnis cupiditatibus. Etiam si is qui indulget deliciis sit omnium maxime Philosophus, necesse est ut ipse afficiatur à vino & à cibis: necesse est ut diffundatur, necesse est ut maiorem inferat flammam. Hinc supra, hinc adulteria. Non potest enim amorem parere venter esuriens, imò verò nec is qui vitur eo quod sufficit. Qui verò parit obscœnas voluptates, ille est qui indulget deliciis. Et quomodo terra valde humida procreat vermes, & fi-

mus qui madescit, & multum habet humorem: contra autem terra quæ est ab illo humore libera, fert multos fructus, cum nihil habeat quod modum excedat. Nam et si non colatur, emittit herbam. Sin autem colatur, fructus. Ita nos quoque si carnem non reddamus inutilem, neque noxiam, sed in ea plantemus viles fructus, & arbores frugiferas, nec eas dissoluamus deliciis. Illæ enim putrefactæ pro fructibus vermes emittunt. Ita etiā innata cupiditas, si eam madefeceris, procreat turpes voluptates, atque adeo turpissimas. Hanc itaque lucem auferamus, ut possimus bona promissa consequi, in Christo Iesu domino nostro, cum quo patri gloria, vnà cum sancto Spiritu, nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

ORATIO XXX.



BENIGNIS autem disciplina in presenti quidè videtur non esse gaudij, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitia. Propter quod remississimas manus & soluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. Qui amara bibunt medicamenta, prius quidem quoddam ferunt tædium & molestiam, & tunc sentiunt utilitatem. Talis enim res est virtus, & tale illic vitium. Prima quidem est voluptas, deinde angor animi, & tunc voluptas. Sed minimè sunt paria. Non est enim par, cum molestia prius fueris affectus, postea lætari: & cum prius lætatus fueris, postea molestia affici. Nam hinc quidem expectatio futuræ tristitiæ, præsentem minuit voluptatem: illic autem expectatio futuræ lætitiæ, detrahit de vehementia prioris animi ægritudinis: adeo ut cōtingat illic quidem nunquam lætari, hinc autem nunquam tristitia affici. Non solum autem hac ratione, sed etiam alia est differentia. Nempe quod neque paria sunt tempora, sed longè maiora & ampliora. Hinc autem est etiam aliquid amplius in spiritualibus. Ab hoc ergo argumentatur Paulus. Consolationi autem rursus quoque commune assumit iudicium, cui nullus potest resistere, neque cum communi pugnare sententia, cum dixerit quidpiā de quo cōstat apud omnes. Mœretis, inquit, Talis enim res est disciplina: tale habet principium. Omnis enim disciplina in presenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris. Rectè dixit, Non videtur. Non est, inquit, disciplina mœroris, sed videtur. Omnis disciplina. Nō hæc quidem, aut illa. Sed omnis disciplina, & humana & spiritualis. Vides eum contendere ex communibus notionibus. Videtur, inquit, esse mœroris. Quare non est. Quis enim mœror, aut quæ tristitia parit gaudium? quomodo nec voluptas parit animi ægritudinem & tristitiam. Postea autem fructus pacatissimos reddit iis qui per ipsam sunt exercitati iustitiæ. Non fructum sed fructus magnam multitudinem. Per ipsam exercitatis, inquit, iis qui longo tempore sustinuerunt, & tolerarunt. Bono autem verbo est vñus. Disciplina ergo est exercitatio, fortem reddens Athletam, & inuictum in certaminibus, & in bellis inexpugnabilem. Si ergo omnis disciplina est talis, hæc quoque erit talis. Quamobrem bona sunt expectanda, & iucundus finis ac pacatus. Nam etiā in arboribus cortex quidem est propè omnis expertus qualitatis & asper: fructus autem sunt dulces. Sed hoc accepit ex communi notione. Si oportet ergo talia expectare, quid doletis? Cur cum molesta sustinueritis, in iis quæ bona sunt ignaui & remisso animo estis? Iniu-cunda & molesta quæ erant ferenda, sustinuitis: ne

Sup. 10.

Gen. 47.

Ioan. 16. Ibid. Matr. 7. Luc. 13.

Qui vixerunt in per leuis dicitur.

Morbi existunt ex mollitie corporis & deliciis.

Rom. 13.

Ezec. 16.

Gen. 6.

Matr. 12.

Mulieres vnde sint molles.

Psal. 139. & 15.

Disciplina est participatio sanctitatis.

Gen. 7.

Terra à nimio humore libera fert multos fructus.

In vitio prior est voluptas, deinde dolor: cetera in virtute.

Arboris cortex est asper, fructus dulcis.

MORALE.

ignavi ergo & remissi sitis in remuneratione. Eos allo- quitur tanquam cursores, & pugiles, & bellatores. Vides quomodo eos armet: quomodo eos exciter. Gressus, inquit, rectos facite, id est, recta ambulate. Hic dicit de ipsis cogitationibus: hoc est, non dubitantes. Si enim disciplina est charitatis, si incipit a cura, si desinit in bonum finem: & hoc & per res, & per verba, & per omnia ostenditur, cur ignavi estis & remissi? Tales enim sunt qui animum desponderunt, qui ne futurorum quidem spe confirmantur. Recta, inquit, ambulate: ut non extendamini ad claudicationem, sed mutemini ad priora. Nam qui currit cum claudicatione, malum inuehit. Vides quod in nostra sit potestate ut curemur. Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Quod dicebat superius, Non deserentes collectionem seu congregacionem nostram, hoc hic quoque tacite significat. Nihil enim ad superandum & expugnandum tam faciles facit in tentationibus, quam esse diuulsos ac diuifos. Nam dic quaso, disrumpe ac diuide aciem in bello: & ne labore quidem opus habebunt inimici, sed eos victos capient separatim inuentos, & ea ratione imbecilliores. Pacem, inquit, sequimini cum omnibus. Num etiam cum iis qui male agunt? Si fieri, inquit, potest, quod in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Quod ad te, inquit, attinet, cum omnibus hominibus pacem age, pietatem nihil laedens, sed in iis quae pateris ea fer forti & generoso animo. Est enim malorum tolerantia, magna arma in tentationibus. Sic etiam Christus quoque discipulos suos faciebat fortes, dicens: Ecce mitto vos tanquam oues in medio luporum: estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae. Quid dicis, sumusne cum lupis? Maximè, inquit. Nam eum qui malè facit nihil adeò pudore afficit, atque quod nos fortiter feramus ea quae inferuntur, & neque verbo, neque facto nos vlciscamur. Hoc & nos reddit magis Philosophos, & maiorem conciliat mercedem, & illos iuuat. At hic vel ille me affecit contumelia, tu verò eum bonis verbis prosequere. Vide quam multa ex eo sis lucrifactorus. Malum extinxisti: mercedem tibi conciliasti: illum pudore affecisti: nihil es passus graue. Pacem sequimini cum omnibus & sanctificationem. Quid dicit? Temperantiam, honestatem in matrimonio. Siue quispiam, inquit, non sit iunctus matrimonio, castus maneat, vxorem ducat. Siue sit iunctus matrimonio, non scortetur, sed vxore vtatur. Nam hoc quoque est sanctificatio. Quomodo? Non est matrimonium sanctificatio, sed matrimonium cōseruat sanctificationem quae procedit à fide, non sinens coniungi cum meretrice. Matrimonium enim est honorabile, non sanctum. Purum est matrimonium, nō tamen prabet etiam sanctitatem, nisi quod prohibet non polluere eam quae data est à fide. Sine qua, inquit, nemo videbit Deum. Quod etiam dicit in epistola ad Corinthios. Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque masculorum concubitores, neque auari, neque fures, neque ebriosi, neque detractores, neque raptores regnum Dei possidebunt. Quomodo enim qui corpus factus est meretricis, poterit esse corpus Christi? Contemplantes ne quis desit gratiae Dei: ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediatur, & per illam inquinentur multi. Ne quis fornicator aut profanus. Vides quomodo vbique vnicuique communem tradit salutem Adhortamini vos, inquit, alter alterum per singulos dies, donec hodie cognominatur.

Ne ergo omnia congeratis in doctores: ne iis qui praesunt omnia tribuatis. Potestis enim vos, inquit, alter alterum aedificare. Quod etiam dicebat scribens ad Thessalonicenses: Alter alterum aedificate, sicut & facitis. Et rursus: Cōsolamini alter alterum in verbis istis. hoc vobis quoque nunc suademus. Plura quam nos si vultis potestis alter alteri bona facere. Vos enim longiori tempore inter vos mutuo conuersamini, & res vestras alter alterius magis scitis, & quae vobis desunt inter vos non ignoratis & maiorem fiduciam habetis, charitatem, & consuetudinem. Non haec sunt autem parua doctrina, sed magni & opportuni aditus. Magis quam nos poteritis increpare & exhortari. Nec hoc solum: sed quoniam ego quidem sum vnus, vos autem multi, poteritis etiam quotquot estis omnes esse doctores. Quamobrem rogo vos ne negligatis hanc gratiam. Vnusquisque habet vxorem: habet amicum: habet famulum: habet vicinum: eum increpet: eum admoneat. Quomodo enim non est absurdum, pro alimento quidem facere conuiuia, & diem habere cōstitutum ut inter se conueniant, & quod vnicuique si per se sit deest, implere per societatem, ut puta siue eundem sit ad funus efferendum, siue ad prandium, siue sit in aliquo proximo ferendum auxilium, ad docendam autem virtutem non hoc facere? Certè. Rogo nemo negligat. Accipit enim magnam à Deo mercedem. Et ut intelligas, cui quinque credita sunt talenta, is est doctor: cui autè vnus, discipulus. Si dixerit discipulus, sum discipulus, in nullo verfor periculo: & communem hanc quam à Deo accepit doctrinae rationem, nudam absconderit, & non admonuerit, non dicendi libertate vsus fuerit, non arguerit, non suaserit si potest, sed in terra absconderit: verè enim est terra & fimus cor quod abscondit Dei gratiam. Si ergo absconderit, aut propter pigritiam, aut propter improbitatem, non eum defendet & excusabit quod dicat, vnus habui talentum. Vnum habebas talentum? oportebat vel vnus afferre, & talentum duplicare. Si vnus attulisses, non esset vlla culpa in te collata. Neque enim ei qui duo attulit, dixit: Cur non quinque attulisti? Sed cum iisdem dignum censuit quibus eum qui quinque attulit. Quare? Quoniam quantum habuit exercuit, nec suum esse otiosum, nec quoniam minus accepit quam cui fuerant tradita quinque talenta, propterea fuit negligens, nec paucitate vsus est ad otium, nec te oportebat aspicere ad eum qui duo habebat, imò verò etiam ad illum oportebat aspicere. & quomodo ille cum duo haberet, imitatus est illum cui data fuerant quinque, ita te quoque imitari oportet eum cui duo fuerant tradita. Nam si ei qui habet pecunias, & non impertit, infligitur supplicium: ei qui potest quomodocunque admonere, & hoc non facit, quomodo non maximum infligetur supplicium? Illic corpus nutritur, hic anima. Illic mortem prohibes temporalem: hic aeternam. At non est, inquit, mihi dicendi facultas. Sed dicendi facultate non est opus, nec eloquentia. Si videris amicum scortantem, dic ei. Res est mala quam admittis, non te pudet, non erubescis? est enim malum. An verò nescit quod sit malum? Certè: sed trahitur à cupiditate. Aegroti quoque sciunt aquae frigidae potum esse malum: sed tamen egent iis qui sint prohibitori. Nam qui tenetur affectione, non statim sibi in morbo poterit sufficere. Te ergo sano opus est ad illius curationem, & si verbo non fuerit persuasus, obserua euntem, & retine, fortasse pudore afficietur. Et quid, inquit, iuuat si propter me hoc faciat, & quod

Non solum doctores, sed etiam alter alterum aedificat. Thess. 4. & 5.

Doctor esse potest quilibet è populo.

Matt. 23.

Admonere qui potest nec admonet, punitur.

Sup. 10.

Rom. 12.

Matt. 10.

Pacem sequimini cum omnibus & effectus.

1. Cor. 6.

quod à me fuerit retentus? Ne accuratè scruteris. Interim quocunque modo eum abduc à mala actione, asuecat non ire ad illud barathrum. tunc poteris cum acceperis eum paulum respirasse, docere quod propter Deum oportet hoc facere, & non propter hominem. Ne velis vniuersum simul corrigere: non enim poteris, sed sensim & paulatim. Si videris eum euntem ad comotationem & ad conuiuia plena ebrietate, illic quoque fac id ipsum: & rursus eum roga, ut si viderit in te aliquem defectum ac vitium, tibi opem ferat & te corrigat. Sic enim & in se feret reprehensionem, cum viderit te quoque opus habere ut reprehendaris, & non tanquam omnia corrigentem, neque tanquam doctorem, sed tanquam amicum & fratrem, opem ferre. Dic ei: Ego tibi profui admonens eorum quae sunt vitia, & tu quod in me videris deficiens & vitiosum, coerce & corrige: si iracundum videris, si auarum, reprime scilicet admonitione. Hoc est amicitia: sic frater à fratre aditus, fit tanquam vrbs munita. Non enim comedere & bibere faciunt amicitiam: talem enim habent latrones & sicarij: sed si sumus amici, si verè alter alterius curam gerimus, ad haec alter alteri conferamus. Haec nos adducunt ad amicitiam vtilem. Haec prohibeamus quae ducunt ad gehennam. Neque ergo is qui arguitur aegre ferat: sumus enim homines, & sunt in nobis vitia & defectus, neque qui arguit hoc faciat tanquam irridens & traducens, sed priuatim cum lenitate & mansuetudine. Multa lenitate opus habet qui arguit, ut ita persuadeat ferre incisionem. Non vides cum quanta lenitate medici adhibent curationem quando vrunt? Multò magis hoc facere oportet eos qui arguunt. Nam & igne & ferro vehementius reprehensio facit exilire. & ideo medici magnum ponunt studium ut leniter ferant incisionem, & quam placidissimè fieri potest eam adhibent, & parum cedentes, & deinde concedentes ut respirent. Sic sunt etiam faciendae reprehensiones, ut & qui arguuntur non resiliant. Et si ergo oporteat contumelia affici, & plagas accipere, non recusemus. Nam & illi qui secantur, valide & plurimum vociferantur aduersus eos qui secant: sed illi nihil horum spectant, sed eorum solam qui laborant salutem. Ita hic quoque oportet omnia facere vtiliter ad reprehensionem, omnia ferre aspicientes ad mercedem propositam. Alter, inquit, alterius onera portantes: & ita implete legem Christi. Sic ergo & reprehendentes, & alter alterum ferentes, possumus implete aedificationem. Et sic nobis leuem facietis laborem, nobis opem ferentes in omnibus, & manum praebentes, effecti participes & socij, & alter alterius salutis, & suae vnusquisque. Sustineamus ergo & alter alterius onera gestantes, & arguentes: Ut assequamur bona promissa in Christo Iesu domino nostro, cum quo patri vnà cum sancto spiritu gloria nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

Corrigere oportet paulatim.

1. Thim. 3.

Gal. 6.

ORATIO XXXI.



PACEM sequimini cum omnibus & sanctimoniam: sine qua nemo videbit Deum. Multa quidem sunt quae expriment Christianissimum: magis autem quam omnia, & melius quam omnia, mutua inter se dilectio & pax. Propterea Christus quoque dicit, Pacem meam do vobis, & rursus, In hoc scient omnes quod mei discipuli estis, si dilexeritis inuicem. Propterea Paulus quoque dicit, Pacem sequimini cum omnibus & sanctitatem, sine qua nemo videbit dominum. Contem-

Dilectio mutua & pax optime exprimit christianissimum. Ioan. 14. & 13.

Chryso. tom. 4.

A plantas ne quis desit gratiae Dei. Tanquam magnam aliquam viam in magno comitatu simul conficientibus, videte, inquit, ne quis remanserit. Non hoc solum quæro ut vos quoque adueniatis, sed ut alios quoque consideretis; Ne quis, inquit, desit gratiae Dei. Gratiam Dei futura dicit bona, fidem euangelicam, optimam vitae institutionem. Sunt enim omnia Dei gratiae. Ne mihi dixeris, vnus est qui perit. Et propter vnum mortuus est Christus. Propter quem mortuus est Christus, eius curam non geris? Contemplantes, inquit, hoc est exactè scrutantes, considerantes, ediscentes ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediatur. Hoc situm est in Deuteronomio. Hoc autem sumpsit à metaphora plantarum. Ne qua, inquit, radix amaritudinis. Quod alibi quoque scribens dicit, Modicum fermentum totam massam fermentat. Non propter illud solum hoc volo, sed etiam propter illam quae inde orta est noxiam. Hoc est, etiam si sit aliqua radix eiusmodi, nullum germen sinas ascendere, sed excindatur, ne sibi congruentes fructus ferat, ut non alios inficiat & polluat. Nequa, inquit, radix amaritudinis sursum germinans impediatur, & per illam inquinentur multi. Et merito amarum vocauit peccatum. Re vera enim nihil est peccato amari. Hoc sciunt qui postquam id fecerunt, tabescunt à conscientia, qui magnam sustinent amaritudinem. Nam cum sit amarissimum, peruertit etiam ipsam vim ratiocinandi. Ea enim est amaroris natura ut sit inutilis. Rectè autem dixit, Radix amaritudinis. Non dixit Amara, sed amaritudinis. Nam fieri quidem potest ut radix amara dulces ferat fructus, sed fieri non potest ut amaritudinis radix, fons & fundamentum, dulcem vnquam fructum ferat. Omnia enim sunt amara, nihil habent dulce: omnia acerba, omnia insuaui, omnia plena odio & abominatione. Et per illam inquinentur multi. Hoc est, intemperantes & lasciuos excindite. Ne quis fornicator aut prophanus ut Esau, qui propter vnā escam vendidit primitiua sua. Et vbi fornicator fuit Esau? Non hoc dixit quod fornicator fuerit Esau. Ne quis fornicator, inquit. Deinde sequimini sanctimoniam. Neque prophanus ut Esau. Hoc est helluo, & intemperans, mundanus, vendens spiritalia. Qui propter vnā escam vendidit primitiua sua. Qui hunc à Deo sibi datum honorem propria vendidit scordia, & parua voluptate maximum honorem perdidit & gloriam. Hoc propriè ad ipsos pertinet. Hoc est abominandi: hoc immundi. Quare non solus scortator est immundus, sed & helluo qui seruit ventri. Nam iste quoque est seruus vehementis voluptatis: cogitur plura quam par sit habendi teneri cupiditate: cogitur rapere, innumerabilia turpiter & indecorè gerere, cum sit illius vitij seruus, & saepe blasphematur, adeò nullius pretij esse suam duxit primogenituram. Hoc est, temporalis curam gerens quietis, peruenit etiam vsque ad primogenituram. Quamobrem sunt de cetero nostrae primogeniturae, non Iudaeorum. Simul etiam & cum eo quod eis accidit hoc confert, quod primus factus est posterior, & qui erat secundus factus est primus. Ille primus, propter constantiam & tolerantiam. Hic posterior, propter scordiam & negligentiam. Scitote enim quoniam & postea cupiens hereditare benedictionem, reprobatus est. Non enim inuenit poenitentiae locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam. Quid hoc est, expellitne poenitentiam? Nam si seipsum condemnauit, si valde euilauit, cur non inuenit locum poenitentiae? Quoniam ea res non erat poenitentiae: sicut nec

Deut. 29. Galat. 5.

Peccato nihil est amari.

Gen. 32.

Helluo qui seruit ventri est immundus.

Ggg

penitentię erat tristitia Caini: sicut & hoc ostendit facta cædes. Ita hęc quoque verba non erant penitentię, idque postea ostendit invidia. Nam ipse quoque quod ad animi institutum atinet, Iacob interfecit. Appropinquabunt enim, inquit, dies luctus patris mei, & interficiam Iacob fratrem meum. Non valuerunt ergo lacrymę ei dare penitentiam. Et non dixit per penitentiam absolutę, sed etiam cum lacrymis non inuenit locum penitentię. Quamobrem? Quoniam non quomodo oportuit egit penitentiam. Hoc enim est penitentia, non egit penitentiam vt oportuit. Alioqui quomodo hęc diceret? Quomodo cum segnes & pigri euassissent, eos rursus adhortaretur? Quomodo cum claudi facti essent? Quomodo cum essent remissi & soluti? Hoc enim est initiũ lapsus. Mihi videtur tacite significare quosdam in eis fornicatores, nolle tamen tunc eos arguere: sed fingit se ignorare, vt corrigantur. Oportet enim primũ quidem simulare ignorantiam: postea autem cum perseverauerint, tunc quoque inferre reprehensionem, ne pudorem exuant. Quod Moyses quoquoque fecit in Zambri & Madianitide. Non inuenit, inquit, penitentię locum: non inuenit penitentiam. An quod peccauit maiora, quàm vt eorũ agi possit penitentia? Sunt ergo peccata aliqua maiora, quàm vt eorum agi possit penitentia. Hoc est ergo quod dicit. Ne cadamus casu incurabili. Donec fuerit solũ claudicatio, facile est rectum fieri. Sin autem fuerimus penitus euerſi, quid de cætero restabit? Cum iis enim, qui nondum ceciderũt sic loquitur, metu eos concutiens, & dicit fieri non posse vt qui ceciderit vquam assequatur consolationem. Iis autem qui ceciderunt, ne incidant in desperationem, dicit contraria, sic dicens. Filioli mei, inquit, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus. Et rursus, Qui in lege iustificamini, à gratia excidistis. Ecce testatur eos excidisse. Nam qui stat quidem, audiens fieri non posse vt qui cecidit veniam assequatur, erit vehementior, & ad standum firmior & stabilior. Sin autem in eum qui ceciderit eadem vtaris vehementia, nunquam resurget. Nam qua spe ostendit mutationem? Non solũ, inquit, fleuit, sed etiam cum lacrymis eam inquisiuit. Nõ ergo expellit penitentiam, sed eos vult munire firmoſque reddere ac stabiles, ne ruant. Quicumque ergo gehennę non credunt, horum reminiscantur. Quicumque existimant peccata non esse puniendã, hęc cogitent, cur Esau non fuit assecutus veniam? Quoniam non vt oportuit egit penitentiam.

MORALE.

Vis videre exactam & absolutam penitentiam? Audi penitentiam Petri post negationem. Nam quę ab eo gesta sunt narrans Euangelista, Et egressus, inquit, foras fleuit amarę. Propterea ei etiam remissum fuit eiusmodi peccatum, quoniam quomodo oportuit egit penitentiam. Atqui nondum oblatum fuerat sacrificium, nondum facta fuerat hostia, nondum sublatum erat peccatum: adhuc dominatum obrinebat & tyrannidem exercebat. Et vt scias quod negatio non tam erat socordia ac negligentię, quàm ex eo quod Deus erat deseruerat, erudiens vt humanã sciret mensuram, & non repugnaret iis quę dicebantur à magistro, neque eius quàm aliorum essent elatiores spiritus, sed sciret quod absque Deo nihil potest fieri, & quod nisi dominus edificauerit domum, frustra laborant qui edificiant eam. Propterea ei quoque soli dixit Christus, Expetiit te Satanas vt te cribraret sicut triticum, & non

concessi, vt deficeret fides tua. Nam quoniam erat verisimile eum sibi placere & elato esse animo, vt qui sibi esset conscius quod plus quàm omnes Christum diligeret, propterea fleuit amarę, & alia quę fletum sunt consecuta fecit similia. Quid enim fecit? Se postea cõiecit in pericula innumerabilia, & per multa ostendit magnam animi sui virtutem & conscientiam. Penitentiam quoque egit Iudas, sed malę. Nam se suffocauit. Penitentiam quoque egit, sicut dixi, Esau. Imò verò nec egit quidem penitentiam: eius enim lacrymę non erant penitentię, sed potiùs insultationis & irę: idque ostendunt ea quę sequuntur. Penitentiam egit beatus Dauid, sic dicens, Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo: & quod iam olim admissum fuerat peccatũ, post tot annos, post tot generationes, tanquam quod recens accidisset deflebat. Eum enim qui agit penitentiam non oportet irasci, neque efferari, sed tanquam condemnatum cõteri, tanquam qui non habeat fiduciam, tanquam in quem lata sit sententia, tanquam qui debeat à sola saluissimę misericordia, rãquam qui in benefactorem apparuerit immemor & ingratus, tanquam reprobum, & dignum supplicii innumerabilibus. Si hęc cogitet, non irascetur, neque indignabitur: sed lugebit, flebit, ingemiscet, eiulabit noctu & diu. Eum qui agit penitentiam nunquam oportet suum proderẽ peccatũ, sed Deum quidẽ rogare vt ne eius meminerit. Si nos eius meminerimus, Deus eius obliuiscetur. De nobis ipsis pœnas sumamus: nos ipsos accusemus. Ita iudicem placabimus. Peccatum enim quod fueris confessus, fit minus. Quod confessus non fueris, fit deterius. Nam si peccatum sibi adiunxerit impudẽtiam animũque immemorem & ingratum, quomodo poterit cauere ne in eadem rursus incidat is qui se prius nesciuit peccare? Ne igitur negetur peccata nostra, rogo: neque simus impudentes, ne vel inuiti demus pœnas. Audiuit Cain à Deo, Vbi est Abel frater tuus? & dicit, Nescio. Nunquid ego sum custos fratris mei? Vides quemadmodum hoc grauius peccatum fecerit. Sed non sic eius pater, qui cum audisset, Adam vbi es: inquit, Audiui vocem tuam, & timui quoniam sum nudus, & me abscondi. Magnum est bonum assiduẽ meminisse peccatorum. Delicto nihil ita medetur vt assidua recordatio. Nihil hominem adeo reddit tardum ad vitiũ. Scio quod resiliat conscientia, & non patiatur se flagellari à memoria malorum: sed fortiter stringe animam, & chamum ei impone. Difficiliter enim tolerat sicut equus effrenatus, nec vult sibi persuadere quod peccauerit. Hoc totum planẽ est Satanicum. Sed nos ei persuadeamus quod peccauerit, vt & agat penitentiam: & cum penitentiam egerit, liberetur à suppliciis. Quomodo vis, dic quæso, de peccatis assequi veniam, si ea nondum sis confessus? Ille qui peccauit planẽ est misericordia dignus & clementia. Tu autem cum nondum id tibi persuaseris, quomodo æquum censes vt cõsequaris misericordiam? Quanam de causa adeo impudenter te gerens? Persuadeamus nobis ipsis quod peccauimus. Non lingua solum dicamus, sed etiam mente ac cogitatione. Ne nos dicamus peccatores, sed etiam peccata recenseamus, speciatim vnumquodque enumerantes. Non tibi dico vt ea tanquam pompam in publicum proferas, neq; vt te accuses, sed vt pareas Prophetę dicenti. Reuela domino confitere peccata tua, orans, si non lingua, saltẽ memoria: & ita roga vt tui misereatur. Si peccata tua assiduẽ habeas in memoria, nunquam oderis proximum, nec acceptę iniurię memineris. Nõ dico, si tibi persuaseris te esse

Gen. 27.

Num. 25.

Gal. 4. Ibid. 5.

Luc. 22.

Cur Deus Petrum deseruerit vt ipsum negaret.

Psal. 126.

Luc. 22.

Matt. 27.

Psal. 6. Dauid rege egit penitentiam.

Gen. 4.

Ibid. 3.

Peccatum qui non confitetur, veniã non assequitur.

Psal. 36.

te esse peccatorem. Non hoc ita potest humilem & abiectam reddere animam, sicut ea quę per se & apud se speciatim examinantur peccata. Non odio habebis & iniurię acceptę memineris, hęc perpetuò habens in memoria. non irascēris, non appetes maledictis, non eris superbus & elatus. non in eadem rursus incidēs. ad bona faciendã eris vehementior. Vides quàm multa bona oriuntur ex memoria peccatorum. Hęc ergo nostris animis inscribamus: Scio quod memoriam tam acerbam non patitur anima: sed eam cogamus, & vim ei afferamus. Melius est vt nunc peccatorum mordeatur memoria, quàm cruciatur, qui futurus est illo tempore. Nunc si eorum memineris, & ea assiduẽ Deo offeras, & pro eis roges, citò ea delebis. Sin autem nunc eorum sis oblitus, tunc vel inuitus eorum recordaberis, cum in medium proferentur, & tanquam in pompam producentur coram omnibus, & amicis & inimicis, & Angelis. Non enim soli dicebat Dauidi, Quę tu fecisti in occulto, ego omnibus faciam manifesta, sed etiam nobis omnibus. Homines, inquit, timuisti, & eos magis reueritus es quàm Deum: & Deo vidente non curasti, sed videntibus hominibus pudore es affectus. Oculi enim, inquit, hominum est eorum timor. Propterea eo ipso dabis pœnas, te enim arguã, tua peccata oculis omnium nostrũ peccata tanquam in pompam producentur, nisi nunc ea assidua recordatione deleamus, audi quomodo in pompam producitur crudelitas & inhumanitas. Esurij, inquit, & non dedistis mihi quod comederem. Quando hęc dicuntur? Nunquid in angulo? Nunquid in occulto? Nequaquam. Sed quando? Quando venerit filius hominis in gloria sua, & congregauerit omnes gentes, quando hos & illos separauerit, tunc omnibus audientibus dicet, & statuet à dextris & sinistris. Esurij, & non dedistis mihi quod comederem. Vide rursus illas quoque quinque virgines coram omnibus audientes, Nescio vos. Quinque enim & quinque non significant tantũ numerum illarum quinque, sed & malas & crudeles & inhumanas virgines, & eas quę non sunt huiusmodi. Sic etiam is quoque qui vnum infodit talentum, audiit coram omnibus, & iis etiam qui quinque & duo attulerant, serue nequã & ignaue. Non verbis solum, sed etiam rebus & factis ipsis eos tunc arguit. Sicut etiam dicit Euangelista, Videbunt in quem confixerũt. Simul enim erit omnium resurrectio, peccatorum & iustorum. Simul aderit omnes iudicās. Cogita ergo quales tunc erunt qui erunt in mœrore, qui trahentur in ignẽ dum coronantur alij. Venite, inquit, benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Et rursus, Discedite à me in ignem paratum diabolo & Angelis eius. Nõ solũ verba audiamus, sed oculis etiam descripta subiiciamus, & existimemus eum nunc adesse, & hęc dicere, & nos in illum ignem abducere, qualem tunc habebimus animam, qualem consolationem? Quid verò quando in duas partes diuidemur? Quid verò quando de rapina accusabimur, quamnam poterimus afferre excusationem, quamnam probabilem & specie nõ inhonestam orationem? Nullam. Sed necesse erit vt vincti, & deorsum incuruati trahamur ad ostia caminorum, ad fluuiũ ignis, in tenebras, ad supplicia immortalia, & neminẽ rogemus. Non potest enim, inquit, non potest hinc illic transiri, est enim inter nos & illos magnum chaos: & nec volentibus licet transire, & manum præbere, sed necesse est perpetuò ardere, nemine opem ferente, siue sit pater, siue mater, siue quilibet, etiã si habeat multam ad Deum fiduciam. Frater enim, inquit, non redimit, redimet homo? Cum ergo non liceat in alio habe-

Reg. 11.

Peccata in publicum proferentur in die iudicii. Matt. 25.

Ibidem.

Ibidem.

Ioan. 19.

Matt. 25.

Peccatorũ nulla affertur potest excusatio.

Luc. 16.

Chrysoſt. tom. 4.

A respem salutis quàm in seipso post Dei benignitatem & clementiam, rogo omnia faciamus vt vita sit nobis munda rectęque instituta, & nec ab initio vllam suscipiamus maculam. Sin minus, post susceptam quidem certẽ maculam ne dormiamus, sed perseueremus fordes ablucere per penitentiam, per lacrymas, per orationes, per eleemosynam. Quid verò, inquit, si non habeam vnde faciam eleemosynam? Sed habes poculum aquę frigidę, quantumcunque sis pauper. Sed pedes habes vt visites ægrotos, vt ingrediaris carcerem, sed rectum habes, vt excipias hospites. Non est, non est venia eorum qui non faciunt eleemosynam nec vtuntur misericordia. Hęc nos vobis assiduẽ dicimus, vt vel ex assiduitate parum quid efficiamus. Hęc dicimus, non tam eorum quibus benẽ sit, quàm vestri curam gerentes. Nam illis quidem ea quę hęc sunt datis: celestia autem accipitis. Quę nobis omnibus detur consequi, In Christo Iesu domino nostro. Cum quo patri gloria vnã cum sancto spiritu, nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

Psal. 48. Eleemosynã potest quilibet facere.

ORATIO XXXII.



ON enim accessistis ad tractabilem & accessibilem ignem, & turbinem & caliginem, & procellam, & tubę sonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excusauerunt se ne eis fieret verbum: non enim portabant quod dicebatur, & si bestia tetigerit montem, lapidabitur, & ita terribile erat quod videbatur. Moyses dixit, Exterritus sum & tremebundus. Sed accessistis ad Sion montem & ciuitatem Dei videntis, Hierusalem celestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & ecclesiam primitiuorum qui conscripti sunt in cœlis, & Iudicem omnium Deum, & spiritum iustorum perfectorum, & testamenti noui mediatorum Iesum, & sanguinis asperſionem melius loquentem quàm Abel. Erant quidem quę in templo erant, admirabilia sancta sanctorum, erant autem rursus præclara & veneranda ea quę facta sunt in monte Sinai, ignis, tenebrę, caligo, procella. Visus est, inquit, Deus in Sinai: & hęc omnia olim decantabantur. Nouum autem testamentum cum nullo horum datum est, sed datum fuit à Deo in simplici sermone. Vide ergo quemadmodum horum quoque faciat comparationem, & ea meritò posterit posteriora. Nam quando eis persuasit per innumerabilia, quando etiam ostendit quid intersit inter vtrunque testamentum, tunc eo prius condemnato, de cætero facile hęc quoque aggreditur. Et quid dicit? Non enim accessistis ad tractabilem & accensum ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubę sonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, recusauerunt ne eis adderetur verbum. Hęc sunt, inquit, terribilia, & adeo terribilia vt neque ferrent auditionem, neque bestia auderet ascendere. Sed non erant hęc talia, qualia quę postea sunt consecuta. Quid enim Sinai ad cœlum? Quid enim ignis contrectabilis ad Deum qui non potest contrectari? Deus est enim ignis consumens. Ne loquatur enim, inquit, nobis Deus, sed loquatur nobis Moyses. Et adeo terribile erat quod dicebatur, Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur. Et adeo terribile erat quod dicebatur. Moyses dixit, Exterritus sum & tremebundus. Quid mirum de populo? Ipse qui ingressus fuerat caliginem, vbi erat Deus, Exterritus sum, inquit, & tremebundus. Sed accessistis ad montem Sion, & ciuitatem Dei videntis, Hierusalem celestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & ecclesiam primitiuorum qui conscripti sunt in cœlis, & Iudicem omnium Deum, &

Exod. 19. & 20.

Nouitiamis datione veteris.

Ggg ij

Supr. 11. Gen. 4. Sanguis Christi præclarior decantatur quâ sanguis Abelis.

Agg. 2.

Deut. 4.

1. Cor. 15.

Exod. 19.

Esa. 6.

Exod. 20. Ibidem.

2. Cor. 3.

spiritus iustorum perfectorum, & testamenti noui mediatorum Iesum, & sanguinis asperisionem melius loquentem quam Abel. Pro Moyse est Iesus. Pro populo multa millia Angelorum. Primitiuorum. Quorum dicitur Fidelium & iustorum spiritu perfectorum. Cum iis erit, inquit, & cum Iesu mediatore testamenti noui. Et sanguinis asperisionem melius loquentem quam Abel. Sanguis ergo Abelis locutus est? Certè, inquit & per ipsum mortuos adhuc loquitur. Et rursus dicit Deus, Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Aut hoc, aut illud, quod adhuc nunc quoque decantatur. Sed non ita ut sanguis Christi. Hic enim omnes mundauit, & splendidiorem emittit vocem & significantiorem, quò maius habet quod per res fertur testimonium. Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt eum qui supra terram loquebatur: multò magis nos qui de cælis loquentem auertimus, cuius vox mouit terram tunc. Nunc autem repromittit, dicens, Adhuc semel, & ego mouebo, non solum terram, sed & cælum. Quòd autem adhuc semel dicit, declarat mobilium translationem tanquam factorum, ut maneat ea quæ sunt immobilia. Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam per quam seruiamus placentes Deo cum metu & reuerentia. Etenim Deus noster ignis consumens est. Illa sunt terribilia: sed hæc multò admirabiliora & præclariora. Non sunt enim hinc tenebræ, neque caligo, neque procella. Per illa mihi videtur tacitè significare veteris testamenti obliuionem legem esse adumbratam & operantem. Alioqui autem legislator in igne apparet terribilis, & acer in puniendis iis qui delinquant. Quid verò tubæ sonitus? Meritò, utpote quòd quidam Rex adsit. Hoc quidem certè erit etiam in secundo aduentu. In nouissima tuba omnes oportet excitari. Vocis autem tuba hoc facit. Omnia ergo tunc erant sensilia, & ea quæ sub aspectum cadebant, & voces. Nunc autem omnia cadunt sub intelligentiam, & non sunt aspectabilia. Et multus, inquit, erat fumus. Nam quoniam Deus dicitur esse ignis, & sic in rubo apparuit, & per fumum ignem ostendit. Quid verò caligo & tenebræ? Rursus ostendit rem esse terribilem. Sic etiam dicit Esaias. Et domus impleta est fumo. Et quid sibi vult procella? Pigrum & ignauum esse genus humanum. Oportebat ergo ipsum his excitari. Nullus enim erat ad eò hebes & tardus, qui non mentem sursum tolleret cum hæc fierent, cum leges ferrentur. Moyse loquebatur. Deus ei voce respòdebat. Oportebat enim Dei proferri vocem. Quoniam autem per Moysem erat legem laturus, propterea eum facit fide dignum. Non videbant ipsum propter caliginem. Non audiebant ipsum propterea quòd esse voce gracili. Quid ergo? Deus respondit, voce populum alloquens. Sed nomen eius vocare, inquit, recusarunt, ne eis verbum adiceretur. Ipsi ergo multis retrò actis seculis causæ fuerunt, ut Deus per carnem apparuerit. Loquatur, inquit, nobis Moyse, & non loquatur nobis Deus. Qui faciunt comparationes, illa magis eleuant & minuunt, ut hæc ostendant multò esse maiora, & præstantiora, & admirabiliora, & mitiora. Sunt enim dupliciter magna, quòd cum sint præclara & maiora, ad ea quoque facilius pateat aditus. Hoc etiam dicit scribens in epistola ad Corinthios. Reuelata facie. Et non sicut Moyse ponebat velamen super faciem suam. Non dignati sunt, inquit, illi iis quibus nos dignati sumus. Quanam enim re sunt dignati? Tenebras viderunt, caliginem, audierunt vocem. Sed tu quoque vocem audiisti, non per caliginem, sed per carnem. Non fuisti perturbatus, neque tumultu agitato, sed & stetitisti & locutus es cum

intercessore. Alioqui autem & id quod non cadit sub aspectu, ostendit per tenebras. Et caligo, inquit, sub pedibus eius. Tunc etiam timuit Moyse. Nunc autem nullus. Sicut tunc stetit infra, ita vos quoque. Non erant infra, sed infra cælum. Prope Deum est filius, sed non sicut Moyse. Illic erat desertum, hic ciuitas, & multorum millium Angelorum cæsus. Hic ostendit gaudium & lætitiã, pro caligine, & tenebris, & procella. Et ecclesiam primogenitorum qui còscripti sunt in cælis, & Iudicem omnium Deum. Illi non accesserunt, sed procul steterunt, & Moyse. Vos autem accessistis. Hic eos terret, dicens, & ad Iudicem omnium Deum: non Iudæorum solum & fidelium, sed & totius orbis terræ. Et spiritus iustorum perfectorum. Animas dicit proborum. Et testamenti noui mediatorè Iesum. Et sanguinis asperisionem. Hoc est purgationem. Melius loquentem quam Abel. Si sanguis loquitur: multò magis viuus is qui fuit occisus. Quid autem loquitur? Et spiritus, inquit, loquitur gemitibus inenarrabilibus. Nã ubi incidit in mentem sinceram, eam excitat, & facit loqui. Videte ne recusetis loquentem. Hoc est ne recitatis. Si enim illi non effugerunt recusantes eum qui super terram loquebatur. Quamnam dicitis? Mihi videtur dicere Moysem. Hoc est autem quod dicit: Si non effugerunt qui recusarunt eum qui legem ferebat in terra, eum qui è cælo fert legem quomodo recusabimus? Hic ne ostendit quòd ille etiam est alius? Absit. Non alium & alium ostendit. Sed videtur terribilis, vocem emittens è cælo. Idem quidem est & hic & ille. Hic autem est terribilis. Non enim dicit differentiam personarum, sed dationis. Vnde hoc constat? Si enim illi non effugerunt recusantes eum qui super terram loquebatur, multò magis nos qui nobis de cælis loquentem auertimus. Quid ergo, estne hic alius ab illo? Quomodo ergo dicit, Cuius vox mouit terram tunc? Vox enim eius qui dedit legem, terram mouit. *Nunc autem repromittit dicens: Adhuc semel, & ego mouebo non solum terram, sed etiam cælum. Quòd autem adhuc semel dicit, declarat mobilium translationem tanquam factorum.* Tollentur ergo omnia de medio, compingenturque & concinnabuntur omnia ex alto in id quod est optimum. Hoc enim hinc tacitè significat. Quid ergo doles cum pateris in mundo, cum non maneat afflictus in mundo, qui paulò post transit? Si in posteriori parte mundi futura esset requies & remissio, tunc affligi oporteret ad finem aspicientem. Ut maneat, inquit, quæ sunt immobilia. Quanam autem sunt ea quæ sunt immobilia? Futura.

MORALE.

PRO hoc ergo omnia agamus ut illam vitam assequamur, ut illis bonis fruamur. Certè rogo & obsecro in hoc studium ponamus. In ciuitate quæ est ruitura nemo ædificat. Dic mihi rogo, Si quis diceret fore ut hæc ciuitas post annum corruat, illa verò non omnino, ædificaretne in ea quæ est ruitura? Quamobrem nunc quoque dico, ne ædificemus in hoc mundo. Cadent paulò post & peribunt omnia. Quid verò dico casura? Ante eius ruinam nos peribimus, & grauius patiemur, nos à nobis ipsis excedemus. Cur ædificamus super arenam? Ædificemus supra petram. Nam quidquid irruerit, dirui non poterit ædificium, nihil id potest expugnare. Et meritò. Nam ad illum locum nullis insidiis patet aditus, sicut hinc quidem certè patet. Nam & terræ motus, & conflagrationes, & hostium irruptiones, etiam viuis nobis id auferunt, sæpe autem etiam cum ipso perdunt. Quando autem ipsum quoque steterit, tunc nos morbus citò abducit, aut manentes non

A Edificandum non est in hoc mundo.

A Edificandum est supra petram.

finis

In cælis inimicus non succedit hæreditati.

Psal. 117.

Pauperi manus nobis ædes ædificant in cælo.

Eleemosynæ quæ sunt vitæ.

Luc. 6.

Psal. 24.

Psal. 145. Ex eleemosyna appellatur Deus. Ibid. 102.

finis eò rectè frui. Quanam enim est voluptas, ubi sunt morbi, & calumniæ, & inuidia, & insidiæ? Aut si hoc non sit, sæpe dolemus & ægreferimus quòd liberos non susceperimus. Non habemus cui nostras domos tradamus, & deinde cruciamur quòd laboremus aliis. Sæpe autem etiam ad nostros inimicos nostra peruenit hæreditas, non solum cum nos excefferimus, sed etiam nobis adhuc viuentibus. Quid ergo est miserius quam laborare inimicis, & ut illi in quiete degant & deliciis sibi peccata congerere? Huius rei multa exempla cornuntur in ciuitatibus, & nisi molestia afficerem eos qui sunt priuati, quosdam ex eis nominatim dicerem, & multa possem narrare, & multas vobis domos ostendere, quæ acceperunt dominos inimicos eorum qui in iis fabricandis & ornandis laborauerunt. Non solum autem ædes, sed & mancipia, & tota sæpe hæreditas peruenit ad inimicos. Tales sunt res humanae. In cælis autem nihil est horum quod verearis, nempe ne cum iste decefferit, alius veniat inimicus, & succedat hæreditati. Nam neque mors est illic, nec inimicitia, sola sunt sanctorum tabernacula. In illis autem sanctis est exultatio, gaudium, lætitia. Vox enim, inquit, exultationis est in tabernaculis iustorum. Sunt æterna, finem non habentia: ea tempore non corruunt, non mutant possessores, sed stant in perpetuo flore ac vigore. Et meritò. Non est enim illic aliquid corruptioni obnoxium & in quod cadat interitus, sed sunt omnia immortalia, & in quæ interitus nihil potest. In hoc ædificium effundamus pecunias. Non est nobis opus fabricis, non operariis. Pauperum manus has nobis ædes ædificant, claudi, cæci, & ij qui sunt manci ac mutuli. Hi illas ædificant. Nec mireris, cum etiam regnum ipsi nobis conciliant, & ad Deum dent nobis fiduciam. Eleemosyna enim est optima & præstantissima artifex, & quæ eis præest eòsque adiuuat & defendit qui eas ædificant: est enim Deo amica, stat semper ei propinqua, pro quibus velit facillè petens gratiam, si modò à nobis non ei fiat iniuria. Fit autem iniuria, quando eam facimus ex rapina. Quod si sit pura ac sincera, multam dat fiduciam iis qui eam sursum emittunt, & rogat pro iis qui offenderunt. Tantæ sunt eius vires etiam pro iis qui peccarunt. Ipsa perfringit vincula, soluit tenebras, ignem extinguit, vermè interimit, expellit stridorem dentium. Ei cum magna securitate aperiuntur portæ cælorum. Et quomodo ingrediente Regina, nullus ex eis cui est commissa portarum custodia, audebit examinare quenam sit, & vnde, sed omnes eam excipiunt: Ita etiam eleemosynam: est enim re vera regina, homines Deo faciens similes. Estote enim, inquit, misericordes, sicut pater vester cælestis est misericors. Est alata & leuis, alas habet aureas, habet volatum qui valde oblectat Angelos. Illic, inquit, pennæ columbæ deargentatæ: & dorsum eius in fulgore auri. Volat tanquam quedam aurea & viuens columba, placidum habens aspectum & mitem oculum. Nihil est illo oculo melius. Pulcher est pato, sed ad illam collatus est graculus. Ad eò est hæc auis pulchra & admirabilis: perpetuò sursum aspicit. Multa Dei circumdatur gratia. Est virgo pennas habens aureas, composita, facie candida & mansueta. Est alata & leuis, sedens prope thronum regium. Quando iudicamur, adest repente & apparet, & nos à supplicio eripit suis pennis amplectens. Eam Deus maualt quam sacrificia. De ea sæpe loquitur, eam ad eò diligit. Viduam & pupillum & pauperem, inquit, suscipiet. Ex ea vult Deus appellari Deus miserator & misericors dominus, longanimis, & multæ misericordiae, & verax. Misericordia super omnem terram. Ipsa

saluum fecit genus humanum. Nam nisi nostri esset miserata, omnia periissent. Ipsa nos, cum essemus hostes conciliauit. Ipsa bona fecit innumerabilia. Ipsa peruasit Dei filio ut fieret seruus, & seipsum exinaniret. Eam æmulemur per quam salui facti sumus. Eam pecuniis præferamus, & absque pecuniis animam habeamus misericordem. Nihil est quod ita formas imprimit ut elemosyna. Nihil omnes ita admirantur ut quando miseremur. Nam nos quoque sæpe hac egemus misericordia, & Deo dicimus. Secundum magnam misericordiam miserere nostri. Prius ipsi incipiamus. Imò verò non prius incipiamus: ipse enim iam ostendit suam in nos misericordiam: vel posteriores sequamur. Nam si homines miserentur misericordis, etiam si peccata fecerit innumerabilia, multò magis Deus. Audi Prophetam dicentem, Ego autem inquit, sicut oliua fructifera in domo Dei. Fiamus tales qualis olea. Omni ex parte pleni sumus præceptis. Non enim sufficit esse ut oleam, sed oportet etiam esse fructiferam. Sunt enim miserentes, per totum annum paucadantes, vel singulis hebdomadis, aut quodlibet erogantes. Isti quidem sunt oliuæ, sed non fructifera, verum aridæ. Atque quòd miserentur quidem, sunt oliuæ, sed quoniam non largè & liberaliter, non sunt oleæ fructiferae. Sed simus nos fructiferi. Sæpe dixi, & nunc dico. Non eorum quæ data sunt mensura & quantitate, ostenditur magnitudo elemosynæ, sed eius qui dat voluntate & instituto. Scitis quid fecerit vidua. Expedit enim semper hoc offerre exemplum; ut ne pauper quidem de se desperet, videns eam quæ duo coniecit minuta. Tulerunt quidam etiam pilos cum templum construeretur, & ne isti quidem sunt reiecti. Sed si aurum quidem habentes pilos obtulissent, fuissent execrandi. Si autem cum hoc solum haberent, id obtulerunt, fuerunt accepti. Propterea Cain quoque fuit reprehensus, non propterea quòd vilia obtulit, sed propterea quòd vilissima omnium quæ habuit. Maledictus, inquit, qui habet masculum, & Deo offert corruptum. Non absolutè dixit: sed qui habet, inquit, & parcat. Si quispiam ergo non habet, culpa vacat, imò verò habet mercedem. Quid enim est vilius duobus obolis, & magis nihili quam pili? Quid cotyla similis? Sed tamen hæc non fuerunt æstimata minoribus quam vituli & aurum. Nam quatenus quidem habet quispiam est acceptus: non quatenus non habet. Et quatenus habet, inquit, manus tua benefac. Quamobrem rogo prompto & alacri animo effundamus facultates in pauperes. Et si pauca sint, eandem accipiemus mercedem quam qui plura contulerunt, atque ad eò plura quam qui talenta contulerunt innumerabilia. Si hæc faciamus, assequemur Dei thesauros ineffabiles. Si non solum audiamus, sed etiam agamus: si non laudemus, sed etiam factis ostendamus. Quæ detur nobis omnibus assequi gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi. Cum quo patri gloria vnà cum sancto spiritu, nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

Psal. 5.

Psal. 57. Olea fructifera in domo Dei quomodo sumus.

Matt. 11.

Cain Deo offerens corruptum.

ORATIO XXXIII.

TA QUÆ regnum immobile suscipientes, habemus gratiam per quam seruiamus placentes Deo cum metu & reuerentia. Etenim Deus noster ignis consumens est. Quod quidem alibi dicit, Quæ enim videntur, sunt temporalia: quæ autem non videntur, æterna: & ex eo adhibet consolationem in malis quæ ferimus in vita præsentis, Ggg iij

Deut. 4. 2. Cor. 4.

hoc hinc quoque facit & dicit. Maneamus firmi & stabiles, habeamus gratiam. Hoc est Deo agamus gratias. Non solum enim non debemus ægrefcere præsentia, sed etiam propter futura maximam habere gratiam, per quam seruiamus bene placentes Deo. Sic enim Deo licet seruire, Deo bene placentes, in omnibus agendo gratias. Omnia, inquit, facite absque murmurationibus & disceptationibus. Quod enim fecerit quispiam murmurans, id amputat & perdit mercedem, sicut Israëlita qui pœnas dederunt ob murmuraciones. Propterea dicit, Neque murmuretis. Non potest ergo fieri ut Deo ita feruias ut ei placeas, si non ei habeas gratias & de tentationibus & de quiete & rebus secundis. Hoc est, nihil loquamur impudens & arrogans, sed nos contrahamus ac componamus, ut simus reuerendi. Hoc enim est cum pudore & reuerentia. *Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite obliuisci. Per hanc enim placuerunt quidam Angelis hospitio exceptis.* Vide quemadmodum iubet eos seruire præsentia. Non addit alia. Non dixit, estote amatores fratrum, sed maneat charitas fraternitatis. Et rursus non dicit, Estote hospitales, sed hospitalitatis nolite obliuisci, est enim verisimile hoc accidere ex afflictionibus. Propterea, inquit, Inscientes quidam hospitio exceperunt. Quid est inscientes? Non cognoscentes hospitio exceperunt. Propterea etiam magna est merces, quod nesciens eos esse Angelos hospitio exceperit. Nam si sciuisset, non fuisset mirandum. Quidam dicunt eum hinc tacite significare ipsum Lot. *Memento vinctorum tanquam simul vincti, & laborantium, tanquam & ipsi in corpore morantes. Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus. Fornicatores autem & adulteros iudicabit Deus. Sint mores sine auaritia, contenti presentibus.* Vide quàm multa verba ab eo fiant de temperantia. Pacem, inquit, scetemini & sanctificationem. Nemo sit fornicator aut profanus. Et rursus. Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Vbi que est cum pœna prohibitio. Pacem, inquit, scetemini cum omnibus & sanctificationem, sine qua nemo videbit dominum. Fornicatores autem & adulteros iudicabit Deus. Et cum prius posuisset, Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus: ostendit se iure subiunxisse ea quæ deinceps sequuntur. Si enim concessum est matrimonium, merito punitur scortator, merito supplicio afficitur adulter. Hic se parat ad depugnandum aduersus hæreticos. Non dixit rursus, Nullus sit fornicator, sed cum semel dixisset, tunc tanquam communem subiecit admonitionem, non tanquam ad ipsos verba dirigens. Sint mores sine auaritia, inquit. Non dixit, Ne possideatis, sed sint mores sine auaritia, ostendant mentem philosophicam. Nam superius etiam dixit, Et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. Hæc admonent, ne sint auari. Contenti, inquit, presentibus. Deinde est etiam hinc consolatio. *Ipse enim dixit, Non te deseram, neque derelinquam, ita ut confidenter dicamus, Dominus mihi adiutor est: non timebo quid faciat mihi homo.* Rursus est consolatio in tentationibus. *Memento prepositorum vestrorum.* Hoc iam superius dicere parturiebat. Propterea dicebat, Pacem scetemini cum omnibus. Huius etiam admonerat Thessalonicenses, ut eos haberent in summo honore. *Memento, inquit, prepositorum vestrorum, Qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuersationis, imitamihi fidem.* Quænam est hæc consequentia? Optima quidem certè. Considerantes enim inquit, eorum vitam, imitamihi fidem. A munda enim vita est fides. Aut fidem dicit stabilitatem & fir-

mitatem. Quomodo? Quod credunt futuris. Non enim vitam ostendissent mundam ac puram, si de futuris dubitassent, si ambegissent. Quamobrem hoc ipsum hinc quoque curat. *Iesus Christus heri & hodie, ipse & in secula. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis quæ non profuerunt ambulanti in eis.* Hic illud, heri, dicit omne tempus præteritum, & hodie, præsens seculum: In secula autem, futurum & infinitum. Hoc est, audiuisstis Pontificem, sed Pontificem qui desinit. Semper idem est. Perinde atque si essent aliqui qui dicerent eum non esse, venturum alium hoc dicit quod qui est heri & hodie, idem est etiam in secula. Nam nunc quoque dicunt Iudæi alium venturum, & cum eo qui est, seipsos priuauerint, incident in Antichristum. Doctrinis variis & peregrinis. Non solum variis sed etiam peregrinis. *Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis quæ non profuerunt ambulanti in eis.* Hic sensum eos munit qui introducebant obseruationem ciborum. Fide enim munda sunt omnia. Fide ergo opus est non cibis. *Habemus enim altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt.* Quæ sunt apud nos, non sunt talia equalia Iudaica, adeo ut nec Pontifici quidem liceat eorum esse particeps. Quamobrem? quoniam dixit, Ne obseruetis: videbatur autem hoc esse eius qui sua destruit, hoc rursus inuertit. Num nos quoque non obseruamus, inquit, etiam vehementius, ne ipsos quidem sacerdotes iis impertientes? *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem: horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Vidisti figuram resplendentem. Pro peccato, inquit, & extra portam passus est. *Exeamus ergo ad eum extra castra, improprium eius portantes.* Hoc est, eadem patientes, societatem cum eo habentes in perpeffionibus. Tanquam condemnatus foras actus est in crucem. Neque nos ergo pudeat foras exire. *Non enim habemus hic, inquit, manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum consentientium nomini eius.* Consentientium, inquit, nomini eius. Hoc est, nihil loquamur maledicum, nihil proteruum, nihil audax, nihil impudens, nihil arrogans & insolens. Hoc est, cum pudore & reuerentia. Nam anima spem abiicit in afflictionibus, & pudorem exiit; sed non nos. Ecce rursus hoc ipsum dicit quod dicebat superius. Non deserentes, inquit, congregationem nostram. Sic enim poterimus omnia facere cum pudore & reuerentia. Sæpe enim ipsorum quoque hominum pudore affecti, multa quæ sunt improba non facimus. *Beneficentia autem & communionis nolite obliuisci.*

MORALE.

NON presentibus tantum dico fratribus, sed etiam absentibus. Si autem alij vestras facultates rapuerunt, ex iis quæ habetis ostendite hospitalitatem. Quamnam ergo de cætero habemus excusationem, cum sisti etiam post suorum bonorum rapinam hæc audiant? Et non dixit susceptionis hospitem nolite obliuisci, sed hospitalitatis, vel potius charitatis in hospites. Hoc est, non solum excipite hospites, sed simul etiam hospites diligite. Nec dixit futuram & repositam remunerationem, ne eos rursus reddat supiores, sed eam quæ iam fuit data. Per hanc enim, inquit, quidam inscientes hospitio exceperunt Angelos. Sed videamus quomodo sit honorabile connubium in omnibus, & torus imma-

Deo de futuris sicut agendum gratias.
Philip. 2.
1. Cor. 10.
CAP. XIII.
Angeli ab inscientibus aliquibus sunt hospitio excepti.
Supr. 10.
Ios. 1.
Psal. 117.

Ex holocausto ne comedebat quidam Pontifex. Num. 19.
Confiteri Dei nomini quid sit.
Supr. 10. Pudor hominum sæpe retrahit à peccato.
Matrimonium cur honorabile.

immaculatus. Quoniam in castitate, inquit, & pudicitia conseruat fidelem. Hic etiam tacite tangit Iudæos, quod abominandum existimarent concubitum, & non esse mundum naturam quicunque sit ex coitu. Non sunt abominanda quæ sunt ex natura, sed quæ sunt ex voluntate & libero animi arbitrio. Nam si honorabile & mundum est matrimonium, cur etiam ex eo pollui existimas? Sint mores, inquit, sine auaritia. Quoniam multi postquam sua bona effuderint, volunt prætextu eleemosynæ ea rursus acquirere. Propterea dicit, Sint mores sine auaritia. Hoc est, ea tantum quæramus quibus est opus, & quæ sunt necessaria. Quid verò si ne ea quidem nobis suppetant? Non ita est, non ita est. Ipse enim dixit, & non mentitur. Non te deseram, neque te derelinquam. Ita ut confidenter dicamus. Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Habes ab ipso promissum, ne dubites de cætero. Ipse est pollicitus, ne ambigas. Illud autem, Non te deseram, non dicit solum de pecuniis, sed etiam de aliis omnibus. Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo, & merito. Hoc ergo nos quoque ditamus in omnibus tentationibus. Humana irrideamus, donec Deum habemus propitium. Quomodo enim si ille sit inimicus, etiam si omnes sint amici, nihil prodest: Ira si ipse sit amicus, etiam si omnes belligerentur, nihil lædit. Non timebo quid faciat mihi homo. Memento prepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei. Hic quoque existimo eum dicere de auxilio. Hoc enim est, Qui vobis locuti sunt verbum Dei. Quorum intuentes exitum conuersationis: imitamihi fidem. Quid est, Intuentes? Considerantes, assidue versantes, apud vos examinantes, ratiocinantes, accuratè & exactè quærentes, ut vultis scrutantes exitum conuersationis. Hoc est qui pertingit vsque ad finem, quoniam bonum finem habuit conuersatio. Iesus Christus heri & hodie, ipse & in secula. Ne existimetis quod tunc fecerit miracula, nunc autem non faciat. Idem ipse est. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Peregrinis, Hoc est, diuersis ab iis quas à nobis audiuisstis. Variis, hoc est, omne genus doctrinis. Nihil enim habent firmum & stabile, sed sunt diuersæ. Multiplex enim est maximè id quod ad cibos pertinet. Bonum enim est gratia stabilire cor, non escis. Ex sunt variæ, ex sunt peregrinæ, maximè cum Christus dixerit, Non quod intrat per os inquinat hominem, sed quod egreditur. Et vide eum non audentem hoc aperte dicere, sed in ænigmate. Bonum enim est gratia stabilire cor, non escis. Totum est fides, si ipsa stabilierit, cor stat in tuto. Fides ergo confirmat & stabilis, rationes verò commouent & labefaciunt. Quæ non profuerunt, inquit, ambulanti in eis. Quid enim lucri, dic quæso, capitur ex obseruatione? An non magis perdit? An non eum qui est huiusmodi statuit sub peccato? Quæ non profuerunt, inquit, ambulanti in eis. Hoc est, iis qui ea perpetuè custodiunt. Vna est obseruatio abstinere à peccato. Quid enim prodest, cum sint nonnulli adeo scelerati & execrandi, ut sacrificiorum non possint esse participes? Quamobrem nihil eos reddebat saluos, quanuis studium ponerent in obseruationibus. Sed quoniam fidem non habebant, ne sic quidem eis profuerunt. Deinde ex figura tollit sacrificium, & ad exemplar primitiuum deducit orationem, dicens: Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Illa ergo horum erant figura, & sic omnia impleuit

Iosue 1. Psal. 117.
De cibis doctrinæ sunt variæ.
Matr. 15.
Sacrificia absque fide non proderit.

Christus passus extra. Hic etiam significat eum sponte esse perpeffum, ostendens quod illa non solum erant, sed erat etiam ipsa dispensatio foris susceptæ passionis. Foris quidem passus est, sed sanguis in cœlum est sublatus. Vides quod sumus participes sanguinis qui inferebatur in sancta. Sancta vera, sacrificij quo solo fruebatur sacerdos. Si ergo non improprij sed sanctificationis sumus participes, improprium erat causa sanctificationis. Nam quomodo ipse fuit probro affectus, ita nos quoque. Si ergo exierimus, cum eo erimus participes. Quid est autem, Exeamus ad ipsum? Simus participes eius perpeffionum. Feramus eius improprium. Non enim iussit absolute nos versari extra portam. Sed sicut ille probri appetebatur tanquam condemnatus, ita nos quoque. Et per ipsum offeramus Deo sacrificium. Quodnam dicit sacrificium? Fructum laborum consentientium nomini eius. Illi offerebant boves & vitulos, & dabant sacerdoti. Nos autem nihil horum offeramus, sed gratiarum actionem. Hoc germinant labra nostra. Talibus enim hostiis bene meretur Deus. Demus ei hoc sacrificium, ut offerat patri. Alias enim non offeruntur, nisi per filium vel potius per cor contritum. Hæc omnia propter imbecillos: est enim perspicuum quod filij sit gratia. Alioqui enim quomodo est honor æqualis? Ut omnes, inquit, honorent filium, sicut honorant patrem. Vbi est honor æqualis? Fructum laborum consentientium nomini eius. Omnia feramus grato animo, siue sit paupertas, siue morbus, siue quiduis aliud. Nam quæ nobis conferunt ipse scit solus. Quid enim oramus sicut oportet nescimus. Qui ergo ne scimus quidem petere quod oportet nisi spiritum apprehenderimus, studeamus pro omnibus offerre gratiarum actionem, omniaque forti & magno animo feramus. Sumus in paupertate, gratias agamus. In morbo sumus, gratias agamus. Calumniis appetimur, agamus gratias. Quando malè patimur, agamus gratias. Hoc enim facit ut simus Deo propinqui. Tunc etiam Deum habemus debitorem. Quando autem sunt nobis res secundæ & beneficiis afficimur, Deo sumus debitores. Et hæc sæpe sunt nobis in iudicium, illa vero ad eluendas pœnas peccatorum. Illa attrahunt misericordiam, illa benignitatem & clementiam. Hæc autem extollunt etiam ad superbiam & arrogantiam, & deducunt ad negligentiam & socordiam, & efficiunt ut visione de nobis magna apprehendamus. Hæc non enervant & effeminant. Propterea dicebat etiam propheta, Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam iustificationes tuas. Quando beneficio affectus & à malis liberatus fuit Ezechias, in altum elatum est cor eius. Quando ægrotauit, tunc est humiliatus, tunc fuit Deo propinquus. Quando, inquit, occidebat eos, tunc querebant eum & conuertebantur, & mane veniebant ad eum. Et rursus quando est incrassatus & impinguatus, recalcitrauit dilectus. Cognoscitur enim dominus iudicia faciens. Magnum bonum est afflictio. Arcta enim est via. Quamobrem afflictio nos tradit in arctam. Qui non affligitur & opprimitur, non potest intrare. Qui enim in arcta seipsum affligit & premit, is est etiam qui fruitur requie & remissione. Qui autem seipsum dilatat, neque ingreditur, & affligitur ac premitur tanquam cuneo, ut ita dicam, pulsus. Vide quomodo hanc arctam viam ingreditur Paulus. Castigat corpus suum ut possit intrare. Propterea in omnibus afflictionibus Deo perpetuè agebat gratias. Pecuniis es multatus? Hoc latitudinis multum tibi leuauit. A gloria excidisti? Alia latitudo. Calumniis es appetitus. Sunt credita quæ aduersus te sunt dicta, quorum non eras tibi conscius,

Improprij causa sanctificationis.
Ioan. 5.
Gratiæ sunt agendæ pro omnibus, & omnia fortiter ferenda.
Psal. 118. 4. Reg. 10.
Res aduersæ reddunt humiles.
Psal. 77. Deut. 32.
1. Cor. 9.
Ggg iij

Matt. 5. Latere & exulta. Beati enim, inquit, estis quando vos A probris affecerint homines, & dixerint omne malum contra vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis. Quid miraris si tristitia afficeris, & vis liberari a tentationibus? Paulus voluit liberari, & saepe Deum rogauit, nec impetrauit. Illud enim, Ter Dominum rogavi, saepe significat. Et dixit mihi, inquit, Sufficit tibi gratia mea. Virtus enim mea in infirmitate perficitur. Infirmitatem hic dicit afflictiones. Quid verò? quoniam hæc audiuit, grato animo hæc tulit, & dicit: Propterea glorior in infirmitatibus meis: hoc est, placeo & quiesco in afflictionibus. Pro omnibus ergo agamus gratias, pro rerum successu & affluentia & pro afflictionibus. 2. Cor. 12. Ne murmuremus, ne sitis ingrati. Nudus, inquit, exiui de ventre matris meæ, & nudus excedam. Non venisti gloria insignis, ne quæras gloriam. Nudus non solum pecuniis, sed etiam gloria & bona existimatione ingressus es in hanc vitam. Cogita quot mala saepe orta sunt ex pecuniis. Facilius est, inquit, camelum intrare per foramen acus, quam diuitem in regnum caelorum. Matt. 19. Vides quot bonorum impedimentum sunt diuitiæ, & tu quæris ditescere? Non gaudes quòd sit euersum impedimentum? Ad eò est angusta via quæ ducit ad regnum: adeò late sunt diuitiæ, molèque plenæ ac tumore. Propterea dicit, Vende quæ habes, vt illa via te suscipiat. Cur cupis pecunias? Propterea eas tibi abstulit, vt te liberet a seruitute. Nam veri quoque patres & legitimi, cum filius fuerit corruptus consuetudine alicuius meretricis, & ei saepe admonito non persuaserit vt ab ea discedat, meretricem procul amandant & exterminant. Talis est etiam copia pecuniæ. Nostri itaque curam gerens Dominus, & à noxa quæ inde accipitur nos liberans, aufert nostras pecunias. Ne existimemus ergo paupertatem esse malum. Peccatum solum est malum. Neque enim diuitiæ per se sunt bonum. Solum Deo placere est bonum. Paupertatem ergo quæramus. Hanc sectemur. Ita caelum apprehendemus: ita alia bona consequemur. Quæ nobis omnibus consequi detur gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi.

ORATIO XXXIII.



BEDITE praposis vestris, & subiaccete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non omnes gementes. Hoc enim non expedit vobis. Magistratum ducemque & rectorem non habere malum est, & est argumentum multarum calamitatum, & principium defectus ordinis & perturbationis ac confusionis. Nam sicut si chori corypheum & ducem sustuleris, non erit amplius chorus modo congruus & ordinatus. Et si à phalange exercitus amoueris Imperatorem, non erit amplius numerosa & ordinata acies, & si nauigio ademeris gubernatorem, nauem demerges: Ita etiam si à grege pastorem abstuleris, omnia euertisti & deleuisti. Atque malum quidem est magistratus & rectoris defectus, & occasio euerfionis. Non minus autem malum est etiam inobedientia eorum qui eis sunt subiecti. Nam idem rursus accidit. Populus enim non parens rectori ac magistratui, est similis ei qui non habet, & forte etiam deterior. Nam illic quidem etiam eis datur venia, si ordo & moderatio non obseruetur. Hic autem non ita, sed etiam puniuntur. At dicet fortasse quispiam, quòd est etiam tertium malum, quando est ma-

lus rector & magistratus. Id quoque scio, & non paruum malum, sed etiam longè peius defectu rectoris ac magistratus. Melius est enim à nullo duci quam duci à malo. Nam ille quidem saepe euasit saluus, saepe autem venit in periculum. Hic autem omnino veniet in periculum, ne abducatur in barathrum. Quomodo ergo dicit Paulus, Obedite praposis vestris, & eis subiaccete, seu subiecti estote? Cum superius dixisset, Quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem, tunc dicit, Obedite praposis vestris, & subiecti estote. Quid ergo, inquit, quando fuerit malus, non obediemus? Malus quomodo dicit? Si propter fidem quidem, fuge eum & euita, non solum si sit homo, sed etiam si Angelus descendens è caelo. Sinautem propter vitam, ne sis nimis curiosus. Nec hoc exemplum è domo mea allatum dico, sed à diuina scriptura. Audi enim Christum dicentem, Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisei. Cum de iis prius multa dixisset grauiora, tunc dicit, Super cathedram Moysis sederunt. Quæcunque vobis dixerint facite: quæ autem fecerint, nolite facere. Habent, inquit, autoritatem, sed vitæ sunt immunda: sed non vitam, fed verba attende. Nam propter mores quidem nullus damnnum acceperit. Quamobrem? Quoniam & ij sunt omnibus manifesti: & nec ipse, etiam si nullus sit malus, mala vnquam docebit. Sed propter fidem. Neque enim est omnibus manifestum: neque malus recutabit docere. Nam illud quoque, Nolite iudicare, vt non iudicemini, de vita est, non de fide. Id quidem certè quod subiungitur, hoc ostendit. Quid enim vides, inquit, festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non animaduertis? Quæcunque ergo dixerint vobis vt faciatis, facite. Facere autem est operis, non fidei. Secundum autem opera eorum nolite facere. Vides quòd non agat de dogmatibus, sed de vita & operibus. Sed Paulus eos primum commendauit, & tunc dicit, Obedite praposis vestris, & subiecti estote. Ipsi enim vigilat pro animabus vestris tanquam rationem reddituri. Audiant etiam ij qui regunt & gerunt magistratus, non solum ij qui ab iis reguntur: quòd sicut eos qui reguntur oportet esse obedientes, ita etiam eos qui regunt & gerunt magistratus, esse vigilantes & sobrios. Quid dicis, vigilat? Imminet periculum eius capiti, subiicitur poenis tuorum peccatorum, & propter te est tanto obnoxius timori, & tu es piger & ignauus, torpescque & es sordidus & illiberalis. Vt cum gaudio, inquit, hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis. Vides quòd rectorem & magistratum, si contemnatur, non oportet se vlcisce: Sed magna vltio facit flere & ingemiscere? Nam & medico, si contemnatur ab ægroto, non licet se vlcisce, sed flere & ingemiscere. Sinautem ille ingemiscat, te vlcisceatur Deus. Si enim pro nostris peccatis ingemiscentes Deum attrahimus, pro aliorum arrogancia & contemptu ingemiscetes, non multò magis? Vides quòd non sinit eum erumpere ad probra & contumelias? Vides quanta sit philosophia? Oportet eum ingemiscere qui despicitur, qui conculcatur, qui conspuitur. Ne confidas quòd te non vlcisceatur. Gemitus enim est quauis vltione deterior. Nam quando ipse nihil proficit, gemens vocat dominum. Et quomodo vsuuenit in prapceptore & educatore, quando illum puer non audiuerit, vocatur qui in eum se gerat austerius: Ita hic quoque, papæ quantum est periculum? Quid miseris illis dixeris qui se coniciunt in tantam abyssum suppliciorum? Omnium quos regis, mulierum & virorum & puerorum à te reddenda est ratio, tanto igni

Hebr. 13.

Matt. 23.

Matt. 7. Nolite iudicare dicere de vita, non de fide.

Ex rectoribus vix vilis saluus.

igni caput tuum subiicis. Miror an fieri possit vt aliquis A ex rectoribus sit saluus, cum videat post minas & presentem focordiam, aliquos adhuc accurrentes, & se conicientes in tantam molem rectionis & administrationis. Nam si ij qui necessitate trahuntur, non habent quòd confugiant & quo se excusent, si rem malè administrant & sint negligentes. (Nam & Aaron tractus est necessitate, & venit in periculum: & Moyses rursus venit in periculum, cum saepe recusasset: & Saul cui fuerat creditum aliud imperium, postquam recusauit, vocatus est in periculum, quoniam ipsum malè administrarat) quantò magis ij qui in hoc suum studium ponunt, & in id irruunt: Qui est autem talis, longè magis se omni priuabit venia. Timere enim oportet & contremiscere, & propter conscientiam, & propter molem imperij: & neque si semel trahantur recusare, neque si non trahantur, in ipsum irruere, imò verò etiam fugere, prouidentes magnitudinem dignitatis. Rursus autem eos qui fuerint comprehensi, oportet esse cautos & reuerentes. Si priusquam factus sis nullum modum non præsenseris, secede, tibi persuade te ea re esse indignum. Si rursus fueris comprehensus, similiter cautionem adhibe & reuerentiam, vbique ostendens pium & gratum animum. Orate, inquit, etiam pro nobis. Confidimus enim quòd bonam conscientiam habemus: in omnibus bene volentes conuersari. Vides quòd in his se purget & excuset, vt qui scribat ad eos tanquam ad molestia affectos, tanquam ad auersantes, tanquam ad eos qui in eum erant affecti vt transgressorem & qui ab eis defecerat, qui non ferebant ne nomen quidem eius audire. Quoniam ergo ea exigebat ab iis qui ipsum oderant, quæ ceteri omnes ab iis qui diligunt, ea de causa hoc hic ponit, dicens. Confidimus quòd bonam conscientiam habemus. Ne mihi enim, inquit, dixeris accusationes. Nostra, inquit, nihil nos lædit conscientia: neque nobis conscij sumus quòd vobis fuerimus insidiati. Confidimus enim, inquit, quòd bonam conscientiam habemus, non solum inter ethnicos, sed etiam inter vos. Nihil cum cauponatione fecimus, nec cum hypocrisis: est enim verisimile has in eum calumnias fuisse intentatas. Audierunt enim, inquit, de te quòd discessionem doccas à lege. Non tanquam inimicus, inquit, nec tanquam hostis hæc scribo, sed tanquam amicus: & hoc ostendit ex eo quod deinceps sequitur. Amplius autem deprecor vos hoc facere, quò celerius restituatur vobis. Hoc erat eius qui vehemèter eos amabat, ita precari, & non solum precari, sed cum omni studio, vt ego, inquit, citò veniam ad vos. Hoc est eius qui sibi nihil est conscius, studium ponere vt ad eos veniat, & rogare ipsos vt pro ipso orent. Ea de causa cum prius ab ipsis petiisset orationes, tunc eis quoque precatur omnia bona. Deus autem, inquit, pacis. Ne sit ergo vobis nobiscum dissidium. Qui eduxit de mortuis pastorem ouium. Hoc dictum est de resurrectione. Magnum! Sed hic rursus additio vsque ad finem eis confirmat quòd dicitur de resurrectione. In sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum Christum, aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem: faciens in vobis quòd placeat coram se. Rursus eis magna suo tribuit testimonio. Integram enim reddi dicitur id quod habet initium, & deinde impletur. Et eis precatur, quòd est desiderantis. Et in aliis quidem epistolis precatur in initiis, hic autem in fine. Faciens, inquit, in vobis quòd placeat coram se, per Iesum Christum, Cui est gloria in secula seculorum. Amen. Rogo autem vos fratres vt sufferatis verbum solatiij. Etenim per paucis scripsi vobis. Vides, quòd ad neminem scripsit, hoc ad eos scribit. Etenim nec vobis,

AA. 11.

In egrum reddi quid dicitur.

inquit, sum molestus verborum prolixitate. Existimo eos non fuisse admodum infensos Timotheo. Vnde etiam eum commendauit. Cognoscite enim, inquit, fratrem vestrum Timotheum dimissum: cum quo, si citius venerit, videbo vos. Dimissum, inquit. Vnde? Existimo eum fuisse coniectum in carcerem. Aut si non ita sit, dimissum Athenis. Nam hoc quoque situm est in Actibus. Salutate Aa. 14. omnes prapositos vestros, & omnes sanctos. Salutant vos de Italia fratres. Gratia cum omnibus vobis Amen. Vides quomodo ostendat virtutem, neque ex Deo omnino, neque ex nobis solum esse ortam. Primum dicendo, Integros vos faciat in omni bono opere; Habetis quidem, inquit, virtutem: opus autem habetis complemento. Quid est, Opere bono, & verbo bono? Vt & vitam habeant rectam, & dogmata congruentia eius voluntati. Faciens in vobis quòd placeat coram se. Coram se: hæc est virtus maxima facere quòd placeat coram Deo. Sicut etiam dicit Propheta. Secundum Psal. 17. puritatem manuum mearum in conspectu eius. Cum tum multa autem scripserit, pauca ea esse dixit si conferantur cum iis quæ erat dicturus. Sicut etiam aliquis dicit, Sicut scripsi vobis in breui, prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi. Vide autem eius sapientiam. Non dixit, Rogo vos vt sufferatis verbum admonitionis, sed solatiij, hoc est consolationis, adhortationis. Non potest, inquit, quisquam defatigari ob prolixitatem eorum quæ dicta sunt: hoc enim erat quòd eos faciebat auersari. Non tamen hoc vult ostendere. Hoc est, etiam si sitis pusillo animo. Nam eorum qui sunt eiusmodi, est proprium non ferre longam orationem. Cognoscite fratrem Timotheum dimissum, cum quo, si celerius venerit, videbo vos. Hoc satis est ad eis persuadendum vt se demittant, si paratus est venire cum Timotheo. Salutate omnes prapositos vestros & omnes sanctos. Vide quomodo ipsos honorauerit, siquidem ad illos pro illis scripsit. Salutant vos de Italia fratres. Gratia cum omnibus vobis. Amen. Quòd quidem erat commune omnium. Quomodo autem est gratia nobiscum? Si non probro & contumelia afficiamus beneficium: si non simus focordes & negligentes aduersus donum. Quid est gratia? Remissio peccatorum. Ipsa purgatio sit vobiscum. Quis enim qui probro affecit & contumelia, potest custodire gratiam, & non eam perdit? Vt puta condonauit tibi peccata. Quomodo erit tecum gratia, aut bona existimatio, aut spiritus operatio? Si per bonas actiones eam attraxeris. Hoc enim est causa omnium bonorum, quòd in nobis permaneat gratia spiritus: ea enim est nobis dux ad omnia sicut quidem certè quando ea à nobis auolauerit, nos perdit, & desertos reddit.

Virtus neque ex Deo omnino, neque ex nobis solum orta.

Ephes. 3.

Gratia est remissio peccatorum.

MORALE.

NE eam ergo repellamus, est enim in nostra potestate vt ea & maneat & recedat. Illud enim fit, quando cogitamus caelestia: hoc verò, quando ea quæ ad hanc vitam pertinent. Quem mundus, inquit, non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vides non esse mundanæ animæ vt id habeat. Multo ergo nobis studio opus est, vt id à nobis retineatur, nostraque omnia dispense & administret, eaque in tuto & multa pace colloct. Quomodo enim fieri non potest vt nauis quæ vento secundo fertur, impediatur; neque vt demergatur, donec vento fruatur prospero & perpetuo: sed & postquam redierit, magnam sui successus præbet gloriam, & nautis & vectoribus: illis qui Ggg v

Vt gratia spiritus in nobis maneat vel recedat, est in nostra potestate. Ioan. 14.

Sanctus
spiritus in
animam
mollem,
nō potest
in ea ma-
nere.

dem dans quietem, & non sinens vt remis adlaborent: hos autem ab omni metu liberans, & iucundissimum spectaculum eis suum præbens cursum. Ita etiam anima diuino munita spiritu, est superior quidem omnibus fluctibus eorum quæ ad hanc vitam pertinet: viam autem quæ fert in cælum secat vehementius quàm illa navis, vt quæ non pellatur à vento, sed vela habeat, eaque munda omnia, impleta ab ipso paraclito: à nostra cogitatione expellit quidquid est molle, eneruatum & dissolutum. Quomodo enim ventus incidens in velum laxum & molle, nihil egerit: ita etiam sanctus spiritus in animam mollem & dissolutam, pati non potest vt maneat. Sed magna intentione opus est & vehementia, vt nobis sit ardens animus, & semper sint nostra opera intensa, fortia & constantia. Vt quando oramus, hoc à nobis cum magna faciendum est intentione, animam in cælum intendentibus, non funibus, sed magna animi alacritate. Quando rursus misere-mur, nobis opus est intentione, ne cura domus, & solitudo de liberis & vxore, & metus paupertatis irruens, velum laxet & remittat. Nam si id vndique rectè intenderimus spe futurorum, suscipit operationem spiritus: ex illis autem rebus caducis & miseris nihil in eam incidit, sed etsi incidit: ipsam quidem nihil lædit, sed statim firmitate ac duritie repellitur & excidit excussum. Propterea ergo nobis magna opus est intentione: etenim nos quoque magnum & spatiosum mare nauigamus, plenum multis beluis & scopulis, & multas nobis paries tempestates, & ex magna serenitate scruifimas procellas excitans. Oportet ergo, si velimus facile nauigare, & sine periculo vela tendere, hoc est liberum animi nostri arbitrium. Hoc enim nobis sufficit. Nam Abraham quoque postquam suum ad Deum intendit desiderium, perfectamque & integram exhibuit voluntatem, quanam re alia opus habuit? Nulla: sed credidit Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Fides autem est puræ & sinceræ voluntatis. Obrulit filium, & quamuis non occiderit, accepit tamen mercedem eius qui occidit, & quamuis factum non esset opus, data est tamen merces. Sint ergo nobis vela munda, & non inueterata. Nam quidquid inueterascit & consenescit, propè accedit ad interitum. Non perforata, vt contineant operationem spiritus. Animalis enim, inquit, homo non capit quæ sunt spiritus. Quomodo enim telæ araneorum vim venti non susceperint: ita nec anima huius vitæ curis dedita, nec homo animalis poterit vnquam suscipere gratiam spiritus. Ab illis enim nihil distat nostræ cogitationes, visu quidem solum seruantes consequentiam, priuatæ autem omni virtute. Sed nostra non sunt huiusmodi si sapiamus: sed quidquid incidit, tenent omnia, & sunt omnibus superiora, & quouis plaga, & quouis laqueo fortiora. Sit enim vir aliquis spiritualis: & ei contingant innumerabilia mala & incommoda, à nullo eorum capitur. Et quid dico? Inferatur illi paupertas, morbus, contumelia, maledicta, ludibria, plagæ, omne genus supplicij, omne genus irrisionis & opprobrij, tanquam qui sit extra orbem terræ, & liber ab omnibus corporis affectionibus, ita omnia irridebit. Quod autem hæc verba non temerè iactentur, multos existimo nunc quoque esse huiusmodi, vtpote ex iis qui se receperunt in solitudines. Sed non est, inquit, mirum. Ego autem dico etiam esse tales ex iis qui sunt in ciuitatibus quos minimè existimes. Si vis autem, possum ostendere aliquos ex iis qui fuerunt olim. Et vt intelligas, veniat tibi in mentem Paulus. Quid non graue est passus? Quid mali non sustinuit? Sed omnia ferebat fortiter. Hunc

Rom. 4.
Fides est
puræ &
sinceræ
voluntatis.

Supr. 5.
1. Cor. 2.

A imitemur. Ita poterimus deduci ad portus tranquillos cum multis mercibus. Mentem ergo nostram in cælum extendamus: teneamur illo desiderio: nos coniciamus in ignem spiritualem, flamma nos conseruemus. Nemo flammam inferens timet eos qui occurrunt, siue sit fera, siue homo, siue laquei innumerabiles. Quandiu fueris ignitus, omnia cedunt, omnia dant locum. Flamma non potest ferri, rogos non potest tolerari, omnia consumit. Hoc igne nos induamus, gloriam emittentes domino nostro Iesu Christo. Cum quo patri simul cum sancto spiritu gloria, potentia, & honor, nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

Qui est
ardens, vi-
cit omnia.

DIVI IOANNIS

CHRYSOSTOMI, DE ILLO

Heb. 10.

PAULI LOCO AD HEBRÆOS,

Sponte enim peccatibus nobis percepta & hausta veritatis cognitione: & que sequuntur. & quemadmodum ad Christi sacramenta accedendū sit, concio, Ioachimo Perionio interprete.



MNES arbores, quæ quidem satæ fuerunt, aliæque omni procreatione tractatæ & cultæ, qualesque manibus ac laboribus suis dignas agricola cœsuis, nec emolumentum vllum impensarum afferunt: stirpis euulsæ igni adhibetur. Tale quiddam etiam

in illustratione fit, quando nos Christus scuit, & spiritualis irrigationis participes facti, fructum nullum postea proferimus: ignis gehennæ & flammæ quæ extingui non potest, nos manet. Paulus quidem postea quàm ad charitatem nos hortatus est, & ad fructum bonorum operum, incitauitque etiam à melioribus his verbis, Aditus nobis patet in sancta, quam nobis viam nouam & vnam patefecit: à molestioribus quoque rursus idem facit his verbis, quæ tractamus. Cum enim dixit, Non deserentes consociationem nostram, sicuti moris est quibusdam, sed adhortantes, eoque studiosius quò magis diem appropinquare cernitis, qui consolari possit: hæc subiicit, Sponte nobis peccantibus post acceptam veritatis notitiam, non iam pro peccatis relinquitur hostia. Expiatus es, liber es à criminibus, factus es filius: si ad pristinam vomitionem reuersus, rursus exheredabere, ignis te manet, cæteraque eiusdem generis. Neque enim hostiæ secundæ locus vllus relinquitur. Hoc loco rursus nos aggrediuntur ij qui pœnitentiam tollunt, & omnes qui ad baptismum dubitant accedere: hi quidem sibi tutum esse negantes venire ab baptismum, si non sit secunda remissio: illi quòd non dicant esse tutum sacramenta impertire peccatoribus, si modò secundæ remissioni locus nullus relictus sit. Quid ergo vtrisque respondebimus? eum hoc loco non tollere pœnitentiam, nec placationem quæ pœnitentia procuratur, nec peccatorem repellere, aut maledictis vexare propter cognitionem, non est ad eò salutis nostræ inimicus: sed quid? secundum lauacrum tollit. Non enim hoc dixit, Non est iam pœnitentia, neque hoc, Non est iam remissio, sed iam non est hostia, id est, secunda crux. Hanc enim hostiam

hostiam nominat. Vna enim hostia in perpetuum eos qui sancti efficiuntur, perfecit, non quemadmodum Iudaica. Ob eam enim causam supra & infra tot verbis de hostia differuit, quod vna sit: non quod hoc vnum docere vellet, hæc nostra à Iudaicis differre, sed tutiores etiam ac firmiores reddere. Itaque non iam expectandam ex lege Iudæorum aliam hostiam. Sponte enim, inquit, si peccemus: ita non consultò peccantibus venia relinquitur: post agnitionem veritatis, id est Christi, inquit, vel dogmatum omnium, non iam pro peccatis relinquitur hostia. Sed quid? terribilis quædam iudicij expectatio & ignis ira qui aduersarios consumpturus est. Aduersarios appellat, non infideles tantum siue à religione nostra abhorrentes, sed etiam qui ea gerunt quæ cum virtute pugnant & ab ea discrepant, propterea quòd & domestici & aduersarij in eundem ignem supplicij causa coniciuntur. Deinde vim eius deuoradi declarat, quasi eum animatum reddidisset, cum ait, Et ignis ira, qui aduersarios deuoraturus est. Quemadmodum enim fera bestia concitata & vehementer sæua ac ferox nunquam finem facit, dum aliquos rapiat & deuoret: sic ignis ille non aliter ac quispiam ira incitatus, quicquid comprehenderit, non amittit, sed consumit, & discerpit. Tum minarum causam affert, quod iure ac meritò, id quod ad fidem valet, cum docemus aliquid iure fieri. Si quis enim Mosis legem abroget, sine vlla misericordia duorum aut trium testimonio, morte mulctatur. Sine misericordia, inquit, ita fit, vt nullus sit illic veniæ relictus locus, nullus misericordiæ. Atqui lex Mosis est, multa enim ille statuit. Quid est, duobus aut tribus testibus? Si duo aut tres, inquit, pro testimonio dicant, statim pœnas pendunt. Quòd si in veteri testamento, vbi legi Mosis derogatur, tantum supplicium constitutum est: quanto grauiore dignum fore existimatis, eum, qui filium Dei conculcauerit, sanguinemque testamenti cõtaminatum duxerit, spiritumque qui munera largitur contumelia affecerit? Quo autem modo Dei filium ab aliquo conculcari asserit? Cum enim is qui eius sacramentis participat, scelus admittit, an non, inquit, eum conculcat? nonne eum contemnit? Vt enim ea quæ conculcantur, contemnimus, sic peccantes, Christum contempserunt, & ita peccauerunt. Factus es Christi corpus, & te ipsum das diabolo. Ita conculcasti. Et sanguinem, inquit, inquinatum duxit. Inquinatum quid est? id est, immundum, vel quod nihil amplius habet, quàm cætera. Et Spiritum qui gratiam largitur, contumelia affecit. Qui enim beneficium non accipit, ei qui beneficium contulit, iniuriam facit, eumque contumelia afficit. Te fecit filium, tu seruus esse vis: venit habitandi apud te ac tecum causa, tu in eum praua consilia moliris. Christus stare ac rectus esse apud te ac tecum cupit: tu eum crapula & ebrietate conculcas. Audiamus qui indigno modo sacramentis participamus: audiamus qui indigni ad mensam illam accedimus: Nolite sancta dare canibus, nec ante sues margaritas vestras spargere, ne eas pedibus suis cõculcent: id est, ne contemnant ac respuant. Sed hoc minimè dixit, verum quod multò magis metuendum est. Eo enim quod metuendum est, animos constringit. Hoc enim non minus quàm consolatio potest conuertere, eademque opera & dissimilitudinem ostendit, & supplicium & iudicium eis relinquit, quòd res ipsa nota & illustris esset. Quantò, inquit, acrius supplicium debere putatis? Hoc quidem loco mihi obscure de sacramentis videtur dicere. Testimonium etiam profert, cum ait, Metuendum est in manus Dei viui incidere.

A Scriptum est enim, Mihi vltio, ego reddam dicit dominus. Et rursus, Dominus populum suum iudicabit. Non ait, In manus hominum incidetis, sed in manus domini, nisi resipiscatis. Hoc horribile est, illud non est. Cum ergo quempiam supplicio coercerentem hic videbimus, ne præsentibus exhorrescamus, sed futuris. Nam pro eius misericordia, ira etiam eius est: & in peccatoribus eius furor acquiescet. Sed quoniam sanctorum sacramentorum mentionem feci, libet mihi paucis agere vobiscum qui initiati estis, paucis quidem numero, sed quæ magnam vim & vtilitatem habent. Neque enim verba nostra sunt, sed diuini spiritus. Quidnam illud est? Multi semel toto anno sacramentis participant: alij bis, alij sæpius. Ad omnes igitur mea spectat oratio, nec ad eos modò qui hic adsunt, sed ad eos etiam qui sunt in solitudine. Illi enim semel in anno participes fiunt, sæpe verò etiam biennio. Quid ergo? quos tandem approbabit, eòsne qui semel, an eos qui sæpe, an eos qui rarò? Sed eos qui pura conscientia, eos qui corde mundo, eos qui inculpatæ vitæ sunt: hi tales semper accedant: qui autem non sunt eiusmodi, ne semel quidem. Quid ita? Quia iudicium sibi sumunt, & damnatione, & supplicium, & pœnam. Quod quidem tibi mirum videri non debet. Vt enim cibibus qui naturam alendi vim habet, si in eum qui cibum respuit, incidat, perdit & corrumpit omnia affertque morbi occasionem: sic hæc tremenda sacramenta. Mensa spiritali fruere, mensaque regia, & rursus cæno corpus inquinat. Vnguento perfunderis, & rursus tetro odore compleris. Mecum loquere, quæso, cum ad mensam anno exacto accedis, quadraginta dies satis esse tibi ad expianda omnium temporum peccata existimas: rursusque transacta hebdomada te superioribus pristinisque scelerebus dedis. Rogo te, si quadraginta diebus conualuisti à diuturno morbo, & iterum ea repetis quæ morbum pariunt, nonne priorem operam perdidisti? Si enim naturalia mutantur, quanto magis ea quæ à voluntate proficiuntur? Quid est quod dico? Naturam cernimus, valentesque oculos habemus, sed plerumque à vitiosa constitutione vis nostra cernendi læditur. Quòd si ea quæ natura nobis tribuit, mutantur, quanto magis ea quæ voluntatis sunt ac iudicij nostri? Dies quadraginta animi sanitati tribuis, & fortasse non totidem, & tibi placatum propitiūque fore Deum speras? locaris, quæso, cum hæc dicis? non quòd vos vno anniuersario aditu, & accessu arceam; sed quòd vos semper velim accedere. Sanctis hæc data sunt: Hoc etiam diaconus in clamat, qui sanctos accersit & conuocat, eaque voce omnes diligenter obseruat. Vt enim in grege, multæ quidem oves valent, multæ autem scabie refertæ sunt, quas necesse est à sanis & valentibus arceri: sic etiam in Ecclesia quoniam alia oves incolumes sunt, alia morbidæ, hac voce has ab illis arceat, quas vbique illa voce quæ maximè timenda est, sacerdos sanctos vocat & trahit. Quia enim non licet cuiquam res proximi cognoscere, (quis enim, inquit ille, nouit quæ sunt hominis, nisi hominis spiritus qui in eo est?) hanc vocem mittit sacerdos perfecto toto sacrificio, vt nemo homo sine religione & quouis modo, ad spiritalem fontem veniat. Et in grege, (nihil enim prohibet eodem in exemplo commemorari) oves quæ morbo laborant, intus claudimus, & in tenebris continemus, eisque aliud pabulum præbimus: nec patimur eas in cælum liberum prodire, nec herbis vesci, nec ex fonte qui extrà sit, haurire. Atque hoc etiam loco eadem vox instar est cuiusdam vinculi. Non potest dicere, Non sciebam, ignorabam cum re-

coniunctum esse periculum. Maxime quidem huius rei etiam Paulus testis est. At te ignorare dices. Non est hæc defensio, sed crimen: quotidie in templum venis, & hoc etiam ignoras? Sed tamen ne hoc afferre possis, sacerdos stans excelso in loco magna voce, & tremoris plena, quasi præco aliquis manu sublata in cælum, ab omnibus cernitur, magnaque voce in religiosa illa quiete clamans alios inuitat, alios excludit: neque hoc manu efficit, sed lingua clarius quam si manu faceret. Vox enim illa in aures nostras incidens, quasi manus, alios arceat & eiicit, alios trahit, & exhibet. Dic queso, in ludis olympicis nonne stat præco magna excellæque voce clamans, Si quis hos accuset, ne feruus sit, ne fur, ne improbis moribus præditus? Atqui certamina illa non animi sunt, nec morum, sed virium & corporis. Quod si vbi corporis est exercitatio, magna voluntatis ratio habetur: quanto magis hic vbi animus omnino exercetur? Stat ergo præco nolter, nec vnius cuiusque caput tenet ac profert, sed omnium simul caput intus tenet, nec alios eis accusatores dat, sed ipsos sibi præficit. Neque enim ait, Ne quis hunc accuset, sed quid? si quis se ipse accusat. Cum ait, Sancta sanctis, hoc ait, si quis sanctus non est, ne accedito: non omnino ait, liber à peccatis & expiatus, sed sanctus. Sanctum enim non peccatorum modò liberatio facit, sed spiritus etiam præsentia, bonorumque operum abundantia. Nolo, inquit, vos à cæno tantum liberari, sed albos etiam esse & pulchros. Si enim rex Babylo- nius cum adolescentes ex captiuitate deligeret, honesta facie, elegantique forma sibi delegit: quanto magis nos qui adhibemur mensæ regis, eleganti forma esse debemus, sic vt animi ornatus in nobis aureus, vestis sit munda, calcei regij, facies animi liberalis, ornatus eius aureus, cingulum veritatis? Talis accedat, & poculum regium contingat. Si quis autem sordidus panis amictus, & squalore oblitus ad mensam venire velit, vide quanta quàmque graua mala sit perpeffurus, cum quadraginta dies non satis sint ad eluendas totius vitæ maculas. Si enim gehenna quamuis æterna, nõ satis est, (ob id enim æterna etiam est) multò minus breue hoc tempus, præsertim cum non firmam & tutam pœnitentiam, sed exiguam esse docuerimus. Spadones regi præsto esse primùm ac maxime debent. Spadones dico, mente candida & splendida, in quibus nulla sordes sit, nulla macula, qui alta mente sint, in quibus acies animi lenis sit, & acuta, flexibilis, & acris, non somnolenta, non supina, magnæ liberalitatis plena, abhorrensque ab impudentia & temeritate: sit vigilans, & valens, non admodum tristis, aut mœsta, non diffusa, & humida. In nobis situm est vt oculum eiusmodi faciamus, & acutum & pulchrum. Si enim eum non in fumum aut puluerem intendamus, (tales enim sunt res humanæ) sed in tenuem ventum & leuem æ- ra, in res sublimes & excelas, plenâque magnæ & tranquillitatis & puritatis & delectationis: celeriter eum recreabimus, & reficiemus, quod eiusmodi rerum aspectu sese oblectet. Vidisti maiorem quàm sat est, rerum abundantiam, magnamque diuitiarum copiam: noli eò aciem intendere, cœnum res illa est, fumus est, vapor scelestus, tenebræ, magnus angor cumulûsque curarum. Vidisti hominem qui iustitiam excoleret, contentûsque esset suis, cui magna ocij abundantia suppeteret, qui has res & bonas negligeret, ac pro nihilo putaret: illum eò intende, atque erige, multoque meliorem clariorémque redde: nec eum terræ, sed virtutis eum floribus pasce, temperantiæ, bonitatis, aliorumque omnium. Nihil enim perinde oculum con-

turbat, vt mala conscientia. Turbatus est enim, inquit ille, ira oculus meus. Eum ab hoc malo libera, tumque pulchriorē firmiorémque reddes, cum in bonis omnibus educaueris. Faxit Deus, vt nos omnes, & oculum & cæteras animi functiones tales paremus, quales vult Christus, vt eo capite quod nobis prepositum est, digni effecti, eò quò vult dominus noster abeamus. Ait enim, Volo vt vbi ego sum, illi etiam vnâ mecum sint, vt gloriam meam videant. Id quod nobis continget, si continenter, si sobriè, si multis cum vigiliis Deû precemur. Vigilare autē dico, nõ solum noctu excitari & surgere, sed etiam interdiu sobrium esse in precibus. Vigil enim talis nominatur: quandoquidē fieri potest vt & noctu qui orat, dormiat, & interdiu qui orat non vigilet, cum animus in Deum intentus non est, cum non intelligit quicum sermonem cõferat, vel quicum loquatur, cum non percipit animo angelos cum timore & tremore adesse, ipse autem oscitans & scabens progreditur. Magna arma sunt oratio, si cum apta sobrietate fundatur. Atque vt eius vim intelligas, impudentiam, iniuriam, crudelitatem, temeritatémque assidua oratio vicit. Audite enim, inquit, quid iniquus iudex dicat. Rursus negligentiam superauit, quòdque non fecit amicitia, id etiam assidua præstitit oratio. Quòd si non propterea quod amicus est, inquit, ei dabit, & quæ sequuntur. Et quæ indigna erat, dignam continuata oratio reddidit. Non est, inquit, æquum filiorum panem sumere & dare canibus. At illa, Certè, inquit, domine. Nam castelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum, perstemus in oratione charissimi. Magna enim arma sunt, si cum animi contentione fundatur, si sine inani fallæque gloria, si sincero animo, si corde contrito. Hæc bella diremit: hæc gentem ingratam & indignam, gratam acceptamque reddidit. Audiui, inquit, eorum gemitum, & descendi vt eos liberem. Oratio medicina est conseruatix, expultrix peccatorum, delictorumque remedium. Si enim cum animi demissione precemur, si pectus tundentes vt publicanus, si cum eo dicamus, Propitius esto mihi domine peccatori: omnia consequemur. Nam si minus Publicani sumus, at certè alia in nobis sunt non leuiora scelera iis quibus contaminatus fuit. Neque enim est quod mihi dicas, te leue aliquod admisisse flagitium: eandem enim naturam res habet. Vt enim æquè hominis cædem fecisse dicitur aliquis, cum puerum interfecit, & cum virum: sic & plus habere & cum multa, & cum pauca contra ius habet. Qui etiam malorum recordatio non paruum crimen est, sed graue, eorum enim, inquit, qui malum corde retinent, viæ ad mortem ferunt. Qui etiam temerè ac sine causa fratri suo irascitur, pœna capitis & gehenna dignus erit: qui fratrem suum stultum vocabit & amentem: vt prætermittam innumerabilia alia eiusdem generis quæ admittimus, nec participare horrois plenis sacramentis desistimus: & inuidemus, & conuiciis alios vexamus: vestrum verò nonnulli etiam vino sæpe obruuntur. Singula autem hæc etiam per se ex regno possunt expellere: cum verò in vnum collata & coaceruata fuerint, quæ nobis reliqua erit consolatio? Magna nobis pœnitentia opus est, charissimi, crebra oratione, magna constantia, magna perseuerantia, vt ea bona quæ nobis promissa sunt, adipiscamur. Dicamus ergo etiam nos, Propitius sis mihi domine peccatori: aut potius, non hoc solum dicamus, sed etiam ita sentiamus. Ac si quis appellet nos & accuset, ne succensemus. Audiuit ille, Quòd non sum similis huic publicano, nec concitatus est, sed magis compunctus. Probrum accepit, & probrum eluit: vulnus

Paul. ad Heb.

vulnus ille aperuit, & hic remedium petiuit. Dicamus A igitur etiam nos, Propitius esto Domine mihi peccatori: ac si quis in nos dicat, ne acerbè feramus. Si enim nos ipsi in nos innumerabilia crimina conferimus, & ab aliis audientes grauiter ferimus, non est hoc iam animi abiectio, non confessio, sed ostentatio vanæque gloria. Estne, inquires, ostentatio seipsum peccatorem vocare? certè. Abiecti enim demissique animi opinionem adipiscimur, suspicimur, laudamur. Si verò contra in nos ipsi dicamus, nõsque accusemus, contemnimur. Ita fit, vt hoc etiam gloriæ aucupandæ causa faciamus. Quid est autem animi abiectio? Cum alius nobis aliquid vt probrum obiectat, ferre: crimen ac culpam agnoscere: ferre maledicta: nec verò hoc abiecti animi & parua de se sentientis sit, sed benè sentientis. Nunc autem nosmetipsos peccatores dicimus, indignos, sexcentaque etiam eiusdem generis. At si quis vnum horum criminum nobis obiectat, succensemus, atque sæuimus. Animaduertis hoc non esse confessionem, nec gratam voluntatem? Te ipse talem esse dixisti: ne acerbè feras cum ab aliis audis & reprehenderis. Ita denique peccatorum tibi leuamentum affertur, si alij tibi crimina aliqua obiectant. Sibi enim pondus grauitatémque addunt: te verò ad sapientiam introducunt. Audi quid beatus David dixerit, cum eum maledictis Semeius vexaret, Dimitte, inquit, illum. Dominus ei præcepit, vt humilitatem meam cernat, & me pro eius maledictis & contumeliis bonis afficiat. Tu verò qui grauissima etiam maledicta in te congeris, nisi eorum hominum qui magnis virtutibus præditi fuerunt, laudes ab aliis audias, concitaris. Animaduertis iocari te in rebus seriis? etenim laudes aliarum laudum cupiditate incensi, deprecamur, vt scilicet maiores laudes consequamur, vt maiorem aliis admirationem excitemus. Ita fit vt studio laudis trahamur, non vt eam honesta vita augeamus & amplificemus, sed omnia ad gloriam nostram referimus, non ad veritatem. Ex quo fit, vt inania vanæque sint omnia, omnia perplexa. Quapropter hortor ego vos vt matrem malorum vanam futilemque gloriam declinetis. Hac enim consenuimus, & penè ad interitum internectionémque redacti sumus. Hanc nos senectutem rescemus. Lauacro quidem iam non possumus, pœnitentia autem possumus. Sed si quid in nobis vetus est, euellamus: si qua ruga, si quæ sordes, si qua macula inhæsit, expiemur, & abluamur. Pulchri efficiamur, vt rex pulchritudinem nostram expetat. Is enim qui in summam etiam turpitudinem deformitatémque lapsus est, eam pulchritudinem recuperare potest, de qua David loquitur his verbis, Concupiscet rex decorem tuum. Audi filia & vide, & obliuiscere populum tuum & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum. At obliuio decorem non parit: decorem animi, quæ autem obliuio? peccatorum. Alloquitur enim ecclesiam conflam ex gentibus, eamque monet vt maiorum eam capiat obliuio, id est eorum qui simulachris immolabant, ex iis enim conflata est, nec dixit, Noli de eis loqui, sed quod maius est, noli recordari, quod etiam alio loco ait, Non repetam memoria eorum nomina labris meis, & rursus, Vt ne loquatur os meum opera hominum. Nec in hoc magna etiam virtus est. Magna enim quidem est, sed non eiusmodi. Illic enim quid ait? Non ait, Ne loquere de operibus hominum, sed ne memoria quidem repete, ne tibi in mentem veniant. Vides quanto nos interuallo abesse à vitiis velis? Qui enim non recordatur, is non cogitat: qui non cogitat, nec loquitur: qui non loquitur, nec faciet. Vides quantis itineribus,

quantòque quasi locorum interuallo nos disiunxerit? Audiamus ergo etiam nos, nostrorumque malorum nos capiat obliuio, non eorum, inquam, quæ à nobis admissa sunt. Veniant, inquit, tibi primò in mentem peccata tua: & non recordabor iam ipse. Quid ergò dico? Non iam in mentem nobis rapinæ veniant: quin etiam superiora reddamus. Hoc est vitiorum obliuisci, cogitationem rapinæ ac furti ex animo expellere, nec vnquam eam sumere: quin etiam ea scelera delere, quæ admisimus. Vnde autem vitiorum nobis obliuio eueniet? Dei memoria & recordatione. Si Dei memores sumus semper, illorum etiam nos recordatio subire nõ potest. Recordabar, inquit, in strato meo, manè de te meditabar & cogitabam. Cum semper, tum vel maxime illo tempore, in animis nostris Deus versari debet, cum cogitatio quiescit, cum illa recordatione se condemnare potest, cum semper in animo retinetur. Interdiu enim etsi in mentem nobis veniat, tamen aliè cure B atque perturbationes quæ obrepunt, eam rursus euellunt: noctu autem semper in animo versari potest, cum tranquillitate ac quiete animus perfruitur, cum in portu est, cum est in serenitate. Quæ dicitis in cordibus vestris, inquit, & in cordibus vestris compungimini. In animis quidem vestris etiam interdiu hæc recordatio inesse debuit, sed quia curis agitamini, & diuellimini: & noctu Deus nobis in mentem veniat, & matutinis horis de eo cogitemus, vt cum magna securitate ad negocia obeunda veniamus: si propitium Deum oratione precibusque faciemus, ita denique progredientes nullum inimicum habebimus. Bellum sunt, pugna sunt diurnæ res & negocia: fluctus sunt, & tempestas. Opus est igitur armis orationis, vt secundis ventis vtamur. Dicenda sunt omnia, vt prolixitas diei sine naufragio & vulneribus consumatur. Multi enim interdiu scopuli ostenduntur, sæpèque scapha deiecta & submersa est. Itaque nobis necessaria est oratio, maximeque matutina & vespertina. Plerique vestrum sæpe spectatores fuerunt, nec spectatores modò & admiratores, sed etiam diligentes & attentis, eorum qui certabant, atque hic illius, ille huius. Scitis ergo, quemadmodum & diebus certaminum ac ludorum, & noctibus illis præco nulla in re omnem curam, diligentiam, studiumque ponit, nisi vt ne is qui certat, egressus indecorè se gerat. Quòd si ei qui in conspectu hominum certaturus est, tanta prouidentia adhibetur, & consulitur, quanto magis decet nos semper curare, & sollicitos esse, quibus vita omnis certamen est? tota igitur nox in somnis ducatur, sollicitique sumus, quemadmodum diem prætereamus, ne risu excipiamur. Nunc ad patris dextram sedet agonothetes noster, audiens accuratè, num quid quod se offendat, loquamur, num quid contra leges: neque enim rerum & factorum modò iudex est, sed etiam verborum. Pernoctemus charissimi. Habemus etiam nos qui nobis studeant & faueant, si volumus. Vnicuique nostrum angeli præsto sunt: nos autem totas noctes stertimus, neque hoc modò, sed plerique lib di- ni parent, alij vino se onerant & obruunt, & ad rem non loquuntur: alij fraudes comminiscuntur & ne- ctunt: quidam curis agitantur, atque hæc omnia talia malunt facere, quàm ea quæ ad Deum pertinent. Malè tibi eueniet Mammona, eique, qui te habet. An non hoc tibi quæso, Deus minatus est his verbis? Non potestis duobus dominis seruire. Tu verò minas dissoluis. Nonne avarum, idololatram vocat? Tu verò stas sine metu ridens etiam mulieres de populo. Hoc euertit omnia, hoc omnia sustulit: res nostræ sunt risus, ciuilitas, vrbantitas: nihil in republica stabile est, nihil firmum.

Nec verò hæc mea ad viros de populo tantùm habetur oratio, sciòque quos obscurè significem. Rîsus enim plenum est templum. Si quis vrbani quiddam dicat, rîsus subitò sedenti mouetur: mirùmque illud est, quòd plerique ipso etiam precationis tempore ridendi finem non faciunt. Omni in loco diabolus saltat, omnes irretiuit, omnes dominatu suo tenet: Christus nullo in honore est, nullo in pretio: in nullo numero Ecclesia habetur. Non audis Paulum dicentem, Turpitudine, & scurrilitas, atque vrbani à vobis tollatur? Cum turpitudine vrbaniatatem ponit: tu verò rides: stulta oratio quid est? ea quæ nihil vtilitatis habet. Et tamen planè rides, vultùmque exporrigis tu qui vitam monachi profiteris: qui cruci suffixus es, qui lugens, rides? Vbinam quæso hoc Christum fecisse audisti? certè nusquam, sed tristitia & mœrore affectum plerunque. Nam & cum Hierosolyma vidit, lacrymatus est, & cum proditorem intellexit, conturbatus est, & cum excitaturus esset Lazarum, fleuit. At verò tu rides? Si is qui ex alienis sceleribus dolorem nullum capit, accusatione dignus est: ei qui ex suis nullo mœrore afficitur, & ridet, quæ venia debetur? tempus est luctus, angoris, castigationis, & seruitutis, certaminum, & sudorum: tu verò rides? Non animaduertis quemadmodum Sarra obiurgata est? Non audis Christum qui ait, Væ iis qui ridet, quòd ipsi flebunt? Nunc hæc quotidie canis? Quid enim ais quæso? an te rîsisse? certè non, sed laborasse te in gemitu tuo. Sed fortasse hîc sunt nonnulli adedò dissoluti & molles, vt in hac etiam obiurgatione rideant, quòd de rîsu disseram. Etenim eiusmodi amentia est, talis stupor, vt ne obiurgationem quidem sentiat. Stat Dei sacerdos, omniùmque orationem in cœlum mittit: tu verò rides, nec quenquam metuis. Et ille quidem tremens pro te sursum preces fundit, tu verò contemnis. Non audis scripturam dicentem, Væ iis qui contemnunt: non exhorrescis: non te ipse colligis? Cum in regiam ingressus es, tum & formam tuam, & aspectum, & incessum, cateraque alia componis: cum autem hunc in locum, in quo verè regia est, & eiusmodi quæ in cœlo, rides. Ac tu quidem scio, non vides, sed ramen hoc tibi persuadeas velim, angelos cum vbiq; adesse, tum vel maximè in Dei

A domo regi præstò esse, illarùmque corpore carentium naturarum plena sunt omnia. Ingressus es vt de peccatis tuis confiterè, vt te Deo demitteres ac prosterneres, vt eum supplex precarè, vt tibi delictorum gratiam faceret: & cum rîsu hoc facis: quònam modo eum placare poteris? Sed quid in rîsu mali est, inquires? Non est malus rîsus, sed vitiosus est, cum non in tempore & præter modum adhibetur. Nobis rîsus insitus est, vt cum amicos longo interuallo viderimus, id faciamus: vt cum aliquos stupore metùque percussos animaduertimus, rîsu eos ad mentem traducamus: nõ vt nosmetipsi cachinnis & rîsu semper diffuamus. Rîsus animis nostris insitus est, vt interdum animi relaxentur, non vt diffuant: quandoquidem appetitus etiam corporum nobis tributus est, nec omnino eo vtendum est, sed eum cohibemus: nec dicimus, Quoniam nobis insitus est, eo vtamur. Serui Deo cum lacrymis, vt peccata tua abluere possit: & cum pura mundaque conscientia accede ad sancta tremendaque Christi mysteria. Scio multos esse qui nos irrideant his verbis, Statim nobis lacrymas proponit. At hoc tempus lacrymarum est, & lamentationum. Intellego etiam esse qui augurentur his verbis, Edamus & bibamus: cras enim moriemur. Vanitas vanitatum, & vanitas omnia: non ego dico, sed is qui res expertus fuerat. Edificauit mihi domos, scui vites, & quæ sequuntur. Quid tum postea? Vanitas, inquit, vanitatum, omnia vanitas. Quare lugeamus charissimi, lugeamus, vt verè in veri gaudij tempore rideamus. Huic enim gaudio dolor admixtus est, nec vnquam simplex inueniri potest. Illud autem sincerum est, sine fraude ac simplex, nec quicquam simulatum secum admixtum habet. Illud nobis gaudium dari optemus, illud persequamur. Aliter autem eo potiri non licet, nisi nos hîc, non ea quæ voluptatem pariunt, sed ea quæ vtilitatem afferunt, amemus: ob eamque causam aduersis rebus vltro ac sponte obruamur: omnesque cum gratiarum actione toleremus. Ita enim denique & perturbationes animique non rectos motus superare poterimus, & regno cœlorum potiri: in Christo Iesu domino nostro, cui gloria & potentia atque veneratio in perpetuum tribuitur.

TOMI QUARTI FINIS.

Parisiis excudebat Dionysius Duvallius,
impensis societatis Parisiensis.